ACTA
SANCTORUM
APRILIS.

IMPRESSION ANASTALTIQUE
CULTURE ET CIVILISATION
115, AVENUE GABRIEL LEBON
BRUXELLES
1968



ANTVERPIÆ APVD MICHAELEM CNOBARVM ANNO MDCLXXV.

SANCTISSIMO

ET

BEATISSIMO

PATRI ET DOMINO NOSTRO

CLEMENTI X

PONTIFICI OPTIMO

MAXIMO.

SAnctorum Acta, à nobis & piæ mem. Ioanne Bollando collecta hactenus, digesta, illustrata, SANCTISSIME PATER, ideo fuerunt ad VRBANI VIII, ALEXANDRI VII, CLEMENTIS IX Decessorum Tuorum delata pedes, quod unius Apostolicæ Sedis judicio permiserit Ecclesia definire ritum, quo sint ab hominibus venerandi in terris, quos supra omnem humanæ cognitionis captum Ecclesiæ Sponsus glorificavit in cælis. Nunc operis, ab illis haud mediocriter probati, partem quartam, qua mensis Aprilis continetur, SANCTITATI sistimus TVÆ: non tantum ob eam rationem, quæ ceteris omnibus mensibus fuit eritque communis; sed ob aliam etiam, ipsi Aprili specialem ac propriam: quod unus hic plurium Sanctorum Pontificum gesta referat,

quam alii multi menſes ſimul; videlicet CLETI, SIXTI I, ANICETI, SOTERIS, CAII, MARCELLINI, IVLII I, ANASTASII I, CÆLESTINI I, LEONIS MAGNI, & LEONIS IX. Horum acta temporaque quia non poterant ſufficienter haberi explicata abſque diſtinctiori deceſſorum ſucceſſorumque notitia; & velut in catena nexorum mutuo annulorum, proximos ſibi utrimque cohærentes quicumque movebatur trahebat ſecum; vix ullus fuit totis quatuor primis rei Chriſtianæ ſeculis Romanus Epiſcopus, cujus non eſſet ſuſcitanda illuſtrandave memoria. Ad hoc porro antiquiſſimi duo eorum Catalogi, cum ipſi per ſe contulere ſubſidium maximum, tum occaſionem dedere primi æternique Pontificis CHRISTI IESV ætatem omnem, à nativitate ad paſſionem, examinandi, & cum vulgari qua utimur Æra comparandi, atque perpetua ſerie explicandi ordinem ac ſucceſſionem Vicariorum ejus, uſque ad Bonifacium II, quod fit in Diatriba ad primum tomum præliminari. Eſt igitur menſis APRILIS peculiari quodam titulo PONTIFICIVS. Quid? quod Religioſorum Ordinum inſtitutionem confirmationemque penes ſolam Petri Cathedram eſſe voluerunt ſacroſancta Concilia; & ad idem tribunal deferri juſſerunt Proceſſus formatos in cauſa eorum, quorum ſanctitatem, virtutum exemplis præclaram & miraculorum evidentia coruſcam, aris templiſque dignam pronuntiari fidelium populorum devotio flagitat. Atqui de Sanctis ac Beatis Franciſco Paulano, Guilielmo Xiclenſi, Notkero Sangallenſi, Hermanno Steinfeldenſi, VVernhero Bacheracenſi, Iacobo Bitectenſi, Simone Tudertino, Peregrino Forolivienſi, aliiſque nonnullis authentica talium actionum inſtrumenta, ex autographis Tabellionum Pontificiorum membranis, menſis hic

hic producit in lucem, plura quam antehac in cunctis prioribus simul prodierint: & Cluniacensium, Cisterciensium, Cavensium, Silvensium, Tironiensium monachorum, sub Regula sanctissimi Patriarchæ Benedicti per numerosissimas Congregationes divisorum, origines; Fratrum quoq; Carmelitarum ac Minimorum exordia deducit, ex scriptorum vetustissimorum fide, eo apud omnes futura majori, quo rerum quæ tractantur tempora vel complectuntur arctius ætate sua vel propius attingunt. Tam multis ergo nominibus Pontificium Tribunal respiciens Mensis, quot alius nullus, merito istic ambit invenire Patronum, ubi necessario debet habere Iudicem: speratque cum Auctoribus suis, ad SANCTITATIS TVÆ Pedes prostratis, nihilo minori se suscipiendum favore, quam qui eadem fiducia Romam accedentes, Ianuarius, Februarius, Martius, à prænominatis Decessoribus Tuis Apostolicam nobis Benedictionem jam toties retulere, ad reliquas operis vasti partes melius promptiusque elucubrandas. Id enim hac studiorum nostrorum oblatione, TVÆ BEATITVDINI facienda, spectamus; ut Tuo ex Pectore, PATER SANCTISSIME, velut ex lucis indefectibilis fonte, derivatos radios inferamus in obscuros sanctæ antiquitatis recessus, ad Dei gloriam, Sanctorum honorem, publicam privatamque utilitatem Ecclesiæ: cui utinam longo adhuc tempore præsis feliciter; ut possis eamdem novorum Patronorum & numero ornare sæpius & fulcire præsidio; donec illorum ipse consortio, annis meritisq; cumulatissimus accedas. Ita post humile Pedum Apostolicorum osculum vovebamus. Antverpiæ MDCLXXV.

SANCTITATIS TVÆ

minimi famuli

GODEFRIDUS HENSCHENIUS
DANIEL PAPEBROCHIUS
Societatis JESU *Sacerdotes.*

FACVLTAS

R. P. PROVINCIALIS FLANDRO-BELGICÆ

SOCIETATIS IESV,

ET SVMMA

PRIVILEGII CÆSAREI.

CVm Acta Sanctorum menſis Aprilis, collecta digeſta & illuſtrata labore & ſtudio Godefridi Henſchenii & Danielis Papebrochii, è Societate Iesu, tres dictæ Societatis Theologi legerint, opuſque laborioſum, eruditum, ac luce publica dignum judicarint; Ego infraſcriptus Societatis præfatæ per Flandro-Belgicam Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta à Reverendiſsimo Patre Noſtro Ioanne Paulo Oliva Præpoſito Generali, concedo Michaeli Cnobbaert, Typographo Antverpienſi, facultatem eadem Acta excudendi.

Cumque ſacræ Cæſareæ Majeſtatis decreto cautum ſit, ne qui libri à Societate Iesu conſcripti, in provinciis Romano Imperio ſubjectis, excudantur aut venales proponantur abſque ejuſdem Societatis conſenſu; hiſce declaro eumdem Typographum iſto privilegio legitime frui. In quorum fidem hiſce, officii mei ſigillo munitis, manu mea ſubſcripſi. Actum Antverpiæ, die VI menſis Decembris, MDCLXXIV.

LAURENTIUS VAN SCHOONE.

APPROBATIO CENSORIS.

INfraſcriptus fidem facio, me legiſſe ACTA SANCTORUM APRILIS, à Reverendis Patribus Godefrido Henſchenio & Daniele Papebrochio, Societatis IESU Presbyteris, magno labore nec minori doctrina, collecta, digeſta, & illuſtrata. Opus, olim per Summos Pontifices deſideratum, atque Apoſtolicis Notariis demandatum; tractu temporis, per hæreticorum nequitiam & ſimpliciorum inſcitiam, varie obſcuratum; noſtro hoc ævo, per dictæ Societatis Scriptores, cœptum novâ methodo elucubrari; & in antehac vulgatis Ianuarii, Februarii, Martii menſibus, per ALEXANDRUM VII & CLEMENTEM IX, utrumque recordationis felicis Romanum Pontificem, inſigniter laudatum; atque per Eminentiſsimos Cardinales, Illuſtriſsimos ac Reverendiſsimos Archiepiſcopos & Epiſcopos, Religioſorumque Ordinum Generales, & doctiſsimos viros quamplurimos, magnificis judiciis approbatum, communique Chriſtiani Orbis plauſu exceptum; in quo prudens ERUDITIO, ANTIQUA REDUCIT; & ſimplex VERITAS, OBSCURA REVELAT. Igitur & hunc Aprilem, tribus tomis comprehenſum, præmemoratis menſibus nihilo inferiorem; quin etiam, pro modo creſcentis uſu ſcientiæ, ipſis præſtantiorem; luce publica digniſsimum cenſeo; ut qui nihil contineat, quod Orthodoxæ Fidei adverſetur, multa autem ſcitu utilia detegat ac manifeſtet. In quorum fidem hiſce ſubſcripſi. Antverpiæ XVI Februarii, anno Domini MDCLXXV.

AUBERTUS VANDEN EEDEN I. V. L.
Protonotarius Apoſtolicus, Canonicus & Archidiaconus,
Illuſtriſsimi ac Reverendiſsimi D. Epiſcopi Antverpienſis Vicarius Generalis,
Librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII
REGIS CATHOLICI.

CAROLUS, Dei gratia Hiſpaniarum, Indiarumque, &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſsimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis Acta Sanctorum menſis Aprilis, auctoribus Godefrido Henſchenio, & Daniele Papebrochio Societatis IESU Sacerdotibus edita, præter voluntatem Michaelis Knobbari proximis novem annis ullo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſa in has noſtræ Germaniæ Inferioris ditiones importet, venaliave habeat: qui ſecus faxit, confiſcatione librorum & alia gravi pœna multabitur, uti latius patet in litteris datis Bruxellæ XXIII Iunii MDCLXXIII.

Signat

LOYENS.

PROTESTATIO

AVCTORVM.

QVandoquidem benevolis eruditisque Lectoribus cordate & ingenue sæpius denuntiavimus, atque adeo inculcavimus; si quæ ipsis sinceriora, quam quæ habuimus, Sanctorum Acta monumentaque alia occurrent; aut si in ipso nostro opere quidpiam reperient, ubi quod verum rectumque erat haud simus assecuti, deque his admonere nos dignabuntur; nos illis maximas habituros esse gratias, & quæ perperam scripseramus emendaturos; multo sane æquius est, nos Sanctæ Apostolicæ Sedis judicio ac decretis obtemperare. Nam Cælites omnes Deumque ipsum sancte testamur, nos eamdem sacrosanctam Sedem, ut Veritatis (quæ unice proposita esse historiam scribentibus debet) Magistram revereri; neque ab ejus scitis jussisque vel latum unguem declinare velle.

Quare (quod est alias VRBANI VIII Pont. Max. iteratis Constitutionibus vetitum) nulli, quantum quidem per imbecillitatem humani judicii provideri à nobis potuit, SANCTI aut BEATI appellationem adscripsimus, cui non eam vel Sedis ejusdem sententia, vel Majorum religio, vel veterum Scriptorum auctoritas contulerit. Neque item cujuspiam, qui non videatur, *per communem Ecclesiæ consensum vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicæ vel Ordinarii*, venerationem obtinere, commemoravimus miracula, prædictiones, arcanorum manifestationes. Si tamen videamur uspiam hoc in genere hallucinati, admoneat nos quivis amator Veritatis, atque illico corrigemus. Etenim hosce Commentarios nullum aliud habere momentum volumus, quam HISTORIÆ HUMANÆ, ab hominibus errori obnoxiis compositæ: nisi siqua ex Divinæ Scripturæ libris descripta, aut Ecclesiæ Catholicæ Conciliis, Pontificiisque Bullis Canonizationum, quibus sua sacrosancta constare debet auctoritas, accepta sint.

AD

AD TOMVM PRIMVM APRILIS
DIATRIBA PRÆLIMINARIS
IN CATALOGOS VETERES
ROMANORVM PONTIFICVM.

Ex antiquiſſimis codicibus MSS. acceptos.

PROLOGVS NOSTER.

Menſe Aprili occurrunt Natales Pontificum Sanctorum,

Remittimus Actis Sanctorum *hujus menſis* Aprilis *tractatum de ſerie & ſucceſsione* Summorum Pontificum Romanorum, *qui primis aliquot ſeculis Eccleſiam rexerunt, eamque martyrio aut vitæ ſanctitate exornarunt. Incitarunt nos ad illud ſtudium, tum antiqui Catalogi eorumdem, quos hîc damus; tum potiſſimum dies natales plurium in hunc menſem cadentes; quorum ætates ac res geſtæ non ſatis liquide definiri & tractari poſſunt, abſque deceſſorum ſucceſſorumque exacta notitia, quam cum dictis Catalogis dare intendimus, ut veritas undequaque ſtabilita clarius ob oculos ponatur. Ex his quos dixi ad Aprilem ſpectantibus primo Chriſti ſeculo floruit* S. Cletus, *à Principe Apoſtolorum & primo Pontifice* Petro *cum* SS. Lino & Clemente *ordinatus Epiſcopus, creditusque poſt hos Eccleſiam rexiſſe: qui à ſucceſſore ſuo* Anacleto, *contra quam ſenſerunt Euſebius & plures alii, neceſſario eſt cum hiſce Catalogis diſtinguendus. Poſt hos autem duos traditur uſque ad tempora* S. Euariſti, *ſuperfuiſſe* S. Clemens; *ſed privatus, aut Apoſtolicus Epiſcopus, id eſt nulli Cathedræ adſtrictus. Seculo ſecundo vixerunt, & hoc menſe coluntur,* SS. Sixtus I, Anicetus & Soter. *Inter memoratum* Euariſtum *& hunc* Sixtum, *præfuit Eccleſiæ* S. Alexander: *cujus Acta ſinceriſſima, videntur univerſam deceſſorum & ſucceſſorum Pontificum chronotaxim poſſe firmiſſime ſtabilire. Eamdem corroborant* S. Hermes *urbis Romanæ Præfectus, &* Quirinus *Tribunus, aliique ad* x *Aprilis relati, ab eodem* Alexandro *converſi & martyrio coronati ſub* Aureliano Comite; *qui ab aliis* Judex, Princeps & Imperator *compellatur: & cujus facinora à variis ad Aurelianum Auguſtum, ſeſqui ſeculo ſerius imperantem, fuerunt perperam tranſlata. Succeſſerunt* Sixto I Teleſphorus & Hyginus; *de quibus actum eſt tomo primo Ianuarii, ſed quomodo tunc agi à nobis potuit qui ſanctæ antiquitatis ſuccum necdum imbiberamus; nunc vero edocti melius magisque exercitati ad veri falſique diſcrimen percipiendum, amota iſta vellemus omnia, & quæ hic indicabuntur ſola eorum loco ſubſtitui.*

Cleti,

Sixti,

Aniceti,

2 Hygino *ſucceſſorem damus* S. Anicetum, *cui* S. Pius *ſubrogatus, fuit annos octo verus Pontifex, ante per ſeptem circiter annos* SS. Hygini & Aniceti Vicarius *ſeu* Chorepiſcopus: *quo etiam modo fuerunt Vicarii ſeu Chorepiſcopi,* Linus, S. Petri Apoſtoli; Sixtus, S. Alexandri *carceri incluſi;* Stephanus, S. Lucii *in exilium acti; & aliorum alii. Imo qui Liberio, ſub Conſtantio Imperatore in exilium acto, præfuit* S. Felix II, *inter Pontifices Romanos ab Eccleſia numeratur, quamvis non ſederit poſt dicti Liberii mortem. Seculo autem Chriſto ſeptimo, cum* S. Martinus Papa *eſſet ab Exarcho Theodoro Calliopa captus & in exilium ablegatus; mandante Conſtante Imperatore in ejus locum conſtitutus eſt* S. Eugenius, *qui uſque ad S. Martini obitum fuit Vicarius annis duobus, menſibus octo, diebus octodecim; ac dein verus Pontifex ſedit octo menſibus, diebus octodecim, mortuus anno* DCLVI *die* II *Iunii, & inſcriptus Martyrologio Romano.*

3 Pio *Pontifici ſucceſſit* S. Soter: *in cujus Actis,* XXII *Aprilis illuſtratis, demonſtramus eum integros annos novem præfuiſſe, atque anno Chriſti* CLXXI *vita functum eſſe. Cardinalis Baronius, quia aliter de annis deceſſorum ſenſerat, coactus tempus Sedis ad non integros quatuor annos contrahere, ejuſque obitum anno* CLXXIX *aſſignare;* Si quis, inquit, certiorem de annis Soteris invenerit chronographiam, qua tamen Cletus è numero Romanorum Pontificum non ejiciatur, nec litterarum Martyrum Lugdunenſium ſincerum teſtimonium contemnatur, haud inviti aſſentiemur. *Hæc Baronius: cujus deſiderio ſperamus à nobis faciendam ſatis ſolidiſſima & commodiſſima methodo, chronographiam iſtam petendo ex ipſis S. Soteris Actis, nec non ex ſucceſſione S. Eleutherii, cujus anno* VII *mota eſt apud Lugdunenſes perſecutio, cum hujus Pontificis virtus ſatis ubique innotuiſſet. Imo ſucceſsio* Cleti *ab* Anacleto *diſtincti, contra nuperos Græcizantes, optime propugnatur. Poſtea, in perſecutione Diocletiani, paſsi ſunt menſe Aprili* SS. Cajus & Marcellinus Pontifices.

Soteris,

4 *Euſebius lib.* 7 *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.* 32 *aſſerit,* Cajum & Marcellinum ſua ætate vixiſſe. *Sed, quod vehementer obſtupeſcendum eſt, ita aberrat, ut videatur ultro voluiſſe à veritatis tramite recedere.* Caji *deceſſor* Eutychianus *ſedit annos octo, cui vix decem menſes concedit Euſebius: dein inertiſſima ſegnitie,* SS. Marcellinum & Marcellum *ejus Succeſſorem, in unum eumdemque*

Caji

Marcellini,

AUCTORE G. H.

hominem conflat; aut certe, ob nominis ſimilitudinem, Marcello *omiſſo, ſucceſſores* S. Marcellini *ſtatuit in Chronico* SS. Eulebium, Melchiadem & Silveſtrum, *ſub quo ſuum Chronicon finit. Quare Euſebio cum ſuis ſequacibus amandato*, in iis quæ ſunt Romanæ Eccleſiæ, majorem eſſe adhibendam fidem ejus alumnis, quam ceteris, *cenſemus cum Baronio, in Notis ſuis ad* XXVI *Aprilis, quo coluntur* SS. Cletus & Marcellinus, *quos Euſebius à ſucceſſoribus* Anacleto & Marcello *non diſtinxerat.*

Præ libro Pontificali

5 *Latinis igitur potius quam Græcis circa Romanos Pontifices inhærere cum haberemus conſtitutum, diuturna ac magna ſolicitudine indagavimus quoscumq; de Summis Pontificibus tractatus ab ejuſdem Eccleſiæ alumnis antiquioribus conſcriptos; & anno* MDCLX *Romam appulſi, hac de re cum viris magis eruditis egimus. Commendabant aliqui Librum Pontificalem, ex quo Vitæ Pontificum editæ ſunt ab Aloyſio Lipomano tomo tertio Vitarum Sanctorum Priſcorum Patrum, uſq; ad S. Felicem* II *& tempora Conſtantii Imperatoris, quæ & in tomis Conciliorum ſaltem uſq; ad tempora S. Gregorii Magni allegantur, & poſtmodum ex Anaſtaſio bibliothecario aliiſq; auctoribus continuantur, ac paſſim in Annalibus Eccleſiaſticis laudantur* Lucas Holſtenius *Bibliothecæ Vaticanæ tunc Cuſtos (quem nobis* Alexander VII Pontifex Maximus *ut* virum eruditum & hominem pium *commendabat) obtulit* Catalogum Summorum Pontificum, ex antiquiſſimis membranis Palatinis Vaticanæ bibliothecæ *deſcriptum, in cujus codice* 40 *armarii* 20 *ante Pœnitentiales Pſalmos Davidis continebatur. Hunc catalogum ipſi deſcripſimus deductum uſq; ad Stephanum* III *Papam, ſive ad tempora Pipini & Caroli Magni Regum Francorum; eumq; conſtitueramus aliquando aliis Catalogis minimo characlere excuſum, ſubjungere. Verum quia ibi non indicantur Conſules Romani, vix poſſet ille alium uſum habere, quam ut ex crebris ejus erroribus diſceremus, quam parum fidendum ſit computui annorum, cui Conſules aut anni Imperatorum deſunt. Alium Catalogum reperimus in illuſtri bibliotheca* Sereniſſimæ Chriſtinæ Reginæ Sueciæ, *contentum in codice membranaceo valde magno ſub numero* 58, *quem, uſq; ad* Felicem IV *& tempora Iuſtiniani Imperatoris deductum deſcripſimus, & hic damus; ſed loco dumtaxat ſecundo, quia poſt ſtudioſam longamq; meditationem, judicavimus primum locum & majoris characteris prærogativam deferendam alteri, notæ longe optimæ Catalogo, qui penes nos pridem fuit, deductis uſq; ad initium Liberii Pontificis & tempora Conſtantii Imperatoris, ſive annum Chriſti* CCCLIV, *uti ex adjuncto ibidem Catalogo Conſulum (qui in Conſtantio Auguſto* VII *& Conſtantio Cæſare deſinit) manifeſtum redditur.*

& Catalogo Ms Palatini,

probatur alius ex Ms. Regina.

6 *Perplacet opuſculum, tum ob ſummam antiquitatem, tum ob methodum ſcribendi, qua tempora ſingulorum Pontificum per Conſules, qui tum Reipublicæ Romanæ præfuerunt, accurate deſignantur: quam* Regiam viam eſſe *docet ex Patribus* Baronius, *in Præfatione ad Annales ſuos Eccleſiaſticos; & ad annum* LXIX *num.* XXXVI *ita concludit:* Tempora annumerata per Conſules libentioribus ſunt accipienda auribus, cum ceteris illa frequentior, liberalior & verior noſcatur eſſe chronographia, atq; in uſum frequentiorem accepta, quæ à Faſtis deducta eſt Conſularibus. Certe quidem cum vetera monumenta in antiquis ſcriptoribus interdum invenimus eſſe Conſulibus conſignata, magno afficimur gaudio, perinde ac ſi in tenebris oberranti fax aliqua exoptata præfulgeat. *Hæc Baronius, qui tamen fatem illam pro primis Pontificibus ſibi non curavit accendere: quod nos in ſubjunctis Notationibus, & in Vita S. Soteris aliorumq; Sanctorum Pontificum Actis, hoc menſe Aprilis, ut ſupra indicatum eſt, relatis, facere conati, ad eamdem facem alias quoq; controverſias dirimimus, quemadmodum Baronius ſeculo tertio & ſequentibus facit ſæpiſſime: cujus rei exemplum unicum adduxiſſe ſatis erit.*

In hoc Conles deſignantur:

7 *Sub Iulio* I *Pontifice, cujus Vitam elucidamus* XII *Aprilis, fuit Synodus centum & ſexaginta Epiſcoporum Romæ collecta,* imperantibus (*ut Acta Synodalia ſub initium habent*) Conſtantio & Conſtante anno quarto, ſub die XIX Kalendarum Octobrium, Indictione ſexta, *& ſub finem additur,* Data Kalendis Novembris, Feliciano & Maximiano viris clariſſimis Conſulibus. *Baronius anno* CCCXXXVII *num.* LXVII, *primo in locum* Maximiani *ſubſtituit* Titianum, *qui iſto anno* collega Feliciani *fuit: ac deinde ſic loquitur.* Quod autem ſpectat ad Synodum dictis Conſulibus annotatam, cum triplici & inter ſe diverſa chronographia ſignetur, mendum in notas numeri irrepſiſſe facile eſt intelligere: primum enim anno quarto dictorum Auguſtorum, rurſum Indictione ſexta, atque demum nominatis Conſulibus ponitur eadem Synodus celebrata. Si igitur moveatur controverſia, quænam harum trium chronographia fidelior habenda ſit; mea quidem ſententia notatis Conſulibus potius inhærendum exiſtimaverim, illa potiſſimum inter alias ratione perſuaſus, quod facilius ſit in notas numeri errores illabi, quam in ipſa nomina, quod omnes puto juſtiſſime conceſſuros. Hinc enim eſt quod mos inolevit, ut cum vel anni Imperatoris vel Indictionis, in legibus ab Imperatoribus latis mentio haberetur, Conſulum quoque nomina adderentur, eam nimirum ob cauſam, ut Faſtorum ſoliditate, annorum Imperatorum numerus vel Indictionis ſemper integer ſervaretur; vel ſi librariorum vitio corrumperetur, ex notatis Conſulibus reſtitui perfacile poſſet. *Hæc Baronius, quæ in dictis Romanorum Pontificum Catalogis neceſſario ſunt obſervanda: quod ſubinde ipſa Imperatorum nomina vitio librariorum aut ſciolorum, qui perverſam habebant chronologiam, ſint immutata, & reſtituenda ex Faſtis Conſulum ibi relictorum, quos neſcivit imperitia illorum immutare.*

& per hos controverſiæ dirimuntur.

8 *His poſitis progredientes, ad auctores dicti jam primarii Catalogi perquirendos, pro numero partium illius diverſarum, ipſos quoque cenſemus diſtinguendos. Prima completur cum* S. Urbano Pontifice, *anno* CCXXX *marty-*

us pars usque annum dedu-

martyrium passo. In hac priore parte nulli Consules bis repetuntur, quamvis sub iisdem, sub quibus sedere inceperunt quosdam, fuerint vita functi aut martyrio coronati eorum successores. Exempli causa S. Alexander *dicitur* fuisse temporibus Trajani, à Consulatu Palmæ & Tulli usque Æliano & Vetere. *Creatus is est* II *Martii anno* CIX Consulibus Palma & Tullo, *cum ad dicti anni Februarium sedisset S. Euaristus: dein* Ælianus & Vetus *fuerunt Consules anno* CXVI, *quos ultimos toto anno habuit Alexander & superfuit usq; ad diem* III *Maji anni* CXVII, *quo Consules erant* Niger & Apronianus, *qui tamen non attribuuntur S. Alexandro, sed soli S. Sixto ejus successori: interim Acta antiqua S. Alexandri habent, post hujus mortem,* nutu Dei, eodem anno, defunctum esse Trajanum, *quod certum est contigisse in Cilicia* X *die Augusti,* Nigro & Aproniano Consulibus. *Auctor hujus partis videtur posse statui* S. Anterus Papa, qui gesta Martyrum diligenter à Notariis exquisivit, & in ecclesia recondidit. *Sedit is solum uno mense in suo Pontificatu, videturq; gesta Martyrum potissimum Summorum Pontificum exquisivisse necdum Pontifex, sub* S. Pontiano *successore S. Vrbani. Imo Acta SS. Vrbani & Callisti hujus decessoris videri à S. Antero scripta, dicemus* XXV *Maji, quo colitur S. Vrbanus, &* X *Maji, quo coluntur SS. Calepodius Presbyter, Palmatius Consul, Simplicius Senator aliiq; Martyres, quorum res gestæ in Actis S. Callisti continentur.*

Hore ſan S. uero,

era pars e ad ſi- n continet iqua.

9 *Secunda ergo pars inciperet à dicto* Pontiano, *& in hac passim majora Pontificum elogia referuntur, iidem Consules repetuntur, dies ordinationis & mortis Pontificum assignantur. Et hæc pars ad finem fere deducitur, ubi* S. Iulii *elogium præter morem aliorum habet accuratam basilicarum ab eo extructarum narrationem: ex qua* XII *Aprilis ad hujus S. Iulii Vitam confirmamus hujus Catalogi eminentem soliditatem. Successit* S. Iulio Liberius, cujus tempore hunc veterem Indiculum Romanorum Pontificum contextum fuisse *asserit Dionysius Petavius lib.* 5 *Rationarii temporum cap.* 5, *qui eum penes se habuit. Post obitum* Liberii *constitutus est Pontifex Romanus* S. Damasus, *qui rogatus à S. Hieronymo,* Gesta Pontificum, quæ potuit reperire in suæ Sedis studio, ad eum direxit, *quæ Damasi verba arbitramur intelligenda de jam indicato Catalogo, usq; ad* Liberium *ejus decessorem deducto. Epistolas utriusq; hac de re, & S. Hieronymi & S. Damasi, ex codicibus Mss. præponimus. Idem S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 15 *statuit* S. Clementem quartum post Petrum, Romanum Pontificem, siquidem *inquit* secundus Linus fuit, & tertius Anacletus, etsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem. *Vbi opinamur nomine Latinorum indicari hunc Catalogum, à S. Damaso missum ad S. Hieronymum, qui etiam lib.* I *adversus Iovinianum appellat* Clementem, successorem Apostoli Petri, *& in caput* 52 *Esaiæ scribens, ait eum* post Petrum Romanam rexisse Ecclesiam, *scilicet interposito ad modicum tempus* S. Lino, *cui successisse* Clementem *tradunt Optatus Milevitanus lib.* 2 *&* S. *Augustinus epist.* 165.

ec Gesta à Damaso S. Hieronymum miſ.

10 *Sed, ut ad dictum Catalogum revertamur, hunc eumdem habuit Ioannes Cuspinianus, & inseruit Commentario suo in Aurelii Cassiodori Consules, incipiens à* Consulatu duorum Geminorum, in quo, imperante Tiberio Cæsare, passus est Dominus noster Iesus Christus (*quem locum in Digressione nostra ad idem Proœmium late explicamus*) *& finit cum Pontificatu* S. Iulii Pontificis, *ut supra indicavimus. Eumdem habuit in antiquis membranis Nicolaus Fabricius, Peireſci Dominus & Senator Aquensis, uti testatur Antonius Capellus de Cœna & Passione Christi cap.* 5. *Onuphrius Panvinius in Commentario in librum secundum Fastorum, incipit citare* Damasum *in Vitis Pontificum* à Consulatu Saturnini & Scipionis, *quando* S. Linus *creatus est Episcopus & Vicarius S. Petri, & prosequitur usq; ad finem dicti libri & Pontificatum* S. Iulii *sive finem præfati Catalogi. Verum quia immiscet Consules, quorum in aliis Catalogis, libro Pontificali & apud Anastasium nulla fit mentio, opinamur illos aut ex Catalogo præscripto, quem habuerit, excerptos esse, aut ex Cuspiniano desumptos. Apographum nostrum communicavit olim Ioannes Bollandus noster Ægidio Bucherio, qui illud edidit in Commentario suo in Canonem Paschalem Victorii: sed is non parum fuliginis ipsi adjecit, dum Catalogum illum (quem confusiorem & vitiosum judicabat) non satis æstimavit: dixit tamen reliquorum Catalogorum fontem videri, & posse studio industriaq; aliorum depurari, atq; ad rigandam veteris historiæ siccitatem adhiberi: quod nos hoc tractatu conamur præstare, & judicio eruditorum hominum subjicere, ut quod sinceriſsimum æstimarint, seligant.*

à Cuſpiniano ſparſim edita,

ab Onuphrio ſæpius citata,

Bucherio communicata.

11 *Alter Catalogus, quem ut dixi, ex Ms. Codice Reginæ acceptum secundo loco damus, ex priore Consules habet desumptos, sed subinde non satis exacte: in hoc tamen est utilis, quod aliquot locis lacunæ prioris Catalogi præclare ex eo suppleantur. Ast hic in iis quæ à temporibus* S. Damasi ad Felicem IV *& tempora* Iustiniani Imperatoris *traduntur, non habet Consules, præterquam in* Ioanne I *& dicto* Felice IV, *quando auctor vixit & voluit imitari auctorem primi catalogi. Postea apud Anastasium Consulum ratio nulla habetur: ideo in reliquis dirigenda sunt tempora per epistolas Pontificum & Concilia sub iis habita, in quibus Consules indicantur; item per Consules apud Prosperum, Marcellinum Comitem, Victorem Tunnenensem attributos initio Pontificatûs variorum Pontificum, ubi tamen major diligentia requiritur in posterioribus Pontificibus apud Marcellinum.*

Vitæ Pontificum in altero Catalogo

12 *Porro historia in dictis Catalogis contenta, latius explicatur non solum in Libro Pontificali, quem ante indicavimus, sed etiam in aliis codicibus Mss. de Vitis Pontificum ad Stephanum* III *& Pipinum ac Carolum Magnum Reges Francorum deductis: neq; illæ in altero codice Marquardi Freheri, & alio pervetusto Bertiniani monasterii, ac tertio Parisiensi à Philippo Labbæo indicato ulterius deductæ habentur. Continuavit eas Anastasius Bibliothecarius usq; ad Nicolaum Papam, sine annum* DCCCLXVII; *& Guilielmus Bibliothecarius aliusque usque ad obitum Martini* V *sive annum* MCCCCXXXI, *& sic continuatas habemus in illustri codice. Has, prout inscriptæ sunt, citamus*

& aliis codicibus deductæ.

AUCTORE G. H. *usque ad Martinum quintum*

MSS. Geſta Pontificum. *Hiſce Geſtis ſupra indicatæ epiſtolæ SS. Hieronymi & Damaſi præponebantur, eodem quo alibi modo, prout ſubjiciuntur. Poſt dictas epiſtolas hic inſerebatur titulus.* In nomine Domini incipit ſeries Pontificum Romanorum, qui in Sede B. Petri Apoſtoli ab ipſo uſque ad hoc tempus ſederunt. *Finit autem cum obitu & ſepultura Martini* V *addita hac clauſula.* Ceſſavitque Epiſcopatus diebus XII. *Auctor ergo ſub ſucceſſore Eugenio* IV *dicendus eſt ſcripſiſſe, ergo ante annum* MCCCCXLVII, *quo Eugenius e vita exceſſit. Vixit eo tempore* Jacobus Zenus, Patricius Venetus, vir in rebus agendis clariſſimus, & in omnibus ſcripturis tam humanis quã divinis diſertiſſimus & doctus, qui his temporibus ad agitandum ingenium de Vitis omnium Pontificum Romanorum librum eleganti ſermone conſcripſit. *Ita Iacobus Philippus Bergomenſis lib.* 15 *Supplementi Chronicarum Brixiæ anno* MCCCCLXXXV *excuſi. Eſt dictus Zenus Epiſcopus Bellunenſis & Feltrenſis in Provincia Marchiæ Tarviſinæ* XXVI *Aprilis anni* MCCCCXLVII *creatus, & poſtea Epiſcopus Patavinus anno* MCCCCLX *renuntiatus.* Obiit autem, *teſte eodem Bergomenſi*, anno à Natali Chriſti MCCCCLXXVI, *ideſt annis novem antequam in lucem prodiret Supplementum Bergomenſis, quod paſsim circa Vitas Pontificum à Iacobo Zeno ſcriptas ſequuntur Trithemius, Eyſengrenius. aſſerens* optima fide expoſitas, *Geſnerus, Poſſevinus, Voſsius & plures alii.*

& forſan auctore Iacobo Zeno,

dein Ep. Feltrenſi & Patavino.

reſpuatur. Verumtamen geſta Pontificum, quæ potuimus reperire in noſtræ Sedis ſtudio, ad tuam Caritatem gaudentes direximus. Ora pro nobis ad ſanctam Reſurrectionem, Frater & Compresbyter. Vale in Chriſto Deo & Domino noſtro. Dat. x * Kalendas Junii. & accepta Kalendas Octobris. Miſſa de Roma Hieroſolymam.

* Idus

EPISTOLÆ PRÆVIÆ

Ex antiquis codicibus Mss.

I. HIERONYMI PRESBYTERI
Ad Damaſum Papam Vrbis Romæ.

BEatiſſimo Papæ Damaſo Hieronymus. Gloriam Sanctitatis Tuæ noſtra humilitas deprecatur, ut ſecundum Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, quam cognovimus per Tuam Sanctitatem gubernari, actus geſtorum à B. Petri Apoſtoli principatu uſque ad * veſtra tempora, quæ ſcilicet in Sede Tua geſta ſunt, nobis per ordinem paucis enarrare digneris: quatenus noſtra humilitas ſentiens recognoſcat, quis meruerit de Epiſcopis ſupradictæ Sedis martyrio coronari; vel ſi quis contra Canones Apoſtolorum exceſſiſſe cognoſcatur. Ora pro nobis Beatiſſime Papa.

* noſtra

II. DAMASI PAPÆ
Ad Hieronymum Presbyterum.

DAmaſus, Epiſcopus Urbis Romæ, Hieronymo Presbytero. Gaudet Eccleſia, tuo fonte jam ſatiata; & amplius ſitit curioſitas temporum Sacerdotalium, ut quod dignum eſt cognoſcatur, quod indignum

ANNOTATA.

Martius Mileſius Sarazanius, I. C. Romanus, edidit typis Vaticanis, anno MDCXXXVIII, *Vitam & opera S. Damaſi Papæ: & quamvis prædictas epiſtolas non habuerit, alias hiſce plane ſimiles exhibet pag.* 121 *& ſequenti, & eſt ibi notata* Epiſtola VII ad Hieronymum Presbyterum. *Ex ea nonnulla excerpo. Sic ergo incipit:* Damaſus Epiſcopus Fratri & Compresbytero Hieronymo in Domino ſalutem. Dum multa corpora librorum in meo arbitrio allata fuiſſent, contigit, ut & librum Pſalmorum in meo animo feſtinus cognoſcerem detineri; & memoriam capacitatis meæ imbuere. Cogitavi Frater amantiſſime & in Chriſto ſemper Sacerdos, ſecundum ſeptuaginta interpretes . . . invenire veſtigia. Peto etiam tuam Caritatem, ut Græcorum pſallentiam ad nos dirigere tua Fraternitas delectetur . . . Peto ergo per Fratrem & Compresbyterum noſtrum Bonifacium, ut lubeat Fraternitas tua rei hujus nobis aperire veſtigia. Miſſa V Kalendas Novembris. *Subnectitur* Reſponſio Hieronymi Presbyteri ad Damaſum Papam *hoc modo*: Beatiſſimo Papæ Damaſo, Sedis Apoſtolicæ Urbis Romæ, Hieronymus ſupplex. Legi litteras Apoſtolatus veſtri, poſcentes ut ſecundum ſimplicitatem LXX Interpretum, canendum Pſalmographum interpretari feſtinem . . . Precatur ergo cliens tuus, ut vox iſta pſallentium in Sede Tua Romana die noctuque canatur, & in fine Pſalmi cujuſlibet conjungi præcipiat Apoſtolatus Tui ordo, Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio &c.

Conſuetudo, litterarum circa libros inter SS. *Damaſum & Hieronymum,*

S. Damaſi elogium aliquod infra ex ſecundo Catalogo profertur: ubi dicemus, eum ſediſſe ab anno CCCLXV *uſque ad annum* CCCLXXII, *Non videtur autem S. Damaſus ipſe conſcripſiſſe priorem Catalogum de Vitis Pontificum; ſed ſolum has, ad Liberium deceſſorem ſuum à variis deductas, approbaſſe, & ad S. Hieronymum direxiſſe. Igitur cum Ptolomæus Lucenſis apud Mileſium pag.* 21 *dicit,* quod uſque Damaſum Chronica ſummorum Pontificum vigorem recipiunt Damaſo ſcribente, *eodem approbante ſeu ſubſcribente id fieri intelligimus; & quod ipſi Vitæ Pontificum, ut primo ſcriptori, paſsim tribuantur à Sabellico, Panvinio & aliis, minus probamus.*

ob illo priorem Catalogus non eſt ſcriptus, ſed approbatus.

PROOEMIVM PRIORIS CATALOGI.
De anno & die mortis Chriſti.

IMperante Tiberio Cæſare paſſus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, duobus Geminis Conſulibus, VIII Kalendas Aprilis: & poſt aſcenſum ejus Beatiſsimus Petrus Epiſcopatum ſuſcepit. Ex quo tempore per ſucceſſionem diſpoſitum, quis Epiſcopus, & quot annis præfuit, vel quo imperante.

EXER-

EXERCITATIO I.

An rectè ſtatuatur Chriſtus paſſus duobus Geminis Conſulibus, & VIII Kalendas Aprilis.

AUCTORE G. H.

1 *ADmirandus plane videtur cum hoc Proœmio conſenſus vetuſtiorum Patrum & Scriptorum, atteſtantium, quod hic dicitur,* imperante Tiberio Cæſare, paſſum eſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, duobus Geminis Conſulibus, VIII Kalendas Aprilis. *Eſt hic dies* XXV *Martii, ad quem late deduximus ſacram Chriſti crucifixi memoriam, ex triginta & pluribus antiquis Martyrologiis, quorum vetuſtiſſimum S. Hieronymo tribuitur. Vbi etiam ad eumdem diem referuntur figuræ Chriſti crucifixi: ut ſunt* Michaël Archangelus, de dracone triumphans; Adamus creatus, lapſus, mortuus; Abel juſtus, primus Martyr; Melchiſedec, Rex & Sacerdos; Iſaac, à Patre Abrahamo immolatus; Iſraëlitæ, mare Rubrum tranſgreſſi. *Imo* ſanctus Latro, cum Chriſto crucifixus, *ad diem* XXV *Martii etiam hodierno Martyrologio Romano eſt inſcriptus. Idem dies ibidem confirmatur ex Tertulliano, Auguſtino, Beda. Henricus Philippi in Quæſtionibus Chronologicis de Annis nati & paſſi Chriſti Salvatoris cap.* 19 *addit illuſtres ſcriptores* SS. Thomam, & Antoninū *& alios triginta; aſſerentes Chriſtum* XXV *Martii paſſum: imo ait, Martianã ſentire* temeritati proximum velle hanc ſententiam labefactare. *Alphonſus Salmeron, tom.* I *Prologomeno* 38 *fere ſub finem, ait* inter tractatus Joannis à Turrecremata manuſcriptos unum ſe inveniſſe qui inſcribitur: In quinque concluſiones Epiſcopi Abulenſis de mandato Papæ examinatas, Prima inter eas damnatas hæc erat: Dominum Jeſum paſſum anno ætatis triceſimo tertio currente. Secunda, nequaquam vigeſimo quinto Martii, ſed tertio Aprilis mortuum. *Sed his obiter indicatis, placet hoc loco addere aliquot antiquorum, in variis regionibus degentium, teſtimonia* de Chriſto crucifixo duobus Geminis Conſulibus, *dicto* XXV Martii *&* feria ſexta, *quod aliis proximis annis non congruit: idque eo tantum fine, ut ſua huic de Summis Pontificibus Catalogo debita conſtaret auctoritas, relicta aliis libertate ulterius rei veritatem inquirendi.*

Dies 25 Martii alibi eſt examinatus,

hic de Conſulatu Geminorum agitur:

2 *Primus itaque prodeat antiquus Tertullianus, qui floruit circa annum Chriſti ducenteſimum & ſequentes, & quem S. Cyprianus ob miram doctrinam ſuum Magiſtrum appellare ſolitus eſt. Hic libro contra Iudæos ita diſſerit:* Chriſti paſſio perfecta eſt ſub Tiberio Cæſare, Conſulibus Rubellio Gemino & Rufio Gemino, menſe Martio, temporibus Paſchæ, die VIII Kalendarum Aprilium, die prima azymorum: quo agnum ut occiderent ad veſperam, à Moyſe erat præceptum. *Hæc Tertullianus in ſua cum Iudæis concertatione. Succedat Severus Sulpitius, S. Martini diſcipulus, qui ſuam hiſtoriam uſque ad Conſulatum Stiliconis ſive annum* CCCC *deduxit, traditque libro ſecundo* Dominum crucifixum eſſe Fuſio Gemino & Rebellio Gemino.

eum adſtruunt Tertullianus in Africa,

Severus Sulpitius in Gallia,

3 *At præ reliquis majoris ponderis teſtimonium confert S. Auguſtinus, qui lib.* 2 *de Doctrinâ Chriſtianâ cap.* 28 *aſſerit,* ignorantiam Conſulatus, quo natus eſt Dominus & quo paſſus eſt, nonnullos coëgiſſe errare. *Hunc ergo lib.* 18 *de Civitate Dei cap.* 54 *indicat, dum iſta ſcribit, elapſis triginta annis poſt Conſulatum Theodori Manlii; adeoque ſcimus, annum Chriſti fuiſſe quadringenteſimum vigeſimum nonum, eumque ante obitum ipſius Auguſtini penultimum, quando dicto capiti, re bene diſcuſſa, ne & ipſe aberraret, iſta interſerit:* Mortuus eſt Chriſtus duobus Geminis Conſulibus, octavo Kalendas Aprilis: reſurrexit tertia die, ſicut Apoſtoli ſuis etiam ſenſibus probaverunt. *Hæc ibi S. Auguſtinus. Vixit eodem ſeculo Victorius Aquitanus, qui Canonem Paſchalem anno quadringenteſimo quinquageſimo ſcripſit, eumque his verbis auſpicatur:* Crucifixio Chriſti, duobus Geminis Ruffino & Rubellio. *Habebat Hiſpania eodem tempore virum eruditum, Idatium in Gallæcia Epiſcopum, qui Chronicon deduxit uſque ad annum quadringenteſimum ſexageſimum ſeptimum. Huic attribuitur Conſulum deſcriptio, accuratius à Philippo Labbe ſub initium tomi primi Bibliothecæ nonæ excuſa, in qua traduntur iſta:* Rufo & Rubellione Conſulibus paſſus eſt Chriſtus. *Poſt Idatium ſequitur in eodem tomo Chronicon integrum Proſperi Aquitani, &* pag. 44 *ſub finem in Auctario, iſta leguntur:* Uſitatior traditio habet, Dominum noſtrum decimo quinto anno Tiberii Cæſaris, duobus Geminis Conſulibus, crucifixum. *Similes Catalogos antiquos Conſulum Romanorum allegat Cuſpinianus in Commentario Conſulum Caſſiodori, in quibus dicitur* paſſus Dominus Jeſus Chriſtus Conſulibus duobus Geminis. *Omittimus Euangelium Nicodemi, quo utebantur Gnoſtici apud Irenæum lib.* 2 *cap.* 28, *in quo dicebatur* paſſus Chriſtus ſub Pontio Pilato, anno quinto decimo Imperii Tiberii Cæſaris, ſub Conſulatu Rufi & Rubellionis. *Concludat Georgius Cedrenus hiſtoricus Græcus, qui cum Græcis ſuis aſſentiens retuliſſet, ad annum* XIX *Tiberii paſſum eſſe Chriſtum, ſub finem adjunxit:* Exactius tempus ſalutaris iſtius ſupplicii à Romanis eſt notatum; eveniſſe nimirum Geminis Conſulibus: *innuens apud plurimos Latinos, ad ſua uſque tempora, hanc perſeveraſſe ſententiam, tamquam Eccleſiæ Romanæ. Conſenſus aliorum antiquorum infra proferetur.*

S. Auguſtinus in Africa,

Victorius Aquitanus in Gallia,

Idatius Epiſc. in Hiſpania,

Proſper Aquitanus in Gallia

antiqui Catalogi Conſulum,

Euangelium Nicodemi,

Romani apud Cedrenum in Græcia.

4 *Eamdem ſententiam nuper aſſeruit, ut certiorem &* conſtantem Eccleſiæ Catholicæ traditionem, *Antonius Capellus, Franciſcanus Conventualis, in libro de Cænâ Chriſti ſupremâ, deque præcipuis Vitæ ejus capitibus, edito Pariſiis anno* MDCXXV, *cum approbatione Vincentii Martinelli ſocii Magiſtri ſacri Palatii Apoſtolici, & Nicolai Riccardii Ordinis etiam Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magiſtri & Regentis collegii S. Thomæ ſuper Minervam; qui, mandante eodem Magiſtro ſacri Palatii Apoſtolici, legat;* & auream diſſertationem *appellavit,* præ ſingulari eruditione, pietate inſigni, robuſta etiam ratione agendi pro vindicanda Sanctæ Romanæ Eccleſiæ antiquitate & traditione, dignam, quæ commu-

& Anton. Capellus, cum approbatione Romana.

AUCTORE G. H.

nem lucem afpiciat, maximo litterariæ Reipublicæ emolumento. *In hoc ergo libro cap.* 5 *plura lector reperiet, quæ hanc ſententiam confirmant.*

5 *En, quod in Proœmio propoſitum eſt, ſcilecet* paſſum eſſe Chriſtum duobus Geminis Conſulibus VIII Kalendas Aprilis, *partim probatum* XXV *Martii ad Sacram memoriam paſſionis Chriſti, partim cœptum hîc confirmari, quod plenius fiet ſequentibus exercitationibus. Feriam hobdomadæ ſextam fuiſſe in confeſſo apud omnes eſt. Vnica ab aliquibus difficultas apprehenditur, quaſi non fuerit à Iudæis dies decima quarta menſis Niſan requiſita, non concurrente plenilunio aſtronomico. In hoc autem quantopere aberrent, quærentes id quod minime tunc obſervabatur, docebit nos Ioannes Keplerus præſtans Aſtronomius, in Eclogis Chronicis anno* MDCXV *Francofurti excuſis*; *pag.* 90 *contra Reuſnerum & Calviſium ita loquens*: In prima controverſia de Paſchate hæret uterque in Aſtronomia, velut mus in pice. Mirum fatum. Ipſe Aſtronomus ceteros non Aſtronomos abſtraho ab Aſtronomia in actione hujus cauſæ. Probandum eſt legitime, Judæos tam bene fuiſſe Aſtronomice doctos, quantam hodie cognitionem afferunt ad hanc cauſam. Ego contrarium affirmo, priſcos illos Judæos, uſque ad Chriſti fere tempora, in uſu Kalendarii nihil ultra vulgi captum ſapuiſſe. *Et pag.* 94 Valde igitur, *inquit* decepti ſunt noſtri Aſtronomi, his ultimis centum quinquaginta annis, qui, ex ſua perfecta Aſtronomia, pleni-lunia ad Chriſti tempora; ex Pleni-luniis, feſta Judæorum; ex his & concurſu Feriæ, annum Paſſionis auſi ſunt determinare alium, quam veteres, ætati Chriſti proximi, tradiderunt. Si hodie quis, omiſſo computo Eccleſiaſtico aberrante, ex Aſtronomia perfecta, accommodatis decretis Nicænis quæ jactantur, computaret Paſchata ſuperiorum ſeculorum, is celeberrime aberraret ab uſuali Paſchate, & vix unquam juſtum hiſtoriæ annum aſſequeretur. *Ita Kepplerus, veriſsime, & ad propoſitam difficultatem accommodatiſſime. Hinc noſtro adhuc tempore, quando Paſcha ex præcepto Synodi Nicænæ celebratur Luna* XV, XVI, XVII *tunc qui non admiſerunt correctionem Gregorianam* Kalendarii, *anno* MDLXXXII *cæptam, celebrant Paſcha Luna aſtronomica* XXII, XXIII, XXIV, *& quandoque integra Lunatione, ut vocant, ſerius. Ita anno* MDCLXXIV, *quo hæc prælo parabantur, quando nos celebravimus Paſcha die* XXV *Martii, Luna* XVII, *tunc qui dictam correctionem non admiſerunt, ſuum Paſcha celebrarunt menſe Aprili, non tamen* XXII *Aprilis, quem* XII *appellarunt, quamvis eſſet Luna* XVI, *ſed hebdomade integra ſerius, die* XXIX *Aprilis, illis* XIX, *& Luna aſtronomica* XXIII, *quod abſurdum eſſe ipſi fatentur. Quidni etiam, è ſententia Keppleri, aliquot diebus poſt verum plent-lunium celebrarint ſuum Paſcha Iudæi; & ſic Chriſtum in horto comprehenſuri, venerunt cum laternis & facibus, quæ alias minus neceſſariæ fuiſſent: cui tamen argumento minus inhærere volumus.*

6 *S. Epiphanius, cum hæreſi* 70 § 2 *dixiſſet,* Paſcha ante celebrari non poſſe, quam æquinoctium confectum ſit, *addit*, Judæos illud nequaquam obſervaſſe, apud quos depravata ac perturbata erant omnia. *Et Conſtantinus Magnus, epiſtola ad Eccleſias ex Synodo Nicæna data, (quæ refertur pag.* 465 *editionis Lupareæ tomo* 2 *Conciliorum) de Iudæis ait*, quod ne hac quidem parte veritatem perſpiciant: quippe qui ut plurimum aberrantes, non modo errorem non corrigunt, ſed in eodem anno alterum Paſcha celebrant. *Imo Beda, Paſchaſinus Epiſcopus Lilybitanus, Mariana & Serrarius, à Bucherio in tractatu de Paſchali Iudæorum cyclo cap.* 5 *citati, volunt Iudæos veteres Paſcha indixiſſe, non ex curſu Lunæ, ſed ex Neomeniæ cyclo. Addunt alii, apud Moyſem nullam pleni-lunii mentionem fieri, ſed ſolum præſcribi diem decimam quartam, menſis primi. In ſimili antiquitate multum eruditus eſt Samuel Petitus, à cujus calamo habemus quatuor tractatus Pariſiis excuſos, ſcilicet Leges Atticas ab eo collectas, digeſtas & commentario illuſtratas, Miſcellaneorum libros novem & obſervationum libros tres, in quibus varia veterum loca illuſtrantur & explicantur, & Eclogas Chronologicas, in quibus de variis anni Iudæorum, Samaritarum, Græcorum, Macedonum, Syromacedonum, Romanorum typis, cycliſque veterum Chriſtianorum Paſchalibus diſputatur. In his Eclogis lib.* 1 *cap* XI *ſcribit* Chriſtum paſſum duobus Geminis Conſulibus, anno Æræ vulgaris XXIX, quo menſis Niſan cepit die XI Martii feria ſexta, ergo dies XIV Niſan fuit die XXIV Martii, feria quinta. Eo die Paſcha celebravit Dominus, & ſequenti die XXV Martii feria ſexta paſſus eſt, quo ipſo die veſperi plerique Judæorum, certe illorum Primores & Pontifices, Paſcha celebrarunt. *Hæc latius ibidem Petitus explicat: Petitum ſequitur & exponit tabulis expanſis Ioannes Voſſius in Diſſertatione de tempore Dominicæ paſſionis c.* 16. *Et hoc modo ſciverunt antiqui Patres & Scriptores ex ſimilibus tabulis & continua majorum traditione*, Chriſtum paſſum primo die azymorum feria ſexta, VIII Kalendas Aprilis, & duobus Geminis Conſulibus, *& conſequenter cenſuerunt tunc habitam eſſe Lunam* XV *civilem, licet Aſtronomica non eſſet: quod paſſim reliqui in ſua ſententia debent admittere. Addatur & id quoque, quod palam eſt, veterum Mathematicorum tabulas à Metone olim fuiſſe correctas, Metonis deinde à Calippo, Calippi ab Hipparcho, Hipparchi à Ptolemæo, & Ptolemæi rurſus ab Affleganio eſſe emendatas. Quas ceu male tornatas denuo ad incudem vocat Alphonſus Rex Caſtellæ, & has velut mancas & impolitas Copernicus reddidit limæ. Iſtas demum Copernici Tycho Brahe elimavit: idemq; alii hactenus præſtare conantur: ut nõ temere proverbialis teneat ſermo, facilius omnia Horologia, quam Aſtrologos conciliari poſſe. Quare propter mathematicorum calculum aut* ϑρανικὰ φαινόμενα *velle à doctrina antiquorum Patrum, unanimi conſenſu tradita, deſciſcere, non videtur viri ſapientis & eloquium myſticum profitentis; maxime in rebus Iudaicis, quod, ut Petavius lib.* 12 *de Doctrina temporum cap.* 12 *obſervat*, Judaicus cyclus haud accurate lunaribus veſtigiis inſtiterit, ſed nonnumquam longius aberrarit.

Plenilunium quo Chriſtus paſſus ſit,

cum Iudæi cyclo corrupto uterentur

non potuerunt veritatem attingere.

EXER-

EXERCITATIO II.

Quomodo reliqua vita Chriſti dictæ ſententiæ ſit adaptanda.

7 A *Controverſia de anno mortis Chriſti totam vitæ ab eo inter mortales ductæ ſeriem dependere, nemo eſt qui non videat. Hinc ab omnibus etiam iis, qui alias ab hac propoſita ſententia opiniones ſunt amplexi, ſolicite laboratum, ut Euangelicæ hiſtoriæ contextum cum ſua probarent conſiſtere. Id quomodo etiam in antiquiori hac ſententia præſtari poſſit, aggredimur explicare. Venerabilis Beda, libro de Temporum ratione cap.* 5, Habet, *inquit*, ni fallor, Eccleſiæ fides, Dominum in carne paulo plus quam triginta tres annos uſque ad ſuæ tempora Paſſionis vixiſſe. *Imo* Chriſtum manſiſſe in hac vita annos triginta tres, *ex Apoſtolorum traditione, teſtatur codex Ms. Florentinus Bibliothecæ Medicææ tempore Honorii* I *Pontificis exaratus. Supra laudatus Henricus Philippi profert cap.* 5 *hujus ſententiæ aſſeclas, præcipuos viros, plures quam triginta. Hos ergo annos & menſes eidem tribuimus, & quia Conſulatus duorum Geminorum ex accuratiori calculo convenit cum anno Æræ vulgaris vigeſimo nono, arbitramur ante initium hujus Æræ annos omnino quinq; adjiciendos eſſe cum ante citato Capello, quos & Kepplerus innuit addendos. At Deckerius, Petavius, Bucherius, Seneſcallus, aliiq;, annos quatuor adſciſcunt. Baronius ad duos annos prævenit: ad unicum Onuphrius: qui tamen poſtremi duo annum primum Chriſti nati ab Epochâ Æræ vulgaris non ſeparârunt. Vt autem dictos quinq; annos probemus clarius, deductionis hujus initium ab anno ante vulgarem Æram octavo ſumemus, additis cujusq; anni Conſulibus Romanis: ſic enim etiam ea intelligentur, quæ ante Incarnationem Verbi & Chriſti Nativitatem geſta, ad Euangelicum quoq; hiſtoriam pertinent. Conſules ergo erant*

Ob annos Vitæ 33 *& Menſes,*

AN. ANTE ÆRAM VVLGAR. 8

M. Marcius Cenſorinus,
C. Aſinius Gallus.

8 *Vt Rex pacificus veniret, cujus vultum deſiderabat omnis terra ſublata fuerunt cuncta per orbem Romanum bella. Dictis enim Conſulibus aſſerit Caſſiodorus in chronico*, Germanos omnes, inter Albim & Rhenum, deditos Tiberio Neroni: *qui, atteſtante Dione lib.* 55 *cum Vellejo Paterculo (hic autem cum Tiberio vixit, militavit, præfectura, quæſtura, legatione & prætura functus) omnes Germaniæ partes victor peragravit. Tum vero* Auguſtus nomen Imperatoris accepit & Tiberio communicavit, *ut ait prædictus Dion. Pace autem conſtituta terra mariq;, Iani Quirini portæ tertia vice fuerunt clauſæ: quas, uti ex Tacito deducit Paulus Oroſius lib.* 6 *cap.* 22 *adverſus Paganos ad Auguſtinum*, quietiſſimo ſemper obſeratas otio ipſa etiam rubigo conſignavit.

Bella ſublata,

Ianus clauſus,

Tib. Claudius Nero,
Gn. Carpurnius Piſo.

7

Annus hic primus pacis univerſalis cenſetur; quando Gabriel Angelus miſſus ad Zachariam eidem nuntiavit concipiendum S. Ioannem Præcurſorem Domini.

S. Ioa. B. cœpius,

D. Lælius Balbus,
C. Antiſtius Vetus.

9 *Attulit hic annus tempus acceptabile & diem ſalutis, diem* XXV *Martii, quando miſſo iterum ad terras Gabriele Angelo in civitatem Nazareth ad Virginem Mariam, æternus Dei Filius de Spiritu ſancto incarnatus, & homo factus eſt. Quo tempore, ne illud gaudium apud ſolam Deiparam Virginem conſiſteret, arbitramur ſtellam apparuiſſe in Oriente, qua excitati & gaudio repleti Magi iter appararunt & ſuſceperunt. Tempus hoc infra ex infanticidio conſtabit. Impletum dein eſt tempus Eliſabeth pariendi, & peperit die* XXIV *Iunii Ioannem Baptiſtam. Quibus myſteriis ab Euangeliſta Luca narratis, addit* exiiſſe edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis. *Erat tunc & nullo alio anno ſequente* Syriæ Præſes, (*uti ex Ioſepho lib* 16 *Antiquitatum Iudaicarum cap.* 17 *liquet*) C. Sentius Saturninus, *qui ante annos tredecim fuerat cum* C. Lucretio Veſpellone Conſul *creatus & poſtmodum, ut infra dicetur, iterum Conſul fuit. Ab hoc autem actum eſſe Cenſum, docet Tertullianus lib.* 4 *contra Marcionem cap.* 19. Sed & cenſus, *inquit*, conſtat actos ſub Auguſto tunc in Iudæa per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus, *Chriſti ſcilicet Salvatoris*, exquirere potuiſſent *Iudæi. Idem antea cap.* 7 *dixerat, eſſe* Cenſum iſtum, Dominicæ nativitatis teſtem fidiſſimum, quem Romana archiva cuſtodiunt. *Hæc ibi. At quomodo à Luca dicatur* hæc deſcriptio prima facta à Præſide Cyrino, *tangit plane omnes, quocumq; anno ipſum dicant contigiſſe, cum circa hoc tempus non reperiatur Cyrinus, ſive Quirinus, Præſes Syriæ fuiſſe. Verba præfata ſic Græce efferuntur*: Αὐτὴ ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο, ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρινίου, *ubi Ioannes Georgius Herwartus in nova Chronologia cap.* 241 *tradit, poſitivum* πρώτη *vim habere comparativi* πρότερα, *reſpectu genitivi* ἡγεμονεύοντος: *atq; hoc ſæpe in ſacra Scriptura & apud S. Lucam fieri oſtendit, ut ſenſus ſit hujuſmodi*: Hæc eſt deſcriptio prior, & diverſa ab ea, quam poſtea, *ut infra dicetur*, inſtituit Auguſtus, cum Cyrinus eſſet Syriæ Præſes. *Hæc Herwartus, & cum eo plures. Imo* τὰ πρῶτα, *etiam teſtimonio S. Hieronymi, pro* prioribus *dumtaxat accipiuntur: ut cum Lucæ* 11 *v.* 26 *de immundo ſpiritu, qui aſſumptis ſeptem ſpiritibus immundioribus ſe revertitur, ita haberetur*, καὶ γίνεται τὰ ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου χείρονα τῶν πρώτων, *quæ verba etiam habentur Matthæi* 12 *v.* 45; *utrobiq; ita transferuntur*: Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus, *cum ad verbum eſſet* pejora primis. *Ita Matthæi* 21 *v.* 36 πάλιν ἀπέστειλεν ἄλλους δούλους πλείονας τῶν πρώτων, *S. Hieronymus ita vertit*, Iterum miſit alios ſervos plures prioribus, *cum præciſe verteretur* plures primis. *Alia triginta exempla legi poſſunt apud Herwartum. Alii vocem* ἡγεμονεύοντος *latius ſumunt, & ſic S. Iuſtinus hunc* Cyrinum *appellat* Iudæi ἐπίτροπον Procuratorem. *Rebellarant anno præcedenti Homonadenſes in Cilicia, ad*

AN ANTE ÆRAM VVLGAR. 6

Chriſtus incarnatus,

ſtella in Oriente viſa:

Baptiſta natus:

orbis deſcriptus,

cenſus à Sentio Saturnino excepius.

quomodo deſcriptio Cyrino tribuatur?

ANNUS ANT. ÆR. | ÆT. CH.

ad quos domandos missus Quirinus, eos expugnavit, & ad quatuor millia virorum in vicinis urbibus collocavit. Quid si tunc Legatus aut Procurator missus in Syriam, tulerit mandatum census exigendi, quod executus fuerit Sentius Saturninus; ipse autem Romam reversus Æmiliam Lepidam uxorem ab Augusto accepit? Ut ut sit, ob hunc censum ibant omnes, *teste Luca*, ut profiterentur, singuli in suam civitatem. Ascendit autem & Ioseph in civitatem David, quæ vocatur Bethleem, *ibi* JESUS CHRISTUS *Salvator noster secundum carnem natus est die* XXV *Decembris. Nam, ut S. Augustinus lib.* 4 *de Trinitate cap.* 5 *habet*, sicut à majoribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas, octavo Kalendas Aprilis conceptus traditur, quo & passus. Natus autem traditur octavo Kalendas Ianuarii. *Quam traditionem accurate observamus.*

Augustus Cæsar XII,
L. Cornelius Sylla.

nascitur,

5 | 1

10 *Circumcisus est Christus ipsis Kalendis Ianuarii, ac* VI *die ejusdem mensis à Magis adoratus: dein secunda Februarii in templum delatus & à Simeone in ulnas acceptus. Inde videtur prout S. Augustinus & alii sentiunt, Bethleemum relatus, ibiq; Iosephus domicilium fixisse. Interim hoc eodem anno*, Sentio Saturnino Præsidi Syriæ *successisse* Quintilium Varum, *indicat Iosephus lib.* 17 *Antiquitatum cap.* 7; *& hoc approbante*, Antipater, filius Herodis, *in vincula est conjectus. Sub finem dicti anni, fuga ab Angelo mandata, delatus est Christus in Ægyptum, & occisi sunt infantes* XXVIII *Decembris, à bimatu & infra, secundum tempus, quod Herodes audierat à Magis de stella visa in Oriente. Elapsi namq; erant ab nuntiata per Angelum Incarnatione, circa quod tempus credimus cœptam videri stellam, menses viginti & unus ac dies tres. Occisos infantes dicto* XXVIII *Decembris tradunt in suis Fastis antiquis Latini, Græci, Syri, Arabes, Ægyptii.*

circumcisus, adoratus, præsentatus,

defertur in Ægyptum: occiduntur infantes:

C. Calvisius Sabinus II,
L. Passienus Rufus.

4 | 2

Herodes æger seditiosos aliquos Iudæos jussit vivos comburi, uti cap. 8 *dicti libri* 17 *describit Iosephus, addens* eclipsin Lunæ eadem nocte contigisse: *quæ verba Græce sic exprimuntur.* Καὶ ἡ Σελήνη ὑπὸ τὴν αὐτὴν νυκτὶ ἐξέλιπεν. *Kepplerus asserit*, hanc eclipsin Lunæ contigisse tribus horis ante Solis ortum XIII Martii, & fuisse digitorum pene sex, & annis duobus sequentibus nullam fuisse eclipsin ante Pascha: *quo fit ut ab hac eclipsi, mortem Herodis prægressa & tam signanter indicata, maximum robur accedat chronologiæ ei quam proposuimus. Occiso dein filio Antipatro, superfuit Rex Herodes quinq; diebus, ante Pascha mortuus. Assentitur cum Kepplero Petavius, qui hoc eodē anno post dictam eclipsim (cujus exactum epilogismum exhibet) Herodem vita functum scribit, lib.* 2 *de doctrina temporum cap.* 1, *& lib.* 13 *ad hunc annum, & lib.* 4 *Rationarii temporum cap.* 22 *Mortuo Herode, Archelaus filius ejus, post sedatam quæ in Paschate exorta fuerat seditionem, Romam est profectus, ut ex patris testamento regnum ab Augusto obtineret. Ibi Cajum Cæsarem, Augusti nepotem & filium adoptivum, in concilio primum lo-*

Herodes moritur:

Archelaus regnat;

cum tenentem vidit: uti prosequitur cap. 11 *Iosephus. Ante finem autem hujus anni Cajum Cæsarem fuisse in provincias profectum, neq; Romam reversum, ex Paterculo, Suetonio & aliis Romanis historicis constat. Interim Archelaus, accepta dimidia parte regni Herodis, Ethnarcha ab Augusto constitutus, in Iudæam rediit.*

Cn. Cornelius Lentulus,
M. Valerius Messalinus.

3 | 3

Christus monente Angelo in terram Israël relatus est ex Ægypto: cujus mysterii memoria inscripta est Martyrologio Romano ad diem VII *Ianuarii. Verum quod Archelaus regnaret in Iudæa, timuit Iosephus eo ire, & admonitus secessit in partes Galilææ (ubi Herodes Antipas, Archelai frater, imperabat Tetracha) habitavitq; in civitate Nazareth, & ab educatione Nazarenus cognominatus est.*

Christus, relatus ex Ægypto degit Nazarethi.

Augustus Cæsar XIII,
M. Plautius Silvanus, *eiq; suffectus*
C. Caninius Gallus.

2 | 4

Cossus Cornelius Lentulus,
L. Calpurnius Piso.

1 | 5

ÆRA CHRISTI VULGARIS.

11 *Ita vocamus Æram, quæ etiamnum fluit, & ad initium cujus aptantur passim à Chronologis aliarum quarumvis Ærarum numeri. Et hæ quidem, quæ ab Epocha passim notiori fluunt, haud ita magnam habent, ut reducantur, difficultatem: difficilius ordinatur Æra annorum à Mundi creatione: hanc tamen & illas, uti ex usu, nunc recepto æstimantur, sic percurre, ut anno* I *Æræ vulgaris habeatur*

Annus Æræ Constantinopolitanæ *à condito, ut putant, orbe* 5509
Annus Periodi Iulianæ, *à Scaligero inventæ*, 4714
Annus Urbis Romæ *conditæ, è computu Varronis*, 754
Annus Olympiadis, CXCV 1
Annus Iulianus, *in hac quæstione ab aliquibus adhiberi solitus, cœptus à quarto Consulatu Iulii Cæsaris Dictatoris.* 46
Annus Æræ Hispanicæ 39
Imperii Augusti Cæsaris 44
Regnorum Archelai, Herodis Antipæ & Philippi 5

Ab his annis initio vulgaris Æræ sic numeratis facile est & procedendo descendere usque ad hunc nostrum annum Christianæ Æræ 1675 *& retrocedendo ascendere; fluebat cum initio dictæ Æræ*

ANNUS ÆR. VVL. | ÆT. CH.

Ætatis Christi *annus sextus, quo & aliis tribus sequentibus Consules erant*

C. Iulius Cæsar nepos Augusti,
L. Æmilius Paulus. 1 | 6

P. Vinicius Nepos,
P. Alfenius Varus. 2 | 7

L. Ælius Lamia,
M. Servilius Gemma. 3 | 8

Sex. Ælius Catus,
C. Sentius Saturninus II. 4 | 9

Cajus Cæsar ab Augusto ex Syria evocatus, in Lycia moritur, Corpus Romam revexit Quirinus. Tiberius cum Germanico & Agrippa adoptatur.

L. Va-

ANNUS ÆR. VVL.	AT. CH.	
5	10	L. Valerius Meſalla, C. Cornelius Cinna.
6	11	Æmilius Lepidus, Aruntius Nepos. Archelaus dictis Conſulibus *lib.* 55, *&* anno principatus decimo *ſecundum Ioſephum cap. ultimo lib.* 17, à fratribus accuſatus, trans Alpes relegatus eſt, *& Iudæa, quæ illi parebat, in provinciæ formam redacta eſt. Tunc in Syriam miſſus eſt* Quirinus *ſeu Cyrinus* Præſes, *ut jura populis redderet, ac bonorum cenſum inſtitueret. Et hæc eſt deſcriptio à Ioſepho lib.* 18 *cap.* 1 *indicata: reſpectu cujus*, deſcriptio, *ob quam SS. Ioſephus & Deipara Bethlehemum abierunt, à Luca Euangeliſta appellatur* prima, *& ab aliquibus* prior hac *cenſetur.*
		Archelao pulſo Cyrinus exigit cenſum.
7	12	Q. Metellus Creticus, L. Licinius Nerva. *Chriſtus, relegato jam Archelao, & ceſſante metu, qui Ioſephum & Mariam coëgerat in Galilæam ſecedere, aſcendit Hieroſolymam & inventus eſt in templo, ſedens in medio Doctorum, audiens & interrogans eos: & reverſus cum parentibus Nazarethum, erat ſubditus illis. Lucæ* 2.
		Chriſtus inveniturinter Doctores.
8	13	M. Furius Camillus, Sex. Nonius Quintilianus.
9	14	P. Sulpitius Camerinus, C. Poppæus Sabinus. 12 *Tiberius Cæſar bellum Dalmaticum confecerat, ſed intra quinq; dies hujus belli conſummati nuntiatum eſt de clade in Germania accepta: in qua Quintilius Varus, nuper, cum Herodes moreretur, Præſes Syriæ, jam Germaniæ Præfectus, cum tribus legionibus ab Arminio Germanorum Duce circumventus & oppreſſus eſt. Hinc Tiberius Cæſar de ſua victoria triumphum agere non potuit, ſed cum novo exercitu ad Rhenum profectus, limites Imperii Romani firmavit. Ita Dio & alii.*
		Varo cæſo Tiberius tuetur limites.
10	15	P. Cornelius Dolabella, C. ſunius Silanus. *Tiberius Cæſar, ob rem Romani Imperii contra Germanos præclare geſtam, teſte Paterculo* perpetuus Romani Imperii Patronus *habitus.*
11	16	1 M. Æmilius Lepidus, T. Statilius Taurus. Lege per Conſules lata, provincias cum Auguſto communiter adminiſttavit Tiberius, *teſte Suetonio, & ut Tacitus loquitur*, filius & collega Imperii: *&* à Germania in Urbem poſt biennium ingreſſus, triumphum quem diſtulerat egit. Dedicavit & Concordiæ ædem, item Pollucis & Caſtoris ſuo fratriſque nomine de manubiis. *Quæ fere eadem cum indictis Conſulibus referuntur apud Dionem lib.* 56. *Apud Paterculum vero qui aderat, cap.* 121 *iſta leguntur*: Eadem & virtus & fortuna ſubſequenti tempore ingreſſa animum Imperatoris Tiberii fuit, quæ initio fuit: qui concuſſis hoſtium viribus, claſſicis peditumque expeditionibus, cum res Galliarum maximæ molis accenſaſque plebis Viennenſium diſſenſiones, coërcitatione magis quam pœna, molliſſet; & Senatus populuſque Romanus, poſtulante patre ejus, ut æquum ejus in omnibus provinciis exercitibuſque eſſet (etenim abſurdum erat non eſſe ſub illo, quæ ab illo vindicabantur; & qui ad opem ferendam erat primus, ad vindicandum honorem non judicari parem) in Urbem reverſus, jam pridem debitum, ſed vindicatione hoſtium delatum, ex Pannoniis Dalmatiiſque egit triumphum. *Hæc ibi. Ab hoc ergo anno ſaltem labente, ſive ad aliquot menſes progreſſo, principium Imperii Tiberii Cæſaris, nondum Auguſti, ſed ſimul cum Auguſto regnantis, ſumendum eſt: cujus annum* XV *ab Euangeliſta Luca cap.* 3, *prædicatione Ioannis Baptiſtæ & baptiſmo Chriſti celebrem, infra referemus. De hac prima Tiberii Imperii epocha conſulendi Capellus indicato cap.* 5, *Herwartus cap.* 243, *& Bucherius lib.* 3 *Belgii Romani cap.* 3.
		incipit æram Imperii cum Auguſto adminiſtrati
12	17	2 Germanicus Cæſar, C. Fontejus Capito.
13	18	3 C. Silius Nepos, L. Munatius Plancus.
14	19	4 Sex. Pompejus, Sex. Apulejus. 13 *Auguſtus in Campaniam profectus Nolæ, die* XIX *Auguſti, vita & Imperio functus eſt: cui tunc ex integro ſubrogatus Tiberius, Imperium ſolus adminiſtravit. Et hinc ducitur initium annorum, ſecundum quos traditur* Chriſtus *ab antiquis Patribus & ſcriptoribus* mortuus anno XV Tiberii Auguſti. Geminis Conſulibus, *ſic ut hujus ſecundæ Æræ Tiberianæ annos oporteat auſpicari à die* XIX *Auguſti, & ideo ſingulos eorum, ut bifariam dividendos, duplici notabimus numero.*
		ſolus imperat à die 19 Aug. *mortuo Auguſto.*
15	20	5 1 Druſus Cæſar fil. Tiberii, C. Norbanus Flaccus.
16	21	6 2 T. Statilius Siſenna Taurus, L. Scribonius Libo.
17	22	7 3 C. Cælius Rufus, L. Pompejus Flaccus.
18	23	8 4 Tiberius Auguſtus III, Germanicus Cæſar II.
19	24	9 5 M. Junius Silanus, L. Norbanus Balbus Flaccus.
20	25	10 6 M. Valerius Meſſala, M. Aurelius Cotta.
21	26	11 7 Tiberius Auguſtus IV, Druſus Cæſar fil. Tiberii II.
		Chriſtus proficiebat ſapientia & ætate & gratia apud Deum & homines. Luc. 2.
22	27	12 8 C. Sulpitius Galba, D. Haterius Agrippa.
23	28	13 9 C. Aſinius Apollo, C. Antiſtius Vetus.
		Quirinus ſen Cyrinus, in Euangelio memoratus, mortuus eſt: cujus ſordidam & præpotentem ſenectam *deſcribit Tacitus lib.* 4 *Annalium.*

ANNUS ÆR.	AT.	TIB.	
14	19	4	1
15	20	5	2
16	21	6	3
17	22	7	4
18	23	8	5
19	24	9	6
20	25	10	7
21	26	11	8
22	27	12	9
23	28	13	10

Ætatis Chr. — *cum Auguſto* — *ſolus*

Ære vulg.

ANNUS CHRIST. ÆR.	ÆT.	TIBER. Imper.	
24	29	14	10
			11
25	30	15	11
			12
26	31	16	12
			13
27	32	17	13
			14
28	33	18	14
			15
29	34	19	15
	à Passione 1		16
30	2	20	16
			17
31	3	21	17
			18
32	4	22	18
			19
33	5	23	19
			20

S. Cornelius Cethegus,
L. Vitellius Varro.

C. Lentulus Iſauricus,
M. Aſinius Aprippa.

14 *Pontius Pilatus ſuccedit Grato Valerio Præſes Iudææ. Agebant in Principatu ſuo annum* XXIX *Herodes Antipas, Tetrarcha Galilææ (cujus poſtea juſſu S. Ioannes Baptiſta capite plexus & Chriſtus illuſus) & Philippus frater ejus, Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis; cum Lyſania, Abilinæ Tetrarcha. Factum eſt autem verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium, prædicantem baptiſmum pœnitentiæ &c. Luc, 3, cui eſt hic Tiberii annus* XV, *at Tertulliano* XII.

Cn. Cornel. Lentulus Getulicus,
C. Calviſius Sabinus.

Chriſtus baptizatus à Ioanne VI *Ianuarii, Dominica die, annorum ætatis quaſi triginta, id eſt, triginta & dierum tredecim. De particula quaſi, Græcis ὡσεὶ, id eſt circiter, infra latius agimus. Poſt jejunium autem quadraginta dierum incepit ſe impendere prædicationi.*

M. Licinius Craſſus,
L. Calpurnius Piſo.

Secundus annus prædicationis Chriſti.

Ap. Junius Silanus,
P. Silius Nerva.

Tertius annus Prædicationis Chriſti.

C. Rubellius Geminus,
C. Fuſius Geminus.

Lazarus à Chriſto ſuſcitatur. Ingreditur Hieroſolymam, Dominica Palmarum XX *Martii. Ultimam cum diſcipulis cœnam ſumit, feria quinta* XXIV *Martii, & die* XIV *menſis Niſan. At die* XXV *Martii, feria ſexta in Paraſceve primo die azymorum, natus annos triginta tres & menſes tres, pro redemptione generis humani in Cruce mortuus eſt; die autem* XXVII *victor à mortuis reſurrexit. Eodem anno S. Iacobus, frater Domini, ordinatus eſt Epiſcopus Hieroſolymitanus & S. Stephanus lapidatus.*

C. Caſſius Longinus,
M. Vinitius Quartinus.

Facta perſecutione diſperſi ſunt Chriſtiani. S. Paulus convertitur. Sejano Romæ ſtatuæ ponuntur.

Tiberius Auguſtus V,
Ælius Sejanus.

Tiberius Imp. Chriſtum inter Deos honorandum proponit. Impedit cum Senatu Sejanus Conſul, qui interficitur. Res infra explicatur.

C. Domitius Ahenobarbus,
A. Vitellius Nepos, *eiq; ſuffectus.*
Furius Camillus Scribonius.

Ser. Sulpitius Galba,
L. Cornelius Sulla.

S. Paulus venit Hieroſolymam videre Petrum. Deinde hic Cathedram collocat Antiochiæ.

Paulus Fabius Priſcus,
L. Vitellius Nepos.

15 Philippus, Herodis Antipæ frater, diem ſuum obiit, *anno Tiberii Principatus vigeſimo,* cum *ipſe* præfuiſſet triginta ſeptem annis Trachonitidi & Gaalanitidi ac Batanææ, vir perpetuo modeſtus, & amator quietis & otii. *Ita Ioſephus lib.* 18 *Antiquit cap.* 6 *numerando ſcilicet annos Præfecturæ ab obitu patris Herodis Aſcolonitæ, mortui in Paſchate anno quarto ante Æram vulgarem. Hinc dicto anno Æræ labentis* XXXIV, *in Paſchate, elapſi erant dicti anni* triginta ſeptem (*in textu Græco* ἑπτὰ καὶ τριάκοντα) *& fluebat adhuc annus Tiberii viceſimus uſq; ad diem* XIX *Auguſti: qui Tiberius ditionem ejus attribuit provinciæ Syriæ.*

C. Ceſtius Camerinus,
M. Servilius Rufus.

Herodes Antipas eſt devictus in bello ab Areta Rege, cujus filiam in uxorem ſumptam repudiarat, ut Herodiadem duceret. Ioſephus cap. 7.

Q. Plautius Plautinianus,
Q. Papinius Galienus.

Cn. Aceronius Proculus,
C. Pontius Nigrinus.

Moritur Tiberius Imper. XXV *Martii; cum à morte Auguſti regnaſſet annos* XXII, *menſes* VI, *dies* XXVIII. *Clemens Alexandrinus tribuit illi* annos viginti ſex, menſes ſex & dies viginti novem. *Conſule lib.* 1 *Stromatum: ſed hi anni computantur à tempore, quo ſimul cum Auguſto imperavit, ſcilicet ab anno Æræ vulgaris* XI, *ut etiam S. Lucas ejus annos computavit. Tiberio ſucceſſit Cajus Caligula, filius Germanici. Hic Herodem Agrippam, filium Ariſtobuli, captivum Romæ, liberavit; donavit illi Tetrarchiam, quæ fuerat Philippi; adjecitq; Tetrarchiam Lyſaniæ; & impoſito capiti ejus diademate, Regem creavit. Ioſephus hiſtoricus naſcitur.*

M. Aquilius Julianus,
P. Nonius Aſprenas.

Herodes Antipas eſt ſpoliatus Tetrarchia Galilææ, & cum Herodiade miſſus Lugdunum in exilium: ipſa autem Tetrarchia ejus donata eſt Herodi Agrippæ. Ioſephus cap. 9.

Cajus Caligula Cæſar II,
L. Apronius.

Pontius Pilatus in multas incidens calamitates, propria ſe manu interfecit. S. Hieronymus in Chronico.

C. Caligula Cæſar III,
L. Gelius Poplicola.

Diviſio Apoſtolorum cenſetur facta, & à S. Petro Cathedra Romæ collocata. Quidni & S. Iacobus frater Ioannis cenſeatur in Hiſpaniam miſſus? Res infra explicatur.

C. Caligula Cæſar IV,
Cn. Sentius Saturninus.

ANNUS CHRIST. ÆR.	ÆT.	TIBER. Imper.	
20			
21	24	6	34
			21
22	25	7	35
23			22
	26	8	36
			23
	27	9	37
CALIGULÆ I			
2	10	38	
3	11	39	
CLAUDII I	12	40	

16 *Cali-*

16 *Caligulæ*, XXIV *Ianuarii occiſo, ſuccedit Claudius patruus ejus. Ab eo donata Herodi Agrippæ Iudæa & Samaria, Ioſephus lib.* 19 *cap.* 4. *Reverſi SS. Petrus & Iacobus anno* XLIII *Hieroſolymam; ubi S. Iacobus occiſus, & S. Petrus ab Angelo è carcere liberatus. Hic poſtea cum S. Paulo Romæ occubuit ſub Nerone annis poſt Chriſti paſſionem elapſis* XXXVII, *& Hieroſolyma exciſa eſt anno Æræ vulgaris* LXX, *à Chriſto paſſo* XLII, *ut paſſim Patres tradunt. Omnia infra explicantur. Solenne namq; fuit antiquis ſcriptoribus calculos annorum ſupputare à* Chriſti Paſſione aut Reſurrectione, *aut etiam, quod id coincideret,* à Conſulatu duorū Geminorum. *Ita Severus Sulpitius à* tempore Domini Crucifixi & Conſulatu Geminorum uſque ad Conſulatum Stiliconis, *ſive annum* CCCC, *enumerat* annos CCCLXXII, *& noſtram Chronotaxim confirmat. Similiter in antiqua ſupputatione (quam Cambdenus, repertam in nonnullis Ninii exemplaribus, edidit ante Britanniam à ſe illuſtratam in Apparatu de Anglo-Saxonibus) numerantur* anni à duobus Geminis Fuſio & Rebellio uſque ad Stiliconem, *& ſic deinceps uſq; ad Anglo-Saxonum adventum in Britanniam. Eodem modo à S. Gregorio Turonenſi, ad calcem Hiſtoriæ Francorum, numerantur* anni à tranſitu maris Rubri uſque ad Reſurrectionem Domini, & à Reſurrectione Domini uſque ad tranſitum S. Martini. *Apud Caniſium tomo* 2. *Antiquarum Lectionum, Anonymus auctor Chronici, ab Exordio mundi ad* XIII *Alexandri Imperatoris deducti lib.* 1 *cap.* 17 A Paſſione Chriſti, *inquit*, uſque ad hunc annum, qui eſt XIII Alexandri, anni CCVI, *quot ſcilicet à Conſulatu duorum Geminorum ad annum* XIII *Alexandri fluxerunt.*

Anni à Paſſione ſeu Aſcenſione Chriſti & Conſulatu Geminorum da antiquis hac ratione ducti.

EXERCITATIO III.

Dicta ſententia confirmatur è rebus poſt Chriſti paſsionem geſtis.

17 *Vides benevole Lector*, uſitatiorem traditionem (*ut loquitur Proſper Aquitanus*) haberi, Dominum noſtrum, decimo quinto anno Tiberii Cæſaris, duobus Geminis Conſulibus, crucifixum; *quod, indicata duplici epocha Tiberii, oſtendimus optime cum ſacra Scriptura convenire. Hunc eumdem decimum quintum Tiberii annum ſemel iterumq; indicat S. Hieronymus, explicans caput* IX *Danielis Prophetæ de ſeptuaginta annorum hebdomadis; ubi in quæſtione difficili antiquiorum Scriptorum ſententias profert, ac primo Iulium Africanum, qui* ſeptuaginta hebdomadas Danielis *finit* ad annum quintum decimum Tiberii Cæſaris, quando paſſum eſſe Chriſtum, & compleri hebdomadas ſeptuaginta, juxta lunarem Hebræorum ſupputationem, *aſſerit. Alter auctor à S. Hieronymo citatur Tertullianus, contra Iudæos ita ſcribens*: Imperii Tiberii decimo quinto anno patitur Chriſtus, annos habens quaſi triginta tres cum pateretur. *Eoſdem annos & menſes tres Chriſtum natum fuiſſe, cum pateretur nos quoq; diximus. Simili modo Clemens Alexandrinus lib.* 1 *Stromatum*, annum decimum quintum Imperii Tiberii cum tempore quo

Anno XV. *Tiberii paſſum Chriſtum*

confirmat apud S. *Hieronymum*

Iulius Africanus,

& Tertullianus,

item Clemens Alexandrinus,

paſſus eſt Chriſtus *componit. Et hi tres intra ducentos annos poſt paſſionem Chriſti vixerunt. Iungatur illis Firmianus Lactantius, qui ſub Conſtantino Magno floruit, Criſpi Cæſaris filii ejus conſtitutus Magiſter. Hic lib.* 4 *de Vera ſapientia cap.* X, Sub Herode, *inquit*, Judæorum Tetrarcha, anno decimo quinto Imperii Tiberii Cæſaris, Judæi Chriſtum cruci affixerunt. *Idem capite* XIV Zacharias, *inquit*, adolevit Darii & Alexandri ætate, annis quingentis ante annum decimum quintum Imperii Tiberii Cæſaris, quo Chriſtus crucifixus eſt. *Hæc ibi.*

AUCTORE G. H.

& Lactantius,

18 *Sed progrediamur ad res illuſtriores, geſtas poſt Chriſti paſſionem. Occurrit primo, quod Tiberius Imperator voluerit Chriſtum inter Deos honorari, ſed ab Ælio Sejano ac reliquo Senatu impeditus, ipſum Sejanum cum variis Patriciis interfecerit jam tum Conſulem anno* XXXI, *cum poſt Geminos Conſules laberetur ſecundus annus. Totam hiſtoriam præclare deſcribit Paulus Oroſius adverſus Paganos, præfixa ad S. Auguſtinum præfatione; & libro* VII *capite* IV *iſta habet*: Poſtquam paſſus eſt Dominus Chriſtus atque à mortuis reſurrexit, & diſcipulos ſuos ad prædicandum dimiſit; Pilatus Præſes Palæſtinæ provinciæ ad Tiberium Imperatorem atque ad Senatum retulit de paſſione & reſurrectione Chriſti conſequentibuſque virtutibus, quæ vel per ipſum palam factæ fuerant, vel per diſcipulos ipſius in nomine ejus fiebant; & de eo quod certatim, creſcente plurimorum fide, Deus crederetur. Tiberius cum ſuffragio magni favoris retulit ad Senatum, ut Chriſtus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non ſibi prius ſecundum morem delatum eſſet, ut de ſuſcipiendo cultu prius ipſe decerneret, conſecrationem Chriſti recuſavit; edictoque conſtituit exterminandos eſſe Urbe Chriſtianos, præcipue cum & Sejanus, Præfectus Tiberii, ſuſcipiendæ religioni obſtinatiſſime contradiceret. Tiberius tamen edicto accuſatoribus Chriſtianorum mortem comminatus eſt.., plurimos Senatorum proſcripſit, & ad mortem coëgit. Viginti ſibi Patricios viros conſilii cauſa elegerat, horum vix duos incolumes reliquit, ceteros diverſis cauſis necavit: Sejanum Præfectum ſuum, res novas molientem, interfecit. *Hæc Oroſius, quibus conſonant, quæ Tertullianus ſcribit in Apologetico adverſus Gentes capite* V. Tiberius, *inquit*, cujus tempore nomen Chriſtianum in ſeculum introivit, annuntiatum ſibi ex Syria Palæſtina Chriſtum, quod illic veritatem illius divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui: Senatus, quia non in ſe probaverat, reſpuit: Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum. *Hæc ibi, ad quæ annotat Pammelius*, eamdem hiſtoriam legi apud Euſebium, lib. 2 cap. 2; Nicephorum, Oroſium, Cedrenum, poſteriores denique hiſtoricos omnes: quibus fidem non adhibere tam probatis ſcriptoribus, vanum foret. *Euſebius ſcribit* à Pilato *indicatam* Chriſti reſurrectionem, miracula, eumque Deum haberi. *His poſitis, traditur Sejanus ſuſcipiendæ religioni Chriſti obſtina-*

Tiberius Imp. Chriſtum inter Deos honorandum proponit

ob miracula in nomine ejus facta,

cum jam Romæ habitarent Chriſtiani,

eoſque impedire niteretur Sejanus Conſul,

AUCTORE G. H.

obſtinatiſſime contradixiſſe. Porro veritus Tiberius ne Sejanus ad ipſum Imperium aſpiraret, curavit illũ per Senatum condemnari, & Conſulem cum magna ignominia occidi die XVIII Octobris anni XXXI; post passionem Christi anno 2. cum pluribus, ut apparet, menſibus ante impediviſſet conſecrationem Chriſti à Cæſare propoſitam, & conſtituiſſet Chriſtianos Vrbe propelli; quibus omnibus ut ſpatium temporis juſtum detur, & converſi ab Apoſtolis Iudæi aliiqui è Syria Romam venerint; ſecundum poſt Aſcenſionem Chriſti decurri annum arbitramur; & ex anno dictæ cædis confirmamus, duobus Geminis paſſim eſſe Chriſtum: de anno autem illo, conſtare poteſt ex Cornelio Tacito, Dione Caſſio aliiſq; paſſim, narrantibus potentiſſimi hominis ſubitam everſionem.

19 Interim verò dum Romæ Tiberius Imperator addictus eſſet Chriſto Domino & Chriſtianis, eiſdem in Palæſtina maxime oberant Iudæi; à quibus comprehenſus Stephanus, cum diceret, ſe Ieſum à dextris Dei ſtantem videre, lapidibus obrutus obdormivit in Domino Protomartyr. Hujus morte in Actis Apoſtolorum relata additur cap. VIII. Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia quæ erat Hieroſolymis; & omnes diſperſi ſunt per regiones Judææ, & Samariæ præter Apoſtolos. Hæc ibi: ob quæ verba Baronius ad calcem anni XXXIV movet quæſtionẽ, cur Apoſtolis, quorum cauſa turbæ omnes à Judæis fuerant concitatæ, Hieroſolymis manere conceſſum fuerit: & apte reſpondet, id non niſi miraculo & illius tantum virtuti tribuendũ, qui ſtatuit mare quaſi in utre, & poſuit terminos ejus arenam exiguam. Opus, inquam, Chriſti Salvatoris, qui Apoſtolis dedit implere quod juſſerat, ut inter infenſiſſimos hoſtes ad duodecim annos, quemadmodum habet Apollonii traditio, verſarentur. Hæc pluribus Baronius. Apollonius iſte Vrbis Romanæ Senator fuit, ſub Commodo Imperatore circa annũ Chriſti CLXXXV martyrium paſſus, cujus Acta damus die XVIII Aprilis. De hoc Euſebius, l. 5 hiſt. Eccl. c. 18, narrat quomodo Cataphrygas confutaverit, & enumeratis iis quorum mentionem fecit, ſub finem iſta habet: Meminit Thraſeæ, qui circa hæc tempora Martyr fuit. Ad hæc, tamquam ex veterum traditione, refert: Dominum Apoſtolis ſuis præcepiſſe, ne intra duodecim annos Hieroſolymis diſcederent, id eſt, ne ultra Syriam & vicinas ditiones abirent. Quæ ultima ſunt verba ipſius Apollonii, non S. Thraſeæ Martyris, ut aliqui cenſent. Colitur S. Thraſeas V Octobris. Celebratur autem Diviſio Apoſtolorum in pluribus Eccleſiis, & variis Martyrologiis inſcribitur ad diem XV Iulii. Apoſtoli namq; ante in Syria & aliis vicinis Palæſtinæ ditionibus Euangelium Chriſti annuntiarant; & tunc peregre illis per orbem diſperſis in omnẽ terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ. Facta porro eſt diviſio Apoſtolorũ anno Æræ vulgaræ quadrageſimo, cum laberetur tunc poſt Aſcenſionem Chriſti annus duodecimus, quod jam ſtatutæ chronologiæ magnam addit confirmationem.

Diviſio Apoſtolorum anno 12 à Chriſti paſſione

facta an. 40

20 Diſceſſit tunc S. Petrus Apoſtolorũ Princeps ad Principem orbis urbem Romanam, ibiq; primam Eccleſiæ univerſæ Cathedram collocavit: in qua teſtimonio omnium, ut infra ad ejus elogium dicetur, ſedit annos quinq; & viginti, ſcilicet uſq; ad annum LXV, quo eum martyrio coronatum infra demonſtramus.

Cathedra S. Petri Romæ, ad 25 annos.

Tunc etiam S. Iacobus Apoſtolus, filius Zebedæi & frater Ioannis Euangeliſtæ, potuit diſceſſiſſe in Hiſpanias, ut communis Hiſpanorum traditio habet: ac potuit tam ipſe quam S. Petrus, ob occurrentes cauſas circa annum XLIII reverſus fuiſſe Hieroſolymam, quando Herodes Agrippa, ut affligeret quoſdam de Eccleſia, occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio: videns autem quia placeret Iudæis, apprehendit & Petrum, volens poſt Paſcha producere populo. Hæc anno XLIII contigiſſe infra in elogio S. Petri probamus; cumq; ſic potuerit S. Iacobus ad tertium uſq; annum in Hiſpaniis ſubſtitiſſe, fit ut etiam in hac parte, quæ aliis tam difficulter probatur, non laboremus. Alter Iacobus Alphæi filius ex duodenario Apoſtolorũ numero, ab illis in dicta Diviſione ſejunctus, Gazæ, Eleutheropoli, Oſtracinæ, & in vicinis Ægypti, Arabiæ, ac Paleſtinæ locis, imo & in Perſide, Euangelium Chriſti annuntiavit, ac tandem cruci affixus Oſtracinæ Martyr occubuit. Verum quia tam hujus quam aliorum Apoſtolorũ tempus martyrii nõ fuit à ſcriptoribus cum anno Paſſionis collatum, non poteſt inde ſtatuta chronotaxis confirmari vel infirmari. Tertius autem Iacobus, filius Cleophæ & Mariæ frater Domini, & ſicut Paulus ita & ipſe Apoſtolus appellatus, à duodecim dic XXVII Decembris ordinatus eſt Epiſcopus Hieroſolymitanus, labente anno Æræ vulgaris XXIX duobus Geminis Conſulibus, quo fuerat Chriſtus in cruce paſſus XXV Martii: ad quem diem martyrium ejus celebratur in pervetuſtis Martyrologii Hieronymiani apographis, item apud Rabanum, Notkerum, & in quam plurimis antiquis variarum Eccleſiarum Faſtis ſacris. S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſuum de eo Elogium, ita concludit. Triginta annos Hieroſolymis rexit Eccleſiam, id eſt uſque ad ſeptimum Neronis annum. Aptiſſime ſecundum noſtram chronotaxim. Nam annus VII Neronis, phaſi Romanorũ à Ianuario annos incipientium uſitatiſſima, convenit in annum Æræ vulgaris ſexageſimum; dum primus Neronis, licet non integro regnarit, cum anno LIV abſolvitur: S. Iacobus autem anno LIX die XVII Decembris annos Sedis explevit triginta, & ſuperfuerunt circiter tres menſes uſq; ad Paſcha ſequentis anni ſexageſimi, quo Hieroſolymis è pinnaculo templi dejectus, fullonis ligno percuſſus, martyrium complevit. Reliqua de utroq;, Iacobo Alphæi, & Iacobo Cleophæ filio paravimus edenda ad Kal. Maji. Poſſunt interim à curioſis hujus quæſtionis indagatoribus legi laudatio S. Iacobi Alphæi Apoſtoli auctore Niceta Paphlagone, & Commentarius rerum geſtarum S. Iacobi fratris Domini per Simeonem Metaphraſtem, qui uterq; tractatus extat apud Franciſcum de Combefis tom. 6 Bibliothecæ Patrũ concionatoriæ ad Kal. Maji.

Diſcedit in Hiſpaniem S. Iacobus Zebedæi

an. 43 occaſus Hieroſolymis.

S. Iacobus Alphæi crucifixus Oſtracinæ.

S. Iacobus Cleophæ frater Domini Epiſcopus Hieroſolymis,

occiſus an. 60.

21 Plura etiam ſunt in Actis SS. Petri & Pauli, quæ chronotaxin de Paſſione Chriſti, duobus Geminis Conſulibus peracta, confirmant: quæ infra in elogio S. Petri proferuntur: in primis Synodus Hieroſolymitana habita anno Chriſti XLVII; à converſione S. Pauli (quæ contigit proximo poſt paſſionem Chriſti) anno XVII, & biennio antequam Roma pellerentur Iudæi. Sed vel maxime elucet veritas dictæ chronotaxis, dum SS. Petrus & Paulus traduntur, occiſi poſt Paſſionem Chriſti elapſis annis XXXVII; quia illorũ martyrium contigit Conſulibus Nerva & Veſtino, anno Æræ Chriſtianæ LXV, præſente tunc Romæ Nerone Imperatore; qui anno ſequenti diſceſſit in Græciam, nec reverſus

Synodus Hieroſolymis habita anno 47.

SS. Petrus & Paulus occiſi an. 65.

reverſus eſt Romam niſi aliquot ante mortẽ menſibus, & inde fugiens ſeipſum IX *Iunii interfecit, cum necdum* XIV *Imperii annũ abſolviſſet. Atq; hæc de S. Petro Apoſtolo, primo Pontifice Romano: quem iſtis Conſulibus obiiſſe confirmant, quotquot in Sede ſua habuit ſucceſſores, & maxime proximi, Linus, Clemens, Cletus, Anacletus, Euariſtus, Alexander, & alii: proindeq; ſtabiliunt præ laudatã ſententiã de Chriſto in cruce paſſo, duobus Geminis Conſulibus, anno Æræ vulgaris* XXIX. *Ad ſingulorũ autem elogia confirmatur temporũ ipſis aſſignatorum ratio ex veterrimis Eccleſiæ Romanæ monumentis; puta ex Catalogis, Vitis & Geſtis Summorum Pontificum, manu exaratis & prælo cuſis, ex pervetuſtis generis utriuſq; Martyrologiis & Breviariis variarũ Eccleſiarum & Actis Sanctorũ. Porro arbitramur in iis omnibus quæ ad Romanos Pontifices pertinent,* fidem majorẽ adhibendam Romanæ Eccleſię alumnis quam ceteris, *uti monet ad* XXVI *Aprilis Baronius, contra Euſebium, qui Cletum & Marcellum Pontifices omiſit, aut certe ab Anacleto & Marcellino non diſtinxit.*

AUCTORE G. H.

Epiphanius 2 ani 1 anno.

22 *Excidium urbis Hieroſolymitanæ contigit anno ſecundo Imperii Veſpaſiani & ſeptuageſimo Æræ Chriſtianæ, fuga autẽ atq; diſperſio Iudæorũ facta eſt in Sabbato die octava Septembris; de quo excidio hiſce Exercitationibus addimus, obſervari à Dionyſio Petavio l.* 12 *de Doctrina temporũ c.* 12, *quod* Clemens Alexandrinus, Origines & alii quidã ex antiquis, Hieroſolymitanę urbis excidiũ collocẽt anno quadrageſimo ſecundo à Paſſione Chriſti, nimirũ quod anno Tiberii decimo quinto, *ſecundũ poſteriorem hujus Ærã,* Geminis duobus Conſulibus paſſum eſſe putent Dominũ. *Inter alios antiquos eſt S. Hieronymus in Sophoniæ c.* 1. *v.* 17. *Verba Origenis contra Celſum l.* 4 *ſunt iſta:* τεσσαρακονθα γὰρ ἔτη καὶ δύο, οἶμαι, ἀφ' οὗ ἐσταύρωσαν τὸν Ἰησοῦν, γεγονέναι, ἐπὶ τῶν Ἱεροσολύμων καθαίρεσιν. Nam quadraginta duo anni, ut reor, interceſſerunt inter Ieſu Chriſti crucẽ, & everſionem Hieroſolymorũ. *Et hæc ſufficiant, ut oſtendatur dicta ſententia optime cohærere cũ tota ſerie vitæ Chriſti & rebus poſt ejus paſſionẽ peractis. Advertat porro lector, nullam aliorũ ſententiã à nobis data opera refutari, ſed ſolum nos propoſuiſſe conſenſum antiquiorũ Patrum & hujus primarii Pontificii Catalogi, quantamq; is habeat commoditatẽ ad Euangelicã hiſtoriam univerſam abſq; ulla violenta torſione explicandam. Suam cuiq; opinionem relinquimus, quam ſi probabiliorem poſſint argumentando facere, libenter dimittemus diſputata hactenus, & majoris certitudinis certioriq; veritatis lucem undecumq; oblatam gratanter excipiemus: in eumq; finem præcipuas aliorũ opiniones paucis ſuggerimus, ob quas ab receptiſſima duorum Geminorum Conſulum, ſub quibus paſſus traditur Chriſtus nomenclatura receſſerint, primum Græci deinde etiam Latini.*

Hieroſolyma a Tito capta an. 70

23 *Euſebius Pamphilus in* annũ Tiberii Cęſaris XV *offendens, neq; Epocham illius duplicem ſupra expoſitã diſcernens, & tres ſolidos annos Chriſti prædicationi tribuens, paſſionem ejus aſſignavit ad annum Tiberii* XVIII, Conſulibus Perſico & Vitellio. *Verum Vitellio in Magiſtratu mortuo ſuffectus eſt* Furius Camillus Scribonius, *quem una cum* Cn. Domitio Ahenobarbo *Conſulatũ geſſiſſe tradunt Tacitus & Dio Caſſius. Aſt Euſebius unum annũ in duos perperã dividens,* Ahenobarbũ cum Aprunctio *in annum ſequentem rejicit, eiſq; ad tertium annum ſubdit* Galbam & Syllam, *quos Tacitus, Dio aliiq; indicant immediate ſucceſſiſſe* Cn. Domitio & Camillo Scriboniano: *unde apparet quam obſcurã horum temporum notitiam habuerit Euſebius. Alter è Græcis eſt S. Epiphanius, qui hæreſi* 51 *c.* 32, *nulla habita ratione anni Tiberiani* XV, *annũ ætatis Chriſti trigeſimũ primum ſignavit* Conſulatu duorũ Geminorũ, *& annũ ſequentẽ* XXXII Conſulatu Ruſi & Rubellionis, *cum magna inſcitia hos* à duobus Geminis *ſtatuens diverſos; & annum* XXXIII (*quo per dies* LXXIV *inchoato paſſum aſſerit Chriſtũ* XIII *Kal. Aprilis*) *ſignavit* Conſulatu Vinnicii & Longini Caſſii, *qui revera duos Geminos immediate ſunt ſecuti. Et ſic, Epiphanius attribuit Paſſioni Chriſti proximũ poſt Conſulatum Geminorũ annum, aut ex perverſo computo ſecundum, quem tertium ſtatuerat Euſebius.*

Chriſtum paſſum dunt Euſ. 3 an-

24 *Apud Latinos, uſq; ad tempora Dionyſii Exigui Abbatis Romani, videtur ſenſus omnium fuiſſe, Chriſtũ duobus Geminis Conſulibus paſſũ. De hoc auctore, Beda lib. de Ratione temporũ c.* 45 *iſta ſcribit,* Primo decemnovenalis circuli verſu, temporum ordo pręfigitur: quem Græci calculatores à Diocletiani Principis annis obſervavere. Sed Dionyſius venerabilis Abbas Romanæ Urbis, & utriuſq; linguæ, Græcæ videlicet ac Latinę, nõ ignobili prædituſ ſcientia, Paſchales ſcribens circulos, noluit eis, ſicut ipſe teſtatur, memoriã impii perſecutoris innectere, ſed magis elegit ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti annorũ tempora pręnotare: quatenus exordiũ ſpei noſtræ notius nobis exiſteret, & cauſa reparationis humanæ, id eſt paſſio Redemptoris noſtri, evidentius elucceret. *Ita Beda: qui epochã Dionyſianam relinquens, Æram Chriſtianam à Kal. Ianuarii anni ſequentis auſpicatur. Hos poſtmodũ ceteri ſecuti ſunt, ſed diſſimiliter aliquantulũ, alii ab Angelica Salutatione ſive Paſchate ipſam ſequente, alii ab ejuſdẽ in carne nati die primo, alii cũ Beda ab octavo (ut qui idem eſſet anni Romani initium) alii à Paſchate natĩ vitatẽ ſequenti exorſi annos numerare; donec tandem apud omnes prævaluit ultimis hiſce ſeculis modus is, qui omniũ commodiſſimus erat, & ſuaſit Chriſti annos Romani anni initio à Kal. Ianuarii ducto aptare. Paulina c.* 6 *l.* 13 *indicat,* præſidente Eugenio IV Papa, *creato anno* MCCCCXXXI, adhortante Blondo Forolivienſi, Pontificii collegii à ſecretis Notario, in bullis atq; reſcriptis Pontificalibus ſcribi primum cœpiſſe hanc annorum ſupputationem, atque à chronographis acceptam uſui ſuo accommodaſſe, *relicta viris eruditis libertate hujus rei veritatem ulterius indagandi. Hanc nos Æram vulgarem annorum Chriſti dicimus, licet aliquot ante illam annos Chriſtus, natus ſtatuatur.*

Poſt Æram vulgarem à Dionyſio Exiguo conſtitutam,

25 *Eodem cum dicto Dionyſio ſeculo vixit Caſſiodorus, qui in Chronico ad annum* DXX *deducto,* Tiberio Cæſare V... Conſulibus *iſta ſcribit:* His Conſulibus Dominus noſter Jeſus Chriſtus paſſus eſt, VIII Kalendas Aprilis, & defectio Solis facta eſt qualis antea vel poſtea nunquam fuit. *Geſſerunt Conſulatum* Tiberius Cæſar V *&* Ælius Sejanus *anno Æræ vulgaris* XXXI.

Caſſiodorus 2 annis ſerius Chriſtũ paſſum aſſeruit.

AUCTORE G. H. *Idem his noviſſimis temporibus aſſeruerunt Deckerius Petavius, Bucherius, Seneſchallus, aliiq́; ſed ſubductis aliter aſtronomicis calculis, pro* VIII *Kalendas Martii,* X *Kalendis ſalutiferæ Paſſioni deſtinarunt. Cuſpinianus, mendum in Caſſiodoro ſuſpicatus, ad* Cn. Domitium & Camillum Scribonianum *à Caſſiodoro præteritos Conſules confugit; atq́; his Conſulibus anno Æræ vulgaris* XXXII *paſſum Chriſtum velut ex ipſius Caſſiodori mente ſtatuens, eum fecit cum Euſebio concordare: quem etiam annum aſſumpſit Cardinalis Baronius, & annum* XXXIV *ſtatuit, Æræ vulgaris: ſed ne perpetuo diſſentiret à communi chronologia, poſtmodum duos annos prætermiſit. Iacobus Grandamicus in Chronologia ſacra, & Philippus Labbe in Compendio Chronologico Hiſtoriæ ſacræ & profanæ, aſſerunt Chriſtum Incarnatum & natum* Conſulibus Cornelio Lentulo & Calpurnio Piſone; *& ſic annos Chriſti nati ab annis Æræ vulgaris non diſtinguunt, paſſumq́; addunt, cum Toſtato (cujus ſententiam fuiſſe damnatam ſupra inſinuavimus) anno ætatis & Æræ vulgaris trigeſimo tertio, die tertio Aprilis,* Sulpicio Galba & Cornelio Sulla Conſulibus. *Favet plenilunium, in feriam ſextam conveniens. Verum ſic triennio ante Chriſtum natum, ut ſupra oſtendimus, fuiſſet è vita ſublatus Herodes: quod nullo modo dici poteſt: & tamen clara deductio rerum ab Herode geſtarum, apud Ioſephum, Dionẽ, alioſq́; nullo modo permittit ejus interitum, initio communis Æræ propius admovere. Hæc omnia deducta eſſe eo fine ſupra diximus, ut Catalogo antiquo, quem pergimus explicare, debita conſiſtat auctoritas, relicta aliis libertate, ulterius rei veritatem inquirendi.* alii 5 annis.

PONTIFICES ROMANI.

I. S. PETRVS APOSTOLVS.

§ 1 *Elogium ex Catalogo priore, à S. Damaſo ad S. Hieronymum miſſo.*

PEtrus annis viginti quinque, menſe uno, diebus novem. Fuit temporibus Tiberii Cæſaris, & Caji, & Tiberii Claudii, & Neronis; à Conſulatu Vinicii & Longini, uſque Nervæ & Veſtini. Paſſus autem cum Paulo die tertia Kalendas Iulias, Conſulibus ſupradictis, imperante Nerone.

EXERCITATIO IV.

De tempore Sedis & præeminentia S. Petri, ab Aſcenſione Chriſti uſque ad diem martyrii.

Poſt Chriſti paſſionem & Aſcenſionem anno Æræ vulgaris 29

26 *IN Proœmio hujus Catalogi relatum eſt*, paſſum fuiſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum duobus Geminis Conſulibus, VIII Kalendas Aprilis. *Cujus rei certitudo ſtabilita eſt exercitatione triplici jam propoſita: in qua diximus, ex principiis poſitis videri Chriſtum pro redemptione generis humani incarnatum, & in utero virgineo ſacratiſſimæ Mariæ Conceptum eſſe* XXV *Martii; die autem Decembris pariter* XXV *natum,* D. Lælio Balbo & C. Antiſtite Vetere Conſulibus; *& conſequenter quinq́; integris annis Æram vulgarem prævenimus. Deinde quia Chriſtus annos triginta tres ac menſes tres in hac vita manſit, ſtatuimus cum antiquis Patribus, eumdem (ut jam diximus) duobus Geminis Conſulibus,* XXV *Martii, Feria ſexta in Paraſceve, in cruce mortuum fuiſſe; & die* XXVII *ejuſdem Martii, Feria prima, jam Dominica dicta, reſurrexiſſe. Annus is eſt Æræ vulgaris vigeſimus nonus. Tunc, ut dicitur in citato Proœmio,* poſt aſcenſum Chriſti Beatiſſimus Petrus Epiſcopatum ſuſcepit, *ſed nulli certo loco adſtrictum: qualem quatuor annis adſcribit illi in Oriente codex Ms. Anaſtaſii Bibliothecarii, inter libros Cardinalis Mazarini olim adſervatus: & ſignificatur ejus ſupra alios Apoſtolos præeminentia, & poteſtas à Chriſto collata, paſcendi ejus oves & agnos. Princeps ergo Apoſtolorum conſtitutus, apud alios peroravit de aliquo in locum Iudæ proditoris ſufficiendo, & in duodecimum Apoſtolum eligendo: ubi præmiſſis precibus ſorte electus eſt Mathias. At poſt effuſum in die Pentecoſtes ſupra diſcipulos Spiritum ſanctum, habita publice concione convertit circiter tria millia: deinde claudum in porta templi ſpecioſa ſanavit, atq́; Ananiam & Sapphiram morte punivit. Quo adhuc anno poſt ſeptem Diaconos electos, S. Stephanus pro fide Chriſti Protomartyr, die* XXVI *Decembris eſt lapidatus.*

S. *Petrus Epiſcopatum ſuſcepit* 4 *annis in Oriente.*

27 *Acceſſit annus Æræ vulgaris triceſimus, quo Conſulatum geſſerunt* C. Caſſius Longinus, & M. Vinicius Quartinus, *cui Conſulatui in citato Catalogo adſcribitur initium Epiſcopatus S. Petri, ob duplicem cauſam; ſcilicet ut, ob majorem erga Chriſtum reverentiam, totus duorum Geminorum Conſulatus illi etiam poſt aſcenſionem relinqueretur, licet adderetur Petrum tunc Epiſcopatum ſuſcepiſſe. Altera cauſa, neceſſario notanda, eſt, ut juxta modum procedendi, in priore parte hujus Catalogi ſemper obſervatum, ſicut ſupra monuimus, iidem Conſules numquã repetantur. Anno ergo Æræ vulgaris trigeſimo, cum poſt magnam exortam perſecutionem diſperſi fuiſſent fideles; Saulus, deinde Paulus vocatus, qui devaſtabat Eccleſiam, Domini Chriſti in via Damaſcena apparentis increpatione converſus eſt. Qui poſt tres annos à ſua converſione, adeoq́; anno Æræ vulgaris trigeſimo tertio,* venit Hieroſolymam videre Petrum, *ut ipſe Paulus in ſua ad Galatas epiſtola cap.* I *v.*18 *teſtatur. Quo etiam anno, eum ex Anaſtaſio Bibliothecario de Vitis Pontificum, colligimus collocaviſſe Cathedram ſui Epiſcopatus in Antiochia, atq́; ibidem ſeptem annos ſediſſe. In cujus rei memoriam ſolennitas Cathedræ Antiochenæ quotannis celebratur* XXII *Februarii. Hos autem ſeptem Cathedræ hujus Antiochenæ annos non ita quis accipiat, ut in ea urbe ejuſve diœceſi permanſiſſe Petrum velit; ſed permittat ipſum eodem tempore varias regiones, Syriæ potiſſimum, peragraſſe, & plurimos variis locis conſtituiſſe Epiſcopos, uti ad diem ejus natalem* XXIX *Iunii latius erit oſtendendum.*

cui Conſules anni 30 *tribuuntur.*

an. 33 *cum Paulo agit Hieroſolymis.*

& Cathedram Antiochiæ collocat.

28 *Elapſo*

AUCTORE G. H.

n Roma 40

28 *Elapso septennio Cathedræ Antiochenæ, substituto ibidem S. Enodio, primam Ecclesiæ Christianæ Cathedram in Vrbe Romana, Sede Imperatorum & orbis capite, collocavit, anno Æræ vulgaris quadragesimo: à quo anno inchoandi in Catalogo citato sunt anni viginti quinq; Sedis hujus. Et hi viginti quinq; anni habentur in altero mox proferendo Catalogo, uti & in Ms. Palatino, sed à nobis omisso, item in Pontificali Romano, & apud Anastasium Bibliothecarium in manu exaratis & prælo cusis codicibus, nec non apud Luitprandum, Abbonem & alios rerum Pontificiarum scriptores, ac tandem in Mss. gestis Pontificum ad Martinum v deductis. Hi autem anni viginti quinq; deducuntur à dicto anno vulgaris Æræ quadragesimo, usq; ad sexagesimum quintum, & Consulatum Nervæ & Vestini, quo etiam obiisse hunc primum Pontificem cum hoc Catologo ostendemus. Memoria Cathedræ Romanæ solenni quotannis cultu renovatur ad diem* XVIII *Ianuarii: quam cum tenuit, non mansit assiduus Romæ aut in ejus districtu, sed totam sibi ut supremo Pontifici subjectam Ecclesiam, per totum Romanum Imperium dispersam, assumpsit curandam; ejusq; præcipuas regiones atq; inter eas etiam Palæstinam & potissimum Hierosolymam subinde visitavit. Interim Cajo Caligula Imperatore, qui anno* XXXVII *Tiberio successerat, à Chærea & aliis conjuratis,*

sedit 25 nis.

ub Tiberio & Agrippa Herode

IX *Kalendas Februarii anni* XLI *interempto; subrogatus est patruus ejus, Tiberius Claudius: qui Herodi Agrippæ, filio Aristobuli, regnum ampliavit, addita Samaria & Iudæa. Hic cum tertio anno Iudæam obtineret, ab Angelo percussus interiit, anno* XLIII *aut initio sequentis.*

29 *Hujus Herodis & Claudii Imperatoris tempore, ingens fames, ab Agabo Propheta prædicta, invaluit, anno vulgaris Æræ* XLII; *quando SS. Paulus & Barnabas stipem collectam portarunt Hierosolymam. Qua re in Actibus Apostolorum cap.* XI *relata, additur capite sequenti, quomodo Herodes Agrippa, ut affligeret quosdam de Ecclesia, occiderit Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem quia placeret Iudæis, apprehendit & Petrum, volens post Pascha producere eum populo: sed is Angelico eductus est auxilio. Quod arbitramur factum anno* XLIII. *At, prout cap.* XV *in iisdem Apostolorum Actibus narratur, orta Antiochiæ seditione, propter Iudæos ad Christum conversos, qui volebant Gentes itidem conversas circumcidi; Paulus & Barnabas Hierosolymam profecti sunt; ubi facta conquisitione, post audita SS. Petri & Iacobi suffragia, communi decreto statuerunt, Gentes conversas non obligari lege Moysis.*

vinctus Hierosolymis ab Angelo liberatur:

terum interfuit Synodo Hierosolymitanæ

30 *Tempus hujus Synodi optime potest colligi ex epistola S. Pauli ad Galatas, ubi primo, ut supra diximus, scripsit se* post annos tres, *scilicet à sua conversione, venisse* Hierosolymam videre Petrum, *anno scilicet Æræ vulgaris* XXXIII. Deinde post annos quatuordecim iterum ascendisse Hierosolymam cum Barnaba, *ut cum Petro & aliis Apostolis de suborta dissensione ageret. Quod proinde contigit anno* XLVII: *& sic, teste S. Hieronymo in caput* 2 *Pauli ad Galatas, à prima hujus conversione, quæ contigit anno Æræ vulgaris* XXX, *numerantur anni septemdecim. Sentiunt quidam cum Baronio plures, illud Concilium habitum, cum Iudæi*

anno 47

essent Roma pulsi: sed ex ipsis Apostolorum Actibus & peregrinationibus Pauli interpositis, quæ adhuc capite XV *& tribus sequentibus narrantur, contrarium colligitur. Fuerunt autem teste Orosio lib.* 7 *c.* 6 *anno Claudii* IX, *Christi* XLIX, *expulsi per Claudium Roma Iudæi. Sed num simul expulsi fuerint Christiani, dubitat Orosius. Fueritne tunc Romæ S. Petrus; & si fuit, manseritne in Vrbe; aut si discesserit, quonam versus iter instituerit, plane latet. Paulus sesqui anno Corinthi substitit.*

biennio ante, quam Romæ vellerentur Iudæi.

31 *Postmodum cum S. Petrus videret Romæ Ecclesiam recte constitutam, velletq; majori cum libertate alias quoq; regiones lumine fidei illustrare; S. Linum, quem à morte habuit successorem, constituit sibi Vicarium sive Chorepiscopum. Tempus indicat idem antiquus Catalogus, infra in Lino proferendus, dum assignat* Consulatum Q. Volusii Saturnini & P. Cornelii Scipionis, *qui illam dignitatem gesserunt anno* LVI. *Hujus Ordinationis meminerunt etiam Acta SS. Petri & Pauli ex Græcis translata, & à Lipomano & Surio ad* XXIX *Iunii edita his verbis.* Cum Petrus non diu apud Romanos mansisset, & sancto baptismate multos regenerasset, & Ecclesiam constituisset, & Linum Episcopum ordinasset, venit Tarracinam, in qua Epaphroditum Episcopum ordinavit. *Hæc in dictis Actis, ex quibus solis S. Epaphroditus Terracinensibus vindicatur, Martyrologio Romano ad diem* XXII *Martii inscriptus. Indicantur deinde in iisdem Actis variæ S. Petri peregrinationes per Ægyptum, Africam, Hispaniam, Britanniam. Advertit autem Eusebius, lib.* 2 *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 22, Neronem, circa initia Imperii, clementius se gessisse, & defensionem pro fide nostra benigne suscepisse: *adeo ut tunc per totum Imperium videatur Christiana religio ac vera fides fuisse late diffusa & propagata. S. Dionysius Episcopus Corinthiorum, cujus Acta illustramus ad diem* VIII *Aprilis, quiq; cum discipulis Apostolorum potuit vixisse, in sua ad Romanos & S. Sotherem Papam epistola asserit,* SS. Petrum & Paulum in urbem suam Corinthum ingressos, sparso Euangelicæ doctrinæ semine eos instituisse; & in Italiam simul profectos, cum Romanos similiter instituissent, eodem tempore martyrium pertulisse.

S. Linum Vicarium statuit anno 56.

peregrinatus per varias regiones,

Nerone sub initium benigno.

32 *Eusebius deinde loco paulo ante citato subjungit*; Cum Nero postea ad teterrima quæque facinora, prorupisset, Apostolos quoque cum ceteris sævitiam ejus expertos. *Variæ hujus persecutionis causæ proferuntur, quarum primaria fuit* Urbs Romana, Consulibus C. Lecanio & M. Licinio, incensa; ac videbatur, *teste Tacito lib.* 15 *Annalium*, Nero condendæ urbis novæ, & cognomento suo appellandæ, gloriam quærere, & sic jussum incendium credebatur. Ergo abolendo rumori subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit, quos, per flagitia invisos, vulgus Christianos appellabat. Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi in usum nocturni luminis urerentur. *Hæc aliaq; Tacitus, Suetonio cap.* 16 *dicuntur* afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novæ

postea sæviente in Christianos.

Post incensam Romam anno 64 cœpta persecutione

AUCTORE G. H.

ac maleſicæ. *En tempus cœptæ perſecutionis anno ſexageſimo quarto, ejuſq; motæ primam cauſam. Acceſſit in Apoſtolis altera, ob Simonem magum devictum, atq; è volatu à S. Petro in terram dejectum & extinctum. Additur & tertia cauſa in Actis Græcis ante indicatis. Imbuerat S. Petrus fide Chriſtiana duas feminas, Imperatoris Neronis pellices, quæ deinceps pudice vivere ſtatuerant. Similia ibidem ex S. Chryſoſtomo, de aliqua ejus pellice ad fidem à S. Paule converſa, narrantur. Quapropter impudiciſſimus Nero furebat adverſus omnem Eccleſiam, & maxime hos Apoſtolos, utpote auctores pudici propoſiti, quod hæ feminæ, in Chriſtum credentes conceperant ac tenebant.*

ob Simonem Magum extinctum,

& feminas baptizatas

33 *Habemus igitur annum perſecutionis, in Chriſtianos cœptæ, fuiſſe Imperii Neronis* X, *Æræ vulgaris* LXIV, *quo plurimi Chriſtiani martyrio coronati meruerunt memoriam, Martyrologio Romano inſcriptam, ad diem* XXIV *Iunii. S. Leo Papa, ſermone primo in Natali SS. Petri & Pauli, videtur dictis Martyribus Apoſtolorum Principes præponere aut ſaltem adjungere, dum ita ſcribit*: Duo iſta præclara divini germina feminis in quantam ſobolem germinarint, beatorum millia Martyrum proteſtantur, qui Apoſtolicorum æmuli triumphorum, urbem noſtram purpuratis & longe lateque rutilantibus populis ambierunt, & quaſi ex multarum honore gemmarum conſerto uno diademate coronarunt. *Hæc ibi. Verum anno perſecutionis ſecundo Apoſtolos coronatos, expreſſe docet Catalogus ſupra relatus his verbis*: Paſſus eſt *Petrus* cum Paulo die tertia Kalendas Julias, Conſulibus ſupra dictis, *Nerva & Veſtino*, imperante Nerone. *Is eſt annus Æræ vulgaris ſexageſimus quintus & à Paßione Chriſti trigeſimus ſeptimus, paſſim aſſumptus, quo ob detectam in ipſum Neronem conſpirationem, plurimi occiſi fuerunt; inter quos C. Piſo conjurationis caput, Lucanus poëta, Seneca philoſophus, & Veſtinus Conſul, pro quo ſubſtitutus fuit Cerealis Anicius.*

paſſus cum S. Paulo 29 Iunii an. 65.

34 *Omnia hæc late proſequitur, dicto lib.* 15 *Annalium Cornelius Tacitus, qui poſtea lib.* 16 *hoc epiphonemate totam iſtam tragœdiam concludit*: Tantum ſanguinis domi perditum fatigant animum & mœſtitia reſtringunt, *& dein poſt indicatos anni ſequentis* LXVII, Conſules C. Suetonium & L. Teleſinum, *& pauculas res narratas, finit Annales*: *ut cogamur ex Dione & Ioanne Xiphilino reliquas Neronis actiones cognoſcere: ex ipſis autem liquido conſtat, illum, à dicto anno uſq; ad ultimos menſes vitæ ſuæ, Roma abfuiſſe, neq; potuiſſe martyrio SS. Petri & Pauli adeſſe, ſi, quod alii volunt, occiſi fuerint anno* XIII *aut* XIV *Imperii, & die* XXIX *Iunii. Xiphilinus ergo in epitome Dionis, poſt nominatos dictos* Conſules Suetonium & Teleſinum, *deſcribit adventum Tiridatis, qui ex Oriente advenerat, petiturus regnum Armeniæ. Subjungit dein iter Neronis in Græciam, qui flagrans cupiditate ludorum eo profectus eſt cum cytharœdis & militibus, cytharas & theatralia inſtrumenta ferentibus. Annum vero ſequentem inſumpſit Nero in magna inſania, & quaſcumq; perſonas etiam muliebri ornatu aſſumpſit, in Olympico certamine currum agitavit, & in omnibus urbibus, in quibus ludi agerentur, certavit. Voluit etiam Iſthmum Peloponneſi perfodere, & evocavit eo ex omnibus provinciis multa hominum millia. Veſpaſianus, qui cœpto tunc Iudaico bello præerat, poſt partam contra Taricheas victoriam die* VIII Octobris, *anno Neronis* XIII, *ad Iſthmum ſex millia lectiſſimorum juvenum ſubmiſit, ut Joſephus, qui contra Veſpaſianum pugnarat, ſcribit lib.* 3 *Belli Iudaici cap.* 19. *Conſulto etiam Delphis oraculo Apollinis, ut Suetonius ſcribit, ſenectam Nero ſibi & miram felicitatem ſperavit. Interim cum multæ Romæ conſpirationes contra eum exurgerent, Helius Præfectus Vrbis, fruſtra per litteras monitum ultro adivit, & ut hieme ſequente rediret procuravit. Neapoli, cum eſſet Romam venturus, audivit defectionem Galliarum* XXI *Martii, ac dein ſubmotis* Conſulibus Silio Italico & Galerio Turpiliano, *ſeipſe Conſulem creavit, quaſi hac ratione Gallias debellaturus; imo omnem Senatum veneno tollere propoſuit, ſed deſperans de ſucceſſu, & ab omnibus deſertum ſe videns, fugit, atq; ſeipſum* IX *Iunii interfecit.*

& Iſthmum perfodere tentante,

qui reverſus an. 68

ſe 9 Iunii interfecit.

neque potuit poſtea, abſente Nerone in Gratia,

35 *Paſſi ergo recte indicantur SS. Petrus & Paulus, Nerone Romæ præſente,* Nerva & Veſtino Conſulibus, *anno Æræ Chriſtianæ* LXV, *Neronis, ſi ſpectetur tempus Imperii cœptum, anno* XI, *qui* XII *ſolet haberi, licet ſolum proximo Octobri eſſet inchoaturus. Præterea anni poſt paſſionem Chriſti elapſi erant triginta ſeptem, quos requirunt S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis in elogio S. Petri & dein S. Pauli, cum Pontificali Romano, nec non S. Chryſoſtomus, Honorius, Iſidorus, Beda, Rabanus, Nicephorus & paſſim alii: ſed ut ſupra ex S. Auguſtino monuimus*, ob ignorantiam Conſulatus, quo Chriſtus paſſus eſt, coacti fuere aberrare *aliqui: qui dum ſerius Chriſtum dixere paſſum, & vellent S. Petro dictos* XXXVII *annos tribuere, etiam coacti fuerunt ſerius mortem Petri ſtatuere. Nos autem, quia cum S. Auguſtino & aliis dicimus, paſſum Chriſtum* duobus Geminis Conſulibus, *id eſt anno Æræ vulgaris vigeſimo nono, annos integros triginta ſeptem numeramus, dum S. Petrum paſſum dicimus* Nerva & Veſtino Conſulibus, *ſive anno* LXV *Æræ vulgaris. Atq; hoc modo, potuit* Petrus tenuiſſe Cathedram in Oriente annis quatuor, Antiochiæ ſeptem, ac Romæ viginti quinque, *ut ſupra ex Ms. Mazarinæo diximus. Hunc martyrii annum confirmant ſucceſſores in Pontificatu, Linus, Clemens, Cletus, Anacletus, Euariſtus, Alexander aliiq;, de quibus deinceps acturi ſumus; & ex quibus omnibus, (ut ſupra in primo Frologo diximus) conſtat Euſebium de tempore, quo quiſq; Pontifex ſedit, fidem non mereri: qui duos, ſcilicet Cletum & Marcellum, magna cum ſocordia omiſit; & aliis ex mera conjectura ordinavit tempus Sedis: ut merito ab eo diſſentiat Baronius in morte S. Petri, & deinceps fere per trecentos annos.*

§ II *Elogium ex altero Catalogo, tempore Iuſtiniani Imperatoris conſcripto.*

BEatiſſimus Petrus Antiochenus, filius Joannis, provinciæ Galatiæ, vico Bethſaida, frater Andreæ, & Princeps Apoſtolorum. Primum ſedit Cathedram Epiſcopatus in Antiochia annis * decem. Hic Petrus ingreſſus in urbem Romam, [Tiberio] Nerone Cæſare, ibique ſedit Cathedram Epiſcopatus annos viginti quinque, menſes duos, dies tres. Fuit Temporibus Tiberii Cæſaris & Caji, & Tiberii Claudii & Neronis. Hic ſcripſit duas epiſtolas, quæ Canonicæ nominantur & Euangelium Marci, quia Marcus auditor ejus fuit, & filius ejus de baptiſmo. Poſt omnem quatuor Euangeliorum fontem, quæ ad interrogationem Petri firmata ſunt, dum alius Græce, alius Hebraice, alius Latine conſonent. Hic martyrio cum Paulo coronatur. Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros decem, Epiſcopos tres, Diaconos ſeptem, per menſem Decembrim: qui & ſepultus eſt via Aurelia in templo Apollinis, juxta palatium Neronianum in Vaticano, inter * Zetarium triumphale, tertio Kalendas Julii.

* *Anaſt.* ſeptem,

* *Anaſt.* territorium.

ANNOTATA.

36 *Ex hoc Catalogo deſumpſit Anaſtaſius Bibliothecarius Vitas Pontificum, eaſq; amplificavit, & ex priore Catalogo nonnulla hic inſeruntur, quæ majorem obtinent fidem, maxime circa tempus ſedis.* Sanctum Chriſti Euangelium Marcum ſcripſiſſe *certum eſt: & hoc dicunt Græci in Menologio Baſilii Imperatoris aliiſq; Synaxariis*, à S. Petro Apoſtolorum Principe ipſi dictatum, *uti latius explicamus* XXV *Aprilis, ad S. Marci Acta, ubi Euangelium videri ab ipſo Latine conſcriptum ex antiquis monumentis indicamus. quod huic textus magis conſonum eſt: qui tamen textus & hic & apud Anaſtaſium admodum eſt perplexus, nec niſi per liberiorem conjecturam ſanabilis. Exiſtimo autem primo legendum eſſe,* & Euangelium Marci [dictavit]: *deinde ſequentia ſuſpicor habuiſſe hunc ſenſum*: Poſt omnia quæ, trium Euangeliorum fontem [collegit *aut* publicavit] quæ *(ſcilicet Euangelia tria Lucæ, Matthei & Marci)* ad interrogationem Petri formata ſunt: & dum alius Græce, alius Hebraice, alius Latine conſonant, tandem omnia ejus teſtimonio ſunt firmata. *Deceperit librarium, è vetuſtioribus aliquem notus Euangeliorum quaternarius; & ideo legendum putaverit*, Poſt omnem quatuor. *Interim certum eſt ex antiquiſſimis Patribus, quos ad annum* 99 *Baronius ſequitur, poſt Domitiani mortem, quam anno* XCVII *putamus accidiſſe, atq; adeo poſt S. Petri Martyrium annis* XXXII *& amplius ſcriptum eſſe S. Ioannis Euangelium. Dum autem ſuſpicamur hic quoq; ſupplendum verbum* collegit *aut* vulgavit, *vel ſimile quodpiam (nam omnino ſenſus exigit aliquod) intelligimus, S. Petrum non tantum inſtituiſſe, ut illa tria junctim uno in codice ſcriberentur, ſed etiam ordinaſſe ut Latinitate donarentur, quæ erant Hebraice & Græce ſcripta. Hoc vero ſi clariori auctoritate aliunde probaretur, magnam haud dubie deſiderium moveret primæ antiquioriſque verſionis, quæ ante verſionem ab Hieronymo adornatam in uſu priſcæ Eccleſiæ fuit. De Canone Miſſæ profecto dubitandum non puto quin habuerit à S. Petro initium, iis dumtaxat demptis quæ à poſteris conſtat eſſe adjuncta; & primam Pſalmorum Davidicorum verſionem Latinam, quorum ab initio maximus fuit uſus in omni communi precatione Chriſtianorum, ejuſdem Petri auctoritate adornatam eſſe, cur non opinabimur? Quod tres dicatur S. Petrus ordinaſſe Epiſcopos, intelligendum pro Eccleſia Romana, ut ſucceſſive illi præficerentur, & ſunt* Linus, Clemens & Cletus. *Quæ hîc de ſepultura Apoſtoli adduntur, præclare explicat Paulus Aringhus lib. 2 Romæ ſubterraneæ cap.* 5, *& ad diem* XXIX *Iunii erunt à nobis dicenda. Advertat Lector, hoc poſito fundamento, inpoſterum elogia utriuſq; Catalogi, ſed diverſo charactere, conjungenda eſſe, iiſq; noſtra Annotata addenda communi charactere, quo reliqua Acta excuduntur. Quæ diſtinctio abſq; verbo interpoſito ſufficiet.*

Euangelium Marci à S. Petro dictatum,

an etiam tria Euangelia collecta,

idque Latine,

ſicut Canon Miſſæ & Pſalterium?

AUCTORE G. H.

II S. LINVS.

LInus annis duodecim, menſibus quatuor, diebus decem. Fuit temporibus Neronis, à Conſulatu Saturnini & Scipionis uſque Capitone & Rufo. I

LInus natione Italus, regionis Tuſciæ, patre Erculano, ſedit annos undecim, menſes tres, dies duodecim. Fuit autem temporibus Neronis, à Conſulatu Saturnini & Scipionis, uſque Capitone & Rufo Conſulibus. Martyrio coronatus. Hic ex præcepto B. Petri conſtituit, ut mulier in eccleſiam velato capite introiret. Qui & ſepultus eſt juxta corpus B. Petri in Vaticano, IX Kalendas Octobris. II

37 *Linum S. Petro ſucceſſiſſe, tradunt etiam Optatus Milevitanus lib. 2, Auguſtinus epiſtola* 165, *& paſſim alii, cum communi totius Eccleſiæ conſenſu. Tempus ſolius* Neronis *& prædictorum* Conſulum, *quo præfuit, indicatur etiam apud Anaſtaſium in omnibus codicibus excuſis & manuſcriptis; item in libro Pontificali & in Mss. Geſtis Pontificum ad Martinum* V *deductis, nec non apud Luitprandum de Pontificibus Romanis; præterea in antiquis Eccleſiæ Romanæ Breviariis manuſcriptis & excuſis anno* 1479, 1490, 1522 *&* 1524, *quæ penes nos habemus. Deniq; huic ſententiæ adſtipulatur Florus Lugdunenſis, in Auctario Martyrologii Bedæ circa tempora Caroli Magni ſcripto, aſſerens ad diem* XXIII *Septembris,* S. Linum tempore Neronis martyrio coronatum. *Indicati Conſules fuerunt* Q. Voluſius Saturninus & P. Cornelius Scipio, *qui eam dignitatem geſſerunt anno Æræ vulgaris quinquageſimo ſexto, quando circa* XIII *diem Maji à S. Petro conſecratus eſt Epiſcopus; ejuſque* Vicarius, *ſive (ut poſteri appellarunt)* chorepiſcopus *conſtitutus, ſub ejus auctoritate miniſterium Epiſcopale Romæ exhibuit, annis omnino novem uſque ad annum ſexageſimum quintum, quando* Nerva & Veſtino Conſulibus S. Petrus *martyrium paſſus eſt* XXIX *Iunii. Quo mortuo* S. Linus, *verus Pontifex, præfuit Eccleſiæ annis duobus, menſibus duobus & diebus ſex & viginti; tandem Martyr obiit* XXIII *Septembris anni* LXVII, *quo Conſulatum gerebant ante memorati* L. Fontejus Capito, & C. Julius Rufus, *& erat annus Imperii Neronis decimus tertius: qui proximo anno, die* IX *Iunii, cum ad ſupplicium quæreretur, Roma fugiens, ſeipſum interemit. Præfuit igitur S. Linus Eccleſiæ ſeu Vicarius aut Chorepiſcopus, ſeu verus Pontifex, univerſim annis duodecim menſibus quatuor, diebus decem. Conſulat lector quæ ſupra in exercitatione de S. Petro circa hunc ejus Vicariatum copioſius deduximus, iiſq; addat quod S. Paulus teſtetur in ſecunda ad Timotheum epiſtola ſub finem, ſe Romæ, ubi in vinculis erat, S. Linum reperiſſe.*

Paſſus ſub Nerone.

fuit Vicarius S. Petri annis 9.

Verus Pontifex annis 2.

38 *In Martyrologio Romano, juſſu Pii* V *Pontificis edito, legitur ad dictum* XIII *Septembris,* S. Linum ſcripſiſſe res geſtas B. Petri, & ea maxime quæ ab illo acta ſunt contra Simonem Magum. *In antiquis Actis SS. Nerei Achillei & Domitillæ, ad diem* XII *Maji illuſtrandis, dicitur etiam* S. Linus Græco ſermone omnem textum paſſionis eorum, *SS. Petri & Pauli,* ad Eccleſias Orientaliũ ſcripſiſſe. *Verum an ſincera illa monumenta adhuc extent, plane incertũ eſt. Ac primo non ſunt illa, quæ ſub ejus nomine ediderunt Iacobus Faber Stapulenſis, Guilielmus Malesbaut, &*

ſcripſit res geſtas S. Petri, & forte & S. Pauli.

AUCTORE G. H. *Laurentius de la Barre, quæque paſſim extant in Bibliothecis Patrum recuſa. Alia Acta nos reperimus ſub nomine Lini in Mss. Gladbacenſi, Barberino, Biſontino & Blumiano, & in his ſunt, quæ à S. Petro ſunt acta contra Simonem Magum. Ex his conſtituimus aliqua illuſtrare ad diem* XXIX *Junii, ſaltem ea quæ de S. Petro non leguntur in ſacra Scriptura, ut à viris eruditis judicium de ipſis ipſorumq; auctore feratur. Reliqua poterunt accuratius diſcuti, aut (ſi erratum) emendari, cum de S. Petro Apoſtolo, ejuſque Vicario & ſucceſſore S. Lino, diebus eorum natalibus agendum erit. De hujus martyrio iſta habentur in Breviario Romano*: Huic Pontifici caput amputatum eſt, ob conſtantiam Chriſtianæ fidei, juſſu Saturnini impii & ingratiſſimi Conſularis, cujus filiam à dæmonum vexatione liberaverat. *Hic eſt ſupra indicatus* Q. Voluſius Saturninus, *jam non* Conſul, *ut ante legebatur, ſed* Conſularis, *ſcilicet ſub cujus Conſulatu* S. Linus *conſtitutus fuerat Vicarius S. Petri. Poſtmodum, ut Tacitus ſcribit lib.* 14 *Annalium, cum Sexto Africano Trebellioque Maximo, anno ſcilicet* LXI, *cenſus per Gallias egit; ſed cum aliqua per nobilitatem æmulatione cum dicto Africano.*

ſub Saturnino Conſulari occiſus.

III S. CLEMENS.

I CLemens annis novem, menſibus undecim, diebus duodecim. Fuit temporibus Galbæ & Veſpaſiani, à Conſulatu Trachali & Italici, uſque Veſpaſiano VII & Tito.

II CLemens natione Romanus, de regione Cælio monte, ex patre Fauſtino, ſedit annos novem, menſes duos, dies decem. Fuit temporibus Galbæ & Veſpaſiani, à Conſulatu Trachali & Italici, uſque Veſpaſiano VII & Tito ... Hic fecit ſeptem regiones dividi notariis fidelibus Eccleſiæ, qui geſta Martyrum ſolicite & curioſe unuſquiſque per regionem ſuam diligenter perquirerent, & fecit duas epiſtolas. Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros decem, Diaconos duos, Epiſcopos per diverſa loca quinque, per menſem Decembrim. Obiit Martyr tertio Trajani, qui ſepultus eſt in Græcia VIII Kalendas Decembris.

39 *Cardinalis Baronius, cum in ſuis Annalibus ad annum* LXIX *late de S. Clementis Pontificatu diſeruiſſet, iſta num.* XLIII *ſub finem habet*: Si in ordine & tempore primorum Romanorum Pontificum quempiam errare contigerit, in multos alios errores ferri omnino cogetur. *Prudenter ergo hæc exercitationis causâ propoſita volumus, atque ut cum diſcretione à benevolo lectore excipiantur, rogamus. S. Paulus in ſua ad Philippenſes epiſtola, è vinculis Romanis ſcripta, capite* IV *commendat* Clementem cum ceteris adjutoribus, qui ſecum laboraverunt in Euangelio. *Eumdem etiam nonnulla Acta S. Petri, quæ ſub Lini nomine feruntur*, comitem hujus Apoſtoli fidelem fuiſſe, ac veritatem totius prædicationis agnoviſſe, *tradunt, propterea que ab eo* Epiſcopum ordinatum. *Confirmantur iſta ex Actis Græcis SS. Petri & Pauli ſupra indicatis, in quibus hæc de S. Petro habentur.* Romam reverſus ordinavit Clementem ἀπαναινόμενον, καὶ τὴν προστασίαν ἀποδιτόμενον, recuſantem & illam præeminentiam non admittentem: quem idoneis rationibus perſuaſum ac confidere admonitum, in Cathedram divinorum eloquiorum ſublimavit. *Qua id formula S. Petrus fecerit, tradunt Mss. codices Anaſtaſii Bibliothecarii, Regius, Mazarinicus & alter Freheri cum Mss. Geſtis Pontificum in elogio S. Petri his verbis*: Petrus vero ſentiens diem mortis ſibi imminere, Clementem Epiſcopum conſecravit; eique Cathedram & Eccleſiam omnem diſponendam commiſit, dicens: Sicut mihi ligandi & ſolvendi tradita eſt à Domino meo Jeſu Chriſto poteſtas, ita & ego tibi committo. *Addunt dicta Acta Græca*: Cum fureret adverſus Chriſtianos Nero Imperator, & varii comprehenderentur, parcitum fuiſſe Clementi, ut qui eſſet de cognatione Cæſaris.

S. Clemens laboravit cum S. Paulo,

quin & cum S. Petro:

ab hoc Epiſcopus ordinatus,

40 *S. Hieronymus, lib.* 14 *Commentariorum in Iſaiam Prophetam* ætatis & corporis imbecillitate confectus, *uti teſtatur in Proœmio ad lib.* 10, *ad caput* LII *ſub finem, iſta de Chriſto & Clemente ſcribit*: Qui cum dives eſſet pro nobis pauper factus eſt & credentibus dixit: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. De quo & Clemens, vir Apoſtolicus, qui poſt Petrum Romanam rexit Eccleſiam, ſcribit ad Corinthios. Sceptrum Dei Dominus Jeſus Chriſtus non venit in jactantia ſuperbiæ, cum poſſit omnia, ſed in humilitate, *&c. Hunc ergo Petri ſucceſſorem Clementem, non ſolum* virum Apoſtolicum, *ſed etiam* Apoſtolum *appellat Clemens Alexandrinus lib.* 4 *Stromatum, ejuſdem verba ex citata ad Corinthios epiſtola allegans. Idem Hieronymus, cum olim junior, in Chronico & libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ex ſententia Euſebii, &* S. Cletum *inter Pontifices non recenſuiſſet, & ſecundum indicaſſet Linum, tertium Anacletum, & poſt hunc quartum Clementem; ſeipſum corrigit, dicens,* pleroſque Latinorum ſecundum poſt Petrum putare fuiſſe Clementem. *Vbi per Latinos videtur potuiſſe intelligere Catalogum Pontificum ſibi à S. Damaſo tranſmiſſum. Quia autem S. Linus* XIII *anno Neronis Martyr occubuit; & hunc annum perperam alii martyrio SS. Petri & Pauli adſcribebant, non æſtimarunt ii qui hæc credebant, rationem habendam exigui temporis, quo S. Petro ſuperfuiſſet Linus: imo in Actis Græcis, S. Linus ante mortuus ſcribitur fuiſſe, quam S. Clemens à S. Petro ordinaretur Epiſcopus. Verum inter Pontifices, cum univerſa Eccleſia, retinemus S. Linum: juxta cujus certiſſimam traditionem, Optatus Milevitanus lib.* 2 *retexens Romanorum Pontificum Catalogum, ſic exorditur*: Cathedra unica, quæ eſt prima de dotibus: ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens *&c. Eodem modo enumerat Pontifices Romanos S. Auguſtinus epiſtola* 165.

non poſt hunc rexit Eccleſiam,

ſed ſucceſſit Lino,

41 *Mortuo ergo S. Lino* XXIII *Septembris anni* LXVII, *S. Clemens, jam ante à S. Petro ordinatus Epiſcopus, ſuſcepit adminiſtrationem Eccleſiæ, & proximum annum integrum habuit in ſuo Pontificatu, Conſulibus ſupra deſignatis* C. Silio Italico, & M. Galerio Trachalo Turpiliano, *& gubernavit Eccleſiam annos* IX, *menſes* XI, *dies* XII, *uſque ad annum* LXXVII, *cujus tamen anni Conſules tribuuntur ſucceſſori Cleto, qui tunc fuit in Pontificem aſſumptus; & Conſules ſupra notantur*, Imperator Veſpaſianus VII & Titus Cæſar V, *qui anno* LXXVI *Rempublicam adminiſtrarunt. Imperatores in Catalogis aſſignantur* Galba & Veſpaſianus, *ubi ſub nomine Galbæ cenſentur etiam Otho & Vitellius; quod hi tres ſolum ſeſquianno regnarint. Quo etiam modo Euſebius lib.* 3 *Hiſtor. Eccl. cap.* 5, Cum Galba atque Otho, *inquit*, anno dumtaxat & ſex menſibus regnaſſent, Veſpaſianus Imperator renuntiatur: *omiſſo Vitellio, qui Veſpaſianum præceſſit. Memorati in utroque Catalogo Conſules, cum Galba & Veſpaſiano Imperatoribus, nominantur etiam apud Anaſtaſium Bibliothecarum, in omnibus editis & ineditis codicibus; item in libro Pontificali & Mss. Geſtis Pontificum; apud Luitprandum etiam & in antiquis Eccleſiæ Romanæ Breviariis ſupra allegatis.*

anno 67 occiſo;

& præfuit uſque ad an. 77.

42 Collo-

42 *Collocavimus in ſecundo elogio aliquot puncta, quia videntur hæc verba* [martyrio coronatus] *ibi loco non ſuo perperam intruſa, & temere ab aliis deſcripta, & melius abſunt à Mss. Geſtis Summorum Pontificum à Iacobo Zeno ad Martinum* V *deductis: quandoquidem ſub finem elogii iterum dicitur*, tertio anno Trajani Martyr obiiſſe VIII Kalendas Decembris. *Annus is eſt Chriſti centeſimus. Quid ergo de viginti & tribus annis interpoſitis dicendum. Aſſerunt varii S. Clementem, à S. Petro Epiſcopum ordinatum, recuſato Pontificatu Romano, ipſum non ſuſcepiſſe niſi poſt obitum SS. Lini & Cleti. Quidni potius dicamus S. Clementem, anno* LXXVII *abdicaſſe Pontificatum, & Epiſcopum Apoſtolicum, nulli Sedi affixum, reliquo vitæ tempore vixiſſe? Godefridus Vendelinus, in ſuo Commentario ad S. Clementis epiſtolas, hanc controverſiam ita dirimit*: Anno LXXVII cum Romæ inter fideles orta eſſet (qualis poſtea Corinthi) magna diſſenſio ſuper honore Pontificatus; Clemens, ne quaſi ex teſtamento Petri ſucceſſiſſe videretur, ac ne poſteris hæc Principatus ambitio pernicioſi exempli haberetur, ultro ſe Pontificatu abdicavit. *Porro videtur illud ipſe Clemens innuere in epiſtola ad Corinthios ſcripta, ſupra à Clemente Alexandrino & S. Hieronymo laudata, ubi in poſteriore parte epiſtolæ iſta habet*: Si propter me ſeditio, contentio, & ſchiſmata orta ſunt, emigrabo, abibo quocunque volueritis. *Certe S. Epiphanius hæreſi* 27, *quæ eſt Carpocratianorum, aſſerit à nonnullis tradi*, S. Clementem ab omni adminiſtratione vacaſſe, & eum in quadam epiſtola ſcripſiſſe, Recedo, exeo, bene ſtabiliatur populus Dei, nonnullis hoc modo conſulens; nam in quibuſdam Commentariis ita ſcriptum reperimus. *Hæc Epiphanius. Hoc ergo modo S. Clemens, relicta Eccleſiæ univerſalis adminiſtratione, reliquam vitam peregiſſet, dum ſucceſſive Pontifices Romani præeſſent SS. Cletus, Anacletus, & Euariſtus: cujus tempore, jam plenus dierum & meritorum, Clemens obiiſſet Martyr, anno (ut diximus) Trajani tertio, Æræ vulgaris centeſimo. Interim* epiſtolam (*ut aſſerit Euſebius lib.* 3, *cap.* 16) ab omnibus uno conſenſu receptam, eximiam prorſus & mirabilem, nomine Eccleſiæ Romanæ ad Corinthiorum Eccleſiam ſcripſit, cum apud eos gravis exorta eſſet diſſenſio.

icato
ificatu
it Epiſco-
Apoſtoli-
, uſque ad
100:

43 *Videntur & jam aſſertæ opinioni favere præmemorata Acta antiqua SS. Nerei, Achillei & Domitillæ, in quibus iſti duo Clementem invitant, ut S. Domitillæ ſuæ conſanguineæ velum virginitatis imponat.* Licet, *inquiunt*, gloria tua tota in Domino noſtro Jeſu ſita ſit, & non de humana, ſed de divina dignitate glorieris, *quaſi tunc ab omni adminiſtratione abſtractus ſibi viveret. Ablegata eſt non diu poſt in exilium S. Domitilla cum dictis Eunuchis ad inſulam Pontiam juſſu Domitiani, anno hujus* XV, *Chriſti* XCV; *quo S. Anacletum Martyrem obiiſſe, conſtabit ex infra dicendis in ejus elogio. An tunc etiam S. Clemens in exilium actus ſit à Domitiano, dubitari poſſet, quia id Græci in Menologio Baſilii Imperatoris & magnis Menæis adſtruunt, idemque Trajano adſcribitur in Ms. Synaxario Græco Collegii Claromontani Societatis Ieſu Pariſiis; cui conſentiunt Acta Latina, ex quibus Beda in Martyrologium ſuum iſta tranſtulit*, IX Kalendas Decembris, Romæ natale S. Clementis Epiſcopi, qui jubente Trajano, miſſus eſt in exilium trans Pontum maris. Ubi multis ad fidem vocatis per miracula & doctrinam ejus, præcipitatus eſt in mare, alligata ad collum ejus anchora. Sed receſſit mare orantibus diſcipulis per tria millia, & invenerunt corpus ejus in arca ſaxea in templo marmoreo, & anchoram juxta. *Hæc ibi. At locus trans Pontum maris eſt Taurica Cherſoneſus, de qua egimus* VII *Martii, ad Acta SS. Ephræm, Baſilei & Sociorum Epiſcoporum, ibidem martyrio coronatorum. Corpus S. Clementis inde Romam tranſtulit S. Cyrillus Slavorum Apo-*

iſtolam
mine Ec-
ſiæ ſcribit
l Corin-
ios:

iſſus in
ilium aliis
icitur à
omitiano,
liis à Tra-
no,

ub hoc ſub-
erſus in
aris

d Tauri-
am Cherſo-
eſum.

stolus, uti ad hujus & S. Methodii fratris Acta à nobis memoratur IX *Martii. Demum hæc laus S. Clementis eſt, quod is primus geſta martyrum per notarios ad id à ſe conſtitutos ſolicite & curioſe perquiri juſſerit, ſicuti poſt eum SS. Anterus & Fabianus Papæ etiam præſtiterunt.*

AUCTORE G. H.

IV S. CLETVS.

CLetus annis ſex, menſibus duobus, diebus ſeptem. Fuit temporibus Veſpaſiani & Titi & initio Domitiani, à Conſulibus Veſpaſiano VIII & Domitiano VI, uſque Domitiano IX & Rufo. I

CLetus natione Romanus, de regione Vico-Patricii, patre Æmiliano, ſedit annos duodecim, menſem unum, dies undecim. Fuit autem temporibus Veſpaſiani & Titi & Domitiani, à Conſulatu Veſpaſiani VIII; & Domitiani VI, uſque Domitiano IX & Rufo Conſulibus. Martyrio coronatus. Hic ex præcepto B. Petri viginti quinque Presbyteros ordinavit in Urbe Roma menſe Decembri, qui etiam ſepultus eſt juxta corpus B. Petri in Vaticano, VI Kalendas Majas. II

44 *Cardinalis Baronius, cum in ſuis Annalibus ad annum* LXIX *martyrium S. Petri deſcripſiſſet, acturus de ejus in Pontificatu ſucceſſoribus, primo exigit* veritatem per Conſules accuratius diſquirendam: *quod ipſi hoc loco faciendum erat, & nos conamur præſtare. Porro S. Clementi, cum hic abdicaſſet Pontificatum anno* LXXVII, *ſucceſſit S. Cletus, etiam olim à S. Petro ordinatus. Conſules fuerunt dicto anno*, Imperator Veſpaſianus VIII & Titus Cæſar VI. *Verum huic in ipſo anni decurſu ſuffectum fuiſſe Domitianum tradit lib.* 2 *Faſtorum ad annum Urbis conditæ* DCCCXXX *Onuphrius Panvinius. Hoc ergo tempore, cum Domitianus eſſet ſuffectus Conſul, Pontificatum ſuum cœpit S. Cletus. At* Domitianus IX & Rufus *Conſules fuerunt anno* LXXXIII, *& ſequentis anni Conſules aſſignantur* Domitianus X & Sabinus, *pro initio Pontificatus Anacleti, in quorum Conſulatu videtur S. Cletus vixiſſe uſque ad diem* XXVI *Aprilis, quo eſſet martyrium paſſus anno tertio Domitiani. Hinc anni, quibus vixit S. Cletus in Pontificatu ſunt deſumendi: ſolum autem* ſex *aſſignantur in priore Catalogo. Verum in antiquis Eccleſiæ Romanæ Breviariis manu exaratis & excuſis anno* 1479 *& ſequentibus idem elogium habetur; ſed* anni *Pontificatus tribuuntur* ſeptem, menſis unus & dies undecim: *ac tunc circa medium Martii dicti anni* LXXVII *initium Pontificatus eſſet ſtatuendum. Qui in altero Catalogo* anni *aſſignantur* duodecim, *quia cum adjunctis ibidem Conſulibus non conveniunt, per oſcitantiam librariorum ſunt intruſi. Si aliqui arbitrentur Cletum præponendum eſſe S. Clementi, nolumus funem ea de re contentioſum trahere. Sequimur antiquiores auctores, qui eoſdem etiam Imperatores proponunt: ex his Veſpaſiano,* XXIV *Iunii anni* LXXIX *mortuo, ſucceſſit Titus filius; & huic, anno* LXXXI *die* XIII *Septembris defuncto, ſucceſſit ejus frater Domitianus. Reliqua infra ad diem* XXVI *Aprilis, quo colitur deducemus: ad quem diem annotat Baronius*, in his quæ ſunt Romanæ Eccleſiæ, majorem eſſe fidem adhibendam ejus alumnis, quam ceteris. *Quod, ut ſæpius diximus, ubiq; facimus.*

S. Cletus
cœpit Pon-
ficatum an-
no 77

Martyr obiit
anno 83

rexit tempore
3 Imperato-
rum.

AUCTORE G. H.

V S. ANACLETVS.

I ANacletus annis duodecim, menſibus decem, diebus tribus. Fuit temporibus Domitiani, à Conſulibus Domitiano x & Sabino, uſque Domitiano xvii & Clemente.

II ANacletus, natione Græcus de Athenis ex patre Antiocho, ſedit annos duodecim, menſes decem, dies tres. Fuit autem temporibus Domitiani, à Conſulatu Domitiani x & Sabini, uſque Domitiano xvii & Clemente Conſulibus. Hic memoriam B.Petri conſtruxit & compoſuit, dum Presbyter factus * fuiſſet à B.Petro, ubi Episcopi reconderentur: ubi tandem & ipſe ſepultus eſt. Hic fecit ordinationes duas, Presbyteros quinque, Diaconos tres, Episcopos per diverſa loca ſeptem: & ceſſavit Episcopatus dies quindecim.

* *Forte* factus certior

Tempus Sedis. 45 *Tempus Imperii ſolius Domitiani, cum adjunctis paribus Conſulum, confirmatur apud Anaſtaſium in codicibus editis & ineditis, nec non apud Luitprandum; item in libro Pontificali, Mss. Geſtis Pontificum, & Breviariis Romanis manuſcriptis & excuſis anno* 1479 *&* 1490. *Fuerunt autem Conſules* Imperator Domitianus x & Appius Junius Sabinus *anno* lxxxiv; *& poſtmodum* Imperator Domitianus xvii & T. Flavius Clemens, *anno* xcv; *quo Anacletus mortuus eſt,* xiii *Iulii, cum ſcilicet ſediſſet annos* xii, *menſes non decem, ſed duos, prout apud Anaſtaſium, Luitprandum, in Mss. Geſtis Pontificum, & citatis Breviariis legitur. Idem ubique alius à Cleto ſtatuitur, cum hic Romanus fuerit, patre Æmiliano natus; Anacletus, Græcus de Athenis ex patre Antiocho; & ſinguli diverſis temporibus ſederint, reſq; diſparatas egerint: facilius tamen potuerunt in unum eumdemq; conflari; quia ſucceſſive ſederunt; potiſſimum à Græcis, qui nimis oſcitanter circa nomina affinia egerunt etiam alibi. Quæ contra objici poſſent, rejecimus ad Acta S. Cleti* xxvi *Aprilis. Reliqua de S. Anacleto erunt* xiii *Iulii, die ejus natali, examinanda; & ſi erratum, corrigenda.*

Diſtinctio Cleti & Anacleti.

VI S. EVARISTVS.

I EVariſtus annis tredecim, menſibus ſeptem, diebus duobus. Fuit temporibus noviſsimis Domitiani & Nervæ & Trajani, à Conſulatu Valentis & Veri uſque Gallo & Bradua.

II EUariſtus natione Græcus, Antiochenus, ex patre Juda de civitate Bethleem, ſedit annos novem, menſes decem, dies duos. Fuit autem temporibus Domitiani & Nervæ & Trajani, à Conſulatu Valentis & Veteris, uſque Gallo & Bradua Conſulibus. Hic titulos in urbe Roma diviſit Presbyteris. & ſeptem Diaconos ordinavit, qui cuſtodirent Epiſcopum prædicantem propter ſtylum veritatis. Hic fecit ordinationes quatuor, Presbyteros ſeptemdecim, Diaconos novem, Epiſcopos per diverſa loca quindecim. Qui & ſepultus eſt juxta corpus B.Petri in Vaticano vi Kalendas Novembris, & ceſſavit Episcopatus dies novemdecim.

Tempus Sedis 46 *Conſules indicati cum Imperatoribus, etiam referuntur apud Anaſtaſium, Luitprandum, in libro Pontificali, Mss. Geſtis, & ante citatis Breviariis: quæ tempus Sedis S.Euariſti plane confirmant. Fuerunt autem* C. Fulvius Valens, & C. Antiſtius Vetus, *in priore Catalogo* Verus, *Conſules anno* xcvi; & Ap. Annius Trebonius Gallus & M. Atilius Metilius Bradua, *anno* cviii. *Quia vero deceſſor Anacletus obiit* xiii *Iulii, & quidem anni* xcv, *ſucceſſor autem Alexander ſubrogatus eſt circa initium Martii anni* cix; anni tredecim, menſes ſeptem, dies duo, *in primo Catalogo & antiquis Breviariis ſignati, optime cohærent; & ſuperſunt circiter dies quindecim, quibus ante aut poſt Euariſtum Sedes vacaſſet. Dicto* vi Kalendas Novembris, *quo ſepultus dicitur, refertur etiam à Floro, Adone & aliis, at* vii Kalendas Novembris *in antiquis Breviariis, quo die etiamnum colitur. Dicitur tunc in Vaticano ſepultus: forſan tranſlatus, & menſe Februario mortuus. Ita infra S. Melchiades traditur obiiſſe* iv *aut* iii *Idus Ianuarii, & colitur* x *Decembris, quo ſepultus ab aliis dicitur.*

Dies mortis & tranſlationis.

VII S. ALEXANDER.

I ALexander annis octo, menſibus duobus, die uno. Fuit temporibus Trajani, à Conſulatu Palmæ & Tulli, uſque Æliano & Vetere.

II ALexander, natione Romanus, ex patre Alexandro, de regione Caput-Tauri, ſedit annos decem, menſes ſeptem, dies duos. Fuit autem temporibus Trajani ... uſque Æliano & Vetere. Hic paſſionem Domini miſcuit in prædicatione Sacerdotum. Martyrio coronatur cum eo Eventius Presbyter & Theodolus Diaconus. Hic conſtituit aquam ſparſionis cum ſale benedici in habitaculis hominum. Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros ſex, Diaconos duos, Epiſcopos per diverſa loca quinque, per menſem Decembris: qui & ſepultus eſt via Nomentana, ubi decollatus eſt, ab urbe Roma milliario ſeptimo, v Nonas Maji, & ceſſavit Episcopatus dies triginta ſeptem.

47 *Hactenus ex citatis Catalogis & Vitis Pontificum, per Anaſtaſium, Luitprandum, alioſq; collectis, & ad antiqua Breviaria collatis, progreſſi ſumus; quod propria aliquorum Pontificum Acta non reperiantur ſeorſim conſcripta: qualia habemus de S. Alexandro, illuſtria & ob ſuam antiquitatem veneranda. Edidit ea Surius, ſed ſtylo, ut præfatur, modice mutato. Extant ea primævo ſtylo in bibliotheca Vaticana in membranis, optima manu, litteris grandiuſculis, ante annos, quantum apparet, facile ſexcentos exarata; & codex numero* 1191 *inſignitur. Nos eadem habemus, ex variis & admodum præclaris codicibus Mss deſumpta, edituri ad diem tertium Maji, ſcilicet ex Trevirenſi Imperialis monaſterii S. Maximini, Rebdorfienſi Canonicorum Regularium in diœceſi Eyſtettenſi, Audomarenſi Eccleſiæ Cathedralis, duobus codicibus noſtris, ac tribus Sereniſſimæ Chriſtinæ Reginæ Sueciæ: eademq; paſſim extant in aliis Mss, quæ omnia non lubuit annotare. Extant etiam à Ionino Mombritio, ante annos circiter ducentos, ex Mss. Italicis edita; & ex aliis Mss. Germanicis, inſeruntur Hiſtoriis Sanctorum, anno* 1485

Acta illuſtria martyrii S. Alexandri.

Coloniæ

Coloniæ, & anno 1487 *Lovanii excusis, sed hinc inde contracta. Hæc placuit prænotare, quod in Annalibus Ecclesiasticis ad annum* CXXXII *dicantur* sua antiquitate mendosa: *quia in dictis Annalibus erat Pontificatus S. Alexandri à tempore per Acta signato valde remotus, quasi anno secundo Hadriani Imperatoris esset creatus, & anno ejus decimo tertio martyrium passus. Verum sub Trajano & creatus & passus est.*

Tempus Sedis, 48 Consules, *teste Baronio in Præfatione nostra citato, optime controversias dirimunt, & hi in creatione S. Alexandri erant* A. Cornelius Palma & C. Calvisius Tullus, *anno Christi* CIX, *Trajani Imperatoris* XII. *Ast ultimo integro anno ejusdem S. Alexandri, erant* Consules Æmilius Ælianus, *aliquibus* Velianus, *seu* Helianus, *&* L. Antistius Vetus, *anno Christi* CXVI, *Trajani* XIX, *post quem annum vixit S. Alexander, & fere carceri inclusus, usq; ad diem* III *Maji anni sequentis; & sic ab anno* CIX *& die* II *Martii, præfuit Ecclesiæ* annos octo, menses duos, diem unum, *recte in priore Catalogi indicatos. Iam, quia cardo totius controversiæ vertitur in ultimo pari Consulum; observandum est illud in in utroq; hic dato Catalogo reperiri, item apud Luitprandum & Anastasium, in omnibus codicibus editis & ineditis, in libro Pontificali, in Mss. Gestis Pontificum.*

ex Catalogis & Vitis Pontificum,

& Actis propriis. *Hinc ergo ad prædicta Acta S. Alexandri transimus: in quibus dicitur* eodem anno, post mortem S. Alexandri, nutu Dei defunctus Trajanus Imperator, *scilicet elapsis tribus mensibus & septem diebus, cum ex Oriente rediturus in Italiam, vivere desiit in Cilicia.*

occisus jussu Aureliani missi à Trajano. 49 *Verum ulterius ipsa Acta consideremus, in quibus, relata plurimorum ad Christum conversione, additur*: Unde cum hæc ejus opera ad Trajanum Principem venissent, misit, *ex Asia, quo profectus erat*, Aurelianum Comitem utriusque militiæ, de Seleucia Isauriæ, ad interfectionem omnium Christianorum. *Et sub finem*, Aurelianus jussit Euentium & Theodolum decollari, Alexandrum punctim per tota membra transfigi. *Hæc ibi in omnibus supra citatis codicibus Actorum, quibus adstipulantur antiqua Breviaria Romana Mss. & excusa anno* 1479, 1490, 1522 *&* 1524, *quæ penes nos habemus. Consentit genuinum Martyrologium Bedæ (quod remur in Ecclesia Romana olim recitatum, prout auctum reperitur in codice Vaticano ecclesiæ S. Petri) ubi legitur*: Alexander punctis creberrimis per tota membra peremptus, sub Aureliano Judice, tempore Trajani Principis. *Eadem suo Martyrologio inscripsit Rabanus, & latius deducunt ex citatis Actis tum Ado, qui asserit* passum sub Trajano Principe, Judice Aureliano; *tum Notkerus*, qui jubente Trajano Principe ab Aureliano Comite utriusque militiæ. *Vsuardi exempla variant. Aliqua enim illustria Mss. habent* sub Aureliano Principe; *& eadem verba leguntur apud Bellinum, anno* 1498 *excusum secundum morem Romanæ curiæ; item q; apud Molanum in secunda & tertia editione Vsuardi. Maurolycus tradit passum* Trajani tempore sub Aureliano Comite. *In Breviario Romano jussu Pii* V *edito, dicitur* Trajano Imperatore rexisse Ecclesiam.

Aureliani Comitis dignitas & tituli: 50 *Eisdem S. Alexandri Actis, unis & solis, debent notitiam sui Martyrii, S. Quirinus, Vrbis Romanæ Tribunus; S. Hermes, Præfectus; & hujus soror, S. Theodora; tunc passi* sub Trajano Cæsare Augusto & Aureliano, Comite utriusque militiæ in Isauria, ad interfectionem omnium Christianorum misso, *cui* omnis Senatus ita famulatus est, ut ipsum Principem crederent esse Trajanum. *Erat utriusq; militiæ Comitatus, summus honoris & dignitatis titulus, qui ad tempora Arcadii & Honorii duravit: & sic in Notitia Imperii tunc facta recensentur* duo viri spectabiles, Comites rei militariis per Ægyptum & Isauriam, *sub quorum dispositione erant variæ legiones & ministri Imperatorum. Hanc ob causam videtur dictus* Comes Aurelianus *variis titulis honoratus; & appellatus* Judex, Præfectus, Præses, Princeps Imperator. *In Lexico Hesychii,* Κόμης *est,* ἄρχων, ἡγεμών. Comes idem, qui Princeps & Dux: *& apud Suidam,* Κόμης ὁ λαῦ ἄρχων, Comes est Princeps populi. *Erant olim Imperatores dicti, qui aliis, Præfecti copiarum & Duces exercituum habebantur: & Appianus (qui eodem quo hic Aurelianus Comes tempore vixit) testatur lib.* 2 *Bellorum civilium,* Imperatoris nomen suo tempore dari solitum Ducibus exercituum, post victoriam cæsis hostibus reportatam. *Hinc commoda jam explicandi ratio datur, quomodo supra apud Vsuardum legatur,* S. Alexander cum sociis sub Aureliano Principe passus; *&* XXX *Martii,* S. Quirinus sub Aureliano Imperatore martyrii coronam consummasse. *Quæ verba aliquibus interpositis sic explicat Molanus in* 2 *&* 3 *editione*: Sub Aureliano [Comite utriusque militiæ & Trajano] imperatore. *At simpliciter* Quirinum passum sub Trajano Imperatore *scribunt Ado & Notkerus; Petrus vero de Natalibus,* in persecutione Trajani sub Aureliano Comite utriusque militiæ: *Maurolycus, Felicius, Canisius,* Trajano imperante, sub Aureliano præfecto. *Eodem modo sunt explicandi Ado & Notkerus, dum asserunt* S. Hermetem à S. Alexandro Papa conversum, & sub Aureliano Imperatore passum. *Verum melius* Comes *scribitur, in Martyrologio anno* 1490 *Coloniæ & Lubecæ excuso; & à Canisio,* sub Trajano Imperatore passus. *Simili modo ad Kalendas Aprilis intelligendi Vsuardus, Ado, Notkerus, Bellinus & alii, asserentes,* S. Theodoram, sororem S. Hermetis, martyrizatam sub Aureliano Principe *aut* Imperatore. *Verum iterum melius, in Martyrologio Coloniæ & Lubecæ dicto anno* 1490 *excuso,* Aurelianus Comes *appellatur.*

sub eo tunc passi S. Quirinus,

Hermes,

& Theodora hujus soror.

AUCTORE G. H.

VIII S. SIXTVS.

I Sixtus annis decem, mensibus tribus, diebus viginti uno Fuit temporibus Hadriani, à Consulatu Nigri & Aproniani, usque Vero III & Ambibulo.

II Xistus natione Romanus, ex patre Pastore, de regione Via-lata, sedit annos decem, menses duos, diem unum. Fuit autem temporibus Adriani .... usque Vero & Angulo, martyrio coronatur. Hic constituit ut ministeria sacrata non tangerentur, nisi à ministris. Hic constituit ut quicumque Episcopus evocatus fuerit ad Sedem Romanam Apostolicam; rediens ad parochiam suam non susciperetur, * nisi confirmata salutationis plebe ad Sedem Apostolicam. Hic constituit, ut infra actionem Sacerdotis, incipiens populus hymnum decantaret Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth &c. Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros undecim, Diaconos tres, Episcopos per diversa loca quatuor. Qui etiam sepultus est juxta corpus B. Petri in Vaticano, III Nonas Aprilis, & cessavit Episcoparus menses duos.

* *Corrige* nisi cum Formata salutationis plebi per S. A. *directa: quid autem sint* Formatæ, *alibi quæré.*

Tempus Sedis, sub Hadriano Imp.

51 *Colitur S. Sixtus* VI *Aprilis, ad quem diem Lectorem remittimus: interim cbiter indicamus, dici* martyrio coronatum, *non* sub Antonino Pio, *sed* sub Hadriano Imperatore, *à Floro, Vsuardo, Adone, Notkero, Maurolyco, Felicio, Canisio, Galesinio & in antiquissimos Mss. Martyrologiis. Præterea posterius par Consulum, unde lis tota est dirimenda, in utroq; Catalogo relatum, etiam habetur apud Anastasium & Latiprandum, in libro Pontificali,*

AUCTORE G. H. *in Geſtis Mss. Pontificum & in Martyrologio Flori ex Mss. Atrebatenſi & Tornacenſi. Fuerunt autem hi Conſules anno Chriſti* CXXVI, *Hadriani* IX, *itaq; Sixtus vixit uſq; ad* III *& martyrii anno 127.* *aut* VI *Aprilis anni ſequentis. Nolumus autem hic & in ſequentibus repetere ſingula, alibi plenius explicanda, ne Tractatus Præliminaris moles nimium excreſcat.*

IX S. TELESPHORVS.

I TEleſphorus annis undecim, menſibus tribus, diebus tribus. Fuit temporibus Hadriani, à Conſulatu Titiani & Gallicani uſque Cæſare & Balbino.

II TEleſpor, natione Græcus, ex anachoreta, ſedit annos undecim, menſes ſex, dies viginti unum. Fuit autem temporibus Antonini & Marci. Hic conſtituit ut ſeptem hebdomadis jejunium celebraretur Paſchæ: martyrio coronatur. Hic fecit ut Natali Domini noſtri Jeſu Chriſti noctu Miſſæ celebrarentur, & in ingreſſu ſacrificii hymnus diceretur Angelicus, Gloria in excelſis Deo &c. tantum noctu Natalis Domini. Hic fecit ordinationes quatuor, Presbyteros duodecim, Diaconos octo, Epiſcopos per diverſa loca quatuordecim, per menſem Decembris: qui etiam ſepultus eſt juxta corpus B. Petri in Vaticano, IV Nonas Januarii: & ceſſavit Epiſcopatus dies ſex.

Tempus Sedis, ſub Hadriano Imp. 52 *Tempis Sedis videtur ſtatuendum ab initio Octobris anno* CXXVI *uſq; ad Ianuarii diem* II *aut* V, *anni* CXXXVIII. *Sed quia diximus ad Vitam S. Sixti, hunc vixiſſe uſq; ad* III *aut* VI *Aprilis anni* CXXVII; *arbitramur, S. Teleſphorum, ante illius obitum, Epiſcopum creatum, ejuſq; Vicarium extitiſſe. In ſignando Imperatore, utriuſq; catalogi tranſcriptoribus, obrepſerant ignota nomina* Antonini Macrini; *pro quibus ſubſtituimus unicum nomen* Hadriani, *Sub hoc enim S. Teleſphorum ſediſſe conſtat, primo ex deductione hactenus facta; & confirmatur ex* Conſulibus *adſcriptis, quorum priores* Gallicanus & Cælius Titianus *fuerunt dicto anno Chriſti* CXXVII, *Hadriani* X; *poſteriores*, L. Ælius Verus Cæſar II, & P. Cælius Balbinus Vibullius Pius, *anno* CXXXVII, *Hadriani* XX, *poſt quem annum aliquot diebus Ianuarii anni ſequentis* CXXXVIII *ſedit Teleſphorus, eodemque etiam anno mortuus eſt Hadrianus* XII *Iulii, relinquens Imperium Antonio Pio.*

mortuus an. 138 2 aut 5 Ianuarii

53 *Baronius (neſcimus qua de cauſa) removit martyrium S. Teleſpori uſque ad annum* CLIV. *Sediſſe eum tempore Hadriani Imperatoris probant præterea Acta antiqua SS. Fauſtini & Iovitæ, ex Ms. Neapolitano à nobis ad diem* XV *Februarii edita: in quibus capite* 3 *dicuntur hi Martyres* juſſi ab Angelo proficiſci ad Papam Teleſphorum, ut ab eo S. Calimerus ordinaretur Epiſcopus Mediolanenſis: qui repererunt Epiſcopum Teleſphorum, in Catacumbis inter ſepulcra ſanctorum Martyrum, propter metum Paganorum, latitantem. B. Teleſphorus læta facie vultuque ſereno excepit eos, Calimerum conſecravit, & ad urbem Mediolanenſem direxit, ut ibidem Chriſtiani populi Paſtor exiſteret. Cumque B. Teleſphorus hæc omnia conſummaſſet, ſubito miniſtri Hadriani advenientes ac comprehentes eos, uſque ad palatium perduxerunt. *Hæc ibi, quibus plane conſentiunt Acta memorati S. Calimeri, quæ ipſi Mediolani, cum aliorum primorum Epiſcoporum Actis, ex codice Ambroſiano valde illuſtri, deſcripſimus anno*

memoria ejus in Actis SS. Fauſtini & Iovitæ

& S. Calimeri Epiſc. Mediolanenſis.

MDCLXII. *In his Actis dicitur*, S. Calimerus familiaris fuiſſe S. Teleſphoro Pontifici, inter ſepulcra Martyrum latitanti; creatus Epiſcopus, imperante Hadriano; *& poſtmodum* martyrio coronatus, ſub Antonino Pio. *Integra Acta dabuntur* XXXI *Iulii. Dies martyrii à S. Teleſporo peracti*, IV Nonas Januarii, *legitur etiam apud Anaſtaſium & Luitprandum, itemq; Mss. Geſtis Pontificum: ipſeq; ad eum diem eſt inſcriptus Martyrologiis Flori, Rabani, Notkeri & nonnullis Mss: At* Nonis Januarii *legitur in libro Pontificali, & refertur ab Vſuardo, Adone, Bellino, cum hodierno Martyrologio Romano. Ad quem diem aliqua ejus Acta, à Segero Paulo recens conſarcinata, Ioannes Bollandus edi ſub nomine auctoris permiſit; quæ ſolidum nullum fundamentum habere poſtea comperiens, ſæpius optavit à ſuo opere abeſſe, & ſolum ſubſtitui hæc, aut his quæ nunc damus ſimilia. Ceterum* S. Teleſphorum glorioſiſſime martyrium ſubiiſſe *ſcribit S. Irenæus lib.* 3 *cap.* 3.

Quis dies martyrii?

X S. HYGINVS.

I HYginus annis duodecim, menſibus tribus, diebus ſex. Fuit temporibus.....

II YGinus natione Græcus, ex philoſopho de Athenis, ſedit annos quatuor, dies tres, menſes ſex. Fuit autem à Conſulatu Magni & Camerini, uſque Orſito & Priſco. Hic Clerum compoſuit, & conſtituit gradus, & fecit ordinationes tres per menſem Decemb. Presbyteros quindecim, Diaconos quinque, Epiſcopos per diverſa loca ſex: qui etiam ſepultus eſt juxta corpus B. Petri in Vaticano, III Kalend. Januarii, & ceſſavit Epiſcopatus dies tres.

Tempus Sedis. 54 *Quæ ſpectant ad tempus Sedis SS. Hygini, Soteris, & Pii Pontificum, clare, ut opinamur, deduximus die* XVII *Aprilis ad Acta S. Soteris, ad quæ Lectorem remittimus. Ob hiatum primi Catalogi, Conſules deſumuntur ex ſecundo Catalogo, etiam relati apud Anaſtaſium & Luitprandum; item in libro Pontificali, & in Mss. Geſtis Pontificum. Ex his priores* Sulpitius Camerinus & Quintius Niger Magnus *fuerunt anno Chriſti* CXXXVIII, *quo Hadriano ſucceſſit Antoninus Pius.* At Ser. Cor. Scipio Orfitus, & Q. Nonius Priſcus, Conſules *poſteriores, fuerunt anno* CXLIX, *poſt quem annum ſupervixit Hyginus ad diem* X *aut* XI *Ianuarii anni ſequentis* CL, *Antonini Pii* XI; *atq; ad hos dies refertur ipſe in variis Martyrologiis: & in hodierno Romano dicitur*, in perſecutione Antonini martyrium conſummaſſe. *Verum quia de ejus martyrio nihil legitur apud prædictos auctores, opinantur Molanus & Onuphrius,* Martyris titulum dari, quod multa pro Chriſti confeſſione fuerit paſſus. *Forſan verius diceretur* Martyr, *quod quadriennio incluſus carceri, vitam finierit, quo tempore S. Pius, ut infra conſtabit, ejus Vicarius Eccleſiam rexit.*

quomodo Martyr habeatur.

XI S. ANICETVS.

I ANicetus *annis* ... à Conſulatu Gallicani & Veteris, uſque Præſente & Rufino.

II ANicius, natione Syrus, ex Patre Ioanne, de vico Amiſa, ſedit annos undecim, menſes quatuor, dies tres. Fuit autem à Conſulatu Gallicani & Veteris, uſque Præſente & Rufino.

Rufino. Hic conſtituit, ut Clericus comam non nutriret. Hic fecit ordinationes quinque per menſem Decemb. Presbyteros octo, Diaconos quatuor, Epiſcopos per diverſa loca octo, qui etiam ſepultus eſt juxta corpus B. Petri in Vaticano, XII Kalend. Maji: & ceſſavit Epiſcopatus dies VI.

55 *Ad Acta S. Aniceti, die* XVII *Aprilis, difficultates diſcuſsimus, quæ hic moveri potuiſſent. Arbitramur eum ordinatum, S. Pio, ante S. Hygini Vicario, morbo, exilio, aut alia de cauſa impedito. Sedit ab anno Chriſti* CL *uſque ad annum* CLIII, *imperante Antonino Pio; ita exigentibus Conſulibus, etiam relatis apud ſæpius memoratos Anaſtaſium & Luitprandum, itemq; in libro Pontificali & in Mss. Geſtis Pontificum, ac Breviariis antiquis Romanis præcitatis. Videntur aliquot anni, Hygino ab aliquibus detracti, Aniceto aſsignati. Fuerunt autem Conſules priores* Romulus Gallicanus & Antiſtius Vetus, *anno* CL. *Poſteriores vero* Bruttius Præſens & M. Antonius Rufinus, *anno* CLIII.

Tempus Sedis ab anno 150 ad 153.

XII S. PIVS.

I Pius annis XV, menſibus IV, diebus XX. Fuit temporibus Antonini Pii, à Conſulatu Clari & Severi uſque duobus Auguſtis. Sub hujus Epiſcopatu frater ejus Hermes librum ſcripſit, in quo mandatur contineturque, quod ei præcepit Angelus, cum venit ad eum in habitu Paſtoris.

II Pius, natione Italus, ex patre Rufino, frater Paſtoris, de civitate Aquileia, ſedit annos octodecim, menſes quatuor dies 3. Fuit autem temporibus Antonini Pii, à Conſulatu Clari & Severi ... Sub hujus Epiſcopatu frater ipſius Hermes librum ſcripſit, in quo mandatum continetur, quod præcepit Angelus Domini, cum venit ad eum in habitu Paſtoris, & præcepit ei, ut ſanctum Paſcha die Dominica celebraretur. Hic fecit ordinationes quinque per menſem Decembris, Presbyteros octodecim, Diaconos undecim, Epiſcopos per diverſa loca duodecim: qui etiam ſepultus eſt juxta corpus B. Petri, V Idus Iulii. Ceſſavit Epiſcopatus dies quatuordecim.

An poſtponendus S. Aniceto,

56 *Optatus Milevitanus lib. 2, & S. Auguſtinus epiſt.* 165, *cum hiſce Catalogis Pium Aniceto poſtponunt. Fuit ante Anicetum Epiſcopus, ſed Vicarius S. Hygini, quo tempore viguit Valentinus hæreticus. Sedit autem poſt S. Anicetum verus Pontifex annos octo, mortuus* duobus Auguſtis Conſulibus. *Sunt hi* Marcus Aurelius Verus Cæſar, & Lucius Ælius Verus Cæſar, *tunc anno* CLXI *menſe Martio facti Auguſti Imperatores: & ſic à* Conſulatu Clari & Severi, *quo Pius factus eſt Epiſcopus & Vicarius S. Hygini, ſunt anni* XV, *pro quibus, errore amanuenſium, erant ſcripti anni* XX, *quos correximus.*

mortuus anno 161.

XIII S. SOTER.

AUCTORE G. H.

SOter annis novem, menſibus tribus, diebus duobus. Fuit tempo- I
ribus.....

SOter, natione Romanus, ex patre Concordio, de civitate Fundis, ſedit annos II
novem, menſes ſex, dies viginti unum. Fuit temporibus Severi, à Conſulatu Ruſtici & Aquilini uſque Cethego & Claro. Hic conſtituit ut nulla monacha pallam ſacratam contingeret, nec incenſum poneret intra ſanctam Eccleſiam. Hic fecit ordinationes tres per menſem Decembrem, Presbyteros ſeptemdecim, Diaconos octo, Epiſcopos per diverſa loca undecim, qui ſepultus eſt juxta corpus B. Petri, X Kalend. Maji. Ceſſavit Epiſcopatus dies undecim.

57 *Priores Conſules* Q. Junius Ruſticus, & Vettius Aquilinus *fuerunt anno* CLXII. *Vnde major fuiſſet danda exercitatio, niſi* S. Soter *hoc menſe* XXII *Aprilis coleretur: ad quem diem omnes controverſiæ examinantur, oſtenduntur integris annis novem ſedisſe, uſq; poſt* Conſulatum Cethegi & Clari, *& uſq; ad dictum diem* XXII *aut* XXI *Aprilis; anni* CLXXI: *ubi admittimus facultatem, à Baronio conceſſam, his verbis:* Si quis certiorem de annis Soteris invenerit chronographiam, haud inviti aſſentiemur. *Servamus autem conditiones ab illo propoſitas, quas ſupra retulimus in Prologo noſtro num.* 3.

In Actis 22 Aprilis probantur Sedis ejus 9 anni.

XIV S. ELEVTHERIVS.

ELeutherius *annis* .... Fuit tempo- I
ribus Antonini & Commodi, à Conſulatu Veri & Erenniani, uſque Paterno & Bradua.

ELeuther, natione Græcus, ex patre Abundantio, de oppido Nicopoli, ſedit II
annos quindecim, menſes tres, dies duos. Fuit temporibus Antonini & Commodi uſq; Paterno & Bradua. Hic accepit epiſtolam à Lucio Britanniæ Rege, ut Chriſtianus efficeretur per ejus mandatum; & hoc obtinuit, ut nullus [cibus] repudiaretur à Chriſtianis, maxime fidelibus, quem Deus creavit, qui tamen rationabiles ſit. Hic fecit ordinationes tres per menſem Decemb. Presbyteros undecim, Diaconos ſeptem, Epiſcopos per diverſa loca quindecim; qui ſepultus eſt juxta corpus B. Petri, VII Kal. Junii. Ceſſavit Epiſcopatus dies ſeptemdecim.

58 *Multa quæ hic forent dicenda, indicavimus* XXII *Aprilis, tum ad Acta S. Soteris deceſſoris, tum ad Vitam SS. Epipodii & Alexandri Martyrum Lugdunenſium, ubi egimus de perſecutione motâ anno* XVII *Imperii Marci Aurelii Antonini, ac Chriſti* CLXXVI, *quando cum litteris Lugdunenſium Romam ad S. Eleutherium miſſus eſt S. Irenæus adhuc Presbyter. Sedit S. Eleutherius annos quindecim, ab anno Chriſti* CLXXI, *&* Conſulatu Severi, *aliis* Veri, *&* Herenniani, *uſque ad annum* CLXXXVI, *id eſt aliquot menſibus poſt* Conſulatum Paterni, *aliis* Materni, & Braduæ.

Legatio S. Irenæi

Tempus Sedis, ab an. 171 ad 186.

AUCTORE G. H. & Braduæ. *Menſes in ſecundo Catalogo* tres *indicati*, *& apud Anaſtaſium* ſex, *videntur perperam intruſi*; *ideoque aſſentimur Baronio non admittendos, niſi dicatur, Eleutherius aliquamdiu S. Soteris Vicarius fuiſſe. Colitur hic ſanctus Pontifex* XXVI *Maji*; *ubi, ſi res operam videatur mereri, plenius agere licebit de difficultate circa diſcrimen ciborum, ex præſcripto legis veteris mundorum vel immundorum, tandem ſuperata per decretum poſitivum*; *quo Chriſtianis quibuſvis, etiam genere & ortu Iudæis, liberum eſſe pronuntiabatur, eo omni cibo veſci, à quo rationabilis natura per ſe non abhorret: quod Apoſtolus Paulus in medio relinquere maluerat, ne propter rem momenti per ſe non magni aut ſumme neceſſarii, offenderet animos zeloſiorum Hebræorum*; *ſatis pro tunc fore ratus, ſi imperaret impetraretque, ut is qui manducabat, puta ſuillas carnes, non manducantem non ſperneret*; *& qui non manducabat, manducantem non judicaret*, Rom. 14, 3. *Et Apoſtoli, Act.* 15, 29, *etiam converſos è genibus à ſuffocato & ſanguine juſſerant abſtinere, tamquam pro tunc neceſſariam præcipientes hujuſmodi obſervantiam.*

Decretum.

XV S. VICTOR.

I Victor annis novem, menſibus duobus, diebus decem ....

II Victor, natione Afer, ex patre Felice, ſedit annos decem, menſes duos, dies decem. Fuit temporibus [Commodi, Pertinacis, & Severi] Cæſaris, à Conſulatu Commodi V & Glabrionis, uſque Laterano & Rufino. Hic conſtituit, ut Paſcha die Dominica celebraretur, ſicut Pius. Hic fecit ſequentes Cleros: martyrio coronatur. Conſtituit ut neceſſitate facienti, ubi inventus fuiſſet ſive in flumine, ſive in mari, ſive in fonte aut ſtagno, (tantū Chriſtiana confeſſione declarata credulitatis): efficeretur integer Chriſtianus, quicumq; hominū ex gentilitio veniens ut baptizaretur. Fecit concilium, & interrogatio facta eſt de Paſcha, vel de die prima cum Theophilo Epiſcopo [Cæſareæ] de luna. Hic fecit ordinationes duas, Presbyteros quatuor, Diaconos quinque, Epiſcopos per loca duodecim; qui ſepultus eſt juxta corpus B. Petri, V Kalend. Auguſti: & ceſſavit Epiſcopatus dies undecim.

Tempus Sedis ab an. 186 *ad* 197. 59 *Multa hîc in utroque Catalogo perturbata ſunt. In ſecundo habebatur* temporibus Cæſaris. *Apud Anaſtaſium & in libro Pontificali* temporibus Helii Pertinacis & Severi, *quibus* Commodum *præpoſuimus, uti conſtat ex Conſulibus adjunctis: quorum priores fuerunt*, Commodus Imperator V & M. Acilius Glabrio *anno* CLXXXVI; *poſteriores*, Ap. Claudius Lateranus *&* M. Marius Rufinus, *anno* CXCVII. *Sedit ergo annos* XIII, *mortuus aut certe ſepultus* V *Kalendas Auguſti*; *ad quem diem cum antiquis Breviariis eum recolunt Rabanus, Bellinus & alii, ac denique Breviarium & Martyrologium Romanum hodiernum. Aſt Vſuardus, Ado aliique referunt ad diem* XX *Aprilis, quo die colitur quidem S. Victor, cum Felice, Alexandro & Papia Romæ paſſus*; *ſed alterius potius Sedis Epiſcopus, uti ad eum diem diximus. Inter alia menda citatus in ſecundo Catalogo* Theophilus Epiſcopus, *ſcribebatur* Alexandriæ, *qui fuit* Cæſareæ in Palæſtina.

cultus 28 *Auguſti,*

non 20 *Aprilis.*

XVI S. ZEPHYRINVS.

I Zephyrinus *annis* ...., A Conſulatu Saturnini & Galli, uſque Præſente & Extricato.

II Zepherinus, natione Romanus, ex patre Abundantio, ſedit annos ſeptemdecim, menſes ſex, dies decem. Fuit temporibus Severi & Antonini, à Conſulatu Saturnini & Gallicani uſque Preſente & Stricato Conſulibus. Hic conſtituit præſentiā omnibus Clericis & laicis fidelibus, ſive Clericus, ſive Levita, ſive Sacerdos ordinaretur. Et fecit conſtitutum de Eccleſia, ut patenas vitreas ante Sacerdotes in Eccleſia miniſtri portarēt: dum Epiſcopus Miſſam celebraret, ante ſe haberet Sacerdotes omnes adſtantes, ſic Miſſæ celebrarentur; excepto cum jus Epiſcopi intereſt, ut tantum Clerus ſuſtineret: omnibus præſentibus, ex ea conſecratione, de manu Epiſcopi, jam coronam conſecratam acciperet Presbyter, tradendam populo. Hic fecit ordinationes quatuor per menſem Decemb. Presbyteros quatuordecim, Diaconos ſeptem, Epiſcopos per loca tredecim: qui ſepultus eſt in cœmeterio ſuo, juxta cœmeterium Calixti, via Appia: & ceſſavit Epiſcopatus ejus dies quinque.

Tempus Sedis, ab an. 190 *ad* 217, 60 *Conſules indicati*, Tib. Aterius Satarninus & C. Annius Trebonius Gallus, *fuerunt anno Chriſti* CXCVIII, *Severi Imperatoris* V; *&* Brutius Præſens & Extricatus *anno* CCXVII, *Antonini Caracallæ* VI, *etiam relati apud Anaſtaſium & Luitprandum, in libro Pontificali, Mss. Geſtis Pontificum, & antiquis Breviariis Romanis. Sedit ergo annis novemdecim. Additur apud Anaſtaſium ſepultus* VII Kalendas Septembris, *quo die colitur ut* Martyr, *licet martyrii nulla apud antiquos fiat mentio. Tunc igitur licebit explicare hoc ejus obſcuriſimum decretum, quod videtur ſpectare Eulogiarum ſacrarum diſtributionem, non ipſam Dominici Corporis communionem.*

an martyrium illatum.

XVII S. CALLISTVS.

I Calliſtus, annos quinque, menſes duos, dies decem. Fuit temporibus Macrini & Heliogabali, à Conſulatu Antonini & Adventi, uſque Antonino III & Alexandro.

II Callistus, natione Romanus, ex patre Domitio, de regione Urbe Ravennatium, ſedit annos quinque, menſes duos, dies undecim. Fuit temporibus Macrini, & Heliogabali, à Conſulatu Antonini ... & Alexandri. Hic martyrio coronatur. Hic conſtituit jejunium die Sabbati ter in anno fieri, frumenti, vini & olei, ſecundum Prophetam. quarti menſis, ſeptimi & decimi. Qui ſepultus eſt in cœmeterio Calepodii, via Aurelia, milliario tertio, pridie Idus Octobris. Hic fecit ordinationes quinque per menſem Decembris, Presbyteros quindecim, Diaconos

nos quatuor, Episcopos per loca septem. Quievit Episcopatus dies quinque.

Tempus Sedis ab an. 218 ad 222,

61 Consules, Antonius Diadumenianus Cæsar, Macrini filius, & Adventus, *fuerunt anno* CCXVIII; Imperator autem Antoninus Heliogabalus & M. Aurelius Severus Alexander Cæsar, *anno* CCXXII. *Sedit igitur Callistus ab anno* CCXVII, *quo obiit Zephyrinus, usque ad dictum annum* CCXXII. *Illustria sunt Acta martyrii ejus per Notarios Ecclesiæ Romanæ, & forte à S. Antero dein Papa, conscripta: in iis continentur res gestæ & certamina SS. Calepodii Presbyteri, Palmatii Consulis, Simplicii Senatoris, & aliorum Martyrum, quos Ecclesia colit* X *Maji: ad quem diem dicta Acta pro præcipua parte danda prælo paravimus; plenius illustranda ad* XIV *Octobris, ad quem prædicti Consules indicantur in antiquis Breviariis Romanis sæpius relatis, item apud Anastasium & Luitprandum cum magno Actorum & Catalogorum consensu.* Dicitur Callistus Romanus ex regione, urbe Ravennatium *dicta: quam regionem optime explicat Marlianus lib.* 5 *Topographiæ urbis Romæ cap.* 19, *asserens esse* Transtiberinam regionem. Nam Augustus, *inquit*, victoria contra Antonium & Cleopatram potitus, binam instituit classem, unam apud Mesenium Lucaniæ portum, alteram vero apud Ravennam. Cumque Senatui esset cura, ut nulla Romam frequentaret multitudo, cui non esset habitandi locus publice assignatus; militibus Ravennatis classis hæc regio fuit assignata, quæ exinde Ravennatium urbs cœpit appellari. Quo nomine appellatum est templum & meritoria taberna, quam, ubi nunc est ædes D. Mariæ, fuisse legimus. *Hæc Marlianus, & consentiunt Acta S. Callisti.* Decretum *ejus putamus posse intelligi pro mensibus Iulio, Septembri & Decembri, quibus successive absolvitur collectio frumenti, vini & olei; ad agendas Deo gratias, per quem uti dicitur Psalmo* 4, *v.* 8 à fructu frumenti, vini & olei, multiplicati, *seu multipliciter ditati* fideles, *recognoscerent acceptum beneficium. Porro numerandorum mensium initium hic fit à Martio, uti in sacris facere solebat etiam antiqua Iudæorum Ecclesia.*

Acta antiqua & cultus.

Urbs Ravennatium Romæ:

Decretum.

XVIII S. VRBANVS.

I URbanus annos octo, menses undecim, dies duodecim. Fuit temporibus Alexandri, à Consulatu Maximi & Æliani usque Agricola & Clementino.

II VRbanus, natione Romanus, ex patre Pontiano, sedit annos 8 menses decem, dies duodecim. Hic ministeria sacrata argentea constituit, & patenas argenteas viginti quinque; posuitque etiam Clericos. Hic sua traditione multos convertit ad baptismum, etiam Valerianum sponsum S. Cæciliæ: & multi martyrio coronati sunt per ejus doctrinam. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decemb. Presbyteros octodecim, Diaconos sex, Episcopos per loca septem. Qui sepultus est in cœmeterio Prætextati via Appia, quem sepelivit B. Tiburtius XIV Kalend. Junii, & cessavit Episcopatus dies triginta.

Tempus Sedis, ab an. 222 ad 230.

62 *Fuerunt hi Consules primi* Maximus & Papyrius Ælianus, *anno* CCXXIII; *tum* Calpurninus Agricola & Clementinus, *anno* CCXXX. *Proinde sedit post martyrium S. Callisti adhuc anno* CCXXII; *aut forsan ipso adhuc vivo Vicarius, usque ad* XXV *Maji anni* CCXXX; *ut præter annos* VIII *possint haberi menses* XI *aut* X. *Acta S. Vrbani plurima ex variis Mss. collegimus: ex quibus sola illa prælo paravimus, quæ etiam ex Mss. Vaticanis edidit Antonius Bosius, per Notarios Ecclesiæ Romanæ coævos, quidni & à S. Antero dein Papa, conscripta atq; in Ecclesia reposita? Nonnulla ex illis damus* XIV *Aprilis, quando celebratur memoria SS. Valeriani & Tiburtii, quorum hic mentio est facta.*

AUCTORE G. H. *cultus* 25 *Maji,*

Acta.

I CATALOGI PARS II.

De hac divisione egimus in Prologo nostro; & continuo ex stylo ac modo procedendi, apparebit manifesta partis utriusq; diversitas.

XIX S. PONTIANVS.

I POntianus annos quinque, menses duos dies septem. Fuit temporibus Alexandri, à Consulatu Pompejani & Peligniani. Eo tempore Pontianus Episcopus & Hippolytus Presbyter exules sunt deportati in insulam nocivam Sardiniam, Severo & Quintiano Consulibus. In eadem insula * discinctus est IV Kalend. Octobris, & loco ejus ordinatus est Anteros XI Kalendas Decemb. Consulibus supra scriptis.

* *an* defunctus?

II POntianus, natione Romanus, ex patre Calpurnio, sedit annos octo, menses quinque, dies duos, martyrio coronatur temporibus Alexandri, [sedit] à Consulatu Pompejani & Peligniani. Eodem tempore Pontianus Episcopus & Hippolytus Presbyter exilio sunt deputati ab Alexandro in Sardiniam insulam Bucinam, Severo & Quintiano Consulibus. In eadem insula maceratus, & afflictus fustibus defunctus est tertio Kalend. Novemb. Hic fecit ordinationes duas, Presbyteros quinque, Diaconos quinque, Episcopos per loca sex: quem B. Fabianus adduxit navigio, & sepelivit in cœmeterio Calisti via Appia, die depositionis ejus IX Kalend. Decemb.

Tempus Sedis ab anno 230

63 *Progredimur etiam tota hac parte per Consules, qui (quod hactenus non erat factum) sæpius repetuntur, uti infra videbitur. Martyrio coronatum S. Vrbanum diximus* XXV *Maji anno* CCXXX; *quo anno Pontianus adhuc aliquot mensibus sedit, & primo ejus Sedis anno, proximum* CCXXXI *inceperunt* Consules T. Claudius Pompejanus & Pelignianus, *aliis* Pelinianus *aut* Felicianus, *relati in utroque Catalogo, & apud Anastasium & Luitprandum; item in Mss. Gestis Pontificii & antiquis Breviariis. Anno vero* CCXXXV *fuerunt* Consules L. Catilius Severus, & L. Ragonitius Urinatius Quintianus; *quo anno Imperator Alexander, Mammeæ filius cum regnasset annos* IX, *mense Martio occisus est: sub quo, ut in secundo Catalogo dicitur, aut certe sub ejus successore Maximino, S. Pontianus in insulam Sardiniam relegatus, &* defunctus *est aut* IV Kalendas Octobris, *aut secundum alios* III Kalendas Novembris, *quo die refertur in Martyrologio Rabani. Ejus corpus à S. Fabiano Romam delatum, ac sepultum dicitur* IX Kalendas Decembris, *quidni legendum* XIII Kalendas Decembris, *quo colitur?*

obitus in exilio anno 235.

sepultura Romæ.

AUCTORE G. H.

XX S. ANTERVS.

1 ANteros menſe uno, diebus decem. Dormit III Nonas Ianuarii, Maximino & Africano Conſulibus.

II ANterius, natione Græcus, ex patre Romolo, ſedit annos undecim, menſem I dies 12, martyrio coronatur temporibus Maximini & Africani Conſulum. Hic geſta Martyrum diligenter à notariis exquiſivit, & in eccleſia recondidit, propter quod à Maximo Præfecto Martyr effectus eſt. Hic ordinavit unum Epiſcopum: qui ſepultus eſt in cœmeterio Caliſti via Appia IV Nonas Januarii, & ceſſavit Epiſcopatus dies duos.

Tempus Sedis à 21 Novemb. ad Ianuarii an. 236.

3 64 *Creatus eſt* XI *Kalendas Decembris, id eſt biduo poſt ſepulturam S. Pontiani, & ſedit ſolum menſe uno, diebus decem, mortuus anno* CCXXXVI, Conſulibus Maximino Imperatore & C. Julio Africano, III Januarii, *quo die de illo egimus. Stupendum mendum eſt in altero Catalogo & apud Anaſtaſium; ubi illi anni tribuuntur* XI *aut* XII, *plane expungendi: niſi dicatur Vicarius Vrbani & Pontiani fuiſſe. Videtur tunc* Geſta Martyrum, *imo & hujus* Pontificum Romanorum *Catalogi priorem partem* exquiſiviſſe, *& in ordinem redegiſſe.*

Geſta Martyrum & Pontificum tollecta.

XXI S. FABIANVS.

I FAbianus annos quatuordecim, menſes undecim, dies decem. Fuit temporibus Maximini & Gordiani & Philippi, à Conſulatu Maximini & Africani, uſque Decio II & Grato. Paſſus XIII Kalend. Februarii. Hic regiones diviſit Diaconibus, & multas fabricas per cœmeteria fieri juſsit. Poſt paſſionem ejus Moyſes & Maximus Presbyteri & Nicoſtratus Diaconus comprehenſi ſunt, & in carcerem miſsi. Eo tempore ſupervenit Novatus ex Africa, & ſeparavit de Eccleſia Novatianum & quoſdam Confeſſores, poſtquam Moyſes in carcere defunctus eſt: qui fuit ibi menſes undecim, dies undecim.

II FAbianus, natione Romanus, ex patre Fabio, ſedit annos quatuordecim, menſem unum, dies undecim, martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Maximini & Africani uſque Decio II & * Quadrato, & paſſus eſt XIII Kalend. Februarii. Hic regiones diviſit Diaconibus, & fecit ſex Subdiaconos, qui ſeptem Notariis imminerent, ut geſta Martyrum fideliter colligerent. Poſt paſſionem ejus Moyſes & Maximinus Presbyteri & Nicoſtratus Diaconus comprehenſi ſunt. Eodem tempore Moyſes in carcere defunctus eſt, qui fuit ibi menſes undecim, & ſic multi Chriſtiani fugerunt. Hic fecit ordinationes quinque per menſem Decembr. Presbyteros viginti duos, Diaconos ſeptem, Epiſcopos per loca quatuordecim, qui ſepultus eſt in cœmeterio Caliſti via Appia, XIII Kalend. Febr. & ceſſavit Epiſcopatus dies ſex.

* *al.* Grato.

65 *Repetuntur ante memorati* Conſules Maximianus & C. Julius Africanus, *ſub quibus creatus eſt Fabianus anno* CCXXXVI *circa diem* X *Februarii, & ſedit* annos XIV, menſes XI *(à nobis loco unius menſes correctos)* dies decem, *nam alias fuiſſet creatus ſub Conſulibus anni ſequentis: dicti autem* menſes undecim *leguntur in Ms. Thuano Anaſtaſii, & in Ms. Catalogo Pontificum ex Bibliotheca Palatina Romæ deſcripto: item in Mss. Geſtis Pontificum, & in Martyrologiis Adonis, Vſuardi & aliis ad* XX *Ianuarii, quo obiit anno* CCI, *quando Conſules erant* Decius Imperator & Annius Gratus. *Qui additur* in carcere defunctus Moyſes, *inſcriptus eſt Martyrologio Romano ad diem* XXV *Novembris.*

Tempus Sedis, ab an. 236 ad 250.

XXII S. CORNELIVS.

I COrnelius annos duos, menſes tres, dies decem, à Conſulibus Decio II & Decio, uſque Gallo & Voluſiano. Sub Epiſcopatu ejus Novatus extra Eccleſiam ordinavit Novatianum in urbe Roma, & Nicoſtratum in Africa. Hoc facto, Confeſſores, qui ſe ſeparaverunt à Cornelio, cum Maximo Presbytero, qui cum Moyſe fuit, ad Eccleſiam ſunt reverſi. Poſt hoc Centumcellis expulſus, ibi cum gloria dormitionē accepit.

II COrnelius natione Romanus, ſedit annum unum, menſes duos, dies tres, martyrio coronatur. Hic temporibus ſuis, rogatus à quadam matrona, corpora Apoſtolorum Petri & Pauli de Catacumbis levavit noctu: primum quidem corpus B. Pauli acceptum, B. Luciana poſuit in prædio ſuo via Oſtienſi, juxta locum ubi decollatus eſt. B. Petri Apoſtoli accepit corpus B. Cornelius Epiſcopus, & poſuit juxta locum ubi crucifixus eſt, inter corpora Sanctorum, in templo Apollinis, in monte aureo, in Vaticano Palatio Neronis, III Kalendas Julii. Poſt hoc factum fecit ordinationem unam, Presbyteros ſeptem. Qui etiam decollatus eſt ad templum Martis: cujus corpus noctu collegit B. Luciana, & ſepelivit in crypta juxta cœmeterium Caliſti, via Appia, in prædio ſuo, XVIII Kal. Octobris: & ceſſavit Epiſcopatus dies ſexaginta ſex.

Tempus Sedis ab an. 250 ad 252

66 *Videtur S. Cornelius creatus circa* IV *Iunii anni* CCL, *cum pod martyrium S. Fabiani Sedes vacaſſet menſibus quatuor, diebus quindecim. Primo autem Sedis ejus anno, inceperunt ſequentem annum citati* Conſules Decius Auguſtus II, & Q. Etruſcus Decius Cæſar, *ejus filius; & anno ſequente* CCLII *fuerunt* Conſules Gallus & Voluſianus *Imperatores, ſub quibus martyrium paſſus Cornelius eſt* XIV *Septemb. cum ſediſſet annis duobus, menſibus tribus, diebus decem. Prædicti Conſules deſunt in ſecundo Catalogo, & apud Anaſtaſium, atq; Luitprandum, item in libro Pontificali & Mss. Geſtis Pontificum: & nihilominus (quod valde notandum eſt) pro his prioribus Conſulibus ab Onuphrio in libro 2 Faſtorum, ad annum Vrbis conditæ* 1004, *citatur* Damaſus in Vita S. Cornelii Papæ, *Id igitur Onuphrius habuit ex hoc Catalogo, ſaltem ut eſt apud Cuſpinianum editus.*

XXIII S. LU-

XXIII S. LVCIVS.

I LVcius annos tres, menſes octo, dies decem. Fuit temporibus Galli & Voluſiani, uſque Valeriano III & Gallieno II. Hic exul fuit & poſtea nutu Dei ad Eccleſiam reverſus. [Deceſsit] tertio Nonas Martii, Conſulibus ſupra ſcriptis.

II LUcius, natione Romanus, ex patre Porfirio, ſedit annos tres, menſes tres, dies tres. Fuit temporibus Galli & Voluſiani uſque ad Valerianum III & Gallicanum. Hic in exilio fuit: poſtea nutu Dei incolumis ad Eccleſiam reverſus eſt. Hic præcepit, ut duo Presbyteri & tres Diaconi in omni loco Epiſcopum non deſererent, propter teſtimonium Eccleſiaſticum: qui etiam à Valeriano capite truncatus eſt III Nonas Martii. Hic fecit ordinationes duas per menſem Decemb. Presbyteros quatuor, Diaconos quatuor, Epiſcopos per loca ſex: qui etiam ſepultus eſt in cœmeterio Calliſti, via Appia. Ceſſavit Epiſcopatus dies triginta.

Tempus Sedis ab an. 252 ad 255.

67 *Succeſſit S. Cornelio, indicato anno* CCLII, Gallo & Voluſiano & Imperatoribus & Conſulibus, *& poſt exilium reverſus, anno* CCLV *deceſſit* Valeriano Imp. III & Gallieno II Imp. Conſulibus *hîc notatis, & quidem* IV *Martii, quo die Acta dedimus: ſediſſet autem ſimul cum exilio* annis duobus, menſibus *aut* tribus (*ut plerique habent*) *aut* octo; *ut in primo Catalogo legitur; ſed S. Cornelii, Centumcellis exulis, Vicarius. Ordinationes duas fecit anno primo & ultimo ordinationis, Decembri menſe, cum anno intermedio eſſet in exilio.*

XXIV S. STEPHANVS.

I STephanus annos quatuor, menſes duos, dies viginti unum. Fuit temporibus Valeriani & Gallieni, à Conſulatu Voluſiani & Maximini uſque Valeriano III & Gallieno II.

II STephanus, natione Romanus, ex patre Julio, ſedit annos quinque, menſes quinque, dies duos: martyrio coronatur. Fuit temporibus Valeriani & Gallieni & Maximi, uſque ad Valerianum III & Gallienum II. Hic conſtituit Sacerdotes & Levitas veſtes ſacratas in uſum quotidianum non uti, niſi in eccleſia. Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembris, Presbyteros quinque, Diaconos quinque, Epiſcopos per loca duos; ſepultus in cœmeterio Caliſti, via Appia, III Nonas Auguſti. Ceſſavit Epiſcopatus dies viginti duos.

Tempus Sedis, ab an. 253 in Vicariatu,

68 *Notati* Conſules, Voluſianus Imp. & M. Valerius Maximus, *fuerunt anno* CCLIII, *quando S. Lucio in exilium acto, præfuit Eccleſiæ S. Stephanus tamquam ejus Vicarius, mortuus iiſdem Conſulibus, quibus Lucius; ſcilicet* Valeriano Imp. III & Gallieno Imp. II. *Qui etiam Conſules ejus morti attribuuntur in Actis martyrii, ad diem* II *Auguſti elucidandis. Hinc liquet primo numeros in Catalogo eſſe inverſos, ac legendum* annos duos, menſes quatuor *&c. Secundo conſtat eum fere* duos annos *fuiſſe Vicarium S. Lucii, at* menſes *fere quinque verum Pontificem; ſcilicet ab obitu S. Lucii, uſque ad dictum* II *Auguſti. Quia vero dictus* Maximus Conſul, *dicitur in Actis S. Stephani* à dæmone arreptus expiraſſe, *ab illo alius eſt, qui triennio poſt cum Glabrione Conſulatum geſſit, de quo mox agemus.*

AUCTORE G. H.

& 5 menſibus in Pontificatu an. 255.

XXV S. SIXTVS II.

I SIxtus annis duobus, menſibus undecim, diebus ſex. Cœpit à Conſulatu Maximi & Glabrionis, uſque Tuſco & Baſſo, & paſſus eſt VIII Idus Auguſti. [Et Presbyteri præfuerunt] à Conſulatu Tuſci & Baſsi uſque in diem XII Kalendas Auguſti, Æmiliano & Baſſo Conſulibus.

II XIſtus, natione Græcus, ex Philoſopho, ſedit annum unum, menſes decem, dies viginti quatuor. Martyrio coronatur. Fuit temporibus Valeriani & Decii. Truncati ſunt capite cum B. Xiſto VI Diaconi, Felicißimus, Agapitus, Januarius, Magnus, Vincentius, Stephanus, VIII Idus Auguſti: & [Presbyteri] præfuerunt à Conſulatu Maximi & Gravionis, uſque ad Conſulatum Tuſci & Gravionis XIII Kalend. Auguſti. Quo tempore fuit magna perſecutio ſub Decio [cœpta] & poſt tres dies paſſi ſunt Laurentius ejus Archidiaconus, & Claudius [Subdiaconus], Severus Presbyter, & Romanus Oſtiarius, & Creſcentius Lector. Hic fecit ordinationes duas, Presbyteros quatuor, Diaconos VI, Epiſcopos per loca duo. Sepultus eſt in cœmeterio Calliſti, via Appia. Nam VI Diaconi ejus, in cœmeterio Prætextati, via Appia, VIII Idus Auguſti. Beatus vero Laurentius, via Tiburtina, in crypta, in agro Verano, IV Idus Auguſti: & ceſſavit Epiſcopatus annos duos.

Tempus Sedis ab an. 255 ad 258

69 *Cœpit Sixtus, poſt mortem Stephani, Pontificatum circa Kalendas Septembris anni* CCLV; *& primo Sedis anno inceperunt annum* CCLVI Conſules Maximus & Glabrio, *martyrio affectus* VI *Auguſti anni* CCLVIII, M. Aurelio Memmio Tuſco, *aliis* Fuſco, & Pomponio Baſſo Conſulibus; *cum ſediſſet* annos II, menſes XI, dies VI *recte indicatos. Vacavit Sedes fere anno uno: & Presbyteri præfuerunt uſq; in* XXI *Iulii anni ſequentis, quo* Conſules *erunt* Fulvius Æmilianus & Pomponius Baſſus II. *Hiulco ſenſui integrando interpoſuimus ex Anaſtaſio aliquot verba* [ ] *uncis incluſa.*

XXVI S. DIONYSIVS.

I DIonyſius annis octo, menſibus duobus, diebus quatuor. Fuit temporibus Gallieni ex die undecimo Kalendarum Auguſti Æmiliano & Baſſo Conſulibus, uſque in diem ſeptimum Kalendas Ianuarii, Conſulibus Claudio & Paterno.

AUCTORE G. H. II

Dionyſius, ex monacho, cujus generationem reperire non potuimus, ſedit annos quinque, menſes duos, dies quatuor. Fuit temporibus Gallieni ex die undecimo Kalendas Auguſti, Æmiliano & Baſſo Coſſ. uſque in die VI Kalend. Januarii, & Conſulatu Claudii & Paterni. Hic Presbyteris Eccleſias dedit & cœmeteria; & parochias & diœceſes conſtituit. Hic fecit ordinationes duas per menſem Decemb. Presbyteros octo, Diaconos tres, Epiſcopos per loca undecim. Sepultus eſt in cœmeterio Caliſti via Appia, quinto Kalendas Januarii: & ceſſavit Epiſcopatus dies quinque.

70 *Conſules, accurate notati, annos Sedis indicant. Fuerunt relati hi,* Fulvius *quidem* Æmilianus & Pomponius Baſſus *anno* CCLIX, *quando die* XII *Iulii creatus eſt Pontifex Dionyſius:* Imperator *vero* Aurelius Claudius II *&* Ovinius Paternus *anno* CCLXIX, *quo mortuus eſt idem Dionyſius* XXVI *Decemb. & inſcriptus Mactyrologiis Vſuardi, Bellini, Romano & aliis. Sedit ergo annis decem, menſibus quinq3, diebus quatuor: qui cum pluribus mendis à variis varie aſsignantur, ſed à Conſulibus, paſsim apud omnes adjunctis, verum Sedis tempus accipitur & ſtabilitur. Videntur interim Antiocheni anno ſequenti ignoraſſe ejus obitum; cum epiſtolam Synodicam ei ſcriberent, quam Euſebius tempore Aureliani (qui à Martio anni* CCLXXX *regnavit) exaratam ſcribit. Verum quia nulla Aureliani in dicta epiſtola mentio habetur, potuit citius ſcripta fuiſſe epiſtola & Aureliani nomen non recte appoſuiſſe Euſebius, ignoſcendo errore, cum diſtantia vix trium menſium ſit, inter Dionyſii obitum & Aureliani initium.*

Tempus Sedis è Conſulibus emendatum, ab an. 259 ad 269.

XXVII S. FELIX.

I Felix annis quinque, menſibus undecim, diebus viginti quinque. Fuit temporibus Claudii & Aureliani, à Conſulatu Claudii & Paterni, uſque in Conſulatum Aureliani II & Capitolini.

II Felix, natione Romanus, ex patre Conſtantio, ſedit annos quatuor, menſes tres, dies XXV; martyrio coronatur. Fuit téporibus Claudii & Aureliani, à Conſulatu Claudii & Paterni, uſque ad Conſulatum Aureliani & Capitulini. Hic conſtituit ſuper ſepulcra Martyrum Miſſas celebrari. Hic fecit ordinationes duas per menſem Decemb. Presbyteros octo, Diaconos tres, Epiſcopos per loca undecim. Sepultus eſt in cœmeterio ſuo, via Aurelia, milliario ſecundo, III Kalend. Iunii: & ceſſavit Epiſcopatus dies quinque.

71 *Iterum tempus Pontificatus dirigunt indicati Imperatores & Conſules, paſsim ab omnibus admiſsi, atq3 etiã in antiquis Martyrologiis & Breviariis relati. Fuerunt Conſules, prædicti,* Imp. Aurelius Claudius II & Ovinius Paternus, *anno* CCLXIX; *ſed quem totum occupavit, præter quinq3 ultimos dies, deceſſor Dionyſius; ut vel inde poſſemus ſuſpicari, illius forſan Vicarium fuiſſe S. Felicem; &* ita anni quinque, menſes undecim, dies viginti quinque *poſſent haberi uſq3 ad* XXX *Maji, quo die inſcriptus eſt antiquis Breviariis & Martyrologiis, in quibus Imperatores & Conſules hîc indicati aſsignantur, & ultimi* Conſules Imp. Aurelianus II & C. Julius Capitolinus *fuerunt anno* CCLXXIV, *ultra quem annum vixit S. Felix uſq3 ad præfatum* XXX *Maji anni ſequentis,*

Tempus Sedes ab an. 259 ad 274.

XXVIII S. EVTYCHIANVS.

I Evtychianus annis octo, menſibus undecim, diebus tribus. Fuit temporibus Aureliani à Conſulatu Aureliani III & Marcellini uſque in diem VII Idus Decembris, Caro II & Carino Conſulibus.

II Eutychianus, natione Tuſcus, ex patre Marino, ſedit annum I, menſem I, diem I. Fuit temporibus Aureliani, à Conſulatu Aureliani III, & Marcellini, uſque in diem Idus Decembris, Caro II & Carino Coſſ. Hic conſtituit fruges ſuper altario benedici. Hic per loca trecentos ſexaginta duos Martyres ſepelivit. Hic fecit ordinationes quinque per menſem Decemb. Presbyteros quatuordecim, Diaconos quinque, Epiſcopos per loca novem: qui & ſepultus eſt in cœmeterio Calliſti, via Appia, VI Kalend. Auguſti, & ceſſavit Epiſcopatus dies octo.

72 *Conſules aſsignati,* Imp. Aurelianus III & T. Avonius Marcellinus *fuerunt anno* CCLXXV; *& poſteriores,* Imp. Carus II & Carinus, *(qui iterum repetuntur in ſequenti Pontifice) fuerunt anno* CCLXXIII, *quo mortuus hîc ſignatur* Eutychianus, VII *Idus Decembris; ad quem & ſequentem diem memoratur in antiquis Martyrologiis: & ſic ſedit annis octo, hîc & apud Anaſtaſium indicatis: ſed menſes* X *aut* XI *non conſentiunt, niſi dicatur ſub initium anni conſecratus, & S. Felicis tum comprehenſi aut aliter impediti Vicarius fuiſſe. Menda numerorum in adjunctis Catalogis ultro corruunt: de his agimus* XXII *Aprilis ad Vitam S. Caji ſucceſſoris.*

Tempus Sedis ab an. 275 ad 283.

XXIX S. CAIVS.

I Cajus annos duodecim, menſibus quatuor, diebus ſeptem. Fuit temporibus Cari & Carini, ex die XVI Kalendas Ianuarii, Conſulibus Caro II & Carino, uſque in X Kalendas Maji, Diocletiano VI & Conſtantio II Conſulibus.

II Cajus, natione Dalmata, & ex genere Diocletiani Imperatoris, ex patre Gajo, ſedit annos undecim, menſes quatuor, dies duodecim. Fuit temporibus Cari & Carini, ex die XV Kalend. Ianuarii, à Conſulatu Cari II ... Hic fugit perſecutionem Diocletiani, in cryptis habitans, & Confeſſor quievit. Hic fecit ordinationes quatuor per menſem Decemb. Presbyteros ſedecim, Diaconos ſeptem, Epiſcopos per loca quinque: ſepultus eſt in cœmeterio Calliſti, via Appia, X Kalend. Maji. Ceſſavit Epiſcopatus dies undecim.

73 *Omnia hîc accurate deſignata conſentiunt inter ſe & cum deceſſore: de utroque autem agimus* XXII *Aprilis ad Vitam S. Caji. Sedit hic à die* X *Decemb. anni* CCLXXXIII, *uſque ad* XXII *Aptilis anni* CCXCVI. *Addendum,* temporibus Cari, Carini, Diocletiani & Maximiani; *uti ex Conſulibus patet & annis quibus præfuit Cajus.*

Sedit ab an. 283 ad 296.

XXX S. MAR-

XXX S. MARCELLINVS.

I Marcellinus annis octo, menſibus tribus, diebus viginti quinque. Fuit temporibus Diocletiani & Maximiani, ex die pridie Kalendas Iulias, à Conſulibus Diocletiano VI & Conſtantio II, uſque in Conſulatum Diocletiani IX & Maximiani VIII. Quo tempore fuit perſecutio, & ceſſavit Epiſcopatus annos IV, menſibus ſex, diebus viginti quinque.

II Marcellinus, natione Romanus, ex patre Projecto, ſedit annos octo, menſes quatuor, dies quindecim. Fuit temporibus Diocletiani & Maximiani, ex die Kalend. Iunii, à Conſulatu Diocletiani V & Conſtantii II, uſque Diocletiani VIII & Maximiani VIII; quo tempore fuit perſecutio magna, ita ut, infra triginta dies, quindecim millia hominum promiſcui ſexus, per diverſas provincias, martyrio coronarentur. De qua re ipſe Marcellinus ad ſacrificium deductus eſt ut thurificaret, quod & fecit: & poſt paucos dies pœnitentia ductus, ab eodem Diocletiano, propter fidem Chriſti, cum Claudio & Quirino & Antonino capite ſunt truncati & martyrio coronantur. Iacuerunt corpora ſancta in platea dies viginti quinque, juſſu Diocletiani ubi Marcellus Presbyter noctu collegit corpora Sanctorum, & ſepelivit via Salaria in cœmeterio Priſcillæ, in cubiculo quod patet uſque in hodiernum diem; quod ipſe præceperat pœnitens, dum traheretur ad occiſionem, in crypta juxta corpus S. Creſcentionis, VI Kalend. Maji. Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembr. Presbyteros quatuor, Diaconos duos, Epiſcopos per loca quinque: & ceſſavit Epiſcopatus annos ſex, menſes ſex, dies viginti quinque, perſequente Diocletiano Chriſtianos.

Sedit ab an. 296 ad 304.

74 *Quæcumque eſſent hic dicenda, deduximus ad* XXVI *Aprilis, quo die videtur à S. Marcello adhuc Presbytero ſepultus; ſub initium hujus menſis aut etiam præcedenti Martio martyr coronatus, anno* CCCIV. *Ad ejus Acta probamus*

Vacat Sedes annis 4.

ceſſaviſſe Pontificatum annis IV, *pro quo, amanuenſium culpa, erant ſcripti anni* VII.

XXXI S. MARCELLVS.

I Marcellus, anno uno, menſibus ſeptem, dies viginti. Fuit temporibus Maxentii à Conſulatu [Maximiani Herculei] X & Maximiani [Galerii] VII, uſque poſt Conſulatum X & VII.

II Marcellus, natione Romanus, ex patre Marcello, ſedit annos quatuor. Fuit temporibus Maxentii, à Conſulatu Maxentii IV & Maximi uſque poſt Conſulatum. Hic fecit ordinationes per menſem Decemb. Presbyteros viginti quinque, Diaconos duos, Epiſcopos per loca viginti unum. Sepultus eſt in cœmeterio Priſcillæ, via Salaria, XVI Kalend. Februarii. Ceſſavit Epiſcopatus dies viginti. AUCTORE G. H.

75 *Acta S. Marcelli dedimus ad diem* XVI *Ianuarii, ſed non ſatis diſtincta ab Actis S. Marcellini: quod facimus* XXVI *Aprilis, die feſto S. Marcellini: a quo per magnam Græcorum oſcitantiam non fuiſſe diſtinctum Marcellum, ibidem probavimus. Sediſſe autem videtur a menſe Majo fere finito, anno* CCCVIII, Conſulibus Maximiano Herculeo X; & Galerio Maximiano VII, *uſque ad* XVI *Ianuarii anni* CCCX, *qui notabatur* iterum poſt Conſulatum X & VII. Sedit ab an. 308 ad 310.

XXXII S. EVSEBIVS.

I Evſebius, menſes quatuor, dies ſedecim, à XIV Kalend. Majas, uſque in diem XVI Kalendas Septembris.

II Evſebius, natione Græcus, ex Medico, ſedit annos VI, menſem unum, dies tres. Fuit temporibus Conſtantini. Sub hujus tempora inventa eſt ſancta Crux Domini noſtri Ieſu Chriſti V Nonas Maji. Hic baptizatus eſt Iudas Quiriacus. Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros tredecim, Diaconos tres, Epiſcopos per loca quatuordecim. Hic Sepultus eſt in cœmeterio Calliſti, via Appia, VI Nonas Octobris. Ceſſavit Epiſcopatus dies ſex.

76 *Non indicantur Conſules, quia iidem erant in Marcello ſignati. Sed aliquis hic error in numeris. Si ſic ſcriberetur,* uſque in diem poſtridie Kalendas Septembris, *reliqua intacta manerent. Colitur* XXVI *Septembris. Quæ in Catalogo ſecundo de Cruce inventa ſunt inſerta, erunt exactius excutienda die* III *Maji, & ad alium forſan Pontificem referenda; fabula autem de Iuda Cyriaco refutanda ad* I *ejuſdem Maji.* Sedit menſibus 4 anno 310.

XXXIII S. MELCHIADES.

I Miltiades annis tribus, menſibus ſex, diebus *novem, ex die ſexto Nonas Iulias, à Conſulatu Maximiano VIII Solo, quod fuit menſe Septembri, Voluſiano & Rufino, uſque in III Idus Ianuarii Voluſiano & Aniano Coſſ.

* al. octo.

II Melciades, natione Afer, ſedit annos tres, menſes ſex, dies ſeptem, ex die Non. Iulii à Conſulatu Maximini VIII uſque ad Maxentium II, qui fuit menſe Septembri Voluſiano & Rufino Coſſ. Hic conſtituit nulla ratione die Dominica aut quinta jejunium quis de fidelibus ageret; quia eos dies Pagani, quaſi ſacrum jejunium celebrabant. Et Manichæi inventi ſunt in urbe ab eodem die. Hic fecit ut oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum. Hic fecit ordinationem unam per menſem Decemb. Presbyteros quatuor, Diaconos tres, Epiſcopos per loca undecim: & ceſſavit Epiſcopatus dies quindecim.

AUCTORE G. H.

77 *Prius elogium, ut ſcriptum à S. Damaſo, refertur ab Onuphrio ad an. Vrbis Cond.* 1067. Imperator Galerius Maximianus VIII Conſul, *periit hac æſtate anni* CCCXI, *& tunc fuerunt* Voluſianus & Rufinus *ſubſtituti. Verum ſi Melchiades dicto anno, fuerit* 2 *Iulii conſtitutus, ſolum duobus annis & ſex menſibus, diebus octo aut novem ſediſſet. Nam* Voluſiano & Aniano Conſulibus *anno* CCCXIV *S. Melchiades mortuus eſt, idq; vel aut* IV Idus Januarii, *quo die memoratur in Martyrologiis S. Hieronymi, Rabani, Wandelberti, Notkeri & plurimis Mss. vel* III Idus Januarii, *quo die à paucis refertur. Tempus obitus confirmatur in Actis S. Silveſtri ſucceſſoris. Colitur S. Melchiades* X *Decembris, quo die ſepultus traditur in libro Pontificali & Mss. Geſtis Pontificum & antiquis Breviariis. Potuerunt tres anni Pontificatui aſſignari, quia duobus integris annis, & duorum annorum partibus præfuit Eccleſiæ. Verum contra ſimiles calculationes & numerorum corruptiones prævalere Conſules, tam exacte indicatos, ſæpius cum Baronio cenſuimus.*

Sedit ab an. 311 ad 314.

XXXIV S. SILVESTER.

I Silveſter annis viginti uno, menſibus undecim. Fuit temporibus Conſtantini, à Conſulatu Voluſiani & Anniani, ex die pridie Kalendas Februarii, uſque in diem [pridie] Kalendarum Ianuariarum, Conſtantino & Albino Coſſ.

II Silveſter, natione Romanus, ex patre Rufino, ſedit annos viginti tres, menſes decem, dies undecim, temporibus Conſtantini... & Voluſiani; ex die Kalendarum Februarii, uſque in diem Kalend. Januarii, Conſtantio & Voluſiano Conſulibus. Hic in exilio fuit, in montem Soractem perſecutione Conſtantini concuſſus: & poſtmodum rediens cum gloria baptizavit Conſtantinum Auguſtum, quem curavit Dominus pro baptiſmo à lepra. Hic fecit conſtitutum de omni Eccleſia. Hujus temporibus factum Concilium cum ejus conſenſu in Nicæa Bithyniæ, & congregati ſunt Sacerdotes, trecenti ſeptemdecim Epiſcopi Catholici, & quorum chirographus cucurrit; alii imbecilles ducenti octo, qui expoſuerunt fidem integram, ſanctam, catholicam & immaculatam: & damnaverunt Arium, Photinum, & Sabellium vel ſequaces eorum. Et in urbe Roma congregavit Epiſcopos ducentos ſeptuaginta ſeptem, & damnavit Caliſtum & Arium & Photinum: & conſtituit ut Presbyterum Arianum non ſuſciperet, niſi Epiſcopus loci deſignati: & chriſma ab Epiſcopo confici, & privilegium Epiſcopis [dedit] ut baptizatum conſignent propter hæreticam ſuaſionem. Hic conſtituit, ut nullus laicus crimen Clerico inferret. Hic conſtituit, ut Diaconi Dalmatica uterentur, palla linoſtina lævæ eorum tegerentur. Hic conſtituit, ut nullus Clericus propter cauſam quamlibet in curiam introiret, nec ante Judicem cinctum cauſam diceret, niſi in eccleſia. Hic conſtituit, ut ſacrificium altaris non in ſerico, neque in panno tincto celebraretur, niſi tantum in lineo; ſicut corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti in ſindone linea ſepultum eſt, ſic Miſſa celebraretur. Hic conſtituit, ut ſi quis deſideraret in Eccleſia militare aut proficere, ut eſſet Lector ad annos triginta, Exorciſta dies triginta, Acolythus annos quinque, Subdiaconus annos quinque, Cuſtos Martyrum annos quinque, Diaconus annos quinque, Presbyter tres, probatus ex omni parte, etiam foris qui ſunt, teſtimonium habere bonum, & ſic ad Ordinem Epiſcopatus aſcendere; nullum majoris vel prioris locum invadere, niſi ordinem temporum cum pudore cognoſceret, omnium Clericorum votiva gratia, nullo omnino Clerico vel fideli contradicente. Hic fecit ordinationes ſex per menſem Decemb. Presbyteros quadraginta quatuor, Diaconos triginta ſex, Epiſcopos per loca ſexaginta quinque. Eodem tempore fecit Conſtantinus Auguſtus baſilicam in palatio Seſſoriano, ubi etiam de ligno ſanctæ Crucis Domini noſtri Jeſu Chriſti auro & gemmis concluſit. Eodem tempore fecit baſilicam S. Laurentii. Eodem tempore fecit baſilicam ſanctorum Martyrum Marcellini Presbyteri & Petri Exorciſtæ. Sepultus eſt B. Silveſter via Salaria, in cœmeterio Priſcillæ, milliario tertio ab urbe Roma, pridie Kalend. Januarii. Ceſſavit Epiſcopatus dies octo.

78 *Interpoſuimus vocem* pridie *omiſſam, & ſic omnia accuratiſſime concordant in Conſulibus, annis, menſibus, diebus, & maxime in die* XXXI *Decembris, quo obiit & colitur.* Conſules Voluſianus & Anianus *fuerunt anno* CCCXIV; *at* Conſtantius & Albinus, *anno* CCCXXXV. *Fuerunt autem omnia accurate deſcripta, ab auctore, qui hoc tempore Romæ florebat. Sub eo habitum primum Concilium Oecumenicum Nicænum anno* CCCXXV.

Conſenſu magno, ſedit ab an. 314 ad 335.

XXXV S. MARCVS.

I Marcus menſes VIII, dies XX. Fuit temporibus Conſtantini, Nepotiano & Facundo Conſulibus; ex die XV Kalend. Februarii, uſque in diem Nonarum Octobrium, Conſulibus ſupradictis.

II Marcus, natione Romanus, ex patre Priſco, ſedit annos duos. Fuit temporibus Conſtantini, Nepotiano & Secundo Conſulibus, ex die Kalendarum Februarii, uſque in diem Kalendarum Octobris. Hic conſtituit ut Epiſcopus Oſtienſis, qui conſecrat Epiſcopum Urbis, pallio uteretur, vel ab eodem Epiſcopo Urbis Romæ conſecraretur. Hic fecit ordinationes duas per Decembrem, Presbyteros quindecim, Diaconos ſex, Epiſcopos per loca ſeptemdecim. Sepultus eſt in cœmeterio Balbinæ, via Ardeatina, pridie Nonas Octobris: & ceſſavit Epiſcopatus dies viginti.

79 *Fuerunt anno* CCCXXXVI Conſules, Nepotianus & Julianus. *Reliqua conveniunt, modo præter* menſes octo *(quos etiam Marco tribuit S. Hieronymus) aſſignentur ex apographo Cuſpiniani* dies XX; *pro quibus, errore amanuenſium apud Bucherium, ſolum* dies XI *ſunt excuſi.*

Sedit anno 336.

XXXVI S. IVLIVS.

I IVlius, annos quindecim, menſes duos, dies ſex. Fuit temporibus Conſtantis, à Conſulatu Feliciani & Titiani, ex die VIII Idus Februarii, in diem pridie Idus Aprilis, Conſtantio V & Conſtantio Cæſare Conſulibus. Hic multas fabricas fecit, baſilicam in via Portuenſi, milliario III; baſilicam in via Flaminia milliario II, quæ vocatur Valentini; baſilicam Iuliam, quæ eſt regione VII, juxta forum Divi Trajani; baſilicam trans Tiberim, regione XIV, juxta Calliſtum; baſilicam in via Aurelia, milliario III ad Calliſtum.

II IUlius, natione Romanus, ex patre Ruſticio, ſedit annos quindecim, menſem unum. Fuit temporibus Conſtantini, [à Conſulatu] Feliciani & Maximiani. Hic fecit ordinationes tres per menſem Decembr. Presbyteros octodecim, Diaconos octo, Epiſcopos per loca octo: ſepultus eſt in via Aurelia, in cœmeterio Calipodii, milliario III, pridie Idus Aprilis. Ceſſavit Epiſcopatus dies viginti quinque.

80 *Geſſerunt Conſulatum* Felicianus & Titianus, *anno* CCCXXXVII; *at* Conſtantius Auguſtus V & Conſtantius Gallus Cæſar, *anno* CCCLIII, *quo Iulius obiit die* XII *Aprilis, & ad iſtum diem Acta ejus illuſtramus. Hîc, præter morem primi Catalogi, nonnulla geſta ipſius Pontificis adduntur: an id à S. Damaſo ejuſve juſſu fuerit factum, judicio aliorum relinquimus.*

Sedit ab an. 337 ad 353.

XXXVII S. LIBERIVS.

I LIberius fuit temporibus Conſtantii, ex die XI Kalendas Iunias, in diem ..., à Conſulibus Conſtantio V & Conſtantio Cæſare.

FINIS CATALOGI PRIMI,

PROSECVTIO ALTERIVS.

II LIberius, natione Romanus, ex patre Auguſto, ſedit annos quinque, menſes tres, dies tres. Fuit temporibus Conſtantii uſque ad Conſtantium Auguſtum VII. Hic exilio detruditur à Conſtantio, eo quod noluit hæreſi Arianæ conſentire, & fecit annos tres. Et congregati Sacerdotes, & cum conſilio eorum Liberius, ordinaverunt in loco ejus Felicem Presbyterum Epiſcopum, venerabilem virum. Et fecit Concilium Felix, & invenit duos Presbyteros conſentientes Conſtantio Auguſto Ariano, nomine Urſatium & Valentem, & damnavit eos in Concilio quadraginta octo Epiſcoporum. Poſt paucos dies zelo ducti Urſatius & Valens, rogaverunt Conſtantium Auguſtum, ut revocaret Liberium de exilio, ut unam tantum communionem participaret excepto rebaptizare. Qui Liberius conſenſit præcepto Auguſti, ut unam participationem conveniret communionis. Tunc revocaverunt Liberium de exilio. Eodem tempore Conſtantius una cum Urſatio & Valente convocaverunt aliquos, qui ex fæce Ariana erant, & miſit & revocavit Liberium de cœmeterio S. Agnæ, ubi ſedebat. Et ingreſſus Romam in ipſa hora Conſtantius, fecit Concilium cum hæreticis, ſimul Urſatius & Valens: & ejecit Felicem de Epiſcopatu, qui erat Catholicus, & revocavit Liberiũ. Ab eodem die fuit perſecutio in Clero, ita ut intra Eccleſiam Presbyteri & Clerici necarentur. Qui Felix depoſitus de Epiſcopatu, habitavit in prædiolo ſuo à die III Kalendas Auguſti. Ingreſſus Liberius in Urbem IV Nonas Auguſti, conſenſit Conſtantio hæretico; non tamen rebaptizatus eſt, ſed conſenſum præbuit. Fecit ordinationes duas, Presbyteros novemdecim, Diaconos quinque, Epiſcopos per loca octo. Sepultus eſt in cœmeterio Priſcillæ via Salaria V Idus Septembris. Ceſſavit Epiſcopatus dies quinque.

AUCTORE G. H.

XXXVIII S. FELIX II.

FElix natione Romanus, ex patre Anaſtaſio, ſedit annos tres. Hic declaravit Conſtantium hæreticum, & rebaptizatum ſecundum. Hic martyrio coronatur. Hic fecit baſilicam in via Aurelia, milliario ab Urbe ſecundo, ubi & requievit. Hic fecit ordinationem per menſem Decemb. Presbyteros XXI, Diaconos quinque, Epiſcopos per loca XVIII. Qui etiam capite truncatur, cum multis Clericis & fidelibus, occulte juxta muros Urbis, ad latus formæ Trajani, III Idus Novembris: & exinde rapuerunt corpus ejus nocte Chriſtiani cum Damaſo Presbytero, & ſepelierunt in baſilica ſupradicta XVI Kalend. Decemb. Ceſſavit Epiſcopatus dies XXXVIII.

ANNOTATA AD DUOS PONTIFICES.

81 Conſules, Conſtantius Auguſtus V & Conſtantius Gallus Cæſar, *repetuntur: ſub quibus S. Iulius obiit* XII *Aprilis, & Liberius creatus eſt* XXII *Maji anno* CCCLIII. *Quibus relatis finit primus Catalogus: qui utinam ad S. Damaſum uſq; fuiſſet deductus, tunc certiora de his duobus ſimul juncti potuiſſent ſciri. Liberius autem cum ſediſſet tres annos, juſſus in exilium abire, reliquit Pontificatum: & ipſius* conſilio Sacerdotes congregati, in ejus locum ordinaverunt Felicem II. *Hic ergo in locum Liberii conſtitutus, ut verus Pontifex paſſim habetur, memoratus in omnibus antiquis Catalogis, Breviariis & Martyrologiis, & hactenus in Eccleſia Officio proprio colitur. Verum à Conſtantio Imperatore & aliis hæreticis, concitata contra eum & Clerum ei adhærentem magna perſecutione, depoſitus eſt* IV Kalendas Auguſti, *quo die celebratur ejus feſtum, licet poſtmodum capite ſit truncatus,* III Idus Novembris; *& à S. Damaſo aliiſq; Chriſtianis ſepultus* XVI, *aut* XII Kal. Decembris. *Marcellinus & Fauſtinus, Presbyteri Luciferiani, in Præfatione*

Liberius creatur 22 Maji annũ 353.

deponit Pontificatum

Felix verus Pontifex.

Martyr obiit an. 365.

AUCTORE G. H.

tione Libelli Precum ad Imperatores Valentinianum, Theodosium & Arcadium, tradunt Felicem defunctum, Valentiniano & Valente Consulibus, die x Kalendarum Decembrium. *Annus is foret* CCCLXV. Liberius, *restitutus, in Sedem Pontificiam, circa annum* CCCLVIII, *dicitur ibidem* humanis rebus exemptus, VIII Kalendas Octobris, Gratiano & Dagalaifo Consulibus, *id est anno* CCCLXVI. *Est hic variis Martyrologiis ad diem* XXIII *Septembris & sequentem inscriptus. Reliqua de his Pontificibus latius referuntur ab Anastasio Bibliothecario & accuratius exponuntur à Baronio in Annalibus, quos interim Lector consulat, dum hæc suo tempore in hisce Sanctorum Actis erunt accuratius discutienda.*

Liberius obit an. 366

XXXIX S. DAMASVS.

DAmasus, natione Hispanus, ex patre Antonio, sedit annos septemdecim, menses duos, dies undecim... Fecit basilicas duas, unam ad viam Ardeatinam, ubi requievit. Hic accusatus in crimine de adulterio, facta Synodo purificatur à quadraginta quatuor Episcopis, qui damnaverunt Concordium & Callistum Diaconos accusatores, & jactaverunt de Ecclesia. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decemb. Presbyteros XXXI, Diaconos XI, Episcopos per loca LI. Sepultus est in basilica sua III Idus Decembris, cum matre sua & germana. Cessavit Episcopatus dies XXXVI.

Sedit ab an. 366 ad 382.

82 *Liberio defuncto, ordinatus est S. Damasus, anno* CCCLXVI, *sub finem mensis Septembris: & cum sedisset annos* XVII, *menses* II, *dies* XI, *in Domino quievit* XI *Decembris anni* CCCLXXXII, anno Pontificatus XVIII, Indictione X, Antonio & Siagrio Consulibus, *uti legitur in Marcellini Comitis Chronico. Aliquis Sciolus intruserat hæc verba,* Fuit temporibus Juliani: *quæ rejecimus. Sub eo habitum est Constantinopoli Concilium Oecumenicum secundum, anno* CCCLXXXI.

XL S. SIRICIVS.

SIricius, natione Romanus, ex patre Tiburtio, sedit annos XV, dies XXXV. Hic constitutum fecit de Ecclesia, & direxit per provincias. Constituit, ut sine consecrato Episcopi loci cuilibet Presbytero non liceret consecrare. Hic constituit hæreticos sub manus impositione reconciliari. Hic fecit ordinationes quinque, Presbyteros XXXI, Diaconos XV, Episcopos per loca XXXII. Sepultus est in cœmeterio Priscillæ, via Salaria, VII Kalendas Martii. Cessavit Episcopatus dies XX.

Sedit ab an. 383 ad 398.

83 *Creatus est Siricius anno* CCCLXXXIII, Merobaude II & Saturnino Consulibus. *Ita Marcellinus, qui etiam Sedi ejus tribuit annos quindecim. Mortuus est anno* CCCXCVIII, *die* VIII *aut* VII *Kalendas Martii, ut plenius* dictum est *ad Vitam successoris.* Consecratum Episcopi, *de quo decretum loquitur, Anastasius explicat esse* fermentum; *de cujus distributione inter parochiæ ejusdem, in qua Episcopus sacrificat, Presbyteros facienda; qui non nisi eo suscepto, possent similes Eulogias populo distribuendas consecrare, videndus est Baronius Tom. 3 ad an. 313 num. 49 & seqq.*

XLI S. ANASTASIVS.

ANastasius, natione Romanus, ex patre Maximo, sedit annos * III, dies X. Hic constituit, quoties Euangelia recitantur, Sacerdotes non sederent. Hic fecit ordinationes duas, Presbyteros quinque, Diaconos quinque, Episcopos per loca undecim. Sepultus est ad Ursum-Pileatum, V Kalendas Maji. Cessavit Episcopatus dies XXI.

* *leg.* IV.

Sedit ab an. 398 ad 402.

84 Anastasius I *creatus est circa Idus Martias anni* CCCXLVIII, Consulibus Honorio IV & Eutychiano, *uti exacte tradunt Prosper & Marcellinus; mortuus anno* CCCCII, *sepultus* XXVII *Aprilis, quo die ista ad ejus Vitam deducimus: & confirmantur ex successione S. Innocentii.*

XLII S. INNOCENTIVS.

INnocentius, natione Albanensis, ex patre Innocentio, sedit annos quindecim, mensem unum, dies XXI. Hic constituit Sabbato jejunium celebrari, ideo quia Sabbato Dominus in sepulcro positus est, & discipuli jejunaverunt. Hic fecit ordinationes quatuor per Decembrem, Presbyteros XXX, Diaconos XII, Episcopos per loca LIV. Sepultus est ad Ursum pileatum V Kalendas Augusti. Cessavit Episcopatus dies XXI.

Sedit ab an. 402, ad an. 417

85 *Creatum esse* Innocentium I *anno* CCCCII, Imperatoribus Arcadio V & Honorio V Consulibus, *attestantur Prosper & Marcellinus. Sub eo autem habita sunt Concilia Milevitana duo: primum, eisdem Consulibus,* Sexto Kalendas Septembris: *secundum, extremi ejusdem Innocentii Pontificatu, etiam* sexto Kalendas Septembris, Theodosio VII & Palladio Consulibus: *qui est annus* CCCCXVI. *Subjunguntur duæ epistolæ Synodicæ ad Innocentium Papam, qui rescriptum misit datum* VI Kalendas Februarii, Honorio & Constantio Consulibus, *scilicet anno* CCCCXVII. *Post hoc rescriptum non diu superfuisse S. Innocentium, liquet ex epistola Zosimi successoris ad Episcopos Galliæ, data* XI Kalendas Aprilis, Honorio Augusto XI & Constantio II Consulibus. *Hinc colligimus primo, licet* Innocentius sepultus *dicatur* V Kalendas Augusti, *atque isto die colatur, Breviario Romano inscriptus; videri tamen mortuum esse* XII *die Martii, quando sub eodem elogio* Pontifices Gregorius Magnus & Innocentius *referuntur ab Vsuardo, Adone, Notkero, & aliis. Colligimus secundo aut non integros quindecim annos sedisse Innocentium, cum decessor Anastasius sit sepultus* XXVII *Aprilis, eoque die colatur; aut dicendum hunc etiam aliquamdiu ante vita functum & S. Innocentium* XXII *Ianuarii creatum, & sic sedisse annos quindecim, mensem unum, dies viginti unum, hîc indicatos.*

mortuus 12 Aprilis.

XLIII S. ZOSIMVS.

ZOsimus, natione Græcus, ex patre Aproniо, sedit annum I, menses II, dies II. Hic constituit ut Diaconi lævam tectam haberent de palliis linostinis, & ut per Parochias cereus benedicatur. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembris, Presbyteros X, Diaconos III, Episcopos per loca VIII. Sepultus est juxta corpus B. Laurentii, via Tiburtina, VI Kalendas Januarii. Cessavit Episcopatus dies XXI.

86 *Fuisse*

86 *Fuiſſe ordinatum Zoſimum*, Honorio xi & Conſtantino ii Conſulibus; *ſcribit Marcellinus*, *eumque ſcripſiſſe ad Epiſcopos Galliæ*, xi Kalendas Aprilis, *his ipſis Conſulibus, ſupra indicatum eſt. Annus is erat* ccccxvii, *quo anno plures ſcripſit epiſtolas, uti & ſequenti anno*, Honorio xii & Theodoſio viii Conſulibus: *quarum ultima, ad Epiſcopos per Byzantium conſtitutos, data eſt* xvi Kalendas Decembris. *Nec diu poſtea ſuperſtes, ſepultuſq́ue* vii *aliis* viii Kalendas Januarii, *debuit ſediſſe* (*ut Anaſtaſius habet*) annum unum, menſes octo, dies vigintiquinque. *Colitur* xxvi *Decembris.*

Sedit ab an. 417

ad Decembrem anni 418.

XLIV S. BONIFACIVS.

BOnifacius, natione Romanus, ex patre Jocundo Presbytero ſedit annos * iii, menſes viii, dies v. Hic ſub contentione cum Eulalio ordinatur: & fuit diſſenſio in Clero menſes vi dies xv. Et facta Synodo deponitur Eulalius ſub aliis Epiſcopis, quia juſtè non fuerat ordinatus: & ex conſenſu omnium ſedit Bonifacius Præſul, & conſtitutus Eulalius in civitate Neptina Epiſcopus. Hic conſtituit ut nulla mulier vel monacha pallam ſacratam contingeret aut lavaret, aut incenſum poneret in eccleſia, niſi Miniſter, nec ſervum Clericum fieri. Hic fecit ordinationem unam per menſem Decemb. Presbyteros xiii, Diaconos iv, Epiſcopos per loca xxxv. Sepultus eſt in cœmeterio S. Felicitatis via Salaria, viii Kalendas Novembris. Ceſſavit Epiſcopatus dies ix.

* *imo* iiii.

87 Monaxio & Plinta Conſulibus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum egiſſe Bonifacium, *ſcribit Proſper. Eſt is annus* ccccxix, *quo Bonifacius ſcripſit epiſtolam ad Epiſcopos Galliæ, datam* ſub die Idus Junias. *Mortuus fuit anno* ccccxxiii, *ut ex ſucceſſione S. Cæleſtini conſtat. Colitur* xxv *Octobris, quo die ſepultus eſt.*

Sedit ab an. 419 ad 423.

XLV S. CÆLESTINVS.

CÆleſtinus, patria Campanus, ex patre Priſco, ſedit annos viii, menſes x, dies xvi. Hic fecit ut Pſalmi centum quinquaginta deberent ante ſactificium pſalli, quod ante non fiebat, niſi tantum Epiſtola Pauli Apoſtoli & ſanctum Euangelium, & ſic Miſſæ celebrabantur. Hic fecit ordinationes tres per menſem Decemb. Presbyteros xxxii, Diaconos xii, Epiſcopos per loca xlvi. Sepultus eſt in cœmeterio Priſcillæ via Salaria, viii Idus Aprilis. Ceſſavit Epiſcopatus dies xxi.

88 *Ad Conſulatum* Aſclepiodoti & Mariniani *refertur initium à Marcellino & Proſpero. Is eſt annus* ccccxxiii. *Mortuus eſt anno* ccccxxxii, vi *Aprilis, ad quem diem Acta ejus illuſtramus. Sub eo Epheſi habitum eſt Concilium generale tertium, anno* ccccxxxi.

Sedit ab an. 423 ad 432.

XLVI S. SIXTVS III.

AUCTORE G. H.

XIſtus, natione Romanus, ex patre Xiſto, ſedit annos vii, dies xviii. Hic a quodam Baſſo incriminatus, accuſatur. Ex præcepto Valentiniani Auguſti, cum magna examinatione facta Synodo, purgatur à lv Epiſcopis, & ejecit Baſſum à communione. Hic fecit ordinationes, Presbyteros xxviii, Diaconos xxii, Epiſcopos per loca lii. Sepultus eſt via Tiburtina, in crypta ad S. Laurentium. Ceſſavit Epiſcopatus dies xxi.

89 *Ordinatus traditur à Marcellino & Proſpero* Conſulibus Valerio & Aëtio, *anno* ccccxxxii; *mortuus anno* ccccxl, xxviii *Martii, ad quem diem Acta edidimus.*

Sedit ab an. 432 ad 440.

XLVII S. LEO.

LEo, natione Tuſcus, ex patre Quintiano, ſedit annos xxi, menſem i. dies xiii. Hic fecit conſtitutum de Eccleſia. Hic invenit duas hæreſes, Eutychem & Neſtorium; & per rogatum Marciani Auguſti, orthodoxi Principis, ex hujus præcepto factum eſt Concilium ſanctorum Epiſcoporum in Chalcedone Orientis, in baſilica ſanctæ Martyris Euphemiæ; & congregati cclxvi Sacerdotes; & aliorum chirographus cucurrit ccccv Epiſcoporum; qui condemnaverunt Eutychem & Neſtoriū. Et poſt dies xlii iterum in unum congregati cum chirographis, qui præſentes fuerunt, exponentes fidem cc Epiſcopi, cum Auguſto Marciano piiſſimo, qui fidem ſuam una cum Auguſta Placidia publice ante conſpectum ſanctorum Sacerdotum Epiſcoporum declaravit, ubi iterum damnatus eſt Eutyches. Et poſtmodum rogat Imperator Marcianus, ſimul cum Epiſcopis xlv, & miſit ſacra, rogans Leonem Papam, ut fidem expoſitam fidei Catholicæ & Apoſtolicæ ei dirigeret. Beatus vero Leo & direxit tomum, & firmavit Synodum ſanctam. Hic fecit epiſtolas multas, exponentes fidem Catholicam rectam, quæ hodie in archivio Eccleſiæ Romanæ tenentur, & decretalem quam per univerſum mundum ſpargens ſeminavit. Hic fecit ordinationes quatuor per menſem Decembrem, Presbyteros octoginta unum, Diaconos triginta unum, Epiſcopos per loca centum ſeptuaginta quinque. Hic conſtituit ut monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, niſi probata fuerit in virginitate ſexaginta annorum. Sepultus eſt in baſilica B. Petri tertio Idus Aprilis. Ceſſavit Epiſcopatus dies vi.

90 *Creatum* Valentiano v & Anatolio Conſulibus *teſtantur Proſper & Marcellinus. Is eſt annus* cccexl *Mortuus eſt* cccclxi. *Acta ejus damus* xi *Aprilis. Sub eo deſinit Chronicon Proſperi: ſub eodem habitum eſt Calchedone Concilium generale quartum anno* ccccli. *Sed quid de virgi-*

Sedit ab an. 440 ad 461.

AUCTORE G. H.

virginitate annorum ſexaginta, *vel ut alibi legitur* quadraginta : *cujus probatio ad velamen ſacrum exigitur à monacha ? Quamvis conſpirantibus in eam lectionem exemplaribus, auſim mendum dicere ; tam evidens quam antiquum ; cujus primus auctor, de probatione, non propoſiti ſervati, ſed ætatis citra corruptionem acta agi exiſtimans, abſurdum crediderit* ſex *vel* quatuor annos *ſcribere, & poſuerit* quadraginta, ſexaginta. *Sex autem vel quatuor anni, uti ad ætatem pauci ſunt, imo nulli, (utpote qui vix infantiam excedunt) ita in puberibus diuturnum ſunt ſpatium, ad experimentum conſtantiæ, cum hodie annus unicus probationis ſufficiat. Sexaginta autem vel quadraginta annos ætatis qui requiſiſſet, vix uni è multis ſpem reliquiſſet, unquam conſequendi velaminis : cum tamen velatarum Virginum plena tunc ubiq; fuerint monaſteria.*

XLVIII S. HILARVS.

HIlarus, natione Sardus, ex patre Criſpiniano, ſedit annos quinque, menſes tres, dies decem. Hic fecit decretalem & per univerſum Orientem direxit, & Epiſtolas de fide Catholica. Hic fecit ordinationem unam per menſem Decembrem, Presbyteros quindecim, Diaconos quinque, Epiſcopos per loca viginti duos. Sepultus ad S. Laurentium in crypta, juxta corpus B. Xiſti. Ceſſavit Epiſcopatus dies decem.

Sedit ab an. 461 ad 467.

91 Dagalaiſo & Severino Conſulibus, *id eſt, anno* CCCCLXI, *ordinatum teſtatur Marcellinus, mortuus eſt anno* CCCCLXVII, *inſcriptus Martyrologio Romano ad diem* X *Septembris.*

XLIX S. SIMPLICIVS.

SImplicius, natione Tiburtinus, ex patre Caſtino, ſedit annos quindecim, menſem unum, dies ſex. Hic conſtituit ad S. Petrum & ad S. Paulum & ad S. Laurentium hebdomadas, ut Presbyteri manerent, propter baptiſmum & pœnitentiam petentibus : de regione prima, ad S. Paulum ; de regione tertia, ad S. Laurentium ; de regione ſeptima, ad S. Petrum. Sub hujus Epiſcopatum venit relatio de Græcia ab Acacio, qui fuit Epiſcopus Conſtantinopolitanus, & adfirmabat Petrum Alexandrinum Eutychianum hæreticum, facta petitione ab Acacio. Tunc fuit Eccleſia exequens. Tunc Simplicius Præſul damnavit Petrum Alexandrinum, de quo Acacius innumerabilia crimina adfirmabat. Eodem tempore reſcripſit Timotheus Catholicus & Acacius, dicentes : Quia verò in mortem *Presbyteri Catholici Petrus eſſet mixtus. Tunc Papa Simplicius diſſimulans, numquam ſcripſit Acacio, ſed damnavit Petrum. Hic fecit ordinationes per menſem Decembrim tres, Presbyteros quinquaginta ſeptem, Diaconos undecim, Epiſcopos per loca octoginta duos. Sepultus eſt ad B. Petrum v Nonas Martii, & ceſſavit Epiſcopatus dies quinque.

* *Anaſt. Proterii.*

Sedit ab an. 467 ad 483.

92 *Ordinatus eſt Simplicius teſte Marcellino*, Puſæo & Joanne Conſulibus *anno* CCCCLXVII. *Ejus Vitam illuſtravimus ad diem* II *Martii, ubi dantur geſta in defenſionem fidei contra Timotheum Ælurum, Petrum Fullonem, Petrum Mongum & Acacium, quæ hîc ſatis obſcure indicantur. Mortem ejus retulimus ad annum* CCCCLXXXIII.

L S. FELIX III.

FElix, natione Romanus, ex patre Felice Presbytero, ſedit annos VIII, menſes XI, dies XV. Sub hujus Epiſcopatum iterum venit relatio à Patribus Græciarum : Petrum Alexandrinum revocatum ad communionem ab Acacio. Tunc venerabilis Papa Felix, mittens defenſores ex conſtituta Synodo Sedis ſuæ, damnavit Acacium cum Petro. Poſt annos tres, iterum venit relatio ab Imperatore Zenone, ut penitus rediret Acacius. Tunc Papa Felix fecit Concilium, ex [cujus] conſenſu miſit duos Epiſcopos Miſenum & Vitalem, ut ſi invenirent complicem Petri Acacium, iterum damnarent ; ſi non, offerret libellum pœnitentiæ. Qui dum introiſſent in civitatem Conſtantinopolim, corrupti pecunia data, ſupradictis Epiſcopis non fecerunt ſecundum præceptum Sedis Apoſtolicæ. Venientes vero Romam ad Sedem Apoſtolicam, fecit Papa Felix Concilium, & excommunicatione facta in Concilio, invenit eos reos, & ejecit Miſenum & Vitalem Epiſcopos à communione. Tunc Miſenus Epiſcopus non ſe tacuit corruptum per pecuniam : cui Concilium conceſſit tempus pœnitentiæ. Hoc vero factum temporibus Odoacri Regis. Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembrem : Presbyteros viginti octo, Diaconos quinque, Epiſcopos per loca triginta unum. Sepultus eſt apud B. Paulum. Ceſſavit Epiſcopatus dies quinque.

Sedit ab an. 483 ad 492.

93 *Fuit hic atavus S. Gregorii Magni, creatus* X *Martii anni* CCCCLXXXIII ; *cujus Acta deduximus ad diem* XXV *Februarii : ejuſq; mortem, cum Victore Tunnunenſi, ad annum* CCCCXCII *retulimus ; & ſic ſedit annos* VIII, *menſes* XI, *dies* XV.

LI S. GELASIVS.

GElaſius, natione Afer, ex patre Valerio, ſedit annos quatuor, menſes ſeptem, dies ſeptem. Fuit temporibus Theoderici Regis & Zenonis Auguſti. Hic ſuggeſtu Synodi, cum fletu ſub ſatisfactione libelli purgatum, Miſenum Epiſcopum revocavit. Hic fecit Sacramentorum præfationes cauto ſermone, & epiſtolas fidei elimato ſermone. Hic fecit ordinationes per menſem Decembrem, Presbyteros triginta duos, Diaconos duos, Epiſcopos per loca ſexaginta ſeptem. Sepultus eſt apud B. Petrum XI Kalend. Decembris. Ceſſavit Epiſcopatus dies ſex.

Sedit ab an. 492 ad 496.

94 Anaſtaſio & Rufo Conſulibus, Romanæ Eccleſiæ Felici ſucceſſiſſe Gelaſium *anno* CCCCXCII, *ſupra cum Victore Tunnenenſi retulimus. Sed jam anno proxime elapſo epilepſia extincto Zenoni ſucceſſerat Anaſtaſius Imperator. Vita functus eſt Gelaſius anno* CCCCXCVI, *ſepultus* XI *Kalendas Decembris, eoq; die inſcriptus tabulis Martyrologii Romani.*

LII S. ANA-

LII S. ANASTASIVS.

ANaſtaſius, natione Romanus, ex patre Petro, ſedit annum unum, menſes undecim, dies viginti quatuor. Hic fecit ordinationem unam per menſem Decembrem, Presbyteros duodecim, Epiſcopos per loca octo. Sepultus eſt apud B. Petrum in Vaticano, XII Kalend. Decembris, & ceſſavit Epiſcopatus dies quinque.

ab an. 496 ad 498. 95 *Videtur creatus adhuc menſe Novembri relati anni* CCCCXCVI, *mortuus anno* CCCCXCVIII, *ſepultus* XII *aliis* XIII *aut* XVI *Kalendas Decembris.*

LIII S. SYMMACHVS.

SYmmachus, natione Sardus, ex patre Fortunato, ſedit annos quindecim, menſes ſex, dies viginti quinque. Hic fuit temporibus Theoderici hæretici & Anaſtaſii Eutychiani Auguſti. Hic amavit Clerum & pauperes, bonus, prudens, humanus, gratioſus: & cum eo ordinatur Laurentius, ſub * intentione Epiſcopi. Ex qua cauſa ſeparata eſt aliqua pars Clericorum vel Senatorum, alii cum Symmacho, alii cum Laurentio: & facta * intentione hoc conſtituerunt pariter, ut ambo Ravennam peterent ad judicium Regis Theoderici. Qui dum perveniſſent, hoc judicatum æquitatis invenit, ut qui prior ordinatus fuiſſet, vel ubi pars maxima conſentiret, ipſe ſederet in Sede Apoſtolica: quod tunc æquitas in Symmacho invenit & cognitio veritatis: & fuit Præſul beatus. Et eodem tempore Papa Symmachus fecit Synodum, & conſtituit Laurentium in Noceria civitate Epiſcopum, intuitu miſericordiæ. Poſt annos vero quatuor zelo & dolo ducti aliqui ex Clero & aliqui ex Senatu, incriminant Symmachum, & ſubornant teſtes falſos, quos miſerunt Romam ad Regem Theodericum hæreticum; aceuſantes B. Symmachum; & occulte revocant Laurentium Romam, & fecerunt ſchiſma, & ſeparaverunt ſe ab invicem, & pars aliqua à communione Symmachi, mittentes relationes Regi; & petunt à Rege Theoderico Viſitatorem Sedis Apoſtolicæ Petrum Altinatem. Eodem tempore B. Symmachus congregavit Epiſcopos centum viginti quinque: & facta Synodo purgatur à crimine falſo, & damnatur Petrus Altinas invaſor Sedis Apoſtolicæ, & Laurentius Nocerinus. Tunc ab omnibus Epiſcopis & Presbyteris & Diaconis & Clero redintegratur Sedi Apoſtolicæ B. Symmachus, cum gloria, apud B. Petrum ſedere Præſul. Fecit ordinationes in urbe Roma quatuor menſe Decembri, Presbyteros quadraginta ſeptem, Diaconos quindecim, Epiſcopos per loca centum quinquaginta ſeptem. Sepultus eſt apud B. Petrum, ſub die XIV Kalendas Auguſti, in pace. Ceſſavit Epiſcopatus dies tres.

* *Anaſt.* contentione, *forte* contentione Epiſcopii

* *Iterum Anaſt.* contentione.

ab an. 498 ad 514. 96 *Creatus eſt adhuc anno* CCCCXCVIII, *mortuus anno* DXIV, *ſepultus die quo colitur* XIX *Iulii, quando Acta erunt illuſtranda.*

AUCTORE G. H.

LIV S. HORMISDAS.

HOrmiſda, natione Campanus, ex patre Juſto, de civitate * Friſione, ſedit annos VIII, dies XVI. Hic Epiſcopatus auctoritate, ex conſtituto Synodi, miſit in Græciam ſecundum humanitatem Sedis Apoſtolicæ: & re conciliavit Græcos, qui obligati erant ſub anathemate, propter Petrum Alexandrinũ & Acacium Conſtantinopolitanum. Hic Papa perrexit ad Regem Theodericum Ravennã; & ex Concilio Regis direxit Ennodium Epiſcopum Ticinenſem, & Fortunatum Epiſcopum Catanenſem, & Euantium Presbyterum Urbis, & Vitalem Diaconum Urbis, euntes ad Anaſtaſium Auguſtum, ut ſub libelli ſatisfactione [Græci] revocarentur: [ſed] nihil egerunt. Item ſecundo miſit Hormiſda Ennodium & Peregrinum Epiſcopos, & Pollionem Subdiaconum Urbis: & portaverunt epiſtolas fidei, & conteſtationes ſecretas numero x x, & libellũ per quem rediret. Quod ſi noluiſſent epiſtolas ſuſcipere, conteſtationes per civitates ſpargerent; in quo noluit conſentire Anaſtaſius Auguſtus, eo quod erat in hæreſi Eutychi conſentiens. Voluit itaq; eos per remunerationem corrumpere. Illi autem, contempto Principe, nullatenus conſenſerunt accipere pecunias. Furore accenſus Imperator ejecit eos per locum * periculoſum, & impoſuit eos in navi ſub periculo mortis, cum Magiſtriano & Perfectiano, Heliodoro & Demetrio; & hoc dedit in mandatis Imperator, ut nullam civitatem ingrederentur. Illi vero ſecretius ſupra ſcriptas epiſtolas fidei XIX, per manus monachorum Catholicorum, poſuerunt per omnes civitates. Quæ tamen epiſtolæ ſuſceptæ [non ſunt] ab Epiſcopis civitatũ; qui conſentientes Anaſtaſio Auguſto hæretico, timore eas Conſtantinopolim direxerunt in manus Anaſtaſii. Furia ductus Anaſtaſius, Papę Hormiſdę inter alia ſacra, hęc ſcripſit dicens: Nos jubere volumus, non nobis juberi. Percuſſus divino ictu Anaſtaſius interiit. Sumpſit itaque Imperium Juſtinus orthodoxus, & mittens ad Sedem Apoſtolicam * [petiit ut redintegraretur pax Eccleſiarum]. Tunc Hormiſdas, eum conſilio Regis Theoderici, direxit Germanum Epiſcopum Capuanum, & Joannem Epiſcopum, & Blandum Presbyterum, & Felicem Diaconum Sedis Apoſtolicæ, & Dioſcorum Diaconum. Quos is ſuſcepit, munitos ex omni parte fidei, una cum libello, quomodo redirent Græci ad communionem Sedis Apoſtolicæ. Qui venientes juxta Conſtantinopolim, occurrit illis multitudo monachorũ & Illuſtriũ virorũ, in quibus Iuſtinus Imperator & Vitalianus Magiſter militum; ſimul à Caſtello Rotundo quod dicitur, uſq; in civitatẽ Conſtantinopolim, cũ gloria & laude, ingreſſi ſunt, una cum Grato illuſtri. Ingreſſi itaque in civitatẽ, ſuſcepti ſunt à Iuſtino Auguſto orthodoxo cũ gloria. Omnis itaq; Clerus Conſtantinopolitanus, una cum Ioanne Epiſcopo ſentientes, eo

* *Anaſt.* Friſilone *videtur legendum* Friſinone *in Latio.*

* *Anaſt.* per poſterulam *al.* per poſticulum.

* *hæc ſuppleta ex Anaſtaſio.*

AUCTORE G. H. quod gratiæ ſuſcepti ſint, incluſerunt ſe intra eccleſiam majorem quæ vocatur ſancta Sophia; & Concilio facto mandaverunt Imperatori, dicentes: Niſi nobis reddita fuerit ratio, quare damnatus eſt Epiſcopus civitatis noſtræ Acacius, nullatenus conſentimus Sedi Apoſtolicæ. Et facto Concilio ſimul cum Juſtino Auguſto, in conſpectu omnium illuſtriū, tunc Legati Sedis Apoſtolicæ elegerunt ex ſuis Dioſcorum Diaconum ad reddendam rationem: qui ita expoſuit culpas Acacii, ut etiam omnes ſimul cum Juſtino Auguſto acclamarent, dicentes: Et hic & in æternū damnetur Acacius. Eodem tempore juſſit Juſtinus Auguſtus, accepta veritate, ut ſine aliqua dilatione facerent libellū, ad omnes qui in regno Juſtini erant, ut redeant ad communionem Sedis Apoſtolicæ; quod etiam factum eſt, & concordaverunt ab Oriente uſque ad Occidentem, & cucurrit pax Eccleſiæ. Qui textus libelli hodie archivio Eccleſiæ reconditus tenetur. Hic invenit Manichæos, quos etiam diſcuſſit ſub examine plagarum, quorum codices incendio conſumpſit ante fores baſilicæ Conſtantinianæ. Hujus temporibus Epiſcopatus Africæ reordinatur, poſt annos ſeptuaginta quatuor quod ab hæreticis fuerat exterminatus tempore perſecutionis. Eodem tempore venit corona aurea, cum gemmis pretioſiſſimis, donum à Rege Francorum. Hic fecit ordinationes, Presbyteros ... Epiſcopos per loca ... Sepultus eſt apud B. Petrum VII Idus Auguſti. Ceſſavit Epiſcopatus dies VI.

97 *Pontifex ordinatus eſt S. Hormiſdas anno* DXIV; *mortuus, poſt* IX *annos Sedis, anno* DXXIII. *Quæ hoc loco habentur de Concilio repetito coram Iuſtino Auguſto, & reddita ratione damnati Acacii deſunt apud Anaſtaſium, in libro Pontificali, & in Mss. Geſtis Pontificum: digna plane quæ hinc eruta cognoſcantur. Reliqua poterunt diſcuti die* VI *Auguſti, quo colitur S. Hormiſdas, Martyrologio Romano inſcriptus.* *ab an. 514 ad 523.*

LV S. IOANNES.

IOannes, natione Tuſcus, ex patre Conſtantio, ſedit annos duos, menſes octo, dies quindecim, à Conſulatu Maximi uſque ad Conſulatum Olybrii. Hic vocatus eſt à Rege Theodorico Ravennam: quem Rex rogans miſit in legatione Conſtantinopolim ad Juſtinum Auguſtum, virum religioſum, qui ſummo amore religionis Chriſtianæ voluit hæreticos extricare: nam ſummo fervore Eccleſias Arianorum in Catholicas dedicavit. Exinde iratus Theodoricus Arianus voluit totam Italiam gladio perdere. Tunc Joannes venerabilis Papa egreſſus cum fletu & mugitu ambulavit, & viri religioſi Exconſules & Patricii, Theodorus, Importunus, Agapitus & alius Agapitus, hoc accipientes in mandatum legationis, ut redderentur eccleſiæ hæreticis in parte Græciarum: quod ſi non fuerit factū, omnem Italiam gladio perderet. Juſtinus autem Auguſtus, cum ei ſimul & Senatoribus tantis & talibus Exconſulibus & Patriciis urbis Romæ [occurriſſet], omnem conceſſit petitionem; & propter ſanguinem Romanorum reddidit hæreticis eccleſias, ſecundum voluntatem Theodorici Regis hæretici, ne Chriſtiani, maxime Sacerdotes, ad gladium mitterentur. Tunc vero, beatiſſimo Ioanne Epiſcopo ſed & viris illuſtribus poſitis Conſtantinopoli, Rex Theodericus tenuit duos Senatores, Exconſules & Patricios, gladioque interfecit Boëtium & Symmachum, quorum etiam corpora abſcondi præcepit. Venientes vero ſupradicti viri cum Ioanne Epiſcopo, poſt omnia per ordinem acta (Agapito Patricio defuncto in Græcia) ſuſcepti ſunt à Rege Theoderico cum dolo & grandi odio: quos gladio voluit punire; ſed metuens indignationem Iuſtini Auguſti orthodoxi, non fecit, tamen in cuſtodia omnes cruciavit; ita ut B. Ioannes Papa, in cuſtodia afflictione maceratus, deficiens moreretur: qui defunctus eſt Ravennæ cum gloria, XV Kalendas Iunii, in cuſtodia Regis Theoderici. Poſt hoc nutu Dei omnipotentis, quadrageſimo octavo die poſtquam defunctus eſt Ioannes Epiſcopus in cuſtodia, ſubito Theodericus Rex interiit, à Divinitate percuſſus. Hic ordinationes fecit per loca. Ceſſavit Epiſcopatus per dies decem.

98 *Auctor hujus Collectionis, voluit in ultimis duobus ſui temporis Pontificibus annotare* Conſulatus, & Maximus *quidem Conſul, convenit in annum* DXXIII; Olybrius, *vero in annum* DXXVI. *Reliqua prælo paravimus danda* XXVII *Maji, quo colitur.* *ab an. 523 ad 526.*

LVI S. FELIX IV.

FElix, natione Samnita, ex patre Caſtorio, ſedit annos IV, dies quatuordecim, à Conſulatu Mavortii uſque ad Conſulatum Lampadi & Oreſtis, à die IV Iduum Iulii uſque in diem IV Iduum Octobris. Hic fecit baſilicam SS. Coſmæ & Damiani in urbe Roma juxta templum urbis Romæ. Obiit temporibus Athalarici Regis, qui ſub die III Iduum Octobris ſepultus eſt apud B. Petrum. Hic fecit ordinationes duas, Presbyteros quinquaginta duos, Diaconos quatuor, Epiſcopos per loca viginti novem. Ceſſavit Epiſcopatus per dies III.

99 Mavortius *geſſit Conſulatum anno* DXXVII *&* Lampadius & Oreſtes *ad annum* DXXX, *ad quem annum retulimus obitum ejus* XXX *Ianuarii, quo die ejus Acta dedimus.* *ab an. 527 ad 530.*

CONCLUSIO.

HAbes, benevole Lector, duos vetuſtiores Catalogos antiquorum Pontificum Romanorum, & in iis antiquiſſima Eccleſiæ Romanæ inſtrumenta, quæ circa ſucceſsionem dictorum Pontificum hactenus potuerunt reperiri. Præpoſuimus epiſtolam S. Hieronymi ad S. Damaſum Papam & hujus ad illum reſponſum: ex quibus colligitur priorem Catalogum à S. Damaſo ad S. Hieronymum fuiſſe miſſum. Eminentiſsimus Cardinalis Baronius aliqua monita circa hoc ſtudium propoponit: quæ per hos Catalogos optime ſervantur. Primum eſt, in iis quæ ſunt Romanæ Eccleſiæ majorem eſſe adhibendam fidem ejus alumnis quam ceteris. *Proinde contra Euſebium alioſq; Græcizantes ſtatuuntur* Cletus & Marcellus veri Pontifices, *diverſi ab* Anacleto & Mar-

& Marcellino *itidem* veris Pontificibus. *Et cum hiſce Pontificibus* litterarum Martyrum Lugdunenſium ſincerum teſtimonium *optimo & ſecuriſsimo modo ſervatum oſtenditur : in quibus alterum erat dicti Cardinalis requiſitum. Præterea,quod* libentioribus accipit auribus, tempora per Conſules numerantur. *Quibus poſitis* ſi quis certiorem de annis invenerit chronologiam haud invitum aſſenſurum *ſe addicit. Quare Catalogorum tempora cum iis, quæ dictus Cardinalis in ſuis Annalibus profert, componimus, ut facilius quilibet de re tota poſsit æquum judicium ferre, & Chronologia hactenus expoſita uti Commodius, eo ſolum fine, ut ſuus veritati ſit locus, quam ſi dicti Catalogi non contineant, gratiſsimo affectu certiorem viam ſumus amplexuri.* AUCTOR G. H.

SYNOPSIS CHRONOLOGICA

Catalogorum præmiſſorum & Annalium Baronii circa XXXVII primos Romanos Pontifices.

	ANNI CATALOGORUM	CARD. BARONII.
IESUS CHRISTUS, *annis vitæ triginta tribus & menſibus tribus expletis, paſſus eſt & reſurrexit; datoq; Principatu Eccleſiæ S. Petro, in cælos aſcendit, duobus Geminis Conſulibus Æræ vulgaris*	anno 29	34
S. Petrus *Romæ Cathedram collocat, primus ibi Pontifex*	*an.* 40	45
S. Petrus *obit Romæ cum S. Paulo*	*an.* 65	69
S. Linus, *ante Vicarius S. Petri* IX *annis, poſt Pontifex, obit*	*an.* 67	80
S. Clemens, *ab aliis Cleto poſtpoſitus, relinquit Pontificatum*	*an.* 76	102
S. Cletus, *ab aliis Clementi præpoſitus, obit*	*an.* 84	93
S. Anacletus, *à S. Cleto diſtinctus, obit*	*an.* 95	111
S. Euariſtus *obit*	*an.* 109	121
S. Alexander, *ſub Trajano Martyr, obit*	*an.* 117	132
S. Sixtus I *obit*	*an.* 127	142
S. Teleſphorus *obit*	*an.* 138	154
S. Hyginus *obit*	*an.* 150	158
S. Anicetus, *ab aliquibus Pio poſtpoſitus, obit*	*an.* 153	175
S. Pius, *ab aliquibus Aniceto præpoſitus, obit*	*an.* 161	167
S. Soter, *poſt annos Pontificatus novem, obit*	*an.* 171	179
S. Eleutherius *obit*	*an.* 186	194
S. Victor *obit*	*an.* 197	203
S. Zephyrinus *obit*	*an.* 217	221
S. Calliſtus *obit*	*an.* 222	226
S. Urbanus *obit*	*an.* 230	233
S. Pontianus *obit*	*an.* 235	237
S. Anterus *obit*	*an.* 236	238
S. Fabianus *obit*	*an.* 250	253
S. Cornelius *obit*	*an.* 252	255
S. Lucius *obit*	*an.* 255	257
S. Stephanus, *ante Vicarius, & menſibus* V *Pontifex, obit*	*an.* 255	260
S. Sixtus II *obit*	*an.* 258	261
S. Dionyſius *obit*	*an.* 269	272
S. Felix I *obit*	*an.* 275	275
S. Eutychianus *obit*	*an.* 283	283
S. Cajus *obit*	*an.* 296	296
S. Marcellinus *obit*	*an.* 304	304
S. Marcellus, *creatus cum vacaſſet Sedes* IV *annis, obit*	*an.* 310	309
S. Euſebius *obit*	*eodem an.* 310	311
S. Melchiades *obit*	*an.* 314	313
S. Silveſter *obit*	*an.* 335	335
S. Marcus *obit*	*an.* 336	336
S. Julius *obit*	*an.* 353	352

Finit primus Catalogus, & nos hîc cum illo.

EXERCITATIO SINGVLARIS,

De anno & die mortis S. Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis.

TRactatui prædicto, *de primis Pontificibus Romanis, adjungimus hanc exercitationem: ut alii potius ſuam ferant ſententiam, hiſce argumentis ponderatis. Hic ergo quærimus, quoto Æræ Chriſtianæ anno, & quo menſis Aprilis die, ex hac mortali vita ad æterna gaudia regni cæleſtis S. Ambroſius deceſſerit. Etenim hujus quæſtionis reſolutio quadamtenus pendet ex tempore S. Anaſtaſii Papæ, cujus elogio hanc Diatribam junxiſſemus, niſi dignam æſtimaſſemus quæ ſeorſim ab illo legeretur. Menſem, cum omnibus paſſim ſcriptoribus aſſignamus Aprilem, in quo etiam Acta S. Ambroſii darentur, niſi illa more noſtro tranſmitteremus ad diem* VII *Decembris, quando ob ejus Ordinationem ſolenniſſimo cultu feſtum celebratur in eccleſia Mediolanenſi, imo & Romana. Nam in Miſſali, ad decorem ſanctæ Eccleſiæ Mediolanenſis anno* MDXXII *excuſo, præſcribitur non ſolum in dicto feſto, ſed etiam in Vigilia, propria Miſſa. Eccleſia Græca ſolenniſſimo ritu etiam celebrat feſtum S. Ambroſii dicto* VII *Decembris, cum elogio inſigni quod Menologio Baſilii Porphyrogeniti Imperatoris ſeculo Chriſti decimo inſertum fuit. Placidus Puricellus, in Zodiaco Eccleſiæ Mediolanenſis, ad Vitam S. Ambroſii, citatis Ioanne de Deis & Eugenio Cattanico, aſſerit,* in quodam Concilio Toletano ſtatutum, ut celebritas S. Ambroſii fieret in illius Ordinatione, quæ more Romano, Græco & Ambroſiano agitur VII Decembris.

Feſtum ordinationis ſolenne 7 Decembris.

etiam apud Græcos & Hiſpanos.

2 *In Breviario Romano, anno* MCCCCLXXIX *& poſtmodum ſæpius recuſo, dicto* VII *Decembris recitantur ad Matutinum novem lectiones de Vita S. Ambroſii, deſumptæ ex illa, quam Paulinus Presbyter illius, in pluribus, & potiſſimum in iis quæ ejus obitum ſpectant, teſtis oculatus, rogatu S. Auguſtini conſcripſit, ubi hæc de ſancti Præſulis morte habentur.* Honoratus Sacerdos Eccleſiæ Vercellenſis obtulit Sancto corpus Domini: quod ubi accepit, emiſit ſpiritum, bonum viaticum ſecum ferens. Atque inde ad eccleſiam majorem, antelucana hora qua defunctus eſt, corpus ipſius deportatum eſt; ibique eadem fuit nocte, qua vigilavimus in Paſcha. *Hæc ibi. Mortuus ergo eſt antelucana hora in Sabbato ſancto, non vero ſacratiſſima nocte diei Paſchatis, uti ex ejus Vita auctore Paulino ſcribere ſe putavit Baronius. Etenim apparet ex Paulini verbis, defuncti corpus mane delatum ad eccleſiam majorem, tota illa die ac ſequenti nocte ibi fuiſſe. At vero,* luceſcente die Dominico, *inquit Paulinus*, peractis Sacramentis divinis, corpus ejus de eccleſia levatur portandum ad baſilicam Ambroſianam, in qua poſitus eſt. Depoſitionis *memoria celebratur in Eccleſia Ambroſiana* feria quinta in Albis *ſive infra Octavam Paſchæ: & tum in præfato Miſſali Mediolanenſi, præter Miſſam Paſchalem, præſcribitur alia Miſſa de S. Ambroſio; atq; in Præfatione ſecundum uſum dictæ Eccleſiæ, indicatur* triumphus S. Ambroſii, à morte miraculis clari, æthereum migrantis ad regnum. *Et hæc de obitu S. Ambroſii Sabbato ſancto, ejuſq; cultu feria* V *Paſchatis, &* VII *Decembris.*

dies obitus eſt Sabbatum ſanctum Paſchæ.

feſtum depoſitionis feria 5 poſt Paſcha.

3 *Character anni, quo mortuus eſt S. Ambroſius indicatur à Paulino his verbis:* Revertens Ambroſius de urbe Aquileienſi uno die præceſſit Imperatorem. Nec diu clementiſſimæ memoriæ Theodoſius Impetor, ſuſceptis filiis in Eccleſia & traditis Sacerdoti, in hac luce fuit. Poſt cuius obitum fere triennium ſupervixit Ambroſius. *Hæc ibi. Aſt*, Olybrio & Paulino Conſulibus, Indictione VIII (*is eſt annus* CCCXCV) Theodoſium Magnum apud Mediolanum vita deceſſiſſe, *ſcribunt Marcellinus Comes, Proſper in Chronicis, & Socrates lib.* 5 *hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.* 25, *qui addit,* è vita abiiſſe decima ſeptima Januarii, nocte adveniente; poſt cujus obitum fere triennium ſupervixit Ambroſius, *id eſt inquit Baronius*, duos integros ac tertium inchoatum. *Verum, quidni* tres integros ac quartum inchoatum? *Nam particula* Fere *paſſim apud omnes iſtius temporis ſcriptores idem ſignificat, quod particulæ* Circiter & Quaſi, *adeoq; indifferens eſt æque ad exceſſum quam defectum deſiniti temporis ſignificandum. Hoc ut probetur evidenter, vel unicus ſufficit, qui tum vivebat, S. Hieronymus, & in re ſanctiſſima, ſcilicet in tranſlatione Euangelii S. Lucæ & Actuum Apoſtolorum ex Græco in Latinum; ubi ſine ulla exceptione indifferenterq; particulam Græcam ὡσεὶ Latine reddidit* fere, quaſi, circiter, *uti aliquot exemplis hîc placet indicare. Lucæ* 3 Jeſus *à baptiſmate* erat incipiens QUASI triginta annorum, *Græce* ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος. *Lucæ* 9 *Saturati quinque panibus* viri FERE quinque millia ὡσεὶ ἄνδρες πεντακισχίλιοι. *Lucæ* 23 *in paſsione Chriſti* erat hora FERE ſexta & tenebræ factæ ſunt, ὡσὶ ὡσεὶ ὥρα ἕκτη. *Actorum* 2, *poſt acceptum Spiritum ſanctum & ſermonem S. Petri*, appoſitæ animæ CIRCITER tria millia, ψυχαὶ ὡσεὶ τρισχίλιαι. *Actorum* 5 *Theodæ conſenſit* numerus virorum CIRCITER quadringentorum, ἀριθμὸς ἀνδρῶν ὡσεὶ τετρακοσίων. *Actorum* 19, *à Paulo Epheſi baptizati* omnes viri FERE duodecim ἄνδρες ὡσεὶ δεκαδύο. *Omittimus plura recenſere, cum hinc ſatis liqueat eamdem particulam Græcam ὡσεὶ pro libitu à S. Hieronymo Latine redditam*, quaſi, fere, circiter, *quod idem eſt ac ſi alia phraſi diceretur* plus minus *aut* præter propter. *Ergo cum* poſt obitum Theodoſii *dicitur* S. Ambroſius ſupervixiſſe fere triennium, *idem eſt ac ſi dicatur*, quaſi aut circiter triennium, *aut* præter propter, *aut* plus minus quam triennium: *hæc autem ſicut non neceſſario explicantur per defectum; ſed poſſunt imo debent explicari ſæpe aut etiam ſæpius per exceſſum (ut cum dicitur* Jeſus quaſi annorum triginta, *quos diebus* XIII *excedebat) ita etiam hic ad triennium adjici poſſent menſes duo: & ſic obierit S. Ambroſius anno* CCCXCVIII, XVII *Aprilis.*

favente particula fere eadem quæ circiter *ac* quaſi.

4 *Quod autem in caſu ſic fieri debeat probat* Character Indictionis XI *&* Conſulatus Honorii Imperatoris IV & Eutychiani, *in annum* CCCXCVIII *concurrentes in Chronico ad annum* DXXXV *deducto, ſub quibus characteribus Marcellinus Comes, iſta ſcribit:* Romanæ Eccleſiæ Anaſtaſius XXXVII Epiſcopus ordinatus, vixit annos quatuor. Ambroſius Mediolanenſis, virtutum Epiſcopus ſanctus, arx fidei, orator Catholicus, ad Chriſtum Dominum migravit. *Ita ad dictam Indictionem & indicatos Conſules traditur in editione ordinata ab Antonio Schonhovio Canonico Brugenſi, & ita ipſi legimus apud Margarinum Bignium in editione prima Pariſienſi bibliothecæ Patrum tomo* 2, *& in editione ſecunda tomo* 7, *item in bibliotheca Patrum Colonienſi à Severino Binio edita ſeculo* 6 *par.* 2. *Ediderunt etiam idem Marcellini Chronicon Ioſephus Scaliger cum Euſebii & aliorum antiquorum Chronicis, & anno* MDCXIX *Iacobus Sinmondus, ex pervetuſto & optimæ notæ codice bibliothecæ Tilianæ; & ubiq; eadem ad dictam Indictionem & prænotatos conſules, id eſt annum* CCCXCVIII, *traduntur: ut mirum ſit à Baronio in citata Vita S. Ambroſii ſcribi*, expreſſius recenſeri Ambroſii obitum à Marcellino Comite in Chronico, ſub Cæſarii & Attici Conſulatu, id eſt ad annum CCCXCVII, *quod nuſquam potuimus reperire.*

Eumdem probant Indictio XI *Honorio* I *& Eutychiano Co*

Annus habendus triennio poſt mortem Theodoſii Imperat.

5 *Verum ex præpoſito Pontificatu S. Anaſtaſii, in dicto Marcellini Comitis Chronico, ratio temporis ante relati manifeſta redditur, etiam ex ipſius Baronii confeſsione, qui annum Chriſti* CCCXCVIII *ita auſpicatur:* Aperitur novus

annus

annus Conſulatu quarto Honorii Imperatoris & Eutychiani, iuemque numeratus Domini trecenteſimus nonageſimus octavus, quo octavo Kalendas Martii Siricius Papa, cum ſediſſet annos tredecim, menſem unum,& dies quatuordecim,ex hac vita migrans,ſepultus eſt in cœmeterio Priſcillæ, via Salaria: *& dein num.* 2 *addit*, Vacaſſe Sedem, poſt Siricii obitum, dies viginti ... Qua ratione dicendum eſt, in locum ejus ſubrogatum ſucceſſorem pridie Idus Martias. Hic fuit Anaſtaſius,Maximi filius,Romanus. *Hæc Baronius: & huic æque ac Marcellino facem prætulit Proſper Aquitanus in Chronico, in quo iſta leguntur*, Conſulibus Honorio IV & Eutychiano, Romanæ Eccleſiæ XXXVII Epiſcopatum.tenet Anaſtaſius,annis quatuor. *Reliqua de S. Anaſtaſio ſupra in Catalogis Pontificum attinguntur, & latius explicantur infra* XXVII *Aprilis, quo die ejus Vitam illuſtramus. Poſt aſſumptum ergo ad Summum Pontificatum S. Anaſtaſium,pridie Idus Martias, ſive die* XIV *Martii,qui tunc incidit in Dominicam ſecundam Quadrageſimæ, ſuperſuit in hac mortali vita S. Ambroſius ad Sabbatum ſanctum, ſive diem prævium ante feſtum Paſchale, ut ſupra ex Paulino oſtendimus.*

nitium Anaſtaſii Pontificis Romani;

6 *Ejuſdem anni* CCCXCVIII *probatio deſumi poteſt ex pluribus Chronicis & codicibus pervetuſtis Mss. quos anno* MDCLXII *nos examinavimus Mediolani in illuſtri bibliotheca Ambroſiana, & apud* V. CL. *Ioannem Baptiſtam Blanchinum Iuriſperitum, virum in antiquitate Mediolanenſi eximie eruditum: in quibus codicibus tradebatur* S. Ambroſius, *præter* annos XXIV ſediſſe adhuc menſes IV, dies V aut X. *Memoratus ante Placidus Puccinellus, Decanus Caſinenſis & Indagator venerandæ antiquitatis, à nobis Mediolani interrogatus,qua de cauſa in ſuo Zodiaco ad Vitam S. Ambroſii, præter citatos Sedis annos appoſuiſſet integros* menſes quatuor & dies quinque; *ingenue reſpondit, ſe ita in antiquis codicibus reperiſſe. Fuiſſe autem S. Ambroſium in Epiſcopum ordinatum* VII *die Decembris, ex teſtimonio omnium Eccleſiarum & aſſidua ad illum diem veneratione ſupra deduximus. Iam vero ſi ad diem* VII *Decembris addantur menſes quatuor, habebitur dies* VII *Aprilis: huic ſi apponantur dies* X *(pro quibus alibi & facili errore ſcripti dies* V*) habebitur dies* XVII *Aprilis: qui dicto anno* CCCXCVIII *convenit in Sabbatum ſanctum, quo S. Ambroſium vita hac functum fuiſſe ſupra ex Paulino demonſtravimus. Fuit autem eo anno* CCCXCVIII *Paſcha celebratum die* XVII *Aprilis,cyclo Lunæ* XIX, *Solis* XV, *littera Dominicali* C.

Tempus Sedis quod fuit anni 24,

menſes 4

dies 10.

7 *Vltimum argumentum ſuggerit S. Gregorius Epiſcopus Turonenſis, qui ſeculo etiam ſexto floruit, & tradidit S. Ambroſium in extaſi celebraſſe exequias S. Martini Epiſcopi Turonenſis, quem lib.* I *hiſtoriæ Francorum cap.* 45 *aſſerit* tranſiiſſe media nocte, quæ Dominica habebatur, Attico Cæſarioque Conſulibus, *quod diximus* VIII *die Novembris contigiſſe; depoſitum vero* XI *ejuſdem menſis, quo deinceps celebrem in Eccleſia univerſa cultum habuit: & is eſt annus* CCCXCVII. *Hunc annum & diem obitus late probavimus* § VIII *ante Vitam S. Sigeberti Regis,die prima Februarii elucidatam, ad quam lectorem remittimus. Hunc eumdem annum & diem poſtmodum probaverunt Iacobus Grandamicus, in Chronologia Chriſtiana de Chriſto nato & rebus geſtis ante & poſt ejus nativitatem, ac potiſſimum in Appendice intervallo* 3 *cap.* 6; *Carolus le Cointe,in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum ad annum* 498 *num.* 7 *& ſequentibus; Ioannes Maan,in ſancta & Metropolitana Eccleſia Turonenſi,in Vita S. Martini cap.*30,*& alii. Neceſſario autem S. Ambroſius (ſi adhuc ſuperſtes, in extaſi interfuit ejus exequiis menſe Novembri anni* CCCXCVII, *& ipſe mortuus eſt eſt Sabbato ſanctæ Paſchæ) neceſſario, inquam, vixit adhuc anno ſequente toties indicato* CCCXCVIII.

S. *Ambroſium poſt obitum S. Martini, mortui anno* 397

8 *Deſcripſit Gregorius Turonenſis miracula S. Martini libris quatuor, & mox ſub initium cum de Scriptoribus Actorum, & ordinatione ac tranſitu ejuſdem egiſſet; capite quinto libri primi hanc hiſtoriam ita explicat, paſſim in Mss. Actis S. Martini repertam.* Eo tempore *(ſcilicet quo S. Martinus migravit ad Dominum)* B. Ambroſius, cujus hodie flores eloquii per totam Eccleſiam redolent, Mediolanenſi civitati præerat Epiſcopus. Cui celebranti feſta Dominicæ diei iſta erat conſuetudo, ut veniens Lector cum libro, non antea legere præſumeret, quam Sanctus nutu juſſiſſet. Factum eſt autem, ut illa Dominica, Prophetica lectione jam lecta, ante altarium ſtante qui lectionem B. Pauli proferret,beatiſſimus Antiſtes Ambroſius ſuper ſanctum altare obdormiret. Quod videntes multi, cum nullus eum penitus excitare præſumeret, tranſactis fere duarum aut trium horarum ſpatiis, excitaverunt, dicentes: Jam hora præteriit: Jubeat Dominus lectori lectionem legere: expectat enim populus valde jam laſſus. Reſpondens autem B. Ambroſius, Nolite, inquit, turbari: multum enim mihi valet ſic obdormiſſe, cui tale miraculum Dominus oſtendere dignatus eſt. Nam noveritis, fratrem meum Martinum Sacerdotem egreſſum fuiſſe de corpore; me autem ejus funeri obſequium præbuiſſe: peractoque ex more ſervitio, Capitellum tantum, vobis excitantibus non explevi. Tunc illi ſtupentes, pariterque admirantes, diem & tempus notant, ſolicite requirentes: qui ipſam diem tempuſque tranſitus Sancti repererunt, quo beatus Confeſſor dixerat ſe ejus obſequiis deſerviſſe. *Hæc S. Gregorius Turonenſis.*

AUCTORE G. H.

interfuiſſe ejus exequiis teſtantur S. Gregorius Turonenſis.

9 *Ex hujus rei memoria permanſit in Eccleſia Mediolanenſi ſumma erga S. Martinum Epiſcopum Turonenſem veneratio; &, ut prænotatur in antiquis Miſſalibus & Breviariis,* incipit liber Miſſarum totius anni ſecundum morem Ambroſianæ Eccleſiæ à vigilia & feſto S. Martini, *cum duplici adſcripta Miſſa. Item* incipit Breviarium ſecundum ſtylum & conſuetudinem Ambroſianæ Eccleſiæ, & primo in Vigilia S. Martini Epiſcopi & Confeſſoris. *Quo fit ut ab eo feſto incipiat Mediolanenſibus Adventus; ejuſq; ſex aſſignantur Dominicæ, præter Vigiliam Nativitatis Chriſti, ſi in Dominicam incidat. Sed quod maxime ad rem noſtram facit, dicta extaſi S. Ambroſii adſtipulatur Breviarium Ambroſianum, dum in matutina Lectione de S. Martino iſta præſcribuntur legenda*: Itaque ſanctitatis miraculorumque nomine illuſtris, jam unum & octoginta annos natus, animam Deo reddidit tertio Idus Novembris. Id quod S. Ambroſius præſenſit, qui eodem tempore ad altare arctiori ſomno correptus, tertiaque poſt hora excitatus, Scitote, inquit, fratrem meum Martinum exiſſe de corpore, meque ejus funeri piam operam dediſſe. *Hæc ibi,quæ confirmat ſupra laudatus Placidus Puccinellus in ſuo Zodiaco ad Vitam S. Ambroſii cap.* 30, *adducto ex codice Ms. bibliothecæ Ambroſianæ aliquo teſtimonio his verbis*: Hic *Ambroſius* ſuper altare,inter Lectionem & Epiſtolam, per ſpatium fere trium horarum in Eccleſia Mediolanenſi [*obdormiſcens interfuit*] ſepulturæ S. Martini, & cappa ferrea [*id eſt ferruginea*] indutus, corpus S. Martini ſepelivit: ubi chirothecam dimiſit Pontificalem. Tandem à ſomno excitatur, cum ultimam Orationem ſuper funus dicere incepiſſet. Quod poſtea compertum fuit, quoc totus populus Turonenſis ipſum oculis ſuis viderat ipſa hora & chirothecam. *Hæc ibi, quæ eadem videtur indicare Ioannes Petrus Puricellus in Monumentis Ambroſianæ baſilicæ cap.* 84.

Breviarium Mediolanenſe.

Ms. Ambroſianum

10 *Quando nos anno* MDCLXII, *ut ſupra inſinuavimus, Mediolani antiqua monumenta perſcrutabamur, conſpeximus opere muſivo in choro S. Ambroſii hanc hiſtoriam depictam; cui antiquitatem mille annorum tribuendam eſſe cenſet dictus Puricellus cap.*87, *allegato tractatu Franciſci Stavoli è Societate Ieſu, quem, ut virum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ admodum peritum, laudat. Fuit eadem hiſtoria ut vera & ſincera omni plane tempore æſtimata, & ut talis relatâ à Vincentio Bellovacenſi lib.*18 *Speculi hiſtorialis cap.*33; *S. Antonino, par.*2 *Chronici tit.* 10 *cap.*11 § 4; *Petro de Natalibus, lib.* 10 *Catalogi cap.* 47; *& paſſim ab aliis, quos enumerare longum*

picturâ à mille annis facta.

alii hiſtoricè.

AUCTORE G. H.

gum foret: ſufficiant Sanctorum Acta in quibus eadem hiſtoria attingitur. Auctor pervetuſtus Vitæ S. Antonii de Padua, ad diem XIII *Iunii illuſtrandæ, aſſerit hunc Sanctum apud Montem-Peſſulanum inter concionandum, capite operto inclinatum, aliquamdiu permanſiſſe; interim mirabili modo fuiſſe in propria eccleſia, & ſub ſummo ſacrificio* Alleluia *cecinisſe*, quemadmodum, *inquit*, olim S. Ambroſius legitur beatiſſimi Martini funus, licet procul corpore abeſſet, curaviſſe. *Dedimus* VIII *Ianuarii Vitam B. Laurentii Iuſtiniani, à Bernardo Iuſtiniano ſcriptam, in qua num* 46 *dicitur venerabilem Euchariſtiam ſacræ cuidam Virgini, magnæ ſanctitatis, ſed abſenti, impertiiſſe: & n.*47 *addit illud facilius credi poſſe*, quippe cum legerimus Divum Ambroſium, cum eſſet Mediolani, Divi Martini exequiis interfuiſſe apud ultimas Gallias: Divum Severum item Ravennatem Epiſcopum ad S. Geminiani exequias Mutinam in ſpiritu conceſſiſſe. *In Vita S. Severi, à nobis ad diem primum Februarii elucidata cap.* 6, *auctor ob dictum miraculum iſta addit:* In hoc ſpecialis doni miraculo æſtimare non immerito debemus Sanctum Domini Severum Archiepiſcopum, per omnia B. Ambroſio æquiparandum: quia ut ille beatiſſimus Hierarcha S. Martini incomparabilis viri natalitio deſervivit, ſic & iſte B. Geminiani. *Nam ut cap.* 3 *dictæ Vitæ S. Severi, & cap.*4 *Vitæ S. Geminiani, à nobis ad diem* XXXI *Ianuarii illuſtratæ, traditur; S. Severus celebrans Miſſam Ravennæ, cum Lector epiſtolam S. Pauli eſſet recitaturus, in extaſim raptus, interfuit exequiis S. Geminiani Mutinæ: quod Ravennates, miſſis Mutinam nuntiis, verum eſſe deprehenderunt. Floruerunt eodem tempore SS. Martinus & Ambroſius, prædictiq; duo, ſed ante illos defuncti, SS. Geminianus & Severus. Ioannes etiam Brugman parte tertia Vitæ B. Lidwinæ* XIV *Aprilis num.*236 *aſſerit, ab hac* viſum ſpiritum Gerardi Colonienſis in Ægypto mortui evolantem ad æthera, Domino concedente, qui glorioſum Antiſtitem Ambroſium de obitu ſanctiſſimi Confeſſoris Martini certificavit, & exequiis ejus intereſſe fecit. *Nolumus adferre plures hujus generis apparitiones, paſſim in Hiſtoriis ſacris & Actis Sanctorum obviæ.*

Auctor Vitæ S. Antonii de Padua.

B. Laurentii Iuſtiniani,

S. Severi Epiſcopi Ravennatis

S. Geminiani Ep. Mutinenſis.

& B. Lidwinæ,

11 *Laudatus ante Puricellus in Monumentis Ambroſianæ Eccleſiæ cap.* 75 *& ſequentibus agit de Baſilica Fauſtæ, & cap.* 82 *aſſerit*, prope Eccleſiam Fauſtæ in Odeo expreſſam baſilicam Ambroſianam, & inſcriptum nomen MEDIOLANIUM. Infra vero, *inquit* S. Ambroſius Miſſam celebrans, altari ſub tribuna rectus quidem at dormientis in modum accumbit, capite ſupra cubiti dexteri manum reclinato: præterea vero etiam Lector coram nonnullis aliis, Miſſæ ſacro adſtantibus, ſomnique illius novitatem pariter ac diuturnitatem mirantibus ... Ex adverſo latere inſcriptum TORONICA, & in eadem eccleſia dum S. Martino funus celebratur, S. Ambroſius itidem illi præſens adnotatur, & ſubjecti verſus ſunt hujuſmodi.

donique pictura in baſilica Fauſtæ

cum verſibus adjunctis.

✠ Martinus moritur, ſed vitæ dona meretur:
Triſtatur mundus, adjubilatque polus.
Mors ſua digna bono fertur celebrata Patrono,
Spiritus Ambroſii dum famulatur ibi.

12 *Hæc pluribus Puricellus, aſſerens* baſilicæ ſtatum effingi, qualem Ambroſii tempore habuerat. *At cap.*85 *iſta habet hîc indicanda*: Communis paſſimque per Eccleſiam Catholicam recepta opinio hæc erat, priuſquam Cardinalis Baronius eam erroris manifeſti argueret, cum in ſuis Notationibus ad Martyrologium Romanum ſub die quarta Aprilis & undecima Novembris, tum etiam in Annalibus ad annum Chriſti CCCLII & CCCCII, nec non etiam in S. Ambroſii Vita, quam ejuſdem operibus, prælo poſtea impreſſis diligenter à ſe collectam præmiſit. Hisnamque in locis doctiſſimus ille antiquitatis veſtigator acerrime contendit, S. Martini funus minime vero per S. Ambroſium procurari potuiſſe: quippe cum hic obierit anno Chriſti CCCXCVII, Martinus autem quinquennio poſt, ſive anno CCCCII. Quæ quidem Baronii doctrina, tametſi recenter tradita, & tot tantiſque veterum ſcriptorum ac monumentorum teſtimoniis adverſa, & ipſa vel etiam novitate ſuſpecta; mirum tamen eſt quantopere poſtmodum pleriſque viſa fuerit vendibilis & palmaris. Itaque cum recudendum typis eſſet Breviarium Ambroſianum, non defuere viri graves, qui Cardinali Archiepiſcoque noſtro Federico Borromæo religionem injicere conarentur, ut ejuſmodi miraculum è Matutina S. Martini Lectione, recitari jam ſolita, detrahi juberet, tam quam commentitium, nec ulla prorſus fide dignum. Sed immotus ad hæc, nec è ſententiæ ſuæ ſtatu quidquam dimotus Cardinalis, antiquitatem ipſam, ſummo ſemper, ſi quiſquam alius, in honore ac pretio habere ſolitus, præciſe reſpondit; non ita facile derogandam eſſe fidem hiſtoriæ ſacræ, quam tantus Eccleſiæ Doctor, ſanctitate, prudentia, gravitate, ſapientia, eruditione commendatiſſimus, Gregorius Epiſcopus Turonenſis, circiter annum Chriſti DLXX ad eam Sedem promotus, ac circiter DXCV poſtea defunctus, non temere ſed abſque dubio è continuata Turonenſium traditione, certiſque illius Eccleſiæ monumentis acceptam (vel etiam è Mediolanenſis, è quibus alia tam multa in ſuos contraxit libros) tam fidenter litteris inter S. Martini miracula (qua quidem in re illum quam maxime cautum eſſe oportebat) conſignaſſet: quamque poſtea communis non Ambroſianæ modo, ſed etiam Romanæ conſenſus Eccleſiæ comprobraſſet: quin etiam cujus defenſioni ſua non deeſſent rationum monumenta. Irent igitur ipſi, ſibique uni hunc ſcrupulum reſervarent: ſe quidem nolle ut in ea Breviarii Ambroſiani parte quidquam innovaretur. Quo circa nec aliquid exinde innovatum fuit, quodque ſupra recitabamus, in hanc uſque diem conſtanter perſeverat. *Hæc Puricellus in Baſilica Ambroſiana monumentis anno* MDXLV *excuſis.*

conſtans ſententia Federici Borromæi,

jubet hiſtoriam retineri in Breviariis,

13 *Verum corruit præſcripta Baronii argumentatio, per obitum tam S. Martini quam S. Ambroſii ad veram chronologiam exactum. Nam ſatis ſuperq; oſtenſum eſt, S. Martinum anno* CCCXCVII, *die* VIII *Novembris mortuum &* XI *depoſitum fuiſſe: & jam hoc tractatu hactenus eſt demonſtratum, S. Ambroſium ſuperfuiſſe uſq; in Sabbatum ſanctum Paſchæ anni ſequentis* CCCXCVIII; *quod vel maxime confirmatur ex ipſa S. Gregorii Turonenſis relatione, quod S. Ambroſius interfuerit exequiis S. Martini. Plurimum ergo gratulamur Eccleſiæ Ambroſianæ urbis & provinciæ Mediolanenſis de tam præclara antiquitate ab Eminentiſſimo Cardinali Borromæo tam conſtanter conſervata: utinam & alibi idem factum fuiſſet.*

& merito.

5 Vincentius Ferrerius Ord. Prædicatorum Veneti in Armoricis. § 1 Varii Vitæ ſcriptores. Cultus ſacer 477. § 2 Chronologia ab nativitate ad an. 62 ætatis 679. § 3 Quæ loca & quo tempore ſint ejus prædicatione illuſtrata 480. § 4 Ultimum vitæ decennium explicatum 481. Vita auctore Petro Ranzano Ord. Prædicat. *ex Mss.* 48. *Lib.* 1 Geſta uſque ad maturam ætatem. *Cap.* 1 Nomen. Præſagia ante nativitatem: pueritia & adoleſcentia 484. *cap.* 2 Ingreſſus in Ord. Prædic. Studia Theologica. Conciones 486. *cap.* 3 Infeſtationes dæmonum, tentationes à mulieribus illatæ. Fama à detrahente lacerata, & reſtituta 487. *Lib.* 2 Res in matura ætate geſtæ. *Cap.* 1 Labores in ſchiſmate Eccleſiæ. Apparitio Chriſti. Auctoritas Euangelii prædicandi 490. *cap.* 2 Conciones in variis regnis habitæ. Methodus vivendi, circumducendi comites & convertendi alios 493. *cap.* 3 Efficacia concionum: converſio Judæorum, Saracenorum, aliorum. Donum linguarum. Occurſus Principum & aliorum 494. *cap.* 4 Conſilium in rebus fidei & politicis. Orationis gratia. Adhortatio S. Dominici apparentis 496. *Lib.* 3 Prophetiæ donum. Miracula in vita patrata 498. *Cap.* 1 Varia prædicta quæ evenerunt 498. *cap.* 2 Abſentia & abſcondita revelata 500. *cap.* 3 Mortuis vita & mutis loquela data. Panis & vinum non diminutum 502. *cap.* 4 Dæmones expulſi & coërciti. Tempeſtates, pluvia & ſiccitas nimia ſublata 504. *cap.* 5 Morbi curati. Calumniæ depulſę 507. *Lib.* 4 Acta duobus ultimis annis. Mors, ſepultura. *cap.* 1 Acceſſus in Britanniam Armoricam, mora, morbus, obitus 509. *cap.* 2 Exequiæ. Miracula poſt mortem 511. Alia miracula ad ſepulcrum patrata, Auctore Franciſco Caſtilionæo *ex Mss.* 512 Alia miracula ex proceſſu Venetenſi, à Ber-

à Bernardo Guyardo de Jesu Maria collecta *ex Gallico. cap.* 1 Miracula Veneti, maxime civibus facta 514. *cap.* 2 & 3 Miracula patrata diœcesanis 516 & 519. *cap.* 4 Miracula in aliis Britanniæ Episcopatibus patrata 521. Gloria posthuma *ex variis. Cap.* 1 Acta pro Canonizatione 423. *cap.* 2 Ordo Canonizationis ex Bulla Pii II 524. *cap* 3 Elevatio, Reliquiæ, occultatio corporis 525. *cap.* 4 Inventio, recognitio & translatio anni 1637 facta 526. *cap.* 5 Festum translationis 6 Septemb. 529

6 Urbanus M. *ex Martyrologiis* 538

3 Ulpianus M. Tyri in Phœnicia, *ex Eusebio & Martyroll.* 250

3 Urbicus Ep. Claromontanus. *Ex Actis S. Austremonii, Greg. Turonensis & aliis* 251

9 Virgines v Martyres Sirmii *ex Mroll.* 819

9 Virgines VII Canonicæ Mart. *Ex Mroll.* 820

2 Vrbanus M. Thessalonicæ. *Ex Martyrologiis* 67

7 Vrsulina Virgo Parmæ in Italia 723 Vita auctore Simone de Zanachis Carthusiano *Ex MSS.* 725. *Cap.* 1 Nativitas & adolescentia divinis revelationibus illustrata 726. *cap.* 2 Avenionense iter ad commonendum Clementem Antipapam 728. *cap.* 3 Iterata Avenionem profectio & constantia inter schismaticos ferocientes 729. *cap.* 4 Peregrinatio in Terram sanctam: Obitus Veronæ in exilio 733. *cap.* 5 Virtutes & adhortatio ad eam imitandam 735. *cap.* 6 Miracula 738

W.

1 WAlaricus Abbas Leuconaensis in Picardia *Comm. prævius* § 1 Tempus vitæ, Acta conscripta, etiam Translationum. Dies obitus num 1 Apr. an 12 Decembris? Cultus sacer 14. §. 2 Annus mortis, Corporis varia conservatio 14. Vita à Ragimberto Abbate prope coævo primum scripta, postea ab alio interpolata *ex MSS.* Prologus 16. *Cap.* 1 Ortus, vita pastoritia dein monastica variis in locis, potissimum Luxovii 17. *Cap.* 2 Peregrinatio in Neustriam & Winmacensem ditionem; mortuus resuscitatus; alia miracula 19. *cap.* 3 Spiritus S. Walarici propheticus: donum curationum; idolum ejus jussu dejectum 20. *cap.* 4 Irrisores ejus puniti. Virtutes, forma corporis, obitus, sepultura 21. *cap.* 5 Miracula post mortem patrata: ecclesia cum monasterio constructa 22. Relatio corporis & miracula *ex MSS. Cap.* 1. Corpus ad monasterium S. Bertini delatum 23. *cap.* 2 Ab Hugone Capeto relatum ad proprium monasterium 24. *cap.* 3 Miracula sub quatuor Abbatibus facta 25 Supplementum *ex libro 3 Vitæ Metricæ MS.* 27 Appendix. Fulcherensis prædii possessio miraculis vindicata illato S. Walarici corpore *ex MS.* 29

9 Waldetrudis fundatrix parthenonis Canonissarum Montibus Hannoniæ 829. Vita *ex MSS.* 837. *Cap.* 1 Genus, matrimonium, continentia, 838. *cap.* 2 Vita solitaria dein monastica. Colloquium cum S. Aldegunde 835. *cap* 3 Miracula, obitus 841, Appendix *ex Hermanno Abbate S. Martini Tornac.* 842

6 Wilhelmus Ab. Roschilden. in Dania Ord. Canonicorum Regular. S. Victoris. §. 1 cultus, Canonizatio, Professio 620. §. 2 Scripta Vita & miracula. Acta Parisiis illustrata 622. Vita auctore ejus discipulo *ex Ms. Cap.* 1 Canonici seculares ad S. Genovefæ. Regulares introducti 625. *cap.* 2 è seculari Canonicus Regularis magni zeli exempla præbet 627. *cap.* 3 In Daniam accersitus fit Abbas Roschildensis, & multa adversa fortiter sustinet 630. *cap* 4 Ejus virtutes & viventis miracula 632. *cap.* 5 Felix obitus, signa futuræ gloriæ prægressa ac secuta 634. *cap.* 6 7 & 8 Miracula post transitum 636, 638, 641.

6 Winebaudus Abbas Trecis 572 Vita *ex Promptuario Tricassino Camuzati* 573

Z

5 ZEnon M. apud Græcos *ex Menæis* 399

10 Zenon Afer M. 860 Vita *ex MS. Græco* 861

2 Zonisus M. Thessalonicæ *ex Martyrologiis* 67

2 Zosimas Presbyter monachus in Palæstina. §. 1 Ætas longe anticuior quam vulgo creditur 67

2 Cultus 4 Aprilis 70

3 Zosimus M. Tomis in Scytia, *ex Martyrologiis* 244.

INDEX CHRONOLOGICVS.

I CHRISTI SECULUM.

INitium primi seculi cum Æra Christi vulgari, quæ etiamnum fluit incidit in Consulatum Cossi Cornelii Lentuli & L. Calpurnii Pisonis.

Anno VI præ vio Jesus Christus incarnatus est XXV Martii, & natus XXV Decembris.

Anno IV prævio, Herode mortuo, regnat Archelaus. At post cœptam Æram

Anno 11 Tiberius cum Augusto Imperium administrat.

Anno 14 Tiberius, mortuo Augusto, solus imperat.

Anno 26 Christus baptizatur à Joanne VI Januarii.

Anno 29 Christus expletis vitæ annis XXXIII & mensibus III, in Cruce mortuus est XXV Martii, & resurrexit XXVII, Consulibus duobus Geminis.

Anno 40 S. Petrus Cathedram Romæ collocat.

Anno 65 SS. Petrus & Paulus sub Nerone, tunc Romæ præsente, martyrio coronantur.

Anno 67 S. Linus Papa obit Martyr.

Anno 77 S. Clemens, abdicato Pontificatu, vivit Episcopus, Apostolicus usque ad annum 100. Interim sederunt Cletus, Anacletus, Euaristus.

Omnia hæc, cum successione aliorum Pontificum usque ad annum DXXV, *explicantur in* Diatriba præliminari usque ad pag. XXXVII.

Seculo 1 S. Prochorus è primis Diaconis Ep. Nicomediæ, Mart. Antiochiæ 818

S. Ctesiphon Ep. Vergii in Hispania prædicat 4 a

SS. Herodion Novarum Patrarum, Asyncritus Hyrcaniæ, Phlegon Marathonis, & Hermes Dalmatiæ Episcopi Martyres 741

SECULUM II.

Anno 116 Martyres plurimi à S. Alexandro Papa baptizati coronantur 859

SS. Victor & Aëtius Episcopi Barcinonenses martyrio coronantur 321

Anno 117 S. Theodora, soror S. Hermetis, Romæ obit Martyr 5 b

S. Alexandro Papa mortuo, ante ejus Vicarius successit Sixtus 1 Papa 533 b

Anno 127 S. Sixtus 1 Papa Martyr obit anno 1 Hadriani Imp. 533 c

Anno 170 Melito Ep. Sardium Apologeticum scribit pro Christianis & alia plura 11

Circa 180 S. Dionysius Ep. Corinthiorum obit. 742

S. Hegesippus scriptor Ecclesiasticus obit 656

III. SECULUM.

Sub Decio SS. Terentius, Africanus, Maximus, Pompejus, Zenon, Alexander, Theodorus & alii XXXII aut XXXVI Martyres Afri. 860

Judæi

Judæi ad fidem converſi, Mart. Leontinis in Sicilia 819
Anno 288 S. Vrbicus à S. Auſtremonio ordinatur Epiſcopus Claromontanus 252 e
Anno 289 S. Chryſogonus obit Martyr Aquileiæ, Diocletiano præſente 247 e
Anno 490 SS. Agape, Chionia & Irene ſorores martyrio coronantur Coſſ. Maximiano Imp. III & Diocletiano IV 247 d
Circa 300 Prudentius Ep. Atini in Italia Mart. 12

IV. SECULUM.

Initio ſeculi 4 SS. Agathopus Diaconus & Theodulus Lector, Theſſalonicæ in mari ſubmerſi coronantur 321 f
Anno 304 S. Ædeſius Alexandriæ Martyr obit 746
S. Calliopius Pompejopoli in Cilicia capite inverſo crucifigitur 659
Sub Maximiano S. Polycarpus & ſocii Martyres Alexandriæ 56
S. Apphianus M. Cæſareæ in Palæſtina 59
S. Theodoſia V. M. Cæſareæ in Palæſtina 61
Circa 310 SS. Rufinus Thaumaturgus Diac. Aquilina & CC Milites Mart. Sinope ad Pontum Euxinum 662
Circa 312 S. Vrbicus Ep. Claromontanus obit 252 e
Poſt 355 SS. Deſa Ep. Mariabus Presb. Abdieſus & alii CCLXX Bizabdenſes in Perſide Mart. 821
Anno 362 S. Eupſychius M. obit Cæſareæ in Cappadocia ſub Juliano 822
Circa 376 S. Badimus Archimandrita M. ſub Sapore R. Perſarum 824 825 a
Sub finem ſec. 4 S. Aphraates Anach. in Syria obit 664

V. SECULUM.

S. Acacius Ep. Amidæ in Meſopotamia 826
Anno 411 Collationi, Carthagine cum Donatiſtis habitæ, præfuit S. Marcellinus 540 d
Anno 413 Idem in eadem urbe obit Martyr. 539
Anno 421 S. Maria Ægyptiaca videtur obiiſſe 68 e
Anno 425 S. Cæleſtinus Papa creatur. 543 a
Anno 431 Conciliũ Oecumenicũ Epheſi habitũ 544
Anno 432 S. Cæleſtinus Papa obit VI Aprilis 543
Circa 446 S. Amantius Ep. Comenſis obit 747
Circa 456 SS. Martyres Afri ſub Geiſerico in Paſchate occiſi ſunt 400
Anno 461 S. Perpetuus creatur Ep. Turonenſis 748 c
præeſt Concilio Turonenſi 749 d
Anno 468 S. Abundius Ep. Comenſis in Italia obit 2 Aprilis 90 b
Circa 490 S. Perpetuus Ep. Turonenſis obit 748

VI. SECULUM.

5 *aut* 6 *ſec.* S. Georgius ſolitarius in Malæo monte Peloponeſi 326
Sub initium ſec. 6 S. Marcellus Ep. Dienſis in Gallia obit 826 827 c
Seculo 6 S. Muſa Virgo Romana Floret. 94
Anno 512 S. Eutychius Patriarcha CP. naſcitur 548 b
Circa 513 S. Nicetius dein Epiſc. Lugdunenſis naſcitur 95 a
Anno 542 S. Eutychius Patriarcha CP. ordinatur Presbyter 548 b
Circa 550 S. Tigernacus Ep. in Hibernia 401
Anno 551 S. Nicetius ordinatur Epiſcopus Lugdunenſis 95 a
Anno 552 S. Eutychius creatur Patriarcha CP. 548 b
Anno 553 Concilium V Oecumenicum Conſtantinopoli habitum 556 557
Anno 560 S. Eutychius Patriarcha CP. exul ducitur Amaſeam 548 c
Anno 572 Perſicum bellum cum Romanis renovatum 563 b 564 b
Anno 573 S. Nicetius Ep. Lugdunen, obit 2 Apr. 95
Anno 577 S. Eutychius Patriarcha CP. ab exilio revocatur ad Sedem ſuam 548 c
Anno 582 Idem obit 6 Aprilis, dein Tiberius Imp. 14 Auguſti 548 c e
Circa 586 S. Redemptus Ep. Ferentinus in Latio obit 752

VII. SECULUM

Seculo 7 S. Dodolinus Ep. Viennæ in Gallia 30
Circa 612 S. Walaricus Er. venit Leuconaum in Picardia: obiit ibidem Abbas *anno* 619 *aut* 622, 14, 15
Circa 620 S. Winebaudus Abbas Trecis obit 572
Circa 641 Joannes Papa IV corpora Sanctorum ex Dalmatia Romam transfert 6 b
Anno 636 S. Iſidorus Ep. Hiſpalenſis moritur 328 d
Circa 661 S. Palladius Ep. Autiſſiodoren. obit 864
Circa 665 S. Leuconius Ep. Trecenſis obit 12
Sub finem ſec. 7 S. Waldetrudis fundatrix Parthenonis Canoniſſarum obit 829

VIII. SECULUM.

Anno 722 S. Hugo creatur Archiepiſcopus Rotomagenſis 843 e
Anno 730 Idem obit 843 e
Anno 735 S. Plato Hegumenus naſcitur 365 d
Anno 758 Idem fit monachus in cœnobio Symbolorum 365 d
Anno 770 Creatur Hegumenus ejuſdem monaſterii 365 d
Anno 782 Item monaſterii Sacudionis 363 e
Anno 794 Abdicatâ præfecturâ fit recluſus 363 e
Circa 800 S. Attalas Abb. Ord. S. Benedicti, Tauromenii in Sicilia 253

IX. SECULUM.

Anno 807 S. Plato à Nicephoro Imp. mittitur in exilium 363 f
Anno 813 obit 17 Martii, ſepelitur & colitur 4 Aprilis 363 f 364 a
Circa 816 S. Georgius Ep. Mitylenæ in inſula Lesbo obit exul 668
Anno 824 S. Nicetas Hegumenus Medicienſis in Bithynia obit 253 c
Circa 828 S. Philaretus monachus Ord. S. Baſilii obit Martyr. 753
836 S. Venantii M. corpus transfertur Arimino Fuldam 7
Anno 830 S. Macarius Hegum. Monaſterii Pelecetes Confeſſor ſub Iconomachis 30
Circa 839 S. Berthamus Ep. in Scotia obit 605
Anno 853 S. Joannes IV Ep. Neapolit. obit poſt annos Sedis pluſquam 17 31
Anno 870 B. Notkerus Balbulus floret, & Martyrologium ſcribit 577 b
Anno 883 S. Joſephus Hymnographus obit Conſtantinopoli 266 268 f
Anno 873 S. Beda junior fit monachus in Rhodigino Italiæ territorio Obit *anno* 883 866 f
Anno 892 Monaſterium Trecenſe S. Lupi à Normannis everſum 572 c
Sub Iconom. S. Titus Thaumaturgus Presbyter Hegumenus apud Græcos floruit 101

X. SECULUM.

Anno 903 S. Elias monachus in Calabria obit 17 Julii 605 e
Anno 912 B. Notkerus Balbulus monachus Sangallenſis in Helvetia obit 576 577 c
Anno 981 Corpus S. Walarici monaſteriolo capro deportatum

portatum ad monaſterium S. Bertini ad proprium locum refertur, uti & corpus S. Richarii, ab Hugone Capeto 23

XI. SECULUM.

Seculo 11 Canonici Regulares S. Rufi clarent in Provincia 620 c
B. Eberhardus ex Comite Nellenburgenſi monachus Ord. S. Benedicti 669
Anno 1012 S. Macarius Archiep. Antiochenus Gandavi obit 874 876 d
Anno 1020 S. Philaretus Junior naſcitur in Sicilia 605 f
Circa medium ſeculi S. Caſilda Virgo Toletana obit 847
Anno 1035 S. Hugo poſtea Epiſcopus Gratianopolitanus naſcitur 36
Anno 1058 B. Paternus recluſus Paderbornæ in ſua cella comburitur 896
Anno 1063 S. Iſidori Ep. Hiſpalenſis corpus transfertur Legionem 357 d
Anno 1064 Schafhuſienſe monaſterium à B. Eberhardo conſtructum dedicatur 670 e
Anno 1067 S. Macarii Archiep. Antiocheni corpus Gandavi elevatur 874 c
Anno 1070 S. Philaretus Junior monachus in Calabria obit 605
Anno 1079 S. Geraldus conſtruit monaſterium Silvæ-majoris 420 e
Anno 1080 S. Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus ordinatur 36
Anno 1090 S. Aybertus fit monachus Criſpinii in Hannonia 672 c
Anno 1095 S. Geraldus Ab. Fundator Silvæ-majoris in Aquitania obit 409 427 f
Sub finem ſeculi S. Galterius Ab. S. Martini juxta Pontiſaram obit 753

XII. SECULUM.

Seculo 12 S. Hugo Abbas Bonæ-Vallis in Delphinatu 46
Anno 1127 S. Albertus Ep. Montis-Corvini in Apulia obit 433
Anno 1128 S. Celſus Archiep. Armacanus in Hibernia obit 619
Anno 1129 Canonici Regulares incipiunt Conventum S. Victoris Pariſiis 620 f
Anno 1130 S. Gaucherius Prior Canonic. Regularium obit 850
Anno 1132 S. Sixti I Papæ corpus datur Aliffenſibus, ſed media via factum immobile, Alatrum infertur 534 d e 907
S. Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus obit 36
Anno 1134 Idem canonizatur 37
Anno 1135 Regula Auguſtiniana in monaſterio Trecenſi S. Lupi accepta 572 e
Anno 1140 S. Aybertus recluſus Ord. Benedictini in Hannonia obit 672
Circa 1140 S. Geraldi Ab. Silvæ-majoris Vita prior ſcripta 411 b
Anno 1147 Canonici Regulares incipiunt Conventum S. Genovefæ Pariſiis 620 a 623 a
Anno 1153 Ad honorem S. Sixti I Papæ & aliorum dicatur altare Aletrii 535 a
S. Galterii Ab. corpus transfertur Pontiſaræ 768 f
Anno 1156 S. Bertholdus ,cœpit Carmeli habitationem 784 b
Anno 1172 S. Wilhelmus fit Ab. Roſchilden. in Dania Ord. Canon. Regular. 621 a
Anno 1179 S. Winebaudi Ab. Trecenſis Reliquiæ exornantur 572 a 573 a
Circa 1180 B. Albertus fit Prior Mortarienſis 769 f
Anno 1184 Conſecratur Ep. Vercellenſis 769 f
Anno 1185 In Carmelo degunt 10 eremitæ ſub ſene Sacerdote 779 e f
Circa 1190 S. Geraldi Ab. Silvæ-majoris Vita poſterior ſcripta 411 c
Anno 1192 S. Geraldus Abbas Silvæ-majoris à Cæleſtino 3 Papa Sanctis adſcribitur 409 c d
Anno 1193 B. Juliana Cornelienſis Retinnæ prope Leodium naſcitur 440 a b

XIII. SECULUM.

Anno 1203 S. Wilhelmus Ab. Roſchilden. in Dania Canonicorum Regular. obit 620
Anno 1204 B. Albertus eligitur Patriarcha Hieroſolymitanus 772 b 773 f
Anno 1208 B. Juliana Cornelienſis incipit illuſtrari viſione de feſto Ven. Sacramenti 440 b
Anno 1209 S. Mariæ Jacobi corpus dicitur Verulæ inventum 815 b
Videtur Regula à B. Alberto Brocardo & Eremitis in Carmelo ſcripta 786 e
Anno 1216 S. Dionyſii Ep. Corinthiorum corpus Pariſiis excipitur 745 a
Anno 1224 S. Wilhelmi Ab. Roſchilden ab Honorio 3 Canonizatur 621 b
Anno 1226 Regula Carmelitis approbata ab Innocentio 3 Papa 791
Circa 1230 B. Nicolaus de Arcu Ord. Ciſterc. in Sicilia 48
Gregorius 9 confirmat Regulam Carmelitarũ 793 b
Poſt 1230 B. Hermannus Joſephus Ord. Præmonſtrat. Steinfeldiæ in Germania obit 682
Anno 1238 S. Wilhelmus Ab. Roſchilden. corpus transfertur 621 c
Circa 1240 S. Gilbertus Ep. Cathenenſis in Scotia 49
Anno 1246 Feſtum ven. Sacramenti Corporis Chriſti cœptum eſt celebrari 440 b c
Anno 1247 Innocentius IV mitigat & auget Regulam Carmelitarum 794 b
Anno 1250 S. Waldetrudis caput à corpore avulſum ob peregrinantium venerationem 830 d e
Anno 1253 S. Richardus Ep. Ciceſtriæ in Anglia obit 277
Anno 1258 B. Juliana Cornelienſis Foſſis moritur 440 c d
Anno 1270 B. Clemens eligitur Generalis Eremitarum S. Auguſtini, dein abdicat ſe, & iterum aſſumitur 804 b c
Anno 1287 Honorius IV Papa permittit pallium album aſſumi à Carmelitis loco carpitæ ſeu cappæ barratæ 800 c d
Anno 1291 B. Clemens Generalis Eremitarum S. Auguſtini obit 804 c

XIV. SECULUM.

Anno 1303 Corpus S. Ayberti capſæ incluſum transfertur 672 f
Anno 1322 B. Thomas de Tolentino & tres ſocii ex Ord. S. Franciſci in India Martyres 50
Anno 1342 B. Martinus ſolitarius Genua obit 805
Anno 1349 SS. Waldetrudis & Vincentii corpora in proceſſione delata 830 f
Anno 1257 S. Vincentius Ferrerius naſcitur 479 d
Anno 1374 Idem habitum Ord. Præd. accipit 479 d e
B. Antonius Pavonus Ord. Præd. Martyr. obit 852
Anno 1384 S. Vincentius Ferrerius creatur Magiſter in Theologia 479 f
Anno 1395 Confeſſarius & Magiſter ſacri Palatii 480 a
Anno 1396 à Chriſto conſtituitur Præco Euangelicus 480 a
Anno 1398 Prædicat in Catalaunia 480 d 494 e

Anno

Anno 400 in Provincia 480 e

XV. SECULUM.

Annis 18 S. Vincentius Ferrerius prædicat in Hiſpania, Gallia, Belgio, Anglia, Scotia, Hibernia 480,481,482
Anno 1410 B. Urſulina Parmenſis Virgo obit 723
Circa 1415 Guilielmus Cuffitella eremita Xiclenſis in Sicilia obit 379,379 c
Anno 1419 S. Vincentius Ferrerius moritur Veneti in Armoricis 477,480 b c
Anno 1453 Eugenius 4 mitigat Regulam Carmelitis circa eſum carnium 795 c d
Anno 1437 S. Franciſcus de Paula in Calabria in oppido Paula naſcitur 106 f 195 d 196 a
Anno 1448 SS. Mariæ Jacobi & Salomæ inventa ſunt corpora, facta inquiſitione coram Legato Apoſtolico 816 e f
Anno 1455 Petrus Ranzanus ſcribit Vitam S. Vincentii Ferrerii 478 a
Anno 1456 Ejuſdem corpus elevatur die 5 Apr. 525 e
Anno 1458 Bulla Canonizationis editur 524, 525
Anno 1464 Corpus S. Ayberti novæ capſæ imponitur 672 f
Anno 1467 S. Franciſcus de Paula eccleſiam primam Paulæ ſtruit 199 d
Anno 1470 S. Franciſcus Caſtilionenſis ſcribit Vitam S. Vincentii Ferrerii 478 c
Anno 1471 Pyrrhus Archiepiſcopus Conſentinus confirmat Ordinem S. Franciſci de Paula 195 f
Anno 1474 Idem facit Sixtus IV per Epiſcopum S. Marci 196 c
Anno 1478 B. Catharina Palantina, fundatrix monaſterii S. Mariæ de Monte ſupra Vareſium in Ducatu Mediolanenſi, obit 643
Anno 1480 Reliquiæ SS. Hyacinthi, Eliſabethæ, Paulini, Ægidii, Catharinæ, ex Hungaria delatæ Vlyſiponem 898 e f
Anno 1490 Puer à Judæis crucifigitur in Hiſpania in diſtrictu Toletano 3 d

XVI. SECULUM.

Anno 1501 Juliana, B. Catharinæ Palantinæ ſocia, & Sancta habita, moritur 650 c
Anno 1502 Vita S. Franciſci de Paula adhuc viventis ſcribitur Gallice, hic Latine editur 103 f 106 c
Anno 1502 Ejuſdem ſecunda Regula probata, & anno ſequenti tertia, & anno 1506 quarta 209 c f
Anno 1502 B. Catharinæ Palantinæ corpus, auctoritate Alexandri VI Papæ transfertur 650 a
Anno 1507 B. Urſulinæ Virg. corpus arcæ marmoreæ Parmæ incluſum 724 f
Anno 1509 B. Hermanni Joſephi tumba Reliquiarum in medio templi collocata Steinfeldiæ 684 b
Anno 1512 B. Notkeri Canonizationis Proceſſus inſtitutus juſſu Julii II Papæ 596
Anno 1413 Eidem decernitur & defertur cultus Beati 6 3
Anno 1533 B. Catharinæ Palantinæ miraculis coruſcæ conditur monaſterium 644 b
Anno 1538 Decreta feſtivitas à Paulo III Papa B. Guilielmo Cuffitella 378 a
Anno 1516 Reliquiæ SS. Benedicti, Scholaſticæ, Rochi, Mauri, Placidi & Yvonis ex Francia delatæ Vlyſiponem 898 d e
Anno 1547 Julianæ, B. Catharinæ Palantinæ ſociæ, corpus transfertur in chorum 650 d
Anno 1562 Corpus S. Franciſci de Paula ab Hugonottis comburitur, Reliquiis aliquibus aſſervatis 220 f 221
Anno 1569 Reliquiæ SS. Agathæ, Cæciliæ, Barbaræ, Dorotheæ, Felicitatis & Alexii, Florentia tranſlatæ Vlyſiponem 898 f 899 a b
Anno 1571 Reliquiæ SS. Bartholomæi, Theclæ, Joſaphat, Mariæ Ægyptiacæ & Pelagiæ Venetiis tranſlatæ Vlyſiponem 899 c
Anno 1584 S. Sixti I Papæ corpus Aletrii reperitur 534 c f 535 a
Circa 1590 S. Vincentii Ferrerii arca Reliquiarum occultatur, ne ab Hiſpanis auferatur 526 d
Anno 1594 Reliquiæ SS. Adriani M. Gertrudis de Ooſten, Julianæ, Lutgardis, Cuneræ & Chriſtinæ Mirabilis, delatæ è Belgio Vlyſiponem 898 b c

XVII. SECULUM.

Anno 1606 B. Urſulinæ Virg. corpus Parmæ transfertur 724 f
Anno 1606 S. Hilarii M. corpus Roma delatum eſt Bononiam 820 f
Anno 1610 S. Hilarii M. corpus Roma delatum eſt Villavicoſam in Luſitania 820 f
Anno 1611 S. Macarii Archiep. pars brachii donata eccleſiæ Larnenſi 893 e f
Anno 1616 Ejuſdem corpus imponitur novæ argenteæ thecæ 894 d e
Anno 1627 SS. Mariæ Jacobi & Salomæ reliquiarum capſa aperta coram Card. Richelio 817 c
Anno 1628 SS. Othmari atque Notkeri corpora transferuntur 578 e
Anno 1633 Reliquiæ XXXIV Sanctorum Vlyſippone allatæ obtinentur Antverpiæ in cœnobio S. Salvatoris 73 c e
Anno 1637 Arca Reliquiarum S. Vincentii Ferrerii inventa, recognita & tranſlata 526 f 527 528
Anno 1641 S. Hilarii M. corpus Roma delatum eſt Complutum 820 e
Poſt 1643 S. Bedæ junioris corpus tranſlatum ad marmoreum altare 873 e
Anno 1651 Reliquiæ SS. Walarici, Blithmundi, Sevoldi, Vulganii, Rithberti recognoſcuntur in monaſterio S. Walarici 16
Anno 1657 S. Galterii Ab. corpus in novam capſam transfertur 768 d
Anno 1670 Arcæ argenteæ novæ includitur corpus B. Guilielmi Cuffitellæ 378 c d
Anno 1672 Reliquiæ XXXIV Sanctorum ſolenni proceſſione honorantur Antverpiæ 74 d
Anno 1673 B. Hermanni Joſephi Reliquiæ Antverpiæ apud Virgines Præmonſtat. expoſitæ 722

ACTA SANCTORVM APRILIS.

TOMVS PRIMVS.

POstquam, *menſe Martio exeunte, victor ab inferis Salvator reſurrexit, totò deinde Aprili verſatus cum Diſcipulis eſt, apparens eis & loquens de regno Dei, aperiendo Scripturas & revelando abſcondita à conſtitutione mundi. Igitur, ſi menſis hic ab aperto tempore haud vane nuncupatus videtur; nominis ſui rationem multo magis probat Eccleſiæ, eorum reſeratione myſteriorum, per quæ, inventa redemptione, peccatorum vinculis & dæmonis ſervitute ſoluti ſancti Martyres, Confeſſores, Virgines, apertos cælorum aditus nacti ſunt; numero quidem propemodum infiniti hoc ipſo Aprili, ſuis vero nominibus noti plures quam mille quadringenti. Horum Acta, ex omnium gentium Chriſtianarum editis ineditiſque, vetuſtis ac novis monumentis, magno labore collecta, & ſtudioſius illuſtrata, pergimus in lucem emittere. Tu progredientibus perge favere, ut cœpiſti, Lector. Ne autem in hoc prolixo opere, ſuccedentibus ſibi aliis aliisque, queratur poſteritas non fuiſſe diſcretum, quid unusquiſque præcipue egerit; eo quod plurium non ſolum ſtudiis conſiliisque communicatis, ſed ſtylo etiam ad invicem attemperato res noſtræ procedant; ideo rurſum placuit, quod probatum in Februario meminimus, adſciſcere initiales nominum noſtrorum litteras; ut quibus* G. H. *præfigitur, ea elucubraſſe* Godefridus Henſchenius; *quibus* D. P. *adnotatur,* Daniel Papebrochius *elaboraſſe intelligatur.* Heriberti Roſweidi & Ioannis Bollandi *multum veneranda nomina, non præferunt monumenta ſingula, quæ ipſorum labore conquiſita, huic inſeruntur menſi; optamus tamen ea ſemper obverſari Lectoris animo: quia libenter agnoſcimus, collectionem aliqua ex parte ipſorum eſſe, licet Commentariis Annotationibuſque impenſum ſtudium totum ſit noſtrûm duorum. Porro Annotationes iſtas ad Capita ſingula, quas hactenus minuſculo charactere impreſſas minus commode aſſequebatur debilior acies ſenilium oculorum, excudi fecimus eodem quo Commentarios prævios litterarum genere; cum hoc utrobique diſcrimine, ut quæ noſtra ſunt alio, alio ipſa allegatorum à nobis Auctorum verba exprimantur. In reliquis priorum trium menſium formam, paſſim probatam, retinemus. Vale, Lector, & his ſic fruere, ut ſi quid erratum omiſſumve videris, amice admoneas ſubmittasque; addendum corrigendumve, aut prima quæ dabitur occaſione, aut in ſecuturo operis totius ſupplemento.*

I DIES MENSIS APRILIS.

SANCTI QVI IPSIS KALENDIS COLVNTVR.

SAnctus Cteſiphon, Epiſcopus, Vergii in Hiſpania.
S. Theodora, Mart. Romæ.
S. Venantius, Epiſc. Mart. in Dalmatia aut Iſtria.
S. Venantius Martyr Ariminenſis, Fuldæ in Germania.
S. Parthenus, } Martyres
S. Quintianus, }

S. Victor, } In Armenia.
S. Secundus, }
S. Victor, } Martyres Heracleæ.
S. Chionia, }
S. Agape, }
S. Hereneus, }
S. Caſtus, }
S. Ingeniana, } Martyres
S. Saturninus, }

S. Parthenius, S. Dionyſius, S. Panterus, S. Alexander, } Theſſalonicæ.
S. Victor, S. Stephanus, } Martyres, in Ægypto.
S. Theſidius, Martyr, Tuſcaniæ in Hetruria.
S. Baſilides, S. Gerontius, } Martyres, à Græcis relati.
S. Meliton, Epiſcopus, num in Sardinia, an Sardibus in Aſia?
S. Prudentius, Epiſcopus, Martyr, Atini in Italia.
S. Leuconius, Epiſcopus Trecenſis, in Gallia.
S. Walaricus, Abbas, in pago Picardiæ Wimacenſi.
S. Dodolinus, Epiſcopus Viennenſis, in Gallia.
S. Macarius Confeſſor, Abbas monaſterii Pelecetes, apud Græcos.
S. Ioannes, Epiſcopus Neapolitanus.
S. Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus, in Gallia.
S. Hugo, Abbas Bonævallis, Ordinis Ciſtercienſis, in Gallia.
B. Nicolaus de Arcu, monachus Ordinis Ciſtercienſis, Neti in Sicilia.
S. Gilbertus, Epiſcopus Cathenenſis, in Scotia.
B. Thomas de Tolentino, B. Iacobus de Padua, B. Petrus de Senis, B. Demetrius Laicus, } Martyres, Ordinis S. Franciſci in India.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.

SAncti Ferreoli, Uzeticenſis Epiſcopi, tranſlatio *hoc die facta eſt. Habemus aliqua ejus Acta, danda in ſupplemento*, IV Ianuarii.

B. Barontus monachus, *inſcriptus eſt Kalendario Miſſalis Anglicani, donati cœnobio Gemeticenſi à Roberto Archiepiſcopo Cantuarienſi anno* ML. *Videtur* Barontus *eſſe, cujus Vitam & Viſiones ex MSS. edidimus ad diem* XXV Martii.

Gabriel Archangelus *officio Eccleſiaſtico, ſub ritu duplici, colitur in Eccleſia Nannetenſi. De eo egimus* XXVI Martii.

SS. Wandregiſili, Ansberti & Vulfranni Tranſlatio *refertur à Petro de Natalibus lib.* 7 *cap.* 127. *Verum ea contigit, ut tum diximus*, XXXI Martii.

Ieſu Chriſti initium prædicationis *memoratur ad hunc diem à Maurolyco & Felicio.*

Sancti & Iuſti Achaz *memoria hoc die notatur in menæis, cum tali diſticho, quaſi ipſe is fuerit, qui dixiſſe legitur Iſaiæ* 7, Non tentabo Dominum:

Ἄχαζ Θεῷ πέφυκεν ἐγγὺς πλησίον,
Ἄχαζ ὃς εἶπεν οὐ Θεὸν μὴ πειράσω.

Eodem facere videtur titulus Iuſti, *ſolis fere veteris Teſtamenti Sanctis addi à Græcis ſolitus. At profecto impius fuit Achaz iſte: quare dum aliunde intelligamus diſtinctius, quis hic inter Sanctos colendus proponatur, ipſum omittimus.*

S. Anaſtaſius Martyr *jungitur S. Quintiano in MS. Eccleſiæ S. Mariæ Vltrajectinæ: eiſque additur* S. Venantius M. *in MSS. Aquisgranenſi & Trevirenſi S. Martini. Ex hiſce eſt* S. Quintianus Martyr, in Armenia, *& alibi* Venantius: *de quibus infra agimus, cum mentione* S. Anaſtaſii.

S. Irenæus Martyr, *cum* S. Quintiano, in Armenia paſſus *dicitur à Galeſinio & Baronio, citantibus codicem Græcum ſeu Menologium. Veremur ne à* S. Hirenæo, *Martyre Heracleenſi, ſit ad Armeniæ Martyres tranſlatus: uti infra latius inſinuamus.*

S. Alexandra Virgo, hoc die mortua *traditur in Menologio Laberii: quod in aliis Faſtis non legimus. An* Alexander, *Martyr Theſſalonicenſis, hoc die relatus, dederit aberrandi occaſionem, quis dicet?*

Plurimorum Martyrum, ſub Decio ob non reſtituta idolis templa gladio necatorum, & in S. Aphræ ſepultorum, *Natalem hoc die ponit Martyrologium Brixianum Fayni, citato vetuſtiori MS. Martyrologio in monaſterio S. Ioannis.*

Peteona, Virgo Deo Sacrata, *ſoror S. Gildæ Sapientis, laudatur à ſanctitate vitæ in hujus Actis, à nobis editis* 29 *Ianuarii: & cum titulo* Sanctæ *hoc die inſcripta eſt Gynæceo ſacro Arturi à Monſtier, ſed ejus propria auctoritate, ut aliæ multæ.*

Emma vidua, ſoror Menwerci Epiſcopi Paderbornenſis, *à Krantzio, lib.* 4 *Metropolis cap.* 26, *laudatur à pietate & liberalitate erga pauperes & eccleſias, & ſicut Peteona, cum titulo* Beatæ *inſcripta eſt Gynæceo præcitato.*

Bercundus, Epiſcopus Ambianenſis; *laudatur infra in Vita S. Walerici, cui ipſe conceſſit Leuconaum: in quo loco ſolebat ſolitarius in Quadrageſima conſiſtere. Dicitur in antiquis Litaniis inter Sanctos Confeſſores invocari: quod hic indicamus, ut certiora poſſimus aſſequi de die natali ac veneratione.*

Kellachus, filius Soerguſſii, anachoreta & Epiſcopus Armachanus, *traditur obiiſſe* an. DCCCXCVIII, *&* ad Kalendas Aprilis *inſcriptus eſt Martyrologiis Dungallenſi & Mariani Gormani. Colganus, in Appendice* 7 *ad Acta S. Patricii pag.* 296, *aſſerit*, non numerari inter Archiepiſcopos Ardmachanos, ac videri tantum fuiſſe Epiſcopum Suffraganeum S. Malbrigidi.

Lanzo, monachus Cluniacenſis, vir magnarum virtutum, *hoc die in Octava Annuntiationis B. Virginis defunctus, laudatur à Malmesburienſi lib.* 2 *de Pontificibus Anglorum & de Epiſcopis Seleſienſibus, & lib.* 5 *de Regibus Anglorum; atque cum titulo Beati refertur hoc die à Menardo & Bucelino; & in ſupplemento Martyrologii Gallicani* Sanctus *à Sauſſaio appellatur; ſilent Ioannes Wilſonus in Martyrol. Anglic. Edouardus Maihew in Trophæis Anglicanis Ordinis Benedictini, Hieronymus Porter in Floribus Sanctorum Angliæ: unde colligimus*

colligimus nihil ſciri de aliqua ejus veneratione.

Gobbanus Sanctus, Aidanus Læch, Tuanus filius Carilli, Filii Gorani, } *in* Hibernia, *memorantur in Tamlactenſi Martyrologio.*

Hugo beatæ memoriæ Archiepiſcopus Viennæ, ex monacho Carthuſiæ, primum ſucceſſit S. Hugoni in Epiſcopatu Gratianopolitano, ipſo vivente; ac poſtea, ob vitæ ſuæ meritum, Viennenſis Archiepiſcopus factus, quievit in pace. *Hæc Grevenus Carthuſianus in Auctario Vſuardi, & ex eo Caniſius in Martyrol. German. In vita S. Altelmi appellatur* vir prudens & eximia virtute. *Ceterum de cultu ejus omnes ſilent.*

Theodoricus de Lureka, ex Canonico Bonnenſi monachus Heiſterbacenſis, ordinis Ciſtercienſis, *laudatur à Cæſario Heiſterbacenſi lib. 7 Hiſtoriarum cap. 21, & Homilia 40; ubi dicitur poſt preces fuſas, magnum lapidem levaviſſe. Eum menologiis ſuis cum titulo* Beati *inſcripſerunt Henriquez, Bucelinus & Chalemotus.*

S. Genetrudis obitus *refertur in MS. Aquisgranenſi.* B. Gertrudis *memoria inſerta eſt Auctario Vſuardi apud Grevenum: reliqua latent.*

Iakelina, Virgo Romana, Soror Comitis Apuliæ, quæ pedibus mare tranſivit, *longo encomio laudatur à Cantipratano lib. 2 Apum cap. 29 num. 38, & à Benedicto Gonono lib. 3 de Vitis Patrum Occidentis pag. 193, qui* Beatam *appellat, uti etiam Laherius in Menologio Virginum, ad hunc diem: qui aſſerit ſe diem obitus è Colvenerio intellexiſſe.*

Reginaldus ſeu Renaldus, Epiſcopus Tullenſis, *procurante deceſſore depoſito, occiſus eſt anno* MCCXV; *idque (ſi credendum Chronico Alberici)* IV Idus Aprilis. *Sed hoc die, ut* Sanctus *&* Martyr, *ſcriptus eſt in catalogo generali Ferrarii, & in ſupplemento Martyrol. Gallicani Sauſſaji. Hiſtoriæ homicidii deſcribitur in Chronico MS. Richerii monachi Senonenſis, & in Hiſtoria MS. Leucorum apud Hieronymum Vignerium, Stemmatis Lotharingici pag. 132 & 133, dicitur que* corpus eſſe in Eccleſia Tullenſi, *nullo addito ſigno venerationis. Non extat nomen in Breviario Tullenſi, anno 1535 excuſo: non etiam honoratur titulo* Sancti *aut* Martyris *à Sammarthanis aut aliis, in Catalogis Epiſcoporum Tullenſis Eccleſiæ.*

Cæſarius Spirenſis, diſcipulus S. Franciſci, *ab Helia proximo Generali, quem ob regulæ transgreſſionem arguerat, in carcerem conjectus, ſancte obiit: cujus anima dicitur à Gregorio* IX *Papa viſa ab Angelis in cælos deferri. Inſcriptus Martyrologio Franciſcano Arturi à Monſtier cum titulo* Beati, *uti & ſequentes*

Antonius à Segovia, è monacho Ciſtercienſi, Minorita, *Aquis in Provincia mortuus: cujus corpus pluribus poſt obitum annis incorruptum manſit.*

Bernardinus, Antonius, } Neti in Sicilia, Melchior ab Hierba, Toleti, Joannes de Moya, in regno Murſiæ, Iſabella Virgo, in territorio Cordub. } *quorum elogia apud eumdem Arturum videri poſſunt: qui in Gynæceo* Iſabellæ *meminit; Laherius, in Menologio Virginum, Iſabellæ* Agnetem *jungit, ab Arturo ad 21 Decembris relatam.*

Antonia, vidua Romana, *laudatur à Boſio, teſte oculato, tomo 1 de ſignis Eccleſ. lib. 12 cap. 23; refertur autem cum titulo* Beatæ *in Gynæceo Arturi à Monſtier.*

Puer à Judæis crucifixus in Hiſpania, *anno* 1490, *in diſtrictu Toletano prope Guardiam, refertur à Ferrario in Catal. generali, citatis tabulis Eccleſiæ Tolet. & Marietta lib. 2. Nihil de eo Toletana Breviaria vel Kalendaria, nihil etiam Hiſpanicum Martyrologium aut Quintanaduenas de Sanctis Toletanis. Marietta hiſtoriam narrat diemque hunc ſignat, & cap. 57 miracula nonnulla referens, mentionem facit eccleſiæ & ſacelli hujus ſancti Innocentis, peregrinationum item donationumque ibidem frequentium: ſed ita confuſe, ut non ſatis diſcernamus, an & qua auctoritate colatur ut Sanctus: expectamus igitur dum planius doceamur.*

Maria Ægyptiaca, Maria Cæſareæ tributa } *celebratur in Menæis & Menologiis Græcorum: & refertur in apographo noſtro S. Hieronymi, deeſt in aliis. An ea, à poſteris intruſa, ſit Maria Ægyptiaca, quæ hoc die à Græcis colitur, dubitamus cum Florentinio. Hanc Latini celebrant* XI Aprilis.

S. Nicetius, Epiſcopus Lugdunenſis, *cum longo elogio profertur, & primo quidem loco in Martyrol. Gallicano Sauſſaji. Reliqui agunt de eo* XI Aprilis.

SS. Agape & Chionia, Martyres Theſſalonicæ, *referuntur hoc die in genuino Martyrologio Bedæ, item à Rabano & aliis; & cum iis* Irene Soror, *in MS. Richenovienſi. De iis agimus* III Aprilis.

S. Celſus, Epiſcopus Ardmachanus, *traditur Kalendis Aprilis obiiſſe à Mariano Gormano & à* IV *Magiſtris in Annalibus Hibernicis. Nos, cum Martyrologio Romano, ejus res geſtas proferemus* VI Aprilis.

Ezechielis Prophetæ *memoria reperitur in Kalendario MS. Eccleſiæ Aquilejenſis. De eo agemus* X Aprilis.

S. Lazarus, Martyr Tergeſti, *in aliquibus MSS. paſſus hoc die memoratur: ſed alia MSS. & quædam etiam Martyrologia, eum habent* XII Aprilis.

SS. Caidocus & Frechorius ſive Adrianus, *ſacerdotes Hiberni, requieſcunt Centulæ in monaſterio S. Richarii, cui adfuerunt in converſione: & celebrantur hoc die in Martyrologiis, Anglicano, Scotico & Hibernico. Verum apud Centulenſes coluntur* XXX Maii.

SS. Cantianorum Reliquiarum adventus, *inſcribitur Kalendario Breviariæ Hildenſemenſis, impreſſi anno 1516. Quia ipſum Breviarium integrum non habemus, plura de hoc feſto ſcire necdum potuimus. Colunt ur SS.* Cantius, Cantianus & Cantianilla XXXI Maji.

S. Procopius, Abbas in Bohemia, *memoratur à Wione, Menardo, Dorgano in Martyrol. monaſticis, & Ferrario. Verum ritu duplici, ut Patronus regni, colitur in diœceſi Pragenſi & Olomucienſi* IV Julii.

Theodericus Epiſcopus, cognatus Ottonis Imperatoris, *memoratur hoc die in Martyrol. Anglicano Witfordi. Eſt is Epiſcopus Metenſis, à variis relatus ad diem* XVIII Julii.

S.P.N. Auguſtini commemoratio *inſcripta eſt Kalendario alicujus Miſſalis: colitur ipſe* XXVIII Aug.

S. Simperti, Epiſcopi Auguſtani, Tranſlatio *celebratur feria quarta poſt Dominicam in Albis: quæ feria primo omnium incidit in hunc diem. Colitur* Simpertus XIII Octob.

Sigillator, Epiſcopus Metenſis, qui floruit anno ſalutis DCCLI, *celebratur in MS. Florario Sanctorum. Eſt is* Sigebrandus *aliis, multorum conditor monaſteriorum, & mortuus traditur die (quo iterum refertur in Florario)* XXVI Octob.

S. Mennæ, ſolitarii in Samnio, *plurimum laudati à S. Gregorio Papa, lib. 5 Dialogorum cap. 16,* Tranſlatio *hoc die facta eſt. Hanc cum Vita & miraculis late deſcripſit Leo, Epiſcopus Oſtienſis: quæ danda erunt die, quo inſcriptus eſt Martyrol. Romano & aliis,* XI Nov.

Oſmannæ, Virginis & Martyris, elevatio corporis, *in agro Pariſienſi facta, recolitur à Sauſſaio in Martyrol. Gallicano, additurque ejus triumphum coli* IX. Septemb. *aut certe, ut alii habent,* XXII Novemb.

D.P.

DE S. CTESIPHONTE EPISCOPO, VERGII IN HISPANIA.

I SECVLO.

Communis cum aliis memoria 15 Maji,

peculiaris cultus Granata hoc die;

notitia nuda ex Vſuardo:

B

Primorum ſeptem Hiſpaniæ Apoſtolorum Epiſcoporumque communem memoriam Martyrologio ſuo Vſuardus inſeruit, ex eoque Baronius Romano Martyrologio ad diem XV *Maji. Hac non contenti Eccleſiæ variæ, ſingulis diebus ſigillatim aliquos colendos aſſumpſere. Ita Februarium menſem à S. Cæcilio, ſequentem Martium à S. Heſychio, atque hunc Aprilem à S. Cteſiphonte auſpicandum inſtituerunt Granatenſes: alii alibi variis coluntur diebus. Granatenſes Faſtos ſecutus Ferrarius, Catalogo ſanctorum generali inſcripſit,* Granatæ in Hiſpania Sanctorum Martyrum, Theſiphonis Epiſcopi & diſcipulorum ejus. *Quæ de tempore miſſionis atque ordinationis omnium ſeptem dici communiter potuerunt, dicta ſunt à nobis ad Kalendas Februarii & Martii. Eadem hic nequaquam putamus retexenda, neque propter Granatenſes tabulas vel ſpeudo dexteri aſſertionem recedendum à prima antiquiſſimaque, quam nobis dedit Vſuardus de Apoſtolicis illis viris notitia, ut dubitare velimus an in iis ſinguli requieſcant & occubuerint locis, quæ ibidem exprimuntur; quamvis recentiores Hiſpani, Marietta, Tamajus atque Cardoſus, hic in Luſitano Hagiologio, iſte in Hiſpanico Martyrologio, ad hunc uterque diem, prorſus in aliam eant ſententiam, alibi ſatis examinatam. Vſuardi verba* Idibus Maji *hæc ſunt:* Natalis ſanctorum Confeſſorum, Torquati, Cteſiphontis, Secundi, Indaletii, Cæcilii, Heſychii & Euphraſii: qui Romæ à ſanctis Apoſtolis Epiſcopi ordinati, & ad prædicandum verbum Dei ad Hiſpanias, tunc adhuc gentili errore implicatas, directi ſunt. Cumque diverſis urbibus euangelizaſſent, & innumeras multitudines Chriſti fidei ſubjugaſſent, Torquatus Acci, Cteſiphon Vergi, Secundus Abulæ, Indaletius Urci, Cæcilius Eliberi, Heſychius Carthaſæ, Euphraſius Eliturgi quieverunt.

cetera de eo ſuſpecta omnia.

2 *Itaque Vergii requieviſſe Cteſiphontem, tenemus: neque ei ſocios* Maximum, Lupercium, *ac* Muſitanum *adjungimus cum recentioribus, idoneo deſtituti auctore: neque de Martyrio ejus quidquam definimus. Qua autem ratione & apud quos fidem Creſiphon proſeminarit, in communi antiquorum ſilentio patienter ignoramus, vehementer autem optaremus, locum ſepulturæ, ejus ab Vſuardo nominatum, noſſe diſtinctius. Etenim in maxime varias ſententias auctores hic abeunt. Bivarius, illuſtrandis Pſeudodexteri commentis bonam operam eruditionemque magnam infeliciter expendens, in hoc totus eſt, ut fabulatoris ſui lectionem tueatur, ſuſtineatque,* Vergium *eamdem atque* Vergiliam *eſſe; compoſito nomine ex particula* ili, *ſic dictam, quaſi* Vergii urbem, *ipſamque eſſe oppidum* Verza, *in ora maris Batici, non longe ab Almeria ſitum, in Regno Granatenſi, quod in Geographicis tabulis paſſim* Beria *ſcribitur* Abderam *ſive* Adram, *Veriæ proximam atque à littore remotiorem, non nemo intelligendam putat; ſed repugnat Ptolomæus,* Abderam, Beriam, Vergiliamque *diverſiſſimas urbes faciens; hanc quidem procul à mari, iſtas vero ad ipſum poſitas, ſed juſto milliarium ſexaginta intervallo remotas ab invicem.*

Vergium an Vergelia, quæ nunc Beria?

C

3 *Inter Almeriam novamque Carthaginem urbs eſt,* Vera *hodie dicta, quam antiquo nomine dictam* Virgim, *totumque inde ſinum à Charidemo promontorio* Virgitanum, *multi recentiores exiſtimant. Favet Pomponius Melas, urbem* Virgi *nominans; neq; adeo longe diſcedit Plinius, cum* Urgetanum ſinum *&* Urgiam *ſcribit* Caſtrum-Iulium cognominatam; *facile enim aut excidiſſe potuit, aut propter variam ejuſdem nominis pronuntiationem omitti. Pro hac igitur urbe S. Cteſiphonti aſſignanda, ſtat Georgius Cardoſus, atq; patrocinatur nominum* Virgis *ac* Vergis *affinitas maxima. Quomodo autem tam opportuno loco ſita civitas, atq; etiam nunc minime contemnenda, dignitatem amiſerit Epiſcopalem non attinet indagare, quando ne hoc quidem conſtat, illos umquam Vergi fuiſſe Epiſcopos, ſed tantum ibi quieviſſe Cteſiphontem: qui ſuam potuit ſedem habuiſſe in Baſtitanorum metropoli, hodie* Baza *dicta, ubi ejus ſucceſſores fuerint Theudorus, Euſebius, Baſilius in* III, IV *&* XV *Toletano Concilio nominati. Si enim Torquatus* Acci, *Indaletius* Urci, *vicinis eorumdem Baſtitanorum urbibus, fundatos reliquerunt Epiſcopatus, ut ex ſucceſſoribus identidem nominatis indubitatum eſt: cur non in eodem Bæticæ tractu in ipſaq; metropoli* Baſta, *ſedem ſuam potuit fixiſſe Cteſiphon, indeq;* Vergim *ſeu* Virgim, *maritimum locum Baſtitanorum q; fortaſſis portum præcipuum ſeu emporium, excurriſſe aliquando, prædicationis vel negotii cauſa; & ſic ibi tumulum, qui adhuc latet, inveniſſe?*

an Virgis quæ nunc Vera?

4 *Si quis tamen omnino contendat longius à ſociis removendum hunc Sanctum, & verſus Pireneos montes lubeat evagari; occurret ei* Vergium caſtrum, *à Livio dec. 4. lib. 4 commemoratum; cujus incolas accolasque* Vergeſtanorum *nomine idem appellat, deſcribens quomodo M. Porcius Cato Romanus Conſul, tranſlato à Turdetanis ad Celtiberos eorumdem auxiliares bello, ceteris in deditionem acceptis, Lacetanorum urbem aſtu ceperit, conſeſtimque inde moverit ad* Vergium caſtrum: *quod* præcipuum *erat* latronum receptaculum, *invito loci Principe ab iis occupatum, unde in agros provinciæ pacatos continuas faciebant incurſiones. Hæc porro omnia trans Iberum eſſe geſta, clare apparet ex ipſa Livii narratione: ut dubium eſſe nullum poſſit, quin hæc ab eo commemoratum* Vergium, *inter ipſum & Pireneos montes quærendum ſit. Atque hic ego libenter, pro* Lacetanis, Iacetanos *legerem, dictos à* Iaca, *urbe in Arragonia etiam nunc celebri & Epiſcopali:* deviam *enim &* ſilveſtrem gentem *appellat Livius, cui proinde potius aſperitas convenit diœceſis Iacenſis quam Catalaunia amœna planities: licet in hac (& quidem ad Iberum in Dertonenſi diœceſi) Ortelius* Iaccetanos, Laccetanos *vero locent auctores tabularum Ptolomaicarum. Etenim idem Livius* Lacetanis, *ſeu potius* Iacetanis *ſuis, finitimos facit* Sueſſetanos: *quorum civitas* Sueſſatium *Antonino, Ptolomæo autem* Sueſtaſium *ſcribitur, utique litteris ſimpliciter commutatis: & exiſtimant aliqui ipſam hodie* Sangueſſam *dici, ad Arragonem fluvium, Iaccam inter & Pampelonam, conjectura ſane haudquaquam inepta.*

an caſtrum Livio nominatum in finibus Laccetanorum,

E

rectius Iaccetanorum:

5 *Aſt ubinam hic* Vergium caſtrum *fuiſſe concipiemus, ſic ut ab Iaccitana victoria moventibus copiis haud nimis longum fuerit iter? Hic ſane hæret aqua.* Bergidum *Ptolomæi, inter Iaccam & Oſcam ſive Heuſcam requirendum, ita ut nominis nulla nunc ſuperſint veſtigia, ſuggerunt Ortelius, ex eoque Ferrarius: ſecundum quos Bergeſtani Vergeſtanique iidem forent. Verum cum citato libro diverſos eos faciat Livius, huic conjecturæ non prodeſt, quod credi poſſet apud Ptolomæum* Bergidum *pro* Bergio *irrepſiſſe, alterque pronuntiantibus* Vergidum *pro* Vergio. *Ergo his inter Iaccam Oſcamque relictis, Livii* Vergium *ac* Vergeſtani *alibi quærendi erunt, & quidem per abrupta conjecturarum. Percurrenti omnia hodierni uſus nomina eorum quæ Iaccenſi urbi ad meridiem occaſumque adjacent locorum, utrobique vetuſtiſſimi nominis occurrit* Xaverium, *vulgo* Xavier, (*quod* Caſtrum-Vergium *velut* Ca-ver, *junctis nominibus dici ſuſpiceris*) *alterum in Pampelonenſi agro, magni Indiarum Iaponiæque Apoſtoli natalibus nobilitatum; alterum in ipſo Iaccitano tractu, is Gallegam fluvium in tabulis* Xavierre latro, *dictum, ut forte* Caſtrum-Vergii-latronum *integre nuncupatum olim fuerit, tum ad diſtinctionem prioris, tum forte ex latrociniorum memoria, inde in pacatos provinciæ Romanæ agros, ut Livius meminit, inundantium. Atque hæc quidem de Vergio Livii ſatis.*

hoc autem an idem cum Bergido Ptolomei,

F

aut potius cum Xaverio hodierno?

6 *Plus aliquid requiri videtur ut alterutrum, ſeu etiam primo dictum Ptolomæi* Bergidum, *S. Cteſiphonti attribuamus. Vnde enim veroſimile faciemus, tot voluentibus annis, quot ab Hannibalis atque Catonis temporibus ad fidem in Hiſpania prædicatam fluxere, non marciſſe modo, ſed auctam etiam fuiſſe loci celebritatem; cujus licet nunc ægre*

& an ad has partes S. Cteſiphon ſpectet?

ſup ſit

A *ſuperſit veſtigium, magnitudo tamen Cteſiphontem allicuerit ad ſedem Epiſcopalem ibidem conſtituendam? & cujus rurſum tanta fuerit infelicitas, ut recepto fidei Chriſtianæ lumine, mox defecerit, adeo ut* Vergeſtanæ *ſeu* Vergienſis eccleſiæ *Epiſcopus in nullis uſpiam Conciliis ſubſcripſiſſe inveniatur, nec ipſa eccleſia in ullis diœceſeon Hiſpanicarum deſcriptionibus nominetur? Contenti igitur hæc propoſuiſſe, veteris Geographiæ ſtudioſis expendenda æſtimandaque, de nomine Sancti ipſius hic addimus, varie à variis exarari, & exerrari in eo à pleriſque, dum* Teſiphonem *ſeu* Theſiphonem *ſcribunt:* Chtheſiphontem *vero minus commode ſcriptum videri, ſi Græcam ſpectes etymologiam:* Chtheſiphon *enim à* χθὲς *&* φάω, heri ſplendentem, *inepto utiq; ſignificato;* Cteſiphon *autem à* κτῆσις, poſſeſſioni-

genus ex Arabia commentitium.

bus ſplendidum, *auſpicatiſſima nomenclatura ſignificat.*

7 *Hunc porro, de quo agimus, fuiſſe S. Cæcilii fratrem, & Arabico ac patrio nomine* Abenathar *dictum, non magis credimus uni* (*quem Bivarius citat*) *librorum, ſub ſacro monte Granatenſi repertorum, quam ab aliis, pariter ibidem repertis & prædicto auctori nominatis Arabicis, verum* D. Teſephontis *præferri titulum veramque antiquitatem. Quid autem de Reliquiis ibidem quoque inventis dicendum ſit, majori examini permittere malumus, quam Granatenſibus illis tabulis ſcriptiſque* (*quod neceſſarium eſt*) *non admiſiis, utrarumque certitudinem falſitatemve ſeparare ad invicem: cum has & illas individuo conjungi nexu præcipui utrarumque propugnatores ſemper cenſuerint.* D

aquè ac libri ſub ejus nomine reperti.

DE SANCTA THEODORA G. H.

MARTYRE ROMÆ.

AN. CXVII. *MAtrona hæc Romana fuit, & ſoror S. Hermetis, urbis Romanæ Præfecti; cum illo à S. Alexandro* I *Pontifice Romano ad fidem Chriſti perducta, unicoq; menſe ante hunc martyrio coronata.* Porro (*ſicuti Acta ſinceriſſima S. Alexandri habent*) eodem adhuc anno, *quo ni martyrii palmam adepti ſunt*, nutu Dei defunctus eſt Trajanus: *qui dum in Parthos arma moliur, in agritudinem incidit; ob quam Selinuntem in Ciliciam delatus, obiit*, Quintio Nigro & Tito Vipſanio Aproniano Conſulibus, *die* x *Auguſti, anno Chr* CXVII: *ante hunc autem diem quatuor menſibus & quinque diebus martyrio coronata eſt S. Theodora.* Miſſus enim erat Romam à Trajano Aurelianus, Comes utriusq; militiæ in Iſauria, ad interfectionem omnium Chriſtianorum: cui omnis Senatus ita famulatus eſt, ut ipſum Principem crederent eſſe Trajanum. *Hinc poſteri eum appellarunt etiam Principem & Imperatorem. Coluntur S. Hermes frater* XXVIII *Aug. & S. Alexander Papa* III *Maji. Quæ vero ad hujus Pontificis in Sede Romana annos ſpectant, accurate diſcuſſimus in tractatu de Primis Pontificibus.*

B *Sub Trajano Martyr obiit anno* 117,

1 *Aprilis, quo & colitur.*

2 *Ab ſanctiſſima hac Martyre Theodora auſpicantur principium Aprilis in ſuis Martyrologiis Vſuardus, Ado, Notkerus,, Bellinus, & alii recentiores. Vſuardi verba ſunt iſta:* Romæ paſſio beatiſſimæ Theodoræ, ſororis illuſtriſſimi Martyris Hermetis. Hæc ſub Aureliano Principe martyrizata, ſepulta eſt juxta fratrem via Salaria, non longe ab urbe Roma. *Ado eodem tempore hoc eidem concinnavit elogium:* Romæ, beatiſſimæ Theodoræ, ſororis illuſtriſſimi Martyris Hermetis, quam B. Alexander Papa & Martyr inſtruxit, baptizavit, atque in fide Chriſti docuit. Quæ ſub Aureliano Imperatore martyrizavit: ſepulta juxta fratrem ſuum Martyrem via Salaria, non longe ab urbe Roma. *Notkerus ſecutus eſt Adonem, & cum Vſuardo* Aurelianum Principem *appellavit.* Iudicem *nominat auctor Martyrologii, Coloniæ & Lubecæ anno* 1490 *excuſi. In hodierno Martyrologio Romano dicitur* S. Theodora, ſub Hadriano Imperatore, ab Aureliano Iudice martyrio affecta. *Succeſſit Trajano Hadrianus, ſed, ut diximus, poſt obitum* S. *Theodoræ: de qua in Actis* S. *Alexandri varia extant. Horum Actorum exordium eſt hujusmodi in plurimis MSS.*

C *Baptizatur à S. Alexandro Papa*

3 Quinto loco à B. Petro Apoſtolo, Romanæ urbis Eccleſiæ cathedram ſuſcepit Alexander, ſanctitate incomparabilis: juvenis quidem ætate, ſed fide ſenior. Omnem autem populi Romani amorem ita in eum gratia divina infudit, ut Senatorum maximam partem converterit, & Præfectum Urbis, Hermetem nomine, cum uxore & ſorore & filiis baptizarit. *Quæ ultima in Vita MS.* S. *Hermetis ita explicantur:* Unde contigit, ut Præfectum urbis Romæ, Hermem nomine, virum potentem, divitem & nobilem, cum uxore Exuperia, & ſorore Theodora, ac filiis baptizaret. *Poſtmodum eſt* miſſus à Trajano de Seleucia Iſauriæ Romam Aurelianus, Comes utriusque militiæ, ad interfectionem omnium Chriſtianorum ..... ſtatimque ut ingreſſus eſt Romam, venerunt ad eum Pontifices templorum, & ea quæ facta ſunt, invidis vocibus ſuggerentes, ita Aureliani animum concitaverunt ad iracundiam, ut Hermetem Præfectum Urbis in vincula mitteret, ſed & S Alexandrum Papam carceri manciparet ... Igitur cum Hermes Præfectus in vinculis haberetur apud Quirinum Tribunum, *hunc ſuo colloquio ad fidem Chriſti peraduxit, pro qua & martyrium ſubut.* S. *Quirini Acta dedimus* XXX *Martii; & poſtridie, ſive pridie Kalendarum Aprilis, egimus de* S. *Quirini filia Balbina: quæ ex inſtructione* S. Alexandri Papæ (*ut hujus Acta habent*) reperit vincula S. Petri Apoſtoli, & cœpit ea vincula cum tremore nimio deoſculari, & gratias agere Regi cælorum. Audiens hæc Theodora illuſtriſſima femina, cœpit rogare eam, ut ſibi ea dereliqueret. Tunc conceſſit B. Balbina, tradiditque vincula ſupradictæ Theodoræ illuſtriſſimæ feminæ, ſorori S. Hermetis Præfecti. Illuſtriſſimus itaque Hermes & fide Chriſtianiſſimus, cum nec blanditiis nec minis ab Aureliano poſſet revocari, ad ultimum juſſus eſt ſubire ſententiam capitalem. Cujus corpus ejus ſoror Theodora collegit, & cum digno honore, juxta hortos Reciarios, in via Salaria veteri, ſepelivit, non longe ab urbe Roma. *Addunt Acta MS. S. Hermetis*, corpus hujus fuiſſe aromatibus conditum. E

cum S. Hermete fratre:

accipit à S. Balbina vincula S. Petri.

ſepelit corpus S. Hermetis:

4 *Quæ dedimus Acta* S. *Balbinæ, præcitata omnia etiam tribuunt B. Theodoræ his verbis:* Cum S. Hermes, juſſu Aureliani, Comitis, in carcere clam decollatus fuiſſet; B. Theodora, una cum S. Balbina Virgine, rapuit corpus ejus, & ſepelierunt in prædio ipſius S. Hermetis Martyris. Quod audiens Aurelianus tyrannus, juſſit ambas Virgines comprehendere & in vincula mittere.... Tunc indignatus Aurelianus, poſt multa genera tormentorum atque pœnarum, dedit adverſus Balbinam ſententiam mortis, dicens: Interficiatur Balbina eloquens, ne ſeducat populum Romanum poſt errorem ſuum; & producatur Theodora nobilis, ſi forte conſentiat nobis & vivat. Interfecta itaque Balbina, producta eſt Theodora de cuſtodia, & exhibita eſt ante conſpectum Aureliani tyranni, cui dixit impius tyrannus: Ubi ſunt theſauri fratris tui Hermetis Præfecti? Oſtende eos & ſacrifica: ne forte poſt varia tormenta interficiaris, ſicut Balbina. Reſpondit S. Theodora, & dixit: Theſauros, quos habuimus ego & frater meus, pauperibus & peregrinis pro Chriſti amore diſpendimus: ego vero nihil jam reſiduum habens præter corpus, quod cernis, etiam illud pro nomine ejus liben- F

comprehenditur

poſt theſauros pauperibus diſtributos;

flagellis cæſa occiditur: libentiſſime impendo. Verumtamen dico tibi, Aureliane tyranne, quod ſi corpus meum membratim diſcerpi jubeas, numquam ſacrificabo idolis tuis. Indignatus itaque Aurelianus, juſſit & illam flagellis cæſam gladio interfici, ſub die Kalendarum Aprilis: cujus corpus ſepultum eſt à Chriſtianis juxta fratrem ſuum Hermen, Præfectum urbis Romæ, glorioſum *ſepelitur:* Martyrem ac nobilem, via Salaria, non longe ab urbe Roma, in prædio ejusdem. *Hæc ibi, cum magno conſenſu Martyrologiorum ſupra allatorum.* Virgo *etiam* Theodora *appellatur in MS. Centulenſi, Vaticano eccleſiæ S. Petri, Colonienſi S. Mariæ ad Gradus, & alio Cardinalis Barberini: cumque illis idem tradit Petrus de Natalibus lib. 4 Catalogi cap. 21. De cœmeterio S. Hermetis Martyris & ſepultura S. Theodoræ, agit Paulus Aringhus, lib. 4 Romæ ſubterraneæ cap. 34.* *à variis Virgo appellatur.* D

5 *S. Theodoræ, Virginis ac Martyris, & ſororis S. Hermetis aliquas Reliquias aſſervari Bononiæ in eccleſia Sanctorum omnium, & in eccleſia S. Pauli Barnabitarum, tradit ad hunc diem in Bononia perluſtrata Maſinus.* *aliquæ Reliquæ Bononiæ.*

DE S. VENANTIO
EPISCOPO ET MARTYRE,
Ex Dalmatia aut Iſtria Romam tranſlato.

G. H.

1 APRIL. *Nomen in faſtis.*

Suardus & Ado primi ſunt, qui relato in ſuis Martyrologiis S. Theodoræ Romanæ Martyrio, iſta immediate ſubdunt: Eodem die S. Venantii Epiſcopi & Martyris. *Quæ eadem leguntur in omnibus dein ſcriptis Martyrologiis, uti & hodierno Romano. Notkerus poſt S. Theodoram poſuit Martyres in Armenia paſſos, & dein de S. Venantio eadem refert. In MS. Centulenſi appellatur* Confeſſor, *qui à reliquis omnibus* Martyr *habetur: niſi forte de hoc agatur in MS. S. Cyriaci ad* VIII *Februarii, ubi dicitur* Natale S. Venantii Epiſcopi & Confeſſoris. *Interim nusquam explicatur cujus Sedis fuerit Epiſcopus, quo perfunctus martyrio, num ei immortuus, an ſuperſtes, ut propterea etiam* Confeſſor *dicatur.*

B 2 *Annotat Baronius ad hunc diem,* Corpus ejus aſſervari Romæ in oratorio, quod dicitur S. Venantii, apud baptiſterium Conſtantini, una cum corporibus S. Domnionis Epiſcopi & aliorum Sanctorum Martyrum, quorum omnium dies anniverſaria agitur hoc eodem menſe, tertio Idus Aprilis. Cum autem omnia tranſlata fuerint è Dalmatia & Iſtria à Ioanne Papa IV, par eſt credere, S. Venantium alicujus illarum provinciarum civitatis fuiſſe Epiſcopum. Extat ibidem in abſide, ſicut & ceterorum, imago ejusdem S. Venantii, opere muſivo compacta. Hæc in monumentis Sanctorum eccleſiæ Lateranenſis. *Ita Baronius, qui eadem repetit in Annalibus ad an. 641, quo Eccleſiæ præerat Ioannes* IV *Papa: de quo Anaſtaſius Bibliothecarius in libro de Vitis Pontificum Romanorum iſta habet:* Ioannes natione Dalmata, ex patre Venantio Scholaſtico, ſedit annum unum, menſes novem, dies octodecim. Hic temporibus ſuis miſit per omnem Dalmatiam ſeu Iſtriam multas pecunias, per ſanctiſſimum & fideliſſimum Martinum Abbatem, propter redemptionem captivorum, qui deprædati erant à gentibus (*Slavos aliqui interpretantur*). Eodem tempore fecit eccleſiam beatis Martyribus, Venantio, Anaſtaſio, Mauro & aliis multis Martyribus, quorum Reliquias de Dalmatia & Iſtria adduci præceperat: & recondidit eas in eccleſia ſupraſcripta, juxta fontem Lateranenſem, juxta oratorium B. Ioannis Evangeliſtæ, quam ornavit & diverſa dona obtulit. *Corpus Romæ, in eccleſia propria,* *à Ioanne* IV *ex Dalmatia acceptum:*

C 3 *Cæſar Raſpona, lib. 3 Baſilicæ ſeu Patriarchii Lateranenſis cap. 12, deſcribit oratorium ſive eccleſiam S. Venantii, & inter alia ita habet:* Parietes absque ornamento conſpiciuntur, unica excepta abſidula ſive chalcidica, quæ antiquitus tabulis marmoreis uſque ad zophorum incruſtabatur, ſupra zophorum vero uſque ad tectum nitet opere muſivo, ſicuti etiam chalcidicæ tota concameratio nitet. In curvitate vero hujus abſidulæ imagines beatiſſimæ Virginis, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Ioannis Baptiſtæ viſuntur; adjectis etiam SS. Venantii & Domnionis Martyrum iconibus, cum pallio & planetis cæruleis: qui ſine mitra libros in manibus tenent: eodemque habitu Ioannes IV, Cappellæ conditor, exprimitur. . . . Ad murum vero hinc inde è muſivo effigies ſunt Sanctorum Martyrum, quorum corpora hic requieſcunt, coronas præ manibus geſtantium. In abſidis medio cernitur ara, gradibus quatuor elevata: cui ſuper impoſitum eſt ciborium marmoreum, fultum quatuor columnis item marmoreis, opere accuratiſſimo in ſpiram ſtriatis, cum capitellis ornatiſſimis: & ſub hoc altari proxime enumerata S. Venantii & ſociorum corpora requieſcunt. *Hæc ibi.* Leo *etiam Papa, iſtius nominis tertius, (teſte citato Anaſtaſio Bibliothecario)* in altari B. Venantii fecit veſtem de fundato cum velis duobus. *Octavius Pancirolius, in Theſauris abſconditis urbis Romæ, de eccleſia hac S. Venantii agit, regione 2, eccleſia 10: & ſub finem in Indice feſtorum aſſerit,* ſolennitatem S. Venantii, Epiſcopi & Martyris, in hac eccleſia celebrari hiſce Kalendis Aprilis, atque Indulgentias eidem eſſe conceſſas. *In Ordine Officiorum de Sanctis propriis eccleſiæ Lateranenſis, præſcribitur Officium ſub ritu duplici, cum Credo in Miſſa, quod corpus ejus ibi habeatur.* *imago,* *corpus in altari.* E *cultus & Indulgentiæ 1 Aprilis.*

4 *Ioannes Tamayus Salazar hunc ſanctum Epiſcopum inſcripſit Martyrologio ſuo Hiſpanico, hac formula:* In Dalmatia illuſtris obſervat memoria martyrium S. Venantii, Epiſcopi Toletani: cujus corpus à Ioanne Pontifice Maximo IV, in oratorio ſui nominis, apud baptiſterium Conſtantini, in omnium maxima Lateranenſi Romana eccleſia, tranſlatum, adſervatur. *Verum non eſt oratorium ſeu capella in eccleſia Lateranenſi: ſed eſt propria ejus eccleſia, haud procul à Lateranenſi ſita. Dein unde ſcitur ejus Epiſcopatus Toletanus, cum talis nominis Epiſcopus Toleti non memoretur extitiſſe? Garzias Loyaſa, in Catalogo Epiſcoporum Toletanorum, poſt Adelphium collocat* Conantium: *ſed addit,* à S. Illifonſo non enumerari inter Præſules Toletanos, forte quia parum præfuit. *Interim Ambroſius Morales, lib. 12 Chronici Hiſpanici cap. 8 aſſerit,* abſque Illefonſo non haberi mentionem Tonantii. *Agit is libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. XI de* Conantio, *ſed* Epiſcopo Eccleſiæ Palentinæ: *ut is videatur compulſus à poſteris inter Antiſtites Toletanos.* Tantæ caliginis involucrum, *inquit Tamayus Salazar,* referarunt Marcus maximus & Iulianus Petrus, *aut certe ſub eorum nomine poſteri, affingentes illis nova chronica, quæ omnem antiquitatem Hiſpanicam ſua caligine involverunt, ex* Conantio *ſeu* Tonantio *formando* Venantium, *quaſi vixiſſet tempore* S. *Gregorii Magni. Potius diceretur* S. *Venantius primis Chriſti ſeculis floruiſſe cum* S. *Domnio ſeu Domnione: qui traditur à* S. *Petro Apoſtolo in Dalmatiam miſſus, & Epiſcopus Salonitanus creatus, uti pluribus dicetur* XI *Aprilis.* *Episcopatus Toletanus ei affictus.* F

5 *Aliquas* S. *Venantii Epiſcopi & Martyris Reliquias aſſervari Bononiæ in eccleſia* S. *Ioannis in Monte, tradit in Bononia perluſtrata Maſinus ad hunc diem. Si adderetur unde & quando illuc allatæ eæ fuerint, poſſet aliqua conjectura fieri, hujusne an alterius* S. *Venantii exiſtimandæ ſint.*

D E

DE ALIO S. VENANTIO MART.

G. H.

ex Italia in Germaniam Tranſlato.

Teſtimonia Ludovici Pii

INter *Principes Eccleſiaſticos Sacri Romani Imperii in Germania ſtabilitos, ſunt Reverendiſsimi & Illuſtriſsimi Abbates inclytæ Fuldenſis Eccleſiæ, de cujus antiquitatibus præclarum opus edidit Chriſtophorus Browerus quatuor libris diſtinctum: in quo, lib. 3, cap. 13 profert* præceptum traditionis Ludovici Pii Imperatoris, factæ B. Rabano Abbati, dein Archiepiſcopo Moguntino: *ex quo aliqua, quæ de S. Venantio agunt, hic decerpimus, & ſunt ejusmodi:* Rogavit Excellentiam Celſitudinis noſtræ vir venerabilis Rabanus Abbas, ut noſtra auctoritate liceret ei, legatos ſuos dirigere ubivis terrarum, & maxime ac præcipue ad Romanam civitatem, & cum litteris noſtræ auctoritatis expoſcere ſacratiſſimos cineres, videlicet ſanctorum

B *de tranſlatione*

Martyrum ſeu ceterorum orthodoxorum Juſtorum membra: cui præſtitimus ex noſtra liberalitatis munificentia facultatem, ut ex noſtræ auctoritatis præceptione ſcriberet & mitteret, ubicumque terrarum vellet, propter prædictum negotium ſanctarum Reliquiarum, poſtularetque tam ab Apoſtolico, quam

& miraculis S. Venantii.

à ceteris fidelibus. Unde cum labor tantæ ſedulitatis ejus non eſſet inanis, nuper audivimus, quia corpus S. Venantii Martyris, de longinquis terrarum partibus acquiſiſſet, & in eccleſia S. Joannis Baptiſtæ honorificentiſſime collocaſſet. Cujus merita Martyris in Fuldenſi eccleſia, ex teſtificatione miraculorum, facta ſunt longe lateque celeberrima. Accurrunt enim infirmi, & ſanantur; dæmoniaci, & liberantur; paralytici, & curantur; cæci, & illuminantur; & ex omnimoda infirmitate genus humanum, per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, opera & interceſſione S. Venantii, ſalvatur. Cujus facti fama nos ex divina compunctione commoti, gratias agimus Deo & ſancto ejus Martyri Venantio, qui noſtris temporibus, in noſtris terrarum partibus, viſitare dignatus eſt plebem ſuam; & ex diverſis neceſſitatibus & anguſtiis, miſeris mortalibus dignatur ſubvenire. Proinde rogatu & petitione prædicti Secretarii noſtri Rabani Abbatis, offerimus nos Deo & S. Bonifacio ſanctoque Martyri Venantio, in præfato S. Joannis Baptiſtæ monaſterio, quaſdam res proprietatis noſtræ, hoc eſt, villam Vreſprungen nuncupatam, cum

C

omnibus villulis & viculis, imo cum omnibus appendiciis & pertinentiis ſuis, &c.

Hiſtoria tranſlationis:

2 *Hæc Ludovicus Pius Imperator, cujus chartas donationum plurimas ſcripſit Rudolfus, cœnobii Fuldenſis Presbyter & monachus, inter viros ſui monaſterii eruditos habitus: qui tranſlationi reliquiarum S. Venantii interfuit; & teſtis oculatus miracula, quæ tunc contigerunt, deſcripſit in Vita B. Rabani Abbatis ſui, à nobis ad diem* IV. *Februarii illuſtrata, potiſsimum cap.* IV *&* V. *Extat inde excerpta Hiſtoria tranſlationis & miraculorum S. Venantii in Paſſionali MS. menſis Aprilis, adſervato in Bodecenſi cœnobio Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini in diœceſi Paderbornenſi, adjunctis ſub initium nonnullis; & cultus ejus aſſignatur ad diem primum dicti Aprilis, quando in antememorata eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ etiamnum celebratur feſtum S. Venantii: cujus tamen ſacrum corpus non amplius integre ibidem adſervatur, aliis partibus alto delatis, ſed neſcitur quo devenerint, ablatis tempore irruptionis Suecicæ antiquis monumentis; uti facta diligenti inquiſitione indicavit nobis Vitus Erberman, ſacræ Theologiæ Doctor & Seminarii Pontificii apud Fuldenſes Regens, binis litteris hac ſuper re ſcriptis. Damus ergo ex Bodecenſi MS. dictam Hiſtoriam tranſlationis & miraculorum, ad quæ uberiores annotationes dedimus* IV *Februarii, eoque curioſum lectorem remittimus: quem monitum volumus, in dicta Vita,* S. Venantium *dici* Martyrem, *nuſquam* Epiſcopum; *uti tamen ſit in ſequenti Hiſtoria: neque indicari diem venerationis, quem aſſumptum credimus hunc primum Aprilis, quod alius Venantius Epiſcopus in Dalmatia aut Iſtria nunc colatur, cui & nos ipſum ideo ſubjungimus.*

cultus 1 Aprilis.

HISTORIA TRANSLATIONIS,

Ex Vita B. *Rabani, à Rudolfo teſte oculato ſcripta.*

VEnantius Epiſcopus Eccleſiam ſibi commiſſam, donec advixit, ſtrenue rexit: & quia per oſtium introivit, diſpoſita intrinſecus fideliter domo, & ſumptuariis familiæ conſignatis, per oſtium exivit, dum pro eadem animam poſuit. Hujus ſacrum corpus, ſanguine proprio pro Chriſti amore cruentatum, primo in territorio Ariminenſis urbis requievit; nunc vero in ſaltu, cui Buchonia nuncupatur, in eccleſia B. Ioannis Baptiſtæ, quæ à Fuldenſi monaſterio novem fere ſtadiis diſtat, habetur & colitur. Et ne quis ambigat, tanti Patris corpus à tam valenti civitate tolli, & per tot terrarum ſpatia transferri potuiſſe; miracula, quæ in via, dum ferebatur, per eum Dominus operatus eſt, fidem dubitantibus perſuadeant. Igitur à quo ab inde ſublatus ſit, & in eum quem præſcripſi locum delatus; ſubjunctis miraculis, quæ & ipſe vidi & aliis veraciter referentibus didici, auribus fidelium intimabo. Rabanus namque, Fuldenſis Eccleſiæ venerabilis Abbas, vir valde religioſus, & in Scripturis divinis apprime eruditus, cujus omne ſtudium fuit circa diſciplinam monaſticam, & in meditatione legis Chriſti; inter alia, quibus in oratione, vigiliis & abſtinentia, ceteriſque virtutum titulis formam ſe ſibi ſubditis præbebat, diligentiam in colligendis undecumque Sanctorum Reliquiis habebat permaximam.

E

Corpus S. Venantii Martyris

F

2 Hic quemdam ſuorum monachorum, nomine Attonem, in Italiam pro hujuſmodi re exequenda miſit. Qui Ariminum veniens, data ſibi divinitus opportunitate, corpus prædicti Martyris ſecum abſtulit, & in Franciam ire feſtinavit. Primo quidem propter metum incolarum illud occulte ferebat. Ut autem Alpium jugis tranſitis in fines Bajoariorum pervenit, jam ſecurior effectus, feretro impoſitum, confluentibus undique populorum turbis, in cellam, quæ vocatur Solenhof, ſitam in regione Sualefeldonia, detulit; & miſſo nuntio, omnem rei geſtæ ordinem Abbati nuntiavit. Populus enim regionis illius ſummis id petebat votis, ut corpus ſancti Martyris ibi habere mererentur; cujus opem in diverſis infirmitatum ſanitatibus quotidie experiebantur. Abbas vero, cum hoc audiſſet, mox de ſuis monachis duos Presbyteros miſit ad prædictum Fratrem, præcipiens eis, ut quanta poſſent celeritate ſanctas Reliquias illas ſibi afferrent. Erat ſane tunc temporis per omnes pene regiones illas celebre nomen S. Venantii Martyris, propter virtutes & miracula, quæ per eum Chriſtus facere dignatus eſt. E quibus aliqua, quæ facta ſunt in eodem loco, paucis arbitror perſtringenda.

Arimino delatum,

claret miraculis:

3 Nam

EX VITA B. RABANI

3 Nam cum adhuc feretrum cum ſacris oſſibus juxta altare eſſet poſitum, quædam femina de ipſo pago, quæ ante ſex annos oculorum lumen amiſerat, cum ante idem feretrum proſtrata ſuppliciter oraſſet, lumen recepit, & Deo omnipotenti gratias immenſas retulit. Poſt hæc altera mulier filium ſuum ſexennem, ex utero claudum, ante Reliquias ſancti Martyris poſuit; & ibi pernoctans, facto mane adhuc debilem eum domum reportans, in lectum poſuit; & egreſſa ab eo, cum reverteretur, perfectiſſime ſanum illum reperit. Hæc quidem duo miracula, quæ modo retuli, ab eis, qui præſentes erant & ea ſe vidiſſe teſtati ſunt, didici: cetera vero, quæ ſcripturus ſum, ipſe coram poſitus vidi; quia ex eis, qui ad perferendos ſacros cineres miſſi fuerant, unus eram.

ſanantur cæca & claudus,

4 Igitur cum veniſſemus ad locum prædictum, paratis celeriter omnibus, quæ ad devectionem ſanctarum Reliquiarum neceſſaria videbantur; prima luce, cum ingenti luctu eorum qui ibidem erant remanſuri, ſanctum illum theſaurum ſuſtulimus, atque iter ingreſſi portare cœpimus. Erat autem cælum nubibus obtenſum obſcuriſſimis, & tota nocte illa ſine intermiſſione pluerat, ita ut nobis iter illud ea die inchoari poſſe minime videretur. Sed ſuperna gratia, per merita Sancti ſui, id quod timebatur, longe aliter eſſe fecit. Nam ut pergere cœpimus, mox diſſipatis nubibus cæli ſerenitas venit, ac per viam parum quid luti apparuit.

tempeſtas aëris ſubmovetur.

5 Deinde ad locum qui vocatur Holzkircha, ſitum in Alemannia, venimus: ibique quia, præ multitudine quæ præibat & quæ ſequebatur, oratorium intrare non potuimus, ſub divo Miſſarum ſolennia celebravimus. Factumque eſt inter celebrandum, duæ mulieres, à ſpiritibus immundis obſeſſæ, vexari cœperunt: & mox, per virtutem Chriſti Martyris fugatis dæmonibus, integerrimam mentis & corporis ſanitatem recuperaverunt. Expleta autem Miſſarum celebratione, cum populus ad ſua reverteretur, in vicinum oratorium ſacros cineres intulimus: ac ordinatis, qui ibi excubias ducerent, ipſos nos in hoſpitium requieturos recepimus. Itaque nocte eadem mulier quædam muta, per merita ſancti Martyris, linguæ ibidem recepit officium: & altera, ſpiritu immundo obſeſſa & brachium habens aridum, ita ſanata eſt, ut die ſequenti cum ceteris & ipſa portaret feretrum. Mane vero, inter Miſſarum ſolennia, mulier cæca viſum recepit; & altera, dexteram manum habens debilem, integram ſanitatem promeruit. Cum autem proficiſci paraſſemus, in ipſo profectionis noſtræ articulo, unus ex Clericis qui nobiſcum erant, nomine Othere (cui ſuſcipiendorum munerum, quæ à populo offerebantur, cura commiſſa fuerat) partem quamdam pecuniæ fraudatus, ſubito cecidit; & in conſpectu totius populi ſpiritui traditus immundo, vexari cœpit. Tam diu quippe à dæmonio tormentatus eſt, donec à circumſtantibus auferretur pecunia, quam in zona abſconderat. Qua ablata, tam perfecte per Martyris Chriſti merita curatus eſt, ut publice ſuum confeſſus reatum, donec in loco ſuo ſanctæ Reliquiæ conderentur, cum gratiarum actione comitaretur feretrum.

energumena liberantur;

ſanantur muta, cæca & alia.

6 Igitur inde profecti, venimus in villam quæ vocatur Truthmuntiga: ubi juxta ſacros cineres, quatuor mulieres ab immundis ſpiritibus liberatæ ſunt. Nec prætereundum miraculum arbitror, quod merito huic Sancto aſſcribitur. Ante enim quam ad prædictam villam ventum eſſet, quædam matrona nobilis obviam nobis properavit, fibulamque auream in ipſo tranſitu perdidit. Quam dum diu cum omni comitatu ſuo quæreret, nec inveniret, cœptum iter carpebat. Venit ergo, & adoratis Reliquiis oblatiſque muneribus cum rediret, occurrit ei quidam homo ignotus, eamdem fibulam ferens in manu. Quam cum illa ſuam fore dixiſſet, Recipe, inquit, quia per orationes Sancti, cujus Reliquias venerata es, reddita eſt tibi. Inde vero progreſſi, venimus in locum qui Haſereth vocatur; in quo femina quædam, inter alios qui nobis è diverſo occurrerunt, vellus lanæ ferens; cum manus ad feretrum munus oblatura extenderet, lana, quam tenebat, velut fumus evanuit: cumque diligenti inquiſitione, an furtiva eſſet, inveſtigaretur; inventum eſt, quod ovis, à qua vellus illud ſumptum fuit, proprio poſſeſſori erat fraude ſublata.

fibula aurea recuperatur,

lana furtiva evaneſcit.

7 Poſt hæc ad villam, quæ Hamelenburg nuncupatur, pervenimus: ubi claudus quidam, qui ſuam imbecillitatem duobus baculis in ambulando ſuſtentabat, curatus eſt per ejuſdem Martyris merita glorioſa. Venientes vero ad fluvium, qui Sala dicitur, invenimus Abbatem noſtrum cum Sacerdotibus & Monachis, magnaque multitudine hominum, in altera ripa fluminis, noſtrum expectantes adventum. Erat quidem tranſitui noſtro navis ibi parata, ſed non in apto loco ad terram ſubducta: cumque eam nautæ, funе ſoluto, obviam nobis ducere conarentur; ſubito è manibus eorum lapſa, quadam vi inviſibili, contra impetum fluminis acta ferebatur; donec ad locum, quo ſacrum onus ſuſceptura erat, littori applicata pervenit, & mirati ſunt omnes. Transpoſitis autem Reliquiis, cum in oratorium, quod in villa erat, feretrum poneremus; mulier quædam, nervorum contractione ita curvata, ut penitus ad videndum cælum ſe erigere non poſſet, cunctis videntibus, coram ſancti Dei Martyris Reliquiis, à tali liberata eſt incommodo. Poſtera die inde profecti, venimus in locum, qui dicitur Litolfesbach, qui eſt in ſaltu Buchoniæ: ubi cujuſdam mulieris pauperculæ filius, a nativitate ſurdus & mutus, ante ſancti Martyris Reliquias, auditu & loquela donatus eſt.

navis ultro ad reliquias properat;

ſanatur contracta,

ſurdus & mutus:

8 Nos vero iter ingreſſi, cum veniſſemus ad conſpectum Fuldenſis Monaſterii; ecce Abbas noſter, qui nos pridie præceſſerat, nobis obviam venit, cum innumera multitudine Fratrum noſtrorum & laicorum, ferens in loculis oſſa Beatorum Martyrum Urbani & Quirini, quæ de Roma nuper allata fuerant. Cumque ſuppliciter adoraſſent, cum ſumma veneratione ſuſceptum corpus S. Venantii, in prædictam eccleſiam B. Joannis Baptiſtæ, cum hymnis & laudibus, intulerunt: quod Reginbaldus Chorepiſcopus, qui inter alios advenerat, in abſida ejusdem eccleſiæ, ad Orientem altaris, in arca ſaxea, recondidit; cineresque Sanctorum Martyrum Urbani & Quirini pariter appoſuit, ſingulos ſeorſum in ſingulis loculis incluſos. Ubi orationibus eorum, fideliter Deum deprecantibus beneficia præſtantur, ad laudem & gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum.

Reliquiæ ſolenni pompa deponuntur.

DE

De Sanctis Martyribus Armenis

PARTHENO QVINTIANO, VICTORE, SECVNDO. G. H.

1. APRILIS. *Initium hujus menſis deſumitur in Martyrologio S. Hieronymi à variis Martyribus, in quatuor turmas ſeu claſſes diſtributis; quarum prima continet quatuor Martyres,* in Armenia *paſſos. Horum primi nomen eſt* Parteni, Parthenii, Partheri, Partini, Paſtini; *&, quod longius abſcedit,* Fortuni. *Secundus appellatur,* Quintianus & Quintinianus & Quiricianus, *ſed rariſſime. Tertius & quartus,* Victor & Secundus, *conſtanti lectione. Duo priores,* Parthenus & Quintianus, *referuntur in MSS. Caſinenſi, Altempſiano, Vaticano S. Petri Pariſienſi à Philippo Labbe communicato, Auguſtano & Corbeienſi. At* Parthenus & Victor *celebrantur à Caniſio in Martyrologio Germanico. Qui duo, cum interpoſito* Quintiano, *memorantur in MSS. Richenovienſi, Rhinovienſi, Trevirenſi S. Maximini, & alio Altempſiano: quibus fere adſtipulatur Grevenus in auctario Vſuardi. Omnes quatuor referuntur à Notkero & Bellino, Pariſiis anno 1521 edito; pro quibus faciunt varia apographa Martyrologii S. Hieronymi; & in Epternacenſi quidem, ante mille fere annos exarato, iſta leguntur:* In Armenia minore Parteni, Quintiani, Victoris, Secundi. *Omiſſo* Victore, *reliqui tres memorantur in MSS. Barberiniano, Adone Leodienſi S. Laurentii, & Florario Sanctorum.*

Hi Martyres in antiquis MSS.

2. *Hactenus cum magno conſenſu hi Martyres* in Armenia *paſſi referuntur: imo in MS. noſtro, ſolo quidem ſed antiquiſſimo, diſerte locantur* in Armenia minore. *Nonnulla MSS. eos cum aliis miſcent. Ita MS. Aquisgranenſe:* Natalis S. Quintiani Martyris, in Armenia, Venantii & Anaſtaſii Martyrum, Paſtini, Victoris. *Ex quibus huc ſpectant* Quintianus, Paſtinus & Victor. *De* S. Venantio *ſeorſim egimus. In MS. Trevirenſi S. Martini etiam conjunguntur* Quintianus, Venantius & Anaſtaſius: *& in MS. Vltrajectino Eccleſiæ S. Mariæ,* Quintianus & Anaſtaſius. *Res nobis difficilis apparet cum* Anaſtaſio, *in tribus MSS. appoſito, in quibus deeſt* Secundus, *& in duobus* Partenus & Victor; *an ſcilicet* Anaſtaſius *loco horum intruſus forſan fuerit. Similis controverſia eſt apud Galeſinium, qui iſta habet:* In Armenia ſanctorum Martyrum Quintiani & Irenæi: *& in Notis allegatur* codex Græcus, *At nullum ſimilem uſpiam reperimus, & arbitramur ex lapſu calami ſive alio vitio amanuenſis id ſcriptum eſſe. Forſan* Codex Græcus *ſubrepſit pro* Codice MS, *in quo* Irenæus, *ex Martyribus Heracleenſibus de quibus mox agemus, huc fuerit tranſlatus. Interim Baronius, ſecutus Galeſinium, citatoque Menologio, eoſdem conjunxit, & Armeniæ adſcripſit. Si quis* Irenæum & Anaſtaſium *alius velit adjungere, per nos licet.*

an jungendi Anaſtaſius & Irenæus

De Sanctis Martyribus Heracleenſibus,

VICTORE, CHIONIA, AGAPE, HERENEO, CASTO. G. H.

1 APRILIS. *Altera hæc eſt claſſis Martyrum, in Martyrologio S. Hieronymi propoſita his verbis:* In Heraclea civitate item Victoris, Chioniæ, Agapæ *ſive* Agapes, Herenei. *Quibus additur* Caſtus *in apographo Corbeienſi, Pariſiis excuſo. Pro* Heraclea *etiam* Eraclea, *&* Eracla *legitur, aſt ubi ſita ſit non indicatur: quatuordecim autem urbes hujus nominis enumerat in ſuo Lexico Ferrarius. Sunt Heracleæ in Ponto, & Heracleæ in Thracia martyrio affecti plurimi, quibus hi forſan jungendi. In MS. Richenaugienſi iſta leguntur:* Et Heraclia Victoris, Agapæ & Herenei. *In MS. Labbæano, omiſſâ civitate, legitur:* Alibi Victoris, Agapæ, Irenæi. *Pro* Agape referri Agapitum in Kalendario vetere Canonicorum Lucenſium *tradit Florentinius in Notis ad Martyrol.* S. *Hieronymi. Ita etiam in Martyrologio* S. *Cyriaci leguntur,* Agapitus & Victor: *ſed* Theſſalonicæ *tribuuntur: ubi paſſæ ſunt ſub Diocletiano* SS. Agape & Chionia ſorores, *quæ hoc die referuntur in genuino Martyrologio Bedæ, Rabano, Wandelberto & pluribus aliis, de quibus cum Martyrologio Romano, Vſuardo, Adone, Notkero aliisque agemus* III *Aprilis. De* S. Irenæo, *hinc tranſlato ad Martyres Armeniæ, jam nunc in præcedenti claſſe egimus. Si alicui videatur hæc claſſis omittenda, quaſi* Victor *ad præcedentem ſpectaret,* Chionia, Agape, & Irene *(pro quâ intruſum ſit nomen* Irenæi) *ſint ſorores ſub Diocletiano paſſæ Theſſalonicæ, per nos licet: potiſſimum ſi diceretur ſequens claſſis, quæ Theſſalonicæ tribuitur, Heracleæ collocanda. Verum dum certiora ex antiquis monumentis proferuntur, de eis hic agimus tamquam diverſis, tum ob antiquitatem Martyrologiorum allegatorum, tum maxime quia tres,* Chionia, Agape & Irene *ſorores, Theſſalonicæ martyrio affectæ, in dictis antiquis apographis martyrologii* S. *Hieronymi referuntur infra ipſis Nonis Aprilis. In Martyrologio Caſinenſi ad diem* II *Aprilis inveniuntur* SS. Hereneus & Agapitus: *quos hic poni debere arbitramur, liberum Lectori relinquentes de iis aliter ſtatuendi.*

Nomina Martyrum:

an aliqua lacuna ſuppleta?

DE SS. INGENIANA, SATVRNINO, PARTHENIO, DIONYSIO, PANTERO ET ALEXANDRO, Martyribus Theſſalonicæ. G. H.

Altera hæc eſt claſſis Martyrum, in antiquis apographis Martyrologii S. *Hieronymi: quibus adſtipulatur MS. aliud Ducis Altempſii, atque ita Martyres memorantur:* Theſſalonicæ; Ingenianæ, Saturnini, Parthenii, Dionyſii, Panteri, Alexandri. *Duo priores referuntur in MS. Richenovienſi; aſt omnes ſex in Martyrologio Bellini, auctius edito Pariſiis anno* MDXXI. *Aliqua in ſcriptione eſt diverſitas.* Ingeniana *quarta reperitur, quæ etiam* Ingenua & Ingenianus *ſcribitur.* Parthenius, *etiam* Partemus, Partinus & Paternus *appellatur: & pro* Pantero *etiam* Pantenus *invenitur.* Alexander *ſequenti claſſi adjungitur in MS. Caſinenſi. In Vaticano MS. pro* Dionyſio *videtur* Dominus *legi, eique adjungitur* Victor: *qui iterum in ſequenti claſſe habetur.* Alexander *in MS. Caſinenſi aliis Martyribus adjungitur:* SS. Dionyſii & Stephani Martyrum *memoria inſcripta eſt Kalendario antiqui Miſſalis & Breviarii Ambroſiani apud Mediolanenſes. Sed* Stephanus *ad ſequentem claſſem ſpectat.*

DE SS. VICTORE ET STEPHANO,

G. H.

Martyribus in Ægypto.

1 APRILIS. *Laudunt agmen Martyrum hi duo Athletæ in apographis omnibus Martyrologii Hieronymiani, & iis conſonant plurima Martyrologia tam excuſa quam manuſcripta, cum Vſuardo, Bellino, Maurolyco, Caniſio, Galeſinio & aliis. Verba ubique fere eadem ſunt:* In Ægypto SS. Victoris & Stephani. *In aliquibus interponitur vox* paſſio: *in aliis additur* Martyrum. *Alios dedimus* Victores *inter Martyres Armenios & Heracleenſes. In MS. Caſinenſi* Victor & Stephanus *referuntur, cum* Alexandro, *ſed ad præcedentem claſſem relato. In MS. Richenovienſi & Labbeano ſolus* Stephanus *memoratur. Addit Baronius in Notis:* Licet hi conveniant nomine, cenſentur tamen diverſi à Victore & Corona, de quibus idem Uſuardus agit pridie Idus Maji: nam hi in Ægypto, illi in Syria paſſi leguntur. *Diximus ſupra in Kalendariis antiqui Miſſalis & Breviarii Mediolanenſis referri* SS. Dionyſium & Stephanum Martyres: *& in Kalendario Miſſalis an.* M D LX *Mediolani excuſi, celebratur commemoratio* S. Stephani & ſociorum Martyrum. *Sed hi ſocii cum S. Dionyſio ſpectant ad præcedentem claſſem.*

DE S. THESIDIO MARTYRE

G. H.

Tuſcaniæ in Hetruria.

1 APRILIS. *Memoratur* S. Theſidius Martyr, *ex Tabulis Eccleſiæ Tuſcanienſis, à Ferrario in Catalogo generali, & iterum in Catalogo Sanctorum Italiæ. Colitur ibidem hiſce Kalendis Aprilis, ejuſq; corpus religioſe aſſervatur. Ita conſtat ex marmorea inſcriptione. At quo loco aut tempore hic ſanctus Martyr fuerit coronatus, quæq; illi patria fuerit, hactenus neſcitur. Eſt* Tuſcania, *vulgò Italis* Toſcanella, *civitas Hetruriæ perantiqua, ad Martham flumen, haud longe à Vulſinienſi lacu: de qua egimus ad* VIII *Februarii, occaſione S. Communis Martyris, cujus corpus ibidem etiam aſſervatur. Iterum de eodem* S. Theſidio Martyre *agit idem Ferrarius in Catalogo generali, citatis eiſdem tabulis, additque Acta ejus deſiderari. Nicolaus Brautius, Epiſcopus Sarſinæ, eum his verſibus honorat:*

Theſidii Tuſcana tenet ſacra Martyris oſſa,
Et renovat certo tempore feſta memor.

DE SS. BASILIDE ET GERONTIO,

D. P.

Martyribus apud Græcos memoratis.

1 APRILIS. *Ex Menæis Græcorum impreſſis apud Venetos, & Synaxario, apud Petrum Franciſcum Chifletium noſtrum Divione manuſcripto, innotuit nobis, quod Sancti hi Martyrium ſuum gladio conſummarint, hoc ipſorum commemorationi ſuffixo diſtricho:*

In Menæis, & imo MS.

Σὺν Βασιλίδῃ Γερόντιος ἐκ ξίφεος
Γερῶν μετέσχε παμβασιλέως δόγος.
Socio Gerontius cum Baſilide, Verbi
Omnia regentis præmium gladio tulit.

Propriam, quæ ab etymologia nominum hic reperitur, ſecundi verſus ad primam alluſionem, non æque facile eſt Latine exprimere. Non etiam promptum eſt divinare, iidemne hi ſint, qui die XIII *vel* XIV *hujus menſis in pleriſque manuſcriptis Synaxariis, quæ vidimus, referuntur, S. Theodoſio vel Theodoſiæ conjuncti. Nam Claromontanum quidem ſic eos habet ad* XIV, ἡμὲ τ ἁγίων Μαρτύρων Θεοδοσίᾳ, Βασιλίδᾳ ϗ Γερονλίᾳ: *in aliis autem pluribus præcedenti die (videlicet in Ambroſiano ſignato* 148 O fol. *& duplici Taurinenſi Ducis Sabaudiæ) ſic experimuntur nomina,* Θεοδοσίας, Βασιλίᾳ ϗ Γερονλίᾳ. *Quod hic indicaſſe contenti, Theodoſiam vel Theodoſium Martyrem ad diem* XIII, *& ad alteram, cui alibi innectitur, ſocietatem reſervamus. Porro die* XIII S. Theodoſius *adjungitur* S. Eleutherio Perſæ & Zoilo, ſub Sapore Rege Perſarum paſſis, *ubi dicuntur* SS. Eleutherius & Theodoſius poſt varia tormenta capite plexi; *quod hic de hiſce ſanctis diximus. An ergo poſſet inferri ſub Sapore etiam hoſce coronatos, cum ibidem Theodoſio jungantur? Definiant id alii.*

an alibi ad 13 vel 14 relati,

alterque eorum Baſilius dictus?

DE S. MELITONE EPISCOPO,

G. H.

1 AVT II SECVLO. *Ferrarius, in Catalogo generali Sanctorum qui non ſunt in Martyrologio Romano, duos ad diem primum Aprilis profert* Sanctos Epiſcopos Melitones; *alterum Sardium, in Aſia; alterum Sulcitanum, in Sardinia. Prioris vitam & ſcripta edidit Petrus Halloix, tomo* 2 *Illuſtrium Eccleſiæ Orientalis ſcriptorum, qui ſecundo ſeculo floruerunt, & cap.* 5 *tradit,* eum in Martyrologiis ad Kalendas Aprilis adſcriptum eſſe; *& in margine annotat* Maurolyci Martyrologium. *Habemus hujus Martyrologii duas editiones Venetas, in quibus ſolum iſta verba habentur:* In Sardinia Melitonis Præſulis. *Quæ eodem modo Italice tranſlata leguntur apud Conſtantium Felicium. Eadem, appoſito ſolum tuulo* Beati, *leguntur in MS. Vſuardo Chamberti apud Conventuales reperto, & alio apud Carmelitas Coloniæ deſcripto, & in MS. Florario Sanctorum. Grevenus in Auctario Vſuardi, Coloniæ anno* 1515 *&* 1521 *excuſo, iſta habet:* In Sardinia B. Melitonis, Epiſcopi & Confeſſoris. *Quæ inde, cum titulo* Sancti, *in Martyrologium Germanicum Caniſii tranſlata ſunt. Præterea Martyrologia MSS. Bruxellenſe* S. *Gudulæ, Centulenſe, Pariſienſe duplex* S. *Germani de Pratis, item Lobienſe ſub nomine Adonis, Leodienſe* S. *Laurentii, Tarvanenſe, & aliquod Reginæ Sueciæ, dein noſtrum unum valde antiquum, & aliud excuſum anno* 1490 *Coloniæ & Lubecæ, eodem modo iſta habent:* In Sardinia B. Melitonis Epiſcopi, cujus actus inter homines celeberrimi habentur. *Hactenus varia Martyrologia, in quibus omnibus* Sardinia, *nuſquam* urbs Sardium in Aſia, *reperitur, niſi forte (quia urbs* Sardium *in Aſia minus vulgo nota eſt) irrepſerit* Sardinia *magis celebris. Nos de utroque hic agimus, relicturi aliis ulteriorem deciſionem.*

in Sardinia;

Martyrologia de S. Melitone Epiſcopo,

2 *Ferrarius aſſerit, ſe ex tabulis & monumentis eccle-*

ſia

A

an urbis Sulcitanæ?

ſiæ Sulcitanæ habere teſtimonium hujuſmodi: Sulci in Sardinia Melitonis Epiſcopi & Martyris: *Strabo, de Sardinia agens libro 5, ita de ea urbe ſcribit*: Πόλεις δ' εἰσὶ μὲν πλείους, ἀξιόλογοι δ' Κάραλις καὶ Σῦλχοι, Urbes in ea ſunt plurimæ: ſed relatu digniores, Caralis & Sulchi: *quas duas, urbium iſtius inſulæ antiquiſſimas, appellat Mela lib. 2. cap. 7. In epitome Stephani iſta leguntur*: Σύλκοι πόλις ἐν Σαρδοῖς, Καρχηδονίων κτίσμα, Sulci urbs in Sardinia, à Carthaginienſibus condita. *Sic & Claudianus de Bello Gildonico*,

Pars adit antiqua ductos Carthagine Sulcos.

Situm hujus urbis ita deſcribit Ptolemæus, lib. 3. cap. 3. Meridionalis lateris deſcriptio, Pupulum urbs, Sulci oppidum, cum portu, Peninſula, &c. *Vrbs diruta eſt, & locus ex ſitu & quadam vocabuli ſimilitudine colligitur appellari* Palma di Solo. *Succeſſit illi in dignitate Epiſcopali Villa ſeu Vallis-Eccleſiæ, ad* XXX *M. P. verſus Calarim recedens. In Notitia Epiſcoporum, qui juſſu Hunnerici Regis, pro reddenda fidei ratione, Carthaginem venerunt, legitur* Vitalis Epiſcopus Sulcitanus. *At celeberrimus habetur* S. Antiochus Epiſcopus, *ſub Hadriano Imperatore paſſus* XIII *Decemb. à quo vicina inſula S. Antiochi appellatur.*

B

S. Melito traditur diſcipulus S. Bonifacii Calaritani,

3 *Primus hujus ſedis Epiſcopus ſtatuitur* S. Melito, S. Bonifacii primi Epiſcopi Calaritani diſcipulus. *Coli dicitur* S. Bonifacius XXVIII *Decembris, de quo ex codice quodam MS. Dionyſius Bonfant, in Triumpho Sanctorum Sardiniæ, edidit elogium, lib. 1. cap.* 10, *cujus hanc partem damus.* S. Bonifacius Martyr, Chriſti diſcipulus, Epiſcopus Calaritanus à Divo Petro ordinatus: ubi prædicationem Euangelii miraculorum magnitudine confirmavit. Poſtmodum ſtabilita Sede Calaritana, ad ceteras Sardiniæ partes admovens oculos; ut apud omnes prædicatio Euangelica illuceſceret; diſcipulos, quos habebat, in diverſa loca mandavit, & ſignanter S. Melitonem ad Sulcim urbem, Græcorum & Romanorum coloniam, ubi mira docuit & fecit: atque ita per totam inſulam fides Chriſti propagata eſt. *Idem Bonfant, lib. 3. cap. 37, iſta tradit*: Natus eſt S. Melito apud Calaritanos: atque ad fidem Chriſti converſus ac baptizatus, vitam ſuam tam ſancte inſtituit, ut à S. Bonifacio dignus cenſeretur Sacerdotio & Epiſcopatu Sulcitano: in quo ſubditos aluit cibo ſalutaris doctrinæ, & exemplis virtutum potavit, cum magno Eccleſiæ ſuæ profectu atque utilitate. Tandem cum ad longam uſque ſenectutem vixiſſet, pro fide Chriſti, quam prædicabat, capite plexus, accepit æternæ beatitudinis præmium. *Dicitur* S. Bonifacius in Neronis perſecutione ſecuri percuſſus; *à quo ſi non diu ante S. Melito fuiſſet datus Sulcitanis Epiſcopus, potuiſſet facile vixiſſe ad tempora Domitiani. Hæc de Melitone ſuo Sardi, quæ certioribus monumentis optaremus confirmari.*

ab eo Epiſcopus ordinatus,

& Martyr obiiſſe.

C

Melito Epiſcopus Sardianum in Aſia:

4 *Hiſce pauca ſubjungimus de altero Melitone, Epiſcopo Sardium, de qua urbe ita Stephanus*: Σάρδις πόλις Λυδίας, ὁ πολίτης Σαρδιανὸς, τὸ κτητικὸν Σαρδιανικός. Sardis urbs Lydiæ. Civis dicitur Sardianus; poſſeſſivum eſt Sardianicus. *Ab his vix differunt, tum ejus de qua ſupra egimus inſulæ nomen, Græcis* Σαρδὼ *&* Σαρδὼν *dictæ; tum appellativa inde ducta, quæ ſunt* Σαρδῶος, Σαρδώνιος *&* Σαρδωνικός *apud eumdem Stephanum in Vrbibus; & Latinis* Sardus, Sardenſis, Sardonius, & Sardonicus. *Eſt Sardis Metropolis Lydiæ, atque olim* Regia Crœſi, *uti habet Horatius epiſt. 1, una ex ſeptem Eccleſiis Aſiæ, ad quas* S. *Ioannes in Apocalypſi ſcripſit: non tamen fuit tunc Epiſcopus Melito, ut aliqui recentiores tradunt. Euſebius in Chronico iſta ſcribit*: Cethego & Claro Coſſ. *id eſt anno Chriſti* CLXX, Μελίτων, Σαρδιανῶν Ἐπίσκοπος τῆς Λυδίας, βίβλον ἀπολογίας Ἀντωνίνῳ ὑπὲρ Χριστιανῶν ἐπίδωκεν. Melito, Sardianorum in Lydia Epiſcopus, libruni defenſionis pro Chriſtianis Antonino tradidit. *Eſt is Marcus Aurelius Antoninus, qui tunc imperabat. Antiquiſſimum de Melitone teſtimonium prabet Polycrates, Epiſcopus Epheſinus, in epiſtola ad Victorem Papam, qui ſedit ab anno* CLXXXVI *ad annum* CXCVIII, *& ita habet ex interpretatione* S. Hieronymi, *lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis cap.* 45. Quid neceſſe eſt Sagaris Epiſcopi & Martyris recordari; qui in Laodicea ſoporatur? & Papyrii beati, & Melitonis in ſancto Spiritu eunuchi, qui ſemper Domino ſerviens poſitus eſt in Sardis, & expectat in adventu ejus reſurrectionem? *Quæ ultima ita Græce efferuntur apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap.* 24. ὃς κεῖται ἐν Σάρδεσι, περιμένων τὴν ἀπὸ τῶν οὐρανῶν ἐπισκοπὴν, ἐν ᾗ ἐκ νεκρῶν ἀναστήσεται. Qui in Sardibus ſitus eſt, adventum Domini de cælis, in quo reſurrecturus eſt, expectans. *Colitur 6. Octobris* S. *Sagaris, Epiſcopus Laodiceæ & Martyr ſub dicto Marco Aurelio Antonino Imperatore; certe ipſe* Melito, *apud Euſebium, lib. 4. cap. 26,* in libro de Paſcha, tempus ipſum quo ſcribebat, in principio operis ſui, deſignat his verbis: Servilio Paulo, inquit, Aſiæ Proconſule, quo tempore Sagaris martyrium perpeſſus eſt, magna controverſia Laodiceæ excita eſt de ſolemnitate Paſchali, quæ tempeſtive in illos dies inciderat. Quibus etiam diebus hæc à nobis perſcripta ſunt. *Alios ejus libros ibidem enumerat Euſebius hoc modo*: De recta vivendi ratione & de Prophetis liber unus: alius item de Eccleſia, alius de die Dominico. Eſt & de natura hominis liber; unus de formatione, alius de obedientia ſenſuum fidei. Præterea liber de anima & corpore & mente: liber de lavacro; liber de veritate; liber de conditu & generatione Chriſti. Item alius de Prophetia, alius de hoſpitalitate, alius quoque qui Clavus inſcribitur. Adhæc de diabolo & de Revelatione Joannis: de Incarnatione Dei liber unus. Poſtremus omnium eſt libellus ad Imperatorem Antoninum. *Hæc Euſebius: qui, nonnullis ex dicto libello ad Imperatorem relatis, alia ejus opera memorat, & ſunt,* Exceptorum ex libris ſacris libri ſex. *Omnes hos libros recenſet Hieronymus, lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap.* 24, *ac dein addit*: Hujus elegans & declamatorium ingenium laudans Tertullianus, in ſeptem libris quos ſcripſit adverſus Eccleſiam pro Montano, dicit, eum à pleriſque noſtrorum Prophetam putari. *Quæ ſuperſunt ex tot Melitonis libris fragmenta, collegit Petrus Halloix, & ſimul edidit, atque apud eum videri poſſunt. Qui in Bibliotheca veterum Patrum exſtat ſub nomine Melitonis liber* de tranſitu Beatæ Virginis, *indignus qui tanto viro tribuatur, à Gelaſio Papa, cap. Sancta, Diſt.* 15 *apud Gratianum, inter apocrypha eſt rejectus. In libro* περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ, *quem de* Incarnatione Dei *cum aliis interpretati ſumus, oſtendit Dionyſius Petavius lib. 2. Theologicorum dogmatum cap. 1, impingi ab Origene opinionem Melitoni, quaſi ſenſerit aut ſaltem diſputarit Deum eſſe corporeum: ita referri apud Theodoretum, quæſt.* 10 *in Exodum, tam in editione operum Græco-latina quam in quadam Catena MS, in Geneſin. Bellarminus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis eum Sanctis adſcriptum credidit, & ſic elogium incipit*: Sanctus Melito, Sardenſis (*imo* Sardianus) Epiſcopus, M. Aurelii Imp. tempore floruit. *Petrus Halloix toto tractatu eum Sanctum appellat, & cap. 5 iſta addit,* diem ejus natalis in ſacros Eccleſiæ faſtos relatum fuiſſe, & Martyrologiis quibuſdam adſcriptum ad Kalendas Aprilis reperiri: *quo die Ferrarius in Catalogo generali, memoriam ejus celebrat*: In Aſia S. Melitonis, Epiſcopi Sardium. *Verum qui allegantur Maurolycus & Caniſius, eos* in Sardinia *collocare* S. Melitonem, *ſupra diximus.*

circa an. 170.

item de Paſchate,

& varios alios tractatus;

Sanctis ab aliquibus adſcriptus traditur.

AUCTORE G. H.

ſcripſit liber Apologeticus pro Chriſtianis,

E

F

D.P.

DE S. PRVDENTIO EPISC. MARTYRE

D

Atini in Italia.

CIRCA AN. CCC.

Hujus & aliorum Epp. Atin. geſta deperdita:

INter Colonias, quibus Volſcorum populos in officio continuit Romana Respublica, Atina *fuit, ad Pontinas paludes*, præſtans *Virgilio cognominata*: *poſteri* Atinum *dicere maluerunt. Hæc urbs, quia fidei Chriſtianæ ſemina ab ipſo Apoſtolorum Principe Petro, tum etiam ſacrorum primum Antiſtitem Marcum accepiſſe gloriatur, eidem S. Petro olim nuncupatum habuit Cathedrale templum, & in hoc ſanctorum Epiſcoporum corpora; quorum ſudoribus irrigata ibidem Chriſtiana religio, egregiis brevi tempore profecit incrementis. Horum* geſta mirifica quamquam in ſcriptis compendioſe legebantur: apud eccleſiam tamen, quæ quondam in S. Marci fuerat honore conſtructa, nunc autem SS. Nicandri & Marciani nomine prænotatur, incendio referuntur eſſe conſumpta. *Ita Adenulphus, Capuanæ Sedis ab anno* M VIII *Archiepiſcopus, in præfatione ad miracula ſancti Marci, primi (ut diximus) Atinenſis Epiſcopi.*

2 *Mirandum igitur nequaquam eſt, ſi Atinates duo ſcriptores anonymi, à quibus contextum urbis illius Chronicon atque ad annum* M CCC LV *uſque deductum extat, apud Ferdinandum Vghellum Italiæ ſacræ tomo* I *ad calcem libri, ex perantiquo monaſterii Foſſæ-novæ MS. mirum, inquam non eſt, ſi de* S. Prudentio, *quem decimum illi Epiſcopum*
B *memoria in Atinenſi chronico conſervata:* *numerant, pauca duntaxat referre ipſi potuerint: quæ inde Philippus Ferrarius in catalogum Sanctorum Italiæ ad hunc diem, & in tomum* 6 *Italiæ ſacræ tranſcripſit jam dictus Ferdinandus Vghellus: ſunt autem hæc:* Gajus, ſecundo anno Pontificatus ſui, ordinavit in civitate Atina Prudentium Epiſcopum: qui ſedit annis XXV, alias XXX, menſibus duobus, diebus quinque. Hic cum quodam die idolum Junonis, quod erat in templo quod ſitum eſt juxta Thermas Antonianas, evertere vellet; tentus à paganis, occiditur: cujus corpus ante ipſum templum inhumatum relinquentes diebus tribus, à Chriſtianis rapitur; & in eccleſia B. Petri humatur, ipſo die Kalendarum Aprilis.

locus paſſionis Atinæ, 3 *Neque vero* Thermas Antonianas *audiens, dubites an Atinæ paſſus ſit Prudentius, propterea quod illæ celebres haberentur Romæ, ab auctore Antonino Caracalla nomen adeptæ, uti poſt alios teſtis nobis eſt Euſebius in Chronico. Fuit enim hæc exterarum etiam urbium, civitatis Romanæ jure gaudentium, præſertim Italicarum, inſania; ut quæ Romæ eſſent præcipuæ famæ ædificia publica, eorum etiam nomenclaturam ad ſua ſimilis uſus loca traducerent, ut*
C *Capitolia, Amphitheatra, aliaque ejus generis. Quin &* ſub Antonini Caracallæ Imperatoris temporibus, *inquiunt Chronicæ præcitatæ auctores*, dedicatum eſt in Atina Forum ejusdem Antonini, non longe ab Amphitheatro, magnis lapidibus & politis marmoribus: juxta quod forum ſitum eſt & templum Saturni (ante cujus fores aquæductus diſtenditur) variis operibus inſignitum .... quod templum & forum Gentilium ritu dedicatum eſt x kal. Junii, Imperantibus Severo & Antonino, *adeoque ante annum* CCXIII. *Quidni autem, propter aquæductus opportunitatem, additæ non multo poſt thermæ ſint, & eodem quo forum nomine dictæ Antonianæ?*

4 *De tempore S. Caji Papæ ad* XXII *Aprilis acturi ſumus, dicemusq; annum primum illius cadere in Æræ vulgaris annum* CCLXXXIII: *ex quo conſequens foret S. Prudentium martyrio affectum fuiſſe, anno vel* CCCIII *vel* CCCIV, *utique extremo Diocletiani & Maximiani Imperatorum tempore. Sed ne hujusmodi calculis fidere audeamus, facit tum ipſius rei antiquitas, eo tempore geſta, quo nondum invaluerat conſuetudo, annos epiſcopales, una cum nominibus ſingulorum Epiſcoporum, in eccleſiarum diptychis annumerandi (quod longe poſterioris ævi inventum fuit) tum Ferdinandi Vghelli de hac ipſa Chronica judicium, quo tomo* 5 *Italiæ ſacræ colum.* 512 *cenſet*, ita ab ea inverti ordinationem Epiſcoporum & tempora, ut vix caſtigata tolerabilis evadere poſſe videatur. *Mirandum eſt tamen* E *inveniri auctorem, qui, cum* II *anno Caji conſecratum Prudentium annos* XXV *ſedisſe dicat, Martyrium tamen ejus Imperio Probi Imperatoris adſcripſerit: quando hic eſt ante Caji creationem mortuus.*

& tempus non ſatis certum:

5 *Teſtes Eccleſiaſtici cultus, S. Prudentio ab Atinatibus delati, præter Ferrarium nobis ſunt, tum citatus ab eo Petrus Paulus Florus Vrbinas, in libello de vitis & paſſionibus ſanctorum Atinæ Protectorum necdum nobis viſo; tum alius eodem titulo libellus Italicus MS. quem, hujus ſeculi initio compilatum, noſter Antonius Iacobillus Neapoli apud V. C. Bartholomæum Chioccarellum reperit tranſcripſitque an.* 1638. *In hoc tum ante dicta vulgari redduntur lingua, tum hæc oratio recitanda ſubjicitur:* Deus pro cujus honore glorioſus Pontifex tuus Prudentius gladiis impiorum occubuit: præſta quæſumus ut omnes qui ejus imploraut auxilium, petitionis ſuæ ſalutarem conſequantur effectum. *Quæ oratio cum mutato ſolo nomine ſumpta ſit ex Officio, quod S. Thomæ Cantuarienſi* IV *Kal. Ianuarii recitandum Romana ordinavit Eccleſia; indicio nobis eſt, recentiori uſu receptum eſſe inter Atinenſes feſtum hujus ſancti Pontificis, ac forte poſt annum* M D LXIII, *quo Aloyſius Notarius Atinenſis, quotquot invenire potuit Sanctorum Atinenſium Acta aliave monumenta, ſimul cum ipſorum Officiis, in unum Codicem tranſcripſit ex MS. perantiquo Longobardico: quod ipſum Longobardicum perlegiſſe ſe, &* F *MSS. ſua ad illud contuliſſe teſtatur prælaudatus Ferdinandus Vghellus, propria id manu ſubſcribens Sanctorum Actis indidem acceptis, & nobis cum Romæ eſſemus perquam benigne donatis: in quibus omnibus nulla fit S. Prudentii mentio; uti nec deceſſoris ejus Cari: de quo proinde ad* XXIX *Aprilis pari agemus brevitate.*

cultus quando Atinæ receptus?

G. H.

DE SANCTO LEVCONIO,

Epiſcopo Trecenſi in Gallia.

CIRCA DCLXV.

TRecæ *ſeu* Tricaſſium *numeratur inter illuſtriores Galliæ urbes; cujus varii Sancti Epiſcopi, Presbyteri, Abbates & Virgines ſæpius memorantur in hoc opere: & ad Kalendas Aprilis inſcriptus eſt nonnullis Martyrologiis* Leuconius, *ſeu* Leuthonius, Lenthonius *aut* Leuthenius, *decimus octavus*

Memoria in variis Martyrologiis. *hujus urbis Epiſcopus. De hoc in Martyrologio Coloniæ & Lubecæ an.* 1490 *excuſo, item apud Grevenum in Auctario Vſuardi, & Caniſium in Martyrologio Germanico iſta leguntur:* In territorio Trecaſſino S. Leuthonii, Epiſcopi & Confeſſoris. *Eadem habentur in MS. Florario Sanctorũ, & in antiquiore MS. Carmelitico, Francofurto Coloniã delato: in quo, vitio amanuenſium, dicitur* territorium Caſinũ *pro* Tricaſſino. *Talis hactenus invenitur notitia ejus apud Germanos. Maurolycus, Abbas Siculus, iſta habet in ſuo Martyrologio:* Trechas Leuconii Antiſtitis. *Maurolycum deſcripſit Felicius; illoq; & Caniſio citaris, ita tradit Ferrarius,* Trecis S. Leuconii Abbatis. *Nudum nomen, abſq; titulo* Beati *aut* Sancti, *exprimunt Demochares, Chenu. Claudius Robertus, Petrus Pithou & Sammarthani in ſuis Catalogis Epiſcoporum Trecenſium: quibus addit* Nicolaus Camuzat, *& ipſe Tricaſſinus, in Promptuario ſacrarum antiquitatum Tricaſſinæ*

caſsinæ diœceſis fol. 158, de Leuconio, alias Leoconio, Bertoaldo & Wammiro nihil omnino veteres hiſtorias prodidiſſe, adeoque ſolo de nomine eorum notitiam ad nos perveniſſe, imperturbatam tamen ſucceſſionis Tricaſſinorum Epiſcoporum ſeriem inde innoteſcere. *Hac forſan de cauſsâ Andreas Sauſſayus nullam ejus mentionem facit in Martyrologio Gallicano.*

Veneratio in monaſterio D. Virginis Nonnarum,

2 *Vnus tandem Sacerdos & Concionator Trecenſis, Nicolaus Des-Guerrois, excuſsis omnium eccleſiarum & monaſteriorum ſcriniis, plurima ante incognita de Sanctis Trecenſibus prodidit & edidit Gallice typis Trecenſibus anno* M DC XXXVII: *in quibus diffuſe probat Sanctitatem Leuconii,* XVIII *Epiſcopi. Ac primo, in præfixo Catalogo Feſtorum, de Sanctis diœceſis Tricaſſinæ, quorum ſacra Corpora & Reliquiæ in ea adſervantur, ad Kalendas Aprilis collocatur* S. Leuconius Epiſcopus: *mox in Indice Alphabetico ita legitur:* S. Leuconii Epiſcopi oſſa adſervantur in una ex hierothecis monaſterii Divæ Virginis Nonnarum, in urbe Trecenſi. *Præterea fol.*193 *& ſequentibus plurima late deducit, interque alia allegat duo antiqua Martyrologia Trecenſia, monaſteriorum S. Lupi & Divæ Virginis Nonnarum, in quibus iſta habentur:* In territorio Tricaſſino S. Leuconii Antiſtitis: *& his conformia ſunt, quæ ſupra ex novem Martyrologiis protulimus. At potiſsimum cultus publici teſtimonium præbet Breviarium dicti monaſterii Divæ Virginis Nonnarum, ex codice antiquo impreſſum anno* MDXLII; *in quo præcipitur celebritas feſti ad haſce Kalendas Aprilis ſub ritu duplici, & recitantur Lectiones ad Matutinum, Orationes & Hymni proprii de iſto Sancto: ubi appellatur à ſanctimonialibus* Noſter Pater, Protector, Magiſter, & Prædicator: *è quibus colligit Des-Guerrois, probabile cenſeri, prima hujus monaſterii fundamenta jacta fuiſſe à S. Leuconio. Allegantur etiam hæc verba ex Oratione,* Per hujus ſancti Leuconii Confeſſoris tui atque Pontificis preces: *& ex Hymno,* Tua ſacra præſentia. *Ob quæ verba opinatur Des-Guerrois,* ſacra ejus oſſa ibidem aſſervari, in una ex duabus hierothecis ligneis inauratis, in qua plurimæ ſacræ Reliquiæ ſunt, nominibus Sanctorum jam pridem incendio aut alio infortunio abolitis. *Demum ex eodem Officio colligitur à Des-Guerrois* eminens doctrina & ſanctitas Leuconii, qua ſubditi ab idolatria ſive hæreſi ſunt ad veram & orthodoxam Chriſti fidem deducti; & invitantur ad vitam agendam ab eo præſcriptam, ut poſſint eum habere protectorem in cælis. *Reliqua fere ſunt de Communi Confeſſorum Pontificum.*

cum Officio Eccleſiaſtico.

An illud monaſterium ab eo conſtructum?

an ejus ibi Reliquiæ?

3 Interfuiſſe S. Leuconium Concilio Senonenſi, habito ad 11 annum Chlotharii III, *tradit Carolus le Cointe in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum, additq;* coli S. Leuconium ritu duplici Kalendis Aprilis in Abbatia S. Mariæ, eumque quieſcere in eccleſia puellari illius monaſterii, monialeſque non alium ſuæ domus primum auctorem ac conditorem agnoſcere: famam tamen eſſe illic ab initio non moniales fuiſſe, ſed puellas, quæ nuntium idololatriæ remittebant, fidemque Chriſtianam ab Epiſcopo edocebantur. *Hæc dictus le Cointe refert ad annum* DCLVII. *& bene: quia Chlotharium* III *cœpiſſe anno* DCLVI *regnare ſupra accurate docuimus. Quamdiu poſtea vixerit S. Leuconius, non liquet. Quod autem in Indice Alphabetico apud Des-Guerrois legatur* adhuc vixiſſe anno DC LXXXV, *mendum arbitramur, & forſitan annum* DC LXV *eſſe reponendum: maxime ſi inter ipſum &* Felicem-Abbonem (*quem ſub mortem Chlotharii* III *& annum* DC LXX *fuiſſe Epiſcopum conſtat ex Vita S. Frodoberti Abbatis, ad diem* VIII *Ianuarii excuſa*) *ſi, inquam, inter hos adhuc ſederit* Bertoaldus, *& (ut nonnulli volunt) etiam* Wammirus.

dicitur anno 657 interfuiſſe Concilio Senonenſi

& forte mortuus circa an. 665.

4 *His jam pridem paratis & brevi prælo ſubjiciendis, accipimus, quæ anno* MDXLIII *in citato ſupra Breviario extant excuſa, prout ea à Domino de Villeprouvée, in Camera Trecenſi Electorum Regio Conſiliario, miſſa fuerunt ad Petrum Franciſcum Chiffletium, noſtræ Societatis Sacerdotem; à quo olim illa petieramus, quique ea Divione deſtinavit ad nos, cum humaniſsimis præfati Domini litteris, datis* XV *Iulii anno* M DC LXXI. *Ante Lectiones, quas inde damus, iſta recitatur Benedictio:* Leochonii Epiſcopi & Confeſſoris precatio, ſit nobis vita & reſurrectio. *Deinde habentur ſequentia, diſtincta in octo Lectiones.*

Officium proprium ſubmiſſum

AUCTORE G. H. D

5 Gaudete, dilectiſſimi fratres, in Domino, qui ad ſanctiſſimi Patris & Protectoris noſtri, Sancti ſcilicet Leochonii Epiſcopi, ſolennia conveniſtis, & ſpiritali jucunditate lætemini. Ex intimo cordis affectu clementiam Domini noſtri Jeſu Chriſti collaudate, qui nos ex idololatriæ erroribus ad agnitionem ſui ſancti nominis, per hujus ſancti Sacerdotis prædicationem, perducere dignatus eſt. Sequamur unanimiter tam ſancti Doctoris veſtigia. Non ſimus tanti Patris degeneres filii: ſed ſanctitatem vitæ illius, morum nobilitate imitemur. Abjiciamus à nobis opera tenebrarum, & induamus nos arma lucis, ſicut in die honeſte ambulemus. Quia nox ignorantiæ præceſſit, & veræ ſcientiæ nobis lumen illuxit: ut filii lucis in omni caſtitate vitæ ambulemus. Non ſint alicujus nequitiæ vel malitiæ occulta in nobis ſemina: quia homo videt in facie, Deus autem in corde conſiderat: nec aliquid illius omnipotentiæ oculis occultari poteſt. Præparemus [corda noſtra] in omni bonitate, ut præclarus Pontifex & pius Prædicator noſter, S. Leochonius Epiſcopus, gaudens nos ante tribunal ſummi Iudicis in die ultimo deducat: quatenus ex numeroſitate filiorum iſtius cumulemur gloria, & deſiderabilem mereamur audire ſententiam, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Ille in cæleſti patria, piis orationibus noſtrum agonem quotidie adjuvare non deſiſtit, deſiderans ſuos cariſſimos filios, quos paterna pietate genuit in Chriſto, ad gloriæ perpetuæ beatitudinem pervenire. Quapropter, cariſſimi fratres, unusquiſque in ſuo ordine, ſecundum virium facultatem, fortiter diabolicis ſuggeſtionibus reſiſtat, ut æternam triumphi coronam cum pio parente noſtro accipere dignus efficiatur. Non ſunt enim condignæ paſſiones hujus temporis ad ſuperventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Igitur breve laboris tempus divina nobis voluit eſſe pietas, & agonis noſtri retributionem eſſe perpetuam: pro temporali tribulatione permanentis gloriæ mercede gaudere. Ideo nulla carnalis concupiſcentia, nulla ambitio impediat iter noſtrum: curramus per opera pietatis ad cæleſtis patriæ portas. Expectant nos cives æternæ civitatis: & Rex ipſe, qui vult omnes ſalvos fieri, noſtram cum Sanctis ſuis vehementer deſiderat ſalutem. Decet enim nos illius eſſe cooperatores in ſalute noſtra; qui nos in tantum dilexit, ut proprio filio ſuo non parceret; ſed pro nobis omnibus tradidit illum. *Hactenus Lectiones primi & ſecundi Nocturni, quibus in tertio Nocturno additur Euangelium:* Ego ſum vitis vera, *cum ſua Homilia. Hymnus unicus etiam canitur hujuſmodi.*

in eo lectiones 1 *&* 2. *Nocturni.*

Hymnus.

Ave Pater ſcandens polum, ave pie viſens ſolum,
Annua feſta, munera, tua ſacra præſentia.
Offer, Sacerdos optime, gemitus noſtros & preces.
Firma fidē, Præſul ſancte, moreſq; noſtros corrige.
Ope guberna fragiles, in mundi hujus pelago,
Atque exutos corpore, pie benigne ſuſcipe.
Quo ſine fine, Gloria Deo Patri & Filio,
Una cum ſancto Spiritu, tecum canamus perpetim. Amen.

Antiphona. Sancte Leochoni, intercede pro nobis, ut conſortes gloriæ Sanctorum tecum effici mereamur.

Oratio. Da, æternæ conſolationis Pater, per hujus ſancti Leochonii, Confeſſoris tui atque Pontificis, preces, populo tuo pacem & ſalutem: ut tuis tota dilectione inhæreamus præceptis, & quæ tibi placita ſunt, tota perficiamus voluntate per Dominum.

Orationes.

G. H.

DE SANCTO VVALARICO,
ABBATE LEVCONAENSI PRIMO,
in pago Picardiæ Wimacenſi.

CIRCA AN. DCXIX.

SOmona, *ſeu* Sumina *aut* Somena, *fluvius Picardiæ, ſuam originem ſumit in Veromanduis, haud procul ab oppido S. Quintini: & poſtquam*

Ad Somonã fluvium & Oceanum,

præterlapſus eſt Peronam, Corbeiam, Ambianum, *Abbavillam, & alia minora oppida interpoſita; tandem in Oceanum Britannicum devolvitur, prope oppidum* S. Walarici, *ad ſiniſtram Somonæ ripam, in Wimmacenſi ſeu Wimmeſia ditione ſitum. Locus hic, olim deſertus,* Leuconaus, *ſeu* Leucanaus, *&* Legonaus *appellatus, ſuſcepit* S. Walericum *Eremitam peregrinum, cum aliquot ſociis, eumque poſt vitam ibidem innocenter peractam cælo tranſcripſit, & viventis æque ac mortui miraculis claruit. Floruit, &*

vixit S. Walericus,

forſan circa eadem tempora, alius S. Walaricus eremita: *qui è Germania inferiore in Aquitaniam progreſſus, ibidem fecit vivendi finem: memoraturque à nobis die ejus natali* X *Ianuarii, & in loco* S. Waulry *appellato ſervatur corpus in Prioratu Conventuali eccleſiæ S. Martialis ſubjecto; agitur autem de eo in Chronicis Gaufredi Prioris Voſienſis tomo 2 Bibliothecæ novæ, ex MSS. à Philippo Labbe editæ. His pro utriuſque eremitæ diſtinctione præmiſſis, progrediamur ad S. Walaricum, qui hoc die colitur.*

à quo alius S. Walericus eremita in Aquitania,

B

2 *Vixit is ſeculo Chriſti ſexto & ſeptimo, ac primo in patria apud Aruernos vitam monaſticam egit, tum prope urbem Autiſſiodorenſem, poſt in Luxovienſi cœnobio ſub S. Columbano: à quo, antequam is anno* DCXII *in Italiam abiret, accepta facultate in Picardiam venit, & Leuconaum ſeceſſit, regnante in Neuſtria Chlotario* II, *paulo poſt Monarcha facto; ſub ejuſque regimine è vivis deceſſit, aliquot ante annis quam moreretur S. Attalas, poſt S. Columbanum monaſterii Bobienſis Abbas. Quandonam obierit S. Attalas non exacte conſtat, ſicut ad diem ejus natalem* X *Martii diximus, veroſimilius judicantes eum obiiſſe circa annum* DCXXVI *aut ſequentem, quod pro jam dicto anno, aut etiam anteriori aliquo, ex Vita S. Walarici confirmatur: nam* quidam annorum curriculus *inter obitum utriuſque*

iſte venit Leuconaum circa an. 612.

præſcribitur interponendus. Cum vita fungeretur S. Walaricus, degebat Bobii apud dictum S. Attalam S. Blidmundus, præfati S. Walarici antea apud Leuconaum diſcipulus: qui poſt hujus gloriam iſti revelatam redivit Leuconaum, ad ſepulcrum primi ſui magiſtri; & ibidem habitus ſecundus Abbas, locum & ſepulturam S. Walarici ornavit, eccleſia monaſterioque conſtructo. Ejus Acta aliqua (nam etiam ipſe poſt mortem Sanctis adſcriptus eſt) dedimus die III *Ianuarii. Monaſterio accrevit oppidum, idque ſatis munitum, cum eccleſia parochiali admodum præclara, S. Martino dicata: & in ſuburbiis erectus eſt conventus Patrum Prædicatorum, qui poſt urbem Teroanam deletam eo migrarunt.*

eique ſucceſſerunt Abbates, S. Blidmundus,

C

3 *Tertius poſt S. Blidmundum Abbas Leuconaënſis paſſim cenſetur* Raimbertus, *ſeu* Ragimbertus, *aut* Rambertus; *qui in Prologo dicitur S. Walerici* Vitam, ſummo quidem ſtudio, ſed nimis prolixo & ſimplici ſermone dictaſſe; *ideoque eam alius* ſuccincto & compto ſermone edidit. *Auctorem primum prope coævum Sancto fuiſſe, indicant iſta num.* 8. *ubi* virtutes deſcribuntur, quas, *inquit*, à veridicis & bene compertis viris audivimus, quos ipſe edocuit & enutrivit, & quoſdam ex ipſis de diverſis languoribus ſanitati reſtituit, ex quibus unum in medium proferam; *& mox adducit num.* 9. S. Blidmundum, *tactu illius à paralyſi liberatum: ut videatur Ragimbertus, ipſo Blidmundo incitante, cœpiſſe vitam conſcribere, & poſt hujus obitum Abbas electus fuiſſe.*

& Raimbertus Vitæ ſcriptor.

4 *Vitam hanc à poſteris, uti diximus, ſeculo* XI *editam comptiore ſermone, damus ex duplici* MS. *Bertiniano, & ex alio Bodecenſi in diœceſi Paderbornenſi, in quo deerat Prologus, deſideratus etiam in MS. Laurentii Surii. Hic autem fatetur ſe illius Vitæ, quamvis ita compta, ſtylum ru-*

ex Vita ſeculo II *comptiore ſtylo ornata, datur ex MSS.*

dem judicaſſe, atque ea de cauſa mutaviſſe. Nos contra optaremus habere priorem Vitam, à Ragimberto ſimplici ſermone dictatam: in cujus defectu damus eamdem, prout habetur comptior reddita ſeculo Chriſti undecimo, cum ibidem Abbas eſſet Theodinus, cui illam ſuus politor inſcripſit. In altero MS. Bertiniano auctor appellatur Propius; *pro quo in altero MS. legitur* Proprius *& videtur alludere ad id, quod immediate ante dixerat,* Domino meo proprio, *& ſic ſubjicit,* amicus veſter proprius: *quod etiam obſervavit Ioannes Mabillon, tomo 2 Sanctorum Ordinis Benedictini, ubi hanc Vitam edidit, & humaniſſime communicavit Hiſtoriam ablati atque relati corporis cum variis miraculis: quam Hiſtoriam, propter ſtyli differentiam, arbitramur ab alio auctore aliquantum juniore conſcriptam, idque ſub Theodini ſucceſſore Bernardo. Extat eadem Vita, apud eumdem Ioannem Mabillon in codice membraneo, de proſa in carmen Heroicum verſa: unde ſub finem pauculos verſus damus. Vincentius Bellovacenſis, lib.* 23. *Speculi hiſtorialis cap.* 21 *& tribus ſequentibus, edidit illuſtre Vitæ compendium.*

cum hiſtoria ablati & relati corporis.

E

5 *Quis dies obitus ſit S. Walarico aſſignandus, non æque conſtat inter auctores. Mabillon cenſet diem obitus eſſe* XII *Decembris, eumque ſingulis paginis ad marginem repetit, motus auctoritate Vſuardi & Adonis. Verum in Martyrologio Adonis per Iacobum Moſandrum & Heribertum Rosweidum edito, nulla ad dictum* XII *Decembris mentio fit S. Walarici, ne quidem in Appendice. Ea tamen verba, quæ Mabillon allegat, reperimus in MS. Adone Lobienſi; &, voce* Natalis *omiſſa, in MS. Centulenſi hoc modo:* In pago Winmacenſi, S. Walerici Abbatis: qui juxta Somonam fluvium eremiticam vitam ducens, etiam miraculis claruit. *Num Vſuardus eum ſuo Martyrologio inſeruerit, an vero id à poſteris fuerit factum, poſſet dubitari, quia in illuſtri Martyrologio membranaceo, quod ex Italia delatum habemus, nulla fit mentio S. Walarici. Nihilominus ejus memoria in plurimis & antiquis MSS. codicibus Vſuardi, imo & excuſis, ſub finem diei* XII *Decembris additur his verbis:* In pago Winmacenſi S. Walerici, Presbyteri & Confeſſoris. *In nonnullis dicitur,* S. Walerici Abbatis. *In MSS. Atrebatenſi & Tornacenſi memoratur* depoſitio S. Walerici: *& in MS. Latienſi inepte additur,* Epiſcopi. *Hæc ad* XII *Decembris.*

dies obitus num ſit 12. *Decembris.*

F

6 *Prodit anno* MDCLXXI *Vetus Kalendarium, tomo* X *Spicilegii Acheriani, ſcriptum ſeu concinnatum anno* DCCCXXVI, *uti ex adjunctis tabulis ſatis conſtat: in quo & ad haſce Kalendas Aprilis, & ad diem* II *Idus Decembris notatur,* Natalis S. Walarici, *additurque ad Kalendas Aprilis.* Confeſſoris. *Ad haſce Kalendas Aprilis in apographo Martyrologii Hieronymiani Corbeienſi, Pariſiis excuſo, ſub finem iſta leguntur:* Iganau (*imo* Liganau) monaſterio, depoſitio B. Walarici Confeſſoris: *& hoc forſan antiquiſſimum venerationis monumentum eſt. In alio MS. Corbejenſi (quod, judicio ejuſdem Acherii à quo habemus, ſaltem ante octingentos annos eſt conſcriptum) eadem ſic recitantur:* Liganau monaſterio, depoſitio S. Walarici Confeſſoris: *ſed erant hæc ad diem* II *Aprilis tranſlata. Verum in Excerptis Corbeja ad nos miſſis, eadem dicuntur legi ad* Kalendas Aprilis. *Aliud* antiquiſſimum Eccleſiæ Romano-Gallicæ Martyrologium *communicavit idem Acherius, in quo ad Kalendas Aprilis celebratur memoria* S. Walerici Confeſſoris: *quæ etiam in pervetuſto codice Bedæ de Computu Eccleſiaſtico, in præfixo Kalendario, habentur: uti etiam in MSS. Trevirenſi* S. *Martini, Vltrajectino* S. *Mariæ, & alio in Lotharingia ſcripto. Eodem die Ado, in ſuo Martyrologio per Moſandrum & Rosweidum edito, & in quamplurimis exemplaribus* MSS. *ita loquitur:* In pago Wimnoënſi S. Walerici Con-

an potius hic 1. *Aprilis, qui refertur in antiquioribus Martyrologiis,*

etiam Adonis.

A Confeſſoris, cujus ſepulcrum crebris miraculis illuſtratur. *Adonis exemplo, ut paßim ſolet, plane eadem referuntur apud Notkerum & auctorem Martyrologii ſub nomine Bedæ excuſi, & Martyrologii Coloniæ atque Lubecæ anno* 1490 *impreſſi. In ſupra citato pervetuſto MS. martyrologii Vſuardi, quod ex Italia delatum diximus nos habere, iſta ad Kalendas Aprilis leguntur*: In pago Wimnau, ſuper maris tranſitum, B. Gualerici Abbatis & Confeſſoris. Hic in puerili ætate reliquit patrem ſuum terrenum, & adhæſit militaturus Regi cæleſti. Cumque eſſet ſenex & plenus dierum, eremiticam vitam diligens, finivit in Domino. *Eadem fere leguntur in antiquo MS. Eccleſiæ Pragenſis: ſed dicitur*, ſuper mare, tranſitus B. Walerici: *quo etiam modo invenitur in MS. Florentino Caroli Strozzi & alio apud eumdem an.* 1486 *excuſo. In MS. Vſuardo monaſterii Albergenſis iſta habentur*: In pago Wimnacenſi ſuper mare, S. Walerici Abbatis & Confeſſoris. *Verum in ſex aliis MSS. quæ ſub nomine Vſuardi habemus in pergameno exarata, additur præfatum elogium, omiſſo fere nomine tranſitus. In quodam veteri MS. quod fuerat Antonii Auguſtini, ita repererat Andreas Schottus*: Ipſo die Natalis S. Walarici Abbatis. *Grevenus in Auctario Vſuardi, Maurolycus, Felicius, Caniſius, Galeſinius, ſua etiam elogia ex præcedentibus aut ipſis Actis deſumpſerunt. In hodierno Romano iſta leguntur*:

variis codicibus Vſuardi,

atque hodierno Romano

B Apud Ambianum, (*nam in hac diœceſi eſt monaſterium*) S. Walerici Abbatis, cujus ſepulcrum crebris miraculis illuſtratur. *Breviaria Ambianenſia, quæ habemus anno* MDL *&* MDLIV *Pariſiis excuſa, ſolum præſcribunt feſtum ad Kalendas Aprilis, in quibus ad* XII *Decembris nulla ejus eſt mentio, neque ullius alterius Sancti, ob quem poſſet videri in Kalendario omiſſus. Vita ejuſdem ad haſce Kalendas Aprilis relata eſt à Surio, Lippeloo, Gazeto, & paßim ab aliis. Petrus de Natalibus lib.* 4 *Catalogi cap.* 21, *Gononus in Vitis Patrum Occidentis lib.* 3 *pag.* 156, *Simon Martin in Floribus Solitudinis, longum ex Vita referunt encomium, aſſeruntque* quieviſſe in Chriſto Kalendis Aprilis; *ad quem etiam diem eum eſſe vita functum ſcribit Ignatius de Ieſu Maria, lib.* 2 *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Abbavillanæ cap.* 84. *Antiquus S. Walarici cultus confirmatur in Vita S. Condedi* XXI *Octobris, qui in eccleſia à ſe condita circa annum* DCLXXX, conſtituit memoriam ſancti Patris Walarici.

cum variis aliis.

Videtur obiiſſe aut anno 619 *Dominica* I *Aprilis,*

C 7 *De anno obitus videntur hæc dici poſſe. Scimus ex Actis eum obiiſſe* die Dominica, *& aliquot annis ante* S. Attalam: *ergo ſi ex hac vita migraverit hiſce Kalendis Aprilis, aßignandus eſt ejus morti annus* DCXIX, *ob concurſum dictarum Kalendarum cum die Dominica littera, Dominicali G, cyclo Solis* XII: *& ſic ab ejus obitu uſque ad mortem* S. *Attalæ fluxiſſe potuit* quidam annorum curriculus, *ſicut teſtatur Vita. Si tamen conſtaret* S. *Walericum die* XII *Decembris mortem obiiſſe*; *dicendum foret id contigiſſe anno* DCXXII, *littera Dominicali* C. *cyclo Solis* XV, *& tunc omni tres aut quatuor fluxiſſent uſque ad diem mortis* S. *Attalæ Abbatis: cum quo & cum* S. *Columbano videntur* SS. *Walaricus & Blidmundus vixiſſe ſecundum regulam* S. *Columbani. Porro monaſterium* S. *Walerici poſtmodum tranſlatum eſt ad ſecularem Canonicorum congregationem: qua remota, procurante Hugone Capeto, ſucceſſerunt monachi Benedictini, acceptis ſucceßive Abbatibus ex monaſteriis Bellovacenſi* S. *Luciani, Atrebatenſi* S. *Vedaſti, & Pariſienſi* S. *Dionyſii. Hinc optimo jure inter ſuos Patronos recenſent Benedictini* S. Walericum: *quem Trithemius lib.* 3 *cum* SS. Columbano, Euſtaſio, Attala *aliisque, adſcripſit viris illuſtribus ordinis* S. *Benedicti, cap.* 78 *aſſerens*, claruiſſe anno Domini DCXX, ejuſque feſtum coli Kalendis Aprilis. *Trithemium ſecuti ſunt Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus: & eorum omnium Vitas inſeruerunt tomo* 2. *Benedictinorum Sanctorum Lucas Acherius & Ioannes Mabillon. In Chronico Centulenſi, ſive* S. *Richarii, tomo* 4. *Spicilegii Acheriani, iſta leguntur cap.* 11. Angelrannus, venerabilis *Abbas Centulenſis*, inter ſuæ magnæ ſapientiæ monumenta, in S. Richarii honorem, quamvis antiqui abundarent, quoſdam cantus dulciori compoſuit melodia: nec non SS. Gualarici Abbatis & Wulfranni Archiepiſcopi. *Hujus Acta dedimus* XX *Martii*, S. *Richarii daturi* XXVI *Aprilis*; *cujus vitam carmine ſcripſit idem Angelrannus, mortuus anno* MXLV.

AUCTORE G. H. D

aut 12 *Decemb. anno* 622.

de eo cantum compoſuit Angelrannus.

8 *Willielmus Malmesburienſis, lib.* 3 *de Geſtis Regum Anglorum, & Henricus de Knyghton, qui Canonicus Leyceſtrenſis in Anglia floruit ſub finem ſeculi* XIV, *lib.* 1 *de Eventibus Angliæ, agentes de Guilielmo Conqueſtore, ad regnum Angliæ capeſſendum è Gallia diſceſſuro, varia de* S. *Walerico ſcribunt, quæ Henricus paucioribus ita exponit*: Cum in portu S. Walerici Dux Guilielmus cum ſuis, adverſante vento, diutius tardaretur, & ob hoc vulgus murmuraret, aſſerens inſanum fore alienum ſolum volens uſurpare, præſertim Deo contra ſe pugnante: tunc Dux Guilielmus fecit ſtatim corpus S. Walerici foras efferri, & pro vento habendo ſub divo poni: & ſtatim proſper flatus carbaſa implevit, & ſic tertio denuo menſe, à coronatione Haraldi incipiente, in terram Angliæ appulit. *Eadem reperimus in MS. Vltrajectino Eccleſiæ* S. *Sælvatoris, adjuncta Vitæ* S. *Walerici, ex Vincentio Bellovacenſi deſcriptæ: ſed annus inſerebatur* MLXIII, *qui fuit* MLXVI.

Corpore expoſito proſper ventus datur.

E 9 *Cum bellum eſſet inter Philippum* II *Regem Francorum, & Richardum primum Regem Anglorum ac Ducem Normanniæ*, anno gratiæ MCXCVII (*uti referunt Matthæus Paris & Matthæus Weſtmonaſterienſis*) ſuggeſtum eſt Regi Richardo, quod naves ex Anglia venire conſueverant apud S. Walericum, ad deferendum victualia Regi Francorum & aliis inimicis ſuis. Facta itaque illuc equitatione, vi lam combuſſit, monachos * deſtruxit, feretrum S. Walerici cum Reliquiis in Normanniam transvexit. In portu autem illo naves ex Anglia invenit, frumento & victualibus onuſtas, quarum nautas ſuſpendi præcepit, navibusque combuſtis, victualia ſuis militibus erogavit. *Hæc illi. Videtur tunc corpus delatum in ſuperiorem Normanniam, ad locum maritimum inter Diepam & Fiſcannum, eique nomen* S. *Walerici tribuiſſe: quia etiamnum ſub iſto nomine iſtic oppidum viſitur. At pace poſtmodum reducta, monachi cum ſacro Patroni ſui corpore Leuconaum reverſi ſunt, videnturque illud quiete poſſediſſe uſque ad tempora Hugonottorum. Imo tunc etiam, Dei protegentis beneficio ſingulari & patrocinio* S. *Walerici, ſacrum ejus corpus ſervatum eſt; oppidumque anno* MDLXVIII *ab hæretico Capitaneo Cocquevillæo occupatum, vigilantia Mareſchalci Briſacenſis receptum eſt, præcipuis rebellibus capite plexis: quæ pluribus in citata Hiſtoria Abbavillana traduntur.*

Ipſum in Normanniâ defertur,

* *al.* diſperſit,

& tempore Hugonottorum ſervatur.

F 10 *Anno hujus ſeculi* XLIII *aſſumpta eſt in eodem monaſterio reformatio Congregationis* S. *Mauri: ſub cujus cura nunc ibidem adſervantur triginta quinq; diplomata donationum, à diverſis Regibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, Vice-Comitibus, aliisq; illuſtribus viris factarum, quibus eorum continuus ad* S. *Walaricum affectus demonſtratur. Aliquas* S. *Walarici Reliquias apud Centulenſes adſervatas fuiſſe, indicatur in horum Chronico. Ceterum recognitionem Reliquiarum* S. *Walarici & aliorum Sanctorum, prout ibidem nuper facta eſt, ſubjicimus ex MS. Gallico, per Dominum du Cange communicato; in quibus alii Sancti, præter* SS. Walaricum & Blidmundum, *memorantur*; S. Sevoldus *ſcilicet, referendus ad diem* II *Novembris*; S. Vulganius, *ad* XVI *Septembris*; *&* S. Rithbertus, *ad* XV *ejuſdem Septembris. Eſt autem hiſtoria Recognitionis hujusmodi.*

Variaibidem diplomata.

11 Anno MDCLI, die XVI Auguſti, nos Fr. Matthæus Jonault, humilis Viſitator Congregationis S. Mauri in Provincia Franciæ, procedens ad viſitandum monaſterium S. Walerici ſupra mare, ejusdem Congregationis & provinciæ, juxta poteſtatem mihi factam in poſtremo generali Capitulo Congregationis præfatæ, una cum Domno Auguſtino Jonardait, Socio

Viſitator Benedict. congregationis S. Mauri.

AUCTORE G. H. A Socio & Secretario noſtro; in præſentia & ex conſilio R.D. Adriani Blondin, Prioris Dominorum antiquorum Religioſorum dictæ Abbatiæ, & Officialis in jurisdictione ſpirituali ejusdem; & Domni Alexii de Ponthivio, antiqui Religioſi ejusdem Abbatiæ; item R.P. Domni Martini le Poitenin Prioris, ac Domni Mauri le Marier Cellerarii, Religioſorum Congregationis S. Mauri, in ipſa Abbatia ſtabilitæ; contulimus ad dictæ Abbatię gazophylacium, albis ſtolisque ſacerdotalibus induti, & cereis prælucentibus. Ubi poſt humiliter & devote invocatum auxilium Spiritus ſancti, & adoratos reverenter Sanctos ibidem ſolitos honorari; juſſimus aperiri capſas SS. Walerici, Blithmundi, Sevoldi, Vulganii & Rithberti, aſſiſtentibus honorabilibus viris, Mag. Claudio Lucari & Mag. Petro Beguin, Magiſtris chirurgis in hoc oppido S. Walerici: diſcooperuimuſque ſacras Reliquias intus contentas, eo fine ut ipſas repurgaremus, & ſi neceſſe foret reſtitueremus in ſtatum, tam pretioſorum pignorum ſanctitati congruum.

inſpici curat capſas Sanctorum Walerici,

12 Et quidem in capſa S. Walerici invenimus Reliquias atque oſſa jam nominanda; caput integrum cum tribus dentibus, uno canino duobuſque molaribus; duo oſſa iliorum; duo femorum; duo tibiarum, majora & minora; os cubiti, cum radio ſuo; ſpatularum unam; alium cubitum, unum os coxendicis, octo vertebras; duos aſtragalos; oſſa metacarpii; viginti quatuor coſtas, tam legitimas quam ſpurias; claviculam unam; magnum numerum oſſiculorum, ad manus, pedes aliasque humani corporis partes attinentium: quæ omnia involuta erant linteis, jam flaccidis atque conſumptis; deinde cooperta panno ſerico, figurato & integro. Inter dictas vero Reliquias reperimus parvum fruſtum pergamenæ chartæ, cum ſcriptura aliqua & apparentia ſigilli affixi; ſed ita fracta putridaque omnia, ut nullam inde notitiam haurire potuerimus: erant autem, juxta prædicta lintea & ſerica opercula, alia quædam linei ac ſerici panni fruſta, magis minuſque conſumpta. Itaque poſt adoratas repurgatasque prædictas ſanctas Reliquias, involvimus eas linteis novis, albis & ſigillatis; quibus opertorium idem ſericum, quod invenerамus, ſuperponentes, omnia ſigillo noſtro conſignata repoſuimus intra capſam ipſius Sancti; quam obſerari juſſimus & loco conſueto reponi.

Blitmundi,

13 Poſtea reſerari juſſimus alias capſas, & Reliquias in eis depoſitas retegi. Et in capſa quidem S. Blitmundi, invenimus cranium integrum, niſi quod aberat mandibula ſuperior: in mandibula vero inferiori fixi hærebant dentes ſeptem, oculares, canini & molares: invenimus etiam alios quatuor dentes, loco ſuo evulſos; decem vertebras, duas ſpatulas; brachialia oſſa duo; duas cavitates radiorum, duo oſſa iliorum; duo femorum; duo tibiarum, majora ac minora, & minorum quidem ſemifractum unum; aſtragalos, & navicularia pedum oſſa cum claviculis duabus; novem coſtas; multa oſſicula & fragmenta manuum pedumque. In capſa S. Sevoldi reperta ſunt oſſa viginti notabilia, cum fragmentis multis. In capſa S. Vulganii caput integrum, demptis proceſſibus ejus mamillaribus; variæ tam ſuperioris quam inferioris mandibulæ partes; quinque dentes molares, cuidam ſuperioris mandibulæ portioni infixi; quatuor vertebræ integræ, cum quatuor vertebrarum aliarum fragmentis; pars una ſcapulæ; viginti novem coſtæ confractæ, quarum quatuor fermè integræ ſunt; duo oſſa iliorum, totidem femorum; unum tibiale craſſius, & minora duo; duo oſſa brachialia; cubiti duo ac totidem radii; duæ claviculæ fractæ; quatuor oſſa digitorum, tam manuum quam pedum; aſtragali & oſſa navicularia, aliaque fragmina diverſa ex variis corporis partibus; juxtaque ſaccus lineus cum cineribus, & partes telæ auro ſericoque permixtæ, in formam duorum veterum paramentorum ad albas pertinentium. Inter Reliquias autem jam nominatas invenimus ſchedulã ex pergameno, cujus potuimus quædam verba ſed abſque connexione legere, atque inter alia nomen S. Vulganii, reliquis vetuſtate conſumptis.

Sevoldi,

Vulganii,

& Rithberti.

14 In capſâ S. Rithberti inventum eſt cranium, in plures partes diviſum; octodecim vertebræ integræ, fractæ quatuor; octodecim coſtæ, tam integræ quam fractæ; os unum iliorum & coxendicis; pars oſſis ſacri, duo oſſa femorum, duo tibiarum cum minoribus ſuis duobus, ſed confractis; portio quædam oſſis brachialis, aſtragali & oſſa navicularia pedum; quatuor oſſa tam pedum quam manuum: præterea numerus magnus fragmentorum ex membris variis, combuſtione alteratorum. Quas omnes ſanctas Reliquias, reverenter adoratas, mundavimus; intraque linteamina nova depoſitas ſigillataſque, ſigillo noſtro, ut ſupra, panno ſerico operiri fecimus: ſingulas autem in propriis ſuis capſis, eaſque probe obſeratas, ſtatui ac loco priſtino reddi: veteris autem linei panni ac ſericæ veſtis fragmenta, nimia vetuſtate conſumpta comburi mandavimus: injunximusque R.P. Domno Martino le Poitenin Abbatiæ Priori, cineres includere pyxidi ligneæ pictæ & ornatæ glutino, una cum cineribus in capſa S. Vulganii repertis, atque cum panniculis lineis ſericisque, quos judicavimus adhuc poſſe ſervari. Quæ omnia, ut dictum eſt, facta & executioni mandata ſunt, die XVI dicti menſis atque ſequenti XVII, coram ſupra nominatis teſtibus.

Taurini depoſitum corpus, circa an. 1590, cujus ſit?

15 *His de* S. *Walarici corpore ad uſque hanc noſtram ætatem ſic deductis, non poſſumus aſſentiri Taurinenſibus, qui Ferdinando Vghello, tomum* 4 *Italiæ ſacræ ſcripturo, perſuaſerunt apud ſe eſſe corpus hujus, qui* 1 *Aprilis colitur, Sancti. Ait autem ipſe quod* circa eadem tempora, *quibus Henricus & Camillus de Cajetanis, alter Cardinalis, alter Alexandrinus Patriarcha &* S. *Andreæ Abbas commendatarius, ædiculam Deiparæ Conſolatricis, ante an.* CCCC LXXX *repertæ, novam & anguſtiorem ædificari curarunt; id eſt, circa annum* MDXC, in *prædicta* S. Andreæ eccleſia, *à Benedictinis ad Ciſtercienſes tranſlata*, depoſitum fuit S. Valerici Abbatis corpus: in cujus honore Taurinenſes ædiculam prope eamdem eccleſiam ædificarunt, eadem forma qua Cajetani fratres Beatæ Virgini ædificarant; ubi ſacra illa lipſana honorifice venerantur. *Melius hæc de* S. *Valerico Eremita, apud Lemovicas ſepulto, de quo in principio egimus, intelligentur; referenturque ad* X *Ianuarii, ubi nihil invenimus, quod de ſancti corporis cultu diceremus. Eſt enim veroſimile admodum, quod in illa communi ſacrarum rerum ſtrage, quam Huzonotti tota fecerunt Gallia, Lemovicenſis aliquis monachus vel clericus, cuſtodiæ ſuæ commiſſum ſancti Eremitæ corpus abſtulerit ſecum in Italiam, & Novalitii humaniter habitus, iſtud ibi reliquerit: quod deinde Auguſtam Taurinorum delatum ſit, & ibidem adhuc ſervetur.*

VITA

à Ragimberto Abbate prope coævo primum ſcripta, poſtea ab alio monacho expolita.

Ex MSS. Bertinianis & editione Mabilloni.

PROLOGUS.

DOmino meo ſemper proprio & inſolubili caritatis vinculo retinendo, Domino & Patri Theodino Abbati, & omni ſanctæ Congregationi veſtræ, quæ vobiſcum Domino deſervit & ſub

b A ſub regulari cura vivere gaudet, Amicus veſter *b* proprius & omnium Chriſticolarum ſervus, perpetuam vobis in Chriſto ſalutem. Inprimis, quaſi provolutus veſtris veſtigiis, humili prece depoſco; ut adſiſtentes vos ſacris altaribus, qui ſedulas & dignas Deo quotidie ſolvitis preces, me, etſi indignum famulum veſtrum, in alta memoria cordis veſtri ſemper dignemini habere. De cetero vero, ut ſcitis, cum ante plures dies in veſtro cœnobio poſitus, vobiſcum, ut convenerat, loqui cœpiſſem; veſtra tunc Fraternitas noſtram parvitatem ſumma cum humilitate poſtulabat, ut Vitam Patroni veſtri B. *c* Walarici ſuccincto & compto ſermone ederem, quam ante aliquot annos venerandus vir Ragimbertus *d* Abbas, ſummo quidem ſtudio, ſed nimis prolixo & ſimplici ſermone, dictaverat. Sed & hoc mihi ipſum addebatis, quod *e* Hugo Archiepiſcopus noſter ipſe hoc juſſerat, ut mediocritas mea præfatam Vitam, quaſi apertius ac luculentius, vobis deberet conſcribere: cujus juſſionibus, in quantum valemus, contradicere non debemus. Et duplex exinde nos cauſa hortatur, dum & veſtra me delectat caritas, & ille qui eſt ſummus Pontifex hoc fieri jubet. Et ideo nos ita calamum temperavimus, ut ſermo brevis & admodum planus ſimplicioribus Fratribus intelligentiam augeret, & nec nimis ruſticus & indoctus eſſet, ne ſtudioſis præberet faſtidium.

Vita olim ſcripta,

comptiori ſtylo edita.

B

ANNOTATA.

a. De Theodino *Abbate infra in Hiſtoria Tranſlationis agitur.*

b *In altero MS.* Propius, *quaſi eſſet nomen auctoris.*

c *Mabillon* Gualarici, *uti etiam in Hiſtoria tranſlationis; at retinemus cum aliis MSS. nomen* Walarici *ſeu* Walerici.

d De Ragimberto *ſupra actum: ſed ſi hic Sancto propemodum coævus fuit, quomodo ab auctore ſeculi* 11 *ſolum dicitur ſcripſiſſe* ante aliquot annos? *Coævum pene fuiſſe oſtendimus clare: reſtat igitur, ut per* aliquot, *intelligas,* multos.

e *Quis tunc temporis vixerit* Hugo Archiepiſcopus, *reſpectu monachorum S. Walerici, non facile indicatur. Quid ſi eſſet* Guido Archiepiſcopus Remenſis, *creatus anno* 1034, *qui adhuc anno* 1053 *interfuit elevationi S. Bertini? Tempora conveniunt. Niſi quis malit inter Ebolum & Guidonem, à quo nihil factum reperitur circa primos annos ei tributos, interponere Hugonem, tamquam in Catalogis Archiepiſcoporum neglectum. Remenſibus hoc diſcutiendum relinquimus.*

CAPVT I.

Ortus, vita paſtoritia, dein monaſtica variis in locis, potiſſimum Luxovii.

C 2 FVit vir vitæ venerabilis, Walaricus nomine, mediocris quidem genere, ſed nobiliſſimus fide. Hujus beati viri infantia, ut erat divina inſpiratione afflata, (ut poſtmodum eventus rerum, ipſarumque virtutum ejus fama edocuit) ſacris quaſi monaſticis à Domino erudiebatur diſciplinis. Nam cum eſſet in Alvernica regione ortus, & adhuc puerulus, ſed mente tamen grandævus; oviculas patris ſui ibidem per paſcua lata circumagens, & per amœna virecta eas conſervans, audivit in locis vicinorum propinquis, qualiter nobilium parvulorum mos eſt Doctoribus inſtruere ſcholas. Exin tali deſiderio provocatus, tabellam ſibi faciens, cum ſumma veneratione, humili prece à præceptore infantium depopoſcit, ut ſibi alphabetum ſcriberet, & notitiam litterarum inſinuaret. Qui mox adeptus quod poſtulaverat; lætus valde, ad opus ſibi injunctum, à quo diſceſſerat, remeavit. Sed cum hæc agerentur, res admiranda atque memoria digna evenit. Cum enim puerulus hic bonæ indolis, patris ſui gregem ſervaret in agris; aſſidua meditatione, divino fultus auxilio, abſque nutu genitoris ſui, non ſolum, ut diximus, notitiam litterarum, ſed & parvo intervallo totum paraverat Pſalterium. Exinde cœpit eccleſiam frequentare: & dum ibi acie mentis choros pſallentium intenderet, magis ac magis igne timoris Dei accendebatur, & compunctione cordis amplius roborabatur; de quo igne Dominus dicit: Ignem veni mittere in terram, quem volo ut ardeat. Sed & illud quod quidam ait:

Feriunt ſummos fulgura montes.

3 Deinde, exardeſcente in animo ejus calore fidei in majus, audivit non longe eſſe quoddam monaſterium, nomine Autumo, ubi cujuſdam avunculi ſui ſubſequitur veſtigia. Cui cum præfatus pater, ut de monaſterio egrederetur, ediceret; ille beatus puer fertur reſpondiſſe, jam ſe ulterius patris domum non eſſe viſurum. Tunc pater in ſtuporem & mœrorem animi converſus, cœpit plura argumenta perquirere, & molimine mentis ſuæ pertractare, aſſumens ſecum Patris monaſterii immo & omnium Fratrum conſilium, qualiter poſſent ejus animum ad ſe reducere, ut ad propria voluiſſet remeare. Tunc Fratres, una cum conſenſu Abbatis, conſentientes precibus genitoris, cœperunt beatum puerulum perurgere, ut ad parentes ſuos reverteretur, & quandocumque vellet iterum ad ſepta monaſterii repedaret; addentes etiam terroribus blandimenta, offerentes oſcula, & verbera minitantes, & jejunium ei duorum vel trium dierum imponentes. Sed ille, inſtinctus conſilio potiori, quaſi fundatus ut erat ſupra petram, immobilis atque interritus in percepta animi ſui voluntate perduravit, illius præcepti non immemor: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus. Et illius Apoſtolici dicti: Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames? Tunc præfatus Abbas, victus jam cum eſſet adoleſcentis animi conſtantia, perſpiciens bonum ejus atque immobile deſiderium, ſecum hæc tandem pertractans, Fratribus dixit: Non abjiciamus hoc, quod nobis à Deo datum eſſe videmus. Tunc omnes unanimiter, cum bona voluntate & gaudio ſpirituali, infra ſepta Monaſterii ad Clericatus officium illum provocant: & intra paucos dies, adveniente ſæpedicto patre ejus, ſub regulari eum ordine conſtituunt. Creſcente autem ætate & gratia providentiæ Dei, omnium erga illum affectus quotidie creſcebat. Erat enim corpore caſtus, mente devotus, affabilis colloquio, amabilis aſpectu, prudentia præditus, temperantia clarus, interna fortitudine firmus, cenſurâ juſtitiæ ſtabilis, longanimitate largus, patientia robuſtus, caritate ſolicitus, bonorum operum plus quam ætas permitteret gratia plenus, ſtabilis moribus, ut ſuis Confratribus regula & norma eſſet virtutum.

4 Sed inter hæc animus, ad altiora faſtigia & ad potiora ingenia ſemper aſcendens, cœpit peregrinationem, Dei amore, appetere, & patriam parentesque ſuos deſerere. Tunc ad monaſterium beati quondam Antiſtitis *a* Annacharii, Autiſſiodorenſis Epiſcopi, perrexit, quod in ſuburbano ipſius civitatis in quodam eſt viridario conſtructum: & ibi à præfato Pontifice benigne eſt ſuſceptus. Quamplurimum itaque tempus arctiſſimis jejuniis orationibuſque & vigiliis cæleſtem ibi vitam agebat in terris. Et cum longe lateque per diverſa loca fama virtutis ejus ſe ſpargeret; quidam vir nobilis & opibus plenus, nomine Bobo, ad eum, viſitandi gratia & ſuæ inſtructionis cauſa, devote acceſſit; ſed ab ipſo Dei famulo

Puer paſcit oves patris ſui:

in agro addiſcit litteras,

Ex MSS. D & Pſalterium:

Bobonem virum nobilem Chriſto lucratur:

E

nequit à patre aut monachis ad exitum induci:

Mat. 10, 37.

Rom. 8. 35.

F

aſſumptus, inter Clericos

virtutibus excellit:

egreſſus è patria,

a

degit Autiſſiodori in monaſterio:

EX MSS. famulo devotius eſt ſuſceptus. Nam intantum eum divinis inſtruxerat eloquiis, & oratione ſua jam muniverat; ut omni etiam mundi cura poſtpoſita, voluntariam paupertatem pro Deo eligeret: & ad domum propriam ulterius non regrediens, nec retro adſpiciens, ſed manum in ſtipite ponens, una cum magiſtro ſuo S. Walarico, pari religionis fervore *b* Luxovium uſque pervenit. Ubi venerandus, & admodum ſanctus, & ſanctæ religionis cultor, B. Columbanus, ex Hibernia inſula ortus, his quidem in locis ferme ducentorum viginti, ut fertur, monachorum Pater præerat cœnobii; in quibus nullus ſibi aliquid dicebat proprium, præter diurnos labores nocturnaſque vigilias. Omnibus etiam omnia erant communia, unumque velle & unum nolle, quibus cor unum & anima una erat in Deo. Et nihil quidem mundiale ſecum habebant, niſi parciſſimum & mediocrem cibum, & humillimum ſimplicemque veſtitum; ſed tamen ſibi in Chriſto omnia poſſidebant: & his quidem deliciis atque his divitiis contenti, vitam tunc Angelicam ducebant in terris.

A

b

pergit Luxovium ad S. Columbanum.

5 Quales vero vel quanti tales tunc uno regebantur Paſtore, non eſt nunc noſtræ, ut puto, parvitatis edicere, ne prolixa oratio vel ruſticus ſermo dictandi faſtidium inferat legentibus. Ne videamur tamen omnia præteriſſe, primam ejus virtutem, qualiter in Geſtis ipſius invenimus, breviſſime in medio proferamus. Etenim priuſquam mater eum in lucis auras ederet, in ſinu ſuo ſolem proſpexit terris lumen effundere; quod rerum eventus ita poſtmodum probavit, quia quaſi ſol, ab Occidente ortus, retrogradiens, ſic ille partes Europæ ſparſim gyrando ſua doctrina ſplendida & clara illuſtravit. Si quis vero curioſius & plenius hoc ſcire voluerit, qualis & quantus in virtutibus miraculorum vir iſte beatus exſtiterit, vel in ſcientia & doctrina divinarum humanarumque ſcripturarum, aut præſagio futurorum, ſeu quot & quales gentes ad fidem Chriſti acquiſierit, monaſteria utriuſque ſexus conſtruxerit, in dictandi peritia vel exponendi qualis fuerit; facillime hoc poterit invenire, ſi opuſcula illa perquirat, quæ eruditus diſcipulorum illius *c* Jonas Abba, vir magnus, eloquentia plenus, & dictandi peritus, polito & limato ſatis ſermone de vita ejus compoſuit. Sed dum magiſtrum & confratrem B. Walarici, quis vel qualis fuerit, breviter ac ſuccincte perſtrinximus, longius pauliſper à propoſito noſtro diſceſſimus: ſed ad hiſtoriam, auxiliante Domino & ipſo intercedente, redeamus.

B

virum inſtar ſolis lucentem,

ſcientia, virtutibus & miraculis eximium:

c

hortum excolens.

6 Cum autem hic Dei famulus præfato cœnobio Luxovio inhabitaret, in primis humilitatis cauſa & ritu novitiorum, hortum excolere cœpit, in quo admirande & ultra modum olera creſcebant. Sed cum contigiſſet, ſicut ſolet aliquando, ut a vermibus ubique olera devaſtarentur; B. Columbanus hortum ingrediens, & non ſolum ibi læſionem a vermibus non inveniens, ſed magis cuncta virentia, jocunda, & amœna, atque intacta conſpiciens; intellexit vir Deo plenus, hoc non eſſe rei eventum, ſed humilitatem & obedientiam & meritum fidei B. Walarici. Ille vero e contrario non ſuo facto hoc deputabat; ſed meritis Fratrum omnia eſſe defenſata dicebat. Poſtquam autem in illo tantam gratiam beatus Pater inſpexit; juſſit eum inter condignos probatoſque monachos conſtitui, quem Fratres adhuc, quaſi novitium, inter modernos eſſe judicandum æſtimabant. Interea, dum prædictus Pater more ſolito ad inſtruendos Fratres divinæ lectioni inſiſteret, & inter illos ſacri verbi ſemina ſpiritualibus ſeminaret eloquiis, eumque Fratres undique concurrentes ad audiendum verbum Dei ſe invicem antecederent; dum inter illos veſtibulum ipſius domus beatus Walaricus ſubintraret, ad illius ingreſſum B. Columbanus mirum in modum odorem magnæ fragrantiæ & mirandæ ſuavitatis ad ſe veniſſe perſenſit. Cumque hoc ſenſiſſet, & quis tunc ad eum fuerat ingreſſus comperiſſet; fertur hunc ſermonem, Divino ut erat ſpiritu plenus, ſubjunxiſſe: Tu es merito *d* Abbas monaſterii & ſenior, mihi diligende.

C

conſervationem olerum à vermibus

monachorum meritis tribuit:

miram ſuam emittit fragrantiam:

D

d

7 Poſtea vero præfatus Columbanus cum Fratribus ſuis de prædicto cœnobio fuit *e* expulſus, inſequente illum Theoderico, exſtimulante adverſario, & avia ejus Brunichilde, qui hoc tempore regnum Burgundianorum tenebat, Auſtraſiorum vero germanus *f* Theodebertus regebat; cum adhuc ſolummodo ſolium regni *g* Auſtraſiorum, vir valde idoneus & beneplacitus Deo, Rex Chlotharius ſibi vindicabat; quem ſæpedictus B. Colombanus ſua ſancta doctrina monuerat, & tam de amplificando ei regno, quam de prædictis Regibus ſibi invicem rebellibus, eos una cum ſtirpe eorum, juſto Dei judicio, a regno quidem male uſurpato infra triennium penitus eſſe perituros, & monarchiam eorum ſub ipſo glorioſo Chlothario adunandam eſſe. Hæc Sacerdos Dei vaticinando omnia ſæpe prædixerat. In præfato vero Luxovio, poſt diſceſſum beati viri, nonnulli paſtores ad manendum ibidem convenerant; & B. Walaricus de quadam cellula regrediens, juxta Domini virtutem expulſis ſecularibus, cœpit ipſum ſanctum locum reſtruere. Inter hæc *h* B. Euſtaſius à B. Columbano fuerat deſtinatus ad hoc ipſum cœnobium regendum, cum adhuc quadam ex parte fines ipſius monaſterii quidam utique ſeculares poſſiderent. Cum autem de ipſis ſecularibus dejiciendis calumnia & lis inſurgere conaretur; tunc B. Euſtaſius, cum eſſet & ipſe nobilitate generis & moribus decoratus, una cum famulo Dei Walarico, ſic illos ſuaſoriis & ſuis mellifluis eloquiis, auxiliante Domino, de prædictis finibus monaſterii promoverunt, ut de ipſorum ſecularium controverſia nullum inter eos ſcandalum exurgeret. Sed dum quidam ex Fratribus, levi animo permotus, vellet eos impatienter ſubſequi; vir Domini blandis ut erat verbis, ne iret, coërcebat. Sed ille, cum juſſa ſibi magis ac magis contemneret, tunc ei famulus Dei inquit: Fili, non eos ſubſequaris, ne forte etiam cum notato tibi ſigno ad nos uſque redeas. Cumque tamen prædictus Frater cum aliis comitibus ſuis illos ſubſequeretur, orta eſt contentio inter illos, & lapidis ictu in manu eſt percuſſus: unde etiam tamdiu magno dolore eſt afflictus, ut juxta ſententiam ſervi Dei in ſigno, quamdiu adviveret, culpa ipſius appareret. Nam articulus ille, quem medici auricularem, vulgus vero minimellum nuncupant, ex vehementia nimii doloris ita ſe contraxerat, ut etiam radicitus exiccarerur.

e

S. Columbano ejecto,

f

g

monaſterium reſtaurat cum S. Euſtaſio:

E

h

ſeculares poſſeſſores diſcedere ſuadet:

inobedienti monacho pœnam prædicit.

F

ANNOTATA.

a Aunacharius, *aliis* Anacharius, Unacharius & Ancharius, *traditur primus Abbas fuiſſe monaſterii S. Germani, illudque magnificis prædiis locupletaſſe dicitur in Hiſtoria miraculorum S. Germani, illuſtranda* 31 *Iulii. Hinc ejus appellatur monaſterium. At dein fuit Epiſcopus Autiſſiodorenſis, ab anno* 571 *uſque ad annum* 605. *Inſcriptus eſt Martyrologio Romano ad diem* 25 *Septembris.*

b De Luxovio *multum egimus* 29 *Martii ad Vitam S. Euſtaſii: latius agendum de eodem erit* 21 *Novembris ad Vitam S. Columbani, qui circa annum* 590 *Luxovium venit.*

c Jonas *Bobium ad S. Attalam venit circa annum* 617 *uti oſtendimus ad hujus Vitam* 10 *Martii.*

d *Hinc Malebrancus, lib.* 3 *de Morinis cap.* 10 *conjicit Abbatem Luxovienſem fuiſſe: ſed an recte?*

e *Anno*

e Anno 610, triennio ante obitum Theoderici, Regis, anno 613 extincti.

A f Theodebertus *Regnum Auſtraſiorum annis 17 tenuit, à fratre prælio victus an. 612.*

g Clotharius *factus monarcha an. 613, extinctis filiis Theodorici ab avia Brunichilde.*

h *Colitur* S. Euſtaſius 29 *Martii.*

CAPUT II.

Peregrinatio in Neuſtriam & Winmacenſem ditionem. Mortuus reſuſcitatus: alia miracula.

a Cum Waldoleno in Neuſtriam abit:

8 QUidam vero è Fratribus, nomine *a* Waldolenus, deſiderio quodam accenſus, petiit à B. Columbano, ut licentiam ei prædicandi inter Gentes concederet, & venerabilem virum Walaricum, pro ſolatio fovendæ religionis, ſecum abire permitteret. Cui beatus Pater reſpondiſſe fertur: Etſi pro bono, Fili, properare diſponis; ſed hoc ſcias, quod ille ſervus Dei magnus eſt, quem tecum ire perquiris. Hoc autem cave, ne ei aliquid moleſtiæ ingeras, ne per hoc ſcandali machinamenta incurras. Cumque ei, ut poſtulaverat, hoc B. Columbanus permiſiſſet; cum dicto factum venit inpoſterum, ſicut à Sancto Dei fuerat prædictum. Cumque pari comitatu in Neuſtriam perveniſſent, acceſſerunt ad quemdam præcelſum Regem Chlotharium, cui remotum locum reſidendi petierunt.

B *b* Advenientes vero ad quemdam locum Ambianenſium, perveniunt Walimago, ubi quidam Comes, nomine Sigobardus, juxta morem ſeculi, concioni præſidebat quod ruſtici *c* mallum vocant. Et cum ibidem, ut ſolet adeſſe, malis geſtis, juſta vel injuſta ſententia unicuique proderetur; contigit ut quidam reus, ob meritum quidem reatus ſui morte damnatus, in eculeo jam eſſet ſuſpenſus atque defunctus. Cumque eum à longe B. Walaricus inſpexiſſet, permotus viſceribus, ut erat pietate plenus, concito curſu pervenit ad ſtipitem: & prohibentibus eum carnificibus, ne cadaver jam mortuum ullo modo tetigiſſet; ille quidem intrepidus, (ut quidam ait, Perfecta dilectio foras mittit timorem) vinculum incidit, & corpus defuncti manibus propriis ad terram depoſuit; & ſuper ſupinata membra ejus, ſummo ſtudio caritatis, ſeſe cum lacrymis admodum profuſis in oratione proſternit; ita ut facie ſua faciem illius imprimeret, & quantum promptior in prece fuerat, tantum citius à Domino obtinuit quod popoſcit. Nam adſtantibus cunctis imoque ſtupentibus, quaſi ex profundo, ſomno paullatim calefientibus membris, qui mortuus fuerat, ſtatim incolumis revixit.

b inde in Ambianenſem ditionem:

c

1. Ioan. 4. 117.

Suſpenſum & mortuum reſuſcitat:

C 9 Cumque tam magnum miraculum in conventu populi, in præſentia Præſidis præſentatum fuiſſet; tunc vir Domini ſuppſicare cœpit, ut quem Dei pietas reſuſcitaverat, bonitas ipſius Judicis ubicumque liberum ire permitteret. Sed ille ſævo furore accenſus, iterum eum in patibulum ſuſpendi jubet. At, inquit illi ſervus Dei, Homo, conſtat te jam illum interfeciſſe, quem potentia Dei reſuſcitavit: & niſi meipſum cum illo ſuſpenderis, aliter eum mihi tollere non prævalebis. Et ſi tu me exiguum Chriſti ſervulum audire contemnis, eſt utique mundi Creator, qui ſe invocantem neminem ſpernit; & nos pro ſuis legibus certantes, ſua ſolita pietate, modo dignabitur exaudire. Cumque his dictis & precibus victus fuiſſet tyrannus, juſſit reum ſolvi: qui multa per tempora vixit. Nec illud dignum memoria æſtimamus eſſe prætereundum, quod illuſtris & Deo devota *d* Bertila matrona, quæ multa ei bona largita eſt, ut erat ſagacis ingenii, pro-

& ne denuo ſuſpendatur, obtinet.

De ſua ſepultura nihilvult ſtatuere:

d

videns futura, inſpiciens virum admodum eſſe ſanctum, ſupplici prece poſtulat ab eo dicens: Hoc peto & humillima prece ſatis expoſco, ut ſi umquam vobis, Deo volente, ego miſerrima ſuperſtes exſtitero, corpus tuum pro ſancto pignore ſepelire merear. Et ipſe reſpondiſſe fertur: In Dei hoc agitur arbitrio, ut fiat ubi vel ſicut placuerit ei. EX MSS. D

à Chlothario Rege impetrat Leuconaü:

10 Tunc vero præfatus Rex, una cum conſenſu Pontificis Ambianenſis, juxta eorum petitionem, locum eis ſecretum, & remotioris vitæ & habitatui monachorum ſatis aptum, qui Leucanaüs antiquo vocabulo dicebatur, regio præcepto ceſſit. In eodem vero loco prædictus Antiſtes Ambianenſis, beatus *e* Bercundus, diebus Quadrageſimæ contemplationi divinæ ſolebat adeſſe remotus. Ibi autem ſe B. Walaricus, in quadam cellula ſegregatus à Fratribus, incluſit; ut omni mundi cura poſtpoſita, ſuo ſolito more tantummodo divinæ meditationi inſiſteret: ceteri vero Fratres, conſtruentes ſibi cellulam, de elëemoſyna Regis videbantur habere ſubſtantiam. Situs vero loci illius valde eſt congruus. Nam uno ex latere vicinitate maris eſt amœnus, alio autem ex latere torridus diſcurrit fluvius piſciferæ Somenæ, pars autem, quæ ſuper ſcopulos & ingentia ſaxa ab imis ad ſumma ac præcelſa erigitur, aularum vel ædium fabricam in excelſa aëris faſtigia, & magnum ac mirandum mundo vel vicinæ regioni præbet ſpectaculum. Nec minus illa regio tertia, quæ ceteris præcellit glebis, opima atque frugifera, & tam pomiferis quam pulcherrimis arboribus denſa undique, magno ambitu circumcingitur ſilvis. In ipſo itaque eodemque loco B. Walaricus, à tumultu circumhabitantis populi voluiſſet ſe latere: ſed felix fama virtutum, & exempla bonorum operum ubique eum clarum & inſignem plurimum reddebant, juxta illam Dominicam ſententiam, Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita; neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt: ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt. Hic ergo Sacerdos, juxta Prophetam, in templo Dei lapis eſt vivus in ædificio Dei appellatus, qui recte, ut audio, *f* adamanti lapidi pretioſo comparatur, cujus natura talis eſt, ut quidquid adſpexerit, ipſum etiam ferrum, ad ſe ſubtrahat. Imo etiam & huic famulo Dei, gratia, quæ in vultu verbiſque micabat, quamplures ei adſociabat in opere. Vita vero ipſius vel virtutes, quas per eum Dominus geſſit & quotidie facit, à nobis modo vix enumerari queunt: ſed illas tantummodo in hac paginula, breviſſimo & compendioſo planoque ſtylo deſcripſimus, quas à veridicis & bene compertis viris audivimus, quos ipſe edocuit & enutrivit, & quoſdam ex ipſis de diverſis languoribus ſanitati reſtituit, ex quibus unum in medio nunc proferamus. Matt. 5. 14.

e

cellulæ ſe includit:

f

excellit virtutibus & gratia miraculorum:

11 Quidam enim ex eis erga *g* Iſeræ alveum erat oriundus, nomine *h* Blitmundus ſive Gogus, qui ab antiquo adverſario fuerat percuſſus, & compaginibus omnium membrorum ita erat diſſolutus, ut ſurſum ſurgere omnino non valeret. Cumque famulo Dei adductus & præſentatus fuiſſet, adſpiciens in eum ait: Hoc opus, ô inimice, tuum eſt: & ſegregatum in oratorium ſuum duxit. Cumque ei manum impoſuiſſet, & oculos ad cœlum elevaſſet (ut poſtea referebat ipſe qui debilis fuerat) continuo immanis dolor cœpit ſeſe exſpargere, ubicumque ille famulus Dei manum impoſuiſſet; & quaſi per quoſdam meatus, à corpore illius ipſa infirmitas undique ejecta, auxiliante Domino ſtatim ita receſſit, ut in ipſa eademque hora, ſolutis nervis qui exſiccaverant, manu ſua porrecta, in proprium ſta-

F

g

h

S. Blitmundum paralyticum tactu ſanat:

EX MSS. A tum erigeret eum, & integram illi ſanitatem opitulante Domino reſtitueret. Tunc qui pro foribus aderant, nimio timore ac ſtupore perculſi, cœperunt ſimul Sacerdotem Dei ſummo honore venerari, dignaſque Deo laudes & gratias referre. Sed & ipſum, de quo prædiximus, Blitmundum, in tantum plene ſua ſacra doctrina poſtmodum edocuit & enutrivit, ut ad ipſum ſanctum locum regendum ac ædificandum, ſecundus & dignus in loco Abbas mereretur ſuccedere.

prædicit farinam petitam eſſe referendam:

12 Waldolenus verò, cujus ſuperius fecimus mentionem, accepta ſibi annona & copia cibariorum, quæ eis regio munere fuerat conceſſa, contigit interveniente aliqua neceſſitate, ut Fratres ipſius Waldoleni à B. Walarico partem farinæ expeterent. At ille, ut ſolitus cui nihil deerat, concite petentibus benigno animo poſtulata dari præcepit, ſecundum illud Evangelicum, Omni petenti te da, & Omni habenti dabitur & abundabit; & illud Pſalmographi, Sperantes autem in Domino non deficient omni bono. Sed illis eam gerentibus, in reſponſo hoc addidit: Petita quidem à nobis portabitis, ſed mihi credite, recipienda non erunt. Cumque geruli impetratam farinam ſuo quidem Seniori præſentaſſent, ita invenerunt ut vir Dei renuenda prædixerat. Nam nimis concite eis præcipitur, ut hoc ipſum unde venerat ſumma cum velocitate reportent. De obſeſſis corporibus dæmonia multa ejiciebat, inter quos erat unus infremens in corio *i* conſutus. Cumque ad pedes ejus illum projeciſſent; peracto quidem jejunio & oratione, priſtinæ eum reddidit ſanitati. Ad eum autem quoties tales deferebantur, ſegregabat eos in cellula ſeparatim: & afflictus jejunio & oratione, ſic illos favente Domino integræ ſaluti reſtituebat. Sed plures erant, quibus eulogias mittebat. Qui vero ei præſentati aderant, cum terrore magno vocis exclamabant & dicebant: Heu, heu! jam nos ille adverſarius noſter torquet, jam nos Walaricus incendit.

Luc. 6. 30. Mat. 13. 12. Pſ. 33. 11.

B

i

dæmones ejicit.

ANNOTATA.

a *Forſan hic eſt* Waldolenus, *filius Amalgarij & Aquilinæ, fundatorum monaſterij Bezuenſis in Burgundia circa annum 616; ubi ipſe Waldolenus, ante diſcipulus S. Columbani, fuit primus Abbas. Conſule Chronicon Bezuenſe tomo 1 Specilegij Acheriani. Tritbemius, lib. 3. de Viris illuſtribus Ordinis Benedictini cap. 79.* S. Wandalinum

C *appellat.*

b Walimagum *ſeu* Gualimagum, *videtur* Wailly *in mappis notari, 12. Mill. paſ. Ambiano verſus Occidentem. Mabillon in ipſa Ambianenſium urbe locum hunc fuiſſe putat, quia ibi exſtiterit quædam capella S. Walarici, quæ vulgo extructa credatur in memoriam miraculi, ibi patrati. Malbrancus conjectat Ponticum Morinorum ſubintelligi, poſtea Abbaviſſam dictam. Sed quo fundamento?*

c Mallus *vox Teutonica, antiquis Francis uſitatiſſima in Legibus Salicis, & pro conventu publico, & fere convivio aut cœna ſumitur. Hinc Belgis* Maeltijdt, avontmael *& ſimilia.*

d *De hac* Bertila, *ejuſque conjugio, & longa vita multa congerit Malbrancus, quæ inſpecto Indice Lector inveniet: nos ea, quia minus probantur, omittimus proferre.*

e Bercundus *ſeu* Berchundus *in Mſſ. & apud Cheſnæum. Surius, & ex eo le Cointe,* Bernardus.

f Magnes, *Francis* Pierre aymant, *id eſt* lapis amans *aut* adamans *dicitur: ſed ab hoc diverſus eſt verus* adamas, *& ferrum non trahit.*

g Iſara *fluvius, apud Tarentaſios exortus, Mellianum oppidum Sabaudiæ, tum Gratianopolim & Romanum, urbes Delphinatus alluit, & ſupra Valentiam in Rhodanum influit.*

h S. Blidmundus, natus in aliquo caſtro Delphinatus *dicitur in Vita, 3 Ianuarij.*

i *Francis* couſu, *participium à* coudre, *ſuere. Mabillon,* incluſus.

D

CAPUT III.

Spiritus S. Walarici Propheticus: donum curationum: idolum ejus juſſu dejectum.

Occulta & abſentia novit:

13 SEd nec illud prætereundum eſt, quod inter ceteras virtutes non minus ſpiritu prophetiæ claruiſſe dignoſcitur. Nam acta & occulta vel culpas abſentium frequenter in publico coërcebat; ut tantum illos cautiores & erubeſcentes de reliquis culpis efficeret, quantum conſtabat eum nil latuiſſe, ſi quid contrarium Dei voluntati in ejus abſentia egiſſent. Sed hoc miraculo à plurimis invento, cogebantur diſcipuli & auditores verbi, ut interrogati ab eo nihil ei ſuarum culparum tegerent; ſed cui hoc protinus abſcondere non poterant, omnia ipſi in publico referebant. Inter hæc duo germani erant, qui ad eum in feſtivitate B. Martini advenerant: quibus increpando ait; Admiror cur ante Miſſarum ſolennia bibere præſumpſiſtis. Qui confitentes commiſſum ſuum, veniam poſtulant, & de reliquo ſeſe emendaturos ſpondent. Alium vero, die Dominico ad ſe venientem, admonebat dicens: Fili, hoc facere non debueras, quod hodie feciſti. Nonne cum adhuc in domo propria veſtimentis tuis te juxta morem indueres, inſpexiſti conjugem tuam, & illa tibi, ſecundum voluntatem tuam, heminam plenam porrexit, & tu incontinens & incautus ante Miſſam bibere præſumpſiſti? Sed & ipſe veniam poſtulans, hoc coram eo pœnituit, quod illicite commiſit.

E

reprehendit quos ſciebat ante Miſſam bibiſſe.

Redarguit puerum ob detentam partem eleëmoſyna:

14 Nec minus eſt illud factum mirabile. Dum quædam illuſtris matrona per quemdam puerum eulogias in hora prandii, id eſt panem & flaſcones, ei miſiſſet; præfatus puer, aviditate cibi potuſque circumventus, partem ſibi retinuit, partemque aliam ſervo Dei præſentavit. Qui cum hoc factum Divino numine cognoviſſet, ait: Quod nobis nunc allatum eſt, inde Deo gratias referimus: ſed tu, fili, hoc prævide, ne quid incaute ſumas de illo pane vel illo flaſcone, quos tibi in quodam loco abſcondere voluiſti: quia ſerpens etiam in illo vaſculo, & in pane illo venenum etiam habetur mortiferum. Tunc ſtupefactus puer illico obriguit terrore, moxque reverſus, ſicut ſervus Dei prædixerat, ita invenit. Nam vaſculum illud cum aperuiſſet, & exinde anguem exire vidiſſet, illum panem contingere nullatenus audebat: ſed tremefactus & confuſus, de eo quod geſſerat, ad Dei ſervum rediens, pœnitentiam de facto gerebat.

F

de ſanitate recipienda diffidenti pœnam prædicit:

15 Sed & illud adjungendum eſt miraculum. Quidam ad eum venit, habens venenoſum atque mortiferum illum languorem ſecus oculum, quem puſtulam vocant. Cumque ſignum Dei impoſuiſſet, juſſit eum diſcedere, & proprium opus ſuum ſibi exercere. Sed adhuc in fide dubitanti infert: Equidem, ut video, minus te de ſalute tua confidere cognoſco. Et addidit ei hæc futura prædicens, Sed tu vero, cum ad domum veneris, jus tibi ſumendum conjux tua porriget; ſed tu illud omnino non accipias, & vide ne alia medicamenta præter hoc ſignum de hac infirmitate requiras. Quod ſi feceris, de iſta quidem nunc evades: ſed dum advixeris, quoddam ex illa ſignum habebis. Quæ ita ut dixerat rei eventus probavit. Nam offerente ei conjuge, juſſellum ſumpſit; & adhuc cornu requiſivit, vel aliquod genus extrahendi veneni, quidquid invenire potuiſſet. Et licet juxta ſententiam ſervi Dei mortem tunc evaſerit,

ſerit, ſed tamen oculum quidem amiſit, & luſcus per
A tempora vixit. De prædicta autem infirmitate quales & quamplures exinde per illum Dominus curaverit, quia nimis eſt prolixum ſingula percurrere, & ut puto non eſt neceſſarium, cuncta vobis referre; ſed hoc tamen innoteſci curabimus, quia quiqui ad Dei famulum cum ipſa acceſſiſſent, ſolummodo ſigno Crucis impreſſo & ſaliva oris ſui linitos, ſtatim illos incolumes reddebat; & in ipſa eademque hora opus, quod ſibi vellent, exercere imperabat.

16 Sed & aliud pandimus vobis miraculum. Cum de quodam Principe, pedeſtri ut ſolebat itinere, ad cellam rediret; pervenit ad locum, qui dicitur
a b *a* Auſta, juxta *b* Auvæ fluvium: nam pro humilitate aſellum in itinere ſedere conſueverat; ſed magis adhuc, cauſa majoris aſſumendi laboris, pedibus frequenter gradiebatur. Et juxta ripam ipſius fluminis ſtipes erat magnus, diverſis imaginibus figuratus, atque ibi in terram magna virtute immiſſus, qui nimio cultu, more Gentilium, à ruſticis colebatur. Cumque hoc Confeſſor Domini vidiſſet, confeſtim zelo Dei accenſus, ad puerum dixit: Fili mi, impinge hunc in ruinam cadendum. Qui nihil hæſitans nec moratus, manu hunc tantummodo contigit; & pondus immenſum, quod vix multitudo hominum magna vi poſſet evellere vel ſecuribus incidere, à tactu unius obedientis monachi, quaſi madidus & putrefactus, nimio fragore & magno impetu ſubito ad terram cecidit, atque in ſemetipſum totus confractus apparuit. Et hic quidem ruſticis, habitantibus in loco, non parvum tam mœrorem quam & ſtuporem omnibus præbuit: ſed undique illis certatim concurrentibus cum armis & fuſtibus, indigne hoc ferentes invicem, ut quaſi injuriam Dei ſui vindicarent, cum in eum unanimiter magno furore erupiſſent, & extenſis brachiis colaphos ictuſque ſuos in aëre ſuſpendiſſent; ille, ut erat ſemper animo intrepidus atque robuſtus, fertur eis illud dixiſſe: Si Dominus hoc permittit, nullus ei reſiſtere valebit. At illi è contrario perterriti, ab intentione animi ſui ſtatim divino nutu repreſſi, ab eo receſſerunt. Sed his ita dimiſſis, cœpit Sacerdos divino ſpiritu afflatus eos inſtruere, ut relictis idolis omnipotenti Deo deſervirent. Et in ipſo eodemque loco poſtea in honorem B. Walarici baſilicam conſtruxerunt, juxta fontem aliquem, ex quo fertur ipſe ſe laviſſe; ubi plurima beneficia recta fide petentibus à Domino præſtantur.

truncum pro idolo habitum dejici curat à puero,

B

& ruſticos id vindicare paratos convertit.

C 17 Nec illud à nobis prætereundum eſt, quod de quodam puerulo fecit Urſino, qui de alta ſatis fuerat proſapia, germanus cujusdam nobiliſſimi Mauronti, qui & ipſe ſummus inter Proceres palatii & dignitates aulæ regiæ, illo in tempore cunctos ſuo ingenio præcellebat; ſed majora tamen his potitus eſt, dum formoſam ſibi valde pro Chriſto reliquerat ſponſam, & cuncta dignitate ſeculi poſtpoſita cæleſtis Domini ſequebatur veſtigia. Sed de prædicto Urſino quid fecerit proſequamur: cui cum juxta clunem vulnus excreviſſet, magnum mortis jam ei periculum imminebat. Genitor vero ejus ad credendum ſatis admodum duram & incredibilem mentem gerebat: ſed parentes tamen curaverunt, quorum mens tum ſanior & fides robuſtior inerat, ut puerulum illum ante ſæpedicti beati viri præſentiam præſentarent. Cumque vulnus illud propriis manibus contigiſſet, ſtatim ab illo infirmitas illa receſſit. Quidam vero vir nobilis venit ad eum, ſupplicans ab eo ut ſanaret filium ſuum, nomine Audobertum (qui languore dyſenteriæ longo jam tædio afflictus, magis jam infelici pœna quam vita tenebatur, cujus tantummodo extremam & optatam ſibi exſpectat horam) & ſi hoc forſitan non vellet, vel hoc ſaltem mereretur ut

tactu ſanat ulceroſum,

& dyſentericum.

ab ipſo ſepulturæ traderetur. At ipſe Beatus ait: Qui quatriduanum illum jam fœtidum ſuſcitavit de tumulo, & huic, ſpiritu adhuc vitali in ſummo pectuſculo anhelanti, valet utique ſalutem reſtituere. Cumque eum ſuis ſacris manibus contigiſſet; tunc ipſe, qui ſemivivus aderat, & longe ante nullam carnis alimoniam ſumpſerat, fertur clamaſſe & poſtulaſſe à patre, ut quantocius cibum ſumeret. Et non longa mora interpoſita, qui manibus parentum ſervo Dei fuerat allatus, lætus jam una cum patre, divina interveniente medela, equo vehebatur ad propria; qui poſtea longam & religioſam vitam fertur duxiſſe per tempora. EX MSS. D

ANNOTATA.

a Auſta, *ſive* Auſtum, *vulgo* le Bourg d'Augſt, ſtatio navium munita, *ut aſſerit Philippus Briëtius, & ipſe Abbavillæus. Surius & Mabillon* Auguſta.

b Auva *rivulus per paludes in vicum Onival excurrit, & in Oceanum delabitur.*

CAPUT IV.

Irriſores ejus puniti. Virtutes, forma corporis. Obitus, ſepultura.

E 18 NEc hoc à nobis prætereundum eſt, quid pro eo, adhuc in hac mortali vita degente, ſuperna & divina ultio geſſit: ut nobis per hoc patenter detur intelligi, quia qui Chriſti famulos irritat, non ſolum illos, ſed & ipſum habitatorem illorum Dominum ad iracundiam provocat, qui ait, Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit; & item dicit, Qui manet in me, & ego in eo. Et ideo in tantum omnino metuenda eſt ira juſtorum, quantum jam in eis omnipotentem Judicem & Dominum præſentialiter ineſſe cognoſcimus. Nam cum præfatus amicus Dei, de quodam loco *a* Caldis, ad ſepta monaſterii tempore hiemis repedaret; contigit ut præ nimia auſteritate frigoris, in domicilium cujusdam Presbyteri cum ſuis ſodalibus, ad ſe calefaciendum, declinaret. At illi, qui talem quidem & tam magnum hoſpitem eximio cultu venerari debuerant, ut hujus ſacro eloquio (ut ei mos erat) inſtrui mererentur; magis turpia ac inhoneſta, imo luxurioſa atque mulicbria verba, una cum Judice loci ipſius, famulo Dei loqui audacter atque contumaciter cœperunt. Sed ipſe è contra, ut conſueverat, putridis & corruptis cicatricibus hominum ſemper F ſalubria medicamenta Divini verbi imponebat: ajebat enim ad eos: Filii, numquid illud in Evangelio non audiſtis, De omni verbo otioſo rationem reddituri ſumus in die judicii? Sed illi, contempto ejus præcepto, magis ac magis incongruis ac impudiciſſimis ſermonibus ebulliebant, ut eſt illud, Ex abundantia cordis os loquitur. At ille ſubjungens inquit: Volui utique propter rigorem frigoris corpuſculum meum ab igne paulliſper refovere, ſed veſtris prohibeor ſceleratiſſimis verbis; imo nunc etiam exire non calefactus à vobis compellor. Cumque de domo illa egrederetur, illud non obliviſcitur præceptum, pulverem ibi pedibus ſuis excutit, & ad locum deſtinatum iter direxit. Sed illos infelices & procaces verborum, quos ſæpe diximus, ultio divina mox ſubſequitur. Nam ille Presbyter, qui recte ſibi vel aliis prævidere neglexerat, oculorum ſubito lumen amiſit; & loci ipſius prædicto Judici ſua emarcuerunt ſtatim virilia. Cumque hoc perſenſiſſent, Dei jam judicio ſe eſſe percuſſos, licet ſera pœnitentia ducti, ſumma cum humilitate per verba precantia ſupplicabant, ut iterum famulus Dei in domum illam vellet intrare. Sed ille nihil illorum precibus adſenſit: nam

Luc 10. 16. Ioan. 25. 5.

Sacerdotem & Judicem coram ſe impudica loquentes arguit.

Mat. 12. 36.

Mat. 12. 14.

divinitusque punitos ſanare recuſat

EX MSS. A

unus in ſua cæcitate permanſit; at vero alius, contracto corpore & putreſcentibus genitalibus, ibi de hoc caduco migravit ſeculo.

19 Merito ergo tantis & talibus virtutibus eminebat, cujus vitam & divina gratia plenam fuiſſe comperimus, ut quinta paginula hujus libelli breviſſimo relatu perſtrinximus & computatione. Ab utero enim matris virgo manebat corpore: humilitas vero ejus & benignitas ultra humanum modum excedebat. Tantum enim divina gratia & compunctione erat plenus, ut quot vicibus talentum ſibi creditum divinæ intelligentiæ, auribus diſcipulorum erogaverat; quotve cælum ſpiritu pſallens & mente adſpexerat, vel humo proſtratus orationem direxit, tot etiam vicibus lacrymatus eſt. Quis enumerare queat pernoctatas vigilias, profuſas furtivaſque orationes, quas inter condenſa veprium & per convexa vallium plurimum amabat? Quid dicam illas peculiares & profuſas admodum orationes, quas pro hoc in cubiculo clauſus, Deo ſoli meditans, frequenter excedebat? Cujus lectulus, ex virgis contextus, vili ſatis lectariola tegebatur; tunica cum *b* capella tantum utens, & linea veſtimenta non requirens. Curſum *c* vero, tam monaſterialem quam Gallicanum, magno ſtudio indeſinenter celebrabat: & cum hoc dupliciter explicarat, tunc quidem imbecillia membra parvo ſopori tandem laxabat. Animi autem ejus intentio talis erat, ut per nullum tempus vacaret otio, quo non aut lectioni ſeu orationi vel operibus manuum ſuarum inſiſteret. Et cum omnino in omnes largus & humanus eſſet, magis tamen in pauperes & egenos & in domeſticos fidei hoc exercebat, intantum etiam ut de propriis humeris veſtimentum ſuum eis tribueret. Sed & alimoniam & ceteram ſubſtantiam Fratrum, de craſtino nihil cogitans, omni petenti ſe dabat: & ut Fratres exinde non contriſtarentur, blandis & conſolatoriis verbis eos refovebat dicens, Filii, hoc ſectamini, & pro certo ſcitote atque probatum habete, quia quicumque hilari animo neceſſaria petentibus tribuerit, quidquid & ipſe neceſſarium poſtulaverit, citius à Domino impetrabit. Sed & hoc ipſum non ſolum verbis, ſed etiam factis confirmabat: nam prædictis ſuis Fratribus affluenter adminiſtrante Domino, & ipſo orante, undique eis afferebantur omnia.

Fuit caſtus, humilis,

deditus orationi & lacrymis,

auſterus in lecto & veſtitu:

b

c

B

eſor otii,

liberalis in alios:

etiam aves ſilveſtres ad ſe venientes alit:

20 Tanta vero manſuetudo divinæ miſericordiæ erat in eo, ut aviculæ in manu ejus frequenter ſine formidine cibum ſumerent, & articulis ſuis quandocumque vellet, oblitas ſuæ feritatis & quaſi domeſticas eas palparet. Cumque Fratres ad eum venientes expaveſcerent, & circumquaque volitantes aves adeſſent; ille dicebat ad eos: Filii, non faciamus eis injuriam, ſed permittamus eas paullulum ſatiari de micis. Et cum Fratres juxta Patris imperium retrograderentur, illæ pennigero volatu undique certatim adventabant, ut more ſuo ſolito annonam ſibi allatam de manu Dei famuli iterum atque iterum aſſumerent. Circa etiam ipſos Fratres tam ei benigna pietas inerat, ut ſi quempiam de junioribus pro quibuſlibet culpis juſſiſſet flagellari (& hoc ipſum, ne fieret frequenter, ſæpe jubebat) convocato illo ad ſe blande leniterque admonebat, dicens: Fili, hoc cave, & tibimetipſi jam attende. Qualem & quantam injuriam nunc perpeti poteras? ſed modo ad emendandum iſta tibi ſola verecundia ſufficiat, ut ulterius jam hoc vitium non admittas. Et quamplures hoc modo ſua melliflua doctrina magis prohibebat à crimine, quam aliorum iraſcentium dira verba coërcebant. Et cum eſſet vultu hilaris, ſermone compoſitus, ſtatura optima, longa & exili, palmæ tenues & extentæ, graciliſſimis digitis & prolixis, oculis pulcherrimis, aſpectuque delectabili, facies ejus valde pallida & macie erat confecta: quia frequenter in tota hebdomada, niſi in die Dominico, nihil in cibo ſumebat; non vinum, non ſiceram, neque aliud quod inebriare poteſt uſitans; cum in adventu quidem hoſpitum, in dilectione caritatis, de omnibus his poculis prægustaret: & ſic tabe corporis animam ſuam pavit, ut de officio tamen ſibi commiſſo nihil umquam præteriret. Quando vero per eum Dominus diverſis languoribus gratiam curationum dabat, vel futura & occulta prænuntiabat; tunc colore roſeo malæ genarum ejus, nimio fulgore, viſu mirabili, emicabant; ut per hoc palam omnibus daretur intelligi, quia ea quæ facta vel dicta per eum dicimus, auxiliante Domino & cooperante Spiritu ſancto fiebant. Et his ita geſtis ad beatum ac felicem proſpere jam properabat finem.

manſuetus in ſubditos:

corporis & oris forma amabilis:

C

D

21 Quadam vero die, cum S. Walaricus, de quadam cellula adveniens, clauſtra monaſterii ſui Dominico die fuiſſet ingreſſus; accedens in verticem montis ad quamdam arborem, quæ undique vepribus erat circumſepta, ubi vir Deo plenus furtivas illas & dignas Deo orationes, quas ſæpe diximus, ſolebat exercere remotus; cumque ibi coram illo aliqui adſtarent Fratres; infixis coram ipſis duobus paxillis, deſignabat menſuram unius capacem ſtaturæ, & ait illis: Cum de hac præſenti vita tandem volente Deo à vobis migravero, vos me in hoc loco ſepelire curate. Et ut ab eo dictum fuerat, ita factum cito evenit. Nam in altero die Dominico, hunc quem diximus proxime ſubſequente, ſarcina carnis depoſita, cum victoria migravit *d* ad cæleſtia regna. Juxta illam itaque quam diximus arborem, in qua Beatus Epiſcopus Berchundus, ut ipſe referebat, Sanctorum Reliquias ſolebat ſuſpendere, (quod huic Dei famulo fuerat incognitum, niſi fuiſſet à divino ſpiritu nuntiatum) in ipſo eodemque loco, qualiter ipſe prædixerat ac deſignaverat, ſummo cum honore ſancta ac felicia ibidem reconduntur *e* membra. Et ex hoc nobis aperte datur intelligi, quod eidem obitus ſuus, imo & locus qui jam erat Reliquiis Apoſtolicis conſecratus, divino quidem numine ante aliquos dies fuerat revelatus.

locum ſuæ ſepulturæ deſignat:

E

moritur:

d

e

ſepelitur:

ANNOTATA.

a Caldis, *forte vulgo* pays de Caux, *aut* ditio Caletenſium, *in plures Vice-Comitatus diſtincta. Eſt in ea ditione alterum S. Walerici oppidum, ut ſupra diximus. Mabillon arbitratur eſſe* Cayeux, *vicum S. Walerici oppido proximum verſus Occidentem.*

b Capella *pro* caputio, *aut* capitis tegumento, *ſumitur.*

c Curſus *pro horariis precibus ab Eccleſia conſtitutis accipitur, ut ſæpe alibi.*

d *De die & anno obitus ſupra actum eſt.*

e *Aſſerit Mabillon, etiamnum ibidem extare capellam, ſeſqui lapide à monaſterio, ubi nautæ navigationem ſuſcepturi ſe S. Walarico commendant.*

F

CAPUT V.

Miracula poſt mortem patrata: Eccleſia cum monaſterio conſtructa.

22 SEd his ita peractis, quæ vel qualia miraculorum ſigna, poſt ſuum de hac vita obitum, divina per eum geſſit potentia (ne cuncta videamur præteriſſe) vel pauca ex multis, breviſſimo quidem relatu, ut diſpoſuimus, ſcire hoc volentibus referamus: non ea quæ à plurimis fabuloſe, ſed ipſa quæ à veridicis teſtibus comprobata eſſe didicimus; & illa maxime quæ à venerabili viro Raimberto, erudito Abbate, pio licet ſtudio ac religioſo labore & prolixo

Claret miraculis:

prolixo ſermone, ſed tamen ſatis ſimplici & incompoſita editione, conſcripta reperimus. Quædam autem puella, per tria ferme annorum curricula, oculorum fuerat luce orbata; quam parentes ad antedictum locum ſervi Dei perducere curabant. Sed cum ejus finibus appropinquaſſet, ait ad illos: Quid eſt hoc, quod ſic eminus luce clarius video reſplendere? At illi reſponderunt: Oratorium eſt Domni Walarici. Et ſic laudes Deo referebat & grates, lumenque recepit ſerenum.

A *cæca videt:*

23 Sed & illud quoque miraculum adhuc ſitientibus referamus, quod factum eſt in quodam loco, nomine Auſta, ubi ſtipes idoli ille (ut ſuperius diximus) juſſu viri Dei fuerat confractus, & Baſilicam ibidem jam in Dei nomine accolæ loci illius præfato Dei famulo conſtruxerant. Juxta quam dum quadam die quædam feminæ iter agerent, una ex eis præceſſit alias, atque lucrata ſibi oratione, ad ſubſequentes ſe ſocias hortando, ait: Deſcendite de his veſtris in loco ſancto vehiculis, & pro noſtris poſtulate cum prece facinoribus: & paullulum reſumptis viribus, veſtris tunc potate de poculis; & ſic tandem cum gaudio, auxiliante Domino, ad deſtinata pergamus loca. At illa quæ ex his prior eſſe videbatur, contemnens ibidem orationi incumbere, ſuper ſeſſis vehiculis, una cum filia, ad locum quo deſtinaverant, ſine mora properabat. Cumque inter ſe invicem ſermocinarentur, tunc filia cum indignatione matri ſic oritur fari: O dulciſſima genitrix, o mea ſpes unica ſemper, numquid illo in loco habitatores venerari conantur illum, quem ante hos annos aſello inſidentem deſpicabili habitu cernebamus, Cui illa reſpondens ait: Huic vero, ut ais, filia, ruſtici volunt fieri memoriam, cujus opera apud nos vilia & contemptu digna videbantur. Tunc inter ipſarum ſtulta & vana colloquia cœperunt crura natæ, quaſi more paralyſis, rigore nimii doloris conſtringi: & cum hoc contriſtata matri ſuæ innotuiſſet, illa ſtupefacta obriguit; quid hoc erat, quidve vellet eſſe, interrogans. Tunc ſimul ſecum pertractabant, & mente ſua ſibi invicem revolvebant, quid de præfata oratione ſancti viri die eadem feciſſent, quidve dixiſſent. Tunc primum, licet coacte, magna tamen humilitate, imo & nimio terrore perculſæ, ad prædictum oratorium viri Dei ſumma jam cum feſtinatione repedabant; & ibi, depoſita elatione & cervice mentis, tamdiu in fletu & planctu proſtratæ jacuerunt, poſtulantes ſibi veniam de commiſſo; uſquedum favente Domino, qui prope eſt omnibus invocantibus eum, integram ſanitatem ſæpedicta ſua filia reciperet.

contemptibiliter de Sancto loquens,

punitur paralyſi:

veniam commiſſi delicti petens, ſanatur.

C 24 Sed poſt ſuum, ut præfati ſumus, de hac luce beatum obitum, tantum ſe ſancto cœnobio humanæ importunitatis merſit conditio, ut illa neceſſitas illos monachos inde ire urgeret, quæ piis animis prodeſſe ſolet, ut eſt illud, Qui volunt in Chriſto pie vivere, oportet eos tribulationes ſuſtinere. Ad tempus igitur deferentes locum, illud etiam Evangelicum ſectantes; Si perſequentur vos in una civitate, fugite in aliam; cum in ſolitudinem locus ille redactus fuiſſet, Beatus Pontifex Berchundus, divino inſtinctus amore, conabatur ſanctum illud depoſitum ad ſuam civitatem magno cum triumpho deferre: ſed cum facta oratione juſſiſſet ſanctum effodere corpus, proficere non valebant. Tunc præfatus Pontifex, Oremus, inquit, ad Dominum; vereor enim ne impoſſibilitas operis aliquo modo nobis accedat. Cumque orationi incubuiſſent intentius, & bis & ter impetum levandi tentaſſent, nihil tamen profecerunt. Sicut enim in corpore vivens eremum, ita & defunctus eumdem diligebat locum.

2. Tim. 3. 12.

Mat. 10. 23.

Corpus transferre conantes, elevare nequeunt.

25 Ibidem etiam eum Blitmundus diſcipulus ejus depoſuerat, quem famulus Dei de ſua infirmitate (ut ſuperius diximus) curaverat. Qui tunc in illo tempore, cum eſſet in Bobio ſub obedientia B. Attalæ Abbatis, cujus geſta *a* ſcripta habentur, frequenter ab illo humiliter poſtulabat, ut ad locum illum in Francia, ubi B. Walaricus in eremo ibidem eſt ſepultus, converſandi vel viſitandi gratia ei concederet demorari. Quæ ab illo minime tunc illo in tempore impetravit: ſed illo perſeverante in precibus, B. Attala, peracto quodam annorum curriculo, quadam infirmitate afflictus, infirmatus jacebat. Dehinc cum quadam die B. Attala ad eccleſiam iret, ſuſtentabat imbecillia membra monachus ille præfatus, qui cellam S. Walarici ſæpe ei petierat viſitare. At ipſe hoc referebat, dum pariter ambularent, viſum eſſe ei, non ſolum mentem, ſed etiam ipſa membra ab eo ſuſtentata aliquantulo ſpatio à terra, quaſi trium pedum in aëre ſuſpendi cum ipſo. Tunc ait ad eum: Fili mi, quam antea à nobis expetieras, modo habeas ambulandi & viſitandi licentiam. Cumque ille ſtatim minus hoc intelligens, dixiſſet: Domine mi, quo me ire præcipis? S. Attala ſubjunxit: Tu ad locum S. Walarici, quod ſæpe poſtulaveras, ſume nunc à nobis volente Deo licentiam pergendi. Videoenim eum in nimia claritate, & mihi hoc ipſum evenit expetere, ut ipſe merear in tantam gloriam introire. Et per hoc aperte datur intelligi, quod dum adhuc in corpore ipſe vivebat, alius poſitus in æterna gloria videbatur. Et tranſacto verborum colloquio, pauco intervallo migravit ad Dominum.

EX MSS.

D

a S. *Blidmundus degit Bobii apud S. Attalam.*

& poſt gloriam S. Walarici huic revelatam,

E

26 Tunc ſæpedictus ille monachus, quem beatus edocuerat Walaricus, ad antedictum locum Leuconao, ut admonitus fuerat à ſancto viro, acceſſit; in quo pene anni ſpatio eremitalem ac ſterilem vitam duxit. Tunc petiit præfatus vir Blitmundus, *b* tam à glorioſo Rege Chlothario, quam a Pontifice qui tunc erat Ambianenſum, ut tale præceptum daret ac licentiam, ut ibi conſtrueret monaſterium. Tunc deſtructis idolis & ritibus Gentilium, vir Domini Blitmundus, qui & ſecundus Abbas in loco eodem exſtitit, auxiliante omnipotente Domino & Chriſtianorum vicinorum adminiculis, conſtruere ibi curaverat tam monaſterium quam eccleſiam *c* miræ magnitudinis, & cultu nimio decoratam. Concurrentibus ergo undique populis, recta fide petentibus, merita ejus ibidem magnis virtutibus clareſcunt, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum æterno Deo Patre & cum Spiritu ſancto vivit & regnat Deus, per infinita ſeculorum ſecula. Amen.

b venit ad hujus ſepulcrum,

c

& monaſterium condit.

F

ANNOTATA.

a *Scripta à Iona, qui novem annis ſub S. Attala vixerat monachus Bobienſis.*

b *Ab eo vicus vicinus* S. Blimond *appellatur, teſte Mabillone.*

c *In illam tunc tranſlatum fuit corpus S. Walarici, cujus Tranſlationis feſtum à Molano & Sauſſajo, cum MS. Centulenſi, attribuitur kalendis Aprilis. Quo die ſi obierit, feſtum Tranſlationis erit* 12 *Decembris.*

RELATIO CORPORIS, ET MIRACULA.

Ex MSS. à D. Io. Mabillon communicatis.

CAPUT I.

Corpus ad monaſterium S. Bertini delatum.

ANno nongentesimo octogeſimo primo incarnationis Filii Dei, relatum eſt corpus ſancti Con-

EX MSS. A Confeſſoris Walarici in pagum Wimmacenſem, in locum qui dicitur Legonaus; ubi ipſe vivens regularem vitam duxit: & relatum eſt à pago Teroanenſi, à monaſterio ſcilicet S. Bertini; in quo longo tempore jacuerat. Qualiter vero ibi fuerit tranſlatum, & inde in Legonaum locum relatum, futurorum memoriæ tradere curamus.... *a* Regebat monaſterium S. Walarici, ſuper mare ſitum in pago Wimmacenſi, quidam Clericus, Herchemboldus nomine: qui dum debuiſſet Canonica inſtitutione de virtute in virtutem conſcendere, & ſibi ſubditos ad cæleſtia provocare deſideria; vulneratus corde diabolico mucrone, cœpit animo tractare, qualiter Wimmacenſem pagum & Legonaum locum privaret ſancti Patris Walarici corpore. Adiit itaque Arnulfum, Flandrenſis regionis Principem ditiſſimum: cui prodidit mentis doloſæ conceptum, ut expleret tantæ nequitiæ votum. Cui præfatus Princeps ait: Cum multis hujus mundi divitiis, ô Herchembolde, affluam; unum eſt quod cupio, ditari Sanctorum corporibus, ut à me impenſis ditentur honoribus, & ego eorum ſanctis interceſſionibus cælorum merear innecti civibus. Et cum hæc cordis revolvo arcana, ſacratiſſima B. Walarici corpus habere peropto, ſi adeſt auxilium tui ingenii noſtræ voluntatis propoſito. Cui reſpondit Clericus. En, conſiliator adero, & adjutorium præſtabo. Et Princeps, Satis, ait, meo facies deſiderio, ſi adimpleveris quod opto. Noſcas itaque me plurima illi exhibiturum famulamina, eumque à me ditari gaza non minima. At ille: Si hanc habere margaritam quæris, de quibus à te donabor gazis? Nemo, inquit Princeps, in mihi commiſſa regione, te præcedet opum ditatione, auri quoque & argenti innumerabili munere. At ille: Adimple quod promittis, & ego tibi deferam corpus Sancti. Sicque factum eſt, ut quod optavit Principis humilitas, perfecit Clerici cupiditas.

a Arnulphus comes Flandriæ inito conſilio cum Herchembaldo Clerico,

B *& addictis huic muneribus,*

2 Illis ſiquidem diebus iſdem Princeps præfatus litem non modicam cum Rege habebat. Vallatus etenim catervis militum, fretuſque ut erat prædives ſuorum auxilio, *b* Monaſteriolum caſtrum, quod prope finibus ejus ſitum eſt, Regi auferens, ſibi uſurpavit. Igitur, ut præmiſimus, accepta à Comite pecunia, præfatus proditor feſtinat implere, quod promiſerat facere: ſumenſque ſecum exercitum Principis, cum eo venit clam ad monaſterium S. Walarici. Sicque *c* everſo caſtro, deprædato populo, interfectis multis viris cum feminis, detulerunt *d* corpus S. Walarici in locum qui dicitur Sitihu, ubi requieſcit B. Bertini venerabile corpus. Sicque Wimmacenſis pagus & Legonaus locus, peccatis populi præpedientibus, privatus eſt tanto pignore, videlicet beati Patris ſui Walarici corpore.

b poſt captum Monſtrolium.

c d Corpus S. Walarici defert ad monaſterium S. Bertini.

C 3 His ita peractis, orta eſt inter Fratres dubia quæſtio de corpore præfati Confeſſoris; utrum ipſe eſſet, an oſſa ſecularis viri ibi eſſent delata. Tunc conſilio Abbatis & monachorum, delatum eſt in Capitulum, in quo jacebat B. Walaricus, ſcrinium. Expletâ itaque lectione Regulæ, & finito ſermone à monaſterii Patre, ab eo, Benedicite, dicitur, & à Fratribus, Dominus, reſpondetur. Tunc Abbas ſubjungit: Dicitur, Fratres, à vobis, hic requieſcere corpus S. Walarici: quod utrum verum ſit, ſciendum eſt à nobis. Aperiatur locellus: & ſi ibi ſit corpus, videamus. Laudatur à Fratribus, quod ab Abbate dicitur. Cumque hoc vellent opere complere, & locellum aperire: ſubito ab eorum oculis eſt ablatus, Angeliciſque manibus evectus eſt, & ſuper *e* altare poſitus. Quo facto, ſtupore Fratres attoniti, à Capitulo egreſſi, & oratorium ingreſſi, viderunt ſuper altare locellum, in quo jacebat corpus S. Walarici: & lacrymis profuſis, cœperunt cantare, Te Deum Laudamus, vocibus excelſis. Quid mirum, ſi Dominus oſſa ſervi ſui de medio dubitantium abſtulit, qui Iſraëlitico populo in fide nutanti manna retraxit, & Eliam de medio peccantis mundi curru igneo per turbinem in cælum tranſtulit? Voluit autem Deus hoc facere præſente Eliſeo, ne forte mens ejus, ambiguæ infidelitatis cuſpide perforata, pravis cogitationibus occuparetur marcida. Portatur Elias per turbinem curru igneo in cælum; defertur Walaricus per ſerenum aërem ſuper altare Domino ſacratum. Clamat Eliſeus: Pater mi, currus Iſraël & auriga ejus: cantant monachi in Laudem Dei altiſſimi, Te Deum Laudamus. Deflet Eliſeus abſentiam Eliæ: gaudent monachi præſentia tam præclaræ margaritæ: ibique per multa annorum curricula cuſtoditur corpus B. Walarici, & veneratur à fidelibus populis.

quod è Capitulo ad altare deferunt Angeli,

D *ſicut Elias tranſlatus eſt in paradiſum.*

E

ANNOTATA.

a *Hic nonnulla inſerta erant de bellis & ſeditionibus Francorum: quæ omiſimus, quod alibi multo accuratius narrentur, & ad hanc hiſtoriam nihil conferant.*

b Monaſteriolum, *aliis* Monſtrolium, *oppidum munitum prope oſtium Canceiæ Fluminis; de eo egimus 3 Martii ad Vitam S. WinWaloëi, § 2 & 3, quod hujus corpus ibidem adſervetur.*

c *Ioannes Iperius Abbas Bertinianus, in Chronico cap. 26 par. 1, tradit,* locum S. Walarici per Danos fuiſſe deſtructum.

d *In Chronico Centulenſi dicitur, ex præcepto Arnulphi corpus S. Walarici una cum corpore S. Richarii fuiſſe in Monaſteriolo caſtro ſervatum, dein ad monaſterium S. Bertini tranſlatum, idque teſte Iperio,* IX Kalendas Septembris, anno 2 Hildebrandi Abbatis, creati an. 950.

e Altare majus, *inquit Iperius.*

CAPUT II.

Corpus S. WValarici ab Hugone Capeto ad proprium monaſterium relatum.

4 QUaliter ad proprium locum relatum fuit corpus B. Walarici, audiat conventus fidelis populi: nam Deo proprium eſt, peccantibus miſereri, & aures ſuæ pietatis eorum præbere clamori. Certe cum pietate judicat, & poſt mœſtitiam lætificat quos corripit & caſtigat. Recordatus eſt ergo populi ſui, & miſertus eſt plebi Wimmacenſi, ſuper abſentiam Patris ſui tam graviter dolenti. Illo itaque in tempore, mortuo *a* Ludovico Rege, ſublimatus eſt in ſolio dignitatis paternæ *b* Lotharius Rex, in nullo inferior patre: ſub cujus Dominio inclytus Dux *c* Hugo gubernabat ſtrenue partem Francigenæ patriæ, in divino cultu devotus, Dei & Sanctorum cultor humillimus. Hic cum moraretur in Lutetia urbe Pariſiorum, quadam nocte cum eſſet ſopore depreſſus, eum B. Walaricus per ſomnium his verbis eſt affatus: Quid agis? Quem intuens Dux, tremens multumque pavidus, reſpondit: Vigilo: ſed quis ſis penitus ignoro. Tunc S. Walaricus: Blando alloquio te alloquor, & obnixe precor, ut nomen meum retineas, & quod poſtulabo impleas. Ego nempe ſum Abbas Walaricus, quondam vivus & poſt defunctus, incola ſuper maris littus: nunc quoque mutata patria in alia terra, cum ſancto Sacerdote Richario, detineor captivus. Sed *d* nunc annuente Deo, advenit tempus, ut ad proprias ſedes & cariſſimas ſoboles redeamus. Dignum eſt ut populus, olim nobis commiſſus, de noſtro lætetur reditu, qui tempore tam longo triſtatur abſceſſu. Et cum me in meam reduces eccleſiam, projice ab ea Clericorum ſpurcitiam, & aggrega in ea regularem catervam. Scis etenim Monaſteriolum caſtrum

a b c Hugo Capetus tunc Dux, à S. Walarico apparente admonitus.

F

d

e

castrum à Comite Flandrensi violenter Francorum dominatui subreptum & subtractum. Et ut noveris me certa dixisse; te illic adire, & castrum, absque capitali damno mortisque ullius detrimento, prædico recipiendum fore. Accelera petitionem nostram: per nostras enim orationes Rex efficieris Galliæ, & postea hæredes tui, usque ad *e* septimam generationem, possidebunt gubernacula totius regni. Tunc Dux expergefactus, & de visione certus, congregavit exercitum non modicum, tendens ad Monasteriolum castrum: & ut à Sancto prædictum fuerat, ita patrata cuncta monstrantur. Is autem qui ad servandum castrum ab Arnulpho relictus fuerat, turpiter fugiens, locum cum victoria cessit Duci & suis. His peractis lætus Dux, & de visione certior redditus; cœpit cogitare, qualiter Sanctos Dei ad propria loca posset reducere. Accepto itaque consilio à viris religiosis & optimatibus suis, legatos ad Arnulphum Flandrensem Comitem direxit, & ut Sanctorum corpora redderet humillime expetivit. Quibus Arnulfus respondit: Ego non eos à suis sedibus avulsi, aut huc adduxi; sed antequam mihi cederet monarchia, ab *f* avo meo translati sunt in hanc terram, in qua nunc venerantur & honorantur & excoluntur. Hæc audientes nuntii celerrimo gressu sunt reversi; & quæ ab Arnulfo audierant in mandatis, referunt Duci eisdem verbis. Continuo Dux, congregata multitudine sui exercitus, iter arripuit versus fines patriæ Flandrensis. Cum autem venisset in confinibus regionis illius, & hoc audiisset Comes Arnulfus, lacrymabili voce ait suis primatibus: Heu mihi misero, pretiosa corpora duorum Sanctorum perdituro! Continuo accersitis nuntiis precatoria verba dirigit, mandans Duci; Ne Dux longius veniat, neminem nostrûm noceat. Corpora Sanctorum reddam: non sum dignus eorum præsentia, qui dum advixero eorum tristabor absentia. Tunc Dux annuit precibus Comitis. Hinc idem Comes jussit ex argento purissimo fabricari locellum, in quo B. Walarici collocavit corpusculum: scriptique sunt in capite scrinii hi duo versiculi:

Interius Sanctus requiem capit hic Walaricus:
Arnulfus præpotens, pretio cælestia sumens.

5 Hoc itaque expleto opere, accipiens corpora Sanctorum, cum nimio dolore, supradicto Duci occurrit citissime. Cernens Dux venientem Arnulfum cum Sanctorum corporibus, profusis lacrymis, poplitibus flexis, cum omnibus militibus suis gratias Domino egit, quod Sanctorum corpora recipere meruit. Hinc pacifice Dux & Comes ab alterutro divisi, Arnulfus Flandris rediit, Dux Sanctorum corpora propriis sedibus restituenda asportavit. Referunt gratias summo Patri Winmacenses & Pontivii, læti recipientes Patres, quorum præsentia per multa annorum spatia fuerant immunes: Recedunt Flandrenses tristes, tam splendidis margaritis extorres. Et cum venisset præfatus Dux in pagum Pontivum, psallentibus turmis, undique præcedentibus & subsequentibus agminibus, ipse beatus Princeps ait suis: Properate, ô vos boni milites, pedetentim cum B. Richario: & ego, quamvis immeritus, S. Walaricum ad proprium reducam locum; inde vero revertens, S. Richarium in pristinum restituam statum. Hinc propriis scapulis imponens corpus S. Walarici, circumseptus undique innumera multitudine populi (qui venerant non solum à finibus Ambianensis urbis, verum etiam à vicis & oppidis sitis super littus maris, & ab omni pago Rotomagensi) non longe à Legonao pervenit. Nititur ingredi arenosum Somenæ alveum, quem omni tempore bis in die, quod vicinum est, operit mare. Dumque vellet ingredi vadum, cernunt præcedentium & subsequentium turmæ accedere mare, ut solitum erat, cum magno fragore; undisque tumescentibus vadum replere, ingentemque sonitum dare. Clamatur à turbis, Ne ingrediamini, milites invicti; ne tumidum mare vobis inferat periculum mortis. Tunc duo viri nobiles, videlicet *g* Burgardus Parisiacensis Comes & Orlandus Vinmacensis Vice-comes, dixerunt ad alterutrum: En, videbimus, si hic habemus S. Walaricum. Accipientes igitur locellum, in quo jacebat corpus sanctum, accinctis tunicis fidei, more Petri super mare ad Deum pergentis, fluctus tumescentis maris fiducialiter sunt ingressi. Mox tumidum mare à dextris & à sinistris visum est stare, donec Dux transiret cum S. Walarici corpore, & cum subsequentium agmine. Vere mirabilis Deus in Sanctis suis! Meritis igitur hujus Sancti Confessoris renovavit miraculum antiqui seculi: nam exeuntibus Filiis Israel de Ægypto, secumque corpus Joseph deferentibus, qui eos eripuit à penuria famis; clamante ad Deum Moyse, quasi pro muro mare stetit, & transitum populo Dei præbuit. Quid enim S. Walaricus, nisi Joseph; & quid Dux, nisi Moysen; & quid plebs Winmacensis, nisi Israeliticum populum designat? Illi post transitum maris Ægyptios se persequentes mortuos viderunt, isti Flandrenses ad propria confusos redire vident. Cecinit Maria cum mulieribus, Cantemus Domino: reddidit Dux, cum monachis & clericis omnique populo, immensas gratias Deo altissimo. *h*

recuperat Monstrolium:

f & repetit corpora SS. Walarici & Richarii.

ea ab Arnulfo Iuniore accipit;

& S. Richarii Pontivii reliquias,

Corpus S. Walarici,

mari tumido cessante, defert Legonaum.

EX MSS.

ANNOTATA.

a *Hic est* Ludovicus Transmarinus, 4 *hujus nominis Rex, mortuus* 15 *Octobris, anno* 954.

b Lotharius *vixit usque ad diem* 2 *Martii, anno* 986.

c *Hic est* Hugo Capetus, *postea Rex Francorum.*

d Nunc, *id est anno* 981, *sicuti expresse dicitur in Translatione S. Richarii, & sicut sub initium correximus, ubi errore amanuensium erat positus annus* 935.

e *Iperius cap.* 29 *par.* 4, *citatâ* Legenda B. Walarici, *habet* sempiternam generationem, *quæ hactenus per secula septem regnavit.*

f Arnulfus *avus mortuus est anno ætatis* 92, *Christi* 963, *quo adhuc vivo imperarat Balduinus filius, sed ante patrem mortuus anno* 961: *cui tunc successit hujus filius* Arnulfus II *seu* Junior, *prioris Arnulfi nepos, mortuus* 23 *Martii* 89.

g *Hic est* Burchardus, Comes Corboili, Miliduni & Parisiacæ civitatis, *cujus vitam scripsit anno* 1508 *Odo Monachus Fossatensis in eaque asserit* corpus S. Walarici ab dicto. Burchardo ad suum monasterium relatum fuisse, & tunc Somonam maximis aquis exundantem, ut olim sub Moyse mare rubrum, divisum fuisse, & siccum iter deferentibus sacrum corpus præbuisse; *ac posmodum dicto monasterio* fecisse donationem possessionum, de Hera, Quent & Monceaux dictarum, & aliarum Helicurti, & in urbe Abbavilla, sub sua & Regis Roberti signatura.

h *Relatum esse corpus S. Walarici die secundo Junii, traditur in Chronico Centulensi: quo die ea Translatio memoratur in MS. Centulensi Martyrologio, his verbis:* S. Walaricus mense Junio, die secunda, suo loco reconsignatus.

CAPUT III.

Miracula sub IV *Abbatibus facta.*

6 TUnc præfatus Dux, magna solicitudine procurans S. Walarici locum, abjecit ab eo secularem congregationem Canonicorum, & aggregavit in eo regularem ordinem monachorum: misitque Bellovagus ad monasterium S. Luciani, & inde sibi

EX MSS. A

a Instituitur Abbas Reſtoldus:

ſibi quemdam monachum nomine *a* Reſtoldum aſcivit, quem in monaſterio S. Walarici præfecit Abbatem & ſpiritualem Patrem. Non enim erat immemor promiſſionis S. Walarici, ſcilicet ſi eum ad proprium locum reduceret, quod Rex Francorum fieret, & in eadem regia dignitate filius ejus cum progenie naſcitura ſuccederet. Mox, ut ſcripſimus, Dux cum corpore ſancti Confeſſoris militibuſque ſuis mari tranſito, venit in locum qui dicitur Firmitas; ibique quievit paululum, & poſt quietem ait ſuis: Eamus, & Sanctum Dei in locum ſuum reſtituamus. Et ecce homo quidam, nomine Hildegarius, qui per multos annos fuerat contractus, ita ut aliter incedere non poſſet, niſi quod ſcabellulis ſe adjuvans totum corpus per terram traheret; ibi cum magno labore, jam properante Duce cum ſancto corpore, advenit: magniſque vocibus clamare cœpit, O ſancte Pater Walarice, cur hic me dimittis, qui te cum tanta debilitate quæſivi; & uſque huc, totum corpus per terram repens, pervenit? Nonne tu es Walaricus, qui diceris validus & Dei amicus? Audi-

Hildegarius contractus ſanatur.

Mar. 9. 22. vi in lectione Evangelii, omnia poſſibilia credenti. Credo te eſſe validum ad me ſanandum: ſed vadis, & me miſerum hic ſolum relinquis. Si præmium vis pro adeptione meæ ſanitatis, meipſum trado in obſequium tuæ ſervitutis. Illico vocem tantæ promiſſionis ſubſecuta eſt gratia ſanitatis. Surgit ſanus; vadit cum aliis lætus; cantat plebs devota Deo laudes in excelſo. Et iſdem contractus, jam ſanus factus, ſanctum corpus in ulnis uſque ad monaſterium portavit, & dum advixit in obſequio Fratrum permánſit: nam poſt annorum ſpatia defunctus, juxta oratorium B. Walarici eſt ſepultus.

B

Sub Fulcrado Abbate fiunt miracula:

7 Multa quidem miracula Dominus fecit meritis S. Walarici, tempore Domini Abbatis Reſtoldi: quo defuncto ſucceſſit Fulcradus, ejuſdem loci monachus: in cujus tempore oſtendit Deus multa miracula, quæ per incuriam ſunt neglecta: ſed quædam adeo fuerunt præclara, ut non potuerint excidere memoria. Cæci enim & claudi, ſurdi & febricitantes ſanati, carent numero, quos ſuæ opitulationis erexit auxilio. Dæmonibus etiam potentialiter imperabat: & ſicut vivus, ita & defunctus, pervaſos & vexatos liberabat: hos vero quibus nocere volebant, miſericorditer protegebat. Sed ex multis unum ſumamus exemplum.

Æquinoctium erat, vigilia ſcilicet S. Benedicti, qua ab humanis migraverat; & cœpit firmamentum mugire, tonitrua reſonare, diſcurrere fulgura, pavere terra; ſed aëriæ poteſtates, omiſſis omnibus, cœnobium S. Walarici audent impetere jaculis flammantibus, nulli ut eo ſe poſſent conferre. Forte Abbas Fulcradus in choro jacebat, & pro ſuis & aliorum criminibus Chriſtum appellabat. Subito *b* bidental juxta eum cecidit, adeo ut *c* froccum ejus lingens minime exuſſerit, nec ei tamen nec aliis ullo modo nocuit. Mulier vero quædam religioſa in templo orabat, quæ, ſi fas eſt credi *d* Religioſitati, veraciter affirmabat, quod tria candelabra, quæ in gradibus ſtabant, quaſi cum cereis flammantibus viderit exſurgere, & ignem cælitus venientem congrediendo repellere. Hæc illa aſſeruit *e* nobis, & veroſimile videtur de conſequentibus, etiamſi ipſa non viderit. Petræ enim, tamquam ex maceria, pariter ceciderunt; quæ unde venerint, nulla umquam veſtigia in templo apparuerunt: ſed talis lapidatio, ſicut & multa pericula ejuſdem Abbatis temporibus, S. Walarici repulſa eſt merito.

C

mira tempeſtas repellitur.

b

c

d

e

Sub Adhelelmo Abbate

8 Et hoc de mundo tranſito, ſucceſſit Adhelelmus, S. Vedaſti monachus; in cujus tempore quædam mulier erat, Bertha nomine, quæ per debilitatem membrorum, quia in tantum contracta erat ut calcanei ejus hærerent clunibus, à viro ſuo fuerat derelicta. Hæc adducta manibus parentum, ad ſanctum pervenit ſepulcrum; ibique longo tempore perſiſtens, expectabat à Deo meritis ſancti viri recipere ſanitatem. Cumque jam nequiret amplius expectare, decrevit non adepta ſanitate in craſtinum ire; & triſtis baſilicam adiit, & oratione finita, alta voce dixit: O S. Walarice, æſtimabam te potentem in reddenda ſanitate; modo, quia non eſt tibi cura, vadam, ſicut veni, contracta. Hæc audiens quædam Dei famula, quæ erat cuidam honorabili viro conjugio ſociata, cœpit eam confortare, dicens, eam miſericordiam Dei & virtutem Sancti expectare debere. Illa ut audivit, in oratione Deo ſe obtulit: cumque auxilium Dei imploraret, apparuit ei in veſte candida quidam pulcherrimus puer, attrectans membra ejus leniter: & mox ſe erigens, nullumque dolorem ſentiens, ſanitatem recepit in omnibus membris: & poſtmodum ſacrum velamen ſuſcepit, & peregrinum iter arripuit.

D

ſanatur contracta:

9 In ejuſdem quoque, id eſt, Adhelelmi Abbatis tempore, anus quædam ex vico Melnaco venit, ita contracta & curva, ut penitus non valeret ſurſum reſpicere, nec niſi artificio ſcabellorum incedere: quæ aliquanto ibi commorans tempore, videnſque ſibi ſanitatem differri, quadam die allocuta eſt Sanctum Dei tali voce: Qualis, inquiens, Sanctus Dei tu es, qui nullam in me miſericordiam habes? aut quomodo Sanctus diceris ab omnibus, qui me non reſpicis, diebus clamantem ad te & noctibus? vel quomodo Sanctus appellaris mirabilis, qui me debilem & ægrotam non aſpicis? *f*... An ſurdum te facis, quia conceſſum non vis cedere gratis? Cur me tamdiu martyrizas, qui Chriſti dona evangelizas? Cur me tantum habes exoſam, qui habes Dei gratiam? Num tu habere donum vis ſolus, qui à cunctis vocaris bonus? .... Quare te tamdiu agis ingratum, cum omnes te prædicant omnibus gratum? An ridiculum tibi eſt de vetula, quæ in tuo [obſequio] permanet ſedula? aut quia grata ſunt meæ verba orationis, ob id differs dextram redemptionis? Et ſi excubantes famuli pſallunt in choro, nonne & ego ſuppliciter oro? & ſi monachorum audis humilitatem, meam cur non audis paupertatem? & ſi eorum diſſimulas peccatum, cur jam meum non ſuſcipis planctum? & ſi eorum vides caſtitatem, cur meam non cernis ſenectutem? Jam enim deficio, quia clamare nequeo. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi me ſanam feceris, ſi tibi non promam carmina legis. Hæc & alia fante anu, cœperunt Fratres Veſpertinalem ſynaxim; factumque eſt ut nervi mulieris ita mirabiliter extenderentur, ut ipſa gemens Fratres pſallentes inquietaret. Itaque ſana atque erecta, quæ ante erat curva atque contuſa, ſurgit quæ exprobrarat, Deum laudans voce clara; ſurgit quæ erat triſtis, benedicens Deum dulcibus hymnis: acceptoque cereo ad tumulum ſanctum currere cœpit, poſitaque candela in orationem ſe dedit. Mirantur Fratres, quid eventum eſſet ignorantes: nam agnoſcunt ſanam, quam antea viderant ægrotam; agnoſcunt directam, quam antea viderant curvam. Interrogata namque quæ eſſet, ait: Quid miramini? ego enim ſum anus, quam veſtræ alebant manus: ego ſum miſella, quam veſtræ caritatis potabat ampulla. Non enim eſt mirum ſi me S. Walaricus fecit ſanam, qui veſtram ſemper fovet catervam: neque mirabile eſt quod me fecit directam, qui veſtrarum culparum ſecat habenam. Referunt itaque Fratres gratias Deo, nec non & Sancto extollentes hymnum Walarico.

item alia anus contracta & curva,

E

f

poſt longam expoſtulationem.

10 Defuncto itaque præfato Abbate Adhelelmo, ſucceſſit Abbas *g* Theodinus, monaſterii S. Dionyſii monachus,

F

g

A *ſub Theodino Abbate* monachus, tempore cujus quidam civis, nomine Warnerus, natione Britannus, fratrem habebat nomine Hildinum. Qui Romam pergentes & inde redeuntes, venerunt ad fluvium, nomine Taronium: & cum tranſire vellent, Warnerus undis implicitus obiit; Hildinus vix cum his quæ portabat evaſit: & ejulans pro morte fratris, venit intra terminos Corbeiæ monaſterii; ubi à latronibus exſpoliatus, his quæ habebat perditis, Beluacum uſque pervenit. Inde egrediens, & ad fines S. Walarici venire volens, ut eum cogebat neceſſitas itineris, cum Somenam tranſiſſet & poſt tranſitum ſe indueret; ecce ſubito quædam nigra avis eum in capite alis percuſſit. Qui illico arreptus à dæmone, cœpit per concava vallium atque per abrupta montium ſine diſcretione diſcurrere, venienſque ad fluvium voluit ſe necare: detentus autem à populo, deducitur ad oratorium S. Walarici vinctus. *energumenus liberatur:* Qui antequam ingrederetur, altis cœpit clamare vocibus: Cur me ad Walaricum ducitis: ſi enim ad eum pervenero, de hominis hujus habitaculo exire compellar. Cumque ante fores monaſterii fuiſſet adductus, interrogavit eum quidam ex monachis, nomine Petrus, Quo nomine cenſeris? Reſpondit? Runcinellus vocor. Tunc monachus, hujus nominis etymologiæ non ignarus, iterum interrogavit,

B Cur ita vocaris? Reſpondit, Peccatorum animas duco per roncias & ſpinas. Iterum interrogatus à monacho, cur non aperiret oculos, reſpondit: Tenebras amo, & lucem odi. Tunc compellitur à monacho & à circumſtante populo monaſterium ingredi: ſed viribus quibus poterat, ne ingrederetur, obſtabat. Tandem introductus in eccleſiam, à Fratribus oratione facta, aqua benedicta perfunditur; & clamans magnis vocibus, fœtore relicto putenti, ab eo dæmon exivit: & ille qui fuerat à dæmone poſſeſſus, in terra proſtratus, videbatur quaſi mortuus. Poſt unius denique horæ ſpatium in ſe reverſus, cœpit clamare, Sancte Walarice, adjuva me: jam à dæmone ereptus ſum. Qui per aliquantum tempus ſerviens, ſanus ad propria remeavit. Tunc Fratres nimio repleti gaudio, gratias referunt Deo, cantantes, Te Deum laudamus.

11 Fuit in tempore ejuſdem Theodini Abbatis, quidam homo, nomine Berengerus, natione Francus, qui cauſa peregrinationis atque paupertatis de finibus propriis exiens, ad noſtrum properare feſtinabat cœnobium. Qui dum appropinquaret ſolus gradiens, obviaverunt ei duo nigri homines, teterrimos equitantes equos; qui interrogantes eum quo iret, reſpondit, Ad cœnobium S. Walarici. Qui inquiunt: Non recto vadis calle. Illico vero ex utraque parte alapas illi dantes, proſtratus eſt in terra ſemivivus. Tunc unus ex illis tulit feſtucam, & in duplo plicatam in aures ejus impinxit. Hoc facto, evanuerunt: ipſe vero ſurdus remanſit & mutus. Qui tamen ſurgens, iter aggreſſum perficere cœpit: venienſque ad villam, deductus eſt ad cœnobium S. Walarici; & inter eleemoſynarios deputatus, accipere cœpit eleemoſynam. Nec multo poſt creverunt in auribus ejus vermes teterrimi atque piloſi, & in capite ejus ſcabies tam magna, ut fronte ulceroſa & naribus ita deformis appareret, ut nemo eum aſpicere poſſet. Sic miſer jacens, non valebat eſum percipere nec potum. Quadam autem die hoſpes ejus, illi condolens, ait: Hic eſt unus puteolus, quem S. Walaricus propriis effodit manibus; ſi ad eum properare potuiſſes, ut caput tuum de ejus lympha lavares, credo quod meritis Sancti noſtri melius tibi eſſet. Qui conſurgens, ut valuit, feſtinus eo pervenit: ſicque lavato capite, aliquid cœpit audire. Cum autem audiret campanam matutinalem, illuceſcente die rogat ſe in oratoriũ deduci. Qui ductus, dum binis vicibus vellet nomen Sancti invocare, nequivit; ſed vix primam verbi ſyllabam protulit. Interea vero maximos ſanguinis globos ex auribus & naribus & ore emittens, clamavit alta voce, S. Walarice, adjuva me. Qui ſanus atque integer redditus, aliquamdiu ibi permanſit. Cumque corde tractaret, ut ad patriam parenteſque rediret; quadam nocte, dum ad Matutinorum ſolennia pergit, diabolus ei in via obvius fuit: qui ait ad eum, Quo vadis? Reſpondit, Ad eccleſiam. Et diabolus, Et ego ſimiliter. Sed veni poſt me & ego te ducam. Qui ſequens eum, venit uſque ad ripam fluminis, & ingreſſus in aquas uſque ad renes, ſcienſque ſe à diabolo eludi, ſigno ſanctæ Crucis ſe munivit: & tunc inimicus evanuit. Reverſusque citiſſimo curſu, ut erat aqua madidus, ad eccleſiam venit, eventumque rei Fratribus narravit. Quibus interrogantibus, quid agere vellet, reſpondit: Voluntas mea erat in patriam redire: ſed video, quia non vult S. Walaricus, eroque in perpetuum illius ſervus.

EX MSS.

D *ſanatur.*

ANNOTATA.

a Benedictus Papa VII, *anno Pontificatus 6 Indict. 9, id eſt anno Chriſti 981, Kalendis Aprilis ſcribens* Reſtoldo Religioſo Abbati, vel omni Congregationi in monaſterio S. Walerici, quam Hugo glorioſiſſimus Comes in Regula B. Benedicti noviter congregavit, ſucceſſoribusque in perpetuum. Quia, *inquit*, per interventum Hugonis glorioſiſſimi Comitis, rationabiliter poſtulantis à nobis, quatenus pro ſuo amore atque dilectione confirmaremus vobis prædictum monaſterium ... ut ſub juriſdictione ſanctæ noſtræ Eccleſiæ matris permanendum; ideo omnem cujuslibet Eccleſiæ Sacerdotem in præfati monaſterii ditione habere auctoritatem, præter Sedem Apoſtolicam, prohibemus: *prout plenius habetur in privilegio Pontificio, per Carolum du Freſne Dominum du Cange nobis communicato, ex ipſius monaſterii archivio.*

E

b Bidental, *fulmen dicitur, quaſi duos dentes habeat, etiam Horatio uſitatum.*

c Froccus *&* frocca, *veſtis ſuperior monachorum, Gallice* Froc de moine. *Ingulfus in Hiſtoria Croilandiæ.* Induit omni anno totum conventum de tunicis, omni altero anno de cucullis, & omni tertio anno de froccis. *Spelmannus in Gloſſario ait*, bajulos Londinenſes lineum ſuum veſtimentum, ceteris inductum, *à froc*, nuncupare.

d Religioſitas *pro Dei cultu ſumitur à Tertulliano in Apologetico, uti &* irreligioſitas *vitium contrarium: ita B. Colera* paupertatem velut apicem religioſitatis dilexit, *ut habetur in ejus Vita 6 Martii num.* 47. *Hic ſumitur pro conventu monachorum, qui &* Religioſi *appellantur.*

F

e *Hinc conjicimus ductorem fuiſſe coævum.*

f *Loquacis anus battologiam dum pluribus exponere conatur ſcriptor, in ridiculas fere blaſphemias os illius ſolvit, quas ſatius duximus prætermittere.*

g *Sub hoc Abbate expolita eſt etiam Vita, eique dicata, ut ſupra vidimus.*

C *& alius, à diabolis ſurdus & mutus factus,*

vermibus & ſcabie oppletus.

SUPPLEMENTUM.

Ex libro III *Vitæ Metricæ Ms.*

Defectus prioris hiſtoriæ quomodo ſupplendus.

QUi viderit ultimi iſtius, *de liberato Berengero, miraculi nexum ex priori de Wernero, conceptum his verbis,* Fuit in tempore ejuſdem Theodini Abbatis, *vix poterit dubitare, quin omnia ſe invicem apte conſequantur; niſi etiam viderit hæc eadem Acta, ex proſa carmine reddita, ubi poſt Warneri liberationem ponitur templi ſub Theodino ſubverſi hiſtoria; Bernardi ſucceſſio, qui illud reſtauravit; & miraculorum, ſub eodem Abbate (ſcilicet Bernardo) denuo coruſcantium ſpecimen unicum, Berengerus, à dæmonio liberatus; quem eumdem omnino ordinem fuiſſe in*

EX MS. A

prosa, cogimur credere contextui totius carminis, verbum verbo pene reddenti; ac proinde Theodini nomen, loco non suo positum, esse glossema audacis librarii; qui cum antiquiorem codicem describturus, eum vel defectuosum, evulso (ut sæpe fit) folio, inveniret; vel festinaret scriptionem absolvere; omissis intermediis, Werneri & Berengeri curationes isto modo præsumpserit conjungere. Finierat autem scriptor narrationem de Wernero, quando sub horam monasticæ cœnæ surgens famelicus; & versus templum, in quo alii Vespertinæ Psalmodiæ forsitan vacabant, prospiciens; rudera quædam vidit; indeque aripuit occasionem prosequendi carminis, narrans quomodo damnum acciderit & reparatum sit. Id quoniam primi auctoris verbis audire non licuit; audiamus à Poëtico Paraphraste, sic Wernerum dimittente:

Hic ego dimisi narrantem talia plebi,
Et fixi calamum. Narravit nescio quantum.
Cum Baccho & Cerere mihi bellum cœpit inesse.
Surrexi: visu templum percurrere cœpi.
Cernebam multis sparsim fragmenta ruinis.
Mirabar solus: subito cum talia doctus.

Templum diabolico conatu destrui cœptum,

13 Spargebat proprios hiemis veteratio canos,
Manabant nares, lacrymis pluvialibus orbes:
Hic mos est hiemi: fuit illud mense Novembri.
Dæmonibus bellum, nescio qui, rebus inortum,
Vertitur in templum Sancti & turmam monachorum.
Mox resonat tonitru, mox cernit fulgura mundus:
Absens sol tetro contexerat omnia peplo.
Scinditur egregium dimisso fulmine templum:
Sparsim saxa cadunt, monachos laquearia sternunt.
Sternuntur cuncti, pereunt sed non nisi pauci,
Defensi merito Confessoris venerandi.
Ternos vulnus habet: quarto mors vulneris hæret.
Plenum dæmonibus est templum, deforis, intus.
Intus, saxa crepant: extra, sine vindice regnant
Inter se: cumulo qui fortiter æde revulso,
Per mare, per terras sibi jactant, per quoque silvas:
Quæ post perplura, Phœbo famulante, reperta,
In quorum fuerant manibus, vestigia monstrant.
Talis nox abiit, sol aureus atque redivit.
Abbas consilio Theodinus mane reperto,
Circumfert sanctum cum Relliquiis Walaricum.
Quod dæmon fregit, triplex benedictio sanxit.
Horrificam nequam voluit complesse ruinam,
Templum destruere: propria sed decidit arte.
Namque, Theodino paulo post carne soluto,
Abbas *a* Bernardus, nulli bonitate secundus,
Successit pastor, veri pastoris amator,
Cunctis dilectus, dilector relligionis:
A fundo templum qui, dæmonis arte volutum,
Incipiens struxit; ornamentis decoravit.
Fructus ecclesiæ satagens augebat ubique:
Terras, ornatus, thesauros, omnia prorsus
Quæ sine peccato potuit conquirere Sancto.
Ipse locus testem tunctis se præbet herilem:
Claris egregius Confessor, tempore cujus,
Diffusus meritis, Patuit clementia multis.
Multis: sed breviter subeat facundia pauper.

a

C

à Bernardo Abbate restauratur.

14 *Sequitur deinde liberatio Berengeri carminibus expressa: in qua narrandorum miraculorum finem faciens Poëta, cum commemoratione iterata Bernardi Abbatis, & synopsi multiplicium miraculorum, Berengeri historiam sic adducit ad exitum:*

Varia sanitas claudo & muto collata.

Egreditur fluvium: festinat prendere templum:
Quæ sunt gesta refert; sed vox in faucibus hæret,
Et quibus è manibus potis est ostendere lapsus.
Clauditur hinc triduo solus sine judice templo:
Quem miserans, veri reddit clementia sanum
Pastoris, cujus claret sine tempore virtus;
Virtus magnifica, Bernardi magnificata
Claris temporibus, claret jam mentio cujus;
Nec non *b* clareret, nisi mors permissa fuisset.

D

b

15 Denique si voces mihi, quot sunt vertice crines,
Affluerent; minime virtutes æquiparare
Possem, queis clarus patuit meritis Walaricus.
Vincit scriptorem, quantis ardentibus ignem
Extinxit, quantis patefecit lumina cæcis,
Quot claudis gressum, quot victo dæmone sensum,
Febribus invasos quot reddidit alleviatos.

Varia miracula fiunt.

Nullus ei damnum confecit œconomus, unum
Suscipiendo malum, cui non sit centuplicatum
Ante diem mortis: sibi quod dignissima testis
Contulit in medium confessio tarda virorum
Cervicem fracti sunt: plures pessime functi.
Ille pedem fractus: huic fossus pendet ocellus:
Huic buccam morbus concludit valde perosus,
Qua Sancti rebus damnum non intulit unum.
16 Talibus & tantis Sanctus clarebat opimis
Confessor meritis, sibi quæ castimonialis
Promeruit vita, mundi dum vixit ærumna.
Sanctorum gradibus nam cunctis æquiparandus,
Quam clarus cælis monstrat virtutibus almis.

Aggreditur deinde auctor cum singulis cælestium civium ordinibus comparare Walericum, qua comparatione ad longum hic exprimenda ne tædium generetur lectori; ecce hic adscriptos singulorum Capitum titulos: nam totum opus per titulos distinguitur, qui etiam ipsi versibus concepti sunt:

E

Comparatur S. Walaricus cum aliis Sanctis.

Æquandis sacris quod sit merito Patriarchis.
Artibus illorum meruit quod præmia Vatum.
Quod socius numero sociandus sit duodeno.
Quod sit martyrio dignus, non sanguine fuso.
Hic Confessor adest, lucrum cum fœnore defert.
Præmia cum castis non perdit virginitatis.
Cum reliquis gaudet, quorum virtutibus hæret.

17 *Denique concludit, primum omnibus Christianis, tum Bernardo Abbati, ac denique sibi Poëta patronum S. Walericum implorans. Et pro Abbate quidem suo, aliquando ante supremi Iudicis tribunal comparituro, sic precatur:*

Invocatur pro Abbate Bernardo

Porrige Bernardo dextram; præsentique memento,
Qualiter ipse tuo comportans munera templo,
Hinc animas servat scævis, hinc corpora curat,
Et te Patronum spectat sine vindice solum.

Vivebat ergo tum adhuc Bernardus Abbas, cum ista scriberentur: proinde dubium esse nullum potest, sub tali auctoris coævi testimonio, quin Theodino Abbati immediate successerit. Interim Sammarthani, nescio quem catalogum secuti, forte recenter confectum hoc seculo, Theodino sufficiunt Walonem (de quo hic in Annotationibus) huic Severinum & Guattonem, qui adfuerit inunctioni Philippi I Regis anno M LIX; *post quos successerit Bernardus*, qui capsam S. Walarici confici curavit, *sed absque nota temporis, quod ex hoc auctore certius eruitur, & demonstratur Theodino sufficiendum Bernardum, nemine interjecto.*

Successore Theodini.

F

18 *Sequitur deinde in ipso codice formula* juramenti fidelitatis, prout præstari solebat ab Advocatis S. Walarici, & revera præstitum est anno M CCC XXI à Roberto Comite Drocarum, ut patet in collectione chartarum, charta B XIIII. *Sequitur porro Latine & Gallice, Latine autem sic habet.* Vos juratis per Deum & per omnes Sanctos, quorum Reliquiæ hic sunt & alibi, quod vos, ab hac hora & deinceps, benevolentiam & fidelitatem habebitis & portabitis huic ecclesiæ S. Walarici & omnibus membris: & etiam possessiones omnes & omnia jura istius ecclesiæ bona fide juvabitis, ad defensandum & custodiendum de omni injuria seu violentia adversus omnes, secundum vestram possibilitatem, quotiescumque super his fueritis requisiti. **Concludat Abbas: Ita vos juvet Dominus.**

Iuramentum fidelitatis.

ANNO-

ANNOTATA.

A

a *Idem* Abbas Bernardus *curavit novam capſam confici, in cujus limbo circumquaque bi verſus leguntur:*

Nova capſa reliquiarum.

Abbas Bernardus, pietatis munere fultus,
Hunc ſtruxit loculum, gemmis auroque decorum:
Oſſa beata Patris in quo poſuit Walarici,
Nominis ad laudem Chriſti per ſecla manentem.

Huic Bernardo videtur ſucceſsiſſe Wazo *ſeu* Walo, *qui traditur anno* 1052 *adfuiſſe elevationi S. Bertini, quique in Hiſtoria miraculorum S. Vrſmari,* 18. *Aprilis num.* 23, *plurimum laudatur, adhuc vivus poſt annum* 1058.

b *Subintellige*, Semper: *nam quod addit*, Niſi mors permiſſa fuiſſet, *non de præterito accipiendum eſt, ſed de futuro, uti ex infra adferendis clarius patebit.*

APPENDIX.

Fulcherenſis prædii poſſeſſio miraculis vindicatur, illato S. Walarici corpore.

Diripiens poſſeſſionem S. Walarici a

PRimis ſiquidem temporibus, quidam miles, Giſlebertus nomine, de Druiſencurt, quamdam prædicti Patris noſtri Gualarici poſſeſſionem, in territorio *a* Fulcherenſi ſitam, injuſte & violenter ſuæ adſcivit ditioni: & reclamantibus Fratribus eccleſiæ prædicti Walarici, eamdem poſſeſſionem ſibi ſuiſque contumaciter uſurpavit. Quod beatus ac Deo dilectus Walaricus minime ſuſtinens, prædictum Giſlebertum gravi ægritudine moleſtavit. Porro idem Giſlebertus, in hac parte minus caute ſibi providens, prædictam poſſeſſionem ſibi diuturnam fecit. Ægritudo vero ex diuturna poſſeſſione majorem augmentavit paſſionem. Quod prædictus miles, in ultimo doloris exiſtens, ſuum contra ſanctum Dei Walaricum foris-factum recognoſcens, Fratres eccleſiæ prædicti Patris convocat, ut ſui ſuorumque miſereantur humiliter poſtulat, ita tamen quod omnibus videntibus prædictæ poſſeſſioni abrenuntiavit. Igitur prætaxati Fratres, ſuum intrantes Capitulum, ſuper hac re communi utuntur conſilio, ut ſententiabili decreto, quid ſuper hoc deliberandum ſit, cenſeatur.

B

gravi morbo punitus,

addicit reſtitutionē.

Ne ſolenni proceſſione efferatur corpus S. Walarici

20. Prior itaque & omnes pariter uno parique voto in hoc conſentiunt, ut corpus ſui Patroni Walarici, ad prædictum Fulcherenſe territorium inſaiſiendum, transferatur. Ubique locorum ejuſdem provinciæ rumor iſte penetrat, unius omnium aſſenſus, unus & idem omnium clamor æthera pulſat, beatum videlicet Walaricum ad prædictum transferendum eſſe territorium. Ea tempeſtate quidam eccleſiæ B. Walarici Advocatus, Rainaldus nomine, prædicto rumore accepto; ne tranſlatio B. Walarici celebraretur penitus inhibuit. Nam quia ejus non præcedebat conſilium, ægre ſatis ac indignanter ferens, ne hoc fieret impedire ſatagebat. Fratres vero monaſterij, tanto magis ad hoc faciendum aſpirabant, quanto prædicto Rainaldo moleſtius videbatur. Quia enim de Regali fiſco eadem Abbatia emerſerat, prædictam Rainaldi calumniam minus diſcretam aſſerebant. Ea propter ſuos Rainaldus familiares convocans, Accelerate, inquit; omnes totius clauſtri Fratres commonete, ne in hac parte meæ diſſentiant voluntati: non decere monachos aliquid illicite perpetrare, ſuumque patronum minus diſcrete à ſede propria removere. Econtra monachi, ſuum nequaquam eſſe, eorum ſimplicem utilitatem impedire, aſſerebant. Eo modo hinc & inde controverſia videbatur. Tandem monachis in ſuo permanentibus propoſito, Rainaldus ſuos convocat, Ite, inquit, totius portas burgi obſerate: claves, in caſtrum meum recludite: ne S. Walarico vel ſuis monachis liceat inde egredi, prohibete. Interea dies tranſlationis inſtat, tota regio confluit, tota hinc & inde provincia convocatur. Pars populi intra villam, pars vero exterius imminebat. Excluſis intrare, incluſis exire vetabatur: omnibus tamen cor unum, voluntas eadem, vox eadem inſonabat, B. Walaricum debere egredi? nequaquam decere tam ſanctum Patrem tantam convocaſſe populorum multitudinem, & infinitum populum inaniter vexaſſe. Interea tam Prior quam monachi ſuper hujus fine rei hæſitantes, ad commune recurrunt Capitulum, hinc & inde graviter anxiantur. Ex una parte populus urgebat, ut ſtarent propoſito: ex alia vero parte tyrannidem Advocati metuebant. Populus eos ambitionis reos, offerendarum cauſa, inclamabant: Advocatus vero præſumptionis & negligentiæ arguebat. Quid plura? Ad ultimum, inebriati calice confuſionis, cedunt Advocato, Sanctum populo negant.

C

impedit Advocatus,

EX MSS.

D

& portas occludi curat.

21. Dum hæc ita aguntur, duo juvenes, quorum unus Joannes, alter Gualterius vocabatur, indignanter Capitulum egreſſi, in eccleſiam intrant, nec ſine murmurio. Quos quidam monachus natu ſenior, claudicans pede, Evrardus nomine, ejuſdem eccleſiæ Theſaurarius, ſummopere [commotos] intuens: Quod, inquit, edictum, quod eſt ſuper hac re Capituli conſilium? Illi vero, Omnes, inquiunt, monachi deſiſtunt à propoſito; plus hominem quam Deum reverentur, plus Advocatum quam nobilitatem loci ſequuntur. Hoc audiens Theſaurarius, ſuſpiria trahens ab imo, Omnes inquit, noſtri, utpote juniores, à S. Gualarici conſuetudine extranei, nova proponunt. Sicut enim *b* aſinus, in tranſitu pontis, verberatur; ita Patronus noſter, in perpetrando miraculo, verberari conſuevit. Tunc illi juvenes, Quid igitur, inquiunt, quid ſuper hoc, bone Pater, decernis? Eſtne voluntatis tuæ ut noſtrum exponamus Patronum? Utique, inquit, ſenex, noſtræ voluntati ſatisfacite; & obedientiam quam mihi, utpote ſeniori veſtro, debetis, operibus implete. Sed pro Pater-noſter juro, niſi ſenex ille Patronus noſter valvas burgi ſuas eſſe convicerit, turpiter in occiſionis macello ſedebit: & tremens manum pariter cum baculo, hoc, inquit, ibidem baculo graviter vapulabit. Audito prædicti juvenes obedientiæ mandato, Sanctum accipiunt Walericum: Reſponſorium iſtud, Sancte Walarice, incipiunt; & prope altare Sanctum populo exponunt. Ita populus ſuo potitur voto; Sanctum accipiunt, ad valvas uſque burgi properant. Prædictus vero bonus Theſaurarius, nixus baculo, hilariter ſequitur: erectoque poſt ſanctum baculo, Cave, inquit, cave tibi, Walarice, niſi hodie tuum in hac villa oſtenderis dominium, huic verberandus baculo ſubiacebis. Hoc audito, ſtatim conventus pro foribus erumpit, proprium ſequitur Patronum, ad valvas uſque properantem. Igitur tranſacto villæ ſpatio, ad valvas venitur. Obſeratæ, Sancto negant exitum. Tum demum prædictus Evrardus, Quid inquit, quid nunc agis, Walerice, inveterate dierum? Juro tibi, pro Pater-noſter, niſi miraculo & dominio tuo valvæ nobis aperiantur, iſte baculus tibi tormentum erit, & ad dedecus tuum inhoneſte nimis & turpiter tractaberis. Vix ſermonem compleverat, mirum dictu, nobis videntibus, ferri ſeræ reſiliunt; & burgi janua, uno impetu aperta, omnibus qui aderant egreſſum non negavit. Nec ſolum illa janua, ſed omnes totius burgi eodem momento apertæ ſtetterunt. Omnes igitur aſtantes, tam monachi quam clerici, Te Deum laudamus in excelſis canentes, cum ſummo tripudio villam cum humili plebe egrediuntur. Cumque nemus villæ propinquum attigiſſent,

ex conſilio ſenis Theſaurarii,

b

S. Walaricum exponunt:

F

& ad preces minaſque,

ultro terga omnes aperiuntur

EX MSS. A

giſſent, prædicti Advocati familiares monachos acerſeunt; ne in cœpto velint permanere, primo humiliter poſtulant: ſed cum monachos viderent inflexibiles, ſtatim violentiam parant; in Sanctum Dei irruunt: nullo modo longius progrediendum audacter aſſerunt. In hunc igitur modum tanta ſeditio exorta eſt, quod fere ſanctum feretrum inter certantium manus lapſum eſt. Tandem igitur monachi, tam rectitudinis quam virium fortitudine prævalentes, repulſis turpiter ſatellitibus, arreptum iter glorioſe perficiunt: ſatellites autem pœnitentia ducti, Sanctum Dei humiliter perſequuntur. Cumque Fulcherenſi propinquarent territorio, nudis pedibus virgas ferentes in manibus, humi proſtrati veniam poſtulant: Se numquam deinceps in Sanctum Dei tale quid auſuros pollicentur: Sanctuſque Gualaricus, propria poſſeſſione [vindicata] poſt celebrem excommunicationis ſententiam, ne quis eamdem poſſeſſionem ab eccleſia abalienaret, ad propriam communi gaudio ſedem regreditur: regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui honor & gloria per omnia ſecula ſeculorum. Amen. D

obſiſtentes ſatellites devicti convertuntur,

& proceſſio peragitur.

ANNOTATA.

a *Chorographicæ tabulæ, intra ſextam leucam à monaſterio S. Walarici, ad ulteriorem Somonæ ripam notant oppidum* Faucourt, *quod hic* Fulcherienſe *territorium dici, loci vicinia & nominis ſimulitudine perſuadeor.*

b *Senili ſimplicitati & firmiſſimæ fiduciæ impetrandi à Deo per Sanctum miraculi, ignoſcenda comparatio, ſatis alias inſulſa; minæque verberum, feretro incutiendorum infra adjectæ, quæ accipi debent velut per hyperbolen pronuntiatæ: quemadmodum amicitiæ non derogat, ſed indicat nihil non de amici erga ſe voluntate præſumere, qui verbis in ſpeciem minacibus, ſed revera ſolummodo teſtificativis affectus, apud amicum utitur, pro re quapiam obtinenda.*

G. H.

DE SANCTO DODOLINO

Epiſcopo Viennenſi in Gallia.

SÆCULO VII. B

Habita eſt Synodus Cabilonenſis in Gallia ſub Chlodoveo II Rege: ſed quoto ejus anno, non liquet. Refertur à Sirmondo ad annum DCL: *qui in Notis docet, habitam ſaltem eſſe ante annum* DCLVIII. *Huic Synodo ſecundus ſubſcripſit* Landalenus, Epiſcopus Eccleſiæ Viennenſis. *Deceſſor ejus habetur* Caldeoldus: *quem aſſerit Ado in Chronico,* Viennenſem Eccleſiam rexiſſe uſque ad tempora Theoderici Regis. *Verum quia Chronotaxis Adonis plane turbata eſt circa tempora Chlodovei II Regis ejuſque filiorum, ita forſan etiam confuſa eſt circa ſeriem Epiſcoporum; cum conſtet ſub Chlodoveo* Landalenum *fuiſſe Epiſcopum, cujus non meminit Ado, ſed ſubſtituit* Dodolenum: *quem unum eumdemque cum eo, qui in Concilio* Landalenus *dicitur, aſſerunt poſteriores,* & Dodolinum *ſeu* Dolinum *appellant.* Sanctum eſſe, & haberi, tum in Martyrologio tum in Breviario Viennenſi, *docuit nos Petrus Franciſcus Chifletius noſter: & ipſi deſcripſimus in Galliis Catalogum ſanctorum Epiſcoporum Viennenſis Eccleſiæ, inter quos collocatur,* S. Dodolinus ſub Theoderico. *Ioannes à Boſco, in Antiquitatibus Viennæ ſanctæ ac ſenatoriæ pag.* 40, *iſta habet:* S. Dolinus Viennæ præfectus eſt Pontifex, Leone vel Leontio Romanis imperante, & Theoderico Francis, ac Sergio Papa. Deceſſit vero S. Dolinus Kalendis Aprilis. *Citato Boſco & tabulis Eccleſiæ Viennenſis, inſcripſit eumdem Ferrarius Catalogo Generali: aſſeritque,* claruiſſe ſub Sergio Papa & Theoderico Rege circa annum DCLXXXVIII, *omiſſo Leontio Imperatore, qui aliquot poſt obitum Theoderici Regis elapſis annis cœpit regnare. Boſcum deſcribit Ioannes Chenu in Catalogo Archiepiſcoporum Viennenſium, &* Sanctum Dolinum *appellat eum Ioannes le Lievre in Antiquitatibus Viennenſibus cap.* 23, *ac deinde iſta ſubjungit:* Noſter S. Dolinus magnos pro ſalute animarum, ſibi commiſſarum, labores atque ærumnas perpeſſus, deceſſit dicto ſeculo ſeptimo, Kalendis Aprilis: & depoſitus eſt apud majores ſuos ſeu deceſſores Epiſcopos. *Sauſſajus, in ſupplemento Martyrologij Gallicani, iſta habet:* Viennæ S. Dodoleni ſeu Landoleni, alias Dolini, illius Metropolis Epiſcopi, in Concilio Cabilonenſi clari circa annum DCLVIII; ac magis paſtoraliũ virtutũ meritis nobilis, eximięque præſertim pietatis titulis glorioſi. *An diverſi ſtatuẽdi ſint* Landalenus & Dodolinus *ſeu* Dolinus, *inquirant Viennẽſes. De S. Cadeoldo, quẽ deceſſorẽ paſſim ſtatuunt, egimus* XIV. *Ianuarij, ibiq; deſcripſimus Epiſtolã Ioannis Papæ V, ad illum datam.*

an Landalenus ſit Dodolinus?

hujus cultus.

D. P.

DE S. MACARIO CONFESSORE,

Monaſterii Pelecetes Hegumeno apud Græcos.

CIRCA. DCCCXXX.

Egregia monaſterii hujus diſciplina innotuit poſteritati ex eo dumtaxat tempore, quo eam convellere conatus Iconomachorum coryphæus Conſtantinus Copronymus, ſæviendo probavit, quam firmas illa radices egiſſet, ſupra veram fidei petram fundata. Quamvis enim ad XXXVIII *monachos, indidem poſt varia ludibria abſtractos, impius Lachanodracon ablegarit (ut eſt ad* XX *Ianuarii dictum, nec non ad diem* XVIII *Martii, quo Theoſterictus, ex eo numero unus, etiam Romanæ Eccleſiæ inſcriptus Faſtis, occurrebat) perſtitere tamen in gradu atque propoſito, tam ipſi qui cladem iſtam effugere, quam eorum ſucceſſores, quibus ante finem octavi ſeculi* S. *Hilarion præfuit, egregiis Officii eccleſiaſtici hymnis à* S. *Ioſeph Hymnographo laudatus, ut eſt ad* XXVIII *prædicti Martii diem annotatum. Hujus pro defendenda imaginum cultura labores, perſecutioneſque ea de cauſſa toleratas à tyrannis, ſubobſcure & obiter dumtaxat à Poëta deſignatas, & felicem poſt eas mortem, excepiſſe videtur hic* S. *Macarius; plurium etiam ipſe palmarum athleta, prout indicat elogium ſequens, eidem in Menais excuſis & MSS. Chiffletianis compoſitum hiſce verbis.*

Poſt aliorum ex eodem monaſterio certamina,

S. *Hilarionis Succeſſor Macarius,*

2 Beatus iſte noſter Pater Macarius, Conſtantinopoli natus, & puer admodum orbatus parentibus, à patruo ſuo eſt educatus. Traditus autem litterarum diſciplinis, cum eſſet à natura dexterrimus ad omnia, & magna uteretur diligentia, brevi totius Scripturæ percurrit ſtadium; & hinc quidem, quam vilia eſſent ac cito perirent terrena omnia, manifeſto cognovit; inde, quam firma eſſet bonorum in cælis fruendorum æternitas. Quapropter egreſſus ab urbe, divertit in monaſterium, quod Peleceten nominant; & monachis ibidem degentibus permixtus, omiſſo Chriſtophori nomine, quo prius appellabatur, in Macarii nomen tranſire ab eis juſſus eſt. His vero in omnibus ferme monaſterii uſibus ſerviens, multaque in humilitate virtutes omnigenas excolens, tandem omnium Præſes effectus eſt, & Thaumaturgi cognomento meruit venerabilis haberi. Etenim incurabiles Patria C. P.

in litteris & virtute bene exercitus,

les prorſus infirmitates per eum ſanare dignatus eſt
A Deus, & ad ejus orationes pluviam è cælo ſuper terras opportunam demittere.

Gratia claret ſanitatum.

3. Cum igitur magna & celebris illius fama diebus illis circumferretur; ingens ad eum confluxit multitudo, tam eorum qui ſpirituales animæ ſuæ maculas apud ipſum expurgare, quam qui corporalem percipere medelam cupiebant: nec deerant, qui ſpiritu ſimul & corpore confirmati, domum reverterentur. Tandē Sanctiſſimus Taraſius, Conſtantinopolitanus Patriarcha, etiam de illo inaudit, eumque ad ſeſe accerſit, per Paulum Patricium, olim quidem in deſperatiſſimo morbo ab eo curatum, recens vero virtutem illius expertum in conjuge, ſimiliter à medicis extra ſpem poſita & ab ipſo ſanitati reſtituta. Adductum autem ad ſe Patriarcha, Sacerdotem ordinavit, benedictione conſueta; quam ille ſtudio vivificæ obedientiæ ſuſcipiens, palam fecit, longe ſe ab inobedientiæ vitio eſſe, quo laborant tam multi.

à S. Taraſio Sacerdos ordinatur.

vexatur cum S. Nicephoro ſub Leone Armeno,

4. Hac auctus dignitate cum in ſuum revertiſſet monaſterium, humilitatem multo etiam quam ante ſtudioſius exercuit. Interim ſcandalorum ſator diabolus tyrannum Imperatorem in thronum extulit Byzyantinum, qui venerandas imagines igne & aqua obolendas traderet. Leo Armenus hic fuit: qui Patriarcham Nicephorum in exilium expulit, Epiſcopos vero & Archimandritas relegationibus, carceribus,
B verberibuſque graviſſimis afflixit. Tunc etiam admirandus hic, è numero ſanctorum Patrum memoratorum unus, varie cruciatus fuit, atque in cuſtodia detentus eſt, uſque ad immanis illius tyranni necem.

deinde à Michaële Balbo.

Cujus imperium ſuſcipiens Michaël Balbus, & ipſe eamdem cum deceſſore impietatem profitens, poſtquam Sanctum eduxit è carcere; multum per ſe alioſque blanditus, minatus plura, profecit nihil: quare ipſum in Aphuſiam relegans inſulam, arcte præcepit cuſtodiri. Macarius vero omnia generoſe ſuſtinens, Deo gratias retulit, & in exilio tempore non modico plurima exantlans certamina, editiſque ibidem ſignis illuſtratus, ad Dominum emigravit.

& in Aphuſia exul moritur,

AVCTORE D. P.

5. *Ignotam Geographis antiquis pariter & recentibus inſulam deſcribere, & quo loco fuerit poſſemus forſitan indicare, ſi prolixior hujus Sancti Vita, ex qua compendium illud acceptum (vix enim quin ſcripta fuerit dubitamus) in hoc uſque tempus conſervata fuiſſet, & ad noſtram perlata notitiam. Nunc unum illud dicere poſſumus, ex Actis* SS. *Theodori atque Theophanis, egregiorum ſub prædicto Michaële & ſucceſſore illius Theophilo Confeſſorum, dandis* XXVI *Decembris, eamdem prædictorum quoque Sanctorum exilio, ac plurium fortaſſis aliorum, fuiſſe illuſtratam. Hi autem cum prius ad Ponti oſtium fuerint relegati à Michaële, ſuſpicari poſſet aliquis, ultra tendenti hanc fortaſſe, quam requirimus inſulam, reperiendam. Sunt quidem inſulæ toto Ponto Euxino raræ (nam Cyaneos alioſque ſimiles ſcopulos, nullum humanæ habitationis indicium commoditatemve habentes, quis inſulas vocaverit?) una tamen Bithyno objecta littori, à Chalcedone Heracleam Ponticam navigantibus, medio ſe offert itinere; quam* Thynaidem *priſcis nuncupatam,* Daphnuſiam *quoque dictam Ptolemæo, ex ipſo intelligimus: unde truncatum* Aphuſiæ *nomen ad Iconomachorum tempora duraſſe ſuſpicaris:* Farnaſiam *hoc tempore dici, auctor eſt apud Ortelium* Niger.

ignota paſſim inſula.

niſi ipſa Daphnuſia ſit Ptolemæi

Temporum ratio.

6. *Atque hæc quidem de exilii loco, obſcuro ſatis, per conjecturam dicta ſufficiunt: temporum deſignandorum ratio expeditior eſt. Taraſium enim, à quo ordinatus Sacerdos Macarius, conſtat ex dictis ad ejus Acta* 26. *Febr. ab anno* DCCLXXXIV *ad* DCCCVI *annum, Patriarchalem tenuiſſe dignitatem. Vexationem Epiſcoporum atque Abbatum ſub Leone Armeno, cœptam anno Imperii illius ſecundo (qui fuit Chriſti* DCCCXV) *duraſſe quinquennio, dictum eſt ad Acta S. Theophanis die* XII, *& S. Nicephori Patriarchæ* XIII *Martii. Denique Leone Armeno cæſo imperaſſe Michaelem, à* XXV *Decembris anni* DCCCXX, *uſque in Octobrem anni* DCCCXXIX, *ſatis certum habetur. Ex his conjicias, cum longiori tempore in exilio χρονίσαι dicatur Beatus; ad extremos Balbi annos obitum ſancti hujus Confeſſoris non male referri, & ætatē ſeptuagenario majorem tribui poſſe morienti: de quo plura forſan in lucem efferet diligentia poſterorum.*

E

DE SANCTO IOANNE
Epiſcopo Neapolitano.

G. H.

ANNO DCCCLIII

Cultus I. *Aprilis antiquus,*

C

Bartholomæus Chioccarellus, in Neapolitanis Præſulibus, aſſerit pagina 86, priſcis temporibus, à Neapolitana Eccleſia & finitimarum quarumdam urbium Eccleſiis, S. Joannis Neapolitani Epiſcopi feſtum celebrari ſolitum die primo Aprilis: ita ſe ex compluribus antiquis MSS. Breviariis & eccleſiaſticis Officiis deprehendiſſe: etſi in uno ex eis die II Aprilis celebrari comperiatur, in alio vero die ultimo Martii. *Decius Caraſa, S. R. E. Cardinalis & Archiepiſcopus Neapolitanus, in Catalogo Sanctorum qui Neapoli & per diœceſim coluntur, præſcribit ad Kalendas Aprilis feſtum* S. Joannis, Epiſcopi Neapolitani, ſub ritu dupli-

& hodiernus:

ci: *additque* hac die olim ſolitum celebrari, patere ex Kalendario MS. Eccleſiæ Neapolitanæ. *Electionis auctor Bonus Conſul, dicitur à Summuntio magiſtratum iniiſſe anno* DCCCIX: *hunc autem ille ſolum tenuit ſeſquianno: adeoque Ioannes ante conſecrationem cum titulo Electi adminiſtraſſet Epiſcopatum annis pluſquam viginti. Hoc certum eſt ex Heremperti hiſtoria Longobardonum, apud Chioccarellum pag* 86, quarta die menſis Iulii indictione XIX, *fœdera pacis, cum* Ioanne Electo ſanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ & Andrea Magiſtro militum (*hic autem Bono poſt ſex menſes ſucceſſit*) *ſignata eſſe à Sichardo Principe Beneventano, adeoque anno* DCCCXXXVI. *Porro quia Ioannes Kalendis Aprilis, & quidem pridie Paſchatis, ex hac vita deceſſiſſe traditur; morti ejus putamus annum* DCCCLIII *adſcribi poſſe, quando cyclo Lunæ* XVIII, *Solis* XXII *littera Dominicali A, Paſcha celebratum fuit ſecundo die Aprilis: ac tum, ſi cum dicto Chioccarello & Ferdinando Ughello dicatur,* undecim annos legitime ſediſſe; *foret* à Gregorio IV Pontificali inſula decoratus anno DCCCXLII. *Et huic noſtro calculo recte congruunt, tempus Gregorii IV, anno* DCCCXLIV *circa* XXV *Ianuarii vita functi, Beneventum obſeſſum, petitum auxilium Lotharii Imperatoris & impetratum, ducente exercitum Ludovico Lotharii filio.*

tempus electionis.

& ſedis,

F

Acta dantur a Ioanne Diacono,

& Ioanne Cimeliarcha ſcripta.

2. *Acta duplicia damus, quorum priora ſcripſit in Chronico Epiſcoporum Neapolitanorum Ioannes* Diaconus Neapolitanus, *quod cum Vita S. Athanaſii Epiſcopi Neapolitani (qui proxime S. Ioanni ſucceſſerat) abſolvit auctor coævus. Acta poſteriora ex prioribus ſcripſit Ioannes Cimeliarcha, nonnullis & omiſſis & additis, de mandato Bernardi Archiepiſcopi, qui traditur anno* MCCCLXII *vita functus: poſt cujus obitum, ut ex Præfatione conſtat, ſuā iſtam lucubrationē vulgavit, quā poſteri contraxere & per Lectiones ad Matutinum legendas diviſere, prout in antiquo Officio haberi teſtatur Chioccarellus. Vtraq; Acta ſubmiſit nobis Antonius Beatillus noſter, ex codicibus Eccleſiæ Neapolitanæ deſcripta. Aſt Chronicon MS. Ioannis Diaconi ſervatur Romæ in bibliotheca Vaticana.*

ex MSS. eruta.

3. *Tabulæ Martyrologii Romani ad diem* XXII *Iunii, quo celebratur feſtum* S. *Paulini Epiſcopi Nolani, iſta ſub finem habent:* Neapoli in Campania S. Joannis Epiſcopi, quem B. Paulinus Epiſcopus ad cæleſtia regna vocavit. *Addit Baronius in Notis,* conſtare eum die

cum S. *Paulino adſcribitur* 22 *Iunii,*

AUCTORE G. H.

die Sabbato, quod præcedit ſanctum Paſcha, ex hac vita migraſſe: cur autem in hanc diem tranſlatus ſit natalis ejus ſe neſcire. *Econtra Chioccarellus ait*, ſatis conſtare, quod cum certa dies obitus alicujus Sancti neſciatur, is ea die adſcriptus videatur, qua alicujus Sancti dies celebratur, cum quo is attinentiam vel affinitatem aliquam, etſi leviſſimam, vel ſolius nominis habet: *uti hîc eſt, quod* S. Joannes fuerit à B. Paulino ad cæleſtia regna vocatus. *Sed quis ille Ioannes fuerit diſceptatur. Ioannes Diaconus in Chronico aſſerit, Ioannem illum, primum ejus nominis eſſe, & Epiſcopum* XIV; *probatque illam apparitionem huic obtigiſſe, ex Vita S. Paulini, quam ſcripſit ſcilicet Vranius oculatus teſtis, quæ reperitur à Mombritio & Surio edita, quamque in vetuſtis* MSS. *repirit Ioannes Diaconus. Alii Ioannem IV intelligunt: ſed arbitratur Petrus Franciſcus Chifletius, in Paulino illuſtrato,* Trecenſem codicem MS. ex quo Uranii de Paulino lucubrationem deſcripſit, Joanne ipſo IV fortaſſe vetuſtiorem eſſe. *Cum autem in illa Vita dicatur* Joannes cum ingenti neophytorum pompa ſepultus, *opinatur idem Chifletius intelligi*, quos ille ab Ethniciſmo aut Judaiſmo ad fidem Chriſtianam traduxerat, & baptiſmo jam adultos initiaverat: ac neminem unum aut vix quemquam adultorum per tempora imperantis Lotharii ſuperfuiſſe, qui neophyti nomine veniret, eoque in ſtatu Joannis IV funus honeſtare poſſet. *Verum repugnat ſibimetipſi Ioannes Diaconus, dum ait, dictum* Joannem primum ſediſſe temporibus Damaſi & Siricii Papæ, & Valentiniani & Valentis, Gratiani & Theodoſii Imperatorum: *cum interim Vranius oculatus teſtis dicat, S. Paulinum obiiſſe* X Kalendas Julii, Baſſo & Antiocho Conſulibus, *qui fuit annus Chriſti* CCCCXXXI. *Fatetur iſta Chifletius, corrigitq; quaſi* floruiſſe dicendus eſſet Joannes I Innocentio, Zoſimo, Bonifacio & Cæleſtino Pontificibus; Arcadio autem & Honorio, Theodoſio quoque Juniore & Valentiniano III Imperatoribus. *Sed hæc valde notabilis correctio eſt: præ qua malunt dicere alii, quod per errorem Ioanni I attributa ſit appparitio, quæ Ioanni IV fuerit facta. Addit Chioccarellus*, in vetuſtiſſimis manuſcriptis codicibus, quos vidit, Uranii relationem de Paulini obitu haberi, in qua hæc de Joanne deſiderantur: *præterea* S. Gregorium Turonenſem (qui ſeculo ſexto floruit, ac S. Paulini tranſitum, quem Uranius conſcripſit, verbatim fere retulit) hæc de Joanne Epiſcopo reticere. *Antonius Caracciolus, in ſacris Eccleſiæ Neapolitanæ monumentis cap.* 34, *de S. Ioanne IV agit, eumque à S. Paulino Epiſcopo ad cæleſtia regna evocatum etiam tradit*, aſſeritque Anonymi auctoris narrationē conjunctam eſſe cum Uranio, filo orationis nequaquā interrupto. Lectionarii namque forma, quæ ex vitæ narratione conſurgebat, ſic requirebat, ut ex pluribus auctoribus lectio, tamquam unius ſolummodo, continuaretur. Raro enim Actorum ſcriptor aut Hiſtorię auctor nominabatur in publicis Eccleſiæ Officiis: unde ob id periere vocabula auctorum, qui ſacras hiſtorias ſcripſerunt; cunctaq; eorū notitia magno Actorū detrimento, periit. *Hæc Caracciolus, quæ fere eadem habet Vghellus.*

4 *Favet horum opinioni, quod Ioannes I Neapoli non habeatur inter Sanctos, ſicut Ioannes IV, cujus corpus nunc quieſcit in eccleſia S. Reſtitutæ, in ara maxima, in qua ejus nomen ſcriptum legitur; uti teſtantur Chioccarellus & Vghellus. Caracciolus ſuum elogium ita concludit:* Hoc tandem in Ioannis laudem addendum, ipſum olim invocatum, cum Athanaſio ejus diſcipulo, in antiquis Litaniis Capuani Monaſterii S. Ioannis Baptiſtæ, quæ extant in MS. codice orationum, litteris Longobardicis exarato. *Plura ſuſpicatur Baronius, in Notis ad* XXII *Iunii, his verbis*: Scimus Neapoli nobiliſſimas eccleſias S. Ioannis nomine Deo dicatas eſſe: quod autem nulla earum Ioannis Epiſcopi, ſed Ioannis Baptiſtæ nomine nuncupetur, id injuria temporum factum puto, & veterum monumentorum inopia, ut hujus eccleſia dicta S. Ioannis, tranſierit in nomen S. Ioannis Baptiſtæ: cujus quidem rei & in aliis locis alia invenimus exempla. *Cæſar Eugenius Caracciolus, in Neapoli ſacra, duodecim eccleſias deſcribit, ibidem alicui S. Ioanni dicatas: an aliqua huic S. Ioanni ſacra olim fuerit, poſſet à Neapolitanis diſquiri accuratius.*

ob illius apparitionem:

quæ ab aliis tribuitur Ioanni I.

Apparitio Vitæ S. Paulini annexa.

in antiquis Lectionariis.

Corpus S. Ioannis in ara maxima

nomen in antiquis Litaniis,

an aliqua ei eccleſia Neapoli olim dicata?

VITA

Auctore Ioanne Diacono.

Ex MS. codice bibliothecæ Vaticanæ.

1 SI hujus vitam vel mores, qualiter à juventute juſte & pie vixerit, ſcribere tentavero; non dico meæ adoleſcentię, cujus ſenſus propter ętatem adhuc intercluditur, verum etiam ſagacioribus oneri fuero. Tamen in quantum vires ſuppetunt, ob laudem ejus poſteris propagandam, de vitæ illius actibus aliquantulum enarrare curamus: obſecrantes prius, ut nullatenus irrideatur, quod non ſecundum ſeculum ex nobili proſapia oriundus deſcendit; quia qui rectæ nobilitatis eſt, quæ viget in Chriſto, novit Dominum, ab initio, pauperum egenorumque conſortio uſum. Igitur ex infimis parentibus procreatus, pauperem cucurrit puericiam. Cum autem adolevit, non, ſicut illa ætas aſſolet, mundi ſecutus eſt illecebras, ſed magis ſe præceptorum elegit ſubdere manibus, quatenus litteris imbutus, ſoli Domino vacare ſciret. Non autem magnopere liberalium artium, ſed divinę doctrinæ potiſſimum quæſivit magiſtros: quippe qui totum ſe Deo offerre cupiebat. Cujus deſiderium Dominus miſericorditer adimplere dignatus eſt; nam divinæ doctrinæ eruditor præclarus effulſit, & præſertim ſic ſcribere novit, ut ex officio cognomen acciperet, & ab omnibus Ioannes Scriba vocaretur. Pedes quoque ejus raro platea tetigit. Simplicitatem columbæ cum ſerpentis prudentia ſemper in corde retinuit. Pro convitiis non malum, ſed obedientiam exhibebat: ac per hoc omnibus dulcis, omnibus carus, nutu cæleſti ad Diaconatus promotus eſt honorem.

Ortus pauperibus parentibus,

eruditus ſacra doctrina,

Scriba cognominatus.

2 In corde vero illius patientia & ſimplicitas perſeverabat, dolens magis aliorum quam ſua convitia, maxime ex captione Tiberii Epiſcopi, ita ut ægrotaret, afflictus. Sed, ſicut *a* ſupra retulimus, cum *b* Bonus Conſul Tiberium tenebroſo carcere & execrabili fame affligeret, juſſit cunctos terque quaterque aggregari Clericos, ut illis Electum præberet. Hic autem ſolus, nonnullis conantibus aſſumere imo invadere eamdem Sedem, abſens ei contrarius ibat. Ad ultimum vero multis affectus convitiis, adductus eſt ante Bonum Conſulem; cui feroci pectore & ore garrulo comminari cœpit. Poſt paululum furiis actus, juravit non alium niſi ipſum facere Electum. At ille clamabat: Præſule meo vivo, non ero Sedis invaſor. Unde Dux valde iratus, dixit eumdem jugulare Tiberium, & totius Epiſcopii ſervos poſſeſſioneſque infiſcare. Tum ille undique anguſtiatus, mentem per varia ducebat; hinc formidans de Præſulis nece pontificatuſque clade cæleſte examen; illinc Apoſtolicam ſententiam & populi infamationē. Sed ubi reſpectu miſericordiæ maluit humanum quam divinum ſubire detrimentum, ait ad Conſulem: Si jurejurando ſancire volueris, ut licentiam habeam ingrediendi ad Tiberium Epiſcopum, & nullatenus eum produces ex ipſo Epiſcopio, nec quamlibet maculam facies in corpore ejus; licet ad periculum capitis meī, præbebo conſenſum. Hac illico promiſſione percepta, electus & ſublimatus; Tiberio denique Epiſcopo quantum quietis quantumque exhibebat humanitatis, [non facile dixero.]

a b ob Tiberii deceſſoris captivitatem dolet:

ordinatur diaconus:

ne occidatur agit cum Bono Conſule ſeu Duce,

eligitur Epiſcopus.

3 Bonus

mortuis Bono & Leone filio,

3 Bonus interea Conſul, expleto unius anni & ſex menſium circulo, defunctus eſt: cui ſucceſſit Leo, filius ejus. Hunc autem Leonem, poſt ſex menſium dies, ſocer ejus *c* Andreas pepulit, & factus eſt ipſe Conſul. Iſte vero Andreas, per rogationem hujus Electi, levavit Tiberium Epiſcopum de lacu miſeriæ & tenebrarum, & ſub cuſtodia poſuit eum in cubiculo, ante eccleſiam Januarii Martyris. Contra hunc interim Andream Sichardus Beneventanorum Princeps, filius Siconis, innumerabiles molitus eſt irruptiones. Pro quibus commotus Andreas Dux, directo Apocriſiario, validiſſimam Saracenorum *d* hoſtem aſcivit. Quorum pavore Sichardus perterritus, infido cum illo quaſi ad tempus inito fœdere, omnes ei captivos reddidit. Nec multo poſt, repedantibus ipſis Saracenis, diſrupit pacem & ampliavit adverſus Neapolim inimicitias. Mox autem Andreas Conſul Franciam direxit, deprecans Dominum *e* Lotharium, ut ſaltem ejus præceptione à tantis malis ſopiretur *f* Sichardus. Quapropter miſit ille Contardum fidelem ſuum, ut ſi nollet ceſſare perſequi Parthenopenſem populum, væſanum ejus furorem ipſe medicaretur. Hic autem Contardus cum Neapolim perveniſſet, audiens Sichardum peremptum à ſuis concivibus, ad ſuum ſeniorem reverti voluit. Quem Andreas Magiſter militum, propter ingruentem Longobardorum inimicitiam, tenere curavit, promittens ei Euphraſiam filiam ſuam dare in matrimonium, quæ uxor fuerat prædicti Leonis, filii Boni Ducis. Qua ſponſione accepta conſiſtens, repedare contempſit. Sed ubi cognovit idem Contardus hujuſmodi copulam illudendo protelari, conjuravit cum inimicis Andreæ Conſulis, & eum in loco Baſilicæ S. Laurentii, quæ ad fontes dicitur, gladio percuſſit, & Conſulatu ſuſcepto eamdem duxit Euphraſiam. Neapolitani ſiquidem commoti de morte turpiſſima ſui Ducis, poſt tres dies unanimes irruunt Epiſcopium, in quo ipſe manebat, & confecto feroci bello, Contardum ſuamque conjugem & homines ejus trucidaverunt: ac deinde inito conſilio Sergium, filium Marini & Euphraſiæ, libenti animo ducem ſtatuentes, veredarios Cumas præmiſerunt, qui eum feſtinarent Conſulem fieri proficuum. Nam diluculo ipſius diei, quo peremptus eſt Andreas Dux, direxerat eum legatum ad Sichenolphum, Salernitanum Principem, obſidentem tunc *g* Beneventum. (Enimvero in ipſis diebus diviſus eſt Principatus Langobardorum) Qui cum reverteretur in Sueſſulano territorio, audivit occiſum Contardum. Ut autem exinde veritatem reſciret, perrexit ad Cumanum Caſtellum. Hinc ergo vocato illo, Magiſtrum militum præfecerunt.

c Tiberium impetrat è carcere educi.

d

& inter Longobardicas ac Saracenicas irruptiones,

e

f

A

B

occiſis ducibus Andreæ

& Contardo in Epiſcopio,

aſſumptoque Sergio,

g

à Tiberio pridie mortis laudatur.

C

4 His ita peractis, Tiberio Epiſcopo, in prædicta cuſtodia poſito, appropinquavit ultima dies: qui pridie quam moreretur, reſidens in Pontificali Cathedra, de Domino Joanne Electo talem ſermonem fecit ad populum. Scitis, fratres cariſſimi, quia peccatorum mole preſſus, juſto judicio hominibus abſque miſericordia traditus ſum. Sed Dominus, qui deducit ad inferos tribulationis & reducit, quique cum tentatione proventum facit, ad ſuſtinendum; permiſit præſentem filium meum, Dominum Joannem, noſtram ingredi Sedem, quatenus haberem maximæ tribulationis ſolatium. Ideoque nolumus veſtram latere caritatem, quia de tanta, quam erga me impendit humanitate, etiamſi omnibus membris loquerer, nullatenus illi gratias referre valerem. Tamen quia magis miſericordia meæ conſolationis, quam præſumptione motus, vivo me, Epiſcopatum aſſumpſit, nulla immineat illi nec à Romana ſede, nec ab aliis hominibus condemnatio. Hujus etenim profeſſionis, quam ſponte pro illo feci, coram Deo & omnibus poteſtatibus veritatis teſtes vos habere decrevimus. Hoc autem dicto, ſurrexit de ſolio, præcipiens ſe ad lectulum portari: ubi per duos dies Dominum laudans, veniamque piaculorum implorans, migravit à ſeculo. Cujus corpus cum veneratione Dominus Joannes in eccleſia S. Januarii, ſepelivit: Sergius item Conſul, animatus ex profeſſione quam Tiberius Epiſcopus fecit, Apocriſiarios ſuos Romam deſtinans, obnixius Joannem Electum inthronizari poſtulavit. Sed Dominus Gregorius *h* Papa Romuleus tam diu hujuſmodi petitionem diſtulit, quoadusque, miſſa legatione, canonice inveſtigaret, ne Pontificalem ſubriperet Sedem. At ubi Clericorum & laicorum ſimulque ipſius Ducis jusjurandi ſatisfactionem accepit, quod nec Sedem voluntate accepiſſet vel invaſiſſet, nec aliquid contra Tiberium ſed pro Tiberio egiſſet, &, ut ipſe confeſſus eſt coram omnibus, multa ei bona periclitanti impendere ſtuduiſſet; illico acceſſitum Pontificali infula decoravit.

AUCT. IOANNE DIAC. EXMS.

D

h & auctoritate Gregorii IV Papæ conſtituitur Epiſcopus.

5 Porro factus Epiſcopus, quantum & qualem ſe exhibebat, nulla carnis lingua poterit enarrare: nam omnia ſe faciebat omnibus, ut omnes lucrifaceret. Senes reverebatur ut patres, juvenes diligebat ut fratres, nulli unquam malum pro malo reddebat, neminem niſi pro ſuis criminibus increpabat. Quem mœrentem non conſolatus eſt? Cum quo infirmante non infirmatus eſt? Sic præerat cunctis, ut ipſe magis videretur ſubjectus. Sic fuit ſecundum Apoſtolum Pontifex, ut etiam teſtimonium foris haberet; non enim niſi pius, niſi juſtus, niſi ſanctus per omnia videbatur. Quorſum iſta? numquidnam tanti ſumus ingenii ut laudes ejus exprimere valeamus? Exciditne nos profeſſos eſſe, parumper poſſe de eo effari: Quid ergo? Accingamur ad alia; & hæc, quia ſunt eminentiſſima, relinquamus.

excellit virtutibus, maxime humilitate & caritate.

1 Tim. 3, 7

E

6 Ad ſanctum igitur Chriſma conficiendum fecit unam deauratam ampullam, in cujus labiis nomen ſuum deſcripſit: acquiſivit autem thymiateria ex auro fabrefacti operis, ſimilique labore auream operatus eſt Crucem: codices vero manu propria utiles & plures deſcripſit. Corpora quoque ſuorum prædeceſſorum de ſepulcris, in quibus jacuerunt, levavit; & in eccleſia Stephania ſigillatim collocans, aptavit unicuique arcuatum tumulum, ac deſuper eorum effigies depinxit.

Fieri jubet vaſa ſacra:

corpora Epiſcoporum levat:

7 Decurrentibus iſtis, ut prælibavimus, Dominus Joannes Epiſcopus, vir totius ſanctitatis, ſenſit ſibi diem adeſſe ſolutionis, quo ſui nominis gratiam ſuſciperet: gaudebat enim quod brevi temporis ſpatio diſſolutus, finem daret ſuo certamini, & multo melius eſſet cum Chriſto in perpetuum. Septem quoque diebus vi infirmitatis detentus, ſedulus in oratione excubans, gratias referebat Domino. Quibus transactis *i* requievit in pace. Luxit plane populus cunctus, tanto orbatus Paſtore: ſed exultavit chorus Angelorum, quod municipem ſuum in cœlis ſuſcepit. Inſignes ejus exequias uterque ſexus & ætas uſque ad baſilicam S. Januarii deducentes, officialiter collocarunt.

pie moritur:

i

ſepelitur.

F

ANNOTATA.

a *In Actis Tiberii immediate ante ab ipſo relatis.*

b *Antonius Summonte, lib. 1 Hiſtoriæ Neapolitanæ pag. 409, ſtatuit 16 Conſulem ſeu Ducem* Bonum; *& filium hujus* Leonem, 17.

c *Omittitur* Andreas Conſul *in Hiſtoria Summontii, & à Cimeliarcha in altera Vita, cum omnibus quæ hoc numero narrantur.*

d Hoſtis *feminine pro exercitu accipitur ex vulgaris linguæ idiotiſmo: quem etiam apud Francos invenias uſitatum, quibus* Oſt *ſignificat exercitum, vel ejus partem.*

e *Mortuo Ludovico Pio, anno* 840, *die* 20 *Iunii, ſucceſſit* Lotharius *ſenior filius, potiſſimum in Italia, ibidem anno* 823 *Imperator coronatus.*

f Sichardus *dicitur, in Chronico Beneventano S. Sophiæ,* vixiſſe annos, ſex menſes decem, *& conceſſiſſe privilegium de piſcatione in mari Sipontino, anno ſecundo, menſe Aprilis, Indictione* XIII; *ergo anno* DCCCXXXV: *cui ſi addantur quinque anni plus minus & aliquot menſes, videtur vixiſſe uſque ad finem anni* 840 *aut ſequentem* 841.

g *Nithardus, nepos Caroli Magni, in libro de diſſenſionibus filiorum Ludovici Pii, quibuſcum vivebat, ad annum* 843 *iſta aſſerit*: Mauri à Sigenolfo, fratre Sigehardi, ſibi cauſa ſubſidii inducti, Beneventum invadunt.

h *Iſte eſt* Gregorius IV, *mortuus anno* 844 *circa* 25 *Ianuarii; ut ea legatio ſaltem anno* 843 *contigerit.*

i *Kalendis Aprilis, pridie Paſchatis anno* 853, *ut ſupra oſtenſum.*

ALIA VITA

Auctore Ioanne Eccleſiæ Neapol. Cimeliarcha, ex MS. codice ejuſdem Eccleſiæ.

PRÆFATIO.

a 1 CVM quadam die, bonæ memoriæ *a* Bernardus Archiepiſcopus (cujus animam poſſideat paradiſus) mecum, tamquam cum perfamiliari ac ſubdito, in ſuo conſiſtorio haberet de divinis colloquium; de corporibus ſanctis, quæ hactenus in eccleſia Neapolitana collocata fuerunt, inſpirante divina clementia, contigit ſermonem haberi. Inter quæ meminimus eſſe venerabile corpus S. Ioannis, Epiſcopi ejuſdem Eccleſiæ, qui *b* ad Acquarolam vulgariter nuncupatur: quod corpus ſanctum collocatum fuiſſe dicitur ab antiquo, in ſepulcro, quod eſt ante parvum oſtium ipſius eccleſiæ, in quo imago ſua depicta videtur; nunc vero in altari, quod juxta portam, qua itur ad eccleſiam S. Ioannis ad fontes, quod altare Trinitatis vocatur, eſt firmiter collocatum. Et cum Vita ejus, & qualiter fuerit ad Epiſcopatum aſſumptus, & in eo laudabiliter converſatus, in Chronica haberetur antiqua; nec tamen Legenda, quæ ad honorem ejus in feſtivitate ſua legeretur, ſcripta aliquatenus appareret, dixit dictus Bernardus Archiepiſcopus, ſe pro bono habere, ſi Legenda ipſius Sanctiſſimi Ioannis ab aliquo dictaretur & ſcriberetur, aſſumpta materia & forma de Chronica ſupradicta: quod ipſe propoſuerat facere, niſi fuiſſet morte præventus. Nunc quia quod tanto Patri bonum & utile viſum fuit, mihi neceſſarium debuit magis videri; idcirco ego Ioannes Cimeliarcha, licet omnium Clericorum minimus, ſecutus voluntatem & affectum prædicti Domini mei Archiepiſcopi, invocato divino Ieſu Chriſto auxilio, eodem S. Ioanne ſuffragante, non ad jactantiam, ſed ad reverentiam & devotionem ipſius, curavi, pro poſſe mei parvi ingenii, vitam & converſationem & mortem ſuam (juxta quod in Chronica reperi) ad honorem Eccleſiæ Neapolitanæ & Capituli compilare.

Suggerente Archiepiſcopo Bernardo,

b

ex Chronica Ioannis Diaconi.

ſcripſit Vitam S. Ioannis.

Ioannes Cimeliarcha.

ANNOTATA.

a Bernardus *vita functus dicitur anno* 1262, *tertio Nonas Octobris.*

b *Quare* ad Acquarolam *vocetur, ait neſciri Chioccarellus*; forte ex familiæ cognomine, vel habitationis loco *conjicit Caracciolus. Quid ſi in loco hujus appellationis ſepultus, inde cognominatus ſit, & hoc cognomento diſtinctus à Ioanne* I.

VITÆ HISTORIA

Natus pauperibus parentibus.

2 IGitur ex infimis parentibus procreatus, pauperem cucurrit pueritiam. Cum autem adolevit, non (ſicut illa ætas exigit) mundi ſecutus eſt illecebras, ſed magis elegit, ſe præceptorum ſubdere mandatis; quatenus litteris imbutus, ſoli Domino ſciret vacare. Non enim liberalium artium, ſed divinæ doctrinæ quæſivit magiſtros: & totum ſe Deo offerre cupiebat. Cujus deſiderium Dominus miſericorditer adimplere dignatus eſt: nam divinæ doctrinæ eruditor præclarus effulſit: præſertim ſic ſcribere novit, ut ex officio cognomen acciperet, & ab omnibus Ioannes Scriba vocaretur. Pedes quoque ejus rarò plateam attigerunt. Simplicitatem columbæ cum ſerpentis prudentia ſemper in corde retinuit. Pro convitiis, non malum; ſed obedientiam exhibebat: ac per hoc omnibus dulcis, omnibus carus, nutu cœleſti ad Diaconatus promotus eſt honorem.

ſacraque doctrina eruditus,

ordinatur Diaconus:

3 In corde vero illius eadem patientia, eadem perſeverabat ſimplicitas; dolens magis Clericorum quam ſua convitia; maxime ex captivitate Tiberii Epiſcopi deceſſoris ſui, ita ut ægrotaret, afflictus eſt. Prædictus enim Tiberius Epiſcopus captus eſt à Bono, Conſule civitatis, qui contra Dei Eccleſiam, ad cumulum perditionis ſuæ, cœpit mala peragere: cui cum idem Tiberius obſiſtere non dubitaret, eligens terreni magis quam cæleſtis iram incurrere Iudicis; ei jugiter examen comminabatur divinum. Qui Bonus Conſul, injecta manu in eum, comprehendit eumdem: atque carceralibus tenebris religatum, arcte in pane & aqua macerabat eumdem. Et cum ſic affligeret eum, juſſit cunctos terque quaterque congregari Clericos, ut illi S. Ioannem Electum præberent. Hic autem ſolus, multis conantibus aſſumere imo invadere eamdem Sedem, abſens & contrarius ibat. Ad ultimum multis affectus convitiis, adductus eſt ante Bonum Conſulem; qui feroci pectore, ore garrulo, cœpit fortiter comminari, & poſt paulum furiis exagitatus juravit, non alium quam ipſum Electum facere. At ille contradicendo clamabat; Præſule meo vivo, non ero Sedis invaſor. Vnde Dux valde iratus, per ſententiam juſſit eumdem Tiberium jugulari, & totius Epiſcopii ſervos poſſeſſioneſque infiſcari, niſi acquieſceret ſibi. Tunc B. Ioannes, undique anguſtiatus, mente per varia ducebatur; hinc formidans, de Præſulis nece pontificatuſque clade, cœleſte examen; illinc Apoſtolicam ſententiam, & populi infamationem. Sed ubi reſpectu miſericordiæ maluit humanum quam divinum ſubire detrimentum, ait ad Conſulem; Si jurejurando ſancire volueris, ut licentiam habeam ingrediendi ad Tiberium Epiſcopum, & non eum extrahas de ſuo Epiſcopio, nec quamlibet maculam facias corpori ſuo, licet ad periculum capitis mei, præbebo conſenſum. Hac promiſſione percepta electus eſt, & ſublimatus. Tiberio autem Epiſcopo quantum quietis, quantumque exhibebat humanitatis, non eſt noſtræ facultatis evolvere. Bonus interea Conſul, expleto unius anni & ſex menſium circulo, defunctus eſt: cui ſucceſſit Leo filius ejus.

ob captivitatem Tiberii Ep. dolet:

neoccidatur, agit cum Bono Duce

& permittit ſe eligi Epiſcopum.

4 His ita peractis, Tiberio Epiſcopo, in prædicta cuſtodia poſito, appropinquavit ultima dies. Qui pridie quam moreretur, reſidens in pontificali Cathedra, de B. Ioanne Electo talem ſermonem fecit ad populum. Scitis, Fratres cariſſimi, quia peccatorum mole oppreſſus, juſto judicio hominibus abſque miſericordia traditus ſum. Sed Dominus, qui abducit ad inferos tribulationis & reducit, quique cum tentatione proventum facit, ad ſuſtinendum; permiſit præſentem filium meum, Dominum Ioannem, noſtram ingredi Sedem, quatenus haberem maximæ tribulationis ſolatium. Ideoque nolumus veſtram latere caritatem, quia de tanta quam erga me impendit humanitate, etſi omnibus membris loquerer, nullatenus illi gratias referre valerem. Tamen quia magis miſericordia meæ conſolationis, quam præſumptione, meum, vivo me, Epiſcopatum aſſumpſit; nulla immi-

à Tiberio pridie mortis laudatur:

immineat illi, nec à Romana Sede, nec ab aliis hominibus, condemnatio. Hujus profeſſionis, quam pro illo feci coram Deo & omnibus poteſtatibus, veritatis teſtes vos habere decrevi. Hoc jam dicto ſurrexit de ſolio, præcipiens ſe ad lectulum portari; ubi per dies duos Dominum laudans, veniam piaculorum implorans, migravit à ſeculo: cujus corpus cum veneratione B. Ioannes in eccleſia S. Ianuarii ſepelivit.

A

eum à morte honeſte ſepelit:

5 Sergius itaque animatus ex profeſſione, quam beatus Tiberius Epiſcopus fecit, apocriſiarios Romam ſuos deſtinans, obnixius B. Ioannem Electum inthronizari poſtulavit. Sed Dominus Gregorius Papa Romanus tam diu hujus petitionem diſtulit, quoad miſſa legatione canonice inveſtigaret, an pontificalem ſubriperet Sedem. At ubi clericorum & laicorum, ſimulque ipſius Ducis jurisjurandi ſatisfactionem accepit, quod nec Sedem voluntarie invaſiſſet, nec aliquid contra Tiberium, ſed pro Tiberio egiſſet, & (ut ipſe confeſſus eſt coram omnibus) multa ei bona periclitanti impendere ſtuduiſſet; illico accerſitum pontificali eum infula decoravit. Porro factus Epiſcopus, quantum & qualem ſe exhibebat, nulla carnis lingua poterit enarrare. Nam omnia ſe faciebat omnibus, ut omnes lucrifaceret Chriſto. Senes reverebatur ut patres; juvenes diligebat ut fratres: nulli umquam malum pro malo reddebat, neminem niſi pro ſuis criminibus increpabat. Quem mœrentem non eſt conſolatus? Sic præerat cunctis, ut ipſe magis videretur ſubjectus. Sic fuit ſecundum Apoſtolum Pontifex, ut & teſtimonium aforis haberet. Non enim niſi pius, niſi juſtus, niſi ſanctus per omnia videbatur.

à Gregorio Papa IV

conſtituitur Epiſcopus:

excellit in virtutibus,

B

Quorſum iſta? Numquid nos tanti ſumus ingenii, ut laudes ejus exprimere valeamus? Exciditne, nos profeſſos, perparum poſſe de eo effari? Quid ergo? Accingamur ad alia; & hæc, quæ ſunt notiſſima, relinquamus. Ad ſanctum ergo Chriſma conficiendum fecit unam de auro ampullam, in cujus labiis nomen ſuum deſcripſit. Acquiſivit & duo thuribula, ex auro fabrefacti operis: ſimilique labore operatus eſt Crucem. Codices vero manu propria utiles & plures deſcripſit. Corpora quoque ſuorum prædeceſſorum, de ſepulcris in quibus jacuere, levavit; & in eccleſia Stephaniæ ſigillatim collocans, aptavit unicuique arcuatum tumulum, ac deſuper eorum effigies depinxit.

conficit aurea ornamenta eccleſiæ:

corpora Epiſcoporum elevat:

7 In eo denique tempore *a* Theophilo mortuo, filioque ejus Michaële imperante, multæ naves Saracenorum latrocinari cœperunt per Italiam..... Tunc Sergius Conſul, una cum Nobilibus Neapolitanis, Amalphitanis, Cajetaniſque, non in multitudine populorum, ſed in miſericordia Domini & hujus Epiſcopi precibus confiſus, bellum cum eis eſt agreſſus: quibus Saracenis devictis, Domino protegente, celeriter triumphavit. Et quia illorum paganorum victoriam habuit, & etiam Iſmaëlitarum qui Licoſæ habitabant; magnus exercitus Panormitanorum Saracenorum adveniens, caſtellum Miſenacium comprehendit: ac deinde Africani, in forti brachio omnem hanc regionem devaſtare cupientes, Romam ſupervenere; atque accelerato de cælo judicio, *b* eccleſiam Apoſtolorum, & cuncta quæ extrinſecus repererunt, lugenda pernicie & horribili capitivitate diripuerunt. Idcirco motus Lotharius Rex, ferocem Francorum populum contra eos miſit: qui celeriter properantes, eos uſque Cajetam ſunt perſecuti. Hi autem Saraceni, ſolitam molientes ſtropham, in locis anguſtis & arduo colle nonnullos audaciores abſconderunt. Franci vero ignorantes calliditatem eorum, conabantur ſuper eos viriliter deſcendere. At illi de latibulo exilientes, irato Deo, primum percuſſerunt ipſorum ſigniferum: quo peremptо, cunctis terga vertentibus, validiſſime occidebantur; & niſi Cæſarius, filius Sergii Ducis, qui cum navigiis Neapolitanorum & Amalphitanorum venerat, littoreum cum eis conflictum cepiſſet, nullatenus à perſequendo recedebant. Lætantes igitur, utpote paganiſſimi, de tanto triumpho, Cajetam urbem capere minabantur: ſed Cæſarius, prædicti Sergii filius, ex adverſo cum ratibus ſuis in portu ejuſdem civitatis, magis cuſtos quam expugnator divertens, Domini protectione illis reſiſtebat.

a Saraceni initio victi,

C

poſtea aucti novis copiis,

b

miſſos à Lothario Imper. Francos dolo ſuperant:

AVCT. IO. CIMELIARCHA.

D

poſt tempeſtate compulſi,

8 Interea Salvatoris omnipotentia, qui humiliat ſeipſos exaltantes, & in ſuis viribus gloriantes, tempeſtivam excitavit procellam, in puppes tantæ ſuperbiæ naufragium comminantem: & perterriti, à Cæſario ſibi dari pactionem petierunt, quatenus naves ad terram ducerent, & facta ſerenitate ad ſua citius properarent. Hoc è veſtigio nuntiato Sergio Duci, juſſit illud ſub jurejurando fieri, pavens ne navibus alliſis terram caperent. Quo peracto, & ſerenitate reddita, ire cœperunt. Quibus pelagi vaſtitatem ſubeuntibus, excitavit Dominus Auſtrum, quo diſperſi atque demerſi, pauciſſimi ex iis ad ſedes proprias remearunt. Eodem quoque anno, ſupplicatione hujus Sergii Ducis, & Principum Longobardorum, & de conſilio ipſius Beati Ioannis, direxit Lotharius Imperator filium ſuum *c* Ludovicum, bonæ adoleſcentiæ juvenem, propter catervas Saracenorum ſub Rege Apuliæ commorantes omnium fines depopulantes. Qui adveniens, cæleſti comitatus auxilio, ex illis Iſmaëlitis triumphavit: & ſagaciter veniens, diviſione Beneventani & Salernitani Principum ſedata, victor reverſus eſt.

pactis initis recedunt.

c

alii à Ludovico filio Lotharii coercentur.

E

9 His ita geſtis B. Ioannes Epiſcopus, vir totius ſanctitatis, ſenſit ſibi diem adeſſe extremum, de quo gaudens & exultans, cupiebat diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Verumtamen & hæc, quæ ante finem ſuum de Beato Paulino Nolano *d* viderat, duxi neceſſario annectenda. Nam ante diem tertium quam de hoc mundo S. Ioannes ad Dominum migraret, retulit omnibus ſuis Clericis, ſe vidiſſe S. Paulinum, Angelica dignitate veſtitum atque ornatum, totum niveum, totumque ſidereum, atque odore roſeo renitentem; favum etiam candidiſſimum mellis in manu tenentem, ac dicentem ſibi: Frater Ioannes, quid hic facis? Solve vincula tædiorum tuorum, ac veni ad nos: hæc enim eſca, quam in manu teneo, apud nos ſatis abundat. Et cum hoc dixiſſet, amplexus eſt eum, & immiſit in os partem favi illius: cujus dulcedinem atque odorem ita S. Ioannes concupiſſe ſe dixit, ut ſi ſibi in ipſa revelatione poſſibile fuiſſet, ab ejus veſtigiis nullatenus receſſiſſet. Nam excitatus à ſomno, eadem die, id eſt, quinta feria, juxta conſuetudinem ſuam, remuneratis omnibus Clericis atque pauperibus, ſanus Dominicam Cœnam celebravit. Sabbato autem, ſexta hora diei, ad eccleſiam lætus proceſſit; aſcenſoque tribunali, ex more populum ſalutavit: reſalutatus à populo, orationem dedit; collectaque oratione, ſuper altare ſpiritum exhalavit: & tandem per totam noctem in eccleſia vigilatus eſt. Poſtera autem die, id eſt, Paſchæ, illuminatis lampadibus & cereis, cum ingenti *e* neophytorum pompa, proſequente etiam multitudine populorum, uſque ad ſepulcrum deductus, glorioſam atque laudabilem ſepulturam adeptus eſt. In qua etiam uſque in præſentem diem non ceſſat ventres fidelium à doloribus ſanare, & aliis variis miraculis coruſcare, ad honorem & laudem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen. Sedit autem B. Ioannes in Epiſcopatu annis *f* ſeptem, & menſibus novem, diebus viginti duobus: & fuit quadrageſimus quartus Epiſcopus Neapolitanus.

d

Ante Obitum à S. Paulino apparente viſitatus S. Ioannes.

accepit favum.

F

Salutato populo moritur Sabbato ſancto.

e

f

ANNOTATA.

A

a *Mortuus eſt* Theophilus Imper. *ſub finem anni* 841, *aut initium ſequentis: de eo late actum eſt* 10 *Februarii ad vitam S. Theodoræ conjugis.*

b *Anno* 846, *Sergii* II *Papæ* 3, *ut habent Annales Bertiniani.*

c *Leo Hoſtienſis lib.* 1 *Chronici Caſinenſis cap.* 31 *aſſerit, anno* 851 Ludovicum Imper. *victorem de Saracenis extitiſſe* 9 *Maii pridie Pentecoſtes. Fuerat ante cum conſenſu patris coronatus Imperator à Leone* IV *anno* 849; *imo anno* 844 *à Sergio* II *coronatus Rex Lombardorum.*

d *Ioannes Diaconus hanc apparitionem Ioanni Epiſcopo factam cenſet his verbis*: Hic tantæ ſanctitatis plenus fuit, ut etiam S. Paulinus Nolanæ Sedis Epiſcopus, ſicut in Vita ipſius legitur, eum accerſiret, atque evocaret ad Chriſti gloriam intuendam. *Reliqua de hac apparitione ſupra diximus.* D

e *Idem Ioannes Diaconus hæc verba*, Neophytorum pompa proſequenda, *habet de jam dicto Ioanne* I *Epiſcopo. An* Neapolitanorum pompa *legendum*?

f *Imo* novem *potius*: *alii* undecim *habent, ut ſupra diximus.*

G. H.

DE SANCTO HVGONE

Epiſcopo Gratianopolitano in Gallia.

ANNO MCXXXII.

Tempus vitæ,

Epiſcopatus, B

& mortis.

auxilium præſtitum S. Brunoni,

amicitia cum Guigone Carthuſiano.

ambo inviſuntur a S. Bernardo:

C

Inter illuſtres viros, qui eximio ſanctitatis ſplendore ſeculo Chriſti XI *&* XII *floruerunt, cenſeri poteſt S.* Hugo, *Epiſcopus Gratianopolitanus in Delphinatu ſuperiore; familiaris* S. Brunoni Carthuſiæ *fundatori, &* S. Bernardo *Abbati Claravallenſi. Natus eſt* S. Hugo *anno Chriſti* MLIII, *Epiſcopus ordinatus anno* MLXXX, *cum ferme annorum eſſet viginti ſeptem, ut infra in Vita num.* 5 *legitur. Ad Dominum migravit anno ætatis ſuæ* LXXX, *conſecrationis in Epiſcopum* LII, *Chriſti* MCXXXII, *Kalendis Aprilis, ſexta ante Dominicam* Palmarum *feria, uti infra num.* 33 *legitur. Erat annus ille biſſextilis, quo cyclo Lunæ* XII, *ſolis* XXI, *litteris Dominicalibus* CB, *Paſcha celebratum fuit die* X *Aprilis. Hæc de ejus ætate.*

2 *Excepit* S. Brunonem *anno Epiſcopatus ſui ſexto, eumque in condenda Carthuſia ſtrenue adjuvit: quo ab Urbano* II *Pontifice Maximo Romam evocato, Carthuſiam rexit Landuinus, primus* S. Brunonis *in Vita religioſa ſocius. Hoc aliiſque duobus, qui pro Carthuſiæ ſupremo regimine ſucceſſerant, vita functis; ſubſtitutus eſt circa annum Chriſti* MCX *quintus Carthuſianorum Prior Guigo, mortuus anno* XXXVII *ſupra milleſimum centeſimum; adeoque ſuperfuit annus ſolum quinque poſt obitum* S. Hugonis, *cui ſanctiſſima ſemper fuit amicitia conjunctus. Qua autem dilectione utrumque amplexus fuerit* S. Bernardus Claravallenſis, *explicat in hujus Vita Gaufredus monachus his verbis*: Cum jam Dei famulus Bernardus aliquot in Claravalle annos peregiſſet, ſubiit animum ejus, ut S. Hugonem Gratianopolitanum Epiſcopum & Carthuſienſes Fratres devotionis gratia viſitaret. Quem prædictus Epiſcopus tam gratanter & tam reverenter ſuſcepit, divinam intelligens in ejuſdem hoſpitis viſitatione præſentiam, ut proſtratus ſolo tenus adoraret. Videns autem ſervus Chriſti Epiſcopum, ætate grandævum, celebrem opinione, ſanctitate conſpicuum, coram ſe procidentem, vehementer expavit, ipſe quoque pariter corruens ante eum: & ita demum ſuſceptus in oſculo pacis, humilitatem ſuam tanti viri veneratione confuſam, non ſine gravi gemitu cauſabatur. In cujus pectore ſingularem obtinuit ex eo tempore locum, ut fierent deinceps duo illi filii ſplendoris, cor unum & anima una, & ſe invicem fruerentur in Chriſto. Sicut enim Regina Saba de Salomone teſtatur, uterque ſeſe in altero longe amplius, quam fama vulgaſſet, inveniſſe gratulabatur. Carthuſiæ quoque à viro reverendiſſimo Guigone Priore, & a ceteris Fratribus, eodem affectu & eadem veneratione, ſuſceptus eſt ſervus Chriſti; exultantibus illis in gaudio, quia qualem eum per epiſtolam prius noverant, talem invenerunt & præſentem.

3 *Hæc ibi. Extant inter epiſtolas* S. Bernardi *duæ ad dictum Guigonem num.* 11 *&* 12, *ex quibus quilibet, facile poteſt advertere, quanta tunc ſub dicto Guigone in Chartuſia vitæ ſanctitas & puritas floruerit. At quanta Guigoni aliiſque Carthuſiæ majoris monachis fuerit rerum omnium, pro Eccleſiæ defenſione, cum* S. Hugone *communicatio, indicat epiſtola horum omnium, anno* MCXXX *ad Concilium Iotrenſe pro juſtitia congregatum, cum* B. Thomas, *Prior Abbatiæ* S. *Victoris Pariſienſis, eſſet crudeliter ab impiis pro juſtitia occiſus. Epiſtolæ dictæ hæc eſt inſcriptio*: Dominis & Patribus in Chriſto reverendiſſimis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & ceteris religioſis perſonis, in præſentem locum defendendæ juſtitiæ gratia congregatis, Hugo Eccleſiæ Gratianopolitanæ vocatus Epiſcopus, & filii ejus; Carthuſienſium pauperum ſervus inutilis Guigo, & qui ſecum ſunt Fratres; agenda cognoſcere, cognita viriliter adimplere, per Chriſtum Dominum noſtrum. *Omittimus ipſam epiſtolam recenſere, Concilio Iotrenſi inſertam; de ipſo* B. Thoma *acturi ad* XX *Auguſti: cujus Vitam & Martyrium à ſe anno* MDCLXV *editum, nobis obtulit* Philippus Gourreau, *dictæ Abbatiæ* Prior. *amboſcribit ad Epiſcopos in Concilio Iotrenſi,* E

4 *Erat eo tempore, cum Iotrenſe Concilium haberetur,* Innocentius II *Papa in Galliis: qui ad Archiepiſcopos Remenſem, Rotomagenſem & Turonenſem, eorumque Suffraganeos litteras dedit, atque ad vindicandam dicti Prioris necem incitavit. Huic Pontifici optime innotuerant Guigonis & aliorum Carthuſienſium ſancti mores atque virtutes, & intima animorum conjunctio cum* S. Hugone: *quem anno ſui Pontificatus tertio pie ac ſancte mortuum, anno dein Pontificatus quinto Sanctorum catalogo adſcripſit in concilio Piſano, anno Chriſti* MCXXXIV: *uti indicat in epiſtola, Piſis ſcripta* X *calendas Maii, ad Guigonem Carthuſiæ Priorem; huic mandans, ut vitam ac miracula* S. Hugonis *diligenter deſcriberet. Priorem præcepti Apoſtolici partem explevit Guigo, qua res geſtas* S. Hugonis *à prima nativitate ad obitum uſque deduxit: alteram vero partem, quæ ejus coruſcantia miracula debebat complecti, non attigit; morbis & morte, ut remur, impeditus; anno, ut diximus,* MCXXXVI *vita functus. Erat autem* Guigo, de Caſtro Valentinenſis diœceſis (*verba ſunt Petri Sutoris lib.* 2 *Vitæ Carthuſianæ tract.* 5 *cap.* 7) claris ortus parentibus, ingenio præſtans, memoria tenax, clarus eloquio, exhortatione efficaciſſimus, litteris ſecularibus & divinis mirum in modum eruditus, nec minus converſatione quam doctrina venerabilis; qui quintus poſt S. Brunonem majoris Carthuſiæ Prior effectus, anteceſſores ſuos fama & auctoritate longe præceſſit, & rigorem ordinis obſervavit ad unguem. *Hæc ibi. Habemus hanc Vitam in duobus codicibus antiquis optimæ notæ in pergameno, quam cum* Suriana *editione collatam noſtris annotationibus illuſtramus. Eamdem in compendium contractam ediderunt Vincentius Bellovacenſis lib.* 27 *ſpeculi Hiſtorialis cap.* 8, Petrus de Natalibus *lib.* 4 *cap.* 22, Petrus Dorlandus *lib.* 2 *Chronici Carthuſienſis cap.* 1, Zacharias Lippelous, Franciſcus Haræus, *& paſſim alii Vitarum hujuſmodi collectores.* *Ab Innocentio* II *Papa Sanctis adſcribitur* S. Hugo, F *Vitam ſcribit Guigo,*

5 No-

Nomen infaſtis.

A 5 *Nomen S. Hugonis extat variis Faſtis ſacris adſcriptum, tam manu exaratis quam prælo editis. Ex his ſunt Grevenus & Molanus, in auctario Vſuardi; Maurolycus, Galeſinius, Caniſius: & ex Monaſticis, Wion, Menardus Dorganius. Buxelinus ei longum encomium, texuit: Natalibus Canonicorum adſcripſit Conſtantinus Ghinius: in Martyrologio Gallicano pluribus eum laudat Sauſſajus: cum quibus omnibus ita celebratur in Martyrologio Romano:* Gratianopoli S. Hugonis Epiſcopi, qui multis annis in ſolitudine vitam exegit, & miraculorum gloria clarus migravit ad Dominum.

EPISTOLA
INNOCENTII II PAPÆ.

INnocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Guigoni, Priori Carthuſienſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Divinis reſpondentes beneficiis, cognita vita ejus, & auditis quæ per B. Hugonis merita fiunt miraculis, ſupernæ majeſtatis clementiam collaudavimus, & Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Cardinalium, atque aliorum qui nobiſcum aderant communicato conſilio, ipſum inter Sanctos & electos honorari præcepimus, & diem ejus aſſumptionis cum gaudio ſolenniter celebrari. Quia igitur ipſius vita, quam pie duxit in corpore, & *a* miraculorum coruſcatio, qua Deus eum facit apud homines præfulgere, tuæ maxime dilectioni non extant incognita; auctoritate B. Petri & noſtra tibi mandamus, quatenus ea quæ tibi ſuper hoc nota fuerint, diligenter deſcribendo poſterorum memoriæ tradas: ut & Deus honoretur in Sancto, & Clerus legens ac populus audiens gratias agant Domino, atque ipſius interceſſione peccatorum veniam percipere mereantur. Orantes pro vobis, dilectos filios noſtros Carthuſienſes Fratres per te in Domino ſalutamus ac benedicimus. Data Piſis *b* x Kalend Maij.

Iubet Vitam & miracula conſcribet.

B

a

b

ANNOTATA.

a *Videtur Guigo voluiſſe miracula tractatu ſingulari deſcribere, cum ea in hac Vita non attingat: ſed eorum necdum veſtigium reperimus.*

b *Anno* 1134.

VITA

Auctore Guigone, Priore Carthuſienſi, coævo.

C *Ex duplici MS. & Surio.*

PROLOGVS
Ad Pontificem Romanum.

DOmino & Patri cariſſimo, ac reverendiſſimo, Sedis Aopſtolicæ Pontifici, Innocentio, Chartuſienſium pauperum ſervus inutilis Guigo, perpetuam ſalutem & pacem in Domino, & ſi quid apud Deum tanti poteſt peccatoris oratio.

1 Non pepercit noſtræ vel verecundiæ vel imperitiæ Apoſtolatus veſtri imperioſa dignatio. Sicut enim huic opuſculo præfixæ veſtræ Serenitatis indicant litteræ, B. Petri auctoritate & veſtra mandaſtis, ut vitam B. Hugonis, Gratianopolitani Epiſcopi, noſcendam poſteris, ſcripto commendaremus. Rogaverant quidem idipſum jam pridem complures alii, ſed maxime non ſpernendæ auctoritatis *a* Arialdus & *b* Hugo, *c* Mauriennenſis & Gratianopolitanus Epiſcopi: è quibus prior habitu & vita regularis, beati viri in tractandis eccleſiaſticis rebus per triginta fere comes extitit annos; poſterior vero ex nobis monachus, ita ei in eccleſiaſtico regimine ſucceſſit, ut propter diuturnam ac vehementem infirmitatem ipſius, in ejus locum, ipſo petente veſtraque pietate jubente, priuſquam obiret ipſe, conſecraretur. Et erga eos quidem, quos præ longa familiaritate vel convictu latere non poteram, noſtra nos imperitia ſeu verecundia, & quæ forte non minus impediebat carnis infirmitas, ſufficienter poterant excuſare: ad tantæ vero pondus auctoritatis, ne mutire quidem præſumpſimus; ne, dum ei non obedimus cui totus commiſſus eſt mundus, eum offenderemus à quo factus eſt mundus; & dum apud homines vitamus imperitiæ confuſionem, apud Deum incurreremus damnationem. Obſecramus autem eos qui hæc legerint, ne tanti ſanctitatem Patris, noſtra non ſolum facundia ſed & cogitatione longe majorem, ex iſta ſcriptura metiantur, & maxime, ne putent, nos, ultra quàm ſua poſtulant merita, noſtris eum ſermonibus efferre potuiſſe. Tantùm enim abeſt ut ſanctitatis illius magnitudinem plus æquo valuerimus, quaſi favorabiliter, extollere; ut nec illam ipſam ſanctæ converſationis ejus prærogativam, quod ſine fictione dicimus, tum propter imperitiam, tum propter ſermonis inopiam, ut erat dignum, potuerimus explicare.

b c

AUCTORE GUIGONE

D *Auctor, ut obediat Papæ, etiam infirma valetudine ſcribit.*

E

F

ANNOTATA.

a Arialdus, *in MSS. noſtris* Airaldus, & Ailardus, *alibi* Ayrardus, *ex monacho & Priore Carthuſiæ Portarum, diœceſis Lugdunenſis, factus Epiſcopus anno* 1145, *mortuus an.* 1167.

b Hugo II, *ex Profeſſo Carthuſiæ Majoris, Epiſcopus Gratianopolitanus, dein an.* 1153. *factus Archiepiſcopus Viennenſis.*

c Maurienna, *vulgo* S. Ioannis de Morienne, *ad Arcum fluvium è monte Ciniſo defluentem, in Ducatu Sabaudiæ, verſus Orientem, diſtans Gratianopoli* XL *M. P. ſed montibus interrupto itinere.*

CAPVT I.
S. Hugonis parentes, ſtudia, Canonicatus.

2 CUm ergo præfati Patris ſanctiſſimi mores & opera Deo placentia, ſufficientem ſermoni adeo præſtent materiam, ut non ſolum noſtram, ſed & quorumlibet vincant facundiam; carnis ejus tacendam ex toto duceremus originem; eo quod indifferenter de bonis bonos, de malis malos, de bonis malos, & de malis bonos, per divini judicii inſcrutabilem altitudinem, naſci quotidie nullus ignoret; nec referat aliquid, qualibus ſit ortus quiſque parentibus, ſed qualibus vixerit moribus; nec augmenta conferat meritorum, potentia, divitiis & nobilitate terrena claruiſſe, ſed hæc omnia pro Chriſto contempſiſſe: cum videamus & Dominum pauperibus ortum parentibus, & in Apoſtolis inſigniores ſumptos ex piſcatoribus. Unde & Beatus ad Corinthios ſcribens Paulus; Videte, inquit, fratres, vocationem veſtram: quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret: ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. Verum quoniam ii qui de virtutibus tractavere Sanctorum, etiam carnales inveniuntur non tacuiſſe natales, dicamus & nos breviter, quod B. Hugo, natione Valentinenſis,

S. *Hugo*

1. Cor. 1. 26

in agro Valentinenſi natus,

AVCTORE GVIGONE a

A *patre Odilone,*

sis, loco juxta *a* Isaram fluvium sito, cui Castrum novum nomen est, parentes habuit & secundum seculi dignitatem non infimos, & (quod excellit) sanctitatis prærogativa conspicuos. E quibus pater, Odilo nomine, præter alia quamplurima, quæ militari licet in habitu laudabiliter gessit vel habuit, veritatis & castitatis amator extitit. Nam & mendacia, ingenua mentis affectione, Religiosis quam plurimis amplius evitabat: & licet duas, priore defuncta, citius fuerit sortitus uxores; nullos tamen, quod his temporibus & hac temporum labe (presertim in potentibus) monstro simile ducitur, præter uxorios est expertus amplexus. Idemque ipse ævo jam gravis, sanctissimo monente filio, tanto fervore contempsit seculum; ut senectutis immemor & delicatæ consuetudinis, duras, quas Carthusia propter verba labiorum Dei custodit, vias aggredi non dubitaverit: ubi annis fere decem & octo in tanta

dein monacho Carthusiensi;

sobrietate, tanta vixit humilitate, ut cunctis ibidem Deo famulantibus carus, cunctis haberetur veneratione dignissimus. Cui viam universæ carnis ingressuro (erat quippe ferme jam centenarius) venerabilis affuit filius, eumque propriis & inunxit & sacra Communione replevit manibus: expletoque condigna veneratione tam sancto funere, obitus diem, sicut & matris, eleemosynis, quoad vixit, celebrem duxit & sacrificiis.

B

3 Quæ videlicet venerabilis mater ejus, cum post

matre tum in ædibus propriis sancte vivente & mortua:

abscessum viri (præter quem nullum penitus noverat) vellet & ipsa cuncta relinquere; quia feminarum religiosarum rara tunc erant monasteria, pii filii salubribus instructa monitis, continentiæ & eleemosynis, orationibus atque jejuniis, ac reliquis sanctis operibus in domo propria, quod reliquum erat impendit temporis; filios etiam suos, militaribus strenuos actibus, ab immoderatis, quantum poterat, frænans excessibus. Cui decumbenti, ea qua obiit ægritudine, optata filii adest præsentia; adoranda tradit mysteria, extrema non multo post sepulturæ solvit obsequia; prompta solvens obedientia, quod

Ex. 20,12. imperat Deus lege Mosaica, dicens, Honora patrem tuum & matrem, ut sis longævus super ter-

Ps. 141, 6. ram. De qua utique terra Psalmista Domino dicere

ab ea ut Sanctus prævidetur in somnio:

creditur: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. Hæc autem dicere fuerat solita, quod dum prægnans suis eum ferret visceribus, visum sibi per somnium fuerit elegantem creasse parvulum, quem

C

sistendum Dei conspectibus, Sancti (in quibus & Beatus erat Petrus) deferebant in cælum. Hinc factum est, eadem adnitente, ut discendis applicaretur litteris: sperabatur enim (nec frustra) singularis apud Deum gratiæ futurus & meriti.

4 Amavit autem studia litterarum non mediocri-

magna præditus verecundia studia absolvit:

ter: propter quæ etiam in exteras profectus regiones, multa sustinuit. Inerat quippe illi, & usque ad ultimam senectam inesse non destitit, verecunda sobrietas; quæ eum & inter suos etiam necessariorum sæpe cogebat ferre inopiam; dum nec amicis, si quid eum angebat, pudore victus poterat confiteri: quo quasi fræno à multis comprimebatur illicitis. Cum autem à scholis reversus, Valentiæ, ubi majoris Canonicus erat ecclesiæ, inter seculares & lubricos, juvenis licet, pudibundus demoraretur & sobrius (statuerat enim, sicut ipse dicebat, ab omni deinceps contaminatione immunem se, Deo juvante, servare) contigit Dominum Hugonem, Galliarum

b omnium ex præcepto beatæ memoriæ *b* Gregorii septimi Legatum, ad eamdem venire civitatem; virum scilicet in ecclesiasticis negotiis strenuum &

c famosum, *c* Ecclesiæ Diensis tunc Præsulem, postea Lugdunensem Archiepiscopum. Qui cernens juvenem elegantem vultu, statura procerum; eloquio temperatum, moribus verecundum; edoctusque ab eis, qui noverant, cujus esset eruditionis & generis; &, ut erat tam in rebus humanis quam divinis ingenii perspicacis, agnoscens in eo magna quædam futuræ probitatis & sanctitatis insignia; hilariter & affabiliter amplexatus est, rogans ut ad se veniret, suorum certaminum comes futurus & particeps: quibus non solum adversus laicos, qui ecclesias, decimas ac cœmeteria sacrilege detinebant; sed & contra Sacerdotes, quorum vitam inhonesta conjugia maculabant; Simoniacos etiam, qui cupiditate cæcati, sacra profanaque miscebant, paucis juvantibus, acerrimus insudabat. Quod ipse libenter amplexus est.

D *Canonicus Valentinus adhæret Hugoni, Legato Apostolico, Episcopo Diensi.*

ANNOTATA.

a *Supra* Valentiam *Rhodano influit* Isara, *ad quem adjacet* Castrum novum, *adhuc hoc tempore* Chasteauneuf *dictum. Perperam Wion in Notis ad Martyrol. Benedict.* Valentiam Hispanicam *assignat.*

b S. Gregorius VII. *Papa, ante Hildebrandus dictus, creatus 22 Aprilis an.* 1073, *mortuus an.* 1086 *die 25 Maii, quo inscriptus est Martyrol. Rom.*

c Diensis Episcopus *creatus est* Hugo *an.* 1073, *ac translatus ad Archiepiscopatum Lugdunensem an.* 1092. *Est sita urbs in meditullio Delphinatus, Valentia distans diei itinere.*

E

CAPUT II.

Episcopatus Gratianopolitanus susceptus.

5 ALiquanto de hinc temporis exacto spatio, idem Legatus apud Avenionem, non ignobilem Provinciæ civitatem, grande celebravit *a* Concilium, in quo multa ad Dei honorem & Ecclesiæ utilitatem præconio digna patravit. Ad hoc Concilium, Episcopo carentes & Episcopum quærentes, Gratianopolitani venere Canonici; compertoque præfatum juvenem conventui interesse præsenti, petierunt suppliciter, suffragante Concilio, ab ejus venerabili Patrono, cui gratæ officium societatis exhibebat, ut hunc sibi daret sine dilatione Episcopum. Quibus ille protinus gratulabundus assensit, tum dilecti comitis gaudens honoribus, tum Ecclesiæ favens profectibus, cujus etiam sacris officiis futurum non dubitabat opportunum. At verò ille, repentino timore concussis ab imo visceribus, toto reniti corpore, magnisque clamare vocibus; & sese ætate, scientia, & postremo moribus & vita tantis mysteriis imparem cœpit affirmare; nec ullatenus pati, in suæ salutis periculum, sua vilitate officia veneranda fœdari. Quam utique de se sententiam, profundissima humilitate conceptam, usque ad finem non exuit: semper enim, in quantiscumque sanctitatis & bonorum profectibus operum, inutilem se servum & Pontificatus administratione indignum protestari non erubuit; semperque ad deponendum, sicut ex consequentibus liquebit, paratus fuit. Vir autem profundi consilii, qui prædictis eum concesserat Clericis; etsi gaudebat, quod in hac ætate & habitu (erat enim habitu secularis, & annorum ferme viginti septem) honores non modo non appeteret indebitos, sed & repudiaret oblatos; cœpit tamen, rationabili qua pollebat facundia, ejus erigere trepidationem, solari verecundiam, frangere pertinaciam; asserens, in talibus vel subeundis vel portandis oneribus, non de sua quemquam virtute, sed de Dei potius debere benignitate præsumere; à quo deberet sperare bonum quod deerat; & ad quem referre quidquid acceperat. Hujus itaque & ceterorum qui aderant, virorum gravium consolationibus fractus atque hortatibus, tandem aliquando cessit electioni.

a

Petitus in Episcopum

F

pra humilitate diu refugit.

tandem persuasus admittit:

6 Præ-

6 Præerat autem eo tempore Viennenſi Eccleſiæ Archiepiſcopus, *b* Garmundus nomine, quem propter ſimoniam, cujus ſuſtinebat infamiam, ſibi manus imponere non admiſit. Cunctis itaque, prærer Epiſcopi, à non ſine reverentia memorando Legato ſumptis Ordinibus, eodem comitante profectus eſt, ut à Sedis Apoſtolicæ ſummo conſecraretur Antiſtite. Ubi dum, conſecrationis ſtatutum opperiens diem, commoraretur; in ipſis quodammodo divinæ ſervitutis initiis, & in primis ſacræ militiæ tirociniis, graviſſimam hoſtis antiqui impugnationem, rudis & talium inexpertus, incurrit: quæ ſanctam ipſius animam, uſque ad illam ægritudinem, qua & decubuit moriturus, die noctuque, nunc acrius, nunc mitius, non deſtitit excruciare. Quia enim ſanctæ converſationis & illuſtrium operum inſignibus meritis, magnam in populo Dei famam, magnam fuerat habiturus & gloriam; ne forſitan extolleretur, Angelum ſatanæ, ſicut & beatus Apoſtolus, qui ſe colaphizaret, accepit. Sic etiam apud Prophetam Zachariam, Jeſu ſacerdoti magno, veri Salvatoris myſterium præferenti, Satan ſtabat à dextris, ut adverſaretur ei. Nec hoc mirandum; cum conditorem & rectorem omnium Deum, humana carne veſtitum, impiis auſibus tentare præſumpſerit; & poſtremo, oſtenſis totius mundi regnis cum ſua gloria, Hæc, inquiens, omnia tibi dabo, ſi proſtratus adoraveris me, idololatriæ etiam ſcelus perſuadere conatus fuerit. Sicut ergo ipſi Domino incredibili præſumptione idololatriam, ſic & ejus ſervo ſuggerebat viperea machinatione blaſphemiam; ſcilicet ut de Deo, vel de his quæ ad Deum pertinent, aliquid cogitaret indignum. Sed ſicut à Domino, ſic, eodem juvante, ab ejus ſervo victus & confuſus abſceſſit.

A
b promotus ad Sacerdotium adit Summũ Pontificem:
infeſtatur tentatione blaſphemiæ,
2 Cor. 12, 7
Zach. 3, 5
B
Math. 4, 9

7 Cum igitur impugnationem, ut diximus, inſuſpicabilem ſenſiſſet hoſtis antiqui; reputans ne forte indignatus adverſum ſe fuiſſet Dominus, quod eligentibus ſe ceſſerat vel invitus; electioni in ſe factæ abrenuntiare modis omnibus deliberavit, & ſacras adminiſtrationes, quibus indies ſe magis ac magis deputabat indignum, nullo pacto contingere. Quam deliberationem, ut putabat, ſaluberrimam, ſimul cum ipſa tentatione, ab imo corde lacrymis profuſis atque ſuſpiriis, ei, qui ſe duxerat, feſtinavit oſtendere. At ille defectu ejus, & nimio (quamquam à religione profecto) timore, ex parte interim rationabili reſponſione ſedato, ad memoratum Papam pergere, & quidquid ejus angebat animum (utpote Chriſti Vicario) totum revelare ſuaſit. Quod cum humiliter devoteque feciſſet, tanta conſolationis ab ejus ore ſagina perfuſus eſt, tantumque erga ſe dilectionis expertus affectum; ut de hac ipſa, quæ in deſperationem eum pene compulerat, tentatione gaudere, & felicioris inſuper ſpei materiam ſumere cogeretur. Docuit enim beatus Papa, utpote in rebus his nec rudis nec inexpertus, arguere Dominum & caſtigare quos diligit, & omnem filium flagellare quem recipit: & ideo quanto durius cordi ejus impoſuerat flagellum, tanto evidentius paternæ in eum dediſſe dilectionis indicium. Præſenſiſſe etiam jam jamque diabolum, quanta per eum ipſe damna paſſurus, quanta Dei populus virtutis foret incrementa ſumpturus: & idcirco omnes inveteratæ malignitatis inſumere conatus, ut à ſacris eum quoquo modo deterrere poſſit officiis; permittente Deo, ad ipſius quidem ignominiam & pœnam, ad hujus autem coronam & gloriam.

eamindicans ſummo Pontifici liberatur,
C

8 Hujuſmodi ſermonibus, & veritate plenis & auctoritate roboratis, non quidem tentatione penitus extincta, ſed tamen conſolatione ſuſcepta, animæquior effectus, conſecrationem ab eodem poſt modicum ſuſcepit Epiſcopalem. Tantus autem & in ipſa conſecratione, & toto illo quo ibidem demoratus eſt tempore, illius viri tanti amor in eum oſtenſus eſt: ut patenter oſtenderetur, divinæ in eo gratiæ magnum aliquod præſenſiſſe præſagium. Sed & comitiſſa *c* Mathildis, habitus quidem feminei ſed animi per cuncta virilis, quæ rerum humanarum tumultus atque pericula, inſtar prophetiſſæ Deboræ, prudenter ſedare & fortiter noverat tolerare; in ſuo Deum venerans famulo, diei conſecrationis ejus neceſſaria cuncta ſubminiſtravit; paſtoralem, quo diu uſus eſt, baculum dedit; additis Pſalmorum ſecundum B. Auguſtinum explanationibus, cum B. Ambroſii volumine, cujus eſt titulus, De officiis: totoque quo deinceps tempore vixit, tamquam verum Dei famulum ſincera devotione ſpecialiter honoravit & coluit, ſitiens ejus inſtanter & conſiliis inſtrui & oratione defendi.

& ab eo conſecratur Epiſcopus:
neceſſaria procurante Comitiſſa Mathilde.
6

9 His ita non ſolum proſpere ſed & religioſe peractis, ad ſuſceptam reverſus Eccleſiam, invenit Clerum & populum, in divinis nimis rudem & incompoſitum, & ſanctarum obſervationum in tantum inſcium, ut non ſolum gradus inferioris Clerici, ſed & Sacerdotes uxores ducerent, nuptias publice celebrarent, emere ac vendere ſancta non hæſitarent, eccleſias, oblationes, decimas & cœmeteria laici, & eorum ditioni Sacerdotes ſubditi poſſiderent; uſurarii ſive fœneratores injuſta ex alienis damnis lucra coacervarent, nec ob hoc tamen minus eorum aliqui vel eccleſias intrarent, vel myſteria ſacroſancta perciperent: adeo erant omnes diſciplinæ totius expertes. Porro ſubſtantia domus epiſcopalis, diſſipantibus non tam Epiſcopis quam tyrannis qui præceſſerant, pene fuerat tota conſumpta: unde multas ibidem etiam neceſſarii victus inopias per plures pertulit annos; eo quod nec illicitis contractibus (ſicut pluribus mos eſt) ſuas indigentias ſupplere volebat; & mutuare, unde redderet non habere ſe cogitans, minime præſumebat. Verum tot & tanta ſuſcepti populi vitia vel peccata, quanta vigilantia quibuſve prædicationis & diſciplinæ flagellis perſecutus fuerit; quos ibidem labores, quos diſcurſus, quaſve ſolicitudines inſumpſerit; quæ jejunia, quas vigilias, quas pſalmodias, quos gemitus, quas preces, quoſque lacrymarum imbres, ad propitiandum pro eis Dominum, paterna pro eis compaſſione profuderit, non eſt noſtræ facultatis evolvere. Sed nec, quis ex tantis laboribus provenerit fructus, noſtris exponi verbis aut poteſt aut opus eſt; cum rerum in melius manifeſta mutatio idipſum cernentium evidenter ingerat oculis.

Depravatos mores in diœceſi repertos,
E
magno labore emendat.
F

ANNOTATA.

a *Anno* 1080, *in quo, depoſito Achardo*, Gibilinus *factus eſt Arelatenſis Archiepiſcopus.*

b Guarmandus *alibi, ſedit ab anno* 1077 *ad* 1083.

c *Acta collegit & edidit Italice Franciſcus Maria Florentinius. Plurima de ea dicuntur in Vita S. Anſelmi Ep. Lucenſis, à nobis edita ad diem* 18 *Martii, potiſſimum cap.* 2.

CAPUT III.

Monachatus Cluniacenſis per annum. Frequens in Carthuſia cum S. Brunone & aliis converſatio. Inter afflictiones donum lacrymarum.

10 IPſe vero interim, pennatorum in Ezechiele animalium, coram ſua ſemper facie gradientium, ſedulus imitator, ſeſe ante ſe ponere, & ſua vel pericula vel profectus ſubtili examinatione diſcutere non ceſſa-

AUCTORE GUIGONE CARTHUS.

ceſſabat. Contemplans itaque ſuam vel ætatem, vel morum imperfectionem (in quam præcipue uſque ad mortem mentis oculos intentos & ipſe habuit & alios habere perſuaſit) & ſuſcepti pondus officii, necdum duobus poſt conſecrationem expletis annis, contemptis omnibus, *a* Caſæ Dei ordinis Cluniacenſis, factus eſt monachus: ibi quippe majus tunc paupertatis & humilitatis ſtudium viſebatur. Ubi Sanctorum, quorum ibidem aderat copia, virorum ſuccenſus exemplis; eoſque ſuis, quamquam novitius, non minus ipſe ſuccendens, annum fecit; cum ceteris bonis, tum præcipue humilitate (cujus præ cunctis virtutibus ſectator extitit indefeſſus) cunctis amabilis. Ita namque ſeſe gerebat, ut cunctorum imitatione pariter & veneratione dignus exiſteret. Poſt hoc cogente, qui ſe ſacraverat, memorato Sedis Apoſtolicæ Præſule Gregorio ſeptimo, ad Epiſcopatum à monaſterio, quo fervens intraverat, ferventior eſt reverſus; ex unius anni ſtudiis tanta virtutis incrementa reportans, quanta de diuturnæ vitæ laboribus vix aſſolent multi: pro clauſtro circumſpectionem habens pervigilem, qua non tantum ſui ſenſus corporis, ſed & cogitationes comprimeret cordis: pro Abbate juſtitiam, à cujus mandatis nec proſperis unquam potuit nec adverſis abduci: pro congregatione autem religioſos (quibus, propter illud, Cum ſancto ſanctus eris & cum viro innocente innocens eris, carere numquam voluit) ſocios imo totam univerſaliter Eccleſiam, quam tam ſinceræ dilectionis complectebatur affectu, ut ejus nec adverſa nec proſpera inconcuſſis poſſet tolerare viſceribus. Nam juxta illud Apoſtoli, Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror? ſemper Eccleſiæ & lætabatur proſperis & & torquebatur adverſis.

a Fit monachus Cluniacenſis:

cogente S. Gregorio VII redit ad Epiſcopatū:

2 Reg. 22, 26

A

B

2 Cor. 11 29

11 In his agebat, & ecce tribus necdum in Epiſcopatu, poſt monaſterii reditum, completis annis adeſt Magiſter *b* Bruno; vir religione ſcientiaque famoſus, honeſtatis & gravitatis ac totius maturitatis quaſi quoddam ſimulacrum. Habebat autem ſocios Magiſtrum Landuinum (qui poſt eum Carthuſiæ Prior extitit) duos Stephanos, Burgenſem & Dienſem, (hi *c* S. Rufi Canonici fuerant, ſed deſiderio vitæ ſolitariæ ei, Abbate favente, ſeſe conjunxerant) Hugonem etiam, quem cognominabant Capellanum, eo quod ſolus ex eis Sacerdotis fungeretur officio; duos laicos, quos appellamus Converſos, Andream & Guarinum. Quærebant autem locum eremiticæ vitæ congruum, necdumque repererant. Hac ergo ſpe, ſimul & ſuavi ſanctæ converſationis ejus odore trahente, ad virum ſanctum venerunt. Quos ille non ſolum gratanter ſed & reverenter ſuſcepit, tractavit, & voti compotes fecit. Ipſo namque conſulente, juvante, comitante, Carthuſiæ ſolitudinem intraverunt atque extruxerunt. Viderat autem circa id tempus per ſomnium in eadem ſolitudine Deum, ſuæ dignationi habitaculum conſtruentem; ſtellas etiam ſeptem, ducatum ſibi præſtantes itineris. Erant vero & hi ſeptem. Quapropter non iſtorum tantum, ſed & qui ſucceſſerunt eis, conſilia libenter amplexus eſt; & uſque ad mortem Carthuſiæ habitatores conſiliis fovit ſemper & beneficiis.

b S. Brunonem cum ſociis Benigne excipit:

c

juvat in condenda Carthuſia:

C

cumiisvivit humillime:

12 Licet vero & prius divini amoris totus arderet incendiis; non aliter tamen ad diſciplinæ cæleſtis exercitia eorum exemplis & familiaritate inferbuit; quam ſi flammanti quis faci plures circumponat alias ardentes. Erat cum eis, non ut Dominus aut Epiſcopus, ſed ut ſocius & frater humillimus, & ad cunctorum, quantum in ipſo erat, obſequia paratiſſimus; adeo ut vir venerabilis Guilhelmus, Prior tunc S. Laurentii, poſtea *d* S. Theofredi Abbas, Magiſtro Brunoni etiam ipſe religioſa devotione non mediocriter alligatus, B. Hugonis contubernalis (bini quippe tunc per ſingulas inhabitabant cellas apud Magiſtrum Brunonem) non leviter conquereretur, quod pene omnia, ad humilitatem ſpectantia, intra cellam ſibi præriperet officia; & Epiſcopus non ſecum, ſaltem ut ſocius, ſed potius converſaretur ut famulus: non licere ſibi triſtis aſſerens ex ſervilibus operibus quidquam attingere, quæ juxta morem debebant per vices efficere, eo ſibi cuncta præripiente. In tantum autem eremum devotus incolebat & ſedulus, ut eum Magiſter Bruno nonnumquam exire compelleret, Ite, dicens, ite ad oves veſtras; eiſque, quod debetis, exolvite. Eo tempore, magnæ paupertatis & humilitatis ardore ſuccenſus, voluit equitaturas ſuas cunctas vendere, & diviſo pauperibus pretio, propriis pedibus in prædicatione diſcurrere. Sed homo profundi cordis, Magiſter Bruno ſcilicet, cujus conſiliis non aliter quam præceptis obtemperabat Abbatis, non conſenſit; timens ne apud ſe forſan extolleretur, aut à ceteris de ſingularitate judicaretur Epiſcopis; aut (quod dubium non erat) idipſum propter aſperitatem & inæqualitatem itinerum conſummare non poſſet.

D

à S. Brunone ad Epiſcopatum remittitur:

13 Factum eſt autem, ut, dum contemptis carnalibus, ſpiritualia zelo ferventiore ſectaretur, præ nimiis vigiliis, jejuniis & lectionibus, orationibus & meditationibus, & reliquis ſacris exercitationibus, capitis & ſtomachi graviſſimam deciderēt in ægritudinem, cujus moleſtiis & cruciatibus, omni fide frequentioribus & acrioribus, per quadraginta ad minus annos, quoad vixit, nequaquam caruit: atque ita ad illum, cujus ſupra meminimus, ſatanæ angelum, quo multiplicius colaphizatus minus extolleretur, alter eſt additus. Quantūm autem his duabus afflictionibus, tentatione videlicet & ægritudine, tamquam aurum in fornace, decoctus atque purgatus, in ſpiritualem erga Deum devotionem, & in omnium afflictorum veram compaſſionem excreverit; nec ipſe adhuc vivens ad plenum, ſi vellet etiam, poſſet exponere. Quo enim per hæc magis affligebatur, eo vehementius ſpretis, quæ mundi ſunt, in Deum, refugium verum & unicum, totus efferebatur; voluptatem inde, ſicut ajebat, tanto pleniorem hauriens atque ſuaviorem, quanto fuerat anguſtiam paſſus acerbiorem, juxta illud Pſalmi, Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Hujuſmodi *e* alteritatum in eo ad finem uſque non ceſſavere viciſſitudines: nunc enim in ſuperna totis viribus ſpiritalibus erectis oculis, guſtando & videndo quoniam ſuavis eſt Dominus, ineffabilibus recreabatur gaudiis; nunc infirmitatis humanæ pondere relapſus ad ſolita, prioribus non vacabat anguſtiis. Utrobique lacrymæ: ibi pro gaudio, hic pro tædio. Quid plura? Factæ ſibi fuerant lacrymæ ſuæ panes die ac nocte: non has illi proſpera, non has ſiccabant adverſa: vix legere, vix pſallere, vix ſine his divina meditari. Adeo namque harum in eo excreverat gratia, ut frequenter nec edenti, niſi frænatæ, deeſſent: multoties enim per has ſibi & ſociis convivium, maxime aliquot ante finem annos, vel impediebatur, vel fuſcabatur.

intergraves capitis & ſtomachi dolores & tentationes,

E

conſolationibus divinis recreatur.

Pſ. 93 19

e

F

Gratia lacrymarum donatur:

14 Habebat quippe lectorem, à quo ſanctos codices, quorum non paucos ſcribi fecerat, & alibi & præcipue ſibi ad menſam legi faciebat, ut duplicatis deliciis ſeſe ſuoſque ſaginaret. Cumque lectori de divinis vel ſeveritatibus vel miſerationibus aliquid occurriſſet inſigne, idipſum bis aut ter dicere compellebat: nec mora, ſpiritali per Scripturam voluptate guſtata, concuſſis ab imo viſceribus, tantis lacrymarum infundebatur irriguis, ut voluptatem ventris & gutturis, & ſibi funditus tolleret, & in ſociis temperaret.

etiam cum ad menſam audiret legi ſacros codices,

Edocti

A Edocti itaque per experientiam comites, cum tales motus cernerent imminere, innuebant lectori cedere,& aliquantiſper à legendo ceſſare,ut taliter moleſtiam hanc poſſent ad tempus declinare. Hanc autem divini muneris gratiam peccatores,ob confeſſionem ad eum venientes, vel maxime ſentiebant: clementer enim hos humiliterque ſuſcipiens,patientiſſime audiebat; aliquando flens ipſe cum flentibus, aliquando vero ad lacrymas ſuis eos excitans fletibus: quod uno liquebit ſufficienter exemplo. Vir Deo carus *f* Gauterius, cognomento Calneſius, qui apud nos in monachatu diu laudabiliter vixit & obiit, ſolebat referre;quod cum in ſeculo poſitus,ſuas ei confiteretur offenſas (erat enim in Eccleſia Gratianopolitana litteris & honore præclarus) incubuerit ipſe ſuper caput ejus, & tantam vertici lacrymarum infuderit copiam,ut madefactis capillis, deorſum etiam rivuli per confitentis ora defluerent. Porro mulierum confeſſiones non minus caute, quam benigne ſuſcipiebat: non enim in angulis,aut obſcuris aut ſecretis locis eas audire ſolitus erat;ſed potius ubi à pluribus conſpici poſſet: & aurem quidem ſatis familiariter applicabat,oculorum autem in alteram partem vertebat adſpectum; auditum ſolum,propter inſidias diaboli,hujuſmodi negotiis aſſerens applicandum.

aut confitentium peccata audiret.

f

B

ANNOTATA.

a Caſa-Dei *monaſterium in Arvernia, fundatum à S. Roberto primo ibidem Abbate, mortuo anno* 1058 *die* 24 *Aprilis, ad cujus Acta plura de illo monaſterio dicentur. Wion perperam S. Hugonem appellat* Abbatem Caſleſienſem.

b *Hæc latius referuntur in Vita S. Brunonis, ad* 6 *Octobris, hinc ob ſinceritatem & antiquitatem illuſtranda. Libro* 1 *Speculi MS. Carthuſiæ cap.* 5. *dicitur* S. Hugo credi ſocius in ſcholis fuiſſe Magiſtri Brunonis.

c *Erat tum hoc* S. Rufi monaſterium *ad muros urbis Avenionenſis: ſed poſtea ab Albigenſibus vaſtatum, dein Valentiam tranſlatum eſt.*

d *Monaſterium S. Theofredi, à* S. Calminio, *Duce Arvernorum extructum, ſex leucis diſtat Podio, in cujus eſt diœceſi. Coluntur S. Calminius* 19 *Auguſti, & S. Theofredus* 18 *Aug.*

e Alteritas, *viciſſitudo. S. Auguſtinus de Muſica lib.* 6. Cum adhibentur ea, quæ nonnulla, ut ita dicam, alteritate corpus afficiunt.

f *Aliis* Galterius *&* Gualterius.

C

CAPUT IV.

Oculorum & aliorum ſenſuum ac linguæ Sancta cuſtodia.

Oculorum cuſtos diligens non aſpexit vultus feminarum. Rom. 13. 7.

15 PRædictam ſuorum oculorum cuſtodiam incredibili ſemper & ubique circumſpectione ſervabat; ita ut, cum potentes ac nobiles mulieres (juxta illud Apoſtoli, Cui honorem, honorem) ad colloquium honorifice hilariterque frequenter ſuſciperet;multa coram ſe diuque tractantium facies penitus non videret. Dicebat enim, cogitationes illicitas difficillime poſſe vitari, niſi quis corporis ſenſus vigilantia multa compreſſerit: intrare autem,ſecundum Prophetam, mortem per has quaſi feneſtras, & ingredi domos noſtras. De qua etiam cohibentia ſenſuum dum vice quadam cum religioſis quibuſdam colloqueretur (inter quos erat vir litteris & puritate conſpicuus, Dominus ſcilicet Airaldus, Archipresbyter tunc ipſius, nunc Mauriennenſis Epiſcopus) reſpondit idem vir Domini Airaldus, paſſim ſe mulieres adſpicere, nec earum ſibi nocere contuitum; eſt enim caſtiſſimus: ad quod ille, non à mulierum tantum, ſed à virorum quoque vultibus religioſæ mentis avertendum reſpondit intuitum; aſſerens (quod experientia ſua poteſt quiſque conjicere) per communionem humanæ mutabilitatis atque compaſſionem, fieri, ut affectiones conſpecti frequenter ad conſpicientem inæſtimabili velocitate pertranſeant, &, verbi gratia, de irato iratus, & de triſti triſtis, & de laſciviente fiat laſciviens: quas paſſiones ſatis eſſe habere quemquam proprias, non in ſe tranſcribere taliter alienas: nullius ſe totius Epiſcopatus ſui mulieris, præter unius, ita faciem adſpexiſſe, ut ex conſideratione vultus, ſi occurreret, quænam eſſet, poſſet agnoſcere. Quid hac reſponſione caſtius? quid circumſpectius? quid philoſophia vera refertius? Talem utique ſe mulieribus exhibuiſſe, caſtiſſimum: talia in humanis affectionibus advertiſſe, ſapientiſſimum. Hinc fuit illud, quod cum de matre mea (quæ cum eo, quæ voluit, quam diu voluit, locuta fuerat) ab eo quæſiſſem utrum eam valde ſenecta fregiſſet; paululum ſecum præmeditans, neſcio, inquit, utrum ſit vetus an non. Hinc & illud, quod mulierequadam, potentia nobilitatequæ præclara, cujus nomen edicere nolumus, in ejus conſpectu, quam moroſe placuit, multa loquente; cum & ipſe, quod libuit, reſpondiſſet, illaque diſceſſiſſet; dicerentque ſocii ejus, quos prudentes & religioſos ſemper habere curabat, cur non eam corripuiſſet, quod ſe ſuamque faciem tam facete tamque laſcive poliret; reſpondit ille, non ſine horrore quodam & execratione, faciem ejus ſe penitus non vidiſſe. Et quid mirum, quod faciem illius unius non viderat, qui nullam noverat? Ubi nunc Sacerdotum, ubi plurimorum in ſacro habitu conſtitutorum curioſa laſcivia, laſcivaque curioſitas? Attendant hæc & imitentur, ſi poſſunt: mirentur & revereantur, ſi non poſſunt. Sed & qui ſanctitatem ſine miraculis nihili ducunt; quæ nos ideo non magni facimus, quoniam ab electis hæc & reprobis haberi communiter ſcimus, & in majoribus Patriarchis multiſque aliis qui Deo valde placuêre Sanctis vel nulla vel pauca reperimus: qui tamen, ut dicere cœperamus, miracula quærunt, etiam atque etiam conſiderent, utrum mirabilius ab homine, mortali carne circumdato, quidquam debeat exigi; & utrum cuiquam poſſit non impoſſibile videri, per quinquaginta & amplius annos grandem Epiſcopatum à quolibet homine regi, & præter unius, nullius omnino feminæ faciem ſciri. Et certe erat hæc ipſa parum quidem formoſa, ſed conſilii ejus ſatis indiga. Et tamen ad ipſius præſentiam, non ſolum ex ſuo, ſed etiam ex aliis Epiſcopatibus, ſeu pro confeſſione, ſeu aliis cauſis innumeris, tanto devotius frequentiuſque veniebant, quanto ſanctiorem cognoverant.

Ier. 9. 21.

AUCTORE GUIGONE CARTHUS.

D

imo nec virorum:

& unicam ſolam feminam de facie noverat,

idque per annos, 50. in toto Epiſcopatu:

E

F

16 Non autem hunc ſolum, id eſt, oculorum ſenſum, ſed & ceteros omnes ſimili diligentia cohibebat. Aures namque & linguam cum à ceteris illicitis, tamen quam maxime ab obtrectationibus frænans, ajebat ſufficere unicuique propria peccata; nec eſſe neceſſe, ut alienis, ſuam vel audiendo conſcientiam, vel loquendo contaminet linguam. Rumores nec interrogabat, nec facile referebat. Veracem autem eum fuiſſe in ſuis ſermonibus, quo certius, quam inimici teſtimonio probare poterimus? *a* Guigo Comes, ad ea quæ mundi ſunt, homo ſatis idoneus, circa eumdem etiam Dei famulum tranquillitatis tempore valde devotus, invictiſſime pro juſtitia reſiſtenti, moleſtias non parvas nec paucas intulit: bis namque, ut multa taceamus, ab eo pro ſuis eſt excommunicatus exceſſibus, bis eum Epiſcopalibus expulit domibus. Itaque cum grande placitum inter eos haberetur, in præſentia *b* Guidonis Viennenſis Archiepiſcopi, qui poſtea Papa Calixtus effectus eſt, & vir Dei, juxta illud quod ſcriptum eſt, Juſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit, juſtitiam adverſus Comitē aperta contradictione defenderet; indignatus ille atque

aures & linguam arcte frænat veritatis ſtudioſiſſimus.

a

b

Prov. 28. 1.

AUCTORE GUIGONE CARTHUS

A atque iracundiæ facibus inflammatus, paratuſque, ſicut apparuit, quidquid potuiſſet objicere, quaſi pro gravi crimine intulit, dicens: Audivi aliquando à vobis ego, quod verum non erat dici. Ad hæc Sanctus Epiſcopus, coram cunctis qui aderant (aderant autem diverſi ordinis non pauci) interrogavit, utrum ſe ſcientem audiſſet mentitum. Tunc ille, quamquam iratus, quamquam furore repletus, veritatis tamen pondere preſſus; eum ſe reſpondit ſcienter nullatenus audiſſe mentitum. De veriloquio igitur ipſius hoc unum hoſtis & irati ſufficiat teſtimonium.

17 Et quamquam digreſſionis forſitan arguamur, quia tamen per Comitem beati viri patuit veritas, per eumdem monſtretur conſequenter etiam caritas. Infeſtiſſimus, ut dictum eſt, erat ei, adeo ut non in ſuis domibus, ſed aut nobiſcum, aut Lugduni demoraretur: ejus quippe civitatis Eccleſia magnam illi reverentiam, magnumque in ſuis tribulationibus præſidium ſemper exhibuit, ejuſque conſiliis in gravioribus uti negotiis pergratum habuit. Cum ergo die quadam de Comite pariter loqueremur, ait ipſe bonam ſe de ſalute illius ſpem gerere; nec aſſecuturum Dei miſericordiam deſperare, quia numquam delectabilius aut ferventius quam pro eo ſolitus fuiſſet orare. Miranda caritas, ſed & ſtupenda non minus humilitas: quid enim caritate plenius, quidve apud homines ſingularius, quam orare non ſegnius pro perſequente, quam obſequente? Quid autem humilius, quam hanc ipſam devotionem non ad ſua, ſed ad ipſius referre merita; non quæ jam eſſe ſciret, ſed quæ futura ſperaret? Quia igitur certum eſt ab eo mandatum eſſe impletum, quo dicitur, Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos; dubitari non licet, aſſecutum etiam mercedem quæ ſequitur; ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Qua profecto mercede nihil beatius, ut & præcepto nullum ſublimius. Accedant itaque, qui cordis non carent oculis, ut videant cujus ſit meriti, qui talis executor præcepti, tanti compos eſt præmii.

Orat ferventer pro infeſtiſſimo perſecutore.

B

Matt. 5. 44.

18 De tactu vero vel odoratu, ſuperflue facimus mentionem: quorum alterum, id eſt, odoratum ad hoc ſolum curabat, ut putores propter paſſiones cerebri nonadmitteret; alteri vero, id eſt tactui, & antequam ordinaretur, in totum valefecerat. Nec ideo ſe ſuoſque ſenſus ab intuitu feminarum tam diſciplinate frænabat, quod circa libidinis vitium ſe ſentiret infirmum (quippe quem & præfatæ tentationis atque infirmitatis anguſtiæ, & eccleſiaſticæ diſpenſationis multiplices curæ, & maxime aſſiduum legendi, pſallendi, orandi, meditandi, ſpeculandique divina ſtudium, ad hujuſmodi delectationes pene fecerant inſenſibilem) ſed ut ſui habitus & officii, qualem decebat, maturitatem ſeveritatemque ſervaret; & contra inveterati hoſtis inſidias, circumſpectionis infirmioribus, quæ ſequerentur, exempla monſtraret; docens, non debere quemquam de quantalibet puritate vel firmitate præſumere, cum & homo, teſtante Job, in eodem ſtatu non perſeveret; & adverſarius rugiendo ſicut leo circumiens, quærat ſine ceſſatione quem devoret: David & Salonem præ oculis ponendos, quorum, quia ſe circa mulieres exhibuere licentius, alter ex ſumma innocentia in adulterium decidit & homicidium; alter de ſapientia, qua mortales cunctos exceſſerat, in ſervitutem uſque deſipuit idolorum. Deſideria porro ventris, & gutturis vir beatus inſtantia quanta repreſſerit, res ipſa, tacentibus nobis, certioribus probat indiciis. Capitis namque dolores & ſtomachi, his maxime creati ſtudiis, ſatis & ſuper ſatis eum ab hujuſcemodi monſtrant abſtinuiſſe deliciis.

in odoratu & tactu recte ordinando accuratus:

C

Iob 14. 2.

non deditus ventri aut gutturi.

ANNOTATA.

a *Floruerunt iſto tempore* Guigo Craſſus, *Filius Guigonis veteris, qui & Comes Albonenſis*, & Guigo Comes Foreſtenſis, *de quibus agit Nicolaus Choirerius lib.* II. *Delphinatus pag.* 797 *at quiſnam hic ἀντονομαστικῶς Guigo Comes appelletur, dijudicent alii.*

b *Guido, è nobiliſſima Comitum Burgundiæ familia, creatus Archiepiſcopus anno* 1083, *dein Legatus Apoſtolicus, Papa electus eſt an.* 1119, & Calliſtus II *dictus, mortuus an.* 1124.

CAPUT V.

Eleemoſynæ factæ: munera ſpreta: diſſidia ſublata. Conciones. Auctoritas ſummorum Pontificum defenſa.

19 ELeemoſynæ ſane fuit & per ſe diligens exſecutor, & in aliis etiam fervidus exhortator: exceptis enim domûs ſuæ dumtaxat neceſſitatibus, cuncta pene, quæ conſequi poterat, non in theſauros congerebat, poſterorum vel diſſipanda litibus, vel conſumenda luxibus; ſed ſciens illud Apoſtoli, Hilarem datorem diligit Deus, diſtribuit lætus egentibus. Denique annulos aureos & gemmatos, calicem etiam ſimiliter aureum vendidit, tempore magnæ famis, horreis defectum minantibus; & alendis impendit pauperibus. Adjuvabant etiam non minime hanc in eo gratiam potentes & nobiles; qui ſanctæ converſationis ejus, longe lateque ſalubriter ſuaviterque fragrantis, odore percepto, de remotis etiam regionibus, quamvis eum non vidiſſent, ob divinam tamen reverentiam beneficia multa mittebant. Procul non à menſa tantum ejus, ſed à totis etiam atriis, hiſtriones tamquam vaſa perditionis & organa falſitatis: procul militares clientes, tamquam rapinarum & cædium & totius inſtrumenta crudelitatis: procul etiam equites, niſi rari, & ipſi raro, reſpectuque quam maxime *a* ſpecialis utilitatis. Non enim æquum putabat, eccleſiarum bona, quæ patrimonia ſunt æſtimanda pauperum, in aliorum expendi, præſertim malorum, uſibus hominum: imo magis ſemetipſum, tamquam ex pauperibus unum, graviter accuſabat, quod ſibi ac ſociis de rebus ſibi commiſſis competentem ſumeret copiam, ac non potius ſuſtineret cum pauperibus & ipſe pauper inopiam. Eleemoſynam igitur, ut diximus, libenter faciebat; ſedule ſuadebat; pro ſatisfactione etiam pœnitentibus injungebat. Hæc namque tria præcipue culpas ſuas emendare cupientibus ſectanda præcipiebat, orationem, jejunium & eleemoſynam; non humanam in hoc temeritatem, ſed Evangelicam ſequens auctoritatem. Dicit enim Dominus, peſſimum dæmoniorum genus ejici non poſſe, niſi in oratione & jejunio. Alibi quoque Phariſæis loquens, Date, inquit, eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.

Largus in eleemoſyna dandis.

D

2 Cor. 9.

E

non admittit hiſtriones, clientes, equites.

a

ſuadet ad eleemoſynas:

F

Mar. 92.

Luc. 11.

20 Verum ſi ſcribere velimus, quanta moderatione hæc ipſa pro perſonis, viribus, affectibus & facultatibus diſpenſare ſolitus erat; quamque ſapienter & ſobrie res ſuas in ſuorum & ſuos ſpiritales & corporales uſus, nec non & pauperum ſolatia diſtribuerit; erit quidem non ſolum ſanctitatis ejus, ſed & ſolertiæ documentum evidentiſſimum; ſed lectoris debemus vitare faſtidium. Illud ſane quo pacto præterire poſſumus, quin vel breviter attingamus, quod cum frequentiſſime ſuorum & alienorum cauſas mundanas & eccleſiaſticas audiret, ventilaret, terminaret; cumque in ſubditis ſibi Clericis per tam prolixum vitæ ſpatium toties conſecrationes, degradationes, reconciliationes, pro perſonarum & eccleſiarum competentibus cauſis & neceſſitatibus, celebraret; manus

Munera reſpuit:

A manus ſuas tamen ab omni, ſecundum Propheticum
Iſa.33. 15. præconium, excuſſit munere. Eo judice, nulli unquam, perſonæ dignitas; nulli, pecuniæ profuit quantitas: nullum paupertas, nullum quantacumque officiorum ſive natalium reum fecit extremitas: non mitiorem amicus, non duriorem expertus eſt inimicus: non deargentatam convictis vel confitentibus impoſuit pœnitentiam; non lucroſam in placitis defendit ediditve ſententiam: non conſiderabat perſonam pauperis, non honorabat vultum potentis: quod beati viri eo præclarius illuſtrat meritum, quo rarius vel in præſentibus vel in præteritis habet exemplum. Quanta nobis hoc loco, ſi laudare comparatione malorum bona velimus, offertur materia in præſentium temporum fæces invehendi; in quibus cum dedecore atque everſione honeſtatis & æquitatis, pecunia templa penetrat, altaria maculat, ſacerdotia venumdat, innocentiam exterminat, omnia divina profanaque contaminat? Excæcant nunc munera oculos ſapientum, & ſubvertunt verba juſtorum: omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones: à minimo uſque ad maximum omnes avaritiæ ſtudent, à Propheta uſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum: non deficit de plateis noſtris uſura & dolus: poſtremo in capite omnium avaritia, & pecuniæ obediunt omnia. Sed hæc hactenus: non enim iſta ſuſcepimus.

intorruptus in judiciis,

B 21 Ad Dei igitur hominem verba vertamus, qui temporalium negotiorum litigioſas cauſas æternorum amore non amare, ſed tolerare, magiſtra pietate, didicerat. Dicebat enim omni febre moleſtiora ſibi placita, modiſque omnibus his abrenuntiaturum, ſi non in hoc Deum ſe ſciret offenſurum. Intererat autem illis tantummodo pacis obtentu, maxime pauperum atque eccleſiarum: his etenim noverat gravius motus nocere guerrarum. Ubi vero inexorabilia in aliquibus odia & inexpiabiles repererat iras, tunc demum fortiſſime, de Dei fiſus auxilio, totuſque in caritatis atque humilitatis ſolutus affectum, inſtantiſſime ac devotiſſime, offenſis, pro his qui offenderant, ſupplicabat. O quoties ſalutis humanæ quaſi cæcatus deſiderio, in cœnoſa ſe pro talibus cauſis loca projecit! quoties ad pedes contemptibilium etiam perſonarum diu proſtratus jacuit! Nec facile, imo pene numquam fruſtrabatur optatis: nam & ſiqui negaſſent; non ſolum gratis, ſed & cum ſatisfactione pœnitentes, offerebant poſtea non roganti, quod negaverant ſupplicanti. Tantam quippe omne genus hominum ei reverentiam deferebat, ut

diſſidentes cum caritate & humilitate conciliat.

C Deum graviter offendiſſe ſe crederet, quiſquis ei poſtulata negaſſet.

22 Fuit etiam prædicator egregius: erat quippe non mediocriter litteratus. Sed & ingenio & memoria bene præditus erat, inquantum moleſtia capitis non obtundebat: nam & litteras ſuas ipſe dictabat, eas præſertim quarum ei cura propenſior erat. Ideo autem prædicans facilius ſuadebat, quia quod verbis dicebat, operibus oſtendebat. Ut enim commiſſam efficacius inſtrueret plebem, faciendo præveniebat ſermonem: ſicut & de Domino ſcriptum eſt, quia cœpit Jeſus facere & docere. Inſtruebat igitur ad confeſſionem, excitabat ad pœnitentiam, promptam ad ignoſcendum divinam monſtrando clementiam: nec quærebat in quo à litteratis quaſi ſapiens laudaretur, ſed quod ab auditoribus & melius intelligeretur, & utilius retineretur. Denique in tantum auditores ejus interdum prædicatione ejus movebantur, ut capitalia etiam aliqui crimina, Deum magis verentes quam homines, publice faterentur: quod ſequens declarabit exemplum. Apud *b* Vinnaicum caſtrum, populo multo, ad dedicationem eccleſiæ congregato, verbum fecit quo in multas lacrymas audientium corda reſolvit. Ibi mulieres duæ,

Qua verbis docet, re ipſe facit: Act. 1. 1.

b & in concione ad lacrymas

quæ (ſicut apparuit) ejus verba profundius aure cordis imbiberant, audientibus pluribus ſcelera confeſſæ ſunt, quæ commiſerant: & poſterior quidem quid dixerit, non ſatis habemus compertum; prior autem ſuum ſe prodidit occidiſſe maritum. Cumque vir Dei necis exquireret modum, retulit in eſcam illi ſe dediſſe venenum: poſt quæ juſſit præſentes abſcedere, ut ei ceteri, quod volebant, liberius poſſent oſtendere. Tanta vero ad confitendum fuit reliquæ plebis inſtantia, ut ne dimidiam quidem partem ejus, in tali opere valde licet devota, auſcultare quiverit tolerantia. Hoc à vire ætate & ſanctitate reverendo Wilhelmo, S. Theofredi nunc Abbate tunc monacho, nos audivimus, qui beati viri per annos pluſquam viginti comes extitit individuus.

D AUCTORE GUIGONE CARTHUS.

& publicam peccatorum confeſſionem movet:

23 Sed quando nos omnia bona ejus, vel breviter tangendo, memoriæ mandare poterimus? Congeſſerat namque in illum unum divina gratia virtutum ornamenta plurima, quę diſpertita per ſingulos, plurimos illuſtres ſufficienter facere poſſent atque conſpicuos. Si enim laudatur caſtitas, quis illo mundior? ſi ſermonis veritas, quis in loquendo cautior? ſi Dei caritas, quis ferventior? ſi proximi, quis benignior? ſi humilitas, quis dejectior? ſi eleemoſyna, quis largior? ſi oratio, quis devotior? ſi lacrymarum gratia, in quo effuſior? ſi contemplatio, in quo ſublimior? ſi tolerantia, quis in tribulatione fortior? ſi juſtitia, quis diſtrictior? ſi prudentia, quis circumſpectior? ſi temperantia, quis moderatior? Verum cum talis eſſet ac tantus, ipſe tamen, juxta illud Evangelii, Cum feceritis omnia, dicite, Servi inutiles ſumus; ſe infructuoſum, ſe ſemper accuſare non ceſſabat inutilem, qui Epiſcopi locum occuparet, Epiſcopi honorificentiam ſuſciperet, Epiſcopalia bona conſumeret, Epiſcopi vero nec merita, nec fructus haberet. Et certe præſto erant, quæ poſſent menti ejus non modo ſolamen afferre, ſed & in ſuperbiam, niſi tam ſolida eſſet, extollere. Ut enim taceamus, quæ Clero pariter & plebi per eum bona provenerant, eremus Carthuſiæ, Caleſienſis Abbatia, Excubiarum eremus, Regularium Canonicorum apud Miſerenum & apud S. Georgium domus, ipſo adnitente cœperant, ipſo ſpiritaliter & corporaliter fovente profecerant. Sed ipſe imperfectionem ſuam, qua nec Apoſtolus carebat, dicens, Non quod jam acceperim aut perfectus ſim, tantummodo cogitans; & cum Pſalmiſta dicente, Ut ſciam, quid deſit mihi; non quid ſibi virtutis adeſſet, ſed quid deeſſet ſubtili admodum diſcuſſione conſiderans, Epiſcopalem ſarcinam modis omnibus exuere deſiderabat: qua ſententia vel deſiderio, ſicut in principio diximus, ab initio ſuæ promotionis ad mortem uſque non caruit.

excellit in omni virtutum genere.

E

Lu. 17. 10.

& ſe inutilem ſervum æſtimat:

juvat in monaſteriis conſtruendis,

Phil. 3. 12.

Pſ 38. 5.

F 24 Hac igitur voluntate indies augmenta ſumente, Romam legatos & litteras in hoc ipſum ad venerandæ memoriæ Papam miſit *c* Honorium. Sed cum legati poſtulata non impetraſſent, imo magis litteras ad eum conſolatorias & ad perſeverandum exhortatorias accepiſſent; ipſemet quamvis morbis ac ſenectute gravatus, ſpe tamen in poſterum quieſcendi roboratus, eumdem Romanum Pontificem adire curavit; rogans ſuppliciter & obteſtans, dari ſenectuti ſuæ licentiam quieſcendi, & eccleſiæ Gratianopolitanæ meliorem in ſuum locum Paſtorem ſubſtituendi. Sed nec ipſe (quamvis multas, ut putabat, juſtas & animi & corporis allegaret occaſiones) impetrare valuit, ut ſibi tantum & Deo vacare permitteretur. Creditum eſt enim, quod ſola auctoritate & ſanctæ converſationis exemplo plus poſſet plebi prodeſſe ſubjectæ debilis & ægrotus, quam quivis alius, robuſtus licet & ſanus. Conceſſis itaque ceteris quæ petebat, honoratuſque à Summo Pontifice & conſolatus ut potuit, ad propria remeavit;

c petit à ſummo Pontifice abſolvi ab Epiſcopi functione.

AUCTORE GUIGONE CARTHUS.

dimittendi tamen Epiſcopatum olim conceptum non depoſuit deſiderium.

25 Defuncto autem *d* Honorio, cum per tyrannicam & ſchiſmaticam rabiem, non ſuis meritis ſed cognatorum & fratrum fultus præſidiis, *e* Petrus Leonis adverſus veſtram innocentiam, quæ beatæ memoriæ Honorio ſucceſſerat, emerſiſſet, atque hoc vir Dei certiſſime comperiſſet; morbis licet, ut diximus, & ætate conſumptus; zelo tamen domus Dei, cujus diligebat decorem, perrexit *f* Anicium, ut eumdem cum aliis Epiſcopis excommunicaret ſchiſmaticum. Quæ profecto excommunicatio, propter auctoritatem tanti viri, contulit multum & profectum Catholicis & detrimentum ſchiſmaticis. Et certe tam idem Petrus, quam pater ejus, ſancto viro multas olim veneraciones & obſequia præſtiterant: ſed beatus homo in tali negotio, id eſt, ubi periclitabatur juſtitia, nec amicitia flectebatur, nec potentia terrebatur. Nam & ante aliquot annos, cum Henricus Imperator Papam Paſchalem, cum Clericis & parte civium, in eccleſia B. Petri nefanda proditione cepiſſet; & eorum qui ſecum erant capti, pietate victum, ad illicita pacta coëgiſſet; ipſe præ cunctis, ut apud *g* Viennam excommunicaretur, effecit: qua excommunicatione, Eccleſiæ ſuæ Domino roborante ſententiam, tyranni illius in contrarium eſt mutata proſperitas, & Imperiali dignitate privata poſteritas. Declinante igitur perſecutiones præfati ſchiſmatici Serenitate veſtra, & Gallias ingreſſa; occurrit ei Valentiam B. Hugo, cum lacrymis rogans & obſecrans (quod & pridem ab anteceſſore veſtro petierat) ut ſcilicet cunctis ſarcinis & honoribus eccleſiaſticis abſolveretur, & utilior in Eccleſia Gratianopolitana Paſtor eligeretur: ſed nec tunc quidem impetrare potuit, quod tam efficaciter humiliterque petivit.

d e *Cum aliis excommunicat Petrum Leonis Antipapæ,* *f*

uti olim Henricum Imperatorem.

g

B

ANNOTATA.

a *Loco* Specialis *in altero noſtro MS. legitur* Spiritualis, *quod & margini apud Surium appoſitum eſt.*

b Vinnaicum *caſtrum, vulgo* Vinay *oppidum, ſex* M. P. *ab Antoniano cœnobio diſtans. In altero MS. legitur* Inſuaicum: *& Surio adjectum eſt* Juſnaicum.

c *Succeſſit Calixto* II Honorius II, *qui obiit anno* 1124, 14 *Decemb.*

d *Menſe Februario, anni* 1130: *& ſucceſſit eodem die Innocentius* II *& contra eum Antipapa.*

e Petrus Leonis *Romanus, anno* 1120 *creatus Cardinalis, Antipapa dictus* Anacletus II, *de quo egimus* 10 *Febr. in Vita S. Guilielmi eremitæ, occaſione Guilielmi ultimi Ducis Aquitaniæ, à S. Bernardo ab hujus ſchiſmate ad Innocentii* II *obedientiam reducti.*

C

f Anicium *ſeu* Podium B. Mariæ *in Arvernia, ubi Gerardus Ep. Engoliſmenſis depoſitus eſt.*

g *Anno* 1112, *Præſide Guidone Archiep. Viennen. & valde collaborante S. Godefredo Ep. Ambianenſi, qui colitur* 8 *Novemb.*

CAPUT VI.

Morbus, viſitantibus monita data. Mors, ſepultura.

Tentatione blaſphemia liberatur,

26 AB hoc tempore cœpit indies magis magiſque deficere, & morti crebreſcentibus moleſtiis propinquare. E duobus namque Satanæ angelis, quos ei ad colaphizandum, ne extolleretur, datos ſupra retulimus, tentatione videlicet atque infirmitate, alter, id eſt, tentatio, ita extinctus eſt, ut nec veſtigium ejus ullum relinqueretur; alter vero, hoc eſt, infirmitas, excreſcere quotidianis non ceſſavit augmentis, donec illo obeunte, ipſe quoque pariter finiretur. Sed cum & antea ſemper verbis & operibus, in ejus beata anima Deum habitare, claruerit; tum præcipue in hac infirmitatis afflictione poſtrema, quis vel quanti foret meriti, & quam ſincero Dominum veneraretur affectu, & quam vera dilectione in tam diuturna vita ſua juſtitiam veritatemque defenſaſſet, latere non potuit. Nam per ejuſdem infirmitatis nimiam violentiam, deleta vel perturbata eſt pene tota memoria, in ea dumtaxat parte, quæ bonis maliſque communis eſt, & bonis ad bonos, malis ad malos indifferenter uſus deſervit, localium & temporalium rerum continens formas. Ea ergo memoriæ parte obliterata ſive confuſa, pars illa, quæ veritatis & juſtitiæ totiuſque divini cultus impreſſa lineis, in hominibus ſanctis & Angelis tantum congruit pietatis actibus, non ſolum æque ut prius, verum etiam conſtantior interdum ferventiorque innotuit: adeo ut Litaniis & Pſalmis pectoriſque contuſionibus, diebus ac noctibus divinæ clementiæ aures interpellando religioſis, qui ſibi ſerviebant, oneroſus plerumque fieret Fratribus.

D

ſervat ſolum memoriam rerum ſpiritualium:

27 Aderant namque ad ſerviendum ei, tam ex ſociis propriis, quam ex noſtra & Caleſienſi, nec non & Excubienſi domibus, octo vel novem, & interdum etiam decem, partim litterati, partim ſine litteris, omnes religioſi Fratres; nec ulla prorſus perſona ſecularis ad ipſius admittebatur obſequium: hi vero die noctuque corporalibus ac ſpiritualibus neceſſitatibus ejus devotiſſime ſerviebant. Erga quos, ſervitores videlicet ſuos, quantum in humilitate (quam inter ceteras virtutes præcipue ſectatum ſupra retulimus) profecerat, quamque profunde puri cordis ſacris eam impreſſerat receſſibus, manifeſtis oſtendit indiciis. Nam ſi quid opus habebat, non à quoquam eorum jubendo tamquam dominus, ſed rogando; nec humanam, ſed divinam potius remunerationem imprecando, ſuppliciter expoſcebat; verbi gratia, Exhibe vel fac mihi hoc aut illud propter Deum, ut Deus hoc tibi retribuat in futuro. Mirabantur autem & vehementer ſtupebant, quod qui ſubjectos omnes, & propriam præſertim familiam, tanta auctoritate tantaque ſeveritate regere conſuevit; in ægritudine, quando ſolent alii, morbi ſtimulante moleſtia, ad irarum & indignationum motus eſſe procliviores, tantam manſuetudinem, tantam induerat humilitatem. Nam etiamſi quis vel modice reprehendiſſet eum, vel aliquam moleſtiam in ejus famulatu ſe pertuliſſe dixiſſet, protinus pugnis graviter pectus verberans, ſe reum clamabat, & virgarum diſciplinam imponi ſibi devotiſſime flagitabat. Quod quia cuncti propter multam circa eum reverentiam recuſabant, flebat ubertim; confeſſionemque illam, qua myſteria celebraturus uti fuerat ſolitus, innumerabiliter repetebat. Pſalmos quoque & divinarum Scripturarum ſententias, litanias etiam & orationes eccleſiaſticas die noctuque incredibili inſtantia frequentabat, ita ut nocte una (ſicut nobis veraci narratione relatum eſt) Dominicas orationes trecentas expleverit. Cumque à ſervientibus ſibi corriperetur, quod hæc agendo non ſolum ſuo fatigationem corpori, ſed etiam augmenta præberet infirmitati; reſpondebat ille, non ſolum non hinc ſuis incrementa miſeriis, ſed inſuper magna provenire remedia.

cum Clericis admittit monachos:

E

28 Ita quippe his aſſueverat ſtudiis, & ita dulcedinem Divinæ laudis & obſecrationis medullitus imbiberat; ut cum cetera pene omnia per paſſionem, ut prædiximus, capitis de memoria diffugiſſent, hæc prorſus de ſanctiſſima ejus mente nulla vel phreneſis vel alterius morbi vi potuerint aboleri. Imo tanto hæc inſtantius & delectabilius revolvebat, quanto cetera, oblivione quoque juvante, rarius incurſabant.

eorumque obſequiums propter Deum humiliter expetit:

ſæpe veniam expoſcit:

F

continenter orat:

morbis magis affligitur;

Et

A *reſolvit etiam quæſtiones occurrentes:*

Et cum plerumque, hac ipſa oblivione cogente, ubi eſſet, vel cum quibus eſſet, neſciret: interrogatus tamen de his quæ ad juſtitiam religionemque pertinebant, ſine cunctatione veraciſſime ſapientiſſimeque reſpondebat. Nam cum falſus rumor exiſſet, quod Comiti *a* Amedeo, qui Comitis Umberti, patris videlicet ſui, ſecutus exemplum, non exiguam beato ſeni reverentiam exhibebat, filius natus fuiſſet, quærerentque qui aſſiſtebant ei, an eum vellet ipſe baptizare; illico non ſine aſpernatione reſpondens, *b* Non, inquit, à quo *b* quis baptizetur curandum eſt; cum baptiſmus, à quocumque datus, ſit ſemper idem. Item diſceptantibus inter ſe qui aderant, quis ſucceſſorem ejus, eo ipſo petente jam electum, in Sacerdotem conſecraret; ſimiliter indignatus reſpondit, non eligendum intra Eccleſiam Catholicam ordinatorem, cum, licet diverſis & à diverſis datum Sacerdotium, non poſſit eſſe diverſum. Indignabatur autem in talibus facilius & vehementius, quia vel dubitare in his, blaſphemiam deputabat.

ſaluberrima dat monita,

29 Accurrentibus etiam ad viſitandum eum Clericis & laicis, ſatis multum venerabiliter ac devote, pro perſonis & officiis, monitus ſaluberrimos infundebat. Inter quos Guigonem Deſiderii, unum de majoribus poſt Comitem, erga ſe præ multis devotum, cum flexis genibus (ita quippe omnes faciebant) ante lectum ejus benedictionem flagitaret; ſevera increpatione corripuit, dicens eum, injuſtas in ſubditos exactiones faciendo, animæ ſuæ perpetua tormenta lucrari. Ad quæ ille ſtupefactus ait, non hæc ſibi ab illo, qui jam pene inter mortuos deputari poterat, ſed à Deo potius, qui ei revelaverat, dici; aſſerens graviſſimam revera recenter terræ ſuæ mulctam impoſuiſſe, necdumque accepiſſe, nec poſt hæc ejus monita accepturum deinceps eſſe.

c *preces aliorum petit,*

30 Carnotinus etiam Epiſcopus, Dominus *c* Gaufridus, ſervo Dei ex quo notus ſingulariter etiam carus, poſt viſitationem (quam ei tanto gratiorem quanto magis deſideratam exhibuerat) Valentiam, ubi tunc eratis, ad veſtri præſentiam reverſurus; cum, quid ex ſua vobis parte dici præciperet, quæreret; ait ille, ut pro ſe veſtra benignitas Dei clementiam exoraret. Sed & hic cum quæreret, quid pro ſe vellet orari; Ut Deus, inquit, in me mundanum extinguat, & ſuum accendat amorem. Idipſum religioſos Fratres, qui ſedulum ſibi exhibebant obſequium, ſæpiſſime precabatur, reum ſe & indignum divinis beneficiis non ſine pectoris contuſione conteſtans. Quadam autem vice quidam ex ſociis, tantis ejus fletibus atque ſuſpiriis motus, quaſi conſolaturus, Quid, inquit, Pater, tantum plangis, cum nec homicidium, nec perjurium, nec aliud quid criminale commiſeris? Protinus ille, Quid hoc, inquit, refert? cum ſola cupiditas & vanitas, ſi divina non adſit clementia, perditioni poſſint humanæ ſufficere? Quid prudentius aut compendioſius ab incolumi & integræ memoriæ potuit reſponderi? Omnia, quæ vel boni piis ſtudiis averſantur, vel mali perniciosis niſibus conſectantur, duobus verbis, Cupiditatis & Vanitatis, incluſit.

C *deteſtatur cupiditatem & vanitatem:*

d *Dienſem Epiſcopum latus excipit:*

31 Dienſis etiam Epiſcopus Dominus *d* Odolricus, unus ex ejus alumnis, & in Eccleſia Gratianopolitana per omnes honores uſque ad Decanatum (qui poſt Epiſcopatum major ibidem eſt dignitas) ab ipſo provectus; vitæ regularis habitum per reverendas manus ſanctiſſimi ſenis deſiderans ſumere, devotus advenit, ipſo jam multa, morbis ingraveſcentibus, debilitate gravato. Cujus adventus cauſa, miniſtris indicantibus, vir beatus audita, tanto exultavit gaudio, tantaque protinus eſt repletus lætitia, ut oblitus infirmitatis, venienti occurrere geſtiens, pene ſe de lectulo præcipitaverit. Accedente autem illo, oſculatus eſt eum, & præ gaudio lacrymas fundens; Exuat, inquit, te Deus veterem hominem cum actibus ſuis, & induat te novum, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis: memoria, ut jam dictum eſt, ad communia ultra fidem deficiente, ad divina ſolito nonnumquam amplius exuberante. Nam & poſt multa ſanctiſſima & ſaluberrima monita cum abiret, necdumque atria cuncta tranſiſſet, id etiam mandare curavit, ut de caligis pedules abſcinderet, quatenus præter pedes totus jaceret veſtitus: dolebat enim nonnullos in religioſo habitu, ad ſanctitatis injuriam, tibiis dormire nudatis. Poſt hæc, juvantibus miniſtris, in planum deſcendit ſolum, proſtratuſque in faciem, magnas Deo, pro eo quod factum fuerat, cum lacrymis gratias obtulit; his indiciis, quantum ſalutem deſideraret humanam, pene jam defunctus oſtendens.

AUCTORE GUIGONE CARTHUS.

D *varia monet:*

odit otioſos ſermones.

32 Ridere autem, vel otioſis vacare verbis, aut rumores inutiles recitare, ſervitores ſuos, nequaquam patienter habebat: ſtatim enim hoc ipſum ſevera increpatione frænabat; afferens, tempora fletibus debita & pœnitentiæ, occupanda lamentis; nec cachinnis, nec nugacibus relationibus, nec otioſis terenda ſermonibus. Unde, quæſumus, etiam etiamque conſiderent, qui mirari niſi inſolita non norunt, utrum vel in Scripturis, vel in humanis relationibus tale quidquam noſſe potuerint; & utrum non omnino impoſſibile & contra naturam, & ideo incredibile etiam videatur, potuiſſe hominem corporalia & à puero conſueta & memoriâ perdere, & divina non potuiſſe; cum id potius naturæ vel conſuetudinis exigat ratio, ut ſpiritualia & divina, tamquam ſubtiliora & minus aſſueta, captuque difficiliora, prius abſcedant; illa vero, utpote familiariora & humanæ infirmitati ad cogitandum faciliora, diutius maneant. Quod ſi ea, quæ circa Sanctos contingere ſolent, quo rariora eo ſunt etiam mirabiliora; quid eo mirabilius, cujus pro ſui raritate, nec in Scripturis ullum, nec in humanis rebus extat exemplum? Et ſentiat quiſque quod vult, nobis autem videtur (nec aliter peritiores, eos maxime qui phyſicam norunt, ſenſuros exiſtimamus) non minus ſingulare, minuſve, imo forte amplius fuiſſe mirabile, inter tot tamque diuturnas & acerbas cerebri paſſiones, divinam cognitionem atque invocationem & religioſam non perdidiſſe devotionem, quam inter eculeos ardenteſque laminas & ſuccenſas craticulas inſuperabili conſtantia Chriſtianam non negaſſe fidem. Ibi enim, quod infeſtat, exterius totum ingeritur; hic ipſa rationis inſtrumenta ipſaque divinorum & humanorum ſenſuum, quaſi cellarium memoria, intrinſecus impugnantur; & qui eis præſidet animus, non aliunde nec alibi, quam ex eis & in eis, quibus juvari debuerat, dignioribus ſcilicet & ſublimioribus, ſibique pro ſui ſubtilitate conjunctioribus ſui corporis partibus, attentatur. Horum alterum in reverendis Martyribus, alterum miramur in B. Hugone. Verumtamen hoc illis nec novum nec recens fuerat: in ſuæ namque mentis exceſſibus, quos utique crebros & ſublimes habebat, relictis non ſolum ceteris ſed & ſemet ſub ſe, ſupernam dulcedinem delectabiliter guſtare ſolitus fuerat: unde etiam ad id recurrebat afflictus, quod incolumi fuerat dulcius. Apparet igitur, B. Hugonem, ſicut & Sanctum Job, ideo tantis tribulationum procellis exagitatum, tantiſque dolorum fornacibus inſtar auri decoctum, ut & ad ſocietatem Sanctorum purior & clarior hinc exiret, & quod non ſuperficietenus ſed ex totis medullis Deum dilexerat, mundus agnoſceret; dum ab ejus invocatione nec doloris nec phreneſis vis eum ulla compeſceret. Quid plura? In his uſque ad ultimum perſeveravit ſpiritum.

E

comparatur Martyribus:

F

crebros patitur mentis exceſſus.

AUCTORE GUIGONE GARTHUS.

Erga ſuam Carthuſiam, ejuſque Priorem indignum (quod ſine lacrymis non ſcribimus) ſpecialem dilectionem, eorum in tantis afflictionibus memoria non carendo, demonſtrans.

A

feliciſſime migrat à corpore,

33 Anno itaque ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo trigeſimo ſecundo, ætatis porro ſuæ ad minus octogeſimo, menſe quarto, conſecrationis autem itidem ad minus quinquageſimo ſecundo, Kalendis Aprilis, ſexta ante Palmarum Dominicam feria, circa gallicinium, B. Hugo, inter ſui temporis Epiſcopos operibus & fama ſingularis, pacata domo & cunctis referta bonis, commiſſa etiam Eccleſia ac plebe tranquilla pace fruente, migravit ad Dominum, ſucceſſorem ſubſtitutum jam ſibi Carthuſienſem (ſicut diu multumque deſideraverat ante) relinquens. Servatum eſt autem corpus ejus inſepultum, uſque ad tertiam ſequentis hebdomadæ feriam, ſerenis diebus & calidis, ita ut nemo deſideraret æſtatem; mirantibus plurimis, quod nec clementia aëris, nec circumſtantis conſtipatæ multitudinis æſtu, nec cereorum calore tabeſceret. Ad cujus venerandas exequias tres accurrerunt Epiſcopi, Dienſis, Gratianopolitanus, Carnotinus: qui præcedenti die, poſt ſecundam, quam ei in hac ſua ultima debilitate viſitationem exhibuerat, vix tandem receſſerat; rogans, ut ſi brevi deficeret, poſt eum (quod & factum eſt) protinus mitteretur.

B

quod devotioni populi exponitur:

34 Statim vero ut ejus obitus fama percrebuit, accurrerunt, non ex ſuo tantum Epiſcopatu, ſed ex remotis quoque regionibus innumerabiles populi, cereos ac diverſi generis oblationes afferentes. Omnis ætas, ſexus, atque conditio devotiſſime oſculabantur pedes ejus, in tantum ut ſandalia ipſa, tamquam tincta pellis, ſalivâ pariter & lacrymis obſcurarentur: nam & lactentes offerebantur parvuli, quo tam ſancti corporis tactu adverſus omnia munirentur adverſa. Nonnulli etiam ſandalia ipſa, ardentiori fide oſculando, mordebant; aliquid inde ob ſanctificationem ſecum ferre volentes. Annuli ac nummi & res aliæ ſancto applicabantur corpori, ut eo ſepulto pro Reliquiis haberentur. Aderant ex noſtris & Caleſienſibus atque Excubienſibus plures Converſi, ſanctiſſimæ glebæ cuſtodes aſſidui, monachorum quoque & Clericorum cum eccleſiaſticis apparatibus greges quamplurimi: tantus autem concurſus undique fuerat populi, & tam grata cunctis etiam defuncti præſentia, ut vix tandem eum permiſerint ſepeliri. Denique quinta defunctionis die, tertia, ut diximus, poſt Palmas feria, deceperunt turbas; promittentes quod ipſum extra eccleſiam efferrent, ut eum liberius & intuerentur & tangerent. Hac itaque ſpe exeuntibus, & ita eccleſia Beatæ ſemper virginis Mariæ, ubi ſepeliendus erat, ex parte vacuata; obſeratis protinus firmiſſime januis, ſacri corporis venerandæ reliquiæ, in præparato ſarcophago, cum multa reverentia & ingenti lamentantium pariter & pſallentium clamore, ponuntur. Frequentia porro turbarum circa ſepulcrum ejus, modo rarior modo denſior, ob ſpem divinæ in ſe miſerationis, propter ingentia beati viri merita, nunc uſque perſeverat.

D

ſepelitur

ANNOTATA.

E

a *Hic eſt* Amedeus 2, *Comes Sabaudiæ, filius Humberti* 2; *cui anno* 1103 *mortuo ſucceſſit, in Cypro inſula defunctus Kalendis Aprilis an.* 1149.

b *Scilicet ſive is Epiſcopus fuerit, ſive* Parochus Sacerdos.

c *Sedit* Gaufridus *ab anno* 1116 *ad* 1138, *Legatus Apoſtolicus Innocentii* 2; *quem anno* 1130 *excepit Carnuti, & jam reducebat in Italiam.*

d *Aliis* Odoricus *&* Uldricus, *qui traditur vixiſſe uſque ad annum* 1144.

G. H.

DE SANCTO HVGONE

Abbate Bonævallis Ord. Ciſtercienſis in Gallia.

SECULO XII.

S. Hugo novitius, notus S. Bernardo.

C

BOnævallis *Abbatia Ordinis Ciſtercienſis, in Delphinatu & Diœceſi Viennenſi, à Guidone Archiepiſcopo, dein Pontifice Romano ac Calixto* II *appellato, conſtructa eſt; eique datus primus Abbas, Ioannes Lugdunenſis, qui poſtea Epiſcopus Valentinus, vixit ad annum circiter* MCXLVII. *Quis huic tunc ſubſtitutus fuerit, non liquet. Inter ſequentes Abbates fuit Bernardus, ſcriptor Vitæ* S. *Bernardi; fuit &* S. Hugo, *de quo modo agimus: quem Acta indicant in morbo fuiſſe recreatum à* S. *Bernardo, cum degeret adhuc in monaſterio Mazerienſi, prope Belnam, in diœceſi Cabilonenſi, ſub annum* MCXXXII *conſtructo. Inter epiſtolas* S. *Bernardi extat trecenteſima quinquageſima prima, inſcripta* Hugoni novitio *(quem hunc eſſe indicatur in præpoſito titulo) ubi hæc de ejus generoſo animo dicuntur:* Adoleſcens nobilis & delicatus vicit malignum, ſprevit mundum, corpus expoſuit, propinquorum renuntiavit affectibus, paratos divitiarum laqueos tranſilivit.... Hugonis noſtri ſapientia non de terra eſt, ſed de cælo.... Non ætatem teneram Ordinis aſperitas terreat. *Hæc aliaque Bernardus, anno* MCLIII *ſancte mortuus* XX *Auguſti: poſt cujus obitum anno ſequente, Fredericus Ænobarbus eſt Romæ ab Adriano IV nomen Imperatoris adeptus. Hoc imperante floruit idem Hugo, jam factus Abbas Bonævallis, & pacem inter dictum Imperatorem atque Alexandrum III conciliavit, anno* MCLXXVII; *quamdiu autem poſtea vixerit, non conſtat.*

F

Vincent Bellova cenſis,

Petro d Natalib

Abbas pacem compoſuit anno 1177.

Acta ex MS. Bodecenſi.

2 *Acta aliqua ejus nacti ſumus ex Paſſionali pergameno inſigni* MS. *cœnobii Bodecenſis, Canonicorum Regularium in Weſtphalia ac diœceſi Paderbornenſi. Inſerebantur ea Vitis Sanctorum menſis Decembris folio* 257 *cum hoc titulo,* S. Hugonis Abbatis Bonævallis. *Vincentius Bellovacenſis, qui proximo ſeculo floruit, anno* MCCLVI *vita functus, eadem geſta nactus, edidit lib.* 29 *Speculi hiſtorialis cap.* 33 *& ſequentibus, nullo pene verbo immutato; ſolum cum ante de Frederico Imperatore egiſſet, incipit hac formula,* Eo tempore: *cujus loco MS. habet,* Temporibus Frederici Imperatoris primi. *Deeſt utrobique finis, in quo de morbo, morte, ſepultura & miraculis poſtea ſecutis forſan actum eſt. Cæſarius, Vincentio ſenior, ſuo tempore* incepiſſe Hugonem clareſcere miraculis, *teſtatur apud Manrique, ad annum* 1183 *cap.* 3. *num.* 4. *Petrus de Natalibus, qui Catalogum Sanctorum abſolvit anno* MCCCLXXI, *cum egiſſet libro* 4, *cap.* 22 *de* S. *Hugone Epiſcopo Gratianopolitano, more ſuo ſubjunxit cap.* 23 *compendium Vitæ, ex Vincentio contractæ, cum hoc titulo:* De Sancto Hugone Abbate Bonævallis: *& ſub finem iſta ſubjunxit,* Poſt multa vero ſanctitatis ejus inſignia, ſanctus Abbas Hugo in monaſterio Bonævallis humanitatis debitum ſolvit, ibidem ſepultus. *Secutus poſtmodum* S. *Antoninus Epiſcopus Florentinus, anno* MCCCCLIX *è vivis ſublatus, priora Acta ex Vincentio, paucis omiſſis, deſcripſit.*

S. Anton

3 *Apud Colonienſes Carthuſianos floruit eodem ſeculo Hermannus Greven, mortuus anno* MCCCCLXXX: *qui exemplum* Petri de Natalibus *ſecutus, ad Kalendas Aprilis iſta habet:* Ipſo die bonæ memoriæ Hugonis Abbatis Bonævallis, Ordinis Ciſtercienſis: *quibus additur in Martyrologio Germanico Caniſii,* Qui plane vir

Nomen i Martyro gio.

vir ſanctus erat, & ex mandato Dei pacem inter Papam & Imperatorem compoſuit. *Memorant eumdem Wiſfordus, Maurolycus, Felicius & Ferrarius. Inſcriptus etiam eſt Martyrologiis monaſticis, atque ita habent Wion & Menardus*: Eodem die S. Hugonis Abbatis Bonævallis, Ordinis Ciſtercienſis, diſcipuli S. Bernardi. *Pluribus agunt de eodem Bucelinus, & in Martyrologio Gallicano Sauſſajus, item Chryſoſtomus Henriquez in Menologio, qui lib. 2 Faſciculi Sanctorum Ordinis Ciſtercienſis diſtinctione 2, capitibus ſeptem vitam ejus deducit; & multa interſerit* de origine ſolennitatis coronæ ſpineæ, quam B. Hugonem in Ordine introducendam curaſſe *tradit. Verum Angelus Manrique in Annalibus Ciſtercienſibus, ad annum 1183 cap. 3 num. 2 & 3, hiſtoriam de feſtivitate ſpineæ Coronæ revocat in dubium, & impugnat: qui dein num. 4 aſſerit*, Hugonem, infra breve tempus poſt obitum Sanctis adſcriptum, non ſolum in propria Bonævallis domo, ſed per totum Ordinem celebratum Officio proprio, quod hodieque in antiquis Breviariis circumfertur. *Addit dein hymnum, qui Vitæ ſeriem continet, quem & hîc ſubjicimus, ſed præſumpta conjectandi licentia, nonnullis mendis, quæ margini adſcribuntur, expurgatum, quia alias non poterat elici commodus aliquis ſenſus.*

Officium Eccleſiaſticum,

Hymnus antiquus.

4 * Magiſtrum eximium, Deitatis ſignaculum,
Hugonem dat Valentia, vitæ valentis ſpeculum.
Sola fruens hac gratia, profert Hugonem floſculum,
Caſtri novi militia, caſtri divini primipilum.
Vates poſt ab infantia Hugo petit avunculum:
Lugdunenſis Eccleſia doctrinæ præſtat pabulum.
* Monaſterium hoc meſſuit tanti fructus manipulum;
Ad ſe trahit Burgundia Hugonem Chriſti famulum.
Vere plenus munditia Ciſtercienſi, titulum
In domo Muratoria ſubit Hugo veſtibulum:
Paſtores dant conſilia: Liunceli Capitulum,
Firma Fratrum concordia, offert Hugoni baculum.
Sic magni viri provident Bonævalli hunc calculum,
Sumentes ſibi ex Filia, Hugonis gubernaculum.
Rogemus ut de patria * gratiarum mittat rivulum,
Quibus digna præſentia juge monſtrat miraculum.

* *al.* Myſterium exuviæ.

* *al.* Myſterium hoc neſcit.

* *al.* Gratum.

5 Bonævallenſis *igitur monaſteria* filia, (*ut Ciſtercienſes loquuntur*) Domus Maceriarum *fuit, quod* Poëta Domum Muratoriam *vertit: in eaque habitum religioſum ſumpſiſſe indicatur Hugo, cum dicitur ibi ſubjiſſe* titulum veſtibulum. *Monaſterium* Liunceli (*ubi collectum* Capitulum Hugoni baculum *Abbatialem obtulit*) *vulgo* Domina noſtra de Lyncell, *aut juxta Sammarthanos* Leoncel *in Delphinatu, pertinet ad Valentinam diœceſim, eſtque linea Ciſtercienſis, fundatum anno* MCXXXVII, *juxta indicem Chronologicum Abbatiarum Ordinis Ciſtercienſis, poſt earumdem Abbatiarum notitiam à Gaſpare Iongelingo evulgatum.*

VITA

Ex MS. Bodecenſi & Vincentio Bellovacenſi.

Factus monachus Macerienſis

1 TEmporibus Friderici Imperatoris primi, multa ſanctitatis gratia florebat venerabilis Hugo, Abbas Bonæ-vallis: qui juvenis relinquens ſeculum, converſus eſt in domo Ciſtercienſis Ordinis, quæ dicitur Maceriæ, & cœpit valde religioſe converſari. Poſt hæc tentatus valde, cogitavit ad ſeculum redire. Hæc igitur cogitans, intravit templum, & oravit cum lacrymis, & flexis genibus tetendit manus ad cælum: & vidit ſupra altare Matrem miſericordiæ, veſtitam lumine ſicut veſtimento: & viſum eſt ei quia videret Jeſum filium ejus juxta eam, & quomodo annuntiatus fuerat ab Angelo, & de Virgine natus & paſtoribus nuntiatus, & quomodo circumciſus, & à Judæis captus, & flagellatus, & illuſus, & crucifixus, & quomodo reſurrexerat tertia die, & poſt quadraginta aſcendit in cælum. Et cum hæc omnia videret, dixit ei Domina noſtra: Viriliter age, & confortetur cor tuum in Domino: & certus eſto, te amodo talibus tentationibus non pulſandum.

à B.V. confortatur in ſua vocatione;

2 Poſt hæc cœpit nimiis abſtinentiis ſe affligere, ita ut ſenſum pene & memoriam perdere videretur. Interea S. Bernardus, qui tunc adhuc ſupererat, venit ad eum per Dei providentiam: & juſſit eum mitti in infirmitorium: & etiam ut ei ſingulis noctibus vigiliæ cantarentur, prius quam ceteris infirmis, quatenus poſtea ſatis poſſet dormire: & ut haberet generalem licentiam loquendi ubi vellet. Et ita, per Dei miſericordiam, in brevi convaluit. Tunc cœpit in eo religio multum ferveſcere: nec multo poſt Abbas factus eſt Bonæ-vallis.

in morbo recreatus à S. Bernardo,

fit Abbas.

3 Sub hoc ſancto viro factus eſt quidam juvenis novitius, valde fervens in ſuis principiis: qui poſtea tentatus valde, cogitabat ad ſeculum redire: & hanc tentationem confeſſus eſt Abbati: qui cœpit ei ſuadere ut remaneret, ſed nihil profecit. Tunc Abbas ait: Fili, miſerere animæ tuæ placens Deo, ne perdas gloriam tibi præparatam: ego enim ſpondeo tibi, & fidejuſſorem ſponſionis hujus meipſum ſtatuo, quod, ſi remanſeris, Sanctorum Angelorumus æternus ſocius eris. Ad hæc verba confortatus ille in Domino, perſtitit, & optime poſtea converſatus eſt. Qui duobus annis antequam moreretur, graviſſima infirmitate laboravit: ad quem confortandum miſſus S. Job, cum maxima claritate, qua totum infirmitorium repletum eſt; Ego, inquit, ſum Job, quem Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, miſit ad conſolandum te. Sicut ego in tali infirmitate patiens fui, ſic tu: & ideo mecum florebis in gloria mea, & cras mecum eris, & metes quod ſeminaſti: quod & factum eſt. Non multo autem poſt apparuit Abbati ſuo in magna gloria, reddens ei gratiam, quod per ejus admonitionem in Ordine perſtiterat. *a*

Novitium tentatum liberat,

eumque à S. Iob viſitatum

cernit in gloria.

a

4 Sub eodem ſancto viro facti ſunt novitii Clericus unus, & miles unus, perfidus & doloſus, qui eodem anno duo caſtella tradiderat & deſtruxerat. Huic autem militi dormienti videbatur in viſu noctis, quod in puteum caderet, tam profundum, ut tres dies conſumeret in cadendo donec ad fundum perveniret. Quod cum ſancto Patri retuliſſet, ille interpretatus eſt puteum abyſſi infernalis, in quo caſurus erat ſi Ordinem relinqueret: & ideo monebat illum ut remaneret. At ille noluit, ſed receſſit: & cum receſſiſſet, tertia die ab inimicis ſuis interfectus eſt. Clericus autem ſimiliter victus, confeſſus eſt Abbati tentationem ſuam. Quem conſolans Abbas, promiſit ei, quod, ſi remaneret, Regina mundi pro anima ejus veniret, & duceret eum in requiem ſuam: quod & factum eſt. Nam pridie quàm moreretur, apparuit ei Domina noſtra, dicens ſe venire propter eum, qui in die craſtina futurus eſſet in requie æterna: & ita contigit. *b*

Ex duobus novitiis pereunte uno,

alium promiſſa D.V. viſione confirmat.

b

5 In Annuntiatione B. Mariæ, cum idem Abbas excitaret Fratres ad vigilias, vidit diabolum, in medio choro ſtantem in forma horribili, ita etiam ut ipſe Abbas præ timore caderet: qui levatus ſignavit ſe, & ivit ad ſedem ſuam. In craſtino narravit Abbas in Capitulo quæ viderat, & dixit, aliquem de Fratribus eſſe in criminali peccato, propter quem diabolus venerat. Quo audito, omnes timuerunt: ſed, qui reus erat, ſimulavit conſcientiam ſuam. In altero craſtino iterum dixit Abbas, adhuc diabolum eſſe inter illos. Et tunc Fratres confeſſi ſunt, & acceperunt ſinguli diſciplinas, precantes Dominum, ut rei con-

viſo inter Fratres diabolo,

revelat ob cujus peccatum id fiat.

EX MSS. A

conſcientiam revelaret Abbati: quod & factum eſt. Tunc Abbas reum traxit in partem, & dixit illi peccatum ſuum. Quo audito, ille accidit ad pedes ejus, rogans ei veniam dari; & pœnitentiam ſecundum voluntatem Abbatis ſibi injungi. Quo facto; diabolus ultra non comparuit.

Obtrectantem ſibi & divinitus punitum

6 In quadam filia Bonæ-vallis, Abbas quidam, genere nobilis, ſed moribus degener, dignis ex cauſis ab hoc ſancto viro depoſitus eſt, & alius dignior in locum hujus eſt ſubſtitutus. Cumque poſt hoc factum Hugo diſcederet, quidam garrulus, familiaris depoſiti, cœpit ei detrahere & publice dicere, quod propter invidiam magis quam propter juſtitiam eum depoſuerat. Quo audito, Hugo, extenſis in cælum manibus, rogavit Deum, ut manifeſtaret, ſe pura & recta intentione hæc feciſſe. Et mox ille garrulus, inſaniens cœpit diſcurrere per totam curiam Abbatiæ, & comedere ſtercora porcorum quæ ibi erant. Quo viſo, miſertus ejus vir ſanctus oravit pro eo, & ſanatus eſt.

precibus ſanat.

Felix duorum Fratrum obitus

7 In domo Bonæ-vallis erat quidam monachus fervens, qui, cum eſſet debilis corpore, ſemper tamen tenebat conventum: tandem incidit in paralyſim, & diu languit in infirmitorio. Ibi etiam erat magiſter novitiorum, Joannes nomine, infirmus uſque ad mortem: cui ſerviebat quidam Frater, nomine Benedictus: ad quem Joannes ait: Audis quæ ego audio? Cui ille: Nihil audio: quid auditis? Ego, inquit, audio voces Angelorum pſallentium, tamquam voces citharœdorum multorum, qui venerunt pro anima noſtri paralytici, & ego cras eum ſequar. Sed feſtina tu pulſare tabulam, quia anima ejus multum feſtinat egredi. Tunc Fr. Benedictus ivit conſiderare qualiter ille paralyticus ſe haberet, & vidit eum jam groſſe anhelantem. Cucurrit igitur pulſare tabulam: & antequam Fratres eſſent congregati, migravit ille paralyticus, & in craſtino Joannes. c

B

c

Pœnitentem & ſub reſervatione abſolutum.

8 Quidam famulus Cellerarii infirmatus eſt uſque ad mortem, & confeſſus eſt peccata ſua monacho, pauperum Confeſſori: & dixit illi quoddam peccatum, quod monachus ille timuit recipere: & injunxit illi infirmo, ut hoc confiteretur Abbati: quod ille conceſſit, ſi viveret. Abbas autem tunc præſens non erat, ſed in via; interim vero famulus ille mortuus eſt. Abbas autem cum de via rediſſet poſt Completorium, & ſederet in lecto volens ſe diſcalceare; vidit illum mortuum, aſcendentem [gradus] dormitorii. Qui veniens ad eum, cecidit ad pedes ejus, veniam petens, & humiliter rogans ut ſuam confeſſionem audiret, dicens ſe miſſum ad eum propter hoc. Et confeſſus eſt cum tanta lacrymarum abundantia, quod etiam Abbas motus eſt ad lacrymas: & ploraverunt ambo, ita ut manica cucullæ humectaretur. Poſt abſolutionem, mortuus rogat humiliter Abbatem, ut oraret pro ſe, quia ipſe erat in magnis tormentis. Et dum Abbas vellet tactu probare, utrum in corpore eſſet, an in ſpiritu; ille diſparuit. In craſtino autem quæſivit à Confeſſore pauperum, ſi mortuus illi tale crimen confeſſus fuiſſet. Qui reſpondit: Etiam: ſed quomodo illud noſti? Ab ore, inquit, ejus audivi.

C

Hugo poſt mortem plene abſolvit:

D

revelat alterius mortui ſalutem:

9 Quidam juvenis monachus in eadem domo nuper deceſſerat, cujus mater, poſtea viſo Abbate, cœpit anxie flere de filio ſuo. Quam ille conſolans, ait: Noli flere, certa eſto quod filius tuus in magna gloria eſt: & ſcio qualiter vixerit, & quam ſancte. Quo audito, mater ejus recepit conſolationem. Non multo poſt, cum idem Abbas oraret, apparuit illi monachus ille in vultu clariſſimo, & ſalutavit eum. Quem Abbas cognoſcens, ait: Quomodo eſt, fili mi? Qui ait: Bene, Domine: ſicut videtis. d

d

indigne communicaturum fruſtra dehortatur:

10 Quidam Converſus de alia domo, propter culpam ſuam miſſus fuerat Bonam-vallem, ubi infirmatus eſt uſque ad mortem. Abbas autem viſitans eum, rogavit eum ut ſecure confiteretur peccatum ſuum, de quo infirmabatur: quod ille numqnam confiteri voluerat, nec Abbati proprio. Ille autem negavit totum, & petiit ſibi dari Corpus Domini. Abbas autem Hugo ſuadebat ei, ut non præſumeret Corpus Domini accipere, niſi bene confeſſus fuiſſet. At ille dicens ſe bene eſſe confeſſum, inſtitit ut ei afferretur Corpus Domini. Quod cum Presbyter attuliſſet, & in os ejus poſuiſſet; ille ſtatim clamare cœpit, Quid faciam miſer? quid faciam? Tunc Presbyter abſtulit ab eo Corpus Domini, quod ſupra linguam tenebat: & ſtatim expiravit.

E

divinitus monetur pacem componere.

11 Item aliquando Abbas infirmatus intravit infirmitorium, & vidit columbam nive candidiorem ſupra humerum monachi infirmarii: quam cum ille monachus vellet comprehendere, illa volans venit ad Abbatem, & intravit in ſinum ejus: & poſtea exivit per aperturam tunicæ Abbatis, dicens ei verbis humanis; In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, para te, para te, para te: mandat tibi S. Bernardus, ut vadas facere pacem inter Papam & Imperatorem Alemanniæ. Qui ſancti admonitione ſuſcepta, e pacem inter eos poſtea fecit. f

e f

ANNOTATA.

a *Inſcriptus, ſub nomine* Hilarii, *Menologio Henriquez* 13 *Aprilis.*

b *Refertur hic, ſub nomine* Pauli, *ad* 25 *Auguſti.*

c *Memorantur hi etiam in Menologio,* Joannes 15, & Benedictus 25 *Martii.*

d *Mentio hujus in Menologio* 1 *Martii, ſub nomine* Simplicii, *de qua appellatione dubitat Manrique.*

e *Anno* 1177, *ad quem annum late referuntur peracta circa hanc pacem, à Baronio; & excerpta, quæ ad* S. *Hugonem ſpectant, narrantur à Manrique cap.* 1, *ubi num.* 4 *Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus, qui præſens aderat, narrat ab* Imperatore Abbatem de Bonavalle Venetias delegatum fuiſſe.

F

f *Reliqua deſiderantur: Henriquez ex Britone Luſitano addit,* præcedentem de morte revelationem, ſeceſſum à negotiis, ac demum mortem ipſam adeo tranquillam, ut niſi ex pulſus reſpirationiſque defectu diſcerni non potuerit. Ejus denique feſtum ſecundum aliquos referri ad 28 aut 29 Aprilis: *forſan quia S. Hugo Abbas Cluniacenſis colitur* 29 *Aprilis.*

DE B. NICOLAO DE ARCV,

Monacho Ordinis Ciſtercienſis Neti in Sicilia.

CIRCA MCCXX.

Nomen in Faſtis.

Erdinandi Vghelli liberali beneficio accepe-ramus aliquam notitiam B. Nicolai, monachi Netini, cujus depoſitionis dies cum ignoretur, aſſumptus eſt primus dies Aprilis, quo ejus Reliquiæ ſunt tranſlatæ: & agunt tunc de illo Octavius Cajetanus in Martyrologio Siculo, eumque ſecuti Menardus, Bucelinus ac Chamelotus. Idem Cajetanus, tomo 2 *de Vitis Sanctorum Siculorum pag.* 200, *excudit eamdem notitiam, quam ab Vghello acceperamus, appoſito hoc titulo:* De B. Nicolao, monacho Netino, *annotatus in margine* anno Chriſti MCCXXX, die 1 Aprilis. *Reliqua hîc ſubjicimus.*

2 Con-

Notitia ex Cajetano

A

2 Conſtantia matre & Friderico in Sicilia regnantibus Iſimbardus Morengia, Neti Dominus, & Cara ejus uxor, cum genere tum pietate inſignes, templum D. Mariæ, adjunctumque cœnobium, quinto ab urbe Neto lapide, ad Aquilonem condidere; agriſque Arcu (à quo Cœnobio nomen, quod in eo ædificatum) Planetta, Gaitanino, & Bulchaleno dotavere: quæ Fratribus & Abbati Rodulfo, eorumque Ordini Ciſtercienſi tradita, confecto inſtrumento donationis, anno Chriſti MCCXII, menſe novembri. Ex eo cœnobio familiaque Ciſtercienſi extitit B. Nicolaus, Netinus, cujus Reliquiæ, ccc ferme ante annos, apud Netinos in honore habentur. Fama eſt, illum fuiſſe de familia Comitis Iſimbardi, fundatoris Monaſterii. Vitæ rerumque geſtarum nulla extant monumenta, plura vero ſanctitatis. Et-

& Vincentio Littara,

enim corpus primum humo levatum, in templo S. Mariæ ab Arcu, in agro Netino, ſublime dodrantes quatuor ſervabatur, inde in urbem Netum tranſlatum eſt in ædem Ciſtercienſem, conditumque arca in odeo viſitur: ſed brachium vetere argento incluſum, in cujus fronte monachus, diademate ornatus, depictus eſt, hac cum inſcriptione: Sanctus Nicolaus de Arco. Attamen vulgo B. Nicolaus appellatur: de quo hæc Vincentius Littara, homo Netinus: Antiquiſſimum cœnobium, Ciſtercienſi familiæ ab Iſimbardo Comite, anno ſalutis MCCXII eſt conditum: ibidem ejus ſepulcrum monſtratur, in quo etiam Reliquiæ B. Nicolai Netini Ciſtercienſis Ordinis; quarum nonnullæ, thecis argenteis clauſæ, in honore ſunt. *Hactenus auctores ſiculi, nec plura ab aliis ſuggeruntur.*

D

DE SANCTO GILBERTO

G. H

Epiſcopo Cathenenſi in Scotia.

CIRCAAN, MCCXL.

B

Memoria in Martyrologiis:

Athenefia *in regno Scotiæ ultima provincia Borealis eſt, maxime vicina Orcadibus inſulis, ſub qua olim vicina provinciæ* Sutherlandia, Strathnavernia, Edir-da-Cheulis, *&* Aſſynta *etiam continebantur. His præfuit ſeculo* XIII Epiſcopus S. Gilbertus, *ad præſentem diem variis Faſtis adſcriptus: cujus ita meminit Grevenus in Auctario Vſuardi:* Gilberti, Epiſcopi Cathanenſis & Confeſſoris. *Quæ eadem inde deſcripta leguntur in Martyrologio Germanico Caniſii. At Ferrarius in Catalogo Generali eum ita refert;* In Moraviâ S. Gilberti Epiſcopi Cathenenſis: *quibus addit Dempſterus in Menologio Scotico,* Qui Eccleſiam Scoticam, contra Anglorum impotentiam, pie & ſtrenue tutatus eſt. *Fuerat* S. *Gilbertus ante Moraviæ Archidiaconus, inter quam provinciam & Sutherlandiam (in cujus urbe Dunroduno poſtea habitarunt Epiſcopi Cathanenſes) interiacet* Armanothia *ſatis late extenſa provincia. David Camerarius in ſuo Menologio Scotico celebrat eum hoc longiori elogio:*

Elogium in Camerario.

2 S. Gilbertus Epiſcopus & Confeſſor, in Cathaneſia Scotiæ provincia in hodiernum diem celeberrimus: quippe qui Cathanenſium Patronus & tutelaris habetur. Et merito: cum ſancti hujus viri hortatu, & vigilantia è cœno vitiorum emerſerint, pauperumque hoſpitia non pauca in illa provincia erecta ſint: variaque alia pietatis monumenta, ab ipſo conſtructa, cernere eſt; quæ hujus viri ſancti pietatem, & in Cathanenſes paternum amorem intuentium oculis detegunt. Fuit S. Gilbertus patria Moravus; & libertatis Scoticanæ Eccleſiæ, contra audaces Archiepiſcopi Eboracenſis conatus, defenſor acerrimus: unde & poſtea Epiſcopatum Cathanenſem, tamquam libertatis Scotici Cleri conſtanter defenſæ fortiterque evictæ teſſeram, accepit. *De hac libertate vindicata in Wilhelmo Rege* XCIII *iſta ſcribit Ioannes Leſlæus*: Hugo Cardinalis, à Summo Pontifice legatus, Angliam obit: ex univerſa Scotia Epiſcopos Northamptoniam ad certum diem evocat: ſiſtentes ad diem omnes, pro ea qua debent eſſe in Summum Pontificem obſervantia, hortatur ut Archiepiſcopo Eboracenſi ſint audientes. Gilbertus Moravus adoleſcens, vera pietate intimaque doctrina inſtructus, contra, oratione terſa rationumque firmamentis ſubnixa, acerrime pugnat: Eccleſiam Scoticam, quæ hactenus officii ſui numeros in libertate ſumma explevit, nunc tandem aliena poteſtate, tamquam ſervitute quadam, non eſſe premendam. Is Epiſcopatum poſtea Cathenenſem, tam-

C

Libertas Eccleſiarum defenſa:

E

quam libertatis Scotici Cleri conſtanter defenſæ fortiterque evictæ præmium, accipiebat: & quod ſumma vitæ ſanctitate præſtiterit; ac vivus mortuuſque miraculis claruerit, ſumma veneratione, inter Divos relatus, ab omnibus colebatur. *Hæc Leſlæus, quo citato, priora refert Ioannes Aſor, parte* 2 *Inſtitutionum Moralium lib.* 3 *de* 4 *præcepto Decalogi cap.* 36.

3 *Hector Boëthius, lib.* 13 *Hiſtoriæ Scotorum, late deducit propoſitionem Hugonis Cardinalis ad Epiſcopos Scotiæ, & illud* S. *Gilberti ſubjungit reſponſum*: Jam inde ex quo fidem Chriſtianam ſuſcepiſſent, liberam fuiſſe Scotiam, nulli extra ſuam regionem, præterquam uni Pontifici, velut Chriſti Vicario, ſubjectam. Iniquum modo poſcere Pontificem, Scotos Anglis, quibuſcum bella prope continua gerant, ſubdi. Quod ſi pietatem quærat & concordiam inter ipſos, primum nihil uſquam ab Epiſcopis commiſſum eſſe, quamobrem libertate ſua merito privari debeant. Deinde non eſſe [opus] ad exteros novorum bellorum ſeminarium jacere: ſi quid inter eos correctione dignum (quod hactenus factum non eſt) committatur, id Regi curæ fore. Pietatem vero ac reliquas virtutes [ſi quærant] habere ſe inſignes virtutibus ac eruditione viros: qui laboribus & vigiliis doceant. Itaque Regem plurimum orare atque obſecrare Summum Pontificem, uti inpræſentiarum contentus ſit; nec regnum ſuum, numquam de ipſo aut Romana Sede male meritum, hoſtibus ſuis obnoxium faciat. *Dein additur*: Re igitur infecta Legatus abiit. Gilbertus hic poſtea effectus Epiſcopus Cathenenſis, vir dum inter vivos eſſet, mira quadam vitæ ſanctimonia; ac proinde, poſtquam naturæ neceſſitati ſatis feciſſet, & fragile iſtud naturæ humanæ corpus depoſuiſſet, Divorum in numerum conceſſit. *Hæc Boëtius.*

Reſponſum S. Gilberti.

F

4 *Quam Clemens* III *Papa tunc epiſtolam ſcripſit ad Wilhelmum Regem Scotiæ, de exemptione Eccleſiarum terræ ſuæ, ediderunt Rogerus de Hoveden, parte poſteriore Annalium Angliæ in Henrico* II; *Matthæus Pariſienſis, & collectores Conciliorum. Fuit epiſtola data Laterani* III *Idus Martii, Pontificatus anno primo; qui erat Chriſti annus* MCLXXXIX. *At ſuperfuit in vivis Wilhelmus Rex uſque ad* MCCXIV: *cui tum ſucceſſit ejus filius Alexander, ſub quo* S. *Gilbertus ordinatus Epiſcopus, præfuit ſuæ diœceſi ultra viginti annos, ut obitus ejus referri poſſit ad annum circiter* MCCXL. *Camerarius in ſuo Menologio iſta addit*: Ferunt S. Gilbertum ſub mortem aſtantibus dixiſſe: Tria vobis commendo: quæ & ipſe in vita ſemper ſervavi.

obitus circa an. 1240.

Monita ante mortem.

Neminem lædere : & ſi quis læſus fuerit, de lædente
A vindictam non expetere. Secundo, patienter ferre, quæ Deus immittit in nos flagella: caſtigat enim omnem filium, quem recipit. Tertio obedire Præpoſitis & Rectoribus, & nemini eſſe offendiculo.

5 *Hiſce ſubjunximus compendium vitæ, ex antiquo Breviario Aberdonenſi, ibidem in ſex diſtributum Lectiones, quæ in ejus feſto, die* 1 *Aprilis, ad Matutinum recitari ſolebant : ubi Lectiones Nocturni* III *aſſignabantur de expoſitione Evangelii*: Vigilate, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus eſt, *&c. Cetera de Communi Pontificis & Confeſſoris, excepta hac Antiphona ad Magnificat cum Oratione.*

Antiphona: Normam cunctis caritatis Gilbertus edocuit,
Qui divinæ jam virtutis miraculis claruit,
Et in opus pietatis ſua cuncta tradidit.

Oratio, Deus qui B. Gilbertum Pontificem plurium ægritudinum curationibus, actibuſque miraculoſis inſigniri voluiſti ; fac nos, ejus intercedentibus meritis, ab animæ & corporis languoribus curari ; & ad gloriam, quam eidem contuliſti pervenire.

COMPENDIVM VITÆ.

Ex Breviario Aberdonenſi.

B

1 SCotiâ per illuſtriſſimos principes Guillermum & Alexandrum, ejuſdem regionis Reges ſtrenuiſſimos, per plurima temporum curricula, diademate & ſceptro ſub eorumdem imperio ditioni deditâ ; in Boreali parte regni illius vir magnæ continentiæ, probitatis & fidei per hujuſmodi tempora, Gilbertus nomine, inſignis operibus & miraculoſis actibus floruit, & virtutibus claruit ; qui licet ex ſatis nobilium Procerum regni Scotiæ ſtirpe clara propaginem ſumpſerat ; fidei tamen Chriſti & bonorum morum honeſtate multo nobilior extiterat & præclarior.

S. Gilbertus è ſtirpe nobili,

2 Hic in puerilibus annis litterarum ſtudiis traditus, ſub adoleſcentiæ juventutiſque temporibus ſatis ſufficienter edoctus evaſit. Sed cum ad perfectiorem pervenerat ætatem, ob Scripturarum divinarum ſcientiæ eminitatem & honeſtatis excellentiam, Moravienſis eccleſiæ Archidiaconatus nomen ſortitus eſt & honorem. Interea vero quantum ætate in annis tranſegerat, tantum in ſapientia & gratia apud Deum & homines proficiebat, ipſum Omnipotentem Deum & Sanctos in ſuis factis ubique collaudans.

Archidiaconus Moravienſis,

C

3 Percepta igitur à Regibus prædictis prudentiæ ſuæ ſagacitate & circumſpectione, in temporalibus & ſpiritualibus, ipſum pro ſingulis Regum in Boreali Scotiæ parte agendis, & caſtris cuſtodiendis, ædificandis, & aliis ædificiis pro utilitate Regis & reipublicæ reparandis, præfecerunt. Quare à pluribus illius patriæ exoſus propemodum habitus eſt, & ut inimicitiam inter ipſum & Regem [ſuſcitarent] mediis quibus poterant machinati ſunt. Nam rationum libros, in quibus pro Regi computo reddendo, per eumdem intromiſſa ſingula, prout tempora exigebant, in ſcriptis redigeret, malevoli clam nocte incendio dederunt : quibus conſumptis, per Regem, exoſorum perſuaſionibus, accerſitur. Dubius quid ageret, ne in ipſius Regis odium incideret, fuſa ad Deum oratione, libri rationum jamdudum igne cremati, illæſi in integrum reſtituuntur.

præfectus à Rege Boreali Scotiæ,

D

libros rationum combuſtos, recipit illæſos.

4 Tranſactis vero aliquot annorum curriculis, viro Deo devoto, Domino Ada Cathenenſi Epiſcopo, à ſuis diœceſanis quibuſdam, ferocitate non minima, funeſtis armis morte trucidato ; Alexander Rex præfatus, de execrabili hujuſmodi facinoris actu certioratus, ne infandum illud & atrociſſimum delictum impune relinqueretur, omne maſculinum genus illorum delinquentium, uſque in quartam & quintam generationem (trucidatis & oppreſſis, pro hujuſmodi, in unctum Epiſcopum manuum injectoribus) protinus caſtrari fecit : moxque omnium populi & Cleri roborato aſſenſu, divinitus Spiritus ſancti gratia B. Gilbertum in Epiſcopum aſſumpſerunt, & conſecrari petierunt : quod & merito exactum eſt.

Adæ, Epiſcopo Cathenenſi, à ſuis occiſo,

ſubrogatur :

E

5 Conſecratus igitur in Epiſcopum Cathenenſem, diœceſim ſuam viginti ultra annos rexit, & gubernavit in terra. Dum privatus loquela miſerabilis quidam ad B. Gilbertum, ejuſdem loquelæ reſtituendæ cauſa, acceſſiſſet, & aſſidue apud eum deprecaretur ; vir Dei pietate motus, ſua ad Deum oratione, pro eo primitus Crucis facto ſignaculo, pollice manus dextræ lingua tacta, illico priſtinæ loquelæ ex tunc reſtitutus eſt, & recte loquebatur, benedicens Deum, qui talem Confeſſori ſuo dederat poteſtatem, à languoribus ſanandi infirmos.

muto reddit loquelam :

6 Piſcator mercenarius, ſalmonum piſcationem, à Domino terræ illius Cathenenſis, certa pecuniæ ſumma, in affidatione poſſidebat : qui cum plurimas inde pecunias piſcandi gratia expoſuiſſet, ut inde Domino ſatisfaceret à dicta piſcatione, & hujuſmodi aquarum ſterilitate nequaquam prendidiſſet ; & [metueret] ne tempus fatale ſalmonum curſibus de proximo volveretur ; B. Gilbertum intenta rogabat mente, quatenus ſanctas ſuas manus in dicta aqua lavaret, unde ſalmonum piſciculos terræ attraheret. Facta autem manuum ſacrarum ablutione, ſalmones dicto piſcatori abundantius natabant ; & quod Domino redderet, cum centupli uſura, eidem reportarunt. Poſt plurima alia miraculorum inſignia, B. Gilbertus, plenus gratia & fortitudine magna, Kalendis Aprilis ad cælos ſuper æthera volabat ; & in eccleſia Cathenenſi, ſuis conſtructa manibus, in pace requieſcit hactenus beata, variis ſuffultus & clarus miraculis.

piſcationem ſalmonum facit fertilem.

F

Obit 1 *Aprilis.*

DE BB. THOMA DE TOLENTINO, IACOBO DE PADVA,

G. H. ## PETRO DE SENIS, ET DEMETRIO LAICO,

Martyribus Ordinis S. Franciſci in India.

ANNO MCCCXXII. INter viros Apoſtolicos, qui olim ex Ordine S. Franciſci Indias aliaſque Orientis regiones, zelo Chriſtianæ fidei plantandæ, peragrarunt, eminuit B. Odoricus ſine Ordericus, de Portu Naonis aut de Foro-Iulii cognominatus : cujus Vitam illuſtravimus ad diem XIV Ianuarii. Hic ex Oriente in Italiam reverſus eſt anno MCCCXXX, ac ſuam ipſemet peregrinationem deſcripſit, in eaque martyrium horum Beatorum Fratrum Ordinis ſui, quorum ſacra corpora detulit ad conventum Ordinis, tunc in Indiis conſtitutum. Hanc peregrinationis ejus hiſtoriam, ſeu librum de Mirabilibus mundi, habemus in codice valde antiquo, quem Fr. Henricus de Glats Ord. Minorum Pragæ, anno Chriſti MCCCXL, deſcripſit. Hiſtoria martyrii horum Beatorum Fratrum, inde olim excerpta, extat in Paſſio-

Acta Martyrii, à B. Odorico ſcripta,

ex duplici MS. eduntur.

AUCTORE G. H. D

Paſſionali MS. inſigni cœnobii Bodecenſis Canonicorum Regularium S Auguſtini in diœceſi Paderbonenſi, quam inde deſcriptam nobis transmiſit Ioannes Gamanſius noſter, cum hoc titulo: Incipit paſſio Sanctorum quatuor Fratrum Minorum, quæ eſt Kalendis Aprilis: *qui dies infra num. 6. confirmatur his verbis:* Compleverunt autem glorioſi viri martyrium ſuum anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſecundo, Kalendis Aprilis, ante Palmas. *Ita Odoricus in utroque manuſcripto. Aliud martyrii hujus teſtimonium præbuit:* Fr. Jordanus Ordinis Prædicatorum, *in epiſtola* data in Thana Indiæ, ubi, *inquit*, Sancti mei ſocii martyrizati ſunt, *& ita incipit:* Noverit omnium veſtrum paternitas veneranda, me ſolum ſine ſocio in India pauperculum & peregrinum eſſe: ubi poſt paſſionem ſociorum meorum de Ordine Fratrum Minorum, videlicet Thomæ Sancti, & Iacobi glorioſi, Petri & Demetrii Martyrum beatorum, meis peccatis exigentibus, vivere ſum permiſſus.... ibidemque poſt felix martyrium, (quod in Feria quinta ante ramos Palmarum fuit in Thana Indiæ) plurimos variis in locis baptizavi.... Ego autem poſt martyrium, Thanam veniens, etiam Sanctorum corpora ſepelivi. *Hæc Fr. Iordanus, cujus integram epiſtolam, poſt varios alios, edidit Lucas Waddingus, tom. 3. Annalium Minorum, ad annum Chr.* 1321 *num.* 14, *arbitratus eo anno martyrium obtigiſſe. Verum omnes indicati characteres cadunt in annum ſequentem* MCCCXXII, *quo cyclo Lunæ* XII, *Solis* XV, *littera Dominicali* C, *Paſcha celebratum fuit die* XI *Aprilis, & hujus Kalendæ inciderunt in Feriam quintam ante Dominicam Palmarum, ut nihil accuratius indicari poſſit.*

Paſſi ſunt 1 *Aprilis, anno* 1322,

Feria 5 *ante Dominicam Palmarum:*

2 *Verum quia annus more Gallico à variis inchoabatur in Paſchate, adhuc ab iis numerabatur præcedens* MCCCXXI, *eoque poſtmodum relicto, (cum hiſtoria B. Odorici deeſſet) inquiſitum fuit in Feriam quintam ante Dominicam Palmarum, quæ eo anno incidit in diem* IX *Aprilis, quando Paſcha celebratum eſt die* XIX *Aprilis: atque hac ratione ad* IX *Aprilis ſunt relati in Martyrologio Franciſcano Arturi à Monaſterio. Dictum ergo annum* MCCCXXI *his verbis auſpicatur Waddingus,* Glorioſum ſubierunt Martyrium hoc anno, V Idus Aprilis, Feria quinta ante Dominicam Palmarum, quatuor illuſtres fidei agonothetæ ex Ordine Minorum, Fr. Thomas Tolentinas, Fr. Iacobus de Padua provinciæ S. Antonii, Fr. Petrus de Senis provinciæ Tuſciæ, & Fr. Demetrius laicus de Tafelicio, natione Georgianus, Fratrum interpres; qui optime callebat linguas Orientales. *Hæc ibi VVaddingus: qui in Catalogo Martyrum, una cum Scriptoribus Ordinis Minorum Romæ excuſo, alium diem Martyrii aſſignat his verbis:* Thomas Tolentinas, Iacobus de Padua & Demetrius laicus, anno MCCCXXI die XIII Aprilis, apud Thamnam Saracenorum civitatem, plurimis pro fide Chriſti tormentis toleratis ac ſuperatis, victores migrarunt in cælum. *Hæc ibi, omiſſo per incuriam librariorum* Petro de Senis, *cujus nomine ante indicato in littera* P, *lector remittebatur ad* Thomam Tolentinatem. *At dies* XIII *Aprilis ab aliis indicatur, quaſi obiiſſent anno* MCCCXVIII, *quo Paſcha celebratum eſt* XXIII *Aprilis. Ita enim* XIII *dies, aſſignatus eſt ab Arturo du Monſtier in prima editione Martyrologii Franciſcani, ubi interim in Notis ſignat* annum MCCCXXI & Feriam quintam ante Dominicam Palmarum. *Verum* dies XIII Aprilis *illo anno conveniebat in Feriam ſecundam poſt Dominicam Palmarum. Idem Arturus deprehenſam errorem emendare voluit in poſteriore editione, & retulit horum martyrium ad diem* IX *Martii. At viſis his tam ſolidis Actis, ſi Martyrologium recudatur, poterit referri ad Kalendas Aprilis; quo die, anno* MCCCXXII, *Feria quinta ante Dominicam Palmarum, martyrii palmam adepti ſunt.*

non 9 *Aprilis anni* 1321,

neque 13 *Apr. anni* 1318,

aut 9 *Martii an.* 1319.

Abrahamus Bzovius in Annalibus bis refert horum pugilum Martyrium, ſcilicet anno MCCCXIX *& anno* MCCCXXI. *Sed fruſtra conjecturas eorum referimus, qui vel antiqua monumenta non habuerunt, vel otium ut examinarent.*

3 *Hæc de tempore Martyrii. Locus aſſignatur in Actis,* Chana *aut* Chanaa, *alii* Thana, Tanaha, *aut* Thamna, *quo venerunt contrario vento adacti, cum navim in* Ormes *adſcendiſſent:* Armuſiam *appellamus, urbem in ſinu maris Perſici ſitam. Nicolaus Orlandinus, libro* II *Hiſtoriæ Societatis Ieſu num.* 87. *conſtituit* Tanaam in Salſettis Bazaini, *& hæc eſt Tanaa inquit num.* 88, urbs olim, quod vel hac tempeſtate veſtigia monſtrant, ingens & magnifica, nunc mediocre oppidum: quod longe ſupra priſcam felicitatem Conſalvius cœpit evehere, multis incolarum in municipium cæli conſcriptis. *Fuit deinceps ibidem erectum Collegium Societatis Ieſu, cum variis circumcirca reſidentiis.* Tanahæ *ſæpius meminit Maffæus in hiſtoria Indica, & lib.* 9. Hali dux, leviore arrepto navigio, Tanaham, atque inde Bazainum oppidum petiit: *& ſub finem dicti libri,* Tanahenſis dynaſta, annuo ſtipendio impoſito, in fidem à Luſitanis eſt acceptus. *Hujus dein tributi ſoluti meminit lib.* X.

Locus Martyrii eſt Tanaha in India.

4. *Qui primus omnium collocatur, ac ceteris ſenior erat,* Thomas Tolentinas, *ſæpius à Waddingo in Annalibus Minorum memoratur. Ac primo* ad annum MCCLXXV, *id eſt annis* XLVII *ante martyrium: quando paupertatis antiquæ Propugnator, ſed zelo, ut aliis videbatur, indiſcreto,* cum Raymundo quodam & Petro Maceratenſi, fuit habitu ſpoliatus, & in eremitorio quodam carceri tamquam ſchiſmaticus incluſus: *ex quo evocatus anno ſequente, poſt diſputationem trium dierum à Fratre Benjamino, Doctore veterano, in ſententiam aliorum ſuaviter abductus cum ſociis eſt. Verum redierunt anno* MCCLXXXIX *ad ante conceptum paupertatis affectum, quem ita explicat Waddingus num.* 24. Pii quoque viri, ſui inſtituti zelatores, quorum copioſa ſeries numquam defuit in Ordine, ad tot manifeſtas regulæ tranſgreſſiones vehementer affligebantur, præſertim in provincia Marchiæ. Prodierunt plerique in publicum, quorum agmen ducebant tres illi paupertatis propugnatores, de quibus egimus ſuperius, Fr. Raymundus, Fr. Thomas Tolentinas, & Fr. Petrus Maceratenſis, reſtiteruntque in faciem laxioris diſciplinæ magiſtris ... *Verum alii* eos, tamquam ſchiſmatis auctores, & religioſæ pacis perturbatores, perpetuis adjudicantes ergaſtulis, primo conjecerunt in vincula tres, quos diximus, aliorum ductores: & ne fieret tumultus in Ordine, alia lege cautum eſt, ut nullus illorum auderet cauſas tueri, aut injuſte condemnatos dicere.

B. Thomas ob zelum paupertatis ſervandæ E

cum aliis 2 carceri incluſus anno 1275,

iterumque anno 1289.

F

5 *Verum cum anno ſequente* MCCXC *Miniſter Generalis eſſet conſtitutus* Raymundus Gaufridi, nihil, *inquit VVaddingus num.* 10, à ſua electione tam curavit, quam turbas Ordinis & provinciæ Picenæ conſopire... Examinavit cauſam, propter quam illi Religioſi viri, quos ſupra diximus, conjecti eſſent in vincula. Neque aliam ſolidam reddere poterant illi Patres, quam quod illorum zelus nimius erat & ſuperſtitioſus circa obſervantiam paupertatis. Atque utinam, inquit, ego & univerſus Ordo hoc peccato laboraremus, juſſitque ut ad ſe efferrentur. Accedentes apertis excepit brachiis, affabilia & placida eis locutus, perſuaſit ut perſequentibus ignoſcerent ex corde, in pio propoſito firmiter perſiſterent, ſeque in obſervantia ſanctæ paupertatis promovenda ſcirent habituros ſedulum adjutorem. Ut vero aliorum perſecutiones effugerent, deſtinandos duxit, cum aliis tribus ejuſdem ſpiritus viris, ad Regem Armeniæ, à quo paullo ante litteras acceperat: quibus rogabat quoſdam ſibi mitti hujus inſtituti viros, tum propter animæ ſuæ & ſuorum ſola-

eductus juſſu Generalis anno 1290.

ab eo mittitur ad Regem Armeniæ:

AUCTORE G. H.

A

tium, tum ad inſtituendum populum multum nimis, qui ad Chriſtianorum fidem quotidie accedebant. Fratres autem ab eo miſſos, & ab Armenorum Rege tamquam Angelos cæli receptos, alii vexare non deſtiterunt. Etenim tunc Guardianum agebat Ptolemaidis Paulus de Marchia, Socius Miniſtri Piceni, qui aderat quando conjecti ſunt in vincula; accuſavitque eos apud Jacobum, provinciæ Syriæ Miniſtrum: cui talem indidit de eis opinionem, ut illum compulerit ſiniſtra ſcribere Armeno, eumque admonere, ut ab eis ſibi caveret, tamquam ab hominibus ſchiſmaticis & ab Ordine exciſis. Rex acceptis litteris intimos adhibuit Conſiliarios, & ex eorum ſuaſu vocatos ad ſe Patres circa multa interrogavit, monuitque ut obedientiales ſibi Prælatorum litteras exhiberent. Ut legit viditque valde commendatos ab Ordinis Primicerio, ut bono eſſent animo hortatus eſt, expanditque eis litteras Syriæ Miniſtri. Illi, ut calumniam diluerent, rem omnem ex ordine narrarunt: qua intellecta meliorem de eis concepit Rex opinionem, ſcripſitque ad Miniſtrum Generalem, gratias reddens innumeras, quod minime vulgares, ſed perfectos viros, quos tamquam Chriſti diſcipulos veneraretur, ſibi deſtinare placeret.

apud quem à ſuis accuſatus,

majori excipitur aſſectu;

anno 1292 mittitur ab eo Legatus in Europam.

B

6 *Non manſit diu quietum regnum Armeniæ, infeſtantibus illud Saracenis anno* MCCXCII; *quorum* innumero & potentiſſimo exercitui, *inquit Waddingus num.* 1, dum viribus impar ſe reſiſtere non poſſe judicabat Armenus; miſit ſuos Legatos, Fr. Thomam de Tolentino & Fr. Marcum de Monte-Lapone, ac nobilem virum Gaufridum Comitiſſæ, ut Pontifici & Regibus Galliæ & Angliæ ſignificarent, quam in miſerabili ſtatu res ſuæ & Chriſtianorum, barbaræ Saracenorum feritati undique expoſitæ, ſe haberent. Miſertus Pontifex tantæ calamitatis ... tranſiniſit ipſos Nuntios ad Reges Galliæ & Angliæ, datis litteris, *quibus eos* commendat, quatenus pro Divina & Apoſtolicæ Sedis reverentia benigne ſuſcipiantur, & in negotiis præfati Regis aures pietatis adhibeantur, & animus regiæ propitiationis impendatur. *Advenerunt illi Pariſios tempore Capituli generalis, &* porrectis litteris Raymundo Generali, multas reddiderunt Regis nomine gratias, de miſſis ad eumdem Fratribus, quos tamquam Angelos Dei venerabatur. Id ipſum continebant porrectæ litteræ, quas Miniſter fecit in publico confeſſu legi. Et plura addidit nobilis ille Legatus, plenam faciens fidem de vitæ integritate, & optimis Fratrum prædictorum moribus: *Ita Waddingus num.* 14.

& laudatur Pariſiis in Capitulo Generali.

C

iterum anno 1302 ex Armenia reverſus,

7 *Reverſi poſtmodum in Armeniam ſunt dicti Legati: ac dein* anno MCCCII, *ut habet idem Waddingus num.* 8, Fr. Jacobus de Monte & Fr. Thomas Tolentinas peragrata Armenia, in Italiam transfretarunt; & præſtita obedientia Miniſtro Generali, ſimul cum Conrado Offidano licentiam petierunt, in Orientem ad partes infidelium abeundi cum duodecim ſociis; allegantes ſe, dum in illis partibus converſarentur, perſpexiſſe meſſem eſſe copioſiſſimam, & ſegetes jam albas ad meſſem, neque quidquam deeſſe præter operarios. Facile annuit pio deſiderio Primicerius, permiſitque ut ipſi, (quos probos & perfectos viros eſſe cognoſcebat) duodenos illos ſocios eligerent, ... Electis ſociis transfretantes, applicuerunt Nigroponto; deinde Thebis. Perceperunt hic tumultus excitatos inter Fratres illos & provinciæ Romaniæ, & rogati ſuam interpoſuerunt operam, ut diſſidentes conciliarent. *Hæc ibi, omiſſo reliquo itinere & laboribus in Oriente inter Tartaros toleratis: quos concipere licet ex reditu dicti Thomæ in Europam, anno* MCCCVII: *quando* Fr. Thomas de Tolentino, (*ſunt iterum verba Waddingi num.* 7) à Tartaria rediens, qui per annos plures prædicaverat inter infideles, venienſque in Italiam, acceſſit ad curiam Romanam ultra montes in Vaſconiam, ubi Papa Clemens morabatur cum Cardinalibus; ubi prius hæc magnalia Fr. Joanni de Muro, olim Generali Miniſtro Fratrum Minorum, & tunc Cardinali, nuntiavit; & Fr. Joannes Domino Papæ & Cardinalibus retulit. Advocatus Fr. Thomas in conſiſtorium coram Domino Papa, Cardinalibus & Prælatis, ſermone præclaro iſta Dei noſtri admiranda opera, ſic mirabiliter incepta & continuata per Fr. Joannem de Monte-Corvino & alios Fratres, recitavit; rogans Dominum Papam & Cardinales, ut directio daretur, quatenus hoc opus Dei augeretur & perficeretur. *Hæc ibi. Mandato Pontificis ſeptem Fratres Minores creati ſunt Epiſcopi, miſſique in Tartariam interiorem, & in India regiones: nec dubitamus, quin cum illis reverſus fuerit Thomas de Tolentino, Dux itineris factus; ac reliquam vitam in convertendis ad fidem infidelibus conſumpſerit, quam Deus glorioſi martyrii palma coronavit. Ejus* cranium *poſtmodum ex India in Italiam delatum eſt, &* magna cum veneratione aſſervatur Tolentini, coliturque ejus dies feſtus; in quo publicas aperiunt nundinas Tolentinates. *Ita idem Waddingus anno* 1399 *num.* 30.

cum novis ſociis in Orientem abit;

anno 1307 tertium redux in Europam.

D

fructu miſſionis Pontificis indicato,

impetrat 7 Epiſcopos.

Cranium ejus Tolentini aſſervatur.

8 *Alter Martyrum eſt* Jacobus de Padua, *quem Bernardinus Scardeonius, lib.* 2 *Antiquitatum urbis Patavinæ claſſe* 6 *pag.* 111, *hoc exornat titulo*: De S. Jacobo Martyre Patavino: *& ita elogium incipit*: Iacobus Martyr ejuſdem Ordinis Franciſcani fuit, ſed qua Familia Patavii ortus ſit, nemo vere dixerit: conſtat autem de plebe fuiſſe. *Eſt in agro Patavino* caſtrum Plebis-Sacci *cum cœnobio Franciſcano*, unde, *inquit Waddingus anno* 1399 *num.* 50, originem traxiſſe ferunt B. Iacobum Martyrem, à Padua cognominatum; *forſan, quia de* plebe fuiſſe *ſcripſit Scardeonius, qui ſub finem elogii iſta addit:* Brevi ſpatio in ea regione decurſo, cæleſtem illam martyrii coronam à Deo in cælis adeptus eſt, & hic in terris ſancti martyrii nomine à Benedicto XI Summo Pontifice, una cum ſociis, jure meritoque decoratus. Natalis autem dies hujus celebratur in hebdomada Sancta Paſchæ, Feria IV. *Hæc ibi. Deceſſor Benedicti fuit* Ioannes XXII, apud quem Fratres egerant pro Sanctis his canonizandis, quorum votis ſe ſubſcripturum indicarat. Sed orta excreſcente controverſia de paupertate Chriſti, & ſchiſmate Petri Corbarii, cui Cæſenas & alii adhærebant Minoritæ, facile diſtulit quod ante propoſuit. *Ita Waddingus anno* 1321 *num.* 15.

B. Iacobus de Padua.

E

an ex Caſtro plebis-ſacci oriundus,

an Martyr declaratus à Benedicto XI?

quod addixerat, Ioannes XXII.

9 *Tertius qui eodem die paſſus eſt, erat* Demetrius laicus, *quem Acta infra cognominant* Zortzanum, *an ex urbe* Sarſana, *quæ in finibus Hetruriæ eſt ſub Genuenſibus? Waddingus ait* natione Georgianum *& cognominat* de Tafelicio. *Piſano fol.* 95 *dicitur* Demetrius de Tefolio Virgianus. *Quartus, qui Biduo poſt eſt occiſus, erat* Petrus de Senis; *quem Arturus du Monſtier aſſerit etiam* Fratrem Laicum *fuiſſe, quod in Actis non habetur.*

B. Demetrius cujas?

F

B. Petrus an laicus?

ACTA MARTYRII

Auctore B. Odorico de Portu Naonis. *Ex duobus MSS.*

CAPUT I.

Martyrium BB. Thomæ, Iacobi & Demetrii.

1 EST civitas in India media, quæ vocatur a Thana, hæc civitas fuit antiquitus valde magna nam fuit civitas Regis Pori vel Porrhi, qui cum Alexandro Magno prælium commiſit. Hujus

a

terræ

terræ populus idololatrat; nam ignem adorant, ſerpentes, & arbores. Iſtam terram regunt Saraceni, qui eam violenter ceperunt. In hac civitate Thana paſſi ſunt quatuor Fratres Minores martyrium glorioſum. Dum enim hi Fratres eſſent in *b* Ormes, conduxerunt navim ut irent Polumbum. In qua cum navigarent, flante contrario vento, uſque ad Thanam deportati ſunt. Illic ſunt quindecim domus Chriſtianorum; ſcilicet Neſtorianorum, qui ſunt ſchiſmatici & hæretici peſſimi. Cumque deſcendiſſent de navi, in domo unius illorum ſe hoſpitio receperunt. Ubi dum remanerent, contigit litem oriri inter hoſpitem & ejus conſeminam, qui eam ſecundo graviter verberavit. Quæ ejus afflictiones ferre non valens, ivit ad *c* Cadi, quod ſonat Epiſcopum cujuſdam civitatis; & coram ipſo de viro ſuo conqueſta eſt. Cadi vero eam interrogante, utrum quod dicebat poſſet probare vel teſtes inducere, reſpondit: Quatuor Raban Franci, id eſt, viri Religioſi ſunt in domo mea, qui de omnibus poſſunt teſtimonium perhibere. Muliere ſic loquente aſtitit quidam vir de Alexandria, qui rogabat *d* Cadi, ut mitteret pro eis: & quia eſſent homines maximæ ſcientiæ, Scripturas bene intelligentes, idcirco bonum eſſet de fide diſputare cum eis.

A

b

Veniunt Tanaham:

c

d

B

adducti tres ad Cadi,

2 Quo audito Cadi miſit pro eis, & adducti ſunt, videlicet Frater Thomas de Tolentino, Frater Jacobus de Padua, & Frater Demetrius Zortzanus, qui erat Frater Laicus, ſciens optime linguas illas. Frater vero Petrus de Senis non erat cum eis, quia tunc iverat extra domum pro aliquo negotio peragendo. Tres igitur prædictos Fratres interrogare cœpit, & de fide noſtra multum inquirere. Aſtantes etiam Saraceni, diſputantes contra eos, dicebant Chriſtum ſolum purum hominem eſſe, & non Deum. Tunc Frater Thomas oſtendit eis, Chriſtum eſſe verum Deum & hominem, rationibus & exemplis; & in tantum confudit Saracenos, quod quid contradicerent non haberent. Cadi vero videns quod in inquiſitione fidei noſtræ non poterat proficere, ad reſpondendum ſibi de ſua ſecta cœpit eos inducere; & ſpecialiter quid de Mahometo & de ejus lege ſentirent. At illi reſponderunt: Sicut probavimus validis rationibus, Chriſtum Dei filium verum Deum & hominem eſſe, qui legem Euangelicam, quæ eſt excellentiſſima, omnibus ſaluandis in terra dedit; Mahometes autem venit, qui legem viliſſimam & contrariam iſti fecit: ſi ſapiens es, quid de eo ſentiendum ſit, tu optime ſcire potes. Tunc Cadi cum Saracenis altis vocibus clamabant: De Mahometo quid dicitis? Frater Thomas reſpondit: Ipſe eſt filius perditionis, & cum patre ejus diabolo poſitus in inferno: ubi erunt ſecum omnes, qui legem ejus peſtiferam obſervant; quæ tota contra Deum eſt & animarum ſalutem. Cadi vero enſem extrahens, & ſuper capita eorum vibrans, cœpit vehementer inſiſtere, ut Mahometum Prophetam magnum & Dei nuntium faterentur. Qui conſtanti animo eadem, quæ prius dixerant, repetebant.

defendunt Chriſti divinitatem:

C

condemnant Mahometũ & ejus ſectatores:

3 At illi impetum unanimiter in felices Fratres fecerunt, ipſos contumeliis & verberibus affecerunt, deinde vinctos manibus & pedibus ad ſolem expoſuerunt, ut virtute caloris corpora eorum extinguerentur: nam illic tam intenſus eſt calor, ut ſi quis per ſpatium unius Miſſæ ſtaret in ſole, penitus moreretur. Ipſi autem glorificantes Deum permanſerunt in ſole, à tertia uſque ad horam nonam, hilares atque ſani. Hæc videntes infideles, conſilium inierunt, & ipſis Fratribus dixerunt: Volumus ignem magnum accendere, in quem vos projecti, ſi, ut dicitis, fides veſtra juſta fuerit, flamma vobis non nocebit, ſi autem mala, conſumemini ab igne. Reſponderunt Fratres dicentes: O Cadi, parati ſumus ignem, carceres & omnia tormentorum genera, quæ nobis inferre volueritis, pro fide noſtra ſuſtinere: verumtamen hoc ſcire debes, quod ſi ignis incendium nos combureret, non hoc credas ex defectu fidei noſtræ provenire, ſed ex peccatis noſtris, propter quæ nos Deus poſſet permittere in mortem cadere temporalem; hoc ſemper ſalvo, quod fides noſtra ita perfecta eſt & bona, ut ſine ea nullus unquam ſalutem conſecui valuerit ſempiternam.

vincti exponuntur ardori ſolis,

AUCT. Bo ODORICO. EX MSS.

D

parati ignem & quæcunque tormenta ſuſtinere,

4 Cum autem ordinatum eſſet, ut Fratres in ignem mitterentur, rumor per totam civitatem inſonuit: unde omnes utriuſque ſexus, parvi & magni, ad ſpectaculum properabant. Accenſo igitur copioſo igne in Maydano, id eſt, in platea civitatis, Frater Thomas ſigno Crucis ſe muniens, voluit incendium illud intrare. Quem quidam Saracenus rapuit per caputium, dicens: Non intres ignem: quia *e* ſenex es, & multa in mundo expertus: forte habes aliquid circa te, cujus virtute ignis circa te non ageret: ſed permitte alium præcedere juniorem. Tunc quatuor viri iniqui Fratrem Iacobum rapientes, eum in flammas projicere nitebantur: quibus ille ait: Sinite me, quia voluntarie hunc ignem pro fide mea intrabo. Cujus verba non curantes, ipſum in incendium projecerunt. Erat autem ignis tam magnus & altus, ut ipſe intus exiſtens minime videretur. Vento tamen flante & flammas quandoque deprimente, vox audiebatur invocantis nomen Virginis. Igne igitur totaliter conſumpto, ſtabat Chriſti athleta ſuper prunas, manibus in modum Crucis extenſis, ſanc corpore & mundo corde Dominum laudando. Hoc videns populus cœpit unanimiter exclamare: Iſti ſunt ſancti: iſti ſunt juſti: nefas eſt eos occidere. Nunc autem non ſolum audivimus, ſed & videmus quam fides eorum eſt juſta. Vocatus ergo ab eis Frater Iacobus de igne, exivit illæſus. Cadi vero vociferans contra populum, reclamavit dicens: Sanctus non eſt, neque juſtus; ſed ideo ardoribus ignis non conſumitur, quia tunica qua induitur eſt de lana terræ Abrahæ; quæ lana, ut dicitur, diu poteſt in igne durare. Iterato ignis incenditur, & oleo ac adipe ſuperfuſo, duplo vel triplo quam antea major erat: deinde Frater Iacobus veſtibus exſpoliatur, & oleo toto corpore perunctus, nudus in ignem impellitur. Frater autem Demetrius & Frater Thomas; extra ignem genibus flexis, Creatori omnium devotiſſime ſupplicabant. Gratia autem Altiſſimi, tamquam Angelo deſcendente de cælis, vim virtutis ſuæ oblitus eſt ignis: & Frater Jacobus, totaliter eo conſumpto, ut prius illæſus exivit. Populus autem voce magna clamabat: Peccatum eſt eos occidere, quoniam ſancti ſunt & amici Dei.

e

non permittitur Thomas ingredi in incendiũ:

E

Iacobus injectus,

invocans nomen Mariæ, manet illæſus:

iterum nudus & oleo perunctus, illæſus exit:

F

5 Motus hoc officio Melich, id eſt, Poteſtas vel Iuſtitiarius civitatis, Fratrem Iacobum ad ſe vocans, veſtibus ſuis indui fecit, & dixit: Iam videmus, Fratres, vos eſſe juſtos, & fidem veſtram optimam & perfectam: tantummodo ab hac civitate & terra recedite feſtinanter, quia Cadi pro poſſe laborat, ut propter ſalvandam fidem Mahometi penitus vos extinguat. Erat autem tunc hora quaſi Completorii. Totus autem populus Saracenorum, & omnes idololatræ ſtupefacti & exterriti clamabant dicentes: Tot & tanta vidimus ab iſtis Sanctis mirabilia, quod ignoramus cui credere debeamus. Melich igitur juſſit eos Fratres tranſduci per quoddam brachium maris, quod ab illa civitate modicum diſtabat; & fecit illis illum hominem ſociari, in cujus domo prius in Thana fuerant hoſpitati. Tranſducti igitur ad

dimiſſi, ad proximum oppidum abſegantur:

AUCT. B. ODORICO. EX MSS.

unum burgum, in domo cujuſdam idololatræ hoſpitium habuerunt.

6 Interea Cadi perrexit ad Melich, dicens ei: Quid fecimus, dimittendo iſtos Raban Francos, qui tot & tanta fecerunt in hac urbe mirabilia? quæ videns populus ſimplex, derelicta lege Mahometi, ad eorum legem penitus convertetur. Scire etiam debes, quod ipſe Mahometus in Alcorano, id eſt in lege ſua, mandavit, quod ſi quis unum Chriſtianum occideret, tantum meritum inde haberet ac ſi ad Mecam peregrinaretur. Ubi notandum eſt, quod Alcoran dicitur Lex Saracenorum; Meca vero, locus ubi jacet corpus Mahometi; & illuc pergunt Saraceni, ſicut Chriſtiani ad Sepulcrum Domini vel ad alia loca ſancta. Tunc Melich dixit ad Cadi: Fac ut vis, & ſicut animo concupiſti. Aſſumptis ergo Cadi quatuor armatis viris, miſit eos poſt Fratres, ut eos interficerent. Pervenientibus illis ad aquam, facta eſt nox; & ſic tenebris præoccupati, eos uſque prope noctem mediam non ſequuntur. Interim Melich fecit omnes Chriſtianos in Thana teneri & carceri mancipari. Cum autem perventum eſſet ad noctis medium, ſurrexerunt Fratres, ad perſolvendum Domino Officium Matutinum. Mox illi quatuor viri in domum irruerunt, & capientes Fratres, ipſos extra burgum, ſub quamdam arborem, deduxerunt, & dixerunt illis: Viri Fratres, ſcire debetis, quod mandatum habemus à Cadi & Melich occidendi vos: quod licet inviti faciamus, cum ſitis homines juſti & ſancti, tamen aliter facere non audemus. Nam ſi juſſionibus eorum non obediemus, nos ipſi cum uxoribus noſtris & liberis moriemur. Reſponderunt Fratres dicentes: Nos ſcimus quod per mortem temporalem vitam conſequemur æternam, idcirco quod vobis præceptum eſt diligentius adimplete; pro fide noſtra & amore Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæcumque nobis intuleritis tormenta, parati ſumus humiliter ſuſtinere. Vir etiam ille qui eos aſſecuraverat, quatuor lictoribus illis viriliter reſpondit, eos de infidelitate acriter arguendo, dicebat enim: Et ego ex eadem lege ſum, & hunc quem iſti prædicant confiteor, & pari ſententiæ ſubjacebo. At illi verba ſua non attendentes, Fratres beatos veſtibus exuerunt: & Fratrem Thomam, vinctis firmiter manibus in modum crucis, capitis abſciſſione Chriſti Martyrem fecerunt. Similiter Fratrem Iacobum unus illorum crudeliter per barbam capiens, caput ejus enſe uſque ad oculos ſcidit, & poſt hæc totaliter amputavit. Fratrem vero Demetrium unus gladio per pectus transfigens, amputatione capitis transmiſit ad bravium ſupernorum. Compleverunt autem glorioſi viri martyrium ſuum, anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſecundo, Kalendis Aprilis ante *f* Palmas.

à ſubmiſſis 4 lictoribus

A

B

C

anno 1322 1 Aprilis, f

capti ducuntur extra oppidum noctu,

& pro fide Chriſti crudeliter occiduntur,

7 Divina vero majeſtas oſtendit animas eorum coronatas in cælis, dum in eorum tranſitu quædam in terris miracula demonſtravit. Nam ſubito, non ſine cunctorum admiratione, noctis illius umbra illuminata eſt; & aër, prius caliginoſus, reſplenduit maxima claritate: ſimiliter & luna oſtendit lumen inſolitum & ſplendorem. Poſt modicum quoque ter voces & tonitrua & coruſcationes & fulgura advenerunt, ut omnes clamarent, mortis ſibi periculum imminere. Navis etiam illa quam conduxerant, ut irent Polumbum, ſed violenter duxerat eos Thanam, cum omnibus quæ in illa erant, merſa eſt in profundum, quod alias de illo mari numquam eſt auditum.

nox illuminatur.

ANNOTATA.

a Thana, *alias* Tanaha, Chana, Chanaa, Tamna, *de qua urbe ſupra actum.*

b *Id eſt* Armuſia. *Waddingus*, A Tauriſio verſus Cathag iter dirigere ſtatuentes, nave conſcenſa ut irent Polumbum. *At Marcus Vlyſiponenſis par. 2. lib. 7. cap. 25 ait* diſceſſere Tauriſio verſus Cathajum, & inde profecti Armuſiam, ingreſſi navim ſunt, ut venirent Palumbum. *Eſt autem* Tauriſium *vulgo* Tauris, *urbs Mediæ, antiquis* Ecbatana, *verſus mare Caſpium, unde in Thanam iter trium menſium aſſignant Marcus & Waddingus.* Cathajum *vero eſt Sinenſis regni pars Borealis, uti evidentiſſime demonſtratur in Atlante Sinenſi Martini Martinii.*

c *Dedimus 15 Martii Acta martyrii BB. Monaldi, Franciſci & Antonii, ex ordine etiam S. Franciſci, Arſengæ in Armenia à Saracenis occiſorum, ubi ſimilis diſputatio eſt cum quodam* Cadi, *ſive eorum Epiſcopo.*

d *Waddingus*, nomine Oſeph: *At Marcus*: Hæc audiens Æthiops ex urbe Oſeph dicta.

e *Waddingus ait* ſexageſimum annum egiſſe. *Verum qui ante annos 47 vir erat in Ordine alicujus nominis, arbitramur perveniſſe ad ſeptuageſimum ſextum aut circiter.*

f Feria quinta, *ut ſupra oſtenſum, & conſentiunt paſſim omnes.*

D

E

CAPUT II.

Martyrium B. Petri, Index punitus, oſſa omnium à B. Odorico tranſlata. Miracula.

8 MAne autem facto, *a* miſit Cadi, ut res ſanctorum Martyrum tollerentur, & inventus eſt Frater Petrus de Senis, qui cum tribus Fratribus non fuerat præſentatus: quem capientes duxerunt ad Cadi. Cadi vero ipſum dulciter alloquens, dona maxima promiſit, ſi fidem Chriſti abnegare vellet, & Saracenicam profiteri. Cujus verba pulchris reſponſionibus deridebat, & munera contemnebat. Tunc ipſum affligere cœperunt per duos dies diverſis generibus tormentorum. Die tertia *b* cum Chriſti miles conſtanter in ſancto propoſito permaneret, per gulam ipſum ad quamdam arborem ſuſpenderunt. Ibi à mane pependit uſque ad noctem, nihil omnino ſentiens læſionis. Deponentes autem eum circa crepuſculum, gladiis ipſum per medium diviſerunt. Mane autem facto nihil de ejus corpore invenerunt: ſed cuidam perſonæ fide dignæ revelatum fuit, quod Dominus ipſum occultaverit uſque ad tempus, à ſuæ voluntatis beneplacito præfinitum.

a

Petrus 2 Aprilis capitur,

b

& fruſtra ſuſpenſus,

gladio diviſitur.

F

9 *c* Illa die qua Sanctiſſimi Fratres martyrium compleverunt, Melich ſe ſopori dederat, jacens in ſtratu ſuo: & ecce apparuerunt ei glorioſi Martyres, fulgidi ut ſol, ſinguli tenentes enſes in manibus, & ſuper Melich vibrantes, acſi ipſum dividere voluiſſent. Quod videns ille, præ timore, ut bos, ululavit, in tantum ut tota familia ejus concitata ad eum curreret, quærendo quid haberet, aut quid vellet. Evigilans, tandemque ad ſe reverſus, dixit: Illi Raban Franci, quos interfici feci, huc venientes mortem mihi ſuis enſibus minabantur. Melich vero miſit pro Cadi: cui totum quod viderat narrans, conſulit ipſum quid faceret, ut tale periculum vitaret. Suaſit igitur ſibi Cadi, ut pro Fratribus illis occiſis magnam eccleſiam faceret, ſi manus illorum evadere vellet. Ad cujus conſilium miſit Melich pro omnibus Chriſtianis, quos in carcere recluſerat, petens ab eis veniam humiliter, pro eo quod eis intulerat multa mala. Poſthæc præceptum ſtatuit, ut ſi quis aliquem offenderet Chriſtianum, morte puniretur:

c

Iudex ab apparentibus ſibi Martyribus terretur.

retur: deinde omnes Chriſtianos permiſit libere abire. Inſuper ipſe Melich ædificari mandavit quatuor miſcheas, id eſt eccleſias, in memoriam Martyrum beatorum: & in qualibet eccleſia Sacerdotes Saracenorum fecit commorari.

A *Martyribus eccleſias conſtruit:*

10 Sed, quia impoſſibile eſt ſine fide placere Deo, ipſum infidelem Melich ultio divina ſuit ſubito ſubſecuta. Nam audiens Imperator dictos Fratres morte tam miſerabili conſummatos, miſit, ut captus Melich & vinctis manibus adduceretur. Quem intuens Imperator dixit: Quare tam crudeliter egiſti in illos Fratres. Cui reſpondit: Ipſos digne ſic mori permiſi, quia legem noſtram ſubvertere volebant, & malum dixerunt de Mahometo propheta Dei. Imperator ait: Canis crudeliſſime, tamen vidiſti quod Dominus bis liberaſſet eos ab igne, quomodo auſus fuiſti tales eis inferre cruciatus? Cumque ſic reprehendiſſet graviſſime, juſſit eum cum omni familia ſua per medium ſcindi; ut ſicut ipſe beatos Fratres mortem pati fecit, talem mortem pateretur.

ab Imperatore cum familia jubetur occidi.

11 In hac terra ſervatur peſſima conſuetudo, numquam enim aliquod mortuum corpus ſepelitur; ſed cadavera in campis dimittuntur, ubi ex nimio calore cito corrupta breviter conſumuntur: unde & iſtorum Fratrum corpora bene quatuordecim diebus jacuerunt, recentia & integra, ſicut eadem die qua martyrium ſubierunt. Quod videntes Chriſtiani in *d* terra illa, acceperunt corpora, & ea cum magna reverentia, (quod longum foret dicere) ſepulturæ tradiderunt. Tunc ego Frater Odoricus de Foro-Iulii, audiens felices Fratres ex hoc mundo per martyrium migraſſe, illuc veni: & apertis ſepulcris, ſuſcepi oſſa eorum humiliter ac devote, & pulchris tobaliis involuta ipſa in Indiam ſuperiorem, ad unum locum Fratrum noſtrorum, cum uno Fratre & ſocio & famulo deportavi.

B *Corpora Martyrum diu incorrupta transfert B. Odoricus,* *d*

12 *e* Omnipotens quoque Deus, qui per Prophetam mirabilis in Sanctis ſuis dicitur, etiam per iſtos Sanctos ſua voluit mirabilia demonſtrare. Cum enim ſacra illa oſſa per viam ſic deferrem; in domo cujuſdam hominis hoſpitio me recepi: & cum ſero pergerem ad quieſcendum, oſſa illa capiti meo ſuppoſui, & dormivi. Et ecce ſubito domus à Saracenis, mihi mortem intentantibus, accenditur: & ſocio cum famulo citius domum exeuntibus, ego in flammis unicus ſum relictus. In arcto igitur poſitus, accepi Reliquias ſanctas; & invocato Dei auxilio & Sanctorum ſuffragio, in uno domus angulo me collegi. Mira Dei clementia, quæ ſe à pie invocantibus non elongat, me protexit. Tres anguli domus totaliter comburuntur, illo tantum ſalvo in quo cum fiducia reſidebam. Me tandem ſine læſione ignem egrediente, tota illa domus & quamplures illi conjunctæ penitus concremantur.

e *per ea incendium evadit,*

C

13 Aliud quoque accidit mihi per viam eunti: cum enim irem per mare verſus civitatem quæ *f* Polumbum dicitur, ubi piper abundanter creſcit, defecit totaliter neceſſarius ventus. Quapropter idololatræ Deos ſuos invocantes, ut eis proſperum ventum reddere dignarentur, in nullo profecerunt. Deinde Saraceni orando multum laborabant, nec tamen poterant ventum ſupplicationibus obtinere. Poſt hoc mihi & ſocio meo mandaverunt cuncti, qui erant in navi, dicentes: Vos ſurgentes adorate Dominum Deum veſtrum, & ſi veſtris orationibus ſalutem conſequemur, honorem vobis maximum impendemus: ſin autem, vos cum oſſibus iſtis in pelago ſubmergemus. Tunc nos cum tremore ſurgentes, fiduciam tamen habentes in Deo, qui juxta eſt his qui tribulato ſunt corde, orationes Deo & multas Miſſas celebrare promiſimus glorioſæ Virgini. Cum autem nec ſic ventum optatum haberemus, ego clamavi ad Dominum Jeſum Chriſtum, ut per merita iſtorum Fratrum dignaretur noſtrum deſiderium exaudire: & accipiens de Reliquiis ſacris unum os, dedi famulo noſtro occulte, præcepique ei ut iret ad caput navis, & illud os in mari mergeret ſine mora. Quod cum factum eſſet, mirificavit Dominus Sanctos ſuos, & nos clamantes ad ſe ſub nomine eorum, miſericorditer exaudivit: nam mox venit ventus optatæ proſperitatis, qui nos cum ſalute perduxit ad portum.

AUCT. H. ODORICO. EX MSS.

D *ventum proſperum impetrat,*

oſſe uno in mare merſo

14 Cum autem Polumbum veniſſemus, aliam navim aſcendimus, ut ad ſuperiorem, ut dictum eſt, Indiam veniremus. Tranſivi vero ad quamdam civitatem *g* Sandon nomine, ubi duo loca Fratrum noſtrorum ſunt conſtructa, ut ibi ſanctas Reliquias poneremus. In iſta autem navi erant ſeptuaginta homines idololatræ, præter alios quoſdam mercatores. Iſti autem idolatræ habent hanc conſuetudinem, quod priuſquam applicant ad portum, totam navim perquirunt, conſiderantes quid in ea ſit; & maxime ſi ibi inveniunt oſſa mortuorum, mox illa in mare projiciunt. Cum autem ſic ſcrutarentur in navi, licet eſſent in magna quantitate, numquam tamen illa invenire aut contingere potuerunt; Domino Deo, qui jam abſconderat eorum animas in abſcondito faciei ſuæ, oſſa eorum ab infidelibus occultante. Pervenimus ergo ad locum Fratrum, ibique oſſa beatorum Martyrum, cum magna, ſicut decuit, reverentia, condidimus; & ſic uſque in hodiernum diem Deus omnipotens, non ſolum in fidelibus ſuis miracula, ſed etiam in infidelibus operatur: nam & idololatræ & Saraceni, cum morbo aliquo detinentur, accipiunt de terra illa, in qua beati Martyres ſanguinem ſuum fuderunt; & illam abluentes, bibunt illam loturam: & multi mox ab omni ægritudine liberantur, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

cetera oſſa fruſtra ab impiis quæruntur:

E

g

deponuntur in templo:

clarent miraculis.

F

ANNOTATA.

a *Ipſa ſcilicet* feria quinta: *qua ſub tenebris aut crepuſculo matutino erant alii occiſi.*

b Sabbato Palmarum, *inquiunt Marcus & alii.*

c *Waddingus addit:* Deportatum & ſepultum per ſanctos Angelos corpus Sancti Martyris.

d *Inter hos erat primarius* Iordanus *ex Ordine Prædicatorum, qui tum eo venerat, ut ſupra ex ejus epiſtola retulimus. Addit Marcus ſocium.*

e *Sequentia edidimus etiam in Vita B. Odorici 14 Ianuarii: ubi quæ aliter à Waddingo narrantur, indicavimus.*

f *An* Columbum *in inſula Zeilana?*

g *Waddingus & Marcus* Zaitonem *appellant: Rodulphus* Zaythom *in elogio B. Odorici: at* Carram *in elogio B. Thomæ Tolentinatis.*

II APRILIS.

SANCTI QVI IV NONAS COLVNTVR:

SAnctus Polycarpus ejuſq; Socii Martyres, Alexandriæ.
S. Apphianus, Martyr, Cæſareæ in Paleſtina.
S. Theodoſia, Virgo Martyr, ibidem.
S. Amphianus, } Martyres in Africa.
S. Victor, }
Et alii XIV, }
S. Marcellinus, } Martyres.
S. Satulus, }
S. Saturninus, }
S. Quiriacus, }
S. Regina, }
S. Procula, }
Et alii IV, }
S. Theodolus, } Martyres
S. Agatophus, }
S. Maſtelſus, }
S. Publius, }
S. Valerius, }
Et alii tres, }
S. Vrbanus, }
S. Iulianus, }
S. Proculus, } Theſſalonicæ.
S. Gagus, }
S. Agapitus, }
S. Dionyſius, }
S. Cyriacus, }
S. Zoniſus, }
S. Gordonianus, } Martyres.
S. Magnus, }
S. Iulius, }
S. Donatus, }
S. Maria Ægyptia pœnitens, } in Palæſtina.
S. Zoſimas Monachus, }
S. Abundius, Epiſcopus Comenſis, in Italia.
S. Muſa, Virgo Romana.
S. Nicetius, Epiſcopus Lugdunenſis, in Gallia.
S. Vitus Thaumaturgus, Presbyter Hegumenus, apud Græcos.
S. FRANCISCUS DE PAULA, Fundator Ordinis Minimorum.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.

SAnctus Urbanus, Ep. Lingonenſis, *inſcriptus eſt Martyrologio Romano & variis faſtis. Sauſſajus in Martyrologio Gallicano aſſerit hoc die coli ejus Ordinationem; Natalem autem, quando Acta ejus dedimus*, XXIII Januarii.

S. Elfleda, Virgo & ſanctimonialis, filia olim Angliæ Regis, ac neptis S. Oswaldi Regis, *memoratur in MS. Kalendario Sanctorum Ordinis S. Benedicti, Patrem habuit Oswium, Regem Northumbriæ; ac patruum S. Oswaldum, ibidem Regem; quæ pluribus explicata ſunt ad Vitam S. Elfledæ*, VIII Februarii.

Pontius, Epiſcopus Claromontanus, *refertur cum titulo Beati à Claudio Chalemoto in Serie Sanctorum ac Beatorum Ordinis Ciſtercienſis. De eo egimus inter Prætermiſſos*, VI Martii.

Abundus, Monachus in Villario, *memoratur in Kalendario Ciſtercienſi Divione excuſo; ſed à Chryſoſtomo Henrique, die, quo nos inter Prætermiſſos de eo agimus*, XIX Martii.

S. Euſtaſius, Abbas Monaſterii Luxovii, *memoratur ab Vſuardo in præcipuo codice MS. monaſterii S. Germani de Pratis; item ſub finem Martyrologii S. Hieronymi Pariſiis excuſi attexitur: ſequuntur auctores Martyrologiorum MSS. Tornacenſis, Lætienſis, Vltrajectini, Bruxellenſis, & Altempſiani. Acta ejus illuſtravimus, ad diem* XXIX Martii.

S. Guidonis, Abbatis Pompoſiani, *primaria ſolennitas hoc die celebratur in Eccleſia Ravennenſi & Pompoſiana, & variis eſt Martyrologiis inſcripta: de qua ejuſque cauſa late egimus ante varia ejus Acta, dicto die* XXIX Martii.

S. Priſcus, } Martyres, *referuntur in MS. Caſinenſi*
S. Malchus, } *charactere Longobardico: quos hactenus ita ſimul junctos non reperimus.*
S. Hereneus, }
S. Agapitus, } *Forſan duo primi*, Priſcus & Malchus, *ſunt paſſi Cæſareæ in Paleſtina, quorum Acta ex Euſebio dedimus*, XXVIII Martii.

At SS. Hereneus & Agapitus *videntur inter Martyres Heracleenſes relati* I Aprilis.

S. Walerici Abbatis depoſitio *refertur in MSS. Corbejenſi & Colonienſi S. Mariæ ad Gradus: Vitam ejus illuſtravimus* I Aprilis.

S. Theodoſiæ, Virginis & Martyris, corpus, cum magna veneratione, adſervari in Alava regione Hiſpaniæ, & coli hoc die, *tradit Marietta, & nuper credi cœpit, eſſe S. Theodoſiæ, hoc die Cæſareæ in Paleſtina coronatæ, ad cujus Vitam hæc infra elucidantur*,

S. Theodoſiæ Virginis & Martyris corpus Bononiæ adſervatur, Roma nuper delatum, & ob cultum S. Theodoſiæ Cæſareæ in Paleſtina occiſæ, *hoc die coli cœptum, uti infra ad hujus Vitam dicimus.*

Joannes, Patriarcha Hieroſolymitanus, ab Alexandro I anno Pontificatus ſui 2, Chriſti 773 ordinatus, *in MS. Chronico univerſali Theoderici Pauli Gorcomienſis, quod habemus ſeculo 15 compilatum*, Sanctus *appellatur cum hoc elogio:* Eccleſiam devote ac religioſe aliquantis annis rexit: in vita ſua duos paralyticos curavit: unum cæcum illuminavit. Poſtquam vero feliciter migravit, ejus ſanctum corpus in ipſa eccleſia Hieroſolymitana ſepultum, multis clarens miraculis requieſcit: nam

in

A in morte claudis greſſum reſtituit, leproſos mundavit, dæmones effugavit: cujus feſtum celebratur quarto Nonas Aprilis. *Subnectuntur deinde plurima de ipſo, à Saracenis Sede ſua expulſo, & per Carolum Magnum Hieroſolymam profectum reſtituto; quæ ex Turpini fabulis accepta non placent; ac proinde de cultu & veneratione certiora deſideramus.*

B. Connallus Droma *indicatur in Vita S. Attractæ Virginis, 9 Februarii num. 5, quem Colganus exiſtimat* S. Connallum Abbatem de Killchonail in regione de Mainech ſive Hi Maine, *natalemque celebrari in Cluain-dallain 2* Aprilis: *de quo certiora expectamus, ſi Acta Aprilis Sanctorum Hiberniæ edantur.*

Hermannus Presbyter, qui gentem ſuam ad Catholicæ Eccleſiæ unionem in Paſchate obſervando perduxit, *cum titulo* Sancti *memoratur à Thoma Dempſtero in Menologio Scotico; & ex eo apud Ferrarium. Citatur ab utroque Breviarium Scoticum. Nos Aberdonenſe habemus, ſed abſque mentione Hermanni; & Silet de eo Camerarius in Menologio Scotico.*

Bernardus, Archiepiſcopus Toletanus; *memoratur cum titulo* Sancti *à Wione, Dorganio, Ferrario & Sauſſajo in Supplemento Martyrologii Gallicani: at cum titulo* Beati *à Tamayo Salazar in Martyrologio Hiſpanico, ſed ad ſequentem diem: cum ſolo autem titulo* Venerabilis *à Menardo & Bucelino. Antonius de Quintanaduenas accuratiſſimum opus confecit de Sanctis Toletanis, abſque ulla mentione hujus Bernardi.*

Drogo, monachus Floriacenſis, cui S. Benedictus apparuit, claruit anno 950, *memoratur à Bucelino cum titulo* Beati, *citata Hiſtoria Floriacenſi, quam non vidimus.*

Arnulphus de Lovanio, Abbas Villarienſis in Brabantia;

Gerardus, portarius in Claravalle, in Gallia;

Bernarda, Abbatiſſa ſancti Spiritus de Olmeda, in Hiſpania;

Ordinis Ciſtercienſis, *memorantur cum titulo* Beati *ab Henriquez in Menologio Ciſtercienſi. Ex his* Gerardus *refertur à Sanſſajo inter Pios:* Bernarda *ut* Venerabilis Mater *honoratur à Claudio Chalemoto & Bucelino. Omittuntur omnes in Kalendario Sanctorum ac Beatorum Ordinis Ciſtercienſis Divione anno 1517 excuſo.*

Nicolaus Gallicus, Ordinis Carmelitarum Generalis IX, *cum titulo* Sancti *hoc die defuncti, refertur à Ioanne Groſſo* & multis miraculis claruiſſe *dicitur. Boſtius in Speculo Ordinis lib. 7 cap. 25 dicit ea miracula* in vita & in morte *coruſcaſſe. Hinc reperitur inſcriptus uti Sanctus Kalendario MS. Mechliniæ apud dictos Patres Carmelitas aſſervato, & in alio Catalogo Sanctorum ibidem etiam Philippus à Viſitatione Carmelita Gallo-Belga, in libello de Privilegio Sacri Scapularis nobis inſcripto, præfixit Kalendarium, in quo idem Nicolaus refertur. Verum rectius judicant alii nullum unquam cultum ſacrum eidem uſpiam fuiſſe delatum: imo Ludovicus à S. Tereſia, in ſuo opere de Eliana ſucceſſione, fatetur ignotum eſſe ſepulturæ locum,* Auraica *nominatum à Boſtio; aque ac locum anachoreſeos* in monte Enatrof, *unde ſcripſit opuſculum* Sagitta ignea *appellatum, poſt abdicatum anno* MCCLXX *Generalatum Ordinis quem quinquennio ſuſtinuerat.*

C

Auguſtinus Triumphus Anconitanus, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, vitæ ſanctitate & doctrina clarus, Neapoli mortuus eſt die ſecunda Aprilis anno 1328, *& paſſim cum titulo* Beati *apud Scriptores Auguſtinianos memoratur: quo tamen abſtinent Iordanus de Saxonia, libro 2 de Vitis Fratrum dicti Ordinis cap. 22, & Bergomenſis in Supplemento chronicarum ad annum* 1320. *In Epitaphio ejus apud Thomam de Herrera Auguſtinianum, in Alphabeto Auguſtiniano, pag.* 8; *& apud Cæſarem Caracciolum Neapolitanum, in Neapoli ſacra pag.* 383, *dicitur*, omnes debere ſequi talem virum, qui fuit religionis ſpeculum, & pro eo rogare Deum, *& interim in eodem epitaphio appellatur* Beatus; *Eſt aliqua ejus Vita, ex variis collecta, & ante opera ejus de Poteſtate Eccleſiaſtica Romæ anno* MDLXXXII *excuſa: quam inde vel ex MS. noſtro libenter ederemus, ſi aliquid certi de cultu ejus ſciremus. In præfatione operis recuſi ad Gregorium* XIII *Papam, appellatur* vir beatæ memoriæ: *interim dicitur* pictam ejus effigiem triumphali Beatorum corona decorari, *ſed an ex particulari devotione, an vero auctoritate Eccleſiæ id fiat nequivimus hactenus ſcire; & ideo abſque præjudicio remittimus lectorem ad jam citatam Vitam; potiſſimum quia non reperimus nomen ullis faſtis ſacris inſcriptum, ne quidem apud Ferrarium in Catalogo SS. Italiæ, aut alio generali Sanctorum qui non ſunt in Martyrologio Romano.*

D

Genovefa Palatina, Ducis Brabantiæ filia, ob falſam accuſationem adulterii à Sigefrido marito morti adjudicata, ſed liberata, in antro agreſtibus herbis ſexennio victitaſſe; ac poſtea à marito inventa & in gratiam recepta, *memoratur à Molano in Natalibus Belgii, ſed abſque titulo* Beatæ, *quem ei tribuit Miræus in Faſtis Belgicis, &* Sanctam *appellat Ferrarius. Late dictam hiſtoriam deſcribit Freherus par. 2 Originum Palatinarum pag. 38, & aſſerit rem geſtam eſſe temporibus Hildolfi Archiepiſcopi Trevirenſis, qui mortuus ſcribitur anno* MCCLV. *Verum nullus fuit Hildolfus Archiepiſcopus, niſi qui ibidem ſeculo* VIII *floruit Sanctus, & colitur* XI *Iulii. Browerus in Annalibus Trevirenſibus ſubſtituit Hillinum Archiepiſcopum, ad annum* MCLVI, *ſed totam hiſtoriam habet ſuſpectam. Eſto ſane aliquid ſubſit, non continuo probatur cultus & veneratio Eccleſiaſtica dictæ Genovefæ: uti nec Mariæ Brabantinæ, quæ Ludovico Severo Duci Bojorum nupta, ab eo ex levi ſuſpicione innocens interfecta eſt; de qua egimus inter Prætermiſſos die* XVIII *Ianuarii. Renatus Cerizerius de hac Genovefa edidit Gallice librum ſub titulo Innocentiæ recognitæ, & multas novas inventiones adjunxit.*

E

Angelus à Spoleto, à Bulgaris in Armenia occiſus;

Alii Fratres, à Frederico II Imperatore in Sicilia interempti;

Monaldus, S. Franciſci diſcipulus, Arelate in Gallia;

Electus, Riſonii in Provincia Germaniæ Colonienſi;

Petrus ab Alpharo, Macai apud Chinas;

Lucas à Valle-viridi, Methymnæde Campo in Hiſpania;

F

Franciſcus Bovolinus, in Calabria;

Joannes à S. Maria, Arenis in Caſtella;

Maria de Jeſu, Virgo, in ditione Cordubenſi; *Memorantur cum titulo* Beati *ab Arturo de Monaſterio in Martyrologio Franciſcano, licet varii ante annos centum necdum eſſent mortui, memoratur & dicta* Maria *in ejus Gynæceo; &* Angelus *à Iacobillo de Sanctis Vmbriæ.*

SS. Evagrius & Benignus Martyres, Tomis in Achia, *imo* in Scythia, *memorantur in MS. Centulenſi S. Richarii: ab aliis* III Aprilis.

S. Richardus, Epiſcopus in Scotia, Confeſſor, *proponitur in ſcriptis additionibus Carthuſiæ Bruxellenſis ad Grevenum. Forſan eſt S. Richardus Epiſcopus Liceſtrienſis in Anglia, cujus Vitam damus* III Aprilis.

S. Ædeſius Martyr, *una cum S. Apphiano Martyre, fratre ejus, recolitur hoc die à Græcis. Aſt in Martyrologio Romano* VIII Aprilis.

Holda, Prophetiſſa *antiqui Teſtamenti, indicatur in MS. Kalendario Ordinis Carmelitici Mechliniæ adſervato. A Græcis colitur* X Aprilis.

Notgerus Epiſcopus Leodienſis, *refertur, à Molano Canſio, Menardo & aliis. De eo latius agemus inter Prætermiſſos* X Aprilis.

A S. Euthymius Thaumaturgus *celebratur in MS. Synaxario Claromontano Societatis Ieſu; & iterum cum aliis, quando num unus idemque cenſendus ſit examinabimus,* XVIII. Aprilis.

SS. Vrſmari & Ermini, Epiſcoporum & Abbatum, commemoratio, quod eorum meritis ab Hungaris ſint Laubienſes liberati, *celebratur in Adone Laubienſi, item apud Molanum, Caniſium, Wionem, Menardum & alios.*

Ex his colitur S. Vrſmarus XIX Aprilis,
Et S. Erminus XXV Aprilis.

B. Helena de Vtino, Tertiaria Ordinis Auguſtiniani, hoc die anno 1458 mortua, caritate, humilitate ac miraculis celebris, *refertur ab Arturo de Monaſterio in Gynæceo ſacro, ab Herrera in Alphabeto Auguſtiniano, & aliis ab eis citatis. Vitam dabimus die, qua obiiſſe oſtendemus,* XXIII Aprilis.

S. Theodorus, Monachus apud oppidum Muros in Gallæcia, *inſcriptus eſt Martyrologio Hiſpanico Tamay Salazar, quod ejus mentio fiat in nuper excogitatis Adverſariis Luitprandi. Arbitratur autem Tamajus eſſe* S. Theodorum Siceotam, Archimandritam cœnobiorum in Galatia & Epiſcopum Anaſtaſiopolitanum: *cujus Acta illuſtramus* XXII Aprilis.

S. Antonii Confeſſoris tranſlatio corporis Turonis, *indicatur in MSS. Martyrologiis Prioratus de Averone in diœceſi Carnotenſi, & Romano Ducis Altempſii, atque Carmelitano quod Coloniæ aſſervatur:* Depoſitio *celebratur* I Maji.

S. Stephani, pilis induti, qui vixit in Laura Sabæ, memoria *refertur in MS. Menologio Arabo-Ægyptiaco à Gratia Simonio Maronitâ Latino pro nobis reddito. Videtur is eſſe Stephanus Sabaita, à Græcis relatus ad diem* XIII Julij.

S. Ebba, filia Ethelfridi Regis Northumbrorum, & ſoror S. Oſwaldi Regis, Abbatiſſa Coldinghamenſis, *inſcripta eſt Martyrologio Anglicano Wilſoni primæ editionis & Catalogo generali Ferrarii. At Camerarius ejus loco ſubſtituit* S. Ebbam, ejuſdem monaſterii Coldinghamenſis Abbatiſſam & Martyrem, à Danis cum ſuis Sanctimonialibus occiſam: *quæ in dicto Martyrologio & à Ferrario refertur* XXV *Auguſti. In ſecunda editione Martyrologii Anglicani,* S. Ebba Abbatiſſa Martyr *collocatur ſecunda Aprilis:* D *& altera* Ebba, XXV *Auguſti, Reperimus Romæ in bibliotheca Ducis Altempſii MS. Martyrologium Vſuardi, in Anglia olim auctum: in quo ad* XXIII *Auguſti eſt* S. Ebba, Abbatiſſa in Scotia, *cujus ad dictum diem etiam meminit Grevenus in auctario Vſuardi. Quare, quia arbitramur aliquam* Ebbam *ſolum ad hunc ſecundum Aprilis collocatam, quod alius* Sanctus *deeſſet, poterit deu traque agi* XXIII vel XXV Auguſti.

Emigarda Virgo, *inſcripta eſt MS. Florario, aliis fere* Irmgardis: *& aſſeritur fuiſſe* filia Comitis Zutphanienſis, *colituruque præcipue* IV Septembris.

S. Irenæus Epiſcopus, } *memorantur in MSS*
S. Andochius, } Presbyteri, } *Reginæ Sueciæ, uno ſignato num.* 130, *&*
S. Benignus, } *alio quod olim pertinuit ad quemdam*
S. Tyrſus Diaconus, } *Preſbyterum Eccleſiæ Silvanectenſis. Ex his coluntur* S.
S. Felix negotiator, } Irenæus XXVIII Junij.
SS. Andochius, Thyrſus & Felix XXIV Septembris.
S. Benignus *autem* I Novembris.

S. Ebregiſus, Epiſcopus Tungrenſis & Martyr, Tremoniæ ſepultus, *memoratur à Ferrario in Catalogo generali; Molano & aliis* XXIV Octobris. F

Didacus, Epiſcopus Oximenſis in Hiſpania, *indicatur à Richardo Witfordo in Martyrologio Anglice edito. Nos late de eo egimus ad diem* VI *Februarii inter Prætermiſſos, ubi ulteriorem inquiſitionem reiecimus in diem quo refertur à Ghinio* XII Novembris.

Barlaam, Eremita & Confeſſor, *indicatur à Greveno, Caniſio & in MS. Florario Nobis ignotus; niſi ſit Barlaam, qui cum Ioſaphat in India vixit & colitur cum eodem* XXVII Novembris.

S. Fara Virgo *refertur à Ferrario,* Brugis *adſcripta. Eſt illa* Fara *ſeu* Burgundofora, Abbatiſſa Evoriacenſis *in* diœceſi Meldenſi, *quam plures referunt die ſequenti. Proprius dies, quo colitur in eccleſia & diœceſi Meldenſi eſt* VII Decembris.

S. Nicaſii, Epiſcopi & Martyris, Remis Tranſlatio *indicatur in ſcriptis additionibus Carthuſiæ Bruxellenſis ad Grevenum, dies depoſitionis eſt* XII Decembris.

DE S. POLYCARPO ET SOCIIS,

G. H.

Martyribus Alexandriæ.

SUB MAXIMIANO. C

Memoriam ſacram S. Polycarpi Martyris celebrant Græci in Menæis ſuis & apud Maximum Cytherorum Epiſcopum ἐν βίοις Ἁγίων; & in menæis addunt hoc diſtychon.

Τιμηθεὶς ὡς κλῆμα Πολυκάρπος Κυρίῳ,
Πλείονα καρπὸν αὖπῳ πολύχαν φέρει.

S. *Polycarpi cultus,* *Alluditur ad nomen* S. Polycarpi, *quo* Multus fructus *indicatur; ut autem ei majorem fructum & multifarium ferret, debuit ipſe ut palmes Domini ſcindi & amputari: quando ſcilicet eſt capite plexus: uti latius explicatur in menologio Græcorum, quod juſſu Baſilii Porphyrogeniti Imperatoris conſcriptum eſt ſeculo Chriſti decimo: in quo* Certamen ſancti Martyris Polycarpi *ad hanc* II *diem Aprilis ita proponitur.*

Elogium Martyrii 2 Sanctus Chriſti Martyr Polycarpus fuit ſub Imperio impii & flagitioſi Maximiani, ex civitate Alexandria. Cum vero Chriſtianus eſſet & maximo divini cultus & honoris ſtudio flagraret, videretque per ſingulos dies fidem Chriſti confitentes in vincula conjici, & multiplicibus affligi tormentis; non potuit illud amplius perferre. Præſidentem ergo Principem videns, hominum ſanguinem tamquam aquas effundentem, coram ipſo conſiſtens, redarguit eum, dicens: Quid ita, ò canis inſatiabilis, humanæ naturæ obliviſceris? dum & viros unanimes & qui tecum ſunt ejuſdem conſortes naturæ tamquam ligna diſſecas, hac ſolum de cauſa quod verum Deum confiteantur & prædicent, atque idolorum errorem deteſtentur: ſicuti etiam ego facio, qui etiam Chriſti ſervus ſum. Quibus verbis cum Præſidem in iram excitaſſet, mox vinctus eſt & acriter excruciatus, ſicque ad finem vitæ uſque Chriſtum in ore ferens, capite obtruncatus fuit. *Hæc ibi.* F

3 *Synaxarium MS. Græcum, quod ſpectat ad Collegium Claromontanum Societatis Ieſu Pariſiis, plures illi ſocios adjungit his verbis:* καὶ ἄθλησις τῶ ἁγίω μάρτυρος Πολυκάρπω καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ. *Quæ eadem leguntur in MS. Pariſienſi Cardinalis Mazarini, & Mediolanenſi bibliothecæ Ambroſianæ ſignato littera O & numero* 148, *item in MS. Arabo-Ægyptiaco Menologio, quod ex Arabica lingua pro nobis in Latinam tranſtulit Gratia Simonius, tunc Romæ collegii Maronitarum alumnus: in quo iſta verba leguntur:* Certamen S. Polycarpi & ſociorum ejus. Socii.

DE

DE SANCTO APPHIANO
S. ÆDESII MARTYRIS FRATRE
Martyre Cæſareæ in Palæſtina,

1 IRia celebrantur loca ortu, ſtudiis & martyrio S. Apphiani illuſtrata: ex his urbs Palæſtina Cæſarea, palæſtra martyrii, eminet. Eſt ea poſt Hieroſolymam primaria, & Palæſtinæ primæ metropolis, ac Sedes Archiepiſcopalis, atque ut infra indicatur, in littore maris ſita. Altera urbs, S. Apphiani ſtudiis & pia educatione nobilitata eſt Berytus, & ipſa in Phœnicia prima urbs Epiſcopalis ſub Patriarchatu Antiocheno, prope mare ſita. In tertio loco, in quo vitam auſpicatus eſt, nonnulla ſuboritur difficultas. Lydia regio in Menœis Græcis aſſignatur: at Lycia apud Euſebium infra dicitur, regio Aſiæ ad mare Mediterraneum haud procul ab inſula Rhodo. de urbe iſta habet Euſebius, Εἰ τις ἄρα Παγὰς ἐπίσαται τῆς Λυκίας ἐκ ἄσημον πόλιν. Si quis ergo Pagas novit, urbem Lyciæ non obſcuram. *Verum in alio MSS. iſtæ voces ἄρα & Παγὰς in unam conflantur, & dicitur* Ἀραπαγὰς, *& per contractionem* Ἀρπαγὰς *&* Ἀραγὰς. *Verum hujuſmodi loca neque in Lycia, neque in Lydia reperiuntur: & tamen urbs fuit non obſcura. Henricus Valeſius, in ſuis ad hunc locum Annotationibus, coniecit oculos in urbem Lyciæ Epiſcopalem* Araxam; *quod non diſplicet. Quid ſi dicatur, vox* Παγὰς *immutata, &* Patara *urbs Lyciæ Epiſcopalis ſit intelligenda, oraculo Apollinis olim celebrata? Eſt hæc ſita in ora maris Pamphilii, prope oſtia fluminis Xanthi, unde facilis fuit navigatio, tam Berytum quam Cæſaream. Et hæc de locis dicta ſufficiant.*

Cæſarea Paleſtra Martyrii.

Berytus ſtudiorum,

nativitatis urbs Lycia Pagas,

B

num Araxa an Patara?

Acta ex Euſebio.

2 *Acta S. Apphiani damus ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebii Pamphili, qui ea deſcribit libro de Martyribus Palæſtinæ cap.* 4, *ſive (ut alii differunt) lib.* 8 *Hiſtoriæ cap.* 14. *Fuit is oculatus teſtis rerum geſtarum, imo cum S. Apphiano in eadem domo convixit. Ex hiſce Actis varia compendia leguntur in Menologio Græco Baſilii Imperatoris, & alio Cardinalis Sirleti, & in aliis Menæis & Synaxariis Græcis tam excuſis quam manu exaratis. Similia ſunt Acta ex MS. Veneto erута, à Franciſco Zino latine reddita, & ſub nomine Metaphraſtæ perperam edita ab Aloyſio Lipomano. Aliqua his compendiis obrepſerunt menda: quorum præcipuum eſt, quod dicatur Cæſarea aut Beryti à S. Pamphilo Martyre in ſacris litteris exercitatus. Videntur iſti Græci ſolicitè caviſſe, ne S. Apphianus ab Euſebio Pamphili, qui poſtmodum in hæreſim eſt lapſus, diceretur eſſe eruditus. Appellatur præterea à Metaphraſte & aliis* Amphianus *non* Apphianus, *forſan in errorem abductis, quod alius hos die colatur Martyr Amphianus, in Africa paſſus, de quo ejuſque ſociis mox agemus, & potiſſimum ex antiquis Martyrologijs Latinis.*

compendia apud Græcos ad 2 Aprilis.

C

ab antiquis Latinis refertur 5 Aprilis.

3 *Celebrem cultum habet noſter hic Martyr S. Apphianus in omnibus pene faſtis Latinis, ſed ad diem quintum hujus menſis Aprilis, quem referunt quatuor Martyrologij Hieronymiani apographa antiqua; item Vſuardus, Ado, Notkerus, Auctor Martyrologij ſub nomine Bedæ excuſi, Bellinus, Grevenus, Maurolycus, Molanus, Caniſius, cum plurimarum Eccleſiarum Martyrologijs MSS. & hac fere ubique phraſi:* In Cæſarea Lyciæ & S. Amphiani. *Vbi copula conjunctiva videtur tranſpoſita, & ſic legi debere:* In Cæſarea & Lycia S. Amphiani: *quod utroque loco ei debita veneratio olim eſſet adhibita. Græci memoriam ejus ad hunc referunt, eique conjungunt Ædeſij fratris martyrium, tali diſtichо præeunte.*

Τὸν Ἀμφιανὸν ὁρῶν λαβόντα σέφος,
Ἔσπευδεν Αἰδέσιος θανεῖν προθύμως.

Partam Amphiano fratri coronam intuens
Ædeſius, illi commori feſtinavit.

SUB MAXIMINO.

G. H.

à Græcis hodie una cum fratre.

4 *Aſt neque eodem quo frater loco paſſus eſt Æleſius, ut potuerit ejus exemplo accendi; neque eodem tempore: ſed veroſimiliter duobus aut tribus annis ante ipſum; ut potius dicendus fuerit ſui Martyrii fama illius animum excitaſſe, ad parem de idololatria lauream expetendam. Et hunc quidem Græcos imitati, Galeſinius atque Baronius retulerunt ad præſentem diem* 11 *Aprilis; atque cum iiſdem appellant* Amphianum: *Æleſium vero precitatus Romani Martyrologii Recognitor diſtulit ad diem* VIII *Aprilis (quando & nos de illo agemus) ibique vocavit fratrem* Apphiani: *quam lectionem Malumus ex Euſebio retinere, ut vel ſic commodius diſtinguatur ab Amphiano Martyre Afro, paulo poſt cum aliis ſociis proponendo.*

5 Pro *anno & die martyrii ſignificando indicatur infra num.* 3 *bellum adverſus Chriſtianos à Maximino excitatum, anno tertio perſecutionis Diocletiani: cujus primus annus, eodem Euſebio teſte libro eodem de Martyribus Palæſtinæ cap.* 2 *cœpit* anno Diocletiani XIX menſe Xanthico, propoſitis edictis, cum ſalutaris Paſſionis dies immineret. *Annus is fuit* CCCIII *quo Paſcha celebratum eſt* XVIII *Aprilis. Executio autem non videtur continuo facta per totum Imperium; ideoque anno tertio dicta perſecutionis videtur includi poſſe initium menſis Aprilis anni* CCCVI, *quando cyclo ſolis ſeptimo & littera Dominicali* F feria ſexta, *Græcè* ἡμέρᾳ παρασκευῆς, *infra requiſita, incidit in diem quintum Aprilis, prout in antiquis Martyrologiis Latinis celebratur martyrium S. Apphiani. Videtur autem dies quintus Aprilis convenire in diem ſecundum menſis Xanthici apud Cæſareenſes & alios vicinos in Palæſtina.*

an paſſus anno 306.

feria ſexta 5 Aprilis?

6 *Illuſtravimus ad diem* XXVI *Februarii Vitam S.* Porphyrii, *in Gazenſem Epiſcopum à Ioanne Archiepiſcopo Cæſareenſi ordinati, in qua Vita à Marco diſcipulo ejus ſcripta, num.* 21, *dicuntur menſes Gazæorum in Ianuario quinque diebus præcedere ante dies Romanos, qui proinde, ob viginti & octo dies ſolum numeratos in Februario Romano, tredi poſſunt ad tres ſolum dies menſe Aprili, præveniri ab iiſdem Gazæis, & in horum Metropoli Cæſarea: & ſic* feria ſexta, *ab Euſebio indicata, cum* ſecundo die menſis Xanthici *& quinto die noſtri Aprilis optime conveniret: ſed tunc illud* πρὸ πεσσάρων Νώνων Ἀπριλλίων, ante diem quartum nonas Aprilis, *tamquam gloſſema à poſteris imperite intruſum, eſſet aut expungendum aut mutandum. Vt autem* feria ſexta *conveniret in* diem ſecundum Aprilis, *expectandum foret uſque in annum* CCCVIII, *qui non foret annus tertius, ſed quintus perſecutionis Diocletiani. Hæc viris eruditis ad ulteriorem diſquiſitionem placuit proponere.*

num anno 308. 2. *Aprilis?*

F

ACTA MARTYRII.

Auctore Euſebio teſte oculato.

In atroci Maximini perſecutione,

MAximinus Cæſar, ex eo tempore, quo ad Imperium evectus eſt, quaſi qui odii in Deum, & impietatis ſibi innatæ inſignia oſtentare vellet, violentius quam ſuperiores Principes perſecutioni noſtrorum incubuit. Cum igitur omnes graviter perturbati, hac & illac diſpergerentur, & periculum effugere unuſquiſque omni ope laboraret, maximuſque tumultus cunctas Provincias occupaſſet; qua tandem oratione divini amoris ardorem plenamque fiduciæ confeſſionem beati ac

AUCTORE EUSEBIO

revera innocentis oviculæ, Apphiani Martyris pro merito poterimus exponere? Qui quidem ad portas urbis Cæsareæ admirabile exemplum sinceræ erga verum Deum pietatis cunctis illius incolis spectandum præbuit, idque nondum viginti annos natus. Ac prius quidem cum secularium disciplinarum causa, utpote parentibus ortus locupletissimis, plurimum temporis Beryti esset commoratus; incredibile dictu est quo pacto in ea civitate, calcatis adolescentiæ cupiditatibus, nec vigore corporis, nec sodalium consuetudine corrumpi se passus, modestiam amplexatus sit; honeste, sobrie ac pie ex præcepto Christianissimi degens, moresque suos moderans atque castigans. Quod si patriam quoque ejus commemorare convenit, eamque urbem, ex qua tam generosus religionis nostræ ortus est pugil, debito præconio exornare; equidem id faciam libentissime. Si quis ergo Pagas novit urbem Lyciæ non obscuram, inde oriundus fuit nobilis adolescens.

S Apphianus passus est Cæsareæ,

Beryti disciplinis & pietate imbutus,

natus in Lycia:

2 Qui quidem reversus postea à Berytensibus studiis, cum pater ipsius principem locum domi obtineret; ipse nihilominus cum patre & propinquis suis versari non sustinuit; eo quod illi ex divinæ religionis præceptis vitam agere recusarent. Sed divino quodam spiritu afflatus, & præ innato Philosophiæ studio, seu potius cælestis ac veræ sapientiæ amore, vanam hujus seculi gloriam & corporis voluptates despiciens, clam domo aufugit. Ac ne quidem de sumptu ad diurnum victum necessario solicitus, ob spem ac fiduciam, quam in Deo collocaverat, prævio & quasi manu ipsum ducente Spiritu sancto, Cæsaream pervenit, ubi corona Martyrii ipsum manebat. Ibi nobiscum versatus, cum ex sacrarum litterarum lectione, quantum fieri potuit brevissimo illo tempore, fructus sibi collegisset, & congrua arctioris abstinentiæ exercitatione semet roborasset, tandem ejusmodi exitu inclaruit, quem quisquis visu accepit, fieri nullo modo potest, quin simul obstupuerit. Quisquis vero auditione tantum acceperit, admiretur necesse est adolescentis fiduciam, libertatem, constantiam, & ante omnia consilii ac propositi ipsius audaciam: quæ quidem zeli divinæ religionis & divini cujusdam spiritus argumenta sunt certissima.

relictis parentibus

B

& gloria mundana,

Cæsaream habitat cum Eusebio:

fervente ibi persecutione,

C

3 Nam cum Maximinus secundum adversus nostros bellum excitasset anno tertio persecutionis Diocletiani; & per omnes provincias missa essent tyranni edicta, quibus Rectores jubebantur operam dare, ut omnes omnium urbium incolæ diis publice sacrificarent; cumque præcones per universam Cæsaream cunctos patres-familias ad dæmonum templa jussu Præsidis revocarent; ac præterea Tribuni militum singulos ex tabella nominatim citarent; omnibus ubique locorum Christianis inexplicabili malorum turbine concussis, hic, quem supra nominavimus, nemini communicato consilio, clam nobis qui in eadem domo degebamus, clam universa militum cohorte qui circa Præsidem stabant, ad Urbanum, tunc forte libantem, intrepidus accessit: fidentique animo, comprehensa ejus dextera, è vestigio quidem sacrificium omittere ipsum coëgit: mox instar prudentissimi monitoris cum divina quadam gravitate hortari eum cœpit, ut ab errore desisteret: quippe absurdum esse, quod posthabito veri ac solius Dei numine simulacris ac dæmonibus homines sacra faciant. Id autem, ut verisimile est, agebat fortissimus invenis, divina quadam virtute (quæ ipsum ad hoc impulerat) omnibus, ut ita dicam, inclamante ac denuntiante per hoc facinus, tantum abesse, ut Christiani, qui quidem eo nomine digni essent, ab eo quem semel imbibissent divini numinis cultu unquam abducerentur; quin potius minis, & his quæ minas subsequi solent cruciatibus, adeo illos superiores esse, ut adhuc eo liberius inposterum loquantur, & ingenua atque intrepida voce veritatem prædicent, ipsosque etiam si fieri possit persecutores suos hortentur, ut abjecto impietatis errore, eum qui solus est Deus agnoscant.

Præsidem monet ut ab idololatria absistat:

D

4 Post hæc supradictus juvenis, in præsentia quidem (utpote tam audaci perpetrato facinore) à militibus, qui præsidi apparebant, tamquam à feris bestiis discerptus, & innumera verbera toto corpore fortissime perpessus, in carcerem conjicitur. Ubi cum noctis ac diei unius spatio pedibus in nervo distentis mansisset, postero die in judicium adducitur. Compulsus deinde à Judice diis sacrificare, invictam adversus ærumnas, & quantumvis horrendos dolores constantiam animi declaravit; lateribus non semel, sed iterum & sæpius, ad ipsa usque ossa & viscera sulcatis; totque plumbatarum ictibus in os ac cervicem verberatus, ut contusa ac tumefacta facie, ne ab illis quidem qui eum optime norant agnosceretur. Verum cum ille tantis doloribus nullatenus cederet, tortores jussu Præsidis linum oleo madefactum pedibus ejus circumponentes, ignem postea subjecerunt. Quo facto, quantos beatissimus Martyr dolores persenserit, nulla ut arbitror oratione explicari potest. Ignis siquidem consumptis ejus carnibus ad ossa usque penetrabat; adeo ut universus humor corporis, ceræ instar liquefactus, stillatim difflueret. Sed neque his cruciatibus superatus, licet jam victis & ob portentosam ejus fortitudinem animum despondentibus adversariis, rursus in vincula compingitur. Dehinc tertio post die Judici oblatus, eamdemque fidei constantiam licet semivivus professus, in profundum mare demersus est.

plagis dilacerptus carceri includitur:

inter horrenda tormenta invictus,

in mare projicitur:

E

5 Ea vero quæ continuo subsecuta sunt, illis fortasse, si retulero, incredibilia videbuntur, qui oculis suis hæc minime viderunt. Verum tametsi id procul dubio eventurum intelligam, facere nullo modo possum, quin rem gestam posterorum memoriæ commendem: quippe cum universi propemodum incolæ urbis Cæsareæ testes hujus miraculi extiterint. Nulla certe ætas tam stupendæ rei spectaculo non interfuit. Postquam igitur sanctissimum illum ac beatissimum juvenem medio mari in altissimum, ut ipsis videbatur, gurgitem submersserunt; repente tantus motus tantusque fragor non solum mare, verum etiam cælum omne concussit, ut terra quoque & ipsa Cæsareensium civitas eo motu quateretur. Eodem etiam temporis momento, quo repentinus ille ac mirabilis terræ motus acciderat divini Martyris cadaver, utpote quod marini fluctus continere non poterant, ab iisdem ante portas civitatis ejectum est. Hujusmodi fuit exitus admirandi Apphiani, die secundo mensis Xanthici, quod est ante diem quartum Nonas Aprilis feria sexta.

F

quo subita tempestate concusso,

Corpus in litus defertur.

DE

DE S. THEODOSIA VIRGINE G. H

Martyre Cæſareæ in Palæſtina.

SUB MAXIMINO

Inter Martyres Cæſareæ paſſos

EVſebius Pamphily, libro de Martyribus Palæſtinæ, accurate agit de iis qui coram oculis ſuis in urbe Cæſarea paſſi ſunt: è quibus fuit S. Aphianus, anno tertio perſecutionis Diocletiani coronatus, cujus Acta Martyrii jam jam dedimus ex capite illius quarto. At capite ſexto deſcribit Martyrium S. Agapii, anno quarto perſecutionis paſſi die XX *Novembris. Deinde anno perſecutionis quinto, memorat capite ſeptimo varios Martyres: & primo loco* S. *Theodoſiam Virginem, quæ etiam hoc ſecundo Aprilis variis faſtis eſt inſcripta; atque hoc ei ſcribit elogium.*

S. Theodoſia laudatur ab Euſebio.

2 Cum vero quintus jam annus perſecutionis volveretur, die ſecundo menſis Xanthici, quod eſt ante diem quartum Nonas Aprilis, ipſo Dominicæ reſurrectionis die, rurſus apud Cæſaream Theodoſia Virgo, ex urbe Tyro oriunda, fidelis graviſque inprimis puella, nondum octodecim annos nata, ad vinctos quoſdam acceſſit, qui regnum Dei libere confitentes ante prætorium ſedebant, tum ut eos ſalutaret, tum ut (quod credibile eſt) eos rogaret, ut cum ad Deum perveniſſent, ſui memores eſſe vellent. Quo facto, quaſi impium quoddam ac nefarium facinus perpetraſſet, correpta à militibus deducitur ad Præſidem. Ille confeſtim ut erat inſanus, & belluino quodam furoris impetu incitatus, cum eam acerbis atque horrendis tormentis excruciaſſet, & latera ipſius ac papillas ad ipſa uſque oſſa ferreis ungulis exaraſſet; ſpirantem adhuc & læto atque hilari vultu cuncta tolerantem, marinis fluctibus mergi jubet. *Hæc ibi.* Præſes *appellabatur* Urbanus, *uti ſupra ex Actis Martyrii* S. *Apphiani conſtat, & paſſim ab aliis notatur.*

B

Cultus ejus apud Græcos 2 Aprilis.

3 *Celebris eſt cultus hujus Virginis & Martyris apud Græcos & variis diebus; ac primo refertur hoc ſecundo Aprilis in MSS. Menæis Pariſienſibus Cardinalis Mazarini & Divionenſibus Petr. Franciſci Chifletii, elegio deſumpto ex Euſebio jam relato; quod idem extat in Menæis excuſis & apud Maximum Cytheræum atque in Menologio Sirleti, ſub nomine* Theodoræ *loco* Theodoſiæ; *quod ſequuntur Galeſinius & Baronius, ſed* Theodoſiam *appellant.*

C

Item 3 Aprilis

4 *Alter dies apud Græcos eſt tertius hujus menſis Aprilis, quo refertur in MSS. Menæis Taurinenſibus Ducis Sabaudiæ & Mediolanenſibus bibliothecæ Ambroſianæ, in codice littera O & numero* 148 *ſignato, elogio fere eodem atque ex Euſebii verbis contracto. Memoratur eodem die, & quidem primo loco in Menologio Baſilii Imperatoris, unde ſumptum elogium, eo quod nonnullæ novæ circumſtantiæ addantur, hic damus, & eſt ejuſmodi:* Die tertia menſis Aprilis certamen S. Theodoſiæ Virginis & Martyris. Theodoſia Chriſti Martyr fuit ex urbe Tyro oriunda, quæ cum decimum octavum ætatis ſuæ annum ageret, deprehenſa eſt eo quod Chriſtiana eſſet: & adducta ad Præſidem Palæſtinæ, & de religione interrogata, Chriſtum eſt confeſſa. Quapropter percuſſa eſt in lateribus & uberibus, ac juſſa eſt Chriſtum negare ac idolis ſacrificare. Cum vero ad id ſuaderi non poſſet, detruſa eſt in carcerem, mandatumque carceris cuſtodi, ut non modo ipſam diligenter cuſtodiret, ſed etiam ne quempiam ad eam viſitandam ingredi permitteret, eique non adferret cibum quouſque Chriſtum negaret, diiſque ſacrificaret. At multis jam diebus elapſis, è carcere educta eſt, & denuo coacta eſt impuris dæmonibus ſacrificare. Id autem cum audire recuſaſſet, prius acriter cruciata eſt; deinde in mare projecta, ſuum Domino reddidit ſpiritum. *Hæc ibi.*

cum elogio Baſilii Imperatoris.

5 *Tertius dies, cultu; ejus ſacro apud Græcos aſſignatus, eſt viceſimus nonus Maji, iſque præ reliquis videtur celeberrimus. Nam majori encomio memoratur in jam citato Menologio Baſilii Imperatoris, MS. Synaxario Claromontano Societatis Ieſu Pariſiis, in Menæis excuſis & manu exaratis; item apud Maximum Cytheræum & in Menologio Cardinalis Sirleti. Præterea totum officium Eccleſiaſticum cum ſuis odis & hymnis peragitur in Menæis de S. Theodoſia, de qua illud ibidem elogium proponitur.*

& ſolenniſſime 29 May.

Elogium ex Menæis,

6 S. Theodoſia Martyr Cæſareæ. Cum hæc ſacra & ſancta Virgo octavum decimum ætatis annum ageret, ex urbe Tyro exorta, quinto perſecutionis anno Cæſareæ pro fide decertavit. Nam jam vincta & mox pœnas datura, libera tamen voce Chriſtum confeſſa eſt. Iudicibus vero jam pro tribunali conſidentibus, ad Urbanum Præſidem adducta fuit. Quam ille fruſtra ad idolis ſacrificandum hortatus, juſſit adeo excarnificari, ut papillis ac lateribus laceratis, eo uſque crudelis tyrannus progrederetur, quoad oſſa & viſcera apparerent. Cum ergo puellam omnia ſupplicia patientiſſime ſuſtinentem cerneret, omniaque tormenta ſine voce & gemitu tacitam perferre; hortabundus rogavit illam, ut diis ſacrificare vellet. Tum illa, oculis fixis eum aſpiciens, amœno & ridenti vultu dixit: O homo, quid ita aberras? Nonne vides quod per teſtimonium Chriſti jam Sanctorum Martyrum conſortio digna fuerim habita? Tunc Præſes, ubi ſe à puella deriſum cognovit, majora adhuc tormenta Martyri admovit, ac demum in marinos fluctus præcipitari juſſit: in quibus beato fine martyrium complevit. *Hæc ibi, quibus conſentiunt elogia in aliis Menologiis & Synaxariis tradita.*

E

& Odis officii Eccleſiaſtici.

7 *Adduntur odæ pluſquam triginta, quæ magnificos S. Theodoſiæ triumphos extollunt ob devictam tyranni malitiam & infeſtas dæmonum techinas. Tormenta ſæpius repetita inculcantur, & laudatur conſtantia Virginis, ideo à Chriſto ſponſo ſuo coronata. Æterna poſt Martyrium conceſſa ei gloria variis encomiis expenditur, & ejus apud Deum interceſſio expetitur; ut fiat ægris ſalus & certa omnibus protectio. In adjunctis verſibus indicatur ejus in aquis maris ſuffocatio, & à Chriſto in aquam refrigerii facta tranſpoſitio & ſuſtentatio. Et hæc ex Græcorum antiquis monumentis prolata ſufficiant.*

F

Acta ex MSS Latinis omittuntur.

8 *Ejuſdem S. Theodoſiæ venerationem ad Latinos olim tranſlatam fuiſſe indicant antiqua Acta vitæ ac Martyrii ejus, quæ nos deſcripta habemus ex MSS. Trevirenſi S. Maximini, Antverpienſi S. Bernardi ad Schaldim, & alio Sereniſſimæ Chriſtinæ Reginæ Suetiæ, Reperimus etiam illa in MSS. Belfortiano, Budecenſi, Rottendorfenſi, & Romano Eccleſiæ lateranenſis, cujus meminit Aringhus lib.* 1. *Romæ ſubterraneæ cap.* 16 *num.* 31, *& Baronius in ſuis Annotatis ad hunc diem. Verum malumus ea omittere, veriti ne ex Actis aliorum Martyrum, ac forſan alterius Virginis, etiam Theodoſiæ dictæ, ſint plurima aſſuta aut inſerta. Porro ex omnibus relationibus Græcorum & ipſius Euſebii teſtis oculati conſtat, eam obiiſſe in mare projectam. Verum in Actis Latinis dicitur ab Angelo in terram reducta, & ſaxum cui alligata fuerat manu portaſſe. Fuiſſet dein juxta eadem Latina Acta iterum comprehenſa & in amphitheatro leoni, leopardo, urſo, tauro aliiſque beſtiis obiecta, ſed ſemper illæſa, ibidem capite plexa inſtar columbæ aureæ cælos aſcendiſſet: & parentibus ap-*

AUCTORE G. H.

A

paruiſſet & dicuntur hæc geſta in Cæſarea Palæſtinæ die Dominica, quarto, *alii* tertio, Nonas Apriles. *Quæ omnia, licet ante octingentos annos videantur conſcripta, maluimus omittere, quia in ſilentio Euſebii & antiquiorum non ſatis credibilia ſunt, & ſaltem ſummatim legi poſſunt apud Ionium Mombritium tomo 2 folio 327, Vincentium Bellovacenſem lib. 12. ſpeculi Hiſtorialis cap. 67 (qui addit ſe ea ex geſtis contraxiſſe) & Petrum de Natalibus, lib. 4 Catalogi cap. 25, qui omnes dicunt* in Cæſarea Paleſtinæ *paſſam.*

Veneratio in Faſtis Latinis:

9 *Ejuſdem Virginis venerationem antiquam indicant Latina Martyrologia, è quibus quatuor apographa S. Hieronymi iſta habent ad diem* 11 *Aprilis:* In Cæſarea Palæſtinæ natalis S. Theodoſiæ Virginis. *Quæ eadem ad dictum diem leguntur in MSS. Atrebatenſi, Tornacenſi, Latienſi & aliis. In Rabani Martyrologio plurima ex jam citatis Actis referuntur hoc modo:* III Nonas Aprilis. Natale Theodoſiæ Virginis, quæ paſſa temporibus Imperatorum Diocletiani & Maximiani in civitate Cælarea, ſub Urbano Præfecto. Nam hæc cum relictis parentibus confugiſſet ad carcerem, ubi Chriſti Confeſſores clauſi erant, tenta eſt à militibus, & ducta ad tribunal Iudicis Vrbani. Quæ coram ipſo adſtans, nec adulationibus ejus eſt decepta, nec minis territa: ſed ſapientia Dei repleta, falſos Deos Gentilium diſputando coram Præſide confutabat. Unde & à tyranno nervis ligata & flagellis cæſa,

B

non potuit vinci. Poſtea ei adhibita ſunt varia tormenta, hoc eſt, ſartagines ignitæ, leones & beſtiæ ex quibus nullam maculam paſſa eſt. Deinde in mare demerſa, ſed per Dei auxilium citius inde liberata, noviſſime gladio capite abſciſſo, obdormivit in pace, & complevit martyrium ſuum, honorifice à Chriſtianis ſepulturæ tradita. *Hæc Rabanus, Aſt Ado ad diem* 11 *Aprilis cum Actis latinis primum* in mare merſam, *dein* beſtiis projectam *dicit, & adſcribit* Cæſareæ in Cappadocia, *ubi nullum mare eſt. Vſuardus eodem modo paſſam ait* Cæſareæ in Cappadocia, *ſed omittit ſubmerſionem in mari. Hinc Galeſinius duas proponit* Theodoſias, *ſed à Baronio ſatis refellitur.*

Tempus Martyrii.

10 *Annus quintus perſecutionis, prout conſtat ex dictis ſupra ad Vitam* S. *Appiani, convenit, ſaltem uſque ad Aprilem, in annum Chriſti* CCCVIII. *Verum quia tunc feſtum Paſchale incidit in* XXVIII *Martij, potuit in Paſchali feſto, quinto aut quarto Kalendas Aprilis, capta fuiſſe, ac poſt aliquot dies* II *aut* III *Aprilis occiſa.*

C

Corpus an ex Paleſtina delatum Conſtantinopolim,

Corpus, aut notabilem ejus partem, fuiſſe ex Paleſtina Conſtantinopolim aliquando tranſlatum, ejuſque rei memoriam XXIX *Maij feſtivius recoli in omnibus Menæis ac ſynaxariis Græcis, ex eo ſuademur, quod hujus ſanctæ Virginis celeberrimus fuerit in urbe Regia cultus, ſingulari Officii eccleſiaſtici totius prolixitate commendatus. Etenim Menæa & Synaxaria ſuperius allegata fere conſcripta fuere ad uſum Conſtantinopolitanarum eccleſiarum; quo fit ut in propriis illius urbis feſtis ornandis explicandiſque magis ſe extendant. Proprium autem hoc fuiſſe Conſtantinopolitanis feſtum colligitur etiam ex Ephemeride Metrica, unicum ſolum quot diebus Sanctum proponente, quæ ad dictum* XXIX *Maij ſic habet:*

Εἰκάδι ἤδ' ἐναλίη Θεοδόσιην πόντος ἔμαρψε

Vicena nona merſa eſt Theodoſia ponto.

Vnde autem fuiſſet Conſtantinopolitanus ita proprium hoc feſtum, idque alio quam obiti martyrii die, niſi ex occaſione Tranſlati eo corporis vel alia ſimili? Moſchi quoque ſive Rutheni, Faſtos ſacros Conſtantinopoli mutuati, hunc ibidem celebrem cultum confirmant; dum in ſuis tabulis, quas Amſtelodami vidimus apud V. CL. Laurentium vander Hem, unicam Theodoſiam iſto die Maij repræſentant. Porro noſtram de Corpore Conſtantinopolim tranſlato perſuaſionem confirmavit nuper Perſtrenui Franciſci Nigri Veneti Loritæ & Protonotarii Apoſtolici, feliciſſimum Theodoſiæ Virginis de tyranno tropheum, ad feliciſſimam Victoriam Columnam Piſcariæ Marchioniſſam. *Libelli autographum, à Georgio Cardoſo Hagiologii Luſitanici auctore cum haberet Don Gaſpar Ibañez de Segovia Peralta, Agropolitanus Marchio; indicavit nobis, ſignificavitque, poſt longum de perſecutionibus Eccleſiæ per aliquot capita deſcriptis exordium, in materiam veniri per hæc verba:* Sed nos Theodoſiæ Virginis pudiciſſimæ Martyriſque feliciſſimæ agonem deſcripturi, tripartitum opuſculum facile conſequemur, ſi primo ejus familiam vitæque conditionem, ſecundo ſi conſtantem Chriſtianæ fidei confeſſionem triumphaleque martyrium, poſtremo ſi ea miracula, quibus nos & quondam donarit & indies beatiſſima virgo iſta donare non ceſſat, brevi quodam argumento facilique oratione perſequemur.

D

Libius apud Venetos cultus?

11 *In hac autem poſtrema parte narrat ille Venetus Præſbyter ac ſcriptor (quem claruiſſe circa annum* MCCCCLXXX *teſtatur Geſnerus in Bibliotheca) quomodo cuidam piæ ſanctimoniali apparens Beata, ſuumque nomen indicans, Vitam quoque perquiri juſſerit, & hinc primum ceteris ejuſdem monaſterii virginibus, tum aliis matronis Venetis innotuerit; ſuique patrocinii efficaciam nonnullis teſtata miraculis, ipſum demum ſcriptorem voti nexu obligatum ad colligenda Acta ſua impulerit, prout fecit Romæ exiſtens infra Octavas Sanctorum omnium anno* MDXIII. *Et hæc quidem prædicti opuſculi pars ultima, fideliter tranſcripta, prælo jam ſubiecta erat typiſque excuſa, quando ferale illud Blaviana Typographiæ incendium totum fere ſecundum diem Aprilis abſtulit, nobiſque neceſſitatem impoſuit de novo commentandi quæcumque nunc legis. Aſt humaniſſimus, quem dixi, Gaſpar, neque ſola nobilitatis prærogativa ſed etiam eruditionis præſtantia Excellentiſſimus, intellecto quod acciderat infortunio, ſemel iterumque deſcribi rem eamdem curavit, uſque dum tertia demum vice pervenit ad manus noſtras, quomodo infra damus. Pars ſecunda, quam æque ac primam omittimus, terminabatur in nuda aſſeveratione tranſlati ex Paleſtina corporis atque Conſtantinopolim à fidelibus delati, abſque indicio temporis aut eccleſiæ, ad quam & quo facta eſt tranſlatio. Quæſivimus etiam, num Venetiis, in cœnobio Corporis Chriſti Ordinis S. Dominici aut alibi, ſupereſſet aliquis S. Theodoſiæ cultus; ſed idoneum nullum reſponſum accepimus: & tamen in prædicto codice habetur Officium proprium de S. Theodoſia: & in miraculis num* 4 *dicitur, quod* in multis tam monachorum quam monacharum Cœnobiis ſumma devotione quotannis celebretur *ab anno* 1440, *ad eum qui iſta ſcribebantur diem anno* 1513.

E

Pars Reliquiarum in Derventi monaſterio:

12 *Samnarthani tom.* 4. *Galliæ Chriſtianæ, in enumeratione Abbatum Derventis monaſterii, de eorum* XXII *Rogerio ſic loquuntur:* MCVIII includit quodam ſcrinio corpus S. Theodoſiæ Virginis, olim huc allatum à S. Berchario; *qui monaſterii fundator, felici obitu Martyr migravit ad Chriſtum anno* DCLXXXV, XVI *Octobris; de ipſa autem S. Theodoſiæ Derventi Martyrologium ſic proſequitur elogium ab Vſuardo deſcriptum.* Poſt multum tempus, corpus ejus multa devotione deportatum eſt Dervo monaſterio à Fratribus loci, & magno debitoque honore locatum: & ibidem divina diſpoſitione quieſcit, pie petentibus acquieſcens ſalutis ſuffragia. *Ita poſt S. Bercharii Faſtionem verba hæc recitat Nicolaus Camuzat, in Promptuario Antiquitatum Tricaſinæ diœceſis pag.* 112, *abſque ulla mentione S. Bercharii, tamquam auctoris dictæ Tranſlationis: quam etiam longe poſterius factam cenſuit Sauſſajus, in Martyrologio Gallicano ad hunc diem ita ſcribens:* Leodii celebratio natalis S. Theodoſiæ Virginis ..... cujus ſacrarum Reliquiarum portio ab Oriente, nonnullis cum Sanctorum pretioſis pignoribus advecta, ſummoque honore tempore Notgeri Præſulis pientiſſimi excepta, ibidem cultum ſanctæ ipſius Chriſti athletæ propagavit. At ut tota demum Patrocinio Galliæ beata Virgo addiceretur, quidquid

an Le

reſiduum

A reſiduum erat ſacratiſſimi ejus corporis, divino beneficio intimum in Galliæ ſinum deportatum, in Derventi monaſterio Trecenſis Diœceſis, magna veneratione ſervatur & colitur. *Porro* Nothegerus vir ſanctus, Leodienſium ordinatus Epiſcopus, XXXVI annis præfuit, *ut ſcribit Albericus in Chronico, ad annum* DCCCCLXXII *initia ejus collocans; quo tempore ex mente Sauſſaji poſterior eſſet Dervenſium Reliquiarum Tranſlatio. Sed de hoc minus laboramus: magisque optaremus ſcire, unde de Reliquiis Leodium advectis acceperit Sauſſaius ea quæ narrat; cum neque in Breviariis aut Martyrologiis Leodienſibus impreſſis ac MSS. neque in Bartholomæi Fiſen Leodienſi hiſtoria vel Leodienſis Eccleſiæ Floribus, ullum appareat veſtigium iſtius ſingularis cultus, quem Sauſſaji verba tamquam notiſſimum indicant.*

aliquod corpus S. Theodoſiæ Bononiæ.

13 *Bononiæ apud Monachas ſanctiſſimæ Trinitatis eſt in veneratione*, corpus S. Theodoſiæ Virginis & Martyris, *eo Romæ anno MDCXXII tranſlatum, & electus ejus cultui hic dies II Aprilis ob nomen Martyrologio Romano inſcriptum, licet diverſæ ſint Virgines & Martyres.*

aliud in Hiſpania, in regno Alavæ

14 *Eodem modo apud Hiſpanos in magna veneratione eſſe quamdam* Virginem & Martyrem Theodoſiam, *docet Ioannes Marietta lib. 4 de Sanctis Hiſpaniæ cap. 66, ubi iſta habet*: Prope urbem Victoriam, ſupra rupem inter Salvam-Terram & oppidum ſanctæ Crucis de Campezo, conditur corpus cujuſdam Divæ cognomento Theodoſiæ, de qua nec ullam inveni hiſtoriam. Die ſecunda Aprilis agit Uſuardus in ſuo Martyrologio, de quadam hujus nominis Sancta, & hujus regionis oppidani eodem die feſtum hujus noſtræ Theodoſiæ celebrant tali veneratione, ut vix ullus deficiat pagus, qui cum umbella proceſſionaliter & litaniis non accedat, ut Deus per hujus Sanctæ merita omnium neceſſitatibus occurrat. *Hæc ibi. Eſt indicata* Victoria *urbs præcipua regni Alava, in confinio Guipiſcoæ & Biſcaiæ, à qua* XVI *millibus paſſuum diſtat* Salva-terra, *& ab hac* Eccleſia S. Theodoſiæ *ſex millibus paſſuum. Et hæc videbantur ſolum de hac* S. *Theodoſia poſſe ſciri, cum ecce nuper in Pſeudo-dextri Chronico inſerta ſunt iſta verba ad annum* 430. Eodem tempore allatæ ad Hiſpanias reliquiæ ſacræ Virginis Theodoſiæ, ad Cæſaream Paleſtinæ paſſæ ſub Maximiano, & ad oppidum haud ignobile Cantabriæ dictum Salvam-Terram cum maximo honore devectæ. *Hæc ibi: quæ non ut fictitia, ſed ut certiſſima, mox Martyrologio Hiſpanico Tamaji Salazar inſerta; nunc etiam à viris eruditione claris in ipſa Hiſpania exploduntur.*

C MIRACULA S. THEODOSIÆ

Auct. Franciſco Nigro Protonotario Apoſtol.

Ex MS. D. Gaſpari Ibañez, Marchionis Agropolitani.

Conſtantinop. tranſlata claret miraculis.

1 CUm autem Deo ſummo optimo nefas eſſe videretur, beatiſſimæ Virginis Theodoſiæ corpus inter fœdiſſimos carnifices jacere; eo inſpirante Chriſtiani quidam ex Cæſarea civitate membra ipſa ſanctiſſima in Conſtantinopolitanam urbem *a* transferenda curavere, atque quarto *b* Kalendas Junias non poſt multos annos in condigno monumento condidere. Ubi tanta cœpit, meritis hujus ſanctiſſimæ puellæ, in populos Deus oſtendere miracula, quod totus pene terrarum orbis ad ejus ſepulchrum confluebat. Cæci enim luminis inſtaurationem, claudi rectum inceſſum, mutili membrorum integritatem, languentes ſalutem, lymphatici ſanitatem, ægrotantes valetudinem, dejecti arrectionem, afflicti ſolatium, egentes ſubſidium, naufragi ſalutis portum, juvenes correctionem, ſenes corroborationem, hæretici fidem, fideles ſtabilitatem percipientes, tantæ Virginis nomen in aſtra tulere.

a b

EX MSS.

D *Venetiis monacha cuidam nomen ejus divinitus indicatur,*

2 Exacto multorum annorum curriculo, cum propter bella diſſentionesque (ut fieri ſolitum eſt) ſæpius Byzantia civitas hoſtium depopulationes paſſa fuiſſet, crebreſcentibus in dies diſcordiis præliiſque ſæviſſimis, celeberrima Theodoſiæ memoria, (ut his in rebus ſæpiſſime contingere ſolet) una cum aliarum rerum tam publicarum quam privatarum celebritate, aliquantulum deficere cœpit. Unde cum in præclariſſima Venetiarum civitate tantæ Virginis nomen adhuc incognitum haberetur; in ſanctiſſimarum quarumdam monialium cœnobio, *c* quod ſaluberrimo Chriſti corpori dicatum erat, venerabilis quædam monacha cœlibem vitam agebat, cui nomen erat Bartholomæa: quæ quondam cum primis Sororibus in novum templum illud, Deo ſervitura, fuerat ingreſſa. Hæc fortaſſe dubii cujuſdam deciſionem audire deſiderans, quod nullis Scripturarum lectionibus percipere poterat; cum in ſanctiſſima Joannis & Pauli feſtivitate nocturno tempore, ut imbecillitas noſtra requirit, ſe quieti dediſſet, claram hujuſcemodi vocem ſenſit: O quam ſapiens Theodoſia, quæ nullum penitus Chriſtianæ fidei articulum ignoravit. Quod cum audiiſſet Bartholomæa, non ſemel tantum, ſed terque quaterque nocte illa repetitum; admirata primum inauditæ Virginis nomen, ſtatuit devotiſſimo quodam animo, ejus ſolennitatem inter reliqua divina Officia celebrare, ſed ignorabat quonam potiſſimum die, quove officio id peragere poſſet: nec enim ejus vitam *e* ſenſerat; nec quo tempore mortem relinquens; ad vitam tranſiviſſet. Acceſſit ergo ad monacham, ſibi & amore & benevolentia conjunctam; atque illi omnem hujuſce rei ſeriem ſecreto exponens, quid ſibi agendum eſſet ſedula conſulebat.

c *d* E *e*

3 Evolvunt Martyrologium *f* Sanctiſſimæ Virgines, ſi forte Theodoſiæ vitam ibi reperire poſſent: ſed cum nihil horum ibi inveniſſent, ſequenti nocte, Virgo quædam, annorum circiter decem & octo, viridi induta veſte, ac pulcherrimo ſtemmate *g* decorata, oculis ſidereis prædictæ Bartholomææ in ſomnis apparuit; ac quaſi buxeum ramum, quem manibus geſtabat, eidem offerens; ſuaviſſime dixit: vallatum ſanguine ramum juxta pluteum plantate: videbatur enim ei ad *b* pluteum illum eſſe, ubi nunc in eodem templo erectum eſt ſacellum, divo Hieronymo ac divæ Theodoſiæ dedicandum. Quem cum plantaſſet Virgo, ac ſubito mirifice videretur excreſcere, non obſcure intellexit, Theodoſiam prius Martyrio vitam finiviſſe, plantatumque ramum tam ſubito excreviſſe, ut exiguam primum ſui notitiam in maximam omnium devotionem augendam indicaret. Cumque multis poſtea diebus, & ſæpiſſime quidem, tam vigilans quam dormiens de tanta Virgine multa verba per ſpiritum relata ſentiret, animo magis in dies ad Virginem directo, ejus Paſſionem ſumma diligentia inquirere cœpit. Quam cum reperiiſſet in libro hiſtoriarum *i* Vincentii, maxima quidem jucunditate perlegit, ac ex fidei ejus expoſitione apud tyrannum priſtini tandem dubii quod habebat, deciſionem invenit: unde & talem ſæpius hiſtoriam devotiſſima mente legebat.

f *g* *Qua illiuſce conſpectu dignata* *b* F *ſemel* *i*

4 Sed quodam noctis tempore, dum in honeſtiſſimo cubili ſuo predicta Bartholomæa quieſceret, apparuit ei beatiſſima Theodoſia, viridi veſte induta, ac imperfectam viſa eſt ei coronam porrigere. Cujus cum imperfectionem miraretur; cauſamq; penitus intelligere non poſſet; deducta ad eam inſequenti die martyrii ſui partem quæ in prima deficiebat hiſtoria, hanc intellexit eſſe coronę partem imperfectam, quæ prius ei à beata virgine fuerat oblata. Conſecuta igitur denotiſſima Bartholomæa hujus beatiſſimæ Virginis perfectam ex omni ſui parte hiſtoriam, procurante

k *iterumque*

EX MS. A *l curat diem festum agi.*

curante Fantino Dandulo, Patritio Veneto, tam clarissimo quam religiosissimo, apud Generalem Prædicatorum *l* Vicarium, quibus illud Monacharum Cœnobium commendatum erat, facillime impetravit, ut à Sororibus solenne quotannis in suo sacello, quamprimum ut diximus erigendo, celebraretur officium, quod ab anno salutis Dominicæ quadragesimo supra millesimum & quadringentesimum, in hunc usque diem in tantam quidem venerationem processit, ut in multis tam Monachorum quam Monacharum cœnobiis, summa devotione quotannis, solenniter celebretur.

Matrona ægrotans

5 Erat præterea in Veneta Civitate Franciscina quædam, venerabilis matrona, Andreæ Ingenierii, qui tunc B. Thomæ dicatas ædes populumque sibi commissum ibidem gubernabat, integerrimi scilicet Sacerdotis mater: quæ cum adeo diversis variisque ægritudinibus premeretur, ut vix oculos aperire posset, à Constantinopolitana serva, quamdiebus illis ejus emerat conjux, admonita ut se Beatissimæ Theodosiæ commendaret, quæ multa in dies Byzantii miracula faciebat; scriptum in pariete tam venerabile nomen Theodosiæ matrona devotissima, quoad melius poterat, genibus flexis adorans, tali cœpit oratione clamare: O sanctissima Virgo, cujus mihi quondam incognitum suppliciter nomen observo, quam mihi perpetuam tutricem exopto, libera me, Virgo pientissima, ex tantis totque doloribus. Ego enim tibi, quod monumentum sit posteris tua me presenti ope servatam, solennes aras solenniaque dona voveo. Facta subito oratione, quæ prius se à stratis movere non poterat, tantam in se fortitudinem concepit, ut non ab ægritudine aliqua, sed à somno potius surgere videretur.

invocata sancta sanatur: B

& rursus à malo reliquiis:

6 Paucis post transactis mensibus, cum etiam à quadam infesta ægritudine, Medico curante, prædicta matrona liberata fuisset, remanserat tamen particula quædam frigiditatis, in ejus capitis dextera parte, quæ nulla videbatur posse medicorum arte repelli. Sed cum amicus quidam domesticus, urbis Constantinopolitanæ civis, forte in ejus domum adveniisset, ac panni cujusdam secum particulam apportasset, quo beatissimæ Virginis *m* corpus opertum erat; ac hujusce ægritudinis locum tetigisset, omnis subito frigiditas illa repulsa est, caputque matronæ ab omni penitus morbo liberatum evasit.

m

C

iterumque empta ejus imagine.

7 Sed cum transactis annis circiter tribus, cuperet hæc venerabilis matrona, Beatissimæ Theodosiæ apud se imaginem habere; accessit quidam Byzantius pictor, qui pulcherrimam hujuscemodi tabulam vendere volebat. A quo cum pretium exquireretur, visus est nimium illud exposcere. Unde cum ab ea repulsus esset, quæ apud Venetos pictores magis exiguo pretio eam se sperabat empturam, ecce subito correpta est pristini gravitate morbi, adeo quod prioribus cruciata doloribus, animam pene ipsam iterum effundere cogi videretur. Cognoscens autem devotissima matrona, se contra Theodosiæ benevolentiam peccasse, quæ pluris pecuniam quam ejus imaginem æstimarat, accersito conjuge dilectissimoque filio, Byzantium Pictorem illum per totam civitatem requiri jubet; à requisito sanctissimæ Virginis imaginem quacumque pecunia commutari. Quæ cum primum in domum allata esset, coramque ipsa venerabilis matrona preces fudisset, & non sine multis lacrymis commissi piaculi veniam petiisset, in pristinam subito fuit valetudinem restituta.

8 Anno autem Dominicæ salutis millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto, tale accidit in prædictæ matronæ corpore apostema; quod cum nullo pacto à medicis liberari posset, qui omnem pene in eam industriam suam consumpserant, remanserat venerabilis anus adeo defessa adeoque morbo consumpta, ut jam videretur coactus ejus spiritus exhalari. Cumque omnis pene mœsta familia in luctuosis lacrymis versaretur, accessit pientissimus filius, atque coram dulcissima matre beatæ Virginis imagine constituta, tales pro ea genibus flexis, non sine lacrymoso gemitu, preces effudit: Virgo nitidissima, columbellæ similis, quam lactea penna circumdat: Virgo sanctissima, regali splendida stemmate: Virgo clementissima, quæ nemini ad te confugienti benignissimam opem negare soles: cur ancillæ tuæ devotissimæ auxilium ferre moraris, quæ te semper amavit, semper excoluit, semper in corculi fibris fixam portare gestivit? Cur desolatam domum istam, jam per multos tibi creditam relinquis annos? Ecce Virgo beatissima, omnis ab arbitrio tuo spes nostra pendet: succurre igitur ad te clamantibus: dextram porrige petentibus: misellam hanc ancillam tuam liberare digneris; nam potes, Domina, solari afflictam mariti senectutem, solari non minus solicitam nati mœstamque juventam. Ego enim in tui laudem & honorem, solemne tibi jejunium, in doloris pane & lacrymarum aqua, quotannis voveo; ut sciant posteri, tuo præsidio nostram penitus firmatam familiam. Qua oratione perfecta, visus est aliquantulum ab ægrotante matrona dolor quiescere, depositique sunt aliquantisper pristini gemitus sævaque suspiria, atque in somnum quasi placidum veniens, paululum à vociferatione cessavit. Unde cum eam domestici jam mortuam censerent, lacrymabili voce tecta replentes, abire cœperunt. Sed ecce, non post multum temporis spatium, exsurgit libera matrona, atque in lecto prosiliens, suavissima voce decantat: Vivat sancta fides, vivat Theodosia Virgo. Ad quam vocem excitati familiares accurrerunt; quidnam hoc rei esset, mirantes exposcunt. Interrogantibus exponit devotissima mulier, se beatissimam Virginem ad eam properantem vidisse, quæ cum in manu dextera pyxidem haberet, plurimisSa nctorum reliquiis refertam, tali vociferatione clamari jussisset, ac eam pristinæ reddidisset incolumitati.

D

Eadem ad mortem deposita,

filio sanctam deprecante,

subito convalescit,

E

9 Ex eo quidem tempore cœpit prædictæ matronæ conjux egregius, in tantam beatissimæ Martyris hujus devotionem venire, ut singulis annis, omnibus suis impensis in D. Thomæ templo, ejus solenniter festum celebrari curaret, exactisque sacrorum ceremoniis, cognatos & amicos solebat in domum suam ad amicabile convivium invitare. Cum autem quodam die, peracto convivio, remotisque mensis, materias quasdam, ingenio suo, quo maxime valebat, mirifice elaboratas, amicis ostenderet, vas *n* cupreum in medium eduxit, quod igni propinquum, mira quadam arte, sponte sua tantum spiritum emittebat, ut eo faciente subitus ignis accenderetur. Sed cum nimio fortasse igne calefactum fuisset, ob nimiam inclusi aëris violentiam crepuit, atque prædictæ matronæ aspicientis frontem adeo percussit, ut omnes eam tali percussione interemptam fuisse censerent: nam & alia crepentis vasculi portio cubilis velum totum laceravit. Sed Beatissimæ Theodosiæ suffragio favente, venerabilis matrona illæsa remansit.

& rursus periclitantem servatur illæsa.

F

n

eadem de incendio gymnasii monita.

Erat tanta prædictæ matronæ, totiusque familiæ suæ, in beatissimam Virginem istam devotio, tantus affectus, tantaque observantia, ut nihil penitus agere posset, nisi dulcissimum Theodosiæ nomen haberet in ore. Hanc vigilans nominabat, hanc dormiens adeo contemplabatur, ut sæpius multa

per

per ſomnum futura videret, quæ à beatiſſima Virgine iſta diſcebat. Cum igitur quodam die præfatus ejus filius, Sacerdos quidem venerabilis, organicam muſicam in urbe Veneta publice profiteretur, ac hiemali tempore in publico gymnaſio ſuo, ad ſedandum brumale frigus, accenſos in olla carbones detineret, quo frigeſcentia membra diſcipulorum reficerentur; ac ſequenti nocte, neſcio quo caſu, per teſtudineum gymnaſii tabulatum ignis aſperſus eſſet, ita quod incipiebant quaſi trabes accendi; expergefacta matrona, quæ talem caſum, revelante Theodoſia, in ſomnis viderat, filium vociferans à ſomno excitat; ac narrata viſione, in gymnaſium flagrans emittit; qui cum illuc applicuiſſet, repertum ut dixerat mater, ignem ſummo labore tandem extinxit.

filium mittit ut reſtinguat:

11 Cum vero devotiſſimus ſacerdos per multos annos beatiſſimam Virginem iſtam veneraretur, ac ſolenne ejus feſtum quotannis celebraret, non ſolum extincto prædeceſſore ſuo, viro quidem integerrimo, omnium conſenſu in ejus locum ſucceſſit. Sed & populum ſibi commiſſum, & Venetum quaſi populum omnem, in hujuſce ſanctiſſimæ Virginis devotionem adeo deduxit, ut infecta peſtifero morbo civitate, quo ſæpius laborare ſolet; multi quidem homines, multæque mulieres, quæ tali morbo laborabant, ejus impulſu, devotiſſimæ Virgini vota nuncupantes, ſubito liberarentur.

juvantur contacti peſtilentia.

12 Sed illud in primis miraculum longe ceteris præſtantius atque mirandum obiicitur, quod voluit clementiſſimus Deus meritis beatiſſimæ Virginis ſuæ in me oſtendere. Quod cum non multos ante annos in maxima quadam adverſitate conſtitutus eſſem, neſciremque quo me verterem, ad cujus opem confugerem; ſed quotidie in lacrymis, quotidie in gemitibus eſſem; ad beatiſſimam tandem Theodoſiam mentem animumque dirigens, cœpi ego eam lacrymabili ſic voce precari. Heu, benigniſſima Virgo, Martyr glorioſiſſima, cur ſervum tuum ſic deſolatum relinquis? cur animam iſtam in tantis totque tormentis deficere ſinis? Memento quæſo, pientiſſima Virgo, quanto ſolatio Chriſti Confeſſoribus quondam fueris, qui tuo fulti præſidio, è tenebris tandem in lucem emerſere: mihi quoque in tanta calamitate jacenti benignam porrige manum. Reſpice, clementiſſima Virgo, parentum meorum lacrymas, qui quotidie in luctu, & ſqualore deficiunt. Solare illos, benigniſſima Virgo, quæ etiam parentum tuorum quondam lacrymas es miſerata. Reſpice exiguæ gemitus puellæ, miſerrimæ ſororis meæ, cujus cum in me ſolo omnes eſſent quondam ſpes conſtitutæ, nunc derelicta miſerrimæ virginis rumpuntur præcordia, coreulum dolore frangitur, laſſum ſuſpiriis virgineum pectus crepat. Ego enim hiſtoriam Paſſionis tuæ, hinc inde diſperſam, in pulcherrimum ſtylum te juvante colligere voveo, celeberrimumque officium præparare, quo occupati ſanctiſſimi viri ſanctiſſimæque virgines, omnes in tui devotionem penitus inducantur. Exaudi ergo beatiſſima Virgo, virginis tibi dicatæ preces: exaudi voces miſerrimi Sacerdotis, qui in te ſola ſpes omnes ſuas conſtitutas decrevit. Aut me ex iſtis tenebris libera, Virgo, quæ mœrori deditos ſumma pietate liberare ſoles; aut potius infelicem animulam iſtam ex miſerrimo corpore diſſolvas.

Ipſe ſcriptor in magno mœrore conſtitutus

& ſancte Paſſionem ſcripturum ſe vovens,

13 Cum hæc, & ſimilia lacrymans dixiſſem, ſuaviſſimus me quidam ſomnus ſubito corripuit. Et ecce, beatiſſimam Theodoſiam ad me venientem video, pulcherrimo quidem ſtemmate coronatam; quam cum vidiſſem, maxima ſum viſus voce clamare: Adjuva me, Virgo ſanctiſſima, quia pereo: ſuccurre mihi, quia languore conſumor. At illa ex hilari vultu lætaque facie, hæc mihi ſuaviſſima verba reddere viſa eſt: Quid tanto dolore conſumeris, cariſſime fili? quid tantum lacrymis indulges? Noli timere quidquam, nec dubitare: ego enim tecum ſemper ſum, teque non derelinquam, ſed non poſt multos dies ex mœrore iſto liberabo; parenteſque tuos ac ſororem dilectiſſimam conſolabor. Æquo igitur animo omnia feras: nam fortaſſe hæc tuliſſe tormenta in poſterum gaudebis. Confortetur cor tuum, & ſubito poſt meum diſceſſum ſurgito, hiſtoriamque meam, ut pollicitus es, pulcherrimo ſtylo componas, ut legentes Deum collaudent, & in devotionem accendantur. His dictis, beatiſſima Virgo diſceſſit. Aſt ego qui prius morbo conſumptus, me nullatenus erigere poteram, ſub intempeſtæ noctis conticinio adeo robuſtus, ab omnique penitus malo liber ſurrexi, ut non de valetudine, ſed de amœniſſimo ſomno ſurrexiſſe viderer. Ac Deo primum, & beatiſſimæ Matri ejus, glorioſæ deinde Theodoſiæ gratias agens, invocato prius divino auxilio, ut vota nuncupata perſolverem, beatiſſimæ Virginis hujus Paſſionem, ex multis variiſque codicibus Græcis delectam, in unum corpus redegi; fecique tanto libentius, quanto devotior eſt in talem Virginem omnis mea, quamvis exigua domus.

EXMS. D

ſanuſque conſurgens,

14. Sed audite mirandam ſtupendamque rem. Cum in principio quadrageſimæ varios hujuſce Paſſionis libros, tam Græcos quam Latinos, reperiſſem; vellemque ex ipſis omnibus unum tantum corpus efficere, facta prius re divina in D. Franciſci ſacello, quod proximum erat, devotiſſimaque oratione perfecta, ut huic operi faciendo beatiſſima Virgo benignas ſuppetias ferret, cujus negotium agebatur; domum reverſus, atque ejuſdem Virginis nomine invocato, initium hiſtoriæ texere cœpi; atque inter octo lectiones, quas quotidie partim publicas partim privatas legebam, ab ejus Quadrageſimæ principio, in ſanctum uſque Paſchatis diem tantum, tam brevi temporis ſpatio, & hiſtoriæ fragmenta in unum coegi, & ſcripſi, & ad ultimum finem perduxi. Quis dubitet, beatiſſima Theodoſia, hoc, tua ope factum? Non enim me latent exiguæ vires ingenioli mei, quæ niſi tu auxilium tuliſſes, talem provinciam ſubire trepidaſſent. Tibi igitur laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, feliciſſima puella, quæ ceteras ſplendore vincis, pulchritudine ſuperas, ſanctitate excellis.

E

brevi tempore opus abſolvit:

15 Accurrite igitur populi ad pientiſſimam Virginem iſtam: accurrite gentes: venite pueri, venite puellæ; properate juvenes, properate ſenes: hanc colite, hanc diligite, hanc amate, huic ſuaviſſimas laudes celebrate, huic vota perſolvite. Nam ſicut, me, multoſque plurimos ſua adjuvit ope; ita & vos non ceſſabit indies, multis variiſque donis accumulare. Ut tandem de acerrimo humanæ naturæ hoſte triumphantes, duce Salvatore noſtro, ad attingendam palmam & gloriam conſequendam mirifice valeatis: cui ſit laus, honor, & gloria, per infinita ſeculorum ſecula. Amen. Ex urbe Romulea, Pantheon *o* octodialibus, à Chriſtiana redemptione, anno tertiodecimo ſupra millenum & quingentenum.

& concludit ad cultum ejus omnes hortans.

F

ANNOTATA.

a *Non crediderim id ſtatim à morte factum: ſed aliquam multis annis poſt, cum conditam à ſe urbem Conſtantinus magnus curaret munire Sanctorum undequaque advectis reliquiis, ut hac etiam parte veteri Romæ ſimilis efficeretur.*

b *Ecgraphum noſtrum* 5 Kalendas. *Sed cum in tot hactenus inventis Codicibus Græcis nullus omnino ſit, qui* 28 *Maji ſanctam collocet: librarii errorem arbitrati potius quam auctoris, pro* quinto *poſuimus* quarto.

c *Erat id Sororum de pœnitentia S. Dominici, ſub Fr. Thoma de Senis Priore, circa obitum* S. *Catharinæ Se-*

nensis Venetiis constitutarum, seculo 14 *exeunte.*

A d *Coluntur* SS. Joannes & Paulus, *quibus dicatum Ordinis Dominicani monasterium,* 26 *Iunii.*

e Sentire *Italis idem est, quod Latinis,* audire.

f *Martyrologii nomine hic intellige, non quod sic passim nunc appellatur in sacris (quomodo enim non reperissent ibi Theodosiæ nomen?) sed Passionale grandius, in quo Martyrum Passiones & Sanctorum Vitæ ponuntur integræ.*

g Stemma *pro corona seu diademate, frequenti usu istius seculi: vox alias Græca est, quam plerique sequioris Latinitatis auctores detorquent ad nobilitatem seu Genealogiam significandam.*

h Puteum, *scriptum hic erat: nec dubium est quin vel hic desit littera, vel superius abundet: cum igitur pluteos quam puteos in templo dici magis congruum sit, primæ lectioni aptavi secundam.*

i *Vincentius Bellovac. lib.* 12 *cap.* 68 *sub compendio refert Passionem S. Theodosiæ.*

k *Fortassis ex Eusebii scriptis, Latine redditis, integram veræ Passionis historiam ostendit aliquis.* D

l *Generalis Magister Ordinis Prædicatorum fuit* Bartholomæus Texerius *ab anno* 1426 *ad* 1449, *Gallus, & in Gallia fere degens, ideoque Vicario Generali pro Italia indiguit.*

m *Hinc discimus corpus* S. *Theodosiæ, aut saltem notabilem ejus partem, ultra annum* 1440 *Constantinopoli fuisse.*

n Æoli-pila *appellatur à mathematicis: est enim formæ sphæricæ, intra quam compulsus per siphonem aer, ipso super prunas posito incalescit; seque per angustum foramen magna vi egerens, non cessat flatu vehementi structum ante se ignem accendere, donec expirarit quidquid conclusum luctabatur.*

o *Intelligo* Octavam Sanctorum omnium, *quæ in antiquo Agrippæ* Pantheon, *nunc* S. *Mariæ rotundæ dicto solennissime agitatur Romæ.*

De sanctis Martyribus Afris

G. H.

AMPHIANO, VICTORE ET ALIIS XIV.

11 APRILIS. B *Quatuor antiquæ Martyrologii Hieronymiani apographa auspicantur hunc diem ab his Martyribus, & Lucense cum Blumiano his verbis:* IV Nonas Aprilis. In Africa SS. Amphiani, Victoris & aliorum quatuordecim. *Quæ eadem leguntur apud Rabanum, Notkerum & auctorem Bedæ supposititii, item in MSS. Martyrologiis Casinensi, Altempsiano, & Barberiniano: ut & (sed palæstra Africa omissa) in* MS. *Ecclesiæ Pragensis. In apographo Hieronymiano Corbejensi Parisiis excuso socii solum* quatuor *indicantur, at* decem *in apographo Epternacensi: cui assentiuntur* MSS. *Vaticanum* S. *Petri, Trevirense* S. *Martini & Vltrajectinum* S. *Mariæ, & aliud Reginæ Suecia, laudatum ab Holstenio in Adversis ad Martyrologium Romanum.* MS. *Martyrologium* S. *Cyriaci à Baronio in suis Annotationibus sæpe allegatum, omisso* Victore, *ista habet*: In Africa natalis SS. Amphiani & aliorum quatuordecim. *At Galesinius, omisso* Amphiano, *ita scribit*: In Africa S. Victoris, & sociorum quindecim Martyrum. *Sociis omissis alii duo referuntur in* MSS. *Richenoviensi, Rhinoviensi, Aquigranensi, Augustano* S. *Vdalrici & Parisiensi labbæi, his verbis*: In Africa Amphiani, Victoris: *quorum nuda nomina, absque palæstra martyrii, sunt etiam inserta Auctario Greveni ad Vsuardum. Egimus hoc die de* S. Apphiano Martyre Cæsareæ in Palæstina, *qui à pluribus tam Græcis quam Latinis etiam* Amphianus *appellatur: sed ab eo hunc* Afrum Martyrem Amphianum *plane diversum arbitramur: eique præter* Victorem *addimus, cum pluribus, socios in titulo* quatuordecim. *Si quis aliunde probaverit solum* decem *socios jungendos esse, non volumus funem contentiosum cum eo trahere.* H

De Sanctis Martyribus,

G. H.

MARCELLINO, SATVLLO, SATVRNINO, QVIRIACO, REGINA, PROCVLA, ET ALIIS QVATVOR.

14 APRILIS. C *Eadem Martyrologii Hieronymiani apographa quatuor, relatis Martyribus Afris, de quibus jam egimus; secundo loco proponunt hos Christi athletas: & apographum quidem Blumianum his verbis*: Et alibi Marcellini, Satulli, Saturnini, Quiriaci, Reginæ, Proculæ, & aliorum quatuor. *Eadem leguntur in codice Lucensi, sed socii solum tres indicantur. In apographo Epternacensi videtur lacuna irrepsisse, dum ista solum indicantur*: Et alibi Marcellini, Satuli & aliorum quatuor. *Ex* MS. *Corbejensi Parisiis excuso ista referuntur*: Et alibi Marcelli, Satulli, Marcellini, Saturnini, Quiriaci, Reginæ, Proculi & aliorum XIV. *Vbi notandum, quod in hoc apographo sint* SS. *Amphiano & Victori solum additi socii* IV, *qui aliis erant* XIV; *& vice versa hic adduntur socii* XIV, *ab aliis solum* IV *recensiti. Deinde ponuntur nomina* Marcelli & Marcellini, *cum ab aliis solus* Marcellinus *indicetur. Si quis præterea velit* Marcellinum *addi, per nos licebit. Rabanus Maurus, omisso* Satullo, *reliquos ita commemorat*: *Et* alibi Marcellini, Saturnini, Quiriaci, Reginæ, Proculæ & aliorum quatuor. *Auctor Martyrologii sub nomine Bedæ excusi ista tradit*: *Et* alibi Marcelli, Saturnini, Satulli, Quiriaci, Reginæ, Proculæ. *In* MS. *Richebergensi loco* Marcelli *scribitur* Marcellini. *At Galesinius, citato Beda, ita habet*: Alio loco Marcelli, Saturnini, Satuli, Proculæ, Reginæ. MSS. *Casinense & Altempsianum, Augustanum & Labbeanum*: Et alibi Marcellini: *addit Barberinianum & Pragense,* Quiriaci cum aliis sex. MS. *Vaticanum meminit* Marcelli; *at Trevirense S. Maximini,* Marcellini & aliorum. *Solius* Proculi *nomen habetur in* MSS. *Richenovienſi & Rhinovienſi; pro quo alibi fere nomen* Proculæ *scribitur*: *nisi nomen* Proculi *sit transpositum, referendum ad classem Martyrum Thessalonicensium, de qua jam agemus. In fragmento membranaceo Canonicorum Lucensium apud Florentinium ad hunc diem recolitur memoria* Quiriacæ, *supra* Quiriaci, *&* Proculæ. *Hactenus Martyrologia: plura si aliunde suggerantur, habebimus gratias.* F

DE SS. THEODOLO, AGATOPHO, MASTESO, PVBLIO, VALERIO, ET ALIIS TRIBVS. ITEM VRBANO, IVLIANO, PROCVLO, GAGO, AGAPITO, DIONYSIO, CYRIACO, ZONISO,

Martyribus Theſſalonicæ in Macedonia.

G. H.

II APR. Tertia hæc claſsis Martyrum, & quaſi in duas turmas diſtincta, proponitur in quatuor Martyrologiis Hieronymiani apographis, hoc fere modo: In Theſſalonica Macedoniæ Theodoli, Agatophi, Maſteſi, Publii, Valerii & aliorum trium. Vrbani, Juliani, Proculi, Gagi, Agapiti, Dionyſii, Cyriaci, Zoniſi. *Eſt aliqua in ſcriptione Varietas. Nam loco* Theodoli *in MS. Lucenſi eſt* Theudoli, *uti pro* Agatophi, *legitur* Agathopi, Agatopi *&* Agathopidiæ. *Ita loco* Maſteſi, *eſt* Maſtiſi *&* Martis: *& pro* Publii *etiam* Pupliii *pro* Valerii, Valerii: *deinde cum aliis tribus finitur prima turma. In ſecunda turma, loco* Vrbani, *Epternacenſe habet* Orbani; *tum nomina* Juliani, Proculi *&* Gagi *conſtanter eadem ſunt; at loco* Agapiti, *legitur* Agapitii *&* Agapetii; *poſtea* Dionyſii, Cyriaci *&* Zoniſi, *ſed duo ultima nomina deſunt in MS. Corbeienſi Pariſius excuſo. Hactenus Martyrologium S. Hieronymi. In MS. Rhenovienſi ita habetur:* Theſſalonicæ Theodoli, Agatopi: *quibus in Richenovienſi additur*, Publii, Orbani. *MS. Auguſtanum S. Vdalrici meminit* Theodoli, Orbani: *at Pariſienſe Labbæi*, Theodoli, Vrbani: *MS. Aquigranenſe ſolius* Vrbani: *Grevenus in Auctario Vſuardi*, Vrbani *&* Nierti Martyrum: *ubi forte pro* Nierti *legendum* Niccti, *qui in Aquiſgranenſi etiam jungebatur, licet ante fuiſſet ejus elogium ex Vſuardo datum; & eſt Epiſcopus Lugdunenſis, de quo infra hoc die agemus. In antiquo MS. Trevirenſi S. Maximini fit mentio* Valerii *&* Regi; *pro quo forſan* Gagi *ſupra legitur.*

B E

De Sanctis Martyribus GORDONIANO, MAGNO, IVLIO, ET DONATO.

G. H.

II APR. Vltima eſt hæc claſsis Martyrum, *in MS. Corbeienſi Martyrologii Hieronymiani apographo Pariſiis excuſo ſic indicata:* Gordoniani, Magni, Julii, Donati. *Diſtinguitur à præcedenti claſſe in apographo Epternacenſi S. Willibrordi, dum ita legitur:* Alibi Gortoniani: *& in codicibus Lucenſi & Blumiano his verbis:* Et alibi Gordiani. *In MS. Trevirenſi S. Maximini habetur nomen* Gurgonianæ, *Neque hactenus plura de his legimus: ideoque acquieſcimus nudæ notitiæ nominum, prout à Martyrologiis ſuggeruntur.*

DE S. MARIA ÆGYPTIACA, ET S. ZOSIMA PRESB. MONACHO,

D. P.

COMMENTARIVS PRÆVIUS

AN CCCXXI

§ 1 Horum Sanctorum ætas, longe quam vulgo creditur antiquior.

Abrahami nepte Maria ſenior Ægyptiaca, C

Mariam, *neptem Abrahæ, mulieribus vere pœnitentibus in exemplum propoſuimus* XVI *Martij; oſtendimuſque graviſſimo anachroniſmo à ſexto, quo vixit, ſeculo ad quartum retractam, non alio fundamento, quam quia vitam ejus ſcripſiſſe putabatur* S. Ephrem Syrus, Diaconus Edeſſenus, *circa annum Chriſti* CCCLXXVIII *defunctus. Nunc agendum nobis de ea Maria, reſpectu, cujus iſta* Junior *appellatur à Moſcho, & demonſtrandum vice verſa longe veteſtiorem eſſe illam, quam paſſim creditur ab auctoribus, ſecutis aberrantem in Hiſtoria Eccleſiaſtica Nicephorum Calliſtum; qui poſtquam lib.* 17 *cap.* 6 *egiſſet de Zoſima Phœnice, Juſtini ſenioris ſynchrono; caput* 6 *exorditur his verbis,* Alter vero tum quoque enituit Zoſimas, quem ſacerdotio fungentem arcana myſteria Ægyptiacæ illi communicaſſe ajunt. *Etenim hic perſuaſus, quod* Sophronius, *iſte qui olim Hieroſolymitanam Sedem exornavit, ſanctæ ejus feminæ &* Zoſimæ vitam deſcripſit; *non potuit rem, ipſa ſcriptoris ætate, ut præfatur, geſtam, tam antiquam concipere quam revera fuit; cum S. Sophronius, uti ad ejus diem natalem oſtendimus* XI *Martij, Patriarchatum iniverit circa initium anni* DCXXXV.

per Vitam ſcriptam nota erat occidenti ante an. 596,

2 *Sed quantum à vero aberret opinatio Nicephori, evidenter nos docebit Dynamius Patricius, Patrimonii Romanæ Eccleſiæ Rector in Gallia, qui S. Marii Abbatis Bodanenſis vitam conſcripſit,* XXVII *Ianuarii illuſtratam; & officio aut etiam vita defunctus eſt, ante annum* DXCVI, *quo S. Gregorius ſcripſit ad* Candidum Presbyterum, *euntem* ad Patrimoniũ quod eſt in Galliis gubernandum. *Hic igitur in præcitata vita num* 9, *loquitur de Vita S. Mariæ Ægyptiacæ, tamquam pridem notiſſima & ubique vulgata, in hunc modum:* ſi quis autem non credit quod aliquando ſilveſtres beſtiæ, feritate depoſita, juſtorum utilitatibus noverunt famulari, audiat Paulo primo eremitæ leones ſepulturam feciſſe, & S. Mariæ Ægyptiacæ. *Quod igitur in Vita S. Eleutherii Epiſcopi Tornacenſis,* XX *Februarij data, num.* 18 *idem Sanctus Romam profectus circa annum* DXVIII, *dicatur ab Hormiſda Pontifice aliquas S. Mariæ Ægyptiacæ Reliquias accepiſſe & detuliſſe Tornacum; non tantum omni mendi ſuſpicione carere debet, ſed etiam certiores nos reddere, quod, cum Vita S. Mariæ Ægyptiacæ nullam refoſſi corporis faciat mentionem, illa ſaltem ante annum quingenteſimum ſcripta ſit, atque adeo Mariæ obitus non potuerit poſt annum* CCCCL *contigiſſe.*

F

& inter antiquiſſimos Sanctos culta fuit C P.

3 *Accedit, ad hæc duo teſtimonia, antiquitas & celebritas ejus cultus, quam in Eccleſiis orientalibus habuit ſancta hæc pœnitens. Eſt enim penes nos ex Frederici Lindebrogij Bibliotheca tranſcriptum Menologium, deſignans totius anni feſta & propria cuique ex Apoſtolo & Euangeliis Lectiones: quod alicujus Conſtantinopolitanæ eccleſiæ fuiſſe probant quædam feſta, ſoli iſti urbi propria, ibidem adſcripta, etiam recentiora: quoad ceteras autem partes ipſum antiquiſſimum eſſe, veroſimile nobis facit omnium ibidem commemoratorum Sanctorum vetuſtas, utpote qui vel antiqui Martyres ſunt, vel primi vitæ eremiticæ atque monaſticæ cultores; videlicet S.*

AUCTORE D. P.

Chariton, S. Sabas, S. Theodoſius, S. Antonius, S. Euthymius, nec alius hujus generis quiſquam preter S. Mariam Ægyptiacam, veluti antiquus illis adnumeratam, ab eo tempore, quo pauca hujuſmodi feſta ſingulis menſibus Orientis Eccleſiis paſſim omnibus communia erant: nec enim toto Aprili plura hic notantur quam Mariæ, ut dixi, Megalo-Martyris Georgii, Marci Evangeliſtæ, & Iacobi Apoſtoli.

converſa poſt inſtitutum feſtum inventa Crucis,

3 *His præmiſſis, accedamus propius ad examinandos temporum characteres, in præſenti hiſtoria deprehenſos. Converſa ad Deum Maria eſt Hieroſolymis, illuc adducta ex Ægypto occaſione frequentatiſſimæ ab omnibus vicinioribus populis celebritatis, quæ propter exaltationem ſanctæ Crucis inſtituta fuit, anno Conſtantini magni* XXI, *Chriſti* CCCXXV. *Ab hoc tempore ad Mariæ converſionem non oportet aut tam paucos annos numerare, ut adhuc in vivis fuerit Conſtantinus; quandoquidem Maria, de ſtatu Eccleſiæ & Imperii interrogans, de Imperatoribus pluraliter quærat, veluti quæ plures corregnantes reliquerit; aut tam multos, ut poſt annorum* XLVII *Anachoreſim incidamus in perturbatiſſima Eccleſiæ atque Imperii tempora, quibus minime conveniat illud Zoſimæ reſponſum, quo orationibus ejus ipſe tribuit, quod* cunctis pacem ſtabilem dederit Deus. *Cavendum etiam ut inter Zoſima jam centenarij obitum & Hormiſdæ Pontificatum habeatur ſufficiens intervallum temporis, quo ſcripta fuerit Vita, ex ſeniorum per manus tradita relatione, ſicut dicitur num.* 41.

B

& mortua in nocte poſt Cœnam Domini,

4 *Ad hoc tempus inveniendum, ſic undiquaque præciſum, ducere nos deberet mors in nocte ſalutiferæ Paſſionis obita: ſed huic ratiocinio impeditiorem viam facit Græcorum ac Latinorum manuſcriptorum diverſitas, dum hæc diem* IX *Aprilis Sanctæ Pœnitenti ultimam fuiſſe aſſerunt, iſta primam. Verum obſervatu dignum eſt, contextum verborum, quæ moriens Sancta inſcripſit terræ, unde ſciri deberet quo menſe & die obierit ipſa, omnino eſſe inter polatum. Contextus autem ab initio talis fuiſſe videtur:* Θάψον, ἀββᾶ Σωσιμᾶ, ἐν τῷ τόπῳ τῆς ταπεινῆς Μαρίας τὸ λείψανον, ἀποδοὺς τὸν χῶν τῷ χωῒ, ὑπὲρ ἐμοῦ τὸν Κύριον παρακαλοῦσα, τελειωθείσης * ἐν ταύτῃ τῇ νυκτὶ τῶν παθῶν τοῦ σωτῆρος, μετὰ τὴν τοῦ θείου καὶ μυστικοῦ δείπνου μετάληψιν. Sepeli, Abba Zoſima, hoc in loco humilis Mariæ cadaver, terram terræ commendans, & Dominum orans pro me, mortua * hac ipſa nocte ſalutiferæ Paſſionis, poſt divinæ ac myſticæ cœnæ communionem. *Pluribus opus non erat, ut is qui Beatæ ſancta Myſteria attulerat, & vertente anno rediturus erat, diſtincte noſſet menſem & diem menſis.*

menſe Aprilis,

C

5 *Vtrum deinde auctor Vitæ ad ſignum * hæc verba adiecerit,* μηνὶ Φαρμοῦθι κατὰ Αἰγυπτίους ὅ *vel* ὅς ἐστι καλὰ Ρωμαίοις Ἀπρίλιος, Menſe Pharmuthi ſecundum Ægyptios, quod, *vel*, qui eſt ſecundum Romanos Aprilis; *utrum, inquam, explicationis cauſa hæc adjecerit ſcriptor Vitæ, an alius poſt eum, nolim divinare: hoc ſcio, ita legi, tum in Electorali Bavarico MS. tum in ſex MSS. Vaticanis; quæ Petrus Poſſinus noſter ſtudioſe ſcrutatus, ſignificavit, abſque ulla numerali diei nota, ipſis quæ jam ſignata ſunt verbis indicari menſem in Codice* 566, *membranaceo, annorum fere ſeptingentorum; alteroque pariter membranaceo pariſque vetuſtatis, num.* 793; *& chartaceo tertio, num.* 800, *annorum quadringentorum ætatem vix attingente; quartum, qui idem ſic habeat, ſignari num* 824 *& eſſe membranaceum, atque prænominatis omnibus antiquiorem ac longe optimum: quintum & ſextum ſignari num.* 862 *&* 679, *eſſeque annorum circiter quingentorum. Hoc non contenti alii, addiderunt diem menſis, quo quia coli Sanctam videbant, eodem mortuam pro certo crediderunt: & ſic in Codice Medicæo Regis Franciæ, unoque antiquiſſimo Vaticano* 679 *legitur,* ὅ ἐστι καλὰ Ρωμαίοις Ἀπριλίου πρώτη. Id eſt ſecundum Romanos Aprilis prima: *inepto utique additamento, nec bene cum aliis coherente. Si enim ſpecificatus fuiſſet dies ſecundum Ægyptios, puta* Pharmuthi ſexta, *tunc apte ſubjungi potuiſſet* Aprilis prima: *nunc apparet interpolatori aliud non fuiſſe præ oculis, quam ut menſis nobis noti exprimeret diem illum, quo Græci colebant Mariam velut tunc mortuam.*

die ſecundum Græcos primæ,

D

ſecundum Latinos nona:

6 *Simili licentia verſionis Latinæ auctor, etiam ante Paulum Neapolitanum, ſi fuit ante ipſum aliquis, primam Græci textus interpolationem augens de ſuo, diem expreſſit* nonam Aprilis, *eam ſcilicet quo apud Latinos pleroſque tunc colebatur Maria, hoc modo:* Ora Dominum pro me, tranſeunte menſe Pharmuthi ſecundum Ægyptios, quod eſt ſecundum Romanos Aprilis die nona, id eſt v Idus Aprilis, nocte, ſalutiferæ Paſſionis, &c. *Ex his apparet aliud nobis non reſtare, quam ut diſpiciamus, Græciſne an Latinis adjudicemus prærogativam ſervati in ſua eccleſia veri Natalis. Nec difficile videtur eſſe judicium: ſicut enim ubi de Sancti alicujus Occidentalis vero Natali incidit quæſtio, eum potius cenſemus ex Latinis Faſtis accipiendum; Græcos autem credimus, vel propter tranſlationem Reliquiarum vel alia ex cauſa obſervaſſe diem à Latinorum uſu diverſum: ita è converſo prudenter ſtabitur Græcorum Faſtis, quando de Sancto aliquo Orientali agitur, & diverſitas Latini cultus in aliam quamcumque cauſam referetur. Ita fecit Hildebertus Epiſcopus Cenomanenſis in Paraphraſi metrica vitæ, de qua infra; ubi tempus mortis hoc verſu notat, velut in arena ſcripto,*

ſed ſtandum potius Græcis

Victricem mundi diſſolvit prima ſecundi.

E

Id eſt, prima dies menſis Aprilis, qui ſecundus eſt annum inchoantibus à Martio.

itaque credi poteſt obiiſſe

7 *Obierit ergo S. Maria Ægyptiaca in nocte Paraſceves, prima Aprilis, prout à Zoſima edoctos monachos credibile eſt feſtum ipſius annue agendum ſuſcepiſſe. Eo poſito non erit admodum difficile definire, per circumſtantias ſupra præſcriptas, quo anno notari mors illa debeat. Etenim intra annum* CCCXLVIII *& annum* DXI *(qui quidem ambo habuerunt Paſcha die menſis tertio, ſive* III *Nonas Aprilis; ſed tales ſunt ut de eorum neutro ſuſpicio eſſe poſſit, quod ei de qua agitur morti conveniat) intra annos, inquam, jam nominatos duo duntaxat inveniuntur anni tali Paſchate inſignes, videlicet annus* CCCCXXXII, *& ante hunc* CCCCXXI *ſaltem ex calculo Alexandrinorum, quem tota ſequebatur & obſervabat Palæſtina: nam alii* IV *Idus Paſcha agebant, uti obſervat Bucherius in Canonem Paſchalem Victorij. Ex duobus his magis placet primus: quia ad converſionem Beatæ toto decennio citius nos adducens, facit etiam propius accedere ad originem inſtitutæ feſtivitatis. Sic enim converſa fuerit Sancta anno vulgaris Æræ* CCCLXXXIII, *Gratiani ultimo, Valentiniani Iunioris nono, Theodoſii quinto, & ab elevata ſub Conſtantino Cruce quinquageſimo octavo. Deinde hoc modo mortuæ Mariæ etiam totis triginta annis potuit ſuper vixiſſe Zoſimas; cumque narratæ ab eo hiſtoriæ veritas, etiam ipſo mortuo, in ore monachorum perſeveraret, poſt alios viginti aut triginta annos, ita potuit illa mandari litteris circa annum* CCCCLXXX, *ut qui eam ſcriberet vere promitteret ſe rem narraturum ſua ætate geſtam. Hac autem ſcriptione per omnes ſtatim eccleſias diffuſa, cum novus ardor cunctis eſſet iniectus Sanctam Pœnitentem honorandi, crediderim quæſitum & repertum à monachis corpus fuiſſe, acceptaſque ex eo particulas ab Hieroſolymitano Epiſcopo Romam miſſas: unde portionem aliquam, Hormiſdæ Papæ dono, obtinuerit S. Eleutherius & Tornacum attulerit, ut infra narrabitur. Preterea annus* CCCCXX *qui fuit Honorii* XXVI, *Theodoſii Iunioris* XIII, *ultimum annum Mariæ precedens (quando Zoſimas dixiſſet Eccleſiam & Imperium in pace degere) utrique revera pacatus fuit: cum paulo poſt diſſenſionibus Ducum & quorumdam cædibus, nec non variorum barbarorum irruptionibus, haud modice convelli cœperit Imperij tranquillitas, perpetuis deinde detrimentis attrita; ut nihil de Eccleſia dicam, in qua Neſtorij pernicioſiſſima hæreſis tunc maximè pullulabat, & Cyrilli eidem ſe ſtrenue opponentis animoſitas haud leves toto Oriente motus ciebat.*

anno 421 poſt anachoreſim annorum 48,

F

8 *Quid*

A *non circa an.* 520.

8 *Quid autem iis annis, quibus ex Nicephori ſententia converſionem & obitum Mariæ plerique hactenus attribuerunt? Anno* CCCCLXXII, *quo illa veniſſet Hieroſolymam, Wandali tenebant Africam & Libyam, totumque mediterraneum habebant piraticis excurſionibus infeſtum, ab aliquibus annis ante & poſt; ut non ſit veroſimile tantam tunc fuiſſe frequentiam peregrinorum, undique & turmatim Hieroſolymas adnavigantium ratione feſti, quantam ſupponit hæc narratio. Anno autem* DXX *aliiſque vicinis, ſolus in Oriente imperabat Iuſtinus; Occidentale vero Imperium univerſum tenebant nationes Barbaræ, & quidem Ariana hæreſi infectæ pleræque. In eodem Oriente Praſinorum ac Venetorum adverſæ factiones, cunctas tunc fere turbabant civitates: & bellum Perſas inter ac Romanos circa iſtum annum exarſit: neque Eccleſia firmam tenebat pacem, quamvis Chalcedonenſi Concilio poſt obitum Anaſtaſii Imperatoris recepto. Hieroſolymis autem (de qua interrogare propius attinebat ad Mariam & reſpondere ad Zoſimam) præſidebat Ioannes, Orthodoxus ille quidem, ſed ab hæreticis in locum Eliæ intruſus, ab iiſdemque multa indigna patiens, eo quod præter ipſorum ſpem eorum machinationibus adverſaretur.*

Adeo ut, quamvis non cogeremur propter argumenta prædallegata Mariæ hiſtoriam ad quartum quintumque ſeculum retrahere; nulla tamen ratione poſſemus iis qui aſſignantur annis ipſam aptare. Annos LIII *vixerat in primo ſuo monaſterio Zoſimæ, priuſquam ad Iordanem abiit; & centenarius obiit: cum autem grandævus fuiſſe dicatur, queraturque de ſenio eo tempore quo Mariam reperit, conſequens videtur, ut annos circiter ſeptemdecim natus monaſticum ſumpſerit habitum, & Mariam invenerit ſeptuagenarius; aut etiam eo major, ſi non prima vice eremum intranti, ſed anachoreſim annuam aliquoties jam experto, eam felicitatem obtigiſſe dicamus. Maria autem, quæ duodennis Alexandriam venit, ibique in meretricio vixit annis ſeptemdecim, ac denique converſa annos quadraginta octo in eremo tranſegit, ut minimum numerabat ætatis ſuæ annum ſeptuageſimum octavum cum moreretur.*

B *quamdiu vixerit uterque?*

§ II. Quam male & qua de cauſa creditus ſit S. Sophronius Acta Mariæ ſcripſiſſe. Ejus & Zoſimæ cultus apud Latinos & Græcos.

Triodij Synaxaria componens Nicephorus,

9 *Idem qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſeculo* XIV *conſcripſit, Nicephorus Calliſtus Xanthopuli filius, compoſuit etiam Synaxaria cum Triodio recitanda, ſingulorum Officiorum rationem reddentia, quando & quomodo inſtituta ſint ſingula: quæ Synaxaria haud levi correctione egere, multisque ſententiis heterodoxis referta inveniens Leo Abbatius; merito admiratus eſt, eos qui Venetæ editioni adſum Græcorum Orthodoxorum præfuere, iiſdem expurgandis operam non dediſſe. Sed ſi ille, utpote ſchiſmaticus pertinax, in multis contra fidem impegit; haud pauciora ſunt quæ peccavit contra hiſtoriam, tum aliis locis, tum in Synaxario ad* V *feriam Hebdomadæ Quadrageſimalis* V, *ubi de magno Canone pœnitentiali, deque ſimul legenda S. Mariæ Ægyptiacæ vita ſic loquitur:* Hunc vere ex omnibus Canonibus maximum, optime & ingenioſe compoſuit & conſcripſit S.P.N. Andreas, Archiepiſcopus Cretæ, cognomento Hieroſolymitanus.... Fecit autem hunc Canonem eo tempore quo magnus Sophronius, Patriarcha Hieroſolymitanus, Vitam Mariæ Ægyptiacæ litteris mandavit: quæ & ipſa compunctionis pleniſſima eſt, lapſiſque & peccatoribus multum conſolationis affert, ſi modo à pravis operibus deſiſtere velint. .... Hunc preclariſſimum & maximum Canonem, nec non tractatum de vita S. Mariæ Ægyptiacæ primus Conſtantinopolim tulit, quando ab Hieroſolymorum Patriarcha Theodoro ad ſextam Synodum ſubſidio miſſus eſt. Tunc enim vitam monaſticam adhuc profitens, cum adverſus Monothelitas fortiter decertaſſet, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Clero adſcriptus eſt: deinceps in ea Diaconus & pupillorum Curator conſtituitur, nec longo poſt tempore Archiepiſcopus Cretæ ordinatus eſt, atque migravit ad Dominum .... cum ſatis multo tempore ſuam Sedem tenuiſſet.

C *& de S. Andrea Cretenſi auctore Magni Canonis agens.*

AUCTORE D. P.

fingit eum S. Sophronio Synbronum

10 *Quis non credat compertiſſima & undequaque firma ſcribere, qui tam confidenter totam* S. *Andreæ vitam percurrit, quaſi ab oculato teſte accepiſſet: interim errores plures hic deprehendo quam periodos, quos exponere operæ pretium fuerit. Concilium Conſtantinopolitanum* III, *idemque generale ſeu œcumenicum* VI, *ſub Agathone Papa anno* DCLXXX *menſe Novembri inchoatum, ad uſque Septembrem anni ſequentis in condemnanda Monothelitarum hæreſi laboravit. Inde uſque ad annum fere* DCCXX *in vivis fuiſſe Andream, cenſet Labbæus in Eibliotheca Chronologica ſcriptorum Eccleſiaſticorum; atque alios eſſe, qui uſque ad iſtius ſeculi annum* XXIII *vitam ei prorogent: quod poterit ad* IV *Iulii, quando colitur, examinari. Satis eſt hic obſervaſſe, quod haud multo citius mortuum eſſe oporteat, qui poſt laborioſa duo in Clero Conſtantinopolitano miniſteria cum laude expleta, ſatis longo tempore Sedem ſuam tenuerit factus Cretenſis Archiepiſcopus. Fingamus nunc centenarium fuiſſe Andream cum obiit; vix ille etiam ſic octavum decimum annum attigerat, quando obiit S. Sophronius, cujus vitæ ultimus, fuit Chriſtianæ Æræ* DCXXXVIII, *uti ad* XI Martii *oſtendimus.*

E *& ab hujus ſucceſſore Theodoro miſſum CP.*

11 *Interim veroſimilius eſt adhuc infantem aut omnino puerum fuiſſe Andream, cum defunctus eſt Sophronius; & ab hujus ſucceſſore Theodoro, cum ætatis ageret annum* XIV, *attonſum eſſe in Clericum, extremis ipſius Patriarchæ annis: ibi autem ultra annum* DCXLV *extendi vix poſſunt, cum Theodorus iſte fuerit Pater Theodori Papæ Romani, anno* DCXLI *electi, &* DCXLIX *defuncti. Non potuit ergo hic qui Theodoro moriente tam juvenis erat, ab illo ad Synodum ſextam miſſus eſſe. Elogium ejus, longe quam alibi plenius & perfectius in Claromontano Synaxario deſcriptum, poſtquam ordinationem ejus expoſuit, ita loquitur,* Τῆς δὲ οἰκουμενικῆς συνόδου συναθροισθείσης ἐν Κωνσταντινουπόλει, μέρος ἦν αὐτὸς διέπων τὸν θρόνον τῆς Πατριάρχου, ἀντ' αὐτοῦ ἀπεσάλη. Cumque œcumenica Synodus Conſtantinopoli eſſet convocata, & ipſe Patriarchæ thronum ex parte regeret, *puta ſede vacante Vicarius, aut potius vivente Patriarcha* Syncellus (*utique jam vir perfectus, neque diſciplinis ſolum profanis ac ſacris, ſed etiam exercitationibus monaſticis aliquamdiu exercitus*) ipſe pro eo, *vel Throno vel Patriarcha*, illuc miſſus eſt. *An autem anno* DCLXXX *Hieroſolymitana Sedes habuerit Patriarcham, & quo nomine appellatum, non habeo unde dijudicem. Ante decennium, teſte Zonara, Paſtore viduata lugebat: ſi poſtea inſtitutus aliquis eſt, nomen in obſcuro latet: nam ut eodem Theodori nomine rurſum aliquem creatum dicamus, non obtinet à nobis Nicephori tam dubia incertaque fides: ſaltem nullo modo impetrabit Nicephorus ab eo qui hæc legerit, ut Theodori deceſſore Sophronio Vitam Sanctæ deſcribente, credat Andream compoſuiſſe magnum Canonem.*

cum diu poſt mortem utriuſque eo venerit,

F *ferens à ſe compoſitum Canonem.*

12 *Porro magnus iſte Canon, quem ab Andrea compoſitum nemo negaverit*, ad ducenta & quinquaginta troparia progreditur, *ut notat Nicephorus*, cum alii Canones triginta dumtaxat aut paulo amplius troparia contineant: *& conſueto Græcis more ſic dividitur in odas novem, ut inter cujuſque odæ concluſiva Troparia, Triadica ſcilicet & Theotocia ipſumque Canonis magni contextum, interponantur Troparia duo de S. Maria Ægyptiaca, & tertium de ipſo S. Andrea; adeo ut univerſim, donec illi quoque per partes decurſi ſint Canones, qui de utroque canendi erant, numerentur troparia trecenta viginti. Ingens ſanè labor & longe prolixiſſimus, ut propterea merito notet Rubrica dandum eſſe* ſignum hora quarta noctis, *utique ſolito citius: tum inquit* Congregatis nobis in eccleſia dicitur Benedictus à Sacerdote juxta morem, dicimuſque Hexapſalmum; Alleluia &

AUCTORE D. P. *retitandum una cum Canone Sophronii de Maria,*

Triadica, tono conſueto ; recitamus alternis & præſcriptum Pſalterii Cathiſma (*totum namque Pſalterium Davidicum in Cathiſmata ſeu Seßiones viginti dividitur, qua de re vide Meurſium in Gloſſario*) Tum dicimus Cathiſmata Octoëchi, ac legimus vitam S. Mariæ Ægyptiacæ, duplici ſectione. Sequitur Pſalmus quinquageſimus : moxque tractim inchoamus magnum Canonem, idque contrito corde & voce, facientes ad Troparia ſingula inclinationes corporis ternas ; *millenas circiter univerſim, ut alias divini Officii partes iſto die perſolvendas omittam recenſere.*

13 *Sed unde divertit tam laborioſi prolixique Officii admiratione attonita oratio, illuc redeat ; ad eas ſcilicet aliorum Canonum partes, quibus magnus ille Canon interpolatur. Troparia inquam* de Sancta *&* de Andrea. *Poſteriora Troparia poſteritas grata uſurpare cœpit, vicem honoris reddere volens auctori, jam inter Divos relato, pro compoſitione tam utilis Canonis. Priora de Sancta, credimus à S. Sophronio fuiſſe compoſita : hic enim cum Ioanne Damaſceno ſacros divinorum Officiorum libros, à S. Sabba ordinatos, ſed per Saracenorum direptiones fere deperditos in Paleſtina, reſtauravit, ampliavit atque ordinavit. Cum igitur S. Sophronius inſtituiſſet, ut dicto dicta hebdomadæ Quadrageſimalis die, S. Mariæ Ægyptiacæ Vitam, duplici ſectione diſtinctã, monachi in eccleſia conjuncti recitarent ; eique addidiſſet novum à ſe compoſitum Canonem Vitæ illi congruũ ; Andreas, poſt annos quadraginta aut quinquaginta factus Patriarchæ Hieroſolymitani Syncellus aut Vicarius, eidem Canoni intermiſcuit magnum illum ſuum Canonẽ ſicq ; permixtos, tamquam ſuum ac Sophronii opus, tradidit Conſtantinopolitanis monaſteriis, una cum recitatione Vitæ, non ſcripta à Sophronio, ſed ut tali die integre legeretur commendatæ. Sic autem factum eſt, ut res ac tempora confuderit hominum imperitorum traditio ; quam ſuo in Synaxario amplexus Nicephorus, ſibi aliiſque præbuit errandi occaſionem.*

Canon hic Acroſtichin habet ;

14 *Magnum, quem diximus, Canonem, eique per partes interpſitum Canonem de Maria qui legere Græcum aut Latinum volet, inſpiciat S. Andreæ Cretenſis opera à Combefiſio collecta atque vulgata ; & huic ignoſcat, quod per tot paginas diſperſa unius canonis Troparia, & ſingulorum Tropariorum primas litteras neglexerit colligere, in iiſque legere verſum hunc initio præfixum.*

Σὺ ἡ ὁσία Μαρία βοήθει.
Opem beata tu fer Maria.

Hunc enim verſum conficiunt ordine continuo ſingulæ ſingulorum Tropariorum, de Beata canendorum, initiales litteræ : quod ſi obſervaſſet Combefiſius, non erraviſſet in titulo Canonis, & ubi legendum erat, ἕ ἀκροστιχὶς cujus Acroſtichis eſt *qui præmittitur verſus ; non legiſſet* ἑ ἀκροστιχὶς, *Latine reddens,* non eſt Acroſtichis : *cum reipſa Acroſtichis prænotata ſequatur. Antiquiori iſto Canone non contentus Simeon Logotheta, qui & Metaphraſtes alterum ſeculo x compoſuit ;* quando Chori Præfectus voluerit, *recitandum : qui pariter in Menæis habetur ad diem primum, & incipit hoc modo :* Τῷ μακαρίῳ καὶ προφήτῃ καὶ νεκρῷ φωνὴ πλησιάζουσα, ὡς ἡμέρας καὶ φωνὸς γεγονῶτα τέκνον, καθαρᾷ διανοίᾳ με τὰ σὰ μέλπειν ἀξίωσον. Beato ac primo & ſpirituali lumini appropinquans, tamquam diei ac lucis filia, dignare me laudare te pura mente. *Loco prolixioris vitæ, quã arbitramur ipſo die legi ſolitam olim, nunc ſicuti & ac ceteris Sanctis, epitome, legitur hoc præfixo diſtichon.*

alius à Metaphraſte compoſitus 1 Aprilis recitatur.

Ἀπῆρε πνεῦμα, σὰρξ ἀπερρύη πάλαι.
Ζωσιμᾶ, ἐν γῇ κρύπτε νεκρὸν Μαρίας
Anima receſſit : caro diffluxit pridem.
Terra cadaver, Zoſima, Mariæ occule.

Memoria S. Zoſimæ 4 Aprilis ;

15 *Hæc Græci die primo Aprilis : qui mox, die ejuſdem menſis quarta, Zoſimæ mentionẽ iterũ faciunt his paucis verbis :* Eadẽ die, *ſcilicet quarta,* memoria S. P. N. Zoſimæ, qui B. Mariam Ægyptiam ſepeliendã curavit, *& additur diſtichon.*

Ζῶσαν προπέμψας Ζωσιμᾶς τὴν Μαρίαν,
Θανοῦσαν εὗρεν, ἀλλὰ νῦν ζῶσιν ἅμα.
Vivam Mariam Zoſimas dum requirit,
Obiiſſe reperit : nunc tamen vivunt ſimul.

Petrus de Natalibus lib. 4 cap. 106, vitam Zoſimæ compendio referens, concludit dicendo quod vitam in pace finivit pridie kal. Maii : *quod unde acceperit ille ignoramus. Petrum ſecuti Maurolycus, Felicius, Witfordus ſuis eum Martyrologiis ad ultimum hujus menſis diem inſcripſere.* D *& 30 Apr.*

16 *At Romani Martyrologii recognitor Baronius, inter plures Sanctos quos ex Sirleti Menologio noviter aſſumpſit, hunc quoque ſanctum monachum adoptans, ſed* Zoſimum *ſcribens, ipſo quo invenit die* IV *retulit : Mariæ vero reliquit locum, quem primus ei dedit Vſuardus, ſecundum videlicet dicti menſis, quod ſecutæ etiam ſunt Eccleſiæ variæ, celebriori Officio ipſam colentes. Hoc autem ne ex aliquo vel Vſuardi vel Græci Kalendarii perperam tranſcripti errore factum ſit, potius quam ex alia juſta & rationabili cauſa, vehementer metuimus. Antiquior Romanæ Eccleſiæ uſus (quem una cum Reliquiis Tornacum tranſtulerit S. Eleutherius) fundatus videtur in ipſo probabiliter die, quo Romam primum Reliquiæ apportatæ ex Paleſtina ſunt, aut in aliqua eccleſiarum urbanarum ſolennius collocatæ ; nonum enim menſis diem vix alia occaſio potuit Beatæ Pœnitenti ſacrum feciſſe. Hinc die nono in pluribus & antiquioribus variarum eccleſiarum Breviariis notatum Officium invenitur : quibus recenſendis diſcutiendiſque non immorabimur, cum ſatis notus ac teſtatus ſit Divæ hujus cultus per univerſum orbem Chriſtianum, propter exempli utilitatem.*

Maria nunc apud Latinos 2, olim 9 die.

E

§ III. Tranſlatio reliquiarum S. Mariæ ad varias Europæ civitates.

17 Ioannes Phocæ, Sacerdos Cretenſis, *in ſua compendiaria deſcriptione locorum ſacrorum, primas inter* Συμμικτὰ Allatiana *tenente, cap. 25, cum deſcripſiſſet trans Iordanem poſitas ſpeluncas duas, alteram Baptiſtæ receſſu, alteram Eliæ raptu conſecratam :* ultra dictas, *inquit,* ſpeluncas, ad ipſos Jordanis curſus, fama eſt eremum extendi, in qua venerandus Zoſimas Angelis parem Ægyptiam intueri dignus effectus eſt. *Ita ille quidem, poſt annum* MCLXXXV, *quo loca ſancta viſitavit, ſcribens, nulla facta mentione ſepulcri, ſive quia ipſum non adierat, ſive quia de eo tunc temporis vacuo atque etiam diſſipato nulla amplius fiebat mentio. Aſt ſeculis aliquot antiquior Anonymus de locis Hieroſolymitanis, pariter editus à Nihuſio,* Trans Iordanem, *inquit cap.* 13 in interiori ſolitudine B. Mariæ Ægyptiæ ſepulcrum cernitur, quam inviſit Abbas Zoſimas & tumulavit : diſtat ab urbe Hieruſalem itinere dierum octo. *Cum igitur viginti dies impendiſſe Zoſimas dicitur in actis, antequam ad Mariam veniret ; non ita id accipi debet, quaſi inter ipſius monaſterium ad Iordanem, & inventa primum Mariæ ac deinde ſepultæ locum, fuerit diſtantia tanta : ſed quod ipſe ſenex, & in ſolitudine illa ſolitis orationum exercitiis vacans, ſeque diebus ſingulis ad pauca promovens milliaria, ac forte etiam multum oberrans, tandem eo pervenerit, quo expeditus viator commode intra octiduum attingat, ſi recto utatur itinere.*

Sepulcrum Sanctæ diætis octo Hieroſolymis diſtans,

F

18 *Eſt autem veroſimile primo Zoſimam, dum per vires licuit annua utentem annachoreſi, identidem locum adiviſſe & qua iverat ipſe, certa ſigna conſtituiſſe aliis, eodem adire volentibus, quos narratio ſua ad hujuſmodi laborem excitabat ; fortaſis etiam ex ſui Hegumeni ſpeciali indulto permiſſi ſunt aliqui, vel extra Quadrageſimam illuc abire pietatis cauſa, vel intra Quadrageſimam comitari Zoſimam. Locus certe notus fuit cum Vita ſcriberetur : ipſeque auctor eum à ſe viſum ſatis indicat num.* 11, *ſic loquens de eo :* locus autem erat in modum alvei torrentis excavatus : ſed, ut mihi videtur, torrens ibi numquam ullus fluxit ; eumque ſitum locus potius, habuit à natura. *Veroſimile quoque eſt, pluribus ultro citroque meantibus, paulatim rectum iter, ſi illud Zoſimas non tenuerat, obſervatum notatumque fuiſſe : maxime poſtquam, viſum fuit reſidere corpus ſanctum ; & tumulum eidem conſpicuum excitare, in quo tantum theſaurum venerarentur peregrini. Horum nihil quia Vita attingit, & tamen inventio corporis facta eſt circa vel intra Pontificatum Hormiſdæ*

ſtatim antequam Vita ſcriberetur notum.

ac poſtea magis celebre.

Hormisdæ (qui novennalis fuit & in anno DXIV *inchoatus) consequens est, quod haud diu post Vitam scriptam celebrata sit elevatio. Quin imo hæc scriptio, per omnia Palæstinæ monasteria cito vulgata, ipsam illam accedentium frequentiam auxisse debuit, & potuit occasionem dedisse miraculis, quæ licet nulla scripta habeantur, credibile est tamen fuisse magna, & cogitationem ingessisse de requirendo corpore.*

Reliquiæ aliquæ Romam missæ.

19 *Unde igitur aut quomodo Romam translatæ Reliquiæ? Si dici aliquid per conjecturam possit, libenter opinarer, sicut de inventione Proto-Martyris Stephani factum legimus, ita quoque inventioni hujus Sanctæ Pœnitentis implicitum fuisse Hierosolymitanum Episcopum, qui curaverit partem aliquam adferri in urbem sanctam; cujus deinde non minima portio missa sit Romam. Libenter etiam suspicarer, Ioannem, ab hæreticis constitutum Hierosolymis Episcopum circa annum* DXIII, *ipsum fuisse sub quo facta inventio sit, quique orthodoxam suam fidem, quam contra electorum suorum spem opinionemque constantissime tenuit, volens Romanæ Sedi probare, legationem ad ipsam direxerit, eique addere conatus sit gratiam, munere ex Reliquiis Sanctæ misso, una cum illius Vita Græce scripta, quibus tum novitas inventionis tum historiæ singularitas atque utilitas æstimationem dare poterat. Sed hæ conjecturæ sunt: hoc certum, & Vitam toti Occidenti fuisse notissimam seculo* VI, *& Reliquias à jam dicto Hormisda Papa communicatas cum S. Eleutherio Tornacensi Episcopo, in cujus Vita, ex antiquo Tornacensi MS. edita, num.* 18 *hæc leguntur.*

Ex his particula data S. Eleutherio Ep. Tornac. cum particula S. Stephani,

B 20 Dum B. Eleutherius *à Romano Papa Hormisda* petisset aliquid, reliquias B. Mariæ Ægyptiacæ obtinuit, & humerum B. Stephani Proto martyris, & secum Tornacum deportavit. Igitur vir Dei à Roma regressus cum magna exultatione universi populi suscipitur. Exultant Clerici, & Dalmaticis induti beato Pastori suo obviam procedunt. Sed ex improviso gaudium omnium geminatur. Ipse enim Pontifex Reliquias B. Mariæ, quæ tot & tanta pro Domino sustinuit, afferebat: cum autem Nerviam portam intraret, in eodem loco miraculum magnum à Deo manifestatum est. Occurrentibus enim populis gaudentibus, similiter Clericorum agminibus palliatis, beatus Antistes conscendens montem, qui dicebatur mons Thesauri-absconditi, nunc autem dicitur mons S. Andreæ, Reliquias B. Mariæ Ægyptiacæ & humerum S. Stephani Proto-martyris omni populo ostendit. Subito autem circa Reliquias capitis S. Mariæ, quædam claritas de cælo adveniens apparuit, quæ etiam ab omnibus, visa est, donec intraret ecclesiam Christi genitricis: supra humerum vero B. Stephani lucidior claritas, in modum circuli quasi argentei, visa est.

Tornacum defertur & cæleſti luce,

ac ſanatione ignis Sacri honeſtatur:

C 21 Cum vero ecclesiam totius populi vallatus caterva intraret, quatuor viri, duæ mulieres magna infirmitate periclitabantur, quæ vocatur ignis gehennæ. Tunc vir Dei pietate motus, caput ante mulieres, humerum autem ante, viros posuit, dicens, Oremus omnes. Procumbentibus autem & orantibus illis, ait: S. Stephane Proto-martyr, succurre his hominibus: S. Maria, succurre & miserere hujus feminei sexus: non enim profecto surgemus ab oratione, donec sani efficiantur. Ad hanc vocem omnes liberati sunt: caro autem, quam in ipsa infirmitate perdiderant, restituta est in ipsa hora. Mutus quoque assistens, locutus est dicens: Ecce Reliquiæ B. Stephani & S. Mariæ. Tunc omnes obstupefacti admirabantur.... Hæc facta sunt Nonis Octobris. *Notandum porro, quod quæ hic dicuntur caput & humerus, tam exiguæ fuerint eorumdem particulæ, ut Hierogazophylacii Belgici auctor Raissius, agens de Cathedrali Tornacensi & sigillatim designans spectabilium ossium qualitatem ac nomina, de istis solum dicat, ibi cum aliis aduersari* Reliquias de S. Stephano Proto-martyre & Maria Ægyptiaca, quas S. Eleutherius Tornacensis Antistes, vigesimo Pontificatus sui anno, Roma secum detulit. *Has autem arbitramur fuisse desumptas ex scapula S. Stephani, & quadam parte S. Mariæ, quas modo servari in Vaticana S. Petri ecclesia testatur M. Attilius Serranus in libello de septem urbis ecclesiis. Addit Octavius Pancirolius in Thesauris absconditis urbis Romæ, alias ejusdem Sanctæ particulas haberi in sacris ædibus Virginis Lauretanæ ad columnam Trajani, S. Pauli ad columnam Antonini, S. Petri ad Vincula, S. Gregorii in Cælio monte, S. Ceciliæ trans Tiberim, & S. Sabinæ.*

AUCTORE D. P. D

varia particula in templis Romanis.

22 *Post hæc aliis occasionibus & temporibus alia quoque ejusdem beatæ Pœnitentis lipsana delata ad varios sunt, de quibus infra. Mansit tamen in Palæstina, in ipsaque (ut credimus) sepulcrali eremo pars corporis præcipua, per quinque & amplius secula: usque dum invalescente Saracenorum per loca sancta dominatu, alicui monachorum visum fuerit, è deserto ad monasterium, ac forte ad sanctam civitatem ipsam transferre sacrorum ossium thesaurum, melius asservandum.* Cum *autem anno* MLIX *Lucas, Carbonensis monasterii in Calabria Abbas, Hierosolymam abiisset,* & barbarorum terras cum comitibus peragrasset, adoratis Christi Salvatoris cunabulis & Calvario, avexit secum in Italiam rediens sacra pignora, corpus nimirum S. Mariæ Ægyptiacæ, & caput magni Joannis Eleemosynarii: templumque beatissimo Patri Lucæ (*fuit hic nobilis illius cœnobii fundator, & mortuus anno* DCCCCXCIII *colitur* XIII *Octobris*) *templum inquam B. Lucæ* erexit, manibus operatus atque consilio; ibidemque S. Mariæ reliquias collocavit. Sed caput Sanctæ quidam Presbyter furatus Neapolim detulit, acceptoque pretio sacratis cœnobii S. Mariæ Ægyptiacæ mulieribus donavit. Nos S. Mariæ reliquias, indecore jacentes, honorificentius decoravimus, addita celebritate & pompa: caput vero magni Eleemosynarii Julius Antonius Sanctorius, S. R. E. Cardinalis Episcopus Prænestinus, patruus meus, magnifice auro argentoque exornavit, lanci vitreæ antea super impositum abjecte atque inhonorate. *Ita Paulus Æmilius Sanctorius Casertanus, Venerabilis monasterii Sanctissimæ Dei Genitricis, S. Anastasii & S. Eliæ Prophetæ de Carbono, Ordinis S. Basilii Magni, Abbas Commendatarius, in historia ejusdem monasterii, anno hujus seculi primo edita, ac postea sub annum seculo decimum septimum ad Archiepiscopatum Cusentinum evectus, indeque in Cathedram Vrbinatem translatus, & in ea defunctus anno* MDCXXXV; *vir, ut eum Ferdmandus Vghellus deprædicat, omnium scientiarum eruditione & linguarum peritia longe clarissimus.*

Major pars corporis an. 1059 transfertur in Calabriam,

23 *Quod de translato Neapolim Capite hic indicavit, ante eum expressius descripsit Franciscus Gonzaga, in opere de Origine Seraphicæ religionis Franciscanæ, sub annum* MDLXXX VII *Romæ edito, pag.* 148 *enumerans Reliquias in prædicto monasterio asservatas: illud, inquit* ante septuaginta annos Sororibus ab incognito quodam Sacerdote seculari dono datum fuit: quod tamen, licet nullæ extent testimoniales literæ, crebra miracula, quæ per ipsum Deus optimus maximus operari dignatur, commendatissimum reddunt; insinuantque, non commentitium, sed verum gloriosæ Peccatricis præfatæ caput esse: ex quibus unum tantum in hujus testimonium veritatis adducam. Antiquissimi moris est ut venerabile hoc caput singulis annis, à primis Vesperis diei festi S. Mariæ Ægyptiacæ usque ad diei octavæ solis occasum, argentea theca contectum, summo altari à fidelibus prospiciendum venerandumque committatur; utque præfatis diebus elapsis, à loci Guardiano monialibus, sacrario reddendum, restituatur. Cumque anno a Virgineo partu MDXLII Pater Fr. Jacobus Matalonicus, Franciscanus Conventualis, hujus tunc loci Guardianus, sacris

E *caput Neapolim,*

F

De cujus veritate dubius

AUCTORE D. P. A

cris veſtimentis indutus, incenſa huic ſacro capiti, de religioſiſſimo more, ipſo die Octavæ propinaret, intra ſe hæſitare atque dicere cœpit: Quis novit ſitne hoc caput alicujus ſanctæ vel alterius potius, cui tantus honor minime debeatur? & ecce ex tempore amiſſa loquela, adeo graviter atque miſere agitari conflictarique cœpit, ut ipſum quam breviſſime moriturum exiſtimaſſes. Commoto itaque populo qui ad ſolennitatem convenerat, atque de tantæ rei novitate ſtupefacto, occurrit Fr. Cæſar à Gajazo monialium Confeſſarius, præſagoque animo clamitare cœpit: Firmiſſime credo hoc verum eſſe caput S. Mariæ Ægyptiacæ: ſumptamque ex ipſo aquam, quam de induſtria effuderat patienti obtulit, qua hauſta illico convaluit, ſuamque incredulitatem publice faſſus eſt: à quo etiam tempore tantum hoc pignus majori in veneratione à fidelibus haberi cœpit.

ſubito caſtigatur & pœnitens ſanatur.

24 *Cetera, quæ ibidem patrata fuere miracula, utinam vel ſcripta extarent, vel ſi extent ad noſtras perveniſſent manus; nunc ſolum id addendum occurrit; monaſterium, quod nunc honeſtas ſolum virgines recipit, meretricibus ad pœnitentiam pudicitiamque reductis extructum dotatumque fuiſſe à devotiſſima Regina ſanchia Arragonia, Roberti Regis uxore, anno* MCCCXXXV; *cum ante decennium aliud ſimile, ſub invocatione S. Mariæ Magdalenæ ab eadem & in eadem regia urbe extructum, non ſufficeret omnibus ejuſmodi aſylum cupientibus recipiendis. Huic ego ab ipſa fundatrice collatum oredo B. Mariæ Ægyptiacæ digitum, neſcio unde acceptum: & ſacerdotum illum qui poſtea caput è Carbonenſi monaſterio attulit, non id feciſſe turpis lucri cauſa, ut criminatur ſanctorius; ſed pio omnino ac religioſo animo; dum conſideraret, quam indigne iſtic tantus haberetur theſaurus, quantaque ei eſſet Neapoli habenda reverentia, ſi illud ad ſui nominis monaſterium transferretur. Cæſar Engenii Caraccioli in ſua Neapoli ſacra anni* MDCXXIII *pag.* 426 *non tantum caput, ſed etiam duo grandia coxarum oſſa ipſumque jam memoratum digitum attuliſſe aſſerit ſacerdotem prædictum: ſed cum Gonzaga ſingulas Reliquiarum ſuo tempore ibidem aſſervatarum particulas diſtincte nominet videlicet* Alterum ex digitis S. Mariæ Ægyptiacæ partem cranii S. Margaretæ Virg. & Mart. alteram S. Aldegundis, aliam quoque S. Julianæ atque iſiderio aliam S. Balbinæ Virginum & Martyrum nec non venerandum caput ejuſdem S. Mariæ Ægyptiacæ; *non eſt credibile præteriturum fuiſſe coxas, ſi eas tunc ibi habuiſſent: ut autem has allatas ſerius ignoravit Cæſar, ita & in digito erraviſſe potuit.*

ibidem digitus Sanctæ

& duo oſſa grandia:

B

C

25 *Porro de poſſeſſione corporis ſeu partis majoris cum Carbonenſibus Cremonenſes certant; & licet ignorent unde vel quomodo allatum ſit, pridem tamen illud habuiſſe ſe dicunt, in vetuſta S. Agathæ eccleſia, anno* MCCCCXL *conceſſa Canonicis regularibus Lateranenſibus: quibus poſt annos* XXVIII *ad ampliorem in vicinia S. Petri ædem migrantibus, illud tamen ad S. Agathæ manſerit, uſque ad annum* MDLXXXI; *quando, primum teſte Peregrino Merula in Sanctuario Cremonenſi, tranſlatum eſt ad prænominatam S. Petri ædem, & ſub altari pro defunctis privilegiato collocatum. Ideo non aſſentior eidem Merulæ, ſuſpicanti ipſum corpus Cremonam à jam dictis Regularibus eſſe allatum: non enim exiſtimo, in S. Agathæ ædicula relicturos fuiſſe quod ipſi intuliſſent. Quid? quod Antonius Campi lib.* I. *rerum Cremonenſium, apud Theophilum Raynaudum dicat, Sanctæ hujus ædem ſacram Cremonæ fuiſſe ſeculis aliquot prius quam illic domicilium figerent Regulares; ipſaque anno* MCXIII *deflagrante avectas eſſe Reliquias ad veterem* S. Petri *eccleſiam (eo forſitan loco qui nunc S. Agathæ nominatur) & hac quoque collapſa, invectas eſſe in novam baſilicam. Igitur veroſimilius dicetur, Cremonenſem aliquem, poſt Terræ-ſanctæ recuperationem ex Oriente reverſum, quod ibi de corpore ſanctæ Pœnitentis reliquum erat (nec enim credibile eſt Lucæ Carbonenſi plus quam calvariam & quædam oſſa obtigiſſe) attuliſſe in patriam, videlicet maxillam & oſſa quædam alia. Et hæc quidem fuiſſe ſuo tempore in D. Petri eccleſia,* ſummoque cum honore in tabernaculis idoneis aſſervari, *tamquam* corpus *integrum, ſcribit antiquior auctor Ludovicus Cavitelli in Annalibus Cremonenſibus ad annum uſque* MDLXXXV *perductis: maxillam vero eſſe in eccleſia* S. Eraſmi, *particulam vero quamdam innominatam in æde Parochiali S. Matthiæ idem docet.*

alia partes Cremonæ

D

cum maxilla Sanctæ

26 *Quia vero Lateranenſis Congregationis domus primaria & ceterarum caput eſt Romæ, ad ædem S. Mariæ à pace cognominatæ; facile crediderim, Cremonenſes Romanis feciſſe gratiam brachii quod jidem nunc venerandum exponunt, cum occipite S. Zoſimæ: nam hujus quoque caput Cremonæ in eccleſia S. Petri haberi, ſcribit prælaudatus Cavitellinus, pariter ut credimus ex Oriente allatum. Etenim ſepulcrum in honore fuiſſe ſuadet Epiphanius Hagiopolita, his verbis utens,* Duobus millibus à Iericho eſt monaſterium magni ac venerabilis Zoſimæ, ubi ipſe ſepultus eſt, & juxta ipſum S. Anthimus, *idem forte, qui cum titulo* Presbyteri *Græcorum faſtis inſcriptus invenitur* VII Iunij, *& dicitur* in pace *quieviſſe. Quod ſi exploratis accuratius Cremonenſibus Carbonenſibusque reliquiis, inveniantur oſſa, aut plura aut alia quam ut unum S. Mariæ corpus potuerint conſtituere; tum vero non abſurde ſuſpicaretur aliquis, ipſa S. Zoſimæ, vulgo minus apud Occidentales noti, lipſana quædam habita fuiſſe pro lipſanis Mariæ.*

& capite S. Zoſimæ.

E

§ IV. Reliquiæ S. Mariæ apud Antverpienſes.

Antverpiæ pars palmæ in templo S. I.

27 NOs quoq; *in hac Societatis Antverpienſis Profeſſa domo, in Hierotheca rubra, inſigni opere elaborata, continente Reliquias Sanctarum nec Virginum nec Martyrum, palmarem partem poſſidere credimus ſub hoc teſtimonio.* Ego monaſterii B. Mariæ Virginis Munſterienſis Luxemburgi, Ordinis S. Benedicti, Abbas ſubſcriptus, omnibus hanc ſyngraphan inſpecturis teſtificor, me ex ſacrario noſtro dediſſe partes reliquiarum P. Heriberto Roſweido ſocietatis Ieſu Sacerdoti: quarum ſacrarum Reliquiarum iſta ſunt nomina: de S. Lucia V. & M. de S. Priſca V. & M. de S. Balbina V. & M. de S. Maria Ægyptiaca, de S. Amaleda Regina & Martyre, & de capitibus ſanctorum Innocentum pro Chriſto Domino occiſorum: in quorum fidem me hic ſubſcripſi. Datum in prælibato noſtro monaſterio, XIII Octobris MDCXIV. Petrus Roberti, Abbas Munſterienſis. *Celeberrimæ famæ Martyres ſunt quarum hic exprimuntur nomina, ut de iis addere nihil opus ſit: ſola* Regina Amaleda *eſt de qua certius aliquid ſcire cupiamus: nam nec Crombachio quidem tale ullum nomen notum, inter ea quæ Vrſulanis adſcribuntur.*

F

alia allata ex Luſitania

28 *Alia quoque ex corpore S. Mariæ particula, cum illuſtrium aliorum* XXXIV *Sanctorum pignoribus, anno* MDCXXXIII *noſtræ Antverpienſi civitati obtigit, hac quam exponam occaſione. Sebaſtiano Luſitaniæ Rege apud Afros cæſo, & propatruo, qui ſenex iuveni in regnum ſucceſſerat, Henrico Cardinale vita functo; pluribus ejuſdem ſucceſſionis competitoribus & jure & armis potior, Philippus* III *Hiſpaniarum Rex, Antonium Ludovici Principis Luſitani nothum, populari favore Regem proclamatum, prælio vicit, pacataque provincia obtinuit coronam: victo nudus titulus manſit, quem exul in Gallia gerere perrexit. Hic inter alias ſui (ut ſic loquar) naufragii tabulas, Pariſios detulit, non auro vel gemmis, ſed ſacris Reliquis divitem capſam, quam anno* MDXCIV *die tertia Aprilis tradens filio ſuo Emanueli, hujuſmodi expedivit litteras, ſuæ donationis teſtes:* Antonius primus, Dei gratia Portugalliæ, Algarbiæ, Indiæ, Braſiliæ Rex &c. Cum ad ſupremi Numinis gloriam apprime conducat, ut Deus ter optimus maximus (utpote mirabilis in ſanctis ſuis) in iiſdem eorumque relictis Eccleſiæ ſuæ membris amplius honoretur,

quo anno 1594 ab Antonio exrege.

A noretur, laudetur ac glorificetur. Eapropter cum ex ſacello noſtro Regio Olyſiponæ quorumdam Sanctorum ac Sanctarum habuerimus reſervatas veras ac genuinas Reliquias, quas cognatus noſter Illuſtriſſimus D. Eduardus S. R. E. Cardinalis, ex Alexandro Farneſio & Maria Principiſſa Portugalliæ filius, de conſenſu & cum ratihabitione ſupremi Pontificis teſtimonialibus munitas, è Romana arce ac aliunde congregavit & aſportavit: inter quas fuere Reliquiæ ſubſequentes. Num. I Os unicum S. Gertrudis ex Auſtria, quæ colitur VI Ianuarij. Num. II Os unum ex ſpina dorſi cum aliis oſſibus S. Mauri Abbatis, colitur XV Ianuarij. Num. III Os ex ſpina dorſi cum parte coſtæ S. Agnetis Virginis & Martyris, colitur XXI Ianuarij. Num. IV Binæ partes ex coſtis cum particula S. Ignatii Epiſcopi Martyris, colitur I Februarij. Num. V Bina oſſa S. Blaſij Epiſcopi & Martyris, colitur III. Februarij. Num. VI Pars ſpinæ dorſi & cranii S. Agathæ Virginis & Martyris, colitur V Februarij. Num. VII Os & pars coſtæ S. Dorotheæ Virginis & Martyris, colitur VI Februarij. Num. VIII Pars ſpinæ dorſi cum binis oſſibus S. Scholaſticæ Virginis, colitur X

B Februarii. Num. IX Pars ex ſpina dorſi & coſtæ S. Margaretæ de Cortona, colitur XXV Februarii. Num. X Os & pars coſtæ S. Adriani Martyris, colitur IV Martii. Num. XI Binæ partes ex oſſibus S. Benedicti Abbatis, colitur XXI Martii. Num. XII Os S. Mariæ Ægyptiacæ, colitur I Aprilis. Num. XIII Tres partes ex ſpina dorſi S. Julianæ Virginis, colitur V Aprilis. Num. XIV Pars ex ſpina dorſi & pars coſtæ S. Anſelmi Epiſcopi & Confeſſoris, colitur XXI Aprilis. Num. XV Tres partes oſſium S. Yvonis Presbyteri, XIX Maii. Num. XVI Binæ partes oſſium S. Cuneræ Virginis & Martyris, XXI Iunii. Num. XVII Pars ex ſpina dorſi & cranii S. Lutgardis Virginis Brabanticæ, XVI Iunii. Num. XVIII Duæ partes oſſium S. Paulini Epiſcopi Nolani, XXII Iunii. Num. XIX Pars ex cranio & altera pars oſſis S. Eliſabethæ Reginæ, colitur I Iulii. Num. XX Trinæ partes oſſium S. Felicitatis, matris ſeptem filiorum Martyrum, X Iulii cum filiis. Num. XXI Pars ſpinæ dorſi & minor pars coſtæ S. Alexii Confeſſoris, XVII Iulii. Num. XXII Pars ſpinæ dorſi S. Chriſtinæ mirabilis, XXIV Iulii. Num. XXIII. Pars cranii & oſſis S. Hyacinthi Confeſſoris, XVI Auguſti. Num. XXIV

C Pars ſpinæ dorſi & mentum S. Rochi Confeſſoris, XVI Auguſti. Num. XXV Bina oſſa S. Bartholomæi Apoſtoli, XXIV Auguſti. Num. XXVI Pars oſſis & una coſtarum Moyſis Eremitæ & Martyris, XXVIII Auguſti. Num. XXVII Trinæ partes cranii S. Ægidii Abbatis, I Septembris. Num. XXVIII Pars cranii S. Theclæ Virginis & Martyris, XXIII Septembris. Num. XXIX Pars oſſis & binæ coſtarum S. Placidi Martyris, V Octobris. Num. XXX Trinæ partes oſſium S. Pelagiæ peccatricis, VIII Octobris. Num. XXXI Pars oſſium & binæ partes menti S. Ceciliæ Virginis & Martyris, XXV Novembris. Num. XXXII Pars oſſis & coſtæ S. Barbaræ Virginis & Martyris IV Decembris. Num. XXXIII Os & pars ſpinæ dorſi S. Ioſaphat Principis & Confeſſoris, XXVII Novembris. Num. XXXIV. Pars oſſis & binæ coſtæ S. Catharinæ Virginis & Martyris, XXV Novembris. Num. XXXV Totum mentum cum tribus dentibus & oſſe S. Auguſtini Epiſcopi & Apoſtoli Angliæ. Et quandoquidem enumeratæ jam Reliquiæ, ex præviis authenticis omnique fide dignis teſtimoniis a binis ſuccedentibus Braccarenſibus & Olyſipponenſibus Archiepiſcopis, nec non a moderno Conimbricenſi Epiſcopo fuerunt viſitatæ, approbatæ, pro veris & genuinis habitæ, nec non auctoritate Apoſto-

cum Reliquiis aliorum; 4 Sanctorum.

data filio Emanueli.

lica ſive vicaria Chriſti fidelium veneration fuerint expoſitæ, uti & huc uſque conſtat approbatas & expoſitas fuiſſe: præſcriptas nominatorum Sanctorum ac Sanctarum Reliquias, caritatis ordine nulli potiori jure inter vivos relinquendas cenſuimus, quam dilectiſſimo nobis filio Principi Don Emanoel de Portugal; cui eaſdem gratioſe conferimus. Et in robur donationis hujus ac firmitatem perpetuam, eas omnes & ſingulas minori noſtro ſigillo in pergameno (cui & nomina inſcripta ſunt) muniri, ac filo albo nigroque intorquato prædicto pergameno inviolabiliter applicari, & in cera ſigilli imprimi & implicari voluimus, ut omnibus haſce viſuris conſtet eas genuinas ac veras eſſe, nullique fraudi ac ſuſpicioni obnoxias, quin imo Chriſti fidelium veneratione digniſſimas.

AUCTORE D. P.

29 *Mortuo infelici patre, filios clementior in Belgio fortuna excepit, ſub naturalis ſui Regis dominatu; quorum major natu & jam dictarum Reliquiarum poſſeſſor, eaſdem Antverpiæ collocavit, ſub hac atteſtatione*: Don Emanuel Princeps de Portugal &c. præſentium tenore notum facimus & certificamus, quod ſingularem benevolentiam experti fuerimus D. Chriſtophori Butkens, Prælati S. Salvatoris Antverpiæ; maxime ex eo quod ex commendatione ſereniſſimæ ſuæ Celſitudinis Iſabellæ Duciſſæ Brabantiæ &c. in ſuo monaſterio ſuſceperit, dilectum nobis fratrem Dionyſium de Portugal, Vallis-bonæ Ciſtercienſis Ordinis Religioſum Presbyterum, etiamnum in S. Salvatoris habitantem ac religioſe converſantem. Quo actu ſuſceptionis dictæ ſuæ ſereniſſimæ Celſitudini, nobis, noſtræque familiæ beneficium præſtitit numquam oblivioni tradendum. Nos ne ingrati reputemur, ſed præfatæ benevolentiæ correſpondere volentes, gratioſe conferimus & in perpetuum donamus præfato R. D. Prælato ejuſque S. Salvatoris Eccleſiæ, ciſtulam continentem Reliquias omnes & ſingulas, à piiſſimo patre noſto glorioſæ memoriæ Antonio nobis relictas ..... quas jurata fide atteſtamur eſſe genuinas ac veras ..... die XVIII Maii MDCXXXIII, die poſtero poſtquam Magiſtratum Antverpienſem, ex commiſſione ſuæ Celſitudinis, renovavimus. Sic actum in dicto S. Salvatoris monaſterio, in aula ad hortum; in præſentia D. Ferdinandi de Boiſchot Cancellarii Brabantiæ, Comitis d'Erps, Baronis de Saventhem, Toparchæ de Quarebbe & Roſſeghem, & Habitus Ordinis S. Iacobi. Item in præſentia D. Mag. Joannis de Witte, in Curia Brabantiæ ſecretarii; & novorum Conſulum Joannis de Bejar & Caroli de Sancta-Crux Equitum; quatuor teſtium omni fide digniſſimorum.

E

ab hoc an. 1633. datus Prælato S. Salvatoris.

F

30 *Tradita cum iis etiam Bulla fuit Ioannis Mirei Epiſcopi Antverpienſis eaſdem Reliquias approbantis, exponi in ſua diœceſi permittentis, & XL dierum Indulgentias largientis cuicumque in aliqua annuarum feſtivitatum ipſas viſitaturo; poſtquam vidiſſet deſuper* tres tum Archiepiſcoporum tum Epiſcoporum Portugalenſium approbationes: *qua Bulla ſignata erat Antverpiæ anno* MDCX, V *die Maii. Tradita eſt etiam atteſtatio alia, qua* Ioannis Alvarez de Luzana, Portugalenſis ſeu civitatis Portus Epiſcopus, & quondam in ſacello regio regni Portugalliæ inque ipſa civitate Ulyſipponenſi Præpoſitus Generalis, *anno* MDCXXVIII, *die* XVII *Ianuarii, Bruxellis in aula dicti Principis Emanuelis, quiddam circa Reliquias Beatæ Eliſabethæ declarat, eas ſcilicet eſſe non Luſitanicæ Reginæ, ſed Hungaricæ Principiſſæ: idque ex ſæpe viſis & lectis inſtrumentis Eduardi Cardinalis eas donantis, & Henrici ibidem Cardinalis eas approbantis. Quo declarato*, ſuperaddimus, *inquit idem*

cum approbatione Epiſcopi Antverpienſ.

& Epiſcopi Portugalenſ. declaratione.

AUCTORE D. P.

de ſingulorum cultu,

& ejuſdem cultus conſtitutio ritu.

idem Ioannes Alvarez de Luzana, quod nos, dum in Præpoſitura ſacelli regii degebamus, dictas veras Reliquias ſæpe Regi, Reginæ, eorumque filiis, aliiſque proceribus aulæ, nec non millenis Chriſti fidelibus pro veneratione exoſculandas præbuerimus. Inſuper affirmamus, nos cum Sacellanis regni eorumque Vicariis, ex ſpecialibus indultis Pontificiis, etiam poſt Tridentinum à Congregatione ſacrorum Rituum obtentis & à Sede Apoſtolica approbatis, annuum ſingulorum Sanctorum ac Sanctarum feſtum ſemper coluiſſe, ac ſolenni divino officio choraliter celebraſſe, ſummumque ſacrum decantaſſe de dictis XXXV Sanctis in proprio ſeu in communi, quouſque dictus ſacrarum Reliquiarum theſaurus in ſacello regio extitit.

31 *Pergit deinde declarare quæ feſta Officium ritu Duplicis, quæ ſemiduplicis aut etiam ſimplicis cum tribus ſolum Lectionibus peragendum habuerint. Et primi quidem ordinis feſta ſex deſignat; ſecundi novem, inquibus feſta* S. Ludgardis Virginis ac Margaritæ de Cortona, *cujus corpus in Etruria colitur & Vita a nobis edita eſt ad* XXII *Februarii cum titulo* Beatæ: *tertii denique ordinis reliqua, tum aliorum* XIV *Sanctorum ac Sanctarum, tum* S. Cuneræ Virginis & Martyris, S. Gertrudis ab Ooſten (*ipſa enim eſt cujus vitam dedimus, quæque ſuperius perperam cognominabatur* ab Auſtria) S. Iulianæ, S. Chriſtinæ dictæ Mirabilis, Virginum; S. Maria Ægyptiacæ ac S. Pelagiæ, quæ peccatrices appellantur. *Circa quæ notandum occurrit, Reliquias Sanctarum, præcipue Belgicarum, quas nominavimus, videri ex Belgio in Italiam traductas, à Margareta Auſtriaca, Caroli* V *filia, & matre Alexandri Farneſii, poſtea Parmenſis Principis atque apud Belgas famoſiſſimi Ducis, Octavio Farneſio nupta anno* MDLIV. *Alexandrum deinde eaſdem cum filio Eduardo, qui Romam ſub inſtitutione Alexandri Cardinalis Farneſii educandus dirigebatur, eodem tranſmiſiſſe circa annum* MDLXX. *Vnde cum auctario aliarum Romæ conquiſitarum Reliquiarum, porro in Luſitaniam ſint tranſportatæ, reſpectu Ioannæ Reginæ, filiæ Caroli* V *& Ioanni* IV *nuptæ; occaſione nepotis, Romæ apud Henricum Cardinalem prædictum commorantis uſæ; ad domeſticum ſuum oratorium notabili acceßione locupletandum. Notandum quoque ipſum Eduardum (qui cum Antonius male uſurpato regno cedere debuit, annum fortaßis agebat ætatis* XI, *nec niſi poſt annos undecim factus eſt Cardinalis) eo titulo appellari, quo tunc inſigniebatur cum data ſunt diplomata, non quo Reliquiæ Romam ſunt miſſæ. Imo vehementer metuimus, conſiderata Eduardi ætate, ne Antonii ſe pro Rege gerentis Secretarius Petrus de Cuña, quemadmodum convictus eſt quadam calami præcipitantia ſcripſiſſe nomen Eliſabethæ Reginæ, pro nomine Eliſabethæ Hungaricæ; ſic etiam lapſus ſit in nomine Cardinalis Farneſii; atque ei pro* Alexandro (*qui uſque ad annum* MDLXXXIX *ſuperfuit, maximi nominis auctoritatiſque Prælatus, tum fere ſeptuagenarius*) *obrepſerit illius pronepos* Eduardus, *puer admodum cum mittebantur Reliquiæ in Luſitaniam, tunc vero cum diplomata ſcribebantur ſolus ex familia Farneſia Purpuratus.*

Harum Reliquiarum aliquæ ex Belgio primum acceptæ.

tandem an. 1671 *inſtituta Confraternitate.*

32 *Porro ad S. Salvatoris Antverpienſe monaſterium ſic perlatæ Reliquiæ Sanctorum quos diximus triginta quinque (quibus trigeſimum ſextum accedit* corpus S. Hatebrandi Abbatis, *quod* XXX Iulii *colendum proponitur*) *privatim fuerunt habitæ per annos complures, uſque dum ejuſdem monaſterii digniſſimus Abbas hoc titulo primus, Reverendiſſimus Dominus Franciſcus Diericx, ſolennem earum Tranſlationem faciendam, & piam utriuſque ſexus Confraternitatem* ſub invocatione Sanctorum Benedicti Abbatis, Mauri & Placidi diſcipulorum ejus, & Lutgardis Virginis Ciſtercienſis, & aliorum Sanctorum quorum Reliquiæ (ut pie creditur) in dicta eccleſia conſervantur, *erigendam auctoritate Apoſtolica curavit: hanc quidem anno* MDCLXXI *approbante Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. Domino Ambroſio Capello Epiſcopo Antverpienſi, qui ipſas Reliquias ſigillatim in novas capſas incluſerat* XXIV *Octobris à ſe de novo viſitatas recognitas & approbatas: iſtam vero ſequenti anno* MDCLXXII *die* VII *Auguſti, ornatißimam ſplendidißimamque, ducente aut comitante univerſo Clero ſeculari ac Religioſo ipſiuſque urbis Magiſtratu. Non fuit a multis annis Antverpiæ, quæ urbs in ſacris proceſſionibus adornandis ſingulari excellere ſolet magnificentia, pompa ulla auguſtior ſpectabiliorque quam illa, in qua ſacræ Reliquiæ, in ſuis ſingulæ ferculis ſub novem labaris, & cum totidem curribus triumphalibus, circumgeſtabantur a totidem Ordinum Religioſorum viris primariis, addita cuilibet inſcriptione chronica, Tranſlationis annum & Sancti cujuſque conditionem ſignante. Inter quas ſub ſecundo Sanctorum Sanctarumque Pœnitentium vexillo, à Patribus Capucinis aſſociato, deferebantur ejus Divæ oſſa, cujus cauſa hæc deducta ſunt, quæque hoc lemma denotabatur,* Marla LVXVrIæ Caſtra Deſerens.

D

& an 16 *ſolenni tranſlatio honorata*

33 *Lemmati explicando ſervire poteſt ſynopſis Vitæ, in Menologio Baſilii Imperatoris ſic expreſſa:* Sancta Mater noſtra Maria, meretrix primum fuit, multas adoleſcentum animas perdens per libidinoſam commixtionem, atque eam vitam per annos ſeptemdecim in Ægypto continuans. Abeuntibus autem quibuſdam in Ieruſalem ad Crucem ſanctam venerandam, abiit & ipſa: ſed ab Angelo prohibita templum ingredi, & Sacrum lignum adorare, contriſtata eſt; & promittens Deo famulari, obtinuit introitum. Tunc jubente Deipara Jordanem tranſiit, decertavitque in ſolitudine per annos quadraginta ſeptem, nullum hominem videns. Sed Deus volens ipſam manifeſtare, ordinavit ut S. Zoſimas ingrederetur eremum, qui narrationem ejus de ſe audivit, & ipſam (quando Jordanem quoque tranſiit ſuper aquas ambulans) denuo revertentem excepit, & poſtea reperit, unaque nomen inſcriptum teſtæ; ac denique adjutorio leonis uſus, ſepelivit.

elogium ex Menologio.

E

§. V Scriptores de laudibus S. Mariæ: templa, cœnobia, altaria ei erecta.

34 *Extant S. Mariæ Acta in compluribus codicibus Græcis* MSS. *Romanos codices enumeravimus ſupra: alios ex Laurentiana Bibliotheca Florentiæ, & Ambroſiana Mediolani licuiſſet notare, ſi Vitarum paſſim occurrentium indicem, & quoties in unamquamque incidimus bibliothecas luſtrando, libuiſſet ſigillatim ſcribere. Illa jam olim habebamus ex* MS. *Medicæo Regis Franciæ, & Monachienſi Ducis Bavariæ deſumpta: ex quibus nunc Latina damus. Græca quædam, ex vulgari errore, Sophronii Hieroſolymorum Epiſcopi nomen præferunt. Dubitavimus aliquando an errori nomen dediſſet Sophronius Hieronymo familiaris, ab eoque in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis laudatus cap.* 134, *tum de lucubrationibus aliis, tum de quibuſdam ipſius Hieronymi opuſculis, ſcilicet libello de Virginitate ad Euſtochium & Vita Hilarionis monachi, in Græcum ſermonem elegantißime tranſlatis. Sed hic, quamvis eodem quo Maria tempore vixerit, non tamen tamdiu vixiſſe potuit, ut ipſi ejus repertori Zoſimæ ſupervixerit; & quidem ad annos viginti aut triginta, quos requiri oſtendimus; hi enim nos deducerent fere ad annum vulgaris Æræ* CCCCLXXX. *Hieronymus autem librum illum ſuum de Scriptoribus, ut fatetur ipſe, compoſuit Theodoſii Principis anno* XIV, *Chriſti* CCCXCII. *Igitur vel inveniendus alius Sophronius eſt ſeculo uno poſterior, vel deſperandum de nomine auctoris etiam per conjecturam aſſequendo. Promptior eſt conje-*

Acta Græca.

F

an a vetuſtiori aliquo ſophronio ſcripta?

A *conjectura de eo qui ad ſcribendum impulit, qui indicatur num.* 41, *fuiſſe ſcilicet vel Hieroſolymitanum Patriarcham, vel ipſius in quo Zoſimas obiit cœnobii Hegumenum.*

35 *Quis primus Latina ex Græcis fecerit & utro idiomate ea legerentur tempore Dynamii non liquet: putamus tamen factam eſſe Latinam ſimul ac Reliquiæ Romam allatæ ſunt. Nam inter codices S. Maximini prope Treviros, parvulus unus ſupereſt, tantæ antiquitatis, ut octingentorum annorum ætatem excedere videatur: in hoc autem aliisque ex eodem fonte deſcriptis ſtylus haud paulo ſimplicior eſt quam in recentioribus pluribus. Recentiorum codicum aliqui præferunt Epiſtolam* Pauli Diaconi *offerentis iterum* glorioſiſſimo ac præſtantiſſimo Regi Carolo libellum converſionis Mariæ Ægyptiacæ, cum tomulo de cujuſdam Vice-domini pœnitentia: *Theophilus hic fuit, relatus* IV *Februarii. Alii, in quibus MS. Audomarenſe, omiſſa epiſtola, ſic prænotantur:* Paulus, Venerabilis ac Deo dignus Diaconus ſanctæ ac glorioſæ Neapolis Eccleſiæ, de Græco tranſtulit in Latinum, qualiter ſua pœnitendo peccata in eremo, Maria Ægyptiaca curſum explerit vitæ. *Franciſcus Hubertus Societatis noſtræ ſacerdos Lotharingus, cum ejus gentis militia in Belgium adductus, ut erat Græce linguæ peritiſſimus, nonnullas nobis ſanctorum vitas Latine verterat, interque eas hanc S. Mariæ: ſed laborem ejus vorax flamma conſumpſit: ergo novam ipſimet verſionem adornavimus, quia in antiquis, quæ paſſim extant, diſplicent aliqua.*

Latine reddita à Paulo Diac.

B

36 *Seſquiſeculo poſt Paulum Diaconum floruit* Hildebertus, *anno* M XC VII *Cenomanenſis Epiſcopus, &* M C XXV *Archiepiſcopus Turonenſis conſtitutus, defunctus* MCCXXXII, Verſificator egregius, *ut eum appellat Ordericus lib.* 4 *Hiſt. Eccleſ. à cujus eleganti calamo dalimus die* XXIX *hujus ipſius menſis Vitam S. Hugonis Cluniacenſis; & ut ſtylî utriusque ſpecimen habeat lector, hic proferimus metricam Mariæ Ægyptiacæ Vitam, cujus exemplar in cœnobii Dunenſis MS. Codice his verſibus concluditur:*

metrice ab Hildeberto Ep. Cenomanenſi.

Sic metro Phariæ renovavit Acta Mariæ
Vir Hildebertus, apicum ſplendore refertus,
Lux Cenomanenſis Patriæ, urbis laus Turonenſis.
Cum Pharia lætus potiatur pace quietus.
Hæc bene cõpuncta, Chriſto legitur bene juncta,
Quam comitante fera ſepelit Zoſimas in arena
Deſerti calidi, macri & ſub ſidere cancri.

Vſus eſt autem Hildebertus vel antiquiori verſione & fideliori, ſi qua extabat, vel ipſo Græco textu originali, uti colligimus ex die I *Aprilis in fine notato, ubi Paulinæ verſionis exemplaria omnia habent diem* IX. *Non eſt quidem animus ejuſmodi metricis Paraphraſibus, quæ ſæpius offeruntur, augere hoc opus noſtrum, quando ex illis nihil haberi poteſt ad hiſtoriæ lucem: hac tamen vice indulgere viſum eſt aliquid, eo quod fidem noſtram obligaverit quodammodo Theophilus Raynaudus, de hac Sancta ſcribens, & à nobis juſſerit expectari hoc opuſculum. Itaque licet Brugenſis MS. ecgraphum, quod prælo paraveramus, Amſtelodamenſi perierit incendio; aliud ſumpſimus ex alio noſtro MS. Codice membranaceo ſane inſigni, quem ex Anglicanarum eccleſiarum deſolatione ſub Henrico* VIII *facta Belgio invectum, primum ab Abrahamo Ortelio, & hoc moriente à noſtro Andrea Schotto redemptum habemus nonnulla ἀνέκδοτα continentem, inter quæ Odonis monachi Cantuarienſis Homiliæ, & B. Anſelmi Cantuarienſis libellus de quatuordecim Beatitudinibus ejusdemque epiſtolæ tres, edere volentibus prompte communicanda.*

hac paraphraſis datur ex MS.

C

37 *Porro quem ſupra nominavi Theophilus Raynaudus, de Maria peccante ac pœnitente præ ceteris copioſiſſime ſcripſit, ad commodum utilitatemque concionatorum, aptans eidem hunc Iſaiæ locum,* Sibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti; & veniet & requieſcet in torrentibus vallium, & in cavernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in univerſis foramini-

Theophili Raynaudi opus de Sancta.

bus: *cui tractatui, per diſſertationes unam & viginti deductо, alterũ haud minus utilem & æque prolixum ſubjunxit, hoc titulo,* Pœnitentia turpitudinum ſordes extergens; *ubi diſſertatione* I *&* 2, ad monſtrandam lapſarum curabilitatem, colligantur exempla mulierum, è meretricii aut carnalium turpitudinum cœno ſibilante Domino extractarum. *Inveniri ea & legi poterunt tomo* 9 *operum, hic ex prioris tractatus diſſertat.* 20 *addam quæ plura ipſe de ſcriptoribus S. Mariæ laudatoribus ſuggerit, & quæ diſſertatione præcedenti tradit de peculiari ejuſdem cultu in plerisque ejus Chriſtianis. De primis ſic loquitur.*

AUCTORE D. P.

38 Aliam plenam & ſatis excultam rerum B. Mariæ Ægyptiacæ deſcriptionem metricam, tribus libris diſtinctam, edidit annis ſuperioribus Joannes Baptiſta Laurus, & pius & cultus Poëta. Brevium de eadem Sancta ſcriptionum abunde eſt. Gabriel Flamma hiſtoricam de ejus vita narrationem, laudum differtam, edidit; ut & Petrus Ribadineira, in Auctario ad Flores Sanctorum: nec non Franciſcus Haræus, & Lipelous Carthuſianus, & quotquot contractas dedere Sanctorum Vitas. Franciſcus etiam Bonaldus, non Bonadus, Xantonenſis, lib. 3 Carminum, Monodia 29, brevem huic ſanctæ Pœnitenti panxit Poëſim, pro eo tempore non inconcinnam. Franciſcus quoque Remondus in Carminibus, atque in Inſcriptionibus Urſus, & in Hieromenia ſua Gualfreduccius, ſanctam hanc Pœnitentem breviter laudarunt. Quæ homo Dei Bernardus Colnagus, ſui ævi thaumaturgus, in S. Mariam Ægyptiacam religioſiſſimus, de Sancta hac pro concione ſæpe dixit, an ſcriptis commiſerit, me latet... Conſulto prætermitto volui Ecbanum Heſſum ſectarium, tametſi in Hercidum epiſtolis agit de Maria Ægyptiaca (ſi auctoris perſonam demas) non illaudate. Futfures item inepti ſcriptoris, nec ſuiſmet Carmelitis parum probati Alegræi, quibus hanc Sanctam inſperſit, ut Cælites domeſticos per eam faceret auctiores, alteri incerniculo committo.

ſcriptores alii de eadem.

E

39 *De templis porro idem Raynaudus hac habet:* Templa ſanctæ huic Pœnitenti erecta, varia viſuntur. Hieroſolymitanam ædiculam ſacram ſive ſacellum B. Mariæ Ægyptiacæ, ſtructum eo loco in quo reſipuit, memorat Adrichomius in ſua Jeruſalem. Sed hoc non fuit niſi ſacellum, ad tantæ rei monimentum perpetuum. Sunt vero alibi pleraque vere ac proprie templa. Romanum non eſt admodum antiquum ſub hoc titulo: nam primo erat templum Jovis ac Solis, quod anno DCCCLXXII B. Mariæ Virgini eſt conſecratum: ſtetitque ea appellatio, donec à Pio V ipſum attributum eſt Armenis; & tunc titulus S. Mariæ Deiparæ in titulum S. Mariæ Ægyptiacæ eſt commutatus. *De eo quod Cremonæ fuit templo, jam diximus.* Camberii Allobrogum eſt perelegans baſilica & cœnobium Patrum S. Franciſci de obſervantia, ſub titulo S. Mariæ Ægyptiacæ: cujus prima principia Stephano Roſeto, Curiæ-rationum Præpoſito, debentur. Is enim anno MCCCCLXII ad Camberium, ex affectu erga hanc ſanctam Pœnitentem, templum illi cum continenti ædificio conſtruxit, eaque ſexto poſt anno tradidit Patribus S. Franciſci Regularis obſervantiæ, Miani degentibus. Coloniæ, ut ſcribit Erhardus Vinheim, in Sacrario Colonienſi, ædes ſacra LXII D. Mariæ Ægyptiacæ nuncupatione exornatur: ſicut etiam Viterbii, Cardinalis Muti liberalitate, templum S. Mariæ Ægyptiacæ extructum eſt, & ex cœno emerſis mulieribus attributum. Avenione Cavarum, urbe Pontificia, templum eſt cum cœnobio in honorem B. Mariæ Ægyptiacæ extructum, opera præſertim viri clariſſimi Pauli de Joannis, cujus indefeſſam

templa varia

F

& pœnitentium receptacula ſub ejuſdem appellatione.

ex MS. G. R. A

defeſſam in hoc genere pietatem nulla ſatis aſſequatur oratio. Ejuſmodi ædes ſacræ in hujus Divæ honorem, curante eodem Paulo de Joannis, cum adjunctis emergentium è cœno receptaculis, excitatæ ſunt in pleriſq; primariis Gallię urbibus, magno & urbium purgamento & miſellarum bono; & Divæ, tot ſacrarum ædium nuncupatione apud mortales illuſtrioris, auctiore gloria.

altare vltrajecti:

40 *De altaribus particularibus, quin varia variis erecta ſint locis, non dubitamus; ſed neminem invenimus, qui eorum inierit rationem. Vnius ego anno* MDCLXXII *tabulam vetuſtam conſpexi, magna cum voluptate, vltrajecti, à ſacrarum ædium expoliatione & imaginum abolitione reſervatam, translatamque in aulam capitularem Canonicorum S. Petri apud eorumdem Secretarium Catholicum; ſub qua ſcripta erant variorum Sanctorum nomina, quorum invocationi ſacrata olim ara fuerat: ſed præ ceteris expreſſæ cernebantur utrimque in valvis, velandæ tabulæ dictæ additis, hinc S. Mariæ Magdalenæ, inde S. Mariæ Ægyptiæ hiſtoria. Pauci deinde abiere menſes cum civitas in Francorum poteſtatem venit, & Catholicis ſacris reddita eſt ædes cathedralis. Proximum eſt ut reliquæ etiam tota urbe frequentiſſimæ eccleſiæ redeant ad antiquum cultum, quando ſperamus fore, ut ſuo templo altarique reddatur præfata tabula, perpetuum monumentum antiquæ pietatis majorum erga prænominata duo pœnitentiæ exempla.*

B

cultus apud Moſchos præcipuus,

41 *Vidi eodem anno Amſtelodami D. Laurentium Vander Hem, virum ſacræ ac profanæ litteraturæ, geographicæ imprimis adeo ſtudioſum, ut Blavianum Atlantem, plurimis tabulis, etiam calamo & colore expreſſis, adjectiſque propria manu & ingenio deſcriptionibus amplificatum, ultra triginta tomos per ſe ipſe produxerit, neque ſumptui neque labori parcens. Inter ceteros vero, quos inſuper deſignatos habet, tomos, unus de ſola Moſcovia erit; pro quo iam nunc varia parata materia, præſertim figurati cujuſdam Kalendarii, cujus apud Moſchos uſus eſt, tabulæ duodecim, auro & coloribus exornatæ. Has ego curioſius perluſtrans, & ex ſubjectis cuique figuræ Sanctorum nominibus deprehendens, majori ex parte congruere cum Græcis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ faſtis (nam ab hac, dum adhuc Catholicæ & Romanæ unioni adhæreret, fidem accepere Moſchi) haud gravate ſuſcepi earumdem explicationem, ad eruditiſſimi atque humaniſſimi viri uſum contexendam; notavique Mariæ Ægyptiacæ feſtum genti illi, adeoque & Ruthenis ceteris, eſſe ſolenniſſimum. Etenim ad initium Aprilis non ſimpliciter conſpiciebatur ſtatunculus Beatæ, digitali incluſus teſſellæ, uti aliorum plerorumque Sanctorum: ſed tota ejus ac Zoſimæ hiſtoria, quadrifariam diviſa expreſſaque, ſic ut primus Sanctorum congreſſus, deinde ſecundus cum ſacra communione, tum animæ in cælos ſubvectæ gloria, ac denique corporis ſepultura diſtincte viderentur. Talis autem pictura palmare ipſius tabulæ, non maximæ, occupabat ſpatium: quod raro in tabulis illis evenit, nec niſi in ſummis aliquibus feſtivitatibus notandis, qualis ibi alia nulla toto hoc menſe.*

ex eorum Kalendario figurato probatus.

C

ACTA

Ex MS. Græco Regis Chriſtianiſſimi & altero Ducis Bavariæ collatis.

PROLOGUS.

Tob. 12, 1 SEcretum Regis celare bonum eſt, opera autem Dei prædicare glorioſum: ita Angelus dixit Tobiæ poſt mirabilem illam oculorum excæcatorum illuminationem, easque ærumnas, quas ſuſtinuit, & à quibus ereptus eſt propter ſuam pietatem. Etenim non ſervare arcanum Regis, res eſt noxia & periculoſa: Dei autem opera reticere, animam adducit in diſcrimen. Ego igitur ſilere divina reformidans, & reſpiciens ſententiam prolatam in ſervum, qui acceptum domini ſui talentum in terra abdidit, & infructuoſum reliquit quod ad utilitatem datum erat; ſacram narrationem, quæ ad meas uſque pervenit aures, non obvolvam ſilentio. Nemo vero cunctetur adhibere fidem, audita ſcribenti aut omnino fingere me exiſtimet, rei magnitudine obſtupefactus. Abſit à me ſacrum ſermonem, in quo nominandus Deus, interpolare mentiendo. Quod ſi quibus, parva & incarnati Verbi magnitudinem minus decentia cogitantibus, accidat fidem negare dicendis; eos ego crediderim contra rationem agere: ſi qui autem in hanc incidant ſcriptionem, & facti novitate conſternati nolint facile eam recipere, his quoque miſericors Dominus ſit; quoniam etiam hi humanæ naturæ infirmitatem conſiderantes, incredibilia æſtimant quæcumque ultra captum humanum dicuntur. Nihilominus, aggrediar narrationem, rem dicturus hac noſtra ætate factam, prout eam expoſuit vir quidam, à puero doctus loqui & agere divina. Rurſum autem neque hoc in argumentum diffidentiæ adducant aliqui, æſtimantes accidere non poſſe ut hac noſtra ætate ejuſmodi fiat quidpiam: nam gratia Patris, per generationes in animas ſanctas ſe transferens, amicos Dei & Prophetas conſtituit, uti Salomon docet. Tempus porro eſt ſacram illam ordiri narrationem.

D

Fideliter narrata

fide pari deſcribere proponit auctor.

E

Sap. 7, 27

CAPUT I.

S. Zoſimæ vita monaſtica, acceſſus ad Iordanem, inventa ab eo Maria.

2 FUit in iis quæ per Palæſtinam ſunt monaſteriis, vir quidam lingua ac vita cultus, atque ab infantia monaſticis moribus actionibusque innutritus, Zoſimas nomine, ætate ſenex. Nemo autem appellationi ſoli inhærens, ſermonem mihi exiſtimet eſſe de eo Zoſima, qui circa doctrinam lapſus, minus recte ſapuit: alius enim hic, & ille alius; multumque differunt inter ſe, quamvis nomenclaturam ambo eamdem ſortiti. Iſte Zoſimas orthodoxus fuit, qui in uno monaſteriorum antiquorum ab initio converſatus, per omne exercitationis genus probatus, & ad omnem virtutem congruenter inſtitutus, totum quidem ordinem in ejuſmodi paleſtra ſolitum ſervari cuſtodivit, multa vero & ſponte adiecit, volens carnem ſpiritui ſubjicere. Quod ita ei ſucceſſit, ut, propter multam rerum ſpiritualium experientiam, ſæpius ex vicinis aut etiam remotioribus monaſteriis ad eum confluerent plures, ipſius doctrina ad perfectionem informandi. Cum autem tantam animarum tractandarum peritiam aſſecutus eſſet ſenex, numquam remiſſius egit in meditatione eloquiorum divinorum; ſed inſiſtebat eiſdem, ſeu decumberet ſtrato, ſive aſſurgeret, vel quidpiam manibus operaretur, aut etiam cibum, quando hunc ſumere conveniebat, ſuſciperet. Si vero ſcire cupis quis illi cibus ſaperet, is utique qui numquam conſumebatur & numquam ei deerat, pſallere inceſſanter & ſacras Scripturas animo ruminare. Quin etiam dicunt aliqui, divinis ſæpe dignatum viſionibus, mente ipſius cælitus illuminata: quemadmodum enim dicit Dominus, ſemper vigilanti ſpiritus oculo divinæ illuſtrationis ſpecies contemplabuntur, quicumque carnem ſuam expurgarint; & viventes ſobrie, ejus quod ipſos manet boni arrhas exinde percipient.

Poſt egregios in virtute profectus,

F

& vitæ rigorem laudabilem,

3 Dicebat autem ipſe de ſe Zoſimas, quod ab ulnis, ut ſic loquar, paternis in monaſterium iſtud datus,

A *tentatus de vana gloria Zosimas*

datus, per annos quinquaginta tres in monastico cursu perseverarit: postea vero vexari, ut inquiebat, cœpit cogitationibus quibusdam, quasi jam esset perfectus in omnibus, nec alienæ instructionis ullatenus indigens. Sic enim, ut dixit secum ipse differebat; Putasne in terra est monachus, qui prodesse mihi possit, meque docere aliquod exercitationis genus novum, quod necdum novi & ipso opere non sum expertus? aut erit in eremo philosophantium quispiam, qui me vel cognitione vel actione præcedat? Hæc cogitante sene, supervenit quidam, & dixit ei: O Zosima, bene tu quidem, & quomodo homini est possibile certavisti, bene monasticum percurristi stadium: verum inter homines nemo est qui perfectum se possit dicere: sed plus quam affecutus est ei supereſt consequendum, quamvis nos id ignoremus. Ut igitur scias ipse, quam multæ sint aliæ viæ quæ ad salutem ducant; egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui, quemadmodum venerabilis Patriarcha Abraham; & veni in monasterium quod situm est prope Jordanem fluvium.

jubetur ir ad Iordanem:

4 His auditis, exurgens continuo senex & mandato obediens, exiit è monasterio, in quo ab adolescentia manserat; venienſque ad Jordanem inter flumina sanctissimum, ab eo qui se vocarat deducitur ad monasterium; in quo esse eum volebat Dominus. Tum manu pultans ostium, primo in eum incidit monachum cui forium cura demandata erat: hic vero ad Hegumenum duxit; & Hegumenus suscipiens eum, videnſque habitu vultuque modesto inclinantem sese, ut monachi solent, atque ut pro se oraret postulantem; interrogavit & dixit, Unde nobis ades, Frater? aut cujus rei gratia ad nostram venisti humilitatem? Cui Zosimas, unde, inquit adsim, nihil opus est dicere; veni autem profectus spiritualis gratia: audivi enim de vobis glorioſa & laude digna, quæ possint animam ad intimam Christi Dei nostri familiaritatem adducere. Respondit Hegumenus, Deus, qui solus noscit humanam infirmitatem, ipse te, Frater, ac nos docebit divinam suam voluntatem, & ad facienda quæ convenit diriget. Neque enim homo hominem juvare potest, nisi unusquisque sibi ipsi attendat continue, & mente casta quod justum est operetur, Deum habens arbitrum & susceptorem actionum suarum. Ast quia caritas Dei, ut dicis, impulit te venire, ad nos humiles senes visitandos; mane nobiscum, siquidem ideo advenisti; & nos omnes per gratiam spiritus enutriet bonus ille Pastor, qui dedit animam suam pro nostra redemptione, & oves proprias vocat nominatim. Talia loquente Hegumeno rursum Zosimas inclinavit se ac benedici petiit; atque respondens, Amen, in illo monasterio mansit.

B *ibique receptus,*

C *invenit monachos perfectissime viventes,*

5 Hic ille senes vidit, & actione & contemplatione eximios, servire Deo: erat enim iis psalmodia indefessa ac statio pernox: quibus in manibus semper operis aliquid, in ore vero Psalmus erat. Nullus inter eos otiosus sermo: nulla solicitudo temporalium; redditus vero annue numerandi, & curæ secularibus negotiis conjunctæ, apud eos nec nominabantur quidem. Unum autem idemque omnium erat studium, ut quisque ipsorum mortuus esset corpori, quasi mundo & omnibus quæ in mundo sunt simul ac semel defunctus. Esca illis indeficiens erant divina eloquia: corpori vero indulgebantur necessaria dumtaxat, panis & aqua; eo quod singuli maximo erga Deum amore flagrarent. Hæc conspiciens, uti retulit, Zosimas ædificabatur plurimum, ad anteriora semper extendens se & cursum suum accelerans, utpote socios nactus, qui essent in vinea Domini operarii optimi.

6 Diebus porro elapsis plusculis, adfuit tempus quo sacrum jejunium peragi solet à Christianis, præparantibus sese ad divinæ Passionis ac Resurrectionis venerandæ solennia. Janua autem monasterii, numquam reserata sed clausa semper, commoditatem præbebat monachis exercitationis ab interpellatoribus liberæ: neque enim recludi solebat nisi monachorum aliquis necessaria de causa emitti deberet; & locus omnino desertus, plerisque etiam vicinis monachis non tantum inaccessus sed etiam ignotus erat: servabatur vero in monasterio regula quædam, cujus gratia, ut ego quidem existimo, Zosimam illuc adduxerat Deus. Quæ vero illa & quomodo servabatur? Jam nunc dicam. Dominica die, quæ primæ post jejuniorum hebdomadæ nomen tribuit, celebrabantur publice divina ex more mysteria, & communicabat unusquisque. incruento ac vivifico sacrificio: tum modico reficiebatur cibo. Post hac collecti in oratorium, facta prolixa oratione & genuflexione multa, osculabantur sese invicem senes, & sigillatim provoluti ad Hegumeni pedes, veniam poscebant & benedictionem, quæ illos ad certamen præmuniret in viamque deduceret. EX MSS. G. R. D *felices inchoatio Quadragesimæ* *post communes preces*

7 His peractis, aperiebatur monasterii janua, & consona voce decantabatur Psalmus, Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? & reliqua. Et egrediebantur omnes, unum plerumque vel alterum ad custodiam monasterii relinquentes; non ut custodiret intus repositа (nec enim apud eos erat quod fures auferre possent) sed ne oratorium absque sacro ministerio relinqueretur. Unusquisque vero de annona sibi prospiciebat, ut volebat & poterat: & hic quidem ad corporis necessitatem modicum panem, iste ficus, dactylos alius, alter legumena aquis macerata efferebat; quidam vero nihil, præter corpus suum eique superinjectam lacernam, sustentaturus se, cum cibum natura posceret, herbis in deserto nascentibus. Regula porro inter eos & lex inviolabilis erat: Nesciat alter de altero quem exercitationis rigorem modumve teneat. Nam transito Jordane ab invicem longe dividebantur, plenam sectantes solitudinem; ita ut nemo occurreret alteri: quod siquis alium vidisset eminus sibi adversum venire, continuo à recta declinabat via, atque in aliam sese partem convertebat, sibi vivens & Deo, cum jugi Psalmodia eoque cibo qui ad manum erat. E *monasterio egredi* *& in solitudine trans Iordanem agere* F

8 Postquam hunc in modum omnes jejuniorum dies ipsis transiissent, revertebantur ad monasterium Dominica præcedente Salvatoris nostri vivificam à mortuis Resurrectionem, cujus profestum cum Ramis Palmarum celebrare ecclesia instituit: revertebatur autem unusquisque, referens sui propositi fructum conscientiam propriam, sibi ipsi testantem quomodo esset operatus, & qualium laborum semina messuisset: nemo enim præsumebat omnino interrogare alterum, quomodo propositum sibi agonem absolvisset. Talis igitur erat monasterii regula, & sic perfecte complebatur: quia unusquisque eorum in deserto existens, sub agonotheta Deo contra seipsum pugnabat, tanquam non quærens placere hominibus, neque ad ostentationem jejunans: quæ enim fiunt hominum causa, ex voluntate ipsis placendi, ea parum admodum facientem juvant, ipsique causa sunt magnæ quandoque calamitatis. *Vsque ad Dominicam Palmarum.*

9 Ergo ex consuetо monasterii usu, Zosimas quoq; eodem tempore Jordanem trajicit, modicum ferens

Ex MS.GR. ad uſus neceſſarios commeatum, & ipſum quo erat indutus veſtimentum. Ibi, juxta præſcriptum regulæ, per eremum oberrans, pro naturæ exigentia definiebat horam ſumendi cibi, noctu vero procumbebat humi modicum ſomnum capturus, ubicumque ipſum veſper deprehendiſſet. Mane facto, iterum accingebatur itineri, contente quidem ſemper ambulans, deſiderium vero habens, ut poſtea retulit, penetrandi eremum interiorem, inveniendique in ea commorantem aliquem Patrem, qui ipſum ad id quo aſpirabat poſſet perducere: & ambulabat feſtinanter, acſi contenderet cito pervenire ad illuſtre publicumque diverſorium. Diebus autem viginti itinerando conſumptis, cum ſexta adveniſſet hora, tantiſper repreſſit greſſum, & verſus orientem converſus conſuetam perſolvit orationem: conſueverat enim certis diei temporibus intermittere ambulandi contentionem, & paululum requieſcere à labore; atque nunc ſtando nunc genu flectendo orare ac pſallere.

cum quibus egreſſus etiam Zoſimas,

die 20 ſui receſſus,

dum ſextam recitat,

10 Dum autem orat, & oculos in cælum viſu irretorto defigit; ecce in dextero latere ejus in quo Sextam perſolvebat loci, veluti corporis humani ſimulacrum apparet. Et ipſe quidem primum conturbatus ſuſpicabatur diabolicum ſibi offerri ſpectrum; tremoreque concuſſus, ſanctæ Crucis ſigno ſignavit ſeipſum: jam enim ad finem pervenerat oratio. Dein convertens oculos, vidit revera aliquem contra meridiem ambulare: nudum autem erat quod videbatur, & cute nigrum tamquam ex ardore ſolis; crines vero habens in capite ad inſtar lanæ, eoſque modicos, nec multum ultra collum defluentes. Tali ſpectaculo recreatus Zoſimas, & vix præ gaudio ſui compos, eo verſus procurrere cœpit, quo etiam illud quod apparuerat feſtinabat. Ineffabili enim replebatur lætitia, ut qui toto tam multorum dierum ſpatio nulla vel hominis vel alterius cujuſcumque animalis veſtigia deprehenderat. Cupiebat igitur cognoſcere, quis & unde eſſet qui videbatur, ſperans quod magna quædam ſpectaturus & auditurus eſſet.

B

videt eminus ſpeciem hominis,

eamque à ſe fugientem ſequitur.

11 Verum perſona illa, ut cognovit eminus Zoſimam ad ſe venire, fugere cœpit, & verſus interiorem eremum currere. Zoſimas autem, tāquam ſui oblitus ſenii, & nihili faciens laborem itineris, contendebat aſſequi fugientem. Et ipſe quidem inſequebatur, illa vero fugiebat: ſed velocior erat Zoſimæ curſus, ac paulatim eum propiorem fugienti ſtatuebat. Mox autem ut exaudiri etiam vox loquentis potuit, clamare cœpit, & hujuſmodi verba jactare cum lacrymis: Quid me fugis ſenem & peccatorem, ſerve Dei? Expecta me, quiſquis es, per eum ipſum cujus amore eremum hanc habitas: expecta me infirmum atque indignum ſenem, per ſpem quam habes retributionis ex tanto labore conſequendæ. Reſiſte, & tuam orationem ac benedictionem ſeni mihi impertire, per Deum, qui neminem à ſe repellit. Hæc cum lacrymis vociferante Zoſima, pervenerunt ambo currentes ad locum quemdam, qui erat in modum alvei fluvialis excavatus; ſed, ut mihi videtur, torrens ibi numquam ullus fluxit, eumque ſitum locus potius habuit à natura.

C

CAPUT II.

Maria cum Zoſima, divinitus ſibi noto loquens, eidem exponit vitæ ſuæ meretriciæ ſordes.

12 POſtquam; ad jam dictum locum pervenit uterque; fugiens quidem deſcendit, & rurſus in aliam aſcendit partem; Zoſimas autem defatigatus, neque amplius currere valens, ſtetit ex citimo loci torrenti-formis latere; addens lacrymis lacrymas, & ſuſpiria ſuſpiriis, ut ipſi appropians ſuos tandem planctus ex audiret. Tunc illud fugitivum corpus, hujuſmodi emiſit vocem: Abba Zoſima, ignoſce mihi, per Dominum; non poſſum converti, neque ſic coram vultu tuo videnda adſtare: mulier enim ſum, verenda corporis diſcooperta gerens. Sed ſi omnino vis peccatrici feminæ petitionem unam indulgere, projice mihi pallium quo amiciris, ut muliebrem infirmitatem contegam, & converſa ſuſcipiam benedictionem tuam. Tunc horror & quædam mentis alienatio Zoſimam occupavit, ſicut aiebat, audientem quod Zoſimam ſe compellaret ex nomine. Cum enim acuti vir eſſet ingenii & divinarum rerum ſcientiſſimus, cognovit quod ex nomine ſe non compellaſſet illa, quem viderat numquam & de quo nec audiverat quidem, niſi ſpiritu prædita eſſet prophetico.

D

Zoſimam ex nomine compellans Maria,

13 Ut igitur intellexit quid juberet, ſtatim involvens vetus & detritum quod gerebat pallium, verſus illam projecit, ſeque obvertit. Ipſa vero accepto eo velavit partes corporis, quas præ ceteris obtegi conveniebat, converſaque ad Zoſimam ſic locuta eſt: Quid tibi in mentem venit, Zoſima, quod tantopere cupias videre peccatricem mulierculam; Quid ex me ſcire aut diſcere volens, tantum laborem impiger ſuſcepiſti? At ille genu flectens, rogabat, ut ſibi ex more benediceret: ſed & ipſa idem poſtulabat, ſeſe inclinans: & jacebant ambo, alter ab altero benedici volens, nec aliud utrimque audiebatur, quam, Benedic. Tandem cum longior mora fieret, ait mulier ad Zoſimam: Abba Zoſima, tibi competit ut benedicas, ac ſuper me ores: te enim Presbyterii dignitas ornat, tu ex multo tempore ad ſanctum adſtas altare, & ſæpius ſacrificans divina obtuliſti munera. Ad hæc etiam magis obſtupuit Zoſimas; & contremiſcens ſenex, velut in agonia perfundebatur ſudore; ſuſpiranſque & verba ſingultibus interrumpens, ſpiritu interciſo & palpitanti pectore, ait ad eam: Manifeſtum eſt, ò mater ſpiritualis, vel ex moribus tuis, quod ad Deum aſcenderis, majorique ex parte mundo mortua ſis: patet etiam donum quod tibi divinitus obtigit, quia ſic ex nomine compellas me, & Presbyterum eſſe aſſeris, quem numquam conſpexiſti. Quoniam igitur gratia, non ex dignitate, ſed ex ſpiritualibus ornamentis dignoſcitur, Benedic, obſecro propter Dominum, & ora pro me, tuæ ſuffragationis indigo.

pallio ejus ſuam contegit nuditatem:

E

& ab eo benedici poſtulans qui Presbyter eſſet,

14 Tunc inſtantiæ ſenili cedens mulier; Benedictus ſit, inquit, Deus, qui hominum & animarum ſalutem curat. Zoſima autem reſpondente, Amen; ſurrexerunt ambo de genibus, & ad ſenem prior ſic infit mulier. Cur, obſecro, ad me peccatricem veniſti, ò homo? quare voluiſti videre mulierculam omni virtute nudam? Verumtamen quando huc te adduxit ſancti ſpiritus gratia, ut mihi aliquod miniſterium exhibeas tempori congruum; dic, quomodo nunc agitur cum gente Chriſtiana? quid Reges agunt? quomodo gubernatur Eccleſia? Zoſimas ad hæc paucis reſpondit: Per tuas, ò mater, ſanctas preces, ſtabilem omnibus pacem indulſit Chriſtus: ſed obſecro ut hujus indigni ſenis deprecationem ſuſcipiens, ores pro mundo univerſo atque pro me peccatore, ut ſolitudinis hujus tantæ non fruſtra fuerim emenſus ſpatium. Ipſa vero repoſuit: Hodie, Abba Zoſima, oportebat te, qui Sacerdotio præcellis, ut dixi, pro me & pro omnibus orare, ad hoc enim ordinatus es: quia tamen iubemur obedire, lubens faciam quod imperaſti.

F

interrogansque de ſtatu Eccleſiæ

atque pro eo juſſa orare.

15 Hæc dicens ad Orientem convertit ſeſe, oculoſque in ſublime attollens ac manus extendens, cœpit

cœpit orare movendo labia, ſic tamen ut vox nulla diſtincte audiretur; unde neque Zoſimas quidquam ex ejus oratione potuit intelligere: ſtabat autem, ut dixi trepidus, terramque intuens, & omnino nil loquens. Iuravit autem, ſermonis ſui teſtem appellans Deum, quod animadvertens longius protrahi orationem, oculos aliquantum à terrâ ſuſtulit, viditque ipſam orare in altum ſublatam, & in aere ſuſpenſam velut ad cubitum unum: quod cum vidit, majori correptus metu, multumque anxius, & omnino nihil proloqui audens, ſolum intra ſe dicebat identidem, Domine miſerere. Sic autem in terra jacens, ſcandalizari cœpit ſenex cogitando, ne forte ſpiritus eſſet atque orationem ſimularet. Converſa autem mulier excitavit Abbatem, dicens: Quid te conturbant, Abba, cogitationes tuæ, ſcandalizatum in me, quaſi ſpiritus ſim & orare me ſimulem? Certus eſto, o homo, quia mulier peccatrix quidem ſum, ſacro tamen dignata baptiſmate: ſpiritus autem non ſum, ſed terra & cinis ac denique caro nihil ſpirituale cogitans. Atque hæc dicens ſignavit ſibiipſi ſigno Crucis frontem & oculos, labiaque & pectus, ſic, inquiens, Deus, o Abba Zoſima, eruit nos à malo & ab inſidiis ejus; quoniam multa eſt nobiſcum virtus ſua.

16 Talia audiens ac videns ſenex, projecit ſe in terram, ejuſque pedes amplexus dixit: Adiuro te per Chriſtum Deum noſtrum, qui ex Virgine natus eſt, propter quem tantam amplexa es nuditatem, & propter quem carnem hanc ſic extenuaſti, nequid me celes famulum tuum: quæ, unde, quando, & quomodo eremum hanc inhabitaſti? Nihil, inquam eorum quæ ad te pertinent mihi occultes, ſed omnia enarres, ut Dei magnalia efficias manifeſta: ſapientia enim abſcondita & occultus theſaurus, quæ utilitas utriuſque? uti ſcriptum eſt. Dic mihi, per Deum obſecro, omnia; neque enim jactantiæ vel oſtentationis cauſa dixeris, ſed ut mihi ſatisfacias peccatori indigno: credo enim Deo, cui vivis & famularis, quod propterea in hanc eremum deductus ſim, ut quæ circa te geſta ſunt manifeſta faceret Dominus. Non eſt autem in noſtra poteſtate Dei judiciis adverſari: niſi enim placitum Chriſto fuiſſet notum facere quomodo certaveris, non utique te cuiquam videndam præbuiſſet, neque mihi virtutem contuliſſet ad tantum iter emetiendum, cui propoſitum erat nequaquam è cella mea egredi.

17 Hæc & alia plura dicente Zoſima, elevans eum mulier, dixit ad ipſum: Erubeſco, Abba mi, explicare tibi confuſionem operum meorum: ignoſce obſecro, propter Dominum. Verumtamen, quandoquidem corpus meum nudum vidiſti, denudabo tibi & vitam meam, ut cognoſcas quantæ turpitudinis & verecundiæ plena ſit anima mea. Non enim, quemadmodum ſuſpicaris, jactantiæ declinandæ cauſa renui tibi narrare de me, quæ fui diabolo vas electionis: ſed quia ſcio, quod ſi incepero tibi ea exponere, fugies à me, quemadmodum quis fugeret à ſerpente, non ſuſtinens auribus excipere quæ ego turpiſſima egi. Dicam nihilominus, nihil reticens, ſed ante omnia deprecans, ne ceſſes orare pro me, ut inveniam miſericordiam in die judicii. Sene autem inceſſanter lacrymante, exorſa eſt de ſe narrare mulier, ſic loquens.

18 Ego, Frater, patriam habebam Ægyptum: viventibus autem parentibus meis, cum duodecim dumtaxat eſſem annorum, poſtpoſita eorum dilectione, veni Alexandriam. Quomodo autem ibi inprimis contaminaverim virginitatem meam & quam inſatiabili atque impotenti concubitus deſiderio æſtuaverim, verecundor vel cogitare; & ipſum nunc dicere pudor vetat. Unum breviter fatebor, ut ardorem libidinis meæ intelligas; quod decem circiter & ſeptem annos vixi, publicæ luxuriæ (ſit verbo venia) incentivum; idque non muneris alicujus gratia (ita mihi teſtis veritas) ſæpe enim volentes dare quidpiam recuſavi ſuſcipere. Hoc autem faciebam, ut quamplurimos ad me concurrere facerem, gratis ipſis præbendo dedecus meum. Non quia dives eram ipſa (ne ideo cenſeas noluiſſe accipere) vivebam enim mendicato vel ut plurimum ſtuppam deducendo in fila; ſed quia inexplebili cupiditate deſiderabam volutari in cœno, & hæc mihi vita erat ac putabatur, naturam afficere omnimoda contumelia.

19 Ita cum viverem, video æſtivo quodam tempore turbam multam Ægyptiorum virorum ac Libyum concurrere ad mare; & interrogavi primo obvium mihi, quonam feſtinarent homines iſti ſic currentes. Ille vero mihi reſpondit: Hieroſolymam omnes contendunt, propter exaltationem ſanctæ Crucis, quæ intra paucos dies de more celebrabitur. Ego autem ad illum: Num & me forſitan ſecum accipient, ſi voluero ſequi? Si naulum, inquit, habes & viaticum, nemo eſt qui prohibeat. Tum ego: Vere, frater, neque naulum habeo, neque viaticum: abeo tamen & ego, conſcendoque in unam conductarum navicularum; alent illi me, etiamſi nolint: corpus enim habeo, hoc ipſis erit pro naulo, pro viatico mihi. Propterea autem, Abba mi, volebam ire, ut plures amatores (ignoſce fatenti) haberem promptos ad libidinem meam. Dixi tibi, Abba Zoſima, ne me cogeres eloqui confuſionem meam: horreſco enim, per Deum juro, & te & aërem inficere ſermonibus meis.

20 Tunc Zoſimas, lacrymis ſolum irrigans, ei reſpondit: Narra per Dominum, mater mea, narra porro, neque præſcindas filum tam ſalutaris argumenti. Ipſa vero priorem ſermonem proſequens, hæc adiunxit. Juvenis igitur ille, audita verborum meorum obſcœnitate, riſit & abiit. Ego vero projiciens quam geſtabam colum (hanc enim ſolebam ad tempus circumferre) procurro ad mare, quo ceteros videbam currere; & videns in littore ſtantes juvenes aliquot, decem numero aut etiam plures, corpore vegetos & motu agiles, atque ad id quod requirebam ſufficientes (expectabant autem, ut mihi videbatur, navigationis ſocios alios; qui enim prævenerant jam navigia conſcenderant) ego in medium eorum impudenter me inferens, Accipite, inquam, etiam me quocumque pergitis: nec enim vobis inutilis ero. Tum alia magis pudenda adjiciens, omnes ad riſum movi. Ipſi vero videntes meam promptitudinem ad quidquid impudenter libuiſſet, accipientes me induxerunt in navigium, quod paratum habebant: & quoniam etiam ipſi habebant quod præſtolabantur, continuo cœpimus navigare.

21 Quæ vero deinceps ſecuta ſunt, quomodo tibi poſſim narrare, o homo? Quæ lingua explicare, quis auditus valeat ſuſtinere, quæ in navi atque per iter ſunt acta, & ad quæ facienda miſeros compuli vel invitos? Nullum laſciviæ genus eſt tam inſolitum tamque inauditum, cujus non fuerim infelicibus magiſtra. Itaque obſtupeſco, Abba, quomodo ſuſtinuerit mare luxuriam meam; & quomodo terra non aperuerit os ſuum, ut viventem me ad inferna dimitteret, factam in laqueum tot animarum. Sed Deus, ut arbitror, quærebat pœnitentiam meam: non enim vult mortem peccatoris, ſed longanimiter ſuſtinet, converſionem expectans. Talibus igitur intenti; ſtudiis pervenimus Hieroſolymam: cunctis autem diebus, quæ feſtivitatem præceſſere, ſimilibus aut etiam pejoribus occupabar.

A *in ſublime rapitur:*

Zoſimæ cogitationem arguit;

B *rogat ut vitam ſuam explicare,*

Eccli 42, 17. *Deo id volente,*

conſentit, præfata eam fuiſſe turpiſſimam.

C

Duodennis deſerit parentes

EX MS. GR.

D

per annos 17 publica meretrix:

viſa turba Hieroſolymam navigantium,

E

iuvenibus aliquot ultro ſe jungit.

turpiterque in itinere

& in urbe ſancta vivit

F

EX MS.GR. bar: nec enim contenta juvenibus illis, quos per
A mare atque in itinere habueram mihi ſubſervientes; pluribus quoque aliis abuſa ſum, cives & advenas in id ipſum conquirens.

CAPUT III.

Mariæ converſio & vita in eremo.

Hora exaltandæ Crucis templum ingreſſura Maria,

22 CUm vero ſanctæ exaltatæ Crucis feſtivitas illuxit, ego quidem ut antea circuibam, venans adoleſcentum animas: videbam autem ſummo mane concurrere omnes ad eccleſiam: abiique etiam ipſa, cum currentibus currens. Veni ergo cum illis ad Baſilicæ atria, & in ipſa Exaltationis adorandæ hora, impellebam, impellebarque violenter, contendens cum turba ingreſſum obtinere. Ita uſque ad januam templi, in quo ſalutiferum lignum oſtendebatur, appropinquabam miſera, multo cum labore atque anguſtia: mox autem atque limen portæ attigeram, alii quidem abſque impedimento ingreſſi ſunt, me vero divina quædam virtus prohibuit, ingreſſu arcens. Rurſum igitur impellor retro, meque
B in atrio ſolam invenio. Exiſtimans autem id acci*ſæpius repulſa,* diſſe ex muliebri imbecillitate, rurſum me permiſcens aliis, luctabat ut poteram, cubitiſque connitens memet ipſam impellebam. Sed laborabam fruſtra: rurſus enim ſtatim atque limen templi calcavi infelix, alios quidem excepit eccleſia nemine prohibente, me vero calamitoſiſſimam ſuſcipere recuſabat: & tamquam ſi militaris turba ordinata ad hoc ibidem conſiſteret, ut ingreſſum præcluderet; ſic me vis quædam ſubita repellebat, iterumque conſtituebat in atrio.

indignitatem ſuam agnoſcit:

23 Hæc tertio ac quarto agens & patiens, ac denique fatigata, neque jam amplius valens trudere atque retrudi (defecerat enim virtus corporis præ violentia) tandem recedens diſceſſi, & ſteti in angulo quodam atrii; atque ibi vix demum in cognitionem veni cauſæ, prohibentis me intueri vivificum lignum. Perculit enim oculos cordis mei ſalutaris ſermo, oſtendens mihi quod actionum mearum turpitudo præcludebat ingreſſum. Cœpi igitur flere, & dolere, ac pectus tundere: ſuſpiria autem ex intimo corde trahens ac lacrymans, video ſupra locũ, in quo conſtiteram, poſitã imaginem ſanctiſſimæ Deiparæ; atque in
C eam oculos indeſinenter intendens, ſic alloquor: *& coram imagine B. Virginis* Domina Virgo, quæ verbum Dei ſecundum carnem peperiſti, ſcio quoniam neque rationi neque decori congruit, quod ego, uſque adeo ſordida, tuam ſemper virginis intemeratam imaginem aſpiciam; tuam, inquam, quæ ſemper caſta corpus & animam incoinquinatam mundiſſimamque ſervaſti: quin potius æquum eſt ut puritas tua me impuram abominetur & oderit. Quandoquidem tamen Deus, quem genuiſti, ideo, ſicut audivi, homo factus eſt, ut vocet peccatores ad pœnitentiam; adjuva deſolatam me & ſubſidio deſtitutam: jube etiam mihi indulgeri ingreſſum ad eccleſiam, neque prives me conſpectu illius ligni, in quo confixus quoad carnem natus ex te Deus, proprium ſanguinem dedit pro mea re*emendationem pollicita,* demptione: jube mihi quoque, ô Domina aperiri oſtium, ut divinam Crucem adorem, teque genito ex te Deo vadem ſuſceptibilem offeram, quod carnem meam nunquam deinceps commodabo obſcœnæ, ut antea, commixtioni; ſed mox ut Crucem filii tui videro, mundo & omnibus quæ in mundo ſunt vale faciens, illuc ibo, quo tu ipſa, velut ſalutis meæ mediatrix, juſſeris atque duxeris me.

ingreſſum obtinet.

24. Talia loquens, & fidei ardore tamquam pignore quodam certior reddita gratiæ obtinendæ, atque in miſericordia Deiparæ confiſa, moveo me ab eo loco in quo conſiſtens orationem feceram: rurſuſque accedens introeuntibus me permiſcui, neque D amplius ſenſi qui me impelleret ac viciſſim impelleretur, aut omnino prohiberet appropinquare portæ, per quam ingreſſus erat in templum. Hic vero horror & ſtupor me cœpit, totaque contremui: deinde attingens portam quæ hactenus mihi clauſa fuerat, veluti ſi ea vis omnis quæ antea impediverat, nunc aditum laxaviſſet, citra laborem ingredior; atque in ſanctum admiſſa locum, fruita ſum ſalutari Crucis aſpectu; vidique arcana Dei, & quam paratus ſit ſuſcipere pœnitentes. Itaque infelix ego in terram me proſternens, poſtquam ſanctum illud pavimentum adoravi, curſim exivi feſtinans ad eam quæ mea fuerat mediatrix: conſtitutaque in loco, in quo ſponſionis meæ ſignatum erat chirographum, ac genu flectens ante Deiparam ſemper virginem, hujuſmodi verbis uſa ſum.

tum gratias Deiparæ agit.

25 Tu, ô domina clementiſſima, humanitatem tuam erga me commonſtraſti, tu non repudiaſti orationem peccatricis indignæ. Vidi gloriam, cujus conſpectu merito privamur impuri: ſit igitur gloria Deo, qui per te ſuſcipit peccantium pœnitentiam. Quid enim amplius cogitabo aut dicam peccatrix? Tempus eſt Domina ut fide-juſſionis, quam interpoſuiſti pro me, impleantur promiſſa. Nunc igitur, quo E jubes, deduc me: nunc vel maxime fias mihi magiſtra ſalutis, manuducens me per viam pœnitentiæ. His dictis, audio vocem eminus clamantis: Si Jor*monita Iordanem tranſire,* danem tranſieris, optimam invenies requiem. Ego vero vocem iſtiuſmodi audiens, mihique perſuadens eam propter me factam, exclamavi lacrymans, & Deiparæ dixi; Domina, Domina, ne derelinquas me. Itáque vociferans egredior ex atrio templi, feſtinaque pergebam.

tres panes aſſumit in viaticum:

26 Egredientem autem me conſpiciens quiſpiam, tradidit mihi tres nummos dicens, Accipe hoſce, Mater. Ego vero datos expendens, tres panes mihi cum ipſis emi, & eos in viaticum benedictionis accepi. Interrogavi deinde eum qui panes vendiderat, quæ aut ubi eſſet via ad Jordanem ducens: edoctaque portam civitatis, quæ in illas ducebat partes; egrediebar currens, & proficiſci incipiebam lacrymans: interrogationi vero interrogationem jungens, totoque die ambulans (erat enim ut arbitror hora tertia quando Crucem conſpexi) tandem inclinante ad occaſum ſole, appropinquavi ad templum Joannis F Baptiſtæ, quod prope Jordanem ſitum eſt. Hic ego cum prius oraviſſem, deſcendi ſtatim in Jordanem, faciemque ac manus ſancta illa aqua rigavi: deinde in ipſo Præcurſoris templo ſuſcepi intemerata atque *& Sacramentis munita eremum intrat,* vivifica myſteria, atque comedi mediam partem panis unius, & ex Jordane bibi, ſicque me ſuper terram poſui nocte illa. Mane autem facto inveniens ibidem parvam ſcapham, tranſivi in ripam alteram; iterumque rogavi ducem meam, ut duceret me quo placuiſſet. Fui igitur in hac eremo, & ab illo tempore uſque in hodiernum diem elongavi fugiens; & hic habito, expectans Deum meum, qui ſalvat converſos ad ſe à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate.

ibique vivit annis 47

27 Dixit ad eam Zoſimas: Quot vero anni ſunt, ô Domina mea, ex quo in hac eremo habitas? Reſpondit mulier: Quadraginta ſeptem anni, quantum exiſtimo, ſunt quod ſancta civitate egreſſa fui. Et rurſum Zoſimas, Ecquid autem in cibum habuiſti vel inveniſti, ô Domina mea? Duos, inquit illa, & dimidium panem ferens Jordanem tranſivi, qui brevi arefacti induruerunt, & paulatim edendo abſumpti ſunt. Tunc Zoſimas: Et ſic abſque difficultate tranſegiſti tantum tot annorum ſpatium? neque tam ſubita mutatio quidquam te conturbavit? Rem, ſubjungit illa, nunc quæris, Abba Zoſima, quam vel referre

A

referre horreo: ſi enim nunc in memoriam revocavero tam multa quæ ſuſtinui pericula, tentationumque graviter me pulſantium rationem voluero reddere, vereor ne rurſum ad eoſdem impingar ſcopulos. Nihilominus, reponit Zoſimas, nihil dimittas, Domina, quod mihi non enunties: hoc enim te ſuppliciter omninò rogavi, ut abſque involucro cuncta me doceas.

quorum primis 17 variis tentata

28 Cui illa; Crede mihi, inquit, Abba Zoſima, annos ſeptemdecim tranſegi in hac eremo, luctans cum effrænatis cupiditatibus meis, veluti cum beſtiis immanſuetis. Si cibum aggrediebar ſumere, deſiderabam vini pocula, multum mihi amata: copioſo enim vino utebar, cum viverem in ſeculo; hic vero neque aquam guſtare licebat graviter æſtuanti, atque ſitim amplius tolerare non valenti. Subingrediebatur autem meretriciorum cantuum cupiditas adverſa rationi, multum me conturbans, ſuadenſque ut canerem quas didiceram diabolicas cantiones. Ego vero ſtatim illacrymans, manuque pectus tundens, mihi ipſi revocabam memoriam promiſſorum, quæ ſanxi ad eremum digrediens; & cogitatione referebam me ad imaginem Deiparæ ſuſceptricis meæ, & quaſi coram ea exiſtens flebam, rogabamque ut liberaret me à tentationibus, miſeram animam meam tantopere infeſtantibus. Poſtquam vero diu ploraveram & pectus pro viribus verberaram, vidi lumen undequaque me circumcingens, & exinde conſtans deinceps malacia mihi atque tranquillitas obtigit.

implorata ope D. V.

B

29 Cogitationes vero quæ rurſum ad fornicationem impellebant me, quomodo tibi explicem, Abba? Ignis enim in meo infelicis corde accendebatur, totamque exurebat atque ad deſiderium coitus pertrahebat. Ego vero ſtatim atque ejuſmodi tentatio offerebatur, proſternebar in terram, & lacrymis rigabam ſolum; ipſam vadem meam adſtare credens tamquam prævaricatrici, ad violatæ ſponſionis pœnas exigendas: neque prius aſſurgebam de terra, in qua nonnumquam contigit totam diem ac noctem ſic me jacere, donec ſuave illud lumen mihi circumfulgeret, & moleſtas mihi cogitationes diſſiparet. Denique mentis meæ oculos indeſinenter defigebam in eam quæ ſpoponderat pro me, petens opem in hujus eremi pelago periclitanti animæ. Et vero auxiliatricem habui ac pœnitentiæ ſuſceptricem: atque ita ſpatium annorum decem ac ſeptem tranſegi, mille periculis implicata. Ex illo autem tempore uſque in

victoriam obtinet plenamque quietem

C

hodiernum diem, in omnibus mihi adfuit protectrix mea, neque velut ad manum ſemper deduxit.

item tolerantiam æſtus ac frigoris

30 Dixit ei Zoſimas: Numquid eguiſti victu & veſtitu? Ipſa vero reſpondit: Conſumptis, quos ante dixi, panibus, annos ſeptemdecim ſuſtentavi me herbis & qualicumque edulio per deſerta inveniendo: veſtimentum autem, quod habebam Jordanem tranſiens, conſumptum attritumque eſt. Multam igitur ex frigore, multam etiam ex ardore æſtivo moleſtiam ſuſtinui, calore aduſta, & frigore tremens atque conſtricta, adeo ut ſæpe in terram corruens fere abſque ſpiritu immobilis permanerem; unde multis quoque inſidiis dæmonum & tentationibus perpetuis oppugnabar. Sed deinceps & uſque nunc multiplex Dei virtus peccatricem animam meam & hoc vile corpuſculum conſervavit. Etenim cum ſolum recordor ex quantis malis me eruerit; cibum habeo non conſumendum, ſpem, inquam, ſalutis conſequendæ. Nutrior namq; & contegor Dei verbo omnibus dominantis, quia non in ſolo pane vivit homo: & pro eo quod veſtimentum non habent, induuntur petram quicumque exuerunt peccati indumentum.

& ſcientiam ſcripturarum.

31 Audiens autem Zoſimas quod meminiſſet Biblicarum ſententiarum ex Moyſe & Job atque libro Pſalmorum, dixit ad eam: An Pſalmos quoque & Scripturas alias didiciſti, Domina? Ipſa vero ſubriſit ad interrogationem iſtiuſmodi, & ait ad ſenem: O homo, crede, quod à die qua Iordanem tranſii, nullius hominis vultum præter tuum hodie ſum intuita: ſed neque feram aut aliud quodpiam animal vidi, ex quo hanc ſolitudinem novi. Litteras igitur numquam didici: quinimo nec pſallentem quemquam nec legentem audivi: ſermo autem Dei vivus & efficax, ipſe docet hominem ſcientiam. Atque ecce hic finem habes narrationis meæ: quod autem feci exordiens, nunc quoque adjuro te per incarnationem Verbi divini, ut pro me peccatrice Dominum exores. Hæc illa cum dixiſſet, & huc uſque ſermonem protraxiſſet, inclinavit ſeſe benedictionem poſtulans. Senex vero rurſum cum lacrymis exclamavit, Benedictus Deus qui facit magna & admiranda, glorioſa ac prædicanda, quorum non eſt numerus. Benedictus Deus, qui oſtendit mihi quanta largiatur timentibus ſe. Vere non derelinquis quærentes te, Domine.

EX MS. GR. D.

petit à Zoſima ut audita clam ſervet,

32 Ipſa porro ſenem ſuſtinens non permiſit, ut ſeſe ad benedictionem inclinare pergeret, ſed ait ad eum: Adjuro te per Salvatorem Chriſtum Deum noſtrum, nequid horum omnium quæ audiviſti mortalium alicui reveles, uſque dum ab hac terra me abſtulerit Dominus. Nunc vero vade in pace, quia rurſum ſequenti anno videbis me, & ego te, Dei gratia cuſtoditum. Fac autem, propter Deum quod nunc tibi præcipio. Cum anno proximo Quadrageſimale tempus advenerit, ne tranſeas Iordanem, ſicut fieri ſolet in monaſterio. Obſtupuit Zoſimas audiens quod de regula monaſterii loqueretur; neque aliud dixit quam, Gloria Deo, magnas gratias indulgenti diligentibus ſe. Ipſa vero ſubjunxit: Expecta, Abba, ut dixi, in monaſterio: neque enim, ſi volueris egreci, id tibi ſuccedet: veſpere autem in Cœna Domini accipe mihi ſacrum vas vivifici Corporis & Sanguinis Chriſti, tantis myſteriis dignum, atque affer; manens omnino in ea Iordanis ripa, quæ terræ habitatæ eſt propior, donec adveniens ſuſcipiam vitalia dona: ex quo enim illa ſuſcepi in templo Præcurſoris, prius quam Jordanem trajicerem, uſque nunc carui participatione ſanctificationis hujus, & nunc ipſam inexplebili amore concupiſco; ideoque oro ne meam deſpicias petitionem: ſed omnino mihi adferas ſalutifera atque divina myſteria, ea hora qua Dominus diſcipulos ſuos divini iſtius epuli fecit participes. Abbati vero Joanni, ejus in quo habitas monaſterii Hegumeno, hæc dicito: Attende tibi ipſi & gregi tuo: quædam enim ibi aguntur quæ indigent correctione: verumtamen nolo ut hæc ei nunc dicas, ſed quando Dominus te reduxerit. Hæc elocuta, & ſeni dicens, Ora pro me, denuo cucurrit verſus interiorem eremum. Zoſimas vero genua flectens, & adorans ſolum in quo ſteterant veſtigia pedum ejus, Deoque gloriam reddens ac gratias agens, cum gaudio ſpiritus & exultatione corporis reverſus eſt, glorificavitque ac benedixit Chriſtum Deum noſtrum: & rurſum ſolitudinem illam emetiens, venit ad monaſterium, ea die quo ceteri monachi ſolebant reverti.

E

& ſequenti ann. adferat ſibi ſacram Communionem:

F

& ſic ab eo diſcedit.

CAPUT IV.

Sacra Communio Mariæ præbita, ſepultura curata.

33 TOto illo anno tacuit Zoſimas, non audens quidquam eorum quæ viderat alicui enuntiare; penes ſe interim orabat Deum, ut iterum ei oſtenderet vultum exoptatum: cruciabatur autem & affligebatur, cogitans quam longa eſſet anni perio-

EX MS. GR. A

periodus, totumque illum cupiebat esse unum solum diem, si fieri potuisset. Cum vero initium Jejuniorum referens Dominica adfuit, alii quidem statim post consuetam orationem psallentes exierunt; ipsum vero febricitantem detinuit morbus & remanere coëgit. Recordatus est ergo Zosimas quod sibi dixerat Sancta, quia neque si volueris monasterio egredi id tibi succedet: transactisque diebus paucis resurgens à morbo, reliquum temporis in monasterio peregit.

Anno proximo Zosimas exire impeditus

34 Porro monachis iterum reversis, cum advenisset mysticæ Cœnæ vespera, fecit quæ sibi fuerant imperata; & accipiens parvum poculum intemerati Corporis ac venerandi Sanguinis Christi Dei nostri, sumpsit in canistro ficus & dactylos, modicasque fabas aqua maceratas: abiens vero profunda jam vespera sedit in ora Jordanis, expectans Sanctæ adventum. Moram autem faciente muliere, non dormitavit Zosimas, sed indesinenter prospiciebat eremum, præstolans sicubi videret quod tantopere cupiebat. Dixit autem intra se dum ita sederet: Num forte indignitas mea aliqua ipsam venire prohibuit? aut forte jam venit, meque non invento rursum abiit? Hæc dicens flebat, & flens suspirabat, oculosque in cælum attollens orabat Deum; Ne fraudes me, inquiens, Domine, ab iterato ejus aspectu, quam semel à me conspici permisisti; neque revertar hinc vacuus, mecum ferens opprobrium peccatorum meorum. Talia oranti cum lacrymis, longe diversa incidit cogitatio, dixitque intra se: Quid vero fiet si venerit? neque enim cymba ad manum est: quomodo igitur Jordanem transibit, atque ad me indignum accedet? Heu me miserum! heu infelicem! quis me tam grandi bono privavit propter culpam meam?

in cœna Domini abit ad Iordanem,

B

35 Ita secum ratiocinabatur senex; cum ecce advenit sancta mulier, & trans Jordanem stetit unde advenerat. Zosimas vero exsurrexit gaudens atque exultans & glorificans Deum. Rursus autem affligebat eum cogitatio quod non posset Jordanem transire. Tum vidit eam venerando Crucis signaculo Jordanem signare (nox enim ut in plenilunio illustris erat, quemadmodum retulit) moxque ut aquas signavit, ingredi, ac super easdem ambulare, & venire ad se. Volentem autem inclinare se prohibuit, clamans & super fluvium incedens; Quid agis, Abba? qui & Sacerdos es & divina portas mysteria. Ipso vero verba ejus considerante, gradiens super aquas, dixit seni: Benedic, Pater, Benedic. Qui expavescens (stupor enim apprehenderat eum super admirabili visione) respondit eidem: Vere fidelis Deus est, qui promisit assimilandos Deo quantum fas est qui seipsos perpurgassent. Gloria sit tibi, Christe Deus noster, qui non amovisti orationem meam neque misericordiam tuam à servo tuo. Gloria sit tibi, Christe Deus noster, qui ostendisti mihi per hanc famulam tuam, quanto intervallo distem à perfectione. Hæc loquentem rogavit mulier sanctum fidei Symbolum, & Pater noster qui es in cælis, inchoare: quo facto & fine orationi posito, juxta consuetudinem osculum senis ori dedit: & sic divina suscipiens mysteria, manusque in cælum sustollens exclamavit, Nunc dimittis famulam tuam, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.

super cujus aquas venienti ad se Maria

C

sacram Communionem ministrat,

36 Tunc dixit seni: Ignosce, Pater, atque aliam etiam petitionem meam imple. Abi nunc in monasterium, Dei gratia te custodiente; proximo autem anno veni; rursusque ad torrentem illum, ubi tibi primum occurri, accede obsecro, propter Dominum: ibi iterum me videbis, sicut Dominus voluerit. Ipse autem respondit ei, Utinam possem ex nunc sequi te & tuo conspectu semper frui! sed & tu petitionem unam meam facito, atque ex his quæ detuli modicam accipe refectionem: & hæc dicens ostendit ei quem ferebat corbem. Ipsa vero summis digitis fabas attingens, & tria grana inde auferens, proprio admovit ori, dicens, sufficere gratiam Spiritus ut substantiam animæ incorruptam conservet: rursumque dixit seni: Ora, per Deum, ora pro me, & meæ humilitatis recordare. Ipse autem pedes Sanctæ amplectens, oransque ut pro Ecclesia & Imperio atque ipso se deprecaretur, dimisit eam, abiitque flens & suspirans; neque enim ultra retinere incomprehensibilem præsumebat. Ast illa rursus Jordanem signans, ascendit aquas: & sicut prius ambulans, ab eo discessit. Senex vero reversus est, gaudio & timore multo plenus, seque ipsum redarguens quod nomen Sanctæ non curavisset discere: sed & hoc speravit se posse anno futuro consequi.

D

& cibos eidem offert:

jussus altero anno venire in eremum,

37 Transacto autem anni circulo iterum abiit in eremum, omnia ex more faciens, & festinans ad spectaculum istud mirabile. Emetiens vero solitudinis spatium, & signa quædam inveniens, quæsiti loci indicium facientia; circumspiciebat ad dexteram sinistramque, oculos quaquaversum volvens, instar ardentissimi venatoris, sicubi forte dulcissimum animal deprehenderet. Ast ubi nihil uspiam moveri conspexit, cœpit iterum lacrymis seipsum perfundere, & sursum elevando oculos atque orando dicere: Ostende mihi, Domine, thesaurum tuum sacro-sanctum, quem in hac eremo abscondisti: ostende mihi obsecro, Angelum incarnatum, cujus indignus est mundus. Atque hæc dicens pervenit ad locum, qui speciem alvei fluvialis habebat; & ex latere illius quod orientem solem respicit, jacere vidit mortuam Sanctam, manibus uti decebat compositis, vultuque conversam ad Orientem. Qui continuo accurrens, pedes Beatæ lacrymis abluit; nec enim aliquod membrum aliud audebat attingere.

mortuam invenit,

E

28 Lacrymis igitur aliquamdiu fusis, & rei ac tempori congruis recitatis Psalmis, sepulcralem fecit deprecationem, aitque intra se: Numquid cadaver Sanctæ sepelire conveniet? aut si fiat, displicebit Beatæ? Hæc dicens, vidit ad caput ejus expressam in terra scripturam, ita jubentem: Sepeli, Abba Zosima, in hoc loco humilis Mariæ cadaver, pulveri pulverem tradens, atque pro me Dominum jugiter deprecans, quæ obii in hac ipsa nocte Dominicæ Passionis, post susceptionem divini & mystici epuli. Has igitur litteras perlegens senex, gavisus est quod nomen Sanctæ didicisset: cognovit autem quod simul atque divina mysteria juxta Jordanem sumpsit, statim ad hunc locum reducta fuerit, in quo & defuncta est; adeo ut quam viam Zosimas non sine labore fuerat emensus viginti dierum spatio, intra horam unam transierit Maria, & ad Dominum ilico emigrarit.

& nomen ejus arenæ inscriptum.

F

39 Ergo Deum glorificans, & venerandum corpus lacrymis suis rigans, Tempus est, inquit, humilis Zosima, ut impleas quod tibi imperatur. Sed quomodo foveam conficere poteris, nihil præ manibus ad id congruum habens? moxque prospiciens vidit eminus breve lignum, eoque accepto cœpit terram fodere. Verum hæc cum arida esset, nequaquam obediebat laboranti seni: sed fatigabatur ipse sudore circumfluens. Ex intimo autem corde suspirans, & oculos elevans, vidit grandem leonem adstare sancto cadaveri ejusque vestigia lambere. Quo conspecto præ formidine contremuit, maxime quia recordabatur dixisse Sanctam, quod numquam conspexisset feram ullam: facto tamen Crucis signo, credidit quod se indemnem servaret jacentis virtus. Leo vero cœpit accedere ad senem ipsum, non tantum motu salutans, sed ipsa etiam oblatione sui.

frustra laborans in sepulcro effodiendo

Dixit

Dixit itaque leoni Zoſimas: Quandoquidem, o animal, Sancta voluit ut ſuum corpus ſepeliretur, ego autem ſenex nequeo foſſam conficere (neque enim vel ligonem habeo idoneum negotio, vel tanto intervallo poſſum reverti, ut inſtrumentum congruum adferam) tu quod opus eſt unguibus perfice, ut tabernaculum Sanctæ humo commendemus. Vix ille hæc dixerat, cum leo anterioribus pedibus foſſam fecit, ſufficientem corpori ſepeliendo.

utitur leonis ſe offerentis miniſterio,

40 Rurſum igitur pedes Beatæ lacrymis irrigans ſenex, multumque eam deprecans ut pro omnibus oraret; terra corpus abdidit, adſtante leone; nudum utique ſicut prius, niſi quod circumpoſita ei erat lacernula illa, qua ad ſe projecta per Zoſimam, averſa Maria obtexerat corporis verecundiora. Sene autem digrediente, regreſſus eſt etiam leo in eremum inſtar agni: & Zoſimas abiit, benedicens ac laudans Chriſtum Deum noſtrum. Porro reverſus in cœnobium, narravit omnia monachis, nihil eorum quæ audierat ac viderat reticens: à principio enim cuncta illis minutim expoſuit, ut omnes audientes obſtupeſcerent Dei magnalia, & Sanctæ memoriam cum timore & gaudio celebrarent. Ioannes vero Hegumenus invenit in monaſterio quoſdam correctionis egentes, ut ne in hoc quidem, ſermo Beatæ vanus & inutilis appareret. Zoſimas quoque in eodem monaſterio obiit, centeſimum ferme vitæ annum attingens.

& Sanctam ſepelit

everſuſque omnia monachis narrat:

B

41 Perſeverarunt autem monachi hæc ipſa per traditionem diſcentes, atque ad communis utilitatis argumentum proponentes audire volentibus: ſed non audivi quemquam ſcripto ſignaſſe narrationem: ego vero, quæ citra ſcripturam comperi, per litteras curavi nota facere. Forſitan tamen etiam alii Vitam Sanctæ ſcripſerunt; multo quam ego magnificentius ſublimiuſque, quamvis iſtud ad meam notitiam non pervenerit: quare ut potui conſcripſi hiſtoriam, nihil volens addere veritati. Deus vero qui magna tribuit confugientibus ad ſe, utilitatem legentium pro mercede reddat ei qui hanc narrationem conſcribi juſſit, faciatque participem gradus & ordinis ad quem iſta, de qua eſt ſermo, Beata attigit, nec non eorum omnium qui ipſi placuerunt à ſeculo. Demus igitur etiam nos gloriam Deo, Regi ſeculorum, ut nos quoque faciat miſericordiam conſequi in tremenda judicii die, in Chriſto Jeſu Domino noſtro, quem ſemper decet gloria, honor & adoratio, cum experte principii Patre, ſanctiſſimoque & vivifico Spiritu, nunc & in ſecula ſeculorum. Amen.

Hæc ſunt hic ſcripta ſunt.

C

PARAPHRASIS METRICA

Auctore Hildeberto Epiſc. Cenomanenſi.

Ex veteri noſtro MS. Anglicano.

CAPUT I.

Zoſimæ monachi laus, ſeceſſus in eremum ubi inventa Maria.

Zoſimas ab adoleſcentia

1 SIcut hiems laurum non urit, nec rogus aurum,
Sic Zoſimam puerum nec opes nec gloria rerum;
Quas cito labentes & noxia quæque docentes
Sprevit, devovit, animoque manuque removit;
Et monachus factus, monachi vigilavit in actus;
Proponenſque ſequi doctores juris & æqui,
Inſtitit annorum legem cohibere ſuorum.
pie verſatus in monaſterio,
Mores doctorum tranſcendit, doctor eorum,
Ut pueri metas evaſit debilis ætas.
Creverunt dona: crevit ſimul ipſa corona. AUCT.
Nil magis huic oneri quam membra quiete foveri, HILDEBERTO
Nil magis ingratum quam non punire reatum. EXMS.
Hujus erat teſtis modicus ſopor, aſpera veſtis;
Et cibus & ſtratus, modo gloria, tunc cruciatus.
Teſtis erat monachi color, & caro neſcia Bacchi:
Non caro, ſed pellis, macra, flaccida, trita flagellis,
Docta reluctari ſibi, ſpiritui famulari.
His in tormentis ſacræ modulatio mentis
Chriſto pſallebat, ſi quando lingua tacebat.
A ſanie buſti ſacra pectora plenaque juſti
Numquam dimovit: Deus hoc, homo cetera novit.
magnamque adeptus ſanctitatem,
2 Talibus ille modis dum pſalmis inſtat & odis,
Vidit cælorum ſecreta, futurus eorum:
Vidit, & didicit qua ſpe tot prælia vicit.
Spe Zoſimas captus, ſacros ita crevit in actus,
Ut ſtagnum rivo vel torpens ignis olivo:
Et memor, ad mores prodeſſe, cavere favores,
Cum bene pugnaret, cavit ne fama volaret:
Quanto plus cavit, tanto magis illa volavit,
Et contra votum retulit laudabile totum.
Illuc innumeri populi venere doceri:
Quos, ut poſcebat locus, ætas, ordo, docebat,
Vincens majores, ut ſtellas luna minores.
tentatur de inani gloria.
3 Hæc dum conſuevit Zoſimas, elatio crevit, E
Dixit & hæc ſecum: Quidquid jubet ordo vel æquum
Eligo, ſector, amo, diſcenda tenendaque clamo.
Attenuant artus labor ingens & cibus arctus,
Hæc puer elegi, puer hæc & plura peregi;
Jam tunc ordo gregis, jam remus & anchora legis;
Jam dignus cælis; ſacer actu, mente, loquelis.
Unus cum mundo pugnavi fine ſecundo.
Miratrix horum plebs, Clerus, grex monachorum
Me petit, ardet, amat, peragit quod vox mea clamat.
Talia dum jactat Zoſimas meritumque retractat;
Quidam ſubtexit, cui ſpiritus iſta retexit:
de qua veprehenſus
4 Jam bene certaſti, bene qua licuit ſuperaſti?
Nil obluctatur, caro ſervit, mens dominatur:
Sed tamen eſt dubius finis certaminis hujus;
Dumque potes ſubici, non debes dicere, Vici.
Nam quis vincatur vel vincat, fine probatur:
Præmia victorum pendent in fine laborum;
Ut Scriptura ſonat: finis, non pugna coronat. F
Cum bene pugnabis, cum cuncta ſubacta putabis;
Quæ poſt infeſtat, vincenda ſuperbia teſtat:
Hæc niſi vincatur, promiſſa corona negatur.
Pro dolor! his telis ſuperatur ſæpe fidelis:
Hac lue nonnumquam roſa vertitur in ſaliuncam.
Iſti portento, ſodes, obſtare memento:
ad Iordanem mittitur:
Nec vel te tantum præſumas credere Sanctum,
Vel te præ Sanctis meritum promiſſa Tonantis.
Multi ſunt qui te ſuperant certamine vitæ;
Quos ut cognoſcas, Jordanis littora poſcas.
Regem cælorum colit illic grex monachorum:
Cum monachis habites: quod agit, age; cetera vites.
Exi, feſtina: dilatio, magna ruina.
5 Exit, abit propere, pulſatque: fores patuere.
Inde ſalutatus Abbas, eſt pauca profatus;
Cur venias, aperi. Zoſimas ait, Opto doceri,
Et peccatorum relevari mole meorum.
Aſperitas cultus, vox ſupplex, gratia vultus,
Signa ſacræ mentis, votum juvere petentis:
& ibidem receptus,
Reſponditque Pater: Nemo, cariſſime Frater,

AUCTORE HILDEB. EX MS.

A

Nemo levat morbis animum niſi Conditor orbis:
Prava coërceri, bona poſcas inde doceri.
Si tamen his cœtus placet aut locus ipſe quietus,
Si magnus modicis vis jungi, palma myricis,
Stes, videas, humilis ſi proderit uſus ovilis,
Et lege nobiſcum paſtus iſtius hibiſcum:
Summus Paſtorum nos nutriet, eſca ſuorum,
Eſca fovens mentem præ hac nihil eſurientem:
Nil animæ ſatius quam paſci viſibus hujus.
Annuit his equidem Zoſimas, & manſit ibidem:
Manſit & in cellæ nova jura, ſacerrima bella
Vidit, laudavit, didicit, ſervavit, amavit;
Tam gregis hortatu creſcens, quam tela rotatu.

miratur diſciplinæ rigorem,

6 Hujus cura gregis, ſummi dilectio Regis;
Legis doctores audire, docere minores;
Nolle favere cuti, jus pendere, legibus uti;
Nulla loqui temere, quaſi dira venena cavere
Iras, livorem, lites, maledicta, tumorem.
Sal, piſces, vinum, pulmentum, ſtamina, linum
Non attingebant, quibus uti crimen habebant.
Non ſapor his olerum, non res, non mentio rerum;
Nec crinis comptus, nec erat meditatio ſumptus.
Nemo vel impenſa veſtis, vel diſpare menſa
Invidit Patri, non Frater denique Fratri.

B

Par cibus & cultus, procul abfuit inde tumultus.
Potus erat flumen; feſtivior eſca, legumen;
Cilicium, veſtis; male mollia cingula, reſtis;
Gaudia, lapſorum reditus; dolor, error eorum;
Lectio, vita Patrum; monitus, concordia Fratrum:
In verbis horum Deus aut ſacra geſta priorum.
In vigilando moræ: procul otia; Pſalmus in ore:
Attenuata caro cruce multa, fomite raro,
Fletibus & crebris vulgabat facta latebris.
Vulgi rumores, fora, cauſas exteriores,
Momentum morum non noverat ullus eorum.
Hujus erat cauſa locus abditus, oſtia clauſa,
Janitor auſterus; grex, paſtor, uterque ſeverus.

vitæ communis obſervantiam,

7 Iſti clauſtrales nec certos officiales,
Nec (niſi Paſtorem demas) novere priorem.
Si quid poſcebat res aut Pater ipſe jubebat,
Cura fuit cuique parere reique Patrique.
Paſtor agenda quidem monſtrabat, agebat et idem,
Plus quam prælatus cunctis ſervire paratus,
Nec magis hortari conſuetus quam famulari.
Ille, beatorum decus & ſpeculum monachorum,
Lux erat in tenebris; ibi clauſus, ubique celebris;

C

Morum primatus, ſchola juris, virga reatus;
Crux ſibi, forma gregi, via vitæ, gloria legi;
Gnarus gaudenti gaudere, dolere dolenti;
His gravis, his fractus fuit, omnibus omnia factus.

& per tempus Quadrageſimale

8 Res monet, ut quædam, quæ grex conſueverat, edam.
Tempore quo ſacro plebs purificata lavacro
In veniam ſcelerum ſummam decimare dierum
Incipit, ex cella prodibant ad nova bella.
Sed prius exceſſus Abbati quiſque profeſſus,
Præconfortabat mentem corpuſque iuvabat,
Sacramentorum guſtu modicoque ciborum.
Inde petebatur benedictio ſacra: dabatur:
Oſcula jungebant: tunc tandem clauſtra patebant.
Iamque vale dicto, cœtuque locoque relicto,
Grex ſimul exibat, eremum diviſus adibat;
Pars, ut poſcebat mos ipſe, domi remanebat:
Non ſervaturi bona, convenientia furi;
Sed ne ſanctorum foret expers Officiorum
Cella, parata ſacris ſtudiis, animæque lavacris;
Ornatu feſto pauper, ſed dives honeſto.
9 Ædibus egreſſi, latebras eremumque profeſſi,
Pergebãt, quorſum dabat optio, quiſque ſeorſum:

D

Quiſque pari voto certabat, teſte remoto,

anachoreſim annuam.

Pſallere proſtratus, lacrymis abolere reatus,
Suppliciis laceræ carnis tibi, Chriſte, placere,
Lætari de te ſocio, duce, fine, quiete:
Te prætendebat, dabat, expectabat, habebat
Belli turamen, teſtem, diadema, iuvamen.
His inſiſtebant ſtudiis, pariterque fovebant
Corda ſacris verbis, carnem radice vel herbis;
Pars quota geſtabat panem, partem recreabat
Fructus palmarum præ menſis deliciarum,
Præ dape feſtiva glans aut ſilveſtris oliva.
Hæc in deſerto ſumebant tempore certo,
Et certis horis requiem, modicumque ſoporis.
Taliter expletis triginta novemque diætis,
Cella petebatur: remeabant cum celebratur
Ramis palmarum, pro canone Chriſticolarum.

juxta quem ritum egreſſus etiam ipſe,

10 Hæc & miratus Zoſimas & ferre paratus,
Nil ratus eſt ſatius quam ritum canonis hujus.
Hunc ſimul advexit revolutio temporis, exit:
Exit, & à cella proficiſcitur ad nova bella.
Tranſit Jordanem, portans pro tempore panem:
Et ſic ingreſſus latebras eremique receſſus,
Vota Deo ſolvit, nova cantica pectore volvit,
Solus agit vitam: ſacra facta probant eremitam.
Ex quo luceſcit, iter urget; nocte, quieſcit

E

Stratus humi; plorat, ſocium ſibi quærit & orat,
Qui ſolaretur curas, pariter pateretur,
Actibus inſtrueret, ſuperans ſuperare doceret.

& videns eminus

Quod petit aſſequitur, ſociuſque viæ reperitur.
Nam majore mora ſolita dum pſalleret hora,
Tamquam currentem quemdam, ſed veſte carentem
Vidit, & expavit, quoniam phantaſma putavit.
Viſu turbatus, Crucis eſt ſigno revocatus.
Viribus hinc ſumptis, iter inveſtigat euntis;
Currit, obeſtque parum labor, ætas, luſtra ferarum.

S. Mariam,

11 Sancte ſenex, propera, viſurus ſpe meliora:
Quæ legis & ſequeris veſtigia, ſunt mulieris.
Femina precedit, quia nec tibi femina cedit:
Ut pede, ſic vita te præterit hæc eremita:
Hæc meruit latebris ut nunc ſit ubique celebris:
In latebris didicit bene mundum vincere, vicit:
Imbribus infecta, nigra phœbo, curva ſenecta,
Hiſpida per mendas, partes intecta tegendas.
Horreſcunt illi nivei modicique capilli,
Vix attingentes humeros, vix colla tegentes,

F

Impexi, rari, ſoliti ſine lege vagari.
Femina tota prius, jam totum reſpuit hujus:
Femina caro pridem, modo tota rebellis eidem:
Femina, mortales bene dedignata ſodales,
Oblatum caſu Zoſimam fugit alite paſſu.

eam ſequitur

12 Hanc Zoſimas ſequitur: rogat ut ſtet, nec minus itur.
Ille magis ſolito clamat, Moderatius ito:
Quiſquis es, expecta: vetor ire labore, ſenecta:
Expecta feſſum: non ſum fera, ſupprime greſſum:
Sum res parva quidem, ſed homo peccator, & idem.
Chriſtum profeſſus monachumque, frequento receſſus,
Hic delictorum veniam ſuſpiro meorum.
Ne fuge: ſiſte parum: verearis luſtra ferarum.
Per nomen Chriſti, per præmia quæ meruiſti,
Serve Dei, reſta: benedic mihi: quod rogo præſta.

& aſſequitur.

Numquid pro Chriſto deſerto vivis in iſto?
Quî non audiſti, ſaltem pro nomine Chriſti?

CAPUT

A

CAPUT II.

Colloquium Zoſimæ cum Maria, vitæ ſuæ meretriciæ ſordes exponente.

13 Illa gradum fixit, manibuſque ſubobſita, dixit:
Maria ſeminam ſe faſſa, Femina ſum Zoſima, ſcelerum molimine prima;
Expers pannorum confundor ad ora virorum,
Nec ſinit os verti pudor inguinis haud cooperti.
Sed quia te Chriſti famulum ſcio, quod petiiſti
Fiet, ſi dederis quo probra tegam mulieris.
Vis loquar aut reſtem? verſus retro, da mihi veſtē:
& pallio ſibi commodato tecta. Inde cuculla datur: qua femina tecta, profatur:
Cur Pater, inſequeris latebras miſeræ mulieris?
Cur aut quo curſus? Fremit hic leo, murmurat urſus;
Quod ſperare bonum potes in regione leonum?
Hæc ea dū memorat, monachus proſternitur, orat
Ut benedicatur: ſed & hæc ea, ſtrata, precatur.
Femina, Sancte Pater: monachus, Sanctiſſima Mater.
Clamitat uterque: Benedic, inculcat uterque:
Hæc ratio litis, hæc unica lis eremitis:
Cetera pars vitæ concors fuit & ſine lite.
petit a Zoſima benedici. 14 Dum ſic certatur, ſacra femina talia fatur:
B Mi Pater, offendis, niſi res ex ordine pendis:
Offendis vere, dum vir petis a muliere
Hoc tibi præberi, quod vir debet mulieri.
Vera loqui detur: tranſgreſſor juris habetur,
Qui rogat illa dari quæ poſſint jure negari.
Tu vir, tu pridem monachus, tu Presbyter idem:
His tribus urgeris parere preci mulieris.
Te peccatrici benedicere, non benedici,
Præcipit, ex more, ſacro manus uncta liquore,
Officii cujus eſt gratia muneris hujus.
Intulit iſta Pater: Claret ſatis, o ſacra Mater,
Claret quantorum, Mater ſacra ſis meritorum:
Nam licet ignotus fuerim longeque remotus,
Hic econtra petit ut benedicat ſibi, Nec dictum tibi ſit, quæ vita, quis ordo mihi ſit;
Omnia noviſti; nomen quoque non tacuiſti.
Iſta docent quanti ſis, & quam grata Tonanti:
Cui ſic ergo places, hunc flectas, hunc mihi places:
Si petis, ipſe dabit: pete, votum vita juvabit:
Vita beatorum votis ſuccurrit eorum.
Hanc Deus attendit & præmia digna rependit:
Nullus ei flexus venit ex diſcrimine ſexus,
Nec pro perſona datur auferturve corona;
C Gratia vel meritum dat munus cuique petitum.
& interrogans reſpondet de ſtatu Eccleſiæ: 15 His mulier cedit lacrymiſque rogantis obedit:
Surgitur, & paucis præmiſſis illa requirit,
Quæ pax ſanctarum, quis ſit ſtatus eccleſiarum,
Quo ſtudio Regum tractetur ſanctio legum,
Qua populus cura ſervet mortalia jura.
Ille refert, meritis ejus precibuſque beatis,
Chriſticolas lætos & feſta pace quietos,
Et florere fidem: poſt hæc perſuadet eidem,
Ut quæ nunc floret, ne quando marceat, oret,
Antidotoque precum confortet & excitet æquum
In reverendarum Rectoribus Eccleſiarum.
pro quo dum orat illa, Plura ſuper memorat: ea paret: ſternitur, orat:
Aſtra ſubit mente, grates agit ore ſilente:
Mens in ſecreto pulſat clamore quieto,
Signaque clamoris dat motus, non ſonus, oris.
Dum ſic oratur, Zoſimas ſtupet, & veneratur
Ora, comas, vultum, pietatis habentia cultum,
Pallenteſque genas, jam funeris omine plenas;
Quidquid ſpectatur virtutem teſtificatur,
Cuncta beatorum ſunt argumenta laborum.
attollitur in aëra, 16 Sed ſubiere ſatis mirabiliora relatis.
Nam dum multimodas divini pectoris odas
Longius extendit, tamquam ſuſpenſa pependit
Aëre, jam tota procul à tellure remota: AUCTORE
Et tamquam terræ nollet contagia ferre HILDER.
Corpus purgatum, ſurſum ſtetit inde levatum EX MS.
Sic monachū coram Superūm fuit hoſpes ad hora, D
Æternum ſuperis ſocianda, caro mulieris.
Talibus expavit Zoſimas, monſtrumque putavit,
Aut aliquid vere quod diſſonat à muliere.
Sed quod fallatur docet hæc, Fratremque lucratur:
Qui male turbatus redit ad ſe, ſic revocatus:
Hei mihi! quo raperis? quid agis, Pater? unde *& Zoſimam eo viſo ſcandalizatum corripit:*
moveris?
Quis ſtupor hic mentis? Bene ſentio quod male ſentis.
In me peccaſti, dum me phantaſma putaſti.
Sum mulier miſeræ ſortis, rea plus muliere:
Sum caro mortalis, palpatica, materialis,
Et quæ, ſi neſcis, anima viget, indiget eſcis,
Tempore mutatur, ſaniem cinereſque minatur.
Hoc ego, quod modo ſum, de me præmittere poſſum:
Sed quod vidiſti, quod pene nimis ſtupuiſti,
Non adſcribatur mihi: nam Deus hoc operatur.
Ex ope celeſti fit, bene ſi quid meruiſti,
Et venit a Superis vel agas bene vel mediteris.
Nos levis umbra ſumus, nos actus turbine fumus,
Nos agri fœnum, primum caro, poſtea cœnum.
Forma perit rerum: datur altera quaque dierum.
Dum ſic mutamur, taciti quoque teſtificamur,
Quid res permittat, quo nos natura remittat; E
Quid ſumus aut erimus, quo tendimus, unde venimus.
Omnia ſunt hominis quædam præconia finis.
ab eodem rogata ame- 17 Poſtea nil temere Zoſimas ratus à muliere,
actam vitam narrare, Culpam cognoſcit, veniam prece ſupplice poſcit;
Urget eam lacrymis & ſuſpiratibus imis,
Ne qua ſibi celet: ſed quæ ſit & unde, revelet;
Quo ſuſtentetur victu, quis eam comitetur.
Addit & iſta Pater: Refer, o cariſſima Mater:
Proderit audiri, vult & Deus hæc aperiri.
Hoc iter ille ſeni ſuggeſſit, eo duce veni:
Ille timere parum dedit in regione ferarum,
Direxit greſſum, firmavit robore feſſum:
Leniit algores, docuit tolerare vapores,
Quis, niſi iuviſſet Deus, hæc tam dura tuliſſet?
Ad ſpeciale bonum veni per luſtra leonum,
Inde reportetur quo Chriſtus glorificetur:
Exeat ē tenebris hæc fax, hæc gemma celebris:
Non vult abſconci Deus inclyta lumina mundi,
Ad radios quorum laxatur hiems animorum. F
Ergo quod egiſti refer in præconia Chriſti.
Quam bene narratur quo proximus ædificatur!
Criminis eſt vere morum documenta ſilere.
Hæc ait, & lacrymis ad vota recurrit opimis.
18 Quem mulier ſtratum levat, alloquiturque levatū: *vix demum cum multo pudore incipit.*
Hei mihi! quantarum meminiſſe rogor lacrymarū!
Quam ſeriem ſcelerum, vel quæ contagia rerum,
Mi Pater, exploras! plus crimine noſſe laboras.
Quem non offendam, ſi turpem, ſi reticendam,
Si nullum veritam facinus digeſſero vitam?
Quas aures poteris præſtare probris mulieris?
Quiſve memor moris feret hæc monumenta pudoris?
Quid ſequar, aut quid agam? Pudet hanc oſtendere plagam.
Sed ſi celetur, plagæ medicina luetur;
Obruta laus Chriſti luitur diſcrimine triſti,
Cum mala celantur: niſi grates hinc referantur,
Ad caput ingratum conſtat remeare reatum.
Ne ſic offendam, vitam recitabo pudendam,
Et quibus unguentis lavit Deus ulcera mentis.
Expedit ut coram monacho confundar ad horam,

AUCT. HILDEB. EX MS.

Ne coram Sanctis confundar in ora Tonantis.
Hæc ait, & fletur: rubet, atque referre veretur:
Suſpicit & nutat, faciem confuſio mutat:
A Alligat ora pudor, largus fluit undique ſudor:
Si pars incipitur, vix ad poſtrema venitur.
declarat, quod natus Ægyptia, Tandem quæſitæ perſtringens crimina vitæ,
Sic dixit, vultu cooperto paupere cultu.
19 Germine non vili genuit me patria Nili:
Sed poſtquam crevi, generis titulos abolevi.
Sæpe mihi teneræ, vitæ præcepta ſeveræ
Attulit inde pater, hinc & cenſoria mater.
Mater, ut eſt moris, relegens decreta pudoris,
Dedocuit quæſtum quem non commendat honeſtum,
Appoſitiſque minis dixit: Par eſto Sabinis:
ſpretis parentum monitis, Spem caſtæ præſta, verbo gravis, ore modeſta,
Regnet & in tenera facie matrona ſevera.
Nemo nimis propere didicit, nocitura cavere:
Quamlibet ætatem niti decet ad probitatem.
Hæc aſſiſtentes memini monuiſſe parentes:
Sed tribui ventis monitus utriuſque parentis,
Et male contemni cœpit pudor à duodenni
Ex tunc indecorem traxerunt oſſa calorem,
Ex tunc averti thalami connubia certi;
Et rata torporem necdum periiſſe pudorem,
B Suſtinui gratis diſpendia virginitatis.
Alexandriã fugit, ubi ſe proſtituit, 20 Neve reſiſtentes differrent vota parentes,
Egredior patriam, proficiſcor Alexandriam.
Nacta locum ſceleri, ſtatuo communis haberi.
Nec ſatis id fuerat: quia quando vir mihi deerat,
Tecta pererravi, nullique rogata rogavi,
Infamis cultu, vaga lumine, lubrica vultu,
Uſibus inpoſitis, naturæ crimen & hoſtis.
Fractior inceſſus, & lenam ſermo profeſſus
Clamavere foris, Pudet hanc meminiſſe pudoris:
Clamavit geſtus, Nimis eſt furor iſte moleſtus.
Sic oblita mei, dux & via perniciei,
Hiſtoriis ſcelerum conſumpſi quemque dierum;
Faſſa diem mœſtum quo forte monerer honeſtũ,
Quod quoties fregi feſtum celebratius egi.
in omnem libidinem Cantica, quæ traherent ſeelus inceſtumque docerent,
Dilexi, didici, mimas modulamine vici.
Cumque ſalitores exhauſtos aut ſeniores
In nullam venerem jam faſtidita moverem,
Sum blandita novis: hos emi munere quovis,
Et ſociis ſcelerum diviſi ſingula rerum,
C Quas acus aut fuſus vitæ donarat in uſus:
His inſtrumentis manus accedebat egentis,
His domus, his victus, his eſt quæſitus amictus,
His ad vota datus conſors hereſque reatus.
& intemperantiam projecta. 21 Quam male, jam memini, placuit mihi copia vini!
Quam captabatur cibus unde libido juvatur!
Cumque duo magni ſint hoſtes, ſexus & anni,
Ebrietas iſtis fuit addita tertius hoſtis.
His mecum morbis eſt per me perditus orbis.
Num quæ labe pari potuit poteritque gravari?
Me minus erravit quiſquis mala multiplicavit,
Et mihi defendi palmam male ſemper agendi.
Cum jam non noſſem quem crimine vincere poſſem,
Crimine multiplici poſt omnes me quoque vici.
Nam velut errorem prius auſa, deinde furorem,
Quidquid peccavi mala, peſſima juſtificavi:
Nec ſceleris metas poſuit vel ſerior ætas.
Talibus & tantis, oculis inviſa Tonantis
Annos ter ternos exegi biſque quaternos.
tandem proficiſcentibus Hieroſolymam 22 Ecce die quodam (ſed qualiter hic tibi prodam
Quam miſere cecidi?) juvenes in littore vidi:
Vidi, captavi, quo vellent ire, rogavi.
Subridens primus dixit, Hieroſolymis imus.
Sciſcitor, an comitem paterentur? Subdidit idem:
Si naulum dederis, patet ecce carina; veheris.
Tunc ego: Pro navi pretium tibi, nauta, paravi.
Si pretium quæris, me pro pretio potieris.
Nil habeo niſi me: quod ſi placet, utimini me: D
Nil habeo melius, cape fructum muneris hujus:
Ex hac fortuna faciam ſatis omnibus una,
Si de communi mihi victus provenit uni.
procaciter ſe jungens, His dictis, juvenis greſſus impreſſit arenis;
Et quaſi verborum ſpreta levitate meorum,
Nautas hortatur, ſocios vocat, urget eatur.
Ipſa comas ſtringo, vultus in crimina pingo:
Projicio fuſum, ſuccingor euntis in uſum:
Proſequor, intro ratem. Spondet mare proſperitatem:
Blanditur ventus, ventum juvat arte juventus,
Et paucis horis captatis utimur oris.
cum iis turpiſſime vivit: 23 Hei mihi! quo labor? qua lingua cetera fabor?
Da veniam miſeræ: pudor exigit iſta latere,
Et trahit horrorem tantum meminiſſe furorem.
Hæc ait, & flevit: pudor ora verenda replevit.
Flentem ſolatur Zoſimas, referatque precatur.
Paruit, & tandem ſic eſt reſecuta precantem:
Mi Pater, in navi mea crimina multiplicavi:
Nil illic egi niſi quæ ſunt obvia legi,
Et procul à curis fuit omnis mentio juris;
Quo male projecto, nautas in crimina flecto: E
Excito torpentes, ſegnes voco probra verentes:
Cui ſcelus hoc gratum, fortem puto, juro beatum,
Docta viri voto famulari corpore toto.
Cura fuit ſonti, per mille pericula ponti,
Blandiri ſceleri, nil præter honeſta vereri,
In venerem volvi, vino perſæpe reſolvi,
Eſcis diſtendi, modulos variare canendi,
Omnibus his uti quæ ſunt infeſta ſaluti.
Deoque eam patienter tolerante 24 Crede mihi, multum miror ſcelus illud inultum,
Nec mare nec ventum facinus rapuiſſe nocentum:
Miror quod pravis his ſerviit improba navis,
Quod tot & tantis non obſtitit ira Tonantis,
Quod tulit inceſtus & littus & Auſter & æſtus:
Inter mille fere mortes, mala tuta fuere.
Sed Dominus Jeſus, qui novit parcere læſus,
Jeſus parcebat, parcendo redire monebat:
Iamque mihi gratis monſtrabat fons pietatis,
Quod, licet iratus, differt punire reatus;
Invituſque ferit quia culpæ parcere quærit.
Neve meæ veneris longo ſermone graveris,
venit in urbem ſanctam. Deferor ad portum, ſubeo ſacra mœnia ſcortum,
Juncta levi turbæ: moror hoſpes & hoſtis in urbe:
Circumeo vicos, amplexus venor iniquos:
Cogitur in facinus tam civis quam peregrinus. F

CAPUT III.

Mariæ converſio & pœnitentia in eremo.

Ad Crucis exaltationem veniens 25 HOs ego dum capto, dum me male ſana coapto
Nequitiæ tantæ; Crucis exaltatio ſanctæ,
Quæ tunc inſtabat, cives ad templa vocabat.
Turba præit patrum, ſequitur devotio matrum;
Urbs exhauſta fere me compulit ire, videre,
Quærere quid traheret populum, quid in æde placeret.
Ivi letalem mihi quæſitura ſodalem,
(Et pudet, & dicam) qui ſubjectaret iniquam.
Sed ſecus hoc ceſſit, pietaſque ſuperna repreſſit
Incentivorum veneres æſtuſque meorum.
Quippe volens intrare fores & ſacra videre;
Non iſtas intrare ſinor, non iſta videre.
Porta patens populum venientem recipiebat,
repellitur ab ingreſſu eccleſiæ: Me peccatricem vis cælica rejiciebat.
Quæ dum feminea contingere debilitate

Suſpi-

Suſpicor, eluctor quanta licet improbitate.
A Sed nec tunc potui portas intrare patentes,
Quamvis intrarent præeuntes atque ſequentes.
Miror & indignor quod ab æde ſacra revocarer:
Inſeror & turbis, ut ab his impulſa juvarer;
Enitor, populoque manus oppono prementi.
Sed nihil iſtorum prodeſt intrare volenti:
Hos quoque conatus tenet enervatque reatus,
Nec patitur crimen ſanctum contingere limen.
unde ſuum reatum agnoſcens
26 Ut ſenſi, mecum ſic aio: Non erat æquum
Illa mihi miſeræ mulieri templa patere,
Templa beatorum titulis reverenda laborum.
Hic eſt confractum mortis miſerabile pactum;
Hic noſtros actus Auctor luit, hoſtia factus;
Hic eſt damnatus, hic mortuus, hic tumulatus;
Hic reſurrexit, & vitam morte revexit.
Ad loca tam miræ dulcedinis auſa venire,
Non olei rorem, non adfero thuris odorem,
Nec mentem purâ magis omnibus his placiturâ.
Qui probra teſtatur fœtor, pro thure paratur,
pœnitentia tangitur,
Pro tituliſque morum turbam fero flagitiorum,
Et quidquid miſerum cadit in genus hoc mulierũ.
Heu! quid tentavi? quo, qualis, & unde migravi?
Ad menſam Chriſti meretrix à fornice triſti;
His ornata malis, adii loca talia talis.
B Obſtruit hoc aditum mihi, fruſtra ſæpe petitum:
Probra lupanaris Deus odit, & arcet ab aris,
Et ſordes mentis à vivificis alimentis.
27 Hinc vocem preſſi, nec longius inde receſſi;
Sed ſtans pro portis, lacrymis immergor obortis:
Terq; repulſa, queror: gravat ora madentia mœror:
Diſſidet affectus, tentat converſio pectus,
Incipit & morum meminiſſe pudere priorum;
Et quamvis ſero, tumulata reſurgere quæro.
& coram imagine B. Virginis
Quod bene quæro, datur: & Lazarus extumulatur.
Forte fuit juxta mulieris imago venuſta,
Illius eximiæ ſub nomine picta Mariæ,
Quæ Salvatorem peperit ceu ſtella nitorem.
Hanc dum conſpicio, novor intus, & altera fio.
Accedo propius: flens ſupplico vultibus hujus,
Atque genu flexo matrem patris hac prece vexo.
28 Ad te, virgo pia, virgo ſacra, Virgo Maria,
Virgo novæ ſortis, venio; ſed femina mortis,
peccata confitens,
Sed male vulgaris, ſed ſordida, ſed ſtabularis,
Sed quæ ploravi niſi cum ploranda patravi;
Cum probra commiſi, quaſi probris inclyta, riſi;
C Et mœſtos vultus hilaravit concuba multus.
Nox fuit inſomnis, dum vir ſubit omnibus omnis:
Et crimen duxi niſi multo crimine nupſi,
Concubitu vetito gaudens populoque marito.
Taliter explevi curſum miſerabilis ævi;
Taliter exceſſi. Modo damno quæ male geſſi.
Pœnitet erroris: ſordet ſentina furoris:
Nec bene damnatum patiar vel amabo reatum,
meliora ſpondet:
Si ſera laxetur qua peccatrix retinetur,
Si liceat miſeræ lignum vitale videre.
Hoc per te ſpero: per te ſuccedere quæro.
Nam licet iratus cedet, te ſupplice, natus:
Cedet enim: ſiquidem pater eſt & filius idem,
Duplex affectus trahet exorabile pectus;
Ad quodvis munus flectetur uterque ſed unus.
Ergo ſub hoc pacto præſta mihi quod bene capto;
Sis teſtis pacti, ſis vindex tu quoque fracti.
Nolo parcatur mihi, ſi facinus repetatur.
poſt Crucem adoratam
29 Erigor his dictis, vitiis jam mente relictis;
Inde reflecto pedem, bona ſpes comitatur eadem:
Impatienſque moræ feror intro, ſed abſque labore.
Gratulor admitti, poſco delicta remitti:
In veniam ploro, vexilla ſalutis adoro.
A Sacramentis abſterrent crimina mentis:
Illis oblatis repeto matrem pietatis,
Et bene promeritæ grates ago, ſupplico ritè:

Quid jubeat fieri, quo tendere, quæro doceri: AUCT.
Quæro viam morum, regat obſecro mater eorum. HILDEB.
Dum tam ſolicite pulſatur ad oſtia vitæ, EX MS.
Sic reſpondetur, nec novi quis loqueretur; *monetur Iordanem tranſire:*
Hoc novi tantum, quemdam ſic eſſe locutum:
Iordanem ſi tranſieris, requiẽ potieris.
Hinc ſtupor oppreſſit: qui poſtquã tempore ceſſit,
Egredior celeri pede, ſic mihi viſa moneri:
Quæritur & rapitur via, qua Iordanis aditur.
30 Dum propero, quidã pro tempore convenienter
Tres mihi denarios offert tribuitque latenter.
Hinc emo tres panes: egreſſaque mœnibus urbis,
Nitor, & aſportor, & cedo, profuga turbis.
ad cujus ripam Sacramentis munita
Veſper erat: ſubeo Baptiſtæ templa Ioannis,
Quæ placido curſu dictus præterfluit amnis.
Illic in lacrymis gemituque profeſſa reatum,
Myſteriis accedo, gerens cor contribulatum.
Pane dehinc ſumpto, præfatum tranſvehor amnẽ:
Quæro modum vitæ, quo priſtina crimina damnẽ.
Tunc mihi delicias, tunc luxum carnis ademi:
Tunc ſcelerum tempus ſtudio meliore redemi.
Sed te verborum tædet fortaſſe meorum,
eremum ingreditur:
Solque rota celeri volat indocilis retineri.
Ergo recede, Pater. Tunc ille: Piiſſima mater,
Dic age quod ſequitur, nihil aptius hoc reperitur:
Dic, ancilla Dei, ſupereſt pars magna diei: E
Nil magis ad votum cedit quam diſcere totum.
Digere, ſi memor es, quos ſis ibi paſſa labores,
Unde tibi victus, quis & unde paratur amictus;
Si qua rebellavit tentatio, nec ſuperavit;
Si prius infeſtus carnis deferbuit æſtus.
31 Sic ea mota ſenis precibus, conſedit arenis,
Et plorans, lacrymis ſubjungit talia primis:
Annos undenos quadrupliciterque novenos,
Mi Pater, explevi poſt lapſum flebilis ævi;
Nec tamen abſque gravi certamine crimina lavi.
Tentor enim rurſus: fit poſt ſacra vota recurſus
Ad pigmentorum calices luxuſque ciborum. *graves contra temperantiam*
Piſces Ægypti, vinique cupido relicti
Me miſeram tangunt; & eo vehementius angunt,
Quo magis utendi dapibus ſtudiumque bibendi,
Cum mihi ſordebat modus, ebrietaſque placebat.
Urbibus & peregre vitium dediſcitur ægre:
Propoſito morum ſubit hoſtis ubique locorum.
Pectora firma parum, mala mentio deliciarum
Urget & infeſtat: furit Eva, virumque moleſtat: F
Eva cibum mortis cupit in vitalibus hortis.
Hei mihi! nam quædã pudet edere: ſed tamẽ edã.
Diſce nihil tutum, niſi primo carne ſolutum:
Sẽper erit præſto quod & inſtet & obſtet honeſto.
32 Æſtu nubendi, deſiderioque canendi *& caſtitatem tentationes patitur:*
Execrandorum modulos & carmen amorum,
Uror; & ad mentem retro male reſpicientem
Amplexus vetiti redeunt & mille mariti.
Oſcula captantur; ad nuptum vota vagantur:
Virtus eſt oneri: pudet ultra lege teneri.
Tædet aquæ jugis: poſtpono ſeria nugis,
Solivagam turbis eremum conventibus urbis.
Hæc ad defectum pulſant phantaſmata rectum,
Et germen moris ſuffocat imago furoris:
Donec ad eximiam precibus converſa Mariam,
A tentamentis revocarem lumina mentis.
& ad B. Virginem recurrens,
Huc animo venio, gemo, lacrymor, hoſtia fio:
Quæro reformari, precor inveterata novari.
Poſt holocauſta precum redit & ſtat mens bona ſecum:
Poſt fletum cordis fugit omnis mentio ſordis:
His medicamentis reſidebant tubera mentis;
Et redivivorum ſartago flagitiorum,
Quæ male fervebat, penitus frigere ſolebat.
Preterea flentem miſerabiliterque jacentem
Circumfulgebat ſplendor, totamque tegebat,

Miſſus

EX MS. GR.

Miſſus aberrantem revocare, levare labantem;
A Spem conferre bonã, dare vim, monſtrare coronã.
tandem poſt annos 17 33 Trina triennia, bina biennia bis, abiere:
Lenibus aſpera, mitibus effera mixta fuere.
Sed nova vulnera, Virgo puerpera, cum bene flevi,
Terſit & abluit: inde ſalus fuit, inde quievi.
in fame, ſiti, Per tot luſtra, fere duo panes eſca fuere,
Quos mecum geſſi ſimul huc ex urbe receſſi:
Aruerant & duruerant, propriumque colorem
Perdiderant, & deſierant conferre vigorem:
Inde tamen relevare famem perparca ſolebam.
Quid biberem, cum deficerem vix inveniebam.
Poſtquam ſed longo conſumpti tempore panes;
Mens hærens Domino curas abſtraxit inanes
Ex tunc uſque modo tentatio priſca reſedit,
Ex tunc uſque modo rationi ſenſus obedit:
Uſque modo cibus exterior cum frondibus herba,
Uſque modo cibus interior cæleſtia verba.
& nuditate tranſactos, 34 Veſtes quas habui, ſcidit attrivitque vetuſtas:
Nuda dehinc tenui regiones ſole peruſtas,
In quibus algores nimios nimioſque calores
Horis nocturnis, horis perpeſſa diurnis,
Suppleo præteritæ ſcelus & diſpendia vitæ,
Muto jocis hymnos, purgo mœrore cachinnos,
Pœna voluptatem redimit, ſitis ebrietatem,
B Paupertas luxum, labor otia, glarea mulſum,
Crux mollem ſtratum, devotio ſancta reatum.
Tot tormenta fere fero, quot probra præteriere,
Quidquid peccavit caro carnis victima lavit.
Quid mihi larvarum, qualis conflictus earum,
Quotve cruces æque renovantur nocte dieque,
Scit Deus, ipſorum teſtis merceſque laborum.
Sæpe ſub ardenti cancro brumave rigenti
Frigore nocturno rigeo, cremor igne diurno;
Et nuſquam tuta jaceo, quaſi morte ſoluta.
Additur huic pœnæ vis pulveris, ardor arenæ,
Nec gravitas horum lenitur ſorte locorum:
Nam locus, ut cernis, vacat arbore, monte, cavernis,
Et quibus arcetur canis ardor hiemſque cavetur.
divinitus recreatur, 35 Scis hominem ſane non ſolo vivere pane,
Nec veſtimentis aut æde reſiſtere ventis:
Omnibus eſt victus Deus, omnibus omnis amictus.
Cælum Rex cæli moderatur, adeſtque fideli:
Cum furit aura foris, premit auram fervor amoris;
Nec nive, nec ventis alget devotio mentis.
Ardua nulla bonis ſpe ſidereæ regionis.
& inſtruitur. Ut mihi deſpondi mundum, male conſcia mundi,
Non mihi Scripturæ cordi, non lectio curæ,
Nec doctrinarum vel mentio ſola ſacrarum:
Una fuit tantum devotio lapſus amantum,
Inque lupanari populo male morigerari.
Si quid honeſtatis, ſi morum, ſi pietatis,
C Si divinorum monumenta retracto librorum,
Cælitus ecce datur: Deus hæc docet, hęc operatur:
Spiritus abſque mora mentem replet, erudit ora:
Nullus diſcenti, nullus labor erudienti.
Sic mihi præteritæ fluxerunt tempora vitæ:
Tẽpora quæ reſtant mercedis ſpem mihi præſtant;
Merces ſolennis, quia merces vita perennis.
Rogat Zoſimam 36 Ordine digeſſi quidquid male vel bene geſſi,
Nec puduit retegi quæ flagitioſius egi:
Nil ſupereſt operis cur amplius hic remoreris
Umbræ grãdeſcunt, venit heſperus, aſtra niteſcunt,
Nox curſu ſolito reditum jubet. Ergo redito.
Quæque tibi ſoli commiſi, pandere noli;
Quæque dehinc ſoli committam, ſpernere noli:
Sic te non ſpernat, qui ſolus cuncta gubernat.
Quando monaſterium clauſtrales egredientur,
ut anno ſequenti Communionem ſibi ferat. Et pariter fluvium Jordanem tranſgredientur;
Ipſe domi reſidens, morbo, remanebis, agente;
Quem tamen evades, Domino tibi ſubveniente.
Incolumis factus exi, cunctamine dempto,
Altariſque cibum tecum deferre memento:
Quem cælis ſpero, terris præſumere quæro: D
Spero rem puram, peto remque reique figuram.
Hoc animata cibo, quo tendo certius ibo:
Hic mihi conductus, vector, via, patria, fructus:
Hoc duce carpe viam: tibi, mi Pater, obvia fiam.
His oculis iterum te conferet una dierum:
Conferet, & quædam quæ proſint Fratribus edam.
Tunc ego, tunc demum ſum te viſura ſupremum.

CAPUT IV.

Sacra communio Mariæ præbita, ſepultura curata.

37 INde vale dicto, Zoſima fugit illa relicto. *Reverſus in monaſterium Zoſimas,*
Ipſe recedentem, nec vel prece reſpicientem,
Proſequitur viſu. Quam poſtquam perpete niſu
Sic aſportari videt, & fruſtra revocari;
Convertit greſſus: redit, egrediturque receſſus.
Cella revertenti patet: hæret femina menti:
Femina verſatur in pectore, vixque putatur
Femina; ſic Superis par eſt habitus mulieris;
Sic non eſt hominis ſtatus, os, abjectio crinis.
Hæc & ſola fere recolit; captatque videre:
Hæc Zoſimas æque ſuſpirat nocte dieque.
Terminus optatur, quo grex ſacer egrediatur.
38 Terminus ecce redit. Conventus ab æde recedit: *ſequenti Quadragima lecto affigitur,*
At morbo tactus Zoſimas, & ſtare coactus, E
Lætus agit grates, quia quod ſibi femina vates
Dixerat impletur. Iacet: at quandoque ſequetur.
Dura libens tolerat quiſquis ſublimia ſperat.
Spes ægrotanti monacho lectoque cubanti
Subvenit, alludit, gemitus lacrymaſque retrudit,
Anxia refrænat, curas levat, ora ſerenat.
Nec ſpe fruſtratur: quia priſca ſalus reparatur,
Incolumemque brevi defectus debilis ævi
unde relevatus, abit in veſpere Cœnæ Domini Non tenet. Egreditur: labor exoptatus initur:
Et quaſi pulmentis aut multimodis alimentis
Femina lætetur, quæ nomina ſola veretur,
Vas elixarum fert plenum lenticularum:
Tectaque ſolicite ſuperaddens fercula vitæ,
Carpit iter, plene ſub ſacræ veſpere Cœnæ:
Speque fideque citus properat contingere littus.
39 Utque gradum fixit, ſuſpirans talia dixit:
Hei mihi! quã fruſtra ſequor hæc & circino luſtra!
Aut oblita ſenis latet, aut tardatur arenis:
Aut prior acceſſit, ſed ſpe fruſtrata receſſit;
Et dum necto moras, adiit quas incolit oras. *Mariam in ripa Iordanis expectaturus:*
Fortaſſis veniet: ſed quæ mihi copia fiet F
Vel ſacra tradendi, vel cum muliere loquendi?
Obſtat Jordanis: niti pede, niſus inanis:
Quippe vadũ nuſquã: ſed nec pons nec ratis uſquã.
Plura ſenex queſtus, circumfert lumina mœſtus.
Proſpicit attente, mens non tacet ore tacente.
40 Ecce gradu propero, nudo pede, veſpere ſero,
Sicut promiſit venit illa, ſenemque reviſit:
Subſiſtenſque parum, quaſi feſſa labore viarum, *quæ eodem ſiccis pedibus tranſito*
Erigit ad Superos animum vultuſque ſerenos:
Tum flens fœcundæ ſignum Crucis imprimit undę;
Et ſic portento ſimilis, pede pulverulento
Interiectarum tranſit diſcrimen aquarum.
Nulli, qui credit ſe mundo, mundus obedit:
Menti ſinceræ norunt elementa favere:
Quiq; bonis gaudet, bona poſcere quælibet audet:
Nil fruſtra captat, qui ſe ſine vulnere mactat.
Luna refulgebat, nec facta latere ſinebat:
Ad radios cujus patefactus tranſitus hujus
A ſene multimodas extorquet & elicit odas.
41 Ecce piis votis, ambagibus inde remotis,
Femina virq; vacant; ſacra prece numina placant:
Fletibus ora rigant, ſingultu verba fatigant: *ſacrum viaticum accipit;*
Pro reprobis orant, exemplis verba colorant:
Gaudent ſincere, mulier ſene, vir muliere:

Sum-

A Summaque verborum Deus eſt, aut lectio morũ.
His ea patratis venit ad Calicem pietatis;
Et confeſſa prius quam quidquam tangeret hujus,
Totam ſe mactat lacrymis Calicique coaptat.
Inde, genu poſitæ, dantur ſponſalia vitæ,
Et capiti Chriſto libamine jungitur iſto,
Affectu tali tradens mandata ſodali:
42 Mi Pater, exceſſus Fratrum ſcrutare regreſſus:
indicat exceſſus Fratrum. Doctrinam morum pars aſpernatur eorum:
Et velut ignoret, qua fallere fraude laboret,
Quis mentis poſtem petit hoſtis, negligit hoſtem.
Aſtu ſubtili lupus inſidiatur ovili:
Si qua vagatur ovis, perit obruta vulnere quovis;
Et patet ad morſum, ſi reſpicit illa retrorſum.
His obſtet damnis Abbatis aura Joannis,
Horteturq; gregem monachi non ſpernere legem:
Fratri qui peccat, lex Patrem, qui ſilet, æquat:
Quos quia culpa ligat par, par quoque pœna fatigat:
Sic Regem cæli contriſtans corruit Heli.
per Abbatem corrigendos: Ne ſit ei talis transgreſſio judicialis,
Pervigili cura Pater extirpet nocitura:
Excubet ante fores, ferat æqua mente labores:
Excitet aggreſſos, præmat immoderata profeſſos:
Arguat, hortetur, quæ prædicat, hæc operetur:
Mulceat immitis, denuntiet aſpera mitis:
B Hos coram pungat, modo verbis verbera jungat:
Ulcera culparum lavet aut luat actor earum.
Sit licet hic tutus, ſit felix prava ſecutus,
Judicium gravius Deus irrogat auſibus hujus,
Continuatque gravis clementia proſpera pravis.
Qui modo torquetur, neſcit quam magna lucretur:
Cum furit atque ferit Deus, olim parcere quærit.
Iſta relaturus, & adhuc ſemel huc rediturus,
Vade, reviſe gregem, revereri præcipe legem:
Aſſiſtenſque aræ pro peccatrice precare
& in cremum redit. 43 Sic ea fata, redit: redeunti fluctus obedit;
Et ſiccis plantis famulam teſtata Tonantis
Deſuper incedit, Zoſimaque ſtupente recedit.
Ipſe domum propere redit, & procul à muliere,
Votis ſinceris comes & memor eſt mulieris.
Obſidet hæc mentem, totum tenet una, querentẽ
Zoſimas poſt annum de-mo egreſſus, Quod ſit tam magnus, quod lente tranſeat annus.
Annus abit tandem: Pater exit, quærit eamdem;
Egreſſuſque fores, fert abſque labore labores:
Quoque poteſt niſu, pede pervia, cetera viſu
Circuit: explorat, flens hæc & plura perorat:
Chriſte, figura Patris, pater & ſtirps unica Matris,
Exaudi flentem, rogo quæſo vaſta ſequentem:
C Hanc oſtende ſeni, propter quam te duce veni,
Quam volo, quam quęro, cujus prece cęlica ſpero,
Quæ licet in caſtris modo militet, inſidet aſtris,
orat ipſam ſibi oſtendi; Jamque comes Superum faſtidit lubrica rerum,
Jam conjuncta Deo fructum petit hoc hymenæo,
Fructum longævum, fructum qui duret in ævum.
Væ mihi! væ miſero! Fruſtra per devia quæro,
Cui domus in latebris ſolo cultore celebris,
Cui caſa deſertum, thalami ſpecus haud coopertũ,
Cui pudor eſt velum, comes Angelus, atria cælum,
Quo feror, aut quid agam? ſequar uſtã ſidere plagã?
Multiplices pœnæ, ſenium, ſitis, ardor arenæ
His adverſantur cœptis & vota morantur.
44 Sic Zoſimas queſtus circumfert lumina mœſtus:
Neſcit utrũ properet: dubiuſque quid eligat, hęret.
& e cleſti radio monitus, Clamitat: auſcultat: non vox, non echo reſultat,
Non ſonus auditur, non forma pedum reperitur.
Dumque pererraret, dum viſu cuncta notaret,
Deſuper algentes artus animaque carentes
Illuxit radius, quaſi dux & prævius Hujus
Omine lætatus, Dominumque Deum veneratus,
Currit eo: reperit quam votis, quam pede quęrit:
Sed jam defunctam, jam Chriſto re quoq; junctã,
Jam Superûm caſtris rutilantem clarius aſtris.

Glorificanda caro, decocto purior auro;
Sicut oportebat mulierem, tecta jacebat. AUCT. HILDEB. EX MS.
Qui triſtes queſtus monachi, qui pectoris æſtus,
Qui gemitus laceræ mentis, quæ verba fuere?
Is modo ſuſpirat, modo totam lumine gyrat: D
cadaver invenit: Nunc oculos cælis, nunc applicat ora querelis:
Proſtratus mœret, pedibus reverenter adhæret:
Flet ſuper, & ſanctis pia dividit oſcula plantis,
Neve revertatur votis & voce precatur,
Grande putans munus comitari funere funus,
Occaſuque pari convivere, contumulari.
45 Dum dolet, & dubius de nomine fluctuat hujus,
Suſcitat ora ſenis inventum nomen arenis,
ac nomen & diem arenis inſcriptum. Et nubes mentis delabitur his documentis:
Sancte Pater, Phariæ ſepeli precor oſſa Mariæ:
Gleba recondatur, cineri cinis adjiciatur.
Mox ut ei Chriſti Corpus Calicemque dediſti,
Victricem mundi diſſoluit prima ſecundi,
Myſteriis plenæ tranſacto veſpere cœnæ,
Nox gravis obrepſit, quia ſol cum ſole receſſit.
His Zoſimas demũ nomenque diemque ſupremũ
Agnoſcit, dubius quis conditor extitit hujus:
Nam nil legiſſe mulierem vel didiciſſe
Noverat, iſtorum nec vel memorem ſtudiorum.
Comperit hinc etiam, poſt tradita ſacra Mariam,
Illuc traductam momento, moxque ſolutam,
Quo vix expletis bis quinque decemque diætis E
Venerat huc feſſus, victumque labore profeſſus.
46 Qui nova lament's teſtatus vulnera mentis
Aſſidet exanimi, madet imbre doloris opimi:
Iratus fatis, ſtudet officio pietatis:
Laudibus applaudit, tegit artus, lumina claudit:
Nunc amplexatur veſtigia, nunc veneratur
Ora, comas, vultus; erat his incuria, cultus:
multum fatigato circa ſepulturam. Horum majeſtas, contemptus, ſqualor, egeſtas.
Femina munda ſatis, lacrymis pietate vocatis,
Abluitur gratis, quia par prope glorificatis.
Ipſe ſepulturæ ſtudet, huic vacat, hæc ſibi curæ.
Sed quid agat, neſcit. Tellus prædura rigeſcit:
Multa ſenem frãgunt: calor & labor & ſitis angunt:
Cedit vis annis, ſinuoſis brachia pannis:
Præ manibus nullus ligo ſed nec ſarculus ullus.
47 Dum dolet atque gemit, nova res ſuſpiria demit:
Lumina ſiccantur, quia ſpe majora parantur.
Nam leo, lugenti ſimilis funuſque colenti,
adeſt leo, Obſequium ſpondens, iramq; feramq; recondens,
Vertice ſubmiſſo venit, faſtuque remiſſo
Adjecit ſanctas humilis adlambere plantas.
Miratur talem tam devotumque ſodalem: F
Attribuit meritis mulieris, quod fera mitis,
Quod leo ſit lenis, quod nomen inhæſit arenis,
Quod ſuper illuxit, quod eum lux prævia duxit,
Quod deſolatam cuſtode, quod intumulatam
Non infeſtavit fera, non volucris laceravit,
Non ſolvit magnus fervor, non integer annus.
Jam depingebat, quæ gloria membra manebat,
Sub calidis ventis incorruptela jacentis.
Tot ſimul & tantis expertus dona Tonantis,
Cuncta recordatur; relegit quid ubique loquatur: *& juſſa illius,*
Alloquio tali tradens mandata ſodali.
Mi comes, urgemur, & eam ſepelire jubemur,
Quam neſcit mundus, cui major in orbe ſecundus.
Quod ſi veniſti miſſus ſub nomine Chriſti,
Si famulaturus; tumulum fode, poſt rediturus.
Exue terrorem ſolitum, dediſce furorem:
Ad laudem Chriſti cedet, quod feceris iſti,
48 His nondum dictis, feritate miniſque relictis,
Lenius incedit, & ei leo promptus obedit: *foveam parat.*
Ignaruſque moræ, momento labilis horæ
Implet mandatum, peragens opus acceleratum.
Interea monachus ſacros adſternitur artus,
Veſtis ei nulla, niſi trita vetuſque cuculla,

AUCTORE HILDERB.

Quæ vix hærebat ſibi, jam contuſa, tegebat,
His indumentis involvit membra jacentis:
Scilicet ingentem theſaurum, jamque gerentem
Quiddam ſplendoris, quiddam ſolennis odoris,
Quiddam præclarum de nectare Cælicolarum.
Femina ſanctorum mercede beata laborum
Ad tumulum vehitur, famulante fera ſepelitur.
Inde ſenex repedat: jubet ut leo verna recedat.
Viſa domi recitat: delictis parcere vitat:
Increpat, hortatur, ſpondet bona, dura minatur.
Sic ubi complevit viginti luſtra, quievit.
Explicit.

D *centenarius obit.*

A *ipſe tumulata Sancta.*

DE SANCTO ABVNDIO,

Epiſcopo Comenſi in Italia.

G. H.

ANNO CCCCLXVIII.

OMum, *urbs Italiæ antiqua in confinibus Inſubriæ, aucta habitatoribus à Strabone Pompeio, magni Pompeii patre, Lucio Scipione, & C. Iulio Cæſare,* Novocomum *cœpit appellari. Fidem Chriſtianam creditur edocta à S. Hermagora, S. Petri Apoſtoli diſcipulo & Aquileienſi Epiſcopo; ſub quo Metropolita hactenus permanſit, & ipſa Epiſcopalis conſtituta. Inter*

S. *Abundius vita functus non anno* 469. *Sedis hujus Epiſcopos fuit* S. *Abundius, qui clarus meritis & miraculis, vita functus eſt hoc die* II *Aprilis, anno* CCCCLXIX, *uti tradunt Franciſcus Ballarinus in Chronico Comenſi, Ferdinandus Vghellus in Epiſcopis Comenſibus & alii. Verum qui* in die Paſchatis, poſt ſacra peracta, aſtanti populo propinquam ſuam mortem *traditur* nuntiaſſe, *non potuit obiiſſe eo anno quo Paſcha celebratum eſt die* XIII *Aprilis; ſed potius anno præcedenti* CCCCLXVIII, *quando cyclo Lunæ* XIII, *Solis* I, *litteris Dominicalibus* G F *Paſcha incidit in* XXXI *Martii; & tunc feria tertia Paſchali mortuus eſſet.*

B *ſed potius* 468.

2 *Sepultus tunc fuit in Eccleſia Sanctorum Apoſtolorum, quam poſtea* S. *Abundii appellarunt, & eum Comenſes ut præcipuum Patronum ſumma cum celebritate venerari cœperunt. Ejus corpus, quod pluribus ſubſecutis ſeculis incognitum permanſit; tandem, dum ea eccleſia repararetur, à Cardinale Tolomeo Gallio Commendatario fuit repertum, anno* MDLXXXVI. *Quieſcebat autem in candido marmoreo ſepulchro integrum, Pontificalibus veſtibus indutum, cum inſcriptione:* HIC REQUIESCIT ABUNDIUS EPISCOPUS COMENSIS. *Erant circumquaque ſepulcra aliorum Sanctorum Epiſcoporum Comenſium; S. Amantii, deceſſoris ejus; & SS. Conſulis & Exuperantii, ſucceſſorum: quorum corpora, geſtiente populo ac Clero Comenſi, honorifice condita fuere, una cum corpore* S. *Abundii, in majori altari ejuſdem eccleſiæ; quam ad hujus honorem ab Vrbano Papa* II, *die* III *Iunii, anno* MXCV, *dedicatam fuiſſe, eſt antiqua Comenſium traditio.*

eccleſia & Patronatus ejus Comi.

Corpus tranſlatum.

3 *Sacer cultus* S. *Abundii à Comenſi Eccleſia ad alias delatus fuit: nam in Breviario Mediolanenſi anno* MDXXXIX *excuſo, & Miſſali ejuſdem Eccleſiæ anno* MDXXII *&* MDLX, *præſcribitur veneratio* S. *Abundii Epiſcopi Comenſis cum commemoratione* S. *Mariæ Ægyptiacæ, quæ in ultima editione eſt omiſſa. In* MS. *Martyrologio Florentino, quod apud Carolum Strozzium Senatorem Florentinum reperimus, & in Martyrologio Bellini de Padua anno* MCCCCXCVIII *Venetiis impreſſo, celebratur memoria* S. Abundii Epiſcopi & Confeſſoris apud Comum. *Secuti præſſim alii, Maurolycus, Felicius, Galeſinius, Molanus; Caniſius cum Martyrologio Romano. Ferrarius in Catalogo Sanctorum majus ex Actis elogium formavit. Acta ejus* MSS. *nobiſcum Romæ communicarat Ioannes Baptiſta Marus, Collegiatæ Eccleſiæ* S. *Angeli in foro piſcium Canonicus, ſed ea incendium Amſtelodamenſe conſumpſit. Iacturam reſarcimus ex operibus Bonini Mombritii, qui primo loco edidit Vitam* S. *Abundii Epiſcopi Comenſis recuſam à Surio, cum qua ante contuleramus dicta acta* MSS. *Ex his varia allegantur à Baronio in Annalibus Eccleſiaſticis, potiſſimum ad annum* CCCCL, *& eis nonnulla inſerta ſunt ex Adonis Chronico ſcripto nono ſeculo. Accedit ex antiquo Breviario Comenſi ſequens hymnus.*

C *Cultus ſacer,*

Acta MSS. & apud Mombritium.

4 Præſens exultet concio Abundii ſacro die,
Gregem qui ſuum trucibus luporum vellit faucibus.
Doctrinam Chriſti prædicans, potentiamq; reſerans,
Ad lucem Regis mortuum reſcuſcitavit filium.
His ita curis deditus, ſpiritu ſapit exitum;
Cæli ſumpturus gloriam, ſuis parat concordiam.
In Paſchæ quippe gaudiis cives convivas habuit
Quibus refectis epulis, geſtatur hinc ab Angelis.
Nobis, tu Pater, Filiis plenis ſuccurre criminum;
Aggredientum tumulum, culparum dele cumulum.
Te gubernante valeat iſta Comenſis patria,
Quę Chriſtũ noſcit Dñm per tuum patrociniũ, Amen.

Hymnus.

VITA

A Bonino Mombritio edita.

CAPUT I.

Patria, familiaritas cum S. Amantio, Epiſcopatus, zelus contra hæreticos. E

1 TEmpore, quo *a* Leo Pontifex Apoſtolatus ſummum apicem tenebat, Auguſtuſque ejus *b* æquivocus Imperii monarchiam regebat, & *c* Anatolius Conſtantinopolitanæ urbis præſidebat Cathedræ, atque *d* Nicetas regebat Aquilegienſem infulam, *e* Amantius Comenſis gregis curam ſuſceperat, ac *f* Anaſtaſius Theſſalonicenſis Epiſcopus fulſerat, B. Abundius illius urbis egregius incola, divina gratia providente tranſfretavit, Comumque adiit, non Sibyllini aut marini littoris, ſed quod vicinia grati & piſcoſi *g* lacus inundat & amœnat. Hic Græco & Latino lepore affabilis, ac ſanctitatis titulus illuſtris, S. Amantii factus eſt familiaris: quos mutuus affectus alterni fœderis tanto amore connexuit; ut foret ambiguum, uter horum alterum magis diligeret. Ita tamen temperies erat ambobus, ut paſtorales faſces excellerent, & devota ovis quantum ex duce, tantum ex milite reſpublica Sanctæ Eccleſiæ ſuſcepit, multaque incommoda declinavit. Sic eorum vita jucunda, laudabilis & ſalutaris notis & ignotis fuit, ut hi præſentia religionis, illi fola fama proficerent. F

a *b* *c* *d* *e* *f* S. *Abundius Theſſalonicenſis ſec.* 5 *g* *familiaris* S. *Amantio Ep. Comenſi.*

3 Dum tanta concordia alternæ dilectionis fruerentur, Amantium contingit ægrotare, & extremis vitæ propinquare. Extemplo accerſivit Abundium, velut Elias Heliſæum, quem Dei providentia & teſtium præſentia Pontifex *h* ordinavit Pontificem, ſuæ gubernationis dignum ſuperſtitem. Mox Cleri & populi favore ſuſceptus, & ingenti plauſu eſt Epiſcopali Sedi impoſitus. Jam dudum *i* Carpophorus cum commilitonibus ſuis dimicaverat & triumphaverat, Fidelis quoque, fidei conſtantia fortis, eadem cauſa eademque ſententia ſuæ dignitatis lauream ſuſceperat. Iam tyrannica rabies profanorum Principum obierat & emarcuerat. Præterea Conſtantinus cum genitrice Helena ſecundam Romam, quæ Conſtantinopolis dicitur, ædificaverat. Iſte Imperatorum primus Chriſtianos libere congregari, & in honore [Chriſti] Baſilicas conſtrui non modo permiſerat, ſed præceperat. Theodoſius quoque non parvum Chriſtianæ profeſſioni addidit gradum, quo imperante Gentium templa & idolorum fana diruuntur: nam adhuc intemerata manebant. Sic

ab hoc moribundo ſucceſſor ſtatuitur; *h* *i* *quando jam pridem fides florebat ſub Conſtantino.* *& Theodoſio:*

Sic libertas Eccleſiæ patuit, ſic Gentilitatis concuſſa ac infirma fortitudo ſuccubuit.

3 Eodem tempore Ambroſius Mediolanenſis Antiſtes claruit & Martinus Turonum Epiſcopus inſignis emicuit: Hieronymus Presbyter & divinæ legis fidus interpres in Bethleem toto orbe clarus effulſit. *k* Donatus Epiri Epiſcopus virtutibus inſignis habitus, qui draconem ingentem in ore ejus expuens necavit, quem octo juga boum ad locum incendii vix trahere potuerunt, ne tabefactus aërem corrumperet: Auguſtinus etiam Præſul doctrina illuſtris extitit. Hi laborioſi agricolæ in ſecula non defutura ſemina projecerunt; ſed inter horum tam culta novalia demens hæreticorum inſolentia furtiva jactavit zizania. Hi fuerunt Arius & Sabellius, Eutyches & Neſtorius, proceres erroris & ſigniferi conjurationis. At animadvertentes Orthodoxi inanes fucos, ſtantes ad divina præſepia, & non patientes horum perfida contagia, fidei-machiæ oppoſuerant præſidia. Nec diriora certamina pertulit Eccleſia robuſtioribus viribus idololatriæ, cum adhuc eſſet infantula; quam ſuſtulit variis ac fallacibus ſectis multiplicis hæreſis, cum jam juvencula eſſet. Nonne
B inteſtina bella externis atrociora probantur? Nero Diocletianus & Maximianus Chriſticolas mactabant & coronabant, ac ſubita metamorphoſi de terrigenis cælicolas faciebant: at Arius, Sabellius, Eutyches & Neſtorius mundam fidei ſinceritatem in perfidiam transformabant: à quibus peſtiferis animalibus orta contagio non paucos greges infecerat.

4 His Deus diligenter curationes adhibuit, Hilarium videlicet & Athanaſium, *l* Euſebium, Ambroſium & Auguſtinum, qui medicinalibus fomentis omne virus pravi dogmatis de pectoribus infidelium eliminare conati ſunt. Unde Nicænum Concilium à Conſtantino contra Arium congregatur: cujus error pullulavit uſque dum Conſtantius imperaſſet, infauſta proles Conſtantini, qui Ariani dogmatis labe pollutus, Catholicos toto orbe perſequitur. Hujus favore Arius *m* fretus, dum in Conſtantinopoli ad eccleſiam pergeret, adverſus noſtros de fide dimicaturus, divertens per forum Conſtantini ad neceſſariam cauſam, viſcera ejus repente cum vita effuſa ſunt. Unde Ariani contremuerunt, & Catholici de Dei judicio non minimam lætitiam habuerunt. Poſt hæc Pelagius adverſus
C Chriſti gratiam ſuum errorem inſtruit: ad cujus condemnationem Concilium Carthaginenſe congregatur. Poſt idem tempus Neſtorius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſuæ perfidiæ molitur errorem: adverſus quem Epheſina Synodus congregata, ejus impiam ſectam perſecuta infamavit. Hoc etiam Tempore diabolus, in ſpecie Moyſi in Creta *n* apparens, cum eis per mare pede ſicco ad terram promiſſionis promittit perducere: plurimis verò eorum enecatis, aliqui qui ſalvati ſunt confeſtim ad Chriſti gratiam convolarunt. Poſt hæc Chalcedonenſe Concilium geritur, ubi Eutyches cum Dioſcoro Alexandrino Epiſcopo condemnatur. Præterea apud Carthaginem Olympius quidam Arianus, in balneis Sanctam Trinitatem blaſphemans, ignis jaculo viſibiliter eſt combuſtus.

5 Animadvertite fratres, quomodo per momenta & intervalla temporum fides inolevit Catholica; primum per Martyrum roſea certamina, deinde per Confeſſorum contra hæreſim victricia propugnacula; tum etiam quia ultio divina digna ſuis erroribus ſtipendia retribuit. His præfatis inſtitutionibus annalium feſtorum memoria index teſtiſque eſſe declaratur. Per horum veſtigia uſque ad cunabula hiſtoriæ Antiſtitis Abundii pervenimus, ut ſeries & linea hiſtorialis non minimam notitiam noſtris offerant rationibus. Hic vir ſanctus ac fidei Catholicæ armis ſtrenuus, Sanctiſſimi & venerabilis Leonis Papæ penetralibus aſſuetus, hæreticorum diſcordem controverſiam atque ſeditionem ſedavit, cum magis ardoret & vehementius fureret. Qui non gregarius, ſed principalis miles, Leonianæ militiæ gubernator peritiſſimus in unda, præliator & auriga fortiſſimus in pugna, non ſolum de converſione & fuga hæreticorum trophæum obtinuit, verum etiam de ruina triumphum celebravit. Hic æſtuavit, alſit, eſuriit, pernoctavit; in tranſtris pro cubili recubuit, molles thoros exhorruit, terrarum latibula mariſque pericula multoties intrepide ſubiit, ut latrones unitatis & prædones Trinitatis triplo etiam funiculo ſuffocaret. Ille de quo lis tam ingens fuerat animos ſuggerebat, arma & auxilia ſuppeditabat, & cuncta inſtrumenta martia potens exhibebat. O fortis athleta & felix argonauta! unde ſumma præconia tuis ſtudiis & meritis paria, non de artifice eloquentia ſed de munifice ſunt ſapientia, quæ dedit lapidi laticem fundere. Beata patria quæ talem incolam direxit: ſed beatior quæ patronum ſuſcepit. Unde Theſſalonicenſis *o* Comanus (A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris, hæc dies quam fecit Dominus exultemus & lætemur in ea) non horruit
E Ionium aut Ægæum, non Adriaticum aut Tyrrhenum; nam qui timet, non eſt perfectus in caritate, & perfecta caritas foras vanum mittit timorem: neque expavit furorem atque pertinaciam præſentium hæreticorum, quamquam pleroſque Catholicorum perſecuti eſſent ad interitum. Iſte heros *p* hæreticorum errori horribiliter incubuit, nec ſuccubuit: nam qui dedit affectum, addidit effectum. Amor divinus, non materialis ſed ſpiritualis, vincit omnia; cui cedunt omnia animavi. Aburidium, qui erroneam ſectam, inſtar diluvii diluentem *q* Occidentis & Orientis meſſem, flamma divini amoris arefecit. Nonne Heſperia atque Græcia, Arabia & Media hac labe polluta eſt? Sed ventilabrum acutæ diſcretionis aream ſanctæ Eccleſiæ examinavit, & inanes ſiliquas erroneæ profeſſionis à granis Catholicæ veritatis ſecrevit.

EX MOMERITIS

D *Abundius, validus hæreſi. eorum oppugnator.*

indefeſſus in laboribus pro Eccleſia.

ANNOTATA.

a S. Leo Magnus *ſedit ab anno* 440 *uſque ad annum* 461. *Vitam ejus damus* 11 *Aprilis quo colitur.*

b *Hic eſt* Leo Imperator, *qui regnavit ab anno* 457 *uſque ad annum* 474.

F c Anatolius *coronavit dictum Imperatorem Leonem eique S. Leo Papa ſcripſit epiſtolas varias, ſcilicet* 40, 46, 48, 53, 71, 76 *&* 77 *in tomis Conciliorum recenſitas. Colitur à Græcis* 3 *Julij.*

d *Ad* Nicetam *ſcripſit idem S. Leo epiſtolam* 79 *&* 86. *colitur* 22 *Junij, inſcriptus Martyrologio Romano.*

e S. Amantius, *deceſſor S. Abundii, colitur* 8 *Aprilis.*

f *Ad hunc Epiſcopum* Anaſtaſium *ſcripſit S. Leo epiſtolam* 29 *&* 84.

g Lacus Larius *olim dictus, nunc* Comenſis, *vulgo* Lago de Como: *in littore autem Neapolitano ſunt Cumæ, unde* Sybylla Cumana *dicitur.*

h *Anno* 450, *die* 17 *Novembris. Ita Ballarinus & Ughellus.*

i S. Carpophorus *ejuſque ſocii SS.* Exanthus, Caſſius, Severus, Licinius & Secundus, *martyres Comi ſub Maximiano Imperatore coronati, coluntur* 7 *Auguſti*; Fidelis *autem* 28 *Octobris.*

k *Hæc iiſdem verbis leguntur apud Adonem in Chronico ad an.* 396 *nos late examinamus die, eaque natali S.* Donati 30 *Aprilis.*

l Euſebius *hic videtur eſſe* Epiſcopus Mediolanenſis, *qui anno* 451 *celebravit Synodum Mediolanenſem, cui S. Abundius interfuit, & attulit epiſtolam S. Leonis Papæ, uti teſtatur S. Euſebius in epiſtola ex Synodo ad S. Leonem miſſa.*

EX MOMBRITIO. missa, cui inter alios subscripsit S. Abundius Episcopus Ecclesiæ Comensis pro se, & pro absente Asimone Episcopo Ecclesiæ Curiensis. Colitur S. Eusebius 12 Augusti. Reliqui Sancti Patres sunt satis noti.

m *Hæc quoque referuntur eisdem verbis in Chronico Adonis ad an.* 337, *itemque sequentia hujus numeri variis locis. Nos de hisce hæresiarchis agimus, variis & magis opportunis locis.*

n *Mombritius & Surius*, Oreta, *mendose. Rem narrat Socrates aliique & ex his Baronius ad an.* 433.

o S. Abundium *intelligit, patria Thessalonicensem*, Comanum, *seu* Comensem *incolatu: apud Mombritium & in Surio perperam*, Cumanus.

p *Surius perperam transcripsit*, Hæres.

q *Mombritius* mense Occidentis & Orientis: *quod nullum sensum habet, & à Surio magis etiam est obscuratum, quando pro* flamâ, *quod est apud Mombritium, legit*, Flamina: *sensum restituimus per conjecturam: videtur enim significari, hæresi, instar diluvii inundante, Evangelicam messem toto orbe diluendam fuisse, nisi eam arefecisset flamma divini amoris: quod ut clarius esset, transpositio vocum aliqua visa est opportuna.*

CAPUT II.

Missio Constantinopolim jussu S. Leonis Papæ. Ejus zelus pro fide à Theodoreto laudatus.

A

B

A S. Leone in Orientem missus,

6 NEc solum in Occasum, verum etiam in Orientem à B. Leone Apostolico directus Abundius, quę refellenda erant auctoritate Romanę Sedis refellit; ut longinquis à Roma provinciis, pręsentiam quodammodo Romanæ visitationis impenderet, & mediam notam divinæ veritatis ostenderet; quia à continenti opportunoque prospectu promptum illi erat agnoscere, quid in quibusque rebus [statueret] vel Apostolico studio reservaret. Nam cum majora negotia & difficiliorum causarum exitus liberum sibi foret sub expectatione procerum deliberare, vel determinare, aut suspendere; tamen quibusque causis extremam manum impresserat, [fecit id semper] salva dignitate religiosarum personarum ac reverentia
1 Tim. 5, 1. Ecclesiarum; imitatus sententiam Apostoli ad Timotheum hortantis ad ecclesiasticum regimen, Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem aut matrem, juvenes ut fratres, juvenculas ut sorores in omni castitate: quæ moderatio si quibuscumque inferioribus membris ex Apostolica institutione debetur; quanto magis fratribus & Coëpiscopis sine offensione reddenda est? Et licet nonnumquam accidant quæ in Sacerdotalibus sunt reprehendenda personis, plus tamen erga corrigendos agat benevolentia quam severitas, plus cohortatio quam commotio, plus caritas quam potestas. Sed ab iis, qui quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi [quærunt] facile ab hac lege disceditur; & dum dominari magis, quam consulere subditis volunt, honor inflat ad superbiam; & quod provisum est ad concordiam, tendit ad noxam: nec se plerique putant potestatem habere, nisi satagant in subditos injuriam exercere.

discretus in correctionibus,

C

7 Talem diligentiam talemque custodiam semper & ubique servans abundanter, Abundius noster, ut neque Deum neque proximum in examine suæ directionis offenderet, sic placuit Deo [quod] & inventus est justus; & in tempore iracundię factus est reconciliatio. Laboriosa virtus sanctissimi viri, numquam otio neque socordiæ dedita, tam potenter atque viriliter hæreticas pravitates ubique gentium auctoritate Leonianæ legationis expugnavit ac exinanivit, ut præsens ætas & futura his superstitionibus careat, neque suis posteris opus fuit divinum chalybem in Nestorianos aut Eutychianos librare. Et non modo acies talium belluarum occubuit, verum etiam nulla nota vestigiorum apparuit, ut triumphaliter cum Psalmographo sive succinere velit, sive concinere malit, canat, Non convertar donec deficiant, confringam illos nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos. Hic vir sanctissimus imminet & eminet inter omnia gymnasia atque exercitia Catholicæ fidei, ac promovet acies Catholicorum, contra fallaces phalanges hæreticorum: quæ causa tantæ salutis fluxit Comanis, non casus neque fatum, sed divina providentia hæc utraque destruens, fuit efficiens tantæ auctoritatis & benignitatis: nam sicut Moysen Hebræis produxit, ita Abundium Como exhibuit. O dies illustris & solennis, quo tantus Patronus effluxit, non tantum Comanis, sed omnibus Christianis, qui prodeundo de regione in regionem, patiens algoris atque æstus, per charybdem & syrtes, & variarum commercia linguarum, opulentas merces, non terrenæ supellectilis, sed divinæ religionis evexit, & de Eutychianis Nestorianisque summa omnium admiratione triumphavit! Hic cedat triumphalis currus Romanorum seu assentatrix aura tyrannorum: nam finiti & infiniti quota est portio? & volatilis rei ac stabilis quota est collatio? Sed meliores sunt Abundii herbusculæ, quam Neronis & aliorum iniquorum principum epulæ: quandoquidem istæ aulam sempiternam, illæ pariunt gehennam; istius esuries est satura, illius saturies est famelica, sicut ait Dominus, Luc. 9, 25, Beati qui nunc esuritis quia saturabimini.

D

Psal. 17, 39

E

8 Profecto discutiamus illâ controversiam quę universam commovit Ecclesiam, & ab atrocitate pugnæ magnitudinem victoriæ perpendamus. Hæc lis haud pauca lustra temporis amplexata est, & usq; ad gubernaculum Leonis Papæ ac præsulatum Abundij, legatione ejus defuncti, à perfidia sua numquam resipuit. Unde hic vir eximius, sapientia ac variis linguis strenuus, ex constitutione Episcoporum Italiæ & electione dispensationis Leonianæ, multa maria transfretavit, plurimas provincias lustravit, ut quæstio diutissime ventilata & concertata, nec insipientes deciperet, nec sapientes turbaret. Nestorius dicebat duas personas & duas naturas in Christo esse: Eutyches vero unam naturam unamque personam. At fides Catholica duas naturas, sed unam personam in Christo esse asserebat, id est, eumdem Christum hominem esse perfectum; eumdemque Deum & hominem, unum esse Deum atque Dei filium: nec quaternitatem Trinitatis astrui, dum homo additur supra perfectum Deum: sed unam eamdemque personam numerum Trinitatis explere. Vnde contra Nestorium dicitur: Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus. At contra Eutychen subdit: Unus autem non conversione divinitatis in carnẽ, sed assumptione humanitatis in Deum: unus non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Cumque in eadem persona Christi aliud sit divinitas quæ susceperit, aliud, quam susceperit, humanitas; idem tamen Deus atque homo est: fitque in Christo gemina natura geminaque substantia, quoniam homo Deus; unaque persona, quoniam idem homo atque Deus: unde quotidie psallimus: Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus. Ex hujusmodi conflictione causarum, ingenuus Abundius à Deo monitus, à B. Leone directus, & immanitate hæretici sceleris commotus, non parum lucubravit & sudavit, tandemque palmam ingentem exhibuit: & non modo ramos pravi dogmatis, sed truncum cum radice penitus evulsit; cui Theodoretus Tyri Episcopus, de consensu fidei, hanc epistolam, non parva præconia referentem his verbis direxit:

F

Fidem Orthodoxam propugnat.

de Nestorianis & Eutychianis triumphat.

9 Domino vere amabili atque sanctissimo fratri Abun-

A Abundio, Theodoretus in Domino ſalutem. Comperi quod veſtra religio veram & Apoſtolicam fidem piamente conſervet: & gratias egi Deo omnipotenti, quia religio quæ periclitabatur, renovata eſt per ſanctitatem veſtram & venit ad lucem. Et ſicut dudum in diluvio factum eſt, ut ad ſemen generis humani Noë & filii ejus relicti ſint: ſic & in præſenti Occidentales partes ſunt reſervatæ, ut ex his etiam Orientales ſacroſanctæ Eccleſiæ veram cuſtodiant religionem, quam vaſtare jam & devorare penitus ſacrilega & nova hæreſis tentabat. Et opportune dici poteſt vox illa Prophetica: Niſi Dominus Sabaoth ſemen nobis reliquiſſet, ſimiles facti eſſemus quo- Iſa. 1, 9 modo Sodoma & Gomorra. Adeo nobis quaſi aliquod diluvium & bellum evenit ira Dei, ex impia hæreſi. Nunc veram Salvatoris noſtri in corpore humano præſentiam laudamus, & unum Filium Dei, & perfectam ejus deitatem, & perfectam humanitatem confitemur: & non in duos Filios unum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum dividimus. Eſt enim unicus; ſed differentiam Dei & hominis cognoſcimus; & ſcimus quod alterum ex Patre eſt, alterum ex ſemine David & Abraham, juxta divinas Scripturas; quodque divina quidem natura ſine paſſione eſt; corpus autem ante quidem erat in paſſione, B nunc vero & ipſum alienum eſt à paſſione: nam poſtquam ſurrexit, & hoc ab omni paſſione conſtat eſſe liberatum. Hæc ex litteris ſanctiſſimi & religioſiſſimi Archiepiſcopi Domini Leonis didicimus: legimus enim quæ ad ſanctæ & beatæ memoriæ b Flavianum ſcripſit: & gratias egimus noſtro humaniſſimo Deo, quod advocatum & propugnatorem veritatis invenimus. His & ego litteris conſenſi, & huic epiſtolæ meæ exemplum earum copulavi, cui etiam ſubſcripſi; & ex hoc probavi quod regulas Apoſtolicas, id eſt vera dogmata ſequor, hodieque in his permaneo, & ideo bellum patior. Eamdem vero religioſam Apoſtolicam ſectam ſervamus ego & alii reverēdi viri, qui mecum de ſacroſanctis Eccleſiis c expulſi ſunt, idē Dominus Ibas & Dominus Aquilinus, ceterique, contra quos Imperatorum poteſtatem inventores novæ hæreſis armaverunt. Supereſt ut vos cum ſanctiſſimis viris auxilium ſacroſanctæ Eccleſiæ afferatis, auferatiſque impia bella quæ impendent. Prohibete itaque ſacrilegam ſectam, quæ contra pietatem commota eſt; & priſtinam eccleſiis pacem reddite, ut fructus laborum Apoſtolicorum accipiatis à Domino, qui ſe eoſdem fructus redditurum eſſe promiſit. Omnes religioſiſſimos & Dei amicos, C Presbyteros & reverendos Diaconos & Fratres per veſtram ſanctitatem ſaluto: & nos & omnes qui nobiſcum ſunt ſalutamus religionem veſtram.

d 10 Qualis & quantus fuerit iſte Theodoretus, Abundii præco, percunctanti, conſulta reſpōdet d epiſtola Leonis Papæ, ei directa, cujus formulę exordium ſubiicimus. Dilectiſſimo fratri Theodorito Epiſcopo Leo Epiſcopus ſalutē. Remeantibus ad nos Conſacerdotibus noſtris, quos ad ſanctum Concilium Sedes Beati Petri direxit, agnovimus dilectionem veſtram, ſuperno adiutorio, nobiſcum tam Neſtorianæ impietatis, quam Eutychianæ veſaniæ exſtitiſſe victricem; unde gloriamur in Domino cum Propheta canentes, Pſ. 123, 18 Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram: qui nullum nos in noſtris fratribus detrimentum ſuſtinere permiſit: ſed quod noſtro prius miniſterio definiverat, univerſæ fraternitatis irretractabili firmabatur aſſenſu: ut vere à ſe prodiſſe oſtenderat, quod prius à prima omnium Sede formatum totius Chriſtiani orbis judicium recepiſſet: ut in hoc quoque capiti membra concordent. In quo nobis amplius accreſcit gaudendi materia, dum & tanto magis ſe perculit inimicus, quanto contra Chriſti miniſtros ſævius inſurrexit. Nam ne aliarum Sedium ad eam quam ceteris omnium Dominus inſtituit præſidere, conſenſus aſſentationis videretur, ac ita alia quælibet ſubrepere poſſit adverſa ſuſpicio, inventi prius ſunt qui de judiciis noſtris ambigerent: & dum nonnulli, à diſſenſionum coacti auctore, ad contradictionum bella proſiliunt, ad majus bonum totius bonitatis diſpenſatione perventum eſt. Dulcius ſiquidem munera gratiæ divinæ præveniunt, quoties non ſine magnis ſudoribus acquiruntur: & minus bonum pax videri ſoſet continuata per otium, quam reddita poſt labores: ipſa quoque veritas clarius reniteſcit & fortius retinetur, dum quæ prius fides docuit, hæc poſtea examinatio confirmat. Exulta, frater. Redditum ſeculo eſt, prædone proſtrato, Incarnationis divinæ myſterium: quod humani generis inimicus, quia rebus ipſis auferre non poterat, calumniis obſcurabat. Quinimo ab incredulorum corde perierat immortale myſterium: quia nihil pro- Mar. 16, 16 deſt tanta ſalus incredulis, ipſa veritate ſuis dicente diſcipulis? Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit, qui autem non crediderit condemnabitur.

EX MOMBRITIO.

D

ANNOTATA.

E

a S. *Leo epiſtola* 33 *ad Theodoſium Auguſtum*, 34 *ad varios Archimandritas &* 35 *ad Pulcheriam Auguſtam iſta habet*: Ad effectum ſalubrium diſpoſitionum velocius obtinendum, fratres & Coëpiſcopos meos. Abundium & Aſterium, ſed & Baſilium & Senatorem Presbyteros, probatiſſimos viros miſi, qui formam fidei, quam ſecundum doctrinam venerabilium Patrum prædicamus, offerrent: & quid de Incarnatione filii Dei à totius orbis probatis Sacerdotibus defenſum fuiſſet, oſtenderent.

b *Vitam* S. Flaviani *Epiſcopi Conſtantinopolitani dedimus* 18 *Februarij. Epiſtolæ S. Leonis ad illum ſunt inſertæ Concilio Chalcedonenſi.*

c *De hac expulſione conſule Evagrium lib.* 1 *cap.* 10, *ubi inter expulſos recenſentur Theodoretus Cyri, Ibas Edeſſæ, & Aquilinus Bibli Epiſcopi.*

d *Eſt hæc epiſtola* 63, *ex qua aliqua correximus hic minus recte propoſita.*

CAPUT III.

Concilium Conſtantinopolitanum. Mortuus reſuſcitatus.

F 11 PRæterea Anatolius, Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ minoris Romæ, accepta Epiſtola S. Leonis Papæ, de confirmatione Catholicæ fidei, contra hæreticos congregavit concilium omnium Epiſcoporum & Archimandritarum, ſeu Presbyterorum & Diaconorum; & ante conſpectum omnium recitata eſt epiſtola S. Leonis, quam B. Abundius coram omnibus præſentavit, concordantibus teſtimoniis Romanorum Patrum atque Argolicorum. Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus huic Epiſtolæ S. Leonis Papæ, continenti Catholicæ fidei veritatem, concordantibus etiam teſtimoniis Patrum ab eadem Apoſtolica Sede directis, plena devotione conſenſit & ſubſcripſit, anathema dicens Eutychi & Neſtorio, & dogmati vel ſectatoribus eorum. Tunc ceteri Patres, non parvi numeri, eodem modo ſubſcripſerunt. Mox S. Abundius & Aſterius Epiſcopi, & Baſilius & Senator Presbyteri, dixerunt: Omnipotenti Deo gratias, cum reverendorum Epiſcoporum, Presbyterorum, Archimandritarum, Diaconorum atque totius Cleri profeſſiones cognovimus, fidem rectam atque à Patribus traditam profiteri, ſicut eorumdem ſubſcriptio, geſtis præſentibus inſerta, declarat. Ideo nos quoque, quia omnes hoc exigere & expectare comperimus, ſecun-

Epiſtolam S. Leonis tradit Anatolio Epiſcopo.

laudatur à Theodoreto,

d viro æſtimato à S. Leone.

EX MOMBRITIO.

secundum assertionem venerabilis viri *a* Eusebii Episcopi *b* Dorylensis, & sententiam sanctæ memoriæ Flaviani Episcopi, vel assensum Papæ Leonis, ad insinuandam cunctis fidem Catholicam, nominatim anathema dicimus Eutychi vel omnibus qui ejus perfidiam sequuntur, & dicunt in Jesu Christo Domino nostro ante Incarnationem duas fuisse naturas, post Incarnationem vero unam tantum naturam; cum Catholica fides & ante Incarnationem unam, quæ Verbi tum erat, & post Incarnationem duas, id est, Verbi & perfecti hominis, fateatur in una persona, inconfusa proprietate sui, manere naturas. Nestorio etiam, qui væsanum, ut legitur, dudum dogma disperſit, dicendo Dominum Jesum Christum ex Maria virgine hominem tantum, non etiam Deum natum; sed & sectatoribus ejus, in ejusmodi perversitate durantibus anathema dicimus. Propter quod convenit ad confirmationem subscriptionis ejus, sanctam quæ præsens est fraternitatem, iisdem vel omnibus qui eorum doctrinam sequuntur, anathema similiter dicere. Vide quot testimoniis illustrium virorum comprobatum est B. Abundium prava dogmata erroneæ sectæ, jaculo Catholicæ fidei, vulnerasse & extinxisse. Quis negotiator aut triumphator avaritia adipiscendæ pecuniæ, ut ille desiderio victoriæ, tot littora maris, tot accessus telluris adiit. Sed jam oportunum est ultra tendere, & quidquid per sancti viri merita fidei Deus voluit ostendere: cum probi labores ac certamina, signa sint sanctitatis non dubia. Nos vero memorabile, quo Dominus vocat, prodigium referamus.

a b condemnat hæreticos,

B

12 Erat vir quidam illustris & ditissimus, Comensis regionis Regulus, *c* cujus unicum filium contigit obiisse; ex quo familia, funereo mœrore confecta, ingentem gemitum magnis quæstionibus revolvebat. Post diutinum ploratum unanimes examine corpusculum, quasi munusculum, Abundio obtulerunt; quos inter genitor deformis ac lugubris, ac regio cultu exutus, cum omni domo ad vestigia sancti viri volvebatur: Miserere, inquit, senis, non habentis prolem superstitem, non habituri hæredem. Cui relinquam familiam? cui relinquam provinciam? Si in vitam redierit, fides patebit populo, infideles argumentum credendi capient, & fideles fidei suscipient augmentum. Tunc vir Dei pietate solita tangitur, atque offerentibus improbare oblata erubuit. Mox de remuneratione muneris tractans, Hi, inquit, non petunt tumulum, nec funeris officium, neque me querelarum socium: majora excellentioraq; exspectat spectaculum istud. O Deus, quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Dextera Domini facit virtutem, dextera Domini exaltat. Hic non mortuus apud te, sed tamquam dormiens vivat, & narret opera Domini, & dicat, Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me. Non tantum quæro viram [mortui] quam fidem & salutem populi, unius resurrectio multorum erit perfectio. Confestim cœlestes fores patuerunt, & ingressa est oratio ante conspectum Dei; anima ex suis latebris exivit, & exanimem animavit: protinus exequiæ pueruli in obsequia sunt relatæ Abundii, dum accipientes è resurrectione mortuum suum, hilares plaudunt & obstupescunt miraculo, proque mœrore fruuntur gaudio; si qui idololatriæ cultores fuerunt, effecti protinus sunt Christicolæ. Exultat proinde civitas omnis, agitque gratias Deo vero: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum Amen.

c *mortuum resuscitat precibus:*

D

E

ANNOTATA.

a Eusebius, Episcopus Dorylæi, *est primus qui detexit hæresim Eutychetis, & indicavit S. Flaviano Archiepiscopo C.P. & Concilio ab hoc habito; uti indicatur à Liberato diacono, & in Concilio Chalcedonensi: ideoque postea in Pseudosynodo Ephesina, Præside Dioscoro, fuit una cum S. Flaviano condemnatus; & in Concilio Chalcedonensi contra Dioscorum egit.*

b *Est* Doryla *seu* Dorylæum *urbs Asiæ minoris, in Phrygia magna, Episcopalis, in confinio Bithyniæ.*

c *Ballarino dicitur* Princeps aut potens aliquis Dominus idololatra, qui viso miraculo cum reliquis Paganis fidem Christianam suscepisset.

DE SANCTA MVSA VIRGINE ROMANA.

SECULO VI C

DE transitu Musæ puellæ *ista scribit S. Gregorius lib. 4 Dialogi cap. 17.* Sed neque hoc silebam, quod prædictus Probus Dei famulus de sorore sua, nomine Musa, puella parva narrare consuevit, dicens, quod quadam nocte ei per visionem sancta Dei Genitrix Virgo Maria apparuit, atque coævas ei in albis vestibus puellas ostendit. Quibus illa cum admisceri appeteret, sed se eis jungere non auderet; Beatæ Mariæ Virginis est voce requisita, an velit cum eis esse, atque in ejus obsequio vivere. Cui cum puella eadem diceret, Volo; ab ea protinus mandatum accepit, ut nihil ultra leve & puellare ageret, & à risu & jocis se abstineret, sciens per omnia, quod, inter easdem quas viderat, ad ejus obsequium die trigesimo veniret. Quibus visis, in cunctis suis moribus puella mutata est, omnemque à se levitatem puellaris vitæ magna gravitatis deterſit manu. Cumque eam parentes ejus mutatam esse mirarentur, requisita rem, retulit quid sibi Beata Dei Genitrix jusserit, vel qua die itura esset ad obsequium ejus indicavit. Tunc post vigesimum quintum diem febre correpta est. Die autem trigesimo cum hora ejus exitus propinquasset, eamdem Beatam Genitricem Dei, cum puellis quas per visionem viderat, ad se venire conspexit. Cui se etiam vocanti respondere cœpit, & depressis reverenter oculis aperta voce clamare, Ecce Domina venio, ecce Domina venio. In qua etiam voce spiritum tradidit; & ex Virgineo corpore, habitatura cum sanctis Virginibus, exivit.

A Deipara monita de die obitus,

corrigit levitatem puellarem;

& pie moritur:

F

2 *Hæc S. Gregorius Papa: quem passim alii describserunt; inter quos Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus, lib. 11 Catalogi Sanctorum cap. 111, & in titulo appellat* S. Musam Virginem; *tum ad hunc diem secundum Aprilis Molanus, in suis ad Vsuardum additionibus primæ editionis anni* MDLXVIII; *Canisius in Martyrologio Germanico; Ferrarius, in Catalogo Sanctorum Italiæ, & iterum in Catalogo Sanctorum generali; Arturus du Monstier, in sacro Gynaceo. Item Antonius Gallonius Romanus, in Historia Sanctarum Virginum Romanarum, Italico sermone edita Romæ anno* MDXCI; *Heribertus Rosweidus in Historia Sanctarum Virginum, quæ extra monasteria in Sanctitate floruerunt, Belgico idiomate edita, cum imaginibus Sanctarum Virginum in ære eleganter sculptis. Nicolaus Brautius, Episcopus Sarsinæ & Comes Bobii, in Martyrologio Poëtico,* de S. Musa Virgine Romana *hoc distichon composuit:*

à variis relata 2 Aprilis.

A Genitrice Dei bis Musa puella vocata;
En venio, venio, dixit, obitque diem.

DE

DE SANCTO NICETIO,

Epiſcopo Lugdunenſi in Gallia.

G. H.

ANNO DLXXIII.

Tempus vitæ & obitus.

INter illuſtriores Sanctos, qui ſeculo Chriſti ſexto Gallias ſuis virtutibus & miraculis collustrarunt, merito cenſendus eſt S. Nicetius Epiſcopus Lugdunenſis. Natus hic anno ſupra quingenteſimum decimo tertio aut circiter, Sacerdos ordinatus eſt ætate jam tricenaria; & S. Sacerdotii, XII Septembris anni DLI vita functo, ſubrogatus eſt in Sedem Lugdunenſem. Ibidemque interfuit Concilio ſecundo, juſſu Gunthramni Regis anno Chriſti DLXVII habito, eidem poſt Philippum Epiſcopum Viennenſem ſubſcripſit, ac tandem hoc die ſecundo Aprilis anni DLXXIII ad æternam cæleſtemque vitam tranſivit. Mox aliquem libellum de vita ejus compoſitum fuiſſe teſtatur infra S. Gregorius Epiſcopus Turonenſis, qui res ejus geſtas expoſuit, tum capite LXI libri de Gloria Confeſſorum, tum potiſſimum capite VIII libri ſui de Vitis Patrum. Fuiſſe autem S. Nicetium Epiſcopum avunculum matris ſuæ, teſtatur ipſe libro 5 Hiſtoriæ Francorum cap. 5. ſeque quaſi in ejus ſinu educatum & convictu atque familiaritate longo tempore uſum. Vitæ à S. Gregorio ſcriptæ, ab hoc citatam antiquiorem aliam ſubjungimus; cujus auctor anonymus, Clericus aut Presbyter in eccleſia Lugdunenſi, compoſuiſſe eam videtur intra primos octodecim annos ab obitu Sancti. Idq; juſſu Ætherii Epiſcopi, qui, Nicetii ſucceſſori Priſco ſuffectus, ſancto laboravit ſtudio qualiter ſancta ejus vita, quæ etiam poſt obitum florebat aſſiduitate operis, panderetur officio lectionis, *uti dicitur in fine num. 9. Hanc ex pervetuſto Codice S. Augendi Iurenſis primus publicæ luci dedit Petrus Franciſcus Chiffletius noſter, in ſuo Paulino illuſtrato parte 1 cap. 22: unde tranſcriptam exhibemus.*

Vita ſcripta hic ex Gregorio Turonenſi datur:

B

Eccleſia, reliquiæ.

2 *Altera hujus Sancti illuſtris apud Lugdunenſes memoria eſt eccleſia ad ejus honorem conſtructa, eaque & collegiata, & parochialis, & quidem maxima urbis Lugdunenſis: in qua ſacrum ejus corpus ſumma cum veneratione hactenus adſervatur. De aliquibus* S. *Nicetii Reliquiis delatis ad Trecenſes & Turonenſes, & eccleſiis ſive altaribus ad ejus honorem dedicatis, infra in Vita agitur. In Eccleſia etiam urbis Cabilonenſis Cathedrali Officio Eccleſiaſtico ſub ritu duplici colitur, ſed die quarto hujus menſis. Ejuſdem* S. *Nicetii memoria inſcripta eſt paſſim omnibus Martyrologiis Latinis, inveniturque etiam in quatuor apographis ipſius Martyrologii Hieronymiani his verbis:* Lugduno Galliæ depoſitio S. Nicetii Epiſcopi. *Quæ eadem leguntur in* MSS. *Caſinenſi, Altempſiano, Barberiniano, Richenovienſi & paſſim aliis. At Florus Lugdunenſis in* MSS. *Atrebatenſi, Tornacenſi & Lætienſi hoc eum elogio exornat:* Lugduno natale S. Niceti Epiſcopi & Confeſſoris, qui vir totius ſanctitatis, converſationis caſtiſſimæ, caritatis eximiæ, vita perfunctus eſt. *Ado & ipſe Lugdunenſis eum primo loco ita laudat:* Natalis S. Nicetii Lugdunenſis Epiſcopi, cujus & vita miraculis claruit, & pretioſa mors nihilominus miraculis commendatur. *Et hæc ipſa verba invenies apud Vſuardum, Notkerum, auctorem Martyrologii ſub nomine Bedæ editi, & alios recentiores. Wandelbertus hoc eum verſu celebrat:*

Memoria in Faſtis ſacris.

C

Lugduni quartis Nonis ſacer urbe Nicetus.

3 *In Chronologia Præſulum Lugdunenſium tali epitaphio exornatur.*

Epitaphium.

Ecce Sacerdotum tenuit qui jura Sacerdos,
Quo recubat tumulo, nomine Nicetius.
Urbs, Lugdune, tuum rexit per tempora Clerum,
Eccleſiamque Dei cordis amore colens.
Quique Sacerdotis Sanctus hic proximus hæres,
Sanguine conjunctus, culmine, Sede ſimul.
Vir bonus, indultus cunctis, famuliſque benignus,
Quem duro læſit verbere quiſque ſuo:
Manſuetus, patiens, mitis, venerabilis, aptus,
Pauperibus promptus, ſimplicibuſque pius:
Pſallere præcepit, normamque tenere canendi
Primus, & alterutrum tendere voce chorum.
Noxia temnendi vitans diſcrimina mundi,
Inque Deum ſolum vivere novit opus.
Sic vigilans, ſobrius, ſic caſtus carnis ubique,
Quo nihil in Clero dulcius eſſe poteſt.
Cauſarum ſprevit ſtrepitus vanoſque furores,
Ut ſimplex mundo, ſed ſapiens Domino;
Jura poteſtatum verbi terrore coërcens,
Iurgia deſpiciens, ſuſpicienſque Deum.
At ſimul erectus, mitis, pietate ſerenus,
Tranſiit innocuus, regna ſuperna tenens.

Hæc ibi. Potuit S. Nicetius cantum alternum in choro reſtauraſſe & in meliorem normam in ſua Eccleſia redegiſſe, qui jam pridem viguerat etiam in eccleſia Lugdunenſi, uti teſtis eſt S. Sidonius Apollinaris, lib. 5 epiſt. 17, ubi ait, quod ad S. Juſti ſepulcrum vigilias alternante mulcedine monachi Clericiq; Pſalmicines concelebrabant.

E

VITÆ EPITOME

Auctore S. Gregorio Turonenſi *libro de Gloria Confeſſorum cap.* 61.

Virtutes ejus:

NIcetius quoque Confeſſor in urbe Lugdunenſi, vir totius ſanctitatis, converſationis caſtiſſimæ, caritatis eximiæ, vita perfunctus eſt. Cujus eleëmoſynæ atque humilitas nec inveſtigari tantum, nec enarrari à nobis poſſunt. Qui poſtquam beatum ſpiritum præmiſit ad cælos, poſitus in feretro ad baſilicam, in qua ſepultus eſt, ferebatur. Et ecce unus puerulus, diuturna cæcitate gravatus, cum reliquis plangens, adminiculo ſuſtentante ſequebatur. Factum eſt autem cum graderetur, perlata eſt vox in ore ejus ſecretius, dicens: Appropinqua te feretro, & cum ſubter ingreſſus fueris, protinus recipies viſum. Ille vero interrogabat hominem, qui eum trahebat, quis eſſet qui hæc verba auribus ſuis inferret. Negat ille quemquam videre, qui ei loquatur. Cumque bis & tertio hæc vox aures illius verberaſſet; cognovit aliquid novi gerendum, & ſe ad feretrum poſtulat duci. Accedenſque, & inter albentium diaconorum turbam perlapſus, quo juſſus fuit, ingreditur. Denique ut nomen Sancti invocare cœpit, illico reſeratis oculis lumen recepit. Poſt hæc puer erat aſſiduus in baſilica, ad ſepulcrum Sancti deſerviens, & lumen accendens: ſed à quibuſdam civitatis majoribus opprimebatur atque fatigabatur, ut nec victus alimoniam poſſet habere. Cumque ſæpius hæc ad beatum imploraret ſepulcrum, apparuit ei Sanctus per viſum dicens: Vade ad Gunthramnum Regem, & ei quid patiaris diligenter enarra: ipſe enim tibi præbebit veſtitum & alimentum, eripietque te de manu inimicorum. Denique hac admonitione firmatus puer ad Regem accedens, quæ ſuggeſſit obtinuit.

puer cæcus divinitus monitus,

F

ſub feretro viſum recipit:

à S. Gunthramno Rege ſuſtentatur.

2 Sed & nunc ad ſepulcrum beati Confeſſoris multa miracula Chriſto auſpice tribuuntur. Nam & miſerorum ibi catenæ rumpuntur, cæci illuminantur, dæmones effugantur, ſanitati redduntur paralytici, perferentes acceſſus febrium liberantur. In quo loco tam frequenter oſtenduntur miracula, ut ex ordine ſcribi longum ſit. Tamen retulit mihi vir fidelis, quatuor ibi cæcos ante paucos dies fuiſſe illuminatos: & quod hominem, quem claudum olim noverat, incolumem nuper aſpexit.

Alia miracula.

4 cæci & claudus ſanantur.

VITA

VITA PROLIXIOR,

Auctore eodem Gregorio Turonenſi, Capite VIII in Vitis Patrum.

CAPUT I.

Ortus, ſtudia, Sacerdotium.

Ierem 1, 5 PReſentiæ divinæ bonum, quod plerumque regno ſuo provideat quos adſciſcat, ipſa ſæpius ſacræ lectionis teſtantur oracula, ſicut ad Jeremiam eximium vatem cæleſtis oris myſtica deferuntur eloquia, dicentis, Priuſquam te formarem in utero, novite; & ante quam exires de vulva, ſanctificavi te. Et ipſe Dominus utriuſque conditor Teſtamenti, illis quos largitio hilaris agnino decoratos vellere

Mat. 25,34 ſuis locat à dextris, quid ait? Venite benedicti Patris mei, percipite præparatum vobis regnum à conſtitutione mundi. Sed & illud vas electionis beatus

Rom. 8.29 Apoſtolus; Quos, inquit, præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui: nam & de Iſaac Ioanneque, qualiter naſcerentur vel quid agerent; & nomen & opus prædixit & meritum. Sic & nunc de B. Nicetio ipſa illa priſca miſeratio pietatis (quæ immerita ditat, non nata ſanctificat, & omnia prius quam gignantur & diſponit & ordinat) qualiter Sacerdotalis gratiæ infulis floreret in terris, prius genitrici voluit revelare. De cujus vita retinetur quidem exinde libellus nobiſcum, neſcio à quo compoſitus: qui multas quidem virtutes ejus pandit, non tamen vel exordium nativitatis converſioniſque ejus, vel ſeriem virtutum declarat ad liquidum. Et licet nec nos omnes ejus virtutes inveſtigaverimus, quas per eum Dominus vel occulte operari eſt dignatus vel publice; tamen quæ ad priorem auctorem non pervenerunt, etſi ruſticiori ſtylo, pandere procuravimus.

B. Nicetius à Deo præ-ordinatus ad Epiſcopatum.

B

2 Igitur Florentinus quidam ex Senatoribus, acccepta Arthemia conjuge, cum duos jam haberet liberos, ad Epiſcopatum *a* Ianubenſis vrbis expetebatur; & re jam obtenta, *b* cum Principe domum revertitur, conjugique quæ egerat nuntiavit. Quod illa audiens, reſpondit viro: Deſine, quæſo, dulciſſime conjux ab hac cauſa, & ne quæſieris Epiſcopatum urbis: quia ego ex conceptu à te ſumpto Epiſcopum gero in utero. Requievit vir ſapiens audita uxore, rememorans illud, quod divina quondam vox principi fidei noſtræ Abrahæ præcepto beato præceperat; Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus.

a b

matri prædicitur,

Gen. 21, 12 Denique impletis pariendi diebus, mulier enixa eſt *c* puerum: quem quaſi victorem futurum mundi, Nicetium in baptiſmo vocavit, eumdemque ſumma nutritum diligentia litteris Eccleſiaſticis mandavit inſtitui. Defuncto autem patre, hic cum genitrice jam Clericus in domo paterna reſidens, cum reliquis famulis manu propria laborabat, intelligens commotiones corporeas non aliter niſi laboribus & ærumnis opprimi poſſe.

C

c litteris ſacris imbutus fit Clericus:

3 Quodam vero tempore, cum adhuc in domo ipſa degeret, orta eſt ei puſtula mala in facie: quod virus invaleſcens ac excoquiens, fecit puerum deſperatum. Sed mater ejus jugiter, inter Sanctorum nomina, B. Martini nomen pro ejus ſalute peculiarius invocabat. Cumque per biduum puer jacuiſſet in lectulo clauſis oculis, & nullum verbum conſolationis matri lamentanti proferret, ſed potius ipſa genitrix inter ſpem metumque titubans, juxta ritum exequiarum neceſſaria funeris præpararet; ſecunda die ad veſperum aperiens oculos, ait: Quo ivit mater mea? Quæ ſtatim adveniens, ait: Ecce adſum, quid vis fili? Et ille, Ne timeas, inquit, mater: Beatus enim Martinus ſuper me Crucem Chriſti faciens, ſurgere me juſſit incolumem. Hæc effatus, ſtatim ſurrexit à lectulo, geminavitque virtus divina miraculi hujus gratiam, & ut Martini panderetur meritum, & ut hic, quia futurus erat Pontifex, à contagio ſalvaretur. Teſtis enim fuit hujus cauſæ viſa cicatrix ejus in facie.

in morbo à S. Martino apparente ſanatur:

D

4 Ætate quoque jam tricenaria Presbyterii honore *d* prædītus, nequaquam ſe à labore operis, quod prius geſſit, abſtinebat; ſed ſemper manibus propriis operabatur cum famulis, ut Apoſtoli compleret præcepta, dicentis: Laborate manibus, ut habeatis unde tribuere poſſitis neceſſitatem patientibus. Illud omnino ſtudebat, ut omnes pueros, qui in domo ejus naſcebantur, ut primum vagitum infantiæ relinquentes loqui cœpiſſent, ſtatim litteras doceret, ac pſalmis imbueret; ſcilicet ut primo ingreſſui tale jungeretur pſallentium, ut tam antiphonis quam meditationibus diverſis, prout devotio flagitabat animi, Deo ſervire poſſent.

d

Preſbyter laborat manibus, docet pueros: Epheſ 4,28

Caſtitatis amorem inſtillat.

5 Caſtitatem autem non modo hic diligenter erat cuſtodiens, verum etiam cuſtodiendi gratiam aliis jugiter prædicabat, & a polluto tactu & verbis obſcœnis, ut deſiſterent, edocebat. Nam recolo in adoleſcentia mea, cum primum litterarum elementa cœpiſſem agnoſcere, & eſſem quaſi octavi anni ævo, illeque indignum *e* me lectulo locari juberet, ac paterna dilectionis dulcedine ulna ſuſciperet; oram indumenti ſui articulis arripiens, ita ſe colobio concludebat, ut numquam artus meos beata ejus membra contigerint. Intuemini, quæſo, & advertite cautelam viri Dei: qui ſi ſic ab infantuli artubus, in quo nulli adhuc eſſe poterant ſtimuli concupiſcentiæ, nulla incitamenta luxuriæ, ne ab eis tangeretur, abſtinuit; qualiter de loco, ubi ſuſpicio luxuriæ eſſe potuit, ille refugit? Erat enim, ut diximus, caſtus corpore, mundus corde; non in ſcurrilitate verba proferens, ſed ſemper quæ Dei ſunt loquens. Et cum omnes homines in illo cæleſtis caritatis vinculo diligeret, matri propriæ ita erat ſubditus, ut ei quaſi unus ex famulis obediret.

e

E

ANNOTATA.

a Januba, Janua, Janava, Genaba, Genava *& potiſſimum* Geneva, *urbs Allobrogum Epiſcopalis, ubi rapido curſu Rhodanus è Laculeman profluit.*

b *Inter Iſaacum Epiſcopum, qui ſedit anno* 440; *& Maximum, qui præfuit anno* 515, *maximus apparet hiatus Sedis vacantis: quando potuit Epiſcopatus* Florentino *oblatus fuiſſe à S. Sigiſmundo, ad fidem orthodoxam converſo.*

c *Circa annum* 513. d *Circa annum* 545.

F

e *Gregorius erat Arvernus, & habebat patruum* S. Gallum *Epiſcopum Arvernorum, ad quem veniſſe, potuit S. Nicetius, qui erat avunculus Armentariæ, matris Gregorii.*

CAPUT II.

Vita in Epiſcopatu. Obitus, teſtamentum, caſula.

6 DEnique ægrotante *a* Sacerdote Lugdunenſi Antiſtite in urbe Pariſiaca, cum à *b* Childeberto ſeniore magno amore diligeretur, voluit Rex uſque ad ejus lectulum proficiſci ac viſitare infirmum. Cui venienti ait Epiſcopus: Optime noſti, o piiſſime, quod tibi in omnibus neceſſitatibus tuis fideliter ſervierim, ac quæcumque injunxiſti, devote impleverim. Nunc precor, ut quia tempus reſolutionis meæ adeſt, non dimittas me ab hoc mundo cum dolore diſcedere, ſed unam petitionem, quam ſupplico, libenter indulgeas. Et ille, Pete, inquit, nam quod volueris obtinebis. Rogo, ait, ut Nicetius Presbyter nepos meus, Eccleſiæ Lugdunenſi ſub-

Commendatus Childeberto Regi à Sacerdote Ep. Lugdunenſi,

A

ſubſtituatur Epiſcopus. Eſt enim, ut mei teſtimonii verba proferunt, amator caſtimoniæ, dilectorque eccleſiarum, & in eleemoſynis valde devotus, & quæcunque ſervos Dei decent & operibus gerit & moribus. Reſpondit Rex: Fiat voluntas Dei. Et ſic pleno Regis & populi ſuffragio, Epiſcopus Lugdunenſis ordinatus fuit, præcipuus concordiæ ac pacis amator: qui ſi læſus fuiſſet ab aliquo, ſtatim aut remittebat per ſe, aut per alium inſinuabat veniam deprecari.

ipſe huic impos ſubſtituitur:

7 Nam vidi ego quodam tempore Baſilium Presbyterum miſſum ab eo ad Armentarium Comitem, qui Lugdunenſem urbem his diebus poteſtate judiciaria gubernabat, dixitque, ad eum: Pontifex noſter cauſæ huic, quæ denuo *c* impetitur, dato judicio terminum fecit: ideoque commonet ne eam iterare præſumas. Qui furore ſuccenſus, reſpondit Presbytero: Vade, & dic ei: Quia multæ ſunt cauſæ in meo conſpectu *d* poſitæ, quæ alterius judicio finiendæ erunt. Regreſſus Presbyter, quæ audivit, ſimpliciter expoſuit: Sanctus vero Nicetius commotus contra eum, ait; Vere inquam, quia eulogias de manu mea non accipies, pro eo quod verba, quæ furor exegit, meis auribus intuliſti. Erat autem convivio recumbens? ad cujus & ego lævam, cum adhuc Diaconatus fungerer officio, propinquus accubueram: dixitque mihi ſecretius: Loquere Presbyteris, ut deprecentur pro eo. Cumque locutus fuiſſem, non intelligentes voluntatem Sancti, ſilebant. Quod ille cernens: Tu, inquit, ſurge, & deprecare pro eo. At ego cum trepidatione conſurgens, oſculatus ſum ſancta ejus genua, orans eum pro Presbytero. Qui indulgens, atque eulogias porrigens, ait: Rogo, dilectiſſimi fratres, ut verba inutilia, quæ ignave muſſitantur, aures meas non verberent: quia non eſt dignum, ut hominés rationabiles irrationabilium hominum procacia verba ſuſcipiant. Hoc tantum vos ſtudere oportet, ut illi, qui contra Eccleſiæ utilitatem quædam machinari cupiunt, veſtris propoſitionibus confundantur: irrationabilia enim, non ſolum non admirari, ſed nec audire deſidero. O beatum virum, qui omni intentione vitare cupiebat ſcandalum! Audiant autem hæc illi, qui ſi offenſi fuerint, ignoſcere nolunt: ſed totam pro ſua ultione convocantes urbem, etiam teſtes adhibere non metuunt, qui vocibus nefariis dicant: Hæc & hæc audivimus de te hunc loquentem: & ita fit, ut pauperes Chriſti talibus accuſationibus, miſericordia poſtpoſita, opprimantur.

c

d

Verba inutilia aut procacia non patitur.

B

C

8 Quodam autem mane cum ſurrexiſſet ad matutinas S. Nicetius, expectatis duabus Antiphonis ingreſſus eſt ſacrarium. Ubi dum reſideret, Diaconus reſponſorium pſalmum canere cœpit, & ille commotus, ait: Sileat, sileat, nec præſumat canere juſtitiæ inimicus. Et dicto citius oppilato ore ſiluit: quem juſſit vocari ad ſe Sanctus, & ait: Nonne præceperam tibi, ne ingredereris eccleſiam Dei? & cur auſu temerario ingredi præſumpſiſti? aut cur vocem in canticis Dominicis es auſus emittere? Stupentibus autem omnibus qui aderant, & nihil mali de Diacono noverant, exclamavit dæmonium, & ſe torqueri à Sancto immenſis cruciatibus confitetur: ipſe enim præſumpſerat in eccleſia canere; cujus vocem, ignorantibus populis, Sanctus agnovit, & ipſum verbis acerrimis execratus eſt. Tunc impoſitis Sanctus Diacono manibus, ejecto dæmone, perſonam reſtituit integræ menti.

Diaconum à dæmone obſeſſum liberat:

ad mortui feretrum illuminatur cæcus,

e

f

9 His, & aliis ſignis declaratus in populis, viceſimo ſecundo Epiſcopatus ſui anno, *e* ætate ſexagenaria, migravit ad Chriſtum. Qui dum ferretur ad ſepeliendum, *f* cæcus quidam ſe ſub feretrum flagitavit adduci: ſtatimque eo ingreſſo, vultus diu lumine viduatus, reſeratis oculis adornatur: nec diſtulit divina pietas beatos artus glorificare ſignis, cujus beatam animam cum choris Angelicis ſuſcipiebat in aſtris.

AUCTORE GREGORIO.

D

10 Poſt dies autem quos lex Romana ſancivit ut defuncti cujuſpiam voluntas publice legatur, hujus Antiſtitis teſtamentum in foro delatum, turbis circumſtantibus à Judice reſeratum recitatumque eſt. Presbyter vero baſilicæ, tumens felle, quod nihil loco, in quo ſepultus fuerat, reliquiſſet, ait: Aiebant ſemper plerique, ſtolidum fuiſſe Nicetium: nunc ad liquidum verum eſſe patet, cum nihil baſilicæ, in qua tumulatus eſt, delegavit. Sequenti autem nocte Sanctus apparuit Presbytero cum duobus Epiſcopis, id eſt, *g* Juſto atque Eucherio, in veſte fulgenti, dicens ad eos: Hic Presbyter, ſanctiſſimi Fratres, blaſphemiis me obruit, quia nihil facultatis ſcripſerim templo huic quo requieſco; & neſcit, quia quidquid pretioſius habui, ibidem reliqui, id eſt, glebam corporis mei. At illi dixerunt: Injuſte facit, detrahens ſervo Dei. Converſuſque Sanctus ad Presbyterum, pugnis palmiſque guttur ejus illiſit, dicens: Peccator conterende, deſine ſtulte loqui. Expergefactus autem Presbyter, tumefactis faucibus, ita doloribus coarctatur, ut ipſas quoque ſalivas oris vix cum labore maximo poſſet deglutire. Vnde factum eſt, vt per dies quadraginta lectulo decubans, graviter cruciaretur. Sed invocato Confeſſoris nomine, ſanitati redditus, nunquam auſus eſt ea verba, quæ prius præſumpſerat, garrulare.

obganniens teſtamento ejus caſtigatur,

E

11 Et quia novimus Priſcum Epiſcopum, huic Sancto ſemper fuiſſe adverſum, Diacono cuidam hujus caſulam tribuit. Erat autem gravis, eo quod & ipſe vir Dei robuſto fuiſſet corpore. Cappa autem hujus indumenti ita dilatata erat atque conſuta, ut ſolent in illis candidis fieri, quæ per Paſchalia feſta Sacerdotum humeris imponuntur. Ibatque Diaconus cum hoc veſtimento diſcurrens, ac parvipendens de cujus uſibus remanſiſſet: hoc habens in lectulo, hoc utens in foro, de cujus fimbriis, ſi credulitas certa fuiſſet, reddi potuit ſalus infirmis. Cui ait quidam: O Diacone, ſi ſcires virtutem Dei, & quis fuit cujus veſtimento uteris, cautius cum eo viveres. Cui ille: Vere, inquit, dico tibi, quia & hac caſula tergo utor, & de cappa ejus, parte prolixiore deciſa, tegumen pedum aptabo. Fecit illico miſer, quæ pollicitus eſt, ſuſcepturus protinus divini judicii ultionem. Verum ubi deciſo euculio, aptatis pedulibus pedes operuit, extemplo arreptus à dæmone, ruit in pavimentum. Erat autem ſolus in domo, nec erat qui ſuccurreret miſero: cumque ſpumas cruentas ore proiiceret, extenſis ad focum pedibus, pedes cum pedulibus ignis pariter devoravit. Hactenus de ultionibus.

& Diaconus eju ſdem caſula abutens;

F

ANNOTATA.

a S. Sacerdos *mortuus eſt anno* 550, *die* 12 *Septembris quo colitur.*

b *Childebertus Chlodovei* 1 *filius, Rex Pariſiorum, vixit uſque ad annum* 558.

c *Ita MS. noſtrum, alias* movetur.

d *Alias,* arbitrio.

e *Anno* 573, 2 *Aprilis, cujus ſucceſſor* Priſcus *eodem anno interfuit Pariſienſi Concilio* 4, XI *Septembris.*

f *Hæc hiſtoria ſupra in priore relatione pluribus narratur.*

g *Ex his* Juſtus *colitur* 2 *Septembris &* Eucherius *16 Novembris, ambo Epiſcopi Lugdunenſes, prior ſeculo* 4, *alter ſeculo* 5.

AUCTORE GREG. TUR.

CAPUT III.

Varia post mortem patrata miracula.

Floribus à ſepulchro S. Nicetii acceptis.

12 AIgulphus quoque Diaconus noſter, Roma veniens, beata nobis Sanctorum pignora deferebat. Hic cauſa tantum orationis, locum quo Sanctus quieſcit adivit: ingreſſuſque ædem, dum diverſorum miraculorum opus illuſtre perpendit, vidit immenſum catervatim populum ad ejus ſepulcrum, velut felicium examina apum ad conſuetum alveare, confluere: & alios, Presbytero qui aderat miniſtrante, particulas ceræ pro benedictione ſumere, alios parumper pulveris, nonnullos diſruptas ab opertorio ejus fimbrias capere & abire, ferentes in diſparibus cauſis unam gratiam ſanitatis. Hæc ille cernens, fide compunctus & lacrymans, ait: Si marinorum me moles fluctuum ſulcare mei Sacerdotis devotio fecit, ut luſtratis Romanorum Martyrum ſepulcris aliquid de eiſdem pignoris deferre deberem; cur non Gallicani mei Confeſſoris pignora capiam, per quæ mihi meisque ſalus integra reparetur? Et ſtatim accedens, quaſdam de herbulis, quas devotio populi ſacrum jecit in tumulum, manu linteo operta, Sacerdote porrigente, ſuſcepit, repoſitaſque diligenter domum detulit. Itaque ſtatim fidem hominis miraculorum actio comprobavit. Nam diſcerptis de his particulis, & frigoriticis cum aquæ potu porrectis, protinus cum hauſtu ſalutem invexit: ſed & multis deinceps. Quando autem hæc nobis retulit, jam quatuor exinde ſanos factos ab hac infirmitate narravit.

curantur febres: B

13 Joannes autem Presbyter noſter, dum ab urbe Maſſilienſi cum commercio negotiationis ſuæ rediret, ad hujus Sancti ſepulchrum in oratione proſternitur: de qua conſurgens, aſpicit confractas compedes, diſruptaſque catenas, quæ culpabilium vel adſtrinxerant colla vel ſuras attriverant: & admiratus eſt. Sed contemplatio non fuit miraculis vacua. Nam rediens ad nos Presbyter, aſſerebat cum ſacramento, tres coram ſe ibi cæcos fuiſſe lumini reddi-

multa ad illud miracula fiunt:

tos, ac domum rediiſſe ſalvatos. Apud Genabenſem quoque Galliarum urbem, dum ejus Reliquiæ cum honore pſallentii portarentur, tantam ibi Dominus gratiam præſtare dignatus eſt, ut ſuppliciter adorantes, & cæci viſum & claudi reciperent greſſum: nec dubitare poterat quiſpiam præſentem eſſe Confeſſorem, cum videbant talia infirmis remediorum munera miniſtrari.

C 14 Seditione etiam in quodam loco exorta, cum vulgo ſæviente, volantibus ſaxis ac facibus, furor arma non mediocriter miniſtraret; unus elevato enſis acumine, cum aſſultu gravi virum perculit. Poſt dies autem paucos, inventus iſte ab interempti germano, ſimili exitu trucidatur. Quod cum Judex loci illius comperiſſet, vinctum virum in carcerem trudi præcipit, dicens: Dignus eſt morte hic ſceleſtus occumbere, qui voluntatis propriæ arbitrio, nec expectato Judice, auſus eſt temere mortem fratris ulciſci. In qua dum teneretur cuſtodia, & multorum Sanctorum nominibus invocatis miſericordiam precaretur; quaſi ad Sanctum Dei converſus ait: Audivi de te, Niceti, quod ſis potens in opere miſericordiæ, ac pius in compeditorum flentium abſolutione: deprecor nunc, ut me illa ſupereminenti pierate viſitare digneris, qua in reliquorum abſolutione vinctorum ſæpius claruiſti. Poſt paululum vero obdormienti apparuit illi vir beatus, dicens: Quis es tu, qui nomen Nicetii invocas? aut unde noſti quis fuerit, quod eum obſecrare non deſinis? At ille cauſam delicti ex ordine referans, adjecit: Miſerere, quæſo, mihi, ſi tues vir Dei, quem invoco. Cui Sanctus ait:

captivus catenis ultro ſolutis liberatur:

Surge in nomine Chriſti, & ambula liber: à nullo enim comprehenderis. At ille in hac expergefactus voce; ſe abſolutum, catenis comminutis, confractaque trabe, miratur: nec moratus, nemine retinente, uſque ad ejus ſepulchrum perrexit intrepidus. Tunc à Judice, noxialis culpæ damnatione conceſſa, laxatus abſceſſit ad propria. D

15 Gratum eſt illud addi miraculis, quod accenſis ad lectum ejus fecerit cicindulis, quia ingentia ſunt, quæ in cælis habitans, operatur in terris. Igitur lectulus, quo Sanctus quieſcere erat ſolitus, ſæpius miraculis adornatur illuſtribus. Qui grandi ſtudio ab *a* Ætherio nunc Epiſcopo fabricatus, devotiſſime adoratur: nec immerito, cum frigoritici ſæpius ſub eo ſiti, compreſſo vapore ac frigore, ſalventur, ceterique infirmi ibidem projecti, protinus ſublevantur: palla etenim ſpecioſa tegitur, lychnique in ea jugiter accenduntur. Unus igitur ex his, per quadraginta dies totidemque noctes (ut ipſe ædituus aſſeruit) abſque ullius fomenti adjutorio perduravit ſplendens; in quo nec papyrus addita, nec gutta olei eſt ſtillantis adjecta: ſed ipſa, qua primum ſtatutus eſt, compoſitione permanſit, cum lucepræclara.

ad ejus lectum miraculis clarum

lucerna abſque oleo ardet 40 diebus.

16 Hujus Sancti Reliquias *b* Gollomagnus Tricaſinorum Pontifex devotus expetiit, quæ cum pſallentio deducerentur, & cæcorum oculi illuminati ſunt earum virtute, & aliorum morborum genera meruerunt accipere medicinam. *c*

alia per Reliquias miracula. E

17 Ad nos quoque facietergium, dependentibus villis intextum, quod Sanctus ſuper caput in die obitus ſui habuit, eſt perlatum. Quod nos tamquam munus cæleſte ſuſcepimus. Factum eſt autem, ut poſt dies plurimos ad benedicendam eccleſiam in parochia Paternacenſi urbis Turonicæ invitaremur. Acceſſi, fateor: ſacravi altare, decerpſi fila de linteo, locavi in templo: dictiſque Miſſis & facta oratione, diſceſſi. Paucis deinde diebus interpoſitis, advenit ad nos ille qui invitaverat, dicens: Gaude in nomine Domini, Sacerdos Dei, de virtute B. Nicetij Antiſtitis: nam noveris, quia oſtendit miraculum in eccleſia, quam ſacraſti. Cæcus enim erat in pago noſtro, diuturna cæcitatis & caliginis oculorum nocte detentus: cui apparuit vir quidam per viſum noctis, dicens: Si vis ſanus fieri, proſternere in orationem coram baſilicæ S. Nicetij altari, & recipies viſum: quod cum feciſſet, diſruptis tenebris, lumen ei virtus divina patefecit. Poſui, fateor, de his pignoribus & in aliis baſilicarum altaribus, in quibus & energumeni Sanctum confitentur, & fidelis oratio ſæpius promeretur effectum F

illuminatus cæcus.

18 Fronimii *c* igitur Agathenſis Epiſcopi famulus, epileptici morbi acceſſu fatigabatur, ita ut plerumque cadens ac ſpumans, linguam ſuis propriis dentibus laceraret: & cum ei à medicis plurima fierent, accidebat ut paucis menſibus interpoſitis, non tangeretur à morbo: ſed iterum in recidivum cruciatum ruens, pejus quam prius perferebat. Dominus vero ejus, cum vidiſſet tantas virtutes ad ſepulcrum B. Nicetij fieri, dixit ad eum: Vade, & proſternere coram ſepulcro Sancti, orans ut te adjuvare dignetur. Qui cum juſſa expleſſet, ſanus regreſſus eſt, nec ultra eum attigit morbus. Septimus autem erat ab incolumitate pueri annus, quando eum nobis Epiſcopus præſentavit. 6

ſanatur epilepticus.

19 Quidam vero pauper, vivente Sancto, litteras ab eo elicuit, manu ejus ſubſcriptas, quibus ſibi per devotorum domos eleemoſynam flagitaret. Poſt ejus vero obitum adhuc cum ipſa circuiens epiſtola, non pauca ab eleemoſynarijs pro Sancti memoria capiebat: deſiderium enim erat omnibus, ut quiſque viderat ſubſcriptionem Sancti, aliquid præbere egenti. Quod videns quidam Burgundio, non honorans

habens epiſtolam ſancti donatur largis eleemoſynis.

norans neque venerans Sanctum, obſervare pauperem cœpit à longe: videnſque eum ſilvas ingreſſum, irruit, & abſtulit ei ſex aureos cum epiſtola: colliſumque calcibus, reliquit exanimem. At ille, inter calces & reliqua verbera, hanc vocem emiſit: Adjuro te per Deum vivum, & virtutem S. Nicetij, ut vel epiſtolam ejus mihi reddas: quia mihi ultra non erit vita, ſi eam perdidero. Ille vero ea projecta in terram, abijt: quam pauper colligens, venit ad civitatem. Erat autem ibi eodem tempore Fronimius Epiſcopus, cujus ſupra meminimus. Ad quem accedens pauper, illi ait: Ecce homo, qui me graviter cæſum expoliavit, abſtulitque ſex aureos, quos pro intuitu epiſtolæ S. Nicetij acceperam. Epiſcopus autem narravit hæc Comiti. Judex vero vocato Burgundione, percontari cœpit ab eo, quid exinde diceret. Negavit autem coram omnibus dicens: Quia numquam vidi hominem iſtum, neque res ejus abſtuli. Epiſcopus vero adſpiciens epiſtolam, vidit ſubſcriptionem Sancti: & converſus ad Burgundionem, ait: Ecce in hac epiſtola ſubſcriptio S. Nicetij tenetur: ſi es innocens, accede propius, & jura tangens manu ſcripturam, quam ipſe depinxit: credimus enim de virtute illius, quia aut hodie oſtendet hoc ſcelere contaminatum, aut certe permittet abire innoxium. At ille nihil moratus, accedit ad manus Epiſcopi, qui hanc epiſtolam extentam tenebat: elevanſque manus ſuas ut juraret, cecidit retrorſum ſupinus, & clauſis oculis ſpumas ab ore projiciens, quaſi mortuus putabatur. Tranſeunte autem quaſi duarum horarum ſpatio, aperuit oculos ſuos dicens: Væ mihi, quia peccavi auferendo res pauperis hujus: & ſtatim retulit per ordinem, qualiter injuriam intulerat homini illi. Tunc Epiſcopus cum Judice cognita culpa, ea tantum quæ abſtulerat inopi reddidit, & pro cæde duos inſuper ſolidos addidit: & ſic uterque à Judicis conſpectu diſceſſit.

perjurus ad eamdem punitur.

ANNOTATA.

a Ætherius, *ſupra memorati Priſci ſucceſſor, floruit circa annum* 590.

b Gallomagnus, *Epiſcopus Trecenſis, interfuit Concilio Pariſienſi* 4, *anno* 573 *& Matiſconenſi primo anno* 581.

c *Addit Camuzatus in Catalogo Epiſcoporum Trecenſium*, has Reliquias hodieque cuſtodiri in maximæ amplitudinis delubro, quod in eadem civitate Nicetiano titulo præluſtre eſt: antea autem ædiculam tantum fuiſſe D. Mauro conſecratam, ut à majoribus traditione quadam ad poſteros transfuſa acceptum eſt, *Eccleſia S. Nicetij parochialis eſt.*

d De Fronimij *ordinatione agit idem Gregorius lib.* 9. *Hiſt. Eccl. cap.* 24. *Eſt autem* Agatha *urbs Epiſcopalis Occitaniæ, diſtans à Narbona* 7 *Leucis, prope oſtia Arauraris fluvij.*

CAPUT IV.

Alia miracula.

Varii capti-vi liberantur

20 QUot autem per hunc Sanctum, carcerali ergaſtulo revincti, abſoluti ſint; quotue compeditorum catenæ ſive compedes ſint confractæ, teſtis eſt hodie moles illa ferri, quæ in baſilica ejus adſpicitur, de ſupradictis ſuppliciis aggregata. Nuper autem in conſpectu *a* Guntramni Principis *b* Syagrium Auguſtudunenſem Epiſcopum ipſi referentem audivi, in una nocte in ſeptem civitatibus carcerarijs apparuiſſe beatum virum, eoſque abſolviſſe ab ergaſtulo, & abire liberos permiſiſſe: ſed nec Iudices contra eos quidquam agere deinceps auſi ſunt. De cujus ſepulcro ſi febricitans, ſi frigorationes habens ac diverſis morbis laborans, quid pulveris ſumpſerit, ac dilutum acceperit, mox recipit ſanitatem. Quod non eſt dubium præſtare eum, qui ait Sanctis ſuis: Omnia quæcumque petieritis in nomine meo, credite quia accipietis, & venient vobis.

AVTORE GREG TUR. *morbi curantur*, Mar. 11.

21 Igitur apud vicum Priſciniacenſem urbis Turonicæ, eccleſia dudum conſtructa abſque Sanctorum pignoribus habebatur: cumque incolæ loci plerumque peterent, ut eam quorumpiam Sanctorum cineribus ſacraremus, de ſupradictis Reliquiis ſancto altari collocavimus: in qua eccleſia ſæpius virtus Domini per beatum manifeſtatur Antiſtitem. Nuperrimo autem tempore mulieres quædam vexatæ à dæmonio, ex termino Biturigiæ venientes, tres numero, dum ad baſilicam S. Martini deducerentur, hanc eccleſiam ſunt ingreſſæ: igitur colliſis in ſe palmis, dum S. Nicetii faterentur ſe virtutibus cruciari, projicientes ab ore neſcio quid purulentum cum ſanguine, ab obſeſſis ſpiritibus protinus ſunt mundatæ.

tres dæmoniacæ liberatæ.

22 Dado, unus ex his pagenſibus, cum in hoſtilitate illa, quæ apud *c* Convenas eſt, acceſſiſſet, & plerumque in periculis mortis irrueret, vovit, vt ſi domum reverteretur inco umis, ad memoratam eccleſiã exornandam in honore B. Nicetii aliqua ex his, quæ acquiſierat, largiretur. Rediens igitur, duos calices argenteos deferebat; vovitque iterum in itenere, quod hos eccleſiæ conferret, ſi ad propria ſoſpes accederet. Domum ſuam igitur accedens, unum tantummodo dedit, alio Sanctum fraudare procuravit, dans coopertorium Sarmaticum, quo altare Dominicum cum oblationibus tegeretur. Apparuit autem illi vir beatus per ſomnium, dicens: Quouſque dubitas, & votum implere diſſimulas? Vade, inquit, & calicem alterum, quem voviſti, redde eccleſiæ, ne pereas tu & domus tua. Coopertorium vero, quia rarum eſt, non ponatur ſuper munera altaris: quia exinde non plene tegitur myſterium Corporis Sanguiniſque Dominici. At ille exterritus, nihilque moratus, votum quod voverat velociter adimplevit.

c votum non ſolvens a Sancto increpatur.

ad Vigilias venire contemnens,

23 Hujus hominis frater ad vigilias Dominici Natalis advenit, monuitque Presbyterum, dicens: Vigilemus unanimiter ad eccleſiam Dei, atque exoremus devote B. Nicetij potentiam, ut eo obtinente, hujus anni curriculum cum pace ducamus. Quod Presbyter audiens, gaviſus juſſit ſignum ad vigilias commoveri. Quo commoto, adveniente Presbytero cum Clericis & reliquo populo, hic gulæ inhians, moras veniendi innectebat: cumque mitteret ſæpius Presbyter ad eum accerſendum, reſpondebat: Pauliſper ſuſtinete, & venio. Quid plura? Tranſactis vigilijs ac data luce, hic, qui prius commonuerat, ad vigilias non acceſſit. Presbyter vero impleto officio, commotus contra hominem, ad habitaculum ejus properat, ut quaſi eum à communione ſuſpenderet. At ille correptus febre, ſicut vino, ita divino exurebatur incendio. Nec mora, viſo Presbytero, datis vocibus cum lacrymis, ſupplicabat ſibi pœnitentiam tradi. Cumque eum Presbyter increparet, dicens, Merito à S. Nicetij virtute exureris, ad cujus eccleſiam venire ad vigilias neglexiſti: inter ſermocinantium colloquia ſpiritum exhalavit. Facta quoque hora tertia, cum populus ad Miſſarum ſolennia conveniret, hic mortuus in eccleſiam eſt delatus. Quod virtute ſancti Antiſtitis actum nemo ambigere poteſt. Hæc autem nobis ipſe expoſuit Presbyter.

ſubitæ morte punitur.

24 Plurima vero de his vel noſipſi experti ſumus, vel per fidelium relationem cognovimus quæ indicare longum putavimus. Libello igitur clauſuram dabimus, cum unum adhuc admirandum de libro vitæ ejus, quem ſupra à quodam ſcriptum præfati ſumus, memorabo miraculum; de quo virtus

EX MS A

caecus apposito oculis suis libro de vita S. Nicetij illuminatur.

divina procedens, non reliquit inglorium, ſed ad comprobandum virtutem dictorum, patefecit eſſe plurimis glorioſum. Diaconus enim Auguſtodunenſis, gravi oculorum cæcitate turbatus, audivit hæc, quæ glorificator Sanctorum ſuorum Deus ad Sancti tumulum exercebat, dixitque ſuis: Si ejus adirem ſepulcrum, aut aliquid de ſanctis pignoribus ſumerem: aut certe ſi pallium, quo Sancti artus teguntur, mererer attingere, fierem ſanus. Cumque hæc & hujuſmodi cum ſuis verba conferret, adſtitit repente Clericus quidam dicens: Bene, inquit credis, ſed ſi de eisdem firmare mentem cupis virtutibus, en volumen chartaceum, quod de his habetur ſcriptum, ut facilius credas ea, quæ ad auditum tuarum aurium pervenerunt. At ille priuſquam legi juberet, inſpirante divinæ pietatis reſpectu, ait: Credo quia potens eſt Deus per famulos ſuos egregia operari. Et ſtatim poſuit volumen ſuper oculoſque ſuos. Extemplo autem fugato dolore, diſruptaque caligine uſum videndi recipere meruit à voluminis virtute: & in tanta claritate poſitus eſt, ut ipſe propriis oculis legens virtutum geſta cognoſceret. Operatur autem hæc unus atque idem Dominus, qui glorificatur in Sanctis ſuis, ut qui ipſos illuſtribus miraculis editis efficiat glorioſos. Ipſi gloria & imperium in ſecula ſæculorum. Amen.

B

ANNOTATA.

a S. Gunthramnus *& ipſe filius Chlotharij* I, *in diviſione factus Rex Burgundionum, vixit uſque ad annum* 593 *& diem* 28 *Martij, quo ejus Acta illuſtravimus.*

b *Colitur* S. Syagrius 27 *Auguſti. Præfuit ab anno circiter* 567 *uſque ad initium ſequentis ſeculi.*

c *Anno* S. *Gunthramni* 24, *Chriſti* 585, urbs convenarum, *quod Gundobaldum ſuſcepiſſet, exuſta & deſtructa fuit, & ex ruinis oppidum* S. *Bertrandi extructum fuit, ut latius ad hujus Vitam* 15 *Octobris dicendum erit. Eſt urbs* Convenarum, *vulgo* Comminges, *ſita ad radices montium Pyrenæorum & fontes Garumnæ fluvij.*

VITA ANTIQVIOR

ex MS. Iurenſi eruta à Petro Franciſco Chiffletio S. I.

Prologus. C

1 QUotiens Sanctorum geſta virorum, lectionis relatio manifeſta commemorat, & illis, quorum ſolennitatem conventus expetierit populorum, debitus honor perſolvitur, & audientium devotio ad benefaciendi ſtudium provocatur.

S. Nicetius annuo feſto honoratur

2 Sanctus itaque Nicetius Lugdunenſis urbis Epiſcopus, cujus depoſitionis feſtivitatem annis ſingulis amor populi fideli devotione concelebrat, ab infatia religionis cultum non minus ſervavit in ſenſu, quam ſuſcepit in habitu: in quo juxta quod amore virtutis augmentum ætas temporibus ampliata præſtitit, ita magis ſanctitatis præmium Deus auctor infudit. Quem vir beatiſſimus *a* Agricola, Cabilonenſis urbis Epiſcopus, ad Presbyterij provexit officium. Cujus fama dum certatim bonis operibus exornata creſceret, & Sacerdotalis in illo dignitas meritorum ſplendore floreret, à ſancto ac venerabili Lugdunenſi Pontifice, nomine vel opere Sacerdote, ad Paſtoralem gradum dignoſcitur fuiſſe prælectus: ut cum ille impleto vitæ termino tranſitum acciperet, ſucceſſor ejus eſſe deberet. Quod diſpoſitione divina ſuccedente tempore univerſæ plebis conſenſus libenter expetiit, & benevolentia *b* Principis nutu divino cum gratulatione conceſſit. Qui dum in omnibus ſe imperio Regis divini committeret, dignitatem ipſam nec auſus eſt latebris effugere, nec præ-

a à S. Agricola Cabilone ordinatus Sacerdos,

b conſtituitur Epiſcopus.

miis voluit comparare. In qua conſtitutus, & ſerpentis aſtutiam tenuit & columbæ ſimplicitatem implevit. D

3 Quotieſcumque vero honeſtæ converſationis homines ad civitatem ejus venerunt, manſiones illis in vicinitate cubiculi ſui ſtudioſa ſolicitudine præparari præcepit: ad quos, omnibus officiis recedentibus, ſecretius nocturnis horis accedens, pedes eorum fideli famulatu diligenter lavare ſtuduit, ut Apoſtolica præcepta compleret, nec de minoribus rebus negligens exiſteret, cui majora poſſe complere gratia divina præſtiterat, quæ ſuis operibus jugiter oſtendebat. Nocturni vel diurni temporis curſus, quos in divinis Officiis inſtitutio vetuſta ſacræ religionis fixis terminis certa lege conſtituit, ita jugi ſemper pſallendi ſtudio geminavit, ut numquam de ore vel de corde ſuo meditatio divinæ legis abeſſet: & ſi forſitan dum munia ipſa perſolveret, pro occurrentium aſſiduitate, vel occupatione oborta [aliquis] ſupervenit; ſic velut à ſuperfluo, reſponſum, unde appellatus eſt reddidit, ut intrinſecus quod agebat officium perageret. Unde interdum à quibuſcumque ignorantibus putabatur eſſe ſenſu tepidus, qui ſpirituali manebat fervore ſuccenſus. Sic etiam indubitanter atque ambienter conſurgere jugiter ad Matutinos ſtuduit, ut exordia ipſius Officii ſemper ipſe cœpiſſet. Ita eleemoſynam, promptiſſima voluntate ditiſſimus, hilari eſt collatione largitus; ut quidquid pauperibus contulit, hoc ſe acquirere iudicaſſet. Quotiens æſtatis tempore contigit deſperatio fructuum per ſiccitatis adventum, cum tanta compunctione unanimiter favente populo celebrare Litanias ſtuduit, ut illico ubertas pluviæ ſuccurriſſet.

peregrinos excipit,

pedes lavat:

Eccleſiaſtico officio intereſt die noctuque:

eleemoſynas diſtribuit.

indictis litaniis pluviam impetrat:

4 Cum vero hiemis tempore, memoratus Sanctus Antiſtes commendata ſibi item ſanctæ Eccleſiæ prædia in partibus Provinciæ viſitaturus accederet; eũ in villa cujusdam illuſtris viri, Flavii nomine, tunc ad temporis manſionẽ Alacarnum, ſole jam in veſperam declinante, ut opportunitas contulerat advenire, ibique noctis ſilentium quieſcendo reſumere, contigit. Qui cum poſt divinæ orationis refectionem, veſpertinum ſacrificiũ peregiſſet; allatus eſt ante pedes ipſius puer quidã, à parentibus ligatus præ nimio furore in cathedra, dæmonium habens: cujus famã per ſanctiſſimos viros Cataphronium & Euſtaſium Preſbyteros comperimus, ut dicerent ſe vidiſſe tanto inibi memoratũ puerum fræno dęmonum coarctatum, ita actum fuiſſe, ut cervice penitus cum collo retorta, dorſique ſpinæ miſerandi, facie ſimul triſtis, acclinus hæreret. Quem ſanctus vir cum ante ſua genua cum nimio lamento parentum projectum cerneret, & oratione ſolita intra ſacri oratorij ſepta peracta, benedictoque olei ſancti liquore ſigno Crucis cum invocato Chriſti nomine perunxiſſet, illico dæmonem ab obſeſſo corpore effugavit, membriſque debilibus in ſua compage reformatis, ad remeandum domum parentibus reddidit ſanum. Qui etiam poſt temporum intervalla, de ſalute ſibi collata cum ſuis congratulans, Muſturnaco, in agro ſanctæ Eccleſiæ Lugdunenſis, ad B. Nicetium devotus, cum propinquis revertens ad medicum jam curatus, Chriſto grates ſanctoque ſimul Pontifici retulerunt.

puerum energumenum

oratione, oleo ſacro & ſigno Crucis liberat: F

5 Poſtquam vero tranſitum vir meritis dignum accepit, inſidiante adverſario humani generis contigit, ut maximam partem Lugdunenſis civitatis, conſurgentibus flammis, graviſſimus incendii ignis exureret. Ubi dum undique præcipitantes populorum cunei inſtanter confluerent, vox ſubito præclara perſonans, concurrentis vulgi aures implevit, dicens, S. Nicetium in Eccleſiæ domum corporaliter adveniſſe, & duabus cæcis fæminis reſtaurato lumine ſalutem priſtinam contuliſſe. Tunc illico vi-

A morte & cæcas ſanat:

res

res populi ſonus ille reſtituit, qui adventum ſepulti Antiſtitis nuntiavit. Nec mirum eſt quod beatus athleta ſpiritali ſtuduit virtute defendere, ubi corporaliter viſus fuerit habitaſſe: nec ſanctificatio exinde ab eodem indulta diſceſſerat, ubi etiam poſt exitum habitabat. A

pulvis ſepulcri tempeſtates ſedat:

6 Quidam igitur fidei ardore ſuccenſus, pulverem ab ejus tumulo pro quibuſcumque remediis ad præſidium ſuum reverenter collectum portavit: quem quoties objectione fideli, adveniente impetu tempeſtatis oſtendit, grandinis rigor in aquam reſolvitur, & duritia lapidum in liquorem laticis commutatur. Aliquis item decem ſolidos à quodam creditore abſque cunctatione, fiducia caritatis interveniente, ſuſceperat: quos cum perfidiæ vellet cauſa negare, ad ſepulcrum beatiſſimi Antiſtitis, quod eos non ſuſcepiſſet, pejerare diſpoſuit. Ubi ſtatim omnium membrorum vigore deceptus, ſicut corde cæcus venerat, ita oculis cæcatus ſtabat. Tunc infelix, pœnitentia ſera confuſus, quæ mutuaverat cœpit offerre, orationem cum lacrymis fundens ut viſum reciperet. Ille vero ſacratiſſimus Paſtor, qui meritis & pietate vivebat, cum reliquo robore corporis, viſum reddidit deprecanti; & ſicut pro juſtitia corripuit perfidum, ita pro miſericordia exaudivit afflictum.

pejeraturus ad ejus ſepulcrum fit cæcus,

& pœnitens ſanatur:

B 7 Quidam ſimiliter veſani ſpiritus infeſtatione repletus, ad ſepulcrum ejus vix tandem ſub cuſtodia grandi pervenit: ubi dum tanti furoris fuiſſet vexatione bacchatus, ſpiritum viſus eſt amiſiſſe. Cui cum ſepulturæ locus pararetur, eo quod nocte & die, univerſo calore ſpiritus deceptus jaceret, letifero ſopore compreſſus exanimis; nutu divino cuidam de obſervantibus ad memoriam rediit, ut per frontem ejus, os vel aures de oleo cicindelis, qui ad memoriam erant beati Pontificis, fideliter Crucis ſignacula faceret: cenſens quod qui virtutes reliquas operari conſueverat, forſitan & mortuum ſuſcitaret. Tum paulatim conſignatus, occulto myſterio revivi-ſcens, confeſtim Chriſto propitiante ſurrexit.

oleo lampadis mortuus habitus reviviſcit:

liberantur 8 incarcerati.

8 Quodam quoque tempore ſeptem rei, in cæco carcere conſtituti, non minus conſtricti vinculis ferreis quam afflicti, apud Viennam urbem per diuturnam cuſtodiam tenebantur: ex quibus unus in viſione S. Nicetium videre promeruit, quaſi quod argumenta, quibus conſtringebantur adſtricti, cum ſuo baculo tetigiſſet: ſtatimque vigor eſt ferri confractus, & obſerata oſtia patuerunt. Qui eccleſiam illico petierunt libere, Sancti interceſſionibus liberati. Sed in baſilica, qua ejus corpus ſacratiſſimum fidelium devotione veneratur, quidam culpa noxius, publicæ præceptionis imperio, cum alio, ferreis eſt nexibus obligatus: ſed cum ad ſepulcrum ejus impeditis greſſibus adveniſſent, ligaminum fracta compago crepuit, & reos publicos occulta virtus abſolvit quod reliquis vicibus ſimili eſt myſterio operatus. Qui licet antequam de hoc mundo ad cæleſtia regna migravit, plurimas virtutes exercuerit, (unde jam aliquas nos conſtitit prædixiſſe) etiam latenter dæmonia ab obſeſſis corporibus effugavit. Sed poſtquam vir ſanctus ab hujus ſeculi luce migravit, tunc ſe potius virtute addita eſſe viventem oſtendit; dum jugiter atque indeſinenter, populo teſte, claudis greſſum, cæcis viſum, dæmoniacis remedium, attractis vigorem integrum, omnibuſque ægrotantibus ſanitatis remedium confert, quos ad ſepulcrum ejus integritas fidei certa perducit. EX MS. D

C

alij ferreis circulis conſtricti:

varia patrantur miracula:

9 Unde diverſa ejus præconia multiplici poterant relatione narrari, niſi quod minime neceſſe eſt, ut multifaria ſermonum dictio per ſingula differat, quod ejus ſemper operatio ſpiritualibus myſterijs manifeſtat: & quantum deinceps curſus temporum volvitur, tanto amplius multiplicatis operibus ejus virtus augetur. Cujus ſanctiſſima obtinere poſſit oratio, ut ſicut hanc urbem munivit præſidio ſui corporis, ita ſalutem animarum & corporum conferat univerſis: & pro beatiſſimo Antiſtite Ætherio ſuis precibus intercedat: qui ſancto laboravit ſtudio, qualiter vita ejus, quæ etiam poſt obitum florebat aſſiduitate operis, panderetur officio lectionis. Sed non immerito ejus memoriam dilectionis ſtudio ſolenniter excolit, qui illum ſibi ſucceſſorem eſſe *c* ſecundo loco prædixit, dum de ejus converſatione gauderet: quem illico poſt ejus tranſitum devotio populi Lugdunenſis ad ipſius Pontificii gradum ambienter expetiit: Sed quod tunc præſcia diſpoſitio Principis denegavit, ſucceſſore defuncto indulgere non deſtitit: ac ſic quod ſacri Antiſtitis ſermo, dum maneret in corpore, prodidit; hoc clementiſſimi Regis cordi Deus auctor infudit: quo etiam obtinente factum eſt, ut qui fuit hactenus Pater patriæ, nunc eſſet Eccleſiæ. Pro qua re orandus Deus eſt; ut cujus venerantes patrocinium, unanimi devotione ſolennitatem ambienter excolimus; ejus ſemper interceſſionibus adjuvemur, & congruis muniamur auxiliis; acſi doceri non meremur exemplis, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cum Patre & Spiritu ſancto, in ſecula ſeculorum. Amen.

Ætherius Epiſcopus curat vitam ſcribi

ex ejus prædictione E

c

ſecundus poſt eum Epiſcopus.

ANNOTATA.

a Agricola *mortuus eſt anno* 580 *die* 17 *Martij; ſucceſſor S. Silveſtri qui interfuerat Concilio Epaonenſi anno* 517, *&* S. *Agricola variis Concilijs ab anno* 538, *uti ad ejus Vitam deduximus.* F

b *Anno* 550 *ſub Childeberto Rege, ut ſupra dictum.*

c *Inter utrumque ſedit* Priſcus, *qui anno* 585 *Matiſconenſi* 2 *Synodo præfuit, cui ſequentibus annis ſucceſſit* Ætherius, *qui anno* 589 *ſubſcripſit reſcripto Epiſcoporum apud Greg. Turon. lib.* 9. *Hiſtor. cap.* 41.

DE S. TITO THAVMATVRGO,

G. H.

Presbytero Hegumeno apud Græcos.

SUB ICONOMACHIS

Cultus ſuus.

RAe reliquis Sanctis, quos apud Græcos in honore & veneratione hoc 11 *die Aprilis fuiſſe oſtendimus, maxime eminet ſanctiſſimus Pater & Hegumenus* Titus, *ob plurima quibus claruit miracula* Thaumaturgus *appellatus: cui uni totum officium Eccleſiaſticum dicatum eſt in Magnis Menæis & Anthologio Græcorum, & conſequenter primus locus aſſignatur non in iis ſolum & apud Maximum Cytheræum, ſed etiam in Synaxario Claromontano Societatis Ieſu, & in* MSS. *Menæis Mediolanenſibus bibliothecæ Ambroſianæ ſignatis littera* O *& numero* 148, *Divionenſibus Petri Franciſci Chifletii, & paſſim alijs cum Menologio Cardinalis Sirleti, & in* MS. *Menologio Arabo-Ægyptiaco in collegio Maronitarum Romæ aſſervato. Imo hujus unius memoria celebratur in relato Anthologio & Typico Græco à Genebrardo Latine edito, in Menologio Chriſtophori Mitylenæi cum Græco Horologio Venetijs excuſo atque in Epheméride metrica: item Kalendario Ruthenico ab Antonio Poſſevino in Apparatu ſacro tomo* 2 *pag.* 366 *inſerto, & alio Kalendario Moſcovitico Amſtelodami apud* V. CL. *Laurentium Vander Hem aſſervato, in cujus tabulis conſpicitur ipſe Hegumenus ſive Archimandrita quaſi in habi-*

AUCTORE G. H.

bitu Epiſcopali expreſſus ; demum in Menologio Græco, quod Florentiæ in bibliotheca Patrum Ordinis Prædicatorum reperimus, ubi ipſæ Odæ per quinque ſolia continebantur. Sed deerat elogium Vitæ, quod præponimus ex Menais excuſis. Et eſt hujuſmodi.

Elogium ex Menais.

2 IV Nonas Julij, memoria ſancti Patris noſtri Titi. Beatus ac Sanctus Pater noſter Titus, cum à puero Chriſtum diligeret, abiit in cœnobiũ, & rebus mundanis renuntiavit ac valedixit. Tantopere autem, ſeipſum ſubjiciens, inhumilitate & obedientia profecit: ut non ſolum religioſam Fratrum ſocietatem, ſed omnes omnino homines animi ſui demiſſione ſuperaret. Proinde ovium Chriſti religioſarum Paſtor creatus, tantam erga omnes manſuetudinem, dilectionem & benevolum affectum exhibuit, ut nullus alius ex viris ejuſmodi oſtendiſſe videatur. Tam ſancte vero atque innocenter à teneris pueritiæ annis & in anima & in corpore converſatus vixit, ut Angelus Dei videretur. Itaque miraculis eximiis patratis Thaumaturgus habitus, ad Dominum migravit; ſuæque virtutis & religioſæ vitæ imagines vivas & ſpirantes ſtatuas, reliquit ſuos diſcipulos ſocioſque ſeverioris diſciplinæ. *Hæc ibi: quibus ſubjungimus encomia in Officio Græcorum Eccleſiaſtico recitari ſolita, quæ in principio cujuſque officij tria de Sancto inveniuntur, vocanturque* Στιχολογία ὅμοια, Verſiculi ſimiles, *& ſunt hujuſmodi.*

& officio Eccleſiaſtico.

B

Verſiculi.

1. 3 Tite, Pater noſter, in Deo prudens, Crucem tuam ſuſtuliſti, Chriſtum ſecutus, dum generoſo animo omnes paſſiones ſubegiſti. Gratiã ideo à Deo accepiſti ſanandi paſſiones omnium ad te accurrentium, morbos ſiſtendi ac dæmones expellendi. Quare memoriam tuam feſtiva cum magnificentia celebramus.

II. Tite beatiſſime Pater noſter, exercitatione ſacræ diſciplinæ expurgatus, atque in mente divinis communicationibus illuſtratus, adſtipulante Spiritu divino, ſacrum Sacerdotii ordinem digne ſuſcepiſti, atque ita inſtar Angeli alicujus Deo Creatori tuo in terra optimum ſacrificium obtuliſti.

III. Sancte Tite, à Deo illuſtratus, veræ fidei lumine animam ſplendere feciſti, & nebulam tenebroſæ hæreſeos ſuſtuliſti: & exurgens ut lucidiſſimum aſtrum omnes mundi partes miraculis & ſignis ubique evidentibus illuminas. Unde & nos omnes in fide confortati laudamus te & glorificamus.

Oda

4 *Sequitur Canon de Sancto per conſuetas Odas diſtributus; in quarum numerum non venit Ode ſecunda; ut quæ non ſolet eſſe de Sancto, ſed aliunde petenda paſſim omittitur in Menæis, ſingulæ autem Odæ conſtant Strophis quatuor aut tribus, præter* Theotocion *ſeu Stropham* de Deipara, *quæ ſingulis Odis additur, ultra numerum litterarum hac Acroſtichi expreſſarum,*

C

Ὁ τῶν μοναχῶν σύλος ὑμνείσθω Τῖτος.

quod totidem litteris ſic Latine expreſſeris:

Laudandus monachorum columna Titus.

1. *Ipſum Canonem ſimili ratione Latinum juvat exhibere.*

Lubricæ carnis affectibus totum immerſum, conſumptumque deliciis, ſalva me precibus tuis, Tite, impaſſibilitatis theſaurus cum ſis.

Ab utero matris Deo oblatus, divina Spiritus electione, Deiparæ, virum numquam expertæ, Sacerdos & famulus es nuncupatus.

Et qui continentiæ dulcedinem ſuxeras, reſpuiſti paſſionum amaritudinem: quare ſuper mel & favum recreas, Pater, animas noſtras.

Diſcipulum veluti novum Pauli, te laudamus, Tite, qui illius veteris [Titi] æmulator zeloſus, in certaminibus apparuiſti; & cum eo ſuſcipis coronam, ô Beate.

III. Aſceticis aromatibus compoſitũ ſanctificationis unguentum fuiſti, ô Sancte, in odorem Dei noſtri.

Numquam non habens continentiam pro armatura, & orationem pro clypeo, ô Beate, tenebrarum principes triumphans confudiſti. D

Divini ſpiritus legem ſapienter opponens, extinxiſti legem carnis, & Domino legitime deſerviſti.

Universas cogitationes & deſideria ad Chriſti amorem applicuiſti, Sancte, terrenis contemptis.

Sagitta exercitationis evertiſti dæmonum tabernaculum, ô Beate, & omnem peccati ſaniem IV. abſterſiſti.

Mentem amore puritatis ſauciatam habens, ardenterque ſecutus Chriſtum, ô ter Beate, in gloriæ thalamum intraviſti.

Omnes te honorantes paſcis per tuam continentiam, qua germinaſti velut pratum ſuaviſſime olens, & ſicut animatus paradiſus virtutum.

Nos omnes dicimus te beatum, quem legiſlatorem habemus exercitationis & ſinceræ manſuetudinis imaginem, tamquam verum Moyſen atque Davidem.

Agonum tuorum rore, ô Tite beatiſſime, extingues V. omnem paſſionem, igne caritatis & fidei luculenter accendiſti lampadem continentiæ, impaſſibilitatis ſplendor & diei filius merito nuncupatus.

Oæleſti agricultura, Pater, enutriviſti botrum fidei, & torculari eum ſubjiciens, atque labore exercitationis exprimens, impleviſti calicem ſpiritualem temperantiæ, tuique gregis corda exhilaras. E

Hoſtiũ infernorũ inſultus & verba generoſe ſuſtinens, ô Beate, columnã fortitudinis te præbuiſti; confirma etiam gregem tuum, divino ſcipione paſcens eum, ſuper aquas & paſcua continentiæ.

Obſcuram caliginem & nebulas paſſionum diſſipans, orientalem lucem in tuis ſemitis extuliſti, VI. ô Sancte, per multiplices illos labores atque certamina, fidei cauſa exantlata.

Relinquens mundum & omnia quæ ad mundi principem pertinent, amore exercitationis totus inhæſiſti Deo; ab eoque ſuſceptus, ſupermundani regni conſecutus es requiem.

Vere domus Dei noſtri apparuiſti, in anima tua colligens divinum theſaurum caritatis, orationem inconfuſibilem, intemeratam ſanctimoniam, continuamque vigilantiam.

Materiæ inferioris vilitatem ſapienter tranſgrediens, immaterialis orationis alas tuæ aptaviſti animæ; & ſupernæ quietis heres effectus es, per vitæ tuæ finem.

Continentiæ flumen nobis eſſe videris, Pater, mi- VII. nime inquinatum peccatis, paſſioneſque ſub mergens & ſordes abſtergens ex fide clamantium, Benedictus eſt Deus patrum noſtrorum. F

Omnis materiæ expertibus Angelis additus, ô Beatiſſime, & cæleſtis regni claritate indeſinenter perfruens, reſpice pſallentes, Benedictus eſt Deus patrum noſtrorum.

Laudabiliter perſtitiſti in confeſſione fidei: Chriſtum enim pingens & carne circumſcribens, adorabas & clamabas, Benedictus es Deus patrum noſtrorum.

Vulnera Domini Ieſu in tuo corpore ferens, Pater, me quoque vulneratum jaculo Belial ſana obſecro, tecum clamantem, Benedictus es Deus patrum noſtrorum.

Memoriam tui facimus, Tite, per ſecula; habentes VIII. te vere pro animata columna & ſimulacro continentiæ, ô Pater.

Nunc gaudet chorea monachorum, & tripudiat populus ſanctorum atque juſtorum: cum illis enim promeritam es aſſecutus coronam.

Augusta virtutum ſpecie refulgens, in thalamo gloriæ ineffabilis recumbis; Chriſtoque in ſecula hymnum concinis.

Te

IX. Te beatum prædicamus, Pater, quia divinitus obtigisti infirmis per suas passiones medicus, expulsor & persecutor pessimorum dæmonum.

In terra mansuetorum fixisti tabernaculum, Pater, ut qui terram, corruptionis habitaculum, deseruisti; & cum illis exultas, divina fruens voluptate.

Huos dum nobis labores proponimus, tamquam exemplar continentiæ & fidei infallibilem regulam; jugibus hymnis laudamus Creatorem.

Vere festiva est hodierna dies, nam Titus solitariam vitam agentium greges convocat ad choream, & ad communes epulas, atque ad æternæ vitæ cibum.

Semper virginem Deiparam glorioſe honoremus, ô populi: & eam quæ divinitatis ignem susceptit utero, absque combustione, magnificemus hymnis.

§ *Hactenus Oda, quarum extremæ addidimus super numerarium Theotocion, ut quod ultra tricenarium strophārum solitarum numerum abundat in Acroſtichide elemen-* B *tum, otioſum non maneat. Canonis Auctor inter octavam & nonam Oden, Hirmum ſive Tractum ponens, quo omnes provocantur ad Deum una cum Angelis laudandum, abſque ulla mentione Sancti, attribuerat eum primæ litteræ nominis* Titus, *litteræ ſcilicet T. Id ſi interpretando ſequi voluiſſemus, interruptus fuiſſet Canonis ipſius contextus. Quare, omiſſo jam dicto Tractu, ſatius viſum eſt, pro abundanti elemento Theotocion addere, qualia in ſingularum odarum fine inveniri monuimus. Porro ex Canone jam explicato videmur poſſe colligere, S. Titum vixiſſe ſeculo* VIII *aut ſequenti, quando hæreſis Iconoclaſtarum vigebat, & SS. Theodorus & Nicolaus Studita aliique glorioſi pugiles vixerunt. Fuit dicto Nicolao frater Titus, ab illo ad vitam monaſticam perductus, uti in hujus Vita ad diem* IV *Februarij illuſtrata indicatur num.* XI. *Sed non continuo auderemus affirmare de eo hîc agi abſque ulteriori fundamento: ſufficit indicare nomen Titi eo tempore uſitatum fuiſſe, quo arbitramur, in urbe Conſtantinopolitana aut ejus vicinia, alicui monaſterio S. Titum præfuiſſe Hegumenum ſive Archimandritam.* E

Auctore G. H.

Tempus vita.

DE S. FRANCISCO DE PAVLA,

Inſtitutore ordinis Minimorum.

COMMENTARIVS PRÆVIVS. D. P.

§. 1. Antiquiſſima Acta, unde & quomodo hic prolata.

ANNO MDVII. PArodoxum Sanctiſſimo Patrum Prædicatorum Ordini, aque novum ac gratum, fuit, legere ad VII diem Martij noſtri, quod acturi de Vita & miraculis S. Thomæ Aquinatis, poſt multos eoſque illuſtres Scriptores, promitteremus ſelecturos nos prima omnium fundamenta, eaque typis necdum vulgata. Idem ſi hoc menſe Aprilis faciamus circa S. Franciſcum Paulanum, numquid non poſſumus jure merito ſperare, parem nos apud inſtitutæ ab eo Religionis Profeſſores gratiam inituros? Speramus ſane: quamvis inter iſtum de Angelici Doctoris diſcipulis bene merendi conatum, & hunc laborem, quo Sancti Paulani filijs operam noſtram probare nitimur, unum interſit; quod illa de S. Thoma monumenta (quæ minus curioſe ſervata in Ordine, inter deperdita numerabantur) alienis inventa in ſcrinijs, ad eumdem poſtliminio reduxerimus: hæc vero de S. Franciſco, omnia Archivis ipſorum Patrum Minimorum referamus accepta, mediante R. P. Philippo de Meſemacre, anno MDCLXVIII, cum hæc prælo parare inciperemus, Ordinis ſui per Flandro-Belgium Provinciali. Hic ſiquidem minime contentus eo ſubſidio, quod per ſe potuit ad hunc tractatum inſtruendum afferre, etiam apud Reverendiſſimum Patrem Generalem Ordinis, Fr. Sebaſtianum Quinguet, Romæ egit, ut encyclicis ad omnes Provinciales litteris mandaret tranſcribi & tranſmitti omnia, quæ ad rem factura viderentur. Paruere mandato Provinciales, &, ut quique potuerunt, ita ſubmiſere quæ habebant in conventibus ſibi ſubjectis legitime conſignata.

De hoc Sancto antiquiora monumenta,

C *benigne nobis communicata damus.*

2 Prima, maximeque exoptata nobis, fuere Acta proceſſuum, pro informando Canonizationis in Curia Romana negotio, Coſentiæ, Turonibus, atque in Calabria oppidis varijs formatorum: quæ omnia (quoniam ceteris de eodem Sancto Scriptoribus aut unice aut præcipue præluxerunt) hic danda putavimus. Hiſce Actis præponi potuiſſet Legenda Major B. Franciſci de Paula, à R. P. Laurentio Clavenſi, Ordinis Minimorum, compilata, intra paucos poſt ſancti viri obitum annos; uti Gubernator & Prator terræ Regina in Calabria totaque ejuſdem oppidi Univerſitas teſtatur, in ſua ad Pontificem Leonem X epiſtola anno MDXVI: poſtquam ſcilicet idem Laurentius anno MDXII præſens audiviſſet juratorum teſtium depoſitiones, ut eadem inſinuatur epiſtola. Potuiſſet inquam illa præponi, non quidem ut fidei & auctoritatis pondere dignior, ſed velut ad hiſtoriæ formam modumq; ordinatior. Verum in ipſa requirenda oleum atque operam perditū iri, certum facit ſumma ſcriptorum Ordinis hoc ſeculo diligentia, qua cuncta de ſuo Fundatore ſcrutati, nullum Legendæ iſtius repererunt indicium, præterquam in præcitata epiſtola Reginenſium.

Deſideratur Legēda, 6 vel 7 annis poſt Sancti mortem ſcripta:

3 Omiſſa igitur hujus Legendæ in Calabria requirenda cura, aliam dabimus, ſimplicitate fortaſſe majori, ſed nihil minori fide ante obitū Sancti annis quatuor ſcriptam in Francia, ab Anonymo Sancti ipſius diſcipulo, & plerarumque quas commemorat rerum teſte oculato, jam inde ab anno MCCCCLX & citius, ut patet ex num. 22. Hic anno MDII exorſus tractatum, complexurum res memorabiles quorumdam bonorum Dei ſervorum, viventium in magna auſteritate, primo loco de Fr. Franciſco Paulano ea ſcripſit ſermone Gallico, quæ in Latinum fideliſſime traduximus. An autem de alijs, ut initio propoſuerat, ſcripſerit aliquid, hactenus ignoramus. Certe, ſi ſcripſit, eſt quod Ordo Minimorum vehementer doleat, tam præclarum de primorum Religioſorum actis virtutibuſque theſaurum periiſſe, Majorum incuria & negligentia. Quod vero non tantum duo prima capitula (poſt quæ ſub novo titulo in MS. Bruxellenſi continuatur narratio) ſed reliqua omnia, ſcripta ſint, ante mortem Sancti (utpote nullam de ea eamque ſecutis mirabilibus mentionem facientia) imo quod ſcripta ſint ſub initium anni MDII ſupra notati, primum demonſtratur ex eo quod num. 43 loquens de illa Regula, quam Alexander VI approbaverat anno MCCCCXCII, dicat eam fuiſſe approbatam, qualis in hodiernum uſque diem ſervatur: quod non dixiſſet, ſi priusquam ſcribebat innotuiſſet Ordini alia Regula, eidem Pontifici ex parte S. Franciſci præſentata, & ab ipſo, anno MDII, XIII kal. Iunij approbata. Idem confirmatur ex tempore fundatorum in Francia Conventuum, qui plerique hic nominantur uſque ad dictum annum erecti: poſt hunc autem nullius recentioris fundationis fit mentio. Et tamen magna erat ratio, ut auctor num. 50 collaudans prolixe Gratianapolitani Epiſcopi propenſiſſimam erga Ordinem voluntatem, in Conventu apud ſe fabricando demonſtratam, meminiſſet etiam Toloſani conventus, per eumdem inchoati anno MDIII, ſi aliquid de eo ſciviſſet cum ſcribebat. Denique de Joanna, Borbony Ducis unigenita, loquens num. 44, non ſcripſiſſet ſimpliciter,

ſed habemus factam 4 annis ante à teſte pluriumoculato,

F

priùs quam introduceretur nova Regula, anno 1502 probata.

AUCTORE D.P.

piciter, quæ adhuc vivit; *ſed dixiſſet*, quæ jam eſt Duciſſa Borbonii, *ſi vel uno anno ſerius ſcripſiſſet, quando mortuus Petrus Borbonii Dux, hæreditatem omnem filiæ reliquit.*

4 *Porro de hac tam evidenti veritate non debemus dubitare, vel quia in præterito imperfecto fere loquitur auctor, ut ſolemus loqui de mortuo*, Habebat barbam & capillos mediocres: Erat corpore ſatis pleno, *& cetera hujuſmodi: vel quia in principio capitis tertii, is qui non alio quam* viri boni *aut* boni Patris *titulo antea nominatus legebatur, appellatur* Sanctus. *Fieri enim per quam facile potuit ut peracta Canonizatione iſtiusmodi tituli adderentur inter tranſcribendum: & iſte preteriti temporis uſus familiaris videtur tunc fuiſſe Francis, de abſente, quamvis adhuc vivo, loquentibus; ut patebit per inferius proferenda ex Comineo. Imo auctorem noſtrum non tantum anno* MDII *ſcribere, ſed etiam vivere deſiiſſe, omnino credimus: quomodo enim alias nihil ſubtexere curaſſet eorum, quæ poſt dictum annum contigerunt, ut in decurſu ſæpe notabimus.*

ideo non additur titulus Sancti.

Auctor hujus Vitæ.

B

5 *Nomen auctoris varii quæſivere. Franciſcus Victon, in Prologo ad Vitam Latinam hujus Sancti, profitetur ſe illud validiſſimis conjecturis eſſe aſſecutum; ſed proditurum ſe negat: fortaſis ne fidem augeat prædictæ Vitæ MS. quam, quia adverſus ipſum produxerat nonnemo, nolebat auctoritatis magnæ haberi. Nos cenſuram ex quodam commotioris animi præjudicio latam, modeſte refutabimus ſuo loco; nihil dubitantes quin ſi aliqua gratiori occaſione fuiſſet in medium adducta hæc Vita, & eo quo nos ſolemus modo expenſa illuſtrataque, magnum à toto Ordine plauſum retuliſſet, & obviis ulnis accepta fuiſſet, tamquam monumentum omni acceptione & fide digniſſimum: pro quali etiam illa uti videntur, qui ipſam cenſura præcipitata confixere, non aliud ex illa repudiantes, quam pauca quædam ad Sancti hiſtoriam non attinentia, ſed ad ſecularem ſtatum Neapolitani Regni. Hilarion de Coſta, in ſua item præfatione, ait eſſe nonnullos, qui putent auctorem fuiſſe Ioannem de Milazzo: ſed huic ſcriptum longe diverſum, & adhuc Neapoli inveniendum, imputant Iſidorus Toſcanus & Franciſcus de Longobardis: quorum hic ex MS. quod ſub iſtius Ioannis nomine ſervari dicit, accepit epiſtolas quaſdam Sancto adſcriptas, veluti qui eas dictarit ad Virgines in domo Petri de Lucena, ad Regem Neapolis Ferdinandum, ad Equitem de Navarra, & ad Dominum Bandricourtium: iſte indidem ſumpſit viſionem, qua inſigne* CARITATIS *fuerit novo Ordini divinitus attributum: quorum omnium nihil attingitur in hac quam laudamus hiſtoria. Nihilo magis recipere poſſumus quod in operculo Bruxellenſis MS. legitur, hujus vitæ compilatorem,* unum *fuiſſe* ex iis Patribus, qui cum beato Patre venerunt in Franciam: *nam qui in aliis rebus toties appellat fidem oculorum ſuorum, non omiſiſſet idem facere cap. 5, ubi de itinere iſto agitur velut ex alieno relatu, & multo parcius quam decuiſſet teſtem oculatum.*

non fuit Ioannes de Milazzo,

neque unus exſociis eunti in Franciam.

C

6 *Equidem exiſtimo non magni referre, quo nomine dictus ille fuerit, ſed qua fide ſcripſerit. Hanc autem convellere non debent errores quidam, in quos prolapſus auctor eſt circa res, quæ digreſſo ex Italia Sancto Neapoli accidere, & quas ſolo vulgari rumore diſcere potuit homo abſtractus à ſeculo, & in aliquo Picardiæ Campaniæve conventu vitam agens Eremiticam. Quid enim mirum, ſi talis aliquis, tot annis à Calabria abſens, haud uſquequaque accuratam hiſtoriam ſit aſſecutus earum tragœdiarum, quibus jactata eſt Regum Neapolitanorum familia? An propterea minus ei credetur in iis, quæ vel viſu cognovit proprio, vel eorum qui viderant ipſi relatu? Fuiſſe autem debuit non tantum ex ſociis, ſed ex primis ſociis S. Franciſci, Ordinem ſuum in Calabria exordientis: nam num. 4 ita loquitur, ut qui Sacriſtam, Oeconomum aliosque conventus S. Marci Fratres, ſub quibus puer Franciſcus vixerat, familiarius noverit, & num. 22 dicit ſe fuiſſe Religioſum ante an.* 1460. *Idem vero poſt annos forte 30 in Franciam traductus, non videtur Gallice potius quam Italica lingua ſcripturus fuiſſe in ætate tam provecta & linguis peregrinis diſcendis ineptiori, niſi ipſe origine Francus, quales in regno Neapolitano multi tunc erant, S. Franciſco ſe adjunxiſſet: quæ ipſa deinde cauſa eſſe potuit eum in Franciam revocandi jam ſenem. Porro qui conſiderare voluerit quod Legenda major S. Franciſci, quam à Laurentio Clavenſi conſcriptam diximus, non fuerit producta inter documenta ad Canonizationem collecta (forte quia auctor jam obierat, nec poterat juramenti fide confirmare quæ ſcripſerat) non mirabitur quod hæc quoque Vita, cujus auctorem probavimus præ mortuum ipſi Sancto fuiſſe, vel prætermiſſa vel ignorata fuerit ab iis, qui unico Turonenſi proceſſu abunde ſe inſtructos putabant ad cauſam in Romana curia obtinendam. Fuerunt autem in illo Proceſſu ſoli fere Turonenſes auditi, paucique ex Fratribus tunc in Pleſſiacenſi prope Turonas conventu morantes: licet aliis quoque in locis Galliæ, ubi ſui Ordinis Monaſteria condiderat Sanctus, & multi miraculorum ejus teſtes vivebant, ſumi informationes potuiſſent. Dicitur tamen in Appendice, libellum hunc productum fuiſſe coram Papa Leone* X. *Quod ſi factum, factum eſt poſt diem* XVIII *Novembris anni* MDXVIII. *Etenim ad hunc diem uſque accurate notata habemus omnia, quæ ſunt in Curia Romana facta; cetera vero quæ geſta ſunt in eadem cauſa uſque ad* 1 *Maii anni ſequentis, quando Pontifex tulit Canonizationis ſententiam, in obſcuro latent.*

ſed ex primis Ordinem incipientis in Calabria.

D

fortaſſis origine Francus.

E

7 *Reſtat ut explicemus quomodo hic libellus ad noſtra uſque tempora videatur fuiſſe conſervatus: nam quod exhibitum eſt nobis ex Archivio conventus Bruxellenſis MS. & ex quo tranſumpta exemplaria aliis ante nos ſcriptoribus fuere communicata, nondum habet ætatem annorum centum. Obſervo igitur, intra iſtius libelli operculum ſcriptæ legi hæc verba Latina:* Vita & miracula S. Franciſci de Paula, Minimorum inſtitutoris, Gallico ſermone: quæ ne forte pereat, per hæc quatuor volumina S. Hieronymi diſperſimus tegminatim, ad gloriam Domini Dei & Sanctorum ejus, ſicut legi, teſte Deo. *Hæc verba indicio mihi ſunt, autographas ſchedas, in ſpeciem viles ac facile perituras, ab aliquo, neſcio ubi repertas (eo fortaſis tempore quo Roma de Sancto canonizando agebatur) dignas viſas eſſe quæ non perirent. Id vero ut certius aſſequeretur inventor, cum ſui conventus pauperies commodius ei nihil offerret, congruum duxerit uti foliis grandioris aut etiam pergamena charta, ante & poſt quatuor volumina operum S. Hieronymi ſub tegmine ipſo vacantibus: unde illa denuo, cum hac tali notitia, nunc habeamus recollecta; & unde ea habuerit ſimiliter is, qui forſan Latine tranſlata Romam miſit, Pontifici exhibenda. Qui autem ipſa in Bruxellenſi MS. collegit, idem & Appendicem videtur attexuiſſe, ſicuti eodem Gallico idiomate addidit Regulam, Fratribus, atque Sororibus tertii Ordinis à Beato Fundatore propoſitam.*

cujus ſchedæ diviſim tranſcriptæ.

poſtea in unum MS. recollectæ fuerunt.

F

§. II Philippi Cominei de Sancto adhuc vivente teſtimonium.

8 *Qui prælaudatam S. Franciſci Vitam, eo quem explicuimus modo, recollegit tranſcripſitque, præter Appendicem & Regulam, quas Vitæ ſubtexuit, addidit etiam Philippi Cominei teſtimonium; quod quia maximi faciendum ſcimus ab omnibus qui Cominei fidem, conditionem, ætatem noverunt; ideo ipſum hic proferimus, Latinitati donatum a nobis ex originali Gallico, ſicuti hoc invenitur in dicto Bruxellenſi tranſumpto, facta tamen prius collatione cum Pariſina editione anni* 1552. *Nec enim fidendum eſt hæretico Cominei interpreti Ioanni Sleidano, hoc ipſo loco ubi agitur de Sancti hominis appellatione tributa Franciſco, omiſſis & alteratis nonnullis, malam ſuam fidem & ſanctitatis odium, ſectæ ſuæ proprium, declaranti. Ita ergo fideliſſimus auctor de Ludovico* XI *ipſemet ſcripſit*: Inter viros fama ſanctimoniæ celebres acceſſi-

Phil. Cominei teſtimonium de Sancto adhuc viventis.

A accerſivit ad ſe ex Calabria quemdam, Fr. Franciſcum de Paula nomine, pro vitæ ſanctitate vulgo appellatum, le Saint homme, Virum ſanctum: cujus etiam honori is qui in præſentiarum regnat (*Carolus* VIII *videlicet*) juſſit ædificari monaſterium ad Pleſſiacum parci, in compenſationem ſacelli, quod fuerat prope Pleſſiacum ad extremitatem pontis. Præfatus eremita in ætate annorum duodecim rupem quamdam ſubiverat, ibique manſerat uſque ad ætatem annorum quadraginta trium vel circiter, uſque ad eam videlicet horam, qua Rex eum accerſivit per quemdam ſuum œconomum, illuc profectum in ſocietate Principis Tarentini, filii Neapolitani Regis: neque enim diſcedere volebat abſque Pontificis & Regis ſui facultate: quod ſane magna prudentia fuit ſimplicis illius hominis, qui duo monaſteria erexerat in eo ubi morabatur loco. Numquam ille, nedum poſtquam arctam illam vitam aggreſſus eſt, comederat carnem, piſces, ova, caſeum lacticiniive aut adipis quidpiam: neque credo umquam vidiſſe me hominem viventem, qui magis ſancte viveret, & in quo magis appareret quod Spiritus ſanctus loqueretur per os ejus. Nec enim erat B Clericus aut litteratus, aut quidquam didicerat umquam: ſatis ei erat ſua Italica lingua ut ſe admirabilem redderet.

quod annos circiter 43 natus in Franciam venerit,

vir ſummæ anſteritatis.

Neapoli & Romæ maximo in pretio habitus.

9 Eremita iſte Neapoli tranſiens, honoratus & viſitatus fuit quantum magnus aliquis Legatus Apoſtolicus, tam à Rege quam filiis ejus, ipſiſque loquebatur veluti homo in aula enutritus. Inde tranſitum Roma habuit, ibique viſitatus fuit ab omnibus Cardinalibus, & triplici vice audientiam habuit apud Pontificem, ſolus cum ſolo agens, & prope ipſum aſſidere juſſus in ſella ſpecioſa, trium quatuorve horarum ſpatio, quoties ad Papam acceſſit. Magnus ſane honor fuit perſonæ tam exiguæ conditionis, ita prudenter reſpondere, ut cuncti eum mirarentur. Conceſſit autem ei Sanctiſſimus Pater inſtituere Ordinem, dictum Eremitarum S. Franciſci. Inde ad Regem venit, qui eum, tamquam ſi ipſemet Papa eſſet, excepit: in genua ſe ante eum proſternens, ut dignaretur ſibi vitam prolongare: ille autem reſpondit quod vir ſapiens debebat reſpondere. Sæpe audivi eum coram moderno Rege diſſerentem, ubi erant Magnates & Primores regni, imo jam nuper ante duos menſes: ſed videbatur divinitus inſpiratus circa ea quæ dicebat commonebatque; alias non potuiſſet de iis quas tractabat rebus adeo apte diſſerere. Vivit adhuc, adeoque adhuc poſſet in melius pejuſve mutari: quare ſuperſedeo pluribus de eo loqui. Quidam irridebant adventum hujus eremitæ, quem Virum-ſanctum appellabant cum vulgo: ſed non introſpexerant cogitationes iſtius ſapientis Regis, neque ea viderant, quæ ipſi illarum dederant occaſionem.

& ſpiritu Dei plenus.

C

10 *Hactenus Comineus, ſecundum dictam editionem libro 6 Commentariorum ſuorum cap. 8, ad annum* MCCCCLXXXI; *non quo advenit in Franciam Sanctus, ſed quo eum Rex advocandum curavit: cum ipſe diſceſſus Sancti ex Calabria ad annum ſequentem ſpectet. Finivit autem Comineus Hiſtoriã ſuam in anno* XCVIII *ejuſdem ſeculi, & mortuus eſt anno* MDIX. *Subtimide quidem, MS. Bruxellenſis fidem ſecutus, pro nomine* Roberti (*quod legitur paſſim in editis, imo & in MS. anni* 1526 *à Pariſina editionis auctore citato*) *retinui nomen* Franciſci de Paula: *retinui tamen: tum quia de hoc agere Comineum eſt evidens, tum quia Hiſpanico illius interpreti & commentatori Don Ioanni Vitriano ita legi placuit, ſinceriori fortaſſis aliquo & antiquiori MS. prælucente, quale ſecutum eſſe libelli Bruxellenſis ſcriptorem confidimus. Alii alias cauſas comminiſcuntur mutati apud Comineum nominis, quas Franciſcus Lanovius in Chronico Generali Ordinis Minimorum attingit iiſque re-*

An Comineus Robertum pro Franciſco nominarit?

jectis concludit, homini aulico facile hunc errorem obrepere potuiſſe, cum eſſet in eadem aula quidam Fr. Robertus Ordinis Prædicatorum, & ipſe ob Vitæ ſanctimoniam Regi carus. Addere potuiſſet mirum non debere videri, ſi verum Paulani eremitæ nomen minus fuerit cognitum ipſis etiam aulicis; cum paſſim non proprio, ſed Viri ſancti, *vel* Viri boni *nomine appellaretur*, le bon homme, le Saint homme. *Ego ſuſpicor, quod in autographo Cominei remanſerit locus vacuus exprimendo nomini proprio, quia non vacabat ſtudioſius illud quærere, aut ſcribentis memoriæ non occurrebat: quem hiatum librarii ex ſe ſupplleverint; alius recte, perperam alius; & hic quidem plures exempli ſui ſic vitiati tranſcriptores nactus.*

AUCTORE D. P.

§ III. De poſterioribus Vitæ S. Franciſci Scriptoribus.

Synopſis Vitæ habetur in Officio per Octavam,

11 EX *proceſſibus pro Canonizationis negotio informando factis & Romam allatis, Iacobus Simoneta, cauſarum ſacri Palatii Auditor ac poſtea Cardinalis & Epiſcopus Piſaurenſis, quamdam Vitæ ſynopſim collegit, & in Relatione coram Leone* X *facta recitavit*: quæ Relatio poſtmodum Clementi VII (*ſicut teſtatur Lanovius*) ita placuit, ut in Officium eccleſiaſticũ referri totam voluerit: quod ita factum eſt, ut in partes diviſa, compleat octo dierum Lectiones, quæ ad ſecundum, ut loquimur, Nocturum recitantur. *Altera vitæ ſynopſis non diſſimilis in ipſa Bulla canonizationis continetur. Sed quia hæc apud Surium, iſta apud jam dictum Lanovium tota extat legenda, neutram hic recudendam putavimus. Ab his proximus locus dari poteſt Gaſpari Paſſarello à Monopoli, Valentiæ in Hiſpania anno* MDLXXI *in Correctorem Generalem electo, qui ex Proceſſibus, Relatione, Bullaque præfatis, & quibuſdam propriis monumentis, nec non ex ea Vita, quam David Romæus inter Patronorum Neapolitanorum Vitas dicto anno* MDLXXI *recens vulgaverat, & ipſe novam unam compoſuit; quam recenter excuſam nacti ſumus, beneficio P. Philippi vander Beken, ejus qui Triadem Sanctorum Franciſcorum, Seraphici, Angelici & Apoſtolici, ſive Aſſiſiatis, Paulani, Xaverii, ab ſecundo exorſus prælo ſubjicere, egregium librum & ad viri Dei laudes populo explicandas quam aptiſſimum vulgavit Antverpiæ anno 1663; quo modo ante ipſum Lugduni fecerat primum Theophilus Raynaudus noſter, in editã à ſe Patriarcharum Triade, encomia continente Sanctorum Fundatorum, Brunonis Carthuſienſis, Franciſci Paulani & Ignatii de Loyola.*

& in Bulla Canonizationis,

item alia auctore Gaſpare Paſſarello,

& David Romæo,

præter tractatus encomiaſticos diverſorum.

12 *Et iſti quidem Latine plerique, uti & Benedictus Gononus inter Vitas ſanctorum Patrum Occidentis; atque alii plures, quos apud Hilariorem à Coſta, infra laudandum, pag. 409 & ſequentibus licebit enumeratos videre. Quin etiam R. P. Franciſcus Victon, Ordinis Minimorum per Sabaudiam ac Pedemontium Vicarius generalis, atque ipſius S. P. Franciſci ex ſorore pronepos, quam antea Gallice vulgaverat Vitam Latine reddidit, atque ex veterum monumentorum fide correxit illuſtravitque, & Pariſiis edidit anno* 1667. *Qui, uti & alii ſcriptores Ordinis, vehementer commendant operam ſtudiumque, in pleniori ſancti Patris Vita ex Italicis MSS. eruenda, collatam à Paulo Regio, Vico-aquenſi ſeu Vincenſi ſub metropoli Surrentina Epiſcopo creato ad annum* MDLXXXIII; *& hanc Italicam Vitam iterum iteruraque prælo ſubjectam habemus. Habemus etiam Vitam, Gallice ſemel ac bis editam à Claudio du Vivier, dicti ſæpe Ordinis per Belgium Provinciali; aliaſque breviores duas Hiſpanice editas, alteram Barcinone ex auctoribus variis, à Fr. Mathia Olivero anno* 1645; *alteram Madriti anno* 1651 *à Fr. Matthæo de Pinedo, ex Chronica Ordinis Generali per Lucam de Montoya, anno* 1619 *impreſſa: qualis etiam, & forte correctior, excerpi poſſet ex Latino ejuſdem Ordinis Chronico Fr. Franciſci Lanovii Pariſiis anno* 1635 *excuſo. Quos omnes ut facile nobis fuit conſulere, ſiquando res poſcere videbatur; ita ſuperfluum eſt viſum operoſe conquirere reliquos, quorum libros Italica, Gallica, Hiſpanica, Germanica lingua conſcriptos*

Paulus Regius Italice,

alii Gallice & Hiſpanice.

E

F

AUCTORE D. P.

de hoc Sancto, laudat & enumerat, citatis in paginis, prænominatus Hilarion, per aviam Magdalenam d'Aleſſo, in ordine genealogico ſextus à Sancto, filius Catharinæ Chaillou.

ſed accuratiori ſtudio Hilarion à Coſta;

13 *Hic vero Gallica lingua ſcripſit* Abbreviatã S. Fundatoris Imaginem, ſeu compendioſam vitæ, mortis ac miraculorum hiſtoriam, *eamque Pariſiis anno 1655 impreſſit; & operis noſtri notitiam quinquennio poſt nactus, huc direxit perquam humaniter benevoleque. Eſt autem ea epitome in gratiam ſimplicorum, ſolam fere pietatem ſpectantium, eleganti & facili deſcripta ſtylo: ſed ut eruditioribus quoque placere mereretur, habet adjecta margini curioſa ſcholia, cum fideli citatione præcipuorum unde accepit aliquid monumentorum. Habet præterea idem Hilarion ſyllogen hiſtoricarum probationum, more nunc Francis uſitato, ex ineditis eatenus Pontificum Regumque diplomatis alijsque ſimilibus inſtrumentis, eademque ſylloge complexus eſt illuſtriora aliquot ex Proceſsibus fragmenta: quæ cum nobis magnopere placuiſſent, non prius potuimus voluimuſque acquieſcere, quam illos integros nanciſceremur. Idem*

plenius, quod mors abrupit, opus meditans;

B *Hilarion epitomæ illi ſuæ præfixit tabulam chronologicam, ad faciliorem ejus quam tractat hiſtoriæ intellectum; ſed ex Lanovij chronico tumultarie compilatam, abſque chronotacticorum characterum examine, quo niti oportet eum qui definire præſumit quid quo anno geſtum ſit. Quod ſi vir diligentiſsimus, idemque ad chronologicas difficultates cognoſcendas natura propenſus, perficere potuiſſet grande duorum voluminum opus, quod de vita ac morte Sancti parabat, utique colligendum ex ijſdem quæ nunc ſumus daturi monumentis; non, ut in prima opella obiter delibatis, ſed ſigillatim verbotenuſque expenſis: multa haud dubie, cum illis non bene conſentientia, in Lanovania hactenuſque recepta Ordinis chronologia deprehendiſſet & correxiſſet; quæ morte præventus nobis emendanda & illuſtranda reliquit.*

ut etiam Lud. d'Atichy.

14 Generalem *quoque* Ordinis Minimorum hiſtoriam *Ludovicus Doni d'Atichy, poſtea Reiensis ac dein Auguſtodunensis Epiſcopus, lingua Francica ſcripſit; & quam in ea deſcripſerat Fundatoris vitam eam, multis miraculis ac rebus notabilibus volebat augere & ſeorſim dare in lucem magno volumine, niſi etiam ipſius conatui mors interveniſſet. Ipſam hiſtoriam generalem ſeu potius panegyrim nos habemus: & quia vix aliquid novæ lucis haurire ex ea potuimus, ſuſpicamur opus illud, etiam ſecundis cogitationibus elimatum, non fuiſſe magnopere nobis profuturum. Mitto commemorare reliquos, quos videre non contigit, quoſque apud Hilarionem legere enumeratos licet, & venio ad Fr. Iſidorum Tuſcanum de Paula, qui poſtremus*

C *tempore; ſed rerum copia & ſtyli prolixitate primus, in hac arena deſudavit, atque Eminentiſsimo Cardinali Bernardino Spadæ, anno 1658 Romæ impreſſum dedicavit volumen ſpiſsiſsimum, Italica lingua: in quod collegit ea omnia, quæ partim apud ceteros auctores habebantur diſperſa, partim adhuc latitabant in MSS. proceſsibus, partim ex novâ accuratiſsimaque per omnes Provincias diſquiſitione haberi poterant; hoc uno minus cautus, quod antegreſsis ſcriptoribus nimium credulus, neq; characteres temporum paſsim obvios in proceſsibus curavit obſervare, & dum laboravit ne quid omitteret, abſque diſcuſsione ulteriori recepit aliqua, ipſis ſui Ordinis ſcriptoribus prudentioribus haud ſatis probata; ac nominatim ſuſpectas illas, aut verius ſuppoſititias, epiſtolas propheticas ad Simonem de Limena.*

& ultimo Italice Iſidorus Tuſcanus

Nos ex omnibus damus ſuppletam, hiſtoriam,

15 *Nos ex auctoribus hactenus nominatis collegimus* Hiſtoricum ſupplementum ad Acta S. Franciſci de Paula; *ex quo apparebit, non tantum quam multa potuerint de hoc Sancto ſciri, ſi in locis omnibus, in quibus aliquando vel habitavit, vel paucorum dierum horarumve hoſpes egit, inquiſitum pari diligentia fuiſſet, tum cum adhuc ſupererant qui poſſent teſtari: ſed imprimis ex illo noſtro labore conſtabit, quomodo à principijs chronologicis, ex antiquiorum monumentorum fide ante omnia conſtituendis, pendeat hiſtoria omnis, tum ipſius Sancti tum Ordinis per eum inſtituti: conſtabit item in quam graves atque palpabiles errores neceſſe fuerit eos incurrere, qui ex anno Franciſci natali ſemel perperam conſtituto deducere chronicon voluerunt; non prius ſcrutati, an ſolidum eſſet ſupra quod ædificabant fundamentum, neque ſoliciti ut ad Lydium omnis hiſtoriæ lapidem, oculatorum, inquam, & coævorum teſtium fidem, poſteriorum ſcriptorum aſſertiones explorarent. De Ioanne Mylazzio (qui & ipſe, ut ſupra indicavimus, de Sancti magiſtri ſui Vita ſcripſiſſe aliquid à varijs aſſeritur) nihil dicimus; quia ſcriptum, quod ſub ejus nomine habetur Neapoli, videre non potuimus; licet pro eo nobis obtinendo fuerit à prænominatis Patribus Minimis laboratum. Credibile eſt non aliam hujus difficultatis cauſam fuiſſe, quam quod ipſimet Neapolitani Patres, ipſum ſcrutati accuratius, judicaverint pſeudepigraphum nec publicæ luci committendum. Certe paucula illa, quæ ex hoc ſcripto alibi accepta invenimus, non levem ita ſuſpicandi occaſionem præbent, & probant ipſum magni momenti non eſſe.*

D

preter quam ex ſcripto quod Ioan. Mylazzio tribuitur.

LIBELLUS

De vita & miraculis S. FRANCISCI,

Scriptus ab uno ex diſcipulis, quadriennio ante Sancti obitum, ex MS. Gallico Conventus Bruxellenſis.

E

PROLOGUS AUCTORIS

Qua intentione Rom. 15, 4.

1 QUæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram inſtitutionem ſcripta ſunt, ut per patientiam & per conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. Hæc ſunt verba ſancti & glorioſi Pauli, ſcribentis ad Romanos: ſecundum quæ propoſui in præſenti tractatu deſcribere res quaſdam memoria dignas, ad gloriam & laudem Creatoris & glorioſiſſimę virginis Mariæ matris Dei; motus ad hoc inductuſque, ut ſucceſſores noſtri melius poſſint inſiſtere operibus bonis, vitiiſque & peccatis reſiſtere; inſtructi bonis exemplis, quæ hic recitabuntur, quorumdam bonorum Dei famulorum, viventium in magna auſteritate & abſtinentia: quemadmodum plenius hic referetur. Et primum recitabimus optimã vitam boni Fratris Franciſci de Paula, Patris & Fundatoris Ordinis Fratrum Minimorum: tum res alias conſequenter, tam ut eas ego ipſe vidi, quam etiam ut audivi & cognovi per relationem Religioſorum aliarumque bonarum & fide dignarum perſonarum; Creatoris ſubnixus auxilio, ſine quo boni nihil aut fieri poteſt aut cogitari.

& fide hæ ſcribat.

F

CAPUT I.

S. Franciſci nativitas, adoleſcentia: & vitæ monaſticæ, dein eremiticæ initia.

2 FUit in Italia quidam venerabilis Pater, Franciſcus de Paula nuncupatus, natuſque anno gratiæ milleſimo quadringenteſimo [trigeſimo ſeptimo] *a* vel circiter, in oppido Paula, ſito in provincia Calabriæ. Pater ejus Jacobus *b* de Salicone, mater Vienna appellabatur: qui quamvis ſeculares forent, vitam tamen religioſe ducebat. Etenim cum longo tempore conviventes, nullam ex ſe prolem procrearent: invocabant opem Dei Sanctorumque ejus *c* Aſſiſinatium, amaris cũ lacrymis eos deprecantes, magnaſque eleemoſynas & crebra jejunia facientes propter Dei amorem, ut ſobolem ſibi dignaretur concedere: quæ ſi maſcula foret, eamdem propoſuerunt offerre Deo, toto vi æ ſuæ tempore ipſi ſervituram. Exaudivit eos Deus, & filium eis formoſum dedit: qui cum naſceretur *d* altero carebat oculo;

a

Facto ad S. Franciſcum voto natus.

b

c

d

similè voto oculi recipit sanitatem:

A

oculo; quod secuti paulo post miraculi occasio fuit, statim enim ut devota illius mater, nonnihil successu conturbata, orationi se dedit; invocans auxilium glorioſi S. Franciſci, & ex obſtetricis ſuggeſtione promittens, quod jam dictus infans, ſi alterius quoque oculi lumen acciperet, portaturus eſſet habitum S. Franciſci uno aut pluribus annis, prout ad hoc eſſet pie affectus; continuo integritatem oculorum obtinuit, ac ſi nullum unquam in iis habuiſſet defectum. Quare uterque parens glorificans Deum, eique & S. Franciſco gratias reddens, filio impoſuerunt Franciſci *e* nomen, ut qui per ejus interceſſionem ipſum ſibi crederent à Deo impetratum. Nutrivit autem eum bona mater uberibus proprijs, ut bonam indolem eidem una cum lacte infunderet.

e

à parentibus vera pietati deditis

f

g

3 Eadem porro & maritus Jacobus, conſiderantes quod liberis operam dando *f* proficerent parum; ſimul vixerunt ſpatio annorum triginta *g* in voto caſtitatis, abſque commixtione carnis, quæ ad nihil prodeſt: atque ad ſancti Apoſtoli Pauli exemplum carnem ſpiritui conabantur ſubiicere, jejuniis, vigiliis & abſtinentis eam macerantes. Quin etiam Jacobus noctibus ſingulis circuibat eccleſias deſertorum circum urbem Paulanam locorum, diſciplinis ſe diverberans, eaſque per tenebras viſitans.

B

Idem nullos comedebat fructus: cumque ei aliquid offerebatur ad victum, non recipiebat illud prius, quam ſciret unde eſſet; dicens cum juſto illo Tobia, nemini licitum eſſe comedere vel accipere rem alienam, furto vel latrocinio acquiſitam. Matri vero tantam gratiam exhibuit Deus, ut ei mortis ſuæ diem ante annos viginti revelaverit.

4 Dictus Fr. Franciſcus à parentibus talibus enutritus, ab ipſa infantia nihil egit, quod dignum reprehenſione videretur: ſed creſcebat quotidie, uti ætate, ſic & ſapientia boniſque moribus, coram Deo & hominibus: adeo ut mirarentur vehementer quicumque videbant eum, ſecumque in cordibus ſuis cogitarent, futuro tempore magnum extiturum infantem illum. Hic cum ad annum ætatis *h* decimum tertium perveniſſet, facti à parentibus voti admonitus, voluit illud abſque dilatione complere. Quare à parentibus deductus fuit ad conventum S. Franciſci in civitate S. Marci *k*, ubi eum mater ſua devoverat, & annum agens decimum tertium, ut dictum eſt, habitum ibidem devote ſuſcepit: ac vale parentibus dicto, manſit inter Fratres; ipſis & Deo humiliter ſerviens, obeundo cuncta conventus miniſteria, quemadmodum ſacriſta, œconomus atque alii referunt. Sæpe etiam lignatum & mendicatũ pro Fratribus ibat: vacans nihilominus majori noctis parte orationi, ante Crucifixum vel Deiparæ virginis aut S. Franciſci imaginem aliquam. Eodem ætatis anno, induſio, tibialibus, aliiſque omnibus veſtimentis dimiſſis, unicam retinuit ex rudiori panno tunicam, cœpitque ſolis cibis quadrageſimalibus veſci, quamvis alii carnes comederent. Et hunc vivendi modum ad annum uſque præſentis ſcriptionis, gratiæ autem milleſimum quingenteſimum ſecundum tenuit: omnia hæc in tam tenera adoleſcentia obſervans auxilio Dei, cui impoſſibile nihil eſt.

oblatus Franciſcanis in conventu S. Marci,

b

k

vitam in ſumma auſteritate agit.

C

expleto devotionis ſuæ anno,

l

5 Mirabantur Religioſi conſtantiam ejus, neque ipſi tantum eo reſpectu ad Dei ipſiuſque amorem devote excitabantur; ſed etiam Epiſcopus *l* loci; adeo ut videre eum eique colloqui deſideraverit. Sed quia Deus ipſum ad majora delegerat, expleto devotionis ſuæ anno, diſcedere voluit. Hoc ejus conſilium cum innotuit Fratribus, conati ſunt ſuadendo orandoque, etiam cum lacrymis, præ teneri doloris ſenſu fuſis, obtinere ut ſecum remaneret, & quidquid deſideraret ei ſe facturos promiſere. Sed ijs humiliter ſeſe excuſans Dei famulus Fr. Franciſcus, negabat eis ſe poſſe obſequi: propterea quod id non eſſet ſecundum Dei voluntatem futurum. Vale igitur dixit Fratribus, inſtitutoque per Aſſiſium itinere, Romam appulit; loca ſacra viſitaturus. Ibi cum Cardinalem *m* quemdam reperiſſet magno in comitatu atque ſplendore, audacter eumdem Franciſcus admonuit, quod neque Chriſtus neque Apoſtoli ejus talem pompam ſectati fuerint. Qui Cardinalis, conſtantiam id monentis conſiderans, Ne, inquit, fili, ſcandalizeris; ſi enim aliter faceremus, deſpiceretur à ſecularibus & vilipenderetur utcumque Apoſtolicus ordo.

AUCTORE DISCIP. COÆVO EX MS. G.

peregrinatur Romam & Aſſiſium.

m

6 Bonus inde Pater perrexit porro viſitare eremitoria & loca piorum religioſorum, ad exemplum S. Antonii, ſingulorum obſervando virtutes. Cumque jam conſtitutum haberet vitam ſolitariam ducere, contulit ſe ad quemdam paternæ poſſeſſionis locum, ſeſquimilliario circiter ab urbe Paulana diſtantem; ibique manſit aliquamdiu, neceſſarium ei victum ſubminiſtrantibus patre ac matre. Verum frequentia illac ultro citroque commeantium impediri ſe ſentiens, quominus Deo attente ſerviret; receſſit inde ad alium prorſus ſolitarium locum, à quadam ſua *n* conſanguinea ſibi conceſſum: ubi cum ligonem reperiſſet, cœpit terram effodere, & parvam pauperi corpuſculo ſuo manſiunculam fecit. Deinde, cum ſuorum parentum auxilio, ædificavit ibi pulcrum ſacellum cum tribus cellulis: & longo tempore in eo ſe continuit loco, abſque habitatione alia, vacans jejuniis, orationibus & pœnitentiis. Ut autem narravit mihi Fr. Balthaſar de Spino, in utroque jure Doctor, & Confeſſarius *o* Innocentii Papæ, bonus ille Pater perſeveravit annis quatuor, nihil manducans niſi herbas crudas ex campis collectas: quod ſane non eſt mirandum, cum etiam majora poſſit Deus in Sanctis ſuis operari. Multi autem ſtatuum diverſorum viſitabant eum conſilii gratia, tam circa res conſcientiæ quam alijs in cauſis; nec niſi cum ſolatio revertebantur. Exinde enim Deus, incipiens ſervum ſuum mirificare, operabatur miracula, quæ nimis prolixum foret recenſere omnia: quædam tamen ad conſolationem devotorum & dilectorum ejus hic narrabimus.

inde Paulam reverſus,

n

E

vitæ eremiticæ initium facit.

o

ANNOTATA.

a *Quandoquidem veteris librarij incuria deſideratur in MS. Bruxellenſi pars reliqua numeri, maluimus ſupplere hiatum ex veroſimiliore & inferius pene evidenter demonſtranda ſententia, quam ex opinatione receptiori, ſed falſa, ſignare annum* 1416.

F

b *Non dubitamus quin paternæ familiæ cognomentum fuerit* Martorella *vel* Martolilla, *prout ſcribitur in Interrogatorio, ante Proceſſum Conſentinum à Commiſſarijs Apoſtolicis propoſito: nec poſſumus aſſentiri ys qui ſuadere conantur, unius ejuſdemque familiæ duos fuiſſe ramos, quorum uni ab auctore* Alexio *cognomen manſerit de* Aleſſo, *alter à* Bartolo *ſeu* Bartolillo (*quæ ſunt diminutiva nominis* Bartholomæi) *agnomen diſtinctivum retinuerit, B in M converſo. Non etiam probamus qui* Martotillam, *ſcribunt: putamus enim diminutivum eſſe à voce* Martore, *quæ eſt ruſticani hominis appellativum apud Italos, ut docent auctores Vocabularij della Cruſca; ſignificat etiam animal, ſuæ pellis pretio æſtimatum, quod Latini* Martem, *Franci* Martre *dicunt. Unde igitur hic nomen de* Salicone? *Suſpicatus aliquando ſum, quia proceram ſalicem vox illa ſignificat, hoc ei quam Paulæ incolebat Iacobus domui fuiſſe inſigne; vel ſic dici aliquem Paulani diſtrictus vicum, unde natus ipſe eſſet; & agnomen in vulgo vſitatius traxiſſet, quam erat proprium familiæ nomen. Poſtea vereri cœpi ne auctor, in Ordine & extra varios Sancti conſanguineos cognoſcens, omnes ex familia* de Aleſſo *ſive* Alexio

Nomen familiæ S. Franciſci.

AUCTORE DISCIP. COÆVO EX MS. G.

(quo nomine in Sicilia locus eſt & forſan etiam in Calabria aliquis) crediderit ejuſdem nominis fuiſſe Patrem S. Franciſci, *& Gallice ſcripſerit* des Aleçons, *quod citra ſyllabarum legitimam diſtinctionem obſcurius in autographo expreſſum, librarius corruperit, ſcripſeritque* de Salicone.

c SS. Franciſcus & Clara.

d *Potius alterius oculi viſus, labecula ſupernata impeditus, dici debuerat.*

e *Iuvit fortaſſis, quod* Franciſcus Martorella, *Regis Alphonſi poſtea Secretarius, Iacobi aut frater aut cognatus germanus, puerum è ſacro fonte ſuſcepit, eique ſuum nomen impoſuit: nolim tamen abſque teſte hoc affirmare primus.*

f *Quis dicet hinc demonſtrari, pios conjuges, poſt Franciſci nativitatem, ne tantillo quidem tempore perrexiſſe liberis gignendis operam dare, donec ſibi altera proles naſceretur? Numquid non ſatis vera hæc erunt, ſi poſt aliquot annorum conſuetudinem mutuam, cum nihil amplius conciperetur, decreverint ceſſare ab irrito matrimonij uſu? idque etiam voto firmarint?*

g *Puta uſque ad annum circiter* 1470; *poſt quem & poſt uxoris mortem adhuc aliquot annis potuit ſupervixiſſe Iacobus, filij manibus Paulæ tumulatus.*

h *Scriptum quidem in Bruxellenſi apographo erat* 15: *ſed legendum eſſe* 13 *monebat nota marginalis: & hoc probatur ex num. 49 inferius, ubi dicitur Sanctus, cum cœpit ſolitarius vivere, fuiſſe* 15 *vel* 16 *annorum. Alij aditum monaſterium dicunt ætatis anno* 12: *ſed hi annos plene exactos numerant.*

B

Civitas S. Marci

k Civitas S. Marci *Epiſcopalis, in ipſo pene citerioris Calabriæ umbilico,* P. M 15 *Paula diſtat. Ibi Fratribus Minoribus conventus, publico ſumptu extructus, anno tandem* 1517 *tranſiit in poſſeſſionem Obſervantium, teſte Gonzaga. Scriptor hujus apographi Francus vel Walo, cui ignota hæc civitas, nota autem erat* Marchia, *Italicarum regionum una; ubi auctor ſcripſerat,* de S. Marc, *legit & ſcripſit* de la Marque, *enormi mendo.*

ejuſque Epiſcopi.

l *Italiæ ſacræ auctor Ferdinandus Vgellus, tomo ejus* 1, *ſtrictim admodum & indiſtincte refert* Antonium Calé de Genuiſio *&* Gotifredum de Caſtro *hujus urbis Epiſcopos, ab anno* 1435 *ad annum* 1484: *poſtea vero à nobis interrogatus, ex Actis Conſiſtorialibus docuit,* Gotifredum (*qui antea erat Epiſcopus Marturanenſis*) *commutatione cum Antonio facta, obtinuiſſe ſedem S. Marci,* IV *Idus Februarij an.* 1446; *& ad annum uſque* 1484 *poſſediſſe. Ad hunc igitur, non ad Ludovicum Imbriacum, Antonio & Gotifredo priorem, pertinet res, anno circiter* 1450 *geſta, ſecundum calculum noſtrum.*

C

m *Sunt qui* Cardinalem S. Sabinæ *fuiſſe volunt, &* Julianum Cæſarinum *nominant, anno* 1426 *creatum, & in Hungarico Bello caſum an.* 1444: *ſuam utique de ætate Sancti opinionem ſecuti. Ex noſtra ſententia, ſi iſtius Tituli Cardinalis fuit, de quo hic agitur, fuiſſe debuit* Guilielmus Ugonis de Stagno, *ex Metenſi Archidiacono factus Cardinalis, an.* 1449, *& an.* 1455 *in ſua S. Sabinæ eccleſia ſepultus.*

n *Quid ſi hæc fuerit mater Antonij de Aleſſo, poſtea cum ipſius Sancti ſorore Brigitta matrimonio juncti?*

o Fr. Balthaſar de Spino, *potuit Innocentij* VIII *Confeſſarius fuiſſe eo tempore, quo Romæ morabatur ad S. Anaſtaſiam pro expediendis novi Ordinis negotijs. Vnde idem Innocentius in Bulla anni* 1488 *vocat eum* familiarem & amicum noſtrum. *Miramur dictam Bullam deeſſe in Bullario Ordinis, cum Fr. Iſidorus dicat, ejus originale ſervari in conventu Paulano. Fuit autem ipſe Fr. Balthaſar primus Sacerdos Ordinis, ut ex Pyrrhi Epiſcopi Bulla facile eſt animadvertere.*

CAPUT II. D

Conventus Paulani exordia: Virtutes S. Franciſci: miracula in dicto conventu facta.

Extruitur conventus favente Epiſcopo,

7 MUlti igitur, ſancta ejus converſatione audita, nuntium ſeculo remiſere, adhærere ipſi & vitam ſolitariam ducere cupientes. His recipiendis primus conventus Paulanus ædificari cœpit, multum adjuvante & confortante bono Epiſcopo Conſentino: qui ipſemet primum poſuit in fundamento lapidem, Crucemque in loco ſolenniter collocavit, *a* atque privilegia multa præclara dedit dicto bono Patri, Fr. Franciſco de Paula, per totam diœceſim ſuam. Factum confirmavit Pontifex Sixtus, tum temporis ſanctæ Romanæ ſedis Epiſcopus, poteſtatem ei faciens veſtiendi recipiendique ad habitum ſuum quoſcumque eum devote poſtulaturos, ijſque vitæ formam præſcribendi, aliaque faciendi, quæ in Bullis deſuper datis continentur: omnia curante Fr. Balthaſare ſupra memorato, quem bonus Pater deſtinaverat Romam. Viri feminæque principes regionis illius tanta erga eum ferebantur reverentia, ut obedienter exciperent omnia ejus dicta: & multæ matronæ nobiles ædificandum conventum, non tantum facultatibus ſuis, ſed etiam manibus promovebant; deportando lapides intra bombycinas & holoſericas veſtes, ut Dei famulo gratum exhiberent obſequium: Hic autem eas admonebat, ut matrimonii fidem inviolatam ſervarent, & ad omnem pietatis cultum adhortabatur. Quin etiam auctor eis eſſe incipiebat, ut fluentes à tergo veſtes ceteramque ſuperfluitatem reſecarent: ipſæ autem beatas ſe reputabant, quod poſſent ad ædificationem conventus allaborare.

a

viri feminæque nobilibus allaborantibus.

E

Franciſcus ſuis omnibus vitæ exemplo præiens, 1. Tim. 4. 12.

8 Hilariter excipiebat eos qui habitum religionis poſtulabant ab eo, ipſiſque præſcribebat modum ac formam vivendi in paupertate, caſtitate, obedientia, & victu quadrageſimali per omnem vitam: & ſecundum Apoſtoli conſilium ad Timotheum, erat ijs in omni re exemplum virtutis. Plus quam ſex alii laborabat, jejunans nihilominus quotidie, & modicum quid circa veſperam comedens, ſolum quo vita toleraretur. Nudis ſemper pedibus gradiebatur, nec vinum bibebat unquam: parum vero dormiebat, ut prolixiori vacaret orationi. Lectus ejus erat tabula penſilis ex rudi ligno: quamvis ut plurimum, vel ſtans vel medio dumtaxat recumbens corpore, ſomnum caperet. Piſcibus omnino non veſcebatur: nec niſi admodum ſero modico veſcebatur legumine, quamvis cibos quadrageſimales quoſcumque Religioſis ſuis permitteret. Denique ut paucis abſolvam multa, vitam ducebat tam auſteram, ut eam aſſequi nullus Religioſorum ſuorum potuerit unquam. Numquam vel barbam raſit vel crinem attondit: cilicium ei pro lineo erat induſio: toto autem Quadrageſimæ & ſacri Adventus tempore & in Pervigiliis ab Eccleſia præſcriptis, jejunabat plerumque in pane & aqua.

F

in ſummo vigore vivit,

ſuadet feminarum conſortia fugere.

9 Virginitatem ſemper illibatam ſervavit, tam purus & integer ſecundum carnem, quam infans ſub lacte matris conſtitutus. Feminarum, præſertim religioſarum & quæ devotionis majoris ſtudium profitentur, vitabat conſortia, & Religioſis ſuis ſpecialiter fugienda commendabat, tamquam ſi viperæ eſſent. Dicebat autem & feminas & pecunias ad concupiſcentiam ſui allicere; ac Dei ſervos multo nocentius quam alias res quaſcumque urere. Quare etiam in Regula ſua prohibuit pecuniam contrectare, nec ipſe eam unquam attigit ab anno decimo-

quinto

quinto vel ſexto ætatis, ex quo ſcilicet eremiticam ducere vitam cœpit. Tantæ erat humilitatis, ut aliis ſubeſſe miniſter quam præeſſe magiſter præoptaret; & unicuique ſerviret conſuetæ operibus caritatis. Admirabili animi modeſtia præditus, ſimplicium & tenuium plus quam magnatum frequentabat colloquia, neque divitem pauperi, vel nobilem ruſtico præferebat æſtimando; ſed omnibus ſe exhibebat æqualem, citra acceptionem perſonarum. Prudentia in actionibus ſuis excellebat tam ſingulari, ut nullus aliquid in eo notaret reprehenſione dignum, quamvis æmulos haberet multos, & inſidiatores ipſi decipiendo intentos. Scilicet bene ſervatur, quem cuſtodit Dominus, cui nemo umquam reſiſtere potuit. Patrem ſuum, cujus facta eſt ſuperius mentio, ad ſe recepit & propriis ſepelivit manibus; cum inter eaſdem ille ſuum tradidiſſet ſpiritum, ſub veſperam finito completorio vivere deſinens in hiſce verbis, Ave Maria. Scilicet longo tempore Religioſis ſerviverat in habitu & conditione Oblatorum, *b* & ſenio fractus, ac bonis plenus operibus requievit in pace, ſepultuſque eſt in Paulano conventu.

A *humilitate,*

prudentia- que excellit.

patrem ſuum inter Oblatos recipit.

b

10 Hic conventus cum cœptus eſſet ædificari, curaverat bonus Pater coquendæ calci fornacem conſtrui; cui jam oneratæ cum jubjectus ignis noctem unum diemque arſiſſet, deficiente teſtudine ipſius furni, ſubſidere lapides incumbentes cœpere. Eo in articulo accerſitus bonus Pater, qui tum forte in cellula ſua morabatur, audivit perire fornacem: ad eam acceſſit, viſurus quid ageretur, & imperavit omnibus ut ad collatiunculam ſumendam recederent. Paruerunt illi, & ſolus cum curatore fornacis remanſit Pater. Sed nec ille diu ibi ſubſtitit; paulo tamen poſt revertens, vidit bonum Patrem egredientem de fornace, quam ut antea reperit integram. Dixit ei igitur bonus Pater: Immitte, ligna. Hoc autem miraculum plures narraverunt: imprimis autem ipſe calcis conficiendæ curator veritati eidem atteſtatur. Alias accidit ut cum eo per ſiluam iter haberet quidam familiaris ejus & bonus amicus, Magiſter Antonius de Donato dictus, quando lapis è jugo montis devolutus ita fortiter impegit in genu jam dicti magiſtri Antonii, ut illud fregerit. Compatiens ergo amico ſic læſo bonus Pater, manus impoſuit attrito genu: & mox ipſum æque atque alterum ſanum habuit dictus Magiſter Antonius.

calcis ardentis fornacem ingreſſus

B

ruinam inſtaurat:

genu attritum ſanat,

11 Alio tempore bonus Pater per ſilvam ambulans, invenit tenellam cervam: quam cum aliqui capere niterentur, vetuit eam tangi, ipſeque eidem præſcidit auriculæ partem. Hæc multo poſt, periclitans ne comprehenderetur, fugit ad conventum in cubiculum boni Patris, ac deinceps ſequebatur eum quocumque iret, etiam ad eccleſiam, lambens veſtes ejus; eique velut defenſori ſuo blandiebatur, ex præſecta articulæ ſummitate noſcenda. Contigit autem vice quadam ut operæ ad uſus monaſterii conductæ nihil haberent quod manducarent: ergo peteverunt illam cervam à bono Patre; qui precibus eorum victus, invitus conceſſit quod rogabatur: pellis vero illius in hodiernum uſque diem ad rei memoriam ſervatur in Paulano conventu. Cum prædictus Antonius de Donato pernoctaret in conventu Paulano, nocte quadam oratum ſurrexit è ſtrato, obviumque habuit bonum Patrem, qui dixit ei, Per caritatem revertere in cubiculum tuum. Paruit ille: verum mox inquietus, ut ſciret qua de cauſa redire eum bonus Pater juſſiſſet, denuo foras prodiit; & vidit vallem, in qua bonus Pater erat, totam flammantem illuminatamque: quapropter magno correptus tremore, celeriter revertit ad cubiculum ſuum. Alias cum prædictus Antonius in eodem eſſet conventu, ſub ortum ſolis venit mutus quidam

cervam ci curem famelicis donat:

C

interorandum noctu divinitus illuminatus.

muto loquelam impetrat.

ex vicinia oppiduli quod Conturſy *c* dicitur: nocte autem adventum muti & parentum ejus ſubſequenti, ſurrexit bonus Pater, eumque ad eccleſiam duxit; ubi pluribus accenſis cereis cum orationem fudiſſet, loquelam mutus recuperavit; juſſuſque eſt, mox ut illuxit, cum ſuis parentibus in patriam remeare. *d*

AUCTORE DISCP. COÆVO. EX MS. G.

c

d

12 Alio tempore, cum cellæ Fratrum conventus Paulani exſtruerentur, iidem Fratres convehebant lapides: ipſo autem in loco unde lapides eruebantur, examen veſparum repererunt: quæ motis lapidibus ſubvolantes, tanto cum ſtrepitu irruerunt in Fratres, ut illi curſim aufugientes requiſierint bonum Patrem; eidem, tunc vices cœmentarii obeunti, eventum narraturi. Venit igitur ipſe ad locum inquo erant veſpæ, & Fratres omnes abire juſſit. Abierunt illi, ut obedirent: aſt ego N. poſt oſtium ſubſtiti, exploraturus quid ageret. Vidi autem, quod omnes illas veſpas colligeret, portaretque ad vicinam conventui ſilvam: quæ deinceps conſpectæ non ſunt. Mirabilius etiam eſt, quod ſubjungo. Allati ſunt aliquando piſces in vimineo corbe, & reperti ſunt mortui: ipſo autem die ſupervenerat Epiſcopus Conſentinus; dixit ergo bonus Pater ei qui piſces attulerat: Opportune adveniſti: eamus & lavemus eos, ut exinde Domino Epiſcopo apponamus. Iverunt igitur ambo ad fontem, qui eſt intra conventum, cumque inciperent piſces illos abluere, primus quem bonus Pater manu lavandum apprehendit, in vitam rediit; *e* dimiſſuſque plures poſtmodum vixit annos.

veſparum examen abigit illeſus,

mortuos piſces vificat.

E

e

13 Quadam vice allata eſt dicto bono Patri epiſtola, quam Fr. Balthazari tradidit, ut eam legeret, lectæque argumentum *f* ſibi compendio ſignificaret. Lectis litteris, ivit in culinam Frater prædictus: ibique bonum Patrem reperit, qui tenebat ſupra focum ſartaginem plenam oleo frigendis piſcibus: cui dixit Fr. Balthaſar: Quid agis? mi Pater? Piſcem, reponit ille, pro te frigo. Aſt Balthaſar: Iam, inquit, totus aduſtus eſt, remove eum ab igne. Paruit bonus Pater, & ſartagine humi poſita, manum immiſit oleo vehementiſſime bullienti, abſque ulla læſione aduſtionève. Accidit etiam ut ad conventum fugeret aliquis patrato homicidio azylum quærens, ibique infirmaretur. Voluit bonus Pater ut curaretur diligenter, venitque ipſemet amygdalinam potionem eidem paraturus. Cumque amygdalas decorticandas aquæ bullienti immiſiſſet; in eamdem aquam manus mittebat illæſas, & amygdalas exinde accipiebat.

ferventi oleo manum immittit:

f

item aquæ bullienti,

F

14 Alia item vice venit ad bonum Patrem quidam ex S. Franciſci ordine Religioſus, Fr. Antonius *g* Scotet nuncupatus, dixitque bono Patri, quod male faceret apponendo infirmis pomo pira & cetera ejus generis; cum oporteret eos medicis curandos committere: erat autem etiam ipſe infirmus. Ergo ad focum deduxit eum bonus Pater, & manibus prunas ardentes accipiens: Accipe inquit Frater ut calefias: neceſſe eſt enim ut fiat voluntas Dei: & neque ardorem nec calorem ſentiebat. Alia quoque vice, cum eſſent occupati Fratres in conventu Paulano egerenda terra, ubi in præſentiarum majus altare conſiſtit; hora prandii adveniente, ſolus in loco bonus Pater remanſit. Finito autem prandio, primus rediit quidam Frater Nicolaus Noſtheto dictus; & ad bonum Patrem appropinquans, vidit eum occupatum in loco, habentem in capite coronam ejuſmodi, qualis Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ tribuitur, quæ variis ex coloribus pulcherrime reſplendebat. Quod conſpiciens, admiratus eſt; abiitque; & alteri Fratri, Florentino nomine, quod viderat expoſuit. Redierunt igitur ad locum ambo ſimul, & rurſum eamdem viſionem viderunt:

prunas ardentes tractat.

g

apparet ornatus tiaræ Papalis.

RUETORE DISCIP. COÆVO EX MSS. G.

quare regreſſi jam dicti Fratres advocaverunt unum ex Oblatis Fr. Angelum de Saracena ; iterumque ipſi tres , eadem viſione conſpecta, ſtupore pleni receſſerunt.

ANNOTATA.

a Epiſcopus Conſentinus *hic non alius fuit , quam* Pyrrhus Caracciolus : *qui tamen non niſi poſt plurium annorum experimentum , anno* 1471 , *privilegia legaliter expedivit ; quæ denique confirmavit Sixtus* IV *anno* 1474.

b *Addit Iſidorus, Iacobum tumulatum eſſe apud uxorem in eccleſia conventus Paulani , & magnum populi concurſum fuiſſe ad funus. Quod Iacobus ibi tumulatus ſit , admodum veroſimile nobis videtur : de uxore merito dubites , potueritne ibi ſepeliri , mortua prius quam probatus Ordo cenſeretur, adeoque jus ſepulturæ haberet.*

c Conturſy *oppidum in Principatu citeriori diœceſis Campanenſis, trans Selum fluvium.*

d *Iſidorus , multis circumſtantiis & verbis utrimque habitis rem exornans lib.* I *cap.* 20 *dicit , juvenem à parentibus ſterilibus multa prece impetratum , ad annum* 14 *ætatis fuiſſe mutum : & videtur eumdem facere cum puero, de quo infra num.* 20.

e *Addit Iſidorus*, Sanctum ſolita ſua ſimplicitate dixiſſe: Per caritatem , ſi vivere vis , prius à me poſtula facultatem.

f *Hinc etiam apparet vere dixiſſe Comineum , quod Sanctus omnino illitteratus fuerit ; quodque alibi dicemus , ad ſcribendas epiſtolas ſemper eguiſſe aliena manu.*

g Scozettum *vocant auctores Franciſcani , Marcus Vliſipponenſis & Gonzaga, ajuntque Amanteæ in patria ſua in conventu* S. *Bernardini obiiſſe an.* 1470. *& tam vivum quam mortuum miraculis claruiſſe : quare etiam ei tribuunt titulum Beati , & Arturus à Monaſterio ipſum inſcripſit Martyrologio Franciſcano die* 24 *Novembris. Addit Gonzaga* : Qui miranda opera ab hoc beato viro patrata ſcire deſiderat, Vitam B. Franciſci de Paula conſulat , ſibique abunde ſatisfaciet. *Sed neſcimus de qua Vita loquatur Gonzaga: nam neque in hac neque alibi quidquam de Antonio legimus , quod cum honore ejus eſſet conjunctum.*

CAPUT III.

Aliæ S. Franciſci virtutes & Miracula ſanitas variis infirmis reſtituta.

C *a Robuſtiſſima corporis ejus habitudo*

15 BOnus Pater ſupranominatus, *a* Franciſcus de Paula, habebat barbam & capillos mediocres , neque curtos neque prolixos nimis : eoſque, ut dictum eſt, ſemper intonſos. Erat corpore ſatis pleno & naturæ robuſtæ : quamvis autem eſſet abſtinentię prorſus ſtupendę, non erat tamen ullatenus debilitatus : ſed vultu colorem præferebat roſeum, veluti ſi veſceretur quotidie delicatis cibis. Agnoſcebatur igitur Dei gratia in eo elucens: nam qui obeſus videbatur exterius , interius ſola habebat oſſa. S. Antonii ſimilitudinem referebant vultus ejus lineamenta. Vanam gloriam & hypocriſim præ omnibus fugiebat vitiis: ideoque clam habebat jejunia, abſtinentias & orationes ſuas ; ſic ut pauci admodum eas notarent, niſi qui corporeis ejus neceſſitatibus miniſtrabant. Sibi ipſi auſterus, aliis largus & humanus erat , & valde circumſpectus in omnibus actionibus ſuis. Cunctis benignus & gratioſus erat, ſecularibus æque ac Fratribus ſuis : neque ullus veniebat ad ipſum conſilii vel ſolatii cauſa, quin lætus , & reſponſo illius plene conſolatus diſcederet. Infirmis ſanatis , ut infra plenius apparebit *b* ...

non debilitatur abſtinentia laboribus.

b

mitis erga delinquentes,

16 Religioſis Fratribus ſuis quandoque terribili vultu leonis inſtar apparebat , verbiſque & minis incutiebat terrorem : ipſis tamen operibus dulcis erat & benignus, maxime erga humiles & contritos. Quod autem adeo terribilem demonſtrabat ſe , eo faciebat dumtaxat , ut alios non delinquentes in timore contineret : delinquentes enim , cum accuſabantur ab aliis , ſuſtinebat amanter & excuſabat abſentes ; neque in exigenda pœna nimius erat. Pervicaces , ſi lucrari non poſſet aliter , verbis blandis & modo facili conabatur flectere. Magis amabat eos qui ipſum perſequebantur , iiſque etiam peculiaris amoris ſigna exhibebat , præ aliis , qui ipſum laudare & magnificare videbantur. De nemine unquam loquebatur male : ſi quos autem ſciret præbere detractoribus aures, eos perſequebatur & increpabat acerrime. Oderat enim detractionis vitium , & detractores fugiebat , ſolitus excuſare eos de quibus alius loquebatur male , exaggerare autem laudem quamcumque alteri attributam, nec quidquam libentius audiens quam faventes alienæ commendationi ſermones. Caritatis nomen ſemper habebat in ore dicens : Faciamus per caritatem hoc vel illud; Eamus per caritatem. Neque mirum : ex abundantia enim cordis os loquitur.

D

& adverſarios ſuos,

detractores non tolerat ;

ſacra & Sacerdotes honorat impenſe.

17 Sanctiſſimo Altaris Sacramento afficiebatur tenerrime : & ſæpe omnibus intererat Sacrificiis , quotquot fiebant in conventu : nec unquam omiſiſſet adeſſe ad Miſſam, dicendam in primo diei exortu. Magno etiam in honore habebat Sacerdotes, eorumque manus finito Sacrificio frequenter oſculabatur. Intendebat ſolicite luminaribus eccleſiæ, aliiſque rebus divinum officium concernentibus. Per ſilvas & vepreta nudis incedebat pedibus, quemadmodum teſtantur qui ipſum in Italia comitati ſunt, quorum nullus aliquando vidit evellentem ſpinas, aut aliud quidpiam pedibus moleſtum removentem : quin etiam admirati eum quadam vice ſunt per veprium faſcem , quem calcare boves refugiebant , impune tranſeuntem. Contigit aliquando ut ipſe eſſet in præmemorata ſilva cum multis aliis , ex Dei amore congregatis, operis cujuſdam neceſſarii faciendi cauſa : qui cum , poſt laborem gravem pro conventu ſuſceptum , non haberent quo ſitim prementem extinguerent ; & inter alios adeſſet unus , Magiſter Antonius nuncupatus, tantum in lagena vini habens , quantum duobus viris ſemel reficiendis ſatis eſſe poſſet ; quæſivit ex eo bonus Pater , nihilne vini haberet in lagena ? Modicum , inquit ille , pro meipſo. Tum bonus Pater : Per caritatem , dona mihi illud : acceptaque lagena , primo ipſum juſſit bibere , dein ceteros omnes : quibus ſatiatis , ſuperfuit nihilominus in lagena vinum. Et hoc miraculum ipſe Magiſter Antonius mihi narravit.

E

modicum vini facit multis ſufficere:

F

18 Grandia & mirabilia operabatur bonus Pater, illius adjuvante gratia cui nihil eſt impoſſibile. Nam præterquam quod jejunaret quotidie, manebat ſæpe incluſus cubiculo abſque ulla refectione corporali , quam quidem notare hominum aliquis poſſet, ad dies octo , & quandoque duodecim plus minuſve. Supra nominatus Fr. Florentinus , qui coronam præmemoratam vidit , affirmat & ait , quod in ipſis Paulani conventus exordiis , bonus Pater per totam unam Quadrageſimam ſe continuerit intra cellam , abſque eo quod cibi aut potus quidpiam in ea habere cognoſceretur. Per hoc tempus Paulani cives, mortuum rati , venerunt frequenter ad dictam cellam, eamdem volentes perfringere. Quod cum aliquando facere aggrederentur , coactus eſt bonus Pater aliquo ſigno oſtendere , quod adhuc viveret : atque ita quievere cives ; & cum iis etiam Fratres, non modico ſtupore pleni, receſſere.

ſæpe per octo dies,

ſemel quadrageſimæ totæ jejunus manet.

19 Sciendum porro quod rerum omnium creator Deus , propter preces interceſſionemque bo-

plurimos ægrotos ſanat.

AUCTORE DISCIP. COÆVO EX MS. G:

ni Patris, plurimos diverſimode ægrotantes ſanaverit puta à fiſtulis, febribus, capitis aliorumque membrorum doloribus. Sic autem curatos impoſſibile foret enarrare omnes: aliquos tamen, quorum ſpecialis ad nos pervenit notitia, hic annotare non gravabimur. Biſignianenſis Princeps, alias dictus Comes Claromontanus ex comitatu nobilis Regis Franciæ, filium habebat eo laborantem malo quod S. Joannis appellant, quodque cum patientem invadit (nec enim ſemper, & fere per lunationes ſævire ſolet) cadere eum, clamare, ejulare, ſpumare facit, & alia dæmoniacorum intemperiis ſimili agere: qui puer bono Patri commendatus, & ſtatim ſanatus fuit. Homo quidam ſic erat membrorum privatus uſu, ut longo tempore ſuper duos baculos, velut in lectica, portandus fuerit: qui cum bono Patri loqueretur, & hic ei reſponderet, ſubito confirmatus eſt totus, & ſanus in domum ſuam rediit, nemine ſuſtentante. Ego autem, qui hæc ſcribo, cum ipſo collocutus homine, audivi affirmantem mihi, miraculum iſtud vere in ſe contigiſſe.

plurimos ægrotos ſanat.

atque inter alios epilepticum puerum,

virum paralyticum,

20 Sacellanus quidam, Domnus Matthæus nomine, veniens ex oppido *c* Roſſina dicto, ſeſquidiei itinere Paula remoto, prædicto bono Patri narravit, eo in oppido duas eſſe feminas infirmas & harum alteram ſurdam, quas ejus precibus cupiebat commendatas. Reſpondit bonus Pater: Hoc ſurdæ, & iſtud alteri defer. Iterumque dixit: ſurda quidem ſanabitur, & paulo poſt in priorem relapſa infirmitatem; rurſum integram recuperabit ſanitatem: altera vero illa, ob defectum fidei, non poterit convaleſcere. Atque hoc narrat prædictus Domnus Matthæus, vir probus, aitque, ita prorſus eveniſſe ſicuti bonus Pater prædixerat. Cum bonus ille Pater eſſet in conventu Coriolanenſi, vidit feminam, quæ annis omnino octodecim abſtinens à Pœnitentiæ Sacramento, plurimis infantibus attulerat necem, decreveratque plures alios ſimili ratione de medio tollere. Statim autem ut eam bonus Pater vidit (quamvis antea neque conſpectam ſibi neque ex alieno relatu cognitam) dixit ſocio ſuo, Fr. Antonio de S. Agatha: ſcito quod femina illa multa fecerit mala. Ipſa vero paulo poſt expetiit alloquium boni Patris, ab eoque acriter increpita eſt, dicente, Non ſufficiunt tibi mala quæ perpetraſti, niſi plura prioribus & graviora committas? Tum aſperioribus uſus verbis, tandem ſubjunxit: Per caritatem, vade, confitere. Statimque miſera peſſimam voluntatem ſuam publice confeſſa eſt, qualem dixerat bonus Pater, vitamque deinceps ſuam emendavit.

c & mulierem ſurdam;

ad pœnitentiam adduxit veneficam,

21 Habebamus conventum in loco qui dicitur *d* Meſſilaſſon: hujus loci caſtellano in uno crurium tanta ſupervenit infirmitas, ut deliberatum haberent medici crus præſcindendum eſſe, ne totus periret homo. Miſit igitur ad conventum, velut ad refugium univerſale; rogavitque ut pro ſe Fratres Deum orarent, ſibique tranſmitterent aliquid idoneum ſuæ erga bonum Patrem devotioni fovendæ. Miſerunt illi cereum à bono Patre benedictum: quem infirmus intra faſcias adſtringens cruri, & precibus boni Patris confidens, cubitum conceſſit. Media deinde experrectus nocte, crus illud integre ſanatum reperit, ipſumque miraculum à dictis Fratribus narratum mihi fuit. Plura etiam alia miracula miſericors Deus, motus fidelis ſui famuli meritis, per ejuſmodi cereos eſt operatus, auxilium ferendo periclitantibus nautis, puerperis, aliiſque, quos longum eſſet enumerare.

d cera ab eo benedicta crus reſcindendum curatur.

duabus mulieribus prolem prædicit exoratus;

22 Femina quædam, ætate provecta, quæ prolem concipere numquam potuerat, ad bonum Patrem venit dicens: Doleo valde, quia per Dei gratiam multas opes poſſideo, ſed ſobolem, cui eas relinquam, nullam procreavi. Reſpondit bonus Pater: Per caritatem, providebit tuo dolori Deus. Illa vero paulo poſt concepit, & formoſum peperit filium, cui Franciſci nomen impoſuit; & rem, ut geſta eſt, mihi narravit. Similiter & aliæ plures feminæ, per boni Patris preces, liberos ſibi à Deo datos gaviſæ ſunt. Eamdem ob cauſam Salernitanus Princeps nuntium miſit ad bonum Patrem uſque in Franciam; à quo ſtatim atque relatum eſt reſponſum, concepit Duciſſa, & filium legitimo tempore enixa feliciter eſt. *e* Pictavis quoque Mattheus Couple dixit bono Patri, magno ſe in mœrore verſari, propterea quod uxor ſua liberos nullos gigneret: mox autem ut domum maritus rediit, imprægnata eſt mulier, & effecta puerpera; prout ipſe Matthæus Fr. Mattheo de Barſigny Turonibus enarravit.

e

duos à ſerpente admorſos ſanat:

23 Frater quidam à ſerpente admorſus acceſſit ad prædictum bonum Patrem, eique malum quod patiebatur oſtendit. Tunc ei reſpondit bonus Pater: Nos habemus privilegium à Deo, ne ſerpens ullus aut venenum aliquod nocere nobis poſſit. Alia vice famulus cujuſdam naupegi, magiſtri Sancti de Lochino, cum eſſet in ſilva, & ligna navibus fabricandis cederet, motſam ſerpentis excepit; rectaque ad bonum Patrem tendens, vulnus ei ſuum oſtendit: quo viſo, bonus Pater digitum ejus circumligavit viminis virentis cortice, & dixit, Abi. Brevi autem ſanatus fuit prædictus famulus, & mihi quid ſibi accidiſſet narravit. Alias cujusdam Græci Sacerdotis filius, nomine Fabritius, ex oppido Roſſanenſi venit ad prædictum *f* conventum, coopertus lepra, ibique tempore longo manſit. Ego autem Frater N. iſtic eum reperi, quando eo acceſſi habitum petiturus: cum vero redivi eumdem habitum ſuſcepturus, vidi perfecte ſanatum, niſi quod per totum ejus corpus plagarum veſtigia conſpicerentur; & erat ab omni prorſus infirmitate curatus.

B

item leprosum.

f

ante annos 20 prædicit ſuum iter in Franciam:

24 Minime dubium eſt, quin annis pluſquam viginti, prius quam prædictus bonus Pater tranſiret in Franciam, ſæpius dixerit ſuis religioſis, quorum ego Frater N. unus eram, quod ituri eſſemus in regionem longinquam, ubi nec incolarum linguam intelligeremus ipſi, neque noſtra ab indigenis intelligeretur. Cui dicebamus: Quid ergo, Pater bone, iſtuc vis ire, ubi nec intelligemus alios, nec ipſi ab illis ſumus intelligendi? At ille reſpondit. Talis erit voluntas Dei. Et hoc ego, ut dictum eſt audivi, eſſque notorium, & toties repetitum ab eo, ut Fratres illud in riſum verterent, haberentque pro ſomnio. Verum eventus rei veritatem prædictionis probavit, ut apparet manifeſte: quapropter pie poſſumus credere in eo fuiſſe ſpiritum prophetiæ, quod etiam ex infra dicendis plenius liquebit. Cum aliquando bonus Pater Neapoli eſſet, erat ibidem nobilis quidam, Franciſcus nomine, in obſidione Hydruntina *g* jaculo manum ſauciatus, ſic ut poſt curatam plagam duos manus ejuſdem digitos erigere numquam potuerit. Hic tempore Sacri bonum Patrem alloquens, ſanatum ſe ex inſperato comperit. Eodem tempore quidam prædicti nobilis conſanguineus ex comitatu Principis Salernitani, Domnus Veſpero nuncupatus, & paralyticus, eidem bono Patri loquens, omnibus membris ſubito fuit conſolidatus. Hujus autem miraculi teſtis eſt Legatus *h* nobilis Regis Franciæ: qui tunc iverat ut bonum Patrem adduceret in Franciam: quemadmodum pridem ante annos viginti fuerat ab eodem prædictum.

g ſanat digitis contractis.

h & paralyticum.

ANNOTATA.

a Expunximus titulum Sancti, *additum, ut arbitramur, ab eodem qui hanc alteram Vitæ partem, in alterius Hieronymianis*

AUCTORE DISCIP. COÆVO EX MS. G.

nymiani voluminis tegmine tranſcribere cœpit, ſub hoc novo titulo: Compendium Vitæ ejuſdem B. P. Franciſci de Paula. *Nos autem oſtendimus ſupra, titulos* Beati & Sancti *nequaquam uſurpatos eſſe à primo auctore.*

b *Hiatum aliquem in originali fuiſſe notavit MS. Bruxellenſe, eidem ſupplendo puncta ... ſignans.*

c *Rectius fortaſſis* Roſſano : *hoc enim notum eſt, & diſtantia convenit* : Roſſina *autem nulla eſt nota in topographicis Calabriæ tabulis.*

d *Vbi nunc Gallice legitur*, d'un lieu nommé Meſſilaſſon, *ibi exiſtimo originaliter ſcriptum fuiſſe*, d'un lieu de Meſſine nommé Milaſſo, *id eſt* loci cujuſdam Meſſanenſis qui dicitur Milaſſo.

e *Ecgraphum quidem Bruxellenſe habet* Padou : *ſed cum certum ſit quod Sanctus numquam fuerit Patavii in Lombardia, & ex adjunctis liqueat agi hic de aliquo loco Galliæ, judicavimus* Padou *irrepſiſſe, ſcriptoris vitio, pro* Poictou.

f *Paulanum conventum intelligo : neque enim alterius adhuc meminit auctor. Præterea in eo qui conventuum primus eſt oportet receptum fuiſſe juvenem ; quandoquidem, ut infra oſtendemus, ſecundus conventus* 20 *annis ſit recentior primo.*

B g *Anno* 1480 *quando Turcæ urbem Hydruntinam occuparunt ; vel ſequenti, cum eſt à Chriſtianis recepta.*

h Guinotus de Buiſſiere, *de quo plura in Proceſſibus, cum titulo Legati ad Regem Neapolitanum miſſus.*

CAPUT IV.

Reliqua Sancti geſta in Italia : dæmoniaci liberati, mortui ſuſcitati.

23 NEque aliis dumtaxat infirmis ſanitatem per ejus merita contulit Creator omnium Deus : ſed etiam quandoque ipſimet. Cum enim ædificaretur conventus Paulanus, accidit ut grandis lignorum faſcis in vallem quamdam caderet tam infeliciter, ut bonum Patrem à tergo feriens, os coxendicis antrorſum è ſua dimoveret junctura. Id videntes operarii, qui nimio cum impetu permiſerant faſcem deorſum labi, accurrerunt feſtini, & bonum Patrem humi ſtratum ac mortuo ſimilem reperientes, ſublevatum detulere in conventum prænominatum. Quibus bonus Pater dixit : Per caritatem, neceſſe eſt ut Frater Corpus ſic maneat per triginta vel quadraginta dies : itáque factum eſt. Cum autem jam dictus terminus adveniſſet, media nocte ſic violenter concuſſa eſt lectica, in qua cubabat Pater, ut in ea non poſſet remanere. Itaque levavit ſeſe ... & ex illo tempore ſanus fuit : & hanc *a* viſionem teſtatur qui vidit prædictus Angelus. Alias eadem in fabrica ſimilis lignorum colligatorum faſcis in vallem provolutus eſt, nec poterant eidem ſublevando quindecim viri ſufficere : dixit ergo bonus Pater operariis aliiſque præſentibus : Per caritatem, itote jentatum, & poſtea revertimini. Abierunt illi, & redierunt, ut juſſerat : faſcemque totum ſublevatum atque in ipſa viæ planitie conſtitutum viderunt, prout ipſimet teſtati ſunt.

Graviter læſus poſt dies plures ſubito convaleſcit,

C

a faſcem lignorum collapſum ſublevat,

24 Cum prope eumdem conventum carbones fierent, & injecta humo obſtrueretur foſſa, flamma ejuſdem foſſæ velut per exigua foramina multimodis erumpebat : quam compreſſurus bonus Pater, unicuique foramini impoſuit ſucceſſive pedem, dicens Fr. Florentino ſupra memorato, qui aderat : Feſtina hic terram aggerere : quod ille ex ordine fecit, donec omnis occluſus eſt flammis tranſitus. Juſſerat autem bonus Pater carbones illos confici pro ferrario fabro, qui pro Dei amore reficiebat ferrea conventus utenſilia. Alio tempore juvenis quidam ſecularis, in conventu habitans, à ſociis apud bonum Patrem accuſatus eſt, novellas ficus, quas colombinas nominant, liguriviſſe. Quod cum reus negaret ; vocavit eum ad ſe bonus Pater, atque ad culinam duxit, ubi tunc bullientis lixivii ſupra ignem fervebat cacabus ; in quem, reducta à brachio veſte, ipſum brachium ille immiſit, dixitque juveni : Quod facio, facito etiam tu ; certus quod ſi non comederis ficus, non magis quam ego à lixivio bulliente læderis. At puer viſo miraculo aufugit perterritus, mihique rem, ut geſta erat, & ipſe & dictus Fr. Florentinus narraverunt, & eſt per totum conventum Paulanum hiſtoria notiſſima.

D *brachium lixivio bullienti immittit,*

25 Cum item in conventu noſtro Paterni aliquando maneret bonus Pater, deſcendit è cella ſua, quæ erat ad finem horti, uſque ad culinam Fratrum, in altero ejuſdem horti fine conſtitutam, tanto intervallo quantum uno tractu emetiri ſagitta à baliſtario excuſſa poſſet : ibique, poſt veſpertinum ad ſalutandam Virginem Mariam ſignum, pulſans oſtium, ignem popoſcit, ab eo qui ſibi aperiebat Fratre, Ietro dicto. Hic autem ingrediens, accepit aſſulas pineas duas, intraque eas carbones accenſos ; volens eas ſic tradere bono Patri : ſed ille ſolas prunas nudis ſuſcepit manibus, juſſitque Fratrem ligna in culinam referre. Paruit Ietro, ac mox veſtigia boni Patris eſt ſubſecutus ; obſervaturus quid eo igne tandem faceret. Per fidem autem ſuam jurat, quod venerabilis Pater ardentes prunas nuſquam labi permiſerit, ſed eas manibus ſuis uſque in cellam tulerit : & quod ſimilia ſæpe alias fecerit.

& prunas nudis geſtat manibus.

E

26 Notandum eſt diligenter, quod prius quam bonus Pater exolveret votum, pro ſui oculi reſtauratione nuncupatum à matre, eidem dormienti bis apparuerit quidam Religioſus, & eum ſuſcitans dixerit : Vade, dic patri & matri, ut votum pro te factum abſque mora compleant : idque fecerunt, ut ſupra dictum eſt. Sciendum eſt etiam quod, cum primum bonus Pater cœpiſſet ædificare monaſteria, plurimi invidi apud Regem Neapolitanum, *b* Calabriæ Ducem, & Cardinalem Hungarum tantum valuerint, ut dictorum Dominorum animos reddiderint à bono Patre alieniſſimos : adeo ut Cardinalis ipſe Fratres expulerit è conventu *c* Caſtelli-majoris, ipſumque ſuæ habitationi aptaverit. Quod ſane parum feliciter eidem ceſſit : prius enim quam annus ille circumageretur, extinctus veneno Romæ eſt, tempore Innocentii Papæ.

b *Adductus in invidiam apud Regem Neapol.*

c

F

27 Ejuſdem Cardinalis *d* pater, Rex Neapolitanus, triremis unius navarchum cum magno comitatu miſit, ut bonum Patrem violente captum ad ſe adduceret ; malevolo utique animo, non devotione impellente. Hic cum ad conventum Paterni veniſſet, in quo tunc bonus Pater morabatur, conſternati Fratres ad eum dixerunt. Fuge hinc, Pater ; ecce enim adſunt, juſſu Regis, qui comprehendant te. Quibus reſpondit bonus Pater : Per caritatem, ſi ita volet Deus, comprehendent me : ſin minus, nemo hominum nocere poterit, eoque dicto ad eccleſiam ſe contulit. Tunc quæſivit navarchus ubi eſſet eremita ille : & alijs in ſilva, aliis in eccleſia eſſe dicentibus, grandis erat concurſatio bonum Partem quærentium, nec eum poterant reperire. Aliquis tandem, Antonius ſcilicet prænominatus, qui operis quidpiam faciebat in monaſterio, indicavit locum. Navarchus, qui obfirmato advenerat animo, ut injuſtam Regis implens juſſionem, captivum abduceret ; mox ut bonum Patrem conſpexit, ſic eſt emollitus, ut, tamquam viribus omnibus amiſſis, ad illius genua ſe abjiceret ; magnoque cum tremore & humilitate narraret viro Dei, quid ſibi eſſet imperatum à Rege, ſeque in ejus poteſtate futurum promitteret.

d *navarchum qui capere eum venerat,*

illæſus ignem calcat,

ſolo aſpectu emollit ;

28 Sup-

A *& divinam Regi ultionem prædicens,*

28 Supplicem benigne bonus Pater excepit, dixitque modicam esse Regis fidem, proinde navarcho ipsi parum profuturum quod eidem adhæreret. Misit autem Regi intortitium unum, alterumque Reginæ, Duci item & Duciſſæ ſimiliter, eisque dici ſuo nomine juſſit, quod niſi vitam moresque corrigerent, à Deo essent puniendi: quod & factum est. [Nam anno *e* milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto Rex Neapolitanus mortuus est, ſucceſſoremque habuit Ducem Calabriæ filium ſuum: qui in exilio obijt, relicto regni ſucceſſore, cum fugeret, filio ſuo Ferdinando II, quem Nobilis Rex Franciæ Carolus Valeſius, hujus nominis octavus, anno ſeculi nonageſimo quinto è regno expulit, omnemque Italiam ſubjugavit. Poſt cujus diſceſſum ex Italia Ferdinandus in regnum reſtitutus, paulo poſt moritur, nullos ex ſe heredes relinquens. Huic autem ſucceſſit Fredericus II, Princeps Tarentinus, anunculus ejus, Ferdinandi primi filius, prudens ac ſtrenuus: qui Neapolitanum regnum ſua prudentia reſtauravit. Verumtamen poſt mortem Regis Caroli, quæ Sabbato ante Dominicam palmarum accidit, anno dicti ſeculi nonageſimo octavo, Ludovicus Dux Aurelianenſis ſucceſſit eidem Carolo] & Ducatu Mediolanenſi ſubjugato Ducem ipſum *f* captivum abduxit in Franciam: & paulo poſt totam rurſus Italiam *g* ſuæ ſubjiciens poteſtati, etiam Fredericum Regem ſecum duxit, anno milleſimo quingenteſimo primo. *h* Atque ita modicum omnes regnarunt, ſecundum prædictionem boni Patris. Dignum autem memoratu eſt, quod idem bonus Pater noluerit navarchum, qui ad ſe capiendum miſſus erat, diſcedere niſi collatione ſumpta; eumque in finem quæri juſſerit unum vini poculum menſuræ Francicæ, ex quo citra ullam ipſius poculi evacuationem biberunt homines pluſquam quadraginta: ſed & ex duabus tortis panis, quas iis apponi juſſerat fragmenta ſuperfuerunt tam magna, quanti ipſi panes integri fuerant. Quorum prodigiorum admiratione attoniti navarchus & ſocij, glorificaverunt Deum, & cum ſalubri timore reverterunt ad ſua quique negotia. *i*

(qualis deinde fecuta eſt)

f

g

B

h non ſine miraculo refectum dimittit.

i daemones queruntur ejus præſentiæ ſe cohiberi

29 Sæpenumero dæmones per ora energumenorum loquentes, cum essent adducti ante virum Dei, minabantur Italiæ, quod eam essent deſtructuri, ſtatim ac ipſe ex ea receſſiſſet. Signanter autem, cum femina quædam, poſſeſſa à diabolo, eſſet coram bono Patre pertracta; clamabat horrenda vociferatione dæmon, quod nequam ille barbatus, lacernoſuſque radicum vorator, ipſum impediret. Interrogante autem bono Patre, quis eſſet, Legio integra, inquit ille. Rurſum Pater: Ubi ſocij tui? In proxima repoſuit dæmon, ſilva, ubi ſæpe magnus conſpicitur corvorum numerus. Quo autem vadunt illi? requiſivit Pater. Miſſi ſunt, inquit dæmon, ut Italiam ſubvertant. Tum Pater: Quid vero eos cohibet? Cui dæmon: Nihil poſſunt facere, quamdiu hic remanes: magna enim humilitas, quæ eſt in te, impedit nos: te autem digreſſo, faciemus quod pridem ſperavimus facere. Interrogans porro Pater quæſivit, quis eum feciſſet tam audacem, quod miſeram iſtam creaturam Dei auſus eſſet invadere & occupare. Ego, repoſuit dæmon, non quærebam eam: ſed ipſa conculcavit me, & ſic ingreſſus ſum corpus ejus: quod ita mihi commodum eſt, ut egredi exinde nequeam.

C

ab evertenda Italia,

30 Dixit illi vir Dei: Apage, per caritatem; & relinque puellam hanc miſeram in pace. Ecquo autem vis ut abeam? replicat dæmon. Ad eum locum, inquit bonus Pater, quem ab initio peccando commeruiſti. Abibo, ait dæmon, hinc intra triduum. Et Pater: Vade, inquit, in nomine Domini jam nunc, abſque mora & jactura temporis. An ergo per oculos, requirit diabolus, ſic ut unum auferam? Minime, inquit Pater; neque noceas huic creaturæ Dei: nolo id ſane & prohibeo. At dæmon: Aliquid tamen condona mihi. Tunc juſſit bonus Pater, ut ei darentur vitreæ ampullæ duæ. Ille tamen neque ſic exire voluit, ſed cavillando illudebat bono Patri: qui tandem, ſimilis vehementer irato, per capillos arripuit puellam, potenter & efficaciter diabolo imperans, ut corpus illud dimitteret. Quod illico fecit, & puella velut mortua remanſit; donec bonus Pater eam confortavit, jubens cibum potumque exhiberi, & reverſa eſt ſana. Quomodo autem Italia tota deſtructa deinde fuerit, norant omnes.

AUCTORE DISCIP. COÆVO EX MS. G.

& virâ Dei mandato expelluntur à poſſeſſis.

uti & incubus unus, & alij plures:

31 Alia puella ab incubo dæmone moleſtiſſime vexabatur die ac nocte: cujus parentes de infortunio filiæ ſupra modum triſtes, neſciique quid remedii aut unde quærerent, tandem recordati ſunt boni Patris, eumque de ſua afflictione reddiderunt certiorem. Ille autem ad eorum domum duos Fratres miſit, qui diabolo dicerent, ut abiret, neque amplius miſeræ puellæ moleſti eſſent: ita jubere virum Dei. Juerunt illi, & juſſa complentibus paruit dæmon, ſanamque ex integro puellam reliquit præ timore viri Dei. Complures etiam alii dæmoniaci, precibus viri Dei fuere liberati. Ad eumdem quoque adductus eſt quidam à nativitate mutus: quem una cum parentibus in ſacriſtiam deducens, ibidem cereos tres accendit, iiſque ad parietem applicatis, mandavit parentibus, iſtic ut manerent cum filio ſuo, donec cerei illi eſſent conſumpti; ipſe vero ad orationem ſe compoſuit. Mox autem unus cereorum decidit, & mutus clara voce exclamavit, cecidiſſe candelam; deindeque ſatis expedite perrexit loqui: ſed bonus Pater, vanæ gloriæ evitandæ ſtudio, tacitus diſceſſit.

muto loquela redditur,

E

& mortuo vita,

32 Multo magis prodigioſum eſt, quod religioſi aliqui & ſeculares varii fide digni teſtantur atque confirmant; duos ſcilicet mortuos per merita Sancti viri eſſe reſuſcitatos. Primus eorum quidam ipſius conſanguineus fuit, quem cum hortaretur ut ſtatum religioſum amplecteretur, & mater *k* ſua omni ſtudio illum ab ea cogitatione diverteret, tandem extinctus eſt. Venit mater plorans & ejulans ad monaſterium, querebaturque bono Patri de immatura filii tam cari morte: ille autem juſſit ut ad eccleſiam conventus afferretur corpus ſepeliendum. Hoc facto, cum eſſet Officium decantatum, & Fratres ipſum inhumare vellent; prohibuit bonus Pater ne facerent, juſſitque ut omnes reciperent ſe ad cellas & ad ſomnum; nox enim incumbebat. Digreſſis autem cunctis, accepit bonus Pater corpus defuncti illudque in ſuum cubiculum detulit, atque ibi ipſa nocte reſuſcitatus ad vitâ à Deo, eſt propter preces boni Patris. Mane deinde facto venit mater, ploratura filium, ut rebatur, ſepultum: cui bonus Pater, ſi filium inquit, vivum videres, patereriſne eum Religioſum fieri. Utinam, reponit illa, id placeret Deo! ſiquidem, quod impediverim vivum ne id eſſet, ex animo pœnitet. Tunc bonus Pater ei donavit habitum ſuum, itáque in eccleſiam adduxit ad matrem: quæ una cum adſtantibus glorificavit Deum, & exinde majori reverentia bonum Patrem eſt proſecuta.

k

F

qui annuente matre fit religioſus.

ſuſcitatur item alius mortuus,

33 Secundus reſuſcitatus fuit quidam ex operariis monaſterii, qui pro Dei amore gratis exhibebat operam. Hic cum à lapſa ex alto trabe obrutus eſſet & extinctus, reliquæ operæ ad virum Dei anxie accurrerunt, dicentes metuendum eſſe, ne conſanguinei ipſius defuncti, homines opulenti, moleſtiam ſibi, velut auctoribus mortis ejus, non levem faceſſerent, quantumvis innoxiis. Tunc bonus Pater bene animatos præcepit diſcedere, & cadaver eo

AUCTORE DISCP. COÆVO. EX MS. G.

loco relinquens ubi infelicem trabs cadens oppreſſerat, inde ſe proripuit ad tres ſagittæ jactus, velocitate tanta, ut turbinis inſtar ferri videretut, evaneſceretque ab oculis eorum, qui clam conabantur explorare quid ageret. Subito autem reverſus ad cadaver, ſuper illud jacuit aliquanto tempore, deinde eidem impoſuit herbas quaſdam, ex monte ad quem diſceſſerat collectas. Mox autem tanta cum facilitate ſurrexit mortuus, veluti ſi ex ſuavi ſomno fuiſſet experrectus, prout uſque in hodiernum diem commemorant qui præſentes adfuerunt. Atque hæc quidem ſufficiant de rebus à viro ſancto per Dei gratiam in Italia geſtis: ſuperſunt eæ commemorandæ quæ in Francia factæ fuerunt.

ANNOTATA.

a *Extidit aliquid, quod punctis notatis indicavimus, de quadam ſcilicet viſione tunc facta.*

b Ferdinandus I *is fuit: cujus filij, ſenior,* Alphonſus Dux Calabriæ *& an.* 1494 *ſucceſſor in regno Neapolitano; junior,* Joannes Aragonius, *anno* 1478 *creatus Cardinalis à Sixto* IV, *mortuus anno* 1485, *dictus* Cardinalis Hungarus, *quia, ſecundum Hieronymum Garimbertum, cum titulo Legati Apoſtolici miſſus fuit in Hungariam.*

B c *Lanovium* Caſtrum Almarinum Stabienſe *intelligit, vulgo,* Caſtel à mare di Stabia, *inter Neapolim & Salernum; & dicit Minimos inde expulſos anno* 1480: *ſed apparet quinto poſt anno, ipſo quo mortuus eſt Cardinalis, hoc factum; cum ante annos tres in Franciam Sanctus abiſſet: quod autem illud hic anticipate referatur, fit proper connexionem argumenti, ad manifeſtandam malevolentiam Cardinalis erga Franciſcum.*

d *MS. Bruxell. pro* pere, *pater, habet* frere, *frater: quod mendum quia non poteſt tribui homini qui in Calabria vixerit, cum iſti Principes vel maxime dominarentur, incurioſo librario puto adſcribendum.*

e *Totus hic locus quem uncis* [ ] *incluſimus in MS. Bruxell. ſic legebatur, ſane confuſiſſime:* Anno enim 1497 nobilis Rex Franciæ Carolus Valeſius, hujus nominis VIII, Regem Neapolitanum è regno expulit, omnemque Italiam ſubjugavit. Rex autem Neapolitanus, mortuus in exilio, ſucceſſorem habuit Ducem Calabriæ fratrem ſuum, qui & ipſe paulo poſt obiit; eique ſucceſſit filius ejus Fridericus, prudens & ſtrenuus, qui regnum Neapolitanum ſua prudentia recuperavit. Verumtamen poſt mortem Regis Caroli, quæ Dominica in Albis contigit, Ludovicus Dux Aurelianenſis ſucceſſit eidem
C Carolo. *Excuſandum errorem eſſe ſupra oſtendimus: quid autem ſi locus adjectus ab eo ſit qui Appendicem addidit?*

f Ludovicus Sforſa, *anno* 1500 *Novaria obſeſſus, capitur* 11 *Aprilis.*

g *Excepta Calabria Apuliaque, quæ Ferdinando Regi ex pacto relinquebantur.*

h *ibi anno* 1504 *Fridericus hic mortuus eſt, & in conventu Pleſſiacenſi, prout teſtamento caverat, depoſitus, filium Ferdinandum poſt ſe relinquens, qui nullam ex tribus uxoribus prolem tulit.*

i Fructus hic fuit, *inquit,* Iſidorus Tuſcanus, quod Rex ampliſſimo privilegio mox dato (extat autem originale in archivio Paulano) permiſerit proſequi monaſteriorum fundationem, atque etiam Neapolim Minimos advocarit, *Sancto in Franciam profecto.*

k *Nolim abſque teſte, qui nullus adducitur, aſſeverare, quod hæc mater fuerit Brigitta, uxor Antonij de Aleſſo: hoc enim nimium præjudicaret potiori cauſæ, ſuſtinentis, uxorem Antonii, fuiſſe ſororem germanam ipſius Sancti.*

CAPUT V.

D

Tranſitus viri Dei in Franciam: res ibidem cum Regibus geſtæ.

34 QUemadmodum vir Dei diu ante prædixerat futurum, ut ipſe ac Fratres ſui deberent migrare in regionem, cujus non intelligerent linguam, ita factum eſt: nam Ludovicus Valeſius Rex Franciæ, filius Caroli VII, & pater Caroli qui Ducatum Britanniæ acquiſivit, audita ſancti viri fama, varias legationes miſit ad Regem Neapolitanum, ut dictum virum ſanctum impetraret, Cum autem hic minime conſentire vellet, prædictus Rex Ludovicus Papæ Sixto, tunc Apoſtolicam Sedem tenenti, ſupplicavit, ut virum ſanctum ad ſe mittere dignaretur, ſperans ab eo aliquod levamen morborum, cum quibus conflictabatur. Cui petitioni annuens Papa, geminum mandatum miſit bono Patri, ut in Franciam ſe transferret: & horum Pontificiorum Brevium ipſe ego unum vidi in conventu Turonenſi. Papæ igitur imperanti obedire volens bonus Pater, in iter ſe dedit, & Roma tranſiit Pontificiam benedictionem petiturus; itáque in Franciam. Ibi, ſicut narrat Regis Ludovici Legatus, tanta erat compreſſio virorum ac mulierum, ſanctum hominem videre cupientium, ut ad eum terra marive pertingere difficillimum eſſet. Undique autem ad illum adducebantur infirmi ſanitatem recepturi: eratque multitudo accedere cupientium fere innumerabilis, propterea quod ſanitatem ab eo referrent tam multi; certantibus ſingulis accipere ex veſtitu, ex crinibus, aut quibus utebatur quaſque attigerat rebus aliquid, & devotionis ergo ſolicite cuſtodientibus; donec, quod raperent, nihil amplius viro Dei ſupereſſet.

Rogante Ludovico Rege,

& jubente Sixto Papa profectus,

E

magnam ubique turbam obviam habet.

35 Accidit porro ut bona quædam matrona Romana, aliquod pietatis fovendæ monumentum ab eo petitura, veniret: ſed cum ille jam diſceſſiſſet, pia mulier, ad aliquod ſui doloris ſolatium, cepit nonnihil ex fœno lecticæ, cui incubuerat vir ſanctus ſomnum capiens; illudque devote domum referens, impoſuit menſæ. Hoc conſpiciens maritus ejus, cœpit ridere uxoris ſuæ, ut putabat, amentiam; ſtultamque appellans, arripuit prædictum fœnum, atque in latrinam detulit, uxore nequidquam deprecante. Porro exonerata ibidem alvo, cum fœno illo uti vellet ad corpus tergendum, ipſa qua fœnum tenebat manus cum eodem adhæſit corpori illius; neque prius potuit eam ad ſe retrahere, quam aſſecutus eſſet bonum Patrem, qui haud modica viæ parte proceſſerat. Mox autem ut ejus benedictionem petiit & accepit, reſtituta ſuis uſibus manus eſt, & homo ad ſua rediit, magis quam unquam antea in Dei Sanctorumque ejus timore confirmatus. Aurifaber quidam, Gratianopoli habitans, narravit mihi, ſe vidiſſe fontem, quem dictus bonus Pater excitaverat in loco, ubi antea nulla potuerat aqua inveniri: quam qui bibunt in hunc uſque diem ſanantur à febribus.

F

virum in ſe contumeliosum

ab inflicta divinitus pœna liberat.

36 Mercator quidam Provincialis, qui in comitatu fuit Legati Francici, virum Dei deducentis, narrat, idemque confirmat ipſe Legatus, quod ex itinere divertens vir Dei ad eccleſiam quamdam orandi gratia, tamdiu illic manſerit, ut longioris moræ pertæſus Legatus accerſiri eum juſſerit. Cumque eum non reperiri dicerent qui miſſi erant, Legatus ipſe cum reliquo comitatu ad eccleſiam abiit. Ipſo porro nuſquam apparente, ſuſpicati omnes quod fugam cepiſſet, & vehementer attoniti, exclamare cœperunt, reos ſe mortis apud Regem futuros. Sed conſolaba-

orationem ejus turbare volentibus inviſibilis manet:

tur

A tur eos quidam ex ejus ordine Religiosus, Bertholdus *a* nomine, qui cum ipso in Franciam venit. Et vero statim ut complevit orationem suam vir Dei, per Dei voluntatem conspectus est ante majus altare, ubi tam diu tustra quæsitus erat.

a

Renuit accipere Rege offerente

73 Cum transitum per Provinciam, Delphinatumque & Viennensem ac Lugdunensem tractum haberent, precibus ejus quam plurimi sanabantur infirmi; usque dum Plessiacum Parci prope Turonas feliciter appulerunt, ubi nobilem Franciæ Regem Ludovicum repererunt, qui magno cum honore & gaudio bonum Patrem excepit. Sed volens caute atque astute agere, propterea quod à pluribus fuisset sub umbra sanctitatis deceptus, decrevit variis modis experiri virtutem servi Dei. Modico igitur post ejus adventum tempore, misit ad eum abacum aureis atque argenteis vasis instructum, ut eis bonus Pater uteretur, dicens, quod omnia hæc ad ejus monasterium donaret. Sed vir Dei, fraude illius cognita, remisit omnia; & jussit dici Regi, melius facturum restituendo aliena, quam ejusmodi abacos aureis argenteisque vasis instruendo: nequaquam autem convenire pauperi eremitæ utensilia argentea, neque se aliud quam calices ligneos requirere. Tunc Rex magnam multitudinem vasorum stanneorum offerri eidem jussit: sed nec illa admittere bonus Pater voluit.

aurea & argentea vasa,

B

imaginem D. V. auream,

38 His non contentus experimentis Rex tentavit eum alia ratione, & Deiparæ Virginis imaginem ex auro purissimo confectam misit, septemdecim millibus ducatorum æstimatam; obsecrans ut acciperet, eaque ad suam devotionem fovendam uteretur. Sed bonus Dei famulus respondit, suæ devotionis affectum non erga aurum, sed erga Deiparam Virginem ferri, quæ cum filio suo regnat in cælis. Regis autem nuntio dixit, habere se papyraceam imaginem unam, eamque sibi abunde sufficere. Remisit eam nihilominus Rex ternis vicibus, rogavitque ut eam vel ad suos acciperet usus, vel largiretur pauperibus. Verum etiam hoc bonus Pater facere renuit, dicens quod Rex haberet eleemosynarios suos, per quos conveniens esset distribui istiusmodi eleemosynas. Pulchra autem illa & pretiosa imago, donata est postmodum Canonicis Plessiacensibus, qui eam non putaverunt rejiciendam.

magnum numerum aureorum,

C

b

39 Tertio denique tentavit Rex virum Dei, idque instinctu medici cujusdam sui, Domini Jacobi *b* Potier dicti, Præsidis in curia Parlamenti Parisiis, & omnium regionum secretorum atque negotiorum arbitri; qui servo Dei invidebat vehementer, eumque conabatur quacumque posset ratione supplantare. Verum prudentia mundana quid valet contra spiritum Dei? Rex ergo solus cum solo agens, ad eum attulit pileum plenum aureis, & bono Patri dixit secreto: Eia, Pater bone, audacter hoc accipe: nemo siquidem resciet: eoque curabis Romæ conventum aliquem tuis Fratribus fabricandum. Verum divino doctus ductusque spiritu bonus Pater, velut stercora repulit oblatos aureos, & adversus Regem exclamavit, ut redderet iis quos olim injuste expilaverat. Itaque confusus Rex ab eo recessit. Ut ergo vidit Rex, quod per avaritiam, quæ omnium malorum radix est, superare virum Dei non posset; experiri voluit, num magis per gulæ vitium posset proficere. Pluribus itaque vicibus submisit corbes grandibus piscibus plenos, dicens: si ipse comedere eos nollet, usui socio ejus futuros. Sed bonus Pater neque socio suo permittere esum eorum voluit, sed modicis vilibusque haleecibus jussit esse contentum.

& pisces lautiores:

itaque precibus Regi

40 Ita vir ille sapiens omnem Regis astutiam superavit: qui exinde cognoscens quantæ integritatis virum suscepisset, sic paulatim affici eidem cœpit, ut qui antea fuerat velut lupus rapax & mala fecerat innumerabilia, cum adhuc Delphinus bellum adversus patrem suum gereret; quique Rex factus multas desolaverat regiones, ipsumque Burgundiæ Ducatum occupaverat post mortem Caroli Burgundiæ Ducis ad Nancejum occisi; per boni illius Patris preces conversus, effectus sit mitis instar agni, tantumque conceperit de suis peccatis dolorem, ut coram bono Patre suis se vestibus exuens, acribus disciplinis verberibusque corpus castigaret; ut plurimum consiliis ejus in talibus utens. Hanc Regis conversionem gratam habens fons omnis bonitatis Deus, ex hoc mundo illum ad vitam evocavit meliorem; itaque in Domino obdormivit Rex cum aliis Regibus decessoribus suis, Carolo Delphino unico filio & regni herede post se relicto: relictis etiam duabus filiabus, quarum altera Domina Borbonii fuit, altera Barrii Ducissa: omnes autem sub vitæ finem Dei famulo commendavit, rogans ut pro iis Dominum deprecaretur. Quod sane fecit perquam diligenter, solicitus admodum ut in Dei timore conservarentur. Delfinus vero, postquam factus est Rex, magnum habuit erga bonum Patrem devotionis affectum, & eidem duos conventus fabricandos curavit, circa annum millesimum quadringentesimum *c* nonagesimum, alterum prope Plessiacum juxta palatium Regis, alterum Ambaciæ; & constituit annuam mille Francorum pensionem, pro sustentatione Fratrum in dicto conventu futurorum. Fuit autem Rex Carolus eximius zelator Religionis, multumque adlaboravit ecclesiasticæ disciplinæ reformandæ, optimæ indolis Princeps, plenus humanitate & pietate: quippe qui liberalis & largus erga pauperes & pia loca esset; & virum Dei sæpius visitare solitus, ipsi ejusque Fratribus studiose subministraret necessaria, nostramque Religionem auxit vehementer, & Religiosos velut filios suos dilexit, atque in negotiis difficilioribus sæpe consilium à viro Dei expetiit.

AUCTORE DISCIP. COÆVO EX MS. G.

ipsum in altum virum convertit,

ejusque de mortui liberos curat:

c

E

Carolum Regem sibi favente habet,

41 Desolationem Britanniæ, diu antequam accideret, vir Dei prævidit: cui ut omni possibili ratione occurreret, Britannicum matrimonium tractare non est gravatus, mittens eum in finem ex suis Religiosis duos cum literis ad Regem *d* Ducemque. Iamque res ferme concluса erat, quando diabolus, mali omnis & discordiæ auctor, tractatus bene coalescentes dissolvit. Et vero iniquitates atque peccata Britonum, quorum jam plena erat mensura, præcipuum fuerunt dictæ concordiæ impedimentum; quibus exigentibus Creator omnium Deus, nolens mortem peccatoris sed magis ut convertatur & vivat, punire eos misericorditer voluit. Quamvis autem bonus Pater efficere tunc nihil potuerit, futurum tamen prædixit ut Rex dicti Ducis Britanniæ filiam uxorem acciperet: quod & factum *e* est. Postquam enim Rex Britanniam erat depopulatus, desponsavit sibi unicam ducis heredem & filiam: quæ statim atque cum Rege in Franciam venit, accessit ad bonum Patrem visitandum. Hic vero utrique dixit, matrimonium istud nimis sero coaluisse: Reginæ autem significavit, quod paritura esset tres mares & filiam unam, qui magnas essent res patraturi, si Rex & Regina Dei mandata sedulo custodirent: sin minus, excindendum divinitus truncum & ramos inutilis vineæ. Neque minus evenit quam prædixerat: Regina siquidem ex Rege Carolo tres liberos genuit, brevis vitæ omnes; ex Rege autem Ludovico, qui successit Carolo, filiam unam *f*.

prædicit desolationem Britanniæ,

a

F

Regis cum Britanna matrimonium,

e

& proles ex eo nascitura fortunam,

f

42 Quo tempore ad S. Albinum est pugnatum, per duos & viginti dies clausum se in cubiculo continuit bonus Pater, solis duobus quaternorum denariorum panibus & aqua ad potum contentus: ideoque pie creditur per illius preces obtentam Re-

victoriam & salutem Regi precibus obtinet.

AUCTORE DISCIP. COÆVO EX MSS. G.

gi fuiſſe victoriam. Similiter, tempore conflictus *g* ad Forum-novum, recluſit ſe bonus Pater abſque omni vitæ ſuſtentaculo: quia cognoſcebat in ſpiritu Regem teneri obſeſſum ab inimicis ſuis, Venetis, Lombardis, Italis, aliiſque. Nec immerito creditur bonum Patrem exoraſſe Deum ut Regem erueret è manibus hoſtium ſuorum juratorum; omniumque communi conſenſu dicebatur, miraculum evidens videri, quod ex tanto periculo Rex evaſiſſet. Feſtis etiam Eccleſiæ ſolennioribus in ſua ſe camera recludebat, nihil comedens, & nemini loquens per ſeptem vel octo dies.

g

derecta daemonis fraus, de,

43 Quo tempore propoſuerat approbandam Regulam, qua ſuis præſcribebat abſtinentiam à carnibus, transformavit ſe diabolus in Angelum lucis, & dixit ei, velle Deum, ut Regula conformaretur Euangelio S. Lucæ, atque ut permitteretur Fratribus comedere quidquid apponeretur. Hac denuntiatione deceptus vir bonus, continuo deſignavit duos è Fratribus, qui hac de cauſa Romam *h* irent ad Innocentium Papam. Sed hi cum itineri jam eſſent accincti, baculoſque in manibus & peram haberent in humeris, ſubſiſtere eos bonus Pater juſſit: revelaverat enim eidem Deus, primum propoſitum, ſolos quadrageſimales cibos Religioſis permittendi, optimum eſſe: atque in hunc modum multo poſt approbata eſt Regula, *i* qualis etiam num viget, ab Alexandro Papa, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo. Sæpe per noctem tumultus ingens ſtrepituſque in ejus audiebatur cubiculo, velut curruum diſcurrentium, hominumque ingentes catenas poſt ſe trahentium: poſt quod non raro vulneratus inveniebatur vir Dei, quomodo ipſe ego eum vidi aliquando. Credibile autem eſt, quod dæmones, uti per ora energumenorum variorum ſunt confeſſi, pluries eum diverberarint: quo fiebat, ut harum intemperiarum diabolicarum conſcii, formidarent cubiculo viri Dei propinqui habitare. Alias accidit virum Dei ægrotare tam graviter, ut moriturum metuerent Fratres: ſuaſerunt itaque ei Sacram Communionem ſumere. Qui reſpondit eis: Ne ſoliciti ſitis, omnes enim communicabimus die Jovis proximo: qui erat ipſius Sanctiſſimi Sacramenti dies feſtus; quod & factum eſt. Acceſſit enim cum aliis ad altare totus ſanus. Quantumcumque vero magna gravabatur infirmitate, numquam medicinam corporalem ullam exhiberi ſibi paſſus eſt, unico Dei auxilio contentus.

h

ſtabilit Regulam victus quadrageſimales:

B

i

ſæpe à demonibus caditur.

ad mortem ægrotans mox ſanum ſe fore prædicit.

ANNOTATA.

c

a *Iſidorus lib. 3 cap. 2 ſocios itineris à Sancto deſignatos nominat*, P. Fr. Bernardinum de Cropalati ejus Confeſſarium, & P. Fr. Joannem della Rocca: *ſed non indicat unde hoc acceperit.*

b *Victonus* Coctier *ſcribit: fuit autem Regi, ob vitæ producendæ deſiderium nimium, adeo carus hic medicus, ut, teſte Comineo, penſionem menſtruam* 10000 *ſcutorum ei aſſignaverit, præter dignitatis Præſidialis ſtipendium,*

c *MS. Bruxell.* quatre vintz & ſix, *id eſt* 86 *pro* quatre vingtz & dix, *id eſt* 90, *quem iſtius ſeculi annum Ambaciacenſi conventui aſſignat Hilarion, & præcedenti fundatum dicit Pleſſiacenſem. Ignoſcenda librario fuit unius litteræ mutatio, potius quam ei qui in margine ſcripſit, pro* ſix *legendum* ſeize, *id eſt* 16; *ſic enim notaretur annus* 1496, *circa quem alios conventus puta Branca curienſem & Gianenſem, ab aliis fundatos memorant chronica.*

d Franciſcus Dux Brittanniæ: *cui ex Caroli Regis ſorore, erat filia & Ducatus heres unica*, Anna.

e *Anno* 1491, 6 *Decembris, tertio menſe poſt mortem Franciſci Ducis, ſexto poſt pugnam ſant-Albinenſem* 28 *Iulii commiſſam, qua victi Britones, Franci victores fuere.*

f Claudia *hæc fuit, poſtea Franciſci* I *Regis uxor, nata an.* 1499. *Genuit quidem eadem Anna filiam aliam*, Renatam *nomine, ſed toto decennio juniorem Claudia, atque adeo natam diu poſtquam hæc ſcripta ſunt. Genuit etiam filios duos Delfinos, ſed anonymos & ante cerimonias baptiſmales extinctos: qui quo præciſe nati ſint tempore, nuſquam invenimus: crediderim & ipſos natos poſtquam hæc ſcripta ſunt.*

D

g Forum-novum, *ad radices Apennini ſitum oppidum, octo millibus à Parma: pugnam anno* 1495. 6 *Maii ibi pugnatam fuſiſſime deſcribit Comineus, qui interfuit, lib.* 8. *cap.* 5.

h *Defunctus eſt* Innocentius VIII *an.* 1492 *menſe Iulio, eique menſe Auguſto ſuffectus eſt* Alexander VI.

i *Scilicet uſque ad tempus hujus ſcriptionis, antequam promulgaretur alia Regula, ab eodem Pontifice an.* 1502, 20 *Maii approbata.*

CAPUT VI.

Miracula quæ ſanctus fecit in Francia: conventus in eadem fundati.

44 DOmina de Bourbon, *a* pro ſingulari qua erga virum Dei utebatur fiducia, eidem quærebatur, quod liberos nec haberet nec habuiſſet unquam. Ipſe vero eidem reſpondit: Ne id tibi curæ ſit Domina: prius enim quam diſcedam ex Francia ſobolem gignes. Alias autem eidem Dominæ reſcribens, hæc verba inſeruit; Diligens eſto, Domina, in referendis Regi Regum gratiis, quia prolem brevi habitura es. Cumque nos diceremus bono Patri, iſta non ſcribi abſque periculo ſcandali adverſus totum Ordinem creandi, ſi ſecus accideret; reſpondit bonus Pater: Sinamus Deum agere quod placuerit: & brevi nata filia eſt, Suſanna nomine, quæ etiam nunc *b* vivit. Quamobrem prædicta Domina fundavit conventum Giemenſem ſupra Ligerim Ordini viri ſancti S. Franciſci de Paula, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo *c* octavo. Regina quoque, Brittanniæ Duciſſa, infirma cum eſſet, neque medicinis adhibitis quidquam proficeret ad ſanitatem, commendavit ſe precibus boni Patris, ab eoque tria poma recepit. Quæ licet medici comedi vetarent, dicentes quod propter ſummam debilitatem ſtomachi mortem eſſent allatura, comedit tamen; plena fide afferens, quod ab illo miſſa nocitura non eſſent. & valetudinem brevi recuperavit.

a Duciſſa Barbonia ſterili

E

filiam promittit:

b

c ſanat Reginam Franciæ.

45 Sanctitatem porro ſuam ut occuleret vir Dei, panem & cereos benedictos dabat infirmis, quorum morbos ſola oratione curaverat, Dei gratia præveniente. Erat autem notatu dignum, quod quæ ab eo mittebantur ægrotis, plerumque medicinæ regulis eſſent contraria; ut ſanati beneficium adſcriberent uni Deo, vero corporum & animarum medico. Nobilis quidam ex famulatu Regis, Carolus de Vio dictus, incidit in furioſam febrim, eaque impellente agebat plurima, qualia ex perturbato cerebro ſolent ridicula fieri. Hic quodam die ab uxore ſua poſtulavit particulam cerei, à bono Patre benedicti, & fronti ſuæ impoſuit, orans Deum, ut ſi bonus Pater verus eſſet Dei ſervus, quemadmodum vulgo ferebatur, ſanitatem ſibi dignaretur reddere. Teſtatur que idem nobilis, ipſo momento ſublatum à capite dolorem eſſe, velut ſi pileum quis abſtuliſſet: exindeque prorſus ſanum fuiſſe ſe. Alius nobilis Britto refert, nocte quadam incubuiſſe domui ſuæ tempeſtatem tam horrendam, ut ſe ſuaque funditus perire crederet: ſtatim autem atque candelam, à bono Patre benedictam, accendi juſſit, fiduciam habens quod benedictiones ejus efficaciam obtinerent à Deo; diſſipatum inſtar venti fuiſſe turbinem, unde ruinam metuebat.

Cera ab eodem benedicta

F

ſanatur febris furioſa,

ſedatur tempeſtas,

46 Prægnantes plurimæ, inter puerperii dolores & anguſtias diutius cruciatæ, cum vitæ ſuæ fœtuſ-

liberantur puerperæ.

A fœtuſque periculo, ubi accenſæ fuerunt ejuſmodi candelæ, & dictum quinies Pater & Ave, prius quam cerei eſſent conſumpti prolem edebant, valentem valentes, per merita & interceſſionem boni Patris: idque toties accidit in Italia, Francia aliiſque locis, ut numerus ſic adjutarum iniri nequeat. Alius nobilis Gregorius de Vio, ex cohorte Ducis *d* Aurelianenſis, cum in conflictu Partiniacenſi *e* apud Pictones, ſupra pileũ ſuum portaret unam ejuſmodi candelarum; gravis petra, machinis librata, in caput ejus decidit. Sed quem mortuum non dubitabant ſocii, eum ſine vulnere aſtare obſtupuerunt: ipſe autem peracto conflictu, tanta miraculi evidentia motus, renuntiavit ſeculo, & ſtatum religioſum eſt amplexus.

d *e*

chidam percuſſo vita ſervatur.

Videtur Sanctus ſublatus à terra,

47 Inventus eſt aliquando bonus Pater Pleſſiaci prope Turonas in eccleſia, quinque vel ſex cubitis elevatus à terra: ex quo cognoſci poteſt fervor & dulcedo orationis ejus, cum ſpiritus carnem ſurſum raperet: erat enim totus Angelicus, imo Seraphicus, cor & corpus ſuum continuo in Deum elevans. Atque hoc teſtata eſt Anna, Domina Borbonii, filia Ludovici & ſoror Caroli Regum. Quando ædificabatur conventus Pleſſiacenſis, viſus nonnumquam noctu eſt ſerpentes capere, extraque conventus ambitum citra noxam deportare: nolebat autem vel ipſos vel aliud quodcumque venenatorum animalium interfici. Sæpe etiam conſpectus eſt ignem manibus aut ſinu geſtare citra aduſtionem, eumque deferre in cellam ſuam, in qua tamen caminus non erat: alias vero in eadem per maxima frigora perſeverare ſine igne. Ignis autem ita miraculoſe deportati teſtis eſt Fr. Ægidius Biturix, aliique Plures Fratres fide digniſſimi.

ſerpentes & ignem innoxie tractans

B

48 Famulus Dei, de virtute in virtutem progrediens, modici temporis ſpatio plurimos pulchros conventus ſui Ordinis fundavit in Francia, de mandato Principum & cum auxilio fidelium: videlicet Turonibus, Ambaciæ, Gianij, *f* Pariſiis, in *g* Caſtello-Ebraldi & *h* alibi. Burgundiæ Gubernator, nomine Joannes de Baudrincourt, roſarium habebat, à viro ſancto ſibi donatum: caſu autem accidit, ut cum aliquando dominum ſuum miniſtri exuerent veſtibus, roſarium illud, quod ligneum erat, ipſis non advertentibus laberetur in ignem. Porro cum mane facto roſarium ſuum requireret Dominus, nuſpiam illud reperiri potuit, donec heſterni foci cineres commovere cœpit aliquis, ignem ſtructurus: tunc enim inter eos repertum eſt, prorſus illæſum ab igne. Hoc viſo, auxit Dominus ille ſuam erga virum ſanctum devotionem, & Ordini ejus ædificavit *i* conventum prope domum ſuam Blæſenſem in Campania, in loco qui dicitur Domina noſtra de Bracquencour, Lingonibus diſtans leucis ſeptem, & quatuor à Clara-valle.

plures conventus fundat in Francia:

f *g* *h*

roſarium ab eo acceptum manet incombuſtum.

C

i

49 Soror Fr. Matthæi Michaelis, ſpe prolis concipiendæ diu fruſtrata, intercedente pro ea Fratre prædicto, accepit à bono Patre ficcas quaſdam herbas: deinde per ejus merita filiam peperit, quam ad memoriam beneficii conſervandam voluit nuncupari Franciſcam. Vir quidam Ambaciæ, uxorem mente motam, adduxit ad bonum Patrem: qui eam juſſit orationem Dominicam cum Symbolo Apoſtolorum recitare: poſtero autem die ſana apparuit. Generalis Præfectus Picardiæ tempore Caroli Regis octavi, Dominus de Sandricourt, cum uxore, præ magna qua erga virum ſanctum ferebantur devotione, auctores fuerunt conventus Ambianenſis ædificandi anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo octavo.

juvantur ſterilis una,

& altera amens.

fundantur conventus Ambianenſis

50 Epiſcopus Gratianopolitanus, Alemannus dictus, ex nobile inter Delphinates ſtirpe de la Val oriundus, venit ad virum ſanctum, Ambaciæque cum eo non ſine difficultate magna collocutus de negotiis ſuis, ab eo ſumme conſolatus receſſit. Nepotes *k* ejuſdem aliquando febribus detenti, ſtatim ut panem à viro Dei benedictum comederunt, liberati ſunt: quamobrem Epiſcopus, magna erga ipſum devotione concepta, eum in Patrem ſuum ſpiritualem elegit, ipſique conventum fundavit prope Gratianopolim, ubi tunc morabatur. Verum inimicus omnis boni diabolus fundationem eam voluit impedire, per conſanguineos alioſque multos conatus Epiſcopum abducere à conſilio illo. Cum autem videret dæmon hac ratione nihil ſe proficere, deſtruere tentavit quæ moliebatur Antiſtes: effecitque ut prima navis, quæ lapides ſubvehebat ad ædificium, ſubmergeretur in Iſara, ipſaque & lapides una perirent: deinde incendit campanile eccleſiæ. Sed bonus Antiſtes novum extrui juſſit, ſuamque in eo magnanimitatem probavit. Idem Epiſcopus in prædicta eccleſia, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono, conſecravit altare dexterum ſacellorum, in honorem S Blaſii: cujus inſignem Reliquiam, colli ſcilicet vertebram, eatenus cum corpore S. Hugonis Carthuſienſium fundatoris aſſervatam, ipſo conſecrationis die ibidem donavit, coram D. Franciſco de Puteo Carthuſiano, tunc Officiali ſuo, & Collegio Gratianopolitano, aliiſque viris honeſtis: multaque ibi miracula fiunt ſuper infirmos, pro quibus referendæ ſunt gratiæ Deo & virgini Mariæ, ac bono patri S. Franciſco de Paula, Sanctoque Blaſio, & omnibus Dei Sanctis.

AUCTORE DISCIP. COÆVO EX MS. G.

k *& Gratianopolitanus:*

in eoque S. Blaſii Reliquiæ collocantur.

E

51 Mulier quædam ex Delphinatu ſerpentem geſtabat in corpore: quæ panem à viro Dei benedictum, atque ab ejus Fratribus ſibi datum comedens, eumdem ſerpentem continuo emiſit ſana. Miſerat aliquando Romam duos ex Fratribus bonus Pater pro ſuæ religionis negotiis, Fratrem ſcilicet Antonium de Ponte & Fr. Petrum Gilberti ex partibus Franciæ. Hi cum appuliſſent in urbem, invenerunt ibi energumenam ex Picardia: quæ ſæpius poſita fuerat intra columnam illam *l* ex qua prædicans ſalvator noſter Ieſus Chriſtus in Hieruſalem, convitium pertulit dicentium ſibi, dæmonium habes: ſæpius etiam à S. Petri Canonicis adjurata numquam potuerat liberari. Quodam igitur die cum extra columnam adſtaret energumena, prædictus Fr. Petrus Gilberti voluit experiri, an bonus Pater vere Dei ſervus & amicus eſſet. Et accipiens corculam, quam ſibi vir Dei donaverat, impoſuit eam collo mulieris, dixitque: Impero, ex parte Dei & Fr. Franciſci de Paula Patris noſtri, ut, ſi eſt verus Dei famulus, quemadmodum credimus, exeas ab hac muliere, neque ei deinceps moleſtus ſis. Queſivit etiam ex diabolo, an noſſet bonum Patrem. Reſpondit autem quod bene noſſet nequam illum barbatum & rapetiatum: qui magno rebus ſuis impedimento eſſet: nihilominus eumdem à ſe egregie verberatum eſſe & multas pertuliſſe moleſtias, quas aliis atque aliis vellet cumulare, tam per ſe quam per ipſiuſmet Religioſos, eo adducendos molitionibus ſuis: neque quieturum prius quam ipſe à cœpto ſuo propoſitoque bono deſiſteret: ſe enim eum eſſe qui Adamum expuliſſet è paradiſo, & S. Antonium tam crudeliter verberaſſet. Tandem tamen à muliere egreſſus eſt dæmon, bono Patri & Religioſis ejus omnibus multa impedimenta nec vana minitans, qualia deinde paſſus eſt, non ab externis dumtxat, ſed etiam ab ipſis ſuis Religioſis *m*; ut dicere poſſet cum Salvatore: Qui edebat panes meos, magnificabat ſuper me ſupplantationes.

Energumena Romæ, exorciſmis fruſtra tentata;

l

F

ad nomen Sancti liberatur à dæmone.

m Pſ 40, 10

52 Quo tempore Cardinalis Aſcanius, frater Ludovici Ducis Mediolanenſis, captivus detinebatur Bi-

Cardinalis captivo libertas prædicatur.

AUCTORE DISCIP. COÆVO EX MS. G.

Biturigibus in Francia ; juſſit ei dici bonus Pater, forti ut eſſet animo, & eam calamitatem ferret patienter Deo fretus : futurum enim ut brevi ſuæ reſtitueretur *n* libertati. Quod cum factum eſſet, beneficium viri Dei meritis acceptum gratus retulit Cardinalis.

n

ANNOTATA.

a Anna, *Caroli* VIII *ſoror, quæ Petro Borbonio nupſerat, & Rege pupillo rempublicam adminiſtrarat.*

b *Nata* Suſanna *an.*1491, *& anno* 1505 *Carolo Borbonio nupta, ſine liberis deceßit an.* 1521, *ut habent Sammarthani tom.*2 *Hiſtoriæ genealogicæ.*

c *MS. Bruxell.* En l'an mil quatre cents quatre vingtz & dix; *id eſt anno* 1490, *errore librarii, qui ſcribere debuit*, & dixhuict, *ut ſit annus* 1498, *& ſic correximus. Diſtat autem* Giemium, *juxta Lanovium*, 13 *leucis Gallicis ab urbe Aurelia*; Genabum *veteribus dictum contendunt aliqui: hoc certum erraſſe eos qui* Genuam *aut* Genevam *hoc loco intellexere.*

d Ludovicus *hic fuit, poſtea Rex Francorum, nominis iſtius* XII.

e Partiniacum *in Gaſtinia, ubi Thoëdus fluvius originem ſumit, juxta Papirum Maſſonium: oppidum autem illud, vulgo* Partenay *dictum, captum dirutumque eſt anno* 1486, *in eo bello quod Regi fuit contra Comitem Dunenſem, ipſo invito regreſſum in Galliam, uti deſcribit Belcarius lib.*4 *num.*30.

f *Conventus* Nigeonenſis, *duabus ab urbe leucis ſupra Sequanam ſitus, nomen habet à turri quadam*, de Nigeon *dicta; cujus ruinas, anno* 1403 *donatas ab Equite Morliere, ædificando intra eas conventui anguſtiores eſſe intelligens Anna Regina, adjecit varia prædia, de quibus vide Lanovium.*

g *Conventus in* Caſtello Ebraldi *diœceſis Pictavienſis, anno* 1495 *fundatur per Ioannem Nemoroſii Ducem.*

Conventus ab auctore prætermiſſi.

h *Puta, juxta Hilarionem pag.*437 *& ſeqq.* Frejuſii *in Provincia an.*1490, *qui an.*1571 *ad Cordigeros tranſiit*; Malacæ *in Hiſpania* 1492, Caſtellerii *in Cenomanis an.*1493, Genuæ *an.*1494, Romæ *an.*1495, Anducharii *in diœceſi Hiſpalenſi an.*1495; *tres in Bohemia & Moravia ſub Maximiliano Imperatore poſt an.*1497, Abbavillæ *an.*1499, Mongaugerii *in diœceſi Turonenſi & in* Portu S. Mariæ *diœceſis Hiſpalenſis an.*1502, *quando hæc ſcribebantur. Poſtea eidem Sancto, adhuc in vivis agenti, acceſſere, conventus* Toloſanus *an.*1503, *perperam à Lanovio ad an.*1490, *relatus*; Eczienſis, *in diœceſi Hiſpalenſi* 1506; *eodemque anno reſtituti ſunt Minimi, per Magnum Capitaneum Alphonſum Cordubenſem, in eum unde Cardinalis Hungarus eos expulerat locum: ac denique anno* 1507 *advocati* Bomerias *Burgenſis diœceſis: ut omittam* Nannetenſem Bleſenſem, Burdegalenſem *conventus, quos eidem Sancto viventi promiſſos ſcribit idem Hilarion.*

i *Anno* 1496.

k Goffredus Allemand & Petrus de Terrail, qui unus poſt alterum fuerunt Regii Locum-tenentes in Delfinatu, *inquit de his agens Iſidorus.*

l *Dicta vulgo* Columna Sancta, *quæ juxta ſacellum Gregorianum poſita in Baſilica Vaticana, olim prope ipſam ſanctorum Apoſtolorum confeſſionem ſtabat, ſupra partem quamdam arcus triumphalis, prout eam deſcribit Ioannes Serveranus, in ſacris memoriis* VII *eccleſiarum pag.*108. *nunc autem ſubmota eſt, uti & alia quædam à baſilicis aliis, ſanctitatis non ſatis certa monumenta.*

m *Altum de his apud omnes Ordinis ſcriptores ſilentium.*

n *Vide Belcarium lib.*8 *num.*30, *ubi narrat quomodo an.*1500, *ipſo Duce capto Novaria*, Cardinalis Aſcanius Sforza, *turpi ſuorum proditione in manus Venetorum venerit, atque ab his Carolo Regi traditus ſit. Libro autem* 9 *num.*42 *dicit, quod Ambaſiatus Cardinalis, ad Pontificatum aſpirans, poſt mortem Alexandri* VI *an.* 1503, Aſcanium, ea ſpe biennio ante eductum è turri Biturigum (ubi aliquot annos [*corrige menſes*] in cuſtodia fuerat) Regi reconcialiarat, honorifice-que habendum curarat.

EPILOGUS

Titulus Glorioſi Sancti hic in principio aſſumptus, & alia deinceps ſequentia perſuadent, hujus epilogi auctorem eſſe diverſum ab eo qui Vitam ſcripſit antequam moreretur Sanctus: nam hic velut de mortuo agitur, quando indicatur multitudo venientium & vota ferentium ad ſepulcrum, & laudatur conſuetudo Sanctorum tumulos viſitandi.

Hactenus ſcripta fidem merentur

53 Quicumque legitis acta & miracula glorioſi Sancti Franciſci de Paula, hic prænotata, ſi ea arguere vultis & impugnare, dicentes quod ſuffi-cienter approbata non ſint, quodque ea ſi vidiſſetis ipſi credideretis; reſpondemus vobis, quod qui numquam Romæ aut Hieroſolymæ fuerunt, non cunctentur credere Romam & Hieroſolymam vere exiſtere. Si Dominus noſter Ieſus Chriſtus divinitatem ſuam, ſanctiſſima Mater virginitatem, Sancti Sanctæque Paradiſi ſanctitatem ſuam non occultaſſent, facile fuiſſet diabolo impedire noſtræ redemptionis opus, Deiparæ Virginis perturbare devotionem, & plurium Sanctorum Sanctarumque Dei converſationem angelicam infeſtare. Sancti à Deo electi, à Ieſu Chriſto edocti ſunt, quamdiu in hoc exilio vivunt, vanam gloriam ſolicite evitare: ut enim S. Gregorius ait, deprædari deſiderat qui theſaurum publice portat in via. Itaque monet Sapiens: Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & in Euangelio dicitur, Neſciat ſiniſtra quid faciat dextera tua. Conſideremus quam multi eremitæ ſolis herbarum radicibus victitantes, habitationem ſuam inter feras ſilvarum elegerint: qui cum per ſuas preces & merita ſanitatem pauperibus languentibus aut ægrotantibus impetraſſent à Deo, non requirebant in locis iſtis deſertis Notarios: ſed ſatis eis erat quod pauperes ſanati gratias Deo redderent, neque raro ijſdem inculcabant id quod Chriſtus Dominus leproſo ſanato, & alias poſt ſuam Transfigurationem diſcipulis Joanni, Jacobo & Petro injunxit, Nemini dixeritis viſionem.

Ecli 29, 15. *quamvis Notarii manus ſignata non ſint:* Mat. 6, 3

Luc. 5, 14 *Mat.* 17, 9

54 Sanctus Auguſtinus affirmat, carnalia miracula ſpiritualibus tanto eſſe minora, quanto terra minor cælo eſt: multoque eſſe amplius reſuſcitare animam, quæ eſt imago Trinitatis; quam vivificare corpus, in quo eſt ſpecies noſtræ humanitatis. Vivificatum enim corpus denuo in corruptionem tendit natura ſua: anima vero, ad vitam gratiæ reducta, ad vitam tendit gloriæ, numquam finiendæ. Conſideremus igitur non tantum carnalia, ſed etiam ſpiritualia hominis Dei miracula, in ſuis Religioſis, tanta cum auſteritate & abſtinentia viventibus: ſæpius enim contigit, ut qui in ſeculo vitam deliciis affluentem imo diabolicam duxerant, ad mores Angelicos ſe receperint, pœnitentiæ deſertum ingreſſi.

pra his tamen æſtimanda miracula ſpiritualia.

55 Sed quia carnales homines carnaliter ſentiunt, & qui de terra eſt de terra loquitur; conſiderate, ſi placet virtutes atque miracula hominis Dei; & manifeſte videbitis quod elementa omnia eius imperiis ſervierunt. Ignis quidem, quando ardentem calcariam ingreſſus reſtauravit, quemadmodum ſupra dictum eſt, flammanteſque prunas, & feruens oleum nudis portavit aut excepit manibus, ſine ullius læſionis aut noxæ veſtigio, ad ſuæ teſtimonium innocentiæ. Aqua vero, cum ſuas poſuit tempeſtates, invocantibus ipſum qui in preſenti naufragii diſcrimine ſe videbant conſtituros, & candelis ab eo benedictas accendentibus: in quo eximia illius pateſcit potentia.

corporalia fuerunt in omnibus elementis,

potentia. Plurimi peſtiferis auris afflati, ab epidemiæ, febrium, aliorumque contagioſorum morborum incommodis ſanati ſunt. Feminis ſterilibus conceptus felix obtigit, & partus filiorum ac filiarum. Leproſis & incurabiliter ulceroſis reſtituta carnis integritas eſt, mutis loquela data; rupturæ, fiſtulæ, vulnera in cruribus aliisque membris ſolidata: panis & vinum, cum neceſſitas poſceret, copioſe multiplicata ſunt: debiles gradiendi facultatem adepti, ſerpentes & dæmones ejecti ex corporibus; mortui denique ſuſcitati; quos poſtea per Dei gratiam longo viventes tempore videre erat ambulantes, loquentes, bibentes & comedentes, propterea quod illius invocaſſent auxilium.

& circa omnis generis neceſſitates.

56 Candelæ ab eo benedictæ flammiſque injectæ, domorum reſtinxere incendia: eædem tonitrua tempeſtateſque ſedarunt, laborantibus mulieribus expedivere partus diſperatos, & tam ipſæ quam roſaria & cordulæ reſque aliæ ſimiliter ejus precibus conſecratæ, pluribus terra marique periclitantibus fuerunt ſalutares. Alii cum ipſo colloquentes, alii eidem ſe commendantes, alii quidpiam rerum ejus portantes, alii ſuam in eo fiduciam collocantes, à diverſis periculis & ærumnis ſunt eruti, in bellis, in prœliis, ex carteribus, ex tribulationibus, terra marique. Quam multi per eum magnis ditati virtutibus, bonis inſtituti moribus, ad peccatorum contritionem & ſalutis viam ſunt adducti! Infinita ſunt quæ ſupra naturæ ordinem operatus eſt in creaturis miracula: ex quibus cognoſcitur Dei preſentia, in ſuo famulo potentiam eximiam exercentis. Quicumque in ipſum ſpem firmam reponunt, & quæ ſibi quotidie ſunt ad ſalutem neceſſaria pro Dei honore per ejus poſtulant interventionem, gratiam & ſalutem ſe conſequi gaudent: idque patuit in tot perſonis honeſtis, plurimum deſolatis, qui conſolationem per ejus adepti merita, magno poſtea venerunt numero ad vota ſua in ſignum gratitudinis offerenda. Quod ſi omnes illi qui efficaciam deprecationum ejus in ſe ſuiſque veraciter experti ſunt, cis atque trans montes, ex variis collecti nationibus, omnes in unum coram te ſiſterentur, facturi te de veritate certiorem; impoſſibile tibi foret omnium depoſitiones diſtincte excipere vel audire.

non ſunt exauditi omnes, 2 Cor. 12, 10.

57 Hic vero poſſet interrogare aliquis, Cur non ij omnes exauditi ſunt, qui ejus opem imploraverunt? In promptu autem reſponſio eſt, multos languere corporaliter ut ſpiritualiter vivant, unde & Paulus dicebat, Quando infirmor tunc potens ſum. Ex eoque patet majus bonum in omnibus à Deo intendi: nam, ut dicit Magiſter ſententiarum, permittit Deus curatque diabolus variis nos afflictionibus tribulationibuſque, temporalibus & corporalibus affligi, aut ut humiliemur, probemur, ac mereamur, aut ut à peccatis emundemur caſtigati. Quare quoties ad Sanctorum ſepulchra accurrimus, aliquam poſtulaturi gratiam; inſpiciunt illi in Verbum divinum, cognoſcuntque finem intentum à Deo, atque illius voluntatem: cui ſi placentia & nobis ſalutaria peteremus, credibile eſt utique certo concedenda: ſed quia ſæpe corporalia & temporalia ſpiritualibus æterniſque bonis præferimus, ideo non exauditi repellimur. Qui Papatum, regnum, imperium, monarchiam hujus ſeculi poſtulat, ne minimam quidem divinæ veræque lætitiæ deſiderat portionem: quare Dominus noſter Jeſus Chriſtus, videns quod diſcipuli ſui ſæpius à ſe peterent res terrenas neglectis cæleſtibus, eos arguit, dicens, Uſque modo non petiſtis quidquam: quaſi diceret, Petite ſalutaria quoad animam, ſcilicet vitam æternam, & accipietis &c.

quia non omnibus expediebat.

Ioan. 16, 24.

58 Credimus prudenter quod homo Dei S. Franciſcus de Paula habuerit fidem Patriarcharum, in eo quod patriam ſuam & conſanguineos deſeruerit, velut alter Abraham, cui dictum fuit, Egredere de terra tua & de cognatione tua. Judicare poſſumus ipſum habuiſſe ſpiritum Prophetarum: plurimas enim res futuras prænuntiavit, & ſæpe, cum imminentes Eccleſiæ calamitates, bella videlicet, famem aut peſtilentiam prævideret, copioſis perfundebatur lacrymis. Patet quod habuerit zelum Apoſtolorum: in omnibus enim Dei honorem & miſerorum peccatorum ſalutem quærebat. Auſtera illius converſatio, ſalubris nobis omnibus prædicatio erat: in hoc autem videbatur intentus ſemper, ut parum comedens & parum quieſcens, oraret & laboraret multum. Voluit & ordinavit per Regulam ſuam, ut ſui religioſi non niſi in fœno cubarent ac ſtramine, quemadmodum Chriſtus Dominus in præſepio inter beſtias collocatus. Cilicium eidem erat fere perpetuum; diſciplinæ aliæque macerationes corporis frequentes; jejunia & vigiliæ ſupra modum prolixæ. Pauperibus aliterque in corpore vel ſpiritu afflictis compatiebatur tenerrime, multumque dolebat tot peccatores impie impudiceque vitam ducere, ac demum æternæ vitæ diſpendia pati: videns autem quomodo iidem Jeſum Chriſtum blaſphement & iterum crucifigant, toto corde & corpore mortificatus juge ſuſtinebat martyrium. Patet etiam per prædicta, quod homo Dei inter ſanctos Confeſſores numerandus veniat: orationes enim & preces ejus plenæ erant virtutis atque vigoris, adeo ut per eas infirmi plurimi ſanati, quidam corporaliter defuncti ad vitam, plures ſpiritualiter extincti ad gratiam ſint reducti. Quia vero à prima infantia vitam duxit Angelicam, debet etiam inter Virgines computari, qui coram Rege Regum & Virginum Virgine dulciſonos hymnos & cantica concinunt. Denique virtutum omnium ornamentis ita condecoraverat illum Omnipotens, ut jure vocari ſecundum Eccleſiaſticum poſſit, Vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo, eique applicandum ſit illud Pſalmiſtæ, Magnificavit Dominus Sanctum ſuum.

AUCTORE DISCIP. COÆVO EX MS. G.

epitome virtutum ob quas Sanctus meretur adſcribi Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis,

Confeſſoribus,

Virginibus.

Eccli. 50, 10

Pſal. 4, 4

APPENDIX.

Poſt Canonizationem adjecta.

Iterata virtutum recapitulatio.

59 Hic libellus, qui fuit coram ſanctiſſimo Patre, Leone Papa ejus nominis decimo, productus, circa vitam, famam & miracula ſervi Dei; tantaque & tam mirabilia, qualia hic continentur; aliaque in his minime comprehenſa, quæ Creator Deus fecit facitque quotidie per preces & interceſſionem fidelis ſui famuli; convincunt virum Dei raræ devotionis dono excelluiſſe, ad ſtuporem omnium, quicumque ipſum hunc libellum viderunt aut legerunt. Legem namque naturæ, ſcripturæ, & gratiæ obſervare perfecte conatus eſt; corde & ore amans atque honorans Deum, totaque mente & animo incumbens in ejus obſequium & obedientiam. Virtutes morales, cardinales atque theologicas gratioſe poſſedit. Generoſe pariter ac glorioſe conquiſivit beatitudines premiſſas ſanctis Patriarchis & Prophetis, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Virginibus, Eremitis & Anachoretis. Velut alter Elias aut Joannes Baptiſta, mundum, carnem, dæmonem victorioſe ſupplantavit; laudabilis in pueritia, caritate fervens in adoleſcentia, honorabilis in juventute, multum amabilis in ſenectute ſua, & omni vitæ ſuæ tempore vigilans. Annos * nonaginta ſic egit in pœnitentia, ut in melius ſemper atque de virtute in virtutem indeſinenter proficiens, perſeveraverit in omni devotione & ſtudio ſanctæ religionis.

* De ætate Sancti vide dicenda infra.

Quæ

A Quæ quidem religio bonis religioſis quaſi paradiſus terreſtris eſt, in quo vir Dei ſic eſt verſatus, ut exinde aſcenderit ad Paradiſum cæleſtem, ibi ſine fine regnaturus cum Rege Regum & Virgine Virginum, Angelis, Archangelis & omnibus ſanctis, Amen. D

PROCESSVS INFORMATIVI
AD CANONIZATIONEM.

Ex originalibus authenticis MSS.

PRÆFATIO D.P. COLLECTORIS.

Horum exempla, rogante Franc. Vitono.

Processus hos, qui omnibus fere de S. Franciſco Paulano ſcribentibus fuere pro fundamento, Franciſcus Victon, cujus in Commentario facta mentio, curaverat Romæ ex originalibus deſcribendos circa annum MDCXXV, *& Pariſios attulerat. Id cum ex Præfatione Fr. Hilarionis de Coſta cognoviſſemus, ſuggeſſimus R. P. Philippo de Meſemacre, ante hac memorato, æquum videri ut pro ſuo erga ſanctum Fundatorem zelo, ad commune Provinciæ Belgicæ ſolatium & operis hujus noſtri inſtructionem, aliud exemplum deſcriberetur, quod in archivio conſervatum Bruxellenſi, tantæ dignitatis & auctoritatis monumenta hiſce etiam partibus faceret eſſe communia, eoque minus obnoxia periculo jacturæ irreparabilis, quo plura extarent eorumdem ecgrapha. Placuit humaniſſimo viro conſilium, & curavit executioni mandandum fideliter, per Reverendos Patres Conventus Pariſienſis: qui continuo protulerunt quatuor codices MSS. ſingulos Notarii publici ſubſcriptione munitos, hac quæ ſequitur formula.*

Romæ deſcripta, & cum originalibus collata,

In nomine Domini. Amen. Præſens copia extracta fuit ex ſuo proprio originali, penes me exhibito, per R.P.F. Bernardum Mathalin, Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula in Venerabili Conventu Sanctiſſimæ Trinitatis Montis-Pincii de Vrbe; cum quo collationata per D. Lauretum Leporem, unum ex juvenibus officii mei Notarii publici, concordare aſſeruit: in quorum fidem &c. Datum Romæ ex ædibus noſtris, anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti MDCLVII, Indictione X, die vero XX menſis Septembris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri D. Alexandri divina providentia Papæ VII, anno ejus tertio.

atque notarialiter authenticata,

✠ Ita eſt pro D. Sebaſtiano Ceſio cauſarum curiæ Em. & Rev. D. Cardinalis vicarii Notario, Ovidius de Auhillis Sabinus, civis Romanus, Notarius publicus, & officii dicti D. Ceſii Adminiſtrator.

C *De horum autem, videlicet Sebaſtiani Ceſii & Ovidii de Auhillis, auctoritate legali, fidem faciebat* Martius, miſeratione Divina Epiſcopus Albanenſis, S. R. E. Cardinalis Ginettus, S. D. N. Papæ Vicarius & Iudex Ordinarius, *ſingulorum codicum authenticationi ſubſcribens per manum* Bernardini Reivetaneſſi, pro D. Lauro Pino Notario *ſignantis* die XXVII Septembris.

Pariſiis fideliter fuere tranſumpta.

Tranſumpta autem, unde hæc accepimus, concordare cum authentico, quod ſervatur in conventu Minimorum Pariſienſium ad plateam regiam, deſumpto ex originali Romano, fidem fecere ſubſcribendo, die XXVI Septembris anno MDCLXVIII, Lutetiæ Pariſiorum in prædicto conventu, Fr. Franciſcus de Varregge Provincialis Provinciæ Franciæ, *ejuſque Collegæ* Fr. Claudius du Puys, *&* Fr. Antonius Iaul, *pro duobus codicibus: pro duobus autem aliis,* Fr. Cornel. Franciſcus de Varregge Corrector Pariſienſis, Fr. Franciſcus Bo ſquillon, Fr Ambroſius le Cointe.

PROCESSUS AMBIANENSIS.

Ambiani 1513 unus auditus,

1 FRanciſcus de Haluin Epiſcopus Ambianenſis, *creatus anno Domini* MDII, *cum ætatis annum duntaxat* XX *ageret, & uſque ad annum Æræ vulgaris* MDXXXVII *ejus urbis Pontifex; Stephano Pariſienſi Epiſcopo, in Vitam & miracula S. Franciſci Paulani inquirere juſſo, egregiam navavit operam; quando ex illius delegatione, anno* MDXIII, *die* XIII *Iunii, ad ſe delata ſuſceptaque, excepit* depoſitiones teſtium, ſuper prædictis juramento prævio veritatem dicere *profeſſorum, ut quidem in ſua præfatur epiſtola; quamvis unius tantum teſtis, ſed omni fide digniſſimi, depoſitiones, eo in ſcripto reperiantur; quod Romam deſtinatum, ante* MDXVII *die* XVII *Octobris Iuridice productum approbatumque fuit, per recognitionem legitimam manus & ſigilli Epiſcopalis, ac Notarialis D. Briſetti. Collocamus, hanc depoſitionem, licet poſtremam tempore, ante alias omnes: quia unus hic teſtis plura quam ceteri omnes declarat, de initiis converſationis ſanctæ, & modo vivendi quem S. Franciſcus tenuit, uſque dum trajiceret in Gallias; quæ alii, ut infra patebit, ſtrictius attigere, toti intenti miraculis magni hujus Thaumaturgi narrandis. Depoſitionis autem prædictæ tenor (quomodo in progreſſu Romani examinis ad nominatam diem verbotenus deſcribitur) talis eſt.*

qui poſterior tempore hic primus ponitur.

E

Hic Paterno oriundus,

2 Nobilis vir Antonius de Gerane de Felline, urbis Paterni, diœceſis Conſentienſis, partibus Calabriæ confinibus oriundus, ætatis ſuæ LVIII aut LX annorum, die XXV menſis Iunii, deponit, ſe pluries cum Fr. Franciſco de Paula in conventu ejuſdem loci, ſpatio ſeptem annorum (quoad ad inſtantiam Sereniſſimi Francorum Regis Ludovici XI & præceptionibus Sixti Papę IV in regnum Francię ſe tranſtulit moraturum) converſationem habuiſſe. Verum ſe, cum vigeſimum aut vigeſimum quintum ętatis ſuæ annum ageret, primam ipſius notitiam habuiſſe, occaſione rumoris & famæ, relationibus videlicet bene-meritorũ ejuſdem, pullulantium & florentium in regione ac partibus Calabrię; nec non operum virtuoſorum ac miraculorum è Superis demiſſorum, ob merita & deprecationes dicti Fr. Franciſci: quas quidem relationes audivit referri ex ore patris, matris, amicorumque ſuorum, & aliorum quamplurium, quibus ab ineunte ætate miracula & virtutes ipſius Fr. Franciſci cognitæ fuerunt.

primam Sancti notitiam habuit ex fama,

F

teſtante ejus in vita ſolitaria

3 Dicit etiam quod communis vox & fama volavit (prout à quam plurimis fide digniſſimis accepit in Calabriæ provincia) præfatum de Paula, à teneris annis, patrem, matrem & conſanguineos liquiſſe, & loca deſerta petiiſſe; in quibus, ſubtus non parum ingentem *a* rochum, quamdam ſpeluncam per longum temporis intervallum inhabitavit, mundanos homines & confabulationes eorum ſummopere aſpernando, ſuumque corpus omnimodis herbarum comeſtionibus macerando. Dicit etiam, quod cum quidam illius regionis nonnullas dapes detuliſſent ad eum, intuitu paupertatis ejus; ipſe cito aufugiebat, & eadem loca deſerta egrediebatur. Ipſi tamen, credentes eum talia comedere, eaſdem dapes deferebant. Sed ſeptem diebus inde ſequentibus elapſis, quod dimiſerant invenerunt abſque ulla corruptione: quia numquam carnibus utebatur: unde vigebat rumor ipſum fore ſecundũ Ioanni Baptiſtæ.

a

abſtinentiam ſingularem,

4 Preterea dicit à nonnullis accepiſſe, prætactum de Paula, cum paternas domos dereliquiſſet, ab eo tempore numquam lineis pannis innodatum fuiſſe, ſed

& auſteritatem.

ſed veſtitum groſſo ac rudi panno, lana nigra confecto, vulgari eloquio in dictis parribus appellato *b* arbaſo. Noctu diuque in ſuis orationibus perſeverando eadem in veſte, nudis etiam pedibus & capite deambulando, vitam degebat. Utebatur etiam, ad orationes tam verbales quam vocales actitandas, ſolum *c* patriloquiis, vulgo dictis corona Dominæ noſtræ. Subſequentibus autem annis percepit, quidquid de moribus & vita præfati de Paula intellexerat, veritatem continere. Dicit finaliter quod præfatus de Paula, divina (ut fertur) providentia inſpiratus, poſtquam multis diebus ſuum corpus in præſcripta ſpelunca maceraſſet, deliberavit paulo poſt ad pedes ſpeluncæ ædificare quamdam domum mediocris habitationis; cum certis Fratribus converſis, qui cum eo, occaſione bene meritorum ejuſdem ſe conjunxerant, vitamque illic eremitarum ducebant. Tandem idem de Paula proſpiciens nonnullos mortales vivere ſuis lineamentis & auſteritate & Spiritus ſancti gratia, peccata flendo; inchoavit monaſterium quoddam juxta prædictam demum, quod nominavit eccleſiam *d* Jeſu-Mariæ.

A

b arbaſo.

c *qualem deinde viſu ipſo cognovit.*

vidit ædificato monaſterio,

d

5 Quod monaſterium cum ſtaret ad pedes domus & habitationis dictorum Fr. Franciſci & converſorum Fratrum, quædam pars è vertice montis deorſum cadere videbatur, in detrimentum & conſummationem templi ejuſdem. Quod videntes manuoperarii & artifices, voce magna ſub his verbis clamitarunt: Pater, Pater: rupes confracta eſt, & venit deſtruere monaſterium veſtrum. Ad quam clamitationem cellula exiens idem de Paula, & genibus flexis coram Crucifixo prope eccleſiam exiſtente, & facie incurvata in terram proſtratus, Deum ſolitis orationibus deprecatus eſt. Qua quidem deprecatione ſic facta, lapis ipſe, [deorſum] verſus ſummopere tendens, firmus & ſtabilis illic permanſit. Et paulo poſt idem de Paula baculum arripiens, fixit ad latera & ſubtus rochum, velut ſi appodiare eum voluiſſet: in qua quidem ſpecie diu permanſit. Quare non pauci provinciarum Calabriæ, Napliæ & aliorum locorum, & plurimi civitatis Conzentienſis, cum rochum prædictum ſic ſuſpenſum viderent, paſſus ſuos *e* arripuerunt: ipſius etiam rochi ſtationem vidit teſtis ipſe. Verumtamen poſtea fuit diviſus, & ad commodum fabricæ ejuſdem monaſterii applicatus. Ad cujus quidem miraculi denuntiationem plures, tam Presbyteri quam laicæ perſonæ, devotione capti, mundanorum vitam deſerentes, ejuſdem operibus inhæſerunt; & tantopere ſanctimoniam & dies ſanctos obſervarunt, quod, ſi aliqui quidpiam carnis aut caſei illuc edendi cauſa apportaſſent, cito vermibus refertum adinveniebant: quare cogebantur uti eduliis in prædicto monaſterio edi ſolitis.

B

rupem deſuper ruituram

Sancti baculo ſuſtentatam,

e

C

eoque miraculo multos ad ejus ſequelam permotos,

6 Quapropter habitantes loci de *f* Paterno, ejuſdem de Paula corporis macerationem & auſteritatem ſcientes, in unum ſe congregarunt, & concluſerunt obteſtari eumdem de Paula, ut vellet quemdam conventum in prædicta urbe ædificare: quod multis & variis interceſſionibus acceptavit. Unde cum nonnullis religioſis, in quodam parvo ſacello, extra muros urbis Paterni exiſtente (in quo quidam Fratres, in partibus Italiæ vulgo Fratres de diſciplina dicti, morabantur) introivit: & inibi manu-operariis & artificibus, baculum parvum in manibus ſuis tenens, inculcavit, ut terram tribus in locis effoderent: quod & fecerunt, & in uno loco invenerunt lapides, ad ſtructuram & calcem faciendam appoſitos, in ſecundo arenam, & in tertio aquam; quæ numquam comparuerunt in illo loco. Diviſiones quoque magnatum dicti loci, occaſione partialitatum Italiæ, pacificavit.

f *teſtatur invitatum ad conventum erigendum Paterni,*

neceſſaria omnia miraculo inveniſſe;

7 Tandem dicit, quod una dierum quidam nobilis patriæ ad conventum de Paterno acceſſerat, ut eumdem de Paula videret, & mulam in platea juxta monaſterium exiſtente ligaverat. Ipſa tamen decincta, injecit pedis ictum in caput cujuſdam juvenis, nominati Joannis Bonbin, filii Angeli Bonbin, illic exiſtentis, ipſiuſque teſtis cognati germani, in tantum quod *g* cervix illius per aures deſcendebat, & pro mortuo tenebatur. Quod videntes pater & parentes ejuſdem, genibus flexis eidem de Paula dixerunt: Pater, habemus pro certo, quod ſi vis & Deum oras, filius meus liberabitur à periculo mortis. Qui quidem de Paula commotus compaſſionibus, coram imagine Annuntiationis lacrymabundus orationem actitavit: qua facta eumdem infantem palpavit: & palpatus movere ſe cœpit. Quare idem de Paula dixit patri ejusdem: Noli deſolari, ſed confide in Domino, quia tibi & filio manus adjutrices porrexit. Et poſtmodum idem pater & alii juvenem in domum (quam ſæpiſſime viſitavit teſtis) intulerunt: & duodecim aut quindecim diebus elapſis, ut antea, convaluit.

EX MS. PROCESSU AMBIAN.

pueri à mula contuſum caput

g

orationem fecisse;

8 Præterea dixit [fuiſſe] quemdam Jacobum Valentini, habentem in ſponſam ſororem deponentis, nominatam * Sironicam, commorantem in loco de Paterno, quamdam domum de novo conſtruentem: quæ domus cum ſtruetur, ejuſdem Valentini filius: quinque annorum natus, per plateas & ſummitates domus non coopertas diſcurrendo, deorſum in terram cecidit, caputque ſuum diſcuſſit; adeo quod, ut mortuus, nullis commotionibus movebatur. Quod videns mater ipſius, ad dictum de Paula ſingularem gerens devotionis affectum, monaſterium de Paterno lacrymando petiit, & flexis genibus dixit: Pater, oro pro Dei amore, miſerere mei, & deprecare Dominum pro quodam filio meo, qui modo ex tabulato domus cecidit ſuper acervum lapidum, ibique mortuus jacet. Confido namque de miſericordia Dei, quod ſi pro eo orare volueris, conſervabit eum vitæque reſtituet. Ad quod reſpondit idem de Paula: Soror, habeas fidem in Domino, & auxilium impetrabis. Quibus auditis, ipſa domum pergens, in qua infantem mortuum deſeruerat, ſonum emittentem adinvenit. Quæ quidem dixit poſtea ipſi teſti, non credere filium convaleſcere, niſi interceſſionibus & bene-meritis ejuſdem de de Paula. Qui deponens, mater & alii parentes, petierunt domum Valentini, gratia videndi puerum convaleſcentem, quibus præmentionata patefecere.

E

* *an* Veronicam?

alterumque è ſolario domus lapſum

ſuſcitaſſe mortuum,

F

9 Dixit etiam teſtis, illud adeo pullulaſſe, quod multorum hominum turba, diverſis morbis languentium, ad eumdem de Paula commigrabant, ut incolumes fierent. Qui aliquibus eorum herbas, quibuſdam biſcoctum & panem, ac aliis orangias, benedictionem actitando tribuebat: quibus languidi relevabantur. Occaſione quorum chirurgici regionis Calabriæ, rancoribus & odio propter lucrum moti, ſeſe coadunarunt, ut illius eremitæ non decentibus, ſicut aiebant, obviarent. Ob quod agendum quemdam Fr. Antonium Scotet, religioſum utique litteris expertum, ut eumdem pro viribus increparet, deputarunt. Poſt cujus quidem deliberationis concluſionem, idem Scotet, licet frigore vigente, verſus eumdem de Paula paſſus arripiens, nonnullis minis & ſermonum agitationibus eum aggreſſus eſt, dicendo: Cujus auctoritate morbos ſanas, eiſdemque herbas & alios cibos tribuendo benedictionem impertiris? ea profecto te non decent. Quibus auditis, eum inſanum & trementem propter frigus conſpiciens idem de Paula, conventum intravit, & groſſum torrem eidem apportando dixit: Calefacito aliquantum te, & poſtea tibi reſpondebo

& multas feciſſe curationes;

quibus moti chirurgi miſerint qui eum cohiberet,

ſed quod his viſo miraculo veniam petierit:

EX MS. PROCES. AMBIAN.

ad id quod dixiſti mihi. Quibus dictis idem Scotet, Spiritus ſancti, ardore refectus proſtravit ſe humi ad pedes ejuſdem de Paula, volens eoſdem deoſculari, dicendo, tam coram religioſis quam coram ſecularibus perſonis; Pater, Pater, male improperando tuam ſanctitatem & auſteritatem ſum percunctatus. O quam inclyta Calabriæ regio! Felices certe ſunt, qui tuis devotionibus & orationibus fiduciam imprimunt. Quam ſanctitatem poſtea idem Scotet prædicando promulgavit.

ſe quoque vitam ſervatam debere Franciſco,

10 Dicit præterea teſtis, ſe conjugatum tam atrocem morbi afflictionem habuiſſe, quod à tribus vel quatuor chirurgicis neci traderetur. Unde ejus parentes ad eumdem de Paula recurrerunt: qui dixit: Eſtote ſtabiles & firmi in Domino, quippe cito frater veſter convaleſcet, eiſdemque tribuit orangiam cum biſcocto, ut patiens comederet. Quare receſſerunt, & cum primum introierunt domum, invenerunt languentem, morbo ſublevatum & dicentem, Eſurio. Unde fronte non rugoſa, ſed hilares, pomum eum biſcocto eidem obtulerunt. Poſt cujus quidem pomi ſumptionem pedetentim, lapſis quindecim diebus, ſanitatem adinvenit. Qua quidem recuperata, viſitavit eumdem de Paula, & cum eo per quinque aut ſex dies moratus eſt: creditque quod convaluit cum ejus opitulamine, & non alias.

B

qui litteras numquam doctus, legere ſciverit;

14 Deinde dicit, quod Fr. Franciſcus de Paula, licet numquam litteris vacaverit, tamen ſanctam Scripturam allegabat, argumentabatur, ſolutiones dabat, & aliis ſententiis ſe plurimum immiſcebat: dicebat etiam Officium B. Mariæ, ſeptem Pſalmos, Vigilias mortuorum, & Horas canonicales: unde multi admiratione ducebantur. Et antecedentibus ſex annis, antequam iturus eſſet in Franciam, dictus de Paula dixit ipſi teſti hæc verba: Angele, amice mi: appropinquat tempus, quo nos oportebit ire in regionem longinquam, cujus non intelligemus linguam, nec ipſi noſtram: quia ſic eſt voluntas Dei.

tempeſtatem verbo ſedarit;

11 Poſtremo dixit, quod quidam Joannes Pignon, nobili genere natus, cum eodem de Paula in quadam puppi, mandato Regis Napliæ & Frederici [filii] ejus veniens, tonitura & marium turbines adeo crevere, quod patronus navis & alii nautæ naufragium pati ſe crederent. Quare perquirentes eumdem de Paula in quadam cellula incluſum, & eorum pericula narrantes, dixerunt: Niſi Deo aſpirante tuiſque intermediis ſupplicationibus, profecto naufragabimur. Quod audiens idem de Paula dixit: Opipare! Chriſtus ad portum ſalutis nos eſt perducturus. Quibus dictis, mare tranquillum & dulce ad optatum, ſuis interceſſionibus, invenere.

C

occulta ipſius teſtis revelarit.

12 Dicit finaliter idem teſtis, quod cum defunctus Dominus d'Aubigny è Calabria in Franciam remearet, eumdem aſſociavit: unde rememoratus dictum de Paula, voluit ire ut eumdem in monaſterio Pleſſiacenſi prope Turones viſitaret, & confœderationes inter ſe prius habitas renovaret: qui dixit illi; Angele, amice mi, per caritatem, tres dies ſunt quod te venire vidi. Et poſt multas verborum agitationes eidem dixit: Operæ pretium eſt pro ſalute tuæ matris (cujus mortem teſtis ignorabat, ſed poſtea litteris fuit certioratus) Deum exorare. Et multa alia eidem, cunctis dempto Deo ignota, revelavit: quare credit eum beatificatum, cum Deo & Sanctis ejus recumbere. Et plura neſcit.

ANNOTATA.

a *Quod hic maſculine* Rochus, *Francis aliis Italiſque feminine*, Roche & Rocca *dicitur.*

b *Suſpicarer pro* Arbaſo *ſcribendum* Arazzo, *niſi vox hæc pretioſiorem pannum & figuris intextum ſignificaret.*

c Patriloquium *hic ſubſtituitur pro* Pater-noſter, *ideſt, pro globulorum precatoriorum ſerto.*

D

d *Confundit hic teſtis voces* monaſterium & eccleſia: *eccleſia autem ſeu oratorium certo certius dicebatur* S. Franciſci: *monaſterium nihil prohibet* Jeſu-Mariæ *dictum credere.*

e Paſſus arripere: *idiotiſmo vernaculis omnibus linguis communi, hic idem eſt quod metiri paſſu alicujus longitudinis.*

f *Diſtat* Paternum *ab oppido Paula p. m. circiter 16, ſitum ad initia Bazentis fluvij, Conſentiam præterlabentis.*

g Cervix *hic ſumitur pro cerebro, quod Francis* cerveau, *Italis* cervello *dicitur: quæ voces licet deducantur à diminutivo Latino* cerebellum, *quoad ſonum tamen litterarum propinquiores ſunt voci* cervix.

PROCESSUS CONSENTINUS

Ex duplici MS.

1 EXtat *hujus Proceſſus exemplum duplex; alterum, in quo depoſitiones Teſtium deſcribuntur ea qua data acceptæque fuere Italica lingua, ſed Calabricis idiotiſmis ſcatente; alterum, in quo eadem Latino idiomate edita habentur. Nos poſtremo ſic utimur, ut primum etiam habeamus præ oculis; fideliter adnotaturi, ſi quid minus feliciter ab interprete redditum obſervaverimus: cujus etiam* E *atteſtationem & alia eodem facientia, ex ſolo Latino codice, ad calcem damus.*

CAPUT I.

Mandatum Pontificium, & Interrogatorium propoſitum teſtibus examinandis.

Julius II, intellectis S. Franciſci meritis,

2 VEnerabili Fratri Epiſcopo Cariatenſi, & dilecto filio Cantori Eccleſiæ Conſentinenſis, Julius Papa II.

Venerabilis Frater & dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dilectus filius noſter Robertus, tituli S. Anaſtaſiæ Presbyter Cardinalis, nobis nuper expoſuit, quod quondã Franciſcus de Paula, adeo moribus, religione, converſatione probatus ac Deo acceptus fuit, quod Ordinem quemdam ordinavit, per quem illius pro tempore Profeſſores, ut vitam quadrageſimalem ſemper, & certam per eum ordinatam Regulam & vivendi modum ſervarent, inſtituit; inſtitutioniſque hujuſmodi confirmationem à nobis & Prædeceſſoribus noſtris obtinuit; & ob ejus vitæ exemplaritatem ac odorem bonæ famæ, & populi devotionem ac miraculoſam converſationem, fel. record. Sixtus IV, Prædeceſſor noſter & ſecundum carnem patruus noſter, ad claræ memoriæ Ludovici Francorum Regis requiſitionem, ſibi, ut ad regnum Franciæ ſe conferret & ejuſdem Regis conſpectui ſe præſentaret, mandavit; & à Chriſti fidelibus, in dicto & Hiſpaniæ regnis, ac Alamanniæ & Siciliæ, Calabriæ & Apuliæ partibus, plures domus dicti Ordinis, opere ſatis ſumptuoſo, ædificatæ & conſtructæ fuerunt; ejuſque precibus & meritis Altiſſimus quamplurima miracula operari dignatus eſt, prout plurimorum fide dignorum teſtimonio doceri poteſt, de quorum obitu, propter eorum ſenium, dubitatur.

F

Commiſſarium pro eis examinandis inſtituit

3 Cum autem dicti Ordinis Generalis & Profeſſores cupiant teſtes prædictos, ne propter eorum obitum veritas pereat, ſuper his examinari, & eorum depoſitiones in publicam formam redigi; Nos ipſius Roberti Cardinalis, qui ad dictum Ordinem ſingularem gerit devotionis affectum, & Generalis ac Profeſſorum prædictorum ſupplicationibus inclinati, vobis, & veſtrûm cuilibet, per præſentes committimus & mandamus, ut de & ſuper fama & vita ac miraculis ipſius Franciſci, in vita ejus factis, diligenter,

A ligenter, fideliter, & prudenter, auctoritate noſtra inquiratis; & omnia, quæ compereritis eſſe vera, ſub veſtris litteris clauſis, veſtris ſigillis munitis, ad nos fideliter referatis ſeu mittere curetis, non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIII Maii MDXII, Pontificatus noſtri anno nono.

Balthazar Iverdus.

Ioannem E. piſcopum Cariaten.

4 Die VIII menſis Iunii, XV Indictione, MDXII, præſens Breve præſentatum fuit Reverendo Domino Joanni Sarſalis de Coſentia, Epiſcopo Cariatenſi & Gerenſi, per Fr. Julianum de Regina, Religioſum Ordinis Minimorum: quod ſupra caput fuit receptum, cum omni qua decuit reverentia, & fuit apertum per eumdem Dominum Epiſcopum. De qua præſentatione & apertione factus fuit & eſt actus publicus per me Sir-Nicolaum de Spronerio, Notarium Apoſtolicum, in præſentia ſubſcriptorum teſtium vocatorum, præſentibus D. Petro de Regno, D. Vincentio de Regno, Conſentinæ diœceſis, & Nobili Luca Joanne de Surrento, & aliis. *Hujus porro Actus, cui verbotenus Pontificium Breve inſeritur hæc eſt concluſio:* Unde nos (*Epiſcopus ſcilicet Cariatenſis prænotatus*) volentes, uti tenemur, ad executionem prædicti Brevis procedere, & Apoſtolicis obedire mandatis, ad hoc ut nullus de contentis eorum poſſit allegare ignorantiam, & ad hoc ut omnibus innoteſcat, & ut facilius de vita & moribus, fama ac miraculis dicti Franciſci, in vita ejus factis, diligens & fidelis poſſit capi informatio, & ea capta tanſinitti ad ſedem Apoſtolicam, juxta formam dicti Brevis; præſentes affigi fecimus in valvis majoris eccleſiæ Conſentinenſis: & ut habentes notitiam de vita, fama ac miraculis dicti Franciſci, poſſint & valeant coram nobis comparere, & de prædictis juxta veritatem perhibere eorum teſtimonium, ad effectum executionis dicti Brevis. Datum Conſentiæ, die XV Iunii, XV Indictione, MDXII.

B *qui commiſſioni factu-rus ſatis,*

interrogatorium teſtibus proponendum publicat.

5 In primis, quemadmodum locus Paulæ eſt in provincia Calabriæ: quæ provincia, & conſequenter d. locus, à centum vel ducentis annis, & tamdiu quod non eſt memoria in contrarium, fuit Chriſtiana, & vixit & nunc vivit ſub fide & religione Chriſti, & pro tali ſemper eſt habita.

C II. Item qualiter in d. terra Paulæ fuit natus Jacobus Martolilla, pater d. Fr. Franciſci: qui fuit Chriſtianus & baptizatus; & vixit toto tempore vitæ ſuæ ſub fide & religione Chriſtiana, & pro tali fuit habitus.

III. Item qualiter in d. terra Paula fuit nata Domina Vienna, mater d. Fr. Franciſci: quæ ſimiliter fuit Chriſtiana, & toto tempore vitæ ſuæ vixit ſub fide & religione Chriſtiana, & pro tali fuit habita.

IV. Item qualiter inter d. Jacobum patrem & d. Viennam matrem, Chriſtianos ut ſupra, fuit contractum legitimum matrimonium, ſecundum uſum & morem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, per verba de præſenti: & toto tempore quo vixerunt, pacifice & quiete vixerunt in d. matrimonio, & pro legitimis conjugibus fuerunt habiti, tenti, & reputati.

V. Item qualiter ex dictis conjugibus, in d. matrimonio conſtanter viventibus, fuit natus & procreatus d. Fr. Franciſcus, filius legitimus: qui fuit educatus à prædictis, & pro filio legitimo prædictorum habitus & reputatus.

VI. Item prædicti Jacobus & Vienna, pater & mater, nato & procreato d. Fr. Franciſco, eorum filio legitimo ut ſupra, tamquam boni Chriſtiani, in d. terra de Paula fecerunt ipſum baptizari, imponentes ipſi nomen Franciſcus, & fecerunt ipſum confirmari: qui Franciſcus pro baptizato & confirmato, ut ſupra, & Chriſtiano fuit habitus, tentus & reputatus. EX MS. PROCESSU CONSENT.

VII. Item qualiter Fr. Franciſcus in adoleſcentia ſua & infantia ſemper vixit honeſte, canonice, & ut bonus Chriſtianus ſtetit in terra Paulæ, erigendo multa monaſteria.

VIII. Item qualiter ipſe vivens, vivebat taliter, & ſic: & iſta erat vita ejus.

IX. Item qualiter in ejus vita fecit tale & tale miraculum.

X. Item qualiter fuit, erat, & eſt talis famæ, & toto tempore quo fuit in provincia, & etiam poſtquam diſceſſit.

Quid ad pleroſque articulos teſtes reſponderint?

6 *De his articulis interrogati teſtes infraſcripti, quid reſponderint ſic eſt notatum, ut primis quidem examinis inſtituti diebus mandata ſint litteris, aliquorum ad ſingulos, multorum ad pleroſque articulos reſponſa: quod, poſt teſtem* XXV *auditum, vix deinceps factum reperitur: nec vero neceſſarium fuit, cum pleraque in una eademque ſimplici ejuſdem quæſiti aſſertione convenirent. Igitur,* omiſſis aliis, *ad tres poſtremos articulos aliqui, plerique ad ſolum nonum, multi etiam ad decimum reſponderunt. Et hi rurſum, quod ad octavum decimumque articulum attinet, iiſdem iterum aut verbis aut ſenſu, pene omnes. Quapropter ſtudio brevitatis ad primi teſtis depoſitionem ea referemus omnia, quæ poſtremis articulis* VII, VIII *&* X *contenta, ad ſanctitatem Franciſci Paulani probandam ita faciunt immediate, ut tamen non debuerint ſæpius deſcribendo iterari à nobis.* E

quid de parentibus S. Franciſci?

7 *De parentum ejus fide catholica & vita proba fere ingenere locuti ſunt teſtes;* X *&* XXV *teſtis expreſſe affirmant,* quod Jacobus de Martolilla, pater fr. Franciſci, ſemper indutus erat habitu rudi & groſſo abſque camiſia, & quod numquam comedit carnes, ſed ſolum cibum quadrageſimalem: incedebatque pedibus nudis; *poſtquam ſcilicet filii ſui exemplum ſequi & imitari decrevit. Reliquæ ad articulum* IX *depoſitiones ſola continent miracula, quæ quo ordine quibuſque verbis expoſita & annotata fuere, ſic tranſcribimus, ut ejuſdem rei ſuperfluam iterationem caveamus; omittamus item aſſertionem juramenti, ſingulis teſtibus propoſiti; & cauſam ſcientiæ, ex eo quod quiſque* vidit, interfuit & audivit (*nam ex auditu ſolo non niſi unus depoſuit aliquid*) *ſubjunctam poſt ſingula miracula, terminis ſemper iiſdem: cumque ex ipſo contextu locus patrati miraculi cognoſcitur, etiam hunc omittimus denuo notare: quin etiam omittimus patrium teſtium ſignare, contenti indicaſſe omnes fuiſſe, quales notantur in titulis Capitum, niſi alia patria exprimatur.*

cetera quomodo hic ordinentur?

F

CAPUT II.

Primi teſtis ad quatuor poſtremos articulos depoſitio.

Coram Epiſcopo Cariaten. & Notario juratis,

8 TEſtes examinati & recepti per Reverendum Dominum Ioannem Sarſalem de Conſentia, Epiſcopum Cariatenſem & Gerentinenſem, tamquam Delegatum Sedis Apoſtolicæ, ex virtute delegationis & commiſſionis ſibi factæ per dictam Sedem Apoſtolicam, ſuper fama, vita & miraculis quondam Franciſci de Paula, Iuſtitutoris Ordinis Minimorum, juxta continentiam & tenorem poteſtatis ſibi attributæ, ad recipiendum & examinandum dictos teſtes ſuper prædictis (ut latius eſt videre in brevi Apoſtolico) ſunt infraſcripti: qui omnes fuerunt recepti in præſentia ipſius Reverendi Domini Epiſcopi, deferentis juramentum ipſis teſtibus, & eorum depoſitiones ſunt redactæ in ſcriptis, & per extenſum, ut infra per me Domnum Nicolaum de Sproverio de Roſis, Notarium Apoſtolicum, & ad infra ſpecialiter deputatum per ipſum Reverendum Domi-

EX MS. PROCESSU CONSENT.

Dominum Epiſcopum Delegatum, deferentem juramentum teſtibus ipſis & ipſos examinantem,& me Notarium ſcribentem.

Teſtis I. *Baro de Bello-monte laudat juventutem ſancte actam,*

9 Die IV menſis Julii Magnificus Dominus Galazzus de Tarſia de Conſentia, Baro & Dominus terræ Belli-montis, teſtis, medio juramento, tactis Scripturis ſacris, examinatus ſuper ſeptimo dixit, ſe ſcire quod Fr. Franciſcus per multos annos in adoleſcentia ſua manſit in loco,& ſemper vixit optimam perfectam & honeſtiſſimam vitam,plenam odore bonæ famæ.

10 *De his plenius deponens Teſtis* VI, *annum agens circiter nonageſimum quintum*, dixit ſe ſcire, ipſum Fr. Franciſcum ab ineunte pueritia ſemper vixiſſe honeſte & ſancte : & cum eſſet tredecim annorum, parentes ejus duxerunt eum in conventum S. Franciſci civitatis S. Marci, in quo voverant d. Fr. Franciſcum facere morari per unum annum. Qui finito illo anno, illomet habitu quem ex domo ſua attulerat, miſit vocatum parentes ſuos, conduxitque eos peregrinatum ſecum ad S.Franciſcum de Aſſiſio & S. Mariam Angelorum. Quibus à peregrinatione reverſis, cum eſſet prope terram Paulæ, d. Fr. Franciſcus moratus eſt extra terram, in quodam tugurio. Et interrogati parentes ubinam remanſiſſet ipſe Fr. Franciſcus, reſponderunt: Remanſit extra terram, & vult fieri eremita. Sicque cum eſſet ætatis quatuordecim annorum, cœpit ædificare monaſterium, diſtans à d. terra Paulæ circiter unum milliare: (quod monaſterium cum eccleſia eſt ornatum & magnum) fecitque illud abſque aliquo auxilio, præterquam eorum qui devotionis cauſa ad illum concurrebant, cum quibus illud elaboravit. Et inde ad quatuor aut quinque annos cœpit veſtire Fratres,illo habitu quem ipſe gerebat ; docens eos vivere honeſte & ſancte, & obſervare vitam quadrageſimalem. Præterea ſcit ipſe teſtis, quod, perfecto illo monaſterio Paulæ, fuit ædificatum aliud majus & ſumptuoſius in Paterno, aliudque in Spetzano grandi, locis magnis diœceſis Conſentinæ, aliudque in Corigliano, Roſanenſis diœceſis : *idque, ut aſſeruit teſtis* XI, abſque Dominorum auxilio, ſed ſolis eleemoſynis.

(quam alius teſtis minutim deſcribit)

B

& bonam ejus famam per provinciam,

11 Super octavo dixit præfatus D. Galeazzus quod in Paula & Paterno ac Spetzano, locis in quibus ipſe Fr. Franciſcus conſtruxit monaſteria ſumptuoſa,confluebant ſingulis fere diebus infinitæ perſonæ, propter bonam famam & miracula, quibus Fr. Franciſcus dicebatur coruſcare: ipſeque teſtis nullum unquam vidit inde redeuntem, in aliquo ſcandalizatum de vita d. Fr.Franciſci ; imo redibant multum ſatisfacti & magnificantes virtutes & orationes dicti Fratris, quarum interceſſione votorum ſuorum compotes evaſerant. Et hoc ipſe teſtis ſcit, quia vigeſies viſitavit d. Fr. Franciſcum una cum parentibus ſuis ; & hoc, ratione tum patriæ tum baroniæ vicinæ.

C

(addunt alii vitæ auſteritatem)

12 *Addit teſtis* V, *quod* fuit Paterni cum vidit circiter ducentos viros & mulieres oppreſſos diverſis infirmitatibus, quos omnes d. Fr. Franciſcus faciebat redire contentos. *Teſtis autem* VI dixit, ſe ſcire, quod vivebat ſancte, incedens pedibus nudis, & male veſtitus (*idque, ut habet teſtis* XXXI, hiberno & æſtivo tempore) & dormiebat ſuper quadam tabula, habens tegulam ſub capite : & numquam videbatur comedere, niſi aliquibus diebus ſolennibus, cum Fratribus : cibuſque ejus erat legumen aliquod male coctum. *Teſtis* IX dixit,ſcire ſe ipſum abſtinentem fuiſſe cibo & ſomno : & inter cetera cum d. Fr. Franciſcus ægre ſe haberet, petiit ab ipſo teſte an haberet aliquid comeſtibile : qui reſpondit ſe habere parum panis : cujus fruſtrum ei datum incepit comedere cum herba ſilveſtri, tamquam cervus. Dictuſque teſtis dixit ei : Quomodo comeditis herbam tamquam cervus, cum ægre vos habueritis ? Dictuſque Fr. Franciſcus ei dixit, Iſta herba bona eſt, in caritate. De loco : in Paula, De tempore : agitur annus XL.

D

ac denique miracula: nominatim aſſerit Teſtis I.

13 Super nono dixit *præfatus Galeazzus*, quod, cum quondam D. Jacobus, pater ſuus, pateretur apoſtema in crure (quod apoſtema crus ipſius jam conſumpſerat, marcidumque & fœtidum erat) & pro ejus curatione d. D. Jacobus conduxiſſet omnes medicos & chirurgicos, qui erant in civitate Conſentina, admodum famoſos ; illique trium aut quatuor menſium ſpatio d. crus curaſſent,ſemperque d. ægritudo de malo in pejus ſerperet, cum carnis mortificatione & fœtore maximo, eſſetque tunc quidam Domnus Vincellus famoſiſſimus chirurgicus, habitans in loco Maydæ, provinciæ Calabriæ, diœceſis Nicaſtri ; d. D. Jacobus, cum quondam D. Joanna uxore ſua profectus eſt Nicaſtrum, ubi degebat Marchioniſſa *a* Yrrachi, nurus Fel. mem.Regis Ferdinandi I. Quæ accerſito D. Vincello, mandavit ei, ut aſſumeret curationem d. apoſtematis. Qui per decem & ſeptem aut viginti continuos dies d. curationi vacans, nihil profecit ; ſed ipſum crus in ſolita ſua mortificatione & fœtore perſeveravit. Quare d. D. Jacobus diſceſſit inde, deſtitutus omni remediorum auxilio,niſi quod d. D. Vincellus ordinavit ei quamdam lotionem vini, pro minuendo fœtore, qui ipſi patienti erat ſummo faſtidio ; nec tamen dabat ſpem aliquam ſalutis.

quod patris ſui crus incurabile

a

E

S. Franciſco oſtenſum,

14 Dictus igitur D. Jacobus reverſus in Bellum-montem, caſtrum ſuum, vix ſpatio unius diei cum dimidio pervenit Paulam, diſtantem à Bello-monte quatuordecim milliaribus. Et, ut primum ad portam monaſterii applicuit, in quo d. Fr. Franciſcus habitabat (abſque ullo alio eccleſiæ vel monaſterii ingreſſu, quem dolor, quem tunc in crure patiebatur, prohibebat) juſſit crus denudari. Cui denudationi d. Fr. Franciſcus ſuperveniens, vultu admiratione & compaſſione pleno, d. D. Jacobum ſic eſt allocutus : Hæc eſt magna res : oportet vos habere magnam fidem in D. N. Jeſu Chriſto. Et converſus ad quemdam fraterculum, dixit.In caritate,vadas, & colligas mihi tot folia herbæ dictæ unguis-cabal--li, quæ eſt herba magna ; & accipias parum pulveris in cella noſtra. Quo dicto ipſe Fr. Franciſcus,uſque ad reditum d. fraterculi,retro portam eccleſiæ coram imagine Crucifixi fudit preces. Cumque fraterculus ille attuliſſet pulverem & herbam, d. Fr. Franciſcus appropinquans d. D. Jacobo, dixit : Habeatis magnam fidem in D. N. Jeſu Chriſto, quia ſpero ipſum nobis facturum gratiam. Et facto ſigno Crucis ſuper apoſtemate,ſparſit deſuper parum pulveris, & impoſuit tres frondes, dixitque ei. Diſcedatis hinc in gratia Dei, afferatiſque vobiſcum frondes iſtas, & parum pulveris quod eſt in hac charta, imponetisque hæc duabus aut tribus vicibus apoſtemati ; habeatiſque bonam fidem in Domino noſtro, qui faciet vos compotes hujus gratiæ. Ob quæ verba d. D. Jacobus præ lætitia lacrymavit.

foliis quibuſdam cum pulvere cellæ applicatis,

F

ſubito ſanatum fuerit,

15 Cumque feciſſet infaſciari crus, bibiſſetque pateram aquæ, aſcendit equum ; reverſuſque eſt ad S. Lucitum, ubi cubavit, quo poſſet noctu Coſentiam proficiſci ; quia erat tempus æſtivum, vigebantque interdiu intenſi calores. Duabus horis ante lucem aſcendit equum cumque eſſet in vertice montis dixit ad uxorem & familiam, Nullum ſentio dolorem, quem alias inter equitandum ſolebam habere intolerabilem. Dixitque, Volo experiri an poſſim ponere pedem in terra. Cumque incederet abſque faſtidio & dolore pedetentim, poſuit

A fuit manum ſuper apoſtema: cumque nullum ſentiret dolorem, percuſſit crus magno ictu, dixitque quondam uxori ſuæ Joannæ: Sanus ſum. Sicque redivimus Coſentiam alacres, dictuſque D. Jacobus & uxor & familia pro certo aſſeverabant, ipſum convaluiſſe miracnloſe, ob preces & virtutes d. fr. Franciſci de Paula, & propter fidem & devotionem quam Deo gerebat. Poſtea Mag. Paulus, famoſus chirurgicus, alias dictæ ægritudinis medicus, ſubitam & inſperatam ſalutem hanc admiratus, fecit experientiam d. herbæ unguis-caballi in diverſis ægritudinibus, cujus numquam vidit effectum aliquem: quare confitebatur & probabat, hoc factum fuiſſe miraculoſe, propter orationes d. fr. Franciſci. Et hoc de cauſſa ſcientiæ, quia interfuit, vidit, & audivit. De tempore: agitur annus xxxiv vel xxxv.

chirurgo miraculum approbante:

quodque cujuſdam ſui ſubditi occultum furtum cognoverit:

16 Item ſcit ipſe teſtis, quemadmodum Jacobus Roncus de Bellomonte Tropeenſis diœceſis, vaſſallus ſuus, volens proficiſci Paternum Conſentinæ diœceſis, ubi habitabat & ædificavit monaſterium d. fr. Franciſcus; quia male ſe habebat, non bene recordatus, an vero frater an vero filius ejus; deſiderans munus aliquod d. fr. Franciſco afferre, ivit ad vineam quamdam cujuſdam patrui ſui, collegitque corbem plenum ceraſis, quæ erant tunc primi fructus; profectuſque eſt ad d. locum Paterni, diſtantem duodecim milliaribus à loco ubi collegerat ceraſa. Cumque obviaſſet d. fr. Franciſco, genibus flexis rogavit illum, ut ſubveniret ei in illa neceſſitate ſua; obtulitque dicta ceraſa ipſi fr. Franciſco. Qui paulum remoratus, vultu indignabundo dixit: Vadas in caritate, & reſtituas ceraſa patrono, cui illa abſtuliſti. Ad quod territus ille, neſcivit quid reſponderet. Dictuſque fr. Franciſcus dedit ei quædam remedia, ipſeque confuſus rediit cum d. ceraſis, & ipſemet Jacobus Roncus narravit hoc ipſi teſti in Bellomonte.

B

ejuſque miracula ubique fuerint celebrata.

17 Super decimo dixit, fr. Franciſcum ſemper, primo in Calabria & poſtea Neapoli & aliis quibuſcumque locis habuiſſe bonam famam, & feciſſe miracula, perſeverando de bono in melius: nec unquam intellexit perſonam aliquam murmurantem ſed omnes laudantes miraculoſa opera d. fr. Franciſci. *His ſimilia plures alij dixere: quidam etiam prolixioribus verbis ad hunc Articulum uſi. Pro omnibus ſit teſtis* LXIV, *qui ſuper decimo ſimiliter* dixit, ſe ſcire, ipſum habuiſſe famam ſancti viri, & multa miracula feciſſe; adeo quod tota ora maritima & habitantes in montibus & in Calabriæ provincia concurrebant ad eum, pro conſequendis gratiis ſalutis; tedibantque omnes contenti: veniebantque ad eum multi qui ægrotabant oculis & non videbant; ipſeque fr. Franciſcus inclinabat ſe in terra, & accipiebat folium aliquod cujuſcumque herbæ, quod inveniebat, imponebatque eis; ſtatimque dicebant ſe eſſe ſanos, faciebatque multa alia miracula: *ob quæ etiam, ut aſſeruit teſtis* LXVII, villæ ditionis Cuſentinæ proceſſionaliter veniebant ad eum.

C

ANNOTATA.

a Hieracium, *vulgo* Gerace *ſive* Gierrace, *oppidum Calabriæ ulterioris. Plura de hac Marchioniſſa vide infra num.* 177, *ubi intelliges nuptam fuiſſe Henrico, Ferdinandi Regis notho, qui ratione uxoris fuit nuncupatus* Geracenſis Marchio. *Vide etiam ad num.* 120 *Proceſſus Calabrici.*

CAPUT III.

Depoſitiones trium Conſentinorum teſtium.

Teſt. 9 18 Die v menſis Julii, Franciſcus de Marco, familiaris quondam prædicti D. Jacobi de Tarſia .... dixit quod cum ipſe teſtis degeret in ejus ſervitio; *ſanatum ſit ejuſdem crus, ut ſupra, prout vidit*, interfuit & audivit in Paula & in monte S. Luciti, qui diſtat à Paula ſex milliaribus. Agitur annus xxxv. Item dixit quod cum d. D. Jacobus haberet quemdam filium infirmum, qui per quinque dies loquelam amiſerat; miſit ipſum teſtem Paulam ad Fr. Franciſcum, ut diceret ei, quod, ſi melius eſſet pro anima ejus & filii ſui qui ægrotabat, impetraret à Deo gratiam incolumitatis: quia haberet tantam fidem in orationibus ejus, quod crederet ipſum reſurrecturum, etiamſi triduo eſſet defunctus. Sicque ipſe teſtis profectus eſt Paulam ad d. fr. Franciſcum, & expoſuit ſibi injuncta. Qui reſpondit: Utinam Deus faceret me dignum impetrandæ gratiæ hujus! Dixitque ipſi teſti: Ab heſterno die uſque nunc defecerunt viginti quatuor horæ vitæ noſtræ. Ordinavitque quod d. teſtis faceret jentaculum: & d. fr. Franciſcus diſcedens, per ſpatium unius horæ non fuit viſus. Creditque ipſe teſtis & pro certo tenet, ipſum juiſſe ad orationes fundendas. Poſtea reverſus dixit d. teſti: Deus fecit nobis gratiam: vadas, quia ſanatus eſt (& verba iſta fuerunt circa primam horam noctis) cumque applicueris ad D. Jacobum, dicas, quod ſit bonus Chriſtianus. Reverſuſque ipſe teſtis Conſentiam, comperit, quod illa eadem hora, qua fr. Franciſcus ei dixerat ſe conſecutum fuiſſe gratiam, d. infirmus fuerat locutus, qui per quinque dies perdiderat loquelam, ſicque convaluit. Additque ipſe teſtis, quod fr. Franciſcus dedit ei duas radices herbæ duoſque panes biſcoctos, quos deberet infirmo portare. Agitur annus xxxvii.

EXMS. PROCESSUS CONSENT. *Filius Baronis prædicti infirmus*

ſubito juxta Sancti prædictionem ſanatur:

E

19 Item dixit, quod, cum eſſet Conſentiæ quidam dictus Maurellus de Cardilla, qui per duos annos fuerat leproſus, & manibus ac pedibus contractus, totuſque niger, & vocem perdiderat; ipſe teſtis cum aliis parentibus ſuis detulerunt eum Paulam. Qui cum ad fr. Franciſcum perveniſſet, reſpexit eum admirabundus; dixitque quod haberet fidem in Domino, qui facturus ei eſſet gratiam corporis & animæ. Sicque dicens Fr. Franciſcus per breve ſpatium diſceſſit, & poſtea reverſus apprehendit manum infirmi, fuitque manibus & pedibus ſanus, quod optime poterat incedere: reſtitutaque eſt ei vox perfecte. Agitur annus xliii.

item aliud, qui leproſus, contractus, mutus additus erat.

20 Eodem die nobilis Joannes Bonbinus dixit, quod cum ipſe teſtis eſſet puer, mulus quidam percuſſit ejus caput calce: de cujus vulneris ſalute deſperabatur, quia non inveniebatur qui vellet ei mederi: nam dicebant medici, ſe nolle medicare hominem mortuum: & ita d. teſtis fuit ad d. fr. Franciſcum delatus. Qui flexis genibus à Deo gratiam petiit: cumque ab oratione ſurrexiſſet, fecit ſcribi epiſtolam ad medicum quemdam, Mag. Paulum de la Cava, idoneum ac ſufficientem & famoſum in Calabria medicum, quod vellet aſſumere curam iſtum medicandi, quia Deus faceret ei gratiam. Sicque cœpit mederi, dictuſque teſtis fuit ſanatus. Sæpiuſque d. Mag. Paulus recuſaverat aſſumere hoc onus, quia exiſtimabat ipſum mortuum, ſicut alii medici, dicens quod tenuerat medullam capitis ipſius teſtis in manibus, & quod non volebat ſe d. curationi impendere, quia vicebatur ei impoſſibile quod iſte convaleſceret. Poſtea ſæpius d. Mag. Paulus dicebat ipſi teſti: Non fuerunt medicinæ meæ cauſa ſalutis tuæ, ſed primum Deus & poſtea orationes d. fr. Franciſci. Agitur annus xxxiii. *Eadem confirmat teſtis* LXX, *diſtinctius explicans, quomodo læſus, ter fuerit delatus Paternum ad Fr. Franciſcum; & primum curandus miſſus ad Antonium Sacum ibidem medicum, deinde Conſentiam ubi plures ſufficientes erant; qui omnes, ipſeque etiam Paulus, noluerint deſperati vulneris curationem*

Teſt 3 *Iuvenis cui caput contuſum à mulo*

F

medicis deſperantibus conſervatur:

EX MS. PROCESSU CONSENT.

suſcipere: quia eam judicabant impoßibilem eſſe.

21 Item dixit, quod inde ad duos annos canis quidam inflixit quinque vulnera cruri ſuo, adeo quod ipſum crus graviter erat apoſtematum. Sicque pater d. teſtis videns apoſtema illud, fecit eum à ſervitore quodam ad d. fr. Franciſcum conduci. Qui videns crus vulneratum, impoſuit vulneribus medullam ſambuci, illamque aqua ſancta aſperſit, & Cruce ſignavit, dixitque: Vadas, quia cras nihil erit. Sicque ſequenti die ſanus fuit tamquam ſi numquam aliquid mali habuiſſet. Agitur annus XXXII.

& Crus à cane vulneratum ſanatur.

22 Eodem die, nobilis Franciſcus de Florio ſuper octavo dixit, ſe ſcire, per ſeptem vel circiter octo continuos menſes, quibus ipſe teſtis ob famam magnam, quam d. fr. Franciſcus tenebat, & ob devotionem, ipſum aſſidue viſitabat in balia Paterni, ubi tunc faciebat ædificare monaſterium Conſentinæ diœceſis. Et inter alias vices, cum ſemel eum viſitaret de menſe Decembris, quo ningebat & intenſiſſima frigora ibi vigebant (quoniam ſunt loca montoſa, nixque erat alta ad duos palmos) invenit d. fr. Franciſcum in eccleſia, pedibus nudis & peſſime indutum; videlicet habitu lacerato ſuper carnes: ſtabatque contemplans, & non vidit d. teſtem donec ante eum eſſet, diceretque ei, Ave Maria: quia erat quaſi raptus. Vidit etiam ipſe teſtis bis cellam, in qua dormiebat d. fr. Franciſcus, in qua nihil aliud erat præter unam tabulam, & tegulam in qua reclinabat caput. Fratres Ordinis ſui dicebant, quod numquam viderent eum comedere, niſi in mane Paſchatis fabas quaſdam cum Fratribus, idemque faciebat in feſtis ſolennibus. Ipſeque teſtis videbat eum incedere pedibus nudis per loca ſilvoſa, petroſa, ſpinoſa & aſpera (*addit teſtis* LVII., portando trabes, arbuſta, lapides; nec umquam pedes ejus lædebantur in aliquo) operabaturque malleo ferreo à mane uſque in veſperam; fragrabat-que nihilominus odore ſuavi, habebatque manus mitiores quam aliquis magnus dominus: & aſſidue indutus erat illo ſolo habitu lacerato ſuper carnes; habebatque perſona ſua odorem muſci; capillique ejus rutilabant tanquam aurum. Pedes ejus, quamvis nudis incederet, erant albi, delicati, & pulchri, ſicut ſi ſemper ſoleas detuliſſet (*quod idem alii plures deinceps iiſdem pene verbis teſtati reperiuntur.*) Et quocumq; ibat, præſertim ubi erant aquæ, petræ & rupes;

Teſt. 4 *Pedibus nudis & male veſtitus Sanctus,*

nec veſci cum aliis,

inter ſpinas ſordeſque mundus atque illæſus manet.

23 Super nono dixit, quod tunc temporis quo d. fr. Franciſcus ædificabat monaſterium in Paterno (agitur nunc XXIX aut XXX annus) magnificus D. Loyſius de Paladinis de Lecia, regius Auditor provinciæ Calabriæ, uno anno ex illis ægrotavit de menſe Julii vel Auguſti, in civitate Conſentiæ: cujus infirmitas duravit per triginta tres dies: habebatque in curatione dictæ infirmitatis tres medicos, qui ſemel conſilium fecerunt de infirmitate d. D. Loyſii, fuitque die Mercurii: & concluſerunt quod permitteretur natura criticare, & non darent plures medicinas. Qua concluſione inita, die Jovis ſequenti, D. Catharinella, uxor d. D. Loyſii, Joanninum quemdam famulum ſuum, ad ſe accerſitum, miſit Paternum ad fr. Franciſcum præfatum; quatenus eum nomine ſuo rogaret, ut orationibus ſuis à Deo vellet impetrare gratiam ſalutis ſive ſanitatis pro d. D. Loyſio. Cumque d. famulus eodem die rediviſſet, eumque d. D. Catharinella interrogaſſet quid ei d. fr. Franciſcus reſpondiſſet; dixit ipſum ordinaſſe, quod aſſarent duo fruſtra panis ad ignem, & poſtea aceto intingerent, & piper, canellam, gariofolum & zingiber contrita pani imponerent; & poſtea unum ex dictis fruſtis panis ſic præparati ſuper ſtomachum ponerent, & aliud ſupra dorſum. Cumque d. D. Catharinella hoc intellexiſſet, fecit

B *ſolitus dormire in tabula,*

C *Calabriæ Auditor*

remedio per Sanctum preſcripto,

ob medicorum contradictionem neglecto,

eos vocari, & ab eis opinionem circa hoc eſt ſciſcitata: ex quibus unus dixit, Sumus hic tres medici, qui de novo faceremus naturam; & iſte ignarus vult facere iſtas medicinas? Sicque non fuerunt factæ. D

24 Die Veneris ſequenti d. D. Catharinella vocavit ipſum teſtem, intuitu familiaritatis quam cum d. fr. Franciſco habebat: rogavitque ut ad eum accederet, & rogaret quod orationes pro d. D. Loyſii ſalute funderet: ſicque ipſe teſtis profectus eſt Paternum. Cumque illuc applicuiſſet, invenit d. fr. Franciſcum ſolum: & cum primum vidit ipſum teſtem, verbis aliquantulum turbatis dixit: Tu venis pro negotio D. Loyſii. Illi noluerunt facere ea quæ ipſis ſignificavi. Qui non habet fidem minus poteſt conſequi gratiam. Vadas, redeas cum Deo, & facias fieri ea quæ ordinavi, habeantque fidem in Deo, quia obtinebunt gratiam. Dictuſque teſtis abſque ulterioribus verbis rediit, applicuitque domum d. die, & ſtatim retulit d. verba prædictæ D. Catharinellæ. Quæ ſtatim mandavit parari d. fruſta panis; quemadmodum d. fr. Franciſcus dixerat: impoſuitque ea, modo ſupra dicto, ipſi D. Loyſio: qui d. panem ita tenuit uſque ad horam matutinam ſabbati, qua ipſe D. Loyſius bene ſe habuit, & erexit ſe in lectum, & petiit cibum, fuitque ſanatus. E

ac demum adhibito,

curatur à morbo.

25 Item dixit, quod inde ad aliquot dies poſt convaleſcentiam, d. D. Loyſius, cum vellet proficiſci Paternum ad viſitandum d. fr. Franciſcum, ut ei pro beneficio ſalutis accepto gratias ageret, die quodam ſabbati fecit accerſiri Notarium quemdam, Nicolaum Bonbinum de Palerno, virum probum; rogavitque ut vellet ei præparare jentaculum ad diem lunæ, quo volebat d. fr. Franciſcum viſitare. Sicque d. Notarius Nicolaus Paternum profectus, ad diem & horam præfixam præparavit, morabaturque d. D. Loyſium ante locum quo volebat ire: eratque jam meridies. Tuncque egreſſus d. fr. Franciſcus à loco, convenit d. Notarium Nicolaum, dixitque: Expectas D. Loyſium: vadas pranſum, quia implicitus negotiis, non hodie, ſed cras veniet. Sicque d. Notarius Nicolaus domum rediit, & die Martis ſequenti d. D. Loyſius, cum D. Catharinella & ipſo teſte ac famulis, profectus eſt Paternum. Et cum eſſent ibi, antequam convenirent d. fr. Franciſcum, ipſa D. Catharinella dixit teſti: Rogo te, quando cum D. Loyſio fr. Franciſcum alloquemur, tu retro d. fr. Franciſcum ſecreto abſcindas de habitu ipſius ad duorum digitorum quantitatem, cauſa devotionis meæ. Sicque, cum dicti D. Loyſius & D. Catharinella cum ipſo fr. Franciſco loquerentur, ipſeque teſtis retro d. fr. Franciſcum poſitus vellet forfices evaginare, ut dicti habitus fruſtum abſcinderet; ipſe fr. Franciſcus converſus ad eum dixit: Franciſce, devotio non conſiſtit in fruſtis habitus, ſed in bonis operibus.

Sanctus abſens cognoſcit,

moram itineri alterius injectam,

F *& occultam teſtis intentionem.*

26 Item dixit, quod per menſem unum poſt convaleſcentiam d. D. Loyſii, ægrotavit quidam filius ejus: quare ipſe D. Loyſius teſtem ipſum accerſitum rogavit, dicens: Franciſce, tu qui habes iſtum bonum pedem, accedas ad fr. Franciſcum & commendes ejus orationibus iſtum filium meum. Sicque ipſe teſtis profectus eſt Paternum ad d. fr. Franciſcum, & nomine d. D. Loyſii commendavit d. filium orationibus ejus. Qui dixit: Dicas D. Loyſio, quod ſit bonus Chriſtianus, & quod miniſtret juſtitiam, & de filio non timeat. Sicque d. teſtis rediit & retulit d. verba ipſi D. Loyſio: & filius ejus ad quatuor vel quinque dies fuit ſanus. Qui poſt aliquot dies iterum ægrotavit, dictuſq; D. Loyſius fecit iterum redire ipſum teſtem ad d. fr. Franciſcum, ut nomine ſuo eum rogaret, quod filium in

pueri ægri primo ſanitatem,

oratio-

A orationibus ſuis haberet commendatum. Ipſeque teſtis profectus Palernum, cum primum illuc applicuit, invenit d. Fr. Franciſcum: qui antequam teſtis inciperet loqui, dixit: Tu venis propter filium D. Loyſii: vadas, dicas ei quod habeat patientiam, quia Deus vult illum, ipſique procurabit alios. Rediit ipſe teſtis & retulit d. verba D. Loyſio, ipſeque filius ſecundo aut tertio poſt hæc die obiit: & d. D. Loyſius poſtea fecit alios filios, quia uxor diſceſſit Conſentia gravida.

deinde mortem prophetat:

quartanam depellit:

27 Item dixit quod ipſe per octo menſes laboraverat febre quartana, videlicet à menſe Septembris uſque per totum menſem Aprilis, in cujus menſis fine ipſe teſtis profectus eſt Paternum ad d. Fr. Franciſcum, ut ipſum oraret quod eum in orationibus ſuis haberet commendatum, quo Deus ei faceret gratiam ſanitatis. Sicque d. Fr. Franciſcus dixit ei: Quando diſcedes & tranſibis per *a* Locarum, capias duas ſummitates *b* filidriſſæ ejus quæ naſcitur in trunco quercus, & facias eam bullire cum ciceribus: cumque advenit febris paroxyſmus, bibas brodium illud, et ſis bonus Chriſtianus. Sicque ipſe teſtis fecit dictum remedium: & ſequenti die, cum ſuperveniret accidens, ſumpſit brodium illud: & ſtatim nullum ſenſit malum, fuitque ſantiſſimus.

a
b

B

illitteratus prædicat:

28 Item dixit, quod de menſe Decembris, cum iviſſet viſitatum d. Fr. Franciſcum, invenit eum in quadam ſilva, longinqua à monaſterio, quod ædificabat in Paterno, per unum milliare; unde faciebat conducere ligna pro fornace calcis; ubi erant circiter trecentæ perſonæ, mares & feminæ, quibus prædicabat declarans Euangelium; quamvis ipſe teſtis ſciret & intellexiſſet, d. Fr. Franciſcum non eſſe litteratum. Finita prædicatione direxit gentem illam cum lignis ad locum, dictuſque Fr. Franciſcus remanſit cum ipſo teſte ſolus: qui inter loquendum dixit ei: Pater, ſecundum ſpiritum Dei, qui vobis ineſt, quis erit ſucceſſus bellorum præſentium in Tuſcia? Qui reſpondit: Iſta bella in nihilum redigentur, quia ſopientur: ſed video Turcum ingredi hoc regnum. Verum ſcripſi majeſtati Regiæ quod cuſtodiat ſua, & non impediat ſe alienis. Menſe Iulio ſequenti prædicti anni intravit Turcus regnum, cepitque Hydruntum, & Dux rediit ex Tuſcia, bellaque illa fuerunt ſedata.

adventum Turcorum prædicit:

Teſt. 5. ſcribendo victum lucranti,

C

29 Die VIII menſis Iulii, Robertus de Burgis, *ab annis quinquaginta d. Fr. Franciſcum cognoſcens, & ante annos* XLVIII *in domum parentum ejus Paulæ hoſpitatus*, dixit, quod, cum eſſet bonus ſcriptor librorum eccleſiaſticorum, exercitatusque in dicto miniſterio ſcribendorum librorum, toto tempore vitæ ſuæ; ſupervenit ei quædam ægritudo in manus dextra, ob quod remanſit contractus & mancus, ita quod per duos annos non potuit ſcribere, nec ſcribendo victum quærere: in qua manu adhuc apparet ſignum gravis ægritudinis, quam paſſus eſt. Quam ægritudinem videns uxor, dixit teſti: Marite mi, accedamus Patrem Fr. Franciſcum, rogaturi ut impetret gratiam manus tuæ ſanandæ. Ipſeque teſtis, inductus verbis & devotione uxoris, quamvis parum fidei præſtaret, cum ea profectus eſt Paternum, ubi erat d. Fr. Franciſcus; & invenerunt eum in horto ſub quercu quadam magna: uxorque ipſius teſtis dixit: Vide, Pater, quemadmodum corrupta eſt manus mariti mei. Rogo vos, doceatis aliquid, quod eam ſanet. Dictuſque Fr. Franciſcus, converſus ad ipſum teſtem, dixit: Oſtendas mihi manum tuam. Quam oſtenſam tangens manibus ſuis, dixit: Peccatum eſt quod manus hæc ægrotet: adhuc faciet multa bona. Et inſtante uxore, quod doceret aliquid pro ſanitate dictæ manus, docuit quaſdam lotiones. Sicque ipſe teſtis rediens Coſentiam illomet veſpere, ſequenti mane abſque alia lotione vel medicina aliqua invenit manum ſuam ſanam & politam; & præ magno gaudio ſurrexit in camiſia, expetturus an poſſet ſcribere, ſcribebatque æque bene & perfecte ſicut prius, perſeveravitque ſemper bene uſque in præſens, cum ſit decrepitus. Sequentique die rediit ad d. F. Franciſcum, ut ageret gratias de beneficio accepto ob orationes ejus: & cum primum eum vidit, incepit ridere. Et dicente ſibi ipſo teſte quod recepiſſet gratiam, dixit: Vadas, verras tuam domum, ſcilicet conſcientiam, & ſis bonus Chriſtianus. Agitur annus XLIV.

manum contractam rogatus reſtituit.

EX MS. PROCES. CONSENT.

ANNOTATA.

a *Ita ecgraphum Italicum: Latinum ſimpliciter habet*, per locum; *forte quia interpres* Locarum *nullum noverat.*

b Filidriſſam *in vulgari haberi notat Latinus interpres, ipſe* Filichicam *vertit, quod non intelligo: ſcio autem Calabricam linguam majori ex parte Græcam eſſe, ut ex* φύλλον folium, δρῦς quercus, φυλλιδρῦσσα *poſſit compoſitum credi.*

CAPUT IV.

Miracula à teſtibus Paulanis duobus juramento firmata.

E

fornacem calcariam ardentem ingreſſus reparat;

30 Die XVII Iulii, Venerabilis Dominus Joannes Antonachius, ſuper hono dixit, quod cum Fr. Franciſcus exorſus eſſet ædificium monaſterii in Paula, fecit fornacem quamdam in qua coqueretur calx. Cumque fornax eſſet petris onuſta & accenſa igne, cadebat: miniſtrique ad coquendam d. calcem deputati, cognoſcentes ſe ſolos caſui dictæ fornacis non poſſe auxiliari, vocarunt d. Fr. Franciſcum dicentes, Pater, veniatis, quia fornax calcis cadit. Qui cum illuc veniſſet, dictis miniſtris dixit, quod irent jentatum: ſicque illos licentiavit & ſolus remanſit. Qui reverſi invenerunt d. Fr. Franciſcum manus mundantem, fornacemque integre aptatam, tamquam ſi nunquam fuiſſet fracta. Quod circumſtantes omnes magno miraculo adſcripſerunt, prout ipſe teſtis audivit ex ore dictorum miniſtrorum. Item ſcit ipſe teſtis, d. fornacem calcis non fuiſſe ejus magnitudinis, quod potuerit inde fieri tantum ædificium, quantum factum fuit: creditque ipſe teſtis hoc adſcribendum eſſe orationibus d. Fr. Franciſci.

F

extinctos titiones ardere ſolo flatu facit.

31 Item dixit, quod cum ſemel quadam die iret cum magiſtro ſuo ad eccleſiam, quam d. fr. Franciſcus ædificaverat, cauſa dicendi Miſſam, cumque non haberet ignem; ipſe teſtis petiit à d. fr. Franciſco, ubinam vellet accipere ignem. Qui reſpondit: In caritate, videas, quia in titionibus illis, qui erant in angulo capellæ, erit ignis. Ipſeque teſtis ivit, & bene inſufflavit d. titiones, & non inveniens ignem rediit ad d. fr. Franciſcum, dicens: Pater, non eſt ignis in titionibus illis. Ipſeque repetiit, Imo, in caritate, eſt ignis. Sicque d. Fr. Franciſcus accepit illoſmet titiones, quos ipſe teſtis viderat & inſufflaverat: quos cum ille inſufflaſſet, ſtatim accenſus eſt ignis; accenſaque candela, dixit Miſſam.

titionem ardentem innoxie tractat;

32 Item dixit, quod cum d. Fr. Franciſcus loqueretur cum quodã Presbytero, advena ultramontano; diceretque ei, quod quædam herba haberet virtutem quamdam; d. Presbyter, quaſi incredulus, replicavit d. Fr. Franciſco, dicens ei: Quomodo ſcitis hanc herbam habere virtutem? Cui reſpondit Fr. Franciſcus: Nonne ſcitis, quod illi qui Deo perfecte ſerviunt & ejus mandata obſervant, ipſæmet herbæ manifeſtant virtutes ſuas. Sicque inter loquendum conduxit;

EX MS. PROCESSU CONSENT.

conduxit d. Presbyterum uſque ad coquinam, ubi ipſe fr. Franciſcus apprehendit quemdam titionem ignis accenſum, ſtrinxitque manibus fortiter, dixitque ipſi Presbytero: Iſte ignis ad quid aliud eſt creatus, niſi ut det obedientiam homini? Cumque per aliquod ſpatium temporis d. ignem manibus tenuiſſet, repoſuit eum ubi prius erat. Dictuſque Presbyter, viſo tali miraculo, rogavit eum, ut indueret ipſum habitu ſuo: quod d. fr. Franciſcus renuit facere: ſed dixit ei, quod iret ad locum S. Franciſci in Coſentia, ibique indueret habitum & faceret profeſſionem per unum annum, & poſtea ad ipſum rediret. De cauſa ſcientiæ: quia interfuit, vidit & audivit. De loco: in Paula. De tempore: agitur annus *a* XLIII vel circa.

a mutum loqui,

33 Item ſcit ipſe teſtis, quod die quodam, cum eſſet cum d. fr. Franciſco, in loco ubi inchoaverat monaſterium; cumque deſignaſſet locum, in quo volebat facere aliam fornacem ad coquendam calcem; fuit præſentatus quidam, qui numquam fuerat locutus: quem d. fr. Franciſcus duxit intra eccleſiam, dixitque ei: Dic, Jeſus, ter. Qui mutus dixit, Jeſus, aperte, & receſſit ſanus. Die ſequenti redierunt cum Mag. Antonio de Donato de S Lucito, ut faceret fornacem calcis: inveneruntque agrum illum, quem pro d. fornace ipſe fr. Franciſcus deſignaverat, per ſe fuiſſe depreſſum, adeo ut non oporteret facere foveam: ſicque inceperunt facere calcem.

terram pro fornace ſtruenda ſubſidere,

B

fabas abſque igne percoqui facit.

34 Item, dum d. calx fieret, ipſe fr. Franciſcus converſus ad quemdam fraterculum, dixit ei: Vadas & coquas pugnum fabarum, quo poſſit jentare magiſter Antonius. Et d. fraterculus ivit & poſuit ollam ad focum ſuper cineribus ſine igne, oblituſque fuerat accendere ignem. Cumque veniſſet hora comeſtionis, d. fr. Franciſcus conduxit ipſum magiſtrum ad coquinam, cum quibus ivit ipſe teſtis. Dixitque fr. Franciſcus, Extrahas has fabas, quo comedat mag. Antonius: qui & dictus teſtis riſerunt, videntes ollam ſine igne. Dictuſque fr. Franciſcus appropinquans ollæ, diſcooperuit eam: videruntque ipſe teſtis & d. Mag. Antonius quod bulliebat: ſicque dedit ad comedendum d. mag Antonio. Et ipſe teſtis & mag. Antonius appropinquaverunt foco, ut viderent experientiam: inveneruntque focum ſolum cum cineribus frigidis. De cauſa ſcientiæ, loco & tempore, ut ſupra.

C

aliquem pice bullientis perfuſum in ſpiritu cognoſcens,

35 Item dixit, quomodo quidam Joannes Brogno, volens attollere quoddam ahenum, plenum pice bullienti, deſuper quamdam navicelam, projecit ſibi dictam picem bullientem, non ſolum in faciem, ſed etiam in totum pectus: ita quod quicumque eum videbat, dicebat, quod propter dictam picem remanſurus eſſet *b* vultu deformato. Itaque unanimiter attulerunt eum in monaſterium, quod d. Fr. Franciſcus ædificabat, diſtans à loco hujus caſus per milliare. Cumque applicuiſſent, invenerunt d. fr. Franciſcum, qui præparaverat quoſdam ſuccos herbarum pro remedio d. patientis. Dixitque, quod non erat poſſibile, quod ad d. fr. Franciſci notitiam potuerit tam cito caſus perveniſſe: ſed credit ipſe teſtis, quod præſciverit illum ex gratia divina. Cumque dictos ſuccos herbarum impoſuiſſet faciei & pectori ejus, tenuit eum penes ſe circa octo vel novem dies: poſt quos dimiſit eum ſanum & politum, tamquam ſi numquam læſus fuiſſet & abſque omni penitus macula. De cauſa ſcientiæ: quia vidit, interfuit & audivit. De loco: in *c* Paula. De tempore: agitur annus XLV. Preterea credit ipſe teſtis, quod d. fr. Franciſcus ſit mortuus virgo: quia à puero intravit monaſterium, & ſemper perſeveravit in vita ſancta.

b

ad ſe venturo remedium parat.

36 Eodem die XVII Iulii Ioannes de *d* Simeono dixit ſe ſcire, quod cum ipſe & mag. Dominicus Virgo-pia eſſent in monaſterio Paulæ, quod ædificabat d. fr. Franciſcus, dixit ad ipſum teſtem & mag. Dominicum: Eatis, & dicatis fr. Stephano, quod afferat mihi unum titionem accenſum & candelam unam, quia volo accendere lampadem. Sicque ipſe teſtis & mag. Dominicus iverunt ad d fr. Stephanum, dixeruntque quod afferret titionem accenſum & candelam. Cumque rediiſſent ad d. fr. Franciſcum, accepit chordam lampadis, ut eam dimitteret & illuminaret. Cumque eſſet d. lampas circa medium deſcenſus, per ſemetipſam accenſa eſt, abſque aliqua candela vel igne. Cumque d. teſtis & mag. Dominicus hoc miraculum vidiſſent, quod ex ſe accenſa fuiſſet lampas; dixit mag. Dominicus: O pater, videatis, quia lampas per ſe eſt accenſa. Dictuſque fr. Franciſcus dixit: Sat eſt quod vidiſtis. Agitur annus LX.

D

d Teſt. 7

Lampadem per ſe accendi facit.

37 Item dixit, quod quidam nomine Caſellus, cum cecidiſſet ex quodam alto loco, impegit caput in vitem quandam, illudque fregit adeo graviter, quod erat ſemimortuus. Videnſque fr. Franciſcus iſtum cecidiſſe, cucurrit & brachiis ſuis eum intra eccleſiam portavit, ſuxitque ſanguinem capitis, poſuitque eum ſub altari, ligavitque quibuſdam pannis lineis; ſtatimque ſanus, ſicut prius, rediit domum. De cauſa ſcientiæ: quia vidit & interfuit. De loco & tempore, ut ſupra.

ex caſu graviter læſum ſanat,

E

38 Item dixit, quod cum in loco, ubi fr. Franciſcus ædificabat monaſterium, ipſe etiam teſtis laboraret, eſſetque maxima penuria panis, quia in Paula non inveniebatur; ipſeque cum aliis laborantibus murmuraret, quia non ſuppeteret eis panis; d. fr. Franciſcus acceſſit ad eos, dixitque: Credo quod frater corpus indiget cibo. Et cum per ſpatium horæ eſſent operati, vidit ipſe teſtis cum aliis operariis unam beſtiam, cum duobus ſaccis plenis pane. Tuncque d. fr Franciſcus vocatis attulit unde jentarent, & veſperi dedit eis ſufficienter panem: eratque d. panis, tamquam ſi tunc fuiſſet extractus de fornace. Ipſeque teſtis nullum vidit qui dictum panem attuliſſet, adeoque credit fuiſſe divina operatione illuc allatum. De loco & tempore, ut ſupra.

panem divinitus miſſum accipit,

39 Item dixit, quod cum ad putandum vites iviſſet, incidit ſibi genu, inflataque eſt ei coxa, adeo quod per octo vel decem dies non potuit incedere nec ponere pedem in terra. Quare die quadam acceſſit plane ac pedetentim ad d. fr Franciſcum, oſtenditque ei d. crus inflatum. Sicque d. fr. Franciſcus impoſuit parum unguenti, & poſtea fecit eum ad quamdam ſphæram ſolarem ſedere: & illamet hora fuit ſanatus, miſitque eum ad portandum ligna, veluti ſi ſemper fuiſſet ſanus. De loco: in Paula. De tempore: agitur annus XL.

teſtis genu inciſum ſolidat.

F

ANNOTATA.

a *In MS. eſt* LXIII, *ſed hoc manifeſtum mendum, ex antecedentibus & conſequentibus arguendum, correximus.*

b *MS. Latinum*, quod eſſet manſurus mancus facie: *ſed Italicus originarius textus commodiorem patitur verſionem.*

c *Ita habet textus Italicus jam ſionatus, Latinus vitioſo* Paternum *notat, temporis ratione repugnante.*

d *MS. Latinum* de Simoneo.

CAP.

A

CAPUT V.

Aliquot Teſtes XVIII *Iulii examinati.*

Teſt. 8 *Os oculoſque diſtortos reſtituit.*

38 DIe XVIII menſis Julii, D. Magarita de Baccaro dixit, quod cum projiceret quodam veſperi aquam ante portam domus, torſit os & oculos, adeoquod quaſi retro caput iverant: ſicque cum pater & fratres dictæ Margaritæ eam ad fr. Franciſcum duxiſſent; cum primum eam vidit, dixit: Accipiatis parum illius herbæ, quæ eſt ante monaſterium, quod ædificabat, quæ vocatur *a* cercimita, & imponatis capiti ſuccum, & poſtea frondes coctas: & Dominus Deus concedet ei gratiam priſtinæ ſanitatis. Quo remedio facto, illamet die fuit ſanata ſicut prius, abſque aliqua læſione vel tormento. Dictaque teſtis tenet pro certo, quod fuit ſanata propter orationes & virtutes d. fr. Franciſci, & non propter herbam. De loco: in Paula. De tempore: agitur annus XL. *Idem depoſuerat ante num.* 35, *teſtis præcedens, dicitque hanc Margaretam neptem ſuam fuiſſe, ſeque vidiſſe curationem mali, cui medici nulli auxiliari potuiſſent.*

a

Teſt. 9

B

39 Eodem die magiſter Dominicus de Virgopia dixit *idem, quod ſupra num.* 34 *Ioannes de Simeone: de tempore dicens agi annum circiter* LV. Item dixit quod cum d. teſtis veniret à Paterno cum d. fr. Franciſco, unde venerant à capiendo loco pro ædificio loci, quod in præſens eſt conſtructum, redirentque Paulam; diſceſſerunt nocte cum tæda accenſa, quam portabat ipſe teſtis, cum alio ſocio qui eſt defunctus. Dictuſque fr. Franciſcus portabat unum fruſtum tædæ abſque igne, & circumdedit illud quodam filo & impoſuit pectori. Cumque tranſirent per Tazzanum *b* caſale Coſentinum, invenerunt ibi mulierem quamdam, quæ per tres dies non poterat parere. Rogatuſque à vidua quadam quod vellet ſuccurrere neceſſitati parturientis, poſuit manum ad pectus ubi repoſuerat tædam; extraxitque candelam: adeo quod ipſe teſtis habet pro certo, quod tæda, quam in pectore repoſuerat, converſa ſit in candelam: cum d. teſtis non viderit ipſum fr. Franciſcum imponere candelam ad pectus, nec ulterius viderit tædam quam repoſuerat. Quam candelam dedit d. viduæ, & dixit: Vadas & ponas candelam hanc ſuper parturiente, quia confeſtim liberabitur. Sicque d. fr. Franciſcus & ipſe teſtis diſceſſerunt, & venerunt Paulam noctu. Agitur annus XL *c* circiter.

Tædam ligneam in cereum commutans,

b

parturienti ſuccurrit.

c

C

40 Item dixit, quod cum duo viri laborarent in monaſterio, quod ædificabat, foderentque terram quamdam; vix effoderant tres paſſus, quod ipſe ager cecidit, & cooperuit duos illos operarios. Cumque terra illa eſſet magna, non poterat cognoſci, qua via illis poſſet ſubveniri, qui jam habebantur pro mortuis: ſicque vocarunt fr. Franciſcum. Qui cum veniſſet, videns d. terram ſuper illis operariis, dixit quibuſdam aliis quod foderent in duabus partibus ubi ipſe oſtendebat: ſicque inter fodiendum invenerunt ambos operarios ſanos. *d* Quod ipſe teſtis & omnes alii reputarunt pro magno miraculo, conſiderata quantitate terræ, quæ ſuper eos ceciderat. De loco & tempore, ut ſupra. Item dixit, quod cum fabricaret murum quemdam monaſterii, cujus bona pars conſtructa eſt ſuper rupe quadam; quodam die, cum ibi eſſet cum multa gente, videbatur totus murus ille velle ruere. Quod d. fr. Franciſcus videns, dixit, Jeſus; fecitque ſignum Crucis: firmatuſque eſt murus ſicut in præſens apparet.

duos terra obrutos ſalvat:

d

murum ruentem ſigno Crucis ſuſtinet:

41 Item dixit, quod ipſe teſtis, cum quadam die laboraret in monaſterio ut conduceret aquam pro facienda terra aquaria; d. fr. Franciſcus laborabat ſubtus ipſum teſtem. Cumque ipſe teſtis eſſet coactus deturbare quemdam magnum lapidem, dixit ipſi fr. Franciſco quod diſcederet, quia petra poſſet ei facere magnum malum. Ipſeque fr. Franciſcus dixit ei, quod intenderet labori ſuo, & permitteret lapidem cadere. Cumque d. teſtis hoc ſæpius repliçaret, ipſeque nollet diſcedere, d. petra cecidit & percuſſit pedem d. fr. Franciſci, ita quod ipſe teſtis crederet, quod ipſe fr. Franciſcus fuiſſet factus mancus pede vel crure, & clamans cucurrit verſus ipſum. Dictuſque fr. Franciſcus dixit ei, quod nihil mali ei fecerat: oſtenditque ei pedem ſanum & politum, quem ipſe teſtis credebat ipſi medium fregiſſe. De loco: in Paula. De tempore: agitur annus XL circiter.

EX MS. PROCESSU CONSENT. *cadentem ex alto lapidem illæſus excipit.*

42 Eodem die XVIII Julii, Bartolus de Perri, de terra Paulæ, dixit, quod cum ipſe teſtis haberet bovem, cui erat oculus corruptus & totus albus, adeo quod per integrum menſem nihil viderat; conduxit eum ad d. fr. Franciſcum ante monaſterium Paulæ: quem cum vidiſſet, reſpexit terram, dixitque ipſi teſti: Accipias parum herbæ, quæ eſt hic ante locum, vocatæ tuffa; & imponas parum ſucci d. herbæ ejus oculo; fietque ei gratia ſalutis. Sicque ipſe teſtis, accepto d. herbæ ſucco ut eam oculo bovis immitteret, perterrefactus eſt bos adeo, quod credit nihil ſucci ad d. oculum perveniſſe: & illomet die ſanatus fuit, tamquam ſi numquam ægrotaſſet. De loco: in Paula. De tempore: agitur annus XL.

Teſt. 10 *Oculum bovis ſanat:*

e

E

43 Item dixit, quod cum haberet fratres duos infirmos in Paula, profectus eſt Paternum, ubi d. fr. Franciſcus degebat, narravitque ei fratrum ſuorum infirmitatem: cui ipſe reſpondit: Unus ex fratribus tuis, cui nomen eſt Lucas, conſequetur à Domino gratiam ſalutis: alterum vero, cui nomen Nicolaus, Deus vocabit ad ſe. Vade, quia d. Lucas ſanus erit: Nicolao vero dicas, quod mundet domum, videlicet conſcientiam. Reverſus ipſe teſtis Paulam, comperit d. Lucam ſanum: alter vero, videlicet Nicolaus, quinto aut ſexto die poſt obiit. Agitur annus XXXV.

alterum mortuum, alteri ſanitatem prædicit.

44 Eodem die Lucas de Perri de Paula, dixit, quod mater ſua paritura, tres dies & noctes continuos parturiit, & per unum diem & noctem amiſit loquelam: obſtetriceſque, quas duas partui ſuo aſſiſtentes habebat, tenebant eam pro mortua. Quare ipſe teſtis lacrymans fr. Franciſcum acceſſit, dixitque: Pater, mater mea non poteſt parere, eſtque fere mortua: amore Dei detis remedium aliquod, & rogetis Deum pro ejus liberatione. Cui d. fr. Franciſcus reſpondit: Ne lacrymeris: vadas cum Deo, quia nondum eſt tempus pariendi. Sicque d. teſtis rediit domum, comperitque matrem ſuam non loquentem: obſtetriceſque ſciſcitatæ, ſunt ab eo, quidnam fr. Franciſcus dixiſſet. Reſpondit ipſe teſtis, ipſum dixiſſe, nondum eſſe tempus pariendi. Quo audito obſtetrices dixerunt: Iſta mortua eſt, non indigemus amplius tempore. Rediit iterato d. teſtis ad ipſum fr. Franciſcum, dixitque ei: Pater, mea mater eſt fere mortua: in caritate, detis remedium aliquod. Cui d. fr. Franciſcus reſpondit: Vade, quia hinc ad horam pariet. Sicque ipſe teſtis rediit domum, & ab eo iterato ſciſcitatæ ſunt obſtetrices, quidnam d. fr. Franciſcus dixiſſet. Quibus reſpondit eum dixiſſe, adhuc ſupereſſe horam ad tempus partus. Reſponderunt obſtetrices: Jam mortua eſt: non indigemus hora vel alio tempore. Rediit d. teſtis ad fr. Franciſcum lacrymans, dixitque: Pater, mater mea jam debet eſſe mortua. Cui fr. Franciſcus reſpondit: In caritate, ne lacrymetis: vade, quia jam peperit filiam. Sicque d. teſtis rediit, comperitque

Teſt 11 *Filio pro matre parturiente ſolicito*

F

eaque deſpe rata ſæpe eunti at redeunti,

tandem dicit peperiſſe.

EX MS. PROCESSU CONSENT.

ritque matrem peperiſſe filiam, ſuperaſſeque dolores & pericula. Creditque ipſe teſtis d. fr. Franciſcum ſciviſſe hoc ex viſione Angelica & non aliunde: quia ipſe teſtis tunc aſſidue ad locum d. fr. Franciſci ex domo ſua ibat, nulluſque ei unquam factus eſt obviam. De loco: in Paula. De tempore: agitur annus XL.

coxam arefactam

45 Item dixit, quod cum haberet coxam ſiccatam, quod dicebant eſſe ſciaticam; cumque à multis mulieribus medicaretur; numquam potuit ſanari, jacuitque in lecto per tres menſes, expenditque pecuniam & bona multa dictis mulieribus. Cumque nullo pacto poſſet ſalutem recuperare, mater ipſius teſtis tulit eum in collo ſuo ad locum ubi fr. Franciſcus habitabat: nam ipſe teſtis non ſolum non poterat incedere, ſed nec pedē quidem in terra ponere. Inveneruntque d. fr. Franciſcum ſuper monaſterio fodientem quamdam rupem, ut ibi Crucem poneret. Et cum primum eos vidit, dixit: Eatis, expectetis me in loco. Qui iverunt, & d. fr. Franciſcum in loco expectaverunt. Quo cum veniſſet, impoſuit igni ahenum quoddam magnum, plenum aqua & cinere, ad bulliendum: qua calefacta lavit coxam ipſius teſtis, videbaturque eſſe frigida, ſicut roſa: & die ſequenti inventus eſt ſanus, ſicut prius. De loco & tempore, ut ſupra.

ſimplicī aqua lotione ſanat:

B

46 Eodem die XVIII Julij, D. Bella, uxor quondam Joannis Brogni, dixit, *quod ſupra num.* 35 *de marito ejus pice bulliente per faciem pectuſque conſperſo, narratum eſt.* Item dixit, quod cum ipſa teſtis in quadam feneſtra ſua eſſet, cecidit ex ea, fregitque brachium integre, adeo quod os exilierat. Cumque per octo continuos menſes feciſſet à medicis quibuſdam curari, remanſit quoddam fruſtum oſſis, quod non potuerat extrahi: & ideo non convaluit, quia non poterat manu libere uti. Quare miſit quemdam, nomine Angelum, ad fr. Franciſcum, qui tunc erat in Paterno; fecitque ei exponi caſum, qui ſucceſſerat; & quemadmodum remanſerat fruſtum oſſis, quod non potuerat à medicis extrahi; ipſamque eſſe manu adhuc læſam, quia non poterat eam levare. Cui d. fr. Franciſcus miſit quoddam emplaſtrum, quod malo imponeret: quo veſperi impoſito, ſequenti mane comperit fruſtum illud oſſis extractum, & manum ſanatam, omnique læſione liberam. Agitur annus XXXIII.

Teſt. 11 *manus manuſcripti reſtituit:*

♥

C

47 Eodem die, Nobilis Bernardinus Baldorius dixit, quod mutus, quem d. fr. Franciſcus ſanaverat, qui numquam fuerat locutus, de quo ſuperius facit mentionem D. Joannes de Antonuchio, teſtis VI, poſtquam fuit ſanatus, fuit ſervitor patris ipſius teſtis, ſanus & perfectiſſimæ loquelæ, ſervivitque ei per duos aut tres menſes. Agitur annus XL.

Teſt. 12 *mutū curat.*

ANNOTATA.

a Κερκὶς *arbor eſt, ex genere populi,* μίτος *folium: quid ſi ex his optuemur componi nomen* Cercimita?

b *In eccraphio Italico* Zaſſanum; *in tabulis Calabriæ* Teſſanum *eſt, duobus p. m. ad meridiem Conſentiæ.*

c *Non eſſe fruſtraneam hanc reſtrictionem, in vulgari additam, licet eam interpres Latinus omiſerit, patebit examinanti.*

d *Teſtis* 43, *rem eamdem narrans, in hoc variat, quod alterum eorum,* Florentinum *nomine, quem vidiſſe ſe dicit,* exiſtimaverint vere eſſe mortuum: ſed fr. Franciſcus acceptum eum in brachiis portavit ad cellam ſuam, & ſtatim fuit ſanatus.

e *Fortaſſis* Treffa, *de qua infra num.* 102.

CAPUT VI. D

Alij Paulani teſtes eodem die auditi.

Teſt. 13 *Piſces mortuos reſuſcitat,*

48 EOdem die XVIII Julii, Magiſter Petrus Genuenſis dixit, quod cum quidam ex loco Renda veniſſet Paulam ad d. fr. Franciſcum, unde per duodecim millia diſtabat attuliſſetque quoſdam piſces, in aqua dulci captos, è gula ſuſpenſos, dediſſetque eos dono d. fr. Franciſco, dixit: Videatis, quemadmodum teneamus captivos iſtos pauperculos. Et ſigillatim eos à corda, unde tenebantur ſuſpenſi, depoſitos conchæ aquæ impoſuit: qui depoſiti ſtatim cœperunt in aqua reviviſcere & jocari. Quod miraculum cum ipſe teſtis & alii adſtantes vidiſſent, videlicet quod piſces mortui reviviſcerent, cœperunt præ lætitia lacrymari. Agitur annus XL vel circa.

energumenam liberat,

49 Item dixit, quod cum quædam mulier de terra Reginæ, provinciæ Calabriæ, Bizianenſis dioceſis, circiter unum annum à maligno ſpiritu poſſeſſa, & ob ejus maleficia eatenus ligata, ad d. fr. Franciſcum fuiſſet conducta; fecit eam intra, eccleſiam duci, ſpiritumque malignum conjuratum à d. muliere ejecit, eamque ſanavit, rediitque Reginam ſalutis compos. De cauſa ſcientiæ: quia vidit & interfuit. De loco & tempore, ut ſupra.

E

lapidem ruentem cruce ſiſtit,

50 Item dixit, quod cum ipſe teſtis cum aliis operariis in monaſterio laboraret, ubi erat quoddam præcipitium, unde quidam lapis pondo trium cantarorum deturbabatur; videns hoc fr. Franciſcus, & timens magnum damnum, quod hominibus qui ſubtus erant poterat fieri, Cruce dictum lapidem ſignavit, invocans nomen Jeſu Chriſti: ſtatimque firmatus eſt lapis in ipſo præcipitio, nec ulterius proceſſit. De cauſa ſcientiæ, loco & tempore, ut ſupra.

a

candelas oratione accendit,

51 Item dixit, quod cum ipſe teſtis poſuiſſet candelas in altari, pro dicenda miſſa in monaſterio quod ædificabat, quæ non erant accenſæ in Miſſæ principio, d. fr. Franciſcus genuflexus ante dictum altare, tenens manibus candelam accenſam, oſtendit illam candelam candelis extinctis quæ in altari erant: & ſtatim ſunt accenſæ; quamvis ab illa quæ erat accenſa, non accederentur. De cauſa ſcientiæ, loco & tempore ut ſupra.

F

eademque ingentem lapidem loco movet.

52 Item dixit, quod cum in loco, in quo ædificare volebat monaſterium ſeu dormitorium, eſſet petra tantæ magnitudinis, ut vix à triginta hominibus poſſet tolli; cumque eam à quibuſdam operariis frangi faceret, numquam potuit nec frangi nec tolli: & cum à quodam operario malleo percuteretur, manum doluit; ideo blaſphemavit cordam S. Franciſci. Quare d. fr. Franciſcus confeſtim acceſſit ad dictos operarios, miſitque eos jentatum, clauſitque portas eccleſiæ, ſoluſque ibi remanſit. Cumque à comeſtione rediiſſet, invenerunt petram inde ſublatam, & in flumine quod ſuper dicto monaſterio eſt jacentem, remanſeratque ſola foſſa. Viſo hoc miraculo, ipſe teſtis & alii tenuerunt pro certo, fuiſſe verum miraculum. De loco & tempore, ut ſupra.

Teſt. 15

53 Eodem die XVIII Julii, Lucas Catarro, dixit *idem quod teſtis præcedens num.* 48, *addiſque de piſcibus jā reſuſcitatis, quod* manſerunt in aqua illa per duos aut tres menſes: *quodque ipſe teſtis* vidit & interfuit.

Teſt. 16 b

54 Eodem die Antonius de Alexio *b* de Paula dixit, quod cum ipſe haberet brachium contractum, adeo quod non poſſet ipſum extendere nec exercitium aliquod facere: cumque per menſem quaſdam lotiones & alia remedia feciſſet, nec tamen poſſet ſanari;

A *brachium contractum reparat,*

ſanari : adiit ipſe teſtis d. fr. Franciſcum, qui multa in quibuſcumqne perſonis miracula faciebat, comperitque eum facientem viam, qua poſſet ad monaſterium perveniri. Cumque ipſum vidiſſet, dixit: In caritate, tu nimium tarde ad monaſterium veniſti. In caritate, venias ad illud frequentius. Sicque tradidit ei ligonem, ut eo in via aptanda uteretur: quem una tantum manu accepit (nam aliam non poterat extendere) cœpitque velle ligone uti, & non potuit. Sicque d. fr. Franciſcus dixit ei: Vadas, in caritate, ad monaſterium, in quo eſt fr. Franciſcus de Majorana, faciaſque calefieri parum aquæ, redeaſque poſtea ad me. Acceſſit igitur ipſe teſtis ad d. fr. Franciſcum de Majorana, fecitque ſibi aquam illam calidam; ac poſtea reverſus eſt ubi erat d. fr. Franciſcus, petiitque ab eo licentiam: qui dimiſit illum ſanum & incolumem, veluti ſi numquam mali aliquid habuiſſet. De loco: in Paula. De tempore: agitur annus *c* xxxv. Item dixit *de fornace calcis ruente, & à fr. Franciſco operarijs dimiſſis reparata, prout ſupra num.* 10 *atque concludit*: Sicque dicta calx fuit cocta, ſuffecitque pro duabus aliis fornacibus calcis, tantum ædificium cum ea fuit conſtructum. In cauſa ſcientiæ: quia vidit & interfuit. De tempore, ex quo d. monaſterium fuit extructum.

c

B Teſt. 17 *mulierem à morbo caduco ſanat,*

55 Eodem die Jordanus Carincella de Paula, ſuper nono, omiſſis aliis, dixit, quod cum uxor ejus pateretur morbũ caducum circa tres aut quatuor menſes, profecti ſunt ad d. fr. Franciſcũ, ut ab eo peterent remedium pro ſalute d. uxoris ſuæ. Cumq; applicuiſſent ad monaſterium, invenerunt d. fr. Franciſcum ante portam; cui expoſuerunt infirmitatẽ, quam d. uxor ſua patiebatur. Dictuſque fr. Franciſcus duxit eam in cellulam ſuam, & dedit ei duas ficus, quas comederet, & parum vini: ſtatimque fuit ſana. De loco: in Paula. De tempore: agitur annus XL circiter.

7 annorum cæcitatem illuminat,

56 Item dixit, quod cum quidam cæcus ſeptem annorum, ob famam miraculorum, quæ d. fr. Franciſcus aſſidue faciebat, ex Amarantia loco provinciæ Calabriæ, ad ipſum veniſſet, eccleſiamque intraſſet; invenit ibi d. fr. Franciſcum, qui eum Cruce ſignavit. Poſtea genuflexus inter Miſſæ celebrationem exclamavit: Miſericordia, miſericordia. Sunt ſeptem anni quod non vidi, & nunc video Corpus Chriſti. Sicque ſanatus fuit, rediitque tamquam ſi numquam fuiſſet cæcus. In cauſa ſcientiæ, quia vidit interfuit & audivit. De loco & tempore, ut ſupra.

crure manicum

C

57 Item dixit, quod cum ipſi teſti ſuperveniſſet quidam dolor in crure, adeo quod illud non poſſet ponere in terra; quodam mane acceſſit ad d. fr. Franciſcum, dixitque: Pater, rogo, detis mihi remedium aliquod: quia crure hoc non poſſum incedere. Et reſpondit d. fr. Franciſcus: Tu fuiſti malus filius: quia heri cum matre tua verbis contendiſti; ſed cave ne hoc amplius facias. Et verum erat, quod præcedenti veſpere cum matre rixatus fuerat: tenetque pro certo ipſe teſtis, quod nullus ei dixerat, & quod inſpiratione divina id ſciret. Sicque vocatum ipſum duxit eum ad trabem quamdam, quam par boum non potuiſſent movere, dixitque: In caritate, affer trabem iſtam ad monaſterium. Reſpondit d. teſtis: Quomodo potero ego tantam trabem portare: præſertim cum crure uno ſim mancus? Reſpondit d. frater Franciſcus: Accipias illam, in caritate: quia portabis. Sicque d. teſtis acceptam trabem tulit ad monaſterium abſque aliquo faſtidio, fuitque crure in continenti ſanatus. De loco & tempore, ut ſupra.

facit maximam trabem portare.

Teſt. 18 58 Eodem die XVIII Julij, Nicolaus Caruſus dixit *idem quod teſtis* VI *num.* 30 *ſupra, additque quod fornax illa calcaria, à fr. Franciſco miraculoſe reparata, prius quam ruere inciperet*, per diem & noctem integram arſerat: *quodque ipſe & alij reverſi, invenerunt* EX MS. PROCESSU CONSENT. ſolidatam, adeo quod videbatur nova.

59 Eodem die Marinus Siſamis *d* dixit, quod cum ipſe haberet par boum, fr. Franciſcus dixit ei: In caritate accipias boves tuos, & eamus acceptum quoddam lignum pro campana *e* quadam, quod eſt in flumine Petrizi: eratque jam hora Veſpertina. Dixitque d. teſtis: Quomodo volumus ire acceptum lignum hoc campanæ, cum nox ſit? Reſpondit d. fr. Franciſcus; Eamus, in caritate: quia ſupereſt nobis tempus ad reditum. Sicque iverant ad locum ubi erat d. lignum, inveneruntque illud in flumine quodam, eratque impoſſibile ipſos duos poſſe lignum illud inde tollere & in planitiem deducere, quia erat magnum nimis. Quare ipſe teſtis dixit: Pater, non poſſumus nos duo lignum hoc nunc tollere, & in planitiem deducere. Reſpondit d. fr. Franciſcus: Vadas, in caritate, & facias ligamina pro ligando d. ligno. Sicque ipſe teſtis ivit ad d. ligamina faciendum: cumque rediiſſet, comperit fr. Franciſcum tuliſſe lignum illud in planitiem, & perforaſſe: quod d. teſtis bobus ſuis conduxit ad monaſterium, quod d. fr. Franciſcus ædificabat: applicueruntque illuc ſpatio duarum horarum. Credebatque ipſe teſtis ſe non poſſe redire ad noctem: dixitque præfatum lignum fuiſſe tantæ magnitudinis, quod vix decem homines potuiſſent illud à terra tollere: ipſeque ſolus illud in planitiem deduxit. De loco: in Paula. De tempore: agitur annus XL vel circa.

d Teſt 19 *grande lignum* *e*

ſolus in planitiẽ defert,

E *quod* 10 *viri vix potuiſſent.*

60 Eodem die XVIII Julij, Nicolaus Angelus de Perromezio de Paula, dixit, quod cum ipſe & quidam frater ſuus nomine Bernardinus, qui defunctus eſt, laborarent dum ſubjugare vellent boves; quidam bos oculum ejus cornu percuſſit, adeo quod omnes judicabant eum oculo illo orbum manſurum. Et cum ipſe teſtis conduceret illum ad monaſterium, ubi d. fr. Franciſcus erat, invenit eum in itinere cum quibuſdam Fratribus, qui viam aptabant. Et quamprimum eos vidit, ignorans nec videns caſum qui ſucceſſerat, dixit: Fuiſtis ſoluti de hodierno labore. Viſoque vulnere Bernardini, dixit: Habeatis patientiam. In caritate, veniatis mecum ad locum. Dictuſque teſtis cum fratre patiente iverunt cum d. fr. Franciſco ad monaſterium: quo cum perveniſſent, ligavit oculum ejus panno lineo, redieruntque Paulam. Die ſequenti, cum ad d. fr. Franciſcum rediiſſent, iterum eum vidit: & fuit ſanus melius quam prius, rediitque ad arandum. Agitur annus XXXVIII.

Teſt. 20 *oculum à bove læſum, ſanat,*

F

61 Item dixit, quod cum ipſe teſtis iviſſet ad colligendum pruna quædam in loco cujuſdam vicini ſui, cecidit de pruno: ex quo caſu factum eſt ei vulnus in modum crucis, admodum magnum & periculoſum. Cumque d. teſtis iret domum, comperit d. fr. Franciſcum in itinere aptantem viam. Qui cum vidiſſet ipſum teſtem, dixit ei: Sapiebantne tibi pruna? Alia vice non conſentias fratri corpori. Necdum ipſe teſtis aliquid de hujuſmodi caſu locutus fuerat, ſed credit ipſum divina inſpiratione ſciviſſe. Et duxit ipſum teſtem ad monaſterium, impoſuitque parum ſalis vel aluminis Alexandrini, ligavitque vulnus panno lineo, dimiſitque eum. Redeuntique ipſi teſti ſequenti die impoſuit eumdem pulverem, & in veſpere factus eſt ſanus, & omni læſione liber. Agitur annus XL.

& caſu vulneratum.

ANNOTATA.

a *Academici della Cruſca, in ſuo Vocabulario, interpretantur* Cantarum *certam quantitatẽ ponderis, quæ pro varietate locorum diverſimode æſtimatur: exemplum vero ponunt ex Marci Pauli hiſtoria, naves maximas appellante, quæ* 4000

EX MS. PROCESSU CONSENT.

cantharos portarent. Infra num. 124 *dicitur, quod* lapidem, ponderantem cantarum unum, *vix decem homines potuiſſent de terra tollere.*

b *Ætatis habita ratione, judico hunc Antonium habuiſſe ſibi cognominem filium vel ex fratre nepotem, qui fuerit maritus Brigittæ, ſororis S. Franciſci.*

c *Anno utique* 1477, *poſt inchoatam Paterni fundationem immediate ſequenti: Paterni enim rem eſſe geſtam indicat illud de via ducta; de qua rurſum tum in Proceſſibus non uno loco, tum in Supplemento num.* 14: *& tempus cum noſtra chronologia optime congruit.*

d *Latinum ecgraphum* Siſacius.

e Campana, *pro ſuggeſtu ligneo, rurſum occurret die* 7, *in Vita B. Vrſulinæ Parmenſis num.* 34.

CAPUT VII.

Aliæ Paulanorum teſtium depoſitiones.

Teſt. 21. *A morbo renum liberat teſtem*

B

62 EOdem die XVIII Julij, Andreas de Sancto dixit, quod cum pateretur morbum quemdam in renibus, adeo quod non poterat ſe erigere; cumque vellet incedere, manibus humi ſerpebat; quodam die pedetentim acceſſit ad templum S. Franciſci, ubi d. fr. Franciſcus erat; invenitque eum in medio cujuſdam fluminis frangentem lapides. Et cum primum ipſum teſtem vidit, dixit ei: In caritate, accipias hunc malleum, & quater percutias hunc lapidē. Reſpondit ipſe teſtis: Quomodo vis accipiam malleum, cum non poſſim? Reſpondens fr. Franciſcus dixit: Accipias, in caritate; quia poteris. Sicque d. teſtis pedetentim accepit malleum, & percuſſit petram, ac inde ad duos dies effectus fuit ſanus, tamquam ſi numquam fuiſſet infirmus. De loco, in Paula. De tempore, agitur annus XL.

eique filium moribundum ſervat

63 Item dixit, quod cum haberet filium infirmum, in periculo mortis conſtitutum; ivit cum ipſo infirmo ad fr. Franciſcum, ad habendum aliquod remedium. Ad quem cum perveniſſent, dixit eis: Eatis ad fontem illum, in quo cancrum inventum mihi afferatis. Iverunt ad dictum fontem, invenerunt cancrum, & attulerunt eum d. fr. Franciſco. Qui acceptum cancrum impoſuit manibus infirmi, factuſque eſt ſanus, rediitque domum ac ſi numquam fuiſſet infirmus. De loco & tempore, ut ſupra.

Teſt. 22 *cæcam illuminat,* a

C

64 Eodem XVIII Julij Joannes Petruzio a omiſſis aliis, dixit ſe ſcire, filiam Antonii Catalani, nomine Juliam, fuiſſe cæcam nihil penitus videntem. Cumque d. fr. Franciſcus diſceſſiſſet, iviſſetque Paternum, profectus eſt ipſe teſtis cum matre & patruo dictæ filiæ Paternum, geſtabantque brachiis d. filiam uſque ad locum d. fr. Franciſci, quem rogarunt ut impetraret gratiam pro d. filia. Erat tunc d. fr. Franciſcus in horto, incurvabatque ſe in terram, accepturus frondes cujuſdam herbæ: quas cum oculis d. filiæ impoſuiſſet, ſtatim fuit ſanata & priſtino viſui reſtituta. Agitur annus XXXV.

genu incurabile

65 Item dixit, quod cum ipſe teſtis pateretur ægritudinem in genu, adeo gravem quod non poterat ambulare; velletque ſequenti mane ire ad Flumen-frigidum, diſtans à Paula octo milliaribus, quo faceret ſibi remedium aliquod fieri à quodam medico ibi degente (qui medicus primo in Paula ægritudinem illam viderat, viſaq; fuerat ei adeo gravis, quod obſtupuerit clamaveritque, Nolo ægritudinem hanc curare) ipſeque teſtis vellet adhuc eum rogare quod curationem hanc aſſumeret; eodem mane quidam nomine fr. Franciſci dixit ei, quod non accederet ad medicum illum, ſed ad ipſum fr. Franciſcum. Sicque ivit, & oſtendit ægritudinem fr. Franciſco: qui impoſuit quamdam herbam, quam comedunt porci; dixitque: Habeas fidem in Deo: ſic convaluit paucorum dierum ſpatio. De tempore, ut ſupra.

D

& morbum letalem curat

66 Item dixit, quod cum ipſe teſtis eſſet infirmus ad mortem, cum nullum in Paula cognoſceret, miſit nuntium quemdam Paternum, ubi erat d. fr. Franciſcus. Qui nuntius nuntiavit ei ipſum teſtem mori. Dictus fr. Franciſcus miſit ipſum ad comedendum; cumque rediiſſet, dixit ei: Vadas, in caritate: quia Deus fecit gratiam d. teſti. Et illamet hora, qua d. fr. Franciſcus dixerat nuntio, quod Dominus feciſſet ei gratiam, d. infirmus ſanatus eſt in Paula. Agitur annus XL *b* circiter.

b

Teſt. 23

67 Eodem XVIII Julij, Lucas Zandella de Paula dixit, *de nepte ſua Iulia cæca, quod ſupra num.* 64 *narravit itineris ſocius Ioannes Petruzius; in eo varians quod neſcire ſe dicat, quidnam Franciſcus de terra acceperit, quo linivit oculos puellæ: concludit autem*, Ipſeque teſtis una cum matre & aliis (*videlicet Ioanne Petruzio & Andreæ Iaconio, quem etiam viæ comitem hic teſtis nominat*) redierunt læti & contenti de gratia accepta, dictaque Julia poſtea nupſit in Paula. Item dixit, *quod ab eodem Ioanne patruo ſuo, ad mortem infirmo, ut dictum num. precedenti, Paternum miſſus; audiverit ſanandum, ſanatumque invenerit.* Item dixit, quod cum dediſſet curiæ vineam cuſtodiendam in damnum civium, ſuperveniſſetque ei dolor in dorſo, ivit Paternum ad d. fr. Franciſcum. Cumque peteret remedium prædicti doloris, retulit ei d. fr. Franciſcus quidquid circa d. vineam fecerat, injunxitque ei quod omnia retractaret, ſanatuſque fuit à dicto dolore. Agitur annus XXXV.

dorſi dolorem tollit.

E

Teſt. 24 *annona caritatem prædicit,*

68 Eodem die XVIII Julij Andreas de Roſſano dixit, quod cum eſſet calceolarius, ſerviretque Profeſſis domus illius de officio ſuo, eſſetque bonus amicus d. fr. Franciſci: quodam ſero poſt Veſperas fuit vocatus à d. fr. Franciſco ad monaſterium. Ad quem cum acceſſiſſet, dixit ei fr. Franciſcus: Provideas de frumento pro anno præſenti, itidemque pro futuro pro ſemente. Reſpondit ipſe teſtis: Frumentum eſt tam vilis pretii ut vix æſtimetur: emitur tumulus pro quindecim granis. Reſpondit d. fr. Franciſcus: Facias quod tibi dico. Quare ipſe teſtis emit frumentum: & anno ſequenti tumulus frumenti ſex Carlinis vendebatur. De loco: in Paula. De tempore agitur annus XL. Item dixit quod multoties prædixit ei aliqua futura, quæ poſtea vidit, ſicut à d. fr. Franciſco ei fuerant dicta. Preterea ſcit uxorem ſuam ægrotaſſe in mamma, quam nullus medicus poterat ſanare: accedenſque ad d. fr. Franciſcum, poſt impoſitionem neſcio cujus rei, effecta eſt ſana. De loco & tempore, ut ſupra.

mamillam læſam curat.

F

Teſt. 25 *incendium nudis pedibus extinguit,*

69 Eodem die Antonius Migliariſius dixit, quod cum ipſe teſtis incendiſſet quaſdam ſepes ſiccas, ubi ager ſuus erat; dictuſque ignis eſſet adeo valide accenſus, quod totum illud territorium periclitabatur de incendio; d. fr. Franciſcus, qui parum diſtabat, accurrit, & pedibus nudis extinxit ignem, dicens ipſi teſti, quod periculum erat ne illo igne totum illud territorium incenderetur & deſtrueretur. De loco: in monte Paulæ. De tempore: agitur annus quinquageſimus & ultra. Item dixit de miraculo fornacis calcariæ quæ cadebat, ſicut ſupra ſcripti teſtes dixerunt, quia interfuit & vidit.

Teſt. 26 *amentem puellam ſanat.*

70 Eodem die Joannes Biunda dixit, quod cum ipſe teſtis haberet privignam, & illa ſemel ex quodam vaſe bibiſſet; torſit oculos, cœpitque clamare & inſanire, ac ſpumam ex ore mittere, adeo quod vix quatuor homines poterant eam tenere. Quare ipſe teſtis & alii privigni ſui conduxerunt eam Paternum ad d. fr. Franciſcum. Ad quem cum perveniſſent, cœpit loqui cum d. privigna, & aſperſit eam aqua ſancta, ſtatimque priſtinæ ſaluti fuit reſtituta, rediitque Paulam ſana. Agitur annus XXXV.

71 Item

A *juvat lignum attollere,*

71 Item dixit quod cum quidam privignus ſuus, nomine Nicolaus, feciſſet fieri lignum quoddam magnum, ut inde faceret proram c unius naviculæ: ipſeque teſtis cum tribus aut quatuor aliis & pari boum non poſſet tollere lignum à terra, eſſetque vicinus monaſterio quod d. fr. Franciſcus ædificabat; ivit d. Nicolaus ad monaſterium, ut aliquem inveniret qui eum juvaret; nullumque invenit præter fr. Franciſcum. Qui ſciſcitatus eſt à d. Nicolao, quidnam quæreret. Qui reſpondit, ſe quærere aliquem, qui auxiliaretur ei in tollendo quodam ligno. Qui d. fr. Franciſcus dixit: Eamus: quia cum nullus alius adſit, volo ego, in caritate, venire. Reſpondit d. Nicolaus: Quamvis vos ſolus veniatis, tamen non poterimus lignum illud tollere. Dixit fr. Franciſcus: Eamus, in caritate, quia poterimus. Sicque iverunt ubi d. lignum erat, ipſeque ſolus apoſuit manum, boveſque prædicti ſoli cœperunt abſque alio auxilio ambulare, traxeruntque lignum præfatum. Agitur annus XL.

quod plures vix ſublevaſſent.

energumenum liberat:

72 Item dixit, quod cum ipſe teſtis eſſet in monaſterio cum d. fr. Franciſco, venit quidam homo à quodam caſtro dicto Arena, diœceſis Squillacenſis, diſtante à Paula duabus diætis, qui à maligno

B

ſpiritu vexabatur, & à ſeptem vel decem hominibus fortiter ligatus (quia multa mala faciebat) portabatur. Cumque d. fr. Franciſco præſentaretur, dixit quod ſolverent eum. Qui reſponderunt: Si ſolvimus eum, faciet multa mala: dubitabantque de ejuſmodi ſolutione. Quod videns d. fr. Franciſcus, appropinquans illi ſolvit eum, manſitque firmus: poſteaque dedit ei tres ficus ſiccas, quas comederet: & paulo poſt duxit eum ſecum ad quoddam flumen, in altitudine poſitum: redieruntque poſtea ſimul, unuſquiſque onuſtus ligno pro fabrica d. monaſterii: & ex tunc d. dœmoniacus ſanatus eſt, rediitque domum cum perfectiſſimo ſenſu & ſanus. Agitur annus XL vel circa.

Teſt. 27. *oculum læſum,*

73 Eodem die XVIII Julij, Petrus Ciſtarus dixit, quod cum ipſe mundaret agrum, quædam ſpica percuſſit ejus oculum, adeo quod nihil poſſet videre; ivitque Paternum, ubi erat d. fr. Franciſcus, rogans eum quod oculum ſanaret. Dictuſque fr. Franciſcus, converſus ad quemdam Fratrem, dixit: Vadas, & colligas parum herbæ albæ, videlicet abſynthii: quam, cum eris Paulæ, conteres in pulverem & impones oculo. Reſponditque d. teſtis, Pater, non

C

eſt neceſſe quod herbam hanc mecum hinc portem, quia Paulæ abundamus d. herba. Reſpondit d. fr. Franciſcus: Volo quod portes hanc, habeaſque bonam fidem, & vadas cum Domino. Diſceſſit ipſe teſtis, & antequam perveniret Paulam, nihil oculo imponens, ſaluti priſtinæ eſt reſtitutus. Agitur annus XXX vel circa.

Teſt 28 *& puerum moribundum ſanat.*

74 Eodem die Nicolaus de Bernardo de Paula, dixit ſe habuiſſe filium parvum, qui erat in periculo mortis conſtitutus: quem ipſe teſtis portavit ad d. fr. Franciſcum. Qui cum primum eum vidit, Cruce ſignavit & dimiſit: & illa eadem hora ſtatim ſanatus eſt. Agitur annus XL vel circa.

ANNOTATA.

a Petruccii *nomen ſequentia teſtimonia uniformiter habent & juxta illa correximus, quod hoc loco perperam ponebatur, in Italico quidem MS.* Stutzio, *in Latino* Sevezio; *& rurſum utrobique, juxta Teſtem 23,* Cichuzo.

b *Hanc reſtrictionem patitur locutio Italica* da quaranta anni: *& eam exigit tum res ipſa, tum Teſtis ſequens, qui ab infirmo patruo Paternum ſeſe miſſum deponit, & ſolum numerat* annos circiter XXXV, *ab eo tempore decurſos.*

c *Latinum ecgraphum male* proram & puppim, *cum in Italico originali ſit; una rota de ſagiſtia: quæ verba per conjecturam accipiens pro* prora unius naviculæ; *ne prorſus abeam à Latini interpretis verbis; relinquo Calabricæ linguæ peritioribus liberum de ipſa conjectura judicium; genuinam dictorum verborum interpretationem; quam Romanus Notarius aſſequi non potuit, libenter alibi acceptaturus.* EX MS. PROCESSU CONSERV.

CAPUT VIII.

Proſecutio Teſtium Paulanorum ejuſdem diei.

Teſt. 29 *De ſuperſtitione reprehenſos*

75 EOdem die XVIII Julij, Franciſcus de Rogato dixit, quod cum natum ei eſſet quoddam apoſtema in gula, quodam die invenit quemdam virum probum de Paterno, qui vidit apoſtema hoc natum, fecitque ſuper illo incantationes quaſdam, docuitque eum remedium quoddam cum cannis, quas poſtea deberet terra contegere. Cumque non poſſet illo remedio ſanari, acceſſit ad d. fr. Franciſcum: qui cum vidiſſet eum dixit: O, in caritate, tu erraſti, quod fidem remedio cannarum dediſti. Quod ipſe teſtis admodum ſecrete & nemine ſciente fecerat, creditque ipſum inſpiratione divina illud ſciviſſe. Miſitque eum ad medicum ſufficientem Coſentiam: qui viſo d. apoſtemate, dubitans de morte,

E *ſcindi facit apoſtema periculoſiſſimum.*

noluit ſe curatione illa impedire. Rediit ipſe teſtis ad ipſum fr. Franciſcum, narravitque quemadmodum medicus recuſaret curationem illam. Quare d. fr. Franciſcus fecit accerſiri alium medicum Paterni degentem, cui dixit quod d. apoſtema ſcinderet. Reſpondit medicus: Nolo illud ſcindere (quia periculoſum eſt, cum ſit in gula) niſi paternitas veſtra apponat manum. Quare d. fr. Franciſcus ſignavit digito locum, ubi apoſtema debebat ſcindi, præcepitque medico ut ibi ſcinderet: quod fecit & & curavit: paucorumque dierum ſpatio ſanatus eſt. Tenetque ipſe teſtis pro certo, ſe ſanatum ob virtutes & orationes d. fr. Franciſci, & non ob aliud: quia medici nolebant apoſtema ſcindere, niſi d. fr. Franciſcus manum apponeret. Agitur annus XXXV vel circa.

occulta peccata revelat

76 Item dixit, quod cum ipſe teſtis committeret ſecretiſſime quædam vitia, quæ credebat nullum præter ſolum Deum & ſe ſcire, iviſſetque ſemel ad d. fr. Franciſcum; dixit ipſi teſti: In caritate, caveas à tali vitio: nam ſi continuaveris, poterit tibi malus exitus obvenire. Quod intelligens ipſe teſtis, ſtupefactus eſt, tenetque pro certo ipſum illud divina inſpiratione ſciviſſe. De loco & tempore, ut ſupra.

F

& ſermones in via habitos,

77 Item dixit, quod cum ipſe teſtis ſemel proficiſceretur Paternum, ubi d. fr. Franciſcus erat, cum tribus aliis adoleſcentibus; inter itinerandum deſiderabat unus centum ducatos, alius ducentos, tertius octoginta, quartus neſcio quid ſimile: erantque in hoc diſcurſu. Cumque Paternum applicuiſſent, quam primum d. fr. Franciſcus eos vidit, dixit eis: In caritate, melius eſſet quod inter itinerandum diceretis, Pater-noſter & alias orationes, quam quod quæreretis res mundanas: volebatis enim alius centũ, alius ducentos ducatos &c. melius enim eſſet pro vobis. Quæ verba cum de teſtis & ſocii ejus intelleXiſſent, mirati & attoniti ſunt, quod d. fr. Franciſcus ſciverit eis referre, quæ inter itinerandum dixerant. De loco & tempore, ut ſupra.

occultumque furtum,

78 Item dixit, quod cum fierent quædam trabes in Paterno, ubi erant multæ quercus; venit quidam vir à villa *a* Mangani, quæ eſt ſub ditione Cuſentina, & attulit fiſcellam plenam ficubus, quas collegerat in ficu cujuſdam ſui vicini. Cumque illas d. fr. Franciſco præſentaret, dixit ei: In caritate, tu erraſti: quia ficus iſtæ non ſunt tuæ, collegiſti enim

a

EX MS. PROCESSU CONSENT.

illas in arbore proximi: ſed quandoquidem eas attuliſti des ipſas iſtis operariis. Dixitque ei: Caveas ne hoc amplius feceris. Rediitque ille rubore plenus: credebat enim nullum id ſciviſſe. In cauſa ſcientiæ dixit: quia vidit, interfuit & audivit.

Teſt. 30 *Archipresbytero Lactaracenſi* *b*

79 Eodem die XVIII Julij, Antonius de Zarlo, de Paula, dixit quod cum quidam Archi-presbyter cujuſdam caſtri, *b* Lattaracum dicti, Biſignianenſis diœceſis, affinis ipſius teſtis pateretur ægritudinem quamdam in naſo & labro, quæ vocatur cancer, adeo quod ei conſumpſerat partem naſi & labri prædictorum; feciſſetque à diverſis medicis ægritudinem illam curari circiter unum annum, nec poſſet ſanari, imo malum gravius fieret; d. Archipresbyter hortatu ipſius teſtis venit Paulam, ubi d. fr. Franciſcus erat. Quo cum veniſſet, præſentavit ſe d. fr. Franciſco. Qui ipſo viſo, converſus ad quemdam Fratrem adſtantem dixit ei: Vadas, in caritate: accipias cyathum illum, qui eſt in cella, cui ineſt parum ſubſtantiæ. Qui cum rediiſſet cum cyatho, acceptam bombycem madefecit unguento vel aqua illa quæ erat in cyatho, impoſuitque naſo & labro d. Archipresbyteri; dixitque ei: Vadas, in caritate, & habeas fidem in Domino, quia faciet tibi gratiam: & cras mane deliberes in monaſterio hoc dicere Miſſam. Diſceſſit d. Archipresbyter & venit ad terram: & dimidia nocte tetigit naſum & labrum, ubi patiebatur malum; invenitque omnia ſana & abſque macula, ac ſi numquam ibi fuiſſet paſſus malum. Surrexitque de mane ſanus, ivitque ad dicendam Miſſam in monaſterio præfato, rediitque poſtea ad caſtrum Lattaracum ſanus & politus. Agitur annus XL vel circa.

cancrum, nares & labia abſumentem, tollit,

dolorem colli ſanat,

80 Item dixit, quod, cum ipſe teſtis haberet ſororem, quæ per duos menſes patiebatur malum in collo, adeo quod teneret caput demiſſum ſuper genua, nec poterat elevare caput, nec loqui, nec à diverſis medicis curata poſſet ſanari; ipſe teſtis conduxit eam ad monaſterium d. fr. Franciſci. Qui, ut primum eam vidit, dixit ipſi teſti: Vadas, colligas parum herbæ, quæ eſt vicina fornaci calcariæ, quæ vocatur Centauria, & afferas eam huc: quia ſpero Dominum, ſi habueritis fidem, facturum vobis gratiam. Quam herbam cum ipſe teſtis attuliſſet, d. fr. Franciſcus fecit petra contundi, & poſtea manibus ſuis impoſitam appropinquavit naſo d. infirmæ, dixitque quod eam fortiter odoraret. Qua odorata dormivit per horam: poſtea expergefacta levavit caput, rediitque domum ſana & abſque aliqua læſione. De loco & tempore, ut ſupra.

Teſt. 31 *& oculum vulneratum:*

81 Eodem die XVIII Julij, D. Petrus de Polita, dixit quod, cum quidam, nomine Bartholomæus Pecorarius, cæderet ligna; percuſſit ejus oculum lignum, adeo quod oculus coopertus erat ſanguine, & nihil illo videbat. Quem ipſe teſtis ad monaſterium fr. Franciſci conduxit: inveneruntque eum ante portam eccleſiæ. Qui, ut primum eos vidit, dixit: O, veniſtis huc præter voluntatem veſtram. Oſtenditque ipſe teſtis oculum d. Bartholomæi ſanguine coopertum d. fr. Franciſco. Qui oculo neſcio quid impoſuit, ligavitque panno lineo, fecitque eum jentare, ipſeque diſceſſit. Poſt comeſtionem d. teſtis ſolvit oculum ipſi Bartholomæo, invenitque eum mundum & ſanum, & melius ſe habentem quam prius: videbatque illo ſicut ante abſque aliqua læſione: rediitque domum ſanus & incolumis. De loco: in Paula. De tempore: agitur annus XLII.

Idem ipſemet Bartholomæus, infra num. 99, & teſtis XLIII *confirmans id ipſum, ita diſtinctius explicat modum curationis:* Et poſt comeſtionem duxit eum retro monaſterium, ſolvitque dictum pannum, fecitque eum aſpicere ſolem qui tunc oriebatur, dixitque: Vides nunc? Reſpondit ipſe teſtis: Pater, video. Signavitque eum Cruce, dimiſitque eum ſanum & incolumem, cernebatq; dicto oculo melius quam prius.

graviſſimam trabem loco movet,

82 Item dixit, quod cum ipſe teſtis iviſſet cum fr. Franciſco & decem aliis per ſonis in quadam navicula, ut caperent trabem, quam pro monaſterio fecerant fieri in quodam loco dicto *c* la Guardia; cumque illuc applicuiſſent, conduxerunt omnes trabes à ſilva ad mare, excepta una quæ ceteris major erat & in loco difficiliori ſita, ita quod impoſſibile eſſet ſimul omnibus eam ad littus adducere. Quod videns fr. Franciſcus dixit eis, ut irent ad comedendum. Qui iverunt comedere juxta quamdam aquam dulcem, aliquantum longinquam: reverſique invenerunt trabem illam inter alias, ipſumque fr. Franciſcum ſolum. Qui petierunt, quiſnam trabem illuc conduxiſſet. Reſpondit ipſe: Gratia & auxilium Dei. Et inter alios adſtantes quidam Antonius Bolotta inſtantius quærebat, dicens: Nos omnes ſimul non potuimus trahere hanc trabem, & hic nemo eſt præter te ſolum: quis ergo tibi auxiliatus eſt, ut eam huc conduceres? Dictuſque fr. Franciſcus reſpondit, quod eam gratia Dei conduxerat. Sicque tulerunt ſecum omnes trabes, veneruntque Paulam. De loco: in Paula, & in littore maris Cuſtodiæ Conſentinæ. De tempore: agitur quinquageſimus annus.

quam viri 10 movere nequiverant:

Teſt. 32 *pro ſanando cancro*

83 Die eodem XVIII Julij, Nicolaus de Jaquinta, dixit, quod cum ipſe teſtis ad quemdam Notarium, Thomam Piſſune, diſcendi gratia accederet; habebat fratrem quemdam, cui in facie ſupervenit ægritudo quædam admodum periculoſa, dicta cancer: miſeruntque ſtatim pro medico chirurgico. Qui cum veniſſet, dixit ſe non poſſe aliquid facere, niſi haberet palumbum. Cumque non poſſet d. palumbus, nec domeſticus nec ſilveſter, in terra illa inveniri, quia non erant ibi; dictus Notarius Thomas ivit cum d. teſte diſcipulo ſuo ad monaſterium ipſius fr. Franciſci: cui expoſuerunt neceſſitatem ſuam, & quod venerant cauſa habendi palumbum. Reſpondit d. fr. Franciſcus: Deus poterit providere. Et cœpit cum d. Notario Thoma per eccleſiam deambulare. Cumque bis deambulaſſent, tertio deambulaturis occurrit felis cum palumbo in ore, quem poſuit ad pedes d. fr. Franciſci. Qui acceptum illum dedit d. Notario Thomæ, dicens, Dominus providit. Ipſeque teſtis vidit d. palumbum fuiſſe ſilveſtrem, nec poterant palumbi tunc in monaſterio illo nidificare, quia illius ædificium erat tantum initiatum. Dictuſque Notarius Thomas cum ipſo teſte redierunt domum, afferentes palumbum: convaluitque æger ille. De loco: in Paula. De tempore: agitur annus LV vel circa.

miraculoſe facit columbam afferri.

Archip. Cuſentinum ſanat.

84 Item dixit, quod cum Archipresbyter Paulæ ægrotaret, haberetque medicos duos, unum Cuſentinum & alterum ex oppido S. Luciti, qui ipſi medebantur; videntes gravitatem infirmitatis ejus, deſperaverant de ipſius ſalute, nec credebant ipſum poſſe ſanari. Quare ipſe teſtis acceſſit ad d. fr. Franciſcum, expoſuitque ei infirmitatem d. Archipresbyteri, & quemadmodum medici de ejus ſalute deſperabant. Reſpondit d. fr. Franciſcus, nondum eſſe tempus ſui diſceſſus, & quod pro hac vice Dominus faceret ei gratiam: ſed dicatis ei quod bene mundet domum ſuam, videlicet conſcientiam: dicatis ei, in caritate, quod bene mundet. Duxitque ipſum teſtem ſecum, deditqe ei panes duos bis coctos, & folia duo cujuſdam herbæ, quæ deferret d. Archipresbytero infirmo. Quibus acceptis fuit ſanus, ſurrexitque à lecto incolumis & bene valens. Agitur XLII annus vel circa.

85 Item dixit, quod cum per duos annos poſt conva-

A convaleſcentiam hanc d. Archipresbyter ægrotaret, ipſe teſtis iterate acceſſit ad d. fr. Franciſcum, dixitque ei quemadmodum Archipresbyter iterum ægrotaret. Reſpondit fr. Franciſcus: O, hac vice non poteſt excuſare, quin hinc diſcedat: Dominus eum vult. Sed vadas & dicas ei, quod velit bene mundare domum ſuam, videlicet conſcientiam: nam nudius tertius dixit Miſſam, nec bene mundaverat domum ſuam. Dicatis ei, in caritate, quod velit bene mundare domum: nam Dominus eum vult, nec poteſt hac vice recuſare: præparet igitur bene conſcientiam ſuam. Reverſus d. teſtis conſolatus eſt ipſum infirmum, hortatuſque eſt eum ad commodum ſalutis ſuæ: qui mane ſequenti ex hac vita migravit.

& poſtea ejuſdem mortem prædicit.

ANNOTATA.

a Villa Mangani *diſtat Conſentia p. m.* 12. *Tabernas verſus: in tabulis* Mangono *ſcribitur.*

b *Ita MSS. in tabulis notatur* Lattaricum, *Reginæ oppido proximum.*

c Guardia *vicus, diſtat Paula verſus Septentrionem p. m.* 12. *Latinum ecgraphum perperam* la Guiarda: *ſed vera ſcriptio ibidem mox indicatur, quando pro voce Italica, Latina vox* Cuſtodia *ponitur.*

B

CAPUT IX.

Reliqui Paulani teſtes hoc die auditi.

86 DIe eodem XVIII Julij, Nicolaus de *a* Chirico, dixit, quod cum ipſe cum quadam navi, onuſta vino, Neapolim proficiſceretur; ſupervenit tempeſtas quædam quæ impedivit navigationem, fecitque illos Paulam retrocedere. Ubi cum ipſe teſtis ad terram deſcenderet, antequam iret Paulam, acceſſit ad monaſterium, in quo degebat fr. Franciſcus: quem ante portam eccleſiæ invenit. Et cum primum eum vidit, interrogavit ipſe fr. Franciſcus d. teſtem, unde veniret. Reſpondit ipſe teſtis: Proficiſcebamur Neapolim onuſti vino: & propter tempeſtatem, quæ ſupervenit, retroceſſimus. Dictuſque fr. Franciſcus d. teſtem manu apprehenſum duxit ſecum ad cellam, fecitque eum comedere, & poſt comeſtionem dixit ei: Nicolae, habeas patientiam: filius tuus ex hac vita migravit: nam Dominus eum apud ſe voluit. Quo audito d. teſtis cœpit lacrymari. Cui fr. Franciſcus dixit: In caritate, ne lacrymeris: quia hinc ad annum procreabis alios duos filios mares. Dictuſque teſtis rediit domum: & inde ad novem menſes peperit uxor ſua duos filios gemellos mares. Agitur XL annus vel circa.

a Teſt. 33 *Abſentia filij mortem indicat patri,*

& filios alios inſcius vovittit:

C

87 Die eodem Jacobus Carratellus dixit miraculum fornacis calcariæ cadentis, & piſcium mortuorum, qui revixerunt, quemadmodum teſtes ſupradicti depoſuerunt: quia vidit &c. Item dixit, quod cum habuiſſet circiter quindecim annos deſcenſum quemdam ad crus, acceſſit ad d. fr. Franciſcum, oſtenditque crus, rogans ut ei ſalutem daret. Dictus fr. Franciſcus ſignavit digito locum ægrum ad modum Crucis, & poſtea impoſuit quamdam herbam dictam *b* nepitam & mentam ſilveſtrem; ſequentique die fuit ſanus, ſicut etiam nunc eſt. De loco: in Paula. De tempore: agitur annus XL vel circa.

Teſt. 34 *mat crus male affectum:*

b

88 Eodem die D. Polyxena Cingona dixit, quod cum ipſa ſemel eſſet in monaſterio, quod d. fr. Franciſcus ædificabat, invenit eum facientem balneum quoddam pro infirmo. Cumque vellet aquam d. balnei calefacere, poſuit quaſdam petras ad ignem: quas bene accenſas & ignitas vidit ipſa teſtis d. fr. Franciſcum nudis manibus abſque aliquo inſtrumento capere; videbanturque verus ignis, adeo erant accenſæ. Portabatque eas per longitudinem cameræ, impoſuitque eas aheno: viditque poſtea quod propterea manus d. fr. Franciſci nullibi erant læſæ: ſed portavit petras illas acſi fuiſſent roſæ. De loco: in Paula. De tempore: agitur annus XL vel circa.

EX MS. PROCESSU CONSENT.

Teſt 35 *nitos lapides illæſus actat.*

89 Eodem die XVIII Julij, nobilis Jacobus Carbonellus, dixit ſe habuiſſe ſororem, nomine Claradomna: quę manibus & pedibus erat contracta, & per annum integrum non potuerat pedibus ſtare: aliuſque miniſtrabat ei cibum, alius vero potum, alius in lecto eam ponebat, & ſurgentem calefaciebat. Cumque parentes ejus pro ſalute ejus plurimum affligerentur, ultimo recordati fr. Franciſci, reprehenderunt ſemetipſos, dicentes, Advenæ innumeri ex tota provincia veniunt ad devotionem fr. Franciſci; & nos, qui eum in domo habemus, non acceſſimus ad ipſum. Eamus & rogemus ipſum, ut apud Dominum pro iſtius ſalute orationibus ſuis intercedat, vel capiat ipſe eam: nam non poſſumus eam ſic contractam tenere. Quapropter parentes ipſius teſtis filiam, brachiis ſervæ impoſitam, ad monaſterium fr. Franciſci conduxerunt: quem inventum rogarunt, ut apud Dominum pro ſalute filiæ intercederet, vel ipſe eam acciperet. Reſpondit fr. Franciſcus, quod haberent bonam fidem in Domino. Locutique ſunt per ſpatium aliquod de aliis rebus: ipſeque eam aqua benedicta, & in diſceſſu docuit eos, quod quaſdam urticas coquerent, & manibus ægræ imponerent. Et cum à monaſterio ad terram rediſſent, ægra fecit ſe à ſerva, quæ ipſam portabat, ad terram deponi, quo naturali neceſſitati ſatisfaceret: comperitque quod poterat per ſe pedibus ſtare; paulatimque melius ſe habens, ſanata eſt, ſupradicto omnique alio remedio poſtpoſito. Ipſeque teſtis deponit de cauſa ſcientiæ, quod videlicet viderit ſororem ſuam, ut præfertur, contractam, & poſtea ſanam: & miraculum factum circa hoc per d. fr. Franciſcum habet ex relatione quondam parentum ſuorum, quia ipſe non ivit ad monaſterium. De tempore agitur XXXVII annus vel circa.

Teſt 36 *contractam.*

c

D

90 Item dixit, quod cum quondam D. Franciſcus Carbonellus pater ſuus viveret, rogaverat ſæpe d. fr. Franciſcum quod teneret modum, quod terra, quam fodiebat ex monaſterio, quod ædificabat, non impediret uſum molendinorum ſuorum, quæ ſub monaſterio prædicto habebat. Cumque ſemper habuiſſet bona verba à d. fr. Franciſco, quodam die molendinarius renuntiavit dicta molendina ipſi D. Franciſco, dicens, ſe non poſſe uti illis, propter terram quæ à monaſterio prędicto decurrebat. Quod damnum conſiderans d. D. Franciſcus, acceſſit ad d. fr. Franciſcum admodum iratus. Cumque ad monaſterium perveniſſet, interrogavit quemdam Fratrem, ubinam eſſet fr. Franciſcus. Reſpondit, ipſum eſſe in cella. Dixitque D. Franciſcus ipſi Fratri, quod nomine ſuo d. fr. Franciſcum vocaret, quia volebat illum in eccleſia alloqui. Reverſuſque d. Frater, dixit fr. Franciſcum ſtatim venturum. Cumque d. D. Franciſcus in eccleſia per horam expectaſſet, miſiſſetque iterato ad d. fr. Franciſcum, & necdum veniret; iratus ſtatuit eum in cella convenire: quæ cella erat aliquantulum alta, adeoque ad ejus ingreſſum oportebat tres gradus aſcendere. Cumque d. D. Franciſcus eſſet in ultimo gradu, audivit quoſdam cantus & melodias ſuaviſſimas, quas reputabat Angelicas: ſtupefactuſque conſtitit, quo ſecurius illas audiret. Et poſtea volens ultimum gradum aſcendere, audivit continuari dictos cantus & melodias: ſtupefactuſque ſtatim rediit ad eccleſiam, Deo gratias acturus de his quæ audiverat. Inter illa ſtatim applicuit d. fr. Franciſcus: qui volens eum ad

Sancto iratus quidam

E

F

in cella ejus audit Angelicum cantum,

itaque placatur.

EX MS. PROCESSU CONSENT.

ad patientiam eorum quæ circa molendina erant gesta hortari, dictus quondam D. Franciſcus reſpondit ei: Pater, non eſt opus de molendinis aliquid loqui: faciatis ea quæ ſunt vobis facienda, & molendina vadant ad mare. In cauſa ſcientiæ, quia audivit ex ore patris, qui erat nobilis ſenex & bonæ vitæ, narravitque illud maxima cum admiratione quam primum applicuit domum. Agitur XL annus vel circa.

Teſt. 37 *S. Franciſco apparente eccleſiam majorem facere jubetur.*

91 Eodem XVIII Julij, Nobilis Antonius Mendolilla, dixit quod cum ipſe teſtis, una cum præceptore ſuo & aliis diſcipulis coætaneis ſuis, eſſet cum fr. Franciſco præfato in eccleſia monaſterii ſui, cujus eccleſiæ murus in parte erat factus; ſupervenit quidam Frater indutus habitu S. Franciſci, interrogavitque, quid facerent. Reſpondit d fr. Franciſcus ſe ædificare eccleſiam. Dixit Frater ille: Quæ eccleſia eſt iſta, quam ædificatis? nam eſt admodum parva. Reſponditque d. fr. Franciſcus: Quomodo volo eam ædificare majorem, cum non poſſim? Reſpondit Frater ille: Non curetis: Deus providebit. Fecitque demoliri murum factum, deſignavitque eccleſiam majorem, ſtatimque Frater ille diſceſſit, nihil dicens: ignorabaturque unde venerat, & quo ibat: adeo quod ipſe teſtis & ceteri omnes
B crediderunt, fuiſſe hominem miſſum à Deo. Et poſt paucos dies venerunt duo à villis Cuſentinis, dederuntque bonam ſummam ducatorum & armentorum pro fabrica d. monaſterii. De loco, in Paula. De tempore, agitur annus LX vel circa.

Teſt. 38 *dolorem auris & vomitum ſiſtit.*

92 Die eodem Antonius Caputus, dixit, quod cum ipſe iviſſet ad agrum ſuum, ut manipulos meſſis ad trituram duceret, ſupervenit dolor quidam ſub aure, adeo quod in terra velut mortuus cecidit. Cumq; portatus eſſet prope terram ſub loco fr. Franciſci, ivit quædam mulier ad ipſum fr. Franciſcum, narravitque ei caſum qui ſucceſſerat. Dictuſque fr. Franciſcus dedit ei quamdam radicem, quam deberet comedere, & admonuit quod haberet fidem in Domino. Cumque ipſe teſtis rediviſſet domum, cœpit vomere vomitu qui videbatur impoſſibilis: reverſaq; iterum ſupra dicta avuncula ſua ad d. fr Franciſcũ, narravit ei vomitum magnum ipſius teſtis. Dictuſque fr. Franciſcus dedit ei pulverem quemdam, dixitque ut illum ovo impoſitum daret ipſi ægro ad comedendum. Reverſa igitur ad ægrum, dedit illi comedendum pulverem illum in ovo, ſtatimque ſanatus eſt à d. vomitu & dolore, tenetque pro certo
C ipſe teſtis, ſe ſanatum primo virtute Dei, deinde orationibus d. fr. Franciſci. De loco: in Paula. De tempore: agitur annus XLV vel circa. Item circa miraculum ſuperius poſitum (*num* 52) quod videlicet fr. Franciſcus ſuſtulit ipſe ſolus à terra petram, quam vix potuiſſent decem homines tollere, dixit id quod teſtis XIV circa hoc depoſuit: quia vidit & interfuit.

Teſt. 39 *Inciſum pedem ſanat,*

93 Eodem XVIII Julij, Venerabilis fr. Franciſcus, Prior S. Auguſtini, dixit quod cum eſſet adoleſcentulus, fuit miſſus à Superiore ſuo ad lignandum in ſilva, & inter cædendum ligna percuſſit pedem ſecuri magna, inflixitque ſibi vulnus grave, inter pollicem & alium propinquum cum magna effuſione ſanguinis. Qui videns ſe ita vulneratum & debilem factum ex tali effuſione ſanguinis, redire cœpit; viditque fr. Franciſcum, geſtantem humero ſecurim, qui tendebat verſus ipſum teſtem: hic autem eo viſo vehementer gaviſus eſt. Cumque fr. Franciſcus ad ipſum teſtem perveniſſet, dixit ei: O fr. Franciſce, tu effudiſti multum ſanguinem. Reſpondit ipſe teſtis: Pater mi, cum cæderem ligna, incidi pedem, ſicut videtis. Dictuſque fr. Franciſcus accepto pede vulnerato d. teſtis dixit: Vide quid ſit ſancta obedientia: nam vulneraſti pedem ſecuri adeo magna,

obedientiæ tribuens quod nervus laſus non eſſet.

nec tamen incidiſti nervum aliquem, quod nullus barbitonſor cum novacula potuiſſet facere, quin incidiſſet nervos. Et hoc ita bene ſucceſſit, quia ſatisfeciſti obedientiæ Superioris tui. Sicque accepit quaſdam herbas, quæ erant in illo eodem loco, impoſuitque vulneri: ſtatimque ſanatus eſt, & incolumis ad Conventum ſuum rediit. De loco, in Paula & in ſilva. De tempore, agitur annus XL vel circa. D

apoſtema brachii curat.

94 Item dixit, quod cum ipſe pateretur apoſtema quoddam in brachio, adeo grave, quod per quinque dies non poterat dormire; acceſſit ad d. fr. Franciſcum, oſtenditque apoſtema. Dictuſque fr. Franciſcus impoſuit apoſtemati quoſdam pulveres, qui videbantur ipſi teſti fuiſſe tamquam aqua roſacea, ſtatimque priſtinę ſaluti eſt reſtitutus. De loco & tempore, ut ſupra.

Teſt. 40

95 Eodem die XVIII Julij, Venerabilis fr. Joannes de Andreotta, Ordinis S. Auguſtini, dixit quod miraculum illorum, quos terra oppreſſit, fuit verum, ſicut alii teſtes depoſuerunt (*num.*40) *item de Archipreſbytero, in labro & naſo cancrum patiente, de quo num.* 79: quia vidit, interfuit & audivit, loco & tempore ut ſupra.

ANNOTATA.

a *Ecgraphum Italicum*, de Chriſto. E

b Nepita *herba, vel ipſa eſt quæ Latinis Græciſque vocatur* Nepenthes, *vel quam iidem* Calamentham *dicunt; quæque ab Academicis della Cruſca Italice redditur* Nepitella.

c *In utroque ecgrapho ſcribitur* Chiaradopna, *juxta propietatem ſermonis Italici pro iſto tempore: viſum eſt tamen convenientius fore ſi juxta Latinæ linguæ ortographiam* Clara-domna *ſcriberetur.*

CAPUT X.

Teſtes Paulani die XIX *Julij adducti.*

Teſt. 41 *Pro patre moribundo*

96 DIe XIX menſis Julij, Nobilis Polinus Piſſonus, dixit quod cum ægrotaret quondam pater ſuus, nomine Notarius Thomas Piſſonus, adeo quod medici de ejus ſalute deſperaverant, nihilque oculis videbat, nec poterat comedere carnes contritas nec diſtillatum. Cumque eſſet redditurus ſpiritum Deo, d. teſtis accеſſit ad fr. Franciſcum, quem invenit loquentem cum matre ſua. Et cum vidiſſet ipſum teſtem lacrymantem, dixit ei: Quid lacrymaris? Reſpondit d. teſtis: Quia pater meus moritur. Dixit fr. Franciſcus: Ne lacrymeris. Sciſne Pater-noſter? Reſpondit, Neſcio. Et, Ave-Maria? Reſpondit, Scio. Dixitque ipſi teſti & cuidam puellæ, quæ cum ipſo erat, ut ante imaginem Crucifixi, coram qua eos genuflectere fecerat, diceret tantiſper, Ave-Maria, donec ipſe rediret. Reverſus itaque retulit tres panes biſcoctos & poma, deditque ipſi teſti portanda patri infirmo, dicens Pro hac vice non timeat: dicaſque ei, quod ſit bonus Chriſtianus, & habeat fidem in Domino. Cumque ipſe teſtis domum rediiſſet, dediſſetque patri ex parte d. fr. Franciſci panes illos biſcoctos & poma; inde ad horam petiit cibum, comeditque panes biſcoctos & poma; & inde ad tres aut quatuor dies fuit ſanus, ſurrexitque à lecto, ibatque ſicut prius. De loco: in Paula. De tempore: agitur XXXV annus vel circa. F

jubet orare liberos,

eumque ſanat:

Teſt. 42 *ægrum jubens terram fodere,*

97 Eodem die Antonius de Aduardo, dixit quod cum per tres menſes pateretur ægritudinem, vocatam malum frigidum, nec medicus aliquis potuiſſet eum juvare; acceſſit ipſe teſtis ad fr. Franciſcum, quem invenit projicientem terram effoſſam, ubi in præſens eſt ædificatum, & mutaverat alveum fluvii. Dictuſque teſtis dixit: Pater, ego jam per tres menſes

A ſes paſſus ſum malum frigidum, nec potui ſanari: rogo vos oretis Deum pro ſalute mea. Cui d. fr. Franciſcus: *a* [Accipe ligonem, & adjuva me. Reſpondit d. teſtis, Non poſſum propter morbum. Dixitq; ei fr. Franciſcus] Veni, in caritate: non cures: quia poteris. Incœpitque d. teſtis terram fodere per duas horas. Poſtea d. fr. Franciſcus dedit ei ciceres, quantum pugno poterat continere, & quamdam radicem, dixitque: Vadas, faciaſque iſta coqui, & comedas ea: quia Dominus fecit tibi gratiam. Diſceſſit d. teſtis, fecitque dictos cibos coqui: quos cum comediſſet, ſtatim ſanatus eſt, adeo quod numquam poſtea dictum malum ſit paſſus. De loco: in Paula. De tempore: agitur annus XL vel circa.

reſtituit ſanitati:

captura thynnorum infelici

b

98 Item dixit, quod cum quidam, nomine Notarius Petrus Barba, emiſſet [locum & facultatem capiendi cete, que vulgo in Paula dicuntur *b* tonina,] cumque iviſſet in d. loco piſcatum, concludebant cete retibus; & poſtea cum trahebantur, inveniebantur extra retia, adeo quod per menſem non potuerunt capere cete aliquod. Quare d. Notarius Petrus Barba dixit ipſi teſti; Vadas, rogo, ad fr. Franciſcum, & narres ei hoc; rogeſque, ut oret Dominum, quod poſſimus capere cete. Acceſſit igitur teſtis ad d. fr. Franciſcum, narravitque ei quemadmodum non poterant capere piſces illos. Ipſeque fr. Franciſcus dedit d. teſti quamdam candelam, quam deferret Notario Petro: dixitque, quod haberet fidem in Domino, quia caperent deinceps piſces. Portavit itaque teſtis d. candelam Notario Petro, aſcenderuntque naviculam cum d. candela, & fecerunt capturam piſcium adeo magnam quod non poterant trahere rete, ſemperque deinceps ceperunt multos piſces. De loco & tempore, ut ſupra.

benedictione ſuccurrit.

B

Teſt. 43

99 Eodem die XIX Julij, Bartholucius Pecoratus, *primum narravit quomodo oculus ſuus inter lignandum ab inſiliente aſſula graviſſime læſus, ſanatus fuerit prout ſupra num.* 81. Item dixit, quod cum ipſe teſtis iviſſet auditum Miſſam in templo S. Franciſci, percuſſus eſt apoplexia, amiſitque ſtatim loquelam, eratque fere mortuus: comburebantque pedes ejus, nec ſentiebat ignem appropinquatum pedibus ejus. Quare miſerunt quemdam ad fr. Franciſcum, tunc in Paterno degentem; qui ei caſum, qui ſucceſſerat, narravit. Reſpondit d. fr. Franciſcus: Deus juvit eum; quod dextero genu erat genuflexus: nam alias graviora fuiſſet paſſus. Accepitque res quaſdam, quas ipſi teſti miſit, dicens: Vadas & deferas ei iſta: quia Deus fecit ei gratiam. Reverſuſque ille impoſuit illas res ſuper teſte præfato, reſtitutaque eſt ei loquela, ſanatuſque & à d. infirmitate liberatus eſt: dictuſque teſtis ſcit ſe dexterum genu flexiſſe, quemadmodum fr. Franciſcus dixerat. De loco & tempore, ut ſupra.

apoplexiam curat:

C

Teſt. 44

rabidi canis morſum ſanat.

100 Die eodem Nobilis Franciſcus Sanctamus, dixit, quod cum eſſet puer octo annorum, obviam fuit factus cuidam cani rabido, qui eum in brachio momordit, ita quod illud totum perforaret; inflatumque eſt ei valde, adeo quod brachium non poterat elevare. Quare ivit ad dictum fr. Franciſcum: qui cum primum d. teſtem vidit, dixit ei: Attendas, in caritate, ubinam maledictus iſte angelus iſti occurrit. Vocavitque eum ad ſe, & ſoluit dictum brachium ligatum, impoſuitque vulneri quoddam gummi, dimiſitque eum, & veſperi fecit eum bibere illud gummi vino impoſitum. Die ſequenti comperit ſe ſanum in d. brachio, abſque aliquo vulnere vel macula, melius quam prius: videbaturque teſti gummi illud fuiſſe de ceraſo, quod ad hoc nihil valet. De loco: in Paula. De tempore: agitur annus XXXV vel circa.

Attactu veſtis B. Franciſci

101 Item dixit, cum ipſe teſtis haberet filiũ quemdam infirmum per quindecim dies, & poſtea alleviata infirmitate manſiſſet contractus utroque crure, adeo quod non poſſet ſurgere nec aliquo pacto pedes gubernare, eſſetque ſemimortuus; factiſque multis remediis, quæ à diverſis didicerant, non poſſet ſanari; frater ipſius teſtis dixit ad ipſum: Eamus & portemus filium ad ædem S. Franciſci, ubi ſunt veſtes Patris fr. Franciſci: imponamuſque ei illas, quia forſan Deus & fr. Franciſcus faciet nobis gratiam. Iverunt igitur ad monaſterium S. Franciſci, attuleruntque filium illuc, & fecerunt ei imponi tunicam & alios habitus d. fr. Franciſci: ſtatimque d. filius cœpit ridere, dixitque: Permittatis me ire ſolum. Sicque permiſerunt eum ire; ambulavitque ſolus, fuitque ſanus ſicut prius: redieruntq; laudantes Deum & Patrem fr. Franciſcum de gratia, quam conſecuti fuerant. De loco in Paula. De tempore: ſunt duo anni vel circa.

EX MS. PROCESSU CONSENT.

mortui eripitur ei proximus.

Teſt. 45

Sanctus oculorum morbum.

6

102 Die eodem XIX Julij, D. Perna de Segnorello, dixit, quod cum ipſa ægrotaret oculis, adeo quod non videret; mater ſua conduxit eam ad fr. Franciſcum. Qui ab eadem matre pro ſalute filiæ ſuæ rogatus, accepit quandam herbam quæ erat ante ipſum vocata *c* Treffa, quam comedunt beſtiæ, dixitque ut ſuccum d. herbæ imponeret oculis. Quo facto, die ſequenti integre eſt ſanata. De loco, in Paula de tempore, agitur annus XLV vel circa.

E

apoſtema in capite.

103 Item dixit, quod cum veniſſet ei malum quoddam in capite, vocatum in partibus illis murus (quod eſt ſpecies apoſtematis) quod faciebat totam faciem & pectus tumere; conduxiſſetque eam mater ad d. fr. Franciſcum; ipſe ab eadem matre pro ſalute filiæ ſuæ rogatus, oſtenſa ſibi ab illa infirmitate, dixit: Hæc eſt mala infirmitas. Cœpitque eam diverſas medicinas docere. Cui mater ipſius teſtis reſpondit: Pater non poſſumus facere tot medicinas: ſed, in caritate, tangatis eam ſolo habitu veſtro, eritque ſana. Ridenſque fr. Franciſcus impoſuit ei habitum, & die ſequenti integre eſt ſanata, ac ſi numquam ægrotaſſet. De loco & tempore, ut ſupra.

Teſt. 46

manum inutilem.

104 Eodem XIX Julij, D. Margarita Tudeſca dixit, quod cum ipſa teſtis ægrotaret manu, adeo quod non poſſet illam tollere, nec medicus aliquis potuiſſet eam ſanare, acceſſit ad d. fr. Franciſcum, oſtenditque d. malum. Quod cum vidiſſet, impoſuit quamdam herbam, & illo eodem die fuit ſana abſque alia læſione. Agitur annus XLV vel circa.

puellam ſtrumoſam ſanat

F

105 Item dixit, quod cum haberet quamdam filiam trimeſtrem vel circa, quæ habebat ſtrumam de collo pendentẽ, adeo groſſam quod videbatur phiala, nec poſſet elevare caput; oſtendiſſetque illam multis medicis, qui nullum poterant dare remedium; d. teſtis attulit eam præd. fr. Franciſco. Qui videns eam docuit ipſam quaſdam medicinas ex herbis; illaque eadem nocte inventa eſt ſana & polita, tamquam ſi numquam dictam infirmitatem habuiſſet. De tempore, ut ſupra.

ANNOTATA.

a Hæc aut ſimilia defuerunt in ipſo autographo Italico, per librarii primi negligentiam omiſſa: & ideo interpres Romanus coactus fuit etiam in Latino relinquere hiulcum ſenſum.

b *Breviter in exgrapho Italico* la lunara di Paula; *ſed ſcriptione diſtorta: melius Iſidorus legit* la tonnara, *& intelligit locum ubi thynni capiuntur.*

c Treffa, *idem credo quod Francis* Treffle, *Latinis* Trifolium: *& forte etiam num.* 42, *ubi* Tuffa *ſcribitur, legendum eſt* Treffa.

EX MS. PROCESSU CONSENT.

CAPUT XI.

Paulanorum teſtium depoſitiones ultimæ.

Teſt. 47 *Curat puerum cæcum,*

106 EOdē die XIX Julij, Joannes Varrachellus dixit, quod cum haberet filium unius anni vel circa, amiſit viſum quod nihil videbat, erantque oculi ejus albicati. Cumque fuiſſet per duos menſes ita cæcus, tulit d. filium ſuum Paternum, ubi tunc erat fr. Franciſcus. Qui cum d. filium vidiſſet, impoſuit folia duo cujuſdam herbæ fronti d. filii, ligata quodā panno lineo, dimiſitque eum. Cumque d. teſtis à fr. Franciſco diſceſſiſſet, diſtaretq; ab eo per jactum baliſtæ; d. pannus lineus ſolutus eſt per ſe, ceciditque in terram, recuperavitque d. filius perfectum viſum, ſicut prius: apertique ſunt oculi ejus, ſplendidique effecti, ſicut in præſens ſunt, & perfectiſſime videt. Agitur XXXV annus vel circa.

& duos leprosos:

107 Item dixit, quod cum ipſe teſtis haberet quemdam fratrem, qui per octo annos fuerat leproſus, nec potuiſſet remedium aliquod pro ejus ſalute inveniri; ipſe teſtis conduxit eum ad fr. Franciſcum: qui tenuit eum per quindecim dies in monaſterio, fuitque perfecte ſanatus à d. lepra, adeo quod d. ægritudo in eo amplius non apparuerit: habebatque carnes mundas ad inſtar cryſtalli. Agitur XL annus vel circa, dictuſque frater eſt nunc mortuus.

B

108 Item dixit, quod cum quidam alius leproſus advena, de Paula ad d. fr. Franciſcum veniſſet, ut eum ſanaret; fecit eum fr. Franciſcus occulte per aliquot dies manere in monaſterio, & à d. teſte gubernari. Qui quamvis eſſet admodum conſumptus: tamen à d. fr. Franciſco, poſt aliquot dierum occultam in monaſterio manſionem, à d. lepra ſanatus eſt, rediitque ad patriam ſanus & politus. De loco, in Paula. De tempore: agitur annus quinquageſimus vel circa.

Teſt. 48 *lignagraviſſima ex foſſa levat,*

109 Eodem die XIX, Ambroſius de Andreotta, dixit, quod cum ipſe teſtis conduceret quædam ligna à monte, eſſetque vicinus terræ Paulæ; d. ligna ceciderunt in quamdam profundam foveam: dictuſque teſtis ſolvit boves, qui d. ligna trahebant, divi ſitque illa ibi: quia videbatur impoſſibile, etſi tres aut quatuor homines fuiſſent, poſſe inde illa extrahere: reverſuſq; eſt d. teſtis ad montem. In reditu à monte ad terram, invenit d. fr. Franciſcum in illa foſſa, in qua ligna illa ceciderant; extraxeratque ea ſolus ex foſſa, & portaverat ſolus ad planitiem, quod vix potuiſſent quatuor homines feciſſe. Et videns d. fr. Franciſcus ipſum teſtem, dixit ei: Ecce, in caritate, ligna omnia extracta ex foſſa: periclitati ſunt boves plurimum. Sicque ipſe teſtis ligna prædicta accepta conduxit quo voluit, quod ipſe teſtis tenet eſſe magnum miraculum. Agitur XXXV annus vel circa.

C

Teſt. 49 *murmur de ſe abſens reſcit:*

110 Eodem die Antonius Pandarus dixit, quod cum Domina Lucens, tunc Domina terræ Paulæ, miſiſſet D. Nicolaum Carbonellum, Notarium Joannem de Micelli, & Petrum Magnarinum ad fr. Franciſcum, rogaturos eum ut ex Paterno, ubi tunc erat, veniret uſque Paulam; ipſeque teſtis cum aliis pedes iret, Notariuſque Joannes ſuprafcriptus ægre ferret ire in Paternum; cœpit inter itinerandum multa loqui contra fr. Franciſcum. Cumque applicuiſſent Paternum, d. fr. Franciſcus ſtatim dixit d. Notario Joanni: O Notari Joannes, dicas culpam tuam de his quæ inter itinerandum dixiſti. Dictuſque Notarius miratus eſt magno ſuo dedecore, ipſum ea ſciviſſe quæ in monte dixerat. Agitur annus XXXV vel circa.

Teſt. 50 Eodem die Chriſtianus de Turchio, dixit *idem quod ſuperior teſtis*, quia interfuit & audivit.

Teſt. 51 *manus vertuoſus,*

111 Eodem die XIX Julij, Venerabilis D. Hieronymus de Baldorio, Archipresbyter terræ Paulæ, dixit, quod cum haberet ſororem, cujus manus erant plenæ porris & fere ex eis cōſumptę; erant *a* porri illi ad inſtar ulcerum, habueratq; morbum illum fere per tres annos, adeo quod parentes ejus, male contenti de illa deformitate manuum ejus, duxerunt eam ad fr. Franciſcum. Qui accepit manus illius in manibus ſuis, dixitque: Vadas & jejunes unum diem veneris in pane & aqua, & Deus faciet tibi gratiam. Diſceſſitque inde, & die ſequenti abſque jejunio vel alia aliqua re ſanata eſt, ita quod de dicto malo penitus nihil apparebat. Agitur annus XL vel circa.

D

a

& mutum curat;

112 Item dixit quod ipſe teſtis vidit in domo patris ſui quemdam, nomine Bartholum de Scygliano, qui dicebat ei quod ipſe venerat mutus Paulā, & pro eo fr. Franciſcus orans fecit ipſum loqui & dicere, Ieſu, Ieſu, ſicut D. Joannes de Antonachio ſuperius (*num.* 33) depoſuit. Ipſeque teſtis vidit d. Bartholum aperte & expedite loqui, ſervivitque patri ſuo diu.

Teſt. 52 *de imminenti ruina monet,*

113 Eodem die XIX Julij, Nicolaus de Mercurio dixit quod fr. Franciſcus prædixit ei quædam futura: admonuit enim eum ne amplius quodam in loco foderet, & diſcederet inde, nec ulterius maneret, aliter enim pateretur. Cumque d. teſtis inde diſceſſiſſet, ſtatim cecidit ex monte præruptum quoddam ſaxum, ita quod, ſi ipſe teſtis manſiſſet in loco in quo fodiebat, interfectus fuiſſet. Et ꝙb hoc ipſe teſtis tenet eum pro vero propheta. Agitur XL annus vel circa.

E

Teſt. 53 *b*

114 Eodem die nobilis Loyſius de *b* Schemtemo *aſſeruit miraculum, factum in filia fratris ſui Franciſci de Schemtemo, prout ipſe Pater pueri illud teſtatus eſt ſupra num.* 101.

Teſt. 54 *aurium tumorē ſanati.*

115 Eodem die nobilis Nicolaus de Caſtello, *primo affirmavit de lapide grandi, quem vix viginti homines ſuſtuliſſent, ſublato per fr. Franciſcum ſolum, prout ipſe vidit & alii depoſuerunt num.* 52. Item dixit, quod cum ipſe teſtis veniſſet cum quadam triremi ex Oriente Paulam, factuſque eſſet ex utraque aure ſurdus; tumefactum eſt collum & facies, adeo quod non ſentiebat eſſetne vivus an mortuus: paſſuſque eſt ægritudinem illam per duos menſes. Cumque multas medicinas, à diverſis medicis ordinatas, adhibuiſſet, nec beneficium aliquid ex eis ſentiret; ſocrus ipſius teſtis videns hoc, impoſuit eum equo, conduxitq; ad fr. Franciſcum, qui erat in monaſterio per unum milliare diſtante à Paula. Cumque illuc applicuiſſent, d. ſocrus rogavit fr. Franciſcum ut oraret Deum pro ſalute ipſius teſtis infirmi. Qui impoſuit naribus ipſius teſtis digitos, tenuitque per ſpatium quo dicerentur duo, Pater-noſter. Quo tempore ex auribus, quæ erant inflatæ, exiit quædam putredo, diſſolutaque eſt illa inflatio; & antequam diſcederent à d. fr. Franciſco, ſanatus & liberatus eſt, ab illa infirmitate, adeo quod domum rediit priſtinæ ſaluti reſtitutus. Agitur XL annus vel circa.

E

Hydrunti à Turcis captum,

116 Item dixit, quod cum veniſſet nuntium, quod Nicolaus Picardus, cognatus ipſius teſtis, eſſet captus à Turcis, in quadam terra dicta *c* Otrentum; fuit miſſus ipſe teſtis à D. Joanne Picardo, fratre d. Nicolai & cognato ipſius teſtis, Paternum ad d. fr. Franciſcum. Quo cum applicuiſſet & narraſſet caſum qui acciderat, dixit fr. Franciſcus ipſi teſti: Non curetis circa hoc laborare, quia bonus Nicolaus mortuus eſt, diſceſſitq; ex hoc mundo Martyr; & ſicut in hoc mundo contentus vixit, ſic & in alio. Accedatis ad D. Ducem Calabriæ, qui faciet vos recuperare bona ſua, nec velitis ſcire plura. Quare reverſus d. teſtis Paulam ad d. Joannem Picardum, narranſque ei quæ d. fr. Franciſcus dixerat; præfatus Joannes acceſſit ad d. Ducē Calabriæ, comperitq; d. Nicolaum eſſe mortuum, quemadmodum ipſe fr. Franciſcus dixerat, recuperavitque bona quæ reliquerat. Quare ipſe teſtis tenet d. fr. Franciſcum pro ſancto viro: quia ſciebat præterita & futura. Agitur annus XXXIII vel circa.

c

martyrem obiiſſe aſſerit.

117 Eo-

A Test. 55 *contractum & ſurdum ſanat,*

117 Eodem XIX Julij Nicolaus Pecorarius, dixit ſe ſcire, veniſſe quemdam virum ex caſtro vocato Flumen-frigidum, qui erat totus contractus & ſurdus, ad fr. Franciſcum. Qui cum ad eum applicuiſſet, introduxit eum in eccleſiam, reliquitque jacentem in ea: dictuſq; fr. Franciſcus ingreſſus eſt cellam in qua per ſpatium quoddam manſit; & poſtea reverſus ad eccleſiam, d. contractum & ſurdum, manu apprehenſum, introduxit in cellam. Statimque ſanatus eſt in auditu, pedibus & manibus, illaque eadem hora ambulavit & locutus eſt. Poſtea manſit in d. monaſterio per tres aut quatuor menſes, & ibat negotiatum per terram ubique ſanus & incolumis. In cauſa ſcientiæ: quia vidit, interfuit & audivit. De loco, in Paula. De tempore agitur annus XLIII vel circa.

Teſt 56 *ac digitum læſum.*

118 Eodem die Antonius Malfittanus, dixit quod cum ſemel vellet capere piſcem quemdam, dictum in partibus illis trachina, punxit digitum: qui inflatus eſt, ita ut crederet ſe amiſiſſe digitum; habebatq; intollerabilem paſſionem. Quare acceſſit ad fr. Franciſcum, qui viſum digitum accepit manibus ſuis, ſtatimq; ſanatus eſt, nec ſenſit amplius dolorem. De loco: in Paula. De tempore: agitur XXXVI annus vel circa.

B

ANNOTATA.

a Porri *nominantur Italice, qua Latine* Verrucæ.

b *At ſupra, fratris ejus Franciſci cognomentum ſcribitur* de Sanctamo; *proinde vel hic vel iſtic vitioſum fuit autographum ipſum.*

c Otrentum, *antiquis* Hydruntum, *à Turcis captum an.* 1480. *Fortaßis tamen non ipſa urbs, ſed aliquod ſubjectum urbi oppidum hic intelligitur: id enim innuit Italicum* terra, *quod non de urbibus, ſed oppidulis dicitur. Iſidorus multis deſcribit, quomodo Nicolaus ſtrenue oppugnarit occupatam à Turcis urbem, & ab iiſdem protractus in inſidias ſit, interfectus autem quia noluit fidem negare. Quæ ſi idoneo nitantur teſtimonio, repudiare nolo; neque etiam id quod addit, ſcilicet eadem nocte natum eſſe Nicolaum, qua Sanctus ipſe felici partu effuſus fuit: Miramur tamen quomodo hoc dicens Iſidorus non animadverterit, utriuſque ſimultaneam nativitatem non poſſe adſcribi anno* 1416: *quomodo enim tunc natus, adhuc fuiſſet anno* 1480 *idoneus laboribus bellicis?*

d Trachina *piſcis hic forſan dicitur, qui Græcis eſt* Τραχὺς, *de quo ſcribitur quod* haleculæ magnitudine ſit, & ex utroque latere à capite ad caudam ſerrata ſpina armetur, primis deorſum tendentibus, ita ut à ſummo ad imum inoffenſo manus curſu tractari

C poſſit, contrario vero modo non niſi cum læſione maxima. *In exemplo Italico eſt* Tranna.

CAPUT XII.

Miracula à Caſtri S. Luciti indigenis & aliis duobus teſtata.

Teſt. 57 *Commiſſario Papali*

119 Die XX Julij, Venerabilis D. Carolus de Piro, de S. Lucito *a* caſtro Coſentinæ diœceſis, Canonicus Cuſentinus ac Rector quartæ portionis S. Joannis de d. caſtro, dixit quod cum veniſſet quidam *b* Presbyter miſſus à Pontifice Paulo ad quondam Reverendiſſimum Archiepiſcopum Cuſentinum, qui vocabatur Archiepiſcopus Pyrrhus, (quem Presbyterum ipſe teſtis reputabat eſſe Canonicum & authenticam perſonam, quia venit cum bona familia & equis bonis, dicebatque d. Presbyter ſeu Canonicus, quod d. Pontifex miſerat eum ad præfatum Archiepiſcopum, ut intelligeret & inquireret vitam ipſius fr. Franciſci) Archiepiſcopus prædictus miſit d. teſtem cum ipſo Canonico uſque Paulam, ubi tunc erat d. fr. Franciſcus, & volebat incipere fundamentum eccleſiæ. Cumq; applicuiſſent ad fr. Franciſcum Canonicus & ipſe teſtis, Canonicus voluit deoſculari manum d. fr. Franciſci: qui recuſavit & dixit, Volo deoſculari manum veſtram, qui eſtis Presbyter, & à triginta annis celebratis. De quibus verbis d. Canonicus miratus eſt, quod cum eſſet de longinqua regione oriundus, nec umquam in Calabria fuiſſet, nec fr. Franciſcum vidiſſet; ſciviſſet dicere numerum annorum quibus celebraverat. Verum inter loquendum iverunt ad quamdam domunculam, ubi erat ignis, quia erat hyems. Cumque illuc peruveniſſent, cœpit d. Canonicus tentare & exprobrare d. fr. Franciſco, & vitio dare vitam ſuam, dicens: Iſta vita tua eſt multum auſtera, & ideo facitis eam & poteſtis tolerare, quia eſtis ruſticus: quod ſi eſſetis nobilis, non poſſetis eam facere. Reſpondit d. fr. Franciſcus: Verum eſt quod ſum ruſticus; & ſi non eſſem, non poſſem iſta facere. Cumque hoc diceret, inclinavit ſe ad ignem, qui erat magnus & bene accenſus, impleviteque manus titionibus & prunis ignitis; tenenſque dictum ignem manibus, convertit ſe ad Canonicum, dicens: Videatis, niſi ruſticus eſſem, non poſſem iſta facere: oſtendebatque ignem, quem tenebat manibus. Quod videns ipſe Canonicus projecit ſe ante pedes d. fr. Franciſci, querens deoſculari dictos pedes & manus magna cum reverentia. Cumq; d. fr. Franciſcus recuſaret, ipſe Canonicus non poterat ſatiari in habitus deoſculatione. *c* Sicque d. Canonicus una cum d. teſte redierunt ad S. Lucitum, ubi erat d. Archiepiſcopus, cui magna cum devotione d. miraculum narravit. Ipſeq; Archiepiſcopus dixit, Volo ad eum accedere, & ponere primum lapidem in eccleſia, quam vult inchoare: quia invitavit me. Agitur annus XLV vel circa.

ex MS. Processu consent: dicit quot annis fuerit sacerdos,

& prunas coram eo tractat.

E

c

120 Item dixit, quod cum ſuperveniſſet ei dolor magnus in dentibus, ita quod omnes movebantur videbaturq; velle cadere, adeo quod cum in mane Miſſam celebraſſet, credebat eos intra calicem cecidiſſe; profectus eſt Paulam ad d. fr. Franciſcum. Qui cum vidiſſet ipſum teſtem, antequam ipſe teſtis ei aliquid diceret, dixit: Tu pateris dentium dolorem: ſed bene feciſti, quod non permiſiſti te vinci à tentatione maligni ſpiritus, quia iſto mane dixiſti Miſſam. Tetigitque digitis ſuis dentes illius, ſtatimque receſſit dolor; firmatique ſunt dentes, melius quam prius, adeo quod numquam poſtea d. dentibus doluerit. Agitur annus quinquageſimus vel circa.

luxatos dentes ſolidat.

Teſt. 85 *agnum mortuum ſuſcitat,*

121 Eodem die XX Julij, nobilis Joannes de Franco, dixit, quod cum iviſſet ad quamdam villam dictam Flumen-frigidum, fuit ei donatus quidam agnus, quem poſuit retro equum iturus ad S. Lucitum. Et inter itinerandum, cum d. agnus eſſet mortuus, venit ei quædam cogitatio dicebatque ſecum. Nunc vellem videre, ſi fr. Franciſcus faceret miraculum hoc, quod agnus iſte reviviſceret. Inter cogitationem hanc progreſſus per milliare, d. agnus cœpit clamare, & revixit, portavitque eum in domum ſuam vivum. Agitur circiter XLV annus.

F

c

122 Item dixit, quod cum pater ipſius teſtis graviſſime ægrotaret, adeo quod de ejus ſalute deſperatum eſſet, miſit ipſe teſtis quemdam cognatum ſuum nomine Nicolaum (quia pater non loquebatur & in extremis laborabat) Paulam ad d. fr. Franciſcum, ut eum rogaret, quod orationes funderet apud Deum pro ſalute patris; promittens quod, ſi ſanaretur, vellet ceram accendendam pro monaſterii uſu ſubminiſtrare. Cumque d. Nicolaus ad d. fr. Franciſcum perveniſſet, cum primum eum fr. Franciſcus vidit, dixit: Nicolae, ſcio ad quid veniſti: nam Joannes mittit te pro ſalute patris ſui. Vadas & dicas, quia Dominus fecit ei gratiam: & quod pro hac vice non timeat mortem, quia aliter invenies ipſum quam reliquiſti. Creditque ipſe teſtis,

moribundum ſanat,

EX MS. PROCESSU CONSENT.

teſtis, ſecundum Nicolai relationem, quod illa eadem hora qua fr. Franciſcus iſta dixit, pater infirmus petiit cibum, ſeditque in lecto, & cœpit comedere. Reverſuſque d. Nicolaus invenit eum ſedentem & comedentem, ſicut ei dixerat fr. Franciſcus: ſanatuſque eſt, & vixit poſtea quatuor annis: dictuſque teſtis dedit ceram monaſterio Paulæ, quam promiſerat. Agitur annus XLVIII circa.

aliam moituram prænuntiat,

123 Item dixit quod cum ſoror ipſius teſtis, quæ erat virgo, graviter ægrotaret; miſit ipſe teſtis præfatum Nicolaum Paulam ad fr. Franciſcum. Ad quem cum perveniſſet, dixit fr. Franciſcus: O Nicolae, ego ſcio ad quid veniſti: mittit enim te Joannes pro ſalute ſororis ægrotæ. Vadas, dicas ei quod teneat eam ac ſi numquam fuiſſet ſoror: nam Virgo Maria & S. Catharina vocant eam. Non poteſt recuſare quo minus vadat. Vadas, quia cito ex hac vita migrabit. Reverſus d. Nicolaus narravit verba iſta ipſi teſti; & ſequenti die mortua eſt. De tempore, ut ſupra.

lapidem prægrandem portari ab uno homine facit,

B

124 Item dixit, quod cum ipſe teſtis iviſſet viſum fr. Franciſcum, cum nondum ædificata eſſet eccleſia, ſolum eſſet ibi cella, in qua habitabat ipſe fr. Franciſcus; videns eum d. fr. Franciſcus dixit ei: Joannes, veni, in caritate, & portemus ſinguli ſingulas petras: nam volumus ædificare eccleſiam. Sicque iverunt ad latus unum fluminis, inveneruntque petram ponderantem cantarum unum, quam vix tres homines potuiſſent de terra tollere, Dixitque ipſi teſti: In caritate, portes iſtum lapidem, uſque ad locum ubi volumus ædificare eccleſiam. Reſpondit ipſe teſtis: Pater, quomodo vultis ut portem iſtum lapidem, quem vix tres homines poſſent portare? Dixit fr. Franciſcus: Accipias eum, in caritate: nam portabis. Signavitque lapidem Cruce, impoſuitque collo teſtis: & non ſenſit pondus ejus, adeo erat levis: portavitque eum ad locum eccleſiæ. De tempore: quando cœpit ædificari eccleſia.

Teſt. 59 *ab alio*

125 Eodem die XX menſis Julij, nobilis Joannes de la Rocca dixit, quod cum ipſe voviſſet ire ſervitum in perſona propria octo diebus in ædificio monaſterii, quod conſtruebat fr. Franciſcus; cumque iviſſet ſervitum, inchoataque tunc eſſet eccleſia; invenit fr. Franciſcum ſolum in monaſterio, nam alii omnes iverant ad montem cæſum ligna. Dixit igitur d. fr. Franciſcus ipſi teſti: Vadamus, in caritate, inventuri illos qui laborant in monte, nam hic nihil facimus. Quare cœperunt ire: cumque eſſent in medio itineris d. fr. Franciſcus dixit ipſi teſti: Hic debent eſſe duæ trabes, quæ ſuperiori die manſerunt, cum boves non poſſent eas extrahere: erant enim in loco prærupto. Eamus, in caritate, extrahamus eas ad planitiem. Tunc d. teſtis cœpit ridere dicens: Pater, quomodo volumus nos duo ſoli extrahere, ſi boves non potuerunt? Reſpondit fr. Franciſcus: O, in caritate, quam modicam fidem habetis? Dixit d. teſtis: Fidem habeo: imponatis ergo illam humeris meis: & ego portabo. Accepit igitur fr. Franciſcus trabem unam, & impoſuit humeris ipſius teſtis: aliam vero ſub brachio ſuo accepit, & utramque ad planitiem extraxerunt: quod videbatur ipſi teſti impoſſibile (erant enim ad minus quatuor homines neceſſarii ut illas extraherent) tenetque hoc pro vero miraculo.

C

grævissimam trabem,

Teſt 60 *fabas abſque igne bulliri:*

126 Die eodem Salvator de Scano dixit, quod cum ipſe teſtis iviſſet quodam die tempeſtive ad monaſterium, quod tunc fr. Franciſcus faciebat ædificari in Paula, ut ſignificaret ei quemadmodum poſt ipſum venturi erant multi operarii laboraturi in d. monaſterio, quodque faceret præparari cibum; d. fr. Franciſcus dixit ipſi teſti: In caritate, ponas fabas iſtas ad coquendum. Cumque ipſe teſtis inciperet mundare d. fabas, dixit ipſi fr. Franciſco: Faciatis interim ignem accendi. Reſpondit fr. Franciſcus: Non cures. Cumque ipſe teſtis impleviſſet dimidiam ollam fabis, dixit ipſe fr Franciſcus: Vade, ponas ollam hanc ad focum. Qui ivit & in d. foco nihil invenit præter cinerem mortuum & frigidum. Cui cum impoſuiſſet ollam, vidit eam ſtatim bullire, & fabas confeſtim coqui: cibaruntque multitudinem illam hominum. Item dixit miraculum fornacis calcariæ, ſicut alii ſuperius depoſuerunt.

D

Teſt. 61 *ſolus trabem ingentem vertit:*

127 Die III Auguſti, nobilis Pyrrhus Antonius de Sica, Coſentinæ diœceſis, dixit, quod cum fieret & poliretur trabs quædam magna in eccleſia Paterni, cum vellent inferiorem partem trabis ſuperius vertere, non poterant illud quatuor homines præſtare: ipſeque fr. Franciſcus ſolus trabem illam vertit, ſicut ipſe teſtis vidit. Agitur annus XXXIII.

Teſt. 62 *inſipidos ponens*

128 Die X Auguſti, Venchius Pignatarus de Robeto, dixit, quod cum ipſe teſtis eſſet in Goſino-regali, mandatum fuit ei à Vice-rege, ut iret captum quemdam Joannem de Paula, qui erat in S. Lucito familiaris Archiepiſcopo, cauſa cujuſdam debiti in quo tenebatur. Cumque iviſſet ad S Lucitum capturus d. Joannem, invenit Archiepiſcopum Coſentinum, qui erat in S. Lucito. Cumque eum interrogaſſet, ubinam eſſet d. Joannes; reſpondit Archiepiſcopus ipſum iviſſe Paulam ad fr. Franciſcum. Profectus eſt itaque ipſe teſtis Paulam ad monaſterium d. fr. Franciſci, ubi d. Joannem invenit, cui impoſuit ut veniret ſecum Coſentiam. Dictuſque fr. Franciſcus videns ipſum teſtem dixit: Non diſcedatis, quia volo ut comedatis. Fecitque ſterni menſam & adferri duos pepones: quos cum guſtaſſent, invenerunt eos peſſimos, adeo quod non poterant comedi. Interrogavitque d. fr. Franciſcus Joannem, an pepones, in caritate, eſſent boni. Reſpondit d. Joannes; Pater, ſunt mediocriter boni. Dictuſque fr Franciſcus acceptum d. peponem ex alio latere manibus ſuis incidit, dixitque poſtea: Probetis modo peponem quomodo ſapiat. Accepitque d. peponem & comedit, invenitque eum melioris ſaporis quam zacharum vel pulvis cordialis: adeo quod d. Joannes accepit quoddam fruſtum d. peponis, dicens ſe velle illud afferre Archiepiſcopo ad S. Lucitum. Quod cum attuliſſet d. Archiepiſcopo, & narraſſet miraculum, probavit parum de pepone illo, & reliquum conſervavit in capſa ſua: & mane ſequenti, ob miraculum illud, fecit celebrari Miſſam. Agitur annus XXXVI vel circa.

tractando ſapidos reddit,

E

F

cognoſcit ſpurium eſſe qui lugebatur.

129 Item dixit, quod cum ipſi mortuus eſſet quidam filius ſpurius, uxor ipſius teſtis præ dolore laceraverat viſum. Cumque iviſſent viſitatum d. fr. Franciſcum, qui erat in Paterno, quam primum eos vidit, dixit ipſi teſti: Ad quid veniſtis huc, in caritate, Venchi? Reſpondit ipſe teſtis: Veni viſitatum Paternitatem veſtram. Poſtea d. fr. Franciſcus dixit mulieri, quæ erat vultu lacerata: Quare es ita laniata viſu? Reſpondit uxor, Mortuus eſt mihi *d* filius. Reſpondit fr. Franciſcus, vultu aliquantum indignato: Quid ad te ille, pro quo es lacerata, ſi Deus eum voluit: nam nihil ad te pertinebat. Agitur annus XXXV vel circa.

d

ANNOTATA.

a Caſtrum S. Luciti, *in eadem qua Paula littorali plaga verſus meridiem, inter vallo circiter 5 milliarium.*

b *Scriptores Ordinis hunc Presbyterum faciunt Cubicularium Pontificium, natione Genuenſem, ex familia Adornia: additque Iſidorus ipſum intra ſua ſcripta, publico inſtrumento ſignata, reliquiſſe verba tunc cum Sancto habito: quod inſtrumentum apud quemdam illius Presbyteri nepotem etiam nunc Genuæ aſſervetur. Optarem tranſcriptum*

tum exemplar habere, ſaltem pro Supplemento, poſt opus abſolutum componendo.

A

c *Aſſerit Iſidorus, tamquam ex dicto inſtrumento, quod interrogatus Sanctus de bellis Genuenſibus quamdiu eſſent duraturæ, reſponderit* ad annos circiter ſexaginta; tum Genuam ſuæ libertati reſtituendam ex integro: *ita autem factum eſſe ait anno* 1528, *poſtquàm, quæ in maximum diſcrimen rempublicam adduxerant, Adorniorum & Fregoſiorum diſſidia.*

d *Suſpicari quis poſſet hanc mulierem, quod forte ſterilem ſe videret, ipſi viro ſuo auctorem fuiſſe ut prolem aliunde quæreret, quam ipſa haberet pro ſua: ideoque reprehenſionem ac pœnam commeruiſſe.*

CAPUT XIII.

Incipiunt teſtium Paternenſium depoſitiones.

Teſt. 63 *Moribundam ſervat,*

130 DIe III menſis Decembris, I Indictionis, anni MDXII, Guilielmus Turchus, de Paterno, dixit, quod cum uxor ejus ægrota in extremis laboraret, acceſſit ad d. fr. Franciſcum dicens ei: Pater, rogo vos detis mihi remedium aliquod: nam uxor mea moritur. Reſpondit fr. Franciſcus: Vadas, in caritate, & portes decem onera lapidum ad fabricam. Reſpondit teſtis: Quomodo vis portem lapides, cum uxor mea moriatur? vertitque tergum quæſiturus medicum. Quem cum non inveniſſet, rediit ad d. fr. Franciſcum, projecitque ſe ante pedes ejus, rogans eum ut impetraret gratiam ſalutis pro uxore ſua. Dixitque ei fr. Franciſcus: Vadas cum Deo, quia gratia eſt facta tuæ uxori. Diſceſſitque teſtis, & invenit uxorem ſuam ſanam. Agitur annus XXXI.

B

Teſt. 64 *crus inciſum ſanat,*

131 Eodem die Bernardinus de Florio, dixit, quod cum ipſe teſtis iviſſet cum quibuſdam aliis ad ſcindenda ligna pro monaſterio, quod d. fr. Franciſcus ædificabat; exiliit ſecuris de manu ſocii, & vulneravit genu teſtis graviter, adeo quod incidit ei nervos, cum effuſione maxima ſanguinis, & dolore tali, quod ipſe teſtis ſentiebat ſe mori. Statim vocatus fuit fr. Franciſcus: qui cum illuc perveniſſet, appellavit ipſum teſtem nomine, interrogans quînam ei eſſet. Reſpondit ipſe teſtis ſe mori: cumque hoc diceret, d. fr Franciſcus impoſuit manum ſub vulnere, ſtringens illud. Statimque ipſe teſtis comperit ſe ſanum, adeo quod non inveniretur cicatrix

C

vulneris in crure, nec ſignum aliquod in ocrea, nec videbatur ſanguis. Rediit itaque domum, ſanus ſicut prius. Agitur annus XXXIII vel circa.

prunas ardentes tractat,

132 Item dixit, quod eodem tempore cum d. fr. Franciſcus ædificaret monaſterium in Paterno, venit quidam Frater, nomine fr. Antonius *a* Scuzetta, Ordinis Minorum, prædicaturus in Paterno: qui inter prædicandum, inhoneſtis modis reprehendebat & mordebat vitam & modos d. fr. Franciſci. Cumque quodam die d. fr. Antonius iviſſet ad ipſum fr. Franciſcum, eſſentque prope ignem; d. fr. Antonius cœpit reprehendere vitam fr. Franciſci: qui nihil reſpondens, extendit manus ad ignem, & implevit eas prunis ignitis. Converſuſque ad d. fr. Antonium, & tenens d. prunas manibus, dixit: In caritate, calefaciatis vos. Videns fr. Antonius miraculum hoc, genuflexus humi, veneratus eſt eum pro Sancto, & voluit deoſculari pedes. Erat autem iſte fr. Antonius, Ordinis Minorum, vir probus & bonæ vitæ. In cauſa ſcientiæ, quia vidit, interfuit & audivit.

a

b

Teſt. 65 *naſum inflatum reformat.*

133 Eodem die III Decembris, Neapolus de *b* Verallo, dixit quod cum fr. Franciſcus ſemel tranſiret apud domum teſtis ipſius, iretque acceptum ligna & lapides pro monaſterio quod fabricabat; invenit uxorem ipſius teſtis ante domum, cum naſo valde inflato, in quo periculoſe ægrotabat: dixitque, Quomodo te habes, ſoror noſtra? ne dubites de ægritudine hac, quia nihil erit. Accepitque neſcio quid, quod portabat ſub habitu, quod videbatur radix quædam, impoſuitque illi ipſam, & die ſequenti fuit ſanata.

EXMS. PROCESSUS CONSENT.

c

134 Eodem die Calvanus de *c* Plauredi dixit, quod cum ipſe teſtis iviſſet aliquando cum fr. Franciſco, dixit ei fr. Franciſcus præfatus, Antequam prætereant pauci dies, videbitis res novas: numeravitque quemdam numerum dierum. Et adveniente numero dierum per fr Franciſcum nominato, venit nuntium, Turchum cœpiſſe Hydruntum.

Teſt. 66 *Hydrunti jacturam prædicit,*

puerum contractum ſanat:

135 Item dixit, quod cum ipſe teſtis haberet filium ſuum contractum utroque pede graviter, acceſſit ad d. fr. Franciſcum, rogans eum quod impetraret à Domino gratiam ſalutis pro filio ſuo; d. fr. Franciſcus docuit ipſum teſtem, quod acciperet quamdam ferulam, & illam diviſam calefaceret, & apponeret pedibus & cruribus d. filii, ſicque ſanaretur. Quod cum ipſe teſtis ter feciſſet, ſtatim d. filius integre eſt ſanatus. Agitur annus XXXII vel circa.

E

futuram famem prophetat,

136 Item dixit, quod cum ipſe teſtis alia vice eſſet cum d. fr. Franciſco in ſilva, pro monaſterii neceſſitate; ſupervenit quidam colonus. Cumque inter ſe omnes loquerentur, dixit d. fr. Franciſcus: Seminetis non ſolum omnes agros qui ſolent ſeminari, ſed etiam vineas. Admiratus eſt ipſe teſtis de verbis iſtis, quia illo anno frumentum vili pretio vendebatur, videlicet tumulus octo granis, quia erat maxima frumenti copia: ſequenti autem anno tumulus frumenti venditus eſt duodecim Carlinis. Adeo quod ipſe teſtis comprehendebat, quo tendebant verba fr. Franciſci, quæ anno preterito dixerat; videlicet ad annuntiandam & prophetandam famem *d* anni futuri. De loco & tempore, ut ſupra.

d

Teſt. 67 *leproſum mundat,*

137 Eodem die III Decembris, Andreas Caleſtro dixit, quod cum veniſſet Paternum quidam adoleſcentulus leproſus, qui dicebatur eſſe de Torano: cumque ipſe leproſus non agnoſceret d. fr. Franciſcum; fuit ei oſtenſus: ſtatimque coram eo genuflexus, rogavit quod eum ſanaret. Dixit ei fr. Franciſcus: Vadas & laves te illa aqua, quæ eſt ante locum, & poſtea maneas cum iſtis aliis adoleſcentibus. Reſponderuntque circumſtantes, non eſſe bonum quod ipſe leproſus maneret cum aliis adoleſcentibus.

F

Reſpondit ipſe fr. Franciſcus: Non curetis: quia nihil erit. Sicque, cum d. leproſus eſſet lavatus, ſtatim fuit mundatus & ſanatus à lepra. Agitur XXXIII annus vel circa. Vidit autem, interfuit & audivit.

paralyticam curat,

138 Item dixit, quod cum veniſſet quædam femina, quæ dicebatur eſſe de Crotone, paralytica; fuit in quodam grabato conducta ad fr. Franciſcum, qui erat in eccleſia ante altare: & ut primum illam vidit, poſuit manus ſuper humeros ejus, dicens: habeas fidem in Patre cæleſti, & ſurgas porteſque petras ad fabricam monaſterii. Quæ cum tardaret ſurgere, dixit ei iterum fr. Franciſcus, Surge. Surrexitque ſtatim d. femina ſana, incepitque portare lapides, manſitque per aliquot dies in monaſterio, juvans fabricam, & ultimo induit habitum d. fr. Franciſci. De cauſa ſcientiæ & tempore, ut ſupra.

febrim depellit,

139 Item dixit, quod cum ipſe teſtis haberet uxorem febricitantem adeo graviter, quod de ejus ſalute deſperaretur, venit ad monaſterium ut conveniret d. fr. Franciſcum: dixeruntque ei Fratres, Non potes loqui cum Patre, ſunt enim dies tres & totidem noctes quod non comparuit. Cumque hæc verba dixiſſent, venit d. fr. Franciſcus: qui, priuſ-

EX MS. PROCESSU CONSENT.

quam ipſe teſtis aliquid diceret, dixit ei: Dubitaſne quod ſoror noſtra ſit moritura? Non dubites. Reſponditque ipſe teſtis: Pater, dubito ipſam morituram, nullumque ipſi poſſe auxiliari præter divinam potentiam. Accepit igitur d. fr. Franciſcus quamdam radicem, admodum ſubtilem, quam ſub habitu portabat, dixitque ipſi teſti: Vadas & ponas ei radicem hanc ad naſum, ſtatimque ſanabitur. Fecitque ita ipſe teſtis, & appoſita d. radice ad naſum, cœpit dormire; & expergefacta comperit ſe ſanam. Eſt ultra annum xxx.

Teſt. 68 *lapidem ſolo nutu movet,*

140 Eodem III die Decembris, Paſcinus Gattus dixit, quod cum ipſe fr. Franciſcus vellet conducere aquam ad monaſterium, quod ædificabat, eſſentque cum eo multi homines, & inter alios ipſe teſtis; opus erat aquam tranſire per quemdam locum, ubi erat quidam lapis immenſæ magnitudinis. Dixeruntque ipſe teſtis & alii adſtantes: Pater, ſi tangimus iſtum lapidem, cadet, & afferet poſſeſſoribus damnum pluſquam mille ducatorum: pendebat enim ager. Reſponditque fr. Franciſcus: Non curetis: aderit enim gratia Dei. Cumque hoc diceret lapis præfatus movit ſe pedetentim, demiſſuſque eſt ad latus inferius, permittens liberum tranſitum aquæ præfatæ. Agitur annus XXXIII vel circa.

B

læſum oculum ſanat,

141 Item dixit, quod cum ipſe teſtis haberet filiam graviter uno oculo ægrotantem, adeo quod nihil illo videbat, cumque multis adhibitis remediis non potuiſſet ſanari; acceſſit ad d. fr. Franciſcum pro filiæ ſalute. Qui docuit eum ut quamdam herbam oculo imponeret: qua impoſita, ſtatim poſt duos aut tres dies ſanata eſt. Præterea cum ipſe teſtis ſemel graviter ægrotaret, d. fr. Franciſcus docuit eum alterius herbæ remedium, quo facto ſtatim ſanatus eſt. De tempore, ut ſupra.

Teſt. 69 *& corporis totius rigorem:*

142 Eodem die III Decembris, Fabricius Bombinus, dixit, quod cum pateretur quamdam infirmitatem, quæ faciebat eum ſtare erectum & rigidum, adeo quod ad nullum latus poſſet ſe vertere; acceſſit ad d. fr. Franciſcum, rogavitque quod intercederet pro ejus ſalute. Dixitque ei d. fr. Franciſcus: Vadas in caritate, accipias parum herbæ, dictæ beta, & eam conteras, & poſtea odora: quia Deus faciet te compotem gratiæ. Quam cum contriviſſet, poſthabita odoratione, ſaluti priſtinæ eſt reſtitutus. Agitur annus XXXXIII vel circa.

Teſt. 70 *leproſos duos*

C

143 Eodem die, Fabianus de Senatore, dixit ſe ſcire *primo de leproſo Toranenſi vel Reginenſi diœceſis Biſignianenſis, quia vidit & interfuit, ut ſupra n.* 137. Item dixit, quod quidam nobilis Cuſentinus, nomine Guido Liparetus, cum eſſet à d. lepra conſumptus, venit à Cacherno, ubi tunc habitabat, Paternum ad d. fr. Franciſcum, quem rogavit ut ipſum ſanaret. Dictuſque fr. Franciſcus ſanavit eum: & ipſe teſtis vidit poſtea d. Guidonem ſanum & politum. Eſt ultra annum xxx.

& paralyticam curat,

144 Item dixit, quod cum ipſe teſtis iret Coſentiam, occurrit ei quædam mulier de illa parte provinciæ Calabriæ, quæ eſt ad mare Adriaticum; quæ erat manibus & pedibus contracta, & erat ſuper quadam beſtia ligata, paſſaque fuerat illam contractionem per viginti annos vel circa ſicut retulerunt ipſi qui illam conducebant; petieruntque ab ipſo teſte, an fr. Franciſcus eſſet in monaſterio Paterni Reſponditque ipſe teſtis, eum ibi eſſe. Cumque iviſſent ad d. fr. Franciſcum, ipſa contracta ſanata eſt: & in reditu alia vice ſunt facti obviam ipſi teſti, qui petiit ab eis, an conſecuti fuiſſent gratiam. Reſponderunt illi, quod devotio Patris fr. Franciſci illam ſanaverat. Quare dictus teſtis vidit eam redire domum ſuam, ſanam & politam. De tempore, ut ſupra. *Deinde dixit miraculum de Ioanne Bombino puero, à mula percuſſo, & ad medicum deſperantem cum epiſtola miſſo, prout ſupra num.* 20 *ipſius ſanati depoſitio continet.*

D

145 Item dixit, quod cum eſſet ponenda quædam trabs ſuper portam eccleſiæ monaſterii, circa quam ponendam laborabant ultra centum homines, & ultimo feſſi non potuerunt d. trabem ponere eratque inter illos ipſe teſtis; d. fr. Franciſcus ſolus acceſſit, & una manu poſuit d. trabem ſupra portam.

magnam trabem ſolus collocat;

146 Item dixit, quod cum veniſſet quidam ex Pedarchi, villa Cuſentina, à maligno ſpiritu vexatus, qui faciebat res magnas, & non poterat teneri cum vexaretur à ſpiritu; affines ejus attulerunt eum ad fr. Franciſcum. Quem ipſe fr. Franciſcus aliquot dies apud ſe tenuit, quærens ut eum faceret laborare in loco ædificii. Et cum videret ipſum perſeverare in faciendis rebus inconvenientibus & enormiſſimis, quodam die dixit ei: Volo ut hodie exeas à corpore iſtius pauperculi. Et hora meridiana conduxit eum in medio eccleſiæ. Cumque cœpiſſet imperare ſpiritui quod exiret, reſpondit ſpiritus ſe eſſe contentum exire. Dixitque ei fr. Franciſcus: Quomodo vis exire quod non facias damnum? Reſpondit ei ſpiritus, ſe velle exire ad modum venti. Dictuſque fr. Franciſcus dixit ei: Exeas ad modum venti: ſed caveas ne aliquid mali facias. Cumque d. ſpiritus exiret, fuit ventus maximus & fulgur, adeo quod omnes feneſtræ concutiebantur & eccleſia tremebat. Et pauper ille, ex quo ſpiritus exiverat, manſit humi fere mortuus; & poſtea ſurrexit, rediitque domum ſuam ſanus.

energumenum liberat;

E

147 Item dixit, quod cum ipſe teſtis eſſet cum d. fr. Franciſco, venit quidam famulus D. Rogerii de Pariſe, Doctoris famoſiſſimi, ſignificans ei quemadmodum d. D. Rogerius habebat filium ægrotum ad mortem, rogabatque eum quod vellet pro ejus ſalute apud Deum intercedere. Quare d. Frater inclinavit ſe in terra, accepitque folium cujuſdam herbæ, deditque ipſi famulo dicens: Vadas & portes ipſi folium hoc, & invenies eum ſanum: nam Dominus fecit ei gratiam. Cumque rediiſſet Coſentiam, comperit d. filium ſanum, & die ſequenti ſurrexit à lecto: & intellexit ipſe teſtis vere, quemadmodum ipſe famulus, quando applicuit, invenit d. filium ſanum: & poſtea idem teſtis vidit eum ſanum & politum eſſe.

puero moribundo vitam largitur:

148 Eodem III die Decembris, Joannes Turchus dixit, quod cum ipſe teſtis eſſet Neapoli cum d. fr. Franciſco & oratore Regis Franciæ, erat quidam famulus qui habebat digitum contractum, adeo quod non poterat eum extendere. Dixit hoc orator præfatus d. fr. Franciſco, rogavitque eum pro d. famuli ſalute. Dixit ei fr. Franciſcus: Habeat fidem in Domino, quia gratiam conſequetur. Cumque d. famulus iviſſet ad eccleſiam auditum Miſſam, & intraſſet eccleſiam, cœpit ſudare: & extendens manum pro abſtergendo ſudore, extendit digitum, & ſanatus eſt, tamquam ſi numquam ægrotaſſet. Agitur xxx annus vel circa.

Teſt. 71 *digitum contractum curat.*

F

149 Eodem die Franciſcus Cocus dixit, *de prunis candentibus coram Fr. Antonio Scozetta correctatis à fr. Franciſco, prout ipſe fr. Antonius teſti retulit, & alius oculatus teſtis num.* 132; *ſed nullam fecit mentionem infectationis præviæ, tantum ait quod* poſt prædicationem ivit a monaſterium d. fr. Franciſci, quem allocutus eſt dicens: Aliqui reputant vos hominem probum, aliqui vero hominem herbarium: & ideo deſiderarem videre aliquam demonſtrationem vitæ veſtræ. *Item dixit de liberato energumeno, plane ſicut refertur num.* 146, *ſeque vidiſſe & interfuiſſe aſſerit.*

Teſt. 72

AN-

A

ANNOTATA.

a *Alibi conſtanter vocatur* Scoteto.
b *Ecgraphum Latinum* de Veccillo.
c *Ibidem*, Plantedi.
d *Famem hanc accidiſſe anno* 1479 *habetur ex Proceſſu Calabr. num.* 23.

CAPUT XIV.

Teſtes Paternenſes die IV *Decembris auditi.*

Teſt. 73 *Ex morbo debilem corroborat.*

150 PAulus de Porta dixit, quod cum fuiſſet ægrotus, adeo quod non poſſet tenere ſe pedibus, accepto baculo ivit ad fr. Franciſcum, qui eum vocari fecerat. Et cum primum d. fr. Franciſcus vidiſſet ipſum teſtem, dixit: Paule, volumus ire ſimul ad montem, ad portandas quaſdam trabes pro monaſterio & eccleſia. Reſpondit ipſe teſtis: Utinam poſſem ire! quia ego ſolus omnes eas portarem. Dictuſque fr. Franciſcus dixit: Venias mecum, quia ibis. Sicque d. teſtis ingreſſus eſt iter cum d. fr. Franciſco abſque baculo, ſenſitque ſe ſaniorem & fortiorem aliis, quos omnes præcedebat. Agitur xxxiii annus vel circa.

B *in Franciam diſcedens panem donat.*

151 Item dixit, quod cum d. fr. Franciſcus vellet proficiſci in Franciam, dixit ei ipſe teſtis: Pater, in caritate, tu proficiſceris in Franciam, & neſcio, an ſimus viſuri te amplius: relinquas mihi aliquid in memoriam tui. Dictuſque fr. Franciſcus dedit ei dono quemdam panem parvum, quem ipſe teſtis tenuit in arca ſua per quinque annos, dictaque arca habebat optimum odorem propter d. panem. Tranſactis illis quinque annis, ſupervenit valida fames in provincia: cumq; tunc ipſe teſtis, cum uxore & familia ſua capitum quinque, per tres dies non comediſſent panem, recordati ſunt illius panis: quem acceptum comederunt, ſuffecitque omnibus per integrum diem ad ſaturitatem. Agitur annus xxviii.

ui unus ſufecit pluribus:

oribundam no uno ſuervivere acit,

152 Item dixit, quod cum ipſe teſtis haberet filiam in extremis laborantem, acceſſit ad d. fr. Franciſcum pro gratia: qui dixit: Non poteſt habere gratiam, quia Dominus vult eam apud ſe. Reſpondit ipſe teſtis: Saltem vixiſſet per annum, & poſtea mortua fuiſſet. Reſpondit d. fr. Franciſcus: Contentus ſum impetrare gratiam ut vivat per annum. Sanata eſt itaque d. filia, & poſt finitum annum

C

obiit ſubito, nec tranſivit annum uno die. De tempore, ut ſupra.

ſura crus inat:

153 Item dixit, quod cum portaret trabem pro eccleſiæ ædificio, illa cecidit ſupra crus ipſius teſtis, quod graviter fregit. Dictuſque fr. Franciſcus fecit illud oleo ungi, & die ſequenti ſanatus eſt abſque læſione aliqua. De tempore, ut ſupra.

Teſt. 74 *ontractum urat,*

154 Eodem die IV Decembris, Rancius de Pariſio dixit, quod cum ipſe teſtis quodam mane eſſet manibus brachiiſque contractus, ut ea vix poſſet elevare; ſequenti die acceſſit ad d. fr. Franciſcum, narraturus ei neceſſitatem ſuam. Dictuſque fr. Franciſcus conduxit eum ad Miſſam audiendam: qua audita dedit ei quamdam herbam, dicens eis: Vadas, bullias hanc herbam, & poſtea ungas locum doloris. Dictuſque teſtis acceptam herbam poſuit ad bulliendum; & propter dolorem qui ipſum ſtringebat, non expectavit quod herba bulliret, ſicut ei d. fr. Franciſcus dixerat: ſed accepit aquam quæ erat in olla, & illa lavit & abſterſit ſe, & ſtatim ſanatus eſt. Agitur annus xxxiv vel circa.

apidem inentem leviter moveri asit,

155 Item dixit, quod cum, ipſe una cum multis aliis & cum fr. Franciſco, iviſſet ad conducendum quaſdam trabes pro ædificio eccleſiæ; invenerunt in via quemdam lapidem magnum, qui impediebat tranſitum trabium. Dictuſque fr. Franciſcus dixit, Opus eſt tollere hinc lapidem iſtum. Ipſeque teſtis & alii omnes reſponderunt: Pater, impoſſibile eſt. Dictuſque fr. Franciſcus dixit, poſſe fieri. Acceperunt itaque d. lapidem, & invenerunt eum levem ſicut frondem: & in volutione d. lapidis cecidit ſuper digitum unius ex ſocietate, cujus os integre fractum eſt. Cumque ille præ dolore clamaret, venit d. fr. Franciſcus, & involvit quadam fronde caſtaneæ: ſtatimque priſtinæ ſaluti reſtitutus eſt. Agitur xxxiii annus vel circa.

EX MS. PROCESSU CONSENT.

alium vitem tem ſiſtit.

156 Item dixit, quod cum lapis quidam per quaſdam maximas rupes in flumen præcipitaretur, adeo quod non erat poſſibile reſiſtere impetui illius lapidis; d. fr. Franciſcus allocutus eſt petram dicens: Soror noſtra, quo vadis? Dictaque petra ſtatim in ripa firmata eſt, ibique manſit, prout ipſe vidit. De tempore, ut ſupra.

Teſt. 75 *moribundam uxorem reſtituit marito:*

157 Eodem die IV Decembris, Soror Joanna Caputa dixit, quod cum ipſa in extremis laboraret & loquelam amiſiſſet; maritus ejus acceſſit ad d. fr. Franciſcum, rogans eum quod impetraret gratiam ſalutis pro ea. Dictuſque fr. Franciſcus dedit ei quamdam radicem dicens: Vadas, apponas ei hanc ad naſum, quia Dominus fecit ei gratiam. Quam cum appoſuiſſet ad naſum, ſtatim cœpit loqui, & melius ſe habere, & ſanata eſt. Agitur xxxiii annus vel circa.

E

Teſt. 76 *ſanat os contortum,*

158 Docaria de Orrico dixit, quod cum eſſet puella, quodam mane comperit os ſuum retro verſum, adeo quod non poſſet comedere. Cumque pater ejus adhibuiſſet curationi ipſius medicos complures & medicinas diverſas, nec potuiſſet ſanari, & os ad locum ſuum non potuiſſet redire, ſemelque d. fr. Franciſcus ante domum ipſius teſtis tranſiret; pater ejus præfatus vocavit eum, naravitque caſum illum. Cui fr. Franciſcus dixit: Vadas, in caritate, accipias uvas paſſas & abſynthium, faciaſque ei emplaſtrum quod capiti ejus imponas: habeatiſque fidem in Domino, & ſanabitur. Cumque ille pro faciendo emplaſtro non poſſet invenire abſynthium, & die ſequenti haberet devotionem; illa, abſque alio remedio, comperit ſe ſanam. Agitur xxxiii annus vel circa.

guttur affectum,

159 Item dixit, quod cum alia vice graviter ægrota eſſet in meatu gutturis, oſtendit malum d. fr. Franciſco: cujus ſolo aſpectu, abſque alio remedio, ſtatim ſanata eſt. De tempore, ut ſupra.

F

Teſt. 77 *febrim.*

160 D. Nicolaa de Flore dixit, quod cum quidam cognatus ſuus, dictus Bellinus de Flore, gravi febre vexaretur, adeo quod ſalus ejus deſperata eſſet; acceſſit ipſa teſtis ad fr. Franciſcum; qui docuit eam quod quaſdam herbas bulliret, quarum aqua æger ille ſanandus eſſet. Quod cum factum eſſet, d. infirmus hauſt illius aquæ ſanatus eſt. Agitur annus xxxiii vel circa.

Teſt. 78 *oculum debilem.*

161 D. Rindiſſana de Calendino dixit, quod cum haberet filiam, oculo uno adeo ægram, quod de ejus amiſſione timeret, adhibuiſſetque remedia diverſa nec poſſet ſanari; conduxit eam ad fr. Franciſcum; qui oculum, manu aquæ benedictæ intincta tactum, priſtinæ ſaluti reſtituit. Agitur xxxii annus vel circa.

Teſt. 79 *damoniacam,*

162 D. Catharina Cappa dixit, quod cum quædam mulier, dicta a Maria Cappa, in Paterno maligno ſpiritu vexata, res enormiſſimas faceret; cum primum ad fr. Franciſcum eſt conducta, ſtatim ab illo ſpiritu liberatur, & ſaluti priſtinæ reſtituitur. In cauſa ſcientiæ: quia vidit & interfuit. De tempore: agitur annus xxxiv vel circa.

Teſt. 80 *apoſtema in ventre:*

163 Venerabilis Soror Fina de Florio dixit, quod cum haberet filium ægrotum, habentem in ventre

EX MS. PROCESSU CONSENT. ventre apoſtema magnum, quod videbantur inteſtina exiviſſe; acceſſit ad d. fr. Franciſcum, rogans eum quod impetraret à Domino gratiam ſalutis pro filio ſuo: qui dedit ei herbam quamdam, qua impoſita, ſtatim ſanatus eſt. Agitur xxxiii annus vel circa.

pruna furtiva ſequeſtrat ab aliis: 164 Item dixit, quod cum advena quidam attuliſſet in ſacculo d. fr. Franciſco quædam pruna, ipſe fr. Franciſcus viſa ea ſegregavit, dicens illi qui ipſa attulerat: Iſta ſunt de poſſeſſione tua, & iſta non. Et advena ille dixit eſſe verum: pruna illa eſſe ex poſſeſſione cujuſdam vicini ſui: fuitque præſens ipſa teſtis & multi alii. De tempore, ut ſupra.

Teſt 81 *ſanat vulnus capitis,* 165 D. Dominica de Velpando dixit, quod cum veniſſet quidam à Motta de Porchia, cum magno vulnere in capite, qui à multis medicis curatus non poterat ſanari, deſperaretque de ſalute ſua; acceſſit ad fr. Franciſcum & ſanatus eſt: ſicut ipſa vidit & interfuit. Agitur annus xxxiii vel circa.

apoſtema manus 166 Item dixit, quod cum quidam Fabianus de Mantia haberet apoſtema frigidum in junctura manus, propter quod ſentiebat immenſum dolorem; acceſſit, clamans propter dolores, quos patiebatur, ad fr. Franciſcum, petens ab eo gratiam ſalutis. Qui cum manu ſua leviter tetigiſſet d. apoſtema, ſtatim ſanatus eſt. In cauſa ſcientiæ & de tempore ut ſupra.

B

Teſt. 82 *& bucca:* 167 D. Roſa de Yanne dixit, quod cum ipſa in bucca haberet apoſtema, quod ex ventre matris cum ipſa creverat, & in tantũ excreverat quod cum comederet, oporteret manu d. apoſtema ad partem tenere; cumq; fr. Franciſcus veniſſet Paternum ad ædificandum monaſteriũ; acceſſit ad ipſum, rogans ipſum ut impetraret gratiam ſalutis à d. apoſtemate, quod nullus medicus potuerat ſanare. Dixitq; ei d. fr. Franciſcus, quod poneret parum ſalis: quo poſito ſtatim eſt ſanata. Agitur annus xxxvi vel circa.

Teſt. 83 *dæmoniacam liberat:* 168 Antonius Mirenus dixit, quod cum veniſſet quædam à ſpiritu maligno vexata, quæ erat ex arce de Anzitola; cumque circumdaretur, ſicut fieri ſolet, à circumſtantibus hominibus; d. mulier dæmoniaca cœpit dicere: Ecce inimicum meum. Ipſeq; teſtis & multi alii verterunt ſe, & viderunt fr. Franciſcum venientem: qui intravit ſacriſtiam nulli aures præbens. Et ſequenti die, cum d. dæmoniaca eſſet in eccleſia, aliqui ex Fratribus d. fr. Franciſci experti ſunt velle adjurare d. malignum ſpiritum: qui dixit: Non curo de vobis omnibus, ſed de fr. Franciſco. Ultimo loco conducta fuit in ſacriſtiam, ubi erat d. fr. Franciſcus cum aliquot nobilibus, ſcilicet ipſo teſte & aliis; cœpitque adjurare ſpiritum, & dicere & jubere illi, quod relinqueret corpus illius pauperculæ. Qui ſpiritus cum multa d. fr. Franciſco replicaret, obſtinatuſque eſſet, dixit ſe eſſe ſpiritum cujuſdam mulieris, quæ erat mortua tempore bellorum Ducis *b* Joannis, quæ ante viginti annos geſta fuerant, primumque fuerat meretrix & peſſimæ vitæ. Reſponditque ei fr. Franciſcus: Quare non es confeſſa? quia nunc non eſſes damnata. Tandem poſt multas concertationes, ipſe teſtis vidit exire d. mulierem à ſacriſtia, & liberam: quæ ad domum ſuam rediit. Agitur annus xxxv vel circa.

C

b

ubi abſens ſit inveniendus novit: 169 Item dixit, quod cum ipſe teſtis nocturno tempore eſſet in quodam loco, cognomento Omnium-Sanctorum, diſtante ad medium circiter milliare à monaſterio Paterni, ubi erat ipſe fr. Franciſcus; cumque hic indigeret ipſo teſte, miſit duos Fratres ſuos ad vocandum eum: quibus dixit, Eatis, invenietis Antonium Mirenum in tali loco. Dictique Fratres eum ibi repererunt, ſicut ipſe fr. Franciſcus dixerat. Adeo quod ipſe teſtis & dicti Fratres multum ſint mirati, quod nocturno tempore d. fr. Franciſcus ſciviſſet, ubinam eſſet d. teſtis; præſertim cum eſſet nox, quando d. eccleſiam intravit ipſe teſtis, nec ab aliquo eſſet viſus. Quare gratias egerunt Deo, reputaruntque d. fr. Franciſcum pro Sancto. De tempore ut ſupra.

D

170 Loyſius de la Porta dixit, quod cum ægrotaret in dorſo, & per menſem in lecto jacuiſſet, & à nonnullis inductus eſſet quod ad fr. Franciſcum accederet; reſpondebat ipſe teſtis, quod non poterat ambulare, nec à lecto ſurgere. Ultimo adjutus à nonnullis, acceſſit ad d. fr. Franciſcum, quomodo potuit: qui dixit ei quod ungeret dorſum oleo, veſpere, quando iret dormitum. Quo facto, mane ſequenti ipſe teſtis comperit ſe ſanum; ivitque ſtatim ad d. fr. Franciſcum, gratias ei acturus de reſtituta ſalute. Dixitque ei d. fr. Franciſcus: Fili mi, ſanavit te bona fides, quam habuiſti in D. N. Jeſu Chriſto. Agitur xxxv annus vel circa. Teſt. 84 *dorſi dolorem*

171 Item dixit, quod cum ipſe teſtis haberet quemdam fratrem, qui quotidie febricitabat; d. fr. Franciſcus dedit ei quoddam folium herbæ dictæ nepita, ſtatimque ſanatus eſt. De tempore, ut ſupra. *& febrim curat,*

172 Durabilis de Miele dixit, quod cum ipſi teſti fractum eſſet brachium integre, profectus eſt Paulam, ut à quodam medico chirurgico, qui ibi erat, faceret ſe curari; & in itinere factus eſt ei obviam fr. Franciſcus, qui interrogavit ipſum quo iret. Reſpondit ipſe teſtis, ſe ire Paulam cauſa curandi brachium, quod ei integre erat fractum, in quo ſentiebat intenſum dolorem. Dictuſque fr. Franciſcus reſpondit ei, ſe nolle quod Paulam vadat: accepitque brachium, & impoſuit manum, dixitque ei: Vadas, quia ſpatio dierum quindecim eris ſanus. Statimque dolor d. brachii ceſſavit, & ſpatio quindecim dierum ſanatus eſt integre. Agitur xxxv annus vel circa. Teſt. 85 *fractum brachium ſolidat:*

E

173 Matthæus Caputus dixit, quod cum ipſe eſſet in Paula, ubi d. fr. Franciſcus erat, & ibi fornacem calcis faciebat coquere; vidit d. fr. Franciſcum accipere manibus lapidem ignitum, qui erat in fornace: eumque abſque aliqua læſione portare, ubi erat alia calx. Agitur annus xl vel circa. Teſt. 86 *ignitos lapides innoxie tractat:*

174 Alexander Caruſus dixit, quod cum commiſiſſet peccatum quoddam mortale, ſupervenit ei magnus dolor ventris: cumque d. fr. Franciſcus tranſiret ante domum ipſius teſtis, fecit ſe portari ante januam, & præſentavit ſe ante fr. Franciſcum præfatum, qui erat multis aſſociatus, qui cum ipſo ibant pro neceſſitate monaſterii. Cumque ipſe teſtis expoſuiſſet ei dolorem & neceſſitatem ſuam, reſpondit ei fr. Franciſcus, cave ne committas amplius peccatum illud, & ſanaberis: & poſt diſceſſum d. fr. Franciſci remanſit ipſe teſtis ſanus. Agitur annus xxxv vel circa. Teſt. 87 *occultum peccatum revelans*

F

ſanitatem reddit;

175 Item dixit, quod cum quidam frater ejus in extremis laboraret, eſſetque extrema unctione unctus, & cum candela ad caput lecti vellet ex hac vita migrare; ipſe teſtis acceſſit ad d. fr. Franciſcum, narravitque caſum. Dixitque ei fr. Franciſcus, Vadas, habeas bonam fidem in Domino, nec timeas de illius morte. Deditque ei confectiones quaſdam, quibus ægrotum deberet refocillare. Quo facto, æger alleviatus eſt, & paucorum dierum ſpatio integre ſanatus. *moribundum ſervat:*

ANNOTATA.

a *In Latino ecgrapho, pro* Maria, *legitur* Mariana.

b *Hic Dux* Joannes, *familiæ Andegavenſis, contra Ferdinandum, non obſtante natalium vitio donatum à Pio* II *patris ſui Alphonſi regno, bellum movit, Francorum ſubnixus viribus, anno* 1460; *primoque ad Sarnum victor,*

ctor, deinde anno 1462 ad Troiam Apuliæ victus, paulo
A *post in Franciam ſe recepit: quæ cum chronologia hic indicata optime conveniunt.*

CAPUT XV.

Reliquæ Paternenſium teſtium depoſitiones eodem IV *Decembris exceptæ.*

Teſt. 88 *Ad ſanandam diſuria laborantem*

176 NObilis Jacobus Curtus dixit, quod cum eſſet in Figlino, villa Cuſentina; cognata ſua, nomine Donna Angela, erat ad mortem infirma, quia non potuerat mingere tribus diebus. Cumque ipſe teſtis iviſſet viſitatum d. ægram, quæ erat omni medicorum auxilio deſtituta; hortatus eſt eam ut recurreret ad devotionem d. fr. Franciſci, ipſaque infirma rogavit, quod accederet ad d. fr. Franciſcum, & impetraret gratiam ſalutis pro ea. Cumque ipſe teſtis iret, invenit d. fr. Franciſcum in ſilva, ubi faciebat ſcindi ligna. Et antequam ipſe teſtis diceret aliquid, d. fr. Franciſcus ſci-

fraga alieno loco reperiri facit,

vit ei dicere, quod indigebat ipſo. Reſponditque
B d. teſtis eſſe verum. Cumque narraret neceſſitatem ſuam, d. fr. Franciſcus ſtrinxit humeros, excuſans ſe & dicens, ſe neſcire quid faceret, ſe enim eſſe in loco ubi non habebat quid ægrotæ mitteret: quod ſi in monaſterio fuiſſet, miſiſſet ei aliquid pro devotione. Sicque cum ſemper humeros ſtringeret, cum humilitate extendit manus in terram, & in pede cujuſdam quercus cœpit colligere manipulum fragorum maturorum: dictuſque teſtis non vidit herbam quæ producit d. fructum, ignoratque in d. loco fuiſſe umquam fraga, nec videbatur terra apta ad producendum hujuſmodi fructum. Factoque d. faſciculo miſit eum ad ægrotam per quemdam famulum, ut illum in devotione acciperet. Quem acceptum cum comediſſet, ſtatim minxit & ſanata eſt. Agitur annus XXXIV vel circa.

Henrici de Aragonia mortem prædicit:

177 Item dixit, quod cum ipſe teſtis quodam die cum ipſo fr. Franciſco eſſet in Paterno, venit quidam nūtius illuſtris Dominæ Polyxenæ de *a* Ragona, ſignificans d. fr. Franciſco, quemadmodum Ill. D. Henricus de Aragonia maritus ſuus ægrotabat dolore la-

a

teris. Dictuſque fr. Franciſcus reſpondit, ſe ad hoc
C nihil poſſe facere, quia Deus volebat D. Henricum apud ſe. Sed ne videretur non reſpondere tantæ Dominæ, reſcripſit ei, ordinans quædam frivola remedia: & inde ad tres aut quatuor dies ipſe teſtis intellexit d. D. Henricum eſſe mortuum. De tempore ut ſupra.

Teſt. 89 *manum contuſam reparat,*

178 Joannes de la Porta dixit, quod cum ipſe teſtis eſſet unus ex operariis, qui multi rumpebant petras pro fabrica fr. Franciſci, unus operarius quodam palo ferreo, ponderis decem rotulorum, percuſſit manum ipſius teſtis: quam & oſſa omnia penitus fregit, adeo quod ipſe teſtis præ magno dolore ceciderit in terram. Quod d. fr. Franciſcus videns accurrit, & accepit manum ipſius teſtis, impoſuitque oleum ex lampade ſumptum. Statimque ſanatus eſt, nullumque ulterius ſenſit dolorem: ſtatimque rediit ad laborem, & petras cum aliis fregit. Agitur annus XXXV vel circa.

Teſt. 90 *liberat à dolore ſtomachi:*

179 Angelus Curtus dixit, quod cum ipſe tenuiſſet dolorem ſtomachi per quinque dies, nec inveniret remedium aliquod, baculo hærens, eo modo quo potuit, ſtatuit ſe coram fr. Franciſco. Qui, antequam ipſe aliquid diceret, dixit: Iſte dolor multum vos exſtimulavit. Reſponditque d. teſtis: Pater, conduxit me quaſi ad mortem: rogo vos, ſuccurratis mihi. Dictuſque fr. Franciſcus reſpondit ei: Nihil erit: vadas & bibas aquam illam, oſtendens ei aquam quæ erat ante monaſterium, quam ipſe illuc conduxerat. Cumque ipſe teſtis aquam illam bibiſſet, ſtatim d. dolore ſtomachi liberatus & ſanatus eſt, nec amplius ipſum vexavit. Agitur XXXV annus vel circa.

EX MS. PROCESSU CONSENT. Teſt. 91 *ſanat à vitio oculi,*

180 Joannes Calindinus dixit, quod cum ægrotaret oculo, adeo, quod illo nihil videret, & pupilla quaſi privatus eſſet; acceſſit ad fr. Franciſcum, qui ceram quamdam impoſuit, ſtatimque ſanatus eſt, penitus illæſus. Agitur annus XXXIII vel circa.

& morbo cancri,

181 Item dixit quod cum ipſe teſtis haberet cancrum in pede, qui ei nervos omnes conſumpſerat; acceſſit ad d. fr. Franciſcum: qui parum aluminis impoſuit, ſtatimque ſanatus eſt. De tempore, ut ſupra.

de ſerpente fugiendo monet:

182 Item dixit, quod cum ipſe teſtis eſſet in ſilva cum d. fr. Franciſco, ad cedendum ligna pro fornace calcis pro monaſterio; cumque diu ipſe teſtis laboraſſet, voluit ſecedere ad pedem cujuſdam arboris, pro quadam neceſſitate ſua. Quem cum d. fr. Franciſcus vidiſſet ire, increpavit eum dicens, ne vadas, quia in pede iſtius arboris eſt ſerpens quidam venenoſus. Quare d. teſtis remanſit: & cum hæc dicerent, exivit d. ſerpens admodum horrendus & deformis, ipſeque teſtis & alii occiderunt d. ſerpentem.

Teſt. 92 *ab articulo mortis*

183 Bellinus de Flore dixit, quod cum ipſe adeo febricitaret, quod de ejus ſalute medici deſperarent; E & die Dominica omni ſenſu carens, extrema unctione eſſet inunctus; præparatique eſſent panni nigri, qui ob defunctorum luctum ſolent deferri; manſiſſetque uſque ad diem Jovis, nullius compos ſenſus; & eodem die eſſet ſpiritum Deo redditurus, medicuſque ſuis dixiſſet, quod ejus animæ conſulerent, nam die ſequenti hora nona eſſet moriturus; diſceſſitque d. medicus, ejus deſperata ſalute; affines ipſius teſtis acceſſerunt ad d. fr. Franciſcum, dicentes ei, medicum de ſalute teſtis infirmi deſperaſſe, rogantes quod ſalutis gratiam pro ipſo teſte à Domino impetraret. Dictuſque fr. Franciſcus reſpondit: Capiatis ex flumine anguillam, cujus coctæ *erepto patri;*
brodium porrigatis ei, & de ſalute ejus non dubitetis. Dictique affines ipſius teſtis non potuerunt capere anguillam, ſed ceperunt trottam. Reſponditque ipſe: Satis bona eſt, detiſque ei brodium. Dictuſque teſtis, hauſto brodio, recuperavit ſenſus; & paucorum dierum ſpatio ſanatus eſt. Agitur XXXV annus vel circa.

filij mortem prædicit:

184 Item dixit, quod cum brachiis geſtaret filium quemdam ſuum, qui eo die ægrotaverat; obvius eſt factus ei d. fr. Franciſcus, qui ibat ad cedendum ligna pro fornace calcaria; rogavitque eum ipſe
F teſtis pro ſalute prædicti filii. Reſpondit ei fr. Franciſcus: Iſte eſt decima, quam Dominus noſter à te vult: indeque ad paucos dies d. filius obiit. De tempore, ut ſupra.

Teſt. 93 *manus ulceroſas ſanat:*

184 Salernus de Brunacio dixit, quod cum totum corpus ſuum eſſet putridis ulceribus maculatum, à quibus magno afficiebatur dolore, adeo quod nulli operi eſſet aptus; acceſſit ad d. fr. Franciſcum, oſtenditque manus putridis illis ulceribus plenas, dicens, ſic ſe habet totum corpus meum. Dictuſque fr. Franciſcus incluſit manus infirmi manibus ſuis, tetigitque poſtea totum corpus ipſius teſtis: qui à dicta ægritudine liberatus & ſanatus eſt. Agitur annus XXXIII vel circa.

trabem præ-grandem ſolus levat:

185 Item dixit, quod cum ipſe teſtis cum multis aliis iviſſet portatum trabem unam, pro fabrica monaſterii; omnes illi ſimul non potuerunt tollere trabem illam à loco in quo erat. Quo d. fr. Franciſcus perveniens, ſolus eam facile levavit & tulit. Præterea d. fr. Franciſcus, quando d. trabem tollebat, pe-

per ſpineta innoxie ambulat,

dibus nudis per quædam ſpineta ambulabat, dictuſque teſtis & alii adſtantes eum acclamabant, dicentes: Pater non ambuletis per ſpineta hæc, quia pedes lædetis. Ipſe nihilominus per d. ſpineta ambu-

EX MS. PROCESSU CONSENT.

ambulabat, abſque ulla pedum læſione. De tempore, ut ſupra.

puerum tumentem curat:

186 Item dixit, quod cùm ipſe teſtis haberet filium, facie & oculis horrende inflatum, conduxit eum ad d. fr. Franciſcum: qui porrecto illi pomo, ſtatim eum ſanavit. De tempore, ut ſupra.

Teſt 94 *pleuritidem ſanat*

187 Alexander Caputus dixit, quod cùm ipſe teſtis in monaſterio, quod fr. Franciſcus Paulæ ædificabat, operaretur; ſupervenit ei pleuritis, quæ ipſum per diem & noctem integram adeo occupaverat, quod crederet ſe moriturum. Dictuſque fr. Franciſcus porrexit ipſi teſti cibum, poſteaque in pede arboris dormire eum fecit, cum faſciculo nepitæ ſub capite: ſtatimque ſanatus eſt. Agitur annus XL vel circa.

& morſum ſerpentis;

188 Item dixit, quod cum ipſe teſtis cum d. fr. Franciſco iviſſet ad quamdam ſilvam, quæ monaſterio Paulæ imminebat; quidam ſerpens venenoſus momordit quemdam ex monachis fr. Franciſci in digito pedis: Qui cum lacrymis & clamore accurrit ad fr. Franciſcum, ejus opem implorans. Qui digitum vulneratum quodam junco, dicto geneſta, ligavit, & ſanatus eſt. Verum cum ipſe teſtis aliique adſtantes non crederent fuiſſe morſum, ſed
B punctúram ſpinæ vel aliquid aliud ad ſanandum facile (quia digitus ita facile per ſe fuerat ſanatus) nec attribueretur illud miraculo; noctu ſequenti inflatus eſt d. digitus, acceſſitque d. monachus iterato ad d. fr. Franciſcum, ejus auxilium implorans. Dictuſque fr. Franciſcus dixit: Hoc ideo factum eſt, quia heri non credebant. Dictique digiti tumior præteriit, & ſanatus eſt. De tempore, ut ſupra.

juveni valenti prædicit mortem:

189 Item dixit, quod cum eſſet in Paula cum fr. Franciſco, venit quidam juvenis valens & bene diſpoſitus, dixitque fr. Franciſco: Pater, natum eſt mihi in collo quoddam apoſtema. Dixitque fr. Franciſcus, Quando te accerſivi, noluiſti venire: vadas, bibas, & recedas cum Domino. Cumque ipſe juvenis receſſiſſet, dixit d. fr. Franciſcus ipſi teſti: Vide quod parva ægritudo hominem ſub terra ponat. Et nocte ſequenti d. juvenis, ſanus, robuſtus & fortis, obiit. De tempore, ut ſupra.

Teſt. 95 *petram ruentem verbo ſiſtit,*

190 Carolus de Calindino dixit, quod cum quodam die foderet petras cum fr. Franciſco, quidam groſſus lapis præcipitabatur tanto impetu, quod ſi deorſum perveniſſet, patrem ipſius teſtis interfeciſſet, & alia damna feciſſet. Quare videns d. fr. Franciſcus d. lapidem tanto impetu ruere, præcepit ne moveretur: ſicque d. petra in velociori decurſu firmata eſt, ibique ſtetit, ſicut ipſe teſtis vidit. De loco: in Paterno. De tempore, agitur annus XXXII
C vel circa. Item dixit, quod cum ipſe teſtis eſſet cum d. fr. Franciſco & viginti aliis in ſilva, ubi faciebant trabes pro monaſterio, omneſque famescerent; comparuit cum duabus placentis, deditque eas fr. Franciſco: qui illas porrexit ipſi teſti & ſociis: comederuntque de illis omnes viginti ad ſaturitatem, & adhuc dimiſerunt reliquias. De loco & tempore, ut ſupra.

exiguam annonam multiplicat ſufficere.

Teſt. 96 *dæmoniacum liberat.*

191 Joannes Pipe dixit, quod cum veniſſet quidam maligno ſpiritu vexatus, dictus Petrus de Baglia-Pedachi, ad d. fr. Franciſcum; tenuit ipſe eum apud ſe per aliquot dies. Et quodam die d. teſtis audivit fr. Franciſcum dicentem, Nolo quod maneas hic amplius, ſed volo quod exeas, & vadas in profundum maris. Sicque d. teſtis rediit ſequenti die, invenitque ipſum liberatum à d. ſpiritu & ſanatum. Agitur annus XXXIII vel circa.

192 Bernardinus Puglanus dixit, quod cum ipſe teſtis cum magiſtro ſuo poſuiſſet ignem in ſilva quadam, ut ibi ſeminaret; d. ignis magna vehementia dirigebatur verſus ligna, quæ d. fr. Franciſcus fe- D
cerat cædi pro monaſterio, quæ erant propinqua ſilvæ, ubi erat ignis. Quem ignem fr. Franciſcus videns, ut ſupra, dirigi, dixit ei: In caritate, comburas quæ tua ſunt, & non occupes noſtra. Cumque hoc dixiſſet, abſque alio auxilio d. ignis ceſſavit, nec progreſſus eſt, ſed retroceſſit. Agitur annus XXXV vel circa.

Teſt. 97 *ignem porro ſerpentem reprimit,*

193 Nicolaus Ruffus dixit, quod cum veniſſet quidam de Abriglano, villa Cuſentina, habens maculam in oculo, ad fr. Franciſcum; ut primum eum vidit, impoſuit aquam benedictam oculo, ſtatimque ſanatus eſt. In cauſa ſcientiæ, quia vidit & interfuit. De tempore, agitur annus XXXIII vel circa.

Teſt. 98 *oculi maculam aufert,*

194 Adrianus Miraſius dixit, quod cum haberet neptem quamdam infirmam, in extremis laborantem, ivit Paulam, ut ſignificaret illud patri d. filiæ. Et cum eſſet prope monaſterium fr. Franciſci, factus eſt ipſe fr. Franciſcus ei obviam: qui intellecta cauſa ſui adventus, dixit ne timeret de morte: deditque tres cucumeres ſilveſtres, ut illos pro devotione ad ægrotam portaret. Rediitque ipſe Paternum: cumque d. cucumeres infirmæ dediſſet, E
ſtatim ſanata eſt. Agitur annus XL vel circa.

Teſt. 99 *moribundam ſanat.*

195 Andreas Caruſus dixit, quod cum ipſe fr. Franciſcus conduxiſſet quamdam aquam *b* ad monaſterium, particulares perſonæ capiebant aquam quæ à d. monaſterio exibat, conducebantque eam ad poſſeſſiones ſuas: adeo quod quadam die orta eſt inter eos contentio violenta. Cumque d. fr. Franciſcus intellexiſſet fieri contentionem pro d. aqua, intravit monaſterium nihil reſpondens, & ſequenti mane nuntiatum eſt foramen eſſe factum, per quod dicta aqua intravit, & numquam amplius comparuit. In cauſa ſcientiæ, quia vidit & audivit. De tempore: agitur XXXIII annus vel circa.

Teſt. 100 *litigij cauſam amovet* b

aquam faciens evanescere:

196 Item dixit, quod cum ipſe teſtis circiter duos menſes ægrotaret, patereturque deſcenſum ad crura & ad brachia, adeo quod non poſſet ea attollere nec aliquid iis operari; adhibuiſſetque remedia multa, nec poſſet convaleſcere; cumque ipſe teſtis vellet adire rus quoddam dictum Domnici, ubi erat quidam medicus qui dicebat ſe ipſum ſanaturum; ſoror ipſius teſtis dixit hoc fr. Franciſco: qui ſignificavit d. teſti, quod non iret, ſed haberet fidem in Domino, & Dominica ſequenti (quæ erat *c* Paſcha reſurrectionis) poſſet ire auditum Miſſam. Quare d. teſtis non ivit: & adveniente nocte ſabbati Sancti, circa medium noctis cœpit dormire. Cumque in mane expergiſceretur hora Tertiarum, comperit ſe ſanum, ivitque ſolus ad eccleſiam auditum Miſſam, ſicut ei fr. Franciſcus ſignificaverat. De tempore, ut ſupra.

à gravi morbo curat

vetitum medicos adire. F c

ANNOTATA.

a *Vereor ne feſtinanti in autographo ſcriptori (convenit enim utrumque ecgraphum)* Ragona *obrepſerit pro* Arragona: *quo poſito ipſa* Polyxena, *ſic dicta cenſebitur à marito, alias* Geracenſis Marchioniſſa *nuncupanda.*

b *Quomodo ſanctus antea aquam hanc miraculoſe collegerit, vide in Proceſſu Calabr. num.60.*

c *Anno 1479, quo hæc acta fuerunt, Dominica Paſchalis occurrit die 11 Aprilis, Cyclo lunæ 17, ſolis 4, littera Dominicali C.*

CAPUT

A

CAPUT XVI.

Teſtes auditi initio anni MDXIII. *Totius proceſſus concluſio.*

Teſt. 101 *Calcem in loco alias inepto reperiri facit,*

197 DIe XIX Januarij, I Indictione, MDXIII, D. Nicolaus Caſtagnarus de Coriglano, Roſſanenſis diœceſis, dixit, quod cum veniſſet fr. Franciſcus Coriglanum ædificaturus ibi monaſterium, velletque facere fornacem pro coquenda calce, ivit ad quemdam locum ineptum ad producendos lapides pro d. calce facienda. Dictuſque fr. Franciſcus dixit: Fodiatis hic, quia Dominus providebit. Et inter fodiendum invenerunt lapides pro facienda calce, quam multam fecerunt, & monaſterium ædificaverunt. In cauſa ſcientiæ: quia vidit & interfuit. De tempore: agitur xxx annus vel circa.

& paucas ficus multis ſufficere:

198 Item dixit, cum die quodam eſſent plus quam trecenti homines, facientes aquæductum, & ut eum conducerent ad monaſterium, quod fr. Franciſcus ædificabat, haberetque d. fr. Franciſcus ficuum *a* infilaturam, dedit illas trecentis hominibus illis, quibus ſatisfactum eſt, & adhuc remanſerunt ficus. *a*

b Item dixit, quod multoties prædixit futura, ſicut adventum ultramontanorum ad regnum. *b*

B

Teſt. 102 *aquam è longinquo adducit,*

199 Die eodem Loyſius Romæus de Corigliano dixit, quod cum fr. Franciſcus veniſſet Coriglianum, ut faceret perfici monaſterium quod in d. terra inchoaverat, ibique nulla eſſet aqua, ſed multum diſtaret à monaſterio, d. fr. Franciſcus, nulla induſtria vel ingenio humano ſed miraculoſe, quamdam aquam, diſtantem à loco illo per quatuor milliaria ad monaſterium conduxit. Præterea ſcit ipſe teſtis, quod illo die quo homines illi erant conducturi dictam aquam, duæ mulieres dictæ terræ attulerunt duas placentas quibuſdam nobilibus, qui iverant auxiliatum d. fr. Franciſco: quarum unam illi nobiles & homines qui operabantur in conducenda dicta aqua, abſente fr. Franciſco, qui iverat ad ſilvam, comederunt. Et cum d. fr. Franciſcus rediviſſet, dixit: Vos bene habetis, qui accepiſtis recreationem: & bene feciſtis: & adhuc, gratia Dei, pro omnibus eſt. Accepitque illam placentam, quæ remanſerat; & diſtribuit inter operarios, qui erant quaſi tringinta; & medietate illius placentæ ſatiavit omnes. Agitur annus xxx vel circa.

una placenta 30 operarios paſcit,

C

latentem ſub terra murum indicat,

200 Item dixit, quod cum d. fr. Franciſcus veniſſet Coriglianum ædificaturus monaſterium, d. teſtis dedit ei dono quamdam poſſeſſionem ſuam pro ædificando d. monaſterio. Dictuſque fr. Franciſcus bene circumſpexit totam poſſeſſionem præfatam, elegitque locum qui ipſi melior videbatur; dixitque, Fodiatis hic, quia volumus hic ædificare eccleſiam. Et inter fodiendum invenerunt murum quemdam cum quodam ſepulcro, ibique ædificarunt eccleſiam, quæ in præſens extat. De loco & tempore, ut ſupra.

EX MS. PROCESSUS CONSENT. *ſubſignatio Notarij.*

201 Ego Nicolaus de Sproverio, Archidiaconus Cariatenſis, publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, & in præſenti negotio ſcriba aſſumptus per præfatum R. D. Epiſcopum Cariatenſem, Commiſſarium Apoſtolicum, qui præmiſſis præſentationi & receptioni litterarum Apoſtolicarum in forma Brevis, & examinationi teſtium in præſenti proceſſu deſcriptorum, præſens interfui; omnia ſic fieri vidi & audivi & in notam ſumpſi: ideo præſentem proceſſum, manu mea propria ſcriptum, ex actis mei Notarii extraxi, & me ſubſcripſi, ſigno & nomine meis appoſitis, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum, rogatus & requiſitus.

✠ *NICOLAVS.*

Proteſtatio interpretis,

202 Et ego Sigiſmundus Pindarus, Clericus Venetiarum, Reverendiſſimi Domini mei Cardinalis Tituli Sanctorum quatuor Coronatorum, Minimorum Protectoris, ſecretarius; præſente meo chirographo atteſtor, me præſentem librum miraculorum B. Franciſci de Paula ab originali proceſſu, Italico idiomate conſcripto, & Romam ab Epiſcopo Cariatenſi, ad ejuſmodi proceſſum faciendum à S. D. N. b. m. Julio II Commiſſario deputato, ſub ſigillo ſuo miſſum, in Latinum de verbo ad verbum tranſtuliſſe, nihil addendo vel minuendo. Ideoque nolui altiori Latinitate donare, ſed verbum verbo quamvis incultius reddere, ne à proceſſu quomodolibet diſcederem: & in fidem pauca hæc ſcripſi manu propria, meque ſubſcripſi Romæ XVIII Martij MDXIII.

A

E

Ita eſt. Sigiſmundus Pindarus, manu prop.

fides ejuſdem,

203 Ego Laurentius, Tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis, fidem facio, quod S. D. N. Leo, divina providentia Papa X, mandavit mihi ut aperirem proceſſum, factum de mandato fel. record. Julij Papæ II: qui fuit tranſlatus per præfatum Secretarium, & in fidem me propria manu ſubſcripſi, die XIX menſis Martij, anno II prefati Leonis.

atque ſcriptoris.

204 Et ego Petrus Berchem, Clericus Colonienſis diœceſis, atteſtor præſenti chirographo, me propria manu ſcripſiſſe, juxta dictamen ſupra ſcripti D. Sigiſmundi Pindari, ea qua potui diligentia & fidelitate, & in fidem pauca hæc verba manu mea ſcripſi & me ſubſcripſi.

F

Ita eſt, Petrus Berchem, manu propria.

ANNOTATA.

a Infilatura ficuum, *dicuntur ficus victæ per filum unum ſerie continua trajectæ, quales ad totius anni uſum reſervatas, & ſimul, ut ſic loquar, infilatas, ſæpe vidimus in Italia.*

b Vide hoc miraculum plenius diſtinctiuſque in Proceſſu Calabr. num. 65.

PROCESSVS TVRONENSIS. D. P.

ADMONITIO PRÆVIA.

Demandatur examen Epiſcopis,

Pariſienſi, Autiſſiodorenſi,

IVlius II Pontifex maximus, ex cujus mandato Epiſcopus Cariatenſis primum in Conſentina diœceſi proceſſum formaverat, per ſimilis tenoris litteras, in forma Brevis expeditas, ſimile mandatum direxerat ad Epiſcopos Pariſienſem, Autiſſiodorenſem & Gratianopolitanum. Horum primus fuit Stephanus Poncher, inferius nominandus, ab anno MDVI Pariſenſi ornatus infula, uſque

& Gratianopolitano.

dum anno MDXVII *ad Senonenſem Archiepiſcopatum aſſumeretur. Secundus Ioannes de Baillet, anno* MCCCCLXXVIII *Autiſſiodori inſtitutus, & ipſo quo hic Proceſſus finitus eſt anno, X Novembris, vita functus ſcribitur à Sanmarthanis: qui iidem Gratianopolitanum hoc tempore Epiſcopum & Inquiſitorem ſuper vita & miraculis S. Franciſci ab Apoſtolica ſede conſtitutum nominant, Ludovicum Alemand, aiuntque ejus* extare epiſtolam ad Leonem X, anno

EX MS. PROCESSU TURON. MDXVI X kàlend. Julij datam ; *quæ inter cetera aſſerit,* ſe ipſius Beati mores candidiſſimos noviſſe. *Verum quod hic ante annum* MDXL *ſederit , nullis docemur argumentis & certum eſt eam epiſtolam , quam infra totam dabimus, ſcriptam fuiſſe à dicti Ludovici gentili ac forte patruo & deceſſore immediato Laurentio: cui ſucceſſerat Ludovicus, primum in titulo Abbatis S. Saturnini Toloſæ , tum in ipſo Gratianopolitano Epiſcopatu. Fuit autem Laurentius Allamand , Toloſani ac Gratianopolitani Conventuum Minimis fundandorum auctor , ipſiuſque S. Franciſci amicus ſingularis , & apud eos religioſos Gratianopoli (ut iidem Sammarthani docent) voluit ſepeliri.*

Pariſienſis tres eccleſiaſticos Turon. ſubdelegat:

2 *Primus, videlicet Stephanus Pariſienſis , ſuo & aliorum duorum nomine , vices ſuas , in negotio præfato , commiſit* Venerabilibus & circumſpectis viris, Petro Cruchet & Petro Chabrion, Presbyteris , in Decretis Licentialis, Eccleſiæ Turonenſis Canonicis Præbendatis , ac Stephano Charton in jure Canonico Licentiato , ejuſdem eccleſiæ Præbendato , *ipſis & eorum* cuilibet in ſolidum *committens executionem dicti Brevis , per litteras ipſum Breve verbotenus expreſſum continentes, expeditaſque* XXV *menſis Novembris, anno* MDXII: *cum proteſtatione , quod* hac ſubdelegatione ſua nolit nec intendat in aliquo præjudicare collegis; quominus ipſi in negotio hujuſmodi , in ſuis & aliis ſibi vicinis diœceſibus (ſervata ſubdelegatione ſua) procedere valeant , ſi requiſiti fuerint ipſiſque videbitur

B

à quibus confectum proceſſum

expedire : *quod an illi fecerint nuſquam comperimus. Ex Subdelegatis priores duo confectum à ſe proceſſum Pariſienſi Epiſcopo tranſmiſere , & nominibus ſuis ſignavere , ſubdelegationis præliminarem expoſitionem hoc modo concludentes:* Volentes mandatis veſtris , immo verius Apoſtolicis obedire ; de & ſuper fama & vita & miraculis defuncti fr. Franciſci de Paula , in vita ejus factis ; teſtes infra nominatos recepimus , jurare fecimus , & deinde aliquando conjunctim , aliquando diviſim (prout in eorum depoſitionibus continetur) examinavimus ; præſente nobiſcum & per nos aſſumpto, venerabili viro Mag. Jacobo Tillier, Curiæ Metropolitanæ Turonenſis Advocato , Apoſtolicæque & ipſius Curiæ Notario jurato ; examenque eorumdem teſtium per eumdem Tillier in ſcriptis redigi fecimus . . . & Sedi Apoſtolicæ præſentandum transmiſimus.

omittit Leoni Papæ X.

3 *His acceptis , Stephanus Pariſienſis Leoni* X *ſcripſit in hunc modum* : Cum dudum fel. record. Julius Papa II, prædeceſſor veſter , pro parte Reverendiſſimi D.

C

Roberti S. Anaſtaſiæ Card. Presb. tunc in humanis agentis , per ſuas in forma Brevis litteras nobis tunc mandaſſet & commiſiſſet , ut ſuper fama & vita ac miraculis quondam Franciſci de Paula , quorumdam vitæ Quadrageſimalis ſemper & certæ regulæ per eum ordinatæ Fundatoris & Inſtitutoris , in vita ejus factis, diligenter, fideliter & prudenter inquireremus ; & omnia quæ comperiremus eſſe vera , ſub litteris noſtris clauſis & ſigillo noſtro munitis , ad eumdem Julium Predeceſſorem mittere curaremus. Cum autem aliis ordinibus D. N. Francorum Regis Chriſtianiſſimi & Sponſæ noſtræ negotiis præpediti, per ſubdelegatos noſtros auctoritate præfata , ad dictarum litterarum executionem , juxta traditam & directam per eas nobis formam , procedere , & plurimorum teſtium fide dignorum teſtimonia , examina & depoſitiones in publicam formam redigere fecerimus : ſitque idem Julius Prædeceſſor , ſicut placuit Altiſſimo, viam univerſæ carnis ingreſſus ; ea omnia , per dictos ſubdelegatos in ſcriptis redacta , ſub eorum ſubſcriptionibus & ſigillis , ne famæ odor , miraculorum converſatio , & bona memoria ejuſdem Franciſci de Paula ac veritas,per obitum prædeceſſorum, omnino deperdatur & pereat; Sanctitati veſtræ,ut quid ſuper iis futurum ſit ſtatuere eadem dignetur,per præſentes ſub ſigillo camerę noſtrę fideliter deſtinamus & tranſmittimus. D Datum præſenti anno MDXIII , die XIV Aprilis.

4 *Ne autem circa tempus,tam hujus epiſtolæ datæ quam ejus quo Sanctus obiit , vel quo teſtes auditi aut miracula facta dicuntur , locus aliquis dubitandi foret ; curavit Binetus habere ſcedulam,plurium teſtium manibus ſubſcriptam, fidem facientium & atteſtantium* , quod juxta computationem Gallicanam, computando non à feſto Natalis Domini , prout Romæ , ſed à die reſurrectionis ejuſdem , præciſe computatur quilibet reſpective annus : ita ut , ob ejuſmodi rationes anno Domini, quo noviſſime XIV pro Numero aureo & A pro littera Dominicali currebant , juxta eam computationem , infra annũ Domini MDXIII. indubie occurrerit menſis dies XIV ; quia anno præfato XVI Aprilis indubitanter occurrit Dominicæ reſurrectionis dies, *annum Francis* MDXIV *inchoans , qui Romanis pridem in curſu fuerat. Epiſtolam Epiſcopi Parienſis*, ſequitur depoſitio teſtium , *quæ tota ad quatuor partes redigi poteſt ; ut prima ſit , de fama vitæ & virtutum S. Franciſci; ſecunda , de miraculis in vita patratis ; tertia , de morte ejuſdem felici & corporis elevatione ; quarta , de beneficiis, per illius jam mortui invocationem collatis in homines , devote ipſum invocantes. Ne autem eadem ſæpius cogamur repetere , non deſcribemus totas conſequenter depoſitiones ſingulorum , ut fere in præcedenti proceſſu fecimus : ſed diviſim ex ſingulis excerpemus quæ ad hæc quatuor capita ſpectare cognoſcemus. Vt porro circa nomina ac qualitatem teſtium, ac diem quo auditi ſunt ſinguli non laboremus ; vel eorum cauſa contextus,ex plurium verbis concinnandus,hiulcus appareat aut faſtidium creet , proponitur lectori*

anno noſtri 1514.

qui proceſſus in quatuor partes diſtinctus hic dabitur.

E

SYLLABUS TESTIUM.

Præmiſſis teſtium nominibus.

5 PRimus Honorabilis vir Joannes Bourdichon, D. N. Regis Pictor , & Cameræ famulus , ac civis Turonenſis , ætatis LVI annorum vel circa , teſtis per nos Petrum Cruchet & Petrum Chabrion Commiſſarios ſubdelegatos ſupraſcriptos , præſente nobiſcum pro Notario Mag. Jacobo Tillier , receptus eſt , & juratus ad ſancta Dei Evangelia , coram nobis depoſita , & per eum ad hoc corporaliter tacta , ac deinde examinatus , Turonis die XIX menſis Julij , anno Domini MDXIII , ſuper vita fama & miraculis quondam Franciſci de Paula , Generalis dum viveret Ordinis Minimorum. *Atque hoc eſt exordium omnium deinceps depoſitionum : quod ſatis eſt ſemel monuiſſe.*

F

II Michael Marſeil latomus , commorans in parochia B. Mariæ-divitis , ætatis XL annorum vel circa.

III Venerabilis & diſcretus vir Mag. Joannes Cormier , Presbyter , Comes Palatinus , Notariuſque Apoſtolicus & Imperialis, Eleemoſynarius loci de Gandiaco prope Turones, commorans Turonis, ætatis L annorum.

IV Joannes Gandins mercator , commorans in parochia S. Petri de Corporibus & ſuburbiis Turonis , ætatis annorum LXI.

V Joannes Jolijs, mercator hoſtellarius , commorans in Parochia B. Mariæ-divitis Turonis , ætatis annorum LXXIII , examinatus XX Julij , *uti & ſequentes*

VI Honorabilis vir, Emericus Bernardeau, mercator , Turoniş commorans , ætatis LIV annorum.

VII Franciſcus Laurens , auriga , commorans in vico Mali-fimi , in Parochia S. Saturnini Turonis, ætatis annorum XL.

VIII Carolus Chepault, auriga , commorans prope portam equorum,in Parochia S. Petri-puellarum Turonis , ætatis XXVII vel XXVIII annorum.

IX Ber-

A

IX Bertrandus Bornault, mercator pannorum laneorum, commorans in parochia S. Saturnini Turonis, ætatis annorum LX.

X Honesta mulier, Catharina Bergerelle, relicta defuncti Hugoneti Mansays, dum viveret aurifabri, commorans ipsa in parochia S. Saturnini Turonis, ætatis annorum L.

XI Maria, uxor Rudolphi Valet, aurifabri, Turonis commorans in parochia S. Saturnini, ætatis XXIX annorum.

XII Honorabilis & discretus vir Mag. Petrus Baillebis, in Artibus Magister & in Decretis Baccalaureus, Curiæ Metropolitanæ Turonen. Advocatus, commorans Turonis in parochia S. Petri de corporibus, ætatis XLIII annorum.

XIII Joanna, vidua defuncti Martini Dolin, commorans in par. S. Saturnini, ætatis XLV.

XIV Honesta mulier Joanna, uxor Hilarii Bonhomme, commorans in par. B. Mariæ-divitis, ætatis annorum L, examinata XXII Julij *cum sequentibus*,

XV Honesta mulier Joanna, vidua quondam Thomæ Vaillant, commorans in suburbiis Turonis, in par. B. Mariæ-divitis, annorum L.

B

XVI Renata, Uxor Petri Courselles mercatoris Turonen. in par. S. Saturnini, ætatis annorum XLV.

XVII Honesta mulier Joanna, uxor Joannis Mesnaige, mercatoris Turonen. in d. par. S. Saturnini, annorum XXXIII.

XVIII Honorabilis femina Joanna Hameline, uxor Davidis le Maistre mercatoris, in par. Sanctæ-Crucis, annorum LVI, examinata die XXIII Julij *cum sequentibus.*

XIX Cornelius Chrestien, minutarius, in par. B. Mariæ-divitis, ætatis annorum XL.

XX Maria, vidua defuncti Andreæ Ligier, mercatoris dum viveret, in par. Sanctæ-Crucis, annorum XLVII.

XXI Oliva, uxor Antonii Mangois, mercatoris, in par. S. Petri-puellarum, annorum XXXII.

XXII Honorabilis mulier Gervasotta, vidua quondam Mag. Joannis Lopin, in legibus Licentiati dum viveret & Domini de Nitriaco, in par. S. Saturnini, annorum LXI, examinata die XXVII Julij *uti &*

XXIII Honesta mulier Petronilla, uxor Joannis Claveau mercatoris, in par. S. Saturnini, annorum XX.

C

XXIV Honorabilis femina Joanna Beauvalet, vidua quondam Mag. Stephani Binet, dum viveret Locum-tenentis D. Ballivi Turoniæ apud Sedem regiam Turonen. in par. S. Petri-puellarum, annorum L, examinata XXVIII Julij *uti &*

XXV Honorabilis femina Guillelma Binet, vidua qu. Michaelis Pele, mercatoris Turonen. annorum LVIII.

XXVI Honorabilis femina Catharina, uxor Guillelmi de Loyon, Distributoris hospitiorum Dominæ nostræ Francorum Reginæ, in par. S. Petri de Ballo Turonis, annorum XLVII.

XXVII Venerabilis & discretus vir, Mag. Maturinus Chabrion, in Legibus Licentiatus, Curiæ ecclesiasticæ Turon. Advocatus, Secretarius Reverendissimi Domini Turonen. Archiepiscopi, in par. S. Petri de ballo, annorum XXXI.

XXVIII Honorabilis femina Joanna Bernier, uxor honorabilis viri Mag. Joannis de Billon, contra Reglantorium de Rupella commorans Turonis, annorum XXXVI, examinata XXIX Julij.

XXIX Honesta mulier Maria Fichepain, uxor Gaciani Boucault, mercatoris aurifabri Turon. in par. S. Petri de ballo, an. XXXIII, examinata die IV Augusti *uti &*

XXX Honorabilis vir Joannes l'Escart, alias Monnoye, mercator, in par. S. Petri de ballo, annorum XXIX. EX MS. PROCESSU TURON.

XXXI Honestus vir Pasquerius Boileau, Fontenarius seu fontium D. N. Regis Francorum apud locum de Plessiaco Parci existentium gubernator, ibidemque commorans, annorum LX, receptus auditusque die Veneris V Mensis Augusti, *uti &*

XXXII Honestus vir Petrus Courvoisier, barbitonsor in par. S. Petri-puellarum, annorum XXX.

XXXIII Honorabilis mulier Catharina Rusée, vidua qu. nobilis & b. m. viri Guillelmi de Beauvé, in par. S. Petri de ballo, annorum LV.

XXXIV Honestus vir Joannes Thoitart, domesticus seu famulus cameræ qu. Ludovici Francorum Regis XI, commorans Turonis in par. S. Mariæ-divitis, annorum LII vel LIII, examinatus die lunæ VIII mensis Augusti, *uti &*

XXXV Honorabilis vir Joannes Galle, brodator, in par. S. Saturnini, annorum L.

XXXVI Religiosus vir Fr. Joannes de la Haye, ex patria seu natione Franciæ diœcesis Pictavensis, religiosus laicus, expresse professus Ordinis FF. Minimorum in conventu eorumdem Fratrum juxta Plessiacum Parci prope Turones, annorum LX & ultra, examinatus die Sabbati XIII Augusti, *uti &* F

XXXVII Honorabilis vir Alexius d'Argouges, burgensis Turonensis, annorum XLV.

XXXVIII Venerabilis religiosus Fr. Leonardus Barbier, Presbyter Ordinis Minimorum, & in eodem expresse professus, annorum XXXIV.

XXXIX Venerabilis vir Patricius Binet, Burgensis Turon. annorum XLII, examinatus XX Augusti, *uti &*

XL Honorabilis vir Martinus Moreau, mercator & civis Turonen. annorum L.

XLI Nobilis Joannes Moreau scutifer, in par. S. Petri de Corporibus, annorum LX, examinatus die XXI Augusti, *uti &*

XLII Fr. Stephanus Joly, Presbyter religiosus Ordinis Minimorum, annorum XLV.

XLIII Honestus vir Antonius Maugris, mercator, in par. S. Petri-puellarum, annorum XLV, examinatus die XXV mensis Augusti, *uti &*

XLIV Honestus vir Joannes Muterne, mercator coriarius, in par. S. Dionysii, annorum XXXII

XLV Honesta mulier Joanna, uxor honorabilis viri Antonii Fillesaye, mercatoris pelliparii & stabularii Turonis, in par. S. Saturnini, ann. XXVI. F

XLVI Honesta mulier Joanna, uxor Guillelmi Pere, sellarii, in par. S. Hilarii Turonis, annorum XXXV.

XLVII Honesta mulier Catharina Jouffette, vidua defuncti Nicolai Mavechier, Turonis in par. S. Vincentii, annorum LX.

XLVIII Honorabilis vir David le Maistre, D. N. Regis Francorum mercellarius ordinarius, in par. Sanctæ-crucis annorum LVII, examinatus XXVI Augusti *uti &*

XLIX Honorabilis vir Thomas Jacob, Thesaurarius salinitrarius D. N. Regis Francorum, in par. S. Saturnini, annorum LIII.

L Honestus vir Robertus Touchet, pulpamentarius seu potagiarius qu. defuncti Ludovici Francorum Regis XI, & nunc principalis coquus Ludovici etiam Francorum Regis XII & moderni, in par. Sanctæ-crucis, annorum LX.

LI Honorabilis vir Petrus Proust, mercator Turonen. in par. S. Dionysii, annorum LI, examinatus XXVII Augusti.

LII Honorabilis mulier Catharina Ayrolde, vidua defuncti Mag. Joannis Paulmier, dum viveret

EX MS. PROCESSU TURON.

armatæ militiæ Militis, & Senatus Parlamenti Gratianopoli Præſidentis, annorum LVII, examinata die XXVIII Auguſti.

LIII Venerabilis Dominus Stephanus Lancea, Presbyter, Rector parochialis eccleſiæ S. Michaelis de la Gochella diœceſis Ferrarienſis, ex Provincia Calabriæ & loco de Paula oriundus, per civitatem Turonenſem (redeundo ex peregrinatione S. Jacobi in Compoſtella) tranſitum faciens, annorum L, examinatus die ultima Auguſti.

LIV Nobilis vir Patricius Loquebourg, de cuſtodia D. N. Regis Francorum, & nunc ejus Penſionarius, commorans in par. de Mirreyo Turon. diœceſis, annorum XL, examinatus die II Septembris *uti &*

LV Nobilis mulier, Damicella Ludovica Poupillart, uxor nobilis viri Felicis Martel, famuli cameræ D. N. Regis Francorum, commorans in loco de Pleſſiaco-parci, annorum XXX.

LVI Honeſta mulier Maria, uxor Paſquerii Bovilliau, fontenarii D. N. Regis Francorum in loco de Pleſſiaco-parci, annorum LX.

LVII Honorabilis & ſcientificus vir Mag. Guillelmus Sireau, in Legibus Licentiatus, Judex, & ſpectabilis Ballivi Turoniæ Locum-tenens generalis, in par. S. Petri-puellarum, annorum XLIII, examinatus die VII Septembris.

B

PARS I.

Excerpta depoſitionum de tranſitu Sancti in Franciam, vitaque ibidem auſteritate & ſanctitate.

Rex Ludovicus, audita ſanctitate Franciſci,

6 TEſtis XLI deponit, quod ſunt triginta anni vel circa (ipſo exiſtente in obſequio defuncti illuſtriſſimi Principis Ludovici Francorum Regis XI) quando relatu cujuſdam Coupple mercatoris Neapolitani didicit, quod in partibus Neapolitanis erat quidam vir ſanctitatis ſeu ſanctæ vitæ, qui multa miracula faciebat; & quod ejus uxor ſuis precibus, prout credebat, prolem ex eo ſuſceperat. Et quia ipſe defunctus Rex plurimum deſiderabat recuperare virum perfectum & ſanctum, teſtis qui loquitur eidem Regi præmiſſa narravit. Ob quod ipſe defunctus Rex poſtmodum cum d. Coupple verba habuit, & tractu temporis ad partes Neapolitanas legatos tranſmiſit, & inter ceteros Guynotum de Bouſiere, Magiſtrum-domus d. Regis, pro adducendo videlicet & conducendo, ſi poſſibile eſſet, d. virum probum, quod & fecit idem de Bouſiere.

C

legatos mittit, ad eum adducendum in Franciã;

7 Teſtis V deponit, quod ipſe exiſtens de cuſtodia Illuſtriſſimi Principis Ludovici Regis Franciæ XI, in comitatu quondam Guinoti de Buſiere, Magiſtri-domus d. Regis Ludovici, & aliorum quam plurimorum (ſunt circiter anni triginta & ultra) adivit partes Siciliæ & Calabriæ de mandato d. Regis, pro adducendo ad partes Franciæ defunctum *a* fr. Franciſcum de Paula. Quem una cum quodam Fratre ejus ſocio, certo in loco Ducatus Calabriæ, in quadam videlicet domuncula, ab habitatoribus aliiſque domibus longe ſequeſtrata, in modumque eremitorii conſtructa, repererunt; illumque rogaverunt, quatenus ad partes Franciæ & d. Regem Ludovicum ſe conferre vellet. Qui quidem deponens, una cum aliis Ambaſiatoribus à d. Rege Ludovico tranſmiſſis, per ſex aut ſeptem menſes in d. Ducatu & Regno Neapolitano, antequam conſenſum à d. fr. Franciſco obtinerent, permanſerunt. Quo pendente tempore, S. D. N. Papam pro tunc exiſtentem Regemque Neapolitanum adierunt, eoſque & quemlibet eorum reſpective ex parte d. Ludovici Regis ſupplicarunt, quatenus vellent & dignarentur d. fr. Franciſcum de Paula tranſmittere ad d. Regem & partes Franciæ. Qui quidem Sanctiſſimus & Rex Neapolitanus litteras & nuntios eidem fr. Franciſco, ut ad partes Franciæ veniret, tranſmiſerunt. Ob quod d. fr. Franciſcus, precibus & mandatis tantorum virorum devinctus, tandem aſſenſum ſuum præbuit: illumque abduxerunt à d. loco, ubi moram faciebat, primo ad civitatem Neapolitanam: & deinde Romam adierunt, ubi S. D. N. Papa Sixtus IV eumdem fr. Franciſcum benigne recepit. Poſtmodum benedictione ab eodem Sanctiſſimo recepta, ad partes Franciæ iter arripuerunt, mareque in portu *b* Civitati-vetulæ aſcenderunt, & Maſſiliam appulerunt: deinde ad urbem Turonenſem (dicto tamen Franciſco pedeſtre) acceſſerunt.

D

illuc appellit

b

8 Teſtis XLI deponit ulterius, quod poſtquam defunctus Rex ſcivit adventum d. Franciſci de Paula ad portum Marſiliæ, præ gaudio exultavit, gratias Deo referens de ejus adventu. Et tunc ipſe Rex eidem deponenti dixit, quod tantum gaudebat de adventu d. Fratris Franciſci, quod neſciebat ſi eſſet in cælo vel in terra: ſubjungendo poſtmodum ei deponenti & dicendo, quod quia ipſe teſtis erat cauſa adventu ejuſdem fr. Franciſci, volebat illum recompenſare, & quod ob hoc ab eo peteret idem deponens quod vellet. Qui quidem deponens reſpondit ad hoc, quod nihil aliud petebat, niſi quod cuidam fratri ſuo Mag. Petro de Moreau de Epiſcopatu provideri faceret. Qui quidem Rex reſpondit, quod id libenter annuebat, & quod pro vacatis ejuſdem Epiſcopatus ſibi donabat ſummam decem millium ſcutorum auri.

cum ſumma Regis gaudio.

E

à quo genibus flexis exceptus,

9 Teſtis XXXV deponit, quod die prima, qua comparuit fr. Franciſcus de Paula coram d. Rege in camera ejus, vidit quod ubi ingreſſus eſt d. cameram, ipſe Rex coram eo genua flexit, benedictionem ab eodem petens, prout percepit. Poſtmodum ipſe deponens vidit d. fr. Franciſcum in conventu præfato exercentem actum humilitatis, ex eo quod ipſe defunctus ingreſſus eſt quamdam cameram, in qua erant præſentes tres aut quatuor ex Religioſis ſuis cum ipſo teſte & quibuſdam aliis: & quia ingrediendo vidit quemdam hominem illic præſentem ſtantem, quoddam ſedile ſibi deportavit, licet eſſent aliqui ex ſuis Religioſis præſentes, quibus poterat imperare ut idem ſedile afferrent.

humilitatem nihilominus ſervat:

10 Teſtis XXXIV deponit, quod cum eſſet in obſequio ſeu ſervitio Illuſtriſſimi Principis Ludovici, quondam Francorum Regis XI, qui ipſum fr. Franciſcum adduci fecerat ex Italia in partibus Franciæ, præſens fuit pluribus & iteratis vicibus, quando ipſe defunctus Rex, tentare volens vitam & continentiam d. fr. Franciſci, præcepit nunc defuncto Petro Brizonnet, aliiſque quos nequit nominare, ut ſecreto viſitarent locum in quo erat d. defunctus, & diligenter ejus geſta & conſtantiam inſpicerent. Qui quidem Brizonnet & alii à Rege miſſi, ipſi Regi referebant, aliquando d. defunctum inveniſſe genua flectentem in oratione, oculis ſurſum elevatis & manibus junctis; aliquando ſtantem, oculos in cælum levantem; aliquando ſedentem in oratione & contemplatione. Et tunc idem defunctus Rex manibus junctis, ex ejuſdem defuncti conſtantia, videbatur Deum laudare de relatione ſibi facta. Vidit etiam d. deponens, d. fr. Franciſcum exhortari D. Joannam *c* Franciæ, filiam d. defuncti Regis, ſuamque comitivam & mulieres ſecum exiſtentes alioſque preſentes, ad bene & recte vivendum.

F

à curioſis exploratoribus per Regem ſubmiſſis

ſemper orans invenitur:

c

qui ire per Regem Neapol. & Papam perſuaſus,

11 Teſtis XXXIX deponit, alias ſerviviſſe in obſequio cameræ defuncto Regi Franciæ Ludovico XI, quo tempore fr. Franciſcus de Paula adductus fuit per quemdam Guynotum de Bouſiere, magiſtrum hoſpitii

Regi laudatur à Legato:

A hoſpitii d. Regis, partibus Calabriæ ad Pleſſiacum-parci, ubi tunc temporis d. defunctus Rex ſuam moram faciebat: & audivit d. Guynotum de Bouſiere multa referre laude digna præfato Regi de d fr. Franciſco: quem etiam Rex ſingulis diebus viſitabat.

cum eſſet in orando aſſiduus

12 Teſtis XLII deponit quod ejus vita in continuis orationibus ſeu meditationibus aliiſque piis operibus conſiſtebat, adeo quod quodam die defunctus Rex Franciæ Carolus VIII ad conventum d. Ordinis prope Pleſſiacum-parci acceſſit, & ut verba cum fr. Franciſco haberet ipſum ad eccleſiam d. conventus evocari præcepit. Tunc Fr. Petrus Gibert, Corrector d. Conventus, oſtium cellulæ fr. Franciſci bina aut terna vice pulſavit, talibus utendo verbis: Ave Maria. Pater, Rex vult vos alloqui. Nullo tamen modo d. fr. Franciſcus reſpondit, nec cellulam ſuam exivit: & per aliquos d. Conventus Religioſos dicebatur, quod tunc erant octo dies

& quandoque ad octo dies abſtractus.

quod d. cellulam non exiverat, nec ab aliquo viſus fuerat. Quo relato d. Regi, ad oſtium prædictæ cellulæ venit, & ut verba cum fr. Franciſco haberet oſtium pulſavit, verbis utendo prædictis, Ave Maria. Pater, venio tibi locutum. Ipſe tamen nec reſpondit nec exivit. Quod videns Rex & ſecum

B adſtantes, dubitantes ipſum eſſe mortuum, oſtium d. cellulæ vi aperire tentarunt. Et tunc fr. Franciſcus, vocem in modum tuſſis emittendo, auditus eſt: non tamen exivit, nec aliquod verbum reſpondit aut protulit. Ob quod Rex à d. Conventu receſſit: & dicebatur tunc quod d. fr. Franciſcus contemplationi vacabat.

13 Teſtis XV deponit ſe numquam vidiſſe nec cognoviſſe fr. Franciſcum: ſed bene dicit alias audiviſſe dici à quondam D. Petro Brizonnet, Milite dum viveret & Generali Conſiliario finantiarum D. N. Regis; quatenus habuerat onus ipſius defuncti fr. Franciſci de Paula, dum primum acceſſit ad partes Franciæ, & ſimiliter à Joanne Vaillant, filio teſtis deponentis; quod tunc ſolum utebatur radici-

ſolis radicibus veſcitur;

bus. Et hoc ſcire dicebat d. Brizonnet relatu quorumdam famulorum ſuorum, quibus precipiebat dare d. fr. Franciſco pro victu ſuo quod peteret; & quod ſolum præbebant illi requirenti radices. Idem ſcire dicebat d. Vaillant, qui etiam dicto Brizonnet ſervivit, ex eorumdem famulorum relatu, quia videlicet præſens fuerat dum d. ſervitores præfati Brizonnet prædicta eidem narrarent, videlicet quod

C d. fr. Franciſcus radices ſibi ſolum miniſtrari procurabat.

à Regibus & magnatibus

14 Teſtis II deponit, ſcire per auditum & relationem cujuſdam fr. Balthazaris Ordinis Minimorum, & Confeſſoris quondam b.m. Innocentii Papæ VIII, & aliorum Fratrum d. Ordinis, d. fr. Franciſcum de Paula ad partes Franciæ adventaſſe tempore Ludovici Francorum Regis XI, & eum proſequentis. Qui quidem Rex Ludovicus, & defunctus Carolus VIII, ejus filius & ſucceſſor in regno Franciæ,

honoratur ut Sanctus,

aliique Magnates, videlicet Epiſcopi & Principes, plurimum laudabant virtutes & vitam ejuſdem fr. Franciſci de Paula. Qui ſuo tempore in Dei timore & orationis perſeveratione, ſobrie & cum maxima vitæ auſteritate, vivebat. Dicit etiam audiviſſe dici à d. fr. Balthazare, neminem mortalium à tempore B. Joannis Baptiſtæ vita tam auſtera vixiſſe: communiterque ante ejus obitum ferebatur, quod carnes, nec lacticinia, nec ova non comedebat. Eratque tantæ reputationis, quod ab omnibus reputabatur Sanctus.

& miracula in Italia facta,

15 Teſtis I deponit ſe agnoviſſe fr. Franciſcum viſu & allocutione (ſunt quindecim anni vel circa) ab eoq; tempore ſemper audivit, ipſum eſſe famæ multũ laudabilis, vivereque vita ſolitaria, utique cibis quadrageſimalibus; non tamen vidit eum comedentem neque bibentẽ. Audivit etiam dici à pluribus Italicis, quos tamẽ nominare nequit, quod ipſe fr. Franciſcus ſuis precibus multa miracula fecerat in partibus Calabriæ, unde dicebatur orundus: neſcit tamen quæ miracula. Deponit inſuper quod à d tempore duodecim annorũ, pluries vidit d. fr. Franciſcum de Paula in ſuo conventu Minimorũ juxtà Pleſſiacum-parci & prope hanc villam Turonenſem: cum quo ſepiſſime verba habuit, & quem devotiſſimum verbo & exemplo vidit, & devotis ac divinis exhortationibus plenum, prout per verba & geſta demonſtrabat: reputabatur-

EX MS. PROCESSU TURON.

& ſummam vitæ auſteritatem.

que ab omnibus tanta auſteritate vivere, quod nullus mortaliũ (de ſcitu teſtis loquentis) tunc temporis ſic vivebat. Dicebatur etiam communiter, quod multi hujus regni Franciæ ſuis precibus à Domino impetraverant ea, quæ alias obtinere non potuerant nec poterant.

duriter dormit,

16 Teſtis III deponit, etiam alias introiviſſe cellulam ejus, & ibidem ſolum vidiſſe ſtratum, munitum ſarmento vineæ, loco culcitræ: quod quidem ſarmentum cooperiebat idem defunctus groſſa tela, vulgariter nuncupata *d* canivatz. Dixit etiam ſe plu-

d

ries audiviſſe à d. conventus Fratribus, quod ſolum

parciſſime comedit:

comedebat, natura ipſum comedere compellente, & non alias: & ultra, quod dum miniſtrabant illi panem & aquam, aliquando ceſſabat per tres dies comedere & bibere: & hoc ſcire dicebant, quia tribus diebus elapſis adhuc inveniebant panem & aquam, quos illi miniſtraverant.

E

Teſtis VI deponit, audiviſſe quod poſt obitum Illuſtriſſimi Principis Regis Caroli VIII d. fr. Franciſcus vino minime uſus eſt.

fabis ut plurimum utitur.

Teſtis XIII deponit, primo cognoviſſe fr. Franciſcum de Paula, fuerunt viginti duo anni elapſi à feſto Epiphaniæ Domini, quo tempore per manus ejus habitum Ordinis Minimorum ſuſcepit. Interrogatus de cibo & potu, quibus utebatur fr. Franciſcus, deponit, quod ſibi miniſtrabantur fabæ, quas in aqua ut madidarentur ponebat, deinde ipſas in mortario conterebat, & illis cum aqua ſola veſcebatur.

ſolum aquam pluvialem bibit,

17 Joanna teſtis XIV deponit, vidiſſe certas ollas ſeu vaſcula terrea, quæ ſtillicidiis ſupponebat idem defunctus (prout etiam ipſa teſtis vidit, ibidem illa deponens pro recolligenda videlicet eorumdem ſtillicidiorum aqua) & dicebatur quod ſolum tali aqua in ſuo potu utebatur, non vero aqua fontis in d. conventu exiſtentis. Cognovitque ipſum fr. Franciſcum humilem & benignum, & valde ſolitarium. Præſertim vidit & percepit teſtis deponens, quod dum mulieres videbat, ab earum repente aufugiebat conſpectu, in modum quod vix ſciri poterat quo ſe recepiſſet. Cognovit autem deponens d. fr.

F

fugit congreſſus mulierum,

Franciſcum, à tempore quo in partibus Franciæ appulit, propterea quod maritus ſuus, qui tunc erat & adhuc eſt ferurarius, onus habebat fabricandi ferraturam, videlicet feras, claves & alia neceſſaria ad clauſuram conventus d. fr. Franciſci temporeque illius, primum in *e* baſſa-curte Pleſſiaci-parci prope Turones, & deinde extra muros ejuſdem parci ædificati: nam hujus rei cauſa ſæpe illuc ibat & ivit, uſque ad obitum d. fr. Franciſci.

e

18 Teſtis XXXVI deponit, ſe cognoviſſe fr Franciſcum ab annis vigenti ſeptem vel octo, quo tempore habitum Ordinis Minimorum apud Pleſſiacum-parci per manus ejuſdem fr. Franciſci ſuſcepit, illiuſque profeſſionem poſtea emiſit: à quo tempore, ejuſdem fr. Franciſci mandato, ad Italiæ & Hiſpaniæ partes ſe contulit, & ſemper moram illic fecit, dempto quod per intervalla temporis in conventu Fratrum Minimorum prope Turones & etiam Ambaſiæ, cum d. fr. Franciſco ſpatio ſeptem vel

octo

Ex MS. PROCESSU TURON.

octo annorum ſtetit, ob quod vitam & mores ejus cognovit. Qui quidem in exhortatione Fratrum plurimum erat intentus, & alias vita ſancta, devota & ſalubri vivebat: & abſtinens erat, in cibo & potu valde parcus; videlicet pro alimento utebatur modico pane & vino, nec non herbis & oleo, ac aliquando leguminibus piſorum & fabarum, ſua & non alterius arte conditis; &, ut communiter dicebatur, ſemel in die circa ſerum comedebat. Verum quia d. fr. Franciſcus ut plurimum erat in ſua cellula incluſus, non poteſt d. deponens certius de vita ejus deponere, niſi quod pluries ſcivit, quod ubi panis & vinum eidem defuncto miniſtrabantur per Fratres & correligioſos d. conventus, in eadem ſæpiſſime quantitate qua miniſtrati fuerant, inveniebantur, id eſt abſque eo quod aliquid ex illis pane & vino accepiſſet aut conſumpſiſſet. Cognovit etiam d. fr. Franciſcum multum patientem, in & ſuper eo quod aliquid ſiniſtri aliquando ſibi de aliis Conventibus d. Ordinis per Fratres illorum referebatur: nam id ipſum aliquando vultu mutato graviter ferebat, & nihilominus eidem negotio caritative providebat, Fratreſque ad obſervationem Regulæ & Religionis exhortabatur. Super ſtramina dormiebat, cilicioque utebatur. Certis diebus cellulam exibat, Miſſamque in eccleſia d. Conventus humiliter & devote audiebat: & certis etiam diebus non egrediebatur, imo in illa permanebat. Aliquando poſt infirmitates, à quibus attritus fuerat, piſcibus utebatur & non alias.

appoſitas eſcas pluries intactas dimittit;

patienter & provide in adverſis agit:

B

19 Teſtis II deponit, quod tribus vel quatuor annis ante obitum fr. Franciſci, de opere ſuo latomi vacavit in conſtruenda parte ædificii ſive domorum Conventus Minimorum prope Pleſſiacum-parci, una cum defuncto Joanne Buſſiere etiam latomo: & recordatur, quod d. Buſſiere ſibi pluries dixit, quod à tempore quo inceperat operari in d. conventu multum in bonis profecerat, ut credebat, precibus d. fr. Franciſci: propterea quia cum d. Buſſiere, ut dicebat, inceperat operari ibidem, erat multum juvenis & deditus levitati: ob quod d. defunctus eum exhortatus fuit, quatenus cum Dei timore vellet vitam ducere. Et ob hoc d. Buſſiere, qui effectus eſt dives & potens, dicebat omnia bona ſua habere, mediante auxilio & conſilio d. Franciſci, de Paula.

ad bonam frugem ſeum agentes adducit,

delinquentes libere caſtigat,

C

Teſtis xxx deponit, vidiſſe & cognoviſſe d. fr. Franciſcum (ſunt quatuordecim vel quindecim anni) qui ipſum tunc increpavit, quod male ſe habebat tam erga Deum quam erga parentes: deinde verba habuit cum ipſo deponente exhortativa ad bonum, videlicet ad Deo ſerviendum & parentibus obediendum, pro ipſiſque & etiam pro defunctis exorandum.

20 Renata teſtis XVI deponit, cognoviſſe & vidiſſe d. fr. Franciſcum in conventu præfato, qui eidem deponenti & ſuæ comitivæ verba exhortativa & divina habuit, ad humilitatem & caritatem inductiva, ut per interpretem accepit. Vidit etiam ipſum audientem Miſſam in d. conventu humiliter & devotiſſime: in quo ſignum humilitatis percepit ex eo, quod cum ſibi offerretur pax oſculanda, illam deoſculari diſtulit, donec per quemdam fr. Franciſcum Binet, ejuſdem Religionis religioſum, quia Presbyter erat, prius deoſcularetur. Joanna teſtis XVII deponit, diu cognoviſſe & pluries vidiſſe d. fr. Franciſcum, atque cum eo pluries verba habuiſſe: eo potiſſimum quod maritus deponentis habebat & habuit partagia contigua d. Conventui, imo ipſe Conventus ædificatus eſt in parte partagiorum ejuſdem mariti. Qui quidem fr. Franciſcus verba caritativa & ad obſervationem præceptorum decalogi exhortativa ſemper habebat cum d. deponente: videlicet hortabatur illam ad Deo ſerviendum, marito obediendum, & liberos ſuos in bonum introducendum.

cedit ubique Sacerdotibus,

D

21 Teſtis XXXVIII, per annos octodecim in conventu Minimorum prope Pleſſiacum-parci profeſſus, in eoque ut plurimum commoratus, ob quod vitam & converſationem fr. Franciſci cognovit, deponit, quod in quadam parva domo intra ſepta d. conventus ſolus reſidebat, & in aurora diei ſæpiſſime Miſſam humiliter & devote audiebat. Aliquando, poſt hujuſmodi Miſſam, domunculam ſive cellulam ſuam ingrediebatur, nec illa die ulterius videbatur. Et aliquando, ſecundum qualitatem temporis, ad hortum ſe conferebat, cum pala aut aliis inſtrumentis ad fodiendum aptis, illiſque terram manibus propriis tota die fodiebat. Et dum fatigatus erat, in quodam parvo tugurio, ibidem in modum ſemiclibani, ingreſſu verſus ſolem compoſito & ſalicibus cooperto crucibuſque munito, ſe retrahebat; ſecreteque de ſero ad cellulam ſuam, ut à nemine videretur præcavens, redibat. Aliquando etiam in eccleſia, à prima Miſſa ad ultimam in eadem celebratam, reſidebat: maximamque reverentiam ad divina officia habebat, & ut omnia recte & devote ac honeſte fierent procurabat. Sacerdotes etiam plurimum venerabatur: nec Pacem, in eccleſia exiſtentibus præberi ſolitam, ante Sacerdotes, niſi coactus, deoſculabatur. In majoribus ſolennitatibus congregabat Fratres; eoſdemque verbis divinis ſanctiſque exhortationibus inducebat, ad vitam ſecundum Deum & religioſum ſtatum ducendam & obſervandam: in modum quod ſermone per eum habito Fratres conſolatos dimittebat, præbens ſingulis pacis oſculum in ſignum caritatis, abſolutionemque generalem & benedictionem cum quibuſdam injunctionibus. Deponit præterea quod fuit in geſtis ſuis humilis & benignus: in reprehenſione vero aliquando auſterus: attamen cum delinquentibus Fratribus mitiſſime agebat. Dicebatur etiam in d. conventu, quod multa paſſus eſt à quibuſdam Fratribus vitam ejus obſervare reſilientibus, & laxiorem vitam ipſo invito ducere petentibus. Deponit inſuper quod idem erat tantæ humilitatis, quod ſe exponebat ad mundandum indumenta Fratrum, à nulloque permittebat ſua propria mundari niſi à ſeipſo. Super ſtramine lignis ſuperpoſito cubabat, fune deſuper pendente, ut facilius erigeretur. Credebatur tamen ipſum parum dormire, propterea quia claritas luminis per totam noctem in ejus cellula apparere videbatur. Viſus eſt etiam pluries, poſtquam Fratres ſe retraxerant, inſpicere ad januas conventus ſi clauſæ eſſent: & non ſinebat gradus ſive ſcalerium apertum dimitti; ſed ne illo de nocte uterentur, faciebat incatenari.

Miſſa religioſe audita

labori manuum tota die incumbit;

Sacerdotes impenſe veneratur.

E

Fratres utiliter inſtruit.

qualis in corrigendis delinquentibus

quam ſomni parcus.

F

22 Teſtis XLIII Deponit, etiam pluries iviſſe, vita comite fr. Franciſci, ad conventum ſuum de Ave-Maria prope Pleſſiacum-parci pro ipſum alloquendo, ſuper quibuſdam ipſius deponentis negotiis: ſed cum eo verba habere non poterat, eo quod tunc orationi & contemplationi vacabat, ut teſti deponenti per Fratres d. conventus referebatur. Teſtis XLVIII deponit, quod (nunc ſunt novem anni vel circa) quidam Joannes le Maiſtre, filius d. deponentis, habuit à fr. Franciſco habitum Ordinis, qui illum eidem Joanni, inſcio d. deponente, tradidit. Quod aliquantulum ægre tulit teſtis deponens; non eo quod dictus ejus filius Religionem intraſſet, verum quia habitum illo inſcio ſeu inconſulto habuiſſet: propterea quod verebatur ne ipſius Religionis auſteritatem ferre non poſſet. Et ea de cauſa ipſe deponens adivit fr. Franciſcum, ipſumque de cauſa propter quam d. Joannem filium ſuum ad ſtatum ſeu

quam aſſiduus in oratione.

ſuccenſentem ſibi pro filio patrem

facile placat.

A ſeu habitum ſuæ Religionis admiſerat, ipſo deponente inconſulto, arguit. A quo tunc bonam & ſalutarem conſolationem reportavit, & ideo lætus ab eodem diſceſſit, & adhuc de ingreſſu d. ſui filii in Ordinem prædictum lætatur idem deponens. Deponit ulterius alias fuiſſe præſentem in eccleſia d. Conventus finito ſervitio, & vidiſſe quod fr. Franciſcus mittebat Fratres ſuos ad prandendum, & ſolus remanebat in eccleſia, ornamentaque ejuſdem eccleſiæ in locis ſuis reponebat: de hinc cellulam ſuam ingrediebatur, in quam numquam eſt paſſus mulieres intrare. Deponit præterea quod pro conſtruendo conventu fr. Franciſci, in loco in quo nunc eſt, defunctus Rex Carolus VIII emi juſſit & ſolui fecit locum d. Conventus à præſenti deponente: quod & factum fuit. Et nihilominus d. defunctus, ſciens quod d. fundus fuerat & pertinuerat d. deponenti, & timens quod pro illo ſatisfactum non fuiſſet, miſit illum quæſitum, & interrogavit eumdem, an ſibi ſatisfactū fuerat nec ne, ad finem (ut dicebat) procurandi, quod ſibi deponenti ſatisfierit, ſi factum non fuerat.

prandentibus aliis in eccleſia manet,

ſolicite curat ut ſuum cuique tribuatur.

ANNOTATA.

B a *Toto hoc Proceſſu ſæpius* defuncti *quam* Franciſci *appellatione, deſignatur is, de quo ſermo eſt Sanctus; ipſum tamen proprium* Franciſci *nomen claritatis cauſa ſæpius repoſuimus ijs locis, ubi de re aliqua, à vivente Sancto geſta, mentio inducitur.*

b Civitas vetula, *vulgo* Civita-vecchia, *ad Promontorium Circeium, antiquitus celebre.*

c *Hæc eſt illa* B. Joanna Valeſia, *cujus Vitam dedimus 4 Februarij. Ea quin ſancti viri colloquiis multum profecerit ad virtutem, dubium eſſe non poteſt.*

d Canivatz, *id eſt*, cannabina tela.

e *Hinc intelligas quod ait Comineus, Carolum VIII ædificaſſe conventum*, ad Pleſſiacum-parci, in compenſationem ſacelli quod fuerat ad extremitatem pontis, *ubi ſcilicet Sanctum & ſocios ejus Ludovicus Rex collocarat.*

PARS II.

Miracula à S. Franciſco vivente inter Francos patrata.

Candelis à Sancto benedictis

23 JOannes Gardinis teſtis IV deponit, quod pluries aliquos Fratres conventus Pleſſiacenſis recepit in ejus domo, in qua tunc temporis commorabatur, accepitque ab eis candelas quaſdam à fr. Franciſco, ut aiebant, benedictas. Morabatur autem in

C

a

inſula vulgariter nuncupata *a* de Brehemont, juxta fluvium Ligeris, juxta Langeſium. Quodam autem tempore in d. loco ſupervenit quædam vehemens exhalatio celeſtis, adeo quod talis ventus & exhalatio exhauſit magnam quantitatem d. fluvii, cum portione cujuſdam domus, ac certis armamentis cujuſdam naviculæ, & certis calathis in eadem navicula exiſtentibus, eaque per aera deportavit. Quod videns d. teſtis, & alii ſecum juxta ejus domum adſtantes, pavore maximo perterriti, timiens ne tali impetu domus ſua corrueret, in memoriam reduxit quod Fratres Minimi candelas ſupradictas ſibi donaverant. Illico igitur, ut mortis periculum bonorumque perditionem evitaret, accendere eas curavit: & ſtatim talis impetus & exhalatio, prope domum ipſius deponentis, ut videbatur, exiſtens, evanuit. Deponit inſuper quod cum mulieres prægnantes, in illis partibus commorantes & in puerperio laborantes, illas candelas recuperare poterant (ut relatu ſuæ uxoris didicit) ſtatim liberabantur.

vehemens turbo repellitur,

puerpera juvantur:

herbis ab eo miſſis febris curatur;

24 Emericus Bernardeau teſtis VI deponit, quod vivente d. fr. Franciſco, deponens detentus fuit febre continua: quo pendente tempore, fuit viſitatus per duos Fratres d. Conventus, quorum alter vocabatur fr. Rollandus de Chaumillon, tunc Corrector d. Conventus: cui d. deponens ſupplicavit, quatenus ipſum vellet precibus fr. Franciſci commendare. Poſtmodum rediit d. Chaumillon cum ſuo Fratre ad d. deponentem viſendum, cui præſentavit ex parte fr. Franciſci parvum manipulum herbarum ſilveſtrium, ſibique dixit, quod d. fr. Franciſcus ſe illi commendabat, & mandabat, quod Dominus eſſet ſibi adjutor, & quod confideret in eo. In quibus verbis deponens confidit, & ſanus poſtmodum effectus eſt.

EX MS. PROCESSU TURON.

25 Catharina Bergerelle teſtis X deponit, audiviſſe dici à Ioanna, uxore defuncti Martini Dolin, quod ipſa duos infantes, quos ex facto ſui mariti conceperat, magnis laboribus magnaque infirmitate preſſa, abortivos emiſerat. Procedente vero tempore, iterum gravida effecta fuit; ob quod timens, ne, ut prius, ſibi accideret; ad eamdem deponentem acceſſit, eamque rogavit, quatenus vellet eam conducere ad fr. Franciſcum, tunc adhuc viventem; illumque rogare quatenus vellet Deo pro ea preces effundere, ut infans, quem in utero geſtabat, ad ſacrum baptiſmatis ſacramentum devenire poſſet. Quod & fecit teſtis deponens, illamque cum ejus marito ad d. fr. Franciſcum conduxit, præmiſſa expoſuit, & quod Deum pro ea deprecaretur benigne ſupplicavit. Qui quidem verbis devotis & conſolatoriis indixit, ut dum ipſa in puerperio laboraret, ad ipſum trāſmitteret, quatenus Deū pro ſuo poſſe pro ea exoraret. Succeſſuq; temporis d. mulier ob puerperium ægritudine detenta, receptis à d. Fratre candelis, unaque earum accenſa, ſtatim infantem vivum emiſit: prout teſtis deponens relatu fide dignorum audivit, non tamen fuit præſens in puerperio. Qui quidem infans adhuc vivus exiſtit. *Ipſa vero* Ioanna teſtis XII, *eadem narrans addit*, quod d. candela ad medium diminuta, ipſa infantem ſuum in lucem emiſit, aliumque infantem poſtmodum habuit, in cujus puerperio nullum ſimile periculum, quale aut quantum antequam ſe precibus fr. Franciſci commendaret, ſuſtinuit; & credit ſe fuiſſe precibus d. fr. Franciſci in hoc multum ſublevatam. Interrogata de periculis quæ antea paſſa fuerat, deponit quod in duobus precedentibus ſuis puerperiis, arte & induſtria chirurgicorum & non alias, membratim infantes habuerat.

bis abortum paſſa,

& Sancto commēdata,

E

accenſa illius candela,

ſine periculo parit,

26 Ioanna Bonhomme teſtis XIV deponit, quod ipſa diu eſt obſtetricis officio functa, tam vita comite d. fr. Franciſci quam poſt ejus obitum, & ob hoc multarum mulierum puerperiis interfuit, quæ in maximo verſabantur periculo, quæque cum primum ſe Deo & precibus d. fr. Franciſci, ut à puerperio liberarentur, commendarunt, quod petierant à Domino impetrarunt; & maxime cum in ipſa camera accenſæ erant cereæ candelæ, per ipſum fr. Franciſcum benedictæ. Et ſpecialiter deponit, quod die veneris Sancta, anni obitum fr. Franciſci præcedentis, teſte deponente in puerperio cujuſdam Perinæ uxoris Ianoti de Chaulx, *b* lingiariæ Sereniſſimæ D. N. Reginæ, exiſtente; quia ibidem per unam diem & unam noctem uſque verſus horam quintam de ſero ſteterat, ut partum d. Perrinæ reciperet, & illa die divinum non audierat officium; d. Perrina eam obnixe requiſivit, quatenus conventum fr. Franciſci adire vellet, & ipſam Perrinam Deo & precibus ejuſdem fr. Franciſci commendaret: quod & fecit. Et ipſa illuc appulſa requiſivit fr. Franciſcum Binet, quatenus d. Perrinam Deo & precibus d. fr. Franciſci commendaret. Et ob hoc idem Binet ab eadem deponente ſe divertit, & paulo poſt ad eam reciit, illique retulit fr. Franciſcum ſibi mandare, quatenus ad d. Perrinam

F

uti & plures alia:

b

alia eidem commēdata,

enititur eo quo dixerat tempore.

EX MS. PROCESSU TURON.

cito reverteretur, ſubjungens quod eadem Perrina intra unius horæ ſpatium partum emiſſura erat: quod & verum fuit.

alia à deſperato puerperio liberatur,

27 Joanna Meſnaige teſtis XVII deponit, quod anno Domini MDIII, die Jovis poſt paſcha, incœpit laborare infirmitate puerperii, in qua illa die & Veneris ſequenti multum paſſa eſt, in tantum quod de ejus ſalute deſperabatur à chirurgicis & aliis aſſtantibus, nec poterat quoquo modo partum emittere. Ob quod diei ſabbati proxime ſequentis hora quarta de mane, nonnulli ex proximis ejus amicis fr. Franciſcum in ejus conventu adierunt, pro eaque ut Deum oraret ſupplicarunt (ut poſtmodum eidem deponenti retulerunt) qui eiſdem dixit, quod pro ea deprecaretur, in Dominoque confiderent, & quod ipſa à tali periculo evaderet. Ipſa vero eadem die circa horam ſeptimam de mane, infantem peperit, & periculum mortis evaſit.

Itemque à permoleſto calculo,

28 Deponit inſuper quod (ſunt octo anni vel circa) ſupervenit eidem deponenti quædam colica paſſio, multum acuta, in modum quod à medicis nullum remedium potuit obtinere, & per duos dies & duas noctes abſque emiſſione aquæ à ſuo corpore permanſit. In tali ſtatu & in tali periculo, ad fr. Franciſcum quemdam ſuum nepotem, nomine Alanum, tranſmiſit, eumque ſupplicare fecit, ut Deum rogaret pro ea. Qui unam ceræ candelam cum uno pari de Pater-noſtres dicto ejus nepoti tradidit, eidem deponenti deferenda; & juſſit ſibi, quatenus eaſdem Pater-noſtres aut diceret aut proximiori ex parentibus ſibi dicendas traderet. Qui acceptis eaſdem dicere cœpit, ſed ipſas uſque ad finem dicere non potuit; ob quod dicendas ſuæ matri, auxilium ſibi ferenti, dimiſit: & paulo poſt unum lapidem groſſitudinis unius nucis amygdali à corpore emiſit, exindeque bene ſe habuit. Preterea deponit, quod eodem anno, circa feſtum S. Catharinæ, detenta fuit infirmitate tali, quod ſuis membris, dempto capite, ſe juvare nequibat, dubitabatque morbum paralyticum: ob quod eumdem fr. Franciſcum per quemdam nuntium rogari fecit, quatenus Dominum pro ea deprecari dignaretur, & Miſſam in honore Sanctæ Trinitatis in d. Fratris conventu celebrari juſſit. Qui quidem nuntius in reditu ſuo eidem deponenti dixit, quod d. fr. Franciſcus ſibi mandabat, quod Fratres ſuos ad orandum pro ea exhortari fecerat. Et eadem die, hora nondum elapſa, incœpit melius ſe habere: & Deo dante ſucceſſu temporis convaluit. In aliis etiam neceſſitatibus ſuis ſe Domino & Sanctorum precibus, precipue d. fr. Franciſci commendavit, & bene ſe habuit.

B

& periculo paralyſis.

C

Prædicitur alicui filiam

29 Maria vidua Andreæ Ligier, teſtis XX, deponit, quod quinque vel ſex annis ante obitum fr. Franciſci habebat quamdam filiam, ætatis ſex annorum vel circa, quæ ſpatio unius anni vel circa languerat, in modum quod neſciebat præſens teſtis, quod remedium pro illius recuperanda ſanitate adhiberet. Quod videns, & precibus d. fr. Franciſci confidens, rogavit quoſdam Fratres, Berthum & Petrum le Breton, quatenus d. filiam illius precibus commendarent: quod & fecerunt. Ille autem reſpondit, prout d. Fratres eidem retulerunt, quod ipſi teſti in craſtino referre haberent, quod Dominus d. ſuam filiam ſecum habere volebat, & illa die animam illi redderet, & quod de hoc gratias referret: illaque die d. deponentis filia migravit ad Dominum. Deponit inſuper quod (fuerunt duodecim anni in die Aſcenſionis Domini ultimo lapſo) quædam teſtis deponentis avuncula, Joanna Roberde nuncupata, infirmitate gravi detenta, quia fr. Franciſcus

& amitam morituras:

bonam familiaritatem habebat cum ipſa deponente, inſinuavit eidem fr. Franciſco d. ſuæ avunculæ infirmitatem. Qui die Veneris ſequenti miſit duos ex Fratribus ſui conventus ad illam viſitandam, prout & illam viſitarunt, de hinc ad d. conventum eorum redierunt. Et eadem die Veneris reverſi fuerunt ad domum dictæ Roberde, ipſique deponenti retulerunt ex parte fr. Franciſci, quod velle ſuum voluntati divinæ conforme redderet, & quod D. N. Ieſus Chriſtus animam ipſius la Roberde, die Dominica ſequente, à corpore ſuo evocaret: prout factum fuit.

D

mulieri orbæ filius impetratur.

30 Oliva teſtis XXI deponit, quod erunt tredecim anni, intra feſta omnium Sanctorum & natalis Domini proxime venturi, quod cum teſtis deponens antea peperiſſet infantem qui naſcendo obierat, & ſummopere deſideraret alium infantem à viro ſuo ſuſcipere; quia confidebat in Deo & precibus d. fr. Franciſci, rogavit quemdam fr. Berthum, tunc religioſum conventus ejuſdem, quatenus requirere haberet ipſum fr. Franciſcum de orando pro ea, ad finem quod infantes poſſet concipere ex viro ſuo. Qui quidem fr. Berthus poſtmodum renuntiavit teſti deponenti, quod d. fr. Franciſcus, quem rogaverat pro ea, ſibi reſponſum fecerat, quod ipſa teſtis obtineret quod petierat, dummodo præcepta decalogi obſervaret. Et de facto infra ſpatium unius menſis, à tempore d. renuntiationis, effecta gravida, poſtmodum peperit filium.

E

& alteri ſanguinis fluxum paſſæ

31 Deponit inſuper quod certo tempore poſt, videlicet ſunt ſeptem anni vel circa, quædam mulier, uxor Guilielmi Chevreſt alias le Bourbonnois, pelliſſarii Turonenſis, exiſtens gravida (ſex erant menſes) gravi morbo detinebatur, in modum quod per fluxum ſanguinis, quem patiebatur, totum fere ſanguinem ſuum amittebat. Et tunc teſtis deponens ejus vicina, præſens ejus morbo, recordata fuit de certa cerâ candela (quam ſibi fr. Franciſcus tranſmiſerat, cum primum ſcivit qualiter erat gravida de ſecundo ſuo filio, quem, ut præfertur, ſanum peperit) ivit quæſitum ipſam ceræ candelam, in domo ſua exiſtentem, & illam in camera d. mulieris accendit, contraque parietem affixit. Et quia etiam ad memoriam reduxit, quod dum quædam mulier eſſet in puerperio, & in ejus camera una ex candelis d. fr. Franciſci fuiſſet accenſa, ipſe fr. Franciſcus ordinarat devote dici quinque Pater-noſter cum totidem Ave-Maria; teſtis deponens incepit dicere quinquies Pater-noſter & quinquies Ave-Maria, orando pro d. muliere & ejus partu naſcituro: & tunc, antequam illa eſſent impleta, d. mulier morbum intravit puerperii, & infra dimidiam horam infantem peperit, quem obſtetrix ibi præſens baptizavit. Deponit ulterius vendidiſſe in domo ſua, pluribus & alternatis vicibus, Fratribus d. conventus plura lignea paria de Pater-noſtres, etiam uſque ad valorem & æſtimationem centum librarum, pro per d. fr. Franciſcum benedici faciendo & diſtribuendo, ex eo quod Chriſti fideles habere communiter cupiebant: quarum quidem centum vendebat dumtaxat quatuor denariis.

facilè puer. perium.

F

Roſaria à Sancto benedicta à plurimis expetuntur.

32 Guillelma Binet teſtis XXVI deponit, habuiſſe multoties per manus fratris ſui Franciſci Binet, Fratris d. Ordinis, cereas candelas, à d. fr. Franciſco de Paula benedictas (ut idem dicebat) à quo etiam accepit d. deponens, quod ſi accenderentur in puerperio mulierum, ſtatim liberarentur. Poſtmodumque ipſa deponens exiſtens in puerperio Joannæ, uxoris Joannis Beraudeau, ſenioris ejus filiæ, & Adenetæ, nunc uxoris Victoris le Ber, ejus

A ejus etiam filiæ, aliarumque mulierum; accendere
ab eodem benedictus panis fecit aliquas ex eiſdem candelis, & unis alteriſue earumdem conſumptis, mulieres illæ à puerperio liberabantur. Deponit inſuper, d. fr. Franciſcum Binet dediſſe ſuæ & ipſius deponentis matri unum panem, à fr. Franciſco, ut aſſerebat, benedictum: quæ deponentis mater illum uſque ad obitum ſuum cuſtodivit: & poſt ejus mortem (ſunt nunc octo anni) ipſa deponens ab aliis ſuis coheredibus d. panem ſibi dari petiit & obtinuit: quem ab eo tempore cuſtodivit, & nunc cuſtodit: illumque coram nobis Commiſſariis ſubdelegatis exhibuit. Quem vidimus & palpavimus, ad quantitatem unius panis duorum denariorum in partibus Turonenſibus: illumque non vitiatum nec corruptum, imo ita integrum comperimus, ac ſi à duobus diebus citra coctus fuiſſet. Aſſeritque nobis d. deponens, d. panem à tempore obitus d. ſuæ matris ſub clave cuſtodiviſſe, & nemini illius cuſtodiam tradidiſſe.

poſt octenniũ recens producitur.

Sanctus ſæpius febres curat;

33 Maturinus Chabrion teſtis XXVII deponit, quod variis vicibus fuit febrium ægritudine & aliis infirmitatibus aut adverſitatibus, ipſo fr. Franciſco vivente poſtque ejus obitum, detentus; & tandem precibus & conſolationibus ejus ab iis, ut credit, curatus & conſolatus fuit. Deponit ulterius quod defunctus Mag. Petrus du Ban, Turonis commorans, in ſecundis nuptiis deſponſavit quamdum Guillonam Haulſepré, prius uxorem defuncti Matthæi Amys, qui cum ea ſteterat tredecim annorum ſpatio abſque prole, ipſaque cum d. defuncto du Ban aliquo tempore etiam ſine ſobole remanſit. Quod vi-
B dens dictus Mag. Petrus, aſſociatus defuncto Mag.
ſterili conjugio prolem promittit, Matthæo Vaillandi Canonico Turonenſi, alias ſecretario S. D.N. Julij Papæ II in dignitate Cardinalatus exiſtentis, & d. Guillona ejus uxore, ac præſente deponente, pluribuſque aliis notabilibus perſonis, Conventum Fratrum Minimorum Turonenſem, in quo d. fr. Franciſcus tunc vitam agebat, adiit; dictumque fr. Franciſcum benigne & humiliter ſupplicavit d. du Ban, per organum præfati Vaillandi, quatenus Dominum exoraret, ut ſibi & uxori ſuæ prolem concedere dignaretur. Qui quidem fr. Franciſcus eiſdem reſpondit, quod prolem deſiderare non niſi ad laudem Dei debebant: quod ita fieri & poſtulari deſiderabant, ut aſſerebant. Et tunc d. fr. Franciſcus eos exhortatus fuit, quatenus Dominum deprecarentur; ut, ſi ſaluti animarumeo-
C rumdem congrueret, obtinere poſſent. Poſtmodum
futuræ prædixit. uxor d. du Ban gravida effecta eſt, exindeque filium peperit, quem vidit d. deponens: audivitque pluries dici à d. Guillona, quod credebat ipſum filium habuiſſe precibus & meritis d. fr. Franciſci, ex eo quod nullum umquam infantem habuerat. Deponit præterea, quod d. fr. Franciſcus eidem deponenti plura futura prædixit, quæ poſtmodum ſupervenerunt: & inter cetera, quod ipſe futurus eſſet conjugatus, licet tunc temporis nec in antea nullam habuiſſet diſpoſitionem nec voluntatem matrimonio jungi: & in rei veritate uxorem duxit.

34 Martina Fichepain, teſtis XXIX deponit, cognoviſſe viſu & collocutione fr. Franciſcum (ſunt octodecim anni) primum in conventu Ambaſiæ, & deinde pluries in conventu prope hanc civitatem, quia illuc ibat pretextu Indulgentiarum, in favorem Ordinis Minimorum fidelibus vere pœnitentibus conceſſarum, ut remiſſionem peccatorum ſuorum obtineret. Deponit etiam, quod paulo ante d. tem-
Fiſtulam in latere quadriennio patiens, pus decem & octo annorum, d. deponens, quæ fuerat per antea ſpatio quatuor annorum detenta quodam morbo, fiſtula vulgariter nuncupato, in altero ſuorum laterum (à quo nec per medicos nec per chirurgicos ſanari potuerat, quinimo ipſi dixe-

rant, quod vix vel numquam ejuſdem morbi ſanitatem recuperaret) ipſa exiſtente quadam die in domo defuncti Petri l'Eſcart, alias Mon-joye, mariti ſuæ matris, ſita in hac villa Turonenſi, ſupervenerunt illuc duo ex Fratribus conventus Fratum Minimorum prope Pleſſiacum-parci, in quo tunc reſidebat d. fr. Franciſcus, quorum alter vocabatur fr. Jacobus; & hoc ut viſitarent d. Petrum l'Eſcart, etiam infirmitate detentum, eidemque conſolationem præſtarent, quod & fecerunt. Poſtmodum cum viderent d. deponentem prædicto morbo fiſtulæ languentem, interrogaverunt ipſum l'Eſcart vel quamdam ipſius deponentis avunculam ibi præſentem, quam infirmitatem pateretur ipſa deponens. Qui *commendatur Sancto* l'Eſcart vel d. avuncula reſpondit, quod morbum fiſtulæ in altero ſuorum laterum, à quatuor annis vel circiter, paſſa fuerat vel patiebatur; quia remedium nullum pro eodem morbo inventum fuerat.

35 Tunc ipſi Fratres, aut alter eorum, dixit, quod bonum eſſet ſuper hoc habere conſilium à fr. Franciſco. Quos d. l'Eſcart & avuncula deponentis, & ſimiliter mater ejuſdem deponentis, in inferiori camera d. domus tunc etiam infirmitate detenta, requiſierunt & rogaverunt, quatenus ipſi haberent d. deponentem Deo & precibus d. fr. Franciſci E pro ſanitate d. ejus morbi commendare. Et infra paucos dies d. fr. Franciſcus mandavit d. deponentis avunculæ, quatenus iret ad ipſum: quod fecit. Et in reditu ſuo renuntiavit ipſi deponenti, quod verba habuerat pro d. deponente & ejus morbo cum d. fr. Franciſco: qui ſibi dederat in mandatis, quatenus diceret deponenti, quod Domino ſervitium devotum præſtaret, mandataque ejus obſervaret, & hoc faciendo de d. ſua infirmitate bene ſe haberet. Et octo diebus poſt elapſis vel circa, d. fr. Jacobus *ad eumque adducta,* & quidam alius d. Ordinis Frater acceſſerunt ad domum d. l'Eſcart & matris teſtis deponentis, renuntiaveruntque ex parte fr. Franciſci, quod teſtis deponens ad ipſum duceretur. Eaque de cauſa d. avuncula eam ad conventum Minimorum verſus d. fr. Franciſcum conduxit: cum qua verba habuit ipſe fr. Franciſcus, eique dixit (prout ex relatione fr. Ja- *morbi cauſam intelligit* cobi ibidem tunc præſentis accepit) quod d. morbus eidem teſti ſupervenerat, ex eo quod patri & matri ſuæ decenter non paruerat, ſeu honorem & obedientiam alias debitam non exhibuerat: attamen quod in Domino fiduciam haberet, & à d. ſuo morbo ſanaretur. Poſtmodum juſſit omnia & ſingula F medicamenta eidem morbo applicata deponi, ordi- *& facili modo ſanatur;* nando quod eorum loco pannus cannabinus ſeu lineus, melle ſeu oleo roſato intinctus applicaretur, & favente Altiſſimo ſanitatem conſequeretur: quod & factum fuit per d. deponentem, quæ illico bene ſe habere incœpit, & poſt paucos dies integram d. morbi ſanitatem recuperavit. Deponit etiam quod poſtmodum in puerperiis & neceſſitatibus ſuis exiſtens, ſe Deo & precibus fr. Franciſci commendavit, & quod ex hoc bene ſe habuit.

ſcrofularum morbo laborare creditus,

36 Joannes l'Eſcart Teſtis XXX deponit quod paulo antequam primum vidit fr. Franciſcum (ſunt annis quatuordecim vel quindecim) ipſe fuit detentus gravi inflatura, quam in parte inferiori genæ ſuæ dextræ circa guttur patiebatur; & graviter erat afflictus, quia neſciebatur qualis eſſet morbus: aliqui enim chirurgici morbum eſſe dicebant ſcropharum ſive ſcruellas, alii vero non. Et revera quadam die circa illud tempus (quia quondam recolendæ memoriæ Carolus Rex VIII ad eccleſiam Beatiſſimi Martini Turonenſis ſe contulerat, morbo ſcrophæ ſeu ſcruellarum detentos ibidem ſanaturus) teſtis deponens adivit ipſam eccleſiam, & introvit cum pluribus aliis locum reveſtitorii ejuſdem eccleſiæ, ut

EX MS. PROCESSU TURON.

& fruſtra Regis manum experitur,

à d. ſuo morbo liberaretur: quia credebat eſſe morbum ſcrophæ. Ibidemque d. Rex Carolus præſens morbum tetigit, ſicut & aliorum qui d. morbo detinebantur, curavitque eoſdem: ſed d. deponentem minime curavit. Quod ſciens quædam ejus avuncula, la Marzonne nuncupata, dixit poſtmodum, bonum eſſe, quod d. deponens Deo & precibus fr. Franciſci commendaretur; addens quod hoc faciendo credebat ipſum ſanitatem recuperaturum; ſicut & Martina Fichepain ejus ſoror, teſtis ſuperius examinata, à morbo fiſtulæ: quod & factum fuit. Ductus videlicet eſt d. deponens ad d. fr. Franciſcum in conventu, prope Pleſſiacum-parci ſito; qui cum d. deponente verba habuit, injunxitque ei quod ſingulis unius anni Veneris vel ſabbati diebus jejunaret, & quod certis hebdomadæ diebus uſque ad novem dies jejunus comederet tres bolos nonnullarum

à Sancto ſanatur:

herbarum, quas tunc nominavit, de quibus nec de diebus prædictis (quia tunc adhuc juvenis erat) non recordatur: & ſimiliter injunxit quod idem teſtis haberet dicere certis diebus (de quibus etiam non recordatur) in honorem quinque plagarum D. N. Ieſu Chriſti, manibus in modum crucifixi elevatis genubuſque flexis, orationem angelicæ ſalutationis: quod fecit, & hoc mediante (ut firmiter credit) ante ſpatium unius menſis percepit, quod d. ejus morbus, medicis & chirurgicis incognitus, ſanatus fuerit.

B

alia occulti doloris levamen accipit.

37 Catharina Ruſée, Teſtis XXXIII deponit, quod (ſunt nunc ſeptem anni & ultra) ipſa deponens tædio vehementi afficiebatur, ob quamdam cauſam, quam declarare prætermiſit. Et eo tempore aliquo die in d. conventu acceſſit fr. Franciſcum, rogatura quatenus dignaretur deprecari Dominum, ut ab ejuſmodi tædio, ſi ſuæ ſaluti congrueret, liberaretur: & inter colloquendum cum ipſo, qui compatiendo illam aſpiciebat, quamdam alleviationem ſenſit, atque à quodam ibi præſente *c* interprete intellexit d. fr. Franciſcum dicere, quod in Domino confidendo ipſa deponens ab hujuſmodi tædio liberaretur: quod & poſtmodum factum eſt: & credit hoc à Domino impetraſſe precibus d. fr. Franciſci.

c

Tempeſtas ſedatur per candelam Sancti,

38 Fr. Martinus de la Haye, teſtis XXXVI deponit, audiviſſe à quodam Joanne Boſtayno, Marſiliæ commorante, nauclero cujuſdam navis dictæ la Magdalene, quod fr. Franciſcus ſibi quamdam ceræ candelam donaverat: & ipſo in gravi periculo ob tempeſtatem maris Siciliæ, quando juxta plagam Romanam navigabat, conſtituto; de ejus & d. navis ſuæ ſalute penitus diffidens, ſe Domino & precibus fr. Franciſci, prout melius potuit, humiliter commendavit: & dictam ceræ candelam in mare projecit: & ſtatim ceſſavit tempeſtas maris, incolumiſque evaſit.

C

39 Deponit inſuper dici audiviſſe à nunc fr. Gregorio de Vico, Neapolitano, quod tempore Caroli VIII artem bellicam exercebat in Ducatu Britanniæ ſub militia d. Regis, interfuitque conflictui dicto vulgariter S. Aubin du Cormier. Et ipſe Gregorius

& lapidis ictus innoxie excipitur.

in d. conflictu exiſtens, habebat unam candelam ceræ, quam à d. fr. Franciſco, dono acceperat, & quam ſub galea ſua repoſuerat, ſpe vitandi mortis periculum. Tunc accidit quod, vi & impetu lapidis cujuſdam machinæ bellicæ ſeu *d* artilleriæ, per caput perculſus fuit idem Gregorius: attamen illæſus evaſit: poſtmodumque ad conventum Fratrum Minimorum prope Turones acceſſit, & ſpretis ac relictis mundo, equitatura & omnibus quæ habebat, habitum d. Ordinis ibidem ſuſcepit, ex inde in eodem conventu religioſe & laudabiliter vixit, & adhuc vivit.

d

40 Deponit ulterius, quod, nunc ſunt viginti anni, ipſe deponens erat in civitate Januenſi cum quodam Fratre d. Ordinis nomine Rogerio, cum quo à d. civitate uſque ad partes Neapolitanas ſe contulit. Qui quidem Rogerius, dimiſſo Ordinis (quoad cooperimentum tibiarum) calceamento, cooperimentum earumdem ſub forma ocrearum aſſumpſit. Quod cum fr. Franciſco relatum extitit (prout à Fratribus d. deponens dici audivit) idem fr. Franciſcus id ægre ferens, dixit, quod ignis B. Antonii tibias ejuſdem fr. Rogerii combureret. Poſtmodum ipſis à Neapolitanis partibus ad civitatem Januenſem reverſis, adveniente die Natalis Domini illius anni, poſt decantationem Matutinarum, eidem fr. Rogerio in una tibiarum morbus vehemens ſupervenit: qui uſque ad feſtum S. Antonii, quod celebratur in menſe Januarii, d. fr. Rogerium vexavit, in modum quod eadem die diem clauſit extremum: deindeque d. deponens ad Conventum prope Turones rediit, & obitum fr. Rogerii d. fr. Franciſco nuntiavit: qui quidem eidem teſti reſpondit, d. obitum jam antea ſciviſſe. Poſtmodum cum d. deponens eumdem obitum Fratribus d. conventus enarraret, ab ipſis audivit & accepit, quod d. fr. Franciſcus die feſto S. Antonii Fratres ſui conventus exhortatus fuerat, quatenus Dominum deprecarentur pro anima ipſius fr. Rogerii, tunc in neceſſitate, ut dicebat, exiſtentis.

D

ocreas licen. tius uſurpantis

pœnam prædicit Sanctus,

& mortem ſuis abſens indicat:

E

41 Alexius d'Argouges, teſtis XXXVII deponit, ſe fr. Franciſcum noviſſe ab annis viginti ſeptem vel octo, & quod circa illud tempus vidit in civitate Turonenſi quamdam invenem mulierem, ſenſu privatam & quandoque ſtultitiæ ſigna exercentem: quam poſtmodum d. deponens vidit ſanam mente; illamque rogavit, quomodo mentem & ſanitatem recuperaverat. Quæ reſpondit, quod fr. Franciſcum de Paula ejuſque conventum adierit, ab eoque fruſtum panis albi benedictum reportaverit, & de illo comederit, exindeque ſana ac ſenſui reſtituta extiterit: & poſtmodum illam ſenſu privatam non viderit.

mulierem amentem ſano ſenſui reddit;

Novitium energumenum & illitteratum,

42 Fr. Leonardus Barbier teſtis XXXVIII deponit, vidiſſe in conventu ſæpedicto juvenem novitium, nomine Guillelmum Cucumelle, gravi infirmitate detentum, &, ut credebatur, à dæmonio vexatum, ſpumantem, ſignaque & geſta cum digitis demonſtrantem. Quod videntes Fratres illic adſtantes, de tali caſu triſtes, unus eorum nomine Gregorius de Vico, ad cellulam fr. Franciſci acceſſit, eum exoraturus, ut d. novitium viſitare vellet. Quod prima facie facere diſtulit, fr. Gregorium exhortans, quatenus d. novitio cuncta quæ poſſent facerent. Tandem his non obſtantibus, precibus d. fr. Gregorii devictus, ad dormitorium conventus, & cameram ubi erat d. novitius acceſſit: & oſtio aperto in d. invenem intuens, eamdem camerulam, ubi ille jacebat, intrare diſtulit, undique circa cubile ejus diligenter aſpiciens. Poſtmodum uno jam pede in d. cellulam ingreſſo, deinde retracto, & ſucceſſive iterum ingrediens & regrediens, ac ſi ingreſſum timeret, tandem ingreſſus eſt. Et vidit teſtis deponens d. fr. Franciſcum cingulum ſuum tantum de colore ſui habitus ſublevantem, ac ſi collo d. novitii applicare vellet. Et ſtatim clauſo oſtio d. camerulæ, ſæpe dictus fr. Franciſcus, ſecum aſſiſtente Vener. P. Germano Lyonnet, Miniſtro Generali d. Ordinis, cum d. novitio in eadem remanſit: ubi per aliquod tempus ſteterunt idem fr. Franciſcus & Lyonnet, d. deponente & quibuſdam aliis Fratribus ad oſtium ſtantibus, audientibus & intelligentibus d. novitium, licet illitteratum, verba ſerm[illegible] Latino aliiſque linguis variis & incognitis oquentem, nec non d. fr. Franciſcum illi reſpond[illegible]ntem, verbaque cum

F

tamen Latine loquentem,

Sanctus æque illitteratus intelligit,

A *& liberat.*

cum eodem novitio habentem. In quibus ſermonibus ſteterunt idem fr. Franciſcus & novitius per horam vel circa. Exindeque d. novitius ſanus & liberatus factus eſt, in modum quod die ſequenti ad eccleſiam & congregationem Fratrum, ut conſueverat, ſe contulit, & converſatus eſt cum ipſis.

Religioſum infirmum in patriam mittit,

43 Deponit inſuper, quod ab eo tempore quo moram fecit in d. conventu, detentus fuit per annum vel circa quadam ſtomachi debilitate, & pluries ob hoc uſus eſt medicamentis, & nihilominus non poterat à tali infirmitate curari. Sed tandem ſupervenit ad d. conventum quidam ipſius deponentis frater germanus ſecularis, qui petiit à d. fr. Franciſco, ipſum deponentem tunc in infirmaria exiſtentem, una cum quodam alio ſuo fratre etiam germano, novitio d. Ordinis, licentiari ac ad partes ſuæ nativitatis (videlicet Ducatus Alenzonii diœceſis Sagienſis) tranſmitti, pro ſedandis (ut dicebat) litibus & contentionibus, inter ceteros eorum fratres, ratione ſucceſſionis paternæ, exiſtentibus. Qui quidem frater Franciſcus dictum deponentem & alium ſuum Fratrem licentiavit, & ad d. partes obedientialiter tranſmiſit. Ipſe tamen deponens tunc temporis tam debilis erat, quod vix & cum maxima difficultate ambulare potuit: & tamen, pace inter fratres facta, ad eumdem conventum ſanus & incolumis rediit, & credit hujuſmodi ſanitatem à Domino recuperaſſe, precibus d. fr. Franciſci.

& ſanum redire facit.

B

Fr. Franciſcum Binet periculoſe ægrum,

44 Patricius Binet teſtis XXXIX deponit, quod à quindecim annis citra, fr. Franciſcus Binet, tunc & nunc Religioſus Ordinis Minimorum & noviſſimus Generalis, frater ipſius deponentis, detinebatur magna infirmitate in domo vulgariter nuncupata la Motte-chappon, prope dictum conventum, in quam fuerat conductus & traductus à d. conventu, ut melius in ſua infirmitate gubernaretur. Et tunc d. fr. Franciſcus de Paula ad eum viſendum venit, ipſumque conſolatus fuit, quia tunc dicebatur quod d. fr. Franciſcus Binet amplius non poſſet vivere.

ſanum Romam iturum prædicit.

Tunc ipſe Franciſcus de Paula eumdem Binet conſolando, de eoque loquendo dixit, quod de illa infirmitate non obiret, prout relatu d. fr. Binet & aliorum Fratrum præſentium didicit præſens teſtis: qui dicit etiam & deponit, quod d. fr. Franciſcus ſibi dixit, quod ſuus frater Franciſcus Binet Romam properaret, & fructum religioni afferret, ipſumque deponentem & alios ſuos parentes conſolatos redderet.

C

Regi mortis ſuæ diem indicat.

45 Joannes Moreau teſtis XLI deponit, quod Rege Ludovico XI in infirmitate qua deceſſit conſtituto, pater d. deponentis viſitavit d. Regem in grabato exiſtentem: cui d. Rex præſente teſte dixit, quod Mag. Jacobus medicus ipſius Regis ſibi dixerat, quod provideret ſaluti ſuæ animæ, & quod dubitabat de ejus ſalute. Attamen fr. Franciſcus ſibi dixerat, quod non timeret niſi uſque ad ſabbatum ſequens. Et de facto ipſe Rex, die ſabbati ſequenti, diem clauſit extremum. Ob quod d. deponens, mente revoluens verba d. defuncti Regis, cogitavit aliquid boni de d. fr. Franciſco: & poſtmodum audivit communiter dici, quod d. fr. Franciſcus vita vixit multum auſtera & ſancta.

à dæmone tribulatum confortat.

46 Fr. Stephanus Joly teſtis XLII deponit, quod ipſo deponente exiſtente intra annum probationis, fuit pluribus noctibus à maligno ſpiritu tribulatus & territus, in modum quod ab Ordine recedere cogitavit: confortatus tamen à Fratribus & præſertim à fr. Franciſco de Paula in ipſo permanſit, & ſe precibus illius commendavit. Tandem tali tribulatione ceſſata, poſtmodum ipſo deponente exiſtente in conventu de Blayſe Lingonenſis diœceſis, detentus fuit gravi quadam infirmitate, quam nominare ne-

quit: ſed dicit quod tunc communiter dicebatur, ipſum deponentem inteſtina habere corrupta, in modum quod quidam medicus, in arte ut dicebatur expertus, judicavit, d. deponentem ultra menſem, in quo tunc erat, ſeu initium menſis ſequentis vivere non poſſe. Quod videns teſtis deponens, qui religionem inconſulto & inſcio patre intraverat, & dubitans quod ſi in illis Burgundiæ partibus decederet, ejus pater ipſum judicare poſſet Ordinem & habitum dimiſiſſe; obedientiam petiit & licentiam ut ad partes Turonenſes, unde oriundus erat, ad conventum ejuſdem loci remearet. Quo ad partes Turonenſes & conventum prædictum accerſito, fratri Franciſco aliiſque Fratribus illius conventus oſtendit opinionem medici: qui ea viſa dixit, quod Dominus erat ſummus medicus, qui in ſe confidentes pro libito ſanabat; ipſumque deponentem conſolatus fuit, & ut in orationibus perſeveraret admonuit; addens quod hoc faciendo Dominus ſibi gratiam faceret, ipſeque magnum faceret fructum. Deinde illum per obedientiam ad conventum d. Ordinis, apud caſtrum Heraldi Pictavenſis diœceſis, tranſmiſit: & ab hinc talis infirmitas evanuit, nec illam poſtmodum paſſus eſt, & credit hoc precibus d. fr. Franciſci à Domino impetraſſe.

EXMS. PROCESS. TURON.

eumdemque incurabiliter ægrotantem ſanat.

E

Novitium Franciſcani Ordinis

47 Deponit præterea, quod ipſo exiſtente in d. anno probationis, acceſſerunt ad conventum d. Ordinis prope Pleſſiacum-parci duo Religioſi Ordinis Fratrum Minorum conventus Turonenſis, ſecum adducentes quemdam juvenem novitium d. Ordinis, qui ex conventus Nannetis diſceſſerat vagabundus, & tamquam dæmoniacus vexabatur: petentes & ſupplicantes per fr. Franciſcum pro ſalute d. novitii deprecari. Qui poſt verba conſolatoria, cum ipſis Fratribus habita, illos ut Domino ac precibus B. Franciſci ſui patroni ſe commendarent, exhortatus eſt. Tandem eorum precibus devictus, ad eccleſiam d. conventus una cum ipſo novitio ire juſſit: quid autem ibi fecerit fr. Franciſcus ignorat ipſe deponens, quia præſens non fuit: ſed poſtmodum à quodam ſuo fratre, Nicolao nomine, qui cereum accenſum ad eccleſiam detulerat, didicit, quod diabolum, d. juvenem novitium poſſidentem, conjurarat. Et paulo poſt d. teſtis vidit Fratres Minores & novitium ſanum, etſi valde debilitatum: cui tunc fr. Franciſcus dedit aliquas herbas, quas dicebat ſibi multum profuturas pro confortatione ſtomachi ac cerebri: ipſumque exhortatus fuit ad ſervitium divinum & ſui Ordinis obſervantiam.

à dæmone liberat;

F

ab eodem Romam miſſi religioſi,

48 Deponit inſuper, audiviſſe à quodam fr. Thoma, religioſo Ordinis Minimorum, quod quindecim anni ſunt vel circa, ipſo exiſtente Romæ cum quodam fratre Petro *e* Gebert, etiam tunc religioſo d. Ordinis; quædam mulier de partibus Picardiæ à dæmonio vexata, & Romam ut liberaretur, traducta, ibidem per ſpatium trium menſium permanſit, nec tamen liberari potuit. Et tunc d. Gebert, à quibuſdam rogatus, ut d. mulierem ſic poſſeſſam precibus fr. Franciſci commendaret, & (ut retulit eidem teſti ſupra nominatus fr. Thomas) etiam ſuper hoc in virtute ſanctæ obedientiæ adjuratus; cordulam fr. Franciſci, quam ipſe Gebert ſecum detulerat, collo d. mulieris appoſuit, ipſumque dæmonem poſſidentem in nomine Dei & Virginis glorioſæ ac meritis fr. Franciſci (ſi ſervus Dei eſſet, ut credebat) adjuravit. Qui dæmon per os mulieris loquens, d. Gebert interrogavit, ſi cognoſceret d. fr. Franciſcum de Paula: qui ipſum cognoſcere declaravit. Et tunc dæmon dixit, quod ipſum vexaverat & nihil profecerat, imo ab illo fuerat ſuperatus: & quia oporteret ipſum exire meritis d. fr. Franciſci, ſuos Fratres vexaret. Et tunc d. dæmon

e

cordula ejus injecta in energumenam,

dæmonem expellunt.

EX MS. PROCESSU TURON.

prædictam mulierem dimisit: quam à dæmone liberatam & verba habentem, postmodum vidit d. fr. Thomas, prout retulit deponenti.

mulieri sterili prolem promittit Sanctus,

49 Deponit ulterius, quod quædam mulier nomine Beatrix, commorans in diœcesi Lingonensi, in loco vulgariter dicto Chaulmont de Bassigny, per quindecim annos cum marito in matrimonio stetit sine prole: quod videns supplicavit fr. Matthæo Michel germano suo, Ordinis Minimorum religioso, quatenus fr. Franciscum de Paula rogaret, ut ipse Dominum deprecaretur, quatenus posset sobolem suscipere. Postmodum maritus d. Beatricis ad partes Turonenses & d. fr Franciscum accessit, pro præmissis rogaturus. Accessit similiter idem fr. Mattheus: cui d. fr. Franciscus respondit, quod Dominus illam visitaverat, magnamque gratiam fecerat eidem. Et similiter marito d. Beatricis dixit, quod cor suum bonis temporalibus nimium apponebat, consuluitque eidem quod ab avaritia cessaret, & peccata sua confiteretur, ac se Domino commendaret: & quod hoc faciendo ipsam Beatricem Dominus visitaret. Postmodumque ipse deponens & d. fr. Matthæus domum d. Beatricis accesserunt, ipsamque gravidam esse ejus relatu sciverunt: quod precibus fr. Franciscí evenerat, ut credere dicebat ipsa Beatrix.

monens maritum ut avaritiæ affectum emendet:

B

alteri prolem petenti

50 Joanna uxor Antonii Filesaye testis XLV deponit, quod sunt septem anni vel circa, adivit fr. Franciscum apud conventum vulgariter nuncupatum Ave-Maria prope Plessiacum-parci, associata quadam muliere vicina sua, nuncupata Joanna Andonette, nunc uxore Guilielmi Pere; ex eo quod ipsa deponens summopere prolem habere desideraret ex marito suo supra nominato, cum quo steterat in matrimonio spatio decém annorum absque prole: & hoc propterea quod multæ mulieres deponentis vicinæ suggesserant eidem, quod si se Deo & precibus d. fr. Franciscí devote commendaret, bene se haberet; subjungendo quod certæ aliæ mulieres precibus ipsius fr. Franciscí prolem à Domino impetraverant. Et tunc verba habuit cum eodem, quatenus Deum oraret, ut prolem ipsi deponenti concedere dignaretur. Qui respondit per quemdam sui conventus Fratrem, quod haberet prolem ex suo marito; non intra paucos dies inde sequentes, sed intra certum non propinquum tempus; exhortando quatenus haberet jejunare, & dare seu offerre Domino quolibet die Veneris unam ceræ candelam, nec non dicere quinquies Pater-noster & Ave-Maria in honorem Dei & quinque ejus plagarum: nec tamen ex hoc tædio afficeretur, & quod hoc faciendo prolem haberet, ut supra dictum est. Deponit insuper quod d. fr. Franciscus (qui ipsam deponentem numquam viderat, ut credit) eidem tunc dixit, quod ipsa esset multum bene fortunata ad causam sui mariti, qui fuerat & erat ex ditioribus parentibus ipsa deponente ortus, & quod in virum divitem evaderet: exhortatusque fuit eamdem deponentem, quatenus haberet illi plurimum obedire, & sic ejus choleram mitigare; innuens per hoc, immo expresse declarans, quod idem deponentis maritus choleræ subdebatur. Deinde recessit præsens testis à d. fr. Franciscó, & tribus annis elapsis vel circa filium concepit adhuc superstitem, & credit hoc à Domino impetrasse precibus d. defuncti. Idem deponit Joanna uxor Guilielmi Pere, quæ dictam Filesaye comitata fuerat, testis XLVI.

C

agenda præscribit,

secreta revelat,

& filium, sed non cito, concipiendum addicit.

51 Catharina Jousette testis XLVII deponit, quod (sunt quindecim anni vel circa) cum quidam Robinetus, natione Scotus, quadam calida febri detineretur in domo ipsius deponentis; quidam homo, quem *f* brodatorem Regis vulgo nuncupabant,

f

accessit ad ipsum Robinetum infirmum, ipsumque visitavit; & illi retulit, præsente teste deponente, qualiter certo modico tempore elapso ejusdem brodatoris gener infirmitate detentus fuerat. Cujus rei causa ipse brodator fr. Franciscum de Paula, tunc apud conventum suum juxta Plessiacum-parci commorantem, adivit; ipsumque requisivit quatenus Dominum pro dicto genero suo deprecaretur, ut sanitatem recuperaret: quodque idem fr. Franciscus sibi brodatori tradiderat unum panem & unum herbarum fasciculum, quos dicto suo genero deferret, illique diceret, quod in Domino confideret, & quod ex d. infirmitate non moreretur. Quod fecisse dicebat d. brodator, referens quod præfatus ejus gener semper exinde convalescere inceperat, & tandem sanus fuerat effectus. Quod audiens d. Robinetus, rogavit prædictum brodatorem, quatenus ipse fr. Franciscum adiret, & ipsum ad sui intentionem similiter deprecaretur. Quod & fecit, videlicet ivit d. brodator versus d. fr. Franciscum, prout postmodum retulit d. Robineto, præsente teste deponente; ipsumque requisivit, quatenus Dominum deprecari dignaretur pro ipso Robineto & ejus sanitate. Qui quidem Regius brodator, in regressu suo à d. fr. Francisco, retulit similiter eidem Robineto unum panem & unum herbarum fasciculum parvum, quæ d. fr. Franciscus transmiserat, sibi mandando, quod de d. pane comederet, & quod hoc faciendo non moreretur, imo sanitatem recuperaret: quod & fecit d. Robinetus, in verbis d. fr. Franciscí confidens, & sanatus est.

D

Relatu sanitatis cuidam ægro reddita

alius infirmus fiduciam concipit

& similiter sanatur:

E

52 Catharina Ayrolde testis LII deponit, quod certo tempore ante obitum fr. Franciscí, teste deponente existente apud Plessiacum-parci, sermo habitus fuit inter unam ex *g* damicellis Illustrissimæ Principissæ D. Comitissæ *h* Engolismensis, vulgariter nuncupatam Dominam de Fleac, & præsentem deponentem de d. fr. Francisco. Et tunc d. Domina de Fleac dixit, quod credebat ipsum Sanctum esse & miracula facere, ex eo quod, ut dicebat, dabat quotidie vel sæpe d. Dominæ Comitissæ Engolismensi & Damicellis ejusdem magnam quantitatem herbarum sui horti, & propter hoc non minuebantur: imo si quadam die omnes fere herbas d. sui horti dederat, die sequenti inveniebat eas in eodem horto, in simili vel majori quantitate. Deponit etiam, quod alias certo tædio affecta, se Domino & precibus illius commendavit, & ex hoc fuit plurimum consolata.

quas Sanctus carpit herbas

g
h

numquam imminuta reperiuntur;

F

53 D. Stephanus Lancea, testis LIII deponit, audivisse communiter dici à quibusdam nautis, quod tempore quo fr. Franciscus à partibus Calabriæ ad partes Galliæ accessit, mare pacatum erat in loco in quo erat & in circum vicinis; licet alibi tunc valde tempestuosum esset. Alias dicit, quod non ipsum, sed bene quemdam ejus nepotem, nomine Andream d'Alesso, cognoverit.

qua navigat illo tempestas cessat:

54 Patricius Loquebourg testis LIV deponit, quod (sunt octo anni vel circa) quædam Joanna, filia cujusdam Maturini Massonel, de parochia de Mireyo, tredecim vel quatuordecim annorum, intoxicavit quemdam deponentis filium unicum, ætatis duorum annorum vel circa (prout ipsamet Joanna, in carceribus castellaniæ de la Quarte ob hoc detenta, confessa fuit) in modum quod d. filius magis sperabat mori quam vivere: Quod postquam pervenit ad notitiam nobilis & venerabilis viri Mag. Roberti Loquebourgii, D. N. Regis Francorum eleemosynarii, & nunc Episcopi de Rosse in regno Scotiæ, ac sacræ capellæ palatii Parisiensis thesaurarii, d. deponentis fratris, deliberavit d. infantem Domino & precibus fr. Franciscí de Paula adhuc super-

puer ex maleficio moriturus

A *ſubito convaleſcit.*

ſuperſtitis commendare, & ob hoc eum alloqui: quod & fecit. Poſtmodum d. Franciſcus tranſmiſit ad domum deponentis duos Fratres ſui conventus juxta Pleſſiacum-parci, pro viſitando ipſum infantem: qui domui illius, diſtanti à d. conventu tribus milliaribus, appulerunt, dum ibidem præſens teſtis & D. Robertus ejus frater cœnam finirent. Et illico, ipſis Fratribus illuc appulſis, d. infans, qui longo tempore taliter languerat, quod mors in eo plus ſperabatur quam vita, requiſivit cœnam ſumere cum d. D. Roberto patruo ſuo; quod fecit melius quam feciſſet à dimidio anno tunc præcedente. Et ab eodem tempore infirmitate prædicta non fuit detentus, imo ſanus & incolumis fuit & eſt.

ANNOTATA.

a *Inſulam* Brechemont, *ſpatioſam & magnam, quatuor leucis infra Turonas, format Carus fluvius, gemino oſtio Ligeri infuſus.*

b Lingiaria *Francis dicitur, quæ præeſt lineæ ſupellectili; & pannus lineus*, linge.

c *Valde notandum eſt quod Teſtis hæc agat de ultimo quo Sanctus vixit anno: quodque ipſe ne tunc quidem, cum jam 23 annis in Francia habitaſſet, vel cum muliere, loqueretur abſque interprete. Alias adhibitorum interpretum pluſquam ſemel mentio fit in hoc Proceſſu, ſed non indicatur accurate tempus: puta num. 33.*

B

d Artilleria *ſignificat totum rei tormentariæ apparatum: videturque ſumptum à Baliſta, præcipua olim machina, quæ Galliæ primum dicta ſit* Arca-tirer *arcus tractilis, quia currulis: unde derivatum* arc-tirerie, *& euphoniæ cauſa* artellerie.

e *Hic* Petrus Gebert *haud dubio idem eſt qui in vitâ ab auctore coævo ſcripta vocatur* Gilbert: *ſed quomodo ejus ſocius hic Thomas, iſtic* Antonius *dicitur? Alterutrum memoria lapſum fuiſſe oportet; ſed eum potius lapſum ſuſpitabor, qui ex tertii alicujus relatu miraculum didicit. Hinc autem colligas hiſtoriam iſtam ad annum circiter* 1498 *pertinere, cum primum promulgatæ Regulæ adhuc varij ſe opponebant, antequam poſtremam Sanctus ſcribi faceret.*

f Brodator, *verbale à* Brodare; *Francis* Broder; *acu pingere, quod videtur per metatheſim tractum à* Bord, *margo, ora veſtimenti: quod in margine exornando potiſſimum ſoleat ars phrygionica laborare.*

g Damicella, *diminutivum à* Dame *Domina, quod etiam maſculine* Dam *in uſu eſt apud monachos: & puto appellationis talis originem gratis peti à Latinis* Dominus, Domina; *potius crediderim vocem ab origine Gallicam eſſe.*

C

h *Caroli Valeſii* Engoliſmentis Comitis *uxor Ludovica Sabauda, mater Franciſci, primum Ducis Aurelianenſis, deinde Francorum Regis.*

PARS III.

Mors, ſepultura, elevatio corporis S. Franciſci de Paula.

in Dom. Palmarum morbo correptus, a

55 FR. Leonardus Barbier teſtis XXXVIII deponit, quod anno Domini MDVI *a* die Dominica in ramis palmarum, fr. Franciſcus quadam ægritudine cœpit laborare, & illa ac tribus diebus ſequentibus ægritudo illa augmentum accepit: attamen non ſinebat ſe à Fratribus nec aliis ſublevari, nec aliquod obſequium ſibi præſtari. Tandem adveniente die Jovis in cœna Domini, coadjuvantibus quibuſdam ex Fratribus, ad eccleſiam acceſſit; & humili ac devota præparatione præhabita, præcedentibuſque devotis actibus & lacrymis fuſis, genubuſque humiliter & devote flexis, ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum ſibi dari petiit; quodam cingulo, quo cingebatur; ut moris eſt in Ordine, ad collum

in Cœna Domini Euchariſtiam ſuſcipit.

b prius applicato, & oratione B. Gregorii atque aliis quibuſdam, videlicet, Domine non ſum dignus, præmiſſis, ipſumque devote & humiliter ſumpſit: & poſtmodum aliquamdiu in choro d. eccleſiæ, divinum audiendo ſervitium, permanſit. Deinde videntes Fratres eumdem plurimum debilitatum, ipſum ad cellulam revocarunt: & eo ibidem exiſtente, quidam ex Fratribus nomine Bertre (ſicut idem Bertre eidem deponenti dixit) ab eo periit, ſi vellet pedes lavari, ut fieri ſolitum eſt in Ordine: qui reſpondit quod pro illa die ſibi non lavarentur pedes, ſed die ſequenti de ipſo facerent Fratres quidquid vellent. EX MS. PROCESSU TURON.

b & mortem in craſtino futuram indicat.

die Veneris ſancta Fratres extremum alloquitur,

56 Tandem adveniente die Veneris ſancta, fr. Franciſcus ad cellulam ſuam omnes ſuos Fratres evocari fecit: quos ad obſervationem Religionis & Ordinis, caritatemque inter ſe habendam dulciter commonuit, exhortans quatenus eamdē Religionem à Sanctiſſimo Papa approbatam obſervarent, Fratrique Bernardino de Hydrunto illic præſenti, tamquam Superiori ſuo, uſque ad Capitulum generale, infra annum tunc proxime venturum Romæ celebrandum, obedirent; illum conſtituendo ſuum ſucceſſorem; donec per Capitulum generale de alio canonice eſſet proviſum. Qui fr. Bernardinus ſe indignum proclamans, & alios d. Ordinis afferens ſe ſapientiores eſſe, tantum onus aſſumere recuſabat. Ipſe tamen eidem Bernardino reſpondit, quod onus illud libenter aſſumeret, & quod ſapientia hujus mundi ſtultitia erat apud Deum; illi aſſignando Fratres Jacobum l'Eſpervier & Matthæum Michel in ſocios; & Correctorem d. conventus in Coadjutorem. Et his actis tandem illo die, circa horam decimam de mane, expiravit. *In fine autem libri, ante autenticationem copiæ Romanæ, hæc adduntur*, in gratiam legentium. Notemus omnes, quod primus Inſtitutor & generalis corrector Ordinis noſtri Minimorum & bonus pater noſter Franciſcus de Paula, in præſentia noſtra obiit die Veneris ſancta, 11 menſis Aprilis, anno MDVII; circa horam decimam de mane (anima cujus requieſcat in pace; amen) & ſua ultima oratio fuit: O bone Ieſu, paſtor bone, juſtos conſerva, peccatores juſtifica, & omnibus fidelibus miſerere vivis & defunctis, & propitius eſto mihi peccatori. Amen. Ieſus Chriſtus, Maria. Frater le Conte præſens fuit cum multis aliis Fratribus dicendo pro eo ter: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. *Teſtis porro* XLIX deponit, ipſum vidiſſe, ea qua diſceſſit die poſt prandium, in eadem in qua obiit cellula exiſtentem: & quod eum ita formoſum reperit & melius (ut apparebat) coloratum, quam cognoverat dum viveret: Et ibi aderat maxima populi multitudo, quæ ipſum viſendi gratia illuc venerat.

& pias inter preces exſpirans

E *Vicarium inſtituit,*

F *mox apparet gloriosus.*

57 Joannes Bourdichon teſtis I deponit, quod ipſe poſt obitum d. fr. Franciſci acceſſit ad d. Conventum minimorum, & vidit corpus defuncti examine, &, ut ſimilitudinem vultus ejus ſecundum veram figuram depingeret, *c* molavit & impreſſit, interfuitque exequiis d. defuncti: in quibus Chriſti fidelium multitudo, tamquam ad virum ſanctum acceſſit & interfuit: à cuibus exequiis redibat populus, lætus & plurimum conſolatus de viſione ipſius defuncti, dolens tamen de ejus obitu. Michael Marſeil latomus teſtis 11 deponit, quod ipſe & defunctus Joannes Buſſiere, etiam latomus, invitati fuerunt ad conficiendam foveam, in qua erat inhumandus d. fr. Franciſcus: quod & fecerunt in capella eccleſiæ à parte dextra. Qui quidem defunctus fuit ſepulturæ traditus, die lunæ in feriis Paſchæ, in ſarcophago ligneo, in fovea per ipſum deponentem & d. Buſſiere facta: quæ fovea poſtmodum induſtria & ope-

fit ingens ad defunctum ſpectandum concurſus.

c

communi more tumulatur.

EX MS. PROCESSU TURON.

& opere eorumdem fuit, ut moris eſt, pavimentis cooperta. Deponit præterea, quod poſt inhumationem d. defuncti, acceſſit ad d. conventum quidam natione Andegavus, cum ejus uxore & quodam eorum filio octo vel novem annorum, ac famulo & ancilla ſuis, ſperans d. defunctum ad huc viventem invenire. Qui interrogatus ab aliquo Fratrum d. Conventus, retulit, quod precibus d. defuncti recommendaverat ſuum filium tunc languentem: & quod reſponderat, quod cum Dei timore & gratia recederet, & quod ejus filius ſanaretur: qui quia ſanus effectus erat illuc acceſſerat, filiumque adduxerat, ut gratias referret Deo & defuncto, quem viventem ſperabat.

ſupervenit quidam pro ſalute filii acturus gratias:

58 Deponit ulterius teſtis I, quod quia corpus d. defuncti fuerat inhumatum in terra, in qua propter vicinitatem fluminis Cari poterat aqua ſæpiſſime inundare, & ob hoc corpus d. defuncti citius putrefieri, concluſum fuit per Fratres d. conventus (proſequente tamen, ut dicebant, Illuſtriſſima Principiſſa D. Comitiſſa Engoliſmenſi) quod d. corpus à terra, ubi jacebat, extraheretur, & in ſarcophago lapideo, altius quam erat, attolleretur: quod & factum fuit, decem vel duodecim diebus poſt inhumationem elapſis. Et fuit preſens prædictus teſtis, quando ipſum corpus à d. terra fuit elevatum, & in ſarcophago lapideo repoſitum: viditque vultum d. defuncti, illis jam decem aut duodecim diebus elapſis, ita ſanum, ita integrum & ſine corruptione, ſicut erat eo tempore quo prius fuerat inhumatum. Et hæc ſcit, quia ex propoſito deliberato tentavit, videlicet vultum ſuum vultui defuncti apponendo: & credit hoc miraculoſe proceſſiſſe. Deponit inſuper quod iterum molavit ſeu impreſſit vultum d. defuncti, ut certius & melius ipſum pingeret. Interrogatus ſi ſciret corpus d. defuncti poſt ejus obitum fuiſſe eviſceratum aut inciſum, deponit nihil ſcire.

levatum de terra corpus die 11

B

invenitur incorruptum;

59 *Teſtis* II *addit ſe & Ioannem Buſſiere ad hanc elevationem vocatum* die Jovis ſequentis (*hebdomada ſcilicet poſt hebdomadem paſchæ, cujus ſecunda feria, ut ſupra idem depoſuit, fuerat inhumatus.*) Deponit ulterius quod corpore d. defuncti à fovea prædicta extracto, ipſe deponens & Joannes Buſſiere aliam foveam teſtudineam in eadem capella fecerant: ad quam ædificandam per aliquot dies ſteterunt. Quo durante tempore, corpus d. defuncti extra terram remanſit, & opere d. ſecundæ foveæ ſeu teſtudinis perfecto, d. deponens præſens fuit, quando d. corpus latum fuit è ſarcophago ligneo, & repoſitum in tumulo lapideo. Et tunc vidit partem corporis & vultum ſæpe dicti defuncti diſcoopertum, ſanum & integrum ac ſine corruptione, ſicut erat tempore quo primo fuit inhumatum, non fœdum nec eviſceratum. Et hoc ſcit quia d. corpus tetigit & partes inferiores vidit; quod multum miratus eſt idem teſtis.

dignior ſepulturæ locus aptatur:

C

Sarcophagus lapideus

60 Teſtis I etiam deponit, quod in iſta ultima inhumatione dicebatur publice & communiter, quod tumulus lapideus, in quo corpus d. defuncti nunc requieſcit, miraculoſe inventus eſt & ad d. conventum delatus. Quia cum ſciſcitaretur à Fratribus & aſtantibus de tumulo lapideo ad d. corpus inhumandum inveniendo; dictum fuit ab aliquibus, quod in quodam quadrivio parochiæ de Baſſam, diſtantis à d. conventus *d* tribus milliaribus vel circa, erat quidam groſſus & gravis lapis, ad modum tumuli inſculptus, & quod bonum eſſet illum adducere: quod voto aſtantium placuit, & dictus lapis fuit adductus faciliter: qui ut communiter ferebatur, per antea moveri non poterat, nec motus fuerat etiam à pluribus.

d

qui diu antea moveri nequiverat,

61 Teſtis autem VII deponit, quod ivit ad d. lapidem vehendum, miſſus per quemdam de Beaugard, domeſticum D. Comitiſſæ Engoliſmenſis, quodque comperit d. lapidem in itinere publico: quem ipſe, aſſociatus quatuor aliis hominibus, in ſuam quadrigam onuſtavit, illumque cum quinque ſuis equis ad Conventum Minimorum cum facili acceſſu vexit. Deponit inſuper, quod eo tempore quo ſuam quadrigam ejuſmodi lapide onuſtavit, ſupervenerunt aliqui parochiani d. loci, quos non cognoſcit; aſſerentes ipſi teſti & aliis ſecum aſtantibus, quod alias dici audiverant ab antiquis illius loci, quod fuerant applicata decem & octo juga boum, provehendo d. lapide ad locum Commendatariæ S. Ioannis illic prope exiſtentis; quem tamen conducere non potuerant. Interrogatus de qualitate & quantitate d. lapidis, dicit quod erat inciſus & curvatus ad modum tumuli, & longus valde: in modum quod ipſe, qui eſt magnæ ſtaturæ, ſe in illo incubuit; nec per alteram extremitatem ſui corporis, priorem aut poſteriorem ejus partem tangere potuit. *Similia depoſuit teſtis* VIII Carolus Chepault, *eodem profectus, tamquam ſervitor in comitiva nunc defuncti Ioannis Beaumont* quadrigatoris: *quodque lapidem invenerint* juxta unam crucem in itinere publico: *ſocios autem in hoc opere quatuor nominat,* Franciſcum Laurens, Laurentium Beaumont, Yvonetum cujus nomen ignorat, & Ioannem Thoreau. *Denique quod illi qui per octodecim juga boum tentarunt ad Præceptoriam S. Ioannis d. lapidem vehere*, non niſi parvo ſpatio vehere eum potuerunt: quare per duo juga boum eum remiſerant ad locum, ubi d. deponentes eum invenerunt.

D

licet 18 juga boum applicarentur,

à 8 equis facillime adducitur.

E

62 Martinus Moreau teſtis XL deponit ſe vidiſſe Fr. Franciſcum mortuum (videlicet die Veneris ſancta ultimo lapſa fuerunt ſex vel ſeptem anni) & judicio deponentis erat tunc ſimilis ſibi ipſi viventi, demptis oculis, quos clauſos habebat. In cujus exequiis erat maxima populi affluentia, etiam uſque ad ſex millium perſonarum vel circa. Quem etiam defunctum octo diebus elapſis *e* poſt ejus obitum, denuo vidit & manibus palpavit, nec aliquid fœtoris in ejus corpore percepit: ad ipſumque videndum conduxit Illuſtriſſimam Principiſſam, D. Ludovicam de Borbonio cum ejus ſocietate. Quæ etiam, vidente ipſo deponente, manum d. defuncti palpavit. Poſtmodum ipſe teſtis & Principiſſa cum ſua comitiva læti de aſpectu tanti viri receſſerunt. *Sic & teſtis* XIV *Ioanna* deponit, quod octo diebus poſt obitum d. defuncti elapſis, ipſa teſtis vidit corpus illius diſcoopertum, manuſque & pedes illius humiliter deoſculata fuit, ipſumque deoſculando reperit non fœtidum, imo tamquam tepidum, adeoque integrum & formoſum ac ſi adhuc vixiſſet.

interim accedunt plurimi ad devote inſpiciendum corpus,

e

in quo nulla mortis ſigna erant.

F

63 Ioanna Beauvalet teſtis XXIV deponit, quod die Sabbati in Paraſceve vel die immediate ſequenti obitum d. defuncti, cum rediret ex villa Ambaſiæ, & eſſet prope locum vulgariter dictum l'Aſſault, diſtantem à civitate Turonenſi ſex leucis; equus qui illam portabat proſtratus fuit in terram; unde ipſa deponens cecidit ſuper quemdam groſſum & durum lapidem, in modum quod ex concuſſione pectoris ſui contra d. lapidem gravem perpeſſa fuit dolorem; adeo quod d. ſuum equum poſtmodum aſcendere nequivit, quinimo compulſa fuit ad hanc villam Turonenſem per aquam accedere. Ipſaque Turonis appulſa, ibidem ſtetit in magno dolore, uſque ad diem lunæ in feſtis Paſchæ proxime ſequentem. Qua quidem die ſe conduci fecit ad quamdam mulierem, la Bonne communiter appellatam, commorantem prope Prioratum conventualem S. Ioannis de Greſſio Ordinis S. Auguſtini, diſtantem à civitate Turonenſi tribus leucis vel circa: ubi d. la Bonne, quæ hominum membris confractis auxiliante Domine medelam

Ex equo lapſa graviterque colliſa,

quæ fuerat Turones curanda advecta,

medelam ferre conſueverat, d. deponentis pectus viſitavit, &, ut melius potuit, reconſolidavit. Et hoc facto rediit in domum ſuam Turonis: & die Jovis immediate ſequenti *f* adviſata fuit per quoſdam ex ſuis liberis, quod illa die d. Fr. Franciſcus de Paula in tumulo ſuo recludi debebat. Quapropter inductione ſui quondam mariti & liberorum ſuorum, qui illam ſuper hoc inſtigabant, plurimum adhuc dolorem in pectore ſuo patiens, in modum quod vix, etiam mediante auxilio duorum hominum, mulam ſuam aſcendere poterat, locum d. defuncti viſendi gratia adivit: ubi invenit corpus in tumulo jam ſera clauſum. Deponit inſuper, quod ad inſtantiam & preces ſuas, Fratres d. Conventus ipſum tumulum aperuerunt; & eamdem, eumdem adhuc dolorem in pectore patientem, in illum dimiſerunt: ubi vidit tunc vultum ſæpe d. defuncti diſcoopertum, & adhuc ita imo magis tepidum ac coloratum, corpuſque ejus ita molle, ſicut erat in vita ſua. Deponit inſuper quod tunc ſe Deo & precibus ipſius defuncti, ſi apud Deum valere poſſent, commendavit pro concuſſione d. ſui ſtomachi. Et oratione ſua completa, ac poſtquam egreſſa fuit dictum prefati defuncti tumulum; ipſa ſola, quæ etiam cum auxilio duorum hominum vix mulam ſuam antea aſcendere poterat, facillime eamdem ſuam mulam à quodam monticulo ſola adſcendit, & ex tunc reddita fuit ſanitati, nec exinde dolorem paſſa fuit in ſtomacho.

f qua die corpus denuo clauſum erat,

ipſum ſibi oſtendi obtinuit, & ſanata eſt.

mater cujus filia privataerat, oculo

64 Catharina, uxor Guillelmi de Loyon, teſtis xxvi deponit, quod (ſunt novem anni & ultra) ipſa peperit Joannam filiam; cui, in ætate trium aut quatuor annorum, ſupervenit in oculo ſiniſtro gravis morbus cum inflatura, reddens vultum ipſius Ioannæ deformem: pro quo morbo curando viſitata fuit ipſa à medicis & chirurgicis aliiſque pluribus perſonis. Tandem inflatura d. oculi depreſſa ſeu evacuata, idem oculus deformis & plurimum dilatatus remanſit, ac lumine privatus extitit: & ſic remanſit eadem Joanna, in infirmitate d. oculi ſui, ſpatio ſeptem menſium vel circa. Quo tempore durante, non potuit à quoquam chirurgica arte nec alias luminis claritatem recuperare. Adveniente autem eodem anno obitu d. defuncti in hebdomada ſancta, audivit ipſa deponens, quod d. defunctus inhumari debebat in feriis Paſchatis tunc proxime futuri. Ob quod ex devotione conventum Minimorum prope hanc civitatem acceſſit; & ibi à quodam Fratre ejuſdem Ordinis, vitam d. defuncti tunc prædicante, audivit, quod ipſe defunctus monoculus natus fuerat, & quod miraculoſe alterum oculum receperat. Tunc ipſa deponens ſe Dei auxilio & ipſius defuncti commendavit, ſibique benigne ſupplicavit, quatenus, ſi locum in cælis obineret & prodeſſent ſuæ preces, dignaretur oculo ipſius Joannæ filiæ ſuæ ſanitatem à Domino impetrare. Regreſſaque domum, votum cereum, ſub forma oculi d. Joannæ, fieri procuravit: quod poſtmodum ad d. conventum una cum filia ſua deportari fecit. Et quia tunc temporis, corpus ipſius defuncti in alio ſarcophago lapideo transferebatur, ſupplicavit & obtinuit, ut oculus d. Joannæ corpus defuncti tangeret. Exindeque & ante tres aut quatuor dies d. Joanna jam d. oculo ſiniſtro videre cœpit ſufficienter. Quam quidem Ioannam vidimus & oculis conſpeximus.

audiens. Sanctum quoque ex oculo laboraſſe,

fiduciam concipit & voto potitur.

ANNOTATA.

a *Qui hic dicitur annus* 1506, *annum à Paſchate ſecundum Francorum morem auſpicantibus*; *nobis à Ianuario exordientibus eſſet*, *annus* 1507, *quando Paſcha concurrit cum* 4 *Aprilis.*

b *Idem mos etiam in Ordine Franciſcano ſervatur*; *& ab hoc eum aſſumpſiſſe Sanctus videtur: apte autem exhibet pœnitentem*, *velut applicato ad collum laqueo ſiſtentem ſeſe ſententiæ*, *quam ſe commeruiſſe fatetur*, *excipiendæ.* EX MS. PROCESSU TURON.

c Moule *Francis*, *Teutonibus* Mol, *proprie ſignificat matricem*, *cui cera*, *argilla*, *vel etiam metallicæ ſpecies quævis infunditur*; *ut ad duritiem conſiſtentiamve naturalem rediens*, *figuram formæ cavæ exprimat in convexo. Sic autem alicujus vultui gypſum inducere*, *in qua deinde formentur imagines vultuum ipſum expreſſuræ*, *proprie eſſet* Molare: *ſed hic ſignificatur idea*, *quam ſubitaneo conatu ſibi fingunt pictores in charta vel aliter*, *ipſam poſtea laborioſius deducturi in opus.*

d *Teſtis* 7 *&* 8, *expreſſe* unam leucam *ſignando*; *cavent*, *ne* tria milliaria *hic more Gallico intelligantur ſpatium trium horarum.*

e *Tota ſcilicet hebdomade Paſchali* (*quæ hic dicitur octiduum à morte*) *& ſecunda hebdomade*, *ſive ſecundo poſt mortem octiduo adhuc currente.*

f Adviſare, *compoſitum ex præpoſitione Latina* ad *& Teutonico* Wyſen *monſtrare*: *Francis*, aviſer.

PARS IV.

Gratiæ & beneficia ad defuncti invocationem impetrata.

65 Emericus Bernardeau teſtis VI deponit, audiviſſe dici, quod poſt obitum Fr. Franciſci ignis accenſus erat in domo quadam hujus diœceſis Turonenſis; & Domina illius domus hoc perpendens, commendavit ſe precibus d. defuncti: & illico ceſſavit ignis periculum. Neſcit tamen nomen nec cognomen d. mulieris, nec locum ubi ſita eſt eadem domus. Catharina Bergerelle teſtis x deponit, quod poſt ejuſdem defuncti obitum ſupervenit eidem deponenti quædam ægritudo, in altera ſuarum genarum; quæ inflata & dura ſuperabat in groſſitudine alteram; ob quod ne ab hominibus videretur, ipſa eamdem genam quodam panno *a* ſattini nigri cooperiebat. Pro cujus quidem genæ ſanitate recuperanda, illam chirurgicis & medicis pluries oſtendit: nullum tamen remedium ab illis habere potuit, ſed per ſex annos vel circa permanſit cum eadem inflatura, quam tamen abſque gravi dolore portabat. Peregrinationes etiam in quibuſdam locis, videlicet ad glorioſiſſimam Virginem Mariam de Clery, & apud *b* Belgenciam pro febre quartana, quam ſpatio tredecim menſium ſuſtinuerat, fecit: non tamen eo animo, ut ſanitatem d. genæ recuperaret, ſed ut referret gratias pro recuperata ſanitate d. febris quartanæ. Ipſa autem domum deducta, videns inflaturam ſuæ genæ minime diminutam, ſeſe precibus defuncti Fratris Franciſci de Paula devote commendavit, illi benigne ſupplicans, quatenus ſi poteſtatem aliquam erga Deum haberet, quoquomodo illius inflaturæ commutationem, ſimulque ſanitatem cujuſdam guttæ, quam in altero genu graviter patiebatur, impetraret à Domino. Et ipſa deponens in ſtatu tali exiſtens, ad ſepulturam d. defuncti ſe tranſtulit. Tandem, intra ſex dies ſequentes, gena multo plus inflari cœpit, ita ut videretur eſſe ignea & rubinolenta cum maximo dolore: nec ſciebant medici aut chirurgici quidnam eſſet, aut quam applicationem illi facere poſſent. Quibus inter ſe altercantibus ipſa gena ante quatuor dies ſequentes, per os & ad intra, ſuperflua ejicere cœpit, & tandem ſana effecta eſt: quod quia credidit precibus ipſius

Ad invocationem S. Franciſci incendium extinguitur.

a inflata tibiæ pater gena.

b

qua toto ſexennio curari nequiverat.

vota ad ſepulcrum facto ſanatur.

EX MS. PROCESSU TURON.

defuncti obtinuiſſe, votum cereum ipſius ſuæ genæ d. defuncti ſepulturæ, cum figura alterius genu, Deo gratias reddens, deputavit.

item uteri incurabilis oppreſſio,

66 Maria uxor Rudolphi Valée, teſtis XI deponit, quod (ſunt ſex anni vel circa) ipſa exiſtente gravida, ſupervenit ſibi quædam ventris oppreſſio, multum vehemens: in modum quod ſæpiſſime opprimebatur, tam dire quod videbatur infantem emittere: & tempore ejuſdem ægritudinis per ſeceſſum ſanguinem emittebat. In qua quidem ægritudine permanſit, non tamen continue, ſpatio quatuor annorum vel circa, nec à medicis aut chirurgicis ſanitatem recuperare potuit, licet fuerit ab ipſis ſæpiſſime viſitata. Tandem commendavit ſe Deo & precibus d. defuncti in eccleſia conventus; eique preces, tam Miſſam celebrari faciendo quam devotionem novem dies continuando, fecit. Quibus orationibus factis & continuatis, non longe à dicto tempore, per Dei gratiam, &, ut credit, precibus d. defuncti, à d. morbo, quo tanto tempore detenta fuerat, ſanitatem recuperavit.

febris continua trium dierum,

B

67 Inſuper deponit, quod (eſt annus vel circiter) quidam ejuſdem deponentis infantulus, duorum annorum, gravi febri & continua premebatur, in modum quod videbatur in extremis laborare, & in tali infirmitate ſtetit per tres dies, taliter quod de ejus ſalute à nullo ſperabatur. Tunc ipſa deponens ejus mater, Deo Sanctiſque Martino, Claudio, & aliis quamplurimis Sanctis, precibuſque d. Franciſci, humiliter & devote d. filium ſuum commendavit, votoque vovit, ſi placeret Deo illi ſanitatem reſtituere, imaginem infantis ceream ad ſepulcrum d. defuncti adferret: & paulo poſt d. infantulus ſanitatem recuperavit, & adhuc vivit de præſenti. Inſuper deponit à

pleuritis cum ſurditate,

ſex annis circiter ſuum maritum pleuriti laboraſſe, auditumque aurium plurimum impeditum fuiſſe: quod videns ipſa, illum Deo & pluribus d. defuncti commendavit. Et tandem ipſe maritus ſanitatem à d. morbo & aurium obturatione recuperavit: ſubjungendo quod in ſuis neceſſitatibus, ubi ſe devote Deo & precibus d. defuncti commendavit, quod petiit, obtinuit

gravis & diuturnus languor;

68 Renata, uxor Petri Courſelles, teſtis XVI dicit, quod in feſto omnium Sanctorum noviſſime elapſo, citra vel circa illud feſtum, incepit ægrotare, & ab eo tempore langueſcere uſque ad feſtum Tranſlationis Beatiſſimi Martini, quod celebratum extitit die lunæ, quarta præſentis menſis Julii: qua die talis infirmitas augmentari cœpit, in modum quod d. deponens ſuis naturalibus potentiis erat multum debilitata & deſtituta, adeo quod ope aut arte medicorum non poterat ſanitatem recuperare. Quod videns ipſa, die ſabbati ſequentis, de Dei auxilio confidens, ſe Deo & precibus d. defuncti (ſi locum obtineret, ubi ſibi poſſint preces ejus auxilium ferre) commendavit: & ex tunc ad conventum Minimorum transmiſit, Miſſamque in honorem Trinitatis ibidem celebrari & precibus Fr. Minimorum ſe commendari fecit: & prout à d. defuncto didicerat, orationem Dominicam cum ſalutatione Angelica trina vice nec non ſymbolum Apoſtolorum, per quemdam ejus filium ætatis quindecim annorum, quem ad hoc ad d. conventum transmiſerat, recitari fecit. Eadem die ſabbati cœpit ſuperflua corporis evacuare & per ſeceſſum emittere, meliuſque quam prius ſe habere: in modum quod die Dominica ſequente à lecto ſurrexit, & cum aliis ſedendo ad menſam cœnam ſumpſit, & exinde ac modo ſanam ſe eſſe dicit: & credit hoc precibus d. defuncti impetraſſe.

C

infirmitas in genu

69 Joanna Hameline teſtis XVIII, deponit audiviſſe dici, quod Deus precibus d. defuncti plura miracula fecit: alias neſcit. Niſi quod circa feſtum B. Catharinæ ultimo elapſum, ipſa detenta fuit gravi infirmitate, quam patiebatur in dextro genu ſuo, qua detenta fuerat antea, ſpatio duorum annorum vel circa: eratque nonnumquam ita propter hoc perplexa & debilitata, quod aliquando non poterat ſe ſuſtinere, & præſertim quadam die ſero, circa prædictum feſtum B. Catharinæ, ſuper modum attenuata, ac quaſi ob hoc in extaſi conſtituta; reduxit ad memoriam qualiter pluribus ſuccurſum fuerat à Domino precibus d. defuncti; miſitque quæſitum novem candelas ceræ, & unam groſſiorem in quadam ſua feneſtra exiſtentem, per quamdam Dionyſiam Gerardi: & dedit illi in mandatis, quatenus in craſtino conventum Minimorum de Pleſſiaco adiret, & illuc appulſa rogaret

poſt novenam fieri mandatam;

quemdam Fr. Albinum, d. conventus Religioſum, quatenus d. deponentem Deo & precibus d. defuncti per novem dies commendaret, offerretque qualibet earumdem novem dierum unam ex d. candelis, & dictis novem diebus elapſis celebrari faceret unam Miſſam in honorem Dei. Et illico, poſtquam teſtis deponens præcepit d. Dionyſiæ, quatenus die ſequenti mane d. conventum haberet adire pro præmiſſis, deponens ſanitatem recuperavit, & exinde d. infirmitate detenta non fuit, niſi nimio ejus labore id ſupervenit. Dicta autem Dionyſia poſtmodum retulit, ſe in craſtino iviſſe, & præmiſſa ſibi injuncta feciſſe.

D

E

mamilla fiſtuloſa,

70 Maria, vidua Andreæ Ligier, teſtis XX deponit, quod poſt obitum d. defuncti (ſunt quinque anni vel circa) graviſſimum morbum in altera ſuarum mammarum paſſa fuit, & illo detenta ſpatio tredecim menſium, in modum quod medici & etiam chirurgici neſciebant quod remedium illi morbo afferre. Quod videns d. deponens, facto voto locum & conventum d. defuncti ſingulis tredecim dierum adivit; ſeque Deo & precibus d. defuncti, pro ſanitate ſuæ mammæ, devote commendavit; & intra d. tredecim dies vel circa medium illorum, & ante finem completionis d. voti, d. mamma illa incepit ſanari; prout tempore completionis ejuſdem mammæ obſervatum fuit: & ſic teſtis deponens integraliter ſanitati reſtituta eſt, adeo quod nullum dolorem in d. ſua mamma deinde ſenſit.

apoſtema in femore,

71 Deponit etiam, quod à feſto Paſchæ ultimo elapſo citra, quoddam apoſtema habuit in altero ſuorum femorum, quod à chirurgicis catharrus dicebatur, ex eo quod d. deponens de ſuo femore juvare ſe non poterat: & ob hoc dicebant d. chirurgici, quod niſi ipſam juvaret Altiſſimus, percluſa quoad d. femur ſuum remaneret. Quod videns ipſa ſe Deo & precibus d. defuncti commendavit, unamque Miſſam miſit & fecit propter hoc dici in capella, in qua inhumatus fuit idem defunctus. Et illa die, qua dicta fuit præfata Miſſa in honorem Dei, teſtis deponens, quæ antea non poterat ſe ſuſtinere, incepit ambulare: & deinde tractu temporis totalem recepit d. ſui femoris ſanitatem.

F

morbus in gutture,

72 Gervaſota, vidua Joannis Lopin, teſtis XXII deponit, quod (tres ſunt anni) ſupervenit duobus liberis unius ex liberis ſuis quidam morbus in gutture, in modum quod vix poterat, ſpiritum emitttere ſeu retrahere: & quia alias viderat aliquos qui tali morbo preoccupati deceſſerant, idcirco timens de ſimili periculo, commendavit d. nepotes ſuos Deo & precibus d. defuncti, & ſtatim convaleſcere inceperunt. Deponit inſuper, quod honorabilis vir M. Joannes Lopin, in legibus Licentiatus, ejuſdem deponentis filius, à d. tempore trium annorum citra, quemdam morbum ſeu inflaturam in collo & altera ſuarum genarum paſſus fuit, ſpatio quindecim menſium vel circa. Quod videns teſtis deponens, commendavit ipſũ Deo & B. B. Coſmæ & Damiano, & ſimiliter precibus d. defuncti,

tumor colli & genæ.

A

cti, promiſitque ob hoc offerre Deo & dictis Sanctis in eccleſia S. Coſmæ candelam ceræ, ſecundum longitudinem & groſſitudinem d. Joannis, & unum votum de cera factum ad ſimilitudinem dicti Lopin, in conventu Fratrum Minimorum, ipſumque Lopin ſecum ducere, cum à d. morbo ſanaretur. Et poſt votum ſic emiſſum, idem Lopin ſanitatem recuperavit; ob hocque deportari fecit teſtis loquens ad eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani candelam d. longitudinis & groſſitudinis, & ſimiliter ad conventum Fratrum Minimorum votum cereum, prout promiſerat, ad ſimilitudinem ipſius Joannis, videlicet à capite incluſive uſque ad brachia excluſive.

infirmitas ſtomachi,

73 Petronilla, uxor Joannis Claneau, teſtis XXIII deponit, quod paulo poſt obitum d. defuncti, ſibi ſupervenit in ſtomacho quædam infirmitas ſeu inflatura, quam rheuma frigidum vocabat Stephanus Rabblatie chirurgicus: qui dixit tunc d. deponenti, quod ſua ſcientia nunquam ab illa infirmitate ſanaretur. Et nihilominus ipſa hoc videns, habuit ſuper hoc conſilium & regimen cujuſdam Magiſtri Joannis Maillaiſe, Sereniſſimæ D.N. Reginæ chirurgici, qui d. morbo appoſuit quoddam emplaſtrum. Et infra paucos dies eadem infirmitas d. deponentem reaſſumpſit, & in eodem loco rediit. Quod videns,

B

emplaſtrum prædictum eidem, ut alias, applicavit, & nihilominus Domino & precibus d. defuncti prædictam infirmitatem commendavit. Et ex illa hora incepit ſanitatem recipere, & ſex hebdomadis vel circa omnimodè convaluit, & credit hoc precibus d. defuncti impetraſſe.

gravis mœror,

74 Guillelma Binet, teſtis XXV, deponit, quod (ſunt nunc duo anni vel circa) ipſa deponens quodam gravi tædio depreſſa, & de eo multum perplexa, acceſſit ad fratrem ſuum Fr. Franciſcum Binet, Ordinis Minimorum tunc Generalem, in conventu prope Turones exiſtentem; ab eo petens & requirens tanti tædii conſolationem. Qui quidem ſibi conſilium præbuit, quod humiliter & devote ſe precibus defuncti Fr. Franciſci commendaret, & à d. ſuo tædio Deo dante liberaretur. Quod illa, ut melius potuit, fecit; & ante finem menſis ſequentis, quod petebat, obtinuit. Inquiſita de tali tædio, reſpondit non eſſe opus illud narrare, ſed ſibi valde magnum fuiſſe aſſeruit.

75 Joanna Bernier, teſtis XXVIII, ſuper miraculis interrogata deponit, quod pluries tam viri quam feminæ, in certis & diverſis neceſſitatibus conſtituti, ſe Deo precibus d. defuncti commendarunt & bene ſe habuerunt. Et ſimiliter ipſa deponens alias

C

fuit certis de cauſis tædio affecta, pro quibus ſe Domino & precibus d. defuncti commendavit & ab eo-

moleſtus catarrhus,

dem tædio liberata fuit. Et preſertim deponit, quod à tempore obitus d. defuncti, & ſunt quinque anni vel circa, ipſa deponens fuit quodam catharro detenta, & multum oppreſſa; quodque pro ſanitate recuperanda fecit ſibi plura medicamenta applicari, quæ ipſam parum juverunt, ut credit. Imo quia ſe Domino & precibus d. defuncti commendavit, & paulo poſt ſanitatem recuperavit; credit quod hoc impetravit à Deo, precibus d. defuncti, & non alias.

dira epilepſis,

76 Deponit ulterius, quod (fuit annus circa feſtum nativitatis B. Ioannis Baptiſtæ ultimo fluxum) ipſa deponens exiſtens in villa de Rupella, Xantonenſis diœceſis, in domo videlicet cujuſdam ſuæ familiaris amicæ, nuncupatæ Guillemettæ Picorre, tunc gravi morbo, videlicet epileptico ſeu caduco, detentæ, in quo ſteterat ſpatio trium hebdomadarum, & quo fuit, maxime duobus diebus, plurimum cruciata, in modum quod nigra ſupra modum & tamquam mente capta ſæpius videbatur, fuitque ſpatio duarum horarum quod loqui non potuit. Hoc videns teſtis deponens, & quod medicamenta, quæ eidem Guillemettę applicabantur, nihil proficiebant; dixit matri ejuſdem Guillemettæ, quod eam devoveret Deo & precibus d. defuncti, quem dicebat d. deponens eſſe inhumatum in conventu Fratrum Minorum prope Pleſſiacum-Parci; & quod, ſi hoc facere vellet, fiduciam habebat in Domino & precibus ejuſdem defuncti, quod ipſa Guillemetta ſanitati reſtitueretur. Quod cum mater d. Guillemettæ feciſſet, ægra ante eventum trium horarum, tunc immediate ſequentium, ſana incepit fieri.

EX MS. PROCESSU TURON.

infirmitas ſtomachi,

77 Teſtis XXXI deponit, quod à ſex annis vel circa detentus fuit, etiam per ſpatium trium aut quatuor annorum, quadam infirmitate ſtomachi, nec poterat à quoquam ſublevari: quod videns ipſe, à ſua uxore inductus, ſe Domino & precibus d. defuncti commendavit; vovitque ſi ſanitatem recuperaret, votum cereum in formam ſtomachi ad ejus ſepulcrum deferre; & paucis diebus elapſis, Deo opitulante & precibus d. defuncti, ut credit, ſanitatem recuperavit: ob quod, votum cereum ad ſepulcrum ejuſdem defuncti, gratias Deo referens, deportavit, ab indeque bene ſe habuit & habet.

infans monſtruoſus,

78 Teſtis XXXII Petrus Courvoiſier deponit, quod (ſunt duo anni cum dimidio) Robertus filius deponentis, tunc ætatis duorum annorum cum dimidio, detinebatur gravi infirmitate, nec de ejus ſalute ſperabatur, & nihilominus ipſum domi reliquit, & ad conventum Minimorum pro tondendis barbis Fratrum acceſſit, deſperans d. ſuum infantem in regreſſu vivum reperire. In quo quidem conventu ipſe teſtis ob hoc triſtis & dolens, à ſeptima hora de mane uſque ad horam quartam poſt meridiem, pro ejuſmodi barbis tondendis, permanſit. Et tunc, quia unus Fratrum ipſum deponentem ita triſtem vidit, interrogavit eum de cauſa triſtitiæ illius: cui deponens filii ægritudinem expoſuit. Tunc Frater ille deponentem exhortatus fuit, quatenus d. filium ſuum Domino & precibus d. defuncti commendaret, Qui deponens tali triſtitia detentus, eumdem Fratrem, nomine Yvonem, cujus cognomen ignorat, ſupplicavit quatenus preces & vota pro ſalute filii ſui Domino & d. defuncto porrigeret: quod fecit idem Fr. Yvo, & pariter deponens eaſdem preces refricavit. Et tunc d. Fr. Yvo eidem deponenti dixit, quod ſi ejus filius melius convaleſceret, ejus ſudarium cum oblatione ceræ longitudinis d. infantis ad ſepulcrum d. defuncti deferret. Et eadem die ſero deponens ad domum rediit, infantemque ſuum paululum convaleſcentem reperit: & exinde ante paucos dies d. infans ſanus effectus eſt. Ob quod d. deponens, gratias Deo reddens, quæ voverat ipſumque infantem ad ſepulcrum d. defuncti deportari fecit.

E

F

moleſta febris

79 Teſtis XXXIX, Patricius Binet deponit, quod à tempore obitus d. defuncti, exiſtens Nannetis, pro collocari & ordinari faciendo ſepulturam defunctorum Ducis & Ducisſæ Britanniæ, inter loquendum de d. Fr. Franciſco de Paula, audivit à quodam nuncupato Petro, ſervitore Generalis Britanniæ, cujus cognomen ignorat, quod ipſe Petrus quodam tempore fuerat detentus gravi infirmitate febrium, ſeque commendaverat Domino & preibus d. defuncti, & inde bene ſe habuerat, nec à modo tali infirmitate fuit detentus.

diuturna amentia

80 Fr. Stephanus Iolys, teſtis XLII deponit, quod (ſunt quinque anni vel circa) ad conventum Minimorum caſtri Heraldi (in quo morabatur d. deponens, tamquam Vicarius ejuſdem conventus) acceſſit quidam nuncupatus Georgius, de loco de Cove Pictavienſis diœceſis, ut dicebat, oriundus: & d. deponenti expoſuit, quod fuerat per ſpatium unius

EX MS. PROCESSU TURON.

anni vel circa ſenſu hebetatus, & huc atque illuc vagabundus; aliquando ligatur & aliquando non, quia ligamina quibus detinebatur frangebat. Et ipſo in tali dementia conſtituto, audivit (ut credebat) vocem dicentem ſibi, verbis Gallicis in Latinum translatis, Commenda te S. Franciſco de Turonis, & ſanaberis. Tandem diſcedente quodammodo tali dementia, ſe precibus defuncti Fr. Franciſci commendavit, & exinde ſanus factus eſt. Ob quod accedebat, prout expoſuit d. deponenti, ad ſepulcrum d. Fratris Franciſci, ut gratias Deo & ipſi defuncto referret: rogavitque tunc d. deponentem quatenus ſuffragium Salve-regina in conventu caſtri Heraldi, gratias de tanto beneficio agendo, decantari faceret.

infans morti propinquus,

82 Ludovica Poupillart, teſtis LV deponit, quod (ſunt tres anni vel circa) quidam deponentis infans fuit gravi infirmitate detentus, ſpatio quinque dierum, in modum quod requieſcere nec lactare poterat, & ſperabatur plus de morte quam de vita ipſius. Quod videns teſtis deponens, ſe inclinavit verſus conventum d. defuncti, & genibus flexis ipſum defunctum deprecata fuit, quatenus, ſi ejus preces apud Dominum valerent, dignaretur ipſum orare pro ſanitate d. infantis: quod fuit certa die, circa horam nonam de ſero, & illico oratione d. deponentis completa, d. infans convaleſcere incepit; in modum quod uſque ad horam ſecundam, poſt mediam noctem immediate ſequentem, dormivit; & exinde fuit ſanitati reſtitutus. Hoc ſcit, quia ſtatim poſt d. orationem completam, cum jam dormiret d. infans, timens ne mortuus eſſet (propterea quod eum non audiebat, prout conſueverat, conquerentem) quid faceret aſpexit; & tunc percepit quod dormiebat: & credit d. deponens hoc à Domino precibus d. defuncti impetraſſe.

B

& debilitas ſtomachi,

82 Maria uxor, Paſquerii Bouilliau, teſtis LVI deponit, quod (tres ſunt anni) maritus ſuus fuit gravi ſtomachi infirmitate detentus, in modum quod timebat mortem ei ex d. infirmitate evenire. Quod videns, maritum ſuum ſolicitavit de ſe Deo & precibus d. defuncti commendando, & quod ſe bene haberet. Quod libenter fecit maritus deponentis: fecitque ob hoc fieri teſtis loquens unum votum ceræ, ponderis dimidiæ libræ, ad ſimilitudinem unius ſtomachi: quod ad conventum, in quo inhumatum eſt corpus d. defuncti, Domino offerendum poſtmodum detulit, & juxta ſepulcrum illius illud obtulit. Et exinde maritus ſuus infirmitatem in d. ſuo ſtomacho paſſus non fuit; & credit à Domino precibus d. defuncti ſanitatem impetraſſe.

C

ANNOTATA.

a Satinum, *textura holoreſerici denſi ac plani, nomen ſortita, ut videtur ab urbe Græca, nunc* Sathine, *olim* Athenæ, *unde videtur ejus conficiendi ratio advecta; ſic à* Damaſco, *Syriæ urbe,* Damaſcenus *pannus; & aliæ texturarum ſpecies ſæpe à locis, unde advectæ vel ubi inventæ, nominantur.*

b Belgencia, *vulgo* Beaugency, *quinque leucis ab Aurelianis Turonas verſus. Inter hoc oppidum ipſaſque Aurelianas eſt* Cleriacus *vicus, de quo videndi Annales Aurelianenſes Caroli Sauſſaji lib. 12 num. 3*

EPISTOLA
Epiſcopi Gratianopol. ad Leonem X.

83 *PRiusquam ſtylum abducamus à Galliæ, placet ſubnectere proceſſui Turonenſi narrationem miraculi in eadem Gallia facti, quo familiam Regiam potenter voluit obligare Deus, ad ſervi ſui honorem apud Sedem Apoſtolicam omnibus modis promovendum. Fuit autem die* XXV *Martii anni* MDXVII *hæc epiſtola producta Romæ recognitaque & recepta, prout Proceſſui ibi facto verbotenus inſeritur, hoc tenore.*

D

Occaſione litterarum è Regibus datarum, ſcribit

84 Sanctiſſime ac Clementiſſime Pater, poſt pedum oſcula beatorum. Quoniam Regiam Majeſtatem, Illuſtriſſimamq; ejus conſortem, devotam Francorum Reginam nec non Dominam, prædictæ utique majeſtatis Regiæ generoſiſſimam genitricem, quamplureſque alias devotas perſonas, Regia ex ſtirpe procreatas, Beatitudini veſtræ, ſuper B. P. Franciſci de Paula devota canonizatione, in preſentiarum ſcribere, & ad canonizationem hujuſmodi non modicam devotionem gerere, indubie cognovimus: Nos ad ipſam canonizationem non minorem gerentes devotionis affectum, ſanctitati veſtræ præſentes litteras, ea qua decet reverentia, libenter ſcribi voluimus; eidem Beatitudini veſtræ humiliter ſignificantes, qualiter anno Dominicæ Incarnationis MDVII, circa finem menſis Aprilis, cum tunc ſanctæ memoriæ Illuſtriſſima Francorum Regina, moderna utique Francorum Reginæ genitrix, apud caſtrum & oppidum Montis-Bernardi prope Gratianopolim, moram protraheret; audito quod Generoſiſſima ejus filia, moderna utique Francorum Regina, tunc gravis febris ægritudine detineretur, ad ipſam Clementiſſimam quondam in Chriſto beniguiſſime conſolandum nos tranſtulimus; ſuæ quondam Regiæ Majeſtati viſceroſe conſulentes, quatenus predictæ ejus Clementiſſimæ filiæ, modernæ utique Francorum Reginæ, recuperandæ ſoſpitatis gratia, B. Franciſci de Paula devotis meritis & orationibus Illuſtriſſimam ejus filiam, modernam utique Francorum Reginam Claudiam, ſupplíciter ac devote commendatam facere dignaretur: etiam cum voto & promiſſione, ut ſi ejuſdem B. Franciſci almis precibus & meritis perfectam ſanitatem recuperaret Illuſtriſſima ejus filia, ipſa dicti Beati Patris canonizationem hujuſmodi niſibus & conatibus procurare conaretur. Quod utique nobis tunc ultro annuit, libentique animo vovit ac promiſit eadem quondam Clementiſſima Francorum Regina.

quod intellecto morbo filiæ Regis Franciæ,

E

ſuaſerit matri ut voveret canonizationem promovere;

quo voto facto, ægra ſanata mox ſit.

85 Paucis vero poſtmodum interjectis diebus, cum Regiæ quondam Majeſtatis nonnulli curſores, apud nominatum oppidum ſeu caſtrum, ad Illuſtriſſimam quondam Reginam veniſſent, ſibique præfatæ Clariſſimæ ejus filiæ, modernæ utique Francorum Reginæ, ſoſpitatem certitudinaliter nuntiaſſent; modico interjecto, tempore ad ipſam Generoſiſſimam quondam Reginam in Chriſto viſitandam & chriſtiane conſolandam, nos tunc denuo tranſtulimus. A qua utique tunc procul dubio accepimus, quod ſua quondam Majeſtas Regia, noſtro ſub prætacto conſilio, non modicam ſuſceperat conſolationem, & dictæ ſuæ Clariſſimæ filiæ, modernæ utique Francorum Reginæ, optimam valetudinem, curſorum hujuſmodi relatione, indubie ſuſceperat.

F

Inſuper teſtatur de eximia viri ſanctitate

86 Ulterius, Beatiſſime Pater, pretactæ Sanctitati veſtræ ſimiliter ſignificatum eſſe cupimus, nos alias à d. B. P. Franciſco nonnulla adeo ſecreta audiviſſe & accepiſſe, quod nullus præter Deum & me, niſi ex divina revelatione, illa quovis modo ſcire potuiſſet. Teſtamur inſuper eidem Beatitudini veſtræ, Sanctiſſime Pater, quod dum in Galliis quondam degeret prætactus B. Pater Franciſcus, ipſe ſumma religione ſummaque virtute plenus extitit, ſacellaque & cœnobia quam plurima devote ædificavit, & ibidem religioſe ſancteque vixit. Novimus etiam candidiſſimos ejus mores, integerrimamque ejus vitam, ſæpius recocto auro puriorem; quibus utique mortales ceteros, uno omnium conſenſu, anteibat: ita ut etiam ipſo adhuc

& miraculis,

A huc quondam vivente, ipſe jam pro Sancto à pluribus haberetur, ac eum venerarentur; ex nonnullisque candelis, ab ipſo tunc benedictis, innumerabilia miracula fieri conſpicerentur.

87 Quæ utique ſingula, Pater Sanctiſſime & Colendiſſime, ad juvandum d. canonizationis effectum, quem utique pro viribus ſortiri affectamus ac ſupplicamus, noſtri ſub ſigilli atteſtatione libentiſſime ſcribere voluimus Sanctitati veſtræ; quam, ad contundendam immanium Chriſti hoſtium ferociam, & ad fidei orthodoxæ propagationem, ſemper felicem ſemperq; incolumem optamus. Datum Gratianopoli, 1 menſis Junii, MDXVI. Sanctitatisveſtræ devotiſſimus ſervus,

✠ Laurentius Epiſcopus Gratianopolitanorum.

Regiarum litterarum, quarum hic fit mentio, aliquas proferemus inferius; nunc ut appareat, quo jure hic, atque deinceps in ſequentibus proceßibus, Franciſcus de Paula cum Beati *titulo nominetur, ipſum breve Pontificium lege, ex Probationibus hiſtoricis, à fr. Hilarione de Coſta adductis, pag. 461 acceptum, eoque datum tempore, quo formandis proceßibus ſupra probatis Turonibus & Conſentiæ intendebatur.*

B

BULLA BEATIFICATIONIS.

Decernit Pontifex B. Franciſco,

88 LEo Epiſcopus, Servus, ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Illius qui ſemper in Sanctis ſuis mirabilis eſt vices, licet immerito, gerentes in terris, piis fidelium, præſertim religioſarum perſonarum votis (quæ ad Dei laudem & gloriam & Sanctorum venerationem, fideliumque animarum ſalutem cedere dignoſcuntur) libenter annuimus; &, prout expedire in Domino conſpicimus, favoribus proſequimur opportunis.

qui propter eximiam Sanctitatem à Lud. XI expetitus,

89 Sane pro parte dilecti filii Germani Lionet, Ordinis Fratrum Minimorum generalis Correctoris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum alias Clariſſimæ memoriæ Ludovicus Francorum Rex ſummopere deſideraret, coram videre quondam Franciſcum de Paula, in quodam eremitorio diſtrictus Paulæ regni Neapolitani tunc ſolitariam vitam ducentem, propter ipſius Franciſci odorem bonæ famæ & vitæ ſanctimoniam; à felicis recordationis Sixto Papa IV prædeceſſore noſtro ſibi mandari obtinuit, ut idem Franciſcus de regno

multa cœnobia condidit, Neapolitano hujuſmodi ad regnum Franciæ ſe conferret, & ipſius Regis conſpectui ſe præſentaret. C Qui adeo eidem Regi & omnibus regnicolis gratus & acceptus fuit, quod in diverſis civitatibus & locis, tam Galliæ quam Neapolitani ac Siciliæ & Hiſpaniæ regnorum ac Germaniæ, diverſæ domus pro Fratribus, vitam quam ipſe Franciſcus elegerat ducere volentibus, à Chriſti fidelibus conſtructæ & ædificatæ fuerunt.

Ordinem ſtrictiſſimum inſtituit,

90 Ipſeque Franciſcus Ordinem ipſum, qui arctior & ſtrictior ceteris omnibus exiſtit, quem utique Minimorum appellavit, ſub certo vivendi modo inſtituit, illumque per piæ memoriæ Alexandrum VI, & deinde Julium II, poſt Sixtum IV & Innocentium VIII, etiam Romanos Pontifices, predeceſſores noſtros, approbari ac confirmari obtinuit. Ac dum in humanis degit, & dum ſuo Creatori ſpiritum reddidit, ac etiam vita functus, pluri-

& miraculis claret; mis claruit miraculis: adeo ut propterea magna Chriſti fidelium multitudo, quæ ad domum Ieſu-Maria Turonenſem d. Ordinis, in qua ejus corpus requieſcit, confluit; cum ejuſdem Franciſci interceſſione, preces, quas ad Deum effundunt, exaudiri firmiter credant, ipſumque pro Beato teneant ac venerentur.

feſtum & officium.

91 Et quia in Sanctorum catalogo annumeratus non eſt, tam prædictus Germanus quam alii d. Ordinis Fratres ſummopere cupiunt eis concedi, ut liceat eis ſingulis annis, die 11 menſis Aprilis (niſi occurrat Major-hebdomada vel Octava Paſchæ; & tunc in 11 feria poſt d. Octavam) feſtum & Officium ejuſdem Franciſci de uno Confeſſore, cum Oratione unius Confeſſoris, in domibus d. Ordinis celebrare & celebrari facere. Quare pro parte d. Germani Correctoris nobis fuit humiliter ſupplicatum, *in Ordine dumtaxat;* ut pro æterni Regis laude ac gloria, ac ipſius glorioſi Confeſſoris reverentia & honore, nec non decore Eccleſiæ ac catholicæ religionis ſplendore, populique devotione & ſalute, ſuper iis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. EX 1634 D

92 Nos igitur, qui fideles quoſlibet ad Sanctorum Dei venerationem & jugem erga eos devotionem (ut ei à quo omne datum optimum & omne domum perfectum procedit, placere ſtudeant) prout poſſumus, libenter incitamus: hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Fratribus, ut de cetero perpetuis futuris temporibus in eorum domibus officium in memoriam ejuſdem Franciſci, de uno Confeſſore ſub nomine B. Franciſci de Paula hujuſmodi, annis ſingulis ut ſupra celebrare; & in eorum Miſſis ac Matutinis & Veſperis ejuſdem Franciſci commemorationem, ſub nomine B. Franciſci de Paula hujuſmodi, recitare; ejuſque imaginem depingi facere, & in eccleſiis domorum ſuarum (prout etiam Fratres Ordinis Minorum de familia in eorum eccleſiis imaginem fr. Bernardini de Monte feltro, qui etiam proximis annis deceſſit, tenent depictam) tenere libere & licite valeant; Ordinariorum locorum & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam & facultatem concedimus. Non obſtantibus &c. . . . Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarn. Dominicæ MDXIII, Nonis Julii, Pontificatus noſtri anno 1. *Mortuus eſt B. Bernardinus de Monte Feltro* XXVII *Sept.* MCCCCXCIV, *cujus corpus extra muros urbis Papienſis venerati ſumus anno* MDCLXII, *quando Papiam convenerant Commiſſarii Apoſtolici in ordine ad canonizationem auditur. Teſtes.* E *ſicut eſt Franciſcanis indultum pro B. Bernardino de Monte-feltrio.*

PROCESSUS CALABRICUS

Alii procef. ſum in Curia *vocant.* F

1 *QUartus Codex & ultimus, eorum quibus documenta ad promovendum canonizationis negotium producta continentur, à nonnullis ſcriptoribus citari ſolet ſub nomine magni Proceſſus Calabrici, hac fortaſis de cauſa, quod plures proceſſus in Calabria locis diverſis formatos complectatur, quamvis aliis inſtrumentis admixtos; & quidem ſic, ut litteris quibuſdam proceßibuſque extra ordinem præmiſſis, pars dimidia libri vocari potius debeat* Proceſſus Romanus, *relationem continens eorum, quæ per ſingulas Actiones, quibus eſt cauſa examinata Romæ, à die* III *Martii anni* MDXVII, *ad* XVI *Novembris anni ſequentis, producta, expenſo, probataque fuere; & vel ipſi relationis contextui verbotenus inſeruntur, vel ut ſeorſim ſcripta alleganiur: quare alii hunc librum etiam vocant* Proceſſum factum in Curia. *Placet nihilominus pro iis quæ inde excerpta dabimus (nam Romana nihil attinet tranſcribere in hoc opere, cum meros juris apices contineant) prius illud nomen uſurpare. Sunt autem quæ deinceps colligimus documenta apud Calabros conſcripta eo tempore, quo fama minime vana percrebuerat, tandem de canoni-*

ex quo ſola domus documenta, *zando B. Franciſco ſeriæ Romæ cogitationes ſuſcipi, annis aliquot poſt primorum proceſſum celebrationem elapſis, quando jam ubique & publice, velut unus è primariis Calabria Sanctis colebatur Franciſcus, etſi cum titulo Beati dumtaxat.*

2 *In his proceßibus examinati teſtes, ſimul omnes cenſentur* CXXXI, *etiam eo ad numerato, qui Ambianis auditus fuit, & cujus depoſitionem ante Conſentinum proceſ-*

EX MS. PROCESSU CALABR. *ad ſcripto teſtium ordine ſub duplici numero.*

ſum dandam cenſuimus, qui teſtes quamvis nullum inter ſe loci aut temporis ordinem habeant, quia tamen citantur ab aliquibus eo ordine, quo in manuſcripta illa plurium proceſſuum & documentorum compilatione inveniuntur; ab aliis eo ordine, quem habent in proceſſibus ſingulis; adſcribemus & nos utrumque numerum ipſorum nominibus: ut qui ab auctoribus, eos ſic vel ſic citantibus, ad ipſos fontes volent recurrere, in promptu habeant quod requirunt. Quin etiam, tamquam ſi res una foret, ſub uno Proceſſus Calabrici titulo, ſingulas inquiſitiones particulares, pro numero locorum, in quibus factæ ſunt, in totidem dividemus capita; ijſque aggregabimus Comitum Agroteriæ & Arenarum litteras: quippe quæ etiam ipſæ vim habeant legitimæ juratæque depoſitionis, de pluribus & illuſtribus rebus, ad Franciſci Paulani probandam ſanctimoniam magnopere conducentibus. Ac denique ſubjiciemus litteras ex variis oppidis Calabriæ miſſas Romam ſuper eodem negotio: nec non miſſas ex aula Francica, quæ primum in codice MS. locum tenebant.

CAPUT I.

Proceſſus factus in terra Reginæ

B *Reginenſium epiſtola.*

3 SAnctiſſimo ac Beatiſſimo Patri, D.N. Leoni Papæ X. Sanctitatis veſtræ, Altiſſime Præſul univerſalis Eccleſię, ſacris veſtigiis imprimunt oſcula, humiles & obedientes Sedis Apoſtolicæ filii, Simeon Galeota de Neapoli, Gubernator terræ Reginæ *a* diœceſis Beſinianenſis; Loyſius Galeota de d. civitate, ejuſdem Reginæ oppidi Prætor; una cum Magiſtro Jurato ac tota univerſitate d. terrę Reginæ; omni cum inſtantia & devotione, qua poſſunt, ſupplicantes; quatenus mirificum Franciſcum de Paula, ſanctitate glorificum, ſignis & prodigiis coruſcum, adſcribere dignetur Sanctitas veſtra catalogo Sanctorum: quem tota Calabria Sanctum proclamat, & meritis inclytum & glorioſum cum Chriſto regnantem non dubitat. Cujus ſanctitatis teſtimonium (præter illa quotidiana gratiarum munera, quæ noſtrates percipiunt; præter illa quoque, quæ dudum coram Reverendo Antiſtite Cariatenſi, nec non coram Venerabili Patre Laurentio Clavenſi, Ordinis Minimorum ejuſdem B. Franciſci de Paula profeſſore, nec non Legendæ majoris ſæpe repetiti B. Franciſci de Paula compilatore, in extenſum ſunt depoſita) in hac præfata terra ſubinferuntur, ſunt

C

fideliter depoſita, & veraci ſtylo conſtructa, ſub die IX menſis Novembris, MDXVI. Ego Lucas de Franco de Regina, Canonicus d. terræ, fateor interfuiſſe in præſenti examine, & me ſubſcripſi manu propria.

Teſt. 1

4 Nobilis Philippus Camiglanus, civis terræ Reginæ, cum juramento tactis Scripturis, depoſuit, qualiter ipſe ſcit B. Franciſcum de Paula ab annis XL, qui fuit, erat, & eſt nominatus ſanctæ vitæ; & ſcit per famam ipſum feciſſe magna miracula. Inter cetera *de piſcibus mortuis, in Piſcinam projectis & vivificatis, ut in proceſſu Conſentino num.* 48. Item cum nonnulli venatores caprum adinveniſſent, & eum cum canibus inſequerentur, is vero fugeret, & intra *b* crita B. Franciſci pro ſui tutela ſe reciperet, & canes eum in tali loco animadvertiſſent; non ſunt auſi ulterius ad animal capiendum progredi, quin imo retroceſſerunt: quæ miracula apud Paulam oppidum facta fuere, jam ſunt anni XL. Præterea ſcit, quod cum d. B. Franciſcus eſſet in Gallia, & teſtis ipſe illuc ſe contuliſſet; ad eum viſendum alloquendumque acceſſit. Qui cum ante cellulam eſſet, invenit duos Gallos expectantes, qui non potuerant introire nec alloqui ipſum Beatum: quam primum autem ipſe teſtis applicuit, fores patuere, abſque eo quod teſtis quidquam B. Franciſco ſignificarit. Breviter prædixit ei omnia præterita, & quæ ventura erant, etiam magni momenti, ſicut in mente ipſius deponentis conſtituta & deliberata erant: quæ omnia, cum teſtis in Calabriam ſe recepit, evenere, ſecundum quod prænuntiata & prædicta fuerant.....

D *futura prænuntiantur*

5 Ciccus Zacon dixit, quod cum ipſe teſtis acceſſiſſet ad oppidum nuncupatum Paternum, ubi B. Franciſcus conventum condere faciebat, cauſa conveniendi d. B. Franciſcum, ſubito maximus imber ſeu tempeſtas eſt exorta: & cum vellet diſcedere cauſa remeandi domum, d. B. Franciſcus vetuit eum diſcedere, quando aliquod ſiniſtrum aſtrum *c* ei contingeret: deinde vocavit eum intus eccleſiam, & ei benedixit, aqua ſancta eum inſpergendo, & eumdem cum nomine Domini Dei noſtri itineri commiſit, inquiens: Abi: nam bonam ſocietatem tibi dedi. Et cum ipſe teſtis eſſet apud fluvium S. Antonii, nuncupatum Septimum, quod labebatur plenis & turgidis aquis; quam primum tranſeundi cauſa eum ingreſſus eſt, vortex ingens teſtem ipſum circa pectus aggreſſus eſt, & ipſum una cum equo quo vehebatur traxit, ſubtus undas eum involuendo, adeo quod ſenſu amiſſo ſe ſubmerſum exiſtimabat: deinde ſenſu recepto, incolumen in altera fluminis ripa, abſque corporis læſione, ſe vidit.....

Teſt. 2 *de imminenti periculo præmonitus*

c

E

6 Raphuccius de Jacollo dixit & ſcit, quod cum pater ipſius graviter ægrotaret in manu, pro cujus curatione multas expenderat, tum in medicis tum etiam in medicamentis, pecunias; acceſſit ad B. Franciſcum: qui docuit eum nonnullas medelas, adeo quod ſpatio novem dierum incolumis factus eſt, officio manus recuperato, qua mancus erat. De tempore: ſunt anni XL paulo plus aut minus. De loco, in Paula. Et ex fama audivit, quia fecit multa miracula, maxime cum fierent lignamina pro uſu loci. Inter cetera cum pro d. uſu incideretur pinus in vertice Montis-alti, ubi erat beatus Pater, concidit arbor ſuper quemdam nuncupatum Dominicum Sapinum de terra Reginæ, & eum terra cooperuit. Et d. B. Franciſcus dixit: Per caritatem, quia nihil ei mali fecit. Et accedens & manum porrigens, ab arbore, qua oppreſſus erat, ſubtraxit ſanum & incolumem, abſque aliquo nocumento, ſicut vidit ipſe teſtis. De tempore & loco ut ſupra.

Teſt. 3 *Sanctus manum infirmam curat,* *& ſub ruina arboris oppreſſum ſalvat.*

7 Mag. Antonius de Jurdano, de terra Reginæ, dixit, quod B. Franciſcus ſemel monebat Fratres, ut rogarent Deum noſtrum, ne Turcæ venirent in Italiam: quos ipſe B. Franciſcus tunc temporis dicebat, in trimeſtri venturos: & ſic eo elapſo Hydruntum occuparunt, & magna Chriſtianis intulerunt mala. Tunc beatus Pater in cellula ſe clauſit orandi gratia; ubi octo dies permanſit, numquam foras egrediens: deinde egrediens dixit: Dominus Deus noſter fecit nobis gratiam, quia Turcæ victoria non potientur. Quo tempore allatum fuit nuntium, magnum Turcum *d* vita functum, & Turcæ pedem retulerunt. Ita ipſe teſtis audivit à beato Patre in monaſterio Paulæ, ſunt anni XXX. Et plus ſcit, quia cum ipſe teſtis, una cum B. Franciſco, quodam die in d. loco in quodam monte laboraret, beatus Pater diſceſſit & contulit ſe ad cellulam ſuam: & poſt horam applicuerunt illuc ultra centum homines Conſentini & nobiles, & illic manſit uſque ad noctem. Etiam alias cum eſſet in loco de Paterno, una cum beato Patre, quadam die circa crepuſculum ſive ante Ave-Maria, dixit B. Franciſcus Fratribus, Ponite ad calefaciendum, ut poſſint ſibi lavare pedes Fratres venientes è Paula. Et ſic paulo poſt applicuerunt duo Fratres de monaſterio Paulæ. Et plus ſcit, quod alias, cum ſcinderentur nonnulla ſaxa cum clavis ferreis & cuneis, ubi erant multæ

Teſt. 4 *Turcarum adventum prophetat,*

F

eorumque receſſum:

d

hoſpites advenientes præſciens,

jubet aquam parari:

dentes impacto ferro quaſſatos ſanat,

Ad ſanctum confugit caper à canibus actus:

b

ad eumdem accedenti ſponte ultro pateſcunt,

multæ gentes, & aderat quoque B. Franciſcus; inter ſcindendum proſiliit unus cuneus in buccam cujuſdam aſſiſtentis: ex quo ictu dentes vaſtati & diruti fuere, cum multo ſanguinis profluvio. Unde beatus Pater dixit, Per caritatem, ne timeas: quando nihil eſt. Et ſic manu ori vulnerato appoſita, eodem inſtanti priſtinæ reſtitutus eſt ſanitati.

Teſt. 5 *ſaxum facile frangi facit:*

8 Andreas Spinazellus dixit, quod alias, cum in loco Paternionis frangeretur quoddam ſaxum valde ingens, ubi multa aderat multitudo, & ſaxum prædictum frangi non poſſet; illuc acceſſit beatus Pater, & ſaxum manu tetigit, inquiens, Vos neſcitis rumpere: percutite lapidem ab hac parte, & cito frangetur. Et illico illum percuſſere in parte præmonſtrata & tacta à beato Patre, & in primo ictu fractus fuit. Et hoc ſcit, quia interfuit: *de Dominico Sapino depoſuit ex fama idem quod ſupra num. 6.*

Teſt. 6 *ſanat hydropicum*

9 Angelus Stanellus vidit quemdam Fratrem Gregorium, de oppido Nibizaci, fuiſſe hydropicum longo tempore: & acceſſit ad B. Franciſcum & ſanatus eſt: qui ſubito induit ſe habitu Religionis. *e* Alias cum ipſe teſtis iret ad ſerviendum in loco Paulæ per octo dies, qui erat ægrotus de malo frigido; cumque illuc acceſſiſſet, rogavit beatum Patrem, ut haberet aliquam gratiam. Et beatus Pater dixit, quod deberet ſervire bono & forti animo, & bonam erga Deum habere fidem: nam ſanus efficeretur. Ita fuit ſanus, ac ſi nullam unquam habuiſſet ægritudinem. Inſuper cum illic moraretur, vidit quatuor homines geſtantes ingens ſaxum, ex quodam flumine labente ſubtus locum: & magno cum labore illud geſtabant. Unde beatus Pater poſuit illud ſuper humeris ſuis, & ſuſtulit illud in vertice campanilis, quod tunc ædificabatur & erat nimis altum. Et plus, ſcit ipſe teſtis, quod cum quidam *f* Dominus, de oppido Lattarico, magnam in naſo ægritudinem pateretur; acceſſit ad beatum Patrem, & apud eum moram traxit per aliquot dies, & inde rediit ſanus. Et hoc vidit ipſe teſtis.

e & frigoreticum:

ſaxum ingens ſolus portat,

naſum morbidum curat:

Teſt. 7 *incurvas arbores rectas facit.*

10 Hieronymus Longus, de terra Reginæ, dixit, quod cum alias voviſſet ſe debere ſervire in loco Paulæ, & illuc acceſſiſſet; B. Franciſcus vocavit eum, & duxit cauſa concidendi certas arbores pro uſu fabricæ, & dixit, Concide iſtas arbores. Et deponens reſpondit, Iſtæ arbores non ſunt bonæ, quia valde contortæ ſunt. Concidit nihilominus, & quam primum humi fuere ſic conciſæ, rectæ adinventæ fuerunt: quæ res magno miraculo viſa fuit ipſi deponenti: ſunt anni XL & plus.

Ego Accatanus de Viſſo, de terra Reginæ, Magiſter Actorum in d. terra, examinavi retro ſcriptos teſtes.

ANNOTATA.

a Regina *oppidum, inter Paulam & Biſignianum, hinc 9, inde 12 p. m. diſtans.*

b Crite *Teutonibus dicitur circulus ſive ambitus terrarum, an ſimilis apud Calabros ſignificatio obtineat, unde hic* Crita *dicantur ipſi fines ſeu termini, non divinamus.*

c Diſaſtro *Italis, Francis* deſaſtre, *pro grandi infortunio uſurpatur.*

d *Fuit is* Mahomet II, *anno* 1481 *mortuus Nicomediæ 3 Maij.*

e *Spetiani hoc factum Iſidorus lib. 2 cap. 13, & rem prolixa hypotypoſi deſcribit atque amplificat.*

f *MS. Quidam* Dominus unus, *mendoſe, ut remur: & ideo ex conjectura mutavimus. Quid ſi legatur*, Quidam Dominuccius, *ut ſit diminutivum à* Dominicus?

EX MS. PROCESSU CALABR.

CAPUT II.

Proceſſus factus apud terram Soreti.

Auctoritate publica.

11 SAnctiſſimo ac Beatiſſimo Domino noſtro Leoni, Sedis Apoſtolicæ Pontifici Maximo, cum oſculo pedum, Antonucius Cormatius, annualis Judex terræ *a* Soreti, in anno MDXVI; Dominus Soderus de eadem terra, Melitenſis Canonicus, publicus ubilibet Apoſtolica auctoritate Notarius; & teſtes ſubſcripti, ad hoc vocati ſpecialiter & rogati. Notum facimus, fatemur atque teſtamur, quod anno prætitulato, die Decembris XIV, accerſitis coram nobis, eximius Dominus Joannes Franciſcus de Arenis, Comes Arenarum *b* & Stili ac Dominus S. Catharinæ, aſſeruit decreviſſe litteras deſtinare ad ſuam Sanctitatem, rogatorias pro canonizatione B. Franciſci de Paula, cum talia mereatur. Et ne ejus litteræ rogatoriæ abſque fundamento procedant, ſed veritate fundentur, rogavit nos Judicem & Notarium & teſtes prædictos, ut ſolenniter & fideliter deberemus depoſitiones infra ſcriptorum teſtium in ſcriptis redigere, deponentium de patratis & geſtis per eumdem B. Franciſcum ab eoque auditis, ut veritas eluceſcat, ad veritatem Chriſtianæ fidei & religionis noſtræ. Nos vero videntes, quod officium noſtrum publicum petentibus non debet denegari, maxime pro his cauſis, examinavimus infraſcriptos teſtes, cum juramento & ſervata omni debita ſolennitate. Qui quidem ſigillatim & particulariter & eorum unuſquiſque depoſuerunt ut infra.

a

b

1 Teſt. 8 *Fruſtum ex habitu Sancti.*

12 Magnificus Dominus Jacobus Latronus, de terra Soreti, Juris utriuſque Doctor, dixit, quod ſunt fere duo vel tres anni, cum tranſivit per d. terram quidam fr. Bernardinus Gerunda, cum quodam Fratre Sacerdote Ordinis B. Franciſci de Paula, exiſtens [etiam ipſe] Frater de Ordine: qui, in præſentia d. Eximii Domini multorumque aliorum civium & nobilium, petebat eleemoſynam, cauſa conficiendæ imaginis B. Franciſci de Paula: & multi dederunt eleemoſynam. Et deinde d. Frater cepit quoddam fruſtum tunicæ ſubtilis panni albi, quod dicebat eſſe de eo quod B. Franciſcus gerebat ſubtus habitum; & diviſit illud in viginti partes vel circiter, ut diſtribuerentur perſonis illic præſentibus: quas viginti partes habitus ſeu tunicæ dedit in poſſe præfati Excellentis Domini Comitis de Arena: qui poſuit eas ſubtus manum, & dividebat eas. Et cum fieret concurſus tam civium quam advenarum ultra centum, diſtribuit d. partes tunicæ, & unuſquiſque habuit partem ſuam. Et ultimo loco, cum ſibi perſuaderet nullam ſupereſſe portionem, ſuperfuere ſubtus manum d. Comitis, ultra eas quas diſtribuerat, partes ſeptem: adeo quod omnes qui aderant ſupra modum admirati fuere, & maximam propterea cepere devotionem: & publice dicebatur, quod ex tali parte tunicæ ſubſecuta fuerant multa miracula.

in 20 particulas diviſum,

ſub manu Comitis Aren. miraculoſe multiplicatum,

febrim ardentiſſimam depellit ipſi teſti,

13 Et ipſi teſti evenit, quod æſtate ſequenti, de menſe Julij, maxima ægritudo cum maxima febri eum habuit continue per viginti dies; adeo quod cogebatur, præ immenſo calore, aſpergere ſe nudum aqua frigida; & quod tempore viginti dierum numquam dormivit nec cibum ſumpſit, aqua frigida ſe tantum in maxima quantitate reficiens. Unde recordatus ſe habere quamdam partem d. tunicæ, quam dedit ei d. Comes, quando fecit diſtributionem præfatam; eamdem particulam magna cum devotione gutturi ſuo alligavit. Unde elapſis duabus horis poſt, ſomnus eum cepit; & inter dormiendum videbatur

ei

EXMS. PROCESSU CALABR. *ineunda viſione recreato.*

ei ſe eſſe ſub fonte de Ruſſo, circumdatum multis Fratribus religionis B. Franciſci de Paula: è quibus alter dicebat: Eſto bono animo, nam cito ſanaberis. Alter vero: Eſto fortis, nam cito duceris ad portum ſalvus tutuſque. Omnes vero alii invicem dicebant & exhortabantur eum, quod bene ſe haberet. Inter ceteros unus dictorum Fratrum attulit ei quamdam *c* ſtolam aquæ frigidæ fontis ſupradicti, quam ipſe cum ſumma devotione bibit: qua epota poſt duarum horarum ſpatium expergefactus, multis ſudoribus prius effuſis, fere liberum ſe ſenſit. Deinde cum eſuriret, & gallum gallinaceum parari faceret; ſupervenit de mane D. Rubinus Latroni & Notarius Nicolaus Cachimella, in domo ipſius teſtis, quæ eſt in terra Soreti Melitenſis diœceſis, & narravit eis d. viſionem ſupra dictorum Fratrum.

c

2 Teſt. 9 *Similis particula*

14 Nobilis & egregius Pandulphus Baronus, de terra Soreti, dixit, quod ſunt jam anni fere tres proxime elapſi, quod ad d. terram acceſſit fr. Bernardinus Gerunda, *& ſecuit fruſtrum tunicæ, deditque Comiti partes diſtribuendas ut ſupra*, & inter ceteros teſtis ipſe unam ſortitus eſt portionem, quam conſervabat in quadam arca de acere ligno. Anno autem proxime præterito contigit ei ut d. arcam aperiret, ſuſtentans ejus operculum baculo quodam alto, & craſſo menſura duplicis humani pollicis. Sed quia d. operculum prægrave erat & ponderoſum, longitudinis octo palmorum, ponderis vero unius canthari (quia erat craſſiſſimum ex induſtria cum ſuis *d* liſtis factum) d. baculum perfregit, & manum ejus filii, nomine Joannis Dominici, annorum quinque, caſu facto concluſit. Unde ipſe teſtis continuo invocavit nomen B. Franciſci de Paula, petens ut manum filii ſui ſanam redderet. Et recordatus ſe habere particulam illam panni habitus B. Franciſci, cœpit ipſam & poſuit eam ſuper manum brachiumque d. filii ſui maxima cum devotione: quæ quidem manus fracta erat. Et ſtatim puer ſanus, amoto dolore, factus eſt. Et etiam ipſi Pandulpho contigit, quod cum inflarentur gula, pectus, & facies, adeo quod non poterat loqui, nec comedere, nec bibere; petiit per ſignum ab uxore calamum, ut ſcriberet quæ vellet. Unde uxor ejus, viri mente præcognita, attulit ei illam particulam panni, per manus cujuſdam *e* virginis, & fecit eam gulæ admoveri, dictis Pater-noſter & Ave-Maria ad honorem B. Franciſci: & quam primum appoſita fuit gulæ, liber & immunis fuit ab omni dolore, cooperante gratia B. Franciſci.

B

manum pueri contritam ſanat,

d

& ipſi teſti loquelam reddit.

e

C

Siculum fretum Sanctus tranſit pedes.

15 Et apud maritimam terræ Royæ audivit dici, quod B. Franciſcus de Paula, cum in Siciliam transfretare vellet cum duobus aliis *f* Fratribus, & eſſet apud *g* Catonam, rogavit quemdam nautam ut eum vehere vellet in Siciliam: & d. nauta dixiſſet ei, Solve mihi, monache, & ego veham te. Et d. B. Franciſcus reſpondiſſet, Per caritatem, non gero mecum pecunias. Et d. nauta ad eum, Nec ego etiam habeo cymbam pro te. Et ſic B. Franciſcus dixit illi nautæ & illis Fratribus, qui erant cum eo; Per caritatem, parcite mihi, donec ego eo uſque huc. Et ſic diſceſſit ab eis uſque ad baliſtæ ictum, & orationem fecit & mare benedixit. Et in illo inſtanti aſpexerunt d. B. Franciſcum ſolum *h* ſuper undas euntem: & ſic per illam partem transfretavit in Siciliam.

f

g

h

3 Teſt. 10 *alia particula curat fanaticam*

16 Egregius Georgius Foderus dixit *eadem quæ ſupra, de multiplicatu portionibus fruſti ex tunica diſciſſi, & addidit, quod* inter ceteros habuit etiam ipſe teſtis quamdam particulam, illamque conſervabat in arca cum maxima devotione. Accidit autem quod quædam neptis ſua ultra tres annos fanatica ſeu ſpiritata fuerat: & ipſe teſtis recordatus eſt ſe illam particulam habere, fecitque eam manu cujuſdam virginis capi, & apponi gulæ d. neptis ſuæ, nomine Polyxenæ: *quæ quomodo & tunc liberata fuit, & poſtea d. particulam ſuæ culpa amiſſam miraculoſe recuperavit, proſequitur teſtis atque concludit*: pro hujuſmodi miraculo omnes tam mares quam feminæ caſtri S. Petri, ſtupidi & admirati remanſere, & maxima ex ea re omnes gentes cepit devotio, attenta infirmitate incurabili; cujus curandæ gratia omnia prius loca devota & religioſa adierat *ipſa; rem, ut geſta eſt, ſuis verbis melius expoſitura. Igitur*

D

17 Donna Polyxena, uxor nobilis Franciſci de Cariſtina, dixit, quod ſunt fere tres anni proxime præterriti, quod invaſit eam quædam ægritudo: videlicet umbra diabolica ſemper tentabat eam, ut blaſphemaret, & multa alia faceret mala. Unde D. Viola, uxor Georgii Soderii, ejus amita, dixit; Filia, vis dem tibi unam particulam habitus B. Franciſci de Paula, quam habeo intus arcam meam cum magna devotione. Et ſic d. teſtis per manum cujuſdam virginis capi fecit d. particulam: & dictis Pater-noſter & Ave-Maria, apponi fecit gulæ: & ſic ſana effecta eſt & libera à d. ægritudine, quæ non permittebat eam quieſcere, nec diu nec noctu. Accidit autem quod quodam die incidit in altercationem cum quadam vicina ſua, & fecit nomen diaboli ſanctum: & illico dicidit illa particula, quam gerebat appenſam gulæ cum quodam filo, integro remanente d. filo & deperdita ipſa particula. Qua ex cauſa tota perterrita eſt, & ſic cucurrit ad imaginem glorioſæ Virginis, eam rogando manibus in cruce extenſis, ut faceret eam invenire d. particulam. Qua oratione facta, adinvenit eam ante imaginem d. Virginis Mariæ, & iterum appoſuit eam gulæ: & ſic ab illa hora in antea umbra illa diabolica numquam ulterius illam perſecuta eſt. *Quibus prorſus ſimilia ac fere iiſdem verbis teſtatur D. Viola prænominata, & ipſius Polyxena præfatus maritus; expreſſe atteſtans*, quod uxorem ſuam ad omnia pia loca ſecum traxit & nihil profecit.

4 Teſt. 11 *à dæmone circumſeſſam:*

eademque perdita ob culpam.

E

miraculoſe invenitur.

5 Teſt. 12

6 Teſt. 13

18 Baptiſta de Rumano, de terra Soreti, dixit qualiter ipſe teſtis, una cum quondam Ser-joanne, Cantore eccleſiæ Militenſis, acceſſit ad oppidum Paternionis, ubi B. Franciſcus de Paula faciebat ædificari benedictum locum monaſterii, cauſa oſculandi ei manus: quia ex fama audiverant, quod eſt ſanctus homo. Et ſic acceſſerunt & viderunt d. B. Franciſcum, & voluerunt ei oſculari manus, & ipſe renuit, & dixit: Eſtote benedicti, & pro caritate jentemini ſeu facite collationem. Et fecit eis dari fruſtum panis ad quantitatem unius pomi, & urceolum vini, & lactucas cum aceto. Et cœperunt comedere: & quanto plus comedebant tanto plus creſcebant epulæ, quæ eis appoſitæ fuerant: & remanebant admirati de ejuſmodi miraculo, adeo quod comederunt & repleverunt ſe; & cum ſurrexerunt è menſa, remanſerunt panis & vinũ & lactucæ, prout appoſitæ fuerant. Ex quo tantam cœperunt devotionem, quod nolebant diſcedere illinc.

7 Teſt. 14 *quod cibi hoſpitibus à Sancto appoſiti*

F

non fuerint imminuti.

19 Venerabilis Dominus *i* Rubinus Lacconus, tacto pectore more Clericorum, *juravit de particulis panni multiplicatu, quarum ipſe unam habuit; & de Iacobo Laccono, per ſimilem unam ſubito ſanato à febri*, cum antea omnes de ejus ſalute deſperaviſſent. *Similiter* Magnificus Philippus Baronus *profitetur in d. miraculoſa diſtributione accepiſſe, & conſervare devote ejuſmodi particulam. Sic etiam* Venerabilis D. Dominicus gentilis, tacto pectore more Clericorum, *id m confirmavit miraculum: nec non illud, quod in filio Pandolphi Baroni per ejuſmodi particulam factum eſt, cujus manum* credebat, quod *illapſum arcæ operculum* fregiſſet in millæ fruſta.

8 Teſt. 15 *i*

9 Teſt. 16

10 Teſt. 17

20 Nobilis Agamemnon Nuſitus, de terra Soreti,

A reti, dixit, quod ſunt fere anni xxxv vel xl, juxta ſuum videre, quod benedicta anima quondam eximii Joannis Cola de Arena, Comitis de Arena &c, ex mandato Regis Ferdinandi de Arragonia, coacta fuit proficiſci Hydruntum in caſtra cum ſua curia & vaſſallis. Et ſic ſua Dominatio, una cum prædictis, acceſſit ad benedictum locum Paternionis, cauſa inveniendi illic B. Franciſcum de Paula: quem invenerunt in d. monaſterio. Et cum præfatus D. Joannes Cola alloqueretur d. B. Franciſcum, dixit ei B. Franciſcus: Domine Comes; ite cum Domino in caſtra: cito enim fugabitis Turcas canes, & vos & veſtri incolumes revertemini abſque periculo: & pro devotione ſumite hanc candelam. Et ſingulis ejus curialibus unam dedit, & ipſe teſtis ſimiliter unam habuit, & ſic in caſtra profecti fuere. Et dum præliaretur, d. Comes & ejus curiales per medios hoſtes ingrediebantur; & cum multa hominum millia obiiſſent ferro, tormentis ſeu bombardis, ſagittis & pice accenſa (adeo quod cadavera calcabantur) nihilominus Comes & ſui reverterunt incolumes & abſque læſione, ut prædixerat B. Franciſcus de

B Paula. Solum mulio quidam, cum recuſaſſet ſumere candelam, ægrotavit & obiit, & confeſtim

12 Teſt. 19 putruit ut canis. *Addit* Nobilis Gaſpar de Diano, *in ejuſdem Comitis ſequela tunc pariter adverſus Turcas profectus & præſens, quod* una olla picis ardentis ſagum Comitis invaſit, ſed illico flamma extincta fuit: *item quod* peſtis etiam in d. bello feruebat, & tamen nullus d. Comitis obiit.

13 Teſt. 20 21 Mag. Confortus de Affriento dixit, quod cum ipſe eſſet in oppido Paternionis, una cum quodam Milite, ubi B. fr. Franciſcus faciebat ædificari monaſterium; contigit ut accederet ad fornacem calcariam, in qua ignis jam appoſitus erat, & ex parte interiori decidebat. Et eo tempore vocatus fuit B. Franciſcus, & ei dictum fuit, quod calcaria fornax corruit. Et ſic d. B. Franciſcus dixit, ne timerem: Non corruet. Et ſic acceſſit ad calcariam, &

k dixit cuidam *k* monachulo illic exiſtenti: Ingredere, per caritatem hanc calcariam, & depone timorem, & erige intus hunc baculum. Et ſic d. Frater intus ingreſſus eſt, & appoſuit d. baculum: & ſic calcaria non corruit, & exuſta eſt abſq; periculo: & hanc rem ipſe teſtis propriis oculis vidit. Et poſtridie con

C tigit, quod decem paria boum geſtabant quamdam trabem: & cum eſſent prope locum, boves præ pondere hæſerant, & ulterius progredi non poterant, nec d. trabem geſtare. Et ſic dictum fuit B. Franciſco quod boves devaſtati ſunt, & non poſſunt trabem gerere. Et ſic ipſe dixit, Pro caritate, accedamus & videamus. Et ſic ad locum ubi trabs erat advenere, & dixit: Solvite omnes boves, præter primum par. Et ſic factum fuit; & deinde d. B. Franciſcus cum quadam virga, quam in manu habebat, ter trabem percuſſit & dixit, Trahite parvo hoc ſpatio. Et ſic illud primum par, & ſolum, traxit d. trabem uſque ad locum: & hoc teſtis vidit oculis propriis, & illic omnes B. Franciſcum pro viro ſancto reputabant.

14 Teſt. 21 22 Mag. Loyſius Corinacius, de terra Soreti (*& ipſe teſtis miraculi, in multiplicatione ſegmentorum ſub manu Comitis de Arena facti*) *addit, quod etiam* unam particulam habuit, & anno elapſo maxima ægritudo ex dolore ilium *l* ſeu de flanco eum invaſit, adeo quod mori videbatur. Et recordatus eſt d. particulæ, & cum maxima devotione appoſuit eam ilibus ſeu flanco, & illico ſanus effectus eſt.

23 D. Bernardinus de loco Lovanaro, de terra

Arenarum, tacto pectore more Clericorum, viſis litteris & non tactis, dixit ſe ſcire ex relatione quondam Colæ Banaro genitoris ſui, quod exiſtente anno penuriæ in provincia Calabriæ, proficiſcebatur ad planam *m* Terræ-novæ, una cum Roberto Remiglio, Luca de Yaca, Jacobo de Joy, Julio Cichetti, Hippolyto de Stravo, & quodam ſuo germano nomine Marco, Jacobo Sacca, & Thomaſio de Ciccho; omnes de terra Arenarum, qui ad præſens in altero ſunt ſeculo. Cumque exirent de tranſitu Burelli, die *n* prima Aprilis, (ſunt fere anni xxxvii & paulo plus) contigit ut per illum paſſum pertranſiret B. Franciſcus de Paula: qui cum eos aſpexiſſet, petiit ut pro caritate parum panis ei largirentur. Et prænominati dixerunt, quod ne quidem fruſtum haberent. Verumtamen dixit d. Colæ patri d. teſtis, quod pro caritate darent, quandoquidem habebant in mantica. Et nihilominus prænominati reſponderunt, quod nullo pacto haberent. Unde B. Franciſcus dixit eis: Date mihi iſtas biſaccias, nam illic eſt panis. Et d. Cola dedit illas eidem B. Franciſco, & apertis manticis invenit panem candidiſſimum, & qui præ calore adhuc fumabat. Dictus Cola, qui ſciebat nullum ſe habere panem, admiratus remanſit, intra cor ſuum dicens, Iſte ſanctus eſt. Et omnes ſui ſocii ceperunt de d. pane, poſtquam per B. Franciſcum benedictus fuit, & comederunt de illo: & quanto plus comedebant, tanto plus panis iſte incrementum & augmentum ſuſcipiebat: & ſecuti d. beatum Patrem, per tres dies aliti & ſuſtentati fuere præfatæ novem perſonæ.

24 Et cum eſſent apud Catonam, d. beatus Pater dixit cuidam, nomine Petro Coloſa, patrono cujuſdam cymbæ ſeu barchæ, quæ vehebat in Siciliam lignamina ad uſum *o* barrillorum pro ſaliendis piſcibus, ut pro caritate vellet eum vehere Meſſinam, Siciliæ civitatem. Et d. Petrus Coloſa dixit ei, Solve mihi, monache, & ego te veham. Et d. Pater dixit: Pro caritate, vehe me. Et iterum & iterum d. Petrus: Solve mihi, & ego te veham. Et denuo d. Pater dixit: Expectate me hic. Et ſeceſſit ab eis ad jactum lapidis, & oravit, & aſpexit in cælum, & fecit ſignum Crucis in mari cum quodam ſuo ſocio, ac ſi ſuper continentem iter faceret, & ſic transfretavit. Et ſic d. Petrus Coloſa cum ſuo genitore admirati & ſtupefacti remanſere de virtute tanti viri: & ſic pater d. teſtis & ſocii reverſi fuere Burellum, & uſi ſunt illo pane per duos alios dies. Et hæc eſt veritas ex relatione quondam genitoris ipſius teſtis: & ſæpe ſæpius ſupradicta verba dixit ei uxor Roberti Riviglio, quod ejuſmodi miraculum narraverunt eorum mariti ante eorum obitum.

25 Taſus Saldanus, de terra Filocaſtri, dixit cum 16 Teſt. 23 juramento, quemadmodum annis præteritis, tempore quo Rex Frederic us erat Princeps *p* Squillacii, ipſe teſtis erat Neapoli, cum venit Orator Regis Franciæ, & petiit à Rege Ferdinando ſeniori, ut vellet mittere Patrem fr. Franciſcum de Paula. Et ipſe teſtis interfuit, quando applicuit Neapolim d. Frater: & ita fuit magnus hominum concurſus, quod ni providiſſet Princeps Fredericus præfatus, colliſiſſent & ſuffocaſſent ipſum. Et ſic ipſe teſtis concordavit cum quodam D. Intraccato, patrono triremis Franciæ, *q* in paſtum: & ivit cum d. triremi, quæ vexit d. Fratrem in Provinciam. Et cum è Neapoli ſolviſſent triremem, & facto velo navigantes, ad fauces deveniſſent Tiberinas; d. fr. Franciſcus acceſſit ad alloquendum Pontificem; & ipſe teſtis remanſit in triremi, & expectavit d. fr. Franciſcum. Qui ſexto vel octa-

EX MS. PROCESSU CALABR.

15 Teſt. 22 *quod 9 perſonis in fame dlendis,* *m*

n

fecerit ita vacua pera panem invenire,

E

qui eis triduo ſufficerit:

o

quodque nefata ad transfretandum cymba

F

centis vidimibus ſrelum tranſierit pedes.

p

q

quod fecerit aquam ad enavigandum ſuccreſcere.

EX MS. PROCESSU CALABR.

vo die [reverſus eſt] Et ſic ductor triremis, cum altitudinem fluminis commenſuraſſet, vidit triremim minime exire poſſe. Tunc d. beatus Pater, intellecto à quibuſdam quod exire minime poterant defectu aquarum, dixit: Commenſurate iterum, nam magnam vim & copiam aquarum adinvenietis. Et ſic ductor, commenſurata altitudine, invenit eſſe ſex palmorum & plus, adeo quod illico exivere.

& triremim qua vehebatur

26 Et cum navigaſſent ingreſſique fuiſſent ſinum ſeu gulfum *r* Leonis, maximis agitati fluctibus, coacti fuere littori appellere: & cum in anchoris ſtarent, ecce navigium armatum triremim verſus vela faciebat. Qua re viſa beatus Pater dixit, Adnavigemus cum pace Dei, nam nullus nobis imminet timor neque periculum. [Cumque navigium appropinquaſſet] & aliquot tormentorum ictus jeciſſet, nihilominus triremis, ſecundam nacta auram, vela fecit: navigium vero ſine vento ſubſtitit, adeo quod parvo temporis ſpatio ab eorum oculis evanuit, & ſic d. gulfum pertranſiere Provinciam verſus, ad oppida *ſ* Bromo & Briganſi vulgariter nuncupata. Deinde d. Frater deſcendit à triremi in terram, cum *t* quodam nepote ſuo, & duobus Fratribus, qui ſolum verſabantur cum B. Franciſco, qui ab aliis non videbatur: ſemper enim in camera patroni latitabat. Qui quidem B. Franciſcus ante ſuum deſcenſum fecit quamdam confeſſionem, & poſtmodum primatibus d. triremis unicuique candelam unam dedit. Et cum fluctus maximi eſſent, & metus immineret ex triremibus *v* Frangaſi; triremis ipſa coacta eſt vertere vela, & curſum ſiſtere. Accidit forte quod in triremi ipſa Philippus Fabalegno per Comitem Mataloni adductus fuerat, in cujus bancho ſeu tranſtro par quoddam *x* calopodiorum dd. Fratrum, ſociorum B. Franciſci remanſit: & illa cepit vel ipſe vel ſocius d. Philippi, inquiens: Adhuc apparent calopodia illorum maledictorum Fratrum, qui poterant me è remo ſolvere, & noluerunt. Et projecit ea in mare: & quam primum d. calopodia mare tetigerunt, ipſum tranquillum effectum eſt, & ſic cum pace Dei Neapolim venerunt.

piraticas naves evadere;

r

ſ

t

B

v

x

17 Teſt. 24 *quod mulieri à ſtrumis curatæ*

27 Antonellus Triza dixit cum juramento, quemadmodum [fuit] B. Franciſcus de Paula in monaſterio *y* de Mayda Jeſu-Mariæ, cumque haberet mater ſua ſtrumas ſeu ſcrophulas, ipſa una cum patre ſuo acceſſit ad B. Franciſcum, & genibus flexis petiit de gratia, ut eam ſanam redderet. Et ſic B. Franciſcus tetigit gulam ejus quadam virga & ſubito ſana effecta eſt. Et addidit, Abite, Domina: nam vita veſtra brevis erit. Poſtridie vero pater ipſius teſtis acceſſit ad eumdem B. Franciſcum, & interrogavit eum quamdiu victura eſſet uxor ſua. Qui reſpondit: Vita uxoris tuæ erit ſeptem annorum. Et ita fuit.

C

y

etiam mortem prædixeris.

18 Teſt. 25 *quod pro ſterili conjugio prolem rogans,*

28 Eximius Dominus Joannes Franciſcus de Arenis, Arenarum Stylique Comes & Dominus S. Catharinæ, cum juramento dixit, ſe ſcire ex relatu cujuſdam Sacerdotis, cujus patriæ nomen non bene recordatur: qui Sacerdos dixit ſuæ Dominationi, quemadmodum ipſe rogavit B. Franciſcum, ut vellet effundere preces Deo, ut duo ejus amiciſſimi, vir & uxor, qui ſteriles erant, filios haberent: qui quidem divites erant, ſine herede, & annorum XL. Et ſic B. Franciſcus dixit præfato Sacerdoti: Revertimini, & dicite illis bonis viro & uxori, quod habeant magnam in Deo fiduciam, & quod verrerent eorum domum multum bene, & deinde eant ad eorum hortum, & repericnt ficum quamdam frondentem, habentem in vertice geminas ficus, unam albam, alteram vero nigram: albam comedat maritus, nigram vero uxor. Et ille Sacerdos, quia erat menſis Januarii, deriſit ejus verba: & reſpondit B. Franciſco, Quomodo eſt poſſibile quod hoc tempore ficus inveniantur? Unde B. Franciſcus dixit, quod pro caritate facerent ut ipſe monuerat. Et ſic d. Sacerdos convenit amicos ſuos, virum & uxorem, & dixit eis: Acceſſi ad fr. Franciſcum, & rogavi eum nomine veſtro: qui reſpondit mihi, quod debebatis bene verrere domum veſtram, quo facto accedetis ad hortum veſtrum, & invenietis ficum frondoſam, in cujus vertice duæ erunt ficus, altera nigra, altera vero alba: Albam *z* tu marite, nigram vero uxor comeditis. Quo audito acceſſerunt ad hortum, & invenerunt arborem cum ficubus, ut dixerat B. Franciſcus, & comederunt eas: unde uxor gravida facta eſt. Et cum eſſet ingrata erga ſummum Creatorem, & acceſſiſſet ad quaſdam nuptias, & tripudiaſſet, aborſum fecit. Et ſic deinde vir & uxor præfati iterum vocari ad ſe fecerunt illum Sacerdotem, & rogaverunt eum, ut, quoniam d. Domina fecerat abortivum, vellet iterum accedere ad B. Franciſcum, & eum rogare, ut ejus precibus & interceſſionibus apud Deum fiendis poſſet iterum concipere. Qui Sacerdos, cum rogaſſet B. Franciſcum, hujuſmodi habuit reſponſum. Profecto non eſt amplius gratia pro eis, propter eorum ingratitudinem.

D

ficus in Januario inveniri fecerit,

z

& tripudiando abortum paſſa

noluerit ultra ſuccurrere.

E

29 Inſuper d. Eximius Dominus dixit, ſe ſcire etiam relatu cujuſdam Fratris Religioſi, quod cum ipſe Eximius Dominus miſiſſet in arcem Amantiæ, ut ipſe primus habere poſſet imaginem B. Franciſci de Paula; evenit quod eo tempore natus quidam Caſtellani d. arcis, annorum octo, graviter ægrotabat: qui habita notitia quod imago d. Franciſci abſoluta eſſet, petiit devotionis cauſa eam videre: qua viſa & deoſculata, priſtinæ reſtitutus eſt valetudini: & Dominus d. Comes habuit d. imaginem. Et hæc eſt rei veritas, & in fidem ſua Dominatio ſubſcripſit ſe hic inferius manu propria.....

quod imago ejus puerum ſanaris.

ANNOTATA.

a Soretum *oppidum, inter Miletum & Arenam, trans Matranum flumen in Calabria ulteriori.*

b *Ecgraphum noſtrum* Arenarum Sali: *quod correximus ex infra referendis hujus Comitis titulis. Eſt autem* Stylum, *jam dicta Calabriæ ulterioris oppidum ad Carcinum flumen, à quo flumine dictum antiquis* Promontorium Carcinum, *nunc ab oppido vicino* Caput-Styli *nuncupatur.*

F

c Fiola, *pro phiala, Italis Franciſque communis vox.*

d *Tenias ſeu faſcias ligneas, ſcriniario operi circumductas aut ſuperinductas,* Liſtas *vocant Itali, Franci, Teutones.*

e *Laudanda Italorum religio, ut mulieres conjugatæ non præſumant attrectare Reliquias ſacras: ita* 1 *Ianuarij, ubi agitur de ſacro Chriſti præputio retegendo num.* 17 *videre eſt Magdalenam Strozziam ei miniſterio applicare Claricem virgunculam.*

f *Quidam nominant* fr. Paulum de Paterno & fr. Joannem de S. Lucito.

g Catona *vicus ad fretum Siculum, ferme è regione Meſſanæ, haud longe à Regio.*

h *Conſentit oculatus Teſtis infra num.* 23, *& tamen ſcriptores recentiores volunt, miraculoſæ tranſvectionis participes fuiſſe ſocios. Quidni eos nauta, miraculo viſo factis pœnitens, in ſuam receperit cymbam?*

i *At num.* 12 Latronus *ſcribitur.*

k Monachulus, *diminutivum à* Monachus, *hic ſumi videtur pro Fratre laico.*

l Flancus

l Flancus *Italis, non* ilia, *ſed* latus *ſignificat.*

A m Terra-nova, *oppidum Arenis diſtans* 15 *p. m. medio autem itinere ſitus eſt vicus* Burellus, *de quo mox, ubi tranſeundus fuit fluvius Meſuna ſive Metranus.*

n *Qui conventum Milaſſenſem in Sicilia (quo tunc, ut infra patet, ibat Sanctus)* 11 *Februarii ſequentis anni fundatum ſcribunt, huic textui non repugnant: ſed ſi annum fuiſſe putent* 1464, *nimium exorbitant.*

o Barrilli, *vaſa vinaria ſeu doliola, Italis ſunt.*

p *Notiori ſibi titulo utitur Teſtis, cum in eadem ulteriori Calabria & Soreto vicinum* Squillaceum *ſit; Comineus, digniori & exteris notiori nomine, vocat* Principem Tarentinum.

q *Id eſt, pro certo nummo in ſingulos paſtus ſive menſas ſolvendo.*

r *Qua parte Rhodanus ſeſe evolvit in mare ipſum vulgo dicitur* Golfo de Lyone, *non à* leone *animali (ut prima fronte videri poſſet) ſed à* Lugduno, *primi ad Rhodanum nominis emporio, Italis* Lyone *dicto: qui dum illuc per dictum fluvium ultro citroque frequentes commeant, proximum fluminis oſtio mare nomen ab urbe ſumpſit. Verum non niſi valde improprie, & per extenſionem juſto majorem, protendi poteſt nomen iſtud uſque ad vicinam Liguriæ oram; maxime cum infra dicatur Sanctus pertranſiiſſe Gulfum, &* B *ſic veniſſe in Provinciam. Quare exiſtimo hic proprie ſignificari eum maris ſinum, quem Argenteus fluvius efficit, vulgo* Golfe de Grimant *nunc dictum, qui tunc dictus fuerit* Golfus leonis *ſive* leonum, *à duabus inſulis, ſeu potius ſcopulis, qui hodieque nomen* Leonum *retinent.*

ſ *Quæ hic* Bremo *&* Briganti *ſcribuntur, nunc appellantur* Bormes *&* Breganzon, *inter Stoechades inſulas & continentem navigantibus prætereunda loca.*

t *Andream hunc paſſim credunt fuiſſe ſcriptores: ſed ex regio naturalizationis, ut vocant, diplomate clarum eſt, hunc poſtea ex Italia accerſitum advenisse. Fuerit hic igitur Petrus, alius & ſenior Brigittæ filius, quem adhuc puerum Franciſcus induerit ſui Ordinis habitu. Certe infra num.* 110 *dicitur Sanctus navim conſcendiſſe cum* confratre ſuo parvulo.

v *Videtur* Frangaſius *iſte fuiſſe famoſus aliquis ſui temporis pirata.*

x *Ex hoc diſcas ſoleas ligneas* (ſoccolos *vocant Itali*) *principio Ordinis uſurpatas fuiſſe, quomodo nunc eas vſurpant Minoritæ Recollectæ ſtrictioris obſervantiæ, quos idcirco iidem Itali appellant* Soccolantes.

y *Quandoquidem ſatis certum videatur, hunc conventum cœpiſſe poſtquam in Franciam abiit Sanctus; explicabimus infra in Supplemento hiſtorico cap.* 9, *quomodo intelligendus hic locus ſit.*

C z *Ecgraphum, contrario quam Sanctus præſcripſerat modo, nigram marito, albam uxori traditam dicit. Et forte incredulus iſte Sacerdos parum curavit verborum ordinem, ut erant à Sancto prolata.*

CAPUT III.

Litteræ Excellentis Domini, D. Ioannis Franciſci de Arenis, Arenarum Stylique Comitis, directæ Beatiſſimo Domino Leoni Pont. Max.

Extollit divinam bonitatem,

30 BEatiſſime Pater, ſolent plerique, qui ſunt involuti in miſeria hujus machinæ mundialis, laudibus extollere eos qui temporalibus colluctantur vanitatibus, itáque ſubmerguntur ſenſualitatibus: adeo ut, puro amore vanitatis & corporis exterioris, nedum ab ignaris & imperitis, ſed etiam ab iis qui profitentur ſcientiam & artem, vitæ omnis laus & dignitas circumſcripta videatur. Et hujuſmodi ſunt poëtæ, qui cantilenis eorum alliciunt homines manifeſte ad jocalia, intus vero latet anguis: quo hoc tempore juvenes & (quod peius eſt) facti ſenes illaqueantur. Cum autem bene ab Auguſtino dictum ſit, Parum erat Dominum cohortari Martyres verbo, niſi corroboraret exemplo; inter alia quæ tradidit, à tempore ſui admirabilis myſterioſique adventus uſque ad ſuam benedictam & caritativam paſſionem, fuit iſtud maximum, quod in Vicaria Petri ſucceſſerunt Pontifices: qui quantum, in tempore vanitatis & florum, gentilium ſonabant verba, ſcribentium in laudem idolorum; ita nunc, tempore veritatis & fructus, faciant ſanare verba ſcribentium in laudem & gloriam ipſius Dei, noſtri Creatoris, D. N. Ieſu Chriſti, interni amoris & caritatis inæſtimabilis: ac rurſus uti per deceptores hominum erat vas paratum plenum rimarum, quæ hac illac perfluebant fictiones in laudem hominum; ita per veridicos ſemper piſcatores hominum, corda eorum veritate illuminantes & adaptantes (qui ſunt Pontifices, Petri divina lege ſucceſſores) ſunt paratæ amæ ex tabulis, ſculptæ cum doctrina & amœnitate Spiritus.

ex MS. PROCESSU CALADR. quo pro fabulis gentilium

fecit per Petri vicarios veritatem audiri; a

31 O quanta eſt illa beatitudo hujuſmodi Pontificis, cui ſuo tempore contingit ſcribere nomen Sancti in Catalogo, cum ejus meritis nomen ſuum adſcribit Dominus in cælis! Inter tales tu ſolus occurris hoc tempore, Leo Pontifex Sancte, qui ſanctitate & caſtitate polles. Itaque hoc tuo tempore cauſa B. Franciſci de Paula agitur, de cujus ſanctitate tremiſco & paveo, cæli mirantur ac terra veneratur, benedictum Deum ſua largitate ita illuſtraſſe [hominem] quod omnia Omnipotens ſubjiciat ſub pedibus ſuis, piſces maris & volatilia cæli, oves & boves univerſas inſuper & pecora campi. Omiſſis [namque] fulgentiſſimis quæ claruerunt miraculis, mortui ſurrexerunt, leproſi mundati ſunt, ſteriles pepererunt, natura obtemperavit invita. Nec cum beato Patre iſto minus egit: nam ad juſſum ejus ſenex concepit, arbores floruerunt fructuſque produxerunt & non tantum obtemperavit natura, quantum annihilata eſt, in igne amittente virtutem, & in arido prorumpendo fontes uſque in hodiernum diem. Sed & alia ſigna reliquit iſte amicus Dei, quæ magis ſapiunt novam naturam quam aliter, neque ſolum ordinariam ſed abſolutam oſtendunt potentiam . . . . . *b*

& ſicut olim homini omnes ſubjecit creaturas,

E

ita ſuper B. Franciſco.

b

32 Procederem, Pater Beatiſſime, extenſius in proceſſu ſignorum, quæ Creator oſtendit in oſtentationem innocentiæ & ſanctitatis iſtius electæ creaturæ; niſi exhauſtæ fuiſſent vires, tum quia ſuam Beatitudinem non licet verbis occupare, tum quia compellor ad rem propriam venire. Quam rem ſumo onere amoris: quandoquidem à beato illo Patre impetrata ſunt meo genitori & mihi multa, ideoque nomen Franciſcus amplector . . . . . *c*

pro cujus cauſa laborandum ſibi ſit.

F

c

33 Primo quando Pater meus, qui hactenus extitit [debuit] ire Hydruntum, una cum aliis, expugnaturus impios canes; appulit ad locum beati Patris ob devctionem & reverentiam, precaturus ut eo medio, gratia Domini, evaderet. Cui dedit candelam, quaſi non manufactam ſed cæleſtem, tamquam clypeum, ut defenderetur ab omni jactura & ſiniſtro eventu: idemque fecit omnibus armigeris aliis ſequentibus ipſum. Qui pater meus & omnes ab incendio ignis, ſub mœnibus & muris civitatis, & innumeris armorum conflictibus, liberati ſunt; nec non à contagioſo morbo epidimiæ, tunc temporis nimium invaleſcente in exercitu. Et aliqui armigerorum de comitiva patris mei, ſpernentes [d. candelas accipere] laniationem carnium paſſi fuere.

utpote à quo pater ſuus in bello Turcico ſervatus eſt,

34 Accedat etiam ad cumulum miraculorum, quod cum duo mei filii, unus annorum trium, alius duorum, ſimul eodem tempore peſtifera febre vexarentur;

duo filii à peſte liberati.

EX MS. PROCESSU CALABR.

rentur; dumque venirent ad extremum diem, annihilatis ſenſibus & virtutibus, conſumptiſque carnibus, ita quod nulla ſpes erat medicorum; ego pater & mater exanimes, confiſi fuimus interceſſione beati Patris: & illico [in eis] vere ſufflatus fuit ſpiritus vitæ. Benedictus ſit Deus in Sanctis ſuis, qui non ceſſat verificare id, quod per os S. Marci locutus fuit, etiam in perſona iſtius electæ creaturæ, ſuper ægros manus imponent & bene ſe habebunt! Adeo quod eodem die, modo incredibili, febris evanuit, dolores perierunt, & caro ad naturalem colorem reducta fuit: in tantum ut ſi quis illos non vidiſſet ægros, nullo modo aſſeruiſſet febri fuiſſe vexatos.

Mat. 16, 18

uxor in mamilla curata,

35 Taceo quod cum mea uxor doloroſo apoſtemate mamillarum cruciaretur, in tantum quod præ dolore occurrerunt dolores [partus] in octavo menſe, & jam aborſus parabatur; per impoſitionem cinguli beati Patris (qui à quodam Religioſo devectus eſt ex Francia, & ad manus meas pervenit) non ſolum liberata eſt ab aborſu, ſed [etiam à dolore. *d* In quo etiam] hoc mirum in modum conſiderandum eſt, quod jam apoſtema erat in collocatione ſaniei, unde naturaliter comitatur & dolor & [febris: tamen] donec cingulus erat ſuper ea, neque dolorem neque febrem ſentiebat.

d

B

ſub ſua ipſius manu.

36 Hoc tamen, quod eſt clarum & indubitatum, non præteribo; quod cum quidam Frater Ordinis beati Patris, qui erat Corrector monaſterij S. Blaſii, veniſſet recepturus eleemoſynam, & ego illam ſibi feciſſem & nonnulli circumſtantes mihi ſubditi; ille Pater, volens dono digno eos donare, illis dedit particulam veræ tunicæ beati Patris: & volens ut ego darem ſuam cuique partem, de illa fecit viginti particulas minutas, ad numerum circumſtantium. [Ego vero] volens illas erogare, & confiſus B. Franciſcum ad laudem Dei aliquod ſignum demonſtraturum, ne operatio miraculi eſſet manifeſta ſed occulta, ſub vola manus meæ recluſi particulas illas: & non ſolum circumſtantibus prædictis viginti illas particulas diſtribui, ſed miraculoſe fuit factum accrementum, & accurrentibus de populo centum dedi: & deinde aperta manu ſeptem de dictis particulis viginti pro me remanſerunt, [quas ſervo devote] quaſi à beato Patre mihi traditæ ſint.

multiplicata ſegmenta de veſte Sancti,

C

e

& imago domi ſuæ coruſcavit,

37 Non omitto quod (quando inauditum *e* aut potius ineffatum eſt, auctorem naturæ oſtendere ſigna in imaginibus Sanctorum) hoc præcipuum in noſtro tempore oſtenſum eſt in imagine ipſius beati Patris: à qua emanarunt ſplendores coruſcantes, qui videbantur illuminare domum in nocte: quæ imago eſt in oratorio meo. Hocque idem relatum mihi fuit à religioſo Carthuſienſi, probo & devoto viro, qui genibus flexis coram ea orabat, cum veniſſet vocatus à me, & mecum per noctem pernoctaſſet.

item uxor curata eſt à ſingultu;

38 Reſtat dicendum, quod cum nuper uxor mea haberet incredibilem ſingultum, ex quo ſibi cauſabatur maximus vomitus & cibi & humorum; & pectus & fauces adeo fuiſſent excoriatæ præ dolore, quod vix poterat glutire ſalivam & mellitum liquorem; quidam Religioſus, quaſi à Deo miſſus, fuit in domo mea, habens quoddam inſtrumentum ferreum admodum ferræ, tinctum ſanguine beati Patris, cum quo macerabat carnem ſuam. Qui Pater, dum oraſſet beatum Patrem, & impoſuiſſet d. ferreum inſtrumentum in pectore meæ uxoris; illico ſedatus fuit vomitus, nec non & dolor incredibilis quem patiebatur, cœpitque ſtatim abſque dolore comedere.

D

propter quæ aliaque digna ſit canonizari.

39 Multa dicerem, niſi hoc eſſet quod diffidere viderer à veſtra Sanctitate: quæ, cum ſit pium opus, [non indiget] pluribus adminiculis. [Quare] dignetur, Sanctitatique veſtræ placeat, ſicut Dominus miraculis ipſum inſignivit & decoravit in cælis; ita ſignare [eum] in catalogo Sanctorum, ut in terris veneretur, ad confuſionem impiorum & ipſi detrahentium, & ad commodum Chriſti fidelium. Et ego non minus humiliter & devote veſtræ Sanctitati [idem] commendare non deſino. Vale ad annos Petri, cujus fortitudo ſuperabit impios. Ex caſtro Arenarum, XVII Decembris, MDXVI.

ANNOTATA.

a *Vas majus, Italis* Ama, *Francis & Teutonibus* Ame *dicitur.*

b *Addebatur in ecgrapho:* Sed hoc principium cum à veteri teſtamento collectum ſit, figuras præcedere figurato, & à novo figurati veſtigia ſubſequi, hujuſmodi talia per Regulas quatuor ſignant Mendicatorum Plagarum Domini in mundo, ad opieriendas miſerias noſtras & ad vitia noſtra ſananda ſanguine emanante pretioſo. Et hoc nondum præcipuum: ſed mirum & mirabile, quod jam tranſacti erant mille & quingenti anni, & non adhuc in facie terræ ordinata fuerat ultima profeſſio talis veſtigii. Quando res erat in ordine mirabilis & ſupernaturalis, oportebat ſuper naturalem electionem eſſe, quæ hoc tempore ultima eſt ad conſummationem operis hujus. Vas beatus iſte Pater, non ſolum auctor quintæ Regulæ, ſed ab incunabulis in electione admiranda electus, in gaudium cælorum & conſervationem ſeculi. *Sed hæc, admodum implicatum ſenſum facientia, maluimus tranſilire.*

E

c *Item hæc.* Sed cæli fantur & nequeunt occultare, quem Creator produxit in lucẽ, in laudem ſuam. Ideo ſummo ſtudio & onere Crucis Domini, ſumo libenter, ut mei pater memor ſit, ad pedes Domini & Martyris ſublimis. In facto hæc ſunt: nam non ſolum pro veritate fidei, ad quam tenemur: ſed ſentio me debitorem ejuſdem eſſe.

d *Hiulcum hinc inde ſenſum ſupplevimus per conjecturam, ut notant* [ ]

e *Non eſt hoc adeo novum, uti ſibi hic Comes perſuadet, & exempla paſſim in hoc opere ſuppetunt.*

F

CAPUT IV.

Alius proceſſus in terra Styli factus.

40 VEnerabilis Hermolaus Fraſca, de *a* Stylo diœceſis Squillacenſis, Archipresbyter d. terræ Styli, examinatus cum juramento ſuper vita Sancta & miraculis, factis per B. Franciſcum de Paula, dum in humanis ageret; dixit, quod ipſe, cum eſſet Capellanus S. Luciæ d. terræ, ſæpe ſæpius ſermonem habebat cum quodam nobili viro Conſentino, nomine Joannes de Moravo, qui parochianus d. eccleſiæ erat, & in d. terra moram trahebat. Qui quidem Joannes cum ſæpe ſæpius iret Conſentiam, & inde rediret; narrabat d. deponenti multa miracula & virtutes, quas faciebat præfatus fr. Franciſcus de Paula. Inter quæ miracula recenſebat, quod cum ſocer dicti D. Joannis laboraret morbo elephantiaco ſeu S. Lazari, & accederet ad viſendum d. Patrem fr. Franciſcum, ſanus & liber ab ejuſmodi morbo ab eodem B. Franciſco rediit.

a 1 Teſt. 26

Quod inter alia miracula.

elephantia cum ſanavit.

41 Inſuper recenſebat, quod cum D. Polyxena, uxor

A uxor D. Henrici de Aragonia, è *b* Neocaſtro devotionis cauſa d. B. Franciſcum viſum accederet; mota fama ingenti quæ increbreſcebat ex miraculis geſtis per ipſum, d. D. Ioannes de Morano ſemper comitatus eſt d. Dominam. Et cum applicuiſſent in comitatum Paulæ, & eſſet dies jejunii, & mare fluctibus agitaretur, & propterea appoſitæ eſſent ſablæ *c*, quia piſces deerant; d. D. Ioannes incœpit inclamare ac vociferari, inquiens: Aſpice, quid apponunt iſti Fratres iſti Dominæ: nos volumus prandere; Fratribus illis ſe iratum oſtendens. Et ſic ſupervenit Pater Fr. Franciſcus & dixit: Præ caritate, habete patientiam parumper, & eo. Tunc, licet mare fluctuoſum eſſet, adinventi ſunt tot piſces diverſorum generum, quod tota curia Eximiæ Dominæ, quæ non exigua erat, ſatiata fuit, & d. Domina ſtupore & admiratione affecta. *Poſt hæc ſubjungit miracula de prunis ardentibus, coram Fr. Scotet, qui ei pro concione detraxerat, innoxie tractatis; & de calcaria fornace, miraculoſe refecta: quæ non eſt opus hic ex auditis repetere, cum ſupra ab oculatis teſtibus ea habuerimus.*

mari tempeſtuoſo

b

c

fecerit piſces invenir.

B 42 Et plus Mag. Hieronymus Gariant recenſuit d. teſti, quod cum ipſe iret in ſocietate Fr. Franciſci, conſcendit navim Neapoli; & cum fauces Oſtiæ ſubituri eſſent, fluctus maximos intellexerunt. Et cum d. navigium vi maris & flumini maxima agitaretur; nautæ omnes ſe ſubmerſos eſſe procul dubio æſtimaverunt, rogantes B. Franciſcum quatenus Deo pro eorum ſalute preces effundere vellet. Qui reſpondit [Scitote] nullam eſſe medelam imminenti periculo, niſi meipſum in undas dejiciam. Et licet nautæ recuſarent, quia verebantur ne ſe ſubmergeret; nihilominus ipſe & unus ejus diſcipulus ſe in undas conjecere, & humeris impulerunt navigium, & fecerunt illud in locum tutum ſubire: & ſic incolumes Romam verſus adnavigavere. Pater vero Franciſcus in aquis remanſit, & ripam verſus una cum diſcipulo ſe contulit, & navigium ulterius minime conſcenderunt. *d* Unde pro tali miraculo adeo Romæ bene viſus fuit, quod res mira eſſet dictu: & d. Mag. Hieronymus ſecutus eſt eum uſque in Galliam, & multa alia miracula intellexit relatu hominum, quorum numerus eſt infinitus.

quodque hærentem vado navim

humeris propulerit.

d

C 43 Nobilis vir Nicolaus de Lenzio, dixit ſe ſcire, quod temporibus preteritis, dum in humanis eſſet Fr. Franciſcus, publica erat fama in provincia Calabriæ, quod ipſe faciebat multa miracula, intra quæ hoc fuit, quod cum aliquando ipſi B. Franciſco exhibita eſſet ciſtula plena pomorum à quadam paupercula, & illic adeſſent perſonæ ſupra ducentas, & unuſquiſque malum unum cepiſſet; nihilominus ciſtula evacuata non fuit, ſed plena remanſit; adeo quod multitudo, quæ illic aderat admirata ex tali miraculo fuit. *Addit præterea, ſed ex auditu dumtaxat, de ruenti calcaria reparata, & prunis ardentibus, nuda manu obviam portatis cuidam Fratri, eidem ſcilicet, de quo alibi ſcriptum: ſed oculati teſtes non portatos obviam, verum aſſidenti ad focum ſic exhibitos fuiſſe depoſuerunt.*

2. Teſt. 27 *quod poma ſibi oblata multiplicaverit.*

Fides publica.

Ego Argentinus de Alexandro, utriuſque Juris Doctor, civitatis *ejus* Cathalavenſis, Vice-comes Comitatus Styli, fidem facio, ſupradictos teſtes fuiſſe in mei præſentia examinatos per Alphonſum Franciſcum de Rean, Actorum magiſtrum, fideliter & legaliter. Ideo me ſubſcripſi manu propria, & meo ſolito ſigillo ſignavi.

ANNOTATA.

a *Iterum in exgrapho bis ſcriptum eſt*, Salo *pro* Stilo.

b Neo-caſtrum, *oppidum in principio Calabriæ ulterioris, p. m. triginta & amplius Paula diſtans.* EX MS. PROCESSU CALABR.

c *Ita diſtinctiſſime exgraphum noſtrum: Iſidorus fabas vertit. Forte ſic dicuntur aliquæ à nigro colore.*

d *Paulo aliter hæc narrantur infra num. 110.*

e *An loco* civitatis Cathalanenſis, *quæ nulla eſt in Calabria, ſcribendum* civitatis Catharinenſis, *cujus Dominum ſeſe appellat Comes Arenarum? ita exiſtimo.*

CAPUT V.

Proceſſus de terra Atiliæ miſſus.

Epiſtola Altilienſium.

44 POſt trinum terræ oſculum ad Sanctitatem veſtram ſupplicamus, quod Sanctitas veſtra dignetur canonizare B. Franciſcum de Paula. Qui cum eſſet in provincia Calabriæ, fuit aſperrimæ vitæ, & exemplariſſimæ converſationis, plenæ ſpiritus Sancti & ſapientiæ infuſæ, vir omnimodæ perfectionis. Qui ab infantia ſua proficiebat de virtute in virtutem: ad quem viſendum concurrebant regnicolæ. Afflictis conſolationem ſpiritualem & corporalem largiebatur; adeo quod ſpe deſtituti revertebantur conſolati, peccatores compuncti, ægroti ab omnibus curati ægritudinibus, & dicebat peccatoribus, Mundate conſcientiam veſtram, & à talibus & talibus peccatis ceſſetis: adeo quod multi & multi homines ſalvati ſint. Et agitur ſexageſimus annus, quod maxima fama ſemper fuit de ſanctitate & miraculis, quæ faciebat & ſunt innumera. *a* Multi receperunt gratiam & beneficium ſanitatis, adeo quod non ſolum ab ægritudinibus accidentalibus, ſed etiam à natura datis multi curati; monſtruoſi ſcilicet, cæci, læſi membris, leproſi & muti, & mortui vitæ reſtituti. Unde miſimus Sanctitati veſtræ nonnulla miracula, ſcripta manu duorum Notariorum Apoſtolicorum, fide dignorum; & eidem Sanctitati veſtræ iterum atque iterum ſupplicamus, ut B. Franciſcum tam beatum, juſtum, purum, ſanctum, glorioſum, faciat honorari & adorari pro Sancto, per omnes Eccleſias univerſaliter, ut dignum ſentit Calabria noſtra: qui imitatus eſt veſtigia Sancti Sanctorum Salvatoris noſtri: qui Sanctitatem veſtram ſanctificet, & Beatitudinem veſtram beatificet, & una cum grege ſuo faciat cæleſti potiri triumpho. Ex Altilia *b* Conſentinæ diœceſis, anno MDXVII, Ianuarii x.

E

F

b

humiles filii & obedientes,
Angelus Pagtuſius Mag. Iuratus.
Petrus Paſchalis, Syndicus de Altilia.

45 Inprimis Fr. Bernardinus Provenjanus, de d. oppido, Tertiarius Ordinis d. Franciſci, dixit, quod cum veniret è civitate Conſentiæ, in itinere parum mali obortum fuit in naſo, & deinde inflatum eſt ei caput, æſtimative ultra quatuor palmas. Qua ex ægritudine triginta quatuor dies nec vidit, nec audivit, nec intellexit, nec comedit, nec bibit, præterquam filo paleæ aliquoties bibebat manu alterius: nam quoad eum in altero videbatur eſſe ſeculo. Capilli omnes è capite decidebant, adeo quod unuſquiſque ad eum viſendum, tamquam ad monſtrum, concurrebat: & cum Sacerdos cum Euchariſtia acceſſit, non potuit ipſum communicare: quando os ejus non adinvenit, nec oculi videbantur. Unde uxor devovit eum B. Franciſco, ut gereret habitum Tertiarii ipſius B. Franciſci: qua ex re intra duarum horarum ſpatium oculos aperuit, & cœpit loqui, & petere cibum: & ſanatus fuit, jam ſunt anni ſeptem.

1 Teſt. 28 *Portentoſa ægritudo mariti*

uxoris voto ſanatur.

46 Item aliud miraculum dixit ſoror Perena, Correctrix ſexdecim Religioſarum tertii Ordinis B.

2 Teſt. 29 *Dæmon ex ore poſſeſſæ*

EX MS. PROCESSU CALABR.

Franciſci, & affirmat ſoror ſocia antiqua, qualiter ſoror Joanna Caſerta, cum dæmoniaco ſpiritu vexata eſſet, producta fuit coram D. Angelo, devoto Religionis & Confeſſore dictarum Religioſarum, in eccleſia. Et d. Soror Joanna cum velamine capitis cooperiebat ſibi faciem, & cantans & quiritans dicebat: Male mecum actum eſt, quando in familia de Serra cœpit eſſe Sacerdos: nam manliſiem per duos annos cum hac *c* ruſticula, quoniam nullus animadvertebat hoc, & jam viginti dies permanſeram, & nullus animadverterat. Et D. Angelus reſpondit & dixit: Volo nunc quod teipſum manifeſtes. Et longo hominis proceſſu admirans, reſpondit Spiritus: ſi ego intraſſem corpus alicujus peccatoris, feciſſem eum volare per aëra: ſed ego ingreſſus ſum corpus iſtius ruſticulæ, & ei non poſſum obeſſe. Et ni eſſet cingulus illius, laceratis veſtibus induti, qui reſidet in Gallia, ego dedecorarem univerſam iſtam Religionem. Tunc inquit D. Angelus: Veniet tempus quod ſuper iſtis verbis fiet proceſſus. Et cum interrogaſſet, quod nomen ei eſſet, reſpondit, Sathanas.

c

faſſus ſe cingulo ſancti coërceri,

47 Qui interrogatus cur hujuſmodi corpus introiſſet, reſpondit, cauſa unius peccati ſecreti, quod numquam *d* confeſſus ſum, & ſæpe te decepi. Et Dominus Angelus ad illum: Tu teipſum deceptiſti, non autem me. Et deinceps D. Angelus interrogavit eum ſuper confeſſione, inquiens: Dic mihi, quid prodeſt homini accedere ad eccleſiam & alia bona facere, ſi peccato mortali involutus eſt, & non confitetur peccata ſua? Reſpondit, ita ſibi prodeſſe ac ſi in aquis uſque ad guttur ſubmerſus eſſet, & ſol tantum caput irradiaret; ex qua re nec calefacere eum, nec de humiditate aquæ ſiccare poſſet: ſic eſt ille, qui in voragine peccati mortalis conſiſtit, & ſua non confitetur peccata. Item interrogatus dæmon, in quo loco corpus illius ingreſſus fuiſſet, reſpondit, Apud flumen quod dicitur *e* Saputo: cum enim ex eo bibit, ſigno Crucis ſe non ſignavit. Nam ſi ipſa hujuſmodi ſigno ſe ſignaſſet, ego ejus corpus non occupaſſem. Et dixit quod venerat de civitate Maturana, quæ à d. flumine ad duo milliaria diſtat; ubi diu permanſerat, & puellis euntibus aquatum lagenas frangebat, cauſa contentiones ſeminandi & mala, & ut puellæ exiſtimarent pueros lagenas ipſis frangere.

d

dein quam ob cauſam

B

ubi & quomodo ipſam eſſet ingreſſus;

e

ac tandem ejectus,

48 Et dictus dæmon in die S. Petri introivit corpus ſororis Joannæ, & illud occupavit uſque ad menſem Decembris. Et quodam die cum D. Angelus celebraret Miſſas gratiæ, d. dæmon exivit ex aure, tamquam flamma ignis, & ex ore lanam & pilos capræ emittebat, inquiens, inſignia eſſe nidi quem fecerat diabolis. Et notandum quod prædictus dæmon, indignatus contra D. Angelum, dixit. Ego faciam te ejici è domo patris tui & dedecorabo te. Quo facto D. Angelus incidit in indignationem patris ſui, ut dæmon prædixerat: qui calce eumdem D. Angelum percuſſit, & domo ejecit. Et D. Angelus petiit veniam à patre, & diſceſſit. Deinde unuſquiſque ex hac re admiratus dicebat patri D. Angeli, cur hoc feciſſet contra D. Angelum, qui eſt honor & lux tuæ domus & noſtræ terræ & omnium villarum. Qui quidem D. Serra, pater D. Angeli, reſpondit: Neſcio quod mihi dicitis, quia ego non verberavi nec expuli ipſum. Et ſic patuit, quemadmodum d. Dominus, pater D. Angeli, fuit illuſus â dæmone. Et d. Soror Joanna, à dæmone liberata, profecit in virtutibus, & prænuntiavit diem obitus ſui per ſeptem hebdomadas, & vidit d. D. Angelum Tertiarium Minimorum, glorioſum, in gloria finitimum & propinquum B. Franciſco.

C

49 Refert D Curia de Scigliano, uxor D. Joannis de Monte-Altiliæ, quod fuit per duos annos morbo caduco vexata, ita quod quotidie cadebat ter: & fuit per B. Franciſcum in Paterno ſtantem liberata. Affirmat etiam quod vidit B. Franciſcum ibidem ter populum exhortantem, eo die quo primus lapis in fundamento eccleſiæ poſitus fuit. Aſſeritque quod B. Franciſcus de feneſtra, quæ erat in pariete primæ capellæ juxta altare, accepit ambabus manibus de omnis generis fructibus, ſcilicet de nucibus, ficubus, paſſulis, prunis deſiccatis, malogranatis & ceteris, & poſuit in gremio d. Curiæ: & affirmat quod nihil erat in d. feneſtra, quando B. Franciſcus ibi manum miſit; & ſic miraculoſe accepit d. fructus. Affirmat etiam quod de illis miraculoſis fructibus dedit plus quam novem perſonis d. morbo caduco laborantibus, & omnes miraculoſe ſanati ſunt.

D

de exorciſta ſe vindicare conatur.

3 Teſt. 30 *A morbo caduco liberata,*

vidit 9 alios ab eodem liberari,

50 Ego Ioannes..... facio fidem, qualiter cum D. Angelus viſu oculorum privatus eſſet, habuit par ocularium quæ fuerant miſſa è Gallia, manu B. Franciſci (neſcio quomodo is intellexerat qualiter D. Angelus cæcus effectus fuerat) quamprimum autem illa ſibi appoſuit, illico priſtinam recuperavit ſanitatem. In cauſa ſcientiæ, quia vidi ſupradicta: & quia poſtquam recuperavit lucem, fuimus ſimul ultra viginti annos.

4 Teſt. 31 *cæco viſus redditur,*

51 Ego Donna Catharina, uxor Cichi Mantuani, facio fidem, quemadmodum audivi dici à Franciſco Salio, quemadmodum ruptus erat à parte inferiori; & receſſit ad B. Franciſcum, tunc temporis in Paternione oppido commorantem, & genu flexo coram B. Franciſco dixit; Ego venio prius ad Deum, deinde ad ſanctitatem veſtram, quia ruptus ſum: rogo date mihi aliquam medelam. Et B. Franciſcus, appoſita manu loco mali, dixit, Abi & ſume talem herbam cujus nomen non memini. Qui Franciſcus Salio non curavit uti ea herbâ, nec etiam neceſſe fuit aliquam adhibere medelam, quando domum redeundo in itinere priſtinæ reſtitutus eſt valetudini. Et hoc miraculum manifeſtavit d. Franciſcus, quando B. Franciſcus diſceſſit è Regno & contulit ſe in Galliam, ejus diſceſſum dolens ac inquiens, Male nobiſcum actum eſt & cum tota provincia Calabriæ, quandoquidem eram pene mortuus (nam ruptus eram) & ipſe Beatus appoſita manu me ſanavit.

E

5 Teſt. 32 *hernioſus ſanatur,*

52 Item ego Curia, uxor quondam Petri Butelagua, de Altilia, facio fidem cum juramento, quod fuerim in oppido Paternionis, una cum fratre meo nomine Gregorio, qui ægrotus erat in genu, & rogabat B. Franciſcum ut doceret eum aliquod remedium. Qui B. Franciſcus dixit: Remedium eſt iſtud, per caritatem; quando tu committis ſemina ruribus bonorum hominum, noli denegare terratica: ſed dic quod verum eſt, & fructus alienos non capias: & noli comedere herbas pauperum, qui eas vendidiſſent hyeme, ſed comede tuas. Per caritatem, abſtine te ab hujuſmodi peccatis, ſi vis ſanari. Unde prædictus affirmavit omnia ſupradicta eſſe vera, acſi B. Franciſcus ad fuiſſet cum Gregorius hujuſmodi mala perpetrabat: qui mutata vitæ prioris conditione, bonum fecit finem.

6 Teſt. 33 *genu ægrum curaturus Sanctus*

F

ſua homini peccata edicit:

53 Robertus de Serra aſſeruit, quod, ſunt XL anni, vidit in Paula B. Franciſcum colligentem lapides calcineos, rubros, candentes, de fornacis teſtudine, & colligebat manibus illæſis, & faciebat ex illis cumulum.

7 Teſt. 34

54 Catharina, quondam uxor Nicolai Furlani, dixit, quod cum puer quidam unius anni, cui nomen erat Lucæ-Ioanni, filius Bernardini Beluto, graviter ægrotaret, jam emiſſurus ſpiritum; d. Catharina cum dormiret, vidit in ſomnis juvenes tres,

8 Teſt. 35 *puer mortalitati vitam*

A tres, indutos veſtibus albis in domo d. Bernardini, ſpatio paſſus unius cum dimidio ab ægroto diſtantes: quorum medius Crucem geſtabat, duo verò alii cereum incenſum, acſi exequias facturi eſſent. Et ſic qui Crucem gerebat, dixit: Capite eum. Dum hæc ita fierent, ipſa teſtis vidit quemdam ſenem barbatum, ſubnigra & lacerata veſte indutum, Crucem manu gerentem, qui procedens dixit: Peto audientiam. Et d. teſtis audivit alium reſpondentem & dicentem, Quid Petis? Tum ille, Ego peto mihi gratiam fieri de illo puero. Et ille qui altior & in aëre erat; reſpondit: Non poteſt hujuſmodi gratia concedi, quandoquidem hoc mane nomine meo fruſtrum panis ab ejus domo petitum eſt, & noluerunt. Tunc ſenex: Tot ſunt, quod non poteſt eis dari ſemper panis. Rogo, quoniam iſti devoti mei ſunt, facite gratiam de vita pueri. Et ille, Infra triduum reſponſum habebis. Et ſic ipſa teſtis, facto mane, quam primum ſurrexit, acceſſit ad domum & dixit illis: Eſtote bono animo, quia habetis bonum advocatum, & parvulus veſter non morietur: nam hac nocte in ſomnis hæc vidi. Et ſic interrogavit patrem-familias, an eſſet verum quod eleemoſynam illo die non feciſſent: & reſpondit quod fuit verum. Et in tertia die fuit ſanatus puer, & hoc audivit à tota domo d. Bernardini.

videtur poſtulare,

& eam impetrat:

9 Teſt. 36 *dius non confeſſus*

B 55 Antonius Mantuanus de Altilia dixit, quod cum ipſe erat ad Paternionem oppidum, cauſa viſitandi B. Franciſcum, & loqueretur cum eo de nonnullis rebus ſuis; d. B. Franciſcus diſceſſit, & reliquit ipſum cum quodam bono viro de d. oppido Paternionis. Et ipſe teſtis incepit inflari, & ita totus inflatus erat, quod pene moriebatur, & ita non poterat loqui. Et d. bonus vir hoc animadvertens, B. Franciſcum vocavit; qui dixit. Cape paleam, & intus nares ejus appone, & ſanabitur: & ita fuit, nam reſtitutus eſt valetudini. Et ipſe teſtis dixit, quod jam per duos annos vel tres peccata ſua confeſſus non fuerat.

coram Sancto ſyncopizat:

10 Teſt. 37 *ferrum candens illæſus tractat Sanctus:*

56 Bernardinus de Raymundo dixit, quod cum ipſe eſſet in Paternione, famulus cujuſdam; herus & patronus ſuus miſit eum ad fabrum ferrarium, ut poneret ferramentum cuidam aſinæ. Unde cum faber ferrarius fornaci appoſuiſſet ferrum ac poſtmodum idem aſinæ concidiſſet, ſuperfuit quoddam fruſtrum ferri, ultra medietatem candentis ardentiſque. Forte ſupervenit eo tunc B. Franciſcus, & interrogavit fabrum ferrarium, an haberet ferramenta pro quadam mula ſua. Et cum faber reſpondiſſet ſe habere, d. Pater cepit ferrum illud candens ardenſque in manu. Et ait (*faber an teſtis?*) Pater, ne facite, nam comburemini. Et B. Franciſcus, Præ caritate, inquit, calefacio me.

C

11 Teſt 38 *panem & vinum pro pluribus*

57 Petrus Angelus de Altilia dixit, quod cum ipſe eſſet apud Paternionem oppidum, cum certis hominibus ultra viginti, qui venerant lignatum pro uſu calcariæ, & cœpiſſent diſcumbere, & non eſſent niſi duæ ciſtulæ panis, partim integri partim fracti (quæ ciſtulæ vix duabus aut tribus perſonis ſuffecturæ erant, prout d. Petrus exiſtimabat) nihilominus omnes illi viginti homines, gratia Dei & virtute B. Franciſci, in prandio illo præſentes ſatiati ſunt. Qui quidem B. Franciſcus verbum Dei illis prædicabat, & reprehendebat eos de vitiis & peccatis eorum, admonens eoſdem ut boni eſſent Chriſtiani. Et poſtquam diſcubuerunt bene refecti & ſatiati, adhuc illæ ciſtulæ viſæ ſunt plenæ panibus, ut erant ante, nemine apparente qui illas impleret quod miraculoſe factum viſum eſt. Similiter etiam in vino contigit: nam ipſe Petrus Angelus vidit quemdam cadum, menſuræ duorum barillorum, qui continue effundebat vinum, & tamen numquam decreſ-

eadem multiplicat.

cebat: & ſic omnes admirati, alter cum altero invicem loquebantur. Inſuper poſtquam illi viginti à ſupradicta menſa [receſſerunt] ſucceſſive ſuperveNerunt alii, & ſimiliter diſcubuerunt. Et panis qui ex prima menſa miraculoſe remanſerat, in eadem quantitate etiam videbatur in ſecunda menſa, & tantumdem operabatur & ſufficiebat. EX MS. PROCESSU CALABR.

Notarii ſubſcribentes fuere Bernardinus Bibe-aquam Preſbyter de Altilia & Franciſcus Mantuanus, diebus Januarii menſis VIII, & IX & *quoad ultimum* in Dominica infra Octavam Epiphaniæ, *quæ illo anno cadebat in diem* XI, *cum eſſet littera Dominicalis* D.

ANNOTATA.

a *Ecgraphum noſtrum*, Mortui.

b Altilia, *oppidum ad Sanutum flumen, p.m.* 15 *Conſentia diſtans, Paula vero circiter* 24.

c *Ecgraphum addit, velut explicationis cauſa ab interprete appoſitum*, id eſt innocente.

d *Confunduntur perſonæ dæmonis & dæmoniacæ.*

e *In tabulis* Sanuto *vel* Savuto, *qui idem forſitan infra num.* 97 *ſcribitur* Sabno: *aſt num.* 141 Savuto.

CAPUT VI.

Proceſſus factus in Paterno.

E

Epiſtola Paternenſium.

58 POſt tria terræ oſcula ante Beatitudinis veſtræ ſacra veſtigia, humiliter ſupplicat Ranchius de Michaele Magiſter Juratus, cum tota univerſitate Paterni, diœceſis Conſentinæ, quatenus B. Franciſcum Paulitanum adſcribere dignetur catalogo Sanctorum: qui apud nos, antequam tranſiret ad Gallias, monaſterium egregium conſtruxit, & totam Calabriam ſua exemplari converſatione & piis monitis illuſtravit, & ſanitatum beneficiis quibuscumque morbis opportunis dotavit, & omnibus afflictis ſubvenit, & ſalutis viam nobis omnibus multipliciter paravit, multoſque mortuos ad vitam reparavit: ut in proceſſu, qui Sanctitati veſtræ dirigitur, evidentius refertur. Quem quidem proceſſum, per duos fideliſſimos Notarios confectum, & à fide dignis veraciter receptum, Sanctitati veſtræ dirigimus; ut clarius conſtet, quanta gloria Deus Sanctum ſuum mirificavit: qui judicio noſtro & totius regionis Calabriæ ſententia, dignus judicatur coli & venerari per totum orbem. Quapropter inſtantius iterum atque iterum obſecramus, ut præfatum B. Franciſcum annumerare velitis in numerum Sanctorum: qui Sanctorum vitam non ſolum eſt imitatus; ſed & multos in aſperitate vitæ & miraculorum gloria eſt evidentiſſime ſupergreſſus: ita ut innumera ſint apud nos miracula, quæ per illum Salvator noſter Chriſtus patravit, & in dies perpetrat. In quo quidem Chriſto valeat & gaudeat in ævum veſtra Beatitudo. Ex d. oppido Paterni, anno à partu virginali MDXVII, VII Januarii.

F

1 Teſt 39 *Voto ad Sanctum facto,*

59 In primis Notarius Franciſcus Curtus de Paterno, qui teſtium infra ſcriptorum depoſitiones ſubſcripſi, cum rediiſſem huc in paternam domum meam, dixit mihi uxor mea nomine Parſilia, Neſcis quod Octavianus Cæſar, filius noſter, apoplexia percuſſus eſt, propter quam vidi clare quod ipſe eſt mortuus. Et uxor mea præfata fortiter illacrymabatur, & ſic vovit ſe B. Franciſco de Paula, inquiens, B. Franciſce, fac mihi gratiam quod filius meus reſtituatur priſtinæ valetudini, & ego induam eum veſtibus & coloribus tuæ Religionis & habitus. Qui ſtatim ſurrexit, & ſuis propriis manibus apprehendit candelam accenſam. Et hoc etiam dixit mihi Donna Vela, mater d. Parſiliæ uxoris meæ, quæ jam ſunt tres menſes quod rebus migravit

apoplexia liberatur puer:

EXMS. PROCESSU CALABR.

vit humanis. Et hoc fuit de anno MDXV, videlicet de menſe Decembri, in vigilia Conceptionis B. Virginis Mariæ.

2 Teſt. 40 *intra parvam foſſam multam aquam colligi Sanctus,*

60 Stephanus Calendinus dixit, quod eo tempore quo B. Franciſcus de Paula faciebat condi monaſterium, intellexit dici à quodam hæc verba: Hæc aqua labitur per iſtam viam, quæ eſt ante monaſterium: facite lacunam, & hærebit per totum, quod diſpergebatur. Quod cum intellexiſſet B. Franciſcus, dixit d. Stephano, Per caritatem fac foſſulam. Qui eam fecit valde parvulam & deinde deduxit aquam illuc ne per viam publicam laberetur. Et ſic facto curſu per illam foſſulam, omnes aquæ, quæ ex diverſis confluebant partibus, illuc ſe receptabant: unde viæ exiccatæ fuerunt, & omnes inſimul venerunt in admirationem, cum viderunt tantam copiam aquarum per illam parvulam foſſam permeare. *a*

a

3 Teſt. 41 *juvenem amentem*

61 Jacobus Zapo dixit, quod quidam invenis Conſentinus amens factus, ob ſuos maximos furores & acta ſtultitiæ in quæ exierat, compedes & manicas & vincula in pedibus & manibus habebat. Et quia ejus pater per multos dies fuerat apud B. Franciſcum & non poterat habere audientiam, tandem decrevit d. filium inſanum Conſentiam civitatem, unde venerat, reducere. Et quopiam die audita Miſſa exierunt monaſterio, coram multis & innumerabilibus viris. Ubi cum B. Franciſcus adeſſet, dixit illis qui detinebant illum puerum, Dimittite eum. Et tunc B. P. Franciſcus manum ejus capiti & pectori appoſuit, eum fortiter retinens. Et puer ille amens convertebat ſe ad beatum Patrem, & mordicus capiebat. Tunc beatus Pater dixit illis, qui eum dimiſerant, Capite iterum ipſum. Quo facto, B. Franciſcus ſigno Crucis iterum eum ſignavit, & illico ſanus factus eſt, nec ulterius ut ſolebat clamitavit, & ſumma cum lætitia una cum patre ſuo domum reverſus eſt. Deinde quodam die pater d. ſtulti ad monaſterium reverſus eſt: qui à B. Franciſco cognitus, interrogatus ab eodem fuit qualiter ſe haberet ejus filius. Qui reſpondit, ſanum eum eſſe ab eo tempore, quo Paterno Conſentiam diſceſſit.

B

ſigno Crucis ſanat,

b

4 Teſt. 42 *manibus ac pedibus mancum,*

62 Polyxena uxor *b* Calcudini dixit, quod eodem tempore fuit vectus ſuper equo quidam de Principatu Biſignani, qui uſu pedum & manuum uti minime poterat. Qui quidem cum eſſet productus ante conſpectum B. Franciſci, ſubito cœpit ambulare & movere manus, priſtinæ reſtitutus ſanitati. Idem dixit quod recordatur, quod de eodem Principatu fuit vectus equa quidam qui erat cæcus: qui cum eſſet productus ante conſpectum B. Franciſci, ipſe B. Franciſcus interrogabat eum & ſignabat ſigno Crucis: & illico d. cæcus uſum oculorum recuperavit. Item dixit quod ipſimet teſti dolebat graviter caput, adeo quod plorare cogebatur, & d. B. Franciſcus dixit ei, Cape ſaxum, & perduc ad monaſterium, quod eo tempore idem Beatus conficiebat. Et ipſa reſpondit, Non poſſum, quia male me habeo. Et tunc d. B. Franciſcus cepit ſaxum ingens, & poſuit ſuper caput: & quam primum teſtis ipſa æſtimabat ſe gerere nihil, & illico fuit ſana & libera à magna febri, qua laboraverat.

C

cæcum,

capite dolentem,

& febrientem curat:

5 Teſt. 43

63. Damianus Antonius *poſt narratam ſanitatem ab ipſomet teſte impetratam Bellino de Flore, de quo in Proc. Coſent. num.* 183; *& prodigium ruentis ex alto ſaxi, imperio prohibiti ne porro rueret in vallem ſubjectam*, ubi continebant ſe innummerabiles perſonæ, *de quo ibidem num.* 190; meminit quod quidam de oppido Paterno, cujus nomen non recordatur, cum dolaret trabem pro uſu monaſterii, incidit ſibi pedem aſcia: & vulnus ita altum fuit, quod per ipſe craſſitudine unius digiti vix tenebatur. Et cum inclamaret, Heu! me miſerum! audita fuit lamentatio ejuſmodi à B. Franciſco: qui confeſtim eo acceſſit & dixit, Præ caritate, ne dubites. Et fecit eum excalceari, calceos gladio incidendo. Et teſtis ipſe vidit qualiter pes mutilatus erat, ita à parte ſuperiori ſicut ab inferiori, & non regebatur niſi à craſſitudine unius digiti. Et tunc B. Franciſcus excerpſit quamdam herbam illius loci, & manibus propriis poſuit eam ſuper pedem vulneratum, eum ſigno Crucis prius ſignando. Et illico d. ſauciatus ſanus effectus eſt, & d. teſtis vidit illum gradientem ſicut prius.

D

pedem abſciſſum reſtaurat,

64 Item d. teſtis recordatur, quod quædam monialis acceſſit ad B. Franciſcum, commorantem in oppido Paternionis; vehebatur tamen equo, quia jam decem annis uſu manuum & pedum manca & privata fuerat. Quam cum vidiſſet B. Franciſcus, fecit eam deſcendere ex equo & dixit, Præ caritate, ſurgite, & venite geſtatum lapides ad uſum fabricæ monaſterii, quod diſtabat de quinquaginta paſſibus. Quæ quidem monialis dixit: Præ caritate non poſſum: nam decem annis uſu pedum & manuum privata ſum. Et d. B. Franciſcus dixit duabus perſonis, quæ perduxerant eam illuc, Erigite eam. Quo facto B. Franciſcus accepit ingens ſaxum, & ſuper caput ejus poſuit, & dixit, Abite, præ caritate. Et d. ægrota gradiebatur, & geſtabat d. lapidem ad monaſterium. Quo cum applicuiſſet, cœpit exclamare, Miſericordia, quandoquidem ſana effecta ſum. Et d. teſtis vidit eam gradientem & moventem manus, & ſanatam ex utraque parte.

& monialem uſu manuum ac pedum privatam:

E

6 Teſt. 44 *paucas ficus multiplicat:*

65 Carolus Moulin dixit, *coram Bernardo Pipio Notario Paternienſi, qui hunc & ſequentes teſtes examinavit*, quod tempore quo B. Franciſcus erat in Paternione oppido, & excavabatur piſcina monaſterii, pro qua erat multitudo operariorum viciſſim laborantium, & eſſet hora veſpertina; beatus Pater prodiit à cella ſua, & dixit eis; Jam eſtis laſſi & fatigati. Et protulit de manica tunicæ ſuæ tertiam partem reſtis ſeu ſerti ficuum circa viginti, & ait, Creditis quod poſſit diſtribui par ficuum pro unoquoque? Qui Carolus reſpondit, Pater, ſi par ficuum cuilibet dabitur, pro me quid remanebit? Tunc beatus Pater: Gratia Dei non deficiet. Et ſic incepit dividere, par unicuique aſſignans, & ſic omnes portionem ſuam accepere. Deinde unicuique ſingulas dare ficus cœpit, ſimiliter omnes portionem ſuam accepere. Et nihilominus ſertum illud ficuum ita integrum remanſit penes B. Franciſcum, ſicut ante diviſionem erat.

F

7 Teſt. 45 *fœtum ore & oculis carentem*

66 Franciſcus Arbius dixit, quod alias cum ipſe de vinea rediret, applicuit quidam nobilis Conſentinus de familia de li Rochi: qui quidem nobilis dixit teſti, Poſſeſne facere quod ego habeam audientiam à Fr. Franciſco? Et ipſe teſtis dixit, Cum gratia Dei, ſic. Et ſic acceſſerunt una ad monaſterium & pulſaverunt januam: & janua aperta fuit. Et teſtis acceſſit ad beatum Patrem dicens, Pater, quidam nobilis Conſentinus vellet alloqui paternitatem veſtram. Et reſpondens ſe eſſe contentum, ad eccleſiæ portam ſe contulit. Et cum vidiſſet illum Nobilem, interrogavit, quid vellet. Qui reſpondit: Pater, volo vobis oſtendere creaturam ſine oculis & ſine ore. Tunc illico venerunt muli cum illa creatura, quæ vere monſtrum erat; & teſtis ipſe vidit eam oculis & ore carentem. Et beatus Pater ad illam converſus, inquit, Frater noſter, per caritatem, aperi oculos. Et ſputo linivit locum ubi oculi ſolent eſſe; & ſimiliter fecit digito liniens locum, ubi ſolet eſſe os. Et ſic apparuit os, quod aperiebat. Deinde ipſe teſtis interrogavit nonnullos Conſentinos, quomodo ſe haberet illa creatura: & dixerunt ei, quod boni erant oculi, bonum etiam os.

eiſdem donat:

67 Ni-

A 67 Nicolaus Ruffus Tertiarius dixit, quod quo tempore B. Franciſcus erat in Paternione, venatores attulerunt quemdam hominem terræ *c* Matronæ, qui obierat in monte Paternionis præ nive, & eum tamquam mortuum ſepelire voluerunt in monaſterio d. terræ Paternionis. Evenit autem ut eo tempore multi illic eſſent homines, qui omnes eum mortuum eſſe aſſerebant; & B. Franciſcus dixit, Deus fecit tibi gratiam. Quo dicto revixit, & erexit ſe, & diſceſſit,

8 Teſt. 46 *frigore extinctum ſuſcitat,*

c

9 Teſt. 47 *item alium ex alto lapſum,*

68 Carolus Molus de Paternione dixit, quod cum conſtrueretur fornix eccleſiæ Annuntiatæ Paternionis, in ea erant plures architecti ſeu magiſtri, & inter ceteros quidam Mag. Leonardus de Philippo: qui dum operaretur, decidit & videbatur mortuus. Et dum ſic pro mortuo haberetur, acceſſit B. P. Franciſcus, cui dixerunt, qualiter ille Magiſter de vertice fornicis deciderat, & jam mortuus erat. Unde d. beatus Pater cepit eum per manum, & dixit; Surge, præ caritate, nam nihil mali habes. Qui quidem Mag. Leonardus ſurrexit ſubito, & ivit fabricatum. Et idem beatus Pater dixit ei, Ne facias ſimiles ſaltus, per caritatem.

10 Teſt. 48 *& puellam incunis ſuffocatam,*

B

69 Friſca-roſa, uxor Franciſci de Simone, depoſuit, qualiter cum eſſet in cunis filia Roberti Tornelli, nomine Sigiſmunda, quæ ad præſens uxor eſt Antonii Cauti; mater d. Sigiſmundæ (ut ipſa d. teſti aſſeruit) acceſſit ad cunas & reperit d. filiam ſuam mortuam, cui gula corroſa erat: propterea exiſtimabat à diabolo ſuffocatam fuiſſe: nam in d. domo apparere ſolitus erat, qui ſtrepitum quemdam faciebat acſi corium traheret. Quæ puella ſic mortua producta fuit ad B. Franciſcum in eccleſia Annuntiatæ Paternionis. Quam cum vidit, dixit: Abi, mala res. Quibus dictis, illa puella illico ſana & ſalva fuit.

11 Teſt. 99 *atque arboris ruina oppreſſum,*

70 Margolinus Matalonus dixit, qualiter Thomas de Yvre, incidens arborem caſtaneam cum omnibus ramis, pro conficiendis trabibus eccleſiæ; decidente arbore prædicta, truncus ipſius arboris alliſit eum cum quadam alia arbore, & propterea d. Thomas videbatur evidenter mortuus. Et tunc B. Franciſcus dixit illis qui illic præſentes erant, ſedecite cum Deo parumper. Et ſic d. deponens & alii receſſerunt & eminus ſteterunt, & B. Franciſcus remanſit cum d. Thoma mortuo. Et dein parvo temporis ſpatio viderunt eum erectum & ſanum, ac ſi malo illo ſeu caſu affectus non fuiſſet: & acceſſit ad operandum. Truncus autem arboris ceciderat ſuper ejus ventrem: & contigit hoc in quodam certo loco nuncupato lo Patano. Et ulterius dixit idem teſtis, quod cum alias eſſet in loco Paternionis, fuit fama publica quod d. Thomas deciderat de campanili altitudinis quinquaginta palmorum, & videbatur mortuus, & beatus Pater reſtituit eum: & hoc dicebatur publice in d. oppido Paternionis.

eumdemque de campanili lapſum,

C

Pro cingulo alteri donato

71 Inſuper fuit præſens quando quidam Nobilis, nomine Cola Monachus, acceſſit ad locum Paternionis ad B. Franciſcum, cauſa petendi ab eo aliquas res devotas pro uxore ſua, & petiit de tunica aut de cingulo: & d. beatus Pater dedit ei cingulum ſuum: & ſic d. Nobilis diſceſſit. Et paulo poſt d. beatus Pater vocavit quemdam monachum, nomine Fr. Santolinum de Paternione, & dixit ei, Effode hic. Qui cum id feciſſet, invenit quemdam cingulum novum, carentem nodis, qui videbatur illa hora illic poſitus. Et beatus Pater dixit d. Fr. Franciſco Santolino, Facite, præ caritate, nodos. Et d. Frater fecit nodos, & dixit beato Patri, O Pater, poſuiſti iſtum cingulum? quem eorum lingua cordonem appellant. Et beatus Pater dixit: Poſuit Dominus Deus, & non ego.

novum invenire facit.

72 Luna, uxor Thomaſii tonſoris, dixit, quod cum ægrotaſſet Thomas vir ſuus per multos dies, viſus eſt eſſe mortuus, & poſuerunt eum ſuper quodam ſcamno, tamquam mortuum, cui ligarunt & compoſuerunt manus, ut ſolet fieri iis qui jam ex hac vita migrarunt: & ſubito miſerunt nuntium ad beatum Patrem, & fecerunt ei exponi qualiter d. Thomas erat mortuus. Et beatus Pater miſit ad illum nonnullas res, & dixit: Per caritatem, inanimate & confortate eum, quia non patietur periculum. Quæ res exhibitæ fuerunt d. Thomaſio, & ſubito cœpit vires ſumere: & ſurrexit, & ſic fuit liber à d. ægritudine.

EX MS. PROCESSU CALABR.

12 Teſt. 50 *virum jam funerandum vivificat.*

73 Et plus, ſcit quod alias fuit ei allatus filius cujuſdam Adroiſii Cicalæ, qui cum eſſet in agro percuſſerat d. filium ſuum in capite, quodam tridente, adeo quod fruſtum ipſius tridentis ſe immiſit capiti ipſius pueri. Et cum fruſtum prædictum extraheretur à capite pueri, una cum ligno etiam medulla exire viſa eſt. Qui quidem puer cum ad beatum Patrem productus fuiſſet, idem beatus Pater inquit, Quantorum malorum cauſa eſt mala-teſta, id eſt, diabolus? & monuit patrem pueri, ut ipſum curationis cauſa ad Magiſtrum Antonium duceret, quando nihil mali haberet. Et ſic d. Adroiſius acceſſit ad d. Mag. Antonium, qui ei medens in priſtinam eum reſtituit ſanitatem, ac ſi numquam vulnus in capite habuiſſet.

& puerum cui pater caput diſſregerat.

E

74 Bernardinus de Arbio dixit, quod ſcit de relatione Franciſci patris ſui *de creatura abſque oculis & ore, ut ſupra num.* 66. Antoninus Niclus Nuſtaſus de Paterno, *tamquam teſtis, depoſitionum à num.* 68 *factarum ſubſcripſit*, Anno Domini MDXVII, regnante Domino noſtro Principe, D. Carolo, ac Regina Joanna de Aragonia, anno primo Dominationis & felicitatis, Amen. *Subſcripſit item* Paulus Fatarius de Pane, *tamquam qui* ad requiſitionem Magiſtri Jurati & Electorum Paterni examinarit retro ſcriptos teſtes in præſentia Caroli Milli, Judicis maleficiorum, & Notarii Nicolai Miſſaſſi, teſtis producti ad videndum examinationem; *haud dubie ejuſdem qui paulo ante* Antoninus Niclus Niſtaſus *ſcribitur; ignavia transſcribentium, hic aut iſtic exerrantium à vera nominis ſcriptione: quod quin alias etiam uſu venerit in nominibus propriis vix dubitamus, nec tamen poſſumus non ſequi errantes.*

13 Teſt. 51

Fides Notariorum.

ANNOTATA

a *Quomodo hæc eadem aqua, facta vicinis cauſa diſcordiæ, miraculoſe evanuerit, habes in Proceſſu Conſentino num.* 195

F

b *Fortaſſe* Colæ, *id eſt Nicolai*, Udini.

c *Inferius num.* 159 *putatur fuiſſe* de Macatia, *ſed tam hæc quam* terra Matronæ *nuſquam nominatur in tabulis geographicis, ac forte mendum ſubeſt alterutri vel utrique loco.*

CAPUT VII.

Proceſſus factus in terra Xiliani.

Epiſtola ad Papam.

75 POſt trinum terræ oſculum, ante Sanctitatis veſtræ veſtigium, Sanctiſſime ac Beatiſſime univerſalis Eccleſiæ Præſul, ſupplicatur Sanctitati veſtræ, pro parte Syndicorum & Magiſtrorum Juratorum Univerſitatis, & hujuſmodi pertinentiarum terræ Xiliani diœceſis Marthuranæ, dicentium quod

EX MS. PROCESSU CALABR.

in his partibus noſtris converſatus fuit B.P.Franciſcus de Paula: qui fuit Sanctiſſimæ vitæ: qui multos conventus conſtrui fecit, & congregari multos Sanctos Patres & Fratres ſummæ honeſtatis. Unde, cum d. Pater commoraretur in conventibus Paulæ, Paterni & Spetzani, accurrebant ad eum multæ & diverſæ perſonæ; inter quas erant aliquæ gravatæ variis infirmitatibus, quæ, divina operante gratia & meritis ac precibus ipſius beati Patris, redibant incolumes, priſtina valetudine recepta: ut proceſſu incluſo, facto per Notarios ſcriptos & ad hoc deputatos, continetur. Eapropter humiliter ſupplicatur veſtræ Beatiſſimæ Sanctitati, nomine & ex parte ſupradictorum, ſupplicantium, placeat ei, de gratia & amore divinæ Paternitatis, referre & connumerare in catalogo beatiſſimorum Sanctorum præfatum Franciſcum de Paula: qui dum vixit fuit imitator Sanctorum & ſectator veſtigiorum D. N. Jeſu Chriſti: qui det Beatiſſimæ Sanctitati veſtræ longam vitam ac victoriam contra infideles, ut Sanctæ Catholicæ fidei ſub vexillo Crucis reſtituantur. Ex d. terra *a* Xiliani, die IV Januarii, anno MDXVII.

a

Veſtræ Sanctitatis humillimi

Capitaneus Vniverſitatis & homines Xiliani.

B

1 Teſt. 52 *Maculam oculi ſanat Sanctus,*

76 Antonius Razutus de eadem terra dixit quod ipſe recordatur, quod cum puer eſſet, ductus fuit à matre ſua ad oppidum Paterni, ubi tunc continebat ſe quidam Fr. Franciſcus de Paula, ex cauſa cujuſdam maculæ quæ labefactabat oculum. Et cum illuc applicuit, d. Pater percuſſit ejus caput quadam virga, & deinde manibus pueri eam reddidit: & cum rediiſſet domum, liber ab illa macula inventus eſt.

2 Teſt 53 *& aliam infirmitatẽ oculorum*

b

& debiles mulieres duas,

77 Palmerius *b* de Curigliano, de d. oppido, aſſeruit cum juramento, quod cum infirmis oculis eſſet, ſanatus fuit à d. P. Franciſco: à quo etiam ejus ſoror, ſanata fuit, cui nomen erat Vermigliana, quæ media verſus pedes manca & invalida erat: quæ cum ægritudinis cauſa equo vecta fuiſſet, deinde priſtinæ reſtituta valetudini, pedibus propriis domum rediit.

3 Teſt. 54

78 Mag. Macheno de Renda dixit, quod cum teſtis eſſet in oppido Paterni, in conventu ubi tunc erat B. Franciſcus; quædam Domina de Laviano uſu pedum carens, ideoque cum incedere non poſſet equo illuc vecta, ſe beato Patri & ejus orationibus commendavit. Qui quidem beatus Pater dixit ei: ſurge & affer ſportulam plenam arena: quæ tremebunda ſurrexit, adduxitque ſportulam plenam arena ex quadam valle, & ex illa hora ſana effecta eſt.

C

5 Teſt. 55 *ac genibus mancam.*

79 Mag. Bartholomeus dixit, quod cum eſſet mater ſua manca & deſtituta uſu genuum, contulit ſe ad oppidum Paterni ad B. Franciſcum, qui illic tunc morabatur, & commendavit ſe ejus orationibus & interceſſionibus, rogans eumdem ut preces Deo pro ea effundere vellet, eo quod manca erat & deſtituta uſu genuum. Qui quidem B. P. Franciſcus dixit: Surge & cape iſtam aſſulam. Quæ reſpondit, Pater, non poſſum ſurgere. Et dictus Pater ad illam: Habe bonam fidem, & ſurge. Quæ ſubito ſurrexit, & cepit aſſulam, & ſic fuit ſana.

5 Teſt. 56 *Curat mutum,*

80 Mag. Joannes Salvius dicit tantum ſcire, quod cum aliquando eſſet in conventu oppidi Paterni, acceſſit mulier quædam cum filio, qui mutus effectus erat, Et B. Franciſcus fecit puerum ante oſtium eccleſiæ locari, juſſitque patri & matri ut laborarent: conſtruebatur enim tunc conventus in d. oppido. Et paulo poſt miſit puerum ad matrem, quæ vidit eum ſanum. Et ipſe etiam teſtis ſchiatica laborans, à d. Patre curatus eſt, & priſtinæ reſtitutus valetudini. Cujus etiam uxor à morbo apoplexiæ, quo maxime laborabat, per eumdem eſt liberata.

D

ſchiaticum

apoplecticam,

81 Donna Catharina, uxor Frederici Fabiani, dixit quod ipſa quodam die erat in d. conventu, & illic etiam erat Richardus Scaliſi, de eadem terra: & beatus Pater dixit ei, Cape iſtum *c* piconem & ſcinde iſtum lapidem. Qui Richardus ad beatum Patrem inquit; Pater, non poſſum, quia invalidus & mancus humero ſum, & ideo veni ad Paternitatem veſtram. Tunc beatus Pater dixit: Noli vereri, accipe piconem, & ſcinde iſtum lapidem. Et cum feciſſet & lapidem rupiſſet, ſanus effectus eſt.

6 Teſt 57 *humero mancum,*

c

82 Donna Brigida Fronteca dixit, quod cum quædam affinis ſua acceſſiſſet ad d. conventum, duxit ſecum filiam ſuam nomine Palmeram. Tunc B. P. Franciſcus dixit matri d. Palmeræ: Abi cito, & fac ut filia tua nubat illi quem tenet domi, quia ſuus eſt maritus. Et ſubito cognita malitia filiæ ſuæ, quæ prius matre domum conceſſerat, conjunxit eam illi viro qui domi erat, diſcipulo patris ſui, nomine Stephani de Mila: quia inventa eſt prægnans ante matrimonium contractum: & ſi non acceſſiſſet ad beatum Patrem, maximi ſcandali periculum imminebat.

7 Teſt. 58 *matri indicat lapſum filiæ.*

E

83 Soror Andriana de Macertis dixit, quod cum afficeretur dolore oculi, ex cauſa cujuſdam *d* paniculæ oculum labefactantis, acceſſit ad B. Franciſcum & in medio itinere ſana effecta eſt. Et cum eſſet in oppido Paterni, in menſa, in qua fabæ coctæ & caſtaneæ appoſitæ erant, deficiebat panis: qua re viſa, beatus Pater dixit ei & aliis diſcumbentibus: Habete patientiam, nam illico Deus mittet gratiam ſuam: & ſic repente quidam Antonius Mantuanus ab Altilia apparuit cum *e* ſalma panis & vini. Et plus acceſſit ad beatum Patrem quædam Soror Gaducia, quę inflata erat & muta per quatuor dies ægritudinis cauſa. Qui quidem beatus Pater ipſam ſanam reddidit: in quo ipſa teſtis præſens interfuit.

8 Teſt. 59 *oculum curat,*

d

Annona ex prædicto copioſa affertur.

e

& muta ſanatur.

84 Soror Joanna de Caliſuri dixit, quod patruus ſuus, nomine Paulus Caliſuro, cum mancus & viribus corporis deſtitutus eſſet, & ad B. Franciſcum accederet, medio in itinere curatus eſt. Et hoc ſcit ex fama & relatione d. Pauli.

9 Teſt. 60 *curat debilem,*

85 Donna Candida, uxor Antonini de Galterio, dixit, quod cum quædam cognata ſua acceſſiſſet ad oppidum Paterni, & ipſa manca brachio eſſet; ſanitati reſtituta eſt à d. beato Patre. Et hoc teſtis prædicta vidit: quia quando acceſſit manca erat, & brachium prius erigere non poterat: & deinde vidit eam ſanam. Et cum beatus Pater ſanavit eam, dixit: Cape lapidem iſtum: quod cum feciſſet, ſana illico effecta eſt.

10 Teſt. 61 *& brachio mancam,*

F

86 Bernardus Malecta dixit, quod preſens fuit *quando B. Franciſcus fornacem calcariam ingreſſus eſt, ut angulum ejus ruentem repararet, & quando lapidem ex alto ruentem verbo ſtitit.* Inſuper quod cum triginta homines trabem ingentem portare vellent, & pares tanto oneri non eſſent, beatus Pater manum appoſuit, & ſic eam ſubito portaverunt.

11 Teſt. 62 *trabem grandem moveri fecit,*

87 Franciſcus de Galtero deponit, quod cum acceſſiſſent duo Preſbyteri de eadem terra coram d. P. Fr. Franciſco, & eos videret, illos nominavit dicendo, Vos Archipreſbyter & vos Archidiacone, venite & ſedete hic. Et hoc deponit quoniam ipſe interfuit. Et dixit quod quidam acceſſit ad d. Pa-

12 Teſt. 63 *alias ignota ſibi divinitus novit.*

A d. Patrem nomine Gabriel de Galtero, pro ſuo filio infirmo nomine Bernardino: & d. Pater ſibi dixit: Revertere, & facias bene tuo patri, quia pauperior te eſt: & filius tuus ſanabitur. Et reverſus fecit patri ſuo bene, & deinde ſanatus eſt filius, & miratus eſt de hoc.

13 Teſt. 64 *paralyticam ſanat* 88 Donna Andiana, uxor Nicolai de Fano, deponit, qualiter mater ejus, nomine Auguſtina, eſſet plurimum paralytica, adeo quod non poterat ſe movere de genibus & tibiis: & dum Stephanus Morucíſcius deportaret ſibi unum biſcoctum, miſſum per d. Patrem, fuit ſana & libera. Et cum fuiſſet deprehenſus per rabientem canem frater ejus, nomine Atfilius, & pater ejus eum duxiſſet ad d. Patrem, fuit ſanatus à tali morbo: & iſta deponit, quia erat propinquus rabiei. Et ultra deponit, per dictum ſui patris, qualiter pater ejus vidit nepotem Fr. Franciſci deportatum ad eum mortuum de duobus diebus, & vidit ipſum reſuſcitatum, in conventu Paterni.

& admorſum à rabido cane:

nepotem mortuum ſuſcitat:

14 Teſt. 65 *curat mamillis ægrã.* 89 Donna Medea, uxor quondam Pauli de Serra, deponit, quod dum haberet mamillas perforatas, ita quod coſtæ apparebant ei per annum, tres medici & duo chirurgi non poterant eam in aliquo ſublevare: dum autem abiit ad beatum Patrem in Paterno & flexit genua, illico beatus Pater erexit eam, & ſana facta eſt.

B

15 Teſt. 66 *Paralyticam,* 90 Donna Geſotta, uxor quondam Notarii Philippi de Saxo, deponit, quod cum peperiſſet filium, & ex partu remanſiſſet paralytica, non poterat aliquo modo ſanari. Et dum acceſſiſſet dictus ejus vir ad beatum Patrem in Paterno, in ejus reditu illico evaſit ſana.

16 Teſt. 67 *exſtomacho ægrãm,* 91 Donna Lucretia, uxor Joannis de Paterno, deponit ex dicto ſuæ matris, qualiter ipſa ejus mater Donna Antonia continuo patiebatur de dolore ſtomachi: & dum miſiſſet ad d. P. Franciſcum, evaſit & fuit ſana.

17 Teſt. 68 *paralyticum alium,* 92 Alphonſus de Julianis deponit, quod interfuit Paterni, quando Franciſcus de Paula ſanavit paralyticum, qui erat de Caſalibus Coſentiæ: & vidit ipſum primo paralyticum, deinde ſanum.

18 Teſt. 69 *puellam aſthmaticã,* 93 Donna Angela, uxor quondam Joannis de Limpia, deponit qualiter habebat filiam nomine Angelotam, fiſiſma, id eſt, aſthma habentem, quod non poterat aliquo modo manere. Interea miſit ad d. Patrem d. Joannem ejus virum: & inde dicta ejus filia fuit ſana & libera à tali morbo.

C

Ego Alphonſus de Gualterio, de terra Xiliani, Regia auctoritate Notarius publicus ubique per totum hoc Siciliæ regnum, ad requiſitionem & juſſu Magnifici Domini Petri de Alvarez Hiſpani, Capitanei d. terræ & Syndicorum, prædictos omnes teſtes diligenter examinavi, & depoſuerunt prout ſuperius annotatum eſt.

Fides Notarii.

19 Teſt. 70 *Inobediens Sancto non curatur.* 94 Joannettus Brunus de Xiliano dixit, quod cum quidam Lentulus ex d. terra acceſſiſſet cum ipſo Joannetto ad conventum, & duxiſſent ſecum quemdam infirmum, nomine Salvatorem Brunum, qui morbo ſciatico laborabat, cujus cauſa ſe ne quidem movere poterat; & cum eſſet coram beato Patre petiit ab eo gratiam. Qui quidem beatus Pater dixit ei: Cape clavam, & abi, & labora. Quod ipſe non curavit: & deinde alias cum expectaret gratiam à beato Patre, reſpondit, Tu noluiſti eam. Et ſic beatus Pater convertit ſe ad d. Lentulum *g* & dixit ei quod inciderat ceraſum arborem: Et fuit veritas quod incederat ceraſum arborem: ſed ea res fuit in oppido Xiliani, & Pater dixit eam, quomodo contigerat in oppido Paterni.

95 Stephanus Mirabellus, de eodem Xiliano, dixit, quod cum pateretur malum in iliis, adeo quod non poterat incedere nec dormire; acceſſit ad beatum Patrem, petiitque ab eo gratiam amore Dei, & illico fuit ſanus.

EX MS. 20 Teſt. 71 *iliorum dolor ſanatur.*

21 Teſt. 72 *& puer cui jam tres coſtæ conſumptæ erant.* 96 Phœbus Mirabellus dixit, quod cum ejus filius infirmus eſſet ex quodam apoſtemate quod ſubtus mammam erat, adeo quod ex coſtis tres jam deperditæ erant (nam per annum infirmus fuerat) acceſſit ad Fr. Franciſcum ad oppidum Paulæ abſque filio, quia dicebatur beatum Patrem facere miracula; & petiit ab eo gratiam amore Dei hora veſpertina. Qui quidem beatus Pater dixit: Abi, quandoquidem filius tuus ſanus eſt, quia Deus fecit ei gratiam: ſed vove eum S. Mariæ *h* de Mazo. Et ſic diſceſſit die ſequenti, & invenit filium liberum à periculo. Et retulerunt domeſtici, quod pridie hora veſpertina cœpit aliquanto melius ſe habere. Et animadvertit teſtis, quod illa hora, qua petiit gratiam, puer incepit convaleſcere, qui jam pro mortuo habebatur. Et ſimiliter atteſtata eſt Donna Roſa, uxor ipſius teſtis, qualiter hora veſpertina, pridie quam rediret ipſe teſtis à d. Patre, puer cœpit convaleſcere.

h

E

22 Teſt. 73 *Sanctus ſanat puerum moribundũ* 97 Polyxena de Neocaſtro, de oppido Xiliano. dixit quod cum haberet quemdam filium, Bartolum nomine, qui in extremis erat, in hora expiraturus; vir ſuus, nomine Antonius de Neocaſtro, acceſſit ad B. P. Franciſcum, & petiit ab eo gratiam. Et ſic ipſe beatus Pater dedit ipſi unum panem biſcoctum & pomum, & dixit: Facito ut infirmus mordeat iſta quæ vobis dedi: nam Deus faciet illi gratiam. Præterea cum eritis apud pontem de Sabno in parte ſuperiori, tolletis lapidem, & ſub eodem lapide invenietis tres cancros, & ponetis eos filio, duos in brachiis & alterum in fronte. Et ſic d. Antonius, ſubito cum applicuit ad d. pontem extulit lapidem, & invenit cancros, & fecit quemadmodum ordinaverat d. Pater filio: & ſic incolumis & ſanus fuit d. filius. Et hoc fuit in vigilia Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti. Item dixit præfata Polyxena, quod cum ipſa haberet brachium diſtortum & viribus carens, acceſſit ad beatum Patrem, & fuit ſanata de dicto brachio.

brachium diſtortum.

23 Teſt. 74 *pueri diſtortos pedes,* 98 Conteſa Maſa dixit, quod quidam nepos ſuus, nomine Alphonſus de Galterio, puer eximius, ambos pedes diſtortos habebat; unde ejus parentes tulerunt eum ad d. Patrem, & ſic fuit ſanus, ut ipſamet vidit: addidit, quod multi de caſtro concurrerant ad videndum hujuſmodi miraculum.

F

24 Teſt. 75 *moribundum alium,* 99 Nicolaus Fronte de Xiliano, dixit quod cum ipſe ægrotaret adeo graviter, quod extremam habuerat Unctionem, miſit quemdam filium ſuum ad beatum Patrem ad petendum gratiam. Qui quidem beatus Pater dedit ei duo mala, & dixit: Dic patri tuo quod habeat bonam fidem: nam habebit gratiam. Et deinde ipſe teſtis fecit vocari medicum, à quo nullum recepit beneficium. Et ſic miſit iterum ad d. Fr. Franciſcum, qui noluit reddere reſponſum d. puero. Qui inſiſtendo hæc accepit verba. Poſtquam habetis medicum, quid vultis de me? ſed ite, & dicite patri veſtro, quod ſtet cum gratia Dei. Et ſic adveniente nocte apparuit d. Pater ipſi teſti in ſomnis, imo quaſi vigilanti, & dixit: Eſto bono animo: nam habuiſti gratiam. Et deinde paulo poſt ad aliquos dies fuit liber à d. ægritudine.

26 Teſt. 76 *cæcam mulierem.* 100 Aurifica Torcha de caſtro Xiliani, dixit qualiter ipſa, cum eſſet orba & caſſa duobus oculis, miſit virum ſuum ad d. Patrem, qui ordinavit ei nonnullas res: quæ cum factæ fuiſſent, ſubito recepit viſum.

101 Sole Torcha dixit, quod ipſa ægrotans aliquando

EX MS. PROCESSU CALABR. quando certo morbo, vulgariter nuncupato cimicum, misit maritum suum ad B. Franciscum. Qui quidem Frater dedit ei unum pomum & unum panem biscoctum parvum: quas res cum illa accepisset, illico cœpit edere de illis: & illico fuit liberata ab illa ægritudine, quæ reddit corpus adeo corrosum ac si cimices & pulices illud corrosissent, nullis vulneribus apparentibus.

27 Test. 77 *aliam infirmam,*

102 Brancha de Xeso, de eodem castro Xiliani, dixit, quod ipsa recordatur cum esset pucella, quod pater suus habebat strumam in brachio: qui cum accessisset ad B. Franciscum, rediit sanus & incolumis.

27 Test 78 *strumam in brachio.*

103 Maria Caula, de eodem oppido Xiliani, dixit, quod ipsa testis clauda existens amborum pedum præ dolore genuum, fecit se equo vehi ad B. Franciscum, existentem in oppido Paterno. Quo quam primum applicuit, genu flexo prostravit se coram B. Patre: qui fecit eam sedere, & deinde in eodem instanti dixit: Consurge, & abi cum Deo, & habebis gratiam. Et sic ipsa surrexit, & rediit domum propriis pedibus, salva & incolumis. Item d. testis laborabat catarrho, accessit ad beatum Patrem, & fuit sana à d. infirmitate.

28 Test. 79 *claudicationem,* *& catarrhum.*

104 Simon de Yesio, de eodem oppido Xiliani, dixit quod ipse pluries accessit ad d. Fr. Franciscum ad oppidum Paternum: à quo accipiebat optima præcepta & documenta. Qui quidem Fr. Franciscus sanabat mutos & mancos & destitutos viribus, & multa morborum genera curabat. Item quando accedebat aliquis ad eum malæ conscientiæ, & qui delectatur in aliquo malo, dicebat: Abi & relinque malas delectationes.

29 Test. 80 *Plura miracula facit.*

B

105 Franciscus de Gratiano dixit, quod ipse testis, cum haberet uxorem suam graviter ægrotantem, & accessisset ad beatum Patrem, qui erat in castro Spezzani; petiit gratiam: & Pater ordinavit certas res. Et quando rediit domum, reperit uxorem suam Joannam sanam & salvam, & liberam ab illa ægritudine: & non habuerat alium ordinem super curatione d. suæ ægritudinis.

30 Test. 81 *sanat mulierem*

106 Jacobo de Petrono, de eodem castro Xiliani, dixit, quod cum haberet filium ægrotum, misit Joannem Franciscum maritum suum ad oppidum Paterni, ubi præfatus Pater se continebat. Et B. P. Franciscus ordinavit ei nonnullas res: & quam primum fecit illas, subito ejus filius sanatus fuit.

31 Test. 82 *& puerum ægros.*

107 Franciscus Rezinus, de eodem Xiliano, dixit, quod intellexit à quadam muliere, nomine Lucretia, quod cum esset vidua orbata viro, accessit ad d. Fr. Franciscum: qui dixit ei ne ad secunda transiret vota, nec amplius nuberet, quoniam vidua moritura esset. Et sic d. Lucretia non parens d. fr. Francisco, denuo nupsit: & ejus maritus secundus interfectus fuit.

32 Test 83 *prædicit cuidam quod vidua morietur:*

C

108 Domitia Annella de Stoca, de Xiliano, dixit, quod quondam Donna Impernata, laborabat quodam morbo, quem dicebat ipsa secundum opinionem medicorum esse elephantiacum, id est, S. Lazari. Et cum accessisset ad d. beatum Patrem, narravit ei suam ægritudinem, Qui quidem dixit, Noli vereri & habe bonam fidem: nam eris sana. Et sic dedit ei nonnullas medelas, unde fuit liberata & salva ab hujusmodi ægritudine. Insuper dixit, quod pater ipsius D. Impernatæ, nomine Gregorius, annis septemdecim patiebatur in conjuncto pedis morbum cancri, & nullo modo sanari poterat: & cum accessisset ad d. sanctum Patrem, dixit idem Sanctus Pater Gregorio patienti: Nimium deambulavit: ideo habe fidem. Et cum fecit signum Crucis in pede, statim sanus fuit.

33 Test. 84 *elephantiasim* *& canerum curat.*

Ego Joannes Aloisius Maza Notarius, &c. *ut supra post num. 93*

D

ANNOTATA.

a Xilianum, *vulgo* Scigliano, *oppidum citerioris Calabriæ Maturanæ diœcesis, ut infra dicitur num. 125.*

b Curilianum, *oppidum diœcesis Rossanensis, ad cognominem fluvium.*

c Pico *Italis est cuneus seu ferrum cuspide quadrata.*

d Panus *vitium oculi, unde diminutivum* Panicula.

e Salma *idem quod onus, sarcina; unde* Mulus Salmarius, *qui Latinis* Clitellarius *diceretur.*

f *In MS. est* Zoppa texa, *quod paulo post explicatur* paralytica. *Est autem* Zoppo, a, *pedibus debilis:* Texa *quid sit, non divino.*

g *Non apparet quomodo hoc de ceraso cohæreat cum prioribus. Forte deest aliquid. Isidorus lib. 2 cap. 9 ita hoc accipit, quasi ipse infirmus, cerasum incidere jussus, sanari meruisset dum id facit: quod hinc non eruitur.*

h *In utriusque Calabriæ confiniis notatur* Serra S. Mazzo, *quod hic putamus magis integre scribi* S. Mariæ de Mazo.

CAPUT VIII.

Processus factus apud Neocastrum.

E

Epistola supplex ad Papam.

109 POst trinum ante Sanctitatis vestrę vestigia terræ osculum, Beatissime Altissimeque Præsul, universalis Ecclesiæ meritissime Pastor; humiliter supplicant Vice-comes, Syndici, Magistri Jurati, omnesque nobiles atque cives civitatis Neocastri, obedientes Sedis Apostolicæ filii; ut mirificum & gloriosum Franciscum de Paula, signis & miraculis coruscum, qui regionis nostræ lucerna fuit splendidissima, adscribere dignetur Sanctitas vestra catalogo Sanctorum. Quia eum tota Calabria Sanctum proclamat, & meritis inclytum cum Christo regnare in æternitate gloriæ non dubitat. In cujus sanctitatis testimonium, præter sanitatum & gratiarũ munera, quæ indies nostrates recipiunt, fecimus quosdam ex nostris civibus super vita & fama ac gestis mirificis præfati B. P. Franciscí de Paula examinari, & eorum depositiones sub veritatis stylo redigi per subinsertum Notarium Apostolicum, sigilloque d. civitatis nostræ communiri: quatenus vestra Sanctitas, prodigiis & signis d. B. Franciscí adeo evidentibus, facilius ad nostræ petitionis complementum flectatur. Videlicet ut tam sanctum, tam justum, tamque perfectum virum, qui vitam Sanctorum imitatus est, numero Sanctorum annumeret; ut per universalem Ecclesiam, uti omnes dignum tali honore censemus, colatur & veneretur; & pro nobis apud Salvatorem nostrum intercessor existat, quem tantis signis in vita & post illustravit. In quo quidem Salvatore nostro Sanctitas vestra in dies *a* Petri crescat. Ex præfata civitate nostra, hujus mensis Decembris penultimo, v Indictionis, MDXVII.

F

a

1 Test. 85 *Vado haurentem navim*

110 Providus vir Loysius Galisus dixit, quod agitur nunc xxxv annus paulo plus minus, cum esset ipse testis nauta in quadem triremi *b* Francici patroni, ex commissione Ferdinandi veteris, d. B. Franciscus de Paula cum quodam *c* confratre suo parvulo conscendit d. triremim, ut proficisceretur in Galliam. Et cum esset subiturus fauces Ostiæ, casu & infortunio, ut fit, d. triremis *d* [adhæsit fundo] adeo quod patronus & consiliarii dixerunt, quod jam triremis pro perdita habebatur, & sic incœperunt projicere in flumen lignanima & alias res in d. triremi existentes. Quod cum fieret, d. B. Franciscus dixit, quod deberet duci in terram. Et postquam ductus fuit posuit se intra quamdam sepem, & orabat Deum. *e* Et inter orandum trire-

b *c* *d*

mis *e*

A *oratione ſublevat,*

mis ipſa emerſit,& navigavit flumen, adeo quod fuit extra periculum. Et cum per aliquot dies commoratus fuiſſet Romæ una cum B. Franciſco, poſtea dederunt vela Maſſiliam verſus. Et cum applicuiſſent in Corſicam *f* inſulam, adinvenerunt navim & biremem piraticam, quæ ſupra ventum ſtabant, paratæ ad aggrediendum triremim. Qua re viſa, Patronus triremis & Ambaſiator dicebant, quod exiſtimabant ſe periiſſe & captos eſſe. In eo ſermone B. P. Franciſcus protulit caput è camera, & conſcendit aquilam ſive contabulationem galeæ, & interrogavit, qui eſſent ſermones eorum. Et tunc d. patronus & Orator oſtenderunt ei navim & biremem, dicentes ſe periiſſe & non poſſe evadere. Et d. B. Franciſcus dixit: Sequimini iter veſtrum, & nolite vereri navim nec biremem. Quo dicto in cameram ſuam rediit, & triremis ſecuta eſt iter ſuum: & quamvis navis & biremis eſſent ſupra ventum, miraculoſe ſe repererunt tam procul à triremi, quod eam offendere non potuerunt. Et ſic triremis libera abnavigavit: unde patronus & Orator & omnes nautæ dicebant, miraculoſe evaſiſſe manus piraticas. Et cum in Provinciam applicuiſſent B. P. Franciſcus & ſocius, una cum Oratore & qui ſecum ibant, deſcenderunt è triremi cauſa eundi in Galliam. Et cum triremis reverteretur Neapolim, ſubito magna tempeſtas oborta eſt, adeo quod totam noctem mare curſitaverunt: quare ſe periiſſe exiſtimabant. Et cum dies factus eſſet, fluctus invaleſcebant, adeo quod omnes exiſtimabant ſe periiſſe. Unde cum ſubtus arculam puppis ipſius triremis adinventum eſſet par calepodiorum B. P. Franciſci, nautæ projecerunt d. calepodia in undas: unde ideo fluctus & ventus ceſſavere, adeo quod neceſſe fuit remigando ire ad portum *g* Veneris, uti triremem undique ex tempeſtate caſſam & aquas immittentem refecere.

piraticas naves ab eadem depellit:

ſoleæ ejus dein tempeſtatem ſedant.

B

g

111 Honeſtus vir Jacobus Mantonis,dixit,quod (ſunt anni XL vel L) cum eſſet in ſilva, in qua tres juvencos indomitos paſcebat, forte advertit duos Fratres, miſſos per B. Franciſcum ad conducendum lignamina cauſa faciendi conventum, quem condi faciebat in oppido Paterno: qui Fratres ex parte B. Franciſci rogáverunt d. teſtem, quod veheret ligna quæ erant in d. ſilva, cauſa tegendi d. eccleſiam, quæ diſtabat à loco viginti milliaribus. Qui quidem teſtis reſpondit, quod non erat poſſibile ferre ligramina cum dictis juvencis: attento quod illo die ceperat eos ex ſilva, & erant indomiti, & numquam tulerunt jugum. Et illi Fratres dixerunt, quod haberet fiduciam in B. Franciſco: & quod jungeret d. juvencos, ut ferrent d. lignamina: nam B. Franciſcus rogaret Deum pro ipſo. Et ſic ipſe teſtis miſit ſub jugum duos ex juvencis, & oneravit eos lignamine: quod lignamen duxit ad eccleſiam Paterni ita placide & ſine periculo, acſi fuiſſent juvenci domiti decem annorum.

indomitis bobus ligna ad uſus fabricæ vehuntur:

C

3 Teſt. 87 *mulierem liberat à gravi infirmitate,*

112 Donna Lucretia, uxor Nicolai Macte, de Altilia, dixit, quod ipſa cum multis aliis matronis acceſſit ad conventum, quem conſtrui faciebat B. Franciſcus in Paterno;quo acceſſerunt multi infirmi ex diverſis infirmitatibus & ægritudinibus, ut puta cæci,ſurdi,muti, ſpiritibus vexati, manci & deſtituti viribus;& accedebant ad B.Franciſcum,& inde revertebantur incolumes abſque alio malo; & multa alia miracula fecit. Et addit, quod cum ipſa conſueviſſet obſervare diem Mercurij, ne comederet aliquod carnium; impulſu mariti coacta fuit ab ejuſmodi obſervatione diſcedere, & per conſequens comedere.Omnia genera animalium ferocium & veneſonum ei nocebant adeo, quod ex paſſione, quam noctu ſuſtinebat, tota caſſa videbatur & debilitata. Et propterea decrevit accedere ad B. fr. Franciſcum, cauſa liberandi ab ejuſmodi faſtidio & paſſione, ope & gratia Domini noſtri. Cum itaque ad eum acceſſiſſet, genu flexo proſtravit & inclinavit ſe coram eo. Qui quidem beatus Pater dixit: Abi, filia, revertere ad devotionem, quam habebas, & eris libera. Et ſic d. teſtis cum rediiſſet ad obſervationem diei Mercurij, ut prius, libera fuit: quam diem ad præſens ipſa teſtis obſervat.

quam incurrerat obſeria à intermiſſã obſervantiã.

EX MS. PROCESSU CALABR. 2 Teſt. 86

113 Antonius de Durantis dixit, quod cum laboraret febri, acceſſit ad B. P. Franciſcum ad oppidum Paterni, & ope atque auxilio d. Patris reverſus eſt ſanus & liber à febri. Et vidit ipſe teſtis, quod in conventu, qui conſtruebatur in oppido prædicto, erat ingens lapis pondere ducentorum cantarorum, adeo quod * novem homines non poterant eum movere. Et cum adfuiſſet d. fr. Franciſcus, appoſuit manum ſuam & dixit: Per caritatem auxiliamini omnes. Et ſic provolverunt lapidem ad illum locum, quo voluit B. Franciſcus, videlicet ad foſſam ubi condebant d. monaſterium.

4 Teſt 88 *gravem lapidem facile movet:*

* An *nonaginta?*

114 Nicolaus Ruffus dixit, quod cum laboraret quodam morbo, adeo quod dicebatur ipſum eſſe lymphatum ſeu ſpiritatum, & multi medici darent operam ut medelis eum curarent, & nihil proficerent; tandem motus fama, quæ vigebat in civitate Neocaſtri, miraculorum quæ faciebat B. Franciſcus, acceſſit illuc cum quodam patruo ſuo. Et cum eſſet coram beato Patre, proſtavit ſe ad pedes ejus: qui ſignavit eum ſigno Crucis, & illico fuit liber. Qui quidem B. Franciſcus dixit ei: Abi, nam habuiſti gratiam Domini Dei noſtri. Et addit, quod acceſſit etiam cuidam qui ſodomiæ vitio laborabat, & maculam in oculo habebat: & ſic beatum Patrem rogavit, ut vellet ei facere gratiam,& ſanum efficere de macula oculi. Et ſic B. Franciſcus dixit: Vade, pauper homo, emenda te à vitio quo laboras, & ſic ſanus eris à macula, quam geris in corde, non in oculo. Emenda te, dico & moneo, & eris ſalvus.

5 Teſt. 89 *lymphaticum curat,*

E

occultum Sodomitam arguit,

115 Donna Bernardina Longa dixit, quod cum per plures annos fuiſſet cum viro ſuo, & numquam procreaſſet filios; miſit ad B. fr. Franciſcum in Galliam per venerabilem fr. Franciſcum de Abrigliano, caſtro civitatis Conſentinæ, qui profitebatur ejus Ordinem, ad ſupplicandum & obtinendum gratiam ut poſſet procreare filios. Qui quidem B. fr. Franciſcus miſit ad eam duo poma, ut pro devotione ea comederet: & inſuper monuit eam, ut faceret voluntatem Dei noſtri; nam cum tempore faciet eam contentam. Et cum per viginti annos manſiſſet cum primo viro ſuo, eo vita functo nupſit alteri, & procreavit filios, & fuit hoc primo anno ſecundi connubii ſui: & erat ætatis XXXVIII annorum: & habet pro certo ſe ope & interceſſione B. Franciſci obtinuiſſe gratiam. Inſuper addit, quod cum haberet candelam ceream miſſam è Gallia per B. fr. Franciſcum, & Donna Roberta de Bono-anno eſſet in partu, & haberet ſupra ſe multas Reliquias, & non poſſet producere partum, & quaſi in extremis eſſet; ipſa dedit ei prædictam candelam: quam cum accendiſſet, paulo poſt miraculoſe protulit partum.

6 Teſt. 90 *mulieri grandævæ*

prolem obtinet;

F

candela ejus parturientem levat:

h

116 Nobilis Fabricius Monza, de civitate Tabernæ, dixit, quod cum ægrotaret Donna Conſentia ejus ſoror in d. civitate Tabernæ, & ob ægritudinem deliraret, & amens facta eſſet (quæ ægritudo jam menſes quinque vel ſex eam in lecto detinuerat) miſit quemdam, nomine Garetum Monza, fratrem ſuum, ad B. fr. Franciſcum exiſtentem in oppido Paterno, ut haberet gratiam pro liberatione d. amentiæ. Qui D. Garetus, cum eſſet

7 Teſt. 91 *puellam amentem curat,*

h

EX TES. PROCESSU CALABR.

coram beato Patre, recenſuit ægritudinem d. mulieris. Et d. beatus Pater dixit, quod d. mulier obtinebit gratiam à Deo omnipotenti: attendite ejus curæ & gubernationi. Quæ mulier obtinuit gratiam in illo die, & ad præſens eſt libera & viva: jam ſunt anni xxxv & plus. Et addidit d. teſtis quomodo D. Garetus ejus frater revelavit, quemadmodum tunc B. Franciſcus reprehendit d. Garetum de nonnullis ejus peccatis occultis, quæ committebat, & monuit eum ut ab illis abſtineret.

peccata occulta arguit.

8 Teſt. 92 *calcariam ferventem adhuc*

117 Magnificus D. Petrus Angelus Mazatella dixit, quod cum temporibus effluxis eſſet in oppido Paterno, quo tempore B. Franciſcus faciebat ibi conſtrui conventum, acceſſit ipſe teſtis ad viſendum B. Franciſcum. Advenit autem quod amotus erat ignis de calcaria, quam d. Pater fecerat pro conſtructione conventus, & amoto igne prædicto, ſpatio decem vel duodecim horarum, vidit B. Franciſcum ingredientem in d. calcariam, cum quadam ſportula, quam habebat in manu, una cum aliis Fratribus nonnullis d. Ordinis, qui amovebant lapides, qui erant intus calcariam. Quod videbatur evidens miraculum: quoniam poſtquam amovetur ignis à qualibet calcaria, ſpatio quinque vel ſex dierum non poteſt tangi. Et addidit, quod quando diſceſſit à fr. Franciſco, habuit ab eo quatuor candelas cereas parvas, quibus propriis unguibus certas cruces fecit, & dixit quod deberet ſervare eas pro devotione & honore Domini Dei noſtri. Et cum d. deponens applicuit domum, dedit unam ex eis ſuæ uxori, quæ ægritudine arthetica valde opprimebatur, adeo ut quando ea urgebatur, verbum amittebat, & manus & pedes & brachia contrahebantur. Quæ mulier ex devotione d. candelam deſuper geſtare cœpit, & ex illa hora d. ægritudo eam non ita graviter oppreſſit: & pro certo habetur, quod hoc ei ſucceſſit ex devotione, quam habebat erga d. Fratrem.

cum ſuis ingreditur:

B

mulierem infirmam ſanat.

9 Teſt. 93 *puerum quinquennem comedere facit.*

118 Mag. Salvator de la Motta dixit, quod cum ipſe haberet filium quinque annorum, qui numquam comederat, & ſciret famam bonæ vitæ & miraculorum quæ faciebat B. fr. Franciſcus de Paula, acceſſit ad eum una cum nato ſuo. Et cum eſſet coram beato Fratre, aperuit ei cauſam: Et dixit B. Franciſcus, Abi cum Domino, nam is fecit vobis gratiam. Et cum reverſi eſſent domum, filius cœpit poſtulare panem à patre & matre. Et addidit quod cum quidam faber doliarius complicaret circulum, ut dolium eo cingeret; caput d. circuli, caſu elapſum, oculum ejus percuſſit; adeo quod integer ejus oculus extra exierat. Quem oculum ipſemet faber in capſulam oculi manu propria repoſuit, & ſic d. patiens acceſſit eo ubi morabatur B. Franciſcus, in monaſterio oppidi Paulæ; ubi tres dies permanſit, & deinde auxilio omnipotentis Dei & virtute B. Franciſci ſanitatem oculi recepit. Qui deponens vidit d. fabrum viſu illuminatum, cum prius cæcus eſſet de d. oculo.

C

oculum viè toris excuſſum reſtituit,

119 Et nunc addidit, quod cum ipſe teſtis eſſet in Paterno, & ſermo fieret de conducendis trabibus pro uſu monaſterij, teſtis ipſe una cum quinquaginta hominibus & B. fr. Franciſco [ivit] ad montem S. Lucernæ, tenimenti ut creditur de *i* Ayello, diſtans à Paterno ad ſex milliaria, cauſa conducendi trabes eccleſiæ monaſterii Paterni. Qui quidem teſtis & alij homines interrogaverunt beatum Patrem, an deberent ſecum ferre eſculenta & poculenta. Qui beatus Pater reſpondit, neceſſe non eſſe. Et cum eſſent in monte, unde deducendæ erant trabes, prædictus teſtis & alij homines murmurabant & conquerebantur: nam maxime eſuriebant. Et parvo ſpatio poſt apparuit quidam pauperculus laceris veſtibus, quem nemo illorum cognovit. Qui pauper expandit chlamydem ſuam *k* arbaſeam, & deſuper projecit panem unum grani germani, cum parvo oenophoro ſeu *l* flaſchettino vini, & alta voce dixit: Venite omnes amore Dei jentatum. Et ſic ipſe deponens & alij acceſſerunt, & ceperunt de d. pane, alter alteri fruſtum d. panis porrigens. Qui omnes comederunt de d. pane & biberunt de d. vino, quod oenophorum vix capax erat ponderis duarum librarum vini, computando & intelligendo libram duodecim unciarum. Et ſic omnes numerò quinquaginta, qui venerant cauſa conducendi d. trabes, ſaturi reverſi ſunt ad locum prædictum. Et addit quod d. pauper homo, qui attulit panem & vinum, amplius viſus non fuit: & æſtimaverunt omnes illum fuiſſe Angelum, miſſum à noſtro Redemptore Jeſu. Et addit quod fuit ei dictum medio juramento, quod cum eſſet B. Franciſcus in monaſterio Paulæ, ac illic etiam eſſent decem & octo trabes pro uſu eccleſiæ, rudes & impolitæ; mane inventæ ſunt miraculoſe elaboratæ & politæ.

D

k *Angelus in ſpecie pauperis*

l *panem vinumque miraculoſum affert.*

impolitæ trabes divinitus poliuntur.

10 Teſt. 94 *intra triduò plus quam centum miracula facit,*

E

120 Magnificus D. Hieronymus de Nicotera dixit, quod agitur annus xxxv vel xl, tempore quondam Illuſtriſſimæ D. Polyxenæ, uxoris quondam D. Henrici de Aragonia, Marchionis Hieracenſis & Vices gerentis Calabriæ, filij quondam Regis Ferdinandi I, d. quondam D. Polyxena Marchioniſſa ut ſupra, trahens moram in civitate Neocaſtri, maximam habuit famam & relationem ſanctitatis, virtutis & miraculorum B. Franciſci de Paula. Et ſic conſtituit accedere perſonaliter ad eum viſendum, & duxit ſecum multos nobilis equeſtres & populares pedeſtres, & inter ceteros ipſe teſtis interfuit. Et cum applicuiſſet ipſa illuſtris Domina Paulam oppidum, ubi manſit per tres dies (ex qua cauſa convenerunt & congregatæ etiam fuere illuc multæ perſonæ advenæ) d. Pater ſpatio prædicto trium dierum. Secundum æſtimationem ipſius teſtis, miracula centum in diverſas perſonas varijs & diverſis ægritudinibus oppreſſas fecit; & inter ceteras in præfatam D. Polyxenam, laborantem phthiſi & fluxu ſanguinis. Nam beatus Pater adhortatus eſt eam, & dixit ut bonam in Deo haberet fidem, & eſſet libera ab ejuſmodi ægritudinibus; ſubminiſtrans ei cauſa devotionis certa poma & herbas: quæ Domina reverſa Neocaſtrum, paucorum dierum ſpatio libera fuit ab hujuſmodi ægritudine.

muta loquelam donat,

Marchioniſſam Geræ. à phthiſi ſanat.

F

121 Baldaſinus de Alfanis dixit, quod cum ipſe eſſet in oppido Paulæ (jam ſunt anni fere viginti) è civitate *m* Liparitana quoddam navigium, nuncupatum Sagitta, vela ventis dediſſet, & vi ventorum & fluctibus pene apud littus Paulæ ſubmergeretur; B. fr. Franciſcus rogatus & vocatus fuit à multis oppidanis dicentibus; Venite, nam multi Chriſtiani, qui in illo navigio ſunt, ſubmerguntur. Qui quidem B. Franciſcus protulit caput è feneſtra monaſterij, & viſo navigio cœpit clamare, Jeſu Jeſu, ſignum Crucis faciendo. Unde immediate mare tranquillum factum eſt, & tempeſtas fugata eſt & ceſſavit. Amiſit tamen d. navigium vela, & multas alias res, ſed abſque periculo aliquo hominum; & ſic ad littus incolume applicuit, cooperantibus precibus B. P. Franciſci. Et addit quod ad præſentiam d. beati Patris acceſſit quædam puella, annorum duodecim nata, à villa Cilico nuncupata Conſentinæ diœceſis, muta à nativitate & quæ numquam locuta fuerat. Et beatus Pater ſignavit eam ſigno Crucis in fronte, & dixit ei, Dic Jeſu. Quæ puella illico locuta eſt, virtutibus & precibus beati Patris.

10 Teſt. 95 *ſigno Crucis tempeſtatem ſedat.*

m

i *operarijs 50 eſurientibus rejiciendis*

122 Inſuper dixit, quod cum conſtructa eſſet quædam fornax calcaria, ſuper quam erat ingentiſſimus lapis, ponderis mille cantarorum, qui corruebat ſupra ædificium calcariæ: qui ſi collapſus fuiſſet,

lapidem ruentem ſiſtit.

fuiſſet, non ſolum d. calcariam deſtruxiſſet, ſed etiam multos homines operarios interemiſſet. Et ſic beatus Pater proſpiciens caſum d. ſaxi, dixit illis operarijs, Nolite timere, ope & auxilio divino nullam habebimus formidinem. Et ſic clamans, Jeſu, ſignum Crucis confecit, & ſaxum ſubſtitit & firmavit ſe. Inſuper addidit, quod cum eſſet ipſe deponens infra Crepoſitum & Mangonem, in via qua ex Altilia Conſentiam itur, vidit fontem ſurgentem, qui extat ad præſens: & antiquitus nullus illic fons erat. Et oriebatur ſupra quamdam fornacem calcariam, quam d. Pater conſtrui fecerat. Et dictum fuit ipſi teſti quod miraculoſe beatus Pater fecit fieri d. fontem, pro uſu calcariæ, cauſa monaſterij oppidi Paterni.

A *fontemque excitat.*

12 Teſt. 96 *Sanat phthi ſicam:*

123 Fr. Donnus Antonius Quirrerius, Capellanus majoris eccleſiæ Neocaſtri, dixit, quod cum ipſe teſtis accepiſſet ex fama publica, quod B. Franciſcus faciebat multa miracula, & ejus ſoror nomine Barthulla laboraret morbo phthiſis, alias de clicia, de quo morbo longo jam tempore detenta fuerat; acceſſit ad B. Franciſcum, exiſtentem in oppido Paterno, & enarravit ei ægritudinem d. ſuæ ſororis. Et ſic beatus Pater dedit ei certas herbas, & dixit ut eas bulliret, ex quarum concoctione confici faceret unum clyſterem, & etiam biberet ex d. decoctione, & quod Deus faceret illi gratiam. Et quod cum teſtis reverſus fuiſſet Neocaſtrum, & d. ægrota feciſſet experientiam de medelis beati Patris, recepit gratiam ſanitatis. Et addidit, quod cum eſſet in eccleſia monaſterij oppidi Paterni d. B. Franciſcus dixit ipſi teſti, quod iret ſeſſum una cum alijs Fratribus, dicentibus Officium in choro, & diceret officium, quia obligatus eſſet dicere officium: cum beatus Pater non intellexiſſet, ob quod eſſet dicturus Officium, ſed ex inſpiratione divina.

B

aliàs ignotum ſibi novit eſſe clericum,

eidem ſe inveniendum præbet

124 Inſuper dixit quod d. B. P. Franciſcus dixit ipſi deponenti, quod antequam diſcederet, iret allocutum eum ad cellulam ſuam, cauſa alloquendi cum eo; quam oſtendit ipſi deponenti. Et cum acceſſiſſet ad cellulam cauſa alloquendi beatum Patrem: quo etiam acceſſerunt multi nobiles & populares, quæritantes eum in cellula (quam deponens viderat eumdem Patrem ſæpius intrantem, & ab ea exeuntem) numquam tamen videre nec habere potuerunt. Sed quam primum ipſe teſtis ingreſſus eſt cellulam, invenit beatum Patrem; & una ſermonem deambulando habentes, tandem ad ſacriſtiam d. eccleſiæ pervenere: ubi beatus Pater dedit ei tria poma, dicens: Hoc primum pomum dato Epiſcopo Neocaſtrenſi; hoc ſecundum, D. Polyxenæ, hoc tertium, ſit veſtrum. Et dicite Epiſcopo, quod omni mane faciat fieri Collectam contra Turcas, quoniam non fuere adeo propinqui Chriſtianis, quantum ſunt hoc tempore. Et cum hæc dixit verba, nulla erat mentio in regno Neapolitano de Turcis. Et cum teſtis applicuiſſet Neocaſtrum, fecit omnia quæ impoſuit ei beatus Pater, & poſt dies octo Turcæ ceperunt Hydruntum.

invisibilis alijs,

C

& adventum Turcarū prædicit.

qui agrum noluerat Sancto vendere

n

ultro eum donat ſanatus.

125 Et inſuper addit, quod cum oſtenderet locum Paterni ipſi deponenti, inter cetera oſtendit ei certam partem terreni, dicens ipſi teſti: voluimus ſolvere patrono terrenum circumdatum *n* Carlinis, & numquam voluit vendere. Et deinde cum dominus d. loci laboraret dolore capitis, adeo immenſo quod videbatur corrodi à canibus, propterea fecit vocari ad ſe beatum Patrem. Qui beatus Pater cum acceſſiſſet, ei manum ſuper utramque aurem appoſuit, extraxitque ab una aure vermem piloſum longitudine medij palmi. Quo facto ſanus effectus eſt, & propterea dedit dono d. caput terreni ſeu vineæ ipſi monaſterio, ut retulit d. B. Franciſcus ipſi teſti.

EX MS. PROCESSV CALABR. *Fides Notarij.*

Et quia veritas ita ſe habet, ad cautelam introſcriptorum Syndicorum & Univerſitatis, ac cujus intereſt ac intereſſe poterit hanc præſentem examinationem, quam d. Univerſitas Neocaſtri ſigillo ſuo communiri juſſit fideliter ſcripſi & me ſubſcripſi, cum meo ſolito ſigillo

✠ *Thomas Macela Notarius.*

ANNOTATA.

a *S. Petrum annis 24 Romanum Cathedram obtinuiſſe communis eſt opinio, quam dilucide confirmavimus in prævio ad hunc tomum Catalogo Pontificum Romanorum, oſtendimusq; eo ſpatio non comprehendi tempus Antiochenæ Sedis. Et quia hunc annorum numerum nullus Pontificum hactenus tranſcendit (niſi unicus Petrus de Luna, dictus in Schiſmate Benedictus XIII, qui ab anno 1394 ad 1423 inanem titulum pertinaciter tenuit, & vel hinc arguitur verus Papa non fuiſſe) ideo ſumma voti erga Pontificem eſt, ut in illos uſque annos vivat. Proximi acceſſerunt Leo I & III, qui annis 20; ætate noſtra Urbanus Octavius, qui ferme 21; Alexander III, qui 21; S. Silveſter, qui 22; Hadrianus I, qui 23, in ſummo illo gradu ſteterunt. Quod tamen vulgo circumferri audimus Romanis Pontificibus in ſua ordinatione ſolenniter prædici fore ut annos Petri non attingant, id in Pontificali Romano non invenimus.*

E

b *Ita ſcripſimus ex conjectura: exemplum enim noſtrum mendoſe habebat* Franci Impaſtori: *Forte etiam legendum* Intraceati; *ut ſit cognomen Patroni navis, ſicuti num. 25.*

c *Nicolaum intelligo, Brigittæ ſororis primogenitum.*

d *In autographo fuiſſe relictum uni verbo vacuum locum notavit librarius.*

e *Vide num. 42, ubi haud paulo aliter hæc res narratur. Victonis utrumque conjungit, quod & humeris navim propulerit, & poſtea in carecto oraverit.*

f *Hinc apparet, hoc periculum diverſum eſſe ab eo, quo ſupra num. 26 narratur, unum armatum navigium occurriſſe tranſeuntibus Golfum leonis.*

g Portus-Veneris, *terminus Dominii Genuenſis ad ſinum ſpezzanum; cui ex adverſo objacet* Portus-Ericis, *Piſanorum limes.*

h *Oppidum* Tabernæ *dictum, jacet Neocaſtro ad ortum intervallo 12 mill.*

i *Paterno oppido, trans-flumen Turbidum verſus Africum, adjacet pagus & mons in tabulis appellatus* S. Lucernæ: *unde vel Romani autographi vel Pariſienſis exemplaris lacunam ſupplevimus, ubi ſolum S.... notabatur, relicto poſt ipſum ſpatio vacuo.*

F

k *Ex Proceſſu Ambianenſi ſcimus, groſſum ex nigra lana pannum à Calabris nominari* Arbazzo.

l Flaſchettinum *eſt diminutivum à Teutonico* Flaſch, *cujus econtra augmentativum Italicum eſt* Flaſcone.

m Lipara *unam occupat Vulcaniarum inſularum, Calabriæ ulteriori objectarum.*

n *Videtur excidiſſe numerus Carolinorum, pro agro illo oblatorum.*

CAPUT IX.

Proceſſus factus in caſali S. Blaſij.

Epiſtola ad Papam

126 SAnctiſſime ac Beatiſſime in Chriſto Pater & Domine, poſt humilem commendationem & pedum oſcula beatorum. Quamvis materia ſcribendi longum exordium offerat in commendationem tanti Beati fr Franciſci de Paula; opera cujus non poſſunt tribui alicui, niſi miſſo & nuntio ſummi Opificis viroque ſanctiſſimo: nihilominus ſub brevitate ſcribemus & exponemus Sanctitati

EXMS. PROCESSU CALABR.

ctitati veſtræ de eo quod à noſtris antiquis, uſque in præſens in hoc noſtro caſtro S. Blaſij *a* Neocaſtrenſis diœceſis verſantibus, qui fuerunt eo tempore quo
a beatus Pater in his partibus degebat, fide digna relatione comperimus: qui, prout Sanctitas veſtra dignabitur videre, reddunt verificum teſtimonium tantorum miraculorum, quæ beatus Pater operatus eſt in nomine Salvatoris D. N. Jeſu Chriſti; ultra famam optimam tantorum aliorum Sanctorum geſtorum & operum, quæ in hac provincia viget vagaturque, propter ſanctam ejus vitam. Quocirca adſtringimur de hoc certiorem reddere Sanctitatem veſtram, cum fide digno teſtimonio præſentibus alligato, clauſo & ſigillato, atque ut decet ſcripto manu Notarij Sanſoyſij Poncerij, Apoſtolici & fide digni Notarij. Supplicantes genibus flexis Sanctitati veſtræ, ut dignetur B. P. Franciſcum de Paula recipere & aggregare, propter ſua ſanctiſſima merita, in catalogo aliorum Sanctorum: ut tamquam ſuffultus certiſſima fide, mereatur connumerari inter alios Sanctos..... *b* Quod nos, devotiſſimi Sanctitatis veſtræ, habebimus pro ſingulariſſima gratia. In ſummo Deo veſtra valeat Sanctitudo ſine dierum numero. Ex præfato Caſali S. Blaſij, anno
B Domini MDXVII, die 1 Januarij; per Sanctitatis veſtræ devotiſſimos filios, Sacerdotes & Capellanos d. Caſalis, videlicet Vincentium Serram & Bernardinum de Cello, nec non per Paulum de Yeſio Syndicum, & Jacobum de Vectino Magiſtrum juratum, univerſoſque d. Caſalis habitatores.

1 Teſt. 97 *Sanctus miraculo fidem facit*

127 Honeſtus vir Mag. Paulus de Yeſio deponit, quod cum ægrotaret quidam Carolus Accurius, de Sigliano diœceſis Marturranæ, & jaceret in lecto; mandavit ægrotus d. teſti & cuidam alii, nomine Stephano Accurrio, fratri d. D. Caroli, ut accederent ad B. P. Franciſcum. Et acceſſerunt ad eum & expoſuerunt, qualiter d. D. Carolus male ſe habebat. Et dum hæc exponerent prædicti, viderunt quamdam aviculam volitantem, quę ſubſedit in humero B. Franciſci: qui eam apprehendit & poſuit intus manicam tunicæ. Quo facto reſpondit eis & dixit: Abite cum Domino, & dicite infirmo, quod Deus vult eum penes ſe. Et ſic præfati diſceſſerunt & narraverunt ægroto totum id quod B. Franciſcus dixerat illis: unde ſpatio mediæ horæ d. D. Carolus obiit.

mortis à ſe prænuntiatæ.

C

2 Teſt. 98 *Miſſos à Rege piſces aſſos*

128 Venerabilis vir fr. Ambroſius Copula, Abbas S. Georgij, monaſterij Ordinis S. Baſilij, diœceſis Cathacenſis, Capellanus Illuſtriſſimi D. Ferdinandi de Arragonia, dixit, quod in civitate Neapoli fuit præſens, quando Magnificus Ferdinandus Rex I de Arragonia, certos piſces aſſos miſit, quos idem B. Franciſcus vivos remiſit in duobus vaſis argenteis; præſentibus, adſtantibus & videntibus proprijs oculis, omnibus dominis & principibus qui aderant: & teſtis ipſe tunc præſens aderat in Caſtronovo (nam erat Capellanus, ut eſt de præſenti) & vidit dictos piſces aſſos miſſos, & vivos remiſſos, ſunt anni XL vel parum minus. Item dixit d. teſtis quemadmodum mater ſua, D. Margareta Copula, adeo opprimebatur aſthmate, quod quatuor dies ab eſculentis & poculentis abſtinebat, & etiam non loquebatur: unde petijt gratiam à B. Franciſco, ut liberaret eam ab hujuſmodi ægritudine. Et ſic beatus Pater fecit colligi certas herbas, ex quibus inſalatam fecit, & dedit ei comedendam cum aceto & oleo. Ipſa vero D. Margareta dixit: Pater, inſalata non mihi conducit, imo nocet. Et B. Franciſcus, Cape, nam Deus habebit te commendatam. Et ſic accepit eam una cum duobus pomis & uno biſcocto. Quibus rebus peresis, ſana effecta eſt, & dum vixit, nullo alio laboravit morbo: obijt ſenio & nulla ægritudine.

vivos remittit;

ſanat aſthmaticam,

129 Et plus ſcit ipſe, quemadmodum quædam nomine Marinella, commater d. D. Margaretæ matris ſuæ, acceſſit una cum matre ſua ad d. B. Franciſcum. Quæ Marinella habebat filiam decem annorum, morbo elephantiaco laborantem, unde d. D. Margarita nomine Marinellæ commatris petiit à beato Patre gratiam pro d. puella. Tunc beatus Pater inquit, Ducite eam huc. Et ſic duxerunt eam coram beato Patre: qui dixit Marinellæ, matri d. puellæ: Vade & reſtitue famam D. Antoninæ commatri tuæ, quam abſtuliſti ei, dicens quod habebat rem cum marito tuo: quia non ita eſt veritas. Et reſtitue famam apud omnes, quibus talia dixiſti mala: nam Deus faciet tibi gratiam pro filia tua. Et d. Marinella dixit, quod ejus pareret mandatis. Unde poſtmodum beatus Pater dimiſit eam, & dedit ei certas herbas & dimiſit eam, & dixiti. Ex iſtis herbis confice balneum, nam Deus faciet gratiam d. filiæ tuæ: ſed prius ſatisfacies commatri tuæ de fama ablata, & deinde lavabis filiam tuam cum d. herbis, & Deus faciet tibi gratiam. Et ſic d. teſtis vidit poſtero die filiam d. Marinellæ mundatam & liberatam à d. morbo, in civitate Neapoli.

D

item elephantiacam,

matre ejus monita de reſarcienda fama alterius.

130 Hieronymus de Perrinis, de Xiliano, dixit, quod cum eſſet Paterni ante annos circiter XXXV, ubi erat tunc B. fr. Franciſcus, ad eum concurrebant multæ & diverſæ perſonæ, morbo elephantiaco & alijs morbis gravatæ: & beatus Pater omnes ſanos reddebat, qui ad eum accedebant.

E

3 Teſt. 99 *Multos infirmos curat:*

131 D. Aloyſia de Barbaro, habitatrix caſalis S. Blaſij, ſcit qualiter quædam D. Margarita de Cancello, de civitate Neocaſtri, nupſit cuidam, nomine Petro Micho de d. civitate; quem d. Margareta noluit umquam videre nec cognoſcere pro viro ſuo, ſpatio ſeptem annorum, quamvis vir bonus eſſet d. Petrus. Unde d. Margareta fuit ad B. Franciſcum ad caſale oppidi Paterni: qua viſa B. Franciſcus dixit ei, Filia, redi domum tuam, & duc tuum virum, quem jam diu odio habuiſti. Te certam facio, quando duxeris tuum virum, libera eris amoribus & moleſtijs hujus mundi. Et ſic D. Margarita reverſa, duxit maritum ſuum, & deinde paucorum dierum ſpatio obijt. Quæ autem Paterni acta ſunt novit teſtis ex relatione ipſius Margaritæ.

4 Teſt. 100 *Mulierem à viro averſam*

ei conciliat, & cito ſolvendam ſpondet.

132 D. Antonia de Cola, Sicula, habitatrix d. caſalis, dixit, quod cum accederet ad B. Franciſcum, una cum patre ſuo & nonnullis alijs civibus Neocaſtrenſibus, eo quod pater ſuus maximam in brachio ægritudinem patiebatur; & pro devotione, quam habebat erga d. B. Franciſcum, credebat ſe ſanum fore antequam beatum Patrem videret; medio in itinere Paternum verſus ſanus effectus eſt: & cum eo applicuiſſet, narraverunt rem beato Patri, qui dixit, Commenda te Deo. Similiter quædam nomine D. Joanna de Andino, etiam Neocaſtrenſis, quæ morbo quodam fluxus annis pluribus laborabat, ſupplicavit beato Patri ut haberet eam commendatam. Qui quidem beatus Pater dixit, Commenda te Deo. Et ſic ſana fuit, & numquam hujuſmodi morbo laboravit. Inſuper d. teſtis ſcit, quod quidam Hieronymus Scolus, Neocaſtrenſis, qui venerat cum eis morbo comitiali laborans, quam ægritudinem diu paſſus fuerat, rogavit beatum Patrem ut haberet eum commendatum: cui beatus Pater inquit, Fili, habe bonam contritionem erga Deum: nam is te ſanabit. Et poſtmodum mandavit ei ut ingrederetur hortum & caperet de *c* nepita herba, quæ ibi erat, & liber eſſet ab ejuſmodi infirmitate. Et ſic ipſa teſtis ſcit ex dicto ipſius Hieronymi, quod ulterius hujuſmodi malum paſſus non fuit.

5 Teſt. 101 *ſanat infirmum brachium.*

F

fluxum annis,

morbum comitialem,

c

133 Paulus de Abbate, alias de Bona-femina, d. Caſalis S. Blaſij, dixit hoc tantum ſcire, quod uxoris

6 Teſt. 102 *Hoſpiti venturo ignem ſtrui jubet.*

A cum eſſet in ſervitijs D. Polyxenæ de Arragonia, uxoris D. Henrici de Arragonia, fuit miſſus una cum D. Guilielmo, gubernatore domus d. D. Polyxenæ & ſui conjugis, ad viſendum B. Franciſcum in loco Paulæ. Et invenerunt beatum Patrem, qui fecerat accendi maximum ignem: & d. Guillelmus interrogavit beatum Patrem, cur tam magnum ignem parari feciſſet. Qui reſpondit, Sciebam vos huc eſſe venturos, & propterea ignis neceſſarius erat, maxime exiſtente menſe Januario: Et ulterius neceſſe eſt conſedere. Et d. D. Guillelmus dixit: Parate ergo prandium, volo comedere gallinas. *& tempeſtuoſo mari piſces capti.* Et beatus Pater reſpondit: Hic non comeduntur gallinæ, ſed piſces. Et ſic tunc die Veneris hora Veſperarum beatus Pater miſit quemdam puerum cum quodam bireto rubro, & dixit, Accede ad mare. Et nominavit locum, de quo teſtis non recordatur: ſed mare fluctuoſum erat. Et beatus Pater dixit: Noli vereri: vade illuc & affer huc quod invenies. Et ſic puer ſpatio unius horæ cepit *d* cerinam piſcium pondere decem rotulorum, quam paraverunt: & ſic pranſi ſunt. Et inter prandendum nec piſcis, nec panis, nec vinum diminui videbantur, ſed in ſuo eſſe permanebant. *Puerum ægrum ſanat.* Et inſuper ſcit ipſe teſtis, quod cum ægrotaret quidam Bartholus de Jure, tunc puer; miſſus fuit ipſe teſtis ad beatum Patrem, rogans ut haberet commendatum d. puerum. Et antequam ullum proferret verbum, beatus Pater dixit: Paule, regredere domum: nam Deus fecit gratiam illi parvulo. Et ſic in reditu vidit puerum ſanum, qui etiam ad præſens ſanus eſt.

B

Subſcripſerant Sanſoyſius Poncerius Notarius, *&* Nicolaus Buxus Canonicus & Cantor eccleſiæ Meſſanenſis, *qui* de vulgari in Latinum tranſtulit.

ANNOTATA.

a Caſale S. Blaſij *diſtat Neocaſtro intervallo 5 millium, inter Occidentem & Meridiem.*

b *Addit exemplum:* Nam ultra merita ſanctiſſimum Sanctitas veſtra à ſummo Deo: *quæ omiſimus, quia excidiſſe videtur una alterave livea, cui hæc nectebantur, nullum per ſe factentia ſenſum.*

c *Ibidem* neſcita, *quod tamquam certo mendoſum in vocem* nepita, *alibi jam notam vicinamque mutavimus.*

d *Credo nomine* Cerinæ *naſſam vel corbem piſcatorium ſignificari.*

CAPUT X.

C

Proceſſus factus in Caſtellione.

Epiſtola Baronis Caſtilion ad Papam. 134 *a* SAnctiſſimo ac Beatiſſimo Domino, D. N. Pontifici Maximo, Leoni X, Loyſius de Agno, Baro *a* Caſtellionis. Multa ac terribilia immortalis Dei ſpiracula crediderim tum extitiſſe, quando ſpiritum hunc vitalem intendiſſe humanos conſtat animos. Verum cum innumerabilia ſint ejus miracula, qui primus mortalium tanto ac tam ſtupendo caluerit ſpiramine, ut ventura auſpicaretur, haud à dubio dependet, ut de oraculo ipſius taceam. Cum igitur noſtris ſeculis, Paulæ in terra Brutia conſtitutis, multum ſibi indulſiſſet natura [divina] in hoc genere vaticinij, nec non in diverſorum miraculorum demonſtratione; adeo quod ſibi corpus Divi Franciſci de Paula in domicilium & habitaculum obtinuerit; accidit mihi, Sanctiſſime Pater, quam ſummopere deprecari Clementiam ac Sanctitatem tuam, ut eadem Dei virtute ſuadente, Divum Franciſcum præfatum in catalogum Sanctorum flectatur deſignare: utpote illum, qui hoc munus ſeu bravium conſequi meretur. Quis umquam adeo pertinacis eſſet minervæ, qui innumerabilia ejus prodigia enarrare explicareque queat, etiamſi centum ferrea ſibi eſſent ora? Vir hic maximæ fuit probitatis, maximæ abſtinentiæ, ſanctæ divæque vitæ: itaque ejus animam immediate ad aſtra penetraſſe nemo ambigat, ob diverſa per ſe geſta miracula & prodigia. Ob hoc enim omnes generaliter, ei ſe devoventes, gratiam ex animi ſententia exoraſſe, nec non & in præſentiarum clare exorare patet: quippe qui navigantibus portum incolumitatis, mutilatis & aridis & quocumque alio implicitis morbo valetudinis priſtinæ munus reſtituerit, nec non in partu ſudantibus invocatus ſuccurrit continuo. Quam ob cauſam iterum atque iterum tuæ Sanctitati illum commendare non deſiſto, quem ad adſcriptionem Sanctorum aggregare digneris, ex & propter ea quæ generaliter de eo dicuntur. Die XXVII Novembris, anni præſentis MDXVI, inter loquendum de prodigijs beati viri, talia quæ ſubſequuntur, coram nobis à ſubinſertis teſtibus, recitata & enarrata fuerunt. EX MS. PROCESSU CALABR.

135 In primis de ſpiritu propheriæ & de cognitione ſecretorum Mag. Joannes Sanctorius, Siculus, de civitate Panormi, genitoris mei Loyſij Aquinatis, Baronis Caſtellionis diœceſis Tropeenſis, olim familiaris & domeſticus refert, quod dum frater meus primogenitus, Bernardinus nomine, duorum fere annorum exiſtens, eſſet morti proximus; ad B. Franciſcum de Paula d. Magiſter Joannes fuit deſtinatus Paternum, pro recuperanda ſanitate. Quem mox ut vidit, ſine ullo colloquio prævio, dixit: Scio, inquit, ad quid veniſti: ille parvulus, pro quo veniſti, ſanus eſt & incolumis. Nihilominus matri has caſtaneas infilatas, toſtas cum *b* manguderibus, offeras. Et cum rediit eſſe ad propria, d. parvulum ſanum adinvenit. 1 Teſt. 103 *ſanat ſanctus Fraterculum Baronis moribundum,*

E

b

136 Præterea fr. Franciſcus de Mazo, de d. terra Caſtellionis, retulit, ſe interfuiſſe Paterni, dum quidam adoleſcens decem & octo annorum, de Trennonæ comitatu, diœceſis *c* Mileti, manum habens morbo incurabili implicitam, ita quod clauſam eam tenebat, apertam recepit, mox ut beatus vir eam tenuit; ita quod ea operari poterat ad ſuum libitum, & per diverſa loca fuit d. miraculum promulgatum. Idem fr. Franciſcus, cum præfato Mag. Joanne Sanctorio Panormitano, retulit, quod Bernardinus de Mello, de eodem oppido Caſtillionæo, per duos annos fiſtulæ morbo cruciatus, in ora circa genitalia, dum quindecim foret annorum, beatum virum pro ſanitatis remedio Paterni adiit; & ab eo ſanitatis munus recipiens, habitum Religionis ſuſcepit, & in eo per viginti annos perſeveravit. Sathanæ autem procurante verſutia ad vomitum rediens, ad Fratres Conventuales B. Franciſci ſe tranſtulit, & in priſtinam ægritudinem longe graviorem lapſus eſt, ingratitudine procurante, & noviſſima ejus facta ſunt peiora prioribus. 2 Teſt 104 *& manum contractam*

c

miraculo curatum in Ordinem recipit,

F

à quo regreſſo infirmitas redit.

137 D. Petrus de Paula, Conſentinus, d. terræ Caſtellioni Prætor, retulit, quod Nicolaus, nepos beati viri, fuit ab ipſo in Paula reſuſcitatus: & hoc miraculum eſt vulgatum in Calabria, & potiſſimum in caſalibus civitatis Conſentiæ. De productione fontis idē D. Prætor cum Joanne Siculo Panormitano retulit, ſe vidiſſe fontem illum qui eſt conſtitutus in una capella eccleſiæ de Altilia, ad viam quæ ducit Coſentiam, juxta nemus quod dicitur Ultranium: de eo quoque bibiſſe, & ſimul cum viginti nobilibus Conſentinis circum ſtetiſſe, & de hujuſmodi fontis per beatum virum miraculoſa productione verbum habuiſſe. Cum ſiquidem fornacem calcariam beatus vir ibi præparari procuraſſet, & aqua optima ad hoc opus defuiſſet; in loco arido & arinoſo juſſit fodi: & illico, ut foſſor tetigit terram, aqua ſcaturiit; & hoc eſt famoſiſſimum, & incolis Mangoni, Cepiſſeti, Altiliæ notiſſimum. 3 Teſt. 105 *Nepotem mortuum ſuſcitat,* *fontem producit,*

EX MS. PROCESSU CALABR.

138 Nicolaus Montonus Conſentinus, de caterva nobilium,aſſeruit,quod exiſtens in *d* Spetiano, cum alijs tribus in comitiva ſua ſtantibus, qui ferme erant quindecim annorum & famelici nimis; unus eorum beatum virum tranſeuntem aggrediens, ait: Pater, fames nos valida oppreſſit, panem ergo nobis porrige, quo noſtra tenuis & imbecillis debilitas refocilletur:& ille annuens manu propria pauxillum panis illis appoſuit, ita quod unus eorum ter tantum panis comediſſet; vinum vero appoſuit, quod uni eorum [non fuiſſet ſatis & paucas ficus: & tamen] illorum appetitui plurimum famelico ad ſuperabundantiam ſatisfecit quod fuerat appoſitum, ita quod ad augmentum miraculi media pars vini remanſit, panis vero & ficuum pars tertia: unde mirati ſunt de tam evidenti cremento appoſitorum.

4 Teſt. 106 *quatuor famelici*

d

panes eſca appoſita ſuperabundant.

139 Nicolaus Toſtus de Caſtellione aſſeruit, quod quædam mulier diœceſis Conſentinæ, dum Paternum applicuiſſet, & cum ceteris aſtantibus ferre lapides à B. Franciſco juberetur; illa ſe excuſans, Ego,inquit, à viginti quinque annis uſu brachij dexteri ſum deſtituta. At beatus vir brachium ejus aridum erigens,ſanitati reſtituit, quod prius inutile & ad omne opus ineptum erat. Retulit idem, quod exiſtens Paulæ, viderit virgulta myrtea, à pluribus (ut ferebatur) annis truncata, quę virorē prętferebant, velut ſi recenter fuiſſent detruncata: ſuper quæ beatus vir,ut aſſerebatur, dormiebat. *Idem aſſeruit miraculum fontis, de quo ſupra.* Amadeus de Trabea de Aquino, *una cum Barone Caſtellionis*, & Pizus de Paula de Conſentia Presbyter,*ut teſtes ſubſcripſere; ſignante* Notario Franciſco Ricio de Caſtellione, Excellētis Domini Loyſij de Aquino, Baronis d.terrę, Cancellario.

5 Teſt. 107 *brachium aridum ſanatur.*

B

ANNOTATA.

a *Duplex quidem* Caſtellione *in Calabriæ citerioris tabulis notatur, alterum* Conſentinum *dictum, p. m.* 12 *verſus Boream ab urbe diſtans; alterum* Maritimum, *Maturanæ diœceſis: ſed quia infra dicitur* diœceſis Tropeenſis, *quærendum erit tertium* Caſtellione, *à topographis omiſſum.*

b *Ita clare expreſſum, an recte, tunc ſciemus cum vocis Calabricæ propietatem explicuerit aliquis.*

c Miletum, *oppidum Calabriæ ulterioris, diſtat Tropea p.m.* 15, *circa quod nuſquam* Trennonam *notant tabulæ, in hoc æque ac pluribus alijs defectuoſæ.*

d *Haud procul à Conſentia duplex eſt* Spetianum, *vulgo* Spezzano, parvum & grande: *in hoc conventum fecit Sanctus, ideoque miramur nullum inde Proceſſum haberi, ac ne Conſentiæ quidem ullos inde teſtes comparuiſſe in primo Proceſſu; cum ibi innumera miracula facta dicat Iſidorus, quorum aliquod ſpecimen dabitur in Supplemento Hiſtorico cap.* 3.

C

CAPUT XI.

Proceſſus factus in civitate Catacenſi.

Epiſtola ad Papam.

140 BEatiſſime Pater... Canonizatio Sanctorum omni jure ad veſtram ſolam pertinet Sanctitatem. Cum igitur B. Franciſcus de Paula, natione Calabrenſis, à puerilibus exordijs uſq; ad perfectiores annos & ejus vitæ conſummationem, per diſciplinæ ſtipendia Eccleſiæ concurriſſet; & unicuique teſtimonium vita prior præberet, nec poſſet de ejus provectione dubitari;pro laboribus multis,pro moribus caſtis,pro actionibus ſtrenuis certioris loci debebatur [auctoritas]. Quippe qui totam Calabriam, dante Domino,ſuis miraculis illuſtravit, ſanando infirmos & alia faciendo, quę ſine ſpeciali gratia per homines fieri non poterant: prout latius deponunt infraſcripti teſtes, examinati per duos probos & optimos viros, Apoſtolica auctoritate Notarios,ad noſtram requiſitionem: licet alia multa probari poterant, ſi tunc temporis [cum geſta ſunt] teſtes fuiſſent examinati, nunc vero propter longitudinem temporis mortui ſunt, etiam Domini & Magnates, qui ad eumdem B.Franciſcum ſupplices recurrebant. Ea de re ſupplices rogamus veſtram Sanctitatem, quod habita informatione de prædictis & alijs miraculis, factis per d. B. Franciſcum, eumdem Sanctorum numero aggregari,numerari & ſcribi facere dignetur in catalogo Sanctorum. Sic Deus Sanctitatem veſtram conſervet per tempora longiora. Datum *a* Catanzarii,xxvi Decembris MDXVI. ejuſdem Sanctitatis veſtræ humiles ſervi Univerſitas & homines nobilis civitatis Catanzarii.

D

a

141 Die xxi menſis Decembris,infraſcripti teſtes fuerunt examinati diligenter, ſemotim & in ſecreto, cum juramento tactis Scripturis, per nos Notarios Thomaſinum Cinam & Leonardum Bagnatum: & depoſuerunt modo infraſcripto. Nobilis Antonius Moyuli, laicus Catacenſis, *poſt miraculum ac calcaria fornace ruente, &, dimiſſis ad refectionem operarijs, per B. Franciſcum reparata; cui præſens in monaſterio Paulæ interfuit;etiam* deponit, eodem tempore eodem loco, vidiſſe mulierem de domo Valloni,de terra Umbratici *b* provinciæ Calabriæ,diœceſis Militenſis, omnibus ſuis membris deſtitutā, à ſuis conſanguineis portatam ad d.B.Franciſcum,quæ ambulare non poterat nec membra movere: & ſtatim, ut fuit viſa à B. Franciſco, totaliter ſana effecta eſt,& ambulare incepit,& ambulando receſſit à conſpectu d. b.Franciſci.

1 Teſt. re *Sanctus ſ nat paraly ticam.*

E

b

2 Teſt 10 *Abſens per culum ad ſ venientis cognoſcit:*

142 Donna Sancia, uxor Joannis de Reſſueto, Catacenſis, dixit, quod tempore quo B. Franciſcus erat in provincia Calabriæ, in quodam loco caſalis Paterni; ipſa teſtis audiens optimam vitam & miracula, quæ faciebat B. Franciſcus, deliberavit ad eum devote accedere, & interrogare de quodam ejus primo viro,capto à Turcis in obſidione Hydrunti. Et cum ipſa applicuit flumen nominatum de Sauuto, invenit illud valde plenum & turbidum; & ipſa & qui cum ipſa erant timebant per illud tranſire. Tandem, cum maximo timore & periculo, tranſiverunt & applicuerunt ad locum prædictum, ubi erat d. B. Franciſcus: qui abſque eo quod ab ipſa teſte & alijs fuiſſet ſibi aliquid dictum, de d. periculo & timore fluminis prædicti; ipſi dixit timorem & periculum, per eamdem teſtem paſſum in tranſeundo flumen prædictum. Et cum ipſa teſtis affirmaſſet id quod ſibi contigerat in d. flumine, dixit quod per eam non erat timendum: quia bonum operando timere non debuit. Et ſtatim ipſa teſtis interrogavit d.beatum Patrem de d ſuo primo viro:& ſibi reſpondit, quod amplius eum non videbit, & quod ſecure potuiſſet tranſire ad ſecundas nuptias,prout ſui conſanguinei ſibi perſuadebant. Sicque d. ejus vir numquā fuit reverſus: & talis fuit effectus, & fama volat.

ipſamque morte viri certiorem facit.

F

143 Item dixit, ſe tunc vidiſſe proprijs oculis quoddam reticulum, plenum panibus; & ibi erant homines magni numeri, ſtantes & venientes; & de illis panibus omnibus dabatur ad comedendum, & non videbatur deficere nec diminui, ſed potius creſcere. Et ipſa teſte recuſante recipere de d. panibus, eo quod videret tantam multitudinem concurrere, B. Franciſcus ſibi dixit: Cape de pane, quia gratia Dei numquam deeſt. Sicque ſe accepiſſe dixit, & tamen d. reticulum plenum panibus apparebat. Dixit etiam vidiſſe ſex ſolos homines portare à monte quamdam magnam trabem, ad quam portandam fuiſſent neceſſaria decem paria boum, propter diſtantiam loci & itinera unde veniebant. Et poſt dictos ſex homines veniebat B. P. Franciſcus: & illi ſex homines gaudentes & recentes portarunt d. trabem, uſque ad eccleſiam d. loci.

Panis large diſtributus non minuitur.

ſex homines trabem grauiſſimam portant.

Et

Et præfatus B. Franciſcus poſtea eis dicebat, Ite cum paritate & caritate.

A

3 Teſt. 110 *Sanctus ſanat ſcrofulas,*

144 Venerabilis Presbyter Samſon de Caruſio, Clericus Catacenſis, dixit, quod cum ipſe haberet ſcrofulas in gutture in magna quantitate, taliter quod in quolibet plenilunio videbatur ſuffocari, pater d. teſtis eum conduxit ad multos medicos, per quos non potuit obtinere ſanitatem: & ultimo loco conduxit eum ad B. Franciſcum, tunc manentem in Calabria, in quodam loco caſalis Paterni. Et d. B. Franciſcus ſua manu tetigit locum ſcrofularum d. teſtis: & ſtatim de eis fuit ſanatus & curatus: & numquam redierunt. Et tunc temporis vidit quoſdam de caſali Conſentiæ, portantes certas carnes coctas, ut comederent: & cum appoſuiſſent ſuper tabulam exiſtentẽ in d. loco; apparuerunt vermes vivi, taliter quod ex d. carnibus nemo comedere potuit.

carnes in ejus conventu putreſcunt.

4 Teſt. 111 *cognoſcit mortuum*

145 Magnifica D. Gabella Malena, vidua quondam Magnifici D. Guillermi Froſina, dixit quod tempore quo B. Franciſcus fuit Paterni, graviter fuit infirmatus quidam ejus nepos, propter morſum canis rabidi: conſanguinei autem d. infirmi, habentes devotionem, ad d. B. Franciſcum, miſerunt ad eum quemdam nuntium ad gratiam obtinendam ne decederet. Et nuntius reverſus, dixit ſe acceſſiſſe ad B. Franciſcum: qui audito caſu, ſibi reſpondit: Tarde veniſti, quia ille jam mortuus eſt. Et facto computo, in veritate fuerat mortuus, tempore quo illa verba fuerunt dicta.

B

pro quo rogabatur.

5 Teſt. 112 *occulta peccata redarguit,*

146 Nobilis Antonius Mollus, laicus Catacenſis, dixit, ſe, cum ejus patre tunc vivente & quodam nomine Paulo Fera, pro eorum devotione acceſſiſſe ad B. Franciſcum de Paula: & cum ipſi loquerentur cum eo, fuerunt reprehenſi, ipſe & ejus pater, de quibuſdam peccatis occultis & ſecretis, per eos d. B. Franciſco non declaratis. Et cum ipſe ſibi dixiſſet, quomodo poterat ſalvare ejus animam; præfatus B. Franciſcus, litterarum ignarus, Latine ſibi reſpondit, videlicet: Diliges Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & proximum tuum ſicut teipſum, & ſerva mandata legis divinæ: ex his mandatis tota lex pendet. Item dixit ſe audiviſſe à quodam Fratre Ordinis B. Franciſci de Obſervantia, Antonio Sconzita (*alibi* Scoteto) *quomodo ad B. Franciſcum reprehendendum Paterni accedens, miratus ſit prunas manibus tractantem.*

illitteratus Latine loquitur,

C

6 Teſt. 113 *ſocrui moleſtam reprehendit & ſanat,*

147 Honorabilis Joannes Vitalianus, laicus Catacenſis, dixit, quod cum acceſſiſſet ad B. Franciſcum Paterni, illuc ſupervenit quædam mulier infirma, diœceſis Roſanenſis, & petebat gratiam ab eo impetrari à Deo pro ejus ſanitate. Et illico B. Franciſcus reſpondit ei, Quid vis? quia verberaſti matrem tuam. [Et dixit illa: Non habeo matrem.] Et idem B. Franciſcus replicavit: Socrus tua, mater tua eſt; & eam verberaſti: hinc in antea bene tractes eam, quia gratiam recepiſti. Et illico apparuit ſana de infirmitate, qua detinebatur: de qua dicit ſe non recordari, propter longitudinem temporis. Item dixit, quod cum D. Perna, uxor Bartholi de Ancona, ejus ſocrus, civis Catacenſis, pateretur maximum fluxum ſanguinis, devote acceſſit ad B. Franciſcum & ipſe teſtis cum ea. Gumque applicuiſſent ad locum d. B. Franciſci in Paterno, & fuiſſet cum eo locuta, narrando ſibi d. infirmitatem; beatus Pater ſibi dixit, quod deberet capere petroſelinum tritum, & quod haberet fidem, & ſanaretur. Ipſaque ejus ſocrus, redeundo à B. Franciſco, ſanam ſe invenit; & numquam amplius ab illa hora paſſa eſt d. fluxum uſque ad ejus mortem.

item fluxu ſanguinis laborantem:

7 Teſt. 114 *manet in pluvia veſtibus ſiccis,*

148 Venerabilis Sir-Nicolaus Privari, Decanus Catacenſis, dixit pro ejus devotione ſe acceſſiſſe ad locum caſalis Paterni, ubi tunc erat B. Franciſcus. Et ipſo teſte ibi exiſtente, ſupervenit magna pluvia & inundatio aquarum, taliter quod omnes manuales & ii qui laborabant, & omnes ibi exiſtentes propter d. pluviam fugerunt ad eccleſiam, ſolo remanente B. Franciſco in piereria ſive lapicidina, ubi lapides excidebantur; & ibi ſolus remanſit, movendo & projiciendo lapides tantum quantum durarunt d. pluviæ, & invenerunt d. B. Franciſcum nullo modo *c* balneatum, tamquam ſi non pluiſſet. Item dixit ſe tunc vidiſſe proprijs oculis tres juvenes, de fortioribus qui ibi erant, ex uno latere; & ipſum B. Franciſcum ſolum ex altero latere, portantes magnos lapides de loco ad locum, dicente B. Franciſco: Ambulate, quia Deus nos adjuvabit. Et ipſo teſte ibidem exiſtente fuerunt appoſita duo ligna ad ignem, & illa durarunt per biduum diu noctuque, igne ſemper curante & comburente.

EX MS. PROCESSU CALABR.

c tantum unius portat quantum alij tres,

ligna ardere, non comburi facit.

149 Item dixit ſe ibi vidiſſe quamdam vegetẽ vini, capacitatis ſalmarum .... *d* de quo vino dabatur ad bibendum omnibus operarijs, & omnibus euntibus ad d. Patrem: & operarij dicebant, quod d. vinum duraverat à menſe Aprili uſque ad menſem Septembris. Et tunc etiam ipſe teſtis vidit d. vinum fluere abundanter. Item dixit audiviſſe à d. operarijs, quod ibidem habebatur certa modica quantitas fabarum, de quibus dabatur omnibus operarijs, & omnibus venientibus ad d. Patrem: & quod d. fabæ numquam videbantur deficere, ſed ſemper manere in eadem quantitate. Item dixit ſe audiviſſe à Machello Pemyaro, & Dominico de la Ruſſa, & Antonio Molo, civibus Catacenſibus, qui acceſſerant Paternum propter devotionem & famam d. B. P. Franciſci, quod in itinere invenerunt certas caules in quodam horto, & quod ceperunt de illis & comederunt; & quod, dum fuerunt in præſentia B. Franciſci & petierunt quamdam gratiam; B. Franciſcus dixit eis Quam gratiam? ſi venditis pellem arietis pro *e* pelle .... Et in veritate erant magiſtri *f* corbeſtierij, & vendebant pelles, ut dixerat eis. Et plus dixerunt d. teſti, quod idem B. Franciſcus ipſe dixerit, abſque eo quod ſibi diceretur aliquid: Non potuiſtis dimittere de caulibus Domino. Et ipſi fuerunt mirati quomodo B. Franciſcus ea ſciverit vel vaticinari potuerit. Item dixit ſe audiviſſe à pluribus, quod dum iretur proceſſionaliter ad ferenda ligna pro eccleſia, in eundo d. B. Franciſcus ibat poſtremus, & quod in redeundo fuit viſus primus eccleſiam applicare.

d item ut non deficiat vinum,

E

& fabæ ad longum tempus.

e

f

occulta peccata redarguit.

tranſit invisibiliter ab ultimo ad primum locum.

F

150 Andreas Spatro, laicus Catacenſis, dixit, ſe acceſſiſſe Paternum ad B. Franciſcum, pro devotione & optima fama ejus: & in loco, in quo erat d. B. Franciſcus, invenit ipſe teſtis duos magnos caminos ſive fornaces, unum tegularum, alterum vero calcis. Et quodam ſero fuit impoſitus ignis in fornace tegularum per manus ipſius B. Franciſci, & non in fornace calcis: fornaces autem erant vicinæ: & in mane ſequenti fuit cocta utraque fornax, tam calcis quam tegularum: & apparuit omnibus gentibus illud ex miraculo proveniſſe. Et eodem tempore, vidit eumdem B. Franciſcum portare ſuper collum quemdam magnum *g* cantonẽ, longitudinis palmorum quatuor, & latitudinis palmi unius. Et in veritate tres fortiſſimi viri fuiſſent neceſſarij ad portandum d. cantonem ſive lapidem. Item dixit, quod eo exiſtente in d. loco, magiſtri fabricatores ignorabant ubi potuiſſent fodere cantones & cretã pro tegulis, licet perquiſiviſſent diu, & dixit quod dicebant ei quod non inveniſſent. Tandem d. B. Franciſcus ſignavit in terra cum baculo, ubi non apparebat ſignum alicujus piereriæ: ſicque ibi fodientes invenerunt magnam piereriam; ubi cantones fodiebant & expellebant. Et in quodam alio loco deſignavit eum bacu-

8 Teſt. 115 *fornacem calcis abſque igne percoquit.*

ſolus grandem lapidem portat.

g

materiam fabricæ inveniri facit.

EX MS. PROCESSU CALABR.

lo, & ibi invenerunt cretam aptam pro tegulis ſive imbricibus. Item dixit, quod eodem tempore idem B. Franciſcus dixit ipſi teſti, quod habebat patrem blaſphematorem & rixoſum, dicendo ſibi: Corrige eum de hujuſmodi peccatis. Et etiam dixit ſibi, quod habebat fratrem mente captum. Et quia veritatem locutus fuit, ideo d. teſtis valde terrritus retulit dicto ejus patri, & quod in eodem ſermone ſibi dixerat d. B. Franciſcus bonitatem ejus matris, licet numquam viderat dictos ejus parentes & fratrem.

abſentium mores cognoſcit,

9 Teſt. 116 *infirmum ſanans*

151 Mag. Dominicus de Paterno, laicus Catacenſis & civis, oriundus d. caſalis Paterni, dixit, quod eo habitante in d. caſali & exiſtente infirmo per annum & ultra, præfatus B. fr. Franciſcus vocari fecit ad ſe præfatum teſtem: & referentibus ſibi domeſticis ipſius teſtis, quod erat infirmus; B. Franciſcus replicavit, quod omnino iret ad d. eccleſiam, ad quam ipſe teſtis fuit. Et cum eum vidit B. Franciſcus, fecit eum manere ſub quadam arbore, ſcilicet per circa horam. Poſtea dedit ſibi quamdam manipulam, cum qua fabricatores ſolent fabricare; & ſic cum ea incepit fabricare, & ſtatim evaſit ſanus ex d. graviſſima infirmitate. Et quadam alia vice, ad d. oppidum B. Franciſci, ipſe & quidam alius adoleſcens ceperunt quamdam magnam trabem, & illam traxerunt à quodam caſtaneto per duo milliaria: & par boum vix eam portare potuiſſent.

eum facit laborare,

& grandem trabem trahere.

B

152 *Hic atq; præcedens Caſtellionenſis proceſſus inveniuntur in Codice MS. inſerta proceſſui Romano, ſive productioni documentorum Romæ inſtitutæ per F. Franciſcum Binet, productiq; fuerunt* XX *Martij, anno* MDXVII: *die autem eadem productus eſt ibidem Romæ (quem hic adjungimus, ne ordo teſtium in MS. notatorum turbetur)* Magnificus Joannes Græcus de Tropea nobilis, ætatis annorum LXII qui dixit, quod ab annis circiter duodecim, cum ipſe teſtis eſſet Turonis, ubi morabatur fr. Franciſcus de Paula, in quo magnam habebat devotionem, ſupervenit quidam de *h* Policaſtro, cujus nomen non recordatur, qui ex peregrinatione B. Jacobi in Compoſtella illuc diverterat. Et ipſe teſtis dixit ei: Ex quo tam ſanctum iter perfeciſti, vade ad viſitandum devotum fr. Franciſcum. [Acceſſit ergo vir iſte ad eum] præſente ipſo teſte: cui fr. Franciſcus ſtatim dixit: Vade traditor: tu bene ſcis, quod egiſti. Et avertebat faciem ſuam ab illo, & retrocedebat verſus quemdam parietem: & videbatur ipſi teſti, quod fr. Franciſco cederet murus ſine læſione. Et poſtmodum ille dixit ipſi teſti: Quia ſcio de miraculo. Et nolebat dicere quæ egerat [ſed ſuadebat præfato viro ut confiteretur peccatum ſuum] & ipſe noluit audire. Deinde teſte reverſo in Italiam, cum eſſet *i* Savonæ, quidam Doctor dixit: Ille interfecit genitorem ſuum. Et admirabatur, quod fr. Franciſcus illud ſciret, niſi ex revelatione. Item dixit quod quidam Mag. Aloyſius Tuſcanus de Joſſavo, medicus illuſtris Reginæ *k* Iſabellæ, retulit ſe vidiſſe, quod B. fr. Franciſcus, cum eſſet accēſus ignis in camera ſua, dixit; Quia Mala-teſta (ita vocabat diabolum) multa tentat facere; ite & extinguite ignem. Et duo qui adſtiterant, cum exiſſent cameram, & non haberent quo extinguerent ignem, viderunt fr. Franciſcum ejicientem ignem manibus nudis: & reverſi in cameram viderunt manus fr. Franciſci ſine læſione. *Hactenus ille: at cujus teſtificatio excepta eſt Ambianis, qualis à nobis ante omnia primo loco eſt exhibita, numeratur teſtis* CXVIII.

C

i

ignem illæſis manibus ejicit.

k

l

Teſt. 118

ANNOTATA.

a Catanzarum, *urbs Epiſcopalis Calabriæ ulterioris, à ſinu Scillaceo paucis millibus diſta.*

b Umbriaticum, *non illa Epiſcopalis urbs in Calabria citeriori, ſed oppidum inter Tropeam & S. Leonis, ad ſinum Hipponiatem*, Briatico *dictum in tabulis.*

D

c Balneatus *pro* madefactus, *idiotiſmo Italis & Francis communi, dicitur.*

d *Errore librarij excidit è MS. numerus ſalmarum, qui erit petendus ex autographo.*

e *Ecgraphum* pro pellici: *ſed credibile eſt hinc quoque excidiſſe aliquid.*

f Corbeſtieri *Calabris appellantur, pelliones, nomine ex* corio *&* beſtia *derivato.*

g Cantones *nominantur Italis lapides angulares & quævis formæ quadratæ ſaxa.*

h Policaſtrum *oppidum Calabriæ ulterioris, inter S. Severinæ urbem & Tabernas, ad fluvium Tacinam.*

i Savona *urbs eſt Epiſcopalis in Dominio Genuenſi.*

k Iſabella Regina *uxor fuit Frederici* II. *Rem factam in aula Neapolitana, cum Sanctus ibi hoſpes degeret, ſcribit Iſidorus: ſed de loco nihil poſſumus certi ſtatuere, cum poſſit Medicus ille Paulæ aut alibi miraculum vidiſſe: neque enim intelligenda eſt ipſius Medici camera, nedum Regina, quæ Sanctum niſi in Francia noviſſe non potuit.*

CAPUT XII.

Proceſſus Cuſentinus poſterior. Epiſtola Comitis Agroteriæ.

E

153 MAgno deſiderio tenemur, Beatiſſime Pater, B. Franciſcum de Paula canonizari, non tam quod noſter ſit conterraneus, quam quod & vitæ ſanctitate & plurimis miraculis, quæ nos ipſi vidimus, omnem naturæ vim excedentibus, non abſque divino auxilio factis, in Sanctorum catalogo haberi meretur. Quæ omnia ex proceſſu de ejus vita, qui diligentiſſime ſcriptus eſt, Beatitudo tua cognoſcere poterit. Quamobrem hæc civitas tua Conſentina, caput & princeps Calabriæ, Beatitudini tuæ, tamquam Deo, flexis genibus humiliter ſupplicat, ut B. Franciſcum canonizare dignetur, quod in una tua Beatitudine ſitum eſt. Da hoc civitati tuæ, Beatiſſime Pater, quod facillime dare poteris; quam tanto officio devinxeris, ut in perpetuum Sanctitati tuæ debitrix futura ſit. Da B. Franciſco: qui tanti beneficij non immemor, Deum rogabit, ut res tuas omniumque tuorum fortunet. Da denique Redemptori noſtro; cui dulciſſimum eſt Sanctorum ejus numerum augeri: qui etiam cum diem obieris (qui ſerius veniat precamur) ad ipſius conſpectum te recipiet. Vale Chriſtianæ reipublicæ unicum decus. Datum in civitate tua Coſentia, VI Idus Martias MDXVII.

Conſentinorum epiſtola.

F

154 *Subſcribentium nomina nuſquam legimus. Proceſſus, qui allegatur, haud alius eſſe videtur quam prolixus ille, curante Epiſcopo Cariatenſi factus. Qui huic commiſſionem dederat Iulius* II, *mandatum ſuum etiam ad Cantorem Cuſentinum direxerat, ut cap.* I *ejuſdem proceſſus vidimus. Verum hic nihil tunc quidem feciſſe videtur; aſt cum hoc tempore agendam Romæ conſtaret cauſam, vigore pradicti mandati Pontificij confecit hunc proceſſum, qui Romæ, juſſu Cardinalis Iacobatij, per hujus Secretarium, D. Hieronymum de Cathalles, ex Italico Latinus factus, anno* MDXVIII, *die Mercurij,* IX *Iunij productus eſt, & incipit.* Jeſus Chriſtus. Die I menſis Maij, VI Indictionis, MDXVIII, in locis ſubſcriptis teſtes examinati cum juramento, per Venerabilem virum Bernardinum de Cavalcantibus, Cantorem majoris eccleſiæ Conſentinenſis, vigore Brevis Apoſtolici ſuper fama, vita & miraculis B. Franciſci de Paula Ordinis Minimorum, prout infra particulariter & diſtinctim continentur, interventu M. Joannis de Arvono, publica auctoritate Apoſtolica Notarij & ſcriptoris in hoc aſſumpti, in civitate Cuſentiæ.

Proceſſus coram Cantore Conſentino factus.

155 Ju-

A 155 Julius Barituchitus, de terra Paulæ, dixit quod in anno proxime preterito de menſe Auguſti, cum quadam ſocietate juvenum, numero quinquaginta & ultra, ab eadem terra Paulæ diſceſſit, ut una ſimul quamdam bombardam miræ magnitudinis, quę à Cuſentiæ *a* Caſtello Paulam verſus vehebatur, tranſportarent. Quam quidem bombardam, propter eximiam ejus magnitudinem, viginti juga boum ducebant. Et cum apud quemdam locum nuncupatum la Macha, juxta caſtellum Paulæ, appropinquaſſent juxta præcipitium quoddam, à quo pedetentim deſcendere oportebat; quemdam funem, maximi ponderis, & magnitudinis, cujuſdam navis onerariæ, cuidam arbori religarunt, ut paulatim bombardam incolumem adducerent. Et quoniam d. bombarda tam maximæ magnitudinis & ponderis erat, ſuper quemdam currum vehebatur; qui neque ab hominum boumque viribus, propter acclivem deſcenſum, ſuſtineri poterat. Ipſe Julius tamen & alii ſocii funem præfatum, qui prædictæ arbori ligatus erat, manibus tenebant, propter impetum velocem, qui ex declivi aſcenſu inferebatur.

a *Tormentum aneum*

ex precipiti deducens,

implicatur funi machinam ſuſtinenti,

B 156 Eumdem porro funem d. Julius ſuſtentare non valens; in terram juxta arborem, quæ undique à fune circumdabatur, proſtratus accubuit, pedesque ſuos intra funis volutiones impoſuit. Verum quia d. funis volutiones uſque ad finem adſtringi debebant, ipſe Julius, cognoſcens hujuſmodi periculum evadere non poſſe, præfatam arborem amplexus, cum devotione exclamavit: O B. Franciſce de Paula, fer mihi opem & auxilium. Statim autem, d. verbis ſic prolatis, currus, ſupra quem bombarda vehebatur, miraculoſe reſtitit, in loco tam præcipiti: & eidem viſum fuit, vidiſſe quemdam Fratrem, Ordinis ejuſdem B. Franciſci habitu accinctum, qui funem manibus ſurripere videbatur, qui ſub arbore prædicta & bombarda religatus manebat, & ex omni parte arborem diſcurrebat, ipſiuſque Julii tibias intra volutiones tenebat. Et ita miraculoſe d. curru firmato, à tali periculo illæſus evaſit. Et ſi ita miraculoſe currus non reſtitiſſet, certe tibias Julii compreſſiſſet, quoniam eidem arbori adſtrinxiſſet. Inſuper Capitaneus d. terræ Paulæ & nonnulli alii, videntes currum ita miraculoſe abſque hominum præſidio firmari, in loco tam præcipiti, exclamarunt, Miraculum, Miraculum, & ſic Deo omnipotenti & B. Franciſco de Paula immenſas gratias egerunt. Et e veſtigio ipſe Julius nudis pedibus ad B. Franciſci monaſterium, quod olim ipſe Beatus conſtruxerat, profectus eſt: genibuſque flexis eidem B. Franciſco, à quo tantum beneficium acceperat, gratias egit, imaginemque ſuam ceream, ac funem etiam pedibus circumvolutum pro devotione & in hujuſmodi miraculi memoriam, fecit fieri.

certo amiſſurus tibias,

niſi ipſum Sanctus miraculoſe ſtitiſſet.

C

2 Teſt. 120 157 Die retro ſcripta, in terra Montis-alti Conſentinenſis diœceſis, D. Joanna de Coratore, de terra Montis-alti, dixit quod (ſunt jam transacti circitet quadraginta anni, à tempore quo B. Franciſcus in terra Paulæ commorabatur) quidam Franciſcus ejus filius, (qui conjugatus erat, & tres filios, duos mares & unam feminam, habebat) æſtivo tempore adverſa febrium valetudine cruciabatur, & ita infirmus per triginta dies in lecto permanſit. Tandem medici deſperantes medicamina, ſuggerebant aſſerebantque ejuſmodi ægritudinem eſſe mortalem, & quod nullo pacto eorum medicamine & arte aliquam opem & auxilium eidem ferre poterant. Qui quidem Franciſcus, ſuſceptis omnibus Eccleſiæ Sacramentis, uno dierum poſt Miſſarum ſolennia ad mortem declinare incipiebat, lumineque accenſo, ab omnibus qui aderant, & maxime ab eadem Joanna, tamquam mortuus reputatus eſt: ipſumque Franciſcum à lecto cripere, & in terram deponere, ut mos patrius eſt, decreverunt.

Moribundus

imo jam mortuus,

EX MS. PROCESSU CALABR.

158 Ipſa autem Joanna, filium ſuum mortuum aſpiciens, maxima cum devotione exclamare incepit: O Beate Franciſce de Paula, concede mihi hanc gratiam, ut filius meus reviviſcat & ad mundum revertatur, neu deſerat filios ſuos pauperes pupillos: & ego pro devotione renuntiabo & derelinquam omnes ſeculi hujus vanitates, meque habitu veſtræ religionis induam. His verbis expletis, Franciſcus oculos aperiens, omnes qui circum aderant aſpexit: qui unanimiter alta voce, Vivit, Vivit, exclamaverunt. Itaque indies convaleſcere incepit, & poſt dies viginti valens & incolumis ſurrexit, vixitque deinde circa annos triginta. Et ſic ipſa Joanna voti compos effecta, ſuam veſtem vendidit, & Paulam, ubi B. Franciſcus commorabatur, adivit. Quam quidem ipſe B. Franciſcus habitu ſuæ religionis manibus propriis induit: & cum d. habitu ſemper inceſſit, atque adhuc in præſenti incedit. Interrogata quiſnam fuiſſet præſens, quando quondam ejus filius ita mortuus remanſit, dixit quod interfuit quidam Dominicus de Bel-caſtro de d. terra Montis-alti: qui cum vidiſſet d. Franciſcum ita mortuum & poſtea reſurrexiſſe, propter votum quod fecerat ipſa Joanna; devotione accenſus, illinc ad certum tempus induit ſe habitu tertii Ordinis d. B. Franciſci, & cum d. habitu mortem obiit. Et ſemper quando ipſe Fr. Dominicus videbat Franciſcum præfatum, appellabat eum, Mortuum ad vitam reſtitutum. Et in rebus prædictis interfuerunt nonnullæ aliæ perſonæ, quæ poſt longum temporis ſpatium ab hoc ſeculo migrarunt: & quando videbant & aſpiciebant d. Franciſcum, eumdem, Mortuum ad vitam reſtitutum, vocabant.

matre volente ſe ſuſcepturam habitum Tertiariæ.

reviviſcit.

quo viſo præſentium unus idem facit.

E

159 Die xx d. menſis, in civitate Conſentiæ, Nicolaus Ruſſus, de Paterno, dixit, quod ſunt jam transacti anni circiter xl, tempore quo B. Franciſcus vivebat in loco de Paterno, vidit ipſe teſtis, quemdam hominem de Rovito Conſentinæ diœceſis, qui habebat unum oculum quadam albedine coopertum, qui ſe B. P. Franciſco commendabat, dicebatque eidem, Per Chriſti Paſſionem, præſtate huic oculo aliquod remedium, ſi poteſtis. Tunc ſubito vidit, quod B. Franciſcus fruſtum bombicis aqua benedicta madefactæ accepit, quæ forte in eccleſia erat: & deinde d. bombicem madefactam ſuper quamdam calcem virginem, quæ in eccleſia manebat, convolvit, poſteaque d. oculum album eadem bombice abſterſit: & ſtatim ipſe teſtis oculum, albedine coopertum, ad ſtatum priſtinum reſtitui aperte perſpexit.

3 Teſt. 121 *oculi albuginem abſtergit Sanctus.*

F

160 Inſuper etiam cum veritate ſcire dixit, quod in d. tempore in hieme homines de Paterno, cum eſſent venatum, in ejuſdem montibus nix maxima diffundebatur, ibique quemdam virum de Macatia, ut nonnulli aſſerebant, ſupra nivem proſtratum repererunt, qui vivi hominis ſignum nullum penitus faciebat. Quem quidem tamquam mortuum, ut ſepelirent, in locum, ubi tunc B. Franciſcus commorabatur, tranſportarunt. Et cum primum beatus Pater præfatum hominem in terra proſtratum aſpexiſſet, illis qui præfatum hominem ut mortuum exiſtimaverant, dixit, Per caritatem, iſte non obiit mortem, ſed vivit. Vocavitque quemdam Fr. Galaſinum, ut ſtatim ad ſe veniret. Acceſſitque beatus Pater ad d. hominem, eumque tetigit, dixitque Per caritatem, ſurge. Et ſtatim d. homo motum & vivi hominis ſignum facere incepit. Ipſeque beatus Pater eidem Fr. Galaſino dixit, iſtum hominem ad penum adducite. Qui ſtatim ſurrexit ac pedetentim

inter nives repertum mortuum.

Paterni ſuſcitat.

EX MS. PROCESSU CALABR.

tim ambulare incepit, & deinde ſanus ſubito remanſit, Et ſupradicta omnia ipſe Nicolaus oculata fide vidit. *Sequebatur ſupraſcriptorum delegati Apoſtolici, Notarii & Interpretis atteſtatio & ſubſignatio.*

161 *Hactenus Proceſſus Calabrici; quibus addi meretur Comitis Groteriæ epiſtola & ipſa nonnullorum miraculorum, per B. Franciſcum Patratorum, teſtis: quæ talis eſt.*

Vinc. Carafa Groteriæ Comes teſtatur,

Poſt trinum terræ oſculum ante pedes, humiliter ac reverenter Beatitudini & Sanctitati Domini noſtri ſupplicatur, pro parte Vincentii Carrafæ, Comitis *b* Groteriæ in provincia Calabriæ ulterioris, exponentis, quod cum temporibus non longe decurſis extiterint mira & innumerabilia miracula B. Franciſci de Paula, quem commendanda vitæ Sanctimonia notiſſimum reddidit in illa provincia; quorum multa mihi & Bernardinæ uxori ocularitèr cognita, ſimul & à fide dignis perſonis audita ſunt, quæ ſine dubitatione veſtræ Beatitudini merito flexis genibus commendanda videantur: quantumcumque non tam bene loqui valeam, quantum illius veneranda opera expoſcunt, ut in catalogo Sanctorum non immerito annumerari mereatur.

quod Sanctus igne illæſus fuerit,

162 Cognitum mihi & uxori eſt, Beatiſſime Pater B. Franciſcum de Paula ſæpius ex camino ignis ardentis miraculoſe Dei præſidio evaſiſſe, incolumem & illæſum. Palmis quoque manuum prunas ardentes tenuiſſe, ad calefaciendum aliquos aſſiſtentes, qui aliqualiter increduli erant, & de eo diffidebant: quos immaculatio manuum in indubitatam credulitatem reduxit. Sed ut taceam quæ à fide digniſſima perſona D. Bernardi Carozoli relata fuerunt (B. Franciſcum de Paula tempore Cardinalatus *c* Beatiſſimi Papæ Julii, Prædeceſſoris veſtræ Sanctitatis, eidem vaticinatum eſſe futurum ſummum Pontificem, eumque ex tam dextro & prophetico vaticinio B. Petri locum attigiſſe; qui quidem D. Bernardus indubitanter affirmabat ſe interfuiſſe) non omittam, quod in arido & deſerto loco, ubi conventum erigere cœperat, fontem vivum præter hominum opinionem ſcaturire fecit, unde aquam pro neceſſariis miraculoſe haurirent, ut non immerito omnes obſtupeſcerent, & exinde devotio miraculoſa increvit. Nos audivimus pro certo & proculdubio, lignum miræ magnitudinis & ponderis (quod quinquaginta homines dum tentaſſent ad alium locum tranſportare, cum ibi impedimento eſſet, illud omnibus adhibitis viribus non potuiſſent) cum uno ſolo, quo voluit, miraculoſe aſportavit.

B

c Card. Roboreo Papatum prædixerit,

fontem in arido excitaverit,

gravissimũ lignum facile tulerit,

C

d uxoris ſuæ fratrem ſanavit,

163 Vidit Bernardina uxor, dum in domo exiſteret patris D. Agelli *d* filii quondam D. Pauli de Siſaris, dum morbo acerrimo Antonius frater gravaretur, & devotione maxima, quam ejus parentes ad d. Fr. Franciſcum habebant pro ipſius immenſis miraculis, d. B. Franciſcum deprecati fuerunt, ut pro ipſius ſalute expoſceret. Qui pomo & biſcotello à beato Patre miſſis convaluit, & præter medicorum atque omnium opinionem morbo illo peſſimo liberatus, vixit & ad præſens vivit: quare ex tam evidentiſſimo miraculo, parentes & univerſa parentum familia, B Franciſcum ut Sanctum venerabantur: & exinde tota provincia commendabile ſumpſit exemplum, & tanta increbuit parentum devotio, ut nihil eiſdem proſpere beneque ſuccedere exiſtimarent, quod inconſulto beato Patre experirentur. Nec ſilentio prætereundum eſt, quod affluente ad eum hominum concurſu, qui hinc atque hinc miraculis ejuſdem incitati alacriter confluebant, juberet Pater eiſdem ſubminiſtrari neceſſaria victui ex cophino panis: ſed diſcumbentibus multis datus panis in cophino non deerat; qui ſemper refertus pane exiſtebat, quamvis prius decem perſonis vix ſufficere videretur. Poſt vinum quoque ex cado aſſumptum, cadus vino refertus ſemper apparebat; quod non naturaliter, ſed divino myſterio miraculoſe fieri apparebat evidenter.

& annonam miraculoſe multiplicavit:

D

164 Humiliter ergo flexis genibus veſtræ Sanctitati ſupplicatur, amore Dei cujus vicem gerit, quod dignetur d. Beatum Patrem, quem vitæ merita & innumera miracula in vita commendarunt, mortuum, ſuis meritis, aliorum Sanctorum, jubeat aſſociare catalogo. In quorum fidem veſtræ Sanctitati hæc nota fieri curavi. Datum in caſtro Rocellæ Hieracenſis diœceſis, ulterioris Calabriæ, VI menſis Decembris MDXVI.

quare pro e canonizan. ſupplicat.

ANNOTATA.

a *Vulgo* Caſtiglione di Coſenza, *de quo ſupra ad cap.* 10 *litt. a*

b Grottaria, *inter ſtili promontorium & Hieracium, huic quam illi propior, ſupra fluvium Proteriatem, à* Grottis, *id eſt Cryptis, nomen ſortita. Latinus Interpres genitivum Calabricum* da Grotteria, *interpunctione mutatâ legens* d'Agrotteria, Agroteriæ Comitem *nobis finxit. Manifeſtum mendum corrigere placuit; & quo minus dubites indicare quod* Roccella caſtrum, *unde epiſtola data notatur, Grottaria proximum ad Boream ſignetur.*

c Julius II, *antea dictus* Julianus de Ruvere, *in ſacrum Collegium adoptatus à Sixto* IV *an.* 1471, *ad Pontificatum evectus an.* 1503.

E

d *Forte* Agnelli, *hoc enim notum Neapolitanæ nobilitati nomen eſt, non* Agelli.

CAPUT XIII.

Variorum oppidorum & Principum Calabrenſium litteræ, pro impetranda Canonizatione B. Franciſci.

Jungamus hoc capite varias variorum oppidorum litteras, ad Leonem Pontificem in hac cauſa datas, & Romæ productas, quarum prima ſit Univerſitatis & hominum terræ Paulæ.

Pro hac cauſa ſupplicant Leoni X Paulani,

165 Ad Sanctitatis tuæ celſitudinem, Sanctiſſime Pater, non auderemus tam familiariter ſcribere, ne temeritatis vitio notandi eſſemus, niſi te omnium humaniſſimum omniumque clementiſſimum perſpiceremus, ut eos etiam quos numquam videris, non ceſſes indies tua tibi beneficentia devincire, Unde fit, ut nos quoque te adire non dubitemus, cum ſumma ſpe id obtinendi, quod à Te potiſſimum impetrare cupimus. Cum B. Franciſcum, civem noſtrum Paulanum, dum vitam duceret in humanis, in continuis vigiliis, jejuniis, ceteriſque probatis moribus ac ſanctis operibus verſatum perpenderimus (cujus quidem ſancta Religio, pro ejus ſanctimonia auſteraque vita, per totum fere orbem, ubi Chriſtiana fides viget, propagatur) merito in Sanctorum numero connumerandum fore exiſtimamus. Quare tuam flexis genibus ac humiliter deprecamur Sanctitatem, ut complexis mente prædictis, & aliis, tum in vita tum etiam poſt obitum mirabiliter peractis, & quæ indies peraguntur miraculis, & proceſſibus apparentibus (de quibus etiam teſtimonium reddimus, tuamque Sanctitatem per præſentes facimus certiorem) eumdem Franciſcum, ut poſtulant ejus merita, canonizare atque Sanctorum catalogo adſcribere & collocare dignetur: ut ita veneretur in Eccleſia militante, ſicut in triumphante fruitur gloria. Quod ſi hoc Pontificatus tui tempore feceris, ut ſperamus; tua Sanctitas nos noſtroſque in poſterum ſucceſſores, perpetuo ſibi devinctos eſt habitura. Vale in Chriſto

F

A Christo Jesu, Pater Beatissime, & in vestra deprecatione commendatos habe, ut Deus omnipotens te Patrem Clementissimum ad optatum votum conservet. Amen. Paulæ, VII Decembris, MDXVI.

Ego D. Hieronymus Haldocius, Archipresbyter terrarum Paulæ & Fuscaldi testor. *Similique forma subscribentes testati sunt*, D. Philippus Paucolerius, D. Nicolaus de Gaudio, Jacobus Calbalus, Antonius de Adoardo, Canellus de Brutis, Nicolaus de Jagutio, Paulus Pisorius, Joannes Franciscus Castellus; *omnes* de Paula.

lons-altini, 166 *Ex* Monte-alto, *P. M. circiter decem à Paula distante oppido, datæ litteræ, hujus tenoris fuere.* Noverit Sanctitas vestra, quemadmodum tempestate nostra, hac in provincia Calabriæ, floruit B. Franciscus de Paula Ordinis Minimorum, vir omni virtute celeberrimus; qui multis claruit exemplis & miraculis, cæcos illuminando, penitus mutis loquelam restituendo, multos ac varios ægros variis ægritudinibus detentos mirifice liberando: itaque omnium voce inter nos Sanctus reputatur celebraturque quotidie. Et quoniam inter Cælicolas collocatum esse censemus, merito in terris inter alios Sanctos connumerandum fore duximus. Igitur Sanctitatem vestram summis humillimisque precibus exoratam volumus, ut eumdem Beatum inter alios Sanctos adscribere dignetur. Ex Monte-alto, xx Novembris, MDXVI. Unde ad majorem claritudinem ego Notarius Bernardinus Bachillerius has præsentes litteras scripsi, ad requisitionem Universitatis & Syndicorum terræ præfatæ Montis-alti.

B Ego Loysius de Vica, de civitate Cybinensi, Ducalis Capitaneus d. terræ, fateor prædicta esse vera. *Eodemque modo subsignarunt*, Simon de *a* Alimena Syndicus d. terræ, Notarius Pyrrhus Richius, D. Quintilianus de Sperancha, Agatius Russus, Matthæus de Alimena, Petrus de Simon... Alphonsus Russus, Notarius Ferrandus de Monte-alto, Paulus de Paula, *omnes incolæ Montis-alti*,

a

rydani, 167 Universitas & homines terræ Maydæ (*quod est Calabriæ ulterioris oppidum, qua illa inter Scyllaceum & Hipponiatum sive S. Euphemiæ sinum angustissima est*) *supplicationem suam sic formavere.* Sanctissime Pater, percipiat tua Beatitudo, quod universitas & homines hujus terræ Maydæ, partium Calabriæ, qui infra sunt scripti; præmisso trino osculo ante pedes tuæ Sanctitatis, orationibus ipsius Beatitudinis tuę se commendant; certioremque faciunt eam, quod ob progressum sinceriss imæ ac immaculatæ & inculpatæ vitæ B. Francisci de Paula, nostri provincialis

C compatriotæ, cum in humanis ageret & in partibus istis degeret, accumulatum miraculis multis & diversis variisque prodigiis, tracti fuimus, ut in hac patria, ipso in humanis agente, monasterium sui Ordinis fundaremus & construeremus. Quod equidem nobis pervalide profuit, posseque in futurum proficere speramus, intervenientibus orationibus, prædicationibus, moribus & bonis exemplis honestatis vitæ Religiosorum ibi degentium. Sumusque propterea coacti ac impulsi, ne in ingratitudinis vitio & crimine moreremur, Sanctitatem tuam obnixe inclinatis genibus exorare, quo ad ipsius B. Francisci canonizationem descriptionemque in catalogo Sanctorum festinare curet, ipsiusque diei solenne festum deputare, prout merita suæ sanctitatis Beatitudinem tuam interpellant; quod eum celebrem reddat in orbe terrarum, qui sedule in conspectu individuæ Trinitatis pro ea supplices preces effundet; quodque gregem suum ipsi commissum juste & sancte regat, & gubernet, & post obitum ad vitam & gloriam perducat æternam, permansuram per infinita seculorum secula. Amen.

Ego D. Alphonsus Major, Generalis Vicarius Neocastrensis, *Similiter subscripsere* Franciscus Jugus Vicarius, Antonillus Ramaclus, Franciscus Burianus Syndicus, *& alii sexaginta ex incolæ ejusdem* terræ de Mayda; *quos singulos nominare longum foret.* EX MS. PROCESSU ROMANO

168 *Ex* terra Amanteæ, *quæ ad Olivam fluvium sita; P. M. 15 dumtaxat versus meridiem Paula distat, in eodem maris Tyrrheni tractu, scriptum est in hunc modum.* Sanctissime Pater, universalis ecclesiæ Pastor, post vestrorum pedum humilem deosculationem commendationemque devotam & continuam, occurrit Sanctitatem vestram de virtutibus, moribus & vita B. P. Fr. Francisci de Paula aliquantisper reddere certiorem. Noverit itaque eumdem, religione & moribus probatum, ac infinitis miraculis & Sanctimonia abundasse; innumerabiles infirmos & variis morbis oppressos & cruciatos, virtute Dei omnipotentis sanasse & liberasse: eumdemque pluries in ardentem calcis fornacem intrasse, & ex ea exisse incolumem, & mirabilia multa fecisse, haud nisi Sanctis possibilia (de quibus omnibus reddi potest verum testimonium, ultra publicam & vocem & famam) in his nostris partibus undique & veridice conclamatur. Adeo quod fronte non erubescente Sanctitati vestræ cogimur supplicare, prout devote & humiliter supplicamus, quod ad honorem divinæ mentis, & suæ Religionis Ordinis, Christianorumque devotionem ampliandam, ipsum Patrem Sanctorum cœtui honorifice aggregare dignetur: ac iterum & semper vestros pedes deosculando, Sanctitatis vestræ benedictionem humiliter imploramus. Datum in civitate Amantea, xxv Novembris, MDXVI. *Amanteenses,*

E

169 *Scripsit etiam, super eodem negotio ad summum Pontificem* Antonius Scaramella; *qui videtur fuisse Dominus castri S. Angeli, in Cariatensi diœcesi siti, & hodie in Principatum evecti.*) *Scripsit autem in hæc verba:* Accepimus, Beatissime Pater, Beatitudinem tuam de vita & moribus & miraculis B. Francisci de Paula sagaciter inquirere; quo in Sanctorum catalogum referatur. Quamobrem cupientes Deo primum, deinde Beatitudini tuæ, quam ad propogandam Christi unigeniti filii sui fidem dominari gentibus & præesse voluit, satisfacere, postremo ad decus hujus provinciæ, justum fuit hæc pauca scribere. Constans opinio est omnium per universam hanc Brutiorum oram, B. Franciscum ab ipsis incunabilis semper sinceriss ime ac sanctissime vixisse, eamque sibi optasse vitam, ad quam nisi Dominico afflatus spiramine adspirare nemo posset. Mores ejus sanctissimos fuisse & undique approbatos, nulli dubium est; magnumque de se specimen dedisse constat, & verbo atque opere fuisse Deo gratum. Miracula de illo innumerabilia & pene infinita passim referuntur. De his causis, dum hic vixit tamquam mortalis Deus ab omnibus colebatur. Hæc non solum ex communi ceterorum hominum consensu percepimus, sed etiam à subditis nostris & domesticis ac famulis, quibus adhibenda est fides, vere cognovimus. Itaque Beatissime Pater, de sanctitate hujus viri multo plura dici possent, cum vulgo prædicentur. Supplicamus propterea Beatitudini tuæ, quod dignetur illum in catalogo Sanctorum adnumerare, quia Sanctorum vitam imitatus fuit. Sic valeat felix Beatitudo tua, quam ad perdendos hostes Christianæ fidei per diuturna tempora Deus sospitem faciat. Ex castello S. Angeli xv Januarii MDXVII. *item Dominus S. Angeli.*

F

170 Comitis *denique* Martorani *litteræ, pro eadem causa de vulgari in Latinum translatæ, hujusmodi fuerunt.* Sanctissime ac Beatissime Pater, post pedum oscula suæ sanctitatis, ejus benignæ gratiæ & benedictioni *& Comes Martoranus.*

me

EX MS. PROCESSU ROMANO.

me commendo. Cum intellexiſſem quod intendatur canonizationi *b* B. Fr. Franciſci de Paula, & quod propterea fit proceſſus de ejus vita & moribus; quamvis ego ſum iuvenis, & non eram eo tempore: tamen quia à perſonis fide digniſſimis intellexi, quod dum in his partibus ſe continuit & moram traxit, multa fecit miracula, ut Sanctitas ſua ex aliis proceſſibus videbit. . . . ſupplico eidem Sanctitati veſtræ, placeat d. B. Fr. Franciſcum canonizare, ſicut ſuam ob virtutem meretur. Ex Caſtello Martorani III Januarii MDXVII.

b

ANNOTATA.

a *Hic* Simon, *vel potius ejus pater, fuerit ille, ad quem ſcripta finguntur prophetica epiſtolæ S. Franciſci.*

b *Additur in autographo* corporis, *quod, imperite appoſitum à ſupplicante, maluimus omittere: ſcimus tamen idiotas homines ſic locutos in hac materia. Nempe quia circa Sancti animam, à Deo in cælis glorificatam, nihil putabant ſtatuendum; hoc ſolum requiri æſtimabant, cum petebatur canonizatio, ut corpora eorum, liceret publice honorare in terris.*

B *Aſt profecto hoc inſuper facit illa, ut anima in cælis eſſe utiliterque invocari certo credi debeat.*

CAPUT XIV.

Epiſtolæ Principum Domus Franciæ, ſuper eodem negotio Romam directæ.

171 *QVa primum in quarto hoc codice tenebant locum, Regis ac Reginæ Francorum, aliarumque ſanguinis ejuſdem principalium perſonarum litteræ, & plurimum ad rem conficiendam momenti haud dubie attulerunt, eas ad hunc ultimum locum de induſtria reſervavimus. Deeſt quidem in pleriſque annus, quo data illæ ſunt (ſaltem juxta exemplum noſtrum) ideoque non fidimus Iſidoro Tuſcano, ſuum cuique annum incunctanter adnotanti: videntur tamen poſt Ludovici* XII *obitum (qui* MDXV, I *Ianuarii accidit) ſucceſſores ejus Franciſcus & Claudia ſcripſiſſe Romam, primo ſtatim Regni ſui anno. Quamvis autem Regis epiſtola non ſuperſit, ſupereſt nihilominus in hoc codice noſtro epiſtola Reginæ,* Pariſiis XXII Martii *data in hanc ſententiam.*

1 *Epiſtola Reginæ Claudiæ ad Pontificem:*

172 Sanctiſſime Pater, intelleximus Dominum meum Sanctitati veſtræ ſcripſiſſe pro canonizatione benedicti P. Fr. Franciſci de Paula, & credimus eamdem Sanctitatem veſtram eſſe bene informatam de bona vita, converſatione, conſtantia & perſeverantia præfati benedicti Patris & Inſtituturis Regulæ Ordinis Fratrum Minimorum, nuper deceſſi in conventu civitatis Turonenſis. Eamdem Sanctitatem veſtram [intelleximus] eiſdem Fratribus conceſſiſſe, poſſe facere, depingere imaginem ipſius Fr. Franciſci in eorum eccleſiis, & tam in Veſperis quam in Matutinis poſſe facere commemorationem d. benedicti Patris, uſque dum proceſſus ſuper conſtantia & longa perſeverantia ac miraculis fuerit viſitatus & executus. Quæ miracula voluit Deus facere pro eo, tam in ejus vita quam poſt ejus obitum, prout plenius eadem Sanctitas veſtra erit informata per Cardinalem Sanctorum Quatuor-Coronatorum: cui, prout retulit nobis modernus Generalis d. Ordinis, præfata Sanctitas veſtra commiſit proceſſum jam factum in Calabria, ſuper Sancta vita converſatione & miraculis d. benedicti Patris. Et ex eo

C

a quod defuncta Regina *a* Mater noſtra, quam Deus abſolvat, erga d. canonizationem ſingulare habebat deſiderium, & nos ex parte noſtra deſideramus eam fieri, conſiderando honorem Sanctæ Matris Eccleſiæ de bono in melius ſic exaltari & augeri. Et propterea deprecamur & requirimus eamdem Sanctitatem veſtram corde affectuoſiſſimo, habere coſdem Fratres in hujuſmodi negotio commendatos, ſecundum tenorem proceſſuum, tam in Calabria, quam hic per Epiſcopum Pariſienſem virtute ſibi commiſſi factorum, per eamdem Sanctitatem veſtram, quam Creator velit tenere in regimine ſanctæ Matris Eccleſiæ.

D

Veſtra devota filia, Regina Franciæ,
Ducisſa Britanniæ ac Mediolanenſis,

CLAVDIA.

173 *Hæc illa: quæ quod Leonem videatur facere auctorem Brevis commiſſorialis ad Pariſienſem Epiſcopum dati (quod à Iulio Papa conſtat emanaſſe) cuidam ſcribentis inadvertentiæ imputari debet. Regis autem litteras unius fere ejuſdemq; cum his fuiſſe tenoris colligimus ex ea ſimilitudine quæ inter ſecundas eorumdem Regis ac Reginæ epiſtolas invenitur ſumma, ſententia ac verborum: cum quibus etiam pene quoad verba coincidit epiſtola Annæ Franciæ; ejus quæ ex Ludovico* XI *nata, Petroque Borbonio nupta, Caroli fratris regnum tutrix adminiſtrarat; quam illa, cum Reginæ Claudia Lugduni agens, pariter Romam ſcripſit, anno* MDXVI, *initio Maji: ex eademque annum poſteriorum litterarum à Regibus ſcriptarum, certius quam ex Iſidoro Tuſcano diſcimus. Pro tribus autem illis, cum ſint ſimillimæ, ſola nobis ſufficiet epiſtola Regis, ſcripta ut ſequitur.* Sanctiſſime Pater. Nuper ſcriptis per nos Sanctitati veſtræ pro canonizatione benedicti Fr. Franciſci de Paula inherendo, & credentes tuam Sanctitatem bene informatam de vita & ſanctitate ejuſdem Fratris Franciſci (prout Generalis ejuſdem Ordinis præſentium lator retulit nobis) Proceſſus, tam in Calabria quam in his partibus, ſuper magna conſtantia & longa perſeverantia d. Fr. Franciſci & miraculis, quæ Deus Creator noſter in eo operatus eſt, tam in vita quam poſt ejus obitum (de quibus miraculis Nos & illi qui illum noverunt & viderunt, ſicut Prælati, Nobiles & alii de regno noſtro, poſſumus perhibere & facere fidele teſtimonium, eumdem Fr. Franciſcum eſſe magnum Dei amicum & hominem totius ſanctitatis & perfectionis) per Cardinalem Sanctorum Quatuor Coronatorum videri & exequi ordinaſſe; ſupplicamus & requirimus eamdem Sanctitatem veſtram, ut continuando dietim de bono in melius hujuſmodi ſanctum opus, tam per Sanctitatem veſtram quam per felicis recordationis Julium Papam II, ejuſdem Sanctitatis veſtræ prædeceſſorem, inchoatum, placeat eidem Sanctitati veſtræ cum omni diligentia facere dictos Proceſſus, ſuper ſancta vita & miraculis d. benedicti Patris, referre, recitare & exequi in publico conſiſtorio: & cum in eo digna cauſa talis digni operis reperta fuerit, eum canonizare & annumerare catalogo benedictorum Sanctorum, prout bene meruit: quod temporibus noſtris fieri multum deſideramus, & propterea ſinceriſſimo affectu deprecamur, & iterum requirimus veſtram Sanctitatem, credere velle & fidem adhibere dictis prædicti Cardinalis Sanctorum Quatuor Coronatorum, hanc materiam tangentibus. Et ita faciendo, Sanctiſſime Pater, eadem Sanctitas veſtra non ſolum opus meritorium erga Deum faciet, ſed nobis gratiam ſingulariſſimam. Sanctiſſime Pater, deprecor Creatorem, velle eamdem Sanctitatem veſtram, in regimine & gubernio Sanctæ matris Eccleſiæ, feliciter & ad multos annos perſeverare. *b* Cremii III Maii.

cui ſimilis fuerit 1 *epiſtola Regis,*

E

uti 1 *epiſtola* 2 *Regis ſimilis fuit epiſtola Reginæ & Ducisſæ Borbonia.*

F

b

Veſter devotus filius, Rex Franciæ,
Dux Mediolani & Dominus Januenſis,

FRANCISCUS.

174 *Porro non contenti Reges pro hac cauſa litteras ad Pontificem dediſſe, tam ſecunda hac quam etiam prima vice, ſcripſerunt ad ſacrum Collegium Cardinalium, ut & ipſi*

A *Idem Rex & Regina utraque vice etiam Cardinalibus ſcribunt.*

ipſe pro eadem canonizatione ſupplicare Pontifici vellent, & Majeſtatibus ſuis gratiam facturos intelligerent. Supereſt adhuc earumdem litterarum tenor, iis quæ ad Pontificem ſcriptæ fuerunt, mutatis dumtaxat mutandis, conſonus; ideoque hic nullatenus repetendus: quas autem Rex prima vice dedit ad Cardinales, æque ac tunc ad Pontificem datæ, abſunt à Codice noſtro, Claudiæ autem Reginæ Epiſtola, eodem data eſt die eodemque loco quo ipſa ad Pontificem ſcripſerat. Aſt poſteriores ad Collegium præfatum litteras Rex quidem ſignavit Bleſis, die XXVII *Decembris: Regina vero octavo poſt die, videlicet* IV Januarii Ambaſiæ. *Addit autem Rex.* Inſuper nos ſcribimus Generali d. Ordinis, cui onus expreſſum proſequendi hujuſmodi negotium, tam erga Sanctiſſimum Dominum quam erga Vos dedimus. Idcirco iterum deprecamur vos credere dictis præfati Generalis, ex parte noſtra vobis relatis.

ſcribit etiam Dux Borbonius,

175 *Eodem fere tempore Carolus Borbonius, Suſanna, unica Petri & Annæ prænominatæ herede, cognata ſua, in uxorem accepta, ex Monpenſerii Comite factus Borbonii & Alverniæ Dux, ſcripſit ad eumdem ſummum Pontificem* XV *Ianuarii, his verbis*: Sanctiſſime Pater, Dominus Rex ſcribit Sanctitati veſtræ pro canonizatione beneditti P. Fr. Franciſci de Paula, Inſtitutoris Ordinis Fratrum Minimorum: quam canonizationem fieri

B non minus quam Dominus meus præfatus deſidero: & propterea humiliter eamdem Sanctitatem veſtram ſupplico, ut conſideratis ſancta & circumſpecta vita, continuatione arctæ pœnitentiæ ac gratiis miraculoſis, per ejus merita & preces à Domino noſtro obtentis (de quibus eamdem Sanctitatem veſtram eſſe informatam non dubito) illi placeat habere, Generalem & Fratres d. Ordinis, ut canonizatio hujuſmodi locum habeat, commendatos. Et ita faciendo mihi videtur eadem Sanctitas veſtra erga Deum habere meritum, & mundo facere opus fructuoſiſſimum: ſupplicando Dominum noſtrum, Pater Sanctiſſime, eamdem Sanctitatem veſtram ad multos annos, ad augmentum & ſalutem ſanctæ Eccleſiæ & totius Chriſtianitatis præſervare. Scriptum

c c Montis-Luconii xv Januarii.

Veſter humilis & devotus filius,
Dux Borbonii & Alverniæ,
CAROLUS.

& Dux Alenzonius,

176 *Dux etiam Alenzonii, poſtridie quam prædictas ad Collegium Cardinalium litteras Rex ſignaret Bleſis, ipſe Ambaſiæ in comitatu Reginæ conſtitutus, velut ſi tunc primum & non aliquot menſibus antea ad Pontificem Rex ſecundas ſuas ſcripſiſſet, ſuam ad eumdem miſſivam hoc modo pertexuit.* Sanctiſſime Pater, Dominus meus Rex Sanc-

C titati veſtræ in præſentiarum ſcribit, prout alias fecit, ut ipſa dignaretur benedictum P. Franciſcum de Paula, Fratrum Ordinis Minimorum primum inſtitutorem, canonizare & in beatorum Sanctorum paradiſi catalogo annumerare, illius in præſenti ſeculo vita laudabili exigente. Qua propter, Sanctiſſime Pater, cum non minorem devotionem & affectionem erga d. canonizationis tam dignum opus habeam, participem in Chriſto me conſecuturis inde bonis fore ſperans, Sanctitati veſtræ ſupplico, expeditiones huic tam ſancto d. canonizationis operi dare & concedere dignetur: & hoc mediante magis atque magis me ſibi devinctum & obligatum efficiet Sanctitas veſtra, ſupplicando Creatorem, Sanctiſſime Pater, quatenus eamdem Sanctitatem veſtram in Sanctiſſimæ matris noſtræ Eccleſiæ regimine, longævo & felici, manu-tenere & præſervare dignetur. Scriptum Ambaſiæ, XXVIII Decembris.

Veſter humilis & obſequentiſſimus devotus filius,
Dux de Alenzonio,
CAROLUS.

EX MS. PROCESSU ROMANO.

177 *Scripſit etiam, eodem quo Rex die, ad Cardinales epiſtolam, in qua mentionem facit Generalis pro hac cauſa Romam profecti, quæ neſcio qua de cauſa bis in MS. modico duarum pagellarum intervallo reperiatur deſcripta. Sed & Philiberta de Sabaudia, Caroli II Sabaudiæ Ducis Soror, & ex Franciſci Galliarum Regis conceſſione; ejus cum Iuliano de Medicis matrimonium honorantis, Nemoroſii Duciſſa, tum vidua; cum in Francia ipſo, quo ſuperiores litteræ dabantur, anno* MDXVI *degeret; voluit etiam ipſa in ſancti operis partem venire, epiſtolam ſcribendo, quæ abſque loci, diei & anni nota ſic expreſſa reperitur*: Sanctiſſime Pater, adeo humillime uti ſuppetunt vires, & uſque ad oſcula beatorum pedum Sanctitatis veſtræ, me commendo. Et quia pro benedicti Fr. Franciſci de Paula canonizatione Rex ſcribit, & quia de illius ſancta & religioſa vita informata fui, Sanctitati veſtræ humiliter ſupplicamus, ut ipſum meritiſſimum canonizationis opus commendatum habeat, & obligatiſſimorum ejus numero me aggregatam reputabo: rogando Dominum meum Jeſum Chriſtum, ut longæve veſtram in regimine ſanctæ matris Eccleſiæ præſervare dignetur Sanctitatem. *Hæc illa, vulgari utique lingua (quemadmodum & Rex & Regina & alii) ſed quæ in Latinum tranſlata codex MS. exhibet, itaque Rimæ producenda fuere, & produci cœpere die* III *Martii, anni* MDXVII. E

ac Philiberta Sabaudia

ANNOTATA.

a *Mortua fuerat* Anna Britannica *an.* 1514 9. *Ianuarii, uno ſcilicet anno ante virum ſuum Ludovicum* XII.

b Cremium, *villa territorii Viennenſis, vulgo* Cremieu *dicta, ubi Rex totus intendebat parandæ expeditioni Italicæ, pro vindicando ſibi Ducatu Mediolanenſi, quo & potitus eſt Septembri ſequenti. Eadem de cauſa Regina cum toto gynæceo Lugdunum ſe tranſtulerat, unde & litteras dedit.*

c Mons-Luconius, *oppidum agri Borbonienſis amœnum, ſuper Carum flumen*: Montem-Luciorum *appellat Papirus Maſſonius in deſcriptione Galliæ per flumina.*

EPILOGUS COLLECTORIS

Ad eos qui ſimiles Proceſſus de aliis Sanctis poſſunt ſuppeditare.

Rogantur eos æſtimare

178 *Habes lector, quiſquis genuinam abſque ornatu veritatem præfers orationi quantumvis cultæ, ſimpliciſſimam prodigiorum, à magno hoc Thaumaturgo in vita atque poſt eam patratorum, narrationem, ex quatuor voluminibus dictos proceſſus verbatim continentibus collectam, & quam minima fieri potuit primi, quem in MSS. tenent, Ordinis mutatione digeſtam; eo fine, ut* F *qui ejuſmodi monumenta de Sanctis, proprius ad ſuam vel Religionem vel patriam ſpectantibus, poſſident; primum illa velint pro eo quod merentur æſtimare, neque abjicienda putent poſtquam vel negotium Canonizationis peractum eſt Romæ, vel Vitæ hiſtoria ab auctore quantumvis probato conſcripta. Deinde ut iidem perſuadeantur, rem utiliſſimam Sanctiſque ipſis quam maxime honorificam facturos ſe, ſi vel ipſorum codicum nobis faciant copiam; ad hunc aut alium congruum materiæ propoſitæ modum cuncta digeſturis, nihilque quod ad hiſtoriam faciat præmiſſuris, quin ipſis originalium inſtrumentorum verbis legendum exhibeamus: vel ipſi per ſe digerant ad exemplar propoſitum, digeſtaque curent ad nos mitti, haudquaquam ſuppreſſuros ingrato ſilentio, eorum qui talia ſubminiſtraverint nomina, omniumque qui manum adjutricem porrexerint, & ad notationibus obſervationibusque opportunis illuſtraturos, ubi opus fuerit. quæcumque ſic fuerint ſubminiſtrata.*

& communicare:

iniiſque transcribendis bene

179 *Quanta Procuratorum laboribus, quanto Interceſſorum ambitu, quanta Tabellariorum in partes omnes diſcurſione agenda eſt, ut æliquando tandem peragatur cauſa,*

AUCTORE D. P.

promovendorum ad ſolennem canonizationem Sanctorum? ubi autem ea evicta fuerit, quibus impendiis eorum ad quos ſpectat locorum hominumque adornatur prima novæ ſolennitatis pompa? Et ſane merentur illi, quibus glorificandis totam ſuam Divinitatem ſuprema Majeſtas impendit in cælo, ut poſtquam de eorum æterna beatitudine Eccleſiæ judicio infallibili hominibus in terra degentibus conſtat, ad debitam pro iſto gloriæ acceſſu gratulationem etiam Regum opes profundantur. Sed cum hæc omnia facta fuerint impendio tam magno, eritne aliquis, qui grave putabit tantillum pecuniæ ſuperaddere, quantula opus, ut omnia tantæ molitionis fundamenta cauſæque merita, ipſis in fontibus legenda exhibeantur nobis, & per nos toti poſt futuræ poſteritati? Exemplo numquam ſatis laudando præit Religioſiſſimus Patrum Minimorum Ordo, in hac ſua Provincia Flandro-belgica: id ne pigeat ſequi alios hortamur obteſtamurque.

lo catam pecuniam credere:

180 *Imprimis autem optamus habere Proceſſus informatorios ad cauſam, in partibus, ut Curiales loquuntur, formatos. Quamvis enim Proceſſus in Curia, pro ſuper-eminenti Iudicum à Sede Apoſtolica conſtitutorum dignitate, & examinis minutiſima quoque expendentis maturitate, priores iſtos ſuperent infinitis propemodum gradibus: nihilominus poſtquam de ſumma cauſa judicatum jam eſt, propius ad hiſtoriæ cognitionem faciunt ea, quæ immediatius accepta ſunt ex ore teſtantium, ſuntque fundamentum nobiliſſimæ & graviſſimæ, quæ coram Apoſtolica Sede tractari conſuevit, actionis. Quare admonendi ſunt ii, qui prævios iſtos Proceſſus inſtruunt, legitimeque clauſos & obſignatos ad curiam mittunt, ne id ita faciant, ut non ipſi quoque ſervent alterum ſic miſſorum exemplar. Imprimis autem cavere debent, ne antiqua & autographa documenta (ſi ea Romam mitti neceſſe ſit) abire à ſe ſinant, priuſquam authentice ea deſcribi fecerint; ne ſi contingat, ut contingit ſæpe, non dico ſic miſſa periclitari per viam, ſed cauſam in multos annos protrahi, aut etiam non peragi omnino, inter Actorum manus & Officialium ſibi invicem ſuccedentium viciſſitudines, irreparabilis fiat jactura documentorum, numquam ad ſuos redituro-*

item curare, ut eorum quæ mittuntur in Vrbem,

B

rum: quemadmodum haud uno loco nobis contigit audire ex iis, quorum majores ſpem aliquam nacti fuerant, de extollenda altius veneratione Beatorum, apud ſe cultum à tempore immemorabili obtinentium. Quærebantur ſcilicet ipſi de majoribus ſuis, quod hi cum miſiſſent in Vrbem antiquas de Vita atque miraculis membranas, neque id quod ſperabant peragere potuerint, neque ſua recipere inſtrumenta curaverint,

D

181 *Sperabamus nos, cum invitante Alexandro VII Romam acceſiſſemus, iſtic invenienda omnia, quæcumque de Sanctorum Vita atque miraculis umquam ad Sedem Apoſtolicam delata fuere monumenta, ab eo tempore, quo judicium iſtud illa ad ſe retraxit, Sed de tribus dumtaxat quatuorve Sanctis invenimus Proceſſus, in Vaticanam Bibliothecam una cum aliis antiquis MSS. illatos: nec fuit inter Auditores Rotæ, quos ibi noveramus, vel inter Archiviorum Pontificiorum cuſtodes ad juvandum alias propenſos, qui plures nobis poſſet oſtendere.*

maxime ſi membrana antiquæ ſint.

Ergo vel ex privatorum ſcriniis vel ex religioſarum domorum chartulariis peti & haberi debuerunt, quæ in hoc genere dedimus hactenus & porro daturi ſumus. Si autem agitur de Sanctis intra hos poſtremos centum annos vel canonizatis, vel ad canonizandum propoſitis, quorum proceſſus adeo ſunt prolixi, ut bene magna ſinguli volumina compleant, libenter fatemur eorum omnium tranſcriptioni curandæ neceſſarias facultates haud quaquam ſuppetere nobis, qui ad antiquiora Latine Greceque deſcribenda ægre ſufficimus, collatis privatim eleemoſynis ſubnixi. Sed uti nobis unis id impoßibile reſpectu omnium, de quibus recentius formati, atque adeo extantes adhuc Proceſſus, operi huic poſſent ſervire; ita ſuperioribus Ordinum, aut locorum Magiſtratibus leviſſimum id erit, reſpectu ſingulorum ad ſe propius pertinentium. Inſpirent Deus & Sancti, eam ſingulis mentem, ut quod hic petimus, & fieri utiliter poſſe exemplo luculento probamus, id facere pro ſua quique parte velint, & noſtros pro Sanctorum gloria conatus promovere.

E

circà proceſſus recentiores quid fieri optemus.

domi ſervantur exemplaria,

SVPPLEMENTVM HISTORICVM

AD ACTA S. FRANCISCI DE PAVLA,

Collectum ex variis auctoribus.

Hoc ſupplementum quare & unde hic detur.

C

QVamvis multa eaque illuſtria ſint, quæ de S. Franciſci Paulani vita & miraculis colligere ſtuduimus, ex primis antiquiſſimiſque monumentis; ſuperſunt tamen adhuc non pauca, nulli à principiis ſcripto, ſed fideli hominum memoriæ commiſſa atque ad poſteros tradita; varia item documenta authentica, ſparſim inventa in conventibus Ordinis aut publicis urbium tabulariis; quæ omnia ne pereant, aut inter recentiorum ſcriptorum lucubrationes locum habentia, hic deſiderentur; voluimus in unum tractatum colligere, quem Supplementum Hiſtoricum ad Acta, *ſive* Hiſtoriam S. Franciſci *placuit appellare. Auctores, è quibus hauſimus ſingula, citabimus fideliter, & plerumque verbotenus. Vbi neminem indigetamus, & tamen Romano charactere, tamquam ab alio acceptum, expreſſum videbis aliquid; intellige id nos ex Iſidori Tuſcani vaſto opere mutuare: non eadem tamen, qua ipſe utitur verborum prolixitate aut ornatus Rhetorici apparatu; ſed ſtylo ſimplici atque ſuccincto, quod ſatis erat ut rei ab eo narratæ ſubſtantiam haberes. Porro, ne ad ſtabiliendam chronotaxim vitæ & actorum S. Franciſci, identidem oporteat hiſtoriæ contextum interrumpere (quod tamen omnino eſſet neceſſe, quia viam prorſus novam ingredimur, ne cum prioribus ante nos ſcriptoribus hæreamus in ſalibris male ordinatæ chronologiæ) præmittimus tractatui huic proœmium chronologicum; in quo de ætate S. Franciſci Paulani & tempore nativitatis ejus, primarum item fundationum initiis, accurate diſputabimus; & cuncta ex veterum monumentorum oculatorumque teſtium fide definiemus: parati ſequi meliora, ſi quis, ſalva tam irrefragabilium teſtimoniorum veritate, demonſtraverit receptam in Ordine chronologiam ſervari poſſe.*

F

PROOEMIUM CHRONOLOGICUM

Quando natus S. Franciſcus de Paula novo Ordini initium dederit, per primorum conventuum fundationem, ante ſuum in Galliam diſceſſum.

DVo nobis in hac materia ſunt certa, & ex Proceſſibus manifeſta, admiſſaque ab omnibus; videlicet, obiiſſe Sanctum anno MDVII; *& admodum juvenem natu fuiſſe, quando primis ſociis adſcitis, Paulano eremitorio initium dedit. Quæritur quot annos in hac mortali vita converſatus, ea geſſerit, quæ hactenus ſunt explicata & porro nobis explicanda reſtant.* Anno ætatis ſuæ XCI obiiſſe, *aſſeruit in ſua coram Papa Relatione Iacobus Simoneta, tunc cauſarum ſacri Palatii Auditor. Hinc in canonizationis Bullam tranſiit, quod obierit* cum jam nonageſimum primum vel circa annum felici-

Si anno 1507 mortuus, fuiſſet annorum 90;

A

teliciter impleviſſet. *Hanc auctoritatem, ſecuti ſunt omnes ſcriptores Ordinis, novi & antiqui, quos vidimus; & imprimis auctor Appendicis ad primam Vitam definivit rotundo numero* annos nonaginta: *ac denique Lectionum Romano Breviario inſerendarum collector ſub Sixto V, aſſeruit diſtincte, quod* annum primum & nonageſimum agens Turonis migravit ad Dominum. *Hinc autem, ſi error nullus ſub eſt, ſequitur clare per principia ſupra poſita, anno circiter* MCCCCXVI *natum, circa ejuſdem ſeculi annum* XXX *eremiticæ vitæ ſumpſiſſe exordium, neque multos deinde annos uſque ad conventus Paulani fundamina fluxiſſe. Nulla quidem in omnibus Proceſſibus, aut aliis inſtructionibus quas Romæ productas ſcimus, tam longæ ætatis, quanta Sancto tribuitur, apparent veſtigia: de eo tamen quod aſſeveratione tam gravi firmatum, tanto conſenſu receptum, à nemine vocatum in controverſiam fuit, nefas erit vel dubitare; niſi argumentis manifeſte evidentibus haud ita eſſe convincaris. Convictus autem ſi taliter fueris, an ullius debebis formidare invidiam, agnitam profitendo illuſtrandoque veritatem?*

deberet 1416 natus dici:

ſed aliud probat teſtis, anno 1418 viatis

2 *Primus auctor ſententiæ, à communi diverſæ nobis in Conſentino proceſſu occurrit Teſtis* VI, Venerabilis Dominus Joannes Antonachius, de terra Paulæ, annorum circiter XCV, *cum anno* MDXII *audiretur, atque adeo circa annum* MCCCCXVII *natus; & quemadmodum ex titulo honoris præfixo colligimus, in ipſa terra Paulæ Parochus aut Presbyter. Hic reſpondens de matrimonio parentum S. Franciſci, deque hujus nativitate, baptiſmo, educatione, cauſam ſcientiæ pro ſingulis allegat,* quia interfuit, vidit, audivit. Dixit *autem* ſe ſcire *ſuper articulo* 2, Jacobum Martolillam, patrem d. fr. Franciſci, fuiſſe natum in Paula, Chriſtianum, & baptizatum; vixitque toto tempore vitæ ſuæ ſub fide & religione Chriſtiana, in bona fama & ſancta vita, & pro tali fuit habitus. Agitur annus LXXX circiter. Super tertio dixit, ſe neſcire nativitatem D. Viennæ, matris ipſius fr. Franciſci; quia nata eſt in quodam caſtro dicto Foſcaldo Conſentinæ diœceſis: ſed ſcit, poſtquam venit Paulam, cum jam eſſet uxor Jacobi prædicti, ipſam fuiſſe probam mulierem & bonam Chriſtianam, ſemperque vixiſſe ſub fide & religione Chriſtiana: ipſamque cum d. Jacobo marito ſuo, & ipſo fr. Franciſco, peregrinatum fuiſſe ad S. Franciſcum de Aſſiſio, & S. Mariam Angelorum. Super quarto dixit ſe ſcire, quod inter d. Jacobum & D. Viennam fuit contractum matrimonium legitimum, ſecundum conſuetudinem & ſtylum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, per verba de præſenti, ſicut bonos & fideles Chriſtianos decet: & toto tempore vitæ ſuæ pacifice & quiete vixerunt, fueruntque ab omnibus reputati & habiti pro legitimis marito & uxore. Agitur annus LXXV.

B

C

ſedemque memor matrimonii inter parentes contracti,

puerique ex eis nati & baptizati,

3 Super quinto dixit, ex præfatis Jacobo & Vienna, legitimis marito & uxore, perſiſtentibus in dicto legitimo matrimonio, natus eſt d. fr. Franciſcus, ipſorum legitimus filius: qui ab eiſdem Jacobo & Vienna fuit nutritus pro eorum legitimo filio, & pro tali habitus & reputatus. Agitur LXXV annus vel circa. Super ſexto dixit, quod d. Jacobus & Vienna, quam primum natus eſſet d. fr. Franciſcus eorum legitimus filius, ſicut bonos Chriſtianos decet, fecerunt eum baptizare in terra Paulæ, impoſueruntque ei nomen Franciſcus, & poſtea fecerunt eum confirmare: qui fr. Franciſcus fuit habitus pro baptizato & confirmato. De loco & tempore ut ſupra. Super ſeptimo dixit ſe ſcire, ipſum Franciſcum ab ineunte pueritia ſemper vixiſſe honeſte & ſancte: & cum eſſet ætatis annorum XIV cœpit ædificare monaſterium .... & inde ad quatuor aut quinque annos cœpit veſtire Fratres; *& quæ ſupra verbotenus tranſcripſimus, de omni vita S. Franciſci,* ab eo tempore quo erat fr. Franciſcus XV annorum uſque dum profectus eſt in Franciam: *ita enim ex Italico legenda ultima verba, quæ Romanus Interpres Latina faciens ſic obſcuravit, ut ſenſus commodus haberi nequeat. Noverat ergo teſtis iſte Iacobum Martolillam Franciſci patrem, necdum matrimonio junctum, ab anno* MCCCCXXXII, *ipſe tunc annorum ſedecim adoleſcens: viderat deinde uxoratum, ſed improlem, uſque dum ei ex voto natus Franciſcus eſt, circa annum* MCCCCXXXVII, *quando eumdem Franciſcum vidit baptizari: adeoq; dum ex Italia in Franciã abiit Franciſcus (quod anno* MCCCCLXXXII *factum eſt) annorum erat* XLV, *aut* circiter, *ſive paulo plus quam* XLIII, *ut loquitur Comineus, oculatus teſtis etiam ipſe, & cum alias ſæpe tum paucis antequam ſcriberet menſibus cum Sancto collocutus: qui ut ex ſola conjectura, ejus de quo eſt ſermo, definiviſſet ætatem (quod tamen in auctore tam exacto & numero tam præciſo præſumi non debet) non potuit ita exerrare, ut ſexagenario majorem, dumtaxat crederet quadragenarium; utique vel à ſola canitie monendus, non eſſe tam juvenem quem videbat: cum econtra facillimum poſtea fuerit ſeptuagenarium ſenem, continuis laboribus, jejuniis aliiſq; corporis macerationibus exhauſtum, nonagenarium videri, ætatem ex ſola canitie macieque æſtimantibus, uti feciſſe videntur qui tantam Sancto ætatem addiderunt.*

circa an. 1437

qui proinde annos circiter 43 natus in Franciam venerit.

D

E

4 *Alterum de Sancti ætate argumentum offert nobis ipſius nepos Andreas de Alezzo,* quem Ludovicus XI juſſit venire in Franciam, admodum juvenem teneraque in ætate; *ſicut teſtatur Ludovici filius Carolus VIII, jus quod vocant naturalitatis in Francia, eidem tribuens per diploma, quod infra dabimus. Nempe Andreas ex Brigitta S. Franciſci ſorore natus fuit, prout nemo nunc vel dubitare audet, & certum fiet ex infra dicendis: Brigitta autem proxime poſt Sanctum naſci debuit, ſiquidem parentes eorum, ut ſcribit Sanctiudiſcipulus num. 3,* videntes ſe liberis operam dando parum proficere, voto continentiæ obſtrinxerunt ſe, atque per annos triginta ſimul vixerunt abſque carnis commixtione. *Age vero Brigittam anno Chriſtianæ Æræ* MCCCCXVII *natam ex communi errore fingamus: numquid quinquagenaria peperiſſe Andream debuiſſet, etiam ſi ille fuiſſet annorum* XIV *quando venit in Franciam? Atqui fuit hic liberorum Brigittæ, ſi non primogenitus, certe nequaquam natu ultimus. Cœpiſſet igitur tunc parere Brigitta, quando deſinunt aliæ, & copioſæ prolis patrem feciſſet virum ſuum ad ſexageſimum annum fœcunda. Quanto congruentius erit ſexu femineo univerſim omni, &, in natione præſertim Italica, ut cito puberi ita citius effœto, ſi Brigittam anno circiter* MCCCCXL *natam, anno* MCCCCLX *aut citius viro conjunctam, dicas Andreæ matrem effectam anno* MCCCCLXVI? *qui Andreas ſic fuiſſent annorum circiter quindecim, quando ſanctus ejus avunculus migravit in Franciam.*

Idem probat ex ſorore Brigittæ natus Sancto nepos,

anno 1481 adhuc puer:

F

5 *Venio ad Pyrrhum Archiepiſcopum Conſentinum, qui novum Eremitarum Ordinem primus approbando, eum ſtabilivit per conſtitutionem, anno* MCCCCLXXI *die ultimo Novembris datam: quam in Bullario Ordinis primo loco & apud Ferdinandum Ughellum tomo 9 Italiæ ſacræ poteris invenire, & ſimul diſcere, anno dumtaxat illius ſeculi* LII *Epiſcopum factum eſſe Pyrrhum. Ita autem loquitur, ipſius S. Franciſci ſupplicationem & vitam ad uſque illum diem ductam narrative exponens:* Dudum ſiquidem ad tuæ ſupplicationis inſtantiam, ſuper finibus & poſſeſſione terræ Paulæ, quoddam oratorium ſeu eccleſiam ſub vocabulo S. Franciſci per te erigi fecimus; in quo divina officia audire & eccleſiaſtica ſacramenta recipere ac orare poſſes. Tu qui dictum oratorium ſeu eccleſiam cum ſingulari diligentia, una cum parvo quodam dormitorio fabricaſti ac fabricari feciſti, ac indies fabricas & amplias, vitamque auſte-

Pyrrhus quoque Archiep. confirmans Ordinem an. 1471.

AUCTORE D. P. *ait annum illum fuisse Sancto 20 vitæ eremiticæ,*

ram & eremiticam, per viginti annos vel circa, & sancte & juste & religiose vixisti, ac de bono in melius semper perseveraſti, prout ducis, vivis & perseveras de præsenti, ibidemque Deus solita clementia diversa miracula per te operatus est & operatur indies, propter quæ multorum crevit devotio populorum & ad te confluit populi multitudo, multique sub habitu eremitico & tecum vivere decreverunt & Deo continuo præstare famulatum. Et ut tu ipsique quietius, sanctius & devotius vivere & Deo ferventius famulari valeatis; tu & fr. Balthasar Sacerdos, ceterique Clerici & laici sub habitu eremitico ibidem vitam ducentes, nobis humiliter supplicastis &c. *Quod si illos viginti annos retro numeres, numquid ultra annum* MCCCCLII *retrahere poteris vitæ eremiticæ à S. Francisco cœptæ initia? Atqui cœpit ille annos dumtaxat natus* XIV, *ergo Christianæ æræ anno circiter* MCCCCXXXVII *habuit vivendi initium.*

neque contra est aliqua vetus traditio:

6 *Vidit hunc nodum Chronographus Ordinis Minimorum Lanovius, eumque solvere se posse credidit, si vel istum viginti annorum numerum, vocaret in suspicionem mendi; vel persuaderet, eo solum signari tempus, quo oratorium, primo majus ampliusque, Francisci Pyrrho indulgente constructum erat:* cum *inquit* ab annis, *ante Pyrrhi constitutionem,*

B

triginta sex Ordinem cœpisse indubitata traditio sit. *Nego esse traditionem de hoc puncto ullam, nego hoc tradi potuisse. Quid igitur? Illatio fuit ex falso antecedenti consequentis falsi: & quia ex erroneo fundamento credebatur nonagenarius obiisse Sanctus, sciebatur autem quatuordecennis cœpisse, necessarium erat istud quoque dici, quod ex duobus illis consequebatur, siquidem annus* MDVII *fuerit Sancto vitæ ultimus, de quo non poterat dubitari. Quid autem, numquid majori auctorum Ordinis consensu est creditum, sub Archiepiscopo Pyrrho facta esse prima illius fundamenta? Est sane: neque an ex vero sic creditum fuerit, ambiget, qui volet observare, quod neque in Pyrrhi constitutione, neque in Pontificijs bullis ulla mentio inveniatur anteriorvali cujus facultatis. Quis autem absque facultate Episcopi præsumpserit sacris dicendis oratorium quamvis exile condere, nedum socios colligere vel habitu donare? Si facultatem ejusmodi, oretenus saltem concessam habuisset Franciscus, eam in suo libello supplici allegasset ipse, allegatam vero expressisset Pyrrhus: quemadmodum in ejusmodi constitutionibus fieri solet; maxime cum ille, sub quo S. Franciscus cœpisset, fuerit Berardus Caracciolus, Pyrrhi præfati patruus; cujus exemplum & à Francisco allegari utiliter & à Pyrrho proferri religiose potuisset.*

sed favet potius, Ordinis invidiæ ad Pyrrhum referens,

C

& Pontificiis Bullis anno 1474 confirmata:

7 *Sixtus deinde* IV, *anno* MCCCCLXXIV *mandans Episcopo S. Marci, ut sumpta de prædictis informatione, si vera sint, approbet & confirmet Apostolica auctoritate; ita causam exponit:* Exhibita pro parte Franciſci de Paula Eremitæ Conſentinenſis diœceſis petitio continebat, quod dudum poſtquam Venerabilis Pyrrhus Archiepiſcopus Conſentinus ſibi quoddam oratorium ſive eccleſiam, ſub vocabulo S. Franciſci, in tenimento de Paula prædictæ diœceſis, ædificare poſſe, licentiam conceſſerat; præfatus Franciſcus oratorium hujuſmodi propriis manibus & expenſis, cum dormitorio pro uſu & habitatione ſua & ſuorum, pro magna parte ædificavit: & nonnullos ſocios vitam eremiticam ducentes recepit: ipſeque Archiepiſcopus prædictum oratorium ſive eccleſiã, una cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, prædicto Franciſco ejuſque congregationi in perpetuum donavit, & nonnulla alia eorum devotioni & ſaluti convenientia, ſalutifera & opportuna conceſſit, fecit & ordinavit, prout in litteris d. Archiepiſcopi deſuper confectis dicitur plenius contineri. *Accedit, quod Teſtes qui miracula initio fundandi conventus Paulani facta commemorant, tempus notent, non ab annis circiter* LXXX *retro lapſis, ſed ab annis circiter* LV: *inter quos diſertiſſime teſtis* XXXIII *in Conſentino proceſſu, dicit, quod tunc* monaſterium tantum erat initiatum, ideoque ibi non poterant columbæ nidificare. *Qui vero annos* XX *numerat Teſtis* VII, *prorſus, ut ipſe indicat, puer tunc erat, adeoque, minus accurate notare, tempus potuit. De eccleſia porro, quæ (poſt ædificatas tribus Fratribus cellas) ſucceſſit extemporaneo oratoriolo, ad ipſam, in qua degebat Sanctus, ſpeluncam erecto, dicit teſtis* LVII, *ante annos circiter* XLV, *quando Sanctus volebat* incipere fundamentum eccleſiæ, *duxiſſe ſe eo miſſum à Paulo Papæ Presbyterum; cui inde revertenti, & quæ viderat narranti, dixerat Archiepiſcopus Conſentinus,* Volo ad eum accedere, & ponere primum lapidem in eccleſia quam vult inchoare: *utique anno* MCCCCLXVII, *anno jam dicti Pontificis* III. *Denique ad Proceſſus Calabricos formatos anno* MDXVII, *id eſt annis quinque poſt auditos teſtes prædallegatos, votum ſuum addituri terræ Altilienſis incolæ num.* 44, *in epiſtola ad Pontificem teſtantur, quod* agitur ſexageſimus annus, quod maxima fama ſemper fuit de ſanctitate *beati viri*, & miraculis quæ faciebat. *Et hic tam definitus calculus præciſe nos deducit ad annum* MCCCLVII: *ad quem referenda eſſe conventus Paulani initia demonſtrant quæ cumque deduximus hactenus.*

D

8 *Habemus initia Paulani conventus ſub Pyrrho Archiepiſcopo primum poſita, ac deinde etiam ſcriptis privilegiis, tum ab ipſo tum à ſummo Pontifice, communita, poſt annos viginti & paulo plures quam iſtic eremitam agere Franciſcus cœpiſſet, videlicet anno* MCCCCLXXIII *&* LXXIV. *Alium conventum præter hunc nullum Archiepiſcopus Pyrrhus, nullus Iulius Pontifex nominat: ſed articulo* 12 hujuſmodi oratorium ſive eccleſiam, ac alia quæcumque loca oratoria & eccleſias impoſterum acquirenda, *ab Epiſcopali eximi juriſdictione;* acquirenda *autem dicuntur, non* acquiſita: *quia ſcilicet tum primum fiebat poteſtas,* loca, oratoria, & eccleſias licite accipiendi & retinendi. *Interim ante annum* MCCCCLXX, *à Lanovio aliiſque chronologis ordinis, plerique conventus Italici conſtituti creduntur; non alio fere motivo, quam ne totis quadraginta annis parum egiſſe videretur novi Ordinis Fundator, niſi citius cœpiſſet colonias alio ducere. Non conſiderant interim, quam abſona ſint vel cogitatu, quæ hinc conſequuntur; ſcilicet novum Ordinem abſque ulla cujuſquam approbatione uſque in ipſam Siciliam potuiſſe propagari; & ſic propagati nullam omnino curam fuiſſe Franciſco, ut quæ Conventui Paulano poſtulavit privilegia, ceteris quoque eſſent communia: nullam item in tot novorum conventuum initiis ante prædictam approbationem factum eſſe miraculum, cujus memoria fuerit uſque ad tempus proceſſus faciendi conſervata. Porro ſolum quatuor monaſteria fuiſſe à Sancto intra Calabriam exſtructa ante diſceſſum in Franciam clare nos docet præfatus ſenex teſtis* VI, *narrans in Proceſſu Conſentino num.* 10, *quod* perfecto monaſterio Paulæ, fuit ædificatum majus & ſumptuoſius aliud in Paterno, aliudque in Spetzano grandi, aliudque in Corigliano.

& bullarum ſilentium de aliis alibi conventibus:

E

9 *De Spetzanenſi nihil dicere poſſumus, quia nullus ex eo loco proceſſus habetur: atis eſt ad preſentem quæſtionem quod nemo ſit, qui hanc fundationem non agnoſcat Paternenſi poſteriorem. Atqui omnes qui anno* MDXII *ex Paterno teſtes proceſſere de mirabilibus ſancti viri operibus, cum ſæpius inchoatæ recens fabricæ meminerint, tamen de tempore interrogati, ſemper illud ad annos* XXXVI *vel* XXXV, *ab eo quo deponebant tempore, reſtringunt. Imo Roſa de Yanne, teſtis* 86, *expreſſe dicit, quod Sanctus Paternum* venerit ad monaſterium ædificandum ab annis circiter XXXVI: *qui vero quam longiſſimum ſumpſit ſpatium,* annorum circiter XL, *Dominicus de Virgo-pia, Teſtis* 9, *agit de tempore fundationem præcedente,* quando Sanctus veniebat à capiendo loco pro ædificio monaſterii, quod in præſens eſt conſtructum, & Paulam rediit. *ergo ſaltem poſt approbationem Pyrrhi. Confirmat hoc ipſe Magiſtratus Paternenſis in ſua ad Pontificem Epiſtola, inſerta Proceſſui Calabrico num.* 58, *cum ait, obligari ſe beato*

favẽt teſtes, Paulani conventus initia ad an. 1457 referentes.

qui etiam omnes poſt an. 1473 incepti probantur.

F

viro,

A viro, *quia apud ſe*, antequam tranſiret in Gallias, monaſterium egregium conſtruxit: *nam hic loquendi modus non annos viginti aut plures, ſed valde paucos videtur ſupponere, medios inter profectionem Gallicam & extructionem novi conventus. Quid nunc de Coriolanenſi conventu dicemus? De miraculis eo inchoato factu teſtes citat Lanovius, in proceſſu Conſentino ultimos num.* 197 *& ſeqq. ipſum illius ex parte fundatorem Loyſium Romæum, alterumque illius oppidi indigenam. Potuitne illos auctor iſte citare, & non animadvertere ſolos annos* XXX *notari à tempore dati teſtimonii, id eſt ab anno* MDXII *uſque ad illud tempus, quo eo acceſſit Sanctus monaſterium ædificaturus? Idem de Mylazzenſi dictum intellige, quandoquidem idem Lanovius teſtes citet primi & miraculoſi in Siciliam trajectus, & in Calabrico proceſſu num.* 15 *&* 24 *prolatos, quorum unus, anno* MDXVII *productus, expreſſe addit*, annos fere eſſe XXXVII & paulo amplius; *qui nos ad* MCCCCLXXX *calculando deducunt.*

cauſa erroris fuerit Franc. Martorell,

10 *His ita firmatis, quæret aliquis unde hauſerit Simoneta*, anno ætatis XCI obiiſſe *Sanctum. Vtique à totius negotii Procuratore Franciſco Bineto. At hic ex Francia nihil attulerat, unde ætatem definiret. Quid ergo? Crediderim, Paulam ſcripſiſſe, ut libri baptiſmales conſulerentur; idque in ipſo Relationis per Simonetam faciendæ articulo: illi autem dum propere evolvuntur, ab anno circiter* MCCCCXXX *ſurſum aſcendendo, comparuiſſe tandem ſub annum* MCCCCXVI *nomen* Franciſci Martorell, *quem Sanctum noſtrum eſſe crediderint, de ipſius ætate non bene præinſtructi: Hic autem fuerit non is qui requirebatur Sanctus, ſed alius ejuſdem ſtirpis ac nominis aliquis, puta is qui in deſcribendis Alphonſi Neapolitani Regis diplomatis, ſeculo* XV *ultra medium provecto, manum ac nomen ſuum commodaſſe invenitur, præfati Regis* Notarius & Secretarius: *quale eſt unum anni* MCCCCLVII *apud Vghellum, quo Berardo Epiſcopo Conſentino confirmatur poſſeſſio caſtrorum Rendæ & S. Lucidi. Potuit hic fuiſſe Iacobi Martolillæ frater, ac S. Franciſci patruus; aut etiam ejuſdem ex ſacro fonte patrinus. Quoniam vero ſæpe contingit eadem eſſe parentum & filiorum nomina, ſi ponas Iacobi nomine tam avum quam patrem Franciſci dictos fuiſſe, adhuc facilius fuit quærentibus, patrui nepotiſque nativitatem confundere.*

B

anno 1457. *Regis Alphonſi Secretarius,*

quem errorē nunc detimum retegi,

11 *Vt ut ſit, errorem in deſignanda S. Franciſci ætate manifeſte commiſſum, putamus abunde demonſtratum: cauſam erroris per conjecturam non improbabilem indagavimus. Cum vero rerum omnium præclararum exordia plerumque obſcura ſint, ignoſcendum Patribus Minimis eſt, quod ſuccreſcente poſtmodum hiſtoriarum Ordinis ſcribendarum ſtudio, non ſatis certa ſolidaque chronologiæ ordinandæ poſuerint fundamenta, præjudicio quodam erroneo abrepti. Infelicitas hæc plurimis Eccleſiis Ordinibuſque communis, toties dolenda ſublevandaque nobis in hoc opere occurrit; ut vel hoc maxime nomine de ſingulis nos bene meritos ac mereri continuo cenſeant diſquitionum hiſtoricarum æſtimatores periti, ſuaque ipſi edocti experientia quam ſit difficile, notas iſtas temporum, per innumeros antiquorum documentorum anfractus ſparſas, colligere ad certam aliquam chronotaxim, in rebus alias intricatis, conſtituendam. Et hæc quidem nobis nunc fuerit exhauriendæ difficultas, ad convellendum errorem, auctoritati magnæ longæque præſcriptioni innixum. Aſt non credidero fieri potuiſſe, ut annis poſt Sancti obitum dumtaxat undecim recentique adhuc memoria nemo fuerit in Italia Franciaque, cui ſcrupulum moverit illa longior ætas, tunc primum aſſerta. Potius æſtimavero illius vel accuratius indagandæ vel verius definiendæ curam, Bulla Canonizationis jam ubique vulgata, viſam fuiſſe ſuperfluam, conſultioremque diſſimulationem erroris quā importunam correctionem. Nunc autē eam offerri à nobis, ſperamus Patribus Minimis haud ingratum fore.*

C

nec mirum nec ingratum fore ſperamus.

Quæ contra objicerentur epiſtolæ,

12 *Porro adverſus tam bene conſtituta hactenus neminem commoveant epiſtolæ quædam, velut à Sancto ad quemdam Simonem de Alimena directæ, quas Chronicis ſuis inſeruit Montoya octo vel decem; & aliunde ad ſexaginta collegit Franciſcus de Longobardis in Centuria epiſtolarum Sancti, edita Romæ anno* 1655. *Statim enim ut primæ illæ apud Montoyam prodiere, dubitatum à viris in Ordine eruditis fuit, an eſſent* dignæ quæ in auctoritatem admittantur. Ut enim, *inquit Lanovius*, ſemel dicam quod ſentio, admodum ſuſpectam illarum fidem habeo, nec deſunt argumenta quæ hanc ſuſpicionem efficiant, nec ſatis ſcio ſi ſingula ad rationem temporum examinata nihil quod ei repugnet contineant. Et ut verbo præbeam argumentum, Dominum de la Limena à Pipino originem ducere, atque ab eo eſſe oriundum qui late per orbem univerſum dominetur, quantum à vero abeſſe videbitur diligenter inquirenti? *Alibi ait*, quod magis conveniat, falſi convictas haberi, ut multæ & graviſſimæ rationes perſuadent. *Hilarion à Coſta profitetur*, tales eſſe, ut homini pio ac judicioſo numquam credibile fieri poſſit à tanto Sancto eſſe ſcriptas. *Poſtquam vero copioſior earum farrago in lucem prodiit, & maturius fuit examinata, cenſuit ſacra Congregatio Indicis, per decretum* X *Iunii anni* 1659 *promulgatum, inter plures iſtius farinæ alios, prohibendam quoque totam illam centuriam*, cum multa apocrypha, falſa, & ficta contineat; *utique in iis quas diximus epiſtolis propheticis ad prænominatum Simonem: nam aliæ quædam fidei bonæ & ædificationis plenæ ſunt, & fictitiis illis in omnibus diſſimiles, uti plenius alibi oſtendetur. Igitur quod earum prima data fingatur è conventu Paulæ anno* MCCCCXLI, *quando quadrimus adhuc erat Sanctus ex calculo noſtro; quod Paterni aliquæ ſubſcribantur, ab anno ejuſdem ſeculi* XLV; *& anno* LIX *tres aut quatuor Spezzani notatæ; tantum abeſt ut nobis officere poſſit, ut è contra ex vera Ordinis chronologia, irrefragabili (ut nobis videtur) auctoritate nixa, evidentiſſime comprobetur earumdem impoſtura. Quod ſub nomine Ioannis de Mylaſſo haberi dicitur ſcriptum, cum ipſummet ſit de ſuppoſitione ſuſpectum, non poteſt auctoritatem obtinere epiſtola, ex eodem transſcripta* ad Nobiliſſimum Dominum de Navarra, Conventus in civitate Cortonenſi fundatorem, *quaſi eam Sanctus ſcripſiſſet Spetiani anno* MCCCCLX. *Simili fide tranſcripta eſt ex Archivio Coriolanenſi epiſtola Principiſſæ Biſinianenſis ad Fr. Franciſcum*, ex Caſtello civitatis Caſſani VIII Februarii I Indictionis MCCCCLXIII. *Nam prima Indictio cum tali anno, qui numerabat Indictionem* XI, *manifeſte pugnat: unde cogimur ſuſpicari in originali (ſi tamen originale verum eſt) ſcriptum fuiſſe annum* MCCCCLXXXIII, *quando vere dicebatur Indictio* I; *idque non ad Sanctum Fundatorem, ſed ad alium ei cognominem, Coriolanenſis conventus adhuc ſurgentis Correctorem.*

AUCTORE D. P. *partim confita judicantur,*

& ut tales prohibentur ab Eccleſia

E

partim in data ſunt vitiata.

CAPUT I.

F

S. Franciſci nativitas, annus devotionis inter Minoritas, eremiticæ vitæ initia.

Paulæ nomen

1 PAula, citerioris Calabriæ oppidum, hoc tempore neutiquam contemnendum, ſeculo æræ Chriſtianæ decimo quinto, exigui admodum momenti erat; & terræ Fuſcaldæ Marchionibus, familia Spinellis, in hanc uſque ætatem paret; ſita in ſaxoſo colle, in quem à mari, quod ipſi ad occidentem adjacet, arduo aſcenſu iter eſt. Huc cum perveniſti, planitiem, exiguam quidem, ſed maxime quietam & fœcundam offendis; quæ ſub ipſa civitate ad mare poſita, aërem illi ſalubrem & proſpectum amœniſſimum præbet. Ea adverſus hoſtiles incurſus muris, turribus, ac propugnaculis nunc undique cingitur: & in faſtigio portæ, ad quam itinere plano rectoque pervenitur, habet imaginem indigetis ſui Sancti, ex albo ſolidoque marmore ſtantis inter columnas quatuor marmoreas, ſuo tholo contectas, Portam ingreſſis fons in ipſo proſpectu eſt, novo opere, ſed egregio. Inde verſus declive vetus Paula, in prærupto & ſaxoſo collo

& antiquæ ſitus:

ex MS. D. P. visitur; cujus viæ angustæ, angustæ domus, nec quidquam fere planum est. Sed è civitatis porta ad levum progredientibus melior apparet ædificiorum domorumque structura & quædam planities, quæ nova potius Paula dici debet, & tota S. Francisci meritis adscribi. Habet tamen vetus Paula hoc privilegium, ut ad hanc usque diem paterna Sancti, in qua natus est, domo glorietur; quam omnibus, qui in Sanctum virum devotionis spiritu fervent, invisere licet, in prærupto saxo ad inferiorem fere partem veteris Paulæ sitam: sed in sacellum conversam; parvum illud (nec enim in longitudine ac latitudine pedes plusquam decem & novem habet) ast fornice lapideo satis excelso tectum, columnisque ornatum, quo Patres Minimi Dominicis festisque diebus singulis destinant aliquos sacra facturos. *Hæc & plura alia de situ loci, ex Ægidii Camarti MSS. Commentariis, in chronici sui recognitione Lanovius; digniora nobis visa quæ hic præmitterentur, quam exaggerata aliorum encomia.*

in hac natalis domus Sancti:

2 *Neque vero encomiis vel longe quæsitis vel supra verum auctis est opus; summa laus est, mundo dedisse Franciscum, seculi sui Thaumaturgum vere maximum. Hunc qui ex recepto communiter errore natum scribunt anno* MCCCCXVI, *vehementer appendunt, quod illo anno, per electionem Martini V, reddita sit universæ Ecclesiæ tranquillitas, sublato quadraginta annorum schismate. Sed magnis & evidentibus argumentis demonstratum est, non posse ante annum* MCCCCXXXVIII *natum credi; quo etiam tempore agebatur de inveterata Ecclesiæ Græcæ disjunctione abolenda, quod in Concilio Florentino tandem feliciter peractum est. Annum quidem ipsum non possumus omnino certo definire: quia tamen eo quem signavimus nullus occurrit commodior, aut in quem major cadat similitudo veri; illum eligimus, & reliquam Sancti vitam ex eo ordinamus.* Qua nocte conceptus Sanctus est, supra domum Jacobi atque Viennæ genitorum ejus, clarissimam flammam vidit circa auroram quidam Jacobo notus, eo forte adveniens, ut compatrem suum ad quemdam in agro laborem ex condicto aggrediendum evocaret. Is visam claritatem (nam hora integra duravisse dicitur) vicinorum multis, ad spectaculum accitis, demonstravit; præsagio manifesto, proditurum ex illa quamvis humili domo, qui, ut in canonizationis bulla Leo X loquitur, præsentis temporis caliginem suæ lampadis fulgore mirabiliter illustraret. Eodem Sancto nascente in oppidulo Paula hymnodiam personuisse Angelicam, sicut Christo nato, Nicolaus Rovillardus scripsit in folio, Romanis typis excuso sub annum 1623: *cujus rei penes auctorem fides sit, in tanto silentio antiquorum aut etiam recentiorum, qui hoc memoriæ posterorum traditum per sese asseverent.*

supra quam dum circa an. 1438 conciperetur

flamma per noctem visa dicitur.

Franc. Martorell forte ut patrinus baptismo adstitit.

3 *Diem Sancti natalem ne quidem per conjecturam licet notare, quamdiu ignoratur quid secuti sint ii qui vigesimum septimum Martii indicaverunt. Si baptismales illius temporis libri adhuc essent super, certius aliquid ex iis posset designari. Ex iisdem forsan etiam appareret is de quo in Prolegomenis egimus, Franciscus Martorell, de sacro fonte infantem sustulisse, eique nomen dedisse Francisci, ut in hanc appellationem cum parentum affectu erga Assisinatem Sanctum, concurrerit Patrini ab illo delecti observantia. Quæ conjectura eo placebit magis, quo arctiori consanguinitatis vinculo adstricti sibi fuisse credentur Franciscus atque Iacobus, fortassis germani fratres aut patrueles inter se. Nos in genealogico familiæ Martorellæ & Alexia schemate, ut fratres locamus: sed ita ut hic protestemur id fieri per meram conjecturam, in sola cognominis identitate & ætatis congruentia fundatam: siquidem nascente Sancto vigesimum & amplius annum agebat Franciscus iste, anno (ut alibi nobis placere ostendimus)* MCCCCXVI *natus. Ipse autem Sanctus quam pie educatus sit, quam religiose primam pueritiam egerit, magis declarent ipsa quæ secuta sunt Acta posteriora, quam prudentiæ senilis plena responsa duo, quæ veluti matri à puero data recitat in Vita novissima Gallica Fr. Simon Martin: quæ fidem quidem non superant, non videmus tamen unde reseiri potuerint tanto post tempore; ideoque ea hic omittimus. Quamvis autem gratiosus, ut par est credere, valdeque amabilis puer esset; non propterea tamen naturalis affectus eo flectere potuit pientissimos parentes, ut apud se retinere vellent, quem voverant S. Francisco Assisinati, in aliquo ejus conventu unius anni spatio serviturum. Ergo cum duodecimum ætatis absolvisset annum, & decimi tertii partem aliquam, anno Christi* MCCCCL *adducunt eum ad Fratrum Minoritarum conventum in oppido S. Marci, diei itinere Paula distante; non quod hic esset ejus Ordinis proximus: sed quod (prout ex antiquo conventu Minorum Catacensium manuscripto cognoscitur) Guardianus ei præesset P. Antonius de Catanzaro, B. Jacobi de la Marca discipulus; quem antea, in conventu Annuntiatæ ad S. Lucidum quatuor passuum millibus à Paula commorantem, tam Franciscus puer quam parentes ejus noverant familiarius, & faciebant maximi, propter eximiam vitæ Sanctimoniam: cujus etiam magnam post se æstimationem reliquit, apud Catacenses suos moriens, in graudi centum & octo annorum ætate. Sub hujus disciplina Sanctus puer prima jecit vitæ austerissimæ fundamenta, saccum indutus (quem adhuc Neapolitanus S. Ludovici conventus servat & ostendit) admodum rudem & cilicio non absimilem.

Conventus Franciscanæ Guardiane,

viro Sancto & noto,

commendatus puer,

4 Multa, de insignibus ejus in adeo tenera ætate virtutibus, illius monasterii seniores Patres Patribus Minimis Calabrensis provinciæ postea narraverunt, quæ non sunt litteris commendata: quantus autem jam tum in oculis divinis esset, iidem commemorabant, cœpisse divinis declarari miraculis: quorum aliqua describit Fr. Joannes Morales in fundatione provinciæ Bæticæ, textu 3, § 1, audita ex Fr. Francisco de Lembo, qui obiit in prænominato Minimorum Neapoli conventu, magna cum sanctitatis opinione, quibusdam prodigiis confirmata, sub annum MDXXIX. *Ea miracula huc transcribere non pigebit, quamvis ipse, quem mallemus, Hispanicus liber ad manum non sit.* Narrabant illi cum & in sacristia & in refectorio Fratribus ministrare deberet, & contingeret non raro utrobique necessariam esse ejus operam; utroque simul & in eodem tempore sæpius visum fuisse, injunctum sibi explere officium. Item quod jussus à Sacrista prunas è coquina petere, thuribulo imponendas tempore majoris Sacri, nec idoneum eis excipiendis vas reperiens; earumdem pugillum sinu exceperit tuleritque ad sacristiam; ubi à Religiosis, quid ille in sinu gestaret quærentibus, cum verecunde subticeret, deprehensus fuerit prunas ardentes tulisse veste illæsa. Denique quod vices ægrotantis coci obiens aliquando, postquam cibos apparandos imposuisset lebeti, & hunc super frigidos cineres constituisset, ad ecclesiam abierit, fortasse luminis petendi causa ad focum accendendum: sed inopinanti obrepsisse extasim tam suavem, ut cum ibi ad usque prandii tempus hæsisset, sub tempus prandii non modo paratum nihil, sed neque focus in culina reperiretur. Vocatus autem increpitusque, cum Guardianum rogasset ut signum pransuris dari juberet; mox atque coquinam est ingressus, dicitur fecisse ut arderet focus, & momento temporis omnia probe cocta conditaque exhibuisse, atque apposuisse Fratribus, numquam tam suaviter tamque mirabiliter refectis.

admirationi est omnibus ob sanctitatem

& miracula quædam.

5 *Completo devotionis suæ anno, parentibus restitutus Franciscus, una cum iis Romam atque Assisium peregrinabundus*

ad loca pia peregrinatus

A *bundus abiit, & ad alia loca, quæ antiqui teſtes nominatim non exprimunt. In iis fuiſſe ſacram ædem Lauretanam, licet nemo diceret, credibile faceret loci ſanctitas præcipua, ſi qua uſpiam ejus rei extaret memoria, aut ſua eo Sanctum via adduxiſſet; nunc ſola Iſidori auctoritas non perſuadet, Apenninum fuiſſe hoc itinere tranſitum. Credibilior multo videtur traditio Eremitarum, qui Montem Lucum prope Spoletum incolunt, ex inſtitutione S. Iſaac Abbatis* XI *die Aprilis commemorandi. Præterquam enim, quod Aſſiſio redeuntibus in via Spoletum occurrebat; is habitus, quo etiam nunc utuntur illi eremitæ, ipſeque veſtis color, ſimillimus eſt ei, quem deinceps S. Franciſcus geſtavit, & eremitarum Ordini à ſe inſtituto geſtandum tradidit. Caſſinum quoque montem non fuiſſe præteritum, cum juxta eum iter duceret, facillime perſuademur; ibique S. Benedicti exemplo, qui annos natus quatuordecim relictis parentibus ſe receperat in eremum, moveri potuiſſe Beatum, ne ſibi, certo idem facere, grandiorem ætatem expectandam putaret. Sed nihil iſtorum apud antiquos habetur.*

6 *Poſt hæc reverſus in patriam, cum bona parentum gratia, ſolitariam cœpit vitam ducere: & ex eo quem paterna in vinea, ſeſqui milliari diſtante à Paula, elegerat loco, tranſgreſſus eſt in alium ſecretiorem à turba, & ſolum*

B *ſpeluncam ſibi habitandam eligit,* ſeptingentis paſſibus remotum ab oppido. Ibi inter aſperrimi montis ſaxa invenit cavitatem, propoſito ſuo idoneam: quam porro fodicando aptans, ſpeluncam formavit octo palmos longam, quinque latam, & altam ſeptem; introitu tam anguſto, ut ingreſſus in eam niſi per latus vix detur. Ea nunc devote viſitatur à Paulanis, ornatior aliquantum, & ſtrato ad commoditatem ſilice adeunda, ligneamque ipſius Sancti genuflexi ſtatuam, ſublatis in cælum oculis, complectens. *Quas ibi à dæmonibus infeſtationes ſuſtinuerit nolumus explicare divinando, ſed ex aliorum eremicolarum vitis malumus cogitandum relinquere; quando certum eſt fieri non potuiſſe, ut omnis boni inimicus diabolus, tam mirandæ ſanctitatis fundamina non tentaret quavis ratione evertere. Suis tamen conatibus quibuſcumque profecit tam parum, ut non modo illum non dimoverit à propoſito, ſed nec alios potuerit prohibere, quominus ad ejus imitationem aſpirarent.*

non in ſui patria, 7 *Prædictam ſpeluncam, & conſequenter eum in quo poſtea primus Ordinis conventus ſurrexit locum, in paternæ poſſeſſionis jure fuiſſe communis eſt auctorum recentiorum ſententia, ſed nulli antiquiori teſtimonio ſubnixa, & primum ſecundumque locum manifeſte confundens. Auctor coævus à conſanguinea quadam commodatum ſcribit. Hanc*

C *fuiſſe matrem Antonii de Aleſſo, ejus qui Brigittam Sancti ſororem poſtea uxorem habuit, non tantum hinc perſuadeor, quod dictorum Antonii & Brigittæ nurus Iacquetta Molandrin, privilegia Fundatricis petierit obtinueritque, eo* quod conventus Paulanus, in ſui quõdam viri Andreæ de Aleſſo patrimonio, per ipſum S. Franciſcum erectus eſſe noſcatur, *prout in ſua conceſſionis inſtrumento anno* MDXXXII *ſcripſit Antonius tituli* SS. *Quatuor-Coronatorum Cardinalis Piſtorienſis, Ordinis Minimorum Protector (ambigua enim eſt vox* patrimonium, *& de bonis à matre acceptis etiã ſolet intelligi) ſed maxime, quia nobis perſuademus* S. *Franciſci parentes, fortunis tenues, alias nullas habuiſſe poſſeſſiones, quam domum in Paula perquam exiguam, ut dictum eſt; & huic proportionatum agellum ſive vineam, uno fere milliario quam ſit conventus remotiorem ab oppido: utraque autem poſſeſſio Brigittæ danda in dotem fuit, ne in viri multo ditioris manus prorſus nuda veniret. Econtra vero Antonij de Aleſſo mater, viri*

ſed in conſanguineæ alicujus fundo,

fortaſſe matris Antonii de Aleſſo.

nobilis & potentioris vidua, nullo rei domeſticæ liberorumve aliunde ſat divitum incommodo, fundi illius partem, in quo ſpelunca Sancti erat, potuit eidem condonare; & poſtquam alius filius ſuus, Nicolaus nomine, ſuſcitatus à morte, habitum quoque Sancti ſuſcepit, reliquam etiam portionem Sancto & monaſteriolo ejus tranſcribere: qui tamen fundus, quia ejuſmodi donatione ſecluſa erat ad jam dictum Antonium perventurus, merito Andreæ ex Antonio nati vidua allegavit, quod in ejus patrimonio conventus in oppido Paulæ per ipſum S. Franciſcum erectus eſſe noſceretur. AUCTORE D. P.

CAPUT II.

Initia Ordinis: Paulæ & Paterni conventus exſtructi.

8 *Annum ſub hoc ætatis decimum nonum, Chriſti* MCCCCLVII, *vel expleverat jam novus eremi incola vel agebat, quando cœpit alios in ejuſdem habitus vitæque communionem aſciſcere; quod abſque licentia Archiepiſcopi Pyrrhi factum non fuiſſe par eſt credere, etſi de tempore conceſſæ licentiæ non omnino conſtet. Hoc certum, non niſi cum bona illius gratia licuiſſe Franciſco ad ſuum oratoriolum admittere Sacerdotes ſacrificaturos, quemadmodum factum jam inde à principio extructi monaſterioli probant Teſtes. Ex quibus etiam habemus, eumdem Archiepiſcopum primum in fundamenta eccleſiæ jacere lapidem voluiſſe anno* MCCCCLXVII, *eamdemque rite conſecraſſe: quæ omnia ſupponunt eum, oraculo ſaltem vivæ vocis, approbaſſe tunc ejuſmodi vivendi modum, quem demum ſcripto privilegio communivit, poſt prudens annorum quatuordecim aut quindecim experimentum. Interim tam in monaſterii quam eccleſiæ conſtructione, nec non in curandis omnis generis infirmitatibus, multa per Sanctum ſuum Deus eſt operatus miracula: quorum cum ingens copia ſatis alibi explicata ſit, pauca dumtaxat hic adnectimus, ex perpetua ſeniorum Patrum traditione accepta.* Agnellum alebat Sanctus adeo familiarem, ut catelli inſtar affectaretur blandiens. Hunc operarii quidam, edendæ carnis cupidine allecti, occiſum coctumque ſic abſumpſerunt, ut ipſam etiam cum oſſibus pellem, ne furtum prodiret, in ardentem calcis fornacem conjecerint. Non tamen latere potuerunt Fratrum aliquos, quibus referentibus ſimulans Sanctus non adhibere fidem, prompte adfuturum reſpondit, ſi vocaretur, agnum: & mox ante os fornacis accedens, Martinellum, Martinellum (hoc ei nomen poſuerat) inclamavit; & ille conſueto ſibi balatu reſpondens, prodiit ad ſtuporem omnium vivus ab igne.

Annuente Archiep. cœnobiolum condit,

eccleſiam ſtruit. an. 1467

Agnellum à fornace redivivum edu-cit.

9 Struebatur novum, quod diximus, monaſteriolum, in rupe aſpera, ſubtus quam Iſcha torrens defluens, deſcenſu minime facili adeundus operariis erat, quoties aqua ad potum opus habebant. Tulit id perquam moleſte quidam; & eremitæ illi, qui tam ſiticuloſo in loco occupatos tenebat omnes, non occultis votis precabatur male. Rediens igitur ab oratione Sanctus, & animum introſpiciens exaſperatum, Ne inquit, per caritatem turberis, frater: etiam abſque deſcenſu haberi aqua poterit, Deo dante. At cum ille indignabundus ſeque irrideri exiſtimans, admoneret, ut opem potius laborantibus ferret, manumque admoveret operi; Ne tu, inquit Sanctus, ferox es. Agedum huc, jam jam aquam habebis optimam. Atque hoc dicto, lapidem percuſſit baculo, & fontem elicuit, qui etiam nunc ſcaturire non deſinit, miraculo tanto majori, quod unde ſcaturiat illa nullo poſſit viſu humano deprehendi: & tamen concha, intra ſaxum ſucceſſu temporis cavata, ſemper plena manet, quantumcumque multi exinde bibant. Hoc autem toto quidem anno, pro gratia ſanitatis impetranda, faciunt plurimi; numquam tamen plures quam primo Aprilis die, pridie feſt vitatis. Quod ſi contingat Religioſos, ut ab illapſis foliis concham emundent; cunctam exhaurire aquam, intra octo decemve horas denuo ſolet abundare. Alias accidit ut ad montem, Spinellorum dictum, prope caſtrum Fuſcaldi, educeret operariorum numerum aliquem, pro lignis ad uſum

Sitientibus operarijs fontem Paulæ elicit,

item alius prope Fuſcaldum.

AUCTORE D. P.

uſum monaſterii fabricandi cædendis: qui cum ſimili ſitis neceſſitate ibidem premerentur, neque ad labentem ſubtus rivulum poſſent pervenire, niſi facta per rupes ſenteſque via; compatiens eis Sanctus, baculum terræ infixit, unaque cum eo fontem eduxit; qui etiam nunc ibi perſeverans, Aqua S. Franciſci Paulani nuncupatur.

piſcem mortuum vivificat:

10 Porro in primo, quem diximus, fonte grandius aliquid operatus eſt Deus: in hunc enim cum Sanctus truttam, ſibi dono oblatam, mortuam projeciſſet; ſubito viva apparuit, ipſique adeo cicurem ſe exhibuit deinde, ut ad nomen Antonellæ læta accurreret, & dorſum manu etiam palpandum præberet, fruſtilla panis ſibi objecta comedens. Hanc Sacerdos Paulanus quidam, micas aquæ injectas captantem, facili negotio ad ſe traxit, ſibique in cœnam apparavit. Cognovit revelante Deo auctorem furti Sanctus Pater, unumque è Religioſis ſuis ad eum miſit, qui ſuo nomine piſcem repeteret. Sed reſponſum Frater inurbanum retulit, factum negantis. Rurſum ergo miſſus, & dicere juſſus, piſcem jam ab eo coctum eſſe in cœnam; quem niſi ita ut erat remitteret, male illi ceſſurum; uſque adeo Presbyterum deprehenſum commovit, ut allatum Fratri ante pedes projecerit, jubens cuicumque luberet apponere. Non potuit minus eo caſu fieri, quam ut in partes diſſiliret recens ab igne piſcis; quas recolligens ab humo Frater, ad Franciſcum detulit. Hic autem ut viventem allocutus, Quam male, inquit, tractata ades, Antonella mea: hic avidioris gulæ fructus eſt. Niſi micas à Presbytero objectas guloſa voraſſes, haud ita tibi accidiſſet: nunc eſto hoc experimento cautior; & in nomine Domini vitam recipe. Quo dicto rejectiſque in aquam fruſtris, coiere illa vitamque recepere, ac tenuere quamdiu in vivis Sanctus fuit: allato autem ex Francia mortis ejus nuntio, cum trutta non amplius conſpiceretur; compertum eſt, eodem ipſo die illam videri, quo Sanctum vivere deſiiſſe. Presbyter vero, intellecto miraculo furti pœnitens, cum veniam poſtularet; ex ſubridentis ore nihil acerbius audivit, quam rem alienam iniquo poſſeſſori numquam utilem eſſe.

eumdem furto ablatum coctumque

denuo reſuſcitat.

B

Pyrrhus Ordinem approbat,

11 *Interim cum fama miraculorum creſcebat vitæ, quam Sanctus, cum pauculis ſociis laicis clericiſque & uno ſacerdote fr. Balthaſare Spino, auſteriſſimam inſtituerat, approbatio. Itaque Pyrrhus Archiepiſcopus, poſt longum annorum plurium experimentum, rogatus à Sancto, Paulano conventui ampliſſimæ dedit privilegia, & aliorum locorum acquirendorum facultatem conceſſit anno* MCCCCLXXI; *quam facultatem à Goffredo S. Marci Epiſcopo examinatam, & de mandato Pontificio probatam, rurſum plenius diſtinctiuſque probavit & confirmavit Sixtus IV, anno* MCCCCLXXIV, *die* XXIII *Maij, qui eadem Conſtitutione ſua, quæ incipit,* Sedes Apoſtolica, *collectis colligendiſque deinceps Eremitis oratorij S. Franciſci juxta Paulam, ipſum Franciſcum inſtituit jure quam optimo plenißimoque Superiorem. Ita natus probatuſque eſt novus Ordo;* cujus auctori in oratione exiſtenti fertur, *ut inquit ejuſdem vigeſimus ſecundus Generalis Corrector Gaſpar Paſſarellus,* deſcendiſſe Angelum, & inſignia Caritatis ſibi detuliſſe, quaſi in arma ſuæ Religionis.

C

Sixtus IV confirmat,

Paterni novus conventus erigitur,

12 *Ex hinc illius bonus odor quam latiſſime diffuſus, occaſionem dedit primæ in Paternum coloniæ deducendæ, haud diu poſt Pontificiæ approbationis auctoritatem obtentam.* Qua uſurus Sanctus cum ſeſe ad locum contuliſſet, & per confertam obviæ plebis multitudinem ægre ad eccleſiam penetraret, nonnemo invidia motus ait: Ecce magus, qui ſub externa pœnitentiæ apparentia hypocriſim tegit, & mundo illudit. Ad quem accedens Sanctus, & quæ dixerat prophetico ſpiritu, licet ſibi à longe minime audita, cognoſcens; Non ego inquit magus ſum, ut exiſtimas, ſed Jeſu Chriſti benedicti famulus. Haud fuit opus pluribus, ut duri pectoris ſilex rumperetur: in genua ſe projecit reus, culpam agnovit, & poſſeſſionis ſuæ partem aliquam, ubi novus conventus erigeretur, devotus obtulit. Ut autem ultroneris operis promoveretur fabrica, nihilo minoribus paucioribuſque miraculis Sanctum ſuum Paterni illuſtravit Deus, quam Paulæ fecerat. Hinc Sancti progreſſibus invidens diabolus, fecit aliquando ut nullo labore ſuo poſſent operarii lapidem ſuperliminarem, portæ imponendum, attollere. Ea de re monitus Sanctus, & hominem (humanam nempe formam dæmon ſumpſerat) otioſe adſtantem videns, ad ſe vocat, ac ſecum jubet lapidem collocare. Et ille quidem obedire ſimulavit: ſed elevatum tanto impetu ſivit ſupra unum poſtium cadere, ut fiſſus per medium, obruturus Sanctum fuiſſet, niſi prohibuiſſet Deus: itaque in ſignum miraculi fiſſuram ſervat lapis, à ſolo Sancto collocatus, dæmone, poſt intentatam fruſtra Sancto mortem, diſparente.

D

obtrectator redarguitur,

dæmon nititur Sanctum obruere:

excisam arborem moleſte ferenti

13 Jam uſque ad tectum pervenerat ædificium quando monitus à lignario Sanctus eſt, deeſſe ei abſoluendo trabem. Abit igitur ad domum cujuſdam hominis, ſilvam caſtanearum arborum poſſidentis; eoque non reperto, à devota illius uxore petit facultatem, unius arboris cædendæ ad fabricæ uſum. Annuit libenter, quod rogabatur, pia mulier; neque dubitabat, quin factum redux maritus probaret: ſed ſua opinione fraudata, cum videret irarum plenum virum ire in ſilvam, prohibiturum ne vel cæderetur arbor vel cæſa auferretur; accurrit concita ad S. Franciſcum. Qui ſeſe mox ad locum conferens, & circa cæſam arborem cum operariis rixantem inveniens loci dominum; rogavit ut ſe placari ſineret, nam pro una arbore, quam incidi juſſerat ad uſum domus Dei, ſeptem meliores ei ſe redditurum. Neque mora: caſtaneas nuces ſeptem circum exciſæ arboris truncam radicem (quæ etiam nunc integra inconſumptaque ad augmentum miraculi perſeverat) infodit terræ congruo intervallo, eaſque in totidem formoſas arbores ſurrexiſſe continuo mirati ſunt omnes, ipſeque dominus, proſtratus in genua coram Sancto. Ex his autem arboribus acceptas nuces qui devote comedunt, frequentiſſime referunt à morbis ſanitatem.

E

Septem alia reſtituuntur.

F

alia, rixarum inter fratres cauſa.

14 Porro cum tantus eſſet populi ad eccleſiam novi monaſterii concurſus, ut nimis anguſta eſſet, quæ eo ducebat, ſemita; largam rectamque plateam facere cogitavit Sanctus, idque per medium duorum germanorum agrum; qui hereditatem inter ſe diviſuri, haud difficulter eam partitionem probavere. Sed ſtabat, in medio, ejus per quem via ducebatur loci, arbor excelſa: quam dum eorum quilibet ſibi contendit vindicare, ad verba manuſque ventum eſt tam pertinaciter, ut niſi excitus operariorum clamore Sanctus occurriſſet, gladio fuiſſent litem finituri. Ille autem baculo percutiens arborem, juſſit ut in partes diſcedens finem imponeret controverſiæ. Itaque ipſa, per medium fiſſa, ad utrumque viæ latus abiit, & diu in hunc modum ſtetit geminata arbor; donec conſumptis popularium pietate ramis in cruculas roſariaque, ſoli reſtitere trunci, qui etiam nunc ſuperſunt, & circum exſtructis ædificiis incluſi ſpectantur.

per medium finditur,

CA-

A

CAPUT III.

Speziani, Mylazzi, Coriliani conventus inchoantur, non ſine miraculis.

Spetiani conventus paulo ante famem grandem conditur;

15 TErtium novi Ordinis monaſteriũ Spetiani ſive Spezzani, diœceſis Conſentinæ oppido, erectum fuiſſe conſentiunt omnes: de tempore nobiſcum facile conſentirent, ſi annum famoſæ illius per Calabriæ provinciam caritatis, cujus in Calabrico Proceſſu num. 23 habemus teſtimonium, voluiſſent indagare; inveniſſentque circiter MCCCCLXXIX haud obſcure indicatum. Anno autem hunc præcedente Spetianum veniſſe oportet Sanctum: ubi dum fabricando monaſteriolo ſtrenue incumbit, collaborantibus ut alibi incolis accoliſque, credibile eſt non defuiſſe conſuetam copiam miraculorum, etſi (quod jure admiramur) nihil eorum ſit in proceſſibus relatum. Pauca Iſidorus ex propriis loci monumentis vel traditionibus collegit. Primum eſt, quod cum in ſummo montis Spetianenſis vertice, paratam quinquaginta pedum trabem vellet pro refectorio ſtruendo adduci; omneſque excuſarent, propter præruptæ viæ anguſtiam, boves ſuos commodare oneri; convertit ſe Sanctus ad juvenem quemdam, nomine Valentem, requirens num ipſe aliquos haberet. Habeo, inquit Valens, ſed indomitos; quos tamen ſi uſui fore putas, tentabo eos jugo adſtringere. Cui Sanctus, iret ſane, reſpondit. Ivit igitur, & boves ſuos velut agnos tractans atque agens quo jubebatur, deſcendebat cum trabe omnino feliciter, niſi juvencorum unus, in via lapſus, tibiam ſibi mediam rupiſſet. Accurrit ad Sanctum perculſus caſu tam infauſto ruſticus, & quam gravis eſſet ruptura nuntiat. Cui Sanctus: Haud ita gravem, inquit, reor; verumtamen eamus ad locum: & bovem ſanguine ſuo innatantem reperiens, baculo contigit atque aſſurgere juſſit. Nec mora, ſurrexit ille, & injunctum ſibi explevit miniſterium.

indomiti boves cicurantur,

B

eorum uni ruptum crus ſanatur,

16 Sanctiſſimæ Trinitati ſacrata nova eccleſia fuit: cui ſtruendæ dum calcariam fornacem operarii accendunt, vehementi preſſi ſiti, requirebant ei levandæ aquam. Itaque eorum uni Sanctus imperavit, ligone, quem geſtabat, terram ſub ipſo ſuo veſtigio foderet; quod dum facit, ſecundo ligonis ictu fontem elicuit ſuaviſſimum. Sed nihil magis fabricam inchoatã promovit, quam grandis illa quæ tunc univerſam Calabriam invaſit fames; currentibus ad Sanctum pro remedio pauperibus: quorum numeroſam ſæpe turbam ille, nunc herbarum crudarum pugillo, nunc pauculis fabis, ita refectos dimittebat, quaſi lautas & largas epulas eiſdem appoſuiſſet. Memorabile autem inprimis fuit, quod Spetianenſium incolarum tres, diuturna fame eo redacti, ut humi ſtrati jam jam viderentur expiraturi; exhibito ſibi per Sanctum fruſtillo panis, quod in eorum manibus mirabiliter crevit, omnino recreati & viribus priſtinis fuerint reſtituti.

fons elicitur,

famelicis ſubvenitur.

C

Tranſit in Siciliam Sanctus

17 *Interim ex Sicilia, patria ſua, revertêre ad Sanctum Franciſcus Majoranus & Antonius Bonus, tantumque apud eum effecere, ut ipſemet eo tranſire decreverit, & ibi quoque conventum aliquem ſuo Ordini erigere. Diſpoſitis igitur, primum Spetiani, deinde Paulæ atque Paterni iis omnibus quæ abſente ſe volebat obſervari; una cum ſociis duobus in viam ſe dedit, nihil moratus communem toti provinciæ famem, quam eſſet per iter experturus. Sed nec interjecti freti tempeſtuoſi fluctus prohibere potuerunt, quominus, negata ad trajectum cymba, vel pedes vel ſupra pallium tranſmearet locum, tot olim infamem naufragiis, & decantatiſſimis Scyllæ atque Charibdis periculis celebrem: ubi quod exinde minor fuerit maris ſævitia, hujus quoque miraculoſi trajectus argumentum effectumque eſſe multi ſcribunt. Sed quo in loco terram Sanctus acceperit, varia eſt, ut Siculorum traditio, ſic opinio ſcriptorum.* Quidam enim contendunt, ſanctum virum Meſſanam voluiſſe accedere; firmiſſime aſſerentes eum eccleſiam ſancti Sepulcri, in qua nunc eſt conventus Meſſanenſis, deſignaſſe pro Ordinis ſui cœnobio: alii ad S. Agathiam appuliſſe, vel ad S. Mariam de la Grotta opinantur. *Ita ſupra laudatus Camartus. In conſpectu frequentiſſimi populi, qualis Meſſanæ erat futurus rei tam inſolitæ ſpectator, voluiſſe Sanctum terræ accedere, haud facit credibile illius humilitas, non oſtentationi ſed neceſſitati ſervientis, cum modo tam ſtupendo fretum tranſiit.*

AUCTORE D. P. *& ad terram appulſus*

18 *Auctor porro eſt, ex popularium traditione, Placidus Samperi Societatis Ieſu, in ſua Iconologia Beatæ Virginis,* appulſum terræ Sanctum, vidiſſe in eo loco, qui Puteus patibulariorum dicitur, hominem è furca pendentem, quo eum ſua ſcelera ante triduum adduxerant: & primum quidem ſociorum uni imperaſſe ut reſcinderet funem; deinde cum hic metu legum tardaret, idem injunxiſſe alteri: qui dicto obediens, poſtquam ſignum Crucis ſupra putreſcens cadaver feciſſet Sanctus, laqueum reſcidit, expanſis brachiis mortuum excipiente Franciſco, vivumque in pedes ſuos ſiſtente. Hic vero continuo prolapſus in genua coram eo à quo vitam corporalem acceperat, meliorem animæ ab eodem popoſcit & impetravit, accepto habitu novi Ordinis, in quo ſancte vixit per annos non paucos. *Hinc Mylas vulgo Mylazzum progreſſus Sanctus, magnaque cum pietate receptus ab incolis, dedit conventui fundando initium: in quo eadem, quæ alibi antehac, prodigia bonitas divina operata dicitur. Quod autem eorum nihil in antiquis Proceſſibus reperiatur, imputandum eſt illorum negligentiæ, qui cum tanta eis ſuppeteret miraculorum copia in vicinis Conſentiæ locis patratorum, ſuperfluum duxerint, longius poſitos Siculos in cauſa canonizationis interpellare.*

à triduo ſuſpenſum vivificat;

E

Mylaſſi conventum ſtruens

19 Monſtrantur in hodiernum uſque diem duo ſaxa prægrandia, quæ viginti homines vix attollerent, Sanctus autem ſupra portam eccleſiæ collocavit, facilitate tanta, quaſi tabellæ fuiſſent exiguæ. Miraculum autem eo eſt majus quo diuturnius: quantumcumque enim multi voluerint ex iſtis petris tollere aſſulam, reliquiarum loco habendam, numquam potuerunt ipſas vel hilum lædere. Oſtenditur etiam intra monaſterii ambitum puteus, quem aquæ dulcis penuria laborantibus fodi cum juſſiſſet Sanctus, & hunc quoque non niſi ſalſam dare operarii referrent; denuo ut guſtarent juſſit, & dulcem eſſe invenerunt ac ſapidiſſimam: qualem futuram deinceps, uſque dum aquæ pluviæ colligendæ cauſa ciſterna exſtrueretur, prædixit Sanctus. Secuta poſt quadraginta annos prædictionis fides eſt; quando confecta ciſterna, puteus ille ad naturam ſuam rediit, & aquam deinceps ſalſam dedit; non tamen inutilem prorſus: nam quæ ſitim amplius non reſtinguit pota, aſperſa cœpit reddere ſanitatem infirmis, & reddit uſque in hodiernam diem.

grandia ſaxa ſolus levat,

dulcem ex ſalſa aquam reddit,

F

boves indomitos cicurat,

20 *Longe mirabilius eſt, quod ex prædicto Sampero ſubjungit Iſidorus.* Excurrerat Turturetum Sanctus, pro quibuſdam lignis ad uſum fabricæ obtinendis; ubi eum in domo Ludovici de Franco hoſpitatum habet traditio incolarum, & in eccleſia B. Mariæ oſtenditur ſacellum, eo ipſo loco quo genua ad orationem Sanctus flexit. Hic cum eſſet, audivit Baronem de Ceſaro, in vicino habitantem, abundare armentis; & boum pari indigere ſciens quemdam ſuum in Calabria conventum, illuc excurrit, quod opus erat pro Dei amore petiturus. Sciebat Baro nullos ſibi tunc in campo boves niſi indomitos paſci: ergo moleſtum excuſſurus petitorem, potius quam poſtulata daturus, ire in campum juſſit, & quos vellet abducere. Sed obſtupuit, cum vidit, quod collo apprehenſos intrepide duos, agnorum inſtar, ante ſe ageret; & ratum eſſe delectum juſſit. Iverunt autem,

abſque navigio,

AUCTORE D. P.

autem,ut juſſi erant,ad Mylaſſenſe monaſterium boves,ducente nemine: eodemq; regreſſus poſtea Sanctus,primum eorum è Sicilia emittendorum copiam ſibi legitime poſtulavit,cujus inſtrumentum originale etiam nunc in Archivio Mylaſſenſi ſervatur;deinde Paternum abire juſſit.Illi vero nihil cunctati,aquis ſe commiſere natando ; & freto milliarium quadraginta emenſo,alia centum atque viginti milliaria terreſtris itineris confecere ; dirigentibus eos per viam litteris,quas uni eorum ad collum ligarat, ſeu potius ſancti viri meritis, cujus nutui etiam irrationalia animantia ſubjecerat Deus.

& per mare Paternum dirigit.

Redux è Sicilia Mayda tranſit,

21 *Aprilis erat menſis quando in Siciliam Sanctus tranſiit , & annus uti diximus ſeculi decimi quinti ſeptuageſimus nonus. Anni ſequentis Februario die* XI, *dedicatam fuiſſe eccleſiam vel inſtrumentum aliquod fundationis confectum, ſi credere volumus;juſtificari poterit eorum opinio,qui hunc diē conventui illi natalem faciunt. Non diu autem poſt in Calabriam debuit rediiſſe,ut iis quæ ante ſuum in Franciam diſceſſum geßit,tempus idoneum reperiatur. Et primum quidem in reditu ſuo Maydam tranſiviſſe, ibique cupiditatē habendi conventus reliquiſſe,credere ſuadet juvenis ille in proceſſu Calabr. num.* 27 *matrem ſuam ibi à Sancto ſanatā aſſeverans: ut tamen fundare aliquid cœperit,non patitur credi Maydenſium epiſtola,Sancto vivente,ſed in Franciam tranſgreſſo,rē cœptam indicans. Diſtinctius conventus Coriglianenſis indiciū eſt in antiquis Actis. Huic erigendo* occaſionē & commoditatē dedit Bernardinus Biſiniani Princeps, S.Marci Dux,vir maximæ auctoritatis & regiæ,Deo itē devotiſſimus & ſpeciali benevolentia erga Sanctū virū affectus: nā Hieronymi Principis genitoris ſui exēpla ſecutus,qui B.Franciſcum impenſē diligebat, locum monaſterio ædificando proprium principali liberalitate conceſſit, haud longe à civitatis mœnibus in editiore colle, contemplationi atq; exercitiis ſpiritualibus percommodo, maximeque tunc ſolitario, nondum extructis tot domibus quot poſtea inter civitatem & monaſteriū ſurrexere ; cui etiam difficile atq; anfractuoſum iter horrorem ac devotionem afferebat.Ibi igitur eccleſiæ atque conventus initia ſuis manibus delineavit Sanctus, & antequā in Gallias proficiſceretur pene abſoluit, expenſis & eleemoſynis Principis Biſiniani. Extat hodieque inſtrumentum publicum confectum, abſoluta omni fabrica,per Petrum Antonium Sanſeverinatem,Bernardini prædicti filium, XXVIII Octobris anni MDVI.

B

Coriliani conventum orditur ,

circà an. 1481

C

22 *Hæc de conventus illius origine Camartus,apud Lanovium in recognitione Chronici,anno* MDCXXIV *vita functus,* diligens,*ut ait idē Lanovius,* & accuratus ſcriptor,inter viſitandum Ordinē, cujus Generalis erat , conventuū origines accurate ſcrutatus:*cui proinde Corilianenſia exordia ad annos,quos in Calabria Sanctus poſtremos egit, referenti,longe tutius credemus quam Annalibus, annis viginti antiquiora illa facientibus. Sed nihil eſt opus auctore tam recenti ad hujus rei confirmationem:habemus irrefragabile teſtimonium Loyſii Romæi,teſtis in Conſentino Proceſſu ultimi, alteriuſq; Corilianenſis immediate Romæum inteſtando prægreßi,aſſerentium,ab anno* MDXII *ad tempus inchoandi conventus,annos circiter triginta fluxiſſe.* Porro in hoc conventu ſtruendo renovatum eſt calcariæ fornacis miraculum,quæ cum præ ardoris vehementia rimas omni parte ageret, ruinamque & jacturam impenſæ operæ minaretur;dimiſſis ad refectionem cœmentariis,viſus eſt Sanctus,ab iis qui clam obſervaturi reſtiterant,accepto cœmenti pugillo ſingulas obturare fiſſuras, nihil nocentibus ei flammis.Quamobrem cum attoniti illi viro Dei ad genua accidiſſent,Per caritatē, inquit filioli, Deo gratias referamus, qui etiam indignis ſua dona communicat. Atq; hæc dicens plenam ficubus manum è manica protulit,ſinguliſq; eorum geminas dedit: Joanni autem Magrino Ordinis Tertiario ternas;admonens eum ne illas umquam ſepararet ab invicem , niſi vellet omnem ſubſtantiam ſuam flammis conſumptam videre.Ille autem prædicti ſibi infortunii ſecurus nimium , cum multos poſt annos dictarū ficuum,eatenus miraculoſe ſervatarū, unam fr. Joanni Baptiſtæ Angelo amico ſuo dediſſet ; domus ſuæ incendio ad incitas & mendicitatem redactus eſt:neque ex omnibus quæ Joannis Magrini fuerant quidquam flammis ſuperfuit, niſi ficus illa donata Angelo:quæ nunc quoque in cujuſdam civis Corilianenſis domo,cryſtallino vaſi incluſa, ſervatur.

ubiruituram calcariam oblinit,

cuidam rerum ſuarum incendium prædicit ,

D

23 Rem porro, quæ in jacienda prima ſtructuræ petra acciderit, memorabilē narrat Montoya. Quæſiviſſe videlicet Sanctum, num aliquando Corilianū ingreſſi eſſent Turcæ, aut incolarum vineas locuſtæ conſumpſiſſent? Cumq; ei reſpondiſſent incolæ,nullam alterutrius mali vel experientiam obveniſſe ſibi, vel mentionem fieri à majoribus audiviſſe:ſubintulit Sanctus,Scitote igitur,quod quādo lapis hic deficiet, utrumque huic oppido eveniet. Igitur anno MDXCVI, cum forte per quadraginta dies eccleſiola illa ſubjecta interdicto, ceſſantibus ibi divinis , clauſa remaneret; tanta locuſtarum multitudo opplevit agros vineaſq; ut nihil in iis reliquum factura videretur. Tunc unus è civibus,Adrianus Magrinus dictus,judicavit oraculi olim à Sancto dati verba ſic eſſe intelligēda,quod ipſum impleri deberet,nō quando eximeretur à fundamēto lapis,quod erat impoſſibile; ſed quando nullus eſſet loci ſacri uſus:agerent igitur quantū in ſe erat,ut interdicto ſublato aperiretur eccleſia. Placuit cunctis tam opportunum conſilium , cujus mox utilitatē experti ſunt,locuſtis velut impetu uno in mare avolātibus,ſtatim atq; recluſæ januæ cardines ſonuere;quas deinde magno numero , ejectas in littus , videre fuit.

prophetat de locuſtis vineas populaturis,

E

24 Paucos deinde poſt dies rumor increbuit adventare Turcas cum numeroſa claſſe;quæ viginti quinq; triremibus conſtans terram cepit ad Corilianenſis rivuli oſtium , à turre del Cupo dicta nomen habens; indeq; oppidum verſus progreſſi barbari, dum armis machiniſq; muros quatiunt , eorum quidam ad ſpoliandum Minimorū monaſteriolum ſunt digreſſi. Deſeruerant illud Religioſi,ad montana latibula dilapſi omnes, præter ſenem unum, etiam ad fugam capiendam invalidū.Qui tanto ſe in diſcrimine videns,Sanctum Patrem Franciſcum invocavit. Nec fruſtra:apparuit enim in ſui ordinis habitu Religioſus ſenex,& animos quidē trementi addidit,oſtium vero conventus debili canna (cujus etiam nunc ibidem fruſtum ad memoriam ſervatur) vicē peſſuli ſubitura, clauſit. Ea obſtante cum nulla irruentium hoſtium violentia potuiſſet dictum oſtium infringere, regreſſi ad obſidionem illi,ibi quoq; in vanum laboraverunt: quia caſſi bellicorum tormentorum ictus reſiliebant à muris;& civibus ad fiduciam in Sanctum collocandam à ſene quodam animoſo perſuaſis ac generoſiſſime reſiſtentibus,proficiebant nihil, per horas multas oppugnātes locum.Itaq; partim à ſuis aſtrologis territi,grande infortuniū exercitui minatis ſi ibi perſiſteret;partim à formidabili militum candidatorum turma , quæ locum defendere videbatur , diſceſſere.

& Turcis Corilianum oppugnatoris:

bi à conventu miraculoſe arcentur.

F

CAPUT IV.

S. Franciſci de Paula diſceſſus ex Italia miraculis illuſtratus.

25 *TAm felicibus novi ordinis progreßibus invidens damon,Ferdinādo Neapolitano Regi ſuggeßit,contra majeſtatē regni peccatum videri, quod ipſo inconſulto aliquis ſuo in Regno monaſteria condere præſumpſiſſet. Itaque miſſus eſt unus è triremium Præfectis, qui Neapolim Franciſcū captivum adduceret:ſed eo quod alibi narratur miraculo,cohibitus navarchus iſte ab inferenda violentia,etiā Regem à ſententia dimovit. Pleriq; exiſtimant hoc illud fuiſſe tempus,quo ab*

Vexatur à Rege Neapolitano Sanctus:

A *an etiam tunc à filio ejus Cardinale?*

ab inita novæ habitationis in Caſtello ad mare poſſeſſione Fratres exturbavit Ioannes Arragonius Cardinalis. Sed cum ipſo quo id factum eſt anno & Innocentii VIII tempore, extinctũ Cardinalem ſcribat auctor coævus; nihil eſt quod perſuadeat hunc erraſſe, & alios tanto poſt exortos certiorẽ ejus hiſtoriæ notitiam aſſecutos: maxime cum tanto terrarum à Paula intervallo & tam prope Neapolim ſitus eſſet locus, ut de colonia eo traducenda, quamdiu in Italia fuit Franciſcus, intraq; Conſentinæ ac Roſſanenſis diœceſis limites fere ſe continuit, ne cogitatum quidem fortaſſe ſit. Ergo ad annum MCCCCXCIV *aut ſequentem, quo mortuus Romæ Cardinalis eſt, referimus iſtam vexationem, tamquam abſenti procul Sancto factam ab eo, qui, cum Neapoli tranſiens ille tam honorifice excipiebatur à Rege patre, ibi non aderat, ſed in Hungarica legatione tenebatur occupatus: ut mirum non ſit, ſi alieniori ſemper animo manſerit ab eremita, multa mala Arragoniæ domui vaticinato; & ſi hac nova prærepti ſibi loci jam dicti occaſione, facile potuit ad iſtam inſolentiam profiluerit.*

In Franciam juſſu Papæ & Regis abiturus,

26 *Interim vero dum in Neapolitani Regis aula Sancti viri nomen & inſtitutum diverſimode agitatur, fama ejus ad Ludovici XI Francorum Regis aures pervenit. Qui tam potentem miraculorum operatorem productiori vitæ, quam ſupra modum expetebat, obtinendæ, aliquid collaturum ratus, per Oratorem ſuum in Curia & quemdam regiæ domus Curatorem, ad hoc Neapolim miſſum, effecit apud Regem Pontificemque, ut cogeretur Franciſcus in Franciam ſe transferre: id agente Deo, ut hac ratione, naſcenti & obſcuro etiamnum Ordini, ex clariſſimo regno lux accederet: & evocationis tam ſolennis fama, S. Franciſci merita quaquaverſum vulgaret. Ipſe autem, ut erat Superiorum ſuorum, præſertim ejus quem Chriſtus pro ſe militanti Eccleſiæ Vicarium inſtituit, reverentiſſimus; nihil moratus vocantis imperium, Calabriæ monaſteriis eatenus conſtitutis præfecit Paulum de Paterno, ex antiquioribus ſociis unum, ſeque mox in viam dedit Neapolim verſus, anno Chriſtianæ Æræ* MCCCCLXXXII, *ipſo Purificatæ Virginis die.* Abiturum Brigitta ſoror tantiſper remorata eſt, dum aliquod ab eo mnemoſinon acciperet, devote conſervandum. Ille, cui præ ſumma paupertate ad manum nihil erat quod dare poſſet, dentem ex ore molarẽ accepit, ſororique tradidit; hic autem dens in conventus Paulani Reliquiario aſſervatus, magno ſolatio eſt omnibus, qui dentium dolore afflicti eodem ſe contingi devote expetũt. *Hæc Paulæ facta eſſe credi poſſent: ſed negat Lanovius, Paterno digreſſum Sanctum voluiſſe tantillum à via deflectere, patriæ extremum viſendæ cauſa: Corilianum adiiſſe putat: & Brigittam eo uſque aſſectatam eſſe fratrem ac filium exiſtimat Iſidorus, ibique dentem illum accepiſſe. Diſtat quidem ad Orientem longius à recto itinere Corilianum, quam Paula ad Occidentem: ſed per Apennini juga, via ſecundum mare Tyrrhenum per quam difficilis, facilior multo per Cratis & Sibaris fluviorũ valles erat, ad ſexaginta aut plura paſſuum millia: adeoq; facilius potuit Corilianum quam Paulam deflexiſſe Sanctus.*

B

dentem ſuum ſorori relinquit:

pedum veſtigia petræ imprimit,

27 Poſt hæc Caſtrũ villare ad Sibarim tranſivere peregrini noſtri, deinde Moranum: cumq; ad unum montiũ perveniſſet Sanctus, unde in Calabriam pene totam deſpectus erat; converſus, eidem benedixit ſigno Crucis: & lapidi, cui inſiſtebat, reliquit miraculoſe impreſſa pedum ſuorum veſtigia. Qua de cauſa cum magna eſſet populi ad petram illam devotio, auſus eſt Religioſorũ aliquis, ortu Moranenſis, eamdem, non ſine periculo refoſſam, multos poſt annos Romam ad Ordinis ſui Conventum advehere: ubi eam parvo ab hinc tempore adhuc videre licuit, donec Troianus Spinellus, Princeps Scaliæ & terræ Morani Dominus, eamdem à dicto Fratre per multam precum inſtantiã repetiit, impetravitque domi ſuæ aſſervandam. Hinc per Tenenſem campum tranſitus fuit: ubi in viculo quodam, cui Caſtelluccii nomen, vini hauſtũ petivit Sanctus à ruſtico primũ obvio; illoq; humaniter reſpondente, non niſi vacuũ vaſculum ſibi eſſe: Per caritatem, inquit Sanctus, accede ad vaſculum: nec enim vacuum illud eſt. Neq; fruſtra dixit: plenum enim reperit ruſticus, quod vacuum ſe dimiſiſſe ſciebat: neq; vinum dumtaxat ex eo ſanctis peregrinis fudit; ſed convicaneis quoque ſuis omnibus, teſtimonio ſuo, magnam de viri Dei virtutibus opinionem ingeſſit.

C

vacuum vaſculum vino replet,

AUCTORE D. P.

fabrũ mercedem poſcentẽ ſoleas ab aſino reddi jubet:

28 Calabriæ fines jam tranſierat Franciſcus, & Auriæ tenebat oppidum in diœceſi Policaſtrenſi: hic cũ eum, quem ſecum Sanctus ducebat, aſinum deficerent ſoleæ; has ut refigeret vel innovaret, rogavit aliquem ibidem fabrum. Eo facto, quia mercedem, quã ſolveret, non habebat; & paupertatem ſuam excuſans, exaſperatum nimis videbat hominẽ: Age, inquit, Martinelle, redde fabro quod ſuum eſt; quoniã non habemus unde ſoluamus pretium: alibi quod neceſſarium providebit Deus. Ad quæ verba pedes excutiens aſinus, ſoleas omnes ſucceſſive decuſſit. Et quamvis fabrum miraculo viſo puderet inurbanitatis ſuæ, ultroq; jam ſuum offerret obſequium; noluit tamen Sanctus admittere, ſed ad Lacum-nigrum uſq; progreſſus, milliarium circiter octo intervallo, ibi gratis obtinuit, quod remunerare non poterat, niſi bene facienti bene precando. Poſtero die ſecundũ Nigri fluminis amœnas ripas iter fuit, uſq; ad Pollam, Caputaquenſis diœceſis oppidum, ubi gratuito piorum quorumdam civium hoſpitio exceptus Sanctus, poſtquam ſpiritualibus eos recreaſſet colloquiis veſpertinus ad cœnam hoſpes, ab eiſdem ſequenti mane rogatus, xeniũ aliquod memoriæ cauſa relinquere; cum quod dare poſſet ſuppeteret nihil; titionem è foco arripuit, & vultus ſui imaginem delineans in pariete, egregie aſſimulatam, rudi quamvis ductu, reliquit: quæ multis conſervata annis poſtreme evanuit, Deo fortaſſis caſtigante incuriam eorum, qui ipſam domi ſuæ non magis reverenter habebant.

ſuam imaginem in pariete delineatã relinquit

E

hoſpiti imã proli poſteritatem promittit,

29 Salernum advenienti, miſſus à Rege Franciæ legatus Guinottus de Bouſlieres, cum inſigni Neapolitanæ nobilitatis comitatu, occurrit; eumque deduxere in hoſpitiũ, apud quemdam nobilem ex familia Capogroſſa præparatum: cui viciſſim hanc gratiã rependit Sanctus, quod ipſi, ex uxore ſua nullos tollenti liberos, qui ultra primum ſecundumq; annum vitam prorogarent, prolem vivacem promiſerit ea conditione, ut primæ quidem nomen eſſet Franciſci-Mariæ, ceteris autem ſimiliter Mariæ, quolibet alio adjecto. Itaque etiam nunc propago durat; quæ ipſam in qua Sanctus pernoctavit cameram religioſe veneratur, extructo intra eamdem altariolo cum effigie Sancti, quod ardentis omni ſexta feria lampadis fulgore ſolet illuminari. Sequenti die, iter ſuum proſecuturus Franciſcus, & porta civitatis egreſſus, deſignavit locũ, in quo ſucceſſu temporis ſui Ordinis conventũ fundandum aiebat: quemadmodum anno MDXVI factum eſt, munificentia Roberti Sanſeverini Principis Salernitani. Similiter per Cavenſem urbem, Salerno gemina vix hora diſtantem, tranſiens, ea fecit, propter quæ eidem in marmore poſitum Latinum hoc encomium legitur: Divo Franciſco è Paula, alteri Thaumaturgo: quod cum per fideliſſimam hanc urbem in Galliam profecturus tranſiret, in fundamenta templi hujus, tunc à Sodalitate Jeſu extruendi, primum jecerit lapidem, illudque Fratrum ſui Ordinis aliquando futurum prædixerit: multo poſt pietate ac munificentia Urbis & Sodalitatis probante oraculum, anno ſcilicet MDLXXXI. Gentis etiam de Curte Primario, inclytã ſobolem, patriæ decus, ibidem poſtulaverit, impetraverit, prænuntiaverit; ejuſdem ægrotantem conjugẽ miſſo ad eam pomo, alioſq; ægrotos ſigno ſanctæ Crucis continuo ſanaverit; eadem Sodalitas monumentũ poſteritatis poſuit, anno Domini MDCXXXIV.

prædictis Salernõ

F

& Cavẽ ſtruendos conventus.

ibique facit miracula.

30 *Neapoli quanto fuerit cum honore exceptus, jam alibi dictum eſt, illud excidit, quod* Rex Ferdinandus, tũ ſplendore, in quo orantem noctu Sanctum per oſtii rimas

AUCTORE D. P.

Oſtendit Regi pecuniam ſtillantem ſanguine:

ipſemet obſervarat; tum miraculo piſcium, quos coctos miſerat è menſa ſua, Sanctus autem vivos remiſerat; in magnam de ſanctitate viri opinionem adductus, quodam die (nam quindecim dierum moram negare Regi neque Sanctus neq; Francicus Legatus potuere) coram multa nobilium turba eidem obtulit pecunia plenam lancem, ad conventum Ordinis Neapoli ædificandum. Sed recuſavit generoſe Franciſcus, pretium, ut aiebat, popularis ſanguinis, per injuſta vectigalia tributaq; expreſſi: & arreptum è nummis unum diffregit per medium: ex quo continuo ſtillavit cruor, ad cujus conſpectum vel ipſe Rex erubeſcere debuit. Ab eodem tamen Rege acceptaſſe dicitur adulterinæ pecuniæ copiam aliquam, tamquã fiſco regio juſtius acquiſitam, ex eaque conflata fieri juſſiſſe campanam, quæ nunc in Milaſſenſi Siciliæ conventu ſervatur; & in ſummis exorientium circa Pharum tempeſtatum periculis pulſari ſolita, citam freto tranquillitatem & ſecuritatẽ navigantibus creditur conciliare, per interceſſionẽ tam ſancti auctoris.

expravâ moneta campanam jubet fieri.

prædicit deſertum tunc locum frequentandum.

B

31 Perſuaſum quoque Franciſco eſt, ut eligeret locum aliquem, ſi non cœnobio regiis impendiis extruendo, ſaltem eremitorio, quo etiam privatorum eleemoſynæ poſſent aſſurgere. Deſignavit autem eũ in quo nunc S. Ludovici conventus eſt, tunc extra urbis frequentiam ſua ſolitudine aptiſſimum. Cumq; objiceretur, exiguo illic commodo civibus procul habitantibus futuros Religioſos; reſpondit, nunc quidẽ ita videri, venturum tamẽ tempus, quando regio maximis auguſtiſſimiſq; ædificiis eſſet implenda, laborãdumq; Religioſis ut ab curioſis circum habitantium oculis ſe defenderẽt. Quæ omnia ad amuſſim impleta ſunt: nam Vice-Reges Hiſpani ſuam aulam fixerunt ex oppoſito conventus, inter quatuor eidem Ordini Neapoli exſtructos ſplendidiſſimi. Accidit etiam eadem in urbe hoc memorabile, quod die quodam agens cum filio Tiberi Judiciſſæ, fundatoris Conventus Spetianenſis, atque inter colloquendum raptus in extaſim, cũ ab ea reverteretur, quæſierit à juvene, numquid audiret. Illo autem negante ſe audire quidpiam, juſſit ut caput per feneſtram efferret. Quo facto, dixit juvenis, audiri à ſe campanam S. Blaſii, eccleſiæ ſcilicet in Spetiano Parochialis. Atqui ſcias, inquit Sanctus, pulſari eam in funere patris tui: itaque, poſito ultra me proſequendi conſilio, revertere in patriam. Fecit juvenis ut juſſus erat, & omnia ſic vt audierat circa patrem ſuum geſta cognovit: manetque hujus eventus memoria inter antiquiores iſtic Patres & Spetiani incolas recentiſſima.

juveni, cui mortuus Spezzani erat pater,

mirabiliter id revelat.

C

32 *Qui deinde honores honoris fugientiſſimum virum Romana in Curia ſint ſecuti, apud Comineũ legimus: neque de ea quam Romæ traxit Sanctus mora dicendum reſtat aliquid, niſi* quod aſſerant Sixtum IV Pontificem, cum Sancto colloquentem de Regula conſtituto noviter Ordini præſcribenda, adduci non potuiſſe, ut aſſentiretur circa perpetuam vitæ quadrageſimalis obſervantiam, voto ad cetera tria Religionis ſolennia adjecto exigendam ab iis, qui ſub eo vellent profiteri: & tunc Sanctum dextera Cardinalis Roborei, qui ut Nepos Papæ adſtabat propior, apprehenſa dixiſſe: Eccum, Pater Sancte, qui meum implebit deſideriũ, eoque facto indicaſſe futurum Pontificem; quemadmodum deinde factus, & Julius II dictus, quid præſtiterit, infra dicetur. Proditum etiam memoriæ eſt, quod conſpecto eminus monte Pincio, prædixerit brevi iſtic futurum Ordinis ſui conventum, qualis reapſe poſt annos duodecim erectus ibi pulcherrimus eſt. Fertur denique quod, accurrentibus ad Calabrum Eremitam viſendum Italicæ nobilitatis primoribus, eorum unus Laurentius de Medicis Joanni filiolo imperarit, ut manum Sancti oſcularetur Franciſcum vero manum pueri blande ſtringentẽ dixiſſe: Saltem, cum tu Papa eris, ego Sanctus ero. Et fuit uterq; Joannes quidem anno MDXIII ad Pontificatum evectus, nomine Leonis X; Franciſcus autẽ ab eodẽ adſcriptus in catalogum Sanctorum, anno ejuſdẽ ſeculi XIX.

prophetat Papatum Julij II,

& Leonis X.

D

CAPUT V.

Adventus S. Franciſci in Franciam, comitum Italicorum reditus, mors Ludovici XI.

33 *Ingreſſurum in Franciam Sanctum, Maſſiliæ portu ob metum peſtilentiæ excluſum fuiſſe, ideoq; Tolonẽ verſus relegiſſe iter, ac demum Bormii admiſſum fuiſſe, ſcribunt aliqui, nulla veteri auctoritate fulti, atque à teſte* XXIII *in Proceſſu Calabrico (qui totius navigationis ſocius fuit) facile refutandi; cum aſſerat,* Golfum Leonis navigantes, Provinciam verſus, ad oppida, Bromo & Birganſi vulgariter nuncupata, appuliſſe, atque inde porrò pedeſtre iter tenuiſſe. *Quod autẽ teſtis* V *&* XLI *in Proceſſu Turonenſi producti dicunt, allatum nuntium eſſe Regi de adventu Sancti in portu Maſſiliæ; poteſt quidem latius ſumi, ut quiſcumque alius Phocaici ſive Maſſilienſis litteris portus intelligatur: crediderim tamen conſilium quidem fuiſſe navarcho Maſſiliam adnavigare, idq; Regi avidiſſime præſtolanti nuntiandum curaviſſe Legatum Buſſerium; Sanctum vero obſequentem tum voluntati divinæ, cui decretum erat Bormienſi oppido per ipſum ſuccurrere, tum ſervientem propriæ humilitatis, quæ publici conſpectus in tam celebri urbe honorem refugiebat, ſuaſiſſe navarcho, ut ſe ſuoſque ignobiliori aliquo in portu exponeret: cumque non perſuaderet,* impetrata divinitus tempeſtate effeciſſe, ut vel invitus navarchus triremem appelleret finibus Bormienſium, ad caput quod vulgo Columbæ dicitur, *quamvis Iſidorus, alia de cauſa cunctatum navarchum, dicat ſic debuiſſe cogi. Quidquid ſit,* ibi in terram egreſſus vir Dei, impreſſit rupi pedum ſuorum veſtigia, quæ iſtic in hodiernum uſque diem cernuntur.

Non Maſſiliæ,

(*ut forte intendebat navarchus*)

E

ſed Bormij appulſus,

34 Progreſſus ad oppidum, occluſum metu peſtilentiæ reperit; neq; impetrando ingreſſui ſuffeciſſet apud portarum cuſtodes auctoritas Legati regii, niſi pauca verba addidiſſet Sanctus, humiliter precatus, darent introitum, quando ſecum Deus eſſet. Ad hæc ſcilicet mutatis repente animis porta patuit; intra quam prima occurrit S. Rochi eccleſia, cujus reparando tecto cum trabem magnam tollere niterentur operarii, & inani fatigarentur labore; accedens ad illam Sanctus, manuque impellens: Eia inquit, per caritatem, ſerviendum domui Dei abſque cunctatione eſt. Et mox ſurdum illud lignum tanta ſe moveri ſivit facilitate, quaſi levis bacillus fuiſſet. Hoc miraculo vulgi per ora ſparſo, ſtatim innotuit quantæ ſanctitatis hoſpes adveniſſet. Acceſſerunt itaque oppidanorum primarii atque rogarunt, ut epidemiæ morbum, haud pauciores quinquaginta perſonis quotidie auferentẽ, bene precando ſiſteret. Ille autem oratione facta ita purgavit locum omnemque vicinum aërem, ut ii etiam qui ſeceſſerant in agrum, quatenus à contracta lue citius purgarentur, eo ipſo momento plenam conſecuti ſint ſanitatem; ignari tamen prius quam regrederentur in oppidum, unde illis tam cita tamque plena curatio obtigiſſet.

miraculo edito ſit venerabilis,

F

& urbem liberat peſtilentia,

ſuaque adverſus eum benedictione præmunit.

35 Nec ad graſſantis morbi vim retundendam tunc dumtaxat valuit Franciſci deprecatio. Conſtat ab eo tempore luem, alia loca vicina depaſtam, aditu loci, cui vir Sanctus benedixerat, eſſe prohibitam. Et quãvis non defuerit qui maligne luem illuc inferre tentaverit; conſtat pariter nihil effeciſſe; imo eadẽ menſa eodemque lecto uſum, inficere nequiviſſe quos contrectabat: & quãdiu hæſit in agri Bormienſis finibus, nec peſtem ad alios diffundere, quod nequiſſime moliebatur; nec ipſum ea contactum, ut poſtea ex multiplici pano deprehenſum eſt, efflare tetrum ſpiritum potuiſſe. Hodieque perſtat loco immunitas à

peſte,

A

peſte, beneficio S. Franciſci: & ſuperioribus annis, late ubivis per vicinas oras graſſante eo morbo, Magnates ſecuritatem à perennante in eo loco Sancti tutela petiverunt. Nolo boni doni particulam præterire: nexa eſt enim cum his quæ proxime præmiſi, & eorum veluti corrollarium. Cum eo in oppido diſtineretur S. Franciſcus, quidam cui nomen Ailleto, agens eo tempore Conſulem, virum Sanctum domum ſuam invitavit ad merendam: quam dum magna caritate parat, vir Sanctus in ædis veſtibulo hærens, inſedit lapidi rotundo prægrandi, qui nunc in Pœnitentium ſacello religioſe aſſervatur. Hic veſtes ſedentis à circumfuſa plebecula undecumque acciſæ, poſt multam truncationem, priſtinam retinuere quantitatem, ut notatum eſt, cum diſpoſitis omnibus domum ſubiit. Ibi magna caritate exceptus, majorem rependit beneficentiam: nam toti familiæ bene precatus, rogavit Deum ne rerum neceſſariarum indiga aliquando eſſet: nec irritas fuiſſe preces eventus hactenus perpetuo monſtravit.

veſtis ejus, diſſecta à populo, non minuitur:

ipſe inconſpicuus ab urbe egreditur.

B

36 Poſtridie cum oppido excedendum viro Dei eſſet, & plurima concurriſſet turba fauſtas abeuntis preces & benedictionem captatura, proque mirandis in omni genere inibi editis gratulatura; poſt multam ad clauſas fores expectationem, deprehenſus eſt deſtinatos honores effugiſſe clam omnibus, ſive per integram & irreſeratam januam ſubeundo, ſive per recluſas Angelica opera moxque iterato clauſas fores exeundo; conferta multitudine, quæ domum cingebat, conſpectu exeuntis prohibita. *Hactenus Theophilus Raynaudus, in ſua Triade Patriarcharum puncto 6, ex inquiſitione legitima ibidem inſtituta ad inſtantiam Stephani Octoul, inſignis ex Minimorum Ordine Philoſophi, Mathematici, Theologi. Addit Iſidorus,* Foro-Julii, vulgo Frejus, eadem qua Bormium calamitate afflicto, eadem ope ſuccurſum fuiſſe: in cujus rei memoriam civitas illa monaſterium Ordini ædificaverit anno MCCCCXC, ubi poſtmodum tria capitula Generalia celebrata ſint, & Minimi habitarint uſque ad annum MDLXXI; quando hi in tam gravi aëre, quadrageſimali victui nequaquam conveniente, nimios ſuorum morbos morteſque experti, ad Aquenſem conventum tranſivere, & locum ceſſere Cordigeris. Addit, conſervata nihilominus in populo devotione erga Sanctum ejuſdemque tutela, liberam ſemper urbem exſtitiſſe à contagioſo, malo prout narrant & gratulantur incolæ. *Neque hoc videatur ambiguum, propterea quod Bormio Foro-Julium tendendo, videatur in contrariam partem inſtitutum fuiſſe iter quam conveniebat; & quod Turonas, ubi Rex erat, accedere volentibus, nihil fuerit expeditius, quam Avenionem tendere, adverſoque Rhodano ſubire Lugdunum. Etenim ne illam viam teneret Legatus cum ſuis, prohibitus videtur metu. Etenim peſtilentia, per oram Maritimam & Maſſilienſem diſtrictum graſſantis; ideoque uti debuiſſe molliori ac tutiori per Delphinatum: & tunc* in neſcio qua villa, aquæ potabilis penuria laborantibus incolis memoratur ſuccurriſſe Franciſcus per fontem, precibus ſuis de terra elicitum.

C

Foro-Iulio quoque peſtem avertit:

alibi fontem precibus elicit.

Appulſus, Italicos ſocios dimittit:

37 *Sed antequam ab ora maritima diſcedamus, remittendi nobis in Italiam ſunt, qui à Neapoli comites acceſſerant trineris. Horum unus Taſus Saldanus, in Proceſſu Calabrico teſtis* XXIII, *ſatis manifeſte declarat, ſe in ea qua venerat triremi, paulo poſt expoſitum cum Francis Sanctum, rediiſſe: nec ulla eſt cauſa (maxime cum Gallia peſte affligeretur) cur aſſentiamur Iſidoro, velut certum affirmanti, quod terreſtri itinere tam vaſta terrarum ſpatia emenſi, Turones uſque Sanctum deduxerint, niſi aliqui inter eos fuerint, Francici Legati familiæ adſcripti. Multo minus credibile eſt Fredericum Principem Tarentinum, eum qui poſt Alphonſum Fratrem ac Ferdinandum nepotem regnum Neapolitanum recuperavit rurſumque amiſit, in illo fuiſſe comitatu, niſi id antiquiori teſtimonio firmetur. Aſſerit hoc quidem Iſidorus: ſed eos narrationi ſuæ inſerit errores, qui omnem ei hoc loco fidem detrahant. Confundit enim patris filiique perſonam, cum dicit Fredericum illum fuiſſe Valentiæ in Hiſpania Proregem, & illo perfunctum munere ibi reliquiſſe ſororem ſuam Iuliam, cui acceptas Turonibus Sancti Reliquias donarit. Valentinus enim ille Prorex, Ferdinandus fuit, Frederici prædicti filius; & patre prope Turonas in Gallia poſt regnum amiſſum vivente, honoris iſtius titulo ſuam ſolabatur calamitatem, una cum ſorore ſua Infanta Iulia. Ad utrum autem horum Exrex Fredericus miſerit* tunicam ſcyphumque ligneum, *uſu & attactu Sancti Patris venerabiles, non definimus: hoc certum, ipſam vel immediate à Patre ſuo, vel à fratre qui à parente acceperit, habuiſſe ſacra hæc pignora, eaque* dediſſe Valentino conventui, à ſe fundato ſub annum MDXXXIII: ubi eadem ſunt, frequenti poſtmodum ægrorum curatione probata, ſcyphus præſertim, qui argento incluſus deferri ſolet ad infirmos.

AUCTORE D. P.

quos inter nō fuit Princeps Tarentinus,

uti hujus, non ſoror, ſed filia fuit Iulia,

quæ Reliquias conventui Valentino dedit.

38 *Per Burgundiam, Baſſiniacum & Campaniam iter fuiſſe Sancto tenent aliqui: qui ſane circuitus magnus fuiſſet. Iſidorus Lugdunenſem, Borbonienſem, Nivernenſem, Auxerrenſem, Aurelianenſem atque Blaſenſem ditionem pertranſiſſe aſſerit, via multum rectiori: ſed dum neutri ulla geſtarum per iter rerum monumenta proferunt, utri veritatem dixerint non ſciremus, niſi coævus auctor Delphinatum Viennenſemque ac Lugdunenſem tractum nominaſſet. Scribit Victonus quod* Rex, ut Blæſis eſſe ſanctum Eremitam reſcivit, Delphino Carolo, qui in caſtro Ambaſienſi recluſus educabatur mandavit per unum è nobilibus ſuis, ut obviam ſancto viro prodiret: idque totius populi & nobilium, qui è Pleſſiaco Turonum & Blæſenſi territorio circumſtabant, acclamatione factum eſſe; & locum, in quo genuflexus Carolus benedictionem hominis Dei popoſcit, ea deinde obſervatum eſſe religione, ut ibi altare majus conventus, à dicto Carolo, poſt Ludovicum mortuum Rege, apud Ambaſiam fundati, extructum fuerit ad perpetuam rei memoriam. *Pergunt alii, ex ſuo ut videtur conceptu, deſcribere ordinem primæ introductionis ad Regem Pleſſiaci, cui non immoramur: credimus tamen facile traditum eſſe poſterorum non infideli memoriæ, quod primi cum Rege congreſſus dies, fuerit vigeſimus quartus Aprilis. Credimus etiam Regi fuiſſe cordi, ut Sancto, ſolam linguam maternam ſcienti, de idoneo provideret interprete,* eique nominaſſe Ambroſium Rambault, Italice atque Latine loqui ac ſcribere doctum præter Gallicam linguam: cui deinde addictum ſibi Benificium eccleſiaſticum amittere metuenti, Sanctus dederit commendatitias ad Carolum Ludovici ſucceſſorem, atteſtans quod dictus Ambroſius multa magnaque obſequia feciſſet & faceret novæ Religioni, ob quæ mereretur ab ea commendari. *Per hunc aliumve ſcripſiſſe potuit Franciſcus Ferdinando Regi & Biſinianenſi Principi eas qua ſub hoc titulo habentur epiſtolas* XVI *Maji &* VI *Iunji ſignatas.*

Rex venientē Sanctū obviam exire Delphinum jubet.

E

eidem ad ſe venienti 24 Aprilis de interprete provident.

F

39 *Harum poſteriores crediderim exaratas occaſione redeuntis in Italiam Bernardini Mingronii, ex Petra-Paulæ diœceſis Roſſanenſis oppido oriundi; & Principi Biſinianenſi perquam cari:* cui eum non poſſet perſuadere Sanctus ut remaneret in Francia, diſceſſurum admonuit, curaret ſemper in Dei timore vivere; quippe cui propter gratiam, qua ob ſuum fidele ſervitium valebat apud Principem Biſinianenſem, non eſſent æmuli defuturi, & vitæ ſub eorum manibus amittendæ pericula. Faceret igitur ut numquam inveniri poſſet imparatus, ſi forte ipſis eum permitteret occidendum Deus; & cordonem, quem dabat, numquam à renibus ſuis deponeret; futurum enim ut ea qua deponeret hora, tolleretur è medio. Abiit ille multum obſtupefactus prædictione, nec minus conſo-

Sanctus redeuntem in Italiam nobilem

ab inimicis occidendus monet.

AUCTORE D. P.

consolatus dono, quod sibi pro impenetrabili foret lorica. Mandata autem viri Sancti, quod ad animam attinet, præclare servavit: de cordone semper gestando, non potuit ita continuo memor esse, quin post viginti annos semel eum, summo mane ad venationem egressum, memoria falleret: qua per iter suggerente, quid facere omisisset, festinavit ille quidem domum reverti; sed hoc ipsum fuit incurrere in æmulorum manus, qui letaliter vulneratum humi stravere. Domum igitur relatus & extremis Ecclesiæ Sacramentis munitus, antequam moreretur, viri sancti prædictionem suamque oblivionem, ipsa hora punitam, revelavit; quemadmodum ejus filii Silvester & Cosmus scripto signatum reliquere, & confirmat continua in loco traditio. Minime autem imparatum fuisse inventum, credibile facit corporis ejus, in hodiernum usque diem incorrupti, apud Dominicanos dictæ terræ tamquam Beati alicujus, conservatio.

ab inimicis occidendum monet,

ut semper paratus sit:

40 *Aliarum litterarum lator* Franciscus Galeotta *fuit*, quem eo Sanctus donavit reliquiario, quod hodieque servatur in familia; ex eaque promisit neminem absque sacro Viatico moriturum, quod etiam in violenta morte pereuntibus experientia comprobat, *Ea litteræ quomodo Regem affecerint, patebit ex responso, quod* XVIII *Augusti ejusdem anni ad Sanctum remisit in hac verba, prout ea ex originali Italico, in archivio conventus S. Ludovici Neapoli asservata, transcribunt auctores & hic fideliter Latine reddimus.* Noster carissime, venerabilis ac religiose Pater. Accepi epistolam vestram, XVI Maji datam, per manus Francisci Galeottæ: quæ majorem nobis consolationem attulit quam possit scripto explicari, considerantibus quanta cum caritate feraris erga omnia, nostrum honorem commodumque & subditorum nostrorum concernentia: neque sane aliter fieri à te potest, tam bonæ vitæ & virtutis tam singularis homine. Oramus te, ut quidquid apud Deum hominesque potes ac vales, impendere velis ad pacem & quietem miseræ Italiæ procurandam; quæ alio servire non debet quam ad invadendum Religionis Christianæ hostem, & procul à finibus propulsandum. Id quod præcipue nunc optamus est, ut Rex Christianissimus, quem veneramur ut patrem, convalescat à sua infirmitate. Hoc vero cum tu solus efficaciter possis apud Deum peragere, quam maximo possumus affectu rogamus, ut orationibus tuis sanctis eumdem permoveas, ad citam sanitatem dicto Regi conferendam. Pro certo enim habemus, quod intuitu perfectissimæ tuæ devotionis exaudienda sit oratio, quam facies pro salute suæ Majestatis; cui nos quoque commendabis, affirmando quod eum habeamus loco patris, & hoc nomine sanitatem ejus velut propriam nostram exoptamus. Cetera quæ Italiæ pacem spectant tuæ pietati & prudentiæ committimus, scientes quod eam non minus ipse cupias quam omnis hic infelix populus, qui te Patrem suum æstimat, & vehementer tuam dolet absentiam: Verissime dico, idque pro certo habere potest Rex Christianissimus, quod nisi Regiæ ejus personæ primam habuissemus rationem, neque ego neque subditi mei umquam passi essemus, ut egredereris ex Regno tu, cujus vel sola umbra ab infortunio credebamus liberari: jamque magis ipso elongationis tuæ experimento novimus, quantam in amabili tua persona felicitatem quantamque consolationem possidebamus. Verum adeo cara nobis fuit conservatio Regis Christianissimi, ut quod tanta petebat cum solicitudine, negare ei non potuerimus; ipsique quotidie Deum oremus pro salute ejusdem, quam iterum iterumque tibi commendamus. Recepimus lætanter consolationes & benedictiones, quas nobis transmisisti, tam pro Serenissima Regina consorte nostra carissima, quam pro Illustrissimo Calabriæ Duce filio nostro, & omnibus nostris subditis: quos omnes habeas in tuis devotis orationibus commendatos te poscimus. Nos vero pro te vicissim orabimus Deum, ut sanctum te atque contentum faciat, secundum desideria tuæ optimæ voluntatis. Datum Neapoli ex Castello-novo.

per alterum dat litteras ad Regem Neapolit.

qui humanissime respondens,

commendat Sancto sanitatem Regis Francia,

B

C

cujus unius respectu ipsum abire per miserit.

D

41 *Hæc ille, pro temporali Regis Franci vita sollicite satis: sed huic terminos suos constituerat Deus, quos præteriri nolebat.* Ad hos *igitur* magnis passibus properanti saluberrima fuit hominis tam sancti præsentia: quæ si non omnē eidem abstulit mortis horrorē, periculum certe infeliciter moriendi procularcuit. Nam die quadam ad se familiarius, ut cœperat, intrare jussum, hunc in modum Rex est allocutus. Nulla omnino res tantam mihi parit voluptatem, Pater Franciscе, quam te habere domi meæ. Nunc tria sunt quæ animum angunt, & quæ ex te discere vehementer cupio. Primum, an ab hoc morbo sanandus sim; alterum, quid me facere conveniat de Rusinonensi & Cerdanienſi Comitatu, de quo inter nos & Arragoniæ Regem disceptatur; tertium, quæ nam illa sint mala, quæ post mortem meam regno obventura, Prophetico, ut reor, spiritu prædixisti. Cui Sanctus, semper, inquit, ô Rex, convenit nos voluntati divinæ acquiescere, eique nos totos regendos committere, in cujus manibus mors & vita; & cujus secreta, nisi ipse revelet, scrutari temerarium est. Equidem solitariæ quietis amore huc migrare recusavi à principio: postquam tamen divini beneplaciti esse scivi, ut ad te venirem, promptus parui, ad hoc ut Dei voluntatem tibi notam facerem. Ad primum igitur, id quod alias respondeo, non longum tibi vitæ tempus esse super, ideoque curandum ut rebus tuis domuique disponas: ad secundum, hortor ut Aragoniæ Regi restituas, si quid ei debes: ad tertium prænuntio, castigandam Franciam flagello hæreseon, in regno exstiturarum.

Rex Franciæ consulit eumdem de conscientia statu, & restitutione Ruscinonis,

E

42 Atque hæc omnia, *inquit Lucas de Montoya, & ex Montoya Isidorus Tuscanus*, refert Hieronymus Capilla, Ordinis Minimorum Religiosus admodum gravis, in brevi S. Francisci chronica: ita se audivisse asseverans à gravissimo quodam Patre, S Maximini Priore: qui ipsa audiverit à Priore, decessore suo, & antea Regis Ludovici Sacellano, coram audiente singula, quæ inter Regem & Sanctum tunc dicta sunt. *Hæc ibi: quæ aliis probanda aut improbanda relinquimus. An autem apud successorem Carolū Franciscus insliterit, ut supremis paternæ voluntatis tabulis mandatam restitutionem dictorum Comitatuum, variis pretextibus diu dilatam, tandem facto ipso impleret, non habeo dicere. Existimo, non ultra quā rogaretur publicis se consiliis miscuisse Sanctum. Qui autem Caroli genium, ut tunc erat, attendent; facile judicabunt neque Sancti Francisci, neque Confessarii Regii (quem quidam restitutionis factæ auctorem dicere malunt) quidquam effecturas admonitiones fuisse, nisi regni Neapolitani spes animo concepta, & ipsi & ministris regiis ejusdem spei incentoribus persuasisset, hunc bolum (quem, si armis repeteretur, fortassis tueri non potuissent, alibi occupati Franci) objicere Ferdinando Catholici, itaque eum avertere à suppetitiis Ferdinando Neapolitano cognato ferendis.*

quod tamen hæc sit facta à Carolo successore,

F

non est Sancti consilio adscribendum.

43 *Postquam autem Rex Ludovicus de rebus ad animæ suæ salutem & regni statum spectantibus dispositisset, in eum quo scribunt historici modum: tandem magna vitæ melioris spe plenus, anno* MCCCCLXXXIII, *pridie kalendas Septembris, naturæ debito functus est.* Funus dum apparant alii, Franciscus in cellam se proripit & in orationem effusus pro salute Principis multis agit apud Deum. Inter hæc ad Joannem Teuriam, à Rocca dictum, Accede, ait, & hunc pileolum meum

pie mortuo

ad

A ad Regem defer, capiti impone, & confide, ſtatim ad vitam revocabitur. Exhorruit ille ad mandatum, nec ut faceret induci potuit: quare ad eum vir Sanctus: Scito, inquit, quia per tuam diffidentiam ſtetit, quominus vita Regi reddita ſit: nunc quando id Galliæ invidiſti; age, in Italiam revertere. Quod quidem, *inquit Lanovius hoc narrans*, ut vir Dei dixerit, periculum facturus obedientiæ; non eſt tamen dubium, quin hæc & ſiquæ ſint majora miracula poſſint præſtari per obedientiam: etſi, credo, vir Sanctus optime præviderat, non eſſe Regi vitam reſtituendam, ſed deprehendendam diſcipuli inobedientiam.

diſcipuli obedientiam Sanctus explorat.

CAPUT VI.

Res ſub Carolo VIII geſtæ: Ordo in Hiſpaniam propagatus.

Carolus Rex novum conventum erigit Sancto,

HAbitabat Franciſcus cum ſuis in arcis Pleſſiacenſis curte ſive area inferiori, ibique ex Regis Ludovici dono, ſacellum S. Matthæi cum adjuncta domo omnique ſacro apparatu poſſidebat. Sed quia hæc poſſeſſio, etſi coram multis magni nominis teſtibus inita, nullis Regiis litteris deſuper confectis muniebatur, veritus Sanctus ne poſt ſuam mortem exturbari ab ea Religioſos, & ſine certa ſede vagari contingeret; egit cum Anna, Regis impuberis amita & curatrice, Petro Borbonii Duci nupta, per eamque obtinuit inſtrumentum confirmatæ donationis, ſignatum Pariſiis XIX Martii, Regis Caroli anno III Chriſti MCCCCLXXXV, *ſed more Gallico, ut patet numerando, cum nobis in curſu eſſet annus* LXXXVI. *In quo Chronologi Ordinis non erraſſent, ſi annos regni conſideraſſent, prout ipſum inſtrumentum aliaque mox citanda exſtant apud Hilarionem pag.* 366: *qui tamen etiam ipſe ad Æram Gallicam à communi differentiam animum non reflexit. Deinde ab eodem Rege Carolo obtinuit uſum expeditum Privilegiorum, Ordini ſuo à Sixto* IV *ejuſque ſucceſſore Innocentio VIII conceſſorum, per litteras ſignatas* XVIII *Aprilis, ſecundum Francos æque ac ceteros (nam Paſcha* VI *Aprilis celebratum erat)* MCCCCLXXXVIII *anno Æræ Chriſtianæ.*

B

Privilegia confirmat

Gallis Hiſpaniſque ſociis aucto:

45 *Interim ad novi inſtituti rigorem, Sanctitate Franciſci allecti, acceſſerant varii, quos inter ſi non tempore, dignitate certe & auctoritate primus fuit Franciſcus Binet, Majoris-monaſterii prope Turonas Prior, poſtea dignißimus Ordinis Generalis: ſed quæ habentur converſionis illius Acta, eamque ſuaderent eſſe ad annum* XC *iſtius ſeculi differendam, ea fatetur Lanovius* ſuppoſitia nonnullis videri, nec deeſſe ex Ordine, qui impoſturæ auctorem deſignent nominatim; certe eſſe talia, ut negari nequeat, continere aliqua, cum hodiernis moribus non bene convenientia, nonnulla etiam inter ſe pugnantia. *Nempe difficile eſt, mentiri antiquitatem, & nihil per ignorantiam antiquitatis inſpergere, quod revocatum ad examen prodat fallaciam. Neque ſoli Galli, ſed Hiſpani etiam aliquot ad eamdem Eremitarum novorum acceſſere Societatem, ex comitatu Petri de Lucena; qui ab anno* LXXXIII *iſtius ſeculi ad* LXXXVII, *pro reſtitutione Ruſcinonis atque Cerdaniæ impetranda, Caroli Regis aulam ſectatus, magnam cum Sancto familiaritatem inivit; & ſub ejus diſciplina, tum alios aliquos, tum Ferdinandum Pandurum, conſanguineum ſuum, abiens reliquit.*

C

46 *Ergo tot ſocis aucto contubernio, cum anguſtior eſſet in arce habitatio; extra muros parci, juxta caſtellum Monticulorum dictum, ampliorem eccleſiam ac monaſterium Rex idem conſtrui jußit: in quod pariter omnes immigrarunt anno* MCCCCXCI, *eodemque tranſtulerunt ſacram ex ſacello S. Matthei ſupellectilem, quæ minutim tota deſcribitur in Patenti deſuper expedita in ipſo Monticulorum caſtro, regnantis Caroli anno* VIII, *die* XVI *Maji*: Ibi Franciſcus exiguam ſibi cellulam fabricavit, dum viveret in ea commoraturus: quæ ſic ad annum MDXV perſtitit, quando Iacquetta Molandrin, jam tum vidua Andreæ de Aleſſo, eam in ſacellum convertit ex mariti ſui teſtamento: *de cujus vel alterius ſacelli intra eccleſiam dotatione extat apud Hilarionem pag.* 305 *contractus reformatus anno* MDXXXIV. AUCTORE D. P.

46 Per hæc tempora res memorabilis accidit, quam hic referre opportunum erit. Venerat in Franciam, viſendi Franciſci & religionem ejus ſuſcipiendi cauſa, Philippus Camilianus, nobilis Calaber, is qui inter Reginenſes primus teſtimonium poſtea dixit: occurrit autem Beato viro, cum forte Rex adeſſet & ultro ab eo compellatur his verbis, Scio te Regina venire, & quo animo huc acceſſeris: verumtamen non eſt hic ſtatus, quem tibi decrevit Deus, ſed alius mitior, in quo tibi congrua magis caritatis exerceas. Ergo in patriam regredere: ibi primo quo templū ingredieris die ſacri audiendi gratia, poſt te ingredientem videbis feminam, quicum matrimonio junctus, geminam prolem, maſculam & femellam, generabis; quos in timore Dei educare memineris. Attonitus ad hæc Rex, per eos qui aderant proceres diſcere curavit peregrini nomen; ejuſque in expeditione Neapolitana poſtmodum recordatus, ex eodem ad ſe vocato didicit, omnia, ut Sanctus dixerat, eveniſſe: & quidem præter ſpem ſuam, quod ea, quam poſt ſe templum ingreſſam notarat, femina, ante paucos quam eam ibi videret dies, deſponſata fuiſſet alteri nobili, amico ſuo: ſed primo conjugii menſe relictam morte mariti viduam, ad ſecundas ſecum nuptias transjiſſe, factamque duarum prolium parentem.

quamdam ejus prophetiam audit,

& ſucceſſum examinat.

E

47 *De Ambaſienſi conventu, eodem circiter quo novus Pleßiacenſis anno fundato, habemus teſtimonium auctoris cævi num.* 40. *De Forojulienſi tunc quoque erecto nihil habeo dicere, dum nulla quibus id probem vel improbem ſuggeruntur monumenta. Hoc certum non in Francia tantum cœpiſſe ordinem, Regnante Carolo* VIII, *dilatari; ſed etiam in Hiſpanias propagatum eſſe ſub Catholicis Regibus Ferdinando & Iſabella. Primum ibi conventum oporteret fuiſſe ad S. Helenæ oratorium, in oppido Andujar dicto, diœceſis Hiſpalenſis, ab eo quem ſupra diximus Petro Lucena ejuſque uxore ibidem commorantibus ædificatum dotatumque. Legitur enim epiſtola una, eſtque* LXXV *inter editas, ad Virgines quaſdam illius loci, in ipſa dicti Petri domo ſecundum inſtitutionem S. Franciſci Paulani vivere volentes, ab eodem ut præfertur Sancto directa Turonibus,* XXV *Ianuarii anni* MCCCCLXXXIX: *in qua jam dictum Petrum Lucenam appellat cum titulo* Fundatoris noſtri, *ab eoque jubet eas intelligere, quomodo inſtituendas eſſe puellas ordinarit. Sed contra eſt quod Montoya aliique Hiſpani, qui præſentes inſpicere potuerunt monumenta fundationis, eam referant ad annum* MCCCCXCV. *Præterea hæc epiſtola accepta eſt ex MSS. ſub nomine Ioannis de Mylaſſo Neapoli aſſervatis: atqui auctor hic vel qui eum deſcripſere, paſſim infeliciter impegere in cyfras characteris antiqui & haud modicum ab hodierno diſcrepantis, ut in Prolegom. num.* 17 *vidimus: quem errorem ſi corrigas, & pro* 80 *ſcribas* 98 *vel quid ſimile, recte ſe habebunt omnia.*

In Hiſpania,

non Andujarii

F

48 *Maneat igitur Hiſpanicarum fundationum primitias Malacitano in eremitorio fuiſſe dedicatas, hac quæ ſequitur occaſione.* Suſceperat Ferdinandus expurgandam à Mauris Hiſpaniam, potiſſimum Granatenſe regnum, quod totum fœda premebant ſervitute. Primum obicem poſuit Malacitana civitas, ſitu loci & humano ingenio, ſed imprimis pertinacia propugnatorum munitiſſima. In cujus oppugnatione S. Franciſcus frangi videns victorioſi exercitus animos Turonibus, unde in ſpiritu præſens aderat obſidioni, duos Fratres miſit ad Regem, mandans ne deficeret: futurum enim ut intra tertium à Fratrum ad-

ſed Malaga primus conventus erigitur,

AUCTORE D. P.

adventu diem urbe victor potiretur. Itáque factum eſt, XVIII Auguſti anno MCCCCLXXXVII, Rege barbaro cum ſuis fugam ultro capiente. Victoriam Deo acceptam Rex pius referens, ipſo quo tentorium ſuum ſteterat loco eremitorium condidit, Sanctæque Mariæ de victoria dedicavit, & cuidam Bartholomeo Columnæ tradidit: non tamen Fratribus ad ſe miſſis (Bernardinum de Cropalati & Damianum ſive Jacobum l'Eſpervier Francum fuiſſe dicunt) conſenſit Ordinem tunc ſtabilire in Hiſpania, belli curas occupationeſque cauſatus.

ad S. Mariæ de Victoria

poſt captam Granatam an. 1492.

49 Poſtquam vero Granatam quoque anno MCCCCXCII die VI Januarij Rex obtinuiſſet, Franciſcus promiſſionis ſibi factæ memor, Petri de Lucena, ut exiſtimo, interventu, egit cum Rege, de colonia ſui Ordinis traducenda in regnum Granatenſe, quam maxime indigum inſtitutionis Chriſtianæ, ac modo duodecim ſocios illuc profecturos nominavit: inter quos Ferdinandus Pandurus erat, & omnium caput Boyllus, ex Benedictino Abbate monaſterii Montis-ſerrati Sancti Ordinem amplexus, ac deinde cum Chriſtophoro Columbo miſſus novi orbis primus Apoſtolus, Gironenſi denique infula inter Catalanos ornatus. Miſſis ad ſe benigne Rex annuit, ut ſuis inſtitutis ac privilegiis in Hiſpania vivere poſſent; in eoſque Malacitani eremitorii poſſeſſionem tranſcripſit, quod nunc in ampliſſimum cœnobium excrevit, & occaſionem dedit ut Fratres Minimi, FRATRES DE VICTORIA ab Hiſpanis nuncuparentur. Rem totam epigraphe explicabit, in iſtius conventus eccleſia poſita ſub imagine S. Franciſci Paulani, his verbis: Ferdinando V Hiſpaniarum Regi, per duos Fratres Minimos, de Mauris, octingentis annis regnum occupantibus, victoriam mandat. Dum enim Malagam Granatæ Rex obſideret, audito per dictos Religioſos nuntio animatus eſt; nocteque ipſa fugientibus Mauris panico timore, libertas urbi & regno tradita: in cujus memoriam celebre monaſterium ab ipſo Rege Ordini eſt extructum, quod deinceps de Victoria dici voluit, ſicut & Fratres dicti Ordinis, in anno MCCCCXCII.

B

ob interceptam ex Sancti prophetia Malagam.

50 *Quæ deinceps in adeunda loci poſſeſſione, eaque contra Bartholomæum primum ejus habitatorem tuenda, geſta ſunt; quæ alia per Hiſpaniam fundata cœnobia, non attinet fuſius commemorare, nedum deſcribere multis primorum in Hiſpania fundatorum virtutes: unum tamen preterire non poſſumus fr. Martinum Marmolejo, profeſſione Laicum, ex Eczienſi, quod anno* MDVI *dicitur fundatum eſſe, monaſterio.* Venerat hic Turonas una ſancti Patris videndi gratia, & poſt dierum aliquot commorationem reverſuro, dederat Sanctus pro ſcipione viatorio ramum, ex moro arbore aptatum; jubens eum, ſtatim atque ad ſuum rediviſſet conventum, terræ infigere. Paruit juſſo obediens diſcipulus, Ecziamque reverſus defixit humo emortuum lignum; quod ibi radices agens in proceram evaſit arborem. Hac autem poſt multos annos imprudenter ſucciſa, rurſum ex radice pullulavit alia; quæ etiam nunc viret magno cum monaſterii illius commodo. Cives ſiquidem, quorum multi conficiendo ex bombycum laboribus ſerico vitam ſuſtentant, ex ſingulari erga S. Franciſcum devotione, hujus arboris folia, bombycibus in eſcam danda, ſtudioſe expetunt; experientia docti, vermium iſtorum educationem multo felicius ſecuriuſque procedere, quando iis vel pauca hujus miraculoſæ plantæ folia apponuntur. Unde fit ut quam acceptam Sancti meritis referunt gratiam, eam largis ad Fratrum ſuſtentationem eleemoſynis ſtudeant compenſare.

C

mori ramus. Eczia juſſu Sancti plantatus.

bombycibus mire utilis.

51 *Andujarii porro non tantum illud, quod diximus, monaſterium ædificavit Petrus de Lucena pro diſcipulis S. Franciſci: ſed etiam eodem anno* XCV *iſtius ſeculi, aliud erexit pro feminis, quod auctores conſentiunt primum eſſe ſub S. Franciſci Paulani Regula huic ſexui conſtitutum cum clauſura & votis Religioſis. Hæc tamen vota non ſtatim à principio inducta arbitror, ſed Tertiariarum inſtitutum dumtaxat ibi fuiſſe ſervatum, quomodo ex Proc. Calabr. num. 46 diſcimus Altiliæ ſedecim Sorores Tertiarias ſub una Correctrice ſimul vixiſſe, & Religioſas laxiori acceptione dictas fuiſſe. Quandonam autem Sanctus acceperit facultatem mulieres ſolenniter profeſſas velandi, nuſquam invenimus; hoc ſcimus, ſcriptam pro iis Regulam, anno* MDVI *dumtaxat approbatam haberi. Fortaſis etiam hoc Sanctimonialium cœnobium rectius dicetur, annis ſeptem poſt illud virorum eſſe inchoatum: ſiquidem nonniſi anno* MDII *menſe Auguſto dictus Petrus Lucena & Maria Alphonſi, uxor ejus, ſuarum partem majorem ædium Religioni tradidere ad clauſuram; eaque pars adeo ampla fuit, ut ipſæ monachæ, quæ jam viginti & una numerabantur, die* IV *Martij ſequentis anni hac de re ſcribentes ad ſanctum Patrem, ſignificaverint, in ea ſe habere pro officiis ſacris quotidie peragendis juſtam eccleſiam, & idoneum ſpatium dormitorio, refectorio, clauſtro, aliiſque officinis ædificandis, ex liberalitate piorum hominum & collata in commune cujuſque dote. Exponunt autem* nihil ſibi magis deeſſe quam Regulam, quam poſſint tamquam Religioſæ clauſtrales tenere, quæ hactenus ſub nuda Fratrum inſtructione vixiſſent; *preter quam etiam alteram ſibi mitti expetunt iis proponendam, qui tertiæ regulæ habitum volent ſuſcipere. Simile quid eadem per ipſum Petrum de Lucena petierant ante annos non multos, quando illam (cujus facta ſuperius mentio eſt) epiſtolam accepere: eamdemque petitionem replicante Petro, reſcripſit Sanctus* XV *Januarij anno* MDI, Spero in Domino venturum aliquando tempus, quo piæ illæ Virgines erunt multis aliis lumen & via ad ſalutem; & Deo dante, providebimus ſanctæ earum intentioni, ad hoc ut in veſtra domo unitæ amore & caritate, poſſint tamquam Religioſæ, ſecundum propriam formam ac Regulam alias inſtituere doctrina & vita exemplari. *Interim,* juxta poteſtatem ſibi à Chriſti Vicariis factam, concedit Petro totique ejus familiæ & aliis devotis perſonis facultatem in ſancta illa domo confitendi, *ſcilicet* in domo S. Helenæ, *cujus* fundator *nuncupatur in epiſtolari inſcriptione: non autem in ſua propria, ubi prædictas Virgines collegerat, domo; quia hæc necdum erat ſacris uſibus aptata.*

D

conventus monialium Andujarii:

an. 1502

E

cui ſe proviſurum de Regula Sanctus promittit.

52 *Abiiſſe in Hiſpaniam Fratres menſe Martio anni* MCCCCXCII, *ſcribit Iſidorus, & eſt probabile ſatis: non item quod addit, accepiſſe eos ſecumque tuliſſe propria ipſius Sancti manuſcriptam Regulam. Nam quo tempore puer fuit Franciſcus, res rara erat, etiam Principibus viris & in magiſtratu conſtitutis (præterquam Clericis) litteras noſſe: & qui duodennis excedens è paternis ædibus ſolam fere ſolitudinem coluit per omnem vitam, nihil potuit propria manu ſcribere: ſed utebatur Clericorum in Ordinem admiſſorum opera; & cum Gallice, Hiſpanice, vel Latine reſpondendum eſſet, etiam lingua. Teſte namque Comineo, ſub annum* MCCCCXCVIII *ſcribente ſolâ Italicam norat; & hanc quidem, ut per ſe evidens fere Calabricam: quippe qui è Calabria numquam extulit pedem, niſi cum in Siciliam & Franciam ivit: in Francia autem non niſi per interpretem loqui ſolitum, etiam mulieribus ſolam Franciam intelligentibus, etiam ultimo vitæ anno, ſcitur ex Proceſſu Turonenſi. Sed nec Regula tum adhuc ulla ſcripta aut per Apoſtolicam Sedem probata erat, cum in Hiſpaniam mittebantur Socii. Alexander enim VI, cui, per extraordinarios Regis Caroli ad gratulationis officia Oratores, prima Regularum forma approbanda eſt miſſa, non ante* XI *Auguſti electus fuit cum jam à quatuor menſibus in iter Hiſpanicum ſe dediſſent Fratres; & ejus approbatoria Bulla ſignata eſt anno primo ejuſdem Alexandri,* IV *kal. Martii. Quis autem credat ullas ſcriptas Regulas fuiſſe promulgatas à Sancto, prius quam eas Sedes Romana probaſſet? Quia tamen* Votiva pro directione Eremitarum eremitorii S. Franciſci de Paula, à Franciſco de Paula provide

F

An iuris in Hiſpaniam dederit Regulam,

litterarum & linguarũ rudis,

quando nulla dum probata erat?

A provide ordinata (*ita primam hanc Regulam appellat Pontifex*) *divinitus inſpirata Sancto Fundatori, ab alio debuerunt ſcribi & Latine reddi; & credibile eſt huic negotio adhibitum Fr. Bernardinum Cropalati, Sancti viri Confeſſarium; credibile etiam eſt, hunc in Hiſpanias cum Buylio profecturum, tuliſſe ſecum eorumdem exemplar, non ut regulam, ſed ut directorium, quod vim Regulæ brevi habiturum ſperaretur,*

CAPUT VII.

Regula quater innovata à Sancto. Res cum Carolo Rege geſtæ.

Prima Regula Alexandro VI oblata,

53 *Licet Archiepiſcopus Pyrrhus, in ſua anni* MDLXXII *conſtitutione, plenam Franciſco poteſtatem feciſſet,* Statuta & Ordinationes pro auſteræ eremiticæ vitæ obſervantia faciendi, *eamque facultatem Sixtus Pontifex confirmaſſet; diſtulit tamen ea uti Sanctus per annos multos; uſque dum fundatum in Calabria & Francia Ordinem etiam ab Hiſpanis Germaniſque poſtulari videns (nam & in Germania tres conventus Maximilianus Imperator fundavit, quos paulo poſt hæreſis Lutherana extinxit) differre non potuit diutius, quin ſcripto mandari faceret communem omnibus vivendi Regulam: eamque Alexandro* VI, *ut diximus, obtulit, quæ paſſim Prima ſolet vocari. In hac præ ceteris notabile eſt capitis* VI *initium, quod ſic habet.* Cibi noſtri, durante vita noſtra ſint Quadrageſimales, tam in locis & conventibus quam etiam extra, nec alicui carnes aut ova, caſeum aut lacticinia alia, modo aliquo ſeu tempore, demptis infirmis (& hoc de conſilio medici) comedere licitum ſit. Contrafacientes (ſimiliter & conſentientes & non revelantes) per tres menſes carceribus mancipentur, jejunentque quarta & ſexta feria in pane & aqua: inſuper ipſo facto deprehenſus, perpetuo inhabilis ad omne officium exiſtat, niſi per Capitulum generale, conſiderata ejus qualitate, rehabilitetur. *Vnde jure merito infert Lanovius,* inde ab ipſo Ordinis principio parum admodum à voto abfuiſſe obligationem victus Quadrageſimalis perpetui, nec illam cujuſque arbitrio & voluntati umquam relictam fuiſſe. *Cum vero hactenus fuiſſet conſervatum uſu ut à primarii ſui, quod apud Paulam Sancto Franciſco Aſiſiati erectum erat, oratorii nomine,* Eremitæ S. Franciſci *vocarentur: & periculum eſſet, ne illos à Fratribus Minoribus, ab eodem S. Franciſco Aſiſiate inſtitutis, rude vulgus non ſatis diſtingueret; decrevit Pontifex hanc Regulam approbans, quod deberent* Eremitæ Ordinis Minimorum Fratrum Eremitarum Fratri Franciſci de Paula in poſterum nuncupari.

cum obligatione victus quadrageſimalis,

& ſuſceptione nominis Minimorii.

ſecunda Regula anno 1501 *probata,*

54 *Vt autem quæ ad Regulam ſpectant, ſub unum aſpectum hic ponamus omnia;* cum *prædicta* Regula in tredecim capitula concepta ac diſtincta fuiſſet; ipſe Franciſcus cum nonnullis Fratribus ſuis experientia edocti, cupientes futuris periculis, quæ ſuccedente tempore in eodem Ordine futura formidabant, obviare; tredecim capitula prædicta in decem tantummodo reduxerunt, aliqua etiam pro ſalubri ipſorum & aliorum directione immutaverunt, ac etiam addiderunt: quibus ſic reductis, mutatis, ampliatis, & quæ ſuperflua erant reſecatis; ipſe Franciſcus decem capitula prædicta voluit & mandavit per ſingulos ejuſdem Ordinis Fratres, pro ſua ſalubri Regula, deinceps perpetuis futuris temporibus pro poſſe obſervari, Regulamq; Fratrum Minimorum, ut prius, appellari. *Ita Alexander* VI, *anno* MDII *novam Regulam, qualem anno immediate præcedenti Kalendis Maji approbarat, denuo in paucu-*

tertia anno 1502, *quæ & promulgata*

lis correctam & S. R. E. Cardinalium examini ſubjectam, XIII *Kalendas Iunii approbans confirmanſque. Hanc iteratam approbationem confirmationemque ſecuta eſt primæ Regulæ abrogatio & ſecundæ ſeu potius tertiæ promulgatio. Neque enim ſi ante factam correctionem ſecunda Regula, ſtatim ut approbata, ſic publicata fuiſſet; potuiſſet coævus vitæ Auctor,*

primo poſt ſecundam approbatam anno currente, ſcribere de prima, talem fuiſſe qualis etiam tunc obſervabatur: hoc ipſo tamen ſatis innuebat, agi de nova Regula in Ordinem inducenda. Et vero promulgatione tantiſper dilata, liberum fuit Franciſco corrigere adhuc aliquid, & nulla prioris approbationis facta mentione aliam petere, quam vellet promulgari. AUCTORIS D. P.

55 *Particulare autem tam ſecundæ quam tertiæ Regulæ fuit, quod ejus Profeſſores* Fratres Minimorum Minimi *ad ſolennia tria vota Religionis quartum appoſuerint* vitæ Quadrageſimalis: *quodque iidem petierint,* ſalutarem promiſcui ſexus tertiive Ordinis vivendi modum ſeu Regulam, in ſeptem tantum capitulis ſtatutam & ordinatam, per Pontificem benedici, approbari & confirmari, ac ſub præfato Minimorum ordine comprehendi: *prout utraque ſua bulla Pontifex fecit. Non caruit quidem contradictoribus Sanctus, cum vitæ Quadrageſimalis obſervantiam ſub obligatione tam ſtricta ſuſcipiendam ſuaderet: evicit tamen obſtacula omnia, Deo per miraculum quandoque declarante, quam grata ſibi ea inſtitutio foret.* Etenim cum de promulgatione poſterioris Regulæ ageretur, & Fr. Joannes Genevenſis, qui diſſentiens à Sancto nonnullos in partem ſuam traxerat, tam longam hiberno in frigore exhortationem faſtidiret; foculum cum primis afferri juſſit Pater, ſibique oblatum ante dictum Fr. Joannem collocari, hoc ipſo admonens, non tam exterius quam intus frigeſcere, cui iſta minus placerent. Erat autem foculus æneus, & accenſis vehementius prunis candeſcens, pavimenti tabulas urere cœperat. Currunt alii ut tegulas ei ſupponendas quærant: Sanctus autem utraque manu foculum candentem tenens, admiratione miraculi ſic omnium accendit animos, ut nihil dubitaverint ſuadenti aſſentiri. Et rurſum poſt viri Sancti mortem, cum in primo capitulo Generali Romæ celebrato res eadem veniſſet in controverſiam, & dubitari vellent aliqui de mente ſui Inſtitutoris, dilata in poſterum diem definitione & precibus communiter indictis, redeuntes ad ſuffragia ſic fuere concordes, ut nemo unus à meliori ſententia deviarit. Modificationem tamen Regulæ additam pro infirmis, ſic graviter ægrotantibus ut uſum pinguium vel etiam carnis iis neceſſarium medici judicarent, omnino voluit Sanctus obſervari: ideoque aliquando infirmus ipſe rogatus à ſuis, ut aliis hac in parte vellet præire exemplo, bolum unum allatæ ad ſe carnis accepit, maſticavitque, & maſticatum repoſuit in laticem; ut neque fraternæ officeret caritati exemplum nimis pertinacis abſtinentiæ, neque tamen à ſua recederet conſuetudine numquam carnes manducandi.

his adjunctis Tertiorum regula

Fr. Joannem Genevenſem, vitæ quadrag. adverſantem,

miraculo compeſcit Sanctus.

infirmorum privilegium exemplo probat.

56 *Denique cum rerum cunctarum diffidicatrix experientia, obortæque difficultates non nullæ, ſuaderent rurſum Regulam revocandam ad incudem, Quartam dictavit Sanctus cujus capite 6 expreſſe jubetur, ut* Singuli hujus Ordinis Fratres à cibis carnalibus omnino abſtineant, & dignos pœnitentiæ fructus in cibo Quadrageſimali taliter agant, quod ipſi carnes ac omnia ſementinam originem à carnibus ipſis trahentia penitus vitent. Carnes igitur & pinguedo, ova, butyrum, caſeus, & quævis lacticinia ex eiſdem congeſta & producta, intus & extra, omnibus & ſingulis, Fratribus ipſis & Oblatis, ſint omnino & inefragabiliter interdicta. *Atque hanc Regulam (quæ in tres diviſa partes, inter Regulam Fratrum & Regulam Tertiariorum utriuſq; ſexus, mediam habet Regulam Sororum, tam primū propter Hiſpanica monaſteria conſcriptam) Iulius* II, *prout facturum Sanctus prædixerat, confirmavit anno* MDVI, V *Kal. Auguſti, qualem Proſper Stellartius inter Fundamina Ordinum, publicæ luci dedit: alia autem priores tres apud Lanovium legi debent. Confirmavit etiam eodē anno & die Pontifex, ſed per aliam Bullam, Correctorium, quod ait Lanovius* quaſi ſepem legis aut iteratam legem

Quarta Regula an. 1506.

& Correctorum probantur à Iulio 2,

AUCTORE D. P.

esse, in illudque rejecta esse quædam, à prioribus Regulis quasi rescissa. *Quartam Regulam* (in qua noviter constituta multa, quædam ex antiquis temperata, non pauciora majori severitate restricta, non nulla prorsus sublata & soli consuetudini relicta) *cum sua morte intra menses octo secuta sigillasset vir sanctus, Generali capitulo, anno* MDVII *die* XXIX *Decembris Romæ collecto, prima cura fuit dispicere quid de illius & Correctorii usu inducendo, faciendum esset. Cumque adessent varii, qui solam primam Regulam professi, vitæ quadragesimalis nullum speciale fecissent votum; vocatum in controversiam est, an illud censeri deberet Ordinis essentiale, sic ut liberum non deberet relinqui eo se adstringere vel non; fuitque nonnulla in concordandis votis difficultas. Igitur ex vocum pluralitate, & Francisci Bineti (qui postea generalis electus est) suasione, coram Marco Vigerio Cardinali Senogalliensi, qui loco Bernardini Cardinalis Carvajalii Protectoris, sed in Legatione Germanica absentis, Pontificis jussu Capitulo præsidebat, statutum est, ut qui in quartam Regulam jurare nollent, omni electionis jure in perpetuum excluderentur. Quo decreto facto, datum est recusantibus deliberandi spatium, & pariter omnes rem Domino commendarunt tali successu, ut omnes in Regulam integre servandam consenserint: Correctorium autem non aliter receptum sit quam sub conditione, quædam in eo austeriora mitigarentur.*

& in 1 Capitulo Gen. Romæ recipiuntur.

B

57 Dum hæc ita successive Romæ aguntur, in Francia Rex Carolus, non contentus Turonensem atque Ambasianum conventus fundasse in principio regni; postea etiam sollicite egit, ut circa Parisios locus aliquis inveniretur erigendo conventui. Verum re ad Episcopale consilium deducta, Ecclesiastici multi novæ fundationi sese oppossuere: imprimis duo ex Sorbona Theologi, Joannes Quintinus, & Joannes Standoncus, hic pauperum studiosorum in Collegio Montis-acuti Principalis, iste Pœnitentiarius in ecclesia Divæ Virginis. Verum providit Deus ut ex adversariis in patronos converterentur. Civitatis enim nomine pro aliquibus negotiis deputati ad Regem, cum Turones venissent, in eo quod capturi erant hospitio duos Minimos invenere: quos prophetico spiritu plenus Sanctus, locum & tempus designans, præmiserat, jusseratque Doctores illos ad suum invitare conventum. Hi vero cum videndi hominis curiositate allecti, eo se nō inviti contulissent; sic ejus conspectu & alloquio capti sunt, ut Quintinus hospitii vicem liberaliter rependens, totis sedecim mensibus domi suæ habuerit eos, quos ad prima Conventus Nigeonensis fundamina Sanctus jusserat Parisiis subsistere: itáque inchoatum monasterium illud est, quod Minimorum ordo ibi florentissimum habet, & Reginæ Annæ munificentia ad eam potissimum amplitudinem excrevit.

Parisienſi fundationi adversantes;

favere sibi facit Sanctus;

C

58 *Quæ quidem Regina hujus sui erga Ordinem sanctissimum affectus fructum longe optatissimum tulit, Delfinum, anno* MCCCCXCII *natum. Huic baptisando cum lectus esset locus in Sacello Parci Plessiacensis, dies vero* XIII *Octobris;* Vir Sanctus, ipsius Regis manu suffultus, inter ceremonias nomen Caroli Rolandi imposuit puero: *quemadmodum cum magna ipsius Sancti laude scriptum invenitur in monumentis Cameræ Rationum, totam baptismi regii ceremoniam pompamque describentibus: quæ apud Hilarionem in probationibus pag. 375 legi integra possunt. Sed breve heredis nati gaudium fuit: cum enim suis non contentus Rex, Mediolanensem Ducatum & Neapolitanum Regnum armis occupasset, eorumque Dominos abduxisset in Franciam; non modo male parta brevi amisit, sed & tres filios ex conjuge natos. Neque ramos tantum inutilis arboris (secundum quod Regi vir Sanctus prædixerat nisi Dei mandata sedulo custodiret) verum etiam truncum ipsum paulo post excidit Deus, quando apoplexia tactum Carolum è vivis abstulit,* VII *Aprilis anni* MCCCCXCVIII.

Delphino baptizando nomen dare jubitur.

ex ejus prædictione proles regia moritur,

Cui tamen ut temporalis afflictio, ex rebus in Italia infeliciter commutatis atque universa prole tam cito extincta, cederet in correctionem, credibile est S. Francisci precibus & admonitionibus adscribendum. Certe præter ea quæ extremo vitæ anno optime administrandi regni conceperat proposita, quæq; ex parte executioni mandari cœpta in favorem pauperum oppressorum & ad restitutionem ecclesiasticæ disciplinæ, testatur Cominæus; ultima ejus verba, quæ adhuc sanus dixisse auditus est, hæc fuerunt, quod speraret numquam se deinceps peccatum mortale ullum, & ne veniale quidem si fieri posset, commissurum: eoque dicto resupinus concidit, nec nisi ter ante mortem facultatem loquendi, seque Deo & Sanctis pie commendandi, ad modicum temporis intervallum recepit.

D

uti & Rex ipse, sed optime præparatus.

59 *Successit Carolo Ludovicus* XII, *& medio juramento, quod ad contrahendum cum Ioanna Ludovici* XI *filia matrimonium metu adactus, numquam eo usus fuisset, petiit impetravitque dissolui, ad ducendam decessoris sui viduam, Britanniæque Ducatum Francico imperio servandum. Torsit hoc divortium, causæ ut multis videbatur falsæ innixum, doctorum virorum ac piorum animos; nec defuere qui ei se majori animo quam prudentia opponerent: sed in his fuisse S. Franciscum quod scribunt aliqui, haud quaquam existimo. Credo potius solandæ Ioannæ alumnæ suæ, & eo quo divinitus destinabatur dirigendæ intentum, æque atque ipsam Sanctam, acquievisse judiciis regni, & in iis fundatæ dispensationi Papali. Si enim aliter judicasset; monuisset utique Regem, neque amantissimam sui Annam Reginam incesta copula permisisset inquinari. Quod igitur missionem in Italiam à Rege petiisse & impetrasse dicitur solo humilitatis ac solitudinis studio fecisse arbitramur: licet pro eo retinendo interponeret suam auctoritatem Georgius Ambasiensis, omnium consiliariorum Regis Ludovici intimus, & suaderet ut jam Lugdunum usque progressum Sanctum illico curaret revocandum. Hæc tamen omnia de petita concessaque abeundi licentia, vellemus auctoritate aliqua firmata videre: interim penes recentiores auctores, nullo teste subnixos, fides maneat. Vnum constat, Regem postea fuisse S. Francisco faventissimum, & quarto sui regni mense die* XVIII *Augusti expedivisse Patentes, eorum omnium, quibus Rex Carolus Ordinem munierat, privilegiorum confirmatorias.*

succedit Ludovicus 12 & Ioannam dimittit;

E

an Sancto factum improbante.

CAPUT VIII.

Georgii Card. Ambasiæ erga Sanctum affectus, Andreæ de Alesso genus & posteritas.

60 *Alexander Papa* VI, *novo Regi Ludovico rem gratam se facturum sciens, si Georgium Ambasiensem, urbis Rotomagensis Archiepiscopum, Cardinalitia dignitate ornaret; eodem quo Rex coronatus est anno* MCCCCXCVIII, *pridie Idus Septembris, sacro eum Collegio adscripsit. Qui tali ornatus auctusque dignitate, cum propensioris erga novum Ordinem affectus magna aliquoties signa ostendisset, pro muris conventus Plessiacensis ac nepote suo Andrea, litteras ad eum dictavit Sanctus: quas, quia sunt fidei stylique indubitati, lubet hic latinas dare ex Hilarione in Probationibus pag. 429. Sunt igitur hujusmodi.* Reverendissime in Deo Pater, Domine mi colendissime, tuæ bonæ gratiæ humiliter me commendo, affectuose & optimo corde gratias tibi agens ob benevolentiā, caritatem, labores, quos susscipis pro paupere vestra planta nostraque religione: quam totam tibi committo & depono inter brachia Reverendissimæ Dominationis tuæ: rogans eam, ut dignetur apud Regiam Majestatem meminisse murorum & consummationis hujus nostri conventus. Reverendissime Pater, harum lator nepos meus est, quem Rex Ludovicus fecit in has partes venire: imploro caritatem Reverendissimæ Dominationis vestræ, ut eum velit habere commendatum; & siquidem idoneum eum inveneris servitio tuo (novit enim Italicam & Francicam linguam) ad pedes tuos eum relinquo: sin minus, rogo ut habeas apud Majestatem Regiam;

Noviter creato Cardinali amico

scribi jubet Sanctus,

commendans muros monasterii sui

& Andream nepotem:

Regiam commendatum. Reverendiſſime Pater, oro
A Jeſum benedictum, ut Te conſervet teneatque in ſua gratia, dirigens te ad bene perſeverandum in officio paſtorali earum quas Tibi commiſit ovium, eoque quod habes apud Regiam Majeſtatem; quem rogo ut ſemper habeas, ſimulque Reginam cum paupere hoc regno, commendatum, tam in orationibus Tuis quam alias: quatenus colligere poſſis fructus laborum tuorum in gloria æterna; ita tranſiens per terrenarum rerum proſperitatem, ut ſpirituales non amittas. Scriptum in conventu noſtro Jeſu-Mariæ, prope Pleſſiacum, in die Regum.

Veſter humillimus obediens, filius, & ſupplex
FRATER FRANCISCUS DE PAULA.

61 *Florimundo quoque Roberteto Generali, & ut Hilarion ait, Secretario ſtatus ſub Carolo & Ludovico Regibus, ſimili fere ſenſu ſcribi juſſit, quod ſequitur, & propter mox dicenda de latore epiſtolæ, neutiquam debet prætermitti.* Honoratiſſi-
Item Roberteto Generali, me Domine, Tuæ bonæ gratiæ humiliter & optimo corde me commendo. Religioſi noſtri docuerunt me quanto commodo ſis noſtræ pauperi Religioni, quoties alicujus egent in curia, & quam ſincero eam complectaris amore: quapropter affectuoſe Tibi gratias ago, ſupplicans ut eamdem ſemper velis habere commendatam, nominatim circa ſolutionem ſumptuũ in
ut de conditione aliqua nepoti provideatur. muros factorum, & abſolutionem noſtri pauperis
B convertus: de quo ſcripſi bono Patri noſtro, Domino Cardinali. Etiam ſcribo ipſi pro hoc paupere peregrino, Nepote meo Andrea, quem bene noviſti; Tibi etiam ſupplicans, ut placeat eum commendatũ habere, tam apud præfatum Dominum meum Cardinalem, quam apud Regem: quatenus futuro tempore habere poſſit aliquam conditionem modumque vivendi: eritque obligatus ut pro Te Deum oret, quemadmodum & ego & tota noſtra pauper Religio, precandi Dominum ut te venire faciat ad æternam paradiſi gloriam &c. *ut ſupra ſubſcribendo,* Veſter pauper orator & ſervitor.

Hic felicis in Franciaſtirpis parens, 62 *Annus nullus notatur: ſed evidens eſt menſemalium quã Ianuarium, proxime à Coronatione Regis & Cardinalis promotione ſecutum, nullum hic poſſe intelligi, ne nimis ſera commendato fuerit. In utilis certe neutiquam fuit: data eſt enim ei Prefectura Regiæ, ut vocant forariæ ſeu metandorum hoſpitiorum; & Iacquettæ de Molandrin Bleſenſi conjunctus, felici matrimonio filios procreavit, quorum unus Marinus, Abbas Foreſti-Monaſterii, Prior B. Mariæ Lætitiæ & S. Martini Turonenſis Canonicus fuit; alter filiorum Ioannes, Toparcha de Lezeau & Eraigny, Regi à Conſiliis & Rationum Magiſter, duxit Mariam de la Sauſſaye, Ioannis Morvillerii Aurelianenſis Epiſcopi & Franciæ Procancellarii neptem, ampliſſimæ nobiliſſimæque in hanc diem propaginis ex hoc conjugio parentem, quam apud Lanovium & Hilarionem deductam*
C *videre poteris. Horum porro & Franciſci, de quo infra, parens Andreas, eſſetne S. Franciſci Paulani ex ſorore, nepos,* *an vere nepos ex ſorore fuerit,* *an ex cognata dumtaxat conſanguineus, magnis aliquando ſnit motibus agitatum; & perdita propemodum apud Paulanos rerum tam antiquarum memoria, cum plerique aſſererent unigenitum parentibus ſuis fuiſſe Sanctum neque ſororis aut nepotis nomina, propter ambiguum eorum in Calabrica lingua uſum, ſatis eſſent liti terminandæ; confecit rem totam & litem diremit productum tandem Caroli VIII diploma. Quod quia omni exceptione majus teſtimonium continet & hanc hiſtoriam mirifice illuſtrat, lubet hic partem ejus aliquam dare.*

non poteſt amplius dubitari. 63 Carolus, Dei gratia Rex Franciæ. Notum facimus omnibus præſentibus & futuris, quod recepimus humilem ſupplicationem noſtri cari & bene amati Andreæ de Aleſſo, Paula, regni Neapolitani villa, oriundi; continentem, quod paulo poſtquam noſter quondam cariſſimus dominus ac pater, quem Deus abſolvat, fecit venire ex eodem regno Fr. Franciſcum de Paula, Religioſorum Ordinis Bonorum hominum, avunculum dicti ſupplicantis, AUCTOR. ad fundandum ex ejus devotione conventum Bonorum-hominum, qui modo eſt in noſtra domo Parci Pleſſiacenſis; idem quondam dominus ac pater noſter, deſiderans habere in ſuo ſervitio a- *quia in diplomate an.* liquos ex illius conſanguineis vel propinquis, *1490.* eoſque promovere; decrevit & juſſit huc venire dictum ſupplicantem nepotem ejus, qui tum valde juvenis & teneræ admodum ætatis erat, Qui cum adveniſſet, noſter quondam dominus ac pater adjungi eum voluit famulitio ſuo, multaque alia beneficia eidem præſtitit uſque ad obitum ſuum. Poſtquam autem nos ad Coronam evecti ſumus, de eo quod eſt prædictum admoniti, ſupra nominatum ſupplicantem ſimiliter in noſtro obſequio retinuimus, eique pro ſuſtentatione ſua annuam aſſignavimus penſionem: qua mediante idem ſupplicans, jam nunc poſſeſſiones aliquas noſtro in regno acquiſivit & acquirere deinceps intendit, cum intentione ibidem transigendi reliquos vitæ ſuæ dies.

64 *Hactenus diploma, in Pleſſiaco-parci ſignatum anno* MCCCCXC: *ex quo primum evidens ſit, eum cui* avunculus *Andreæ avunculus nominatur Franciſcus.* *ipſe Sanctus fuerit* (*nã nomen hoc nec in Gallica nec in Italica lingua ambiguitatem admittit*) *non niſi in ſtrictiſſima ſignificatione* Nepotem *dici, quidquid alii aliquando ſenſerint dixerintve. Secundo, ex eodem diplomate clare patet, erraſſe Iſidorum & quicumque alii ante eum ſcripſere, quod hic Andreas eadem qua Franciſcus navi vectus in Franciam ſit. Venit quidem cum eo nepotum aliquis, ut teſtatus eſt in Calabrico Proceſſu viæ totius comes Taſus Saldanus num. 26. Sed hunc eumdem Loyſius Galiſus. in eadem triremi tunc nauta,* parvulum Franciſci confratrem nominat (*ex quo datur intelligi habitu Ordinis indutum fuiſſe ſaltem ut novitium: & probabile ſit natu majorem Andreæ extitiſſe*) *Petrum auctores neminant. Preter hos in Proceſſu Calabrico num.* 136 *Prætor Caſtilionenſis,* de Nicolai, beati Nepote, retulit, quod fuit ab ipſo in Paula reſuſcitatus: & hoc miraculum eſt, *inquit,* vulgatum in *Nicolaus, d' Aleſſo à Sancto reſuſcitatus,* Calabria. *Videtur autem hic omnino idem eſſe, de quo in eodem Proceſſu quædam Andiana num.* 88 deponit, per dictum ſui patris, qualiter pater ejus vidit nepotem Fratris Franciſci deportatum ad eum mortuum de duobus diebus: & vidit ipſum reſuſcitatum in conventu Paterni. *Vtique jam religioſum: nam reſuſcitatio Paulæ facta eſt, ſecundum dicti Prætoris teſtimonium. Ceterum dum conſidero ab auctore Vitæ duos tantum mortuos ſuſcitatos commemorari,* quorum *primus* conſanguineus Sancti *fuerit, ad deprecationem orbæ matris vitæ redditus; dubitare nequeo,* quin *hic unus idemque ſit, ab aliis teſtibus indicatus* Nicolaus. *Et quia talis auctor, tanto tempore cum Sancto Paulæ moratus, adeoque ejus omnes conſanguineos notiſſimos habens, de matre reſuſcitati tam expreſſe agens, non videtur fuiſſe prateriturus quod ea fuerit ſoror Sancti, ſi vere Nicolaus fuiſſet ex ſorore nepos; neceſſarium exiſtimo nomen nepotis latius hic accipere pro cognato* (*Franci* Couſin *dicerent*) *& aliam ei matrem quærere; nec ulla eſt de qua juſtior eſſe ſuſpicio poſſit, quam mater Antonii de Aleſſo, mariti Brigittæ, eademque S. Franciſci conſobrina. Certe etiam* *non eſt accenſendus nepotibus ex ſorore.* *conſobrinarum filios, nepotes communiter in Calabria dici, res eſt juratis teſtimoniis certiſſima: & hic, ſi uſpiam, debet habere locum. Adde quod dictus Vitæ auctor de hac reſuſcitatione agat, tamquam de re ſolo auditu cognita, adeoque geſta ante annum* MCCCCLX, *cum necdum ipſe Paulæ factus erat Religioſus: quo poſito Nicolaus iſte pubertatis annos prius attigerat, quam matrimonio jungeretur Brigitta: quæ proinde non potuit ejus mater fuiſſe, annorum tum dumtaxat viginti.*

65 *Ex iſta porro hypotheſi, quod Vienna Franciſci mater ſororem habuerit etiam Paulæ nuptam, annis aliquam multis ſeniorem; quodque Franciſco ex iſta ſua matertera fuerit conſobrina, eademque mater*

AUCTORE D. P.

Antonii de Alexio, cui etiam Viennæ *nomen fuerit, quæque inſtrumento cujuſdam donationis, Paulano conventui ſub Catholicis Regibus Ferdinando & Iſabella per Brigittam Sancti ſororem factæ, matris nomine ab eadem Brigitta appellatur; novum ſequitur commodum; videlicet quod iſto modo & matrem & ſocrum ejuſdem nominis habens Brigitta, utramque* Viennam, *hanc* de Paula, *iſtam* de Fuſcalda; *& utramque recepto uſu* matrem *indifferenter nuncupans; ambiguum ſuccedenti tempore fecerit utrius filia naturalis eſſet, & ita facilius in Paulano vulgo potuerit naſci, quod S. Franciſcus fuerit ſuis parentibus unigenitus, maxime cum iidem dicerentur poſt natum filium annos omnino triginta ab uſu matrimonii abſtinuiſſe. Tali etiam modo Franciſcus de Aleſſo, Andreæ filius, qui ratione aviæ vocari debuit* Sancti ex ſorore nepos, *à Patribus Turonenſibus, apud quos religioſam duxit vitam, cum reſpectu ad avi ſui matrem, dici potuit* Beati viri conſobrinæ pronepos: *quomodo etiam & in antiqua ſcriptura clauſtri Romani legitur, & in libro quodam imaginum vitæ dicti Sancti Romæ impreſſo anno* MDLXXXIV *&* MDXC, *longe prius quam hac de re mota eſſet controverſia. Cujus controverſiæ nodos ſi per probabilis conjecturæ viam explicare tentaviſſent ii, quibus ſumma viſa injuria eſt vel unico gradu longius à Sancto removeri; neque maluiſſent eos periculoſo, & ad gratiam potentiorum ſæpe librato, judiciorum ſecularium ferro ſecare; minus damni paſſa fuiſſet caritas, neque tam pertinaciter oppoſuiſſent ſe alii, quorum poſitivis rationibus ſatisfactum vix erat aliter, quam fidem iis derogando per alia in contrarium teſtimonia. Vt autem hæc quæ diximus pateant clarius, non gravabimur, in gratiam nobiliſſimæ nunc atque ampliſſimæ in Gallia proſapiæ, genealogicam tabellam conſtruere, ſub unum cuncta aſpectum poſituram.*

potuerunt iſti aviam habuiſſe Sancti conſobrinam,

dicti Nicolai matrem.

FAMILIA S. FRANCISCI:

N. MARTOLILLA, Avus paternus Sancti.

N. DE FVSCALDO, Avus maternus Sancti.

JACOB' MARTOLILLA, Pater Sancti S. Franciſci, natus circa annum 1390, obiit circa annum 1475.

VIENNA DE FUSCALDO, Mater Sancti S. Franciſci, nupta circa annum 1433, obiit circa annum 1470.

N. DE FUSCALDO — N. DE PAULA, Matertera. Uxoratus circa an. 1416.

VIENNA DE PAULA — N. DE ALESSO, Conſobrina Sancti. Uxoratus circa an. 1436.

S. P. FRANCISCUS, natus 1437, obiit 1507.

BRIGITTA MARTOL: Soror Sancti, nata circa 1440.

ANTONIUS DE ALESSO, Junctus cum Brigitta poſt an. 1460.

N — ANTONIUS DE ALESSO, cujus contractum brachium Paterni ſanavit Sanctus anno 1477.

NICOLAUS DE ALESSO, ORD. MINIMORUM, à Sancto ad vitam revocatus Paulæ anno 1460.

PETRUS DE ALESSO, ORD. MINIMORUM, puer cum avunculo navigavit in Franciam 1482.

ANGELA, UXOR BERNARDI MALDOTO, Paulani, cui filiam unicam peperit.

JAQUETTA MOLANDRIN, ex familia de Longivemeau.

ANDREAS DE ALESSO, natus circa annum 1468.

PAULUS DE ALESSO, trium liberorum pater, quorum unus

JOES BAPTISTA DE ALESSO, ab avia Brigitta educatus ab anno ætatis 15, obiit anno ætat. 80.

PETRUS DE ALESSO, hic anno 1600, 4 Junii, ætatis ſuæ 65, Paulæ comparuit teſtis juratus de vera germanitate Sancti P. Franciſci & D. Brigittæ, ex ore patris octuagenarii eamdem affirmans in legitimo judicio.

M.a DE SAUSSAY, neptis Epiſc. Aurel.

JOES DE ALESSO, nat. 1513 ob. 1572.

ANNA VIRGO SANCTIMONIALIS ad S. Claram Gremi.

FRANCISCUS ORD. MINIMORUM, obiit anno 1551.

MARINUS ORDINIS S. BENEDICTI, Abbas Foreſti-monaſterii Diœc. Amb.

1 MICHAELA, UXOR Nicolai le Clerc.

2 ANNA, UXOR Olivarii le Febvre.

3 FRANCISCUS, VIR Mariæ de Vigny.

4 ANDREAS, VIR Mariæ de Longueil.

5 MAGDALENA, UXOR Petri Chaillou.

6 MARIA NUPTA, ſed ætatis.

Ex quibus copioſiſſima progenies, toparchiis dives, dignitatibus clara, uſque hodie in Francia perſeverat.

FRANCISCUS MARTOLILLA PATRUUS AUT ETIAM PATRINUS SANCTI, floret anno 1457, Alphonſi Regis Neap. Secretarius, natus forte 1416.

inter filios Andreas d'Aleſſo,

66 *Hæc eſt deſcriptio genealogica, antiquis, ut arbitror, monumentis congrua: cui quod præter nepotes Sancti ex ſorore Brigitta, etiam pronepotes ex ipſis prognatos attexuerim, fecit quidam circa hos quoque auctorum præcedentium error: quo inter Andreæ filios primogenitus ponitur Ioannes, & Franciſcus natus minimus fuiſſe aſſeritur: quem ſuus proavunculus manibus pedibuſque diſtortum curarit, & habitu Ordinis Minimorum induerit; quæ omnia neque inter ſe, neque cum recta chronologia poſſunt conſiſtere. Nam primo, conſtat ex privilegio, quod anno* MDIII *ſignavit Sanctus, & anno* MDIX *confirmavit Binetus Generalis, ut eſt apud Lanovium*, Spectabilem virum D. Andream d'Aleſſo, præcipuum ac intimum benefactorem, ſimul cum venerabili uxore pariter & liberis procreatis ac Dei gratia procreandis, omnium orationum & meritorum Ordinis participem *eſſe factum. Liberos ergo jam tum procreaverat aliquos. Atqui de Ioanne conſtat ex proprio ipſius epitaphio, novem annis poſt ejus mortem in eccleſia conventus Nigeonenſis prope Pariſios poſito (quod apud Hilarionem vide pag.* 309) anno ætatis LIX reparatæ ſalutis MDLXXI *obiiſſe, atque adeo natum eſſe anno ſalutis* MDXIII, *ſeptem annis poſt mortem Sancti. Non fuit igitur Andreæ primogenitus Ioannes, quod erat primo loco demonſtrandum.*

neque primogenitus fuit Ioannes,

ſolum natus an. 1513,

67 *Sed nec Franciſcus, quod erat ſecundum, fuiſſe potuit ultimo genitus, ſi à Sancto vivente accepit rectas manus ac pedes: non tamen tanto prius quam Ioannes potuit fuiſſe genitus, ut etiam potuerit ſub eodem Sancto factus eſſe Religioſus. Etenim pater ejus Andreas, uti dictum eſt, nullam adhuc certam vitæ tolerandæ conditionem habebat; qua nondum adepta, quis credat ipſum voluiſſe matrimonii oneribus prægravari. Nec voluiſſe perſuadet commendationis pro eo ad Robertetum ſcriptæ forma; in qua ad commiſerationis affectum ciendum, non adducitur familiæ alendæ neceſſitas, quæ prima adduci debuiſſit, ſed ſola hominis peregrinitas. Igitur non ante annum* MD *& obtentam Foreriæ Regiæ Præfecturam,*

neque Franciſcus ultimus,

utpote puer à Sancto miraculoſe curatus.

A *fecturam, matrimonio junctus Andreas eſt; & Franciſcus, etiamſi primogenitus illius fuiſſet, nondum erat maturus Religioni, quando obiit Proavunculus ſuus, ſed ut ſummum ſeplennis puer. Quare ſolum hoc forſitan auctores volunt, quod adhuc infanti aut puero, poſt patratum in eo miraculum, Sanctus dederit habitum devotionis non, religionis, quam tunc demum potuit iniviſſe, quando agebatur Romæ canonizationis negotium.* Vixit *autem* in Religione uſque ad annum MDLI, & anno MDXLVI Turoniæ Vicarius Provincialis dedicari fecit altare ſacelli, in quo ſepulcrum Sancti & imago ejus honorabantur, *quemadmodum ex Atichio ſcripſit Hilarion in Probationibus Pag.* 308.

factus religioſus circa an. 1517

68 *Atque hæc de Sancti ex Andrea Nepote pronepotibus multa ſatis: nam cetera liquida ſunt, & cognoſcuntur ex tabula. Abnepotes ac trinepotes, alioſque ad ſextum uſque gradum qui volet videre, Lanovium conſulat Hilarionem. Quod ad reliquos Brigittæ filios attinet, poſtquam Nicolaum d'Aleſſo ab eorum numero probabili ſatis ratione excluſimus, & Petrum eunti in Franciam Sancto ſocium junximus (cito ibi mortuum rati, propterea quod ejus nulla alia ſuperſit in hiſtoria mentio) ſolus apud matrem Paulæ remanſit is, quem Lanovius ait Brigittæ fuiſſe liberorum ultimum, &* Paulum *nominat. Nos de naſcendi ordine nihil dicimus, quia comperimus nihil; memoriam ejus, ſed abſque nomine, reperimus in epiſtola matris infra citanda: credimus autem patrem trium fuiſſe liberorum, quod aſſerit Lanovius: quorum unus fuerit* Baptiſta de Aleſſo, *circa annum* MD *natus & uſque ad* XV *ætatis annum educatus ab avia ſua Brigitta, de qua, tamquam ſorore Sancti germana, fidem fecit* Petrus *Baptiſtæ filius, coram Syndicis & Electis terræ Paulæ, anno* MDC, IV *Junij: quando juratus* depoſuit, quod ipſe, LXV circiter ætatis ſuæ annum agens, ex dicto ſuo quondam patre Baptiſta, qui uſque ad annum ætatis octogeſimum vitam prorogavit, meminerit audiviſſe, qualiter ſoror carnalis S. Franciſci de Paula vocabatur Brigitta, quæ dictum quondam Baptiſtam, uſque dum veniſſet ad annum ætatis XV, educaverit adjuveritque. Declaravit item, tamquam ex ore & teſtimonio proprii ſui Patris Baptiſtæ, quod Paulæ celebratum ſit Capitulum Ordinis Generale (XI *ſcilicet anno* MDXXXV I *Maij, quo ipſo anno natus eſt qui hæc dictavit Petrus*) & venit eo quidam Pater dicti Ordinis, qui dicebat, quod ipſe quoque eſſet filius Nepotis B. Franciſci (*utique Franciſcus d'Aleſſo ſupradictus, ut auctores ab Hilarione in Probationibus pag.* 308 *notati conſentiunt*) & prædicto Baptiſtæ, patri ipſius Petri, tamquam conſanguineo ſuo, dedit unam imaginem S. Franciſci, ſculptam & inſcriptam chartæ pergamenæ: quales etiam aliis conſanguineis dedit. Quam quidem imaginem dicit ipſe Petrus ſe noviſſe & vidiſſe, periiſſe autem quando Turcæ terram Paulæ ceperunt, & ſpoliaverunt domum dictorum Joannis Baptiſtæ & Petri de Aleſſo, cohærentem domui S. Franciſci de Paula. *Ita Petrus iſte, ſed Italice, quomodo illud imprimi curavit Franciſcus Riparianus, Minimorum per Galliam Vicarius Generalis an.* 1621, *ipſum autem in ſua defenſione citans Ioannes Chappot, nomen* Petri *vertit in nomen* Joannis, *neſcio quo oculi vel calami lapſu.*

unus filiorum Brigittæ manet Paulæ

B

69 *Porro Andreas, conjuge & prole nonnulla auctus, curavit matri ſuæ ſignificari, quo in ſtatu res ſuæ eſſent in Francia, eique ad ſuæ viduitatis ſolatium pecuniam aliquam ſe tranſmiſſurum promiſit; unde intelligas, mariti bonis pridem in filios diviſis, paupertati quam abundantiæ propiorem fuiſſe. Mater hac uſa occaſione, ſequentem epiſtolam ad filium perferendam dictavit, quam gallice redditam (neque enim credimus ſic originaliter ſcriptam) nactus qui ſupra Riparianus, vulgavit, & hic ex eo putamus exhibendam, ut de ſtatu familiæ in Paula relictæ plenius conſtet: inſcribitur autem,* Bleſias vel ubicumqe filius fuerit *deferenda, hoc modo.* Fili mi benedicte, ſalve. Significo tibi quod per Dei gratiam ego & ſoror tua bene valea-

ad cujus filium ex Francia veniens fr. Franciſcus d'Aleſſo

Brigittæ ad filium Andream epiſtola

mus, deſiderantes idem ſemper de te tuiſque omnibus intelligere. Cognovimus te eſſe conjugatum: Deus & Virgo Mater ejus ſuam tibi benedictionem largiantur, ſicut eam tibi damus ex parte noſtra, orantes ut te ſalvum perpetuo velint. Ex voto magnoque cum ſolatio noſtro faceres, ſi epiſtolam aliquam ſcriberes, ideo rogamus ut hanc caritatem nobis impendas. Hiſce autem ſignificamus tibi, quod ſoror tua pridem fuiſſet conjugata, ſed ſperans quod in hiſce partibus reviſura te eſſet, in hoc uſque tempus noluit nubere. Scivimus nunc te iſtic eſſe uxoratum & habere liberos, ideoque putamus, quod uxoris & liberorum amor animum tibi fecerit ad ibi manendum potius quam huc redeundum. Sis benedictus, fili mi. Oramus te quantum poſſumus, ego & frater tuus, ut reſpondere huic epiſtolæ velis, qua tibi declaramus, quod conſtitutum habeamus ſororem tuam viro jungere: oblata eſt enim, Deo laus, conditio optima. Una ſola cauſa facit concluſionem differri; quæ ne nos remoretur diutius, opus eſt ut per Notarium publicum fieri cures inſtrumentum. Etenim condidi teſtamentum, & tradidi omnia bona mea ſorori tuæ: ſed optat ſponſus ut eorumdem bonorum renuntiationem manu Notarii ſcriptam mittas. Obſecro igitur, fili mi (ſic te Deus filiis & filiabus pari numero augeat) ut velis renuntiationem prædictam mittere, & deinde millies me commendare precibus fratris mei. Mittas etiam mihi nomina uxoris & liberorum tuorum ad meum ſolatium. Soror tua Angela, omneſque alii conſanguinei & amici tui te ſalutant: tu autem benedicaris à Deo cum tota domo tua. Mitte aliquid ex pecunia, quam dicis huc velle deſtinare. Paulæ XIII Octobris MDVI,

Mater tua Domna Brigida,
& ſoror Angela de Alexio.

AUCTORE D.P

in favorem Angelæ viro tradendæ;

E

Vtinam nunc etiam ad manum eſſet inſtrumentum donationis, à prædicta Brigida factæ conventui Paulano, anno, non 1403, *quando nullus adhuc erat conventus Paulanus ſed (quem admodum copiam Pariſios miſſam corrigit Chappot)* 1503; *ſi verum eſt, quod idem Chappot ait, ſub Catholicis Regibus Ferdinando & Iſabella factam eſſe donationem. Vtinam, inquam, eſſet ad manum: ex ea enim non ſolum cognoſceremus certius, jam tum & forte citius, aut etiam ante diſceſſum Sancti in Fraaciam, mortuum fuiſſe Antonium Brigittæ maritum, quippe cujus nulla ne in tali quidem inſtrumento fiat mentio: ſed etiam, diſtinctius intelligeremus quomodo dicta Brigitta ibi* matrem *nominet* Viennam de Paula; *& ex ipſa rei donatæ qualitate aliiſque circumſtantiis aliquid elicere potuiſſemus, ad hujus familiæ pleniorem notitiam haud parum conducibile.*

donatio ejuſdem facta Paulano conventui.

F

ut cognato dedit imaginem Sancti.

C

CAPUT IX.

Nova Italica monaſteria: reliqua quædam miracula: epiſtolæ falſo nomine ſuppoſitæ.

70 *Quæ alia monaſteria inter Francos erigenda Sanctus Pater curavit, jam alibi à nobis recenſita ſunt. Interim Italia, cujus incenſa ad poſtulandos Ordinis novi conventus ſtudia aliquantum refrixerant, propter inſtitutoris abſentiam, priorem reſumpſit fervorem. Genua, totius Liguriæ caput, anno* MCCCCXCIV *conventum accepit, eo loco quem præternavigans Sanctus digito dicitur demonſtraſſe, tunc quidem extra urbis muros ad ducentos & quinquaginta paſſus, nunc iiſdem productis incluſo;* Montem-ſanum *ſcriptores Latini, vulgus* Montem-caldettum *appellat. Eluxit autem in hac fundatione Principis Auriæ liberalitas, tanta, ut per annos amplius triginta,* Principis Auriæ Fratres, *novi advenæ dicerentur. Sunt qui volunt familiaritatem Sancto cum hoc Principe initam coram fuiſſe: ſed quod triremis,*

Fundantur an. 1495 *conventus Genuenſis,*

AUCTORE D. P.

an 1496 conv. Maydanus,

quæ illuen vehebat in Franciam, appulerit Genuam, nullis ex monumentis liquet. De Maydano eremitorio dici poteſt, ad annum MCCCCXCVI *pertinere, auctore Franciſco Majorano: de hac enim re potius credendum iis qui hoc narrarunt ſenioribus Patribus, fundationis ſuæ forſitan adhuc documenta habentibus; quam qui ex verbis Antonelli Trizæ num.27 Proceſſus Calabrici, putant colligi, vivente adhuc in Calabria Sancto & Maydæ agente ibi fuiſſe monaſterium. Profecto ſi Maydæ notabili aliquo temporis ſpatio vixiſſet Sanctus, habuiſſent Maydenſes multa quæ ad promovendam canonizationem teſtarentur miracula, neque contenti fuiſſent ſimpliciter aſſeruiſſe* quod ob progreſſum vitæ ejus ſanctæ, tracti fuerint ut in ſua patria, ipſo in humanis agente, monaſterium ſui Ordinis fundarent. *Igitur quod juvenis ille, ex matris relatu narrans quomodo ipſa fuerit à ſtrumis ſanata, factum addat*, quando B. Franciſcus de Paula fuit in monaſterio de Mayda Jeſu-Mariæ, *juvenili tribuendum eſt ignorantiæ, & per prolepſim dici intelligendum: cum illac tranſiiſſe Sanctus potuerit ex Sicilia revertens, mulieremque in tranſitu curaſſe: & juvenis Franciſcum audiens nominari fundatorem conventus, celebriorem hujus nominis intellexerit, ut fere ſolent imperiti & ex relatu alieno teſtes. Ceterum quam longe ab omni veriſimilitudine abſint, qui anno* MCCCCLXIX *fundationem hanc tribuunt, ſatis eſt in Proœmio demonſtratum. Crotonienſis in eadem Calabria ulteriori conventus, quo præciſe anno ſit inchoatus, non habeo unde ſtatuam. Vivente adhuc Sancto id factum crediderim, ſed abſente, à quo ex ipſa forte Gallia* miſſus Paulus Rendaceus, ſuſtinuit mittentis dignitatem: & animo vere ſancto atque etiam miraculis Franciſci deſiderium mitigavit. Nam, ut in re tenui majorum argumentum demus, cum ille nucem Græcam ſive amygdalinã terræ mandaſſet, producto in eam Crucis ſigno; ſuccrevit amygdalus, quæ novis in annũ foliis, & quidẽ ſingulis, ſignum Crucis mirabiliter referebat. *Hæc Lanovius, ſed ad annum* MCCCLX, *quo ſcilicet conventum fundatum credidit, ob prætenſam quamdam Sancti epiſtolam, quaſi tunc ſcriptam Equiti Navarro, quem Montoya fundatorem facit. Aſt eam ſaltem in loco & die datæ vitiatam fuiſſe oportet, ut gravius nihil dicam.*

Sancto ut auctori non recte tributus:

B

& conven. Crotonenſis ad an. 1460 male relatus.

Romanus S. Trinitatis

71 *Neque diu tardavit Roma Sancti diſcipulos recipere, cum neceſſe eſſet identidem aliquos pro novæ Religionis negotiis ad Curiam deſtinari: qui tamen, & quando ſedem ibi ſtabilem acceperint, nuſquam reperio. Ex epiſtola, quam Sanctus dedit ad D. Angelam Cæſarini in recenti viduitate conſolandam, anno* MDI *kalendis Septembris, notitiam habemus* plurium Fratrum, *de quibus ab ejus Sacellano Andrea fidelem accepiſſe relationem Franciſcus teſtatur. Anno deinde* MDIII, *ejuſdem filio D. Paulo Morgano ſimulque ipſi ſcribens, ſub data* XV *Novembris, gratias agit pro quotidianis beneficiis quæ faciebant* pauperi iſti Sanctiſſimæ Trinitatis conventui: *ſignificat autem ſe per dictarum litterarum latorem deſtinare in urbem, ex ſuæ Religionis paupertate, quantum neceſſe erat ad inchoandum ædificium; ad quod ut ipſe quoque inſigni aliqua affectus ſui demonſtratione velit concurrere, ceteriſque ad idem faciendum præire exemplo, humiliter rogat. Cum vero anno* MDV *Roma tranſiret Carolus VIII, Neapolitanum invaſurus regnum, erga dictum conventum fuit tam liberalis, ut (quemadmodum declarat Navarrus libro Conſiliorum, Conſ.2 de jure Patronatus) jus illud in conventum Sanctæ Trinitatis de monte meruerit* per *ipſius* Sancti Patriarchæ ſtatutum gratificum, Pontificis Maximi decreto confirmatum, *ſic ut idem conventus perpetuo ſit ac maneat caput Ordinis: ex quo concludit neminem ſe debere opponere, quo minus iſtius* præeminentiæ honorificum jus conſervetur Regibus Francorum Chriſtianiſſimis, Gallicanæ nationi & prædicto Conventui Romæ: *atque hinc factum reor quod hanc fundationem auctores differant ad dictum annum* MDV.

inchoatur circa an. 1500:

& prope Meſſinam anno 1503.

72 *In Sicilia quoque novæ apud Meſſinam habitationis, juxta antiquum ſancti Sepulcri ſacellum, commoditas oblata eſt anno* MDIII; *eo præciſe loco, ubi futuram ſociis ſortur prædixiſſe, cum Mylas iret. Quæ omnia certis nuntiis perlata in Franciam optimi Fundatoris animum vehementer recrearunt: maxime tamen exhilarare eum debuit reſtitutio conventus Caſtelli-ad mare, inter Neapolim & Salernum, ex quo anno* MCCCCLXXXV *ejectos a Ioanne Cardinali Fratres incoluerat. Hæc reſtitutio facta eſt anno* MDVI, *ut ſcribit Hilarion, per Alphonſum de Corduba, à conquiſito Catholicis Regibus Neapolitano regno Magni Capitanei appellationem adeptum.* Cui hoc beneficio obſtrictus Sanctus, ſuam perpetuo ſervavit amicitiam, miſſiſque nuntiis litteriſve ſic coluit, ut Fratrum Hiſpanorum, teſte Montoya, traditio habeat, requiſitum fuiſſe à Capitaneo Sanctum, ut moriturum ſe viſitare, aut ſaltem de tempore exitus reddere certiorem non gravaretur. Addunt autem anno MDXV die II Decembris, quando ille Loxæ mortuus eſt, ad domum infirmi acceſſiſſe Religioſum, ſtatura corporis auguſtiori quam humana; & Capitaneum, audito nuntio prioris ſui deſiderii memorem, altum ſuſpirando dixiſſe: Amicus noſter B. Franciſcus de Paula hic eſt. Cum eoque arcanum diu habuiſſe colloquium: poſt quod nemini amplius locutus Capitaneus ſit; nemini viſus, qui diſparuerat, hoſpes. *Sed hoc vita functi beneficium fuerit: utilior mirabiliorque Francis fuit viventis præſentia, iis confirmata miraculis, quæ ſunt in Turonenſi proceſſu legenda: unum hic addimus.* Diſceſſerat Pariſiis juvenis quidam Turones verſus, ea mente, ut inſciis, ne poſſent prohibere, parentibus, habitum à S. Franciſco poſtularet. Hic infixa fortuito manui acu ſic eam læſit, ut male curatum in itinere vulnus, in fœdum tranſierit apoſtema, & chirurgi regii, quibus eum Turonibus curandum commendarat Franciſcus, judicarint manum amputari debere, ſi vitam ſalvam vellet. Ea re perculſus juvenis, proſtravit ſe ad pedes Sancti, una cum deprecatoribus pro ſe aliis, ut quam Religionis obſequiis impendere cupiebat manum, perire non ſineret. Ille vero plagam fœtentem denudans, impoſuit ei particulam ſpongiæ, cum tribus ex ſuo hortulo herbæ cujuſdam floribus: poſtero autem mane redeuntes ad decretæ ſectionis executionem chirurgi, mirati ſunt ſe adveniſſe teſtes inſperati miraculi.

D

in Caſtello ad mare ereptus an. 1485,

reſtituitur an. 1506.

cujus reſtitutor morientis an. 1515. apparet Sanctus.

E

idem adhuc vivens Turonibus curat manum deſperate vulneratam.

73 *Neque minus quam gratia curationum eluxit in Franciſco prophetiæ donum, cujus addenda ceteris exempla hæc habe.* Venerat Turones adoleſcens Picardus, & luſtrabat curioſius conventum Sancti: qui manum ejus apprehendens, Per caritatem, inquit, tu quoque hic brevi Religioſus eris. Attonuit nihil minus cogitantem iſtiuſmodi prædictio, & ſuum ad hoſpitium redeunti talem internarum cogitationum excitavit conflictum, ut illo ipſo die decreverit mundo remittere nuntium, & habitum Ordinis à Sancto poſtularit. Ambaſiano Cardinali, ſupra modum anxio propter apoſtaſiam cujuſdam Religioſi, in curia aliquamdiu verſati cum magna virtutis laude; prædixit ex eo caſu glorificandum magnopere Deum, Regique ac Reginæ nuntiari juſſit, confiderent eum revocandum ad prius vitæ inſtitutum. Hæc dixit, nec vanus vates apparuit; ad maximum Reginæ ſolatium, quæ eo caſu fuerat ſummopere afflicta. Juvenem quemdam, Turonenſis conventus Correctorem, zelus indiſcretus urgendæ diſciplinæ eo abripuerat, ut ipſi ſancto viro multis modis eſſet moleſtus, propterea quod ſolitudinis amator præcipuus nec ad refectorium nec ad eccleſiam ſemper veniret ut alii; ſed jejuniis orationique ſua in cella vacans, crebro ſe ſubtraheret communitati. Intolerabilem alii judicabant juvenis Correctoris præſumptionem; & ne diutius impunitam dimitteret Sanctus per fr. Bernardinum de Cropolatis inſtabant. Sed reſpondit, caſtigationem eorum defectuum, quibus nequit remedium per Superiores poni,

F

prædicit quemdam fore reverſurum,

alterum ab apoſtaſia reverſurum,

tertium in eam lapſurum.

A poni, relinquendam Deo, à quo eam brevi factam viderent. Et viderunt, lugubri nimium experimento: matrem enim retinere Religionem non meruit, qui patrem ejus contempſerat; itaque ante expletum regiminis annum ipſe ſe ab ea ejecit, dimiſſo habitu factus apoſtata.

Turonibus publice concionatus fertur.

74 *Sed hæc aliaque ſimilia ita certo à Dei ſervo prædici, non tam magnam habuit admirationem; quia paſſim ab omnibus Propheta habebatur. Multo mirabilius eſt, quod ſibi à Canonicis Turonenſibus relatum refert Claudius du Vivier; videlicet* in eorum monumentis capitularibus ſcriptum inveniri, quod occaſione hæreticæ cujuſdam doctrinæ, per Turoniam gliſcere incipientis, rogatus Sanctus conſcendere S. Martini cathedram, ex eaque populum docere de fide, atque à novitatibus abſterrere; optato id cum ſucceſſu fecerit, populo ne ſeduci ſe pateretur repreſſo. *Sane cum toto illo, quo in Francia vixit Sanctus, annorum* XXIII *tempore, adeo aut nihil aut parum linguæ Gallicæ didicerit, ut etiam extremo vitæ anno loqui per interpretem debuerit cum plebeæ conditionis hominibus mulieribuſque, ſicut alias obſervavimus; grande miraculum fuit, quod intelligi potuit; & miraculo proximum, tam quod ad dicendum in publico ſtare rogatus ſit à Canonicis, quam quod ipſe aſſenſus. Quod autem Gallicam linguam ſit neglexerit diſcere vir Sanctus, ſolitudinis ſilentiique ſtudio adſcribas licet; utrique enim utiliſſimum erat, quod abſque interprete agi cum eo non poſſet. Verum quænam in illa Eccleſia altiſſima pace, hæretica doctrina Turonibus potuit extitiſſe? Omnia circumſpectanti, Matthias Tiburtinus occurrit, qui circa annum* MCCCCXCV *nimio delusus zelo, docere in Romana provincia cœpit,* nullas ſive Pontificum ſive Doctorum expoſitiones, quibus Franciſcanæ Regulæ rigor mitigaretur, licite uſurpari: eoſque Superiores, qui ex conſtitutionibus Pontificiis habebant Procuratores, una cum ſubditis iiſdem conſentientibus, in malo ſtatu vivere & in peiori mori: *quemadmodum in Annalibus refert Lucas Waddingus. Etſi enim, factionis duce in carcerem ſemel iterumque abducto, diſperſa ſit erronum ei adhærentium cohors; hoc ipſum tamen cauſa eſſe potuit, ut in Galliam, ubi laxior erat Ordinis diſciplina, fugitivorum aliqui ſe penetraverint; & externa pœnitentiæ arctioris ſpecie, populum concitaverint adverſus Fratres Minores; velut qui ad ſuæ Regulæ, qualem ipſi ſuadebant, obſervantiam eſſent eleemoſynis ſubtractis cogendi: contra quos viſa fuerit utilis futura Sancti Paulani auctoritas, quæ nulli poſſet eſſe ſuſpecta, utpote in ſumma cum ſuis paupertate viventis.*

contra falſam aliquam doctrinam.

B

C

Epiſtolæ ad Simonem de Alimena

75 *Porro tantis tamque continuis per omnem vitam miraculis illuſtris Franciſcus, tam crebro prophetica in prædicendis futuris rebus manifeſtandiſque latentibus gratiæ uſu notiſſimus cunctis, non egebat conſarcinatis turpiter fabulis commendari; quales continent ſexaginta octo epiſtolæ, ſub ejus nomine fabricatæ, tamquam ſcriptæ forent ad quemdam Simonem de Alimena, in Monte-alto, Paula ad* X P. M. *diſſito, commorantem, &, ut præfertur, præcipuum amicum & adjutorem in fundandis alendiſque primis conventibus Ordinis, ab anno* MCCCCXLI *ad* MCCCCLXXXI. *Harum epiſtolarum impoſtura, poſt Ordinis atque Eccleſiæ tam ſevera de iis judicia, qualia in Proœmio vidimus, non eſt operoſius retegenda diſcurrendo per ſingulas: ſatis ſit ex una alterave deſerpſiſſe ſpecimen, quod judicia iſta probet fuiſſe æquiſſima, ſimulque ad ipſum fictionis ineptiſſimæ tempus locumque natalem nos deducat. Argumentum epiſtolæ* LXVIII, *anno* MCCCCLXXII *notatæ, eſt Simonis illius liberalitas, à quatuor peregrinis Siculis, Compoſtella venientibus, coram Rege Franciæ laudata; qui Paula tranſeuntes narraverint Sancto,* quomodo cuncta nobilitas fuerit attonita, audiens ab iis quod privatus aliquis fortunarum haud magnarum nobilis, ſoleret cuicumque peregrino eleemoſynam petenti ducatum aureum dare: & quomodo ex Proceribus unus, eiſdem in partem vocatis, dixerit, ex eadem ſe cum dicto Simone deſcendiſſe origine, quæ à Rege Pipino initium duceret, ſeque vocari Claudium de Alimena, & ejuſdem nominis tenere Comitatum, qui ſibi nimium amplus eſſet, niſi partem illius alter teneret. Domi autem ſuæ eſſe antiqua familiæ chronica, ex quibus conſtare poterat, qui Imperatores Reges ac Principes ex ipſa proceſſiſſent. *Nullos Francia novit Alimeniæ Comites. Limaniam ſcio vulgo vocari, quæ aliis inferior Arvernia eſt: ſed Arvernia univerſa cum ſua metropoli Claro-monte, Comites tunc habebat ex domo Borbonia, quorum genealogias exactiſſime ſcrutatus Savaro in Originibus Claromontanis, nullum nobis Claudium nominat, neque ante neque poſt.* Limena *arx in Patavino diſtrictu fuit, unde* Comites de Limena, *noti* x *Febr. in comment. ad Vitam B. Arnaldi Catanei: an ex hac familia aliquis migrarit in Calabriam, indeque ortus Simon aliquis ſit non eſt operæ pretium divinare.*

AUCTORE D. P.

falſitatibus & ineptiis plena,

76 *Sed detur gratis, quod ipſorum peregrinorum hæc fictio fuerit, cui nimis facile crediderit Sanctus. Sequuntur tres epiſtolæ unius fere argumenti, quibus dictus Simon rogatur, ut pro Franciſco, Latinæ ignaro linguæ, reſpondeat epiſtolæ ab Hieronymo Savanarola Paulam directæ: eaque occaſione fingitur Franciſcus in ejuſdem Savanarolæ laudes excurrere, mortemque Florentiæ ei pro juſtitia defenſa inferendam vaticinari, ac demum Florentiam urbem his verbis alloqui* Væ tibi Florentia! libertatem amittens in ſervitutem redigere, & quidquid ſuo ſancto ore prædixit iſte, in te complebitur. Etenim ſucceſſu temporis ad Pontificatum provehentur duo ex quadam Florentina familia: quorum primus, homo magnanimus atque urbanus, ad interceſſionem Chriſtianiſſimi Regis Franciæ me canonizabit, cum iis omnibus circumſtantiis quæ requiruntur ad legitimam declarationem Sancti alicujus. Poſt eum erit Papa Teutonicus, & modico tempore tenebit Apoſtolicam Sedem. Huic mortuo Papa Florentinus ſuccedet, prioris conſanguineus..... Diripietur Romana civitas, & pace compoſita venient hoſtiles exercitus contra Florentiam, & unius anni ſpatio obſeſſam habebunt: qui deditæ tandem urbi Principem imponent, ſpurium quemdam, eumque Ducem conſtituent Florentinum: ſed modicum regnabit hic, à quodam ſuo conſanguineo, cui plus ceteris fidet, occidendus. Cives tamen Florentini, cognoſcentes abſque Duce ſubſiſtere ſe non poſſe, alium ex eadem aſſument familia, qui legitime electus, non poterit ultra tyrannus dici; quem autem habiturus finem ſit ſcire mihi non conceſſit Deus. *Satis clara hæc de Pontificibus Leone X, Adriano VI, & Clemente VII, item de Alexandro atque Laurentio de Medicis, ac demum de Coſmo, Patre patriæ cognominato: ſed quæ videas poſt factum ſcripta, ut etiam illud de Canonizatione Sancti.*

E

F

videntur poſt annum 1537

77 *De Coſmi anno* MDXXXVII *electi fine prudenter noluit tunc divinare; in ſequenti tamen, quæ eſt ordine ſeptuageſima, factus audacior; novum legitimumque Ducem audet affari eique promittere;* Si Dei viventis ſignum ſuſcipiat, futurum in cælo terriſque beatum, atque ante mortem Regem coronandum, & quidem Regni, multo quam ſperare poſſet amplioris: *& addit:* Hæc epiſtola veniet in manus tuas: Beatus eris ſi intellexeris eam, & ſecutus fueris hoc conſilium.... *Multo denique apertius in tertia epiſtola, quæ eſt* LXXI *in Centuria, Coſmum* monet, ut cum ſanctæ Cruciatæ vexillum erectum viderit, ei ſe adjungat..... animam corpuſque ſalvaturus: alias præparet ſe.... *Si ſpatia punctis ſignata, modo mediæ lineæ, modo unius, ac tandem quatuor, ipſe auctor vacua reliquit, fecit caute: non tamen effecit, ut quiſquis hæc leget Hiſtoriæ Florentinæ peritus, non ſit continuo judicaturus, conficta hæc eſſe eo tempore, cum de promulganda ad Turcicum bellum Cruciata conſultaretur. Omnes autem iſtæ epiſtolæ, quæ præter tres ultimas totæ ſunt in deſcribendis virtutibus, miraculis ac prophetiis, ipſius ad*

Florentiæ fabricata,

ſub nomine S. Franciſci confictæ,

quem

AUCTORE D. P.

quem Sanctus ſcribere fingitur, Simonis, & in promittendo ex ejus ſtirpe monarcha, qui etiam Turcicum evertat imperium, ſedemque Regni conſtituat urbem .... Omnes inquam iſtæ epiſtolæ ſic proponuntur, tamquam earum quædam inter nobiles varios, potiſſimum familiæ de Alimena ſparſæ, apud eoſdem originaliter aſſerventur; & quinquaginta reliquæ inveniantur tranſlatæ in antiquum librum MS, aſſervatum apud monachas S. Luciæ in civitate Florentina, Ordinis Predicatorum: *unde fide publica interpoſita acceperunt ii, qui ſi illis creduli nimium non fuiſſent, ex jam dictis facile potuiſſent conjectare, quod omnium auctor fuerit aliquis ex Annii Viterbienſis ſchola, æmulatus laudem, quam in mentiendis veterum auctorum ſcriptis magiſter ſuus videbatur conſecutus. Callide autem ominatus eſt non diu occultum futurum adulterinæ monetæ theſaurum, quem muliebri fidei cuſtodiendum committeret: cum autem in lucem efferretur, ſperavit fraudem poſſe latere, ſi iis quas codex continebat epiſtolis, fidem facerent ſimiles aliæ cum aliis communicatæ: ideoque curavit ut eſſet eadem inſcriptio & ſubſcriptio omnium:* Multum Magnifico & Virtuoſo Domino meo, D. Simoni de Alimena, Domino meo & benefactori continuo obſervandiſſimo, in Montealto. *Et* Servitor perpetuus atque indignus orator, pauper frater Franciſcus de Paula, Minimus minimorum ſervorum Jeſu Chriſti benedicti.

ab aliquo Annii Viterbienſis diſcipulo:

B

78 *Factum impudens! quaſi futurus eſſet nemo qui miraretur, hominem tanta eleemoſynarum erga quoſvis pauperes largitate conſpicuum, tanta miraculorum ac prædictionum gratia præditum, quanta de Simone iſto finguntur, non modo non pari apud cives ſuos in honore haberi, atque habetur ipſe Sanctus Franciſcus; ſed nec nomen quidem apud poſteros nihil obtinuiſſe antequam epiſtolæ iſtæ prodirent. Quamdiu circa Conſentiam Conſentinamque diœceſim novus ſe Ordo continuit, nemo unus nominatur ad quem ſuo nomine ſcribi Franciſcus juſſerit, unica eaque veroſimiliter fictitia profertur ad equitem Navarram in Calabriam ulteriorem epiſtola: & credemus apud omnes ſuos, qua filios qua amicos quantumcumque diſſitos, nullis aut rariſſimis utentem litteris, per annos totos quadraginta; ad unum iſtum Simonem adeo ſibi vicinum, tam multas ſcribi juſſiſſe, non alium ob finem quam ut ipſi in os ſua bene facta atque miracula laudaret, & futurarum nihilque ad ipſum pertinentium rerum faceret præſcium? Quid? quod in tot tamque accuratis Proceſſibus, ipſiſque è Monte-alto ad Pontificem litteris, quibus Simon & Matthæus de Alimena, iſtius Simonis (ſi vere ab anno* MCCCCXLI *talis ibi vixit) filii aut nepotes ſubſcripſere, ne minima quidem fiat tot illuſtrium & jam impleri cœpturum prædictionum mentio? In Francia, dilatato jam magis ordine octodecim circiter invenitur dictaſſe epiſtolas; idque maximis urgentiſſimiſque dumtaxat ex cauſis, & ad perſonas procul diſſitas: in quibus ſubſcriptione ſemper varia utens, modo ſolum ſuum expreſſit nomen*, fr. Franciſcus de Paula, *modo verbulo addito humilitatem oſtendit ſuam, & ſcribi ad nomen juſſit*, minimus pauper, *aut* pauper erimita: *denique, poſtquam priori nomine mutato ſui cœpiſſent Apoſtolica auctoritate appellari* Minimi, *ipſe aliquando ſe appellavit*, Minimum Minimorum: *& nobis perſuadebit aliquis iſto eum titulo in Italia uſum toties, tam conſtanter & tanto ante quam de nomine* Minimorum *ſuis dando cogitare cœpiſſet; qui eo jam noto & confirmato, non, niſi raro eſt uſus in Francia cum litteras dictaret?*

cum Sanctus in Italia vix ullas dictavit.

in Francia ad ſolos longe diſſitos paucas.

C

CAPUT X.

S. Franciſci Paulani canonizatio.

Franc Binet Generalis

79 ANno MDVII *die* II *Aprilis mortuum Sanctum nihilo minora, quam vivus fecerat, ſecuta miracula ſunt, quæ uſque ad tempus canonizationis curandæ, fideliter teſtata vidimus in Turonenſi proceſſu. Hunc vero aliumque Conſentiæ formatum Romam deferens Franciſcus Binetus, altera tum vice Generalis, & in procinctu transferendi ad alium muneris conſtitutus, examinandæ cauſæ impetravi* Judicem Commiſſarium, Antonium de Monte, tituli S. Praxedis S. R. E. Presbyterum Cardinalem, Papienſem nuncupatum, una cum Raphaele Epiſcopo Oſtienſi & S. Euſtachii Cardinalibus. *His vero vice ſua ſubdelegantibus jam dictum Antonium Cardinalem, coram eo, domi ſuæ* ad jura reddenda & cauſas audiendas loco ſuo ſolito & conſueto pro tribunali ſedente, *coramque Notario & teſtibus*, anno nativitatis Dominicæ MDXVII, die III Martii, *comparuit Binetus*, pro verificatione ſanctæ & laudabilis vitæ ac miraculorum B. Franciſci de Paula, *ſuperius collecta jura ſucceſſive producturus. Primi, quos diximus, proceſſus fuere: deinde coram eodem Iudice Commiſſario perrexit producere*, die XV *menſis Præfati, Paulanorum, Mont-altenſium, atque Maydenſium, nec non Regis & Reginæ Francorum miſſivas ad ſummum Pontificem Litteras.* XX *Martij addidit varios proceſſus Calabricos, juſſu Comitis Arenarum in terris Soreti atque Styli factos, cum ipſius Comitis Arenarum epiſtola: nec non epiſtolas Comitis Grotteriæ atque Antonii Staramellæ: item proceſſus Amaltheæ, Catanzari & Neocaſtri formatos; & ad recognoſcenda ſigilla manuſque ſcribentium idoneos etiam juratoſque teſtes obtulit.* XXV *Martij exhibuit chartas, in vulgari Gallico ſcriptas, unam* Chriſtianiſſimæ quondam Reginæ Francorum, *Mariæ videlicet Angliæ, Regis Henrici VII filiæ, paucis menſibus Ludovico XII nuptæ, & poſt mariti mortem in Francia non diu moratæ*, datam I Maij anni MDXVI (*quam miramur intercidiſſe, incuria fortaſſis tranſcribentium Romani Archivii libros*) *alias Regis Reginæque, Ducis Borbonii & Gratianopolitani Epiſcopi; ſed hanc ultimam Latine ſcriptam, & Antonii Garnerii, in ſacro Palatio cauſarum Notarii ad hoc legitime adjurati, recognitione verificatam. Rurſum autem die ſequenti ſimili modo recognitæ fuere manus atque ſigilla tum Pariſienſis Epiſcopi, qui Turonenſem Proceſſum Romam miſerat, tum Regis atque Reginæ, per Franciſcum de Falconibus Canonicum Baiocenſem, Ioannem Cerbinum Canonicum Lugdunenſem, & Arturum de Hardatz Clericum Redonenſem, ad hoc à Bineto præſentatos.*

D

Iudicem impetrat Card. Papienſem:

coram quo, à die 3 Martij an. 1517.

E

proceſſus, litteræ & documenta producuntur

80 *Hæc quinque primis ſeſſionibus acta; die* XXIX *Aprilis ſecuta eſt ſexta, in qua protulit Binetus ceteras ex aula Gallicana litteras, de quibus actum eſt ſatis, cum epiſtola Latina civitatis Conſentinæ. Longum poſtea juſtitium fuit uſq; ad* XVII *Octobris, quando ſolus Ambianenſis Proceſſus allatus eſt & ad teſtimonium Roberti Doulcet Clerici Ambianenſis legitime eſt receptus; rurſumque ſimili atteſtatione verificatus, ejuſdem menſis die* XXIV, *per Natalem Tourtier Presbyterum Ambianenſem. Menſe autem Novembri, die* XV *ejuſdem, oſtenſæ ſunt litteræ, de quibus ad Cardinales directis è Francia jam antea egimus. Oſtenſa tunc etiam eſt epiſtola Gratianopolitani Epiſcopi ad eoſdem Cardinales, ſub die* XV *Menſis Iunij anni* MDXVI, *quæ adhuc latet; & de omnium ac ſingularum fide teſtati ſunt Arturus des Ardoys & Clemens Champion, Redonenſes Clerici, una cum Petro Salin Clerico Ambianenſi. Die autem menſis* XVII, *ſupradictis Paulanorum atque Montaltenſium litteris fidem ſua atteſtatione fecere Antonius Papa Presbyter, & Petrus Antonii Papæ laicus diœceſis Biſinianenſis.*

per ſeſſiones ſexdecim.

F

81 *Anno deinde* MDXVIII, *die* XVIII *Martij, coram Præfato Cardinali Papienſi comparens Binetus* ſupplicavit, ut quoniam propter ejus de proximo receſſum à Romana curia, Sanctiſſimus Dominus Leo X negotium canonizationis B. Franciſci de Paula commiſerat Reverendiſſimo D. Dominico de Jacobatiis, tituli S. Bartholomæi Presbytero Cardinali, omnia & ſingula regiſtra & proceſſus, in hujuſmodi cauſa facta & factos, per ipſius cauſæ Notarium & ſcribam transferri juberet: *quod & factum eſt. Conſequenter die* VIII *Iunij, coram jam dicto Cardinali de Iacobatiis, allatus eſt proceſſus, curante Conſentino Cantore formatus, poſtulatumque ut ex Italico redderetur Latine; prout juſſu ejuſdem Cardinalis ab ipſius ſecretario Hieronymo de Cathalles Latine redditum, poſtridie exhibuit Binetus;* &

protractus uſque ad annum 1518

A

x *die menſis ejuſdem tres adduxit teſtes*, fr. Dominicum de Conſentia Ord. Prædicatorum ac baſilicæ S. Mariæ-Majoris de Urbe Pœnitentiarium, Joannem Bonũhominem Ord. Minimorum Turonen. diœceſis ac D. Joannem Mattheum Palatinum, laicum Conſentinũ: *qui jurati profiterentur cognoſci à ſe manum ſigillumq; Cantoris prædicti. Denique Menſis Novembris die* xv, *coram prænominato Iudice Commiſſoriali comparens Binetus, citari petiit Guilielmam Burgenetz, Clericum Cenomanen. diœceſis, ejuſdem Cardinalis Iudicis camerarium, compelliq; ad producendũ & exhibendum quædã jura, penes ipſum exiſtentia & ad Canonizationis negotium pertinentia: qui citatus compulſuſq; poſtridie, exhibuit* quamdam ſcedulam fidei & atteſtationis, moris, ſtyli, & conſuetudinis Gallicanę computandi aureum numerum, in Latino & papyro ſcriptam, & diverſarum perſonarũ manibus ſubſcriptam, *cujus ſcedulæ tenorẽ habes ante Proceſſum Turonenſem num.* 4 *Atq; hic finis eſt Proceſſus in Curia, quantum quidem ex MSS. quæ ſuperſunt monumentis ſcire poſſumus. An autem poſt hæc alia ſint producta certo non poſſumus definire; niſi quod probabilis videatur aſſertio ejus, qui vitæ per coævũ auctorẽ compoſitæ adſcripſit, illum quoque libellum Leoni Papæ fuiſſe exhibitum. Iſtum autem Curialis proceſſus ordinem, qui verbotenus tranſcriptus molem operis inutiliter auxiſſet cum faſtidio Lectorũ, viſum eſt ſic compendio explicare: ut praxis curiæ, in canonizationibus tunc ſervari ſolita, cognoſceretur: quoniam ea nunc in multis mutata, adeo difficilem eſſe fecit canonizationum obtinendarum effectum, ut ejus ſucceſſus debeat cenſeri miraculum pene majus quam ſint ea omnia, ob quæ aliquis judicatur mereri ut in Sanctorum catalogum adſcribatur.*

& diem 16 Novembris

B

82 *Vt autem ei Franciſcum de Paula adſcriberet Pontifex, qua fuerit ratione inductus, juvat addere ex ipſa ejus Bulla, quæ apud Surium & alios tota extat & à Iacobo Sadoleto Mutinenſi, poſtmodum Cardinali, conſcripta dicitur. Ita ergo, expoſitis ſummatim vita & miraculis præcipuis, narrationem ſuam Chriſti vicarius concludit:* Propter quæ cariſſimus in Chriſto filius noſter Franciſcus, hujus nominis primus, Francorum Rex Chriſtianiſſimus, cariſſimaq; in Chriſto filia Claudia Regina, ejus conſors (quæ alias, coram dicti Ordinis tunc Generali ac aliis nobilibus perſonis, emiſſo voto, quod ſi gratiam pro maſculo aſſequeretur, in beati Patris honorem Franciſci nomen ei imponeret, fulgentiſſimum puerum in lucem edidit: illique juxta dictum ejus votum, Franciſci nomen imponi fecit) Nec non dilecta etiam in Chriſto filia, nobilis mulier, Aloyſia de Sabaudia, Andegavenſis & Angoliſmenſis Duciſſa, Cenomanenſiſq; Comitiſſa, ejuſdem Franciſci Regis genitrix, nobis per venerabilem fratrem noſtrum Dionyſium Epiſcopum Maclovienſem Generalem, ac dilectos filios, Jacobũ Lucam, Decanum eccleſiæ Aurelianenſis, & nobilem virum Antonium Raphin, alias de Poton, dominum temporalẽ loci de Podio-Calvario Agennenſis diœceſis, pro nonnullis particularibus ipſius Chriſtianiſſimi Regis negotiis nuntios & oratores ad nos deſtinatos, humiliter ſupplicari fecerunt, ut præmiſſis diligẽter inquiſitis & exploratis, ad ejuſdem beati viri canonizationem procedere dignaremur. Quorum quidem precibus licet libẽter annuere vellemus, ſummopereque gauderemus, hujuſmodi canonizationem noſtris temporibus divino quodam myſterio contigiſſe; ac nobis æquum videretur, ut idẽ B. Franciſcus de Paula (quem jam Deus in cæleſti gloria Sanctorũ choro dignum feciſſe, pluribus ac manifeſtis indiciis & miraculis oſtenderat) in terris etiam ſibi debito Sanctorũ honore nõ defraudaretur; ac ſuper eo maxime nobis inſtaret venerabilis Frater noſter Bernardinus Epiſcopus Sabinenſis, Cardinalis ſanctæ Crucis nuncupatus, in dicti Ordinis Protectorem ab eodẽ beato viro, nondum tunc ab humanis egreſſo, aſſumptus: cumulatiſſimæq; preces nobis ac Venerabilibus Fratribus noſtris, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, per dicti Ordinis tunc Zeloſum, totius Minimorum Ordinis nomine, ſuper hoc ſæpius porrectæ fuiſſent; non ſtatim rem tanti ponderis ac momenti faciendam, ſed juxta veterem & laudabilẽ conſuetudinem, cunctanter matureque conſiderandam duximus.

Pontifex Regum ac Principum ſupplicationibus,

C

AUCTORE D. P.

83 Poſt complures igitur commiſſiones, aulæ Palatii noſtri Advocato Conſiſtoriali, & Auditoribus cauſarum ejuſdem Palatii ſuper hoc debitæ factis, tãdem tribus etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ex tribus illorũ Ordinibus, videlicet venerabili fratri Nicolao Epiſcopo Albanenſi de Fliſco, & dilectis filiis noſtris Dominico tituli S. Bartholomæi in Inſula Presbytero de Jocabatiis, ac Joanni Sanctorũ Coſmæ & Damiani, noſtro ſecundum carnẽ nepoti, Diacono de Salviatis, reſpective nuncupatis Cardinalibus, de Fratrum noſtrorũ conſilio & aſſenſu commiſimus, ut ipſi viſis & examinatis proceſſibus, editis ſuper ejuſdem beati viri vita, moribus, fama & miraculis, ante & poſt ipſius obitum ejus interceſſionibus à Deo factis, aliiſq; cunctis ad Sanctorum canonizationem hujuſmodi neceſſariis, ſe ſuper omnibus ac ſingulis diligenter informarent, & per eos comperta, in noſtro ſecreto conſiſtorio (ut moris eſt) fideliter referrent. Cumque ipſi Cardinales, viſis ac diligenter examinatis diverſis proceſſibus, in partibus Calabriæ & Franciæ de Sedis Apoſtolicæ commiſſione habitis, & ad curiam noſtram tranſmiſſis, teſtiumq; fide dignorum depoſitionibus, pro tantæ rei dignitate debite ponderatis, de ſupradictis miraculis, ac vitæ ſanctimonia, & aliis à jure requiſitis, fidelem nobis relationem in pluribus etiam ſecretis conſiſtoriis jam feciſſent: noſq; ipſorum & omnium aliorum Cardinaliũ vota, pro facienda dicta canonizatione, cõvenientia & conformia inveniſſemus: & pro ulteriori executione dilectus filius Angelus de Ceſis, utriuſq; juris Doctor, & dictæ aulæ noſtræ Conſiſtorialis Advocatus, in publico conſiſtorio omnia de ipſius beati viri vita, moribus, fama, miraculis copioſe percenſuiſſet; nobiſque humiliter ſupplicaſſet, ut ad ejuſdem beati canonizationem, matura deliberatione præhabita, procedere dignaremur: Nos de relatis coram nobis in primis humiliter Deo gratias agentes, rogavimus omnes, in eodem publico conſiſtorio tunc adſtantes, ut ſuis orationibus & jejuniis Eccleſiam Dei juvarent, ac ne eam Altiſſimus modo aliquo in hujuſmodi canonizationis officio errare permitteret, inſtanter orarent.

poſt maturum totius cauſæ examen,

ex omnium Cardinaliũ ſententia,

D

84 Demum, poſt aliquot dies, convocatis denuo in aula noſtra conſiſtoriali in palatio Apoſtolico univerſis & ſingulis, qui tunc aderant in noſtra Romana curia, Eccleſiarum Prælatis; Patriarchis videlicet, Archiepiſcopis, ac Epiſcopis; in præſentia eorumdem Fratrum noſtrorum præfatæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, eoſdem proceſſus ſuper ipſius beati vita, moribus, fama & miraculis editos, per eumdem Angelum breviter ſummarieque repeti fecimus. Quæ cum ex ſerie per Cardinales ac alios, quibus id munus per nos injunctum fuerat, enarrata & expoſita fuiſſent; omneſque adſtantes Prælati, quid ſibi ſuper hujuſmodi negotio videretur, interrogati, unanimi conſenſu, nullo penitus diſcrepante, reſpondiſſent ſibi videri, quod idem beatus vir inter Sanctos merito adſcriberetur & connumeraretur: Nos iterum humiles omnipotenti Deo gratias agentes, quod ad beatum ſervum ſuum debitis honoribus proſequendum, corda noſtra illuminare dignatus eſſet, ipſius canonizationis diem Dominicam in Albis nuncupatam (qua in Eccleſia cantatur, Quaſi modo geniti infantes, quæ tunc occurrebat prima die Maij, anni Domini milleſimi quingenteſimi decimononi, qua etiam tunc beatorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi feſtum contingebat) deputavimus, ac in baſilica princi-

E

etiam in publico conſiſtorio rogata,

ipſiuſq; beati viri meritis inclinatus,

AUCTORE D. P.

cipis Apoſtolorum de Urbe amplum ſuggeſtum lig-
neum de more parari & exornari juſſimus. Super quo
atque ex vo-
to ſupplican-
tium,
quidem hodie, adſtante populo ac univerſo Clero, &
de vita, miraculis & fama ejuſdem beati Franciſci de
Paula humili devotioneque pleno ſermone per nos,
ut moris eſt, habito; deindeque litania & hymno,
Veni creator Spiritus, per omnia devote decantatis;
nec non à Procuratoribus cauſæ ipſius canonizatio-
nis, & à Chriſtianiſſimi Francorum Regis oratori-
bus hujuſmodi, ejuſdemque Ordinis Minimorum
tunc Vice generali Correctore, à nobis magna cum
inſtantia petito pronuntiari, adſcribi inter Sanctos
eumdem beatum Franciſcum de Paula; cum jam
omnia conſummata eſſent, omneſque conſuetas ec-
cleſiæ ceremonias ſuper ea re rite ſervaviſſemus,
Deum præ oculis habentes, ad canonizationem e-
juſdem Beati ſub his verbis procedendum duximus
& proceſſimus.

Sanctum de-
clarat
85 Ad honorem omnipotentis Dei, Patris, & filii
& Spiritus ſancti, ad exaltationem fidei Catholicæ
Chriſtianæque religionis augmentum, ac Ordinis
Minimorum conſolationem & incrementum, au-
ctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, Beatorum-
que Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, & noſtra; de
B Fratrum noſtrorum ſpeciali conſilio & aſſenſu, de-
cernimus & definimus, bonæ memoriæ Franciſcum
de Paula, ejuſdem Ordinis Minimorum Inſtituto-
rem, in cæleſti Hieruſalem inter Beatorum choros
jam receptum; æternæque gloriæ condonatum fuiſ-
ſe, ac Sanctorum Confeſſorum catalogo adſcriben-
dum fore: ipſumque hujuſmodi catalogo in præſen-
tiarum adſcribimus, & eum tanquam Sanctum, pu-
blice privatimque colendum eſſe declaramus atque
mandamus: ſtatuentes ejus feſtum die ſecunda men-
& feſtum
dicernit
ſis Aprilis ab univerſali Eccleſia annuatim celebran-
dum fore, & ab eo ſuffragia à Chriſti fidelibus im-
plorari & expectari poſſe, omneſque ac ſingulos
honores illi merito præſtandos & exhibendos eſſe,
qui ceteris etiam Sanctis Confeſſoribus, in hujuſ-
modi catalogo deſcriptis, convenire noſcuntur. Qui-
bus debite peractis, inchoatoque per nos ac decan-
tato, & ad finem uſque à canoribus proſecuto
hymno, Te Deum laudamus, in illius etiam fine
Cardinali-Diacono in cantu dicente, Ora pro nobis
Beate Franciſce de Paula; à choroque reſponſo, Ut
digni efficiamur promiſſionibus Chriſti: Nos ilico
propriam orationem de eodem Sancto alta voce de-
C cantavimus, dicentes: Servitutis noſtræ tibi Domi-
ne jura ſolventes, quæſumus ut B. Franciſci de Paula
Confeſſoris tui patrocinio ſuffragante, in nobis tua
dona multiplices, & ab omnibus tuearis adverſis.
Per Chriſtum Dominum noſtrum.

idem ejus
ſub Miſſa
commemora-
tionem facit.
86 Deinde vero à dicto choro reſponſo, Amen,
ſolennem illic Miſſam noſipſi celebravimus, de dicta
tunc currente Dominica in Albis, Collectas ſingu-
las ſub una concluſione terminantes: additis etiam
prædicta, ceteriſque ſpecialibus ejuſdem ſancti Fran-
ciſci de Paula collectis, immediate ſequentibus.
Pro ſecreta videlicet, Hoſtias Domine tuorum ſuſ-
cipe populorum, quas tibi in B. Franciſci de Pau-
la feſtivitate dicamus, ut nobis conferant tuæ pro-
pitiationis auxilium: cum ſua concluſione, videli-
cet, Per Dominum &c. Deinde vero poſt commu-
nionem ſubjunximus, dicentes: Cæleſti Domine
ſacramento conſolati, te ſupplices deprecamur,
ut intercedente B. Franciſco de Paula, ab omni
nos mentis & corporis labe cuſtodias, & per ip-
ſum tuæ ſentiamus indulgentiæ largiratem: cum ſi-
mili concluſione. Et ita Miſſam ipſam ad finem
uſque cum ſolitis ceremoniis, iuxta Ordinarium
Apoſtolicum, illic debite terminavimus; Indul-
gentiamque plenariam omnibus, officio hujuſmo-
di tunc devote aſſiſtentibus, conceſſimus; ac et-
iam in loco ſepulturæ ejuſdem Sancti Franciſci de D
Paula, in depoſitionis ſuæ die, videlicet ſecunda
Aprilis, hujuſmodi perpetuo duraturam quadra-
ginta annorum totidemque quadragenarum Indul-
gentiam annuatim condonavimus, ad laudem &
gloriam omnipotentis Dei, qui in Sanctis ſuis mi-
rabilis & glorioſus, vivit & regnat benedictus in ſe-
cula ſeculorum.

Regis de hac
canonizatio-
ne lætitia:
87 Hujus rei ſic peractæ nuntius in Franciam al-
latus, quantopere Chriſtianiſſimos Reges affecerit,
haud facile poteſt explicari verbis. Numquam ex-
inde aliter quam PATREM NOSTRUM S. FRANCIS-
CUM auditi ſunt nominare, quod cum faciebant, a-
perto Rex capite, Regina humiliter inclinata, mon-
ſtrabant, qua in veneratione nomen ejus memoriam-
que haberent. Juſſit etiam Rex monetam cudi, quæ
ex una parte effigiem ſuam, ex altera Sanctum repræ-
ſentaret, cum hac inſcriptione, REGIÆ STIRPIS PRO-
PAGATORI. Scilicet ob natum ſibi ex ſimili, quo ip-
ſemet Rex conceptus erat, voto Delphinum, Fran-
ciſcum nomine: qui tamen, ad Regnum non perve-
nit, anno ætatis circiter decimo octavo, Chriſti
MDXXXVI, veneno extinctus. Denique aſſerebat idem,
ex hac canonizatione peracta liquidiorem ſe animo E
cepiſſe voluptatem, quam ſi totius mundi monar-
cham factum ſe vidiſſet. *Quid nunc de Calabria tota di-*
cam? quid de aliis locis, quæ ſua Sanctus præſentia honeſtavit?
Relinquenda hæc cogitatui ſunt, quando nuſquam litteris ex-
preſſa leguntur. At quomodo ejuſdem canonizationis fama te-
nauta erga
Sanctum
olim inhu-
mani pœni-
tentia.
tigerit inhumani illius naucleri animum, qui tranſituro in Si-
ciliam Sancto cymbæ ſuæ negaverat obſequium, notavit fr.
Mattheus de Ancona. Cum *enim* in conventu Mylaſ-
ſenſi *tunc* degens, vidiſſet ad dicatum Sancto in eccle-
ſia ſacellum accedere quotidie virum ſenem, multiſq;
cum lacrymis & ſuſpiriis tundere inter orandũ pec-
tus, tamquam graviſſimorum ſcelerum conſcium: pia
motus curioſitate, abductum in partes hominem, ro-
gavit quę ei tam mœſtę deprecationis eſſet cauſa. Rem
aperit ille, & culpã fatetur; cujus ut veniã mereretur
accipere, quotidie ſe ante ſacram illius imaginem reũ
ſupplicemque advolvi. Conſolatus eſt bonum virum,
ut potuit Frater, quodq; ex eo audierat ad Conven-
tum retulit: & ſic renovata veteris facti memoria, tũ
Religioſi ex ipſiuſmet nautę ore certatim rem cupie-
bant audire; tum ſparſa per circumjectas villas fama,
turmatim accurrebant Siculi, ut eadem identidem in-
terrogarent & diſcerent, tam fide digno certoque ſub F
teſte: ipſe vero quamdiu vixit, in quotidiana illa ſua
devotione perſeveravit.

CAPUT XI.

Miracula eodem quo Canonizatio ſeculo facta.

Pauca hic
dantur ex
multis.
88 *TAnta erga S. Franciſcum Paulanum fuerit de-*
votio fidelium populorum, prius quam Sanctorum eſſet
catalogo adſcriptus ab Romana Eccleſia; magnis tamen eam
augeri oportuit incrementis, poſtquam illius publica invocatio
Apoſtolicæ Sedis ſolenni judicio fuit cõprobata: aucta vero in-
vocantiũ pietate & frequentia, dubitandum non eſt quin mul-
tiplicatæ ſint è cælo gratiæ ac beneficia. Sed horũ publicis ta-
bulis legitime ſignandorum primo poſt canonizationem ſeculo
minor fuit cura, quod ejuſmodi diligentia ſoleat ſpectare ef-
fectum canonizationis obtinendæ, eaque obtenta eſſe re-
miſſior ac ſæpe nulla. Quid ni tamen ex Iſidoro aliiſque col-
ligamus aliqua, ipſo quoc anonizatio ſeculo facta? Ita con-
ſtabit thaumaturgicam Sancti Patriarchæ virtutem nequa-
quam elanguiſſe fluxu temporis, ſed ad præſens uſque ſe-
culum vividam perſeveraſſe, ad Dei gloriam qui eſt in San-
ctis ſuis mirabilis.

89 Cum

A *enormis raptura*

89 Cum anno MDXXVII, ab exercitu Cæſareo, multis è Germania Lutheranis permixto, capta eſſet Roma, & ſacra profanaque omnia direptioni data: quidam inſigniter crudeles, ad conventum Fratrum Minimorum delati, Procuratorem Ordinis Generalem, P. Deſiderium de Motta, intercepere, de monaſterii pecuniis quæſtionem habituri. Hic cum aſſeveraret, præter eccleſiæ calices & reliquum ſacrorum apparatum, nihil auri argentive à ſe oſtendi poſſe; ſuſpenſum per genitalia miſerum tam dire cruciavere, ut inteſtina loco mota ad humani capitis modum enormiter extuberare inventa ſint, poſtquam tortoribus inde digreſſis, depoſitus viſitatuſque à medicis eſt. Nullum apparebat malo tam grandi remedium: ergo ſpe viva animatus Pater, licentiam poſtulavit, Turonas, qua poſſet ratione, adeundi ex voto. Ibi in ſepulcralem ſancti Patris cryptã delatus, comitantibus præcipuis quibuſdam illius conventus Patribus, invenit ſacrum corpus, æque formoſum integrumque atque illuc primitus illatum erat: acceptoque reverenter linteo, quo vultus venerabilis tegebatur, illud corpori ſuo admovit: ac multis cum lacrymis ſe commendans Sancto, ſenſit inteſtina omnia ad priſtinum reduci ſtatum, plenequeque ſanatus toti poſtea Ordini præfuit Corrector Generalis.

ad Sancti ſepulcrum ſanatur.

B *Lupiis cæca nata*

90 Lupiis, Apuliæ urbe primaria, monaſterium eſt Ordinis, ad quod ingens hominum multitudo ipſo Sancti feſto aſſuevit concurrere. Idem facere à multis annis inſtituerat mulier, cui filia domi tredecennis erat, eaque ab ipſo vitæ principio cæca; ſperans quod viſum poſſet eidem obtinere. Anno tandem MDLX, ſpem eatenus irritam deponens ex animo, non tamen piam conſuetudinem ſuam intermittere volens, recurrente S. Franciſci feſtivo die, cum convicaneorum ſuorum caterva Lupias ire diſpoſuit, & filiam cæcam domi relinquere. Hæc vero ſuas fruſtra eſſe preces non ferens, quibus petebat hac quoque vice in urbem duci, lacrymis ubertim fuſis obtinuit à matre, quod verbis non potuerat: moxque ut templo pedem intulit, apertis oculis videre cœpit, & acceptum beneficium multo clamore gaudioque teſtari. Accurrunt omnes qui præſentes aderant, aſſerentibuſque cum matre vicinis puellam à nativitate cæcam fuiſſe, quæ nunc primum videre incepiſſet, mira cunctorum extitit gratulatio, redditæque ſunt debitæ Sancto gratiæ.

in ejus feſto illuminatur.

C *Mylis matrona moribunda,*

91 Anno MDLXXXI, depoſita à medicis jacebat Mylis in Sicilia nobilis mulier, Eliſabetha Alarcon; & jam jam expiraturæ extremas preces recitabat D. Nicolaus Baëli Sacerdos. Adſtabat triſti officio moribundæ matertera, Soror Angela Baëli, Tertiaria Ordinis: quæ nonnullam conſervandæ neptis ſpem habens in meritis S. Franciſci collocatam, cuidam decumbentis infirmæ filio Joanni-Stephano imperavit, ut propere ad conventum pergens, aquam de puteo Sancti peteret. Ivit, petivit: ſed à Fratribus, deſperatum ægræ ſtatum ſcientibus, repulſam tulit; itemque à P. Mauro de Monteforti, ad quem ab aliis rejectus acceſſerat. Quid ageret puer? Nolebat ſine aqua reverti, & qui haurire vellet nullus erat. Acceſſit tamen lacrymabundus ad puteum, & circumſpiciens num qua ratione ſuum poſſet implere vaſculum, adſtantem videt lateri ſenem Fratrem: qui cauſam puerilium lacrymarum quærens & audiens, accepto vaſculo hauſit aquam, ea facilitate, ac ſi puteus alias profundus uſque ad ſupremum labrum ſuſtuliſſet liquorem; & plenum illud puero porrigens, Vade, inquit, ne timeas: ſanabitur mater. Redit ille, accepta aqua & promiſſo lætus, atque in ipſo ſcalarum domeſticarum aſcenſu complorationem familiarium audiens, clamando monuit ne plorarent: ſanandam enim matrem dixiſſe eum Fratrem, qui ſibi aquam dederat. Et vero mox ut Angela aquam illam ægræ bibendam dedit, hæc purulentam pituitam multam evomuit, & continuo ſana ſurrexit è lecto. Publicum mox oppido toto miraculum fuit: acturi Sancto gratias una cum puero ad templum veniunt ejus parentes; jubent collectos in choro Fratres ſingulos conſiderare, & dicere quis eorum ſibi aquam dediſſet. Sed negavit puer inter illos adſtare; ſimillimum autem ei fuiſſe aſſeruit, cujus imago in altari ſpectabatur, S. Franciſci effigiem repreſentans.

aquæ ab ipſo Sancto apparente hauſtæ potu.

AUCTORE D.P.

ſubito convaleſcit.

92 Ex Catonenſi portu Meſſinam navigaturus Dominicus Capellus nauta Meſſanenſis, feſto S. Nicandri die anno MDXCVI; una cum uxore Minichella & quinquenni filio Antonio dicto, unaque cum aliis nautis & vectoribus navim ſolvit: quam medio in freto ſubita involvens procella inevitabili caſu evertit. Periere circiter perſonæ undecim. Navarchus natandi peritior carinam ſuper aquas extantem obtinuit, ex eaque circumſpiciens num filium aut uxorem videret uſpiam, ac jugiter S. Franciſcum Paulanum invocans, puerum procul à navi ſupra undas fluctuantem vidit: quem licet mortuum arbitraretur, paterno tamen amore victus, in mare denuo ſe devolvit. Res mira! dormiebat ſuaviter extenſo ſuper fluctus corpore puer, & intra patris natantis ulnas revectus ad everſæ cymbæ carinam, nec ſine miraculo ad littus una cum eadem ejectus, poſtquam à ſomno experrectum interrogare pater ſuus cœpit, numquid de everſa cymba ſciret, & quomodo non fuiſſet ſubmerſus; aliud ſe negavit meminiſſe, quam quod exceptus fuiſſet brachiis cujuſdam Fratris ſenioris, ſimilis S. Franciſco Paulano: quem etiam in ſua imagine recognovit, ſtatim atque adductus eſt in eccleſiam conventus ſancti Sepulcri.

everſa navi quinquennis puer.

E

non ſubmergitur, ſuſtentatur à Sancto.

93 Gualteri-villa haud procul Mylazzo diſtat in diœceſi Meſſanenſi: hic anno MDXCVII Blandina quædam paupercula, ut ſibi & matri, ab annis triginta viduæ & annis quinque ſeptuagenaria majori, victum lucraretur, præter proprium quem lactabat filium, etiam filium Joſephi de Amico nutriendum ſuſcepit. Sed infra neceſſitatem duorum copia lactis fuit, quod ubera minime abundanter dare poterant. Ergo obligationi propiori factura dumtaxat ſatis, nolens tamen ſtipendio privari quod ſibi à Joſepho proveniebat, rogavit matrem vetulam, ut quo meliori poſſet modo fallere alienum puerum, & ne ploraret conaretur cohibere. Hæc vero periculum damni faciendi conſiderans, flexis coram imagine Sancti genibus, opem popoſcit, ut faceret, etiam pro duobus, filiæ ſuæ lac abundare: deinde ab oratione conſurgens accepit puerum; eumque tantiſper fallere cupiens, ſuam pridem arentem mamillam ori ejus admovit. Vix puer cœpit papillam ſugere, cum tot annorum vetula mamillam ſenſit lacte turgeſcere. Interim Joſephus pueri pater ingreditur, filiumque in ſinu nutricis Blandinæ non reperiens, eumque cum clamore requirens, aſcendit in cameram ubi vetula erat; & quid ageretur intuens, non minus quam ipſa obſtupuit, id ætatis anum habere mamillam unam velut florentis mulieris turgidam, cum altera prorſus exucca evanidaque penderet è ſenili pectore. Miraculique evidentiam & auctorem cognoſcens, gratias S. Franciſco egit: anui autem lactandum reliquit filium, aucto etiam ſupra quam primæ nutrici conſtituerat ſtipendio.

puerum, cui nutrici lac deerat,

F

anus miraculoſe lactescens alit.

94 Annus MDXCVIII, Catanenſi urbi ominoſus, deficientibus è cælo aquis ingens periculum minabatur: itaque

AUCTORE D. P.

Catanenſi urbi ſiccitate laboranti

itaque urbs futuri anxia ad ſuum recurrit Antiſtitem, publicas inſtitui preces expoſcens. Supplicationem hic ad S. Franciſci Paulani ædem cum S. Agathæ Reliquias indicit, & ad concionem habendam ibidem invitari jubet, quem ſciebat Sancto illi devotiſſimum, Bernardum Colnagum, è Societate Jeſu raræ virtutis virum, quem duodennio poſt ibidem XI kalendas Maias pientiſſime mortuum civitas univerſa ut Sanctum extulit. Bernardus perfuſus lacrymis, inſerto in collum fune & nudis pedibus Divæ feretrum ſecutus, ſuggeſtum conſcendit: & primo ardentiſſimis verbis totam concionem in abundantes concitavit fletus, deinde in vitia tanto rum malorum cauſam vehementiſſime detonuit, cunctiſque miſericordiam inclamantibus, cùm ſua nihilominus cælo ſerenitas ſtaret, ad crucifixum Salvatorem converſus, Quid hoc, ait, ô ſummum bonum? Ergone lacrymæ gemituſque totius populi, & populi tandem non mei ſed tui, penetrare poſſint hujus ſacræ ædis prædura marmora; tuum vero pectus, paterna pietate cereum, non pervadant? Ah! ſi noſtræ id culpæ prohibent; merita te moveant ſancti mei Franciſci de Paula, viri quem exaudias longe digniſſimi. Tu vero, mi amantiſſime Sancte, divinam nobis majeſtatem placa, ut pluviam largiatur. Aquam, aquam, exclamabat, aquam peto: promiſiſti mihi pluviam: ſta promiſſis. Dixit, & populo ter bene precatus, dimittere eum voluit: ſed cum ipſe in ſuggeſtu hæreret, diſceſſit nemo. Itaque tandem animi ſui ſenſum aperuit, Et Ego, inquit, è Divi templo, niſi ejuſdem precibus pluviam impetravero, pedem non efferam. Hoc dicto deſcendit è ſuggeſtu, Breviarium poſcit, divinum Officium perſolvere incipit. At primum vix Pſalmum ad finem perduxerat, cum contractis repente nubibus cælum omne in pluvias ſolutum eſt; ut nemo jam domum ire, ſi vellet, poſſet. Tota ergo concio, in repentinam lætitiam & gratiarum actionem effuſa, miraculum agnovit, & pluviæ deſperatæ auctori Sancto ſervatam meſſis ſpem ad ſcripſit.

Bern. Colnagius in templo Sancti concionans,

pluviam impetrat eo in vocato.

B

95 Idem Bernardus, moderatorum nutu Meſſana Panormum evocatus aliquando, haud longe Mylazzo habebat iter. Sancti igitur ſui illo in loco, quem ſua olim præſentia conſecrarat, venerandi ſtudio, magnis navarchum fatigavit precibus, ut navim appelleret ad illud beatum littus, ubi, emenſo pedibus freto, miraculoſi tranſitus veſtigia duro ſaxo impreſſa ſanctus Pater reliquit; daretque commoditatem oſcula figendi ſolo felici, & Divi ædem inviſendi. Navarchus econtra ventos in reditu adverſos, cælum nubibus obductum, tempeſtatem imminentem cauſabatur initio: tandem tamen, Bernardo proſpera pollicente omnia Sanctique Franciſci præſentem opem, gubernacula flexit ad optatum Colnago portum. Vix ibi ille anchoras jecerat, cum oborta tempeſtate mare intumuit, & immanibus jactata fluctibus navis tantum non fuit aquis hauſta. Hîc enimvero indignari vectores, ſtolidam Patris pietatem incuſare & maledictis proſcindere. Aſt Pater inter contumelias conſtans, raptim ad Divi templum provolare, prolixas ad Deum preces fundere, Sanctumque ſuum Paulanum obteſtari, ſervaret ſibi devotam navim. Denique petita ex caputio Beati filamenta paucula, puerorum caterva comitante, &, Sancte Franciſce ſerva navigium, identidem acclamante, detulit ad littus, Divi laudes etiam ipſe canens. Omnibus vero in genua provolutis, veneranda illa pignora iterum iterumque exoſculatus, demerſit in mare. Quo facto, tumidos aquarum montes ita placavit, ut à littore ad navim ſubita ſe porrigeret tranquillitas, & ceteris cymbis adhuc contra ventorum fluctuumque injurias periculoſe luctantibus, ſola quieſceret; donec ad reliquas in littore ſtantes eadem ſe dilatavit malacia, S. Franciſci meritis impetrata. *Hæc ex libro 2 cap. 8 de Vita & virtutibus ejuſdem P. Bernardi, ſcripto per Ioannem Paulinum itidem Societatis Ieſu, excerpere placuit: nunc aliud pergo ex Italico Iſidori Latine reddere: quia ad eadem arbitror ſpectare tempora, licet anni nota nulla addatur.*

C

& ſub ortam tempeſtatem

merſis mari Reliquiis ſanat.

D.

96 Gabriel Cæſaris, Ayamonte in Hiſpania natus, in civitate Africæ, Salé dicta, tenebatur captivus, domi cujuſdam Hiſpani apoſtatæ, Bayren nominati. Emerat ipſum ejuſdem apoſtatæ ſocrus, peſſima mulier, quæ ex mancipio ſuo non pecuniæ ſed iniquitatis lucrum captans, fidei Chriſtianæ odio diriſſimis Gabrielem vexabat modis, potiſſimum fame; & ne à ſuo eum conſpectu dimitteret, habebat ingenti catena ferrea ligatum ad lecti ſui frontem. Sed animum quem frangere ærumnæ nullæ poterant, molliori telo aggreſſus dæmon oppugnare; effecit ut crudelis heræ impudens filia laſcivos in Cæſarem oculos conjiceret: unde poſthabito viri ſui amore ita in captivum exarſit, ut deſiderii ſui indicandi nacta commoditatem, blanditiis promiſſiſque ingentibus tentare Chriſtianum militem non ceſſaret, juvenis ipſa & formoſa ſatis. Rejecit tamen ſolicitantem, idque conſtanter adeo Dei timore armatus, ut explendæ libidinis deſperatione in rabiem acta, pugnis, unguibus, baculis ſæviret in vinctum. Quibus cum nihilo plus proficeret, ſuaſit matri ſecurioris cuſtodiæ prætextu alibi aſſervandum locare, ſperans ibi facilius ſuæ voluntati ceſſurum. Hic ille propoſiti ſui tenax, neſcio unde limam obtinuit: ſed ea uti auſus non eſt, propter catenæ groſſitiem, veritus ne in ipſo conatus deprehenſus crudelius haberetur. Interim P. Alphonſus Ximenez, Chriſtianorum mancipiorum viſendorum nactus à Mauris poteſtatem, etiam Cæſarem viſitavit: eumque qua potuit conſolatus, quem Sancto Paulano devotiſſimum intellexerat, ejuſdem ipſi opem ſub ſacrificio Miſſæ inſtantiſſime exoravit. Adfuit invocatus Sanctus dormienti, & Surge, inquit Cæſar, tempus eſt abeundi. Credidit experrectus homo viſioni, & manibus ſuis catenam aperuit acſi cerea fuiſſet, atque per arctam feneſtellam elapſus è domo, ingreſſuſque viam ſecundum flumen, quæ ad Mamorram, præſidii Catholici locum, ducit; jam ſe liberum fore ſperabat. Verum deprehenſus agnituſque à Mauris, & denuo in vincula raptus, intra eorumdem tabernaculum cuſtodiebatur vinctus catena graviſſima. Inde tamen corporeæ neceſſitatis cauſa exire permiſſus, reperit & clam ſecum retulit acutum bacillum: deinde ad nocturnam inter quatuor cuſtodes quietem ſe dedit, ardenter ſe ſuo Sancto commendans. Hic vero rurſum eidem de nocte aſſiſtens, ſurgere ac fugam maturare juſſit. Nihil cunctatus Cæſar, debili illo inſtrumento citra ullum ſtrepitum catenam laxat: & per medios cuſtodes egreſſus, paratum in ripa fluminis currum reperit, quo ad Catholicorum partes avectus, publicavit miraculum in ſe patratum.

captivus in Africa,

fidei & caſtitatis cauſa dire vexatus,

E

& S. Franciſco commendatus,

ſolutis ſemel iterumque catenis

F

liber evadit.

CAPUT XII.

Sancti viri corpus ab Hugonottis combuſtum: Reliquiæ aſſervatæ.

97 ANnus agebatur Chriſtianæ Æræ MDLXII, quando R. P. Maturinus Aubert, ad viſitandas Franciæ provincias deſtinatus, & ſocium ſecum ducens R. P. Joſephum le Tellier (ex cujus ore hæc quæ ſubjungam, *inquit Claudius du Vivier cap. 27 in fine*, audivi ſæpius) invenit in conventu Turonenſi ho-

Anno 1562 juxta propetiam Sancti

A hominem octogenarium, P. Euſtachium nomine, qui ab ipſo Sancto Patre admiſſus in Ordinem habituque donatus, nonnullis cum eodem vixerat annis familiariter ſatis, & multarum quas memoriter tenebat rerum fidelis relator. Hic ad præſentia tempora delapſo ſermone, multis perfuſus lacrymis; *Turonibus eccleſias expilant hæretici:* Heu, inquit, Pater, attigimus annum, quo bonus noſter Pater prædixit expilandas ſubvertendaſque urbis Turonenſis eccleſias. *Quam autem vera ac certa fuerit viri Sancti prophetia, paucos intra menſes probavit eventus, & ſacrorum omnium everſio per Hugonottas facta. In hac quomodo habitum ſit ſacrum S. Franciſci corpus, potius quam aliorum tradamus verbis, coævos rei geſtæ teſtes legitime auditos producemus ex inſtrumento, cujus ſolum primam partem ad Latinæ vitæ calcem P. Franciſcus Victon attexuit; integrum autem exemplar curavit nobis Pariſiis deſcribendum, idem qui plura alia, R. P. Philippus de Meſmacre, & eſt hujuſmodi.*

Viſitatori poſt annos 60 inſtituto, 98 Ad honorem Dei opt. max. Sanctiſſimæ Deiparæ Virginis Mariæ, & beatiſſimi Patris Franciſci de Paula Patriarchæ Fratrum Minimorum. Nos Fr. Olivarius Chaillou, ſacri Minimorum Ordinis Sacerdos, profeſſus, habilis, & in Provincia Franciæ B dicti Ordinis Collega Provincialis, annos natus ætatis meæ LVI, religionis vero XVII; cum accepiſſemus à Reverendiſſimo Patre Fr. Franciſco de Mayda, Epiſcopo Lavellenſi & d. Ordinis noſtri Generali meritiſſimo, litteras patentes, ſub Datum Romæ in Conventu ſanctiſſimæ Trinitatis, quibus *uni ex Sancti pronepotibus,* nos Vicarium & Viſitatorem generalem in Provinciis Franciæ, Tureniæ, Lyonneſii, Provinciæ, Aquitaniæ conſtituebat & nominabat; continuo ad opus viſitationum noſtrarum nos accinximus. Cumque provinciam Turonenſem fauſto omine & numine appuliſſemus, id potiſſimum in mente habuimus, ut quæ ad honorem ſanctiſſimi Patriarchæ noſtri Franciſci de Paula quomodocumque ſpectarent, ea, ſi obſcura eſſent, luce clariora redderemus; ſi dubia, firmaremus; ſi publica, ſolidaremus; ſi ſancta, veneraremur: duplici ad id nos impellente ſpiritu, conſanguinitatis nimirum naturalis, & filiationis ſpiritualis. Quapropter eum accepiſſemus *& de ſepulcro violato informari ſatagenti,* à viris probis & ſpectatæ ſanctitatis, corpus beatiſſimi Patris noſtri ante hac ab hæreticis, neſcio quo diabolico furore, à tumulo ſuo raptum & crematum fuiſſe; violatoque jure ſepulcri in cineres ejus eſſe ſævitum; ſanctaſque Reliquias ejus, tam pie cuſtoditas, C tam ſancte veneratas, tantis miraculis claras; flammis eſſe donatas: ideo ne tam immane facinus pereat & deleatur, & ut poſteritati innoteſcat; quaſque flammis habemus ereptas Reliquias & reſiduos cineres, ubi & unde poſſidemus, jure poſſidere poſſimus; denique ut rei geſtæ veritas ſingulis & omnibus in poſterum pateat: æquum & juſtum duximus, ſiquos hujus immanitatis teſtes vel oculatos vel fidos reperiremus, ab iis cuncta ſciſcitari & audire.

declarat Teſtis octogenarius, 99 Die igitur XVIII menſis Maji anni MDCXXII, in noſtro conventu Nannetenſi annoſos Religioſos reperientes, ipſos coram nobis in camera ſolitæ noſtræ audientiæ vocatos, ſupra d. cremationem examinavimus & inquiſivimus. Ad hunc effectum, die & anno præfatis, conſtitutus eſt perſonaliter coram nobis vocatus, Ven. P. Fr. Carolus Royér, Ordinis noſtri Sacerdos, profeſſus, habilis, annos natus ætatis LXXX vel circa, religionis vero LVI vel circa, ut ipſe dixit: cui in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub præcepto ipſius præcepimus, ut aperiret nobis vere, ſimpliciter, & integre cuncta d. crematione ſpectantia; nimirum tempus, locum, modum, & perſonas inibi præſentes: ipſumque inſuper jurare fecimus manu tacto pectore, more Religioſorum & Sacerdotum, de integritate præfatæ AUCTORE D. P. combuſtionis nobis propalanda. Poſt quæ dixit nobis, Turonibus in parochia S. Saturnini natum ſe, ibidem ſemper habitaſſe priuſquam eſſet Religioſus, & adfuiſſe in dicta urbe anno MDLXII, menſe (prout recordatur) Aprili, quando Hugonottæ proditorie occuparunt d. urbem Turonenſem.

quod anno 18 natus, 100 Erat ipſe annorum tunc octodecim vel novemdecim: & ſcit, quod cum dicti Hugonottæ d. urbem tenerent, combuſſerint corpora SS. Gatiani & Martini; eodemque tempore, neſcit quo præciſe die, viderit matutinis horis turbam grandem Hugonottarum equitum peditumque tranſire per plateam majorem, qui ſe dicebant ire ad conventum Pleſſiacenſem, uti de facto ibant. Itaque ipſe deponens, curioſitate tractus ſciendi quid in d. conventu Hugonottæ acturi eſſent, eodem cum aliquibus juvenibus amicis ſuis ſe contulit, hora circiter poſtquam è ſtrato ſurrexerat tertia. Ibi adveniens, *digreſſis à conventu ſacrilegis,* invenit magnam Catholicorum Turonenſium multitudinem, eodem ſimili curioſitate adductam, à quibus audivit Hugonottas receſſiſſe à conventu. Sancto igitur ſtimulatus deſiderio cognoſcendi injurias & contumelias loco ſacro ab Hugonottis illatas, intravit eccleſiam dicti conventus: ſeque recta contulit ad locum, ubi erat tumulus & requieverat corpus S. Franciſci de Paula: ad quem ſcilicet locum tumulumque ſæpe alias venerat; eratque tumulus infra terram, lapidibus quadris iiſdem quibus reliquum ſacelli pavimentum opertus, unoque circiter pede quam nunc ſit altari vicinior. Vidit autem quadros, quibus tumulus tegebatur, ſublatos *ſolum tumulum invenerit violatum;* comminutoſque, & ipſum tumulum diſcoopertum recluſumque: qui quidem tumulus, uno ſolido in lapide excavatus, idem eſt qui etiam nunc in d. capella honoratur. Tunc, inquit deponens, manus immiſi in tumulum, neque recordor me toto in templo aliud quid fractum vidiſſe, ac ne Crucifixum quidem majorem, ab odæo, ſuper quod ſtabat, deturbatum: memini tamen, quod aliquanto poſt tempore in loco Crucifixi fuerit appenſa magna tela, in qua depictum erat Crucifixionis myſterium, ideoque credo dejectum quoque Crucifixum fuiſſe, etſi illius non reminiſcar.

audiviſſe quod corpus combuſtum 101 Ab eccleſia progreſſus ſum ad cameram, excipiendis hoſpitibus deſtinatam, & tunc apothecæ lignariæ propinquam, in quam ab interiori clauſtri parte erat ingreſſus, & ex eadem in hortum proſ- F pectus. Ibi à pluribus honeſtæ conditionis perſonis (quas tunc cognoſcebam, nunc autem nequeo nominare) didici, Hugonottas, poſtquam S. Franciſci Paulani tumulum violaſſent, corpus ejuſdem inibi repertum integrum, adhereſcentibus eidem quadamtenus veſtibus, inde extraxiſſe violenter atque ſacrilege, funeque ad collum alligato raptaviſſe per eccleſiam atque clauſtrum, uſque in dictam cameram. Ubi dum ad ejus combuſtionem omnia apparant & comportant impii, pii quidam Catholici iiſdem permixti, commoditatem habuere decerpendi de ſancto corpore particulas, oſſa aut membra quædam; quæ facile erat à ſuo trunco divellere, propter diuturnitatem temporis, quod ab ejus ſepultura ad diem illum fluxerat. Ego vero cognovi *& reliquias aliqua conſervata eſſent:* aliquos ex habitatoribus ſuburbii, Mariæ-divitis appellati, homines honoratos & fide dignos, ſericique operatores; qui mihi dixerunt, quod ipſimet accepiſſent aliqua ex dictis oſſibus, quæ citra violentiam diſſolvebantur; eaque poſtea portaverint, ſcapulam quidem ad eccleſiam Mariæ-divitis, reliqua vero ad conventum Minimorum Pleſſiacenſem. Ipſeque factus Religioſus vidi aliquos civium prædictorum (nominum tamen non recordor) referentes

AUCTORE D. P.

ferentes duodecim aut quindecim ossa, quorum aliqua erant de spina dorsi, eaque consignantes in manus R. P. Provincialis, ejus qui R. Patrem Bourdrier præcessit in officio: quæ ossa, mappæ pulchre laboratæ involuta, reposita sunt conclusaque intra arcam, quatuor clavibus. Postea dicta ossa & reliquiæ præsentatæ fuerunt per R. P. Provincialem & per Correctorem conventus, qui tunc erant (nominum enim non recordor) Reverendissimo Archiepiscopo Turonensi (cujus mihi pariter nomen excidit) qui iisdem diligenter consideratis, & animadversis vestium reliquiis ad ipsa ossa adhærentibus, approbavit & declaravit esse veras beati Patris nostri Reliquias.

quas viderit approbari,

sicut olim viderat aliquas colligi ex cineribus.

102 Combusserunt hæretici sacrum corpus, atque in cineres redegerunt, in prædicta camera, uti mihi relatum est à pluribus, quos istic reperi: adveni autem eo circa quartam aut quintam horam postmeridianam, ibique ad huc reperi cineres & lignorum atque carbonum reliquias; notavi etiam totum camini exteriorem ambitum, propter foci luculenti magnitudinem, denigratum esse: & credo neminem tunc fuisse in conventu. Ego certe neminem tunc reperi, mihique persuasi Religiosos omnes fuga dilapsos fuisse. Postero die, eodem redii, & vidi Religiosos aliquos illuc reversos: quos inter memini fuisse quemdam Fr. Andream Bonasou & Fr. Joannem l'Aisné, ut puto. Hi recollegerunt dictos cineres, portaveruntque & incluserunt, nescio ubi, nec quid dictis cineribus reliquiisque postea factum sit: nisi quod factus Religiosus didicerim, repositas fuisse intra tumbam sepulcri: per quos autem Religiosos aut quem Superiorem id factum sit, prorsus ignoro. *Hactenus ille, Gallica sua lingua, uti & ceteri omnes, prælectamque sibi depositionem nominis sui subscriptione firmavit.*

B

Testis 2 *quod cũ corpore Sancti*

103 Die & anno præfatis R. P. Fr. Marinus Chuppin, Ordinis nostri Sacerdos, professus habilis, annos habens ætatis LXV, religionis vero XLIV vel circa, ut ipse dixit..... interrogatus & juratus, ut supra, dixit. Reverende Pater, natus sum ex quodam burgo prope Villeroy & Corbeil, dicto Champcœur; & studiis in collegio Montis-acuti Parisiis absolutis, obtuli me ad Ordinem Minimorum R. P. Josepho le Tellier, tunc Provinciali Franciæ, in conventu Nigeonensi. Ipse vero me Turonas misit, ubi habitum suscepi ante annos circiter quadraginta quatuor, de manibus R. P. Pichoneau, tunc Provincialis Tureniæ. Itaque ibidem consequenter professus, didici, quod cum venissent Hugonottæ, omniaque in conventu Plessiacensi spoliassent, rupissent ac dissipassent; comminuerint etiam operimentum tumbæ, qua corpus Sancti Patris nostri continebatur; injectoque fune raptaverint ipsum indignissime ab ecclesia ad cameram hospitum. Et hoc mihi dixerunt omnes seniores, qui potuerant vidisse. In eamdem quoque cameram translatum fuit corpus Regis Siciliæ, quod erat in nostra ecclesia depositum. Cumque dicta corpora, sanctum scilicet & regium, essent in camera illa, & Hugonottæ in comportandis stramine ac lignis ad dictorum corporum combustionem occuparentur; multæ personæ probæ ac piæ & suburbio Mariæ-divitis Turonensis, opportune suaviterque immiscuerunt se hæreticis, & ceperunt plura ossa, post combustionem residua, quæ portaverunt domum suam: deinde vero ea attulerunt ad ecclesiam dicti suburbii, scilicet os scapulæ unius, reliqua vero ad conventum Plessiacensem, tradideruntque Superioribus pro tempore tunc existentibus, quorum mihi nomina non occurrunt....

C

combustum sit corpus R. Frederici,

104 Anno Domini MDCXXII, è conventu Nanetensi ad nostrum conventum Turonensem juxta Plessiacum, XXV mensis Maji reversi; æqui bonique duximus superiorem examinationem prosequi, quatenus pleniorem de incendio, Reliquiis, & ceteris beatissimi Patris nostri negotiis scientiam haberemus. Quapropter dicta die.... R. P. Fr. Sebastianum Sommarium, olim in hac Provincia per tres diversas vices Provincialem dignissimum, convocari fecimus.... qui annos natus LXXII, interrogatus & juratus ut supra, sic respondit. Anni circiter XLIII sunt, quod in hoc conventu habitum sumpsi, cum hic (quantum recordor) Correctorem ageret R. P. Maton, sub Provincialatu R. P. Pinchoneau, in cujus manibus professionem feci: nihil autem ipso visu cognovi de effractione sepulcri sancti Patris nostri, & corporis combustione ab hæreticis facta: sed quidquid ejus scio, scio ex auditu & fama publica. Audivi porro ex R. P. Haguenier tunc Provinciali & R. P. Jahan, utroque magni meriti & sanctitatis, quod Hugonottæ combusserint atque in cineres redegerint in camera hospitum corpus S. Francisci de Paula: quodque eorum quæ nunc sunt in capsa S. Francisci ossium, aliqua reperta fuerint in sepulcro ipsius S. Francisci, ibidem relicta, cum Hugonottæ inde auferrent corpus; & postea verificata sint per D. Officialem Turonensem & Graphiarium Archiepiscopatus, ad hoc ut haberi possent pro veris ossibus dicti S. Francisci de Paula. In qua verificatione dicti RR. PP. Haguenier & Jahan fuerunt auditi, deponentes coram Officiali, coram quo & ego auditus deposui fideliter quidquid scire poteram de dictis Reliquiis. Quod autem scio ex prædictis RR. PP. Haguenier & Jahan, hoc ipsi perbene sciebant, quia ambo præsentes fuerant & habitabant in conventu, quando Hugonottæ combusserunt sanctum corpus, è sepulcro suo extractum. Insuper ossa & Reliquias dicti S. Francisci de Paula intra capsam, in qua nunc sunt, reponi vidi à Domino de Roche-faucault, Majoris-monasterii Abbate: quæ capsa statim obsignata fuit sigillo Episcopali: quemadmodum hodie cernitur: antea autem dicta ossa & reliquiæ religiose conservabantur in arca quatuor clavium.....

D

Testis 3

quod ossa in sepulcro reperta

E

approbari viderit.

Testis 4

104 Die vero XXVIII Maji, è conventu nostro Plessiaco in nostrum conventum Turonis, in nova urbe situm, nos transferentes, & reperientes ibi unum ex reverendis Patribus provinciæ nostræ Turonensis, aliqua super supra inquisitis scientem; ipsum audire & examinare è re duximus. Itaque vocatus comparuit R. P. Fr. Thomas Rousseau: Ordinis nostri professus, Sacerdos, habilis, & hujus conventus in præsentia Provicarius Provincialis, annos ætatis natus LII vel circa... qui interrogatus & juratus dixit: Reverende Pater, ingressus sum Ordinem anno MDXCVI, & habitum sumpsi Turonibus de manu R. P. Jacobi Masselin, tunc Provincialis Tureniæ: adeo ut ex visu nihil sciam eorum de quibus vestra Reverentia me interrogat: quidquid autem scio, solummodo didici ex senioribus & fide dignioribus Patribus nostræ Religionis, Reverendis Patribus Haguenier, Presneau, & aliis. Videlicet quod cum hæretici venissent expilatum conventum nostrum (haud satis scio quo præcise tempore) confregerint tumbam beati Patris nostri, raptumque ex ea sacrum illius corpus & reliquias traxerunt aut tulerunt in cameram hospitum; nec enim scio quomodo: quodque in eamdem cameram insinuaverunt se & intraverunt quidam Catholici, dum corpus combureretur: quorum aliqui ordinarie laborabant in nostro conventu: qui favore, astu, aut aliter impetraverunt ab hæreticis,

F

quod Catholici inter urendum subripuerint Reliquias,

reticis, aut iis inſciis acceperunt, quædam dicti Sancti corporis oſſa .... Quod ad ſepulcrum attinet, dici audivi eam petram, quæ nunc aliquantum elevata extat à terra, ſub ea dimidia ex parte fuiſſe depreſſam, & ligneo operculo in formam arcæ contectam. Vidi etiam aperiri, & ſigillari per Secretarium D. Archiepiſcopi Turonenſis dictum Chrevolier: & tunc aſpexi Reliquias beati Patris noſtri, non tamen obſervavi quæ partes corporis eſſent: ſed bene quod iis adhuc adhæreſceret pars aliqua habitus. Supradicta autem pro bona parte didici ex ſenioribus noſtris prænominatis, cetera ex ſeculariibus, diurnas mercedes apud nos merentibus; quorum unus vocabatur Herdoinus, habitans ad Pontem anſerum prope Pleſſiacum .....

& meminit quomodo arca ſita fuerit.

Teſtis 4

106 Cum autem in decurſu noſtrarum viſitationum in conventum noſtrum Compendienſem deveniſſemus, IV Junii anni MDCXXII, ſatagentes honori dicti Patris noſtri & Patriarchæ S. Franciſci de Paula, præcedens examen continuare decrevimus. Reperientes igitur ibi venerabilem Patrem & annoſum, nomine Gabrielem Niveteau, interrogavimus eum ſuper dicta veritate, & reſpondit: Reverende Pater, anno MDLXXXII ſuſcepi habitum religionis in conventu Turonenſi die XIII Maji, &

B

circa feſtum S. Mariæ Magdalenæ clauſum fuit ſepulcrum Sancti Patris noſtri Franciſci de Paula, quod antea prorſus apertum erat: clauſit autem illud P. Haguenier nunc defunctus, ad eumque finem allati ſunt duo ſcalarum lapidearum gradus. Clauſum etiam eſt intra ſepulcrum predictum corporale ſericum carmoſini coloris, continens multa oſſa S. P. N. Franciſci & cineres ex corpore illius combuſto, itemque de tunica, mantello, capucio, & cordula Sancti Patris. Hæc autem ſcio: quia cum dictæ reliquiæ ad ſepulcrum ferebantur, ego in ſuperpellicio portabam candelabrum, & reſpondebam canentibus Hymnum de Sancto, qui incipit, Brutio natus. Semper autem tamquam rem certiſſimam audivi dici, Sanctum Patrem noſtrum fuiſſe combuſtum in camera hoſpitum. Quantum ad capſam attinet, continet etiam ipſa quædam oſſa S. Franciſci, quæ intra eam repoſuit P. Haguenier, cum eſſet Provincialis: quam capſam Dominus de Rupe-Faucaldi, Abbas Majoris-monaſterii, donavit. Et poſtea dicta capſa ſigillata fuit ſigillo Epiſcopali: ſed non interfui cum ſigillaretur ....

de tranſlatione Reliquiarum in vetus ſepulcrum

& horum capſam.

107 *Singularum depoſitionum tenores, qui, ut diximus, Gallica lingua excepti erant, ad majorem fidem ſubnotavit Latine, idem qui Latine ſcribi juſſerat examinis ordinem*, Fr. Olivarius, Chaillou, Viſitator Generalis, *& voluit ut ſecum ſignaret ſub ſingulis* Fr. Robertus Regnault, *viſitationis* Collega & Scriba. *Productionem & adjurationem teſtium ſatis habuimus ſemel integre expreſiſſe: omiſimus etiam quæ Teſtis* II *depoſuit de P. Euſtachio d'Apvril, propter conſtantiam fidei ab hæreticis è ſcalis infirmariæ dejecto, ex eoque caſu veroſimiliter mortuo; quæque Teſtis* IV *habet de eodem jam dictis conſona: deque Fr Ioanne Cyret Oblato, una cum prænominato Euſtachio aliiſque duobus infirmis ſenibus in eadem infirmaria reperto. Atque hæc ſic deſcripta partim Latine partim Gallice, concordare cum ſuo originali, aſſervato in conventu Loci-regalis Pariſiis, ſubſignando teſtatus eſt die* XVIII *Aprilis, anni* MDCLXIX, *jam nominati conventus* Corrector, Fr. Simon Gallé: *cum eoque ſignarunt* Fr. Joannes Franciſcus Havart *&* Fr. Ferdinandus Rubens. *Diem patrati ſacrilegii nemo teſtium diſtincte indicavit; imo ſolus primus menſem expreſſit, Aprilem videlicet. Andreas Sauſſayus, in Gallicani ſui Martyrologii ſupplemento, Idus Apriles aſſignat, quibus, inquit, recolitur* Cæſaroduni Turonum in Pleſſiaco cœnobio, crematio corporis S. Franciſci de Paula per Calvinianos perduelles

an ſacrilegium patratum 13 *Aprilis?*

hæreticos. *Æquum certe fuit publicam injuriam, annuo illo honore compenſari: quod tamen utrum revera fiat, dubitare nos cogit ſcriptorum de tali feſto ſilentium, & Sauſſaji, ætate juvenili martyrologium iſtud vulgantis, exigua accuratio, nimiaque facilitas, qua ſuo ipſe ingenio varia notavit, nequaquam publica auctoritate recepta: diem autem ipſum videtur ex obituario conventus accepiſſe, ubi ad talem diem notatus forte erat obitus Fr. Euſtachii præmemorati, qui etiam hoc die refertur in dicto ſupplemento inter Pios.*

AUCTORE D. P.

CAPUT XIII.

Expilatio conventus Pleſſiacenſis: quæſtio de reis habita. Patrocinium Sancti à variis urbibus aſſumptum.

108 *Dedimus fideliter, quæ Teſtium quilibet de ſacri corporis combuſtione, ut ſe audiviſſe meminerat, ſic depoſuit; fide utique optima, ſed ex memoria partim ob temporis diuturnitatem confuſa, partim incerta, utpote in ipſa conſternatione atque tumultu à relatoribus parum accuratis accepta. Hinc fit primo, ut ex hiſce depoſitionibus minime liqueat, an hæretici in eadem ſucculentæ carnis integritate, in qua tempore tranſlationis apparuit, ſanctum pignus invenerint. Primus Teſtis audiviſſe ſibi viſus eſt, quod ante combuſtionem avulſæ fuerint partes aliquæ, idque facile, ob diuturnitatem temporis quo jacuerat in ſepulcro cadaver: tertio perſuaſum fuit, ea quæ in ſepulcro reperta ſunt oſſa, iſtic relicta fuiſſe dum cetera violenter & incurioſe extrahuntur. Quo admiſſo, oporteret admittere, vel omnino nullas vel prorſus emarcidas fuiſſe carnes. Neutrum recte dici ex eo apparet, quod juxta ipſius met primi Teſtis relationem refoſſum cadaver, injecto per collum fune raptatum ſit in ſuo habitu adhuc integro, proindeque integra adhuc & ſatis ſolida carnium atque compagis totius conſiſtentia. Præterea idem ipſe inter partes hæreticorum furori ſubductas, recenſet, non manus pedeſue aut extremitates eorum, ſed ſcapulam oſſaque ſpinalia. Atqui hæc nullo modo credibile eſt potuiſſe revelli à reliquo trunco ante combuſtionem. Exiſtimo igitur, quoad tempus oſſium deceptorum, potius ſecundi & quarti Teſtis ſtandum eſſe relationi; & eas quas nunc habemus Reliquias, partim inter comburendum diſſolutas facileque ſubreptas à Catholicis; partim poſt combuſtionem, è cineribus collectas, ab iis qui reverſi eos ſcrutati ſunt Fratribus, atque in ſepulcrum relatas: adeoque nihil obeſſe quo minus, ex hoc quoque capite deteſtabilior fuerit ſacrilegorum barbaries, quando eam movere non potuit corporis, per tot annos preter ordinem naturæ incorrupti, ipſis eorum oculis ſubjecta integritas. Hoc quidem, antequam raptaretur ad rogum, canina feritate diſcerptum fuiſſe, itaque partes aliquas conſervatas ignique ſubductas ſcribit Claudius du Vivier: ſed ſi id verum eſſet, oportet partes ſic ſervatas diverſiſſimi à reliquis eſſe coloris, & necdum combuſtas carnes una cum oſſibus intra eas contentis conſervari, ſaltem exuccas. Nunc autem econtra factum videmus, ut recognitæ poſtea Reliquiæ, ideo judicatæ fuerint Sancti viri eſſe, non Regis Frederici oſſa (licet hæc in eumdem cum Sancti corpore rogum conjecta fuerint) quia illis adhæreſcebat particula habitus uſtulatæ carnis pinguedine agglutinati; quod in aridis Regis prædicti oſſibus ſupponebatur locum habere non poſſe:*

C

F

nec ante combuſtionem divulſum.

109 *Porro ſi credimus, quod ex prædictis ſit credibile admodum, integris, non tantum oſſibus, ſed etiam carnibus, inventum eſſe ſacrum corpus, anno poſt Sancti obitum quinquageſimo quinto, & eam integritatem miraculo adſcribendam; credi etiam poterit, ipſum fuiſſe conſervatum in eadem coloris vividi venuſtate, & membrorum ſucco plenorum molli atque tractabili habitudine, qua conſpectum fuit ipſo die Tranſlationis de ligneo in lapideum ſarcophagum: imo etiam vigeſimo poſt obitum anno, ſi ſincera narratio eſt miraculi num.* 89 *ex Iſidoro deſcripti. Ei certe rei non repugnat, quod violati ſepulcri Teſtis* I *dicat, ipſum inſtratum fuiſſe lapidibus quadris, æque ac reliquum ſacelli pavimentum;*

videtur fuiſſe integrum.

ut erat cum primum ſepeliretur

qua

AUCTORE D. P.

qui proinde frangi debuerint à ſacrilegis. Conſtat enim ex ipſius commentarii depoſitione, Proceſſus Turon. num. 59, ſupra lapideam tumbam (media ex parte terræ infoſſam, & operculo ligneo inſtar arcæ tectam, *ut audiviſſe ſe meminit Fr. Thomas Rouſſeau num. 104 hic*) *conſtat, inquam ſupra tumbam ductum fuiſſe fornicem, tam amplum ut ſub eum ingredi homo poſſet, reductoque operculo videre jacentem; uti eo ingreſſa Ioanna Beau-valet, ipſum vidit num. 63 dicti Proceſſus. Hæc autem camera ſive cryptа ſuum in pavimento debuit oſtiolum habuiſſe: quod oſtiolum ne identidem aperire cogerentur Fratres, iiſdem quibus reliquum ſupra cryptam pavimentum quadris obſtruxere. Poſtquam vero fornicem illum jam rupiſſent hæretici, aditum vi molientes; quia ſublato corpore, viſum fuit ipſam lapideum tumulum, ad commune ſolatium, altius efferre; tota illa crypta repleta eſt terra, & ſuper eam ſic elevata tumba, ut ea ultra ſacelli pavimentum aliquantum emineret. Atque hinc ſatisfiet iis, qui propterea quod tumulus Venerabilis Mariæ de Mailliaco, à nobis ad XXVIII Martii relatæ, grandi inſtratus ſit lapide, nihil extra pavimentum eminente, hæſerunt ambigui, an corporis à tumulo ſuo abſentia ſatis efficax eſſet argumentum, ejuſdem ab hæreticis ſimili rabie combuſti, etſi nulla id Turonenſium civium memoria teſtetur. Hinc enim conſtat, primo, ſub ipſa terra quæſita fuiſſe eorum corpora ad quorum ſepulcra, etſi nihil à ceteris diſcrepantia, eſſet ob ſanctitatis venerationem concurſus frequentior; conſtat etiam ex dictis, propter religioſorum abſentiam atque conſternationem Catholicorum nec non poſterorum negligentiam, admodum incurioſe ſervatam fuiſſe notitiam eorum, quæ in ſingulis urbis Turonenſis eccleſiis ab hæreticis impie ſacrilegeque ſunt geſta.*

ſub cryptа ab hæreticis fracta.

B

Ad ſacrilegum rogum non eſt fractus Crucifixus,

110 *Tradunt aliqui, & pie operoſeque expendunt, quod Crucis amator combuſtus fuerit diſſecti in partes lignei Crucifixi materia, ad rogum allata: quod exaggeratius quam ab citato ad marginem auctore acceperat referens Iſidorus, comminiſcitur, conatum omnem hæreticorum, ad ſacri corporis combuſtionem, irritum fuiſſe, quæcumque igni pabula adderentur, uſque dum ſua eis ſuggeſſit rabies, ſacrilegium ſacrilegio cumulare. Interim primus Teſtis oculari fide aſſerit, nihil ea die fuiſſe in eccleſia violatum, & nominatim meminit Crucifixi majoris. Dicit quidem eum poſtea deſideratum fuiſſe, neque nos negamus, & ipſum, & quidquid ſacræ rei fuit, dejectum comminutumque eſſe ab Hugonottis: Sed non ipſo quo præcipuum facinus deſignatum eſt die, quia tunc ipſo ſolo patrato in urbem ſe impii receperunt. Quando igitur? Quando illi intra dies paucos eodem redivere, conventum & eccleſiam expilaturi, eumque ut proprium poſſeſſuri: quemadmodum eum integro menſe poſſederunt. Sic enim habetur in proceſſu informativo contra reos facto, ipſomet funeſto anno, per Magiſtros Emmericum Binet & Nicolaum le Clerc, Conſiliarios Cameræ Præſidialis Turonenſis;* pluribus vicibus diverſisque diebus rebelles Regi Hugonottæ ac nominatim accuſati quidam, Pibaleau cum ſua uxore, Fallaizeau, & Seguin aliique complices, tranſtulerunt ſe ad conventum Fratrum Minimorum menſe Aprili anni prædicti, tormentiſque bellicis concuſſere & intravere violenter in ipſum conventum eccleſiamque, in qua comminuerunt & demoliti ſunt altaria omnia, crucifixum majorem ad introitum chori, imagines, picturas, vitra feneſtrarum, ſcamna, ſcrinia, omniaque mobilia fregerunt, diripuerunt, diſſiparunt, vilia æque ac pretioſiora. Sepulcrum & corpus Sancti quoque (*quæ licet priora tempore, tamen enormitate facti potiora ultimo cenſentur loco*) violaverunt & combuſſerunt.

reliquæ etiâ ſacra ac profana ſupellex,

C

occupato ab impiis conventu,

111 *Citat hæc Hilarion idiomate Gallico & originali, inter Probationes hiſtoricas pag. 483, exindeque colligimus, eos Religioſos, qui inexſpectato impiorum incurſu diſſipati, poſtero & paucis aliquot quietis diebus ad ſuum ſe conventum receperant; clauſis diligenter & obſtrmatis oſtiis, adverſus ſimilem irruptionem præcaviſſe ſibi; ut opus fuerit tormenta admovere bellica. His vero cum aditum ſibi aperuiſſent impii, ita illic egere, quemadmodum eodem ipſo anno depoſuit ab Emerico Binet prænominato interrogatus, Nicolaus Baron, piſtor & in conventu Pleſſiacenſi Fratribus deſerviens; qui & ipſe inter primos ut videtur dilapſus,* reverſis denuo ad conventum Hugonottis, eodem ut aſſeruit remiſſus eſt per Fr. Joannem Trahan, ad coquendos panes. Invenit autem ibi magnum Hugonottorum numerum, quorum unus, Guillielmus la Myne, penes quem tunc claves conventus erant, oſtium ei reſeravit: itáque deponens ad piſtrinum ſe contulit, cum eſſent in ipſo conventu ſeptem dumtaxat Fratres. Sed ex his quoque diſceſſere quatuor: ipſe autem deponens inter inſeſſores conventus nominatim recognovit Marinum Pibaleau, Dominum de la Bedoüere ejuſque uxorem: Petrum Seguin Magiſtrum Mottæ-caponum; Petrum Pion.... & Parvum Jacobum magiſtrum ſphæriſterii, Gaſparemque Piet armatos; nec non Gabrielem Couldray & Robertum Duraud ſimiliter armatos: à quibus iſtic manere coactus per unum circiter menſem, vidit prædictos omnes euntes ac redeuntes atq; ordinarie in conventu pernoctantes, interimque multa deſtruentes in dormitorio, bibliotheca, refectorio atque eccleſia; claves plerumque retinente Domino de la Bedouëre, vel ejus uxore; quæ varias feminas in eumdem conventum adducens vel admittens, cum illis qua lubitum erat ambulabat; aſſerens maritum ſuum eſſe hujus loci dominum, itáque omnia agens, tam ipſa quam maritus, quaſi ad ipſos rerum omnium proprietas ſpectaſſet. Nam & ipſum deponentem mittebat mulier ad vicinam conventui domum, petiturum inde ipſius conventus linteam ſuppellectilem ad ſternendas menſas, & per ſe aliquando illuc vadens ſecum ferebat clavem. Quin etiam iidem, ipſo teſte vidente, curribus grandioribus vehi fecerunt in urbem Turonenſem, tam libros quam reliquam omnem conventus ſupellectilem..... dicebatque præfatus de la Bedouëre, datum ſibi eſſe conventum, in compenſationem laborum pro cauſa Religionis exantlatorum, & ærumnarum quas erat in carcere perpeſſus.

D.

& per inteſgrum menſem poſſeſſo.

diſtracta aut diſtracta eſt.

E

quare damnati ſunt ad furcam rei,

112 *Hæc piſtor ille apud citatum Hilarionem pag. 482, nominatim etiam accuſans eos, qui ſe coronam, annulum, aliaque regii cadaveris ornamenta ſuſtuliſſe fuerant gloriati. Adverſus quos aliſque prænominatos conventus Pleſſiacenſis expilatores, ſcilicet Dominum de la Bedouëre & viginti ſeptem alios (quorum nomina ſuppreſſit Hilarion diploma tranſcribens, ut verecundiæ parceret poſterorum) decimo poſt crimen patratum menſe, nempe VI Februarii, pronuntiata eſt ſententia mortis, per ſuſpendium publicum in foro Turonenſi inferendæ, ſiquidem comprehendi poſſent; ſin minus, jubentur in imagine atque nominibus de ſubtus ſcribendis eamdem contumeliam pati; mandatur etiam ut bona eorum omnia confiſcentur, atque ex eorum pretio omnia damna Fratribus facta compenſentur. Comprehenſo autem Iacobo Salbert, magiſtro ſphæriſterii San-martiniani, quem vulgus Parvum Iacobum nominabat, & litteras quaſdam obtentæ gratiæ pro ſe allegante; proceſſum nihilominus eſt, ob enormitatem delictorum, propria ejus confeſsione & teſtimoniorum evidentia conſtantium; ipſique vicesima die menſis intimata ſententia, qua ad furcam damnabatur: ſed propter interpoſitam appellationem aliasque tricas dilata eſt executio ultra Septembrem anni MDXLV, & neſcio an vel poſtea ſubſecuta, deficientibus quibus id probetur documentis. Ceteri publicato Pacificationis edicto, poſt triennii exilium redierunt ad propria, divinæ reſervati vindictæ. Fratrum autem paupertati neceſsitatique, multo ære alieno gravatæ, Carolus IX Rex ſuccurrit menſe Auguſto anni MDLXIX, altera vice veniens ad viſitandum S. Franciſci ſepulcrum, & ad conventus reparationem largiens duo millia librarum Turonenſium.*

& forte uſnus reipſa ſuſpenſus.

F

113 *Etenim*

A

Perſeverat vacuo ſepulcro honor.

113 *Etenim ſepulcrum, quamvis tam pretioſo depoſito jam vacuum, magno imo majori quam antea in honore fuit venientibus ad illud adorandum Regibus, Reginis, & præcipuis utriuſque ſexus ac ſtatus in Gallia perſonis; quas ſingulas enumerat præcitatus Hilarion pag. 254 & ſequentibus, accurate diem & annum notans. Reliquiæ vero per varia jam ſparſæ loca, ubique excitavere venerationem Sancti, antea in ſola fere Provincia Turonenſi ſe continentem.* Nam quæ in eccleſia S. Mariæ-divitis aſſervabatur ſcapula, ei Maria Medicea, Henrici IV uxor, mater Ludovici XIII, ſpecioſam argenteam hermam confici juſſit, & ibidem devota obtulit. Aliæ reliquiæ cum anno MDLXXXI in novam pretioſamque capſam reponerentur, R. P. Joſephus le Tellier, XXV Generalis Ordinis, oſſa quædam excepit, & inter Viſitationis officia ex iis donavit conventibus Nigeonenſi, Madritenſi, Neapolitano, Paulano, & Aquenſi: poſtea vero ex Nigeonenſi capſa Particulam accepit R. P. Petrus Hebert, ex Ordinis Generali XXXII, Provincialis Franciæ, & conventui Annuntiationis ad Locum-regium Pariſiis donavit, ubi illud ſervatur ornatum auro & cryſtallino incluſum globo, qui in feſto & per octavam Sancti quotannis venerabundo populo exhibetur. *Bononiæ quoque in*

B *Italia, ubi Patres Minimi obtinent eccleſiam olim parochialem S. Benedicti de Galliera dictam, coſtam unam ſervari cum reliquiis habitus, eamq; legitime approbatam anno* MDCXLIV, *menſuras quoque ſtaturam Beati æquantes ad febres diſpellendas diſtribui, teſtis eſt Antonius Pauli Maſini in ſua Bononia Perluſtrata ad hanc diem. Rochus Pyrrhus lib. 3 Siciliæ ſacræ Notitia 5, dicit in conventu Minorum Politienſi haberi dentem molarem S. Franciſci de Paula, vi-yone an mortuo exemptum, quis definiet? diverſus certe hic ab eo eſt qui Paulæ ſervatur, ſorori inter valedicendum relictus, de quo num. 26.*

Reliquiæ variis locis donantur:

Indulgentia & feſtum ampliex inſtituuntur,

114 Ejuſdem Sancti memoriam Pontifices Romani quoque illuſtriorem poſt hanc injuriam reddidere. Nam Gregorius XIII Indulgentiam plenariam conceſſit per omnes Ordinis eccleſias, proponendam fidelibus die ejus feſto, etiam quando illud transferri contingeret. Sixtus V Kalendario ac Breviario Romano nomen inſeruit, cum tribus lectionibus propriis, è bulla canonizationis acceptis & Officio ritus Duplicis. Paulus ejuſdem Officii celebrandi ritum, quem Clemens VIII Semiduplicis eſſet juſſerat, iterum Duplicis eſſe voluit, ad inſtantiam Philippi III Hiſpaniarum monarchæ & Margaritæ Auſtriacæ, à Cruce cognominatæ, cum inter Tereſianas Madritenſes religioſa vota profiteretur. Bullas ipſas videre qui volet, Bullarium Ordinis à Franciſcus Lanovio vulgatum conſulat. Denique Urbanus VIII anno MDCXXIX confirmavit adoptationem Sancti inter

C *Patronus optatur Sanctus Neapoli an. 1629,* Neapolitanæ urbis Patronos, & feſtum transferendarum è templo D. Ludovici ad ædem Cathedralem Reliquiarum, unius nempe ex ſpinalibus oſſibus, olim à P. Tellerio allati, & poſt ſtipulationem patronatus, die ſecundo Novembris, anni prioris in eccleſia S. Ludovici ſolenniſſime factam, Nobilitatis Neapolitanæ Principibus ad hoc deputatis traditi, à R. P. Simone Bachelerio, Ordinis Generali XXXVIII. Quæ tranſlatio quanto cum omnium eccleſiarum apparatu, quo modo & ordine facta ſit, ultima Dominica Maji; Julius Cæſar Capaccius, integro libro hac de re ſub annum 1631 vulgato, proſequitur: quo in libro & publica deſuper confecta inſtrumenta, Latina lingua; & orationes per octiduum feſtivitatis ipſius habitas, idiomate Italico legere eſt.

115 Hæc porro aſciſcendi in patronum S. Franciſci Paulani conſilia, tanto cum ſplendore & magnificentia effectui mancipata, agitari cœperant ab anno MDXXV, cum nobilitas populuſque videret peſtem, quæ ante biennium Panormi primum apparuerat, tota Sicilia inſula diffuſam, non leve periculum Regno vicino minari. Fructus autem novi patronatus fuit immunitas à morbo contagioſo, toto illo tempore atq; in annos multos. Nihilo minus profuit Nucerinis S. Franciſcum Patronum expetiiſſe: cum enim anno MDCXXXI Veſuvianæ fauces igneam ingentem trabem eructaſſent, eáq; verſus urbem eorũ, ſolis quindecim paſſuum millibus diſtantem, directo ferretur impetu; conſpectus quibuſdam civium Sanctus eſt, in aëre viſibilis eamdem extinguere: ideoque publico civitatis decreto aucta fuit eleemoſyna annua, quæ Minimorum conventui pendi conſueverat. Sed his aliiſque, Sancti ſui conterranei merita ex propinquo noſcentibus, mirum non fuit, increviſſe magnam erga eumdẽ devotionem: ut autem etiam in novo orbe indigenæ urbis Habanenſis, ſtationis Hiſpanicarum claſſium celeberrimæ, anno MDCXXVIII ignotum ſibi Sanctum aſſumerent in Patronum, divino quoq; miraculo eſt factum. Nam cum ecrum agri ſementeſque frequentia procellarum inſolita multum damni paterentur, illique pro adſciſcendo adverſus eas Patrono conveniſſent, placuit omnium Sanctorum, quotquot Kalendario inſcripta ſunt, nomina, ſchedis deſcripta, conjicere in urnam, & ſorte eductum habere Tutelarem. Prima ſcheda, à puerulo innocenti adhoc lecto educta, S. Franciſcum de Paula exhibuit: ſed quia ignoti Sancti incerta videbatur tutela, repetitæ iterum iterumque ſortes ſunt; & ſemper idem prodiit nomen. Ergo de divina voluntate ambigentes nihil, miſere in Hiſpaniam, qui vitam & merita Sancti illius diſcerent, eumque magna cum devotione venerari exorſi, liberi deinceps fuere ab illis ante hac tam noxiis tempeſtatibus.

Nuceriæ an. 1631;

Habanam in novo orbe an. 1628.

E

116 *Ita cum uſque in ipſas Indias eſſet S. Franciſci magnificatum nomen, par fuit, in ejuſdem augendis honoribus non ceſſare Turonenſes. Ergo eorum* Archiepiſcopus, Victor Bouthilier, omnibus ſuis ſubditis indixit celebrandũ feſtum tamquam unius è præcipuit Patronis diœceſeos; & quidem in urbe atque ſuburbiis feſtum eſſe voluit de præcepto. Hanc ſui Paſtoris voluntatem tam Clerus quam Populus ratam eſſe juſſit, & pro ſua quique parte ſancivere, agendum eſſe feſtum eodem modo, quo aguntur feſta Sanctorum Gatiani atque Martini: quod jam inde ab anno MDCLIII fieri cœpit. Cathedralis autem eccleſiæ Clerus biennio poſt cœpit ritu duplici agere diem, qui juxta ipſius eccleſiæ proprium uſum, eatenus feſti ſimplicis fuerat. *Mitto narrare quid Morlacenſis urbs & Leonenſis in Britannia Aremorica, quid Montenſis in Hannonia, quid aliæ alibi civitates fecerint; Sancti hujus patrocinium, adverſus graſſantem peſtilentiam, haud fruſtra implorantes: Una pro omnibus in hoc genere ſit Malacitana urbs in Hiſpania, ubi* cum uno menſe extincta eſſent ad viginti hominum millia; quidam Andreas Perez, Licentiatus Juris; tertioque Ordini S. Franciſci Paulani adſcriptus; poſtquam pro ſuis quos in familia habebat ægris Sanctum præfatum invocaſſet, & Reliquiarum ejus contactu omnes momento ſanaſſet; eo animatus ſucceſſu, cum licentia Epiſcopi proceſſionem inſtituit, in qua ipſe nudipes crucem prægrandem, alii Sancti imaginem circumtulere, omni populo miſericordiam acclamante. Eodemque die ægri pridie deſperati, ſupra octingentos, ſubito fuerunt redditi ſanitati: & ubi ducenti trecentique indies ferebantur ad lazaretum, ſoli tres deinceps peſte afflati fuere. Exinde vero Protector urbis habitus Sanctus eſt, & eadem pompa quotannis iteratur, *quemadmodum ex libellis ea de re vulgatis Hilarion refert: Iſidorus annum*

Turonibus an. 1653;

aliiſque in urbibus,

F

imprimis Malacæ an. 1637

AUCTORE D. P.

MDCXXXVII *notat*, *& Iulii menſem*, *ſcribitque quod Reliquiæ tunc circumlatæ*, *fuerit Roſarium aliquod Sancti*, *puta ab eo vel in ejus nomine à Religioſis benedictum.*

CAPUT XIV.

Ecloga miraculorum, hoc ſeculo XVII ad invocationem S. Franciſci Paulani factorum, ex centuria Fr. Iſidori.

Moctu obervans

117 Joſephus Ferrerus, architectus Barcinonenſis, anno MDCIV, die IX Januarii, à Duce Cardonenſi evocatus, ad deſignationem ejus quod in oppido Tora meditabatur palatii; poſt aliquam apud eumdem moram, XIV die menſis ad ſua revertebatur: non nulloque ad dexteram flexu per Pratum-regium Regordoſam tendebat, apud notum in eo vico hominem noctem ducturus. Diſtat hic vicus ſex aut ſeptem leucis à Monte-Serrato: ipſe autem Ferrerus à Prato regio verſus Regordoſam una promotus leuca, tam denſo occupatus eſt imbre, ut aberrarit à via. Ita in profundiſſimam ſilvam ingruente nocte ingreſſum ſe videns, nec ullam humani auxilii ſpem adeſſe, ad S. Franciſcum Paulanum vota vertit. Vix precem finierat, quando ei apparens venerabili canitie Religioſus, cum roſario & ſcipione, qualiter pingi Sanctus ſolet; arrepto equi fræno, equitem deduxit per aſpera ac prorſus invia montis illius juga, ſic ut planiſſima via ingredi ſibi Joſephus videretur; deindeque diſparuit, hominem ſuum ante deſiderati hoſpitii fores relinquens. Neque hic finis miraculi. Priuſquam præſentiam ſuam voce aut ſigno Joſephus indicaret, ultro janua patuit; & ingredientis equi ſonitum audiens paterfamilias, filium inclamavit, rogavitque, ecquid nocte media domum aperuiſſet. Quo afferente, portam à ſe recte occluſam, & clavim in manibus ſuis eſſe; ambo in atrium deſcendunt cum lumine, ibique Joſephum in equo reperiunt attonito ſimilem, nec quidquam loqui valentem. Nutibus deinde moniti ut accederet, hominem depoſuere ex equo, & cœna lectoq; excepere hoſpitali; poſtridie autem ſibi reſtitutum & iter proſequi cupientem, audiverunt narrantem omnia quæ ſibi eveniſſent; & recta ad Barcinonenſem conventum venit, factam ſibi gratiam publicaturus.

à S. Franciſco ducitur ad hoſpitium.

B

ab eodem cogitur Rex ſyngrapha ſubſcribere.

118 Anno MDCX quidam Hiſpani Regis Philippi III miniſter, adminiſtrationis ſuæ juſſus rationem reddere, de ſuo honore atque fortunis periclitabatur, propterea quod ei deeſſet ſyngrapha, de quinquaginta ducatorũ millibus regio obſequio impenſis fidem factura, ſi propria manu ipſius Regis obſignata fuiſſet. Neſciens ille qua via eam poſſet recipere, & quidem ſic ut oportebat ſignatam, omnes ſuas chartas, ex quibus eſſet rationem redditurus, intulit in manicam ligneæ cujuſdam ſtatuæ, S. Franciſcum Paulanum referentis; multis cum precibus obteſtans, ut ſibi in eo diſcrimine ſuccurreret. Mane ad eamdem reverſus, reperit ſyngraphaṁ, qualem optabat: faſſuſque poſtea Rex ipſe eſt, coactum ſe fuiſſe eidem ſubſcribere precibus venerandi cujuſdam ſenis.

C

ſpectro viſo amens factus

119 Circa eumdem annum res mirabilis accidit in Palatio-Adriani, oppido Vallis-Mazaræ in Sicilia: quam coram R.P. Chriſtophoro de Caſtro-Joannis, Collega Provincialis & Definitore atque Qualificatore ſancti Officii, tunc autem in dicto loco concionatore, narravit is cui contigit Mag. Nicolaus Ciulla, iſtis in partibus ſatis notus. Novem, inquiebat, anni ſunt, Pater, quod in area prædioli mei collectam cuſtodiens meſſem, & petræ triturariæ inſidens, circa primam noctis horam incidi in cogitationem melancholicam, multas de uxoris perfidia ſuſpiciones ingerentem: quibus dum immoror, ecce tibi armatum equitem, qui me ſtricto acinace ferire ac medium cor diffindere videbatur. Ita deinde mihi excidi, ut quid totis ſeptem annis egerim omnino non meminerim: ſolum ex alieno relatu nunc ſcio, quod domum reverſus verbum nemini ullum dixerim, niſi quod uxorem jugiter appellarem canem; neq; comedere quidquã voluerim, ſed urgente fame egrediens circa horã noctis ſecundam, & domum alienam ſi qua eſſet aperta ingrediens, ſolitus fuerim, Panem, panẽ clamare; ejuſq; accepto fruſto ab inquilinis, metu vel miſericordiæ motis, diſcedere; quodque ita nudus ac lacer vixerim in ædium propriarum angulo, donec in feſto quodam aſſumptæ Virginis Drepanum veniens in vicinorum comitatu, ingreſſuſque conventus veſtri templum, ibi ſtatuam vidi S. Franciſci veſtri, ab eaque voces haſce profectas audivi: Vade, vade Paulam; ipſiuſque tum ſtatuæ tum juſſionis recordor quam optime. Poſtea, neſcio quo modo, reperi me Paulæ ante imaginem Sancti in ſacello ejus; ibique primum nudum me agnovi atque erubui; & plangere incipiens, miſericorditer adiutus ſum ab accurrentibus ad clamores meos religioſis; quorum alius induſium laneum, alius calceos mihi attulit; veſtitumque & cibo refectum, ac viatico adiutum remiſere in patriam. Hæc ex ipſius Nicolai ore Pater Chriſtophorus; addens, quod meminerit ſe tempore Ducis de Oſſuna vidiſſe dictum Nicolaum Panormi, nudo corpore, impexis capillis, ſordibus obſitum, affectante eum puerorum turba, atque Ad ſtultum, Ad ſtultum acclamante.

D

& reſeratis ultro portis ingreditur.

monetur Paulam ire, ibique ſanatur.

E

moribunda

120 Anno MDCXX Nivernis, in monaſterio illuſtrium Dominarum Ordinis S. Benedicti, ad mortem infirmata eſt Sanctimonialium una, filia Domini Caſtilionenſis. Jamque diem quintum abſque loquela jacuerat; quando monaſterii Confeſſor circa horam Veſperarum, die III Maji, ad illam ingreſſus, extremas ſupra agonizantem preces recitaturus, ut vidit non ita cito atque rebatur expirare, ad chorum Officiumque canendum abiit. Interim oculos aperit mori credita, & Sorores adſtantes allocuta, bene ſibi eſſe, dixit. His vero cauſam ſubitæ mutationis requirentibus: Matrem mihi, inquit, Abbatiſſam accerſite. Venit hæc, & ridenti atque hilari vultu narrantem audit, quomodo ſenſiſſet ſibi è naribus, oculis, aliiſque ſenſibus quemdam liquorum aquæ calenti ſimilem fluere; eumque fluxum integra mox ſanitas ſit ſubſecuta. Tum vero Abbatiſſa auctorem beneficii agnoſcere & filiæ indicare; acceptoque & oſtenſo de ſub ejus capite Sancti Paulani pileolo, quem cum fiducia gratiæ pro infirma obtinendæ eidem nihil ſentienti ſuppoſuerat, ad agendas eidem gratias provocare: quod ipſa deinde religioſiſſime fecit, per omnem vitam quotidie recitans novi ſui Patroni Officium.

adhibito Sancti pileolo convaleſcit.

F

puer Sancti invocatione obtentus.

121 Ambiani munere Generalis Financiarum fungebatur quidam Joannes Pongerus, qui multa beneficia Sancti precibus referebat accepta, interque alia filium: quem ut eidem Sancto bis deberet fecit letalis infirmitas, intra paucos à nativitate dies infanti obveniens, ſed precibus ad Patronum fuſis mirabiliter depulſa. Idem triennis aut quadriennis effectus, dum incuſtoditus vagatur per atrium, & lavandis pannis apparatum vas aqua plenum curioſius explorare nititur; prono in ipſum capite lapſus ac ſuffocatus eſt. Fit multa de puero tota domo quæſtio, tandemque à famula in vaſe conſpicitur. Conſternatis domeſticis, interque ſe quærentibus, quis & quomodo caſum nuntiaret parentibus; pater ſupervenit: ſolicita mater ad complorationem accurrit: ambo in gemitus & lamenta effun-

& ſubmer-ſus,

effunduntur. Tandem orbus genitor, recordatur illius cujus beneficio filium acceperat: in suum se cubiculum abdit, & coram Sancti imagine genu flexus, quo potuit affectu, cœpit orare vitam mortuo ab experta toties caritate. Finita oratione redit ad cadaver; & primum respirare puerum, tum movere se atque oculos videt aperire. Effunditur familia tota in gratiarum actionem: ipsoque die (fuit is secundus Aprilis, feria tertia Majoris hebdomadæ anno MDCXIII) puer albis indutus, ad ecclesiam Minimorum allatus est, fuscoque vestitus panno in memoriam beneficii; ætate autem provectior nostrum ingressus Ordinem, in eo laudaliter vixit per annos triginta, atq; etiã nunc vivit, *inquit an.* MDCLVIII *Isidorus.*

simili invocatione reviviscit.

122 Avellini Principissa, unigenito suo amisso inconsolabiliter lugens, persuasa ab ancillarum una fuit, Neapoli accersere Fr. Nicolaum Amalfitanum, Ordinis Minimorum Oblatum. Qui consolatus eam spe filii alterius, ex voto quod Franciscum nuncuparet, nascituri; denuo Avellinum est post triduum revocatus, quia filia, unicum orbæ matris solamen, in subitum mortis adducta discrimen, pro desperata habebatur à medicis. Immodico filii desiderio pœnam hanc divinitus immissam rebatur pia parens, protestabaturque, quod datam sibi de alio nascituro promissionem remitteret, modo filiam retinere liceret? At Frater modicam ejus fidem arguens: Et hanc, inquit, tibi servabit Deus, & illum potens est concedere, per merita S. Francisci Paulani. Dixit, & convaluit filia, quæ postea Ducissa Matalonæ fuit: filius autem Principissæ est natus, quem subducta temporis ratione à natali suo ad diem conceptionis, debuit mulier ipso fere concepisse die, quo primum ab ea Nicolaus discesserat. Verum priusquam nasceretur proles tantopere desiderata, septimo ejus mense moritur Princeps, & novo majorique doloris sensu afflicta ejus uxor, ita est conturbata, ut abortum factura omnino putaretur. Adfuit iterum vocatus à Ricciæ Principissa, novæ viduæ amita, dictus Nicolaus; & optimi successus spem certam pollicitus, promisit se in ipso puerperii articulo rediturum. Reversus, ut dixerat, in anteriori camera altariolum construi, eique imaginem Sancti imponi jussit: coram qua genuflexus, pro Principissa propter irritum pariendi conatum morti vicina, proque fide sua, aut potius S. Francisci liberanda solicitus, cœpit hunc ardenti prece invocare. Tum ad parturientem ingressus, pileolum Sancti eidem imposuit: & mox facta est præter opinionem puerpera, quæ pene inter mortuas numerabatur; genito filio die XXIX Januarii anni MDCXXXI, qui nunc Avellini Princeps est, Franciscus-Marinus nuncupatus.

Principissa Avellini

sanatur filia moribunda:

promissus filius

contra spem vivus in lucem venit.

122 Anno MDCXXXVIII, die XIII Martii, piscatum ad littus Paulæ egressus, cum socio Benedicto Colmanazza, Lucas Novellus, improvisaque interceptus procella, inermi in cymbula periclitari videbatur. Igitur navicularii aliquot ex portu Paulano instructiorem firmioremque navem conscendêre, pereuntibus subventuri. Et benedictum quidem magna cum difficultate ad se acceperunnt, Lucam vero coacti sunt dimittere: quia præter cymbulam suam nullam habens rem aut spem super, eam derelinquere recusabat; asserebatque meritis S. Francisci Paulani, cujus patrocinium ostentabat puppis, una cum illa se salvandum. Porro tempestas tam valida fuit, ut illa auxiliaris navis ad littus Castilionis, ttedecim à Paula milliaribus, sit rejecta; & qui ea vehebantur, tamquam è manifesto mortis periculo ejusdem Sancti invocatione liberati, omnes nudipedes Paulam ad ecclesiam ejus venerint. Interim Lucas, undarum ventorumque ludibrium, ferebatur per mare tota illa nocte: atque sub exortum auroræ vidit se septuaginta passuum millibus procul à Paula, & solis viginti millibus à Strongyle, Æoliarum non tam insularum quam rupium una. Ad hanc terræ & quietis alicujus cupidine actus, cymbam remis, velis, gubernaculo destitutam, qua potuit ratione advertit, modo in hanc modo in illam partem corpus librando, modo manibus remigando: & circa vigesimam secundam diei horam, ipsa aura utcumque juvante, terræ applicuit. Sed hinc brevi eum fames expulit; desertus enim locus non potuit hominem herbis radicibusque alere ultra tertium diem: & qui spirabat vehementissimus ab Occidente ventus, Tropeensem in Calabria portum, Æoliis objectum insulis, promittebat misello. Ergo denuo sese mari committit, eadem corporis agitatione inermem recturus cymbam. Verum littori approquinquantem versus in contrarium ventus repulit, cui Borealis succedens, hominem, S. Francisci nomen continuo implorantem, usque in Siciliam abstulit: imo ibidem salvum stitit juxta Mylazzum, ut ibi vota redderet Salvatori suo: quod & fecit: refectisque quatriduano cibo & quiete viribus, cymba autem (quam regere solus nequiret) cum lucro divendita, inde post diesaliquot in patriam suam incolumis revertit, ad suorum complexum, qui pridem eum inter mortuos numerarant.

navim & vitam servat.

Piscator inermis in cymba

multis jam diebus

124 Joannem Antonium Perulli, Lupiis Regiæ Audientiæ Secretarium, prohibere non potuerunt anno MDCXLVIII motæ intra urbem seditiones, quo minus S. Francisci festum, solita devotione confessus, communicatusque Dominico Sacramento, celebraret, & prandium Religiosis suo ære curaret. His peractis adveniunt ex Casali-novo à Carolo Perulli litteræ ad fratrem, nihil quidem nisi privata continentes negotia, populo tamen, ob notam fidem Perulliorum erga Regem, plurimum suspectæ. Concurritur ergo ad urbis Gubernatorẽ, Perullii ut proditores postulantur ad mortem, hi ad domum Syndici publici se recipiunt, interim dum Episcopus urbis & viri Religiosi nituntur populi furorem compescere. Convenitur ut urbe cedant Perullii cum suis, populus egressum iis permitteret: sed ruptis paulo post fœderibus, rursum in Perulliorum conclamatur necem. Joannes Antonius se suosque Sancto Paulano commendat, & per domorum tecta effugium quærens cum suis, plurimis bombardarũ ictibus petitur: sed horum pleriq; peruati in ejus famulum Josephum Dominici, ipsum quidem læserunt nihil, pallium tamen pileumq; perforarunt tot locis, ut evidens miraculum fuerit vita ejus conservata. Sub noctem pacatior videbatur populus: & cincta quamvis custodiis domo, ausus est Joannes-Antonius cum sociis, Ambrosio Petini, Donato Durno & Josepho Andreæ, ad consolandam uxorem, que mortuum virum se lugere credebat, clam excurrere: tum, nihil populo fidendum ratus, ad Minimorum ecclesiam socios duxit. Hanc, licet bene obserata esset, patentem tamen appropinquans habuit, & senem Fratrem, longa ac venerabili statura, obvium: cujus aspectu recreati profugi in ædem sese sacram recipiunt, sed Fratre qui sibi portam reserarat vident nuspiam. Pergunt nihilominus, Venerabili adorato, ad sacristiam, indeq; in claustrum; ubi eis Josephus Lupiensis, Sacerdos Minimus, bene notus occurrit. Volebat interim scire Sacristanus, qua illuc penetrassent ratione; explorat ostium, cujus claves penes se habuerat semper, & fimissime clausum reperit. Redux igitur ad hospites, quærit quomodo intravissent. Illi ut sciebant sic narrant: & sacrista denuo rem cogniturus ad templum abit, atq; ut antea portas clausas reperit. Itaq; dubitatum nihil est, quin evidens ista esset Sancti protectio

in ejus festo ad mortem petitur à seditioso vulgo,

& per clausas templi portas asylum invenit.

AUCTORE D. P.

AUCTORE D. P.

quem proinde civitas ferme universa, repressis motibus ad ingenium rediens, Patronum publicitus elegit, & adhuc solenniter veneratur, cum oblatione annua scutorum quinquaginta.

CAPUT XV.

Miracula quædam novissima publice in judicio Pragæ probata. Ritus observandi tredecim dies veneris in honorem Sancti.

Frequens invocatio Sancti pro impetranda, prole:

125 *QVi legere volet Reges ac Principes, quorum supra naturæ ordinem fuisse nativitas, & Sancto Paulano rite invocato attribuenda visa est, Viverium, Hilarionem, Isidorum legat: neque mirabitur, tam nobilibus notisque orbi Christiano exemplis notam virtutem, passim invocari à sterilibus conjugibus, & desideratos fructus totics ei acceptos referri. Nos prolixiori præter solitum tractatui finem imponere cupimus in ea materia, in qua cuncta recensere volentibus finis nullus esset: idque eo propensius, quod cum in Processibus supra expositis tam multa miracula habuerimus, publica fide & simplici eorum qui fuerant experti relatione comprobata; minus libenter immoremur iis, quæ licet ex similibus habita documentis credamus, ipsa tamen instrumenta non vidimus. Vt igitur primis respondeant ultima, omissis aliis, transimus ad* miracula, ab Eminentissimo Cardinali Ernesto ab Harrach & Venerabili Consistorio Pragensi approbata anno MDCXLVI, *nobisque transmissa cum subscriptione* Joannis de Layn-villa Protonotarii Apostolici, Canonici & Archipresbyteri Pragensis, XI Aprilis MDCLXVIII annotestantis cum originali concordare. *Inde veniemus ad informationes acceptas circa contractam Caletensem, evidenti miraculo sanatam quam nuperrime.*

B *miracula authentica*

sanatur dolor desperatus capitis:

126 Anno MDCXXXVIII Illustrissima Domina Elisabetha de Kolowrat, nata Baronissa à Lobkowitz, longo tempore tanto capitis dolore & punctionibus lecto affixa decubit, ut omnium judicio de vita ejus conclamaretur, nullique medicorum, tam Pragensium quam ex aliis exteris partibus expresse convocatorum, illi in tam acerba ægritudine opem aut levamen minimum conferre possent. Tandem Illustrissimus Dominus Henricus Liebsteinski à Kolowrat, tunc temporis supremus hujus regni Bohemiæ Camerarius, postmodum vero ejusdem regni supremus Præfectus, ejus conjux, insignium virorum judicio persuasus, Divo Francisco de Paula votum fecit, quod nimirum tredecim diebus Veneris consequenter dicti Sancti sacellum adiret, & pro dicta ægrotante de more solito in ipsius Sancti honorem sacra legi curaret, ipsaque audire & preces suas devote persolvere vellet. Quo facto, ex tempore dicta Illustrissima, nullis amplius usa medicamentis, sensim convalescere visa est; ut sanitas illius nullis mediis prorsus naturalibus attribuenda sit, sed soli Deo per intercessionem dicti S. Francisci.

C

purulentus fluxus oculorum:

127 Anno MDCXLV, mense Aprili Wenceslaus Backalasch Pragensis, infans novem mensium, tribus septimanis caput habuit tumore inflatissimum, ita ut oculi nullo modo apparerent, sed ex situ illarum magnis cum doloribus (illo durante tempore) prodigiosa putridæ materiæ quantitas ad quatuor circiter sextarios effluere: cujus acrimonia quidcumque pelliculæ & carnis contingebat ita corrosit, ut quibusdam parce spectantibus nauseam moveret. Parentes, ex relatione cujusdam, quod simili morbo infans suus obcæcatus & mortuus esset, de sanitate & vita totaliter desperabant: ideoque mater, miraculis S. Francisci de Paula docta supernam sperare medelam, duos oculos cereos, in capella præfati Sancti offerendos emit, ibique pro infante pie peracta devotione aquam inde benedictam proprio motu secum domum defert: ubi filiolum melius valentem uno oculo semiaperto invenit; lætabunda utrumque magna fide dicta aqua benedicta lavit: eodemq; instanti fluxus putridus sistitur, & utroq; aperto oculo, intra, dies octo filius ex integro sanatur. D

spina dorsi confracta cum mortis periculo.

128 Puerulo minoris urbis Pragensis, ætate unius anni cum dimidio, nomine Jacobo Hurt, incuria nutricis parentibus insciis spina dorsi fracta fuit; unde tanta infirmitas causata est, ut medici & chirurgi puerulum, triduo sine cibo & potu graviter suspirantem & quasi agonizantem, non nisi pro mortuo curandum suscipere vellent; illi ex dorsi spina ossicula aliquot, cum mortis periculo, extracturi; sic ut si evaderet, maneret necessario curvus ac deformis. Parentes, hoc malo anxii & auxilio destituti, rem Deo & S. Francisco de Paula commendant, cum votis ter sibi in dicti Sancti sacello confitendum, communicandum, tria sacra audienda & panem pauperibus distribuendum. His ritè peractis redeundo domum inveniunt filiolum, melius habentem, ridentem, & brevissimo spatio valetudine integerrimum. Super hoc testibus ipsismet parentibus & aliis, anno ut supra, productis.

E

129 Et quia de anno MDCXXXVIII quatuor consimiles gratiæ fuerant simili modo examinatæ, & pro supernaturaliter miraculose concessis approbatæ & judicatæ, ideo eas cum tribus aliis supra relatis publicas facimus, declaramus, & pro gratiis miraculose concessis nunc & in perpetuum ab omnibus & singulis haberi volumus: & sunt tenoris qui sequitur. Anno MDCXXVIII Wolfgangus de Lavisey Pragensis, quartum agens annum, à nativitate mutus, nulloque naturali remedio adjutus, Deo Sanctoque Francisco de Paula his conditionibus à parentibus votus, quod ex devotione ad tempus sancto dicti Ordinis habitu indutus, parens vero cingulo tertii Ordinis dicti Sancti admissus uteretur; lecto Missæ sacrificio in capella præfati Sancti, præsente patre nullisque aliis adstantibus, prædictus Wolfgangus induitur, indeque ducitur ab uno Fratre Religioso ad Illustrissimam Dominam Comitissam à Bercka, inibi præsentem: quæ ipsum Bohemice allocuta est, Wolfgange, quomodo te habes? Statim respondit, Bohemice, Pan Buh, quod, est Dominus Deus: & ab illo instanti absque ulla difficultate & linguæ hæsitatione locutus est & ad huc loquitur.

à nativitate mutus

loquela conceditur.

F

oculorum debilitas curatur.

130 Anno MDCXXXIV Bohuslaus Zabusky, Bohemus Melnicensis, puer trium annorum cum dimidio, maximo oculorum defectu laborabat, ita ut nec solis de die, nec candelarum lumen de nocte, sustinere aut videre posset. Parentes diversis medicorum remediis ac consiliis sunt usi: demum ad interceſſionem S. Francisci de Paula his votis convolant, ut puer per triennium sacrum illius religionis habitum ex devotione deferret. Non irritum senserunt votum: nam induto habitu, intra duarum septimanarum spatium, parentibus multisque aliis ejusdem civitatis mirantibus, dictus puer acumen oculorum perfectissime recepit.

item paralyticus,

131 Anno MDCXXXV Joannes Oliverius de Schoneck, Pragensis, quadriennis puellus, catarrhis ac defluxibus graviter afflictus, tandem paralysi tactus, totius mediæ partis dexteræ motum linguæque usum totaliter amisit. Hunc jam exhaustum viribus, in summamque deductum maciem, cum varia Doctorum experientia sanari non posset, mater S. Francisco de Paula cum voto obstrinxit, ut is ad certum tempus sanctum ejus Ordinis

A dinis habitum geſtaret. Votum completum ſtatim alteratio & valetudo ſubſecuta ſunt: ita ut non ſolum paralyticæ partis motu, ſed & loquelæ uſu perfecte recepto, intra breve tempus convaluerit.

& deſperate ægræ,

132 Illuſtriſſima Theodora Helena Mitrowskin, Hannewaldi ab Ekerſtorf vidua, quinquennali conflictata morbo, impotens demum virium, decem continuis menſibus affixa lecto, letalibus quatuor morbis concurrentibus, à peritiſſimis medicæ artis inter mortuos numerabatur. Neglecto igitur humano, divinum illa medicum anhelans, ad devotionem tredecim Miſſarum, in honorem S. Franciſci de Paula more conſueto legendarum, ſe magna ſpe

curãdo ſacra per 13 dies Veneris,

& zelo obligat: mittitque ancillam ut loco ſui dictis Miſſis interſit, præcipue quinta die Veneris, per quinque vulnera Chriſti rogando, ut, mediante interceſſione S. Franciſci de Paula, vel ad mortem vel ad valetudinem ferventer divinam imploret opem; ſe idem domi facturam. Summe mirandum! Eodem ſacroſanctæ Miſſæ tempore, dicta Domina ſanitati reſtituitur: viſumque hoc miraculum à multis nobilibus & ignobilibus eorumdem atteſtatione confirmatur anno MDCXXXVII. In quorum fidem præſentes haſce manu propria ſubſcripſimus, appenſioneque ſigilli noſtri communiri fecimus, Pragæ in reſidentia noſtra Archiepiſcopali, die XVIII menſis

B Julij, anno MDCXLVI.

✠ Ernestus cardinalis ab Harrach.

133 *Primum ex his ultimumque miraculum ita teſtantur, quam gratus Deo Sanctoque Franciſco Paulano ſit ritus quidam peculiaris & Ordini proprius, divinum auxilium certo feriarum ſextarum numero invocandi; ut poſtulent à nobis*

de qua devotione ſcripſit nuper Phil. vander Beke.

explicari, quæ hæc ſit devotio, & quomodo peragatur. Poſt varios Ordinis Minimorum hac de re ſcriptores, noviſſime amicus noſter Philippus vander Beken, Paradiſum devotionis tredecim-dialis, S. Franciſco Paulano per totidem dies Veneris exhiberi ſolitæ, *illuſtravit piis conſiderationibus ad ſingulos dies, pro ratione Miſſarum quaque die dicendarum aptatis*; & diſſertatione apologetica adverſus oblocutores, *tamquam* Cherubim verſatili rationum gladio Paradiſum ſuum cuſtodiente ac defendente, *communivit*; *dicavitque* Franciſco Principi Naſſovio, Ducatus Limburgenſis ac ditionum Tranſmoſanarum pro Rege Catholico Gubernatori, conventus Patrum Minimorum Lovanienſis fundatori, votivæ S. Franciſci Paulani proli: *quippe* quem ex ſalutari fonte ſuſcipiens R. P. Claudius du Vivier, quinto Provincialis ac tunc Alberto & Iſabellæ Principibus Belgii à concionibus, Franciſci Paulani nomine appellavit, facultate ad id à ſummo

C Pontifice impetrata: *dicavit autem Paradiſum illum ſuum Philippus prælaudatus, & prælo vulgavit, anno* MDCLXVI, *quo dicto Principi* proles maſcula, diu & avide deſiderata, intra Octavam Sancti Thaumaturgi, maximo cum gaudio nata eſt.

Cur aſſumantur dies Veneris,

134 *Ex hoc autem libello diſcimus hujus devotionis principium ad ipſum S. Franciſcum referri, qui Paſſioni Dominicæ qualibet ſexta feria piiſſime conſiderandæ addictus, tali die in viſione quadam meruerit Caritatis inſigne velut Ordinis novi labarum, per S. Michalem Archangelum recipere*, ut refert Joannes de Milaſio Sancti coætaneus in manu ſcriptis, quæ in conventu S. Ludovici Neapoli religioſe aſſervantur, additque beatum Patrem illam viſionem ſæpe ſuis ſequacibus narrare ſolitum fuiſſe, ut ad caritatem amplectendam ac ſibi invicem demonſtrandam animoſius excitarentur. *Hæc prælaudatus auctor ex Michaele Navæo Archidiacono Tornacenſi, narrante, quod idem Sanctus, dictum Archangelum propterea* in Ordinis ſui ſingularem Patronum aſſumpſerit: unde totus Ordo, die ejus feſto XXIX Septembris, Officium duplex primæ claſſis ſolennizat, cum prævia in publico ad ſonum campanæ Conventus reconciliatione, & abſolutione generali per Superiorem facta in communi, ſub ſummo Sacro, nudis pedibus ac cingulo ad collum in ſignum pœnitentiæ, & ſacramentali Communione: eodemque die Provinciales, Correctores, alioſque ſubalternos Officiales inſtituit ac renovat. AUCTORE D.P.

Quod vero Sanctus ipſe die Veneris, & quidã Sancta, mortuus ſit, id ejuſdem feriæ VI *obſervationem religioſiorem habere Ordini Minimorum perſuaſit, & per hunc plurimis ubique fidelibus; quorum pietatem in frequentando tali die Conventus Neapolitani templo, ut magis accenderet Clemens VII, anno* MDXXXIII, *centum dierum indulgentiam largitus eſt, omnibus illuc confluxuris orationis cauſa, & poſt confeſſionem vel confitendi propoſitum Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam ſemel recitaturis. Igitur qui S. Franciſci & accendantpatrocinium obſequio aliquo ſingulari demereri ſibi volunt,* tur tres cereis *hanc feriam eligunt, eoque per tredecim hebdomadas recurrente ſacra ſe exomologeſi expiant, Miſſam dici curant, ſub eaque tres cereos accendi (quarum duæ in altari ardeant in ſignum Fidei atque Spei, tertiam ipſi ſupplicantes manibus teneant in ſignum Caritatis, quia harum virtutum exercitium dignos facit divinæ gratiæ conſequendæ) denique Chriſti corpore in fine vel principio cujuſque Sacri refectis, poſt recitatum decies tertio Pater & Ave, bene apprecatur Sacerdos dicens*, Dominus Ieſus Chriſtus concedat tibi finem E juſtorum deſideriorum tuorum.

quæ Miſſa dicantur

135 *Ordo Miſſarum principio varius apud varios fuit: poſtmodum ad majorem cum ritu Romanæ eccleſiæ conformitatem, in Regula Ordinis commendatam, ſtatutum, ut eſſet qui ſequitur.* I. de Sanctiſſima Trinitate. II. de Paſſione Domini. III. de ſancta Cruce. IV. de Spiritu ſancto. V de ſanctiſſimo Sacramento. VI de Beatiſſima Virgine. VII de ſanctis Angelis. VIII de Apoſtolis. IX pro quacumque neceſſitate, cujus Introitus *Salus populi.* X pro remiſſione peccatorum, *Miſereris omnium Domine.* XI juxta propoſitum gratiam petentis, ut de infirmis &c. XII pro fidelibus defunctis. XIII de S. Franciſco Paulano. *Quod ſi feria* VI *feſto Duplici occupetur; vel Miſſa duodecima incidat in octavam Epiphaniæ, Paſchæ; aut Pentecoſtes, vel in hebdomadam Majorem (quando duplex feſtum votivo impediri, vel temporis lætitiam defunctorum commemoratione funeſtari prohibuit ſacra Rituum Congregatio, 28 Aug. an. 1627) debet propria illius temporis Miſſa applicari juxta intentionem illam dici curantis. Hæc ſunt quæ de tredecemdiali* cur numero tredecim? *erga Sanctum devotione ex præfati Philippi libello, qua potuimus brevitate, excerpſimus; eidemque credimus, numerum iſtum placuiſſe Ordini, vel quia decimo tertio ætatis anno expleto ad eremiticam vitam ducendam ſe recepit Sanctus, vel quia tredecim ſocios in principio Ordinis conſtituendi collegit, quos apologeticæ diſſertationis cap. I §. 2 nominatim recenſet idem auctor. Nos illos & hic & alibi prætermiſimus nominare; quia de eo numero & primorum ſociorum nominibus nihil in antiquis monumentis invenimus. Addit & tertiam prædicti numeri rationem, quia tredecim hebdomadæ, dies unum & nonaginta conſtituunt, quot annos vixiſſe Sanctum hactenus creditum fuit.* F

CAPUT XVII.

Depoſitiones teſtium ſuper inſigni miraculo Caleti facto anno 1661.

136 *Coronidem huic tractatui imponet inſigne recentiſſimæ notæ miraculum, de quo* Informatio facta per Robertum le Febvre, Presbyterum, & in Theologia Bacalaureum atque Curatum Caletenſem, eique adjunctum Mag. Joannem Tiffaine pariter Presbyterum, Cantorem Eccleſiæ Caletenſis, XVI Aprilis anni MDCLXI, ex commiſſione Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Epiſcopi Bononienſis XIV menſis & anni predicti delata, *extat originaliter in conventu Cale-*

AUCTORE D. P.

tano; & illius tranſcriptū anno MDCLXIV *&* LXVIII *authenticè ſignatum accepimus à Patribus conventus Antverpienſis atque ex Gallico Latine redditum hujuſmodi eſt.*

Peronna Raoult profitetur,

137 Anno & die prænotatis, coram præfatis comparuit Domicella Peronna Raoult, filia quondam honorabilis viri Ludovici Raoult, dum viveret Anciani Majoris hujus urbis Caletenſis, annos triginta novem nata: quæ poſt juramentum de dicenda veritate præſtitum, interrogata de ſtatu & curſu ſui morbi atq; ejus curatione, dixit: quod ab annis circiter tredecim laborare cœperit defluxione ac tuſſi vehementi, cui nullum remedium inveniebant medici, quia fatebantur morbi naturam & cauſam à ſe ignorari. Hic autem paulatim incrementa ſumens eo ipſam adduxit, quod ab annis circiter quatuor diram incurrerit membrorum convulſionem; quæ pluribus variiſque occaſionibus recurrens, duraverit uſque ad tertium ab hinc menſem. Dixit etiam duos circiter ac dimidium annos eſſe, quod contractis cruris ac tibiæ ſiniſtræ nervis, retracta illa pars corporis, apparuerit primum quatuor digitis, deinde dimidio pede brevior altera. Item quod eodem tempore ipſum cruris os ab oſſe coxendicis emotum fuerit, & à menſibus circiter tribus pars dextera coxendicis ſimiliter diſlocata: adeo ut quoties ſedere vellet, corpus totum in unum quaſi globum convolveretur, cum cruciatu intolerabili, unde frequentia deliquia & ſyncopas pati infirmam contingebat. Denique quod tempore hujus morbi ſemel decem, bis novem dies, ſæpe octo aut ſeptem, & noviſſime dies novem permanſerit abſque ullo cibi vel potus uſu. Cumque hujus ſeculi anno LVIII in urbe Rex eſſet, D. Vallot, primus Regiæ ſuæ Majeſtatis medicus, D. Girenaut & alii duo medici ex ejuſdem Majeſtatis comitatu, poſtquam eam eorum quidam bis aut ter, alii rarius, viſitaſſent; dixerunt omnes, aliud nihil ei cogitandum eſſe, quam quod maneret per omnem vitam manca & paralytica.

quod ab annis 13 aſthmatica,

à duobus & medio contracta crure,

B

& coxendicibus luxata,

deſperantibus medicis,

Novenam ſancto facere inſtituerit, 6 Aprilis,

138 Itaque ſæpe interius inſpirata ad preces recurrere, tandem decrevit per ſe alioſque ſicut poſſet, inſtituere Novenam S. Franciſco de Paula. Incepit ergo eam ſexta hujus menſis, quinta Octavæ ipſius Sancti. Quoniam autem ipſa ad eccleſiam Minimorum ire non poterat (quippe quæ nullatenus per ſe moveri poſſet, ſed iſtic ubi poſita erat, ſic ut poſita remanebat abſque ullo motu) mittere eodem incepit ancillam ſuam. Die autem Novenæ inchoatæ quarto, in Octava Sancti, magno ſtimulata deſiderio ut & ipſa ad dictam eccleſiam accedere, & aliquid per ſe poſſet ad complendā Novenam contribuere, poſtulavit ſibi fulcra axillaria dari. His illa uti cōſueverat ab annis tribus uſque ad tertium ab hinc menſem, quando facultate iis utendi amiſſa cœperat in ſella geſtatoria portari ad eccleſiam: in qua ſicut erat deportata, ſedens, & Miſſam audiret, & ſacram ſuſciperet Euchariſtiam: quia neque moveri poterat, neque alium corporis ſitum tenere; prout etiam fecerat ipſo die S. Franciſci prænominati, qui fuerat Sabbarum, & in Dominica immediate ſequenti. Acceptis porro ab ancilla jam dictis fulcris, ab eademque cum maxima difficultate ſubtus axillas poſitis, deſcendit è lecto: ancillaque prædicta ipſam per cingulum retinente: & ne caderet ſuſtinente, cœpit ire verſus eccleſiam: eoque in ſtatu plures obviam habuit ſibi compatientes, quarum prima fuit Magdalena Crepet, tum Maturinus Cardot eccleſiæ Guiſnenſis famulus, aliique.

C

& in Octava Sancti per ſe reptarit ad eccleſiam:

ubi ſacro audito

139 In eccleſiam ſic inducta audivit Sacrum & communicavit. Cum autem legeretur poſtremum Evangelium Sacri ad ejus intentionem dicti, ſenſit magnam totius corporis debilitatem & dolores vehementiſſimos, præcipue in crure ſiniſtro & coxendicibus, adeo ut omnes nervi tendi ſibi viderentur: quare coacta ad ſcamnum vicinum ſeſe acclinare, à pluribus perſonis viſa eſt in ejuſmodi ſitu. Interea tēporis fluxum quemdā ſenſit, velut ſi per omnia membra humore aliquo fuiſſet reſperſa; audivitque oſſium ipſorum ad ſuas junctūras redeuntium ſonum; ac denique novum robur vigoremque toti corpori infuſum ſentiens, ſe flexit in genua citra debilitatem vel minimam. Ad eam ita genuflexam cum accederet P. Joannes de Beaumont, is qui Miſſam celebrarat, eiq; Chriſti Corpus ſanctiſſimum impertierat; ſurrexit illa nihilo minus facile agiliterq; ac ſi nulla umquam infirmitate laboraſſet. Ille vero exiſtimans ipſam adhuc male habere, juſſit ut reſideret: ſed Peronna quæ gratiam ſibi divinitus factam agnoſcebat, negavit id ſibi neceſſarium eſſe: atque ad oſtium ſacriſtiæ accedens, petiit ſibi alterum Sacrum in gratiarum actionem dici: quod ei fecit P. Petrus Hulin, ipſa flexis ſemper genibus audiente, & ad Euangelium facillime aſſurgente. Quibus ſic peractis, & fulcris ſuis ibi relictis, domum ambulavit, tam ſana quaſi nihil mali unquam paſſa eſſet: & hæc omnia, ſic ut depoſuit, vere accidiſſe nominis ſui ſubſcriptione firmavit. PERONNA RAOULT.

D

ſanam ſe reperit,

& ſurgēs indicavit Confeſſario.

E

Hujus rei teſtes ſunt, & Ancilla Peronna.

140 Joachina Brochart, puella annorum circiter XXXV, Holecæ in Flandria nata ... dixit, à feſto Purificationis ante annos quatuor habitaſſe ſe uſque nunc cum domina ſua Peronna Raoult: quam ſemper viderit variis oppreſſam morbis, quæ principio ſexta quaque hebdomade ſolebant recurrere, *& conformiter ad depoſitionem ipſius Peronnæ*: cujus coxendices cum luxarentur ante ſex circiter menſes, tam violenter id factum aſſerit, ut quaſi os aliquod confractum fuiſſet ſic audierit ſonum. ... Cui etiam uno crure ad dimidium tandem pedem breviori propter contractionem, adeoque imbecillæ ut uti amplius non poſſet axillaribus fulcris, facta ſit ſella in qua diebus dumtaxat Dominicis Sacri audiendi cauſa deportaretur ad templum. Se vero difficilis famulatus pertæſam ſæpe cogitaſſe de illa domo deſerenda, ſoloque divinæ, ſi faceret, ultionis metu ibidem perſeveraſſe .... Denique quod eamdem dominam ſuam, ſic ut ſupra expoſuit ipſa, ductam ad ſacellum S. Franciſci Paulani ibidem dimiſerit: atque poſt duas circiter horas revertens, ipſam è ſacello egredientem obviam habuerit, mirataque ſit dimiſſis fulcris liberrime ambulantem. Imo quod conſpectu primo adeo attonita fuerit, ut ipſam non recognoſceret, prius quam ultro ſibi loqueretur ac diceret: Ora Deum pro me; eique age gratias, quod me hodie ſanaverit.

quæ euntem deduxerat,

at per ſe redeuntē vidit.

F

141 Magdalena Crepet, virgo annorum circiter LX, Caleti nata, depoſuit *de morbis & impotentia Peronnæ, quæ ſupra; idque* ex certa ſcientia, quia eam multis annis cognoverit & magis familiariter frequentaverit ab annis duobus cum dimidio: quodque prædicta ſede in qua portaretur facta, tantas in ejus uſu, propter ſummam debilitatem, pateretur moleſtias; ut neceſſe eſſet portitores identidem ſubſiſtere, multa etiam Feſta & Dominicas abſque Sacri auditione tranſire. Item quod Dominica, feſtum S. Franciſci Paulani immediate ſequenti, viderit eam ad eccleſiam portari, tam miſero in ſtatu, ut videretur in via moritura: itaque acceſſiſſe ad eam inviſendam ſub veſperam, rogaſſeque an per Octavam S. Franciſci ad eccleſiam ſe faceret deportari. Quæ reſpondit: Non equidem, ſoror optima; non poſſem ante diem Veneris proximum. Porro quod die menſis ſeptimo, dicta Peronna accerſierit ad ſe ipſam deponentem, eamque rogaverit ut

2 familiaris quadam,

conſciæ quam difficulter poſſet vel in ſella geſtari,

A ut poſtera die pro ſe communicaret, addens quod juſſiſſet ſibi fulcra admoveri, videreturque cum his, poſtridie mane in die Octavæ, poſſe accedere ad eccleſiam. Quodque ipſa deponens, eo die ab eccleſia veniens, & cælum admodum tempeſtuoſum videns, iverit ad domum Peronnæ, prohibitura ne tali aura egrederetur: adveniens autem, & ipſam fulcris innixam in atrio reperiens, dixerit, Deus bone! quo vadis? ea eſt aura quæ mortem tibi afferre poſſit: domi remane. Ad quod illa: Oportet inquit, ad eccleſiam ire. Cumque acceſſiſſet Joachina ancilla ejus, ut per portæ gradus deſcenſuram juvaret, timeretque deponens ne media in platea corrueret ægra; inclamarit puellæ, ut dominam ſuam per cincturam apprehenderet: quod & fecerit: itaque perrexerit Perona, repere potius, quam ire ad templum. Poſtea, inquit deponens, domum meam Joachina venit, nuntiavitque ſanatam eſſe dominam ſuam: cui fidem habere nolens, ad quintam uſque horam diſtuli Peronnam viſere: quam perfecte ſanam reperi, dixitque mihi: Ecce me ſanam: hanc mihi gratiam fecit Deus per merita S. Franciſci Paulani: exindeque ſana perſeverat.

quæ conata eſt impedire ne iret propter malam auram.

B 142 Domicella Maria Rault, Caletenſis, puella annorum XXVIII, deponit, Peronam .... adeo fuiſſe debilem ut à tribus circiter menſibus non potuerit niſi in cella audire Miſſam & communicare: imo 11 die menſis, feſto S. Franciſci, cum eſſet in templo Minimorum, & vellet intereſſe concioni poſt prandium habendæ, ne cogeretur moleſtam corpori ſic affecto ſuccuſſionem dum fertur referturque ſuſtinere, ibidem remanſerit, prandium ei illuc deferente ancilla Joachina, quæ hoc ipſi deponenti dixerit. Die autem nona menſis in octava S. Franciſci, cum ipſa deponens pararet ire ad templum, è ſorore ſua Barbara Rault audivit, videri miraculum factum in Peronna Raoult, quippe quæ fulcris nixa graderetur. Igitur feſtinaſſe ſe ut euntem comitaretur: ſed poſt aliquod viæ ſpatium, tædio nimiæ lentitudinis victam, præceſſiſſe, ... deinde domum revocatam ſe, audiviſſe poſt mediam horam dici, quod ſine fulcris Domna Peronna ambularet. Itaque denuo regreſſam ad templum, ibi eam inveniſſe ſanam coram Venerabili, ante ſeptum altaris majoris, ubi Veſperas audiebat, ſurgens de more ad Gloria Patri. Veſperis finitis ſe deponentem acceſſiſſe ad illam, & præ gaudio quod ſanam videret oſculum eidem dediſſe: quæ ipſi & aliis adſtantibus dixerit, Omnes pro me reddite Deo gratias: exindeque tam recta domum iverit, ac ſi nullam unquam paſſa fuiſſet contractionem tibiæ, quam antea portabat uno & amplius pede elevatam à terra.

3 quæ hoc ipſum quod fulcris gravaretur,

pro miraculo audierat.

& ſanam viderat in Veſperis.

C

143 Aliſa Greſy, Caletenſis, vidua quondam Petri du Roſel, annos nata LVI, quæ pridem infirmam cognoverat, & viderat dicta die IX Aprilis in fulcris euntem cum ſua ancilla &c. addit ſibi ad urbem domum reduci, à neptibus ſuis dictum eſſe, quod apud Minimos factum eſſet miraculum, & Domna Peronna ibi ſanata abſque fulcris ambularet. Itaque eodem accurriſſe ſe, ſanatæque obviam veniſſe & oſculo præmiſſo dixiſſe, quod gratiæ eſſent agendæ Deo. Deinde cum alteratam videret, addidiſſe: Enimvero ecce prorſus immutatam te. Ad quod Peronna addiderit, ipſo inſtanti ſanationis ſuæ tantos ſe dolores ſenſiſſe, ut mori ſe arbitraretur. Subjunxiſſeque ancillam, ſe vero, Domina viſa ſic per ſe ambulante, præ conſternatione pene in fugam abiiſſe.

4 quæ eundem viderat,

& redeunti læta occurrerat.

144 Nicolaus de la Tour, ſerarius Caletenſis, annos natus XLIX: qui cellam, qua portari ad templum ſolebat Peronna, ante duos menſes ferramentis additis ſolidarat, & viderat concionem apud Minimos audituræ delatum fuiſſe prandium in die feſto S. Franciſci; quique octava die menſis domum ipſius Peronnæ ad cujus obſequii cauſa accedens, eamdem invenerat viminea in ſella legentem aliquid, & ab interrogata num aliquantum haberet melius, audiverat eodem, quo antea, in ſtatu eſſe; deponit quod ipſa die poſtera, cum fulcris ſuis ingreſſura templum, & videns deponentem ſupra templi portam occupatum ferramento quodam refigendo, ſibi dixerit, Magiſter Nicolae, cave ne quid mihi in caput decidat: ſe vero promiſiſſe, quod deſiſteret ab opere donec eſſet ingreſſa, prout fecit cum maxima difficultate. Se vero, cum eſſet domum regreſſus, circa horam ſecundam pomeridianam, vidiſſe D. Peronnam cum Domina du Roſſel liberrime ambulantem: ideoque contineri non potuiſſe quin alloqueretur, & obortis præ gaudio lacrymis gratularetur ſanatæ.

AUCTORE D. P.

5 quipridie cum ea egerat,

& ipſo die viderat ingredi templum.

145 Robertus du Freſnoy, civis Caletenſis, annorum LXVIII, deponit, quod tamquam proxime vicinus optime cognoverit D. Peronam, toto tempore infirmitatis, ac demum coactam ſella geſtatoria uti, in qua eam geſtari adhuc viderit quinto aut ſexto ante ſanationem die: quodque eam ab eccleſia, ubi dicebatur Novenam inſtituiſſe, ipſa Octava S. Franciſci, circa undecimam ac duodecimam meridianam, viderit redeuntem cum perfectiſſima ſanitate. Joannes Baſſé, annos natus XXII, Caletenſis & in Legione Montozeriana miles, deponit; ſe ab uno circiter anno cum prædicta Legione Caletum veniſſe, hoſpitiumque cum ſocio accepiſſe apud D. Sullier Sergeantium regium, è regione ejus domus quam habitabat Peronna Raoult: ſeque & ſocium ſæpe eamdem in ſella portaviſſe ad templum Minimorum, etiam nuperrime in feſto S. Franciſci Paulani & Dominica immediate ſequenti: die autem dicti Sancti Octava, cum audiſſet miraculoſe ſanatam, ad ipſam iviſſe, & domi ſuæ ſedentem inveniſſe: quæ eo viſo ſurrexerit, atque verſus ipſum gradu firmo ac recto venerit. *Huic teſtimonio prorſus conſona deponit* Joannes du Four, Bello-monte in territorio Cadurcenſi natus, annorum XXIV miles, *ut ſupra, qui & ipſe cum ſocio ad eamdem ſanam videndam acceſſerat, quam toties portarat*: adeo infirmam, ut illa ipſam geſtationem ſufferre non valente, ſæpius eſſet interquieſcendum in exiguo illo ſpatio, quod inter Peronnæ domum & Minimorum templum, eadem in platea ſitum, interiacet.

6 vicinus qui eam ſæpe ferri in ſella viderat.

E

7 & 8, milites qui eam portaverant.

F

146 Alexander Raoult Ancianus Major hujus urbis, annorum LXVII, dixit quod in Paſchate anni MDCLVIII veniens ad templum Minimorum, ut ageret gratias pro accepto ſanitatis beneficio, inciderit in Domnam Peronnam Raoult; eique fulcris inſiſtenti appropians, obſervarit altero tantum pede ſuſtineri, alterum ſupra terram altius elevatum ſuſpendi. Item quod nono hujus menſis die, eidem cum fulcris humi ſedenti in capella S. Franciſci ſatis prope aſſederit, videritque Patrem Beaumont venire ad ejus confeſſionem audiendam. Denique quod eodem die ſanatam audiens ad eccleſiam redierit, & poſt actas cum eadem, ut rogarat, S. Franciſco gratias, recte ambulantem comitatus ſit uſque in domum ſuam. Antonius Trotel, cerdo Caletenſis, annorum XXI, teſtatus, quod ab annis quinque vel ſex in eadem Minimorum platea habitarat, *confirmavit quæ alii de pedis contractione, fulcrorum & ſellæ geſtatoriæ uſu, &c.*: & addit vidiſſe ſe, quod finita miſſa ſurrexerit Peronna abſque fulcris, iveritque ad portam ſacriſtiæ. *Eadem confirmat* Ludovicus Belle-hache, itidem cerdo & in eadem platea habitans, annorum circiter XLII, & deponit, quod in Octava S. Franciſci domum ſuam revertens, obviam ægram habuerit,

9 Major urbis qui in templo infirmæ aſſederat

& ſanæ homines redivierat.

10 & 11 vicini.

habuerit; eamque accuratius conſiderans, propterea quod jamdiu ſella geſtatoria opus habuiſſet, dixerit intra ſe, Ecce Domnam Peronnam iterum ad ſulcra reverſam: deinde ad pedem reflexiſſe oculos, ut videret num item ut antea eſſet contractus; neque aliter vidiſſe quam ſolebat. Poſt duas autem horas audiviſſe ab ancilla dici, quod Peronna per ſe graderetur ſola: eaque voce excitos ſocios cucurriſſe verſus eccleſiam; ſe vero in oſtio domus præſtolatum, vidiſſe, in magno hominum aſſectantium comitatu, rectis pedibus tranſeuntem.

AUCTORE D. P.

CAPUT XVIII.

Alia de eodem miraculo teſtimonia, ejuſque approbatio.

12 *Vxor Majoris, morborum Peronæ conſcia,*

147 ANtonetta du Flos, uxor honorabilis viri Andreæ Ponthon, ad præſens Majoris in hac urbe, annorum quinquaginta, deponit quod pridem viderit d. Peronnam maxime laborantem in aſcenſu deſcenſuque graduum, ducentium in templum Minimorum; quamdiu id facere utrumque potuit ſulcris ſubnixa: quodque ipſam ægrotantem domi ſuæ ſæpe viſitarit. Morbos autem aſſerit fuiſſe frequentes & vehementi tuſſi conjunctos, adeo ut octo & novem quandoque diebus omnino nihil, ne quidem ſyrupi guttam unam poſſet tranſmittere; malo autem illo recedente ſolitam fuiſſe tanta ſiti premi, ut viderit eam intra horam unam exhaurire duo aut tria pocula ptiſanæ vel limonatæ: hanc autem alterationem ſubſequi ſolebant violentiſſimæ & intolerabiles prorſus vomitiones. Itaque addit deponens, ſæpe dixiſſe ſe, morbum hominibus incognitum & Deo ſoli curabilem eſſe. Vidiſſe autem in Octava S. Franciſci in ſacello ejuſdem, quod d. Peronna, ſupra primum gradum altaris flectens, poſitis ad utrumque latus ſulcris ſub Miſſa communicarit; remanſeritque in eodem ſtatu uſque ad finem Miſſæ, multis cum ſuſpiriis, quæ ipſa deponens clare audiebat, gratias agens. Finita autem Miſſa cum reſediſſet Peronna, credebat deponens ipſam id facere ob debilitatem: ſed elapſo vix medio horæ quadrante rurſus eam vidit elevatam in genua, iterare ſuſpiria gemituſque, velut quæ multum pateretur, Tandem ad eam P. Beaumont acceſſit, eique locutus eſt: quid autem dixerit ignorat deponens, ſed audivit juſſiſſe ut aſſideret, ipſamque reſpondiſſe, quod nihil eo opus eſſet. Et vero ſurrexit illa: ſed deponens ultra nihil cogitans exivit è templo; cui poſt horam ab aliis eſt relatum, Domnam Peronnam miraculo ſanatam eſſe, ut revera eſt.

eamque obſervans dum ſanaretur.

13 *Præſens cum medici morbos ejus incurabiles judicarunt.*

148 Anna Hedde, Caletenſis, virgo annorum XLII, & dictæ Perronæ perquam familiaris, *eademque alii teſtata de morbis, contractione, ſulcris ac denique de ſella*, quam primo ancilla ejus aliaque femina, tum (quod hæ imbecilliores nimium incommodarent ægræ) duo milites geſtare ſolebant; deponit quod interfuerit conſultationi Medicorum apud ægram inſtitutæ per horam dimidiam & amplius, poſt longum examen prævium; diſtincteque audiverit omnes affirmantes morbum incurabilem eſſe. Cum autem de ejus miraculoſa ſanatione nuntiaſſet ſibi ancilla Peronnæ, illico ſe accurriſſe ait, & cum admiratione ſumma ſanam inveniſſe. Margarita Moreau, annorum LIV, morborum omnium Peronnæ familiariter conſcia & teſtis, ſpecialiter deponit, quod una cum Guillemetta le Hot ſæpius admoverit ægræ ſulcra, & ſæpius juverit gradus templi Minimorum deſcendere & aſcendere cum ſumma difficultate. Quodque die Mercurii, qui erat penultimus Martii (cum forte accidiſſet Joachinam ancillam ejus ab urbe excludi) ipſa deponens & prædicta Guillemetta domum Peronnæ intrarint, ut ei decubituræ auxiliarentur: quod maxima cum difficultate fecerint; & quia inter collocandum ſupervenit deliquium ſolito diuturnius, non potuerint eam apte reclinare niſi poſt longam moram. Cum autem in Octava S. Franciſci domo egredi propter infirmitatem ipſa deponens prohiberetur, proſpicientes per feneſtram diſcipulæ domeſticæ, clamaverunt ad magiſtram, Ecce Dominam Peronnam, quæ cum ſuis ſulcris pergit ad Miſſam audiendam. Poſt unam autem horam dictum ſibi deponenti eſt, ſanatam Peronnam. Quod verum eſſe agnovit, quando ſub veſperam prior ad viſitandam deponentem venit prorſus ſana; contra quam fieri poſſe judicarat Medicus regius D. Valot, quem ipſa deponens dicentem audivit, quod nihil ſimile morbo illi vidiſſet umquam.

& infirma ipſa ab illa jam ſana viſitata eſt 9 Apr.

15 *Confeſſarius, conſcius aſthmatis quo laborabat*

149 Fr. Joannes de Beaumont, Sacerdos religioſus Minimus, deponit juratus, quod propter indiſpoſitiones Peronnæ de Raoult, ex imperio ſui Superioris, tota Quadrageſima præterita ſolitus fuerit ad ejus domum accedere cauſa audiendæ confeſſionis: quam propter difficillimum aſthma faciebat voce tam ſubmiſſa & inarticulata, ut admota quantum poterat & decens erat ad os loquentis aure, eam difficulter intelligeret. Item quod inchoata, ad quam divinitus erat inſpirita, devotione novemdiali, Peronna ſibi accerſito dixerit die menſis octava, quod poſtridie ſperabat ſe acceſſuram ad templum, quemadmodum etiam fecit, confeſſaque eſt genuflexa, ſed utroque cubito nixa ſupra ſcamnum: poſtea vero audivit Miſſam ſuper gradum altaris reſidens, indeque difficulter admodum ſurrexerit in genua, cum eſſet communicandum. Finita autem Miſſa ad eam veniens, vidit abſque difficultatis ullius indicio genibus nixam. Cumque illa aſſurgeret venienti, idque reverentiæ cauſa facere eam putaret deponens, rogavit eam ut aſſideret in ſcamno: quod opus eſſe negavit, aut fulcris deinde egere ſe, quæ eſſet per S. Franciſci interceſſionem integerrime ſanata, de qua re plenius ipſi poſt abſolutas preces loqueretur. Altera autem Miſſa audita, accerſivit deponentem; eique oculis lacrymantibus dixit, quod ſibi quantumvis indignæ, per merita S. Franciſci Paulani, gratiam ſanitatis præſtitiſſet Omnipotens: in cujus ſignum ſeptem vel octo paſſus formavit, ipſo deponente interim obſervante, quod ſiniſtra tibia, quam octo vel decens digitis altera habuerat breviorem, juſtam haberet longitudinem. Addit ad extremum deponens, videri eam haud obſcure præſenſiſſe gratiam ſibi faciendam; ſiquidem inter confitendum proteſtata eſt, quod firmiſſime ſperaret abſque fulcris domum redire: ſe tamen non petituram ut à ſuis malis liberaretur, tantum ut in ejus vel infirmitate vel ſanitate Deus & ſanctus ſuus Franciſcus glorificarentur. Fr. Ludovicus le Sueur, Religioſus Minimus, deponit, quod nona hujus in platea Conventus ſui viderit Domnam Peronnam, venientem in fulcris ad audiendam Miſſam, tanta cum difficultate, ut ad decimum vel duodecimum à domo ſua paſſum debuerit ſubſiſtere, ſeque ad parietem inclinare; donec veniret ancilla: ſe autem id videntem dixiſſe: Opus tibi foret horis ad eumdum duabus, & tribus ad redeundum à templo. Veſperis autem finitis, ait ſe vidiſſe perfecte ſanatam.

& fiducia quam habuerat obtinendæ eo die ſanitatis.

16 *Religioſus qui difficulter eunti obviarat.*

17 *Commiſſarius Regis qui obſervarat Deo gratias agenti.*

150 Dominicus Hache, Dominus d'Artincourt, Conſiliarius Regius, Sigilli minoris Cuſtos & Commiſſarius Generalis in hac urbe ejuſque territorio, annum agens XXXIII, deponit, quod nona Aprilis, Sacri audiendi cauſa exiſtens in templo Minimorum,

14 *quæ 30 Martij decubitarum juverat,*

A rum, viderit Patrem quemdam Minimum, dimissa Domina Ponthon, quæ est uxor Majoris, ad feminam aut puellam quamdam accedere, cum eaque stante modicum loqui: interim secessisse se ad reclinatorium quod est ad dexteram sacelli, plane è regione ejusdem feminæ aut puellæ, super gradus altaris genuflexæ; quam viderit per horæ quadrantem suspiriis gemitibusque indulgere; eique, dum manus identidem ad cælum levat, nunc manicas excidere nunc sudarium: quo extergendarum causa lacrymarum recepto, iverit versus sacristiam, ubi pulsanti aperuerit P. Heullin, vestitus paratusque cum calice ad Missam celebrandam. Cui cum dixisset ut ad suam faciret intentionem, ad priorem locum rediens continuarit suspiria lacrymasque. Ratus igitur deponens, esse personam aliquam valde afflictam, ex puero sacrificii ministro quæsivit, quænam esset: respondit que puer, esse Domnam Peronnam Raoult, quæ non amplius claudicaret. Non tamen hoc altius dimisit in animum ipse deponens; sed domum revertens, cum tempore prandii narraret quæ viderat, respondit uxor, quæ ipsam in sella portari ad ecclesiam viderat in festo Sancti Francisci, Miraculum id manifestum esse: pauloque post ipse deponens idem plurium relatione cognovit. Quare Dominica in Albis, regrediens à Missa parochiali, & obviam Peronnæ factus ad latus ecclesiæ majoris, eidem gratulatus est recuperatam miraculo sanitatem.

morbi curati ignarus, eumque deinde intellexerat ab aliis.

B

18 *Vxor Procuratoris Regii,*

151 Domicella Maria Rault, uxor Petri Coste, Domini de la Motte, Procuratoris Regii, annorum xx, testis impotentiæ diu in Peronna visæ, quam etiam propter debilitatem bis viderit in sella gestatoria communicantem; deponit, quod nona Aprilis ingredientem in sacellum cum fulcris viderit, genuaque ante altare flectentem: quodque domum reversa, intellexerit post horas duas miraculose esse sanatam, & spectandi causa cum multis aliis ad ecclesiam redierit. Joannes Hedde, Judex, Consul, & antiquus Senator hujus urbis, è regione majoris portæ Minimorum habitans ab annis circiter quatuor; deponit, sepius vidisse se Peronnam fulcris egredientem ingredientemque; quæ cum solicite sustentari ad portam deberet, ipsum se ait ei sæpe præbuisse manum. Novissime autem die nona Aprilis, peracta in gradibus altaris confessione, Missam audienti & communicanti proximum semper se fuisse, notasseque in ea vehementissimos motus, velut si gravissime torqueretur: cui quid accidisset post horam mediam intellexerit, domum reversus; & circa horam quartam post meridiem eidem à templo egredienti & perfectissime sanatæ occurrerit. Denique Franciscus du Crocque, Doctor medicus & hujus urbis ordinarius, annorum xxxiii, deponit, tractasse infirmam; & in ipsis paroxysmis visam, incurabilem judicasse: quod idem D. Vallot medicus regius, cum hic esset, judicarit: ideoque curam ejus dimisisse. Cum autem eam in Octava S. Francisci Paulani intellexerit sanatam, & postea viderit liberatam ab asthmate & gravissima respirandi atque loquendi difficultate, qua etiam extra paroxysmi tempora laborabat, nec non à crurum ac tibiæ infirmitate, totiusque corporis conformatione vitiosa; aliud judicare non pos-

C

19 *Iudex urbis,*

20 *Doctor medicus.*

se, quam divino miraculo adscribendam curationem.

AUCTORE D. P.

152 Visa & examinata informatione, de mandato nostro facta per Mag. Robertum le Febvre, Curatum & Decanum Caletensem, circa sanitatem, Domicellæ Peronnæ Raoult subito restitutam in ecclesia Minimorum dictæ urbis, die ix Aprilis, hujus præsentis anni MDCLXI, in Octava Sancti Francisci Paulani; agnovimus dictam sanitatem omnino miraculosam esse, & meritis magni istius Sancti obtentam. Quia autem vult Dominus, gratias, à se præter naturæ ordinem factas, manifestari ad incrementum gloriæ & honoris sui, ad fidelium devotionem erga Sanctos excitandam, ad convincendam eorum hæresim qui illos prohibent invocari; permisimus & permittimus fieri publicationem hujus miraculi; & gratias Deo ac Sancto ejus reddi, ea quæ opportuna judicabitur solennitate. In quorum fidem præsentibus subscripsimus, iisque sigillum nostrum apponi jussimus. Datum Bononiæ, die xxix Aprilis, anni MDCLXI

Approbatio Episcopi Bononiensis.

✠ FRANCISCUS EPISC. BONONIENSIS.

D

153 *Hæc, quamvis prolixiora essent, placuit integra producere omissis vel abbreviatis dumtaxat ejusdem rei iteratis descriptionibus; ut iniqui etiam arbitris patere posit, quam firma certaque testimonia hoc seculo requirat ecclesiasticorum judicum summa severitas, in examinandis approbandisque miraculis. Nam quales hoc in casu receptæ sunt testium fide dignissimorum & oculatorum depositiones, tales colligere & habere licet de quovis miraculo, nostra ætate publicato, de iisque quæ supra judicio Cardinalis ab Harrach probata dedimus: sed ista omnia velle colligere, opus hoc infinite augeret: ut satis sit vel uno loco dedisse specimen, unde alia ejusdem seculi nostri æstimentur.*

Hinc distas, quam certo testata sint, quæ nunc approbantur, miracula.

154 *Decuit autem in recensendis magni hujus Thaumaturgi mirabilibus minime parcos esse nos. Nam cum hæc colligenda ego sumpsissem in manus, & alia ad Aprilem pertinentia Acta magnis animis promoveret meus in hisce studiis antecessor P. Godefridus Henschenius; accidit* VIII *Ianuarii anni* MDCLXIX, *ut hanc lecto affigeret viscosa in latere sinistro concretio, quæ octavo post die in alterum transiliens latus, pleuritidis instar illud affecit; exundans etiam per omnes venas bilis, totum quidem corpus magnis implevit doloribus, caput tamen imprimis tam horribili cruciatu distendit, ut disilire in partes cranium ægro videretur. Hic nocte inter* XVII *&* XVIII *Ianuarii media, cum sustinere non posset amplius, seque è statu aut mentis aut vitæ abiturum formidaret, accersitum me de periculo monuit, deque extremis Sacramentis mature sibi procurandis. Ego vero, cui ingentia Sancti quæ transcribebam miracula multam de eodem fiduciam fecerant, accepto quod tunc erat ad manus Processus Turonensis ecgrapho, similem fiduciam ægrotanti aggressus ingerere, librum ei exosculandum præbui capitique supposui; promittens me primo mane votivum de Sancto Paulano Sacrum dicturum in templo nostro, iterumque aliud in templo Minimorum hic, si ad Dei Sanctorumque gloriam promovendam ab illo periculo evaderet æger. Ex tunc mitigari cœpere dolores: & qui antea ab iterata phlebotomia, hirudinum applicatione, à clysterum potionumque medicarum usu, auxilii nihil expertus fuerat; postero die visus sibi est minus periculose ægrotare: exindeque quotidie ad sanitatem proficiens, mense tandem Februario una mecum se exolvit voto, sacrum de S. Francisco Paulano in ipso Minimorum templo faciendo. Deinde paulatim recuperatis viribus, ad intermissa studia felici-*

Auctorum alteri graviter ægrotanti;

E

F

suppositio capiti miraculorum libro,

sanitas redit.

AUCTORE D. P. *feliciter rediit; intercessioni dicti Sancti, & piis Religiosorum per omnes fere Conventus precibus pro se fusis, vitam diuturniorem acceptam referens: quem in gravi* LXIX *annorum ætate evasurum à morbo tam periculoso & vehementi, vix prudens aliquis audebat sperare.*

Ipse hic commentarius

155 *Porro gratum fuisse Sancto nostrum hunc, in suis Actis colligendis illustrandisque, laborem, luculento, sed tristi videtur declaratum fuisse indicio. Nam cum anno* MDCLXXII, *nocte diem* XXIII *Februarii exordiente, lamentabili incendio conflagrasset nova Typographia Blaviana, qua nulla in omni Europa instructior, spatiosior, elegantiorque fuerat hactenus excitata; ubi tunc sub typothetarum impressorumque manibus versabatur dies hujus mensis secundus, totum quidem nostrum autographum eo pertinens periit, sed tolerabili satis jactura, propterea quod facili labore restaurari damnum posset; solus autem hic de Sancto Francisco Commentarius flammas evasit, necdum illuc illatus, intra triduum vero inferendus, nisi fatalis iste casus interveniisset. Licuit hic profecto cognoscere quam incerta sint (ut Sapiens loquitur) providentiæ nostræ. Angebar & tristabar ego, quod impressio, cujus celerrimus sub tribus pariter prælis progressus mihi fecerat*

ab incendio præservatur:

B *promissus, & cujus causa Amsterodami commorabar, adeo procederet lente, ut spatio septem hebdomadarum, non plus effectum fuerit, quam unico expedito prælo posset intra duodecim dies absolvi. Sed si tantillo magis festinassent operæ, periisset annuæ lucubrationis fructus, vix umquam aut non absque grandi impressionis alibi iterandæ impedimento recuperandus. Quod beneficium ipsi Sancto libenter acceptum referimus & ut cetera Sanctorum Acta, adhuc inedita & successive paranda prælo, à simili conservet infortunio, enixe deprecamur.*

156 *Accessit denique prioribus duobus beneficium tertium. Cum enim intra privatum unius familiæ damnum impatiens stare fortuna, post menses ab inde paucos totius pene fœderati Status accumularet ruinam, sub victricibus Regis Christianissimi armis; atque adeo minime consultum censeretur denuo tentare ipsam apud eumdem aut alium typographum in Hollandia, ad quam sola facilioris in omnes partes distructionis spes invitarat; cumque nihilo expeditiora quam antea facta essent Brabantiæ nostræ cum aliis regionibus commercia, quin etiam novo à Gallia bello magis etiam impediendæ timerentur; placuit consilii incertis moram unius anni indulgere operi maturius recognoscendo, & typographiæ eligendæ. Sed ea mora quam utilis ac necessaria nobis, tam molesta & importuna amicis visa est, undequaque efflagitantibus promissum Aprilem. Horum ergo querelis fatigatus, nec tamen in tanta rerum publicarum incertitudine, certi consilii quidpiam evolvere valens; rogavi Deum ut in proxima menstruorum Patronorum sortitione is mihi pro Aprili mense Sanctus obtingeret, qui diuturnæ fluctuationi finem imponeret. Et ecce Sanctus Franciscus Paulanus obvenit, simulque injecta est utrique nostrum certa voluntas, Antverpiæ po-*

& mora impressioni injecta,

C *tius quam alibi resumendi impressionem, ipsa, si fieri posset, æstate aut vere. Quam mentem ut sciremus esse ab eo, qui daturus erat successum desideratum, factum est, ut eodem decimo die Aprilis celebraretur à nobis Sancti festus dies, propter Paschalia solennia translatus; & Typographus, numquam rogatus, sed per quam idoneus, secum decerneret prælum vacaturum brevi & gratuitam operam offerre prostridie; eo id expectantibus minus, quod excusaret se ob temporum angustias alter, quem præsentior certiorque majoris emolumenti spes credebatur inclinatura ad prosequendum opus, cujus priores partes sibi fructuosissimas fuisse fatebatur. Et tum quidem inchoandæ impressioni decretum fuit initium Maij: sed Sanctus integrum esse beneficium suum volens, providit ut ob urgentem aliquam necessitatem suspenso opere quod versabatur sub prælo, ipsum citius vacare contingeret, atque ita quinto infra Octavam die res nostra principium non interrumpendum caperet.*

D *ejusdem Sancti festo terminatur.*

157 *Non sumus nos adeo leves ac temerarii, ut, quidquid Cælitum aliquo ad opem invocato nobis obtingit boni, id statim & propria auctoritate adscribamus operibus naturæ ordinem prætergredientibus: neque eo fine postrema hæc, quæ Francisci intercessioni accepta referimus, commemorantur, ut augeant numerum tot illustrium ac testatissimorum miraculorum. Id solum spectamus ista obligationis nostræ qualiscumque professione, ut omnibus Paulani Thaumaturgi cultoribus constet, quam præcipuo affectu erga ejusdem honorem feramur. Quod si operis nostri ratio*

E *Sancti gloria sanctitate filiorum augetur.*

ferret, ut præter eos quos publico cultu Catholica veneratur Ecclesia, aliorum privata hactenus pietate venerabilium Vitas & Acta eidem intexeremus; nihil profecto faceremus libentius, quam viros, ex sacro Minimorum Ordine sanctitatis nomine illustriores, suis quosque diebus admirandos imitandosque proponere. Nunc, dum id non licet, talium curiosum lectorem ad Annales ordinis, diligenter fideliterque à Lanovio conscriptos remittimus, & ad primam eorumdem Appendicem: atque monemus, ipsius Sancti Fundatoris laudes, nulla alia commendatione sic exaggerari, quam tot sanctissimorum filiorum claritate; qui per omnes dispersi Europæ regiones, velut totidem paternæ virtutis simulacra apparuere. S. Petri Damiani, Vitalem atque Valeriam, parentes Gervasii atque Protasii Martyrum, collaudare volentis, sententia est: Ut probetur quam honeste vixere parentes, ad testimonium vocentur heredes: verosimile quippe est, ut quidquid virtutis in Sanctorum filiis cernitur, totum ab ipsis parentibus traditum fuisse credatur. *At quam sæpe non contingit è spinis rosas, ex impiis progenitoribus sanctissimos filios procreari; ludente in his Dei sanctificantis gratia, & filios Abrahæ etiam de lapidibus suscitante? Certius Damiani verba ad spirituales patres transferentur, & ad ipsum de quo egimus S. Franciscum*; ut qui tot Sanctorum filiorum in Christo ac secundum Christum pater fuit (*verba sunt Theophili Raynaudi, fusius hoc argumentum tractantis*) quique omnes per institutum sanctum ab se conditum, & Regulam cælesti afflatu præscriptam, in spiritu procreavit; nemini de sanctitate, & gratiæ Deo acceptum facientis ubertate concesserit.

F

III APRI-

III APRILIS

SANCTI QVI III NONAS COLVNTVR.

SAnctus Pancratius, Epiſcopus & Martyr Tauromenii, in Sicilia.

S. Agathemerus, Martyr, in Myſia.

S. Euagrius, S. Benignus, S. Chiriſtus, S. Areſtus, S. Sinnidia, S. Rufus, S. Patricius, S. Zoſimus, } Martyres, Tomis in Scythia.

S. Agape, S. Chionia, S. Irene, } Virgines Sorores, Martyres Theſſalonicæ.

S. Vlpianus, Martyr, Tyri in Phœnicia.

S. Donatus, Martyr Nicomediæ.

S. Elpidephorus, Martyr apud Græcos.

S. Galicus, S. Bythonius, S. Dius, } Martyres apud Græcos.

S. Vrbicus, Epiſcopus Claromontanus, in Gallia.

S. Illyrius Thaumaturgus, in Myrſinone monte Peloponneſi.

S. Attalus, Abbas Benedictinus, Tauromenii in Sicilia.

S. Nicetas Confeſſor, Hegumenus Medicienſis in Bithynia.

S. Ioſephus Hymnographus, Conſtantinopoli.

S. Richardus, Epiſcopus Ciceſtrienſis, in Anglia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.

MArgarita Virgo Sanctimonialis, *Georgii Bavariæ Ducis filia, mortua eſt ipſis Regalibus anno* 1530, *& juxta corpus S. Hilarii tumulata, ſed anno* 1612 *à pulcheris reformatoribus ignobiliori urnæ ſimul cum eodem inclusa. Ejus caput ſacrarium Neoburgenſe feſtivo cultu proponit hoc die, ut ſcribit Theodorus Rhay inter Animas illuſtres Iuliæ, Cliviæ &c. qui & dat titulum P. M. vel B. M, quod ponitur pro* Piæ *aut* Bonæ memoriæ: *ſi plus ei competere edocti fuerimus, libenter de ipſa agemus pluribus die ejus mortuali, in Supplemento, ad diem* VI Januarij.

S. Euſtachii Abbatis *memoria habetur in MS. Martyrologio Trevirenſi S. Martini. Suſpicamur eſſe S. Euſtaſium Abbatem Luxovienſem, de quo aliqua heri: ejus Acta dedimus* XXIX Martij.

S. Amphianus Martyr *memoratur in Martyrologio S. Hieronymi, item Auguſtano, Labbeano & aliis.* Amphanus *dicitur à Notkero*, Amphiarius *in MS. Adonis monaſterii S. Laurentii apud Leodienſes. Arbitramur eſſe S. Amphianum Martyrem Afrum, aut S. Amphianum ſine Apphianum, Martyrem Cæſareæ in Palæſtina. De utroque egimus* II Aprilis.

S. Theodoſia Martyr, Cæſareæ in Palæſtina, *refertur hoc die in multis Martyrologiis: in pluribus pridie nominatur* II Aprilis.

S. Hereneus Epiſcopus, S. Andochius, S. Benignus, Presbyteri, S. Thyrſus Diaconus, S. Felix negatiator, *referuntur in MS. Martyr. Vaticano S. Petri & apud Maurolycum, Felicium & Sauſſaium in Supplemento. De Singulorum cultu, quando alii eos referunt, egimus heſterno die* II Aprilis.

S. Maria Ægyptiaca *inſcripta eſt Violæ Sanctorum & variis Calendariis. Acta dedimus* II Aprilis.

Bernardus, Archiepiſcopus Toletanus, *mortuus anno* 1124, *refertur cum titulo* Beati *in Martyrol. Hiſpan. Tamaii de Salazar, & late ejus Acta deſcribuntur. De eo egimus inter Prætermiſſos* II Aprilis.

S. Miles Martyr Romæ, *refertur à Ferrario in Catalogo generali, citatis* tabulis Eccleſiæ S. Silveſtri. *Reliqua ignorari addit. Veremur ne forte ſit nomen appellativum alicujus militis martyrio coronati, ac proinde antiquiora teſtimonia optaremus videre.*

S. Evagriſtius *in unico MS. adjunctus eſt Martyribus in Scythia paſſis, inter quos eſt* Euagrius *& Ariſtus: unde illud nomen emerſiſſe, infra veremur.*

Matronæ Abbatiſſæ *aliquod dictum reperitur lib.* 4 *de Vitis Patrum, interprete Pelagio libello* 2 *num.* 14. *quod ſatis ſuit Arturo du Monſtier, ut eam ſacro Gynæceo inſcriberet*, Beatæ *titulo honoraret, & divina ſapientia & vitæ ſanctitate conſpicuam diceret, quod non facile probabitur prudenter ab eo factum eſſe.*

Euagrius, Epiſcopus Antiochiæ: qui ante diſcipulus S. Athanaſii, tranſtulit à Græco in Latinum Vitam S. Antonii Magni, *uti die* 17 *Ianuarij ante hujus Vitam diximus* § 9. *Hic in Catalogo Petri de Natalibus cum titulo* Sancti *refertur lib.* 4 *cap.* 29. *occaſione* S. Euagrii Martyris in Scythia, *qui hoc die colitur. Petrum ſecuti ſunt Maurolycus, Felicius, & Ferrarius. Abſtinemus ab eo inter Sanctos numerando, dum certiora teſtimonia veneration is aſſequamur.*

Euagrius Presbyter, diſcipulus duorum Macariorum, *eadem de cauſa, à citatis jam de alio Euagrio auctoribus & à Witfordo Sanctis additur: ab aliis de Origeniſtarum erroribus non ſatis excuſatur, ideoque omittendus eſt.*

Dimaus ſeu Dinaus, monachus in Scotia, *cum titulo* Sancti *memoratur à Davide Camerario in Menol. Scotico, citato Wione: qui rejecit in Appendicem Martyrologii ſui, citato libro* 4 *Leſlæi. Hic pag.* 159 *eum collocat inter præclaros viros, qui ſeculo* VII *vita, exemplo & doctrina illuſtrarunt Scotiam.*

Ven. Mintæ *nomen in Kalendario Ruthenico, apud Poſſevinum in apparatu, diem hunc occupat, quænam ſit fatemur hactenus nos ignorare.*

S. Cuannanus, Abbas Magbilienſis, Objiſſe 3 Aprilis

A prilis anno 721 *traditur à Colgano 4 Februarii poſt Vitam S. Cuannæ, Abbatis Liſmorienſis, in Notis num. 2. Nihil aliud de eo hactenus ſcimus. Forte eſt* Comanus filius Domangeni, *hoc die relatus in Martyrologio Tamlactenſi.*

S. Pancratii Martyris veneratio apud Maclovium, quando Roma in Gallias primum ſacræ ejus Reliquiæ delatæ ſunt. *Ita Sauſſajus. Hujus Sancti nulla fit mentio in antiquo Breviario Maclovienſi, ut videantur hæ Reliquiæ non ita pridem ex cœmeteriis Romanis erutæ, & dies hic electus, quo colitur* S. Pancratius Epiſcopus Tauromenitanus in Sicilia & Martyr.

Thiento Abbas Weſſeprunenſis, cum ſex fratribus in Khreitzberg, ab Hungaris anno DCCCCLV Martyrizatus, *refertur cum titulo* Beati *tomo 3 Metropolis Saliſburgenſis anno 1620 editæ ab Hundio & Gewoldo pag. 486, non indicato die necis. Menardus ad tertium Aprilis eum referens in Martyrologio Benedictino anno 1629 excuſo,* In Bavaria, *inquit,* B. Thientonis, Abbatis & Martyris. *At Bucelinus dein ſuo Menologio cum titulo* Sancti, *eumdem inſcripſit, citata Bavaria Sancta Matthæi Raderi, in qua nuſquam, imo ne quidem in Bavaria pia, ejus mentio reperi-*
B *tur, niſi forte alterius alicujus elogio inſerta.*

Bonus, Abbas Camaldulenſium, Piſis in Etruria, anno MLXX pie mortuus, *refertur à Bucelino cum titulo* Beati *hoc die, citata prima parte Hiſtoriæ Camaldulenſis ab Auguſtino Florentino edita, in qua nuſquam reperimus mentionem hujus. Silvanus Razzius & ipſe Camaldulenſis, in Vitis à ſe Florentiæ an. 1600 editis inter Sanctos & Beatos Ordinis ſui non recenſet* Bonum.

Alfanus, monachus Caſinenſis, *laudatur à Petro Diacono in libro de Ortu & vita Iuſtorum ſacri cœnobii Caſinenſis cap. 53. Is Menologio Benedictino inſcriptus nuper eſt à Bucelino, cum titulo* Beati: *quod nondum legimus ab aliis factum.*

Mainardus eremita in eremo Stiriæ, *plurimum laudatur à B. Petro Damiano in tractatu de perfectione cap. 23. Ejus nomen ideo inſcripſit Menardus Appendici ſecundæ ad Martyrologium Benedictinum, inter illos, quorum diem natalem ignoravit. Bucelinus ad hanc diem retulit: & ambo* Beatum *appellant.*

Hermannus, Converſus monaſterii Villarienſis, Ordinis Ciſtercienſis, in Brabantia, *cum titulo* Beati *refertur à Chryſoſtomo Henrique, Bucelino & Chalemoto. Priores citant Auctarium Arnoldi de Raiſſe ad Natales Sanctorum Belgii à Molano editos. Verum Arnoldus refert Hermannum ad diem* VII *Aprilis, &* abſ-
C *que* Beati *titulo. Sauſſajus inter* Pios *recenſet. Quæ ex Chronico Villarienſi de virtutibus ejus narrantur, tradunt dicti auctores.*

Giomaria Virgo, ſanctimonialis Ordinis Ciſtercienſis in Luſitania, *inſcripta eſt cum titulo* Beatæ *Menologiis memoratis Henriquez, Bucelini & Chalemoti. Verum à Georgio Cardoſo in Hagiologio Luſitano ſolum inter* Venerabiles *cenſetur, qui late de ea agit, & mortuam ſcribit anno* 1570.

IV Fratres occiſi in India Orientali, } Ordinis Minorum *cum titulo* Beati *referuntur in Martyrol. Franciſcano Arturi du Monſtier, &* Clara *in hujus Gynæceo Sacro: ceterum de veneratione nihil indicatur: uti neque à Cardoſo de dictis 4 Fratribus occiſis.*
Joannes de Penna, in Piceno,
Bernardus à Mandela, in monte Alverniæ
Petrus Melgarus, in Luſitania,
Clara Martinezia, in Hiſpania,

Alexandrina Virgo, Abbatiſſa Clariſſarum Fulginii in Vmbria, præcipuarum virtutum cumulata fructu, hoc die anno 1458 mortua, *cum titulo* Beatæ *refertur ab Arturo du Monſtier in Martyrol. Franciſcano & in ſacro Gynæceo, uti à Iacobillo de Sanctis Fulginii & de Sanctis Vmbriæ. At Franciſcus Haroldus in epitome Annalium Ordinis Minorum Romæ nuper edita ad dictum annum* 1458 *eam laudat, ſed abſque titulo* Beatæ. D

Michaelis pueri *quadrimi, ex honeſto Aſtenſi cive Franciſco de Iacobis nati, & anno 1566 hac 3 Aprilis, cum ſuam Iudæi Paraſceven celebrarent, ab iiſdem immaniſſime occiſi, Martyrium deſcripſit adm. R. D. Philippus Malabayla, Viſitator generalis Congregationis S. Bernardi reformatæ in Italia aſſerens corpus, duodecimo poſt die incorruptum, in loco ſubterraneo repertum à milite Germano; & ab Epiſcopo Aſtenſi Gaſpare Capris, cum totius civitatis concurſu, ideo latum eſſe in proximam S. Mariæ novæ Canonicorum Lateranenſium eccleſiam, atq; intra altare majus reconditum eſſe. His ſimilia narrat Vghellus Tomo 4 Italiæ ſacræ col. 573 in Epiſcopis Aſtenſibus. Rei geſtæ ſeriem pleniorem libenter hic daremus, ſi nobis conſtaret Apoſtolicos Viſitatores, pro ejuſmodi rebus poſtea per Italiam miſſos, factum probaſſe: cauſam enim dubitandi dat altum hoc tempore ea de re inter Aſtenſes ſilentium, & congruæ Sancto venerationis ceſſatio vel defectus, per litteras nobis ſignificatus: quin imo de hoc puero nihil umquam auditum ſibi aſſeruit P. Cacheranus, iſtic olim Canonicus annorum 75, nec aliud ſciri quam aliquod corpus, ignoti nunc Sancti, ac ne in Syllabo quidem Reliquiarum annotati, aſſervari ſub ara abſque alio cultu.* E

Juliana Virgo, monialis in Monte S. Cornelii, *inſcripta eſt Kalendario Ciſtercienſi, Divione anno 1617 excuſo: mortua eſt* V Aprilis.

Sixtus Papa & Martyr, *ejus nominis primus, inſcriptus eſt Martyrologio Flori, & MSS. Atrebatenſi, Tornacenſi & Latienſi. Item in Vaticano S. Petri & in pervetuſto MS. monaſterii S. Sabini in Pireneis ad calcem Martyrologii Gallicani pag. 1248 aliiſque. De eo cum Martyrologio Romano acturi ſumus* VI Aprilis.

B. Hermanni, cognomento Joſeph, tranſitus *memoratur in Faſtis Colonienſibus Gelenii. Ejus Vitam dabimus* VII Aprilis.

Helias cognomento ſolitarius, Abbas Scotorum peregrinorum Coloniæ, qui utrumque ibidem monaſterium S. Martini & S. Pantaleonis rexit. *Ita Thomas Dempſterus, citato Mariano in Menologio Scotico. Non eſt is hodie faſtis Colonienſibus Gelenii inſcriptus, ſed* XII Aprilis.

S. Engracia ſive Encratis, Bragenſis Virgo & Martyr, *inſcripta eſt Hagiologio Luſitano Georgii Cardoſi, citatis Hieronymo Romano de la Higuera, & Fernando Boano, quaſi eſſet diverſa à S. Encratide Cæſarauguſtana, & Boanus dicit hanc coli* XIII *Aprilis. Si quid certi conſtet, poterit dici ad dictum* XIII, *aut potius quando de S. Encratide Cæſarauguſtana agemus* XVI Aprilis. F

S. Antonius, Confeſſor Turonis, *memoratur in MSS. Vallicellano Patrum Oratorii Romæ, & Centulenſi ſeu monaſterii S. Richarii in Pontivo. Alia MSS. habent die præcedenti; alii vero, quo tunc rejecimus,* IV Maji.

S. Petri Apoſtoli feſtum frequentiſſimo concurſu III Nonas Aprilis celebrari in Salentinis, in vetuſtiſſimo ejus fano, ipſo vivo, ut fama eſt, conſtituto, *tradit Leander Albertus in Deſcriptione Italiæ pag. 354. Acta* S. *Petri erunt illuſtranda* XXIX Junii.

S. Victoris Epiſcopi Capuani depoſitio *hoc die facta intelligitur ex antiquiſſimo ejus epitaphio apud Vghellum tomo 5: feſtum ejus in Romano Martyrologio collocatur ad diem* XVII Octobris.

S. Ebergiſus, Epiſcopus urbis Trajecti ad Moſam, *memoratur in Catalogo Generali Ferrarii, citato Ioanne Chappeavillo; apud quem ex Ægidio legitur, ejus* feſtivitatem recoli à quibuſdam quinto Nonas Aprilis, *pro quo alii legunt* quinto Kalendas Aprilis, *ut tum diximus inter Prætermiſſos: & quia* à quibuſdam feſtivitas recolitur Nono Kalendas Novembris, *dedimus tunc rationem quare eum voluerimus rejicere in* XXIV Octobris. S. Flo-

A S. Florentius, Episcopus Argentoratensis, *memoratur à Canisio & Ferrario: ab aliis* VII Novembris.

S. Burgundofora, Abbatissa & Virgo, *inscripta est hoc die Martyrologio Romano, & Angliæ adscribitur. Præivit, cum MS. Florario & Greveno, Molanus in Auctario Vsuardi; & Abbatissam Evoriacensem in diœcesi Meldensi appellat. Secuti deinde alii: & Vitam ad hunc diem edidit Surius, quod & nos aliquando statuimus facere. Verum cum ipsa soleat* Fara *appellari, sub hoc nomine referunt eam* VII *Decembris Vsuardus (qui tempore & loco proximus vixit) & posteriores Martyrologi, cum ipso Martyrologio Romano. Quo etiam die (non* III *Aprilis) in monasterio proprio solenni Officio Ecclesiastico colitur, & sub ritu duplici in ecclesia & diœcesi Meldensi. Quare & nos arbitramur differenda Acta ejus, quæ interim apud Surium & inter opera Bedæ legi possunt. Nos quoque varia circa illam tractavimus* XXIX *Martii, in Vita S. Eustasii Abbatis Luxoviensis cap.* I. *Reliqua ergo danda erunt* VII Decembris.

B. Madelupi Sacerdotis translatio corporis, in Altovillari monasterio, *refertur à Molano in Auctario 2 & 3 editionis Vsuardi: & in MS. Martyrologio Carmeli Colonienses. Secuti Molanum sunt VVion, Dorganius, Ferrarius & Saussajus: & loco* Beati *etiam* Sanctum *appellat Ferrarius. Edidit Nicolaus de Guerrois accuratum catalogum Sanctorum Diœcesis Remensis, absque ulla mentione* B. Madelupi, *at meminit S. Bercharii ejusdem monasterii Abbatis. De eodem monasterio ejusque Abbatibus agunt Sanmarthani, & nihil tradunt de* Madelupo: *quem suo Martyrologio etiam non inseruit Menardus: & nos ergo certiora expectamus ad diem depositionis, quem se Altivillarienses agere scribunt, die* XX Decembris. D

S. Thomas Apostolus in India *seu* Nicia *refertur in MSS. Martyrologiis Augustano & Labbeano: ab aliis adjungitur* SS. Euagrio, Benigno & sociis, *passis Tomis in Scythia, nomine forsan S. Thomæ loco civitatis intruso: ut infra latius dicitur.* S. Thomas Apostolus *colitur* XXI Decembris

DE S. PANCRATIO EPISCOPO,

AUCTORE G. H.

MARTYRE TAVROMENII IN SICILIA,

B *Memoria sacra* S. Pancratii apud Tauromenium in Sicilia *absque ulteriori elogio inscripta est antiquis Martyrologiis S. Hieronymi, Vsuardi, Adonis, Notkeri, & aliis ad quamplurimarum Ecclesiarum usum conscriptis. Petrus de Natalibus lib.* II *cap.* 130 *num.* 109 Confessorem, *aut* Episcopum & Martyrem *appellat Maurolycus, quem sequantur alii, & Galesinius ista addit:* Hic B. Petri Apostolorum Principis discipulus, illius civitatis Episcopus, nobili fidei certamine egregius Christi miles, cælesti corona donatur. *Hodiernum martyrologium Romanum hunc diem ita auspicatur:* Tauromenii in Sicilia S. Pancratii Episcopi, qui Christi Euangelium, quod à S. Petro Apostolo illuc missus prædicaverat, martyrii sanguine consignavit. *Fuit Tauromenium præclarissima olim civitas, Messanam inter & Catanam ad mare Siculum in arduis montibus condita, à Saracenis imperante Leone Sapiente intercepta atque eversa, ad quod usque tempus sacrum corpus S. Pancratii adservabatur & colebatur Tauromenii, susceptisque piorum virorum peregrinationibus adibatur. Vtrumque legimus in Vita S. Eliæ Junioris monachi ad* XVII *diem Augusti illustranda, in qua ista habentur.* Ceterum post aliquod tempus prægestiebant sancti Patres, *Elias & Socii,* Tauromenium trajicere, ad Sacrosanctas Divi Pancratii reliquias pie venerandas. Ibi cum essent, Elias divinitus cognovit * Brachimi hostis infestissimi exitialem ex Africa adventum, ac civitatis vastitatem & cladem. *Reliqua videri possunt apud Octavium Cajetanum tomo 2 de Vitis Sanctorum Siculorum pag.* 73; *& in Historia translationis S. Severini Noricorum Apostoli, à Ioanne Diacono Neapolitano descripta, & à nobis ad diem* VIII *Ianuarii in Appendice edita pag.* 1099, *ubi describitur cades S. Procopii ultimi Tauromeniorum Episcopi & aliorum, quorum corpora jussu tyranni igne absumpta sunt; quod sacris reliquiis S. Pancratii tunc etiam factum arbitramur.*

Nomen in sacris fastis:

reliquiæ usque ad accessum Saracenorum honoratæ.

C * *al* Abracheni.

2 *Decessor prædicti S. Procopii fuit Theophanes Cerameus, tempore Basilii Macedonis & dicti Leonis Sapientis Episcopus Tauromenitanus, cujus homeliæ extant Græce & Latine opera Francisci Scosi anno* 1644 *vulgatæ: inter has Homilia* LVII *dicta est in festo* S. *Pancratii; & uti in exordio præfatur auctor,* ad Sanctum ejus sepulcrum, *Græce* ἐν τῇ ἁγίᾳ τάτᾳ σόρᾳ ad reliquiarum conditorium *sive* urnam. *Thema ex Euangelio S. Ioannis cap.* 10, *quod in Sacrificio Missæ legebatur illo die, hoc sumitur:* Ego sum ostium, per me si quis introjerit, salvabitur. *Quam sententiam cum graviter æque ac pie interpretatus esset Theophanes, ista interserit:* Imitemur Pastorem hunc verum & Domini imitatorem Pancratium, cujus sanctissimam vitam postquam cursim exposuero, ostendam non esse difficile imitari. Sanctus igitur Pancratius (sicuti memoriæ prodidit, qui de ejus gestis historiam scripsit Euagrius) ab Oriente profectus, & Principis discipulorum manibus, sacris initiare potentibus, Episcopus creatus, in nostram hanc insulam missus est. Cumque ad hanc civitatem Tauromenium advenisset, primum omnium abominationibus dæmonum eam expurgat, & profana conterit simulacra: ex quibus præcipuo colebantur honore Phalcon & Lyssus & Scamandrus. Postea ad veram religionem Præfectum civitatis Bonifacium traduxit, ac templa in Dei cultum & sacras ædes ædificat. Demum cum multos convertisset ad veram fidem, vitæ finem martyrio consignavit: atque in hac etiam Dominum suum imitatus, & sui purpura sanguinis Pontificatus dignitate decorata, in cælum Angelorum manibus sublatus est. SECULO I E

Vitæ compendium ex homilia Theophanis Ceramei.

3 *Hæc Theophanes. Qui ab eo citatur Euagrius, traditur S. Pancratii discipulus & comes fuisse, & Magistri sui scripsisse historiam: qua deperdita, suppositio Euagrii hujus nomine, confecta sunt, & forsan post depulsos è Sicilia Saracenos, quædam Acta S. Pancratii, meris fabulis & mendacissimis relationibus conferta: quæ olim in Latinum converterat Iacobus Sirmondus rogatu Octavii Cajetani, sed indigna prælo visa sunt, & enormia ejus menda à Cajetano pluribus indicantur atque exploduntur tomo 1 de Vitis Sanctorum Siculorum pag.* 9 *&* 10, *in Vita, quam dictus Cajetanus de S. Pancratio collegit. Verioris historiæ, quam Euagrius scripsit, potest fragmentum censeri, quod ex Theophane Cerameo dedimus: aliud est à S. Theodoro Studita citatum libro 2 epistola* 8, *inscripta* omnibus propter Christum dispersis fratribus, & iis qui in carceribus & exiliis detinentur *propter cultum sacrarum imaginum. Refertur ea epistola à Baronio ad annum* 814 *ubi num.* 49 *ista habentur:* Petri Apostoli vox est in historia S. Pancratii: Fili Joseph, adfer imaginem Domini nostri Jesu Christi, & imprime illam in Pyrgisio, ut videat populus qualem formam sumpserit Filius Dei, ut videntes amplius crescant, formæ typum intuentes, & reminiscantur eorum, quæ per nos eis annuntiata sunt. *Hæc S. Theodorus Studita: cui addi posset auctoritas Simeonis Metaphrastæ in commentario de SS. Pe-*

E

F

aliqua citata à S. Theodoro Studita

AUCTORE G. H.

& ab anonyme in oratione de S. Petro & Paulo:

tro & Paulo per Lipomanum & Surium edito, ſi, quod hi prætendunt, eſſet Metaphraſtæ lucubratio; ſed hoc melius negat Leo Allatius in ſua de Simeonum ſcriptis Diatriba, dum inter ea non recenſet. In dicto commentario, cujuſcumque Græci ſuerit, dicitur S. Petrus Domini Apoſtolus, cum multas Antiochiæ feciſſet curationes, ordinaſſe Epiſcopos, Marcianum Siracuſis in Sicilia, & Pancratium Tauromenii. *Deinde, variis interpoſitis, traditur* navigaſſe in Siciliam, & cum veniſſet Tauromenium, diverſatus apud Pancratium virum ſapientiſſimum. Quo in loco cum quemdam Maximum catecheſi inſtituiſſet, & baptizaſſet, & Epiſcopum ordinaſſet, Romam appellit. *Colitur* XIV *Iunij S. Marcianus, &* XII *Ianuarij S. Maximus, Epiſcopus Tauromenitanus & ſucceſſor S. Pancratii habitus, inter quos tamen à Rocchio Pirro collocatur ſupra memoratus Euagrius, An recte & non ex fabuloſis Actis id ſiat, diſquirant Siculi.*

dantur Acta auctore Gregorio Paguriensi,

4 *Floruit ſub initium ſeculi noni, Gregorius monachus Byzantinus, ex monaſterio Pagurienſi: qui in Siciliam profectus, ad Tauromenitanos habuit orationem encomiaſticam de S. Pancratio, quam ex duplici MS. Meſſanenſi & tertio Sinopolitano erutam Latine reddidit Auguſtinus Floritus, & edidit Octavius Cajetanus: qui arbitratur Leonem Armenum Imperatorem intelligi, dum ſub finem petit auctor* hæreſes exterminari & novellum Goliath proſterni. *Dabimus infra ab eodem Auguſtino Florito Latine redditam S. Ioſephi Hymnographi Vitam; quam quia opus fuit non uno loco emendare, ipſam cum textu Græco conferentes, veremur ne hæc quoque editio ſimili curatione indigeat, ideoque optamus etiam hic Græca ad manum habere. Subjungimus deinde Canonem à jam dicto S. Ioſepho hymnographo Siculo ſub finem noni ſeculi compoſitum, & à Græcis ad honorem S. Pancratii hactenus in Sicilia recitatum, cum non extet in Menæis excuſis. Quod ſi eum Græcum habere potuiſſemus, nova cum verſione feciſſemus Latinum: vix enim dubitamus, quin hic quoque ſtylum ſuum tenuerit auctor, & acroſticho per ſingularum ſtropharum initia repericndo innexuerit Canonem univerſum, additis in fine ſui nominis litteris.*

B

& ode S. Ioſephi hymnographi,

5 *Poſt exactos ab Sicilia Saracenos, Eccleſia Tauromenitana abſque proprio permanſit Epiſcopo; ac primum Troinenſi, dein Meſſanenſi Eccleſiæ manſit ſubjecta vel unita. Aſſumpſit illa ſimul venerationem S. Pancratii Epiſcopi & Martyris, cujus feſtum ſub ritu Semiduplici celebrat hoc* III *Aprilis, deſumpto officio de Communi unius Martyris, uti indicantur in Officiis propriis, Meſſanæ anno* 1624 *excuſis. Eſt idem* Pancratius, Tauromenii Epiſcopus & Martyr, *Patronus oppidi Turturicii, in Valle-Nemorenſi ſeu Demonenſi ſiti, & vulgo* Brancatus *dicitur, quem* miraculis *ibidem* clarum *eſſe tradit Cajetanus in Idea operis ſui pag.* 31. *Obſervat Franciſcus Scorſus, in Notis ad Homiliam Theophanis de S. Pancratio,* à Tauromeniis hac ætate ſolennem ejus diem celebrari die IX Julij, eoque nundinas inchoari: quod ab antiquis temporibus deductum in morem *conjicit ex initio Homiliæ ſequentis, dictæ in feſto S. Pantaleontis* XXVII *ejuſdem Iulij, ad quem diem nundinæ iſtæ continuabantur. Dicto* IX *Iulij eumdem S. Pancratium recolunt in ſuis Martyrologiis Maurolycus, Felicius, Galeſinius, Cajetanus, Ferrarius; & aliqua encomia de ejus martyrio ex Actis habent. Cajetanus ad diem* IX *Februarij* commemorationem *celebrat* SS. Marciani & Pancratii, Epiſcoporum ac Martyrum.

Officium Eccleſiaſticum:

Patronatus Turturicii:

C

& 9 Febr.

cultus 9 Iulij

6 *Græci utroque jam aſſignato die celebrant ſacram memoriam S. Pancratii: ac primo nono Februarij in Menæis nec non & apud Maximum Cythereum & in MS. Synaxario Pariſienſi, ex quo iſta damus:* Memoria SS. Marcelli Epiſcopi Siciliæ, Pancratii Tauromenii, & Philagrii Cypri. Hi erant diſcipuli ſancti Apoſtoli Petri. Genitor namque S. Pancratii, cum audiviſſet miracula Chriſti adhuc corporaliter in terra degentis, ut eum videret, ab Antiochia Hieroſolymam cum Pancratio eſt profectus: ex quo tempore Pancratius venit in notitiam S. Petri, quem poſt Chriſti aſcenſionem

potiſſimam à Græcis,

Chriſtum vidit Hieroſolymam profectus,

ſecutus eſt, & ab eo ordinatus Epiſcopus Tauromenii: ubi ob Chriſti nomen & fidem, quam docebat, eſt clam à paganis intereimptus. Marcellus pari modo Epiſcopus Siciliæ creatus, cum multos infideles ad Chriſtum converciſſet, curſum vitæ conſummavit. Sicut & Philagrius, Cypri Antiſtes factus, multis ad Chriſti fidem converſis, multiſque pro ea tormentis exantlatis, ad Dominum migravit. *Hæc ex MS. Synaxario. In Menæis non* pater S. Pancratii, *ſed* Marcellus *dicitur* cum S. Pancratio abiiſſe Hieroſolymam. *Et qui hic ubique ſcribitur* Marcellus, *videtur* Marcianus *eſſe, primus Epiſcopus urbis Syracuſanæ, qui colitur* 14 *Iunij. Elogium ex Menæis dedimus* IX *Februarij, quo die de S. Philagrio egimus. At ſolenniſſima celebritas S. Pancratii eſt* IX *Iulij, in omnibus Græcorum Menæis & Menologiis: quo die in ſupra citato Synaxario Pariſienſi accuratius illud encomium recitatur.*

D

vitam ſolitariam in ſpelunca agit:

E

7 Eodem menſe Julio, & die nono, Certamen ſancti Patris noſtri ac ſacrati Martyris Pancratii, Epiſcopi Tauromenii. Sanctus hic vixit temporibus Sanctorum Apoſtolorum, trahens genus ſuum ex confiniis Antiochiæ. Sacrum baptiſma ſimul cum patre & matre ſuſcepit in ſancta Sion. Poſt eorum vero obitum, cum omnem ſibi contingentem hereditatem reliquiſſet, in Ponti confinia profectus, & in ſpeluncam quamdam ingreſſus, exercebatur ſolitarius, & ſibi ipſi intentus, cum ſolo Deo converſabatur. Princeps vero Apoſtolorum Petrus, per urbes circumquaque tranſiens ac docens, virum hunc in Ponto deprehendit: quo ſuſcepto, venit Antiochiam, deinde in Ciliciæ regionem, ibidem magnum Apoſtolum Paulum aſſecutus. Hi duo impoſitis manibus conſecrarunt Epiſcopos, Creſcentem Galatiæ, Marcianum Syracuſarum, & S. Pancratium Tauromenii. Cum autem Pancratius ingreſſus eſſet navim, cui præerant Lycaonides & Rhomilus, pervenit in eam, ad quam mittebatur, regionem. Dicti autem naucleri, ob plurima miracula, quibus Sanctus fidem Chriſti confirmabat, primitiæ credentium facti ſunt, & ſimulacra Phalconis & Lyſſonis ac reliquorum dæmonum in iſta regione evanuerunt. Præfectus vero loci, nomine Bonifacius, prodigia facta intuitus, & in ſtuporem raptus, fidem Chriſti ſuſcepit, & magna adhibita feſtinatione, intra triginta dierum tempus eccleſiam conſtruxit. Pancratius vero per gratiam Chriſti ſanabat omnem languorem, & omnes morbos, & ſingulis diebus aggregabat Chriſto & Deo magnam incolarum multitudinem, quam baptizabat. Soli autem montani perſiſtebant in ſua perfidia obſtinati. Hi cum Principe ſuo Artagato hoſtiliter offenſi ſunt ſancto viro; quem obtenta opportunitate, ac dolo circumventum occiderunt, & ad Deum ab eo diu deſideratum tranſmiſerunt: qui hac ratione retributionem omnium ſuorum laborum invenit.

à SS. Petro & Paulo conſecratus Epiſcopus,

ſimulacra dejecit,

miracula patrat:

F

plurimos baptizat:

Martyr obit.

8 *Hactenus MS. Synaxarium, cui conformia, ſed plurimum contracta, leguntur in Menologiis Baſilii Imperatoris, & Cardinalis Sirleti, in Anthologio novo cum approbatione Clementis VIII edito, & apud Maximum Cythereum* ἐν βίοις ἁγίων. *In Menæis excuſis & MSS. ubi Canon antiquior ad diem* IX *Iulii præponitur, hoc principio* Τρεῖμον λίθον σε ἡ ἐκκλησία γνωρίζει ἐδραιώμων τῶν λόγων σε στηριζομένη ἀεί. Pretioſiſſimum lapidem te agnoſcit Eccleſia, tuis fundamentalibus ſermonibus confirmata: *& ad hoc principium alluſiſſe videtur auctor diſtichi, ante encomium ex more poſiti, quod eſt tale:*

Προθ' εἰς ἀυλὸν Παγκράτιος εἰς βόθρον,
Ἀθλήσεως ἤγειρεν οἶκον ἐκ λίθων.

Pancratius ipſum ſe in fundamentum locans.
Certaminum è ſaxis ſolidam extruxit domum.

Certamen Sancti Martyris Pancratii Epiſcopi *celebratur*

A *tratur eodem* IX *Iulij in Martyrologio Arabo-Ægyptiaco, quod ex lingua Arabica nobis tranſtulit Gratia Simonius, collegii Maronitarum tum Romæ alumnus. Denique* Siculorum Eccleſiæ Epiſcopum à S. Petro Apoſtolo præpoſitum Pancratium, *tradit Nicephorus Calliſtus lib.2. Hiſt Eccl. cap.35. Dicuntur in Bononia perluſtrata aliquæ Reliquiæ* S. Pancratii Epiſcopi & Martyris *aſſervari Bononiæ in Eccleſia S. Dominici. Tricarici quoque Lucaniæ urbe Epiſcopali, in æde Cathedrali, una cum aliis Sanctorum Reliquiis, ſervantur oſſa quædam* S. Pancratii Martyrii, *teſte Ferdinando Vghello tom.7 Italiæ ſacræ col.192: quæ hujus potius Epiſcopi ex Sicilia eſſe crediderim, quam alterius Romæ paſſi, quoniam collocantur cum Reliquiis S. Potiti Martyris ex Sardinia allatis.*

Reliquiæ.

SERMO ENCOMIASTICUS

Auctore Gregorio monacho Pagurienſi.

Interprete Auguſtino Florito Soc. Ieſu.

CAPUT I.

Exordium de Sanctorum Veneratione. Virtutum S. Pancratii collectio.

B 1 CUm ad ſpiritualem hanc celebritatem, ſumma cum fide convenerimus jam, ad pretioſas animæ merces comparandas; ejus auctori mercatorique divina munera offeramus; non ex auro, gemmiſque aut margaritis diſtincta, neque præclari artificis elaborata manu; non ex byſſo, purpura, ſericoque contexta (ornamenta utique brevem ſplendorem præferentia, at paulo poſt intereuntia: utpote quæ ex fluxa & interitui obnoxia materia conſtent, adſcito ex arte decore, quem amittant tandem neceſſe eſt, & in priſtinam turpitudinem redeant,) verum ea demum ſint munera noſtra, quæ cælitus dimanent maneantque in omnem æternitatem, divinæ gratiæ artificio fabrefacta, ac ſancti Spiritus illuſtrata ſplendoribus. Neque enim is, de quo agimus, materiæ fæce concretus eſt, ita ut ejuſmodi muneribus delectetur; ſed ab omni caduca fluxaque concretione maxime alienus atque ſejunctus; proinde ſpiritualem illi decuit paraviſſe ornatum. Neque ſane immerito provinciam hanc ſuſcepiſſe arbitramur. Quamvis enim hujuſmodi artium ac diſciplinarum plane ſimus expertes, peregrini nimirum deſpicatique homunciones; iidem tamen fide ſubnixi, ad apicem ſpiritualis opificii pertingemus. Nam ſi fluxa, quæque infra lunæ orbem ſunt, Pancratius, homo plane divinus, adamaſſet; jure optimo non aliunde, quam ex iis laudationis ſumeremus argumentum. Cum vero ab omnibus id genus rebus mirum quantum ille abhorruerit, æternæ beatitudinis deſiderio flagrans, ac victis edomitiſque pravis animi motibus cæleſtium vitam æmulatus ſit; jam præſtantius nobiliuſq; illi donum offeramus. Non quod is rerum noſtrarum ſit indigus, aut ad incorruptas perenneſque ejuſque ejus divitias aliqua fieri poſſit acceſſio; ſed ut aliquam laborum noſtrorum mercedem nobis opulentiſſimus largiatur, mentis noſtræ caliginem ſuo ſplendore colluſtrans; quandoquidem cæleſtes ſibi divitias comparavit, jam ſupernæ Hieruſalem civibus adſcriptus, jam divini ſacrarii Sacerdos declaratus, jam incola paradiſi effectus, jam ſumma cæleſtium mentium gratulatione acceptus, cum iiſdem una glorioſe in eadem aula verſatur, puriſſimo decoris lumine colluſtratus. Chriſtum enim juxta Divi Pauli ſententiam, per ſacrum lavacrum induerat: quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Verumtamen ſi Chriſtum, ut modo dictum eſt, jam induerat; ſane conſtat, & Spiritum ſanctum, atque adeo Patrem ipſum induiſſe. Quod ſi talem ac tantum cælitus accepit ornatum, quis unquam pro dignitate illum poterit exornare, qui omne laudationis genus longe tranſcendit, æterniſque in cælo laudibus ſatis ſuperque cohoneſtatur?

Sanctis eſferenda dona.

Gal. 3, 27.

AUCTORE GEORGIO

imprimis S. Pancratio

2 Verum enimvero quis tandem eſt is, cui tantus gloriæ ſplendor à Spiritu ſancto evenerit, quique tanta divinitatis luce perfundatur? Eum ego vobis nominatim indicabo, ut ex ipſa nomenclatura verbique notione plane intelligatis atque adeo admiremini, res ejus geſtas vitaque ſeriem ab ejus nomine minime diſſentire? Atque is demum Pancratius eſt, is, inquam, qui παν κρατος hoc eſt, omne robur omnemque vim communis hoſtis devicit atque profligavit; qui omnia ejus tela ad gratiæ cotem alliſit atque diffregit; qui radios è cæleſti ſpecula mente concipiens, tamquam nocturnus Lucifer, iis qui in ſumma veritatis ignoratione, ut in tenebris, verſabantur, eluxit: qui terrena terræ, tamquam inutilem ſarcinam, dereliquit; cæleſtium, quæ ſola bona exiſtimabat, amore ac deſiderio ſuccenſus: qui acceptum fidei talentum, per ardentiſſimum caritatis ſtudium, multo fœnore adauxit: qui non ſocordiæ ignaviæque ſe corrumpendum dedit, ſed ad impigre laborandum ſe accinxit: qui miſſus in novellam vineam operarius, minime ſe geſſit eo munere indignum: qui aquam ſuapte natura nulli idoneam uſui, ſupra naturæ vires in jucundum conducibileque vinum commutavit (quæ ſane potio, utpote magna tolerantia laborum expreſſa, ipſas Angelicas virtutes exhilaravit) qui oratione æque ac rebus geſtis præclariſſimos rhetoras vicit, rudes ſpiritalibus diſciplinis informavit: qui terrenum Angelum hominemque cæleſtem ſe præbuit præſtititque, nec ſegnem in Euangelii promulgatione curſorem atque miniſtrum, nec timidum in evertendis deorum ſimulacris inſectatorem: qui ſacrarum nuptiarum veſte ornatiſſime tectus, cæleſtium epularum guſtu fruebatur: qui in ſpiritali bonorum paradiſo, tamquam rationale lignum conſitus, & vitali fontium perennitate irrigatus, juſtitiæ fructus edidit uberrimos: qui in Chriſti ovili, inſtar eximii fortiſque arietis, præ ceteris conſpicuus extitit; nunc vero in cæleſti grege innocentiſſimus agnus numeratur: qui in ſpirituali cithara, multiplici inſtructa chordarum apparatu, ut loquaciſſima fides, ſonos edidit ſuaviſſimos; argutiſſimaque in divinis tibiis fiſtula, numquam earum perturbavit harmoniam: qui ex vera vite inſtar racemi maturiſſimi pendet; & in divina regione inſtar ſpicæ perpetuo vigentis exurgit: qui jam cæleſti civitate donatus, nequaquam mortalitatis obſtringitur vinculis, nequaquam peccati catenis detinetur.

quia omni virtute ornato.

E

omni laude dignißimo.

F

CAPUT II.

S. Pancratii miſſio ad Siculos. Labores & ærumnæ in converſione Tauromeniorum. Martyrium.

C *ſpiritualia potius quam corporalia;*

3 IS, inquam, tot virtutibus præditus, totque tamque præclaris nominibus exornatus, à Divo Petro Apoſtolorum Coryphæo ſacris initiatus, ac verendo Sacerdotii jugo rite ſuſcepto, ad divulgandum Euangelium augendamque Chriſti fidem atque ad rationalium ovium regimen miſſus eſt. Quiſtudio parendi præceptis divinis inflammatus, conſcenſa navi ad Occidentem navigavit: cumque ſecundis ferretur ventis, ad Tauromenitarum urbem appulſus eſt. Et navis quidem (proh! rem admiratione dignam) onus vehebat, ſed ipſam incolumem ab om-

à Creatus S. Petro Epiſcopus & Tauromenitis miſſus.

AUCTORE GEORGIO

ni periculo, ſuum onus ſervabat. Neque enim tam navis à pelagi injuriis tuebatur vectum, quam vector navi tranquillitatem præbebat; utpote qui adeſſet in navi, tamquam peritiſſimus gubernator, clavum tenens, & ope ſubſidioque præpotentis Dei ſecundo curſu dirigens. Ad littus igitur ut appulit navis, ſtatim iis, qui inſano idolorum æſtu ſus deque jactabantur, placidam veræ religionis attulit ſerenitatem: ad quam incolæ accurrentes cæleſti gratia perfuſi, pro ſuo quiſque ſtudio, cœpere varia ex nautis ſciſcitari: Ecquid, inquiunt, merces, quæ magno nobis futuræ ſint uſui, adnos importatis? edicite & pretium eloquimini. Tum ii mercium ſuarum vim virtutemque demonſtrant. Oſtentoque univerſis Pancratio, magni nimirum pretii vaſe; Nequaquam inquiunt, auro venalia ſunt mercimonia noſtra; ſed fide parari poteſt, quod damus; neque auro hic veneunt vaſa, quæ ſupra omne pretium ſunt; ſed qui vehementer expetunt, his cæleſtis eſca gratis offertur, quæ non ad ſaturanda corpora, ſed ad animas enutriendas adhibetur. Itaque Dei famulus cum eos omnes, qui navi vehebantur à tenebris adfidei lumen vocaſſet, jam in terram deſcendit, ut ad ſalutarem veritatis cognitionem omnes traduceret, ac

nautas ad fidem conversi.

B pereuntem populum ad vitam revocaret. Ac ſimul ex illius ore, velut ex æthere, divina vox intonuit,

diabolo victo contritoque,

quibus conterritæ omnes tremuerunt dæmonum phalanges; fulgurare per linguam tamquam ex nubibus æternam coruſcantemque divini verbi vim atque potentiam viſus eſt, & mente præditum draconem jaculari: ac veluti alter Moſes ſapientiæ germen, Ægyptiam impietatem, turpiſſime victam profligavit; nec eidem ſe geſſit inferiorem, cum per maris undas, quaſi per ſiccum pedibus iter fecit. Hoſtes enim humani generis animorumque inſectatores facili negotio in profundiſſima inferorum loca deturbavit: illique longe ſimillimus, qui funda adverſus gigantem prævaluit, cacodæmonem ſuperbia elatum, cæleſtis gratiæ funda ac Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione, perinde atque tribus contortis lapidibus, interemit.

4 Etenim præpotentis Patris virtute, malorum omnium parentem preſſit jugo ſervitutis: ope vero Filii, cum Patre rerum omnium tenentis imperium, iræ mortiſque filios patri in adoptionem dedit, cæleſtiſque hereditatis participes effecit: Sancti demum Spiritus ſubſidio, malignos ſpiritus abegit, atque exterminavit univerſos. Prætendit pietatis induſtriæque retia, ac mortalium genus eſt aucupatus:

divina bona adventu ſuo affert:

C extendit divinæ linguæ calamum, ac fidei hamum in hoc mundi mare ſapienter projecit, omneſque in errorum profundo demerſos in ſupernam lucem extraxit: cæleſtis doctrinæ radios vibravit, ac tetram impietatis caliginem diſſipavit: præclariſſimum religionis lumen emiſit, & impiæ ſuperſtitionis tenebras illuſtravit: ex divino puteo hauſit aquas pietatis, & fidei poculo Dei juſtitiam ſitientibus cum propinaſſet, eorum ſitim continuo ſedavit: corda mortalium, jam arentia deficiente aqua divinæ agnitionis, velut ſterilem campum rivis ſalutaribus irrigavit; editaque uberrima virtutum ſegete, acceptiſſimum panem obtulit Deo optimo maximo. Vidit populos cæleſti gratia denudatos, tunicaque Angelicis manibus contexta operuit. Invenit civitatem in multiplici deorum cultu tamquam in fœdiſſimo cœno jacentem, porrectaque divinæ doctrinæ manu erexit, & expurgatis ſordibus, divinæ lucis ſplendore claram nitentemque reddidit. Agnovit homines præ ſpiritualis eſcæ inopia fame confectos, ac cæleſtibus eduliis reficiens ad vitam revocavit.

idola cuertit & in mare projicit.

5 Igitur cum dulciſſimo divinæ cognitionis pabulo, civés ſaturaſſet, ac per Euangelicæ prædicationis gradus ad Deum ipſum euexiſſet; ira in teterrimum ſerpentem accenſus, forti conſtantique animo duo illa ſimulacra delevit; plane oſtendens quam infirmæ atque imbecilles eſſent illius vires. Phalconem enim (id nomen erat idolo) cum aſſeſſore ſimul, & Lyſſionem cum ingenti dracone, quo veluti indumento contegebatur, quique impoſitas libationes abſumebat, in maris ima projecit; ac miſeros ejuſmodi religioni addictos, à ſervitute in libertatem aſſeruit. Ita civitatem idolorum cultui deditam, à ſuperſtitionum fæce ac luto, ad unius Dei cognitionem traduxit. Ad hæc eorum delubra, tamquam nulli in poſterum uſui futura, cum expugnaſſet ac funditus evertiſſet; orationis domum excitavit, atque aras Chriſto conſecravit: quo Chriſti fidem amplexuri quicumque confluxiſſent, cæleſti lavacro ſanctiſſimus vir tingebat, ſacroque chriſmate perungebat; quod multis poſt annis D. Laurentii templum eſt appellatum.

D

templum extruit, cives baptizat,

6 Cum hæc itaque ſemina jeciſſet, ac veræ religionis incrementa ſpectaret Pancratius; nequaquam conſentaneum eſſe exiſtimavit, totum dedere ſe ad ſolam civium ſalutem ac diſciplinam curandam, ac negligi ruſticos, auxilio cæleſtique gratia deſtituros: proinde Epaphroditum, ad divini verbi promulgationem cæleſti virtute idoneum, deligens (ita enim ab omnibus habebatur) manibus ſuper illum impoſitis, illabente ſancti Spiritus gratia, Preſbyterum inſtituit; mox ad divulgandum ſalutis verbum apud agreſtem turbam ablegat, ut ſimul ab eorum cervicibus ſtygiæ ſervitutis eriperet jugum.

ut ruſticis ſacram opem ferat.

E

Epaphroditum Sacerdotem mittit.

7 Et vero indies Dei Eccleſia propagabatur, ac ſingulari Pancratii cura vigilantiaque à vanis ſuperſtitionibus ad veri Dei cultum innumeri tranſibant. Sed communis humani generis hoſtis, jam inde à principio inflammatus odio ac invidia in homines, advertens multos mortales ad Chriſtiana caſtra transfugere, & à peccatorum lapſu erigi ad ſalutem; Aquilinum, tamquam inſtrumentum ad ſua conſilia inceptanda ſatis idoneum, adverſus eos qui ſacro baptiſmate à Divo Pancratio fuerant abluti, vehementer incitavit. Tyrannus enim magno exercitu coacto, ſtygiis furiis incenſus, ad Tauromenium oppugnandum, aut cives in deditionem accipiendos, recto curſu contendit. Sed hi conatus in irritum cecidêre: ipſos enim in præſtantiorem nobilioremque ſervitutem fortiſſimus vir redegit. Et cives quidem, cum immenſas hoſtium copias ſpectarent, metu perterrefacti, de deditione facienda cogitabant: verum Pancratius ingentes animos præ ſumma in præpotentem Deum fiducia concipiens; certus jam de victoria, omnibus identidem affirmabat, ſine ullo congreſſu hoſtes ab urbe rejectum iri. Itaque ſumpto venerandæ Crucis ſigno, ac imagine Chriſti Dei ac Salvatoris noſtri, ejuſque intemeratæ Parentis, eaque pro mœnibus adverſus perditiſſimam gentem oſtentans, ac victoriam inclamans, ſtatim hoſtilibus copiis veluti quaſdam tenebras induxit. Acies enim ſimul ſanctiſſimum virum conſpexerunt, in ſeſe gladios convertentes, mutuis ſe vulneribus confodêre. Nec tanta tamque mira illico res ſtetit, ſed propriis ſe armis miſeri contrucidabant; quamdiu cæleſti Numine impediente, quid rerum gererent, vix animadvertebant. Poſtquam autem reſipiſcere ac tanti facinoris gravitatem intelligere cœperunt, protinus ad ſancti viri pedes obvoluti, ſacro fonte lavantur. Sic tam impius apparatus, meliore præter ſpem exitu concluſus eſt. Quæ cum ita eſſent, admirantes Tauromenitani cives tam ſubitam crudeliſſimæ gentis mutationem, lubentius alacriuſque Pancratii verbis parere, & in ejus ſententia acquieſcere ſtudebant;

F

hoſtes in urbem Chriſtianam, irruentes,

proſternit

& convertit ad fidem.

A bant; ridentes ac pro nihilo ducentes nefarios diaboli conatus.

incitante diabolo § 8 Ad hunc itaque modum cum populi multitudo in ſolidiſſima fidei petra fundata, & ad firmiſſimum divinæ cognitionis faſtigium perducta eſſet; cruciatur animo ac dentibus frendit malorum omnium architectus, rabie ſtimulatus adverſus eorum ductorem, qui per tutiſſimum virtutis ac pietatis iter incedere decreverant. Etenim iniquo animo ferens Chriſtiani ovilis incrementa, omnes vires nervoſque contendit, ut vigilantiſſimum Paſtorem de medio tolleret. Itaque in Artagati pectus invadens, diris intemperiis hominem exagitat, *ab Artagato lapidibus impetitus, fortiſſime obiit:* ad necem ſanctiſſimo viro ſaxis ac lapidibus inferendam. Cujus conſiliis truculentiſſimus tyrannus obſequens, id quod juſſus eſt effecit. Sic Pancratium Stephano, eodem mortis genere, ſocium adjunxit; ille enim ab Hebræis, hic à Gentilibus lapidibus impetitus; uterque tamen angulari lapidi *& cum S. Stephano coronatur in cælis* arctiſſime eſt coagmentatus: ambo ſancti Spiritus virtute fortes animoſique redditi, eamdem pedibus viam calcantes, ad eamdem non manufactam civitatem pervenêre: neque unquam à ſe disjuncti, ambo cæleſtium mentium convivæ, iiſdem divinæ menſæ epulis perfruuntur: ambo iiſdem Angelo-

B rum choreis immixti, divinis incomprehenſiſque myſteriis ſunt aſciti. Quid enim, inquam; eſt, quod utrique non ſit commune? Ille primus ab Apoſtolis Diaconus, hic à Divo Petro primæ Sedis delectus Antiſtes: ille Judæorum ora compreſſit, hic inanem ſapientiam jactantibus Gentilibus ſilentium impoſuit: ille vnitatem perſonæ à Deo abegit, hic multiplicem deorum cultum ex mortalium animis delevit: ille cæleſtium orbium tractus reſeratos, ac Jeſum à dextris Pa- *videm in multis ſimilis.* tris ſtantem ſuſpexit, hic glorioſo obitæ mortis genere, celerrimis itineribus ad præpotentis Dei filium profectus, jam tantæ ſplendorem majeſtatis propius intuetur; jam divinæ pulchritudinis aſpectu mentis oculos paſcit; jam cæleſtium virtutum conſuetudine fruitur; quæ incredibili gaudio perfuſæ, invictiſſimo Dei famulo obviam procedentes, æquiſſimo pro ſuſceptis laboribus præmio remuneratæ ſunt; pro fluxis nimirum ac caducis æterna immortaliaque reddentes.

CAPUT III.

Virtutes Patrum antiqui Teſtamenti & S. Pancratii inter ſe collatæ. Ad hunc peroratio.

C *Conferitur cum viris illuſtribus* 9 AGe vero, quotquot, jam inde à mundi primordiis, rebus bene geſtis clari extitere, in medium adducamus: itáque eorum facinora reſpectemus, ut cum noſtri hominis ſanctimonia ac ſplendore aliquantiſper conferamus. Atque ut à primo *Adamo.* parente exordium ſumamus; Adam ipſius Dei manibus fabricatus, à feliciſſimo vitæ ſtatu in vaſtiſſimũ ærumnarum ac miſeriarum pelagus decidit, callidiſſimi ſerpentis dolo ac fallaciis pellectus: hic communi pravæ carnis contagione genitus, à deteriore ſtatu ad meliorem vivendi rationem ſemper aſcendit. Atque ille quidem Conditoris ſui lege violata, letali fructu veſci non dubitavit: noſter vero Pancratius à divinis præceptis ne latum quidem unguem diſcedens, tantum abeſt ut inobedientiæ lignum attigerit, ut omnem vim opemque ſuam contulerit ad colendam obedientiæ arborem, fructuſque ſuaviſſimos ex ea decerpendos, quibus vitam ſuam *Abel,* educaret. Abel è ſacrificiorum quæ Deo obtulit integritate in juſtorum numerum eſt relatus: hic quod quinos ſenſus Chriſto veluti victimas mactaſſet. D Seth pulcherrima parentis imagine præditus, ab *Seth,* ea, ut eſt in ſanctis litteris, minime de genera- *Gen. 4, 25* vit; ſed Deo optimo maximo gratus acceptuſque, filiorum Dei nomine poſteros cohoneſtavit: at Pancratius puriſſimo lavacro regeneratus, acceptam Dei imaginem ad exitum uſque vitæ intactam incorruptamque ſervavit; eoſque, quos per Euangelium genuit, Dei filios cæleſtiſque regni fecit heredes. Jam vero quid egerit Enoch videa- *Enocho;* mus. Ille ab hujus mundi habitatione in Paradiſum tranſlatus, à noſtris hiſce ærumnis eſt exemptus: hic quamvis in mundo verſaretur corpore, animo tamen ad cæleſtem patriam, ab humanarum miſeriarum communione longe ſepoſitam, ferebatur. Et Noë quidem, utpote juſtus, ad paruæ *Noe,* arcæ fabricam gubernationemque cælitus deſtinatus, paucos homines ad mortalem hanc vitam ſalvos incolumeſque ſervavit: hic autem arcæ, divina manu fabricatæ, præfectus ac moderator ſuperno numine delectus, infinitos propemodum populos ad cæleſtem immortalitatem dux fidiſſimus adduxit. Sed proh quantum inter utrumque eſt diſcriminis! Quid ille niſi brevem caducamque hujus lucis uſuram ſuis conſervavit? noſter ad perpetuum feliciſſimumque vitæ ſtatum cre- E ditos ſibi mortales vexit. Loth etiam contemple- *Lotho;* mur. Is in Sodomis agitans, ab omni illa ſpurciſſimorum fœdiſſimorumque hominum colluvione intactum ſe integrumque præbens, à temporaria clade cælitus immiſſa unus incolumis evaſit. Quid Pancratius? Cum inter Ethnicos impietatis cultores divinus plane homo ætatem exigeret, non modo nullam labem à ſcelerata flagitioſorum hominum conſuetudine concepit, verum magnam eorum partem à fœdiſſimo idolorum cultu abſtractos, ab æternis flammarum incendiis, oblata immortalis vitæ anchora, liberavit.

10 An parum eſt, quod de Abrahamo legimus? *Abrahamo,* qui nimirum inſigni liberalitate erga hoſpites præditus, dum quotcumque ad ſe ventitarent munificentiſſimo epularum apparatu exciperet, Deum etiam ipſum apud ſe hoſpitem habere & ad epulas invitare meruit; officiorum ſuorum fructum adeptus præſtantiſſimum: hic vero ſalutis animorum deſiderio mirum in modum incenſus, famelicis populorum animis æternas præſtantioreſque epulas, cæleſti aſpirante numine ſuppeditans, incredibili lætitia cæleſtes ſpiritus affecit. Jſaac *Iſaaco,* paternis præceptis obtemperans, ſe ſacrificandum duci à proprio parente non recuſavit; quamvis rem exſequi divina providentia præpe- F diverit: hic ejus inhærere veſtigiis ſedulo ſtudens, qui ſe puriſſimo lavacro genuerat, puram ſe ipſum cælo victimam obtulit ac devovit. Ja *Iacobo,* cob in ſomnis ſcalam vidit, qua in cælum patebat aſcenſus: hic arduam ac multis periculis refertam virtutis ſcalam aſcendere aggreſſus, nullis adverſariorum inſidiis potuit retardari, quo minus ad concupitum culmen facilis evaderet. Prædicatur Joſeph, quod ab impudiciſſima Æ- *Ioſepho,* gyptia ad libidinem provocatus, cum fortiſſime obſtitiſſet, nequaquam pudoris leges eſt auſus violare: Pancratium vero quod valentiſſimum bonorum omnium nactus adverſarium, cum eo ſtrenue certaturus in arenam deſcenderit, atque ea in pugna imbellem ignavumque illum oſtendens, parta victoria glorioſum triumphum reportarit, non admirabimur? Moyſes adumbratas à Deo leges accepit, & Amalech obſcuro Crucis typo in fugam convertit: hic divinæ gratiæ veritatiſ-

AUCTORE GEORGIO

ritatisque leges populis promulgavit, ac sacræ Crucis vexillo sanctisque imaginibus in oculis hostium explicatis, confestim profligavit, & ad meliorem frugem revocavit. Jam vero Aaronem spectemus: hic terrestrem agnum pro populis gladio mactavit, itáque sanguinis effusione in Dei amicitiam Hebræos rite conciliavit. Nil dissimile est in Pancratio: ille enim linguæ suæ gladio cælestem Agnum cum sacrificasset, placatum propitiumque Dei filium mortalibus ostendit. Jesus promissionis terra populis, quos ipse ductabat, sorte distributa, illos ingenti gaudio cumulavit. Pancratius homines Christianis sacris initiatos, ad immortalem nullisque miseriis obnoxiam regionem, veluti dux ipse perduxit, & in cælestium consuetudinem insinuavit.

Aarone,

Iosue,

Samuele,

11 Nunc quid de Samuele dicam? qui sicut ex utero matris Deo dicatus fuit, ita noster ab ipso regenerationis fonte in justorum numero adscribitur. Quid vero de Rege Davide, qui secundum Dei cor homo à sancto Spiritu perhibetur? & Pancratius nonne in Christi membris divinæ gratiæ vi est coaptatus? Quid de Salomone, quid de Elia? quorum alter sapientia præclarus, alter zelo divino incensus, ad Dei cognitionem obstinata Hebræorum corda traducere prægestiens, cælum clausit, ac negata pluvia acerbissimám crudelissimamque famem in terrarum orbem induxit. Sed Dei famulus, nec cælesti sapientia obscurus, & caritate inflammatus, sacrosanctæ fidei cælum mortalibus adaperuit, & cælestis benignitatis imbre steriles animos fœcundavit, vitalisque tritici feraces reddidit; sicque summam attulit cælestis annonæ largitatem. Quid quod Elisæum steriles aquas fœcunditate donasse? Pancratium steriles animas virtutum fertiles reddidisse, mirum non sit. Jonam commendamus, quod ab impendenti divinæ iræ ultione liberasset prophetica prædicatione Ninivitas: Pancratium quod à ventura Dei ira futurisque flammarum cruciatibus incredili sua virtute Tauromenitanos eripuerit, tacebimus? An non tribus etiam pueris, qui in Chaldaicam fornacem conjecti Dei filium habuere consortem unáque secum exultantem, se gessit æqualem; cum in tentationum ærumnarumque camino, Christum optimum, assiduum fidumque socium habere meruerit? Nec Danieli dissimilis est existimandus: quemadmodum enim ille prophetico spiritu cælitus afflari cupiebat, ita is Sanctissimæ Trinitatis intuendæ desiderio mirum quantum æstuabat: quamobrem ad expugnandam, quamcumque contraxisset ex hujus vitæ sordibus labem, Christi calicem lubenti alacrique animo combibere, & baptismate baptizari non dubitavit. Jure igitur optimo inaccessæ lucis splendore perfruitur, adstans ante præpotentis Dei thronum.

Elia,

Eliseo,

Iona,

tribus pueris,

Daniele,

12 Sed quamquam decoris diademate à purissimis illis spiritibus in cælo coronatus, immortali gaudio perfundaris, sacrosancte Martyr Pancrati; ne quæso è nobis mortalibus impertitam tibi salutem dedigneris accipere: valde enim pium est, mortales, qua possumus ratione, supernas virtutes æmulari. Salve itaque Pancrati, qui tamquam fulgentissimum fidus, verumque digitorum Dei opus, in cæli firmamento collocatum, universo terrarum orbi lumen effundis. Salve Pancrati, qui immaculatus in via legeque Domini ambulasti, & Christi testimonia es perscrutatus in corde tuo. Salve iterum Pancrati, qui te corpore æque atque animo sanctum reddidisti, quique in cælestibus tabernaculis versaris. Age, beatissime Dei vir, Christique sedulus imitator, jam filiorum Dei libertate donatus, ne desinas pro ovili tuo apud Deum optimum maximum preces effundere, atque hostem animarum nostrarum insidiatorem tuarum precationum jaculis confodito. Tuque, summam Domini nostri demissionem omni studio imitatus, uti duo illa pauperculæ mulieris minuta, ita tu neglectissimum tenuissimumque encomium, obiatum tibi à nobis munusculum, minime despicias, nosque salvos incolumesque tuere. Da veniam, amabo, insciliæ nostræ: neque enim nostra sponte ad tuas laudes dicendas accessimus, sed ab his coacti, qui eas audire summopere expetebant; tuisque precibus confisi, hanc provinciam recusare non potuimus. Ceterum, Sanctissime vir, omnibus tuo nomini devotis à præpotenti Deo pacem impetra; esto solamen illis, qui calamitatibus ærumnisque misere afflictantur, ægrotantibus cælesti medicina opem afferre ne graveris; quique te, tuamque commemorationem pie colunt, ab exterarum nationum incursionibus libera: omnes denique, magna caritate ad te confugientes, à civilibus bellis indemnes tuere. Hæreses procul exterminа novellum Goliath prosterne, inferorum hostium in nos insidias dissipa, fac vitæ quiete tranquillitateque perfruamur, congregatis tibi populis benedictionem impertire: da, Pater sanctissime, ut tuarum precationum auxilio, sine ulla offensione ad cælestia regna tandem aliquando pertingere mereamur, ubi Patrem ac Filium sanctumque Spiritum laudedemus, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

Peroratio ad S. Pancratium.

ODÆ

Auctore S. Iosepho Hymnographo.

Ex Menæis Siculis MSS.

SUaviſſimis mellitiſſimæ linguæ tuæ verbis, divinorum jaculorum ſplendore colluſtratis, omnem Occidentis regionem, Pancrati, è tenebris ad lumen traduxiſtis. Aperte & non diſſimulanter Sanctiſſimæ Trinitatis fidem prædicans, omnemque idolorum caliginem diſſipans Pontifex, verus Apoſtolorum æmulator, nobis Deum precibus tuis concilia.

2 In Occidentis plaga quaſi ſtella illuceſcens, omnes per fidem ad cognitionis lucem perduxiſti, Sanctæ Pancrati Pontifex, idemque Chriſti martyr; ex idolorum ſervitute divinis diſciplinis aſſerens in veram libertatem; opem ſubſidiumque tibi Sacroſancta Triade ſuppeditante. Quare ſacram tui memoriam, ut decet, celebrantes, dignis te laudibus cohoneſtamus.

3 Inſtar Eliæ ad ſupernæ beatitudinis culmen tuis virtutibus evectus es, Sancte Pancrati, ſapiens ſacerque concionator; cum à Beatiſſimo Petro gratiam ſimul ac ſapientiam acceperis, divitiis omnibus affluentem. Hinc animi corporiſque valetudinem impertiris ægris-quoquot ad templum tuum cum fide accedunt.

4 Reſpice filios quos per ſacrum lavacrum peperiſti, fideliter congregatos, Sancte Pancrati, ſapiens ac verende pater. Audi jam qui te perpetuis laudum vocibus in cælum tollunt; impertire quæſo lætitiam, animorumque ſalutem. Te enim patronum cum habeamus, glorioſe nobiſcum agi putamus; ſic enim hoſtium dolos, tuis precibus facile eludemus.

5 Sancte Pater Pancrati, vere D. Petri Apoſtoli diſcipulus, ejus fidei incenſum ſtudium æmulatus, mundi illecebras voluptateſque contempſiſti: quapropter æternæ vitæ beatitudinem adipiſci meruiſti. Proin te, tamquam divinum Pontificem, athletam, decus, & ornamentum, omnes veneramur.

6 Ores

A 6 O res à te præclare geſtas! ecquis umquam pro dignitate tuorum miraculorum vim loquatur? quippe qui vitam homine majorem in terra traduxiſti: nam tuæ urbi Tauromenitanæ perinde atq; Angelus apparuiſti, cum & divinis prædicationibus eam irrigaveris, populoſque illuminaveris, plane ut vitam chriſtiana fide dignam exegerint.

7 Deum perſonis trinum, ſubſtantia unum prædicans, Pancrati, deorum multitudinem, ignis inſtar graſſantem, exſtinxiſti; ac fulgurantibus præceptis attuliſti lucem populis.

8 Videte, videte, inquit Deus, ego ſum, qui myſticis luminum diffuſionibus bonum ovium paſtorem colluſtravi. Cujus etiam præceptis eos, qui in malorum tenebris verſabantur, ad verum lumen traduxi.

9 Proprio ſanguine reſperſus, Pancrati, minime quidem in terrenum templum, ſed in cælum ipſum ingreſſus, divino te aſpectui Martyr obtuliſti.

10 Ad divinæ cognitionis paſcua, tuæ prædicationis fiſtula modulans, gregem tuum egiſti, Pontifex paſtorque ſumma admiratione dignus; tuarumque precationum vi, quaſi funda, truces lupos procul ejeciſti. B

11 Luce Petro cælitus immiſſa, vere petra Chriſtus, te delegit, ut ad Occidentem plagam, veluti radius, ſancti Spiritus ſplendore, ignorantiæ tenebras diſſipares.

12 Sancti Spiritus virtute bene confirmatus, profanos ſpiritus inſectatus es, ac validiſſima precum tuarum clava idolorum fana funditus demolitus, ſacroſanctas eccleſias Deo optimo maximo excitaſti, vir ſane admirabilis.

13 Acutiſſima verborum tuorum acie, infames errorum ſpinas excidiſti, ô ſanctiſſime vir; animaſque ſaluberrimis virtutum inſtitutis conſerens, ad ferendos fructus uberrimos excoluiſti.

14 Cum ſanctiſpiritus receptaculum, purioribus in ſe radiis admittendis accommodatum, diſcipulorum Coryphæus te vidiſſet; ad Occidentales populos allegavit; nimirum ut ab his impietatis noctem diſpelleres.

15 Te Paracleti ignibus ignes ſpirante, errores C omnes incendio conflagrarunt, ſapientiſſime Pancrati. Idem tamquam pharos longe collucens, ignorantiæ fluctibus obrutos ad tutiſſimum divinæ voluntatis portum dirigis.

16 E rupe prærupta Petrus ſcaturien inundanſque, te tamquam alium amnem effundit, ad ſitientes campos irrigandos, exſiccandáque flumina impietatis, rivis divinæ prædicationis diffluentibus.

17 Tua vivendi ratio, cæleſti decore illuſtrata, omnes dæmonum impetus obſcuravit; diſſipatiſque impietatum tenebris, ad veram diei lucem contuendam traduxiſti quotquot avide prædicationibus tuis paruere.

18 Verborum tuorum ſonus longe diffuſus eſt, Pater ſapientiſſime, divinæ cognitionis ſplendore luceſcens; quo ſapientia Græcorum evanuit, ac vafer ſophiſta victus profligatuſque eſt.

19 Editis, ſanctiſſime vir, miraculis populos captaſti; & delubris funditus in terram verbo proſtratis, eccleſias affabre exædificaſti, ad renovandas hominum mentes.

20 Sacram ſtolam effuſo ſanguine cruentatus, ac dæmonum maculis ſordibuſque deterſis, victor in cælum commigraſti, victoriæ coronam percepturus.

21 Corruit tuo conſpectu idolorum templum, oſtiumque gentibus patefactum eſt ac cæleſtis gratia Chriſtianorum pectoribus tributa, Pater ſacroſancte.

22 Cum mentem animumque tuum de ſua gratia liberaliter adornaſſet Jeſus, & Deus & hominum vera lux; tuis cohortamentis populos à veritatis ignoratione liberavit.

23 A ſuperſtitioſis idolorum aſperſionibus contaminataque ſanguinis infuſione gentes perpurgaſti; dum quaſi mactatus agnus, viventem te victimam Deo obtuliſti.

24 Deo optimo maximo ſacri Euangelii adminiſter fuiſti: quippe proprio ſanguine divina præcepta ſplendide conſignaſti, ſacroſancte Pontifex Pancrati.

25 Proprio in ſanguine baptizatus es, Sancte Pancrati, qui ante ſacra populos aqua tinxeras. Hinc ad Chriſtum, magna lætitia delibutus, cum Angelis aſcendiſti; atque iiſdem immixtus divino aſpectu paſceris, ſempiterna beatitudine præclare donatus. E

26 Mortales malorum pelago demerſos, ſacro verborum tuorum hamo expiſcatus, eduxiſti; ac ſacroſancta precationum pluvia, cœnoſam incredulitatis labem voraginemque exſiccaſti, ſacer Chriſti miniſter.

27 Petra profecto infracta, ſolidaque te ſacroſanctæ Eccleſiæ firmam ſtabilemque baſim ac fundamentum poſuit, venerande Pontifex; ad quam diffringeretur omnis malitia hoſtis ſtultiſſimi, Pater ſapientiſſime.

28 Variarum tentationum igne excoctus, invictus ſemperque idem permanſiſti; præclariſſimis contemplationibus mentem corroborans; teque inſtar gladii præſtitiſti, multorum deorum ſilvam ſuccidens.

29 Ut populos ad Chriſti agnitionem perduceres, ſigna ac prodigia dilucide perpetrabas; futura inſtar divini vatis prædicens, ſancti Spiritus inſpirationibus afflatus.

30 Conditoris noſtri imaginem populis oſtentans, quam tecum afferebas; ea duce, ſigna virtuteſque edidiſti, ad propellendam odioſam multitudinis deorum religionem. F

31 Splendidiſſimis Petri facibus mente animoque colluſtratus, veluti ſtella nitidiſſima ad Occidentem accurriſti; tuis concicnibus in lucem trahens eos, qui prius in barathrum ignorationis miſere præcipites corruerant.

52 Imaginem animæ ad ſuum prototypum aſcendere probe cognoſcens, ubique intactam incontaminatamque ſervaſti; Jeſu ac Dei noſtri imaginem erexiſti, ad ſimulacra dæmonum evertenda.

33 Sacerdotum conſpicuus fulgoribus, Martyrumque coruſcans ſplendoribus, Sancte Pancrati, Sacerdotum Martyrumque ornamentum, jam Dei gloriam lætus ac geſtiens contemplaris.

34 Celebritatem hanc præclariſſimam, civitas populuſque univerſus tibi agunt, magna lætitia delibuti, Pancrati admirande, te fideliter venerantes; quibus benedicere, ut Paſtor, ne dedigneris, pro omnibus offerens Deo preces.

AUCTORE G. H.

DE SANCTO AGATHEMERO

MARTYRE IN MYSIA.

III APRIL.

POst relatam S. Pancratii apud Tauromenium in Sicilia paſſi natalem, in apographis Hieronymianis ſacra hujus Martyris ſubjungitur memoria, & in MS. Epternacenſi iſtis verbis: In Myſia Agathemeri. At MS. Corbejenſe Pariſiis excuſum iſta habet: In Mæſia Agathæmeriti de Antiquis. Florentinius ex ſuo Lucenſi codice duos Sanctos confecit. In Mirea Agathæ, Meriti de Antiquis, verum quia deeſt conjunctio copulativa unicum nomen forſan melius retinetur. In Mirea nomen urbis depravatum eſſe cenſet idem Florentinius, & Myſia legendum arbitratur, uti etiam habet MS. Blumianum, quod in reliquis conſentit duobus jam relatis apographis. In MSS. Richenovienſi & Rhinovienſi ita legitur: In Myſia Agathemeri, Rufi. De ultimo mox agemus cum Martyribus in Scythia paſſis. In MS. Caſinenſi & Altempſiano iſta habentur: In Miſia S. Agathæ, Mereti. Hæc ex antiquiſſimis Martyrologiis lectori proponimus, qui ſi duos ex aliorum faſtorum collatione cenſet collocandos, per nos licet. Vnum ſolum proponimus, quod Meritus in Indicibus & Florentinii & Dacherii non reperiatur, niſi Martyr Alexandrinus XXX die Aprilis. Vnum autem illum Agathemerum dicere malumus quam Agathemeritum: quod primum genuinæ compoſitionis formam habeat, ἀπὸ τῆς ἀγαθῆς ἡμέρας, id eſt à Bona die, rationem & ſignificationem idoneam trahens: ſecundum, ex Græca Latinaque voce conflatum, credi non debeat fuiſſe uſitatum, primis Chriſtianæ fidei temporibus. Nam, ut ſignetur Martyr ex antiquis & Apoſtolico ævo proximis extitiſſe, (ſicut etiam fuerat S. Pancratius, cui ſubjungitur) ideo addi de antiquis exiſtimat. Florentinius Martyrii palæſtra Myſia, nota ad Helleſpontum & Propontidem, eſt regio, Phrygiæque contigua provincia.

Nomen varie ſcriptum.

cur addatur de antiquis?

an dividendum in duo nomina?

DE SANCTIS MARTYRIBVS
EUAGRIO, BENIGNO, CHIRISTO, ARESTO, SINNIDIA, RVFO, PATRICIO, ZOSIMO,
TOMIS IN SCYTHIA.

B

Primis duobus Martyribus auſpicatur hunc diem Vſuardus iſtis verbis: In Scythia, civitate Tomis; natalis Sanctorum Euagrii & Benigni. Eadem habent Ado, Notkerus, Beda excuſus, Bellinus, cum quamplurimis manuſcriptis, quibus adſtipulatur hodiernum Martyrologium Romanum. At regionis omiſſo nomine in MSS. Martyrologiis Richenovienſi & Rhinovienſi iſta leguntur. In Thomis Euagrii & Benigni. Quæ in Martyrologio Hieronymiano Pariſiis excuſo ſub finem ita habentur: In civitate Eumis, Euagrii, Benigni; & cum novo errore ita exprimuntur in Epternacenſi codice: Theumis Euagrii, in civitate Tomis Benignæ. Iidem Euagrius & Benignus reſeruntur ſub finem in ejuſdem Hieronymi codicibus Lucenſi & Bluimano, & in civitate Heumiſiter paſſi dicuntur, pro quo legi debere opinatur Florentinius In Civitate Tomis item. In codice MS. Reginæ Sueciæ, ab Holſtenio in Animadverſis ad Martyrologium Romanum laudato, iſta habentur: In Scythia natale SS. Thomæ, Euagrii, Benigni cum aliis quinque. Aliqui ex his ſociis ita exprimuntur in MS. Barberiniano. In Cilicia natale SS. Thomæ, Euagri, B. Benignæ, Rufi, Patricii, Plures Socii indicantur in citato MS. Epternacenſi his verbis, ſub initium poſitis. III Nonas Aprilis. In Sicilia Natalis Euagri, Benigni, Chreſti, Euagariſti, Areſti, Sinnidiæ, Rufi, Patricii. Quæ in MS. Corbejenſi Pariſiis excuſo ita exprimuntur: III Nonas Aprilis, in Sicilia Natalis SS. Thomæ, Euagri, Benignæ, Chriſti, Ariſti, Sinnidiæ, Rufi, Patricii, Zoſimi. Apud Florentinium ex MSS. Lucenſibus hæc ita ſunt excuſa: In Nicea (ſeu Meea) Natalis SS. Thomæ, Euagri, Benigni, Chiriſti, Areſti, Sinnidiæ, Rufi, Patricii. Eadem habentur in perantiquo codice Blumiano: ſed dicuntur paſſi in Sicia, quæ vox cum Scythia magis convenit, & ex qua videantur majori errore efformatæ voces Nicea, Meea, & adjuncta ſyllaba Sicilia, & Cilicia. Conſequenter legendum cum Vſuardo, Adone, Notkero & aliis, In Scythia civitate Tomis natalis SS. Euagrii, Benigni &c. & male tranſpoſitis verbis loco Tomis judicatur irrepſiſſe Thomæ: & ſic eſt data novi mendi occaſio, dum in MS. Auguſtano S. Vdalrici legitur In India Thomæ, qui Apoſtolus dicitur in MS. Pariſienſi Labbæi, & Niciæ adſcribitur. Hoc igitur omiſſo aut ad diem XXI Decembris rejecto, retinemus hos ſequentes, Euagrium, ſubinde Euacrum appellatum; Benignum alibi Benignam; Chiriſtum, aliis Chreſtum & Chriſtum; Areſtum, in Pariſienſi editione Ariſtum; tum Rufum & Patricium, qui duo ita in MS. Maximiniano exprimuntur: Apud Scythiam civitate Thomis natale SS. Euagri & Benigni, & Rufi & Patricii. In MS. Adone monaſterii S. Laurentii apud Leodienſes, priore parte cum aliis relata, & aliis Sanctis interpoſitis, ſub finem additur, Item Thomis Rufi & Patricii: quod etiam factum reperitur in MS. Florario Sanctorum. Vltimus ex MS. Corbejenſi adjungitur Zoſimus, quem exhibet codex Epternacenſis. Euagariſtium, cenſet Florentinius conflatum ex Euagrio & Areſto ſive Ariſto, vix dubitabili antiquarii vitio. Simili modo arbitramur in apographis Hieronymianis ſub finem iterum eſſe relatos Euagrium & Benignum. Quos duos ita exhibet Petrus de Natalibus lib. II num. 108 Eugarius & Benignus Martyres coronas percipiunt in Scythia, civitate Thomis, III Nonas Aprilis. Vbi pro civitate Thomis, Florentinius legit, Thomas. S. Benigni Martyris memoria eſt in Bononia perluſtrata Maſini, quod Reliquiæ alicujus S. Benigni Martyris, ſive unius ſeu diverſorum ejuſdem nominis, ſint in eccleſia tum S. Luciæ Societatis Ieſu, tum S. Dominici, & S. Gabrielis Ravegnana dicta. De civitate Tomis in Scythia ſæpius egimus, potiſſimum die XXV. Ianuarii ad Vitam S. Britannionis Epiſcopi.

C

F

Euagrius & Benignus à pluribus relati,

ab aliis adjuncti Socii.

An jungendi Thomas

& Euagariſtius.

Reliquiæ S. Benigni Bononiæ.

DE

A

DE SANCTIS SORORIBVS,

AUCTORE G. H.

AGAPE, CHIONIA, ET IRENE,

Virginibus & Martyribus Theſſalonicæ.

COMMENTARIVS PRÆVIVS

§. 1 Acta martyrii antiqua Latina, & Græca per Metaphraſten. Cultus ſacer in Latinis & Græcis Faſtis.

SS. Chryſogoni & Anaſtaſiæ cultus olim celebris,

INter Martyres antiquiores fuerunt, *dum viverent, maximo caritatis vinculo uniti, SS. Chryſogonus & Anaſtaſia; qui mutuis etiam epiſtolis excitati, inter graviſſimas Diocletiani perſecutiones, in fide Chriſti conſtantes perſtiterunt: & cum S. Chryſogonus è carcere Romano à dicto Imperatore Aquileiam evocaretur, ſecuta eſt S. Anaſtaſia, ibidemque diu poſt ejus martyrium eſt commorata. Fuerunt ambo poſtmodum eximia veneratione honorati, & plane omnibus antiquis Faſtis ſacris, tam Græcis quam Latinis, inſcripti: imo, quod paucis Sanctis contigit, ambo ſunt Canoni Miſſæ inſerti, eorumque ſacra memoria quotidie ab omnibus Sacerdotibus innovatur. Inter antiquiores quoque Vrbis Romanæ eccleſias, quibus olim fuerunt tituli aſſixi, ſecunda extitit S. Chryſogoni trans Tiberim, & quarta S. Anaſtaſiæ ſub Palatio. Hæc tam uetuſta horum Sanctorum tamque ſolennis veneratio, aut ortum, aut ſaltem incrementum ſuum habuit à certiſſima virtutum ac martyrii notitia: quæ hauriebatur ex Actis, inter omnium manus eo tempore verſantibus. Habemus ea quam in plurimis MSS. codicibus hoc exordio:* Prætextati illuſtris viri filiam Anaſtaſiam

B

& Acta antiqua,

legimus, à Chryſogono viro Chriſtianiſſimo eruditam. *Hiſce Actis inſerta ſunt res geſtæ & martyria ſanctarum Virginum Agapes, Chioniæ & Irenes ſororum, de quibus jam acturi ſumus; & SS. Theodotæ ac trium filiorum, quorum natalis incidit in diem* II *Auguſti.*

cum martyrio harum Virginum,

2 *Fuerunt ea ſequentibus ſeculis latiſſime per orbem Chriſtianum diſperſa, atque ex his quæ ad SS. Agapen, Chioniam & Irenen ſpectant, egregium elogium tranſcripſit anno Chriſti* DCXCII *S. Aldelmus, poſtea Epiſcopus Schireburnenſis, ipſumque inſeruit opuſculo ſuo de Laude Virginum capite* XI; *ac poſtmodum carmine complexus eſt, libro* 2 *de Laude itidem Virginum cap.* 43. *Florebat eodem tempore in Anglia venerabilis Beda, S. Aldelmo aliquanto junior; qui in ſuo Martyrologio, quod nos genuinum ex octo antiquis MSS. edidimus ſub initium tomi ſecundi Martii, illuſtria elogia ex jam relatis Actis formavit; quorum primum cenſeri poteſt, quod ad diem* XXV *Decembris de S. Anaſtaſia confecit. In altero, quod de S. Chryſogono habetur ad diem* XXIV *Novembris, iſta ſub finem leguntur:* Scriptum in paſſione S. Anaſtaſiæ. *Tertium, quod legitur ad diem ſecundum Auguſti, eſt ejuſmodi:* Eodem die natale S. Theodotæ cum tribus filiis ſuis, in provincia Bithynia, urbe Nicæa, tempore Diocletiani, ſub Comite Leocadio: qui hanc ferro vinctam cum filiis Conſulari Bithyniæ Nicetio deſtinavit. At ille primo filium ejus primogenitum Euodium, Chriſtum fiducialiter confitentem, fecit fuſtibus cædi: deinde illam cum omnibus filiis igne conſumi. Scriptum in paſſione S. Anaſtaſiæ.

etiam deſcripto per S. Aldelmum.

C

elogia ex iis à Beda deſumpta:

3 *Hactenus de aliis, quorum elogia ex dictis Actis ſunt deſumpta: nunc ad ſanctas Virgines veniamus. Earum duæ hoc encomio à Beda exornantur:* Kalendis Aprilis: In Theſſalonica natale Agapes & Chioniæ, ſub Diocletiano: quæ primo in carcere maceratæ, poſtea in ignem miſſæ ſunt: ſed intactæ à flammis, poſt orationem ad Deum fuſam, animas reddiderunt. *Dein tertia celebratur his verbis:* Nonis Aprilis. In Theſſalonica natale Irenes, quæ poſt tolerantiam carceris & interrogationes, ſagitta percuſſa eſt à Siſinnio Comite: ſub quo & ſorores ejus Agape & Chionia martyrizaverunt. *Hactenus Beda genuinum Martyrologium: cui ad Kalendas Aprilis de duabus Sororibus conſentiunt Rabanus & Ado, in MSS Morinenſi & Leodienſi S. Laurentii. Item MSS. duo Chriſtinæ Reginæ Suecicæ, & duo Trevirenſia S. Martini & S. Maximini, Vltrajectinum S. Mariæ, & varia alia: & ad hunc diem tertium Aprilis Vſuardus, Ado à Moſandro & Roſweido excuſus, Notkerus, Bellinus aliique. Eadem, paucis additis, ità leguntur in Martyrologio hodierno Romano.* Theſſalonicæ, paſſio ſanctarum Virginum Agapis & Chioniæ, ſub Diocletiano Imperatore: quæ cum Chriſtum negare nollent, primo in carcere maceratæ, poſtea in ignem miſſæ, ſed à flammis intactæ, ibi oratione ad Dominum fuſa, animas reddiderunt. *Ita Virgines appellantur in pluribus antiquis MSS. ad diem* I *&* III *Aprilis: quibus præivit S. Hieronymus in ſuo Martyrologio ad* V *Aprilis, ubi iſta leguntur:* In Theſſalonica natalis ſanctarum Virginum Chioniæ, Herenæ & Agapæ. *Ceterum quæ ex Beda dedimus de S. Irene, eadem traduntur ab Vſuardo, Adone, Bellino, & paſſim in MSS. faſtis. Rabanus, aliquibus additis, iſta habet:* Nonis, In Theſſalonica natalis Irenes; quæ poſt tolerantiam carceris inter orationes ſagitta percuſſa eſt à Siſinnio Comite, ſub quo & ſorores ejus Agape & Chionia martyrizaverunt: quæ à prædicto Præfecto, licet in ignem mitterentur, tamen illæſæ ab eo, exorantes Dominum, ſpiritum reddiderunt. *Notkerus quam plurima addit ex Actis, quæ infra num.* 3 *referuntur, de Dulcicio inter ollas detento ac denigrato.*

E

& S. Irenes,

conſentiunt Rabanus, Ado, Vſuardus,

Notkerus, aliique.

& tres ſorores Virgines appellant,

4 *Omittimus proferre his conſona Martyrologia reliqua; cum ex jam relatis præclare confirmetur ſincera vetuſtas ejus hiſtoriæ, quæ de Martyrio S. Anaſtaſiæ & Martyrum hactenus memoratorum habetur, quamque hinc inde contractam ediderunt Vincentius Bellovacenſis lib.* 12 *ſpeculi hiſtorialis cap.* 58 *& octo ſequentibus, S. Antoninus parte* I *Hiſtoriarum tit.* 6 *cap.* I §. 14, *Petrus de Natalibus lib.* I *cap.* 11 *lib.* 4 *cap.* 27 *&* 32, *lib.* 7 *cap.* 14 *& lib.* 10 *cap.* 11, *& paſſim recentiores. Nos eadem Acta habemus ex pervetuſtis codicibus Fuldenſi, Trevirenſi S. Martini, monaſteriorum Bonifontis, Budecenſis & Rubeæ-Vallis, item Sereniſſimæ Chriſtinæ Suecicæ, & aliis noſtris; ſed nuſquam reperimus* præferri in titulo auctorem eorum Anaſtaſium Bibliothecarium, *uti indicavit Baronius in Notis ad* XXV *Decembris, aſſerens ſe eadem* Acta habere in antiquo codice manuſcripto *& extare in Mombritio, cum quo eadem & nos contulimus. Admittit Molanus in additionibus ad Vſuardum, eadem Acta haberi cum aliqua præfatione Anaſtaſii Bibuothecarii. Verum generalis is Prologus eſt ad omnes plane Vitas Sanctorum, per univerſum occurrentes annum: quem quia à* XXV *Decembris incipiebant antiqui, prima Acta poſt dictam præfationem erant jam memorata S. Anaſtaſia. Præfationis hoc eſt exordium.* Omnia quæ à Sanctis geſta ſunt vel geruntur, ſi quis voluerit ſtudioſe perquirere, & ſibi & plurimis ædificationis exhibet fructum.... Scribimus ut in geſtis invenimus, quid egerint, quid locuti ſint, quid paſſi ſint Sancti. *Sive ergo dicta præfatio fuerit Anaſtaſii Bibliothecarii,*

ſequuntur poſteriores ſcriptores.

F

Acta ex MSS.

& Mombritio.

Præpoſita Præfatio generalis pro omnibus Actis.

AUCTORE G. H. *cujus nomen nusquam reperimus appositum, sive alterius & forsan aliquot seculis junioris; non aliud inde colligimus quam collectionem antiquorum Actorum fideliter factam in Legendariis, ad Ecclesiarum usum olim conscriptis & hactenus conservatis. Atque hæc de Actis Latinis & cultu harum Virginum, in Fastis etiam Latinis expresso, sufficiant.*

Acta Græca auctore Metaphraste, fere consentiunt,

5 *Apud Græcos extant eadem Acta horum omnium Martyrum, quæ jam ostendimus apud Latinos ab ipso quodāmodo martyrii tempore extitisse. Eorum hoc exordium Græcis est:* Ἀναστασία γυναικῶν ἡ κλῆσις, Ῥώμης τῆς περιδόξου φυτὸν, γένους δὲ περιφανείᾳ. *Quæ verba allegat Leo Allatius in Diatriba de Simeonū scriptis pag.* 124, *& censet hæc Acta proprio Metaphrastæ stylo signata. Sunt ea à Gentiano Herveto Latinitate donata, & à Lipomano tomo* 5 *ad diem* XXII *Decembris edita hoc exordio*: Anastasia mulierum pulcherrimma, inclytæ quidem Romæ erat nata, generis autem splendore *&c. Extant à Surio transcripta ad* XXV *Decembris: & sunt eadem, quæ jam olim in Ecclesia Latina recitabantur. Quæ in iis ad has tres spectant Virgines, uti à Metaphraste appellantur, contulimus cum Latinis & aliqua in Notationibus observamus. Græci in Menæis excusis & MSS. item apud Maximum Cytheræum & in novo Anthologio, solenni veneratione colunt dicto* XXII *Decembris S. Anastasiam, & cum ipsa S. Chrysogonum & S. Theodoten cum suis filiis. Verum inter Chrysogonum & Theodoten in Menologio Basilii Imperatoris collocatur his verbis* certamen sanctarum mulierum, Irenes, Agapes, & Chioniæ. Chrysogonus abscisso pro Christi nomine capite, martyrio defunctus per quietem apparuit Zoilo cuidam servo Dei; prænuntiavitque illi fore, ut Irene, Agape & Chionia sorores, quæ idem cum eo stagnum incolebant, citra diem nonum simul cum Anastasia in nobile certamen descenderent. Quæ cum audisset S. Anastasia, Chrysogonum secuta, convenit sorores illas, eisque serviebat. Diocletianus ergo comprehensas tradidit regionis Præfecto, ut torqueret. Rursusque Præfectus alter, nomine Sisinnius, excruciatas Agapen & Chioniam igni consumpsit: Irene autē gladio (Græce μετὰ σπαθίς) confecit. *Hæc ibi, prout edita sunt ab Yghello ad calcem tomi sexti Italiæ sacræ, quæ in Menæis Græcis, Anthologio, & apud Cytheræum leguntur ad diem* XVI *Aprilis, & hæc sub finem accuratius exponuntur:* τὴν δὲ ἁγίαν Εἰρήνην, εἷς τῶν στρατιωτῶν, τὸ τόξον αὐτῆ τείνας, καὶ βέλος πέμψας κατ' αὐτῆς, τῷ τέλει παρέδωκε. Sanctam vero Irenem, unus militum, cum arcum suum tendisset & sagittam misisset, morti tradidit. *In MSS. Claromontano & Mazariniano eadem habentur ad præcedentem diem* XV. *In Odis adjunctis plurimum à virginitate laudantur, &* Παρθένοι νεανίδες, Virgines juniores *appellantur: Sanctæque Agape & Chionia, ut Martyres per ignem effectæ, celebrantur:* Εἰρήνη τε πρὸς ἐρανὸς διὰ βέλους τρωθεῖσα ἀνέδραμεν. Irene vero sagitta percussa in cælos cucurrit: *quæ eadem in adjuncto districho sic efferuuntur:*

Βέλος σε πέμπει πρὸς τὸν εἰρήνης τόπον
Ἀφ' αἱμάτων σῶν ἐκμεθυσθὲν Εἰρήνη.
Sagitta te dimittit ad pacis locum,
Inebriata Sanguine, Irene, tuo.

& extracta elogia in Menæis,

B

& Menologio Basilii Imp.

S. Irene sagitta percussa obit.

C

§. 11 Acta Græca posterioris scriptoris discussa. Errores aliorum detecti.

Acta Græca in Crypta-Ferrata reperta,

6 HÆc late deduximus ex antiquis Latinis & Græcis Actis, Martyrologiis & Menæis, antequam progrederemur ad alia Acta, postmodum Græce conscripta: quæ reperta in Cryptæ-Ferratæ monasterio in agro Tusculano, & Latine à Guilielmo Sirleto reddita, extant apud Lipomanum tomo 7 parte 2, & Surium ad Kalendas Aprilis. Ea esse sincera & pura, prout à Notariis exceptoribus ad verbum scripta sunt, *judicavit Baronius in Notationibus ad* 3 *Aprilis, & in Annalibus ad annum* 304 *num.* XL, *ubi* Acta Proconsularia *appellat, &* digna quæ ad verbum Annalibus intexantur: *quibus relatis addit num.* 48, quod Acta hæc germana sint, prudens lector facile judicabit. *Fatemur nos ejus judicium magni facere, non tamen ubique posse assentiri; argumentis non parvi ponderis in contrarium deducti: maxime cum omnia, in horum Actorum commendationem dicta, magis conveniant aliis supra laudatis. Ceterum sua illa Acta Baronius Metaphrasta adscribit communi errore, quo plane omnia Sanctorum Acta Græca, maxime si ignoretur eorum auctor, eidem solent adscribi: contra quem errorem late invehitur Leo Allatius in supra citata diatriba de Simeonum scriptis, ubi pag.* 76 *ista habet:* Viri de Antiquitate Ecclesiastica bene meriti, Vitas Sanctorum, quæ auctorem sibi præscriptum non præferunt, omnes (non sine erroris atque insciticæ nota) Simeoni vindicarunt, quæ vere Simeonis non sunt. *& pag.* 124 tabellam *profert*, in qua ordine suo digeruntur nonnullæ Vitæ, ab ipso Metaphraste conscriptæ, de quibus sane nemo dubitaverit: *& inter illas censet* Acta S. Anastasiæ, *quibus insertum martyrium SS. Agapes, Chioniæ & Irenes: ast propria earum Acta, qualia ex codice Cryptæ-Ferratæ edita diximus, non admittit inter Vitas à Metaphraste conscriptas: nec admittere inter eas potuit, cum plane sint discrepantia ab iis quæ idem Metaphrastes in Actis S. Anastasia scripsit, ab ipsaq; veritate.*

D

à Baronio laudata,

perperam Metaphrastæ tributa:

E

7 *Iudex, qui has Virgines martyrio addixit, est Comes Sisinnius, Præsidi Dulcicio per Diocletianam depositio suffectus. Verum Sisinnii, à Metaphraste, & in Actis Latinis, Martyrologiis & Menæis maximo consensu memorati, nulla mentio fit in Actis Cryptæ-Ferratæ, sed omnia eidem Dulcicio seu Dulcetio tribuuntur à festinante consarcinatore istorum Actorum: à quo dicuntur* ex urbe Thessalonica originem duxisse; *cum Acta Latina & Metaphrastes tradant* prope Aquileiam habitationem habuisse cum Zoilo Sacerdote, & à S. Anastasia ibidem, cum carceri essent inclusæ, adjutas fuisse; *inde postea* abductas in Macedoniam, & Thessalonicæ martyrio coronatas. *Omnia hæc fuerunt neglecta à scriptore Cryptæ-Ferratæ: qui etiam* Irenen in rogum se conjecisse *tradit, cum ex consensu omnium aliorum constet, illam sagitta confossam fuisse, absque ulla ignis aut rogi mentione. Sed nec martyrium SS. Agapes & Chioniæ recte describitur, quæ* ab igne illæsæ, oratione ad Deum fusa, tradiderunt spiritum, *& contra* igni consummatas *habet scriptor Cryptæ-Ferratæ: quem aliquot post Metaphrasten seculis, ex male consutis Actis, & forsan Latinis, suam illam historiam harum Martyrum confecisse arbitramur. Damus ergo Acta antiqua Latina, omissis hisce Græcis, quæ apud Lipomanum, Surium & Baronium legi possunt, & nostrum judicium subjicimus arbitrio lectorum. S. Irene seorsim colitur quinta Aprilis, &* à Beda, Usuardo, Adone ac ceteris *uti in Notis ad illum diem observat Baronius, traditur* sagitta percussa à Sisinnio Comite, sub quo & sorores ejus Agape & Chionia martyrizaverunt. *Interim tale elogium in Martyrologio moderno Romano formatur:* Thessalonicæ S. Irenes Virginis, quæ cum sacros libros contra Diocletiani edictum occultasset, post tolerantiam carceris sagitta percussa est & igne cremata, jussu Dulcetii Præsidis, sub quo & sorores ejus simul Agape & Chionia passæ antea fuerant. *Hæc ibi. Quæstio de libris infra in Actis num.* 5 *dicitur à Sisinnio Comite facta, non apud S. Irenen, sed apud sorores ejus SS. Agapen & Chioniam: & melius videtur apud alios omnes Martyrologos omissa. De* sagittæ ictu *silent Acta posteriora Cryptæ-Ferratæ, uti* de igne *antiqua Acta Græca & Latina; quæ an recte nunc conjuncta sint à Baronio, judicent alii.*

in iis omittuntur Iudex Sisinnius,

habitatio & captivitas Aquileiēsis,

martyrium male indicatur:

Acta ea hic non eduntur

F

8 *Galesinius, secutus tabulas basilicæ Cathedralis Bergomensis, hoc elogium non absque erroribus edidit ad diem* III *Aprilis*: Romæ sanctarum Virginum & Martyrum Agapis, Chioniæ & Ireniæ, quæ Diocletiano Im-

Galesinius perperam Romæ passas scribit:

A Imperatore, primum in vinculis macie pene confectæ, poſt in flamma m injectæ neque ignis vi quidquam læſæ, precibus ad Deum habitis in cælum commigrarunt. *Errandi occaſionem præbuit Petrus de Natalibus lib 4 cap.27 hoc exordio:* Agapes, Chionia & Hirenes paſſæ ſunt in urbe tempore Diocletiani ſub Comite Siſinnio. *Verum cum reliqua dicto capite & dein cap.3: ex Actis mox dandis ſint contracta, ſuſpicamur ſcripſiſſe aut ſcribere voluiſſe*, in urbe Theſſalonica. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ has tres ſorores celebrat ad diem* v *Aprilis; & novo errore illas* Aquileiæ interemptas & ſepultas *tradit, citato præ reliquis Menologio Græcorum per Sirletum conſcripto, in quo iſta habentur ad diem* XVI *Aprilis:* Sanctarum mulierum, Irenæ, Agapæ & Chioniæ, quæ ſub Diocletiano Imperatore propter Chriſti confeſſionem paſſæ ſunt: quo tempore Chryſogonus Martyr ab eodem Imperatore gladio percuſſus eſt. *Hæc ibi alſque ulla mentione urbis Aquileiæ, in qua Martyr obiit S. Chryſogonus, & poſtea hæ Virgines captæ quidem ſunt, ſed deinde in Macedoniam abductæ & martyrio coronatæ Theſſalonicæ. Idem Ferrarius in Notis opinatur alias ejuſdem nominis Virgines paſſas Aquileiæ, alias Theſſalonicæ; itaque dedit occaſionem aliquibus Hiſpaniæ adſcribendi harum Virginum natalem in fragmentis Eutrandi ſive Luitprandi nuper confictis, & anno 1635 Madriti excuſis: quibus num.177 iſta leguntur inſerta:* Irene Virgo detulit ex Hiſpania Theſſalonicam multitudinem magnam librorum ſacrorum (fuit enim ut creditur Illiberitana) & abſcondit, anno CCCIV Theſſalonicæ paſſa eſt V Aprilis. *Hinc Tamaius Salazar inſcripſit Martyrol. Hiſpan. SS. Agapen & Chioniam, die III Aprilis, & S. Irenem die* V *ejuſdem menſis: multiſque conatur probare alias tres hujus nominis ſorores eſſe paſſas Aquileiæ; alias, quæ fuiſſent Illiberitanæ, martyres obiiſſe Theſſalonicæ. Verum in his refutandis nec tempus nec labor impendi debent, & ſine fundamento ſtructa ultro corruunt.*

& Ferrarius Aquileiæ:

B *uti alii ex Hiſpania oriundas.*

templa S. Irenes Conſtantinopoli.

9 *Baronius, in Notis ad elogium S. Irenes, obſervat;* in honorem S. Irenes Martyris excitatam Conſtantinopoli nobilem eccleſiam. *Georgius Codinus de Originibus Conſtantinopolitanis pag.38 in editione Lupareæ, aſſerit*, Conſtantinum Magnum ædificaſſe eccleſiam veterem S Irenæ, *Græce* Ἀνήγειρε τὴν ἁγίαν Εἰρήνην τὴν παλαιάν *& pag.45 tradit* Marcianum Imperatorem ad trajectum condidiſſe S. Irenem & abſolviſſe, cum antea idolorum delubrum fuiſſet. *At* Juſtinianus Imperator Irenes Martyris templum, ad ipſas Sinus fauces ſitum, ampliſſimum conſtruxit, ut Byzantii excepta æde Sophiæ, nulli alii de magnitudine cedat, *uti tradit Procopius lib.1 de ejus ædificiis cap.2 & 7. Quod templum iterum incendio abſumptum inſtaurare aggreſſus eſt Manuel Comnenus, teſte Niceta Choniate lib.7 Annalium cap.2. Petrus Gyllius in Topographia Conſtantinopolitana tertium addit S. Irenes templum. Verum, cum nulla ſororum Agapes & Chioniæ mentio fiat, arbitramur eſſe* Μεγαλομάρτυρα Εἰρήνην, *quam ſolenniſſima veneratione proſequuntur Græci, die quinta Maij: & Patronam urbis ſuæ præcipuam Aletini in Hydruntina regni Neapolitani provincia eodem die colunt, uti tunc plenius dicetur. Quod Corpora ſacra harum Virginum aſſerventur Romæ in eccleſia S. Anaſtaſiæ, innuit ab aliquibus credi Octavius Pancirolus, in Theſauro abſcondito Vibis regione 9 eccleſia 35. Bononiæ in eccleſia S. Iacobi Majoris hoc die S. Irenen in veneratione nonnulla eſſe, ob ejus aliquas reliquias iſtic aſſervatas, tradit in Bononia perluſtrata Maſinus. Veremur ne eæ Reliquiæ Martyris alicujus ex Romanis cryptis recens eductæ ſint, non ejus de qua agimus.*

videntur eſſe S. Irenes quæ 5 Maij colitur.

An corpora harum Romæ, & reliquiæ S. Irenes Bononiæ?

C

§. III Annus & dies martyrii harum trium Virginum.

10 *ALia adhuc reſtat controverſia circa tempus martyrii harum Virginum, quod ſcriptor Actorum Cryptæ-Ferratæ ita indicat.* Conſummata eſt S. Irene in Conſulatu Diocletiani Auguſti nono, Maximiani autem Auguſti octavo, Calendis Aprilis, *eo ſcilicet die & anno, quo purpuram depoſuerunt, Nicomediæ Diocletianus, & Mediolani Maximianus; cum anno præcedente crudelem perſecutionem incepiſſent, quando etiam Nicomediæ egiſſe Diocletianum teſtatur Euſebius lib.8 cap.5, eumque ibidem illo anno permanſiſſe colligimus ex oratione Conſtantini Magni ad Sanctorum cœtum capite 25, ubi dicitur poſt cœptam perſecutionem illam, Nicomedienſe palatium, in quo degebat, conflagraſſe; imo & eum de ſtatu mentis paullulum deturbatum fuiſſe, ut videatur ſcriptor Actorum Cryptæ-Ferratæ, communi errore, reſpexiſſe ad crudelem illam perſecutionem, anno* CCCIII *cœptam; quaſi ante eum annum nulli ſub Diocletiano Martyres eſſent coronati. At ſicut certum eſt omnium Latinorum teſtimonio S. Irenen, non* Kalendis, *ſed* Nonis Aprilis *eſſe interfectam; ita cum eiſdem aſſerimus, haſce Virgines* anno tertio Conſulatus Maximiani, & quarto Diocletiani, *ſive anno Chriſti* CCXC *martyrio fuiſſe coronatas. Aſſumpſit Imperium Diocletianus anno* CCLXXX.V, *quando, initium ſumit Æra Martyrum, qui ab ejus exordio variis in locis fuerunt interempti, ad hoc excogitata à Chriſtianis, ut tam crudelis tyranni nomen penitus aboleretur.*

AUCTORE G. H.

ſunt paſſæ hæ Virgines, non anno 304,

ſed anno 290

11 *Dedimus* XX *Ianuarij Acta S. Sebaſtiani à S. Ambroſio è Notariorum ſcriptis edita, in quibus cap.18* occiſo Carino Imperatore, *quod factum eſt anno* CCLXXXV, *dein* Maximo & Aquilino Conſulibus, *ſive anno ſequenti, traditur* talis facta perſecutio, ut nullus emeret vel venumdaret aliquid, niſi qui ſtatunculis poſitis thuris exhibuiſſet incendium: *ita infra in Actis harum Virginum num.2* Aquileiæ nulli Chriſtiano licebat vel poſſidere aliquid, vel artem aliquam exercere, aut aliquod negotium agere. *Quæ ultima potiſſimum referimus ad annum* CCLXXXIX, *quando in Aquileiæ partibus poſitus erat Diocletianus, & juſſu ſuo adductum eo S. Chryſogonum mandavit capite plecti: quod executioni mandatum eſt* XXIV *Novembris. Poſt hujus eadem elapſis triginta diebus, mortuus eſt Zoilus Sacerdos: & poſt alios novem dies, captæ ſunt hæ Virgines, ad Diocletianum adductæ & carceri incluſæ; indeque Theſſalonicam, quo Imperator diſceſſerat, adductæ: ubi* SS. Agape & Chionia tertio Nonas Aprilis, & S. Irene *ipſis* Nonis Aprilis martyrium compleverunt, Maximiano ter Conſule, *uti in omnibus pene codicibus manu exaratis, & ſupra indicatis, itemque apud Mombritium legitur.* Revertente autem Imperatore Diocletiano à Macedonia, apud Sirmium oblata eſt ei Theodote cum tribus filiis ſuis, *& poſtea* comprehenſa eſt B. Anaſtaſia & perducta ad forum, ubi Probus Præfectus Illyrici ſedens cauſas diverſorum audiebat. *Ex his* S. Theodote abducta eſt cum tribus filiis Nicæam urbem Bithyniæ, *& ibidem* quarto Nonas Auguſti paſſa; *& procul inde ad mare deducta, atque* cum centum viginti reis, *quos Chriſto peperit*, in inſulam Palmariam *prope Latium* navi devecta, cum illis martyrium complevit octavo Kalendas Januarias. *Quæ nullo modo, anno Chriſti* CCCIII *& ſequenti convenire ex ſupra dictis manifeſtum eſt.*

E

poſt occiſum anno 289 Aquileiæ S. Chryſogonum, Diocletiano ibi præſente,

& profecto Theſſalonicam,

inde poſt harum martyrium,

digreſſo Sirmium, ubi captæ SS. Theodote & Anaſtaſia.

F

12 *Nicephorus etiam Calliſtus lib.7 Hiſt. Eccleſ. cap.14 conjungit martyria S. Anaſtaſiæ & dictarum trium Sororum. Anaſtaſia, inquit*, Romæ membris eſt mutilata, alteraque ei cognominis, quam poſt alia ſupplicia ignis conſumpſit. Inſuper Agapæ, Irenæ & Chioniæ nobiliſſima martyria ſilentio prætereunda non ſunt. *At nullam hactenus reperimus mentionem illorum, qui reperiuntur in Actis Cryptæ-Ferratæ, & ſunt* Agatho, Caſia, Philippa & Eutychia: *pro quibus malumus retinere* SS. Chryſogonum, Anaſtaſiam & Theodoten cum tribus filiis. *Qui in horum Actis* Sirmii *nominatur*, Probus Præfectus Illyrici; *ſub eo* in perſecutione Diocletiani paſſus eſt S. Irenæus Epiſcopus Sirmii, *cujus Acta dedimus* XXV *Martij.*

pro quibus alii perperam obtruduntur.

ACTA

EX MSS.

ACTA MARTYRII

Auctore antiquo in Vita S. Anastasiæ,

Ex plurimis MSS. & Mombritio.

CAPUT I.

Domicilium harum Virginum Aquileiæ, & captivitas ibidem.

Prope Aquileiam, 1 EO tempore cum Diocletianus, in Aquileiæ partibus positus, interficeret Christianos; relatio cucurrit de Christianis Præfecturæ Urbanæ. Tunc rescripsit Rex, debere omnes eos interfici, ad se vero solum Chrysogonum destinari. Hunc itaque prosecuta est S. Anastasia, & cum esset nobilis & delicatissimi corporis femina, ita viriliter agebat, ut apud Aquileiam faceret Sanctis obsequia meliora, quam fecisset Romæ. Interea Chrysogonum nominatissimum scelestissimus Diocletianus sibimet præsentari jussit ... & *a* Ad aquas Gradatas duci & ibidem decollari: corpusque ejus in mare projectum, post modicum ad littus jactatum est, & inventum juxta possessionem, quæ dicitur Adsaltus: in qua tres sorores Christianissimæ commorabantur, Agape, Chionia & Irene, cum S. Zoilo sene Presbytero. Qui Presbyter colligens corpus S. Chrysogoni, in locello ligneo condivit cum omni diligentia, & in domo sua in subterraneo cubiculo posuit.... Ipse quoque S. Zoilus tricesima die susceptionis ejus hoc ordine migravit ad Dominum. Apparuisse sibi in visione S. Chrysogonũ memoravit, dicẽs: Sceleratissimus Diocletianus Agapen, Chioniã & Irenen faciet intra dies novem comprehendi, quas quousq; faciat Dominus venire ad coronam, faciet eas habere solatium famulæ suæ Anastasiæ. Tu autem quia Domino placuisti, senior, lætus veni, & requiesce cum Sanctis. Igitur cum hæc narraret S. Zoilus, ecce & Anastasia *b* constanter domum, in qua numquam fuerat, ingressa, ait: Ubi sunt sorores meæ, quas mihi Dominus meus Chrysogonus commendavit? Et videntes se invicem, in Christo lætatæ sunt, atque locum ubi erat positus Martyr Christi Chrysogonus ostendentes, rogaverunt secum aliquantulum commorari. Illa vero unam apud eas peragens noctem, rursus ad urbem Aquileiensium pergit, satis solicita de his, qui in vinculis habebantur. Qua eunte, S. Zoilus perrexit ad Dominum....

a

B

commorantes SS Agape, Chionia & Irene.

divinitus admonentur de instante martyrio:

b invisuntur à S. Anastasia:

C

sistuntur Diocletiano

2 Sanctorum quoque Agapes, Chioniæ & Irenes Diocletianus rumore comperto, jussit eas ejus obtutui præsentari: quas cum vidisset Rex, ait: Quæ vobis fatuitas imperat sequi superstitionem vanam & superfluam, atque in contemptum veræ religionis divinas execrari virtutes? Igitur quia comperi vos generosas & nobili ortas stirpe, dabo vobis maritos de palatio meo, per quos illustres esse possitis, si negaveritis Deum vestrum esse Christum, & diis libamina dederitis. Tunc Agape respondit: *c* Sacratissime Imperator, cura tibi gentium incumbit, cura reipublicæ, cura exercitus: & ad injuriam Dei vivi loqueris, cujus tibi auxilium est necessarium, cujus tibi benignitas parcit? Diocletianus dixit: Insanit ista, alteram applicate. Et adducta S. Chionia dixit: Soror mea non insanit, sed injusta monita justo judicio reprehendit. Item & hanc amoveri præcipiens, jussit adduci tertiam juniorem, nomine Irenen, cui & dixit: Quia vanitate plenæ sunt sorores tuæ; tu saltem, quæ junior esse cognosceris, diis cervicem flecte, ut possint etiam tuæ sorores tuo liberari exemplo.

c constantes in fide

3 S. Irene respondit: Flectant cervices suis idolis, quibus iratus est Deus: pejor enim indignitas non est, quam ut hunc adoret aliquis, quem ab artifice pactus *d* est antequam fieret. Nisi enim prius pepigeris cum artifice, qui eum aut stantem faciat, aut sedentem, aut ridentem, aut flentem, aut saltantem, aut jacentem, non das pretium limantibus, dolantibus, conflantibus. Et posteaquam fecerit ex metallo imaginem, quam ante pepigisti; illi cervicem inclinas, & Deum tuum servum tuum credis, quem ipse antequam fieret ex metallo pactus es: & male factum recusasti, & composite elimatum emisti. Diocletianus dixit: Ista verba tormentis tollenda sunt, si monitis pacificis obtemperare forsitan respuitis. Chionia dixit: Noli dicere, forsitan: nos enim pro certo novimus, quod tuis numquam sanctissimus jussionibus consensum penitus præbituræ. Tunc jussit eas Diocletianus carceris tradi custodiis, quas Anastasia nec diebus nec noctibus deserebat. *e* Conveniebant enim omnes Christiani ad Anastasiam, viri & feminæ indigentes, quia nimiam penuriam Christiani hoc tempore sustinebant: nulli enim Christiano licebat vel possidere aliquid, vel artem aliquam exercere, aut aliquid negotium agere. Anastasia vero quotidie hoc rogabat Dominum, ut non prius exiret de corpore, nisi omne pretium, quod de patrimonio suo vendito acceperat, expendisset.

D

d irridet idola.

carceri includitur, ejusque juvatur à S. Anastasia.

e

E

ANNOTATA.

a *Nomina hæc* Ad aquas-Gradatas, *&* Ad-saltus, *omittuntur à Metaphraste: reliqua sæpe varia amplificatione referuntur.*

b *Metaphrastes addit*, Divino spiritu mota.

c *Idem aliud responsum efformat, & responsum Irenes silet.*

d *Alias* qui ... placatus *vel* placitus: *& infrà nisi* placueris: *ubi* placere *sumi videtur pro* licitare.

e *S. Aldelmus hæc ita explicat:* B. Anastasia, ne famelicæ frugalitatis parsimonia deficerent, alimoniæ stipendium & stipis edulium exhibens, lacunæ liminibus libenter erexit, *interim* eas in carcere maceratas *tradunt Beda, Vsuardus, aliique.*

CAPUT II.

Profectio Diocletiani & sanctarum Virginum Thessalonicam. Acta coram Dulcicio Præside, divinitus punito.

F

In Macedoniam abdu-cta

4 PROficiscente igitur Diocletiano ad Macedoniam, omnes Christiani qui in vinculis erant, simul à custodibus cum eo ducti sunt: inter quos erant *a* simul Agape, Chionia, & Irene. Igitur cum suggestum fuisset Imperatori de his qui habebantur in claustris, jussit Præsidi Dulcicio diversis tormentorum generibus angere universos, qui diis sacrificare noluissent: eos autem qui consensissent, divitiis & honoribus sublimari constituit. Verum quia longum est multorum Dei Martyrum gesta conscribere, tres sorores memoramus, Dulcicii Præsidis præsentatas aspectui: quas videns Dulcicius *b*, captu oculorum adstrictus, turpissimo agebatur spiritu: & fecit eas apud talem officialem tradi custodiendas, qui eis promitteret libertatem, si consensum suum ejus captivæ animæ præbuissent. Igitur cum neque promissionibus insanis, neque terroribus animum commutarent; ipse indignissimus Præses ausus est nocturno silentio pergere, & cellam ingredi, ubi illæ orantes noctem Christo pervigilem exhibebant. In quo autem loco illæ erant clausæ, omnia utensilia culinæ illic reposita habe-

a

b

servantur à libidine Præsidis,

habebantur. Igitur cum fuiſſet ingreſſus, & vellet ire ubi eum vox Pſalmorum triplicibus *c* ſonis impellebat, mens ejus in alienationem converſa, ollas cœpit amplecti & ſartagines deoſculari. In quibus ludificatus diu, donec niger totus & *d* cacabatus effectus, talis cœpit in veſtibus & in facie eſſe, qualis à diabolo poſſidebatur in mente.

d qui pro ipſis amplexatus ollas

5 Egreſſo tandem eo ad ſuos, qui eum cum luminari expectabant pro foribus, fugerunt omnes, videntes eum cacabatum totum, & ſciſſum, & nullam partem penitus in veſtimentis quæ non eſſet inquinata & ſciſſa. Stantibus vero Dei ancillis & pſallentibus, nullum penitus per eum potuit diabolus impedimentum adferre. Videns itaque Præſes ſe ab Officio ſuo contemptum atque derelictum, neſciens quid de eo factum fuiſſet, non eſt reverſus ad domum ſuam, ſed cœpit concito curſu ire ad palatium, dicens: Proſternam me invictiſſimis Principibus, & dicam me ab Officio meo ludibrio habitum, atque cum irriſione & clamoribus derelictum. Cumque primo mane apertum eſſet palatium Imperatoris, & ille totus cacabatus & ſciſſus ante regiam aulam apparuiſſet, atque intus vellet intrare; alii virgis, alii pugnis, alii exufflantes in faciem ejus impingebant eum; & alii ridentes, alii iraſcentes expellebant eum.

ludibrium fis,

B

6 Tandem vix potuerunt ad domum ſuam eum ſervi ejus reducere, dicentes ei, Recipe te. Clauſerat enim diabolus oculos ejus, & non poterat ſeipſum attendere: videbatur enim ei quod totus mundus incedens, niveis veſtimentis eſſet indutus. Omnes autem ſui, ſive uxor, ſive ancillæ, excapillatæ in occurſum ejus venerunt: dicebatur enim à dæmone illuſus, mentis ſuæ non eſſe. Ille autem tamdiu mente ſua carebat, quamdiu intus poſitus ollas & ſartagines fuiſſet amplexus: ceterum eo tempore quo ab Officio ſuo relinquebatur, à cunctis ſpernebatur, à ſuis lugebatur, mens in eo ſana erat, & ſoli oculi tenebantur à ſatana; quod incurrerat ille infelix, cum Dei Martyres obſcœno mentis conamine reſpexiſſet. Interea revocatur à diabolo ad furorem, & putans ſibi maleficiis ancillarum Chriſti iſta eveniſſe, jubet ſibi parari publice tribunal. Cumque fuiſſent adductæ orantes atque pſallentes, juſſit eas expoliari, ut nuda earum corpora aſpiceret. Sed cum miſſa fuiſſet manus ut expoliarentur, ita fixæ erant veſtes earum ad carnem, ut putarentur ipſa veſtimenta eſſe coria corporum earum. In hac autem intentione perſeverans intentius Præſes Dulcicius, obdormivit ſedens pro tribunali: & ita dormiebat ſtertens, ut etiam à pulſantibus excitari non poſſet. Qui ſublatus inde in ſella dormiens, tunc expergefactus eſt, cum Domum ſuam fuiſſet ingreſſus.

& pro inſano habetur.

eumque eos juſſiſſet nudari,

C

ſomno corripitur.

ANNOTATA.

a Hanc Virginum traductionem in Macedoniam habent omnia MSS. Latina, item Mombritius, & Vincentius Bellovacenſis. Aſt obſcurus eſt Metaphraſtes, dum dicit, Diocletiano proficiſcente in Macedoniam, eas traditas eſſe Dulcitio Præfecto; *quod tamen contigiſſe Theſſalonicæ, ex ſequentibus, etiam apud Metaphraſtem, conſtat.*

b *Metaphraſtes ait* cæcitate punitum.

c *In aliis MSS.* ſtudiis *aut* ſtimulis.

d *Ita etiam* ollas cacabatas *dici apud Pelagium in Aprilis Tomus I. Vitis Patrum obſervavimus 15 Ianuarij, ad Vitam S. Macarii Ægyptii cap. 1. litt. B* EX MSS.

CAPUT III.

Acta coram Siſinnio Præſide, Martyrium Sanctarum Virginum.

7 AUdiens itaque Imperator omnia quæ acciderant, dedit Comitem Siſinnium qui eas audiret. Cui eum fuiſſent præſentatæ, vocavit ad ſe unam, & dixit: *a* Quod tibi nomen eſt? Quæ reſpondit, Irene dicor. Siſinnius dixit: Conſentis regali juſſioni? Irene dixit: Non conſentio: ſum enim Chriſtiana, & Dei omnipotentis ancilla. Tunc Siſinnius juſſit eam in carcerem recipi, & adductis Chioniæ & Agape, dixit eis: Irene, quantum apparet, junior vobis eſt, & veſtro exemplo & doctrinâ decepta divina juſſa contemnit: ideo eam diſtuli, ut veſtro exitu territa poſſit abſolvi. Ideo offerte diis libamina, ſicut & nos, qui devoti ſumus Regibus. Agape reſpondit: Inſuperabilis eſt fides noſtra. Reſpondit Siſinnius: Tu quid dicis? Chionia reſpondit: Fides noſtra immutabilis perſeverat. Siſinnius dixit: Numquid apud vos ſunt aliqui libri Chriſtianorum. Famulæ Dei reſponderunt: Sunt libri, ſed in mentibus noſtris abſconditi, unde numquam poterunt auferri ab hoſtibus Chriſti. Siſinnius dixit: Quis vobis dedit conſilium ad iſtam calamitatem devenire? Famulæ Dei dixerunt: Calamitas iſta quidem temporalis eſt: ſed ex ipſa calamitate gloria naſcitur ſempiterna. Siſinnius dixit: Implete præceptum Regis & ſacrificate. Agape & Chionia reſponderunt: Nos Deo ſacrificium noſtræ laudis offerimus, diabolo autem penitus numquam ſacrificamus. Noli ergo perſuadere tibi, quod poſſis nos à Domini noſtri Jeſu Chriſti cultura divellere: ſtultus enim eſt ſenſus, qui non conſiderat, nos à fide Chriſti deviare non poſſe. Unde quod tibi præceptum eſt, imple; ut ſicut nos Regis noſtri præcepta ſervamus, ita tu Imperatoris tui præcepta conſervans, poſſis ejus gratiam invenire.

A Siſinnio examinatæ

a

& fidei conſtantiæ profeſſæ à Agape & Chionia

E

8 Tunc Siſinnius dedit ſententiam dicens: Agapen & Chioniam, quæ nec terrore judiciario juſſa Principum implere voluerunt, juſſi vivas incendi. His auditis Chionia & Agape repletæ ſunt gaudio, dicentes clara voce: Gratias tibi agimus, Domine Jeſu Chriſte, qui nobis ad Confeſſionem nominis tui perſeverantiam dare dignatus es; in manus tuas, Domine, ſuſcipe animas noſtras. Et cum hæc dixiſſent, *b* milites miſerunt eas in ignem. In quo igne dum nec veſtimenta earum arderent, orabant Dominum, vociferantes atque dicentes: Domine Jeſu Chriſte, ne ab iſta hora patiaris nos vel loqui cum his, qui denegant te verum Deum. Et his dictis proſtratæ in orationem & intactæ ab igne, perrexerunt ad Dominum. Ut autem offenderet Dominus incredulis, quia ignis eas non interficeret exurendo, ſed ipſæ orationibus ſuis ſibi exitum impetraverint; immaculatis corporibus, intactis crinibus, integriſque veſtibus, digeſto igne *c* repertæ ſunt. Quarum corpora miſſis occulte ab *d* Anaſtaſia hominibus furtim abrepta, ad ejuſdem hoſpitalia ſunt nocte perducta. Quæ illa aromatibus condiens, in ſarcophago novo, cum omni gaudio & honore, ſepelivit; orans Dominum ut earum particeps effici mereretur.

F

vivæ igni injectæ non læduntur.

b

orantes expiravit.

ſepelimntur à S. Anaſtaſia.

c

d

EX MSS. *S. Irene generoſe ſpernit tormenta,*

9 Altera namque die tertiam ſibi Siſinnius juſſit adduci, cui & dicit: Irene, ſacrifica diis, ne ſimili incendio pereas. At illa reſpondit: Ego non ſacrifico, ſed feſtino particeps effici ſororũ mearũ; ne in conſpectu Dei aſtantibus ſororibus meis, ego aliena inveniar. Siſinnius dixit: Perſuade tibi; ne majores, cruciatus incurras, quã illæ incurrerunt, quas tu tuas ſorores fuiſſe dicis. Irene reſpondit; Ego feſtino non negando veritatem pertingere ad vitam per mortem, & per ignem pervenire ad refrigerium. Siſinnius dixit: Putas te ſic pati, ſicut ſorores tuæ paſſæ ſunt? Ego te jubeo nudam tradi meretricantibus, ut ibidem ad turpes uſus poſita moriaris. Irene reſpondit: Caro mea & feris & ignibus & plagis omnibusque pœnis [tradatur, non ſacrificabo] quidquid paſſa fuerit. [Caro autem mea] ſic patitur fornicatorem, ſicut canẽ, ſicut urſum, ſicut ſerpentem: & melius mihi eſt ut tradatur caro mea quibus excogitaveris pœnis, quam anima mea polluatur in idolis. Inquinamẽta enim quibus anima non conſentit, non ſuſcipit reatus. Numquam Sancti Dei, qui ante in confeſſione nominis Dei perſeverãtes de ſanguine ſacrificii veſtri inviti acceperunt in ore, inde polluti ſunt. Siſinnius dixit: Ergo non ſunt inquinati, qui de ſacrificiorũ ſanguine guſtaverunt? Irene reſpondit, non ſolum non ſunt inquinati, ſed etiam coronati ſunt: voluptas enim habet pœnam, & neceſſitas parat coronã. Vos illos reſupinari juſſiſtis, & mixtũ aqua ſanguinem ſacrificiorum invitos ſorbere; & aperto ore eorũ, ſicut equis cornu ingeſſiſtis. Illi autẽ ſanguinem illũ ſi conſentiendo glutiſſent, animam ſuam perderent: at vero non conſentiendo illum, ſed vim patiendo, guſtantes, non ſolũ polluti non ſunt, verũ etiam emundati ſunt. Ita & ego, quæ carnem meam Chriſto tradidi, ſive ſordibus, ſive plagis, ſive ignibus eam tradas; ego non conſentiam, & omnia quæ paſſa fuero pro confeſſione nominis Dei mei, non verebor: potens eſt tamen Deus, qui non te permittat facere quod cogitaveris.

etiam minas de expoſitione in lupanari:

confidens ſe à Deo ſervandam:

10 Tunc vocavit ad ſe milites & tradidit eam illis dicens: Ite & ponite eam in loco turpi, ubi meretur; ut ibi ſit ludibrio omnibus populis. Tunc Irene cum duceretur, apparuerunt duo *e* milites ante eos, qui eam ducebant dicentes: Miſit nos poſt vos Comes Siſinnius, ut ubi nos oſtenderimus, ibi eam ponatis. Et cœperunt eos ſequi milites, quouſque aſcenderunt in cacumine montis, & ſederunt, & dixerunt illis milites, Ite nuntiate Siſinnio dicẽtes, quia, ſicut juſſiſti, in cacumine montis eam fecimus ſtare. Tunc Siſinnius videns ſe deluſũ, & hoc factũ quod ïpſe non juſſerat; aſcendens equũ, ipſe per ſe perrexit, currens ad montem, in quo orabat Dei famula Irene: & attendens videbat eam & circuibat à mane uſq; ad veſperã montem, & non pervenit ad eam. Qui videns ſe irriſum, ingemuit. Extendens autem arcũ unus ex his qui cum eo venerant, ſagittavit eam, & illa emiſit vocem dicens: Inſulto tibi miſerabilis, quia ſicut virum fortem in bello aggrederis, ſic mulierem volueras ſubjugare. Ecce munda vado ad Dominũ, meũ Jeſum Chriſtum, qui me modo meis ſororibus reddidit, quia ſine me eſſe non patiebantur; & his dictis emiſit ſpiritum. Unde corpus ejus ſublatum eſt ab hominibus Sanctæ Anaſtaſiæ, & cum ſororibus ejus poſitum eſt. Paſſæ ſunt autem Agape & Chionia tertio Nonas Aprilis: & in ipſis nonis, Irene apud Theſſalonicam, Maximiano ter Conſule, *ſ* regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

abducitur in montem, e

ſagittâ confoſſa obiit:

ANNOTATA.

a *Hæc ſunt Acta Proconſularia, accuratiora, quam quæ in MS. Cypta-Ferrata traduntur de his tribus ſororibus.*

b *Metaphraſtes ait* fornacem luculentam fuiſſe paratam, & Virgines ſimul canentes inſiliviſſe in ignem. *Placent magis Acta hæc antiqua Latina.*

c *Metaphraſtes ait*, ignem extinctum.

d *Fuerat Anaſtaſia ſecuta Theſſalonicam: uti poſtea Sirmium, cum eo iviſſet Diocletianus.*

e *Metaphraſtes hos appellat* Angelos, indutos habitu & veſte militari.

f *Hæc clauſula eſt in MS. Budecenſi, & ita brevius in Mombricio*: Regnante Jeſu Chriſto in ſecula. Amen. *In aliis MSS. ſequebatur iter Diocletiani Sirmium quod erit exponendum ad Vitam S. Theodotæ & S. Anaſtaſiæ, Metaphraſtes nulla itineris Sirmienſis mentione facta, conjungit quæ circa SS. Theodoten & Anaſtaſiam geſta ſunt: verum cum hanc ad* Præfectum Illyrici Florum, *imo* Probum, *deductum aſſerit, prodit ſuam oſcitantiam.*

G. H.

DE SANCTO VLPIANO.

MARTYRE TYRI IN PHOENICIA.

ANNO CCCIV

Martyrium ex Euſebio

Euſebius Pamphilus libro de Martyribus Palæſtinæ interſerit martyrium S. Vlpiani, licet non in Palæſtina, ſed huic contigua Phœnicia contigerit; & quidem in urbe Tyro, ſatis vicina Cæſareæ, ubi paſſus fuerat S. Apphianus: de quo cum egiſſet Euſebius cap. 4, ſtatim cap. 5 de hoc Martyre iſta ſubjungit: Per idem tempus iiſdemque pene diebus, in urbe Tyro, adoleſcens quidam, Ulpianus nomine, poſt crudeles plagas & acerbiſſima flagrorum verbera, una cum cane & aſpide in culeum ex crudo bovis corio inſutus, in mare præcipitatus eſt. Proinde cum Apphiani martyrio hic à nobis jure merito commemorandus videtur. *Colitur S. Apphianus ſecunda Aprilis, cui proximo die adjungitur in Martyrologio Romano relatus Martyr cum hoc encomio*: Tyri S. Vulpiani Martyris, qui in perſecutione Maximiani Galerii, cum aſpide & cane inſutus culeo, in mare demerſus fuit. *Vbi Baronius in Notis late agit de ſupplicio culei, quod in parricidas decretum erat, oſtenditque ob nimiam ſui atrocitatem uſurpari deſiiſſe: unde etiam jubet expendere immanitatem & furorem Gentilium in Chriſtianos, quos ſæviora parricidis cogebant ſubire ſupplicia.*

& Martyrol. Rom.

Supplicium culei.

Tempus perſecutionis ſupra in S. Apphiano deduximus: quæ licet contigerit Maximiano Galerio Imperatore, tamen in Palæſtina & Phœnicia res peracta eſt, jubente Maximino Cæſare, anno quarto perſecutionis, Chriſti CCCIV: *proinde melius Maximinus quam Maximianus in Martyrologio nominaretur. Brautius Epiſcopus Sarſinæ in Martyrologio Poëtico hoc eum diſticho exornat.*

tempus martyrii.

Cum cane lymphatico ſacco conſutus & angue
Horribili, Martyr merſus in æquor obit.

DE

DE SANCTO DONATO

G. H.

MARTYRE NICOMEDIÆ IN BITHYNIA

III APR.

An jungendus S. Amphiano?

POst relatum Martyrium S. Theodosiæ Virginis, quod cum Martyrologio Romano præcedenti die retulimus, in variis Martyrologiis substituitur S. Donatus, Nicomediæ passus: cui socium adjungit Florentinius Amphianum & huic favet Notkerus, ita scribens, in Nicomedia Donati & Amphiani. *Eodem modo conjunguntur illi in MS. Adone Leodiensi monasterii S. Laurentii & MS. Florario* sed secundus Amphiarius *scribitur. In codice Epternacensi* S. Hieronymi *insuper nonnulli alii adjunguntur*: Nicomediæ Donati, Amphiani, Theumis, Benigni, *ubi pro* Theumis *legi debere* Tomis *supra diximus. Reliqua apographa dicti Martyrologii* S. Hieronymi *sic habent*: In Nicomedia Donati, & passio S. Amphiani: *ubi ob verbum* passio *interpositum, videtur* S. Amphianus *à consortio* S. Donati *separari: quod non adjuncto* S. Amphiano *faciunt antiqua MSS. Vaticanum ecclesiæ S. Petri, & Barberinum in supplemento genuini Martyrologii Bedæ: item Rhinovience, Casinense & Altempsianum, his ubique verbis*: In Nicomedia Donati. *Idem facit Grevenus in Auctario Vsuardi. Memoratur etiam* Donatus *absque loco martyrii in MSS Augustano & Labbeano.*

Remittimus Amphianum *ad diem præcedentem, in quo refertur &* S. Amphianus Martyr in Africa, *&* S. Apphianus, *aliis* Amphianus, Martyr Cæsareæ in Palæstina. *Alius etiam* Donatus Martyr Nicomediensis *memoratur* VI *Aprilis, sed variis sociis adjunctus; adeoque ab hoc vel solitarie relato; vel in classem ab ista diuersam transcripto; merito distinguendus.*

DE SANCTO ELPIDEPHORO

G. H.

MARTYRE APVD GRÆCOS.

III APR.

SAnctum Martyrem Elpidephorum *celebrant Græci hoc die in Magnis Menæis & apud Maximum Cytheræum, quem MSS. Menæa Chisletiana tradunt* gladio occisum. *Cetera de loco & tempore latent. Est aliquis* Elpidephorus *sub sapore Rege Persarum cum* SS. Acindyno, Pegasio, Aphthonio, *&* Anempodisto *& aliisque plurimis martyrio coronatus, sed hunc eumdem esse quis dicet? Hic isto districho honoratur in Menæis, cum allusione ad nomen, ductum à ferenda spe, quod Deo bonorum omnium largitori, proprie convenit.*

Ὄντως ἀληθὴς Μάρτυς Ἐλπιδηφόρος,
Θεὸν φέρων ἄψεῦστον ἐλπιδηφόρον.

Sincerus iste Martyr Elpidephorus;
Fert, retributorem spei haud falsum, Deum.

Meminerunt S. Elpidephori Martyris *Galesinius & Ferrarius, & conjungunt cum* S. Bythonio, *de quo in sequenti classe agimus.*

DE SS. GALICO, BYTHONIO ET DIO

G. H.

MARTYRIBVS APVD GRÆCOS.

III APR.

Martyres hi ab aliis junguntur,

ab aliis separantur,

C *Bythonius in mare projectus,*

PAristense *Synaxarium MS. collegii Claromontani, ad hanc* III *diem Aprilis, ista habet*: Ἄθλησις τῶν ἁγίων Μαρτύρων Γαλίκα, Βιθυνίᾳ. *In MS. Ambrosiano, signato littera O & num.* 148, *additur* ἢ Δίου. *Quomodo iterum tres in Synaxario Parisiensi referuntur* XXIX *Aprilis.*

Iidem inscripti, sed ordine inverso, Menæis excusis & MSS. Chisletianis nec non apud Maximum Cytheræum: singuli autem seorsim referuntur, quasi diversis locis & temporibus essent coronati. Qui in dicto Synaxario est Bithynius, *scribitur* Bythonius, *uti etiam à Galesinio & Ferrario.* In mare projectus, *dicitur in Menæis, cum hac ad nomen ejus & mare allusione*

Ὁ Βυθίνιος εἰς βυθὸν βεβλημένος,
Τὴν κλῆσιν εὗρεν εἰς προφητείας τέλος.

Mari profundo mergitur Bythinius;
Prædictionem nominis exitu probans.

Etenim à βύθος profundus *nomen* Bythinii *ducitur.* *Galicus à bestiis devoratus,*

Medius autem inter duos Martyres ubique habetur: at S. Galicas *ab aliis ultimus, ab alius primus collocatur: cui quod genus martyrii obtigerit hoc districho indicatur:*

Δηχθεὶς ὀδοῦσι Γάλικος τῶν θηρίων,
Θηρὸς νοητῶς τοὺς ὀδόντας συντρίβει.

Morsus ferinis dentibus, Gallice; feræ
Dentes cruentos conteris avernalis.

F *& Dio est caput testæ elisum*

Tertius denique, sive aliis primus, est S. Dius Martyr *cujus Martyrium ab aliis diversum proponitur his sequentibus.*

Βαλὼν κεφάλῳ δυσσεβὴς Δίου κάρα
Ὡς σκεῦος αὐτὴν συντρίβει κεραμέως.

Testam scelestus in Dii jactans caput,
Contrivit ipsum, figlinam velut testam.

DE SANCTO VRBICO

G. H.

EPISCOPO CLAROMONTANO IN GALLIA.

CIRCA AN. CCCXII.

A S. *Austremonio, seculo 3 in Arvernam profecto,*

DE *variis viris Apostolicis, qui fidem Christi diversis Galliarum ditionibus seculo Christi tertio intulerunt, egimus* XXII *Martii ad Vitam S. Pauli Episcopi Narbonensis: cui inter alios commilitones tribuitur S. Austremonius, seu Stremonius, Arvernorum Episcopus; memoratus à S. Gregorio Episcopo Turonensi, lib.* 1 *Historiæ Francorum cap.* 28, *ubi narrato SS. Dionysii Parisiorum Episcopi, ac Saturmini Tolosatum, Martyrio, ista subdit:* Gratianus vero Trophimus, Stremonius que ac Paulus atque Martialis in summa sanctitate viventes, post acquisitos Ecclesiæ populos, ac fidem Christi per omnia dilatatam, felici confessione migrarunt. *Stremonio autem sive Austremonio dies natalis assignatur ipsis Kalendis Novembris: quo die ejus Acta danda erunt, in variis codicibus MSS. reperta, & nuper edita tomo* 2 *Novæ bibliothecæ li-*

AUCTORE G. H.

S. Vrbicus tum aliis in fide inſtructus,

conſtituitur Epiſcopus.

B

exequiæ S. Auſtremonii celebrat.

C

ſervata aliquamdiu continentia.

brorum manuſcriptorum a Philippo Labbe, ubi pagina 487 de S. Vrbico ſucceſſore (cujus Acta ad hunc diem ſunt referenda) iſta habentur: Triginta & ſex annis vir Domini Auſtremonius cum magno certamine Pontificatum ejuſdem urbis rexit; Providit ergo ex ſuis diſcipulis ſolertes quoſque & induſtrios viros, qui & rerum adminiſtratione ceteros præirent, & prudentiæ ſagacitate miro callerent ingenio: qui & zelo divini amoris referti æquitatem diligerent, & non haberent dolum in lingua ſua, nec exercerent malum in proximos ſuos. Hos itaque tamquam baſes columnarum ceteris præfecit, monens eos ut inſcios & rudes docerent, omneſque ad meliora provocarent, & à fide, quam ab ipſo didicerant, minime deviarent. Advocans namque unum ex ipſis, voluit ei Eccleſiaſticos committere Ordines, cui & dixit: Accipe, frater cariſſime, curam paſtoralis officii: eamque ſic tracta & age, ſicut Deo ipſi immortali Regi, & coram Sanctis omnibus rationem redditurus in tremendo examine... Arvernenſi ſiquidem Eccleſiæ, cui ipſe præerat, B. Urbicum, licet invitum, ſemet tamen cogente, Clero etiam eligente, populoque conſentiente, ſtrenuum conſtituit Epiſcopum. Hanc etiam ordinationem Clerus & populus idcirco minus moleſte gerendam eſſe cenſebant, quia illum intra patriam manſurum fore, ipſo innoteſcente, ſciebant. Iſte plane Pontifex miro doxologoque callens ingenio, ordinabili voto & prudenti conſilio ſibi commiſſam gubernabat Eccleſiam. Quæſivit profecto adjutorium, quo unanimiter pondus quiviſſet ferre ſibi impoſitum: non ut ſecum portanti ſacri juvaminis ſubtraheret ſolatium, ſed ut pariter portantes majus negotiarentur præmium.

2 *Hactenus illa Acta, in quibus traditur* S. Auſtremonius à perfidis Judæis interemptus. Student interea diſcipuli, uti res geſta erat, Urbico quantocyus mandare Epiſcopo. Qui cum cognoviſſet Magiſtrum ſuum ab impiis Judæis fuiſſe interemptum, indicibili permotus triſtamine, aggregata illico Cleri ac populi multitudine; ſecum expedita viatione ad Iciodorum pervenit monaſterium. Diſcipuli vero corpus ſanctiſſimi Martyris in eccleſiam, ab eo in honore S. Petri dedicatam, cum condignis officiorum muniis detulerant... Epiſcopus interim cum Clero triumphales exequias beati Martyris ſolenni peragit officio... Denique muniis exequiarum expletis, Urbicus Epiſcopus, convocans ad ſe civitatis Senatores regioniſque Primores, indixit illis, ut deteſtabilem Judæorum Synagogam cum ſuo Principe abſque dilatione comprehenderent, & quicumque ex eis fidem Chriſtianæ religionis mallent obſervare, doxologo catechizati in ſcrutinio, ſalutari abluerentur baptiſmatis gurgite, ac pro Chriſti amore permitterentur vivere. Qui vero pertinaci renuiſſent infidelitate, pœnali mulctarentur mortis damnatione. *Quæ deinde explicantur in eiſdem Actis, deductis ad tempora Pipini Regis, quando aliqua corporis S. Auſtremonii tranſlatio eſt facta. Ceterum ea Acta ſuo tempore accuratius erunt examinanda.*

3 *De S. Vrbico iſta habentur apud Gregorium Turonenſem lib.* 1 *Hiſtoriæ Francorum cap.* 39. Apud Avernos poſt Stremonium Epiſcopum prædicatoremque, primus Epiſcopus Urbicus fuit, ex Senatoribus converſus, uxorem habens: quæ juxta conſuetudinem Eccleſiaſticam, remota à conſortio Sacerdotis, religioſe vivebat. Vacabant enim ambo orationi, eleemoſynis atque operibus bonis. Cumque hæc ageret, livor inimici, qui ſemper eſt æmulus ſanctitati, commovebatur in feminam; quam in concupiſcentiam viri ſuccendens, novam Evam efficit. Nam ſuccenſa mulier à libidine, operta peccati tenebris, pergit ad domum eccleſiæ per tenebras noctis. Cumque obſerata omnia reperiſſet, pulſare fores eccleſiæ domus cœpit, ac voces hujuſmodi dare: Quouſque Sacerdos dormis? quouſque oſtia clauſa non reſeras? cur conjugem ſpernis? cur obduratis auribus Pauli præcepta non audis? Scripſit enim: Revertimini ad alterutrum, ne tentet vos ſatanas. Ecce ego ad te revertor, non ad extraneum, ſed ad proprium vas recurro. Hæc & his ſimilia diu declamanti, tandem Sacerdotis tepeſcit religio: jubet eam cubiculo intromitti, uſuſquè concubitu ejus diſcedere jubet. Dehinc tardius ad ſe reverſus, & de perpetrato ſcelere condolens, acturus pœnitentiam, diœceſis ſuæ monaſterium expetit: ibique cum gemitu ac lacrymis, quæ commiſerat diluens, ad urbem propriam eſt reverſus: qui impleto vitæ curſu migravit à ſeculo. Nata eſt etiam ab hoc conceptu filia, quæ in religione permanſit. Ipſe quoque Sacerdos, cum conjuge & filia, in crypta Cantobennenſi juxta aggerem Publianum eſt ſepultus. *Hæc ibi: quæ quia in nonnullis antiquis codicibus deſunt, arbitrantur aliqui poſtmodum hiſtoriæ Gregorii eſſe inſerta.*

ab uxore provocatus lubitum:

pœnitentiam agit.

D

E

4 *Ioannes Savaro Claromontanus ac Præſes Arverniæ, in Originibus urbis Claromontanæ, aſſerit* S. Urbicum, M. Aurelio Maximo & Pomponio Januario Conſulibus, anno Chriſti CCLXXXVIII, à S. Auſtremonio ordinatum Epiſcopum, ac vita hac mortali exutum circa annum CCCXII, ſepultumque in ſubterraneo Chantonii cœmeterio Chriſtianorum, prope magnam viam; ubi dein extructa fuit eccleſia, quæ deinde baſilica S. Galli fuit dicta, quod hic in ea ſepultus fuiſſet. *Idem Savaro ſubjunxit* duos libros, de ſanctis eccleſiis & monaſteriis Claromonti, conſcriptos circa annum Chriſti DCCCL, *in quorum lib.* 1 *cap.* 8 *iſta leguntur*: In eccleſia S. Galli, altare S. Mariæ, ubi requieſcunt Sanctus Gallus, & Sanctus Urbicus, & Sanctus Antolianus, & Sanctus Gerivaldus. *Ad quem locum annotat Savaro* ex hac S. Galli eccleſia, vel minante ruinam vel everſa, S. Urbicum in Illidianam migraſſe: *ita habere* tabulam Illidianam. *De* S. Antoliano *Martyre hic indicato egimus* VI *Februarij.*

præfuit ab anno 288 ad 312.

ſepultus in eccleſia S. Galli,

tranſlatus ad Illidianam.

F

5 *Hæc de S. Vrbico hactenus extabant abſque ulla diei natalis notitia: eam ſuggerit Andreas Sauſſaius in Martyrologio Gallicano, qui hunc diem ab ipſius elogio ita auſpicatur:* Tertio Nonas Aprilis. Claromonte in Arvernis S. Urbici Epiſcopi illius municipii & Confeſſoris, qui vir magnæ virtutis & gloriæ, S. Auſtremonio Apoſtolorum auditori, primoque Arvernorum Epiſcopo, longum poſt interpontificium ſucceſſit. *Ac dein lapſum ejus & pœnitentiam ex Gregorio Turonenſi narrat*: Sicque, *inquit*, purgatus à labe, expleto pie Epiſcopatu, purus migravit ad Dominum. Cum uxore & filia in crypta Cantobennenſi juxta aggerem publicum ſepultus, inde in Illidianam baſilicam tranſlatus eſt. *Eumdem Sanctum appellant Ioannes Chenu, Sammarthani & Claudius Robertus in Catalogis Epiſcoporum Claromontenſium: ſed ultimus etiam* interpontificium *apponit poſt obitum S. Auſtremonii, quaſi hic fuiſſet diſcipulus Apoſtolorum, quem alii melius ſtatuunt ſeculo Chriſti tertio floruiſſe, diu poſt tempora primorum Domini diſcipulorum.*

inſcriptus Martyrologio Gallicano.

DE

DE S. ILLYRIO THAVMATVRGO, G. H.

IN MYRSINONE MONTE PELOPONNESI.

III APRIL. S. Illyrius Thaumaturgus.

Synaxarium MS. Parisiense collegii Claromontani hunc diem concludit istis verbis: Καὶ τῦ ὁσίυ Πατρὸς ἡμῶν Ἠλιρίυ τῦ θαυματυργῦ. Et sancti Patris nostri Elerii Thaumaturgi. *In MS. Ambrosiano, littera ô & num.* 148 *signato,* Ἠλύριος Elyrius *appellatur. In Menæis & apud Maximum Cythræum ista habentur:* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τῦ Πατρὸς ἡμῶν Ἰλλυριῦ, τῦ ἐν τῷ ὄρει τῦ Μυρσινωνῦ, Eodem die sancti Patris nostri Illyrii qui in monte Myrsinone, in pace quievit, *uti ea ultima verba leguntur in MS. Synaxario Chisletiano. In Menæis adduntur hi versus:*

Ἐκ Μυρσινῶνος Ἰλλυρὶὸς πρὸς πόλον
Οὐχ ὡς ὁ Χριςὸς ἐξ Ἐλαιῶνος φέρῃ;

Ex monte Olivarum Christus ut quondam polũ,
Numquid & Illyrius ex Myrsinone petit?

vixit in monte Myrsinone

Est Græcis Μυρσίνη Myrtus: *hinc mons myrteus cum monte Olivarum comparatur. Elis provincia Peloponnesi è regione Zacynthi insulæ, in illaque Elis urbs ad Peleum fluvium: Strabone autem teste lib.* 8 *Geographiæ,* Myrsinus, nunc Myrtuntium ad mare pertinens, in via quæ Elide Dymam ducit, LXX distat ab Elide urbe stadia. *Eamdem* Myrsinum, urbem Elidos *appellat Stephanus de urbibus. Quidni ibidem* Myrsinon *mons, ubi* S. Illyrius *vixerit sive anachoreta sive etiam monasterii ibidem constructi Hegumenus; ob miracula, in vita & post obitum patrata, cognominatus* Thaumaturgus? *Plura de eodem libenter discemus.*

an in Peloponneso?

DE S. ATTALO ABBATE, G. H.

ORDINIS S. BENEDICTI, TAVROMENII IN SICILIA.

CIRSA DCCC.

Chronicon cujusdam monachi Benedictini, circa annum Christi MCCCCLXXXIII *conscriptum, sæpius commendatur in historia monastica Petri Ricordati da Buggiano, Romæ anno* MDLXXV *edita; ubi auctor hic Chronicon suum antiquum appellat, quod deinde conservatum fuit in bibliotheca Constantini Cajetani Abbatis, eoque usus est hujus frater Octavius Cajetanus, & tomo* 2 *de Vitis Sanctorum Siculorum pag.* 32 *ista ex dicto Chronico verba profert:* S. Attalus, Abbas monasterii positi apud Tauromenium Siciliæ, cujus natale solennizatur III Nonas Aprilis. *Idem Cajetanus in Martyrologio suo Siculo ad hunc diem, cum egisset de S. Pancratio Episcopo Tauromenii passo, de quo & nos egimus, addit:* Ibidem S. Attali Abbatis ex Ordine S. Benedicti, *eumdemque S. Attalum celebrat in Indice alphabetico Sanctorum Siculorum; dein in Indice Topico de Sanctis Tauromenii: item in Indice Sanctorum Ordinis S. Benedicti: déniq; in Indice Chronico refert S. Attalum cum Sanctis qui circa annum* DCCC *floruerunt: scilicet ante annum* DCCCXXVIII, *quo Saraceni Africani Siciliam occuparunt, ut advertit idem Cajetanus tomo* 2 *de Vitis Sanctorum citata pagina* 32. *Cajetanum descripserunt Ferrarius in Catalogo generali, Menardus & Bucelinus in suis Martyrologiis Benedictinis. Vtinam integrum illud Chronicon Benedictinum typis mandatum extaret, tunc securius de Sincera ejusdem veritate possemus judicare.*

Memoria in Chronico Benedictino,

& fastis Cajetani,

& aliorum

DE S. NICETA CONFESSORE.

D. P.

HEGVMENO MEDICIENSI IN BITHYNIA.

ANNO DCCCXXIV C

Monasterium Medicii constructum est seculo Christi octavo, in Bithyniæ parte maritima ad Propontidem, haud procul à Prusa urbe notissima, cujus Episcopus corpus S. Nicetæ in dicto monasterio sepeliendum suscepit. Primus loci hujus Hegumenus & fundator fuit S. Nicephorus, circa annum DCCCX *vita mortali exutus* IV *Maij, quo die ejus sacra memoria in variis Græcorum fastis recolitur. Successit huic Hegumenus, imo sub ipso etiam Nicephoro rexit monasterium, S. Nicetas, illustris pro fide orthodoxa & defensione sacrarum imaginum Confessor, sub tyrannico Imperio Leonis Armeni. Quo extincto, sub Michaële Balbo ad præmium laboris evolavit hoc* III *Aprilis, die Dominica, adeoque anno Christi* DCCCXXIV *bissextili, quando Cyclo Lunæ* VIII *& Solis* XXI *littera Dominicales erant* C B, *& dictus quidem dies* III *Aprilis incidit in Dominicam quartam Quadragesimæ; solennitas vero Paschalis celebrata fuit die* XXIV *ejusdē Aprilis.*

Medicii monasterii fundator S. Nicephorus, ei successit S. Nicetas

† mortuus an. 824.

2 *Vitam ejus descripsit Theosterictus monachus, qui mox in Prologo asserit,* se inde usque ab initio Patrem hunc secutum fuisse. *Apparet autem eum scripsisse intra primos quinque annos ab obitu ipsius Sancti, sub imperio Michaelis Balbi, cujus moderationem laudat num.* 48, *nec usquam meminit persecutionis, sub illius successore Theophilo contra imagines renovatæ: vivebat autem tunc adhuc Michael Curopalates, qui Leoni Armeno imperium cesserat, ut habetur ex num.* 32. *Extat autem ea Vita Græce Venetiis in Bibliotheca S. Marci num.* 16 *pluteo* 30, *& Florentiæ in Laurentiana pluteo* 11 *num.* 20: *describi autem ipsam jussimus ex insigni Codice Vaticano num.* 1190 *ex Crypta-ferrata adverto: in quem Codicem transcripta fuit ex vetustiori* F *Codice Constantinopolitano Archicœnobii Studitarum, sub annum Christi* DCCCCXXXII *exarato, uti in fine Vitæ additur. Hanc licet haberemus à Guilielmo Sirleto postea Cardinali Latine redditam, itáque impressam apud Aloysium Lipomanum & Laurentium Surium; ipsum tamen Græcum primogenium contextum habentes pra manibus, & haud levia prima istius versionis errata observantes, maluimus novam adornare interpretationem: Titulus in Græco codice talis est.* Ἐπιτάφιος εἰς τὸν ὅσιον πατέρα ἡμῶν τὴν ὁμολογητὴν Νικήταν, συγγραφεὶς ὑπὸ Θεοσηρίκτυ Μαθητῦ αὐτῦ Μοναχοῦ. Oratio funebris in sanctum Patrē nostrum & Confessorem Nicetā, scripta à Theosterícto ipsius Beatissimi discipulo: *& quāvis Simeon Metaphrastes sua partim scriptione partim collectione, hos menses non attigerit, uti demonstrat Leo Allatius in sua de Simeonum scriptis Diatriba; eadem tamen Vita ipsi adscribitur à Lipomano & Surio. Baronius in Notis ad Martyrologium appellat* Luculentam orationem, *& ex ea varia allegat in Annalibus, scilicet anno* 814 *num.* 28 *&* 32, *anno* 815 *num.* 4 *& sex sequentibus, & anno* 821 *num.* 49 *& sequenti: ubi de corporis translatione agit, sed jam demonstratum est ipsum triennio serius obiisse.*

Vita scripta à Theosterícto discipulo.

denuo hic Latine redditur ex MS. Græco.

3 *Græci solenni veneratione prosequuntur hunc Sanctum tertio Aprilis in Menologio Basilii Imperatoris, in*

AUCTORE D. P. *Nomen in fastis Græcis & Latinis 3 Aprilis,*

excusis & manu exaratis Menæis, in Anthologio Arcudii, in Vitis Sanctorum à Maximo Cytheræo editis: & ubique elogia habentur ex dicta Theostericti oratione desumpta: præcipui autem tali die cultus argumentum hoc est, quod Ephemeris metrica solum hunc Sanctum nominet, & de eo solo sit hymnodiæ ecclesiasticæ Canon, propositus sub hac Acrostichide:

Τὸν σὸν γεραίρω πεμφαῆ βίον, Πάτερ,

quem versum totidem litteris Latine sic reddas:

Tuam honoro fulgidam vitam, Pater.

Tanta autem fuit sanctitatis ejus fama, ut in Ægyptum quondam penetrarit. Hinc in Martyrologio Arabo-Ægyptiaco, quod Romæ in Collegio Maronitarum servatur, inscripta hoc III *Aprilis legitur* Memoria Nicetæ Abbatis monasterii Medicii, Confessoris, qui multa sustulit pro imaginibus. *Ex Latinis Molanus & Canisius de eodem agunt cum Martyrologio Romano, in quo ista leguntur:* In monasterio Medicii in Oriente S. Nicetæ Abbatis, qui ob cultum sacrarum imaginum sub Leone Armeno passus est: *ubi pro* Oriente *posit substitus* Bithynia, *in qua dictum monasterium situm fuit, quamvis ipse mortuus sit in prædio, è regione urbis Constantinopolitanæ, ad Boream sito. Hinc in Constantinopolitana Ecclesia fuit summa cum solennitate celebratus, uti hujus diei Odæ & hymni testantur. Iterum ejus honorifica mentio fit in Menæis excusis & aliquibus MSS. nec non apud Maximum Cytheræum & Sirletum in Menologio Græco, ad diem* IV *Maij; quando (prout arbitramur) corpus ejus Constantinopoli ad proprium monasterium in Bithyniam translatum est & depositum, quod dicto anno* DCCCXXIV *contigisset, feria quarta post Dominicam in Abbis, aut Octavam Paschæ: & ipso* IV *Maij refertur hoc elogium:* Memoria sancti Patris nostri Nicetæ, Presbyteri & Hegumeni monasterii Medicii: Virginitatis & continentiæ desiderio degit hic in montibus: cumque omnium virtutum cultor esset eximius, in civitatibus etiam educatus est, ubique quietis sectator & ad cælestem habitationem tota mente contendens. Divino etiam verbo instinctus, sacer œconomus factus est, & fidelis rerum cælestium institutor; proinde Sacerdos sacrato Christi ovili præfectus est. Ab iconomachis ab suo grege exactus, & gravissimis exiliis afflictus est. Verum ut invictus athleta, in fide constantissime perstitit; & velut fortiter armatus miles, omnes exitiales impiorum hæreticorum & hostium Dei fraudes & errores despuit atque explosit. Unde & geminas lampades accendit, piæ pro fide tuenda confessionis & religiosæ exercitationis, geminasque inde de manu Domini coronas accepit. *Hæc ibi. Quod hac die legitur ubique monasterium* Medicii, *& Græce* μονὴ τῶν Μηκιδίου, *ubique ad hunc tertium Aprilis, littera una transposita, appellatur* μονὴ τῶν Μηδικίου *monasterium Medicii. Sic etiam Genelrardo in Kalendario Græco dicitur* Nicetas monasterii Mediciæ ductor. *Adfuit Nicæno* II *Concilio anno* DCCLXXXVII. *S. Nicephorus fundator & Abbas primus hujus monasterii, qui ita subscripsit Actioni quartæ,* Νικηφόρος ἡγούμενος τῆς ἁγίας Σεργίου τῆς Μιδικιῶνος, *ut constanter legitur in editionibus Conciliorum, scilicet Romana Pauli V auctoritate edita, Coloniensi & Luparæa.* Nicephorus *ergo* Hegumenus *erat* monasterii S. Sergii Midicione *seu* Medicii, *quod videtur ordinatum fuisse secundum constitutiones Acœmetorum, ob continuam, quæ num.* 13 *indicatur, psalmodiam: hujus autem ordinis fundator fuit S. Alexander, cujus Vitam illustravimus ad diem* XV *Ianuarii.*

B

C

& 4 Maij,

cum hoc elogio.

D

VITA

Auctore Theostericto monacho & discipulo.

Ex MS. Græco Vaticano,

PROLOGUS.

1 PRopositum est nobis utilitatis maximæ argumentum, Sanctissimi Patri nostri Nicetæ commemoratio: propositum est autem, velut sacrum convivium, omnigenis ferculis spiritualium materiæque expertium escarum instructum; non quo sensitiva corpora, sed quo rationales animæ reficiantur recreenturque: à me autem velut rudi obsonatore, apparandum hodie sermonibus imperitis, coram vobis, doctrina ejus salutari pasci solitis non minus assidue quam desideranter. Etenim etiam mihi visum est, ut cum *a* Euangelista loquar, qui ab initio ipse secutus sum Patrem, quemadmodum nostis, ô sacri *b* auditores, non omnia quidem ex ordine scribere (nam quomodo id possim?) sed ex multis ejus præclare factis pauca narrando ponere, ad ædificationem utilitatemque eorum, qui præsentes assistunt, aut hæc voluerint postea legere; ne veneranda illius gesta, temporis decursu evanida, oblivione profunda deleantur. Sane cum multi multorum, ex iis qui ante nos fuere, Sanctorum dicta factaque & virtutes scripserunt; non illos tantum ornavere verbis, sed nobis quoque haud modice eo ipso profuerunt, quod suo nos ad idem faciendum exemplo induxerint. Non enim est æquum tanti viri virtutem præteriri silentio, ut neque lucernam convenit abscondi sub medio, sed supra candelabrum poni, ut luceat omnibus qui in hujus vitæ domo ambulant, juxta Euangelii præceptum; & ut splendeat lux ista coram hominibus, ut glorificent Patrem, qui in cælis est, & bonis operibus glorificatur. Mat. 5, 50

Auctor ab initio versatus cum S. Niceta,

a

b

E

licet ad ejus Vitam scribendam,

2 Congruum quidem erat hujusmodi tractationem suscipi ab iis, quorum & vita recta atque irreprehensibilis est, & vitæ congrua oratio elegans atque venusta: nam cui primum suppetit, huic secundum quoque velut ex spirituali thesauro in promptu esse solet. Sed & illos puto satis difficulter assecuturos, ut virtutem ejus digne explicent (tanta est enim) aut potius ne assecuturos quidem; nedum me, cui utrumque deficit; & neque rectitudo vitæ adest, neque oratoriæ compositionis facultas, utpote secularium disciplinarum prorsus experti. Attamen sanctissimi Patris amor ad audendum provocat, qui forte etiam ipse ex hujusmodi narratione spirituale aliquod percipiam commodum: nam & qui unguenta præparant, etsi eorum naturam non habeant, multum nihilominus de suaveolentia percipiunt ipsi, & aliis per olfactus sensum se præbent ex odore cognoscendos. Rursum vero opponit se timor meque deterret, indignitatem propriam objiciens; ne forte ornare verbis virum cupiens, afficiam injuria, ejusque adversus me iracundiam provocem, quod mihi omnino non conducit, & ut ne accidat precor. Hic igitur suadet tenere silentium, utpote periculi omnis metu vacuum, cui proinde non sit successura pœnitentia, uti sæpe pœnitet fuisse locutum.

ipse virtutis & doctrinæ expers

F

vereatur accedere;

3 Ita ambigenti ac veluti in statera posito, prævalet amor, lancem formidinis elevans, & recti sermonis datorem Christum adfore in auxilium spondet, ipsiusque Sancti clementiam suggerit. Nam & cum adhuc inter nos viveret erat moderatus, &

tamen ejusdem auxilium sperans,

ermitis

A erratis noſtris ignoſcere norat: idque vel nunc maxime faciet, ſcio, illius beatitudo: grata eſt enim patribus, ut quidam aiunt, ipſa balbuties filiorum, & placet Deo quidquid pro viribus agitur. Monebo autem ne quis me falſum ſcribere aliquid aut ad gratiam compoſitum ſuſpicetur: incredulitas enim conſuevit utilitatem corrumpere: Nam quod ego ex falſiloquio lucrum conſequerer, alios quidem commendans, meipſum vero obnoxium faciens ſententiæ, quam, contra omnes qui loquuntur mendacium, per os Davidis Prophetæ Spiritus ſanctus pronuntiavit? Profecto non ſunt fabulæ, quas loquimur, ut gentilibus forſitan videri poſſunt. Sed nunc de his ſatis: incipiam autem, Deum ipſum, omnis principii auctorem, præ oculis habens.

nudam aggreditur veritatem dicere.

Pſal. 5, 7

ANNOTATA.

a *Sirletus, liberiori paraphraſi utens, quod Græce hic eſt,* Ἀποστολικῶς εἰπεῖν, *reſpiciendo ad initium Euangelii ſecundum Lucam (nam omnes omnes Chriſti diſcipulos Græci nominant Apoſtolos) id ipſe ſic reddidit*: & quod in Actis Apoſtolorum ſcribendis de ſe Lucas dixit, etiam ipſe dicam. *Vtique memoria ei lapſa hic eſt, dum pro initio Euangelii, principium Actorum ſuggeſſit.*

B b *Monachos alloquitur, ut infra num.* 12.

CAPUT I.

S. Niceta ortus, ſtudia, vita monaſtica.

4 VNdenam vero initium ducam? Genuſne & patriam aut viri *a* nutricem dicam? ſed quid refert orationem in talibus habere occupatam? Civitas Sanctorum, inquit Scriptura, Dei civitas eſt, cujus conditor ipſe rerum Creator omnium; patria autem Hieruſalem, quæ ſurſum eſt, mater Pauli & ſociorum ejus, ut loquitur magnus Baſilius. Siquis tamen eam quoque diſcere cupit, quam habuit in terris; Cæſarea *b* Bithyniæ fuit. Hæc eum in vitam mortalem induxit: hæc aluit: hæc primæ pueritiæ virtutibus fruita, omnibus eum notum fecit. Parentum nomina ſi requiris, matris quidem dicere omnino non poſſim; ad patrem quod attinet, cum virtutis amans eſſet divinus Pater noſter, Philaretum genitorem congrua nominis appellatione ſortitus eſt. Fuit autem hic pius admodum & religioſus, ipſaque demum monaſtica profeſſione dignatus; ut qui genitricem Sancti, legitimis ſibi nuptiis copulatam, octavo à pueri nativitate die amiſit, accipiente eam qui formaverat Deo.

a Heb. 12, 22

b *Natus Cæſareæ in Bithynia*

C *pieque educatus,*

5 Igitur ab avia paterna educatus, cum ad ætatem puerilem veniſſet, conſuetis puerorum diſciplinis informandum eum pater ſuus tradidit; brevique ſpatio temporis edoctum omnia, ipſum etiam Pſalterium (erat enim doctrinæ atque laboris amans) attondens in eccleſia, ut Anna Samuelem, commodavit Domino, ubi ædituorum ordinem interim obtineret. Tenuit autem eum omni cum reverentia atque prudentia ſpirituali, ita ut cuncti mirarentur converſationem illius, cum virtute & maturitate conjunctam. Quis enim umquam eum vidit ludicris puerilibus occupatum, aut in iis, ut puerorum mos eſt, geſtientem, ſaltantem, currentem, volutantem, clamitantem? Quis choreis aut virorum aut mulierum aſſidentem, vel omnino iis appropinquantem conſpexit? aut obſcœnis auſcultantem ſermonibus? Quis vel ad modicum tempus invenire eum potuit circa ſympoſia vacantium vino, quibus tragœdiæ, tumultus, nugæ miſceri conſueverunt? Domi reſidens, & librum qui primus obtigiſſet præ manibus habens, legebat diligenter & proficiebat, ut Euangelice loquar, ſapientia ætate & gratia: neque umquam à ſacris conventibus aberat, ſed divinas litteras cum ſenſu cordis hauriebat auſcultans. Et nunc quidem audiebat quomodo dixerit Abrahamo Deus. Egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui; aliquando iſtud Iſaiæ Prophetæ: Recedite, Recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, dicit Dominus; & ego ſuſcipiam vos. Item verba Domini dicentis: Qui diligit patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus, & qui non bajulat crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus; & iterum, ſiquis vult venire poſt me, abneget ſemet ipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me; & rurſum, ſi quis venit ad me, & non renuntiat omnibus quæ poſſidet, adhuc autem & animæ ſuæ, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

fit aditus eccleſiæ:

& omnem fugiens levitatem,

AUCTORE THEOD. STERICTO EX MS. GR.

Luc. 2, 52 *ac ſacræ lectioni intentus,*

Gen. 12, 1
Eſ. 52, 11
Mat. 10, 37
Luc. 9, 23 & 14, 33

6 Hæc & his ſimilia audiens, non ſpargebat ſementem ſecus viam, id eſt, in ſuperficie cordis, ubi conculcari poſſet, aut à volucribus cæli, iniquis ſcilicet ſpiritibus, tolli & comedi; neque ſupra petroſa, id eſt, ſupra cor aridum atque inſenſibile, ubi in tempore æſtus ſive tentationis, tamquam radicem non habens, exareſceret; neque inter medias ſpinas curarum ſecularium, à quibus ſuffocata fructum non ferret: ſed in terram cordis bonam & pinguem, ubi fructificaret Deo, unum quidem triginta, aliud ſexaginta, & aliud centum. Primum quidem per ſuam honeſtam converſationem in ſeculo, ſecundum per aſceticæ ac ſolitariæ vitæ irreprehenſibilem obſervantiam, tertium per egregiam fidei confeſſionem inter frequenter perſecutiones, de quibus poſtmodum acturi ſumus: nunc autem redeundum ad ea quæ præ manibus ſunt.

egregie profecit.

E

7 Ita cum audiviſſet divina, quæ ſupra commemoravimus, eloquia: quid facit? aut quid conſilii ſumpſit? Verſatur ſecum ipſe, & figmentum bonum refingit in melius, atque ex virtute in virtutem tranſiens, & vilioribus meliora præferens, conſiderat quomodo quam ſanctiſſime poſſit ſervire Deo. Edoctus vero magiſtra ratione, quod in cœlibe vita, extra tumultus, vere poſſet purgare ſenſus, & mundus cum mundo Deo converſari; ſtuduit à ſeculo ſeſe avellere, atque adjungere familiarius Deo: cunctiſque vale faciens, patri, amicis, cognatis, ſociis, coætaneis, & ceteris ad ſe quomodocumque attinentibus, evolavit è terra altrice; ac profectus verſus torrentem, qui civitati ad meridiem eſt, contulit ſe ad ſenem quemdam, inibi degentem, Stephanum nomine; factuipſi ſocius laborum atque certaminum, & vitæ ſolitariæ normam ab eo accipiens.

& relictis omnibus

adhæret cuidam anachoretæ.

F

8 Vt autem diligens ejus & alacre ſtudium ſenex probavit; ſuaſit ad monaſterium abire; eo quod utilius id ſit, præſertim junioribus, & magis continuam exercitationem præbeat volentibus ad apicem virtutum conniti. Paruit optimo conſilio Sanctus, ſeniſque orationibus ſe commendans, viam iniit verſus mare; divina id agente prudentia, quæ per eum ſibi volebat aſſerere populum ſanctum, ſectatorem bonorum operum. Venit autem ad hoc Medicii monaſterium, infrequens adhuc, & ſub regimine Sanctiſſimi Patris noſtri Nicephori, qui ipſum fundaverat, conſtitutum. Ab hoc cum recipi poſtulaſſet; videns diſcretiſſimus Paſtor, atque ex habitu geſtuque cognoſcens, eum ſibi utilem fore; libenter ſuſcepit, & proprio ſuo gregi inſeruit. Quo facto totum ſe divinis præceptis in opus deducendis Beatus tradidit; omniaque hujus fluxæ ac temporalis vitæ commoda atque oblectamenta pro nihilo reputans, per veram ſinceramque ſui ipſius abnegationem crucifixit ſe mundo, ac mundum ſibi: vivebat autem non ſibi ipſi, ſed Chriſto & Prælato; omnem affectionem corpoream, ſpirituali rerum ſupernarum deſiderio, perfecte extinguens.

à quo directus ad monaſterium

& à S. Nicephoro ſuſceptus,

9 Porro

EX MSS. *omnibus excellit virtutibus*,

9 Porro illius peregrinatio incommutabilis fuit: ex quo enim ſemel receſſit à patria, numquam eam vidit amplius, uſque dum ad Dominum emigravit. Obedientia ejus, ſimulationis & curioſitatis expers, omnes malitiæ vel pervicacitatis fibras extirparat: jugiſque meditatio ejus erat conſideratio mortis. Hanc dominatricem carnem ita ſubjugavit, ut ſibi impudens videretur, cum vel ea quæ ad ducendam vitam ſunt neceſſaria, quantumvis parce, poſcebat ſubminiſtrari. Temperantia exercebatur, non tantum abſtinendo ab eſcis, ſed & ab omni corporeo affectu alienando animum, prout præcipit Apoſtolus dicens: Qui in agone contendit, ab omnibus ſe
1 Cor. 9, 25 abſtinet. Continentia & caſtitas tanta erat, ut corruptibile hocce corpus incorruptionem induiſſe videretur, & in materiali carne carnis expertem vitam *alienus à vitiis.* ducere Angelice converſando. Non erat in eo vel iracundiæ vel indignationis paſſio, aut contra ſe male factorum memoria; non odii vel detractionis aut temerarii judicii ſpecies; non loquacitatis aut nugacitatis vel otioſi ſermonis mentio: ſed omnis ejus operatio erat meditatio eloquiorum divinorum & indefeſſa oratio. Quodnam in eo uſpiam gloriationis, ſuperbiæ, aut vanæ coram hominibus oſtentationis veſtigium? Submiſſionis autem donum adeo
B copioſum habebat, ut omnes omnino ſe præſtantiores ſemper crederet; non ſolum ſubjectus Prælatis, ſed etiam erga infimos humiliter obedienterque ſe gerens. Quid nunc de ejus erga Deum & proximum incommutabili caritate dicam? An erat invenire in eo propriæ complacentiæ vel amoris indicium, aut adulationis ſimulationiſve? Quæ poterat eſſe in eo ſuperflui veſtitus elegantia, qui ſuum corpus ita neglectim habebat, ut nullam omnino curam ejus gereret aliam; quam ipſum caſtum ac purum exhibere Deo, omniaque cum morum ſimplicitate & innocentia cordis citra altercationem peragere. Quæcumque vero ſibi dicebantur à Præſide, velut ab ipſo Deo profecta accipiens, incurioſe incunctanterque, ſub omni fidelitate & integritate, complebat, nihil inter mandata diſcernens.

ANNOTATA.

a Abnicem terram *vertit Sirletus: ſed apparet, & ſequentibus, auctore reſpicere ad aviam paternam, quæ infantem aluit loco matris, paulo poſt puerperium mortuæ.*

b *Ptolomæo lib.* 5 *cap.* 1 Καισάρεια, ἡ πρὸς Σμυρναίοις ἢ Σμυρδιανή, quæ & Smyralia ſeu Smyrdiana, *urbs Epiſcopalis ſub metropoli Nicomedia (cujus Epiſcopus Rufus interfuit Concilio* 1 *Nican.) eademque mediterranea verſus*
C *Propontidem, inter Apameam & Rhyndacum fluvium: dicitur autem amplius non extare.*

c *Ira reddendum,* μεθίσταται τοῖς: *quomodo Euripides dixit,* ἐταίροισι μεθίσταμαι, Verſatus eſt cum ſociis.

CAPUT II.

Regimen monaſterii Nicetæ imponitur: Athanaſius ei adjutor datur; ſuos ipſe adhortatur.

Sacerdos ordinatur

10 A Deo diligentem promptumque ad omnia Prælatus conſpiciens, quamvis necdum ſeptimum in monaſterio annum expleviſſet, ad Presbyterii gradum promovendum cenſuit. Ad hunc autem ordinatus eſt per manus magni illius *a* Tarafii, qui Patriarchicum urbis Conſtantinopolitanæ thronum multis adornabat virtutibus: moxque adminiſtratio monaſterii, quamvis invito, commiſſa à S. Nicephoro eſt. Et ipſe quidem committi ſibi eam ferebat perquam moleſte: quia tamen refragari Prælato nulla in re didicerat, ne hic quidem ſcivit contradicere; ſed volens nolens ſuſcepit impoſitum

præficitur monaſterio

onus, idque ita geſſit, ut etiam numerum gregis augere ſolicite ſtuduerit. Et vero auxit eum non mediocriter: diſcurrente enim quaquaverſum illius fama, plurimi accedebant ad eum, renuntiantes ſeculo. Itaque intra paucos annos, ad centenarium uſque *quod valde auget.* numerum aggregati ſunt Fraternitati: quos per Chriſti gratiam, velut ſapiens gubernator, ad ſalutis portum dirigens conſervavit; ſuper eos vigilans, velut probatiſſimus paſtor.

11 Qualis porro quoad virtutem erat Pater noſter ſanctiſſimus Nicetas, talem quoque qui locum ab ipſo ſecundum teneret, ei ſubmittere Dominus univerſorum curavit: Athanaſium inquam, virum *Athanaſius, magnè in ſeculo ſpei,* reverendum & admirabilem, cujus non eſt poſſibile in tranſitu exponere virtutem, & cujus amorem erga Deum, quem abdicato recens ſeculo ſtatim à principio demonſtravit, ipſi ut puto Angeli ſunt admirati. Cum enim eſſet patri ſuo cariſſimus, & litteras apprime edoctus atque ad *b* Logotheſion receptus, tamquam publicarum chartarum ſcriptor; exiſtimabat parens haud vulgares per filium honores ſeſe in ſeculo conſecuturum. Ubi autem intellexit quod adoleſcens, contemptis omnibus, in unum cœnobiorum, *c* à Symbolis nominatum, ſeſe abdidiſſet; violenter eum inde ad ſe retraxit, abjectoque monaſtico habitu pretioſis induit vel invitum. Tunc
E ille ad patrem. Exiſtimaſne, o pater, ſericis veſti- *à patre per vim extractus & cœnobio,* mentis impediendum me, quo minus animi propoſitum ſequar? Totus mundus deſpectui mihi eſt: quid enim proderit homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Pater vero recludens eum, putabat abduci poſſe ab optima mente. Sed animos ibi majores ſumens intrepidus juvenis, diſcerpſit in partes indumenta ſerica; aliiſque juſſu patris amictus, his quoque idem fecit. Unde iratus parens, adeo inclementer cecidit filium, ut dorſum ejus ex plagis intolerabilibus com- *tandemque remiſſus.* putruerit, & medicorum cura indiguerit. Illo autem dicente, fieri non poſſe ut à ſententia dimoveretur, quantumvis eum pater membratim conſcinderet; compunctus animo lacrymiſque ſuffuſus genitor, Abi, inquit, fili, & viam bonam quam elegiſti proſequere, duce Chriſto, qui te eruat ex omnibus diaboli laqueis.

12 In hunc modum præclarus juvenis ad iſtud quod ſupra nominavi monaſterium rediit, monaſtica certamina impigre in eodem aggrediens. Adeo autem ſe abjecit, ut nihil eorum quæ in ſeculo ſunt *ac ſuum futurum regiminis ſocium,* ſpectabilia induci ſibi pateretur. Vos ipſi plerique, uſu cognitum virum habentes, hoc quod dico poteſtis ex viliſſimis illius veſtibus confirmare, quibus nemo abjectioribus uſus eſt umquam, quamvis
F ex genere ſecundum ſeculum valde nobili natus eſſet, ut dixi. Talis autem cum eſſet, à ſanctis Patribus noſtris ad hoc noſtrum cœnobium eſt invitatus, atque ab inclyto Nicephoro perſuaſus, ſanctiſſimo Patri noſtro Nicetæ ſecundus adjungi. Erant igitur ambo cor unum & anima una in diverſis corporibus, tranquillo in ſtatu continentes omnia: ipſique à S. Nicephoro directi, regebant totam fraternitatem; & in utroque, tam inter ſe mutuo, quam ſuo cum Præſide, caritate vinciebantur indiſſolubi- *& rei temporalis præſecti.* li; adeo ut nulla umquam inter eos contentio, nulla exiſteret diſceptatio. Erant autem veri paſtores & ſpiritualium ægritudinum periti medici, curam gregis gerentes, cum omni ſolicitudine & cautela; hic quidem ſecans, erat enim ad hoc à natura aptior; iſte vero mellifluis quibuſdam verbis plagam leniens, curabat ſectionem, cum eſſet ingenio mitior: & rurſum hic quidem eorum quæ ad corpus pertinent, gerebat curam; iſte præcipue attendebat ſpiritu alibus: ſic tamen ut uterque utrorumque ſatageret.

13 Ita-

AUCTORE THEOSTERICTO EX MS. GR.

A *sub hæ animarum medicis*

13 Itaque tamquam expertissimi quidam ac peritissimi medici, omni, ut diximus, diligentia pascebant rationales Christi oves medebanturque quod durum crudumque in iis erat, correptione atque verecundia emollientes; quod vero segne atq; humi repens, aut gravi tentationis æstu dejectum, discretionis atque compassionis baculo fulcientes erigentesq; & veluti à somno suscitantes fistula verborum suorum; quod deniq; prolapsum atq; contritum erat timore divini judicii circumligantes: rursum autem si qui ex acedia dissoluti segnitie mœroreve torpebant; eos excitantes doctrina indefessa; celeriter vero procedentium proficientiumque potiorem etiam curam gerentes, ne æstimationis propriæ serpens quemquam eorum per insidias invaderet. Ut autem simpliciter & compendiose loquar, universum gregem custodiebant, cum omni studio & accuratione præcipua, vigilantes super ipsum, & spirituales lupos à diripiendis ovibus prohibentes; non veluti mercenarii, sed tamquam pastores optimi, à Pastorum Principe Christo delecti. Sic autem instruebant totam fraternitatem & in mutua continebant caritate, ut

vigente monastica disciplina

Ioan. 13, 35 compleretur in iis quod dictum est, In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem: idque procul ab omni præ-

B sumptione. Vaniloquentia vero dicacitasque nec nominabatur quidem inter eos; sed divinarum eloquiorum meditatione occupati, sic unusquisque implebat injunctum sibi ministerium, ut totum Psalterium quotidie recitarent, eoque expleto ad reli-

ne quidem otiosum verbum auditur in cœnobio;

quam psalmodiæ consequentiam sese invicem exercerent; ad eoque nec otiaretur quisquam, nec umquam à divina laude cessaret: quod si cui sermo vanus obreperet; alius quispiam avertebat eum admonitione opportuna. Erant autem etiam quidam Fratres clam ordinati, qui uniuscujusque dicta factaque referrent ad Patres; ut nec absentibus quidem Præsidibus auderet aliquis verbum otiosum profari, increpationis metu prohibente.

Liturgia valde reverenter peragitur,

14 Quando divina peragebantur mysteria, stabat magnus Pater noster Nicetas ad sacram mensam, velut si ipsius Dei throno assisteret, sacrificium offerens atque perficiens. Sanctus vero Athanasius intento ad rem animo assistebat, liturgicum tenens *d* flabellum (erat enim Diaconus) postea autem & *e* Presbyter factus, idemque genas & colla perfundens lacrymis, sanctam etiam ipse liturgiam cum timore atque tremore complebat: Cum autem sic pure atque irreprehensibiliter intemeratis immortalibusque mysteriis essent operati; eorum-

d
e

C dem communione sanctificabant populum *f* universum, atque in pace dimittebant.

f

S. Nicetas intulcat suis

15 Frequentius autem eosdem in ecclesia congregans Pater noster sanctissimus, docebat eos, instruebat, & hortabatur dicens: Fratres, quos coagmentavit gratia, cogitemus assidue, ad quid convenerimus. Dum habemus tempus, certemus strenue, neque animum per socordiam laxemus. Dum durant nundinæ, studeamus multiplicare lucra animæ; his enim dissolutis, non amplius licebit negotiari.

Psal. 6, 6 *assiduam diligentiam,* Non est in morte, inquit David, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi. Recogitemus quanta supplicia sint parata incaute peccantibus & non pœnitentibus. Hic patiens est judex & miseretur, istic punit: hic ignoscit septuagies septies, istic mittit in tenebras exteriores. Quapropter laboremus studiose hinc & inde, nihil acediæ indulgentes. Curramus ferventer: cursu enim opus est, & cursu quidem vehementi, ut vel mediocritatem *g* perfectionis attingamus. Sobrii simus & vigilemus, quia qua hora non putamus Dominus noster venit. Contemnamus mundum, &

pœnitentiam,

g

omnia quæ in mundo sunt. Prosequamur odio carnem & prudentiam ejus, quæ est inimica Deo. Fugiamus voluptates ejus, avertamus nos à desideriis ejus, abhorreamus delectationes, ut non delectentur inimici nostri super nos. Amplectamur temperantiam, per quam perficitur animæ puritas, & repelluntur adversariorum incursus. Acquiramus humilitatem, quæ ducit ad cælos: teneamus confessionem, salutis obtinendæ brevissimam viam: discamus obedientiam, quæ victoriam parit passionum. Quæcumque nobis adversa obvenient excipiamus cum patientia, ut propria non ut aliena à nobis: non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, ut ait Apostolus. Studeamus ingredi per Rom. 8, 18 unitatem fidei: non præponamus præsentia futuris: nihil corruptibilium rerum miremur, neque præferamus transeuntia permanentibus: quæramus superna, superna curemus, ubi Christus est. Turpitudo & stultiloquium, quibus contristatur Spiritus sanctus, procul absit à nobis: quia & de verbo otioso rationem dabimus in die judicii. Mortificemus membra nostra quæ sunt super terram: studeamus exhibere illa Deo hostiam viventem, sanctam, bene placentem: non curemus aliud quam salutem animæ nostræ. Induamur armaturam spiritus, ut possimus stare adversus insidias diaboli; est enim nobis colluctatio, non adversus carnem & sanguinem, sed contra invisibiles hostes nostros. Serviamus ei qui nos eligit in timore: gratias agamus Deo, qui nos ad æternam vitam vocavit: custodiamus præcepta ejus. Arcta & angusta est via quæ ducit ad vitam: hanc studeamus ingredi, quantum vires ferent. Orationi & deprecationi insistamus; Exuamus veterem hominem cum actibus & concupiscentiis suis, ut induamus novum, qui secundum Deum creatus est in sanctitate & justitia. Subjiciamur invicem in timore Dei. Castitatem & continentiam & mentis puritatem possideamus, ut efficiamur contubernales Angelorum. Tunc, inquit Dominus, fulgebunt justi sicut sol: quanta autem nostra esset confusio videre illos instar solis resplendentes, quia fecerunt opera lucis; nos ipsos vero tenebris & caligine obsitos, quia noctis opera exercuerimus? Ad maximum profecto tormentum sufficeret nobis confusio ista. Quapropter hortor, ut satagamus imitatores operum ipsorum fieri, ut cum ipsis inveniamur in illa beata requie, unde fugit dolor, luctus & gemitus: suscipiamus autem caritatem erga omnes, F pacem item & sanctificationem, sine quibus nemo Deum videbit. Omnem solicitudinem nostram projiciamus in Deum, quoniam ipsi est cura de nobis. Hæc igitur & alia plura, tum ex Scripturis divinis, tum à seipso docens ac præcipiens nobis Beatus, dimittebat in pace dicens: Abite, Fratres. Bonus est Deus, ut & nobis det verbum sapientiæ ad apertionem oris nostri, quo vobis proficua suggeramus; & ut vos excitet ad implenda mandata ejus.

continentiam,

patientiam,

mortificationem,

E

orationem,

imitationem sanctorum.

Mat. 13, 43

ANNOTATA.

a *Colitur* S. Tarasius 25 *Februarii*, *creatus Patriarcha anno* 784: *cujus vitam scripsit Ignatius Nicænus Episcopus.*

b Logothesion *videtur hic dici eorum collegium, qui publico ærario intendebant, de quo videri potest Goar in Notis ad Codinum Curopalatam cap.* 2 *num.* 18 *Sirletus exaggeravit dignitatem, quando toti* illi magistratui præfectum *dixit, quod neutiquam est de adolescente credendum.*

c *Idem parum apte sic vertit*, In id unum intentus ut

AUCTORE THEOSTERICTO EX MSS.

cœnobii habitu ſe indueret : *qua ratione ſubducitur lectori notitia monaſterii, in quod ſe recepit Athanaſius, & unde poſtea dicitur accerſitus in Medicii cœnobium, quod fuiſſe in monte Olympo conſtat ex Vita S. Platonis 4 Aprilis num. 8, & S. Timothei ibidem Anachoretæ 21 Febr.*

flabelli ſacri ujus

d *Grece* Πιτίδιον : *illius formam exhibet Goar in Euchologio pag.* 137 *tamquam ſceptri ex ligno, in cujus ſummitate fixa erat facies Cherub, ſex alis circum expanſis adornata. Vſus illius eſt in Sacrificio Miſſæ ad abigendas muſcas ab oblatis, ut apparet ex Iacobo fratre Ioannis apud Clementem lib.* 8 *cap.* 12, *& ex Epiſt.* 7. *Hildeberti Cœnomanenſis Epiſcopi. Verum Græci myſterium longe profundius in ejus uſu contemplabantur : ita enim Iobius apud Photium lib.* 6 *cap.*25. Cum corpus Dominicum in ſacris vaſis propoſitum eſt, qui ab utroque latere ſacris operantibus adminiſtrant Diaconi, in eorum qui ſex alas habent Seraphim ſymbolum, confecta ex alis flabella ſuper oblata ibi tremenda myſteria conſueverunt agitare,

& myſteria

ne ſinant initiatos rebus viſis inhærere, ſed eos, mentis oculis, ſupra omne id quod cum materia junctum eſt ſublatos, faciant per ea quæ videntur ad inviſibilẽ contemplationem & inexplicabilem illam pulchritudinem aſcendere. *Aliud etiam quid flabelli hujus agitatione ſignificari S. Germanus his verbis auctor eſt:* Quis vero enarret de ſacris flabellis, quæ Diaconis committuntur &

B

ab eis de repente moventur quaſi quodam ſubito perculſu, aduſque pronuntietur à Chriſto dictata oratio, *Dominica ſcilicet.* Dicimus igitur ita nũc ſicut perpetuo cæleſtes virtutes Chriſto adſtitiſſe, præcipue vero nocte illa, qua trãditus eſt : ipſæ igitur ad Caipham illum abductum cernentes, coram homine adſtantem, falſa teſtimonia, colaphos &c. ſuſtinentem, in unoquoque horum hæſitantes, & admiratione perculſæ, patientiæ magnitudinem venerabantur, vultuſque ſuos avertebant, & iterum Domini Majeſtatem reveritæ ad eum inſpiciendum revertebantur; *Solebat inter alia à Patriarcha Diacono illud tradi dum is ordinabatur, qui eo accepto ſtans à latere ſacræ menſæ à parte dextra ſupra ſacroſancta ventilabat.*

e *Sirletus hic quoque includit parentheſi, & quæ ſequuntur ad prius Diaconi officium referens, tandem concludit,* ſicque ſanctum illud complebant miniſterium : *quod textus Græcus non de utroque ſed de Anaſtaſio jam Preſbytero ſingulariter, dicere videtur.*

f *Crediderim hic voce populi ſolum intelligi cœtum monachorum, toties communicare ſacramentaliter ſolitum, quoties ab uno eorum ſacrum Miſſæ officium peractum fuerat.*

g *Græce* τὸ μέτριον δ τελειότητος : *quod minus recte vertitur,* menſura perfectionis.

C

CAPUT III.

Aliæ S. Nicetæ virtutes & miracula. Obitus Athanaſii & S. Nicephori Hegumeni.

Inſuper ſingulos privatim inſtruit,

16 ATque hæc fuerunt documenta ipſius, ad omnium ſpiritualem utilitatem multiplicíter ſpectantia? quæ vero unicuique pervatim in ſuam ſanctam cellam advocato dicebat, innumera ſunt & ineffabilia; cum ſæpe totas noctes pervigiles duceret, unumquemque Fratrem inſtruens ad ſalutem; omnium miſerens, omnibus miniſtrans compa-

1 Cor. 9, 22

tiens omnibus, omnibus omnia factus, juxta B. Paulum, ut omnes lucrifaceret, Quis unquam à ſpiritu fornicationis pulſatus, eique cum fide & contritione confeſſus, non ſtatim ab ejuſmodi dæmonio liberatus eſt ? Quis mœrore, pigritia vel acedia, quæ mentem obſcurare conſueverunt tentatus & ipſum adiens, non illico alacritatem & animos reſumpſit? Quis ab alia quacumque paſſione preſſus, eique ſe manifeſtans, non continuo recepit morbi medelam ? Erat autem corpuſculum ejus jugibus vigiliis jejuniiſque extenuatum adeo, ut præ debilitate nimia loqui vix poſſet. Nemo enim ita ſectatus eſt abſtinentiam, ſicut Pater noſter Nicetas; qui nec neceſſaria quidem, panem inquam & aquam, ad ſatietatem ſumebat; nam de vino & eduliorum reliquorum diverſitate ſuperfluum fuerit meminiſſe. Nemo ad tantam corporis munditiem & caſtitatem pervenit, ut ipſe : nemo manſuetudinem & humilitatem, ſicut ille, excoluit : nemo tam diſcretus atque compatiens fuit. Denique omnes beatitudines Dominicas impigre ſectatus, pauper ſpiritu factus eſt, propter regnum cælorum; lugens & collaborans corpore vel animo laborantibus, propter conſolationem Paracleti; mitis & humilis erga cunctos, propter hereditatem manſuetorum; eſuriens & ſitiens inſatiabiliter juſtitiam; miſericors uſque adeo & pauperum amator, ut nequaquam ei ad hilarem diſtributionem ſufficerent quæ ipſi ſuppetebant; mundus corde, quare & Deum videre cum eoque verſari meruit; pacificus & fugiens contentionum, ut filius Dei vocaretur; perſecutionem etiam paſſus propter juſtitiam, injuriaſque pertulit, & mala verba propter Chriſtum audivit à falſariis heterodoxis, quapropter etiam

D

& vitam maxime auſteram dacens,

complectitur in ſe omnes 8 beatitudines,

E

exultans recepit mercedem copioſam in cælis.

17 In his cum eſſet Pater noſter Nicetas, per inhabitantem in ſe Spiritum ſanctum divinis dignus eſt habitus muneribus, à Deoque accepit virtutem & poteſtatem adverſus immundos ſpiritus, ad eos ejiciendos : idque ſane ex merito : quia quicumque glorificaverit me glorificabo eum, inquit Dominus, & cetera. Quod autem dicturus ſum, id ipſe ego non ſum expertus, ſed poſt ejus mortem dixit mihi Frater quidam, ita inquiens: Janitore monaſterii neſcio in qua re occupato, vices ejus agere me Præſes juſſit. Cum autem ibi eſſem, vir quidam regionis iſtius ad oſtium venit cum puero admodum juvene, qui à nativitate mutus erat : rogavit autem me magna impulſus fide, ut eum acceptum ducerem ad Sanctum, ſuper eo oraturum. Id ego cum ſignificaſſem Patri, ipſeque me placide redargutum dimitteret, & econtra inſtarem ut viro ex fide petenti faceret ſatis; juſſit ad ſe induci puerum. Quem accipiens, ac ſuper eo orans, ſignavit eum Crucis ſigno : & eum qui numquam locutus fuerat, patri recte loquentem remiſit. Ille autem obſtupeſcens, multaſque Deo & Sancto gratias agens, domum cum puero eſt reverſus. Nunc vero tacere non debeo id cujus ipſe teſtis ſum.

1 Reg. 1. 30 *puero muto loquelam donat,*

F

amentem ſano ſenſui reddit :

18 Erat in monaſterio ex ſimplicioribus innocentioribuſque Fratribus unus, omnibus Patribus valde carus, propter ſingularem morum integritatem : cui invidens mali omnis auctor diabolus, amentem eum inſanumque, peſſima qua valet arte, effecit. Taliter affectum patientemque videns Sanctus, indoluit; nobiſque ad veſperam uſque jejunare juſſis, poſt ſacram ſynaxim divinamque liturgiam peractam, Fratrem in *a* Diaconicon recepit; ubi facta ſuper eum oratione, ſacro inunxit oleo, atque ita in priſtinum ſtatum reſtituit, per Dei gratiam mente integra ſanum : exindeque per orationes Sancti noxa omni liber, expulſa ab eo impurorum ſpirituum operatione, nullum amplius incommodum ſenſit.

a

energumenum repreſſo primum dæmone

19 Novitiorum quidam immundum habebat ſpiritum, eumdemque occultum & aforis nullatenus ſe prodentem; latere enim ſtudebat dæmon, ſancti viri præſentiam metuens. Cum autem veniſſet tempus, ut ille poſt magni Nicetæ inſtructionem & per ſancta-

A sanctarum manuum ejus impositionem sacrum habitum susciperet; volens id callidus præcavere, cœpit proxima nocte conturbare Fratrem, oblatis per somnum visionibus terrendo & exagitando eum. Sentiens autem Frater sese à dæmone vexari & possideri, media nocte surrexit, ut ad Sanctum confugeret: sed ubi cellæ appropinquavit, in qua residebat Nicetas, conspexit serpentem maximum ante ostium tugurioli repere & introitum prohibere: in hanc enim formam, ut sæpe solet, se converterat dæmon, ut eum teneret impediretque ad illum accedere, à quo se sciebat expellendum. Frater nihilominus, meritis Sancti confisus & diabolum spernens, insilivit in cellam viri Dei, & impuri hostis insultum eidem aperuit. Signans igitur eum Sanctus oravit pro illo; & præcipiens ejusmodi dæmonem non formidare, jussit ut ad cubile, in quo dormire solebat, reverteretur. Tunc ad paucos dies rursum se continuit absconditque diabolus, utpote ardorem in sese à Sancti hominis gratia immissum non sustinens. Rursum tamen cœpit Fratri esse infestus, dolorem cordis intolerabilem ei immittens; eoque tandem ipsum deduxit, ut loquela & motu privatus jaceret, nisi quod ei viscera æstuare & contorqueri, aut, ut nos judicabamus, discerpi

deinde prorsus expulso, liberat.

B viderentur. Ast superveniens Sanctus, & juvenem post fusas preces salutari Crucis signaculo muniens, ipsa hora ejecit dæmonem, adeo crudeliter sævientem; & sanum juvenem fecit assurgere. Postmodum autem Frater iste remansit sanus, & ejusmodi vexationi numquam deinde obnoxius.

Item alium.

20 Alius autem (qui & ipse recens advenerat in monasterium) similiter immundum occultumque spiritum clam gerebat: cumque diebus paucis apud nos fuisset, apparuit etiam hunc possideri à dæmone graviterque torqueri. Ad eum ergo Sanctus simili modo veniens oransq; expulit ab eo diabolum, & Christi gratia cooperante restituit illum integræ sanitati: dicebat autem post curationem, quod vidisset virum Dei in virga ejicere à se dæmonem. Nihilominus receptæ gratiæ factus ingratus adeoque indignus, antequam attonderetur, discessit clanculo; neq; scimus quid ei postea evenerit. Sed & alias plures diversasq; infirmitates, febrium inquam ardores, capitisq; & variorum membrorum cruciatus curabat vir beatus, per gratiam ipsi divinitus concessam.

lapsos quia ratione curaret,

21 Quin autem spiritualium morborum eximius quoque medicus Pater noster Nicetas fuerit, nemo credo inficiabitur: ex ipso enim motu habituque cognoscebat, siquem cogitationes suæ passionesque

C torquebant. Si autem contigisset labi quempiam (Angelorum enim est numquam peccare) id quoque significabat ei mœstitia & mutatio vultus: quare seorsim eum in suam advocans cellam, divinæ suæ doctrinæ & adhortationis efficacia persuadebat omnia confiteri. Videns autem valde contritum humiliatumque, non castigabat, prout meritus erat; sed admodum moderate, ita ejus erga se amorem confirmans, ne nimio absorberetur mœrore. Qua in re imitatorem se exhibebat venerabilis Pauli, qui pari ratione legitur egisse cum iis qui Corinthi peccaverant.

2 Cor. 2, 9

caritate plenus

22 Hæc sunt reverendi Patris egregia opera, hæc beati viri præclara facinora, hæc generosi militis laboriosa certamina, hæc invicti pugilis post victoriam præmia. Quis umquam salutari ejus doctrina expleri potuit? quem satietas suavissimæ conversationis capere? Omnibus mitis, omnibus amabilis, omnibus hilaris; semper affabilis, semper ad audiendum facilis, facilis ad impertiendum: totus caritate, totus discretione, totus mansuetudine, totus virtutibus omnibus plenus. Denique universa ejus vita ipseque aspectus utilitatem & ædificationem cunctis adferebat plurimam: unde & ad summum impassibilitatis apicem, sensibus omnibus per purgatis, adscendisse videbatur, undequaque illuminatus, undequaque splendidus, jucundus vultu, gestu, moribus, & collustrante eum semper Trinitate sanctissima, divino lumine omni ex parte circumfusus.

AUCTORE THEOSTERICTO EX MS GR. *& omni passione vacuus.*

Athanasius Oeconomus pie moritur.

23 Magnus porro Athanasius, fidelis ac prudens noster œconomus, postquam annis multis rem monasterii temporalem optime curavisset, multa cum sancto Patre Nicęta exantlasset certamina, plurima in cœnobio egregia facinora patravisset, infirmitatem incurrit, ex qua & mortuus est. Cumque sub extremum illius spiritum, circumfusi strato precaremur, ut nostri meminisset apud eum, ad quem assumebatur, Deum; ad ultimum dixit: Omnino scietis utrum ego aliquid apud eum possim, & fruar quæsito studiose bono. His dictis pedes decenter extendens, spiritum tradidit in manus Domini, vigesima sexta *b* mensis Octobris: Cujus sepulturam curantes, recondidimus eum in

b

& proprio conditur monumento.

Gen 3, 19

E proprio tumulo, ut moris est nostri (neque enim, ut in aliis monasteriis, defunctis omnibus unum commune apud nos monumentum est, sed placitum unicuique aptamus locum, ibique monumentum illius facimus) terramque ingessimus, secundum quod dictum est, Pulvis es & in pulverem revertetis. Ibi igitur, beati istius viri reliquias deposuimus. Ut autem obscurum non esset illius monumentum, sed omnibus fieret manifestum; cupressi germen, ex venerando viri pectore, supra ipsum enasci fecit universorum Deus; unde fit ut multi, magna cum fide advenientes, amplexentur plantam istam; foliaque exinde accipientes secum auferant, in remedium morborum.

moritur etiam S. Nicephorus,

24 Pater vero noster Nicetas, ejusmodi separatione haud parum afflictus, geminato deinceps onere laborabat; invigilans Fratrum utilitati. Deinde haud multo post mortuus est etiam communis omnium Pater Nicephorus, qui suas omnes possessiones Deo consecrans, hoc monasterium, divina gratia cooperante, fundaverat; quem Deus & homines honoraverant atque dilexerant, propter insignem animi moderationem. Finem autem vitæ consecutus etiam ipse est, die *c* quarta Maji: cujus festivitas ut solenniter quotannis ageretur, sanctus Pater noster Nicetas, ejus germanus discipulus,

c

cui succedere jussus Nicetas

decreto sanxit. Rogabamus autem eum omnes, ut nomen pariter consecrationemq; Hegumeni susciF peret: quamdiu enim in vivis Nicephorus fuerat, eam suscipere recusarat. Sed ille anxiabatur, mœrebat, orabat, parcerent sibi, neque cogerent ejusmodi appellatione sumere: Sed alteri, inquiebat, cuicumq; vultis, istius nominis dignitatem conferte: & ego curam populi, quemadmodum feci hactenus, Deo favente sustinebo: tantum hoc oro indulgere, ut à vi facienda abstineatis. Nos autem respondimus,

multumque reluctans,

fieri non posse, ut ei hac in re morem gereremus; si enim, adhuc vivente communi omnium Patre, dux ipse nobis vitæ & magister fuerat; nunc, postquam ille obiit, multo esse æquius, ut in ejus locum succederet verbo & opere, re ac nomine. At ille: Grave quidem est præceptum, Fratres, ad quod implendum me compellitis; verumtamen Dei voluntas fiat. O immensam Sanctissimi Patris nostri humilitatem! Quod aliis quibusdam non nisi per multam largitionem, nec sine seditione pugnaque, contingit; illi ultro delatum fuit, propter summam animi ejus demissionem: nec delatum tantum,

à Nicephoro Patr. consecratur.

sed vi quadam adhibita tam à nobis quam ab amicis aliisque Patribus, cogendus fuit, quemad-

AUCTORE THEOD. STERICTO EX MS. GR.

modum dixi, ordinationem appellationemque Hegumeni acceptare: iſtam autem ei per manuum impoſitionem contulit S. Nicephorus *d*, qui tunc Patriarchale ſolium Conſtantinopoli tenebat.

ANNOTATA.

a *De duplici vocis* Diaconium *ſignificatu vide dicta ad* 20 *Martii in Actis Martyrum Sabaitarum num.* 47. *Hic pro Sacriſtia accipitur.*

b *Ferrarius in Topographia ad Romanum Martyrologium agens de Medicio monaſterio, hunc Athanaſium refert ut Sanctum. Nos eum ſacris faſtis nullis adhuc inſcriptum invenimus.*

c *Refertur hic* S. Nicephorus *iſta die* 4 *Maji in variis Grecorum Synaxariis, ut tunc dicetur.*

d *Succeſſerat S. Taraſio Nicephorus anno* 806, *cujus vitam, ab Ignatio Diacono diſcipulo ejus ſcriptam, dedimus ad* 13 *Martii.*

CAPUT IV.

Deſcribitur hæreſis iconomachorum exorta & propagata, uſque ad tempora Irenes Imperatricis.

B *Agente diabolo primum peccavit Adamus,*

25 ADhuc eramus Byzantii, quando cœptum ſuſurrari de impiis Deoque execratis dogmatis, contra venerandarum imaginum uſum. Etenim diabolus, omnis mali auctor à principio, qui immodica elatus ſuperbia, & parem cum Deo ſublimitatem affectans, dixit: Ponam thronum meum in nubibus, ſimilis ero Altiſſimo, ideo dejectus eſt; exinde humano generi ſtruere inſidias exorſus, primum quidem in paradiſum ſe intulit, ibique objecta divinitatis eſca protoplaſtum decipiens, fecit divini præcepti fieri tranſgreſſorem & paradiſi exulem. Deinde ſuccreſcente hominum multitudine, ſuperinducta idololatria, ſuæ illos tyrannidi ſubjecit; perſuaſitque creaturam loco Creatoris colere. Iſtis per incarnationem Verbi divini redemptis, & idololatria per ſanctos Apoſtolos & Martyres alioſque divinos ac ſacros Patres, diſcipulorum Chriſti ſucceſſores, funditus extirpata; non potuit perfidus inſidiator quieſcere, ſed diverſas excogitavit hæreſes, per quas ſuſcitavit diſſenſiones graviſſimas, & enormia ſcandala multiplicavit.

dein idololatria invaluit,

poſtea hæreſes ſuccreverc,

26 Rurſum has ipſas de medio ſublatas videns, tam per ſanctas Synodos, quam per inſtantiam ſanctorum Patrum, illis ſeſe fortiter opponentium ætatibus ſingulis, prout ſingulæ oriebantur; quid

C *& noviſſime contra ſacras imagines,*

fecit? Num quievit atque ceſſavit? Nequaquam: ſed iterum excogitavit aliam hæreſim, noviſſimam & primam, quæ velut compendium eſſet omnium præcedentium, & parum abfuit quin totam Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti fidem everteret. Si enim honor delatus imagini, quemadmodum loquitur magnus Baſilius, transfertur ad ejus prototypon; neceſſe omnino eſt, ut è converſo inhonorata imagine hoc quoque inhonoretur. Dicam porro iſtud manifeſtius comparatione ſenſibili. Pone mihi imaginem regiam, aliquo in loco expreſſam (fuit enim aliquando moris ſtatuas erigere Regibus) illac vero tranſire duos, quorum unus quidem illam videns, propterea quod Regi optime afficiatur, accurrens amplexetur & deoſculetur illam; alter vero hoc reprehendens, eamdem conſpuat; & arreptum utraq; manu lutum tollens, ipſam conſpurcet oblinatque; dic obſecro quem eorum probabit Imperator, factum audiés? Numquid dignitatibus & congiariis honorabit primum, alterum vero afficiet ſuppliciis? Quod ſi terreni Regis imaginem inhonorans non manet impunitus;

in quibus Chriſtus honorabatur:

qua pœna digne plectetur, qui effigiem filii Dei, incarnati pro nobis, nobiſque per omnia præter peccatum aſſimilati, contumelia affecerit? D

27 Sed obſtrepentes quoſdam audio dicenteſque, Divinum quid eas eſſe exiſtimant rudiores: ideoque non expedit Chriſti imaginem facere. O demen tiam! Vide ſis ne & ſolem ipſum velis obſcurare, quiſquis ita loqueris, propter debiliores quorumdam oculos. Audi diverſiſſimam, prout nos intelligimus, adorandi rationem. Diſtinguit eam ſanus ſenſus; & aliam quidem ſecundum latriam ſoli primæ divinæque eſſentiæ didicimus deferendam; aliam vero uſurpamus quæ relativa ſit, &, ut magnus ait Dionyſius, anagogica; quam videmus reſpectu noſtri variam eſſe, pro varietate ſenſibilium ſignorum per quæ, religioſe & proportionate ad captum noſtrum, adducimur ad intellectualem cum Deo conjunctionem. Deum namque divinaſque virtutes, intellectuales naturæ prout congruum eſt, in ipſius intuentur eſſentia; nos vero per imagines ſenſibiles, quatenus poſſibile nobis eſt, in divinarum rerum contemplationem traducimur. Quod ſi uſque adeo obcæcata es mente, ut hallucineris ad ea quæ modo dicta ſunt, & corrigi nolis; fruſtra te in hora exitus pœnitebit.

cum earum cultus ad prototypon referatur.

28 Sunt quoque nonnulli, qui hæreſim iſtam minoris faciunt ac pro nihilo ducunt; ideoque facile capiuntur, eique conſentiunt: alii nec hæreſim quidem exiſtimant, ſed opinionum contentionem. Ego vero etiam gravem admodum eam eſſe arbitror, & mecum ut puto, quiſquis recte ſentit: utpote quę totam Chriſti œconomiam ſubvertat. Sed & hoc mihi conſidera, alias quidem hæreſes ab Epiſcopis inferioribuſq; Preſbyteris ortum habuiſſe, hanc vero ab ipſis proceſſiſſe Imperatoribus (noſti autem quantum Reges inter & Sacerdotes interſit) & iſtas quidem docendo & contradicendo coaluiſſe paulatimq; invaluiſſe, hãc vero ab Imperatoria poteſtate ſuiſſe ab initio valentiſſimam. Leo enim Iſauricus, adverſus Theodoſium *a* juniorem invadens tyrannidem, Romanum imperium rapuit, eoq; ſublimatus non dedit gloriam Deo (per hunc enim, ut in Proverbiis dicitur, Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt) ſed extulit in altum cornu, loquens adverſus Deum iniquitatẽ; & poſuit in cælum os ſuum, & lingua ejus tranſivit in terra; cœpitq, hiſtoriæ ſacræ picturas, à ſanctis Apoſtolis ad nos deductas, ah eccleſiis eliminare; dicens, non debere pingi Chriſtum, neque in ſua imagine adorari.

E *Ejus auctor fuit Leo Iſauricus,*

a

Prov. 8, 15

expulſo S. *Germano Patr.*

29 Hæc dum agerentur migravit è throno ſuo magnus *b* Pontifex, fugitque nido veneranda hirundo, quæ vernam eccleſiæ tranquillitatem dulciſono ornabat garritu, Dominica feſta condecorans: & in locum ejus inductus eſt deformis corvus, hians & abſonum crocitans, procumbente Eccleſia & mœſtum ingemiſcente, quod tanto tamq; divino Præſule eſſet orbata. Erat autem in omnibus ſacris ædibus confuſio non modica, diſcurrente quaquaverſum verſania impiorum, omniaque inſtar peſtis corripiente, dum nihil non audet poteſtate ſubnixa. Secutus eſt imperii ſimul & perverſitatis hæres filius *c* Conſtantinus, malæ radicis pejus germen, ex venenato ſerpente lætifer draco, ex ſæviſſimo leone verſipellis pardus, qui multipliciter ſuperavit patris malitiam. Nec enim ſola contentus fuit imaginum ſacrarum injuria, ſed etiam ſanctos Martyres, quantum in ſe fuit, inhonorans, vetuit Sanctos nominari, juſſitque ut diceretur, ad Apoſtolos, *d* ad Quadraginta, ad Theodorum, ad Georgium & cetera hujuſmodi: eorum autem Reliquias omnino contemnebat, habebatq; pro nihilo: atque ut verbo uno abſolvam, ſpecie Chriſtianus erat, animo in pleriſque Judæus. Quam enim ſibi in domum propriam elegit Chri-

F *propagator Conſtantinus Copron.*

c

d

qui etiam Deipara cultum conatus eſt abolere,

A Chriſtus, glorioſiſſimam, inquam, illius matrem, rebus omnibus creatis ſublimiorem, advocatam mundi, ſalutis humanæ conciliatricem, Deoque propter virginitatis decorem proximam, hujus quoque venerandum nomen multimodis ſtuduit in Eccleſia abolere; interceſſiones vero illius, per quas ſubſiſtit mundus, nec nominari quidem voluit, dicens eam nemini poſſe opitulari. Conabatur etiam ſuum illud dictum confirmare ſimilitudine: manibus namque die quadam accipiens crumenam auro plenam, ipſamque præſentibus oſtentans, interrogabat, cujus illa pretii eſſet. Illis vero dicentibus, Magni; effundens aurum, iterum interrogabat, Quanti nunc? Et ipſis, nullius valoris eſſe, reponentibus; intulit miſer: Sic & Deipara (nec enim dignabatur Sanctam dicere) quando intra ſe habuit Chriſtum, pretioſa erat: poſtquam vero illum peperit, nihil diſcrepabat à ceteris. O blaſphemam ſtultitiam! ô ineffabilem tolerantiam & longanimitatem Dei! Quomodo non contrivit os illud, quod contra matrem Chriſti loquebatur injuſtiam in ſuperbia & in abuſione. Quid à blaſphemis Judæis novus hic elatuſque ac Deo odibilis Phariſæus diſtabat?

B *& monaſticum Ordinē extinguere* 30 Qui monaſticam vitam, uti nos, ſectabantur, de iis ut nec cogitandum quidem ſignificaret, haud aliter quam Ἀμνημονεύλες, id eſt, Oblivioni datos nuncupabat. Quotquot autem conſiliis ejus peſſimis non acquieſcebant, partim quidem multabantur exilio, partim carceribus immoriebantur, alii tollebantur gladio, alii fuſtibus contundebantur, adeo ut eorum viſcera per plateas diſcerperentur, prout mihi teſtis erit Stephanus junior, *e* Chriſti Martyr, & nomine ac moribus Protomartyrem referens. Ad hæc quidam eorum marinis mergebantur fluctibus, alii tormentorum metu fugiebant vivebantque in montibus & cavernis terræ, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, anguſtiatique & afflicti perſeverabant in pietatis propoſito: alii ſuppliciis territi & carnis ſuæ diffidentes infirmitati, in peregrinas tranſibant terras, ibique conſcientiæ ſuæ conſummabant martyrium. Nec defuerunt qui vel formidini pœnarū ſuccumbebant, vel blanditiis ineſcabantur, aut gloriam hominum potius quam Dei reſpiciebant, vel etiam carnis voluptatibus ſe tradebant: multi enim eorum cogebantur uxores ducere; & quæ fuerant ſcholæ animarum, heu me! facta ſunt fornicationis gymnaſia. *f* Tota ſiquidem tyranni intentio ſtudiumque eo ferebatur, ex quo tempore imperium eſt auſpicatus, ut monaſticum Ordinem funditus extirparet. In tantum vero homo putidiſſimus delectabatur fœtore & ſordibus, ut etiam brutorum ſtercore obliniret ſeſe, & qui ſecum agebant, idem facere hortaretur; eoſque imprimis coleret, quos talibus ſordidus magis delectari vidiſſet. Sed non vacat omnia illius impia deteſtandaque facinora proſequi ſigillatim, ſunt enim plurima viliſſimaque: de eo autem etiam hoc dicitur, quod dum baptizaretur puer, ſacrum fontem conſpurcarit; ideoque S. Germanum dixiſſe, quod eſſet magnum fœtorem Eccleſiæ admixturus; prout reiſa factum eſt. Excidit vero unum dicere. Ipſe ego legi tredecim illius oratiunculas, quas tradidit duabus hebdomadis recitandas, quæ nullam continent *g* precationem.

C *f*

c

homo ipſe ſpurciſſimus.

g

h 31 Poſtquam autem etiam hic infelicem *h* efflavit animam, filius ejus Leo Imperium per quinque annos tenuit, qui minus pravo ingenio præditus nihil magnopere nocuit, ſed potius ſub eo aliquantum reſtituta eſt res eccleſiaſtica. Ipſo vero *i* ſublato, Irene, verum à pace nomen ſortita, regnare incipiens una cum filio, abſolutam pacem Eccleſiæ dedit. Etenim muliebrem infirmitatem exuens, contra impietatem viri iter ſtetit; & pro veritate ſtabilienda multam gerens ſolicitudinem, eidem contradicentes ab urbe expulit, *k* zonas eorum ſoluens; atque ita pro fide orthodoxa pulcherrimæ decertans, magno Taraſio adjutore, imprimis autem cooperarore in omnibus Deo, antiquam ſpeciem œconomiæ Chriſtianæ & congruum ornatum eccleſiis reddidit; factaque eſt in univerſo terrarum orbe pax altiſſima, per Chriſti gratiam & curam Irenes orthodoxæ Imperatricis. Eadem vero multa etiam alia præclare fecit, inſtituendo domicilia pro ſenibus, pauperibus, peregrinis alendis, & leviora faciendo tributa. Monaſticus quoque Ordo ſub ipſa ſic auctus eſt, ut infinitus eſſet eumdem profitentium numerus: ubique monaſteria, ubiq; animarum gymnaſia videre erat, & monachorum laicorumque pacificam conditionem: continuabantur utrorumque precationes, & totis noctibus juges pſalmodiæ audiebantur; omnia pax & quies tenebat; & rebus Chriſtianorum tranquille procedentibus, in unitate fidei; unus grex, unus paſtor Chriſtus cognoſcebatur.

ejus filio Leoni ſuccedens Irene,

i

k *Orthodoxiā reſtituit.*

AUCTORE THEOD. STRICTO EX MS. GR.

ANNOTATA. E

a *Theodoſius Adramyſenus anno 717 Imperium ceſſit Leoni Iſaurico, militaribus ſuffragiis electo 25 Martij.*

b *Anno 730 die 7 Ianuarij, publicatum eſt ferale edictum contra imagines: & S. Germanus Patriarcha, cum ei ſe fruſtra oppoſuiſſet, ſponte ſe abdicavit, ac ſubſtitutus eſt 22 Ianuarij Anaſtaſius, homo impius.*

e *Leoni mortuo, 18 Iunij an. 775, ſucceſſit filius ejus cognomento Copronymus.*

d *Non videtur auctoris mentem ſatis aſſecutus Sirletus cum vertit, quod* præceperit *tyrannus*, non eſſe illos Sanctos dicendos, ſed ſimpliciter nominandos Apoſtolos &c. *reſpicit enim auctor (uti indicat præpoſitio eis, ſingulis præfixa) non tam ad Sanctorum perſonas, quam ad templa ab iis nuncupata; quæ cum ex uſu communi non aliter appellarentur quam addito titulo* Sancti, *dicendo* Ad ſanctos Apoſtolos *&c. idque etiam in vulgo, alias Imperatoris impietatem ſectante, novæ hæreſis cauſa non eſſaret; non ferens Imperator toties quodammodo innovari veteris religionis memoriam, quoties aliquod templum nominabatur; abolere eum uſum conatus eſt, mulcta indicta, ſi quis ex antiquo uſu locutus audiretur. Sed ultra quam ipſe excogitavit, proceſſit Calviniſtarum à Sanctis alienatio: non enim contenti ſunt eorum nomina abſque* ſancti *titulo uſurpare, ſed illa audire quidem nec ſimpliciter ſuſtinent; ideoque eccleſias Catholicis ademptas inſtituerunt ab ætate aut ſitu nuncupare*, Novam, Veterem, Occidentalem, Orientalem, *&c. ut ſic tradatur oblivioni, ſi fieri poſſit, in cujus Sancti nomine olim fuerint Deo dicatæ.*

Eccleſiæ à ſanctis nuncupatæ.

F

e *Vicinus iſti tempori Theophanes aſſerit*, S. Stephanum, annos 60 in clauſura ad S. Auxentium exegiſſe, & miraculis innumeris claruiſſe: ſed quod pleroſque ad monaſticam vitam eſſet hortatus, & aulæ dignitates divitiaſque contemnere ſuaſiſſet, Indictione 4, *anno 765* ad ſupplicium tractum; & ejus reliquias, membratim conciſas, in foveam projectas fuiſſe. *Colitur 28 Novembris, quando ejus præclaram vitam & paſſionem ex MSS. Græcis auctorum coævorum dabimus.*

f *Si auctor hic, quæ ante annos octingentos ſcripſit in Græcia, in noſtro* Belgio *vel in Anglia ante annos centum compoſuiſſet, præ oculis habens prætentæ reformationis exordia, an aliis verbis exponere potuiſſet monaſteriorum deſolationem, eo tempore factam?*

g *Quam non alienum à faſtigio ſuo duxerint Imperatores Conſtantinopolitani, præſertim medio ævo, orationibus dictandis operam dare, multorum lucubrationes adhuc ſuperſtites, præſertim ſacræ, abunde declarant: ſed & Iuliani apoſtatæ*

AUCTORE THEOSTERICTO EX MS. GR.

apoſtatæ exercitationes oratoriæ ſuperſunt : & paſſim litterarum Græcarum diſciplinis imbuti Principes, ſatagebant publica eloquentiæ & doctrinæ ſuæ ſpecimina edere. Porro de his 13 *Copronymi ita habetur Græce*, Λογίδρια πρεσβείαν μὴ ἐχούσα. *Sirletus vertit*, Orationes, in quibus nulla de Sanctorum invocatione facta mentio erat. *Non video, ſi id dicere voluiſſet auctor, quid ſingulare dicturus fuerit, poſt tot alia magis enormia. Quid igitur? Inter partes orationis paræneticæ cujuſcumq; numerabatur* Πρεσβεία, *orationem concludere ſolita : quæ cum de Sancto aliquo inſtituebatur panegyricus ſermo, ad ipſum quoque dirigebatur, alias plerumque ad Deum ; & ſaltem conſueta illa adhibebatur clauſula, qua Sanctiſſimæ Trinitati dabatur* honor & gloria, in ſecula ſeculorum. *Quæ cum in ſuis orationculis iſtis neglexiſſet Copronymus, præter morem inſtitutumque Chriſtianorum ; voluit hoc notare auctor, ut indicaret, non tantum impium, ſed etiam atheum fuiſſe.*

h Copronymus mortem obiens, 14 Septembris *anno* 775, vociferans dixit ; Etiam vivus igni numquam extinguendo addictus ſum ; & ſanctam Dei Genitricem hymnis & laudibus celebrari juſſit : *ita Theophanes.*

i *Mortuus eſt* Leo 8 *Septembris, an.* 780, *relicto hærede Conſtantino filiolo, ſub tutela matris Irenes.*

B k *Zonas militiæ ſignum fuiſſe notiſſimum eſt ex ſacris profaniſque ſcriptoribus, eiſque ignominiæ cauſa, exui ſolere delinquentes : ſed & officiis curialibus inſignes, ex zonis cognoſci potuiſſe, iiſque ab Irene exutos iconomachos, mihi perſuadeo.*

CAPUT V.

Iconomachia à Leone Armeno reſuſcitata, cum magna fidelium perſecutione.

Leo Armenus

32 IRenes Imperium ſimul & orthodoxiam excepit Nicephorus, *a* idem pientiſſimus, pauperumque & monachorum amantiſſimus : deinde regnavit Michael, qui adhuc in monaſtica dignitate vivit. Contra hunc tyrannidem occupans Leo, *b* ut nomine ſic moribus efferus, & imperium indigniſſime uſurpans, Deo, qui id permiſerat, nec gloriam nec gratiarum actionem detulit ; ſed dementatus eſt in vanitate cordis ſui, perſuadens ſibi tum demum firmaſſe imperium, cum ſtabiliviſſet impietatem. Imitatus igitur in hoc illum ſibi nomine ac moribus ſimilem apoſtatam, Aſſyrium hoſtem, malorum C inventorem, Leonem inquam Iſauricum, incœpit ſancta ſanctorum perſequi, quemadmodum ille Iconomachia inſtauratores colligit, fecerat. Deinde ſocios & magiſtros pravitatis requirens, paucos ex Senatore perit, Joannem nominatum Spectam & Eutychianum. Cupienti autem etiam ex Sacerdotali Ordine quoſdam ſibi conſentientes habere, Diabolus, qui hæc ei ſuggeſſerat, Byſantium perluſtrans, reperit Joannem *c* cognomine Grammaticum, novum Tertullum : quem manu apprehenſum duxit ad Imperatorem, dicens, ſuſcipe hunc, ad id quod intendis utilem tibi futurum : vas enim electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum contra Orthodoxos. Quemadmodum igitur Paulus Chriſti, ſic & hic factus eſt os diaboli : & ſicuti torrens, ex variis corrivatus imbribus, defert graveolentes ac perturbatas aquas ; ita etiam ipſe, ex cœnoſo cordis ſui theſauro, protulit putidiſſima ac lutulenta dogmata, potans accedentes ad ſe turbida perverſione. Habebat autem adjutores, exiis quidem qui ſub Throno erant, Antonium *d* Sylæi ; ex monachorum autem numero, Leontium quemdam & Zoſimam : qui ipſis illis diebus, propter adulterium truncatus nares, mortuus eſt.

& Epiſcoporum cœtum

33 Poſt hæc collecta eſt omnis monachorum multitudo cum Epiſcopis & Metropolitis, apud ſanctiſſimum Patriarcham Nicephorum *e* ; & pervigilem precando noctem duxerunt in majori eccleſia. Hos facto mane accerſivit Imperator, habens intus in palatio, & tamquam avis fovens, impoſtores ac myſtas malorum, eoſdemque animans promiſſione munerum & nihil metuere jubens. Primum autem juſſit ſolum Patriarcham introire, ignorans quænam inter ipſos ſecreto convenerant : deinde omnes advocavit. Stetit igitur coram eo caterva electorum Patrum, ſanctorum, æqualium Angelis, & divinam ſpeciem præferentium : adſtabant vero & Imperatoris magnates, & univerſus Senatus. *e* D

34 Ad hos converſus Sanctiſſimus Nicephorus, Dicite mihi, inquit, poteſtne cadere id quod non exiſtit ? Cumque, propter obſcuritatem interrogationis, non reſponderent ſed invicem ſe reſpicerent ; rurſum interrogavit Patriarcha : Sub Leone & Conſtantino Iſauris ceciderunt*ne* imagines ſanctæ, an non ? Illis capite annuentibus, & cecidiſſe ſubindicantibus (quod ad intentum ejus, de quo ipſis inter ſe in arcano convenerat, ſatis erat) intulit Patriarcha : Quod autem non ſtetit, quomodo potuit cadere ? Nihil ad hoc replicavit Imperator, ſed ad Patres ait : Scitote, Patres, quod & ego ejuſdem vobiſcum ſententiæ ſum. Extulit autem, quam de collo geſtabat, ſculptam bullam, eamque ſimulanter adorans, Ut videtis, inquit, nihil à vobis diſcrepo : ſurrexerunt tamen quidem aliter docentes, dicenteſque, eam quam ipſi tenent viam eſſe rectam. Prodeant igitur coram vobis, & diſcutiatur inter vos quæſtio. Si vos illi convicerint æquum ſe dicere, nolite impedire quod æquum eſt ; ſin autem à vobis convicti fuerint vana docere, deſinant ſpargere pernicioſam doctrinam, & uti prius ſtabiliatur orthodoxia. Si enim de re quapiam alia minoris momenti interrogatus tacere non debui, quomodo id poſſim circa eccleſiaſticam quæſtionem ?

ad ſe venire jubens,

ſimulat pietatem. E

hortatutque ut coram ſe diſputare velint,

35 Negaverunt Patres permittendum eſſe ut vel ante conſpectum ſuum iſti, vel ad colloquiam venirent. Cumque Imperatoris mentem perſpectam haberent, proclivem in malum ; ab eoque non abducendam, licet univerſam Scripturam adducerent in teſtimonium ; reſpondit Æmylianus *f*, Epiſcopus Cyzici : Si quæſtio eccleſiaſtica eſt, ut dicis, Imperator, diſcutiatur in eccleſia, uti moris eſt : nam à principio conſueverunt quæſtiones eccleſiaſticæ in eccleſia tractari, non in palatio. Sed & ego, inquit Imperator, ſum filius Eccleſiæ, & velut mediator utroſque vos audiam, ut hinc inde dicta dijudicans, quæ vera ſunt cognoſcam. Ad hæc Michael, Synadarum Epiſcopus : Si mediator es, quare non facis quod eſt mediatoris ? Nam iſtos quidem abſcondis in palatio congregaſque, fiduciam illis dans ad docendum impia dogmata : alii autem neque in angulis audent dicere quidpiam, perterrefacti tuis ubique edictis. Non eſt hoc indicium mediationis, ſed tyrannidis. Minime vero, inquit Imperator, ſed, uti dixi, vobiſcum ſentio : quoniam tamen provocatum eſt ad me, tacere non debeo. Quid obſecro cauſæ eſt, ob quam nolitis cum illis loqui ? Apparet ad anguſtias rem eſſe redactam : & non habetis teſtimonia, quibus aſſerta veſtra tueamini. Reſpondit Theophylactus *g*, Epiſcopus Nicomedienſis, Teſtor Chriſtum, cujus imprimis imaginem ante oculos deſcriptam vides, quod millena teſtimonia ad iſtud confirmandum ſuppetant : neque anxiamur, ut ſuſpicaris ; ſed nemo eſt qui audiat, aut cui prodeſſe poſſimus, dum nobis per violentiam contradicitur. Deinde Petrus Nicænus Epiſcopus, Quomodo dicis ut loquamur cum eis, dum tu pro eis & cum eis pugnas ? Ignoras quod etiamſi Manichæos induceres ad loquendum, ſi eos propugnare volueris,

Negant illi in colloquiũ veniendum,

f

coram judice ſeculari,

g & quidem adverſario,

volueris, ſuperaturi nos ſint à te adjuti? Profecto
A non abſque cauſa hoc dixit Sanctiſſimus Petrus: ubi
enim impietati poteſtas conjungitur, ſuccumbat ve-
ritas neceſſe eſt; & æquitas ſub tyrannide laboret.

h idque contra antiquiſſimâ traditionem,

36 Poſt hæc S. Euthymius, *h* Epiſcopus Sar-
dium, multo confidentius ad Imperatorem loqui
exorſus: Audi, inquit, Imperator: ex quo Chri-
ſtus in terram deſcendit, annis octingentis & pluri-
bus ubique in eccleſiis depingitur, & in ſua ima-
gine adoratur: & quis tam arrogans eſt ut audeat tot
annorum traditionem, ab Apoſtolis Martyribuſque
& ſanctis Patribus ad nos deductam, commovere
2 Theſſ. 2, 14 Gal. 1, 8 aut diſſolvere? dicente Apoſtolo, Itaque, fratres,
ſtate & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per
ſermonem ſive per epiſtolam noſtram. Et iterum:
Licet Angelus de cælo evangelizet vobis, præter-
quam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.
à Nicena 2 Synodo confirmatam. Ideo adverſus eos qui ante nos hæreſim iſtam exco-
gitarunt, convocata eſt ſecunda Nicæna Synodus,
ſub Irene & Conſtantino piiſſimis Imperatoribus.
Hanc Synodum ipſe Dei filius proprio ſignavit di-
gito: & quiſquis ex ea aliquid concutere aut abole-
re tentaverit, anathema ſit. Diſſimulabat Imperator, utpote verſipellis, æquanimiter hactenus ſe
B audire dicentes. Ergo Theodorus *i*, fervens ille
i Eccleſiæ Doctor & Studitarum Hegumenus: Ne
diſſolvas, inquit, ô Imperator Ordinem eccleſia-
Eph 4, 11 ſticum: ait enim Apoſtolus, quoſdam quidem dedit
Deus in Eccleſia Apoſtolos, quoſdam autem Pro-
phetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores
& Doctores ad conſummationem Sanctorum: non
addidit, Reges. Tibi, ô Imperator, commiſſus eſt
politicus ſtatus atque exercitus: horum curam gere;
Eccleſiam autem permitte Paſtoribus atque Doc-
toribus, juxta Apoſtolum. Id ſi nolis; ſcito, quia
ſi fidei noſtræ ſubverſionem Angelus de cælo evan-
gelizaverit, non audiemus eum; nedum te.

Imperator omnes cum injuria abmittit,

37 Tunc iracundia exæſtuans Imperator, & pro
æquitate dicta ſuam æſtimans injuriam, dimiſit om-
nes: ſanctum autem Theodorum in exilium rele-
gans, vetuit ipſo Imperium tenente reverti Byzan-
tium. Eorum quoque qui extra urbem ſunt mona-
ſteriorum Præſides, ab illa ejecit, vetans quoquam
progredi, aut fidem orthodoxam docere. Majorum
denique eccleſiarum Antiſtites relegavit, alios in
partes Orientis, alios ad inſulas Occidentis: San-
ctiſſimoque Nicephoro Patriarchæ mandavit, Deſ-
cende, inquiens: nec enim te opus habet Eccleſia.
C *Patriarchã deponit:* Ipſe vero reſpondit ei per venerandam epiſtolam
dicens: Ego, Imperator non ſic temere deſcendo:
nec enim commiſi cur deponi merear: ſi vero prop-
ter veram fidem & pietatem opprimor violente,
mitte, ſive per te ipſum, ſive per hominem aliquem
tuum, & deſcendo. Tunc miſit Imperator ex op-
timatibus ſuis unum, qui tyrannico more ipſum
depoſuit. Ipſe ergo in majorem eccleſiam deſcen-
dens, cereoſque accendens & thus adolens, poſt
factam orationem, flente populo diſceſſum ejus,
eum in hæc verba allocutus eſt: Filioli, inveni vos
Chriſtianos, Chriſtianos dimitto. Deſcendenſque
in Acropolim, & ingreſſus navigium transfretavit
in unum prædiorum *k* ſuorum, ibique permanſit in
k jejuniis & orationibus, in ſilentio & patientia mul-
ta, uſque ad diem ſuæ migrationis ad Dominum.

eique ſubſtituit Theodotum Spatharium.

38 Igitur acerbi perſecutores veritatis, accepta
quidlibet agendi impunitate, cœperunt libere pro-
pagare atque docere impia dogmata: conſtituerunt-
que Patriarcham Theodotum quemdam ex Spatha-
rio aſſumptum, tamquam ſi pueris ludos facerent;
hominem ineptum & cerebri tam levis, ut theatri
ludibrium cognominari ſoleret, ad excitandum ri-
ſum jocari volentium. Hunc aiunt famulam quo-
que habuiſſe in comitatu, propterea quod ex reni-
bus laboraret; aut potius explendæ libidinis cauſa.
Poſtea Judaicum ſynedrium convocant, & ſanctos
Patres anathemati ſubjiciunt. Vah inſaniam! Con-
vertatur dolor in caput ipſorum & ſuper verticem
ipſorum anathema eorum deſcendat. Epiſcopos au-
tem ſibi non conſentientes, partim proſternentes
conculcaverunt pronos in terram, partim retror-
ſum expulerunt è conventiculo.

AUCTORE THEOSTERICTO EX MS. GR. *anathema orthodoxis dicitur.*

ANNOTATA.

a Nicephorus Logotheta, *ejecta Irene arripuit Imperium* 31 *Oct. anno* 802. *ipſo autem in pugna occiſo à Bulgaris anno* 811 *die* 26 *Julij*; *ſucceſſit* Michael Curopalates *die* 2 *Octobris*

b *Leo Armenus, Imperator creatus* 11 *Julij, &* 12 *coronatus, an.* 813

c *In Hiſtoria incerti Auctoris, poſt Chronographiam Theophanis editionis Luparæa impreſſa, habetur* Joannes cognomento Hylilas, quem Grammaticum dicebant, *dux & anteſignanus conſpirantium contra imagines. Ejus etiam meminit Leo Grammaticus. Comparatur autem hic Tertullo, qui Actorum* 24 *contra S. Paulum Cæſareæ legitur egiſſe coram Felice Præſide.*

d Antonius, adjunctus ſocius Joanni Hylilæ, E
traditur in præcitata hiſtoria. Sirletus Antonium Silæum *legit: & qui mox* Zoſimas *nominatur, ipſi eſt* Zoſimus.

e *In Vita S. Nicephori,* 13 *Martij, late hæc deducuntur.*

f *Coluntur, S. Æmilianus* 8 *Auguſti, S. Michael* 23 *Maij.*

g *S. Theophylacti Acta dedimus* 8 *Martij, die ejus Natali.*

h *De S. Euthymio egimus* 11 *Martij, quo colitur.*

i *In Vita S. Nicolai Studitæ,* 4 *Februarij; multa dicta ſunt de* S. *Theodoro, qui colitur* 12 *Novembris.*

k Græce ἐις ἐν τῶν ἀυλῶν μετοχίων. *pro quo Sirletus (qui tamen infra num.* 48 *oſtendit τὸ μετόχιον ſibi ſignificare* prædium) *vertit,* in eum locum in quem exul ducebatur. *Fuit autem primus ad quem navigavit locus, monaſterium ab ipſo conſtructum,* τῦ Ἀγαθῦ, *id eſt* Boni *dictum, queinadmodum habet textus Græcus Vitæ num.* 72, *unde corrigi juſſimus, quod in verſione Latina perperam obrepſerat,* Bovi, *& expungi annotationem de loco* Bovis *ſuper iſto errore fundatam. Non tamen iſtic (ut hic videtur ſignificari) mortuus eſt* S. *Nicephorus; ſed in longe diſſito monaſterio* S. *Theodori, quod ipſe etiam fundarat, & quo, poſt breves in priore moras, tranſmiſſus fuerat, uti conſtat ex hiſtoria de corpore Conſtantinopolim relato, edita poſt Vitam num.* 8. F

CAPUT VI.

Variæ afflictiones S. Nicetæ illatæ ob fidem in carceribus & exilio.

Hegumenus in fide conſtantes traduntur carceri:

39 His ita peractis, juſſit Imperator introduci il-
luſtriorum monaſteriorũ Hegumenos: qui
ſimul omnes ſunt ingreſſi, & cũ his venerabilis Pater
noſter Nicetas de quo eſt ſermo. Primum ergo blan-
ditiis eos conati ſunt decipere verſipelles; ut autem
viderunt omnia contemnere, diverſis carceribus
eos incluſerunt, inſultantes quid eis facerent. Con-
cluſus eſt autem ſanctus Pater noſter in cuſtodiam
graveolentem & à multo tempore ſordidam, adeo
ut abſque alio tormento hæc damnatio ſatis eſſet ad
pœnam: erat enim, ſiquis alius, propenſus ad nau-
ſeam. Ibi veniebant ad eum quotidie abortiva in-
ſaniæ, homunciones inquam abjectiſſimi, ac ne ſa-
lute quidem dicenda digni, eructantes blaſphema
verba, & ſtulta garrientes ad majorem Sancti vexa-
tionem. In his præcipuus quidam erat, nomine Ni-
colaus,

ſicut etiam S. Nicetas:

AUCTORE THEOSTERICTO EX MS. GR.

colaus, qui non ceſſabat ipſum affligere fatuitatibus ſuis, uſque dum pater ejus, pridem defunctus, ipſi apparens, in ſomno comminatus eſt, dicens: Recede à famulis Dei: ex tunc autem ſapientior factus ille diſſolutus, non modo ipſe non amplius laceſſivit Sanctum, ſed & alios hoc facientes prohibuit.

deinde relegantur,

40 Porro diebus multis in cuſtodia exactis cum magna malorum tolerantia, juſſit Imperator Sanctum abduci in exilium ad partes Orientis, aſſervandum in caſtro quod Maſalæon dicitur: idque hieme media. Vidiſſes igitur ſanctum iſtud corpuſculum conſumi, deſuper quidem frigore & nivibus, ab infra autem terra invia humorem ſuppeditante, & multam moleſtiam afferente, cum inſuper is cui commiſſus erat deportandus in exilium, immitis ac ferox, ipſum urgeret adeo, ut totum viæ illius ſpatium coëgerit emetiri intra ſeptem dies, eoſque breviſſimos. Idem vero aliis quoque Patribus fecit crudelis bellua: ſed videns quia per exilium nihil lucraretur, quin etiam animoſiores redderet (utpote quavis tribulatione ſuperiores) mutato conſilio, ut erat ingenio varius, antequam ibidem quinque abſolviſſent dies, rurſum cum omni feſtinatione juſſit eos reverti Byzantium, per eadem incommoda atque ærumnas: præcepit autem quietos relinqui, uſque dum ſtatueret qua via illos poſſet ad ſuam voluntatem pertrahere.

ac denuo revocatur CP.

B

& traduntur Io. Hylilæ cruciandi.

a

41 Tranſacto hiemis tempore & ſacris jejunii diebus, tradidit illos poſt ſanctum *a* Paſcha malorum inventori Joanni, qua vellet ratione affligendos: qui eos ſuſcipiens in diverſas conjecit cuſtodias, tantiſque ſubjecit tormentis, quanta nec Martyres ab ethnicis pertulere. Compacti enim in carceres triſtes obſcuroſque, ubi nihil habebant quod ſibi vel ſubtus ſternerent vel deſuper inducerent, in quo ſinguli inventi erat indumento, in eo jacebant humi, teſtam habentes pro cervicali: & per anguſtiſſimum foramen mittebatur eis, tamquam canibus, corrupti panis uncia, quantum nec fami quidem ſedandæ erat ſatis; aqua vero eis præbebatur admodum modica, & ea fœtens: id enim ſpectabat impius, ut vel à ſua illos fide vel à vita removeret. Ad majorem autem venerandi Patris noſtri afflictionem, Fratrem noſtrum qui ipſi miniſtrabat, Theoctiſtum inquam, qui deinde ipſi per gratiam Chriſti ſucceſſit, adhuc juvenem, mancipavit carceri, & eiſdem ſubjecit cruciatibus. Videntes autem impii, quod mori mallent, quam prodere veritatem, decipere eos per hoc conabantur, quod dicerent, aliud ſe non exigere ab eis, niſi ut cum Theodoto ſemel communicarent, neque præter hoc quidquam facerent: ita egreſſuros illos ad ſua cujuſque monaſteria, ſalva fide atque ſententia. Hac conditione egredi conſenſere Patres; cur enim non pergam vocare Patres, qui ad modicum victi denuo ad paleſtram *b* rediverunt, in eaque in poſterum feruentius etiam verſati ſunt.

qui per ſæviam nihil proficiens,

C

dolo impetrat ut ſaltem communicet cum Theodoto,

b

quod etiam S. Nicetæ perſuaſum,

42 Deinceps ſinguli eorum emittuntur ex carcere, & veniunt ad S. Nicetam ſuadentes, ut etiam ipſe egrederetur. Hoc vero recuſante, & eos nequaquam audire volente, perſiſtebant, inſtantes proteſtanteſque, impoſſibile eſſe, ut ipſo iſtic remanente egrederentur. Nihil, inquiebant, eſt illud, quod petitur à nobis: utamur diſcretione aliqua diſpenſatoria, ut non amittamus univerſa. Sic urgentibus ac pene vim facientibus ipſis, exivit invitus; non velut ærumnas fugiens aut malorum patiendorum pertæſus, abſit: ſed reveritus Patrum adhortationes, ipſorumque ſuſpiciens ſenium, perſuaſus eſt præter animi ſui propoſitum. Si enim pro fide res fuiſſet, propoſita vitæ mortiſque electione; mortem ſcio prætuliſſet, neque omnino quidquam prodidiſſet rectorum dogmatum, quamvis mille pericula objicerentur. Exierunt igitur ſimul omnes in ea quæ vocantur *c* oratoria; quæ, ut prius, erant depicta: ibique *d* communicaverunt ex manu Theodoti, dicentis Anathema eis, qui Chriſti imaginem non adorant. Ita in ſua, quæ regebant, ſinguli abiere monaſteria; beatus autem Nicetas vehementius corde compunctus, quia vel modicum deflexiſſe omnino eſt ſubverſionis initium, decrevit fugere, & in aliam abire regionem, ubi noxam contractam emendaret.

D

illo orthodoxiam ſimulante.

c

d

ita digreſſis ceteris,

43 In navim ergo quæ habebat injiciens, in Proconnenſum tranſmiſit. Rurſum autem conſilii pœnitens, atque intra ſe dicens, ibi præſtandam eſſe emendationem, ubi commiſſa eſt culpa; redivit Byzantium, priori ſuæ fidei confeſſionique inſiſtens, & nihil omnino metuens. Accerſito autem ei dixit Imperator: Cur ceteris ad ſua monaſteria egreſſis, ſolus ipſe remanſiſti, propriam ſequens voluntatem; & mandato noſtro non obediens, ut audio, credidiſti te poſſe noſtram potentiam effugere, noſque decipere ita ſentiens? Igitur decreto noſtro obtemperans, vade in tuum monaſterium; ſin autem, infligam tibi cruciatus quos nequeas ſuſtinere. Ad hæc leni voce reſpondit Sanctus: Equidem, ô Imperator, neque in monaſterium meum redeo, jubente te; neque à fide mea deſciſco: ſed in confeſſione mea perſiſto & perſiſtam, in qua & Patres mei tulerunt carcerem, & propter quam ſeſe periculis expoſuerunt, propugnantes optimam partem Eccleſiæ, in qua ſtamus & gloriamur in ſpe divinæ gloriæ. Etenim probe noris, Imperator, quod neque mortem expaveſcens (utpote temporalem) neque vitam amans (teſtis eſt mihi Deus) egi quod non decebat: ſed obedientiæ ſeniorum ceſſi invitus, implens eorum, quam non oportebat, voluntatem. Scito igitur, quod nulla mihi vobiſcum communio eſt: ſed maneo in traditione, quam ex principio accepi. De me quod volueris facito, aliud à me audire ne ſperes.

redit CP. pœnitens factî Nicetas,

E

ſeque Imperatori geneſe ſiſtit.

ab eo Zachariæ viro pio traditus,

f

44 Videns Imperator incommutabilem animi ejus ſententiam, tradidit eum Zachariæ cuidam, Præfecto Regalium ædium quæ appellantur *f* Mangana; ut ab eo illic cuſtodiretur, uſque dum de ipſo deliberaſſet. Cum autem vir ille pius eſſet, nulla in re gravis Sancto fuit, ſed potius benevolus atque beneficus quam maxime; tantaque cum reverentia eum habuit, ut nec obtutum quidem auderet in faciem ejus intendere. Poſtea relegavit illũ Imperator ad unam parvularum inſularum, quæ ſunt in ſinu, *g* S. Glycerię dictam. Poſſidebat autem eam Anthimus unus *h* Eunuchorum, præſtigiis deditus, ſacrilegus, verſutus, malignus, doloſus, arrogans, immiſericors: quem etiam, reſpectu nimiæ ejus væſaniæ, temeritatis & præſidentiæ, Caipham indigenæ nuncupabant. Hunc nempe propter ſuperexcellentem ejus nequitiam fecerant impii Præfectum monaſteriorũ ibi exiſtentiũ: quia tunc talibus committebant Præfecturas, ut potentia fulti cuncta ſubverterent. Ille ergo ſuſcipiens Sanctum, & poteſtatem adverſus eum exercendam uſurpans, ſtudioſe illum afflixit. Includens namque eum auguſto arctoque carceri, cruciabat eum perpetuo, ſic ut ne omnino foras proſpicere permitteret; ſecum ipſe cuſtodiæ clavem deferens, & per foramen ei dari jubens perquam exiguum victum. Promiſſum namque illi erat ab impiis, quod ſi illum cogeret in ipſorum ſententiam, ampliori afficeretur honore. Ergo affligebat Sanctum quam potuit inſtantiſſime, exiſtimans ſceleſtus quod ipſi defectionem perſuaderet.

F

g

h

relegatur in Inſulam S. Glyceriæ,

ibique ab Anthimo Eunucho vexatur.

AN-

ANNOTATA.

a *Annus agebatur* 815, *uti ex capite ſequenti liquet*,

b *Græce* διὰ τὴν ἀναπάλαισιν: *Sirletus vertit*, qui velut in palæſtra quadam ſupplantari ſunt. *Sed* ἀναπαλαίειν redire ad paleſtram *ſignificat*: *Igitur quod ſupplantati fuerint*, *vel è textu græco excidit*, *vel potius ſubintelligitur*; *dicuntur autem nihilominus vocandi Patres*, *quia redierint ad primum fervorem. Nos*, *ut clarior eſſet ſenſus*, *licentiam ſumpſimus eum paraphraſtice explicandi. Addit Sirletus*, ob idque carcere detenti fuerint. *Sed hoc non habet hiſtoria*, *neque puto de pleriſque vere dici potuiſſe*, *cum tamen textus Græcus loquatur de ſingulo.* ἐξῆς ἑκάστος αὐτῶν ἐφρεγέτο: *quare pro* ἐφρεγέτο, *legendum conjecto*, ἐξεφρεγέτο *& ſequentem Paragraphum hinc exordior.*

c *Credibile eſt in ſuperiori magnæ eccleſiæ parte Oratoria iſta fuiſſe*, *& populo inacceſſa*; *ubi facilius fraus parari potuit*, *& plebi*, *ignoranti quomodo res acta eſſet*, *imponi aliquid*, *conſtantiæ à Patribus expectandæ contrarium.*

d *Minus apte Sirletus*, communicaruntque cum Theodoto, manum illi dantes.

e *Inſula Propontidis* Preconneſus *eſt*, *verſus Cyzicum Myſiæ urbem.*

f *De* Manganis *agemus* 23 *Aprilis Comm. prævio ad Acta* S. *Georgii num.* 54

g *Colitur* S. Glyceria 13 *Maij*, *ubi inſulæ hujus ſitus pluribus poterit indagari. Quantum per conjecturam nunc aſſequor*, *fuerit ea haud longe ab Heraclea Thraciæ*, *ad oram Propontidis*; *in qua urbe fuit Sanctæ iſtius corpus*, *& templum celebri peregrinorum concurſu frequentatur*; *& nomen iſtud habuerit ab aliquo ejuſdem Sanctæ ibidem ſacello. Geographicæ tabulæ circa Preconneſum*, *oræ jam dictæ inſulam*, *tres minores abſque nomine notant*: *quarum hæc forte una fuerit.*

h *Hæc Anthimi nota abeſt à verſione Sirleti.*

CAPUT VII.

Vltimi anni vitæ: obitus, ſepultura, miracula S. Nicetæ.

Zachariam in Thracia captivum

45 ILlo in loco cum eſſet Sanctus, quid miracu-
li per ipſum patraverit rerum mirandarum effector Deus, videamus: neque enim abſcondi debet Spiritus ſancti gratia, in beato viro multiplicata. Zacharias igitur ſupramemoratus, Patris noſtri venerabilis beneficus cuſtos, pro adminiſtratione publicarum rerum miſſus ab Imperatore in partes Thraciæ, captus à barbaris oras illas accolentibus, vinctus abductus eſt in eorum regionem. Id cum audiviſſet Michael, ſanctiſſimus Syn-
pro eo orare rogatus, adarum Epiſcopus; ex cuſtodia, in qua detinebatur etiam ipſe, ſignificavit beatiſſimo Nicetæ, quod communis ipſorum amicus Zacharias, comprehenſus à Thracibus, in eorum terram vinctus abiit: ſed rogo, inquiebat, coge pro eo Deum: potes enim. Quod cum Sancto eſſet nuntiatum per miniſtrantem ſibi, fratrem noſtrum Philippum, haud modice contriſtatus eſt; adeo ut totam pene diem illam jejunus tranſegerit.

prædicit mox liberandum.

46 Veſpere autem facto, candelam, quam habebat ad illuminationem carceris ſui, dedit miniſtro immergendam marinis fluctibus. Fecit diligenter quod juſſus erat Philippus, & mox candelam Sancto reddidit: qui illam accendens vigilavit, Deum pro Zacharia orans, uſque dum ab omnium creatore Deo certitudinem liberationis ejus obtinuit. Hora deinde nocturnæ Pſalmo-

diæ inſtante, vocavit ſibi miniſtrantem Fratrem: qua expleta, cum eum videret miniſter vultu explicato & hilari, interrogavit, cupiens cauſam diſcere. Qui reſpondit: Ne contriſteris, Philippe: quia amicum noſtrum Zachariam oculis tuis hic videbis. Quod & factum eſt. Nam gens illa poſt paucos dies pacem cum Imperatore ſanxit; & facta captivorum *a* permutatione, egreſſus eſt Zacharias cum reliquis captivis, Deo & Sancto agens gratias. Tres quoque germani fratres, cum propria navi veherentur per mare, eſſentque ſubmergendi, ſubita tempeſtate deprehenſi, ſalvati ſunt per invocationem S. Nicetæ: & gratias egerunt Deo, tantam Sancto ſuo poteſtatem danti.

AUCTORE THEOSTERICTO EX MS. GR.

a invocatus liberat periclitantes in mari.

47 Ita perſeveravit ibidem Sanctus, toto ſexennio anguſtiatus, afflictus, derelictus uſque ad exitum rebellis Deo Leonis: efferus enim iſte dignam amentia ſua ultionem recepit, diriſſimam mortem. Siquidem aliqui ex ordinibus militaribus res novas molientes, & velut ab Angelo ducti, prohibente nemine ingreſſi ſunt palatium: atque intra oratorium (viſum quippe ei fuerat ad altare confugere) ipſum gladiis percuſſerunt; ibique interfectus eſt, impietatis ſuæ ad extremum tenax.

Caſo Leone

b

E

48 Tenebatur autem tunc captivus Michael, vinctus catenis duabus; quem continuo ſolventes iidem illi, à quibus beſtia fuerat interempta, conſtituerunt Imperatorem. Hic vero virtutem inter & vitium medius, fidem quidem non reſtituit, Patres tamen noſtros omnes revocavit ab exilio, & in carceribus poſitos liberavit, ceſſavitque gravis illa Eccleſiæ perſecutio. Egreſſus autem etiam eſt beatus Pater noſter Nicetas ex ea qua tenebatur cuſtodia, velut ex fovea *c* quadam illuſtris Confeſſor, & citra ſanguinem Martyr, victoriæ inſignia manifeſta præferens. Abiit vero ad vicinas urbi inſulas, quietem ſectans, reſeditque in una earum, Angelicam ibi vitam vivens, omnium ad ſalutem dux factus, omnium columen, omnium medicus, quoad corpus & animam: pauperibus vero ſubminiſtrabat quæ eis neceſſaria noverat, non tantum fidelibus, ſed etiam erga infideles liberalis. Poſt hæc comparavit ſibi Sanctus prædiolum quoddam ex adverſo civitatis verſus Boream, & ibidem peregit reliquum vitæ ſpatium, quod fuit breviſſimum.

redeuns exules:

c

Nicetas quietus iuxta C. P. vivit:

49 Cum vero adeſſet ei tempus diſſolutionis ſuæ exituſque ad Chriſtum; ingruente vehementius morbo, & vires reliquas conſumente, circa horam ſextam, *d* Dominica die illuceſcente, extendit ſanctos ſuos pedes, quibus in confeſſione fidei pulchre cucurrerat; & comitantibus Angelis emigravit, die tertia menſis Xanthici. Ut vero audita eſt ſancta ejus dormitio, con-
& poſt celebres exequias venit multitudo maxima, tam ex urbe quam ex circumjectis locis, virorum ac feminarum, monachorum & virginum, interceſſorem eum apud Deum habere optantes. Venerunt etiam Archiepiſcopi, Sanctiſſimus Theophilus Epheſi, & S. Joſeph *e* Theſſalonicæ: conſuetaſque eidem exequias celebrantes, compoſuerunt eum in ſarcophagum. Diſcipuli autem illius genuini, eumdem navi imponentes, direxerunt illam ad ſanctum monaſterium, quod ſuis laboribus in optimum ſtatum adduxerat. Nos autem expectabamus in littore cum ſanctiſſimo *f* Paulo Epiſcopo Pluſiadis: ſtatimque ut navis appu[illegible], ex ea tulimus ſanctas Reliquias; deinde eas multis cum lacrymis adoravimus, levataſque in humeros cum hymnis & canticis tulit utriuſque *g* cœnobii Fraternitas uſque in monaſterium. Plurima vero miracula Deus

ibique moritur 3 Aprilis

d

e

f

refertur in monaſterium Medicis

g

AUCTORE THEOSTERICTO EX MSS.

Deus per ipſum in via fecit: ſiquidem effugati ſunt dæmones à variis poſſeſſis; infirmi à diverſis languoribus curati; in quibus & mulier, ſanguinis fluxum patiens atque cum fide accedens, ſolo ſancti corporis tactu medelam accepit.

& miraculis claret.

50 Exequiis igitur ex more perſolutis, repoſuimus ipſum in monumento communis Patris noſtri Nicephori, quod ipſe ſibi adhuc vivens fecerat, ex læva parte *h* Narthecis, ubi per gratiam Chriſti uſque in hodiernum diem ſanitates & miracula patrantur: quotquot enim ægri ad ſanctam illam tumbam accedunt, domum redeunt ſani, quacumque teneantur infirmitate. Hæc eſt vita, hæc converſatio cælum habitantis venerandique Patris noſtri Nicetæ: qui ſicut Deum dilexit plurimum, ita & ab eo digne amatus, ut glorificavit eum, ſic & glorificatus ab eo eſt: nam glorificantes glorificabo dicit Dominus: ipſi autem decet gloria, Patri ſcilicet, & Filio, & Spiritui ſancto, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen. *i*

Vita à Studitis tranſcribitur.

51 Finitus eſt præſens liber menſis Martii die XXI, Indictione prima, anno mundi ſexies milleſimo quadringenteſimo vigeſimo quarto *k*: ſcriptus per manus Ioannis, humilis & minimi monachi, ſub Anatolio ſanctiſſimo ſtuditarum Hegumeno.

ANNOTATA.

a *Græce*, ἀνλικαλλαγῆς γενομένης: *quod non recte vertitur*, reconciliatione facta.

b *Occiſus eſt Leo ipſo natali Domini die anno* 820, *eique ſucceſſit Michael Balbus.*

c *Ex* σκαλύμαλος, *forte legendum* σκαλεύμαλος. *Sirletus vertit* ex ſtadio, *an quia putavit legendum* ἐκ σκάμμαλος?

d *Ergo intelligenda eſt hora ſexta ſive ultima noctis, quod fuit anno* 824.

e S. Ioſephus Epiſc. Theſſalonicenſis *colitur* 15 *Iulij, egregius etiam ipſe cum Epiſcopis reliquis contra Leonem Armenum Confeſſor.*

f Pauli Epiſcopi Pluſiados *Acta & exilium dedimus* 8 *Martij, die ejus natali.*

g *Scilicet tam Medicii quam Symbolorum: hæc enim inter ſe fuiſſe ſi non loci vicinia, certe inſtituti ſimilitudine conjuncta perſuadet Anaſtaſii prælaudatæ aſſumptio ex hoc, ad illud gubernandum cum titulo Oeconomi.*

h Suggeſtum *vertit Sirletus: ſcripſit de* Narthece *libellum integrum eruditiſſimus Leo Allatius, ex quo conſtat eâ voce ſignificari partem templi anteriorem (veſtibulum puta vel propylaum) in quo fas eſt etiam catechumenis & excommunicatis ſubſiſtere, velut pœnitentibus: & quia in hos quia ferula caſtigatrice utitur Eccleſia, videtur ipſi loco nomen ab ea inditum eſſe. In Germania ante omnes majores eccleſias videre eſt atrium, quod ibi nomine auſpicatiori* Paradiſus *dicitur.*

i *Quæ ſequuntur vel abfuerunt ab eo Codice, quo uſus eſt Sirletus, vel ab hoc omiſſa ſunt, velut ad rem non facientia, utpote non auctoris ſed tranſcriptoris verba: quæ nos omittenda non putavimus, cum de antiquitatis autographi codicis tam manifeſtam fidem faciant.*

k *Scriptor monachus utitur Æra eccleſiaſtica, id eſt, Alexandrina: quam in Exegeſi* 1 *prævia ad* 3 *Tomum Martij num.* 11 *oſtendimus annis* 16 *diſcrepare à Romana, id eſt, Conſtantinopolitana: ut qui eſt Alexandrinis* 5983 *annus, Romanis ſit* 5999, *& uterque Æra Chriſtiana vulgaris annus* 491. *Hinc conſequens eſt annum Alexandrinæ Æræ* 6424 *hic notatum, eſſe vulgaris æræ* 932, *qui cum Indictione prima, his pariter notata, convenit.*

DE S. IOSEPHO HYMNOGRAPHO,

CONSTANTINOPOLI.

COMMENTARIVS PRÆVIVS.

D. P.

§. 1 Cultus ſacer ex Synaxariis MSS. Legationis Romanæ, & exilii tempora.

AN. DCCCLXXXIII.

C

Elogium inter ſacra recitandum,

ex MS. Græco.

Anctum Ioſephum, à ſacris hymnis ſive Canonibus conſcribendis, Menæa excuſa & plurima MSS. Synaxaria, Claromontanum, Chiffletianum, Mazarinianum, aliaque, τὸν Ὑμνογράφον; *duo autem in monaſterio Cryptæ-ferratæ conſervata,* τὸν Ποιητὴν τῶν κανόνων *appellant; eique elogium texunt, alia brevius, longius alia; vix ulla abſque mendis, librariorum oſcitantia aſperſis. Solum Synaxarium, quod primo loco hic nominavimus, Claromontanum, quia ex Claromontani noſtri Pariſiis Collegii bibliotheca commodatum, majori ex parte ſincerum eſt: quod proinde præ ceteris dignum duximus huic proluſioni inſerere, ita expeditiorem curſum habituri ad ea, quæ circa hujus Sancti ætatem moventur dubia; non aliud habentia fundamentum, quam quod audacior aliquis Vitam ab auctore pene coævo ſcriptã præſumpſerit ex ſuo ingenio interpolare unius vocis additamento; & Leonem Iconomachum legens, addere* τὸν ἐν τῇ Ἰσαυρίας, *non ſatis attendendo quod integro ſeculo Leonis Iſaurici imperium diſtet à temporibus Ignatii Photiique Patriarcharum, ſub quibus Sceuophylacis munus in Eccleſia Conſtantinopolitana geſſiſſe Ioſephum, in progreſſu Vitæ debuerat obſervaſſe. Similem prorſus errorem* 23 *Maij circa S. Michaelem Synnadarum Epiſcopum irrepiſſe in menologium Græcorum notavimus* 5. *Ian. ad Vitam S. Gregorii Acritenſis. pag.* 290. *Elogium porro S. Ioſephi præcitatum, tale eſt.*

2 S.P. N. Ioſeph Hymnographus, ex Siculorum provincia erat, parentibus Plutino atque Agatha: in depopulatione autem ſuæ patriæ cum matre fratribuſque ſervatus, in Peloponneſum abiit, indeque ſe tranſtulit Theſſalonicam; & decimum quintum agens ætatis annum, attonſus eſt in monaſterio quodam: ubi totam ſacram Scripturam tanto cum profectu decurrit, ut Presbyter meruerit ordinari, & cum Decapolita Gregorio Conſtantinopolim tranſiit. Poſtquam autem ſub Leone Armeno denuo reſuſcitata Iconomachorum hæreſis extuliſſet caput, deprecati ſunt Sanctum Gregorium Orthodoxi, ut Romam deſtinaret Ioſephum, fidelibus ibi degentibus nuntiaturum, quid accidiſſet. Navigavit igitur eo; ſed à barbarorum navigiis interceptus, abductus in Cretam captivus eſt. Una autem noctium adſtans eidem quidam, ſpeciem pontificalem præferens; Ex, Myra, inquit huc adveni; & librum ſumens, juſſit eum accipere. Accepit Ioſeph, legitque hæc verba: Accelera miſericors, & feſtina miſerator in adjutorium noſtrum: potes enim ſi vis. Quod autem tunc decantavit, opere ipſo completum vidit; quando Theophilo è vivis ſublato, ſancta Eccleſia ſacrarum imaginum recepit ornatum

F

Patria Siculus,

fit monachus & Presbyter Theſſalonicæ

è Cretenſi carcere liberatur à S. Nicolao:

A pit ornatum. Interim divinus Joſeph liberatus è carcere, Conſtantinopolim ſalvus perductus eſt.

S. Bartholomæi oratorium ſtruit.

3 Invenerat, cum adhuc eſſet in finibus Theſſalonicæ, ſancti Apoſtoli Bartholomæi Reliquiam. Hanc igitur accipiens, ſub illius nomine ædificavit ſacellum; cœpitque multa cum ſolicitudine verſare animo, quomodo feſtivitatem ejus ſacris canticis componendis ornaret; cum lacrymis atque ſingultibus ſupplicans, ut hujus deſiderii ſui compos effici mereretur. Et vero compos ejus effectus eſt. Noctu enim virum quemdam reverendum conſpicatus eſt ad latus Epiſtolæ, qui videbatur ſacra è menſa Euangelium tollere, ipſumque Joſephi imponens pectori, ſua eum benedictione impertiri. Ex tunc autem gratiam componendorum hymnorum & facultatem habuit tam expeditam, ut quidam exiſtimarent, eum melodias ſacras non proferre ex ſeipſo, ſed aliunde acceptas & memoriæ commendatas pronuntiare, & præbere poſtulantibus. Itaque Eccleſiam univerſam ſuis illuſtravit hymnis, cœpitque omnium ore celebrari, & cunctis haberi amabilis, non tantum idiotis, ſed etiam Principibus & Imperatoribus ipſis.

Canonēs ſcribit & dictat mira facilitate.

relegatur in Cherſonem

B

4 Multū quoq; orthodoxæ fidei cauſa decertans, in Cherſonem eſt relegatus ab impio Armeno, eo quem Bardam vocabant condemnante, quod illum generoſe redarguiſſet. Poſt cujus mortem è Cherſone liberatus eſt ab egregia illa Imperatrice Theodora, quæ orthodoxiam celebravit; & ſacrorum vaſorum magnæ Dei Eccleſiæ Cuſtos effectus eſt, divino Jgnatio Sedem Patriarchalem obtinente. Poſt hujus porro ex hac vita diſceſſum, Photio quoque (hic enim poſt Ignatium Patriarcha eſt declaratus) in amoribus fuit æſtimatione neque maxima. Inter hæc longum vitæ ſpatium laudabiliter implens, ſanctēque & innocenter ſuo verſatus in munere, obdormivit in Domino. Dicitur autem, quod ſancta illius anima, deducentibus ſanctis Martyribus Angeliſque, evecta in cælum ſit. Etenim homo quidam, ſervum utilem habens, cum hic ſe fuga proripuiſſet, abiit ad S. Theodoram, Phanerotem vulgo nuncupatum, rogaturus ut ſuum ſibi ſervum revelaret. Exacto autem ibidem ſpatio non modico temporis, cum nihil didiciſſet de fugitivo, recedere voluit; receſſiſſetque, niſi orto jam die detentus ſpirituali qui fiebat ſermone, obdormiſſet tantiſper. Atque ecce Martyrem videt, & hæc ad ſe dicentem audit: Ut quid mœſtus es? Poëta Joſepho hac nocte moriente, anima ejus ab omnibus nobis, quos ſuis canonibus hymniſque honoravit, deducta eſt & ante Dei conſpectum conſtituta. Nunc autem præſto ſum, oſtenſurus deinceps, quod voles. Vade ad locum illum (& locum nominavit) ibi famulum tuum, quem requiris, invenies.

mortui animā à Sanctis deductam fuiſſe

C

revelatur.

Joſephi exilium non Leoni Armeno,

5 *Hactenus Synxarium prædictum, rectè & ordine omnia, niſi quod ad auctores indicti in Cherſonem exilii pertinet, adeoque & ipſius exilii tempus. Etenim quamvis Leo Armenus, ſuæ adverſus monachos orthodoxos ſævitiæ miniſtrum facemque habuiſſe legatur Bardam quemdam, affinem ſuum; hic tamen nullam potuit partem ſibi vindicaſſe in vexando Joſepho: cum is ſub ipſum initium perſecutionis, anno* II *Leonis, ſuſcitatæ, Romam legatus ſit, & uſque ad annum* DCCCXX *manſerit captivus in Creta.* Theophilus *igitur*, impius *paſſim ab auctoribus dictus, ob iconomachiam reſuſcitatam, ſcribi hic & intelligi debuit; ſub quo Bardas, S. Theodoræ Auguſtæ frater, vir inceſtus atque nefarius, apud ſororium, monachis orthodoxis infenſiſſimum, facile potuit effectum dare, ut Joſephum, vitia ſua*

ſed Theophilo imputandū fuit.

in crepantem liberius, videret relegatum. Ita certe cenſuit is quis alterum è MSS. Synaxariis Crypta-ferratæ compilavit auctor, & conveniunt optime Vitæ Acta, quamvis nulla facta Bardæ mentione totam culpam in peſſimum illius temporis Imperatorem, *ſcilicet Theophilum conferant. In dicto vero Synaxario ſic legitur:* Invidi autem quidam cum eum calumniari eſſent, de iis quæ adverſus Bardam Cæſarem dicta fuerant, in Cherſonem relegarunt; unde poſt aliquod tempus Conſtantinopolim regreſſus, ſacrorum magnæ Dei eccleſiæ valorum cuſtos factus eſt, Ignatio Patriarcha.

AUCTORE D. P.

primus ejus adventus CP *ſub Leone, noīe Iſaurico;*

6 *Graviora aliorum Synaxariorum errata hic non attingimus, tantum dicimus in eorum nullo notari nomen Leonis Iſaurici, quod in Actis repertum ita torſit Octavium Cajetanum noſtrum, in ſuis ad ea Annotationibus; ut cum videret conſequens eſſe, quod annis ut minimum* CLXX *vixiſſet Joſephus; ingenuè faſſus ſit*, tam longinquam ætatem, inter tot rerum turbines, totque ærumnas & exercitationes aſceticæ vitæ, negotium ſibi faceſſere. *Omnia nihilominus, quæ deinceps in Vita dicuntur, ita digeſſit, ut* peſſimum, *de quo ſupra*, Imperatorem, *ſub quo in exilium ejectus eſt Joſeph*, haud dubie *notet fuiſſe* Conſtantinum Copronymum, Leonis Iſaurici filium, & imperii perinde atque impietatis ſucceſſorem; *& Orthodoxos Imperatores, ſub quibus eſt Conſtantinopolim revocatus*, Conſtantinum & Irenem *interpretetur. Vtque hæc concordet cum Menæis, occaſione Bardæ ejectum dicentibus; concludit*, rurſus ſub Michaele Balbo pulſum Joſephum, atque à S. Theodora reſtitutum videri. *Dubitat etiam*, an Leo Iſauricus, quem XIV kal. Julij mortuum Theophanes ſcribit, potius dicendus ſit in Natalitiis Domini obiiſſe; an vero poſt menſes ſex & totidem dies de ejus morte fuerit Sancto Joſepho nuntiatum. *Quæ omnia facile potuiſſet diſcernere; ſi ex indicato mortis die, ſciviſſet Leonem Armenum, Iſaurico tanto poſteriorem, intelligere; & illud, ὅτι τῆ Ἰσαυρίκος, inſertum Actis, ſuſpectum habere, propter aliorum omnium ſilentium & enormem diſtantiam temporis.*

sed Armeno, occiſo in nocte Nativitatis.

E

hic Sanctus non videtur fuiſſe Syracuſanus.

7 *Simili ratione non difficulter potuiſſet idem Cajetanus videre illius conjecturæ vanitatem, qua Syracuſas fuiſſe Joſephi patriam propterea aſſeruit, quia in Actis dicitur Joſephi patria, glorioſior reddita à Beati parentibus tam felici germine, quam à Dionyſio*, qui olim in ea ſummis in deliciis regnavit. *Eſto enim quod Regiam Syracuſis habuerit Dionyſius, toti tamen imperitavit inſulæ, de qua, non de peculiari aliqua ejus urbe loquuntur Acta. Non poteſt ſane veroſimile videri in tanto hiſtoricorum omnium ſilentio, quod Irene & Conſtantino regnantibus, potiti ſint piratæ barbari, ea tempeſtate non admodum validi, munitiſſima urbe: quam iidem, Siciliæ reliquæ dominatum adepti ſub Michaele Balbo, non potuerunt, uti nec Tauromenium, per annos* LV *ſui juris facere; uſque dum veniret annus* DCCCLXXVIII, *quando, die* XXI *Maij, victoria ipſis de eadem obtigit, & totius inſulæ poſſeſſionem confirmavit, magna cum Eccleſiæ afflictiſſimæ calamitate: quam deſcribit is qui interfuit Theodoſius Monachus, in Epiſtola ad Leonem Archidiaconum, ex MS. Græco Latine reddita & apud Rocchum Pyrrhum in notitia Eccleſiæ Syracuſanæ impreſſa. Qui idem Pyrrhus interim aſſerit & Baſiliani Ordinis monachum & Syracuſanum fuiſſe Joſephum; iſtud ex ſua, hoc ex Cajetani conjectura perſuaſus: additque illius feſtum Syracuſis celebrari* III *Aprilis, utique poſtquam Cajetanus incepit Sanctos Siculos ex Græcorum Menæis conquirere, & ſuis Inſulanis venerandos proponere: neque enim exiſtimamus cultum eum Syracuſis eſſe antiquum, aut in ulla majorum de Joſepho traditione fundatum.*

F

AUCTORE D. P.

§. 11 Vitæ ſcriptores Canoſies compoſiti, tempus mortis.

Vitæ epitome ſcripta à Theophane diſcipulo,

8 *Quod §. ſuperiori diximus de Barda, & circumſtantia quædam alia, in Synaxariis expreßius quam in vita notata (ut quod decimo quinto ætatis anno attonſus in monachum S. Ioſeph ſit, quod invaſa à Saracenis patria cum matre ac fratribus ſervatus, quod extemporaneam pene habuerit Canonum condendorum facultatem, quod locus exilii Cherſona fuerit, quod ante exilium injecta ſint Sancto vincula & verbera, quod denique glorioſa illius in cælum deductionis viſio, occaſione fugitivi requiſiti in templo S. Theodori Phanerotæ ſeu Manifeſtatoris, obtigerit probo illi viro, qui ejus ad alios meruit teſtis exiſtere) hæ, inquam, circumſtantiæ, in prolixioribus Actis præteritæ, credibile nobis faciunt, Vitæ epitomen (quam ſupra ex Claromontano dedimus, quamque alia MSS. fere ſequuntur) ipſam eſſe, quam, à diſcipulo S. Ioſephi Theophane ſcriptam,* Joannes, *Magnæ Dei Eccleſiæ* Diaconus & Orator, *præ oculis habuit, plenius ornatiuſque exponendum, additis quæ deſiderabantur multis. Hanc ſic auctam ornatamque ex parte, ex parte vero, prædictarum circumſtantiarum minutiis prætermiſſis, diſcriptam liberius, accepimus ex Codice Græco Bibliothecæ Vaticanæ, auctoris nomen quale diximus præferente: contulimuſque cum exgrapho alterius codicis, à Daniele monacho & ſacriſta in monaſterio ſancti Salvatoris Meſſanæ abſque auctoris nomine deſcripti, ex pluteo 20 num. 52.*

quam Ioannes Diaconus extendit,

B

uti hic poſt variam interpretatione editur.

9 *Ea primum, Latine reddita à P. Auguſtino Florito Societatis noſtræ, prodiit inter Vitas Sanctorum Siculorum anno 1657: aliam deinde ejuſdem Vitæ verſionem adornavit Ludovicvs Maraccius Lucenſis, è Congregatione Clericorum Matris Dei, una cum Canonibus in omnia Beatæ Virginis Mariæ feſta, & Theotociis per omnes Græcorum eccleſiaſticos libros ſparſis, & S. Ioſephi nomen ut auctoris præferentibus; quæ omnia prænominati Ludovici conjunctione ſanguinis & religionis profeßione frater, Hippolytus Maraccius, commentariis eruditis illuſtravit, vocans illa* Mariale S. S. Joſephi Hymnographi, *& publicavit Romæ anno 1661. Hanc verſionem, Græci contextus verbis preßius inhærentem, prætuleramus tum priori illi, tum alteri à quodam hujus noſtro Provinciæ Philellene elaboratæ. Sed excerpta ex Maraccii libello folia, præloque ad noſtrum morem parata, exciderunt nobis Amſtelodami, quando poſt triſtem Blavianæ Typographiæ caſum colligebamus ſarcinas Antwerpiam revehendas: neque jam, cum primum defectus animadvertitur, promptius eſt aliquid quam ex Octavio Cajetano recipere Floriti verſionem, eamque ad contextum Græcum denuo recognoſcere, mutatis hinc inde pauculis ubi id exigere res videbitur.*

C

à Ioſepho Ep. Theſſalon. compoſiti Canones,

10 *Simon wangnereckius noſter, in Prolegomenis ad Marianam Græcorum pietatem, ex duodecim tomis Menæorum & ſeptem reliquis Græcæ eccleſiæ voluminibus excerptam, num. 22,* De duobus Sanctis Joſephis, utroque Hymnographo & Confeſſore apud Græcos, *agit: quorum alter fuerit S. Theodori Studitæ Frater atque Epiſcopus Theſſalonicenſis, XIV Iulii recolendus, & habuerit in canticis ſuis pangendis hoc notabile,* quod nomen ſuum ſæpe omiſſum in titulo, per Acroſtichidem ſive primas ſtropharum litteras, circa ultimam odam ſui ultimi canonis, ſemper accuratiſſime ſignarit: *alter, annis forte quadraginta junior, hic noſter ſit, cui adſcribendos putat eos Canones, quæ nudum Ioſephi nomen appoſitum habent. Quia vero etiam Canones hujus poſterioris, de quo nunc agimus, Ioſephi, fere Acroſtichidi alicui illigantur; exiſtimat, præcitatus Wangnereckius, ad ipſos ut pote operoſius compoſitos, extendi debere extemporalem illam dictandi facilitatem, quam ſupra ex Menæis laudatam vidimus. Cur tamen tam operoſum hoc ſit, ut ab exercitato nequiverit ex tempore fieri? Certe nulli poëtico metro adſtrictos Græcorum Canones, potuiſſe non magna contentione animi ad certas litteras, in cujuſque ſtrophe principio inveniendas, adſtringi ab eo, cui liberum eſſet ſtrophas ſingulas, nullo inter ſe ordine connexas, à quacumque liberet voce ordiri, ipſi dicimus experiendo; quando talium canonum aliquos Latine reddidimus, eadem Acroſtichidum lege ſervata, idque in verſione, ad Græcorum verborum ſenſum exprimendum, obligata. An autem omnes illi Canones, quas Mariali ſuo Maraccius inſeruit, quoſque ſupra trecentos inveniri in ritualibus Græcorum libris aſſerit Cajetanus, hujus ultimi Ioſephi ſint; an aliqui relinqui priori debeant, non vacat nec operæ pretium eſt ſolicitius examinare.*

diſtinguendi ab iis quos hic compoſuit

D

extemporalis facilitates.

11 *Placet interim diſcrimen à Wangnereckio ſupra nominato deſignatum, ut ſcilicet Canones illi, qui nudum* Joſephi *nomen præferunt abſque alio titulo, Ioſephi hujus noſtri ſint: quem etiam intelligere videtur Leo Allatius in ſua de Græcorum libris diſſertatione, quando* Joſephum Melodum *nominat. Epiſcopo Theſſalonicenſi imputari poſſunt alii qui dicuntur τῷ Κύρῳ Ιωσήφ,* Domini Joſephi: *hæc enim honoris appellatio denotat gradum aliquem eminentiorem. Fatemur tamen non ita firmam eam conjecturam videri, quin varia poßint contra eam opponi, quæ ambiguum judicium faciant. Præter hos duos non videtur alius tertius Ioſephus fuiſſe, qui in titulo MS. Typici, Romæ in Bibliotheca Barberina aſſervati & à Leone Allatio pag. 11 diſſertationis præcitatæ laudati, nominetur, cum dicitur, Typicum illud continere* eccleſiaſticam conſtitutionem omnium feſtorum totius anni, ſecundum traditionem Sanctorum Patrum, videlicet S. Sabæ, & Studitæ, & maxime ſancti-Montis; nec non partem traditionis ſanctiſſimi Patris noſtri Joſephi, poſſeſſoris ſancti monaſterii, quod Divi Nicolai τῶν κασσάλων dicitur. *Etenim ſi Ioſeph ille proprium ordinavit Officium monaſterio ſuo, cujus Patronus erat D. Nicolaus; quis Paracleticon Græcorum legens (in quo ordinarium totius hebdomadæ officium octies ſecundum octo tonos variatum continetur) in eoque obſervans ſecundum Feriæ V Canonem (nam ſingulis feriis duo ſunt Canones, & feria V primus de Apoſtolis eſt) cum Cathiſmatis atque Tropariis eodem ſpectantibus eſſe de S. Nicolao: quis inquam hæc legens & obſervans, non judicabit Ioſephum iſtum τῶν κασσάλων eſſe auctorem illorum octo de S. Nicolao Canonum? Atqui etiam horum Canonum acroſtichides ſubjunctum habent nomen* Ιωσήφ *hoc modo:*

quod iſte dicatur κύρος Ιωσήφ

hic ſimpliciter Ioſeph, cujus etiam ſunt Canones de S. Nicolao

E

& monaſterium S. Nicolai τῶν κασσάλων

Ἦχος ἀ. Σοί Νικόλαε πρῶτον εἰσφέρω μέλος. Ιωσήφ.

Et ſimiliter in aliis, præterquam in Canonibus toni ſecundi & octavi, qui nihilominus ejuſdem auctoris manifeſte ſunt. Hunc igitur non eſſe à noſtro Ioſepho diſtinguendum, tum illa ſtyli ſimilitudo ſuadere poterit, tum quod noſtrum à Cretenſi captivitate liberatum D. Nicolai miraculo, poßimus prudenter opinari, ei quod Conſtantinopoli erexit monaſterio patrocinium prætuliſſe S. Nicolai, in deſerto illo loco, ad quem, haud procul poſitum à templo D. Ioannis Chryſoſtomi, ſedem & curarum ſcholam *num. 24 dicitur* tranſtuliſſe, inibique diſcipulorum diſtribuiſſe multitudinem: *in caſulis forſan extemporaneis, unde dictum ſit monaſterium* D. Nicolai Caſularum, *vocabulo, ut alia multa Conſtantinopolitana,* Ῥωμαϊκῷ; *quamvis & monaſterii à D. Nicolao dicti nuſquam Acta meminerint, & adjectum poſtea oratorium S. Andreæ Apoſtolo nuncupaverit Sanctus, propter reliquias ejus iſtic collocatas, uti dicitur num. 25.*

F

mortuus verosimiliter an. 883

12 *Quo anno Chriſtianæ æræ & ætatis ſuæ mortuus ſit hic, de quo agimus, Ioſephus, nuſquam exprimunt Acta: tantum num. 37 inquiunt, diu illum in vita duraviſſe, & propter graves in ea labores diuturnum cenſeri debere ſuſtinuiſſe martyrium. Num. autem 34 dixerant, quod Dominicæ Paßionis magna ac venerabili Paraſceve inſtante, diſcipulum ſuum, & eccleſiæ poſſeßiones in libello deſcriptas obtulerit & commendarit Photio Patriarchæ, nihil ulterius exprimens: quo facto imminentem ſibi exitum præſignaſſe declaraverit mox vehementiſſima febris, quæ eidem fecerit vivendi finem, & (quantum ex contextu colligi datur) paucorum omnino dierum fuerit. Hinc porro animum circum agen-*

tes

A *tempore Photii Patriarchæ.*

tes per octo illos annos, quos Ignatio mortuo Photius in Patriarchatu habuit, antequam anno DCCCLXXXVIII *dignitate illa privaretur; & annum requirentes, qui Paraſceven habuerit, neque poſt tertium diem Aprilis, quo mortuum credimus S. Ioſephum, neque tamdiu ante, ut inter ipſam & diem mortis longioris temporis moribus ſtatui debeat; nullus occurrit oportunior annus, quam* DCCCLXXXIII *qui Paraſceven* XXIX *Martii habuit, & quarta feria Paſchalis hebdomadæ diem* III *Aprilis. Nam, ſi anno* DCCCLXXX *mortuus eſſet Ioſephus, mortuus eſſet ipſo die Paſchæ; talem autem tamque notabilem feſtiviſſimæ diei circumſtantiam, nequaquam ſi vera fuiſſet, omiſiſſet exprimere auctor Vitæ.*

13 *Hinc porro de ætate conjectare poſſis, eum, qui Leone Armeno perſecutionem incipiente, id eſt anno Æræ vulgaris* DCCCXIV, *jam Preſbyter initiatus, Romanæ legationi judicabatur idoneus, atque adeo ut minimum tricenarius erat, haud multum abfuiſſe à centenario, quando à mortali hac vita ad immortales Superos tranſiit. Eadem ratione intelligi datur illam barbarorum incurſionem in Siciliam, quæ Ioſephum cum matre fratribuſque in Peloponneſum expulit è patria, non paucis annis priorem fuiſſe luctuoſo illo tempore, quo poſt Leonis Armeni cædem,* Michaele adverſus rebellem Thomam occupato, & omnem aliam curam huic unice poſtponente, Creta, Sicilia & inſulæ Cyclades à Romano Imperio reſciſſæ ſunt; *ut ſcribit Leo Grammaticus. Nempe barbari illi, piraticis excurſibus prædas ante id tempus contenti agere, tunc etiam firmas novo dominatui ſedes in iiſdem inſulis acquiſivere. Quod autem barbaricæ etiam naves fuiſſe dicantur, quæ vela Romam facientis curſum intercidêre & captivum in Cretam avexere Ioſephum: id ita accipimus, ut eam inſulam non jam tunc tenuerint barbari, ſed ut à Leonis Armeni miniſtris conducti ad ſcelus piratæ, profugos Conſtantinopoli ſacrarum cultores imaginum curaverint retrahere in manus iconomachorum; & Ioſephum nominatim intenderint comprehendere, quem Romam legatum navigare, non potuit omnino clam haberi: ex Actis enim manifeſte conſtat, non Saracenos, ſed Iconomachos fuiſſe, in quorum cuſtodia detentus ille apud Cretam eſt toto fere ſexennio.*

fere centenarius

Qui barbari in his Actis intelligendi?

B

VITA

Auctore Ioanne Diacono

Interp. Auguſtino Florito S. I.

Ex MS. Græco Monaſterii S. Salvatoris,

Collata cum MS. Græco Vaticano.

PROLOGUS.

C

utilis futura hujus Sancti Vita,

1 ETſi quæcumque ſanctorum virorum vita ſtudioſum virtutis animum ad imitationem provocat, atque adeo vehementer impellit; tamen ſi ad vitæ ſanctimoniam accedat etiam dicendi vis, actioque cum contemplatione jungatur; mirum, quantum perfectæ virtutis avidus ad utraque conſequenda inflammatur. Quamquam enim ei, qui ad cæleſtem beatitudinem nititur, virtus ſatis ſit ad illam parandam: tamen ſi eloquentia cum probitate morum copuletur, aliorum mores acrius arguit, ac virtutis quoddam exemplar eſt, quo ſpectent omnes, qui cæleſti gratia donati, ad illam aſpirant. Hujus generis fuiſſe Joſephum comperi, in ferendis laboribus excelſo magnoque animo virum, & in parandis virtutibus contentione incomparabili, nec vulgari verborum copia & ubertate dicendi à Spiritu ſancto donatum, ad veteres ſanctimonia illuſtres viros hymnis rite cohoneſtandos.

2 Tantum igitur virum, qui non minus eloquentia quam probitate valuit, ſilentio præterire nefas omnino eſt: maxime autem conſentaneum, rationi, ut quod ille aliis liberaliſſime præſtitit, idem à tenuitate noſtra officium accipiat. Nam ut veriſſime dictum ſit, non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris; ſtudium tamen noſtrum probeque in eum affectus animus poterit nobis ſanctum virum conciliare; ad accipiendum ſatis tenue ac ſimplex noſtræ orationis genus, quam ſuis laudibus parem minime ille quidem à rudi homine poſcit. Sicut enim utriuſque noſtrum vivendi ratio, è diametro oppoſita, plurimum variat; ita etiam in utroque dicendi facultas toto cælo diſtat atque ſejungitur. Quæ cum ita ſint, eumne inconcinne ſatis inſulſeque laudabimus, qui aliorum facta venuſte lepideque decantavit? At ille, cum eo nos munere deſtitutos videat, nihilque præter promptum animum poſſe afferre; hoc ipſum gratum ſibi acceptumque fore confidimus. Neque enim facies, cui inſignem pulchritudinem natura indidit, fucum aliaque medicamenta poſcit; immo ſordidatur potius adſcitis ex arte coloribus ac pigmentis.

EX MS GP.

quamvis à peccatore minus ornate ſcripta,

3 Sed Joſephi Vitam Theophanes quidam, ſacro Sacerdotio inauguratus, idemque monachus, litteris mandavit; ita tamen, ut multa illum fugiſſe videantur. [Ceterum *a* per hæc ipſa in quibus ille Beati viri Vitam abbreviavit, animos nobis addidit enitendi ad perfectam narrationem.] Verum quæ commendatio tanto virtutis ſplendori par umquam fuerit? quæ lingua tot res præclare geſtas enarraverit? Sane opportebat eos nunc adeſſe, quos ille in vita exornavit ſua eloquentia, ut à quo laudationis beneficium in ſe collatum ſcirent, eidem cumulatius redderent. Ceterum nos, qualeſquales ſimus, nullo modo committemus, ut tantæ res in tenebris ſepeliantur.

additis quæ Theophanes omiſerat.

a E

ANNOTATA.

a *Interpres Siculus hæc ita reddidit.* Urgebat enim atque feſtinabat labores ſudoreſque ſuos, *abſolvere ſcilicet*; nos interim, quibus breve vitæ compendium tranſdedit, ſedulo monens, ut eamdem ſedulo amplificaremus atque exornaremus: *quæ ſi ſic haberentur in Græco, ſignificarent ipſi Theophani familiarem & coævum Ioannem fuiſſe.*

CAPUT I.

S. Ioſephi genus, & in monaſtica vita virtutes egregiæ.

4 IOſephi patria Sicilia fuit, inſularum omnium feliciſſima atque præclariſſima: quam profecto non tam glorioſam reddidit Dionyſius, quam illius parentes, qui tam illuſtri fœtu immortale nomen patriæ pepererunt. His, nomen erat Plotinus & Agatha, inſignes ambo virtutis divinæque legis cultores; ſed filii ſanctimonia multo celebriores, nobilioreſque effecti; cuæ proles non niſi precationis opus, fructuſque debuit eſſe virtutis. Ille ſiquidem magna in Deum fiducia ac fide pollebat; hæc, caducis fluxiſque ſeculi bonis valedicens, uni ſe Deo manciparat, per ſummam continentiam ac temperantiam hujus vitæ fluctuoſum mare tranſmittens: ut ambo inſtar Davidicæ vitis effloreſcerent, ferrentque tempeſtivos virtutis fructus, quibus complures traherent ad ſui imitationem. Neque enim ita vitam ducebant, ut corporis libidinibus obſequentes, lege moreque vulgi, totos ſe voluptatibus traderent ac deliciis inhiarent: ſed ſolis neceſſariis iiſque quæ natura poſcit contenti, cetera quæ ſupereſſent pauperibus ultro erogabant; ne forte in

F

In Sicilia

piiſſimis parentibus natus,

Ex MSS. ſupervacaneis per luxuriem oblectamenta conſectantes, Deum ſibi infenſum haberent; qui hanc eorum eximiam erga ipſum caritatem tam præclaro pignore remuneratus eſt.

magnam puer maturitatem præſtitit,

5 Sed Joſephum tametſi parentes animi cauſa, ad ludum, quæ propria eſt puerorum occupatio, incitarent, vix tamen ille adducebatur: neque enim puerilibus ludicriſque rebus oblectabatur; ſed erat gravi indole ac maturitate quadam præditus, ſupra ætatem illam: quin lingua adhuc balbutiente, ſacra eloquia ſedulo diſcebat. Poſtquam vero jam adoleſcere inceperat, & inter adoleſcentes conſilio ac prudentia ſenex recenſeri, jã tum continentiã ac fortitudinem præſeferre, adelidendas pravas animi cupiditates, & quis eſſet æqualibus ſuis ſe oſtendere. Cum enim artibus libero dignis animum ſerio ac continẽter appuliſſet, omnes cubito, quod aiunt, regio excellere, videbatur: atq; id bono ſane jure, cum non tanti diſciplinas haſce faceret, quantum operæ ac curæ in virtute paranda poneret: quo majores in litterarum ſtudiis progreſſus faciebat. Nam ſolo pane & aqua ad veſperam contentus, ceteras epularum delicias reſpuere, hinc plurimum in diſciplinis proficere: quia animus litterarum ac precationis ſtudio intentus, mentem adeo erigit corpuſque deprimit ac debilitat, ut non facile ad voluptatum illecebras trahi ſe

& temperantiſſime vixit.

B ſinat; ſed totus feratur in Deum, ac comparandis diſciplinis ſeſe dedat. Sic ſceleris puram integramque vitam ducebat.

devaſtantibus patriam barbaris

6 Sed quoniam iis qui ingenti ſunt animo, jam inde ab ipſo vitæ, exordio, dura graviaque ſolent imminere; barbarorum multitudo Joſephi patriam aggreſſi, illam in ſuam poteſtatem redigunt. Hic vero quid non fœdi ac luctuoſi patrarunt? quid calamitatis ac miſeriarum non intulere? Adoleſcentes per ſummam crudelitatem interfici, pars bonis ſpoliari, pars captivi in alienas terras miſere abduci; alii, quos propitium Numen reſpexit, patria relicta fuga ſibi ſalutem parare, in quibus fuere parentes noſtri Joſephi, qui ſimul cum filio in Peloponneſum migrarunt, patria, facultatibus, amicis, neceſſariis carentes. Verum enim vero, Joſephi animus, cum ſe exulem ſciret, neutiquam patriam hic nactum ſe ſuam exiſtimavit, neque eum eſſe conſedendi locum; ſed per veram peregrinationem, ſupernam ſibi patriam eſſe inquirendam, & accuratiore vivendi inſtituto Deum reperiendum. Itaque nondum pubeſcens, illinc *a* Theſſalonicam Macedoniæ metropolim proficiſcitur; ne forte è nimio parentum amore præpeditus, per rerum omnium ſpoliationem minus libere poſſet ad dilectum ſuum evolare, ac totis pennis ad eum ſe attollere: eo namque generoſi adoleſcentis ſpectabant conſilia omnia. Atque hæc à parentibus ſejunctio, quis rei exitus eſſet futurus, oſtendit.

cum parentibus fugit in Peloponneſum,

a inde Theſſalonicam abit

C

ibique monachus factus

7 Ut primum enim Theſſalonicam tenuit, è veſtigio cuidam viro, continentia ac ſanctitate claro, ſe tradit, qui propter eximiam virtutem erat præfectus, fratribus regẽdis qui in monaſterio magni Dei ac Servatoris noſtri ſe exercebant, cui monaſterio Latomi nomen, miraculum, quod ibi patratum eſt, fecit. Ibi monaſticum habitũ indutus, cum attonſa coma, fluxa omnia ac interitui obnoxia, quæ ſub luna ſunt, abjecit. Hic quod ille facinus, cum virtute conjunctum, non geſſit? quo ſe ſpiritualis paleſtræ genere non exercuit? Prorſus ut omnibus, qui illum intuerentur atque imitari vellent, omnis induſtriæ accurateque diligentiæ eſſet exemplum. Quin novam jejunii rationem excogitavit, quo ab aliis diſcrepare minus videretur, magiſque ſtudia ſua occultaret. Vigiliis adeo deditus, ut ſupra fidem ſit eorum, qui laxius vitæ genus voluptatibuſque confertum conſectantur.

D

ſilentium religioſe ſervat,

8 Mira taciturnitas, non ut alienas res animo inquireret; ſed ne ullus eſſet, qui ejus ſtudia ſermonibus interpellaret. Vox adeo ſubmiſſa, vix ut à curioſis, alioqui intentis, poſſet excipi: quæ prima ſunt veræ philoſophiæ elementa, atque adeo ejuſdem perfectio. Nam ſi ſapientiæ initium eſſe timorem Dei didicimus, ac timor Dei ad divinis legibus parendum inducit, in quibus non illa minima eſt, qua oſtium ori imponere jubemur, ut neque mens in abſurdas cogitationes diſtrahatur, nec per inutiles abſonoſque ſermones interturbetur animi quies; ſequitur, teſte Davide, ut cuſtodia viarum Dei ducat ac ſequatur linguæ continentiam. Ex eo fonte alia virtutum decora in illum derivarunt. Quis vero tam rudis eſt, qui non admiretur atque obſtupeſcat, ejuſque invictam in ferendis laboribus conſtantiam non efferat in cælum? Humus ejus cubile, quando naturæ neceſſitati eſſet indulgendum, lapidemque pro molli cervicali adhibebat. Somnus perpetuo minimus, cœnæ frugalitatem ſequens, in quo ſacrorum myſteriorum explanationes ſanctæ illius menti ſæpenumero inſcribebantur.

ſomnum hũmicapit;

excellit dono lachrymarum,

9 Erit qui merito ſuſpiciat lacrymas, ex Joſephi oculis inſtar torrentis fluentes, ac geniculationes omnium opinione majores; prorſus ut genua quaſi lapis obduruerint è mutuis cum Deo colloquiis, atque uſu nocte pedibus inſiſtendi ac flectendi; tum oculorum cavitatem, palpebrarumque extenuationem, è continuis lacrymarum imbribus. Alius prædicet ſummam in ſancto viro animi ſubmiſſionem, cum vel homines abjectiſſimos capite ad terram uſque inclinato ſalutaret: præterea ſtabilem ac firmam caritatis vim, qua omnes ſine ullo prorſus diſcrimine complectebatur. Quidam vero admirentur continentiam animumque ab omni euagatione immunem: cum enim mentis legi membrorum legem repugnantem ex Apoſtolo videret, totus per Dei legem ſe attollebat, plane ut nullam in ſe ſubrepere turpem cogitationem pateretur, quæ eſt (ut ex D. Joanne; inſigni veritatis propugnatore, conſtat) umbilico ventris inſidens ſerpens, turbulentoſque motus illis excitans, qui ad ſenſuum oblectamenta trahuntur. Rurſus nonnulli aſſiduum intentumque pſallendi ſtudium ac laborem extollant, ac prope divinum vocent tam generoſum athletam.

E

humilitatem

continentia

Rom. 7, 23

comparandus Joſepho,

10 Pars imitatricem vim in eo verbis amplificet, cum velut operoſa apis prata ſacrarum litterarum pervolitans, ac ſelectiſſima florum ſincere excerpens, omne virtutis genus ſibi compararet. Continentiæ quidem ac puritatis exemplar, caſtiſſimum Joſephum, ante oculos ponebat; cujus vim in pravis libidinibus coercendis æmulans, admirabatur maxime: neque enim erat ei cum ſola Ægyptia bellum; ſed cum peccato etiam, ut D. Paulus ait, uſque ad ſanguinem conflictabatur: non modo pallium abjiciens, uti è manibus libidinoſæ mulieris, ad nefarios auſus trahentis, elaberetur; ſed carnem per temperantiam macerans, ut letalia ejus vulnera evitaret, quæ nos per externa hæc ſenſuſque moventia in fraudem inducere conſuevit. Jacobi vero imitabatur candidam, minimeque fucatam mentem, nam ſicut is paternam benedictionem matre ſuadente furatus perhibetur, neque Eſaum, quem vel ab ipſo matris utero oderat, conſectatus: ita noſter ſupplantator, per cariſſimam ſuique amantiſſimam Dei Eccleſiam, primogenita benedictionis accepit; nempe ut Deo viciſſim benediceret cantilenis ſuaviſſimis, quas ipſe in honorem primogenitorum, qui in cæleſtium numerum ſunt relati, pie concinneque decantavit; ſupplantans cacodæmonem, & ab eo quam longiſſime fugiens, quo mente in ſe collecta minime eque ad externa diſperſa Deum aptius laudaret, ac

F

Heb. 12, 4

Jacobo,

cum

A *Abrahamo.* cum eo arctius conjungeretur. Abrahami autem migrationem, animumque ad Deo parendum paratum atque intentum imitabatur: non sane ex Chaldæa in Palestinam proficiscens, sed parentum amorem divino postponens; nihilque pensi habens fluxa hæc caducaque, abjectam vivendi rationem sibi ducendam existimavit.

omnium decora imitatus, 11 Quid vero attinet singulos recensere, ac cum illo per mysticam interpretationem conferre? Profecto vix quidquam est in sacris libris laude dignum, que ille non gesserit; nemo in antiquis historiis celebris, quem ille non est imitatus. Sed ut rem in pauca conferam, vita tota hujus sanctissimi Patris, vere catena virtutum omnium commode potest appellari, ac forma quædam, quam neutiquam possent, etiam qui omni ope ad perfectam morum sanctimoniam contendunt, in se effingere atque exprimere: exprimere autem? sed ne partem quidem de Josephi virtutibus æmulari. Proinde à monasterii Præfecto reprehendebatur tam dura asperaque victandi ratio: neque enim jejunium esse interfectorem corporis, sed pravarum animi libidinum, pro ea quæ inter utrumque est conjunctione ac propinquitate. Tum is qui nihil præterquam parere didicisset, neque obsistere ulla ratione illis qui se per submissionis
B modestiæque viam ductarent; quæ jubebatur libenter faciebat, ac quæ sibi apponerentur comedebat; omnia in Dei honorem & gloriam referens atq; con-
Abbatis de eo prophetia. vertens. Quod cum vidisset senior, videretque hominem homine multo esse præstantiorem; cœpit illum ad virtutis honestique studium acrius impellere atque incitare; plane ut aliquando cum abesset sanctus adolescens, Fratribus omnibus coactis, spiritu prophetico dixerit; Enimvero hic adolescens, Christi verus est discipulus, ejusque præceptis longe obsequentior: est sancti Spiritus sedes ac domicilium, qui per ejus os cantiones eloquetur, quarum sonus per universum terrarum orbem diffundetur.

aliis omnibus bono exemplo præluxit. 12 Erat Josephus plane virtutum omnium receptaculum, ex quibus veluti quemdam *b* spiritualem librum coaptaverat, ubi legere erat scripta omnia disciplinarum genera. Animus enim, simul jam inde à principio Deum optimum in se continet; quæ illius sunt accurate meditatur, totisque nervis incumbit ad divina præcepta rite servanda. Cumque munitissimum ejus præsidium sit, continentia, jejunium, vigiliæ; nullæ illum aggredi atque evertere possunt terrenæ cogitationes caducarumque rerum imagines. Quæ cum ita essent, portenti simile quid videbatur Josephus, qui veluti quoddam elegantissi-
C mum simulacrum, omnium oculos in se convertebat, adeoque illos rapiebat, ut nihil extra unum Josephum mirarentur. Etenim cum loqueretur, ex ejus ore melle dulcior fluebat oratio; vel cum alios saluberrimis monitis ad pietatem informaret, vix erat qui libros amplius sibi consulendos duceret. Quid enim in homine erat, quod non esset suavitatis ac leporis plenum? Si abditissima sacrarum litterarum arcana essent eruenda atque exponenda, hoc tanta numerorum suavitate præstabat, ut fabulosas Sirenes facile obscuraret: si de moribus dicendum esset ad populum, cum oratione simul ejus turbulentos animi motus componebat: demum in illius ore gratiæ videbantur insidere; tantaque in præceptis tradendis ubertas ac copia, ut fontes fluviique prius arescere, quam illa deficere posse videretur.

ANNOTATA.

a *In menologio Basilii Imp. legitur* Thessalia: *fuit hæc certe transeunda ex Peloponneso Thessalonicam proficiscenti: quin & ibidem aliquamdiu versatum dicitur infra n.* 25: *nisi istic quoque* Thessalonicam *legi debere existimes.*

b *Græce* βίβλιον τὸ νοερὸν τῆς ψυχῆς. *Maraccius, de libro materialibus litteris conscripto hæc intelligens. verterat:* quibus etiam librum animæ corroborativum composuit: *Sed versionem Floriti approbant quæ hic præcedunt atque requiruntur.* AUCTORE IOANNE DIACONO. EX MS. GR.

CAPUT II.

Cum S. Gregorio Decapolita profectus Ioseph Constantinopolim, indeque Romam missus, captivus abducitur in Cretam.

Presbyter ordinatus, 13 EA igitur cum esset vitæ ejus sanctimonia, ac tot tantisque donis eluceseeret, haud quaquam ad Sacerdotis culmen aspirare, aut tantam Spiritus sancti dignitatem Deoque satis propinquam ambire, ullo pacto per ætatem se posse existimabat: sed vi coactus ac nolens, & cum ab universo Fratrum cœtu impulsus, tum à Civitatis Episcopo *a* etiam atque etiam rogatus, sacro Presbyteratu initiatur. Tum ea fuit Josepho vitæ ratio, tam perfecta omnibusque absoluta numeris, ut ne intendi quidem, ne dicam remitti posse videretur. Perpetuo prælium cum carne gerebatur, ut Cælestium choro tandem aliquando fortis athleta intermisceretur. Tum videre erat perennes lachrymarum rivos, flumi-
E num lapsus imitantes; genuaque integris noctibus inflexa, pene iam lapideseentia: sed & pectus è crebris lapidis tunsionibus occalluerat. Porro tam duriter carnem afflictabat suam, ut undequaque dissoluta membra diceres, ut qui uni se Deo totum dedisset; illud unum expeteret, cuperetque cum Paulo, dissolvi vinculis nostræ mortalitatis; seque cum eo, quem unice ardenterque diligeret, conjungere.

b 14 *b* Deo igitur ipsum remunerante iis etiam quæ hinc obtingere possunt bonis (bonum autem, imo bonorum optimum est invenire eodem contendentem, cursumque virtutis ipsi jungere propositi similitudine) Thessalonicam advenit, quod ei congruum erat, ille vita magnus & miraculis celebris, Decapolitarum gloria, seu potius civitatum omnium ornamentum, divinus, Gregorius. Hic cum ad monasterium venit, ubi miles egregius Joseph adversus spirituales hostes strenue juxta ac præclare dimicabat; cognovitque mores, studia, animæque statum, ex ea quæ in vultu gratia eminebat (adeo præ-
amicitiæ jungitur. coces sunt sanctorum virorum animi ad venanda eorum studia, quos ejusdem propositi in virtute sectando cognoscunt) continuo capitur, tamque arcte illi corpore animoque est adjunctus, ut ab homine divelli ac sejungi minime posset: pares enim
F cum paribus suapte ingenio congregantur.

& eum comitatus 15 Sed tametsi negotiis urgeretur divinus Gregorius, ac proinde Thessalonica cedere ei necesse *C. P.* esset; tamen profectionem differebat, impeditus, ut sic loquar, sancto in Josephum amore ac benevolentia. Quare cum ad magnam urbem illi gravibus de causis proficiscendum esset, neque ferret æquo animo carissimi sodalis dissidium, monasterii Præfectum adit; apud quem omnibus utens verborum lenociniis, omnemque lapidem movens, Josephum sibi itineris comitem exorat: nam etiam ille didicerat Gregorio obsequi propter eminentem ejus virtutem. Porro mox atque Constantinopolim appulsi sunt, in templum Sergii & Bacchi fortissimorum Christi Martyrum divertunt. Tum vidisses Jose-
ibidem sub ejus disciplina vivit. phum, perinde atque paulo ante virtutibus initiatum, Gregorii jussa sedulo facessere, seque omni exercitationis genere probare, veluti qui nunc primũ inciperet jam enim quæ olim præclare gesserat pro nihilo æstimabat, ad ea quæ ante sunt se extendens.

AUCTORE IOANNE DIACONO. EX MS. GR.

dens. Quin anteacta omnia illi aperiebat, ac veluti puer ad certamina se accingens, in corpore traducebat vitam molis corporeæ expertium; ac voluptatibus sensuumque illecebris omnibus post habitis, uni se Deo tradebat, ejusque suavissimis amplexibus fruebatur: sub divo autem humique cubabat si quando illi somnus esset capiendus, ut Gregorium imitaretur, quem ea uti vitæ duritie videbat: eum enim virtutis exemplar ac formam sibi proposuerat, quam omnino imitaretur & in se effingeret, quotidie ascensiones in corde disponens.

Leone Imp. iconomachiâ renovante, *d*

16 Sed quæ sunt Dei judicia, non multo post Leo *d*, bellua immanissima, Imperii clavum tenens, omnem Ecclesiam turbat; sanctissimis imaginibus, antiquo odio permotus, bellum omnium crudelissimum inferens. Tum, quibus Christi vera religio, quam Cæsaris gratia fuit antiquior, toto orbe dispersi ac fusi vagabantur: ac nonnulli in Bosphorum, pars in *e* Siciliam migrarunt: alii in summa montium egredientes, efferatam rabiem truculentissimæ belluæ fugiebant. Non tulit hoc generosus pugil, sacrarumque iconum cultor, religiosissimus Gregorius: sed induens thoracem fidei, tota urbe volitare, in plateis prædicare; fora, angiportus frequentare; ibique libere ac sine ullo metu veritatem docere, ac suadere ne Cæsaris dolis ullam fidem haberent, ejusque pernicios issimis nugis aures omnino obturarent. Sane veluti ros matutinus prata arentia, sic ejus sermones bonorum corda recreabant, ac spiritualem valetudinem tuebantur; adeo ut infinita prope monachorum multitudo, qui in præsentia magna in civitate versabantur, simul coacta, à magno Gregorio precibus contenderint, Romam mittat Josephum, hominem non modo in sermonibus animo impeterrito, sed in ferendis laboribus fortem constantemque; qui *f* Papæ, Romanisque omnibus nuntiet, quanto malorum turbine ea civitas vexetur; simul aliquid opis afferant Dei Ecclesiæ graviter laboranti: Iam enim vides, dicebant, Pater, quæ malorum tragœdiæ hic quotidie agantur: vides quanto in discrimine versetur Christi ouile, cum non sit qui illatam nobis injuriam ulciscatur.

e Gregorius orthodoxos animat:

& ab iis rogatus,

f

Iosepho suadet Romam ire:

17 Paruit libenter magnus Gregorius, cum ea de re ageretur, de qua non tam soliciti erant illi ad impetrandum, quam hic voluntarius paratusque ad dandum. Tunc accersens Iosephum: Nunc, inquit, fili, tempus illud est, quo & tuæ orationis vim, & ardentissimum Dei amorem proferas; Is vero qui jam diu parere didicerat, inflexo capite, navim sine ullo viatico conscendens, Romam ire maturabat. Sed id fortasse non erat Dei consilium, qui sæpenumero per ea quæ contraria videntur, mira plane ac præter nostram opinionem moliri consuevit. Itaque in barbarorum piratarum manus incurrunt, captisque nonnullis navigiis cum eo quo S. Josephus vehebatur, ipse captivus in Cretam abducitur, ibique gravissimis catenis vinctus in carcerem conjicitur.

C

hic capitur & in Cretâ ducitur,

ubi conceptivos ad constantiam excitat,

18 Sed mirifica erat ejus in vinculis lætitia, & blandis verbis eos consolabatur, qui eamdem fortunæ aleam subivissent. Nam, Deus bone, quid suavius, ac jucundius iis vinculis est, quibus pro Christi amore devincimur, quamquam parumper aliquid tristitiæ ac mœroris afferant? Gratiæ igitur, dicebat, Deo persolvendæ, cum Divi Pauli exemplum satis illustre habeamus, qui à vinculis, tamquam ab aureis monilibus, decus ornamentumque sumebat: mirumque in modum gaudebat, quoniam dignus habitus fuisset pro nomine Jesu contumeliam pati. Quin & Jesus Christus cum malediceretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste, quemadmodum Apostolorum Coryphæus tradit. Est quidem non nihil mœroris ac tristitiæ è doloris sensu: sed fieri non potest, ut Christi jugum quis ferre dicatur, nisi sine omni culpa, iisdem quæ Christus pressit vestigiis inhæreat, ferens quæ ille pro nobis tulit; qui cum Deus esset, ac omnia præstare posset quæ vellet, aliterque ingratorum hominum afflictam salutem reficere ac restaurare, voluit tamen virtutem labore gigni, qua jam pridem occlusa cæli janua referaretur; nec nobis aditum ad salutem aliter quam per viam ærumnis laboribusque confertam ostendit. Quæ cum ita sint, quid causæ est, quin nos salutem nostram in discrimen offeramus pro cultu sacrarum imaginum Christi Servatoris nostri, ejusque castissimæ purissimæque Genitricis? ita enim nefariis Cæsaris conatibus adversantes atque obsistentes, divinam nobis gratiam conciliabimus, ut sacra docent eloquia, opportunumque subsidium. Hic & aliis id genus sermonibus afflictos eorum animos, qui pro Christo in carcere claudebantur, excitabat ac demulcebat. Atque ego fortasse crediderim id causæ fuisse, quod cum alio mutteretur, mira Dei providentia in Cretam eum ablegarit, ut & insulæ & continens viri sanctimoniam agnoscerent, ejusque eruditionem non vulgarem.

D

Episcopum carceris tædio vacillantem corroborat

20 Eo loci accidit, ut cum nescio quis Episcopus, in carcerem conjectus, more hominum variis cogitationum fluctibus jactaretur, ac pene in periculo versaretur, cedendi hæreticis sacrarum imaginum euersoribus; hunc invisit vir sanctissimus, confirmat verbis, corroborat exemplis, eoque hominem adducit, ut pro Christo ejusque imagine mortem oppetere non dubitet. Neque enim is, qui ejus infirmas debilesque vires satis prænoverat, sivit tentari hominem supra id quod posset; sed præsentem illi opem attulit, misso Josepho, veluti anchora nautæ in magna fluctuantium cogitationum tempestate jactato. Nec dissimilem se gessit vir insignis caritatis erga hominem vulgarem tenuisque conditionis. Is cum minime posset ferre animi ægritudinem ac mœrorem, quem creabat tormentorum vis; statuerat jam ineffabile redemptionis nostræ mysterium, per summum conptemptum, negare; ac Christi Dei pariter & hominis imaginem magno scelere conculcare. Igitur Josephus hominem aggrediens, quid verborum prætermisit, quæ vel durissima saxa emollirent? quid lachrymarum non effudit? nunc deosculando manus, nunc collum amplectendo, ut misellum ab instituto revocaret, alliceretque ad mortem pro Christo glorioſe appetendam, quod postmodum præstitit: idque qua ratione evenerit paucis aperiam.

E

aliumque ad defectionem pronum

20 Jam nox erat, cum salubres monitiones homo in præcordia transfuderat: mane vero, cum jam lucesceret, ecce tibi ingens barborum multitudo ad carcerem it, gestans instrumenta, ad nudum distorquendum, & ad alias carnificinas exercendas. Mox hominem interrogant, num adhuc in eadem sit animi sententia, paratusque ea efficere quæ paulo ante recensuimus, ac Christi fidem abjurare. Sed is nihil perterrefactus, abjecta tunica; Ego, inquit, prompto alacrique animo mille, si fieri potest, mortes oppetam, pro Deo ac Servatore nostro. Hæc ut dixit, è vestigio se satellitum manus protrudit. Tum eorum Præfectus jubet hominem trabe suspendi, ac sagittis corpus configi. Videres oculos telis collimatos fluere, visceraque, ut loquitur David velut aquam affusa. Sed interim generosus athleta fortiter dimicabat, nec cessabat lingua, Psal. 21, 15 tametsi gravissimis laboribus, & dolorum acerbitate torqueretur, Christum prædicare. Tum barbarorum immanitas, etsi tam dire mulctatum videret, non tamen illius verba ferre poterat: itaque ingentem lapidem in hominis caput torquent, quo male

F

facit generose martyrium patiẽs,

1 Pet. 2, 19

Hebr. 4, 16

diffracto,

diffracto, fortiſſimam animam ſuo Creatori reddidit.

& aliis multu prodeſt.

21 Atque hæc quaſi obiter ab egregio Chriſti milite geſta ſunt in Creta: hanc Deo optimo rerumque ſuarum moderatori victimam conſecravit: neq; enim captivus in alieno ſolo, aut in carcere detentus, ſibi utendum ſilentio exiſtimabat; ſed libere Chriſtum ubique prædicabat, ac malis ærumniſque preſſus, Martyrum hoſtias Chriſto offerebat; & manicis, compedibuſque devinctus, ipſe multos è crudeliſſimi tyranni manibus liberabat.

ANNOTATA.

a *Anno 787 Concilii Niceni II Actioni 7 nomen adſcripſit* Theophilus Theſſalonicæ: *qui facile ad uſque hoc tempus vitam potuit prorogaſſe.*

b *MS. Siculum in hac periodo uſque ad] pluribus verbis truncatum, primo abduxit Floritum in ſenſum à ſenſu auctoris diverſiſſimum, quaſi ipſe Ioſeph Theſſalonicam ire ad Gregorium ſtatuerit; deinde tam aliena interpretatio varie torſit Cajetanum, ut tandem pro Theſſalonica legi vellet* Theſſaliam. *Verum ex Græco res clara eſt: & Theſſalonicam veniſſe Gregorium ex ipſius elogio,* XX *Novemb. dando, conſtat; & Theſſalonica cum Ioſepho iviſſe Conſtantinopolim mox dicitur, quare neceſſe habuimus noſtram huic loco verſionem ſubſtituere.*

B c *τῷ ὄντι ἐν ταῖς σοφίαις, inquit Synaxarium Claromont. ad 7 Oct.* SS. Sergii & Bacchi *elogium texens. Menæa excuſa pro horum Martyrum templo, nominãt* templum Sancti Martyris Antipæ, *qui colitur* II *Apr. Conſentit Synaxarium Claromontanum.*

d *Hic ab audaci manu adjectum erat, ἀπὸ τῆ Ἰσαυρίας: cum* Leo Armenus *eſſet intelligendus. De perſecutionis autem ab eo an.* 414 *moveri cœptæ acerbitate, vide Acta SS. Theophanis & Nicephori* 12 *&* 13 *Martii. Menologiũ Baſilii Imp. hæc omnia ad Theophili tempora refert: minus recte.*

e *Cajetanus huc trahit, quod Gregorium Decapolitam Menæa dicant Syracuſas veniſſe: non recte, quia patet hoc ibi factum dici antequam accederet Theſſalonicam, adeoque ante perſecutionis tempus. Quid quod hic expreſſe dicatur Gregorius non fugiſſe?*

f *Idem propter errorem de Leone Iſaurico, quẽ cavere Florilus neſciverat, Gregorium* III *hic intelligit: aſt Leone Armeno perſequente Eccleſiam, eidem præſidebat S. Leo* III.

CAPUT III.

Divinitus liberatur Ioſeph donum Canonum ſcribendorum accipit: revocatus ab exilio ſcenophylax creatur.

C *In nocte Natalis Dominici*

22 NUnc age, jam de ejus ad Imperii ſedem reditu dicamus. Aderat nox, qua nocte Chriſti natalem ſacroſancta Dei Eccleſia celebrare conſuevit: nec interim ille, quamquam craſſioribus compedibus premeretur, eſſetq; collo ad equuleum alligatus, Chriſto, qui carnem noſtram induit, preces tota nocte effundere ceſſabat, ac ſuos cantus uſque ad gallicinium protelare. Cum ecce tibi adeſt quidam, homine major, coma incana, ſacra veſte conſpicuus, multumque leporis ac venuſtatis cultu præſeferens: Ego, inquit, ex Myris Lyciæ profectus, ad te miſſus à præpotente Deo, mira celeritate, jam lætos ad te nuntios affero: ille enim, qui in Eccleſiam tot turbas concitavit, ſacraſque Chriſti oves diſſipare ac in diverſa agere omni ope nitebatur, regno excidens, ſupernis judiciis homo flagitioſiſſimus ac perniciolim Rom. 2, 5 ſiſſimus uſque in diem revelationis, ut Divus Paulus ait, judicandus abſceſſit: nunc vero te oportet Conſtantinopolim remigrare, uti pro gratia, à ſancto Spiritu in te collata, multos confirmes. Verum quod tibi trado libelli capitulum, tu vora. Porro videbatur brevem quamdam libri particulam dexteræ geſtare. Tum is ingenti gaudio delibutus, Quam, inquit, dulces ſunt gutturi animæ hæ ſcripturæ! Erant vero inſcripta ea verba, Accelera miſericors, feſtina miſerator, adjutorium noſtrum; quoniam volens, potens es. Hæc ſuaviter, argutequẽ canere à ſancto viro jubetur. Mox videt è collo pedibuſq; ſibi demi vincula, auditque dicentem, Eo præ, tu porro me ſequere. Sed, ô rem miram, ô præſentem opem! ô ineffabilia ac ſupra omnem captum Dei optimi maximi myſteria! à nemine proſſus viſus, aërem findere videtur, ac vento ſimilis ad magnam urbem ferri. Nimirum iis Deus alis ſuos, cum opus eſt, donat, qui puro corde ad illum ſubvolant.

AUCTORE IOANNE DIACONO. EX MS. GR. *& vincula exoluta ſibi ſiſtuit CP.*

23 Porro tanti miraculi vis ad præpotentis Dei laudes hominem excitavit, accenditque: ſed aliunde ad fletum ac ſingultus movebatur. Nam cum vix aliquibus ſui ſtudioſis ac cupientibus ſe oſtendiſſet, cognoſcit Gregorium, hominem plane divinum, commune omnium ſolatium, Eccleſiarum ſolidiſſimam gloriam, actuoſum ac ſpirans virtutum omnium ſimulacrum, infinitis prope laboribus ac periculis defunctum, ex hac a vita ad optatos Dei ſui exceſſiſſe complexus. Quare poſt fletum ac querimonias, ſacroſanctum illud tabernaculum ſuis ipſe manibus capiẽs, quod adhuc vivum animatumq; videbatur, lacrymas affatim ab oculis fundens, & pedes pacem ac bona euangelizantis abunde irrigans, has in voces prorupit: Qui feram tui orbitatem, Pater? quomodo ſine te ſpiritum ducam? cuis mœrorem ægritudinemq; animi mei blandis allocutionibus lenire ac demere queat? cuinam curarum mearum æſtus atq; euripos oſtendam, qui, veluti Chriſtus Dominus olim præſtitit, dicat, fiatque tranquillitas magna? Quin me ad Dominum premittebas, Pater beatiſſime, ut inter tuas manus animam efflans, tuis precationibus adjutus manus inquinatiſſimas rapaciſſimorum prædonum, viam in aerio tractu obſidentium, tuto effugerem? Quoniam vero, ô generoſe, tibi collibitum eſt præire, oro te atque obſecro, confirma infirmitatem imbecillitatemque animi mei, & quibus nunc pollens potenſque es apud Deum interceſſionibus, noctu atque interdiu, me meaq; omnia ad unius Dei voluntatem dirige; uti ſub potenti illius manu humiliatus, tuis ſuffultus precibus, quas in conſpectu ſanctiſſimæ Trinitatis, ingenti ſplendore ac gloria coruſcans, effundis, hujus vitæ procelloſum mare incolumis navigem, & in tutum advectus portum, ſine ullo diſſidii metu, te perpetuo videam fruarque.

ubi Gregorium mortuum invenit & luget.

24 Hæc precatus à loco minime deceſſit, ubi divinus Gregorius philoſophicæ palæſtræ operam navaverat, utpote qui optaret in laboribus commilitonẽ habere Joannem, magni Gregorii æmulum atque ſectatorem, in cujus conſuetudine diu ætatem exegerat, ultro citroque editis virtutum documentis: quia in Joanne Gregorium ſibi videre videbatur; nam & in eo homine magna inerat dicendi vis. Poſtquam vero jejuniis vigiliiſque confectus Joannes ad Deum migravit, eam ſedem relinquendam ſibi eſſe Joſephus exiſtimavit, petendumque templum magno Joanni, quem ab aurea eloquentia Chryſoſtomum nominant; dicatum; ſacroſanctum Gregorii ejuſque aſſeclæ Joannis corpus, tamquam opulentiſſimum theſaurum transferens. Atque inibi tam ingentes fiebant hominum concurſus, ut illius oratione, quæ melle dulcior ex ore fluebat, aures animumque paſcerent, plane ut à loci anguſtiis excluderentur. Itaque licet locus undique vaſtus, deſertuſque eſſet, ibidem tamen monaſterium excitatum eſt, magna diſcipulorum frequentia celeberrimum; in quo, velut in tutiſſimo aſylo, ſacras D. Gregorii ejuſque ſocii Joannis reliquias collocavit.

F *& utriuſque corpus huc atque illuc transfert.*

25 Porro in Theſſaliæ finibus jam pridẽ verſans, à

adharet ejus diſcipulo Ioanni,

Ex Nicolao diſcit tyranni mortem,

AUCTORE IOANNE DIACONO. EX MS.GR. *Bartholom. Ap. oratorium ſtruit,* b

divino quodam homine, ſcientiaque incomparabili, ſacratiſſimis magni Apoſtoli Bartholomæi reliquiis forte donatur. Igitur huic templum ædificare conſtituit, multa miracula quotidie patranti; quem per quietem ſæpenumero vidit cæleſtia ſibi myſteria aperientem, ac ſacræ paginæ difficultates explanantem. Cum vero ingenti aliquando deſiderio æſtuaret ſanctum Apoſtolum verſibus exornandi, tamen continebat ſe, metuens ne forte minus acceptum gratumque à ſe illi eveniret; ac inſtar Moyſis quadraginta dies carnem macerans, ut divinarum cantionum tabulas acciperet; occluſiſque ſenſuum januis, ac mente ab omni evagatione in ſe collecta, ſancti Apoſtoli corpus pie reverenterque complectitur. Nec fruſtratus eſt hominem ſuus labor. Nam pridie ejus diei, quo Divi Bartholomæi memoria celebratur, videt virum linea veſte circumamictum, *c* cujuſmodi in Palæſtina vulgo utuntur, ſacras templi valvas tenentem, ac Joſephum ad ſe advocantem. Is ſacræ menſæ velamen *d* pulſans, tollit ſancti Euangelii *e* codicem, & ejus *f* pectori imponens; Benedicat, inquit, tibi præpotentis Dei manus, influant in linguam tuam cæleſtis ſapientiæ maria, fiat cor tuum ſancti Spiritus ſedes, tuique cantus univerſum terrarum orbem demulceant: ut quiſquis iis fruetur, & verborum & rerum ſuavitate captus, ſpirituales ſirenas appellare poſſit His dictis, viſum evanuit; ſed verba, in imos præcordiorum ſulcos defoſſa ac ſeminata, uberem poſtmodum ſegetem tulere.

c

d
e f *à quo pangendorum hymnorum accipit facultatem,* B

quibus & fideles mirifice iuvit,

26 Atque hæc fuit divini chariſmatis incitatio, hæc divitiarum dona, hoc incomparabile beneficium. Itaque ſimul ad ſcribendos verſus manum admovit, mirum quantum & ſoni ſuavitate aures demulceret, ac blanda ſententiarum vi animos percelleret ac commoveret. Nam quod eſt muſicæ genus, quod ibi non eluceret? quæ carminis ſuavitas, quæ in canentium ore non emicaret? Omnem etiam ſomnum ac torporem ab ſegnibus pigriſque hominibus excutiebat, cum expeterent, non aures modo, ſed mentem etiam ſuavi concentu delinire. Hinc mirifice recreabantur ii, qui in perfecta virtutis via progreſſus facere contendebant: qui vero efferatis animi perturbationibus jactabantur, omnem ægritudinem iracundiamque iis audiendis ſedabant: iis demum qui gaudio lætitiaque erant affecti, præ ingenti animi voluptate, lacrymæ eliciebantur. Quin ipſi ſcriptores, poſthabitis aliorum verſibus, ex hoc uno divini Joſephi theſauro, ingentes ſibi divitias in cantionibus ſcribendis hauriebant, ſeu, ut rectius loquar, quotidie hauriunt. Demum omnes fere gentes ac nationes, illius carmina in ſuum idioma convertentes, iis adeo delectantur, ut ſuis cantibus noctis tenebras illuſtrent, ac vigilias pulſo ſopore vel ad ſolares radios producant.

C

& Deiparæ ac Sanctos honoravit. g

27 Porro quis adeo ad fletum durus & ab omni humanitate abhorrens eſt, quin perlectis de Beatiſſima *g* Virgine Deipara jucundiſſimis ac ſuaviſſimis cantilenis, confeſtim ab æſtu lacrymarum abripiatur, animoque delinito ſentiat quoſdam ſibi ſtimulos injici ad dolorem & ad culpas deplorandas? Verum quid de carminum varietate ac multiplici illorum harmonia dicam? quid de ſuavitate ac venuſtate, quibus veluti odoratiſſimis unguentis, uſquequaque ſpirant Joſephi poemata? *h* denique ſi vitam illius Sancti, quem unoquoque die colit Eccleſia Dei, ſcire quis ſtudet, accipiat elegans Joſephi poema, & ipſius qui ſigillatim laudatur converſationem cognoſcat. Sed enim cum ibi omnium ferme Sanctorũ virorũ vitæ ac res geſtæ laudibus exornentur, certe ipſe in ſingulis immortali dignus laude deprehenditur qui id præſtare tam eleganter ac venuſte pernoverit. Tollant in cælum alii ſancti viri modeſtiam animique demiſſionem, alii ſingularem prudentiam, alii demum res ab illo præclare geſtas; tamen una omnes acclamatione ſancti Spiritus gratiam prædicent, quæ tam larga manu huic viro incomparabili eſt cælitus donata, ut de ejus carminibus dici illud queat, In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Nunc ad alia feſtinat oratio. Quot ille, ab infidelitatis caligine extractos, ad Sanctæ Trinitatis agnitionem adduxit? quot ſuis adhortationibus perſuaſit, ut ſeculo rebuſque omnibus valedicentes, monaſticum inſtitutum amplecterentur? quot mulieres ad caſtimoniam ſervandam induxit? nimirum ut lampades continenter ardentes habererent, itáque una cum ſponſo Chriſto ad nuptias ingrederentur, utcumque clamor de media nocte fieret.

D

Multos ad fidem & caſtitatem adducit.

ANNOTATA.

a *Elogium in Menæis* 20 *Novembris, brevi admodum tempore reducem Gregorium vixiſſe inſinuat.*

b *Ita etiam Synaxarium Claromontanum, ſed in margine dumtaxat, tamquam ex conſenſu aliorum Synaxariorum, his verbis,* ἐν ἄλλοις συναξαρίοις λέγεται τῦ Βαρθολομαίυ λείψανον; *in textu autem legitur* τῦ Ἀνδρέυ: *& ita etiam habet alterum Synaxiariorum MSS. in Crypta-ferrata. Verum de S. Andrea nihil compoſuiſſe Ioſeph invenitur: de Sancto autem Bartholomæo extat apud Lipomanum & Surium oratio* Joſephi τῦ ταπεινῦ καὶ ἐλαχίſυ humilis & minimi: *quem Hymnographum eſſe merito iudices: &* 25 *Auguſti ad diem tranſlationis invenitur Canon ad hanc Acroſtichidem compoſitus,*

Ὕμνοις γεραίρω τὸν καλόν μυ προσάλην.

Vbi quod προσάλην præſidem, patronum, protectorem *ſuum appelles Bartholomæum Poëta, idque in Acroſtichide; Ioſephum auctorem poſſis agnoſcere, quamvis nomen nuſquam exprimatur.*

E

c *Græce* Σινδόνιον ἐσθῆτα περικείμενον. *Maraccius explicationis cauſa* Sindonem ex Ægyptia lino; *Floritus* Sidoniam veſtem *reddidit.*

d *Gr.* Ἀράχνιον: *an quia filis diverſi à reliqua tela coloris reticulariter intexi ſolebant iſtiuſmodi altarium operimenta? Nolim certe lineam mappam intelligere, qua ad Sacrificiũ inſternitur altare: ſed velum accipio, qua idem altare & omnis altaris ſupellex, extra divini officii tempora, contegi ſolet.*

e *Gr.* πυξίδα, *quod* tabellam *ſignificat: & fortaſſis moris fuit Græcis Euangelium ſub Miſſa legendum in tabula deſcriptum ſeorſim habere, aut ſaltem Euangeliorum per Dominicas & feſta diſtributorum codicem elaboratis pretioſius tabulis obducere, indeque eum ſic nominare; quemadmodum in Eccleſia Latina videmus hodieque uſurpari. Maraccius vocem Græcam retinuit.*

F

f *Græce* ἐπὶ τίθησιν ἐπιſερνιον: *quam vocem retinens Maraccius vertit,* & ponit Epiſternium, *quaſi ſubſtantive, ut veſtis pectoralis intelligatur. Ego vero exiſtimo adjective debere ſumi, ut referatur ad ipſum codicem pectori impoſitum, eo modo quo in Eccleſia Latina Subdiaconus tenet Euangeliorum librum, cum ex eo Diaconus Euangelium cantaturus eſt: nam & hoc magis facit ad rem præſentem, & in ſacris Græcorum veſtibus nulla eſt quæ* Ἐπιſέρνιον *vocetur.*

g *Plurimas eas fuiſſe non dubitamus; & multæ forſitan adhuc latent in MSS. Siculis apud Baſilianos: Hippolytus Maraccius ex Græcorum Menæis novem integros Canones de Deipara edidit, & maximum numerum* Theotociorum, *id eſt ſtropharum de Beata, in fine cujuſque odæ canendarum, ex omnibus quos à Ioſepho compoſitos credidit Canonibus, per totius anni officium ſparſis.*

h *Longe alium hujus loci ſenſum concepit Floritus, quando ſic vertit:* Deniq; ſi Ioſephi, quem hodie colit Eccleſia Dei, vitam ſcire quis ſtudet; legat illius monumenta præclariſſima: nam in ſingulis hymnis ejus vivendi ratio luculẽter exiſtit: *quæ longius ab auctoris mente recedũt.*

CA-

A

CAPUT IV.

Extrema Ioſephi vita, & gloria poſt mortem.

28 HÆc cum ita ſe haberent, ecce rurſum in exilium pellitur, caudam peſtilentem agitante ſatana, improbumque *a* Imperatorem, qui ea tempeſtate clavum tenebat, inſtigante: non enim fieri poterat ut otioſus quieſceret is, qui bonos perinde atque triticum cribrare vehementer expetens, addictas ſibi mentes in eoſdem concitabat. Hinc atrox bellum adverſus inconcuſſam ſolidamque eccleſiæ petram movetur, ad demoliendas ſacroſanctas Chriſti Sanctorumque imagines; ad quarum tamen cultum homo fortiſſimus populum totis nervis cum adhortaretur, & orthodoxæ fidei dogmata, non domi quidem aut ſuper tecta, ſed in plateis magna cum loquendi libertate prædicaret, ab urbe ejicitur: quo in exilio multas ille calamitates ærumnaſque pertulit, imo ultro ad ſe accerſebat. Sed non multo poſt ſedata jam tempeſtate & Imperii gubernaculis ad orthodoxos Principes *b* reductis, iterum in urbem revocatus, ad reditum minime potuit induci, ut qui exilio perinde atque amœniſſimis deliciarum hortis, propter Chriſtum, frueretur. Tamen eorum precibus enixe obſecratus, quibus obſiſtere amplius nefas erat; tum illectus etiam caritate, qua in cives ſummopere flagrabat; crebris Imperatorum poſtulationibus concedendum ratus, ab exilio Byzantium revertitur.

a *Propter imagines exulat;*

b *revocatur tyranno mortuo:*

B

29 Ibi, poſthabitis aliis eccleſiaſticis honoribus, perſuaſus fuit, quantum vis ægre, cuſtodiendis eccleſiæ vaſis præeſſe vellet. Hoc autem munus non tam Principum ſuaſionibus, quam divini *c* Ignatii precibus permotus, ſuſcipiebat. Is enim cum zelo ardentiſſimo pro Chriſti honore flagraret, ac nuper ſibi creditum ſacri Pontificatus clavum ſuſcepiſſet, eximia viri ſanctitate permotus, eum in labore, ac negotiis ſocium adjutoremque habere ſtudebat, & prætextu hujus miniſterii invento, ſuorum fit votorum compos. Hujus igitur conſuetudine vehementer delectabatur, quæque ipſe ignoraret, à Joſepho diſcebat. Neque mirum cuiquam videatur, ſi aliqua ex incomprehenſis ſacræ Scripturæ arcanis illi eſſent ignota, quæ noſter Joſephus cum aſſiduitate ſtudii, tum inſigni puritate mentis & intelligeret & magna cum venuſtate explanaret: quod unum eſt ex donis, quæ D. Paulus recenſet.

creatur Sceuophylax ab Ignatio P.

c Cant. 2, 15

C

30 Verum Ignatius ſenectute, juxta ac laboribus confectus, in cælum migravit: ejus autem In locum ſufficitur Photius, qui in Senatu primas tenebat; quod vir eſſet inſigni eloquentia, eximiaque rerum cognitione præditus, tum præclaro ingenii acumine, ac ſedulitate ad res gerendas, componendaſque; *d* Hic vero ex quo Pontificatum eſt adeptus, ut cetera viri illius prætermittam, ne ipſo inductus argumento ad ejus reprehenſionem cogar deſcendere; unum dico, quod ipſe etiam magno huic Patri Joſepho ſimilem exhibuerit honorem, atque ex animo dilexerit, Dei hominem appellans, ac veluti Angelum reverens, totiuſque rei eccleſiaſticæ ſumma in impoſita, patrem patrum nominans.

Photio ejus ſucceſſori carus,

d

31 Quin Principes eccleſiaſtici muneris viros hortabatur Photius, ut Patri ſanctiſſimo omnes animi receſſus cogitationeſque aperirent; quod ii libenter præſtabant, vel ante Patriachæ adhortamenta: erat enim, ut eſt in Canticis canticorum, bona admodum natura, aptus ad vulpeculas peccatorum cohibendas, & interficiendos rationalis terræ peccatores, ut loquitur David, tum ad animas virtute corroborandas ac ſtabiliendas. Contra qui inſtar volubilis globi ad carnis illecebras præcipites procliveſque eſſent, eoſdem excitabat, & à fœda ſcelerum colluvie erigebat ad Deum continentiamque ſervandam. Porro eos, qui in ſancto otio pacataque vivendi ratione vitam ducebant, in auguſtiſſimæ Trinitatis contemplatione demerſi, adhortabatur, ne umquam divinam alam dimitterent, aut contentionem laxarent, aut ſuperbia ventoque inanis gloriolæ efferrentur; quandoquidem in eo ſtudio multos inſidiarum laqueos tendere communis hoſtis conſuevit, ac proinde propriæ exiſtimationis vento inflatos in æterni ſupplicii barathrum detrudere. Ad hæc docebat, qua ratione quies ac tranquillitas animæ poſſet comparari; tum inſita nobis à natura cognitionis ſemina, ut pro ſua cujuſque temperie in ſingulis varient & creſcant. Sed quid ego majora & meliora non refero? Vir egregius oculos intuebatur, ipſoque abtutu divinabat, ecquonam quiſque animi morbo detineretur: gloriam tamen declinabat, ne hominibus Angelus videretur; neve quemquam pudore afficeret peccantem, eaque gratia procliviorem redderet in peccatum: quia nimirum conducit plurimum, occulere crimen, idemque nonniſi pudoris opus æſtimari; nam ubi ad multorum aures pervenit patrantis ſcelus, impudens efficitur.

ab eo ad ſe directos inſtruit,

ipſa cordium ſecreta pervadens.

E

32 At vero quando quidem erat homo humilitatis noſtræ ſarcina indutus, imo vero in fictili vaſe virtutis margaritam celans, oportebat ut ad Deum ſuum evolaret, frueretur luce inacceſſibili, ſuorum laborum fructum conſecuturus ampliſſimum. Itaque ægrotat vir fortiſſimus, ac per quietem à cæleſti nuntio admonetur, inſtare ſuæ ad cælum profectionis tempus. Iam præterierant jejuniorum dies, aderatque Dominicæ paſſionis veneranda paraſceve. Eo die tabulam, ubi deſcriptæ erant omnes facultates eorum, qui ſuæ eſſent curæ concrediti, Photio tradit, nec præterea aliud addit. At Patriarchæ animus variis cogitationum fluctibus agitabatur, ſecum ipſe reputans, quid hæc ſibi vellent, quæ non multo poſt eſſet dilucide cogniturus. Nam febris, quacum ſanctus vir conflictabatur, erat ejuſmodi, ut ipſa ſine omni voce, ſatis aperte rem omnibus declararet; ea tamen ille pro argumento utebatur, ad Deo gratias perſolvendas.

Morbo correptus

rationes conficit & offert Patriarchæ

33 Benedico, dicebat, tibi Deus, quoniam ſub umbra alarum tuarum me aſſervaſti: nunc ad extremum uſque ſpiritum me cuſtodi, ac præſta ut tenebrarum principem aeriaque ſpectra inviolatus effugiam, nequando gaudeat ſuper me inimicus meus, propter ignorantias meas, & delicta vitæ meæ, tuere gregem tuum, ô Patris Verbum, tuaque ita, qua omnia condidiſti dextera, ad finem uſque ſeculi defende. Eccleſiæ filiis amantiſſimis fave: da perpetuam ſponſæ tuæ quietem ac tranquillitatem, regale ſacerdotium tuis donis illuſtra: ſuperbum Belial ſub eorum pedibus, qui fidem ac religionem tuentur, deprime: hæreſes omnes, tetras animarum peſtes, ab Eccleſiæ propelle: demum animæ meæ da placide pacateque ab hoc corpore ſejungi. Et quamquam probe pernovi, minime quidem me eſſe ex iis, qui digni habiti ſunt in quibus ſpiritus tuus habitaverit, quæ fuerunt mentis meæ ſordes, atque maculæ; tu tamen, qui immenſa bonitas es, ne reſpicias peccata mea, ſed dignum me fac ſortis filiorum tuorum. Hæc ille: tum benedicit præſentibus, abſentibus vero congrua precatur: denique ſumptis ſacroſanctis myſ-

F

factaque oratione

& ſuſceptis Sacramentis lætus moritur.

AUCTORE IOANNE DIACONO. EX MS. GR. Pſal. 100, 8

AUCTORE JOANNE DIACONO. EX MS. GR.

myſteriis, tendens ad cælum manus, veluti qui cariſſimo amico, hilari lætoque vultu obviam procedit, Deo optimo ſanctiſſimum ſpiritum edidit.

Celebrantur exequiæ

34 Hic videre erat undequaque confluentia monachorum examina, præ multitudine anguſtiis loci excluſa; atque infinitam vim illius curæ creditorum, omnes fletu ſe conficientes. Alii patrem inclamabant; pars educatorem, nonnulli animæ ſuæ rectorem, quidam in calamitatibus conſolatorem, omnes demum prædicabant eũ qui omnibus omnia factus eſſet, ut omnes lucraretur. Effertur igitur & ſub terra occultatur, longo luminum flammarumque ordine, qui æterna luce maxime dignus fuerat. Gaudebant beati illi ſpiritus deſuper, choroſque ducebant, quod civem ſuum ire ad ſe viderent: contra mœrebant mortales, quod ejus diſſidium ægre ferrent. Fremebant diaboli ob tranſitum ſacræ illius animæ, quin & aera relinquentes procul aufugiebant: quidam vero ex longo itinere inſanientes, in eam quæ ducebatur, permixto inquinatoque aere audiebantur, & frequentes querebantur, quod illius aſcenſum minime prohibuiſſent. Redditur ſacer ejus tranſitu aer, ac terra tanti corporis theſauro dicatur.

B

virtus videt Sanctorum choros

35 Sed illud minime prætereundum. Quidam Sancto familiaris, cujus non minus eloquentia mores quam mores eloquentiam exornabant, quo tempore Joſephus in cælum exceſſit, ſibi audire videbatur (jam enim longe aberat) vocem veluti quæ ad ſe advocaret. Egredere, inquit, adſta, & vide mira, divinaque myſteria. Egreſſus ille è domo, ut ſibi videbatur, cæleſtium orbium tractus cernit in partes dividi duas, Superûmque omnium acies è beatis ſedibus decedere, non permixtas atque confuſas, ſed præibant Principes Apoſtolorum ſuo comitatu, conſequebantur Martyres, deinceps Prophetæ, tum eorum exercitus qui ſancte pieque in Pontificatu vitam duxere. Hæc prodigia cernebat homo obſtupefactus, nec intelligere tamen poterat, quid portenderent aut ſignificarent. Hæc cum ita eſſent, iterum vocem audit: Vigila, inquit, atque attende; jam enim conſpicua tibi mox omnia fient quæ vides. Tum quatuor adoleſcentes alis præditos cernit, interque eos puellam facie honeſta ac

C

liberali & venuſtate incredibili. Hi choris ſanctorum virorum præcipiebant, ut acciperent animam beatiſſimam ejus, qui ipſorum recte facta & vitam imitatus eſſet, & carmine ceciniſſet. Ibi omnes illam incredibili lætitia complecti videbantur, eunte præ puriſſima Dei Genitrice.

animæ ab Angelis ſubvectæ occurrere,

36 Denuo ſtupore atque admiratione perculſus homo, ſecum ipſe quærebat, quinam eſſet is ſpiritus, quem tanto honore cæleſtium catervæ dignarentur. Hic audit Angelos, qui feliciſſimam animam in cælum deducebant, clara voce prædicantes: Hic eſt Joſephus, totius Eccleſiæ decus & ornamentum, qui Apoſtolorum Martyrumque res geſtas, & æmulatus fuit, & litteris commendavit, ſancti Spiritus gratia donatus: nunc ab iiſdem laudum honorumque vices rependuntur; nec quiſquam in ampliſſimis cæli atriis reliquus factus eſt, quin ſuarum virtutum præconi æmulatorique obviam proceſſerit: nam omnes cæleſtium virtutum ordines, magna cum veneratione illum complectebantur. Ceterum homo tenui totus ſudore perfuſus, dire cruciabatur: quod reliqua divinæ pompæ myſteria videre, ei nefas eſſet: quo pacto ſcilicet ante Sanctiſſimam Trinitatem fuerit evectus, eam pie adoraverit; dimotiſque umbris ac tenebris, dilucide viderit, cæleſtium mentium choreis admixtus. *e*

D

e

quam merito hic honor ſit Joſepho habitus?

37 Nihil vero eſt mirandum, quod tanto honore in ſuo aſcenſu dignatus fuerit: merito enim honoratus ab iis eſt, quibuſcum ſemper debebat glorificari, quia vitam eorum fuerat æmulatus. Ergo cum Apoſtolis numeratur ut Apoſtolus: cum Martyribus ut Martyr incruentus, quia una cum vita protraxit laborem, propriæ conſcientiæ teſtimonio laudatus. Cum Sanctis verſatur ut Sanctus, quia puram animam ſuam etiam à minima cogitatione conſervavit: cum futurorum præſciis, ut qui Prophetici doni expers nequaquam fuit. Hoc vero præ omnibus habet amplius (ut amplius aliquid Beato tribuam) quod ceteris omnibus ipſe velut addidit animam, poëmata encomiaſtica pangendo ſuis pulcherrimis cantibus: ideoque ab omnibus meruit cum hujuſmodi honore ad cæleſtem thalamum introduci. Dicamus tamen potius, quod cum illis fruatur ea quæ de ſanctæ Trinitatis throno procedit dignitate & claritate: cui aſſiſtens, & lucidiſſimæ pulchritudinis fruitione jucundans, noſtrûm recordatur, ipſum honorantium; diſpicitque continuo, qua ratione poſſimus hujus vitæ pelagus abſque naufragio emetiri, & ad portum tranquillum pervenire.

E

Auctoris ad Sanctum peroratio.

38 Hoc age, Dei ſerve fideliſſime; ſeda in nobis duriſſimam carnis rebellionem, & tuis apud Deum interceſſionibus effice, ut impollutam ſervemus mentem: multam enim habes impetrandi fiduciam; quia beatam animam tuam poſuiſti pro illius imagine; & quia Sanctos ejus tuis beatis lucubrationibus honoraſti, cum eiſdem obſecro, ora pro nobis, te Patronum ſemper habere cupientibus, noſtraſque illumina mentes, eas ad myſticam ſpiritus melodiam informans; ut exteriori concentui interiora conſonent, & in cordis arcano ſemper audiatur ſpiritualis ſymphonia; in hoc quidem exilii loco figurate ac typice, in futuro autem ſeculo perfecte & veraciter, in ipſo qui te honoravit & glorificavit Chriſto, per ſecula. Amen.

ANNOTATA.

F

a Theophilum *ſcilicet, ut in Prolegom. dictum.*

b *Sunt hi* Theodora *& filius ejus* Michael. *Mendum autem in Menologio Baſilii Imper. eſt, quod non niſi Theophilo mortuo, Joſephus ſcribatur ex carcere ereptus D. Nicolai ope, iterumque ejectus in exilium.*

c S. Ignatius *qui colitur 23 Octob. Methodio ſucceſſit, quarto poſt Orthodoxiam reſtitutam anno; pulſus & iterum reſtitutus uſque ad an.* 879 *ſedem tenuit Patriarchalem.*

d *Floritus minus apte ſic reddidit:* Sed ne omnia recenſeamus nunc, quoniam ipſe locus nos admonet ad ejus cohortamenta aggrediamur. *Deinde Photium* incomparabilis viri *titulo cohoneſtat τῷ μεγάλῳ encomium, Joſepho tributum, detorquens ad eum, de quo, ne verum dicere cogeretur, tacere auctor maluit.*

e *In duobus ultimis paragraphis ingenio ſuo indulgens interpres, etſi utcumque teneat verborum Græcorum ſenſum; tam longe tamen recedit ab eorumdem contextu, ut neceſſarium putaverimus, reliqua hujus epilogi noſtris verbis reddere.*

DE

A

DE S. RICHARDO EPISCOPO D. P.

CICESTRIÆ IN ANGLIA.

ANNO MCCLIII. *Saxonum Meridion. Sede Episcopali*

Llatam S. Wilfrido, Eboracensi Episcopo, ab Egfrido Nordhanhumbrorum Rege injuriam, Dei cuncta ordinantis providentia in Saxonum Meridionalium salutem convertit, horum Rege Edilwalcho ad fidem Christianam adducto: qui mox suo institutori gratus, Selseam peninsulam eidem dedit, in qua Sedis Episcopalis cum monasterio deinde statuendæ auctor Rex Cedwalla fuit. Mansit ea per quatuor fere secula, usque dum Normannis rerum potitis in Anglia visum est, ab ignobilibus vicis ad frequentiora loca transferre Provinciarum Episcopatus. Tunc, id est, *transiata Cicestriam,* *circa annum* MLXX *Stigandus, Guilielmi Conquestoris Sacellanus, Sutsexiis Præsul datus, Sedem quoque suam Cicestriam transtulit, loci opportunitate & futuræ potius amplitudinis spe, quam præsentis claritatis respectu invitatus. Obscurioris siquidem ante Normannicum imperium famæ, licet originis perquam antiquæ urbs, & solo S. Petri monasterio atque congregatione Sanctimonialium nota erat: deinceps autem facta est provinciæ caput, & Episcopos serie numquam interrupta habuit.*

B *Ep. 13 Richardus de Wicio*

2 *In his decimus tertius, tempore Henrici III, fuit Richardus de Wicio: qui postquam Sanctorum Catalogo ab Vrbano IV rite adscriptus fuit, susceperunt Ecclesiæ Anglicanæ festum ejus cum Officio novem Lectionum (nisi in tempus Passionis incidat) quotannis celebrandum, ut apparet ex Breviario secundum usum Ecclesiæ Sarum impressum anno* 1499 *Sanctis adscriptus Missa & officio eccles colitur,* *& 1557. Nuper etiam, beneficio Ioannis Baptistæ Horenbeky nostri, accepimus insigne Missale MS. ejusdem vel similis in Anglia ecclesiæ, quod Henricianæ impietatis adhuc indicia retinet, lituras videlicet ex Regis schismatici mandato nomini* Papæ *& S. Thomæ Cantuariensis inductas; in quo ad Missam* de S. Richardo Episcopo *Orationes propriæ hæ ponuntur.* 1. Deus qui Ecclesiam tuam meritis B. Richardi Confessoris tui atque Pontificis fecisti miraculis coruscare glorioſis: concede nos famulos tuos, ipsius intercessione, ad æternæ beatitudinis gloriam pervenire. II Concede quæsumus, misericors Deus, ut intercedente B. Richardo, Confessore tuo atque Pontifice, oculis tuæ majestatis munus oblatum, & gratiam nobis bene vivendi obtineat, & gloriam sempiternam acquirat. III. Hæc sacrosancta sumpta mysteria nobis effectum, Domine, conferant salutarem, quorum B. Richardus, Confessor tuus atque Pontifex, extitit devotus dispensator. *Ita ibi, quæ ad memoriam posteritatis hic servari voluimus, si suus aliquando legitimus cultus Sanctis in Anglia restituatur, benignissimo Domino tot Martyrum sanguinem, tot pientissimas fidelium suorum lacrymas respiciente.*

C 3 *Anglicanarum Ecclesiarum exemplum, secuti sunt externi Martyrologi, ex quibus eum Fastis sacris inseruere apud nos Molanus in Additionibus ad Vsuardum, & Carthusiani Colonienses in utraque editione Martyrologii, cum* titulo Episcopi & Confessoris. *Galesinius longiori eum ornavit elogio:* In Anglia S. Richardi Episcopi & Confessoris, qui Cicestriæ Episcopus factus, Episcopali sanctitate omnique pastorali virtute ita præluxit, ut meritis cumulatus, ab Urbano Pontifice in Sanctorum numero adscriptus sit. *Eadem in Germanico Martyrologio, sed paucioribus verbis, expressit Canisius; strictius Romanum,* Sanctitate & miraculorum gloria conspicuum, *laudat. In Anglicano Martyrologio ex Surio accuratum habes Actorum compendium: sed auctor de suo addere volens Canonizationis annum,* MCCLX *expressit, cum* MCCLXII *exprimi debuerit: melius in secunda editione omissus est annus. Andreas quoque Saussayus, in suo ad Gallicanum Mar-* *variis Martyrologiis adscribitur,*

tyrologium supplemento, multis eumdem laudat, ut qui Parisiis Philosophiam, Aurelii Theologiam didicerit: quæ aliaque hic prætermittimus, quia ex Actis mox proferendis distinctius apparebunt. Præter diem tertium Aprilis, S. Richardo (*ut diximus*) *sacrum, in præcitatis Anglicanarum Ecclesiarum libris, invenimus etiam Translatione ejus notatum diem* XVI *Iunij, cum officio* IX *Lectionum, totum, ut antea, de communi, sub hac propria Oratione.* Deus qui nos Translationem sanctissimi Confessoris tui atq; Pontificis Richardi solenniter celebrare concedis; tribue nobis quæsumus ejus meritis & precibus, à mundi hujus transire miseria, & ad gaudia pervenire cælestia. *Existimamus Translationem hanc non aliam fuisse quam elevationem sacri corporis à terra, atque transpositionem in arcam splendidiorem; quæ Episcoporum humeris solenniter circumlata per urbem Cicestrensem fuerit, ac demum ad proprium quoddam altare relata: quemadmodum in similibus fieri solet, tum maxime quando alicujus sancti miracula increbrescunt. Verum per quos aut quo anno res illa peracta sit, nullo hactenus indicio deprehendimus: unum videmus, Radulphum, Vitæ scriptorem, de quo postea, non fuisse prætermissurum tam celebrem actionem, nisi ea fuisset sua scriptione posterior.* *Translatio 16 Iunij celebratur.*

E

4 *Porro Acta S. Richardi primus, & primis à morte Sancti annis (prius certe quam perageretur Canonizationis negotium) scripsit Anonymus quidam; breviter quidem, sed accurate: sicque novæ Legendæ Anglicanæ inseruit ea Ioannes Capgravius unde ipsam damus potius quam ex Surio, qui stylum mutavit. Huic suspicato ipsam esse epitomen prolixiorum Actorum, quæ numquam viderat; multo justior excusatio suppetit, quam Baronio in Notis ad Martyrologium, duos de Vita S. Richardi libros, ex solo Molano sibi notos, citanti, & inconsideranter asserenti, quod eos Surius tomo 2 descripserit, cum hic expresse in titulo fateatur,* eos ad manum in præsens non habuisse. *Minus etiam ignoscendum Francisco Godwino, in Episcopis Cicestrensibus scribenti, ex iisdem libris hausisse Hæum quæ de Richardo tradidit, cum hunc secutum esse Vitam in Capgravio repertam manifeste pateat in ipso statim principio; ubi de sponsa fratri transcripta aliter quam in dictis libris agitur. Sane antiquiorem esse illam epitomen non tantum hoc suadet, quod solo Beati titulo contentus auctor, abstineat Sanctum nominare; sed etiam quod solennis adeo Canonizationis ne verbo quidem meminerit, ac ne inchoati quidem negotii. Plura in hanc rem non addo, quia utrisque Actis inter se collatis, clarissime apparebit, Capgraviana illa vestutiora esse, alia autem non luculentiora tantum, sed etiam testatiora.* *Acta breviter ante canonizationem scripta,* *à Surio,* *Hæo Bzovio, stylo mutato edita,*

F *hic dantur primigenia ex Capgravio:*

5 *Damus igitur etiam secunda, descripta circa annum* MCCLXX *à Fr. Radulpho, ex Ordine Prædicatorum, ut ipsemet asserit.* Bockingum *eum cognominat Godwinus, Surius Molani exemplo* Cycestrium *facit: neutrum nobis ex MSS. constat: sed utrumque habetur ex Ioanne Pitseo, cui inter illustres Angliæ scriptores* 383 *recensetur* Radulphus Bockingus, alumnus Comitatus Southsaxiæ, de civitate vel territorio Cicestrensi natus, Ordinis Prædicatorum S. Dominici monachus, vir pietatis & eruditionis titulis insignis: quibus nominibus S. Richardus Episcopus Cicestrensis hominem dilexit, ad se vocavit, eumque sibi ab arcanis conscientiæ vel in iis omnibus quæ ad Deum sunt moderatorem fecit. Cum igitur esset Radulphus tanto viro consiliorum omnium particeps, & ex quotidiano cum homine convictu omnem ejus vitæ rationem explorate cognovisset, eo defuncto, de rebus ejus gestis Latine idque fusissime scripsit, & Isabellæ Comitissæ Arundeliæ dedicavit eximium opus. *Hoc porro cum* *Alia dantur ex MSS.* *quæ Radulphus Confessarius Sancti composuit,*

AUCTORE D. P.

MS. Lovanii ad Martinenſes *extare*, *Molano indicante*, *cognoviſſemus*; *ejus ibi quærendi tranſcribendique curam in ſe ſumpſit P. Laurentius Papebrochius, tranſmiſitque propria manu exceptum a vetuſtiſſimo exemplari, adnotatis etiam variantibus ad marginem lectionibus, quas eiſdem membranis antiqua etiam & pene evanida ſcriptura adnotarat ex alio MS, quæ nobis uſui etiam fuere.*

& Comitiſſa Arundeliæ,

6 *Iſabella, cui opus ſuum Radulphus inſcripſit, Hugoni de Albineto Arundeliæ Comiti nupta, marito*, necdum adoleſcentiæ metas tranſgreſſo, *juvenis admodum viduata eſt anno* MCCXLIII, *nullis ex eo ſuſceptis liberis: itaque* nobilis illa hereditas, *ut loquitur Matthæus Paris*, diſperſa eſt, quatuor ſororibus diſtribuenda: *ipſa vero octavo poſt viri obitum anno, Chriſti* MCCLI fundavit unam domum de Sanctimonialibus, non procul à Len, ſumptibus propriis, videlicet de libero maritagio ſuo, quæ dicitur Marram. *Hæc fundatio ab Ordine Ciſtercienſi admiſſa eſt anno proxime ſequenti, uti dicitur pag. 929 tomi 2 in Monaſtico Anglicano, ubi charta fundationis tota profertur, ipſaque Iſabella ſe dicit filiam* Willielmi Comitis Warennię & Mathildis Comitiſſæ; *& inter teſtes ſuæ donationis, præter Epiſcopos Norwicenſem atque Ciceſtrenſem, nominat tum alios quoſdam, tum fratres ſuos uterinos Rogerium & Hugonem Bigod, atque germanum Ioannem de Warenna. Mathildis ſcilicet illius mater, Guilielmi Penbrochiæ Comitis atque Angliæ Mareſcalli filia, Hugoni Bigod Norfolciæ Comiti nupta, hoc mortuo tranſierat ad ſecundas nuptias cum dicto Wilielmo Surregiæ Comite. Ejuſdem Mathildis ex ſorore neptem atque adeo Iſabellæ conſobrinam Ioannam, filiam Guarini de monte-Caniſio, duxerat uxorem Guilielmus de Valentia, Henrici Regis III Vterinus frater: atque hoc titulo videtur à prædicto Rege* Cognata *appellari. Quomodo autem eadem* attavis Regibus *dicatur progenita, longius requirendum, lucem præferente Cambdeno in Surreiæ Comitibus, quorum primus, Guilielmus dictus, in fundatione Prioratus de Lewis, Mathildem Reginam, uxorem Guilielmi Rufi Regis Angliæ, vocat matrem uxoris ſuæ: ab hoc autem Guilielmo per proneptem, eamdemque unicam ſtirpis heredem, Hamelino nuptam, deſcendit Guilielmus Iſabellæ pater. Inſignem porro animi conſtantiam libertatemque oſtendit ea anno* MCCLII; *Regemque Henricum, quamvis in neganda juſtitiæ propoſito obſirmatum, coëgit erubeſcere ac manus dare æquitati, ut fuſe narrat Matthæus Paris.*

collecta ex depoſitionibus teſtium, C

prioribus Actis,

& Pontificia Bulla.

Sancti encomium ex Matthæo Paris coævo,

7 *Vſum ſe profitetur Radulphus Actis, in Sancti Canonizatione* recitatis confirmatiſque, *prout ea* ex deponentium teſtium dictis rudi ſtylo & incompoſito confuſe deſcripta *fuerant: ſed prioris illius Vitæ non meminit: cujus tamen partem fere dimidiam, poſteriorem ſcilicet, verbotenus operi ſuo intexuit; ſicut & bonam partem Pontificiæ Bullæ, quam nihilominus integram poſuit circa finem. Eamdem bullam idem auctor in priori vitæ parte magis habuit præ oculis, quam alteram Vitam, diſtinctius ſingula per locorum ac temporum circumſtantias explicantem. Bzovius in Continuatione Annalium Eccleſiaſticorum, hanc Bullam ſolam nactus, ſtylo mutato tranſcripſit ad annum 1246: fuſius indubie de S. Richardo tractaturus, ſi Radulphum legiſſet, & quam propenſo ad ineundum Ordinem ſuum fuerit animo, ex illo cognoviſſet. Eodem quo S. Richardus tempore, floruit Matthæus Paris, & Hiſtoriam Anglicanam ſcribendi ſimul ac vivendi finem fecit ſeptimo poſt obitum illius anno: qui ubi de morte S. Richardi agit,* Vir *fuit, inquit*, eminentis ſcientiæ & eximiæ ſanctitatis, & quandoque B. Edmundi Cantuarienſis Archiepiſcopi Clericus & conſiliarius ſpecialis: cujus veſtigia ſequi nitebatur pedetentim. Hic, non ſine B. Edmundi prægnoſtico vaticinio, in Præſulatus promotus dignitatem, Pontiniacum adiit, cum dictus Sanctus fuerat transferendus; ne tam ſpecialis amicus à tanta & tam ſecreta ſolennitate abſens extitiſſet. Hic etiam, veluti domeſticus, omnium ſuorum conſcius extitit ſecretorum, quæ inquirentibus propter ædificationem palam declaravit.

matronæ nobiliſſimæ dedicavit, B

8 Hujus igitur (*pergit, non ipſe, ut arbitror, Matthæus de ſe; ſed alius, ad marginem autographi fortaſſis, quod deinde in ipſum textum tranſiit*) hujus, *inquam*, aſſertionibus nec non & Fr. Roberti Bacun certificatus Dominus Mattheus Pariſienſis, monachus eccleſiæ S. Albani, Vitam memorati S. Edmundi (XVI *Novembris dandam*) ſcripſit: *ſic ut ejuſdem pro parte auctor haberi ipſe S. Richardus debeat: qui proprio nihilominus ſtylo & nomine, Pitſeo teſte, non unum* (*ut ſcribit in bibliotheca Geſnerus*) *ſed* libros ſeptem de eccleſiaſticis officiis *compoſuit, hoc initio*: Officium ut ex debito. *Hos libros quia ſparciſſimi oris ſcurra Ioannes Balæus, verißimas ſanctißimi viri laudes in vitium convertens, blaſphemando dixit*, ex Romanæ Synagogæ obſervantiis undique collectis conflatos, *credimus fuiſſe utiliſſimos, & ut lucem videant aliquando optamus, uti &* alia nonnulla *quæ elucubravit: ſed imprimis* epiſtolas plures ad Innocentium Papam, contra Regem Angliæ Henricum III, eccleſiaſtica bona uſurpantem, *quarum teſtes Guilhelmus Wodefordus contra Wicleffum, & Boſtonus Burienſis in ſuo catalogo, citantur à Pitſeo.*

D *qui ipſo juvante ſcribit Vitam S. Edmundi.*

Varia ipſius S. Richardi ſcripta.

Miraculum elicitii fontis E

9 *Cambdenus in Cornaviis Wigornienſem, in qua Sanctus natus, diœceſim deſcribens, & in ea oppidum ſalis fontibus nobile, quod huic alumno ſuo cognomen* de Wichio, *dedit*, ſi Richardum, *inquit*, Ciceſtrenſem Epiſcopum, hinc oriundum, ſcriberem hos fontes ſuis precibus eduxiſſe, vereor ne quibuſdam in divinam providentiam iniquior & ad aniles fabulas propenſior viderer. Eo uſque tamen provecta eſt majorum pia credulitas, ut hoc non ſolum firmiter crediderint litteriſque prodiderint, verum etiam illi divinos quodammodo honores eo nomine detulerint, cum illum ob Juris Pontificii ſcientiam & vitæ integritatem in Divorum numerum Urbanus IV retuliſſet. *Credimus quidem non omnia S. Richardi miracula, quæ fuerunt in Proceſſu probata, fuiſſe à Radulpho deſcripta: eos tamen qui illa examinarunt & in publica ſcripta retulerunt, nullo modo credimus tam impudentis calumniæ anſam dediſſe. Id enim ſi creditum fuiſſet* (*quomodo autem credi potuit, quod omnes Wicienſes incolæ accolæque, qui puteos illos ante natum Richardum viderant, & oppidum ſuum jam olim ab iis nuncupatum non ignorabant, redarguere debebant evidentia falſitatis?*) *id, inquam ſi creditum tunc fuiſſet, non ſiluiſſet Radulphus, num. 9 de hiſce puteis, nominataque ab iis Richardi patria, ex profeſſo agens. Audiverit fortaſſe legeritve, homo, ut videri vult, minime levis, ruſticus ſiccitate afflictis fontem elicuiſſe Richardum in monte, ac prædixiſſe numquam iſtic defuturam aquam, etiam cum in vallibus vicinis deficeret: id enim conſtanti incolarum traditione ferri, & crebra probari experientia nobis aliquando retulit vir noſtræ Societatis, in iis locis apprime verſatus, Williamſonus, deſignans in topographica Sutſexiæ tabula verſus fines Hamptoniæ, locum juxta* Merden orientale, *centum circiter paſſuum millibus à S. Richardi patria diſtantem: quod hic referre voluimus, ut conſtaret quam nulla vel fide vel diligentia Sanctorum memorias hæretici tractent, etiam ii qui minus acerbi & antquitatis amantiores ſunt.*

contra Cambdeni imperitiam defenſum. F

VITA

Ex Ioanne Capgravio.

CAPUT I.

Vita, ſtudia, munia S. Richardi ante ſuſceptum Epiſcopatum.

Honeſtis ortus natalibus.

SAnctæ perpetuæque memoriæ Richardus, natione Anglicus, Wigornienſis diœceſis, villa quæ à puteo ſalis ibidem Wike vel Wych appellatur,

A tur, parentibus ſecundum ſeculi ſtatum non ignobilibus, patre Richardo, matre vero Alicia nomine, extitit oriundus. Qui juvenis choreas, tripudia, & vana conſimilium ſpectaculorum genera ſic deteſtando fugiebat, ut nec blanditiis nec coætaneorum ſuaſione, contra naturam ætatis, ad ea flecti poterat vel induci. Omnes quoque coætaneos & condiſcipulos ſuos brevi tempore tam eruditionis quam converſationis & morum maturitate præceſſit. Frater [interim] ipſius ſenior, in cuſtodia infra ætatem exiſtens, ad plenam ætatem ſuam de cuſtodia exiens, nudus & pauper nimis terram ſuam ingreditur. Videns igitur Richardus fratris paupertatem, cum nihil haberet unde ei poſſet ſubvenire, ſeipſum in ſervientem ſibi tradidit: ubi per tempora non modica in omni patientia, paupertate & dejectione magna, nunc ad aratrum, nunc ad bigam, nunc ad alia hujuſmodi opera manus mittens, humiliter & modeſte ſervivit: unde frater eum in tanta affectione recollegit, quod totam hereditatem ſuam ſibi ſua charta confirmavit.

pauperi fratri ſerviendo ſuccumbit:

eidem reſignat hereditatem & ſponſam opulentam,

B 2 Poſtea cum Richardus totam hereditatem à pacifice obtinuiſſet, amici ejus carnales de quadam nobili & generoſa puella ei matrimonialiter copulanda tractare cœperunt. Quod cum frater ejus intellexiſſet, & jam Richardum dictam nobilem puellam cum multis bonis recepturum; de collatione terræ ſuæ pœnituit, & cœpit contriſtari *a*. Richardus autem hoc intelligens, dixit fratri ſuo: Non, cariſſime frater, non propter hoc turbetur cor tuum: nam adeo curialis, ut fuiſti erga me, ero & erga te. Ecce reſtituo tibi terram & chartam: ſed & puellam, ſi ſibi & amicis ſuis placuerit: numquam enim os ipſius deoſculatus ſum. Confeſtim igitur reliquit Richardus tam terram quam puellam, & omnes amicos, & ad ſtudium Univerſitatis primo Oxoniæ, deinde Pariſiis ſe tranſtulit, ubi Logicam addidicit. Tantaque fuit diſcendi affectio, quod de victu aut veſtitu parum aut nihil curavit. Nam, ſicut narrare conſueverat, ipſe, & duo ſocii ejus exiſtentes in camera, non niſi unicam habebant cappam, & tunicam tantum; & quilibet eorum lectum infimum. Exeunte ergo uno cum cappa ad lectionem audiendam, reliqui in camera reſidebant; & ſic alternatim exierunt: paniſque & parum de vino cum *b* potagio eis pro cibo ſufficiebat. Non enim carnes aut piſces, niſi in die Dominica, vel die ſolenni, vel ſociorum ſeu amicorum præſentia; eorum paupertas ipſos comedere permiſit: & tamen ſæpe retulit, quod numquam in vita ſua tam jucundam, tam delectabilem duxerat vitam.

a

ſtudiis vacat,

in ſumma paupertate lætiſſimus.

b

C

Artes Oxonia prælegit.

3 Et cum Richardus, ſcientiæ & eloquentiæ donis adornatus, magiſtralem cathedram ibidem aſcendere ab omnibus acclamabatur dignus; rediit ad patriam ſuam, & ad Univerſitatem Oxonienſem ſe declinavit: & ibidem poſt modicum tempus cathedram magiſtralem aſcendit; aliis, quæ antea collegerat, liberaliter ſtudens erogare. Poſtea B. Richardus Bononiam proficiſcens, per ſeptennium & amplius mellea Canonum fluenta ſic hauſit, quod Magiſter ſuus, infirmitate detentus, ad lectiones ſuas vice ſua continuandas, præ omnibus diſcipulis ſuis dictum Richardum elegit. Qui per dimidium annum & amplius ſic prudenter & humiliter in illo officio ſe habebat, quod à tota Univerſitate laudem & honorem meruit obtinere ſingularem: nec non à Magiſtro ſuo tantam gratiam invenit, quod unicam filiam ſuam ſibi heredem, cum omnibus terris & bonis ſuis, ex voluntate filiæ obtulit affectuoſe. Sed B. Richardus alia cogitans, à Spiritu ſancto inſpiratus, humiliter gratias ei referebat; & exponens quaſdam curiales cautelas & peregrinationis cauſam, promiſit ſe voluntatem ipſorum in ſuo reditu perficere. Ac ſic Richardus in terram ſuam reverſus, ſtatim poſt adventum ſuum in Angliam ad Univerſitatem Oxonienſem remeans, in laboribus, vigiliis & multi modi afflictione corporali vivens, unanimi conſenſu ibidem Cancellarius eſt effectus.

Bononiæ jus Canonicum audiens

excuſat ob datas ibi nuptias:

EX CAPGRAVIO

fit Cancellarius Oxonienſis:

4 Beatus vero Edmundus, tunc Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui converſationem ejus & diſcretam ſcientiam diu ante cognoverat, ac etiam Robertus Lincolnienſis Epiſcopus, dictus Groſſumcaput, vir venerabilis ſanctitatis, uno eodemque tempore, licet utriuſque intentio utrumque lateret, Magiſtrum Richardum in Cancellarium ſuum adoptare magna cum inſtantia laborarunt. Tandem voto dicti Patris Cantuarienſis, cujus preces & mandata prævenerant, gratis obſequitur, & reverenter obtemperat voluntati. Beatus igitur Edmundus propriam ſui nominis inſcriptionem & dignitatis imaginem, titulum ſcilicet & ſigillum, & totius Archiepiſcopatus majora quæque ei commiſit. Cœpit igitur Richardus quotidie in bonis creſcere; miniſterium que ſibi traditum, faſtu ſuperbiæ dempto, fideliter exercere; marus excutiens penitus à munerum acceptione, quæ oculos excæcare ſolet etiam ſapientium. Inerant ſiquidem ei inenarrabilis æquitas, affabilis benignitas, modeſta ſimplicitas, ſimplex humilitas, ceterique tranquilli mores & actus. Conſtanter etiam B. Edmundo in ſuis tribulationibus, tam in provincia ſua quam in exilio, adhæſit; non ignarus quod qui fuerunt ſocii paſſionum ſimul erunt & conſolationis; & qui compatiuntur ſimul regnabunt.

dein Cantuarienſis.

S. *Edmundo Archiep. intimus.*

E

audit Theologiam Aurelianis;

5 Mortuo autem B. Edmundo, Richardus ſolutus tam à curiæ quam à curæ ſolicitudine, ad Theologicam ſe contulit, Aurelianis in domo Fratrum Prædicatorum addiſcendam: non ut plerique, qui auribus audiunt & non intelligunt, ſed audiens exterius, audivit interius; ut efficacius poſtmodum impleret, quod audivit: &, ut pro grege Domini Patri Filium immolaret, ad ſactum Presbyteratus Ordinem ſe fecit inibi promoveri. A ſuſcepti autem Ordinis Sacerdotalis tempore, ornatus veſtium plus habuit humiliores. Et cum ibidem ſacræ Scripturæ pocula ſuavia luculenter hauſiſſet, ad agendam curam proximorum & oves proprias paſcendas accedit: ad unicam ſiquidem ſolam, quam habebat, parochiam revertitur, ut in illa puſillanimes conſoletur & corripiat inquietos.

& Presbyter ordinatus revertitur.

F

ANNOTATA.

a *In ſequenti Vita, conformiter bullæ, dicitur ipſe frater oblata hereditatis ceſſione, voluiſſe Richardum ad has nuptias pellicere. Crediderim ad tantam minoris humanitatem verecundatum majorem, diſſimulaſſe invidiæ ſenſum, & ſaltem verbis urſiſſe fratrem ut fundum ſponſamque retineret. Quæ ad hanc Vitam notanda forent circa perſonas, loca ac tempora, commodius ad Vitam ſequentem explicabantur.*

b *Vocis hujus ſignificationem & etymon vide tom. 1 Martii pag. 596 littera* f

CAPUT II.

S. Richardi ad Epiſcopatum promotio; labores, virtutes in eo munere.

Cantuariæ ad munus dimiſſum revocatur:

6 CUpiens poſt hæc venerabilis Pater Boniſacius, Cantuarienſis Eccleſiæ tunc Electus, ſucceſſor B. Edmundi, ad commodum diſciplinæ, jucundam cohabitationem tam gratioſi hominis experiri; ipſum ad officium priſtinum, videlicet Cancellariæ

ex CAPGRAVIO.

cellariæ Eccleſiæ Cantuarienſis vocavit invitum. Et poſtea per mortem Radulphi de Nevelle, quondam Eccleſiæ Ciceſtrenſis Epiſcopi, ipſa Eccleſia viduata fuit Paſtore. Unde Canonici dictæ Eccleſiæ, licentia ab Henrico III Rege Angliæ prius habita, prout moris eſt, quemdam aulicum Regis, Canonicum etiam ejuſdem Eccleſiæ, in Epiſcopum elegerunt. Quæ quidem electio, juxta Canonum jura, per dictum Bonifacium & quoſdam Suffraganeos ſuos, viros utique vitæ & ſcientiæ eminentis (inter quos dictus venerabilis Pater Gros-hed, tunc Lincolnienſis Epiſcopus unus extitit) caſſata fuit; eo quod dictus Canonicus electus, ſcientia & moribus inventus eſt minus habilis: dictuſque Richardus ex communi conſenſu omnium Epiſcopus eſt electus. Quare cum ad regias aures innotuit Clerici ſui caſſata electio, & ſui inimici (quippe qui B. Edmundo in ſuis cauſis, quas contra Regem habuit, adhæſit) facta proviſio; Rex nimis indignatus bona Ciceſtrenſis Eccleſiæ præcepit confiſcari.

eligitur Epiſcopus Ciceſtrenſis

occupata ab irato Rege bona repetiturus,

7 Beatus tamen Richardus, de conſilio Prælatorum prædictorum, cum litteris Electi Cantuarienſis ad Regem proficiſcitur, poſtulans omnia temporalia ad Epiſcopatum pertinentia ac bona ſua ſibi *a* liberari: quod nullo modo obtinere potuit, ſed longas fatigationes & opprobria multa ſuſtinens, ad illud extremum poſt Deum refugium in hoc mundo, Sedem loquor Apoſtolicam, ſe contulit: ubi quoque Regis Procuratores contra ſe paratos & inſtructos invenit. Regebat tunc Romanam Eccleſiam ſanctæ recordationis Innocentius Quartus, qui ipſum benigne ſuſcipiens, auditis utriuſque partis cauſis, proviſionem de B. Richardo factam ſuæ Sanctitatis auctoritate confirmavit, & ſacrarum manuum ſuarum impoſitione munus conſecrationis ſolenniter impendit. Cum autem quidam magnus Prælatus de partibus illis pariter cum B. Richardo munus conſecrationis recepiſſet, & perventum eſſet ad ſanctam unctionem recipiendam; Dominus Papa de ampulla ſanctum oleum ſuper caput prædicti magni volens effundere, vix guttam potuit habere ad baptizandum Antiſtitem. Cum autem ad B. Richardum perveniſſet, ſubito & mirabiliter magna unctionis multitudo ſuper eum effluxit; ita quod vix miniſtri, ne ſuper collum & corpus illa ſancta unctio à capite deſcenderet, poſſent cum linteis impedire. Unde tam Dominus Papa quam Cardinales & alii admirantes, quidam Cardinalis dicebat: Vere iſte plenitudinem gratiæ recepit.

Pontificem adit & conſecratur:

reverſus in Angliam multa patitur,

8 Rediens Richardus cum litteris Apoſtolicis, ſepulcrum B. Edmundi, jam miraculis coruſcantis viſitare non omiſit: & poſtea veniens in Angliam, bona omnia Ciceſtrenſis Eccleſiæ per miniſtros Regios conſumpta invenit: exiitque publice prohibitio Regia, ne quis ei aliquid commodaret mutuo, oſtenſiſque Regi ſuis Apoſtolicis & litteris & mandatis, indignationem Regis & iram potius quam reconciliationem & gratiam provocare videbatur. Unde pauper & inops à Rege recedens in diœceſim ſuam, ſub alieno tecto hoſpitatus, & aliena ſub menſa pedem ponens, ſuſcipitur. Exiit ſæpe interim diœceſis ſuæ loca viſitando, & Sacramenta, prout neceſſe conſpexit, miniſtrando. Et ne deſes & ſui juris deſertor poſſet reputari, Regis Curiam aliquando adiit, bonorum Eccleſiæ reſtitutionem humiliter petens: ſed cum opprobriis & contumeliis ſemper expellitur. Unde ſemel cum vidiſſet Decanum Ciceſtrenſem & Canonicos ipſius Eccleſiæ, propter Regis durum reſponſum, turbatos & triſtes; hilari vultu confortabat eos dicens: Nonne intelligitis quod ſcriptum eſt, Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii &c? Ego vobis dico, quod per gratiam Dei in gaudium nobis convertetur tribulatio iſta.

Act. 5. 41

9 Mandat igitur B. Richardus Domino Papæ Regis reſponſum: qui mirabiliter ei compatiens, diſtrictiſſimum mandatum duobus Epiſcopis Angliæ miſit, ut Regem moneant, quod maneria & bona Eccleſiæ Ciceſtrenſis B. Richardo infra diem ſtatutum reſtituat; alioqui ſententias, mandato contentas, per totam Angliam denuntiare non omittant. Poſt duos igitur annos, quibus ſic pugnavit tribulationes ſuſtinendo, Rex maneria ſua, ruinoſa & nuda, ei reſtituit. Hic beatus vir, poſt regimen Epiſcopale ſuſceptum, factus eſt ſolito in oratione ferventior, in eleemoſynarum largitione profuſior, in proprii corporis caſtigatione rigidior. Et tunc fuit ei pauperum cura major, habitus abjectior, geſtus & effatus humilior. In menſa quoque ſua lectio perſonabat: & ſi quando lector ceſſaret, aut de iis quæ legerat aut ædificatoriis aliquibus cum aſſidentibus tractabat.

tandem in poſſeſſiones exhauſtas admittitur:

eleemoſynis largiſſimis

10 Cum villas ſuæ diœceſis intrare contigiſſet, languentes, infirmos, & pauperes fecit diligentes inquiri: & ipſos non ſolum ſuæ eleemoſynæ ſubſidio, ſed etiam propriæ præſentiæ ſolatio ſolebat viſitare, & verbi Dei alimento ſpiritualiter refovere. Et cum per largas eleemoſynas redditus conſumerentur, & Dominus Richardus Bachedene (frater ejus carnalis, cui curam temporalium commiſerat) diceret, quod ad tantas eleemoſynas tantæ pauperum multitudinis redditus ſui non ſufficerent; reſpondit, Eſtne juſtum, care frater, ut nos de vaſis aureis & argenteis comedamus & bibamus, Chriſto in ſuis pauperibus fame cruciato? Et ſubjunxit: Novi ego valde bene (ſicut & Pater *b* meus) de terrea paropſide & cratere eſcam ſumere & potum deguſtare: vendantur igitur vaſa argentea & aurea. Sed & equus, cui inſideo, bonus & pretioſus eſt: vendatur obſecro, & ejus pretio paſcantur Chriſti pauperes. Et non ſolum noverat B. Richardus egenos alimoniæ ſubſidio paſcere, ſed etiam nudos veſtire pariter & calceare, mortuos quoque propriis manibus ſepelire. Multotiens autem, antequam peteretur, eleemoſynam pauperibus erogabat: & cum diceretur ei, quare tribueret pecuniam non petentibus, reſpondit: Scriptum eſt, Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis &c. & illud, Care ſatis emitur, quod precibus obtinetur.

b

aliiſque operibus miſericordiæ intendit.

Pſ. 20, 4

11 Pauperibus quoque Presbyteris, ſenio confectis, cæcis vel alias corpore impotentibus, hoſpitale conſtituit; & ne publicæ mendicitati ſubjicerentur, victus & veſtitus neceſſarios eiſdem ibidem miſericorditer ordinavit. Unum *c* panem ad ipſius benedictionem abundare fecit in tantum, quod præter æſtimationem adſtantium, refectis abunde quaſi tribus millibus pauperum, conſuetas recipientium portiones, abundaverunt partes, quæ ſecundum eamdem diſtributionem centum adhuc pauperes refeciſſent. Nec ſemel tantum aut bis hæc ſuæ benedictionis ſuperabundantia facta probatur, ſed pluries; ipſo manum ſuam aperiente, qui replet omne animal benedictione. Poſuit etiam veſtimentum ſuum cilicium, loricamque ſuperinduens, arma macerationis adjecit. Veſtimenta & calceamenta ejus, nec nitida nimis nec abjecta plurimum, ſed ex moderato & competenti habitu erant, in quibus nihil potuit notari novitatis. Sed nec phaleris, auro vel argento fulgentibus, equos ſuos ornari voluit, nec mutatoria ſuperflua circumferre; non ſolum pompam vitans, ſed etiam timens, ne pauperes, ſecundum quod ſcribit Bernardus, clamarent dicentes, Pontificis in fræno quid facit aurum

c

Deo ſubinde annonam multiplicante:

cilicio & habitu moderato utitur:

A aurum, nobis fame & frigore miſerabiliter laborantibus?

erga adverſarios benignus:

12 Quemdam Dominum Joannem Filium-Alani, pro injuria Eccleſiæ Ciceſtrenſi facta ab ipſo excommunicatum, ad ſe tamen venientem, familiariter recepit & ad prandiũ retinuit, dicens. Quamdiu in curia noſtra fueritis, à vinculo excommunicationis vos abſolvemus; & in receſſu veſtro, niſi ad ſatisfactionem veneritis, iſtam abſolutionem revocabimus. Dixitque, quod, ſi partes aliquæ pro jure recuperando diſſentiunt vel laborant, nihilominus caritas ſeu caritatis ſigna ſubtrahi non deberent: quia ſi quod meum eſt volo recuperare, illud quod Dei eſt non debeo ſubtrahere. Et ſimilia de Abbate de Fiſcanno, & nobili viro Domino Richardo tunc Comite Cornubiæ, ac de Comitiſſa Cantiæ feciſſe probatur: contra quos pro ſua Eccleſia cauſas habuiſſe dignoſcitur; pro contumeliis tamen honores, & amicitiam pro inimicitiis recompenſavit.

pro diſciplina eccleſiaſtica ſeverus:

B

13 Quemdam Clericum, qui ſanctimonialem à ſuo extrahens monaſterio corrupit, beneficio eccleſiaſtico, quod in ſua habuit diœceſi, cum non modico dedecore privavit. Et dum Dominus Rex ac Archiepiſcopus Cantuarienſis & alii plures Prælati, Comites & Barones, pro dicto Clerico preces effunderent, in Dei juſtitia inflexibilem eum inveniebant: percutienſq; pectus ſuum ait: Quãdiu ſpiritus in iſto corpore permanſerit, talis *d* ribaldus, qui monialem profeſſam corrupit & imprægnavit, & adhuc tamquã meretricem ſuam detinet, de voluntate mea in Epiſcopatu Ciceſtrenſi curam animarum non obtinebit. Faciat Dominus hic Archiepiſcopus, ad quem idem Clericus appellavit, ſecundũ quod voluerit reſpondere in die judicii coram Altiſſimo. Et videntes conſtãtiam ſuam eum ultra non tentabant. Aliud quoq; non diſſimile erga tres Vicarios egit, qui focarias publice tenere convicti fuerant: quas quia nolverunt dimittere, eos ſententialiter ſuis privavit beneficiis. *e* Burgenſes quoq; de Lewes, qui quemdam furem, ad eccleſiã confugientem, violenter extractum ſuſpenderant; ipſius cadaver, putridum per quindenam & amplius, exhumare coegit; & ad eccleſiam, unde ipſum extraxerant, propriis humeris referre compulit.

d

e

in ferendis damnis fortis,

C

14 Cum domorum & rerum ſuarum combuſtio & jactura non modica ei nuntiaretur, plangente & dolẽte familia, ipſe facie ſerenata vultuq; jucũdo Deo gratias referens, dolentes confortabat, dicens: Non contriſtemini, amici, habemus unde adhuc nobis neceſſaria provideamus: & ſubjunxit: Quia eleemoſynas, prout debemus, largas non fecimus, iſta nobis acciderint: ideo volumus & præcipimus, ut de bonis noſtris eleemoſynæ de cetero fiant largiores. O generoſæ mẽtis theſaurus, qui deficere inter defectus neſciens, ex ipſo defectu noverat augere profectũ! Suis etiam ſeneſchallis & ballivis, ſub periculo animarum & divini judicii obteſtatione, terribiliter inhibuit, ne quidquam injuſte ab aliquibus ad ſe pertinentibus exigerent, vel indebitis actionibus [quemquã] vexarent. Ipſe autem Sanctus aliquando ea, quæ de jure ei competebant, petentibus miſericorditer relaxabat.

cum ſubditis lenis,

conſanguineis nil tribuens,

15 Conſanguineos quidem ſuos, etiam maturos, ad beneficia eccleſiaſtica nullo modo admittere voluit; intelligens quod princeps Paſtorum Dominus, non B. Joanni Euangeliſtæ, conſanguineo ſuo; ſed Petro ſeniori, in nullo carnaliter eum attinenti, claves tradidit cælorum. Tantæ quoque manſuetudinis extitit, ut ad Matutinas ſolem ortumque diei præveniens, ſi Clericos ſuos, ut ſolet contingere, ſomno gravatos reperiret, iterum ſe ad orationes conferens privatas, ipſos in pace quieſcere ſineret, tamquam illud Dominicum dulciter inquiens, Dormite jam & requieſcite. Quantum autem ſacræ orationis devota libamina Deo oblata, B. Richardo placuerunt, in hoc dumtaxat oſtenditur, quod cum viros religioſos viſitaret vel ad ſe venientes in oſculo ſancto ſuſciperet, dicere ſolebat: Bonum eſt deoſculari labia, thymiamate ſanctarum orationum, Deo cum devotione incenſarum, fragrantia: hoc ipſum ex B. Edmundi conſuetudine, ut ſæpe retulit, commemorans.

EX CAPGRAVIO. *orationi addictiſſimus.*

ANNOTATA.

a *Idiotiſmo vernaculo Anglis* deliver, *Francis* livrer, *à Latino* liberare *acceptum, ſignificat tradere: quod & ad Belgas tranſiit qui* leveren *dicunt.*

b *S. Edmundum videtur intelligere.*

c *Fortaſſe hic mendum latet, & pro* unum *legi debet* una vice *vel quid ſimile. Vt enim in ſequenti Vita dicitur, panis, qui miraculo multiplicatus narratur, pauperibus circiter 90 erat ſuffecturus abſque miraculo: adeoque non unus panis, ſed determinata panis quantitas intelligi debet.*

d *Optime vocem hanc explicat Mattheus Paris ad an.* 1251 Fures, exules, fugitivi, excommunicati, quos omnes ribaldos Francia conſuevit nominare: *Belgis* rabant. *Etymon quoad partem priorem obſcurum, à Germanico* rue *otium, vel* raub *præda, Sumi poteſt, ut ſit* otio inſoleſcens, *vel* ad furta promptus.

E

e Burgenſes, *cives, oppidani; à* Burg, *oppidum.*

CAPUT III.

Prædicatio, obitus, miracula S. Richardi.

Crucem prædicans

16 QUam laborioſe etiam iſte B. Richardus officium prædicationis compleverit, etiam in aliena diœceſi, quã gratanter contritos refoverit, confitentes audiverit & inſtruxerit, pœnitentes abſolverit, conſultãtibus reſponderit, deſperantes reformarit, alacres adhortatus fuerit, trementes roborarit, deniq; qualiter omnibus omnia factus ſit, quis ſufficiet enarrare? Pro ſubſidio Terræ ſanctæ Crucis prædicationẽ uſcepit, à Papa delegatã: ideo à Ciceſtrenſi ſanctuario incipiens, per loca maritima tranſiens, ad civitatẽ Cantuarienſem uſque pervenit. Et decima die, antequam ad illum famoſum portum, qui Dovera dicitur, perveniſſet, cœpit ægrotare. Nec tamen in agro Dominico laborare omiſit; ſed ſingulis diebus prædicando confeſſiones audiendo, pueros confirmando, & etiam Ordines celebrando, uſque ad exinanitionem virtutis corporis ſui indeſinenter laboravit.

F

Doueria dedicat eccleſiam S. Edmundi:

17 Ad Doveriam igitur perveniens, in quadã domo, quæ vocatur Hoſpitale-Dei, hoſpitavit: rogatuſq; à Magiſtro dicti hoſpitalis, eccleſiam quamdam cum cœmeterio, pauperum ſepulturæ conſtructam, in honore quondam Domini ſui, Beati Edmundi, patroni ſui, ſolenniter conſecravit; dicens prædicando eodem die, quod ſemper à tempore quo munus conſecrationis aſſumpſerat, optavit & votis omnibus exquiſivit, ut, antequam diem clauderet extremum, unam ſaltem baſilicam in honore dicti Domini B. Edmũdi poſſet conſecrare. Et deinde dixit: Deo gratias refero, qui animæ meæ deſiderio me non fraudavit. Et nunc ſcio, inquit, quia velox eſt depoſitio tabernaculi mei, quã veſtrarum orationum ſuffragio peto communiri. Die *a* etiam ſequente, quæ fuit in craſtino dedicationis baſilicæ prædictæ, licet laboribus prædictis & infirmitate demotus, hora tamẽ ſurgendi neſciens ſe tricare, mane oratorium ingreſſus pſallere cœpit. Dum autẽ ad Miſſam audiendam ſtetiſſet, & morbo ingraveſcente membra imbecilla ſuſtentare non valeret, quaſi ſyncopen paſſus pavimento proſternitur. Suorum igitur manibus ſublevatus, ad lectum reducitur ibidemque reclinatur.

ibidem infirmatus

a

EX CAPGRAVIO. *prædicit suam mortē,*

18 Cuidam deinde Willelmo, Capellano ſuo, ei valde familiari, dixit, quod ab illa infirmitate evadere non potuit: juſſitq; eum funeri neceſſaria caute præparare, ne familia ſua percipiens turbaretur: & Magiſtro Simoni de Terringes certum diem obitus ſui indixit: amplexatuſque imaginem Crucifixi, quam ſibi afferri devote poſtulaverat; loca vulnerum piæ devotionis oſculis, ac ſi recenter morientem Salvatorem videret, cœpit dulciter demulcere, in hæc verba dicens: Gratias tibi ago, Domine Jeſu Chriſte, de omnibus beneficiis quæ mihi præſtitiſti, pro pœnis & opprobriis quæ pro me pertuliſti, propter quæ planctus ille lamentabilis tibi vere competebat, Non eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus. Et tu noſti, Domine, quod ſi tibi placeret, omnia opprobria & tormenta atque mortem pro te paratus eſſem ſuſtinere: & ſicut tu ſcis hoc verum eſſe, miſerere mei, quia tibi commendo animam meam. Illā autem Pſalmiſtæ vocem, quæ dicit, In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, frequentius iterans, & ad glorioſam Virginem viciſſim corde ſimul & voce ſe convertens, ait: Maria, mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege & hora mortis ſuſcipe: & præcepit Capellanis, quod illa verba in auribus ſuis dicere non ceſſarent.

eamque pientiſſime obit,

B *æt. ætatis 56.*

19 Inter ſuſpiria igitur piæ devotionis atq; verba ſacræ orationis, adſtantibus Religioſis Presbyteris pariter ac Clericis, & laicis fidelibus, B. Richardus animam, ſupernis civibus copulandam, reddidit Creatori. Tranſiit de hoc mundo ætatis ſuæ anno circiter quinquageſimo ſexto, Pontificatus ſui anno nono, tertio Nonas Aprilis, circa noctis medium, quo Sponſus ille cæleſtis ad nuptias venturus deſcribitur. Poſt cujus tranſitum corpus ipſius ſanctum, gravatú vigiliis, terræ duritia in qua ſolebat frequenter decubare confractum, jejuniis maceratū, macerationibus multis afflictum, præter humanum morem nitidiſſimū apparuit, ut quoddam futuræ reſurrectionis inſigne videretur præferre. Corpore autem rite aptato ac ſchemate Pontifice digno in feretro collocato, & in eccleſia prædicta per eum dedicata deportato, undiq; concurſus populi ad tam venerabiles exequias catervatim affluxit; felicem ſe quiſque reputans, ſi vel feretrum tangat, vel veſtimentorum ſacrorum fimbriā contrectet. Annulos ſive monilia, quæ ſacrum corpus tetigerunt, ſanctificata reputabant & pro Reliquiis conſervabant. Et quia corpus ſuum apud Ciceſtrenſem eccleſiam ſepeliendum delegavit, ad Ciceſtriā defertur: & in ipſa eccleſia, coram altari B. Edmundi, quod ipſemet ad Aquilonarem eccleſiæ partem dedicaverat, in humili loco ſepultum eſt: ubi magna & miranda ad Dei laudem fiunt miracula.

Corpus exponitur venerationi

populi catervatim accurrentis,

& Ciceſtriæ ſepultum

C

claret miraculis,

20 Contractorum quorumdā membra, naturaliter greſſui miniſtrantia, ita totaliter plurium annorū paralyſis inveterata contraxerat, ut eiſdem membris, hujuſmodi miniſterio ineptis redditis, nulla omnino daretur gradiendi facultas: at ille, cujus mira ſunt opera, ad ipſius invocationem ſubito membris in ſolitam virtutem erectis, ipſos in liberi greſſus libertatem erexit. Tres mortuos, quorum unum currentis currus per medium rota compreſſerat, reliquos vero febris extinxerat, ille qui mortem moriendo deſtruxit, precibus ſub ejuſdem porrectis nomine inclinatus, ſuſcitavit ad vitam. Et, quod non eſt prætereundū ſilentio ſed ſolenni vulgandum gaudio, in abortivum ab utero, transferendum ad tumulum, ejus invocato nomine animam viventem animarū Creator infudit. Quidam febricitans per tactum cappæ B. Richardi ſanatus eſt. Alius podagra laborans per botas ſuas eſt ſanitati reſtitutus.

21 Cum piſcatores diu laborando nihil prendidiſſent, ad ejus benedictionem quatuor piſces magnos & ſpecioſos, cujuſmodi generis numquam vidiſſent, ſagena concluſerunt. Cum etiam navigio mare tranſiret, orta tempeſtate graviſſima, fuſis ad Deū precibus & benedictione mari porrecta, procella in tranquillitatem & intemperies in aerem luminoſum mutatur. In Purificatione B. Mariæ, extinctis in proceſſione ſubito turbine cunctis cereis, ſancti Præſulis cereus, novi luminis igne accenſus, ab omnibus rutilare videtur. Puero cuidā contracto, potu eidem in ſcypho B. Edmundi porrecto, ſola benedictione greſſum ſolidum & priſtinam ſanitatem reddidit. Aliis duobus viſu privatis, ſigno Crucis ſuper oculum impreſſo, oculorum aciem & luminis claritatem reſtituit. Multi in ejus ſtratu dormientes, à febrium ardoribus liberati, gratias Deo & ſervo ejus exolverunt.

D

quibus etiā vivens fuerat honoratus,

ANNOTATA.

a *Excuſum erat* Dñico, *ſed ex vita ſequente, ubi hæc tranſcripta fere verbotenus leguntur num. 93 patet Feriam 2 fuiſſe: & relativum* quæ, *cum maſculino non conveniens, ſatis indicat mendum latere.*

ALIA VITA

E

Per Fr. Radulphum Ord. Prædicatorum.

Ex MS. Lovanienſi Monaſterii S. Martini.

EPISTOLA DEDICATORIA.

1 NObilis generoſitatis ac generoſæ nobilitati Dominæ, a tavis Regibus, patre, & matre Comitiſſæ dignitatis editæ, Yſſabellæ Comitiſſæ de Arundelia, quidam de numero Fratrum pauperū Chriſti Ordinis Prædicatorum in Chriſto veſter, lævam Sponſi cæleſtis ſub capite, & dexteram in amplexu. Quid enim aliud habebit in deſiderio cordis, juvencula in ætate tenera *a* viduata viro, generis nobilitate, & Comitis ſublimitate, corporis elegantia, juvētutis flore, & ſuper hæc omnia morum honeſtate præcelleti? Quid, inquam, faciet, niſi quod vos Dei inſpiratione à tempore viduitatis facere concepiſtis, ad turturis ſimilitudinem iteratam copulam maritalē reſpuendo; non voti neceſſitate, ſed caſti propoſiti ſola voluntate; ut tanto ſit caſtitas veſtra Sponſo cæleſti acceptior, quanto mera animi voluntate liberior? Hinc eſt, quod carnali ſolicitudine viro placendi depoſita, liberius, quæ Dei ſunt cogitatis, & perficitis. O quantæ laudis eſt, quantæque gloriæ, imo quanti apud Deum meriti, viduam juvenculam, per tot annos à diverſis exoptatam nobilibus, & ad conſenſum maritalem per Reges & Principes, nec non alios utriuſq; ſexus ingenuos viros & matronas, ſolicite invitatam & incitatam, in hoc corpore fragilitatis humanæ, maxime inter tot ridiculoſa imo pernicioſa matronarum nobilium, non dico juvencularum, ſed etiam vetularum, & marcido corpore ſpe ſobolis deſtitutarū exempla, inflexibiliter callem tenuiſſe viduitatis & munditiæ. Nubunt jam veteres & annoſæ juvenibus & adoleſcentibus, ingenuæ ſpuriis, generoſæ ſervis, dominæ mancipiis, in propriæ famæ diſpendium, & totius generis ſui dedecus & opprobrium, in plebis totius ſcandali materiam atque proverbium, ut ſolum ſuæ libidini ſatisfaciant. Sed dices forſan, quæcumque talis es, non hoc feci, quia continere nō potui; ſed quia dotis & patrimonii mei prædia & jura paraphernalia, mulier imbecillis & infirma, nec ſcivi regere nec potui. Audi, quæcumque ſic loqueris, qualiter turpitudinem propriam allegas. Audi, inquam, non me, ſed B. Hieronymum tales acriter ſugillantem: ſcribit enim E. ad Fucuidā viduæ nobili, dicens inter cetera: Nulla idcirco riam ducit maritum ut cū marito non dormiat: aut ſi certe,

Laudat eam à caſta viduitate.

F

libido

A libido non ſtimulat, quæ tanta inſania eſt, in morem ſcortorum proſtituere caſtitatem, ut augeantur divitiæ; & propter rem vilem atque perituram, pudicitia, quæ pretioſa & æterna eſt, polluatur?

2 Sed benedictus Altiſſimus, improperium iſtud improperantium eis evaſiſtis, nec illud ſuper vos cadere permiſit. Nunc advertite igitur, quæ carnalis ſponſi amorem reſpuiſtis. Certe ſpecioſus forma eſt præ filiis hominum, & audite qualem requirit. Tota, inquit in Cantico amoris, pulchra es amica mea, & macula non eſt in te, hoc eſt: Cum mea amica ſis, neceſſe eſt ut ſis tota pulchra & ſine macula, id eſt fœditate criminis, mortalis mente & corpore. Et ſatis eſt conveniens, ut pulcher pulchram, pulchrum quoque pulchra requirat. Ad hanc ſpiritualem pulchritudinem habendam plurimum operatur, pura confeſſio. Hinc Bernardus ſcribit ad quamdam nomine Sophiam: Ama confeſſionem, ob quam amaris: ama confeſſionem, ſi affectas decorem. Confeſſioni jungitur decor, jungitur pulchritudo: Confeſſio, inquit, & pulchritudo in conſpectu ejus. Et iterum, Bonum animæ ornamentum confeſſio, quæ & peccatorem purgat, & juſtum reddit purgatiorem. Concordet igitur, quantum niti poteritis, vita veſtra cum nomine, cum & Sponſi cæleſtis ſectemini voluntatem, & nominis veſtri ſpritualiter ſequamini proprietatem. Yſſabella quippe, ex Hebræo compoſitum & Latino, *b* mulierem pulchram ſonare videtur: Sed ſcriptum non ignoratis, quod omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus: quia illa quæ deforis, teſte Salomone, fallax gratia & vana eſt pulchritudo. Vana, inquam, & fallax: & ideo frequenter deſervit potius turpitudinis amatori, quam pulchritudinis auctori; corruptori, quam creatori; cœno quam cælo, ſecundum illud Ezechielis, Quo pulchrior es, deſcende. Et ideo exclamandum de Anglicis quibuſdam, Chriſtianis jam effectis, nomine dumtaxat, non numine, quod quondam de eiſdem Anglicis, ſed paganis, exclamavit Gregorius, Heu inquit, quod tam lucidi vultus homines tenebrarum auctor poſſidet, tantaque frontis gratia mentem ab internis gaudiis vacuam geſtat. Sed & hoc ſummopere vobis cavendum, ut quæ proprias inquinationes cavere ſtudetis, alienis ſordibus non inquinemini. Sed quorſum, inquis, hoc ſpectat? Videlicet, ne quod in vobis horretis, in veſtræ familiæ grege ſuſtineatis. Unica quippe ovis morbida, & gregi maculam & paſtori crimen inducit, maxime ſi ſcivit & potuit ovium peſtilentiam præcaviſſe, vel ovem morbo infectam poſtquam innotuit ejeciſſe, & non fecit. Modicum, inquit Apoſtolus, fermenti totam maſſam corrumpet, Credite, mihi non ipſa conjugum licita commercia caſte vivere volentibus conveniunt.

3 Ad interiorem ergo faciem exornandam accipite venerabilis Richardi Vitam egregiam, quam ſpeculi vice mentis veſtræ oculis apponite, & exemplo ejus quod fœdum & ſordidum eſt deponite, & morum ornatu quidquid neceſſe eſt componite: ut quem in ſeculo præſentem quondam oculo ad oculum conſpexiſtis, ejus interim corporali carentes præſentia, tamquam in ſpeculo, vitam intueamini. Quod quidem ſpeculum non ſolum mulieribus, devotione pia ad oſtium tabernaculi excubantibus, proficere poterit ad ornatum; verum etiam Dei Sacerdotibus & miniſtris, imo omnibus utriuſque ſexus & viris & mulieribus, ad munditiæ lavatorium. Sic quippe legitur in Exodo, quod fecit Moyſes labrum, id eſt, lavatorium de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in tabernaculo. De quarum numero non immerito vos eſſe dixerim, quæ tam ſolicite, in Dei & glorioſæ matris ſuæ ac Sanctorum honore, in domo Domini excubias, in canticis hymniſque ſpiritualibus ac Miſſarum votivis ſolenniis, frequentare ſtudetis. Unde & inter ſpecula Scripturæ ſacræ, & Vitas Sanctorum, quæ penes vos copioſe habentur in unum, ad decorem domus Dei & ædificationem animarum, ſolicite voluiſtis commendare Vitam & miracula Sancti Pontificis & Patris noſtri Richardi, Ciceſtrienſis Epiſcopi. Quæ licet à bonæ memoriæ Papa Urbano [fuerit confirmata] utpote per viros diſcretos & omni exceptione majores prius examinata & probata; examinata quidem per piæ recordationis Walterum *c* Wigornienſem Epiſcopum, & venerandæ religionis & ſcientiæ eminentis Priorem Provincialem Fratrum Prædicatorum Angliæ, & illum morum honeſtate & ſcientia famoſum Fratrem Adam *d* de Mariſco Ordines Fratrum Minorum; probata vero per teſtium multorum numeroſam multitudinem: licet, inquam, in Sancti ejuſdem canonizatione recitata fuerint & confirmata; rudi tamen ſtylo & incompoſito, prout deponentium dicta teſtium continebant, confuſe fuerunt conſcripta: unde vobis placuit me [famulum] veſtrum, quamvis ad hoc valde minus idoneum, interpellare, ut eiſdem ſtudioſius conſideratis, ad Dei honorem & audientium ædificationem, prædicta ſcriberem & componerem ac ordinarem; idcirco maxime, quia vita & converſatio ſua in pluribus mihi, licet indigno, eo vivente extitit non ignota. De meritis igitur tanti Confeſſoris & de veſtris orationibus confiſus, ac de venerandi Patris & Prioris noſtri Provincialis Angliæ, Fratris Roberti *e* Kilwarby injunctione, aggredior quod petiſtis: orans eum qui in Sanctis ſuis exſtat glorioſus, ut & Sancti merita dignis laudibus efferam, & veraci ſtylo ad Dei laudem conſcribam, & mercedem pro labore, peccatorum veniam & ipſius gloriæ participationem, opere conſummato, reportem.

AUCTORE RADULFO EX MS.

Ex. 38, 8

à viris eximiis examinatam:

c

d

& in Canonizatione confirmatã,

E

à ſe meliori oratione & ſtylo compoſitam.

e

F

ANNOTATA.

a *Vt clarior foret ſenſus, & intelligeretur hæc ſcribi non juvenculæ (erat enim annorum ut minimum 47) ſed ei quæ cum eſſet juvencula, viduata erat viro*; τὸ viduata, *quod erat in fine periodi, huc tranſtulimus.*

b Is *vir*, Iſcha *mulier Hebræis eſt. Alluſio tamen hæc eſt, non etymon verum*: Yſabellæ *enim nomen diminutivum eſt, per primæ ſyllabæ uſitatiſſimam in ſimilibus aphæreſim, à nomine* Elilabeth: *quod Hieronymus libro de nominibus Hebraicis in Luca interpretatur*, Dei mei ſaturitas, vel Dei mei juramentum.

c Walterus Ep. Wigornienſis *cognomento* de Cantilupo *ab anno* 1237 *ad* 1267. *Rerum ejus præclare geſtarum epitomen vide apud Franc. Godwinum in Epiſc. Wigorn.*

d Adam *hic egregius fuit zelator regulæ, adverſus Eliam laxitates inducentem; de ejus ad Elienſem Epiſcopatum electione, cujus Pitſeus meminit, hic merito tacetur: irrita enim ea fuit.*

e *Matthæus Pariſ ſub finem ſuæ Hiſtoriæ Anglicanæ fuſe de hujus doctrina & libris agens, præmittit quod Gregorius* X, *anno* 1273, Pontificatum Eccleſiæ Cantuarienſis detulit Roberto de Kille-Warby, qui eodem anno à Prioratu Provinciali Fratrum ſuorum, quem undecim annis geſſerat, abſolutus fuerat, & etiam ad idem officium reelectus. Erat nempe, *inquit*, de ordine Fratrum Prædicatorum, qui non ſolum religioſæ vitæ ſanctitate, ſed ſcientia & doctrina clariſſimus habebatur. *Igitur & ante*

& amore placendi Chriſto.
Cant. 4, 7

Epiſt. 113

1 Cor. 5, 6

effert S. Richardi Vitam,

omnibus in ſpeculum propoſitam:

Prov. 31, 30
Ezec. 32, 19
usque caſtũ amorem in ſe & ſuis conſervet,

Io. Diac. in Vita.

AUCTORE RADULFO EX MSS. *hanc promotionem ſcripſit Radulfus, & ſomniavit Godwinus cum anno uno citius Roberti conſecrationem factam aſſeruit, ipſumque* ex Minoritarum grege *prodiiſſe. Matthæum Paris deſcribit Ciaconius ad an.* 1278, *quo Robertus creatus eſt Cardinalis Epiſcopus Portuenſis; & anno* 1280 *Viterbii mortuum, atque apud Prædicatores ſepultum docet.*

LIBER I.

Vita S. Richardi Epiſcopi.

PROLOGUS.

Pſal. 76, 14 *Richardus vere Sanctus appellandus:* a

4 DEus in Sancto via tua, quis Deus magnus ſicut Deus noſter? tu es qui facis mirabilia. Quia, ſicut dicit Caſſiodorus, in principio Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ a vitam Sanctorum ſcripturus, Utiliter nimis in capite libri præfatio præmittitur, ubi futuri operis qualitas indicatur; ſcripturus & ego, licet vita indignus, ſermone incompoſitus, qualicumque ſtylo glorioſam B. Ricardi vitam exitumque beatum, miracula etiam præclara prædictum Sanctum locumque ſepulturæ ſuæ decorantia; in Præfationis hujus initio, ad laudem Dei nec non & Sancti, cujus Vitam ſcribendam tenemus præ manibus, à præfatis Pſalmiſtæ verbis ſermonis principium ordiri diſpoſui: Deus in Sancto via tua, & cetera. Sunt igitur in verbis præpoſitis tria conſideranda, quantum attinet ad materiam, de qua locuturi ſumus, videlicet Sanctitatis præconium, cum dicit, Deus in Sancto: Chriſti imitationis veſtigium, cum dicit, Via tua: miraculorum confirmans teſtimonium, cum ſubinfert, Quis Deus magnus & cetera. De primo igitur ſciendum, quod quamvis de Chriſto, qui dicitur & eſt ſecundum Danielem Sanctus Sanctorum, prædicta verba exponantur; ipſa tamen eadem verba Danielis indicant alios exiſtere Sanctos, quorum ipſe antomaſtice, & principaliter eſt Sanctus, & cujus participatione alii Sancti ſunt & vocantur; ipſo Domino in Levitico ſuis miniſtris dicente, Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum. Dicit quippe Auguſtinus de ſermone Domini in monte, quod à luce vera, quæ Chriſtus eſt, illuminati Apoſtoli lux mundi appellantur. A ſimili ergo non irrationabiliter, ſanctificati à Chriſto, qui verus Sanctus eſt, Sancti dici & haberi poſſunt.

B

ſcilicet Chriſti ſanctitatem imitando participans, Dan. 9, 24

Lev. 11, 44

5 Sed dicet forſan quiſpiam: Unde tamen ex præmiſſis credere oportebit, quod iſte, de quo fit ſermo, ſit Sanctus? Reſpondeo quod in Eccleſiaſtico de Moyſe ſcriptum legitur, In fide & lenitate ipſius Sanctum fecit illum, haud dubium quin Deus. Et ecce Moyſes alter hic, qui ſecundum Apoſtolum fide reliquit Ægyptum, non ſolum moralem, ſed etiam natale ſolum; pro juſtitia exulans, non veritus animoſitatem Regis, nec temporalis, nec illius, quem regem Job nominat ſuper omnes filios ſuperbiæ, Dei virtute roboratus; prout patere potuit ipſius converſationem cernentibus, & conſtare poterit fidelibus hiſtoriam ſuæ vitæ legentibus. Noſtrum igitur novum Moyſen, in fide, quoad ipſum; & lenitate, quoad proximum, Sanctum fecit: hæc quippe duo ad ſanctitatem in ſumma ſufficiunt, ut quis fidem Catholicam recte teneat, & eamdem moribus bonis exornet. Non ſolum autem in fide, ſed etiam in moribus, Sanctus effectus eſt & probatus. Quis, maxime noſtris temporibus, fide conſtantior vel morum lenitate ſuavior? In uno nimirum leonis conſtantiam, quia juſtus quaſi leo confidens; in alio agni manſuetudinem, pro rerum & temporum varietate prætendens: Juxta quod junior adhuc à Sapiente dedicerat; Conſtans & lenis, ut res expoſtulat eſto. Nec ſolum Leonis & agni facies prætendere noverat, ſed etiam quatuor facies iſti uni cum ſanctis animalibus erant. Facies videlicet hominis, per manſuetudinis & humanitatis exhibitionem; facies leonis, contra obſtinatos & rebelles, per juſtitiæ rigorem; facies bovis, per ſui corporis macerationem (Novit enim exhibere corpus ſuum hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem) facies quoque aquilæ, in veri ſolis contemplatione & cæleſti converſatione.

in fide & lenitate, ut Moyſes. Eccli. 45, 4

C

D

6 Divinis etiam præceptis ita ſtrictiſſime ſe mancipare didicerat, ut non ſolum viam mandatorum Dei, ſed etiam ſemitas conſiliorum ſervare ſtuderet. Unde & licitum matrimonium ſibi oblatum refutavit, licet ab Apoſtolo dictum non ignoraret, De virginibus præceptum non habeo, &, Si nupſerit virgo, non peccat. Et ut vitæ conſilia in ſe arctius cuſtodiret, & aliis efficacius ſuaderet, arctioris vitæ ſemitam ſervare diſponens, illi excellenti ordini Fratrum Prædicatorum ſe obligavit, feciſſetque votis ſatis, niſi Dominus Papa, proviſionem Cantuarienſis Archiepiſcopi de eo factam in Ciceſtrenſem Præſulatum approbando, ipſum à voto prænominato abſolviſſet. Ricardus itaque præceptis Altiſſimi divina ſuperaddens conſilia, ſibi ſanctitatem acquirere ſtudebat, impleta prophetia qua dicit Zacharias, Indie illa erit, quod ſuper frænum equi eſt, Sanctum Domino. Quid frænum, niſi præceptum dixerim, quo Pſalmiſta precatur eorum maxillas conſtringi, qui per campos licentiæ evagantes ad Deum non approximant? Quid illud quod ſuper frænum eſt, niſi divinum conſilium, quod præceptis ſuperadditur, appellem? Quod ergo ſuper frænum equi eſt, ſanctum Domino erit: quia qui Dominicis præceptis ſuperaddunt ſua conſilia, ſanctitatem ſibi acquirunt, & Sancti non immerito vocantur & ſunt. Dicit quippe quædam gloſſa ſuper Leviticum Qui Deo ſe vovit ſeparatus à negotiis ſeculi, & ab iis qui carnaliter vivunt, ut ei placeat cui ſe probavit, Sanctus appellatur. Hæc etiam fallor eſt merces cuſtodientium Dei mandata, atque conſilia, de qua dicit Pſalmiſta, In cuſtodiendis illis retributio multa. Quid quod Romana Sedes (quam regnis & ſedibus præpoſuit Altiſſimus, ut quæcumque ſancierit ſancta ſint, & ſancita) præmiſſis diligentiſſimis examinationibus & probationibus exactiſſimis, venerabilem Ricardum Sanctorum catalogo duxit adſcribendum? Cujus canonizationis litterarum, tum propter ſcribentis auctoritatem, tum propter veritatis majorem firmitatem, tum propter ſtyli elegantiam, in fine preſentis ſcripturæ ponere diſpono.

& evangelica amplexus conſilia, 1 Cor. 7, 25

Zach. 14, 20

E

Pſal. 31, 9

Pſal. 18, 12 *atque à Romana Sede canonizatus:*

7 Jam credo omni fideli ſufficienter fore perſuaſum, quam merito B. Richardo attribuendum ſit ſanctitatis præconium, ut de ipſo dicatur, Deus in Sancto via tua, & cetera. Via, inquit tua, ô Deus, eſt in Sancto, id eſt imitationis expreſſa veſtigia. Jam quippe mihi videor unum de exercitu cæli militem intueri, de quo exercitu loquitur Joannes in Apocalypſi, quod exercitus cæli ſequebatur Dominum in equis albis. Quid enim corpus caſtum, ſubjectum ſpiritu, dixerim, niſi equum album, ſubjectum ſeſſori, fræno præceptorum refrænatum, ſtratum ſella quietudinis, donis naturæ variis, quaſi phaleris, exornatum? Sanctus autem iſte, de quo nobis ſermo, in hoc mundo munditiam cuſtodiens, ſuo corpore tamquam equo utebatur. Quid illa cingula, quid calcaria cingulis addita, quid loramenta ferrea, niſi equi ſub pungente ſeſſore ſimilitudinem præferebant? Nimirum ille quem ſequebatur, exultavit ut gigas ad currendam viam, nec currentem ſequi poterat, ſi non expedite feſtinaret. Ecce jam palam viam Dei eſt videre in Sancto. Per hanc quippe viam (ut Job quærenti reſpondeam) ſpar-

F

Apoc 19, 14 *qui corpus ſpiritui ſubjectum habuerit,*

atque in moribus Sanctus effectus

gitur

Iob 38, 24 *aliis bono exemplo præluxerit,*

gitur lux, dividitur æſtus ſuper terram. Lux, inquam, exempli & doctrinæ ſalutaris; æſtus autem ipſius, per boni operis fervorem & caritatis ardorem, ſic ſe diviſit ſuper terram, ut ejus famam vel doctrinam audientes, vel præſentiam in conſpectu habentes, ſeu familiari cohabitatione quaſi confricati caleſcentes, ſic illuminarentur, caleſcerent, & ferverent, ut niſi ſub impietatis umbra gratis ſe contegerent, non eſſet qui ſe abſconderet à calore ejus. O quantum ille venerandæ recordationis Walterus, *b* quondam Norwycenſis Epiſcopus, ex ſua cohabitatione & convictu, in ſtudio & fervore ſpiritualis vitæ ſe profeſſus eſt profeciſſe! Quamvis enim prædictus Pontifex, venerandus Walterus ſcilicet, morum ornamentis ſacriſque actionibus & admodum devoto in Dei obſequio famulatu, in eccleſia Dei floreret; factus eſt tamen ex B. Ricardi convictu ſociali in orationibus vigilantior, in obſequio divino ſtudiſior, in prædicatione ferventior, in eleemoſynarum largitione profuſior. O ſi liceret iſtius venerabilis Walteri mores & vitam in præſentiarum deſcribere! totam nimirum hiſtoriæ præſentis ſeriem, ſplendidam redderet & coruſcam. Sed quem Dominus per ſeipſum commendabilem in ſua vita reddidit, & poſt fata celebri fama, teſtante *c* miraculorum gloria, decoravit, noſtræ parvitatis ſtudio non indiget commendari. Exemplo tamen B. Ricardi (ut prælibatum eſt, & ore proprio mihi miſero confiteri non erubuit) factus eſt quotidie in ſemetipſo melior, & in probis moribus Deo acceptior. Sicut enim dicit B. Gregorius, Qui ſancto viro adhæret, ex aſſiduitate viſionis, uſu locutionis, exemplo operis, accipit ut attendat in amorem veritatis.

b

B

& miraculis multis coruſcaveris.

8 Jam vero, quod reliquum eſt, brevitas ſuccincta perſtringat, miraculorum videlicet confirmans teſtimonium: & hoc intelligit cum ſubinfert, Quis Deus magnus ſicut Deus noſter. Quaſi diceret: Nullus. Ex ipſius enim magnitudine, id eſt, bonitate ſola eſt quod quis habeat ſanctitatem, & quod in eo via Dei ſit aliis ad imitationem: & quod ipſum miraculis faciat coruſcare ad ſanctitatis confirmationem: & ideo ſubdit, Tu es Deus,

Pſal. 67, 36 qui facis mirabilia. Et hoc eſt quod dicit alibi: Mirabilis Deus in Sanctis ſuis. Ecce miracula & ſanctitas: Deus Iſrael ipſe dabit virtutem in affectu, & fortitudinem in effectu gradiendi in via

Iſ. 63, 1 Dei: quia ipſe ſecundum Iſaiam graditur in multitudine fortitudinis ſuæ, nec ſine ipſius adjutorio

Mar. 16, 14 ipſum poſſent ſequi: & ideo in Marco dicitur de Apoſtolis, utique ſanctis, Illi profecti (non tam greſſu corporis in profectu materiali, quam cordis in profectu ſpirituali, ut in eis via Dei appareret) prædicaverunt ubique, Domino cooperante (Ecce ipſius adjutorium, ut bonum poſſent) & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, ſcilicet ut miracula divinitus oſtenſa eorum ſanctitatem & prædicationem confirmarent. Nec arbitror circa miraculorum atteſtationem plus inſiſtendum: cum ſequens tractatus ex magna parte circa hæc prætacta debeat verſari. Primo enim de ortu & vita ſua virtuoſa, ſecundo de quibuſdam ſignis ſuæ ſanctitatis teſtimonium perhibentibus, tertio de ſuo tranſitu glorioſo & miraculis, quibus ipſum Dominus mirificavit, æſtimo dicendum.

C

ANNOTATA.

a *Tripartita videlicet quia ex Sozomeno, Socrate & Theodoreto in epitomen redacta.*

b Walterus Epiſc. Nortvic. *cognomento* de Sufeild conſecratus, *inquit in Epiſcopis Nortvicenſ. Godwinus*, anno 1244 hoc etiam memoratu digniſſimus, quod, annona cara, argenti quidquid habuit celati vendidit, & pauperibus diſtribuit, ut haberent unde panem compararent. D

d *Confirmat hoc idem Godvvinus, quamvis hæretico ſpiritu veritatem obfuſcans, cum ait*, Deceſſit Colceſtriæ 18 Maji 1257, in capella B. Mariæ, quam extruxerat, tumulatus; ubi miracula, neſcio quæ, patrata credulæ plebi perſuaſum.

In altero MS. ad quod Martinianum collatum diximus, totum opus diſtinguebatur titulis, in margine infimo annotatis, quos conſequenter deſcribimus, ipſum more noſtro in longiora capita diviſuri; & hic quidem damus eos qui ad librum primum ſpectant libri ſecundi titulos in margine ipſo exhibituri invariatos.

Incipit Vita. De patria & parentela ſua. III
Quod in Artibus rexit. IV
Quomodo ſalvatus à ruina maceriæ. V
Qualiter in Jure Canonico rexit. VI
Quod Cancellarius fuit S. Edmundi. VII
Quod poſt mortem B. Edmundi audivit Theol. VIII
Qualiter factus Sacerdos carnem maceravit. IX
De proviſione de eo facta in Præſulatum Ciceſtren. X
De Regis offenſa ex tali proviſione. XI
Quomodo adiit Sedem Apoſtolicam. XII
De reverſione in Anglia poſt conſecrationem. XIII
De mora & converſatione cũ D. Simone Teringe. XIV
De patientia & labore ejus. XV E
Quod recuperavit poſſeſſiones Eccleſiæ Ciceſtriæ. XVI
Qualiter Apoſtolicam regulam tenuit. XVII
De unius uxoris viro. XVIII
De ſobrietate. XIX
De prudentia ſua. XX
De hoſpitalitate ſua. XXI
De pudicitia ſua. XXII
De ſuo ornatu. XXIII
De doctrina ſua. XXIV
Quod percuſſor non fuit. XXV
De zeli ſui fervore. XXVI
Quod non fuit cupidus. XXVII
Quod domui ſuæ bene præfuit. XXVIII
Quod non fuit neophytus. XXIX
De puero quodam ſanato. XXX
De inſita quam Sanctus inſeruit. XXXI
De multiplicatione bonorũ in domo D. Symon. XXXII
De multiplicatione fabarum ad eleemoſynam. XXXIII
De accenſione cerei miraculoſa. XXXIV
De captura piſcis miraculoſa. XXXV
De altera captura piſcium. XXXVI
De tempeſtate maris ſecata. XXXVII
De miraculo fracti lapidis. XXXVIII F
De oculo cujuſdam Dominæ ſanato. XXXIX
De oculo cujuſdam ſanato, XL
De febricitante per cappam ejus ſanato. XLI
De quodam ſanato per botas ſuas. XLII
De infirmo per lectum ſancti ſanato. XLIII
Quod ſpiritu prophetiæ claruit, & de revelatione quadam mirabili. XLIV
De Judæo ad fidem converſo. XLV
De ſua prædicatione Crucis. XLVI
Deſunt tituli numeri XLVII & XLVIII
Quod corpus ejus delatum eſt Cyceſtriæ & ſepultum ibidem. XLIX

CAPUT I.

S. Richardi nativitas, ſtudia, Cancellarii dignitas.

9 SAnctæ recordationis Ricardus, natione Anglicus, Wigornienſis diœceſis, villa quæ ſecundum proprietatem Anglicanę linguę à puteo ſalis qui aquis putealibus ibidem componitur, *a* Wyche appellatur; parentibus ſecundum ſeculi ſtatum non *Ex nobilibus parentibus natus,*

AUCTORE RADULFO EX MS.

ignobilibus, patre Ricardo, matre vero Alicia nomine, extitit oriundus: cujus nominis proprium vocabulum gratiæ ſibi divinitus conferendæ videtur fuiſſe præſagium. Dicit quidem Petrus Ravennas, quod ipſa ſæpe Sanctorum nomina meritum indicant, teſtantur inſignia. Ricardus igitur *b* etymologice poteſt dici quaſi Ridens, Carus, & Dulcis: Et Ridens quidem per gratiam conſcientiæ; & hoc quoad ſeipſum: nam riſum integrum exterioris hominis raro vel non omnino admittebat, licet quamdam vultus jucunditatem aſſidentium vel aſtantium gratia præferret. Et cum medium nominis ejus imo verius cordis media, caritate ſternantur, Carus poteſt dici quoad Deum: quia ipſe qui contulit mundæ conſcientiæ meritum, rependit ei ſuæ dilectionis præmium. Dulcis vero fuit quoad proximum, per ſuavis affabilitatis eloquia & ſalubria vitæ conſilia: quia juxta Sapientis vocem, Unguento & variis odoribus delectatur cor, & bonis amici conſiliis anima dulcoratur, ut metrice merito de ipſo dicatur:

b *Richardus nominatur:*

Prov. 27, 9

Nominis in primo rides, dulceſcis in imo;
Si medium quæris, carus amicus eris.

B

10 Cujus diſpoſitio gratioſa, & morum conditio virtuoſa, vocabulo regionis & municipii, à quibus duxit originem, ſatis concordare videtur. Et quidem corporis venuſtate & gratia vultuſque hilaritate, Angelicum ſchema quodammodo præferebat in terris, & Angelorum vitam per munditiæ ſtudium ſic agere ſtudebat in carne, ut potius Angelicam quam humanam duceret converſationem Teſtis enim eſt qualiſcumque peccator, ſacræ tamen Religionis profeſſor & Sacerdos, qui hæc ſcripſit; quod cum, ante annos paucos tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, placeret ipſi Sancto prædicto Fratri vitam ſuam & commiſſa denudare; ipſum ſic carnis florem (quantum advertere potuit) reperit cuſtodiviſſe, ut in eorum numero cenſendum ipſum reputem, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, & novum canticum cantantes ſequuntur Agnum quocumque ierit: unde & Anglicus, quaſi Angelicus, non immerito dici poterit. Et ut Angelicæ puritatis cœlibatum perfectius imitaretur, licitum matrimonium cujuſdam puellæ ſibi oblatum, prout planius ſuo loco oſtendetur, penitus refutavit: tamquam illud, quod Veritas in Evangelio dicit, jam mente retentans, quod Sancti, in reſurrectionis gloria ſimiles Angelis futuri, neque nubent neque nubentur. Apte quoque à loco ſalis ſuæ nativitatis ſumpſit exordium, qui Apoſtolorum ſucceſſor futurus dignitate & officio eorum vices gerebat, quibus Dominus ait, Vos eſtis ſal terræ: cujus etiam ſermo ſecundum Apoſtolum in gratia fuit ſemper ſale conditus, paratus vitiorum fœtorem reprimere & morum ornamenta condere. Et ſicut ex fluida materia ignis beneficio ſal in ſolidam Petræ materiam, animalium infirmorum lambitioni profuturum vertitur: ſic & noſter Ricardus, ex fluida humani generis natura & ſemine corruptibili conceptus & natus, igne Spiritus ſancti ejuſdemque gratiæ beneficio confirmatus, peccatoribus peccati infirmitate languentibus petræ medecinalis antidotum ſeipſum exhibuit. Ecce nihilominus vas, Eliſæo procurante ſibi allatum, puritatis munditia novum, terrenæ felicitatis contemptu vacuum, mentis humilitate concavum (tumor enim infuſa repellit) in quo ſale ſapientiæ ſalutaris ſalubriter infuſo, veri Eliſæi induſtria, aquas Hierichontinas à ſterilitate laudabilis exercitii & peſtifera mortalitate peccati efficaciter ſanavit.

Angelicaque munditia

& Apoſtol. ſalis virtutes aſſecutus,

C

Matt. 22, 30

Matt. 5, 13. Col. 4, 6

11 Hic igitur ab annis adoleſcentiæ litterarum ſtudijs applicatus, velut terra ſupernæ benedictioni proxima, imbrem doctrinæ ſuſcipiens, jucundi germinis fructum pariter & vigorem ſuo tempore cœpit germinare. Dum adhuc igitur adoleſcentiæ floreret in annis, frater ipſius ſenior, ad quem ſucceſſione hereditaria patrimonii jura ſpectabant, Ricardum, licet ætate minorem, hereditatis poſſeſſione digniorem judicans, quidquid juris ſibi competebat ultro donavit eidem. At Richardus regeneratus in ſpem vivam per Chriſtum, hereditatem incorruptibilem & immarceſſibilem conſervatam in cælis, cujus participatio ejus in id ipſum, & ideo fratrum multitudine non minoratam, potius elegit quam terrenam, ut libere dicere poſſet cum Pſalmiſta: Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hereditas mea præclara eſt mihi. Ad ſcholas ergo Richardus revertitur, litterarum ſtudio diligenter inſiſtens: & ut pectori ſummi Sacerdotis futuri non irrationabiliter Rationale judicii necteretur; poſt humilioris litteraturæ ſcientiam ſufficienter adeptam, rationalem ſcientiam, id eſt, Logicam, ut ad intelligenda cetera aptior redderetur & acutior, arbitratus eſt aggrediendam. In qua ita laudabiliter profeciſſe dignoſcitur, ut in Studio generali & famoſo in ipſa commendabiliter admodum rexiſſe, & Magiſtri nomine dignus fuiſſe comprobetur.

D

oblatam à fratre hereditatem renuſat;

Pſ. 15, 6

Artium Magiſter creatus eas prælegit:

E

12 Regens igitur Richardus, non ſine ſuperni Rectoris regimine, directus & cuſtoditus eſt. Nempe, ut fidelium & religioſorum compertum eſt atteſtatione, cum quidam ſcholaris, Oxoniæ cathedram magiſtralem aſcenſurus, celebri convivio ſui magiſtratus initia ſolennizare decreviſſet, Magiſtrum Richardum de Wycio, ſcientia tunc & moribus famoſum, ad ſuas epulas & menſæ ſuæ decorem ſtuduit invitare. Hora igitur prandendi, venientibus qui fuerant evocati, locus tantæ perſonæ conveniens Magiſtro Richardo eſt aſſignatus. Cum ſubito inter prandendum intrant æditui, qui dicunt quemdam egregiæ formæ juvenem pro foribus equo reſidentem aſſiſtere, qui ſciſcitatus an Magiſter Richardus de Wycio introrſus cum ceteris recumberet, ejus ſe dixit ardenter & feſtinanter velle frui præſentia: & quamvis diligenter & amicabiliter, ut intraret, ab eis obnixe rogaretur, quatenus cum dicto Magiſtro haberet colloquium & reficeretur cum gaudio; nullo modo acquievit, ſed hoc ſolum iterum atq; iterum replicans rogavit, ut dictus Magiſter ſine moræ diſpendio ad ſe venire feſtinaret. Magiſter igitur Richardus hæc audiens, concito ſurrexit, & ad fores uſque perrexit. Cumque huc illucque circumſpiceret, & ſolicite ab iis qui aderant inquireret intellexit hujuſmodi ibidem adfuiſſe; ſed qua diverterit vel quando, non eſt inventus qui ſciret edicere.

loco convivii

F

13 O immenſa Dei pietas, qui ſic ſuas mirificare novit miſericordias, ut ſalvos faciat ſperantes in ſe! Dum enim Magiſter Richardus, à prandio ſurgens, huc illucque juvenem inquirendo moras necteret; ecce caſus inopinabilis, & qui totam convivii jucunditatem, niſi Deus aliter providiſſet, verteret in luctum. A lapidea enim macerie, deſuper eminente, interim lapis tantæ molis decidit, ubi prius Magiſter Richardus ſederat, quod dubium eſſe non potuit, ſi ſeſſionem continuaſſet, quin caput ejus conquaſſaſſet. Sed ille qui de futura reſurrectione ſpem ſuis tribuendo promiſit, dicens, Capillus de capite veſtro non peribit; ſui Richardi caput, oleo lætitiæ in Pontificalem dignitatem perungendum, ab exitiali lapidis caſu voluit obſervare. Unde dubium eſſe non debet, illum qui in forma juvenis Magiſtrum Richardum requirebat, de numero eorum extitiſſe, de quibus Pſalmiſta, viro juſto promittens Deo protectionem, dicit: Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te

lapidis lapſu opprimendus,

Luc. 21, 18

ab Angelo evocatus ſervatur:

Pſ. 90. 11

A te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Qui ergo ſanctorum pedes, ne offendant ad lapidem, per Angelos cuſtodire promiſit, ipſe Ricardi caput, ne à lapide læderetur, cuſtodivit. Perſtat igitur docendo pariter & diſcendo aſſiduus B. Richardus; ex diſcipulorum doctrina ſibi meritum, diſcipulis profectum cupiens ampliare

in jure Canonico Doctor creatus,

14 Et quia in Rationale ſeu Logion, quod pectori ſummi Sacerdotis annexum erat, juxta divinæ monita diſpoſitionis, Judicium & Veritas debeat inſcribi; non abs re futurus Pontifex ſacrorum Canonum ſanctiones (quæ ex Theologiæ paginis mutuando veritatem, & Imperatorum legibus judicii æquitatem, conſtare noſcuntur) arbitratus eſt audiendas. Hæc nempe duo ſic ſtudioſe ſuo pectori inſcribere ſtuduit, quod in tantum ſuper coætaneos profeciſſe dignoſcitur, ut non ſolum diſcipuli ſapientis, verum etiam Doctoris ſcientiæ eminentis apicem mereretur attingere. Ad cujus doctrinæ laudem non nihil operari videtur, quod in ipſo ſtudio generali ab ipſa Univerſitate unanimi conſenſu Cancellarius factus eſt. In quo nimirum officio detexit effectu operis, theſaurum

fit Cancellarius Vniverſitatis.

B ſapientiæ & ſcientiæ, quem in armariolo recondiderat mentis. Fuit enim in cauſarum diſcuſſionibus prudens inveſtigator ac diligentiſſimus, in pronuntiando verax, in judicio juſtus, in ſententiis proferendis diſcretus, in omni actione compoſitus.

à S. Edmundo Archiep. in Cancellatum aſſumptus

c 15 Virtutum namque plantariis, tamquam aromatum area, Ricardus copioſe per omnia conſitus, flante Auſtro, fugatoque longius Aquilone, ipſius fama ſuavitatis circumquaque cœpit diffundi, in tantum quod ad ſanctæ recordationis *c* Edmundi, tunc Cantuarienſis metropolis Archiepiſcopi, notitiam uſque pervenit. Tanti igitur viri ac tam famoſi corporali præſentia Eccleſiam ſuam cupiens honorare, ac domus familiam ipſius converſatione laudabili perornare; eum ad ſe fecit accerſiri, & à ſecretis ſtatuens, ſuæ curiæ Cancellariam commiſit eidem.

ita cum illo Eccleſiam protegit & ornat,

Cœpit igitur Ricardus quotidie in bonis creſcere, C miniſterium ſibi creditum faſtu dempto ſuperbiæ prudenter excercere, Domini ſui Archiepiſcopi ſtudens per omnia providere quieti, quem ſciebat optimam partem cum Maria eligere pariter & diligere, & proximorum pro cauſis diverſis ad Archipræſulis curiam adventantiũ conſulere utilitati: in omni cauſa vel negotio manus excutiens penitus à munerum acceptione, quæ oculos excæcare ſolent etiam ſapientum. Gratulabatur Archiepiſcopus ſe Cancellarii ſui ſollicita diſcretione ac diſcreta ſolicitudine ab exteriorum tumultibus liberari: gaudebat Cancellarius Domini ſui ſanctitate ac cæleſti converſatione informari: reclinabantur in alterutrum, ſanctus in ſanctũ; magiſter in diſcipulum, diſcipulus in magiſtrum; pater in filium, filius in patrem; ita ut vivaci inſpectori, ſpiritualiter converſanti, videre eſſet duo Cherubim gloriæ, Arcam Domini, id eſt, Eccleſiam Cantuarienſem

ſicut duo Cherubim Propitiatorium. Ex. 25, 18

protegentia, ſanctæ intentionis oculo invicem ſe inſpicientia, & alis geminæ caritatis ſe mutuo contingentia, verſis ſemper vultibus voluntatum in propitiatorium, in ipſum videlicet qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Fuerunt nihilominus prædicta duo Cherubim opere productili, id eſt malleorum tunſione producta & fabrefacta: quia uterque Sanctus iſte, Edmundus videlicet & Ricardus, unus quidem, id eſt Archiepiſcopus, patiendo; alter vero, id eſt diſcipulus, compatiendo & colloborando pro libertate Eccleſiæ & juſtitia, tribulationes innumeras & anguſtias, damna rerum & rapinas, corporum labores & moleſtias, opprobria verborum & contumelias, provinciæ denique ſuæ proſcriptionem & exilium, tamquam malleorum duros ictus & frequentes, ſuper patientiæ incudem, velut auri digniſſima materia, abſque tinnitu murmuris perpeſſus eſt. AUCTORE RADULFO EX MSS.

ambo in duabus virgis Zachariæ adumbrati Zach. 11, 7

16 Fuerunt quoque duæ virgæ à Zacharia aſſumptæ, quarum unam vocavit Decorem, Archipræſulem ſcilicet propter vitæ contemplativæ pulchritudinem ipſum decorantem, per quam in ſuis deliciis ſpecioſa fit anima & ſuavis, alterum vero, id eſt Cancellarium, vocavit Funiculum, propter activæ vitæ multiplicem occupationem, qua in ſingulis negotiis unicuique metiebatur juſte, tamquam in funiculo diſtributionis. Sed nec iſtos duos

duo magna luminaria vocandi.

magna luminaria appellare formidem, quæ in Eccleſiæ Cantuarienſis firmamento conjuncta, ex ſua propinquitate non eclipſim generarent, ſed radioſæ lucis fulgore totam Eccleſiam perluſtrarent. Conſtanter igitur & perſeveranter B. Edmundo in ſuis tribulationibus, tam in provincia quam in exilio, Sanctus adhæſit Ricardus; non ignarus, quod qui fuerint ſocii paſſionum, ſimul erunt & conſolationis; & qui compatiuntur, conregnabunt. Nec ſilentio arbitror prætereundum illa miræ affectionis verba, quæ idem. Edmundus in ultima voluntate de Beato expreſſit Ricardo: Legamus dilecto, inquit, Cancellario noſtro, quem jam diu nobis inviſceravimus, cuppam noſtram. Quæ quidem verba ſanctæ recordationis Otto *d*, tunc in Anglia Sedis Apoſtolicæ Legatus, non parum admirans, iterum atque iterum coram ſe fecit recitari. E *d*

S. Edmundo Pontiniaci ſepulto,

17 Cum autem, expleto ſui certaminis curſu, felix ille B. Edmundi ſpiritus, corpore exutus & patriam pro exilio commutans ad Deum à quo illum recepit, remeaſſet, lætantium ſociandus conſortio Angelorũ; ſepultaq, apud Pontiniacum ſacra ſui corporis gleba, per incorruptionẽ vernante; non immerito, tanti pignoris theſauro deſtitutus, Clerus & populus luxit Anglorum. Quod tamẽ divino nutu juſtiſſime videtur effectum, ut & corpus ejus in pace ſepeliretur, & ſuis perſecutoribus tanti ſolamen muneris auferretur. Orbatus igitur B. Ricardus tanti Patris & tam dilecti corporali præſentia, doloris forſitan metas exceſſiſſet, niſi divinæ diſpoſitioni remurmurando contraire timuiſſet; & ipſum Patrem venerandum præſentis vitæ miſeriam beatæ vitæ immortalitate commutaſſe certiſſime credidiſſet. Mortuus eſt igitur Pater, & quaſi nõ eſt mortuus: reliquit enim poſt ſe, etſi non per omnia ſimilem (quod tamen divinæ ſcientiæ æſtimo relinquendum) audenter tamẽ aſſerere me poſſe confido, ad ejus ſimilitudinem, quantum permiſit humana fragilitas, ferventer anhelantem. O quam frequens, quam familiare, quam votis pariter & voce recitabile ſibi fuit illud B. Edmundi nomen venerabile! Quotieſcumque enim diceretur, fieret, ſeu prædicaretur

Richardus Theologiæ ſtudet Aurelianis,

quidquã ad ſanctos B. Edmundi mores attinens, ſubjũgere ſolebat: Sic agere, ſic loqui, ſic ſe gerere, ſic prædicare, Dominus meus S. Edmundus ſolebat: actuum enim ſuorum, virtutum, ſeu verborum ſedulus & ſolicitus erat recitator; ſed multo ſolicitior imitator. F

18 Solutus igitur tam à curiæ quam curæ ſolicitudine B. Ricardus, ſtudium litterarum, quod ad tempus intermiſerat, fine debito cupiens terminare, ad Theologiam ſe contulit, & Aurelianis in domo Fratrum Prædicatorum à quodam Fratre ejuſdem Ordinis, laudabilis ſcientiæ, audiendo, in ea tantum profecit, quod pro majori parte totius ſacræ bibliothecæ textum audivit & didicit: non ut plerique, qui auribus audiunt & non intelligunt; ſed audiens exterius, audivit interius; ut efficacius poſtmodum impleret, quod dicitur in Apocalypſi, Qui audit dicat, Veni; & ut dignius apprehenderet præmium perfecte audientium, quod in Job repromitti- Apoc. 22, 17

AUCTORE RADULFO EX MSS.

mittitur, ſi audierint & obſervaverint, complebunt dies ſuos in bono, & annos ſuos in gloria. Hoc quoque ſtudii finem, hoc ſcientiæ ſuæ terminum, hoc etiam vitæ ſuæ directionem in omnibus & per omnio cupiens retinere, poſt ipſum ad quem omnia referebat Deum; ut quæ audiendo facienda didicerat, operum veritate compleret. Unde non immerito in ipſo completum eſt quod ſcribitur in Euangelio, Qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno cælorum, tam ſcilicet in Eccleſia triumphante quam militante. Cum igitur Aurelianis in Theologia ſtuderet, à loci Diœceſano, *e* cui jam mores & ſcientia B. Ricardi non latebant, ordinem ſuſcepit Sacerdotii: & ex tunc in tantum carnem maceravit, quod niſi de conſilio amicorum prudentium ſecum indulgentius egiſſet, ipſam ſuam carnem deficere coëgiſſet. Aſſenſu quoque Diœceſani, tunc Aurelianis oratorium in honorem B. Edmundi erexit, ubi Miſſarum ſolennia & orationum devota libamina Deo offerebat.

Mat. 4, 19

e *& Sacerdos conſecratus ſacellum eidem extruit*

ANNOTATA.

B a *Vulgo* Droitwiche, *ad Salvvarpum flumen, VVigornienſi urbi, vulgo worceſter, ad Boream intervallo ſex Anglicanorum milliarium: quin tota diœceſis ab ejuſmodi puteis* Wicciorum *dicta eſt temporibus Bedæ. Quos tamen alibi obſtructos, & quoties reperiuntur obſtrui, ſcribit Cambdenus*, eo quod cautum ſit uno tantum loco ſalem excoqui, ut ſilvis ſit proſpectum. *Tres ibi nunc ejuſmodi fontes ſunt, è quibus ab æſtivo ad brumale ſolitium ſal puriſſimus excoquitur: ex regiis autem tabulis apparet olim* in Wich octo ſalinas *fuiſſe.*

b *Etymologias iſtius ſeculi potius alluſiones ad nomen dixeris: quales ſunt quæ tota paſſim legenda aurea reperiuntur: alias ex veræ etymologiæ legibus* Divitis indolis, Richardum *interpretabere.*

c S. Edmundus *Archiepiſcopus colitur 16 Novembris creatus anno 1234, mortuus Pontiniaci in Gallia 1241, Sanctis adſcriptus paucis poſt felicem obitum annis.*

d Ottho, *S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Card. an. 1227 creatus à Gregorio IX in Angliam venit 1237: cujus ibidem geſta fuſe deſcribit Mattheus Paris: legationem depoſuit an. 1241, obiit 1251. fuiſſe eum S. Edmundo parum æquum, ſuiſque litteris & criminationibus effeciſſe ne quid in Romana Curia ille proficeret, Godwinus calumniatur.*

e *San-Marthani tom 2 Galliæ Chriſtianæ hunc Aurelianenſem Epiſcopum nominant* Guilielmum de Buſiaco, *ſive* de Buſſiis, *oſtenduntque ab anno 1237 ad 1258 Sedem ſuam tenuiſſe. Carolus Sauſſejus cum in Annalibus Eccleſ. Aurelian. S. Edmundi mortem & S. Richardi Aureliæ adventum adſcribit an. 1246, æque in utroque fallitur, atque in eo quod putet mortuum in Anglia S. Edmundum.*

C

CAPUT II.

Conſecratio Sancti Richardi & res in Epiſcopatu geſtæ.

Mortuo Radulfo Ciceſtr.

19 IAm vero operæ prætium ſcribere duxi cauſam, ordinem & modum, quo ad regimen Eccleſiæ Ciceſtrenſis aſſumptus eſt. Cum per mortem bonæ memoriæ Radulfi cognomento *a* de Nevile, quondam Ciceſtrenſis Epiſcopi, præfata Eccleſia viduata eſſet Paſtore, & Capitulo prædictæ Eccleſiæ à Rege Angliæ Henrico Tertio, Principe Catholico, conceſſa eſſet, prout moris eſt, electionis libera facultas; convenientes ſtatuto die Canonici prædictæ Eccleſiæ, quemdam aulicum *c*, in hoc forſan regis *d* favorem ſe credentes habituros, Eccleſiæ tamen Archidiaconum, in Paſtorem & Epiſcopum ſibi elegerunt. Cum vero electionem de eo factam Metropolitanæ Sedis tunc Electo *e*, Bonifacio nomine, præſentaſſent; deliberato conſilio diem ſtatuit, qua de electi electioniſque meritis ſecundum Canonum ſtatuta cognoſceret. Adveniente itaque ſtatuto die, loco præfinito adeſt Electus Cantuariæ, cum quibuſdam ſuis ſuffraganeis, viris utique vitæ & ſcientiæ eminentis: inter quos ille famoſiſſimus quondã Lincolnienſis venerabilis Pater Robertus *f*, in Eccleſiæ corpore membrum non modicum (quod & cognomen ſuum, id eſt, Grandecaput, quod vulgariter, Groſſe teſte, dicitur, ſatis prætendit) adſunt & cum eiſdem Magiſtri & Clerici utriuſque Juris periti. Facta igitur ſuper electione & Electi Ciceſtrenſis perſona diligenti diſcuſſione, meritiſque dinumeratis, & appenſis prædicti Electi ſcientia & moribus, inventus eſt minus habens: & ideo de conſilo prudentum, qui affuerunt, palam ſua caſſata eſt electio.

D

e

caſſatur electio cujuſdã electi,

f

20 Electus igitur Cantuarienſis, Eccleſiæ prædictæ Paſtore deſtitutæ, prout tunc juris & moris habebatur, antequam ſolveretur tam ſolenne diſcretorum virorum concilium, cupiens providere; injunxit eiſdem; ut Deum præ oculis habentes, & utilitati Eccleſiæ conſulentes, talem virum ac tantum providerent & nominarent, cui ſine conſcientiæ ſcrupulo & animæ periculo, onus tanti officii tantæque culmen dignitatis rite poſſet imponere. At illi, tamquam viri virtutum, ipſius (prout decuit) voluntatem approbantes, eique per omnia parere cupientes, ſuper injuncto tibi negotio tractare cœperunt. Et ille, cujus quondam ſpiritus Præſulum congregationi ad providendum Myrenſi metropoli adunatæ Nicolaum deſignavit, nunc quoque Eccleſiæ Ciceſtrenſi noſtrum Ricardum præponendum inſpiravit. Qui, cum tam idoneæ perſonæ nomen ſibi eſſet propoſitum, gaviſus eſt quam plurimum (audierat enim de eo, quod erat vir ſtrenuus, moribus & ſapientia præclarus, in Eccleſiæ negotiis per omnia proficuus, utpote qui anteceſſori ſuo B. Edmundo in Eccleſiæ Cantuarienſis negotiis coadjutor fidelis extiterat, & in tribulationibus comes indefeſſus) ſtatimque præſente Præſulum collegio Clerique & populi congregatione, proviſionem à ſe factam Eccleſiæ Ciceſtrenſi de Magiſtro Ricardo de Wycio ſolenniter pronuntiavit; Pontificibus & Clero, qui aderat, ſuper hoc devote Deum laudantibus, nec non Ciceſtrenſis Capituli Canonicis ſuper hoc magnifice Deum collaudantibus, quod de tanta & tam idonea perſona ſibi & Eccleſiæ ſuæ voluit providere; acceptamque proviſionem unanimiter habentes, Deum toto corde benedicebant.

& Richardus Epiſcopus nominatur,

E

F

21 Quod factum cum regias aures *g* attigiſſet, ſubmurmurantibus aulicis quibuſdam, quod in Regis dedecus redundaret & ſui Clerici caſſata electio, & de ſuo inimico facta proviſio (quippe qui B. Edmundo in cauſis, quas contra regiam voluntatem & libertatem quoad vixit habuerat, defenſorem ſe contra Dominum ſuum Regem gerere non timebat, nec regiæ potentiæ contraire) Rex ipſe, indignationem non modicam animo concipiens, bona Ciceſtrenſis Eccleſiæ ſolito arctius & deſtrictius præcepit *h* infiſcari, & tam contra proviſionem factam quam contra perſonam, de quo facta eſt proviſio, totus cœpit inſurgere. Perpendens itaque Ricardus, ſi cederet, hinc Eccleſiæ Ciceſtrenſis diutinam deſolationem; illinc ex proviſa ſibi dignitate, ſi proſequeretur, imminere perſecutionem; hinc ſuæ conſcientiæ innocentiam, illinc ſi propter timorem cederet in conſimilibus pernicioſi exempli imitationem; & ſuper hæc timens, ſi contra proviſionem de ſe factam à tantis viris ac talibus veniret, divinæ diſpoſi-

Rege nequidquam indignante:

g

A dispositioni cõtraire; elegit magis, propter Ecclesiæ utilitatẽ & libertatis ejus tuitionã, causam suã prosequi, quam ob metum persecutionis cedere. Tunc quippe Episcopatum suscipere laudabile est, cum propter hoc gravior persecutio videtur imminere: qui enim propter persecutione Ecclesiæ regimen suscipere renuunt pastorale officiũ fugiendo mercenariis se conjungũt.

contra quem apud Innocentium IV

22 Cum igitur Regis animum, post frequentes Archipręsulis aliorumq; Prælatorum supplices moniciones, & propriæ innocentiæ & justitiæ humilem declarationem, B. Ricardus inflexibiliter contra se cerneret erigi; gratiæ divinæ se causa nq; suam recommendans, ad illud supremum post Deum oppressorũ in hoc mundo refugium, Sedem loquor Apostolicam, non absq; insidiarum metu, Deo duce se contulit: sed ibi quoq; regios *i* Procuratores, contra se paratos & instructos, invenit. Regebat tunc Romanã Ecclesiam sanctæ recordationis Innocentius IV: qui audita placide adventus sui causa, ipsum paterne suscipiens, laboribus ac tribulationibus ejus nec non Ciceſtrensis Ecclesiæ oppressionibus pio compatiebatur affectu. Nec multis postmodum diebus elapsis, regiæ mentis motum & voluntatem, & B. Ricardi innocentiam & justitiam summus Pontifex cognoscens, libratisq; justitiæ statera partis utriusq; meritis, provisionẽ de B. Ricardo factam suæ sanctionis auctoritate confirmat: & non multis postmodum transactis dierum curriculis, idem Apostolicus sacrarum manuum suarum impositione eidem munus consecrationis solenniter impendit. Obtenta igitur B. Ricardus, cum mysticæ unctionis abundantia, fœcunda infusione gratiarum, infulaque Pontificali redimitus; ne statim, mixtus turbæ, tantæ gratiæ munus turbare videretur, aliquantisper ibi quiescere disponebat. Interim quoque Ecclesiæ suæ seu personæ propriæ immunitates, & litteras Apostolicas Regi Angliæ [dirigendas] super suo in regnum Angliæ ingressu pacifico, ac possessionum & rerum ad Ecclesiam Ciceſtrensem pertinentium restitutionem & regii favoris reconciliationem, quam nequaquam demeruerat, obtinere curavit. Quibus obtentis, ad suam patriam & diœcesim visitandam, sui gregis solicitam curam agere disponens, repedare curavit. Pii tamen Patris sui B. Edmundi, crebra tunc miraculorum coruscatione fulgentis, corpus, insalutatum nullatenus voluit præterire; illa benedictione non indignus, quam Noemi Booz optat dicens; Benedictus sit à Domino, qui eandem gratiam, quam exhibuerat vivis, servavit & mortuis: præmissisque nuntiis, de statu regni Angliæ & Regis animo erga suam personam caute exploraturis, ipsemet è vestigio subsequitur.

i

remissus cũ litteris Apostolicis in Angliam,

Ruth. 2, 20

C *magis Regẽ offendit,*

23 Regreditur itaque ad natale solum B. Ricardus, & ingreditur. Quid tamen ageret, vel quo se verteret; vel ubi se reciperet? si ad Ciceſtrensis Ecclesiæ bona mobilia manum extenderet, in vanum laboraret: consumpta enim & distracta jam pridem per regiæ curiæ satellites extiterant. Si mutuum accipere ad quotidiani victus necessaria decrevisset; inhibitio regia publice & communiter divulgata præcesserat, ne sibi quisquam pecuniam seu quidquam aliud mutuo commodaret: si ad sua maneria diverteret, nec in propria venire, *k* nec suorum cuiquam ibidem eum licuit recipere. Hæc videns B. Ricardus, Regis personam cum mandato Apostolico sibi videbatur adeundam. Ostensis igitur Regi suis & Apostolicæ Sedis mandatis, Regis indignationem & iram, magis quam reconciliationem & gratiam, videbatur provocare; aulicis maxime, &, quod dolendum est, quibusdam Clericis indignantibus & subsannantibus, quod à Christi Vicario obtinuerat, quod à Rege Domino suo non poterat. O cæca cupiditas! ô regii palatii obnubilata ambitionis cæcitas! Non recolis illud Exodi, quod Moyses non à consortio seu colloquio Pharaonis Regis, sed à consortio Dei, perceptis colloquis divinæ legis, processit cornutus? Et ecce alter Moyses, à facie Domini Papæ regrediens, legis divinæ prorsus non ignarus, capitis mitra cornutus, & Pontificalibus insignibus sed plus moribus præfulgens & clarus: ut jam tabescens invidia præfulgore sustinere non possis; sed velamine livoris obtecta, cum perfido populo Judæorum, faciem ejus contemplari non audeas.

k

ab assentatoribus, etiam Clericis, exasperatum:

Ex. 34, 29

AUCTORE RADULFO EX MSS.

24 Non me existimet quisquam, obsecro, præsenti verborum serie generaliter omnes aulicos curiæ regiæ fugillare, vel erga omnes sic invehi. Licet enim antiqui Canones, propter quædam quibus irretiri solebant hujusmodi curiales, ad sacros Ordines seu gradus ecclesiasticos assumi prohibeant; fuerunt tamen sæpe, & per Dei gratiam adhuc sunt & futuri sunt, nonnulli curiarum nexibus implicati, ecclesiasticiOrdinis gradu seu dignitate prorsus non indigni. Scio B Joseph super domum Pharaonis & regnum tamquam dominum & principem constitutum, remque publicam in Regis pariter & plebis utilitatem gubernasse. Scio Esdram & Zorobabel coram Regibus tyrannis prudenter & sancte conversatos, & cum Regis pariter & Reginæ favore templum Domini reædificandi auctoritatem simul & impensas impetrasse, eosdemque Sacerdotii gradu dignissimos extitisse. Quid de Daniele ejusq; sociis, sub Nabuchodonosore conversantibus, commemorem? Novi & David, secundum cor Dei electum; sub Saule militantem, hanc laudem non indebite meruisse; Quis enim sicut David fidelis inventus est? & cetera. Et ut de nostris non sileam, quis Anglorum suo tempore fidelior Regi, quis in regni negotiis solicitior, quis vita purior, quis Christo Regi acceptior illo athleta glorioſissimo, B. Thoma, egregio martyre? Hic tamen cum esset aulicus, aulicorum persecutiones sustinuit. Fuere nihilominus & adhuc extant nostris temporibus, qui à curiæ ministerio ad regimen ecclesiasticum assumpti, vita pariter & scientia laudabiles extitere. Igitur, prout perpendo, sunt mixti in curiis sathan cum filiis Dei, accusatores cum Daniele; incredulæ & subversores & scorpiones cum Ezechiele: de quorum numero non immerito censuerim, qui Regis animum, de sua natura benignum, de divina gratia Catholicum, contra B. Ricardum stimulaverunt.

quod tamen dictum non sit, quasi nulli Clerici boni in aula,

E *ex qua tot illustres Sancti prodierunt.*

25 Unde & pauper & mendicus à Rege recedens in suam diœcesin, tamquam hospes in peregre veniens, se recepit: imo verius alieno sub tecto hospitatus, aliena sub mensa pedes ponens, suscipitur, discens coactus, ut vulgo dicitur, alienis carbunculis calefieri. Providit tamen ei Deus, qui suis adesse solet in tribulatione, virum secundum cor suum, non procul à suæ diœcesis Sede conversantem. Hic est ille, cujus nomen vivat in secula & memoriale ejus non derelinquatur, Dominus Symon de Teringe, fama pariter & conversatione percelebris, & super ceteros viscera caritatis indutus. Hujus tetigerat Deus cor; & B. Ricardum, jam pridem in optimis cognitum, tamquam patrem reverenter suscipiens, domum, cum iis quæ habuit vel habere potuit, suæ subjecit ditioni. Ipse tamen B. Ricardus, sciens virum non valde temporalibus affluentem (quippe qui solo & unico beneficio contentus dignitatem aliquam seu beneficium aliud recipere numquã potuit persuaderi) paucis contentus fuit; hoc solo nimirum forsan permotus, quod hospitalitatem exhibere & pauperibus providere de bonis ecclesiæ suæ, sicut Episcopalis status requirit, usquequaque non potuit. Interim quoque B. Ricardus exhibet quod potest: exit per vicos, loca suæ diœcesis & monasteria visitando, prædicando, monendo, Sacramenta, prout necesse conspexit, pro locorum &

Propriis exclusus excipitur à Simone de Teringe,

F

& Episcopi munera, ut potest, exequitur.

AUCTORE RADULFO EX MSS.

temporum ſeu perſonarum congruentia, devote miniſtrando. O ſerve Chriſti Ricarde, ſtatum & vitam recole, quam junior quondam vocè & voto tenere propoſuiſti, &, niſi Deus aliter ordinaſſet, quantum in te fuit aſſumere voluiſti, & gaude nihilominus, quia jam tenere meruiſti. Quem, inquis, ſtatum vel quam vitam dicis? Vitam dico Fratrum Prædicatorum, quæ eſt, abſque proprio in paupertate Chriſtum prædicare, animarum ſalutem procurare, & in Domini meſſe gratis de ſua gratia confidentes alacriter laborare. Suſtine parumper, & age quod agis fortiter: ut & paupertatis voluntariæ mercede non priveris, & nihilominus Paſtoralis officii præmio & dignitate non frauderis.

probris in aula afficitur,

26 Interim autem, ne deſes & ſui juris contemptor poſſet reputari, Regis curiam æſtimat adeundam, ipſamque diligenter ſequitur, bonorum Eccleſiæ ſuæ reſtitutionem de Regis gratia repetens, quæ ſibi de juſtitia competebant. Cum ergo die quadam palatium Regis apud *m* Windeleſore fuiſſet ingreſſus, quidam ex iis quos Mareſcallos vocant, ipſum torvo vultu intuitus ait, Quomodo huc auſus es ingredi, cum Regis animum erga te graviter non ignores offenſum? At ipſe, ut erat multum verecundus, eo verbo confuſus, pacifice palatium egreditur, & deforis plebejis ſociatus exſpectat ſub divo; non maledicens, non remurmurans, ſed Deo gratias agens, & pro ſe perſequentibus & calumniantibus exorans. Inde quoque, per loca arida & ſterilia, in labore & ærumna, proſequitur Regis veſtigia: quippe qui peregrinabatur vacuo marſupio; & Regis edicto jam dudum prohibente, vix invenit qui ſibi ad victus neceſſaria pecuniam accommodet vel alimenta. Si quando ad Regem rogaturus approximat, ſatellitum opprobria recipit; & cum Apoſtolo obſecrat, & blaſphematur; perſecutionem patitur, & æquanimiter ſuſtinet: ex iis nimirum, quæ quondam cum B. Edmundo paſſus eſt, didicit patientiam. Poſt duos igitur annos, quibus ſic pugnavit ad beſtias, geminas tam cordis quam corporis tribulationes ſuſtinendo, Rex frequenter ſuſceptis monitionibus & mandatis Apoſtolicæ Sedis, aliis nihilominus Prælatis & viris Deum timentibus id ipſum perſuadentibus ſimulque ſuæ conſcientiæ conſulens & famæ; maneria ſua Epiſcopo reſtituit & ut Eccleſiam Ciceſtrenſem ingrediatur libere, & prædia & maneria integre recipiat & pacifice poſſideat, litteris & viva voce concedit; de ablatis ſeu injuſte detentis, certam ſummam pecuniæ bona fide ſpondens. *n* Nudus igitur & ſpoliatus, maneria & prædia nudata Ricardus ingreditur, impleto quod Angelus ad Eſdram dixit, Propter hoc, ô Eſdra, vacua vacuis, & plena plenis; quia regii ſatellites ex rapina de bonis Eccleſiæ marſupia plena reportabant, & B. Ricardus vacua maneria bonis temporalibus vacuus recepit.

& tandem placato Rege

C

n in exhauſtas Eccleſiæ poſſeſſiones redit.

a Eſd. 7, 25

ANNOTATA.

a Radulphus *Epiſc. Ciceſtrenſis Matthæo Paris* de Nova-villa; *qui eumdem an.* 1222 *circa feſtum omniũ Sanctorũ electum, ſequenti anno confirmatum docet; egregiam ejus integritatem & animum à Prælationibus alieniſſimũ breviter Godwinus deſcribit, & an.* 1244 *Londinii ait exceſiſſe.*

b *Ita corrigo, pro eo quod in MS. perperam legebatur,* Quarto: *hic enim non niſi anno* 1399 *regnare cœpit, iſte ab anno* 1216 *ad* 1273 *regnum tenuit.*

c Robertum Paſſalete, *quem Godwinus ait* propter induſtriam & rerum gerendarum dexteritatem Regi plurimum dilectum fuiſſe: *ſed hæc induſtria qualis & quam turpis fuerit, vide apud Mattheum Paris.*

d *In MS.* fautorem, *quod corrigendum putavi.*

e *Fuit* Bonifacius *Archiepiſc. Cantuar. Reginæ Aleonoræ avunculus, poſt mortem* S. *Edmundi indignis modis commendatus, & tandem ab Innocentio* IV *exeunte anno Chriſti* 1245 *in Gallia conſecratus; quæ autem hic narrantur præcedenti anno contigerunt.*

f *Sedit* Robertus *ab an.* 1235 *ad* 1253 *die* 9 *Octobris*, propter magna & plurima miracula & propter emanationem olei ab ejus tumba, Sanctus Robertus in Anglia dictus, *ut teſtatur Academia Oxonienſis in iis litteris, quibus ejus canonizationem petitam ait Gaſconius, ad Clementẽ* IV *ſcribens: ſed fruſtra, quia zelus vehementior Romanæ Curiæ odioſiſsimũ fecerat, ut ex Matthæo Paris apparet.*

g Circa feſtum S. Barnabæ, cum apud S. Albanum Rex ageret, *inquit Mattheus Paris: qui deinde juſtiſsimam Roberti rejectionem & Richardi ſubſtitutionem, ac ſecutam Regis indignationem deſcribit.*

h *Reſervationem bonorum Epiſcopalium Matthæus ab inſiſcatione diſtinguit: ſic ut hæc facta ſolum ſit poſt conſecrationem Lugduni ab Innocentio Papa obtentam: illa autem ſtatim poſt electionem. Idem paſſus qui ſimul Lugduni cum Richardo eſt conſecratus an.* 1245 *Rogerus de Weſeham, ex Decano Lincolnienſi Ceſtrenſis Epiſcopus.*

i *Vnius dumtaxat Procuratoris Matthæus meminit,*

k Prohibuit enim Rex, *ſtatim à prima Richardi electione*, ne ei introitus in Baroniam eccleſiæ ſuæ pertinentem vel poſſeſſiones ſeculares aliquatenus concederetur, *inquit Matthæus.*

l Teringe; *oppidulum maritimum in comitatu Arundeliæ eſt, cujus ſi Dominus vel ſaltem inquilinus fuit hic Simon, non longe à Sede ſua ac pene in media diœceſi locum elegit Sanctus, unde facile quaquaverſum excurrere & ſi neceſsitas urgeret, poſſet navigio elabi.*

m Windeleſorn *palatium regium, à flexuoſa fluminis ripa dictum arbitratur Cambdenus in Atrebatiis, additq; donatũ à S. Edwardo Weſtmonaſterienſibus monachis, à quorum monaſterio ad* 20 *circiter milliaria Anglicana diſtat trans fluviũ Thamiſim: ſed Guilielmus Normannus eumdem facta permutatione redemit. Loci opportunitatem, amœnitatem, ædificia, munitiones & alia plura idem Cambdenus prolixe deſcribit: hodie* Windſor *dicitur.*

n *Vtique ante Comitia Generalia, an.* 1248 *in Octavis Pentecoſtes Londini celebrata, nam inter tunc præſentes etiam Ciceſtrenſem Epiſcopum Matthæus nominat.*

CAPUT III.

Quomodo Richardus impleverit hanc Apoſtoli regulam, Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, hoſpitalem,

27 SEd quia ſola divina ſũt, ſicut dicit Gregorius, quæ nos divites virtutibus faciunt; licet rebus mundi vacuus, virtutibus tamen repletus ad Eccleſiã ſuam revertitur B. Ricardus, eam vita & verbo & meritis eximiis ditaturus. Quam nobiliter etenim quamque virtuoſe quoad ſeipſum vixerit, quamq; prudenter & ſtudioſe Eccleſiam ſuam rexerit, Apoſtolica regula, ſuæ converſationi exhibita, planius poterit demonſtrare. Prima quidẽ Apoſtolicæ regulæ particula hæc eſt; Oportet Epiſcopum irreprehenſibilẽ eſſe, vel ſine crimine, quod ad idem tendit. Ad perſuadendum autẽ quod noſter Ricardus talis fuerit, primo perſuaderi poteſt ex hoc, quod à tantis tamq; diſcretis & ſãctis viris eſt nominatus, & eiſdem conſilium præſtantibus de ipſo Ciceſtrenſi Eccleſiæ facta eſt proviſio. Nec enim parum reputari debet, quod de tantorum conſilio proviſum dignoſcitur: ſcriptũ quippe eſt, In conſilio juſtorũ & congregatione magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus. Secundo ex hoc, quod crimen in publice confeſſos vel convictos adeo perſequebatur acriter, ut alterum Phinees repræſentare videretur: & veriſimile eſt, ſervum Chriſti, quod perſequebatur in alio, non admiſiſſe in ſemetipſo: dicit enim in hoc caſu B. Hieronymus, Qua libertate poteſt corripere peccantẽ, cum tacitus ſibi ipſe reſpondeat, eadẽ ſe commiſiſſe quę corripit. Tertio, quod cum plures ad impediendũ proviſionem

F

Quàm irreprehenſibilis fuerit, probatur

1 Tim. 3, 2

ex nominatione ad Epiſcopatum,

Pſal. 110, 1

zelo adverſus peccantes,

æmulorum ſilentio,

A

Eccli. 26, 22

sionem de eo factã haberet æmulos, qui libenter exceptionem de crimine contra eum opposuissent; non est inventus qui vel ex levis famæ suspicione hoc auderet vel haberet præsumere, impleto quod de Samuele scribitur, Non accusavit eum homo.

plurium testium fide,

28 Quarto quod testes omni exceptione majores deposuerunt jurati, quod viam & vitam istam sine crimine duxit. Quinto, quod Dominus Papa, discussis diligenter testium attestationibus, de suæ vitæ munditia, palam effectus est testis & judex, & suæ Bullæ confirmatione & testimonio his verbis asseruit; Hic nempe à primævæ juventutis suæ primitiis ejus ducis ducatu deductus, & illius regis rectus & directus regimine, in cujus cellaria ipsum sequi semper optavit anxius, & tandem obtinuit, ut credimus firmiter, gloriosus introduci; omnia quæ juvenilis ætas solet amplecti, velut in annosa jam constitutus ætate, discreta maturitate devitans, continentiæ studuit; adolescentiæ ac juventutis vias incertas, nisus calle adeo impolluto transire, quod famam suam ab omni contagii carnalis infamia servavit illæsam. Et, quod his non æstimo subtrahendum, sextum est, quod licet de auditis aliorum criminibus plurimum tristaretur & gemeret; referentibus tamen fidem noluit adhibere, nisi hoc legitima probatio docuisset. Quippe sic solent viri justi secundum suæ conscientiæ puritatem alios æstimare, sicut è contrario perversi alios

declaratione Pontificia,

quodque de aliis semper senserit bene:

B

Eccli. 32, 21

sibi similes æstimant, teste Sapiente, quod stultus secundum cor suum inveniet comparationem. Hic vero Sanctus, quia didicerat de unoquoque sentiendum quod bonus sit, donec probetur in contrarium; sinistræ suspicionis vitium à corde suo procul abdicare satagit, rogans Dominum cum Psalmista, Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum, & dicit ibidem Sanctus.... Magnum vitium humanæ naturæ est suspicio: nimirum quia hæc est, quæ nos de proximis facit falsa confingere, bona in mala, sinistra interpretatione convertere, crimen aliis impingendo eorum vitam diffamare.

Psal. 118, 39

29 Nunc quam immunis à vitio præfato extitit, exemplo, prout in præsentiarum se offert occasio, audire non pigeat. Dum adhuc B. Edmundi sanctus iste degeret sub alis, idem S. Edmundus religiosis mulieribus, & eis quas suo colloquio, vel ad bonum monendo vel in melius proficiendo, credidit indigere, suam libenter solebat exhibere præsentiam. Unde semel contigit, quod cum quamdam Dei ancillam, foris exspectante familia, visitaret, & diutius protraheret colloquium cum ipsa, quispiam de familia non minimus, molestè ferens & prava suspicione pervertens, talia submurmurando dixisse refertur; Latet, inquit, anguis in herba, & sub agnino vellere vulpis: sed nec est aurum totum quod splendet ut aurum. Et expressius, Dominus, ait, noster Archiepiscopus, prætextu talium colloquiorum, aliud agit & quærit cum feminis quam creditur. At Christi famulus Ricardus, qui & hoc mihi dignatus est enarrare, statim obstupuit & tamquam malleo, ut aiunt, fronte percussus, tristitiam quam ex verbo conceperat dissimulare non valens, vultum dimissum, Archiepiscopo à domo in qua resederat exeunte, gerebat. Quod idem Archiepiscopus advertens, utpote in eo ad quem solebat frequenter oculos convertere, vocato eo ad se, ait, Magister Ricarde, cur concidit vultus vester, & facies solito tristior apparet? Ne celaveritis à me; scio quippe hoc sine causa non esse. Cui reverenter Magister Ricardus: Talia, inquit, & talia de persona vestra paulo ante sunt dicta: propter quæ & ipsius animi tristitiam vultus non sinit palliare. At B. Edmundus, in spiritu mansuetudinis filium consolans & seipsum excusans, dixit, Bone, inquit, Magister, pro hac re non sitis

ut patuit cũ aliquis S. Edmundum

C

diutius & secreto locutum cum femina

in suspicionẽ vocaret impudicitiæ.

triſtis, nec apponatis hoc super cor: pro certo enim noveritis, si de mulieribus agitur, si omnia, quæ umquam feci quoad tale peccatum, in fronte mea palam & in prospectu scriberentur, unde verecundarer omnino non haberem. O gloria testimonii conscientiæ in Præsule! ô Sanctæ zelotypiæ ardor in discipulo! Nimirum gloria conscientiæ magistri repulit discipuli tristitiam; discipuli tristitia de sancti zelo fervoris magistro præstat indubitatam fiduciam. Quomodo crimini consentiret perpetrando in seipso, qui sic doluit de crimine alteri falso impositio? & cui tantæ causam tristitiæ intulit alterius falsa suspicio; quomodo ipse crimen suspicaretur de proximo?

AUCTORE RADULFO EX MS.

30 Secundâ Apostolicæ regulæ particula est, Unius uxoris vir, solummodo, supple, vel, non plurium id est, non excedat monogamiam. Sed quando Ricardus noster plurium uxorum copula carnẽ divideret, quando unius & virginis nobilis matrimonium licitum amore continentiæ refutavit? Ad quod ostendendum, ipsius bonæ memoriæ Urbani Papæ verba libet recitare, ob majoris firmitatem auctoritatis. A fratre, inquit, suo primogenito cum oblatione cedendi patrimonio, quod secundum morem patriæ idem frater totaliter obtinebat, invitatus ad conjugale cujusdam puellæ nobilis matrimonium; ut in sortem Domini cederet, cessit hujusmodi cessioni; & animam suam firmo proposito cælesti sponso desponsans, sponsæ terrenæ sponsalia sponte sprevit; ad castitatis aspirans privilegium; non execrans carnalis matrimonii Sacramentum. Et consequenter hoc ipsum collaudans, exclamat, O negotiatio provida! ô utilis & ingeniosa mercatio! terrena pro cælestibus commutavit, transitoria pro mansuris, temporalia pro æternis: carnalis conjugii voluptates, appetentibus anxias, satiatis pœnitudine plenas, abhorruit; ut immaculati tori delicias, desiderantibus suaves & placidas, fruentibus gratas & avidas, obtineret. Nihil ergo defuit B. Ricardo quoad unitatis Sacramentum, qui adhærens Domino unus spiritus cum ipso extitit, nec sui corporis integritatem saltem unius copula matrimonii divisit. Licet enim monogamo nihil desit ad sacramentum, non est tamen omnino indivisus, qui matrimoniali debito uxori probatur obnoxius. Scribit enim ad Corinthios Apostolus; Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.

Richardi continentiæ probat. sponsæ divitis abdicatio:

E

1 Cor. 7, 33

51 Tertia Apostolicæ regulæ particula est, Sobrium, non vinolentum. Sobrietas quidem, large sumpto vocabulo, tam ad cibi quàm potus pertinet moderantiam: scribit enim de feminis quibusdam S. Hieronymus: Sunt quædã, quæ cùm potu sint sobriæ, ciborum superfluitate sunt ebriæ. Quippe sobrius dicitur quasi sub bria *a* constitutus, id est, sub mensura: quicquid ergo excedit mensuram temperantiæ, videtur esse ebrietas, à qua sic se prudenter custodire noverat, ne aliquando carnem permitteret spiritui dominari. Et licet cum eo, non solum temporibus abstinentiæ, sed etiam dierum solennium, quibus lautioribus cibariis divitum mensæ solent esse refertæ, menses & dies continuáverim, & super his de sua patrimonia de visu possem testificari, Domini tamen Papæ testimonium sua in Bulla non immerito super hoc arbitror præferendum: ait enim, post quædam laudabilia de ipso commemorata, In proprii corporis castigatione extitit rigidior, districtior in observantia disciplinæ. Hæc Papa Urbanus. In mensa quoque sua lectio personabat: & si quando lector cessaret, aut de his quæ legerat aut de ædificatoriis aliquibus cum assidentibus tractabat. Cum vero tempore jejunii esset bibendum, vel ipse aliquid utile legere, vel alteri dicere, ut aliquid

Sobrietatem Pontificia Bulla,

F

lectio & sermo pius sub refectione,

AUCTORE RADULFO EX MSS.

ædificatorium proponere ſolebat: & ſiquid notabiliter bonum diceretur à quoquam, illud propriis manibus libello commendare non omittebat. Memini quippe ipſum mihi aliquando dixiſſe, Verba quæ heſterno propoſuiſti, ego in hac nocte libello noſtro manu propria inſcripſi. Menſam quoque ipſam boni vultus jucunditate ſerenare ſolebat: quem multotiens lautiora cibaria poſtponere, & pane, vino vel cerviſia madefacto, veſci videbam. In tantum vero gaſtrimargiæ vitium ſolebat condemnare, quod cum agni vel hœdi ſeu pulli, ut aſſolet, culinæ inferrentur, dicere ſolebat, quaſi mortem innocentum plangendo, O, inquit, ſi rationales eſſetis & loqui poſſetis, quantum ventres noſtros malediceretis! Nos quidem mortis veſtræ cauſa ſumus: vos, qui innocentes eſtis, quid morte dignum commiſiſtis? Prandio quoque finito, cum ad hymnidicam gratiarum actionem fuiſſet perventum, manibus elevatis & oculis, ita reverenter & diſtincte Deo gratias referebat, quod aſſidentibus devotionis materiam non modicam poterat excitare; illud ſemper in fine replicans, Deus nobis ſuum præſtet auxilium, ſicut nos novit indigere.

tarnium edendarum deteſtatio;

& devota gratiarum actio.

B

Prudentiam eximiam ſub S. Edmundo

32 Quinta particula eſt, Prudentem. De B. Richardi prudentia nemo hæſitare permittitur, qui ſuperiora de ipſo conſcripta perlegerit; maxime quaſi liter grammaticam, logicam, & ſacros Canones, nec non Theologiam (per quarum ſcientiam homo prudens efficitur) non ſolum perfecte didicerit, ſed etiam quaſdam eleganter docuerit. Suæ nihilominus adſcribi debet prudentiæ, quod ſub B. Edmundo, circa totius Archiepiſcopatus adminiſtrationem, ipſius idem Sanctus utebatur miniſterio; ſicut ſuis litteris Papa teſtatur Urbanus: Taliter miniſtravit, quod in veracitate ſermonis, cenſura juſtitiæ, manſuetudinis lenitate, humilitatis cultu, omnibus ſe amabilem exhibuit, omnibus utilem; pauperes auxilio, divites conſilio refovendo. Quid quod in peragendo vel ſuæ proviſionis cauſam, vel eccleſiæ Ciceſtrenſis juſtitiam, tam ſapienter & prudenter eam eſt proſecutus, &, gratia ſubſequente & comitante, finem debitum aſſecutus?

& in cauſa propria oſtendit.

Hoſpitalitate eximius & miſericordiæ operibus addictus

C

33 De hoſpitalitatis quoque virtute ſic cordis ſui præcordia Deus perfuderat, ut omni, advenienti ſinum miſericordiæ expanderet, & quantum in ſe fuit, etiam ipſius domus materialis ſub tegmine honeſte recolligeret, & hujus vitæ neceſſaria pro perſonarum qualitate exhiberi juberet: illam nimirum vocem Dominicam, in ultimo diſcrimine ipſo teſte proferendam, ſedula mente commemorans, Hoſpes fui & collegiſtis me. Intellexit quidem aure non ſurda, quod de Pontificum hoſpitalitate expoſitor Haymo dicit in hoc loco, ubi Pontifex deſcribitur hoſpitalis: Laicus aut quilibet eccleſiaſticus ſi duos aut tres pauperes hoſpitio colligit, hoſpitalitatis officium implet; Epiſcopus vero ſi omnes non recipit, inhoſpitalis reputatur. Ideoque latitudine caritatis ſuæ ampla ſuarum palatia excedens manſionum, advenientium multitudine non contentus, tamquam omnibus pauperibus debitorem ſe reputans, omnium neceſſitatibus ſubvenire ſtudebat, ubicumque divertendo pauperes inveniret. Municipia ſeu villas ſuæ dioœceſis cum ipſum intrare contingeret, languentes & infirmos pauperes diligenter fecit inquiri, & ipſos non ſolum eleemoſynæ ſuæ ſubſidio, ſed etiam propriæ præſentiæ ſolatio ſolebat viſitare, & verbi Dei alimento ſpirituali refovere; ad patientiam informando, & quod paupertatis caminus peccati maculas purget ſuadendo, & quanta gaudia veram & ſpontaneam paupertatem in futuro ſequantur oſtendendo. Hoc quippe eleemoſynæ ſpiritualis officium ſibi familiariter aſciverat, ut cibum, quo pauperes Chriſti reficeret verbi Dei ſapore condiret. Et hoc quidem frequenter per ſeipſum, aliquando vero per Fratres Prædicatores ſeu Minores implere ſtudebat.

Matt. 25, 35

qua tranſibat ægrotos viſitare ſolebat:

D

34 Enim vero in tantum ſuæ viſcera miſericordiæ Pater miſericordiarum expenderat & dilataverat, quod cum triplicis detectus ſtringeretur anguſtia, debitorum videlicet multa obligatione, bonorum ſuæ dioœceſis ablatione, & inſuper kariſtiæ *b* ac famis coarctatione; numquam cor illud ingenuum, veræ caritatis amplitudine dilatatum, ſe noverat anguſtare. Quin etiam fratri ſuo carnali, Domino Richardo de Bachedene, viro prudenti & ordinis militaris, cui temporalium curam commiſerat, dicenti ſibi vix ſua ad victitandum poſſe ſufficere, nedum ad tam profluas eleemoſynas tantæ pauperum multitudini erogandas; pietatis affluens viſceribus reſpondit: Eſtne juſtum, care frater, Domine Richarde, aut in conſpectu Dei acceptum, ut nos de vaſis aureis vel argenteis comedamus & bibamus, Chriſto in ſuis pauperibus fame cruciato, ipſis quoque pauperibus deficientibus inedia & morientibus? Et ſubjunxit: Novi ego valde bene, ſicut & *c* Pater meus, de paropſide & cratere ligneo eſcam ſumere potumque deguſtare. Diſtrahantur igitur vaſa argentea vel aurea, & eorum pretio ejus alantur membra, qui nos & ipſos, non his corruptibilibus auro & argento redemit, ſed ſuo ſanguine pretioſo. Sed & equus, cui inſideo, bonus & pretioſus eſt: vendatur obſecro, & ejus pretio paſcantur Chriſti pauperes.

b in annonæ penuria redarguitus ab œconomo

c pretioſiora quæque jubet divendi,

E

35 Sed & ſi quando religioſas domos viſitans, paupertate vel inopia, maxime victualium, deprehenderet conſtrictas, licet ipſe in arcto foret poſitus, de ſua indigentia tamen earum inopiæ ſtuduit ſubvenire: unde exempli cauſa unum ad præſens commemorare ſufficiat. Cum domum quamdam monialium de Ruſſparre ſuæ dioœceſis viſitaret, & eas victualium indigentiam pati didiciſſet, Seneſcallo *d* ſuo prædicto, Domino Richardo, præcepit certam ſummam annonæ monialibus eiſdem largiri: ſed idem Seneſcallus, Epiſcopi juſſionem diſſimulans, exequi non curavit. Quod cum ad aures Epiſcopi perveniſſet, juſſit alteri cuidam præpoſito cujuſdam ſui manerii, prædictis monialibus ſub gravi pœna dare duplo plus quam prius juſſerat, Seneſcallum acriter valde corripiens, & dixit, ſe non eſſe pupillum, nec ſub talis cuſtodia tutoris velle gubernari: fatuos quoque merito judicari poſſe, qui ſeipſum Epiſcopatus Ciceſtrenſis regimine dignum judicaſſent, ſi non ſua ſed ſui Seneſcalli auctoritate & voluntate ipſum regi oporteret. Et, ut à fideli valde & B. Richardo admodum familiari didici, numquam poſtea prædictus Seneſcallus, licet frater ejus eſſet carnalis, tantam gratiam familiaritatis, ut prius, in conſpectu ejus potuit invenire. Oſtendit nimirum in hoc caſu Dei ſervus, virtutem ſore miſericordiæ, miſericordem non eſſe in ipſum *e* [ſibique moleſtum eſſe] qui opus miſericordiæ nititur impedire.

d & quæ juſſerat, non prompte exhiberi

F

fert agerrime:

e

36 Sed non ſolum noverat egentes, alimoniæ ſubſidio paſcere & potare; ſed etiam nudos & algentes veſtire pariter & calceare; mortuos quoque propriis manibus ſepulturæ commendare. Sic devotus, ſic ſolicitus, ſic ad opera miſericordiæ extitit ferventiſſimus; ut non ſolum occurrentibus & præſentibus ea exhiberet, ſed etiam ſuis villicis & parochiarum Sacerdotibus mandaret & injungeret, ut de languentibus & egentibus per villas & parochias inquirerent, ut eis de ſua eleemoſyna ſubveniretur. Ipſis quoque *f* maneriorum ſuorum Presbyteris indixit, ut defunctorum corpora ſepelienda, dum in eiſdem maneriis

eadem etiam per alios abſens facit.

f

A maneriis moram traheret, ſibi reſervarent. Pauperibus quoque Preſbyteris, ſenio confectis, ſeu viſu debilitatis, vel cæcis vel alias corpore impotentibus, in ſolo per ſeipſum acquiſito, hoſpitale conſtituit; &, ne in eccleſiæ dedecus publicæ ſubjicerentur mendicitati, ut ibidem victus & veſtitus neceſſaria miniſtrarentur eiſdem, miſericorditer ordinavit.

pauperibus Clericis hoſpitale erigit;

37 Et ne alicujus operum miſericordiæ merito vel præmio expers redderetur, carcerali cuſtodiæ & vinculis mancipatis ſuæ viſcera miſericordiæ ipſius carceris clauſura non excluſit. Semel autem contigit, ut mulier quædam prægnans, non ſine ſuæ culpæ merito, in quodam ſuo manerio captiva ſub vinculis & cuſtodia teneretur. Quod cum Epiſcopo illuc adventanti pernotuit, prius explorata opportunitate, locum adiit, quo dicta mulier tenebatur conſtricta; carceriſque cuſtode ad alia ab ipſo gratis deſtinato, propius accedens, mulierem interrogat ſuæ cauſam incarcerationis. Quam cum didiciſſet judicio mortis tradendam, mortemque ſolummodo donec peperiſſet dilatam: ipſam quantum potuit juvans & docens, monuit ut malorum ſuorum pœnitens ad eccleſiam, quæ è vicino erat, confugeret, quod & fecit. Rumore igitur dilatato, cum ad aures Seneſcalli deveniſſet, turbatus & triſtis Pontificis aulam ingreditur: cumque ſuæ cauſas turbationis Epiſcopus ſciſcitaretur; Non mirum, inquit: nam oportebit, licet de penuria, propter incarceratæ evaſionem Regi centum ſolidos argenti perſolvere. Cui Epiſcopus: Quid aut quantum centum ſolidi ad liberationem vitæ unius captivæ? Benedictus Deus qui eam liberavit.

mortis ream donec peperiſſet aſſervatam,

dimittit è carcere ad eccleſiam,

B

parvi faciens mulctam ideo ſolvendam.

38 Sed quid ſi compaſſionis ejus affectus, ſi operum pietatis effectus, ſi largitatis ejus expanſa viſcera, ſi miſericordiæ oſtenſa opera, hic niterer interſerere? Minus forte mihi à pleriſque crederetur, maxime his diebus, quibus jam non tam inſtant quam extant tempora periculoſa; & ſunt homines ſemetipſos amantes, ac per hoc proximis non compatientes; quibus viſcera duruerunt, & avaritiæ coagulo ſe conſtrinxerunt; cordeque carneo ſublato, ſucceſſit cor lapideum, quod Deus juxta ſuam promiſſionem per Ezechielem, de medio eorum dignetur auferre. Sed de hoc jam ſufficiat, cum avaritiæ materia in tantum per ſeipſam ſe novit dilatare, quod Prophetæ ſancto & licuit & placuit, dicere Avaritia in capite omnium: Ad materiam ergo contrariam redeuntes, & qualiter Ricardus diſperſit, dedit pauperibus, qualiterque ſua juſtitia in hac parte Deo manifeſto miraculo placuiſſe monſtratur; ex bonæ memoriæ Urbani Papæ litteris oſtendamus: Quodam ſiquidem edilitatis tempore ad ejuſdem ſancti viri eleemoſynam inopinata concurrente inopum copia, panem (qui ad nonaginta paupetum refectionem diſtributione ſolita æſtimatus, occurrentis multitudinis vix parti minimæ quæ concurrebat in numero ſufficiebat) vivus panis, qui de cælo deſcendit, ad ipſius benedictionem abundare fecit in tantum, quod præter æſtimationem adſtantium, refectis abunde fere tribus millibus pauperum, conſuetas recipientium portiones, de ſupernæ abundantia pictatis ſuperabundaverunt partes; quæ ſecundum eamdem æſtimationem centum adhuc pauperes refeciſſent. Nec ſemel tantum vel bis hæc ſuæ benedictionis ſuperabundantia facta probatur; ſed & pluries, ipſo manum ſuam aperiente, qui implet omne animal benedictione. Quibuſdam etiam Magiſtris, temporibus diverſis ad ſe venientibus & de nimia egeſtate conquerentibus, eo quod publicam mendicitatem erubeſcerent; cum ei deeſſet pecunia, per quam ſuæ inopiæ ſubveniret; ſcyphum deauratum ſingulis dari juſſit, dicens, Accipite & impignorate,

ad ejus benedictionem panis, non multis alias ſuffecturus,

poſt tria millia ſaturata abundat:

egenis oppignorandas res ſuas concedit.

ut ad veſtra neceſſaria pecuniam habeatis; & nos, cum Deo placuerit, *h* acquietabimus. D

ſuis ipſe manibus gaudet eleemoſynas erogare,

39 Solebat quoque Dei ſervus obiter pauperibus occurrentibus manu propria pecuniam largiri, & ut eis eleemoſynam daret, ab itinere frequenter declinavit. Cumque ei aliquando diceretur, Quare, Domine, non permittitis, quod per manum alicujus de veſtris diſtribuatur eleemoſyna? dicebat: Ego & pro labore & pro dato duplicem recipere ſpero mercedem. Si quando, occurrentibus pauperibus ad petendum, pecunia ſibi in crumena deeſſet; gemere ſolebat ex intimis, dicens, Heu! heu! dolent pauperes & conqueruntur quod eis nihil tribui, ſed mihi major eſt cauſa triſtitiæ quia deeſt quod tribuam *i*. Multotiens autem, antequam peteretur, pauperibus eleemoſynam erogabat: & cum diceretur ei, Quare tribuiſtis eis non petentibus? reſpondit, ſcriptum eſſe, Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: & illud Care ſatis emitur quod precibus obtinetur. Intellexit nimirum vir Deo plenus, virtutem illius veteris Proverbii, Qui cito dat, bis dat: qui tardat, nec ſemel is dat. Hilaris enim dator & citus, ex cordis affectione & dati largitione, merito geminatum meretur retributionis reportare mercedem. O quam firmiter, quam intime Apoſtolica lectio cordi ſuo inhæſerat, qua dicet, Qui parce ſeminat, parce & metet; & qui ſeminat in benedictionibus de benedictionibus & metet. Ideoque parcitate longius relegata, benedictionum abundantiæ ſic ſtuduit, ut ſi relevare miſeriam alienam de ſuo non poſſet, miſerum ſe reputaret. Sed & bonorum retributor Chriſtus, retributionis extremæ mercedem præſentis doni largitione ſubarrhans, ut ſæpius dictum eſt, ſemen ſuæ multiplicavit miſericordiæ, in præſenti miraculi oſtenſione, & multiplicavit incrementa frugum ſuæ juſtitiæ, in retributione; ut jam ad patriam rediens, meritorum manipulos cum exultatione reportet.

i

Pſal. 20, 4

E

2 Cor. 9, 6 *& etiam non petentibus ultro largiri.*

ANNOTATA.

a *I. G. Voſſius in Etymologico, citatis Philoxeno, Arnobio aliiſque, docet* Briam *vas eſſe vinarium; & Haymo,* Briam dicimus calicem aptum potioni vini: *hinc medio ſeculo* debriare *pro* inebriare. *Quod ſi* ebrium, *quaſi* extra briam *dici, vellemus credere, recte* ſobrius *quaſi* ſub bria *redderetur. Verum difficile erit oſtendere exemplis, quibus & quando* bria *ſignificarit menſuram.*

b Cariſtia *dicitur, annonæ & rerum omnium uſu conſumptibilium caritas: atque in hoc ſenſu hac voce utuntur Iacobus Vitriacus, Petrus de Vineis aliique: ſed & hodie apud Italos Hiſpanoſque uſitata vox eſt;* Careſtia: *Radulphus Ceſtrenſis in chronico apud nos MS.* anno *inquit,* quo S. Edmundus tranſlatus eſt, *id eſt* 1245 tanta Kariſtia fuit in Anglia, ut ſumma bladi ad 12 ſolidos venderetur. *infra num.* 38 *dicitur* Edilitas.

c *Vix dubito quin Patrem ſuum ſpiritualem, S. Edmundum videlicet, hic intelligat Sanctus.*

d *Oeconomum huic & aliis ejuſdem ac ſuperiorum temporum auctoribus notat* Seneſcalli *nomen, de quo multa Voſſius libro de Vitiis ſermonis, & Guilielmus Somnerus in Gloſſario poſt x ſcriptores Angliæ edito, ubi uterque inquirit in etymon. Maxime ad rem facit Hincmarus, Buticularii, Comitis ſtabuli, & Seneſcalli numera ſic dividens, ut præcipuam familiæ curam dicat penes hunc fuiſſe:* eo quod omnia cetera, præter potus & victus caballorum (*quæ utique alii duo curabant*) ad Seneſchallum reſpicerent, *Probabile eſt ab agris ad aulam tranſiſſe hoc nomen, & ut* mareſcallus *equorum erat, ſic* Senneſcallum *fuiſſe gregum paſtorem: compoſitione ſaxonica ex* Scalk *famulus, peritus, &* mar *atque* ſen, *equus grex. Quod ipſum ex Alemannicis legibus probari poteſt: verba videſis apud Voſſium prædictum.*

F

AUCTORE RADULFO EX MS.

e *Aliquid ſimile ut adjiceretur, ſenſus requirebat.*

f Maneria *intelligi* prædita, *jam in Martio & alibi indicatum eſt, ubi ratio allata nominis.*

g *In alio MS.* per ſuam induſtriam

h *Sic in legibus Scoticis apud Voſſium* ſi debitor non acquietavit vadium ſuum *ideſt, ſi non redemit pignus.*

i *In margine ex altero MS. addebatur* Nonnumquam ut ipſis ſatisfaceret à ſuis pecuniam mutuo recepit.

CAPUT IV.

Altera pars Apoſtolicæ regulæ, requirens Epiſcopum pudicum, ornatum, doctorem, non percuſſorem ſed modeſtum, in Richardo expleta.

Pudicitia Richardi probatur

40 QUid pudicitiæ virtutem in B. Richardo ulterius ſcripto commendem? cum ſufficere ad ſuæ pudicitiæ laudem debeat, quod moribus & verbis eam indefinenter cuſtodiſſe & oſtendiſſe comprobatur; ideoque pudicus, id eſt, pudicitiæ cuſtos merito fuiſſe credendus eſt. Quod ſi zelus, quem circa pudicitiam in aliis habere probatus eſt, in eo debeat, prout dignum eſt, commendari; quod à beato quoque Nicolao circa trium puellarum pudicitiam factum laudabiliter prædicatur, B. Richardus non omnino diſſimili modo feciſſe dignoſcitur; qui quamdam puellam de ſua parochia, quam pater toro maritali tradendam diſpoſuit, ab ipſo patre, volente nolente, & invito conſentiente, ad Deo in caſtitate ſerviendum, exegit. Circa aliam quoque factum conſimile in parochia de Teringes feciſſe refertur. Imo prædictas, & quaſcumque alias potuit, ad virginitatis ſeu continentiæ propoſitum & votum ſtuduit invitare.

B

ex zelo, quo ſuaſit ſervare virginitatem.

Quam futris moribus & virtutibus ornatus,

41 Ornatum autem, tam interius quam exterius, moribus pariter & virtutibus, nullus poterit dubitare, qui vel ipſius converſationem viderit præſentialiter, vel ſuorum morum ornamenta, veracium teſtimonio vallata teſtium, perlegerit. Unde & Papa Urbanus, in ſuæ canonizationis litteris, eum aſſerit ornatum in vita virtutibus, & in morte miraculis, ſicut cælum ſuis luminaribus. Deſcriptis enim quibuſdam ſuis virtutibus, Vir, inquit, Dei, divina ipſum proſequente gratia, taliter miniſtravit, quod in veracitate ſermonis, cenſura juſtitiæ, manſuetudinis lenitate, humilitatis cultu, omnibus ſe amabilem exhibuit, omnibus utilem; pauperes auxilio, divites conſilio refovendo. In his quaſi ſtella matutina reſplendens, ſuis creſcentibus meritis, in plenæ lunæ claritatem excrevit. Licet enim ſoleant interdum virtutes tepeſcere, vel otio cedere, deſideratæ dignitatis culmine accedente; dum ſtudent aliqui vivere quietius, ut perſiſtant in optata & obtenta dignitate diutius; in iſto tamen, cum altioris gradus incremento, creverunt. Ipſe namque vocatus ad regimen Ciceſtrenſis Eccleſiæ, factus eſt ſolito longe magis vigil ad curam, non ſegnis ad opus, ſuavis ad mores. Ex tunc fuit ei pauperum cura major, habitus abjectior, geſtus & affatus humilior. Ex tunc ille in perſecutionum perpeſſione fortior, in libertatis eccleſiaſticæ defenſione conſtantior, in juſtitiæ cenſura inflexibilior, in oratione ferventior, in eleemoſynarum largitione profuſior, in proprii corporis caſtigatione rigidior, diſtrictior in obſervantia diſciplinæ, in carnis & ſpiritus luc̃ta prudentior; horum colluctationes frequentes in ipſa luc̃ta dum prudenter attendit, ſtuduit luctari prudentius, & carnem coëgit ſervire ſpiritui. Abjecit ancillam & filium ejus, carnem & carnis incentiva proſternens. Vigiliis quas ſpreto cubili pervigil obſervavit, refocillavit ſpiritum, pavit jejuniis, multa orationum aſſiduitate nutrivit.

C

declarat Pontifex in Bulla Canoniz.

geſtûs etiam ſummæ auſteritatis,

42 O virum induſtrium! ô circumſpecti athletæ prudentiam! Carni arma debilitationis impoſuit, ut armis fortitudinis ſpiritus armaretur; illi dedit arma terreſtria, ut ſpiritus arma cæleſtia commodius toleraret. Ut enim carnis carie caute careret, effectus vere Mardochæus, ipſius & nomen & omen aſſumpſit; dum nominis interpretationem implevit, impudentis carnis factus amara contritio *a*, & ipſam amarè conterens impudentem. Poſuit enim veſtimentum ejus cilicium; & ipſius ſtimulos, corigia, ligneis & ferreis pungente ſtimulis, ſe nudum comprimendo, repreſſit; loricamque ſuperinduens, arma macerationis adjecit. O pugnantis cauta ſagacitas, ſagaxque cautela! O dolus bonus in hoſtem! Sic armavit adverſarium, ut armis debilitaret armatum, cum debilitato ſecure confligeret, in conflictu quietius vinceret, non in exercitus multitudine ſed de cælo veniens fortitudo. Hoc opus illius, in cujus aſpectu non eſt differentia, in multis liberari vel paucis. Hoc opus illius, qui docuit lucernam accenſam non poni ſub modio, ſed candelabro ſuperimponi. Hoc illius opus, qui quod verbo docuit, opere in B. Richardo adimplevit. Ipſe enim Pater luminum, qui ei dedit per tenebras mundi hujus in ſuo lumine ambulare, in ipſo meritorum lucernam accendit: ipſe illam candelabro mirabilium operum ſuperimpoſuit, ut per clara merita quaſi luna reſplendens, tandem per miraculorum evidentiam in ſolis fulgorem proficeret, & quaſi ſol in templo Chriſtianæ fidei refulgeret.

D

qua carnem ſubjiciebat ſpiritui,

a

& miraculis merebatur à Deo illuſtrari.

E

43 Quod ſi ad ornatum, id eſt, decentiam Pontifici debitam, geſtus vel habitus ipſius hominis exterioris convertamur; ſicut ſcribit Poſſidius de illo præclaro & magno Pontifice, Beato ſcilicet Auguſtino, ſic dici poteſt veraciter de B. Richardo, quia veſtimenta & calceamenta, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum, ſed ex moderato & competenti habitu erant: in quibus nihil notari potuit novitatis, nihil vanitatis, nihil ſuperfluitatis, nihil quod pertineret ad ſuperbiam & vanam gloriam. Geſtus vero ejus exterior, interioris hominis ſimulacrum, mentis compoſitionem indicabat: habuit enim in vultu pudicitiam, in inceſſu gravitatem, in ſtatu reverentiam, in membrorum motu maturitatem, in habitu prætendens religionem. Superpoſuit cilicio & loricæ tunicam albam, ephod lineo coopertam, ſuper tunicale vero, pallium & cappam, Capellanis & Clericis ſuis (quos ſocios vocabat) conſimilia deferebat: talique ſchemate, poſt orationum & vigiliarum lacrymoſam pariter & moroſam inſtantiam, lecto potius inclinatus quam proſtratus, membra fatigata commendabat ſopori; ſomnum capiens naturæ neceſſitati ſervientem, non ex carnis voluptate venientem? Non numquam etiam vigilias in tantum orando protelabat, quod genibus & cubitis pavimento adhærentibus, ore nihilominus & facie coram Domino provolutus in terram, invito ſomnus ſubreperet, & juxta propheticam ſententiam, os in pulvere poneret, & cum beato Job in pulvere dormitaret. Et quidem lectus, ſuperficie tenus, cultu Pontifici digno parabatur: nil tamen delicatæ mollitiei ſubtus continebat.

F

Habitu decenti, non vano, utens;

abſque ulla mollitie ſtrati,

Thren. 3, 29
Iob 7, 21

44 In pellibus quoque ſuperfluam vitabat ſumptuoſitatem, agninas griſeis ſeu variis præponens. Maluit nimirum pauperum neceſſitatibus providere, quam ſibi ipſi in veſtium ſeu pellium mollitie vel pretioſitate: illius ſanctæ recordationis Wilhelmi Alvernenſis, Pariſiacæ civitatis quondam *b* Epiſcopi, ſecutus exemplum; qui coram Rege *c* Franciæ idem pallium, quod die ſuæ conſecrationis novum deportaverat, jam plurium annorum vetuſtate omni pilorum lanugine conſumpta, &, ut vulgo dicitur,

detritis & vilibus contentus erat,

b

c

A *exemplo Guilielmi Parisien. Epi.c.*

tur, uſque ſtaminis fila jam raſum deportans; à Rege audivit: Pater, exilem & pauperem mantellum defertis. Et reſpondit Epiſcopus: Domine ſufficit mihi, qui tot filias habeo nuptui tradendas. Non quod carnales filias vir ſanctus haberet; ſed fidelium animas, quarum pater erat ſpiritualis, ſuas filias

2 Cor. 11, 2 vocans; de quibus Paulus loquitur, Deſpondi vos

d uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto. *d* Talibus nimirum ſpiritu vel corpore indigentibus, potius ſtuduit vir pius in ſuis neceſſitatibus providere, quam ſuo corpori in veſtibus pretioſis: nec minus B. Richardus, cujus hiſtoriam & Vitam in præſentiarum teximus. Sed nec phaleris auro fulgentibus equos ſuos ornari voluit, nec mutatoria ſuperflua circumferre; non ſolum pompam vitans, ſed etiam timens, ne pauperes nudi & famelici, ſecundum quod ſcribit B. Bernardus ad Henricum Senonenſem Epiſcopum, clamarent, Dicite pontifici, in fræno quid facit aurum, nobis fame & frigore miſerabiliter laborantibus? quid conferunt tot mutatoria, vel extenſa in perticis vel plicata in mantiis? Jumenta gradiuntur onuſta gemmis, & noſtra non curatis crura nuda cooperire caligulis. Annuli, catenulæ, tintinnabula, & clavatæ quædam corrigiæ, multaque talia, tam ſpecioſa coloribus quam ponderibus pretioſa, mulorum dependent cervicibus; Fratrum autem lateribus nec ſemicinctia miſerantes imponitis.

ne pauperũ indigentia ſibi objici poſſet.

B

Doctus ipſe, alios utiliter docuit:

45 De gratia quoque doctrinæ, qua Beatus refulſit Richardus, non eſt hæſitandum: cum de eo, etiam ante adeptam Epiſcopi dignitatem, quando ſcilicet Cantuarienſis ſub Edmundo extitit Cancellarius, Urbanus Papa teſtetur, quod idem B. Edmundus ipſum reputabat, fidum ſui pectus conſilii, miniſtrum juſtitiæ, ac eruditam linguam fructuoſæ doctrinæ. Obtinuerat enim à gratiarum largitore largifluo, ejus, quæ ſecundum ſanam doctrinam eſt, ſermonis peritiam effluentem; ac intellexit, ſacram Scripturam eſſe utilem ad arguendum, ad docendum, ad corripiendum: ideoque, pro locorum, temporum ac perſonarum qualitate, implebat illud

2 Tim. 4, 2 Apoſtoli, Argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Erat autem divinum eloquium Dei in ejus ore vehementer ignitum, & ipſe ſervus Dei dilexit illud: non ſolum autem ad loquendum, magis autem ad opere complendum: intelligens &

C perficiens quod ſcribit Apoſtolus Timotheo, tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple: ne videlicet miniſterio verbi, operibus vacuo, aliis prædicans, ipſemet reprobus efficeretur. O quam ferventem piæ devotionis ignem ſermo ſuus ſpirare ſolebat! quia ex ore ſanctorum prædicatorum tanto prædicatio ferventior eſt, quanto eorum doctrina ſuis actibus contraria non eſt. Non ſolum autem in ſua diœceſi, ſed & alibi, ubi ſe neceſſitas vel opportunitas offerebat, verbum Dei devotiſſime prædicabat. Hinc & auctoritate Apoſtolicæ commiſſionis, Crucis *e* prædicationem per Cantuarienſem *f* diœceſim & Ciceſtrenſem, ſibi creditam ſalubriter & fructuoſe *g* complevit.

& Crucem ferventer prædicavit.

e
f
g

In ferendis injuriis patientiſſimus,

46 Ex mira quoque iſtius Sancti patientia, inter tot & tanta perſequentium & adverſantium diſcrimina, legentibus & viſu expertis patere poterit evidenter, quam procul modeſtiæ ſuæ temperantia à percuſſoris rabie eum fecerat elongatum. Quippe copioſa teſtium multitudo, ſub juriſiurandi ſacramento conſtricta, & ſummi Pontificis auctoritate examinata teſtatur, ipſum rapinam rerum, injurias verborum, fatigationes & miſerias ſui & ſuorum, non ſolum æquanimiter & patienter, ſed etiam hilariter & gaudenter ſuſcepiſſe, ut ad eorum ſortem

h merito pertinere cenſeatur, de quibus ſcriptum eſt,

Act. 5, 41 *h* Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu conſilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumelium pati. Nec ſolum, ſed & juxta Dominicæ vocem exhortationis inimicos diligere, & eiſdem pro malis bona rependere, & pro perſequentibus & calumniantibus ſe didicerunt exorare. Nec pigeat, ad ædificationis exemplum, & Sancti hujus modeſtiæ & patientiæ argumentum, aliqua de multis hic interſerere. Cum inter jacturas & moleſtias, quas per duos annos & amplius à regali curia ſuſtinuit, Lugduni comperiſſet, mercatoribus inhibitum, ne ſibi mutuum quovis pacto præſtarent; non ſolum non remurmurabat, vel cuiquam malum imprecabatur; ſed vultum, ut videbatur, hilariorem repræſentans, dejiciebatur prorſus in nullo; ſed & ſuos confortabat, promittens Dei benignam ſubventionem in auxilio opportuno.

AUCTORE RADULFO EX MS.

Matt. 5, 44 *etiam inimicos diligebat,*

47 Satellitibus quoque regiis, qui in bonis ejus crudeliter graſſando eadem funditus diſſipaverant, quique adeo in ejus odium exarſerant, ut quiſpiam ex eis, odium quod in corde latuerat occultare nequiens, diceret ſe velle ſuſpendi, conditione adhibita, ut Epiſcopus ſecum una ſuſpenderetur; tam benignum, tam modeſtum, imo tam beneficum, adeptis Epiſcopii poſſeſſionibus, ſe expoſuit, quod eidem maledico & ſociis ſuis menſam ſuam familiariter exhibuit, & alia beneficia frequenter impendit. Ad hæc, cum nobilis vir, Dominus Joannes *i* filius Alani, Eccleſiæ Ciceſtrenſi, cui Deo auctore iſte Sanctus præfuit, gravem injuriam irrogaret, & propter hoc ab ipſo excommunicatus eſſet; ad ſe tamen venientem & familiariter recepit, & *k* propinquum ſibi in menſa collocavit, datiſque muneribus dulci ſuæ benedictionis & allocutionis affatu plurimum honoravit; dixitque, quod ſi partes aliquæ, pro re in qua jus ſibi vendicant aut pro jure recuperando diſſentiant ſeu laborent, nihilominus tamen caritas ſeu caritatis ſigna inter Chriſtianos ſubtrahi non debent: quia, ſi id quod meum eſt volo recuperare, illud quod Dei eſt non debeo ſubtrahere. Unde idem nobilis admirans ſupramodum, dixit, Numquam talem virum vidi vel expertus ſum, qui adverſarios & inimicos diligeret, & gravamina ſibi inferentibus beneficiis reſponderet. Pro eodem quoque nobili Domino, ſcilicet Joanne filio Alani, cum Regis offenſam incurriſſet, necdum terminata inter ipſum & Epiſcopum controverſia, pro ſua reconciliatione regiam clementiam interpellavit. Nec prædictis diſſimilia de Abbate *l* de Fiſcanno, vel de nobili viro, Domino Richardo *m* tunc Comite Cornubiæ, ſeu de Comitiſſa *n* Cantiæ feciſſe probatur, contra quos pro ſua Eccleſia cauſas habuiſſe dignoſcitur; pro contumeliis honores, & amicitiam pro inimicitia recompenſans.

eiſque benefaciebat.

E

i *Ioannem fil. Alani adverſarium ſuum menſæ adhibet.*

k

pro eoque apud Regem intercedit.

F

l
m
n

48 Cum quidam cuſtos Præbendæ ſuæ de Dale, ante ſcilicet quam in Epiſcopum conſecraretur, quinque equos ſuos indiſcreta vexatione perdidiſſet, & bona ejuſdem Præbendæ inutiliter conſumpſiſſet, ſibique hæc nuntiata fuiſſent; actione prætermiſſa, reſtitutionis ſtipendia una cum equo ſibi competenti, tanquam ſi fideliter ac prudenter miniſtraſſet, dari fecit eidem. Cuidam etiam Sacerdoti, cui rerum ſuarum dum in ſcholis ageret cuſtodiam commiſerat, & eaſdem diſſipaverat, haud diſſimiliter lucrum pro jactura propria, ſtipendium pro diſpendio, bona pro malis rependit. Talia nimirum erga inimicos actitans carbones inimicitiarum deſolatorios, igniſcue caritatis accenſorios in eorum cordibus Dei ſervus congeſſit; impleto quod dicit Salomon, Cum placuerint Domino viæ ejus, etiam inimicos converter ad pacem: illoque nobili vincendi genere doctus ſuperare, noluit vinci à malo, ſed vincere in bono malum. Non ſolum autem cum his qui oderunt pacem erat pacificus; ſed & alios

rerum ſuarum diſſipatores remunerat:

Prov 16, 7 *aliis multis auctor concordiæ fit.*

AUCTORE RADULFO EX MS. & alios, ut assolet contingere, ob causas varias discordes, ad concordiæ bonum, gratia sibi divinitus infusa specialiter in hoc casu per eum operante solebat revocare: ut illud ecclesiastici, quod de Moyse scribitur, ad Sancti hujus laudem debeat pertinere,

Eccli.44,17 In tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Hujus autem rei exempla possent poni plurima: sed, ne fastidium generent, ea modo pertransire disponо. Quid autem necesse erit ipsum non percussorem, non litigiosum, post tantæ modestiæ & benignitatis signa describere? Cedat necesse est omnis impetus turbulentiæ & rancoris tempestas.

ANNOTATA.

a Mardochei *nomen etiam* Myrrha contrita, & Docens contritionem *vertitur, vide Glossarium ad calcem Bibliorum, à Rob. Stephano aliisque editorum.*

b Guilielmus *Ep. Paris. sedit ab an.* 1228 *ad* 1248, *ut apud Sammarthanos videre est tomo* 1 *Galliæ Christianæ.*

c *S. Ludovico, cujus filium primogenitum, Patri cognominem, baptizavit an.* 1243.

d *Idem magis ad litteram intelligi potest Wilhelmus dixisse, quippe quem testatur Albericus in Chronico,* novam domum filiarum Dei inchoasse, & plures mulierculas prædicatione sua à peccatis retraxisse.

e *Ferbuit Crucis prædicatio sub S. Edmundo an.* 1236, *maxime autem post Concilium Lugdunense: adeo ut etiam ipse Rex Henricus III cum plurimis omnis conditionis, ætatis, sexus Crucem assumpserit an.* 1250, *ut patet ex historia Matthæi Paris.*

f *In altero MS. solum legebatur* per Cantuariensem Provinciam

g *Addit idem MS.* usque ad mortem.

h *Pro hoc loco in dicto MS. legebatur alius ex Lucæ* 12, 19, In patientia vestra possidebitis animas vestras.

i *Comite Arundeliæ Hugone de Albineto vita functo, Nonis Maij an.* 1243, nobilis illa hereditas dispertia est, quatuor sororibus distribuenda, *inquit Matthæus. Harum secunda jam nominato* Joanni Fitzalain *nupsit, & ut auctor est Cambdenus in Sussexia, ejus pronepos Richardus ex parlamenti sententia confirmatus est in pacifica possessione nominis, status & honoris Comitis de Arundell. Vnde autem accepta? an à proavia cui Arundeliæ castrum obtigerit? Non liquet. Hoc certum, ex qualicumque portione hæreditatis Arundelianæ, quæ in diœcesi Cicestrensi pro majori parte erat, facile potuisse difficultates cum Episcopo nasci.*

C k *In altero MS. ita plenius* ad se tamen venientem familiariter recepit & ad prandium retinuit dicens; quamdiu in Curia nostra fueritis nodo excommunicationis vos absolvemus: & in recessu vestro, nisi ad satisfactionem venitis, istam absolutionem revocabimus. Tunc eumdem propinquum.....

l Richardo de Treigos: *hic siquidem juxta Sammarthanos tom.* 4, *ab anno circiter* 1244 *ad annos* 26 *Abbas Fiscannensis fuit.*

m Richardus *hic est, Henrici Regis frater, deinde sub annum* 1257 *creatus Rex Romanorum & Aquisgrani coronatus, de quo summatim multa Cambdenus in descriptione Cornuwalliæ.*

n *Fuit hæc Alexandri Regis Scotiæ soror, nupta an.* 1221 *Huberto de Burgo, deinde ex institutione Henrici Regis Cantii Comiti; & post ejusdem mortem an.* 1243 *obitam vidua: neque porro prorogatus titulus est, sed jacuit ruenti fortunæ prædicti Comitis conspultus, usque ad Eduardi* II *tempora teste Cambdeno.*

CAPUT V.

S. Richardi zelus pro justitia & animus ab omni cupiditate alienus.

Disciplinæ ecclesiasticæ rigidus vindex,

49 Licet suas injurias, ut prædictum est, tolerare, dissimulare ac remittere nosset: Deo tamen & Ecclesiæ illatas injurias usque ad unguem, quantum potuit, noverat vindicare; maxime ubi rebellem contumaciam & inobedientiæ proterviam inesse perspexit. Ad cujus rei evidentiam majorem aliqua ad præsens ponenda arbitror exempla, tacitis tamen nominibus, ne generetur improperium iis, qui jam forsan pœnitentiam egerunt; neve eis nova incutiatur verecundia; vel nos satyram potius scribere videamur quam vitam Sancti texere, quamvis eorum nomina in attestationibus suæ canonizationis manifeste sint expressa. Quemdam igitur Clericum, genere quidem nobilem, sed vitæ inhonestate servilem (quippe qui sanctimonialem à suo extrahens monasterio corrupit) beneficio ecclesiastico, quod in sua habuit diœcesi, cum non modico dedecore privavit: æquo valde & approbando judicio, ut qui Christum sua sponsa privavit, ipse ecclesia, sponsæ nomine sibi commissa, juste privaretur. Et quamquam pro eo, quia generosi sanguinis erat, Rex & Regina & magni alii seculi nobiles & Ecclesiarum Prælati & Episcopi obnixe & frequenter supplicarent, ut restitutionis sui beneficii gratiam obtineret; tamquam ad eorum humerum pertinens, de quibus scriptum est, Absorpti sunt juncti petræ judices eorum, sic inflexibilem se exhibens, cujusquam precibus non acquievit. *a* [Et cum quadam vice à quodam magnæ auctoritatis Episcopo super hoc instanter rogaretur, respondit, Domine Episcope, committo vobis in hac dumtaxat causa meam potestatem, in animæ vestræ periculum, ut secundum quod in die judicii coram summo Judice vultis respondere, faciatis. Hæc audiens Episcopus, onus tanti criminis omnino subire recusavit.]

Clericum raptorem beneficio privat,

E

Ps.149,6 *nullique intercessioni cedit,*

a

item alium concubinarium:

50 Aliud quoque haud dissimile erga quemdam Vicarium egit (qui *b* focariam publice tenere convictus est, quam noluit dimittere) ipsum *c* sententialiter suo beneficio privando. Quemdam quoque Militem, qui ausu sacrilego quemdam Sacerdotem incarceraverat, exactissima rigoris ecclesiastici cogente censura ad standum mandatis Ecclesiæ jurare coëgit: & sub sacramenti præstiti religione cippum ligneum, quo dicti Sacerdotis pedes constringi fecerat, collo proprio, tamquam jugum irrationalis, per medium fori solennis de *d* Lewes & circa ecclesiam, in qua Sacerdos injuriam passus ministraverat, publice deportare: multo prius pecuniæ pretio, pro dictæ pœnitentiæ redemptione seu commutatione, recusato. Burgenses quoque Lewenses, qui quemdam furem, qui ad ecclesiam confugerat, violenter ab eadem extractum suspenderant; ipsum furem jam mortuum & [ad furcas] *e* sepultum, imo ipsum cadaver putridum exhumare coegit, & ad ecclesiam, [unde eum abstraxerant,] propriis humeris deferre, ac alios qui consilium dederant funibus circa colla suspensis fustigandos, per plateas de Lewes & municipiorum & oppidorum adjacentium, nudos, exceptis camisia & *f* saraballis, districtione ecclesiastici rigoris compulsos incedere mandavit, pretiumque pro redemptione ab eis oblatum tamquam stercora refutavit. Pro synagoga Judæorum, quam de novo erexerant, numerosæ pecuniæ quantitatem recusavit, nec precibus vel pretio acquievit, donec solo tenus eam prosterni faceret & demoliri.

illatam Sacerdoti vim severe punit;

F

d

c

uti & violatum ecclesiæ azylum:

e

Synagogam Iudaicam destruit:

f

51 Et ut aliquid de Sancti hujus zelo justitiæ, quod fide oculata perspexi, non sileam; cum Rector cujusdam

A cujuſdam eccleſiæ, Norwicenſis diœceſis, generoſi ſtemmatis, ſociato ſibi quodam Milite magno & nobili, pro quibuſdam negotiis rogaturus loci Diœceſanum *g*, præſente B. Richardo, in habitu minus Clericum decente, veniret; videns Sanctus, Epiſcopum loci diſſimulare, ipſemet, zelo juſtitiæ compellente diſſimulare non valens, ſurrexit; & ipſum qui venerat reprehendens, dixit, Siccine coram Epiſcopo tuo & tali cultus ſchemate te decet apparere? Scias quod ſi de noſtra fores diœceſi, graviter in te animadverterem. Et hæc dicens manu propria infulam, quam capite geſtabat, diſſolvit, dicens, Non es contentus de creatoris tui opere, niſi tu in teipſo ſuperaddas? (occipitis quippe pilos ad anteriorem capitis partem retorſerat, ne calvus appareret) extractoque Sanctus à capite proprio pileo, (erat enim ſecundum veteris legis ſententiam recalvaſter & mundus) Num, inquit, quia calvus ſum, reprobandus appareo? Miles autem, qui ſecum auxiliaturus advenerat, ad me converſus, ait, Pro iſto non rogabo quidquam: obſtupuit quippe ex viri Dei ferventi correptione, & exivit.

g alienum Clericum coram ſuo Epiſcopo redarguit,

quod calvitium ſeculariter tegeret.

B 52 Cum Apoſtolus radicem omnium malorum cupiditatem definiat, & ex præmiſſis patere luce clarius poſſit, quod, ubi tot juſtitiæ & caritatis ſigna evidentia patuerunt, nullus cupiditati locus ineſſe potuit (quia, ſicut Leo Papa teſtatur, in illius corde nullum poteſt eſſe veritatis veſtigium, in quo avaritia ſuum poſuit domicilium) ex beati tamen Richardi largitatis præconio non pigeat oſtendere, quantum cupiditatis vitium duxit deteſtabile. In juventute quidem cum in Studio, abſque [ſubſidio] beneficii alicujus temporalis, excepta parentum ſeu amicorum tenui exhibitione, diligenter laboraret; numquam per ſe vel alium procurare voluit, ut ſibi beneficium conferretur. Sociis quoque, aliquando de habendis redditibus ſeu beneficiis colloquentibus, dicere ſolebat: Si Deo fideliter famulemur, nobis ſufficienter providebit: de talibus non curemus. Ipſe, cui famulamur, uberius nobis quam mereamur retribuet. In illa quoque exilis exhibitionis pauperticula, ſemper hilaris & gaudens fuit ea quæ habere poterat (quaſi non curans de mundanis) alienæ diſpenſationi committens; contentus, licet modicis, his quæ ſibi apponebantur. Obtento autem beneficio eccleſiaſtico, miræ liberalitatis, quantum ſui beneficii ſe quantitas extendebat, maxime erga pauperes, fuiſſe probatur. Et quamquam omnibus ſuæ paterent viſcera liberalitatis, numquam voluit beneficiorum pluralitate diteſcere. Sed &, ſi quando de conſilio Deum timentium eccleſiam ſeu præbendam commutaret; numquam, niſi prius reſignata ea quam ante habuerat, ſecundam admittebat: nolens nimirum, contra ſacros Canones & per conſequens contra conſcientiam propriam, pro lucro temporali aliquid acceptare. Quamquam etiam largiores eleemoſynas & expenſas de pluribus beneficiis quam de unico poſſet exhibere; ſatius tamen & melius judicabat, de unico juſte obtento largiri, prout poterat, quam multiplicatis beneficiis ſacrificare de fermentato laudem.

1 Tim. 6, 10 *à cupiditate alieniſſimus,*

neque ſtudēs perſit beneficium eccleſiaſticum,

neque plura ſimul voluit poſſidere,

C

neque damnis temporalibus angebatur,

53 Et quia ea quæ cum amore poſſidentur ſine dolore non amittuntur, ex hoc conjici poteſt quantum Sanctus iſte ab amore rerum temporalium mentem ſubtraxerat, qui de earum amiſſione nec doloris quidem ſigna oſtendere noverat. Siquidem cum aliquando domorum & rerum ſuarum combuſtio & jactura non modica nuntiaretur, plangente & dolente familia, ipſe ſerenata facie vultuque jucundiore Deo gratias referens, dolentes confortabat dicens, Non contriſtemini: habemus adhuc unde vobis in veſtibus & aliis neceſſariis provideamus. Et ſubjunxit: Quia eleemoſynas, prout debuimus, largas non fecimus, iſta nobis acciderunt: ideoque volumus & præcipimus, ut de bonis noſtris de cetero eleemoſynæ fiant largiores. O generoſæ mentis theſaurus, qui deficere inter defectus neſciens, ex ipſo defectu noverat augere profectum. Sed hoc ſolum in ipſis invenire eſt, in quorum cordibus pios caritatis affectus non mutat temporalium defectus. O verbum B. Hieronymi in Sancto iſto experimento veridicum, Credenti totus mundus divitiarum eſt, infidelis autem etiam obolo indiget. Fateor ego miſer, aliquando ſibi volui ſuadere, ut pro alleviandis ſuæ diœceſis debitis parceret expenſis, ſumptus moderaretur: vixque verba finieram, & Sanctus ſubjunxit, Frater, inquit, non eſt iniquitas mea neque peccatum meum hæc noſtræ diœceſis obligatio: quare ego pro aliorum peccato ſic puniar, ut hoſpitibus honorem debitum vel pauperibus eleemoſynam ſubtraham? Sed nec domui propriæ juſtum eſt ut, inferam penuriam: quia nec hoc decet Epiſcopum.

AUCTORE RADULFO EX MS.

neque veteribus ſuæ Eccleſiæ debitis

E

54 Vere ad hujus Sancti laudem in verba Sponſæ, quibus, Sponſum collaudat in Canticis, cogor erumpere, Manus ejus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Per manus opera largitionis, quæ manibus fiunt [ſignificantur] hæ ſunt Tornatiles, propter facilem motum; quia hilariter dabat. Ejus, inquit: quia de ſuo & non de alieno ſtuduit largiri. Aureæ: quia etiam pretioſis in dando non parcebat. Plenæ: quia abunde dare didicerat. Hyacinthis vero ſua data comparari poterant, qui celeſtem habent colorem; quia in dando & largiendo intentionem figebat in ſupernis. Et ut de viſu exceptis aliqua interferam: vidi quempiam, quem Sanctus ſuo munere diſpoſuit honorare, & intrans hora prandendi, aquam ad lavandum petivit: cumque ille, quem honorare diſpoſuit, tobaliam ad manus, prout moris eſt, teneret; Epiſcopus, depoſito annulo quem digito geſtabat, ei tradidit, tamquam dum ſe ablueret cuſtodiendum. Et cum poſt deterſionem manuum, Epiſcopo annulum, quem tenebat, vellet porrigere; digito proprio impoſuit, dicens, Habemus ecce alium, quia in noſtri memoriam ille tibi remanebit. Sed quid? Sic facetus, ſic largus, ſic curialis, ſic vultu hilaris exiſtebat, ut gratiam omnium ſibi merito poſſet vendicare.

manus habens quales Sponſi Cant. 5, 13

F

55 Suis & ſeneſcallis & *h* ballivis, ſub ſuarum periculo animarum & divini judicii obteſtatione *i* terribiliter inhibuit, ne quidquam injuſte à liberis vel ad ſe pertinentibus exigerent, vel ſuperfluis & indebitis exactionibus vexarent: ipſe autem Sanctus talibus ad ſe venientibus, aliquando etiam illa quæ de jure ſibi competebant, miſericorditer relaxabat. Nec hoc ſolum, ſed cum aliquando de ſuis hominibus nomine miſericordiæ, propter eorum tranſgreſſionem, ſicut aſſolet, Seneſcalli ſui [pecuniam] recepiſſent; audita ſuper hoc querimonia, Seneſcallos ſuos propter hoc acriter corripiebat: & ipſam pecuniam, jam à ſuo camerario receptam, ipſis, à quibus fuerat exacta, & juſſit & fecit abſque mora reſtitui; malens, juxta Propheticum verbum, avaritiam ex calumnia projicere, quam per eam diteſcere. Et cum ipſe in dando ſemper eſſet largiſſimus, in recipiendo tamen multotiens ſe exhibebat difficilem: illius

h

i neque patiebatur à ſuis extorqueri aliquid,

aut mulctã nomine recipi, Iſa. 33. 15

AUCTORE RADULFO EX MSS.

verbi non immemor, cujus Paulus nos meminiſſe debere in Actibus Apoſtolorum aſſeruit, Beatius eſt magis dare quam accipere. Ab eis vero qui cauſas coram eo ordinaria vel delegata juriſdictione aliquando agitabant, manus illas, in benedictionibus dulcedinis & donis conferendis ſe extendere paratas, in hoc dumtaxat caſu contrahere ſolebat: juſti nimirum laude merito dignus & præmio, de quo dicit Iſaias, Qui excutit manus ſuas ab omni munere. Et cum ſit non ſolum munus à manu, ſed etiam à lingua & ab obſequio; primum reſpuens, ſecundum autem (linguam videlicet ſe laudantium & ſibi adulantium) omnifarie declinabat, vel cum dedecore ipſos acriter redarguebat, cum Pſalmiſta dicens, Oleum peccatoris non impinguet caput meum: ne videlicet vana gloria vel adulatio, luminis ſerenæ conſcientiæ eſſet exſtinctio; cavens etiam ne cum fatuis virginibus care nimis oleum emeret, quod eum poſtmodum à gaudio nuptiarum in adventu Sponſi excluderet. Indebiti quoque munus obſequii qualiter admitteret, qui etiam obſequia, ab iis qui ſibi de jure obſequi tenebantur, frequenter recuſabat?

Act 20, 35 aut munera admittit:

Iſ. 37, 15

Pſ. 140, 5

B

56 Sed & hoc de ſuæ liberalitatis & caritatis laude non ſilebo, quod teſtimonio fideli omnique exceptione majore in ſuæ ſanctitatis atteſtationibus conſtat depoſitum; videlicet quod adeo ſe viſceribus caritatis & largitatis [interius, &] quoad ſigna actuum & verborum exterius, patientia induerat; quod paratus fuit ſeipſum eviſcerare ut alios paſceret, & corpus proprium morti exponere ut alios ſalvaret; exemplo boni Paſtoris, qui ut ſuos paſceret & redimeret, ſemetipſum exinanivit & pro nobis animam poſuit; ſic dicente Gregorio, Bonus paſtor Chriſtus animam ſuam pro ovibus poſuit, ut in ſacramentum noſtrum Corpus ſuum & Sanguinem verteret, & oves quas redemerat carnis ſuæ alimento ſatiaret. Nec indigne boni Paſtoris nomen pariter & omen B. Richardo exiſtimo attribuendum, qui exemplo Pauli, imo magis Chriſti, non ſolum ſua ſed etiam ſeipſum pro ſuis impendere extitit paratus. Sed neque ſilere potero quod idem Sanctus, in peregre propter debita vitam agens, ut interim ad tempus ſaltem expenſis parceret, & ex aliqua parte ſe debitis exoneraret; me præſente & fide oculata cognoſcente, donaria in auro & argento vaſorum & ſupellectilium (licet alieno tunc viveret ſtipendio) ita largiter in pios uſus de ſibi admodum neceſſariis erogabat, ac ſi in propria manens diœceſi, divitiis abundaret.

vere bonus Paſtor,

ipſaque in paupertate largus

C

57 O quam merito Dei Patris Sapientia ſanctum iſtum ipſis vicarium & ſucceſſorem ſtatuit, quibus loquitur dicens, Vos eſtis lux mundi! Quippe luce nihil communius: tam divitibus enim quam pauperibus, imo mediocribus & omnibus, ſui beneficium imo ſeipſam exhibendo communicat: & quia, ſecundum quod dicitur, Bonum ſui ipſius eſt communicativum, non irrationabiliter B. Richardum, non modo ſuorum ſed etiam ſui ipſius & etiam ſupra ſeipſum liberaliſſimum impenſorem, quantum æſtimo, quilibet ſanum ſapiens laude bonitatis extollet. O quot ſunt hodie, qui divitias hujus bonitatis ignorantes, etiamſi poſſeſſa avare retineant, dum tamen aliena, rapina vel modo quovis alio, injuſte non poſſideant, bonos ſe æſtimant, & in extremo judicio fruſtra impunes ſe reputant evaſuros; non recolentes, cor excæcatum avaritia habentes, illud quod veritas in Euangelio à ſe judice dicendum prædicit in judicio, Eſurivi & non dediſtis, & cetera operum miſericordiæ negativa; & ideo, Ite maledicti, & cetera. Quid ergo caſtitas, quid abſtinentiæ parcitas, quid vigiliarum & orationum longanimitas in illo poterit tremendo præſtare judicio; ſi ſola miſericordiæ & largitatis deſint opera? cum juſtus judex ſeculi executoribus iſtorum ſolummodo cæleſtis regni promiſerit gaudium, & iſtis carentibus perpetuum infernalis pœnæ ſupplicium. Hoc B. Richardus memoriali ſui cordis revolvens, nec ad modicum oblivioni tradens, abunde largiri non diſtulit terrena, ut lucraretur æterna; exemplo illius mercatoris Euangelici, bonas margaritas quærentis, qui tandem una pretioſa inventa, pro ipſa ſola deſerit habita, congregata diſpergit: nil in terrenis jam libet. & deforme conſpicitur, quidquid in terrenæ rei placebat ſpecie; quia ſola pretioſæ margaritæ claritas fulget in mente, B. Gregorio prædictam parabolam ſic exponente, quod etiam B. Richardo aptandum duxi non incongrue.

Matt 5, 14 indifferenter erga omnes,

D

Matt. 25, 42 & terrena cuncta pro cæleſtibus ſpernens,

58 Sed quid nitor oſtendere ex hujus Sancti liberalitatis præconio, quam procul à ſe cupiditatis vitium ſtuduit exterminare? Exterminare, inquam, ſtuduit, & opere complevit. Cum enim intra terminorum metas ſuam non concluderet Richardus largitatem, quomodo vitium huic virtuti contrarium ſub quovis termino ſui cordis latibulum poterat invenire? Exulet neceſſe eſt procul ultra mundi limitem ab eo cupiditas; quia mundi terminos B. Richardi exceſſit liberalitas. Unde & quia nec nos verbis comprehendere poſſumus tantæ virtutis bonum, quod ei infundere tam copioſe dignatus eſt ille, cujus magnitudinis non eſt finis; jam ad illud veniendum eſt, ubi Apoſtolus aſſerit Epiſcopum ſeu Ordinandum, ſuæ domui debere bene eſſe præpoſitum.

juxta Apoſtolicam regulam.

E

F

ANNOTATA.

a *Quæ ſequuntur deſuiſſe in alio MS. indicabat in Martiniano adſcriptum margini*, vacat, *& lineæ quibus hæc omnia ibidem ſubducuntur: quod deinceps ſimili modo notabimus.*

b *Ita* in Jure quoque aliquoties appellari concubinam, quod eodem cum patre familias lare ac foco utatur, *indicat Voſſius in Etymologico.*

c *In alio MS. ſic.* Tunc quia noluit dimittere, ipſum ſententialiter ſuis beneficiis privavit.

d *Oppidum eſt in ipſo quaſi Auſtralis Saxonæ & Ciceſtrenſis diœceſis umbilico, ad fluvium quod mediam interſecat, quinque milliariis Anglicanis à mari: pro quo nomine, ferme abraſo, ex altero MS. margini adnotatum erat* Haſtinges, *quod eſt maritimum verſus Cantiam oppidum, portu & mercatu nobile. Viderit Lector an hoc poſterius malit.*

e *Quæ hic & paulo poſt* [ ] *incluſa vides, in altero dumtaxat MS. reperta, notabantur ad marginem Martiniani.*

f *Aliis* Sarabara *dicuntur: vox Medica eſt, quam Hieronymus Danielis* 3, 21, braccas vertit: ocreas *Heſychius, Patet autem hic feminalia ſignificari.*

g *Walterum de Suſeild, ſupra in prologo laudatum: neque enim alius, quamdiu vixit Richardus, Eccleſiam Norwicenſem tenuit.*

h *Vide quæ de hujus vocis etymo diximus.*

i Lidis *ſorte ſcripſit auctor, quod ſubditos ſignificare jam alibi dictum.*

CAPUT

A

CAPUT VI.

Quomodo Richardus ſecundum Apoſtolum Epiſcopus fuerit domui ſuæ bene præpoſitus neque neophytus.

59 HAbent nempe Pontifices domum quaſi trifarie diviſam, quarum [partium] unicuique neceſſe eſt ut bene præponatur. Prima eſt cum grege Clericorum Cathedralis eccleſiæ, ſecunda ſua propria familia, tertia ſubditorum plebs univerſa. In prima præpoſitus fuit B. Richardus, quaſi magiſter diſcipulis; id ſecunda, quaſi paterfamilias filiis; in tertia, tamquam nutrix pueruli. Et quia, ſicut dicit Ambroſius, primus diſcendi ardor nobilitas eſt magiſtri; ſeipſum prorſus morum nobilitate perornans, ſuo magiſterio idoneos ſtuduit attrahere diſcipulos, ætate quidem maturos, moribus decoratos, litterali ſcientia inſtitutos. Et ætatis quidem maturitatem ſuo diſcipulatu judicans aptam, ſciens puerorum mentem levem, mores immaturos, ac per hoc minus ſapientiæ capaces; Quem doceret ſecundum Iſaiam ſcientiam, vel quem intelligere faceret auditum? Ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus: quia in puerulis verificatur quod ſubdit Propheta, Manda, remanda. Et iterum, Manda, remanda diſciplinam pueris præbendatis & beneficiatis; & de doctrina & diſciplina invenies quod ſequitur, Modicum ibi, modicum ibi. Ideoque nec ſuos quidem conſanguineos immaturos ad beneficia admittebat, nolens ædificare Sion in ſanguinibus: & intelligens quod Princeps paſtorum, non adoleſcenti, qui ſequebatur eum amictus ſindone, id eſt Joanni Euangeliſtæ ſuo conſanguineo; ſed Petro ſeniori, in nullo carnaliter eum attinenti, claves tradidit cælorum. Et quare hoc, niſi pro futurorum Prælatorum exemplo fecit ille, qui dixit, Exemplum dedi vobis, ut & vos ita faciatis? quod, ſecundum Chryſoſtomum ſuper Joannem, non ſolum in pedum ablutione, ſed & in ceteris intelligi voluit. Moribus quoque ornatos ſuos eſſe voluit diſcipulos; cum Machabæis ornare cupiens faciem templi coronis, id eſt, corona dignis; aureis autem, vitæ fulgore auro ſimilibus. Scientia quoque litterali ſuos diſcipulos inſtitutos eſſe voluit; ut jam non primis eſſent imbuendi elementis, & ſcientia; ſed fidei & morum ac ſcientiæ perfectione habiles: cavens nimirum ne claudum vel cæcum, contra Legis præceptum, offerret Domino. Nam qui habet affectum & non intellectum, ille claudus eſt: qui vero ignarus, cæcus eſt & manu tentans. Bonos igitur & utiles Eccleſiæ ſuæ habere voluit diſcipulos, & quantum in ſe fuit promovere; docens eos ſapienter, dulciter, & gaudenter: ſapienter, ut inſtrueret; dulciter, ut alliceret, gaudenter, ut in ſuo ſenſu obſtinatos ſi qui eſſent flecteret.

Clericos

ætate maturos

B

Iſ. 28, 9 & 10

abſque reſpectu ad conſanguineos legere ſolitus,

Ioa. 13, 15

eos voluit eſſe ornatos moribus,

C

quippe qui eſſet Eccleſiæ bene præpoſitus.

60 Huic ergo parti bene fuit præpoſitus, non male ſuppoſitus; tamquam partus degener, per cautam ſubornationem eligentium: nec precibus armatis Principum, nec pretio quorumcumque corruptorum vel corrumpentium, ſed veri patris, Chriſti vicarii, Eccleſiæ matris ſponſi, gratuita creatione & gratioſa collocatione vocatus à Deo tamquam Aaron, domui Ciceſtrenſis Eccleſiæ bene fuit præpoſitus. Bene etiam fuit præpoſitus, id eſt, præ aliis in ſublime poſitus, non male ſubtus poſitus: qui habens cathedram primam, non habuit vitam imam; ſed cum cathedra honoris exemplum præbuit vitæ ſanctioris. Bene nihilominus huic domui fuit præpoſitus, id eſt, præcellenter poſitus, ſicut præeminet ventilogium *a* toti fabricæ: quod quidem quanto altius erigitur, tanto plus tempeſtatibus irruentibus etiam fronte opponitur: ſic B. Richardus, Pontificali dignitate ceteris præpoſitus, noluit ſub otio deliteſcere; ſed quibuſcumque poteſtatibus adverſantibus, & Eccleſiæ ſuæ libertati injuriam inferentibus, viriliter ſe ſtuduit opponere: immunis certe ab illa increpatione Prophetica, qua paſtores deſides & torpentes increpat, dicens, Non aſcendiſtis ex adverſo, non oppoſuiſtis vos murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio pro domo Domini. Didicerat namque ab illo egregio Chriſti Milite, Beato ſcilicet Edmundo, dum adhuc ſub eo novus tirunculus militaret, qualiter ſe contra poteſtates Eccleſiæ contrarias in cauſis conſimilibus opponere oporteret & exponere. Quod forſan prædictus B. Edmundus in ſpiritu præſentiens, ac moleſtias quas B. Richardus Pontifex futurus pati deberet, facto prænuntians; calicem, ex quo bibere ſolebat, in ultima ſua voluntate legavit eidem, tamquam ſi diceret illud, quod Chriſtus filiis Zebedæi dixiſſe refertur in Euangelio, Calicem quidem meum bibetis. Hujus autem potionis amaritudo, quam Beatus bibit Richardus, per plura ad præſens patere poſſet exempla: ſed quia in ſuperioribus aliqua perſtrinximus, propter faſtidioſos quoſque ad præſens ſub ſilentio tranſimus.

a *cujus etiam adverſarius intrepide ſe oppoſuit.*

Ezec. 13, 5

Matt. 20, 23

E

61 In domus quoque ſecunda parte fuit præpoſitus, ſuper propriam ſcilicet familiam, ſicut paterfamilias ſuis filiis; pudicos, prudentes & fideles eos per omnia habere ſatagens. Pudicos quidem, ut dicere poſſet, quod dixit Rex David de ſua familia, Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat: non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum. Hinc & Apoſtolus, Epiſcopum deſcribens alias, dicit, Filios habentem ſubditos in omni caſtitate. Dicturus quippe, Subditos in caſtitate, adjunxit, In omni: ut non ſolum in opere, ſed etiam in corde & ore caſta ſit & pudica Pontificis familia. In hac autem cauſa, id eſt pudicitiæ, ita zelotypus & fervens extitit B. Richardus, quod ſuper incontinentia convictum quempiam de ſuis, quantumlibet neceſſarium & carum, irrecuperabiliter à ſuo expelleret miniſterio: nolens in ſuis pudicitiam negligere, quam tantopere in ſeipſo ſtuduit amplecti & diligere: cavere volens nihilominus ne ſuæ familiæ vitium, verteretur in opprobrium, à dicentibus, Qualis rector civitatis; tales & habitantes in ea: & illud ethicum, In convictu formantur mores: illam quoque inprecationem terribilem exhorrens, qua dicit Pſalmiſta, Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes: quoniam nequitiæ in habitaculis eorum in medio eorum. Ob hoc igitur in tantum excanduit contra tales zeli fervore, quod eos qui talia fecerant, cum ingenti dedecore à ſua familia exturbaret; & mulieres, eorum incontinentiæ complices, graviter & publice puniret; domunculas nihilominus, in quibus talia perpetraſſent, funditus proſterni faceret; ut alterum Phinees in hac cauſa ipſum repræſentare cerneres. Et quamvis hujuſmodi ſi audiret correctos, ad menſam ſuam aliquando venientes benigne alloqueretur & admitteret, nullius tamen interventu vel precibus de cetero ſuæ familiæ conjungeret.

familiares habere curavit pudicos,

Pſ. 100, 16

1 Tim. 3, 4

F

Eccli. 10, 2

62 Prudentes etiam, ſicut pater familias induſtrius, ſuos filios habere voluit: ut ſagaciter intelligerent, quid, cui, quomodo, & quando unuſquiſque in miniſterio ſibi credito diſpenſarent.

item prudentes in curandis temporalibus.

AUCTORE RADULFO EX MSS.

Licet enim per omnia & in omnibus ſibi eſſet amica largitas, ſciens quod Crucifixi patrimonium erat unde vixerat; noluit quod illud conſumeret indiſcreta prodigalitas. Ob hoc etiam prudentes ſuæ familiæ filios eſſe voluit, ut ad præſentis diei neceſſaria ipſorum induſtria decenter ſibi provideretur, ne à divinis & ſpiritualibus officiis, quæ ſibi magis cordi erant, importune diſtraheretur; illius verbi Euangelici non immemor, quo dicitur, Primum quærite, id eſt, principaliter, regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia (ſcilicet præſentis vitæ ſubſidia, quæ ibi etiam ad litteram intelligi voluit) adjicientur vobis. Ad hoc enim toto niſu anhelare videbatur, ut ipſe omni terrenorum occupatione & ſolicitudine, corde, actu & ore exutus, divinis totus intenderet: implens illud Apoſtoli, Pſallam ſpiritu, pſallam & mente: orabo ſpiritu, orabo & mente. Hoc quoque quod ipſe in hac cauſa faciebat, ſibi ſubditos facere volebat, immo & omnes quos in divino Officio dicendo vel audiendo intereſſe ſciebat. Unde cum aliquando, præſente quodam alio Pontifice, ipſum videret circa alia negotia occupatum, & cum quibuſdam tempore pſallendi tractantem, ſpiritus fervorem continere
B non valens: Ecce, inquit, Frater (ad me verba dirigens) qualiter Magiſter noſter ſe gerit, poſtpoſito Officio divino aliis intendens. Et ſubdidit, Veſtrum eſt ſuper hoc ipſum monere, ut ſe corrigat. Prudentes etiam ſuæ familiæ filios eſſe voluit: quia prudens ſecundum Haymonem dicitur, quaſi porro videns: ut ſcilicet omni loco & tempore, quæ ad ſui domini utilitatem pertinerent, diligenter adverterent; non ad oculum ſervientes, nec otio vacantes, ſed occupatione intenta ſemper aliquid utile providentes. Dicit enim Origenes ſuper Geneſim, ubi Abraham tres Angelos hoſpitio recepit; Abraham feſtinat, Sara acceleratur, puer currit: in domo ſapientis nullus otioſus.

at denique fideles

63 Fideles quoque per omnia mente, manu & lingua eos eſſe & voluit & diligenter monuit: ſciens, in bono ſervo prudentiæ fidelitatem debere conjungi, ſecundum illud, Fidelis & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam & cetera. Et mentis quidem & oris fidelitatem eos habere voluit, ſciens ſcriptum, Væ duplici corde & labiis ſceleſtis, & cetera. Duplex cor eſt, cum quis aliud tractat mente, aliud exterius oſtendit verbo vel opere. Labia vero ſceleſta ſunt, labia excommunicata; quæ ſcilicet non communicant cum corde. Labia doloſa, inquit Pſalmiſta, in corde & corde locuti ſunt. Auguſtinus, Quid eſt corde & corde? niſi duplici corde. Et merito valde vitium duplicitatis à ſuis voluit elongari, quia multos turbavit pacem habentes; quam Dominus ipſe ſummus Pater-familias primo & principaliter omni domui voluit commendari, dicens diſcipulis, In quamcumque domum intraveritis primum dicite, Pax huic domui. Digne ergo B. Richardus, pacis vehemens amator & diſcordantium efficax reconciliator, ut diſcordiæ cauſas à ſe procul eliminaret, veritatis, & per conſequens pacis filios, ſuos eſſe voluit. Unde & Propheta, prædictas virtutes conjungens, dixit: Pacem & veritatem diligite. Corde quippe duplices & ore bilingues ſolent dominorum auribus ſuſurria & detractiones inſtillare; quæ B. Richardus ſummopere deteſtabatur, ſcriptum non ignorans, Suſurro & bilinguis maledicetur in populis; & illud, Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes miniſtros habebit impios. Manu quoque fideles filios eſſe voluit: ne vel bona pauperum vel Crucifixi patrimonium infideliter contrectando, ſacrilegium incurrerent. Noverat enim quia rem pauperum non dare pauperibus ſacrilegium eſt, imo &, teſte Hieronymo, omnium prædonum crudelitatem exſuperat. Omnifarie igitur ſuos fideles eſſe voluit, ne ſi ſecus facerent, illam & culpam & notam incurrerent, quam dicit Propheta, Principes tui infideles, ſocii furum: & Salomon, Qui cum fure participat, odit animam ſuam. Liquet ergo quare ſuæ familiæ filios, nam & ſic ipſos nominare ſolebat, fideles eſſe voluit. D

Matt. 24, 45 *mente,*

Eccli 2, 14

C

Pſ. 11, 3

Luc. 9, 4 *Lingua*

Zac. 8, 19

Eccli. 28, 15 Prov. 29, 12 *& manu:*

Iſa. 1, 23 Prov. 19, 24 *itaque domui ſuæ bene præpoſitus fuit,*

64 In hac igitur parte domui ſuæ bene fuit præpoſitus, non infra eam poſitus: quia eos ipſe regebat, non autem ſe ipſum eorum diſpoſitionibus ſubjiciebat: quamquam eorum ſana conſilia non ſperneret; ſed, eum pro negotiorum exigentia diſcretiores conſuleret, ſicut diſcretus & ſapiens, quod conſultius videbatur, ex aſſiſtentium collatione & propria diſcretione prudenter admiſit, & hoc proſequi non omiſit: non utique ignarus illius Domini ſententiæ, cui cum conſuluiſſent diſcipuli dicentes, Magiſter, nunc te volebant Judæi lapidare, & iterum vadis in Judæam? reſpondit, Nonne duodecim ſunt horæ diei? tamquam diceret, exponente B. Auguſtino, Cum ego ſim dies vera, voſque duodecim, qui mei diſcipuli eſtis, tamquam horæ diei ſitis; juſtum eſt ut me, qui ſum dies, ſequamini; non autem ego vos: quia revera juſtum valde eſt, ut grex paſtoris conſilio dirigatur, non autem paſtor conſilio gregis ſubjiciatur: niſi forte paſtor minus ſapiat, vel pro pacis bono conſilium requirat, vel in hoc etiam humilitatis formam oſtendat. Bene item præfuit, ſicut pater-familias, filiis, dans eis de ſe ipſo formam juſtitiæ, documenta diſciplinæ, neceſſaria præſentis vitæ. *non ſubjectus.* Ioa. 11, 8 E

Diœceſanos ut parvulos ſtuduit mundare ſordantes,

65 Pars tertia domus Pontificis, eſt totius diœceſis plebs univerſa. Huic quoque parti bene fuit præpoſitus B. Richardus, ſicut nutrix parvulis. Ad nutricem quidem pertinet, mundare parvulum ſordentem, pacificare vagientem, paſcere eſurientem. Sic B. Richardus ſimpliciores quoſque, tamquam parvulos, peccatorum ſordibus ſqualentes, mundavit, verbo ſanctæ prædicationis, lacrymoſa compunctione piæ orationis, diſciplina ſeveræ correctionis. Mundavit dixerim verbo ſanctæ prædicationis, ejus ſuffultus adjutorio & eruditus exemplo, qui ſuis diſcipulis ait in Euangelio, Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Item mundavit eos lacrymoſa compunctione piæ orationis: lacrymæ enim lavant delictum; & per conſequens mundant ſubjectum: non ſolum videlicet ipſum qui lacrymatur, ſed etiam aliam pro quo piæ lacrymæ funduntur. Hinc eſt quod apud Ezechielem jubentur ſignari Thau frontes gementium peccata domus Iſrael. Unde & matri B. Auguſtini, filii ſui errorem deflenti, dictum eſt, Fieri non poteſt, ut filius iſtarum lacrymarum pereat. Item mundavit eos diſciplina ſeveræ correctionis, quia nimirum aliquotiens peccati ſtultitiam in corde colligatam, teſte Salamone, fugat virga diſciplinæ: & ſicut dicit patri filium caſtiganti, Tu virga percuties eum, animam vero ejus liberabis à morte. Ioa. 15, 3 F Eze. 9, 4 Prov. 22, 15 & 23, 14

pacificare lugentes,

66 Pacificavit etiam vagientes ſeu plorantes, quia peccata ſua plorantes & confitentes, paci & unitati eccleſiæ conjunxit, ipſos conſolando, fovendo, & compaſſionis viſceribus amplectendo, exemplo ejus qui dicit per Iſaiam ſe miſſum eſſe, ut mederetur contritis corde, & prædicaret captivis indulgentiam, & vinctis libertatem, poneretque conſolationem lugentibus Sion. Bene quoque huic ſuæ domus parti fuit præpoſitus, tamquam nutrix parvulis, quibus paſtum exhibuit ſimplicioris doctrinæ, dicens cum Apoſtolo, Tanquam Iſa. 61, 1

paſcere eſurientes,

A quam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam. Item exemplo bonæ vitæ, ut ad
1 Cor. 3, 2 ipſum referatur, quod de David in Pſalmo ſcribitur,
Pſ. 77, 72 Pavit eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum (id eſt in operibus, innocentis cordis intellectu formatis) deduxit eos. Item cibo corporalis alimoniæ, quibuſcumque iſtum cibum præbens largiſſime, tamquam unus de Regis illius familia miniſter, qui filio ſuo nuptias facturus
Matt. 22, 9 dixit, Quoſcumque inveneritis vocate ad nuptias. In triplici nimirum paſtu, quem præmiſimus, implere
Ioan. 21, 15 voluit, quod Petro ter Dominus dixiſſe legitur, Paſce oves meas. Bene tandem B. Ricardus omni domus ſuæ parti fuit præpoſitus; primæ, tamquam thalamo ſecretiori; ſecundæ, tamquam aulæ communiori; tertiæ, tamquam porticui exteriori.

Vetatur ordinari Neophytus propter periculũ ſuperbiæ:

67 Jam, quod in calce regulæ Apoſtolicæ ponitur de Pontificis ſeu ordinandi conditione, dicendum, Non neophytum, inquit. Quis B. Ricardum ex his dumtaxat, qui famæ relatione vel præſenti converſatione vel ſcripturæ recitatione ipſius vitam cognoverint, non plane negabit neophytum? A primævo enim fidei rudimentis diligenter imbutus, ipſam fidem per totius vitæ ſuæ curriculum piis moribus, ſanctiſque operibus, ac ſcientiæ ſplendo-
B ribus luculenter exornaſſe probatur: vitæque ſuæ ſtructuram ſuper tam ſolidum humilitatis fundamentum ſtabilivit, quod impoſito ſibi Epiſcopalis ſolicitudinis aut dignitatis onere vel honore, Luciferi elationis ruinam (quam Apoſtolus diaboli judicium nominat, quod etiam neophytum incidere timuit) Dei gratia protegente non poſſet incurrere. O ſi ipſius humilitatis inſignia, ſi humiliationis obſequia; ſi manſuetudinis ſigna evidentia cognoviſſet; illius doctrinæ non immemorem prorſus ipſum
Tob. 4, 14 judicares, qua Tobias filium ſuum inſtruxit; Superbiam; inquit in tuo ſenſu aut in tuo verbo numquam dominari permittas. Et, ut de ceteris ſileam

Richardus autem fuit humillimus

veræ humilitatis indiciis, quotiens fere de ſeipſo, id exigente materia, loqui oportuit, non Pontificem vel Epiſcopum Ciceſtrenſem, ſed Preſbyterum potius ſe vocabat: non inſcius clari nominis illius Luciferi elati, quomodo peſtiferæ patuerit ruinæ. Noverat nihilominus orationes ſuas, quas utique frequenter & ferventer Domino offerebat, quanto ex corde magis humili funderentur, tanto efficacius in cæleſti auditorio impetrare petita; quia ſicut ſcriptum eſt, Oratio humiliantis ſe nubes penetrat.
Eccl. 35, 21

C 68 Tantæ quoq; manſuetudinis extitit, ut ad Matutinas ſolẽ ortumq; diei prævenientes, ſi Clericos ſuos,

manſuetiſſimus,

ut ſolet contingere, ſomno gravatos pauſantes reperiret, interim ſe ad orationes conferens privatas, ipſos in pace quieſcere ſineret tamquam illud Domi-
Matt. 14, 41 nicum dulciter inquiens, Dormite jam & requieſcite. Orandi enim & pſallendi ſtudio ſic duxerat in
b conſuetudinem manicare *b*, ut ſi etiam verno vel æſtivo tempore, quando noctes noſcuntur breviori

& orandi ſtudio impriſmis deditus,

ſpatio terminari, crepuſculum & vigilis lituum non præveniret, gemendo & quaſi dolendo conquereretur, dicens, Pro dolor! aves cæli, creaturæ irrationales, Creatorem ſuum cantando laudantes, me miſerum hodie prævenerunt. Manna enim cæleſte cupiens recolligere, noverat oportere prævenire ſolem ad benedictionem, & ad ortum lucis adorare. Nec ſolum orationis ſtudium, piæ devotionis uſu, in conſuetudinem virtuoſam ipſemet ducere contentus; ſed tamquam cortina cortinam trahens, utriuſque ſexus ſibi familiares, ſanctæ orationis utilitatem commendando, ad tam laudabilis exercitii devotam inſtantiam incitabat. Suadebat quoq; ſecundum Apo-
Phil. 4, 6 ſtoli doctrinam, oportere animũ orantis nunc obſecrationem, nunc orationem, nunc poſtulationem, nunc gratiarum actionem aſſumere; vel ad deprecantis excitandam devotionem; vel ad vitandam faſtidii vel acediæ tentationem: & ad intellectum prædictorum orandi modorum ſibi caros ſtudebat inſtruere. Unde cum quamdam perſonam nobilem, admodum ſibi familiarem & caram, ſuper hujuſmodi curaret inſtruere, & eo perventum eſſet, ut eam qualiter gratiarum actiones inſtituendæ eſſent edoceret; ipſo ſuper hoc ſolicite meditante, ſomnus ſubrepſit; & (ſicut mihi ore ſacro dignatus eſt enarrare) vocem tamquam de ſupernis lapſam audivit,
c Reſpicito Hiſtoriam *c* ſanctæ Trinitatis. At ipſe expergefactus, revolvendo Hiſtoriam prædictam, re-
Prov. 9, 9 perit in ea honorem, laudem, benedictionem, gloriam, & nihilominus ipſam gratiarum actionem expreſſam decantari. Et quia ſcriptum eſt, Da occaſionem ſapienti & addetur ei ſapientia, materia exinde ſumpta; quod deſideravit implevit.

AUCTORE RADULFO EX MS. *in quo etiam proficit lectio Officio S. Trinitatis:*

quod cum in monaſterio S. Amandi ſcriberetur;

69 Quid autem divinum & relatu dignum de ipſa Trinitatis Hiſtoria cognoverim, quia ſe offert
d materia, duxi enarrandum. Cum ad oppidum Va-
e lencenenſe in terra Comitis *d* Flandriæ, ubi tunc Capitulum *e* generale Fratrum Prædicatorum fuerat
f celebrandum, tendentes plures fratres, ad monaſterium *f* S. Amandi, non procul à loco præfato poſitum, declinaremus; & ejuſdem loci *g* Abbas & mo-
g, E nachi hoſpitalitatem nobis impenderent gratioſam; inter cetera ſanctæ ædificationis verba, de præfata ſanctæ Trinitatis Hiſtoria ſermo factus eſt. Cum ecce quidam monachus venerandæ canitiei, auctoritatis inter ceteros non modicæ, ſubintulit: Quidam
h inquit monachus *h* iſtius monaſterii, bene litteratus & religione venerabilis, Hiſtoriam, de qua loquimur, antiquis temporibus compoſuit, vel potius compilavit. Et cum circa unum Reſponſorium de præfata Hiſtoria ordinanda intenderet ſtudioſe, ſuperveniente noctis hora tardiore, opus inceptum incompletum reliquit; & tomum in quo ſcripſerat ſub ſera recluſit. Facto autem mane, ad opus inceptum complendum ſtudii locum repetens; quod imperfectum reliquerat, ſalva ciſtellæ clauſura, non humano opere vel ingenio, reperit jam completum: admiranſque non modicum, id ipſum Fratribus nun-
miraculo perfectũ. tiavit. Ipſum autem Reſponſorium, ni fallor, no-
i minavit, *i* Summæ Trinitati. Quis auſu temerario negare præſumeret, ipſius ſpiritum, qui prædicti monachi opus incompletum perficere voluit, B. Ricardum, circa gratiarum actionem ſtudentem, etiam ad ejuſdem opus Hiſtoriæ conſiderandum per
F viſum incitaſſe? Sed hoc illius ſcientiæ relinquendum, qui quando vult, & ubi vult, & quod vult, & quomodo vult, operatur.

inventus eſt locus, ubi ſcriptor deſierat,

70 Et, ut ad id, quod occaſionaliter dimiſimus, redeamus; quantum ſacre orationis devota libamina B. Ricardo placuerint, in hoc dumtaxat oſtenditur, quod cum viros religioſos viſitaret, vel ad ſe venientes in oſculo ſancto ſuſciperet, dicere ſolebat, Bonum eſt deoſculari labia, thymiamate ſanctarum orationum, Deo cum devotionis fervore incenſarum, fragrantia: hoc ipſum ex B. Edmundi conſuetudine, ut dicebat, commemorans. Sed quid? Sic orandi ſtudium in aliis commendabat & venera-
Quanti orationem Richardus faceret, batur, ſic in ſeipſo orationis inſtantiam à largitore gratiarum obtinuerat, ut ipſum civem fuiſſe illius Hieruſalem non eſſet ambiguum; ſuper quem Dominus ſpiritum gratiæ & precum effuſurum ſe per Zachariam promiſit. Libet autem viſionem quamdam, quæ cuidam matronæ nobili de ipſo Sancto, antequam ex hac vita migraret, apparuit, epiſtolam quoque Sancti viſionis expoſitoriam interſerere. Videbatur ſiquidem matronæ prædictæ, quod quaſi in extaſi quadam vocem ad ſe lapſam audiret dicen-
Zac. 12, 10

AUCTORE RADULFO EX MS.

tem, Breve erit tempus: Semper currit rotundus: cum ſit tecum Ricardus. Quam cum didiciſſet ſuper hujuſmodi viſione turbatam, epiſtolam ſibi ſcripſit hæc verba continentem, In Deo vivere, in Deo ſemper eſſe, & Deo placere: quod erit, in alto non alta ſapere, ſed humilibus conſentire. Nihil eſt quod tam homines Deo & hominibus gratos faciat, quam ſi vitæ merito magni, humilitate fiant infimi. Non poſſum intelligere de vobis aliud quam de me ipſo, quia inter nos nihil aliud eſt niſi veritas, nec umquam erit. Ideo non curo quid mundi vanitas loquatur.

ex quadam ejus epiſtola declaratur.

71 Intellexi quidem quod quædam viſio ſomni debuit vos turbaſſe, & hoc non eſt neceſſe: nam magnum ſolatium ineſt prædictæ viſioni, bene illam intelligenti. Breve erit tempus. Verum eſt: nam de tempore nihil teneri poteſt, niſi punctus: nam de tempore transacto nihil habetur, de futuro vero nihil; quod autem de tempore præſens eſt, quaſi punctus vel potius nihil eſt: & ideo tempus bene dicitur breve, & hoc eſt quod dicit Job, Breves dies hominis ſunt; & alibi, Nihil ſunt dies mei. Semper currit rotundus. Circulus fit rotundus, quando circumferentiæ extremitates conjunguntur, id eſt principium & finis: & ſignat eum, qui dicitur Alpha & Omega. Bene ſcitis etiam, quod rotundum de facili movetur & currit; ubi res triangularis vel quadrangularis non movetur: & ſcriptum eſt, Currite ut comprehendatis. Oportetne igitur currere? Etiam. Bonum eſt ergo fore rotundum, ut quis currat. Currit autem velociter, qui amat ardenter; currit velocius, qui amat ardentius. Cum ſit tecum Ricardus. Hoc verum eſt ex integro in integrum. Curramus ergo ut comprehendamus, cum in ſtadio ſimus unum in Chriſto Jeſu. Cariſſima, hic nulla inſeſt cauſa turbationis: ſed cogitemus, ut iſtam brevitatem commutemus in æternitatem, breve tempus in ſempiternum. Cum ſit tecum Ricardus precare excelſum Regem cæli ut miſereatur mei, quia ego tecum ſum: roga ut Deus mihi det virtutem & voluntatem ad agendam pœnitentiam in vita iſta, pro vobis pariter & pro me, ſicut ipſe novit fore nobis neceſſarium: dicit enim S. Gregorius, Conſtat quod à ſuo judicio abſcondere voluit, quos miſerando præveniens, ſibimet ipſis judices fecit: & fideuter dico, quia ſalutari hoſtia poſt mortem non indigebimus, ſi ante mortem Deo hoſtia ipſi fuerimus. Juvemus igitur invicem, & ſimul curramus, ad curſum noſtrum per amorem conſummandum.

Iob 14, 5 & 5, 16

B

1 Cor, 9, 24

C

ANNOTATA.

a *Gnomonem intelligit in ædium turriumque culminibus poni ſolitum, ut motu ſuo indicet ex qua parte ventus ſpiret: quæ ratio obſervandi venti ut veteribus ignota fuit, ita proprio nomine in Latina lingua caruit illius inſtrumentum.*

b Manicare *eſt, ſummo mane ſurgere: utitur ea voce ſemel iterumq; vulgatus Interpres Scripturæ: in cujus defenſionem & explicationem multa Voſſius de Vitiis ſerm. quem conſule.*

c Hiſtoria *eſt Officium S. Trinitatis, quale in antiquis, Belgii & Germaniæ Breviariis plurimis etiamnum reperitur. Cujus omnes pene Antiphonæ continent breves ejuſmodi actuum formulas, quales Sanctus cupiebat: & in antiquo quidem Brugenſi ad Laudes poſt ſingulas Antiphonas repetendus notatur hic verſiculus* Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio. *Strictius autem ſumendo* Hiſtoriæ *nomen, ex illorum ſeculorum uſu intelliguntur lectiones, diverſæ ab* Homiliis *ad Euangelium recitandis. Ita in Raceburgenſis breviarii anno* 1506 *impreſſi rubricis, identidem nominatur* Dominicalis hiſtoria, *propter feſtum trium lectionum non mutanda.*

d *Tunc conjunctim Flandriæ Hannoniæ & Valencenarum Comitis, quem titulum obtinebat Margarita Balduini Conſtantinopolitani filia.*

e *Illuc ab Humberto generali convocatum anno* 1259, *annis* 26, *poſt fundatum ibidem conventum: ut habet Petrus d'Outreman in hiſtoria Valencenenſi.*

f *Multis de hoc monaſterio, quod* Elnonenſe *proprio dicitur nomine egimus ad Vitam S. Amandi fundatoris,* 6 *Februarii. Diſtat autem Valencenis* 5 *circiter horis.*

g *Poſt VValterum Hartaing* LII *Abbatem hujus monaſterii, defunctum anno* 1257, *ut habent Amandinæ antiquitates apud nos MSS. ſucceſſere Ægidius de Tornaco, Henricus de Scandem, & Fulco eodem quo* S. *Ludovicus anno, ideſt,* 1271 *mortuus. Quamdiu ſederint ſinguli incertum. Collector dictarum Antiquitatum propendet, ut ultra annum* 1263 *Ægidius geſſerit Prælaturam: hic igitur eſſet intelligendus.*

h *Hucbaldus Elnonenſis, anno* 937 *vita functus, ſcriptis fuit clariſſimus, quæ Valerius Andreas in bibliotheca Belgica enumerat. Hic cum muſicus quoque excellens eſſet, non tantum Officium & hymnos multorum feſtorum compoſuit, ſed etiam cantum: atque inter alia in prædictis Antiquitatibus dicitur feciſſe Cantum ſuper officium de Trinitate. Huicne cantum ordinanti, an alteri antiquiori ipſum Reſponſorium componenti, acciderit quod ſequitur, non liquet.*

i *Eſt illud Reſponſorium poſt Lectionem* VII *in antiquis illis breviariis reperiendum his verbis* ſummæ Trinitati, ſimplici Deo, una divinitas, æqualis gloria, coæterna majeſtas, Patri, Prolique ſanctoque Flamini: qui totum ſubdit ſuis orbem legibus.

D

E

CAPUT VII.

Miracula à S. Richardo dum viveret patrata.

S. Richardus erigit puerum contractum.

72 NEc viro ſancto, morum ſanctitate tam præclaro, etiam divina virtutum prodigia defuere, de quibus aliqua ad præſens arbitramur interſerenda. Cum die quadam, ante ſcilicet quam eſſet Epiſcopus, apud *a* Orpintonem in Cantia, quemdam puerum contractum & membrorum officio deſtitutum, miſerabiliter ante oſtium eccleſiæ jacentem, & à tranſeuntibus ſubſidium ſuæ miſeriæ flagitantem reperiſſet; concuſſis miſericordiæ viſceribus ex jacentis miſeri compaſſione, eum ad domum ſuæ propriæ manſionis fecit deferri, exemploq; Samaritani curam illius geri. Cumque aliquamdiu contractus ibidem moram traxiſſet, affuit quadam vice cum Sancto *b* Major & civis Ciceſtrenſis, nomine Reginaldus, qui videlicet miſerum intuitus, interrogavit quis eſſet, vel qualiter aut unde illuc veniſſet. Beato autem Ricardo rei ordinem miſerique conditionem ſibi exponente, reſpondit præfatus Reginaldus, Domine, inquit, faciatis puerum ad veſtram deferri præſentiam, ut, impoſita manu, benedictione veſtra potiatur: confido ſiquidem quod ſacra benedictione veſtra curabitur. Sanctus vero puerum ad ſe mox deportari fecit, & data benedictione, potuque ſibi de ſcypho S. Edmundi per manus proprias porrecto, erectus eſt puer & ſanitati reſtitutus. O viri diſcreta circumſpectio, & fida de Dei pietate ſanctaque præſumptio! qui & ad deprecantis fidem, manus miſero impoſuit; & ad inanis gloriæ fugam, patris quondam & magiſtri ſui, B. ſcilicet Edmundi ſuffragium adhibuit. Ego firmam Sancti de Dei pietate fiduciam, & cenodoxiæ victoriam ſigno ſeu miraculo æſtimo præferendam: ad hoc quippe puto pertinere, quod Dominus diſcipulis, cum gaudio pro virtute ſignorum regreſſis, ait, Videbam ſathanam ſicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones & ſuper omnem vir-

F

a

potum ei ex ſcypho S. Edmundi præbent.

Luc, 10, 18

A virtutem inimici, & nihil vobis nocebit: verumtamen in hoc nolite gaudere; & cetera.

In locum furculi à se inſiti,

73 Fertur quoque, relatu fide dignorum aſſerente, quod poſt munus conſecrationis adeptum, dum adhuc in domo illius venerandæ vitæ viri Domini Simonis, de quo ſupra facta eſt mentio, B. Ricardus moram traheret, exercitandi ſeu meditandi cauſa hortum ingrederetur; vidit arboris truncum, ſurculo inſerendo ſuo judicio ſatis aptum. Manibus itaque propriis fiſſo trunculo, ſurculi capacem effecit, & ſurculum inſeruit. Cumque proceſſu temporis inſita jam frondere cœpiſſet, ab animalibus hortum intrantibus per hortulani incuriam

& hortulani negligentia fracti,

eſt confracta. Contigit igitur, quod circa Octavas Apoſtolorum Petri & Pauli B. Ricardus, qui ad tempus inde receſſerat, illuc reverteretur, hortumque præfatum ingrederetur. Cum ecce prænominatus Dominus Simon ad B. Ricardum, Heu, inquit, doleo, quod opus manuum veſtrarum diſſipatum eſt: inſita enim, quam manus veſtra plantaverat, per hortulani negligentiam deperiit. Non ſic, inquit Ricardus, omnino ſtabit: & apprehenſo cultello, alium ab arbore propinqua ſurculum incidit, & trunco jam dicto inſeruit: &, mirum dictu! ille qui quondam virgam Aaron abſque humoris adminiculo germinare, florere, & fructum facere voluit, ipſe præter naturæ curſum inſitam B. Ricardi eo tempore, quo jam humor nutritivus plus à plantis vel arboribus effluit quam eiſdem nutriendis vitâ influit,

B *alieno tempore novum ſubſtituit:*

ſtupendo ſatis miraculo virere fecit & creſcere, & eodem anno flores & fructus proferre: quo nimirum miraculo ſatis eſt declaratum, B. Ricardum, tamquam Aaron à Deo vocatum & electum, teſtimonio divino in libro numerorum ſic conſonante,

Num. 17, 5 Quem ex his elegero, germinabit virga ejus. Aptum plane beati viri & conveniens prodigium, de quo ſcribitur in Pſalmo, ſub metaphora arboris fructiferæ, Omnia quæcumque faciet proſperabuntur:

Pſal. 1, 3 Jer. 17, 8 & Jeremias, Erit folium ejus viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſolicitum: nec aliquando deſinet facere fructum.

hoſpitis ſui ſubſtantiam non imminuit:

74 Aliud quoque, dum in prædicta Domini Simonis domo B. Ricardus converſaretur, Dominus oſtendere voluit ſanctitatis ejus indicium: qui enim incrementum dedit ſurculo ab ipſe Sancto plantato, ipſo per temporalium affluentem abundantiam oſtendit, quod in ejuſdem ingreſſu, domui jam ſæpe dicti Domini Simonis benedixerit. Cum enim per non modici temporis ſpatium ibidem Sanctus moram traheret, & propter ſuam præſentiam copioſæ fierent expenſæ; repertum eſt in fine, non

C minori plenitudinis abundantia frugum impleri horrea, eructare promptuaria, referta eſſe repoſitoria, cellaria redundantia; illo per merita Ricardi benedicente & manum ſuam aperiente, qui per Malachiam promiſit effuſurum ſe benedictionem uſque in

Mal. 3, 10 3 Reg. 17, 12 abundantiam: per quem etiam viduæ paſcentis Eliam hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non eſt imminutus.

fabas pauperibus diſtribuendas multiplicat: 6

75 Huc accedit, quod cum idem Sanctus eſſet in quodam manerio ſuo *c* Catham nomine, & tanta confluxeret ad eum pauperum multitudo, quod panis non ſufficeret; proviſum eſt ut ad eleemoſynæ complementum pars annonæ fabarum coqueretur. Cumque fortuito per locum ubi fabæ coquebantur tranſiret Epiſcopus, & intellexiſſet quod, ad diſtributionem pauperibus faciendam, pro defectu panis fabæ coquerentur ibidem; elevata manu dedit benedictionem, divini muneris largitate prorſus non vacuam: nam cum agape diſtribuenda vix tertiæ parti multitudinis credebatur poſſe ſufficere; in tantum ſuæ benedictionis ſenſit largitatem, ut unusquiſque congruam unius diei reciperet ſuſtentationem, & ex reſiduo pars aliqua diſtribuenda remaneret: his qui aderant mirantibus & laudantibus Deum.

AUCTORE RADULFO EX MS.

Cereum in manu ſua miraculoſe reaccenſum

76 In ſupradicto quoque loco de Catham oſtendit lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quam vere Ricardus ad eorum pertineret ſortem, quibus dictum eſt, Vos eſtis lux mundi. Cum enim ipſe Sanctus in die Purificationis Beatæ Virginis ibidem Officium ſolenne celebraret, & proceſſionis miniſteria, ob memoriam Chriſto obviam procedentium, agerentur; cereus, quem manu geſtabat Epiſcopus, nec non & cerei omnium die ipſo de more cereos accenſos geſtantium, auræ flatu gravioris extincti ſunt. Cumque aliquamdiu ſic extinctis cereis proceſſiſſent, ſubito, mirantibus ceteris, ſolius Epiſcopi cereus lumine eſt reaccenſus, Cumque ſtupens cerneret Antiſtes ſuum cereum ſubito reaccenſum, ait uni de ſuis ſibi à latere aſſiſtenti, Quis accendit cereum *jubet taceri.* meum? Quo reſpondente, Nemo, Domine; indixit Epiſcopus eidem ſilentium, dicens, Tace. Noluit quippe ex lumine miraculoſo vanæ gloriæ lumen ſibi acquirere, tamquam illud Dominicum dicens, Claritatem ab hominibus non accipio. O Ioan. 5, 41 lucerna, digne ſuper Eccleſiæ candelabrum levatal quæ popularis auræ flatum contempſit, & ſui luminis radium ad Patrem luminum intentione ſincera

E direxit.

fruſtra in piſcando laborantibus d

77 Rogatus aliquando B. Ricardus à viro venerabili & religioſo Joanne, quondam Priore de *d* Seleburne, Ordinis Sancti Auguſtini, Wintonienſis diœceſis, ut ad domum ſuam hoſpitandi gratia declinaret; cum idem Prior à puero notus ſibi eſſet & carus, & ambo eſſent ex eodem municipio nati & in eodem Studio conſcholares; precibus iſtius aſtrictus ad monaſterium prædictum declinavit. Prior igitur de tanti hoſpitis adventu non mediocriter gaviſus (quippe qui optime noverat eſſe Deum cum eo) in Sancto Dominum, & ipſum in Domino toto niſu ſtuduit honorare. Unde, tamquam Martha circa plurima ſolicitus, his quæ in proſpectu erant non contentus, interiorum volens abſcondita ſcrutari; Domine, ait ad B. Ricardum, placeat vobis nobiſcum ad aquam deſcendere, ſi forte donante Deo in præſentia veſtra aliquem piſcem capere poſſimus. Annuit Sanctus, & ad vivarium quoddam non procul diſtans cum Priore & aliis deſcendit. Cumque laxato reti cum ſumma diligentia, in captura trahendo laboraſſent, nihil ce-

luciũ benedictione ſuâ impetrat.

perunt: ſagena enim adeo obvoluta fuerat & intricata, quod nec piſces videretur poſſe capere nec retinere. Cum fruſtrata ſpe jam parati eſſent reverti, Magiſter Nicolaus de Wicio B. Ricardi conſanguineus & familiaris, qui inter ceteros aſtabat, ait Sancto, Domine erigite dexteram & date benedictionem. Dedit: & ecce lucius, trium pedum longitudinis aut amplius, ſuper ſagenæ cordas jacebat extenſus, nullo ſagenæ vel maculæ ejus fili vel funiculi retinaculo coarctatus, ſed beati viri benedictione ab aquis quaſi abſtractus & illectus. Tunc omnes qui aderant Deum benedicentes, divino hoc miraculo & Sancti meritis aſſcripſerunt.

F

ſimili modo marinos piſces

78 Nec prætaxato miraculo uſquequaque diſſimile fuit, quod ſubnectimus. Cum die quadam in ſua diœceſi per Pontem de Lewes faceret tranſitum, vidit piſcatores circa capturam piſcium plurimum ſolicitos. Quidam de ballivis Domini Cantuarienſis, piſcantibus intendens, in ipſo ponte ſtabat: qui ſalutato reverenter Epiſcopo, dixit, Domine, jam diu laborantes nihil cepimus: expectate nunc, ſi placet, parum, unius ſcilicet tractus eventum, & date

AUCTORE RADULFO EX MS.

date veſtram benedictionem, ut in ipſa laxemus rete. Et ſubridens Sanctus ſubſtitit, elevataque dextera aquam pariter & piſcantes benedixit, & ait, Mittite nunc in nomine Domini. Et ipſi mittentes traxerunt: educentes vero rete in terram, invenerunt piſces quatuor admodum pulchros, qui vulgo *e* muletti dicuntur, cujuſmodi in aqua illa capi non ſolebant; ſunt enim marini potius quam fluviales. Unde incredibile eſſe non debet, aquarum Creatorem, quo benedicente omnem animam viventem atque motabilem produxerunt aquæ in ſpecies ſuas, etiam ad ſui nominis invocationem, per ſervi ſui benedictionem, piſces quales voluit, & unde voluit produxiſſe. Unde & ſervus Chriſti nihil ſibi adſcribens de miraculo, ipſos piſces ſibi oblatos ad Fratres Minores, qui in eodem municipio manebant, juſſit deferri; afferens, quod propter ipſos dederat Deus piſces illos. Alias nihilominus, pontem quemdam tranſiens de *f* Bramre, conſpicatus eſt piſcatores, qui tota fere die laborantes nihil ceperant, & videntes Epiſcopum, voce magna clamaverunt, Domine, pro caritate Dei date benedictionem veſtram nobis, quia jam per tantum diei ſpatium incaſſum laboravimus. At Sanctus compatiens miſeris, extenſa manu dedit benedictionem, & ſtatim mittentes rete concluſerunt piſcium multitudinem copioſam.

e in fluvio præbet piſces

f

alias piſcatum copioſum

B

Pſal. 88, 26

79 Jam vero ut in ipſo verificetur, quod in Pſalmo ſcribitur, Ponam in mari manum ejus & in fluminibus dexteram ejus; ipſe qui in fluminibus manum ſuam mirabilem oſtendere voluit, ipſius quoque dexteram potenter mirabilem & mirabiliter potentem oſtendit in mari. Enimvero cum Dominus ei miſiſſet in cor, ut una cum aliis Prælatis & Magnatibus, corpus venerabile Patris & Domini ſui B. Edmundi, ad Pontiniacum ſepulti, ad locum eminentiorem in eodem monaſterio transferret *g*, ſociato ſibi illo nobili egregiæ indolis puero Edmundo de Laſcis, (quem Dominus cito de mundo rapuit, næ vel mala Angliæ videret, vel malitia intellectum ejus mutaret) mare tranſivit, & Pontiniacum uſque pervenit. Peracta igitur cum honore ſolennitatis condigno præfata tranſlatione, de gregis ſui cura ſolicitus, magnopere repedare feſtinat. Unde nec Autiſiodorenſi *h* Epiſcopo, viro utique bono & ſibi admodum caro, ipſum pro Eccleſiæ ſuæ debitis alleviandis ſecum retinere obnixe roganti, ullo modo asquieſcere voluit; dicens, ſe non pro cura Eccleſiæ Antiſidiorenſis, ſed potius Ciceſtrenſis ſpopondiſſe. Plus enim nimirum ſibi fuit cordi de illa ſponſione, quam de pecuniæ obligatione: in hoc dumtaxat facto ſugillans Prælatos quoſdam, & reprehenſibiles oſtendens; qui, gregibus relictis indefenſis, & de Patrum abſentia non immerito filiis murmurantibus & offenſis, vagari vel ſtare audent in peregre pro parcendis expenſis.

Celebrata Pontiniaci tranſlatione S. Edmundi,

g

h

recuſat Antiſſiodori morari;

C

Prov. 6, 1

80 At Dei ſervus Ricardus non ſic: ſed illud Proverbiorum mente pertractans, Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuã; feſtinare ſtuduit, ut gregem dirigeret, paſceret & informaret. Unde & apud Witſand *i*, maris videlicet portum veniens, poſt expectatam aliquamdiu proſperam ad transfretandum auram, vocato nauclero, inſtanter petiit duci trans fretum. Nauclero autem tempeſtatis immenſitatem cauſante, dixit Epiſcopus: Major eſt divina potentia, quæ poterit tempeſtatem ſedare, & mare tranquillum reddere. Aſcenſa igitur navicula, mari ſe committit Epiſcopus cum ſuis. Et ecce tempeſtas excreſcere cœpit in immenſum, & mare ibat & intumeſcebat in tantum, ut navicula præter gubernatoris propoſitum huc illucque jactaretur, & fluctibus pene operiretur. Et ecce vir vitæ laudabilis, Wilhelmus nomine, unus de Sancti Capellanis, dixit nauclero; Quare Dominum meum & nos tanto fuiſti auſus committere diſcrimini? nunc ergo ad terram velocius nos reducito. Cum ſe hoc minime poſſe facere reſponderet nauclerus, præfatus Capellanus ait Epiſcopo, Domine, nobis in tanto periculo conſtitutis, obſecramus, ut benedicere non differatis. Et Epiſcopus ipſos confortans, elevata manu dedit benedictionem, & ad expertum orationis refugium parumper ſe contulit. Et ecce, mirum cernere: cum enim aliæ naves multo majores adhuc in tanta tempeſtate & maris periculo verſarentur, ut vix cum ſummo labore vitam ſalvare potuiſſent; ſola navicula, in qua cum ſuis erat Epiſcopus, poſt benedictionem ab ipſo datam, tranquillo ac proſpero curſu, quod reliquum maris erat percurrens *k* Doueriam uſque pervenit; hoc ipſum cunctis mirantibus qui viderant vel ſcire poterant.

Rickardus ſigno Crucis ſanat oculũ infirmum.

& mari tempeſtuoſe ſe committens,

D

navicula benedicendo eximit periculo.

k

81 Et quoniam de prædicto Edmundo ſuperius mentio facta eſt, qui jure hereditario, ſi vixiſſet, Comes Lincolniæ *l* futurus fuiſſet, libet nunc quiddam referre; quod ad prædicti nobilis egregium pertineat monimentum, & à Sancti hujus laude non ſit alienum. Fuerat nempe ſæpedictus nobilis à puero bonis moribus informatus: à tempore autem, quo B. Ricardo adhæſerat, factus eſt ex bono melior, ex devoto devotior, & ad cultum Dei & Eccleſiæ Matris honorem augmentandum de die in diem ferventior: unde & Dominus in mentem miſerat eidem, Fratribus Prædicatoribus, quos præ ceteris Religioſis ſpecialius amplectebatur in Chriſto, eccleſiam & manſionem in proprio ſuo fundare. Et quia, habito cum deliberatione conſilio, hoc potiſſime fieri poſſe videbatur in municipio illo quod *m* Pons-fractus appellatur; acceſſit ad locum in perſona propria, viris diſcretis tam religioſis quam ſecularibus ſibi aſſociatis, ut Fratres de fundo *n* inveſtiret, & primum lapidem fundamenti, ut loci patronus & fundator, propriis jaceret manibus. Aſſumptoque lapide ut hoc faceret, projecit ſub his verbis dicens, In honorem Dominæ noſtræ Mariæ, Dei genitricis & Virginis, & S. Dominici Confeſſoris, cujus Fratribus locum ipſum aſſigno, nec non S. Ricardi Epiſcopi *o* & Confeſſoris, quondam Domini & amiciſſimi mei, eccleſiam in loco iſto fundare volens, primum lapidem jacto.

Edmundo de Laſcio

l

E

m

eccleſiam Prædicatoribus ſtruente in SS. *Mariæ, Dominici & Richardi honorem.*

n

o

82 Et hoc dicto lapidem projecit; ſtatimque lapis, in quo prius nulla fractura vel fiſſura videbatur, videntibus omnibus qui aſtabant & miratibus in tres partes ſe diviſit, ipſa diviſione clamando approbans votum Edmundi, quod viva voce tribus ſanctis pronuntiatis prius expreſſerat. Quo facto ſæpedictus nobilis in ſancto propoſito extitit firmior, atque ad perficiendum quod promiſerat ardentior, corporiſque ſui exuvias (eo quod non multo poſt diem concluſit extremum) apud Fratres in ipſa eccleſia legavit tumulandas. Eſt autem ibidem eccleſia decentis operis conſtructa, in qua (prout præfatus Edmundus voluit & diſtinxit & Dominus miraculo confirmavit) primo Dei genitricis Mariæ, ſecundo beati Patris noſtri Dominici, ac poſtmodum B. Ricardi Epiſcopi & Confeſſoris memoriæ continentur: quorum meritis & precibus animæ ipſius Edmundi ſupra recitati & nobis peccatoribus propitietur Altiſſimus. Amen. Sed & hoc, Lector, tuæ mentis aciem nolo prætereat, quam congrue B. Ricardi, Sanctique Dominici, primi Fratrum Prædicatorum Magiſtri, voluit Deus & inſpiravit memorias conjungi: ut cujus Ordini voto dumtaxat & voluntate B. Ricardus fuerat obligatus, ejus gloriæ in cælo intelligatur aſſociatus.

lapis fundamentalis trifariam dividitur.

F

83 De miraculis autem ſanitatum, quæ Dominus

nus per manus hujus Sancti, dum adhuc corpus hoc corruptibile vegetaret, dignatus est operari, ad ipsius Domini laudem aliqua subnectamus. Extitit quædam Domina nobilis Alicia nomine, cognomento Tyrel, illius nobilis & generosæ Comitissæ de Arundelia, Ysabellæ de Aubeny, commensalis aliquando & quasi socia, quam etiam dicta Comitissa, viduam honestam & probis moribus ornatam intelligens, admodum caram habuit & acceptam. Hæc cum in oculo dextero gravi dolore & tanto caliginis nubilo gravaretur, ut nec digitum proprium coram positum ipsa posset intueri; adveniente quodam die Sancto, cui plurimum erat specialis & cara, interrogavit dicens, Domina, quid habetis in oculo? At illa, Pater bone, inquit, graviter patior in oculo dextro. Cui Sanctus compatiens, fusa prius oratione, oculum digito suo signavit, & statim doloris mitigationem sensit, & plenam recuperavit videndi facultatem.

A Richardus signo Crucis sanat oculum infirmum,

84 Aliud quoque miraculum præcedenti non dissimile, ille qui illuminare venit eos, qui in tenebris & in umbra mortis sedent, per servum suum dignatus est declarare. Quidam nempe Galterus nomine, qui in Sancti obsequio aliquando ministrarat, infirmitate gravi acriter afflictus, unius oculi obtutum omnino perdiderat. Cumque cæcitas ipsa, infirmitatis flagello recedente, non recederet, quadam die coram Sancto in exhibendo officii sui ministerio consistenti, ait Sanctus; Quid mali pateris in oculo? Respondet ille, Domine, visu illius oculi, pristinæ infirmitatis gravedine, omnino privatus sum. Et Sanctus, Accede, inquit, ad me. Et cum accessisset, procedens Sanctus, dexterum pollicem sacrum super oculum ponens, ac vivificæ Crucis signaculo consignans benedixit: parvoque facto intervallo, cæcitate depulsa, lumen recepit, Deum benedicens ac Sancti meritis hoc palam adscribens.

alterum extinctum restituit.

85 Nec solummodo sacrarum manuum suarum contactu sanitatum signa & virtutes operari dignatus est Deus, sed etiam de vestibus quibus aliquando utebatur, seu calceamentis quibus calceatus incessit, seu de lecto vel loco in quo quievit, infirmantes sensere sanitatis effectu exisse virtutem. Nam cum aliquando *p* cappam quamdam, qua usus fuerat ad tempus, cuidam Capellano sibi dilecto familiaritatis gratia contulisset; idem Capellanus, Pontificis sanctitatem intelligens, cappam ipsam, non tam ad utendum quam loco Reliquiarum recondendum, reverenter suscepit. Contigit igitur in parochia illa, cui prefatus Sacerdos præerat (Vicarius quippe erat & Decanus) quod quidam quartanæ typo graviter laboraret; cujus infirmitati compatiens Sacerdos, ac suarum non immemor Reliquiarum, cappam sibi à Sancto datam, cumspe certa & fide non ficta, in ipsa accessionis hora infirmo superposuit; monens ut certam haberet fiduciam, meritis se B. Ricardi posse liberari. Statim igitur ut infirmus cappam sensit & tetigit, accessionem evasit, & ad plenum convaluit.

sanatur contactu ejus cappæ quartana laborans,

p

C

86 Quidam etiam, Ricardus de Catham nomine, officium villici seu ballivi, ut vulgo dicitur, in B. Ricardi gerebat obsequio. Hic cum gutta, quam podagram vel arteticam vocant, frequenter vexaretur, vice quadam in tantum ea torquebatur, quod vix pedes movere poterat. Quod postquã Sancto viro innotuit, *q* botas quasdã, quibus uti solebat, transmisit eidem; quibus infirmus calceatus, cito per morbi sui plenam curationem experimento probavit, quid virtutis, ex contactu sacrorum pedum beati Ricardi, etiam pellibus mortui animalis potuit inesse: nam sicut ipse postea viva voce fatebatur, adeo perfecte curatus est, ut nec morbi reliquias postmodum sentiret.

podagricus usu ocrearũ ejus,

q

87 Divertit aliquando S. Ricardus ad Abbatiam

de *r* Begeham Ordinis Præmonstratensis in diœcesi Cicestrensi, quem tamquam Angelum Domini gratanter pariter & gaudenter susceperunt. Factum est igitur, post Sancti recessum de monasterio præfato, ut quidam Canonicus gravi doloris angustia in omnibus membris vexaretur, in tantum ut vix præ dolore sciret quid ageret. Hospitis tamen, quem apud se nuper receperant, sanctitatis non immemor; cum lectus Sancti, in quo quieverat, immotus adhuc permaneret; incidit ei consilium bonum, ut in lecto ipso spe sanitatis recuperandæ se collocaret. Super lectum itaque Sancti se extendens, pectus suum manibus tundendo, sub his verbis orare cœpit: Domine Deus, peto ut per amorem illius, qui hic proxime dormiens requievit, mihi tribuas sanitatem; sicut credo veraciter, quod ipse sit Sanctus in conspectu tuo. Quo dicto, omni doloris infirmitate sublata, continuo plenæ restitutus est sanitati.

AUCTORE RADULFO EX MSS.

r & infirmus in lecto ejusdem recumbens.

E

ANNOTATA.

a Orpinton *Vicus est Londino distans ad* 10 *vel* 11 *Anglicana milliaria, ubi* Crecca, *vulgo* Craye *fluviolus oritur.*

b Majorem *vulgo Pratorem Angli Belgæque appellant.*

c *An quod in peninsula Selsya forte perperã notatur* Cackhã?

d Seleburne *oppidum ad confinia Surreiæ & Sutsexiæ: quo loco sui Ordinis conventum fuisse ignoravit Herrera, Alphabetum Augustinianum scribens.*

e Muletti *non Anglis tantum, sed etiam Francis dicuntur: Latinis* Mugiles.

f Bramre *Cicestrensis diœcesis oppidũ, intervallo* 20 *milliariũ disitum ab Vrbe ad fluvium, olim capacem navium, nunc vero aggestis ad ostium arenis impeditũ, uti docet Cambdenus.*

g *Factum id, postquã ab Innocentio* IV *est S. Edmundus inter Dives relatus solennitate maxima anno* 1245, 9 *Iunii, quemadmodũ ad* 16 *Nov. descriptum dabimus ab Alberto Archiepiscopo Linonie, qui identidem Cicestrensis Episcopi meminit.*

h *Fuit is* Bernardus de Sully, *cujus litteras pro impetranda S. Edmundi canonizatione in prædicto tractatu habemus: quem sanctitate conspicuum principio sequentis anni mortuum esse constat ex ejus Epitaphio apud Sammarthanos: assumptus ad Episcopatum fuerat an.* 1233.

i *Hinc brevissimus in Angliam trajectus est:* Portum Iccium *fuisse Cambdenus putat: hodie corrupto nomine* Visan.

k Dubris *Antonino antiquæ linguæ Gallicæ manifestũ vestigium retinens qua ab* over, uber *trans, loca littoralia trajectui opportuna addito articulo nomen habent.*

l *Ornaverat hoc titulo Henricus* III *Radulphum Cestriæ Comitem: hic eum in sororem suam Hadvvisam transtulit, & hæc rursum in filiæ suæ Margaritæ conjugem Ioannem de Lacy: ex his Edmundus hic, qui ante matrem vita functus filium post se reliquit Henricum, ultimum suæ stirpis Lincolniæ comitem, ut docet Cambdenus in Coritanis.*

F

m *Vulgo* Brasbidge *in suburbiis Lincolniæ ad meridiem, trans VVithamam fluvium.*

n Investire *nota vox pro eo quod diceremus* in possessionem inducere: *nescio an etiam nota etymologia, nequaquam ducenda à Latino* vestis, *sed à* vast *firmus, unde* vesten *firmare, Teutonibus Saxonibusque communis dictio, & omnibus communes cum his linguæ radices habentibus.*

o *Ergo postquam hic canonizatus esset anno* 262. *ut non diu potuerit supervixisse Edmundus: siquidem juvenis mortuus est, & cum S. Edmundus transferebatur, annum ætatis ut minimum agebat* 12, *adeoque nunc erat annorum* 29.

p *Anglis vox* Cappa *sine addito sumpta, nunc* pileus, pileolusve *est: pro chlamyde autem cucullata (quam aliæ fere nationes intelligerent) non ponitur nisi cum addito: quod etiam* 13 *seculo obtinuisse in Angliæ crederemus, nisi Mattheus Paris eadem voce manifesto pro pallolo uteretur: quare hic etiam malumus pallium intelligere.*

q Botta *est*, Ocrea, *Anglis, Francis, Hispanis commune vocabulum.*

r *Est* Begeham *intra quartum à Lewensi oppido milliariũ trans flumen, circa an.* 1200 *illuc ex Ottegam (ubi paulo antè*

AUCTORE RADULFO EX MSS. *ante fundata fuerat cum nova fundorum plurium acceſſione tranſlata: de quibus vide chartas donationum & confirmationem Regis Ioannis in Monaſtico Anglicano.*

CAPUT VIII.

Inſignis revelatio de Richardi Pontificatu & futura gloria: extremi pro Eccleſia labores: morbus, obitus, ſepultura.

Non tantum ipſi de ſe,

88 TAlibus igitur Pontifex inſignis Richardus ſanitatum & prodigiorum pollens inſigniis, & meritorum titulis adornatus, ſpiritu nihilominus prophetiæ claruiſſe dignoſcitur: nam & ſeipſum ad Pontificatus apicem cathedræ Ciceſtrenſis, ante ſui prædeceſſoris ſepulturam, aſſumendum cognovit; & obitus ſui tempus ſpiritu revelante prædixit. Sed & aliis de ipſo divinitus per revelationes & inſpirationes futura præſagia demonſtrata ſunt. Nam B. Edmundus, dum in ipſius ſtaret obſequio, quod futurus eſſet Pontifex ſpiritu prophetiæ prædixit: & cuidam Sacerdoti, honeſto viro ac Deo devoto, viſio digna relatu de ejus apparuit Pontificio. Nocte ſiquidem proxima diem præcedente, qua ad Epiſcopatum fuerat aſſumendus, vidit in ſomnis domum exterius admodum pulchram. Cogitans autem penes ſe & mente pertractans, an pulchritudine conſimili intrinſecus niteret, qua refulgere videbatur extrinſecus; propius ad explorandum, ut ſibi videbatur, acceſſit: & introſpiciens vidit duos viros, Pontificalibus inſignibus redimitos, quos diligentius intuens, agnovit per facies unum eorum eſſe B. Edmundum, quondam Archiepiſcopum Cantuarienſem, alium vero Magiſtrum Richardum de Wicio, cujus in præſentiarum Vitam conteximus; cujus capiti B. Edmundus mitram videbatur imponere. Admirans autem cur Pontificalibus induebatur, qui necdum Præſulatus inſulam fuerat aſſecutus, diligentique contemplatus intuitu; videt quamdam elegantis formæ perſonam, albis indutam, manu verſus ipſos protenſa dicentem illud, quod in Apoſtolorum Petri & Pauli Laude *a* pronuntiat Eccleſia, Glorioſi principes terræ, quomodo in vita ſua dilexerunt ſe, ita & in morte non ſunt ſeparati.

sed alteri quoque de ipſo per viſionem revelatum eſt

B

a

futurum Epiſcopum,

C

89 Ut ergo de viſione præfata dicam quod mihi videatur portendere; per domum pulchram, Eccleſiam univerſalem poſſumus accipere figuratam: cujus pars exterior eſt iſta quæ militat, pars vero interior illa quæ triumphat: in utraque vero pulchra eſt & decora: ſed pars interior pulchrior, quia caret macula tentationis & tribulationis; exterior vero etſi pulchra, minus tamen, quia utraque prædicta macula decoloratur: unde & in Canticis dicitur, Pulchra ut luna, quoad partem exteriorem; Electa ut ſol, quoad partem interiorem: in qua ambo viſi ſunt, quia ante tempora ſecularia in ſorte Sanctorum ibidem prædeſtinati. Quod autem capiti B. Richardi mitram, Pontificalem B. Edmundus videbatur imponere, hoc forſan datur intelligi, quod ope ſui meriti deſtinatum gloriæ bravium Deo ordinante fuerat obtenturus. Virquoque qui albis indutus protenſa manu dixit, Glorioſi principes & cetera, & Angelicæ revelationis inſinuat documentum, & hoc dat intelligi, quod Sanctus utrique, Edmundus ſcilicet & Richardus, propriæ carnis tamquam terræ principatu, & Apoſtolici culminis primatu inſignes extitere; & nihilominus caritatis vinculo ita indiviſibiles, quod ipſa quoque mors nexum unitatis inter eos rumpere non potuit: quippe cum dicat Hieronymus, quos conjuxit vinculum caritatis, diſtantia loci non poſſe disjungi. Ad quem intellectum hoc quoque me provocat, quod S. Edmundus hora tranſitus ſui dixit, ſe B. Richardum à diu ſibi inviſceraſſe, ut merito dicantur in morte non eſſe ſeparati. Cum autem Sacerdos, cui revelata fuerat viſio, de ipſa ſolicitus cogitaret; in craſtino rumor increbuit, magiſtrum Richardum de Wicio ad Epiſcopatum Ciceſtrenſem aſſumptum: & cum propter hoc, Te Deum laudamus, audiret decantari; ipſe quoque cum ceteris Deum laudans, viſionem enarravit.

Cant. 6, 9

Interventu S. Edmundi, amici quondam ſui.

D

Iudæum unum ad fidē convertit:

90 Illud denum prætermittendum non arbitror, quam fervens fidei Chriſtianæ extitit æmulator, cupiens & merito & numero ipſius cultum augeri, & ad hoc totis viribus penitus elaborans. Unde ſicut pro impediendo perfidiæ Judaicæ incremento, ut præfati ſumus, novæ Synagogæ non patiebatur ædificium; ſic ad veræ fidei venientes ſacramentum Judæos recipere voluit, in Eccleſiæ matris augmentum. Unde & quemdam Judæum, per ipſum in fide inſtructum & baptiſmi gratiam poſtulantem, apud Weſtmonaſterium, præſente Rege ac procerum multitudine, propriis manibus ſolenniter baptizavit, Regis nomen ipſo Rege favente ſibi imponens, & baptizatum gratanter in filium adoptans: ob hoc nimirum Eccleſiæ matris, ex novæ regenerationis proſe, augmentans gaudium; & perfidæ Synagogæ, non parvum præbens incentivum, ad veram fidem ſe convertendi.

E

ex Apoſtolicæ commiſſione.

b

Gal. 6, 14

Ezec. 9, 4

F

Crucem magno fervore prædicat

Pſ. 118, 14

c per ſuam & Cantuarienſem diœceſim.

91 Poſt vitam igitur miraculorum gloria fulgidam, & morum honeſtate præclaram, qua Chriſtum ſecutus Crucem ſuam jugiter ferre didicerat, per quam ſibi mundus ipſeque mundo fuerat crucifixus; tandem, ut ſub Crucis myſterio pariter & miniſterio, in Chriſto & cum Chriſto vitæ finem ſumeret glorioſum, Crucis prædicationem à Sede Apoſtolica pro Terræ ſanctæ ſubſidio accepit delegatam. Procedit ergo *b* Crucis Chriſti miniſter & prædicator glorioſus; non in Romanæ commiſſionis *b* pegmate, ſed in crucis ſtigmate quærens gloriari, cum Apoſtolo clamans; Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti. Jam mihi videtur vir ille repræſentari, cui dicitur in Ezechiele; Tranſi, per mediam civitatem in medio Ieruſalem; & ſigna Thau ſuper frontes virorum dolentium & gementium ſuper cunctis abominationibus quæ fiunt in medio ejus. Hic nempe ad inſtar viri illius indutus Ephod munditiæ, atramentarium ſcriptoris gerebat in renibus, Scripturæ teſtimonia cunctis delectationibus anteponens cum Pſalmiſta, qui dixit, In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis. Igitur à Ciceſtrenſi ſanctuario incipiens, per loca maritima tranſiens, ac per Metropolitanæ Sedis diœceſim & civitatem, Cantuariam loquor, noſtram quodammodo Ieruſalem, propter glorioſorum Martyrum ac Pontificum Thomæ *c* nec non Elphegi aliorumque pretioſa pignora Sanctorum, feralia nautarum colla jugo Crucis ſtuduit ſubmittere, oſtenſiſque peccatorum abominationibus pœniſque in eorum vindictam inſequentibus, dolorem & luctum incutere ſatagebat auditoribus, & ſic pœnæ crucem tanquam Thau ſignum ipſis ſalubriter impreſſit. Laborat igitur in agro Dominico cultor indefeſſus, & Crucis aratro cum vomere linguæ conjuncto terrena corda proſcindit; & ſeminiverbius Chriſti, rore cæleſtis benedictionis adhibito, ſulcos juſtitiæ gaudenter vidit germinare. Quam gratanter enim contritos refovet, confitentes audit & inſtruit, pœnitentes abſolvit, conſultantibus reſpon-

A respondet, desperantes reformat, alacres adhortatur, trementes roborat, denique qualiter omnibus omnia factus est, quis sufficiet enarrare? Nam quia omnes Christo lucrifacere voluit, omnibus propter Christum se studuit conformare.

Doveria consecrat ecclesiam S. Edmundi;

92 Inter hæc autem ad illum famosum Cantiæ portum, qui Doveria dicitur, prædicando pervenit, & in domo hospitalis in ipso municipio hospitatus est. Rogatus quoque à Magistro & Fratribus dicti hospitalis, ut ecclesiolam quamdam cum cœmeterio, pauperum sepulturæ constructam, in honore quondam Domini & patroni sui B. Edmundi Cantuariensis Episcopi dedicaret; animo pariter & vultu gaudenti favorem præstitit & assensum. Locum igitur dedicandæ basilicæ adiens, *d* ipsam solenniter consecravit & devote. Inter prædicandum autem (nam sermonem ipso die populo exhibuit) hujusmodi verba proposuit: Carissimi, rogo una mecum benedicite Dominum & laudate, qui nobis de sua gratia contulit, in honore suo Sanctique Patris Edmundi, præsenti dedicationi interesse. Hoc enim fuit quod semper, à tempore quo munus consecrationis assecutus sum, optavi: hoc quod votis omnibus expetivi, ut antequam diem clauderem extremum, unam saltem basilicam in honore ipsius possem consecrare. Unde & totis medullis cordis mei Deo gratias refero, qui animæ meæ desiderio me non defraudavit. Et nunc, Carissimi, scio quia velox est depositio tabernaculi mei, quam vestrarum orationum suffragiis peto communiri. Missa itaque cum debita celebritate finita, & sacra benedictione firmata plebe, Pontifex ad supradictum hospitale revertitur.

d

mortem suã prædicit;

B

93 [Ecce autem unus de sibi familiariter caris accedens ad eum, ante scilicet quam ægrotare cœpisset, visitandi quamdam ecclesiam sibi commissam licentiam petivit. Pontifex autem petenti non acquiescens, respondit: Si nunc recedis, videbis horam, antequam revertaris, qua pro tota ecclesia nolles à me separari.] *e* Jam quidem præsensit horam instare, qua debitum naturæ persolvens ex hoc mundo fuerat migraturus: in qua nimirum sibi caros adesse voluit, exitum suum eorum prece pariter & præsentia felicius sperans consummare: dicturusque vale ultimum, sui memoriam eorum cordibus fortius voluit infigi, & ipsos paterna benedictione potiri. [Feria igitur secunda, in crastino scilicet illius Dominicæ *f* qua prædictam basilicam dedicaverat, licet jam febricitare cœpisset, hora tamen surgendi nescius se tricare, mane oratorium ingressus, psallere cœpit. Cum ecce, morbo ingravescente, imbecillia membra sustentare non valens, quasi syncopen passus, pavimento prosternitur. Suorum ergo manibus sublevatus, ad lectum reducitur, ibique reclinatur. Invalescente igitur morbo quotidie, sensit vir sanctus vocationis suæ de hoc mundo tempus instare: convocatisque quibusdam qui sibi fuerat à secretis, hoc ipsum indicavit: jussitque funeri necessaria ita caute præparari, ne familia sua percipiens turbaretur.] Implere quoq; volens quod legerat, In fine hominis denudatio operum illius, generalem vitæ suæ fecit confessionem. Animæ quippe saluti potius quam corporis consulere gestiens, Sacramentorum medicamenta salutaria principaliter adhibere curavit.

e

morbo corripitur:

f

C

sacramentis munitur: Eccli. 11,29

94 Affuerunt tamen nihilominus & medici corporales, diligenti suorum industria accersiti: cumq; de morbi qualitate, consideratis ægrotantis symptomatibus, urinæ nihilominus hypostasi & colore, coram ipso judicarent; ait Sanctus: Non oportet jam de urinæ meæ judicio fore solicitos: mors enim jam in januis existit: cujus judicio constat me cito hujus corporis tabernaculum egressurum, & spiritum dirigi ad eum qui dedit illum. Cum autem ille vir vitæ venerabilis, Domnus Simon de Teringe, ad lectum ægrotantis ausu familiari propinquius accederet, & de morbi gravedine verba contexerent; Dominus Simon subintulit, Domine, inquit, jam instant Dominicæ Passionis tempora: & quia tribulationis particeps estis, eritis ipso largiente & consolationis. Ex quibus verbis Sanctus factus est hilarior, tamquam in seipsum transformans illud Psalmistæ, Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Et convertens caput ad secum loquentem, dixit, Feria sexta in magno festo futurus sum. Et quoniam attenuato spiritu verba sua jam quasi sibilus auræ tenuis effecta sunt, Dominus Simon, prima verba non intelligens, conticuit. Tum Episcopus, Nonne bene me intelligis? nonne hodie est *g* quarta feria? Cui ille, Imo, Domine. Et Sanctus, Non, inquit hac proxima quinta feria; sed in proxima sequente magno illo festo perfruar. Quod ex mortis suæ die & hora postmodum fidem facere videbatur eventus.

AUCTORE RADULFO EX MS.

Ps. 121, 1

& feriam 6 in cælo actuarum:

g

E

95 Cum autem præ nimia corporis debilitate in cœna aliquid sumere rogaretur, & diceret quispiam, Domine, unicum solum ferculum habebitis in cœna, comedatis libenter; respondit, sufficit, & unũ sufficere debet in cœna: & adjunxit, Scitis, quod est illud? Hoc est illud, de quo B. Philippus dixit ad Christum, Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis: & illud ferculum det ille mihi Dominus in meam cœnam. Jam quippe mentis directione pergere cœpit in Deũ, ac prægustando videre quam suavis est Dominus; Marthæque solicitudine circa plurima sequestrata, illud unum ferventer esuriit, quod Maria præ ceteris eligens, veritatis judicio necessarium prædicatur. Amplexatus igitur imaginem Crucifixi, quam deferri sibi devote postulaverat; intelligens secundum B. Basilium honorem imaginis ad prototypum pertinere; loca vulnerum piæ devotionis osculis, ac si recenter morienti Salvatori vicerat inflicta, cœpit dulciter demulcere, in hæc verba prorumpens: Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, de omnibus beneficiis, quæ mihi præstitisti; pro pœnis & opprobriis, quæ pro me pertulisti; propter quæ planctus ille lamentabilis vere tibi competebat, Non est dolor sicut dolor meus. *h*

eo unice aspirat: Ioa. 4, 8

Crucifixum amplectitur:

h

96 [Cum autem sæpe dictus Dominus Simon ipsi suaderet, ut fidei Catholicæ veritatem, quam crediderat & docuerat, firmiter mente retineret, & illius memoriam recoleret; respondit, Licet verba mea ad plenum modo intelligere non possitis, tamen memoriam & sensus meos adeo perfecte retineo, sicut feci jam septem annis elapsis, & Deo dante usque in finem retinebo.] Et circumstantibus ait: Cadaver istud putridum deorsum in terram deponite. Membra nimirum corporis, quæ dono naturæ habuit elegantia, sicut noverat subjugare; ea vivens affligendo per pœnitentiæ austeritatem; sic moriens quoque contemnere noverat per humilitatem. Illam autem Psalmistæ vocem, qua dicit, In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, frequentius iterans; & ad gloriosam Virginem vicissim corde simul & ore se convertens, ait, Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horæ mortis suscipe: *i* [& precepit Capellanis suis, quod illa verba in auribus dicere non cessarent.] Inter suspiria igitur piæ devotionis atque verba sacræ orationis, adstantibus Religiosis, Presbyteris ac Clericis pariter, & laicis fidelibus, beatus Pater Richardus animam, supernis civibus copulandam, reddidit Creatori. Transiit autem ex hoc mundo, ætatis suæ anno circiter quinquagesimo sexto, Pontificatus autem anno nono, *k* tertio Nonas Aprilis, circa noctis medium, quo Sponsus ille cælestis ad nuptias venturus describitur; cum eodem Sponso cælestis aulæ jucunditate fruiturus, ipso præstante, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in secula seculorũ.

fidem profitetur:

F

Ps. 30, 6

pientissime moritur:

i

k

iterum se moriturum asseverat,

AUCTORE RADULFO EX MSS.

97 Cum ..... illud Spiritus Sancti organum, corpus dico Ricardi, ad lavandum, & Pontificalibus, ſicut moris eſt, induendum eſſet nudatum; caro, quæ cilicii aſperitate exarata, quæ loricæ pondere prægravata, & cingulorum diverſorum nodoſa pœnalitate fuerat ulcerata: tanti candoris nitore reſplenduit, ut quoddam futuræ reſurrectionis inſigne etiam mortua videretur præferre: eratque videre lilium candoris inter ſpinas livoris: &, dum pœnæ ſtigmata, quæ vivendo pertulit, colore purpureo crucis alborem diſtinguerent, roſæ ſpeciem, liliis admixtæ, repræſentare videbantur. Sic perdilectus ille candidus & rubicundus, ſui coloris & decoris ſpecie, etiam in carne mortua, ſuos Nazaræos novit decorare, de quibus ſcriptum eſt, Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo: de quorum numero B Ricardum fore cenſendum præfati notitia decoris voluit declarare.

mortui corpus candore miraculoſo niteſcit.

Thren. 4, 7

98 Quia vero corpus ſuum apud Ciceſtriam, in eccleſia ſua cathedrali, ante obitus ſui diem ſepeliendum delegaverat, quæ à loco ſuæ migrationis non modici itineris intervallo diſtabat; non tam humana quam divina actum æſtimo providentia, ut qui numquam ſuæ viſcera miſericordiæ indigentibus claudere conſuevit, mortuus quoque etiam corporis ſui viſcera pauperibus largiretur. Unde & viſcera ejuſdem
B à corpore ſeparata, in baſilica quam ad pauperum ſepulturam in honore S. Edmundi Confeſſoris, quodam Domini ſui, paulo ante dedicaverat, venerabiliter ſunt recondita. Quod quidem quam convenienter actum ſit, quis non autumat? ut ipſius viſcera B. Edmundi memoria contineret, quem ſibi inviſceraſſe verbis pariter & ſcripto ultimæ voluntatis fuerat atteſtatus. In loco autem ipſo pie petentibus, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, & Sancti meritâ cæleſtia conceduntur beneficia. Corpore autem aptato, & ſchemate Pontifice digno in feretro collocato, fit undique concurſus populi; ad tam venerabiles exequias catervatim convenitur, felicem ſe quiſque reputat, ſi vel feretrum tangat vel veſtimentorum ſacrorum fimbriam contrectet, vel annulis ſeu monilibus, zonis vel ſemi-cinctiis, faciem, manus aut pedes contingat, ipſa eadem pro theſauro & reliquiis ſibi recondentes, quæ contactu ſancti corporis ſanctificata reputabant.

Viſcera in nova S. Edmundi eccleſia conduntur

corpus populo ſpectandum exponitur

99 Defertur itaque corpus verſus Ciceſtriam: & dum per monaſteria, eccleſias ſeu villas & municipia deportatur, pulſatis campanis occurrunt ſolenniter pſallentes pariter & plorantes: quia etſi tanti paſtoris ſe vident præſentia corporali deſtitutos, patrocinio tamen & interventu in cæleſtibus ſe ſperant protegendos: beatos quoque ſe reputant, apud quos tantus theſaurus vel per unius noctis ſpatium contigit reſervari. Cum ergo ad civitatem, ſuæ Sedis honore decoratam, perveniſſent; accurrunt certatim de vicis & plateis ſimul in unum dives & pauper; & dives quidem de honorificentiæ titulo, pauper vero de eleemoſynæ cumulo, in præſenti ſublato, flebiliter conquerüntur: utroſque tamen refovet & conſolatur, quod in cælo quam in terra potentior effectus, utriſque poterit competenti beneficio ſubvenire.

Ciceſtriam defertur:

C

honorifice ſepeliuntur.

100 Delato igitur in eccleſiam Pontificis corpore, cerneres muſicâ in luctu non importune miſceri: & dum cantando modulatius tanto Patri deferre cupiunt devoti filii debitum honoris obſequium, orbitatis dolore cogente, cantuque ſingultu interrupto, modulamina philomelæ & turturis ſuſpiria conjunguntur. Corpus autem ejus venerabile in ipſa eccleſia, coram altari B. Edmundi Confeſſoris, quod ipſemet ibidem ad Aquilonarem eccleſiæ partem erexerat, in humili loco ſepultum eſt; ubi magna & miranda ad Dei laudem fiunt miracula, quæ ſequentis libelli pagina, Chriſto largiente, declarabit: ipſo præſtante, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen. D

ANNOTATA.

a *Scilicet pro Antiphona* ad Benedictus: *quomodo vulgo Antiphonæ de Diva, dicuntur* Laudes B. Mariæ.

b Pegma *proprie ſignificat machinam ſupra quam ſtatuæ attolluntur, hic vero pro elatione accipitur.*

c *Coluntur S. Elphegus* 19 *Aprilis, quando ejus Acta damus; S. Thomas* 29 *Decembris.*

d *Ex altero MS. addebatur in margine,* Cum magna debilitate corporis ſui.

e *Totum hunc paragraphum huc uſque, uti & ea quæ paulo poſt ſequuntur* [*incluſa,*] *abfuiſſe ab altero MS, notabat ſubductio linearum, & in margine bis adſcriptum* vacat.

f *Quartæ ſcilicet Quadrageſimalis: nam anno* 1253 *Paſcha celebratum eſt* 20 *Aprilis, & hæc Dominica fuit* 30 *Martii, ut patet ex feriis ad mortem uſque Sancti infra numerandis.*

g *Hic* quartam *& mox* quintam *ex altero accepimus MS. ad marginem indicato; cum Martinianenſe,* quintam *& ſextam haberent, evidenti mendo, ut apparet ex contextu.*

h *In eodem MS. addebatur* Et tu noſti, Domine, quod ſi tibi placeret, omnia probra & tormenta ac etiam mortem pro te paratus eſſem ſuſtinere: & ſicut tu ſcis hoc verum eſſe, miſerere mei, quia tibi commendo animam meam. *Deerant ibidem quæ ſequuntur incluſa.* E

i *Hæc verba ex altero MS. notata in margine, ſuo loco viſa ſunt inſerenda.*

k *Matthæus Paris* IV Nonas: *quod ex accuratiſſima dierum notatione, ſatis apparet ſubreptitium eſſe: multo magis quod in MSS. invenitur* III Kalendas, *niſi hoc pro die* III Aprilis *dictum quis putet*

l *Abraſum erat verbum aliquod, pro quo ex alio MS. notabatur in margine,* huc uſque.

LIBER II.

Miracula poſt mortem S. Richardi.

PROLOGUS.

2 CUm finierit homo tunc incipiet; inquit eccleſiaſticus. Quam vera ſit præfata ſententia & fide oculata perſpicua, in B. Ricardo poteſt elucere: qui dum vitam iſtam mortalem vel magis mortem vitalem finivit in terris, virtute miraculorum cælo vivere comprobatur. Quomodo enim vivere negari poterit, qui à mortuis mortem expellere, & defunctis vitam infundere; & in morbis mortiferis medelam adhibendo morti videtur obſiſtere? Et hoc quid mirum? cum quanto jam veræ vitæ inhæſerit verius, tanto mortem poterit expugnare potentius. Sed hoc totum ad ejus gloriam, qui dicit, Ego ſum via, veritas & vita: per ipſum enim Sancti gradiuntur, tamquam via, ne errent in agendo: ipſi, ſicut veritati, inhærent, ne fallantur in credendo: ex ipſo conſequuntur, à vita ne deficiant moriendo. Hæc B. Richardus advertens, dum vitam iſtam cucurrit mortalem, ad Chriſti gloriam & fidem, & opera & finem totaliter ordinare ſtudebat: ut illud Apoſtoli dicere videretur, Magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per mortem ſive per vitam. Magnificavit igitur B. Ricardus Chriſtum in ſuo corpore vivens in mundo, & ſanctis actionibus & miraculis glorioſis: magnificatur quoque Chriſtus in ejuſdem cor-

Eccli. 18, 6 F

Ioa. 14, 6

Phil. 1, 2

corpore, dum miraculorum gloria multiplici ſervi ſui ſepulcrum & memoriam ſua virtute præſtat radiare: ſicut libellus ſubſequens, annuente Domino, poterit declarare.

CAPUT I.

Prior pars miraculorum, ad invocationem S. Richardi factorum.

2 CORpore igitur B. Richardi in pace cum patribus ſepulto, ut ejus nomen in ſecula vivere comprobetur, multiplicibus virtutum inſignibus ſepulti glebam Chriſtus facit germinare, ut quod Beati Job voce in Juſtorum laude depromitur, Job 5. 26 Beato quoque Richardo convenienter aptetur, Ingredieris, inquit, in abundantia ſepulcrum, ſicut infertur acervus tritici in tempore ſuo. O quam largiter, quam abunde iſtius acervi tritico egentium viſcera ſatiantur! O quantum hujus adeps frumenti lenit dolores & ſedat tumores, ſanat languentes & roborat trementes! Sed jam ad ipſius miracula ſeriatim enarranda ſtylus convertatur. *a*

a de puero de mortis confinio liberato.

3 Cum ergo fama crebreſcente plurima ſanitatum prodigia ad ſepulcrum B. Richardi, ad ipſius nominis invocationem, divinitus fieri undique pernoteſceret, contigit in familia nobilis Dominæ Comitiſſæ de Arundel, quæ in caſtro de Lewes moram fecit tunc temporis, quemdam puerum illius quondam nobilis viri Hugonis le Bigod, fratris prædictæ Comitiſſæ & Juſtitiarii *b* Angliæ, gravi morbo infirmitatis detineri: quem B. Richardus aliquando de ſacro Fonte levarat. Ingraveſcente igitur morbo per dies, eo uſque perventum eſt, ut medicorum judicio omnino foret deſperatus; quia mortis ſigna in eo manifeſte patuerunt. Unde & pater pueri, filii ſui orbitatem præſentialiter ferre non ſuſtinens; relictis ibidem qui funeri neceſſaria providerent, à prædicto caſtro receſſit. Comitiſſa quoque oratorium ingrediens, & ne morientem videret à loco mœſta declinans, juſſit, ut cum de hac vita puer migraſſet, ſibi nuntiaretur. Circumſtant ſtratum morientis ejuſdem nutrix, & nihilominus de camera comitiſſæ domicellæ nobiles & dominæ. Cumque de mortis confinio triſtes, quid potiſſime faciendum, inter ſe conferrent; quædam puella, genere nobilis, nomine pariter & eventu gratiæ Joanna, tam flentium lacrymis quam pueri morientis afflictione commota, petito *c* licinii filo, puerum cœpit menſurare ſub his verbis B. Richardum invocans; & ingenti fidei devotione dicere; O S. Richarde, multa miracula tuis ſanctis meritis fieri prædicantur in terris: unde peto ſuppliciter, ut, ſi vera ſunt quæ dicuntur, in puero iſto, tuis ſanctis manibus ſacri baptiſmatis unda perfuſo, nunc digneris oſtendere: & beatam Virginem Mariam, quam in terris ſpecialiter dilexiſti, interpella, ut, ipſa juvante ac filium ſuum interpellante, puer iſte, in mortis articulo conſtitutus, tuis precibus priſtinæ reſtituatur ſanitati: & quem nominis tui vocabulo decoraſti, in tui quoque nominis invocatione, Chriſto præſtante, reddatur incolumis. Vix autem puerum menſurando verba compleverat: & ecce puer, oculos pariter & os aperiens, eam proprio deſignans vocabulo, dixit, Unam *d* oblatam mihi date: qua ſibi allata ac deguſtata, ſtatim ad plenum integræ redditus eſt ſoſpitati, ita ut cantando gaudium receptæ ſalutis exprimeret, ambulare geſtiens, ſi ſibi fuiſſet permiſſum. Adeo autem ad plenum eſt curatus à morbo, ut poſtmodum nec ipſius infirmitatis aliqua veſtigia remanerent: factumque eſt, ut quem Sanctus virtute baptiſmatis regenerando ab originalis peccati morte purgaverat, à corporalis etiam mortis confinio revocaret. Quo comperto, gaudet pater, exultat amita, gratulatur cognatio, & tota familia lætanter tripudiat, auctorem ſalutis Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, in Sancto ſuo Richardo, voto pariter & voce benedicentes. Iſtius veritati miraculi tot nobiles, tot vitæ merito venerabiles, tot fidei veritate credibiles atteſtantur, quod eiſdem non credere plane videatur abſurdum. AUCTORE RADULFO EX MSS.

4 Illud quoque ſingulariter mirabile & mirabiliter ſingulare, de abortivo mortuo & ab utero ad tumulum deferendo, ad ejus laudem, qui facit mirabilia magna ſolus, non pigeat enarrare. Fuit in Ciceſtrenſi diœceſi, villa quæ *e* Pons-Roberti dicitur, quidam Simon nomine, cognomento de Cruce, & uxor illi nomine Catharina, Deum timentes & prædicandæ fidei, ſicut poſtea rei probavit eventus. Prædicta igitur mulier de viro ſuo concipiens, poſteaquam aliquamdiu prægnans extiterat, in una mamillarum ſuarum graviter cœpit infirmari. Cumque dolore morbi creſcente, inflatio turgens cum horrenda nigredine totam mamillam occuparet, & corporalis medicinæ ſubſidio prorſus foret deſtituta; ad divinam, quam Deum infirmantibus per ſervi ſui Richardi merita præſtare didicerat, penitus ſe convertit. Vocato itaque viro ſuo, ambo pariter B. Richardi auxilium invocantes, facto voto, denarium ad ejus tumbam offerendum *f* complicant: & ipſo die, dolore pariter & tumore ſedato, ad plenum ſenſit ſe mulier in mamilla curatam, Deum in Sancto ſuo una cum viro glorificans. Decurſo igitur tempore, muliebri partui debito, cum jam parturiendi tempus inſtaret, cœpit per duas noctes & unum diem ſupra modum affligi, non ſolum afflictione corporis, ſed etiam mentis: quippe quæ nullum vitalem motum per unius noctis ſpatium & amplius ſenſit in fœtu quem alvo geſtabat: unde, tam ipſa quam obſtetrices, magis abortivi dolorem quam partus vivi gaudium expectabant. Craſtino autem B. Joannis Baptiſtæ illuceſcente, cœpit parturiens vehementius torqueri: fœtu nimirum ſæpius ad partum veniente, ſed pariente cum partu viribus deficiente. Tandem vero circa horam diei primam, mutato pariendi ordine conſueto, prodeuntis pedes primo ſe cœperunt cum altera manuum oſtendere; ac dein, alia manu poſt dorſum retorta, totus egreditur, deforme ſpectaculum & triſte ingerens intuentibus: nulla enim vitæ ſigna prætendens, cum tetra nigredine ſqualli dus apparebat, aptiorque contegi terræ tumulo quam reclinari cunabulo. Quem omnino mortuum mater cum obſtetricibus intuentes, accerſito patre pueri, quid de miſerando eventu ſit agendum vix norunt. Mater filium recenter enixa, prioris beneficii in mamilla per B. Richardum accepti non immemor, ait: Domine Deus omnipotens, per merita B. Richardi, redde ſpiritum vitæ huic abortivo: ut ſaltem ſacri baptiſmatis unda perfuſus, in numero filiorum adoptionis tuæ poſſit aggregari. Pater vero non minori fiducia eadem replicans, adjunxit votum dicens, O B. Richarde, ſi puero iſti vitalem ſpiritum tuis meritis infuderis, ut in Chriſto renatus baptiſmum conſequatur, puerum cereum, ejus imaginem repreſentantem, ad Dei laudem & tui memoriam extollendam, ad tuum ſepulcrum una cum puero deportabo; plicatoque ad voti confirmationem & ſancti honorem ſupra puerum denario, ac pueri fronte Cruce ſignata; ſtatim puer os pariter & oculos operiens, & ſalivam per os emittens, motu membrorum ac vitalis aeris attractione & emiſſione, vivum & incolumem ſe, mirantibus & Deum in ſancto ſuo Richardo benedicentibus, patenter oſtendit. Non ſolum autem *De abortivo ſuſcitato*

AUCTORE RADULFO EX MS.

baptiſmi gratiam eſt conſecutus, ſed etiam ſic ad plenum vitæ & incolumitati eſt redditus, quod poſt quatuor annos ſequentes, coram B. Richardi vitæ & miraculorum examinatoribus, ſoſpes & hilaris eſt repræſentatus.

de Paralytico ad tumbã ejus curato

5 Extitit quidam, Joannes de Stokes nomine, in diœceſi Ciceſtrenſi, qui dum quadam die cum aliis luderet, inter ludendum motu ſubito, quam paralyſim vocant, in latere dextro percuſſus, in terram cecidit, & uſum totius partis dextræ perdidit in inſtanti; nec omnino ſurgere potuit, niſi adjutorio ſuffultus alieno. Ad domum ergo quamdam, quæ erat è vicino, miſerantium manibus miſer adductus, per ſex annos & amplius manſit paralyticus. Cœperunt igitur manus ejus dextra, nec non & tibia valido tumore ingroſſari, ac foraminum multitudine, infirmitate quam fiſtulam vocant, perforari. Morbo igitur per dierum incrementa creſcente, cœperunt oſſa, ſanie per foramina ſtillante, propriis juncturis diſſolvi, ita quod oſſa plurima, de manu pariter & tibia, una cum tumore putrido, videbantur exire manifeſte. Dum igitur miſerabiliter languens ſic jaceret afflictus, medicamento quoque pariter & medicorum deſtitutus remedio; cœpit fama de B. Richardi virtutibus crebro aures infirmantis percellere. Animatus ergo non modicum ſpe recuperandæ ſalutis per Sancti merita glorioſa, voto & voce pariter, & modis aliis quibus potuit, obſecrat inſtanter, ut ad Sancti tumbam quovis modo perducatur. Hoſpes igitur, qui ipſum hoſpitalitatis gratia toto languoris tempore in domo recollegerat, ipſius condolens miſeriæ & clamore permotus, eum ad Sancti tumulum uſque perduxit. Ibi ergo à vigilia Natalis Domini, orando, ſupplicando, & obſecrando pro ſuæ ſalutis beneficio, uſque in diem S. Joannis Euangeliſtæ devotus permanſit. Qua videlicet die, circa horam diei tertiam, dum Miſſa major celebraretur, ſuper Sancti ſepulcrum obdormivit: & vidit in ſomnis quamdam venerabilem perſonam, albis indutam, dicentem ſibi, Surge & ambula. Statimque, cum eſſet expergefactus, tumbæ cuſtos affuit: qui cernens infirmum ſtupentem, interrogat, quomodo circa ipſum ageretur. Quo ſibi referente ſuæ viſionis modum, reſpondit: Viſne ambulandi vires experiri? Quo dicente; Volo; cœpit tumbæ cuſtos ipſum ſublevando juvare. Et ſtatim cœperunt nervi, diuturno languore contracti, tanto ſonitus fragore, ac ſi rumperentur, perſtrepere, dum membra contracta diſtenderet. Infirmus autem, præ ſtupore ſimul & gaudio ſe continere non valens, in laudem Dei Salvatoris Sanctique Richardi, cujus meritis hoc adſcribebat, valenter erupit. Perducitur itaque ad magnum altare, & ad tumbam reducitur cum laudibus Cleri pariter & plebis, & ſubſequente hora nona cœpit per ſe ſurgere, & huc illucque deambulare. Cœperunt quoque per ſe ſucceſſive ſtillantia claudi ac deſiccari foramina: ſicque fiſtulæ ulceroſæ dolore ſanato, ac veteri paralyſis contractione curata, diu deſideratæ reſtitutus eſt incolumitati. Per omnia benedictus Deus. Amen.

de curatione doloris dentium cujuſdam Religioſæ.

6 Londinii, in monaſterio monialium S. Helenæ, fuit quædam Prioriſſa, religione pariter & fama commendabilis, & ipſa quoque Helena nuncupata. Hæc itaque cum adeo gravi dolore dentium affligeretur, ut vix comedere poſſet vel dormire; & per dies in tantum morbus invaleſceret, ut quo ſe verteret ſeu quid ageret penitus ignoraret; extitit quædam domicella, nomine Roſa, inter nobiles Angliæ famæ & opinionis non modicæ, quæ etiam B. Richardo dum viveret fuerat familiaris & cara. Audiens itaque præfata Roſa prædictæ Prioriſſæ diram afflictionem, cum apud ſe haberet panniculum, B. Richardi ſanguine, cum viſcera ipſius à corpore ſepararentur, intinctum; de meritis Sancti ſumens fiduciam, ad Prioriſſæ decumbentis lectum acceſſit, ac panniculo prolato, quem ſecum detulerat, monuit diligenter, ut de meritis B. Richardi, cujus Reliquias ad eam detulerat, veraciter confidens, locum doloris panno jam dicto devote tangeret, & auxilium Sancti toto corde poſtularet. Quod ut factum eſt, ſequenti nocte, cum Prioriſſæ ſomnus ſubreperet, apparuit ei B. Richardus, eleganti forma ac hilari vultu conſpicuus; manumque ſuam ſuper locum doloris leniter circumducens, ait, Excrea quod habes in ore, & expue. Ad hanc vocem expergefacta, mitigato dolore ſenſit ſe curatam; & implere cupiens, quod Sancti juſſum fuerat, quod in ore ſenſit phlegmatis vel ſalivæ niſa eſt expuendo projicere. Audientes autem Sorores ſanctimoniales ipſam tam fortiter excreare, accedentes ad eam ſciſcitantur quid haberet. Et illa, Curata ſum, inquit, per B. Richardum quondam Ciceſtrenſem Epiſcopum, qui mihi paulo ante apparuit, manuque ſua maxillam meam dolentem tetigit, & excreare me monuit. In craſtino autem venientibus ad ſe ordinem viſionis expoſuit, & quod mirandum eſt, ejus quem numquam in mundo viderat formam corporis, geſtus, vultum, modumque loquendi ita deſcripſit proprie, ut hi qui eum in carne vivum familiariter noverant, ſtupefacti, B. Richardum ſibi veraciter apparuiſſe pro certo affirmarent. Ipſa vero ſic ad plenum convaluit, ut de cetero ipſius doloris & morbi expers penitus exiſteret. Hinc quoque ipſa ceterique hujus miraculi conſcii dixerunt, vere Sanctus, vere Dei amicus eſt B. Richardus, Chriſti Confeſſor glorioſus.

de curatione cujuſdam mulieris paralytica

7 Non procul à caſtro de Arundelia Ciceſtrenſis diœceſis eſt quædam villula Biggenevre vocata, in qua quædam mulier Mamildis nomine, in obſequio Domini & Dominæ, prædictæ villæ nobilium, officio lotricis fungebatur. Hæc nocte quadam, dum in lecto jaceret, ita ſubitâ nervorum contractione cœpit rigeſcere, ut penitus impotens eſſet pedes vel tibias extendere. Crevit autem in tantum ipſa contractio, ut pedum tali natibus firmiter adhærerent; ſicque per ſex annos continuos contracta permanſit, ut nuſquam abſque adjutorio alieno à loco movere ſe poſſet. Unde ſemel, cum domus ubi jacebat ſuccenderetur, & jam ſibi ab incendio immineret mortis periculum, ſolo uſa clamore, à miſerantium manibus aſportata vix evaſit incendium; atque in platea, ubi erat poſita, uſque horam diei alterius primam permanſit, quo uſque Domina villæ pietate ſuper eam mota, cuidam de villa præcepit, ut eam in domum reciperet, annonam quotidianam ſibi impendens. Inter hæc de miraculis B. Richardi rumor crebreſcit: ipſa vero, quamvis corpore adhuc contracta, ſpe tamen & fide mentis erecta, petere, quærere, pulſare improbo clamore non deſtitit, quo uſque quidam de vicinio miſericordia moti, ipſam equo imponentes & ad ſellam colligantes, quatuor nihilominus viris ipſam à dextris & à ſiniſtris ſuſtentantibus, ad tumbam Sancti perducta eſt: ibique per novem dies ipſius auxilium inſtanter deprecans, continue permanſit. Decima vero die in tantum morbi dolor invaluit, ut in inſtanti exſpirare ſe crederet: nec minus qui affuerunt hoc idem putabant. Cum ecce ſomno depreſſa, videbatur ſibi dormiendo quod tibias extenderet. Nec vana viſio. Experrecta enim tibias omnino rectas reperit & extenſas: non tamen videbatur poſſe ambulare. Creſcente autem ſpe curationis, fecit ſe propius ad Sancti tumbam ſublevando deduci, ibique per totum

tum illius diei ſpatium uſque ad ſequentis noctis
A medium, lacrymabiliter Sancti ſuffragia implorando, permanſit. Et ecce circa ipſam noctis horam iteratæ vicis ſuſtinet paſſionem, ſomnuſque ſubrepit ut prius. Poſt paululum vero evigilans, tibiis extenſis, videbatur ſibi quod ambulare poſſet. Vocatis autem qui adſtabant, rogavit ut eam erigerent: quæ cœpit per ſe ambulare, ac firmatis greſſibus uſque ad mogbum altare gratias redditura perrexit. Solvuntur devote laudes Domino, in ſancti ſui Richardi meritis glorioſo. Facta eſt autem hujus mu-
h lieris curatio ſanctæ *h* Trinitatis ſolennitate inchoante, in cujus videlicet honore Ciceſtrenſis eccleſia Cathedralis extat fundata, ut multis paterent Sancti merita, & à pluribus viſo miraculo ipſi Trinitati redderetur gloria. Sequebatur enim ipſa mulier ſolennem firmo greſſu proceſſionem, votoque gratiarum expleto, gaudens & incolumis remeavit ad propria. Ad iſtius autem miraculi cumulum non nihil videtur apponere, quod à radicali ſemine parentis hæc contractionis infirmitas prædictæ mulieri dicitur contigiſſe: mater quippe ejus ipſo eodem morB bo & extitiſſe percuſſa & mortua fuiſſe refertur. Sed naturæ Creatorem ſupra naturam agere poſſe non eſt ambiguum, cui ab ipſa natura & omni *i* natura-
i to honor & gloria in ſecula ſeculorum.

de muliere à paralyſi ſanata

8 Prædicto miraculo haud multum diſſimile de quadam Agnete, cognomento Baraylle, de villa de Suwik, certa relatione contigiſſe refertur. Hæc itaque gravi morbo paralyſis per duos omnes ſic fuit [afflicta] continue, ut loqui non poſſet, nec ab umbilico inferius ſe movere; ſed tibiis ad crura retortis, tali pedum ejus quaſi natibus infixi videbantur: unde & ſic immobilis extitit, ut nec ad perquirendum victui neceſſaria quoquam movere ſe poſſet. Hæc tandem auditis B. Richardi miraculis & ſanitatum virtutibus, quæ Deus ipſius meritis in ægrotantium corporibus faciebat, nutibus & ſignis quibus potuit cum gemitu exegit, ut ad tumbam Sancti duceretur. Ubi per dies aliquot imploranS devote Sancti patrocinia, & linguæ ſolutionem ut loqui poſſet, & tibiarum extenſionem ut per ſe ſurgere & bene ambulare valeret, Sancti meritis, potenter pariter & patenter, obtinuit. Hinc ab omnibus, prioris morbi & miſeriæ ſuæ conſciis, gratiarum actio & vox laudis, tam debite quam devote, Domino perſolvitur, qui B. Richardum meritis glorioſum manifeſtat.

de quodam ſurdo ſanato.

C 9 In Prioratu de Wike diœceſis Ciceſtrienſis *k* exk ſtitit quidam, Richardus nomine, cognomento de Poleyn, in ſeculari habitu & ejuſdem domus degens famulatu. Hic tanto obſtructus fuit ſurditatis incommodo, quod parum vel nihil audire poterat, quod eo magis multis extitit manifeſtum, quia janitoris gerens officium, auditus nullatenus potuit occultare defectum. Cum igitur anno integro & dimidio tali ſurditate premeretur, ſalubri valde inſtinctu tumbam Sancti devotus adiit, & ibi parumper orando ipſius ſuffragium imploravit, atque ex cita auditus recuperatione perſenſit, quam efficaciter B. Richardus ſe veraciter interpellantes exaudit. Ad ſuos igitur incolumis reverſus, laudis & gratiarum materiam omnibus gaudens reportavit.

de quodam puero ſuſcitato.

10 Sed nec prætereundum, quod in caſtro quod Almegele vocatur, in domo illius nobilis viri Willelmi de Bello-campo, Domini caſtri præfati, probatur ſtupendo miraculo contigiſſe. Præfatus quidem Dominus caſtri, cuidam nobili ingentis patrimonii heredi filiam ſuam copula matrimoniali conjunxerat, cum Deus filium ex conjuge ſuſcepta conceſſit. Infans autem poſt quintum ſuæ nativitatis diem gravi morbo cœpit laborare. Tuſſi namque, ut videbatur, tam anxie vexabatur, ut tenuioris aeAUCTORE
ris attractione vix poſſet reſpirare; ſed anhelitu peniRADULFO
tus præcluſo, interiori parte gutturis ex aere incluſo EX MS.
ſonitum, gargarizanti ſimilem, ut moris eſt morientium ſenum, efficiens, tenelli pectoris ſpiritu intercepto defunctus eſt. Nutrix igitur pueri & plures de adſtantibus caſui miſerando condolentes, & utrum vere foret mortuus explorare volentes, nunc ad os, nunc ad nares, nunc ad oculos, nunc ad pectus, & ceteras corporis partes manus apponunt: dirigerat quippe frigore, nec etiam in ore ipſo vel ſaltem tepor caloris repertus eſt. Mentum quoque, quod deciderat, ad claudendum os ſublevant; & ſtatim per ſe recidebat. Oculos etiam, quos mors ipſa clauſerat, aperientes; verum per ſe claudi nequibant: manibus iterum oculos claudentes, ſic clauſi permanſerunt. Quid plura? Ipſe jam carnis color, in luteum commutatus, mortis præſentiam cernentibus indicabat. Defuncti ergo corpus per duorum milliariorum itineris moram tic jacebat extinctum, ſolo caſtri Domino & matre pueri hujus caſus ignaris; ne qui infirmi fuerant, dolendo nuntio plus infirmarentur. Adſtantes quoque, de corpore inſtitis involvendo ſeu linteis conſuendo, jam tractare cœperunt. Et ecce quædam puella, præfati Domini filia, E
Margareta nomine, audita morte pueri cum aliis accurrit. Quibuſdam vero S. Joannem, aliis B. Nicolaum invocantibus, intulit prædicta Margareta, invocemus unanimiter B. Richardum, Ciceſtrenſem quondam Epiſcopum, ut ſicut reſuſcitavit quemdam puerum aquis ſubmerſum, cujus imaginem ceream in rei geſtæ memoriam inſpexi, ſic iſtum puerum ſuis meritis Chriſtus dignetur ſuſcitare. Et accedens denarium ſuper puerum ad Sancti venerationem complicavit. Cum puella autem ceteris acclamantibus, & S. Richardi adjutorium poſtulantibus, ſtatim cœpit puer ſe movere, pedem ad ſe trahere, oculos aperire, ex ore ſputum emittere, & vitæ reſtitutæ manifeſta ſigna monſtrare. Voluit forſan Deus, cujus occulta ſunt judicia, citius ad S. Richardi nominis invocationem, quam illorum glorioſorum Joannis & Nicolai, in pueri reſuſcitatione clamantes exaudire, ut ſanctum ſuum Confeſſorem Richardum, & necdum Sanctorum adſcriptum catalogo, & inter homines clarificaret, & in cælo apud ſe glorioſum atque potentem oſtenderet, cui ſit poteſtas honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

F

ANNOTATA.

a *Cum primus liber, more noſtro arbitrioque diſtinctus, centum numeros expleſſet, viſum fuit in ſecundo libro novum inchoare centenarium, & antiqua ſervata diſtinctione, numeros ac titulos, Martiniano MS. in margine additos ex altero MS. hic quoque in margine exhibere.*

b *Hugonis hujus meminit Matthæus Paris*, & Capitalem Juſtitiarium *vocat ad an.* 1258. *Spelmannus in Gloſſario fuſe de Juſtitiariis in genere & ſpecie agit, aſſeritque ſub Normannis Regibus ita dici cœptos, qui Saxonum ævo dicebantur* Aldermanni: *de Juſtitiario autem totius Angliæ ait, quod* dignitate omnes proceres, poteſtate omnes ſuperabat magiſtratus. *Enumerat deinde omnes qui hoc munere functi ſunt; & in his antepenultimum hunc Hugonem, quem dicit fuiſſe Rogerii Comitis Norfolciæ & Angliæ Mareſcalli fratrem: ſed & fratri eum utroque in titulo ſucceſiſſe & utroque per Regem Eduardum cedere coactum oſtendit Cambdenus in Icenis.*

c Licinium *hic pro Ellychnio ſumitur: aliquando pro ipſa lucerna accipi docet Voſſius, citato Gloſſarii Arabo-Latini auctore. Iſidorus in Gloſſis* licinum *vocat. Videtur à* lychno *depravatum. Ejuſmodi autem filum, quali in lychnis utimur, eo potiſſimum adhibebatur, cum menſurandus eſſet aliquis*

AUCTORE RADULFO EX MSS.

aliquis ſub invocatione alicujus Sancti (quod in hiſtoriis miraculorum, illo ævo in Anglia patratorum, frequentiſſimum) ut ex ipſo cera indúcto fieret candela, ad longitudinem ſic menſurati, arſura deinde coram Sancti ſepulcro vel imagine, ſi beneficium obtineretur.

d *Fulbertus Carnotenſis ad Finardum*, Sic & multæ oblatæ propter vota offerentium, unus panis ſunt propter unitatem corporis Chriſti: *nunc* hoſtias *uſitatiori vocabulo dicimus: quomodo autem illæ inter duas ferreas laminas coquuntur ex puriſſimi pollinis azymo, ita etiam, majori forma, ex ſaccaro atque aromatis admixtis, fiunt prorſus ſimillimi panes ſive cruſtulæ, in bellariis numeratæ: quas etiam nunc Franci mutato ab* Oblatis *nomine* Oublies *vocant. Apage igitur qui; cum* Obelias *eſſe* panes Baccho ſacros *legiſſet apud Rodiginum l. 9 cap. 16, novæ rei vetus vocabulum recte ſe credidit applicuiſſe, in ſuo utriuſque linguæ Gallicæ ac Latinæ Inventario.*

e *In Confinio Ciceſtrenſis & Arundeliæ Comitatuum ſupra* Arunam *fluvium, juxta oppidum Petworth eſt vulgo* Roberts-bridge: *In tabulis perperam* Rotter-bridge *ſcriptum.*

f *Ita complicatus denarius, voto obtento, offerebatur eccleſiæ aut dabatur primum accendenti pauperi: quod idem ſit ab iis qui confracto in duas partes denario pactum firmant indiſſolubilis amicitiæ vel matrimonii contrahendi.*

B

g *Nobis poſt mediam noctem nona: Eccleſiaſtico enim more hic numerantur horæ: ſic infra num. 7* prima hora diei *dicitur, quæ nobis ſeptima numeraretur.*

h *Si intra primum a morte annum (ut eſt veroſimile) contigit hoc miraculum, anno 1253, fuit hic dies 13 Junii, quia Paſcha die 20 Apr.*

i *Vox nota Philoſophicis iſtius ævi ſcholis, dividentibus Naturam in* Naturantem *&* Naturatam *ut res ſecundum naturæ ordinem productæ, & cauſa ſic producens ſignificetur.*

k *In margine ex alio MS. notari videbatur* Wintonienſis. *In monaſtico autem Anglicano tom. 1 dicitur, Athelwoldus Dux eccleſiæ Wintonienſi S. Swithuni Ord. S. Benedicti contuliſſe* Wike. *An autem ipſum ſit illud* Wyke *quod Ciceſtrenſi urbi intra primum milliarium adjacet; & ſic utraque lectio ſalvari poſſit non divinamus.*

CAPUT II.

Pars poſterior miraculorum S. Richardi poſt mortem.

De puero ſuſcitato.

C

11 FUit in pago de Winterburry, qui, *a* ad differentiam alterius ejuſdem nominis, Comitis dicitur, quidam Galterus nomine, habens uxorem nomine Julianam ſub legitimo matrimonio ambo vitam ſimplicem fideliter actitantes. His Deus prolem dederat maſculinam, quem Joannem fecerunt, cum baptizaretur, appellari: cui ipſa nominis deſignatio, miro divinæ gratiæ miraculo, non fruſtra videtur impoſita. Hic igitur cum fere duorum eſſet annorum, die B. Mariæ Magdalenæ, cum eſſet aer jucundior, quamquam ad ſui forſan ſolatium, minus tamen caute, in platea publica relictus eſt. Cum enim eſſet hora diei circiter meridiana, adeſt ſubito quidam auriga, bigæ præſidens, de foro veniens ebrius, ut aſſolet illud genus hominum: tantoque jumentum flagello plus agitant, quanto plus ipſe cereviſia cervice agitatus: & cum impetu in puerum equo impingente, ſolo puer reſupinus proſternitur, ipſam ventris teneritudinem rota plauſtri, ipſo ruſtico duabuſque mulieribus & maſſa ſalis onuſti, miſerando pertranſiit ſpectaculo: ipſumque puerum conquaſſatum & extinctum reliquit. Ad tam infortunatum eventum undique ab utroque ſexu concurritur, excitatur ipſa mater miſeranda, quæ genuit, ad clamorem; ſparſiſque crinibus, tenellæ prolis gemebundam orbitatem non ferens, terræ *b* ſynco-

a

b

pando, ſimilis morienti, proſternitur. Defertur puer dolentium manibus, flatu liberioris auræ refovendus; aqua frigida vultus reſpergitur, manibus aſtantium hinc inde palpatur, portatur, levatur; ſi forte aliquod vitale ſignum appareret, exploratur; & non erat vox penitus neque ſenſus. Affuit tandem Dominus Gilibertus, idem eccleſiæ ipſius Rector & Sacerdos; qui videns pallore mortis obtectum & nullum vitæ ſignum in ipſo remanſiſſe; rotæ quoque veſtigium, ex tranſverſo ventris prope umbilicum, ex coagulato ſanguine ceteris corporis partibus nigrius apparere, Indubitanter, inquit mortuus eſt puer: nec mirum, ſi enim hominem robuſtum & validum tanta moles oppreſſiſſet, omnino prorſus extinxiſſet, quanto magis puerulum tenellum, ætate necdum bimum? Recedamus, inquit, quia vitam de iſto ſperare ulterius non eſt. Igitur jam puerum in domum intuliſſent, & mortuorum more linteo inſuiſſent, niſi de more Anglicano *c* Coronariorum adventus, qui interfectum inſpicerent, expectarent. Præfato quoque Sacerdote recedere volente, mater extincti, ſub obteſtatione Dominicæ Paſſionis & glorioſæ Virginis obſecrando, ipſum morari coegit. Dum igitur extinctum circumſtarent, venit in mentem Sacerdotis quoddam miraculum, quod B. Richardi meritis audierat contigiſſe. Hoc igitur incitamento divinitus animatus, cœpit dicere, Unanimiter omnes & ſuppliciter ac devote genua flectentes Dominum deprecemur, ut B. Richardi Confeſſoris ſui precibus huic extincto puſioni vitæ ſpiritum dignetur infundere: & ad hoc monuit ut unusquiſque, ad Dei & glorioſæ Virginis Sanctique Richardi honorem, ter Pater noſter & toties beatæ Virginis ſalutationem dicerent. Ipſo autem Sacerdote quoſdam Pſalmos cum oratione ſubjungente, antequam orationem terminaret, cœpit puer primo unum pedem, poſtmodum alium ad ſe trahere, ac poſtmodum per ſe reſedit: cunctiſque qui aderant ſpectantibus & ſtupentibus, os & oculos cœpit aperire, & non ſolum vitæ reſtitutæ, ſed & incolumitatis integræ riſu jucundiori indicia propalare. Nec enim tantummodo vitæ ac ſoſpitati ſe ſenſit redditum, quin imo tantam vivacitatem ſenſuum ſibi ſenſit augmentatam, quod mater ſua, quæ ipſum & poſt & ante nutrierat, & ipſa rei experientia teſtaretur, ipſum vegetiorem & viribus & ſenſibus poſt caſum extitiſſe quam ante. Vox igitur plangentium prius & lugentium in gratiarum actionem verſa eſt & laudem Chriſti, qui per merita ſancti ſui Richardi tanta de mortis victoria miracula mortalibus voluit prærogare, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum.

D

E

F

De quodam contracto ſanato.

12 Sub religione quoque præſtiti ſacramenti fideliter refertur, quod quidam Richardus nomine de villa de Romeſeye, gravi nervorum contractione fuit afflictus, ita quod per viginti ſeptimanas tibiis ad nates hærentibus, de lecto, ubi ſic contractus continue decubuit, abſque alterius adjutorio nullatenus movere ſe potuit. Contigit ergo, ut quidam eccleſiæ vicinæ Vicarius ipſum languentem viſitaret: qui viſa ejus infirmitate, monuit ut ſperans de Dei miſericordia, meritis B. Richardi conſequenda, prædicto Sancto corde ſupplici ſe devoveret: qui monitis ipſius humiliter obſecundans, ſine moræ diſpendio continuo ſe devovit. Voto igitur facto, tam efficacem tamque velocem Sancti meritis, cui ſe devovit, voti ſui ſenſit effectum, ut ipſa eadem die, abſque hominis adminiculo, nervorum conſtrictione ſoluta, & extenderet tibias, & ad eccleſiam ſine ductore vel adjutore perveniret, ipſemet Deum & B. Richardum laudans, & aliis nihilominus laudandi præbens materiam.

13 Illud

A *De ave, quæ poſt linguæ privationem cantavit.*

13 Illud quoque, tam jucunde miraculoſum quam miraculoſe jucundum, reticere non poſſum; quomodo ſcilicet Deus, qui B. Richardum in mari & piſcibus glorioſum dum viveret oſtendit, in aeris volucribus poſt mortem ſtupendo prodigio voluit mirificare. In illo ſiquidem ſolenni Studio, quod apud Oxoniam vigere dignoſcitur, extitit quidam ſcholaris, qui licet rebus iſtis exterioribus geſtu hominis exterioris videretur jucundior, fidei tamen devotione, prout ex miraculo ſubſequente patebit, uſquequaque non caruit. Hic cum aviculam quamdam, quam merulam dicunt, vocis modulamine ſuavi, ſui ſtudii curam per vices relevantem, cavea teneret incluſam, miro ſuper hoc delectationis fervore ferebatur. Unde cum quidam, ſibi admodum familiaris aviculæ, prædictæ factus eſſet avidior; cœpit ſpecialis ſocietatis prætextu ipſum attentius flagitare, ut ſibi prædictam aviculam ad ſui ſolatium non negaret; ſed ſpe majoris amicitiæ pariter & remunerationis, ſibi conferret. Ille petentis inſtantiam non admittens, modis quibus poterat ſe excuſat. Aſſerebat ſe gloriam ſuam alteri non daturum, ipſumque, licet cariſſimum, non debere mirari, ſi ſibimet ipſi in tanto ſolatio nominem præferret. Avem quoque, licet in ſe parvi pretii, quia tamen juxta Sapientis vocem, jucunditas cordis hæc
Eccli. 30,23 eſt vita hominis, quam ex avis melodia non modice hauriebat, nullo modo alicui ſe daturum. Abiit ſocius verecundia perfuſus, nec minus cordis ira permotus: quid agat, excogitat: invidiæque ſtimulis agitatus, ſolatium, quo ipſe potiri non potuit, dolet alium poſſidere: diſſimulat tamen ad tempus, cameram ſocii frequenter ut prius ingreditur, & familiaritatis auſu intima penetrat ſecretorum. Una autem die, explorata ſolitudine, intrat abſque teſte ubi aviculæ cavea dependebat: manuque apprehenſam linguam innocentis, qua dulces ſonare conſuevit modulos, ſcalpelli acumine crudeliter amputavit, & clam receſſit. Intrante ergo Domino, cujus erat avicula, cernit eam, hirſutis pennis & demiſſis alis, capite deorſum pendente, quaſi infirmitatis dolorem demonſtrantem. Quod ille perpendens, imperat alveolo volucris nova imponi cibaria. Cum autem nec comederet, nec more ſolito levioris geſtus motu ſe ſubrigeret, nec quidquam modulaminis depromeret, manu leniter acceptam
C ac doloris cauſam inquirere geſtiens, oris *d* forcipe dilatato, reperit linguam ſuæ cantatricis exciſam. Videres tunc amiſſi ſolatii dulcedinem, doloris amaritudine commendare; diſcurrit per ſingulos, & conqueritur ac, ſi rei non modicæ jacturam pertuliſſet: & cum nec à ſociis nec à mancipiis rei geſtæ poſſet eventum agnoſcere, conſternatus hærebat, quid facto opus eſſet. Erat autem tunc temporis in illo municipio B. Richardi, ibidem quondam Cancellarii, miraculorum famoſa recitatio. Cumque ſibi de præfati Sancti miraculis veniſſet in mentem, hujuſcemodi verbis ex cordis intimis Deum cœpit interpellare: Domine Deus, qui etiam cæli volucres, ad humanæ vitæ ſolatium pariter & ſubſidium, creaſſe dignoſceris, quique mihi tuo munere hujus aviculæ cantu lætari præſtitiſti; adeſto deprecor mihi ſupplicanti, & meritis glorioſi Antiſtitis & Confeſſoris tui Richardi, cujus apud te merita ſignis & prodigiis coruſcantibus prædicantur accepta, redde huic volucri priſtinæ vocem melodiæ, ad laudem & gloriam tui nominis, & ad B. Richardi Sanctitatem declarandam; ut priſtino ſolatio mihi reſtituto, vota mea coram omnibus, ad ipſius Sancti honorem, tibi Domino Deo perſolvam. Nec diu diſtulit ſui meritum Richardi Dominus ſtupendo miraculo demonſtrare: cœpit enim avicula, inſtrumento carens, ita dulces *e* notulas modulari, ut nihil priſtinæ dulcedinis deeſſe videretur, verificata verſiculi ſententia qua dicit Poeta:

Ludit in humanis divina potentia rebus.

Tanto ſiquidem ipſius avis cantus videbatur jucundior, quanto miraculoſior: unde ſonanti aviculæ fideles concinunt laudes Creatori, qui meritis B. Richardi, quod natura non potuit, ſua potentia dignatus eſt operari. De hoc miraculo quidam rythmice ait:

Ipſi laudes intonet lingua ſpeciales:
Cujus laudes perſonat lingua carens ales. *f*

e

f

deſuſcitatione cujuſdam defuncti.

14 Accedat nunc ad laudem Dei calamo deſcribendum, quomodo à vitæ privatione, divina potentia meritis Beati Richardi, factus eſt ad *g* habitum regreſſus. Erat ergo in villa Romeſeye quidam, Walterus de Dolinge nomine, manens apud Romeſeyam. Hic habuit filium, nomine Nicolaum, qui habuit ætatis annos circiter octo, & creſcente infra corpus apoſtemate, graviſſimo cœpit affligi languore. Crevit enim tumor pariter & dolor, & in tantum per dies languentis invaluit valitudo, quod gemitus ægroti & miſerias vix miſerantium aſpectus ferre poterat vel auditus: ſed amici & noti, horrore doloris percuſſi, quaſi alieni receſſerunt procul, videntes morbi vehementiam. Tumor quoque pectoris horridus jam ſpiritus attractionem præcludere videbatur, ſicque paulatim imminentis ſigna mortis cœperunt apparere; donec membris rigeſcentibus, & clauſis oculis ſuperductus color cinereus, mortis præſentiam palam adeſſe monſtravit. De ſtratu ergo in terram depoſitus, ultimum ſpiritum exſufflaſſe ab omnibus conclamatur. Mittitur pro Sacerdotibus, ut defuncti animam Deo pro more recommendent: & jam de funeralibus ſolummodo videbatur tractandum, cunctis id tantum aſſerentibus, quia defunctus eſt. Sed quia mortem hanc, non ad interitum ſed potius pro gloria Dei, ordinavit Altiſſimus, ut Deus in Sancto ſuo Richardo glorificaretur; ecce poſt longiora dici ſpatia, ſuggeſſit matri pueri mulier quædam de adſtantibus; Devove ac menſura filium tuum Beato Richardo, pro quo refertur Deus & mortuos ſuſcitare, & infirmos curare, & plurima prodigia mortalibus demonſtrare. Ad quam vocem defuncti mater, quaſi à ſomno expergefacta, reſumpta ſpei fiducia, ſumpto licinio cœpit puerum menſurare, & prout monita fuit Beato Richardo devovere; devote ſupplicans, & aſtantes ſecum ſupplicare inſtanter exorans, ut Deus ob præclara dilecti Confeſſoris ſui Richardi merita, orbitatem ſuam reſpiciens, mortuo filio ſuo vitam reddere dignaretur. Finita vero oratione, cum cordis intentione devota; cœpit puer oculos, palpebris reſeratis, paululum aperire; pedes movere, & ſuſpirando gemere. Unde mater accedens ad puerum concita, & aurem ad os pueri applicans blandiendo, quomodo & ubi fuerit ſciſcitatur. At ille primo quaſi ſibilando tenui voce reſpondit, Ego fui in loco pulcherrimo & amœniſſimo cum Deo, & vidi coram eo viros valde ſpecioſos, inter quos etiam B. Richardum contemplatus ſum, ubi ego ſemper optabam habitare: Beatus autem

g

E

F

AUCTORE RADULFO EX MS.

AUCTORE RADULFO EX MSS.

Richardus rogavit Dominum ut me ſibi donaret. Quo facto B. Richardus, pectus meum manu conſignans & liniens, omnem dolorem & infirmitatem à corpore meo fugavit, & priſtinæ ſanitati ſimul & vitæ, ſicut vides, reſtituit. Hæc quidem primo quaſi palpitando videbatur proferre, & cito poſtea manus levans & corpus erigens, Deo & B. Richardo de reſtitutione ſalutis & vitæ, gaudenter pariter & patenter, coram omnibus gratias egit. Qui autem huic miraculo extitere præſentes, vel eorum relatu hoc idem audientes, vel ubicumque fama pernotuit, Deo gratias agentes, ipſum benedixerunt, qui Sanctum ſuum Richardum tam inſigni miraculo huic mundo glorioſum voluit demonſtrare.

ANNOTATA.

a *Notata erat in margine vox aliqua, ſed ita detrita ut legi nequiverit.*

b Syncope *medicis totalis ſpirituum defectio dicitur.*

c Coronatores *vocat ſpelmannus in Gloſſario aliique, vulgo* Corones, *eſtque miniſter juſtitiæ ad quærendum de homicidiis ex parte Regis ſive Coronæ conſtitutus: ejuſmodi autem cæſorum inſpectio, etiam in eventu fortuito, apud Belgas quoque uſurpatur.*

d Roſtrum *voluit dicere.*

e Notam *pro* cantu *frequentiſſimo iſtius ævi uſu dici alibi notavimus: ſic* Miſſa cum nota *dicitur ea quæ ad notas muſicas decantatur.*

f *Videntur hæc accepta ex Hymno ſeu ſequentia pro Officio proprio aut Miſſa compoſitis*

g *Contra quam vulgo in Philoſophia dicitur*, A privatione ad habitum non datur regreſſus.

CAPUT III.

Canonizatio S. Richardi: Bulla Vrbani IV.

Diffuſa per Angliam fama ſanctitatis,

15 CUm igitur B. Richardus, adhuc in carne vigens mortali, ſic floreret & redoleret, ut videntibus & audientibus ad vitæ exempla & doctrinæ prodeſſet rudimenta, ſed & miraculorum gloria, ad divinæ laudis incitamenta; poſt mortis quoque falcem, novis & variis prodigiis cœpit florere, quatenus de ipſo non immerito illud debeat

Oſeæ 14. 6 C decantari, Juſtus germinabit ſicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum. Proinde diffuſa per Anglicanam inſulam ſuæ ſanctitatis fama, ac miraculorum frequentia; cœperunt catervatim Rex cum terræ Nobilibus, Clerus cum Pontificibus, divites cum pauperibus, ſenes cum junioribus Sancti limina viſitare, & ſuæ ſepulturæ locum variis ac pretioſis muneribus honorare. Necdum tamen Beatus iſte Sanctorum numero Summi Pontificis judicio fuerat adſcriptus: unde & ipſius *a* ſucceſſor in Ciceſtrenſi Sede Antiſtes, habito cum ſuis Canonicis ſuper hoc frequenti colloquio, timebant ne forte divinæ gratiæ beneficiis invenirentur ingrati, ſi diutius tanta Dei magnalia à Summi Pontificis audientia concelarent, nonnullis utriuſque ſexus nobilibus eorum ſuper hoc negligentiam arguentibus; maxime cum oblationes & donaria, quibus Sancti ſepulcrum fideles quotidie honorabant, juſtiſſime circa hoc negotium non immerito deberent expendi. Ad hæc Rex cum terræ Magnatibus favorem & juvamen ad hujus rei expeditionem favorabiliter compromittunt. Proviſis igitur viris prudentibus & diſcretis tantoque negotio prorſus idoneis, miſit Rex ipſe litteras ſupplicatorias, fa-

& cunctis Ordinibus ad ſepulcri accurrentibus,

a Epiſcopus & Capitulum Ciceſtren.

Rex & Proceres Angliæ petunt

mam virtutum ac miraculorum tam in vita quam poſt mortem ipſius atteſtantes. Scribunt Prælati, ſcribunt Proceres & Magnates, Summum Pontificem unanimiter interpellantes, ut, ad Dei honorem & fidei Catholicæ firmamentum, ſuis litteris aliquibus Prælatis diſcretis & Deum timentibus det in mandatis, quatenus vocatis, qui ad hoc eſſent evocandi, fidelium atteſtationibus, indagarent, quid ſuper præmiſſis ſuæ ſanctitatis articulis poſſent reperire; ac poſtmodum Summi Pontificis auribus ſtuderent intimare. D

16 Præfuit ea tempeſtate Romanæ Sedi ſanctæ recordationis Alexander Papa, qui quod ab ipſo petebatur benigno favore conceſſit, viriſque famoſis ſcientia pariter & religione, quos in hujus operis præmiſſi principio, [jam inſinuavi,] hujus executionem negotii duxit committendum. Papa igitur Alexandro diem ultimum debito naturæ terminante, teſtium quidem examinationem, quæ ipſo vivente fuerat inchoata, fideliter peregerunt: relatio tamen atteſtationum ad tempora venerandæ recordationis Urbani dilata eſt, cujus Papatus anno primo, venerandæ opinionis viri Magiſter Nicolaus de Wicio, ejuſdem Sancti conſanguineus, & Domnus Willelmus de Radinges ipſius ſancti quondam Capellanus & ſecretorum conſcius, ambo autem canonici Ciceſtrenſes, ad Curiam Romanam miſſi, negotium canonizationis B. Richardi ſtrenue & plena fide peregerunt. Perſuaſor autem efficax & ſtrenuus hujus canonizationis extitit, coram ſummo pontifice & Cardinalibus ceteriſque qui tunc aderant Prælatis, venerandæ recordationis Magiſter Joannes de *b* Exonia, Eboracenſis tunc Cancellarius, poſtmodum *c* vero Wintonienſis Epiſcopus, vir utique famoſæ ſcientiæ; ſumptoque themate de typico legalis Sacerdoris ornatu, qui auro, hyacintho & purpura & lapidibus pretioſis redimitus inceſſit, noſtrum quoque Sacerdotem Euangelicum; Beatum dico Richardum; in morum ornatu prædicta geſſiſſe luculenter patefecit. Summus ergo Pontifex, cum Cardinalibus Clerique & populi multitudine copioſa, die *d* S. Vincentii, apud domum Fratrum Minorum Viterbii *e* exiſtens, ſumma cum devotione ipſum ſolenniter Sanctorum Catalogo duxit aſſcribendum; ipſo Domino Papa cum lacrymis præ gaudio ſententiam canonizationis proferente, omnibus quoque gratias Deo referentibus; qui S. Richardum ſimilem fecit Sanctorum in gloria. Amen.

& obtinent ab Alexandro IV examen inſtitui,

cujus relatio fit Vrbano IV,

b

c

qui S. Richardum 22 Ianuarii canonizat Viterbii.

d

e

17 In ipſo quoque Miſſæ officio, quam Summus Pontifex ipſa die celebravit, orationes ſubſcriptas & decantandas in eccleſia ad honorem Sancti compoſuit, & ipſemet decantavit. Oremus Deus qui; ad declarandum Sanctorum tuorum merita, facis Eccleſiam tuam miraculis coruſcare; concede nos famulos tuos, B. Richardi Confeſſoris tui atque Pontificis interceſſione, ad eorum conſortium feliciter pervenire. Per Dominum. Oremus. Concede quæſumus, miſericors Deus, ut intercedente B. Richardo confeſſore tuo atque Pontifice, oculis tuæ majeſtatis munus oblatum, & gratiam nobis bene vivendi obtineat, & gloriam ſempiternam poſt hanc vitam acquirat. Per Dominum. Similiter Poſtcommunio. Hæc ſacroſancta ſumpta myſteria Domine nobis effectum conferant ſalutarem, quorum B. Richardus devotus extitit diſpenſator. Per Dominum. Adjecit quoque litteras omnibus Eccleſiarum Prælatis de ſua canonizatione, miraculis, & ſanctitate, in quibus etiam mandat diem ſuæ migrationis

& Orationes in Miſſa legendas componit,

de

de mundo ſolenniter celebrari: quarum videlicet litterarum hic eſt tenor.

A

omnem triũphantem & militantem Eccleſiam

18 Urbanus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis filiis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpoſitis, Archipresbyteris, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionẽ.

f *f* Exultet jam Angelica turba cælorum, exultent divina myſteria: ſummi namque Regis victoria, & ſalutaris paſſionis ejus effectus in humani generis relucent creatura. Exultent in gloria Sancti, & ſuis in cubilibus lætentur de novo cæli concive: qui habitator dudum domus luteæ, terrenum fundamentum habentis; poſt carnem cum vitiis, mundum cum deliciis ſuperatum, poſt habitum de hoſte antiquo triumphum, corporis ergaſtulo reſoluto, factus compatriota Cæleſtium, cæleſti quieſcit in

invitans ad exultandum

patria, ſidereas incolit manſiones. Exultet Mater Eccleſia, novæ prolis fœcunditate jucunda; cujus meritis fidem Catholicam, ſupra firmam petram ſtabili firmitate firmatam, claris inſpicit clarere miraculis, & ſignis inſignibus inſigniri: quibus fallaces hæreticorum confutantur fallaciæ, Judæorum confunditur obſtinata pertinacia, inexcuſabilis ignorantia paganorum omni prorſus excuſationis etiam velamento fraudatur. Anglia prorumpat in jubilum, & celebri memoria ſe virum produxiſſe Angelicum meditetur, conſortem gloriæ Angelorum. Exultet & gaudeat Ciceſtrenſis Eccleſia, quæ tantum meruit habere Paſtorem, qui eam vivens ſalutaribus inſtituit monitis, laudabilibus inſtruxit exemplis; moriens favore munit apud homines, interceſſionibus protegit apud Deum. Gaudens igitur & exultans cum jucunditate commemoret, ſe in terris habuiſſe patronum, cujus in cælo patrociniis munitur.

B

& ad glorificandum Deum

19 Plaudant etiam & jubilent paſſim profuſis cuncti Chriſticolæ gaudiis, dum poſſeſſiones hujus ſeculi ad æternam conſiderant gloriam profuiſſe, ut temporalibus pœnis affecti æternis gaudiis potiantur; dum mundum mundanorumque contemptum ad hereditatis æternæ principium convaleſcere intuentur; ut terrena ſpernentes ſuperna participent, & fiant Chriſti Domini coheredes. Plaudant itaque manibus, exultationis vocibus jubilent, plauſus exultet operum, jubilet vox pſalmorum, piis plaudant manus operibus inter orationum devota tripudia, voces ſonent, reſonent cymbala bene ſonantia, labia cordi concinna concordi concrepent harmonia, cor amet, lingua clamet, manus operetur inſtanter, læti diem agant lætitiæ plebs & clerus, ex immenſitate gratiæ menſuram laudis & letitiæ metiantur. Laudent igitur Dominum ſecundum multitudinem infinitæ ſuæ magnitudinis, ſine fine laudent eum, in venerandæ memoriæ B. Richardo, quondam Epiſcopo Ciceſtrenſi, mirabilem: quem ipſe immenſa ſua bonitate, virtutum mirificans operatione & gratia ſanitatum, ſic immenſis illuſtravit miraculis, quod in diverſitate graduum ſui ſtatus, in gratia & gloria gradatim aſcendit.

C

in eximia Richardi ſanctitate:

20 In ſubjectionis namque ſtatu, quaſi ſtella matutina promicuit in medio nebulæ; dum in juvenilis ætatis ignorantia, innocentiæ firmato veſtigio, imitando vixit exemplo. In Prælationis gradu quaſi luna in diebus ſuis plena reſplenduit, potiora tam de virtutum creſcentium meritis incrementa ſuſcipiens, quam de obtentæ gloria dignitatis. Poſt felicem vero tranſitum de hac vita, quaſi ſol refulgens, ſic ipſe in Dei templo refulſit, dum ſignis evidentibus, quaſi radiantibus ſolis radiis coruſcans, felix principium, feliciori continuatum medio, feliciſſimo meruit fine concludi. Ejus vitæ nimirum talis exitus debebatur: ſic namque dedit ei Largitor bonorum omnium præſentis vitæ curricula decurrere, ut mundo moriens ipſi Deo felicius vivere meteretur. Cujus vitam, per quam veræ vitis palmes effectus vivit, æterna plantatus in vita; cujus proceſſum, per quem ſibi ad cæleſte palatium Pater miſericordiarum paravit acceſſum; cujus miranda miracula, quibus miraculoſe per ipſius merita Dominator Dominus ſuam mirificavit Eccleſiam; ad ſuæ laudis præconium, ad inſtruendum novis propugnaculis Chriſtianæ religionis ædificium, ad præſentium & futurorum inſtructionem & gaudium; grato compendio, gratia divina favente ſermoni, compendioſus ſermo perſtringat. AUCTORE RADULFO EX MS.

21 Hic namque à primævæ juventutis ſuæ primitiis, ducis illius ducatu ductus, illius regis rectus & directus regimine, in cujus cellaria ipſum ſequens, ipſis obſequens, ſemper optavit anxius, & tandem obtinuit (ut credimus firmiter) glorioſius introduci; vacans ſtudioſe virtutibus, virtutum Domino votive reddidit vota ſua: omnia, quæ juvenilis ætas pernicioſe ſolet amplecti, velut in annoſa jam conſtitutus ætate, diſcreta maturitate devitans, continentiæ ſtuduit: adoleſcentiæ ac juventutis vias incertas adeo impolluto niſus calle tranſire, quod famam ſuam ab omni contagii carnalis infamia ſervavit illæſam. Qui etiam à fratre primogenito, per grati ejus obſequii inducto gratiam, non ſeducto per alicujus calliditatis aſtutiam, cum oblatione cedendi patrimonii, quod ſecundum morem patriæ idem frater totaliter obtinebat, invitatus ad conjugale cujuſdam puellæ nobilis conſortium; mundi hujus corde mundo immundis illecebris, ut in ſortem Domini cederet, ceſſit hujuſmodi ceſſioni; & animam ſuam firmo propoſito cæleſti ſponſo deſponſans, ſponſæ terrenæ ſponſalia ſponte ſprevit; ad caſtitatis aſpirans privilegium, non execrans carnalis matrimonii ſacramentum. O negotiatio provida! ô utilis & ingenioſa mercatio! Terrena pro cæleſtibus commutavit, tranſitoria pro manſuris, temporalia pro æternis. Contempſit temporale patrimonium, ut particeps fieret hereditatis æternæ: carnalis conjugii voluptates, appetentibus anxias, ſatiatis pœnitudine plenas, abhorruit; ut immaculati tori delicias, deſideratibus ſuaves & placidas, fruentibus gratas & avidas, obtineret. Quo uberius ſcientia & virtutibus impleretur, impendit ſtudio ſolicitus operam, virtutibus ſe virtuoſe devovit.

quippe qui juventute pie & caſte acta,

E

recuſatis nuptiis & hereditate

F

22 Et quia vas novum, animum ſcilicet peccatorum maculis non infectum, vero attulit Elizeo, ipſe ſapientiæ ſal miſit in id, ipſumque virtutibus ac famæ nitentis oleo adeo fœcundavit, quod proficiens præ coætaneis in litterarum ſcientia, in tantum virtutibus profecit & fama, quod inter ceteros imo cum ceteris B. Edmundus, tunc Cantuarienſis Archiepiſcopus, currens in ſcientiæ ſuæ præconio & laudabilis converſationis odore, ipſum etiam participem ſingularis familiaritatis, & ad officium Cancellarii Cantuarienſis aſſumpſit. Cumque datam illi à Domino gratiam pleniorem exolveret familiaris experientia, quam vulgaris fama promiſerat; circa totius Archiepiſcopatus adminiſtrationem ipſius miniſterio utebatur; ipſum ſuam dexteram reputabat, fidum ſui pectus conſilii, fidelem miniſtrum

uni ſe dedit virtutum ſtudio.

& Eccleſiæ miniſterio:

AUCTORE RADULFO EX MS.

strum juſtitiæ, ac eruditam linguam fructuoſæ doctrinæ. In his autem & aliis inferioribus adminiſtrationibus ſuæ curæ commiſſis, veri Dei divina ipſum proſequente gratia, taliter miniſtravit, quod in veracitate ſermonis, cenſura juſtitiæ, manſuetudinis lenitate, humilitatis cultu, omnibus ſe amabilem exhibuit, omnibus utilem; pauperes auxilio, divites conſilio refovendo; in his quaſi ſtella matutina reſplendens, ſuis creſcentibus meritis in plenæ lunæ claritatem excrevit. Licet enim ſoleant interdum virtutes tepeſcere, vel otio cedere, deſideratæ dignitatis culmine; dum ſtudent aliqui vivere quietius, ut perſiſtant in optata & obtenta dignitate diutius; in iſto tamen, cum altioris gradus incremento, creverunt.

factus deinde Ciceſtrenſis Epiſcopus,

23 Ipſe namque vocatus ad regimen Ciceſtrenſis Eccleſiæ, factus eſt ſolito magis vigil ad curam, non ſegnis ad opus, ſuavis ad mores. Ex tunc fuit ei pauperum cura major, habitus abjectior, geſtus & affatus humilior. Ex tunc ille in perſecutionum perpeſſione fortior, in libertatis eccleſiaſticæ defenſione conſtantior, in juſtitiæ cenſura inflexibilior, in oratione ferventior, in eleemoſynarum largitione profuſior, in proprii corporis
B caſtigatione rigidior, diſtrictior in obſervantiæ diſciplina, in carnis & ſpiritus lucta prudentior; horum colluctationes frequentes in ipſa lucta, dum prudenter attendit, ſtuduit luctari prudentius; carnem coegit ſervire ſpiritui, abjecit ancillam & filium ejus, carnem & carnis incentiva proſternens: vigiliis vero, quas ſpreto cubili pervigil obſervabat, refocillavit ſpiritum; pavit jejuniis; multa orationum aſſiduitate nutrivit. O virum induſtrium, ô circumſpecti athletæ prudentiam! Carni arma debilitationis impoſuit, ut armis fortitudinis ſpiritus armaretur: illi dedit arma terreſtria, ut ſpiritus arma cæleſtia commodius toleraret. Ut enim

vitam in ſumma egit auſteritate,

carnis carie caute careret, effectu vere Mardochæus effectus, ipſius & nomen & omen aſſumpſit, dum nominis interpretationem implevit, impudentis carnis factus amara contritio, & ipſam amare conterens impudentem. Poſuit enim veſtimentum ejus cilicium, & ipſius ſtimulos, corigia ligneis & ferreis pungente ſtimulis ſe nudum comprimendo, repreſſit; loricamque ſuperinduens, arma macerationis adjecit. O pugnantis cauta ſagacitas, ſagaxque cautela! O dolus bonus in hoſtem! Sic armavit adverſarium, ut armis
C debilitaret armatum, cum debilitato ſecure confligeret, in conflictu quietius vinceret, de armato [victoriam] virtuoſius obtineret.

& vivus etiam miraculis claruit,

24 Hæc miranda, hæc laudanda belli victoria; non in exercitus multitudine, ſed de cælo veniens fortitudo. Hoc opus illius, in cujus conſpectu non eſt differentia, in multis liberare vel paucis. Hoc opus illius, qui docuit lucernam ardentem non poni ſub modio, ſed candelabro ſuperponi. Hoc opus illius, qui quod verbo docuit, opere in B. Richardo adimplevit: ipſe enim Pater luminum, qui dedit ei per tenebras mundi hujus in ſuo lumine ambulare, in ipſo meritorum lucernam accendit: ipſe illam candelabro mirabilium operum ſuperimpoſuit, ut per clara merita, quaſi luna reſplendens, tandem per miraculorum evidentiam in ſolis fulgorem proficeret, & quaſi ſol in templo Chriſtianæ fidei refulgeret, nec laterent in abſconditis tantæ opera claritatis; quæ idem ſummus Pontifex per eum non ſolum cum ipſo regnantem, ſed etiam adhuc licet præter carnem tamen in carne viventem, dignatus eſt mirabiliter operari, patientibus ad beneficium, videntibus & audientibus ad miraculum, imitationis exemplum, & proficiendi doctrinam: quorum de multis aliqua oneroſæ multitudinis gratia brevis ſeries referabit. *g* Quodam ſi quidem ædilitatis tempore, ad ejuſdem beati viri eleemoſynam inopinata concurrente inopum copia, panem qui [ægre ſufficiens] ad nonaginta refectionem pauperum, diſtributione ſolita occurrentis multitudinis vix parti minimæ concurrebat in numero; vivus panis, qui de cælo deſcendit, ad ipſius benedictionem abundare fecit, in tantum, quod præter æſtimationem adſtantium, refectis abunde fere tribus millibus pauperum, conſuetas recipientium portiones, de ſuperna abundantia pietatis ſuperabundaverunt partes, quæ ſecundum eamdem diſtributionem centum adhuc pauperes refeciſſent. D

g imprimis ſtupenda panum multiplicatione,

25 Hic reſolutionis ſui corporis tempore propinquante, per plures dies ante, horam mortis certam (licet ipſa nihil incertius) facti ſubſecuta veritate dictum certificante, prædixit. Poſt cujus tranſitum, corpus ipſius antea gravatum vigiliis, terræ duritia, in qua frequenter ſolebat decubare, confractum; jejuniis maceratum, macerationibus multis afflictum; præter humanum morem nitidiſſimum apparuit: ut probaretur preſſuris talibus non oppreſſum, ſed potius expolitum. Ad ipſius invocationem contractos, quorum membra naturaliter greſſui miniſtrantia ita totaliter plurium annorum paralyſis inveterata contraxerat, ut, eiſdem membris hujuſmodi miniſterio ineptis reddi-
E tis, nulla omnino daretur gradiendi facultas; ille, cujus mira ſunt opera, ſubito membris ipſis inſolita virtute erectis, in liberi greſſus libertatem erexit. Antiquatas fiſtulas, plurium oſſium concavas contractione, & ſine ſpe ſanitatis ſtillantes ſaniem, ejuſdem Sancti meritis, ulceribus etiam repente ſanatis, divinæ pietatis clementia deficcavit. Tres mortuos, quorum unum currentis currus per medium rota compreſſerat, reliquos vero febris extinxerat, ille qui mortem moriendo deſtruxit, precibus ſub ejuſdem porrectis nomine ſuſcitavit ad vitam. Et quod non eſt prætereundum ſilentio, ſed ſolenni vulgandum gaudio, in humanum corpus, è veſtigio inhumandum (utpote de corpore matris natum exanime, de utero transferendum ad tumulum) ejus invocato nomine, animam viventem animarum Creator infudit.

mortuus autem mirabiliter nituit in corpore,

& multas aegris ſanitates

ipſiſque mortuis vitam invocatus conceſſit.

26 Sane his & aliis miris operibus Sancti hujus aſtruentibus ſanctitatem, & Chriſtianæ fidei veritatem miraculorum lingua loquente, concurrit undique populus, crevit devotio, laudatur Dominus de ſalutiferis gratiis, ſalutis Auctori gratiæ referuntur. Invaluit ſuper his gratia & fama communis & celebris in auribus felicis recordationis Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri, de Anglorum tabernaculis vox exultationis & ſalutis intonuit; ad ipſum Cariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis illuſtris, Prælatorum & aliorum Magnatum Angliæ, ſupplicationis humilis inſtantia aſcendit. Prædeceſſoris noſtri auctoritate inquiſitionem fieri ſuper prædictis obtinuit; Nos & Fratres noſtros, per Prælatos religioſos, Comites, Barones, & alios fide dignos, in inquiſitione ipſa probata veritas, & auctoritate noſtra primo per venerabilem Fratrem noſtrum Epiſcopum *h* Tuſculenſem, ac demum per nos & eoſdem Fratres diligenti examinatione diſcuſſa, de Sancti ejuſdem vita mirabili, miraculis & meritis glorioſis inſtruxit. Exultet itaque cælum laudibus, reſultet terra gaudiis, & hujus Sancti ſolennia læto conventu concinat populus Chriſtianus. Molliatur durities Judæorum, paganorum ignorantia inſtruatur,

F

quibus examinatis & probatis,

h ad confundendos Eccleſiæ hoſtes,

A tur, fileant hæreſes, hæreticorum doloſa labia conticeſcant; nec moliantur amplius doloſæ vulpeculæ, religionis Chriſtianæ ſegetem caudis ignitis & doloſis fraudibus demoliri; virtutem vereantur Eccleſiæ, tanti ac talis & ſimilium patronorum defenſione munitæ; nec ipſorum præſumptuoſa temeritas de cetero contra ipſam præſumat inſidiari, evidentium operum & ſignorum tantis propugnaculis inſtructam. Signis ſaltem evidentibus acquieſcant, qui in veri dogmatis teſtimoniis non quieſcunt; operibus ſaltem credant, qui pertinaciter Euangelicæ doctrinæ non credunt; avertantur ab errorum inviis, veritatis convertantur ad viam; ut in Domini veritate directi, rectius hujus beati viri vias fidei & operis veſtigiis inveſtigent, ipſumque ſequi ſtudeant, qui ambulans in via immaculata Domino fideliter miniſtravit.

declarat eum frui gloria cæleſti,

127 Ceterum quia (ſicut de ipſo pro certo tenet excepta ex his certa & indubitata credulitas) Rex cæleſtis ſic eum honorari decrevit in cælis, ut æternæ claritatis lumine, quaſi regiis amictus veſtimentis, & ſempiternæ gloriæ diademate decoratus, ſedi ſupernæ quietis inſideat; decet ut noſtro miniſterio per omnem Chriſtianæ Eccleſiæ ambitum, vehiculo, debitæ venerationis incedens, profuſis per orbem gaudiis & effuſis ubique laudibus honoretur in terris. Propter quod de Fratrum eorumdem ac Prælatorum omnium, apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium, unanimi conſilio & concordi conſenſu, in feſto B. Vincentii XI Kalendas Februarii, eum, ho-

B

natalem ejus 3 Apr. jubet annue celebrari,

ſtis humani generis, carnis, & mundi victorem, Sanctorum catalogo cum celebri gaudio duximus adſcribendum. Ideoque Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus tertio nonas Aprilis (quo utique die ipſius beatus ſpiritus de vitæ præſentis exilio tranſivit ad patriam, & mundi hujus egreſſus tenebras, ac luminis abyſſum ingreſſus, ad inacceſſibilem lucem acceſſit, ipſam felix habitans, & habitus feliciter ab eadem) celebriter ejus feſta celebria, modulatis vocibus & cordibus medullatis, annis ſingulis celebretis, & à veſtris faciatis ſubditis celebrari; ut eumdem glorioſum Confeſſorem & inclytum venerantes in terris, ſentiatis interceſſorem aſſiduum & defenſorem propitium in excelſis. Ut autem ad venerabile ſepulcrum ipſius eo affluentius quo utilius confluat populi multitudo, & colatur ſolennius ejuſdem Confeſſoris veneranda ſolennitas; omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui cum devotione ad id in die ſolennitatis ipſius acceſſerint ejus imploraturi ſuffragia, ſingulis annis quibus illuc venerint, de omnipotentis Dei miſericordia & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, unum annum & quadraginta dies; accedentibus autem ad prædictum ſepulcrum infra ejuſdem feſti quindenam, quadraginta dies de injuncta eis pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Viterbii, decimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno primo *i.*

& indulgentias ejus reſpectu largiuntur.

C

i

ANNOTATA.

a *An immediatus Richardi ſucceſſor* Joannes Clipping? *ita videtur: quandoquidem Stephanum de Berckſtaid, ad quem Vitæ hujus dirigitur Epilogus, anno dumtaxat* 1261, *ac fortaſſe jam mortuo Alexandro Papa, Epiſcopatum iniviſſe ſcribat Godwinus.*

b Exonia *urbs, vulgo* Exceſter, *in Devonia, ad Iſcham flumen urbs Epiſcopalis. Godwinus* Joannem Oxonienſem *appellat, aſſerit quoque* de Gernſey *cognominatum reperiri: quidquid ſit de altero hoc cognomine, hoc certum, Oxoniam & Exoniam urbes diverſiſſimas eſſe.*

c *Anno* 1265 *inquit idem Godwinus*, Joannes de Exonia *conſecratur à Pontifice: ſed mox quod Baronum ſeditioſorum contra Regem factioni adhæreret, à Legato Pontificio ſuſpenſus ab officio, tandem Viterbii eſt extinctus an.* 1268. AUCTORE RADULFO EX MS.

d 22 *Ianuarii Vbi electus Pontifex 29 Auguſti* 1261 *etiam ſequentis anni partem maximam commoratus eſt, ut ex Bullis inde datis apparet: in Autumno anni* 1262 *Vrbem veterem migravit.*

e *MS. hic & ſupra num.* 42. Horum colluctationum frequenter in ipſa luctatus prudenter accendit, ſtuduit luctari prudentius: *quæ nullum ſenſum facientia reſtituenda putavimus, exigua mutatione adhibita.*

f *Hoc titulo omiſſo reliquam Bullam, ſed omiſſis minus ſubſtantialibus ad pauciora contractam, exhibet MS. Carthuſiæ Colonienſis, cujus ecgraphum habemus.*

g *In Legendario MS. Eccleſiæ S. Salvatoris Vltrajecti reliqua hujus Bullæ pars deſcribitur, titulum Vitæ præferens.*

h *Fuit is* Otho de Caſtro Radulphi, *ab Innocentio* IV *ex Cancellario Pariſienſi Cardinalis creatus, an.* 1244. *virtutibus, rebus geſtis & ſcriptis clarus, an.* 1273 *Vrbeveteri defunctus.*

i *Chriſti* 1262. *Ejuſdem Canonizationis, ut hoc anno facto, meminit Mattheus Faris anno præcedenti. Baronius in notis ad Martyrologium Rom. alias Vrbani litteras de eadem Canonizatione citat, quarum exordium* In cæleſti: *ſed hæ fortaſis canonizationis actum præceſſerunt; & ſi quando ad noſtras manus reniant, quod optamus, ſervabuntur pro Supplemento.*

EPILOGUS.

Epiſcopo & Capitulo Ciceſtrenſi directus.

Vitam S. Richardi juſſa Comitiſſa vidua ſcriptã offert.

128 REverendæ ſanctitatis ſacræ Sedis Eccleſiæ Ciceſtrenſis Pontifici, illius quondam eximiæ ſanctitatis viri B. Ricardi ſucceſſori, ac toti ejuſdem Eccleſiæ venerando Capitulo, peccatoris magis quam Prædicatoris nomine cenſendus Frater Radulfus, veſter in Domino ſervus, ſuperni Patris benedictione, & prælibati pii Patris Ricardi ſemper imitatione proficere. Cæleſtis providentia diſpoſitionis, apud quam de ſui gregis regimine numquam extat oblivio, quæ quondam Eliæ, Prophetæ ſancto, ad ſuæ ſuſtentationem inediæ per viduam providit Sareptanam; ipſe quoque in præſentiarum per viduam, etſi non Sareptanam, non inferioris tamen Sareptanæ conditionis, ad ſcribendum vitam B. Ricardi, tamquam cibum animæ ſalutarem, mihi materiam, ſuarum precum inſtantiam adjungendo, miniſtravit. Exemplo igitur Prophetæ contemnendum non arbitror edulium animæ ſalutiferum, licet per mulieris devotum induſtriam ſubminiſtratum. Prædictam viduam Sareptanam commendat libri Regum hiſtoria; hanc vero Regum proſapia. Ad illam paſcendus mittitur Elias, ad iſtam vero paſcendus in ſuis membris quotidie venit Chriſtus. Illius augmentavit Dominus olei in lecyto particulam, nec non & hydriæ farinulam; iſtius vero, inter tot expenſarum & eleemoſynarum profuſionem, in tantum auget Dominus promptuaria, ut non ſolum adventantibus extraneis, verum etiam ipſis rerum & poſſeſſionum procuratoribus & diſpenſatoribus novum quotidie inferat ſtuporem; mirantibus nimirum & ſuper hoc mirando conferentibus, quomodo reſpectu poſſeſſionum ſuæ facultatis ſufficiat tam inexhauſtæ profuſio largitatis. Illa veteris legis vidua commendabilis; hæc novæ gratiæ, vita, genere & opinione laudabilis. Illa denique, ad ſui & filii animam pane refocillandam, duo lingua collegit:

& ipſam cum vidua Sareptana comparat.

E

F

AUCTORE RADULFO EX MS.

hæc ex ligno Paſſionis Dominicæ, ad devotionis & dilectionis incentivum, faſciculum myrrhæ colligere & inter ubera ſua didicit collocare. Ad hæc quis novit, ſi Dominus ipſius vitam per mulieris ſolicitudinem conſcribi voluit, qui quoad vixit mulierum vitam, & maxime hujus de qua loquimur, ad virtutum profectum tam ſolicite informare ſtuduit? Rependit ipſa quod potuit, & Sancti beneficiis ingrata nolens apparere, quod per ſemet ipſam nequivit, alieno labore perficere procuravit. Quem quidem laborem ego, licet indignus, tam propter tanti Patris impetranda ſuffragia, quam pro prædictæ viduæ, ſcilicet Comitiſſæ de Arundel, Yſabellæ videlicet de Albiniaco, devota inſtantia duxi ſubeundum, examinatam vitæ & miraculorum prædicti Sancti à Romana Sede veritatem & fidelium relationem ſecutus. Vos igitur, tanquam illius imitatores, qui nec muliebris ſexus fragilitatem nec oblationis exilitatem deſpiciens, illius Euangelicæ viduæ) duo minuta abundanti divitum prætulit ærario; præſentem Vitæ Ricardi tractatum, ad ipſius honorem Sancti in eccleſia veſtra legendum, affectum potius attendentes quam eloquentiæ ſeu conditionis defectum, ſi placet; admittere dignemini; & ſi quid correctione dignum in eo videritis, veſtræ diſcretionis linea corrigere non detrectet. D

IV. APRILIS.

SANCTI QVI PRIDIE NONAS COLVNTVR.

B

S. Anctus Victor Epiſcopus, S. Sanctus Ætius Epiſcopus, } Martyres Barcinone in Hiſpania.
S. Agathodorus Diacon. S. Theodulus Lector, } Martyres Theſſalon.
S. Paulus, S. Matutinus, S. Orbanus, S. Saturninus, S. Quintilianus, S. Publius, S. Ingenuus, S. Victor, S. Succeſſus, S. Iulianus, } Martyres.
S. Palatinus, S. Iulius, & duo alii, } Martyres.
S. Georgius, Solitarius in Monte Laconiæ Malæo. E
S. Iſidorus, Epiſcopus Hiſpalenſis, in Hiſpania.
S. Publius, apud Græcos.
S. Plato, Hegumenus Symbolorum & Sacudionis, dein incluſus monaſterii Studii, Conſtantinopoli.
S. Theonas, S. Simeon, S. Phorbinus, } apud Græcos.
S. Guierus, in Cornubia apud Anglos.
S. Guilielmus Eremita Sicli, in Sicilia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.

C

S. Anctus Romanus Martyr *colitur hoc die officio Eccleſiaſtico, ſub ritu duplici, in Eccleſia primaria Ordinis S. Antonii in diœceſi Viennenſi, ob Sacras hujus reliquias ibidem aſſervatas, de quo aliiſque Sanctis, qui ibidem coluntur, egimus* XIII Martii.

S. Hildelitha Virgo, Abbatiſſa Berkingenſis in Anglia, *memoratur in MS. kalendario Ordinis S. Benedicti. Vitam ejus dedimus* XXIV Martii.

S. Benjamin, Martyr in Perſide, *memoratur à Molano, in Auctario Vſuardi primæ editionis, & à Caniſio. Acta Martyrii dedimus* XXXI Martii.

S. Zoſimus anachoreta, qui funus S. Mariæ Ægyptiacæ curavit; *inſcriptus eſt Martyrol. Romano, & Menæis ac Menologiis Græcorum. De eo una cum dicta Maria Ægyptiaca egimus* II Aprilis.

S. Irene, Virgo & Martyr, Theſſalonicæ ſagitta percuſſa, *memoratur in MSS. Caſinenſi, Altempſiano & Vltrajectino. De ea & ejus ſororibus Agape & Chionia, (quæ hoc die etiam habentur in MS. Aquisgranenſi) egimus.* III Aprilis.

S. Joſephus Hymnographus magna hoc die veneratione celebratur *in Menæis Græcorum & Anthologio itemque in Moſcovia refertur etiam à Molano & Ferrario. Vitam ejus dedimus.* III Aprilis.

S. Gregorius *in habitu eremitico hodie exprimitur in tabulis kalendarii Moſcoviticiz videtur eſſe ſupra nominatus* S. Georgius in Malæo: *facillime enim hæc nomina ab imperitis confunduntur.* F

Ephrem, vir inclytus ac prædicator egregius, rexit eccleſiam ſuam, id eſt Hieroſolymitanam, tempore Ælii Hadriani Imperatoris Romanorum aliquanto tempore: qui poſtquam in vinea Domini fideliter laboraſſet, & veluti egregius pugil diu conſtanter certaſſet, fidem Chriſti nuntiando tam Judeis quam Gentilibus, magnam catervam ex iis fidei jungendo & baptizando, tandem Martyrio coronatur: cujus feſtum colitur IV die Aprilis. *Hæc Theodoricus Pauli in libro MS. bellorum Dei: aliam de ejus cultu antiquo notitiam nullam habemus. Sedit duodecimus poſt S. Iacobum.*

Ambroſius, primum Marcionites, deinde ab Origine correctus, Eccleſiæ Diaconus & Confeſſionis Dominicæ gloria inſignis, obiit ante mortem Origenis, & in hoc a pleriſq; reprehenditur, quod vir locuples amici ſui ſenis & pauperis moriens non ſit recordatus. *Hæc inter alia S. Hieronymus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis cap. 56, cujus etiam meminit cap. 61. De eodem agit Euſebius lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 18, 23 & 28. Ex quibus elogium confecit Petrus de Natalibus lib. 4 cap. 31, & occaſione S. Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis, quem legerat tradi hoc die obiiſſe*

A *obiiſſe, aſſerit & hunc* pridie Nonas Aprilis quieviſſe & Sanctum *appellat. Grevenus & Molanus in prima editione Auctarii ad Vſuardum hunc etiam retulerant ab que titulo Sancti. Secutus Caniſius* Sanctum Diaconum *ſcribit; at Ferrarius* S Ambroſium Diaconum *appellat. Omiſit eum in ſecunda & tertia editione Vſuardi ſui Molanus: & melius: cum ad veram illius ſanctitatem, velut Eccleſiæ judicio creditam, in tanta antiquitate affirmandam, hactenus nulla aut Græcorum aut Latinorum Martyrologiorum monumenta proferantur.*

Primoſii Martyris *inſignes Reliquias, ſub Pontificatu Innocentii* X *Roma Bononiam tranſlatas, hoc die in eccleſia Ioannis in Monte venerationi exponi, tradit in Bononiæ perluſtrata Maſinus.*

S. Senerthi Epiſcopi depoſitio *memoratur in MS. Martyrologio Vſuardi, in bibliotheca Altempſiana adſervato, & ex Sanctis Anglis potiſſimum aucto. Verum quia nihil de eo alibi legimus, curioſo indagatori eumdem hic proponimus.*

Gallus de Loch Techet, Coina de Kill Coinæ, Colmanus Candidus, Ultanus filius Caidi, Cronſecha, Crumtherus Corc, Preſbyter de Kill-mor. } in Hibernia, *referuntur in Martyrologio Tamlactenſi.*

B

B. Lætius Marcellinus Mediolanenſis, vir omni pietatis officio inſignis & admiranda imprimis caritate erga pauperes, ſedit annos XVIII, menſes XI, ſepultus in Baſilica S. Ambroſii. *Ita Tabula Archiepiſcoporum Mediolanenſium, ex decreto Concilii Provincialis* IV *ſub S. Carolo Borromæo anni* 1564 *edita, ut habetur in parte* 2 *Actorum Synodalium pag.* 835. *Addit Vghellus tomo* 4 In Annalibus Mediolanenſibus narratur Lætum (*ſic enim Bezutius & ipſe appellant*) fuiſſe adſcriptum numero Beatorum: ejus dies feſtus celebratur IV Aprilis. *Pluribus nos de eo ageremus ſi in Breviariis, Miſſalibus, kalendariis Mediolanenſibus antiquis aut novis tale quid hoc die notatum inveniremus. Nunc eo cogimur abſtinere, donec plenius & certius informemur de cultu. Floruit ſub Stephano* IV *Papæ ab anno* 755 *ad* 769, *ejuſdem Papæ legatione in Franciam ad Pipinum Regem obita notus.*

Iſidorus Epiſcopus Cordubenſis, *occaſione S. Iſidori Epiſcopi Hiſpalenſis, qui hoc die colitur, refertur cum titulo* Sancti, *&* Senior *appellatur, à Conſtantino Ghinio in Natalibus Sanctorum Canonicorum. Verum inter Sanctos Cordubenſes non agnoſcitur à Martino de Roa, qui accurate de illis ſcripſit. Non etiam meminit illius Tamajus Salazar in Martyrologio Hiſpanico: nec appellatur* Sanctus *ab Ambroſio Morales, qui lib.* 12 *Chronici Hiſpanici cap.* 21. *ſubjungit eum* S. Iſidoro Hiſpalenſi.

C

Ven. Iſidorus *hodie notatur in kalendario Ruthenico apud Poſſevinum in Apparatu; Epiſcopum aut Abbatem fuiſſe perſuadet titulus honoris præfixus: non tamen induci poſſumus cum ad Hiſpanias referendum eſſe, ideoque ipſum malumus hic ſeorſim ponere.*

Petrus hujus nominis ſecundus, Epiſcopus Pictavienſis, pridie Nonas Aprilis anno MCXV mortuus eſt, *ut tradit, ex libro obituum Eccleſiæ S. Hilarii de Cella Pictavii, Ioannes Beſlius de Epiſcopis Pictavienſibus, ubi late de eo agit: quod idem præſtiterunt Sammarthani in Gallia Chriſtiana, & alii; abſque ullo titulo* Sancti *aut* Beati, *neque ejus meminit Sauſſajus in Martyrologio Gallicano. Ejus nihilominus Vitam, compendioſe à ſe conſcriptam, miſit ad nos ante aliquot annos Michael Coſnerius, Fontebraldenſis Parochus, honorans titulo* Beati, *& aſſerens*, in choro majoris monaſterii Fontebraldenſis cum B. Roberto Fontebraldenſi ſepultum, & hos duos haberi inſignes Patronos ex utroque latere altaris poſitos. *Aſt in Chronico Malleacenſi apud Beſlium dicitur* obiiſſe Calviniaco caſtro, & ſepultus apud S. Cyprianum Pictavis. *Cæterum quam indicat Coſnerius venerationem, ea videtur in proprio affectu potiſſimum iſtius loci, conſiſtere.*

Beganus Abbas *refertur in MS. Florario & à Greveno in Auctario Vſuardi: qui addit*, in Hibernia. *Hoc citato habetur in Calendario Henrici Fitzimon: aſt deeſt in M. Tamlactenſi.*

Guillelmus, } Reges Scotorum, *cum titulo* Sancti *re-*
Convallus, } *feruntur à Camerario in Menologio Scotico: quos, ſi Sanctorum cultum habuiſſent, etiam retuliſſet Dempſterius in ſuo Menologio Scotico: quicum eos omittimus.*

Fr. Saladinus, Aſculi in Piceno, *hoc die obiit, &* vulgo Beatus *nuncupatur. De eo requirenti olim P. Bollando, reſponſum anno* 1649, *quod eo anno die* 15 *Aprilis repertum eſſet ejus corpus, intra capſam lignæam, in lapideo altari, ſub titulo* SS. *Michaelis & Mauri, in æde cathedrali; & quod illud de mandato Emin. Card. Gabrielis Epiſcopi privatim tranſlatum fuerit in capellam S. Mariæ Lauretanæ, intra eamdem ædem, ubi* E *etiam nunc ſervetur. Neſcimus an & quali cum veneratione. Quare ſatis habemus ejus nomen hic collocare, maxime cum lateant omnia Monumenta vitæ & miraculorum, ob quæ meruit ſub altare poni. Interim damus inſcriptionem plumbeæ tabellæ in ejus manibus repertæ.* Anno Incarnationis Chriſti MCCXLI Indict XIV, die Jovis, intrante Aprili, Fr. Saladinus veſpere migravit, & ſequenti die Veneris, à crypta S. Angeli, ubi XXVII annis pœnitentiam egerat, huc delatum fuit, tempore Gregorii Papæ, reſidente Theodino Epiſcopo Tuiculano anno III. *Eremiticam eum vitam in magna auſteritate duxiſſe ſcribit Franciſcus Ant. Miglianus in Vita B. Conradi Aſculani infra laudanda.*

Gunzelinus Abbas Moreroſæ in Hiſpania, Ordinis Ciſtercienſis, *traditur* claruiſſe anno 1188, & non ſine magnæ ſanctitatis nomine quieviſſe in pace, *quem ideo cum titulo* Beati *referunt Henriquez, Bucelinus, & Chalemotus.*

Benedictus à S. Fratello, cognomento Niger ſive Æthiops, laicus, è familia Reformatorum obſervantiæ S. Franciſci, mortuus eſſe Panormi anno MDLXXXIX die IV Aprilis *traditur à Rocchо Pirro, in Notitia Eccleſiæ Panormitanæ pag.* 185, *qui pag.* 197 *addit* propoſitum *fuiſſe* corpus ejus, poſt annos ferme XXVI à vermium peſte immune, omnibus colendum civibus. *Ejuſdem meminit Cajetanus in Martyrol. Siculo & Ferrarius in Catalogo generali, & ad* XXV *Ianuarii Arturus du Monſtier in Martyrol. Franciſcano: qui* Beatum *appellant. Aſſerit Ferrarius* Acta jurata *extare, quæ à nobis petita per litteras anno* 1669 *ſi continuat videre, licebit ſecurius progredi.*

Nicolaus à Monte-Cruino, Franciſcus Neapolitanus, Petrus, } Ordinis Minorum, apud Cayrum Babyloniæ ob fidem Chriſti à Saracenis occiſi anno 1358, *referuntur in Martyrol. Franciſcano.*

Petrus Stella in Luſitania, Joannes de Vallibus in Umbria, Gaſpar à Barga Florentiæ, } Ordinis S. Franciſci. *referuntur in Martyrolog. Franciſcano*
Alphonſus ab Amygdaleto in Caſtello, Antonius à Puteo-Fidone in Italia, }
Maria à Conceptione in agro Cordub. } Petrus *etiam in Hagiologio Cardoſi, &* Joannes *à Iacobillo: &* Maria *in Gynæceo ejuſdem Arturi, omneſque à variis ibidem citatis de vitæ ſanctitate laudantur: nos publici cultus probationem requirimus.*

Nicolaus Bandinellus eremita ſacræ Silvæ Ilicetanæ prope

A prope Senas, in Faſtis Senenſibus Joannis Baptiſtæ Ferrarii, *dicitur* obiiſſe pridie Nonas Aprilis anno MCCL, *& titulo* Beati *honoratur. Idem facit Fabricius Landucciusin Hiſtoria dictæ Silvæ Ilicetanæ, aſſeritque Vitam dicti Nicolai ſcriptam nuper eſſe ac prælo dignam: quam dum expectamus, abſque præjudicio ejus memoriam hic celebraſſe ſufficiat. Ab Herrera & Cruſenio refertur ad finem ſeculi* XIV.

Joannes Incontrius, *aliquibus* Joannes Guecius, eremita ejuſdem Silvæ Ilicetanæ, *in dictis Faſtis Senenſibus dicitur* obiiſſe *etiam* pridie Nonas Aprilis anno MCCCXXXIX, *& titulo* Beati *honoratur. Fabricius Landuccius in Hiſtoria dictæ Silvæ Ilicetanæ pag. 99 aſſerit ſacellum conſtructum & altare erectum in loco, ubi Chriſtus illi in forma Paſtoris apparuit, agique de formali Beatificatione aut Canonizatione, ſed ob paupertatem dictæ eremi non poſſe optatum effectum deduci.*

S. Tigernacus Epiſcopus Cluaineoſenſis *memoratur in MS. Martyrologio Tamlactenſi, & à Greveno in Auctario Vſuardi. Ejus Vitam damus* V Aprilis

B. Hermanus Joſephus, Canonicus Ordinis Præmonſtratenſis, *hoc die variis in eccleſiis dicti Ordinis colitur Officio Eccleſiaſtico, ſed Steinfeldiæ in diœceſi Colonienſi, ubi vixit & antiquum cultum habet, aliiſque locis.* VII Aprilis.

B S. Tiburtius, } Martyres, *coluntur officio duplici Bono-*
S. Valerianus, } *niæ apud Minoritas, ob duo brachia, quæ ibidem habentur. Vitam celebrium his nominibus Martyrum dabimus* XIV Aprilis.

S. Pherbuta, Virgo Deo devota & Soror ejus vidua, ſorores S. Simeonis Epiſcopi Seleuciæ & Cteſiphontis, cum ipſo ſub Sapore Rege Perſarum martyrio perfunctæ cum pediſſequa, *referuntur hoc die in Menæis & Menologio Græcorum. Acta habemus, daturi illa* XXII Aprilis.

S. Iſidorus Agricola, Madriti in Hiſpania, *refertur hoc die à Marietta & Ferrario, ab aliis* X Maji.

S. Pancratii Martyris *Tranſlatio adſcripta eſt additionibus Greveni. Colitur præcedenti die* S. Pancratius, Tauromeniorum in Sicilia Apoſtolus, *ſed non habetur* Martyr *Forſan hic eſt* Romanus Martyr *qui colitur ad diem* XII Maji.

Adelheidis Virgo, *ex Ordine Prædicatorum, in valle S. Catharinæ prope Dieſſenhovam ad Rhenum, in diœceſi Conſtantiæ, ſeculo* XIV *floruit opinione ſanctitatis, ideoque titulo* Beatæ *à Murero ornatur in Helvetia ſacra: qui etiam dicit ipſi atque* Eliſabethæ, *pariſ ſanctimoniæ Virgini ſacellum cum altari à Sororibus erectum: earum autem aliarumque plurium natalem communiter celebrari: quando (ſi quid certius acceperimus de publico iſtarum Sanctimonialium cultu) proferemus die* XXX Maji.

C Paulus, } Martyres in Ægypto, *referuntur*
Victor, } *à Galeſinio citatis manuſcriptis.*
Nicanor, } *Ex his* Paulus & Victor *infra*
Apollonius, } *hoc die cum aliis coluntur. At* Ni-
Martiniana Virgo, } canor & Apollonius *cum* Martinno, *aliis* Martina, *iterum die ſequentia referuntur. Nos cum Martyrologio Romano Acta illorum dabimus* V Junii.

S. Gonerii, Preſbyteri & Confeſſoris, *Vitam ex antiquis Tricarienſis Eccleſiæ legendariis Gallicè redditam habet Albertus le Grand, tamquam hoc die colendi: ſed quia Vitam antiquam Latinam nacti necdum ſumus, differimus ipſum in diem, quo inſcriptus eſt proprio Venetenſi,* XVII Junii.

D Wlgiſi, Amulwini, Theodulphi, Abel } Abbatum & Epiſcoporum Hildulphi Ducis. } *Lobiis Tranſlatio corporum refertur à Milano, in Auctario Vſuardi primæ editionis, à Caniſio, Wione, Dorganio, Menardo & Ferrario. De primis duobus egimus* IV & VII Februarii, *de* Hildulpho & Theodulpho *agendum erit* XXIII & XXV Junii. *De* S. Abele. V Auguſti.

S. Auctor, Epiſcopus Trevirorum, *inſcriptus eſt Florario Sanctorum: ab aliis celebratur, quando erit de primo & ſecundo iſtius nominis agendum, die* XX Auguſti.

Aleydis; mater S. Bernardi piiſſima, *memoratur cum titulo* Beatæ *in Menologiis Chryſoſtomi Henriquez, Bucelini & Chalemoti. Fuit primo Divione in monaſterio S. Benigni ſepulta, inde Claram-vallem tranſlata anno* 1250, *cum annis circiter* 140 *eſſet defuncta, de qua in libro ſepulchrorum Claræ-vallis ita legitur:* Item ibidem jacet piæ recordationis nobilis Domina & Deo devotiſſima Aleydis, mater Doctoris egregii & Patris noſtri B. Bernardi, primi Claræ-vallis Abbatis: *ad cujus vitam reliqua de Aleyde matre ejus commodius dicentur* XX Auguſti.

Benedicti Aretini, Ordinis Minorum, qui cum S. Franciſco vixit, *memoria inſcripta eſt Bononiæ perluſtratæ à Maſino, quod* mandibula *ejus* adſervetur in eccleſia S. Franciſci. *Arturus de Monſtier in Martyrologio Franciſcano celebrat eum* XXXI Auguſti.

E S. Domnini Martyris inventio, Juliæ in Æmilia, *quæ nunc* Borgo di S. Domnino *dicitur, refertur hoc die à Ferrario ex Tabulis Eccleſiæ Burgenſis, cujus eſt præcipuus Patronus. De eo latius agendum erit die ejus natali* IX Octobris.

S. Tharacus, } Martyres, *referuntur in MS. Vati-*
S. Andronicus, } *cano num.* 5949 *ſignato, & 2 priores*
S. Probus, } *etiam in MSS. Caſinenſi & Altempſiano. Coluntur.* XI Octobris.

Hildebertus, Octavus Abbas Gandenſis monaſterii S. Bavonis, Kalendis Decembris interficitur à Conſiliariis Conſtantini impiiſſimi Imperatoris. *Ita MS. Chronicon dicti monaſterii. Hunc citato quodam Martyrologio Rubeæ Vallis retulit hoc die Ioannes Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii & Molanum ſecuti Miræus in Faſtis Belgii, Sanderus de Sanctis Flandriæ Ghinius, in Natalibus Sanctorum Canonicorum, Willotius & Bojus in Martyrologiis Belgicis, Menardus, Bucelinus & Ferrarius: ex his ultimi* Sanctum & Martyrem *appellant, Willotius* Beatum: *priores nec* Sanctum *nec* Beatum. *Nos omnia ſatis incerta arbitramur, & ſervamus martyrium diſcutienda die, quo interfectus dicitur.* I Decembris.

F S. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis & Sanctæ Eccleſiæ Doctor, *colitur in antiquo Miſſali & Breviario Eccleſiæ Mediolanenſis die* V *Aprilis: verum paſſim in Martyrologiis & variarum Eccleſiarum Breviariis colitur hoc* IV *Aprilis, quaſi hoc die mortuus eſſet* pridie Paſchatis *anno* CCCXCVII, *quo Paſcha celebratum eſt* V *Aprilis. Aliquibus tamen obitus ejus videtur referendus ad annum ſequentem* CCCXCVIII: *qui poſteris, annum à die Paſchatis incipientibus, includebatur adhuc in anno* CCCXCVII. *Sed quod Paſcha tunc fuerit celebratum die* XVIII *Aprilis, obitus ejus foret ſtatuendus die* XVII. *De qua controverſia ſupra ad calcem Tractatus præliminaris egimus. Vitam dabimus, quando feſtum ejus in Eccleſia Romana imo & Mediolanenſi potiſſimum celebratur, die* VII Decembris.

DE

A

DE SANCTIS EPISCOPIS ET MARTYRIBUS,

VICTORE ET AETIO,

BARCINONE IN HISPANIA.

I SECULO. *Post Theodosium primum Barcinon. Episc.*

BArcino, *antiqua Pœnorum, deinde Romanorum in Hispania Tarraconensi Colonia, fidei Christianæ, apud se ab Apostolorum Discipulis prædicatæ, antiquitate nulli Hispanicarum urbium concedit, acceptaque à majoribus traditione credit, Theodosium quemdam primum suum fuisse Episcopum, eumdemque undecimo post Christi mortem anno ad Superos transjisse, Claudio Principe, Drusi filio, Romani Imperii sceptra tenente. Ita in Historia Comitum Barcinonensium cap.* 6. *Diagus, aliique scriptores Catalani, à Tamajo citati ad* XXVII *Ianuarii, quo ipse eum Sanctorum adscripsit catalogo; primus utique & Pseudo-dexteri commentis tantum tribuens, ut ejus unius auctoritate non modo illum dictæ diei attribuerit, sed etiam anno Christi centesimo adhuc in vivis fuisse dixerit. Hoc autem ruinoso fundamento semel posito, consequenter etiam* Sanctos Victorem & Aëtium *ad secundum Christi seculum refert, quamvis repugnante Barcinonensium traditione, qua sub eodem Claudio Principe, atque adeo ante annum Christi* LVI *martyrio coronati putantur. Excusat eos Tamajus, quod* caligine incertæ traditionis obruti ad portum haud accesserint, quibus Dexteri radius necdum eluxerat: *quo factum etiam sit ut ignoraverint ætatem Theodosii, neque sciverint S. Ætherium illo fuisse in Episcopatu priorem. Verum nihil indigent fatua ejusmodi luce Barcinonenses, qui S. Ætherium merito ignoravere ut suum: utpote recenti plagio ex Taurica Chersoneso, ubi Christi fidem prædicavit & obiit, ad nescio quam novæ inventionis Cherronensem in Hispania peninsulam nuper traductum. Eam nos fabulam ad diem* VII *Martii refutamus. Itaque de Sanctis* Victore *&* Aëtio *hoc solum tenemus, quod à Majoribus pro certo accepêre Barcinonenses, eos ex primis fidei prædicatoribus fuisse; quorum patriam, ætatem, gesta oblivio deleverit, solus Martyrii & Sanctitatis titulus ad posteros manaverit; una cum die, cui olim quilibet eorum adscriptus, occasionem dedit credendi;* Victorem IV Aprilis, Aëtium XIV Augusti *fuisse consummatum. Porro conjunctim eos hic dare voluimus, ne bis eadem eaque pauca repetenda forent. Horum memoriam, tamquam necdum canonizatorum, Vincentius Domeneccus in secundam historiæ suæ partem retulit. Ferrarius in Generali Catologo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt solum* Victorem *accepit,* Aëtium *prætermisit. Quia vero sub Claudio passos traditio habet; quando nulla persecutio publice in Christianos desæviit; ideo probabilius existimat Domeneccus & alii, privato gentilium odio aut subito plebis tumultuantis furore occisos, potius quam legitimi alicujus magistratus imperio.*

hi duo fuisse & martyres obiisse creduntur.

Quidquid de S. Æthevio finxerunt alii)

B

E

DE SS. MARTYRIBVS THESSALONICENSIBVS

AGATHOPO DIACONO ET THEODVLO LECTORE.

D. P.

INITIO SEC. IV. *Acta Græce scripta:*

SAncti hi Martyres Thessalonicenses *referuntur ad hunc diem in omnibus fastis sacris, tam Græcis quam Latinis: & quidem ita ut soli nominentur in Ephemeride metrica atque kalendarii Moscovitici tabulis, quod nobis quasi certum argumentum est, illorum illustria Acta fuisse jam olim conscripta, quæ ex bibliotheca Dominii Venetorum à Petro Francisco Zino eruta & Latine reddita edidit Lipomanus tomo* VII *Vitarum Sanctorum & ex eo Surius ad hanc diem. Nos eadem ex MS. Græco Vaticano nacti, qualia in ipsorum annua festivitate solebant Thessalonicæ recitari, nova versione digna censuimus, propterea quod prior interpretatio à contextus originalis phrasi sæpe multumque discedat, quandoque & sensum prorsus diversum habeat, ut vel MS. Veneti sinceritatem vel interpretis diligentiam cogamur habere suspectam! Non tamen operæ pretium duximus in Annotationibus explicare ea omnia, in quibus noster textus, quem Græce sub finem damus, à Zini discrepat versione; sed satis erit paucula graviora observasse.*

C *dantur ex MS. Vaticano:*

2 *Ex his porro Actis accepta sunt antiqua apud Græcos elogia: quorum unum in Menologio Basilii Porphyrogenniti tale legitur* Die quarta ejusdem mensis Aprilis certamen sanctorum Martyrum Agathopodis & Theoduli. Agathopus sanctissimus Diaconus, & Theodulus religiosus Lector, Christi Martyres, fuerunt ex civitate Thessalonica. Deprehensi vero ob Christi fidem ab idolorum cultoribus, ad Præsidem civitatis adducti sunt, & jussi idola adorare. Quod cum recusassent facere, carceri inclusi sunt: in quo ambo eadem nocte habuerunt hanc visionem. Videbantur sibi navem conscendere, & in mari navigare: ingenti autem excitata fluctuum procella, cernere navigium contritum, & navigantes in mari demersos, sese vero dumtaxat sospites reddi, & in excelsum collem delatos. Denotabat autem hæc visio ipsorum mortem in mari & ascensum in cælum. Mane namq; cum eos è carcere simul eduxisset Præses, jussit ipsos sacrificare idolis. Ad quod cum induci non potuissent; in mari demergi mandavit: & ibi martyrium consummarunt.

elogium ex menologio Basilii Imp.

3 *Hi iidem Martyres referuntur etiam in antiquis Latinis Martyrologiis, & modo unus, modo alter reperitur prapositus. In autographo Epternacensi Martyrologii S. Hieronymi ita legitur*: Pridie Nonas Aprilis. Thessalonica Theodoli, Agathoni Diaconi. *Quo etiam ordine leguntur in MSS. Richenovienſi, Rhinovienſi & Corbejenſi: & non appoſita urbe, in MSS. Auguſtano, Labbeano, Aquiſgranenſi: poſt urbem vero, aliis interpoſitis, in MS. Leodienſi S. Laurentii & MS. Florario Sanctorum. In MS. Reginæ Suecia ita habetur:* Thessalonica natalis SS. Theonis, Theodoli, Agathonis Diaconi. *Pro* Theonis *excuſum eſt* Themis *apud Holſtenium in Animadverſis ad Martyrologium Romanum. Sed forſan nomen* Theonis *alibi contractum fuit ex nomine* Theodoli, *& ab alio tamquam diverſum eſt appoſitum. Eſt etiam, alius* S. Theonas *hoc die infra relatus: ideoque eum hic omittimus. In apographis Martyrologii Hieronymiani Lucenſi, Elumiano & Corbejenſi Pariſiis excuſo atque MS. Barberiniano ſcribitur:* II Nonas Aprilis. In Thessalonica natalis SS. Agathonis Diaconi, Theodoli. *Notherus hunc* Theodulum *cum Actis appellat. Et qui hic* Agatho *eſt, Græcis eſt* Agathopus, *aliquibus* Agathoponus, *&* Agathopolus.

memoria in Fastis Latinis.

F

4 *Tempus martyrii non tantum notatur fuiſſe* ſub Maximiano Cæſare, *ſcilicet Galerio, adeoque poſt annum* CCXCIII *quando hic una cum Conſtantio Chloro Cæſar dictus eſt ab Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, crudelitatis eorum adverſus Chriſtianos in Oriente ſtudioſiſſimus æmulator: ſed etiam intelligitur differri debere*

Paſſionis tempus.

EX MS. GR. A *differri debere ultra annum* CCCII, *quando primo edictum eſt ut ſacri Chriſtianorum libri comburerentur. Qua de re vide Annales Eccleſiaſticos Cardinalis Baronii ad dictum annum & ſequentem.*

ACTA

Ex MS. Vaticano Græco 1660.

CAPUT I.

Sanctorum natales, ordo, conſtantia, prima coram Præſide interrogatio.

Ad probandam electorũ virtutem perſecutione ſuſcitata,

1 SEmper quidem diabolus, in effloreſcentem erga Deum pietatem fraudulenter ſubrepens, eã conatur evertere; nihil tamen proficere valet adverſus ſtrenuos milites religionis, illos dumtaxat ſuperans, qui animo ad Chriſti fidem ignaviori accedunt. Quemadmodum enim cum regioni alicui, quæ pace diuturna floruit, bellũ incumbit, plagis neciq; multoties objicit ſuum corpus vir fortis, ut gloriæ redimiatur corona; ignavus autem timiduſque adverſariis cedit, incolumitatem ſui corporis laudi præferens: ſic ubi draconis infernalis ſatellites cœperint Chriſto adjunctos hoſtiliter perſequi, unum quidem cui minus firma in Deum fides, videas tormentis victum deſciſcere à propoſito; alterum vero, Chriſti verbo obarmatum, divini numinis cultum ſervare inviolatum, nec ullius improbitate ſuperari.

B

conſtantes in fide Theodulus atque Agathopus

2 Talis vel maxime Theodulus emicuit, animum paſſionibus ſuperiorem præferens; qui ſuæ in Deum fiduciæ generoſum ſocium habens Agathopum, magnam iſtam impietatis procellam atque idololatriæ exæſtuantis tempeſtatem, quæ Maximiani Cæſaris tempore terrarum orbem univerſum concuſſit, præſenti conſtantique mente diſſipavit. Cum enim diſcurrentes per Imperium equites, eidem ſubjectos populos paſſim cogerent rerum omnium negare Creatorem, & in divinæ religionis everſionem omni ſtudio conatuq; incumberent; ad impium illud decretũ, quo mors immolare recuſanti proponebatur, alii alio ferebantur. Nam hi quidem, brevem hujus vitæ uſuram pro magno eligentes lucro, contaminatis veſcebantur cibis; & cauſa momentaneæ voluptatis, mortẽ atq; exitium ſibi comparabant æternum: iſti vero, *a* quibus ſanior omnino firmiorque in recta fide ſenſus erat, nequaquam induci poterant verum ejurare Deum, ſed ipſos ſe probabant cruciatibus ſuſtinendis.

a

comprehenduntur,

3 Dum ergo ſcenæ hujus auctor diabolus lætabatur, quod imbecillioribus timore correptis evaderet ſuperior; Theodulus & Agathopus, jejuniis & precationibus tempus omne in Dei domo conſumentes, orabant Deum, ut ſolo ſterneret impietatem. Quorũ conſtantiam admirati milites; eorumq; duces atq; ærarii Præfectus, eo quod, latitare quærentibus ceteris, ſoli ipſi Dei verbum fidenter prædicarent; illos in locum adduxere certaminis, vultu etiã poſt ſuſcepta vincula

C

ex his Theodulus,

gratioſiori effulgentes. Theoduli ſane cũ alias eſſet intemeratæ modeſtiæ adoleſcens, primo pubertatis flore renidebant genæ; erantq; ei in Theſſalonicenſiũ urbe *b* genitores; fratres vero, Capito, Metrodorus & Philoſtorgius, ætate juvenes, perfectam in Deum pietatem tenebant etiam ipſi, & ingenita indole moribuſque promptitudini Martyris conſpirabant.

b

per annulum divinitus acceptum in fide roboratus;

4 Hic vero priuſquam pateretur, futuri certaminis arrham divinitus ſuſcepit. Impio enim decreto necdũ promulgato, dum intempeſta nocte quieſceret, manui ſuæ indi ſenſit aliquid, unde & experrectus eſt. Ecquid autem? Annulus erat ignotæ materiæ, habens in pala ſigillum; quo reor univerſorum Dominum indicaſſe, eſſe ab eo munus, qui elementorum quaternario imperat: ſi enim hunc ſolum habenti illuſtri viro *c* gravis ac deſperatus morbus obveniſſet, ſola ejus præſentia ſufficiebat ad morbi depulſionem. Et hujuſmodi quidẽ ut diximus, fuit Theodulus: Agathopus autẽ conſentiens, vir jam grandævus, erat per quã venerabilis canitie capitis, & conſonam anteactæ vitæ magnanimitatem ad extremũ uſq; oſtendens. Ambo puri pietatis miniſtri; quippe qui rejectis corporis voluptatibus, unum Deum Deiq; verbum Jeſum reſpiciebãt aſſidue; cum hic eſſet Diaconus, ad ea quæ ſalutẽ credentium attinent miniſtranda; iſte vero lectis Apoſtolorum ac Prophetarum expoſitionibus, audientiũ fidem confirmaret. Sæpe etiam hic dæmones, humanã naturam tam in mente quã in corpore pervertere nitentes, ſolo verbo & Crucis potenti ſigno adjurabat, bens ut à Dei figmento recederent: & illi imperata *d* facientes vociferanteſq; confitebantur ejus potentiam, qui tantum contra ipſos per Theodulum poſſet.

D

alter ſenior & Diaconus.

c

d

Quibus ad Præſidem adductis,

5 Igitur Fauſtinus, tum temporis Præſes Theſſalonicæ, ſedens pro tribunali, ut vidit adductos in judiciũ unam eamdemq; vocem emittere, Chriſtiani ſumus; atque conjunctis manibus pariter, propter idem animi propoſitum facie lucenti transformatos; extimuit illico ingenuam moderatamque loquendi libertatem; veluti præſagiret, quod hi ſoli adverſum ſe eſſent prævaluturi, generoſa mente & morte præclara. Itaq; volens prius Theoduli animũ perſuadendo tentare, omnes juſſit ſecedere, atq; amicum ſe ſimulans, benignis ad eum verbis, ut putabat, eſt uſus, dicens: Sine te perſuaderi, adoleſcens, ne nova deceptus fraude ultro te vita privet. Cui Theodulus, placido vultu ſubridens, reſpondit: Equidem jam olim errorem omnem impoſturamq; effugi; tibi vero timeo, ne vanitatis nimium ſtudioſus, teipſũ in mortem æternam præcipites. Cumq; his nihil commotus Præſes, nunc donis pelliceret, nunc honoribus propoſitis blandiretur Theodulo, ut ad ſacrificandũ accederet; Xenus quidam, Jovis ſacerdotio fungens, dixit: Si oblati honores minime perſuadent ut ſacrifices; tormenta cogent, ut Imperatorum juſſis obedias. Cui Martyr: Non uſque adeo eorum quæ intentari mihi poſſunt formido commovet, ut ea vel minimum flecti poſſim.

E

Theodulus fruſtra ſollicitatus,

6 Rurſum autem ſuadente Fauſtino, ut expenderet, quantum interſit inter vitam cum honore transactã, & mortem cum cruciatibus obitam; dixit Theodulus: Sanè id ipſum conſiderans, omnino conſtitui, vitæ hujus dies paucos ac deſpicabiles contemnere, ut cæleſtium bonorum efficiar particeps. Quocirca hoc meum corpus igne examina, & cognoſces cædendo, illud eſſe corruptioni obnoxium & conſumptibile: ſed anima rationalis, undequaq; invulnerabilis, terrenis rebus moleſtiiſq; citius liberata, magis inde lætabitur. Tum Præſes Fauſtinus, Ecquis, obſecro, ille tanto majoris boni *e* conciliator, cujus amore & plagas & mortem hodie ſtatuiſti contemnere? Theodulus reſpondit: Deus, qui omnia naturæ legibus concluſit, & hujus filius Jeſus Chriſtus, Verbum Patris, cujus cruce ſignatus ab infantia, ad finem uſq; vitæ *f* ſignaturam iſtam non dimittam: citius enim per te & omnis religionis inimicum tyrannum ab hoc corpore, quam ab illa dejiciar. Fauſtinus vero ejus dicta confutare volens, Pulchre inquit, ô adoleſcens, & clauſtra & ſignacula Dei tui commentus es. Sane, reposuit Theodulus: utpote fidelis miniſter divini cultus, adverſus quem numquam prævalebis, ſive ferro ſeu igne pugnes, ut ruptis clauſtris rationis fideique ſigillo, mihi poſſis inſultare, Chriſtum Deum prædicare intendenti.

F

libere Chriſtum profitetur.

e

f

7 Fauſtinus demiratus adoleſcentis conſtantiam, juſſit Agathopum ſibi ſiſti, ſubmoto longius per ſatellites Theodulo. Ut autem venit prope tribunal Agathopus, dixit Fauſtinus: Sacrifica: ecce enim Theodulus prius in errorem impulſus, modo pollicetur ſacrifica-

A crificare. Aſt Agathopus, cognita fraude, reſpondit: Ego quoque prompte atque hilariter, ſecundum verbum ejus, Deo offeram ſacrificium, ejuſque filio Jeſu Chriſto: his enim ſacrificium ſuaveolens offerendum à ſe promiſit Theodulus. Econtra Fauſtinus, Nõ his, non his, inquam, quos tu temere Deos prædicas: ſed diis duodecim, qui terrarum orbem univerſum conſervant faciet ſacrificium. Agathopus vero, concuſſo leniter capite, dixit: Deoſne appellas mihi, quos ex materia corruptibili artis induſtria efformavit in figuras humanas? Deoſne, quos ſuis homines effinxere manibus, & tamquam ipſis meliores præſtantioresque, colendos ſibi conſtituerunt? Deoſne, qui volentibus ipſos ſubvertere, nequeunt obrui? qui nec oculis vident, nec pedibus ambulant, nec ullo ſenſuum munere ſunt prædi-

Præſes tamẽ eum defeciſſe mentitur:

ſed confutatur ab Agathopo.

g ti? Deoſne, quos qui anima vitali præditos quandoque fuiſſe crediderunt antiqui *g*, etiam tradidere adulteriis ac puerorum amoribus inquinatos; nunc vero eorumdem ſimulacra argenteo aut obolis quatuor vendunt artifices? Sacrificiumne ego, Omnipotenti debitum, offeram indigno, quem tu arbitraris, Deo, ut ipſum intueatur oculis manu ſculptis? aut hymnum ei cantabo acceptabilem, ut auribus excipiens auro argentove effictis eorum me Dominum faciat, quorum ipſe fieri nequit particeps?

B

ANNOTATA.

a *Lipom. ſenſu prorſus contrario habet*: Qui autem parum erant in fide ſalubri confirmati, cruciatibus victi verum Deum negabant: *videtur excidiſſe negatio, & legi debere* ἐκ ἐπὶ μέρους, *ut*, non tantum ex parte ſed integre & omnino ſana mens, *ſignificetur.*

b *Græce*, ἐπὶ τὴ Θεσσαλονικέων κεφαλῆς, *quæ in varias conjecturas nos diſtrahunt, certam ſententiam nullam ſuggerunt. Zinus vertit* Huic parentes Theſſalonicenſes erant, viri illuſtres.

c *Videtur intelligendum de ipſo Theodulo, quod de aliis quibusvis Zinus accepit; in MS, legebatur* μὴ τῇ παρρησίᾳ *ideoque Zinus vertit* ſi ſolum attigiſſet: *ſed reſtituimus & correximus* μόνῃ τῇ παρρησίᾳ, *quod ſenſum clarum habet*, ſola præſentia.

d *In Græco erat*, τοῖς περιτομένοις: *ſed Hugo Bollius Carthuſianus (cui antiquam verſionem examinandam commiſeram, priuſquam novam facerem recte ſuggeſſit, videri legendum* τοῖς ἐπιτατομένοις.

e *Cènſui legi debere*, πρόξενος τὸ κρείττονος, *non vero* πρὸς τὸ κρείττονος, *quod ſenſum integrum non facit.*

f *Græce* τὴν σφραγίδα, *quod forte de baptiſmo magis proprie intellexeris. Zinus* militiam *vertit.*

g Ἕλληνες *ideſt* Græci *ſeu* Gentiles: *ſed ad mentem auctoris aptius dicuntur* antiqui, *ſubintelligendo* Gentiles.

C

CAPUT II.

Oratio Sanctorum in carcere, & ſecunda confeſſio Theoduli.

Miſſi in carcerem

8 TAlia adhuc differente Agathopode, & iis qui Præſidi aſſiſtebant metuentibus, ne ceteri quoq; in quæſtionem adducti, ad tenendam conſtantius fidem animarentur; præceperunt ipſum una cum Theodulo illico duci ad carcerem. Turba autem, quæ frequens confluxerat, eos ad meliora feſtinantes ſubſequens, diverſis affligebat modis; dum alii teneram Theoduli ætatem miſerati, abducere cum nitebantur ab animi inflexibilis propoſito; alii Agathopodis venerabilem contemplati canitiem, unanimi voce ac-

noctem in oratione ducunt,

clamabant, Num & tu, Agathope, velut imperitus juvenis, quid expediat ignoras? Aſt illi in ſolam pietatem, melioris boni conciliatricem, intendentes animum, nullo eos reſponſo dignati, carceremque ingreſſi, preces fudere ſub ſilentio. Nocte autem media divinitus immiſſis ſomniis confirmati, pariter ſurrexere præ gaudio, & Jeſum Chriſtum Servatorem omnium invocaverunt: deinde manibus aqua munda ablutis proſtravere ſe ſuper faciem in terra, ac talem, ex uno velut ore, fuderunt precem. EXMS. GR. D

9 Rerum omnium conditor & cognitor Deus, qui abolito chao, mundum hunc ſpectabilem efformaſti, ordinans cæli nuſquam interrumpendum curſum; in quo ſol omnia illuminaret per diem, & luna nocturnas tenebras ſplẽdore ſuo diſſiparet, uterq; vero una cum ſideribus cereris incremento naſcentium è terra ſerviret: qui huic quidẽ generationem animãtium, mari vero piſcium in aquis viventium fœturam tribuiſti, volucribus autẽ locum in aere; ut mare homini à te facto ſuis inſerviret donis, aer ſonora avium voce canticum tibi acceptabile redderet; terra fructus omnigenos fœcundo producẽs ſinu, in uſum humani generis, tibi univerſorum Domino hymnũ laudis atq; omnem qua fieri poteſt gratiarũ actionem exhiberet per hominem. Tu gentem noſtram, obſtrictam ſceleribus, mandata averſantem tua, in comeſſationes luxumque projectam, penitus noluiſti perire, neq; permittere diabolo, ut creaturã ratione præditam ad tartarum uſque deprimeret & obcæcaret: ſed commiſſa adverſum te peccata oblivioni tradẽs, de cæleſtibus ſedibus miſiſti ad homines Unigenitum tuum, ſola miſericordia flexum, ut naturam humanam induens, immortalem eſſentiam noſtræ conjungeret mortalitati; & Verbum tecum ſemper manẽs, per quod facta ſunt omnia, oberrantes in injuſtitiis ad vitæ rectæ piæque normam revocaret. Tu enim cum Filio, & Filius tecũ atque cum Spiritu ſancto, orbem perluſtrans terrarũ, mirabilibus tuis impios ad fidem adduxiſti. Tu perfunctum debito naturæ Lazarum, qui jam quatriduo jacuerat in ſepulcro, ruptis *a* neceſſitatis vinculis naturæq; lege ac mortis poteſtate devictis, ſola voce ab inferis ſuſcitaſti. Tu videndi facultate privato homini & ſolem à te mundo datum aſpicere non valentem, dextera imponẽs oculis ejus lutum, reſtituiſti viſum. Sic olim mulier ſanguinis fluxum patiens, ſolius fimbriæ tuæ tactu, citius quam ſperarat, conſecuta eſt ſanitatem. Sic tibi complacuit paralytico præcipere ut grabatum tolleret, ſuper quo ferebatur. Nunc igitur complaceat etiam tibi, Deus; in hac noſtra *b* ſocietate, ut tormentis impiorum conſtanter ſuperatis, ad regna celeſtia valeamus pertingere.

Deum collaudantes,

E

ejuſque magnalia

a

b

10 Taliter precantibus Sanctis Agathopo ac Theodulo, quotquot eodem in loco attinebantur aut homicidii aut adulterii crimine, cõfeſtim formidine mortis depoſita ad beatorũ Martyrũ pedes proſtrati, criminum ſuorum veniam ſupplices depoſcebant: turbæ vero, quæ foris erant, carceralia clauſtra perfringẽtes, magna eorum quæ dicebantur admiratione complebantur. Itaq; quod factum fuerat conſpicatus Urbanus quidam, cognomento Eupſephius, tum temporis Quæſtor Theſſalonicenſis, & ſcenæ diabolicæ miniſter impius, curſim contendit ad Præſidem, magna voce clamans atq; denuntians, plurimos fore qui Diis immolare detrectarent, niſi Dei ſervi tollantur de medio. Conturbatus autem vehementer Fauſtinus, maxime propter turbam quæ irruperat in carcerem, adduci cum ſene adoleſcentem juſſit: quos qui vultu tam læto hilarique cernebant prædicare Dei Verbũ, velut ſi non raperentur ad mortem, ſed ad triumphũ jucundamve feſtivitatem emitterentur; mirabantur ſibi mutuo gratulari de ſupplicio imminenti.

Plurium converſione turbatus Præſes,

F

iterum Theodulum interrogat:

11 Cum igitur ante tribunal conſtitiſſent, inquit ad Theodulum Fauſtinus: Quo nomine appellaris? Reſpondit ille: Theodulus vocor. Nonne, inquit Præſes, didiciſti æquum eſſe, ut iis quæ omniũ Dominus Maximianus imperat obtẽperetur? Reſpondit Theodulus & ait: Quæ cæli terræque Dominus imperat, ea plane obſervanda eſſe didici: quæ autem præ-

EX MS. GR. cipit Maximianus, æqua ſi ſint, tenenda cenſeo; ſin iniqua, nequaquam. Ediſſere mihi, inquit Fauſtinus, quis cælum fecerit. Deus, repoſuit Theodulus, omnipotens Deique filius Jeſus Chriſtus, qui eſt Verbum Patris. Illene, inquit Fauſtinus, quem tormentis graviſſimis excarnificatum Judæi crucifixere? Ille ipſe, reſpondit Theodulus, quem crucifixerunt Judæi (id enim propter nos voluit ſuſtinere) & quem iidem paulo poſt à mortuis in vitam revocatum, per virtutem ſpiritus, inſtar columbæ viderunt aſcendentem in cælum, ut morte expugnata incredulorum refractariam mentem redargueret. Cur autem, inquit Fauſtinus, non potius noſtris Diis immolandum cenſes? Quoniam, reſpondit Theodulus, omnino melius eſt eum colere qui fecit ſimulacrorum elegantiam, quam ipſa ſimulacra, ad delectationem dumtaxat & animorum ſubverſionem comparata; ſua quippe factura præſtantior eſt artifex.

& intentatis tormentis terrere

12 Juſſit igitur Fauſtinus veſtimentis exui adoleſcentem: quem cum miniſtri inclementer arriperent, clamante præcone, Sacrifica & dimitteris, Veſtimenta quidem, inquit Theodulus, auferre à corpore potes, mentis autem in Deum fidem ab eo non avertes in æternum. Ita liberius illo loquente & propoſita tormenta contemnente, ac Maximianum identidem tyrannum appellante, mandavit Fauſtinus, ut nonnulli qui victi tormentis ceſſerant, coram ipſo ſacrificarent: At Theodulus; Tormenta inquit, iſthæc parva ſunt atque ridicula: acerbiora adverſum nos excogitanda ſunt tibi, ut cognoſcas quam perfecta ſit noſtra in Deo conjunctio, quoſlibet pro religione cruciatus parata ſuſtinere. Neceſſe eſt, inquit Fauſtinus, ut quas Chriſtiani Scripturas appellant, in medium proferas. Si reſipiſcis, inquit Theodulus, idololatriæ vanitatem agnoſcens, & idcirco requiris verba

ſacroſque libros ab eo impetrare

Apoſtolorum ac Prophetarum, ut animum in vera pietate confirmes, proferam eas ſane perquam libenter: ſin aliud cogitas, noli credere quod Dei munus ſim proditurus. Atqui, reponit Fauſtinus, non parcam corpori tuo, illud mutilans ferisque objiciens, niſi præceptis meis celerrime conſenſeris obedire. Cui Theodulus, Modo quidem tibi licet in corpus meum coram expoſitum, ut lubuerit ſævire: ſed quamvis graviora etiam adverſus me quam dixiſti cruciamenta temere imprudenterque exercueris, iis quæ *c* injuſta ſunt numquam aſſentiar.

fruſtra conatur.

13 Poſtquam in ejuſmodi altercationibus multum temporis poſitum eſſet, neque Theodulus vellet ſcripturas prodere; accedebant aliunde varii, ut adoleſcentis animum aut muneribus allicerent aut minis terrerent: ſed is, tanquam ferro lapidibuſque inſtructus murus, adverſariorum minas repellebat & munera. Tunc Fauſtinus, ſimulato *d* ad terrorem quantū potuit nutu, ſignum dans lictoribus, Theodulum capitali juſſit puniri ſententia. Qui cum veniſſet ad locum, plectendis reis deſtinatum, ut vidit carnificem exerere gladium, continuo porrecta cervice hujuſcemodi verbis Deum invocavit: Gloria tibi, Pater Domini mei, qui necem pro nobis ſubire voluit: ecce *e* enim etiam ipſe tecum ero, illius gratia, qui conculcavit mortem propter fiduciam in te locatam.

ANNOTATA.

a *Græce*, τὸ δέσμα τῆς γενιάδος ἀπορῥίξας: *ſed quid hic ſignificet*, vox γενιὰς, *nuſquam alibi nobis lecta, non ſatis aſſequimur divinando.*

b Τῇ καθ' ἡμὰς ξυνωρίδι.

c *Deeſt in Mſ.* ἀδίκων: *ſed vocem addendam eſſe aut aliam ſimilem, ad explendum ſenſum, alias hiantem, ex Zini interpretatione collegimus.*

d *Græce*, Ἀφανεῖ νεύματι, ὅσον ἐπὶ φόβῳ τοῦτο ποιεῖν.

e *Prorſus alius apud Lipomannum ſenſus his verbis exprimitur*: Ecce ego quoque moriar, quia te libere confeſſus ſum.

CAPUT III.

S. Agathopi ſecunda confeſſio & Martyris utriuſque ſupplicium.

Interrogatus Agathopus

18 Aſt Fauſtinus, intelligens, quod Theodulus cervicem gladio, tamquam coronandus, ultro inclinaſſet; reduci eum ad ſe juſſit: atque interim Agathopum interrogabat, dicens: Tu quomodo vocaris? Reſpondit ille, Agathopus. Quæ tibi conditio? infert Præſes. Eadem, inquit ille, quæ Theodulo. Quæ nam, inquit Fauſtinus, tua cum illo neceſſitudo? aut quod genus vel natura ita in unum vos conjunxit? Reſpondit Agathopus: Genus quidem nobis diverſum eſt, ſed mores iidem: quantum autem diſtamus genere, tantum animo jungimur. Ergo, Præſes inquit, ad idem ambo ſupplicium, quantum verba tua indicant, properatis. Si eodem modo, inquit Agathopus, ab hac vita diſceſſerimus, eamdem etiam à Deo remunerationem capiemus. Nonne, reponit Fauſtinus, turpe eſt te perinde atque adoleſcentem decipi & in apertum diſcrimen ruere? Nequaquam decipior, inquit Agathopus, meam in Chriſto expectationem fruſtra ponens: quanto autem provectioris ſum ætatis, tanto amplius & meipſum Deo probare per animi alacritatem contendo, & Theodulum laudo in primo ætatis flore ita fortiter agentem.

ſimili libertate reſpondet,

15 Fauſtinus porro Cave, inquit, Theodule, ne tu adoleſcens ejuſmodi verbis decipiaris, ut temere in gladium ruas: iſte enim, cum jam canus ſit, nihil novi facit dum feſtinat ad finem: te vero neque vitæ tædium neque aliud quidquam poteſt in hoc propoſito confirmare. Ad hæc promptiſſime Theodulus: Haud adeo me imbecillem exiſtimo, ut in perferendis pro religione cruciatibus ipſe ſenex videatur me juvene generoſior. Ita loquentes Chriſtumque invocantes corripuerunt miniſtri, & vinctos rurſum abduxere in carcerem: ipſi autem collaudabant Deum, cujus auxilio videbantur diabolum ſuperaſſe. Porro familiares quidam, *a* lacrymis ora rigantes, circumſteterunt utrumque: ad quos Theodulus, Quid ſibi, inquit, vult iſte concurſus lacrymæque? Veſtram, inquiunt, illi, miſeramur calamitatem. Ipſe vero, vultu admodum tranquillo ſubridens, Nihil, inquit. eſt cur præteritis veſtris calamitatibus, noſtrūm ad meliora tendentium commiſeratione tangamini. Hæc dicente Theodulo acceſſit miles, & utrumque ferro vinxit, atque interius duxit quo turbam irruentem excluderet. At illi, cum nox adveniſſet, Deum collaudantes obſecrabant, ut ſe conſtantes in religione ſervaret; itaque quieverunt.

Reducti in carcere arguunt lacrymas amicorum,

& de ſuo felici exitu per viſum admonuit,

16 Tum vero Sanctorum ſuorum inſpector Chriſtus Jeſus, unanimis hiſce concordibuſque Beatis unam eamdemque oſtendit viſionem, de eo quod ſecundum ipſorum preces futurum erat. Videbatur ſibi uterque eodem tempore conſcendiſſe navem, quæ medio in mari ventorum turbine ac tempeſtate jactata; eorumque aſſidua violentia pulſata, utrimque diſrumpebatur, remorum ordinibus ceteriſque ad uſum ac ſalutem neceſſariis armamentis confractis: & alios quidem hauriri fluctibus, alios vero in ſcopulos allidi; ipſos autem periculo per induſtriam gubernatoris ereptos ſplendidaq; indutos veſte,

A veſte, amœnum montem conſcendere, atque ad cælos evehi. Hæc eodem tempore contemplati, derepente ſoluti ſomno ſunt, & alter alteri, velut ignaro, ſuam geſtiebat narrare viſionem. Ut vero cognoverunt unam eamdemque Chriſti gratiam utrique fuiſſe manifeſtatam, optima de futuro præmio ſpe erecti, laudes Chriſto pro oblata ſibi viſione decantavere, prono in terram corpore dicentes: Quis umquam tantum expectaverit beneficium, quantum nobis contulisti, Deus, propter filii tui Chriſti Jeſu humanitatem? Quis adeo natura inhumanus eſt, ut non anteponat pietatem voluptatibus cunctis, tanta commotus munificentia? Quis ad bene faciendum adeo promptus, ſicut filius tuus, qui nos ante donum de ſua gratia certiores faciens per viſionem & coronam oſtendens ante certamen, in ſtadio pietatis fortiores conſtantioreſque effecit?

Deo gratias agunt.

Rejectis amicorum lacrymis,

17 Ita precantibus illis ingreſſi ſunt cuſtodes carceris, nuntiantes, Theodulum & Agathopum à Præſide requiri. At illi, Chriſti ſigno frontibus ſuis impreſſo, vincti miniſtros ſecuti ſunt. Tum luctus magnus lacrymæque obortæ ſunt gentilibus eorum amicis, generoſam pulchræ ſocietatis mortem animo volutantibus. Ad quos Theodulus læta facie,

B Si pro amicitia, inquit, collacrymamini, potius gratulari deberetis; quod in cauſa tam honeſta probemur: ſi vero ex invidia, magis ſuper aliorum felicitatem plorate. Commune quippe ſtadium pietatis proponitur univerſis, ad quod omnes eadem appellat fidei prædicatio: ſed pauci ex eo reportant coronam, ij ſcilicet qui nec divitiarum nec voluptatum amore tenentur. Dum adhuc loquerentur, Fauſtinus Præſes, pro tribunali ſedens, eos tertium interrogavit. Cumque aliud non reſponderent, quam, Chriſtiani ſumus, & pro Chriſti nomine omnia perpeti volumus; ipſe triſti vultu ſententiam tulit, ut Theodulus & Agathopus, immolare recuſantes, mari mergerentur.

tertio Chriſtū confeſſi.

18 Miniſtri igitur beatorum manus revincientes poſt terga, cervicibus dorſiſque eorum appenſa lignorum *b* commiſſura aptavere lapides, quorum pondere deprimerentur in profundum. Interim concurrebant undique navigia plena amicorum, qui partim lacrymabantur pro neceſſitudine naturali, partim prædicabant laudibus generoſos adverſus draconem athletas, ob mortem religionis cauſa forti-

b abducuntur in mare mergendi,

ter tolerandam. Cum vero ad deſtinatum ſupplicio locum appropinquaret ſcapha, rurſus paganorum aliqui adhavigantes ea ſuggeſſere Fauſtino, quibus obduratum illius animum flecti poſſe credebant. Nec fruſtra, precibus enim eorum adductus virum illuſtrem Fulvium ad eos miſit, qui peteret, ut vel ſola thuris oblatione Deum abnegare conſentirent. Aſt illi, velut quos Dei gratia confirmarat, tantum invocabant Jeſum Chriſtum. EX MS. GR. D

19 Tandem, poſt longum tempus inter iſta exactum, accinxere ſe miniſtri, ut priorem in mare dejicerent Agathopum. Qui ſublato in cælum vultu vocem ſolito clariorem emittens, dixit: Ecce & ſecundo hoc baptiſmo omnem iniquitatis ſuſpicionem abolere ſatagimus, & ad Chriſtum Jeſum puris mentibus contendere feſtinamus. His ita dictis, milites ipſum, una cum Theodulo, victoriæ corona pro religionis defenſione redimito, projecere in fluctus. Quos cum excepiſſet mare, confractis mox lapidum ligaturis, ipſorum corpora multo pulchriora amicis reddidit. Paulo poſt apparens Theodulus in ſtola & habitu ſpecioſo, facultates ſuas omnes viduis orphaniſque, pro eorumdem conſolatione, juſſit ex æquo diſtribui; adeo ut videatur non ſolum voluiſſe calamitoſos ſublevare poſt ſuum à nobis diſceſſum, ſed etiam propinquos excitare ad idem ſtudium pietatis.

in quod projectorum corpora

terra reddantur,

E

20 Horum igitur Sanctorum memoriam merito celebramus, ſingulis annis convenientes: æquum enim & juſtum eſt, ut noſtras illis preces offeramus poſt mortem, qui tam fortiter egere pro veritate, eorumque fidem ſtudeamus pro viribus imitari. Conſummati ſunt autem per Chriſti gratiam Theodulus & Agathopus [pridie Nonas c Aprilis] ad gloriam Patris & Spiritus ſancti in ſecula ſeculorum. Amen.

& annuo feſto honorantur.

c

ANNOTATA.

a *Græce* τῶν γνωρίμων τινές. *Zinus* nobiles *vertit: minus proprie quidem, ſed tamen etiam Plutarchus in Græcho* γνωριμωτάτους *dixit* Primores civitatis.

b Τὴν τῶν καλῶν συνοχὴν ἀπαρλήσαντες: *quod in MS. Veneto forte deſuit.*

c *Hæc deſunt in MS. Vaticano; ex Veneto (quemadmodum etiam ſenſus exigit) ſupplenda.*

DE SANCTIS MARTYRIBVS

PAVLO, MATVTINO, ORBANO, SATVRNINO, QVINTILIANO, PVBLIO, INGENVO, VICTORE, SVCCESSO, IVLIANO, PALATINO, IVLIO ET DVOBVS ALIIS. G. H.

V APRIL. *Relatis duobus Martyribus, Theſſalonicæ paſſis, ſul jungitur hæc claſsis; ſed nulli aſsignata loco, & his verbis in Epternacenſi apographo Martyrologii S. Hieronymi:* Et alibi Pauli, Matutini, Orbani, Saturnini, Quintiliani, Pupli, Victoris, Succeſſiæ, Julianæ, Palatini, & aliorum duorum. *In codicibus Blumiano & Lucenſi melius* Succeſſi & Juliani: *reliqua conveniunt. In editione Pariſienſi, poſt* Publii *additur* Ingenui, *& in fine* Julij, *cetera cum Lucenſi MS. conveniunt, ſi expungatur nomen* Mediolano, *male intruſum poſt* Matutinum, *& loco* Orbani, *legatur* Urbani. *In MS. Labbeano iſta habentur:* Pauli, Victoris, Juliani, Succeſſi, Maturini, Urbani, Juliani. *Quatuor primi eodem modo recenſentur in MS. Auguſtano S. Vdalrici, ac dein* Martini *loco* Maturini *habebatur. In MS. Richenovienſi iſta invenias:* Et alibi Pauli, Orbani, Saturnini, Publii, Matutini, Victoris. *Ex his duo priores referuntur in MS. Rhinovienſi. In Adone MS. Leodienſi S. Laurentii & in MS. Florario, adjunguntur Theſſalonicenſibus ſupra relatis* Matutinus, Urbanus, Claudianus: *pro quo videtur* Julianus *debere apponi. A Greveno iiſdem Theſſalonicenſibus Martyribus apponuntur* Paulus, Matutinus & Orbanus. Item B. Succeſſus *ſeorſim collocatur. Tres priores notantur in MS. Barberiniano, uti in Supplemento genuini Bedæ edidimus. In antiquo Kalendario, præfixo operibus S. Iſidori in Vallicellano codice Patrum Congregationis Oratorii, nomen* S. Paulini *ponebatur, qui aliis* Paulus *eſt, horum Martyrum anteſignanus In MS. Aquiſgranenſi memoria recolitur* Pauli & Succeſſi. *Galeſinius iſta habet:* In Ægypto beatorum Martyrum Pauli, Victoris, Nicanoris, Apolloniі & Martinianæ

A Virginis. *Ex illis huc ſpectant* Paulus & Victor, *reliqui in* Ægypto *ſequenti die inter Prætermiſſos referuntur, ac* Marcianus *ſeu* Martinianus *ſcribitur.* Palatinum *pro nomine proprio accipimus, quod in Pariſienſi & Lucenſi editione præponantur iſta verba: &* aliorum duorum, *ut videri poſſent* Palatinus & Julius *ad aliam claſſem pertinere, quod ſufficit hic indicari.* D

G. H.

DE S. GEORGIO, SOLITARIO

IN MONTE LACONIÆ MALÆO.

VAUT. VI SECULO. *Plurimi ſunt Sancti, quibus obtigit nomen Georgii, ſeptem ſunt à nobis in tribus primis menſibus celebrati, & varii occurrunt hoc quarto menſe Aprili celebrandi: ſed duo præ aliis occupant in Menæis Græcorum totius diei officium Eccleſiaſticum, Præcipuus eſt Magnus Georgius Martyr qui etiam in Breviario Romano colitur officio Eccleſiaſtico* XXIII *Aprilis; alter eſt* S. *Georgius ſolitarius, cui dicatus eſt hic dies* IV, *refertur autem à nonnullis etiam die ſequenti, aut* XII *Maij. Palæſtra virtutis ejus fuit Laconia, ultima Peloponneſi provincia; & quidem ora ejus Auſtralis, quæ verſus Cytheram & Cretam inſulas extenditur, ubi à Ptolomæo lib.* 3 *Geographiæ, collocatur* Μαλέα ἄκρα ἐν τῷ Λακονικῷ κόλπῳ, *ubi, inquit Plinius lib.* 4 *Hiſtoriæ mundi,* omnia Maleo promontorio includuntur. *De quo eſt etiam hic verſus Ovidii,*

Georgii nomen.

Palæſtra virtutis in monte Maleo.

B Nec timeam veſtros curva Malea ſinus.

Memoria 4 & 5 *Aprilis &* 12 *Maij.* *Græci in Menæis hunc titulum diei quarto Aprilis præfigunt:* Τῇ ὁσίᾳ Πατρὸς ἡμῶν Γεωργίᾳ, τῇ ἐν τῷ Μαλαίῳ. *Quæ Latine leguntur in Menologio Cardinalis Sirleti etiam primo loco:* Sancti Patris noſtri Georgii in regione Malæo diverſantis. *In Synaxario MS. Pariſienſi collegii Claromontani Societatis Ieſu, ad* V *Aprilis &* XII *Maij, in fine elogii ita additur,* ἐν τῷ Μαλαίῳ ὄρει in Malæo monte. *Obſervat Bredenbachius ſinum hunc ſeu promontorium à nautis Chriſtianis appellari* Alas Divi Michaelis. *Et in ipſa regione etiamnum oppidum à* S. Angelo *vocatur, prope quod aliqui montes collocantur, ubi* S. Georgium *vitam ſolitariam egiſſe arbitramur. In Typico S. Sabæ à poſteris aucto, celebratur etiam* S. Georgius in Malæo: *quod ex eo tranſtulerunt Genebrardus in Calendarium Græcorum à ſe editum, & Molanus in additiones ad Vſuardum. Eumdem ad ſequentem diem referunt MSS. Menæa Græca bibliothecæ Ambroſianæ apud Mediolanenſes, ſignata litteris n & o. In Martyrologio Arabico Ægyptiaco, quod Romæ in collegio Maronitarum adſervatur,* memoria S. Georgii *hoc & ſequenti die celebratur. Synaxarium MS. Chiſletianum & hoc* IV *die &* XII *Maij eumdem habet, addito eodem diſticho, quod in Menæis excuſis extat, cum aliqua ad nomen Georgii, id eſt Agricolæ, alluſione.*

C Ψυχὴν ὁ Γεώργιος ἀσμένως δίδως
Ψυχῶν γεωργῷ καὶ Φυτεργῷ σαρκίων.
Animam libenter dat Georgius Deo,
Qui noſtri in anima & carne culturam gerit.

Vitæ compendium ex Menæis collectum. 3 *Hactenus relata confirmant ejus ſacrum cultum & venerationem: ſed dolemus nullam vitæ ejus & virtutum ac miraculorum hiſtoriam amplius extare, vices ejus ſupplebunt Odæ, quas Græci ad illius honorem hoc die recitare ſolent. Non tamen eas conſequenter proferimus, ſed mutato ordine, & quæ fere in ſecunda perſona ad ipſum referuntur, nos de eo in tertia perſona ſecundum ſeriem, nulla re addita, narramus. Sunt autem ejuſmodi.*

Baptiſma, 4 S. Georgius per baptiſma filius Dei effectus, per vitæ ſuæ puritatem theſaurum hæreditatis paternæ conſervat, effulgens gratia filiorum Dei, quam ſancte & juſte perficit, & munere ſuo fungens, optima ſapientia gubernatur. Nomen aſſumit Georgi, id eſt Agricolæ, prudenter exculturus ſulcum mentis ſuæ; cujus vita inclita, ſale divini Spiritus condita, commonſtrat divinæ agriculturæ divinam plantationem. Triplici luce in Deitatis majeſtate illuminatus, mundum reliquit, cum omni quæ in eo eſt perturbationum procella; & rerum caducarum tumultum declinans, ducem viarum ſuarum obtinuit divinam providentiam, quæ rectum tramitem ad cælum oſtendit: & ſic per ſemitam ſalutis, in ſecula non deficientia permanſuræ, incedens, non declinavit in ullam partem; & vitam ingenuo dignam homine peregit; & tranquillitatem animæ ſuæ, quæ Deo placita eſt, acquiſivit; in tabernaculis æternis manſionem habiturus, agnoſcens miſericordem Deum & omnium bonorum remuneratorem. E

à ſeculari vita ſeceſſus.

5 Miniſter & Diaconus Chriſti, & myſterio- *ſtatus vitæ:*
rum ejus diſpenſator, ac director ſincerus effectus, medelam appoſuit paſſionibus corporis & animæ. Altiſſimo porro gradu animi ſedati excellens, ſplendenti caſtæ temperantiæ veſte amictus, *paſſiones domitæ:*
paſſionum tumultus reddidit conſopitos; & inſtabiles mentis phantaſias expulit, divinæ meditationi jugiter inſiſtens. Hinc nullæ iniquitatum procellæ potuerunt animam ejus commovere, aut deliciarum incurſus attrahere. Gratia divini Spiritus in eo, ut puriſſimo & mitiſſimo tabernaculo, *exercitationes virtutis*
habitavit, & animam omnibus virtutum generibus, & diverſis gratiarum donis illuſtravit. Hinc fide, ſpe & caritate munitus, decore effulſit, & humilitate ſua benigna ad altiſſimam virtutem prudenter evectus, in cæleſti area ſuam agriculturam depoſuit; totus animæ ſuæ intentus fervore integro, divinos elaboravit fructus ſpiritus, tranquillitatem, continentiam, caritatem, ſpem, longanimitatem, patientiam & continuam abſtinentiam, quam corporis macilentia demonſtravit. Præter F
hæc omne ſuum deſiderium in Deum transferens, divina effulſit pulchritudine, quam omnis deberet expetere creatura: & practica contemplatione & vita immaculata ſeipſum ſplendide exornans, purum cor acquiſivit, quo Deum aliis inviſibilem meruit videre.

6 Fide confortatus, & Chriſti virtute muni- *triumphus de diabolo per Crucem Chriſti.*
tus, laqueos diabolicos effugit: & Domino univerſorum in exultatione ſerviens, dæmonum inſidias & eluſiones omnes evitavit. Armis Crucis Chriſti ſemper invictis circumcinctus, flammeam frameam ſeu rhomphæam pertranſivit, & ſacram Crucem odientium cohortibus ſe oppoſuit, virtute Chriſti roboratus: imo & nequiſſimos ſpiritus expulit, potens Spiritus ſancti virtute. Sancta futurorum bonorum ſpe allectus, cum gaudio labores facilius ſuſtinuit, animumque ad ulteriora alacrem extendit, quæ retro ſunt prudenter oblitus: ideoque beatum finem aſſecutus eſt. Et quia virtutum operationibus emicuit, divina beatitudine ſemper eſt fruiturus: qui in terra ſanctum vitæ inſtitutum ipſe aliis factus eſt, plenus ſanctitatis, fidei & caritatis ſplendore, thronus habitus ſenſuum interiorum & ſapientiæ Dei.

7 Bea-

A *beatitudo cæleſtis,*

7 Beatus es, Georgi, & bene tibi erit, qui cum Angelis Dominum laudaturus, accepiſti laborum & certaminum mercedem. Varietate virtutum pulcherrima, & moribus præ omni luce ſplendidis decoratus, ad Deum evolaſti. Ad vitam numquam diſſolvendam & ad delicias numquam perituras tranſiviſti: ad æternam gloriam & ad lumen numquam occubiturum extuliſti divinam tuam agriculturam. Obtine beatitudinem & immortalem vitam, qui divinos aſcenſus aliis invios expediviſti. Multum exercitationis tuæ fructum in Chriſti aream intuliſti, qui botrum maturum in torcular injeciſti, & vinum compunctionis effundis in omnes, qui te honorant. Opportuniſſimum pignus Chriſto obtuliſti, qui omnibus corporis paſſionibus edomitis, Angelicam in terra vitam duxiſti: hinc ſacrũ tuæ dormitionis diem celebramus, & circumdamur loculis Reliquiarum tuarum, ex quibus effundis ſanitates omnibus te honorare volentibus. Pro nobis ergo fidelibus qui tuam memoriam celebramus, Chriſtum exora indeſinenter, ut non ceſſet nos à tentationum fluctibus & procellis & à periculis omnibus & perverſis paſſionibus liberare; ac mundo dignetur pacem donare. *Hæc eſt præcipua ſubſtantia Canonis hoc die propoſiti, qui abſque auctoris nomine habetur ſub tali Acroſtiche:* AUCTORE G. H.

honor & virtus reliquiarum. *patrocinia.*

Τὰς σὰς πεφθύμως ὦ Πάτερ μέλπω πόνους.
Tuos labores pô Pater, libens cano.

DE SANCTO ISIDORO

EPISCOPO HISPALENSI.

G. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§. 1. Cultus ſacer. Vita hic danda. An auctor Lucas Tudenſis.

ANNO DCXXXVI.

B *S. Iſidori patria Carthagena,*

Sedes Epiſcopalis Hiſpalis,

Corpus Legione.

Cultus ſacer apud Hiſpanos,

C *in aliquo Breviario Romano,*

& antiquis Martyrologiis,

Vita hactenus inedita

nobis tranſmiſſa à Nicolao Antonio.

Res illuſtres Hiſpaniarum urbes magnifica & glorioſa Sanctiſſimi Doctoris Iſidori oſtentatione lætantur. Prima eſt Cartagena, *olim* Carthago nova, *in regno Murciæ ad ſinum maris Mediterranei Virgitanum, portu tuto & capaciſſimo ac Sede Epiſcopali exornata: quæ S. Iſidoro, ejuſque fratribus SS. Leandro & Fulgentio Epiſcopis, ac Sorori S. Florentinæ, patria fuit. Altera eſt* Hiſpalis, *urbs Hiſpaniæ Baticæ ampliſſima ac celeberrimum emporium: in qua poſt fratrem Leandrum creatus Sedis illius Metropolitanæ Epiſcopus, ibidem ad mortem uſque in ſanctiſſima illius directione vixit, & hoc* IV *Aprilis ad cæleſte gaudium migravit. Tertia eſt* Legio, *quæ antiquo regno Legionenſi, verſus Oceanum Cantabricum ſito, nomen dedit; antiquorum ibidem Regum una & Epiſcoporum Sedes: ad quam ſacrum S. Iſidori corpus ex urbe Hiſpalenſi, ſub Ferdinando primo Rege Legionis & Caſtellæ, fuit tranſlatum. Duæ poſteriores urbes, Hiſpalenſis & Legionenſis earumque diœceſes, ſolenni veneratione ut ſuum Patronum colunt S. Iſidorum; cujus feſtum reliquæ Hiſpaniarum Eccleſiæ ſub ritu duplici, ut Eccleſiæ Doctoris, celebrant: ejuſque officium, uti olim recitari ſolebat, reperitur paſſim in antiquis omnibus Hiſpanicis Breviariis & Miſſalibus, ex quibus cum novemdecim enumeraſſet Tamajus Salazar in Martyrologio Hiſpunico, addit & alia plura idem continere. Eſt itidem Breviarium Romanum, Pauli* III *Pontificis auctoritate, à Franciſco Quignonio titulo S. Crucis in Ieruſalem Cardinale confectum anno* MDXXXV, *& ſæpius deinde recuſum: in quo hujus S. Iſidori Officium præſcribitur, cum lectione de ejus vita & obitu recitanda. Memoria inſcripta eſt, ad hunc eumdem* IV *diem Aprilis, in Martyrologio Vſuardi his verbis:* Apud Hiſpalim, depoſitio S. Iſidori Antiſtitis; *additurque in nonnullis MSS.* atque Doctoris; *in aliis MSS.* fide & doctrina præcipui; *item in aliis MSS.* vita & doctrina illuſtris viri. *Sequuntur paſſim recentiores, & cum iis Tabulæ Martyrologii Romani, hac phraſi:* Hiſpali in Hiſpania S. Iſidori Epiſcopi, ſanctitate & doctrina conſpicui, qui zelo Catholicæ fidei & obſervantia eccleſiaſticæ diſciplinæ Hiſpanias illuſtravit.

2 *Vitam ejus & hiſtoriam Tranſlationis, olim conſcriptam & hactenus ineditam, damus ex codice MS. ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ numero 29 ſignato extractam, quam inde anno* MDLXV! *curioſiſſime deſcripſerunt Ioannes Lopez de Leon, & Franciſcus de Mendoza: quod apographum eſt penes Ampliſſimum Dominum Nicolaum Antonium Equitem Ordinis S. Iacobi, & Catholicæ Majeſtatis in Curia Romana à negotiis: quem & nos Romæ novimus, ejus ſingularem humanitatem & omnimodam doctrinam experti. Is litteris,* E *cum hæc ad nos epiſtolâ.*

XVI *Aprilis anni* MDCLXXI, *Romæ datis, iſta ad nos ſcribit:* Poſt longam moram libero fidem meam, mittendo ad Vos, Sanctorum illuſtres Vindices, Archiepiſcopi Eccleſiæ meæ Hiſpalenſis inclyti S. Iſidori Vitam; atque item libellum ab hac diverſum, forteque alterius auctoris, de Tranſlatione ejus venerabilis Corporis, ab Hiſpali mea ad Legionenſem urbem, cum leviuſculis ſcholiis ſeu annotationibus, quæ potius ad exemplaris quædam σφάλματα quoquo modo ſananda, quam ad operis quidquam accurrate circa hos libros elaborandi propoſitum diriguntur. Luculentiores notas dare poſſem, ſi copia mihi fuiſſet temporis. Sed nos ab omnibus ſtudiis melioribus tranſverſos in Urbe agit, cura Regiorum negotiorum, viribus meis major ac dies totos præcipuo jure ſibi expoſcens: adeo ut ad urgendam editionem Bibliothecæ ſcriptorum Hiſpaniæ, quæ jam prope metam anhelat, juſtum ſpatium vix inveniens, ægre potuerim hoc breve noſtræ erga Vos obſervantiæ officium expedire. Vos locupletabitis, ac dignam tanto Doctore operam navabitis. *Hæc paulo antequam Bibliotheca præcitata, quam nunc manibus terimus & judiciis approbamus veniret in lucem; hæc, inquam, in ſua epiſtola dictus Nicolaus Antonius: in qua quæ ſananda indicat* σφάλματα, *ſunt aut ex proprio Hiſpaniſmo, aut ex contractione vocum à librariis non intellecta, aut à verbulo ſubinde omiſſo: quæ nos more ſolito correximus obſequentes voluntati eruditiſſimi viri. Notas, quas margini adſcripſerat, & luculentiores eſſe optabat, ſub ipſius nomine colligimus & interponimus Vitæ, more noſtro in capita & numeros diſtincta, & marginali ſynopſi illuſtrata, quam alia ſubnotanda ſequuntur.*

F

3 *Circa hujus Vitæ & Tranſlationis auctores monet memoratus Nicolaus Antonius:* Vita hæc aut illius compendium (de quo nil certum aut compertum habeo) vulgari ſermone excuſum olim fuiſſe dicitur. Laudat ſiquidem Antonius Morales, lib. 12 Hiſtoriæ Hiſpaniæ cap. 21, S. Iſidori Vitam Hiſpano ſermone Salmanticæ editam, itemque ab hac diverſam de Tranſlatione ſancti ejus Corporis, & miraculis tunc à Deo in honorem ejus geſtis, hiſtoriam: cujus quidem, utpote à Luca Tudenſi ſcriptæ, magnam eſſe ait auctoritatem. Attamen in Vita plura ei diſplicent, quorum auctorem eſſe negat Lucam prælaudatum. Nec nos certi quid habemus de auctore: nam in codice Toletano iſto, unde Vitam exſcripſimus, nullus ejuſdem Vitæ laudatur ſcriptor: & Lucæ Diaconi nomen (qui Lucas Tudenſis eſt) ad Chro-

& relatione aliorum de auctore Vitæ & Tranſlationis.

AUCTORE G. H.

Chronicon illius, quod Vitæ ſubjicitur, referendum eſt. Nihilominus tamen Lucæ Tudenſis eſſe tam Vitam quam Tranſlationis hiſtoriam credidit Alphonſus Morgadus lib. 1 Hiſtoriæ Urbis Hiſpalenſis cap. 5 & lib. 4 cap. 4, qui lib. 5 cap. 14 iterum appellat, Divinum librum. At Franciſcus de Padilla, in Hiſtoria Eccleſiaſtica centuria 7 cap. 22, Lucam Tudenſem agnovit tantum auctorem ejus libri qui Tranſlationem & miracula tunc temporis patrata deſcribit; uti & Ægidius Gonzales d'Avila, in Theatro Hiſpalenſis Eccleſiæ, ubi de S. Iſidoro ejus Archiepiſcopo agit. Hiſpani libri auctor, cujus Morales meminit, aut anonymus eſt, aut quod magis credo Joannes de Robles (librum enim nuſquam vidimus) Canonicus Collegiatæ Eccleſiæ S. Iſidori urbis Legionenſis, quem ſcimus de Tranſlatione & miraculis ejuſdem ſancti Doctoris opuſculum edidiſſe; quod & feciſſe Lucam Tudenſem Epiſcopum, idem Ægidius d'Avila eodem loco refert. Librum hunc ſic inſcriptum: Hiſtoria de los milagros de S. Iſidro Arçobiſſo de Sevilla, prodiiſſe anno 1525, alicubi legimus. Certe in hoc noſtro opuſculo, quod Vitam S. Iſidori nuncupamus, omnia illa habentur, quæ minus probabilia eſſe exiſtimavit Morales, ceteriſque veroſimilibus fidem derogare, ut locis ſuis monebimus. At ſi quæratur à me, quid ſentiam de Vitæ hujus ſcriptore, an Lucas Tudenſis, an alius; multis ad denegandam Lucæ hanc prolem inducimur. Stylus non omnino ſimilis eſt in Vita iſta & in Lucæ Chronico aliiſque ſcriptis. Decurrit Lucas hiſtorice magis & expedite; cum apud Vitæ auctorem impeditior ex affectatione procedat oratio. Præterea non idem utriuſque judicium aut ſententia de rebus eſt. Lucas Hiſpaniæ nomen ex ridiculo quodam etymo derivat in Chronici præfatione, Vitæ ſcriptor ab Hiſpali urbe mavult deductū. Credit Lucas matrem Iſidori in eadem Præfatione Theodoram, Vitæ auctor appellat Turturam. De morte Leovigildi Regis durius loquitur hic auctor quam Tudenſis. Accedunt alia, à curioſe legentibus utrumque ſcriptum facile obſervanda. Verum quidem eſt in utroque opere, ſcilicet Vita & Chronico ſimiliter haberi quædam: ſed ea ex altero in alterum tranſcribi potuerunt, licet ejuſdem auctoris non ſit uterq; liber. *Hactenus eruditiſſime, ſuo ſcilicet more, Nicolaus Antonius: qui tunc quantum Regia permittebant negotia, totus intentus præmemoratæ ſcriptorū Hiſpanicorum Bibliothecæ exornandæ ſatis meretur ut ejus judicio, tamquam viri in talibus expertiſſimi, velimus acquieſcere. Si tamen aliqui contenderēt Vitam hanc & Hiſtoriam Tranſlationis ſcriptam fuiſſe à Luca cum junior ætate eſſet, & Canonicus Regularis atque adhuc Diaconus in cœnobio Legionenſi S. Iſidori; Chronicon vero mundi aliaque compoſita eſſe ab eodem jam ſeniore & Epiſcopo Tudenſi atque maturiori judicio limata, non abhorreremus ab illorum conjectura. Certe (ut in Notis ſuo loco dicemus) à nonnullis minus probata, cenſet Mariana vir acris ingenii, ut à Luca Tudenſi ſcripta, eſſe in ſuo vigore retinenda. Ordinatus eſt autem Lucas in Epiſcopum Tudenſem Æra* MCCLXXVII, *ſive anno Chriſti* MCCXXXIX, *poſt obitum S. Iſidori anno* DCIII, *mortuus Æra* MCCLXXXVIII, *ſive anno Chriſti* MCCL; *uti ea late deducit Prudentius Sandoval, & ipſe Epiſcopus Tudenſis, in Antiquitatibus Eccleſiæ ſuæ fol.* 148 *& ſequentibus. Aliqua, quæ in Vita diſplicent, ſunt quæ de Mahometi adventu in Hiſpaniam in ea & in Chronico Tudenſis referuntur; quæque, ut ibidem monemus, expungenda cenſuimus. In aliis laudati Nicolai Antonii aut noſtræ notationes ſubjunguntur.*

proprioque ſuo judicio

de Luca Canonico Regulari,

poſtea Epiſcopo Tudenſi.

§. 11. Mortis tempus & Locus, Hiſpalis non Bononia. Monachatus an Benedictinus aut Carmeliticus?

4 *De S. Iſidoro agunt paſſim ſcriptores rerum Hiſpanicarum, quarum plurimas recenſet Tamajus Salazar. Varios ex iis diſcuſſimus, potiſſimum Alphonſum Morgadum, Paulum Eſpinoſam, & Rodericum Carum, in ſuis libris de Hiſtoria & Antiquitatibus Hiſpalenſibus, uti Athanaſium Loberam, de Legionenſi hiſtoria; & Ægidium d'Avila in Theatro Hiſpalenſis & Legionenſis Eccleſiæ. Quæ Redemptus, Clericus ſive Archidiaconus S. Iſidori, ſcripſit de illius obitu, inſeruntur infra cap. 9. & dein cap.* 11 *referuntur quæ à S. Braulio ſeu Braulione de ejuſdem Vita & ſcriptis ſunt indicata. At cap.* 11 *inſeritur epitaphium, S. Ildephonſo attributum: quod etiam extat apud memoratum Eſpinoſam, ubi tempus obitus ita ſubjungitur:* Obit ſanctæ memoriæ Iſidorus Epiſcopus, die ſecunda Nonas Aprilis, Æra DCLXXIV. *Is eſt annus Chriſti* DCXXXVI, *in quem annum paſſim alii & potiſſimum Redemptus conſentiunt. Succeſſit autem S. Iſidorus S. Leandro fratri ſuo, ſub finem ſeculi ſexti, uti ad hujus Vitam die* XIII *Martij probatum eſt, adeo ut Hiſpalenſi Eccleſiæ ſolum* XXXVII *aut circiter annis præfuerit; quos* annos fere XL *pleno numero dixit S. Ildephonſus.*

Alii de eo ſcriptores.

mortuus eſt an. 636.

5 *De Regula propria à S. Iſidoro monachis præſcripta, infra agitur:* ejus decreta non eſſe conformia Regulæ S. Benedicti, nec Benedictinos ſtringere *docet Benedictus Haſtenus lib.* 10 *Diſquiſitionis monaſticæ tract. 6 diſq. 3. Vtrum autem S. Benedicti Regulam in aliquo Ordinis Benedictini monaſterio profeſſus aliquando fuerit S. Iſidorus diſputent alii; nos quia nihil ejuſmodi apud antiquos legimus, tacere de tali quæſtione malumus. Antonius Tepez Benedictinus Hiſpanus, in Chronico Generali Ordinis S. Benedicti, ad an. 599 cap. 1, iſta de SS. Fulgentii & Iſidori monachatu tradit:* Sunt qui S. Fulgentium Ordinis S. Benedicti monachum faciant, quibus tum fidem habebimus, cum antiquum gravemque auctorem nobis attulerint... Etiam S. Iſidorum è ſyllabo Ordinis expungo, cum vita quam egit, & Regula quam monachis Hiſpalenſis Epiſcopus ſcripſit, aliam mihi ſententiam injiciant. *Interim Conſtantinus Cajetanus & Arnoldus Wion lib. 2 Ligni Vitæ pag.* 144, *eum Ordini Benedictino, adſcribunt: ſed hic ſub dubio, his verbis:* S. Iſidorus... ut aiunt, noſtri ordinis Benedictini monachus... creatus eſt Archiepiſcopus anno Domini DCIII præfuitque, ut auctor eſt S. Ildephonſus de Viris illuſtribus, annis fere XL. Obiit anno DCXLII vel circiter, pridie Nonas Aprilis; cujus corpus requieſcit Bononiæ in eccleſia RR. Patrum Cæleſtinorum. *Hæc ibi. Annos Sedis ſupra aliter deduximus: & corpus ejus Hiſpali Legionem tranſlatum fuiſſe, ibique hactenus ſumma cum veneratione adſervari, certiſſimum eſt.*

num Regulam S. Benedicti profeſſus?

S. Iſidorus mortuus Bononiæ.

6 *Bononienſes, neſcio quo errore, S. Iſidorum Hiſpalenſem in ſua urbe mortuum aſſerunt. Antonius Caſalis Cæleſtinus* S. Stephani de Bononia, *late deſcribit ſuam illam baſilicam, ac novam Ieruſalem appellat, atque à pag.* 365 *explicans Vitam S. Iſidori, ex Chronico MS. pag.* 370 *ſic ipſam alloquitur:* Similiter & corpus beatiſſimi Iſidori, Confeſſoris Chriſti & luculentiſſimi Doctoris, in te requieſcit: qui cum rediret à Roma, apud hanc urbem hoſpitatus, ac gravi moleſtia corporis eſt detentus, permittente Deo: ibique vitam finivit & illic ab orthodoxis viris cum gaudio totius plebis ſepultus eſt. *Hæc ibi, quæ verba de alio viro erudito, Iſidoro dicto, poſſunt & debent exponi: poteruntque accuratius diſcuti die* XVI *Septembris, quo feſtum ejus ob tranſlationem corporis celebrari adait idem Abbas Caſalis. Corrigendi autem ſunt Leander Albertus Donatus Pullienus, Cherubinus Ghirardacius, Carolus Sigonius, Celſus Faleonus, Antonius Maſſinus, aliiq;*

plane alius eſt.

aliique qui de S. Iſidoro Hiſpalenſi iſta intellexerunt. Conſtantinus Abbas Cajetanus in ſuo de S. Iſidoro tractatu, arbitratur Bononienſes, nominis forſan Homonomya deceptos, ſuum, Iſidori Epiſcopi ſiculi vice, Hiſpalenſem notaſſe, credidiſſe, vocaſſe. *Certe non multum abludūt* Sevilla, *aliis etiam* Sivilia, *quæ Hiſpalis eſt, &* Sicilia. *Sed de* S. *Iſidoro Siculo omnia æq; obſcura ſunt: nec multū lucis confert Octavius Cajetanus, Conſtantini frater, qui tomo, de Vitis Sanctorum Siculorū pag.* 225 *nonnulla de dicto Iſidoro congerit, potiſſimum ex Conſtantii Felicii Kalendario, ad diem* XV *Ianuarii, uti tunc inter Prætermiſſos diximus, indicantes alios qui Felicium abſq; ulteriori examine ſecuti ſunt.*

an Epiſcopus Siculus?

7 *Quiſquis eſt ille qui Bononiæ requieſcit, omnino eſt ab Hiſpalenſi diverſus. Hunc dum Benedictini ſcriptores Ordini ſuo timidius cunctantiuſque adſcribunt; viſum eſt Carmelitis in eum, velut in hereditatem caducam, injicere manus: poſtquam Ioannes Baptiſta de Lezana ad annum* 578 *num.*4 *putavit ex ipſius S. Iſidori ſcriptis, ſolidum eruiſſe argumentū iſti aſſertioni probandæ. Quærit is, lib.* 2 *de Officiis Eccleſiaſticis cap.*15 *agens de monachis,* Unde ad monachos ſtudium defluxerit paupertatis? vel quis hujus converſationis extiterit auctor, cujus illi habitum imitantur? *& reſpondet:* Quantum pertinet ad auctoritatem veterum Scripturarum, hujus propoſiti Principes Elias &

an S. Iſidorus fuerit Ordinis Carmeliticī?

B

diſcipulus ejus Heliſæus fuerunt ſive alii Prophetæ, qui habitabant in ſolitudine, urbibuſque relictis faciebant ſibi caſulas prope fluenta Jordanis. Hujus deinde propoſiti in Euangelio Joannes auctor extitit, qui eremum ſolus incoluit, locuſta tantum & agreſti melle nutritus. Jam deinde progeniti ſunt converſationis hujus nobiliſſimi Principes Paulus, Antonius, Hilarion, Macarius ceterique fratres. *Hæc ſcribit S. Iſidorus: ſed quomodo ex his verbis concluditur ipſe fuiſſe ordinis Carmelitici? Nos quidem ſequelam non videmus: vident ii, qui ipſa meridiana luce clarius eſſe exiſtimant, quod Ordo ſuus (qui ſub initium ſeculi* XIII *& regimen ſecundi Prioris Brocardi Regulam accepit à B. Alberto Hieroſolymitano Patriarcha, ſicut ad hujus Vitam* VIII *Aprilis declarabitur) non noviter ſub primo Priore Bertholdo conditus fuerit, ſed novā dumtaxat formam acceperit; ipſe Religioſorum omnium Ordinum antiquiſſimus, imo fons ac principium ceterorum, non tantum ab Apoſtolis Apoſtolorumque diſcipulis, ſed ab ipſo Elia deductus, idque per immediatam nec ullo unquam tempore interruptam in Carmelo ſucceſſionem. Quæ nulla ſolidæ veterum monumentorum auctoritati ſubnixa; quamdiu ſic propugnantur, quaſi abſque ſumma Ordinis ſanctiſſimi injuria nequeant ad examen vocari; malumus nos ea audire, & ingenii noſtri accuſare tarditatem; quam ita ſentientibus refragrando, eorum linguas calamoſque adverſum nos excitare. Sit igitur ſecundum iſtos, Carmelita S. Iſidorus; ſicuti ſecundum eoſdem Carmelitæ fuerunt S. Paulus, S. Antonius, S. Baſilius, S. Martinus, S. Hilarius, S. Patricius, & quotquot alii uſpiam ſancti Monachi eccleſiam Dei ſuis virtutibus exornarunt, ante Benedictinæ Regulæ propagationem.*

C

§. III. Teſtimonia excellentis doctrinæ: beneficia Hiſpanis collata.

Ejus doctrina ſacra laudata in Concilio 8 *Toletano*

8 *Præter ſupra relata & infra in Actis indicanda, hic pauca attingimus quæ gloriam poſthumam* S. *Iſidori plurimum adaugent. In his primum locum teneat auctoritas Concilii Toletani* VIII, *habiti Æra* DCXCI *id eſt anno* DCLIII *& poſt obitum S. Iſidori* XVII. *In eo Concilio fuerunt Epiſcopi* LII, *Abbates* XII, *Vicarii Epiſcoporū* X, *Viri illuſtres officii Palatini* XVI, *coram quibus cap.* 2 *actum eſt de incauto juramento, & poſt allegata teſtimonia ſacræ Scripturæ, ſanctorumque Ambroſii, Auguſtini & Gregorii Magni, adduntur varia ex S. Iſidori libris deprompta, cum hoc ejus elogio.* Noſtri quoque ſeculi Doctor egregius, Eccleſiæ Catholicæ noviſſimū decus, præcedentibus ætate poſtremus, doctrinæ comparatione non infimus, & quod majus eſt in ſeculorum fine doctiſſimus, atque cum reverentia nominandus Iſidorus. *Simili modo Leo* IV, *Pontifex Maximus, eum aliis Eccleſiæ Doctoribus annumerat apud Gratianum, diſt.*20 *de libellis:* Si illorum, *ait*, quorum meminiſtis dicta Hieronymi, Auguſtini, Iſidori, ac ceterorum ſimilium ſanctorum Doctorū reperta fuerint, magnanimiter ſunt retinenda aut promulganda, vel ad Apoſtolicam Sedem referenda. *Hæc ibi. De eodem* S. *Iſidoro, ceteris Eccleſiæ Doctoribus adſcripto aut adſcribendo, iſta tradit Ioannes Mariana lib.*6 *de Rebus Hiſpaniæ cap.*7. Sunt qui ſcribunt, Bonifacio VIII Romano Pontifice deliberante, de iis, qui Doctorū Eccleſiæ nomine & numero eſſent cohoneſtandi, fuiſſe qui Ambroſio Iſidorum præferendum, aut quatuor certe aliis quintū adjiciendum judicarent. Opinioni fidem tanti viri eruditio facit, facile in omni litterarum genere excellentis, & quoniam in eo numero duo Patres Italici generis ſunt nullus ex Occidente.

AUCTORE G. H. *à Leone Papa* 4

& Bonifacio 8.

an ſcripſerit librum de Ordine creaturarum,

9 *Libri à* S. *Iſidoro conſcripti nominantur & laudantur in Vita nu.*43, *ex* S. *Braulione Epiſcopo Cæſarauguſtano: & ab eo enumeratis, quidam alii poſtea cogniti aut ſaltem* S. *Iſidoro adſcripti interſeruntur. Præter hos unum opuſculū, noviter in lucem erutum, ſpicilegiorum tomo* I *offert Lucas d'Achery, ex vetuſtiſſimo Codice monaſterii* S. *Remigii, idque ſub hoc titulo,* De ordine creaturarū liber Braulio Epiſcopo urbis Romæ; cujus quamquam haud meminerint ſcriptorū eccleſiaſticorū nomenclatores, tam veteres quā neoterici, ſtylum nihilo ſecius Iſidori ac mentem adeo in promptu mihi, *inquit ille*, viſus eſt præ ſe ferre, ut germanum illius fœtum exiſtimaverim ad dubiū revocare poſſe neminem. *Suſpicatur autem in prologo ad lectorem, quod Cæſarauguſtam, Romanarum olim Coloniarum in Hiſpania præcipuam, appetiverint Hiſpani quadā prærogativa Romam vocitari, quemadmodum Conſtantinopolim Imperatores Romam vocavere, etſi diſſimili ratione; ideoq; elucidationis cauſa poſt* Romæ *addi*, id eſt Cæſarauguſtæ. *Equidem magni facimus judicium viri, in veterum auctorum ſtylo diſcernendo exercitati: ſed quanto plus huic tribuimus tanto minus veroſimilis videtur nobis eſſe illius conjectura: licet enim eos ſolum libros enumerare Braulio profiteatur, qui ad notitiā ſuam venerunt; quo intelligi datur alios quoq; ſcripſiſſe; quomodo ad eam potuit non pervenire hic, ipſo proponente per modum reſponſionis ſcriptus, ad ipſumq; ſub hoc epilogo directus:* Ecce venerabilis Pater, de Ordine creaturarū tibi proponenti, juxta ingenioli mei modulū, compendioſo ſermone ſummatim reſpondi: cujus munuſculi mercedē orationibus tuis compenſabo. Non quod exiguitatis meæ obſequium in obediētia, tua veneratione & auctoritate conferre poſſit digna: ſed obedientiæ conatus, & ea quæ non valet aſſequi, implet omnia. Ecce in gazophylacio templi, pauperis vidulæ æris exiguum munus, multorū divitum auro copioſo præfertur ... hanc igitur & tu ſimili modo parvitatis meæ obedientiā placido pectoris tui portu non dedignare; & trans garrientiū inſtabiles fluctus, timore tuæ auctoritatis, præſentis opuſculi naviculā non te pigeat gubernare. *Hæc & alia libelli auctor, tamquam Patri cum demiſſiſſima profeſſione obedientiæ, prorſus aliter quam ſolet ad Braulionem amicum, ſuum, ſed nec in gradu quidē Epiſcopali æqualem ſibi. Quidni igitur, ſi vere ipſum credamus ſcriptū* Epiſcopo urbis Romæ, *non* Braulioni, *ſed* Bonifacio, *qui primam totius Chriſtianitatis Sedē ab anno* DCXVI *ad* DCXXV *occupavit ejus nominis quintus? Nota eſt veterum conſuetudo, propria nomina per ſolam initialē litteram ſignandi: quæ dum integre ſcribere voluerunt poſteri, ſæpe tenebras offuderunt hiſtoriæ. Idem hic à Remenſi librario, ſolum* B *inveniente, & ex aliis Iſidori operibus* Braulioni *directis ſuſpicante, ipſum quoque hic denotari, factum credat Acherius; & via planiori ſeſe expediet à ſalebris: nos propria conjectura nihil hic definimus, quibus non vacavit totum illud opuſculum attentius legere.*

D

& cui?

E

F

forſan Benedicto Papa. 5

10 *Porro quæ de æſtimatione doctrinæ jam diximus aliaq; ex Braulione & ceteris infra in Actis referenda, primum ſunt fundamentum magnæ illius obligationis, quā* S. *Iſidoro obſtrictam*

AUCTORE G. H.

Isidoro apparente & admonente,

agnoſcit Hiſpania. Alterum eſt quod illius favore urbes variæ recuperatæ ſint è manibus Saracenorum, De urbe Toletana a Chriſtianis recepta, admonente & ſtimulante S. Iſidoro, ſcribit Mariana lib 9 cap.16, & accuratius Athanaſius Lobera in Hiſtoria Legionenſi cap.29, cujus ſunt iſta verba, Latine tradita à Tamajo Salazar: Cyprianus, Epiſcopus Legionenſis, erat tunc vir venerabilis, pius, prudens, & in omnibus bonis operibus inſtructus, qui maximo Divum Iſidorum proſequebatur amore. Cum ergo annorum ſarcinam jam expellere deſideraſſet, ut Chriſto adhæreret, coram Sanctiſſimi Præſulis theca provolutus, oratione diffuſa, Iſidorum imprecabatur, ut ſuis meritis à Domino, ejus carnis ſolutionem, impetraret. Nocte ſequenti ſanctus Confeſſor Cypriano apparens, ſuam deprecationem à Deo admiſſam ſignificavit, in cujus rei ſignum die ſequenti unum ex ejus famulis Toleto Legionem adventurum, qui referret, quo pacto Alfonſus Rex urbem ab obſidione liberam relinquere conſtituiſſet; quod in grave Religionis Catholicæ damnum eſſet futurum, & idcirco illi præcipiebat, quod protinus audito famuli nuntio, Regi ſcribat, haudquaquá obſidionem ſolvat, imo perſiſtat, eo quod Dominus illi intra quindecim dies urbem tradere conſtituiſſet, ipſo Iſidoro ad Regis latus ſtrenue dimicante. Quo dicto diſparuit, & die altero, nuntius advenit, qui Regis propoſitum patefecit. Hoc cognito Cyprianus epiſtolá Regi ſcripſit, & quidquid ab ore B. Iſidori perceperat, propalavit; eamq; cum ejus Archidiacono Toletum miſit. Ad caſtra Archidiaconus advenit eo tempore, quo jam caſtra movebantur; & tradita epiſtola lectaque caſtra ſubſiſtere juſſit Alfonſus, atque eo quem ſanctus Doctor deſignavit die Toletum eſt ingreſſus.

Toletum Mauris eripiur:

B

11 *Hæc Athanaſius Lobera: cui adjungenda eſt victoria, de Mauris Saracenis, ope SS. Iacobi & Iſidori obtenta: quam Lucas Tudenſis in Chronico mundi, Æra* 1255 *ita deſcribit:* Adefonſus Rex Legionenſis obſedit civitatem Emeritam, & cœpit eam. Erat tum temporis quidam barbarus inſignis, nomine Abenenfuth qui expulit Almophades ab Hiſpania, & factus eſt Rex barbarorũ. Hic à ſuis vocabatur Rex virtutis: & congregato exercitu Maurorum innumerabili, venit pugnaturus cum Adefonſo Rege Legionenſi, qui erat Emeritæ cum paucis. Sed Rex Adefonſus ut erat fortis & animoſus, fecit exercitum ſuum de nocte contra Saracenos flumen Guadiana tranſire. Fixerant Saraceni tentoria

C

juxta caſtrum Alhange, & viderunt primo mane noſtrorum acies paratas ad bellum, & ipſi ordinaverunt acies ſuas ad prælium properantes. Fuit Dominus cũ Rege Adefonſo, & populo Chriſtiano, & in congreſſione ipſius belli tanta Saracenorum millia proſtrata ſunt, quod multa barbarorum oppida remanſerunt vacua, omnibus habitatoribus eorum extinctis in ipſo bello; Abenenfuth autem Rex barbarorum fugit graviter vulneratus. Siquidem in ipſo bello viſibiliter apparuit S. Jacobus, cum multitudine militum albatorum, qui Saracenos in manu valida proſternebant. Beatus etiam Confeſſor Iſidorus quibuſdam apparuit Zamoræ, antequam Emerita caperetur, & bellum fieret, & dixit eis ſe ad auxilium Adefonſi Regis cum Sanctorum exercitu properare, & quod ſibi dictam traderet civitatem, & de Saracenis campalem præberet triumphum. *Hæc Lucas Tudenſis, quem deſcribit Barnabas Morenus lib.4 Hiſtoriæ Emeritenſis cap.* 11.

victoria de iis obtinetur prope Emeritam.

12 *Præ reliquis autem præclara eſt ipſius urbis Hiſpalenſis interceptio, per quam Mauri in Hiſpania fuerũt debellati. Habemus Summarium Proceſſus ſuper virtutibus, ſanctitate ac miraculis glorioſiſſimi, invictiſſimi & Sanctiſſimi Ferdinandi III Caſtellæ & Legionis Regis, Romæ anno* MDCXXXVIII *excuſum: in quo num.* 8 *&* pag. 81 *ex Lectionibus, in Officio dedicationis Eccleſiæ Hiſpalenſis recitandis iſta habentur:* Cum Ferdinandus, Caſtellæ & Legionis Rex, qui ob virtutum præſtantiam Sancti cognomen eſt adeptus, magnam Bæticæ partem in ſuam ditionẽ recepiſſet; Hiſpalim, ejus provinciæ principem urbem, magnis ex Hiſpanica fere nobilitate cõtractis copiis obſedit: ad eam expeditionem per viſionẽ à S. Iſidoro, ut fertur, incitatus. Quod ſcilicet ſanctiſſimus Præſul ſuam eccleſiã, tot ſeculis jam ab infidelibus profanatã, Chriſto reſtituendam curaret. *Capta urbs eſt* XXIII *Novembris anni* MCCXLVIII, *& in diviſione deinde agrorum Hiſpalenſiũ, ſua quoque pars S. Iſidoro tributa traditur.*

D

Hiſpalis à S. Ferdinando Rege recipitur.

13 *Edidimus ad diem* XI *Februarij Vitam B. Martini Canonici Regularis in urbe Legionenſi, qui cum ob exortam inter Epiſcopum Legionenſem & monaſterium S. Martialis ſimultatem, migraſſet ad monaſterium S. Iſidori, itidem Canonicorum Regularium, & iſtic ſociis inviſus eſſet; ad S. Martialis ædem, ubi educatus fuerat, ſe recepit,* Vix pauculi abjerant dies, cum Canonicis quibuſdã dicati ſuo nomini cœnobii apparuit S. Iſidorus, itáq, eos compellavit: Cur à vobis Dei ſervum Martinum expuliſtis? Revocate eum ad veſtrum contubernium, neque anſam offenſionis captate, ſed gaudii ſanctæque voluptatis occaſionem, quod cernere vobis inter vos virũ liceat, qui ſemitam perfectionis inſiſtat. *Reductus ergo ad S. Iſidori monaſterium, cum imploraret hujus patrocinium, ut ſcientiam litterarum præſertim ſacrarum obtineret;* ſpectabilis ante eum adſtitit S. Iſidorus, librum manu tenens, & Cape, inquit, Martine, librum & comede, ſimul ſcientiã ſacrarum Scripturarũ hauſturus Deo largiente. Negat Martinus fas ſibi eſſe eum librum comedere, jejunii lege obſtricto. Secure comede, ait ſanctus Doctor, neque enim propterea jejunii præmio privaberis. Iſidorus ſum, hujus monaſterii Patronus, à Deo miſſus, ut hoc te beem munere. Cum ad hæc attonitus hæreret, propius ad eum Sanctus accedit: mentoque illius prehenſo, ut librum diglutiat cogit: ſubitoque ex oculis ejus abſcedit. *Scientiam conſequitur Martinus, & inclareſcit doctrinæ fama; ac tandem ſenio confectus, ex hac vita migrat anno* MCCXXI.

B. Martinus ad ejus monaſterium, revocatus,

E

& codicẽ ejus juſſus deglutire ſcientiam adipiſcitur.

VITA

Auctore Canonico Regulari cœnobii Legionenſis S. Iſidori, forte Luca, poſtea Epiſcopo Tudenſi.

Ex MS. Codice Toletano à V. CL. Nicolao Antonio ſubmiſſa.

F

PROLOGUS.

1 PRæclara beatiſſimi Doctoris Hiſpaniarũ, Chriſti confeſſoris Iſidori, Archipræſulis Hiſpalẽſis, Hiſpaniæ Primatis merita, fratres cariſſimi, ſacroſancta per orbẽ Eccleſia dignis efferenda laudibus prædicat; & feſtivũ per omnia virum, celebris ſemper & ubiq; fama commendat. Verumtamen præter communem illam honorificentiæ gloriam, quam ſibi meritorum magnalibus in omnium comparavit contuberniis fidelium, præcipuis in Hiſpania ſuſtollitur præconiis, quem alterum in terris poſt Apoſtolos ſuæ fidei meruit interceſſorem. Hic eſt enim ſplendidiſſimus ſolis juſtitiæ radius, per quem tibi præcipue, Iberia, lumen veritatis illuxit; & quæ multis fueras Arianorum, Acephalorum, Mahometi, & aliorum pſeudo-prophetarũ ſeducta erroribus vel fallaciis, B. Iſidori mediante doctrina dux effecta es æquitatis. Hic eſt inſignis ille Paſtor tuus, egregiuſq; Pontifex, qui te ſummis præficiẽdam ſedibus, æterniſque fœcundandam divitiis, tam opioſis divinarũ ſcripturarum *a* debriavit augmentis, ut *b* ſitu in ſucceſſum tranſumpto, jam non ſis in regionibus

S. Iſidorus laudatur in univerſo orbe,

maxime in Hiſpania

a

b

A gionibus ultimis ultima, ſed in primis prima. Hic eſt qui poſt glorioſiſſimum Apoſtolū Jacobum hanc tibi contulit gratiæ excellentiam, ut populis [ſis] fœcunda, religione conſpicua, triumphis clariſſima. Sane ab Hiſpali civitate, Sanctiſſimi Iſidori Sede, certiſſimo ſecuturi eventus præſagio *c* Hiſpania cognominata, ditior emines debriatione divina, quam felicitate terrena. Licet enim victorioſa trophæis, gratioſa deliciis, laudis tuæ titulos cunctarum nationum in fines extuleris; multo tamen ſpectabilius multoque glorioſius eſt, quod te tam aſſiduis tamque officioſis obſequiis, tum noſtri Salvatoris reverentia, tum glorioſiſſimi Apoſtoli Jacobi præſentia, tum etiam rectiſſimi Patris Iſidori præſentia ſimul & clariflua doctrina, omnis te collit, omnis ad te confluit religio Chriſtiana: quoniam [ſupra id] quod tibi fors obtulit aut vis indulſit naturæ; Apoſtolicæ dignitas prærogativæ non immerito obtinuit, ut ſicut ſingularis privilegio gratiæ *d* alter Romæ Petro Apoſtolo ſucceſſit Gregorius; ita non impar Gregorio alter in Hiſpania Jacobo ſuccedat Iſidorus. Semina namque verbi Dei, quæ Beatus Jacobus ſeminavit, quaſi pervigil agricola Iſidorus cæleſtium imbrium prædicatione ſaluberrima irrigavit, & ſpinas, tribulos, & *e* zizaniam pravorum dogmatum, ab inimicis hæreticis ſuperſeminatam, ſarculo Spiritus evellendo, ad fructus vitæ excolendos uſque perduxit. Gregorium re vera in beatiſſimi Apoſtolorum Principis, loci ſimul & meriti, principatu, univerſi orbis præfecit auctoritas: Iſidorum autem, Romanæ cenſura curiæ alterum profiteri Gregorium; meritorum effecit parilitas. Et quidem ſingula quæ non tantum curſu naturæ; verum etiam ea quæ divina providentia miraculoſe, ſeneſcenti mundo, per eum mirabiliter, ad illuminationem Eccleſiæ; dignata eſt operari, debitis proſequi officiis; vires; ingenium; & ſcientiam noſtram excedit. Verumtamen de ſanctiſſimo peccator; de maximo parvus; de ſapientiſſimo imperitus, de multis ejus mirabilibus paucula ad futurorum eruditionem (ne tanti Patris opera labentibus annorum curriculis à corde quoque fidelium dilabantur) brevitate; qua potero, caritatis gratia, fidelis ſtyli ſubnotatione perſtringam. Tanta quippe tamque bona; de tanto tamque bono viro, bene dicere, non niſi bonitatis ejuſdem viri aſcribendum eſt meritis: quorum profecto tenus hoc *f* excrevit eminentiæ magnitudo, ut rerum fidei ſermonis ſubſidat elegantia, & elegantiæ cultum veritatis commendet materia.

illuſtrata ejus doctrina.

Auctor ſuæ tenuitatem excuſat.

B *e*

C *f*

d Comparatur cum S. Gregorio Magno.

ANNOTATA.

a *Ita mox* debriatio divina *dicitur. Sic Beda in Vita S. Cuthberti Epiſcopi Lindisfarnenſis*, 20 *Martij illuſtrata, num.* 46, *aſſerit* SS. *Cuthbertum & Herebertum Presbyterum*, ſeſe alterutrum cæleſtis ſapientiæ poculis debriare. *Galbertus in Vita B. Caroli Boni*, 2 *Martij num.* 47, *dicit*, *hujus occiſores* ira & furore debriatos. *Similia paſſim alibi habentur: unde apparet* debriare *accipi*, *pro* potare *ſeu* ſatiare.

b *Lucas Tudenſis*, *in Præfatione ad Chronicon mundi ita habet*: Hiſpania, ſitu in ſucceſſum tranſmiſſo, non eſt in ultimis regionibus ultima, ſed in primis prima.

c *Nicolaus Antonius iſta annotat*: Ab urbe Hiſpali nomen integræ Hiſpaniæ inditum cenſuit olim Antonius Nebriſſenſis, nec improbat Florianus do Campo lib. 1 Hiſtoriæ Hiſpaniæ cap. 16 & alii, quos laudat Rodericus Carus in Hiſtoria Hiſpalenſis urbis ſive Antiquitatum illius lib. 1 cap. 4. Hi autem S. Iſidorum ſunt ſecuti; qui ad Siſenandum Regem Hiſtoriam Gothorum, hoc eſt librum 2 Chronici, dirigens, ita cenſet; quamvis lib. 4 Originum cap. 4 Hiſpaniam ab Hiſpano Rege non ab Hiſpali cognominatam credat. Lucas vero Tudenſis, in Prologo ſui Chronici, aliud prorſus etymon Hiſpaniæ, viro tali indignum, prodit. EX MS. TOLETANO.

d *Conſtantinus Cajetanus de S. Iſidoro profert partem ſermonis S. Braulionis*, *in quo ſequentia leguntur.*

e *Ita* zizaniam *dixit* S. *Ambroſius lib.* 7 *in Lucam*: Aliud eſt fermentum tritici, aliud zizaniæ.

f *Id eſt* hactenus.

CAPUT I.

S. Iſidori proſapia illuſtris & ſancta. Inſtitutio in litteris.

2 IGitur ut egregius Confeſſor Iſidorus egregiis venuſtaretur exordiis, & inſignem futurum inſignis præſignaret origo, civitatis *a* Carthaginenſis, & Provinciæ Hiſpaniæ Dux, Theodorici Regis Gothorum proles, Severianus, pater [ejus fuit,] mater vero *b* Turtura vocitata: viri clariſſimi, viri eruditiſſimi, viri etiam tam morum quam ingenii ſingularitate præditi Confeſſores Chriſti; *c* Leander Archipræſul Hiſpalenſis; & *d* Fulgentius, qui fulgore ſanctarum ſcripturarum & operum univerſalem irradiavit Eccleſiam, almus Doctor & Præſul clariſſimus; una cum ſanctiſſima Virgine *e* Florentina, Virginum Præpoſita, fratres ac nutritii fuere. *f* Horum ſereniſſimis inſtructus documentis, orationibus proficiens, morum gravitate venuſtus, patriam religione, patrem prudentia, diſciplina fratres, cognatos cultu, pares gratia, affines præmio, proximos illuſtravit affectu. Glorioſiſſimus diligebat puerum Doctor & Archipræſul Leander, tamquam unicum & ſpecialius extra patriam eum habens ſolatium: & quia non tantum fallacium divitiarum quantum felicium morum ſuorum ſucceſſivum exoptabat heredem, ſummopere vigilabat, ne illa ætas, quæ prona conſuevit devenire in malum, locum reperiret, quo in corruptionem laberetur peccati. Non parcebat virgæ, & *g* laudatus eſt in illo; docuit eum & miſit zelum in inimicum, & in medio amicorum gloriatus eſt in illo. In vita ſua vidit & lætatus eſt, & in obitu ſuo non eſt contriſtatus coram inimicis. Reliquit enim ſimilem ſibi poſt ſe; defenſorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. O ſanctiſſime Pater Leander, venerandus iſte puer, quem diligis, quem nutris, quem doces, quem erudis, quem corrigis, quem cuſtodis; cæleſtis Sponſi paranymphus eſt, ſanctorum Angelorum amicus, Patriarcharum ac Prophetarum compar; Apoſtolorum civis, Martyrum conſors, Præſulum ſplendor, & Sanctorum omnium gradibus proportionaliter conferendus, quod eventus rei opportuno tempore declarabit.

Nobilium parentum filius,

a

b

E.

c

d

frater SS. Leandri Fulgentii & Florentinæ,

e

f

g Eccli. 30, 12

F

3 Igitur cum eſſet infantulus, ſicut de B Ambroſio legitur, & à nutrice ad hortum duceretur, anus capta oblivione, eum inter olera dimittens diſceſſit. Poſt aliquot autem dies, lugens filium, ſolarium Severianus pater aſcendit; atque ſedens contra viridarium aſpexit, viditque *h* innumeram apum multitudinem cum ingenti murmure ſuper puerum certatim deſcendere, atque inde ad cælos volare: qui in ſtuporem verſus ad hortum concite deſcendit, vocatiſque ſervientibus feſtinavit ut rei geſtæ videret miraculū. Accedentes autem viderunt alias apum in os pueri intrantes & exeuntes, alias vero ſuper faciem & totum corpus mellis & favi operimenta texentes. Patre vero filium cum clamore & lacrymis amplc-

cingitur infans apum examine:

h

EX MS. TOLET. plectente apes in tantam ſe altitudinem aeris extulerunt, ut oculis corporeis non poſſent videri. Hæc de multis, quæ cum eo taliter geſta ſunt, pauca propoſui, ut prudens advertere poſſit, à quanta virtutum inceperit perfectione.

Ex puſillanimitate ſtudia dimittit,

4 Cum igitur reverendus puer Iſidorus, fuiſſet ſtudiis literarum traditus, atque, ut ſibi videbatur, ingenii minus exiſteret capacis; puerili permotus timore, verbera Magiſtri metuens, divino nutu haud procul fugit ab Hiſpalenſi Civitate. Cumque ex itineris fatigatione juxta marginem cujuſdam putei ſitiens reſediſſet, *i* aſpexit prægrande ſaxum tortuoſis foraminibus perforatum: quod diligenter inſpiciens, cœpit volvere intra ſe, quis iſtorum foraminum, vel ad quid extiterit operator. Similiter in ore putei erat quoddam lignum, continuis chordarum ſectionibus in aquis hauriendis canalatum. Et dum ſecum tacitus ageret, ad aquas hauriendas venit quædam mulier; quæ ſuper pulchritudine pueri admodum mirata, interrogavit; quid hic ageret, aut cur tam parvus puer ſolus huc adveniſſet. Erat enim miræ pulchritudinis, ſplendidus facie, decorus forma, hilaris aſpectu, lætus vultu, humilis viſu, verecundiam ſemper in moribus prætendens. Ad quam puer humiliter converſus, inquit, O Domina, ut mihi digneris differere rogo, quis, vel ad quid lapidis hujus foramina vel iſtius ligni canales facti fuerunt. Cui mulier lapis iſte ait, frequenti inſtillatione guttarum fuit perforatus, & lignum hoc frequenti chordarum ductu in aquis hauriendis extitit canalatum. Puer autem divino repletus ſpiritu, ad ſe reverſus dixit. Et ſi lapis duriſſimus mollis aquæ frequenti inſtillatione cavatur, & lignum chordarum ſectionibus cedit ſecatum; quanto magis ego homo, Dei gratia præveniente, diſcendo quotidiè parviſſimis incrementis, valeo ad augmentum ſcientiæ pervenire? O venerande Iſidore, hujus evolutionis cogitatio non pueri eſt junioris, ſed viri perfecti & ſapientiſſimi ſenioris. Quis ille, qui etiam ante litterarum diſciplinam in teneris annis ſic te docuit, niſi ille Spiritus veritatis, qui tibi ſuggerens omnia, etiam vas ſanctificatum elegit, ut portes nomen filii Dei coram Regibus, & Principibus & filiis Iſrael? Poſt hoc puer concito greſſu revertitur Hiſpalim, ſeque magiſtrorum diſciplinis ſubdidit cum humili devotione.

i

ſed monitus gutta jaxa, ſaxum ita ab ipſa ligna cavari,

B

perſuadetur ut ea reſumat,

C

5 Tanta denique gratia cælitus ei infuſa, quidquid à magiſtris proponebatur ex Scripturis, ſitibundo pectore avide retinebat; & non auditor obliviosus factus, armariolo memoriæ multis profuturum fidelibus reſervabat; & ipſos doctores ſuos, quaſi præſcio intellectu, præveniebat: qua novitate miraculi tam magiſtri quam omnes, qui aderant, ſtupore admirationis reddebantur attoniti. Sic namque Divino inflammatus ſpiritu, Latinis, Græcis, & Hebraicis litteris inſtructus, omni locutionis genere formatus, *k* in trivii eruditione conſpicuus, in quadrivii inſtigatione perfectus, in doctrinis philoſophorum præclarus, divinis & humanis legibus eruditus, ſuavis eloquio, ingenio præſtantiſſimus, vita quoque atque doctrina pro temporis ætate in multorum admirationem extitit clariſſimus. Sic namque de virtute in virtutem proficiens refulſit doctor ita eximius, ut ſecundum qualitatem ſermonis omnibus, videlicet Latinis, Græcis & Hebræis, ſapientibus ac minus intelligentibus, in eruditione exiſteret aptus, & incomparabili eloquentia ſtrenuus. Cum igitur B. Iſidorus omnibus fere mortalium præfulgeret ſcientiis, quod noſtris temporibus contigiſſe recolitur inauditum; non, ut illa juvenilis ætas aſſuevit, delectationem amplexus eſt mundi, ſed totus in logicali contemplatione, vel actualium inſtigatione, aut divinarum theoriarum meditatione & ſtudio inſiſtebat. Denique in tantum hunc inſignivit natura, gratia ditavit, extulere mores, ſtudia provocarunt, ut Platonem ingenio, Ariſtotelem ſtudio, eloquentia Tullium, copia *l* Chalcenterum; eruditione Originem, gravitate Hieronymum, Auguſtinum doctrina, Gregorium ſane proſequeretur exemplis. Qui cum eidem B. Gregorio, juſſu fratris ac nutricii ſui Leandri, epiſtolam quamdam de Beatitudine, tam de philoſophorum ſententiis quam ſanctarum Scripturarum floribus, miro ſtudio decoratam, delegaſſet; ac B. Gregorius perlegiſſet eamdem; tam de ſermonum diſertitudine quam de ſententiarum connexione ac ſcientiarum exuberatione admirans, eumque in ſpiritu, qualis futurus erat, intuens, fertur dixiſſe, ecce alter Daniel; & quidam alius, Ecce plus quam Salomon hic.

eruditus in ſeptem artibus liberalibus:

k

D

comparatur cum eruditiſſimis viris,

l

E

F

ANNOTATA.

a *MS.* Civitas Carthaginenſis Provinciæ Hiſpaniæ T. R. G. proles, Dux Severianus: *quæ viſum eſt primi verbi correctione & alterius tranſpoſitione reſtitui ſano ſenſui poſſe, conformiter ei quo Lucas Tudenſis in citata Præfatione* Severianum Carthaginenſem Ducem *nominat: An vero hic à* Theoderico Rege Gothorum *prognatus, aut ſaltem frater ejus fuerit, diſputent alii.*

b Theodora *dicitur Lucæ Tudenſi loco citato. Quintanadueñas hanc Theodorici Regis filiam facit, in Vita S. Fulgentii fratris.*

c *S. Leandri Vitam illuſtravimus* 13 *Martij.*

d *S. Fulgentii Vitam dedimus* 14 *Ianuarij, ubi de Theoderico Rege actum.*

e S. Florentina, *in Martyrologio Romano* Florentia, *colitur* 20 *Iunij.*

f *Nicol. Antonius mallet legi,* Severiſſimis.

g *Paululum hæc variant à vulgata editione.*

h *Annotat Nic Antonius iſta:* Referunt oſtenſum hoc in Iſidoro contigiſſe hi, qui à ſeculis duobus res ejus geſtas in litteras retulerunt, Antonius Morales lib. 12 cap. 4, Padilla cent. 7 cap. 22, Vaſæus ad an. 649, Mariana lib. 6 cap. 7, Marietta lib. 5 de Sanctis Hiſpaniæ cap. 23. Omnes ut ſuſpicari poſſumus, hinc edocti. *Ita ille.*

i *Idem annotat* hujuſce quoque rei auctores eſſe, quos ante laudaverat, atque item Laurentium de Padilla in Vitis Sanctorum Hiſpanorum:

k *De hoc* trivio *&* quadrivio *iſta indicat Nic. Antonius:* Trivium olim dictæ tres artes, Grammatica, Rhetorica & Logica. Sicut quadrivium quatuor aliæ, Arithmetica, Geometria, Aſtrologia & Muſica: quæ omnes chorum ſeptem liberalium artium componunt, ut Voſſius ait in lib. 1 de Vitiis ſermonis cap. 26.

l *Iterum iſta obſervat Nic. Antonius:* Intelligit Didymum Alexandrinum Grammaricum, qui inter alia cognomina, teſte Suida, dictus ſit Chalcenterus, hoc eſt æreorum viſcerum, ob ſtudiorum & ſcribendi patientiam: eo enim nemo alius plures libros ſcripſit, ut ait Fab. Quintilianus lib 1 cap. 8. ipſeque Iſidorus lib. 6 Etymol. cap. 7. Si pro Caliterus, (quod eſt in vulgatis editionibus ante Matritenſem) Chalcenterus legeris, de quo Heſychius de Viris illuſtribus Suidas & S. Hieronymus. *Hæc ille.*

CAPUT

A

CAPUT II.

Notitia cum S. Gregorio Magno. Liber Etymologiarum conſcriptus. Scientia ſacra adverſus hæreſes, inprimis Arianam exerta.

6 EX tunc itaque B. Gregorius, amore viſcndi B. Iſidorum delectatus; ſanctiſſimo Antiſtiti Leandro, caritatis vinculis ſibi annexo, ſui animi voluntatem certis indiciis declarabat. Harum amicitiarum cauſa extiterat, *a* cum Arianæ hæreſis fervorem tempore Leovegildi confutare Leander radicitus non poſſet, pro confirmandis ſanctæ & immaculatæ Trinitatis capitulis, ad Conſtantinopolitanum Præſulum *b* cœtum transmeavit. Ibi aderat Gregorius, tunc Cardinalis, vicem Romani Antiſtitis agens, cum quo ipſe Leander amititiæ fœdus pepigit, & ab eo poſtulavit, ut moralia Job ſibi exponeret, quod poſtea in Apoſtolatu ille devota mente complevit. Cum autem Gregorii deſiderium Venerabilis Iſidorus comperiſſet, (quod mirabile eſt auditu) nocte Nativitatis Domini, *c* ut fertur, in eccleſia Hiſpalenſi prima lectione perlecta, extra eccleſiam egreſſus, neſcio à quo ductus in parviſſimo temporis intervallo ad Romanam devenit urbem, atque beatum Papam Gregorium in Matutinis laudibus Deo pſallentem invenit. Viſo autem eo B. Gregorius nimium lætus, protinus agnovit; & ideo gratias agens, amiciſſimum ſibi Leandrum in Iſidoro amplexatus eſt. Poſt Euangelicam vero expletionem, vale faciens Sancto ab eccleſia egreſſus Hiſpalim in ipſa nocte rediit, & Clericos quos dimiſerat, eaſdem Matutinas laudes reperit celebrantes. Quo vero hoc Sanctiſſimi Gregorii obtentu, vel Iſidori meritis, aut aliquo alio modo factum fuerit, fateor me ambigere: melius eſt enim non eloqui magna, ubi ſine mendacii periculo non erratur, quam contraria definire; ſed firmiter teneo; beatum juvenem ſcientiæ experientia plurima attentaſſe, & utilitati Eccleſiæ & fidelium commodis retuliſſe. Multimode namque pravorum dogmatum aſſertores hæreticos perſequebatur, quia his temporibus plurimæ hæreſes emerſerunt, vineam hereditatis Domini; ſcilicet ſanctam demolientes Eccleſiam; & divina providentia factum non ambigimus, quod talis tunc temporis fulgeret Iſidorus, qui eorum proteriam non ſolum ſanctarum ſcripturarum teſtimoniis reprobaret, verum etiam Philoſophicis ſyllogiſmis & obteſtationibus annularet.

a *ob S. Leandri congreſſum cum S. Gregorio,*

b

hujus videndi avidus, an ſubito

Romam tranſlatus?

c

B

C

7 Etenim tanto culmine ſcientiarum perfectus extitit, quod nullus ut reor; antiquorum Philoſophorum recti examinis judicio ei fuerit comparantus. Hoc ex cautelæ induſtria præterirem, ſi liceret, ne Ethnicorum ſtudia authenticis aut præferri aut comparari poſſent ullatenus documentis; cum ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ noſtræ à viis eorum & cogitationes noſtræ à cogitationibus eorum; & quantum excellit ſpiritus carnem, ratio ſenſum, fides opinionem, intelligentia fidem, pax Dei omnem ſenſum, poſtremo Creator omnem creaturam, ſic Theologia omnem mundi ſapientiã, ſic Philoſophi noſtri omnem Philoſophorum Gentilium tranſcenderunt doctrinam. Quia vero hoc multo magis Iſidorus, qui & antiquorum Philoſophicis claruit perfectus, & modernorum Theologicis emicuit ſummus: tamen (ut alia hujus illuſtris viri ad præſens omittam copioſiſſima, in quibus miro deſudavit ingenio, volumina) ille Etymologiarum qui inſcribitur, omnium admiratione plenus, omnium ſuſceptione dignus liber, ſolicitat, conteſtatur, exclamat, ne etiam hoc ſanctiſſimi & eruditiſſimi viri deſit laudibus, quo vel Philoſophorum primi ac peritiſſimi ſunt elati, vel ſapientiſſimus ille Salomon omnes illos tam ſcientia quam excellentia præcedere comprobatur: & ſic omnibus filiis hominum ſcientiarum varietate poſt Apoſtolos incomparabilis eſt creditus.

ſtrenue hæreſes oppugnat.

ſuperaſſe antiquos philoſophos

in libro Etymologiarum oſtenditur:

EX MS. TOLETANO.

8 In hoc libro in trivii eruditione Iſidorum præditum cernes eloquentia, hic in quadrivii inveſtigatione perfectum admireris in matheſeos diſciplina, Hic corporis ſalutem tueri, ac reſtaurare docendo theoricum practicumque reperies: hic methodicam, empiricam, logicamque *d* diſcernendo Apollinem, Æſculapium & Hippocratem noviſſime perpendes. hic *e* Phoronei, Trismegiſti, Solonis, & Pompilii inſtituta retractando, juris juvenies peritiſſimum: hic jura, leges edictis & decretis inſerendo, inſtruxiſſe putabis Juſtinianum; hic ephemerides, epactas, idus & kalendaria, annales & hiſtorias diſtinguendo, *f* Pherecydem & Joſephum ebibiſſe probabis: hic chonicam perſequendo Euſebium. Hieronymum & Croſium lectitaſſe clamabis. Et quia de Salomone legitur, diſputaſſe de cedro quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum qui naſciur in pariete; de B. Iſidoro hic reperitur, de prima cauſa uſque ad extremam fere creaturarum mirabiliter pertractaſſe; & negotia & officia ſingularum modoſque diſcutiendo, poſtremo rerum omnium naturam & circumſtantias deſcribendo, non ſolum hauſiſſe, verum etiam exceſſiſſe putabis Salomonem: hic ætheris, aëris, aquarum terræque diſcrimina, cunctorum viventium naturas & vocabula perſcrutando conſuluiſſe credes primum hominem: hic Rachelis amplexibus totum ſtrepebis delectatum, dum in antiquorum experientiis ſtudio videris occupatum: hic *g* mali mandragorici fragrantia ad Liæ gremium gaudebis revocatum; dum ſupernorum delectatus amore in ſacræ Scripturæ fœcunditatem pie ſenſeris implicatum: hic cum Maria veſtigiis aſſidentem Dominicis partem optimam elegiſſe; hic cum Martha ſolicitum frequenti in miniſterio inſtitiſſe: hic cum Paulo electionis vas uſque ad tertium cælum raptum; hic cum eodem plus omnibus laborantem, ut omnes lucrifaceret, omnibus omnia factum: hic cum Paulo circumciſionem prædicanti Petro in faciem reſtiticiſſe; hic cum Petro, enecto Simone, nec Neronem timuiſſe: hic hæreticorum omnium ſigillatim expugnaſſe dogmata; hic ſancta quatuor ſuſcepiſſe ac venerari Concilia: hic *h* cum Chalcedonenſi Synodo Dioſcorum enervat, & Eutychem hæreticos: hic cum Epheſina prima Neſtorii quaſſat impietatem: hic cum Conſtantinopolitana cum Eunomio confodit Macedonium: hic cum Nicena verſutiſſimum ac omni inſania condemnat obcæcatum Arrium.

d

e

in quo per omnes diſcurrit ſententias, profanus

f

3 Reg. 4, 33

E

& ſacras:

g

cum quibus expugnavit tum alias hæreſes

F

h

9 Hic Arrius fuit quidam Preſbyter Alexandrinus; qui diverſas in Trinitate ſubſtantias mentiendo aſſeruit, & Chriſtum non verum Deum, nec in Patre eſſentialiter permanentem, procaci falſitate aſtruxit. Sed qui tantum miſer deſipuit, & in ſua aſſertione mendax fuit & perfidus; quia Chriſtum verum Deum eſſe negavit, idcirco juſto judicio Dei crepuit medius, & effuſis omnibus viſceribus ejus cecidit in faciem proſtratus, & quibus Chriſtum negaverat fœda ora pollutus dignam pro impietate ſua pœnam ab eodem Deo & homine etiam in hoc ſeculo eſt conſecutus; & in tartareo igne æternaliter cruciandus multos ſuos ſequaces præceſſit, ſuo nefario tam depravatos quam depravandos errore. Hujus etenim inanitas ſceleris cum fideles toto orbe, totius orbis perſequeretur exiliis; poſt conventuum *i*, Athanaſio ſuo expulſo, ſubverſionem; poſt Italiæ lugubres, exterminato Verzellenſi Epiſcopo Euſebio, planctus; poſt Galliarum damnoſas, Hilario proſcripto,

tum Arianam

i

EX MS. TOLETANO.

scripto, ruinas; k Leovegildus Hispaniarum Rex, cum omnibus pene Regni sui Principibus, hujus hæresis errore seductus, in tantam venit dementiam, ut clarissimos quosque & in lege Dei eruditos Ecclesiarum Prælatos ab Hispaniæ confinibus persequendo exularet; atque plurimos eorum gladio cædendo, carcere detrudendo, fame cruciando, ac diversis pœnarum generibus afficiendo, non solum in Hispaniæ partibus, verum etiam in Gallia & aliis regionibus per feralem insaniam dignos Deo Martyres consecravit: & quia strenuus in armis fuit, multos populos suæ ditioni subjugatos impie oppressit, Catholicis odio fidei persecutionem intulit, Ecclesiarum privilegia fregit, divites cupiditate cæcus damnavit, & in omnibus pernicioſus extitit. Inter omnia autem mala, quæ gessit, sanctissimum l Masonam Emeritensem Episcopum exilio relegavit; atque clarissimum Doctorem Archipræsulem Hispalensem Leandrum, qui ad conversionem gentis Gothorum speciali contra nefarias hæreses cura infatigabiliter insistebat, multis affectum injuriis, ut oves sine pastore à seductoribus circumventæ luporum hiatibus facilius clauderentur, à regno Hispaniæ expulit, & se cum suis Principibus Arrianorum hæresi miserabiliter subjugavit, & Romano Pontifici comminando, ad destructionem Romanæ Urbis & Ecclesiæ demolitionem venturum se sponsione juramenti firmavit.

k sub Leovigildo late grassantem,

l

B 10 Venerabilis autem adolescens Isidorus, cunctarum scientiarum disciplinis eruditus, fervore martyrii accensus, pro defensione Ecclesiæ mori pronus, armis fidei præmunitus, contra furentes Leovegildi Regis ac Principum ejus rabies athleta fortissimus, Christi comitante gratia processit, imperterritus Ministri ergo multiformis seductoris modo blanditiis leniendo, modo terroribus propulsando, modo disputationibus agitando, modo munera offerendo, modo tormenta imponendo, modis quibuscumque poterant, à Sancto proposito ipsum permutare satagebant. Magnum quippe suis dogmatibus credebant augeri cumulum, si Isidoro superato (qui tam scientiæ claritate quam generis nobilitate, corporis pulchritudine, morum gravitate, & eloquii suavitate fulgebat) possentem suis assensibus inclinare. Ejafortissime athleta Isidore, ecce nũc tempus acceptabile: in his ergo diebus thesaurum incomparabilem, quem in pueritia congregasti, ut audivimus, non tibi soli sed & fidelibus referandum, profer in medium: Tempus est loquendi & divinarum sententiarum lapides spargendi, ut frontes obstinatæ inimicorum conterantur, & fides Ecclesiæ Catholicæ roboretur. Ecce enim navicula Petri in medio quatientibus fluctibus undique agitatur, Ecclesia Christi demergitur, nisi divinæ succursionis manu ad portum optati littoris deducatur. Inter hæc robustissimus athleta Isidorus in tormentis lætabatur, & Deo gratias referebat, quia dignus est habitus pro nomine Domini Jesu contumeliam pati; & inter oblatrantes undique Arrianorum frequentias nec minis terretur, nec blanditiis demulcetur: sed magis ac magis fervore caritatis succensus, inter gladios hæreticorum securus; tam de tonitruis divinarum sententiarum quam de corruscatione philosophicarum propositionum, fulmina divini oraculi ardentia emittebat intrepidus, quibus inimicorum sævientium obtenebrabat aspectus. Quasi unus de quatuor paradisi fluminibus, ex ore suo flumina gratiæ cum impetu emanabant, quibus fidelium aridam irrigando ad viriditatem fidei perducebat; & hæreticorum perfidiam, in garrulitatis ac loquacitatis audacia confidentem fluctibus eloquentiæ demergebat. Hebetescunt miseri, & obmutescunt, sæviunt & confunduntur, qui dum se putant adolescentem superare, ab eodem turpiter superantur; atque fidem Christi, quam putant penitus extirpare, hujus juvenis instantia cælestibus incrementis dolent quotidie pullulare.

& varie ad defectionem solicitatus,

de iisdem triumphavit.

C

D

ANNOTATA.

a *Quæ sequuntur edidimus ad Vitam S. Leandri* 13 *Martii num.* 3. *& ex antiquis Breviariis desumpta & ex ipsius Isidori Chronico.*

b *Nullum tunc diximus Constantinopoli fuisse Concilium, sed veram causam qua istic convenerunt Leander & Gregorius, ex nostri non fuit temporis usu Cardinalis hic dictus, contineri in ipsius S. Gregorii epistola, expositioni libri Iobi præfixa. Plura lege in utraque Vita S. Gregorii, ad diem* XII *Martii elucidata.*

c *Nicolaus Antonius ista annotat:* Miraculum hoc non facile probaverunt aliqui ex nostris: maxime Morales lib. 12 cap. 5 Mariana lib. 6 cap. 7. Alii nec referre id voluerunt, Vasæus, Garibajus, Marietta & Morgadus in Historia Hisp. lib. 1 cap. 9; sed concessisse Romam, ut videret Gregorium & ab eo videretur, verosimilius est. *Tamajus Salazar, etsi allegat* Lucam Tudensem & Breviarium Segobiense pervetustum, *tamen* merum *arbitratur* commentum; cum Quintanadueñas. Et haud quaquam, *inquit* est credibile, tam insigne facinus antiquiores, Braulium & Hildephonsum, reticere. *Ideo auctor bene præfatur hac formula*, ut fertur, *sub dubio rem, ut acceperat, narrans.*

d *Explicat hæc Isidorus lib.* 4 *cap.* 4, *& vocat* tres hæreses medicorum.

E

e *Idem lib.* 5 *cap.* 1 *agit de Auctoribus legum, iisque interserit* Lycurgum, *hic omissum.*

f Phærecidem Syrum, *lib.* 1 *cap.* 37 *dixit* primum apud Græcos soluta oratione scripsisse; *& cap.* 41 *addit* claruisse iis temporibus, quibus Esdras Legem conscripsit. *Vide Vossium de Scriptoribus Græcis lib.* 4 *cap.* 4.

g *Lib.* 17 *cap.* 9 *de herbis aromaticis agens, vult* mandragoram dictam, quod habeat mala suaveolentia.

h *Referuntur retrogrado ordine Concilia, de quibus recto ordine agit ipse lib.* 6 *cap.* 15,

i *Coluntur hi pugiles*, Athanasius 2 *Maji*, Eusebius 1 *Augusti*, *&* Hilarius 13 *Ianuarii.*

k *De* Leovigildo *seu* Leuvigildo *Rege, consule Acta S. Hermenigildi filii, ejus jussu martyrii coronam adepti* 13 *Aprilis.*

l *Paulus Diaconus Emeritensis, libro de Vita & miraculis Patrum Emeritensium, latissime deducit res gestas* S. Masonæ: *qui inscriptus est Martyrol. Hispanico Tamaji ad kalendas Novembris.*

F

CAPUT III.

Orthodoxa fides per S. Isidorum propagata, ejusdem, cellula clausi, vita.

11 AUdiens autem reverendus Doctor Leander fortissimi juvenis Isidori constantiam, in Domino gavisus, orationibus continuis Dominum precabatur, ut ipse, qui in servi sui tenera juventute inceperat mirabiliter, cælesti eum robore confortaret, atque per eum Ecclesiæ suæ optatum dignaretur, prostratus inimicis hæreticis, annuere benigne triumphum. Misit ei itaque epistolam, in qua prænonet, mortem pro fide Catholica quidquam non esse timendum. Beatus vero juvenis, tam orationibus Prælati & fratris, quam exhortationibus & epistolarum adminiculo confortatus, neque in adversis frangebatur neque levabatur in prosperis; sed in iis omnibus, ac si in epularum delectatione, lætus & hilaris apparebat. Debellata itaque Arianorum insania, unum & verum Deum Filium, cum Patre & Spiritu sancto

epistola S. Leandri fratris confirmatus,

in

A in unitatẽ eſſentiæ ſempiternaliter permanentem, ſanctarum Scripturarum auctoritatibus, & ſeptem liberalium artium rationibus, nec non philoſophorum conventionibus, apertiſſime declarabat, & Romano Pontifici, loco B. Petri à fidelibus ſubſtituto, ac univerſis Eccleſiarum Prælatis ab eodem cæleſti inſtitutore miſſis divinæ paginæ teſtimoniis approbando, fidelibus populis obedire ſuadebat. Hic etiam Prælati ſui fratriſque Leandri ſic eſt executus vices, ſic onera levigabat, ſic veſtigiis inhærebat conſtantiæ, ut carcere, minis, tormentis & gladio perſecutorum ſpretis, ſereniſſimi Principis Recaredi, impiiſſimi Regis Leovegildi filii, ſecurus adiret præſentiam; & pocula verbi Dei aſſidue propinando, ab Ariana hæreſi revocaret, & fidei Catholicæ documentis redderet obſequentem. Formidoloſi autem Regis Leovegildi, qui ſe cunctis vitiis mancipaverat, & aures ſuas ſpinis diabolici erroris obturaverat, ne audiret bonum; non ſolum eſt niſus debellare proterviam; verum adhoc uſque, totius regni primates gladio ſpiritus exaſperando commovit, ut eorum inſiſtente perfidia, in necem piiſſimi ac ſereniſſimi Principis Hermenegildi filii ſui, pro fide Catholica vinculis mancipati, hujus Iſidori amiciſſimi, (quia eum B. Leander à fœce Ariana erutum in fidem Catholicam confirmaverat) impiiſſimus pater & tyrannus parricida inſurgeret; & ad exequias glorioſiſſimi Regis & Martyris, miniſterio Angelico celebratas, manifeſtæ perfidiæ culpam, exemplo Judæ proditoris, non pœnitens ſed pœnitentia ductus agnoſceret. Veniens namque Toletum, cæleſti urgente judicio, atrociſſima percuſſus infirmitate, inter torſiones & ejulatus ſimul cum ipſis interaneis miſerabilem evomuit *a* animam, atrociſſimis flammis & vermibus, ut credimus, æternaliter cruciandus; quo præceſſit ſeductor ſuus nefandiſſimus Arius.

Recaredo Principi fidem prædicat,

eaq; poſt S. Hermenigildi & Leovigildi mortem

B

a

12 Mortuo igitur Rege Leovegildo, factum eſt ut revertentem à Carthagine triumphatorem ſuum Leandrum læta ſuſciperet Hiſpania; & ſubſtituto in regno Catholico Recaredo, Hermenegildi Regis & Martyris fratre, fortis Iſidori victoria redditur, nuntiata Eccleſiæ pace cum fidelium tripudio; exterminata à totius regni confinibus, cum debito dedecore, Ariana perfidia. Revocantur itaque exulantes Præſides, Eccleſiæ adornantur, fideles devotiſſimi eum Patribus gratulantur, omnipotentis Dei clementia magnifice collaudatur, qui tantæ virtutis conſtantia Iſidorum roboravit. Beatus autem Leander, operibus caritatis & verbo prædicationis, Chriſtianiſſimo Regi Recaredo, qui loco patris eumdem Leandrum ſibi præpoſuerat, gentibus Gothorum, quibus ſemper patrio inhæſerat affectu, & populo Hiſpalenſi, quorum curis invigilabat ſpecialius, in ſolicitudine, in caritate non ficta devotiſſime inſiſtebat; & ut Patrem & Filiũ & Spiritum ſanctum, trinum ſecundum perſonarum diſtinctionem, & unum ſecundum majeſtatis divinitatem, Deum eſſe crederent ſuadebat: quibus credentibus, prior inſtituit illis præcepta, & *b* eccleſiaſtica officia. Ipſo etiam tempore Suevi, unda baptiſmatis per *c* eum jam loti, Galleciam obtinent. Cernens igitur Leander, admirabilem Iſidori conſtantiam tantis fulgurare virtutum augmentis, neſcio ſi quo præventus præſagio, ne ſe dimiſſo, prædicationis cauſa aut ob aliud aliquid exteras peteret regiones; vel quia, ut credimus, ſe ab infantia mente & corpore Virginem Domino conſecraverat, ne ſaltem levi inter turbas poſſet famine maculari; aut ne qui extiterat perſecutionis tempore robuſtiſſimus, levis auræ humana favoris elatus jactantia, in tranquillitate poſitus, frangeretur; in cella, ut fertur, ab eodem Iſidoro conſtructa, bonæ indolis adoleſcentem recluſit. Hoc autem factum tam piiſſimus Rex Recaredus, quam plures Eccleſiarum Prælati ægre ferentes, cum animi moleſtia ſubſtinebant: injuſtum enim cenſebant tanti Patris placitis contraire. Murmurant Clerici muſſitando, obſiſtit populus conclamando, lucernam clariſsimam Iſidorum non debere ſub modio cellulæ vel etiam unius civitatis poni; qui ſplendore ſcientiarum & coruſcatione bonorum operum, ad totius orbis ſufficeret illuminationem; & qui tamquam aurum in fornace, ab impiis pœnarum tunſionibus probatus extiterat; non in cellula includendum, ſed in multarum gentium lucem proferendum, querulis vocibus clamitabant.

EX MS. TOLETANO.

cum admiratione & murmuratione altiorũ.

reducta, laetatur;

C

b

c

13 Reverendus autem Pater Leander, ut gravitatis pondere preſſus, non pie Regi Recaredo, non Eccleſiarum Prælatis, non regni Principibus, non muſſitationibus Clericorum nec populorum vocibus ceſſit: Spiritus enim ſancti gratia præventus ipſe, ſciebat quid eſſet facturus. Denique ei eruditiſſimos in omni facultate providit magiſtros, à quibus audiendo, cum quibus etiam diſputando, conferendo, quibus opponendo & reſpondendo, quoſque interrogando, ſiquid minus didicerat, poſſet addiſcere corrigendo. Mira res! omnis quippe, qui docturi eum de ſua ſcientia præſumebant, ab eo mirabiliter docti, de incrementis doctrinæ copioſius gaudebant. Venerabilis vero Rex Recaredus, juxta cellulam beati viri aſſidue aſſidebat; & à fontibus Salvatoris, almo Iſidoro effluente, Sanctæ Trinitatis fidem piis hauſtibus per feneſtram hauriebat; & non immemor auditorum, cupiens Filio Dei duplicatum reportare talentum, populis ſibi ſubjectis pocula vitæ æternæ, quæ acceperat, fideliter effundebat. *e* Erat namque cultu religionis præditus, & paternis moribus longe diſſimilis: nempe ille irreligioſus, & bello promptiſſimus; hic fide pius, & pace præclarus: ille armorum artibus gentis imperium dilatans; hic glorioſus eamdem gentem fidei trophæo ſublimans. In ipſis enim Regni ſui exordiis Catholicam fidem adeptus, totius gentis populos, inoliti erroris labe deterſa, ad cultum rectæ fidei revocavit. Synodum *f* deinde omnium Epiſcoporum ad condemnationem Arianæ hæreſis, de diverſis Hiſpaniæ & Galliæ Provinciis congregavit: cui Concilio idem religioſiſsimus Princeps interfuit, geſtaque ejus præſentia ſua & ſubſcriptione firmavit. Hic virtutibus adornatus, omnes quos Deo caros ſciebat, honoribus extollebat, quos vero ſuperſtitioſos, coram omnibus arguebat; ut ceteri timorem acciperent: qui non Patrem perfidum, ſed Chriſtum Dominum ſequens, horrebat & execrabatur Arianam inſaniam, & à toto regno ſuo turpiter expellebat. Tantam in vultu gratiam habuit, tantam in animo geſsit benignitatem, ut in omnium mentibus influens etiam malos ad affectum amoris ſui attraheret; adeo liberalis extitit, ut privilegia & Eccleſiarum prædia, quæ pater ſuus fiſco aſſociaverat, jure proprio reſtauraret; adeo clemens, ut populi tributa ſæpe indulgentiæ largitione laxaret, opes ſuas in miſeris & theſauros ſuos in egenis recondens, ſciens ad hoc illi fuiſſe collatum regnum, ut eo ſalubriter frueretur. Hæc ad laudem Dei noſtri & confeſſorum ejus Leandri & Iſidori, qui talem à Domino diſcipulum obtinere meruerunt.

erudit ſuos magiſtros

E

& Recaredũ Regem,

f

F

præclariſſimũ Principem effectum:

ANNOTATA.

a S. Leandro cella includitur.

a *Nicolaus Antonius Annotat*, de morte Leovigildi conſulendum Ambroſium Morales lib. 11. cap. 11, & quæ congerit Bivarius ad Maximi Chronicon anno Chriſti 587. *Nos nonnulla attigimus ad Vitam S. Hermenildi* 13 *Aprilis.*

b *Idem.* Leandrum primum auctorem agnoſcere videtur eccleſiaſtici Officii, quo dehinc Gothi uſi

EX MS. TOLETANO.

A

usi sunt: quod vulgo Isidoro tribui solet. *Porro, teste Mariana lib. 6 cap. 5, in concilio 4 Toletano, decretum erat:* Missale & Breviarium unum esto in Hispania: ejus rei perficienda cura, quoniam Isidoro, qui primas partes in eo Concilio tenuit, creditur esse demandata; usus obtinuit, ut Missale & Breviarium Mozarabum, hoc est ex antiquo Gothorum more conservatum, sacrorum precumque diurnarum & nocturnarum ritus Isidoro tribuantur, tametsi nonnulla Leander invenit, plura progressus temporis addidit.

c *Illustravimus ad diem* 20 *Martii Acta S. Martini Dumiensis, Archiepiscopi Bracarensis; & ostendimus, auctoritate Gregorii Turonensis & S. Isidori, Suevos in Gallæcia degentes cum Rege Theodemiro ad fidem orthodoxam conversos. An aliquid eo contulerit S. Leander, alibi non legimus. Potuit tamen fecisse, quando regnum Suevorum deletum sub Leovigildo & in Gothos translatum, permansit sub Recaredo Rege Catholico.*

e *Sequentia ex Isidori Chronico transcripta sunt.*

f *Concilium Toletanum* III *Æra* 627, *Recaredi anno* 4, *Christi* 589 *celebratum.*

CAPUT IV.

S. Leandri Episcopi Hispalensis obitus, & libri scripti. Successio S. Isidori.

B 14 VIdens itaque humani generis inimicus, se suosque à Sanctis Confessoribus, per Recaredum Regem, quem ante subditum habuerat, persequi; duos Comites inclytos opibus & nobiles genere, profanis tamen mentibus & ignobiles moribus, Ganvistan videlicet & Vulgernun, una cum Ariano Episcopo *a* Athalco nomine, contra Regem Recaredum concitavit: qui congregata multitudine Francorum, ob vindictam Arianæ vesaniæ, urbis Narbonæ circum adjacentes regiones devastantes, & innumerabilem Clericorum, Religiosorum & Catholicorum trucidantes multitudinem, etiam piissimo Regi Recaredo regnum præripere nitebantur. Contra quos glorioſissimus Recaredus, misso *b* Claudio Emeritensi Duce, glorioso triumphavit eventu. Nam prostratis consternatisque de inimicis fere *c* sexaginta millibus, in Hispaniam cum gloria magna regressus est. Post hoc remotis ab omni parte tempestatibus, desideratam Dominus populo suo largiri dignatus est pacem. Dum hæc ita se gererent, & multa Catholicæ Ecclesiæ favente Domino tranC quillitas redderetur, & Arianæ hæresis calamitas ab omnium pene mentibus discuteretur, atque urbs Hispalensis una cum sanctissimis Confessoribus pro tantæ tranquilitatis gratia congauderet, & Domino indesinenter gratias referret innumerabiles, eumdem Venerabilem Antistitem Leandrum, Domino vocante, contigit ægrotare. Cumque diem extremum sui felicissimi laboris in proximo venturum agnosceret, venerabilem fratrem suum Isidorum, solatii ac benedicendi gratia & ut se ejus orationibus commendaret, à cellula educit, & sibi præsentari precatur. Quod cum beato Isidoro retulissent, cujus jam tota mens cælis inhærebat, & parvam cellulam omnibus temporalibus divitiis præponebat, repulit eos à se dicens, Scitote, fratres, me ab hac cellula minime egressurum, quamdiu frater meus in hujus peregrinationis corpore superstes steterit: ipse enim hoc proposito sacramenti firmavit. Beatus autem Leander; pastoralibus jugiter curis expletis, post receptionem Dominici corporis & sanguinis, felicissime in Domino obdormivit. Hoc autem prætermittere jam dudum non existimo, quod hic clarissimus Doctor Leander *d* fuit ab eodem patre Severiano, quo & Isidorus, genitus, professione monachus, & ex strenuissimo monacho, multo populorum conamine, ipso renuente Hispalensis Ecclesiæ constitutus est Episcopus. Vir hic suavis eloquio, ingenio præstantissimus, vita quoque atque doctrina fulsit excellentissimus; ut etiam fide ejus atque industria, populi gentis Hispanorum per eumdem beatum adolescentem fratrem suum Isidorum, ut superius scriptum est) ab Ariana insania ad fidem Catholicam reverterentur. Hic namque in exilii sui peregrinatione composuit duos adversus hæreticorum dogmata libros: eruditione sanctarum Scripturarum ditissimos, in quibus vehementi stylo Arianam impietatem confodit ac detegit; graviter ostendens scilicet, quid contra eosdem habeat Catholica Ecclesia, vel quantum distet ab eis religione, vel fidei sacramentis. Extat & aliud laudabile ejus opusculum, adversus instituta Arianorum, in quo propositis eorum dictis suas responsiones opponit. Præterea edidit Florentinæ sorori suæ, de institutione Virginum & contemptu mundi, libellum, titulorum distinctionibus prænotatum; siquidem & Ecclesiasticis officiis idem non parvo laboravit studio: in toto autem Psalterio duplici editione orationem conscripsit; in sacrificiis quoque, laudibus atque psalmis multa dulcisono carmine composuit. Scripsit etiam epistolas multas ad Papam Gregorium, & de beatitudine unam, in quibus ab eo Archiepiscopale pallium & libros de expositione Beati Job librumE que pastoralis regulæ popposcit; & ut pro eo ejus fieret ad Dominum intercessio, pro morbo podagrico, quo admodum vexabatur, frequentissime exoravit. Quæ omnia à Beato Papa Gregorio, qui eum tenerrime diligebat, impetravit. Alteram vero, ut in ante dictis prælibavimus ad fratrem suum Isidorum direxit epistolam, in qua præmonet cuiquam mortem non esse timendam. Ad ceteros quoque Episcopos plurimas promulgavit familiares epistolas, & si non satis splendidas verbis, acutas tamen sententiis. Sub Recaredo Rege Carholico, Romani Pontificis vicibus in Hispaniis fungens, floruit: cujus etiam tempore mortalis vitæ terminum clausit. *e* Pridie idus Martii.

15 Translato igitur inter Angelos B. Leandro, Hispalensis Metropolis tanto destituta Patrono, die noctuque preces Domino effundebat, quatenus populo suo misertus, eis Pastorem fidelissimum provideret, qui non solum Cathedrali dignitate, verum etiam morum sanctitate B. Leandro successor existeret. Huic vero petitioni eorum pius Dominus minime defuit, misericorditer eis annuens postulata. F De tanti etiam Patris decessu adjacentium *f* parochiarum Episcopi admodum condolentes, convenerunt in unum, cum Clericorum & religiosorum convocatione, ut secundum sanctorum Patrum instituta eidem Ecclesiæ idoneum Præsulem eligendo providerent. Horum siquidem electioni confirmandæ Rex serenissimus affuit Recaredus, una cum Principibus & Hispaniarum nobilibus viris. Sed populus civitatis, quod conceperat animo non valens subticere, majorum vota præveniens, interim conclamabat, dignum Dei famulum Episcopatu Isidorum, qui in juvenilibus annis pro fide Catholica viriliter egit, & innumeras pro ejusdem fidei defensione ab impiis substinuit pœnas. Regis autem & Episcoporum & Principum eadem erat voluntas, una concordia, eademque sententia, & Isidorum Episcopatu esse dignissimum, qui tam exemplo boni operis quam sermone sanctæ prædicationis, totam erudiret Hispaniam, testabantur: & ad B. Isidorum accedentes, cum humilitate & reverentia, communem omnium insinuant voluntatem; suadentes eum

onus

debellata hæresi Ariana

a

b

c

d

S. *Leander è cella evocat S. Isidorum;*

virtuteque & doctrina

ac variis scriptis libris clarus,

sancte moritur mense Martio.

e

S. *Isidorus ab Episcopis provincia*

f

in Episcopũ eligitur.

onus Archipræſulatus, ad totius Hiſpaniæ ſalutem,
A ſubire. Sed ille, qui omne ſublime haud ſecus quam ſuum præcipitium declinabat, nulla ratione eorum deſideriis præbebat aſſenſum. Ad hoc Reverendus Princeps & almi Pontifices, videntes ſe ſuaſionibus nil poſſe proficere, non ferentes ultra, convocatis civibus uno ſpiritu ad eumdem convenerunt Iſidorum, parati vim facere. Concurrentes itaque populi, concitato clamore beati viri cellulam dirimunt; atque, prout poterat, reluctantem, in voce jubilationis ad eccleſiam perduxerunt. Clamabat eminus Dei ſervus, volens excuſationis prætendere rationem; ſed incaſſum, quia continentium aures ſuas populorum lætantium voces invaleſcebant.

& invitus è cella extrahitur:

16 Perpendens itaque Chriſti præco, ſe nulla poſſe ratione reſiſtere, coactus ceſſit; atque in Hiſpalenſem Antiſtitem cum veneratione magnifica eſt electus, totus inſignis, totus ſignatus, totus celeber, totus pulcher, totus amabilis, totus deſiderabilis; inſignis origine, honeſtate, honore & majeſtate; ſignatus natura, dignitate, gratia & diſciplina; celeber doctrinis, eloquiis, præmiis, & præconiis; pulcher habitu, aſpectu, delectu, & cultu; amabilis obſequio, alloquio, conſiliis, patrocinio; deſiderabilis ſpecie, deſiderabilis bonitate, innocentia vel juſtitia; deſiderabilis perfecta charitate. Talis eligitur, talis deligitur, talis cogitur, trahitur, adoptatur; talis in-
B fulatur. Diriguntur præterea nuntii ad glorioſiſſimum Gregorium venerandæ urbis Romanæ Papam, ut confirmata electione, de benedictione B. Petri Apoſtoli pallium Iſidoro ſibi amiciſſimo Archiepiſcopale transmittere dignaretur. Sanctus vero Gregorius Papa, de electione ſibi dilecti Iſidori admodum gaviſus, Deo gratias egit, & nuntiis honorifice ſuſceptis electionem confirmavit; *g* [pallium] cum poſtulatis dirigens, etiam ut primatiæ honorem in Hiſpaniis exequeretur, conceſſit.

dignuſque conſecratur

approbante S. Gregorio Magno.

g

17 Decoratus igitur infula Præſulari quantus vixerit, quantus extiterit, quantum profecerit, quantaque fecerit, Pontifex aſſerat, Præſul affirmet, probet Antiſtes, Epiſcopus teſtetur: declaret virtus Pontificem, prodat ſcientia Præſulem, doctrina fateatur Antiſtitem, mores eloquantur Epiſcopum. Erat enim ſemper prudens, ſemper conſtans, ſemper modeſtus, ſemper juſtus: prudens diſcernendo, prudens eligendo, prudens diligendo, prudens inhærendo; conſtans tolerando, conſtans reſiſtendo, conſtans cædendo, conſtans perſequendo; modeſtus appetendo, modeſtus inquirendo, modeſtus utendo, modeſtus parcendo; juſtus meditando, juſtus loquendo, juſtus operando, juſtus perſeverando: probus ubique, devotus
C ubique, utilis ubique, expertus ubique; promptus ad incipiendum, promptus ad obediendum, promptus ad agendum, promptus ad inſiſtendum: devotus ad meditandum, devotus ad proloquendum, devotus ad orandum, devotus ad poſtulandum, devotus ad obediendum, devotus ad impetrandum: utilis ad perſuadendum, ad diſſuadendum, ad diſpenſandum, utilis ad compenſandũ; expertus ad evellendum & ædificandum, expertus ad plantandum. Præoculis ſemper habens paſſiones filii Dei, non inani gloria elevabatur: nam, omnium ſe ſervum exhibens, plus amari appetens quam timeri, atque magis prodeſſe quam præeſſe, cunctis amabilem & benignum ſe præbebat; jejuniis, orationibus, & ſanctarum Scripturarum meditationibus inſiſtens; ex viliſſimis cibis non ad cupiditatem, ſed ad neceſſitatem parum ſumens; ſibi parcus, aliis largus nominabatur: eamdem morum gravitatem quam prius, eamdem ſectabatur humilitatem. Idem enim conſtantiſſime perſeverabat, qui prius fuerat; & creſcente dignitate, augebantur ei Spiritus ſancti dona; atque ita plenus auctoritate & gra-

excellit in omni genere virtutum,

tia, ubique laus ſanctitatis ejus & lucerna indefi- EX MS.
cienti lumine accenſa, jam non ſub modio poſita, ſed TOLETA-
ſuper candelabrum conſtituta, ubique cunctorum NO.
laudibus ferebatur; ita ut etiam multorum Doctorũ præclariſſimæ lucernæ, ſuo ſplendidiſſimo lumine de bono in melius magis ac magis accenſæ, igne ſancti Spiritus conglobato, ſplendifluę redderentur. Cũctorum etiam ſe debitorem aſtruens, præter alios hoc dono radiantes, inerat ei quaſi proprie proprium, ſcilicet gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: & miſerorum ærumnas, compaſſione pia in ſe tranſumptas, potius ipſe quam illi ſentiebat; & eleemoſynarium largiflua donatione pietatis ſtudio detergebat. Tanta ſiquidem aderat illi copia largiendi, & continua hilaritas tribuendi, ut in multorum admiratione nullus valeret percipere, neque etiam ipſi familiares ejus, unde tantorum cenſuum ſibi largitas proveniret. Quantum vero largus per omne vitæ ſuæ tempus extiterit, ſoli Deo reſervatum eſt noſſe. Didicerat enim ſerenſſimos mores, plus in tribuendo quam in accipiendo gaudere, Sibi parcus & quodam modo avarus, cunctis vero affluens, ditabat munificentiis univerſos. In proſperis & adverſis unus vultus ejus ſemper; clara hilaritate præventus cunctis lætior occurrebat. Non illum cunctis virtutibus inimica elatio aſſerebat; ſed in omnibus placidam prætendens humilitatem, potentiſſimis & pau- E
peribus cariſſimus habebatur. In tanto etiam Apoſtolatus culmine ſublimatus, non ad cathedram, ſed ad curam; non ad honorem, ſed ad onus; non ad principandum, ſed ad ſerviendum; non ad ſubditorum marſupia evacuanda, ſed ad facinora extirpanda; non ad quietem, ſed ad laborem; non ad diverſorum ſaporum fercula vel pocula exquirenda, ſed ad divina præcepta populis demonſtranda ac ſuadenda, & ad pauperibus Chriſti temporalia ſubſidia provide adminiſtranda, Epiſcopi dignitate ſe vocatũ, non minus operibus quam ſermonibus fatebatur.

ANNOTATA.

a *Gregorius Turonenſis lib. 9 Hiſt. Franc. cap. 15 appellat* Athalocum, Arianæ ſectæ Epiſcopum, qui, cum ad conſentiendum paucorum faveret adulatio, commotus felle, ingreſſus in cellulam ſuam, inclinato ſuper lectulum capite nequam ſpiritum exhalavit. *Huic Epiſcopo videntur adhæſiſſe* Ganviſlan & Vulgernus, *licet alii eorum non meminerint, & ab illis excitati Franci in Narbonenſem ſeu Gothicam provinciam irruiſſe.*

b *Ioannes Biclarcenſis* Claudium Luſitaniæ Ducem *appellat. Iſidorus* Claudium Ducem. F

c *Biclarienſis*. Sexaginta millia ferme Francorum noſcitur infugaſſe, & maximam eorum partem gladio trucidaſſe. *Iſidorus tot advenisſe ait; addens*, Nullam unquam in Hiſpaniis victoriam Gothorum vel majorem vel ſimilem extitiſſe.

d *Hæc, paucis hinc inde additis aut mutatis, tranſcripta ſunt ex elogio Iſidori de S. Leandro, in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis: ex quo nonnulla perperam hic ſcripta correximus. Ea autem ad S. Leandri Vitam illuſtravimus.*

e *Imo* tertio idus Martii. *ad quem diem vitam dedimus.*

f Parochiam *pro* diœceſi *uſurpari in Vitis Sanctorum & apud S. Hieronymum monuimus 6 Ianuarii ad Vitam* S. *Melanii cap. 1 litt. a. Ita præcipitur in Capitulis Caroli magni*, ut nullus Epiſcopus in alterius parochia ordinationes faciat.

g *Lectiones in Breviariis Hiſpanicis & Romano Cardinalis Quignonii*, eique pallium miſit in Hiſpaniam.

EX MS. TOLETANO.

CAPUT V.

Cura in institutione Clericorum, monachorum, laicorum. Iter Romanum. Pluvia impetrata. mortua resuscitata.

17 CIrca Clericorum vero & scholarium curam ita solicitus erat, ut ex ipsa vehementi invigilantia singulorum Pater probarent. Parum enim sibi videbatur vicinis Clericis scolaribus providere, quin etiam undique vocaret, ut magis haberet quibus sua impartiretur beneficia, quos per se ipsum in sanctarum Scripturarum paginis erudiret, & temporalibus alimoniis abundanter provideret. Concurrebant ergo Clerici, tantum Patrem, non solum audire, verum videre sitientes; qui benignissime patrio susceptos affectu hortabatur, ne ab eo prius discederent, quam in lege Dei edocti sibi & Catholicæ Ecclesiæ profuturi clarescerent; & ut removeret ab eis materiam vacandi otio, extra Hispalensem civitatem miræ pulchritudinis extruxit monasterium, à quo nulli scholari exeundi ante quadriennium licentia præbebatur. Quosdam autem eorum qui ditiores videbantur, & inesse recusabant monasterio; quos veritatis spiritu demonstrante, in Ecclesia Dei opere & sermone potentes futuros esse prævidebat; ne occasione comperta, vana quæque per gyrovagationem meditando, mentem à studio revocarent, ferreis astringebat compedibus. De quorum collegio sanctissimus quasi Lucifer emicuit *a* Ildefonsus, nec non & gloriosus Braulius Cæsaraugustanus Episcopus. Et quia non semper personaliter, pluribus emergentibus curis, pro ut optabat, poterat eis continuare doctrinam; ubicumque in lege Dei sedulos, & ad bella spiritalis certaminis aptos speculabatur magistros; multis honoribus attollendo humiliter precabatur, ut sui optati laboris non immemores, in scholaribus docendis continuarent operam efficacem. Non enim sibi videbatur nefarias hæreses à vinea Domini radicitus posse evelli, nisi Clerici & quique religiosi, fama sanctitatis & instantia prædicationis, populis insisterent. Fomes namque & occasio totius mali & hæresis, morum lapsus Clericorum & religiosorum, & segnis contemptus scientiæ Scripturarum extitit. Super religiosos quoque monachos, eremitas, atque secundum Patrum regulas seculo renuntiantes summo opere invigilabat, ne quis eorum inopia mergeretur, aut verbi Dei inedia deperiret, & necessitate compulsi, per diversa quæritando, lapides Sanctuarii dispergerentur; & color auri optimus, scilicet propositum sanctorum virorum, mutaretur, & pervagatione mediante sanctæ conversationis oblivisceretur; & concupiscentiis illecti & abstracti, secularibus curis implicarentur; & regularibus frænis laxatis, se diaboli subderent servituti. Sicut mater unicum amans filium, ita omnibus caritate annexus, pandebat uniquique eorum benevolentiæ sinum. Sicut gallina congregat pullos suos sub alis, ita protegebat eos à facie malorum: ne adversis pulsi incursibus vel egestatis pressi angustiis, paterno sublato præsidio, extra quam norma poscit, affligerentur. Sicut aquila provocat ad volandum pullos suos, ita ad cælestia desideria piis monitis animabat; ipse prius cælestibus operibus inhærendo super eos volitans, illius sanctissimi Apostoli Pauli exemplar secutus, ne forte, cum sine exaggeratione operum aliis prædicaret, judicio deprehensus Euangelico, dicens & non faciens, reprobus efficeretur. Quis namque sanctarum congregationum Frater, molestia animi vel corporis pressus, infirmabatur, ipso non ad sanitatis remedia succurrente? Quis inimici tentationibus scandalizatus urebatur, illo non studio pastorali aquam sanctæ prædicationis desuper effundente? Portabat onera subditorum, dignum ducens ipse solus in solicitudinibus seculi tribulari, ut sancti viri perturbatione submota, habentes victum & vestitum, soli Deo studerent placere; credens se eorum intercessionibus, si quid ei deerat, promereri. Quamvis, etiam suæ & aliorum consulendo saluti, mulierum pro posse vitaret præsentiam; quascumque tamen moniales vel religiosas in Dei laudibus cerneret permanentes, mira venerabatur affectione; & ne temporalium spiritualiumve sibi deesset copia, assiduis largitionibus providebat. Per Hispaniæ igitur regionem plurima nec non & pulchra ædificavit monasteria: in quibus utriusque sexus religiosorum turmas, ad laudem & gloriam divini nominis congregavit. Tradidit etiam eis *b* Regulam, quam ipse secundum Apostolorum instituta ediderat, quam pro loci varietate & Dei servorum viribus decentissime temperavit; docens unumquemque stare in gradu & gratia qua vocatus est; & in officio quo in seculo fungebatur (dum modo sit honestum) in monasterio quoque, secundum Præpositi sui imperium, si necesse fuerit, humiliter deservire.

18 Inde non contentus [prodesse] uni soli provinciæ, qui omnium fidelium utilitati se natum credebat; per civitates & regiones egressus, in sacris tubis novi & veteris Testamenti clangendo, ad cælestia desideria animabat electos; vel contra mundi rectores tenebrarum harum, ad spiritalia [bella] hortabatur. Ubique tuba personat Euangelii, ubique annuntiatur Christus, ubique Sanctæ Trinitatis laudes resonant, & non est qui se abscondat à calore ejus; quoniam in omnem terram Confessoris sonus exivit. Nam quos præsentia sui corporis illustrare non valebat, missis epistolis & nuntiis roborabat. Quidquid indecorum, quidquid incompositum, quidquid deforme, sed maxime legi Dei contrarium habuisset obvium, non parcebat oculus ejus: & ne crescendo augmentaretur solicitus, quam celerrime principiis obsistendo, delere de populo Christiano & exstirpare nitebatur. Sed & Apostolicas sanctiones, atque decreta Sanctorum Patrum, sanctæque Romanæ Ecclesiæ præcipue institutiones, in cunctis Hispaniarum Ecclesiis instituebat. Tradebat cælestia & humana jam strenuus legislator; leges dabat, modestiæ & honestati convenientes, præbens se ignem urentem, in consumendo nemora criminum; & aquam frigidissimam, in frigidando ardores tentationum. Denique quæ civitas, quæ solitudo, quæ *c* marka, quæ hujus Doctoris non senserit beneficia? Peragrans itaque Dei servus, fidelium mentes verbi Dei pabulo reficiendo, pauperes Christi in eleemosynis recreando, hæreticorum dogmata solicite persequendo, in universis Hispaniarum Provinciis; ad inclytam pervenit Romanam Urbem, summo Pontifice id humiliter postulante; qui quanto honore & reverentia à Romano Antistite & Cardinalibus fuerit receptus, non est nostræ differere valetudinis; sed ex officiis & dilectionis obtemperantiis erga eum exhibitis perfacile lector conjicere potest. Onere namq; totius curiæ sibi imposito, omnes se ei quasi patri pio, salva Apostolica excellentia, offerebant benigne, ut etiam, si liberet, genere nobilissimi, moribus famosi, dignitate præcipui, famulorum vices supplerent, & humilitate qua poterant ministrarent; dignum ducentes prudentissimi viri, ut quia pro fide Catholica & Ecclesiæ Romanæ honore

Clericos undique collectos instruit;

cogitque ad studia

adhibitis variis magistris:

eximiam curam gerit monachorum & sanctimonialium;

varia condit monasteria;

b

& iis regulam scribit.

alios Christianos per orbem juvat:

c

Romam profectus humanissime excipitur:

B

C

D

E

F

a

1 Cor. 9, 27

Matth. 5, 19

honore ipſum, deſpectis tormentis Principum, morti expoſuerat, & multis Scripturarum ſententiis matrem Eccleſiarum omnium comprobaverat; ab eiſdem Romanis condigno veneraretur honore. Placuit etiam cunctis ut Eccleſiæ Prælati ad ſanctam *d* Synodum convenirent, ut ſiquid inhoneſtum reperiretur aut ambiguum, cum eodem ſanctiſſimo corrigeretur Iſidoro; quem ſummo deſiderio in Romana Curia ad ſui decorem detinuiſſent, niſi in Eccleſiæ detrimento, ipſo inſinuante, hoc ceſſurum agnoſcerent. Dimiſſa itaque Synodo, quidquid voluit in Romana Curia ordinavit, & omnibus affectis mœrore dimiſſis, cum maximo honore & Apoſtolicis muneribus in Hiſpaniam regreſſus eſt. Experti ſiquidem erant eum inter ceteras virtutes prophetiæ ſpiritu clareſcere, & ita multa de futuris, tamquam eſſent hiſtorialiter acta, magis euangelizare quam prædicere videbatur. Revertente autem eo factum eſt gaudium magnum & tripudium in Eccleſia Hiſpaniarum.

d interfuiſſe alicui Synodo dicitur;

19 Cum autem ſanctus Doctor ad Galliarum fines appropinquaret, mire magnificavit Dominus agere cum Sancto ſuo. Cum enim Galliarum & Hiſpaniarum provinciæ ſiccitate aëris nimia laborarent, & ex pluviæ defectu fruges, arbores, atque herbæ areſcerent, & homines ex ipſa intemperie gravem corporis ſuſtinerent moleſtiam; ſancti Antiſtis audientes adventum, læti & alacres, de ſolita Domini pietate confiſi, qui in ſervo ſuo ſemper operabatur inſignia, cum crucibus & lampadibus de ſingulis civitatibus ei obviam procedebant, poſtulantes ut pro eis ad Dominum preces fundere dignaretur. Narbonenſes vero, prope eo veniente, clamabant dicentes; O pie Hiſpaniarum Doctor Iſidore, tuis ſanctis orationibus fuſis ad Dominum, ab imminentibus periculis erue nos: adveniſti deſideratus, per te ubique à Domino ſolita præſtentur beneficia. Beatiſſimus vero Doctor, ut erat compaſſione promptus, imperat ſilentium; & verbi Dei cibaria eſurientibus apponit populis, admonens eos, ut una ſecum Domini invocantes miſericordiam, ſanctæ Trinitatis fide præambula & omni hæſitatione poſtpoſita, Filii Dei poſcerent beneficia. Inde vir ſanctus, elevans manus ad cælum, Dominum precabatur, quatenus ad gloriam ſancti ſui nominis, populo ſuorum peccatorum remiſſionem, corporis ſanitatem, aëris temperiem, pluviarum largitionem, atque fructuum abundantiam dignaretur impartiri optatam. O mira virtus orationis ſanctorum! Cum enim aëris ſerenitas nimia eſſet, & ſolis ardore æſtuarent univerſa, poſt tonitruorum repentinos mugitus ac fulguris contiguos ictus, tanta ſubſecuta eſt aquarum inundantia, ut quis non vidit temporibus retro actis hujus pluviæ comparationem. Beatus vero Confeſſor, ictibus fulguris undiq; agitatus, totus ardere videbatur. At omnes timore mortis exterriti, Sancto relicto, ad eccleſias confugerunt. Qui autem ægroti humeris bajulantium ſubſidia beati Patris expetentes advenerant, ſuæ immemores imbecillitatis etiam ceteros fugiendo præcurrebant cum merito: omnes enim B. Iſidori obtentu priſtinæ erant redditi ſoſpitati. Ceteri vero, in infirmorum ſanitate perpendentes à Deo factum miraculum, animati viribus ad Sanctum accedere cupiebant: ſed nullus erat, qui præ foribus auderet progredi, coruſcatione ſimul & pluviarum inundantia prohibente. Superſedens itaque Chriſti præco uſque quo imbres ceſſarent, concurrit ad eum univerſa multitudo, laudantes in Sancto mirabilia noſtri Salvatoris. Beatus vero Pontifex eos blande exhortabatur, dicens; Ecce, fratres, quantum obtinet ſanctiſſimæ Trinitatis fides intemerata. In nomine individuæ Trinitatis petiſtis, à tribus vel pluribus erui periculis, & tria vobis à Domino & etiam plura ſunt collata beneficia; ſcilicet ſanitas corporis, aëris temperies, & exuberans frugum ac fructuum abundantia: præterea, quod ſanctius ac carius amplectendum, ſi illibatam fidem ſervabitis, peccatorum indulgentiam conſequemini, & bravium remunerationis æternæ. Nunc igitur, confirmate corda veſtra in caritate Chriſti filii Dei, & nullatenus circumveniamini à ſeductoribus, qui circuerunt mare & aridam, ut faciant unum proſelitum, æternis flammis horribiliter concremandum. Lupi ſunt infauſta edacitate voraciſſimi, qui non veniunt niſi ut mactent & perdant, exterminantes facies ſuas, ut appareant jejunantes hominibus, & per hoc facilior eis decipiendi aditus reperiatur. Hæc & his conſimilia perorans Sanctus venit ad hoſpitium, ut refeſſa membra refoveret. Populus interim per vicos & plateas Dei noſtri magnalia collaudantes, maledicentes, deteſtantes eos, qui Dei & Virginis filium Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, vel ſola cogitatione Deum eſſe verum, cum Patre & Spiritu ſancto permanentem in æternum, negarent. *e*

In Gallia in magna ſiccitate

rogatus precem fundere

20 Cum appropinquaſſet almus Doctor ad Hiſpalenſem civitatem, obviam ei proceſſit utriuſque ſexus populorum multitudo, Clericorum, ſcholarium, monachorum & laicorum: qui in hymnis & laudibus, in voce jubilationis & tripudii, eum ſuſceperunt cum gaudio magno. Concurrentibus itaque omnibus, ut ſancti Patris tangerent fimbrias, ex compreſſione turbarum, quædam mulier prægnans præfocata ſpiritum exalavit. Quod ſanctus cernens, ut erat miſericordiæ viſceribus affluens, ubertim flevit, verba orationis ad Dominum tacitus fundens. Poſt aliquantulum vero ſpatium mulier ſurrexit, voce magna dicens; Benedictus tu, Pater ſancte Iſidore, & benedictus ſermo oris tui: ſacris namque orationibus tuis ego, & quem geſto in utero, non ſolum præſenti vitæ redditi, verum etiam de manu ſumus eruti inimici. Populus ad mulierem converſus, ſciſcitabantur qualiter eveniſſet ei. Ad quos illa; Egrediente, inquit, anima mea & filii mei, qui in utero eſt, de corpore, caterva dæmonum affuit, qui nexibus igneis nos ad pœnarum loca rapere parabant; & glorioſiſſimo Patre noſtro pro nobis orante, audita eſt vox dicens, revertantur animæ horum in corpora ſua, quoniam amicus Dei Iſidorus orat pro illis. Quo audito unus Angelorum ſanctorum, qui ſemper ſunt cum beatiſſimo Doctore Iſidoro, nos ad corpus reduxit. Elevans itaque omnis populus vocem in cælum, laudes clarius Altiſſimo perſonando, eum in urbem duxerunt. Tantam ſiquidem pacem per eum Dominus contulit Eccleſiæ, atque tantum intu it terrorem univerſis ſuperſtitionis filiis, ut funditus ab Hiſpaniis omni extirpata hæretica pravitate, nullus reperiretur, qui vellet vel auderet hæreſim nominare. Et ne aliquod miſericordiæ opus vir ſanctiſſimus inexpertum prætermitteret, ſi qua de puellis ſecularibus præ inopia infamem cogeretur ducere vitam, Dei miniſter celerrime præveniendo, miſerabilia reſcindebat vota, nuptui vel monaſterio, pro ejus electione, tradendo. Si quem etiam de laicis in lege Domini voluntarium reperiſſet, nimia veneſabatur dilectione, & inter ſuos ſecretarios amicabiliter annotabat. Innumerabiles fere ſqualore carceris maceratos vel etiam captivos, large datis muneribus, liberavit; & alieno ære illaqueatos, credi-

mulierem prægnantem à morte ſuſcitat

exercet opera caritatis;

EX MS. TOLETANO.

& adhortatur ad fidem ſinceram & virtutes amplectendas.

e

E

F

mox pluvias impetrat,

ægros ſanat,

EX MS. TOLETANO.

creditoribus data pecunia, utroſque gaudentes effecit. Reformandæ etiam pacis inter diſcordantes erat illi maxima cura: & nunc eccleſias conſtruendo, nunc monaſteria reſtaurando, nunc pontes innovando, veritatis operarius ſolicitus permanebat; illud Salomonicum ſuis ſæpius proponendo, multa mala docuit otioſitas. Tanta erga eum Reges & Principes vincti tenebantur dilectione, propter Apoſtolicam qua fungebatur auctoritatem, ut eum patrem humiliter venerarentur ſanctiſſimum, & quæque ab eo ſibi imperata perficerent cum ſumma devotione. Hinc in Principibus florentem obedientiam cerneres monachorum, dum qui Regis vel alicujus Principis incurriſſet offenſam, & per alia ei reconciliari nequiviſſet, ad extremũ refugium ſecurus accedebat Iſidorum. Quis umquam ad eum peccator mœſtus, turbulentus, vel deſperatione ſuffoſſus acceſſit, & non in verbis gratiæ, quæ melliſluo ejus ore effluebant, ſtatim viribus reſumptis, ſpe veniæ & gratiæ animatus, lætus & hilaris & ex animi contritione juſtus effectus, gratias agens, repletus bonis diſcedebat? Quicumque ad eum cujuſcumque profeſſionis accedebant; ſuæ aſſiduitate viſionis & uſu locutionis atque exemplo boni operis, ab ambitione temporalium quieſcebant; & veritatis lumine ſuccenſi, in deſiderium æternæ lucis inardeſcebant. Quantæ autem extiterit virtutis & miraculorum vibratione coruſcus, ſi omnes humani corporis artus verterentur in linguam, proloqui non auderent. Præterea futurorum providens utilitati, innumerabilibus fere ſententiis & verbis præclaros edidit libros, quos enumerare longum eſt, tamen eos Beatus Braulius Cæſar-auguſtanus Epiſcopus in parte enumerat. Scriptis poſtquam edidit alphabetum *f* Papiæ judicum, alphabetum verbalium, alphabetum Theologicarum diſtinctionum, atque alphabetum librorum; oratione finem faciens, orationis ſcripſit alphabetum, futuros plangens Gothicæ gentis errores, ſimul everſionem, in quo quotidie Domino pſallebat, quod in hoc opere duximus annotandum.

Ecli. 33, 29 amatur à Regibus & Principibus

omnibus benevolus:

varios edit libros,

& inter hos Alphabetum orationis

B

ANNOTATA.

a *Coluntur S. Ildephonſus 23 Ianuarii, & S. Braulius ſeu Braulio 18 Martii: ad quorum Vitas hæc latius indicantur.*

C

b Regula S. Iſidori *extat inter opera ejus, & ſeorſim parte 2 Codicis regularum à Luca Holſtenio editi. Citant eum Benedictus Anianenſis Abbas, in Concordia Regularum & Smaragdus monachus, in commentario ad Regulam S. Benedicti.*

c Marka *ſeu* Marcha *pro limite provinciæ, aut integra limitanea provincia, accipitur paſſim in Actis Sanctorum. Conſule dicta 6 Februarii ad Vitam metricam S. Amandi per Milonem cap. 2 lit. b.*

d *Fuiſſe anno 601 Romæ duo concilia habita tradit in Synopſi ſua Conciliorum Labbæus, quorum aliud pro monachis conſtitutum edidit, aliud adverſus Andream Græcum, ſub monachali habitu impoſtorem. Quidni aliqua ſimilis Synodus præſente S. Iſidoro habita fuerit? Ejus mentio fit in Breviariis Hiſpanicis. At publicum aut ſolenne illud Concilium non fuiſſe, arbitramur, cum Ambroſio Moralez lib. 12 cap. 21; Mariana, lib. 6 cap. 7; Padilla, cent. 7 cap. 22, & aliis.*

e *Sequebantur nonnulla inſerta de Mahometis prædicatione in Hiſpania, & quomodo à diabolo monitus ſit recedere in Africam, propter adventum S. Iſidori: quæ falſa* & ad ſcitia *cenſet Nicolaus Antonius. Diſputat de iis Tamajus, qui* opinionem vanam & ſine apice veritatis adſtructam clamitat cum Morales, Padilla, Mariana & aliis. *Quare nos ea ex hac Vita eliminamus, maxime quia compendium hic relatorum legi poteſt apud Lucam Tudenſem, lib. 3 Chronici ſub Siſebuto Rege & Æra 674; item apud Maximum, in Chronico ad annum 606; Luitprandum, ad annum 607, & ſimiles auctores nuper excogitatos, quaſi ex inde Hiſpaniæ accederet aliqua gloria. Quidni tamen Mahometicæ pravitatis ſeminator aliquis, tempore Iſidori ex Africa in Hiſpaniam trajecerit; matureque detectus, coactus ſit ſibi fuga conſulere?*

D

f *An* patriæ? *Nicolaus Antonius annotat mendum hoc emendari non poſſe, quod indicati Alphabeti nullus meminerit.*

CAPUT VI.

Alphabetum Orationis ad tentamenta repellenda adverſarii, & Dei gratiam promerendam.

A littera ſtrophis 24

AUdi Chriſte triſtem fletum amarumque canticum,
Quod contritus, & percuſſus modulatur ſpiritus.
Cerne lacrymarum fluctus, & auſcultа gemitum.
Ad te multum vulneratus, vocem fletu elevans,
Alta de profundo cordis emitto ſuſpiria:
Precibus ſi forte velis placatus ignoſcere.
Alleva calamitates importuni ponderis;
Quod me diutius premit & elidit impie,
Nec diſcedit ut reſumam vitæ reſpiraculum.
Aggravaſti manum plagæ ſuper me validius,
Carnem, flagellorum ſancta ultione, conterens,
Cede, ferro, ſorde, peſte, tenebrarum carcere.
Ab his diſco veritatem, ut occidas impium:
Sed rogo poſt diſciplinam da placatus veniam:
Quia non mortem iniquo, ſed vitam deſideras.
Ablato conſolatore, quadro clauſus lapide,
Gemo lugens & ſuſpiro, Miſerere, clamitans:
Pulſo, rogans tota die, ſed tu ſemper dilatas.
Ab antiqua pietate ne declines obſecro:
Nam juſtitiæ rigorem ſi me ſequi jubeas,
Mille ſum deditus pœnis, mille dignus mortibus.
Annos meos in dolore, vitam in gemitibus;
Vilis factus conſummavi; parce mihi, Domine,
Jam non poſſum ſuſtinere, deprecor auxilium.
Amarum eſt hoc ſed leve; quia pertranſibile:
Sed amarius & grave quod irrevocabile;
Quod pœnarum non eſt finis, nec doloris requies.
Ardens illic erit flamma damnatorum corpora.
Ultra reditum non ſperat quem ille ſuſceperit,
Cujus pavore tabeſco, liqueſco formidine.
Arbiter & teſtis æquus ipſe dum adveneris;
Juſtam reddere mercedem ſingulorum meritis,
Quo me ſalvare decernes, opus non invenies.
Abominabilis erit coram te iniquitas;
Nullus enim immundorum tibi ſociabitur;
Quomodo tunc fœtẽs hircus mundis jungar ovibus?
Ante te juſtis nec erit ſecura juſtitia:
Quam ſi diſtricte requiras, & ipſa peccatum eſt,
Heu mihi, quo parebo irretitus vitio.
Appenſo bono vel malo; pars hæc operario
Vindicabit, quo momento lance declinaverit:
Quid agam, ſi pondus mali me læva jactaverit?
Aſpicient mali bonos, cum beatitudine
Qui gloriam meruerunt, & dolebunt acriter,
Quod non vixerint tam juſte, ut ſic eſſent liberi.
Allevabunt ululatum & rugitum immanem,
Planctum magnum facientes, amarum & validum,
Quale numquam fuit factũ vel dictum vel viſum eſt.
Arui, polique, mariſque non tutabor ſinibus:
Quæ & ignium ardore deſoluta diffluent.
Ubi me miſer abſcondam? quo ante te fugiam?

Ab

Ab immenſitate tua mundi gyrus clauditur:
Cælum terramque tu reples, & ſine te nihil eſt;
Qui pacatum te non habet, iratum quo fugiet?
Arctor undique preſſuris, comprimor anguſtiis:
Fluctuat mens in mœrore, cor natat in lacrymis;
Nec ulla timore pulſo requies eſt animo.
Arma ſumens pœnitentis, ſaccum & cilicium;
Pulſo pietatis aures, viſcera clementiæ;
Verba precum & dolores ingerens cum lacrymis.
Audi preces & placare, mens quas ægra parturit:
Conſideraque dolores, impende malagmata:
Quia tua ſum factura, tuaque plaſmatio.
Aſpice jam, Deus clemens, ærumnas quas tolero:
Remove contritionem, & flagella comprime:
Nec me precor indignatus opprimas & conteras.
Auſer me de luto fæcis peccatorum omnium:
Emundare non contemnas, antequam diſcutias:
Et non ero tunc immundus; ſi me nunc piaveris.
Accipis, & peccatores, ſed quos nunc juſtificas:
Reſpicis multos ut Petrum, & deflentes pœnitent:
Sicque lapſos ad inferna, revehis ad æthera.
B Boni nihil habiturus, quid malis objiciam?
littera cum ſtrophis 7 Pœnarum metu quaſſata tremit conſcientia,
Dum formidat infinita ſubire diſcrimina.
Bone Deus, perituro nunc, exoro, ſubveni;
Nunc & ab ira perenni & à morte libera:
Ut quem juſtitia punit ſalvet me clementia.
Bonitatis pietatem multis non merentibus
Oſtendiſti, & peccatis indulſiſti veniam:
Mihi non defraudes uni quæ dediſti plurimis.
Blanditus confeſſione placaris humilium,
Et ad ignoſcendum cito flentis voce flecteris,
Pœnitentis adſuetus conſulere lacrymis.
Benigne Pater, ignoſce quod agnoſcens fateor,
Pronuntio malum meum, non vindex operio:
Excipe confeſſionem, & da indulgentiam.
Brevis non eſt manus tua, ut ſalvare nequeas:
Multus es ad ignoſcendum: hinc, Indulge, clamito:
Miſerere, ne diſperdas; parce, ne interimas.
Biplici quæſo flagello noli me percutere:
Tempera paululum iram, habe patientiam:
Quia multum ego miſer, ſed tu plus miſericors.
C Converſus ad pietatem, reſtitue gratiam:
Vitam cum peccato ſimul ne velis extinguere:
Serva benedictionem, receptam da veniam.
Carnem pro peccato ſuo, quantum placet, attere:
Plagas enim temporales libenter excipiam:
Precor tantum ne perennes indignatus inferas.
Carpe moras, viſita me, imo veni Libano:
Surge, dicito captivo, Prodi foras, miſero:
Releva carcere truſum, pande jam abſconditum.
Callidus hoſtis me vicit: quod modo conſidero,
Magnum malum feci miſer carnis in arbitrio:
Porrige nunc manum tuam, & ſuccurre miſero.
D Doloribus hic afflige; mœroribus affice:
Per flagella modo purga, ne futura punias:
Carnem puni quæ deliquit: redimatur anima.
Decerne, clementer pie, perditum requirere,
Mira qua benignitate abjectos recolligis;
Et averſos reconvertis, aberrantes corrigis.
E Erraſſe plango, profanus peccator & prodigus,
Meretricio amore bona perdens patriæ;
Hinc ad te, vilis, egenus & percuſſus, redeo.
Ecce me indignum loco filiorum clamito,
Quod paternitatis tuæ renuens admonita,
Vagus per quæcumque fluxi & cucurri devia.
F Facere poſt mala bona ut permittas obſecro:
Habeam munere tuo in lare quæ offeram;
Quibus à læva ſublatus, tranſeam ad dexteram.
Feci malum miſer ego in inſipientia:
Provocavi te ad iram diris facinoribus:
Rite corde conſternatus magno luctu conteror.
Fletibus non te adire confitendo vereor: EX MS.
Excipe profeſſionem, culpæ factus immemor: TOLETA-
Et paterna pietate ſume precor errolum. NO.
Graſſaris ſi tamen plagis, adhuc me dijudicans, G
Feri me, ſicut quos amas caſtigas, & argue:
Sed clementer, ut emendes, non ut interficias.
Gravis ut culpa meretur non ita deſævias:
Tempera ſeveritatem, deſine percutere:
Jugi ne plaga conſtrictus deſperem, & peream.
Hoc interdum de te poſco, ne tentationibus, H
Quibus ſubinde pervertor, violenter obruar;
Victus ne miſer occumbam, deprecor auxilium.
Hinc te quæſo, ne permittas me ab hoſte obrui:
Nam ſufferre tentamenta dæmonum non potero;
Si deſieris eorum frænare malitiam.
Inde te, benigne Pater, adclivis efflagito, I
Quantulumcumque placare; ut & hic indulgeas:
Nam longa pœna ſubactus, miſer valde factus ſum.
In dolore ſempiterno carnem ne conſtituas;
Et crudeliter exire compellatur anima:
Da cruciatibus finem, requieſcat ſpiritus.
Lugeo confuſus mala, quæ geſſiſſe memini: L
Fundo preces & lamentum, contriſtatus animo;
Precor optatam ne neges pœnitenti veniam.
Lacrymæ contra peccatum non quidem ſufficiũt:
Sed quod jugibus non queo expiare fletibus,
Oro, pietate demas, conferas clementia.
Miſeratione tua fac juſtum ex impio, M
Fulgidum de tenebroſo, nitentem ex horrido;
Innocentem de iniquo, viventem ex mortuo.
Miſeratus jam omitte noxas mei criminis:
Et eripiens plaſma tuum de manu diaboli,
Memento figmenti tui, & eſto placabilis.
Ne des in ruinam mortis opus tuum, Domine, N
Propter carnale peccatum, quod lamentis dilui
Poſſibile prædixiſti atque veniabile.
Nulla tam gravis eſt culpa, cui non ſit venia:
Omne peccatum dixiſti dimitti hominibus,
Spiritus dumtaxat ſancti excepta blaſphemia.
Omnino confidens credo, quod nolens perimere, O
Subjeciſti me flagellis, quibus eſt corrigere,
Ut ab omni mundus culpa redirem ad gratiam.
Peccavi tibi, peccavi, & deliqui nequiter:
Sed converſum non diſperdas, & quod poſco tribuas, P
Et me mundes ante mortem, & dum vivo redimas.
Quis fuerim ne requiras, ſed quis eſſe cupio: Q
Veteri culpæ ne quæſo reputes damnabilem:
Cerne corrigendo votum, & relaxa debitum.
Recipe, Domine Pater, fuga lapſum ſervulum.
De interitus errore, te quærente, redeam, R
Atque de maligno dignus efficiar famulus.
Solve, Chriſte, vincla pedum, ligamenta criminũ: S
Reſera limen obtruſum tenebroſi carceris:
Pande jam luci ſepultum, peregrinum patriæ.
Tu es Deus lucis auctor, Rex æternæ gloriæ: T
Quem nullus ſermo cõcludit nec obſcurant tenebræ:
Miſerum ad te clamantem jam exaudi, Domine.
Viſita jam, Chriſte Deus, quem creaſti ſervulum: V
Dimitte me deplorare quæ geſſi in ſeculo:
Æternum mihi concede lumen quomodo deſidero.
Chriſte, qui benignitate gratiarum dives es, X
Fructum & meritum precor ut viventi tribuas;
Ne me ſterilem præcernens, ſuccidas impoſterum.
Zabulo me non conjungas ad mortẽ cum impiis, Z
Nec in tartari baratrum patiaris obrui,
Qui veniſti, ut credentes de morte redimeres.
Gloriam jam vigil canam, alphabetum finiens,
Tibi, Pater, Filioque, inclyto Paraclito, *Clauſula.*
Cui laus eſt & poteſtas per æterna ſecula. Amen.

Hæc hujus ſeriei narrationis placuit inſeri; ut ex his conjicere quis valeat; dum tantis in divinæ oculis majeſtatis clareſceret ſignis, quam humilis apud

EX MS. TOLET.

se censebatur; non ambulando in magnis neque in mirabilibus super se, enumerans sui corporis passiones; non ut his elatus glorietur, sed ut Christi sequaces in superbiam non extolli, neque in adversis demitti, admoneat; sed spe veniæ ad cælestia sublevari.

CAPUT VII.

Epistolæ ad varios.

PRæterea epistolam, quam ad S. Masonum Emeritensem Archipræsulem, de reparatione Prælatorum post carnis lapsum, S. Masono cum instantia humili postulante, scripsit, in hoc opere ampliamus; eo quod sit perutilis, non solum Episcopis & personis Ecclesiasticis, verum etiam cunctis ad Deum per pœnitentiam redeuntibus.

§. 1. *Ad sanctum Masonum Emeritensem Archiepiscopum.* a

21 DOmino sancto meritisque beato, Masono Episcopo, Isidorus. Veniente ad nos famulo
B vestro viro religioso *b* Vicentio, litteras honorificentiæ vestræ nobis detulit, in quibus agnitio salutis
b vestræ nihilominus perpatuit, maxime per eum portatorem, cujus lingua epistola vivens erat. Unde pro salute vestra gratiarum actionibus Deo nostro repensis, in quantum valuit mediocritas nostra, vice inquisitionis studuimus, poscentes vestrorum meritorum suffragiis divinis vos commendare conspectibus. Verum quod consequenter in epistolis venerabilis Paternitas tua innotuit, nulla est in hujusmodi sententiis decretorum diversitas intelligenda,
c lapsos post pœnitentiam restituendos, quod alibi legitur idem in canone Ancyrano capite *c* XXIII, post lapsum corporalem restaurandum honoris gradum post pœnitentiam, alibi vero legitur, post hujusmodi delictum nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum. Hæc enim diversitas hoc modo distinguitur: illos enim ad pristinos officii gradus redire canon præcipit, quos pœnitentiæ præcesserit satisfactio, vel digna peccatorum confessio: at contra ii qui neque à vitio corruptionis emendantur, atque hoc ipsum carnale delictum quod admittunt, etiam vendicare quadam superstitiosa temeritate nituntur; nec gradum utique honoris, nec gra-
C tiam communionis recipiunt. Ergo ita est utraque dirimenda sententia; cum necesse sit illos restaurari in loco honoris, qui per pœnitentiam reconciliationem merentur divinæ pietatis: hi, neque immerito, consequuntur ademptæ dignitatis statum, qui per emendationem pœnitentiæ recepisse noscuntur
ostenditur ex Ezechie- vitæ remedium. Id enim, ne forte magis ambiguum sit, divinæ auctoritatis sententia confirmatur. Ezechiel enim Propheta, sub typo prævaricationis Hierusalem, ostendit, post pœnitentiæ satisfactionem pristinum posse restaurari honorem. Confundere (inquit) Juda, & porta ignominiam tuam:
Ezec.16,52 & post paululum, Et tu & filiæ tuæ revertimini ad antiquitatem vestram. Quod dixit, Confundere, ostendit post confusionem, idest peccati opus, debere quemquam erubescere, & pro admissis sceleribus verecundam frontem humo prostratam demergere, pro eo quod dignum confusionis perpetraverat opus: deinde præcipit, ut post ignominiam,
d idest *d* delectationem, revertatur ad antiquitatem muneris sive dignitatis: ergo dum quisque post opus confusionis suæ confunditur, atque ignominiam portat, & depositionem suam luget cum humilitate, revocari secundum Prophetam ad priorem statum poterit. Et Joannes Euangelista, Angelo Epheſi Ecclesiæ inter cetera similia quædã scribit, Memor esto unde ecideris, & age pœnitentiam, & D
Apocalypsi S. Ioannis, prima opera tua fac: alioquin veniam tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo. In Angelo, Apoc.2,5 Ecclesiæ Præpositum utique, ideſt Sacerdotem, ostendit, juxta Malachiam, qui dicit, labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & lex requiretur ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Præpositus ergo lapsus in vitium, per Euangelistam monetur, ut memor sit unde exciderit, & agat pœnitentiam, & prima opera faciat, ut non moveatur candelabrum ejus: nam per candelabrum doctrina Sacerdotis, vel honor potestatis, quem gestat, intelligitur, juxta quod scriptum est apud Samuelem in damnatione Heli: Oculi ejus caligaverant, nec po- 1 Reg.3,3 terat videre, lucerna Dei antequam extingueretur. Lucerna quippe Dei fuerat, quando dignitate Sacerdotali pollens, justitiæ claritate fulgebat; extinctam Propheta asserit, dum ob scelus filiorum Sacerdotii potestatem meritorumque lumen amisit. Candelabrum ergo sive lucerna Sacerdotis (quæ intelligitur charisma honoris) tunc penitus juxta Joannem extinguitur vel movetur, quando post delicti casum neglecta pœnitentia, admissa scelera non delentur. Non enim dixit, pro eo quod cecidisti commovebo E candelabrum tuum; sed, Nisi pœnitentiam egeris *Proverbiis Salomonis,* movebo candelabrum tuum: ergo quemque Præpositum peccantem, si prævenerit pœnitentia delicti, utique sequitur & reparatio meriti. Et in Proverbiis, Qui abscondit peccata sua non dirigetur: qui ve- Prov.28,13 ro confessus fuerit & dereliquerit ea, veniam consequetur. Nam & ipsum quod Canonum censura *& Canonibus Patrum,* post septem annos remeare pœnitentem in statum pristinum præcipit, non ex electione proprii arbitrii sancti Patres, sed potius ex sententia divini judicii sanxerunt. Nam legitur quod Maria soror Moysi prophetissa, dum obtrectationis adversus Moysem incurrisset delictum, illico lepra percussa est: cum- Num.12. que Moyses peteret ut emundaretur, præcepit eam Deus extra castra septem diebus egredi, & post emundationem rursus eam in castris admitti. Maria ergo soror Aaron, caro intelligitur Sacerdotis? qui dum per superbiæ delicta sordidissimis corruptionum contagiis maculatur, extra castra septem diebus, ideſt, extra collegium sanctæ Ecclesiæ septem annis projicitur; quibus, post emundationem delictorum, loci sive pristinæ dignitatis recipit meritum. Ecce in quantum valui concilii Ancyrani antiquam plane & plenam auctoritate sententiam, sacris testimoniis explanavi; ostendens eum posse restaurari in pristino ordine, qui per pœnitentiæ satisfactionem novit propria delicta deflere; qui vero nec luget quæ gessit, sed lugenda sine ullo pudore religionis vel timore divini judicii committit, eum nullo modo posse ad pristinum gradum restaurari. In fine autem hujus epistolæ hoc adjiciendum putavi, ut quotiescumque in gestis Conciliorum discors sententia invenitur, illius concilii magis teneatur sententia cujus antiquior extat auctoritas. F

Plures etiam multorum quæstionibus promulgavit epistolas, quas si non ad plenum, tamen ex parte duximus adnotandas; ut Sancti virtus & potestas in eis innotescat mundo, & Christi fideles erudiantur.

ANNOTATA.

a Hanc epistolam plane commentitiam esse, ut & alias nonnullas Isidoro affictas, censuit Joannes Morinus, lib.4 de Pœnitentia cap.17 §.6 Verum eam cum aliis dedit Madritensis editio anni 1599 jussu Philippi II facta: epistolasque è veteribus MSS. undique

undique conquiſitas, collegit correxitque Joannes
A Perezius Epiſcopus Segobricenſis, magna eruditione ac judicio vir, uti Joannes Grial in epiſtola ad Philippum 3 refert. Et hanc ad Maſonum Epiſcopum Emeritæ urbis datam citat Gratianus c. Domino, 50 diſt. *ita Nicolaus Antonii.*

b *Editio Madritenſis* Nicetio.

c In codice Toletano obſcurum fuiſſe, XIX an XXIV canonem laudaret epiſtolæ auctor, annotavit exempli ſcriptor: XXIV veroſimilius eſt intellectum: in quo tamen, ejuſque Græco textu, triplicique Latina verſione, quæ in Biniana Conciliorum editione leguntur, vix eſt ut occaſio data ſit auctori epiſtolæ hujus quærendi de reſtitutione lapſorum ad honores poſt pœnitentiam. Multus eſt Joannes Morinus ante citatus, in aſſerenda priorum ſeculorum Eccleſiæ diſciplina de lapſis Clericis numquam ad priſtinos gradus recipiendis. Videſis lib. 4 capita 14 & is certe S. Iſidorus, lib. 2 de Divinis officiis & in epiſtola ad Helladium de Cordubenſi Epiſcopo, ab eodem Morino laudatus, in cap. 14. §. 11, veteris diſciplinæ retinentem ſe oſtendit. Et hoc maxime argumento abjudicavit Morinus hanc Iſidoro epiſtolam, quo & ipſo S. Gregorii magni aliam, ejuſdem cum hac noſtra ſententiæ, non ſolide probat
B rejiciendam eſſe. Quantumvis enim per illud tempus indulgentia vigere cœperit, inter crimina publica & occulta diſtinguens, admiſſionemque aut perpetuam à priſtino ſtatu remotionem, juxta delicti qualitatem, imponens; nuſquam tamen diſtinctionem hanc alteram fuiſſe intellectam, ut gradus aut dignitatis reſtitutio pœnitentes ſubſequeretur, contumaces fugeret, quam probatum it tota epiſtola Iſidorus: ex cujus verbis firmatum videtur caput 54 Toletani Concilii 4, cui præfuit, & laudatu cap. Domino, 50 diſt. in Decreto Gratiani. Certe in editis Iſidori operibus mentio nulla eſt Ancyrani hujus Concilii: eſt tamen in calce epiſtolæ: ita ut dubitari nequeat decreta ejus explanata eum voluiſſe. Nec mirum videri debet ex Concilio Ancyrano quidquam hic laudari, quod in editis deſideramus. Idem enim contigit in cap. Epiſcopi 12. 26 q. 5, quod ex eo Concilio deſumptum inſcribitur, cum in ejus exemplis tam Græcis quam MSS. nil hujuſmodi nunc reperiatur. *Hæc omnia Nic. Antonius.*

d *In editis*, dehonorationem: *Nic. Antonius mallet legi* dejectationem.

C

§. 11. *Ad Braulium diſcipulum ſuum.*

22 IN Chriſto Domino dilectiſſimo Braulio, Archidiacono, Iſidorus. Dum amici litteras, cariſſime fili, ſuſcipis, eas pro amico amplecti non moreris: ipſa eſt enim ſecunda inter abſentes conſolatio, ut ſi non eſt præſens, qui diligitur, pro eo litteræ complexentur. Sed direximus tibi annulum propter noſtrum animum, & pallium propter amicitiarum noſtrarum amictum, unde antiquitas hoc traxit vocabulum. Ora igitur pro me, ut inſpiret tibi Dominus, ut merear adhuc in hac vita videre te: Et quem mœſtificaſti abeundo, aliquando iterum lætifices perſonaliter te præſtando. Quaternionem regularum per Maurentionem Primicerium direximus: de cetero autem, dilectiſſime mihi Domine & cariſſime fili, opto tuam ſemper cognoſcere ſalutem.

Mittit ei annulum & pallium.

§. III. *Braulius Cæſarauguſtanus Epiſcopus ad Iſidorum.*

23 DOmino meo, ut vero Domino Chriſtique electo, Iſidoro Epiſcoporum ſummo, Braulius peſſimus peccatorum, inutilis ſervus ſanctorum Dei. Solet repleri lætitia homo interior ac ſpiritalis, cum inquiſitione fungitur amantis. Ob id velle meum eſt nunc, Domine reverentiſſime, (niſi culparum maceria noſtrarum obſiſtat) benigne te inquiſitionem meam amplectere, & querelarum calumniam patienter accipere. Utrumque enim ago, & officium inquiſitionis perſolvo, & tibi contra te cauſarum noſtrarum neceſſitates dirigo. Quod ut benigniſſime auditui tuo admittas, in ingreſſu dictaminis portaque poſtratus, peto à culmine veſtri Apoſtolatus; & quamquam vacillet calumniæ objectio, ubi lacrymarum eſt interceſſio, cum lacrymæ non ſint ſigna calumniæ; tamen ſint, opto, & calumniabiles lacrymæ: ſed utrumque pro licentioſa amoris præſumptione, non autem pro arrogantiæ temeritate. Sed jam cauſam exordior. Septimum, ni fallor, annum tempora gyrant, ex quo memini libros à te conditos Originum poſtulaſſe, & vario diverſoque modo, & præſentem me fruſtratum eſſe, & abſenti nihil inde vos reſcripſiſſe, ſed ſubtili dilatatione, modo necdum eſſe perfectos, modo necdum ſcriptos, modo noſtras litteras intercidiſſe, aliaque multa opponentes ad hanc uſque pervenimus diem, & ſine petitionis effectu manemus. Ob hoc & ego vertam preces in querelam, ut quod ſupplicatione nequivi, vel calumniis laceſſendo valeam adipiſci. Sæpe namque ſolet mendico prodeſſe vociferatio. Quo circa cur, quæſo te mihi, Domine, non tribuas quod rogaris? Unum ſcias, non dimittam, quaſi confingens me nolle dicata: ſed quæram, quo uſque aut accipiam aut eliciam, piiſſimo Redemptore jubente, Quærite & invenietis; & adjiciente, pulſa te, & aperietur vobis. Quæſivi, & quæro, & jam pulſo; unde & clamito, ut aperias. Nam hujus me argumenti ſolatur inventio, quia contempſiſti poſtulantem, exaudies forte calumniantem. Hinc & ego ſcienti tua ingero, nec ſtulta jactatione novi aliquid ſuggerere inſipiens perfecto præſumo. Non tamen erubeſco, imperitus diſertiſſimo loqui, Apoſtolici memor præcepti, quo præciperis libenter ſufferre inſipientem. Quamobrem accipe res calumniæ. Cur rogo talentorum diſtributionem & cibariorum diſpenſationem tibi creditam huc uſque retentas? Jam ſolve manum: impertire famulis, ne inopia pereant famis, poſtquam noſti, quid creditor veniens repoſcat à te. Non minuetur tibi quidquid dederis nobis, memor eſto paucis panibus multitudinem ſatiatam, & ſuperaſſe
F reliquias fragmentorum magnitudinem panum. Putas donum tibi collatum propter te ſolummodo eſſe datum? Et veſtrum eſt, & noſtrum: commune eſt, non privatum; & quis dicere vel inſanus præſumat, ut privato tuo gaudeas, qui de communi tantum inculpabiliter gaudere ſcias? Nam cum tibi Deus œconomiam theſauri ſci & divitiarum ſalutis, ſapientiæ & ſcientiæ gerere conceſſerit, cur larga manu non effundis, quod dando non minuitur? An cum in membris ſuperni capitis unuſquiſque quod non accipit ſic in altero poſſideat, ut alteri quod habeat poſſidendum ſciat, tu forſitan nobis idcirco parcus exiſtis, quia quod mutue à nobis reſumas, non invenis? Sed ſi habenti das, tantillæ mercedis fructum reportas: ſic vero non habenti tribuis, præceptis Evangelicis ſatisfacis, ut reddatur tibi in retributione juſtorum. Proinde & ego remordeor conſcientia, eo quod in me nihil communicabile boni ſciam, quoniam jubemur per caritatem ſervire invicem, & unuſquiſque quam accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrare, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei, atque unicuique, ſicut diviſit Dominus menſuram fidei in una compage membrorum, debet eam ceteris partibus communicare: quia hæc

EX MS. TOLETANO.

Petit S. Braulius ſibi libros Originum mitti.

E

Luc. 11, 9

2 Cor. 11, 16

Luc. 14, 14

EX MS. TOLETANO.

hæc omnia operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult. Sed ad unum ac peculiare ſubſidium, quod præmiſi, recurro; ad importunitatem ſcilicet, amicam annoſam amicitia deſtitutis ac nulla membrorum honeſtorum gratia decoratis. Idcirco audi vocem meam tot interjacentibus terris: Redde quod debes; nam ſervus es ſervorum & Chriſtianorum, ut illic ſis major noſtrorum; & quoniam noſti cauſam tibi collatam preſentis gratiæ, ſitientibus animis, ſcientiæque fame cruciatis impertiri non dedigneris. Non ſum ſaltem is, qui ad injuncta diſcurrens, non poſſim aliis eccleſiæ membris, ſcilicet judicio obedientiæ diſcuſſo, parere, nec principatui capitis imperanti obſequendo placere. Quia etſi de inhoneſtioribus membris me eſſe ſciam, ſufficiat, quia te conſtat à capite percepiſſe pro me: nec te eſt dignum me egere, quamvis minimum, Chriſti tamen ſanguine redemptum. Nam nec dicit caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarii: quoniam quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt; & quæ putantur ignobiliora eſſe, his honorem abundantiorem circumdamus; & quæ in honeſtiora ſunt noſtra, majorem honeſtatem habent. Sic itaque Creator noſter
B ac diſpenſator cuncta moderatur, ut cum in altero alteri dona divina, quæ in ſe non percepit, poſſidenda tribuuntur, caritas cumuletur: denique tunc bene multiformis gratia diſpenſatur, quando acceptum donum & eis qui hoc non habent creditur; quando propter eum, cui impenditur, datum putatur. Hoc Apoſtoli capitulum, nobis in parte præmiſſum, optime novit prudentia ſanctitatis veſtræ: huic te congruere totum, & quidquid ſummatim tetigi, te proculdubio noſſe melius, latet nullum. Itaque hoc ſolum ſupereſt quod & magnopere peto, ut præſtes poſtulata; & ſi non pro me, ſaltem pro ipſâ caritate divinitus impartita; pro qua jubemur, ut noſti, præſtare omnia, & ſine qua nihil ſunt omnia, ſed & ſi qua ſuperflua, ſi qua negligenter, ſi qua minus humiliter potius fudi quam dixi; cuncta, quæſo, benigne ſuſcipias, cuncta ignoſcas, cuncta ores ut Deus ignoſcat. Ergo & hoc noteſco, libros Etymologiarum, quos à te Domine poſco, & ſi detruncatos corroſoſque jam à multis haberi ſcio, inde rogo ut eos mihi tranſcriptos, & integre emendatos, & bene coaptatos dignemini mittere; ne raptus aviditate in perverſum, cogar vitia pro virtutibus ab aliis ſumere. Ego autem opto, quamvis
C nullius egeas, & ultroneæ dicantur fœtere merces ut dignatio veſtræ benignitatis imperet nobis in id quod poſſumus & valemus tantum, & obſequio noſtro utaris, imo caritate, quæ Deus eſt, perfruaris. His igitur expletis erant mihi quæſtiones de ſacris diviniſque paginis, quarum mihi expoſitionem cordis tui lumen aperiret, ſi tamen & nobis jubes reſplendere, & divinæ legis obſcura reſerare. Nec ſi iſta quæ peto percepero, de illis ſilebo; ſed vias reſeras capiendæ fiduciæ, cum in hac prima fronte non me confuderis ſtimulis verecundiæ, & ignaviæ meæ locum dederis veniæ: quod quem diligebas, quamlibet immerito, non juſſeris reprobari; quia ignominioſum valde videtur ac vile, ſi necdum ſatiatus quis caritate, ab eo quem amabat invenitur recedere. Obſequio autem meæ ſervitutis depondo jura ſalutis, & quæſo pietatem ſanctiſſimæ poteſtatis veſtræ ut pro me orare digneris, quatenus quotidie fluctuantem animam meam tuo interceſſu lucreris, & ad portum æternæ tranquillitatis deducas, ereptú à miſeriis & ab ſcandalis. Dulce mihi fuit, Domine, ad te loqui & quaſi coram poſitus vultum videre tuæ facici. Ideo nec verboſitatem cavi, & temeritatem fortaſſis incurri: ſed aut hoc, aut aliud agere debui; tantum ut quod noluiſti per humilitatem, ſaltem tribuas per tumultuantis improbitatem. Ecce quantum audaciæ dedit mihi gratia veſtræ benevolentiæ: & ideo ſi quid in hoc veſtræ paternitati diſplicuerit, ſibi imputet, quæ tantum amatur, ut timorem tollat; nam perfecta caritas foras mittit timorem. Speciali quoque gratia fretus, ſpeciali Domino, in quo vires ſanctæ Eccleſiæ conſiſtunt, ſuggero: ut quia Euſebius Metropolitanus deceſſit, habeas miſericordiæ curam; & hoc filio tuo Regi Domino noſtro ſuggeras, ut illum illi loco præficiat, cujus doctrinæ ſanctitas ceteris ſit vitæ forma, hunc autem filium tuum Præſentem beatiſſimæ poteſtati veſtræ per omnia commendo, ut tam de his quæ ſuggeſſimus, quam etiam de his, quæ ſupra queſti fuimus, eloquio veſtro per eum illuſtrari mereamur. Amen.

D

commendat eligi Tarraconenſem Epiſcopum.

§. IV. *Ad ſanctum Braulium.*

24 DOmino meo & Dei ſervo Braulioni Cæſaraugustano Epiſcopo, Iſidorus. Tuæ ſanctitatis epiſtolæ me in urbe Toletana invenerunt: nam permotus fueram cauſa Concilii; ſed quamvis juſſio Principis in itinere poſitum remeare me admoniſſet, ego tamen, quia propinquior eram præſentiæ E
ipſius, quam regreſſionis, malui potius curſum itineris non intercludere, Veni ad præſentiam Principis; inveni Præſentem Diaconum tuum: per eum eloquia tua ſuſcipiens amplexus ſum & legi, & de ſalute tua Deo gratias egi; deſiderio omni deſiderans, quamvis debilis atque feſſus, fiduciam tamen habens per Chriſtum in hac vita viſendi te; quia ſpes non confunditur per caritatem quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris. Codicem Etymologiarum cum aliis codicibus de itinere tranſmiſi, & licet inemendatum præ invalitudine, tamen tibi modo ad emendandum ſtudueram offerre, ſi ad deſtinatum Concilii locum perveniſſes. De conſtituendo autem Epiſcopo Tarraconenſi, non eam quam petitis ſenſi ſententiam Regis; ſed tamen & ipſe adhuc ubi certius convertat animum illi manet incertum. Peto autem ut pro meis peccatis apud Deum exiſtere interceſſor digneris, ut impetratu tuo deleantur delicta noſtra, & remittantur facinora. Item manu mea: Ora pro nobis beatiſſime domine Frater.

Mittit libros Etymologiarum.

& da Epiſcopo Tarraconenſi reſpondet.

§. V. *Ad ſanctum Eugenium Toletanum Archiepiſcopum.* F

25 DOmino cariſſimo & virtutibus inclyto, Eugenio Epiſcopo Iſidorus. Veſtræ ſanctitatis litteras per nuntium ſuſcipiens Verecundum, rerum omnium conditori grates impendimus, quod Eccleſiæ ſanctæ ſuæ mentis & corporis veſtri valitudinem conſervare dignatur: atque ad inquiſita pro modulo parati ſatisfacere, exoramus orationum veſtrarum ſuffragiis ab ærumnis opprimentibus à Domino ſublevari. Verum quod in quibuſdam quæſtionibus venerabilis veſtra fraternitas, licet vos non ignoretis petitum, me compulit reſpondere; majoris ſententiæ innodatio, niſi in mortis articulo, à minori nequaquam valeat enodari; ſed potius ab inferiori prolata; à ſuperiore jure mediante caſſetur, orthodoxi Patres ſpiritus ſancti auctoritate prævia ſanxerunt. Aliter autem quolibet adſtruente, ſicut eſt veſtræ prudentiæ cognitum, pravum ſuborietur, ſcilicet gloriatio ſecuris contra eum qui ſecat in ea. Quod vero de parilitate agitur Apoſtolorum, Petrus præeminet ceteris, qui à Domino audire meruit, tu vocaberis Cephas, tu es Petrus &c. Et non ab alio aliquo, ſed ab ipſo Dei & Virginis filio honorem Pontificatus in Chriſti Eccleſia

Docet cenſuram à ſuperiore inflictam, ab inferiore non enodari.

Ioan. 1, 42. Mat. 16, 18

A sia primus suscepit : cui etiam post resurrectionem filii Dei ab eodem dictum est, Pasce agnos meos ; agnorum nomine Ecclesiarum Prælatos notans, cujus dignitas potestatis, etsi ad omnes Catholicos Episcopos est transfusa ; specialius tamen Romano Antistiti, singulari quodam privilegio, velut capiti ceteris membris celsiori, permanet in æternum. Qui igitur debitam ei non exhibet reverenter obedientiam, à capite sejunctus, acephalorum schismati se reddit obnoxium : sicut illud Sancti Athanasii de fide sanctæ Trinitatis sancta Ecclesia approbat & custodit quasi fidei Catholicæ articulum ; quod nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. Hæc vestræ dulcissimæ caritati, breviter prælibavi, considerans illud philosophi, Pauca sufficere sapienti.

& majorem S. Petro ex Pontificibus Romanu datam præeminentiã

Ioan. 21, 15

a

§. VI. *Ad a Leofredum Cordubensem Antistitem.*

26 DOmino meo, Dei servo Leofredo Episcopo Isidorus. Perlectis tuæ... litteris gavisus sum, quod optatam salutem tuam relatu cognovi. De his quæ in consequentibus insinuare eloquii tui sermo studuit, gratias ago Deo, quod solicitudinem officii pastoralis impendis, & qualiter Ecclesiastica officia ordinentur perquiris. Et licet omnia prudentiæ vestræ sint cognita, tamen quia affectu paterno consulis me, ex parte, qua valeo, expediam de omnibus Ecclesiæ gradibus, & quid ad quem pertinet eloquar. Ad Ostiarium namque pertinent claves ecclesiæ, ut claudat & aperiat templum Dei & omnia quæ sunt intus extraque custodiat, fideles recipiat, excommunicatos & infideles rejiciat. Ad Acolythum pertinet præparatio luminariorum in sacrario : ipse cereum portat, ipse in suggestu pro Eucharistia *b* calicem præparat. Ad Exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere ; manus super energuminos & catechuminos in exorcizando imponere. Ad Psalmistam pertinet officium canendi ; dicere benedictiones, psalmos, laudes, sacrificii responsoria, & quidquid pertinet ad cantandi peritiam. Ad Lectorem pertinet Lectiones pronuntiare, atque *c* Prophetas populis prædicare. Ad Subdiaconum pertinet, calicem & patenam ad altarium Christi deferre, & Levitis tradere : urceolum quoque & aquamanile, & manutergium tenere, & Episcopo & Presbyteris seu Levitis pro lavandis ante altarium manibus aquam præbere. Ad Diaconum pertinet assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi, in baptismo scilicet, in chrismate : in patena & calice oblationes inferre, disponere in altario, componere mensam Domini atque vestire, Crucem ferre, prædicare Euangelium & Apostolum, nam sicut Lectoribus vetus Testamentum, ita Diaconibus novum prædicare præceptum est. Ad ipsum quoque pertinet officium precum, recitatio nominum ; ipse prænonet habere ad Dominum aures ; *d* ipse hortatur orare, ipse clamat pacem, ipse annuntiat. Ad Presbyterum pertinet Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini in altario conficere, orationes dicere, & benedicere populum. Ad Episcopum pertinet Basilicarum Consecratio, unctio altaris, confectio Chrismatis : ipse prædicta officia & ordines ecclesiasticos constituit, ipse sacras Virgines benedicit ; & dum præsit unusquisque in singulis, hic tamen est præordinator in cunctis. Hi sunt ordines ac ministeria Clericorum, qui tamen auctoritate Pontificali

Explicat omnia ostiarii,

Acolythi,

b

Exorcistæ,

Psalmistæ,

c

Subdiaconi,

B

Diaconi,

d

Presbyteri,

Episcopi,

& sub eo

in Archidiaconi cura & Primicerii ac Thesaurarii solicitudine dividuntur. Ad Archidiaconum, pertinet imperare Subdiaconibus & Levitis, ad quos ista mysteria pertinent, ordinatio vestiendi altare à Levitis, cura incensi & sacrificii ; deferendi ad altare in sacrificio necessaria ; solicitudo, quis Levitarum Apostolum & Euangelium legat, quis preces dicat seu responserium, in Dominicis diebus vel festivitatibus solennitatum quis decantet. Solicitudo quoque parochianorum & ordinatio & jurgia ad ejus pertinent curam : pro reparandis diœcesanis ecclesiis ipse suggerit Sacerdoti ; ipse inquirit parochias cum jussione Episcopi, & ornamenta vel tres *e* Basilicarum parochiarum ; gesta libertatum ecclesiasticarum idem Episcopo defert : Collectam pecuniam de communione ipse accipit, & Episcopo ipse defert, & Clericis partes proprias distribuit. Ab Archidiacono nuntiantur Episcopo excessus Diaconorum : Ipse denuntiat Sacerdoti in sacrario dies jejuniorum atque solennitatum ; ab ipso publice in ecclesia prædicatur : quando vero Archidiaconus absens est, vicem ejus Diaconus implet. Archipresbyter vero se esse sub Archidiacono, ejusque præceptis, sicut Episcopi sui, sciat obedire : quod & specialiter ad ejus ministerium pertinet super omnes Presbyteros in ordine positos curam agere, assidue in ecclesia stare ; & quando Episcopi sui absentia contigerit, ipse vice ejus Missarum solennia celebret, & Collectas dicat, vel cui ipse injunxerit. Ad Primicerium pertinent Acolythi Exorcistæ, Psalmistæ, atque Lectores : signum quoque dandum pro officio Clericorum, pro vitæ honestate. & officium *f* cantandi & peragendi solicite ; lectiones, psalmum, laudes, offertorium & responsoria quis clericorum dicere debeat : ordo quoque & modus psallendi in choro pro solennitate & tempore : ordo quoque pro luminariis deportandis : si quid etiam necessarium fuerit pro Basilicarum reparatione, quæ sunt in urbe ipse denuntiet Sacerdoti. Epistolas Episcopi pro diebus jejuniorum parochianis ipse dirigat. Clericos quos delinquere cognoscet ipse distringat ; quos vero emendare non valet, eorum excessus ad agnitionem Episcopi deferat ; basilicarios ipse constituat, & matriculas disponat. Quando autem Primicerius absens est, ea quæ dicta sunt ipse exequatur, qui ei aut lege est proximus aut eruditione. Ad thesaurarium pernitet *g* ostiarum basilicarum ordinatio, incensi præparatio, luminariorum in sacrario & sacrificiis. Teneat ergo ecclesia Dei prout accepit à patribus, non declinando ad dexteram neque ad sinistram, ad patriam tendens.

EX MS. TOLETANO.

Archidiaconi,

e

Archipresbyteri,

E

Primicerii,

f

F

g

Thesaurarii.

ANNOTATA.

a Leofredus, *seu* Laufredus *subscripsit Concilio Toletano* IV *&* VI, *&* *per Valentinianum Archipresbyterum Toletano* VII *apud Loaisam. Epistola hæc ad eum citatur in Decreto Gratiani, cap.* Perfectus, 25 *dist.*

b *In editis.* Calices Subdiaconis præparat. *Suggesti autem nomine hic intelligi videtur mensula, quam vulgo* Credentiam *dicimus, ubi collocantur ante sacrificium omnia ad illud requisita.*

c *Ibidem & in Decreto*, & ea quæ Prophetæ annuntiaverunt, populis prædicare.

d *In editis :* Ipse hortatur clamore, pacem ipse annuntiat. *In decreto autem :* Ipse hortatur clamare, ipse donat pacem, & ipse annuntiat. *Sed MS. Toletani lectio magis placet. quia videtur referri ad verba* Orate Fratres : *quæ ut ex ritu Romano pronuntiantur à Sacerdote, ita videntur hic à Diacono proferenda indicari*

EX MS. TOLETANO.

quod idem intellexero etiam de his verbis Pax vobis, *quod hic dicitur* pacem annuntiare: *itaque ſic legerem: pro* ipſe clamat; Ipſe clam donat pacem (*ſubmiſſa voce ſcilicet ante Agnus Dei*) ipſe annuntiat *elata voce eamdem, ſub finem Miſſæ Pontificalis.*

e *Ibidem*, baſilicarum parochitanarum, *ſed hic & in Decreto* baſilicā adjective ſumi *obſervat Nic. Antonius.*

f *In editis & Decreto*, meditandi.

g *Aliter ea edita* oſtiarii baſilicarum ordinatio, incenſi præparatio, cura chriſmatis conficiendi, cura baptiſterii ordinandi, præparatio luminariorum in ſacrario & in ſacrificiis. *Similiter fere Decretum.*

CAPUT VIII.

Synodus Hiſpalenſis. Hæreticus converſus, cæcus illuminatus. Epiſtolæ ad varios.

27 HÆc de innumerabilibus fere ſufficiant ad præſens: ſi enim cuncta quæ occurrunt de eo præſtringere voluerimus ſcriptis, tempus nos facilius quam copia deſeret. In his namque ſanctis operibus omne vitæ ſuæ tempus exercitatus, fama ſcientiæ & virtutum ejus univerſas regiones complevit. Multi itaque nobiles & peritiſſimi, deſideratum videre cupientes Iſidorum, alterius audire ſapientiam Salomonis à finibus terræ veniebant. Veniebant alii ut doctrinam ab eo ſalutarem perciperent; alii vero ut viderent mirabilia in nomine Domini facientem: veniebant infirmi ut ſanarentur à languoribus ſuis, quia virtus Dei de illo exibat & ſanabat omnes; alii autem tentantes accedebant erronei, de ſe ipſis præſumentes, ſi forte poſſent eum capere in ſermone. Quorum pravæ æmulationis tempore quo ad *a* Synodum Hiſpalim conveniebant Epiſcopi, advenit *b* Gregorius, re ſuo contrarius *c* nomini, hæreſis Acephalorum Antiſtes, verbis garrulus, lingua diſertus, paralogicis ſyllogiſmis promptiſſimus, in diſputationibus acutiſſimus; qui quaſi fluvius rapidiſſimus, multos ſibi obſiſtentes fidelium, qui electi videbantur, ab ſanctæ Eccleſiæ horto evellebat, & in mortis exitium ſecum infallibiliter pertrahebat. Negabat enim in Chriſto duas eſſe ſubſtantias, & non verum Deum ex Deo Patre ante tempora permanentem, ſed purum tantum hominem aſſerebat. Hic ad B. Iſidorum cum veniſſet, petebat ut in communi audientia ſibi cum eo inire diſputationis certamen audendi tribueretur facultas; ſperans ſe, etſi non eum ſuperare, tamen nec ab illo ſuperari ullatenus poſſe; & hoc deveniret in multorum everſionem, ſi ita ſuccederet, ſicut hæreticus prænotaverat. Beatus autem Confeſſor, prævidens hoc ad utilitatem Catholicæ Eccleſiæ à Domino diſpenſari, ejus petitionibus benigne annuens, ſtatuit diem. Convocat fideles, judices eliguntur, qui partibus auditis, contra ſuccumbentem dignam pro obtinente ferrent ſententiam. Quid plura? Initur certamen; & diverſarum Scripturarum concurrentibus teſtimoniis, cedit hæreticus Epiſcopo, quia non poterat reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur. Admirans ergo ſuper doctrina Domini, non expectat ut ſententia Judicum proferatur, ipſe proprio ore ſe acclamans victum.

28 Populis vero cum Epiſcopis & Clero pia devotione Deum laudantibus, eo quod proſtratus ſit Chriſtianorum prædo, qui ſeducebat illos die ac nocte, cæcus quidam aſtitit, importunis vocibus conquerendo, Heu, inquit, alme Doctor Iſidore, diu eſt quod de tua ſanctitate percepi famam: ſed nunc aſſiſtens, bonitate tua privatus, te videre non mereor. Intuitus autem eum Gregorius, B. Iſidorum diſſimulantem precabatur, ut Pontificalem chirothecam, quam manu tenebat, ſibi porrigeret. Qua impetrata, in conſpectu omnium fidus ſurrexit; & cæci oculos ea tangens, clara voce dixit, Dominus Jeſus Chriſtus, qui per B. Iſidorum oculos mei cordis illuminavit, ſanctis ejus meritis oculos corporis tui ad confirmationem fidei dignetur illuminare. Quo dicto, de palpebris cæci ſanguine erumpente, viſum recepit, vociferantibus in laudis jubilo exinde populis. Beatus Antiſtes, vix ſilentio impetrato, docuit Chriſtum Jeſum verum Deum & verum hominem eſſe colendum, atque in una ejuſdem perſona duas eſſe ſubſtantias, divinam ſcilicet & humanam: divinam, quia Deo Patri ſemper manet coæternus; humanam, quia ex intemerata matre Virgine cœpit eſſe hodiernus.

a etiam hæreticus diſputans de fide,

b c

qui convincitur.

B *Undique ad S. Iſidorum confluunt: ſani & ægri,*

C

D *cæcus attactu chirothecæ ejus illuminatur:*

Epiſtolæ S. Iſidori ad Braulionem.

29 *d* Quia non valeo te perfrui oculis carnis; perfruar ſaltem alloquiis, ut hæc mihi ſit conſolatio, incolumem litteris cognoſcere, quem cupio videre. Utrumque bonum eſſet, ſi liceret: ſed vel mente de te reficiar, ſi corporali obtuitu non valeo. Dum pariter eſſemus, poſtulavi te ut mihi decadem ſextam S. Auguſtini tranſmitteres: poſco ut quoquomodo mihi cognitam eā facias. Miſimus vobis Synonymorum libellum, non pro id quod alicujus utilitatis ſit, ſed quia eum volueras. Commendo autem hunc puerum, commendo & memetipſum, ut ores pro me miſero; quia valde langueo, & infirmitatibus carnis, & culpa mentis: in utrumque tuum præſidium poſco, quia per me nihil mereor. De cetero peto, ut dum vita comite portitori ad nos regredi fuerit opportunitas, veſtris nos jubeas, lætificare eloquiis. Alia omni deſiderio deſideravi nunc videre faciem tuam, & utinam aliquando impleret Deus votum meum, antequam moriar, ad præſens autem deprecor, ut commendans me Deo orationibus tuis, ut hac vita, ſpem meam impleat, & in futuro beatitudinis tuæ conſortium mihi concedat. Et manu ſua, Ora pro nobis beatiſſime Domine frater. . . .

d

S. Braulio petit ſibi mitti aliqua S. Auguſtini.

E

& eumdem videre

Epiſtola Braulionis ad S. Iſidorum.

30 O pie Domine & virorum præſtantiſſime, ſera eſt inquiſitio & tarde data mihi ſcribendi optio, quia peccatis meis ingruentibus, non modo ſterilitatis vel inopiæ malo, verum etiam luis & hoſtilitatis, quo minus inquirerem, horribili ſum præpeditus incurſu. Nunc autem, & ſi mille neceſſitatibus, mille curis aſtrictus, poſt longum miſeriæ tempus, velut ab improbi ſoporis, ut ita dixerim, gravedine ſuſcitatus, iſtius meæ ſuggeſtionis affatibus dependere præſumo ſalutis obſequium; & cordis & corporis humilitate proſtratus, imprecari excellentiſſimam tuæ beatitudinis poteſtatem, ut peculiarem famulum, quem pro ſacræ dignationis intuitu ſemper habuiſti ſuſceptum, uſque in finem habere jubeas commendatum. Nam ego (Chriſtus novit) gravi dolore diſcrucior, quod demenſo tempore tam prolixo, vel nunc veſtrum non mereor videre conſpectum. Sed ſpero in illum, qui non obliviſcitur miſereri nec repellit in finem, quod exaudiet precem pauperis, & veſtro me miſerum repræſentabit aſpectui. Suggero ſane, & omnimoda ſupplicatione depoſco, ut librum Etymologiarum: quem jam favente Domino audivimus conſummatū, promiſſionis veſtræ memores ſervo veſtro dirigere jubeatis. Quia ut mihi ſum conſcius, magna ibi ex parte ſervi tui *e* poſtulatione ſudaſti. Et ideo in me primum exiſte munificus, ſic in Sanctorum cœtibus & felix habearis & primus. Geſta etiā Synodi, in qua Sintarius examinis veſtri igne, etſi non purificatus, invenitur tamen decoctus, quæſo ut veſtro inſtinctu à filio veſtro, Domino Rege nobis dirigatur cito. Nam & noſtra ejus ſic flagitavit gloriā ſuggeſtio, quia multum in concilio pro inveſtiganda opus

F

qua ad ejus alloquium anhelans.

petit librum Etymologiarum,

e

& geſta Synodi:

opus eſt veritate. De cetero Creatoris altiſſimi pietatem efflagito, ut coronam beatitudinis veſtræ, pro integritate fidei & ſtatu Eccleſiæ ſuæ, longo tempore præcipiat conſervari; méque, inter oblatrantia præſentis mundi, varia & innumerabilia diſcrimina, munitum reddat tuæ interceſſionis gratia; ac reconditum in gremium memoriæ tuæ, tutum ab omni tempeſtate peccati, oratu veſtro, efficiat Trinitas ſacratiſſima. Et manu ſua: Ego ſervus Braulio Domino Iſidoro: in Domino, fruare, lucerna ardens & non marceſcens.

Reſponſum S. Iſidori.

31 Quia te incolumen cognovi gratias Chriſto egi: & utinam cujus cognovi ſalutem, in hoc corpore aſpicerem & viſionem. Quid autem mihi evenit pro peccatis meis manifeſtabo; quia non fui dignus tua perlegere eloquia. Statim enim ut accepi pittacium tuum, puer Regis ad me venit: dedi cubiculario meo illud pittacium, & confeſtim ambulavi ad Principem, ut poſtea perlegerem & reſcriberem. Reverſus de Palatio Regis, non ſolum ſcripta tua non inveni, ſed etiam & quidquid aliud in cartis fuit periit; & idcirco (ſcit Dominus) luxi meritum meum, quia non perlegi eloquium tuum: ſed rogo, quæcumque occaſio venerit, reſcribe mihi, & gratiam tuam verbi tui non auferas: ut quod ex meo delicto perdidi, iterum gratia tua recipiam. Et manu ſua, ora pro nobis, beatiſſime Domine.

Dolet ejus epiſtolã periiſſe,

ANNOTATA.

a *Eſt ea* Synodus Hiſpalenſis II *apud Loyaſam, habita anno regni* 81, *Siſebuti* 9, *Chriſti* 619 *aut ſequente, cui præfuit ipſe S. Iſidorus Metropolitanus, interfuere* 7 *Epiſcopi ſuffraganei ejus.*

b Gregorius Syrus *natione, & ipſe Epiſcopus, cujus factionis hiſtoria extat in dicta Synodo can.* 12.

c Gregorius *Græce* vigilem *aut* vigilantem *ſignificat.*

d *Deſunt in Sequentibus inſcriptiones. In iis elucet humilitas* S. *Iſidori & memoria mortis inſtantis. Sunt autem primæ epiſtolæ, ad Braulium; cujus Natali* 18 *Martij, digeſimus hiſtoriam negotiorum inter hos Sanctos vertentium.*

e Librum Etymologiarum *poſtulatione Braulii ſcriptum eſſe teſtatur* S. *Hildephonſus de Scriptoribus Eccleſiaſticis.*

f *Iſidoro in Gloſſario*, Pittacium, epiſtola brevis & modica. *De ea voce ſæpius egimus.*

CAPUT IX.

Synodus Toleti habita. Præclara in morbo præparatio ad felicem obitum.

Præſcius mortis ſuæ,

32 CUm igitur glorioſus Doctor Iſidorus diverſis coruſcaret miraculorum ſignis, & fama ſanctitatis ejus per univerſum fere orbem diffunderetur; prophetiæ ſpiritu, quo clariſſimus refulgebat, obitus ſui diem longe ante diſcipulis præſignavit. Attollitur clamor ſcholarium, monachorum luctus ſubſtruitur, monialium ſingultus erumpit, atque populi gaudium convertitur in mœrorem. Beatus autem Confeſſor eamdem, quam ſemper habuerat, de Eccleſiæ Dei grege ſolicitudinem gerens, juſſit omnes Hiſpaniæ Epiſcopos & Abbates & Principes ad Toletanam Synodum convocari; exoptans ſummo opere, quatenus antequam migraret de corpore, clericalem ordinem in fraterna concordia, laicalem vero in perpetua dimitteret pace. Ad quam *a* Synodum cum ventum fuiſſet, in primis ut in fide ſanctæ Trinitatis permanerent exhortabatur; hanc de unitatis eſſentia ac perſonarum varietate proponens diſtinctionem; unum ſcilicet eſſentia & natura, indiviſibilem, verum Deum, de quo Moyſes dicit, Audi Iſrael Dominus Deus tuus, Deus unus eſt: qui nequaquam vel cogitatione à fidelibus eſt dividendus, ut non in labyrintho erroris volvantur: qui ubique totus & integer eſt, per eſſentiam ſive per præſentiam majeſtatis, quod idem eſt; intra omnia, ſed non incluſus; extra omnia, ſed non excluſus; nec localiter tamen: qui cum ſit ſimpliciſſimus ſecundum majeſtatis divinitatem, eſt tamen trinus ſecundum perſonarum diſtinctionem: Pater ingenitus, ſemper omnipotens; Filius unigenitus de Patre, ſemper inſeparabiliter natus; amborum autem Spiritus, inſeparabiliter à Patre Filioque ſemper procedens; unde & unum ſunt. Præterea in una Chriſti perſona duas profitemur nativitates atque naturas; unam ſcilicet ſempiternam ex Patre, ſecundum quam Deo Patri æqualis manens, eſt immortalis & impaſſibilis; alteram vero temporalem ex matre, cum anima aſſumptam, ſecundum quam pro nobis pati atque mori dignatus eſt; unde verus Deus & verus homo in una perſona eſt. Quid autem ſit gignere, naſci vel procedere, hoc ſi non capimus ſinu mentis, capiamus ſinu fidei; & ſalvi erimus. Omnes nefarias hæreſes, non minus quam ſuum præcipitium exhorrens, enervavit & anathematizavit, maxime execrabilem & odibilem Arii ſectam, nec non & Acephalitarum nefariam ſuperſtitionem: quas ipſe à tota Hiſpania & Galliis vehementi invigilatione; fratris ſui prædeceſſoriſque Leandri, ſanctitate & doctrina perſpicui, fulciente ſtudio, gladiis verbi Dei perſequendo eliminavit, confudit, ac penitus enervavit. Romano etiam Pontifici, loco beati Petri Apoſtoli ſubſtituto; eo quod ſit Eccleſiæ Dei caput in in his quæ ad Deum pertinent, à fidelibus omnibus debere obediri, clariſſimis ſanctarum Scripturarum teſtimoniis approbavit: quibus eriam conteſtando prohibuit, ne unquam membra à ſuo capite ſejungerentur; volentibus præſumere, maledictum intentans. Regibus & Principibus leges inſtituit; Eccleſiæ Chriſti Sacerdotibus Catholicam fidei regulam tradidit; *c* Officia & gradus cunctorum ordinum expoſuit, ſacrorum jura oſtendit civibus, & cunctis domeſticis fidei populis diſciplinam Chriſtianæ religionis inſinuavit. Ad ultimum vero, cum omnia hæc eſſent ab univerſis approbata, alter Moyſes atque noſtris temporibus legislator, ore prophetico proſecutus eſt dicens; Cum in his traditionibus permanſeritis puro corde, in præſente vita pace fruemini & bonis, & in æterna gloria congratulabimini laude perpetua; cum autem hæc præcepta dereliqueritis, apprehendent vos mira mala, & cadet gens Gothorum fame & gladio inimicorum & peſte. Cum autem converſi ad Dominum Deum veſtrum fueritis perquirentes ea, poſſidebit ſemen veſtrum portas inimicorum ſuorum, & erit vobis gloria major quam fuerit unquam. Poſt hæc accepta benedictione valefacientes Sancto, omnes ad propria ſunt reverſis.

Synodo Toletanæ præſidet,

33 Beatus autem Iſidorus Primas, per aliquot dies Toleti moram faciens, verbo ſanctæ prædicationis infatigabilis perſiſtebat. Et licet plura monaſteria ſervis Dei conſtrueret miro opere, dum eſſet Toleti, parviſſima erat cella contentus. Inde regreſſus Hiſpalim, cum *d* fatiga-

EX MS. TOLETANO.

a

Deut 6. 14 *& myſteriũ SS Trinitatis & Incarnationis explicat:*

Romanæ Pontificis auctoritatẽ propugnat:

hæreſim Acephalorum profligat:

d

EX MS. TOLETANO.

tum corpus ægritudine aſſidua animæ natura ſubtiliter provideret, *e* (licet in multorum admirationem larga eleemoſynarum diſtributione ſemper fuerit uſus) tanta eleemoſyna continuis diebus, per ſex menſes ſeu amplius, pluſquam erat ſolitus, monachis, ſcholaribus, & pauperibus ab eo eſt erogata; ut ab oriente ſole uſque ad veſperum, in diſtribuendo pauperibus ſubſtantiam multam, maneret occupatus. Poſt hæc infirmitate ægritudinis feſſus, dum febris in corpore convaleſceret, & cibum ejiceret debilitatus ſtomachus, [ut ſuis exemplum relinqueret pœnitendi] ad pœnitentiam convaluit: [ut quod ſuis ſemper docuerat verbis, opere quoque palam cunctis expleret, & cum Apoſtolo diceret, Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Convocato itaque Clero, & omni populo, fecit ſe à diſcipulis ſuis ad eccleſiam lecto deferri] atque reverendæ vitæ ſanctum Joannem Epiſcopum, & præclarum virum Epartium Antiſtitem beatiſſimum [quos ſibi vitæ ſanctitas vinculo amicitiarum annexuerat] juſſit ſtatim ut eſſent præſentes. Et dum à cellula ſua ad eccleſiam Sancti Vincentii Martyris adduceretur, cuncta agmina Clericorum [ſcholarium, monachorum, ſanctimonialium, quorum ſanctus Confeſſor Doctor extiterat & ſuſtentator] cunctarumque illius civitatis plebium, cum clamoribus & magno ululatu, eum ſuſceperunt; [rumpentes capillos capitis; barbas, facies & veſtes ſcindentes;] ut ſi ferreum poſſideret quiſpiam pectus, ſolveretur mox in lacrymas & lamentum totus.

e eleemoſynas plurimas diſtribuit:

1 Cor. 11, 1

ager coram 2 Epiſcopis defertur in eccleſiam S. Vincentii,

B

cum luctu omnium,

34 Et dum in prædicti Martyris eccleſia, juxta altaris cancellum, in medio poneretur choro, mulierum turbas longius ſtare præcepit; ut in accipiendo ipſe pœnitentiam, virorum tantum, non mulierum, circa eum præſentia cerneretur. Et dum à prædictis ſuis Epiſcopis [qui cum ceteris, qui ad hoc triſte, licet ſanctum, convenerant ſpectaculum, inſolabilibus reſolvebantur lamentis] in cinere *f* involveretur & cilicio, expandens manus ſuas ad cælum, ita exorſus eſt dicens: [Tu Deus, qui noſti corda hominum, & publicano longe poſito dum pectus percuteret, dimittere peccata dignatus es; qui Lazarum dormientem poſt reſolutionem carnis die quarta de monumento reſuſcitare dignatus es, & Abrahæ Patriarchæ ſinu recipere voluiſti; ſuſcipe hanc confeſſionem meam; & peccata, quæ innumerabiliter contraxi, ab oculis differ tuis. Non reminiſcaris mala, & juventutis delicta ne memineris]. Tu Domine, non poſuiſti pœnitentiam juſtis, qui non peccaverunt tibi; ſed mihi peccatori, qui peccavi ſuper numerum arenæ maris. Non inveniat in me hoſtis antiquus quod puniat. Tu ſcis, quia, poſtquam infelix ad onus iſtud potius quam ad honorem in hanc ſanctam Eccleſiam indigne perveni, peccare numquam finivi; ſed ut prave agerem laboravi. Sed quia tu dixiſti, In quacumque hora peccator ſe à Viis ſuis converterit, omnes iniquitates ſuas traderes oblivioni; hujus præcepti memor tui, clamo, utique cum ſpe & fiducia, ad te, cujus cælum non ſum dignus aſpicere præ multitudine peccatorum, quæ converſantur in me. Adeſto & ſuſcipe orationem meam, & mihi peccatori da veniam poſtulatam. Quod ſi cæli non ſunt mundi in conſpectu tuo, quanto magis ego homo, qui bibi iniquitates quaſi aquas, & ſumpſi clauſtra *g* peccati. His conſummatis vivificum Corporis & Sanguinis Domini ſacrificium, cum profundo gemitu cordis indignum ſe judicans, ab ipſis ſuſcepit Pontificibus.

f preces ad Deum fundit:

C

peccatorum veniã poſcit:

g ſacro viatico munitur:

35 Deinde eorumdem Epiſcoporum & quicumque de clero erant, cunctarumque plebium [per omnia nobis præbens humilitatis exemplum] veniam precabatur, dicens: Deprecor vos, ſanctiſſimi Domini mei Sacerdotes, ſanctamque congregationem clericorum & populi, ut pro me infelice & pleno ſorde peccati, veſtra ad Dominum dirigatur oratio; ut qui meritis non ſum dignus, merear, veſtro ſaltem interceſſu, obtinere impetrata clementia, meorum veniam delictorum. Dimittite mihi indigno quod in unumquemque veſtrum commiſi; ſi quem contempſi odio, ſi quem læſi iraſcendo. *h* [Vides virtutum exemplar, à quo omnium paterna ſolicitudine neceſſitas dependebat, dum magiſtrum ſic conſpicis à ſibi ſubjectis veniam poſtulare; quia hoc gratioſius eſt ſimplici amore, quibus prodeſt offenſos aliqua timere occaſione. Imitari labora pro viribus ad tanti doctoris humilitatem ſectandum: eſt enim ſumma humilitatis ſpecies ſubjicere ſe minori; & caſtus Dei timor ſive ſanctus qui permanet in ſeculum ſeculi, eſt, ſe non elato corde præferre alicui. Deinde beatus Confeſſor ſubjecit:] Dimittite, obſecro, nunc ſaltem, Domini mei, mihi inſtanter petenti; imo & ſi quid deliqui, pœnitenti. Et dum omnes voce magna pro eo indulgentiam cum lacrymis poſtulaſſent [licet ab aliquibus objiceretur, quod ille qui ſanctitatis fulgebat culmine, non peccatorum precibus, ſed è converſo illi ejus juvarentur obtentu, qui mentis & corporis integritate ab ineunte etate ſe Domino conſecrarat. Dumque univerſi ſingulares viri virtutes narrant,] circumſtantes iterum admonuit, dicens: Sanctiſſimi Domini Epiſcopi & omnes qui adſunt, rogo & obſecro, ut caritatem invicem vobis exhibeatis, non reddentes malum pro malo, nec velitis eſſe ſuſurrones in populo; ut dilectionis vinculo connexi, non reperiat à vobis lupus rapax relictum quem auferat. Dum igitur unicuique debitorum vincula vel chirographa condonaſſet, [quæ fere innumerabilia videbantur, quod etiam ad eximiæ bonitatis ejus excrevit indicium; cœpit reſumptis divina virtute viribus, tam profuſis cæleſtis pabuli inſiſtere dapibus, tam copioſa divini myſteſterii populis apponere fercula; atque diem, qua ad vitam naſceretur, qua cum Apoſtolo cupiebat diſolvi & eſſe cum Chriſto, cunctis lætus inſinuare; ut indubitanter aſſeras eum ſpiritu æternis ſemper interfuiſſe conviviis: atque, quamvis gravi correptus morbo, ſed quo magis infirmatus fortior & potens, verbo exemploque prædicare, tam conſtanter, tam prudenter, tam affluenter; ut ad cæleſtia feſtinans ipſe, aſſiſtentes quoque feſtinare compellebat. His itaque geſtis] reſiduam egenis & pauperibus mox dari juſſit pecuniam. [Sed etiam hoc quam præcipue laudis illius clarificat titulum, quod dominicæ pacis præco latorque, ab omnibus ſtuduit oſculari, & pacem [accipere] quam ore prædicabat & moribus; dum eamdem oſculo dato ſingulis circumſtantibus imitator Auctoris reliquit, dicens] *i* Si ex toto corde dimiſeritis ea quæ in vos adverſa vel prava hactenus intuli, dimittit vobis Creator omnipotens omnia delicta veſtra, ita ut ſacri fontis unda, quam hodie devotus populus eſt percepturus, ſit vobis in remiſſionem peccatorem: & hoc oſculum inter me & vos maneat in teſtimonium futurorum. Completis his omnibus, ad cellulam reverſus eſt. *k*

D

commendat ſe omnium precibus,

& veniam delictorum petit: h

E

Oſculo omnes ſuſcipit in ſignum caritatis. i

F

k

AN-

ANNOTATA.

a Hæc eſt quarta Synodus, ſub Siſenando Rege celebrata, ſub quo & ipſe diem ſuum obiit Iſidorus, ut Ildephonſus innuit. Sed nihil eorum, quæ poſtea huic Synodo tribuuntur, diſerta ſcilicet fidei confeſſio in ea, niſi aliis verbis legitur. Quare auctoris licentia hæc fuerit non laudanda, ſuo potius quã Synodi ſermone pronuntiare maluiſſe. *Ita Nicolaus Antonii: ſed in Toletana Synodo ſtrictius dicta, latius explicantur in Synodo Hiſpalenſi 2, Can. 13.*

b *Idem obſervat*, nihil tradi de Romano Pontifice in dicta Synodo Toletana 4.

c *Quædam de his habentur can.* 39 & 40.

d *Hinc tranſcribitur Redempti Clerici (quem Archidiaconum appellat S. Iſidorus in epiſtola ipſi inſcripta) de obitu S. Iſidori relatio cum hoc exordio hic omiſſo.* Viſum eſt mihi ut tuæ Sanctitati brevi exponerem, quomodo bonæ recordationis Dominus meus Iſidorus, Hiſpalenſis Eccleſiæ Metropolitanus Epiſcopus, pœnitentiam acceperit, ſuamque confeſſionem erga Deum vel homines habuerit; vel quomodo de hoc ſeculo ad cælum migravit, fideli prænotationis meæ ſtylo tuæ dilectioni noteſcerem. Quæ res me primum compulit pro hac ſolicitudine, quam ex amore in
B eum offertis, veſtræ caritati gratias agere: deinde quia vera ſupprimere nequeo, & quod de eo pauca de multis colligere potui, te orante dicere cogor. Dum finem ſuum, neſcio qua ſorte jam proſpiceret, & fatigatum corpus &c.

e *Parentheſi incluſa ſunt adjecta, ut hinc inde nonnulla alia. Quæ [] incluſimus, velut ab auctore vitæ originariam Relationem interpolante inſerta.*

f *In editis, Ab* uno cilicium, *ab* altero ſuper ſe mitti expoſceret cineres. *Fuerunt autem hi duo Epiſcopi,* Joannes Ilipæ, *quæ hodie* Peña-flor; *&* Epartius Italicæ, *vulgo* Sevilla la Vieja; *ambo Concilio Toletano 4 ſubſcripti; & poſt Metropolitam Hiſpalenſem primi, ſecundum ordinem Sedium, apud Carolum à S. Martino in Geographia ſacra enumeratarum.*

g *Ibidem*, ut coloſtra peccatum: *quod magis probarim. Eſt enim* coloſtrum *flos primi lactis: & ſic continuata metaphora jungitur priori non abſimili, quæ ſe dicit Sanctus quaſi aquas bibiſſe iniquitatem.*

h *Hæc animadverſio non habetur apud Redemptum; ſicut etiam infra aliaquædam puncta: quæ veroſimiliter adjecta ſunt ab auctore noſtro, multa amplificatione ubique uſo; niſi dicere quis malit ipſum Redemptum, abbreviatum dumtaxat, à nobis haberi.*
C

i *Brevius apud Redemptum*: Interea ſe ab omnibus oſculari ſtuduit, dicens,

k *Additur apud Redemptum*: Et poſt diem confeſſionis vel pœnitentiæ quartum, paſtoralem jugiter curam & finem ſuum conſummavit in pace, pridie Nonas Aprilis, Luna XIX, Æra DCLXXIV, *hoc eſt anno Chriſti* 636, *quando Paſcha agebatur pridie kalendas Aprilis: adeo ut appareat hanc confeſſionem factam eſſe ipſo Sabbato Sancto: quando celebrandus erat ſolennis catechumenorum baptiſmus, quod ipſum induant verba immediate prægreſſa: & ſic mortuus fuerit feria 4 Paſchalis hebdomadæ.*

CAPUT X.

S. Iſidori obitus, ſepultura, epitaphium: varia encomia.

Triduo ultimo ad eccleſiam ducit votum:

36 ALiis etiam continuis tribus diebus, ſimiliter à clero & innumerabili plebium exercitu (qui quotidie numero augebatur, ſancti Patris exitum ſibi lamentabilem, cæleſti autem curiæ deſiderabilem, videre cupientes) ſimiliter ad eccleſiam ducebatur, & ſanctæ prædicationis verba ſitientibus infundebat, & revertentem à nuptiis Dominum gaudens excipere geſtiebat, quaſi optata lampade obviam Chriſto & cæleſti curiæ invitanti ad tam celebre epithalamium procedens; Epiſcoporum, Clericorum, Principum & populorum caterva vallatus. Poſt diem autem confeſſionis vel pœnitentiæ quartum, in eccleſia ſtans, peracto ſermone ad populum, expandens manus ad cælum ac benedicens omnibus, Deo ſibi hactenus traditum gregem commendans, ſanctum Domino tradidit ſpiritum; nobis ſui corporis pretioſiſſimam margaritam, digna veneratione amplectendam, relinquens. Pontificis autem animam, à corporis theca reſolutam, populi ut cernunt, emittunt voces & ululatus ad cælum, tanti Patris deceſſum amariſſimis ſingultibus plangentes. Inundat civitas Hiſpalenſis fletibus; Epiſcopi Paſtorem, Principes Præceptorem, Clerici Doctorem, monachi & moniales Rectorem & Suſtentatorem, pauperes Patrem & Defenſorem, vultu lugubri cordis amaritudinem prætendentes, inſolabiliter plangebant. Non multo poſt luctus convertitur in gaudium, amaritudo in dulcedinem, vox plangentium in laudem, deſperatio in conſolationem, eo quod Sanctus non fuerit paſſus adeo eos diu triſtari. Nam de corpore ejus tanta effluxit fragantia, omnium aromatum vincens odorem; ut omnes, qui aderant, cæleſti viderentur perfrui beatitudine. Diverſarum ægritudinum convenerunt infirmi, qui non ſolum ſancti Corporis tactu, verum etiam ſolo odoratu, priſtinæ redduntur ſoſpitati. Ad tam inſignia ſingularis viri meritorum dona uberius cumulanda, ac cumulatius exageranda, quadragenarius accedit annorum numerus, multiplici ſacramento dicatus; quorum in ſpatio functus ac defunctus, Dei in ſe pleniſſime inhabitante & cooperante gratia evidenter oſtenderet, quod perfectionis ſibi culmen myſtici ſacramentum numeri conſignaret. Advertat, dilectiſſimi fratres, caritatis veſtræ intuitus, attendat quantus fuerit in Sanctis, quam admirabilis, quam laudabilis, quam magnificus, quamque glorioſus iſte Sanctus. Alius namque Sanctorum cæcos illuminat, alius leproſos mundat, alius mutis organa ſolvit, alius ſurdis auditum reſtituit, alius claudo greſſum firmat, alius defunctum cadaver ad vitam revocat, alius à tactu hauſtuque letifero conſervat illæſos, alius quovis morbo ſanat attritos: unicuique enim, ſicut ait Apoſtolus, datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii gratia linguarum, alii interpretatio ſermonum: hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus: cujus dono, cujus munere, cujus gratia, cujus largitate, cujus inſtinctu, cujus inſpiratione repletus electus Dei Confeſſor Iſidorus his omnibus gratiarum muneribus, his chariſmatum donis ita refulſit ad plenum, ut cum hæc enumerando Apoſtolus deſcriberet, in Iſidorum mentis conſpectum direxiſſe videretur; in quem cunctorum præcedentium dona juſtorum confluerent, & à quo in ſequentes derivata decreſcerent.

ex MS. Toletano.

ac data aliis benedictione moritur;

omnium luctu mox verſo in gaudium propter miracula:

E

excellit donis per varios Sanctos diſtributis

F

1 Cor. 12, 7.

eiſque reſpondet:

37 Dormivit autem B. Iſidorus *a* Æra DCLX, anno ab incarnatione Domini DCXXII, ſana doctrina ſanoque conſilio præſtantior cunctis, & copioſus operibus caritatis dierum bonorum ſenior: non caligaverunt ejus oculi, & dentes ejus non ſunt moti de loco ſuo. Denique, ut Sancti corpus cum honore debito ſepeliretur; omnium fuit una voluntas,

a

EX MS. TOLET. *inter S Leandrum & S. Florentinam ſepulti mnima*

eadem vota, idemque deſiderium. Et quia ſanctiſſimus Doctor Leander; antequam, migraret ex corpore, fratrem ſuum hunc beatiſſimum juxta ſe ſepeliri expetierat; & glorioſa Virgo Florentina, eorum ſoror, idem de ſe ſummo exoptaverat deſiderio; ſepulcrum ſanctiſſimi corporis Iſidori medium honorifice locaverunt; S. Leandri & S. Florentinæ ſepulchro illud hinc inde jungentes, auroque & argento plurimo celati operis decorantes. Interea plures fuere divino illuminati dono, qui viderunt Sancti animam in ſublime ab Angelorum multitudine, in voce laudis & jubilationis, deferri; & Chriſtum Dei filium, cum innumerabili Sanctorum caterva, obviam ei procedentem. Quidam etiam, cujus vitæ continentia ſatis imitabilis videbatur, qui eumdem Confeſſorem ſuper omnia diligebat, cum caſu emergente triſtitia nimia conſolari renuens anxiaretur, ſe raptum in extaſi teſtabatur, atque hunc egregium Paſtorem inter Innocentium turbas, quos Herodes pro Chriſti nomine trucidavit cum martyrii palma; virginitatis aureola, confeſſionis corona, primatum tenere ſe vidiſſe fatebatur, dicentem ſibi, quia paratus ſum, omnibus pro me Chriſti auxilium implorantibus ferre ſubſidium. Qua viſione lætus ſemper & hilaris videbatur; ſed tamen quodammodo anxius ſemper, pro Patris ſuſpirans præſentia. Sed perfectiſſimi viri quid miracula notem, quid virtutes magnificem, quid ſcientiam prædicem, quid doctrinam commendem, quid mores extollam? nam in Apoſtolico viro, imo poſt Apoſtolos Chriſti Apoſtolo, virtutum conſonantiam quid quæras? cum in eo prudentiam Noë, fortitudinem Abrahæ, temperantiam Iſaac, juſtitiam Jacob, patientiam Job evidenti ratione conſpicias. Unde in Iſidoro ſcientiæ laudes eminentiam? cum in eo Moyſi & Eliæ mireris præſentiam? Quid doctrinæ præferas gratiam? in quo doctoris gentium veritatem exuberare, diſciplinam ſpiritu fervere, zelum ſcientiam abundare reperies? Quid morum glorifices claritatem? in quo Stephani tormenta, ceterorumque Chriſti ſequacium cernes principare conſtantiam.

in calum glorioſe videtur portari:

B

ipſe cum præceptis Sanctis conſervatur.

38 Sed quia in his non eſt ſuperſedendum ad præſens, ne protracta lectio faſtidium generet audienti, ad propoſitum redeamus. Tuere interea Clerici & ſcholares peritiſſimi quam plures in verſibus & carminibus, agnoſcentes Doctorem, de accepto ab eo munere pii Patris magnalia extollentes; inter quos honor Cleri B. Illefonſus, Archipræſul Toletanus inclytæ ſanctitatis, qui de pectore magiſtri doctrinæ latices hauſerat puriſſimos, ad Magiſtri decorem in parte Eccleſiæ, qua ſancti Doctores quieſcebant, eorum geſta miro fecit opere depingi, & in cruce argentea, quæ Sanctorum ſuperjacebat monumentis, hoc carmen ſignavit.

C

Epitaphium à S Ildephonſo poſitum.

Crux hæc alma gerit geminorum corpora fratrum,
Leandri, Iſidori, pariumque ex ordine vatum.
Tertia Florentina ſoror, devota perennis,
O quam compoſita conſors! hic digna quieſcit:
Iſidorus medius disjungit membra duorum.
Hi quales fuerint, libris inquirito, lector:
Cognoſces, & eos bene cuncta fuiſſe locutos,
Spe certos, plenoſque fide, ſuper omnia caros.
Dogmatibus cernas horum creviſſe fideles,
Ac reddi Domino quod impia jura tenebant.
Utque viros credas ſublimes vivere ſemper,
Aſpiciens ſurſum pictos contende videre.

Item aliud,

In laudem Eccleſiæ, Chriſto Regi gloriæ
Concinamus jugiter:
Et Virginis unico, carmine Davidico,
Canamus ſolenniter.
Gloriam Iſidori, meritorum memori
Voce ſonent cantici:
Creſcat laudum cumulus, gratuletur populus,
Et chori Angelici:
Noſtris in temporibus præfulgens hic moribus,
In verbis Dominicis:
Fidus fidem extulit, fide labem expulit
Erroris hæretici.

D

Laudatur ejus doctrina

Natus de Carthagine, nihil ab origine,
Puerile ſapiens,
Per fines Hiſpaniæ fontem ſapientiæ fudit,
Mira faciens.
Hiſpali dum præfuit Primas, legem docuit,
Hiſpanus Hiſpaniam;
In doctrina præmicans, Crucifixum prædicans,
Fugans *c* idolatriam:
Stemmate prænobilis, perſtitit immobilis,
In Dei magnalibus;
Affectans cæleſtium gaudiorum præmium,
Spretis temporalibus.

d

Per fulgorem operum, exemplar fructiferum
Seſe Clero tribuit:
Nil à certo varians, totus cælis inhians,
Vitia perdomuit;
Romanorum dogmata coſmi hic per climata,
Reparavit largius;
Heſperus Heſperiam, Lucifer Eccleſiam,
Decoravit clarius.

ſincera fides

E

Orthodoxus Arium, dirum adverſarium,
Rationis calculo
Confudit hic malleus; ceſſit hoſtis felleus,
Victus in propatulo.
Iberi devotio Cleri, pleno gaudio,
Colat patrem patriæ,
Contemplando dogmata coſmi laudent climata,
Doctorem Eccleſiæ.
Decus Archipræſulum, Sacerdotum ſpeculum,
Scripſit, docte modulans,
De fide Catholica carmina mirifica,
Libros libris cumulans.

ſcriptio librorum:

d Mahometi cæcitas, perdens gentes perditas,
Illius miracula
Nequiens refellere, mœſta fuit cedere,
Viro ſine macula.
Ut ſincere credidit; ſincere ſic edidit,
Formam pœnitudinis;
In diſcendis perſpicax, in exemplis efficax,
Doctor multitudinis,
Quis ad plenum promere poſſet vel præſcribere
De geſtorum titulis?

F

Lingua non ſufficeret, dextera deficeret;
In ſcribendis ſingulis.

Invocatur à poëta cum fratribus.

Exoremus igitur hunc, de cujus creditur
Sanctitate firmiter;
Hoſtis ab inſidiis ut nos & àvitiis
Defendat perenniter.
O depreſſor criminum, tua nobis Dominum,
Prece reconcilies:
In ſpe nos confoveas, noxia ſubmoveas,
Sordes cunctas expies;
Quem tecum excolimus, fratris tui poſcimus
Leandri ſuffragia,
Preces noſtras audiat, audiens ſuſcipiat,
Æterna memoria:
Doctoris Fulgentii horum fratrum ſocii,
Recordari volumus;
Quem per vitæ meritum, ſalutis ſolicitum,
Eſſe noſtræ, quæſumus.
Virginem egregiam Florentinam ſociam,
Cum fratribus petimus,
Ut adjutrix veniat, & offenſas leniat,
In quas nos cecidimus;

Et

A Et leniri Dominus velit nihilominus,
Ameu Clerus concinat.
Interventu Virginis, labe mundet criminis,
Quos peccatum inquinat.
Pro nobis tam celebris Virgo, pulsis tenebris,
Vitiorum, advocet.
Ut qui regit omnia miranda potentia,
Nos in cælis collocet Amen.

e 40 Obiit Beatus Confessor *e* sub die nonarum Aprilis, temporibus Christianissimi *f* Cintillani Hispaniæ Regis & Heraclii *g* Imperatoris Romanorum, illius videlicet Heraclii, qui Crucem Dominicam, quam impius Rex Cosdroe asportaverat loco suo; Hierosolymis restituit atque exaltavit. Testamentum nullum concludit; quia licet facultatibus abundans in Christo, tamen cum pauper spiritu esset, omnia quæ possidebat, priusquam de mundo migraret, distribuit pauperibus & egenis. Sed hoc quoque veram cunctorum erga Patrem notavit dilectionem, quod duas lucernas fere perpetim ardentes & pene inextinguibiles, quæ ab eodem naturali arte factæ feruntur, unam ad caput & unam ad pedes, in locis abditis posuerunt, unde corpus sanctissimum quasi continuo lumine frueretur.

f
g mors sancta.

Lucernæ ad sepulcrum.

B 41 Interea, fratres carissimi, dignum est ut hunc sanctissimum Doctorem laudibus & præconiis veneretur omnis ecclesia; sed maxime Hispaniarum, quæ specialius præ ceteris saluberrima ejus refulsit doctrina. Quis enim extollat virum in infantia omni laude venerandum, in pueritia omnium veneratione laudandum, in adolescentia tot virtutibus plenum, in juventute tanta bonitate conspicuum, in Episcopatu tot miraculis clarissimum, in senectute tam laudabili perdicatione perfunctum, in senio tam imitabili exitu perornatum; atque in fine tam mirifico transitu glorificatum? Quis hunc non prædicet æterni Regis conspectibus acceptissimum, qui vita, & moribus præsulatus officium; virtutibus famam, signis gratiam, profectibus disciplinam, scientiam laudibus, dies incrementis, & finem tanta gloria decoravit? Nimirum cum adhucvir beatissimus corporeæ molis tædio gravaretur, & sitiens ad fontem vivum spiritus, nil in cælo, nil in terra præter ipsum desideraret; quantus in oculis divinæ Majestatis fuerit, quã Deo carus, quam Angelis acceptus, quam amabilis hominibus, quam miraculis clarus, quam virtutibus splendidus, quam signis magnificus, quam glorifica laude dignus, quanta meritorum apud Deum largitate munificus, quanta apud homines munerum magnificentia conspicuus; in exanimi corporis rediviva omnibusque stupenda seculis virtutum gratia orbis expertus est universus. Quantum enim qualemque transeuntium genitrix altrixque terra, nihil tamen terrenum, nihil caducum sapientem, Isidorum produxerit, foverit, tenuerit, imo ut expressius loquar, mente & operatione jugiter in cælis inhærentem detinuerit; ipsum testatur cælum, sensit terra, aër exclamat, aquarum probat utilitas, sanitates produnt, dum ad divini nutus imperia Isidori semper placata meritis, & precibus prompta, pie petentium votis & obsequiis favent, & commoditatibus obsequuntur, ad eruditionem ecclesiæ, & laudem Jesu Christi Domini nostri, qui vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

Anacephaleosis virtutum.

C

ANNOTATA.

a *Supra ex Redempto retulimus* æram DLXXIV, *& annum Christi* 636, *qui annus mox è regno Cintilani confirmatur.*

b *Hoc carmen edidit ad* 21 *Decemb. Tamajus Salazar.*

c Idolatriam *pro* Idololatria *passim medii ævi scriptores habent.*

d *Rejecimus supra aliquorum sensum de Mahometo in Hispaniam adventu: quem dum hujus epitaphii auctor re cipit ut indubitatum, satis indicat longe juniorem se esse S. Ildefonso, cui primum epitaphium tribuitur.* EX MS. TOLETANO.

d Imo pridie Nonarum.

f Cintila, *seu* Cintilanus *regnavit annos tres, menses octo, ab anno* 636 *usque* 640.

g Heraclius *imperavit ab anno* 610 *usque ad annum* 641.

CAPUT XI.

Abbreviatio Braulii Cæsaraugustani Episcopi, de vita sancti Isidori, Hispaniarum Doctoris. a

42 Isidorus vir egregius [natione Carthaginensis, à patre Severiano nobilissimo ejusdem patriæ Duce genitus] Hispalensis Ecclesiæ * Archipræsul, [Hispaniæ Primas, sanctissimis Episcopis & Confessoribus Leandro & Fulgentio, ac Sanctissimæ Florentinæ Virgini Præpositæ Virginum, extitit germanus], & Sancto Leandro successor sanctissimus. [Vir iste beatissimus, à pueritia studiis literarum traditus, Latinis, Græcis & Hebraicis litteris instructus, omnium locutionis genere formatus, in trivii eruditione conspicuus, in quadrivii instigatione perfectus, divinis & humanis legibus ad plenum eruditus, suavis eloquio, ingenio præstantissimus, vita quoque atque doctrina fuit clarissimus, & merito à cunctis Hispaniarum Doctor nominatus. Sic namque de virtute in virtutem proficiens, refulsit Doctor eximius, ut secundum qualitatem sermonis omnibus, videlicet Latinis, Græcis & Hebræis, sapientibus ac minus intelligentibus, in eruditione existeret aptus atque incomparabili eloquentia strenuus. Nam tantæ jucunditatis affluentem copiam in eloquendo promeruit, ut ubertas admiranda dicendi ex eo in stuporem verteret audientes; quod audita, is qui audisset, non repetita sæpius memoriæ commendaret.

a

* *alias* Episcopus

Fuit Latinus, Græcis & Hebraicus eruditus, E

& eloquentia clarus.

43 Jam vero quantus sapientia fuerit, ex ejus diversis studiis & elaboratis opusculis perfacile prudens intelligere poterit. Denique de his quæ ad nostram notitiam venerunt, ista commemoravi. Edidit libros differentiarum duos, in quibus subtili discretione, ea quæ confuse usu proferuntur, sensu discrevit. Procemiorum librum unum, in quo quid quisq; liber sanctæ contineat Scripturæ, brevi subnotatione distinxit. De ortu & obitu patrum librum unum in quo gesta, dignitatem quoque & mortem eorum, atque sepulturam sententiali brevitate subnotavit. Ad germanum suum Fulgentium Episcopum, Officiorum libros duos, in quibus origines officiorum, cur unum quodque in ecclesia Dei agatur, interprete stylo, non sine majorum auctoritate, elicuit. Synonymorum libros duos, quibus ad consolationem animæ, & ad spem percipiendæ veniæ, intercedente rationis ordine, exhortationem erexit. De natura rerum ad Sisebutum Regem, librum unum, in quo, tam de ecclesiasticorum Doctorum, quam etiam de philosophorum indagine, obscura quædam de elementis absolvit. De numeris librum unum, in quo arithmeticam propter numeros Ecclesiasticis in Scripturis insertos, tetigit disciplinã. De nominibus Legis & Evangeliorum librum unum, in quo ostendit quid memoratæ personæ mysterialiter significent. De hæreticis & hæresibus librum unum, in quo majorum secutus exempla, brevitate qua potuit, diffusa collegit. Sententiarum libros tres, quos floribus Papæ Gregorii ex libris moralibus decoravit. Chronicorum à principio mundi usque ad tempus suum librum unum, nimia brevitate col egit.

edidit libros 2 *Differentiarum,*

Procemiorum,

1 *de obitu Patrum,* F

2 *Officiorum,*

2 *Synonymorum,*

1 *de Natura rerum,*

1 *de Numeris,*

1 *de Nominibus,*

1 *de Hæresibus,*

3 *Sententiarum,*

Chronicorum.

Contra

EX MS. TOLETANO.

contra Judeos, poſtulante Florentina germana ſua Præpoſita Virginum, libros duos, in quibus omnia quæ fides Catholica credit, ex Legis & Prophetarum teſtimoniis approbavit [De *b* Nativitate Chriſti ſempiterna ex Patre, & temporali ex Matre, ex Iſaiæ teſtimoniis, librum unum. Moralium libros, B. Gregorii Papæ rogatu, compendioſe adbreviavit: Cantica canticorum ſecunda expoſitione elucidavit.] De viris illuſtribus librum unum. Deinde nos iſtos ſuggeſſimus; Religioſorum regulæ librum unum, quem pro patriæ uſu, & regularium viribus decentiſſime temperavit: de origine Gothorum & Regno Suevorum & Wandalorum hiſtoriæ librum unum: Quæſtionum libros duos; quos qui legerit veterum tractatuum ſupellectilem recognoſcit. [Bibliothecam compilavit *c*. quartam Pſalterii tranſlationem edidit: ſuper libros Moyſi, & Pſalterium,& quatuor euangelia expoſitione non minimo inſudavit ſtudio: in canonico quoque & civili jure permaxima compoſuit inſtrumenta.] Etymologiarum etiam codicem nimiæ magnitudinis, diſtinctum ab eo titulis non libris;quem quia rogatu meo fecit, quamvis imperfectum reliquerit, tamen in viginti libros diviſi; quod opus omnimodæ Philoſophiæ conveniens quiſquis crebra viſitatione perlegerit, non ignotus divinarum humanarumque rerum merito erit. Ibi recluditur diverſarum, artium elegantia, & quæcumque fere ſciri debent, reſtricte colliguntur. Sunt & alii ſancti viri multi libri & in Eccleſia Dei multo cum ornamento inſcripti, quibus eam liquide præmunivit; quem Deus, poſt tot defectus Hiſpaniæ, noviſſimis temporibus ſuſcitavit; credo *d* ad reſtaurandam antiquorum ſapientiam, quæ præ nimia antiquitate fere in humanis mentibus defecerat; ne diutius ignorantia aut ruſticitate veteraſceret populus Chriſtianus. Temporum igitur ſeries, & ſeculi ætates neſcienti populo appe-
ruit, ſacrorum jura oſtendit, Sacerdotibus eccleſiaſtica officia & gradus cunctorum ordinum expoſuit, Regibus & Principibus leges inſtituit, judicibus avaritiam interdixit, civibus & cunctis domeſticis fidei populis diſciplinam Chriſtianæ religionis inſinuavit, ſpurcitiam Arianæ hæreſis à tota Hiſpania gladiis verbi Dei perſequendo eliminavit, malignam Acephalitarum hæreſim confudit ac deſtruxit: Gregorio namque præfatæ hæreſis antiſtite ſuperato, & Sanctorum teſtimoniis Scripturarumque auctoritate convicto, docuit duas in Chriſto eſſe naturas, divinam ſcilicet & humanam. Ad ultimum vero ſedium, locorum, regionum, omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſas, & quæque obſcura atque ab humanis mentibus fere jam remota, ſcribendo patefecit. Tanta debriatione ſcientiarum claruit præditus, ut non ſolum noſtris temporibus, verum etiam à tempore Apoſtolorum vel ante, primo homine & Salomone exceptis, in ſcientiarum varietate, ut credimus, nemo extitit illi primus. Floruit temporibus *e* Recaredi, Liubani, Witterichi, Gundemari, Siſebuti, Suintilliani & Siſinandi Regum, quos ipſe ab inſania Ariana eruit, & in fide Catholica confirmavit.

moralia S. Gregorii contracta, in Cantica Cantic. De Viris illuſtribus.

Regula monachorum,

lib. 1 de Gothis, Suevis Wandalis,

lib. 2 Quæſtionum,

c

lib. 20 Etymologiarum,

B

& alios libros:

d

quibus omni hominum ſtatui prodeſt:

& hæreſim profligat.

C

e

44 Fuit præterea ſpiritu prophetiæ clarus, in eleemoſynis largus, hoſpitalitate præcipuus, corde ſeverus, in ſententia verax, in judicio juſtus, in prædicatione aſſiduus, in exhortatione lætus, in lucrandis Deo animabus ſtudioſus, in expoſitione Scripturarum mutus, in conſilio providus, in habitu humilis, in menſa ſobrius, in oratione devotus, honeſtate præclarus ſemper pro eccleſia ac veritatis defenſione mori pronus, & omni bonitate conſpicuus. Prætorea pater extitit Clericorum, doctor & ſuſtentator monachorum ac monialium, conſolator mœrentium, tutamen pupillorum ac viduarum, levamen oppreſſorum, defenſor civium, attritor ſuperborum, perſecutor & malleus hæreticorum; & quid plura? ſpeculum bonorum omnium factus eſt mundo, & ideo jam ſine fine regnat cum Chriſto. Quo vero flumine eloquentiæ, & quibus jaculis divinarum Scripturarum ſeu Patrum teſtimoniis omnium nefarias hæreſes deſtruxerit & enervaverit, ſynodalia geſta coram eo Hiſpali vel Toleti acta declarant: in quibus & Romano Pontifici à fidelibus, loco beati Petri Apoſtoli ſubſtituto, debere obediri; & uni Deo in Trinitate Perſonarum ſerviri, clariſſimis Scripturarum teſtimoniis approbavit. Obiit temporibus Heraclii Imperatoris & Chriſtianiſſimi Suintillani Hiſpaniæ Regis, illius videlicet Heraclii, qui crucem Dominicam, quam impius Rex Coſdroë aſportaverat, loco ſuo Hieroſolymis reſtituit atque exaltavit. Dormivit autem B. Iſidorus cum Patribus ſuis æra DCLX, ſana doctrina ſanoque conſilio præſtantior cunctis, & copioſus operibus caritatis, ac diverſis refulgens miraculorum ſignis; in quo quædam ſibi antiquitas vindicavit, imo noſtrum tempus antiquitatis in eo ſcientiam & miracula imaginavit: cui quaſi quadam appoſita laude non immerito illud philoſophicum à nobis aptatur; Nos, inquit, in noſtra urbe extraneorum more tamquam hoſpites, tui libri quaſi domum reduxerunt, ut poſſimus aliquando, qui & ubi eſſemus agnoſcere. Tenuit Epiſcopatum quadraginta annis, & ſepultus eſt in ſenectute bona, Angelorum ſociatus choris. Afficitur tædio & mœroris mundatione civitas Hiſpalenſis, dum tanto Patre orbata in ſortem voraciſſimi deducitur prædonis. Interea, fratres cariſſimi, dignum eſt ut hunc ſanctiſſimum Confeſſorem Iſidorum omnis laudibus attollat Eccleſia, ſed maxime Hiſpaniarum quæ præ ceteris ſpecialius ejus ſaluberrima refulſit doctrina. Nam ſicut Gregorius Doctor Romæ ſucceſſit Petro; ita B. Iſidorus in Hiſpaniarum partibus doctrina Jacobo ſucceſſit Apoſtolo. Semina namque vitæ æternæ; quæ beatiſſimus Jacobus ſeminavit, hic beatiſſimus Iſidorus verbo prædicationis, quaſi unus ex quatuor Paradiſi fluminibus, ſufficienter irrigavit, atque univerſam Hiſpaniam, tam exemplo boni operis quam fama ſanctitatis, velut ſplendidiſſimus ſolis radius illuminavit. Igitur hunc ſanctiſſimum Confeſſorem attentius exoremus, quatenus pro nobis miſeris peccatoribus, qui adhuc in periculis hujus vitæ conſtituti ſumus, apud Deum interceſſor aſſiſtat aſſiduus; ut qui ejus ſacram doctrinam pio amore amplectimur, in præſenti ab inſtantibus periculis eruamur, & poſt hanc vitam ad ſocietatem electorum Dei ſacris ejus interceſſionibus pervenire mereamur. Amen.

Virtus & doctrina ejus laudatur.

D

Tempus mortis,

E

& mortua claritas,

ejus interceſſio apud Deum petenda.

F

ANNOTATA.

a *Extat hæc S. Braulionis narratio ante opera S. Iſidori, & appellatur* Prænotatio librorum *ejus, apud Tamajum Salazar ad hunc diem & alios; ſed nuſquam illa extat tam laxe deducta quam hic; ut non videatur* Abbreviatio *dicenda, ſed* paraphraſtica elucidatio; *ſicut ſupra etiam in Redempti Clerici recenſione de obitu Iſidori obſervavimus; & uncis ſimiliter* [] *includimus quæ videntur interpolando adjecta. Nam totum hoc principium ita breviter complexus eſt Braulio:* Iſidorus vir egregius, Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Leandri Epiſcopi ſucceſſor & germanus, floruit à tempore Mauritii Imperatoris & Recaredi Regis: in quo quiddam ſibi antiquitas vindicavit, imo noſtrum tempus antiquitatis in eo ſcientiam ſibi imaginavit: vir in omni lo-

ni locutionis genere formatus, ut imperito doctoque
A secundum qualitatem sermonis existeret aptus, congrua vero opportunitate loci incomparabili eloquentia clarus.

b *Hujus opusculi & duorum sequentium non fit mentio in jam citatis editis.*

c *Aliquot sequentium non meminerunt libri editi.*

d *In editis* Ad restauranda antiquorum monumenta...quasi quamdam opposuit destinam; *id est* fulcrum *seu* columnã *uti ea voce utuntur SS. Augustinus, Fulgentius, Beda cum Arnobio: quæ porro sequuntur brevius & nervosius sic habentur in editis*: Cui non immerito istud Philosophicũ à nobis aptatur, Nos, inquit, in nostra urbe peregrinantes erranteſq; tamquam hospites, tui libri domum reduxerunt. Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum; tu sacrorum jura, tu sacerdotum tu domesticam publicamque disciplinam; tu sedium regionum, locorum; tu omnium divinarum humanarumq; rerũ genera, officia, causas aperuisti. Quo vero flumine eloquentiæ & quot jaculis divinarũ Scripturarum seu Patrum testimoniis Acephalitarum hæresim confoderit, Synodalia gesta corã eo Hispali acta declarant, in quibus contra Gregorium, præfatæ hæresis Antistitem, eam asseruit veritatem. Obiit temporibus Heraclii Imperatoris & Christianissimi Chintilani Regis, sana doctrina præstantior cunctis, & copiosior operibus caritatis.

e *Regnarunt hi septem ab anno* 536 *usq; ad annum* 636.

HISTORIA TRANSLATIONIS

Ex eodem MS. Toletano.

PROLOGUS.

QUæ digne plures non valent investigare, sed nullus quidem invenire, sapientiæ secreta supernæ, in tanta profunditatis excellentia; dum ad sui desideria corda investigando dilatant, hoc quod investigant, non inveniendo mentis acie angustant. Mire quippe ratio tradidit superni consilii, hoc quod desuper non injuste disponitur ab ipsa sapientia immortali, à nobis adhuc mortalibus jure ignorari; quia dispositio divina in suæ sublimitatis omnipotentia, quamvis nulla circumscribi valeat mentis prudentia; tamen quibus ex nihilo contulit esse, suæ cuncta subesse præsentat legibus justitiæ, dum supplicio reprobos humiliat, & Sanctos gloria sublimat. Quorum quidem patrocinia Catholicæ Ecclesiæ adsunt præclara, dum eorum meritis protecti fideles, etiam
ad Legionensem urbem quas incolunt urbes frequentibus habent miraculis
C celebres. Ex quibus Legionensis civitas, à priscis temporibus Hispaniensium dilecta Regibus, quia erat regali fide nobilis & famosa, præcipuum Confessorem Isidorum gloriatur se venerari Patronum: cujus doctrinæ radiis Ecclesia fulget universalis; qui sanctitatis ac honestatis speculum, fama vivit & meritis, per ipsum mundi spatium. Quæ cum sit Sacerdotalis & Regia, digna etiam est dignissimi Confessoris Christi, Hispaniarum Doctoris Isidori, cum regio apparatu, regia in aula, mirificum corpus excipere, venerari, & quodam juris dono possidere. Quẽ Hispalis ipsa, cui vivens in corpore præfuit, in qua etiam Paganorum supersedente sævitia multis defunctus temporibus latuit, vel occultum tenere nequivit. Quo itaq; ordine, quo tempore, quibus personis hoc donum publicum, hoc patriæ præsidium in Legionensem sit translatum urbem, à prædicta Hispali, quæ ejusdem viri Apostolici doctrina extiterat felix & gloriosa, Hispaniensiumque prima Sedes fulgebat Metropolitana, à qua nomen traxit Hispania, ab Hispano Rege urbs populata, stylo tradere fideli nos invitat tanti veneratio Confessoris.

delatum est corpus S. Isidori

cujus rei gestæ series indicatur.

EX MS. TOLETANO.

CAPUT I.

Maxima Hispaniæ pars à Saracenis occupata: præcipua paulatim recuperata.

2 REgente S. Gregorio Papa feliciter Ecclesiam Dei, & Recaredo Christianissimo Rege regnum Gothorum in Hispanis nobiliter gubernante, sub imperatore Heraclio, qui crucem Dominicam, quam impius Rex Cosdroës asportaverat, Hierusalẽ restituit, invalescente fere in toto orbe Arianorũ vesania, doctor Hispaniarum Isidorus, Hispalensis Archipræsul, sidus clarissimũ in tenebris, fidelibus splenduit; qui Gothorum gentem in fide Catholica confirmavit, & ab Hispanis hæresim Arianorum & Acephalitarum funditus eliminavit, Regibus Gothicas leges instituit, Ecclesiæ Christi Sacerdotibus ecclesiasticam regulã tradidit, & ore prophetico protestatus est dicens: Cum in his traditionibus permanseritis puro corde, in præsenti vita pace fruemini & bonis, & in æterna gloria coronabimini laude perpetua: cum autem hæc præcepta dereliqueritis, apprehendent vos mira mala, & cadet gens Gothorum fame & gladio inimicorum & peste. Cum autem conversi ad Dominum fueritis, perquirentes ea, possidebit semen vestrum portas inimicorum suorum, & erit vobis gloria major quam fuerit unquam. Post transitum vero ejus, Hispaniarum Reges & Sacerdotes, sancti Pastoris sequentes vestigia, salutaribus institutis pro viribus inhærentes, commissum sibi gregem feliciter gubernabant; donec flagitiosus *a* Witiza Hispaniarum regnum infeliciter est adeptus. Qui cum esset probrosus moribus, etiam alios suis pravis actibus subesse coegit. Nam postposita omni religione divina & sancti Doctoris Isidori spretis documẽtis, laxoque pudicitiæ fræno, ne adversus eum pro tanto scelere sancta Ecclesia insurgeret, Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, atque omnibus altaris sacri ministris carnales uxores lascivus Rex habere præcepit. Sed & Episcopi ceterique Ecclesiæ Prælati spernebantur, sacrosanctæ Ecclesiæ clausis foribus sacramenta pro nihilo habebantur, synodalia sancti Patris Isidori instituta despiciuntur, Concilia dissolvuntur, sacri Canones postponuntur, postremo vero quidquid sobrium & honestum est voluptatibus subinductis pro nihilo reputatur. Igitur tyranno Witiza in hujusmodi & ceteris superbiæ fulcimentis, à Romana Ecclesia sejuncto & mortuo, *b* Rodericus Theudofredi filius in regnum successit Gothorum,
F vita & moribus, Witizæ non dissimilis; qui non ut debuit, virgulta nefaria extirpavit, sed luxuriæ iretitus dissolutione magis ac magis augmentavit. Quibus omnipotens Deus provocatus ad iram (commerito enim atque ineffabili modo, suis semper efficax consiliis Divina providentia, cum detrimentis incrementa dispensat, & damna restaurat damnis) *c* anno LXXV post transitum sanctissimi Isidori, quia Sacerdotes & Reges eum derelinquerunt, in virga indignationis omnes Hispaniæ gentes corrigens, justo iudicio, gentili gladio (secundum quod sanctus prædixerat Doctor Isidorus) deferiendæ sunt traditæ. Per filios namque Witizæ & Julianum Comitem Tingitaniæ, cum *d* Ulit Rege fortissimo Africæ, transmarini Saraceni mare illud, quod Hispalensi urbi alluit, transfretantes, primo *e* eamdem urbem cœperunt, deinde Bæticam & Lusitaniam Provincias occupaverunt: Quibus Rodericus Rex aggregato exercitu Gothorum armatus occurrit. Sed quia præfatus Rex, neglecta religione divina, vitiorum se dominio mancipaverat; protinus in fugam versus & omnis exer-

Secundum S. Isidorivaticinium,

a

cum Witiza Rex impie viveret,

b

ejusque exemplo Rodericus,

c

à Saracenis pars Hispaniæ est occupata.

d

e

EX MS. TOLET.

exercitus fere ad internecionem uſque gladio deletus eſt. Saraceni deinceps longe lateque vagantes innumeras horridasque cædes perpetrarunt; qui quantas cædes quantaſque ſtrages noſtrorum dederint, teſtantur everſa caſtra & antiquarum urbium dirupta mœnia. Ea tempeſtate omnis Hiſpania luxit, monaſteria in ſe everſa, epiſcopia deſtructa, libros ſacræ legis combuſtos, theſauros Eccleſiarum direptos, omnes incolas ferro, flamma fame conſumptos.

Vicit eos Pelagius Rex:

3 Tandem Dei pietas, quæ non eſt ſolita eos quos [c] corripit ad internecionem uſque delere, ſed flagellando miſericorditer corripere; animos *g* Pelagii cujuſdam, qui regia traduce extitit oriundus, corroboravit; & contra Saracenos, loco qui dicitur *h* Cova ſanctæ Mariæ, rebellando eis bellum indixit. Qualiter autem in conflictu illo divina manus pro noſtris pugnaverit, ex hoc poteſt adverti, quod armorum ſpicula, à Saracenis miſſa, in eos ipſos retorſit; & rupes quædam, Dei nutu præſciſſa, corruit, & de Saracenis non minimam *i* multitudinem opprimendo extinxit. Quod ſiquis ad plenum voluerat noſcere, lugubrem hiſtoriam temporum illorum ſtudeat legere. Illo ex tempore rurſum præcepta divina, per B. Iſidorum ſibi tradita, perquirentes Hiſpani; cœpit gloria & regnum gentis Gothicæ, ſenſim atq; paulatim, veluti virgultum ex rediviva radice pullulare; & induſtria Regum, qui regali ſtemmate progeniti apicem regni nobiliter gubernabant, ſingulis momentis ſuccreſcere. Fuere namq; armis & viribus famoſi, miſericordia atque juſtitia præcipui, religioni ſacræ dediti; qui inimicos crucis Chriſti viriliter ancipiti perſequentes gladio, epiſcopia innovarunt, monaſteria fundarunt & theſauris ditarunt, auro & gemmis libriſque ornarunt, ac pro viribus Chriſtiani nominis gloriam dilatarunt. *k* Sed & Carolus famoſus Franciæ Rex, à B. Apoſtolo Jacobo per viſum admonitus, cum præclara Francorum generatione, zelum legis Dei exercens, de Pictaviæ & Vaſconiæ confinibus triumphali ultione Saracenos eliminavit, & per Pireneïca juga uſque Cæſarauguſtam tempore *l* Adefonſi magni Regis Legionenſis devenit, & dilectionis cauſa eidem Regi Adefonſo *m* conſobrinam ſuam nobiliſſimam in conjugio copulavit. Limina etiam B. Jacobi Apoſtoli cum chriſtianiſſimus Rex Carolus gratia orandi viſitaret, ſaniori ejus conſilio Rex Adefonſus S. Jacobi Apoſtoli eccleſiam Metropolitano honore, ex Romani Papæ aſſenſu, decoravit; atque ut ſecundum ſancti Patris Iſidori regulam viverent, tam ipſi quam omnis Hiſpaniæ Clerus, ſtatuit; ut hoc eſſet Hiſpaniæ ſublevatio, cujus neglectus extiterat ei cauſa dejectionis.

quem ſecuti Reges,

reſtaurarunt religionem priſtinam:

eoſdem Saracenos vicerunt Carolus Magnus:

C

Adefonſus Magnus

4 Ceterum Rex Adefonſus, Iſmaeliticum populum funeſta truncatione perimens, Eccleſiæ Chriſti honorem glorioſe dilatavit, & in pace quievit. Ex cujus illuſtri proſapia emerſit vir clariſſimus *n* Fredenandus, Sancti Regis filius; qui ſereniſſimam Reginam Dominam Sanctiam, Regis Adefonſi filiam, in ſceptri conſortem ſibi junxit uxorem; quæ quadam ſpeciali mentis prudentia, Reginæ Auſtri non ſecunda, regiminis regni ſolicita, vices nonnumquam ſupplebat Regis & conjugis; ſicque ſuberat viro, ut particeps laboris eſſet in regno. Rex autem Fredenandus, ut ſceptra regni poſſedit, & regalis diadematis ſuſcepit inſignia, ſceptrum moribus exornabat probis. Hic in Chriſti hoſtes exerto mucrone, neſcius vinci ſed vincere, imperii dilatavit fines, ſortitus triumphos frequentes. *o* Ad cumulum vero ſuæ felicitatis, hunc Regina Sanctia blandis adit colloquiis, quatenus in civitate Legionenſi ſibi ſuiſque poſteris decentem pararet ſepulturam, quam etiam Sanctorum Reliquiis, ad ſuam ſuorumque tam præſentis vitæ quam futuræ tuitionem, decorare ſtuderet. Pollet enim hæc civitas ſitus nobilitate, eo quod ſit jucunda terris, ſalubris aëre, fluminibus irrigua, pratis & hortis fœcunda, montibus, & fontibus delicioſa, arboribus nemoroſa, atque religioſorum virorum inhabitatione aptiſſima. Decreverat namque Fredenandus Rex apud *p* S. Facundum, quem ſemper carum habebat, vel *q* in eccleſia S. Petri de Arlanza, corpus ſuum tradere ſepulturæ. Poſt Sanctia Regina, quoniam in Legionenſi Regum cœmiterio in eccleſia *r* S. Joannis Baptiſtæ *s* avus ſuus Rex Veremudus; Ordonii & ſuus pater dignæ memoriæ Rex Adefonſus, nec non & frater ſereniſſimus Rex Veremudus quieſcebant, ut ipſa quoque & ejuſdem vir cum eis poſt mortem quieſcerent, pro viribus laboravit. Rex igitur Fredenandus, petitioni fidiſſimę conjugis annuens, deputavit cæmentarios, qui aſſiduam dent operam tam digniſſimo labori.

n & Ferdinandus Magnus.

quæ ſibi & uxori Sanctæ ſepulturam conſtruit Legione.

p

q

r

s

ANNOTATA.

a Witiza Rex, *poſt obitum patris Egicæ regnavit annos 9, ab anno 701, uſque 710.*

b Rodericus *regnavit annos duos cum Witiza, & necdum anno uno ſolus.*

c *Si ad annum 636, quo obiit, addantur anni 75, perventur ad annum 711, quando menſe Majo Saraceni in Hiſpaniam tranſiverunt.*

d Ulit, *aliis* Tarich *dictus.*

e *Hiſpalis capta eſt anno 712.*

f *Exercitus deletus eſt anno 713.*

g *Gothorum reliquiæ in Aſturibus & Cantabris receptum habuerunt; &* Pelagium, *filium Fanlani Ducis, ex ſemine regio, Principem elegerunt, æra 757, anno Chriſti 719.*

h *Ob acceſſum Saracenorum ſeceſſerat* Pelagius in montem Anſevam ad antrum Cova S. Mariæ *dictum, vulgo jam* Cava donga; *& inde cum fidelibus ad pugnam egreſſus interfecit* centum viginti quatuor millia hoſtium, æra 756, *anno Chriſti 720. ut ſcribit Sebaſtianus Epiſcopus Salmanticenſis.*

i Sexaginta tria millia *fuiſſe aſſerit idem Sebaſtianus.*

k *Reliqua hujus numeri deſunt apud Tamajum. Quæ de expeditione Caroli magni retulit Eginardus in ejus vita, illuſtravimus ad 28 Ianuarii cap. 3 hic nonnulla videntur inſerat ex Turpino, ac propterea à Tamajo omiſſa fuiſſe: qui aliàs totam hanc hiſtoriam, ſtylo aliquantum mutato exhibet 22 Decembris.*

l *Hic eſt* Adefonſus 3, *filius Ordonii, Regis, cui ſucceſſit (teſte Sampero Epiſcopo Aſtoricenſi) æra 896, id eſt anno 860; aliqui referunt ad annum 862.*

m Xemenã *appellat Sampirus,* ex Gallorũ proſapia.

n Ferdinandus *Caſtellæ Rex primus ab an. 1035, & Rex Legionenſis ab an. 1038, coronatus 22 Iunii. Porro ad antiquam veramque nominis notionem qua ſignificatur* Manupacificus *vel* Pacificans manus, *proprius accedit ſuperioris ſeculi uſus, quo Fredenandus ſcribitur.*

o *Ab hinc plura, eiſdem fere verbis, leguntur in Tudenſis Chronico, poſt æram 1075.*

p *Colitur* S. Facundus *Martyr cum* S. *Primitivo 27 Novemb. martyrium paſſus Sahaguni, in diœceſi Legionenſi, ubi Alphonſus 3, anno 905, conſtruxit monaſterium; & à Saracenis deſtructum, reſtauravit Alphonſus 6, filius dicti Ferdinandi. Illud illuſtravit Sandovallius.*

q S. Petri de *Arlanza oppidum Caſtellæ veteris, ad Arlanzam fluvium, ſupra Ducatum Lermenſem, ubi illuſtre eſt monaſterium.*

r *Nunc S. Iſidori, eſtq; cœnobium Canonicorum Regularium.*

ſ *Gonzalez Davila in Theatro Eccleſiaſtico Eccleſiæ Legionenſis refert ibidem ſepultos Ordonium 2, Froilam 2, Alphonſum 4, Ramirum 2, Ordonium 3, Sancium 1, Ramirum 3, & Veremudum 3, omnes ſeculo Chriſti decimo vita functos; & Veremundum fratrem Sanciæ mortuum anno 1037; ac deinde Ferdinandum & Sanciam: multorumque epitaphia profert.*

CA-

A

CAPUT II.

Corpus S. Iuſtæ petitum : ac S. Iſidori impetratum: prævia ejus apparitiones.

5 INterea Rex cum venerabili conjuge, quorum idem erat & ſummum deſiderium, excogitans qualiter de ſanctorum Martyrum corporibus, qui in Hiſpalenſi civitate pro Chriſti nomine fuerant trucidati, poſſet adipiſci vel unum; ordinatis per confinia rebus, cum primo opportunitas advenit téporis; congregato exercitu innumerabili, in Bœticam & Luſitaniam provincias hoſtiliter profectus eſt. Depopulatis itaque barbarorum agris, ac pleriſque villis incenſis; eidem *a* Benabet Rex Hiſpalenſis occurrit, cum magnis muneribus; eum per amicitiam & regni decus obſecrans, ne ipſum regnumque ſuum perſequi velit, ſed ipſum, ſicut ceteros Hiſpaniæ Reges, ſubjectum tributarium habere dignetur. Rex vero Fredenandus, ex more humanas miſeratus anguſtias dum grandævi barbari precibus flectitur, omnes idoneos viros ex hibernis accerſiri jubet, quorum conſilio diſponat, quem finem ſupplicationibus Regis Maurorum imponat. Ei ergo prudentes B viri, ſuperni diſpenſatione conſilii, ſuggerunt, ut Barbarum recipiat cum muneribus, & corpus *b* B. Juſtæ Martyris, quæ olim Hiſpali cum corona virginitatis & martyrii perrexit ad Chriſtum, prout ejus animo inſidebat, expeteret, ad Legionenſem urbem, transferendum; quod factum eſt. Petitionibus cujus, ut Catholicus Fredenandus voluit aſſenſum præbuit Benabet, & ei ſe daturum S. Juſtæ corpus promiſit. Qua ſponſione accepta, poſtquam de expeditione illa glorioſe ventum fuerat Legionem; & aulici proceres (ex ſuo conferentes ingenio, quis ad tam ſanctiſſimum opus dignus eſſet mittendus) aderant huic ſtudio qui provido conſilio, pro ut unicuique videbatur, animo regali ſatisfacerent. Sed tandem Rex præfatus, cujus arcana prudentia leges Deo auctore & jura miniſtrabat populis, convocat ad ſe reverendæ ſanctitatis virũ, qui ex *c* Amanenſi monaſterio, quod ſtrenue cæleſti norma Abbas rexerat, Legionenſis urbis divina providentia erat conſtitutus Epiſcopus, Albitus nomine; & *d* inimitabilem prudentia, fide & largitate *e* Ordonium, Aſtoricenſem Epiſcopum, ſimul & *f* Munionem Comitem, atque Fernandum & Gundiſalbum ſui palatii optimates, cum manu militari (ideo quia Catholicæ fidei rebelles, putant, Chriſti fideles ſibi hoſtes) Rex ſagaciſſimus providus mente, ne inſidiantium eis obſit aliquis cuneus, ad deferendum ſupradictæ Virginis corpus, Hiſpalim miſit: qui venientes cauſam ſuæ legationis Regi Benabeti patefecerunt.

6 Rex itaque *g* Paganus, eos cum ſummo ſuſcipiens honore, accitis regni ſui Primatibus, quæ ſit Principis Catholici petitio, declarat, rogatque edicant, quid ſuper hoc eorum ferat ſententia; Neque enim, inquit, dat ratio tantam majeſtatem contemni, quæ ceteris patriæ Regibus extat præcellens & inſignis. Et viri Gentiles, quamvis ſacro non regenerati fonte quaſi ex ſuæ intelligentiæ ſenſu, ſuo Regi ita dicunt: Rex venerabilis, licet nos teneat religio Gentilis, hujus Virginis & aliorum Martyrum protegimur meritis; nec hanc urbem hoſtilis ſolicitat incurſus, his ſubvenientibus. Hoc ergo lumen patriæ, hoc tui regni tutamen, ne patiaris alias transferri; humiliatio quippe hoc erit cunctis tuo imperio ſubditis. Dux igitur Gentilis, utile conſiderans conſilium Optimatum, dixit Legatis, ſe ſatisfacere non poſſe in corpore Martyris Regis Fredenandi petitioni, dicens: Scio plane me Domino veſtro, quod dicitis promiſiſſe, ſed neque ego, nec aliquis ex meis, corpus quod quæritis vobis oſtendere poteſt; vos ipſi quærite (licitum eſt enim) & inventum tollite, & abite. EX MS. TOLETANO.

7 Quo reſponſo accepto, Venerabilis Epiſcopus Albitus ſecreto ſocios tali voce affatur. Ut cernitis, ô ſocii itineris, niſi Divina miſeratio nos relevaverit, labore fruſtrati recedemus. Neceſſarium itaque videtur dilectiſſimi, ut à Deo; cui nihil impoſſibile eſt opem quæramus, & hoc triduo jejuniis, & orationibus inſiſtamus, quatenus divina majeſtas occultum nobis ſancti corporis theſaurum revelare dignetur. Placuit cunctis exhortatio ſancti Præſulis, & ter triduanum jejuniis & orationibus peregerunt. Jamque tertii triduani dies occubuerat, & quarta nox ſupervenerat, cum ſanctus Præſul Albitus pervigil orationibus inſiſtebat. Interea dum in cella ſedens pſalmos ruminaret, & feſſa membra pauliſper ſuſtentaret, præ nimio vigiliarum labore, ſomno opprimitur; apparuitque ei quidam vir veneranda canitie comptus, Pontificali infula amictus, talique eum voce alloquitur: Novi quidem te cum ſociis tuis veniſſe, ut corpus beatiſſimæ Virginis Juſtæ hinc tranferentes deferatis; & licet non ſit divinæ voluntatis, ut hæc civitas abſceſſu hujus deſoletur Virginis; tamen non vacuos divina bonitas vos remittet: corpus namque meum vobis eſt donatum, quod tollentes auferte, & F ſecuri ad propria remeate. Quem cum reverendus vir Albitus interrogaret, quis eſſet qui talia ſibi monita injungeret, ait: Ego ſum Hiſpaniarum Doctor Iſidorus, hujus urbis Antiſtes; quo dicto, ab oculis cernentis evanuit. Præſul vero evigilans, viſioni, cœpit congratulari, & Dominum attentius exorare, efflagitans, ut ſi ex Deo eſſet hæc viſio, iterum & tertio plenius innoteſceret; ſin autem diſcederet. Taliter orans rurſum obdormivit; & ecce idem ipſe vir apparens, non diſſimilia quam prius verba peroravit, rurſumque evanuit. Expergefactus iterum Pontifex, alacrius trinam viſionis admonitionem à Domino implorabat; qui dum obnixius Dominum oraret, tertio ſomno corripitur, virque ſupradictus, veluti ſemel atque ſecundo, ei apparuit; & quæ antea dixerat, tertio replicavit; & virga paſtorali, quam manu tenebat, terræ ſolum tertio percutiens, locum in quo ſancti corporis theſaurus latebat, oſtendit, dicens; Hic, hic, hic, meum invenies corpus; & ne F putes te phantaſtica viſione deludi, hoc erit tibi ſignum mei veridici ſermonis: mox ut corpus meum ſuper terram eduxeris, moleſtia corporis corripieris, ad nos cum corona juſtitiæ venies, & curia cæleſtis te excipiet felicem, atque me Patrono gaudebit civitas Legionenſis. Qui poſtquam loquendi finem fecit, viſio ablata eſt.

8 Exurgens ergo Præſul à ſomno, certus de tanta viſione, ſed lætior de ſua vocatione, ſeriem hujus revelationis Ordonio Pontifici deſignat: qui pro viſitatione glorioſiſſimi Confeſſoris laudes repræſentat Regi ſuperno, triſtis tamen de morte ſocii imminente. Factoque mane venerandus Albitus, ſocios hortatur dicens: Oportet vos, dilectiſſimi, ſummi Patris omnipotentiam pronis mentibus & ſubmiſſis vultibus adorare; qui nos ſua gratia præcedere eſt dignatus, & laborem noſtri itineris fruſtrari non eſt paſſus. Divino enim nutu prohibemur mẽbra beatæ ac Deo dicatæ Virginis Juſtæ hinc abſtrahere; ſed non minora deferemus dona, dum corpus beatiſſimi Iſidori, qui in hac urbe Sacerdotii potitus eſt infula, & totam Hiſpaniam ſuo opere decoravit & verbo, ſumus delaturi. Hæc ait; & ordinem viſionis ſeriatim patefecit. Quod audientes Deo immenſas gratias referunt, & Regem Saracenorum ſimul adeunt, & ei univerſa ordine pandũt. Quibus auditis, licet infidelis, virtutẽ tamen Dei perpendens barbarus, expa-

Ferdinandus I Rex

a

Regem Hiſpalenſem tributarium accipiens,

b

petit corpus S. Iuſtæ V. & M.

factaque ſponſione

c

d

e

f

pro eo mittit Albitum & Ordonium Epiſcopos

g

quod Rex Hiſpalenſis

ſimulate permittit quæri.

Poſt ter triduanum jejunium

Albito apparet S. Iſidorus.

& ſuum corpus auferendum addicit:

& locum corporis ſui manifeſtat.

quod iterum iterumque facit,

indicata ſocii revelatione,

EX MS. TOLETANO.

expavit; eiſque reſpondit: Etſi Iſidorum vobis tribuo, cum quo hic remanebo? Hæc videntes ejus conſiliarii, convocant urbis natu majores & cultores Catholicæ fidei, diligenter perquirentes, quis extiterit ille Iſidorus, de quo inter chriſtianos hujuſmodi ſermo verteretur. Sed & ipſi *b* Chriſti fideles, quos famoſa nimis urbis celebritas dederat ibi indigenas per ipſos ſucceſſus generationis, Chriſti Confeſſorem in tanto gentilitatis dominio credentes ſibi adeſſe præſidio, ex ejus ſe nequibant conſolari tranſlatione; cum quo, ſi eis inde eſſet libertas, magis optabant transmigrare. Tamen de Saracenorum juſſione ſoliciti, id etiam quod ſuũ erat, nimirum indicium mœroris, aſpectu nubilo inſinuant, hunc eſſe maximum Eccleſiæ Doctorem Iſidorum, hujus urbis quondam Metropolitanum Præſulem, à Romano Papa Gregorio Archiepiſcopali pallio decoratum, eorum Mahometo per omnia inimicum, qui etiam ſuæ prædicationis tempore ab eo ab Hiſpania turpiter eſt ejectus. Quod audientes Agareni, Chriſti Confeſſorem à ſuis primordiis ſuum cenſentes adverſarium, cupientes hoſtem pellere, ſuo ſuggerunt Regi, quia viros tantæ auctoritatis fas ſibi non erat ſpernere, licet admodum inde turbaretur, ut det licentiam membra Confeſſoris inquirere.

corpus à Rege petitur

& audito Procerum conſenſu conceditur: i

B

9 Stupenda loquar, à primis temporibus fere inaudita; ſiquidem almi Pontifices ad eccleſiam, in qua ſanctum corpus quieſcebat, cæleſti revelatione dum pervenirent, & ejus ſepulcrum quærerent; veſtigia Virgæ, cum qua ſanctus Confeſſor trina percuſſione locum monumenti monſtraverat, in ipſo terræ ſolo inventa ſunt. Denique humanæ mentes, quia dubiæ cenſentur vel impatientes, in diverſa parte pavimenti cavantes, pretioſiſſimum ſibi quærebant talentũ; ſolis Pontificibus juxta ſepulcrum orantibus, quos vis oppreſſit ſomni ſuper ipſum lapidem tumuli, quibus ſe præſentat infulatus Chriſti Confeſſor Iſidorus, declarans eis adeſſe effectũ ſuæ petitionis: Ecce (inquit) pro voto veſtræ mentis in hoc monumento meum corpus invenietis, meque Patrono gaudebit Hiſpania, ſed magis civitas Legionenſis: & tu Albite, regrediens exues hominem; ſed conſolare, quia te cæleſtis curia felicem excipiet. Almi itaque Præſulis, tanta revelatione lætificati, ſocios convocant; ſuper tali inſinuatione monent ut congaudeant, & ſine mora ſanctum aperiant ſepulcrum: Cumque detectum fuiſſet, tanta ſuaviſſimi odoris emanavit fragrantia, ut capillos capitis, barbas, & veſtes omnium qui aderant, veluti nebula nectareque balſami rore perfunderet. Aderant tunc, tam ex Chriſtianis quam ex Saracenis, turba magna; in laudem Dei & Confeſſoris ejus Iſidori dantes voces ad ſidera, cum ſumma devotione; inter quos erant cæci duo, atque plures muti, & claudi, & diverſis infirmitatibus languentes, qui omnes continuo redditi ſunt ſoſpitati. Corpus autem beatum ligneo vaſculo, ex junipero facto, erat obtectum.

e veſtigiis virga,

& nova apparitione S. Iſidori

corpus reperium ſuave fragrans

C

miraculis claret.

10 Statim autem ut referatum eſt, reverendum virum Albitum Epiſcopum ægritudo corripuit; ſed tamen ſanctiſſimæ membra, mundis linteaminibus involvens, ea ſignato vaſi cypreſſino, una cum reverendo Ordonio Epiſcopo commendavit: & diem extremum adeſſe ſentiens ſibi, lecto decidit. Nec enim aliqua mentis poterat contemplari ratio, beatiſſimum Iſidorum falſo ei hoc prædixiſſe indicio, cui cum Chriſto regnanti nulla valebat falſitas dominari. Ergo mens Albiti Præſulis, quæ tota jam erat in ſupernis, conſiderans vitii & peccati matrem fuiſſe putredinem hujus carnis; quæ una & ſola eſt ſpes indulgentiæ, prono deſiderio ad lavacrum cucurrit pœnitentiæ. Præſenti itaque reverentiſſimo Pontifici Ordonio (cujus cordis profunda, pro Sancti Pontificis inſtante abſentia, mœroris obſederat infinitas) ſiquid fallente humani generis inimico vel reatu commiſerat proprio, ducens ab alto mentis ſuſpiria, ei relatione fideli præſentat; eum etiam exorat, ut ejus interceſſione aſſidua fiat ei propitia majeſtas ſuperna. Deinde, quod Chriſtiana Fides contra hoſtis fraudes ducit munimen ſuum & inexpugnabile præſidium, accepto animæ viatico, ipſo noſtræ redemptionis pretio, ſeptima die tradidit Chriſto ſpiritum, frequentia præſenti fidelium.

Albitus morbo corripitur:

D

peccata confitetur Ordonio,

ſacro viatico munitus moritur.

ANNOTATA.

a *Sandoval in Hiſtoria monaſterii Sahaguntini* § 38 *ait hunc Regem Hiſpalenſem appellatum* Almun Camuz Aben Amet, *ut poſſet* Benabet *videri contractum ex ultima parte* Aben Amet.

b SS. Juſta & Rufina Virgines, Hipalenſes Martyres, *coluntur* 19 *Iulii. At Rodericus Toletanus lib.* 6 *cap.* 11 *ait*, ab initio corpus S. Iſidori petitum.

c Albitum *ſive* Alvitum, ex monaſterio Sahagunenſi Ordinis S. Benedicti aſſumptum *fuiſſe, traduntcitatus Sandoval* § 36, *Gonzales d'Avila & alii.*

d *Lucas Tudenſis*, immutabilem, *ex noſtro MS.* imitabilem, *Tamajus* inimitabilem, *quod retinemus.*

e *De* Ordonio *egimus inter Prætermiſſos* 23 *Februarii, quo die eum ab aliquibus inter Sanctos recoli, ibidem diximus.*

E

f *Citatus Sandoval* § 37 *vocat* Muniam Muñoz, *hujus legationis primum, à Rege ideo donatum hereditate in Campo de Silinas. Addit ab aliis appellari* Nuño, *oriundam ex ſanguine Regum Leonenſium, & familia Oſoriorum & Guſmanorum.*

g *Ita & Lucas Tudenſis aliique, Mahometanos appellant* Paganos *& Gentiles, & eorum* religionem Gentilem.

h *Nic. Antonius annotat auctorem* loqui de Mixtarabibus, quos habitare ampliſſimam urbem inter Mauros, ab ipſo ejus captivitate, ex hoc loco apparet. *Hi* Mixtarabes *ab aliis* Muzarabes *appellantur.*

i *Iam ſupra diximus hoc de Mahometo per S. Iſidorum ex Hiſpania pulſo, inter fabulas habendum, poſſe tamen de aliquo Mahometicæ impietatis præcone verum fuiſſe.*

CAPUT III.

Corpus S. Iſidori Hiſpali Legionem delatum. Beneficia accepta.

11 AStoricenſis autem Epiſcopus Ordonius, & omnis exercitus, accepto corpore B. Iſidori & corpore Præſulis Legionenſis Albiti, gaudentes feſtinabant redire. Dum vero corpus beatiſſimi Iſidori in ligneum geſtatorium poneretur, Rex Saracenorum ſupradictus Benabet, cortinam holoſericam miro opere contextam ſupra corpus ejus jactavit, & magna ex intimo pectore trahens ſuſpiria, dixit: Ecce recedis hinc Iſidore, vir venerabilis, ipſe tamen noſti, tua qualiter & mea res eſt; unde mei memorem te ſemper deprecor eſſe. Rogo, Fratres, quanta Sancti Sanctorumque *a* Rex honoris reverentia amplectuntur Iſidorum, cum ad tantam tamque ſolennem reliquiarum ipſius venerationem ethnici barbarique ducis animum cæli ac terræ factor inclinaverit, ut in Chriſticolæ laudes in Chriſtum blaſphemus prorumperet, & de Sancti abſceſſu Sanctorum perſecutor doleret, & Chriſtianorum prædo Chriſti Confeſſoris exequias regiis revera muneribus decoraret. Tamen plures aliter ſentiunt, ſcilicet Sanctum Dei ei apparuiſſe, & fidem Catholicam eum docuiſſe per viſum. Hac glorificatione ſancti Confeſſoris præſentata, dantes vale Regi, cujus muneribus ſunt honorifice donati, greſſum dirigunt ad propria reverendus Ordonius Pontifex ac præfati proceres, deſibi collato Patrono cælitus ovantes.

F

Corpus à Rege Hiſpal. holoſerica cortina tegitur;

& aufertur Hiſpali, verſus Legionẽ

Rece-

12 Recedentes vero legati fidelibus verbis declarant acta ſereniſſimo Fredenando Regi. In ſancti corporis adventu Rex clariſſimus inexplicabilem exhibuit apparatum: quia non valet noſtra ſimplicitas explanare, quanta Regi inhæſerat lætitiæ immenſitas; qui gaudens adeſſe ſibi tanti patrocinia Confeſſoris, totus in Chriſti erupit præconiis. Sed quamvis his ſe frui inclyti Doctoris Iſidori glorietur ſuffragiis; tamen ex obliquo Præſulis Albiti mors mentem ejus ſauciabat, quem ſemper mira dilectione veneratus fuerat: quæ quidem mors in conſpectu Domini pretioſa fuit. Cum optimatium itaq; corona & manu militari plurima Rex uſque ad flumen *b* Durii proceſſit obviam, comitibus filiis, ipſa regni gloria, *c* Sanctio, Adefonſo, & Garſia. Ibi regalis ſublimitas præ gaudio ducens lacrymas, rerum Conditori dat laudes innumeras; præſens turba ingens ducit tripudium, terra reſonat voce Deum glorificantium. Quanta autem cæleſtis clementiæ blandimenta, quantaque ſignorum frequentia ſacrati corporis thecam toto intervallo itineris, Legionenſem uſque urbem, ſubſecuta [ſint, quis explicabit?] ſed & quantus quamque magnificus religioſorum principum, cum ſumma devotione, apparatus; quantus cleri, cum populo ſpiritali gaudio laſcivientis, plauſus; quantus denique utriuſque ſexus [concurſus]; ſalva excellentia glorioſiſſimi Regis Fredenandi, qui quaſi privilegio abrenuntians temporali, glebam ſanctiſſimi Confeſſoris, pedibus nudis, cum præclariſſimis filiis ſuis, gaudebat humeris deportare; velut David coram arca fœderis cum famulis ludens, ut quanto humilior videretur apud populum, tanto apud Deum glorioſior haberetur, & ſibi ſuiſque poſteris utrumque regnum providente Divina clementia perpetim præpararet. Regina vero Sanctia ejus conjux, laterales habens *d* Urracham & Geloyram filias, regni pulchritudo & ſumma matris honeſtas, in ripa fluminis Durii præſens affuit inclyto Confeſſori. Archiepiſcopi quoque, Epiſcopi & Abbates, Clericalis ordo ac monachalis, univerſi adſunt, induti ſacris veſtibus, cereis præcedentibus ceteriſque eccleſiæ inſignibus, de collato ſibi Patrono Deum magnifice collaudantes. Et ut magis creſcat jubilus & laus amplietur, quidam cæcus nomine Euſebius, dum dat manum loculo, oculis lumen illuxit ſubito.

ad Durium fluvium excipitur à Rege Ferdinando, *b* *c* *comitantibus Regina & filiabus* *d* *cum aliis regni Epiſcopis & clero:* *cæcus illuminatur.*

13 Cum autem pervenirent ad portam civitatis, quæ de Arcu dicitur, orta eſt in turba ſeditioſa altercatio; pluribus obſiſtentibus, quod in eccleſia S. Joannis Baptiſtæ corpus S. Albiti Præſulis deberet ſepeliri. Aderat tunc huic celeberrimæ ſolennitati vir venerabilis *e* Dominicus, Abbas monaſterii de Silos, cujus ſanctitas gratiarum efferebatur à cunctis. Hic diſſidenti contentioni, ſine partium præjudicio, pacificum imponere finem magno opere optabat. In quem cum omnium vota concurrerent, fundens preces ad Dominum, & ſanctiſſimum invocans Doctorem Iſidorum, juſſit, ut Sanctorum corpora in geſtatoriis ſuperponerentur equis, & quo, ſine hominis ducatu, veniret Pontificis Albiti corpus, ſepulturæ traderetur. Ipſe virga parvo ictu, in ingreſſu civitatis, equos feriens ſemel; pium onus irrationabilia ſupportantia animalia Angelico ducatu, ut credimus, (quia Pontificalis eccleſia ſuo Antiſtite viduanda non erat) ad eamdem ſanctæ Dei genitricis eccleſiam, qui corpus S. Albiti ferebat equus, recto itinere venit: qui vero ſanctum corpus Iſidori deferebant equi, ad eccleſiam S. Joannis Baptiſtæ venerunt, *f* & in quodam lacu, valde civitati nocivo, ſteterunt: quos nullatenus inde extrahere potuerunt, niſi lapidibus & terra eumdem obſtruerent lacum. Quo obſtructo, quos morientes putabant equos, ſubito ſuper ſolum incolumes vident. Unde ſtupefacti magnificentiam glorificant Confeſſoris; quo miraculo omnes attoniti ejuſdem Confeſſoris revelatione, eum ad eccleſiam perpetuæ Virginis Mariæ ceferunt, uſque dum corpus S. Albiti Præſulis honorifice traderetur ſepulturæ. *g* Poſthæc Rex clariſſimus Fredenandus, aggregatis Archiepiſcopis, Abbatibus univerſis, & Regni ſui nobilibus viris, ſanctiſſimi Doctoris Iſidori membra, cum hymnis & laudibus, ad S. Joannis Baptiſtæ eccleſiam detulerunt, in qua nunc à fidelibus venerantur; eamque in honore ſancti Antiſtitis Iſidori conſecrare, diem tranſlationis & dedicationis feſtive annuatim celebrare ſtatuentes, *h* decimo Kalendarum Januarii. Facta eſt tranſlatio, Æra mileſima centeſima prima, anno ab incarnatione D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ſexageſimo tertio, Indictione prima, Concurrente tertio. Tanta autem devotione in feſtivitate illa Rex clariſſimus, cum omni domo ſua, ob reverentiam ſancti & beati Confeſſoris, humilitati deditus claruit; ut cum ventum fuiſſet ad convivium, religioſis viris delicatos cibos, depoſito regni ſupercilio contemptus, vice famulorum manibus apponeret propriis; Regina quoque Sanctia, quaſi ſuis exoptationibus piis finem ſentiens beatum impoſitum, hilari devotione cum filiis & filiabus ſuis, reliquæ multitudini more ſervulorum omne obſequium humiliter expenderet.

g *h* *Rex & Regina cum ſuis liberis miniſtrant convivio.*

14 Ad laudem quoque ſancti Pontificis videtur pertinere illud, quod cum civitas Legionis ſiccitate & ſterilitate deficeret, atque venenata regio innumera produceret animalia; effuſa imbrium copia omnia prorſus fugantur nociva, fœcunditate terræ conceſſa, ita quod de cetero hujuſmodi in eadem regione adeo non ſunt viſa. Sed & illud quanto cum admirationis ſtupore eſt venerandum, quod deſtitutam tam egregio Patrono Provinciam etiam elementa mœſta plangerent; & non naturalia denegarent incrementis beneficia; verum ad hoc uſque mœroris protraxere diſpendia, ut contrariis naturali ſubſidio ſtudiis in patriam vehementer inſurgerent: cujus incolis quod tanto tamque inſigni Patre, pravis inſurgentibus meritis, orbanentur, imputarent. Nam cum præ ceteris Hiſpaniarum provinciis cæli clementia Bætico detulerit ſolo, & innatæ naſcentium omnium fœcunditati quaſi paradiſi fœcundi irrigua locorum arrideat amœnitas, in tantum tali ſe Patre orbatam patria talis luxit, tantique Patris orbitatem tantis detrimentis oſtendit, ut etiam ſubitarum pluviarum inſolito decolorata marcidaque rigore; cum propter maris calidum vaporem numquam ſit ſolita uredinem glaciei perpeti, eo tamen anno, quo exinde beata membra ſunt abſtracta, adeo urente glacie eſt exuſta; quod neque in vinetis, neque in olivetis ſeu ficetis, aliquid fructus remanſerit; & manifeſtis Hiſpalenſis civitas declararet imo proclamaret indiciis, quod talis tantique Patroni meritis proviſa cælitus fuerit, & tanta provinciæ tantorumque beneficiorum magnalia, illius ſola Reliquiarum abſentia, ſubtrahantur.

Legionenſis ditioni fœcunditas addita, *& Hiſpalenſis ſi ditioni ſubtrahatur.*

15 In loco autem quo ſancti Doctoris Iſidori corpus, in aureo gemmatoque ſepulcro, à fideli plebe condigno veneratur honore, tanta fiunt miracula, quod ſi quis ea litteris traderet, non minima conficeret librorum volumina. Quanti autem meriti apud præſentiam rerum conditoris glorioſa ſe ferat interceſſio Chriſti Confeſſoris Iſidori, ſignorum aſſiduitas, quæ ibi fit, populis declarat. Ibi enim tuas amittis vires Cæcitas; nam quos luce privatos obſides oculos, beatiſſimi Iſidori illuminat pia interventio: quæ membra diſſolvit peſſima peſtis, vel valida febris, tu, Sancte, fuſa prece, Confeſſor,

Pluvinæ ad ſepulcrum fiunt miracula.

e *equis impoſita corpora deferuntur, Albiti ad eccleſiam S. Mariæ,* *f* *S. Iſidori ad S. Joan. Baptiſtæ,*

EX MS. TOLETANO.

sor, das saluti, procul pulso languoris periculo: quos membrorum dissolutio à robore solito virium enervat, ad tumulum Sancti, precibus suis, adstant læti gressibus firmis. Ibi adveniens surdus vel mutus, ejus meritis sanitati redditus, gaudens inde repatriat: civitas defensionem, regio fœcunditatem, & serpentium expulsionem, pii Doctoris obtentu se adeptam lætatur. Hæc tua namque sunt, Christe opera, qui inclytum Confessorem Isidorum, quem in cælis gloria & honore coronasti, in terris præsentas insignem miraculis. Hujus Sancta interventio, & præsentis diei translationis sacra celebratio, nos assidue Regi commendet superno, cujus etiam [Confessor] hic patrocinia nobis conferat salutis, & pacis gaudia, Jesu Christo præstante, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat sine tempore in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Scilicet* Christus, *vere Sanctorum omnium Rex supremus.*

b Durius *fluvius dividit regnum Legionense, in Transdurium & Cisdurium.*

c *Ex his à morte Ferdinandi patris facti sunt Reges* Sanctius, *Castellæ*; Adephonsus *Legionis*; *&* Garsias, *Galeciæ. Consule Marianam lib.9 cap.7, 8 & sequentibus, ubi singulorum regnorum limites describit & fortunam, qua Sanctius ditiones fratrum armis occupavit, cui occiso* Adephonsus *successit.*

d Urraca *&* Elvira *dicuntur eidem Marianæ: illi data* Zamora, *huic* Taurus, *in hereditatis portionem ad vitam sustentandam.*

e *Colitur* S. Dominicus de Silos *sive Exiliensis* 20 *Decembris, in cujus Vita à monacho coævo scripta, & à Tamajo edita, dicitur obiisse anno* 1073. *feria* 6, *dicto* 20 *Decembris, scilicet littera Dominicali F. Addit Tamajus, eamdem Vitam, una cum miraculis* 114, *servari litteris Gothicis exaratam in Actuario cœnobii B. Martini Madritensis: unde vehementer optamus tam hæc quam illam nobis integre transcribi (nam Tamajus vix unquam fideliter retinet antiquum stylum, & miracula tædio prolixitatis omisit) beneficium gratanter agnituri.*

f *Mariana lib.9 cap.3 his strictim relatis, ista addit*: Nec me præterit, ancipiti hæc hominum opinione æstimari: sed quia non nova dicuntur, sed tradita olim ab aliis, fidem auctores, præsertim Lucas Tudensis, qui hæc scripsit, sibi vendicent: nostrum est antiquis monumentis testata, integra fide litteris mandasse.

g Corpus S. Albiti anno 1527 translatum & pluribus miraculis illustratum, *scribit Gonzales d'Avila pag.* 398. *Dies* 27 *Decembris ejus natalis assignatur in Martyrologio Hispanico Tamaji Salazar.*

h *Nic. Antonius mallet legere* undecimo Kalendas; *afferens*, diem Translationis esse XXII Decembris. *At Tamajus Salazar impressit* duodecimo Kalendas Decembris *ex eodem MS. & ex Breviariis MSS. Legionensi & Compostellano, & retulit omnia ad diem* XXI *Decembris: quod & Marietta fecit lib.5 cap.26, à quo die, ob festum S. Thomæ Apostoli impedito, forsan alii ad sequentem transtulerunt, & ita ad* XXII *Decemb. Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus in Fastis Benedictinis, & Ferrarius in Catalogo generali. Sandoval, in citata historia Sahaguntina* §. 36, *translationem refert notatum* X Kalendas Januarij.

i *Imo potius* secundo, *cyclo Solis VIII, littera Dominicali E. Consule Petavium de Doctrina temporum lib.6 cap.28*

CAPUT IV.

Virtutes & obitus Ferdinandi Magni Regis. Reliquiæ in ecclesia S. Isidori adservatæ.

16 POst adventum autem corporis almi Pontificis Isidori, Rex clarissimus Fredenandus eamdem aulam regiam diversis sanctorum Reliquiis, Sanciæ Reginæ suggestione, non minus hoc ipse flagrans desiderio, exornare studens; post multitudinem sanctorum pignorum ibidem aggregatorum, corpus S. *a* Vincentii Martyris, sanctarum Martyrum Sabinæ & Christetæ fratris, ab *b* Abula in Legionem *c* transtulit, & Hispaniarum doctoris Isidori corpori sanctissimi Martyris Vicentii thecam decentissimo pro viribus sociavit honore. Sed & religionem Christianam, quam ab infantia devote amplexatus fuerat, summa cum devotione custodiens, ecclesiam, quam noviter construxerat, & in honore sancti Antistitis Isidori summa cum reverentia fecerat dedicari, plurimæ pulchritudinis auro & argento, lapidibusque pretiosis, perpetuis firmitatum privilegiis, ac sericis cortinis decoravit: Ecclesiam mane & vespere nocturnis horis & sacrorum tempore, impigre frequentabat; interdum cum clericis voces modulando, vices quærens cantoris, in Dei laude pollenter exultabat. Amabat pauperes & peregrinos, & in eis susceipiendis magnam habebat curam, & ordini clericali cum humilitate incredibili magnam exhibebat reverentiam. Ad hoc, ubicumque monachos vel mulieres Deo dicatas vivere compererat, eorum penuriæ compatiens, aut per se ut eos consolaretur venire, aut largam pecuniam mittere consueverat: siquidem semper solerti cura providebat, ut de victoriarum suarum spoliis, ad laudem Dei, & SS. Isidori & Vincentii, atque beatissimi Apostoli Jacobi, qui eum victorem reddebant, melior pars per monasteria & Christi pauperes distribueretur. Quid plura? neque Fredenandus, pius excellentissimusque Princeps, toto vitæ suæ curriculo quidquam carius dilexit, quam ut regni sui principales eccleliæ suis donis veteri pollerent auctoritate, atque omnes per illum non solum quietæ & defensæ, verum etiam suis laboribus ornatæ & ditatæ fierent.

Ferdinandus eamdem S. Isidori eccle-siam honorat illato corpore S. Vincentii Martyris, *a* *b* *c* *& aliis ornamentis.*

Largus in pauperes & monachos,

& spolia in illos distribuit;

17 His itaque pollens virtutibus, cum expedita manu ad Celtiberiæ provinciæ pagos vastandos, ac villas infidelium diripiendas, profectus est. Cumque ibi diu moraretur, omnia quæ extra munitiones erant, ferro & igne depopulatus, Valentiam civitatem accessit: quam brevi expugnasset, nisi ægritudine correptus decubuisset. Omnibus tamen Celtiberiæ provinciæ civitatibus & castellis in deditione acceptis, almus Doctor Isidorus ei apparuit, & diem sui exitus imminere innotuit; ac in ipsa corporis valetudine, mense Decembris, Legionem venit. Ingressus est namque civitatem nono Kalendas Januarii, die Sabbato, & ex more corpora SS. Isidori & Vincentii fixis genibus adoravit; petens, ut quia jam terribilis hora mortis sibi imminebat, ipsis cum Angelicis choris intervenientibus, anima ejus à potestate tenebrarum libera, ante tribunal Christi sui Redemptoris illæsa præsentaretur. Ceterum in ipsa celebri Nativitatis Dominicæ nocte, cum Clerici festivo more Natalitium Matutinum canerent, affuit inter eos Catholicus Rex, atque virtute qua poterat lætus concinebat usque ad ultimum [Versum] *d* horum matutinorum, Advenit nobis (quem tunc temporis, more Toletano canebant) succentoribus respondentibus; Erudimini omnes, qui judicatis terram. Quod Fredenando Serenissimo Regi non

in oppugnanda Valentia

à S. Isidoro de die obitus monetur,

& Legionem regressus

d *in Nativitate Christi interest Officio.*

A ſion incongrue veniebat. *e* Porro illuceſcente Nativitatis filii Dei clara univerſo orbi die, ubi ſe artibus
e & communicat, deficere proſpicit, Miſſam cani petit; ac percepta Corporis & Sanguinis Chriſti participatione, ad lectum manibus ducitur militum.

18 In craſtinum vero, luce adveniente, ſciens quod futurum erat, vocavit ad ſe Epiſcopos & Abbates, & quoſque religioſos viros; & ut exitum ſuum confirmarent, una cum eis ad eccleſiam defertur, cultu regio ornatus, corona capiti impoſita. Deinde flexis genibus coram altari & ſanctorum corporibus, B. Iſidori Doctoris & S. Vincentii Martyris Chriſti, clara voce ad Dominum dixit: Tua eſt potentia, tuum regnum, Domine; tu es ſuper omnes Reges; tuo imperio omnia regna, cæleſtia & terreſtria, ſubduntur; ideoque regnum, quod te donante accepi, acceptumque, quam diu tuæ liberæ voluntati placuit, rexi; ecce reddo tibi: tantum animam meam, de voragine iſtius mundi ereptam, ut in pace ſuſcipias, deprecor. Hæc dicens, exuit
ornatu regio depoſito, regalem chlamydem, qua induebatur corpus; & depoſuit gemmatam coronam, qua ambiebatur caput: atque cum lacrymis eccleſiæ ſolo proſtratus, pro delictorum venia Dominum attentius exorabat.

B Tunc ab Epiſcopis accepta pœnitentia, induitur ci-
in cinere & cilicio moritur 27 Decemb. 1065 licio pro regali indumento; & aſpergitur cinere, pro aureo diademate. Cui in tali permanenti pœnitentia coram Sanctorum altari, duobus diebus à Deo vivere datur: ſequenti autem die, quæ eſt feria tertia, hora diei ſexta, in qua S. Joannis Euangeliſtæ feſtum celebratur, Deo & B. Iſidoro qui ei apparuit, inter manus Pontificum tradidit ſpiritum; & in ipſa eccleſia ſepultus eſt: tam clericis quam laicis, monachis & pauperibus, non tantum Regem, ſed pium patrem inſolabiliter plangentibus præ nimia cordis amaritudine: ſicque æra milleſima centeſima tertia in ſenectute bona perrexit ad Dominum. Rexit regnum fideliter annis quadraginta, menſibus ſex, diebus duodecim. Quo autem loco corpora S. Iſidori Doctoris Hiſpaniarum & ſanctiſſimi Vincentii Martyris quieſcunt, devota quiſquis mente orando petierit, ægritudinum ſuarum celerem medicinam, & petitionum conſequitur ſalutarem effectum; præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

C 19 Sereniſſimus igitur Rex magnus Fredenan-
ſunt in dicto templo corpora S. Iſidori & S. Vincentii, & oſſa aliqua SS. Sabinæ & Chriſtetæ, dus, ſanctiſſimi Hiſpaniarum Doctoris Iſidori corpus in eccleſia S. Joannis Baptiſtæ, quam ipſe gloriosus Rex noviter fabricaverat, ſicut ſupra dictum eſt, feliciſſime collocavit: cui etiam decentiſſimo aſſociavit honore corpus inclyti Martyris Vincentii, ac majorem partem duarum germanarum ipſius, Sabinæ videlicet, & Chriſtetæ; pignora quorum pius Rex, ob pii Confeſſoris honorificentiam amplius ampliandam, ab Abulenſi urbe Legionem juſſit deferri: adjungens etiam pene innumerabilem multitudinem Reliquiarum multorum Sanctorum, qui prædictum locum cum prædicto Confeſſore venerabiliter & glorioſe venerabilem ſimul efficiunt & glorioſum: quorum hæc vocabula ſunt, videli-
item Reliquiæ variæ cet: de ligno Domini, de ſepulchro Domini, de columna, ad quam Dei filius pro humani generis ſalute fuit ligatus & flagellatus; de linteo, quo die cœnæ Apoſtolorum pedes exterſit; de ſindone, qua ſanctiſſimum illius corpus in ſepulchro fuit involutum; de lacte benedictæ Virginis matris Chriſti; de ve-
& variorum Sanctorum, ſtimentis ipſius: de oſſibus beatæ Annæ matris ejus: de oſſibus & veſtimentis Apoſtolorum Petri & Pauli & Jacobi Compoſtellani, Andreæ, Bartholomæi & Matthæi: de pane cœnæ; ſciſſorium ipſius cœnæ; de capite B. Joannis Baptiſtæ, de oſſibus B. Laurentii, de oſſibus Vincentii Levitæ & Marty- EX MS.
ris Chriſti, qui ejuſdem beati Laurentii in ſecundo TOLETA-
gradu fuit *f* conſanguineus; de oſſibus ſanctorum In- NO.
nocentium; de myrrha quam obtulerunt Magi Do- *f*
mino; de oſſibus *g* SS. Claudii, Lupercii & Victorici, *g*
qui Legionenſi in civitate pro Chriſti nomine martyrio coronati ſunt, qui etiam utroque parente fratres fuerunt; de veſtimentis & oſſibus B. Martini, & B. Nicolai & S. Auguſtini, & B. *h* Thomæ Can- *h*
tuarienſis Archiepiſcopi, & *i* Juſti & Paſtoris; de *i*
oſſibus Samuelis Prophetæ; de ilice Mambre, ſub qua Abraham ſtetit; de oleo quod meritis B. Catherinæ apud montem Sina emanavit; de oſſibus cujuſdam Cardinalis, qui apud Conſtantinopolim pro defenſione veritatis fuit combuſtus; de oſſibus *k* Ma- *k*
lachiæ Epiſcopi & confeſſoris, qui beati Bernardi claravallenſis Abbatis contemporaneus fuit; de oſſibus ac veſtibus B. Margaritæ, *l* Sperati, Marinæ *l*
Virginis, & B. Agnetis, & S. Dorotheæ, & S. *m* *m*
Engratiæ. Exceptis omnibus ſupradictis Reliquiis, in prædicta manent eccleſia octo non modice capſulæ, ſanctiſſimarum reliquiarum plenæ, ſicut à noſtris prædeceſſoribus comperimus; quas nemo noſtrum, nec aliquis moderni temporis alius auſus eſt aperire; cum quibus omnibus eamdem aulam per- E
ornat Iſidorus ſacer, almus, magnus meritis, qui pro nobis omnibus ante Dominum interceſſor aſſiſtat aſſiduus. Multis & magnis eidem loco muneri- *inter quos præcipuus Patronus eſt* S. Iſidorus,
bus ab eodem Rege collatis, dignum ſibi & ſuis poſteris locum ſepulturæ ſtatuit, ut ſub umbra domicilii ipſius, ipſe cum ſuis ſucceſſoribus, poſt mortem requieſceret; cui jam immortaliter viventi cum tot beatiſſimis ſociis, dignam pro viribus baſilicam conſecraret; ubi plurima miracula, per almum Eccleſiæ ſuæ doctorem Iſidorum, nec non & horum *miraculis ibidem claruit.*
quorum nomina præliavimus, ad laudem & gloriam nominis ſui, Dominus noſter Ieſus Chriſtus uſque in hodiernum diem operatur: ſed partim imperitia partim negligentia ſilentio ſunt obtecta; pauca tamen de multis ſtylo fideli tradere duximus eſſe dignum.

ANNOTATA.

a S. Vincentius, *ejuſque ſorores* Sabina & Chriſteta, *Abulæ ſub Diocletiano occiſæ, coluntur 27 Octobris, etiam Martyrologio Romano inſcripti.*

b *Lucas Tudenſis dat rationem, quia* civitas Abulenſis in vaſtitatem olim à Saracenis redacta fuerat. *Plurima ex iis quæ ſequuntur totidem fere verbis ab eodem in Chronico traduntur.* F

c *Pelagius Epiſcopus Ovetenſis, relata S. Iſidori tranſlatione, iſta addit:* Iſte Fredenandus fecit ſecundam tranſlationem ſanctorum Martyrum Vincentii, Sabinæ & Chriſtetæ ab Abula, Vincentii in Legionem, Sabinæ in Palentiam, Chriſtetæ in Aſlanga (*imo* Arlanza) in S. Petrum. *Traditur in Inſcriptione in oſtio clauſtri in cœnobio S. Iſidori hæc tranſlatio facta in* Æra MCIII, *id eſt anno* 1065, ſexto Idus Maij: *ad quem diem varia controverſa proponit Tamajus Salazar, quaſi monachi S. Petri in Arlanza ſibi corpora omnium trium aſcriberent.*

c *Pridie Nativitatis Chriſti, anno* 1061, *cyclo ſolis* x, *littera Dominicali B.*

d *Tudenſis in Chronico*, Pſalmum: *ſed videtur intelligi antiphona ſeu verſus ſequens* Advenit nobis.

e *Addit in Chronico Tudenſis:* Quia dum ſibi vivere ſicuit, regnum catholice gubernavit; & ſeipſum, preſſum pudicitiæ fræno, funditus eruditum reddidit.

f *Nicol. Antonii notat.* De hac propinquitate Martyrum invictiſſimorum teſtimonio veterum Breviariorum credimus, quæ vidit Joannes Franciſcus Andreas Uſtarrozia, de patria S. Laurentii ſcriptor cap.

EX MS. TOLETANO.

cap. 5 pag. 83. *Quæ poterunt* 10 *Auguſti ad Acta S. Laurentii examinari.*

g SS. Claudius, Lupercius & Victoricus *filii* S. *Marcellini Centurionis ſub Diocletiano paſſi coluntur* 30 *Octobris.*

h *Paſſus eſt* S. Thomas *anno* 1170, *id eſt poſt obitum Ferdinandi centum & quinque annis: ideo judicat Nicolaus Antonius indicem reliquiarum in hac eccleſia adſervatarum tranſcriptum eſſe ab auctore, parum ſolicito quo tempore ſingulæ importatæ eo fuerint.*

i Juſtus & Paſtor, Martyres Complutenſes *coluntur* 6 *Auguſti.*

k *Coluntur* S. Malachias 3 *Novembris &* S. Bernardus 20 *Auguſti. Et hi etiam* 12 *ſeculo, id eſt ſequenti poſt Ferdinandum Regem floruerunt.*

l S. Speratus, Dux Scillitanorum Martyrum, Carthagine *cum his paſſus, colitur* 17 *Iulij. At* Marina Virgo, *in Gallæcia Martyr, refertur* 18 *Iulij.*

m S. Engratia *ſine* Encratis, Martyr Cæſaraugustana, *colitur* 16 *Aprilis.*

CAPUT V.

Cæci & muti ſanati: Aqua & pluvia conceſſa: victoria de Saracenis data.

B

20 QUidam Judæus prædives, timore boni Regis Adefonſi, Fredenandi magni Regis filii, ad prædicti Confeſſoris eccleſiam confugit, ibique ſe tutiorem fore credidit. Interim ecce quatuor viri deferebant quamdam ægrum in grabato, pedes ad nates vinctos habentem; qui ſe per plurimos annos in lecto numquam verterat. Quem Judæus intuens, circumſtantes allocutus eſt, dicens: Si ſuis orationibus Iſidorus hunc ægrum curaverit, & undam baptiſini accipiam, & munera huic eccleſiæ perplurima tribuam. Suffuſis igitur lacrymis omnes qui aderant, ſimul cum ægro, glorioſiſſimi Confeſſoris exorabant attentius clementiam. Quid plura? media nocte, cum omnes ſe ſopori dediſſent, æger vociferare, nimiaſque cœpit voces emittere; ita quod omnes ſurgerent, ægrumque circumſtarent. Cumque eum interrogarent, unde eos ſic perturbaret; reſpondit: Nonne Dominum meum Iſidorum videtis, crura mea *a* trahentem, meæque infirmitati ſanitatem præbentem? Mirati omnes & attenti, audierunt ſonitum venarum ejus, ſicut cum ſicca ligna franguntur. Tranſactis itaque aliquantis horis, à lecto ſanus exurgens, protinus ad altare propriis pedibus pergens, illudque cum lacrymis amplectens, laudavit clementiam Confeſſoris; & in ejus ſervitio promiſit omnibus diebus vitæ ſuæ devotiſſime permanere. Quæ omnia Judæus ut vidit; & ægrum propriis pedibus ſanum perſpexit, firmiter credidit; atque ad domum ſuam intrepidus, illico perrexit, & cum omni domo ſua baptizatus, Deo ulterius ſervire ſtuduit.

Æger pedes ad nates vinctos habens.

apparente S. *Iſidoro,*

a

ſanus ſurgit:

C

quo viſo Iudæus cum ſuis baptizatur.

b

21 Quidam vir *b* Aſtoricenſis civitatis puerum quemdam nutrierat, qui à nativitate mutus & ſurdus fuerat; qui Legionem veniens, ſecum puerum detulit. Dumque vir ille per civitatem ad ſua negotia pergeret, prædictus puer à domo hoſpitis exiens, per civitatem vagans, quam numquam viderat, caſu ad prædictam eccleſiam devenit. Eccleſiam pueriliter ingrediens, atque ad altare pergens, quidam nobiliſſimus vir ei obviam veniens, Epiſcopali indutus veſte manuque Pontificalem virgam geſtans, linguam ejus extrahens, ait ei: Vinculis linguæ ſolutus, ſanus effectus es; da gloriam Deo. Gaudens & exultans puer, revertitur: & per villam ad forum deſcendens, pallium novum quod Dominus ſuus dederat, exuit, & pro cera cuidam mercatori tribuere ſtuduit. Quod famuli *c* villici Regis videntes, furatique pallii crimen ei imponentes, in carcerem eum feſtinanter miſerunt. Cumque Dominus ejus eum per totam civitatem quæreret, & per forum requirendo tranſitum faceret, dixerunt ei, prædictum puerum in carcere fore. Qui carcerem ingreſſus, ubi puer eum vidit, magnis vocibus clamare cœpit: Pater, ſuccurre. Vir ille voces audiens, & pallium minime videns, egreſſus eſt dicens: Puerum iſtum ignoro; meus etenim mutus erat. Diſceſſum patris puer non ferens, vocibus plurimis, clamare iterum cœpit, dicens: Pater, pater, miſerere. Reverſus ad eum diligenter veſtimenta ejus intuitus, qualiter ei eveniſſet interrogavit. Puer autem rem geſtam Domino ſuo retulit: qui miratus eum à vinculis extraxit, & per civitatem obiens, miraculum, inſinuavit. Legionenſis autem Epiſcopus perpetratum divinitus miraculum audiens, cum ſuis canonicis ad eccleſiam Beati Confeſſoris pedibus veniens, & omnia ſigna per civitatem ſonare faciens, omnipotentis laudavit clementiam. Similiter cives ex omni parte ad baſilicam Confeſſoris venientes, innumeras dabant laudes Deo. Judæi quoque, qui mercandi cauſa ad civitatem venerant, miraculum laudabant, & Confeſſorem vocibus extollebant; ſicque hoc miraculum civitatem & patriam clarificavit, & Confeſſorem Dei nutu nimium extulit.

D

c

ſimili apparitione ſanatur,

pro eoque ſolennes gratiæ aguntur:

E

22 Eſt etiam cujuſdam militis ſatis commendabile miraculum, nec ſilentio prætereundum; quem Rex capitali ſententia feriri decreverat, niſi Divina gratia inſtillante, ſe in prædicti Iſidori Confeſſoris eccleſia recepiſſet. Quem Rex armata tamen manu cuſtodiri juſſit; & ne cibus potuſve ſibi daretur ſub mortis interminatione prohibuit. Quid plura? Septem revolutis diebus ad mortis articulum uſque miles, pervenit: Divina autem gratia ei minime defuit, ita ut lapis qui Sacerdotis celebrantis ſubjacet plantis, aquas divinitus perſpicuas emanavit, quas jam dictus miles ſæpiſſime potando, ſe ſufficienter refecit: quæ vero ſuperfuerunt, ad honorem Dei & ſanctiſſimi Hiſpaniarum Doctoris Iſidori, & ægrorum ſanitatem, in præſentiarum vaſe vitreo conſervantur, adeo dulces & præclaræ, ac ſi in præſenti de limpidiſſimo perennique fonte hauſtæ fuiſſent.

plectendus miles ad eccleſiam S. *Iſidori fugit.*

23 Cum ſereniſſimus Imperator *d* Adefonſus, pro dilatandis ſanctæ Eccleſiæ finibus, ac inimicis Crucis Chriſti Iſmaelitis expugnandis, eorum fines quam plurimos devaſtaſſet; *e* Beatiam, quondam Chriſtianorum urbem, à prædictis Agarenis invaſam, cum militari manu *f* perpauca, conſulto obſedit. Quod factum cum Saraceni ex circum adjacentibus civitatibus percepiſſent, innumerabili ſuorum multitudine conglobata, Catholici Imperatoris caſtra evertere properabant. Conſiderantes itaque Saraceni paucitatem Chriſtiani exercitus, de ſuorum viribus atque multitudine confidentes, Chriſtianorum cuneos quinta feria veſperaſcente ex omni parte vallarunt; parati, ut altera die, ſcilicet ſexta feria illuceſcente, congreſſo bello Imperatorem cum ſuis triumphali perimerent ultione. Videns autem clariſſimus Imperator ſe cum ſuis adverſariorum impetum ſuſtinere non poſſe, conſternati animo miſericordem Deum in auxilium invocabant. Dum ergo hæc ita ſe gererent, imperator ſedens in tentorio aliquantiſper ſomno correptus, apparuit ei quidam vir veneranda canicie comptus, Epiſcopali inſula decoratus, cujus facies rutilabat ut ſol clariſſimus; circa quem, dextera gladium igneum ancipitem tenens, gradiebatur: talique cum voce benigne affatus eſt, dicens: O Adefonſe, cur dubitas? omnia enim poſſibilia ſunt Chriſto. Imperatori magno

d

F

e

f

Adelphonſus Imperator

à Saracenis cinctus

à S. *Iſidoro apparente confortatus,*

A magno Deo noſtro Et adjecit: Vides hanc Iſmaelitarum multitudinem? Prima luce ſicut fumus evaneſcent à facie tua: ego namque tibi & naſcituris ex genere tuo à Deo datus ſum cuſtos, ſi ambulaveritis coram eo in veritate & corde perfecto. Dixit ei Imperator: Quis es, Sanctiſſime Pater, qui mihi talia loqueris? Ego ſum, ait, Hiſpaniarum Doctor Iſidorus, B. Jacobi Apoſtoli prædicatione ſucceſſor; dextera hæc ejuſdem Jacobi Apoſtoli eſt, Hiſpaniæ defenſoris; & his dictis viſio ablata eſt. Evigilans igitur Imperator, convocatis Epiſcopis, & qui cum eo erant comitibus, ex ordine eis narravit viſionem. Qui cum audiſſent, præ nimio gaudio ubertim lacrymas fundentes, Dei omnipotentis clementiam collaudabant. Quidam vero ex eis dixerunt; Domine, ſi acceptum eſt veſtræ majeſtati, ſtatuamus confraternitatem, nos ejus patrociniis tam in vita quam in morte commendantes. Placuit ſermo cunctis, & factum pacis oſculo firmaverunt. Verum quia *g* Regina Domina Sancia ſtudioſe Imperatori ſuggeſſerat, quatenus reverendum Petrum Ariæ Priorem, qui cum ſuis Canonicis ſub habitu & regula Beati Auguſtini in Carvalianenſi degebat monaſterio, ad Legionenſem S. Iſidori transferret eccleſiam; quidam Milites, ejuſdem Reginæ ſuæ dominæ benevolentiam captantes, inquiunt ſuadentes: Domine, ſi placet veſtræ celſitudini, quod petit ſoror veſtra Regina Domina Sancia, admodum eſſet Deo acceptum & ſanctiſſimo Confeſſori, atque toti imperio veſtro per Canonicorum orationes remedium ſalutare. Ad hæc Imperator reſpondit: Et unde hoc ſcimus, utrum hoc placeat Deo & ejus Confeſſori, vel non? Cui Optimates reſponderunt: Etiam, Domine, quibuſdam ſervis Dei inſinuatione ſuperna eſt revelatum, & ſorori veſtræ Reginæ Dominæ Sanciæ. Ad hæc gratias agens imperator benedixit Dominum. Pontifices autem ſacri, una cum comitibus gratias agentes, ordinaverunt ſimul, quod cum acclamatione nominis S. Iſidori & S. Jacobi, à prima aurora horſtes aggrederentur. Imperator vero poſt hæc preſſus ſopore, apparuit ei beatus Confeſſor lætiori vultu dicens: Quam ſtatuiſti confraternitatem, in mea protectione ſuſcipio; & eam fideliter obſervantibus, ero adjutor in vita & in morte. Quod autem de Petro Ariæ Priore, atque ejus Canonicis eſt tibi ſuggeſtum, Deo omnipotenti, & glorioſiſſimæ Genitrici ejus acceptum eſt & mihi. Fac igitur, confortare, & eſto vir: quia aurora illuceſcente tradet tibi Dominus, meo obtentu, univerſam hanc multitudinem, inſuper omnes citra mare Saracenorum Reges tuo ſubdentur dominio. His dictis Sanctus diſparuit. Factuſque ita Imperator audacior de viſione, ut ſui ad bellum procederent imperavit. Qui juſſa viriliter adimplentes, Saracenorum exercitum devaſtabant. Videntes autem Agareni Chriſtianorum audaciam, & ſe à ſuis trucidari mutua cæde, terga dederunt fugiendo, noſtris relicta multitudine ſpoliorum: Saraceni vero qui erant in civitate, ad Imperatorem egreſſi, ſe & civitatem ei tradiderunt. Reliqui vero Hiſpaniæ Reges Saracenorum & etiam Chriſtianorum Principes, perpendentes cum Catholico Imperatore eſſe cæleſtem victoriam, ei ſe vaſallos, & tributarios B. Iſidori victoriæ ſtatuerunt. Poſt tot felices ſucceſſus in Legionem regreſſus, accerſito Venerandæ ſanctitatis Petro Ariæ Priore, vix ab eo multis precibus obtinuit, quod cum ſuis Canonicis ad S. Iſidori monaſterium transferretur, tradens eis plura dona & privilegia perpetuæ libertatis.

inſtitutaque ipſius confraternitate

Canonicos Regul. ad ejus eccleſiam ſe introducturum pollicitus,

iterata viſione animatur,

B

C

& maximâ reportat victoriam.

24 Quodam tempore, quod, non ſine cauſa & merito, per beneficiorum ſubſtractionem humanum genus Dominus vellet corrigere; vel forte, ut ſe in B. Iſidoro oſtenderet glorioſum; accidit, ut præ indigentia pluviarum omnes fere ſegetes, cum aliis terræ naſcentibus, per triennium deperirent. Videns ergo Dominus *h* Joannes bonæ memoriæ, tunc temporis Legionenſis Pontifex, tantam cladem; videntes & religioſi viri, videlicet *i* Abbas S. Claudii, & Priores S. Iſidori, & S. Marci, qui in eadem urbe & ejus ſuburbiis morabantur; ad unicum & ſingulare præſidium confugerunt, Dei omnipotentiam exorantes. Sumpſit proinde præfatus Pontifex corpus *k* S. Froylani, cum aliis Reliquiis quam pluribus, quæ in ejus eccleſia venerantur. Sumpſit & Abbas S. Claudii, corpora SS. Claudii, Lupercii & Victorici, quæ in ejus monaſterio requieſcunt. Sumpſit & Prior S. Iſidori corpus S. Vincentii, & duarum ſororum ejus non minimam partem, ut ordinaretur proceſſio. Omnes Eccleſiaſticis ſe præparant indumentis; attamen quia, ſine conſecutione *l* bravii, alias jam cucurrerant ſine corpore beatiſſimi Confeſſoris Iſidori, ſe illud non poſſe conſequi exiſtimarunt: ideoque acceſſerunt prædictus Pontifex, & venerabilis Chriſti Virgo Domina Sancia, ſoror Imperatoris, ad Dominum Petrum Ariæ; Monaſterii S. Iſidori tunc Priorem (nam usque ad ejus obitum Abbatem minime habuerunt) rogantes, ut corpus jam dicti Sanctiſſimi Confeſſoris ad proceſſionem, cum ceteris Sanctorum corporibus & reliquiis portaretur: credebant namque per tantum Advocatum omnia conſequi poſtulanda. Quorum vix precibus inclinatus, habito tandem ſuorum Canonicorum conſenſu, qui velut theſaurum, ſicuti erat, incomparabilem [æſtimabant,] ad portandum illum humiliter acquievit. Portantes itaque cum ſumma reverentia *m* arcam auream, vernantibus margaritis atque coruſcantibus decoratam, in qua condebantur pignora tanti Patris; ordinata proceſſione, ad quemdam montem, qui non longe à civitate diſtat, juxta viam quæ ducit ad B. Jacobi limina, pervenerunt. Ubi humilium pauperum convenit maxima multitudo; fundendo lacrymas, gemendo, ſuſpirando; & uberiori devotione, tamquam filii Iſrael quondam conveniētes ad Moyſem *n* in Elim, ſuppliciter quærebant à Domino beneficium pluviale. Ibi venerabilium Sacerdotū & Clericorū conſenſus eximius, ibi religioſorum ſacri conventus, ibi omnium populorū plurima turba, & utriuſque ſexus pene innumerabilis multitudo adſtabat. Venerabilis Pontifex, Eccleſiæ Chriſti ſponſus; tantorum circumdatus multitudine filiorū, Pontificalibus infulis decoratus, omnes ſuo ſermone mellifluo ad Dominum exorandum ſolicitat, ut eos gaudentes reverti faciat, impetratis ab eo Sanctorum precibus miſericorditer poſtulatis. Sed quia judicia Dei abyſſus multa, à ſuo deſiderio aliquantulum ſunt fraudati. Cumque more ſolito proceſſionale officium, expleto ſermone, cum eleemoſynarum largitione, & orationis devotione maxima, compleretur; aſſumptis Sanctorū corporibus cum reliquiis univerſis, acceſſerunt ad venerandum corpus cum ſumma reverentia, ut illud ad ſuum monaſteriū reportarent. Sed tanto pondere Spiritus ſanctus fixit illud, ut velut beatiſſima *o* Lucia in agone martyrii cōſtituta, immobile permaneret. Inſpiciēs Petrus Ariæ Prior & grex ſibi creditus, ſe tanto Patre orbatos, cum cordis amaritudine non modice lamentabantur, & pium cordis affectum lacrymis & ſuſpiriis oſtendebant; aiebant namque, quis in tribulationibus conſolabitur tribulatos? Hæc & his ſimilia proferentes, oſculabantur terram coram ſplendidiſſima arca ejus. Interea Domina Sancia, virgo Chriſti venerabilis, quæ vere meritorum ſanctitate pollebat, & eum mirabilis devotionis fervore amabat; venit cum ingenti turba Procerum ac Dominarum; & geminatis ſuſſpiriis,

EX MS. TOLETANO.

In magnâ ſiccitate & penuria

h

i

in ſupplicatione ſolenni;

k

cum aliis Reliquiis

l

E

circumfertur corpus S. Iſidori.

m

n

F

o

ne referatur immobile, perſiſtit.

EX MS. TOLETANO. ſpiriis, cum magno cordis gemitu & lacrymis, cœpit cum immenſo dolore voce dulciſſima exclamare, flexis genibus coram area: O mi Sponſe, inquit, & Domine, qui dum in carne viveres deſolatos es dignatus conſolari, cur me miſeram ſponſam tuam deſolatam relinquis? Quo me ſine tuo ſolatio, velut abjectam & repudiatam, ire diſponis? Cur ſaltem Canonicorum lacrymas fundentium cœtum, ac Prælatos una cum civibus, ad umbram tui culminis ſupplicantes non exaudis, unica conſolatio noſtra? Singularis eorum dolor communis omnibus erat factus; ita quod vix poſſet à fletu aliquis abſtinere. Tandem Epiſcopus, Abbas & Priores ſæpe dicti, cum omnibus qui aderant Clericis, tam religioſis quam ſecularibus, hæc videntes; votum, juramento firmatum pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus, emiſerunt, quod amplius, pro quanto vel qualicumque periculo imminente, nequaquam ſacrum corpus ab ejus eccleſia moveretur. Interim univerſitas populorum aſtantium, lacrymis perfuſa, cenſum ei ſpopondit ſe perpetuo ſoluturam, ſi reverti ad locum priſtinum dignaretur. Expleto vero triduo in amaritudine & lamento, poſt emiſſionem voti, acceſſerunt ad arcam ſanctiſſimi Confeſſoris, & eam ſumentes ita levem & portatilem invenerunt, ut omnes fere, ſicut & erat, miraculum exiſtimarent. Concurrunt omnes, qui prius arcam immobilem viderant & audierant; & admiratione repleti, cœperunt Deo laudes & beato Confeſſori ſuo Iſidoro ſuppliciter decantare. Pulſatur campanarum urois per omnes eccleſias multitudo: repletur aer jubilationibus, & tellus affluentiſſimis imbribus fœcundatur. Catervatim civitas omnis ruit, & omnis accelerat regio Dei magnalia contemplari, quæ in Sancto ſuo glorioſe oſtenderat dominus majeſtatis; & de adimpleto deſiderio glorificabant univerſi omnipotentiam Salvatoris. Tanta fertur illo anno fuiſſe fertilitas panis & vini & aliorum terræ fructuum, ut copia menſuram excedere videretur. Ad ejus vero regreſſum tota jubilat regio, civitas exultatione repletur, & luminoſa dies novis luminaribus inclareſcit. In ejus occurſum omnis homo procedit, & ſolennes excubiæ ab omnibus exolvuntur. Intrantes itaque monaſterium, cum hymnis & laudibus, in ſacro loco corpus ſanctiſſimum poſuerunt, & arcam inſtrumentis ferreis groſſis fortiter munientes ſub ipſis firmamenti lapidibus firmaverunt, ut idem juxta emiſſum votum deinceps à nemine moveatur. In memoria ſiquidem tanti miraculi, in monte jam dicto, ſcilicet ubi Dominus B. Iſidori corpus oſtendit immobile, uſque in hodiernum diem eccleſia in ejus oſtenditur nomine fabricata.

at poſt triduum voto facto

B

refertur magna ſolennitate,

& pluvia conceditur.

C

ANNOTATA.

a *Nic. Antonius annotat*, crura trahere *pro* fricare *Hiſpaniſmum eſſe, quo dicunt* traër las piernas.

b Aſturica, *vulgo* Aſtorge, *urbs Epiſcopalis in regno Legionenſi ad Teram fluvium, 7 leucis Legione diſtat.*

c *An* aulici *ſcribendum, addubitat Nic. Antonius.*

d *Hic eſt Adephonſus, comitis Raimundi & Vrracæ filius, in ſchiſmate Imperii electus Imperator contra Richardum Anglum an.* 1258, *uſque dum an.* 1274 *ea dignitate ultro ceſſit.*

e *Poſt interceptas* Almeriam, *regni Granatenſis urbem maritimam*, & Cordubam, obſedit Bæciam. *Ita Tudenſis in Chronico. aſt hic* Beatia, *forſan* Baza *antiquis* Baſti *in eodem regno Granatenſi, aut* Baeza *in Caſtella nova, in hujus regni confiniis: quam aſſignat Gonſalez d'Avila.*

f *Tudenſis in Chronico addit* milites defluxiſſe, & ideo cum paucis perſtitiſſe.

g Sancia ſoror Regis, ab hoc Regina vocari juſſa, permanſit in virginitate, Chriſti eccleſias multis inſigniis decorando, monaſteria conſtruendo, & Chriſti pauperes recreando. *Ita Tudenſis in Chronico.* D

h Joannes, *creatus Epiſcopus circa annum* 1133, *quo deceſſor Arias æger ſuum teſtamentum condidit.*

i *Ordinis S. Benedicti.*

k S. Froilanus, *ex Abbate Benedictino Epiſcopus Legionenſis, colitur* 3 *Octobris.*

l *Alluditur ad illud* 1 *Corint.* 9 Omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium.

m *Nic. Antonius, citato quodam MS. Ambroſii Morales, aſſerit hujus verbis*, non videri ullas in mundo Reliquias tam ſplendido ac divite ornatu aſſervari: arcæque majorem partem eſſe laminis aureis tectam aut inauratam *&c.*

n *Imo in Mara, antequam venirent in Elim, ut habetur Exodi* 15, 24: *ibi enim aquæ potabilis defectu populus laboravit, in Elim autem erant* 12 *fontes aquarum.*

o *Colitur S. Lucia* 13 *Decemb. ad quem diem Acta & Martyrologia hanc ejus immobilitatem deprædicant.*

CAPUT VI.

Varii energumeni liberati. Epilogus.

Liberantur energumenus unus

25 TEmpore etiam Adefonſi Imperatoris, quidam dæmoniacus ad prædictam eccleſiam venit, ſeque ante præſentiam beati Confeſſoris jactavit: ubi per aliquantos dies demoratus, cum quadem nocte Canonici ad divina ſurgerent officia, æger, vel in eo neſcio quis, crebris vocibus clamare cœpit, dicens: Iſidorus me ejicit. Cumque eum omnes circumſtarent, facto magno ſonitu dæmon receſſit, ægrumque laborioſum nimiſque cruciatum reliquit. Omnes claſſica omnia cum lacrymis ſonantes, dederunt laudes Deo & Confeſſori Iſidoro.

& alter,

26 Alio quoque tempore, quidam vir filium ſuum jam adultum dæmoniacum, ad prædicti Confeſſoris eccleſiam duxit, & coram altari poſuit. Nocte igitur inſecuta, cum pater, nimio labore & dolore feſſus, ſe ſopori dediſſet: circa mediam noctem, jam nobis in choro divina myſteria peragentibus, puer clamare cœpit, dicens: Pater, pater, pater. Expergefactus, nimiumque turbatus pater, puerum diligenter interrogavit; cur tot emitteret voces? Patri puer geſta narravit dicens: Duo nobiles viri, pretioſiſſimis induti veſtibus, vobis dormientibus, ad me venerunt, qui me ſanum nuntiaverunt dicentes, Dominus noſter Jeſus Chriſtus te per nos ſalvum fecit. Cumque eos, quinam eſſent, interrogarem, dixerunt: Ego Petrus Apoſtolus, & iſte B. Iſidorus. Sicque ſanus effectus, ſimul cum parentibus dabat laudes Deo. E

tertiaſque puerulus,

27 Noſtris autem temporibus, quibus non ſolum corpora verum & merita defecerunt, accidit, quod cum vir quidam de Sallaviæ partibus, gratia recuperandæ ſanitatis filio parvulo, quem dæmon iniquiſſimus vehementiſſime agitabat, apud eccleſiam Sancti Bartholomæi, quæ.... Sita *a* dignoſcitur incepta, debito ac devoto ſupplicandi officio acceſſiſſet, nihilque, ut credimus, fide dubia impetraſſet; mœſtus & lugubris ad propria diſpoſuit remeare. Itaque cum Legionenſis urbis ambitum attigiſſet, cauſa ejus laboris cognita, dictum eſt ei à quibuſdam: Eia age, feſtina Beati Iſidori adire limina, qui laborantibus hujuſmodi indubitata ſalutis conferre remedia conſuevit, cum his quorum ibi pignora venerantur. Quo audito, pater illius pueri, effuſis lacrymis, pernicibus evolat alis, ſanctumque Dei voce rogans humili, poſtulat, ut nato dignetur conferre ſalutem. *a*

Mox

Mox Confeſſoris ſternitur ante locum. Mira res & temporibus noſtris raro uſitata; ſtatim atque *b* lignum dominicum, ut ori pectorique pueri fuit ſuperpoſitũ, immundus ſpiritus immundas per partes Divino agente judicio, compulſus extitit exire. Unde factum eſt, ut puer, quod ætate vix potuit, divina virtute in hujuſmodi verba prorrupit, Deo & B. Iſidoro gratias; ſanus ſum. Oblatoque ſibi pomo, quod ſuper thecam beatiſſimi Iſidori Confeſſoris & ſuper altare poſitum fuerat remedium ſanitatis, puer idem cœpit in eo ludere; imo quod verius eſt, creatura Creatori noſtro, tam pueriliter quam mirabiliter, exultare.

item adoleſcentula,

28 Quædam etiam adoleſcentula, de Villa quæ dicitur Nigrellos, cum à demonio graviſſime torqueretur, ad Baſilicam S. Iſidori eſt adducta, quæ inde prius non diſceſſit, quam ſanitatis gratia plenius recepta, & ſpiritu nequiſſimo fuerit liberata. Signum autem ſanitatis, quod facere ſolet illa maligna ſocietas, nummus fuit, quem per os mulierculæ dæmon invitus projiciens, promiſit ſe in eam numquam ulterius reverſurum. Nummus autem apud nos ad ejus confuſionem diligenter habetur repoſitus, ut omnes qui viderent glorificent Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti cum Spiritu ſancto, qui in Sanctis ſuis mirabilis per eoſdem dignatur mirabiliter operari. Nec prætereundum eſt, quod didicimus ea referente, quod ſæpe dictus demon eam aut in aquam aut in ignem ſæpius projeciſſet, niſi Beatus Iſidorus, ei clementer ac potenter ſe duceret opponendum. Quod inde liquido adverti poteſt, quod cum ad pontem Roderici-Juſti ventum eſſet, qui eam vexabat, dæmon in aquam præcipitare voluit; & feciſſet, niſi Beatus Iſidorus (ut ipſa dicebat) illam per manum fortiter tenuiſſet: clamabat enim dæmon, quod nullatenus ab ea pelleretur, niſi per B. Iſidorum, ſicut rei exitus comprobavit. Interrogatus etiam malignus ſpiritus, cur mulierem Chriſtianæ religione devotam invadere præſumpſiſſet? reſpondit, Hujuſce rei vicina ſua occaſio fuit atque cauſa, quæ exprobrando & falſo illi amaſium imponendo, in tantam amaritudinem deduxit animam ejus, ut mente ultra quam credi poteſt conſternata, & ſuper objectu criminis indeſinenter cogitando ſolicita, mihi viam aperuit invadendi; ſed fruſtra, inquit: eam invitus defero quam intravi, inimico Iſidoro me pellente.

ſæpe ne in ignem aut aquam projiceretur, à S. Iſidoro protecta:

aliaque à variis dæmonibus obſeſſa.

29 Non multo poſt accidit, quod mulier quædam, de Villa quam Ollarios vocitant oriunda, furore dæmoniaco vehementiſſime atque creberrime agitata, cognatis eam comitantibus atque tenentibus, ad eccleſiam S. Vincentii de la Gotera eſt adducta; ubi dæmones eam ad terram continuo allidentes, dixerunt, quod non erant niſi per Iſidorum propellendi, quem in ipſa arreptione eadem mulier primitus invocarat. Quo reſponſo accepto, non tamen in verbis dæmonis, ſed in virtute Domini confidentes, qui ſanat contritos corde & alligat contritiones eorum, ipſam confeſtim Legionem revehunt, exactiſſime cuſtoditam, ne eam, maligni ſpiritus in profundum aquarum darent præcipitem; quod ab eis jam fuerat multoties atrentatum. Quinta igitur feria, cum lumina eccleſiæ B. Iſidori ingreſſa fuiſſet, cibumque manu Sacerdotali benedictum, ad refocillandam imbecillitatem corporis, præguſtare mulier voluiſſet; arreptam continuo & vociferantem terribiliter alliſerunt. Ligno autem dominico ſuperpoſito, cum eos invocatione divina Sacerdos expellere laboraret, Fruſtra, inquiunt dæmones, laboras: quia non niſi in prima Dominica, poſſeſſionem quam prehendimus relinquemus. Tunc enim venturus eſt Iſidorus, qui cum Dominico de Silos captivis inſiſtit apud Mauritaniam *c* liberandis. Subjecerunt, etiam: Quia Iſidorus, adverſus partem noſtram, cauſam cujuſdam fovet proſtibulæ, quæ modo apud *d* Arevalum eſt defuncta: Dominicum tamen, & Iſidorum, inquiunt, prævenit Vincentius, nobis per omnia inimicus. Quod de B. Vincentio, Sanctarum Sabinæ & Chriſtetæ germano, cujus corporis glebam glorioſiſſimus Rex Fredenandus, poſt tranſlationem beatiſſimi Iſidori non multo, ab Abula Legionem tranſtu it, & in *e* theca miro opere fabricata in ejuſdem eccleſia, ſicut ſupra retulimus ſocialiter collocavit, ſine dubio intelligamus, eſſe dictum: indignum enim eſſet, ut tantorum Patronorum vera fraternitas, quæ locum jure communi vendicat, miraculorum non vendicet & effectum. Sequenti ergo die Dominica, Theſaurario divino monitu excitato ut ad eccleſiam feſtinus pergeret, & ad Matutinos celebrandos ſignum daret; factum eſt, ut ad primum ictum tintinabuli, Theſaurario & quam pluribus aliis Canonicis præſentibus, qui ut viderent rei exitum convenerant, mulier arrepta fuit à dæmoniis, ſicut prædixerat ſpiritus falſitatis, ſed urgente ſpiritu veritatis; ipſaque coram altari B. Iſidori proſtrata, dæmones ſe ibi non poſſe ulterius remanere proteſtantes, & locum per quem exire deberent miſerabiliter poſtulantes; per eam partem compulſi ſunt egredi, per quam humanæ ſuperfluitatis egreditur turpitudo. Ad indicium divini miraculi, unus illorum dæmonum per os mulierculæ projecit nummum, & alius lapillum quem de pelago Salmantino ſe eodem momento aſſeruit extraxiſſe: tertius autem jam plumbum loco ſigni dederat, quod eadem mulier, in ſummitate vittæ colligatum circumferebat Quo viſo miraculo, omnes qui affuimus, univerſitatis auctorem, qui per Beatos Iſidorum & Vincentium, ad virtutis ſuæ magnificentiam declarandam, operari mirabiliter non deſiſtit, cantione laudiflua proſequentes; Te Deum laudamus; prorumpimus magna voce, campanis omnibus pulſatis, ut juxta Pſalmiſtam, in voce exultationis & jubilationis, in chordis & organo, in cymbabalis beneſonantibus, laudetur de cælis Deus.

Pſ. 150.

30 Cum contra inductionem Eccleſiæ, in feſto ſanctarum Virginum Juſtæ & Rufinæ, mulier quædam ſervilis operis quidquam facere attentaret; ita unius manus privatur officio, quod nequaquam poterat eam voluere vel movere. Sed credens meritis B. Iſidori liberari, confeſtim ululans & vociferans ad ejus eccleſiam apportatur. Quæ tangens arcam, in qua ejuſdem ſanctiſſimi corporis cineres reconduntur, tam ſubita convaluit ſanitate, ut plurimi qui aderant, tam Clerici quam laici, tam mares quam feminæ, miraren ur.

Privata officio manus ſanatur.

31 Ecce enim mirificus ille legifer Moyſes ſitienti populo aquam de petra producit; & Chriſti profecto legifer Iſidorus ſitientem fugitivum de pavimento altaris ſilice potans reducit. Ecce Sunamitis filium ſuſcitat Heliſeus; & Aſtoricenſis civis ſurdum & mutum puerum curat Iſidorus. Ecce Petrus Æneam conſolidat paralyticum, & Iſidorus ſanato paralytico, etiam ſtupentem ſuper hoc convertit Judæum. Ecce ex obſeſſis corporibus dæmones ejicit Jacobus; exclamant & hiſpatenter quod eos frequenter ejiciat Iſidorus. Ecce cum Joanne Petrus claudum ſanat, & quod cum eodem Petro ægrum Iſidorus curaverit, puer energumenus pronuntiat. Ecce Iſidorus, ut Stephanus Dei gratia plenus, in Legionenſi urbe magna in populo ſigna facit. Ecce in ultimis fere temporibus, ejus meritis imbribus tellus arida fœcundatur, velut tempore Eliæ, qui in Carmeli

Epilogus.

EX MS. TOLETANO.

vertice conſtitutus, tamdiu pronus oravit in terra, quo uſque ſuper aridam ſonus multæ pluviæ eſt auditus. Congruum eſſet nimis, ſed impoſſibile, omnia memorare omniaque colligere, quæ per eum Dominus ubique, & maxime in ejus eccleſia, operatur; ad ejus namque altare aſſidue nova coruſcant; & multiplicatis interceſſoribus, animarum corporumque glorioſa beneficia impetrantur, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

ANNOTATA.

a *Videtur deeſſe nomen loci, in quo eccleſia illa ſita & ædificari cœpta fuit.*

b Crux lignea, *quæ ſolet in exorciſmis adhiberi, uti infra iterum dicitur.*

c *Nic. Antonius annotat* Mauritaniam pro Maurorum in Hiſpaniis ditione poſitam eſſe.

d Arevalum, *vulgo* Arevalo, *municipium Caſtellæ veteris, verſus Abulam urbem: neque dubitamus quin cetera quoque loca ſupra nominata intra vel circa Legionenſis Regni fines quærenda ſint, etſi in mappis Geographicis non inveniantur expreſſa, ſcilicet* Sallavia, Nigrellos, Ollarios *&c.*

e Eſſe thecam eburneam laminis aureis coopertam, *ex Ambroſio Moralez. tradit Nicolaus Antonius.*

D

G. H.

DE SANCTO PVBLIO.

APVD GRÆCOS.

IV APRIL.

IN *Menologio Cardinalis Sirleti, ad diem quartum Aprilis, iſta leguntur conjuncta:* Commemoratio Publii & Platonis Abbatis monaſterii Studitæ, *ut Publius videatur quaſi ad Studitas ſpectare. Ideo Ferrarius in Catalogo generali addidit*, Abbatum. *Verum in Menæis excuſis & apud Maximum Cytheræum plane ſeparatim celebratur* memoria ſancti Patris noſtri Publii: *ejus ſolum nomen referunt manuſcripta Menæa, &* in pace quieviſſe *tradunt. In Menæis excuſis legitur hoc diſtichon.*

B *Memoria ſacra S. Publii.*

Ἐν ἐρανοῖς Πέπλιε μισθός σου μέγας,
Πρὸς ἃς ἀπαίρων χαῖρε καὶ κρότει μέγα.
Eſt magna merces, Publie, in cælis tibi,
Ad quos recedens plauſibus magnis ſona.

alius ab eo S. Publius Abbas in Syria.

Et hæc ſolum reperimus de S. Publio. *Roſweydus noſter notatione* 28 *ad lib.* 9 *de Vitis Patrum, qui eſt Philotheus Theodoreti, dubius hæret num de* Publio, *qui ibidem proponitur capite* 5 Abbas Zeugmate in Syria, *hoc die Græci agant. Verum is eſt, quem cum Græcis celebravimus* XXV *Ianuarii, à quo hunc potius alium arbitramur: & ſicut plurimi inter Martyres reperiuntur* Publii *appellati, ita etiam inter Sanctos monachos fuiſſe aliquos hoc nomine inſignitos. Matthæus Raderus conjecit oculos in quemdam Publium, de quo Ioannes S. R. Eccleſ. Diaconus ex incerto auctore Græco lib.* 6 *de Vitis Patrum libello* 2 *num.* 12 *ſequentem narrat hiſtoriam:* Temporibus Juliani apoſtatæ, cum deſcenderet in Perſide, miſſus eſt dæmon ab eodem Juliano, ut velocius vadens in Occidentem, afferret ei aliquod inde reſponſum. Cum autem perveniſſet ille dæmon in quemdam locum, ubi quidam monachus habitabat; ſtetit ibidem per decem dies immobilis, eo quod non poterat ultra progredi, quia monachus ille non ceſſabat orando neque nocte neque die. Et regreſſus eſt ſine effectu ad eum qui miſerat illum. Dixit autem ei Julianus: Quare tardaſti? Reſpondit ei dæmon & dixit: Et moram feci & ſine actione reverſus ſum: ſuſtinui enim decem dies Publium monachum, ſi forte ceſſaſſet ab oratione ut tranſirem, & non ceſſavit, & prohibitus ſum tranſire, & redii nihil agens. Tunc impiiſſimus Julianus indignatus dixit: Cum regreſſus fuero, faciam in eum vindictam. Et intra paucos dies interemptus eſt à providentia Dei. Et continuo unus ex Præfectis, qui cum eo erant, vadens vendidit omnia quæ habebat & dedit pauperibus, & veniens ad ſenem illum, factus eſt monachus magnus, & ſic quievit in Domino. *Hæc ibi, ex quibus, ſi fortaſſe Græci de eo Publio agerent, conſtaret eum quarto Chriſti ſeculo floruiſſe: & aliquot annis poſt Iulianæ necem adhuc vixiſſe.*

num hic oratione ſtiterit dæmonem,

E

tempore Iuliani apoſtatæ?

D. P.

DE SANCTO PLATONE,

HEGUMENO SYMBOLORUM ET SACUDIONIS,

DEIN INCLVSO MONASTERII STVDII CONSTANTINOPOLI.

CIRCA AN. DCCCXIII

Onjungi S. Publio S. Platonem *in Græcorum Menologio Cardinalis Sirleti, & hunc appellari* Abbatem monaſterii Studitæ *jam nunc expoſuimus: quos ambos* Abbates Studitarum *ſcripſit Ferrarius in Generali catalogo. Nos utrumque ſeparamus, ſecuti Menæa, ex quibus aliqua MSS. ſolum* Publium *referunt: aſt excuſa poſt indicatam memoriam iſtius, ſeorſim hæc habent:* Eodem die ſancti Patris noſtri Platonis Hegumeni monaſterii Studitarum. *Eadem leguntur apud Maximum Cytheræum: In Menæis additur hoc diſtichon cum alluſione ad nomen ejus, velut ſi illud ſumeretur à* πλατύνω formo, fingo: *quod alias* ἀπὸ τ῀ πλαθείσης latitudine *rectius petivit vitæ auctor num.* 24.

Cultus ſacer 4 Aprilis.

Πλάτων ἀρίζην ἐυμετεπλάσθη πλάσιν,
Θεῷ πλασάντι συγκραθεὶς πλάσιν ξένην.

Servans Deo, qui finxit, figmentum novum,
Bene refinxit Plato figmentum bonum.

Hujus Sancti cultus à Græcis ad Hiſpanos tranſivit per monachos Ordinis S. Baſilii: quorum officiis propriis adſcriptus nunc legitur S. Plato *ſub ritu ſemiduplicis, juxta Ordinem recitandi officium divinum, ſæpe in Hiſpania recuſum.*

Acta ſcripta à S. Theodoro Studita

2 *Acta ejus luculenta funebri oratione deſcripſit S. Theodorus Studita, ipſius ex Sorore nepos & filius ſpiritualis, atque in regimine monaſterii ſucceſſor & ſocius perſecutionum quas poſtea paſſus eſt. Hanc orationem in monaſterio Crypta-ferratæ nactus ſupra memoratus Sirletus, in gratiam Aloyſii Lipomani Latinam fecit, prout extat ab hoc edita in tomo* VII *de Vitis ſanctorum Patrum; & ex Lipomano apud Surium,* XVI *Decembris, quo tamen die nulla apud Latinos aut Græcos memoria Platonis reperitur. Nos ipſam Græcã habentes ex Bibliotheca Vaticana, ad quam prædictus codex è Crypta-ferrata tranſlatus fuerat, cum deprehenderemus antiquam Sirleti verſionem, non modo paribus, quales in S. Niceteæ Vita die præcedenti notaveramus, laborare defectibus; ſed multo etiam gravioribus, totamque hiſtoriam conturbantibus; neceſſarium duximus novam apparare: idque fecimus eo ſucceſſu,*

Latine reddita à Sirleto,

A ceſſit, ut chronologicos characteres, quos miſere Sirletus confuderat & obſcurarat, ſtudioſe liquideque à S. Theodoro propoſitos invenerimus. Lubet hoc plenius declarare, nequis alio quam par eſt effectu duci nos ſuſpicetur, ad viri eruditiſſimi & Ἑλληνικωλάτ, ſed pluribus ac majoribus impediti, interpretationem repudiandam: ita ergo habet Græcus textus num. 41.

cum perturbatione totius chronologia

Ὡνῶς καλὸν δίαυλον ᾗ ἡλιακὸν δρόμον ὁ πανεύφημος τετέλεκεν, τὸ δὴ λεγόμενον ἐξ ὑπακοῆς ἀνατείλας, ᾗ εἰς ὑπακοὴν καλαλήξας. τῇ δωδεκαλαίῃ γὰρ τῶν ὁρῶν ἡμερινῇ περιόδῳ ἰσάριθμον τὸν τῶν ἑλῶν κύκλον ὑφ' ἑκάσῳ ἀγῶνι διηνικῶς, εἰς ζωὴν αἰώνι ν ἀναβεβίωκεν. Ἀρίθμει τὲς ἀγῶνας, ᾗ ἐυρήσεις τὲς χρόνες ὠκλὼ πρὸς τεσαραάκονλα. Προόθες τὲς πρὸ τῆς ἀπολαγῆς δισδυοκαίδεκα πρὸς ἄλλ ις τέσαρσι τῶν διωγμῶν, ᾗ ἑρισὶ δ ἀσθενείας. ᾗ ἐυρήσεις τῷ ὀγδ ικοςῷ ἔτει πλὴν ἑνὸς τελειόμενον τὸν ἀοίδιμον. *Quæ ſic apud Lipomanum Surioque ex Sirleti verſione, leguntur:* Vere ſtadium ipſum celeberrimus ille vir & divinum curſum exegit, quod dicitur cum obedientia exoriens & cum obedientia deſinens. Duodecimo enim ac divino horarum ambitui cum parem annorum circulum in ſingulis certaminibus perfeciſſet, vitam illam ſempiternam habiturus, hinc migravit. Numera certamina ipſa, & invenies annos octo & quadraginta. Adde duodecim illos, antequam terrenis rebus renuntiaſſet, ad illa quatuor certamina, quæ in perſecutionibus; decem item & novem annos, quos in

B infirmitate corporis tranſegit: & celebrem virum undeoctogeſimo anno hinc migraſſe invenies. *Ita ibi.*

4 *Non miror, quod præſcriptum* LXXIX *annorum calculum non inveniens interpres, judicaverit vitium obrepſiſſe in annis infirmitatis, ideoque numerum immutaverit, pro* tribus *ponens* novemdecim: *ſed hoc miror, quod poſtquam præcedentia capita Latine reddiderat, laudaveratque Platonem, quia in pueritia orbatus parentibus, ita nihilominus profecerit ſapientia, ut & publicam rem laudabiliter gerere; & privatam vehementer augere potuerit (quæ ſane puerili imbecillitati non conveniunt) adeo oblitus ſit ante ſcriptorum; ut hic duodennem faciat renuntiare ſeculo. Deinde, cum quidquid in hac Vita paſſus legitur Sanctus, comprehendatur intra annum* DCCXCV, *quo Conſtantinus Irenes filius legitimæ conjugi repudiatæ Theodoten ſuperinduxit, & annum* DCCCXI, *quo mortuus eſt Nicephorus Imperator; qui Platonem in exilio ægrotare intelligens, eum ad ſuum monaſterium referri præcepit: quomodo potuit* illa quatuor certamina, *quibus annos quadraginta octo dabat,* in perſecutionibus *acta credere? Vt nihil de prolixo novemdecim annorum morbo dicam. Quantam enim hic, quartam vitæ partem occupans, prædicandæ toleran-*

C *tiæ materiam dediſſet ſcriptori: qui tamen (quia revera diuturnus non fuit) paucis lineis comprehenditur? Ergo germinam ad verbum interpretationem, aptamque ex ea chronologiam, nunc accipe.*

nova verſione emendata dantur.

5 Vere pulchrum ſtadium & ſolarem curſum vir cunctis celebrandus abſolvit; ab obedientia videlicet incipiens, & in obedientia deſinens. Cum enim diurno horarum duodecim circulo parem annorum numerum in unoquoque certamine expleviſſet, ad æternam vitam emigravit. Numera certamina, & invenies annos quadraginta octo. Tum annos bis duodecim, ante abrenuntiationem ſeculi actos, junge aliis quatuor annis, quos in perſecutionibus; & tribus, quos in infirmitate traduxit; & invenies, virum venerabilem obiiſſe anno ætatis ſuæ undeoctogeſimo. *Nempe cum ita ferret vitæ à Platone actæ periodus, ut apte in ſex duodenarios annorum dividi poſſet, uſque ad illud tempus quo ſub Nicephoro ductus in exilium eſt; uſus eſt Theodorus aptiſſima ſimilitudine ſolaris aſtri, juxta Dei præſcriptum orientis occidentiſque, quod & in Platone factum apparebat: qui primam ultimamque vitæ religioſæ partem alterius imperio ſubjectus tranſegerat: & cum ſic haberet auctor, in eo cujus vitam ſcribebat Sancto, ætatis annos* LXXII, *reliquos ſeptem adjungens prioribus, ad* LXXIX *calculando pervenit. His veſtigiis inſiſtentes, ſingulas vitæ nobis illuſtrandæ partes ad annos Chriſti per duodenarios revocabimus, eoſque chronotacticis notis, in eadem Vita expreſſis, firmabimus: Cum vero notarum iſtarum certiſſimus ſit ultimus Nicephori Imperatoris annus, idemque Chriſti* DCCCXI, *cum Platonis revocatione ab exilio concurrens; ad hunc ſic adſcendemus, ut tunc vere annos* LXXVI *ætatis expleſſe Sanctum oſtendamus, poſt quos ſolum ſuperſit morbi triennium.*

AUCTORE D.P.

ut natus an. 735.

6 *Sit ergo natus S. Plato anno Æræ vulgaris* DCCXXXV, *annum egerit ætatis duodecimum, quando utrumque parentem amiſit illa peſtilentia, qua crucis ſigno notati in veſtibus paſſim extinguebantur, ſicut dicitur in vita num. 4. hanc enim peſtilentiam anno* DCCXLVI *cœptam ex Theophane diſcimus. Alterum duodennium in avunculi ſui domo expleverit, uſque ad annum* DCCLVIII *inclusive, diſcendæ primum arti notariali, deinde offitio patrui ſui fructuoſe exercendo intentus. Tum religioſæ vitæ auſpicatus certamina primum duodennium tranſegerit ſub obedientia Theoctiſti Hegumeni; alterum eidem Theoctiſto ſub annum* DCCLXX *morienti ſuccedens, in Præfectura monaſterii Symbolorum: quo tempore ipſum ſic latuiſſe iconomachos Copronymi aſſentatores, ut delatus non fuerit, ſingulari Dei providentiæ merito adſcribit Theodorus. Illo & filio Leone extincto, anno* DCCLXXX *regnare cœpit cum filiolo Irene: ſub qua reſpirantibus monachis venit Conſtantinopolim Plato, & ſororis familiam univerſam ita accendit monaſticæ vitæ deſiderio, ut omnes ad prædium quoddam, cui à ſa-*

orbatus parentibus ſub an. 746

factus religioſus 758.

Hegumenus Symbolorum 770.

E

Sacudionis an. 782.

cello Sacudionis nomen adhæſit, ſe reciperent, duce ipſo & magiſtro Platone; qui & Hegumenus ab eis electus eſt, anno DCCLXXXII: *quod tertium duodennium tertiuſque Platonis agon cenſetur. Hoc autem durante, convocatum eſt anno* DCCLXXXVI *Conſtantinopolitanum Concilium contra Iconomachos, ſed per ſeditioſos milites diſſolutum, Platone ſuam conſtantiam egregie probante. Pro Concilio tali, pari interpretandi infelicitate, nobis obtrudit Sirletus conciliabulum hæreticorum,* in Theophanorum metropoli (*quæ nulla toto Imperio fuiſſe fertur*) *coactum, in quo conciliabulo ad diſputandum provocatus Plato ea egerit, quæ genuinus textus docet, à militibus tumultuantibus adverſus Patres Conſtantinopoli patrata fuiſſe.*

abdicatæ præfecturæ recluſus anno 794 uſque ad an. 807

7 *Poſt hæc ſequitur quartum certamen, quod abdicata anno* DCCXCIV *Prælatura, & in nepotem Theodorum tranſlata exorſus eſt, rurſus, ut ab initio, ſubjectus Imperio alieno ad annum* DCCCVII, *niſi quod (occaſione adulterini conjugii, quo Conſtantinus Irenes filius eccleſiam conturbavit anno* DCCXCV) *in exilium idem Plato actus eſt, ſed non diuturnum, depoſito intra biennium Conſtantino, & Patriarcha ſatagente unionem cum monachis redintegrare.*

F

Tunc autem etiam contigit, Saracenorum metu, Theodorum cum ſuis ipſoque Platone, qui deinceps incluſus vivere elegit, migrare Conſtantinopolim ad monaſterium Studii, unde agnomentum cunctis deinde manſit. Ecce quatuor diverſos Platonis in Religione, quatuor duodenariis comprehenſos ſtatus ante perſecutionem, quam paſſus eſt ſub Imperatore Nicephoro, propter Joſephum excommunicatum, quem omnino Imperator volebat ſacris reſtitui, nec putabat repugnandum eſſe Patriarchâ Nicephorus, tunc recens, Imperatore hoc procurante, ad cathedram evectus, metu gravioris in eccleſia ſciſſuræ. Duravit autem perſecutio illa quadriennio, uti jam dictum, uſque ad ultimos fere menſes, quos in vita atque imperio habuit Imperator: Plato vero, non niſi triennio ſupervivens reſtitutioni ſuæ; obiit anno DCCCXIII, *tempore Quadrageſimæ, eo die, quo recurrebat* memoria *juſti Lazari, id eſt. Sabbato ante Dominicam Palmarum, adeoque die* XIX *Martii, cum Paſcha illius anni caderet in* XXVII *dicti menſis.*

quando per quadriennium exulavit,

& reductus an 811 obiit 813, 19 Martii.

8 *Ceterum ſolemnes exequiæ, quæ fuerant impeditæ majoris hebdomadæ Paſchatique officiis, omnem aliam feſti-*

AUCTORE D. P. *tumulatus 4 Aprilis,*

vitatem excludentibus, credi poſſunt habitæ fuiſſe proximæ feriæ poſt Dominicam in Albis, quæ tunc erat dies IV *Aprilis: ut hæc ſit cauſa, cur tali die celebrari cœperit ejus anniverſarium feſtum. Rationi quoque congruum eſt opinari, eodem ſolennium exequiarum die, à S. Theodoro, dierum quatuordecim inducias ad meditandum nacto, recitatam eſſe hanc funebrem laudationem; utpote in qua nulla ſit mentio earum rerum, quæ poſt Sancti obitum circa ejus corpus aut ſepulcrum contigere; uti nec ſignificatur (quod tamen ex Vita ipſius S. Theodori habetur) ipſius Patriarchæ præſentia honoratum fuiſſe ultimum recondendi corporis actum, quem populus nitebatur prohibere; quia ſcilicet orationis prædictæ recitationem non præceſſit ſepultura, ſed ſubſecuta eſt, ſuperveniente cum ſuis Clericis, aliquammultis horis poſt, Patriarcha præfato. Eodem anno* XI *Iulii coronatus eſt Leo Armenus, impietatem iconoclaſticam in animo fovens; quam circa Paſcha ſequentis anni, relata contra Bulgaros victoria elatus, cœpit parturire; ac demum in publicam lucem effudit, imperii ſui anno* II, *circa initium Quadrageſimæ; coacta autem poſt Paſcha anni* DCCCXV *pſeudoſynodo corroboravit; ſuſcitanſque ingentem contra fideles perſecutionem dilatavit; uti ad* XII *Martii ante Acta S. Theophanis late deduximus. Hujus calamitoſiſſimi temporis cum nullum tota prælaudata narratione habeatur indicium; ſatis certo confirmatur, quod non fuerit illa ſerius quam diximus compoſita; præſertim cum toto tempore, Leonis Armeni coronationem ſecuto, occupatiſſimus fuerit Theodorus, in fidelium animis adverſus inſtantem procellam muniendis; deinceps autem tantis malis per hoſtes fidei exercitus ſit, quanta legimus in ejus Vita, ad* XII *Novembris danda; ex hac interim illuſtraturi Vitam S. Platonis avunculi ejus.*

quo errore relatus ad 17 Decemb.

9 *Cur eum Laurentius Surius ad* XVII *Decembris diſtulerit, facile intelliges, ſi Martyrologium Romanum conſulas: iſtic enim tali die invenies deſcriptam memoriam S. Lazari, quam Græcorum rituum imperitus auctor neſcivit diſtinguere, ab ea memoria quæ hic Græco, non Latino more notabatur. Baronius Sirleti Menologium ſequi maluit. unde ad diem* IV *Aprilis ita in hodierno Martyrologio Romano legitur.* Conſtantinopoli S. Platonis monachi, qui plures annos contra hæreticos, ſanctarum imaginum effractores, invicto animo decertavit: *quod nemo credet, qui vel ſolam marginalem hujus Vitæ ſynopſim levi intuitu dignabitur percurrere. Contra Ioſephi fautores, alias orthodoxos, fuit omnis concertatio Platonis: qui primum ſub Irene cœpit Conſtantinopoli innoteſcere, uti dictum eſt; vivere autem deſiit, priusquam Imperio Leo Armenus potiretur.*

aut contra iconomachos certaſſe creditus?

C

ORATIO FVNEBRIS

Auctore S. Theodoro Studita.

Ex MS. Græco Vaticano.

PROLOGUS.

Profitetur auctor ſe, placendi ſtudio,

1 ORatorum ac Sophiſtarum ſtudium omne verſatur in eo, non ut aſſequantur veritatem, dum ſe ad ſcribendum conferunt: ſed ut expoliant dictionem & narrationem faciant auguſtiorem acceptis è poëmate verſiculis, ad oblectationem audientium. Demulcent enim eos verborum concinnitate, & quadam veriſimilitudine circumveniunt; parum ſoliciti nequid falſum dicant, utpote qui æſtimationi dumtaxat & humanæ gloriæ ſerviunt. At vero quos tenet amor veritatis, ſatagunt res, ut actæ ſunt, dicere: quamvis propterea concinnitas & elegantia orationis eſſe deberet minor. Nam quia ipſam veritatis pulchritudinem adamant, ornatis verbis, tamquam pictis ſtragulis, valefaciunt, quod eſt vere ſapientis. Ad hunc igitur modum ego quoque, licet ingenio, dictione & ſpiritu admodum tenuis, Patrem meum laudabo: non autem quia ſperem laudando gratiam inire apud eum. Quæ enim hæc foret gratia conſueto nulla præſentium rerum delectari, & ſupercæleſtem adepto requiem? quam quiſquis poſſidet ridet præſentia, velut nihil ſtabile, nihil beatum continentia, & quæ inſtar umbræ prætereunt, aut ut flores verni corrumpuntur. Ad hæc ſi etiam in terris poſitus ſeſe arbitrabatur indignum, qui vel in numero monachorum cenſeretur (quod ſummæ ejus modeſtiæ indicium & ſanctæ animæ erat præcipuum argumentum) quomodo nunc, poſtquam hinc emigravit, & incorruptibilia bona poſſidet, inter quæ nulla eſt inanis gloriæ appetentia, illam per noſtras laudes deſideraret conſequi?

D *non ſcribere viri humillimi laudes;*

2 Laudabo ergo eum, qui ad hoc, ſiquis alius, juſtiſſime obligor, tum pro ejus in me officiis multis, tum vel maxime pro ipſa hac, qualiſcumque eſt, dicendi facultate, quam laboribus & induſtria ejus excultam poſſideo, eique me velut patri acceptam referre oportet. Neq; tamen me exiſtimet quiſpiam id quoque ſpectare, quod laus patri danda, redundatura ſit in filium, juxta illud ſapientis, Gloria hominis ex honore patris ſui. Scio enim quod cui domi ſuæ & à ſeipſo gloria ſuppetit, is à patre etiam honorem accipiens, evadat gloriſior: ſin minus, paternas laudes nihil prodeſſe ei, qui per ſe inglorius atque inhonorus eſt, qualis eſſe videor. Fas tamen non eſt vitam illius ex virtute actam ſub modio ſilentii, tamquam lucernam abdere; quæ ſupra rationale candelabrum poſita, fulgere debet, non uni alterive, ſed omnibus (fidenter loquor) qui in Eccleſia Dei ſunt. Quare cum jam demonſtratum ſit, me ad hanc orationem & obligatione propria & utilitate aliena inductum accedere (eſt enim veritati conjuncta utilitas) age laudationem ab eo ordiamur, unde præcipue convenit initium ducere.

ſed obligationis propriæ,

Eccli. 3, 13.

E

& alienæ utilitatis reſpectu.

CAPUT I.

Ortus, educatio, ſeceſſus in Bithyniam.

Parentibus claris & opulentis

3 BEati Platonis parentes, Sergius atque Euphemia fuerunt, eorumque & genus illuſtre, & nihilo minus illuſtres virtutes: optimis autem moribus providam familiaris rei curam gerentes, illam ſupra multos auxerunt, etiam uſque ad invidiam cognatorum. Præ ceteris tamen laudibus, commendari in ipſis meretur liberorum gignendorum felicitas: utpote qui, velut illuſtre germen, hunc, quem modo laudamus, protulere, *a* una cum duabus filiabus, nec ipſis ingloriis (nam & de his multa præclaraque dici poſſent) quarum una quidem in ſeculari vita laudabiliter eſt converſata; altera *b*, unde nati nos ſumus, etiam in monaſtico ordine effulſit. Porro cæleſtis quædam ira tempore illo (de hac ſiquidem loqui res ipſa monet, cum mortalitatem vel maxime univerſalem adduxerit) non paucis dumtaxat aliis locis & urbibus incubuit: ſed ex una in aliam, inſtar Ægyptiaci flagelli tranſiens, Byzantinam potiſſimum civitatem afflixit. In hac etiam vitam poſuere ſupra memorati ac ſemper memorandi conjuges. Quomodo autem id acciderit, operæ pretium fuerit explicare: eſt enim ejus rei narratio talis, ut ſalubri timore concutere poſſit animos, eam prudenter ſuſcipientes.

F

a

b

cum duabus ſororibus natus,

4 *c* Cernebatur de repente in cujuſque veſtitu vivificæ Crucis ſignum, tincturæ pinguis, velut à perita manu, ſeu potius divino digito ſuperne efformatum. Id in ſe conſpiciens turbabatur; ſubintrabat accelerata mors; eodem die, qui extulerat mortuum, mortuus etiam ipſe efferebatur. Videre erat duos in eadem

iiſdem peſte extinctis

c

A eadem ſandapila, quatuor ſuper unum jumentum portari, & cumulos infelicium cadaverum alios. Audiebantur undequaque ſonantes planctus atque lamenta, laſſabantur veſpillones, rareſcebant libitinarii, claudebantur domus, vacuabantur vici, cœmeteria replebantur; adeo ut intra duorum menſium ſpatium, urbs populoſiſſima atque habitatiſſima, pene deſerta atque inculta appareret. Accidit hoc in diebus Conſtantini *d* Imperatoris, illius, inquam, impoſtoris nefarii, à quo imago Chriſti ſimulacrum erroris per injuriam appellata, aut verius ipſe Chriſtus Deus noſter contumelia eſt affectus; ſiquidem honor exhibitus imagini ad prototypon tranſit, quemadmodum alicubi dicit divinus Baſilius. Itaque fuit hęc ſuper peccantem populum juſtiſſima virga, paterna tamen immenſam noſtram perverſitatem ad converſionem erudientis Dei, & in ira ſua præparantis viam ſalutis, iis qui æquanimiter correctionem ſuſciperent. Sed ad Patrem noſtrum ſermo redeat.

d ſub Conſtantino Caproonymo,

5 Parentibus ergo & conſanguineis pleriſque *e* orbatus adhuc puer admodum, ab aliquo alterutrius parentis germano ſuſcipitur; & ad juvenilem provectus ætatem, tamquam rectiſſimus ſurculus, produxit florem intelligentiæ; quæ difficulter reperitur in orphanis, non habentibus qui eis uti parentes invigilent. Fructus autem propriæ ipſius ſolertiæ & B diligentiæ fuit peritia praxis notarialis, quantam vix aſſequi potuiſſet aliquis paterna ſolicitudine eruditus. Deinde prædicto tutori ſuo, regiæ pecuniæ appendendæ Præfecto, operam commodans, ita rem illam agebat dextere, ut hic ſolum præfecturæ nomen tenere, opus ille ſciretur: & ob hoc in ærario Imperatorio illuſtris, carus quidem principibus, ipſi autem Cæſari etiam notus eſſet.

e orphanus licet,

egregie profuit:

6 Talis cum eſſet, mentem ſuam non tradidit efflænatis adoleſcentiæ cupitatibus (uti petulantior aliquis faceret, ſui factus arbitrii) ſed ipſi ſibi optimus domitor, abſtinebat à conſortio inſipientium, & ſapientioribus jungebatur; applicans ſe honoratiori, non minus honorato; ætate provectiori, non juniori; atque ex ipſis externis honoribus, ingenitam animi nobilitatem, latenter quodammodo, ad majora provehebat: Non tradebat ſe comeſſatoribus combibonibuſque ad æquales hauſtus, uti in conviviis faciunt adoleſcentuli; neque ſubſtantiam dilapidabat alea meroque, ut frugiperdæ ſolent; ſed publicæ libræ attendens, labore continuo divitias ſibi accumulabat, & quidem tantas, ut ad paternam hereditatem ampliſſimam haud modicas alias facultates appoſuerit. Hoc vero nequaquam fieri potuiſſet, niſi temperantiam ſervaſſet in omnibus, quæ honeſtatis amantem exornabat continentia, & cunctis affabilem inſtruebat prudentia, procul abjiciens juveniles voluptates; quibus qui indulgent, non modo non acquirunt quæ deſunt; ſed & quæ adſunt, evacuare conſueverunt.

& publicæ pecuniæ appendendæ intentus,

opes magnas acquirit.

C

7 Quid porro? Tam multiplici induſtria prædi- *expetitur ad nuptias:*
tus, tamque peritus rerum agendarum evaſit (quod maxime ſpectatur ab iis, qui in ſeculo vivunt, & filias apte cupiunt elocare) ut undique invitaretur ad ineundam vitæ ſocietatem vel cum nobilioribus opulentioribuſque. Sed divinus amor, quem ipſe uſus conſilio meliori ſibi accenderat, non permiſit ut ſecularis vitæ ſalebris inhæreret. Etenim lectiones pro ludis, eccleſias pro theatris, monaſteria pro conventiculis impudicorum hominum frequentabat: & quod laudabilius eſt, Hegumenorum cuidam occultos animi ſui motus affectuſque confitens, præbebat ſui erga Deum amoris indicium manifeſtum; confeſſiones vero audientem implebat admiratione tam conſummatæ perfectionis.

ſed pietati deditus,

8 Hinc perpurgatum mentis oculum ad ſempi- AUCTORE
ternarum rerum contemplationem ſublevans, illa- S. THEOD.
rumque accenſus amore, terrenum omne deſideri- STUDITA
um extinxit; & divinum imitatus Antonium, di- EXMS. GR.
venditis omnibus, una cũ paternolare & ſervis liber- *dimiſſis omnibus*
tate donatis, majorem quidem partem diſtribuit pauperibus; duabus autem ſororibus ſuis modicum quid reliquit; & Abrahamia promptitudine exivit, non in vicinas villas, exercitus ſeipſum; ſed longius abſcurrit in partes *f* Olympi, ad virum locumque, *f*
ab aliquo eorum qui in urbe erant Archimandritarũ ſibi monſtratum. Loco *g* Symbolorum, viro Theoctiſti nomen erat, cujus vita proba, genus illuſtre; *g*
exitus ſanctus fuit. Qualis autem diſceſſus Platonis *in Olympum abiens;*
è patria fuerit, mihi quidem memoria dignum, audientibus vero compunctionis argumentum fore videtur, ſi exponam. Abivit cum uno ſolo cariſſimo famulo, & ad eum perveniens locum qui Reges dicitur, atque ſpeluncam quamdam ingrediens, cæſariem ſuam comiti præbuit attondendam; deinde pulla veſte ſe amicivit, tamquam ſi purpuram induiſſet. Quale autem ſpectaculum, cum unus quidem receſſurus, juberetur redire domum cum veſtibus, & ideo, ut par erat perfunderetur lacrymis, Domino ſuo privari dolens; alter vero relinqueretur, ſolus *in via comam & veſtem deponis*
cum Deo, propter quem res tota agebatur. Talis utique eſt divinus amor, omnibus rebus expoliat amantem, & ad ſe ſolum trahit incenſum illius deſiderium. E

ANNOTATA.

a *Sirletus* poſt duas filias *genitum ſcribit*: *ſed ſolum in Græco eſt* σὺν cum. *In vita S. Theodori, infra citanda ad cap. 3. litt. c, addunt ur fratres tres.*

b Theoctiſta *appellatur in Vita S. Theodori, nupta* Photino, qui magiſtratum ab Imperatore non valde remotum geſſit: *amborum poſtea, relicto conjugio,* vitam monaſticam amplexi ſunt.

c *Græce*, ἐν βαφίδι ἐλαιώδει. *Sirletus vertit*, colore cœruleo, *fortaſſis invenit*, ὑακινθίνῃ, vitreo: *Theophanes ad an. Chriſti* 746 *Inductione* 14 *iſta refert, ac de Cruce ſic exprimit* Ἐν τοῖς τῶν ἀνθρώπων ἱματίοις, καὶ ἐν τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν ἱεροῖς ἐνδύμασι, σαυρίῳ ἐλαιώδη πλεῖσα. In hominum veſtibus, & in eccleſiarum ſacris indumentis, cruces plurimæ oleàgineæ conſpiciebantur.

d *Conſtantinus Copronymus Leoni Iſaurico patri*, 18 *Junii, an.* 741 *mortuo, ſucceſſerat.*

e *Græce* ὁμαίμοσι, *quod Sirletus vertit* Sororibus: *ſed infra num.* 7 *dicitur Sanctus, cum ad monaſterium abiit eiſdem modicum quid de ſua ſubſtantia reliquiſſe: vivebant igitur tum adhuc.* F

f S. Joannicius (*ut in ejus Vita* 4 *Novemb. legitur*) cũ vidiſſet montem, qui ſupereminet à dextera Bithyniæ, qui apud nos vocatur Olympus, concepit animo vitam quietam & amantem ſolitudinis. *De eo loco agi conſtat ex Vita* S. *Theodori, ubi* monachi, qui Olympi partes incolunt, *ad eum ab exilio reducem in Bithyniam acceſſerunt. In eadem Vita dicitur* S. Plato à teneris annis montem Olympi incoluiſſe.

g *Colitur* 21 *Februarii S. Timotheus, qui* in Symbolis *vitam anachoreticam duxit: ejuſdem monaſterii facta eſt mentio die præcedenti in Vita S.* Niceræ *num.* 11, *quod autem hic legatur Græce* τῇ Συμβόλῃ ἐπικεκλημένῃ, *non* Συμβόλων, *uti iſtic legitur, id ſuſpicamur iſſe mendum librarii, cum primus iſte genitivus à nullo nominativo regulariter duci poſſit.*

CA-

AUCTORE S.THEOD. STUDITA EXMS.GR.

CAPUT II.

Vita monaſtica, virtutum exercitia.

In monaſterio Symbolorum receptus à Theoctiſto,

9 POſtquam autem ad magiſtrum veniſſet, atque interrogatus, quis, unde, qua cauſa veniret, apte reſpondiſſet ad ſingula; ille patriam, genus & educationem edoctus; Non poteris, inquit, in hac regione, haud parum aſpera, monaſticum ſuſtinere laborem. Cui Chriſti pugil. Omnia, Pater, trado tibi, mentem, corpus, & voluntatem, utere, ut lubet, famulo tuo, in cunctis obſecuturo. O admirabilis propoſiti indicium! ô mirabilioris renuntiationis argumentum! Iſtius quidem, quia in ipſo ætatis flore, in proſpero ſucceſſu negotiorum, ſpe optima rerum majorum propoſita, divitiis affluentibus, circum fulgente gloria, vigente corpore, in proprii arbitrii conſtitutus libertate, habuit dilectionem erga Deum iſtis omnibus ſuperiorem: alterius, quod optime conſultus, non uti multi nunc, ſimulate, aut, ut magis proprie loquar, omnino non renuntiantes mundo, eidē ſe renuntiare profeſſus ſit; ſed quemadmodū vere ipſa res exigit. Illi ſiquidem, neſcio quo modo, obliti quod dicit Dominus, Qui non renuntiaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus; & quod alibi jubet, Vende omnia quæ habes, & da pauperibus & habebis theſaurum in cælis, & ſequere me; horum, inquam obliti, ipſi ſibi templa & monaſteria erigunt; deinde monaſticam amplexi profeſſionem, dominantur in propriis, ſervos atque ſubſtantiam variam poſt ſe trahentes; heri novitii, & hodie Abbates; heri nec idonei quidem qui ſe prudenter regendos præberent, hodie alios imperite regere præſumentes; quibus Prælaturam non virtus ſua, ſed ſuarum facultatum uſurpatio attulit: qui cum multis annis debuiſſent diſcere quomodo ſit imperanti parendum, atque ita ad regimen aliorum aſcendere; antequam prius iſtud didicerint, ſeſe periculo ingerunt poſteriori, & quales ſunt, tales etiam efficiunt ſibi ſubjectos. Aſt ipſe, poſtquam ſeculo vere renuntiaſſet, oſtendit, obedientiam minime fucatam fuiſſe: præcedit enim primum ſecundo, ſicut fulgur tonitruo, & lucifer ſoli exorienti. Nam qui ſeculo bene renuntiaverit, clarum eſt quod etiam bene obediet: qui vero in altero oblique inceſſerit, in altero quoque certiſſime eſt claudicaturus.

abdicato vero & integre mundo,

Luc. 14. 33 & 18. 22 B

totum ſe tradit obedientiæ,

ceterâ omnibus exercitiis præferendæ, C

10 Sunt autem virtutis exercitia multa, abſtinentiæ extenuatio, ſomni parcitas, lacrymarum evacuatio, orationis alacritas, humicubationis moleſtia, veſtitus vilitas, manuum operatio, genuflexionum frequentia, mortis meditatio, pſalmodiæ aſſiduitas, perſeverantia ſtationis: horum tamen omnium nihil ita neceſſarium ei qui ſubeſt atque exercitium ſinceræ confeſſionis & perfectæ obedientiæ: quibus illuminatur anima, mortificatur voluntas, & perfecta obtinetur conjunctio ejus qui ſpiritualiter naſcitur cum eo qui gignit. Duo hæc ceteris omnibus non præferens, infirmus ad obedientiam erit; atque ita per quæ videbatur ſalutem conſequi, illuſionis ſubjacebit periculo. Etenim jejunia, vigiliæ, & quidquid ejuſmodi aliud eſt, ſecundum ſe quidem laudabilia ſunt; non tamen utilia, ſed ad lapſum inducentia, ei qui proprio arbitrio agitur, niſi Præſidis ductu & regula dirigatur: ſed qui confeſſioni & obedientiæ ſtudet, cetera in ſecundis habens, omnia duobus iſtis comprehendet.

eum ſui ipſius manifeſtatione.

11 Hæc Beatus iſte, ſi quis alius, curans, optimum jecit fundamentum, eique ſolidum ſuperextruxit ædificium, omnem ſuam cogitationem abjiciens, & omnia ſecundum obedientiam agens: ob idque dilectus in conſpectu Patris ſui, ut phraſi Scripturæ utar. Fuit autem in tolerandis laboribus adamantinus, dexter in agendis rebus, & inter certaminum ſocios multos præcellens: à quibus etiam, quoad cœnobiticam vitam, haud longe diſtabat, ſeorſim degens cum uno quodam ſibi moribus ſimili. Porro, juxta recluſionis normam, ſubjectus *a* erat numquam ſatis laudando Theoctiſto, nunc in cella ſeſe exercendo, nunc in communitate vacando pſalmodiis, refectioni corporis, & manuum labori; communiterq; ut ſic dicam, & promiſcue vivens, in omnibus ſe moderate gerebat. Non enim quia nobilis erat ſecundum carnem, aſperior erat cum ruſticioribus converſans; nec quia prius habebat famulos multos ſibi miniſtrantes, dedignabatur viliora ſuſcipere miniſteria: quin & fimum ferebat humeris, & agrum irrigare jubebatur, & farinam ſubigebat patienter, & nihilominus ſcribebat multo cum ſtudio ac diligentia.

D

diligens in omnibus,

a

promptus ad omnia,

12 Vin' etiam alias ejus virtutes diſcere, obedientiæ proximas? Omnia recte faciens, reprehendebatur coram hoſpitibus; & veluti ſi laudatus fuiſſet, perſeverabat immotus, vir laude digniſſimus legebat audiente fraternitate, ut congruum erat, & velut ſi abſone vitioſeque legiſſet, caſtigatus verecundabatur, ſapientiſſimus. Propter urbanitatem audiens ſerviles natales ſibi exprobrari, inclinato annuebat capite, Patri conſentiens, corpore & animo nobiliſſimus. In labore manuum multum contendens atque proficiens, tamquam ſi intuliſſet nihil, non ſuperbiebat, diſciplinæ Deique amator eximius. Poſt petitam de genibus veniam dimiſſus à Patre, veluti in eamdem culpam relapſus, non obloquebatur; ſed perſiſtebat, ignoſci ſibi poſtulans, admiratione digniſſimus. Denique laſſabatur, is qui tentandi cauſa ingerebat convitium; & opprobriis ſaturabatur, is qui per voluntariam ejuſmodi contumeliam ſibi comparabat æternam gloriam. Dicam amplius & quod à religioſa profeſſione videri poſſit alienum; conſonum tamen rationi, dum recte fit. Tanto tenebatur humiliationis amore, ut oraret precareturque pugnis atque alapis cædi; quin & impetraret, & impetrans percuteretur, & ex mandato Patris percuſſus ab aliquo, velut accepto munere lætaretur: eratque ſtupore dignum, alterum quidem ad id quod incongruum videbatur violenter adigi, alterum vero gaudere de lucro exinde reportato; nec minus utile erat videntibus audientibusque, quod eſſet qui talia voluntarie pateretur, atque in hoc Chriſtum imitaretur.

reprehenſionum patiens,

E

imo etiam verberum:

F

13 Talis tantuſque cum eſſet, an erat poſſibile non amari eum atque diligi? an rationabile, eum qui totum ſe tradiderat obedientiæ, filium haberi rejectaneum, & non eſſe cariſſimum genitori? Diligebatur ſane, uti dictum eſt, plurimum; & propter virtutis claritatem ubique laudabatur, ut qui Patri ſuo factus eſſet omnia, veluti oculus dextra intuens, velut manus eadem operans, & pes ad illa progrediens; tamquam conſiliarius bonus, adjutor robuſtus, ſuavis ſocius; fideliſſimus in iis quæ domi erant, & circa foris poſita vigilantiſſimus: qui ſimul & diſcipuli & fratris præſtaret officia, addo etiam & patris; tantuſque eſſet in utroque, ut ſiquando, propter aliquam neceſſitatem, opus eſſet peregre Platonem agere, mœreret venerabilis Theoctiſtus; & quem admodum de ſe loquitur Apoſtolus, non haberet requiem ſpiritui ſuo propter dilectum. Quis enim illo ad proſpicienda futura providentior? quis ad mœrorem leniendum curandumque accomodatior? quis ad neceſſaria curanda expeditior? quis

quare Theoctiſto cariſſimus,

& omnia ei factus,

a 2 Cor. 2. 13

ad

A ad honorem multifariam impertiendum ſolertior? Talis ad conciliandam ſibi benevolentiam, ut quæ Patris erant omnia haberet in poteſtate: tam interim alienus ab amore rerum terrenarum, ut nec oboli unius eſſet dominus. Pro quibus quod ei præmium, quæ retributio obtigit? Paterna utique benedictio ſuper ſpiritualem Jacob, ex quo Patriarchæ, imo Hierarchæ *b* & Pœmniarchæ; & ab his plurimi ſecundum Deum filii multiplicantur, ac porro multiplicabuntur, nil dubito, per ſemen adeo benedictum. Talis denique fuit Plato, verus utique amator ſanctitatis, & ad tantum perfectionis gradum aſcendit, ut non niſi adumbratione quadam exprimere potuerim characterem abſolutæ in eo obedientiæ.

benedici divinitus meruit.

b

14 Poſtquam autem magiſter ejus ad Dominum abiit, ipſe in ejus cellam atque vivendi modũ tranſivit, legitime amplexus ſolitudinem; non quemadmodum nunc multi, eamdem periculoſe aggredientes; qui priuſquam ſpiritui carnem perfecte ſubjecerint, audent per ſe ſolos congredi cum ſpiritibus nequitiæ; tunc primum exerceri incipientes, cum tempus eſt pugnæ; & experiendi gratia præſumentes obtinere victoriam, etiam Deo juvante difficilem. Qui enim prius non didicit obedire, quomodo ſubjiciet ſibi reluctantes ſpiritui carnis paſſiones? Et qui non cuſtodierit intemeratam obſervantiam, quomodo ad montem ſolitariæ converſationis aſcendet? Numquid clarum eſt, quod qui illum attigerit intempeſtive, lapidibus obruetur, aut configetur jaculis, & morte ſpirituali morietur, prout ſacræ loquuntur litteræ? Non ita is, de quo nobis eſt ſermo: nam verbis ac moribus obedientiam, uti Deo placitum erat, ſectatus; opportune auſpicatoque aggreditur ſolitudinem; & mentem attollens, appropinquat Deo; contemplationibuſq; circa eum verſantibus oblectatur, animo excelſa perambulans: nihil enim delectabilius eſt quam Deũ ſpeculari, qui totus eſt oblectatio & voluptas eorum, qui ipſum deguſtant amore inſatiabili, ita, ut pene in oblivionem veniant ipſius cibi appetendi. Itaque ſibi ipſi in futurum, ſic proſpexit Plato, ex virtute tranſiens in virtutem, & aſcenſiones ſuo in corde diſponens.

magiſtro mortuo ſe recludit,

poſt congruũ obedientiæ & mortificationis exercitiũ. Ex. 19, 13

B

ANNOTATA.

a *Sirletus ſic vertit, tamquam in eadem cum Theoctiſto cella recluſus fuiſſet; quod Hegumeni conditioni non convenit, nec Græco textui: imo infra num.* 14 *expreſſe dicitur Plato, poſt Theoctiſti mortem primum in ejus cellam migraſſe, & ſolitarie vivere cœpiſſe.*

C b *Id eſt* Sacerdotum & Paſtorum principes: *viſum eſt enim clarioris expreſſionis cauſa Græca verba ſervare.*

CAPUT III.

S. Plato præficitur monaſterio Symbolorum, excurrit Conſtantinopolim.

Creatus Hegumenus

15 QUoniam vero nequaquam ſufficit ſua dumtaxat curare, ſed & aliis utilia quærit perfecta caritas, ordinatus Pater ſeu potius illuminator præmemoratæ fraternitatis, proprium habere Heguminum ſolitæ, Beato Theoctiſto ſuccedit in ejus loci regimine, quem ambo in ſpiritualibus æque ac temporalibus promoverant maxime, adeo ut eſſet ac diceretur monaſteriũ optime conſtitutum. Duobus tamen præcipue ſe præbuit ducem vitæ ſpiritualis, à quibus ei miniſtrabatur, quoſque habebat, non commeſſatores, ſed convivas. Horum unus adhuc ſupereſt Antonius nomine, qui nobiſcum uſq; ad ſenium ſub obedientia vivit; ipſe nobis ſuggerat quæ hic deſiderantur. Quotidianus, inquit cibus Patri erat panis, cum faba & oleribus atq; arborum fructibus, abſq; oleo, præterquam Dominicis feſtiviſq; diebus, quibus conſueverat communi cum Fratribus menſa uti. Potus erat quem fontes præſtant, & quo mens colligitur, nequaquam capiens fluxum vinolentiæ: & hic quidem non ſemper quotidianus, ſed quandoque ultra diem dilatus, aut bis in hebdomade ſumptus. Quandoque etiam decimo dumtaxat die, exigua illa ſeu potius nulla utebatur refocillatione, propter ſummam appetentiæ continentiam, quæ illi quodammodo in naturam tranſierat,

abſtinet ab oleo & cibis lautioribus,

AUCTORE S. THEOD. STUDITA EXMS. GR.

etiam in aqua ſumenda parciſſimus,

16 Veſtis vilis & curta, ad ſolum calorem facta, non autem ſubtilibus filamentis contexta aut colorũ tincturis florida, qualem videre amant non monachi ſed elegantiarum ſtudioſi. Oratio & lectio ejus laboriosa erat, & ſtatis temporibus definita, cibum quoq; ejus deliciarum loco condiebat. Frequentia genuflexionum, à Patribus tradita, tanta erat ut manibus ipſiq; in qua fiebant terræ callos inducerent, in monumentum virtutis ejus. Stratum nec molle erat, nec lecto circumfluum: ſed quo affligi corpus, & ad ſpiritualia officia firmum poſſet ſervari. Manuum operatio diligens: hoc enim ex præclaris illius dotibus unum præ multis, ut non dicam omnibus, ipſum faciebat illuſtrem; aut ut magis proprie loquar, Apoſtolo ſimilẽ; quod dicere poſſet, Ad ea quę mihi opuserant & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ: neque gratis panem comedi. Quæ enim manus elegantius, quam illius dextera, litterarum formabat tractus? aut quis ſcribebat ſtudioſius, cum ipſius alacritas qualecumq; opus ferventer aggrederetur? Quis autem enumerare valeat eos, in quorum manibus ſunt ab ipſo ſcripti libelli & opuſcula, ex diverſis divinis Patribus collecta & multam adferentia utilitatem? Unde vero monaſterijs noſtris iſta librorum copia? numquid ab illius ſanctis manibus & laboribus? Ipſos volutantes & illuſtramur quoad animum, & ſcripturam admiramur talem ac tantam. Sed quædam tacita præterivit ſermo, ad quæ enarrando regrediatur neceſſe eſt.

utitur veſte vili,

genuflexione crebra,

ſtrato duro,

labore aſſiduo,

Act 20, 34

E

multa ſcriptione.

17 Tempore illo invaluit tempeſtas impietatis, Conſtantinus, *a* inquam, ille cogitatione impius, malitiæ omnis receptaculum, multiceps draco, hæreſis iconoclaſticæ ductor, monaſtici ordinis perſecutor acerbus. Quem ille noſtrorum Nazaræorum non exterminavit? quem abſconditum non produxit in medium? quem ſibi oblatum non traxit in barathrum impietatis? Sane ſi quis ex illuſtrioribus ipſum latuit, tamquam ſcintilla in loco abdito, inter mortuos reputabatur ab iis qui vivebant ſuper terram. Talis autem etiam noſter Elias fuit, cuſtoditus à Domino in quibus exercebatur locis, ut neque in manus novi iſtius Achab incideret, neque particeps fieret impietatis; ſed poſt tranſitum nocturnæ illius confuſionis, appareret nobis velut ſtella matutina: quod & factum vidimus. Etenim neceſſariis quibuſdam ex cauſis ingreſſus eſt Byzantium; cumque ii qui in urbe reliqui erant monachi, denuo velut luminaria cœpiſſent conſpici; comparuit tamquam à mortuis redivivus beatus: nam nec nobis quidem ipſis *b* innotuerat, genetricis meæ fratrem adhuc ſuperſtitem eſſe.

a *Poſt Copronymi, cui occultus manſerat, obitum*

venit Conſtantinopolim,

F

b

18 Diffuſa eſt autem adventus eius fama, non tantum inter cognatos & notos, ſed per totam urtem Byzantinam; aliis alio ipſum trahentibus & benigne ſuſcipientibus, atque ſalutari ejus doctrina frui cupientibus. Erat enim, ut qui maxime, ſuavis ſermone, ſuavior moribus, ea autem forma quæ monachum commendat, & in doctrina varius; omnibus omnia factus, ſecundum Apoſtolum; conjugatis auctor temperantiæ, virginibus

& magnos animarum fructus facit

AUCTORE S. THEOD. STUDITA EXMS. GR.

bus defensor, adhortator constitutorum inpotestate, spiritu infirmorum medicus. Patribus filios concordes efficiebat, & filiis patres reconciliabat; servis suadebat, ut dominis essent morigeri; & hos inducebat ut illis facerent bene. Ut cetera porro omnia, quæ vir Dei faciebat dicebatque cognosci possint, unum dicam, quod fidem præstet reliquis: videlicet quod ex quo cum civibus versari cœpit totas reformavit familias, & ad virtutis cultum convertit. Qua ratione? inquies. Jurandi consuetudinem exscindendo, communi notoria sua lingua: reprimendo corporis ornatum superfluum, sua ornatissima doctrina; dissertatione morali inculcando amorem pauperum, unde largitiones pecuniariæ & eleemosynarum distributiones publicæ, per loca in quibus exercebatur; ad lectionem denique piam & ad quidquid est bonorum operum inducendo, idque in pressura & fatigatione, diu noctuque laborans, vigilans, discurrens, ut accepta ab amicis cognatisque hospitalitatis solatia æquaret tolerantia ærumnarum, ipso opere eum
1 Cor. 9, 27 Apostolo protestans, Castigo corpus meum & in servitutem redigo; ne posteaquam aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.

extirpando vitia & virtutes inculcando.

19 Sustulerat ergo publicum regnatrici civitati
B signum, habens sermonem, cui vita congrua præberet testimonium: adeo ut, ex ipso vili abjectoque habitu, videntibus esset ad virtutem hortator. Quodsi, quia urbanus erat, suavitate quadam condiebat dictionem, ut se aptaret audientium genio; consideretur fructus, & non vituperabitur modus. Quis autem iste? Peccantium resipiscentia & seculo renuntiantium multitudo. Primus namque & solus, ut sic dicam, fuit, qui generi nostro, eisque qui extra illud erant, alas addidit ad virtutem, nosque *c* ad amorem perfectionis induxit. Propterea instanter rogatus urbani cujusdam monasterii præfecturam suscipere, omnino renuit, & ab eo qui tunc *d* erat Patriarcha ad Nicomedienſium ecclesiam regendam invitatus obsequi noluit, Clericatum fugiens, quo erat dignissimus; & Hierarchicum formidans fastigivum, qui solam suspiciebat virtutem. Revertit autem ad dilectam sibi solitudinem, & ibi res fecit memoria dignas, pauperes defendens, injuste oppressos propugnans, tribulatos consolans, & quamcumque afflictionem patientibus subveniens; idque vel sermone vel epistola, propter viri reverentiam, instar muneris efficax ad flectendum eum qui poterat misereri.

repudiatisq; oblatis honoribus,

redit ad solitudinem:

C 20 Ex iis quæ ad manum erant, replentibus eam illis qui substantiam suam credebant bene exhauriri, propter desiderium inexhaustorum æternorumque bonorum satagebat largiri, ut poterat, aut saltem consolando dolorem eximens, ex asperatum mœrore animum leniebat prolixiori confabulatione. Quid
Iob 5, 25 29, 12 mirum? Poterat cum venerando Job dicere, Salvum faciebam egenum de manu violenti, & orphanum cui non erat adjutor: benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum: causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam. Quapropter agnoscebatur ut pater, laudabatur ut protector, benedicebatur ut curator, visebant, occurrebant, suscipiebant eum tam qui solitariam
e quam qui *e* communem profitebantur vitam; & ultra quæ incolebat loca differebatur ejus fama, cum in omnium ore esset Plato, velut res maxima atque digniſsima: quem profecto nec futura silebunt tempora, cum virtus res sit immortalis.

ubique intendit operibus caritas

ANNOTATA. D

a *Summa crudelitas Copronymi, in monachos & sacras Reliquias, refertur à Theophane ad annum Imperii ejus* 31, *Christi* 772. *Mortuus est Copronymus* 14 *Septembris annis* 775. *Successor ejus filius Leo regnavit usque ad annum* 780, *mortuus* 8 *Septembris.*

b *Indefinitius Sirletus*: Neque enim à cognatis superesse credebatur.

c *Michaël in Vita S. Theodori ista ita explicat*: Plato sanctissimus, Theodori nostri avunculus, iis quibuscum ageret gratissimus, multos ad cælestis philosophiæ studium pellexit: inprimis autem egregium hunc Theodorum, suum ex sorore nepotem, qui & ipse jam dictum per se, ut dicitur, cœperat philosophari. Quia ipsos quoque Theodori parentes & fratres, Josephum & Euthymium, cum parva sorore, & suos ipsius fratres adjecit Plato, qui numero item tres erant. Hos omnes, tamquam ex composito communi vitæ cœlibem anteponentes, deducit ille secum & disciplina imbuit præstantiore. At illi confestum & opes & divitias & ceteras facultates pauperum finibus ingerunt, servos innumerabiles in libertatem vindicant, Deumque secuti ac ducentem Patrem, Byzantium E
relinquunt. *Hæc ibi*: *quæ sub Leone Chazares cœpta, sub Irene peracta sunt, quando pariter omnes ad Sacudionis monasterium secessere, ut mox sequenti capite dicetur.*

d S. Tarasium C. P. Patriarcham *intelligo*: *qui cum pissima Irene orthodoxiam restituit, dabatque operam ut Ecclesia (quæ sub iconomachorum tyrannide, vel Episcopis orbata mœrebant; vel hæreticis traditæ, lupos pro pastoribus alere cogebantur) his ejectis, legitimos & orthodoxos sortirentur.*

e *Græce* Μιγάδες, *Sirletus* conjugatos *vertit*, & Μοναχαῖς monachis *eos opponit.*

CAPUT IV.

Præficitur Sacudionis monasterio Plato, & pro veneratione sanctarum imaginum agit in Concilio.

Tota sororis familia monasticam amplectente,

21 NUnc commemoranda nobis venit Christianissima Irene, pacifica, juxta sui nominis etymon, Imperatrix; in qua hoc præter alia laudandum venit, quod sub ea sit aperta janua volentibus vitam monasticam amplecti, ante hac regnantibus impiis haud minus clausa, quam sub ethnicis erat ad Christianismum. Tunc universa nostra familia renuntiavit seculo: tunc celeberrimus Pater noster post quietem solitudinis suscepit Prælaturam: suscepit, F
inquam, nec volens nec cupiens (quomodo enim, qui maximas fugerat, dignitatum minimarum desiderio teneretur?) sed partim consanguineorum precibus emollitus (dicam enim quod res est, etsi paulo id inconcinnius videatur) partim confidens, quod vel in ipsa Præfectura posset pristinam quietem conservare: sed hoc nequaquam ut sperabat obtinuit; multæ enim tentationes ei ex hoc capite provenerunt: à quibus vero & per quos eæ fuerint suscitatæ, personarum respectu dicere prætermitto: hoc tantum significo, quod vitam molestiis plenam, à suoque instituto & proposito alienissimam duxerit.

suscipit cœnobii Prælaturam.

eamque difficilem experitur:

22 Quid autem fecit generosi animi rectique consilii vir? Postquam ad Prælaturam raptum se vidit, neque eam effugere (quamvis de hoc sæpius deliberaret) citra periculum posse; quemadmodũ gubernator prudens, in medio circumstrepentis procellæ constitutus, omnem animi torporem à se excussit; & mensis oculos sursum attollens, investigare cœpit virorum sanctorum

A

Intuens in Regulam S. Baſilii,

ſanctorum vitas; non ad irritamenta reſpiciens (hæc enim plerumque diſtorta confuſaque ſunt) ſed ad archetypam Apoſtolicæ vitæ imaginem, quod facere oportet omnes eos qui perfectæ virtutis ſimulacrum exprimere in ſe cupiunt, & vitam volunt ad ſimilitudinem Patrum atque ad ſalutem inſtituere.

& improbans ancillas in monaſteriis

23 Primum autem hoc fecit, & quidem admodum ſtrenue. In magni atque divini Baſilii Regulas, velut in paradiſum ingreſſus, & inveniens monaſticæ converſationi contrariam eſſe conſuetudinem humanam, qua inductum erat, ut propter feminei generis *a* animalia ancillæ in monaſteriis habitarent, unde multa proveniebant incommoda, & plures quoad ſpiritum moleſtiæ; vide quid egerit. Auditis peritiorum ſententiis, ut ne ipſum quidem bonum temerarie ageret (procul enim remotus ab arrogantia, citra conſultationem faciebat nihil) abſcidit illegitimas traditiones, velut peſtiferas hæreſes; ſuumq, monaſterium habendum conſtituit abſq; mancipiis, abſque feminei ſexus animalibus, abſque omni alio mercatorio proventu; quæ cauponaria lucra idem divinus Baſilius appellans, fugienda eſſe dixit. Inducta eſt autem hæc reformatio haud ſane facile, ſed perquam ægre; tum propter cohabitantes adverſarios, tum propter externos bonæ iſti intentioni repugnantes: qui non erant pauci. Neque id ſane mirum; quia non eſt facile aut expeditum conſuetudinem exſcindere, neque invidia carent præclari conatus. Numquid enim præcelſæ mentis eſt recedere à noxia traditione, ſeque ipſum ponere in exemplum bonum, volenti ſolitarie vivere, non ſolum nomine, ſed etiam re, & profeſſioni congruum opus habere? Quomodo autem vere ſolitarius erit, qui dominationis terrorem mancipiis incutit? Quomodo caſtos habebit oculos aſcetes ille, qui mulieris ſibi cohabitantis utitur miniſterio? cum etiam contingat aliquos, extra hoc diſcrimen poſitos, capi. Accenſa eſt ergo vicinorum æmulatio, & ad longius poſitos Dei amatores participatio boni inventi pervenit; ipſe vero æternam ſibi comparavit gloriam. Quod ſi alium habuit conſilii atque laboris ſocium, ipſum qui hæc dicit & ſcribit, omnis ad Patrem referenda eſt gratia: decet enim filium aſſimilari patri, ſeque totum formandum tradere genitori.

a

etiam animalia, quorũ cauſa habebantur, ablegavit,

aliis exemplo præjens.

B

fugit agere cum ſecularibus.

24 Poſtea ſequeſtravit ſe ab urbanis circuitionibus, à converſatione habitantium civitates, à familiaritate virorum principum, intra ſpiritualem aulam fixum retinens pedem; ubi rationali intendebat gregi, paſcens eum doctrinæ gramine, & potans flumine inſtructionis. Unde factum eſt, ut fœcundo germine prolificaret Lia, grex augeretur & celebris fieret, Deus autem, ut ſanctus, laudaretur, à quo hominibus omne bonum provenit. Sed quale illud eſt quod in medio dicendorum latens parum abfuit quin præterirem? Cum jam regnaret pientiſſima Irene, & circa quæſtionem de venerandis imaginibus in utramque partem multa jactarentur, ante multos & cum paucis libere veritatem profitetur; pugnat quantum poteſt contra iconomachos. Quamvis enim non eſſet dogmaticus, ſed ſimplici uteretur ſermone; eum tamen habebat copioſum (juxta nominis ſui, à latitudine ſumpti, proprietatem) & perſuaſioni perquam idoneum. Cujus rei argumentum eſt, quod in ea quæ ad Sanctos Apoſtolos coacta eſt *b* Synodo, ab eo qui tunc erat Patriarcha electus ipſe ſit, qui poneretur in cathedra metropolis omnium illuſtriſſimæ; & ſicut antea non timuerat minas faventium hæreſi, ſic neque tunc formidavit prohibitionem incurſumque ordinis militaris, quando is impetum fecit in magnum illud templum, inſanis clamoribus Patri-

C

Adeſt concilio contra Iconomachos habito

b

Conſtantinopoli

archæ obſtrepens, & pſeudoſynodum laudans, olim adverſus imagines habitam. Paulo poſt, cum diſſolutus eſſet cœtus ille, pro veritate ſtabilienda collectus; evaſit Imperatrix, velut è medio leonum, facta, ut ſic loquar, citra ſanguinem Martyr; & Hegumenus noſter Patriarcham ſecutus, propter ea quæ fuerant audacter deſignata non fuit perterritus: moxque inventus eſt in ſecunda Nicæna Synodo, quia diſſipata tunc fuit plebs illa tumultuoſa & pervicax.

AUCTORE S. THEOD. STUDITA EXMS. GR. *& Nicea.*

25 Poſtquam hæc ſic geſta, & orthodoxiæ trophæum erectum fuit; ad ſuum monaſterium revertit Beatus, exercendæ Prælaturæ vacans: ubi prolapſus in morbum, qui mortis indicia *d* præ ſe ferebat, ac velut inſperato gaviſus lucro, regiminis onus in nos transfert, nec dignos quidem qui ab ipſo regeremur. Invenit ergo concupitam humilitatem, accepit inducias moleſtiarum, liberatus eſt à circumdantibus ſe vexationibus, apparuitque idem qui antea nec pecuniæ, nec poſſeſſionum, nec negotiorum appetens, cum jam non haberet invidia amplius occaſionem obrubilandi radios virtutis ejus. Nam & viri juſti tentantur, ut ex ipſa malorum tentatione auro ſimiliores evadant quoad animam, rectèque incedentes non labaſcant, & diſcant quidquid à ſe bene geritur eſſe ex Deo.

d

Prælaturam transfert in Theodorum.

E

ANNOTATA.

a *Græce eſt* πρὸς τῷ τῆ θήλεως ζώῳ δούλοις τὰ κοινόβια διοικεμένα, *& infra* καθιςᾷ τὸ ἑαυτῆ μοναςήριον ἔξω τῆ θήλεως τώϖ. *qua Sirletus, longiſſime aberrans à mente auctoris, ſic Latine reddidit.* Cum feminarum cœnobia gubernarentur à ſervis maribus, *& infra*, ſuumque monaſterium conſtituit remotis ſervis ac mulieribus. *Exiſtimo levi correctione fieri poſſe, ut & feminas removiſſe à ſuo monaſterio Sanctus intelligatur, & animalia quorum cauſa illæ adhibebantur; & hanc eſſe mentem genuinam auctoris (qui de mulierum cœnobiis nec cogitavit quidem cum hæc ſcriberet) patebit examinanti. Ergo* τὸ τῆ θήλεως ζῶον *intelligo* feminini ſexus animalia, *vaccas oves, capellas & quæ etiam in monaſteriis aluntur ad fœturam, itemque ad lactis & caſei proventum: atque* προδάλεις, *lego* δήλαις: *quod autem* διοικεῖν *non ſolum* gubernare, *ſed etiam* habitare *ſignificet, palam eſt. Diſſimulo cetera hic conſequenter minus apte reddita.*

F

b Anno 6 Imperii Conſtantini & Irenes, die 17 Auguſti, Indictione 9, *anno Chriſti* 786, cœpta illa Synodus. Sed ſcholariorum & excubitorum copiæ, nudatis gladiis, impetum in eos fecere; mortemq; tam ipſi Patriarchæ, quam orthodoxis Epiſcopis, & monaſteriorum Præpoſitis inferre minati ſunt. *Ita Theophanes. Patriarcha erat S. Taraſius, in cujus Vita 25 Februarii num. 17 eadem latius dicuntur. Hallucinatus eſt autem inſigniter Sirletus, quando pro Conſtantinopoli quæ hic* Μητρόπολις τῶν ἐπιφανῶν *dicitur, id eſt* illuſtrium urbium Metropolis, *finxit* urbem metropolitanam Epiphanorum, *in qua Synodus convocata fuerit. Neq; in hoc tantum hallucinatus eſt nimis feſtinus interpres: ſed ſemel ſibi imaginatus pſeudoſynodum aliquam, in qua non ad dicendũ è cathedra honorifice invitatus, ſed ad diſputandum fuerit inſolenter provocatus Platæ; conſequenter de Platone dicit, adverſus Præſidem clamaſſe, & vituperaſſe impiam ſynodum: cum* ἀνευφημεῖν *ſignificet contrarium, idque dicatur de militibus laudantibus pſeudoſynodum, habitam ſub Copronymo. Huic autem principio conſona ſunt quæ ſequuntur cetera.*

c *Cœpta ea Synodus* VIII *Calend. Octobris? indictione* XI *anno* 787, *deſiit* III *Idus. De ea Michael in Vita Sancti Theodori.* Convenerunt ex variis Patres trecenti Numero & quinquaginta, inter quos

AUCTORE S.THEOD. STUDITA EXMS.GR. adfuit & Plato, *& ſubſcribit ipſe*, Πλάτων ἡγούμενος Σακκουδιῶνος. Plato Hegumenus, *id eſt* Præpolitus Sacudionis, *De hoc monaſterio ipſa habentur in Vita S. Theodori.* Cum agrum quemdam ex ſuis Boſcycium nomine ad ſacram manſionem abdicaſſet, cui & oratorium inerat Sacudionis cognomento, illuc omnes *quos antè retulimus*, ſe una recipientes, Deo promiſſa reddere & implere properabant. *Deſcribitur dein amœnitas loci in clivo, inter arbores, aquas, & campos ſiti: nec procul videtur Conſtantinopoli abfuiſſe.*

d *In eadem Vita dicitur* extrema ſibi inſtare ſimulaſſe, *& ſic*, conſpirantibus ſuffragiis, Theodorum electum fuiſſe.

CAPUT V.

Quæ paſſus ſit Plato ob reprehenſum Conſtantini & Theodotes adulterium.

26 QUomodo Prælaturam geſſerit S. Plato jam dicendo abſolvimus: quare ad id quod celebrius fuit orationem convertamus. Sed hic prope adeſt ut ingemiſcam, veritatem quidem dicere aggrediens, invitus tamen rem ut acta eſt narrans, dum iis parcitum cupio qui ipſam egerunt. Quando tamen poſſibile non eſt aliter manifeſtare ea quæ minime occultari debent, quoniam ubique vulgata jam ſunt, exordior ipſa hic deſcribere; non ut iis qui impliciti fuere inſultem, ſed ut Beati virtutem deprædicem. Væ tibi terra, inquit ille, cujus Rex puer eſt: quod autem olim ex Scripturis audivi, nunc ipſa didici experientia. Conſtantinus, Irenes ſurculus, cujus recta quidem ex materna pietate fides fuit, vita autem depravata, tamquam œſtro ſtimulabatur imperatoria inſolentia, cum in ætate admodum juvenili regnare cœpiſſet, ſimul & maternæ reverentiæ cuſtodiæque frænum excutiens, & Dei legem contemnens, ductam legitimis nuptiis conjugem repudiavit, & Herodis inſtar *a* mœchatus eſt. Hoc autem quo ſpectat? Quia zelum Prodromi palam eſt imitatus. Pater noſter; eumque fere omnes iniquitati conſentirent, ſolus ipſe, ut ſic dicam, cum pueris ſuis, ſeu mavis filiis, inconcuſſus perſtitit: quamobrem quæ & quanto non fuerunt per totum unum annum ſubeunda certamina? rumores ſupra rumores, minæ ſupra minas, verberum, exiliorum, mutilationum.

27 Cum autem ſic nullatenus intentum ſuum aſſequeretur Imperator, ad aliud ſe convertit: & erat quidem aliorum opus; ſed ſecundum illam decantatiſſimam in Scripturis tragœdiam, manus Abſalō faciebat omnia. Scitis ſubmiſſos fuiſſe monachos, ſcitis litteras ſcriptas. Cumque hæc etiam inania & infirma eſſe appareret, Platone quod æquum erat manutenente & præferente, revelatus eſt tandem ipſe Imperator, qui ſub perſona diutius occultari non poterat. Vah! ob ea quæ geſta à duobus exercituum ducibus, tamquam adverſus hoſtes quoſdam miſſis, contra inermem Chriſti monachum, & ſola Dei lege defenſum. Sublatus eſt de medio paſtor, & diſperſæ ſunt oves gregis. Et alii quidem verberabantur, relegabantur alii, ceteri perſecutionem ſuſtinebant; quodque mirabilius fuit, Cæſareum edictum erat ne uſpiam reciperentur, qui talia patiebantur propter Dominum; & edicto illi parebant Præſides monaſteriorum, adeo ut vix ullus inveniretur, qui auderet præbere receptum. Chriſtus autem dormiebat, ob notas ſibi cauſas; horum quidem in ſe probans amorem, an eſſet conſtans; illorum vero miſerans inhumanitatem, ut eos ad pœnitentiam provocaret.

B Eccl. 10, 16 *Adulterinas nuptias imperatoris redarguens* *a* *multa cum ſuis patitur;* C *& relegatis illis*

28 Quid autem athleta Chriſti? Avellitur ſponte à propriis membris, ſoluſque derelinquitur, animam ſuam ponens pro ovibus ſuis, juxta Euangelium, utpote vere Paſtor bonus. Briarei manu ad Cæſarem ducitur: reſiſtit in faciem, audacter dico, velut alter Joannes Chriſti prodromus, eo ſolum excepto, quod hic ſuo ipſius, ipſe alterius ductu venit. O virilem animum! Non eſt veritus majeſtatem Imperii, non formidavit minas, non eſt emollitus blanditiis, idque cum ex ſuo ſanguine eſſet mulier quæ Herodiadem referebat: ſed imperterritus pronuntiavit, & non erubuit verbum veritatis. Dixit Præſurſor Domini, Non licet tibi habere uxorem Philippi fratris tui: ſimilia illius imitator dixit, ad eum qui ſimilem ſe Herodi fecerat: capite tamen minutus non eſt: noluit enim Imperator, quemadmodum prædixerat Martyrem facere, ad ultimum certamen voluntate promptum; Confeſſorem tamen Chriſti fecit, etiam nolens; veritatis theſaurum, ut maleficum hominem, concludens cellula, claveſque ſupra claves ponens, & jubens per anguſtum foramen cibum ei præberi, ſic ut à nemine conſpici poſſet, quem Chriſtus intuebatur. D *ipſe ſiſtitur imperatori,* *eique infamie reſiſtit:*

29 Qui autem in his cooperabantur Cæſari, erant monachorum Præſides, quorum erubeſco proferre nomina: carcer vero, ô rem miſeram! monaſterium Palatio adhærens: cuſtos carceris admirandus, ipſe qui mœchos coronaverat. Heu me! exclamare lubet cum Propheta, Periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt. Quid nunc eum commemorem, qui Sanctum cuſtodiendum tradidit illicitarum nuptiarum *b* conciliatori; aut eum qui miſſus ab Imperatore præſumpſit innoxium judicare? Quid Epiſcopos dicam à Cæſare deputatos, ut ſolo verbo conſentire Juſtum facerent, eumque à carcere liberatum dimitterent res ſuas pro arbitrio adminiſtrare? Quid denique ſubſannantes ei ac detrahentes recenſeam, ſanguine conjunctos & alienos, habitu ſimiles & diſſimiles? O abſurditatem! aut potius injuriam factam veritati! Delirio generoſum virum arguebant, qui adulterium volebant conjugium videri: ſpargebant inani gloria duci pro Chriſto decertantem, ii qui ſtudio agendi loquendique ex voluntate Cæſaris exciderant Domini ſui imperio. Suſtinuit nihilominus inhumanam temporis illius calamitatem athleta Chriſti, ſolam intuens veritatem & retributionem eidem repoſitam; itáque ærumnoſos illos dies tranſegit, velut ſi in ſacris templi adytis requieviſſet: qui enim Deum præ oculis habet, ejus erga ipſum amorem nihil poteſt ſuperare. *includitur carceri,* E Mich. 7, 2 *b* *ſed in propoſito perſeverat;* F

30 Brevi elapſo tempore ſublatum de medio eſt *c* adulterinum illud imperium, quod noluit intelligere ut bene ageret; ut etiam ipſi Reges diſcant divinas leges non violare, neque impias perſecutiones aut captivitates moliri, quantumvis ob purpuram honorentur. Itaque divinæ legis cuſtos fidelis, confeſſionis egregiæ diademate redimitus, tamquam victor exivit de carcere; multam à multis laudem referens, beatuſque & martyr nuncupatus, etiam ab iis qui ipſi antea inſultabant illudebantque. Sciunt enim, inquit Gregorius Theologus, etiam inimici admirari virtutem viri fortis, quando ſedato furore res in ſeipſis æſtimantur, etſi eatenus aliter ſint locuti. Cum enim pacifica Irene, denuo cœpiſſet imperare, & extollere atque carum habere virum propter reverentiam martyrici decoris; converſa ſunt omnia, ut ſolet in fluminum recurſu fieri; & ſiquis inimicus antea fuerat, in amicum & laudatorem mutabatur: adeo ut ipſe etiam cuſtos carceris humi ſtratus veniam poſceret: ſed lapis inſenſibilis humanæ fragilitatis paſſus fuiſſet *inde liberatus* *c* *laudatur ab omnibus*

A fuiſſet citius quam ipſe novum aliquem motum in iis quæ fiebant dicebanturque.

reconciliatur Patriarchæ. 31 Poſtquam vero etiam nos revertimus ab exilio, alii aliunde concurrentes tamquam pulli ſub alas, ſpectaculum præbuimus pietatis cultoribus admirandum. Conjungebantur capiti ſuo membra,
Iſa. 49, 18 audiebaturque illud exclamantis Iſaiæ, audacter in re preſenti pronuntiandum, Leva in circuitu oculos tuos & vide; omnes iſti congregati ſunt; venerunt tibi ſancti tui de longe: tunc videbis & gaudebis, obſtupeſces & linqueris animo. Et hæc quidem ille: ego vero etiam hoc addidero, quod Patriarcha *d* virum reveritus ei ſe excuſaverit, ipſum ad unionem invitans; quæ & ſecuta eſt, ejecto ab eccleſia qui mœcham coronaverat, ad fugiendam diſcordiam, à qua alieniſſimus erat Sanctus, quamvis victoriæ laudem coram toto conſeſſu reportaret: nihil enim tam carum Deo eſt quam concordia & unio, modo illa unio divinam legem non diſſolvat.

d

ANNOTATA.

a *Copulavit ſibi Conſtantinus illegitimo conjugio Theodoten cubiculariam, menſe Auguſto Indictione* 3 *an.* 795. *Vide Theophanem.*

B b Joſeph Presbyter & Eccleſiæ Oeconomus, illicitarum nuptiarum leno, initiator & conciliator conjugii, *dicitur in Vita S. Theodori.*

c *Anno* 797 *comprehenſus eſt Conſtantinus & excæcatus, & paullo poſt extinctus.*

d *Is erat* S. Taraſius, *qui primo fortiter reſtiterat; ſed poſtea, metuens ne Conſtantinus, libidine ardens, religionem orthodoxam everteret, diſſimulabat; pellicem tamen renuerat coronare. Conſule cap.* 7 *Vitæ ejus.*

CAPUT VI.

S. Platonis recluſio Conſtantinopoli: Nicephori Imperatoris contra eumdem aſperitas.

32 QUid autem poſt iſta? Propter gentis barbaræ incurſionem ex priori monaſterio migravimus *a* Byzantium, ubi Pater noſter, virtutis amantiſſimus, ne cogeretur reſumere habenas regiminis vitam recluſam elegit. Sed vide humilitatis ſummæ admirabile inventum: ut ſub duplici imperio non maneret *b* fraternitas, obedientiæ jugo ſubjecit ſeſe divini imitator exempli, idque coram teſtibus ad hoc congregatis. Numquid mirabile eſt filium dici eum, qui pater antea fuerat appellatus; & quidem ejus filium, quem ipſe in ſpiritu genuerit? ei autem ſubjici, cui antea imperarat? idque poſt tanta certamina exantlata, in quibus vel ſolum modeſte ſe gerere ſufficere debebat ad laudem? Fecit hoc vir ille admirabilis, non ſimulate aut modo quodam adulterino, ſolum nomen relinquens Prælato, ſed omnino integre divineque. Ubi enim confeſſio eſt, illic & confidentia eſt; & ubi confidentia, illic voluntatis abſciſſio; & ubi voluntatis abſciſſio, ibi eſt perfectio obedientiæ. Harum laudum teſtes ſunt, quorum cauſa aliquid poſtulavit. Si enim pro aliquo ſibi propinquo orabat, & poſtulata impetraret, gaudebat ſe ea obtinuiſſe: ſi rogans non conſequeretur petita, non ægre ferebat petitione ſua ſe fruſtratum; nihil aliud ſpectans quam utilitatem laborantis, non ut ſuam impleret voluntatem. Liceat mihi exclamare prophetica voce, Heu me! Pater, quare genuiſti me? non verecundatus patrem vocare eum, qui non eram dignus vocari filius tuus. Quare ad hanc dignitatem extuliſti me, qui neque parere ſum idoneus? Novit Deus & ſancta anima tua hujus rei rationem, & quod amicitia ſeu potius obedientia latura ſit pluſquam vires patientur, ut brevi verbo totam hic excuſationem ponam.

a Publice profitetur Theodoro obedientiam,

b

C

eamque ſerio & integre præſtat.

Ier. 510

AUCTORE S. THEOD. STUDITA EX MS. GR.

33 Sed revertendum eſt ad propoſitam nobis narrationem. Claudebatur Pater: cella autem anguſtiſſima erat, & æſtatis tempore adeo calida, ut altera Babylonica fornax videretur, propter inflammationem plumbi quo tegebatur; tantum vero aberat ut eo offenderetur, ut econtra oraret inſtanter, talem impoſterum ſibi ſervari requiem; amore ſcilicet laborem ſublevante, & ſpe bona difficultatem extenuante: ex quibus duobus capitibus virtutes eximiæ robur accipiunt. Verum neque hoc ſufficiebat viro laborum appetenti, ſed inſtanter operabatur manibus illis, ex quibus multæ virtutes procedebant. Inſtantius autem meditationi divinæ dans operam, & quotidie adverſus hoſtem decertans; ſeque utilitati Fratrum ferventius aptans, ſolabatur mœſtum, deficientem inſtruebat, erigebat lapſum, leniebat exaſperatum, ſeque patientis conformabat conditioni, optimus animarum medicus, & curandarum paſſionum peritiſſimus. Sed neque hoc prætermiſero, memoria utique digniſſimum, quod catenam ferream ſatis ponderoſam pedi circumponens, in tali labore perſeverarit (quam autem moleſtum fuerit cum ejuſmodi vinculo dormire, vigilare, operari, facile apparet intelligenti) idque non ut clauſuram oſtentaret, aut velut virtutis officinam jactaret, quomodo Chiron ille antrum Theſſalicum habitans (longe enim aberat à tali vitio) ſed virtutem quidem extenuabat, ut qui eam non prout par erat coleret; catenam vero abſcondebat artificioſa humilitate, adeo ut fere cunctos lateret, quoad è cella egreſſus propter Dominum, eam vel invitus patefecit. Verum de his nunc ſatis, cum & auditor mediocritatem amet, & ſcriptor non abundet facultate res copioſius enarrandi.

catenaferream pedem induit:

E

34 Contigit autem ex hac vita migrare divinum ejus temporis *c* Patriarcham, cumque de futuro Præſule ſententiæ poſtularentur, eæque dividerentur in multos, prout quiſque vel amicitiam vel veram Eccleſiæ ſpectabat utilitatem; requiſita eſt etiam Patris noſtri ſententia, non ſolum ab iis qui erant Sacerdotio inſignes, ſed ab ipſo quoque *d* Imperatore. Obſecro per veritatem ipſam, quid oportebat eum facere? Numquid debebat is qui tanta erat pro virtute paſſus, & vitæ probatiſſimæ exemplo cunctis prælucebat, ſincere edicere ſententiam ſuam ſpectando publicam utilitatem? Minime, inquiunt ejus ſubſannatores irriſoreſque; ſed vel ignorantiam prætexere debuit, aut ſe interrogantibus ſententiam permittere. At primum quidem falſum fuiſſet, adulatorium alterum, utrumque reſpuendum. Miſit igitur ſuffragium ſuum (cui datum, dicere ſuperſedeo) miſit autem velut Deo teſte: & Epiſcopi quidem illud ſuſceperunt, neſcio quomodo confirmantes quod ſcripſerat; Imperator vero accipiens ſuffragia, ea, velut in aleæ ludo, invertens excuſſit. Aſt Plato (quoniam, urgente neceſſitate capitis, unumquodque membrorum præſtare ſolet quod in ſe eſt) ad quemdam monaſtici habitus virum, Cæſaris autem propinquum, noctu ſe contulit, nihil dubitans foras progredi propter communem utilitatem: cumque ei quæ conveniebat, dixiſſet, confeſtim domum rediit.

ſententiam de Patriarcha eligendo rogatus,

c

d

F

eam ſcripto tradit:

35 Imperator porro hoc intelligens, furere cœpit, modicumque cunctatus, donec perfeciſſet quod volebat, tulit nobiſcum Patrem noſtrum: & poſtquam viginti quatuor diebus in bene munita cuſtodia habuiſſet, permiſit redire ad monaſterium. Quid attinet dicere, quantas Sancto imo ipſi veritati injurias intulerit, iracundia percitus totamq; conturbans communitatem, alios carceribus includendo alios ad quæſtionem rapiendo? cum in omnibus

offenditur ejus libertate Imperator.

AUCTORE S. THEOD. STUDITA EX MS. GR.

tandem victus & risu dignus apparuerit? Sed hæc solum præludia quædam erant iniquitatis, quam meditabatur, & veluti præambulare flagitiū ac rudimentum nugacitatis & petulantiæ. Intervallo namque temporis modico secutus est malitiæ consummatæ assultus: idque propter Josephum, illum qui mœchos conjunxerat, malum intra viscera hærens, & Ecclesiæ turbamentum. Postquam enim, secundum Canones, ab illius, tamquam à serpentis, communione nos sequestravimus; continuo adfuerunt à Cæsare minæ, nosque in extremo discrimine vidimus constitutos.

& nolentem Josephi restitutioni consentire

36 Qui possim multitudinem terrorum certaminumque, nobis integri unius anni spatio illatorum, paucis syllabis complecti? vel quam sæpe accersiti, quam sæpe tentati fuerimus, enarrare? Novit, qui passus est, quique patienti proximus adstitit. Adfuit denique militaris phalanx, & monasterium diligenter circumvallavit, adeo ut nec hiscere cuiquam, nec omnino caput efferre permitteretur. Intus timores, foris terrores proponebantur ac minæ: quinam autem eas proponerent, propter sacri habitus reverentiam, dicere supersedeo. O calamitatem illius temporis! nemo fere fuit superior æstu illo cunctos raptante: nemo qui recta suaderet, aut causam Dei sustineret. Bonum ac valde conveniens videbatur omnibus in dignitate constitutis, non exasperare iracundiam regnantis; ipsis etiam qui erant ejusdem nobiscum ordinis, quod sane erat miserabilius. Denique, ut compendio rem absolvam, ex medio Fratrum *e* noctu rapitur Plato, raptus includitur carceri. Secuta est dies Synodi habendæ, ad quam velut maleficus adductus est Pater, cum tribus è suis, per manum militarem. Miserandum spectaculum! videre senem, propter imbecillitatem humeris deportandum, cum ea qua pedem induerat catena, adduci, atque ab uno in aliud dorsum trajici, velut piaculum quoddam.

B

includit carceri,

e

37 Ah ah! hæccine Synodici ordinis forma? hoc judicium Imperii Christiani? In quo, obsecro, hæc discrepant ab iis, quæ olim acta in latrocinantium conciliabulis aut aliter ad hæresis tutamen imperitantium? Ut autem, velut ludicra quædam, omittam, quæ interim gesta sunt, & historiæ mensuram per se implere possunt, exilium decernitur, & in una *f* suburbicarum insularum Pater noster circumscribitur; uti etiam frater meus in aliam pariter ærumnosissimam, ubi ad incommoda exilii ipsius carceris firmissimi accedebant angustiæ. O rerum vicissitudinem! seculares homines fuerunt monachis humaniores; & qui rem audivere, non dubitaverunt de ipsis judicibus æquam ferre sententiam: manifesta enim judicii iniquitas erat. Prætereo balneum illud, in quo qui clausit totam fraternitatem, ex monasterio manu militari collectam, tentavitque ad suam voluntatem unumquemque sigillatim inclinare, spe sua excidit; sensitque potestate sua potentiores esse, quibus lex Dei præ oculis est. Prætereo carceres in monasteriis constitutos, eorumque custodes Hegumenos ipsos, plura etiam quam jussi erant mala inclusis inferentes. Prætereo quæ postea facta sunt, quando aliud nihil audire erat quam abductiones, traductiones, persecutiones, quæstiones, disiunctiones, relegationes, minas, furores, investigationes, totaque urbe perstrepentes proclamationes, ne quis Fratrum uspiam latens absconderetur; adeo ut incavernis terræ, persecutorum metu, salutem quæsierint aliqui.

f tandemque relegat,

C

& multas molestias infert ceteris Studitis,

in eodem proposito constantibus.

38 Hæc autem omnia qua de causa? (iterum enim præ admiratione cogor rem exponere) ut nempe is qui adulteros coronaverat, contra Euangelium & contra Præcursoris exemplum, tamquam Ecclesiæ utili discretione usus, impune sacris operaretur: quique illum, Euangelicis præceptis obtemperantes, non admitterent, impii à Deoque alieni crederentur. O divinæ legis prævaricationem! ô acerbum persecutorem, qui nomen Christiani ferens, Christi leges conculcare satagebat! Quid tanto furore agis, ô gravis corde & inclementissime, una cum simili tibi *g* catulo? Nescis quia bellum tibi est adversus insuperabiles Dei leges, contra quas ante te imperantium nemo victoriam obtinuit? quin imo quiscumque eis, uti tu, restitit, incidit in manifestum exitium.

D

g

39 Sed ô! qua ratione abductus est Dei famulus? ad illum enim revertitur oratio. Rursus relegatus, rursus distractus à nobis, & à duobus hominibus protrusus, eo quod amplius progredi nequiret, trahebatur iterum, raptabaturque, & ad planctum pro indignitate facinoris movebat ipsos etiam insensibiles lapides. Testetur hæc insignis Martyris Mamantis regio; scribat, quæ post primam fratris mei custodiam custodem pietatis vinctum habuit, abrupta insula. Vah immitia pectora, monachorumne dicam, an militum? quibus commissa Sancti custodia fuit! solum eum, velut in lacu inferiori, posuerunt in cella quadam, jam senio confectum & morbo gravatum; ibique à mancipio uno, ipsi mancipia mundi Cæsarisque, faciebant ei ministrari semel aut bis in die. Rogabat senex adferri sibi quidpiam ad corporis necessitatem, & efferus ille hoc ei exprobrabat: petebat aliquid morbo congruum, & ostium ei claudebat barbarus: & hæc sustinens sanctus, firmus in sua confessione, quam confessus est coram Deo & hominibus, numquam abnegavit veritatem. Postquam vero intellexit Imperator, ex ejusmodi custodia ægrotare illum, & quidem usque ad mortem; emollita nonnihil animi inclementia, Byzantium Platonem transtulit, & reparare voluit quod male egerat: sed quoniam parum recta intentione ferebatur, ad finem non perduxit quod propositum erat. Nam ipsum quidem, arrogantia sublatum, haud diu post robusta Dei *h* manus ad Scythas expulit, atque cum toto suo exercitu perdidit; horrendum exemplum narratuque terribile secuturis generationibus statuens inevitabilium judiciorum suæ sapientissimæ providentiæ. Sanctum vero gregi suo proprio restituens nutus pie tunc imperantium, eum sibi pro Confessore haberi probavit.

Transvectus in gravius exilium Platonem.

E

ager revehitur Constantinopolim

h

40 Hoc autem quomodo accidit? nec enim dignum est præteriri silentio. Eorum cura qui nostrum agendi modum, animo benevolo nobis quamvis contrario, improbabant, sublatum est è medio scandalum, propter quod à Patriarcha facta erat secessio; intercessere orantes Principes; sanctissimus Patriarcha excusavit, omnia ex quadam epikia propter Imperatorē facta fuisse. Secutus est congressus & reconciliatio cum dicto Præsule: quia Deo nihil est carius bono pacis & concordiæ, quando illa concordia non est vel dissonantia à vera fide, vel divini mandati transgressio, aut denique canonis alicujus abrogatio; qualem illam, de qua nunc agimus, non fuisse, quantum quidem nos attinet, patet sanam mentem habentibus: cum ea quæ interim gesta erant dimiserimus, tamquam similia iis quæ olim sub divinis Patribus accidere, & similiter per epikiam fuere dissimulata; aut potius velut quorum accuratior discussio incorrupto judici reservetur in seculum futurum.

F

reconciliatur cum S. Nicephoro Patr.

ANNOTATA.

a *Ob Saracenorum incursionem ad monasterium Studii dictum intra urbem transierunt: sicut late in Vita* S. *Theodori explicatur*

b Mo-

A b Monachos ad decem centurias propemodum acceſſiſſe, *tradit eadem Vita*

c *Mortuus eſt* S. *Taraſius anno* 806, *die* 25 *Februarij.*

d *Is erat Nicephorus, qui Irene ejecta Imperium arripuerat anno* 802, *qui quomodo ſe geſſerit in procuranda S. Nicephori ad Patriarchatum electione, vide in hujus Vita* 13 *Martij num.* 21

e *Sirletus* totam Fraternitatem raptam in carcerem *ſcribit, quod cum Græco textu non convenit, ubi expreſſe ponitur.* ἀφπαγὴ ἐκ μέσου τῆ ἀδελφότητος.

f *In Vita S. Theodori, dicitur hic* relegatus in inſulam quamdam, ex iis quæ proximæ ſunt Byzantio: eadem pœna in Joſephum fratrem & Platonem ſapientem decreta; haud quaquam una utroſque cuſtodia includi, ſed ſingulos ſeorſim, ita ut mutuus eis aſpectus negaretur, quod unicum eſt in carcere ſolatium. *Theophanes ait* menſe Januario Indictione ſecunda in exilium pulſos, *anno* 809.

g *Vix dubito quin* Joſeph Oeconomus, *turbarum cauſa, intelligatur. Sirletus* leonem *vertit, quod aliis occaſionem dedit* Leonem *proprio nomine ſic appellatum,* (*fortaſſis* Iſauricum, *cujus mores in hoc imitaretur Nicephorus*) *intelligendi.*

h *Is eſt S. Nicephorus prænominatus, cujus & aliorum factum relinquit judicio Dei Michael in Vita S. Theodori.*

B i *Cæſus à Bulgaris Nicephorus Imp.* 26 *Iulij anno* 811, *cui ſucceſſit Michael Curopalates.*

CAPUT VII.

Extremus S. Platonis morbus, & pius obitus.

Viribus prorſus exhauſtis

41 POſt hæc non amplius incluſus vixit Pater, neque enim vires erant vel ad hoc ut corporeis neceſſitatibus faceret per ſe ſatis: ſed partim lectulo recumbens, ſolabatur ſeſe retributione præteritorum ſuorum aſceticorum & athleticorum laborum; partim in ſedili requieſcens, aut Pſalmos Davidicos vocaliter recitabat, aut mentaliter precabatur Deum, aut aliquid conferebat ad utilitatem fraternitatis, conſulendo, adhortando, inſtruendo, conſolando, ſecundum paternam ſuam benevolamque conſuetudinem: non autem poterat operis aliquid facere, aut genu flectere, aut lectioni vacare, niſi quantum ad hoc conducere poterat opera prope eum legentis miniſtri. Sed in his contriſtabatur angebaturque, quaſi animam perdidiſſet, quia ab exercitiis ſpiritualibus ceſſare, & à laboribus corporalibus vacare ſe videbat. Si quando vero cibi aliquid

C *vitam protrahit uſque ad annum ætatis* 79. ſumebat cauſa morbi, aut lavacro propter obedientiam utebatur, Deo quidem agebat gratias, dolebat tamen propter laxatum vitæ prioris rigorem. Digniſſimus ſane laude, qui pulchrum ſuum ſtadium ac vere ſolarem curſum abſolvit, ab obedientia videlicet incipiens, & in obedientia deſinens; cum enim diurno horarum duodecim circulo parem annorum

a periodum in unoquoque *a* certamine expleviſſet, ad æternam vitam, perpetuo lumine fruiturus, emigravit. Numera certamina, & invenies annos qua-

b draginta octo. Tum annos *b* bis duodecim, ante abrenuntiationem ſeculi actos, junge aliis quatuor annis, quos in perfectionibus; & tribus, quos in infirmitate traduxit Sanctus: & invenies, virum ve-

c nerabilem obiiſſe anno ætatis *c* unde octogeſimo.

extremum eger

42 Sed quomodo ſine lacrymis mortem illius narrabo? Jacebat ſenex, habens animam paratam

d ad egreſſum, velut honoratum quoddam *d* xenium; & circum affuſa fraternitas orabat, ut munus orationum ejus mereretur accipere. Poſtquam igitur unicuique ſigillatim benedixit & oſculatus eſt, abiit ad ſepulcrum, quod videre jam pridem ardenter concupierat; quamvis voto ſuo fruſtratus fuerit, quia præpropera erat talis voluntas. Illud autem cum vi-

AUCTORE S. THEOD. STUDITA EX MS. GR.

diſſet, gaviſus eſt valde, & benedixit Dominum, inquiens: Hæc requies mea in ſeculum ſeculi. Deinde iſtam quoque vocem ſubjunxit: Voluntatem timentium ſe facier Dominus. Traxit etiam ad ſe externorum non paucos: qui nulla habita ratione temporis, (vertebatur enim ſacri Jejunii circulus) accurrebant tam monachi quam ſeculares, benedictioneque accepta revertebantur inſtructi ad iter optimo viatico, ſanctæ ſcilicet depoſitionis *e* memoria. Quin imo ſanctiſſimus *f* Patriarcha adfuit, petens ut oraret pro ſe; eoque impetrato, oſculatus eſt eum. Itaque hora illa omnibus ſuſpicantibus, alieniori ipſos ab invicem eſſe animo, facta fuit in remedium, procul ſubmota quæcumque antea exiterat ægritudine. Denique omnes admonuit, oravit pro omnibus, omnibus ignovit, quorum inimicitias, perſecutiones, moleſtias tulerat, utpote vere vir Dei, & Chriſtum etiam in morte imitans.

ſepulcrum ſuum viſit.

e

f viſitatur à multis etiam a Patriarcha.

43 Quoniam vero oportuit etiam teſtamentum condi: quodnam, quæſo, reliquit? Fidem orthodoxam & converſationem regularem, in quibus vixit & cum quibus ebiit: hoc autem vel illud diſtribuere ad illum non pertinebat, cum neque de ipſo pallio poſſet ut dominus teſtari. Tandem rogatus à me miſerabili, num quid haberet commendandum, manu veſtem apprehendens, eam exeuſſit, in ſignum expeditiſſimæ obedientiæ; & voce admodum ſubmiſſa dixit, nihil habere, eo quod omnia meæ parvitati committeret. Porro prætereundum non eſt aliquid, vim habens predictionis, quod nempe funebrem cantum ſibi ipſe ante mortem cecinerit. Cum enim ex pectore laboraret, aſſiduoque anhelitum duceret, ex conſueta rerum divinarum meditatione movebat labia, maxime autem pſallebat illam ſacræ cantionis particulam, Reſurgent mortui, & qui in monumentis ſunt ſuſcitabuntur, & lætabuntur qui ſunt in terra: quem ſuaviſſimum verſum hortabatur ut ſecum canerent qui præſto erant, quoad loqui potuit, & vocem vel tenuiſſimam emittere. Secuta autem cantum eſt mors, tunc illi adveniens, quando inſtabat memoria *g* juſti Lazari, ad quem refertur cantus ille, & cum quo pars ejus de quo nobis eſt ſermo.

immoritur ſacra cantio ni,

E

ſabbato Lazari.

g

44 Denique extremum, ſuſurrans, Eſtote ſalvi, decoroque habitu jacens, cum ad dexteram inclinaſſet caput, placido ac leni motu corporis, velut qui in propria abire diſponit, clauſit oculos, ea qua ſol occumbit hora, & ſpiritum ſuum ſanctum tradidit Angelis, ipſum ad ſolem juſtitiæ deducturis. *h* Et nunc ille quidem in cælis eſt, audeo dicere, non ſolum aſcetico dignatus ordine, ſed Confeſſorum adnumerandus choreis: quorum enim certamina pertulit, horum indubie etiam hereditatem participavit: aut ſi placet, cum ſubjectis ſubjectus probatiſſimus, imo bis obediens coronarius; cum ſolitariis ſolitarius legitimus; cum Prælatis Prælatus digniſſimus; cum incluſis, non ſolum incluſus, ſed etiam ſubditus; quodque auguſtum inprimis, cum Confeſſoribus Confeſſor genuinus, ipſa verbis atteſtante. Ego autem infelix, optimo orbatus patre, cui manum injiciam animo fluctuans? quem admonitorem inveniam à recta declinans ratione? quomodo mali dæmonis incurſum fugiam, non habens te domeſticum inſtructorem doctoremque.

F

h

hora veſpertina,

variis cœleſtium chorîs adſcribêdus,

45 Aſt, ô divinum mihi & ſacrum caput! tu me ex alto propitius reſpice, labantem erige, dirige gradientem, ſerva incolumem, paſce mecum hunc gregem, quem multo labore & ſudore collegiſti; ut tuis inſiſtens veſtigiis, ambulet per viam mandatorum Dei: obſerva, fove, propugna tam magnos quam parvos, quemadmodum te rogavi in hora exitus tui: tui enim ſunt omnes, quorum duces filii tui

Auctoris ad ſanctum apoſtrophe.

AUCTORE S.THEOD. STUDITA EXMS.GR. *Oratio.*

tui ſunt, aut filii filiorum : ut in Deo & apud Deum te habentes Patronum, permaneamus immunes ab hoſtibus viſibilibus & inviſibilibus, ne per timorem declinemus à vera fide in aliquo, vel efferamur extra Dei præcepta; ne per ignaviam aperiamus januam pravis affectibus; ne denique deficiamus in exercitatione propoſita, in Chriſto Jeſu Domino noſtro, cui eſt gloria, honor & poteſtas, cum Patre omnipotenti atque vivifico & ſanctiſſimo Spiritu, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Primum ſub obedientia S. Theoctiſti, ſecundum in regimine monaſterii Symbolorum, tertium in gubernando monaſterio Sacudionis, quartum Conſtantinopoli in recluſione.*

b *Græce* δὶς δυοκαίδεκα: *Sed prima Syllaba Sirleti oculos fugit, ut* duodecim *verteret, & totam chronologiæ rationem turbavit, ut ante diximus.*

c Ex hac vita exceſſit ſanctiſſimus Plato, octogeſimum ætatis annum uno minus agens, vir pluribus perfunctus laboribus, egregiis virtutum editis documentis. *Ita S. Theodori Vita.*

B d *Græce* ἔκειτο ὁ γέρων, ὥσπερ τι γέρας λίμιον ἠλοιμασμένος τὴν ψυχήν *eſt autem* γέρας, decus, præmium, *pro quo vertimus* xenium, *ut propius exprimeretur ejus quæ in Græco eſt ad vocum ſimilitudinem alluſionis elegantia; quam Sirletus neglexit, dum ita vertit*, Jacebat ſenex ille ſenio admodum honorato. D

e *Græce ſimpliciter eſt* ſancta ejus depoſitio, παράθεσις. *Sirletus*, commendationem *vertit : putavi menti auctoris propius acceſſuram paraphraſim.*

f *Vita S. Theodori :* In eo etiam abundantem Patriarcha caritatis ſuæ vim animique rectè compoſiti ſpecimen exhibuit. Accurrens ipſemet cum univerſo Clero ad monaſterium, moribundo Sancto adſtitit, totus in illum defixus, membra ejus omnia complectens, ſuaviterque ſingula deoſculans.

g *Ita ad verbum Græca. Sirletus vertit* juſti Lazari ejuſque diei feſti memoriam, *quale feſtum nullum habent Greci : ſed ſimpliciter memoriam, occaſione Euangelii pridie Dominicæ Palmarum legendi, ut ſupra dictum.*

h *Eadem Vita de ſepultura iſta addit* : Cui tamquam Patri Patrum cum Patriarcha innumeris luminibus thuriſque ſuffitu juſta perſoluiſſet, ægre tandem corpus ſepulcro condidit, multis undique confluentibus, ejuſque depoſitionem pro virili prohibentibus, ut qui nec mortuo quidem Sancto privari vellent. *Et ſub finem Vitæ iſta habentur :* In Studii monaſterio & Magni Platonis & Beati quoque Joſephi dives arca pariter aſſervatur : & corpus S. Theodori in Patrum thecam illatum eſt. E

DE SS. THEONA, SIMEONE, PHORBINO, APVD GRÆCOS.

G. H. 7 IV APRIL.

Cultus horum Sanctorum:

IN *Menologio Græco Cardinalis Sirleti, poſt relatam* commemorationem Platonis Abbatis monaſterii Studitæ, *de quo jam egimus, iſta adduntur :* Item Sanctorum trium, Theonæ, Symeonis & Phorbini. *Referuntur iidem poſt dictum Platonem, in Menæis & apud Maximum Cythereum his verbis :* Eodem die Sancti tres, Theonas, Symeon & Phorbinus in pace vitam finiverunt. *In diſticho Menæorum* invitatur cælum ut has tres animas ſuſcipiat ob vitam horum abſque macula peractam. *Reliqua latent quæ eſſent referenda ad exercitia virtutum, quibus excelluerunt; aut locum & tempus, in quo floruerunt; imo ſi conſiderentur ut ſolum cultus & venerationis die conjuncti; potuerunt illi diverſis locis & temporibus vixiſſe, quare multum ab eſt ut de ſingulis poſſimus aliquid certum proferre. Primo autem non memini-*

C *Phorbini alibi ignotus*

mus, nos de ullo Phorbino *aliquod encomium virtutis aut ſanctitatis reperiſſe.* Simeonis *nomen magis commune eſt, quod habuit* Simeon *celebris* Hieroſolymorum Epiſcopus & Martyr, *cujus geſta dedimus* XVIII *Februarij, uti biduo ante* Simeonis Epiſcopi Metenſis : *Sed qui ſimileſque huc non ſpectant. Propius accedunt* Simeon Stylita Senior *ad diem* V *Ianuarij relatus; &* Junior, *qui* III *Septembris colitur; aut qui* in monte mirabili vixit, *referendus ad* XXIV *Maij; nec non* Simeon Priſcus Abbas in Syria, *cujus geſta & miracula ex Philotheo Theodoreti atque ex Menæis dedimus* XXVI *Ianuarij, quos ab hoc* Simeone *diverſos arbitramur.*

Simeones plures Sancti.

2 *Alius eſt in eodem Theodoreti Philotheo* Simeon *ſocius Agapeti dein Epiſcopi Apameenſis. De his cap.* 3 *in Vita S. Marciani iſta leguntur :* Cum præteriiſſet aliquantum temporis, duos Marcianus admiſit contubernales, Euſebium qui ſacri illius tugurii fuit heres & Agapetum qui has Angelicas leges tulit Apamæam. Eſt enim quidam vicus maximus & populoſiſſimus, cui nomen Nicerte : in eo conſtruxit duo maxima philoſophiæ gymnaſia, quorum unum quidem eſt ab ejus nomine appellatum, alterum vero ab admirabili Simeone, qui quinquaginta annorum ſpatio refulſit in hac philoſophia. In his in hodiernum uſque diem degunt pluſquam quadringenti viri, virtutis athletæ, & amatores religionis verique Dei cultus, & qui ſuis cælum coëmunt laboribus. Hujus antem reipublicæ legiſlatores fuere Agapetus & Simeones, qui leges accepere à magno Marciano. Ab his autem plurima quæ plantata ſunt, exercitatorum virtutis habitacula, quæ quidem iiſdem legibus reguntur & inſtitutis, difficile eſt numerare. *Colitur magnus Marcianus,* XI *Novembris Martyrologio Romano inſcriptus : quidni etiam* Simeon *ſeu* Simeones *variorum monaſteriorum fundator poſſet cenſeri apud Orientales accepiſſe venerationem, & ſub ſe habuiſſe* Theonam & Phorbinum, *qui cum ipſo vitæ ſanctitate & miraculorum gloria effulſerint, & ſic ſimul eodem die fuerint in Menais & Menologio conjuncti?*

aliquis celebris, S. Marciani diſcipulus,

an alios duos ſecum habuerit?

F

3 *Alius interim Theonas multis miraculis clarus commemoratur à Palladio cap.* 50 *Hiſtoriæ Lauſiacæ his verbis :* Vidimus etiam alium non procul à civitate in ſolitudine, nomine Theonam, virum ſanctum, in domuncula ſeorſum incluſum, qui tempore triginta annorum ſilentium exercuerat. Is cum plurimas virtutes perageret, habebatur ab eis pro propheta. Exibat autem ad ipſum per ſingulos dies multitudo ægrotantium, quibus manus imponens per feneſtram, dimittebat eos abire ſaluos. Licebat enim videre ipſum habentem vultum Angeli, lætis oculis, & totum plenum maxima gratia. Is, cum non multo ante tempore latrones eum noctu invaſiſſent, exiſtimantes ſe multum auri apud eum inventuros, & vellent eum occidere, precatus eſt & manſerunt immobiles ad portas ejus uſque ad matutinum. Cum autem turbæ mane ad eum acceſſiſſent, & eos igni tradere in animo haberent, unum tantum verbum ad eos eſt locutus : Sinite eos abire ſanos; ſin minus, à me fugiet gratia curationũ. Ii vero ipſum audierunt: non audebant enim contra eum dicere : & protinus abiere latrones ad ea quæ erant circumcirca monaſteria, mutati moribus, & de iis quæ fecerant ducti pœnitentia. Erat autem vir eruditus in triplici gratia ſermonum, in ſcriptis Romanis, Græcis & Ægyptiacis,

Theonas ſanctitate celebris in Ægypto. laudatur à Paladio

ob manſuetudinem erga maleficos,

atrium linguarum peritia,

A gyptiacis ſicut à multis & ab illo ipſo audivimus. Cum enim nos agnoviſſet eſſe hoſpites, ſcribens in tabella, Deo propter nos egit gratias. Comedebat autem ſemina non cocta. Noctu autem, ut aiunt, egrediebatur è cella, & congregabatur cum feris, & eas potabat ex ea quam habebat aqua: erat enim videre veſtigia bubalorum & onagrorum & quarumdam caprearum circa ejus monaſterium, quibus ſemper delectabatur. *Hæc Palladius, quæ eadem, aliquot additis hinc inde circumſtantiis, leguntur lib.2 de Vitis Patrum, qui Ruffino tribuitur, cap.6, ubi* Theon *appellatur. Sozomenus lib.6 Hiſtor. Eccl. cap.28 agit de Viris ſanctis, qui in Ægypto tempore Valentiniani & Valentis Imperatorum floruerunt, & inter alia refert iſta:* Item Benus & Theonas conventus rexere monachorum, viri divina præ-

à victus aſperitate.

ſcientia & prophetia repleti. Traditur quidem Theonas doctrinæ Ægyptiorum, Græcorum & Latinorum peritus fuiſſe, & ad triginta annorum ſpatium ſilentium exercuiſſe. *Sozomenum deſcripſerunt Caſſiodorus lib.8 Hiſtoriæ tripartitæ cap.1 & Nicephorus lib.11 cap.34. Hæc placuit adferre, dum alia antiqua monumenta de his Sanctis deſunt; at oſtendamus hos eoſdem aut aliquos illis in ſanctitate etiam majores, potuiſſe apud Orientales habitos fuiſſe inter Sanctos, uti hoc tempore in Menæis Græcorum referuntur: qui etiam ſive illi cum Theonâ in Ægypto, ſive cum Simeone in Syria floruerint, aut ſi in diverſis regionibus vixerint, ſint tamen ob idem genus vivendi ſimul in veneratione conjuncti, quemadmodum ſæpius fieri apud Latinos Breviarium Romanum demonſtrat.*

AUCTORE G. H.

DE SANCTO GVIERO

IN CORNVBIA APVD ANGLOS.

G. H.

IV APRIL.

B

In Cornubia fuit Eccleſia S. Guieri,

Ornwallia, *à recentioribus* Cornubia *dicta, olim Danmoniorum Sedes, & regni Occiduorum Saxonum illuſtris Comitatus, maxime totius Britanniæ in occidentem ſolem vergit. In hujus provinciæ* Hundreda Weſta *locus ſignatur* S. Neoths, *de quo Cambdenus iſta habet:* Leskerdæ adjacet, quæ olim Eccleſia S. Guerir, id eſt, ſi interpreteris Britannice, Sancti Medici: ubi, ut ſcribit Aſſerius, Rex Alfredus in oratione proſtratus, ex morbo convaluit. Cum autem Neotus vir eximia ſanctitate in eadem eccleſia poſtea conderetur, alterius lumini ita præluxit, ut in-

dein S. Neoti dicta:

de Neoteſtow, id eſt, Neothi locus; nunc S. Neots vocaretur; virique religioſi, qui ibidem Deo famulabantur, Clerici S. Neoti dicerentur, ſatiſque opimos reditus habuerunt, ut in libro Guilielmi Conqueſtoris videre eſt. *Hæc Cambdenus. Colitur S. Neotus* XXXI *Iulij, quo die mortuus dicitur in Vita à Capgravio edita, & annus mortis ſtatuitur* DCCCXC *apud Alfordum in Annalibus Eccleſiæ Anglicanæ.*

2 *De morbo Alfredi Regis depulſo in Rebus ejus geſtis ſcribit Aſſerus auctor coævus:* Cum nuptias honorabiliter

ibi Alfredus Rex

in Mercia factas, inter innumerabiles utriuſque ſexus populos, ſolenniter celebraret, poſt diuturna die noctuque convivia, ſubito & immenſo atque omnibus medicis incognito, confeſtim coram omni populo, correptus eſt dolore. Incognitum enim erat omnibus, qui tunc aderant, & etiam huc uſque quotidie cernentibus, quod, proh dolor! peſſimum eſt, tantam diuturnitatem, à viceſimo ætatis ſuæ anno uſque quadrageſimum & eo amplius annum, per tanta annorum curricula inceſſanter protelaſſe, unde talis dolor oriebatur. Multi namque favore & faſcinatione circumſtantis populi hoc factum eſſe autumabant: alii diabolica quadam invidia, qui ſemper bonis invidus exiſtat: alii inuſitato quodam genere febris: alii ficum exiſtimant, quod genus infeſtiſſimi doloris etiam ab infantia habuit. Sed quodam tempore divino nutu, ante cum Cornubiam venandi cauſa adiret, & ad quamdam eccleſiam orandi cauſa divertiſſet, in qua Sanctus Gueryr requieſcit, & nunc etiam Sanctus Neotus ibidem pau-

C

gravi morbo detentus,

proſtratus in orationem fuit liberatus,

ſat, ſublevatus eſt. Erat enim ſedulus ſanctorum locorum viſitator, etiam ab infantia, orandi & eleemoſynam dandi gratia. Ibi diu in oratione tacita proſtratus, ita Domini miſericordiam deprecabatur, quatenus omnipotens Deus, pro ſua immenſa clementia, ſtimulos præſentis & infeſtantis infirmitatis, aliqua qualicunque leviore infirmitate mutaret, ea tamen conditione, ut corporaliter exterius illa infirmitas non appareret, ne inutilis & deſpectus eſſet. Timebat lepram aut cæcitatem, vel aliquem talem dolorem, qui homines tam cito & inutiles & deſpectos ſuo adventu efficiunt. Oratione autem finita cœptum iter arripuit, & non multo poſt tempore, ut in oratione deprecatus fuerat, ſe ab illo dolore medicatum eſſe divinitus ſenſit, ita ut funditus eradicaretur. *Hæc Aſſerus, qui ante ſcripſerat, anno* DCCCLXVIII *Alfredum ætatis ſuæ anno* XX *uxorem duxiſſe, quam poſt mortem Alfredi viduam ſe noviſſe ſcribit Aſſerus: proinde ſanatus eſſet Alfredus circa annum* DCCCLXXXVIII; *niſi alius morbus, quem in adoleſcentia habuiſſet, dicatur ante nuptias contractas, ſublatus, uti cenſet Alfordus in Annalibus ad annum* DCCCLXXI, *ubi de S. Guiero agit.*

E

3 *Auctor Martyrologii Anglicani, excuſi anno* MDCVIII *& recuſi anno* MDCXL, *conatus ſingulis diebus aſſignare aliquem Sanctum, qui in Anglia, Scotia aut Hibernia floruerit, ad hunc quartum Aprilis collocat S. Guerirum, citato* Matthæo Pariſienſi in hiſtoria majori, ad annum DCCCLXXI, *ex antiquis Britanniæ monumentis. Dicitur ea hiſtoria extare* in bibliotheca Sidneiana. Verum, *ut ſcribit Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib.2 cap.58,* pars iſta utrum fuerit Matthei Pariſii, an alterius, viderint, qui viderunt. *Hoc citato auctore, Auctor dicti Martyrologii aſſerit* S. Guierum Sacerdotem fuiſſe & eremitam, qui ſeverum vitæ genus in Danmonia profeſſus, magnam ſanctitatis opinionem collegit, meruitque à provincialibus coli, erectis templis & altaribus. *Eumdem* S. Gunerum Presbyterum in Anglia *retulit in Catalogo Generali Ferrarius ad hunc diem: quod nos etiam facimus, hactenus non aſſecuti alium veneration is & cultus Eccleſiaſtici diem, multo minus annum aut ſeculum, quo floruerit aut ad Chriſtum migrarit.*

F

S. Guierus colitur 4 Aprilis.

creatur Sacerdos & eremita viſſe.

DE B. GVILLELMO CVFFITELLA,

EREMITA SICLI IN SICILIA.

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§. 1. Hujus Beati cultus: Vitæ conſcriptæ à variis.

CIRCA AN. MCCCCXV. SIclis, *ſeculo ſuperiori*, Xichilis & Xiclis, *novæ appellationis ſed inſigne oppidum, nomen ab alluente fluviolo ſortitum eſt, in eo Trinacriæ cornu, quod Pachinum Promontorium reſpicit, haud procul à Netina civitate, ad Dominium Comitum Motycenſium pertinens. Ibi in præcipua, quæ D. Mattheo ſacra eſt, æde Patronus colitur, religione omnino ſingulari*, die octava poſt feſtum Reſurrectionis Dominicæ, *B. Guillelmus Eremita, ex Pauli Papæ III indulto, poſtquam de vita, miraculis & fama ſanctitatis manifeſtiſſime conſtitit eccleſiaſtico Iudici, ad hoc deputato, per teſtes bene multos qui in fine anni* MDXXXVII *& initio ſequentis, Panormi Siclique auditi ſunt. De hoc* Beato (Sanctum *etiam multi abſolute vocant, & cum hoc titulo habemus impreſſam Miſſam propriam anno* MDCXXXVI) *de hoc, inquam, Beato acturi, nihil habuimus antiquius, quam adipiſci prædicti Proceſſus Acta, ex quibus unis ſolide videbamur poſſe concludere, quid de ipſo ab antiquis ſcitũ ac creditum fuerit; quid vero per novas conjecturas opinationeſque ſit adjectum hiſtoriæ, ab auctoribus pluribus hoc ſeculo conſcriptæ, cum non modica, ut videbatur, perſonarum ac temporum confuſione.*

An. 1538 decreta feſtivitas ut Beato,

B

poſt Proceſſus factos, qui hic dantur.

2 *Competes hujus voti fecit nos Criſpinus Majus, Societatis Ieſu, inſignis in provincia Sicula per annos viginti concionator, nunc vita functus; noſtramq; ſupplicationem Iudicibus ac Iuratis loci eo ſucceſſu obtulit, quem ſignificat ipſorum hujuſmodi reſponſum,* XXVIII *Apr. anni* MDCLXX *datum;* Quã gratæ nobis acciderint & quo plauſu acceptæ ſint litteræ veſtræ, non facile poſſumus explicare verbis. Cum enim ageretur de noſtro S. Guillelmo, id eſt de oculorum noſtrorum pupilla & inæſtimabili margarita noſtri pectoris; vidimus cum gaudio, & cum approbatione admirati ſumus eximiam diligentiam, qua ſuſcepiſtis tractandam rem tam gravem & Catholicæ Religioni tam proficuam, quam eſt Sanctorũ accurata illuſtratio ex antiquiſſimis & primigeniis monumentis. Ingentes igitur gratias agendo pro eo quod tam luculenter tractandum vobis propoſueritis de ſancto Patrono noſtro, juſſis veſtris, quoad potuimus, obtemperavimus ad amuſſim, mittimuſque imprimis deſideratam copiam Proceſſus, de verbo ad verbum fideliter deſcriptam ex originali, quod ſervatur in ipſa arca argentea, nuper à nobis extructa.

C

An. 1602,

3 *Quieſcebant ſacra oſſa, cum iſte Proceſſus conderetur, in lignea capſula intra tumbam, elatiori ſupra pavimentum loco, in parte templi præcipua, proſtantem; magnificam illam quidem, qualem tunc neque Xicli neque alibi in vicinia quiſquam mortuus habebat; lapideam tamen. Sed hæc nimium vilis materia eſt viſa piis Xiclenſibus. Ergo anno* MDCII *facta eſt arca nova, argenteis obtecta laminis, operis, ut ea ferebant tempora, elegantis, teſte Rocchо Pirrho. Anno* MDCXXXVII *condita eſt elegantior ſtatua, ex eadem materia affabre laborata. Neque tamen vel ſic factum eſt pietati ſatis, ſed rurſus anno* MDCLXVI *efferbuit zelus magis honorandi tam carum tamque beneficum Sanctum,* cœptaque eſt fieri alia arca, amplior atque auguſtior, in qua cum pretio gravis argenti artificum certaret induſtria, celatis circumcirca præcipuis Sancti geſtis, opere tam exquiſito & delicato, *inquit Criſpinus Majus in ſua hac de re epiſtola*, ut omnes hujus Provinciæ argenteas arcas, quas, in hoc meo concionandi munere eamdem quaquaverſum perluſtrans, Panormi, Meſſanæ, Catanæ & alibi multas & ſplendidas vidi, noſtra hæc vel æquet vel ſuperet. Talem autem habet inſcriptionem: Anno Domini MDCLXX. S. Guillelmo Siclis Patrono, aureum hoc opus, ut argenteum, poſuere Patres, Caſmeneæ civitatis Filii, D. Petrus Carthia Baro, D. Didacus de Aritiis, D. Jacobus Fiachella, D. Carolus de Angelo, exiguum ſummi amoris ac pietatis argumentum. Caſmenas *olim fuiſſe*, ubi nunc Xiclis, dixerim vel divinarim, *inquit Cluverius in ſua Sicilia: hac divinatione uſus pro certa ſententia auctor inſcriptionis*, Caſmeneæ civitatis filios *Xiclenſem Magiſtratum vocavit.*

& 1670 argenteæ arcæ corpori factæ

4 *Vitam Sancti primus conſcripſit, & Siculo Carmine antiquo vulgavit Vincentius Torres, quam in epitomen redegiſſe & Latine reddidiſſe fertur Vincentius Littara, Doctor Theologus. Neutrius ſcripti apud Siclenſes exemplaria ſuperſunt: quorum ſi etiam poſt hæc edita nanciſcamur copiam (nam allaboraturos ſe ut inveniantur perquam humaniter Iudices & Iurati promiſere) licebit cognoſcere, an quæ nunc in Corradiade Littaræ prolixe leguntur, de modo quo ad divinum famulatum converſus Guilielmus, quoque cum B. Conrado Eremita urbis Netinæ Patrono Neti converſatus dicitur, ſolidius aliquid antiquiuſque fundamentum habeant quam poëticam fingendi licentiam. Talem ſibi videtur arrogaſſe Littara, heroicum illud opus conſcribens de B. Conrado, quod anno demum* MDCVIII *poſtumum prodiit: cum antea ejuſdem B. Conradi vitam proſa ſcripſiſſet, qualis à nobis eſt* XIX *Februarij edita; nuſquam omnino indicans, quod Guillelmus Bucherius, cujus familiaritate Neti uſus eſt Conradus, priuſquam ad ſolitudinem ſe reciperet, idem fuerit cum eo qui poſtea Xicli vitam eremiticam duxit; ubi non alio quam* Cuffitellæ *cognomine notus fuit, totis duobus à morte ſua ſeculis.*

Vita à variis ſcripta & edita

E

anno 1608,

5 *Vt ut ſit, omnes poſt ſecuti auctores, ne minimum quidem dubitavere, quin unus idemque foret. Tali fundamento ſuam* 1630. *inædificavit hiſtoriã Bartholomæus Majus, Criſpini prænominati patruus, noſtræ item Societatis, vir eruditionis notæ & auctoritatis magnæ, utpote bis ſocius Provincialis, Rector Catanenſis Collegii, Magiſter Novitiorum Meſſanæ & Inſtructor Patrum in tertia Probatione ſe exercentium: à quo conſcripta Vita prodiit Panormi, anno* MDCXXX, *ſub nomine Antonini Miceli Eccleſiæ Siclenſis Curati. Decennio poſt B. Guillelmi vitam, idiomate ſimiliter Italico ſed ſtylo magis luxuriante,* 1640. *ſcripſit ediditque Neapoli D. Marianus Perellus Siclenſis, ſacri Ordinis Hieroſolymitani Religioſus; non magni faciendã, quia præter Corradiadem Littaræ nihil ſe habuiſſe, quod ſequeretur, ingenue eſt profeſſus: cum prior iſte etiam habuerit Proceſſus prænotatos, unde & miracula nonnulla ſelegit. Deniq; Octavius* 1658. *Cajetanus noſter in Actis Sanctorũ Siciliæ, editis* MDCLVIII, *prænominatis omnibus auctoribus nec non MSS. Proceſſibus uſus, Vitam collegit & quadamtenus illuſtravit.*

F

6 *Hanc poſtremam, & quia Latine, & quia ſuccinctius ſcripta minus diffluit in iis quæ dubia nobis videbantur, prælo paraveramus, una cum miraculis ex Majo acceptis eique Annotationes operoſas attexueramus, ne, quid alii de Sancto diverſe ſcripſiſſent, omnino ignoraretur. Verum antiqua tandem, ut optabamus, Acta accepimus: quibus in hanc quam vides formã redactis, ne tædio foret prolixitas (ſic tamen ut nec unicũ quidem verbum ad hiſtoriam neceſſarium omiſſum ſit, nullum ex noſtro aut recentiorum auctorum conjecturis additum) continuo diſſipatæ ſunt tenebræ, quibus hærebamus impliciti; apparuitque quam nullo aut levi fundamento de genere, ætate, converſionis principio, ac mortis anno definita ſint pleraque, quæ nobis, etiam antequam documenta vetera legiſſemus, propter implexos anachroniſmos ſuſpecta eſſe cœperant de falſitate. Ergo omiſſis omnibus aliorum ſcriptis, quæ niſi quatenus inde hauſirã*

ſed omnibus præferenda Acta Proceſſuum.

A *hauriri vel mediate vel immediate potuere, vix ullam obtinent auctoritatem: hæc ſola operi noſtro inſerenda putamus; & quidquid proximiori memoria hominum, quæ de Beati vita audiviſſent certatim afferentium, ignotum latuit; ita exiſtimamus bene ſciri non potuiſſe poſt plura ab obitu Beati ſecula, abſque vetuſtiorum, quæ nulla allegantur, documentorum ſuffragio.*

§. II. Beatorum Guillelmi & Conradi Ætas.

In Actis nuſquam certo definitur annus mortis

7 *PRima de tempore mortis dubitatio nobis fuerat, ex qua aliæ plures videbantur pendere: nam hinc quidem B. Conradi obitum ad annum* MCCCLI *relatum videbamus; inde B. Guillelmi exceſſum à pleriſque dilatum ad* MCCCCIV. *Interrogati Teſtes, quorum nemo B. Guillelmum cognoverat, plerique reſponderunt* de tempore mortis ſe ignorare. *Pauci quidam ſeniores qui aliquid certi videbantur dicere, incertos nihilominus nos dimiſere: dum unus quidem dicit annos plus quam* CLX *effluxiſſe ab obitu Beati, ex cujus calculo is accidiſſet ante annum* MCCCLXXVII; *quinque alii ante annos centum quinquaginta: unde rurſum decennium detrahit Teſtis* XI; *alius vero Teſtis decennium alterum, ſic ut ſolum dicat obiiſſe Beatum ante annos centum triginta; quo calculo*

B *potuiſſet Gullielmus vivendo attigiſſe initium ſeculi* XV: *quandoquidem examen factum ſuper his ſit ſeculo* XVI *uſque annum* XXXVIII *promoto. Deſperata igitur ex hac parte dubii noſtri ſolutione, videndum an non alia via pateat in Actis, per quam valeat certius aliquid definitiuſque cognoſci. Hoc autem videtur fieri, poſſe attentis iis, quæ de ſua aliorumque, & ſibi notorum & tamen cum B. Guillelmo converſatorum, ætate depoſuere quidam, non ex auditu per conjecturam, ſed ex propria certaque ſcientia.*

ex eo tamen quod Beato familiares quidam

8 *Fuerunt B. Guillelmo familiares, tum alii qui in proceſſu nominantur, confratres eccleſiæ S. Mariæ de pietate, juxta quam eremitorium ſuum ille habuerat, tum imprimis Paulus Guiccionius, quem admodum ſenem virumque probum, cognoviſſe ſe dixit Teſtis* IV *annos natus* LXXX. *Vivebat ergo adhuc Paulus circa annum* MCCCCLXVII. *Teſtis* VIII *annos natus* CVI *dicit, quod eumdem Paulum alioſque Confratres cognoverit ante annos* LXXX. *Ergo iterum illi adhuc vivebant ſaltem* MCCCCLVIII. *Teſtis* X *annorum* LXXXVIII *ſenex, quæcumque ad varios articulos præſertim* I, III, IV, X *reſpondit, ea ſe dixit puerum duodennem, ex ipſo Paulo coram Confratribus, audiviſſe: Ergo anno*

vixerint ultra annorum 1460 *Chriſti* MCCCLX *adhuc ſupererant & Paulus & alii qui corpus B. Guillelmi ad ſepulturam aptarant. Idem vero teſtis,*

C *ubi de tempore mortis iſtorum Guillelmi amicorum agit, dicit eos mortuos eſſe ante annos* LX, *adeo ut ſecundum hunc calculum Paulus vixiſſe potuerit uſque ad* MCCCCLXXV *& ultra. Quid autem Pauli uxor Garita ſeu Margarita? De ea Teſtis* XVI, *anus annorum* XC, *deponit, quod puella exiſtens ab illamet audiverit dici, quomodo ſolita fuerit eleemoſynis ſuis B. Guillelmum ſuſtentare. Demus tantum annorum* XIV *fuiſſe Teſtem cum iſta audivit; oportet tamen adhuc vixiſſe Garitam anno* MCCCCLX.

conficitur ante an. 1410 non obiiſſe B. Guillelmū,

9 *Ex his ſic concludo. Familiam alebant Paulus & Garita, quando in eorum amicitiam inſinuavit ſeſe Beatus, quod ſaltem decennio ante mortem factum; adeoque ætatis annum ſaltem* XL *Paulus,* XXX *agebat Garita, quando Guilielmus ad ſuperos abiit. Demus nunc mortuos poſt annum Chriſti* MCCCCLX *fuiſſe hanc octogenariam, nonagenarium illum: non poterit iſtis ſic poſitis mortuus fuiſſe B. Guillielmus ante annū* MCCCCX; *ſed bene potuit diutius cum illi ſuis amicis vixiſſe, eoque diutius quo longiori tempore eumdem Sicli converſatum ſtatues: adeoque præfati Teſtes tantum indefinite & indeterminate intelligendi ſunt, de longo ſpatio, & quod ipſorum notitiam præceſſerit; non autem præciſe de eo quod nominavere, nedum de majori: alias non potuiſſent jam adulti cog-*

neque ejus amicum B. Conradum ante 1400. *noviſſe Paulum, neque Paulo Guillielmus uſus eſſe tam familiariter. Idem porro etiam in B. Conrado valet: miraculum enim quod accidit in laganis, è domo Pauli ad Guilielmum delatis, accidit occaſione Conradi, qui Guillelmum viſitaturus advenerat, fortaſis immediate ante ſuam mortem: adeòque etiam hic debuit ad finem uſque ſeculi* XIV *vivendo perveniſſe, ſi non & ſeculo* XV *vixit per annos decē aut plures.*

10 *Aſt Littara & ceteri Littaram ſecuti obiiſſe dixerunt Conradum anno Chriſti* MCCCLI. *Exigua profecto accuratione hiſtoriæ. Expendiſſet Breve Leonis* X, *quo declarat* quod, *juxta expoſitionem ex parte Netinorum ſibi factam,* jam CLX annis & ultra elapſis, bonæ memoriæ Conradus Placentinus, de nobili genere procreatus, ad dictam terram accedens, in quodam eremitorio in certa ſilva prope dictam terram conſiſtente, uſque ad ultimum vitæ ſuæ laudabilem & eremiticam vitam duxit. *Age nunc, & ab annis* MDXV (*tunc enim ſcripſit Leo Papa*) CLX *annos detrahe: & ad* MCCCLV *retrogradiendo pervenies, deprehendeſque prius mortuum à Littara Conradum ſtatui, quam in Siciliam adveniſſe putaverint ii, qui integro ſeculo Littara ſeniores ſcrutati ſunt antiqua de eo ſcripta, de Quatuor-virorum mandato ſtatim ab obitu ejus confecta, ut ſcribit ipſe Littara. Excuſandus tamen Littara eſt, quia etiam Iacobus Humana, Syracuſani Epiſcopi Vicarius, executus quæ dicto Brevi præſcribebantur, verba Netinorum de tempore quo ad ſuam civitatem vivens venit Conradus, intellexit de tempore quo jacuit apud eos in ſepulcro mortuus, uti patet ex ipſo diplomate quod habes in commentario noſtro ad Acta prævio.* E *Cum autem ob ulpam, juvenili omnino levitate commiſſam, patria ſua exceſſerit Conradus, & Netum advenerit, annos fortaſſe vix amplius quam triginta natus; ſenex vero obierit, uti & Guillielmus; nihil prohibet quo minus dicamus, fuiſſe coætaneos, eoque ad nectendam invicem amicitiam proniores.*

qui circa an. 1355 Netū advenit

§. III. Guillielmus Bucherius, à B. Guillielmo diſtinguendus.

Erat hic ſenex cum B. Conradus juvenis commendatus ei fuit

11 QVærendū *nunc quis Guillielmus ille Bucherius fuerit, cui adveniens Netum Conradus adhuc juvenis fuit, ut ſcribit Littara, commendatus. Fuerat hic in obſequio Frederici Regis venantis, dum ejus periculum in ſe convertit, apri ferocis dente læſus, indeque per omnem vitam elumbis & claudus Netum ſe contulerat, in conceſſas ſibi à Rege domunculas juxta ædem Crucifixi; ubi eum filius ſuus Petrus alere ac viſcere ſolitus, non tulit tantam patris familiaritatem cum hoſpite peregrino, eaque ſua moroſitate effecit, ut brevi alio Conradus migrarit. Oportet pleñæ maturæque ætatis iſtum fuiſſe Guillelmum, qui tam provectum habebat filium maxime ſi in obſequio Friderici II, ut omnes ſcribunt, accepit prædictum vulnus, jam tunc matrimonio illigatus: obiit enim hic Rex anno Chriſti* MCCCXXXVI, *ætatis ſuæ anno* LXV, *quando*

F *eum & ſenio gravem & bellis ſeditionibuſque domi at foris diu exercitum, adeo fuiſſe addictum venationi, ut vitam quoque ſuam exponeret, non eſt veroſimile. Quid ſi igitur caſus jam memoratus non acciderit anno* MCCCXXXIII, *ut ſcripſit Cajetanus noſter, ſed longe citius, ſcilicet vel principio ſeculi, poſtquam pax cum Andegavenſibus inita eſt ea conditione, ut ſolum Trinacriæ Rex diceretur Fridericus; vel anno* MCCCXV, *quando iterum obtigere Regi menſium aliquot induciæ: tunc enim virili hic pollebat robore, & congruis ætati exercitiis oblectari poterat, quietem aliquam nactus. Ita autem etiam ſexagenario majorem oporteret fuiſſe Guillielmū Bucherium, quando in Siciliam Conradus appulit: qui idem, Guillielmus ſi poſtea Xicli vixiſſet uſque ad annum* MCCCCIV, *ut paſſim aiunt, vel etiam diutius, uti nos ſentimus; profecto non jam octogenarius nonagenariuſque obiiſſet, ſed longe major centenario. Et hæc eſt ſententia Doctoris Franciſci Boni, qui ultimus Vitam B. Guilielmi ſcripſit, eamque ad annos centum viginti prorogavit.*

ac proinde alius à noſtro Beato

quod & diverſum familiæ nomen indicat.

12 *Sed nihil eſt opus tam incongrua admittere. Si nobilis inter Netinas fuit familia Bucheria, non fuit ignota omnino altera, quæ Cuſſitellæ gerebat cognomen, quamque etiam hodie ibi ſupereſſe perſcriptum inde nobis eſt. Bucheriæ ullas extare reliquias negat per epiſtolam Criſpinus Majus. Sed facile fuit, ſi non à familia, ſaltem à Bucherio oppido, un-*

AUCTORE D. P.

de vel natus vel oriundus fuerit Guillelmus iſte, Petri pater, eidem inter Netinos commoranti cognomen adhæſiſſe. Facile etiam fuit poſt duorum & amplius ſeculorum decurſum, hunc, quamvis Neti, poſt actam in hoſpitalitatis officiis vitam laudabilem, mortuus fuerit ac ſepultus, ibidem venire in oblivionem; quia nullis ſeu vivus ſeu mortuus clarebat miraculis, & ſolus in ore ac veneratione civium verſabatur Conradus. Cum autem è vicina Xicli audirentur æque magna ac glorioſa de Guilielmo eremita, qui & Neto veniſſet Xiclim, & B. Conrado fuiſſet familiaris; nihil pronius fuit quam ut Litara, aut ſimilis aliquis, auctoritatis quam accurationis majoris ſcriptor, Netinis primum, deinde & Xiclenſibus, perſuaderet, ipſorum Patronum eſſe ipſum qui adveniente Netum Conrado inhabitabat domunculas ad ædem Crucifixi, obtentas à Rege Friderico in ſuum hoſpitumque peregrinorum uſum, & in præmium generoſæ fidelitatis.

& ſeniorum Siclenſium

13 *Sed talem perſuaſionem primum deſtruunt rationes chronologicæ à nobis deductæ: deinde Acta proceſſuum habenti non poteſt ulla ratione videri probabile, quod ſi ea quæ de Guilelmo Bucherio dicuntur, ad eremitam Xiclenſem pertinuiſſent, nihil eorum vel ex ore Pauli Guiccionii vel ex vulgi ſermonibus ſciviſſent narrare tot cives Xiclenſes, ſaltem ætate proviectiores: ſolet enim præ virtutibus internis ſuſpicere vulgus decora externa Sanctorũ, qualia erant in Guil-*

B

lelmo Bucherio, propulſatum regiæ vitæ periculum cum diſcrimine propriæ, & reciproca Regis erga bene meritum liberalitas; piæ hoſpitalitatis exercitium per annos aliquot,

de rebus alias memorandis ſilentium.

cum publico boni exempli fructu continuatum; elumbis inperpetuum corporis baculoque ſuſtentandi claudicatio; filius apud Netinos honeſta in fortuna relictus, propagataque ex eo familia ac nepotes, cum examen fieret adhuc ſuperſtites, ex quibus multa de avi vita Neti acta diſci atque haberi potuiſſent. Nihil interim aliud dixere Xiclenſes quam Neto veniſſe: neque eatenus ipſis inde innotuerat quidquam, propter quod operæ pretium eſſe putabant illuc ablegare Commiſſarium, de priori Patroni ſui vita informandum; quod utique facillimum fuiſſet ob loci viciniam, & antiqua documenta de B. Conrado publicii ibidem ſcriptis ſervata, nec non proceſſum itidem illic Epiſcopi Dalmatii juſſu formatum anno MCCCCLXXXV, *in quo teſtes pluſquam quinquaginta auditi, ac rurſum anno* MDXV, *prout in ſuo Diplomate affirmat Vicarius Syracuſanus.*

poterunt hæc ex antiquis de B. Conrado Actis confirmari

14 *Vtinam nobis Februarium condentibus ad manum Proceſſus iſti fuiſſent, nec non ſcripta eorum, quos Petrus Maria Campi ſcribit, de mandato Quatuor-virum, ſumma fide conſignaſſe litteris quæcumque aut ab eo geri viderant ipſi, Sacellanus ſcilicet S. Petri, Conradi Confeſſarius, & Fr. Michael Lombardus, eidem ſancto familiaris; aut geſta fuiſſe didicerant ex aliis, ac præſertim Guil-*

C

lielmo, non quidem Bucherio Neti (hunc enim credimus mortuum eſſe diu ante Conradum) ſed Coſſitella Xicli, quicum totam unam Quadrageſimam, ac fortaſis extremam, in piis colloquiis tranſegerat Conradus, ut ex his Actis infra patebit. Hæc monumenta ſi aliquando pro iſtius menſis ſupplemento nanciſcamur, ſicut nunc Littaræ chronologiam circa B. Conradum reformavimus; ita fortaſis haud pauca narrationis ab eo propoſitæ puncta reprobabimus, eorumque loco ſubſtituemus certiora quam plurima divinorum miraculorum decora, quibus Sanctum ſuum glorificavit Deus. Faveant, modo piis votis Netini cives, cum viderint tanta fide diligentiaque expoſita, quæ ſola credi recipique merentur, de ſuo pariter cive Guillelmo Cuſſitella: abſit enim ut contra acceptam à majoribus Xiclenſium traditionem, velimus cum aliquibus dubitare, an vere fuerit patria Ne-

ſi ea nanciſcamur.

tinus.

ACTA PROCESSVS, circa vitam, virtutes & miracula B. GUILLELMI.

Ex MSS. authenticis, una cum Beati corpore aſſervatis, de mandato Judicum & Juratorum terræ Siclis notarialiter tranſcriptis, & hic Latine redditis.

CAPUT I.

Litteræ Commiſſoriales, & Interrogatorium Teſtibus proponendum.

D

1 IEſus adſit. Nos Joannes Antonius *a* Phaſſides, in ſacris Litteris profeſſor, Vicarius Generalis civitatis & Archiepiſcopatus Montis regalis, Judex eccleſiaſticus, delegatus per ſpectabilem Don Joannem Antonium *b* Pulleonem, Baronem Burgii, Gubernatorem dictæ civitatis & Archiepiſcopatus, & in hoc Siciliæ regno Apoſtolicæ Sedis Nuntium; Reverendis Dominis Don Joanni li Donni, Canonico Syracuſano; & Magiſtro Dominico Sandolina, ſacræ Theologiæ profeſſori, Ordinis Prædicatorum; cui vel quibus præſentes pervenerint, & quandolibet exhibitæ vel præſentatæ fuerint; amicis noſtris in Domino Jeſu Chriſto cariſſimis.

a Vicarius Montis Regalis, Judex conſtitutus.

b

E

2 Quia fuit nobis ad petitionem & inſtantiam Magnificorum Juratorum, Judicum, & Univerſitatis terræ Xicli, Syracuſanæ diœceſis, porrectum, exhibitum & præſentatum quoddam Breve, inſcriptum prædicto Don Joanni Antonio Pullioni tenoris & continentiæ ſubſequentis

per Nuntiũ Apoſtolicũ,

PAULUS PAPA TERTIUS

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis fecerunt dilecti filii, Jurati, Judices ac Univerſitas hominũ terræ Xicli, Syracuſanæ diœceſis, quod licet in eccleſia S. Matthei requieſcat corpus quondam Guillelmi Cuffitella, olim ejuſdem terræ incolæ; qui dum vixit, adeo exemplaris vitæ & Altiſſimo devotus fuit, ut poſt deceſſum pluribus miraculis claruerit & clareſcat indies; & propterea non ſolũ ab eiſdem Exponentibus, verum etiam omnium vicinorum locorum Chriſti fidelibus, in maxima veneratione habeatur, & magna ad ipſam eccleſiam populi multitudo confluat: & ipſi Chriſti fideles, dum eorũ petitiones quas Deo faciunt voti compotes fiunt, ejuſdem Guillelmi interceſſione preces ſuas exauditas fuiſſe per teſtes teneant: & plures variis infirmitatibus oppreſſi, ipſius Guillelmi ſepulcrum viſitantes, ad priſtinam ſanitatem reſtituantur: quia tamen ipſe Guillelmus in Sanctorum catalogo nominatus non exiſtit, non audeant, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, eum publice venerari. In præſenti cupiũt Exponentes, ut ſingulis annis, octava die feſtũ Reſurrectionis Dominicæ immediate ſequenti, feſtum & Officium ejuſdem Guillelmi in eccleſia & terra prædictis, ſub officio Confeſſoris non Pontificis, celebrari facere poſſint, per dictam Sedem eis licentiam concedi: quare pro parte eorumdem Exponentium nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut votis eorum in præmiſſis annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui Chriſti fidelium quibuſlibet votis, præſertim quæ ex devotionis fervore prodire conſpicimus, libenter annuimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; tibi per præſentem committimus & mandamus, quatenus, ſi facta ſuper præmiſſis

cui Paulus 3 ad inſtantiã Siclenſium,

F

ob ſanctitatẽ & miracula Guillelmi,

petentium licentiam feſta celebrandi.

missis diligenti inquisitione; per personam in dignitate ecclesiastica constitutam, ad hoc per te eligendam, præmissa veritati inniti intellexeritis; ut dicta persona indignitate ecclesiastica constituta præfatis Exponentibus licentiam hujusmodi concedat. Nos enim tibi, & in eventum prædictum etiam personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, super præmissis omnibus & singulis, juxta tenorem suprascriptum, plenam concedimus licentiam & facultatem, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod dictus Guillelmus propter præmissa canonizatus non censeatur. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo piscatoris, die XXVII Junii MDXXXVII Pontificatus nostri anno tertio.

causam commiserat,

3 Ob quod opus est, ut fiat super præmissis diligens inquisitio, pro veritate intelligenda, & quod recipiantur testes ad eorumdem magnificorum Juratorum, Judicum & Universitatis instantiam. Et non valentes nos personaliter adesse; confisi admodū de probitate ac moribus & vita vestris, harum nostrarum litterarum serie, vobis & cuilibet vestrûm, tam conjunctim quam divisim & in solidum (ita quod si unus inceperit, alter prosequi valeat, mediare & finire; & tantum valeat, quantum si per ambos actum extiterit) dicimus, committimus, & auctoritate qua fungimur præcipiendo mandamus, ac omnimodam auctoritatem nostram in & circa præmissa & infrascripta damus & impartimur; quatenus omnes & quoscumque testes, quos dicti magnifici Jurati, Judices & Universitas præfatæ terræ Xicli, seu alter pro eis, producere voluerint, super memoriali & capitulis hodie præsentatis, præsentibus intercluſis, illos per magistri Notarii seu magistrorum Notariorum idoneas & virtutum personas, per vos & vestrum quemlibet fideliter eligendas, recipi & examinari facere debeatis; bene & diligenter ut decet, animo tantum legali, interrogando eos de causa scientiæ, loco, tempore & aliis circumstantiis; interveniendo ad eorumdem testium receptionem vos, Reverendi, seu alteruter vestrûm personaliter, & nemo alius, pro dictorum veritate intelligenda. Quorum quidem testium nomina & cognomina ac depositiones & dicta, per vos fideliter in scriptis redacta, seu verius redigi facienda, clausa, sigillata, & nemini pandita, ut moris est, una cum dicto intercluſo memoriali ad nos transmittere curabitis: & præmissa exequamini cum effectu, pro quanto gratia Apostolica vobis cara est.... Data in civitate Montis-Regalis die VIII Januarii XI Indictione MDXXXVII *c*

vices suas subdelegat Ioanni de Donnis,

ad excipiendos Xicli testes,

4 Memoriale *d*, super quo examinandi Testes, recipiendi super exceptione in catalogo Sanctorum Guillelmi de Cuffitella, ad petitionem & instantiam Universitatis terræ Xichili.

c

d

& juxta memoriale interrogandos:

I Queratur, unde & ex qua parentela natus fuerit Guillelmus Cuffitella: an Xichili oriundus: & quo in exercitio se occupaverit.

II An fuerit Religiosus, & cujus Regulæ: à quanto tempore eam Regulam susceperit, & quomodo eamdem observarit.

III An habitaverit in terra Xichilis, & cum indigenis solitus fuerit conversari: an semper ibi habitarit, ubi, & cum quibus: & omnia particulariter.

IV An unquam ab aliquo persecutiones sit passus, & quales, & quam ob causam; & utrum tales persecutiones cum patientia sustinuerit.

V An solitus fuerit visitare hospitalia & domos pauperum: & utrum libenter adjuvabat & intercedebat pro auxilio eorum, qui erant in aliqua necessitate constituti.

VI An fuerit humilis cum quovis hominum genere, non quærendo honorari à quocumque & non curando utrum vestes, quibus induebatur, novæ essent an veteres. EX MS. PROCESSU

VII An duxerit vitam asperam in jejuniis, disciplinis, orationibus: an humi vel alia in re cubare, an intra ipsam terram Xichili aut extra eam somnum capere sit solitus.

VIII An consueverit pro Dei amore mendicare victum, aut propriis manibus ad sui sustentationem laborare. An etiam ex eo quod suppetebat libenter communicabat secum manentibus, aut alias necessitatem habentibus. Et dicant testes quidquid sciunt.

IX An sciant, qued, antequam moreretur, mortem suam alicui prædixerit.

X An vivus aliquod miraculum fecerit: & dicant quod miraculum fecerit.

XI An in ejus morte contigerit aliquod miraculum, & quale: & dicant quidquid sciunt.

XII An inventus fuerit mortuus, aut aliquis morienti adstiterit, & quomodo sit mortuus, & an prius ægrotaverit, idque satis prolixo tempore.

XIII Dicant ubinam sepultus fuerit: & an reliquerit unde fierent expensæ sepulcrales, & quomodo voluerit sepeliri, id est qualem pompam funebrem sibi fieri voluerit: & an vere sepultus sit in monumento marmoreo, antiquo & honorifico, supra quod scripti sint aliqui versus per modum epitaphii, in honorem & memoriam sanctæ ipsius vitæ.

XIV A quo tempore mortuus sit: & an post mortem visa fuerint aliqua miracula; & dicant testes quod miraculum viderunt.

XV Si in loco terræ Xichili habeant erga ipsum devotionem aliquam, teneantque pro certo quod sit Beatus: & an nemo habeat aliquid rerum ejus: & an talis res, per Dei virtutem & intercessionem dicti Guillelmi, operetur miracula. Et dicant quæ res sit, & quæ miracula fecerit, & utrum etiam hoc præsenti tempore faciat.

XVI An in Vigilia, quæ ipsi solet fieri, viderint aliqua miracula, omnium judicio evidentia, & non secundum cursum aut operationem naturæ vel medicamentorum facta.

XVII An sciant quo anno sit mortuus, & quo mense, & quo die mensis: & quomodo hoc sciant.

quorum aliqui ordinate responderunt ad singula.

5 *Ad hos septemdecim articulos, ex Testibus sexaginta duobus, soli sedecim responderunt ordinate & distincte: ceteri, in genere de fama sanctitatis ac veneratione publica locuti, solum deposuere miracula, quæ ad B. Guillelmi pridem mortui invocationem in se aut aliis facta sciebant. Horum depositiones seorsim singulas dabimus, resectis superfluis & identidem recurrentibus formulis: istorum dicta permiscebimus, & eorum responsiones ad singula capitula reducemus in unum: in quo ne opus sit dictorum Testium nomina, ætatem & conditiones interponere contextui, absque his melius deducendo, eorum solum quos allegabimus catalogum hic præmittimus, ordine quo fuerunt auditi servato.*

XXIII Januarii, Indictione XI, MDXXXVII, in præsentia Rev. Don Joannis li Donni, unius ex Commissariis, jurati & interrogati fuere

I Magnificus Paulus de Renda.

II Magister Franciscus de Cannata, tertii Ordinis S. Francisci.

Ejusdem mensis die XXIV

III Honorabilis Antonius de Cassareno, ætatis annorum sexaginta sex.

IV Blasius de Xifo, ætatis annorum octuaginta.

V Hon. Andreas de Naro, æt. an. sexaginta quinq;

VI Antoninus de Garoffalo, æt. an. centum & sex.

VII Mag. Antonius de Arrabito, æt an. septuaginta.

VIII Hon. Pinus de Maria, æt. an. sexaginta.

IX Leonardus de Cannata, æt. an. sexaginta.

MS. PROCESSU

x Joannes de Nativo, ann. octuaginta octo.
xi Paulus Adamello, æt. an. octuaginta.
xxvi Januarii.
xii Venerabilis Donnus Paulus de Palazolo, æt. an. quinquaginta.
xiii Magnif. Angelus de Michichenio I. V. D.
xvi Antonina la Michela, æt. an. quinquaginta.
xxvii Joannes de Fichili, æt. an. sexaginta quinq; Ultimo Januarii
lxii Magnif. Antonius de la Volta I. V. D.

ANNOTATA.

a *Rochus Pirrhus*, Phassari.
b Idem Buglioni sive de Buglio.
c *Additur in autographo* Præsentatum Panormi die xi Januarii Indict. xi, MDXXXVII, de mandato R. D. Jo. Antonii Phassides, Iudicis ad causam delegati. *Qui autem hic notatur annus* 1537, *nobis à Ianuario inchoantibus necessario fuit* 1538, *ejusdem* xi *Indictionis*: *sed apud Siculos, more Græco Indictiones inchoare solitos, cœptæ à Septembri præterito*; *sic num.* 76 *infra*, *Testes auditi* 27 *Novembris anni* 1537, *dicuntur auditi* xi *Indictione. Postea Siculi, sicut & cetera omnes Europæ nationes, initium anni usurparunt à Ianuario, & ab eodem inchoaverunt Indictiones.*
B d *Scriptum est hoc memoriale, sicut proponi debebat, lingua Sicula vulgari: admiscentur tamen phrases & verba partim Latina partim Latino-barbara, quæ ad conservandam antiqui styli speciem retinere studuimus, maxime in depositionibus Testium, quæ omnes similiter, ut factæ, sic & scriptæ sunt, lingua vulgari.*

CAPUT II.

Responsiones Testium summatim collectæ circa vitam ac mortem B. Guillelmi.

Patria Netinus familia Cuffitella

6 SUper i *Capitulo respondit Testis* i, ex fama publica sibi constare, quod quondam Frater Guillelmus exercuerit & exercebat se famulando ecclesiæ cuidam dictæ S. Mariæ de pietate & S. Pauli, quia ita audierit ab annis xxv infra. *Idem dixere plerique alii: de ceteris in capitulo primo propositis responderunt* se ignorare. *Testis* iii *addit* intellexisse ab eo tempore cujus potest meminisse, quod fuerit cognominatus Cuffitella, & de civitate Netina oriundus: *cui hac in parte consentiunt Testes*, vi & lxii: *alii saltem affirmant* Xiclim advenisse ex civitate Netina, *& sunt Testes* v, vii, viii: *de solo autem* cognomento Cuffitellæ *meminerunt testes* ix, xii, xiii, & xxvii: *omnes ex auditu Senorum Xiclensium.*
C

in habitu Tertiarii

7 *Super* ii *Capitulo respondit testis* i, audivisse se dici, quod d. qu. Guillelmus fuerit tertii Ordinis S. Francisci, viditque ipsum supra suum monumentum haberi pictum cum veste dicti tertii Ordinis, *quod etiam deposuere Testes* ii, iii, v, x, xiii, & xxvii. *De sola autem pictura & habitu cum cordula ibidem expresso, testatur* iv. *Ast* ix *solum deponit, audivisse se quod appellaretur* Frater, *absque ulla mentione certi Ordinis. Expressius omnium Testis* lxii à viris nobilibus ætate & dignitate precipuis audivisse asserit, quod Guillelmus fuerit persona religiosa & monachus ex Ordine Mendicantium tertii Ordinis S. Francisci: & dictam Regulam observaverit cum multa humilitate & patientia, tamquam bonum ac fidelem Dei servum. *Testis etiam* viii audiverat dici, quod fuisset monachus, sed cujus Ordinis ignorabat. *a*

a

& humili tugurtolo Xicli vixit,

8 *Super* iii *Capitulo deponit Testis* i quod d. qu. Fr. Guillelmus juxta terram Xichili habitaverit, intra tugurium novem circiter palmorum, quod hodieque supereset, valde humile, intra hortum adjunctum prænominatæ ecclesiæ, in platea quæ dicitur, Fossa-parva: in ipsoque tugurio depictam esse imaginem Dominæ nostræ & ipsius Fr. Guillelmi: quo in loco solitus sit conversari cum quodam cui cognomentum Guiccionii, viro honestæ ac probæ vitæ; & cum B. Conrado, tam in terra Xichili quam in civitate Neti: & hæc se scire, quia ita publice audivit & vidit. *familiaris confratribus ecclesiæ S. M.* *Consentiunt alii plures: sed B. Conradi nullus hoc loco meminit præter Testem* viii; *ipsius vero Guiccionii in magno senio defuncti probitatem laudant omnes*; *nomen* Pauli *fuisse ei, asserunt testes* iii, iv, xxvii, *præter alios ad alia capitula respondentes. Testis* iii *octogenario major* asseruit, se ipsum Paulum cognovisse, nec non alios ejusdem nominis partim mortuos partim adhuc vivos, omnes famæ optimæ. *Testis* vi *& quidam alii addunt* locum fuisse silvosum adituque difficilem: *ille autem centenario major ibidem* cum eo conversatos novit & nominat præter Paulum Guiccionium, Nutium Gandolfi & Paulum Chavettum, Confratres prædictæ ecclesiæ, quos habuerit & habent pro viris probis atque honestis; & tales, cum viverent, habitos fuisse in terra Xichili, ipse novit. *Testis* x ilices aliasque species arbustorum nominat, quibus obsitus erat habitationis locus: *& tam ipse quam Testis* xii ejus ostium versus Boream patuisse affirmant. *Testis* xiii *expressius addit*, vixisse ibi extra terram & conversationem hominum; *alii*, solitariam vitam duxisse. *Denique testis* lxii testatur de prænominata Confraternitate, unde familiares aliquos habebat Guillelmus, quod in ea viderit & cognoverit optimam disciplinam, ipsique aggregatos fuisse multos nobiles & personas terræ Xichilensis primarias.
D E

cum esset pulsus, Palatiolo, *b*

9 *Super* iv *Capitulo respondit Testis* viii, annos circiter elapsos esse viginti quinque ante quos per quinquennium habitaverit in terra Palatioli: ubi dici audiverit, quod ipse Guillelmus cum B. Conrado juxta dictam terram habitaverint in quadam *b* spelunca; sed quod inde expulsi sint, immissis per quosdam venatores, ibi venari solitos, canibus: quodque eam persecutionem humiliter ferentes, simul iverint in civitatem Netinam; ibique seorsim unus ab altero habitaverint, sese mutuo sæpe invisentes: postea autem Guillelmus venerit Xichilim. Prædictam vero speluncam aiebat se vidisse juxta terram Palatioli, instructam imagine B. Virginis Mariæ: vidisse etiam istius terræ incolas, tam viros quam feminas illuc accedere solitos religionis causa, ibique lampadem semper ardentem servare. *Testis* lxii de persecutionibus à Guillelmo patienter toleratis testatur in genere, ea relatu fide dignorum, & natura ipsius loci asperi, in quo vivebat: *ceteri profitentur*, se ignorare.
& Neto digressus,
F

ibi operibus caritatis vacans,

10 *Super* v *Capitulo dixit Testis* v, ex relatu seniorum, quod cum ad eum deferrentur cibi aliqui, ipse eorum partem portare solitus fuerit ad quosdam pauperes, ipsos vocando, & cibos post fores relinquendo. *Similiter Testis* lxii compertum sibi, fide dignorum virorum testimonio, asserit, quod Guillelmus fuerit solitus, non solum continuo visitare hospitalia: sed omnibus personis miserabilibus & in tribulatione constitutis caritative assistere, exhortando ad virtutem patientiæ; & misericordiæ operibus se libenter impendisse. *Ceteri profitentur*, se ignorare.

in magna humilitate

11 *Super* vi *Capitulo dicit Testis* iii, audivisse se quod Guillelmus, quamdiu Xichili commoratus est, nullatenus visus sit honores querere: idemque *deposuere de constanti viri humilitate Testes* iv, v, viii, & xvi. *Testis* xi adducit testimonium patris septuagenarii ac matris jam defunctorum. *Testis* lxii *affirmat* vestimenta ejus fuisse vestitum sanctæ humilitatis & paupertatis, idque ex ipso habitationis loco ait satis posse

A posſe judicari. *Ceteri, ut ſupra, dixerunt*, ſe ignorare.

& vitæ auſteritate, 12 *Super* VII *Capitulo reſpondit Teſtis* I, quod habitans in tali, quale ſupra deſcriptum eſt, tugurio, dormire ſolebat ſupra lectum factum ex virgis atque ſarmentis: ex qua habitandi cubandique ratione perſuaſus ſit, ipſum duxiſſe vitam aſperam. *Conſentiunt* II, *&* XXVII. *Teſtes* III, VII, VIII *eumdem lectum diſtinctius deſcribentes aiunt*, fabricatum fuiſſe ſupra trabem unam, muro immiſſam; ſupra quam rudia ligna, tranſtrorum inſtar diſpoſita, inſtrata erant ſarmentis: itáque dormire ſolitum communiter dici. *Idem depoſuit teſtis* IV, *addens*, quod tam in minori quam majori ſua ætate ſæpius caſulam iſtam viſitans, talem lectum in ea viderit. *Teſtis* V *inſuper depoſuit*, *quam Deus honoravit*, tam ſe quam alios ſolitos devotionis cauſa ſuper dictum lectum, ſic inſtratum, decumbere. *Addit* IX, duos *ait* IX elevatum fuiſſe à terra palmo circiter uno, *miraturque* quod ipſa domuncula, cum numquam refecta fuerit, ſemper in eodem ſtatu permanſerit. *Idem teſtatur* X, *annos* LXXXVIII *natus, ſeque ait* id optime ſcire, cum etiam ipſe ſit ex confraternitate prædicta. Teſtes autem vitæ aſperæ, quam Guillelmus ducebat, allegat Paulum Guiccionium, Jacobum Raguſiam, Nicolaum de Piſana, & Joannem la Licata, notos ſibi tamquam viros honeſtiſſimos & ante annos ſexaginta vita functos. *Teſtis* II Hanc male materiati & pejus locati tugurii, imaginumque ad parietem pictarum conſervationem attribuit miraculo; cum ſemper, inquit, fuerit & adhuc ſit valde obnoxium aquæ: ſed imaginum tam diuturna tali loco conſervatio eo eſt mirabilior, quod nec maculas quidem hactenus ullas contraxerint. *Teſtis vero* IX deponit, *conſervato miraculoſo tugurio ejus,* quod ante annos circiter ſexaginta, tertiana laborans febri, quæ integro anno moleſta ipſi fuerat, mox ut dictum lectum aſcendit, à tali infirmitate fuerit ſic liberatus, ut eam deinceps numquam paſſum ſe meminerit. *Denique Teſtis* LXII auſteritatis maximæ fuiſſe Guillelmum, dictoque loco jejuniis rigidis crebriſque & ſanguineis flagellis carnem maceraſſe, ex eo judicat, quod ipſum locum nemo ingrediatur, quin intimi doloris de admiſſis peccatis & teneræ devotionis ſenſu afficiatur.

ſe ſuſtentabat eleemoſynis 13 *Super* VIII *Capitulo, reſpondit Teſtis* II ex matris ſuæ relatu ſcire quod d. Guillelmus viveret ex eleemoſynis; quodque exercens hortulum caſulæ ſuæ adjunctum, ex herbis inde provenientibus remunerari ſolebat eos qui ſibi eleemoſynam faciebant.

C *Quod autem ex eleemoſynis viveret, ſimpliciter teſtantur* I, *&* XII. *Teſtis* VIII *&* XXVII *addunt*, ex eleemoſynis ad ſe delatis ſolitum partem dare pauperibus. ✠ *Teſtis expreſſe nominat* Paulum Guiccionium, Antonium de Raguza, Nicolaum de Pizana & Joannem la Licata, qui ſuis eleemoſynis Guillelmum ſoliti ſint ſuſtentare; homines, quantum meminit, probatiſſimæ vitæ ac famæ, confratres Dominæ noſtræ, ab annis plus quam ſexaginta defunctos. *Teſtis* XVI *nonagenaria ait*, *maxime Pauli Guiccionii,* ſibi in puellari ætate conſtitutæ aliquando dictum fuiſſe à Garita, *ſeu Margarita*, Guiccionii conjuge quomodo ipſa ſoleret Guillelmo proſpicere, eumque eleemoſynis ſuis ſuſtentare. *Concludit Teſtis* LXII, Vitam omnino duxiſſe Apoſtolice pauperem: cujus etiam argumentum ſumit antiquam ſepulturam, in qua Fr. Guillelmi oſſa requieſcunt, quam non habuiſſet homo peregrinus tam honorificam, niſi æſtimatiſſimæ apud omnes & revera exemplaris ſanctitatis extitiſſet.

eſu & mortem ſuam videtur indicaſſe. 14 *Super* IX *capitulo de mortis propriæ prædictione, alicui facta à Guillelmo, dixerunt omnes* ignorare ſe, *preter Teſtem* I *qui refert*, in terra Xichili publice ſe audiviſſe dici, quod immediate ante ſuam mortem, venerit Guillelmus ſummo mane ad ædes Pauli Guiccionii, eaſque clauſas reperiens, ipſum inclamaverit dicendo, O compater. Cui cum Guiccionius reſpondens quæreret numquid vellet, ſeque ſurrecturum diceret: reſpoſuit Guillelmus, nihil opus eſſe, tantum ad ſe veniret facto die: & hæc dicens unum calceorum ſuorum projecit in domum, per quamdam porticellam ipſius oſtii. Quo invento d. Guiccionius ad ædiculam Guillelmi feſtinavit, & mortuum reperit. EX MS. PROCESSU

Miracula ejus, in paſtillis doloſis, 15 *Super* X *Capitulo Teſtis* XI *aſſeruit*, de pluribus miraculis ab eo factis ſe audiviſſe ex patre & matre, ſed nullorum in particulari meminiſſe: *ceteri fere omnes ex auditu narravere miraculum de paſtillis in domo Guiccionii. Ex his Teſtis* I *hoc modo rem narrat publice auditam.* Invitaverat Guillelmum aliquando compater ſuus Guiccionius ad prandium, eique apoſuerat maccarones ſeu lagana cum paſtillis: quorum aliqui de induſtria impleti furfure, poſiti fuerunt ante d. Guillelmum. Hos cum ei præſcindere vellet, quæ eoſdem paraverat Guiccionii uxor, cœpit ille dicere commatri ſuæ, quare hos ipſi præſcinderet; & formans ſuper lancem ſignum Crucis, accepit aliquos ex dictis paſtillis plenis furfure, eoſque aperiens reperit plenos recocto lacte: ac mox mulieri monſtravit dicens, Huc aſpice, commater, numquid delicati ſunt? Poſtea volens bibere, requiſivit eamdem an haberet vinum. Reſpondit illa, à pluribus diebus nullum habuiſſe domi. Inſtitit nihilominus Guillelmus ut apponeret, deſignando digito vas vinarium, pridem vacuum. Surrexit ergo mulier cum cantharo, movenſque ſpinulam vaſis ſupremam, ut juſſerat Guillelmus, mox ut eam extraxit, mirata eſt vinum copioſum effluere. *Hoc ultimum de vino tacent teſtes* II, IV, V, VI, XVI, & XXVII. *Aſt teſtis* LXII *plurium in genere auditorum reminiſcens, ſolum hoc de vino in particulari narravit.* E

vino deficiente, 16 *Teſtis* III *notat, dolum in paſtillis feciſſe mulierem: quod taderet ipſam, toties convivam habere Guillelmum. Deinde plenius deſcribit verba utrimque habita circa vinum, antequam mulier indignabunda pareret mandato; ac denique concludit dicens*, quod mulier viſo miraculo commota, projecerit ſe in genua ante B. Guillelmum, veniam poſtulans, eique deinceps libenter atque hilariter miniſtraverit, propter magnam qua eum proſequebatur devotionem. *Teſtis* IV, ex relatu matris ſuæ defunctæ, *idem deponens de paſtillis, addit*, contigiſſe in carniſprivio, & Guiccionii uxorem ab aliis mulieribus ſumpſiſſe conſilium, quomodo moleſto hoſpiti poſſet illudere: ipſamque non accubuiſſe menſæ, quamvis à marito juſſam; ſed prætextu miniſtrandi obſervaviſſe, quomodo ſe haberet Guillelmus fraude comperta. *Idem* ex *eadem* matre ſua audiviſſe dixit, quod ſimili tempore domum Guiccionii invitatus ad menſam Guillelmus, reſponderit non poſſe venire ſe, eo quod ipſemet penes ſe haberet peregrinum hoſpitem. Itaque Paulus ei per puerum ſuum miſit ſcutellam laganorum. Peracta autem Quadrageſima venit in mentem Paulo ut ſcutellam repeteret. Miſit ergo eumdem puerum, qui invenit ſcutellam, ipſo quo ante poſuerat loco, plenam laganis, etiamnum fumantibus; admiranſque quæſivit, cur ea non comediſſet Guillelmus, & quomodo adhuc calida eſſent: ipſe autem reſpondit: Habui ea heſterno veſpere. *Idem narrans Teſtis* V, ex relatu ſeniorum Xiclenſium dicit, iuventum à puero in caſa Guillelmi B. Conradum: rurſumque repertum ibidem, cum rediret pro ſcutella repetenda; puerumque eis dixiſſe: Quid? an adhuc comedenda reſtant lagana, quæ ultimis Carniſprivii diebus attuli? ecce jam habemus hebdomadem ſanctam. Guillelmum autem reſpondiſſe: Numquid non ea huc tuliſti heri veſperi? *Similiter B. Conradi tunc præſentis memo-* F *laganis etiam poſt 40 dies calidis.*

EX MS. PROCESSU

meminere Teſtes VI, VII, & XXVII. *Teſtis* VIII *addit* inventos Guillelmum & Conradum, ut primo die, colloquentes. *Teſtis* XVI, puellulam ſe idem ex ipſa Pauli uxore Garita audiviſſe aſſeruit, quaſi illa lancem tulerit ac retulerit: & ipſam repetenti Guillelmus reſponderit, Adhuc debemus comedere.

& caſeo prophetice diviſo,

17 *Teſtis* X *inſuper ait* audiviſſe ſe puerum *duodennem* ex prædicto Paulo, in capitulo eccleſiæ S. Mariæ de pietate, coram Confratribus ibidem præſentibus, quod ipſe Paulus miſerit aliquando ad Guillelmum caſeum unum integrum, contra voluntatem uxoris ſuæ, quæ volebat tantum dimidium mitti: quem cum in ſuo tugurio accepiſſet Guillelmus, ſtatim diviſerit in duas partes, dicens, quod ſibi ſervaret partem, quam ſuus compater ſibi dederat; alteram vero partem remitteret uxori ejus, quia nec ipſe vellet accipere, quod illa noluerat dare. *Idem narrat ex auditu plurium Teſtis* XXVII. *Teſtis* XIII aſſeruit id ipſum ſic narratum fuiſſe ab eo qui caſeum portavit, ſic ut mulier attonita hæſerit, videns remiſſam ſibi partem, & verba Guillelmi audiens. *Idem Teſtis de vino audiviſſe ſe ait*, quod mulier ægre obtemperans, cum vellet infimam dolii ſpinulam extrahere, ſi forte adhuc aliquid reſidui vini efflueret; juſſa ſit trahere ſpinulam ſuprem.am: ipſam vero hoc irriſiſſe & facere noluiſſe: ſed Guillelmum iterum dixiſſe, Fac, commater, quod dico, & prome ex parte ſuperiori.

B

Mortuo Guillelmo ſonant ultro campana,

18 *Super* XI *&* XII *Capitulis dixit Teſtis* II, quod mortuo Guillelmo ſonaverit per ſeipſam campana eccleſiæ majoris: quodque cum vellent ſepeliendum deferre ad aliquam eccleſiarum inferiorum, pervenientes in locum qui dicitur Tocco, non potuerint ultra commovere corpus, aut à terra attollere. Conſilio autem accepto de ipſo ferendo ad eccleſiam majorem S. Matthei, facillime ipſum ſuſtulere, ibique ſepelivere in monumento lapideo. Interrogatus de cauſa ſcientiæ, reſpondit, ſcire præmiſſa, ut dicta ſunt, quia ita audivit à multis perſonis in Xicli ab annis quinquaginta infra. *Conſonat depoſitio Teſtis* XXVII. *Addit* III, *quod* populus audito miraculoſo ſono campanarum (*de pluribus enim campanis loquuntur etiam ceteri*) accurrerit ad tugurium Guillelmi, ipſumque invenerit mortuum quidem, ſed tamen adhuc genibus flexis ac junctis manibus. *Idem de ſitu corporis mortui, ex relatu matris, affirmavit Teſtis* IV. *Teſtis* V, *eadem quæ* II *commemorans, addit*, unam earum campanarum, quæ nemine trahente ſonarunt, tranſlatam poſtea fuiſſe ad campanile eccleſiæ S. Joannis Euangeliſtæ (*quod etiam dixit Teſtis* IX) & in loco ubi corpus immobile ſubſtitit, collocatam eſſe ad præſens imaginem Dominæ noſtræ, à Miſericordia cognominatæ: denique inter eccleſias, ab aliquibus pro ſepultura propoſitas, nominatim recenſet eccleſiam Annuntiatæ & eccleſiam S. Mariæ. *Similia habent ceteri omnes. Teſtis* VII etiam meminit cereorum accenſorum, qui fuerint apud mortuum reperti. *Teſtis* X inventi ſic corporis teſtimonium ſumit ab iis qui ipſum extulere, & à quibus audiverit duodennis, Paulum Guiccionium Guillelmi amicum, Mazium & Lemum de Marturana, & Nutium de Melfis, antiquiores Confratres. *Teſtis* XIII *aſſeruit*, longam in populo fuiſſe quæſtionem de cauſa nocturni ſonitus campanarum: tandemque in mentem veniſſe curatoribus eccleſiæ S. Mariæ de pietate, ut irent ad tugurium Guillelmi, quem inter accenſos cereos genuflexum invenerint, & manibus tenentem precatoriorum globulorum ſertum. *Denique Teſtis* LXII *depoſuit, relatum ſibi eſſe ab auctoribus graviſſimis*, tum quod prædicti cerei fuerint pulcherrimi, tum quod vultus defuncti radiaverit inſtar Angeli. Item populum, hærente in via corpore, ambiguum

corpus innititur genuflexum

& ad ſepulturam delatum ſit immobile,

C

conſilii, communi conclamatione Divinam miſericordiam invocaſſe, *& quod hæc fuerit cauſa nominis, imagini D. Virginis ibidem locatæ poſtea inditi.*

D

ſepelitur in eccleſia S. Matthæi

19 *Super* XIII *Capitulo Teſtis* I, *poſtquam ea dixiſſet, quæ aliis ſuper* XII, *addit* quod fuit ſepultus in monumento facto ex petra franca, poſito ſupra duas columnas, & quatuor ſeris firmato: in quo monumento deſcripti fuerint antiqui aliqui verſus, in honorem & laudem vitæ ipſius Guillelmi: ſupra ipſum autem monumentum depicta eſt ſua imago, cum quibuſdam mulieribus genuflexis eum adorantibus: item inſtratus monumento eſt pannus, cum figura quadam & inſignibus quondam Reverendiſſimi Domini Epiſcopi c Dalmatii. *Teſtis* XXVII *hæc eadem narrans, tacet de tapete. Addit Teſtis* II Claves ſepulcri ſervari partim à Capellanis eccleſiæ partim à Juratis terræ. *Teſtis* V, *locum ſepulturæ in eccleſia* S. *Matthei nominat*, ſacellum Illuſtriſſimorum Dominorum, *in honorificè monumento* Comitis & Comitiſſæ. *De monumento autem dicit*, eſſe ex uno ſolo lapide, quale neque Xiculi neque in vicinia ullum videre eſt; quodque habeat oſtiolum ferreum, cujus ſint quatuor claves, quarum unam etiam teneat vir quidam nobilis. *Dixit autem de ſeris Teſtis* XII, ipſas in nocte conſuetæ Vigiliæ apertas ſæpe eſſe inventas, iterumque die ſequenti clauſas, nemine eas aperiente vel claudente. *Teſtis* VII *addit* intra ipſum monumentum clauſam eſſe capſulam, quæ etiam propriam clavem habeat, & ſacra oſſa contineat. *Teſtis* XIII *etiam meminit panni, Epiſcopalibus inſignis ornati, & hos verſus monumento inſcriptos recitat.*

E

Sciat qui neſcit, Guillelmus hic requieſcit
De Coffitella: ſeculi præſentia bella
Subdidit atque crimen, animæ fœdantia limen.
Regnat in ætheteis, Chriſto jubente, theatris.

Teſtis LXII *relatis iiſdem verſibus, dicit* tam magnificam ſepulturam nuſquam in terra Xichili conſpici: ipſumque locum eſſe totius templi honeſtiſſimum, capellam ſcilicet Dominorum Comitum Modicæ *d* & Xichilis, indeque confirmari opinionem ſuam, quod d. Guillelmus, vita ſibi comite, fuerit homo valde juſtus; multas perſecutiones paſſus, vixeritque in multis laboribus, & ſanctis moribus, & ſtrenuis actibus; ſimplex & humilis, & dignus in cujus ſolennitate, Domino permittente concedenda, cantetur hymnus iſte eccleſiaſticus, qui incipit: Iſte Confeſſor Domini &c.

d

ANNOTATA.

F

a *Aſt cap.* 7 *videbimus aliquos quibus viſus hic habitus eſt ſpectare ad Tertiarios S. Franciſci de Paula, vel Carmelitarum: ex qua diſcrepantia intelligas, generalem & cuivis ſolitario idoneum fuiſſe habitum, qui ad tam varios trahi potuerit: ipſum vero Beatum nulli Ordini ſpecialiter fuiſſe addictum, nedum vota alicujus profeſſum.*

b *Hujus primi & ambobus communis ſeceſſus, nemo alius meminit; neque ullæ alterutrius Vitæ.* Eſt autem Palatiolum *vicus ad* 24 P. M. *Syracuſis diſtans, intervallo duplo longiori remotus à Neto & Xicli. Mihi veroſimile non eſt, tam-longe à patria verſus Boream abiiſſe Beatum eremiticæ vitæ ſtudio, ac ſtatim primo dejectum incurſu ad patriam rediiſſe; potius crediderim quæ de B. Conrado ſolo verè erant, ut in ejus Vita num.* 5 *narrantur, applicata fuiſſe etiam huic ejus amico,*

c Dalmatius, à S. Dionyſio *cognominatus, creatus Epiſcopus Syracuſanus an.* 1469 *obiit* 1511.

d *Ita hic conſtanter ſcribitur, cum in tabulis chorographicis notetur* Molyca, *inſigne prope Xiclim oppidum: Rocchus Pyrrhus dubium ſoluit, cum* Motycam *ſcribit, unde tabulam corrigas.*

A

CAPUT III.

Teſtimonia circa miracula & famam ſanctitatis B. Guillelmi.

Annus mortis incertus:

20 *Super Capitulo* XIV *&* XVII *dicit Teſtis* I, *ſecundum quod audivit in terra Xichili,* effluxiſſe ab obitu Guillelmi annos circiter centum, quinquaginta; mortuum autem eſſe IV die Aprilis, & hujus dici Vigiliam Xichili celebrari. *Idem aſſeruere Teſtes* III, IV, IX, XIII. *Teſtis* V, annos centum ſexaginta circiter *numerat*; X, *ſolum* centum quadraginta: XI centum triginta. *Teſtis* VI *de Vigilia expreſſe dixit, agi eam* tertio die Aprilis: feſtum vero die quarto. *Teſtis* VIII *indefinitius aſſeruit,* pluſquam centum annos ab obitu Beati effluxiſſe, quemadmodum dici audivit: neq; amplius in terra Xichili quemquam ſupereſſe qui eum cognoverit, nedum adfuerit morienti. *Similiter de die vigiliæ & die feſti depoſuere plures, celebrari ſcilicet die tertio & quarto Aprilis. De anno autem, menſe, & die mortis omnes, præter eos quos recenſui, profeſſi ſunt* ſe ignorare. *Miracula poſt mortem patrata, de quibus ſuper Capitulo* XIV *interrogati aliqui reſponderunt, poſtea ſeorſim ſingula referemus.*

B *certa opinio ſanctitatis in populo,*

21 *Super Capitulo* XV *&* XVI *Teſtis* I *reſpondit,* Guillelmum in terra Xichili habitum fuiſſe ſemper, & etiamnum haberi, in magna devotione; & tamquã Sanctum honoratum eſſe, & honorari ab omnibus: magnumq; concurſum eſſe, tam virorum quã mulierum, adfaciendam Vigiliam ejus: ideoque iſto potiſſimum tempore, multos parvulos hernioſos aliiſq; infirmitatibus laborantes, abſq; medicamentorum uſu ac prorſus præter naturæ ordinem, miraculoſe convaluiſſe. *Similiter de nocte Vigiliæ prædictæ, multimodis ſalutari, depoſuere Teſtes* II, III, IV *& ceteri ad unum omnes. Addit Teſtis* V, Lampadem ſemper accenſam populari devotione ante ſepulcrum ali, eamdemq; devotionem cohiberi numquam potuiſſe quominus prædictam Vigiliam ageret utriuſq: ſexus plebs copioſa, quamvis id ne fieret identidem prohiberetur. *Teſtis* VIII *aſſeverat, ſtatim* à primis poſt mortem Guillelmi annis invaluiſſe morẽ celebrandi ejus Vigiliam: ſcire autẽ ſe, ex ipſorum met qui gratiam recepere relatu, varios ea nocte, tum à ruptura tum à febribus, fuiſſe liberatos. *Similem gratiã conſecutos alios à ſe auditos aiunt Teſtes* IX, *&* XIII *adduntq,* tantum eſſe numerum concurrentium ad Vigiliã, ut omnes capere eccleſia vix aut ne vix quidem poſſit. *Quod autem ad* miracula à mortuo patrata *attinet, de iis in genere proteſtati ſunt,* ſe ab expertis audiviſſe, *Teſtis* X, & XI. *Deniq; Teſtis* LXII *aſſerit,* Populi Xichelenſis erga B. Guillelmum devotionem ſingularem apparere, per multa inſignia caritatis opera, illius intuitu facta hoſpitalibus & eccleſiis; tum etiã per hoc quod de nulla re audiantur ſermones frequentiores, quam de procuranda beatificatione aut canonizatione Fr. Guillelmi: adeoq; ferventem eſſe hunc amorem, ut libenter ſuas omnes poſſeſſiones, ipſumq, ſanguinem profunderent ad augendam ſacri corporis venerationem; propter beneficia innumera & gratias continuas, quas ipſius precibus & meritis acceptas referunt cives Xichilenſes.

& vigiliæ ac feſti celebritas annua,

C *cum frequẽtia miraculorum.*

imo LXX *aut* LXXX *Calceus, Paulo Guiccionio relictus,*

22 Mirabella, Teſtis XIV, relicta quondam Michaelis de Maſſa, annorum circiter quinquaginta, ut dicit, de capitulis omnibus ſibi propoſitis tantum ſcire ſe dixit ex ſua matre, etiamnum vivente in terra Mohac, annorum circiter centum vetula, & tertio Ordini Virginis Annuntiatæ adſcripta: quæ cum Modicam eſſet migratura ſecundarum nuptiarum cauſa ipſi teſti filiæ ſuæ, natæ ex primo marito Antonio Guiccionio, filio Pauli ſæpe memorati, qui teſtis ipſius fuit avus paternus, reliquit dicta mater calceum B. Guillelmi, cujus corpus in eccleſia S. Matthei ſepultum eſt. Et hunc calceum predicta deponentis mater acceperat à ſuo marito Antonio, Antonius autem à Paulo patre ſuo moriente, ipſa vero Deponens acceptum à matre habuit in poteſtate ſua annis circiter viginti duobus. Porro prædictus calceus dicebatur eis manſiſſe hoc modo. Quodam matutino tempore, ea hora qua ante diem pulſatur ad Ave Maria, venit Guillelmus ad oſtium Pauli, pulſavitque, Paulũ appellans de nomine. Eo autem interrogante, Ecquid tali hora veniret, necdum enim ſe ſurrexiſſe. ſurrecturum tamen ſi opus foret; reſpondit Guillelmus, nihil opus eſſe, ſed per apertam oſtii projeciſſe calceum. Hunc cum die facto inveniſſet Paulus: Vide obſecro exclamat, quid fecerit compater meus Guillelmus: calceum mihi ſuum reliquit, atq; abivit. Vadam & videbo quid velit. Ivit autem ad ejus tugurium, & junctis manibus ac genibus flexis invenit mortuum: quod mox curavit nuntiare civibus ſuis, ultroneo campanarum ſonitu excitatis. Cum vero ſepelire eum vellent in eccleſia Annuntiatæ, non potuerunt movere corpus, nec item cum de eccleſia S. Mariæ in platea deliberare cœperunt: at ubi nominata fuit eccleſia S. Matthei, nullo negotio ſublatum corpus eſt, eoque illatum repoſitum eſt in monumento lapideo.

EX MS. PROCESSU

antequam Guillelmus moreretur.

D

23 Quamdiu autem ipſa Deponens penes ſe habuit prædictum calceum, neceſſe fuit eumdem identidem commodare perſonis pluribus, quibus vel dolebant oculi, vel partus accidebant difficiles: quæ omnes liberabantur, mox atq; eumdem capiti ſuo imponebant aut loco male affecto. Accidit autem vivente adhuc Rev. Dom. Andreotta de Ericio, Vicario terræ Xichilis, annum eſſe admodum ſterilem & ſiccũ deficientibus pluviis. Hac neceſſitate compulſi quidã recurrerunt ad d. D. Vicarium, dicentes, quod ipſa Deponens haberet calceum B. Guillelmi, qui multis infirmis impoſitus fuiſſet ſalutaris, adeoq; non deberet ita privatim abſq; honore haberi. Miſit ergo Vicarius qui eum ex ſuo nomine poſceret, & per Clerũ Confratreſq; ſuo habitu indutos tranſlatus eſt cum magna veneratione calceus in eccleſiam S. Matthei: quo facto, copioſa pluvia de cælo effuſa eſt; prout ipſamet Deponens meminit tum vidiſſe ſe, tum ſæpius audiviſſe commemorari ab amitis ſuis, feminis grandævis, filiabus Pauli Guiccionii, Maria & Joannella. *Meminere ejuſdem calcei teſtes* I & II, *factumq;* ad formam Apoſtolicam *aiunt, ſandalium ut fuiſſe intelligas, & nudipedem ſolitum incedere Guillelmum, ad morem Religioſorum S. Franciſci. Idem teſtantur de parturientibus aliiſque infirmis, impoſitione ejuſdem calcei ſæpius ſanatis: quod etiam Teſtes* IV, VII, XII *&* XIII *ex propria & aliena experientia confirmarunt. Addit Teſtis* V; quod prædictus Vicarius, aliquando oculorum viſu privatus, calceum illum ad ſe deferri mandarit; quem cum ſibi devote impoſuiſſet, continuo & miraculoſe viſum recepit. Quare tobaliam ſericiam donavit ad involvendum calceum prædictũ, eumq; juſſit retro in monumento Beati reponi. Fecit etiam ipſius imaginem pingi, cum ſuis & Reverendiſſimi Epiſcopi *a* Dalmatii inſignibus, quæ nunc ſuper ſepulcrum locata cernitur.

ſicciitatem avertit temporis illatus;

E *miraculis claret:*

a

24 *Teſtis* I, *Super* XIV *Capitulo* depoſuit, quod anno ætatis ſuæ circiter trigeſimo, febri quartana aut tertiana laborans, temporis & tædii fallendi cauſa acceſſerit ad ſollennem curſum *b* pallii, agi ſolitum menſe Septembri, in feſto Dominæ noſtræ de pietate Cumq; eſſet in conſueto curſus loco, invaſit eum febris, coëgitq; recedere. Intravit ergo prædictę Dominæ noſtrę eccleſiam, adeo debilis, ut nec paſſum ultra movere poſſet, propter frigoris incumbentis vehementiam. Tunc ei in mentẽ venit domuncula, quondã B. Guillelmo habitata, ſimul etiam recordatus ſæpius dictum ſibi fuiſſe, quod quicumque intra eam devote decubuiſſet, mali cujuſcumque medelam referre ſoleret;

liberatur febri ſuper ſtratum ejus decumbens;

b

F *& cæcum illuminat.*

EX MS. PROCESSU

perſuaſus etiam ipſe eſt eodem accedere. Nec mora: abiit, decubuit infra imaginem Beati, lapidem quemdam capiti ſuo ſubſternens: & continuo dormire incœpit. Poſtquam autem evigilavit, omni malo ſe liberum ſenſit, neque deinceps unquam tali morbo laboravit.

ſanatur ruptus ad monumentum accedendo,

25 *Teſtis* II *dixit*, annos eſſe circiter ſeptemdecim, quod cum in terra Xichili in eccleſia S. Mariæ de Cruce, concionantem audiviſſet quondam Reverendum Fratrem Stephanum de Iſchifitto, ſacræ Theologiæ Doctorem, eumque è cathedra deſcendentem expectaſſet, rogaviſſetque ſecum venire ad prandium (erat enim hora prandii) prædictus Reverendus ei reſponderit, Nolo hic comedere: ſed volo ire ad orandum B. Guillelmum, intelligens ſcilicet eccleſiam S. Matthei. Cum autem reponeret ipſe teſtis, audiviſſe ſe, quod Pontifex ſummus prohiberet eum dici Beatum: reſpondit ille: Si adeſſem Sanctitati ſuæ, facile ei perſuaderem, non ſolum Beatum, ſed etiam Sanctum dici debere. Cauſam id aſſeverandi eſſe, quod aliquando vehementer ruptus in inguine, devote adiiſſet ſepulcrum B. Guillelmi, eique caput ſuum applicans, continuo recepiſſet ſanitatem. Cum vero inde profectus Granatam, ibidem ad populum per Quadrageſimam dixiſſet, poſt ſermonem habitum die Veneris ſancto, quidam devoti fideles oraverunt, ut eumdem ſermonem vellet iterare in feſtis Paſchalibus. Quibus morem gerens, cum ferventius vocem extuliſſet, rumpi ſe ſenſit in alio inguine, non ſine maximo cruciatu. Recordatus autem B. Guillelmi, per quē antea ſanatus fuerat; iterū ſuas ad eum preces convertit, & iterum ſimile beneficium retulit.

& iterum, Beatum invocando.

B

Circumlato capite Beati impetratur pluvia.

26 *Teſtis* III *dixit*, quod cum anno quodam magna eſſet in hac terra ſterilitas, propter aquæ penuriam, & plurimæ proceſſiones ad obtinendam pluviam fuiſſent inſtitutæ, ac nihilominus irritæ manerent preces, & ſpes futuræ meſſis periret inagris; conſilium cęlitus immiſſū, de circūferendo Beati capite, præ ceteris placuit. Vix autem ad S. Margaritæ eccleſiā pompa proceſſerat, cum tantus ex improviſo imber deſcendit, ut retro, unde venerant, ad ædem S. Matthei non patuerit reditus, aquis vias intercludentibus. Idem retulit, quod anno proxime elapſo deformiter intumuerit ūbilicus filii ſui anniculi: quare uxor ſua votū fecit vigilandi ad honorem B. Guillelmi in eccleſia S. Matthei: quod cum ipſa nocte conſueta exolviſſet una cum parvulo eodem delato; ſequenti die eumdem domum retulit, cum tumore multum imminuto: atq; intra octo dies integre ſanum habuit. *Idem impetratæ in modum ſupradictum aquæ miraculum narraverunt Teſtis* VI, VII & XI, qui interfuit, vidit & audivit.

C

Curantur febricitans,

27 *Teſtis* IV *dixit*, quod cum ipſe eſſet puer annorū circiter quatuordecim, & febri vexaretur, iverit ad tugurium B. Guillelmi, in eoq; devote recubuerit; & exinde numquā amplius iſto morbo laboraverit. Vidiſſe etiam ſe multos ſimiliter febricantes, qui eodem acceſſiſſent ſic decubuturi, quoſq; poſtea interrogans audiverit optatam conſecutos ſanitatem.

pedibus debilis,

Teſtis V *dixit*, aliquando vidiſſe ſe quemdam, nunc defunctum, Nicolaum Minoya dictum, ſupra crocias ambulantem Cerat enim pedibus debilis) qui cū ſupra monumētum Beati ſe collocaviſſet, ibiq; ſic manſiſſet aliquanto tempore, vidit ipſe teſtis cum aſſurgere ſanum, dimiſſis in terram crociis: abjectoq; etiam in terrā pallio præ lætitia, eodemq; reſumpto ac humeris impoſito, cœpiſſe dicere, meritis B. Guillelmi ſe eſſe ſanatum. Abivit autem abſque crociis aut alio ullo fulcimento liber, & taliter eum ſtare atque ambulare per multos deinde annos teſtis ipſe vidit.

28 *Teſtis* VII *profeſſus eſt*, audiviſſe ex Dom. Franciſco de Arrabbito, viro optimæ conſcientiæ, vitæ ac famæ, quod Melitenſis aliquis, caput ſcabie infectū habens, venerit ad eccleſiam S. Matthei, & prædictū qu. Franciſcum interrogaverit, quo loco ſepultum eſſet corpus B. Guillelmi. Quod cum ei fuiſſet monſtratum; iviſſe continuo Melitenſē illum ad monumentum, factaq; oratione aſſurrexiſſe capite ſano ac mundo: prout ipſe Franciſcus, qui ſcabioſum ingredientem viderat, propriis oculis vidiſſe affirmavit. Ipſe autem Teſtis depoſuit. quod ab annis circiter quadraginta afflictus quartana, cui tollendæ nulla remedia proderant; die quodam recurſuri paroxyſmi cum devotione iverit ad tugurium Beati; ubi invadente ipſum malo, reclinavit ſe ſupra ſarmenta quædam; & ab aliis audivit hunc fuiſſe lectum, ſupra quem ſolebat ſomnum capere Guillelmus. Mox autem obdormivit etiam ipſe, & paulo poſt experrectus, ſurrexit ſanus, neq; poſtea talem infirmitatem eſt paſſus. *Simili modo Teſtis* X, non ſemel, ſed ſæpius ſe liberatum à febribus aſſeruit, tā in minori quam in majori ſua ætate, uſque ad annum ſexageſimum.

D

& ſcabioſus, ad ſepulcrū;

item febrū, ad ſtratum Beati,

ANNOTATA.

• a *Vivebat ergo tum adhuc Epiſcopus Dalmatius: quia ſola cauſa depingendorū iſtic ejus inſignium eſſe potuit, quod ejus vicarius erat qui picturam curabat; ergo cum hoc fiebat ſummum agebatur an. circiter* 1510: *quo anno ſi ipſa Teſtis* 14 *ſolum fuiſſet an.* 2; (*uti conſequitur ex æt.* 50 *an. in principio poſita*) *debuiſſet accepiſſe calceum ante an.* 1490, *annos dumtaxat tres nata; & mater, quæ erat an.* 1537 *pene centenaria tranſiſſet ad ſecundas nuptias an. ſuæ æt. circiter.* 67. *Quæ cū ſint valde incongrua, omnino erraſſe librarium putamus, & judicamus Teſtem* 14 *grandæviorem fuiſſe quinquagenaria, & forſan ann.* 70 *aut* 80 *cum hæc deponeret: quo poſito, nihil impedit miraculum contigiſſe etiam circa an.* 1490, *cum ipſa teſtis eſſet ann. circiter* 34 *quæ circa an.* 1470 *tredecennis erat, matre agente ætatis annum circiter* 33.

b *Ita vocatur præmium currentibus propoſitum: de quo uſu, vide plura* 20 *Martii, in Gloria poſthuma B. Ambroſii Sanſedonii num.* 43.

E

CAPUT IV.

Alii Teſtes de miraculis poſt mortem, auditi XXVI *& XXVII Ianuarii.*

ſanantur rupti parvuli plures

29 HOnorabilis Alibertus de Michihenio, Teſtis XV, ſcire dixit, quod cum parvula quædam filia ſua, annorum quinque, haberet grandē tumorē in inguine, ita ut ipſa inteſtina viderentur effluxiſſe; voverit ipſe intortitium unum, ejuſdem cum parvula longitudinis, deferendum ad B. Guillelmum, ſi illa ſanaretur. Atq; ita intra duos treſve dies ſublatus tumor ille eſt, & etiam nunc ſana puella vivit. *Similiter Teſtis* XVI, Antonina la Michela dixit, quod in nocte annuæ Vigiliæ ad ejus monumentum iverit cum mulieribus aliis, eoq; detulerit nepotulum quemdam ſuum hernioſum, filium Petri Michaelis, filii ſui: mane autem ſequenti apparuit ſanus parvulus, neque exinde tale quid paſſus eſt. Intellexit autem ipſa teſtis, pari modo ſanatum eſſe parvulum alium, ex Modyca allatum. Anno quoque inſequenti ipſa eodem detulit alium ſuum nepotulum, filium Pini Cuffari & filiæ ſuæ eidem nuptæ, qui propter tumorem inguinis hernioſus credebatur: & ſimiliter peracta Vigilia ſanus rediit, neq; ab annis circiter viginti quatuor, quibus id accidit, amplius tale aliquid ſenſit Ipſa quoq; Teſtis, poſtea febrim quartanam patiens menſibus circiter octo cum reliquis feminis ad Vigiliam agendam convenit: & precibus atque interceſſione B. Guillelmi acceptū refert, quod ipſa nocte liberata, libera fuerit omni deinceps vita.

F

mulier febricitans.

30 Mag. Antoninus de Carnimolla, de terra Mohac, Xicli repertus, Teſtis XVII, affirmat, quod anno proxime elapſo, menſe Martii, Indictione X, MD XXXVI, a poſt morbū quatuor menſiū fuerit tā debili ſtomacho, ut cibi potuſq; impatiens exigua omnino

a

ſuſten-

A *vir debilis ſtomacho,*

ſuſtentaretur ſubſtantia, cũ bibere volens nihil poſſet deglutire, venit autem die XXIV Martii in terram Xicli, in domum ſuæ cujuſdam ſororis, nuptæ Mag. Antonino de Auguſta. Ibi ei dictum eſt, faceret votũ B. Guillelmo, ſ ita certo ſanandum. Cum igitur audiviſſet quod ab incolis illius loci cogitaretur de ſolicitanda & procuranda licentia ad feſtum celebrandum, eamq; ob cauſam Romam mittendos legatos; vovit ſe ad eum finem collaturum ſex taros ſi ſanaretur. Eodem autem veſpere ſenſit, laus Deo, melius habere ſe, comeditque & bibit abſque incommodo ullo, exindeque ſanus remanſit.

Iterum hernioſi, puer b

31 Bernardus de Bruno, Teſtis XVIII dixit, quod cum ipſe pateretur herniam inſtar chitranguli *b* protuberantem, & quadam nocte in lecto decumbens colloqueretur cum ſua matre de B. Conrado ejuſque miraculis; cœpit dicta mater eidem narrare, quomodo etiam B. Guillelmus ſanaviſſet multos hernioſos. Quibus verbis intellectis, in tales voces devote erupit. O B. Guillelme, libera me ab hac infirmitate: & ego tibi voveo ferre cereum unum album valoris ſex tarorum. Mane autem ſequenti perfecte curatum ſe ſenſit, & manet ſanus jam annis duobus.

& puella.

32 Perna, uxor Mag. Antonii de Grachioppio. Teſtis XIX, depoſuit, quod habuerit filiam nomine Franciſcam, ab ipſa nativitate hernioſam, cui ex more curarit fieri cingulum, quale ad continendam rupturam fieri ſolet: audiens autem ex variis quod B. Guillelmus multa feciſſet & faceret miracula, ſenſit fiduciam devotam excitari in animo; & quodam veſpere cum mulieribus quibusdam ad eccleſiam S. Matthei accedens, eodem adduxit filiolam ſuam; quæ ipſa nocte optatam recepit rupti corporis integritatem.

B

C *alia calculo laborans,*

33 Egregius Notarius, Carolus de Carratello, Teſtis XX, dixit, quod anno proxime elapſo, filia ſua, *c* Diſiata nomine, patiebatur infirmitatem, qua impediebatur urinam reddere, & per conſequens ullam partem quietis capere. Obtulit ergo filiam prædictã magiſtris chirurgis, qui ſunt Salerni, calculi eximendi peritis; qui conſiderato malo, dixerunt, petram congregatam eſſe in collo veſicæ. Cum ergo decreviſſet deponens infirmam ſubjicere ſectioni, uxor ejus magna cum devotione promiſit B. Guillelmo quod recurrente illius vigilia, vigilatura etiam ipſa eſſet, ſi ab incommodo tam periculoſo liberareturper eum filia ſua. Placuit autem primum omnipotenti Deo, deinde ipſi B. Guillelmo, exaudire preces: & exinde omni moleſtia liberam ſe puella ſenſit.

34 Honorabilis Antonia de Florio, Teſtis XXI, dixit, quod cum filius ſuus, nomine Joannes, ætatis annorum trium, herniam pateretur; ipſa deponens vovit vigiliam ante ejus corpus, in eccleſia S. Matthei, ad tertiam Aprilis peragendam. Quo tempore adveniente, una cum pluribus feminis & filiolo ſuo, acceſſit ad monumentum, eumq; ſupra illud collocavit, quomodo pariter collocati fuere ibidem alii quinq; parvuli, ſimiliter hernioſi. Acceſſit autem ad idem monumentum qu. Venerabilis D. Antonius Zinza, & ſeras monumenti, tum forte apertas, manu ſua clauſit. Circa mediam vero noctem ſanatus eſt puer, cum illisquinque aliis: & remanſit mater, cũ ceteris viris ac mulieribus, eamdem vigiliam celebrantibus, in eccleſia uſque mane: quando rediens prædictus Sacerdos, qui ſeras monumenti clauſerat, easdemq; rurſum apertas inveniens, dixit, hoc factum manifeſto B. Guillelmi miraculo. Alias quoq; ipſa deponens, cum febribus laboraret, eamdem vigiliam tenuit, & ſanitatem obtinuit.

puella caput cruſtis obſita,

35 Franciſca uxor Antonini qu. Laurentii de Naro Teſtis XXII, dixit, quod anno proxime elapſo, filiolam quamdam ſuam trimeſtrem invaſit infirmitas, quę collum & caput cruſta obtexit informi, ſubtus quam collecti humores copioſe erumpebant. Duraverat ea calamitas duobus menſibus, uſq; ad feriam ſecundam hebdomadæ majoris: quo die ſub veſperam ipſa Deponens vovit B. Guillelmo, quod nudis pedibus atq; jejuna adiret illius monumentum in eccleſia S. Matthei: & mane ſequenti invenit filiam mundam ac ſanam, cruſtis à capite toto ſeparatis, & adhuc intra pannos quibus obvoluebatur jacentibus; adeo ut quæ antea, velut leproſa, omnibus erat abominationi, & cui lactandæ non poterat invenire nutricem; nullum prioris infectionis retineret veſtigium. *Huic miraculo atteſtatur* Antonia, uxor Jacobi de Raguſa, Teſtis XXIII, afferens, valde fœtidã fuiſſe aquam, quæ de ſub cruſtis prædictis ſcatebat, ſeq; præſentem fuiſſe ea veſpera, qua miſeram filiæ ſortem plangens mater, votum nuncupaverat, & poſtero die mane vidiſſe infantem, omnis fœtoris ſqualloriſq; expertem. *Eisdem atteſtatur* Joanna, uxor Raymundi de Cavallutio, Teſtis XXIV, addens, ſe rogatam aliquoties fuiſſe à Franciſca, ut filiolæ ſuæ mamillam præberet; ſed excuſaſſe, metu lepræ aut ſimilis contægii.

EX MS. PROCESSU

brachio debilis,

36 Violans, uxor Antonii de la Gaglola, Teſtis XXV, dixit, quod filio ſuo, annorum circiter decem puero, enata ſint apoſtemata duo ad unũ brachiorũ, ſubtus & ſupra: quæ quidem apoſtemata per medicos & chirurgos utcumq; curata ſint, ſed ita ut brachium ipſum omnino debile atq; inutile remaneret. Itaque in die ſabbati ſancti proximę præteriti, rogavit B. Guillelmum, ut filii ſui brachium priſtinis uſibus reſtitueret: & ſtatim atq; pulſari cœpere campanæ, voti ſui compotem factam ſe gaviſa eſt.

E

ruptus & febricitans,

37 Matth. de Zinza, Teſtis XXVI, dixit, annos abiiſſe tres, ex quo præ nimia laboris inſtantia crepuit ei dextrũ inguen, unde tumor excrevit ad inſtar ovi columbini: quare coactus fuit ſe medicis & chirurgis curandum committere. Sed cum hi proficerent nihil & dolores creſcerent, maxime Auſtro ſpirante; cumque ad prius incommodum acceſſiſſet etiam febris quartana, qua uſque adeo debilitatum ſe ſentiebat, ut vix jam poſſet amplius equo vehi; cum deniq; Xichilim veniſſet exeunte ſeptembri proxime transacto; una dierum, qua ipſũ febrilis paroxyſmus invaſerat, convertit ſe ad orandum B. Guillelmum; & cũ hac devotione perrexit ad eccleſiam S. Matthei, ſeq; circa monumentum Beati collocavit: ubi mox obdormiſcens poſteaq; evigilans, & rupturam inguinis ſolidatam, & febrim prorſus abactam ſenſit. Agit autem ætatis annum circiter quadrageſimum.

defluxu moleſto laborans,

38 Joan. de Fichili, Teſtis XXVII, *poſtquã ad capitula ſinguladiſtincte reſpondiſſet, ſuper Capitulo* XIV & XVII aſſeruit, quod filia ſua, nomine Violanta, uxor Vincentii Canzemi, uno ante feſtum S. Pauli proxime elapſum anno, defluxu inter tibias adeo moleſto gravata fuit, ut portanda eſſet, ſiquo vellet moveri, cũ pedibus incedere non valeret. Gravibus etiã diu noctuq; cruciabatur doloribus; quibuſcũ conflictantẽ viſitavit Don Maſius de Magro Clericus, adferens aquam, cui aiebat unam coſtarum B. Guillelmi fuiſſe intinctam, & ſanitatem ejuſdem meritis obtinendam promittens, ſi devote eamdem aquam bibiſſet. Credidit mulier, & aquã ipſo eodem tempore matutino bibit; veſperi autẽ per domũ ſuã ambulavit ſana atq; incolumis velut ſi nullam umquã paſſa fuiſſet infirmitatẽ. *Atteſtatur miraculo Clericus, qui aquã attulit; addens,* auctorem ſe fuiſſe Capitulo ipſius eccleſiæ, ut proxime elapſo die IV Aprilis, cum apertum eſſet monumentum, eximeretur coſta prædicta; cujus attactu ſanctificandam aquam ipſemet portavit in quodam poculo, & ipſam ſecũ domũ retulit; poſtea autem, audita mulieris prænominatæ infirmitate, fecerit & viderit, ſicut pater infirmæ narravit. *Qui etiam pater ad extremum depoſuit,* quod in nocte Vigiliæ, quotannis ſolitæ ante quartum Aprilis celebrari, plurimi pueri hernioſi fuerint ſanati, & alii ab aliis

F

pueri hernioſi ſplures,

EX MS. PROCESSU

liis infirmitatibus liberati, inter quos fuerit ipſius Teſtis frater, ad monumentum delatus à matre: unde circa mediam noctẽ puer ſanus deſcendit, accurritq; ad matrem gratulabundus velut ſi numquam ruptus fuiſſet, quemadmodum ſæpe narravit prædicta mater.

39 Clericus Thomas de Magro, Teſtis XXVIII, dixit, quod in anno nonæ Indictionis proximè preteritæ, tribus menſibus laboravit quartana: quæ cum nullis humanis remediis cederet, vovit B. Guillelmo cereum, ſi eo malo liberaretur. Et ex illo die uſque in præſens liber ab omni febri fuit. Audivit autem publice dici in terra Xichili, multos alios infirmos meritis & invocatione prædicti Beati ſanatos eſſe, potiſſimum pueros; ejuſque rei indicia eſſe, appenſa ad monumentum hernioſorum vincula, cereoſque oblatos ab iis qui ſe gratiam conſecutos profitebantur: item eorum multitudinem qui tertia Aprilis quotannis convenerant hactenus, ad vigilandum circa d. monumentum cum ſuis infirmis, quibus optatam ſe dixerunt ſanitatem impetraſſe. Deinde dixit de aqua, ut ſupra.

40 Natalis de Cammarata, teſtis XXIX, dixit annos fluxiſſe ſeptem, quod filius ſuus tunc temporis bimulus, grandes ex ruptura valde protuberante patiebatur dolores, quos crebro ploratu teſtabatur. Cum autem ipſe teſtis eſſet peregre, vovit mater vigiliam ad tumulum, tertia Aprilis agendam. Redeunti porro domum ipſo quarto die marito dixit, ſe quidem ex voto adiviſſe eccleſiam S. Matthei, ſed non potuiſſe parvulum admovere ſepulcro, propter tumultuantem ad illud multitudinem. Quæſivit nihilominus deponens, an ſanatus eſſet infans; & mulier reſpondit, id ſe non examinaſſe. Advocans igitur ad ſe parvulum pater, ut videret quomodo ſe haberet, ſublato vinculo ſanum eſſe conſpexit & gaviſus eſt. Et in relegendo prædictus Natalis addidit & dixit, quod quartana febri per ſex menſes exercitus iverit ad quoddam tugurium, in quo B. Guillelmus, uti aſſeritur, habitavit: in quo cum ſe cubitum compoſuiſſet obdormiſſetq; viſus eſt ſibi videre & audire ſenem, jubentem ut diſcederet, quoniam jam ſanus eſſet. Moxque evigilans abiit ſanus, ſanuſque in diem præſentem manet.

41 Magiſter Petrus de Micheli, Teſtis XXX dixit habuiſſe ſe filium hernioſum annorum circiter octo: cui cum fruſtra adhibuiſſent curam medici, & appropinquaret feſtum B. Guillelmi, ipſe Teſtis & uxor ejus voverunt vigiliæ celebrandæ accedere cum parvulo ſuo: quod & fecere cum ſingulari devotione, in conferta multitudine utriuſque ſexus, ad eamdem vigiliam congregati, & parvulorum eodem adductorum. Mane autem ſequenti invenerunt filium ſuum ſanum, qui in eadem valetudine duobus poſtea annis ſupervixit. Tranſierunt autem ab eo quo res acta eſt tempore, anni circiter viginti ſex.

filius apoſtema in collo patiens,

42 Pinna, uxor Hieronymi de Gandolfo, Teſtis XXXI, ait ab annis, quantum poteſt recordari, quadraginta, filio ſuo Joanni natum eſſe in collo circa aurem apoſtema, quod ipſa ſecari fecit per qu. Joannem delli Volti, medicum chirurgum: eodemque die ipſa Teſtis ivit ad eccleſiam parochialem S. Matthei, ducens ſecum filium tũc temporis bimulum. Cumq; ibi eſſet & coram ſepulcro B. Guillelmi oraret, ut parvulum ab omni liberaret infirmitate, acceſſit eum, qui tum forte in eccleſia aderat, qu. Venerab. Patrem Antoniũ de Joccia, d. eccleſiæ Capellanum: cui ipſa teſtis rem omnem expoſuit. Ille vero acceptum pileolum ex capite pueri, oſſibus B. Guillelmi admovit, rurſumque repoſuit. Die autem proximo, cum vellet Deponens parvulum ſuum jam dicto medico curandum exhibere, & faſciam à collo removeret, invenit plagam prorſus conſolidatam & nullius curationis egentem. Hæc autem acciderunt una hebdomade ante feſtum B. Guillelmi. Die vero tertia Aprilis abiit Deponens ad d. eccleſiã, conſuetas peractura vigilias, una cum variis mulieribus parvulos ſuos hernioſos ſecum habentibus: qui omnes, ruptis media nocte vinculis inteſtina adſtringentibus, ſanati ſunt. Ipſa vincula, ut dictum eſt, diſrupta miraculoſe, ac ſanos parvulos vidit atq; tractavit Deponens. Eadẽ porro media nocte viderat tam ipſa Deponens, quam aliæ iſtæ mulieres, de ſub monumento procedere veluti cicadam candidam & lucidam, quæ circumito templo denuo ſub monumentum Guillelmi ſe abdidit. Eodem inſtanti aderat ibi femina quædam; quæ manum ori admovere non poterat ab uno jam anno, uxor cujuſdam cognominati de Caruſo: quam feminam ipſa Deponens brachio illo mancam noverat; & tunc in momento vidit ſanam, brachium iſtud verſare per aerem, & manum quocumq; vellet adducere: præſentibus ad hoc ſpectaculum Dei miſericordiam inclamantibus.

& mulier brachio manca:

fiunt multa miracula in Vigilia:

43 Bartholus de Agnello, Teſtis XXXII, dixit, quod à multis annis, quorum numerum præciſe non recordatur, fuerit in miniſterio eccleſiæ S. Matthei, in eoq; per decennium perſeveravit: quo tempore meminit annis ſingulis, tertio die Aprilis, multum illuc fuiſſe concurſum ad celebrandam vigiliam B. Guillelmi: & mulieres feminæ tunc adferebant oleum, pro nutrienda lampade ante ſepulcrum accenſæ: aliæ offerebant cereas candelas, & capita facta ex cera; alię parvulorum hernioſorum, quos dicebant fuiſſe ſanatos, rupta vincula; aliæ ipſosmet adducebant parvulos ruptos, qui poſtea dicebantur etiam ipſi curati. Multi etiam tertianis & quartanis febribus laborantes collocabant ſe circa monumentum Beati, & ſuis liberabantur infirmitatibus. Poſtquam autẽ ipſe Teſtis à miniſterio eccleſiæ abiit, uſq; ad annum proxime elapſum, ſimilia quotannis audivit à viris feminiſq; quæ vigiliam prædictam egerant, & inter alios de quodam Petro Caſſacino, qui fuerit liberatus à calculo. De ſeipſo autem meminit à matre ſua audiviſſe, quod infans ruptus ad umbilicũ, ſic ut de vita deſperaretur, ſanatus fuerit per quoddam ſuæ matris votum, quo illa ſe obſtrinxerat, quia impedimento quodã interveniente nõ potuerat ut animo deſtinarat, celebrandæ vigiliæ ſe adjungere.

ſanatur, puer hecticus, & hernioſus,

44 Paulus de Manno, Teſtis XXXIII, dixit, annos circiter viginti quatuor aut quinq; abliſſe, quod habuerit filium anniculum, Rocchum nomine, adeo infirmum ut lac maternum continuo atq; ſuxerat revomeret, continuoq; ploraret, & tamquam hecticus ſolam pellem oſſaq; haberet. Et quod pejus eſt, erat etiam per continui ploratus vehementiam miſerrime ruptus: adeo ut mulieres notæ mirarentur quomodo uxor ſua cum tali ruptura, vomitu atq; clamoribus moleſtum infantem alere poſſet: aluit autem ſic anno integro. Quodã porro die, ipſius Teſtis ſocrus ſuaſit filiæ ſuæ, illius parvuli matri, ut ſecum iret ad eccleſiam S. Matthei, ibiq; vigilaret juxta ſepulcrum S. Guillelmi: quod & fecerunt una cum puero, eumq; poſtea domum retulerunt, ut videbatur perfecte ſanum: nam & ruptura conſolidata erat, & ceſſabat plorare, & lac copioſe ſuctum retinebat. Exinde vero ſuccreſcentibus carnibus corroborari cœpit, vivitq; etiam nunc ſanus & incolumis, annorum viginti quinque adoleſcens.

d brachium fiſtuloſum,

45 Franciſcus de Marturana, Teſtis XXXIV; dixit, quod ante annos tres habuit *d* defluxum infra collum circa humerum, inde ad renes deſcendentem; qui tamen ſolo ſe prodebat tumore, hunc autem aperuere chirurgi, & globum puris exemere, plagã autẽ curare nõ potuerunt totis duobus annis, quibus hiabat fiſtula; magnamq; puris abundantiã ejiciens ipſum brachiũ reddebat inutile. Tandẽ concepit votum pervigilandi ad ſepulcrum B. Guillelmi, & ſi ſanitatem conſequeretur offerendi unum ducatum, expendendũ in legatione tũc Romã decreta pro obtinendo feſto d. Beati.

Con-

A Continuo autem ut votum vovit, per Dei omnipotentis gratiam & B. Guillelmi interceſſionem, ſanus fuit, & in menſe Aprili in eccleſia S. Matthei votum ſuum vigilando implevit, gratias agens de valetudine recuperata.

46 Mazullus de Cappitta, Teſtis xxxv, dixit, quod per menſes circiter tres gravi capitis cruciatu laborans audituque privatus, quodam matutino tempore venerit ad eccleſiam S. Matthei, ſacro Miſſæ officio interfuturus ante dies dumtaxat decem. Cumque appropinquaſſet ad Beati ſepulcrum, eique ſuum acclinaſſet caput, cœpit orare Beatum, ut ſibi auditum redderet, & graves illos dolores auferret: id ſi faceret, allaturum ſe ex voto caput cereum. Et ecce continuo abiit dolor, ipſeque tam perfecte ac unquam alias deinceps audivit.

homo ſurdus.

ANNOTATA.

a *Anno* 1537 *paſcha fuit* 1 *Aprilis: Martius igitur totus præcedens diem Paſchæ ſpectabat ad an.* 1536 *ſi vere à Paſchate ad Paſcha ſuos annos Siculi numerabant; uti cogimur credere ex numero anni* 1537, *etiam pro toto ſequenti Ianuario & Februario, ubique hic uſurpato: quare librarii errore notatum hic an.* 1537 *mutavimus in* 1536. *factum eſt enim hoc miraculum antequam cœpta eſſet procurari Romæ beatificatio, in ordine ad quam juſſus eſt fieri proceſſus menſe Iunio* 1537, *ut patet ex bulla num.* 2.

B

b *An pomi cytrii genus?*

c *Id eſt* Deſiderata.

d *Ita exponimus ex conjectura vocem ſiculam* Scupittata.

CAPUT V.

Reliqui Teſtes menſe Ianuario exeunte auditi.

Curatur puer ruptus,

47 E Juſdem Januarij die xxviii, Tuccia la Sinaguglia, Teſtis xxxvi, dixit, quod ab annis multis; quantos diſtincte non recordatur, frater ſuus Mattheus, tunc parvulus, ita enormiter ruptus fuit, ut ab utroque inguine valde extuberarent inteſtina, iiſque continendis factum vinculum geſtaret. Eo autem veſpere, quo agebatur vigilia B. Guillelmi, ipſa deponens aliique domeſtici detulerunt d. Mattheum ad eccleſiam ſæpedictam; ubi plures tam viri quam feminæ magna cum devotione pervigilabant: mane autem facto inventus eſt puer totus ſanus, nullo uſpiam apparente tumore.

48 Die xxix ejuſdem, Venerabilis Dominus Nicolaus de Ziſa, Teſtis xxxvii, tacto pectore more

C Sacerdotali, dixit, quod ab annis circiter triginta functus ſit officio Sacriſtani in eccleſia S. Matthei: totoque eo tempore vidit propriis oculis accedere tertio die Aprilis, ad Vigiliam B. Guillelmi plurimos viros ac feminas, qui deinde ipſi teſti dicebant ſe optatam gratiam conſecutos. Habuit autem ipſe teſtis ſororem, in utroque inguine ruptam; cui in veſpera vigiliæ ipſe teſtis ſuper partes affectas applicuit calceum B. Guillelmi: & continuo ſanata fuit. Habuit etiam famulum quemdam Clericum, dictum Antonium Caſſarinum, qui magnâ in reddenda urina patiebatur difficultate: quodam vero die cum puer eſſet in ſchola, ſenſit dolores & anguſtias ſolito majores: quare invocavit B. Guillelmum in ſubſidium, & ſtatim ſentiens ſe ad mingendum provocari, egreſſus eſt è ſchola, ejecitque calculum inſtar avellanæ nucis grandem, quem ipſe teſtis vidit propriis oculis, quando res contigerat, ante annos ſcilicet non plures quam tres.

& puella:

item calculoſus,

& ruptus in umbilico unus

49 Soror Violans de Agnello, tertii Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo, Teſtis xxxviii, dixit, quod filius ſuus Bartolus Agnellus, natus eſt ruptus ad umbilicum; qui procidebat eidem inſtar grandis ſalcitiæ, & quando ſugebat mammam magis intumeſcebat: in eoque ſtatu fuit infans primis quatuor vitæ ſuæ menſibus. Quodam autem die vovit ſe vigilaturam ad ſepulcrum B. Guillelmi: ſed ipſa qua votum implere volebat veſpera, advenerunt in domum ejus hoſpites peregrini, quorum cauſa domi remanere coacta, cum lacrymis tamen invocavit B. Guillelmum, Roſarium in ejus honorem recitans: eamdemque orationem iterum mane ſequenti recitavit, prius quam infantis faſcias diſſolveret. Cum autem eaſdem diſſolvit, invenit umbilicum ſuo reſtitutum loco, & puerum ſanum deinde habuit; annii ſunt circiter octodecim.

EX MS. PROCESSU

50 Antoninus de Melfis, Teſtis xxxix, dixit, quod mater ſua qu. Miralda Pauli de Melfis, ab annis circiter quinquaginta quatuor, ſibi teſti ſolita fuerit narrare, quomodo ipſe & in umbilico & in utroque inguine ruptus erat in ſua infantia: ſed eadem mater in veſpera Vigiliæ ipſum tulerit ad eccleſiam S. Matthei: prohibita autem propter populi compreſſionem propius accedere ad monumentum Beati, puerum in pavimento eccleſiæ poſuit, pervigilavitque ibidem, & ſequenti mane ſanum invenit.

atque aliter:

51 Nicolaus de Corvo, Teſtis xl, dixit, quod ab annis circiter duodecim patiebatur quartanam, cui depellendæ multa diu & truſtra adhibita remedia non profuerunt: conſiderans ergo mater ipſius, quanta eſſet devotio populi & fama miraculorum B. Guillelmi, ſuaſit ut iret ad domunculam, in qua vixerat ille & mortuus fuerat, ibique ſe velut ad ſomnum componeret. Fecit ille quod conſultum erat proximi paroxyſmi die, & à ſomno ſurgens nullam amplius febrem ſenſit.

febris quartana,

E

52 Petrus de Carthia, Teſtis xli, dixit, quod proxime præteritis temporibus fuerit per annos tres vexatus doloribus *a* lateris, quibus multum cruciabatur: quodam autem die eadem infirmitate & doloribus recurrentibus, ſunt menſes circiter ſex, cum magna devotione adferri ſibi petiit calceum B. Guillelmi: eumque ſuo imponens pectori, orare cœpit B. Guillelmum, ut gratiam erga ſe faciens intercederet apud omnipotentem Deum, quatenus tantos dolores auferret, eodemque die voti compos fuit.

dolor lateris,

a

53 Honorabilis Antonina, uxor qu. Joannis de Michilenio, Teſtis xlii, dixit, annos eſſe circiter triginta quinque, quod habuit quemdam filium ſuum, nomine Alibertum Michilenium, menſium fere quatuor infantem, fœde ruptum: ſed egreſſa ad faciendam Vigiliam B. Guillelmi, poſtea cum ab eadem rediit, puerum quoque ſanatum invenit. Similiter anni ſunt circiter ſex quod habuit nepotem, filium Domini Hieronymi Carthia generi ſui, nomine Antonellum, eodem malo laborantem: cui pari modo vigilans ſanitatem impetravit.

duo pueri rupti,

F

54 Margarita, uxor qu. Pauli de Bono-incontro, ætatis annorum ſeptuaginta, Teſtis xliii, dixit, quod ante annos duodecim deciderit ipſi ſupra brachium dextrum rheuma quoddam, unde biennio integro manca fuit: ſed die quodam ad eccleſiam B. Matthei accedens, & poſt orationem factam debile brachium monumento B. Guillelmi admovens, ſubito illius uſum expeditum habuit.

brachio manca,

55 Perna, uxor Petri de Muncata, Teſtis xliv, dixit, quod hoc præſenti anno tertiana laborans, neque in medicinis ullis remedium inveniens per menſes omnino tres; quodam die, cum paroxyſmum mali recurſuri præſtolaretur, devotione erga B. Guillelmum ducta, ivit ad caſam, in qua, ut aſſeritur, ipſe habitavit & obiit: ibique decumbens, ac deinde conſurgens & domum rediens, nihil ſimilis mali impoſterum habuit.

febris tertiana,

56 Perna, relicta qu. Jacobi de Ricza, Teſtis xlv, dixit, quod ab annis tribus quartanam patiens adeo moleſtam, ut extreme debilis ac

& quartana,

EX MS. PROCESSU

semimortua sibi videretur; votum fecit ferendi ad lampadem B. Guillelmi duas quartuccias *b* olei: quo cum se exolvisset, & quidem pedibus nudis ad ecclesiam S. Matthei progressa, atque ad monumentum Beati decubuisset, cum multa devotione, numquam postea dictam febrim sensit.

b

adolescens fere cæcus,

57 Sannutia de Lupo, Testis XLV, dixit, quod ab annis sex habuit nepotem, nomine Guillelmum, cujus oculis supercrevit nubecula, totas fere pupillas albugine sua occupans; adeo ut necesse habuerit per annos omnino quinque quasi palpando incedere, omni pene visu destitutus: nec profuere ulla, quæ multa sunt adhibita, remedia. Igitur cum die quodam graviores in oculis dolores pateretur, abiit ad ecclesiam S. Matthei, gratiam à B. Guillelmo petiturus; & coram monumento ad orationem procumbens, ipsique caput suum applicans, per Dei omnipotentis misericordiam & viri beati intercessionem, uti firmiter tenet, perfectam videndi, ut antea, facultatem in momento recepit.

58 Venerabilis Domnus Petrus de Burato, de terra *c* Ragusiæ, & ad præsens repertus in hac terra Xicli, Testis XLVI, tacto pectore more Sacerdotali dixit, quod juxta ejus *d* recordum, anni sunt circiter quinquaginta, cum ad domum sui quondam patris Antonii de Burato, venit qu. Thomas Sturnellus Xiclensis, & mutuo confabulando multa dictus Thomas disseruit de miraculis, quæ in Xicli per merita B. Guillelmi identidem operabatur Deus. Accidit autem paulo post, ut d. pater suus lignatum cum securi egressus, fallente ictu, grandem tibiæ suæ plagam inflixerit, unde copiosus erumpebat sanguis. Sic vero læso venerunt in mentem miracula, recens ex Xiclensi hospite audita; dixitque: O B. Guillelme, velis mihi auxilio esse per tuam misericordiam, ut incolumitate per tuam, ut spero, gratiam recepta, etiam ego sim unus ex testibus beneficiorum, quæ devotis tuis adeo liberaliter facere consueviste. Et his dictis manum admovit vulneri, ipsumque adeo profundum esse sentiens, obstupuit; & expallescens concidit in terram; itáque jacuit, mortuo quam vivo similior, tempore aliquanto. Jacenti autem apparuit vir quidam & dixit: Eia surge, quia per votum B. Guillelmo factum sanitatem meruisti. Tum ille in se rediens surgensque, consolidatam plagam seque incolumem vidit. Quare ne tanto esset beneficio ingratus, de terra Ragusiæ in terram Xiclis ivit, ibique post actas in ecclesia ad monumentum gratias factum publicavit, fuitque id ipsum etiam Ragusiæ notissimum, cum Antonius cicatricem grandem ex vulnere relictam ostentaret in tibia, quam filius ejus Petrus certo scit antea non habuisse.

c
d

B

plaga tibiæ ab inflicta securi,

C

fluxus sanguinis,

59 Soror Margarita, filia Mag. Mariani Velardita, tertii Ordinis de Monte Carmelo, Testis XLVII, dixit, quod hoc præsenti anno, mense septembri proxime elapso, supervenit sibi fluxus sanguinis, cum maximis ventris renumque doloribus: eaque infirmitas duodecim diebus ipsam tenuit, sic ut omnino morituram se crederet, cum integras pelves impleret profluens sanguis, & sisti nullis artis medicæ subsidiis posset. Ita debili ac mortem vicinam prospicienti, succurrit memoria B. Guillelmi, & dixit: O B. Guillelme, obsecro ut me velis liberare ab hac infirmitate, & ego tarum *e* unum devote offeram. Quo dicto stetit sanguis, cessavere dolores, & ipsa B. Guillelmi festum instar Paschatis deinceps se habituram proposuit. *Idem affirmavit* Beatrix uxor Mag. Mariani, Testis XLVIII, *mater Margaritæ*, quæ filiæ sic patienti ministrans suggessit, ut B. Guillelmum invocaret: & subitam curationem præsens mirata est.

e

60 Penultimo Januarij, Antonia, relicta qu. Nicolai de Carthia, Testis XLIX, ætatis annorum sexaginta, dixit, quod habuit fratrem, nomine Philippum de Ragusia, qui calculo impediebatur reddere urinam, multumque patiebatur. Hic quodam die, cum cruciatus essent acerbiores, votum pro sui liberatione fecit B. Guillelmo: & statim, prius quam symbolum Apostolicum recitando absolveretur, emisit petram, instar dactyli grandem. Et hanc petram d. Philippus monstrans ipsi Testi, dicebat: Ecce soror, postquam votum feci B. Guillelmo, recepi gratiam: & hanc petram, Deo sit laus, per membra ejeci. Vixit autem exinde annis aliquot, neque de dolore aut incommodo tali questus umquam est.

D

grandis calculus,

61 Margarita, uxor Francisci de Mayuti, Testis L, narrat annos esse circiter viginti, juxta videre & recordum ipsius testis, quod mater sua nomine Antonella, patiebatur malum *f* Francicum, & vocem atque loquendi facultatem per dictam infirmitatem amiserat; quando mater Antonellæ, avia ipsius testis, ei suasit ut faceret votum B. Guillelmo de agenda quotannis ipsius Vigilia. Paruit autem Antonella: sed cum adesset dies Vigiliæ, velletque Antonella ire ad ecclesiam S. Matthei, non potuit; quia mater sua facta erat infirma. Multum igitur mœrens, ac plangens quod non posset ad Vigiliam ire ut promiserat, tandem se domi suæ cubitum composuit: die vero postero adeo sanam se reperit, ut multo perfectius quam unquam antea loqueretur.

f

mulier muta,

E

62 Nobilis Joannes de Prato, annorum quinquaginta trium, Testis LI, annos dixit effluxisse circiter triginta, ex quo sub ore natum est sibi apostema molestissimum, quod nec potum sibi neque cibum permittebat, & maximos generabat dolores diu noctuque. In die autem festo B. Guillelmi votum aliquod fecit d. Beato, rogans ut dignaretur infirmitatem istam & dolores auferre. Et continuo placuit omnipotenti Deo ut miraculose creparet apostema; ex eoque nullus amplius dolor in ore vel aliud ullum incommodum sentiretur.

apostema in ore,

63 Florentia, uxor Joannes de Yzisa, annorum circiter quadraginta, Testis LII, asseruit, ab annis fere triginta, sibi intra utriusque manus volam natum esse tuber, quo illæ sibi prorsus reddebantur inutiles una cum ipsis digitis. Quodam autem vespere, cum ad agendam B. Guillelmi Vigiliam concurreretur, mota ad devotionem similem ivit etiam ipsa, in comitatu aliarum feminarum, ad ecclesiam S. Matthei, rogans B. Guillelmum ut sanare ipsam dignaretur. Applicuit deinde manus monumento: & nocte transacta, sublatis tuberibus, sanas ambas, & ad omnem usum mobiles digitos facile agiliterque movebat.

tubera manuum,

F

64 Margarita, relicta quondam Nobilis Antonini de Scalso, Testis LIII, asseruit se à quinquennio peperisse filiam nomine Jannellam, quæ in pede dextro non habebat calcaneum, proindeque judicabatur futura per omnem vitam manca. Itaque ipsa Testis cum suo marito voverunt B. Guillelmo tibiam pedemque ex cera, ferendum ad sepulcrum, casu quo proli suæ gratiam desideratam impetrantes, naturali in statu pes poneretur, absque ejusmodi deformitate: & mox apparuit in dextro pede calcaneus plane similis sinistro. *Aderat parienti, votumque fieri audierat, & gratiam factam cognoverat*, Nobilis Joannella, relicta qu. Nobilis Liberti de Fichichia Testis LIV, *& cuncta, ut supra, confirmavit.*

puella calcaneo carens,

64 Margarita de Galesi, Testis LV, ante annos decem filium habuit Nicolaum, toto triennio paralyticum, ut neque movere se neque vertere posset: adveniente autem Vigilia B. Guillelmi, ad templum S. Mat-

alius paralyticus,

A S. Matthei cum aliis mulieribus properavit ipſa Teſtis, ibique fuit uſque in diem ſequentem. Interim filius graviores quam antea patiebatur dolores: ſed iiſdem ſub auroram liberatus, ſanus & hilaris matri ſuæ domum redeunti occurrit, & etiam nunc incedit ac movetur ſanus.

alius hernioſus 66 Antonutius de Xaczenio, Teſtis LVI, dixit, quod anno proxime elapſo quidam ſuus filius anniculus, adeo hernioſus, ut ad ovi magnitudinem extuberarent inteſtina, facto per ipſum teſtem & uxorem voto de Vigilia agenda; eadem peracta ſolutiſque mane ſequenti faſciis, apparuit ſanus. *De creberrimis autem miraculis in tali Vigilia fieri ſolitis, & populari erga Beatum devotione, valde per talia promota, in genere concorditer depoſuere*, Magnificus Michael de Aſcenſo, Teſtis LVII, & Magnificus Petrus de Michichenio, Teſtis LVIII.

& vir quartana laborans. 67 Venerabilis Fr. Clemens Scachiapani, Ordinis S. Franciſci, ætatis annorum quinquaginta, Teſtis LIX, dixit quod ante duos menſes febri quartana laborans, collocaverit ſe ſupra monumentum B. Guillelmi. Nihilominus ipſo in loco invaſit eum febris: dormienti autem ſibi viſus eſt adſtare vir dicens: Eia, ſurge: quia jam es ſanus: & ſurgens ſanum ſe invenit, taliſque permanet. *Et poſt hunc rurſum de miraculis Vigiliæ, omni anno fieri ſolitis, in genere depoſuere*, Venerabilis Don Antoninus de Bonfilio, ætatis annorum ſexaginta; & Venerabilis Don Antoninus de Branca, ætatis annorum quinquaginta; Teſtes LX & LXI, de viſu & auditu.

B

ANNOTATA.

a *In MS. eſt*, il male de lo Xanto, *quod divinando vertimus*, lateris.

b Quartuccia *Tuſcanis maſculinum eſt, & ſignificat octavam partem flaſconis ſeu œnophori.*

c Raguſia *oppidum, ad cognominis fluvioli caput in colle ſitum, diſtans Xiclo* 10 *vel* 12 P. M.

d Recordum, *id eſt memoria: quæ vox in actis communiter occurrit, pene ad depoſitiones ſingulas.*

e *Quanti valeat Siculis* Tarus *necdum comperi, ſuſpicatus aliquando fui à Germanis fluxiſſe vocem*, ex Tallero *contractam: hic autem nummus accedit ad medium ſcutum Romanum.*

f *Ita luem veneream appellant Itali; Franci econtra*, Malum Neapolitanum.

CAPUT VI.

Poſtrema ipſius Commiſſarii relatio, Proceſſus concluſio, & beatificationis decretum.

a 68 RElatio *a* magnifici & Reverendi Don Joannis de Donnis, ad cauſam Subdelegati, facta ad inſtantiam Magnificorum Juratorum & Univerſitatis Terræ Xicli, inſtantiſſime petentis relationem prædictam, ſub vinculo juramenti, tacto prius pectore, more Sacerdotali, ſuper IV, V, VI, VII, VIII, IX, XV & XVI Capitulis memorialis, præſentati in urbe felici Panormi, facta penultimo ejuſdem Januarij XI Indictionis MDXXXVII, talis eſt: quod ipſe Relatans, propter ea quæ ſuis oculis vidit, & propter depoſitiones per ipſum receptas Teſtium coram ſe examinatorum, firmiter judicat, credit & tenet, quod Fr. Guillelmus de Cuffitella, de cujus beatificatione agitur, vita ſibi comite, fuit humilis & fidelis verſus Deum, homo bonæ famæ, vitæ ſimplicis & patientiſſimus: qui in hoc mundo perſecutiones habuit, & ſatis multa paſſus eſt pro Dei amore. Ita autem judicat ipſe reverendus Relatans, eo quod ipſe cum ſua commiſſione & ſubdelegatione profe-

Commiſſarius in cauſa teſtatur ſe virum beatum credere,

EX MS. PROCESSU *viſa habitatione B. Guillelmi,*

Ctus Xiclim, recepturus ibi informationes & teſtimonia, ſuper vita, moribus & miraculis d. Fr. Guillelmi, ivit una & ſimul cum Magnificis Juratis & multis nobilibus atque incolis d. terræ Xiclis, ad eccleſiam quamdam ſub titulo & vocabulo S. Mariæ de pietate, quæ eſt ita in pulcherrima & altiſſima parte terræ Xiclis: unde modice diſtans tuguriolum humile, ſibi monſtratum eſt; in quo dicti Magnifici Jurati, nobiles & cives aſſeruerunt ipſi Reverendo Relatanti habitaviſſe Fr. Guillelmum. Quod tugurium ita humile conſiderans R. Relatans, multam interius devotionem ſenſit, judicavitque talem habitationem fuiſſe hominis valde devoti & patientis, quique vitam non duxit abſque magna humilitate & perſecutionibus.

imaginibus earum ibidē incorruptis, 69 Viſus eſt etiam ipſi R. Relatanti locus ille vere eremiticus, aſper & idoneus ad ducendam vitam eremiticam: & tugurium non fuiſſe factum manu architectonica: in cujus tugurii pariete uno, ſculpta eſt manu pictoris quædam figura, cum hoc ſubſcripto, BEATUS GUILLELMUS: in alio autem pariete picta eſt effigies Dominæ noſtræ. Dicti autem parietes ſolent humectari, & vidit eos ipſe R. Relatans humidos, & tamen dictæ figuræ (ſcilicet tam illa cui ſubſcriptum eſt BEATUS GUILLELMUS, quam altera Divæ Virginis) ſunt tam ſinceræ & excellentes, quaſi hodie eſſent ſculptæ & pictæ: quæ res non eſt abſque maximo merito d. Fr. Guillelmi apud Deum: & iidem parietes conſiſtunt in ea validitate ac firmitate, quaſi aqua pluvia numquam ſuper ipſos cecidiſſet. E

b 70 Poſtero die dicti Magnifici Jurati, una cum ipſo R. Relatante multiſque nobilibus & popularibus, iverunt in matricem ſeu *b* cathedralem eccleſiam d. terræ Xiclis, ſub vocabulo S. Matthei: quæ eccleſia, pro eo quod Xiclis non ſit civitas, eſt pulchra & bene conſtructa. In præcipuo autem loco d. eccleſiæ, quem incolæ nominabant capellam illuſtriſſimorum Comitis & Comitiſſæ Modicæ & ipſius terræ Xiclis, vidit R. Relatans occulatim monumentum lapideum ex unica petra, quod monumentum fulciebatur duabus columnis, & inſcriptos habebat hoſce verſus. *b honorifica ſepultura,*

Sciat qui neſcit, Guillelmus hic requieſcit
De Cuffitella; ſeculi præſentia bella
Subdidit atque cr men, animæ *c* fœdantia limē. *c*
Regnat in æthereis Chriſto jubente theatris. *d* *d*

F 71 In dicto autem monumento requieſcebant oſſa Fr. Guillelmi, prout aſſeverabant dicti Magnifici Jurati. Clauditur ipſum quatuor pulcherrimis ſeris, quarum claves ſunt in poteſtate ſeniorum & præcipuorum terræ Xiclis. Juſſit porro R. Relatans aperiri monumentum, ad effectum videndi oſſa prædicta: quod cum fieret exivit de monumento maximæ ſuavitatis fragrantia, quemadmodum ipſe R. Relatans aliique circumſtantes viderunt & olfactu perceperunt. Vidit autem ipſe in d. monumento jam aperto dicta oſſa, optimi coloris, ſincera & integra, & aliquibus eorum adhærebant adhuc nervi aut carnes, omnaque ſpirabant odorem ſuaviſſimum, adeo ut ipſe R. Relatans, præ magna devotione & pietatis affectu, in aſpecta tot oſſium corporiſque tam perfecti, commoveretur ad lacrymas. Et quia d. Fr. Guillelmus fuit extraneus, videns ipſius oſſa tam reverentes & in ſepulcro tam honorifico collocata, credidit quod d. Fr. Guillelmus fuit ſimplex, caſtus, humilis & extremis omnibus virtutibus præditus. *oſſibus ſuaveolentibus*

tot teſtatiſſimis miraculis 72 Qui idem R. Relatans recepit prædicta teſtimonia, quibus probantur plurima miracula, prout in teſtibus ad quos ſe refert, & quod ipſa non ſint facta ex arte magica, ſed ex Dei meritis d. Fr. Guillelmi

EX MS. PROCESSU *& populari devotione.*

lelmi mediantibus! & ad fidei corroborationem vidit etiam devotionem populi erga d. Fr. Guillelmum magnam & ferventiſſimam eſſe; & numerum teſtium, ſeſe offerentium ad declarandas gratias variis perſonis collatas, eſſe infinitum; eo quod pro uno continuo accurrerent quinque vel ſex. Cum autem R. Relatans diſcedere vellet, venit ingens multitudo teſtari volentium: ſed quia ad numerum ſufficientem recepti auditique erant noluit ipſe plures recipere. Quibus omnibus, ut præmiſſa ſunt, conſideratis à R. Relatante, cum Magnifici Jurati terræ Xiclis, pro vacationibus diurnis & locatione jumentorum, obtuliſſent illi, verſus Netum diſceſſuro, ſeptem ducatos aureos; ipſe eoſdem acceptatos, præ magna erga Fr. Guillelmum devotione, mox reddidit ad promovendam expeditionem proceſſus.

73 *Denique commiſſione tota in hunc modum expleta, ſcripſit litteras ad Iudicem eccleſiaſticum, à quo fuerat delegatus, in hunc modum.* Multum Magnifice & Revede Domine, Joannes Antonius de Phaſſides, ſacrarum litterarum Profeſſor ac Vicarius generalis civitatis & Archiepiſcopatus Montis-regalis, ac Judex eccleſiaſticus & ad cauſam Delegatus. Veſtras litteras accepimus, veſtra propria manu ſcriptas, & ſolito veſtro ſigillo munitas & roboratas, in effectu continentes, quatenus debeamus perſonaliter nos conferre in oppido terræ Xicli, ad effectum examinandi & producendi nonnullos teſtes, ſuper vita, moribus & fama ac miraculis Fr. Guillelmi de Cuffitella, ad effectum providendi ſuper prætenſa beatificatione d. Fr. Guillelmi, in legali numero, ad inſtantiam & requiſitionem & petitionem Magnificorum Juratorum & Univerſitatis terræ Xichili: quibus receptis & examinatis depoſitiones eorum, clauſas & ſigillatas ſolito more, ad Reverendam Dominationem veſtram tranſmittere curaremus; prout latius & de præmiſſis omnibus & aliis liquet, tenore dictarum litterarum, in prefata civitate Montis-regalis die VIII menſis Januarij, Indictione XI, MDXXXVII; ad quas litteras noſtræ commiſſionis nos in omnibus ac per omnia referimus: ac pro majori cautela originale dictarum litterarum Reverendæ Dominationis veſtræ una cum memoriali præſentato in urbe felici Panormo die XI Januarij Indictionis inſtantis nobis tranſmiſſo, una cum litteris prædictis Reverendæ Dominationi veſtræ tranſmittimus, cum præſentibus interclusis, & in capite præſentium ſcripturarum poſitis atque incartatis.

Declarat Iudici quomodo commiſſionē ſuam expleverit,

B

C

74 Nos vero volentes reddere conformes præfatis litteris & mandatis, & veſtris juſſionibus parere, acquieſcere & obedire, prout decet & convenit, habitis pro præceptis ac lectis proviſionibus prædictis nobis præſentatis, ad inſtantiam prædictorum Magnificorū Juratorum & Univerſitatis terræ prædictæ, litteras prædictas fuimus executi, juxta earum ſeriem, continentiam & tenorem: & nos perſonaliter contulimus in dictam terram Xicli, & litteras prædictas exequendo elegimus Regium Notarium Antonium de Avarca, publicum ſcribam & unum ex nobilibus civibus terræ prædictæ, fide dignum ac legalem, perſonam bonæ & optimæ conſcientiæ & famæ, virum Dei timoratum, exquiſitum & expertum in arte Notarii & examinationis teſtium, in noſtrum Notarium, ad examinandos teſtes, per dictos Magnificos Juratos producendos. Quo electo, per eumdem Notarium regium, in noſtri præſentia & conſpectu, delato prius per nos juramento teſtibus prædictis, fuerunt per nos & eumdem Magiſtrum Notarium, cum ea diligentia & ſolennitate qua decet, & ſecreto & ſigillatim, examinati teſtes ſupradicti & ſupraſcripti, interrogando eos de cauſa ſcientiæ, loco & tempore & aliis circumſtantiis à jure requiſitis, ad numerum ſufficientem, legalem & ultra, cum tractatur de cauſa maxima: & ad inſtantiam prædictorum Magnificorum Juratorum, præſentium in petitione d. relationis, abſentium tamen factæ relationis, ſecreto noſtram relationem fecimus, una cum præſentibus interclusam.

& adhibito Notario

eſtes audiverit,

D

75 Quas quidem teſtationes, una cum d. litteris & memoriali vobis tranſmittimus & mandamus, clauſas & ſigillatas ſolito more, & noſtra ſubſcriptione & noſtro ſigillo munitas & roboratas: & pro majori validitate etiam ſubſcriptione & ſolito ſigillo Reverendi Vicarii *e* terræ Xicli ac ſubſcriptione & ſolito ſigillo magnificorum Juratorum terræ predictæ munitas ac roboratas, conſiſtentes in cartis ſcriptis & non ſcriptis octuaginta ſex, ultra d. memoriale & litteras. Unde ad inſtantiam præd. Magn. Juratorum & quorum inter eſt, facta eſt præſens littera, ſuis loco & tempore valitura, data Xicli die primo Februarij, XI Indictionis MDXXXVIII. *quorum depoſitiones clauſas ac ſubſignatas mittit.*

Ad vota Rev. & Excell. Dominationis veſtræ paratus
Donnus Joannes de Donnis qui ſupra.
Donnus Paulus de Michichenio Mag. Notarius.

E

Ego Joſeph Gravina Juratus.
Martinus Jozia Juratus.
Colaus Michicheni Juratus.

76 *Iidem tres Iurati ſignaverunt amplam atteſtationem de legalitate predicti Notarii Antonii de Averca; ſubſignante cum iiſdem* Joanne Baxetto Mag. Notario. *Vi quorum omnium tandem per Io. Ant. Phaſidem dictata eſt ſententia ſeu bulla beatificationis, cum decreto Officii atque Miſſæ, hoc quiſequitur tenore.* In nomine Domini. Amen. Univerſis & ſingulis Dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, Cathredaliumque & Collegiatarum Canonicis, Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, ſeu locum tenentibus eorumdem Plebanis, Viceplebanis, Cappellanis, Curatis & non Curatis, Vicariis perpetuis, Altariſtis; ac Religionum, Ordinum, Monaſteriorum, Conventuum, & domorum quorumcumque Miniſtris Generalibus & Provincialibus, Vicariis, Cuſtodibus, Magiſtris, Præceptoribus, Commendatoribus, Prioribus, Perſonis, Fratribus, ac Religioſis; ceteriſque Presbyteris, Clericis, Notariis & Tabellionibus publicis; nec non illuſtribus ac ſpectabilibus Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Gubernatoribus, Conſulibus, Proconſulibus, Rectoribus, Poteſtatibus; magnificis & nobilibus Capitaneis, Judicibus, Caſtellanis, Balivis, Servientibus, Officialibus civilibus, Terraneis, ceteriſque Officialibus judiciariis; & Officiariis, ac perſonis quibuſcumque juriſdictionem ſpiritualem & temporalem pro tempore habentibus, & exiſtentibus in hoc regno Siciliæ & preſertim in civitate Xichili; ac univerſis & ſingulis, hoc preſens inſtrumentum inſpecturis, viſuris, lecturis, pariter & audituris. Nos Joannes Antonius Phaſſides, Sacræ Theologiæ Profeſſor, & Illuſtriſſimi Domini Alexandri, tituli S. Laurentii in Damaſo, Dei gratia Vicecancellarii Cameræ Apoſtolicæ, Cardinalis de Farneſio, & Archiepiſcopi Archiepiſcopatus civitatis Montis-Regalis, Vicarius Generalis; ſubexequutor & deputatus ad infraſcripta, per dilectum Joannem Antonium Puleonem, Baronem Burgii, cui principaliter à Sede Apoſtolica fuit hoc negotium delegatum: ſalutem in Domino, & præſentibus

hic cognitio

ſignificat omnibus

F

Ioan. Ant. Phaſſides, f

A sentibus fidem indubiam adhibere, noſtriſque hujuſmodi, imo verius, Apoſtolicis firmiter obedire mandatis.

77 Litteras [accepimus] Apoſtolicas ſanctiſſimi Domini Pauli, divina providentia Papæ III, ſigillatas, ut moris eſt, ſub annulo Piſcatoris, dicto *quod de mandato Pauli 3.* Domino Jo. Antonio Puleoni directas, ſanas, & integras, non vitiatas, nec in aliqua earum parte ſuſpectas; ſuper quibus executoriæ emanaverunt Viceregiæ, ſub data Panormi XVII Novembris, undecimæ Indictionis, MDXXXVII, per Univerſitatem civitatis Xichili, ejuſque Procuratorem *g* in litteris Apoſtolicis ſpecialiter nominatum, coram nobis tamquam ſubrogatis, & deputatis ac conſtitutis ad hæc per dictum Joannem *g* *h* Antonium Puleonem Principalem, *h* exhibitas & præſentatas... Poſt quarum quidem litterarum Apoſtolicarum præſentationem *i* & receptionem, nobis & per nos, ut præmittitur, facta; fuimus per procuratorem dictæ Univerſitatis civitatis Xichili, in eiſdem litteris Apoſtolicis ſpecialiter nominatum, debita cum inſtantia requiſiti, quatenus ad executionem ipſarum & contentorum in eis procedere deberemus. Ad cujus requiſitionem volen- *i* B tes, ut tenemur, Apoſtolicis obedire mandatis, *auditis teſtium depoſitionibus* teſtes idoneos & fide dignos recipi & examinari mandavimus, & fecimus; ipſiſque rite & legitime receptis, & ad jurandum admiſſis, juratis, & diligenter examinatis, eorumque dictis & depoſitionibus per Notarium infraſcriptum, per nos inexhibitione earumdem litterarum coram nobis ſcribam electum, magiſtrum Notarium & Actuarium noſtræ Curiæ & Notarium publicum hujus felicis urbis in ſcriptis fideliter redactis, nos informavimus. Et quia per informationem legitimam & diligentem, per nos à dictis teſtibus & aliis nobis exhibitis *& præfata Guillelmi ſanctitate,* & preſentatis, ſuper hujuſmodi negotio ut premittitur, factam & receptam, reperimus dictum Guillelmum tempore vitæ ſuæ vitam feciſſe eremiticam in aſperitate; & fuiſſe hominem modeſtum, pium, humilem; & jejuniis, vigiliis, & abſtinentiis vacaſſe; multaque & diverſa miracula feciſſe, tam in vita quam in morte, & à tempore mortis ſuæ continuatis temporibus uſque ad hodiernum diem; & omnia & ſingula, in dictis litteris Apoſtolicis expreſſa & aſſerta, fuiſſe & eſſe ita ut expoſita & petita fuerunt, & veritati fulciri.

C 78 Nos igitur ante dictus Joannes Antonius *feſtum Dom. in Albis* qui ſupra, auctoritate Apoſtolica, qua in hac parte fungimur, licentiam concedimus & impartimur dictæ Univerſitati Civitatis Xichili, poſſe dictum Guillelmum publice venerari, ac ſingulis annis octava die poſt feſtum Reſurrectionis Dominicæ immediate ſequente, feſtum & officium ejuſdem Guillelmi in eccleſia & Civitate prædictis Xichili libere celebrare, & celebrari facere proceſſionaliter, ſub officio tamen Confeſſoris & non Pontificis, cum infraſcripta Oratione & Offertorio, ad honorem omnipotentis Dei & laudem dicti Guillelmi, hujuſmodi ſub tenore.

ORATIO.

& Miſſam propriam ordinarit, Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Beatum Guillelmum Confeſſorem tuum mirabilia operaris; concede quæſumus, ut ſicuti ejus intervenientibus meritis ægrorum tribuis corporum valitudinem, ita nos facias ad æternam pervenire Beatitudinem, Per Dominum noſtrum.

SECRETA.

Munera, Domine, quæ tibi gratificantes offerimus, in honorem Sancti Confeſſoris tui propitius intuere, & ſubſidium tuæ nobis impertire pietatis.

POSTCOMMUNIO.

EX MS. PROCESSU

Sumpſimus, Domine, ſacramenta, quæ nobis tua benignitate largiris, & quæſumus, ut quæ pia devotione præſtamus. Beato Guillelmo Confeſſore tuo intercedente, tua ſancta retributio comitetur, & dona potiora ſumamus.....

Ita quod per præſentes dictus Guillelmus, propter præmiſſa, canonizatus minime cenſeatur; eo quod actus, & ſolennitas canonizationis ſpectat ſolum ad ſummum Pontificem.

79 In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, hoc præſens publicum *id que publico inſtrumento* inſtrumentum exinde fieri, & per Notarium publicum prædictum & infraſcriptum ſubſcribi & publicari mandavimus, ſigillique noſtri juſſimus & fecimus impreſſione communiri. Actum in Urbe felici Panormi, ſub anno Incarnationis Domini Milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo, indictione undecima, die vero vigeſima ſexta menſe februarij, Pontificatus prædicti noſtri Papæ: præſentibus ibidem nobili Hieronymo de Urſo quondam Antonini, nobili Thoma de Maria de civitate predicta Xichili, & Clerico Nicolao de Nicoloſi de Panormo, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atque rogatis. *k* *signari curarit.*

E Et Ego Vincentius Coxia, Regia auctoritate per totam Vallem Mazariæ Notarius, cum auctoritate ſcribi & regiſtrari faciendi, præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic ut præmittitur agerentur & fierent, interfui, & ea rogatus ſumptavi, & in hanc publicam formam redegi & meo ſolito ſigno ſignavi, in fidem & teſtimonium præmiſſorum omnium, & ſingulorum. *l* *k* *l*

ANNOTATA.

a *Etiam hæc Relatio, pro majori parte, ſcripta erat vulgari lingua: ſed epiſtola poſt relationem ſequens, & cetera deinceps, integre erant Latina.*

b *Non habet Xiclis Epiſcopum, à cujus cathedra proprie dicuntur eccleſiæ cathedrales; ex uſu tamen vulgaris linguæ ſic etiam nominatur, quæ quovis in loco eſt inter plures prima.*

c *Ita in depoſitione Teſtis* XIII: *aſt hic & in depoſitione Teſtis ultimi,* pedantia: *unde ſuſpicari quis poſſet, legendum eſſe* prædantia.

d *Hoc epitaphium poſtea hoc modo reformatum fuit, ut monet Nota marginalis apographo noſtro addita.*

Qui neſcit, ſciat, hic Guillelmus quod requieſcit F
De Cuffitella: Siculis præſentia bella &
Crimina dejecit, Domini mandataque fecit:
Regnat in æthereis Chriſto comitante theatris.

e *Abeſt ecgrapho nobis miſſo iſta ſubſcriptio.*

f *Hic eſt ille Alexander Farneſius, Pauli III Pontificis nepos, Societati noſtræ numquam abſque grata memoria nominandus, quam in Montem Regalem induxit, factus Caroli V poſtulatione illius urbis Epiſcopus an.* 1536, *poſtea vero, abdicato hoc titulo anno* 1573, *Portuenſis: ac demum* 1589 *Romæ mortuus & ſepultus in templo magnificentiſſimo Domus noſtræ, à ſe conſtructo.*

g *Fuit hic* Joannes Melioratus, *quem facili negotio petita impetraſſe ſcripſit nobis noſter Criſpinus Majus:* quia cum Pontifex podagra laboraret, ſtatim ac ſe Guillelmo commendavit, ſine ulla mora optatam impetravit ſalutem.

h *Tenorem totius Brevis vide in principio.*

i *In Proceſſu Panormitano, de quo mox, additur,* de quibus emanaverunt Vice-regiæ, executioni datæ Panormi, die XXVII Novembris Indict. X, MDXXXVII.

k *Hactenus Acta ſervata in Arca. Sed in originali Bulla additur Notarialis ſubſcriptio ut ſequitur.*

l *Hujus bullæ authentica copia, unde nos habemus ecgraphū, tranſcripta & Xiclim miſſa eſt* per Not. Franciſcum Maſcardum,

EX MS. PROCESSU

cardum. Actorum Notarialium qu. Notari Vincentii Caxia conſervatorem : *fidem pro dicto Maſcardo faciente Senatu Panormitano, per ſuam atteſtationem, ibidem ſubſcriptam die* VIII. *Aprilis*, VII *Indict.* MDCXXXIX.

CAPUT VII.

Depoſitiones Teſtium Panormi auditorum.

Menſe Novembri excepti erant Panormi alii teſtes,

80 PRius quam Xiclim miſſus Commiſſarius eum proceſſum conderet, *quem hactenus retulimus; Panormum ad Io. Antonium Phaßidem advenerant multi, fideliter teſtaturi quidquid de B. Guillelmo ſciebant, ad cauſam coram Iudice eccleſiaſtico obtinendam. Horum depoſitiones potuerant primo loco poni : ſed quia non fuerunt examinati per articulos diſtinctos, quomodo examinati ſunt ii, quorum depoſitiones ſupra retulimus, minus diſtincta etiam fuere relationes. Quare, ut in apographo nobis miſſo ultimum tenebant locum, ſic etiam ultimo loco eaſdem hic, non quidem integras dabimus, verbatim iterando ſingulorũ dicta, ſed ſummatim ea recenſebimus; teſtium nomina & ordinem exponendo, & ſingulis addendo id quod quiſque ſingulare & ab aliis non plenius dictũ depoſuit, ne quid deſit hiſtoriæ B. Guillelmi, ex hiſce teſtimoniis ſecurius quam ex recentioribus auctoribus petendæ.*

B *de patria,*

81 Panormi die XXVII Novembris, XI Indictionis MDXXXVII teſtes recepti & examinati per me Notarium Vincentium Caxia, ad hoc electum per R. D. Joannem Antonium Phaſſidem... & hoc in præſentia d. Joannis Antonii ... ſuper contentis in Litteris Apoſtolicis datis Romæ die XXVII Junij MDXXXVII.

Venerabilis Pater Joannes Sachiano, de terra Xicli, dixit, tantum ſcire, qualiter B. Guillelmus Cuſſitella... fuit oriundus Neto ex familia Cuffitella : *calceo miraculoſo,* *quod idem affirmavere Teſtis* II, V, VIII *&* XIV. *Porro Teſtis* I *agens de calceo, ad ædes Guiccionii relicto ante mortem, dicit B. Guillelmum uſum his verbis :* Accipe & conſerva tibi hunc calceum : Juratos autem terræ, viſis tot inſignibus miraculis factis circa mulieres parturientes per ipſum calceum, tuliſſe ipſum è poteſtate heredum Guiccioniorum; & ipſum poſuiſſe intra monumentum, in quo repoſitum erat corpus B. Guillelmi.

82 Vener. Don Sartorus de Nativo, de terra Xicli, Teſtis II, annorum LII, *deponens* de miraculoſa corporis immobilitate, donec nominaretur eccleſia S. *inſigni mortificationis actu,* Matthei, dixit, ſe iſta ſcire ex relatu cujuſdam Mag. Silveſtri Caſſarini, mortui ante annos quatuor necdum integre exactos, ætatis ſuæ anno pluſquam octogeſimo, viro tam probo ut pro tota vita non protuliſſet unum mendacium: ex quo etiam audiviſſe ſe dixit, quod B. Guillelmus, tempore vitæ ſuæ, tactus appetentia capitis vitulini, ipſum curaverit obtinere: obtentumque tulerit in tugurium ſuum, ibique conſervarit, uſque dum vermibus ſcatere ac fœtere inciperet : ſic autem putrefactam carnem ſæpius appoſuiſſe naribus, dicendo : Ecce, corpus, vitulinum caput, quod appetiſti; ſatiare & fruere. *Miraculoſam in Sepultura gravitatem etiam teſtatur Teſtis* III R. Don Mattheus Fanzellus, de terra Xicli, & habitans Panormi.

C

elevatione ſepulcri,

83 Die XXIX Novembris Vener. Presbyter Pinus de Burgio, annorum LXXV, Teſtis IV, dixit quod quidam Canonicus Syracuſanus, Andriottus de Aritio, Xicli infirmatus, recuperato ad invocationem B. Guillelmi oculo, quem pene amiſerat, curaverit tumbam ejus altius à terra elevari ſupra columellas quaſdam : ita ſe audiviſſe Panormi, quo ante annos quadraginta migraverat è patria ſua Xicli. Eodem die Vener. Fr. Joannes de Xicli Ordinis Minorum de obſervantia, Teſtis V *teſtatus eſt de vino & paſtillis in domo Guiccionii, de immobilitate corporis, de F. Stephano Iſchiſitto concionante in terra Xicli & bis à ruptura ſanato, ac de ſterilitate ſeu ſiccitate ſublata poſt elatum & circumlatum caput B. Guillelmi.*

D

jugo boum ad corpus movendum adhibito,

84 Die XXX Novembris, Nobilis Franciſcus de Baglerio, de terra Xicli, Teſtis VI, dixit, corpori movendo carrum & juga boum fruſtra adhibita fuiſſe : *quod etiam dixerat Teſtis* LI, *additque prædictus Teſtis* VI tandem concluſum fuiſſe, ut boves permitterentur ire quo vellent : itaque permiſſos ſibi boves rectum iter tenuiſſe ad eccleſiam S. Matthæi. Item, die IV Aprilis educi è monumento corpus ſeu oſſa Beati, quæ ipſemet viderit tangi ſeu lavari, imo per ſe tetigerit atque laverit aqua: & hanc aquam multis prodeſſe ac profuiſſe, ad febres aliaſque infirmitates pellendas. Eodem die *auditi ſunt*, Nobilis Joſeph Bono-incontro, Xiclẽſis, Teſtis VII, & Mag. Antonius de Cavalluccio Xiclenſis, Teſtis VIII : *quorũ ultimus dixit*, quod fuerit à febri liberatus, decumbendo ſupra ſtratũ ſarmentitium B. Guillelmi. *devotione conſtante populi,* *Item* Nobilis Antonius Purchelli, Xiclenſis, Teſtis IX & Nob. Antonutius Maſius Riczone, Xiclenſis, Teſtis X, quorũ ultimus dixit, quod paucis ab hinc annis timuerint aliqui, ne faciendo Vigiliã B. Guillelmi errarent; propterea quod ipſe canonizatus non ſit; ideoq; deſtiterint deſiſtantque ab uſu talis religionis : alios tamen privata devotione eumdem vigilandi morem ſervare, & gratias multas referre.

E

campanis ultro ſonantibus,

85 Eodem die Nobilis Blaſius Bono-incontro minor, Teſtis XI, dixit, quod ipſe febri laborans, & in tugurio B. Guillelmi decumbens, ſanatus fuerit : item ex dicto & fama publica narravit, quod die quodam auditus fuerit ſonus campanarum in eccleſia S. Mariæ novæ (*ita omnes hi Teſtes Panormi auditi appellant eccleſiam, quam auditi in terra Xicli fere nuncupans S. Mariã de pietate*) quo ſono exciti confratres, cum ad eccleſiam prædictam acceſſiſſent, viſuri qua de cauſa pulſaretur, invenere portas clauſas ac mirati ſunt : multo autẽ magis cum viderunt ipſius eccleſiæ ſacriſtanum, qui ſolus potuerat aperuiſſe eccleſiam, aforis venire cum clavibus. Ipſa autẽ aperta, & nullo qui campanas traheret apparente, cum interim alibi aliæ campanę etiã ultro pulſarentur, inventum eſſe Guillelmũ, genibus flexis ac manibus junctis mortuum : quem nõ potuerint attollere de terra, donec cœperunt dicere Litanias; ſub quibus ſublatum ſit corpus in carrum, à duobus bobus trahendum : qui tamen nihil profecerunt, uſque dum, inter dicendum litanias, veniretur ad nomen S. Matthei : tunc enim motus fuit carrus, & boves, ardua quamvis via, ultro ivere ad eccleſiam S. Matthei : ingreſſique in eam ſunt per portam quamdam, adeo anguſtã, ut impoſſibile videatur illac plus quam unum bovem tranſire : juncti tamen induxere carrum & corpus. In tugurio autem, in quo habitaverat B. Guillelmus, ſervatur jugum quoddam : quod dicitur eſſe ipſum, quo juncti fuere boves, qui corpus traxere. *Hæc ille, quorum fides, in tanto aliorum teſtium ſilentio, ſit penes auctorem : alias non eſt mirum in iis quæ ex auditu dumtaxat referuntur, variari quædam; quædam ab uno dici quæ ceteri omnes prætermiſere.* *invectione corporis in eccleſiam S. Matthei,*

F

miraculis variis,

86 Nobilis Antonutius Gallus, Xiclenſis, Teſtis XII, dixit, quod ab annis viginti & amplius, vidit in diebus ſolennioribus lavari oſſa B. Guillelmi, & hujus lotionis ſeu intinctionis aquam diſtribui ad multarum infirmitatum remedium. Angelus de Alfano, Xiclenſis, Teſtis XIII; meminit, quod parvulus & febri laborans ſeipſum collocaverit ſupra ſarmenta, in quibus dicebatur dormire ſolitus B. Guillelmus : ſed an ſanatus fuerit non potuit ad præſens reminiſci. Die primo Decembris Honor. Petrus Daniolus, Catanenſis, Teſtis XIV, ducta ante octennium uxore Xicli habitans, judicavit ex pictura B. Guillelmum fuiſſe monachum, quales ſunt Fratres S. Franciſci de

A de Paula, *dixitque etiam ſicut Teſtis* IX mortuum eſſe inventum intra eccleſiam S. Mariæ novæ, ſonantibus ultro campanis: *ac denique*, quod ipſo die feſto, cum ſermo de ipſo B. Guillelmo haberetur ad populum, ſæpe interfuerit; videritque propriis oculis ſanari cæcam; item Melitenſem herniоſum; & Modicenſem quemdam, qui nec comedere nec bibere valebat, factoque voto de donandis ſex taris in eleemoſynam continuo recepit ſanitatem, & ſurrexit de lecto. Scit etiam ipſe teſtis, filios cujuſdam de Carthia à ruptura ſanatos, & monachæ cuidam mutæ redditam eſſe loquendi facultatem. *Similiter* Honor. Nicolaus Denaro, Xiclenſis, Teſtis XIII, dixit quod inter alios, in Vigilia Beati ſanatos, propriis oculis viderit filios Hieronymi Garrega, utrimque ruptos, qui in ſignum miraculi erga ſe facti, vincula ſua appenſa reliquerunt ſupra monumentum.

habitu religioſo. 87 Die XII Decembris Venerabilis Don Silveſter Morriali, de terra Xicli teſtis XV, juratus & interrogatus ſuper toto facto (*& ſic fere alii præcedentes omnes interrogati fuere*, ſuper toto facto, *id eſt*, *ſuper omnibus quæ de vita, ſanctitate & miraculis in genere quæſita erant*) dixit, ex aliorum relatu, fuiſſe Guillelmum tertiarium Ordinis Carmelitarum, & iſtam regulam obſervaſſe. *Narravit autem miraculum de vino*, ex ore Mirandæ Maſſa, quæ fuit neptis Pauli Guiccionii: *& miraculum de corpore in via ſubſiſtente*, *uſquedum nominaretur eccleſia S. Matthei*, ex ore Mag. Silveſtri Caſſarini, poſt cujus domum corpus ipſum ſubſtitit, qui Silveſter vixit uſque ad annum ætatis centeſimum quintum, & ſolum ante duos annos obiit. Ipſe etiam Teſtis tenet unam clavium quibus monumentum Beati aperitur & clauditur. Sæpe etiam vidit & tetigit oſſa, carnibus quibuſdam adhuc veſtita & ſuaveolentia. Anno autem preterito portavit calceum Beati in domum ſuam, cumque una ex vicinis haberet parvulam filiam herniоſam, eidem parvulæ impoſuit d. calceum, & ſic ſanata continuo fuit. EX MS.

88 *Hactenus teſtium juratorum depoſitiones, Paroremini exceptæ, quæ, ut ſupra dixi, omnes pene in genere declarant ex auditu vitam ſanctam B. Guilletmi & publicam Xiclenſium erga eum devotionem: addunt plerique miraculum ſubſiſtentis in via corporis, & pulſatarum in morte campanarum: duo vel tres meminere paſtillorum furfureorum: plures vini ex vacuo vaſe educti. Has autem depoſitiones, una cum toto proceſſu Xiclenſi, fideliter tranſcriptas eſſe ex originalibus, teſtabatur Notarius Xiclenſis publicus Franciſcus de Trumbatore, in eo quod apud nos eſt ecgrapho authentico, fidem pro ipſo facientibus, qui originalia nobis tranſcribi juſſerant, in hunc modum.* PROCESSUS *Fidem de fideli tranſcriptione originalium* Nos Judices & Jurati hujus inclytæ & victorioſæ civitatis Xiclis, fidem facimus & teſtamur omnibus & ſingulis, has præſentes viſuris, lecturis & pariter audituris, qualiter ſupradictus Franciſcus de Trumbatore Corbo, qui ſupradictam copiam manu propria ex originali proceſſu, conſervato penes Arcam, ubi conſervantur reliquiæ S. Guillelmi, exaravit; fuit & eſt Magiſter Notarius Curiæ Vicarialis hujus prædictæ civitatis Xiclis, officium prædictum bene & fideliter exercuit & exercet, actis, copiis & exſcriptis cujus tibique adhibenda eſt plena fides. In cujus rei teſtimonium has præſentes fieri juſſimus, noſtris manibus ſubſcriptas, noſtroque quo utimur ſigillo in pede munitas. Datum Xiclis die XXIII Aprilis, VIII Indictionis, MDCLXX *faciunt Iurati Xiclenſes.*

D. Carolus de Angelo Juratus.
D. Jacobus Fiachella Juratus.
D. Didacus Anilli Juratus.
D. Petrus Carthia Juratus.

locus ✠ ſigilli
Ioſeph de Aprile Mag. Notarius.

V APRILIS.

SANCTI QVI NONIS APRILIS COLVNTVR.

C
- Sanctus Claudianus, S. Plautus, S. Hirenæus, } Martyres Nicomediæ in Bithynia.
- S. Didymus Presb. S. Quintus, S. Pancratus, S. Succeſſus } Martyres Alexandriæ.
- S. Honorius, Martyr in Sicilia.
- S. Pompeius, Martyr apud Græcos.
- S. Zeno, Martyr apud Græcos.
- Sanctæ quinque Puellæ, ex Lesbo, Martyres.
- S. Claudianus Perſa, Martyr in Meſopotamia.
- S. Thermus, Martyr apud Græcos.
- SS. Domina, & Ancilla, Martyres apud Græcos.
- Sancti Martyres Afri, ſub Geiſerico Rege Wandalorum.
- S. Tigernacus, Epiſcopus in Hibernia.
- S. Theodora, Vidua, ſanctimonialis Theſſalonicæ.
- S. Geraldus Abbas, Fundator Silvæmajoris, in Aquitania.
- S. Albertus Epiſcopus Montis-Corvini in Apulia.
- B. Iuliana Virgo, Prioriſſa Montis-Cornelii apud Leodium, promotrix feſti Corporis Chriſti.
- S. VINCENTIUS FERRERIUS, Ordinis Prædicatorū, Veneti in Armoricis.

F

SIlvanus, Abbas Rievallenſis in Anglia, Ordinis Ciſtercienſis, *cum titulo* Sancti *refertur à Menardo; at die* XVI *Aprilis à Chryſoſtomo Henriquez, Bucelino & Chalemoto cum titulo* Beati. *Quæ de eo indicantur, ad Vitam B. Aelredi deceſſoris ejus dedimus;* XII Januarij.

S. Claudius, S. Diodorus, S. Victor, S. Victorinus, S. Pappias, S. Nicephorus, S. Serapion, } Martyres, *referuntur in Menæis Græcorum primo loco, & de iis officium Eccleſiaſticum celebratur, nulla temporis aut loci, quando aut ubi ſint paſſi, facta mentione. Iidem referuntur* XXXI *Ianuarij, & Corinthi dicuntur paſſi. Celebravimus* X *Martij SS. Codratum, Dionyſium, Cyprianū, Anectum & Paulum, Corinthi coronatos, & dedimus de his ſecunda Acta martyrii auctore Nicephoro Gregora: in quibus cap.* 3 *refertur martyrium horum ſeptem, dicunturque exemplo S. Codrati paſſi. Præterea de his egimus & Odas ex Menæis (quas non eſt opus repetere) late deduximus* XXV Febr.

S. Amphianus, apud Cæſaream Lyciæ, *memoratur in omnibus apographis Martyrologii S. Hieronymi: item apud Vſuardum, Adonem, Notkerum & alios paſſim. Videtur eſſe* S. Apphianus, *aliis* Amphianus *è* Lycia oriundus, *& Cæſareæ, quæ nulla eſt in Lycia, ſed in* Palæſtina *paſſus; cujus Acta dedimus* II Aprilis.

Irene Virgo, Martyr Theſſalonicæ, *refertur ab Adone, Vſuardo, Rabano, Notkero aliiſque cum Martyrologio Romano. Acta martyrii ejus inſexa ſunt Actis ſororum Agapes & Chioniæ, quæ etiam ab aliquibus memorantur hoc die: at paſſim ab aliis, quando omnium Acta dedimus,* III Aprilis.

S. Theodulus, S. Agathopodes } Martyres *referuntur in Anthologio Græco & apud Molanum in additionibus ad Vſuardum: notantur etiam in tabulis Kalendarii Moſcovitici. Nos eorum Acta dedimus.* IV Aprilis.

S. MERCURIUS MARTYR ROMANUS, Duaci in Belgio, *hodie in Eccleſia S. Ioſeph, Carmelitarum Diſcalceatorum Officio Semiduplici colitur, ob os inſigne & integrum Romæ allatum à R. Patre Stephano à S. Franciſco anno* 1650, *& ab ipſo huic eccleſiæ donatum una cum corporibus ſanctorum Martyrum Fabiani & Gregorii, parte cranii S. Gaudentiæ Martyris, Oſſe integro S. Eutychii pueri & Martyris, alio integro S. Agapiti Martyris: qui omnes in eadem eccleſiæ Officio divino ſuis diebus coluntur, de quibus alias. Vna cum prædictis Sanctorum Reliquiis Romæ allatis, expoſitæ ſunt partes brachiorum Sanctorum Martyrum Baarlaami & Hieronymi: ſed de eis non fit Officium. Ita Tornaco ad nos R. P. Ioſeph Ignatius à S. Antonio.*

S. Martyr Theodotius *hunc diem implet in Kalendario Ruthenico apud Poſſevinum, nobis hactenus ignotus.*

S. Egeſippi Martyris commemoratio Leodii *in Martyrologio Gallicano Sauſſaji indicatur: cujus nuſquam neque in Miſſalibus, neque in Breviariis, neque in officiis propriis eccleſiæ Leodienſis, neque apud Chappeavillæum, Fiſenum aut alios rerum Leodienſium ſcriptores, potuimus aliquod veſtigium reperire. Celebratur* VII *Aprilis* S. Hegeſippus *antiquus ſcriptor, ſed neque is* Martyr *habetur.*

SS. Paulus & Victor, Martyres in Ægypto, *primo loco referuntur in Martyrologio Germanico Caniſii, & his adduntur* Marciana, Nicanor, Apollonius, *referendi ad* V *Iunij, ubi quærendum, an hi duo cum iis ſint celebrandi. Forſan temere ſunt adjuncti, &* Paulus, *aliis* Plautus *cenſeri poſſet, cum* S. Claudiano Nicomediæ *hoc die paſſus: &* Victor, *à nobis jam relatus cum* Claudio & Diodoro.

Dominus Epiſcopus, *poſt damnatum Paulum Samoſatenum hæreticum in Concilio Antiocheno, & ab Aureliano Imperatore pulſum,* ſuſcepiſſe adminiſtrationem Eccleſiæ Antiochenæ, *traditur ab Euſebio lib.* 7 *Hiſt. Eccleſ. cap.* 30. *Theodoricus Pauli in Chronico MS. Univerſali, titulo de Patriarchis Antiochiæ, ita ejus obitum deſcribit:* Sanctus Domnus conſumptus ſenio, poſtquam infinitis miraculis Deus ipſum clariſſet, plenus virtutibus migravit ad Chriſtum: ſepultus cum ceteris Patriarchis in eccleſia Antiochena, infinitis clarens miraculis: cujus feſtum celebratur in eccleſia Orientali. *Hæc ille, non indicato die, qui quintus Aprilis ſtatuitur in MS. Florario Sanctorum. Nos libenter ſequeremur, ſi ad hanc rem ſtabiliendam, in ullis antiquis faſtis ejus ſacram memoriam reperiremus inſcriptam.*

Gotebaldus Epiſcopus, ab Anglia veniens, in Scania poſitus Doctor, dicitur in Suedia & Norvegia euangelizaſſe; *apud Adamum Bremenſem, citatum à Baronio ad an.* 980 *nu.* 16. *Quæ deſunt in editione anni* MDCIX, *ab Erpoldo Lindebrogio adornata. Hic* Epiſcopus Gotebaldus *adſcriptus eſt, ut* Sanctus, *Martyrologio Anglicano Wilſoni & Catalogo generali Ferrarii. Nos certiora eccleſiaſtici cultus documenta deſideramus.*

Burchardus, Epiſcopus Halberſtadienſis in Germania, *cum titulo* Beati *refertur in Catalogo generali Ferrarii. Nihil alibi de aliqua veneratione legimus.*

Beccanus filius Culæ, Antioſus Epiſcopus, } *memorantur in Martyrologio Tamlactenſi.*

Arulfus, Epiſcopus & Confeſſor, *præpoſita voce* alibi, *appoſitus eſt ſub finem Martyrologio* S. *Hieronymi Pariſiis excuſo. In Caſinenſi Martyrologio, charactere Longobardico ſcripto, dicitur:* In Sicilia S. Arulphi Epiſcopi. *At contra in Martyrologio MS. Remenſi, eccleſiæ SS. Timothei & Apollinaris, ita traditur:* Catalaunis depoſitio Arulfi Epiſcopi. *Plura hactenus nequivimus ſcire. Deeſt nomen in Martyrologio Siculo & Gallicano, & inter Epiſcopos Catalaunenſes non recenſetur.*

S. Silvia Virgo, apud Laudavum, *memoratur in Martyrologio Gallicano Sauſſaji, à du Monſtier & Labier deſcripto: nos necdum de ea alibi quidquam reperimus, & abſque præjudicio ipſam hic collocamus.*

Agnes, Ozilia, Iſabella ſive Elizabetha } Sociæ B. Julianæ, *Prioriſſæ Montis-Cornelii, prope Leodium, potiſſimum in hujus fuga, Namurcum & ad varia monaſteria; ante ipſam mortuæ, referuntur cum titulo* Beatæ *à Raiſſio in Auctario Molani ad Natales Sanctorum Belgii: de his infra agitur in Vita B. Iulianæ lib.* 2 *num.* 8, 33 *&* 37. *Ex his* Agnes *ab aliis refertur* 21 *Ianuarij, ſed perperam ſoror B. Iulianæ dicitur.* Ozilia 3 *Ianuarij, &* Elizabeth, *ſive* Iſabella 19 *Novemb. Conſule Menologium Henriquez ad dictos dies.*

Eva, Leodii ad S. Martini Recluſa, *cum titulo* Beatæ *refertur apud Fiſen in Floribus Leodienſibus par.* 2. *Paralipomenon, ubi præclara ejus geſta refert ex Vita B. Iulianæ; quam infra damus, & annotamus quæ de Corpore elevato narrat Fiſen.*

Joanna, ſanctimonialis Bellopratenſis, prope Gerardi-montem in Belgio, *cum titulo* Beatæ *memoratur à Chryſoſtomo Henriquez, Bucelino & Chalemoto, item, in Gynæceo Munſterii & Menologio Lahieri, allegata auctoritate Arnoldi Raiſſii, qui in Auctario ad Molanum de Natalibus Sanctorum Belgii ex MS. chronico dicti cœnobii ejus elogium edidit, & in titulo præpoſito ſolum* venerabilem *appellavit.*

Alberadis, Converſa monaſterii Zwifaltenſis, *cum titulo* Beatæ *inſcripta eſt Menologio Bucelini.*

Catharina Thomaſa, Canonica regularis Ordinis Auguſtiniani, mortua Majoricæ hoc die cum ma-

gna

A

gna opinione ſanctitatis, anno MDLXXIV. *Ejus vitam & miracula deſcripſit Bartholomæus Valperga Carthuſianus, & Arturus du Monſtier cum titulo* Beatæ *inſcripſit Sacro gynæceo: quod abſque Eccleſiaſtica auctoritate necdum licere arbitramur.*

Benedictus de Saxoferrato, *monachus Silveſtrinus, mortuus circa an.* 1270, *& ſepultus Peruſiæ in monaſterio S. Benedicti, quod poſtea ad Sanctimoniales tranſlatum eſt, nullam ibi venerationem habet, licet cum titulo* Beati *hodie referatur à Iacobillo.*

Conradus de Saxonia, } Ordinis S. Franciſci, juxta montes Caſpios à Schiſmaticis occiſi, *appellantur* Beati *in Martyrologio Franciſcano; ſed poſt alios abſque illo titulo referuntur à Franciſco Haroldo in epitome Annalium Ordinis Minorum, nuper Romæ edita.*

Stephanus ab Hungaria. }

Chriſtophorus Cataneus, in Hiſpania, } Ordinis, S. Franciſci, *referuntur cum titulo* Beati *in Martyrologio Franciſcano, & duæ ultimæ etiam in Gynæceo ſacro Arturi du Monſtier, quod indicaſſe abunde ſufficit.*

Antonius à Giarratana, in Sicilia, }

Eliſabetha de Rota, in Hiſpania, }

Maria Magdalena, Mediolani, }

S. Herenæus *ultimo loco collocatur in pervetuſto MS. Caſinenſi. Plures hujus nominis ſæpius occurrunt, ſed videtur eſſe, qui inter Martyres Nicomedienſes eſt* Epiſcopus Martyr. VI Aprilis.

B

Ædeſius Martyr Cæſareæ frater S Amphiani, *celebratur à Galeſinio. Fratrem à variis relatum diximus, ejuſque Acta dedimus 2 Aprilis: Sed* Ædeſius *non eſt cum fratre paſſus* Cæſareæ, *verum poſtea* Alexandriæ, *die, quando de eo agemus,* VIII Aprilis

S. Marcellus, Epiſcopus Dienſis, *memoratur in Martyrologio Gallicano Sauſſaji; aſt in Martyrologio Romano* IX Aprilis.

S. Maximus, } Martyres *referuntur in Menæis Græcorum:*

S. Terentius, } *forſan ſunt iidem ut hoc die ad Acta S. Pompeii & S. Zenonis dicimus, quorum Acta martyrii dabimus, die* X Aprilis.

SS. Therme & Pherbutha Sorores cum ancilla, 4 Nonis Aprilis paſſæ *dicuntur apud Lipomanum & Surium, & in Actis Martyrii ſola* Therme *exprimitur; cujus loco in Actis Latinis ſola* Pherbutha *legitur* cum ſorore & ancilla, *& referuntur in Menæis MSS. Mediolanenſibus bibliotheca Ambroſianæ. De iis etiam egimus die præcedenti inter Prætermiſſos, latius acturi & Latinâ Acta edituri ad diem* XXII Aprilis.

Raymundus Paſtor, in oppido Metellia, ad ripam fluvii Anæ, cum titulo Sancti *memoratur in Hagiologio Luſitanico Georgii Cardoſi, ſed fere ex Luitprando, Iuliano Petri, & ſimilibus, quorum fides nutat. At Martyrologio Hiſpanico Tamaji Salazar idem Raymundus inſcribitur,* XXVI Aprilis.

C

S. Theodora Virgo, } Martyres Alexandriæ *referuntur à Græcis in Menæis & Menologiis & S. Theodora à Laherio in Menologio Virginum. Ab aliis Latinis* XXVIII Aprilis.

S. Didymus, }

Sancta Virgo anonyma Antiochena, quæ pro Chriſto ad Lupanar damnata, ſed à quodam milite Chriſtiano ſuperveniente, commutatis veſtibus erepta, ſimul cum eo poſtea coronam martyrii adepta, *eſt inſerta ſacro Gynæceo anno* 1657 *ab Arturo du Monſtier edito. Præclaro illam encomio celebrat S. Ambroſius lib.* 3 *de Virginitate, quod Annalibus ſuis intexuit Baronius ad annum* 309 *num.* 26 *& ſequentibus. Forſan utrumque alibi reperiemus antiquioribus eccleſiarum Orientalium faſtis inſcriptum. Baronius de ea agit in Notis ad* XXVIII Aprilis.

S. Amantius, } Martyres *celebrantur in antiquo Kalendario & Martyrologio S. Maximini prope Trevirim. Ab aliis* X Junii.

S. Getulius, }

S. Cerealis. }

S. Marcianus, } Martyres apud Ægyptum, *referuntur in Martyrologiis* S. Hieronymi, *Adonis, Vſuardi, Notkeri, & aliis. Iterum* V Junii *cum aliis ſociis reſtituuntur à Græcis & pleriſque Latinis. Nacti ſumus Romæ aliqua eorum Acta & Græca & Latina, quæ ob Martyrologii etiam Romani auctoritatem, judicamus danda eſſe dicto* V Junii.

D

seu Marciana, }

S. Nicander, }

ſeu Nicanor, }

S. Apollonius, }

S. Marina Virgo, *inſcripta eſt Martyrologio Bruxellenſi S. Gudulæ, nullo alio verbo addito, ut difficile ſit aſſ qui quænam ſit. Forſan eſt* S. Marina, *quæ habitu virili vitam monaſticam Alexandriæ egit & colitur* XVII Junii.

S. Landerici, Epiſcopi Pariſienſis, } *memoria celebratur in Florario Sanctorum: ex hu prior colitur* X Junii

S. Itherii, Epiſcopi Nivernenſis, } *poſterior vero,* VIII Iulii.

Andreas, frater S. Bernardi Abbatis, ejuſque in lividuus comes, & Claravallenſis monaſterii janitor, *memoratur cum titulo* Beati *à Chryſtomo Henriquez & Bucelino; inter pios à Siuſſejo. Erit occaſio de eo agendi ad Vitam S. Bernardi.* XX Auguſti.

Emigeardis Virginis *memoria ſub finem MS. Florarii notatur. Videtur eſſe* B. Irmgardis *quæ Coloniæ requieſcit in ſacello, juxta Sanctorum trium Regum ædiculam, in Eccleſia metropolitana & colitur,* IV Septembris.

S. Dionyſii, Epiſcopi Lugdunenſis, *nomen adjunctum eſt in Florario Sanctorum memoriæ S. Landerici Epiſcopi Pariſienſis, & Itherii Epiſcopi Nivernenſis, de quibus jam egimus. Verum quia apud Lugdunenſes ante hoc* XVII *ſeculum nullus ſedit Epiſcopus Dionyſius, neque inter Sanctos memoratur aliquis Dionyſius, manifeſtus error apparet, & forſan ſubſtituendus aut* Dionyſius Epiſcopus Viennenſis, *qui colitur* IX Maji. *Aut* Dionyſius Epiſcopus Pariſienſis, *referendus die* XI Octobris.

E

S. Tharacus, } Martyres in Cilicia, *memorantur*

S. Andronicus, } *in Martyrologio S. Hieronymi &*

S. Probus, } *alio monaſterii S. Maximini: ab aliis.* XI Octobris.

S. Hieron, Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, S. Ignatii diſcipulus, *celebratur in Florario Sanctorum, in aliis Martyrologiis,* XVII Octobris.

S. Ciliniæ, matris S. Remigii, prima tranſlatio *celebratur à Molano, Canifio, Ferrario: at natalis, ad diem* XXI Octobris.

S. Caliſti, } Martyrum } tranſlatio, *aliqua Reliquiarum facta eſt anno* MDCXXI *in monaſterio Lezatenſi diœceſis Rivenſis prope Toloſam.*

S. Cypriani, }

S. Albini Epiſcopi, }

S. Criſpini } Martyrum, }

S. Criſpiniani }

F

Conſule Sauſſaji Supplementum, ad diem quo duo priores coluntur. XXVII Auguſti

De S. Albino Epiſcopo egimus, I Martii.

& ultimi duo columtur, XXV Octobris.

S. Perpetui, Epiſcopi Trajectenſis, *aliqua memoria hoc die indicatur in Additionibus adjectis ad Grevenum à Carthuſianis Bruxellenſibus. Solenne ejus feſtum incidit in diem* IV Novembris.

S. Godefridi, Epiſcopi Ambianenſis, tranſlatio Sueſſionem *refertur in MS. Florario Sanctorum, in Supplemento Martyrologii Gallicani Sauſſaji, & in Martyrologiis monaſticis Wionis, Dorganii, Menardi, Bucelini. Natalis ejus celebratur* VIII Novembris.

S. Ambroſii, Epiſcopi Mediolanenſis, depoſitio *ad hanc diem indicatur in antiquo Miſſali Mediolanenſi anno* 1522 *edito, & Breviario anni* 1539, *& annus illius obitus indicatur* 382. *Vitam ejus cenſemus dandam die, Ordinationis* VII Decembris.

S. Finianus, Abbas in Hibernia, *memoratur in MS. Kalendario Benedictino, additurque illum eſſe, cujus feſtum celebratur.* XII Decembris.

G.H.

DE SS. CLAVDIANO, PLAVTO, HIRENÆO

MARTYRIBVS NICOMEDIÆ, IN BITHYNIA.

v APRIL. *Memoria S. Claudiani,*

Artyrologium S. *Hieronymi, Parisiis & Lucæ excusum &* MS. *Blumianum hunc diem ita auspicantur* : Nonis Aprilis, in Nicomedia natalis S. Claudiani. *Quæ eadem leguntur in* MSS. *Barberiniano, Vltrajectino, Corbejensi, duplici Maximiniano, & perantiquo Catalogo præfixo operibus S. Isidori, Romæ apud Patres Congregationis Oratorii adservatis. Sequuntur aliquot posteriores : inter quos est Canisius, in Martyrologii Germanici priore editione, post Greveni Additiones ad Vsuardum. In posteriore editione Canisii iterum* Claudianus *jungitur* Didymo, *& alii in Ægypto passis. Præiverat in eo errore Galesinius, allegans* MSS. Codices & Annales Sanctorum, *quos valde corruptos habuit.*

2 *In Martyrologio* S. *Hieronymi, quod penes nos habuimus, ante mille fere annos exarato, socii assignantur hoc modo :* Nonis Aprilis, In Nicomedia natalis S. Claudiani, Plauti, Irenis. *Ex his in* MS. *Rhenovensi in Helvetia solus* Plautus *adjungitur : sed hic in* MS. *Richenovensi, sive Augiæ divitis prope Constantiam,* Plauvius *scribitur, & videtur idem in* MS. *Tamlachtensi apud Hibernos* Paulus *appellari : in quo & nomen* Hireni *est, pro quo supra* Hirenis *legitur. In antiquo* MS. *Casinensis monasterii memoria* Hirenæi *est adjuncta* SS. Marciano & Nicandro, Martyribus Ægypti (*de quibus inter Sanctos in alios dies rejectos egimus*) *& urbs interim* Nicomedia *præfigitur, velut horum Martyrum palæstra. Ex voce* Hirenei *videtur* Hirenis *facili errore irrepsisse. Si qui malint more Græcorum* Irenæum *legere, per nos licet.* *& SS. Plauti & Hirenæi.*

3 S. Plaudii Martyris *aliqua veneratio hoc die Bononiæ est, in ecclesia S. Ioannis in Monte, ob insignes Reliquias Romæ sub Pontificatu Innocentii* X *acceptas, uti testatur in Bononia perlustrata* Masinus. *An tamen occasione* S. *Plauti hanc diem elegerint isti Bononienses, nos latet : quin sint diversi nihil dubitamus.* *S. Plaudii Reliquiæ Bononiæ.*

B

G. H.

DE SS. DIDYMO PRESBYTERO, QVINTO, PANCRATO, ET SVCCESSO,

MARTYRIBVS ALEXANDRIÆ.

v APRIL. *Memoria in antiquis Martyrologiis.*

Lia est hæc turma Martyrum, de qua in Martyrologio S. Hieronymi Parisiis excuso leguntur ista: In Alexandria natalis Sanctorum Didymi Presbyteri, & alibi Quinti, Panchrati, Successi. *Eadem habentur in apographis Epternacensi, Blumiano & Lucensi ejusdem S. Hieronymi, omissis his verbis,* Natalis Sanctorum, *&* Pancrati, *non* Panchrati *scribitur. In MS. Martyrologio Barberiniano valde antiquo hæc traduntur :* In Alexandria Sanctorum Didymi Presbyteri, Quirici, Pancrati, Successi : *At* Quinti *dicitur melius in MS. Adone S. Laurentii apud Leodienses & in MS. Florario: omissa ubique interpositione* & alibi, *forsan melius, quia vox* Sanctorum *præposita in editione Parisiensi indicat assignandos socios, saltem unicum In MS. Aquisgranensi omisso loco ita conjunguntur* :

C

Didymi, Quinti, Pancrati, Successi. *In* MS. *Tamlachtensi iidem quatuor referuntur ; &* Didymus Presbyter *appellatur, qui solus refertur à Notkero & in* MS. *Richenovensi, atque* Alexandriæ *cum aliis tribuitur. Galesinus ita hunc diem auspicatur :* Nonis Aprilis, In Ægypto Sanctorum Martyrum Didymi, Quinti, Claudiani & aliorum. *Allegat* MSS. Codices & Annales Sanctorum *quos eum valde corruptos habuisse jam diximus, dum de* S. Claudiano *& sociis Nicomediæ passis egimus : S. Hieronymus primo loco eos collocans, in suo Martyrologio subjunxit in* Ægypto *passos* SS. Marcianum, Nicanorem & Apollonium, *quos cum Martyrologio Romano & Græcis aliisque Latinis rejecimus in diem* v *Iunii : Dein tertio loco referuntur hi Sancti* in Alexandria *passi. At Galesinius ex tribus hisce turmis unam farraginem, non absque confusione, fecit. Galesinii error translatus est in secundam editionem Martyrologii Germanici : & relictus alter* Claudianus Nicomediæ *passus : quod non placet. Grevenus ex dicta secunda classe sumpsit* Marcianum; *&* Didymum, *non* Presbyterum, *sed* Confessorem *appellavit: atque his duobus addidit* Quintum. *Soli* Didymus & Quintus *habentur in MSS. Augustano S. Vdalrici, & Parisiensi à Labbæo nobis communicato.* *non est illis jungendus Claudianus, neque Marcianus.*

F

G. H.

DE SANCTO HONORIO

MARTYRE IN SICILIA.

v APRIL.

Octavius Cajetanus, de Sanctis Siculis optime meritus, in Præfatione, quam Ideæ operis sui præfixit, deplorat longo dominatu Saracenorum, qui per annos ferme trecentos Siciliam obtinuerunt, antiqua tabularia, ingeniorum præclara monumenta, igni consumpta esse & historiam omnem Siciliæ, cum sacram tum profanam, pessum iisse ; & sibi necessitatem illatam fuisse historiæ ab exteris emendicandæ : *additque ideo se illam Ideam edidisse, ut posset à dictis exteris juvari. Suggerimus ergo Siculis aliquod addimentum, quod ad hunc diem quintum Aprilis ita indicatur in antiquis Hieronymiani Martyrologii apographis Blumiano, Epternacensi, & Lucensi :* In Sicilia natalis Sancti Honorii, *in apographo Corbejensi Parisiis excuso* Magnus *cognominatur. In alio Corbejensi ante octingentos annos exarato appellatur* Honoratus. *In MS. Richenovensi ita indicatur.* Sicilia Honorii. *At loco omisso, solum nomen* Honorii *habetur in MSS. Augustano S. Vdalrici, Parisiensi Labbæi nostri, & Hibernico monasterii Tamlachtensis. Arbitramur,* Martyrem *occubuisse cum reliquis, inter quos in dictis Martyrologiis collocatur.*

DE

A

DE SANCTO POMPEIO

G. H.

MARTYRE APVD GRÆCOS.

V APRILIS

GRæci in MS. Synaxario Pariſienſi Collegii Claromontani Societatis Ieſu, & in MS. Taurinenſi Ducis Sabaudiæ, aliiſque celebrant hoc die quatuor Martyres his verbis: Item certamen ſanctorum Martyrum Terentii, Pompeii, Maximi, Zenonis. *Aſt hi in Menæis & apud Maximum Cytherænm in tres titulos diſcernuntur, & primo loco habetur* ſanctus Martyr Pompejus, *cum hoc diſticho.*

lac effluit ex cervice:

Ὡς ζῶν πρόβατον Πομπήϊε τῷ Κυρίῳ
Χεῖς ἀμελχθεὶς αὐξένα ξίφει γάλα.

Pompeie, tamquam viva Domini eſſet ovis,
Emulctus enſe, lac tuo jugulo egeris.

Sequitur ſecundo loco S. Zeno, de quo & nos proximo titulo, Demum ultimo loco ſimul celebrantur SS. Maximus & Terentius ejuſdem generis martyrii & gloriæ particeps effecti.

An idem cólatur 10 Aprilis.

b *Dubitamus plurimum, an hi quatuor non ſint Martyres Aſii, cum aliis apud Græcos relati die* x *Aprilis, ubi Acta martyrii late explicantur: verum quia illi omnes capite plexi aut gladio occiſi dicuntur, videtur S. Zeno hic relatus alius eſſe, ut infra patebit: & conſequenter qui illi præponitur* S. Pompejus, *cum de tacte, ex ejus cervice effluente, nihil in Actis ad diem* x *habeatur. Si tamen alii eumdem cenſeant, & eum utroque die coli velint, nolumus, refragari.*

DE S. ZENONE MARTYRE

D. P.

APVD GRÆCOS.

V APRILIS B

Sirleti in vertendis Græcis oſcitanta,

QVam infeliciter ceſſerit Guillelmo Sirleto Græcarum Vitarum interpretatio, vidimus *die* III & IV *hujus menſis, in Actis Sanctorum Niceæ & Platonis. Idem ex Græcorum Menæis, ſeu manuſcriptis ſeu prælo datis, propria, ut viſum fuit, phraſi collegit quamdam Sanctorum, in eccleſiaſti cis Græcorum Officiis commemorari ſolitorum, ſynopſim, qualem deſcripſimus ad* I *Tomum Martii in Præfatione ad Græca ſub finem addita. Hanc ſub titulo Menologii Græcorum identidem citat Cardinalis Baronius in Notis ad Romanum Martyrologium, ſua cura recognitum, & ex iſto Menologio præcipue auctum. Eamdem ſub eodem titulo inter Antiquas Lectiones vulgavit Caniſius: uterque vero haud parum nobis eo facto negotii faceſſivit, propter multos graveſque errores collectioni iſti permixtos, quos in Ianuario ac Februario non ita facile fuit corrigere, necdum plene edoctis, quam levi manu accurationeque exigua illa Synopſis fuiſſet confecta. Nunc minus cunctanter recedimus ab auctore tam parum ſolido, magiſque dolemus ipſius cauſa fieri; ut Faſti Eccleſiaſtici identidem corrigi à nobis debeant. Quo autem hæc? Quia nempe rurſum ſeſe offerunt oſcitantiæ prænemoratæ exempla gemina, conſequenter notanda, in eo ſcilicet, de quo nunc agere inſtituimus S. Zenone; & in quinque puellis Martyribus, de quibus mox. De primo in Menæis manu exaratis & excuſis, & apud Maximum Epiſcopum Cytherorum* ἐν βίοις ἁγίων, *iſta leguntur:* τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ ἅγιος Ζήνων πίσσαν χριθεὶς, καὶ εἰς πῦρ βληθεὶς καὶ δόρατι ἔνδον τῆς πυρᾶς τρωθεὶς τελειοῦται. Eodem die S. Zeno pice illitus, & in ignem conjectus, & haſta in medio rogo vulneratus, martyrio conſummatus eſt. *Eadem tormenta continentur eo, quod Menæa præmittunt, diſticho*

E

ex Menæis arguitur.

Ἄθλος τριπλοῦς Ζήνωνι πίσσα, πῦρ, δόρυ,
Οἶμαι, δι' ἣν ἐπάσχετε τοῦτα, Τριάδα.

Zenoni fit pugna triplex, pix, ignis, & haſta:
Ob Trinitatem pertulit iſtæc; reor.

circa elogium S. Zenonis.

Interim Sirletus, quia pro δόρᾳ, *à nominativo* δόρυ, haſta, *apprehendit legi,* δορᾷ, *à recto* δορὰ pellis, *prænotatum elogium ſic Latine reddidit.* Eodem die S. Zenonis, qui pice illitus, & in ignem conjectus detracta pelle, in medio rogo martyrio conſummatus eſt. *Et hæc in Romanum Martyrologium, citato ad Notas Menologio, tranſierunt ſub iſta formula:* Eodem die S. Zenonis, qui detracta pelle pice illitus, in rogum conjectus eſt: *quod quomodo ſit corrigendum ex dictis jam patet,*

An idem id Aprilis referatur.

Eſt Zeno Afer, cum aliis Martyribus relatus ad diem x *Aprilis, ut ſupra diximus ad elogium* S. *Pompeji, verum quia illum referunt Græci capite plexum, potius hunc ab illo diverſum arbitramur.*

DE SANCTIS QVINQVE PVELLIS

G. H.

EX LESBO MARTYRIBVS.

V APRILIS.

Aliquibus juvenes,

PRæcitatum Guillelmi Sirleti Menologium, *jam jam à nobis in S. Zenone correctum, de hiſce quinque Martyribus iſta tradit:* Eodem die quinque Martyrum, juvenum ex urbe Lesbo. *Eſt Leſbos inſula, & in ea urbs, in mari Ægæo, inter Chium & Troadem: ſed ea potius patria quam palæſtra Martyrum videtur fuiſſe. Hoc Menologio ut ante citato, in hodierno Martyrologio Romano iſta leguntur:* In Leſbo inſula paſſio quinque Sanctorum Martyrum, *ubi per vocem* Sanctorum, *poſitam loco* Juvenum, *indicantur* virilis ſexus *fuiſſe. Præivit Galeſinius qui in ſuo Martyrologio iſta habet:* In Lesbo inſula Sanctorum quinque Martyrum, qui etſi admodum adoleſcentes, Chriſtianæ virtutis robore martyrium conſtanter fortiterque objerunt. *Citantur in Notationibus* tabulæ Græcæ; *ſed quænam illæ ſint, non indicatur. Huc etiam reſpexerunt monachi Servitæ urbis Bononienſis in platea majore, apud quos dicuntur à Maſino aſſervari* reliquiæ Quinque Martyrum. *Verum puellas fuiſſe evincunt Menæa, in quibus iſta habentur:* τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τῶν ἁγίων παίδων τῶν πέντε Μαρτύρων, νεανίδων τῶν ἀπὸ Λέσβου. Eodem die memoria ſanctarum quinque Martyrum, quæ erant puellæ ex Lesbo. *Forſan loco* νεανίδων, puellarum, *aſſumptum eſt nomen* νεανίσκων juvenum. *Verum lectionem Menæorum confirmat MS. Synaxarium Chifletianum: in quo dicuntur* κόραι puellæ *ſeu* virgines; *& genus martyrii exprimitur, dum* gladio martyrium conſummaſſe *traduntur. Quæ omnia explicat, adjunctum in Menæis diſtichon.*

veroſimilius puellæ fuerunt,

gladio occiſæ

Ἀθληφόρως πίθησι Λεσβίας κόρας
Μίαν, δύο, τρεῖς, τέσσαρας, πέντε, ξίφος.

Felice pugna enſis puellas Lesbias
Unam, duas, tres, quattuor, quinque abſtulit.

DE

G. H.

DE S. CLAVDIANO PERSA,

MARTYRE IN MESOPOTAMIA.

SECULO IV AUTVII

Illustres Orientis provinciæ sunt Mesopotamia & Assyria, distinctæ Tigri fluvio, qui est terminus Imperii Romani & Persici. Hinc olim Assyria ad Persas idololatras, & Mesopotamia ad Christianos spectabat, variis urbibus Episcopalibus exornata. Ex his Nisibis habuit S. Jacobum Episcopum, *contra Arianos in Concilio Nicæno & aliis illustrem fidei Christianæ propugnatorem: cujus res præclare gestæ erunt illustrandæ ad* XV *diem Iulii. Ibidem sub Iuliano passus est* S. Dometius monachus Persa, *cui sacer est dies septimus Augusti. Iuliano successit Iovianus, qui ut fidem Christianam per Imperium Romanum restitueret, pacem cum Sapore Rege Persarum ad triginta annos sancivit, & Nisibin civitatem maximam, populi in Mesopotamia residui saluti consulturus, Persis concessit, anno Christi* CCCLXIII. *Consule Theophanem & alios. Prima persecutio mota est sub Isdegerde Rege Persarum, cum Abdæas, Regiæ Persarum urbis Episcopus, præposterο zelo templum igni sacrum succendisset. Fuerunt tunc plurimi Christianorum neci traditi, multi etiam ad Romanos transfugerunt, quibus adjuvandis declaratam pietatem S. Attici Episcopi Constantinopolitani, tradidimus ex Socrate in hujus Vita* VIII *Ianuarii num.* 30.

Nisibis fide Christiana celebris,

relicta Sapori Regi Persarum:

Ibidem persecutio mota sub Isdegarde.

B

an tunc occubuerit S. Claudianus

2 *Hac persecutione, omnibus circumstantiis perpensis, arbitramur potuisse* S. Claudianum Persam *martyrii palma coronari. Id suadent quatuor millia & sexcenti monachi in monasterio aliquo Mesopotamiæ degentes, & Barsabanas Præfectus urbis Nisibenæ. Reperimus encomium hujus Martyris ad diem* V *Aprilis in illustribus Menæis MSS. adservatis in bibliotheca Ambrosiana apud Mediolanenses, & in duplici codice Taurinensi Ducis Sabaudiæ, quod hic Latine damus.*

Persa,

3 Martyrium Sancti Claudiani. Erat hic ex Persida prognatus, & à suis progenitoribus fidem Christianam edoctus. Cum autem annos ætatis nactus triginta, audivisset ex Sacro Euangelio ista verba; Qui non reliquerit patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut possessiones, non potest meus esse discipulus; repletus Spiritu sancto reliquit omnia, & discedens ad monasterium, factus est monachus. Cum deinde strenue in sacris institutionibus esset exercitus, desideravit etiam per martyrium vitam suam Deo consecrare. Quapropter cum suborta esset contra Christianos persecutio, & qui cum eo degebant monachi, alio commigrassent; ipse solus permansit. Captus ergo interrogatur de quatuor millibus & sexcentis monachis, & adducitur ad Barsabanam urbis Nisibenæ præfectum: à quo jussus adorare solem, noluit obedire, sed magna constantia Christianum se esse professus est. Traditur ergo decem militibus: à quibus violenta ambarum manuum distentione laxatus est, humeris loco suo motis. Fustibus deinde percutitur, & à viginti militibus per terram trahitur, per partes genitales constrictus. Cumque adhuc constans in fide Christiana profitenda consisteret; venter ejus multis lapidibus contunditur; deinde lumbi & aliæ corporis partes infra mamillas cultris conscinduntur: ac denique caput gladio aufertur.

Monachus.

gravia tormenta passus,

E

4 *Hactenus illud encomium: quo hic transcripto, reperimus in Vita S. Anastasii Persæ, à nobis ad diem* XXII *Ianuarii ex MSS. Latinis edita, eum Cæsareæ in Palæstina adductum ad quemdam* Barzabanam, *sive ut in Actis Græcis habetur* Marzabanam, *sub Cosroë Persarum Rege, sæculo Christi septimo. Si aliis alibi repertis monumentis videatur* S. Claudianus *in ista potius quam superiori persecutione passus, nolumus refragari.*

an forsan sub Cosroë?

G. H.

DE SANCTIS MARTYRIBVS AFRIS,

SVB GEISERICO IN PASCHATE PASSIS.

CIRCA AN. CCCCLIX

Victor, Vticensis seu Vicensis in Africa Episcopus, sæpius cum laude memorandus venit, quod gloriosa certamina pro fide orthodoxa, in persecutione Wandalica, sub Geiserico & Hunerico Regibus Arianis susceptа, posteris scripto transmiserit, auctor coævus. Hinc ad præsentem diem quintum Aprilis referenda sunt sequentia ex libro primo:

C

Historia Martyrii

Quodam tempore Paschalis solennitas agebatur, & dum in quodam loco, qui Regia vocitatur, ob diei Paschalis honorem nostri sibimet clausam ecclesiam reserarent, comperiunt Ariani. Statim quidam Presbyter eorum, Andiot nomine, congregatam armatorum manum, ad expugnandam turbam innocentium accendit. Introeunt evaginatis spathis, arma corripiunt, alii quoque tecta conscendunt, & per fenestras ecclesiæ sagittas spargunt. Et tunc forte audiente & canente populo Dei, Lector unus pulpito sistens, Alleluiaticum melos canebat. Quo tempore sagitta in gutture jaculatus, cadente de manibus codice, mortuus post cecidit ipse. Nam & alii quam plurimi sagittis & jaculis, in medio crepidinis altaris, probantur occisi. Qui autem gladiis tunc interempti non sunt, postea pœnis attriti, regio jussu omnes pene necati sunt, præsertim maturioris ætatis.

Hæc Victor, cujus auctoritate in Notis allegata, ista memorantur in hodierno Martyrologio Romano: In Africa passio sanctorum Martyrum, qui in persecutione Geiserici Regis Ariani, in die Paschæ, in ecclesia cæsi sunt: quorum Lector, dum in pulpito Alleluia cantaret, sagitta in gutture transfixus est. *Addit Baronius plurima de usu canendi* Alleluia, *quæ ibidem legi possunt. Idem Baronius in Annalibus eadem ex Victore transcribit ad annum* CCCCLVI, *numero* XX, *subditque* horum omnium natalem diem, coronis Martyrum laureatum, annuatim in Ecclesia exhiberi Nonis Aprilis. *Verum tum opportunius retulisset ad annum* CCCCLIX, *quando cyclo Lunæ* IV, *Solis* XX, *littera Dominicali* D, *Solennitas Paschalis celebrata fuit die quinta mensis Aprilis. Eosdem Martyres in Natalibus Sanctorum Canonicorum commemorat Constantinus Ghinius, eodem ex Victore desumpto elogio: quos Nicolaus Brautius Episcopus Sarsinæ his versibus honorat, in suo Martyrologio Poëtico.*

dies natalis

F

annus dies.

In templo renovans populus Paschalia festa,
In cælos cæsus perpetuare volat.
In templi cœptum Levites, Alle, sagitta
Cogitur in cæli reddere, Luia, choro.

DE

DE SANCTO THERMO

MARTYRE APVD GRÆCOS.

G. H.

v APRIL. A

Celebrant Græci indicatum in Menæis Sanctum Martyrem Thermum, *quem etiam exhibet Maximus Egiſcopus Cytherorum* ἐν βίοις ἁγίων. *In Menæis MSS. Divionenſibus Petri Franciſci Chifletii dicitur* igne Martyrium ſubjiſſe, *quod idem tradit hoc diſtichon in Menæis excuſis additum, cum alluſione ad ejus nomen, quod calidum ſignificat.*

Cultus ſacer.

Θερμὴν ἔρωτος ἐνθέε Θέρμος φέρων
Θερμὴν πυρὸς φλέγοντος ὡς ψύχος κρίνει.
Calorem amoris enthei Thermus ferens,
Ignis calorem flammei frigus putat.

In duplici codice Taurinenſi Ducis Sabaudiæ iſta leguntur: Καὶ τοῦ ἁγίου Μάρτυρος Θέρμου, καὶ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ μετὰ τῆς παιδίσκης: Et ſancti Martyris Thermi & ſororis ejus cum ancilla. *Verum de his feminis mox ſeorſim agemus, quia alibi non indicatur quod prior,* Κυρία *ſeu Domina, fuerit ſoror S. Thermi. Ex hoc loco conjicimus corrupta fuiſſe Acta Græcorum, hoc die ex Lipomano relata apud Surium, in quibus* Sancta Therme, ſoror Sanctis Simeonis Epiſcopi, cum ſorore ſua & ancilla, *traditur* ſuſpenſa & ferra in binas partes diſſecta. *Iſta enim Martyr fuit appellata* Tarbula, *ſeu* Tarbua, Tarbuta, *ac* Pherbutha: *& ſub hoc nomine eſt relata in eiſdem Menæis ad diem* IV *Aprilis. Nos, cum Martyrologio Romano & aliis, Acta illarum, in Bibliotheca Romana deſcripta, damus* XXII *Aprilis. Ceterum quo loco aut tempore S. Thermus fuerit paſſus, non liquet.*

Acta Græca S Thermes corrupta.

DE SS. DOMINA ET ANCILLA

MARTYRIBVS APVD GRÆCOS.

G. H.

v APRIL. B

Græci in Menæis excuſis & apud Maximum Cytherorum Epiſcopum, *poſt relatum Sanctum Thermum Martyrem igni combuſtum, ſub titulo peculiari iſta habent:* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τῶν ἁγίων γυναικῶν, Κυρίας καὶ Δηλης. Eadem die Sanctarum mulierum Kyriæ *ſeu* Dominæ & ancillæ. *In MSS. Menæis Divionenſibus additur* gladio occubuiſſe, *& hoc confirmat diſtichon, in Menæis additum:*

Ἐχρῆν ἕπεσθαι Κυρίαν τὴν Δηλίδα,
Ἐκ γῆς ἰέσῃ πρὸς Θεὸν διὰ ξίφους.
Dominæ ire comitem decuit Ancillam ſuæ,
Terris per enſem emigraturæ ad Deum.

Diximus ſupra ad encomium S. Thermi, huic adjungi ſororem ejus cum ancilla *in* MSS. *Menæis Taurinenſibus Ducis Sabaudiæ, quæ minus à nobis probari ibidem inſinuavimus. Quin autem* Κυρία *&* Δηλη *appellative accipienda ſint, non autem ſumenda pro nominibus propriis, vix dubitamus. Et de* Ancilla *quidem, non dubitavit auctor diſtichi, quando appellative* Δηλίδα *dixit, quæ erat in titulo* Δηλη. *De* Domina *minus hæſitabis, ſi ejuſmodi correlativorum Martyrum, abſque proprio nomine deſignatorum, conjugationes plures in Menæis celebrari animadvertas. Sic* Mater cum duobus Filiis igne extincta *memoratur* II *Ianuarii:* Mater & Filia Martyres gladio cæſæ, *die* XXVIII *ejuſdem menſis:* Pater & Filius crucifixi, *menſis Februarii die* XIII: *ac denique in præcedenti Martio die* IX, Avus, Avia; Pater, Mater; duo Filii Martyres. *Alia exempla, ſuis temporibus commemoranda, ſequentes poſt hunc menſes dabunt.*

E

DE SANCTO TIGERNACO

EPISCOPO IN HIBERNIA.

G. H.

CIRCA AN. DI.

Via parte Vltonia, *Hiberniæ regio maxime ſeptemtrionalis, adjacet Connachtiæ & Lageniæ regionibus, habet Comitatum Cavonenſem, & in hoc Kilmoriam Sedem Epiſcopalem, cui unita eſt altera Sedes Clochera: quæ ab Vſſerio tribuitur Tironenſi, ab aliis* Monachanenſi *Comitatui. Sub illa fuit monaſterium Cluain-eoais, à S. Tigernaco conſtructum, in quo diem ſuum extremum clauſit. Hujus monaſterii Abbates fuerunt appellati Comorbani Sancti Tigernaci, eodem plane modo quo Ardmachanos Epiſcopos dictos fuiſſe Comorbanos Sancti Patricii, diximus ad hujus Vitam § 2 Appendicis. De Eochadio Comorbano S. Tigernaci agit Colganus in ſexta Appendice ad Acta S. Patricii ad annum* 1030.

C *Abbates Cluanenſes dicti Comorbani S. Tigernaci,*

2 *Vitam ipſius Sancti damus ex codice pergameno noſtro, qui olim pertinuit ad collegium* Salmanticenſe, *& contulimus cum altero codice* MS. *Hugonis Wardæi Minoritæ Hiberni. Alium etiam codicem nacti ſumus curante Henrico Fitzimon, in quo nomina propria admodum varia proponuntur, ut lector ex notis poterit colligere. Addimus Hymnos ex* MS. *Wardæano. Auctor præfatur ſe* miracula enarrare prout à majoribus traditum eſt: *nec majorem à lectore fidem exigimus. Eſt enim ſcripta hæc Vita aliquam multis ſeculis poſt obitum* S. Tigernachi, *cum jam* Archiepiſcopi *titulus cœpiſſet ab Epiſcopis Ardmachanis uſurpari, uti fit num.* 10; *& veroſimiliter poſt Anglorum dominatum in Hibernia firmatum.*

hujus Vita datur ex 3 MSS.

cum hymnis.

3 *Antiquam ejus venerationem, quam ex jam dictis colligimus, confirmant* MSS. *Martyrologia, Albergenſe Canonicorum Regularium, Vltrajectinum S. Hieronymi, & Leidenſe S. Cæciliæ his verbis:* In Scotia S. Tygernagi Epiſcopi & Confeſſoris. MS. *Bruxellenſe S. Gudilæ habet:* Apud Scotiam, *In* MS. *Florario Sanctorum ita legitur.* In Scotia S. Tigernagi Epiſcopi & Confeſſoris. *In Martyrologio Coloniæ anno* MCCCCXC *excuſo,* Tigernagii *habetur. In Lubecenſi, eodem anno Impreſſo,* Germagii, *prima ſyllaba per errorem typothetarum immiſſa. Maurolycus, Felicius & Ferrarius iſta referunt:* In Scotia Tigernaci Epiſcopi. *Addunt* Molanus, *Galeſinius, Caniſius,* & Confeſſoris. *At* pridie Nonas Aprilis *refertur in Martyrologio Tamlactenſi* S. Tigernacus, Epiſcopus Cluaineoſenſis, *& à Greveno, ſed hic addit ſecundum alios hoc die celebrari ejus natalem.*

Nomen in Martyrologiis die 5

F *& 4 Aprilis,*

4 *Floruit* S. Tigernacus *ſexto Chriſti ſeculo; qui recens natus mandante* S. *Brigida, in baptiſmo* Tigernacus *eſt appellatus, eaque poſtea iterum jubente, eſt in Epiſcopum conſecratus; quod circa extremos* S. *Brigidæ annos fuiſſe factum arbitramur, obiiſſe autem illam oſtendimus ante Acta* S. *Patricii num.* 84 *anno Chriſti* DVI *vel potius* DXVIII. *Ex quo conſequens erit Machadinum Clocherenſem Epiſcopum, quem in gratiam nepotis ſui Tigernaci jam etiam Epiſcopi expellere voluit Rex Eochachus, non obiiſſe anno* DVI, *ut ſcribit Vſſerius pag.* 856, *ſed multis annis poſt.*

floruit & ſeculo.

5 *Cum* S. *Tigernacus Epiſcopus, ne Cathedram Clocherenſem ſuſciperet, in monte lateret, inviſit eum Duachus ſeu*

AUCTORE G. H.

Dubtachus quintus. Ardmachanus Epiſcopus, quem ſediſſe ab anno CCCCXCVIII *uſque ad annum* DXIV *tradit ex Annalibus Vltonienſibus Vſſerius pag.* 874. *Nos juxta dicta ante Acta S. Patricii nnm.* 34 *credimus Alildum, deceſſorem Dubtachi, ſolum fuiſſe ordinatum anno* DXII: *quæ autem hic narrantur facile ad annum* DXVI *differri poſſunt. Extruxit dein* S. Tigernacus *monaſteria Gabalnenſe & Cluneſenſe, quod Cluain-eoais appellari diximus: & in hoc traditur aliquamdiu cæcus vixiſſe, ac tandem ut cenſet Vſſerius eadem pag.* 856, Nonis Aprilibus anno DL mortalitatem exuiſſe: *quo tempore nomen Scotiæ ſolis Hibernis tribuebatur: & loca omnia ipſam Hiberniam in Actis denotant.*

Interim hodierni Scoti, ad hunc quintũ Aprilis, in Breviario Aberdonenſi celebrant S. Tigernacum, Epiſcopum & Confeſſorem in Scotia, ſub Rege Alphino, an. DCCC XXIX. *Sed in alio Catalogo Sanctorum Scotiæ notatur annus* DCCCXXIII. *Camerarius in Menologio Scotico tradit* S. Tigernacum, multis ac magnis laboribus pro Chriſto functum, ad extremum diem ultimum clauſiſſe ſub annum DCCCLXX in Elkedalia provincia. *Wilſonus citatis tabulis Sanctorum Hiberniæ & Molano, cum majore confuſione, attribuit* Scotiæ hodiernæ, *aſſeritque* vita functum circa annum DCCXXX, *&* in Scotia *fuiſſe ſepultum. Quæ omnia aut de aliis Tigernacis dici deberent, aut ſane inepte videntur excogitata. In Vita B. Amnichadi monachi incluſi Fuldæ, quam dedimus* XXX *Ianuarii, refertur aliquis* Tigernachus, *ſed qui undecimo Chriſti ſeculo vixit.*

B

VITA

Ex tribus codicibus MSS.

CAPUT I.

Ortus, educatio, captivitas, peregrinatio. Mortui reſuſcitati.

1 VEnerabilis Præſul Tigernachus, regali ex progenie natus, nepos *a* Echachi Regis fuit, qui juxta *b* Clochorenſem urbem extitit: de cujus ſancti viri miraculis ſuccincte aliquid enarrare, prout à Majoribus traditum eſt, neceſſarium duximus. Prædictus igitur Rex Echachus, cum tres filias pulcherrimas in palatio ſuo nutritas haberet; una ex eis *c* Dearfraych quemdam virum nobilem de militibus patris ſui, *d* Laginenſem genere, nomine Corbreũ, adamavit. Quę cùm ab eodẽ concepiſſet, donec pareret, à conſpectu hominum ſe occultabat. Cumq; filium pareret, mox pater ejus ipſum accipiens, ad patriam propriam cum feſtinatione perrexit. Dumq; civitaté S. Brigidæ ingrederentur; mox B. Brigida, Spiritu revelante, adventum eorum intellexit; & familiæ ſuæ intimavit, dicens: modo honorabiles hoſpites ad nos veniunt; quos hilariter ſuſcipere debemus. Ipſa vero beata Virgo obviam venit, ac in ſinu ſuo puerum amplectens, ab Epiſcopo *e* Conlatheo baptizari eum fecit. Cui B. Virgo nomen imponens, dixit: Quia multorum Dominorum & Regum nepos eſt, Tigernach vocetur. Quo peracto, pater puerum ſecum ad patriam ſuam perduxit, ibique eum nutriendo diligenter educavit.

a *b* *Pregnatius avo Echacho Rege,*

c *d* *patre Corbreo;*

C

mandante S. Brigida,

e *Tigernacus appellatur:*

2 Poſt hæc ſanctus puer à piratis, patriam illam deprædantibus, capitur: & ad Regem Britannorum captivus ducitur. Qui pro venuſti vultus ſpecie, & Dei gratia in eo rutilante, in tantum dilectus eſt. ut eum in lecto ſuo ſecum dormire permitteret. Sed tamquam alter rubus Moyſi apparens, lectus regius multotiens ardere videbatur. Tunc Regina dixit: Puer Hibernienſis hunc ignem de cælo ſuper nos deſcendere facit; quapropter à nobis removeatur, & inter noſtros filios in aliorum lecto jaceat. Cum vero inter duos filios Regis de nocte dormiret, mane inventi ſunt ambo mortui. Rex vero & Regina, filios ſuos defunctos videntes, miſerunt ad ſanctum virum nomine *f* Movennum, rogantes ut ad eos veniret, & quid faciendum eſſet in hoc facto indicaret. Qui cum veniſſet, ſancto puero indixit, ut inter defunctos jaceret, eiſque ut ſecum reſurgerent juberet. Qui mox ſancti viri juſſis obediens, unius vertici alterius vero oculis manus imprimens, eos Chriſto in ſe operante, ad vitam reſuſcitavit. Quorum unus, ob memoriam miraculi, clauſis oculis; alter vero calvo vertice, quamdiu vixerunt, remanſerunt.

D

f

duos Regis filios mortuos reſuſcitat:

3 Deinde beatus puer libertati reſtitutus, ſancti Movenni diſciplinis & monitis in Roſnatenſi monaſterio, quod alio nomine Alba vocatur, diligenter inſtructus, in virum perfectum ſcientia & moribus eſt provectus. Cum autem quadam die præſente magiſtro dormiret; vir ſanctus diligenter eum intuens, ipſum primo anhelam albi coloris, ſecundo rubri coloris, tertio flavo colore infectam ex ore efflare deprehendit. Cui excitato ait: Fili quid vidiſti? qui reſpondens ait: Tria flumina de cælo manantia, ori meo infuſa eſſe ſomniavi, quorum primum lactis novi, ſecundum vini, tertium olei fuit; & poſt hæc virum venerandi & candidi habitus aſſiſtentem vidi, qui vaticinatus eſt mihi dicens: In terra matris tuæ claram fundabis eccleſiam: quod de Cluanenſi monaſterio dictum eſſe certiſſime probatur.

in Roſnatenſi monaſterio à S. Movenno inſtruitur

in ſomnis de rebus futuris edocetur.

E

4 Poſt hæc accepta benedictione magiſtri ſui Romam abiit; atque inde Sanctorum Apoſtolorũ Petri & Pauli reliquias aſportans, ad patriam ſuam, ſecundum quod in præfata viſione admonitus eſt, redire feſtinavit. Cum autem beatus vir, ſancto eum *g* Keranno Euchadii filio comitante, iter ageret hyemali tempore; ad civitatem S. Martini pervenit: ubi in hoſpitio, in quo novem defuncti illa nocte jacebant, ſuſceptus eſt. Tunc S. Keranus Comes ejus, immoderatis clamoribus plangentium miſertus, B. Tigernacho dixit: Tota hac nocte omnipotentem Deum deprecemur, quatenus per ſuam ineffabilem clementiam hos mortuos reſuſcitare dignetur. Ac continuo pius Pater, caritatis viſceribus plenus, ſancti viri petitionibus acquieſcens, puras atque devotas orationes pro illis ad Dominum effudit. Qui dilecti amici ſui poſtulationes ad eum vacuas redire non ferens, ad laudem & gloriam ſui nominis & ſervorum ſuorum, illos novem mortuos ad vitam, revocavit. Tunc Tigernachus, & Keranus dexteras ſibi invicem ſocietatis dederunt.

Romam proficiſcitur.

g *cum S. Keranno Turones reverſus,*

orationę novem mortuos reſuſcitat.

5 Cum autem homo Dei ad mare Hibernienſium perveniret, contigit ut tunc filia Regis Momonienſium, Ethnea nomine, ad conjugium Regis Britannorum de Hibernia allata, ab ejuſdem militibus duceretur ad portum, in quo vir Dei proſperum exſpectabat ventum. Quæ videns beatum virum cum diſcipulis ſuis in portu, deprecabatur eum, dicens: Sancte Pater, ne me apud infideles remanere permittas; quia Chriſto me devovi, cujus fidem & dilectionem tota mente retineo. Tunc beatus vir deprecatus eſt milites, ut puellam ſibi dimitterent. Qui precibus ſancti viri annuere deſpicientes, ad Regem Britannorum eam perduxerunt. Quæ ipſa nocte, *h* poſtquam invite uno cum Rege eſt collocata lecto, in eodem protinus mortua eſt. Rex autem admirans quod ei acciderat de, interrogavit his milites, quæ in via egerant; &, ut omnia ſecundũ ordinẽ veraciter ſibi narrarent, præcepit. Qui Regis juſſioni obtemperantes, ſe quemdam peregrinum Clericum, ſibi puellam dari rogantem, contempſiſſe; & ejus petionibus nolle conſentire, retulerunt. Quibus Rex juſſit ut ſtatim puellam mortuam ad ſanctum virum ſine mora perducerent. Quo facto, vir Dei corpus puellæ in tumba reponens, nautis navigare præcepit. Cumq; vela

F

Ethneam Virginem nuptui datam Regi Ethnico

dimittũ petit:

captivus in Britanniam abducitur,

h *ac ſubito mortuam,*

& in Hiberniam revectam

A vela in altum ſuſtuliſſent & à terra aliquantulum elongari cœpiſſent, interim vir Dei ad Miſſam ſe præparat celebrandum. Cum autem tempus adeſſet aptum ut aquam vino commiſceret; divino nutu, ſecundum morem ſolitum, cecidit ſtilla aquæ de cælo. Poſtquam autem proſpero navigio ad portum pervenerant peroptatum, homo Dei ad puellam ſe convertens, ait: O Ethnea, longo gravata es ſomno In nomine Jeſu Chriſti ſurge, & prior omnium noſtrum de navi deſcende. Quæ continuo ſurgens, cum admiratione adſtantium, incolumis de navi eſt egreſſa. Quæ poſtea toto vitæ ſuæ tempore in utriuſque hominis *i* caſtitate, Deo devote ſervivit.

Poſt Miſſæ ſacrificium

reſuſcitat. i

ANNOTATA.

a *Infra* Eochodius *dicitur, quod nomen valde commune fuit apud antiquos Hibernos, in MS. Fitzimon appellatur* Confuth.

b *Idem MS.* Clunenſem urbem: *ſed hoc eſt monaſterium in diœceſi* Clocherenſi, *adeoque coincidit.*

c *Idem* MS. Dervail.

d *Idem* Laginienſi, nomine Lormock.

e *Idem* S. Collardum *appellat.*

f *Colganus hunc refert* 1 *Martii & appellat* Monencnum, *ſive* Monnenium, *& facit* Epiſcopum Cluanfertenſem. *Nos inter Prætermiſſos de eo egimus.*

B g *In* MS. *Vardæ* Kyerano,

h MS. *noſtrum* priuſquam. *At* MS. *Fitzimon ita habet*: Cum ducta eſſet ad Regem invita, & in lecto ejus collocata, protinus mortua eſt.

i MS. *Fitzimon*, in cordis munditia, & corporis caſtitate.

CAPUT II.

Varia Monaſteria conſtructa. Miracula. Obitus.

Thuribulum amiſſum recipit:

6 ALiud quoque miraculum per eumdem virum Dei factum referendum eſſe judicamus. Thuribulum enim, quod in portu Britannico, de quo venerant, per oblivionem reliquerunt; in portu Hiberniæ, ad quē pervenerant, invenerunt. *a* Deinde ad monaſterium S. Brigidæ Virginis [communi] conſilio progreſſi ſunt, quæ eos cum magno gaudio ac ingenti honore ſuſcepit: & craſtina die, miraculis, quæ Divina potentia per ſanctum virum ibidem egerat, auditis, ſuum locum ſibi & ſucceſſoribus ſuis devote B. Brigida in perpetuum conceſſit. Creſcente beati viri fama populus undique ad eum confluebat, & ejus ſalutaribus monitis ad fidem Chriſti converſus, baptizati ſunt.

a à S. Brigida excipitur:

multos convertit:

C 7 Inde vero ad terram Momonienſem pervenit, in qua erat idolum, de quo dæmon reſponſa dans adorabatur ab hominibus. Dæmon vero adventum viri Dei ſuis prænuntiavit, ac eum hypocritam & ſeductorem nominans, ſuis cultoribus eum jugulare perſuadebat. Qui mox conſiliis ſui principis obſequentes, ad occidendum virum Dei ſe præparaverūt. Sed vir Dei, fidei clypeo munitus, & conſueta arma devotarum orationum apprehendens, Chriſtum deprecatus eſt, ut eorum furorem mitigaret. Quibus ſtatim per miſericordiam Dei placatis, ait: Ceſſate, miſeri, & mihi annuite, ut vobis illum quem colitis, in ſua forma oſtendam. Quo dicto, ſignum Crucis idolo imprimens, dæmonem in forma ſua turpiſſima coram omnibus aſſiſtere coëgit; atque illum mala ſua confiteri compulit. Cui vir Dei in quamdam rupem, in mari prope poſitam, ubi luctus & ululatus ejus multotiens auditur, ire præcepit. Omnes vero Idololatræ illi, cultum dæmonum relinquentes, fidem Chriſti confitentes, à ſancto viro baptizati ſunt.

feroces homines

in necem ſuam conſpirantes,

mites reddit:

& dæmone ex idolo depulſo,

Chriſtianos factos baptizat.

8 Deinde ad ſuam patriam reverſus, locum in

b quo monaſterium fundaret à Rege terræ, nomine *b* Fiachrio, poſtulavit. Cui ille quod petierat tradere non diſtulit; fuiſque, ut circa eumdem locum foſſam profundam facerent, præcepit. Inſuper poſſeſſiones agrorum ad opus monaſterii in perpetuum dedit. Denique cum quadam neceſſitate Rex compulſus, ab aliquo miniſtrorum ſuorum parum fœni, quod plantæ ſuæ in calceamento ſupponeret, ipſe poſtularet; hoc accepto eidem ait: unde hoc habuiſti? Ille reſpondit: De terra, quam viro Dei tradidiſti. Tunc ille clara voce coram aſtantibus ait: De fructu terræ, quam Deo obtuli, amodo in poſterum in meis uſibus vel meorum neceſſitatibus numquam utar. Poſtmodum vero devotus Rex virum Dei obnixe rogavit, ut ad Regem cæli preces funderet, quatenus de hoſtibus, contra eum craſtina die pugnaturis, victoriam obtineret. Quod ſanctus Pontifex ſe facturum promiſit, atque complevit. Sequenti etenim die hoſtes priuſquam arma armis jungerent, terga verterunt, & plurimi ipſorum ſecundum opinionem inſequentium, interfecti atque decollati ſunt; vere autem propter ſancti viri orationem, tantummodo fugati, ſed non interfecti. Denique Rex ejuſque exercitus ad propria redeuntes, decollatorum capita ſecundum æſtimationem eorum ſecum tulerunt; ſed non vere capita hominum, ſed glebas paluſtres cum ſuis fœnis prolixis eſſe cognoverunt? Hocque cognito beatum virum glorificarunt, cujus præcibus hoſtilis exercitus neminem lædens, à nemine læſus, in fugam converſus eſt.

EX MSS. *Fiachrio Rege adjuvante monaſterium extruit:*

eique victoriam impetrat.

E

9 Fundato autem ibi monaſterio, religioſiſq; Fratribus ibi relictis, ad matrem ſuam ſpiritualem, quæ eum olim de fonte baptiſmatis levavit, ſanctam videlicet Brigidam, in Killdarienſi monaſterio tunc commorantem, profectus eſt. Quæ myſticis ſignis ac ſpiritu Dei revelante commonita eſt quod filius ſuus ſpiritualis Epiſcopali dignus eſſet honore. Convocatis igitur Epiſcopis eum ad Pontificalis Ordinis apicem provehi fecit. In hoc enim à Clero & à populo totius Hiberniæ erat ipſa Brigida privilegiata, ut quemcumque ipſa ordinandum indicaſſet, ab omnibus eligeretur. His itaque peractis venerabilis Præſul Tigernachus, cum licentia Virginis & Epiſcoporum, ad Regem *c* Eochodium, avum ſcilicet ſuum maternum, greſſum tetendit. Qui cum magno ſuſcepit eum gaudio, tantum enim ac talem ſe habere nepotem, non mediocriter gratulabatur. Nec non & viſcera materna viſo filio, ineffabili repleta ſunt lætitia. Præfatus vero Rex carnali devictus amore, Sancti Epiſcopi Machadini dignitatem ac Sedem, Clochorenſe ſcilicet monaſterium, eidem obtulit; ſeque præfatum Epiſcopum à ſuis finibus expulſurum promiſit. Quod vir Dei, veluti honoris mundani verus contemptor, abhorrens, Regem parenteſq; fugiens, protinus abſceſſit; ad montemque procul poſitum feſtinius greſſum direxit, ubi in cella, quam ibidem fundaverat, diu permanſit.

mandante S. Brigida

conſecratur Epiſcopus:

c

ab avo Rege Clochorenſe Sedem oblatam reſpuit:

F

latet in monte:

10 Fama autem ſanctitatis ejus atque virtutum circumquaque diffuſa, religioſi viri ad conſpectum delectabilem utileſque collationes, & ſanctitatis ejus exempla imitanda undiq; convenerunt. Quorum unus fuit vir venerabilis Duachus, egregius Patricianæ Sedis Archiepiſcopus; quē ille pio affectu, hilariq; vultu ſuſcepit & corporali & ſpirituali refectione pro viribus pavit; atque pro eo craſtina die in viam pergente devotas orationes ad Deum fudit. Archiepiſcopus vero Ardmachanus iter agens, eadem die in *e* Marchuireglas, hoc eſt in campo quodam ſic dicto, morte præventus eſt: quod protinus, ſpiritu Dei revelante, viro Dei cognitum factum eſt. Qui mox aurigæ ſuo præcepit, ut equis currum imponeret: eoque currum aſcendente, ut oculos non aperiret, ſine ejus licentia, præcepit: Angelos enim

d

inviſitur à Duacho Archiepiſcopo Ardmachano.

e

quem in reditu mortuum divinitus agnoſcens;

EX MSS.

ſe comitaturos in illo itinere præſcivit. Inſuper ſe illo die equorum habenas eſſe recturum promiſit: quod & fecit. Aſcendente itaque eo currum, mira celeritate, Angelico ductu viam prolixam pertranſibat. Quod auriga perſentiens, miro ſtupore perculſus, capite diſcooperto, contra juſſa Præſulis, ſed non impune, circumſpexit; alter enim oculus ejus ſtatim crepuit; quem beatus Pontifex, ſigno crucis edito ſtatim ſanavit, cujus ſignum in oculo, ejus, depictum, quamdiu vixit, apparebat. Cum autem ad Archiepiſcopi corpus exanime perveniſſet, aquam benedicens, illud adſperſit. Dehinc flexus in terram, Deum omnipotentem, ſuppliciter deprecatus eſt, quatenus ad oſtenſionem ſuæ omnipotentiæ, defuncti ſervi ſui animam ad corpus redire juberet. Mox ut orationes complevit, qui erat jam mortuus, incolumis ſurrexit, ac dixit: Tigernachus in terra, Tigernachus in cælo: hoc eſt, in terra corpore, in cælo animo & converſatione. Poſt hæc ſancto Viro dato oſculo pacis, ac fide in perpetuum inita, à ſe invicem diſceſſerunt.

curſu per Angelos celerrime ducto,

& auriga inobediente punito,

aqua benedicta reſuſcitat.

10 Non multo poſt tempore Angelus Domini
B apparēs, dixit ei: Adultimos fines regionis, cui Tachodrus Rex avus ſcilicet tuus præſidet, perge ibi inter Occidentem & Auſtrum loca ſancta Deo auxiliante fundabis. Qui continuo Angelicis juſſionibus obaudiens, iter ſuum cœpit. Cumq; ad locum promiſſum perveniſſet Gabalnenſe monaſterium ibi conſtruxit: ubi cum ſancto ſuo collegio Regi ſeculorum mirabiliter ſervivit, ac miraculorum coruſcationibus inſtar ſolis fulſit: de quibus pauca dicemus. Aliquando ſeptem obſides, pro crimine parentū jam morti deſtinatos, ab Edo Rege, filio Cormaci, liberos ſibi dimitti poſtulavit: quos ille tali dimiſit pacto, ſcilicet ut ipſe de majori quod incurreret periculo per virum Dei liberaretur. Quod poſtea completum eſt. Nam cum hoſtes ſuper eum in ipſo oppido ex improviſo ruerent, nomenque ſancti patroni ſui Tigernachi, ne ab inimicis occiderentur, ipſe & uxor ejus, devotiſſime invocarent; divina potentia, ne eos hoſtis agnoſceret, protexit, ac illæſos ire permiſit. Obſides autem illos beatus Vir Clericos fecit, de quibus duos ad Epiſcopalis ordinis cultum provexit. Vxoris quoque prædicti Regis Bardubæ vulvam, vitio ſterilitatis huc uſq; concluſam, ſigno ſalutiferæ Crucis conſignavit: quæ poſtea eadem Regi filios duos genuit, quorum unus nomine *f* Fechinus, id eſt pater Preſbyterinæ gentis, alter vero Ronanus Abbas fuit.

monitu Angelico Gabalnenſe monaſterium conſtruit:

Edum Regē, ne ab hoſte occideretur, invocatus illæſum ſervat:

Reginæ ſterilitatem ſigno Crucis avertit:

f

12 Quadam vero altera die accipitrem, gallinæ pul-
C lum rapentem, aſpiciens pius Pater, viſceribus caritatis plenus, eidem præcepit ut pullum matri ſine ulla læſione permitteret: vixque verba compleverat, & ſtatim præcepto viri Dei obtemperans, pullum gallinæ remiſit. Inſuper ne auſu temerario id iterare præſumeret, ei ſub interdicto ſic præcepit, dicens: Tu tuique generis aves, ab hoc die impoſterum, Gaballinienſis Monaſterii gallinarum cuſtodes eritis, non raptores. Quorundam quoq; familiarium ſuorum, in lacu Erne vicino laborantium, neceſſitati ob immaniſſimam tempeſtatis violentiam compatiens, exoravit Dominum; & illi continuo tempeſtate ſedata, à mortis faucibus ſunt liberati: & ab illa die in eadem parte ſtagni per virtutem orationis ejus nullus demerſus eſt.

Pullum gallinæ ab accipitre raptum liberat:

periculum ſubmerſionis avertit;

13 Interea vir Dei divina inſpirante gratia admonitus eſt, ut dilecto ſuo Comgallo monaſterium illud regendum committeret; Ipſe vero verſus Orientalem plagam longe ad ampliorem & fertiliorem terram, ubi monaſterium conſtrueret, properaret. Quod vir Dei continuo complevit, & poſtmodum Cluneenſe monaſterium fundavit: ubi ſacrorum virorum
D ac monialium multitudo ab antiquo fideliter Deo deſervivit. *g* Triginta vero ætatis ſuæ poſtremis annis, corporis, non mentis, cæcitate percuſſus, in ſecura ſua cella perſiſtens ſolus, contemplativæ vitæ dulcedinem deguſtans, anachoreticam vitam quaſi ducebat. Appropinquante vero hujus vitæ termino, multitudo cæleſtis exercitus obviam animæ ejus deſcendens, eam de ſancto corpore ſuaviter atque quiete ſuſcepit, ac de peregrinatione hujus incolatus ad cæleſtem patriam cum dulci melodia ſecum perduxit, ubi perenni perfruitur gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

Cluneoſenſe monaſterium fundat:

g

cæcus ante obitum

inter melodiam Angelorum in cælos migrat.

HYMNUS AD VESPERAS.

Adeſt dies celebris Sancti Tygernaci,
Quem Clerus & populus debet venerari,
In qua ſenes cum pueris decet collætari,
Nos oportet hodie valde gloriari;
Dum velimus alibi per hunc honorari;
Namque ſic merebimur ad hoc exaltari.
Solum inſtat cuilibet feſto Viri ſancti
Lux ſolennis omnibus feſtum ſui Sancti, E
Poli portas aperit qui ſe poſtulanti,
Sanitatem erogat ſicut infirmanti:
Datur uni crede ſic cetera perroganti:
Jubilemus itaque hæc ita præſtanti.
Templum ſui corporis caſte cuſtodivit,
Præter quod ſit licitum nihil concupivit:
Et mandatis Domini ſemper obedivit;
Spiritalis tritici ſemen erogavit;
Dogmatizans populis culpas relaxavit;
Sua dans pauperibus ſe Deo donavit.
Meritis & precibus hujus deprecamur,
Ut jungi cæleſtibus Chriſto mereamur,
Et regno cum Angelis cæli maneamus. Amen.

HYMNUS AD MATUTINUM.

Tygernach igne gratiæ, amans ſuperna quærere,
Direxit ad ſpem patriæ, intentionem Pontifex.
Dulces dapes deſeruit, ventris repellens crapulam,
Carnes redegit infimus, libidinem multum premens.
Vnam probans ſcientiam, contempſit vana diſcere:
Elationem comprimens, ſuperbiam vitaverat;
Honorem omnem reſpuens, laudes inanes fugerat:
In caritatis culmine, præ ceteris excreverat.
Spretis caducis actibus, vitam quæſivit ſplendidam:
Mentem trahens à ſeculo, iter paravit plurimis.
Multis ſonans miraculis, verbis docens & moribus, F
Morbos mederi fecerat, donum ſalutis, largiens.
Cæcis aperte cernere, claudis gradiri contulit;
Et mortuos ab inferis, ad vitam excitaverat.
Chriſtum precemur viribus, Sancti Tighernaci Præſulis,
Nobis cum illo perfrui, donet beata gloria. Amen.

ANNOTATA.

a *Reliqua hujus numeri deſunt in MSS. noſtro & Wardæano, & ſunt in MS. Fitzimon.*

b *MS. noſtrum* Fiachra, *MS. Fitzimon* Ferrath.

c *MS. Fitzimon* Coyn *& ſupra* Conſath, *vt in aliis ſupra* Echacus *dicitur.*

d *Aliis* Dubtachus 5 *Epiſcopus Arcdmachanus, de quo ſupra egimus.*

e *MS. Fitzimon*, in campo Glaſſenſi.

f *Idem MS.* Sethinus, id eſt, pater plurimæ gentis.

g *Idem MS.* Tigernacus vero anno ætatis ſuæ poſtremo.

h *Idem MS. ſic finit:* XI Kalendas Januarii migravit ad Chriſtum: *quo die necdum in ullis Faſtis nomen ejus reperimus.*

A

DE S. THEODORA VIDVA, D. P.

SANCTIMONIALI THESSALONICÆ.

CIRCA AN. DCCCLXXX

QVod extat Romæ Martyrologium Arabico-Ægyptiacum in collegio Maronitarum, atque à Gratia Simonio ex Arabica in linguam Latinam transferri nobis curavit Athanasius Kircherus noster, celebrat ad diem quintum Aprilis memoriam sanctæ matris Theodoræ: quæ verba in Menæis excusis & manuscriptis Græce sic efferuntur. Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τῆς ὁσίας μητρὸς ἡμῶν Θεοδώρας, τῆς ἐν Θεσσαλονίκῃ: quæ scilicet Thessalonicæ, urbe Macedoniæ notissima, vixit: & illud additur distichon:

Εἰ καλλοῖς πολλοῖς ἀυχεῖς Θεσσαλονίκη,
Ἔχεις κ στεφλὸν ὅλβον τὴν Θεοδώραν.
Thessalonica, multa si jactas bona,
Hæc inter etiam possides Theodoram.

Memoria sacra.

Dein vitæ ejus encomium illustre hujusmodi sequitur.

excellit in obedientia.

2 Sancta hæc Theodora à tenera ætate Christum desideravit: & rebus mundanis abdicatis in cœnobium ingressa, in monacham est attonsa: & omnes virtutes amplexa simul ut unam, in iis consummata evasit. Adeo vero obedientiam & venerationem excoluit erga omnes cœnobii Sorores, & præsertim Antistitam, ut post mortem etiam ostenderet virtutem, quam exercuerat viva. Nam vitam suam adeo puram, & ab omni prorsus macula intaminatam custodivit, ut eam pro viva imagine suis Sororibus reliquerit. Post mortem vero, cum jam longo fuisset tempore sepulta, contigit etiam Magistram seu Præsidem cœnobii ex hac vita ad Christum proficisci: & quia hæc admodum sancte, caste & religiose vixerat, factus est ad hujus funus concursus multorum hominum, inter quos erant illustres viri, religiosi monachi & laici complures. Cum ergo sacra carmina & hymni decantarentur; & hypogæum, in quo S. Theodora jam pridem antea sita erat, ad Antistitam illic collocandam aperiretur; admirandum accidit prodigium, quod spectatores præsentes quidem in stuporem dedit, auditores vero postea absentes ad salutarem peccatorum pœnitudinem commovit. Loco enim opportuno ad spectaculum præsentibus dato, videntibus cunctis, Theodora, quæ jam diu in tumulo jacuerat, sese in arctum contraxit, tamquam viva, Matri suæ religiose locum datura, honoremque debitum exhibitura. Quod ubi omnes, qui aderant, spectabant; attoniti exclamabant, solenne illud, Kyrie eleison, Domine miserere. A quo tempore huc usque multa Deus per hanc Sanctam Thedoram miracula patravit: nam & infessos à dæmonibus liberavit, & captos oculis ad lumen reduxit, & ægros innumeros sanavit.

B

& vitæ puritate:

in sepulcro recedit locum datura Antistitæ.

C

miraculis claret.

3 *Hæc Menæa, ex quibus eamdem narrationem edidit Maximus Episcopus Cytherorum, ἐν βίοις ἁγίων sæpius excusis. Dedimus Kalendis Februarij Vitam* S. Severi Episcopi Ravennatis, qui, *ut traditur num.* 23, corpusculo defunctæ longe ante conjugis suæ jussit, quatenus se dictu citius in latus declinaret, & filiæ spatium sepeliendi præberet, *quod & factum est: Similia plura in hoc opere nostro occurrunt. Plenam de Vita hujus S. Theodoræ historiam aliquando extitisse, satis utique est credibile: sed ejus nullum hactenus indicium reperimus. Leo Allatius in sua de Simeonum scriptis Diatriba, ea quæ vere Metaphrastis sunt, ab aliis certorum vel insertorum auctorum lucubrationibus secernens, pag.* 88 *primus nos docuit Nicolaum Cabasilam, circa annum* MCCCL *Archiepiscopum Thessalonicensem, aliquod ejusdem Sanctæ scripsisse encomium, quod ubique quærentes tandem reperimus in Cæsarea Viennensi Bibliotheca, & favore eruditissimi nobisque amicissimi viri Petri Lambecii, eidem Bibliothecæ nunc præfecti, descriptum accepimus, idque Latine redditum hic damus.*

Encomium ex Græco Nicolai Cabasilæ.

4 *Est illud quidem, cum exaggeratione multa & facundiæ rhetoricæ affectatione scriptum, verbis quam rebus copiosius: multa tamen nos docuit ad historiam pertinentia, patriam scilicet Æginam; Antonium atque Chrysantham parentes, quorum constantiam hæresis Ecclesiam obscurans probarit; utique iconoclastica, iis temporibus grassata, quibus sub Michaele Balbo, circa annum Imperii ejus* III, *Christi* DCCCXXIII, *ipso* adversus rebellem Thomam occupato, & aliam omnem curam, *ut scribit Leo Grammaticus* huic unice post habente, Creta, Sicilia & insulæ vocatæ Cyclades (*à quibus non longe distabat Ægina*) à Romano Imperio resciissæ sunt ab Afris & Arabibus. *Etenim hujus irruptionis occasione, sive vim ejus reipsa senserint Æginetæ, seu vicinum periculum eos coegerit suæ saluti consulere atque ad tutiora abire, Thessalonicam profugit, non ita pridem juncta matrimonio Theodora; ibique, post oblatam Deo filiam, tandem sui juris effecta per mariti mortem, monasticum amplexa est institutum jam grandæva in quo ad profundissimam usque senectutem perseverans, videtur usque ad seculi* IX *annum circiter* LXXX *pervenisse aut etiam ultra. Atque hæc omnia nobis ex hoc Cabasilæ encomio cognoscenda præbentur, una cum titulo* Μυροβλύτιδος. Unguentifluæ, *& testimonio salutiferi olei ex ejus sepulcro scaturientis, quemadmodum de Sanctis Nicolao, Demetrio, Catharina legimus, & hoc nono sequentibusque seculis invenimus factum, ad plurium aliarum sanctitate illustrium personarum venerationem in ecclesiis orientalibus comprobandam.*

ejus patria & parentes,

ætas,

& titulus Μυροβλύτιδος.

D

E

ENCOMIVM

Per Nicolaum Cabasilam Archiep. Thessalonicensem.

Ex MS. Cæsareo Græco Bibl. Viennen.

PROLOGUS

F

Auctor laudandum suscipiens Theodoram.

MUltis tua decora admirantibus ô Unguentiflua, & hinc quidem quæ maxime congrua rationi sunt atque imprimis necessaria tibi reddentibus, inde vero seipsos hoc dum faciunt exornantibus precipue quando sermonem de te oportune instituunt; æquum mihi quoque videbatur, ne solus exors apparerem tuarum gratiarum, eloquentiam omnem vincentium; sed & ipse tua ingressus encomia, meque & orationem meam iisdem exornarem; simul etiam, ut qui unus sum ex multis tuo sæpe beneficio fruitis, quam possum debitæ gratitudinis partem tibi exolverem. In his igitur præsens nobis labor consistit: quem quidem gravem atque difficilem portatu esse etsi nemo videat; nihil tamen formidandum est, quandoquidem magna hæc Sancta, non solum magnanimitatem in dicendo præstare solet, si quis forte pertractandis rebus inferior fuerit; sed etiam per ipsas illas quam maxime auxiliari. Deinde licet videam omnes qui de illa disseruerunt, vel nihil prætermisisse eorum quæ gesta sunt, vel saltem in eo studium magnum posuisse ut ipsa assequerentur: operæ tamen pretium fuit, me quoque vel similem dicendo utilitatem sectari, vel saltem non omnino manere otiosum. Quoniam vero non solum illis, sed omnibus omnino oratoriam ar-

post alios plures,

PER. NIC. CABASIL. EX MS. GR.

tem profitentibus, ſi ſermonem de Unguentiflua hac inſtituere aggrediantur, neceſſario uſuvenit, ut non modo non dicant quidquam quod ad rerum ipſarum accedat magnitudinem, ſed nec dicturos ſe ſperent; abſurdum omnino fuerit, ſolum me ex omnibus qui hæc tractarunt, ſolicitiorem eſſe circa illa omnia, ſi poſt illos me quoque ſermo deficiat, nec poſſim tot certaminibus reſpondere.

agnoſcit facultatem ſuam

rerum dicendarum ineffabilitate vinci,

2 Equidem non ignoro quod oratoribus omnibus lex hæc ſit poſita, ut aut eloquentiam parem argumento adferant, aut ſilentium teneant; & quod res laudibus humanis majores omnemque comparationem tranſcendentes, à ſeipſis habeant ut ſibi congrua numquam conſequantur encomia, non ex inſufficientia laudatoris; ideoque contingit illis veluti ænigma quoddam, ut propter quæ neceſſe eſt eas præ aliis admirari, propter eadem nullus ipſas dicendo tractet. Attamen veræ rationi magis congruum eſſe cenſeo, ut volentes de talibus rebus agere, quibus omnis ſermo ſuccumbat neceſſe eſt, ſerio profiteantur, ſcire ſe talia aggreſſos, minime parem afferre dictionis excellentiam, nec indignari tamquam invidos eorum quæ ſunt laudanda magnitudini, cum nihil præter ſuam opininionem accidat, ſiquidem non ſe, ſed ipſas res voluerint prædicare. Imo vero potius convenit ea tractanda ſuſcipere, quorum hoc ipſo clarius eluceſcet dignitas, quod iis inferior noſtra ſit oratio. Quod ſi de omnibus iſtiuſmodi rebus hæc neceſſe eſt dicere; manum mihi, ſicut in aliis omnibus, hic quoque porrigat Theodora; neque permittat ſermones multum inferiores videri iis, quos alii de ipſa protulere; quamvis omnino oporteat illos ſuperari ab iis, quibus ipſa cumulata eſt, gratiis.

& auxilium Sanctæ implorat.

B

CAPUT I.

Patria, natales, conjugium S. Theodoræ.

In Ægina inſula, ſoli bonitate,

a

b

C

c

& incolarũ ingenio felicitſſima

3 IUxta normam, laudationem aggredientibus tenendam, convenit ante omnia meminiſſe patriæ, ut inde nimirum exorſis, aptus deinde ſit ad cetera progreſſus. Eſt igitur illa, earum quæ ſunt in Græcia *a* inſularum caput: nam magnitudine quidem, pulchritudine ac ſitu ceteras *b* omnes circumjectis exſuperat, & uſque adeo mediocritatem excedit, ut videantur aliæ (tamquam nec conferri quidem cum Ægina valentes) eidem hilariter primas concedere: aëris vero annique temperie, & quæ hinc provenit commoditate, tanta fruitur; ut ſola cenſeri poſſit tum omnis circa hæc felicitatis promptuarium eſſe, tum ſuppeditare ceteris unde ipſam habeant cum multa abundantia; quo fit ut urbes *c* in ea ſint plurimæ. Si vero his amplius aliquid addi poſſit ad gloriam, inde etiam accedit haud parum, quod optima incolarum complexione cunctis vel maxime ſit ſuperior, & ejus hac in parte prærogativa palam demonſtretur. Id enim unde præ aliis ſingulariter gloriatur, tamquam imperium in omnes habens & primas in cunctis ferens, quodque revera eſt ad commendationem maximum, eſt proſperitas incolarum admirabilis & omnibus numeris tam abſoluta, ut nihil eorum indigeat, quæ præcipue urbibus ſunt neceſſaria, & cives inter ſe quamoptime habeat convenientes. Nam bonitate indolis morumque ornatu, & quibuſcumque homini opus eſt ad vitæ honeſtatem, ſuperant reliquos, veluti qui ſuæ patriæ apte congruant: & ſicut illius laudibus tamquam propriis decorantur, ſic ipſi commendationis addant plurimum, mutuoque ſe ornent & mutuam impleant felicitatem.

4 Horum autem pars non minima magnæ hujus Sanctæ fuere admirandi parentes, per quos ingreſſum ipſa in hanc vitam habuit: adeo enim inter cives omnes excelluerunt opibus, gloria, claritate generis, morum præſtantia, Dei dilectione, & rebus quibuſcumque (ut verbo uno abſolvam) optimis; quantum illi & his quæ dixi, & aliis bonis cunctis anteſtabant ceteri. Quis Antonium ignorat inter Sacerdotes ordinatum, & ante cunctos in rebus omnibus ordini ſuo congruis excellentem? qui reipſa demonſtrans qualem operibus eſſe oporteat ejuſmodi ſortitum vocationem; cum ſatores hæreſeon eccleſiæ incumberent, eamque offuſa caligine obtenebrarent, tamquam aquila nubes procelloſas tranſcendens, eorum concertationibus ſolus apparuit altior. Chryſantham porro quis non admiratur? non tantum propter religionem ipſius, & tam inſigne erga eamdem ſtudium, ut ipſa quidem levius duceret omnia perpeti quam ab ea vel tantillum recedere, aliis vero tamquam communis curatrix pietatis præſideret; ſed etiam propter compoſitionem ſuaviſſimam morum, & virtutum omnigenarum exercitationem, quarum cauſa merebatur frui Antonio, & magnæ hujus conjunctionis digna videri.

D

ex Antonio Presbytero

& pientiſſima Chryſantha

5 Ita ſe habentibus illis & optima quæque in unum conferentibus, omnium maximum, ac veluti coronis, & præ ceteris eorum ornamentis longe præcellentiſſimum, magna atque admirabilis Theodora obtigit; ſignum eis manifeſtum præbens divinæ erga ſe miſerationis, abunde demonſtrantis, quanti ipſos faceret, & quod pro alia quacumque & præ omni mercede, illis, tantopere virtutem colentibus & per omnia proficere cupientibus, filiam dederit. Sicque, ô mulierum præſtantiſſima, omni ex parte effecta es optima, & cuncta tibi convenientia habuiſti, patriam, inquam atque parentes; ut undequaque beata fores, & omnibus per omnia longe ſuperior. Utrum vero non ſolum digna illis fueris ipſa, ſed multo etiam admirabilior majorem melioremque te probaveris iis per quæ exornabaris, quis demum poteſt ignorare? Illuſtria igitur tua certamina, & magnos circa philoſophiam agones, quibus multos in eadem cum laude verſatos, victos à te longeque infra relictos clariſſime demonſtraſti, jam dicere aggredimur.

E

nata Theodora,

6 Et ea quidem quæ his inſtar fundamenti ſubſtrata, ac veluti maximarum rerum fuere proœmia, quomodo non in admirationem ſtuporemque deducant aliquem, & futurorum faciant minime falſum vatem? Inſtituebatur quidem inter pueros, ſed minime puerilem gerebat ſenſum; neque ad res ludicras convertebatur, voluptatem exinde captandam virtutis loco æſtimans; ſed divinis oblectatatur exercitationibus, ſacris erudienda litteris. Æmulabatur autem, & ſocias habere expetebat, non aſſuetas illis contraria amare & malis in rebus verſari, quod vitii eſt: ſed adjungebatur ſoliſque convivebat iis, quas amor philophiæ divinæque converſationis tenebat; utpote quæ felicitatem conſtitueret in illis dumtaxat rebus, quæ Deo placent, atque ad virtutem ducunt, & ineffabilium bonorum participationem conciliant. Sic igitur animo comparata, conjugio quidem uſa eſt, ſed uſa eſt tantum, & nihil amplius; quantum ſcilicet opus erat, aliquam ad optima quæque tendentem, etiam conjugio ſubeſſe: ut quæ totam ſe dediſſet philoſophiæ, non reſpiciens in delicias aut voluptates, animique remiſſionem per eas captandam; neque gloria aut divitiis vinceretur. Soli enim Deo rebuſque divinis inhærebat, & ad eum ſolum animi ſui extendebat deſiderium, ſuaque omnia ad illius dirigebat arbitrium.

optimeque inſtituta

F

& nuptui tradita,

7 Vera me dicere, vel hinc patebit, quod poſtquam propter graves barbarorum incurſus patriam deſerens,

A deſerens, Macedoniam habitare cœpit, materque effecta eſt; primogenitam prolem, juxta Pauli leges, dilecto ſibi Deo obtulit, ſanctoque piarum Virginum contubernio filiam tradidit. Etenim ſi poſſeſſionum partem dare Numini, magni eſt meriti animæque Deum diligentis; quomodo non omnem laudis humanæ exceſſum tranſcendent magnæ hujus Sanctæ encomia, quæ non ſuarum fortunarum portionem aliquam vel ſimile quidpiam, ſed propriorum viſcerum genituram conſecravit Deo? Sic ergo uni, ut dixi, Deo rebuſque divinis inhærebat, & ad eum animi ſui extendebat deſiderium, ſuaque omnia ad illius dirigebat arbitrium; ſic honorabile ſanctumque conjugium & thorum immaculatum ſecundum Pauli vocem exhibuit, eumque totum Deo reſervavit.

filiam ſibi in Macedonia natam Deo conſecrat.

Hebr. 13, 4

ANNOTATA.

a *Medium fere tenet Ægina ejus pelagi quod Atticam ab Achaia dividit, ſtadiorum circiter 150 in circuitu, de maris imperio olim contendere auſa: in Sinus Saronici veluti umbilico.*

B b *Verſus Iſthmum, Salamis, Pharmacuſæ duæ, Atalanta & aliæ minores quædam: Belbina, inter Æginam & littus Atticum; verſus Archipelagum vero pleno mari, nullæ; ſed circa utrumque littus, & ab Ægina remotiores, variæ.*

c *Nominantur in ea, ipſa* Ægina, *inſulæ nomen faciens, quod in* Engiam *vertit hodiernus unus;* Apheæ *fanum,* Jovis Panhellenii *mons.*

CAPUT II.

Vita monaſtica & virtutes S. Theodoræ.

Monaſterium ingreſſa

8 POſt quam autem vir ejus è vivis exceſſit; ſtatim illa non jam filiam ſuam, non extraneum aliquid, ſed ſemetipſam obtulit Deo, hoſtiam viventem, ſanctam, bene placentem (quamquam nil minus antea obtulerat) filiæque ſe jungens, & comam deponens, totam ſeſe divinæ tradidit philoſophiæ; gaudens quidem ſibique gratulans de tam felici ad quæque pulcherrima curſu; Deo vero gratias agens, pro tam admirabili providentia, quam erga ipſam magnifice demonſtrarat; iis frui concedens, quæ à principio amaverat, & in votis habuerat, atque rebus omnibus aliis pluris fecerat. Sic igitur

C animo comparata, atque agones philoſophicos ingreſſa, non tamquam adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates tenebrarum harum certatura, eum habuit ſucceſſum, & ſic labores ſuperavit, ut omnes in ſtuporem verteret admirationemque, velut quæ pene hominis conditionem eſſet ſupergreſſa. Et primum quidem humilitatem atque, dilectionem, velut bonorum omnium concilia trices ſectata eſt; quas videbat non ſolum cunctis eſſe præſtantiores, ſed & fundamenta totius hujus divinæ philoſophiæ: tum quia ſic Dei mandata præcipiebant, tum quia perſuaſa erat ſibi convenire nonniſi fundamentis jactis ædificare.

egregie profecit,

præſertim in virtute humilitatis,

9 Has ergo maximas longeque digniſſimas virtutes eſſe conſiderans, adeo generoſe ſubivit labores exercitationis, adeoque recte egit, ut in nulla ſuarum actionum deficeret. Nam cum talis tantaque eſſet, & cunctis ornamentis uſque adeo decorata, præcelleret omnes ingenii perſpicuitate atque capacitate; ſibi ipſi perſuaſit alteri ſeſe ſponte ſubjicere, eique ſoli credere ſalutem ſuam. Quare & minimos Magiſtræ nutus obſervabat, & ne viliſſima quidem opera ſubterfugiebat; ſed his quoque tantum afficiebatur, quantum alius nemo dignioribus: neque ſolum non dedignabatur ad forum deferre, vel venum exponere, aut emere ea quibus eſſet opus communitati: ſed neque ligna ferre, focum ſtruere, cibos coquere, aut aliquid omnino eorum facere quæ infimo cuique poſſent imponi. Ad hæc quæ non tantum ſeipſam faciebat nihil, ſed vermem atque opprobrium hominum aliaque hujuſmodi appellabat ſeſe, quomodo non æſtimetur majoris fuiſſe humilitatis, quam cui poſſit comparatio digna inveniri? Eadem vero cum virtutis merito provocaretur ad aliarum in philoſophico ſtadio Præfecturam ſuſcipiendam, & omnes illam ad hoc invitarent, ne ſummis quidem auribus ejus rei admiſit mentionem, ſupra ſeſe id eſſe rata: tanta ei erat mediocritatis cura.

PER NIC. CABASIL. EX MS. GR.

10 Quanta erga Deum ferveret dilectione, e- *& dilectione Dei*
videnti apparet demonſtratione per hoc, quod omnia iſta pro illius amore ferret, neque in ipſis moleſtiis ſentiret moleſtiam, niſi quia non plura & magis moleſta patiebatur: quodque præter iſta & cum iſtis, ſeſe attereret laboribus immodicis, propter eam qua erga ipſum ferebatur caritatem. Etenim nunc quidem vigiliis atque jejuniis, nunc incommodis omnimodis corpus ſuum ultra menſuram addicebat, omniaque illa ſponte ſuſcipiebat quibus ipſum quidem domari, animum vero confirmari contingit. Neque levius hoc, ſi non & majus e- E
juſdem dilectionis argumentum eſt, quod erga om- *proximique.*
nes homines ſic afficeretur, ut quæ ipſorum commoda attinebant præferret omnino ſuis: qui enim fratrem diligit, diligit & Deum, neque alterum ſine altero poteſt conſiſtere; ſed neceſſe eſt cum Deo converſantem etiam verſari cum proximo, & eum qui homines diligit, Deum quoque ipſum diligere. Hinc ei familiare erat omnibus omnia miniſtrare, neque pati ut ſibi miniſtraret aliquis; in eoque Chriſtum imitabatur, illius veſtigia ſubſequens.

11 Sic igitur virtutum præſtantiſſimas in fundamento locans, ad aliarum quoque faſtigium perve- *excellit prudentia,*
nit, ut neque in illis cuiquam primas concederet. Nihil autem melius eſt generaliſſimis quatuor. Et de prudentia quidem ejus hoc poſſum dicere, quod ſi maximæ ſapientiæ terminus eſt noſſe, utrum ea quæ ſunt revera ſint, & circa hæc imperitum non eſſe: quomodo non omnem ſapientiæ terminum magna hæc Sancta ſupergreſſa eſt, tantam rerum habens notitiam, ut non ſolum intelligeret an eſſent ſingula ut eſſe videbantur, ſed etiam utrum è duobus eſſet præſtantius; præſtantioribus autem ac melioribus ſe traderet, pro iis pati quidlibet & fa- F
cere parata; ab aliis vero uſque adeo abſtinens, ut *juſtitia,*
non ſolum iis nollet quomodolibet uti, ſed nec in cogitationem quidem eorum venire. Quod porro in omnibus gratioſe, ut convenit, ſeſe haberet; & rationem quidem præeſſe affectibus, hos vero eidem ſubeſſe faceret; carnem quoque ſupprimere, & in ſervitutem redigere, atque affligere, mentem è contra ſubtiliorem reddere atque extollere ſatageret; univerſa denique in pondere & ſtatera poneret, atque in cunctis utcumque accidebant ſe ſervaret indemnem, quomodo non arguat juſtitiam in illa abſolutiſſimam?

12 De prudentia igitur atque juſtitia, non quantæ ipſi aderant, ſed quomodo potui, elocutus, ad alias progredior. In his igitur, temperantia inquam & fortitudine, haud ſane minima Theodora fuit: ſed uſque adeo etiam hoc nomine laudari meruit *& fortitudine,* coronari, ut nemo id valeat ſufficienter explicare dicendo. Hæc enim vere admirabilis per omnem vitam adeo fortem ſe præbuit, animumque ſic habuit exercitatum, ut non ſolum ſuperior eſſet cunctis quæ hominibus ſolent læta triſtiave accidere; ſed ipſis naturæ legibus videretur utique quaque major, labores quidem corporis ſecundum Philoſophiam

PER NIC. CABASIL. EX MS. GR. phiam quantum alius quiſpiam recte ordinans, animum vero ubique erectum ac generoſum conſervans. Teſtatur hoc primo egregium ſilentium, & quam in ipſo tenendo monſtravit conſtantiam; totis enim quindecim annis filiam ſuam allocuta non eſt, quamvis in eodem cum ipſa virtutis ſtadio exerceretur. Idem teſtatur maxima & omni comparatione major lucta adverſus intemperiem elementorum: carnem namque ſpiritui omnimodis ſubjecit, neque promptam dumtaxat habuit & obſequentem, ſed etiam ſpiritui conſentientem, tamquam naturæ conditionem egreſſa. Nam aliis quidem optabile eſt concupiſcentiis carnis non ſubjici ſpiritum; Theodoræ autem nequaquam ſufficere viſum eſt, niſi ipſius carnis immutaret naturam, & ipſam faceret ultro ad meliora ferri.

temperantia. 13 Hoc ergo modo ad temperantiæ culmen pervenit: cui enim aliarum contigit ſibi comparare tam abſolutum affectionum imperium; ſenſus vero eorumque violentiam ſic coërcere, ut neque oculis neque auribus permittatur, aliis rebus, quam quibus convenit, intereſſe; ſed ſolis utilibus cogruiſque patere, neque aliter omnino quam quomodo mens conſtituerit agi, quod eſſe ſupremum temperantiæ
B apicem omnes novimus? Ipſa autem adeo perfecte carnalem omnem affectionem exuit, adeo longe à ſe naturalem ad eas propenſionem removit; ut ſponte ultroque ei occurreret, ſolis quidem erga res divinas amoribus occupari, & earum coruſco lumini hærere affixam; amantem vero cum amato Deo ſemper converſari mente, ſeque puram puro applicare, & bonis ejus frui; fruentem porro rurſum duplicare, velut per circulum, ſui erga eum amoris ardorem.

CAPUT III.

Laudum S. Theodoræ ſynopſis & cum aliis Sanctis comparatio.

Omnes complexa virtutes 14 PEr omnia itaque, ô carum Deo caput, Cælitibus, hominibuſque æſtimabilia, & in omnibus, longe primas obtinuiſti: neque enim fuit ulla virtutis ſpecies, quam non acquiſieris, idque diverſo ab aliis modo, & ultra quam aliquis poſt ſequentium. Sola quippe complexa es, quæ ſingula potuiſſent aliis pro ornatu ſufficere; ex illiſque propriam quamdam admirabilemque ſubſtantiam, &
C omnigenæ virtutis habitaculum effeciſti: vitam, inquam, tuam, cunctis in exemplum propoſitam, cunctaque membra à capite uſque ad pedes ſervantem. Nec enim modo quidem ſic, modo autem non; vel modo minus, modo magis (ut quibuſdam aliis ſolet contingere) virtuti conſequendæ impendiſti te; neque unis quidem illius ſpeciebus inhæſiſti, alias autem neglexiſti; aut unis contentius, aliis remiſſius te applicuiſti; ſed à teneris, ut ſic loquar, unguiculis ipſiſque vitæ primordiis, uſque ad epilogum ejus & extremam ſenectutem, omnium ſimul bonorum, idque excellentiſſimo, quodam modo, operatrix fuiſti, & ſola in omnibus atque ab omnibus primas tuliſti.

usque per omnem vitã inhærens, 15 Non enim hic tibi ab infantia quidem exercendæ fuit virtutis ratio, poſtquam autem alligata matrimonio es ejuſque incommodis circumcincta, ad modicum ſaltem laxaſti ſtudii contentionem; neque rurſum ſic matrimonio uſa es, ut univerſim omnia, liberos, poſſeſſiones, divitias ipſamque te obtuleris Deo; in religioſæ autem vitæ laboribus langueris: ſed ut omnia quorum particulatim memini paucis complectar; cum optima eſſes ipſa & videreris omnibus, tantam tamen humilitatem tenuiſti, quantam nemo eorum qui nullius boni ſibi conſcii ſunt: ſic Deum dilexiſti, ut in iis quæ placita ipſi eſſe ſciD res, animam quoque tuam effunderes; tam prudens fuiſti, ut non ſolum dimiſſis aliis ſola utilia ſectarere, ſed etiam cognoſceres quomodo ea aggredi & proſequi oporteret.

16 Cui vero ex aliis omnibus contigit tam exa- *eaſdem in gradu excellenti tenuit.* ctam in tota vita ſervare juſtitiam, ut ſemper inhæreret melioribus, animique judicium ſemper rectum teneret, & illud adeo immotum generoſumque in caſu quocumque cuſtodiret, ut oſtenderet mentem, non tantum moleſtiis incidentibus, ſed etiam naturæ legibus ſuperiorem; nunc quidem diuturnum ac pene immodicum erga filiam tenendo ſilentium, nunc vero nimium frigoris algorem tolerando? Quænam ſic ſenſus ſuos coordinavit, ut eos ſpiritui faceret ſubſervire, ſpiritum autem humi repere dedignatum ſupra terram efferens, ſoli Deo ſic ut illa fecit adherere ejuſque illuſtrationibus perfrui? Quænam optima quæque intra ſeipſam in gradu tam perfecto complexa eſt? ſola enim, ut ſic loquar, prævaluit, cunctas cunctoſque à ſeculo virtutis cauſa nominatos partim imitari, partim ſuperare certando.

17 Annam quidem illam magnam audimus mul- E *comparanda Annæ Samuelis.* tis decoratam fuiſſe ornamentis, maximum vero ejus ac velut colophon ceterorum fuit, obtuliſſe Samuelem, temploque deſerviturum dedicaſſe. Hanc vero Theodora multis prægreſſa eſt paraſangis: quia non tantum prolem ſuam, ſed pecunias, poſſeſſiones, ac ſe denique ipſam Deo conſecravit. Quo autem loco magnæ hujus Sanctæ agones collocabis & certamina egregia maximaque, quæ minime pauca exantlabat, & in iis etiam Abrahamum ſuperabat? *Abrahamo.* quippe quæ non coacta Dei imperio, ſicut ille, filiam ſuam obtulit; ſed ſponte ſua ac proprio motu; neque Divinam legem ſuſcepit in tabulis lapideis mox confractis, ſed in anima purificata, omnibus omnis boni exemplar propoſuit, non ſolum Dei gloriam annuntians, ſed univerſos ad cælum traducens: in quo Moyſem quoque illa vicit, ſiquidem *Moyſi.* non diviſit mare aut elementa mutavit (hoc enim ad propoſitum noſtrum non facit) ſed quod illo multo majus eſt, adverſus horridas eorum tempeſtates exindeque exiſtentes ærumnas plurimum decertavit, ut admirabile ipſius ſilentium ipſumque comitata prodigia taceam.

18 Jobi in adverſis mirata conſtantiam, eamdem F videtur ſupergreſſa: quia non ad modicum, ſed per *Iobo.* omnem vitam in ea perſeveravit; & quibus ille non ſua ſponte exutus eſt, hæc Theodora dimiſit pauperibus; nemine eam ad id cogente. Eliæ ſolitudinem *Eliæ,* eique propriam philoſophiam, etiam in conſortio *Pſ. 101, 8* plurium, ſic coluit, ut poſſet cum Davide dicere, Solitaria ſum ego. Quamvis autem non prædicave- *Ioanni Bapt.* rit velut Joannes, Dei Agnum; ipſius tamen exercitationem ſi quis alius imitata, eum ſuſcepit, ejuſque divinum facta eſt templum; quod, ut ego quidem exiſtimo, nihilo eſt prædicandi munere inferius. Non illa quidem orbem univerſum obivit *Apoſtolis.* cum Apoſtolis, cunctis ſalutaria ſuggerens: ſed verbis quidem aliquando, multo autem magis operibus, & ſuaſione ex his quam illis longe efficaciori, omnes deducens in viam ſalutis, in univerſam terram, quemadmodum & ipſi, emiſit ſonum; itáque omnium maxima, excellentiſſimos quoſque & magna apud Deum gratia valentes, partim quidem perfectiſſime imitata eſt, partim iis quas dixi virtutibus prætergreſſa. Quoniam vero ipſum quoque Dominum æmulabatur, cruci confixa cum eo & conſepulta eſt, ut cum eo reſurgeret in gloriam & conglorificata cum eodem regnaret.

19 Quæ

A *prorſuſque, perfecta,*

19 Quæ igitur hoc modo prorſus eximia inter omnes, per divinam erga homines dignationem, effulſit, & virtutis culmen tam manifeſte tenuit, oſtenditque ipſis, ſicut oportebat, operibus, habere ſpiritum ad divinam creatum imaginem (nec enim ex terra generationis ſuæ principium habet, ſed ex Deo) cæleſtia adamavit opera, ſeque ſtuduit puram ſervare ab infimis hiſce, quibus nec antea quidem ſe permiſerat, & apprehendere ſuperna atque ad ſalutem proficua. Itaque in profunda atque uberi ſenectute è vivis abiit, & nunc in cælis coëxiſtit puriſſimo ac perfectiſſimo triſolari lumini; manantibuſque ex eo radiis tota effecta luciformis, claras demonſtrationes præbet illius ſuæ beatitatis, corpus ſuum ſacrum efficiens fontem unguentorum. *ad cælos grandæva abiit,*

& ab auctore

20 Verum, ô mulierum præſtantiſſima, & non ſolum omnes ſupergreſſa quoad omnia, ſed omnes etiam diverſimode exornans! ô laborum aſceticorum exemplar, & norma cunctis propoſita, perque ipſos effecta dignum Trinitatis habitaculum, & divinarum erga homines gratiarum pretioſiſſimum atque commune pignus! ô Deum majore quam ceteræ omnes amore proſecuta, & propterea præ omnibus cumulata ipſius favoribus! ô naturalibus paſſionibus ſuperior, earumque neceſſitatibus valentior præ nimia erga Chriſtum dilectione! ô pulcherrimas quaſque res ſimul atque excellenter complexa, & idcirco humana omni laude major, cunctoſque de te ſermones omnino infra te deſpiciens! Tu quidem quam ſuſpiraſti Trinitatem, & in quam fixos ſit plurimum tenuiſti obtutus, nunc immediate poſſides; mihi vero tua quam qui maxime admiranti, magniſque & multis beneficiis à te cumulato ac pro iis tenuem hanc verborum compoſitionem reddenti, vitam quidem præſentem dirige, & ad id quod melius eſt diſpone, animi motus omnes ſemper ad utilia impellens; ſalutaremque ad omnia manum habens, ubicumque uſus poſtulaverit, adeſto; & bona bonis accumulans, prioribus beneficiis tuis alia quædam, pluraque & majora atque præſtantiora ſuperadde; in futuro autem impertiaris nos ineffabilibus omnemque cogitatum ſuperantibus bonis, per indulgentiam & gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum quo ſit gloria Patri atque vivifico Spiritui, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. PER NIC. CABASIL. EX MS. GR. *religioſe invocatur.* E

B

DE S. GERALDO ABBATE,

FUNDATORE SILVÆMAIORIS IN AQUITANIA.

D. F

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§. 1. Canonizatio S. Geraldi. Officium à Stephano Epiſcopo Tornacenſi compoſitum.

AN. MXCV. S. *Geraldus*

GEraldum, *aliis* Giraldum, Giraudum & Gerardum, *primum Silvæ-majoris in territorio Burdegalenſi Abbatẽ, & Congregationis Silſis quondã latiſſime propagatæ Inſtitutorẽ, ab Arnoldo Wion non fuiſſe inſcriptum monaſticis Benedictinorum faſtis, tanto magis admiramur, quanto majori auctoritate Sanctorum catalogo adſcriptum agnoſcimus, probamuſque ex Bulla Cæleſtini Papæ III, anno* MCXCI *die* XXIX *Martij electi, cujus hic eſt tenor, ex prædicti monaſterii archivio nobis ſub miſſus.*

à Celeſtino 3

Cæleſtinus Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, per Burdegalenſem provinciam conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

C

Sicut phialæ aureæ odoramentorum, plenæ orationibus Sanctorum, in conſpectu Altiſſimi, ad expiandam noſtrorum criminum corruptelam, odorem ſuavitatis emittunt: ita ſaluti noſtræ plurimum credimus expedire, ſi eorum in terris celebrem habeamus memoriam, ipſorum merita ſolennibus recolendo præconiis, quorum in cælo ſperamus interceſſionibus aſſiduis adjuvari. Sane cum dilecti filii, G. & P. monachi Silvæ-majoris, ad Sedem Apoſtolicam acceſſiſſent, & de ſancta converſatione, vita & meritis Beati Geraldi, ipſius monaſterii Fundatoris, tam per litteras venerabilium Fratrum noſtrorum Burdegalenſis Archiepiſcopi & ſuffraganeorum ejus, quam aliorum, Abbatum videlicet & Nobilium, Nos plenarie inſtruxiſſent; & plurima certa indicia eorum Nobis & Fratribus obtuliſſent; & per venerabiles Fratres noſtros Rotomagenſem Archiepiſcopum, Catalaunenſem Epiſcopum & quoſdam alios, (qui miracula, quæ Dominus per illius ſancti viri merita operatur, plenius cognoverunt) certiores fuiſſemus effecti; auditis etiam virtutis ejus & miraculorum inſigniis, & quod inter carnales ſpiritualem, inter homines etiam Angelicam converſationem habuiſſet: ipſum, qui corporaliter diſſolutus cum Chriſto eſſe meruit (ne debito ipſius honori & gloriæ quodammodo videremur detrahere, ſi ſanctificatũ à Domino permitteremus ulterius devotionis humanæ veneratione carere) de Fratrum noſtrorum conſilio canonizavimus, & decrevimus ipſum in Sanctorum catalogo numerandum. Cum ergo lucerna ejus ſic atſerit in hoc mundo, quod per Dei gratiam jam non ſub modio, ſed ſuper candelabrum meruerit collocari; ut in ſe ardens per opera caritatis, luceat aliis per exemplum: univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & auctoritate qua fungimur præcipiendo mandamus, quatenus ad venerationem ipſius devote ac ſalubriter excitati, ipſum feſtivitate F ſolenni, conſtituta die, annis ſingulis excolatis: ut idem orationibus votivis pulſatus, pro nobis apud Dominum intercedat. Datum Laterani v Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo: *qui fuit Chriſti* MCXCVII. *anno 1197*

adſcribitur catalogo ſanctorum,

2 *Erant tunc Archiepiſcopi, Burdegalenſis quidem, Helias de Mala-morte, electus anno* MCLXXXII, *idemque Apoſtolicæ Sedis in partibus Aquitaniæ Legatus uſque ad annum* MCCVI; *Rotomagenſis vero, Walterus de Conſtantiis, jam inde ab anno* MCLXXXIV *à Lincolnienſi in Anglia Epiſcopatu ad hanc metropolim traductus, cognomento Magnificus, ob rerum geſtarum magnitudinem, quarum Synopſin apud Sammarthanos in Gallia Chriſtiana videre eſt: qui iidem etiam oſtendunt, quod Catalaunenſes inſulas Rotrodus, Comitis Perticenſis filius, tunc tenuerit, ſanguine quam moribus illuſtrior juvenis, anno* MCXC *conſecratus. Porro totius negotii actor curatorque præcipuus fuit Petrus de Laubeſe Silvæ-majoris Abbas decimus, qui etiam ab eodem Cæleſtino Papa obtinuit confirmationem ampliationemque ejus bullæ, qua Alexander III anno* MCLXIX *multas eccleſias poſſeſſioneſque iſti monaſterio confirmarat. Obtinuit autem eam ipſo quo canonizatio facta eſt anno, ut habet catalogus accuratiſſimus, ex monumentorum originalium collatione confectus* *cum eſſet Abbas Petrus, Abbatum*

AUCTORE D. P.

confectus atque poſt Vitas dandus : in quo licet mortuus Petrus iſte dicatur Idibus Ianuarij anni MCXCVII, *nihil tamen dubitamus quin id intelligendum ſit juxta morem Gallicum, adeoque mors illa nobis, annum non à Paſchate ſed à Kalendis Ianuarij auſpicantibus, referenda ſit ad ſequentem* MCXCVIII. *Eidem curæ fuit noviter Canonizato Sancto Officium proprium impetrare ab eo, qui licet longe diſſitus Tornaci in Belgio, ex quo tamen Aureliis in eccleſia S. Evurtii Cantor atque Canonicus, primum ſecularis, deinde Regularis fuit; multum in hoc genere valere noſcebatur; à Stephano, inquam, Tornacenſi Epiſcopo. Itaque audito* quod *Archidiaconum Burdegalenſem*, Pariſiis in ſcholis conſtitutum, *Stephanus, tum S. Genovefæ adhuc Abbas*, ſua affabilitate & notitia dignum judicaſſet; *litteras ad hunc ab illo ſupplices pro ea re impetravit: quæ inter prædicti Stephani epiſtolas, inſertas magnæ Bibliothecæ Patrum Margarini Binii, leguntur num.* 231. *Quibus litteris idem Archidiaconus* (poſtulata geniculariter, in pudore & tremore, venia ridiculoſæ præſumptionis, quod in penna & ſchedula balbutiens ſupplicet ejus majeſtati velut ſi ſervus Domino, Davus Oedipo, puer elemẽtarius viro ſapienti loqui audeat) *prædictum Sanctum ejuſq; monaſterium his verbis collaudat.* Sane B. Geraldus, de partibus Gallicanis trahens originem (cujus vita hominibus laudabilis floruit, & ſpecioſa pretioſaque mors in conſpectu Domini ſignis atteſtantibus radiat & miraculoſa refulget: qui ad partes Burdegalenſes accedens, monaſterium Silvæmajoris & à primo lapide fundavit, & regularibus diſciplinis reformavit) hoc anno à Domino Papa Romæ debita Miſſarum ſolennitate authenticatus, in catalogo Sanctorum meruit adſcribi. Qualiter autem per Dei gratiam in prædicto monaſterio, ſuper communes regulas monachorum, ordo vigeat & ferveat; præconio famæ fidelius & efficacius quam ſtyli officio veſtra magnitudo poterit edoceri.

qui de officio componendo ſolicitus,

pro eo ſolicitari facit

B

3 *Hæc ibi, non Stephanus Epiſcopus Tornacenſis* Archidiacono Burdegalenſi, *ut mendoſus præfert titulus (quæ enim ratio ut ſic compellet Archidiaconum qualemcumq; celeberrimæ in Belgio Sedis Epiſcopus, & maximæ per omnem Galliam auctoritatis?) imo ne* Archiepiſcopo *quidem* Burdegalenſi; *(quam enim abſonum eſt, ut tanto terrarum à Silva-majori diſſitus intervallo, ei ſub cujus oculis & S. Geraldi miracula & monachorum ejus diſciplina erat, & pene in ſuæ metropolitanæ ſuburbiis hærebat monaſterium, ita ſcripſiſſe putetur?) ſed* Domino Tornacenſi Archidiaconus Burdegalenſis *(ita enim reſtituendum titulum judicamus, & nobiſcum judicabit æquus lector, ſi quæ ſequuntur alia velit attendere, ex quibus etiam clarius apparebit quid fuerit à Stephano poſtulatum.) Ita ergo proſequitur epiſtolam ſcriptor.* Quia oleum effuſum eſt nomen veſtrum, & talentum ſcientiæ veſtræ abſcondi non poteſt, imo tamquam luminare majus per totum corpus Eccleſiæ diffunditur, & in odore labiorum & ſermonum veſtrorum ſenes cum junioribus currunt; poſtulat Abbas prædicti monaſterii & totus Conventus, proclamat pedibus veſtris effuſa tota diœceſis Burdegalenſis, ſecundum gratiam eam quæ data vobis, in Antiphonis ſuper Pſalmos, & in Reſponſoriis ſuper Lectiones, & in Proſa & Collecta ad Miſſam officiari; ut præter ſuffragia Eccleſiæ, quæ vobis perpetue debebuntur, memoria veſtra perpetua vigeat & vivat benedictione. Quamvis autem in publica commoda videantur peccare, qui manus veſtras tot actionibus implicitas, aures tot debitas & obligatas negotiis avocare contendunt: incurvamini tamen, pie Pater, ſumpto atramento & calamo, in laudibus & canticis B. Geraldi, & in obſequium illius modicum tempus indulgete: ut ſi quid maculæ in ſecularibus carminibus quandoque ludendo contraxiſtis, nunc opportunitate vobis oblata, labiorum veſtrorum [vitulos] Domino & Beato Geraldo offerentes, devotius emendetis. Bene valeat ſemper & ubique reverenda Paternitas Tua.

ab Archidiacono Burdegal Stephanum Tornac. Epiſcop.

C

totis Galliis propter doctrinam notiſſimum,

D

4 *Hiſce litteris acceptis Stephanus repoſuit epiſtolam, quæ præpoſtero ordine numeratur* 224: *quam vel ideo libentius hic apponemus totam, ut, quod ſupra de auctore epiſtolæ prioris diximus, manifeſtius fiat. Eſt igitur ſic inſcripta:* Abbati & Capitulo de Silva, communes orationes in Domino. Acceſſit ad nos juvenis quidam ex parte veſtra, expeditus ſermone & eruditus ſcientia, Magiſter A. rogans ardenti commonitorio precum, ut B. Geraldo Confeſſori & patrono veſtro, qui nuper ab Eccleſia Romana in numero Sanctorum canonizatus eſt, aliquos labiorum noſtrorum vitulos offeramus, quibus & tanti viri prædicemus gloriam & ipſius gratiam mereamur. Rem novam & inſolitam nobis injungitis, quam ſi forte aggreſſi fuerimus, & legenti erit faſtidium & ridiculum audienti. Senem delirum arguent, Epiſcopum clamabunt fatuum, qui omiſſis interim ſacramentis eccleſiaſticis & debita parochianorum ſuorum cura, novis modulis aptando verba incompoſita, videbitur inſanire. Quandoque luſimus metro, forſitan & proſa:

qui promittit ſe facturum quod petebatur:

Nec luſiſſe pudet: ſed non incidere luſum.

E

Verum quoniam caritas omnia vincit, ſepoſitis interim negotioſis occupationibus aliis, ſimile ſtudium ſuſcitare curabimus; & Deo volente, veſtris orationibus & prædicti Confeſſoris precibus adjuti, ſtylo balbutienti tentabimus implere quod petiſtis. Rideat qui voluerit: excuſabit nos conſcientia bona & fides non ficta. *Hic finis epiſtolæ, quam mortuo (interim dum litteræ eunt ac redeunt) Petro, oportet veniſſe in manus ſucceſſoris Gombaldi, reliquo ſeculo* XII *& initio ſeculi* XIII *regimen obtinentis.*

eidem Abbas Silvæ-majoris reſcribit,

5 *Tam favorabili porro reſponſo accepto* Abbas de Silva-majori & totus Conventus Domino Tornacenſi *reſcripſere Epiſtolam, cujus hactenus ſolum hoc exordium extat.* Ignitum eloquium veſtrum, Domine, vehementer, & ſervi veſtri, quorum inflammavit corda, diligunt illud. Auditui quippe noſtro dedit gaudium & lætitiam.... *Poſtquam autem Stephanus reipſa impletum exhibuit, quod promiſerat; idem Abbas Conventuſque in gratias agendas ſeſe effudere verbis hujuſmodi.* Ad enarrandam gratiam & miſericordiam veſtram ſuper nos, quam ſit, inquam, magna [multitudo] dulcedinis veſtræ, quam revelaſtis parvulis veſtris, & perfeciſtis eam ſperantibus in vobis; quantaſque ei debeamus gratiarum actiones lingua [dicere] ſuccumbit, & ratio [capere]; & ad tantam munificentiam veſtram obſtupeſcit conſideratio noſtra: quæ tamen non licet tacere, etiamſi nequeant explicari. Gratias igitur agentes veſtræ dignationi, per quam meruimus ſuſcipere quæcumque in laudes & præconia S. Geraldi petierat à vobis & deſideraverat anima noſtra; compoſita verbis potentibus, & ad Deum devote precandum decentiſſime compoſitis, atque ad veſtiendas ſententias facile occurrentibus; exultamus non immerito lætitia inenarrabili in tanta materia gaudiorum: reficimur & delectamur in Domino ſuper dulcibus linguæ veſtræ modulis & præconiorum jubilis; ubi tam cito fuit ſermo ſapientiæ in tam brevi temporis ſpatio; & Deus ipſe tam cito magiſter; & tam lingua quam manus & gratia mittens promiſſa, factæ ſunt calamus ſcribæ velociter ſcribentis.

& accepto Officio gratias agit,

F

non ſine pio munuſculo,

6 *Deinde ut aliquam rebus ipſis exhibeant grati affectus ſpeciem, offerunt eidem* plenariam ſui monaſterii fraternitatem, tam in vita quam in morte; & in ſignum devotionis pignuſque perpetuæ ſervitutis munuſculum *mittunt*, baculum videlicet cupreſſinum, *quem*

A *quem quidem* baculum paſtoralem, *ut* de remotis partibus ſibi miſſum, & officio *Epiſcopali* & qualitate myſterii congruum & quantitate miniſterii condignum, *per ſequentem epiſtolam* CCXXXIV, *Electo Aurelianenſi mox ttanſiniſit Stephanus*; *ſuam vero ad eum epiſtolam in hunc modum Abbas Conventuſque concludunt.* Nomen veſtrum, quod fieri prohibuiſtis, attollere decrevimus & prædicare per omnia, juxta illud Euangelicum, Quanto eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, dicentes, Bene omnia fecit. Indignum namque cenſemus, tanto verborum cultui auctoritatem deeſſe, & authentica recitare tamquam apocrypha; quæ plus favoris debent obtinere (ad quod vos ſpecialiter elegimus) de nomine auctoris. Vobis enim ſecretum hoc ſervabitur, quantum ad conſcientiam intus, quoad Deum; foris vero publicum erit ad famam, quoad proximum. Bene valeat ſemper in omnibus veſtra ſancta & nobis cariſſima Paternitas in longitudinem dierum.

ſed negat auctoris nomen taceri poſſe.

Mar. 7, 36

§. 11. Vita S. Geraldi duplex, Laudunenſis & Sueſſionenſis Prælatura.

B 7 *OFficium S. Geraldi compoſituro Stephano congrua de virtutibus & miraculis ejus præluxiſſe documenta, eaque ab Abbate & Conventu Silvæ-majoris ſubminiſtrata, ipſa fortaſis quibus Romæ obtenta perfectaque canonizatio eſt, dubium nemini videri poteſt. Nos duplicem illius Vitam nacti ſumus, utramque intra primum ab obitu Sancti ſeculum compoſitam. Earum unam Hugo Mainardus habuit, ex MS. Corbeienſi, atque in epitomen contraxit. Hanc ut integram & ex originali haberemus, ad ipſum Silvæ-majoris monaſterium dedimus litteras: quibus dignißimus ejus loci Prior, R. D. Gabriel Bellordeau, per virum antiquitatum domeſticarum ſtudioſiſſimum ac ſcientißimum Stephanum Dulauva ita curavit ſatisfieri, ut vix poßimus amplius quid ad S. Geraldi Acta illuſtranda deſiderare. Miſſa autem imprimis eſt, quæ petebatur, Vita; ſtylo non admodum culto, ſed fideli, deſcripta à monacho Silvenſi, ſolicito ut ad poſterorum notitiam transmitterentur* ea, quæ, *inquit*, facta diebus noſtris ſunt. *Licet enim nuſquam ipſe teſtetur, quod cum Sancto adhuc vivente fuerit converſatus, convixit tamen iis qui ſingula ejus geſta ex primis fundandi monaſterii ſociis diſcere potuerant, ipſumque Sanctum habuerant vitæ religioſæ magiſtrum. Eorum unus fuit Petrus, qui ſenior altero ejuſdem nominis, quem pro canonizatione S. Geraldi ſollicitum vidimus*; fuit (*uti num.* 28 *dicitur*) *à S. Geraldo* in monachum acceptus, ipſius diebus plurimis Capellanus fuit, & ejus clauſis oculis, & jam grandævus eidem ſeptimus ſucceſſit in Abbatis dignitatem, *electus anno* MCXXI, *& adhuc ſuperſtes anno* MCXXXV. *Non loquitur quidem de hoc auctor, ut tum cum ſcriberet etiamnum vivente; apparet tamen haud diu poſt ejus mortem ſcripſiſſe, quia num.* 26 *teſtes citat ipſos, qui monachum Carnotenſem, abſentis S. Geraldi invocatione ſalvatum à naufragio, id ipſum* S. Geraldo narrantem audiverunt: *& num.* 32 *narrato miraculo patrato circa filium illius Augerii, qui anno* MLXXIX *poſſeſſionem Silvæ-majoris S. Geraldo contulerat, concludit:* Hæc vero & alia quæ narramus ſigna, non ab aliis niſi ab his qui hæc certiſſime viderunt & audierunt, vel quibus ſunt collata, accepimus. *In prologo autem rationem reddit, cur appellet* Sanctum, *necdum Eccleſiæ judicio canonizatum.*

Duplex Vita

prima ex MS. Silvenſi ſcripta circa an. 1140

C 8 *Miraculis autem ad ſepulcrum ſancti Fundatoris crebreſcentibus, cœptum eſt agi de ſolenni ejus canonizatione, ad cujus negotium inſtruendum juſſus eſt Chriſtianus quidam, ejuſdem Silvæ-majoris monachus, ſuccinctius ornatiuſque virtutes viri beati exponere, & miracula quædam illuſtriora, poſt primæ Vitæ ſcriptionem patrata, adjungere: quod illius opuſculum, in quo mirum eſt nullam prioris Vitæ fieri mentionem, ex MS. Corbeienſi accepimus anno* 1642 *à Reverendo P. Iacobo Dinet, Societatis noſtræ per provinciam Franciæ tunc Præpoſito Provinciali: quam Vitam ſecundo loco dandam judicavimus; de ejus antiquitate nihil dubii, propterea quod nuſquam meminerit canonizationis obtentæ, aut miraculorum, eamdem majori numero, ut par eſt credere ſcitorum. Vtraque Vita narrat, quomodo S. Geraldus à Laudunenſibus in cœnobio S. Vincentii monachis in Abbatem poſtulatus & impetratus fuerit: quod poſt annum* MLXX *debuit contigiſſe, mortuo Reginerio Geraldi fratre, & ipſius loci Abbate. Quamdiu eam Prælaturam geſſerit nuſquam dicitur: conſtat autem monachorum indiſciplinatione offenſum eidem renuntiaſſe, & cum tribus ejuſdem ſecum propoſiti monachis peregre abiiſſe.*

AUCTORE D. P.

utraque teſtatur fuiſſe Abbatem Laudunì.

9 *Moram aliquam Sueſſionibus traxiſſe, ibidemque S. Arnulfo, cui adhæſerat, procurante factum eſſe Abbatem, neutra quidem Vita indicat: imo receſſum ejus Lauduno ſic narrat utraque, quaſi ſi ibi egiſſet cum ſancto Solitario, & quinque milites accepiſſet peregrinationis ſuſcipiendæ comites: habemus tamen irrefragabilem illius rei teſtem Liſiardum, Sueſſionenſem Epiſcopum, in Vita S. Arnulphi (quam annis decem aut viginti ut ſummum, poſt S. Gerardi obitum ſcripſit) narrantem, quod cum S. Arnulfus ex ſua, in qua recluſus vivebat, ſolitudine, ad regendam S. Medardi Abbatiam, in locum pſeudomonachi Pontii, protractus invitus circa annum* MLXXVII, *non multo poſt, quod nollet militiam regiam ex more ſectari, eadem ſe abdicare juſſus eſſet*; convocatis omnibus eccleſiarum Prælatis & communicato conſilio, electus ſit in Abbatem vir magnæ ſcientiæ & religionis, nomine Geraldus: quo non diu ſubſtituto de repente advolaverit Pontius, ducens ſecum Reginam Francorum, nomine Berthradam, quæ vi regia Geraldum expelleret. *Narrato deinde fruſtraneo S. Arnulphi pro manutenenda electione conatu, ita concluditur in MSS. noſtris duobus caput* XVI: Geraldus autem ab ea repulſus, dedit locum iræ, & receſſit in partes Aquitaniæ; ubi a Duce terræ illius gratanter exceptus, in Silva-majori illuſtre cœnobium conſtruxit: ubi Deo digne deſervivit, & beato fine in Domino quievit: cujus vita & mors ſignis virtutum & miraculorum gloria refulſit.

quod deinde Sueſſionibus S. Arnulphi ſubſtitutus ſit;

E

ſed mox expulſus abierit in Aquitaniam;

10 *Non poteſt cuiquam ſuſpecta eſſe auctoris, loco & tempore tam præſentis, narratio: in eamque conſentientibus omnibus, quæ plurima inveniuntur, Manuſcriptis, fruſtra dubitat de ejus veritate Mainardus, propterea quod ipſa S. Geraldi Vita ejus rei non meminerit: Quam enim facile fuit rem ſic in tranſitu geſtam à Silvenſibus ſcriptoribus præteriri ſilentio? & quia adjuncti Geraldo milites, Laudunenſes erant omnes, non ne erat pronum, Lauduni quoque ſuſceptos credi? Maneat ergo* S. *Geraldo indubitata, non minus quam Laudunenſis, Sueſſionenſis, ſed temporis breviſſimi, Prælatura: quin etiam ut probabile admittatur, in Vita S. Geraldi alium* Incluſum *non debere intelligi, quam S. Arnulphum: ad quem cum tribus ex Laudunenſi monaſterio ſociis ſeſe adjunxerit Geraldus, ſolitariæ vitæ ſub ejus diſciplina ducendæ deſiderio: qui S. Arnulphus paulo poſt raptus ad Abbatiam, eoſdem ſpiritus novitate ferventes in monaſterium ſuum duxerit, ipſiuſque adminiſtrationem S. Geraldo ceſſerit: ſed eumdem ſimiliter cedere coactum dolenter dimiſerit, novo quinque pœnitentium militum comitatu auctum. Sauſſayus in ſuo Gallicano Martyrologio, S. Gerardo elogium texens ex dicta S. Arnulphi Vita, ex Mainardo vero patriæ & monaſterii Corbeienſis nomen mutuatus; ita confundit omnia, ut videatur clariſſime* S. *Arnulphum Abbatem Corbejenſem fingere, & totam S. Gerardi inſtitutionem in Corbeja ejuſdem Arnulphi magiſterio attribuere: quod non alicui ignorantiæ, ſed ipſius tunc adhuc juvenis in talibus rebus præcipitantiæ attribuimus. Bucelinus Sauſſayum quidem auctorem citat, & ex eo* S. *Gerardum facit* S. *Arnulphi Epiſcopi Sueſſionenſis diſcipulum: ſed quemquam vel ubi, nuſquam attingit; & quod magiſtro ſubſtitutus in Abbatia diſcipulus ſit prorſus diſſmulans, omniaque ex Menardo accipiens, oſtendit ſe ubi-*

F

non poteſt dubitari

uti nec an Corbeiæ monachus fuerit,

altera ex MS. Corbeienſi ſcripta circa an. 1190.

AUCTORE D. P. *ibique ſcripſerit S. Adelardi Vitam.*

dubitatione hujus admonitum, fidem eo promptius detraxiſſe Sauſſayo, quod tantam in eo locorum ac perſonarum confuſionem notaret. Porro prius quam Corbeia excederet Gerardus, S. Adelardi Abbatis Corbeienſis Vitam, à S. Paſchaſio Ratberto ſucceſſore tanta amplificationum affectuumque verboſitate dilatatam, ut legentibus faſtidio & ad uſum eccleſiæ incommodo eſſet; ad legitimæ hiſtoriæ moderatam brevitatem contraxit, qualiter eam 11 *Ianuarij dedimus. Addidit etiam librum de elevatione & miraculis ejus: ſed quem vel non pertexuit avocatus Laudunum, vel integrum necdum ſumus adepti. Quis enim credat præteriturum fuiſſe miracula, ſui monachatus tempore ad ejuſdem Sancti invocationem patrata? Sane inter ea haud ultimum eſſe debuiſſet quod ipſemet à Sancto acceperat recuperatæ ſanitatis beneficiū.*

§. III. Duplex feſtum S. Geraldi, Reliquiæ & alia memoriam ejus ſpectantia.

Cultus 13 *Oct. olim ſolennior, ob tranſlationē,*

11 *AVdivimus Papam Cæleſtinum III anno* MCXCVII, *elapſis ab obitu Sancti pluſquam centum annis, mandantem Archiepiſcopo Rotomagenſi & Epiſcopo Catalaunenſi, ut ipſum* S. *Geraldum* feſtivitate ſolenni, conſtituta die, ſingulis annis excolerent. *Hi, nullo ad diem mortis habito reſpectu (cum ſancti viri corpus, quod ante annos triginta, quadraginta aut plures, ſolenni fuerat tranſlatum pompa de ſepulcro in quo primum humatus erat, Petro Abbate ſeptimo curante, ut dicitur in prima Vita num.* 28) *diem vel hujus vel alterius ſecundæ poſt canonizationē tranſlationis, annue recolendum præſcripſere, ſcilicet* XIII *Octobris: ad quem diem mox* Geraldi Confeſſoris *nomen adſcribi cœpit Vſuardi martyrologiis & in MS. quidem S. Germani de* Pratis, Ipſo die ſanctorum Confeſſorum Geraldi & Leoboni; *duplici vero Colonienſi excuſo & Florario MS. ſolus* Geraldus *cum titulo* Confeſſoris *ponitur: & alicubi, puta in MS. Bruxellenſi S. Gudulæ, & eo quo ad Duacenſem editionem uſus eſt Molanus, pro* Geraldo *ſcribitur* Gerardus. *Præcipuum autem ipſius die* XIII *Octobris cultum arguit, quod tali & non alio die inveniatur in faſtis antiquioribus variiſque monaſticis Kalendariis MSS. quibus unicus tantum Sanctus, idque eccleſiaſtico Officio colendus, inſcribi quolibet die ſolet: & in Martyrologio MS. Benedictinorum Martinienſium Tornaci, ante alios omnes primo loco ponatur* III Idus Octobris. Natale S. Geraldi Confeſſoris. *Simili phraſi videtur inſcriptus Martyrologio Rubeæ-vallis, quod in Natalibus ſanctorum Belgii allegans Molanus,* In Aquitania, inquit, Natalis S. Gerardi Abbatis & Confeſſoris, viri miræ ſanctitatis: *ac ne dubites, in titulo appellat* Abbatem Silvæ-majoris. *Molanum Ferrarius in Catalogo aliiq; tranſcripſerunt.*

B

nunc 5 *Aprilis propter obitum.*

12 *Verum non fuit, ut diximus, dies iſte, quamvis olim cultu celebrior, Natalis S. Geraldi, de quo auctor Vitæ* II *Chriſtianus ſic ſcribit num.* 23, Ætate maturus, in ſenectute bona, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo quinto, Nonis Aprilis, naturæ debitum ſolvit. *Vix dubito quin Silvenſes, qui ſe duplex feſtum Natalis & Tranſlationis agere indicarunt, nunc eum hoc die præcipue colant, quandoquidem hodie proponatur in Martyrologio Benedictino Menardi cum epitome vitæ; quem ſecuti ſunt Sauſajus ac Bucelinus uterque cum prolixo elogio. Auctor Chronici S. Maxentii, vulgo dicti Malleacenſis, annis poſt mortem Sancti quadraginta terminati, mortem ejus ſic notavit.* Anno MXCV obiit Geraudus Abba bonæ memoriæ Silvæ-majoris, octavo Idus Aprilis. Eadem nocte, qua defunctus eſt, viſæ ſunt ſtellæ cadere de cælo in modum facis. *Nocte ergo media obiit, quo factum ut alii ſinientem alii incipientem diem notaverint. Nos priorem diem retinemus, omiſſo die Tranſlationis, quam duplicem indicavimus fuiſſe; & in ſecunda quidem, exiſtimamus de more ſolemniter canonizatorum, delatum fuiſſe corpus ad altare ſub eoque locatum; dempto tamen capite, quod tunc primum credimus, pro majori ſupplicationum ornatu & commoditate, ſeparatum fuiſſe à reliquo trunco. De eo* antiquiſſima eſt traditio, *teſte Stephano Du Lauva,* quod ipſum latrunculi quidam noctu furati, exemerint argenteæ, cui erat incluſum, capſæ, abjecerintque in abdita quadam ſilva, tribus leucis à monaſterio diſſita: quod Silvenſes monachi ſumma requiſitum diligentia, tandem repererint, indicio paſtorum regionis illius, aſſerentium eo loci ingentem inuſitatumque ſplendorem à ſe conſpici ſolitum; itáque ad eccleſiam ſuam maximo cum honore retulerint. *Hoc autem, quo ſcribimus, anno* MDCLXIX Adm. R. D. Gabriel Bellordeau prædictum caput intra novam argenteā corporis dimidii ſtatuam recondidit, elegantiq; impoſuit arculæ, intra quam ſancti viri cilicinum thoracem & femoralia ex hircinis pilis contexta recluſerat; in ejuſdem q; arculæ parte anteriori, beneficio vitri, argento circumornati, ſpectatur perexiguus, obtuſuſque, & (ſi per ſe ſpectetur) viliſſimus cultellus Sancti; pretioſo gagati, ſeſqui pollicem longo, inſertus; quo integras arbores à ſancto fuiſſe decuſſas accepta à majoribus traditio habet.

D *capitis inventio & ornatus:*

13 Servatur etiamnum in loco decenti vetus capſa lignea, ex qua reliquū ſancti viri corpus eduxit Abbas Petrus: *primuſne hujus nominis, qui è ſepulcro oſſa levavit; an tertius, ſub quo celebrata canonizatio eſt? Magis exiſtimamus fuiſſe tertium: ligneam autem illam capſam primi Petri opus eſſe.* Quæ autē nunc ſacra lipſana continet theca perquam antiqua etiam ipſa eſt, laminiſq; & columellis atq; ſtatunculis ornatur pluribus, ex inaurato encauſticeque depicto ære ſatis eleganter confectis. Hanc ſuperiori anno prædictus adm. Reverendus Pater in pervigilio natæ Virginis collocari fecit à dextro latere majoris altaris, pone Sanctiſſimi Sacramenti tabernaculum (ipſius item ſtudio confectū & inauratum) in ſiniſtro latere poni faciens priori ſimilē lipſanothecam, à ſe curatam ad cuſtodiam plurium Reliquiarum, quarum nomina tempus obliteraverat; & utrique capſæ mediam conſtituens Deiparæ virginis imaginem ligneam bicubitalem, operis antiquiſſimi, magnæq; apud omnes venerationis. *Hæc prædictus R. D. Stephanus, à quo etiam diſtinctam habemus declarationem ceterarum in eodem monaſterio Reliquiarum, quibus fere omnibus novus ornatus acceſſerit, eodem, qui hactenus dicta perfecit, curante.*

lipſanotheca altari impoſita:

E

14 *Habemus etiam ab eodem compoſitum à Stephano Tornacenſi Officium pro die S. Geraldi feſto, ex quo infra quædam daturi ſumus: & Officium pro die Tranſlationis, lectionibus primi & ſecundi Nocturni ex D. Auguſtino de civitate Dei acceptis, ſcilicet ex lib.* 21 *cap.* 1 *& lib.* 22 *cap.* 10, 22, 23 *atq;* 30. *quod officium poſterius eſſe in ipſo Siluenſi monaſterio ordinatum arbitramur. Vtriuſq; autem feſti lectiones jam abiiſſe in deſuetudinem, aliaſque ex Vita Sancti deſumptas, fuiſſe ab aliquanto tempore ſubrogatas, idem qui cetera, nos docuit: addens,* ad Stationem, quæ ſingulis Sabbatis coram altari S. Geraldi fieri ſolebat, *hanc præſcribi cum ſubjecta Collecta Antiphonam.*

C

F

ſtatio ante illud quot ſabbatis facienda.

O majoris Silvæ cuſtos, vir majorum maxime,
Monachorum Sancte Pater, Geralde piiſſime:
Peccatores, qui te laudant, à peccatis eximē:
Moveant te preces iſtæ, moveant & lacrymæ,
Ut in bonis tecum noſtræ demorentur animæ.

ORATIO.

Deus, quem verus famulus tuus Geraldus in ſpiritu & veritate adoravit & coluit, præſta ſupplicibus tuis, ut qui venerabile ejus corpus pio amore amplectimur, piis ejus apud te precibus adjuvemur. Per Dominum &c. *Ex quo intelligimus, prius quam ſuper altare majus collocaretur ſacri corporis lipſanotheca, eam proprium altare habuiſſe, ad quod illa Statio quot hebdomadis iterabatur.*

15 *His, quæ hactenus attigimus, è Silva-majori miſſis, promittebatur ampla Abbatum hiſtoria & catalogus Abbatiarum ac Prioratuum eidem monaſterio, vel olim vel etiam*

nunc,

A *Alia monumenta in Silva-majori.*

nunc, partim ſubjectorum tamquam capiti; partim fraternitatis vinculo ac mutua precum communione unitorum. Non erant hæc quidem inſtituto noſtro admodum neceſſaria, ad ſupplendum tamen defectum Sammarthanorum, in 4 Tomo Galliæ Chriſtianæ, minus plene de hoc monaſterio quam de aliis tractantium, volebamus hominibus adeo benevolis ac benemeritis gratificari ipſaque huic operi inſerere: ſed imprimis optabamus integrum nanciſci quoddam ipſius S. Geraldi ſcriptum, cujus notitiam dederat idem qui ſupra, tali ejus principio indicato: Ego Geraldus, Deo largiente Abbas, quamvis indignus, diu optaveram eripi mundanis fluctibus, quibus contundebar acrius quam fragilis ferre poſſet animus: Ceterum ſubjecti mihi minus obediebant; nec eorum ferrea molliri pectora quiverant: quos quidem ſecularia plus negotia induraverant. Denique monſtrante divina clementia portum ſalutis, placuit animo antra petere ſolitudinis, ubi nulla eſſet ſecularis habitatio hominis. Itaque commendata Epiſcopo cura commiſſi gregis, egreſſus ſum de monaſterio, comitantibus paucis, ignorans omnino quo curſus ferret itineris. Sed tandem pervenimus ad Wilhelmum Pictavenſem Comitem.

interque ea ipſius Sancti ſcriptum de ſuis principiis

B 16 *Cetera ſperabamus, quando nuntiatum eſt nobis, inſigni iſti Geraldini honoris zelatori, D. Gabrieli prædemorato, ſucceſſorem datum ingenii prorſus diſſimilis: qui noſtram hac in re operam dedignatus, ſuorum Religioſorum promptas ad obſequendum nobis manus compreſſerit, reſpondens eſſe in ipſo Benedictino Ordine qui iſta curarent. Apparet non intellexiſſe eum, quomodo noſtrum ipſorumque de Sanctis ſcribendi inſtitutum, in multis diverſum, mutuo juvare ac juvari poſſit, neque referre utro in opere aliquod monumentum prius compareat. Atque utinam quæ nobis petentibus negavit ille, ea non negligat iſtis mittere, neque omnino pereat præclara totius hiſtoriæ confirmatio ex ipſius Sancti calamo habenda: qui in iſtius MS. fine ſic etiam loqui dicitur:* Ego jam deſcendens in defectum ætatis decrepitæ, jam jam curam monachorum cupiebam dimittere, atque minus utilis meliori cedere: verum Dominus Amatus, à noſtris rogatus Fratribus, licet totis reſiſterem niſibus, tamen mihi, ex parte Domni Apoſtolici teſtatus obedientiam, eorum commendavit providentiam. *Ex quibus D. Stephanus du Lauva collegit, S. Geraldum ad extremum uſque ſpiritum retinuiſſe curam Abbatialem, & prædictum D. Amatum, monet fuiſſe Legatum Apoſtolicum, qui* in Concilio Burdigalæ anno MLXXX habito, *prohibuerit Sanctum officio decedere; addit Philippus Labbe in Synopſi Conciliorum, Præſidem Concilii Amatum, fuiſſe Epiſcopum Oleronenſem: quem Sammarthani etiam ſcribunt, anno* MLXXXVIII *ad Metropolim Burdegalenſem tranſlatum fuiſſe, & tam ante quam poſt Legati Apoſtolici munere functum.*

atque regimine in extrema ætate

C 17 *Ad memoriam quoque rerum, à S. Geraldo geſtarum, pertinet inſignis ejus cura pro mortuis Fratribus, cujus in libro ibidem MS. hoc extat monumentum.* Cognoſcant omnes tam præſentes quam ſubſecuturi, quod ego Geraldus, Abbas S. Mariæ Silvæ-majoris quamvis indignus, utilitati vivorum & mortuorum conſulens, communis totius Congregationis conſilio ſtabilivi, & ut in æternum permaneat litteris mandari præcepi. Si quis noſtræ Congregationis deceſſerit è ſeculo, nobiſcumque ſepultus fuerit, uſque ad annum, panis & vinum pauperibus pro eo tribuetur, & uſque ad triginta dies ab omnibus Miſſa & Vigiliæ mortuorum communiter celebrabuntur: ita autem ut priores ſeptem Miſſæ & Vigiliæ ſolenniter, pulſatis ſignis omnibus, perſolvantur: Sacerdotum vero unuſquiſque pro eo ſeptem Miſſas perorabit: qui Sacerdos non eſt, tria Pſalteria: qui ad Pſalterium nondum pervenit, uſque ad dies triginta, ſeptem Pſalmos quotidie cantabit: qui autem neſcit, ſepties quotidie Miſerere: qui vero nec Miſerere, ſepties quotidie Pater noſter.... Si autem duo vel etiam plures ſimul morientur, inſimul omnes quaſi unus ponantur: quodſi infra duos dies vel quatuor vel etiam amplius deceſſerit, inſimul utriſque poſitis, quod uni in principio minuetur, finito alterius Officio reſtituetur: omnis autem Congregatio primis ſeptem diebus, ante altare poſt Capitulum, Pſalmos proſtrata cantabit..... Si vero in cella quæ à monaſterio longe ſit aliquis obierit; totum pro eo quod pro præſenti perſolvetur, excepto quod panis & vinum in cella ubi obierit, uſque ad annum, ſicut jam dictum eſt, in eleemoſyna conſtituetur.

& ſuffragiis mortuorum à ſe decretis

AUCTORE D. P.

18 *Hæc autem quomodo ad aliarum quoque Congregationum Abbates ac Fratres, ſpecialis fœderis nexu cum Silva majori ſociatos, extenſa fuerint, liquet ex eodem MS. his verbis.* Notum ſit omnibus tam futuris quam præſentibus, quoniam D. Odo, Abbas S. Joannis Angeriaci, venit in Capitulo S. Mariæ Silvæ-majoris, & conſilio Domini Geraldi Abbatis & omnium Fratrum, pro defunctis Fratrum ſtatuerunt in invicem, ut ipſo die quo brevis ipſius veniret, pulſatis omnibus ſignis pleniſſima Vigilia ageretur, in craſtino ſimiliter Miſſa pleniſſime; & uſque ad dies ſeptem ſimiliter, ſed ſignis non pulſatis. In Prima vero, ſignis pulſatis, Pſalmus, Verba mea, poſt Capitulum: quo die panis & vini præbenda pro eo dabitur. Hoc idem agitur pro Congregationibus S. Benedicti Nantolii, Lucionenſi, Canonicorum S. Mariæ de Pampilonia, S. Petri Malleacenſis, S. Mauritii de Agenno, S. Mariæ Dolenſis, S. Petri Ferrarienſis, S. Salvatoris Karrofii, S. Michaelis de Eremo, Canonicorum S. Romani de Blavia, S. Vincentii Laudunenſis, Sanctæ Crucis de Kinperle, Præterea pro Abbatibus S. Joannis Angeriacenſis, fiet quantum pro uno è Fratribus noſtris. Pro Abbatibus Congregationum Lucionenſis & Malleacenſis triginta diebus præbenda dabitur. Pro Abbatibus S. Petri Ferrarienſis tricenarium complebitur, tam in Miſſis quam in Vigiliis. Pro Monachis Karrofenſibus triginta diebus ſingulis Horis Pſalmus, Voce mea, ad Pſalmos familiares; & poſt Matutinas, Verba mea. Pro monachis S. Pauli Cormaricenſis, Breve accepto, poſt Capitulum ſignis ſonantibus facimus Abſolutionem & per ſeptem ſeptem Officia plena cum totidem Miſſis; & per triginta dies Verba mea, & Voce mea. Similiter agimus pro Congregatione Uſereenſi, Genevenſi, S. Launomari Bleſenſis, S. Petri Carnotenſis, S. Mariæ Guiſtrenſis, & S. Stephani de Bearnia. Præterea, quo die recitatum fuerit breve Fratrum S. Launomari Bleſenſis, præbenda panis & vini. Pro Clericis S. Martini de Rurici-curte tres Vigilias & tres Miſſas, prima tantum die pulſatis ſignis. Idem agitur pro Sororibus S. Mariæ Sueſſionenſis, & Monachis S. Petri Solenniacenſis. Pro monachis S. Martini de Campis poſt Capitulum, Abſolutionem & unam Vigiliam plenam & unam Miſſam. Pro Congregationibus cœnobii Exenſis & Canonicorum S. Stephani Agennenſis ſedis, ſeptem Miſſas cum Vigiliis perſolvemus, & præbendam, ipſo die quo brevis in Capitulo recitabitur, erogabimus.

atque ad congregationes ſpiritualiter fœderatas

E

F

quadantenus extenſæ

item ad alias aſſociatas.

19 De Congregationibus autem noſtræ ſocietatis, ſive quæ ſocietatem nobiſcum acceperunt vel accepturæ ſunt, ſi cuis obierit ad noſque nuntius pervenerit, ſeptem Miſſas totidemque Vigilias communiter perſolvemus. Tres reliquas vero quatuor, cum tribus. Ita tamen ut ipſo die quo nuntius advenerit, poſt Capitulum, ſignis ſonantibus, Pſalmus, Verba mea, pro eo cantetur; & qui Sacerdos fuerit, Miſſam orabit: ceteri vero Pſalterium unum; qui

AUC. SYNCHRONO EX MS.

neſcit Pſalterium, ſeptem Pſalmos: qui nec ſeptem Pſalmos, Miſerere ſepties; qui vero nec Miſerere, ſepties Pater noſter. Congregationes autem noſtræ ſocietatis, hæ ſunt, Congregatio S. Sycarii de Brantolmia, S. Florentii de Salmurio, S. Fidis de Conchis, *Atque hic deficit enumeratio dictarum Congregationum: quæ ſi plures in MS. non exprimantur facile perſuadebimur ſuperiora omnia fuiſſe à S. Geraldo conſtituta, atque in hunc Codicem deſcribi cœpta, cum intentione ibidem adſcribendi ceteras Societates, poſtmodum ex Fratrum conſenſu conſtituendas. Fortaſſis etiam ad hujus S. Geraldi tempora pertinet fœdus cum Monaſterio-majori initum ſub hujusmodi tenore*: Hoc eſt fœdus indiſſolubile Majoris-monaſterii, Silivæque Majoris cœnobiorum: videlicet ut Fratribus utrimque Monaſterii utrumque capitulum & omne benefactum ſpirituale & temporale ſit utrimque omnibus commune, & omnis per omnia ſocietas. Pro Fratribus vero defunctis ſemel in anno plenariam Vigiliam & Miſſam feſtivam celebrabimus; & breve accepto, mox finito capitulo, Verba mea, cum appendiciis ſuis, pro abſolutione Fratrum qui recitati fuerint, pulſatis ſignis, perſolvemus.

VITA

Auctore ferme ſynchrono, Silvæ-majoris monacho ex MS. ejuſdem monaſterii.

PROLOGUS

1 CHriſtianæ religionis habitum gerens, omnium Dei fidelium cupiens ſalutem, univerſæ Eccleſiæ ſalutem in Domino. Quoniam video multa præteritis acta temporibus, chartulis commendata, ne oblivione deleantur; placuit quoque, ut quæ facta diebus noſtris ſunt, noſtri officio ingenioli ad poſteros tranſmittantur. Si enim illi patres noſtri, quæ ſolius jactantiæ cauſa fiebant, tanto ſudore nobis curavere notificare; quanto magis nos, quæ Dei ſunt, ne ſilentio deprimantur, debemus elaborare. Igitur eorum exempla in bonum nobis vertamus: & quod illi ad humanum favorem, nos ad gloriam faciamus divinam. Aggrediamur itaque quod incepimus enarrare, & non nobis dulce ſit amplius à cœpto opere evagari. Primum quidem Factorem omnium & Redemptorem deprecamur, ut nobis, mare tantum ingredientibus, manum dignetur porrigere; quatenus qualiter beatiſſimus Geraldus Silvæ-majoris Abbas primus, in ejus vitæ exilio vixerit; quantaſque tentationes ei antiquus hoſtis intulerit, quamque fortiter contra ejus tentamenta, auxilio munitus divino pugnaverit, quantamque miſericordiam ei Dominus omnipotens contulerit, ſi non ut deceret, qualicumque ſaltem modo explanantes, caritatis carina ſubvecti, velificante fide, ſancti Spiritus gratia carbaſa noſtra perflante, per juſtitiæ ſemitam ad portum ſalutis valeamus pertingere. Proinde lector imitetur in Dei ſervo conſtantiam, in infirmo patientiam, in patiente longanimitatem, in longanimitate irremiſſum tenorem. Nec præjudicet nimietatem in dictis; quia nec digiti ſcripto, nec lingua valet, ut eſt, exæquare verbis: maxime cum idem vix ea valuiſſet referre, ne utique ad laudem ſuam videretur proferre. Non ergo notetur in eo aliqua falſæ laudis opinio: quia non ad ſuam, ſed ad Dei gloriam facta eſt hæc deſcriptio. Nemini autem grave videatur vel indignum, tantum Spiritus ſancti habitaculum vocari ſanctum: quia ſi cognovit & fecit juſtitiam, & vidit mirabilia & magna, & exoravit Altiſſimum; ſine dubio inventus eſt in numero Sanctorum. Quicumque hæc legerit vel audierit, ignorantiæ Scriptoris ignoſcat: non [attendat] quali ſtylo, ſed de quo; & [conſiderans] per quem factum ſit opus; & artificem codicis non requirat. Nemo enim ſanum ſapiens phaleratæ verborum concinentiæ debet attendere; ſed utrum catholicum ſit, quod attendit, mentis intuitu ſubtiliter perſpicere. Iſtius vero veritatis Dominum imprecando teſtem, veniamus ad narrationem. D

CAPUT I.

B. Geraldi in Corbejæ monaſterio educatio pia, adoleſcentia ſancta, infirmitas diuturna.

a Corbejæ oblatus puer.

2 GEraldus igitur, Corbejæ parentibus non ignotis oriundus, in ipſo Corbejæ cœnobio ad Domino ſerviendum à parentibus eſt traditus; ubi ſic in ſancta converſatione pueritiæ ſuæ annos exercuit, ut ab hujuſmodi delectationibus, quas amplecti ſolent pueri, omnino alienus videretur; & ab omnibus, qui in hoc cœnobio erant, amplius quam coætanei ſui diligeretur. Hunc amabant pueri, quia pueros ad omne bonum invitabat: hunc juvenes diligebant, quia in eo totius probitatis & patientiæ exempla capiebant: illum ſenes mirabantur, quia eum ultra ſuæ ætatis vires eniti ſpeculabantur. Quid ultra? Ita ab omnibus, qui in cœnobio erant, tam monachis quam laicis, diligebatur, ut Deus in eo omnipotens & mirabilis prædicaretur. Nec mirum; quia quem Deus gratia perfuderat, neceſſe erat ut ab omnibus amaretur. In humilitate quippe perſiſtens, quæ cuſtos materque virtutum eſſe probatur, obedientiæ ſimiliter armis munitus, illum ſequi ſtudebat, qui uſque ad mortem crucis Patri obediens, in hujus vitæ exilio deſcenderat. Vere puer Altiſſimi effectus, in quantum poterat, Jeſum in ſe mirabilem oſtendebat. Quis unquam Dei mirabilia ſatis poterit admirari? nihil enim eſt Deo difficile vel in parvis vel in majoribus, ſicut placuit operari; quia ſive puer ſive in quacumque ætate, neceſſe eſt omnes, ſi voluerit & juſſerit, ei omnino famulari. Audivimus S. Nicolaum, ad matris adhuc ubera pendentem, quarta & ſexta feria ſemel in die mammas bibere; & hac vice contentum tota die perſeverare, Dei opera conſiderantes, non poſſumus conticere: hunc vero puerum, noſtris temporibus adeo benedictum, talem ſe omnibus exhibere, ut ab omnibus amaretur, audientes; non auſi ſumus Dei mirabilia non in eo prædicare. Laudemus Dominum in ſanctiſſimo Nicolao, magnificemus etiam eum in hoc puero, tam mirabiliter ſancti Spiritus gratia expleto. Non autem illum S. Nicolao audemus æquiparare; ſed in utroque Dei mirabilia volumus prædicare: mirabilis enim Deus in Sanctis ſuis, & nunc & ſemper, per infinita ſeculorum ſecula. Amen. E *cunctis amabilis fuit* *ſicut S. Nicolaum.* C F

3 Temporibus autem illis, legibus mortis invidentibus Abbatem Richardum *b*, Fulco ejuſdem ſedis & honoris ſortitus eſt hereditatem. Poſtquam vero prædictus puer adoleſcentiæ annos ingreſſus eſt, non oblitus quæ in pueritia geſſerat, ad altiora ſe extendit: & de virtute in virtutem Dei auxilio conſcendens, omnibus bonis ſe formam & ſpeculum exhibuit. Juſtificationes Domini adoleſcentulus non obliviſcens, ab ipſo, ut viveret, intellectum expetebat; qui eum toto mentis affectu quærentibus dat affluenter, & non improperat. Vere quidem unus ex agricolis, quibus vineæ commiſſa cura dominicæ, qui fructum Domino ſuo congruo reportavit in tempore. Talenti etiam commiſſi die noctuque inceſſanter meditans lucrum, & illius inertis ſervi, qui domini ſui pecuniam abſcondit, *b* *Adoleſcens egregie proficiens.*

A dit, metuens vehementer elogium; felix non deſiſtebat exercere negotium; quatenus Domino ſuo, dum veniret, multiplicatum reportare poſſet talentum. Cum autem Abbas, ſub quo degebat, videret eum ita, ut diximus, ab omnibus admirari; ſecum cœpit, ut ſapiens, meditari, quia in eo, ſi viveret, boni aliquid excreſceret; & Deum, cujus videbat quod erat donum, devote deprecari, ut conſervaretur & in melius proficeret: denique eum ad ſe accerſens, famulatuique ſuo ut monachum adſciſcens; cœpit, ut ſolitus erat, quocumque pro eccleſiæ ſuæ reſponſis neceſſarium habebat percurrere, eumque ſibi adjutorem & in quibus poterat providũ conſiliatorẽ deducere. Bonæ indolis adoleſcens corporaliter clauſtro egreſſus, & ad publicũ productus, multis exemplum probitatis futurus, cuſtodiam ſibi Spiritum ſanctum conſtituit, qui eum ab omni concupiſcentia ſeculari immunem extorremque cuſtodivit. Nam quocumque ſe verteret, ut in monaſterio ſolitus erat, jejuniis & orationibus, ut tempus & hora patiebatur, intentus, omne pſalmodiæ penſum, ne aliquando quod Deo promiſerat deficeret, reddere conabatur. Cum vero ad matris gremium, expleto diligenter reſponſo, remeabat; parvi pendens quæ foris viderat, vigiliis & orationibus & jejuniis carnem fortiter affligebat.

fit monachus,

& monaſterii Procurator,

in eoque munere religioſiſſime ſe gerens

B 4 Mirandis miranda ſuccedunt: ſic ſecularibus negotiis inerat ut cuſtodiam mentis non amitteret: ſicque jejuniis & orationibus invigilabat, ut tamen eccleſiæ utilitatibus uſquequaque diſcurreret. Si dictis Euangelicis attendimus, non eſt mirandum: promiſit enim Deus, omnibus in eum credituris ſe præſto affuturum: dicit enim in Euangelio, Nolite timere, vobiſcum enim ſum omnibus diebus vitæ veſtræ uſque ad conſummationem ſeculi, & alibi: Confidite: ego vici mundum, & iterum. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris: jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve. Quas voces dominicas adoleſcens ſupradictus intelligens, devotus acquievit; & ad eum, ut ea promiſſa compleret, gaudenter accurrit. Superbiam & pompam ſeculi omnino derelinquens, ejus ſe totum præcepto humiliavit; &, ut ovis manſueta, Domini inſtitutionibus nihil hæſitans mancipavit. Cujus tanta fuit erga Abbatem ſubjectio, ut omnes præcelleret erga eũ Abbatis dilectio: ſicq; licet impar honori, par tamen oneri erat, dum uſquequaq; præſens eſſet, ſicut ſe habet illud miniſterii genus.

ſuoque Abbati cariſſimus,

Mat. 28, 20
Ioa. 10, 33
Mat. 11, 28

C 5 Et quia locus erat aliquantulum deſtitutus, penuria temporum & tempeſtate c bellorum; cœpit Abbas omnibus horis, omni ingenio inſtare ad relevandum. Non nox, aut æſtus diei, aut hora edendi aut bibendi, remorabatur eos ab utilitate loci. Mutata eſt omnis priſtina conſuetudo, aliquando horam præveniendo, aliquando jejuniũ protelando, aliquando plus ſolito, aliquando minus ſumendo, & inſuper naturam dormiendi inæqualiter tranſgrediendo: quod nequaquam fieri potuit ſine gravi periculo. Hac ergo mutatione uterque magnam infirmitatem incurrere: ſed majorem juvenis, quia immaturior erat moribus & ætate. Talem enim & tantam infirmitatem incurrit, qualem & quantam nullus hominum explicare poſſit, non lingua, non ſcripto, non alicujus tractationis modo. Modus enim erat aliquis infirmitatis: quam ferre nequiret, niſi Dei [adjutus] clementia, mortalium aliquis. Habebatur autem in capite: qui locus quantæ ſit gravitatis apparet, quod ea pars corporis cetera membra ſolet dirigere. Hæc eſt aliqua hujus infirmitatis comparatio, ubi videlicet, ſi fieri poſſet, decapitatio unica videretur doloris remiſſio. A mento denique uſque ad verticem, non ferri, ſed, quæ gravior erat, infirmitatis ligatus vallagia; nuſquam caput, niſi cum totius corporis circumferre valebat machina. Omnes adamantinæ venæ capitis torquebant juvenem ſine intermiſſione: nulla erat doloris requies; omnes horæ diei inæquales, omne tempus importunum, omnis locus auctor dolorum. Si enim exiret ad ſolem, videbatur ſibi videre totum mundum vertentem: ſi reſpiceret cælum ſuperius, videbatur ſibi ruere ſuper caput; inferius, ſi equitaret, videbatur ſibi ſuſpectus ne in præceps caderet: ſi ſederet in tecto aut domicilio, videbatur ſibi quaſi totam molem ædificii ſuſtinere capite ſuo. Exiſtimabat autem hanc ſe infirmitatem incurriſſe, inſueta videlicet cibi potuſque & ſomni mutatione: ſed, ſicut monſtrabitur in ſequentibus, fiebat ſummi judicis præjudiciali voluntate. Quamquam hæc omnia peccatis ſuis ſtuderet imputare; & quoquo modo fieret, nemo erat conſcius quanta anguſtia laboraret, excepto uno ſervitore ſuo, æquivoco ſuo: quem ea aſciverat ſibi familiaritate, ut ſibi ſuccurreret in hoc præjudicio. Remanſerat ſiquidem in juvene quidam pudoris reſpectus: cum cetera omnia laterent, præter quæ portendebat ſuffuſio oculorum & mœror languentis vultus. Omnibus enim devitabat conſcientiam ſuam inſinuare, ne mollior fieret ipſâ infirmitatis detectione. Quid ergo faceret? quo ſe verteret? Erat miſeriam & dolorem videre; florem ſcilicet primæ juventutis, non ſine gravi damno, marceſcere. Si quis enim videret oculos lacrymis ſuffuſos, & vultum dolentis mutantem colores varios; non illi dubium eſſet, quanta anguſtia & triſtitia eum interius turbaret.

AUC. SYNCHRONO EX MS.

cui malo diu celato

E

gravissimam capiti infirmitatem incurrit:

fruſtra adhibet venæ frontalis ſectionem:

6 Tandem non valens amplius ferre, cœpit ſententiam medicorum inquirere: & quia quot homines tot ſententiæ, unus aſſeruit eum curandum venæ frontalis inciſione, [alius] adhibendo potiones & totius ſpecies medicinæ: quæ omnia ille ferebat patienti animo: ſi enim vivus arderet, haberet quaſi pro remedio; cum omne ingenium & induſtria medicorum cederet in contrario. Quid enim illi proficerent hominum medicinæ quem Deus S. Adalardi curandum reſervabat magnificentiæ? Multa itaque ſine utilitate ſui medicis expendendo, cœpit excogitare, quia non eſt Deus, ut homo; & quicumque ſit medicus, Domini eſt ſalus. Quamobrem creſcente infirmitate in deterius, ſpem ſuam omnem tollit ab homine, & Deum quærit medicum infirmitatis ſuæ. Denique, præfato ſervitore ſuo tantum conſcio, ubicumque valet, & quæcumque valet, ſubtrahit ori ſuo, & in pauperibus miniſtrat Chriſto. Occaſione medicorum ab amicis quæcumque valet, accipit; & exinde tres pauperes, ad imitationem Dominicæ cœnæ, ſibi conſtituens, pedes eorum quotidie abluit, lacrymis rigat, capillis & camiſia tergit, menſam & cibos apponit; deinde projiciens ſe in eodem loco ante pedes eorum ad orationem, quaſi ibi præſentialiter videret ſanctam Trinitatem, Sancta Trinitas, clamabat cum lacrymis, auſer à me hanc, quam ferre nequeo, infirmitatem. Ubi eſt, Deus, promiſſum tuum, In quacumque hora me invocaveritis, dicam, Ecce adſum? Ubi ſunt tot miſericordiæ, tot miſerationes, tot clementiæ tuæ? ſed ſuffers, quia pia intentione differs.

deſperatiſq; humanis

F

à Deo cœpit expectare medelam.

ANNOTATA.

a *Mainardus ſemper* Gerardum *ſcribit.*

b *Circa annum* 1048, *quando cœpit* Fulco *& vixit uſque ad annum* 1097, *ipſi Sancto per biennium ſuperſtes.*

c *Ea videlicet de quibus prolixe agit ipſe S. Geraldus in miraculis S. Adalardi cap.* 4, *die* 2 *Ianuarii datis.*

GA-

AUC. SYNCHRONO EX MS.

CAPUT II.

S. Geraldus Romam, Garganum, Caſſinum adit: tandem Corbejæ à S. Adalardo obtinet ſanitatem.

Nihilominus iter Romanum ingreſſus,

7 ADhuc ergo recenti inciſione plagarum, & graviſſima incenſione arteriarum, Abbas Fulco ſtatuens ire Romam, eccleſiaſticæ utilitatis & orationum gratia, prædictum juvenum ſecum monet ire, ut fidelem amicum. At ille libenter obediens, paratum ſe reſpondet; etſi corpore, ſed non bona voluntate, deficiens. Sed cum Abbati, ab exteriora videntibus, ſaggeſtum fuiſſet, quod juveni itineratio tanta periculoſa foret; iterum, ut quieſcat, amabiliter monet. Ille vero humiliter totus obſiſtit, ea tantum intentione, ut ſi humanis decederet, Deus miſereretur; ſi autem Dei clementia Romam perveniret, à Sancto Petro, cujus erat ſervus, miſericordiam ſanitatis imploraret. Quid ergo? Vicit humilitas in iſto, amicitia in illo: prædatur amicos, diripit ab eis diligenter nummos, de quibus per viam relevet aporiatos. Ita viam ingreditur, & quod ſaniſſimus quiſpiam vix valeret, infirmus aggreditur. Laborabat dolore plagarum è nimietate infirmitatum: ſemper ſolus retrorſum equitabat, quia quæ levamen eſſe deberet, etiam loquela ſociorum ſibi gravis erat: utpote qui, niſi Dei ſe clementia detineret, pene extra ſe aliquando fiebat. Cum tamen obviaret pauperibus, virtute, qua poterat, deſcendens de equo, nummos & ſeminummos clam claudebat in eorum manibus; & dulciter exoſculans, quaſi ad præſentem Dominum, ut veraciter erat, cum gemitibus & lacrymis clamans, aiebat Domine Deus, ſuccurre mihi in cunctis tuis miſerationibus. Et ſic aſcenſo equo ſtupefactus ibat, mente, quæ ſana tantum remanſerat, ſemper hærens Deo.

B ereſcentibus inter equitandum doloribus non cedit,

a 8 Pervenitur ubi dicuntur S. Dyoniſii *a* hoſpitia, adhuc celebrata ex nomine ejus; ibique ſervitor, cui deputatumerat, reſpectis, ut ſolebat, inciſionibus; Heu Domine, ait, res tua quotidie cedit in deterius: non poteritis viã perficere; neceſſe eſt vos cũ ſeniore noſtro conſiliũ habere. Deinde Abbati ſuggeſſit. Abbas triſtis Fratrem accerſivit, utque ibi remaneat, aut electis quos malit hominibus redeat retro, omnino monet, precatur & conſulit, Hoc autem dicebat, cum adhuc interiorem infirmitatem neſciens, tantum exteriorem videbat; celaverat enim, ſicut & reliquos, rem ſuam Abbatem ſuum; ea videlicet cauſa, ne impediret iter cœptum. Cujus monitioni humiliter obſiſtens omnimodis precibus, Non ait, Domine, cauſa retrogradiendi, ſed cauſa proficiſcendi (ſi Deus & vos permiſeritis) ſum hoc iter aggreſſus. Veni, juſſioni veſtræ obediendo; præter eam etiam alia reſtat neceſſitas in ſupplendo. Quapropter precor in Dei amore veſtram paternitatem, ne de reditu eam imponatis mihi, cui contradicere non valeam, juſſionem. Ad hæc videns Abbas perſeverantiam juvenis, annuit ejus voluntati & deſiderio bonæ intentionis. Cum autem ad montem Jovis perveniſſent, aſcendit montem, non tantum Jovis, *b* ſed etiam Bardonis; nec equo, ſed pede; nec animæ tantum cauſa, quantum flectendæ pietatis Dei in recuperanda ſalute. Tanta erat vis doloris, tantus amor adipiſcendę ſanitatis; in cujus comparatione viluerant omnia, quæ creaverat Conditor orbis. Ubi vero aſcendit *c* Gaudii montem, nudis pedibus & cucullato capite incedens, lacrymis & ſingultibus occulte paſcebat dolorem [donec tandem] pervenit Romam: cujus ardens deſiderio, quot paſſibus, tot anguſtiis quæſierat eam. Quæritur hoſpitium: itur oratum.

b

sed impetrat ut porro ire liceat:

c

atque in Vrbem appulſus,

D

9 Quis poſſet referre quantas lacrymas ibi fudit ante Dominum ſuum? Non eget referre; ſi quis amorem & dolorem, deſiderium & infirmitatem velit conferre. Manſerunt ibi diebus octo, ubi juvenis ſatisfacere putavit lacrymis ſuis & voto. Sed quomodo ſatis faceret, quamdiu eum tanta anguſtia premeret? Veniebat quotidie ad eccleſiam, & quaſi ore ad os deberet colloqui S. Petro, lumborum tenus intrabat ſanctuarii arcam: ubi pulſans fidei pietate, non ſolum affectu cordis, verum etiam motu corporis, patefactis memoriæ oſtiolis, Deo & S. Petro ſolis teſtibus, omnia illic lavit & rigavit lacrymis & fletibus. Aliis dormientibus ipſe vigilabat, & clam ſurgens lucratis *d* cuſtodibus S. Petrum reviſebat. Erat autem hæc ſumma petitionis ſuæ, ut ſi non mereretur adipiſci ſalutem, impedientibus peccatis ſuis; vel hanc ſibi Petrus impetraret veniam apud clementiam ſummi judicis, ne illam quæ adhuc erat ſcintillulam amitteret ſanæ mentis. O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt judicia tua Domine! Non vis dare Petro Romæ, quod reſervabas S. Adalardo Corbejæ.

S. Petrum ferventer orat

d pro recuperanda ſanitate:

E

10 Expletis itaque octo diebus, gratia eccleſiaſticæ utilitatis Abbas tendit ulterius, *e* S. Leonem Papam, qui tunc erat verſus montem Garganum, ſecutus. Illuc etiam ſequendi, licet deficiat corpus, juveni tamen amplior creſcit animus; non amittendo infirmitatem, ſed admittendo in deterius: unde, ſi prius graves, poſtmodum ſuſtinuit anguſtias graviores. Quia enim inter Romanos & Apuliones inhorruerat ſolito aſperius tempeſtas *f* bellorum, cum maximo periculo equitantes, quotidie expectabant fortunæ eventum. Nec defuit fortunæ ſtropha; incidentes quippe in latrones omnia ſua perdidere. Abbas projectus de equo, nuſquam terrarum non fuiſſe voluiſſet tunc libentius, quam illo. Geraldus quoque, ſicut ſemper ſolebat, retrorſum ſolus & pendulus equitabat; aurum etiam & argentum Abbatis ſecum habebat. Sed quid faceret? quomodo evaderet? inuaditur, de equo projicitur, diſtrahitur, impellitur, ſpoliatur, & ad augmentum infirmitatis etiam graviter flagellatur. Sui quippe, ut melius quiſque poterat, fugiebant; nihil putantes perdidiſſe, ex eo quod adhuc vivebant. Recuperatis vero equis per quemdam militem, pervenerunt ad montem Caſſinum: ubi juvenis iterum pedes cum lacrymis requiſivit S. Benedictum. Cumque ibi moraretur biduo, Abbati *g* ipſius loci infirmitatem ſuam intimavit ex conſilio. Cui ille cum lacrymis & ſuſpiriis condolendo, Heu! Frater, ait, ſub quanto laboras periculo! Eamdem quam tu pateris infirmitatem, quidam ex Fratribus noſtris incurrit; quam tanta afflictione & tanta paſſione miſer ſuſtinuit diutius, donec modo ad ultimum omnis ſenſus & omnis humana intentio ſibi, non ſine maximo [dolore,] decurrit. Adhæc ille ſtupefactus, à quo ſperavit diſcedere conſultus, receſſit deſperatior factus.

ad montem Garganum ſequitans

e

f

ſpoliatur à latronibus:

F

g Caſſini ſpe ſanitatis fruſtratur:

11 Pervenitur ad monte Garganũ, ut devotius potuit oravit Michaelem Archangelum: ſtilla guttantis aquæ multoties reſperſit caput ſuum. Sed quid plura? Occulta ſunt judicia Dei. Non S. Michael in ſuo Gargano, non S. Benedictus in ſuo Caſſino, non S. Petrus in ſua Roma, quod S. Adalardus promeruit in ſua Corbeja. Invento itaque Papa Leone, omnimodis ſatagebat, quatenus apud eum ſarcinam peccatorum ſuorum poſſet exonerare: ſed cum non eſſet accedendi locus, nec commorandi ſpeciale tempus; cœpit contriſtari & æſtuare, ſi quomodo ad exitum tei poſſet pervenire.

& negotiis in Italia confectis a

Interea

A Interea videt quemdam Pontificem nomine *b* Vbertum, cui omnem ſuam conſcientiam patefacit, infirmitatem, qua laborabat, aperit; & quomodo, relicta medicina omnem ſpem ſuam commiſiſſet cuſtodiæ ſpirituali. Ita confecto negotio, utriſque à Papa etiam Sacerdotibus effectis, cum Abbate ſuo redit Corbejam, non ſine magno vitæ ſuæ periculo. Jamque de corporis ſanitate deſperatus, animæ quærebat ſalutem attentius; eleemoſynis inſtare, pauperibus deſervire, eccleſiis inhærere; Miſſas, quia noviter ordinatus fuerat, frequenter celebrare: quarum etiam Euchariſtiæ dum adſtaret, ita præ anguſtia infirmitatis ſtupefactus reddebatur; ut niſi Dei clementia, quem inter manus tenebat, tueretur, totus extra ſe fieret.

b Vbertum

Corbejam redit, ordinatus Sacerdos.

12 Taliter expleto anno, poſtquam à Roma rediit, cuſtos eccleſiæ, qui tunc erat, humanis deceſſit: cui Geraldus in obedientia ſucceſſit obediens, licet ab ipſa impediretur infirmitate; non aliqua *i* illectus cupiditate, ſed ut tali obedientia promereretur à Deo gratiam ſalutis recuperandæ. Nec deerat tantæ voluntatis occaſio: *k* templum quippe noviter fundatum, ex toto deſertum erat; ovibus & porcis & pecoribus patebat, quaſi platea; aquis pluvialibus ita plenum erat, ut anſeres & anates natarent per illud; pro pavimento habens unius cubiti ſterquilinium, omnibus erat faſtidio; omnes tranſeuntes movebant caput ſuper eo. Huic operi juvenis incepit inſtare, ſi quo modo divinum reſpectum ad ſuam miſerationem poſſet inclinare; & licet impediretur penuria temporum, tamen ſibi providente Deo purgavit templum, compoſuit ſedilibus, & ornavit deſuper columnalia cum baſibus: chorum purgavit & cryptã, & deambulatoria aptavit, inibi locatis decenter altariis. Quid amplius moror? Monaſterium, quod jam diu ab omnibus dimiſſum erat, infra tempus modicum ita coaptavit, ut ad Deo ſerviendum videretur idoneum, & tantæ congregationi valde neceſſarium. Quadam vero die Fratres, qui majoris in cœnobio conſiliierant, videntes monaſterium, ut diximus, optime apparatum? Abbatem adeunt, ad videndum, quæ viderant: conſilium tribuunt, ut corpora Sanctorum, qui in monaſterio vetuſto erant, tollerentur; & in loco, quem Geraldus ſatis convenienter mundari fecerat, cum ſumma veneratione *l* collocarentur. Conſilium datum eſt, & probatum; & quæcumque deerant ad hoc inquiruntur; & omnia, ut diximus, cum gaudio & Epiſcoporum *m* vicinorum confirmatione & populi firma atteſtatione adimplentur. Sicque juvenis, magis ac magis in opere ſuſcepto deſudans, omnibus neceſſariis [locum] adornavit; illo ſubminiſtrante, cujus hæc agebat honore & amore.

Factus ſacriſta

i

k

B

eccleſiam repurgat,

transferuntur in eam Sanctorum corpora:

l

m

C

13 Proficiebat quidem in voto, ſed nullo adhuc infirmitatis levabatur remedio: non ideo tamen deſiſtebat, & ſummæ ſacrarium pietatis pulſans, regno Dei vim faciebat. Opportunitas quoque eccleſiæ & oratorii præſentia eum aſſidue habebat intentum, nulla exiſtente menſura veniarum; in tantum ut digitalibus juncturis nodi inſurgerent, & petrã durior callus. Quæ enim eſſet menſura ad Deum clamandi, cui nulla erat infirmandi? Videns denique preces ſuas nihil adhuc proficere, & omnes labores ſuos, quantum ad hominem, incaſſum ire; divina animatus inſpiratione, S. Adalardum, præter omnes & ſuper omnes, omnimoda aggreditur petitione; cujus aſſiſtens altari uſque ad deſperationem, jam confuſus miſerabili compunctionis humilitate, in omnes preces redditur diffuſus. Verum, illo deſuper miſerante qui appropinquat contribulatis corde, pervenit ad hoc, quod ſi prius feciſſet, Dei clementia jam liberatus fuiſſet. Sancto enim Adalardo

ipſe pro ſanitate impetranda,

n

S. Adalardi vitam facit,

vovet laudabile votum, ſe ſcilicet pro poſſe ſemper & ubique magnificare nomen ejus glorioſum, ſi ſibi impenderet dignitatis ſuæ auxilium. Quo voto ubi ſe ligavit, pauliſper ſolutionem infirmitatis ſentire cœpit: ſicque divina clementia ad petitionem magis ac magis animatus, poſt [Miſſam] *o* completam, coram altari ſe effundens in omnium orationum affectus, uſque ad ſingultus verba interrumpentes, pene liqueſcebat in currentes lachrymarum fluctus. Tandem laxata vox invenit iter, gemituſque ſoluti in hæc verba prorumpunt: Sancte Adalarde, Chriſti amice, ſuſcipe me miſerum, ante omnes & poſt omnes confugientem ad te.

AUC. STH. CHRONO EX MS.

o

14 Ubi ergo ſatis eſt viſus ſibi idoneum inſtruxiſſe [Patronum] S. Adalardum apud judicem Chriſtum; ſurrexit, faciem terſit, & gemebundus rediit ad lectũ ſuum. Cumq; ibi ſederet, adhuc ſingultiens & amens, ex parte altaris ſpecie fulgurea advolavit ſplendoris globus, qui reverberatis ejus oculis illuſtravit totum corpus ejus. At ille ſtupefactus hæſit: cũ ſubito ruptis infirmitatum nodis & quaſi quibuſdam cordulis, intra cutem caput ipſum ingens crepuit: & non ferens dolorem, Sancte Adalarde, ſuccurrere, miſerabili voce clamavit: moxq; ſub ſilentio ſe repreſſit, quia cum ipſo dolore virtutem in ſe factam ſenſit: ſicq; liberatus ab illa infirmitate, cujus liberationis deſiderio erat tanto fatigatus tempore, laudavit liberatorem libera voce, nec defuit voto, quod paulo ante voverat Sancto: ubicumq; enim potuit gloriã ejus exaltavit. Exaltando etiam taliter, magnificavit vitam *p* ipſius, apoſtrophis elegiacis & ſuperfluitate ſui offendentem animos legentium. Extirpari [enim] fecit ex ipſa ſentes ſuperfluitatum, & plane reductam ad florem hiſtoriæ myſticæ, hexametro decoravit feſtivitatis. Parum quid fiebat memoriæ: ſed compoſitis Antiphonis *q* & Reſponſoriis, alta & digna fecit venerari celebritate; nec abſque plurimorum invidia; quos tamen, agente Deo & Sancto, mirabilis redarguit victoria! Multis ſignis illuſtraverat [S. Adelardus] oculos adhuc viventium; quæ omnia tradiderat oblivioni negligentia ſeniorum; quæ etiam juvenis diligenter ab eis, *r* qui viderant & in quibus facta fuerant, exquiſivit; exquiſita poſtea litteravit.

itaq; liberatus morbo

E

Vitam Sancti abbreviandam ſuſcipit,

p

q

r

15 Vir itaque Domini, ut recedente claritate cognovit ſe ab infirmitate liberatum, & gratia divina, ut diximus, tam mirabiliter viſitatum; memor Euangelici eloquii, Qui perſeverarit uſq; in finem hic ſalvus erit, ſe indefeſſum in Dei officio exhibuit, & ante S. Adalardi & alia eccleſiæ altaria, amplius quam antea fecerat, ſe mactare cœpit. O virum laude dignũ, quem nec infirmitas aliquantiſper à Dei ſervitio retardavit; nec ſanitas tam mirabiliter recuperata extra ſe elevavit! O Domini & Salvatoris noſtri clementia, uſquequaque prædicanda, quæ in infirmitate ſuſtinuit ſervum ſuum, ne deficeret; & ſanitati reſtitutum miſericorditer conſervavit, ne ſuperbiret! Prædictus autem vir Dei de beneficio ſe non extollens, ſed ſemper fragilitatem ſuam recognoſcendo in humilitate perſiſtens, è recto non deviavit itinere; ſed ad anteriora progrediens, animo & converſatione in monte Domini conſtitutus, ad cæli palatia concupiſcenda ſe animavit; legerat enim Dominũ in Euangelio dicentem; Petite & accipietis; quærite & invenietis; pulſate & aperietur vobis. Hac voce Dominica confiſus Dei ſervus, non ceſſabat petere, ut acciperet; ſatagebat quærere, ut inveniret; nitebaturq; pulſare, ut ei Dominus dignaretur aperire. Quod & factum eſt. Infirmabatur enim, ut diximus, infirmitate graviſſima, & ad petionem ſuam liberavit eum mirabiliter miſericordia divina: quæſivit ut eum viſitare dignaretur gratia ſancti Spiritus, & invenit eam in conſpectu Altiſſimi: aures ejus precibus & lacrymis pulſare non

& gratus manet pro beneficio

Mar. 24, 3

F

Luc. 11, 9

ceſſabat, & ipſe miſericordiæ ſuæ viſcera dignatus
AUC. SYNCHRONO EX MS. eſt aperire.

ANNOTATA.

a *Si divinare lubeat; ex duobus in Gallia oppidulis, nomen* Hoſpitalis *habentibus, prætulerim illud, quod in Forenſi comitatu eſt, inter urbes, vulgo* Thiers *&* Feurs *nominatas, mediũ: cũ per Lugdunenſis Provinciæ partẽ Occiduã tenendũ fere iter in Italiã fuerit, planiora, ut cogruũ erat, ſectantibus.*

b *Quas antiqui Grajas Alpes dixere, Sabaudiæ & Pedemontio interjectas, hodie* montem Jovis *dici auctor eſt Ferrarius in Lexici Geographici parte altera: idq; egregie patet in Chronico Abbatiæ S. Trudonis tomo 7 ſpicilegii Acheriani lib. 12 pag. 495, ubi circa an.* 1130 *Roma rediens Rudolfus Abbas, dicitur* tranſita civitate Auguſta *Saleſiorũ*, ad villulam quæ eſt in pede montis Jovis, quæ vocatur Reſtopolis (*diſtat ea ab Auguſta circiter milliariis* 8 *vulgo* Eſtrouble *dicta*) *& ſubactis duobus milliariis* ad S. Remigii villulam in ipſo Jovis monte *perveniſſe: prout ſingula notantur in tabulis Geographicis. Hujus autem montis altiſſimum jugum* S. Bernardi Majoris *nomen habet: itaque, cum* Bernardonis *nomen Italica phraſi augmentativum ſit à nomine* Bernardi, *illud hic contractim ſcribitur* Mons-Bardonis.

B c *Notus eſt quidem locus ad Pirenæorum radices,* Monsgaudii, *vulgo* Mont-gaucy *dictus, de quo egimus* 18 *Ianu. agentes de S. Voluſiano: ſed cum hic nihil ad rem præſentem faciat, nec in Alpibus Italicis tale nomen invenirẽ, ambiguus diu hæſi, quid ſentirem: tandem habita etymi ratione, nihil inveni huic appellationi proprius quam oppidum hodie* Monjovetto *dictum, inter Auguſtam & Eporediam.*

d *Ita legendum arbitror potius quam* locatis, *quod habet ecgraphum noſtrum, ex inſcita fortaſſis conjectura tranſcribentis, volentis vitare ſolœciſmum.*

e *De hac S. Leonis* IX *peregrinatione agimus Aprilis* 19 *ad ejus Vitam* § 3, *& diximus factã anno, non* 1049, *ſed* 1050.

f *Factioſorum, Benedicto* IX *Antipapæ, identidem in Romanam ſedem redire nitenti, adhærentium, latrocinia potius hæc fuiſſe quam bella, intelligas ex ipſa Leonis profectione, ſibi, ſatis bene comitato, ab illis non metuentis.*

g Richerius *hic fuit hujus nominis primus, ex Leodienſi Abbatia ad Caſinenſem Præfecturam aſſumptus anno* 1038, *quam uſque ad* 1055 *tenuit.*

h *Quandoquidẽ mons Garganus ſubſit Sipontino Archiepiſcopo, ſuſpicari poſſes hunc* Ubertum *eſſe illum, qui apud Vgellum tomo 7 Italiæ ſacræ anonymus eſt; ſeditque poſt Leonem, & primus titulum Archiepiſcopi geſſit, ab anno* 1044, *uſque ad* 1066. *Mainardus* Gubertum *appellat.*

i *Expunximus parenthesim* (utpote qui ſeipſum non habebat) *quod ſenſum ipſa non commodum habens, periodum totam obſcuram faceret.* C

k *Similiter hinc rejecimus verba ſequentia:* Obſiſtentibus temporibus priorũ propoſitæ, *quæ quid ſibi velint, Corbejenſis hiſtoriæ peritionibus, relinquimus divinandum: uti etiam iiſdem examinandum proponimus, an non nimis exaggerate deſcribatur conditi noviter templi ſolitudo: forte necdum conſecratum, adhuc expectabat extremam fabrorum manum.*

l *Accepimus à D. Hildephonſo Vrayet, Corbejenſi monacho, illius monaſterii faſtos MSS. quibus ad* 27 *Auguſti inſcribitur* Tranſlatio Sanctorum hic quieſcentium. *Sunt autem multi itque inſignes.*

m *Proximus Ambianenſis eſt, tum Atrebatenſis ac Cameracenſis: Laudunenſis & Sueſſionenſis paulo longius abſunt.*

n *Ecgraphum noſtrum,* oratorium præſto: *quod ex conjectura emendamus.*

o *Hanc vocem hic eſſe ſubſtituendam apparet ex Vitæ ſequentis num.* 8 *alias potuiſſet intelligi officium* Completorii, *Gallice* Complies.

p *Olim à S. Paſchaſio Ratberto ſcriptam, quam* 2 *Ian. dedimus, uti & epitomen ejus, à S. Geraldo factam.*

q *Has, ſi adhuc ſuperſint, optaremus habere, pro ſupplemento Ianuarii.*

r *Tale eſt illud, quod refert c.* 6 *& cetera ſub Abbate Richario. Forte etiam geſta ſub Falcone deſcripſit, quæ adhuc latent.*

s *Ecgraphum noſtrum* capeſcendi. D

CAPUT III.

S. Geraldus Hieroſolymam proficiſcitur, fit Abbas S. Vincentii Lauduni, digreſſus in Aquitaniam monaſterium condit.

Chriſti ſacrificantis viſione excitatus,

16 QUodam autẽ tempore videbatur ei per ſomnium, quod ipſe ante oratorium S. Michaelis, quod in ipſo monaſterio eſt, conſiſtebat; & Dom. Jeſus Chriſtus interius, cum Angelorum & Archangelorum multitudine infinita & omnium Sanctorũ ad Miſſæ celebranda myſteria ſe præpararet. Aſſiſtebãt Angeli, miniſtrabant Archangeli, & ea quæ tanto myſterio erant neceſſaria præparabant: cumq; omnia miniſtraſſent; & utraq; parte, in modum Cantorum in choro conſiſtentium, Sancti, qui cum eo erant, collocati eſſent: ipſe Dominus Jeſus cœpit inquirere, utrum omnes conveniſſent, qui debebant convenire. Illis autem reſpondentibus & dicentibus Domino, Adſumus; dixit, Non: quia Frater ille nondum ingreſſus eſt, qui ſtat juxta oſtium exterius. Sicque eo præcipiente eſt adductus, & in medio collocatus: & tunc, procedente Domino ad Miſſæ celebranda myſteria, inceptum eſt officium, GAUDEAMUS OMNES IN DOMINO, & ſic ad finem perductum. Sicque viſio illa evanuit, & Frater evigilans, quæ viderat, ſecum pertractare cœpit. Cognovit [autem] ſatis evidenter, quia Deo in actibus ſuis placeret: & ſi prius in ejus ſervitio ſe devotum tenuerat, poſtea ſeverius corporis & animi motus cohibere cœpit. E

ejuſdemque crucifixi ſpecie,

17 Alio quoque tempore erat, ſicut ſibi videbatur, in S. Petri monaſterio Corbejæ; & ante Crucem, quæ in medio eccleſiæ eſt, conſiſtebat; & multitudo virorum & mulierum tanta convenerat, quod, ſicut ſibi viſum fuerat, totam eccleſiam compleverat: & ita, eo ante Crucem conſiſtente, omnique populo verſus Crucem aſpiciente; imago Domini, quæ in Cruce erat, deſcendit de Cruce; & ad eum, qui in medio populi erat, appropiavit; eumque blande ac leviter convocans ſuo nomine, caput ſuum manu ſua demulcere cœpit, dicens, Confortare, fili, in Domino & in potentia virtutis ejus: & ſic diſcedens ab eo, videntibus omnibus, ſicut primum fuerat, Crucem aſcendit. Quo facto, Frater evigilavit; & multum anxius pro hoc quod viderat, Deum, ut ſibi viſionem proſperam faceret, obnixe deprecari cœpit. Venit autem ſibi in animo, quia loca Sanctorum, qui ultra mare requieſcunt, vellet viſitare, & ad Sepulcrum Domini eum in Jeruſalem adorare. Cumque hoc, qualiter adimpleri poſſet, in animo volveretur: audivit, quia in eadem, qua ipſe manebat, villa, quidam viri fideles iter ſuum appararent, quatenus ad Sepulcrum Domini adorare potuiſſent. Quo cognito lætus vehementer effectus, omnipotenti Deo gratias reddidit, qui conſilium, ad hoc quod volebat, neceſſarium miniſtravit: ſed quia ſub Abbate & regula in monaſterio degebat, valde ſibi incommodum videbatur, ſi ſine ejus conſilio & licentia faceret, quod facere nitebatur. Adiit ergo Abbatem, voluntatem ſuam aperuit, poſtulans & multum rogans, ut ei licentiam daret. Abbas autem videns intentionẽ Fratris, & metuens ne alicubi in itinere vel Incluſus vel Eremita remaneret, abnegavit; & eum ab intentione ejuſmodi, ſi poſſet, revocare tentavit. Sed quia plantatio, quam plantat Deus, nequit eradicari; vir ſæpe nominatus ab intentione ſua non receſſit; & quod per ſe non poterat, poſtea multorum Sanctorum virorum precibus impetravit. Tandem Abbas annuit; ſed ea conditione, ut ſi F

decernit in Terram ſanctam abire:

Deus

Deus poſſe concederet, ad eum ſine dubio repedaret.

A *ſndeque reverſus*

18 Vir autem venerabilis, accepta licentia, obedientiam ſuſcepit: iter ſuum apparavit; Dei gratia loca Sanctorum multorum viſitavit; Sepulcrum Dominicũ, quod ſuper omnia cupiebat, adoravit; ad propria, ſicut Abbati ſuo promiſerat, repedavit. Quanta in itinere pœnarum cruciamenta ſuſtinuit, non eſt noſtrum exponere: quia ad ea quæ inter nos Deus per eum operari dignatus eſt, vix ſufficit lingua balbutire. Ingreſſus itaq; monaſterii clauſtrum, cœpit in Dei ſervitio ſe exercere; & quæ de ejus mirabilibus audierat & viderat, ad memoriã revocare. Interea quodã fratre ſuo carnali de hac vita egreſſo, qui curam Fratrum in monaſterio S. Vincentii apud montem Laudunũ ſuſceperat, ad Abbatiã provectus eſt; quod invitus diuque renitens, ſuſcepit: & quamvis, non eſſe parũ Fratribus præeſſe, cognoſceret, tamen vellet, nollet, obedivit. Collo autem oneri tam gravi ſuperpoſito, non ſe oblivioni tradidit; ſed in quantum poterat ſe formam & ſpeculum diſcipulis exhibuit. Fratres vero qui ſub eo erant, plus terrenis commodis quam cæleſtibus intenti, moribus ejus non bene conveniebant ſed, ſicut legitur de S. Benedicto, ſanctis ejus monitis contraria ſentiebant. Cumq; conſpiceret eos, ut volebat, ſine peculiaribus eſcis nolle acquieſcere; ad Sanctiſſimi P. N. Benedicti exemplum, cogitavit eos dimittere, & ſecum habitare. In monaſterio autẽ ſuo erat vir ſanctiſſimus *a* Incluſus, à quo conſilium, quomodo, quos ad regendum ſuſceperat, dimittere poſſet, requiſivit: qui ſatis idoneum, & ſibi valde neceſſãrium dedit. Milites vero quidam ſecundum ſeculum non ignobiles, ad eumdem Incluſum venerant, [qui poſtquã] de peccatis ſuis apud eum confeſſi fuerant, conquerentes quia ſeculo amplius ſervire nolebant, ab eo quomodo id facerent conſilium popoſcerant. Sanctus autem vir, & Abbatis ſupradicti animũ cognoſcens, & deſiderium Militum intelligens, in unum omnes congregavit, conſilium utrimq; aperuit, & laicos, quaſi fidei rudimenta ſuſcipientes, ſanctiſſimi Abbatis providentiæ commendavit. O Chriſti pietas inenarrabilis! Salvatoris clementia incomparabilis! Famulis ſuis, ſe toto corde quærentibus, ad ſeculi blãdimenta ſuperanda magiſtrum, qui eos præcederet, miniſtravit; ſervoq; ſuo, ut ſibi devotius deſerviret, ſocios & diſcipulos aggregavit. Talibus vero conjunctis in Domino, Abbas non immemor Fratrum quos ad regendum ſuſceperat, Epiſcopum *b*, à quo Abbatiæ onus habebat, adiit; eique, quale conſilium quæſiviſſet, aperuit; & onus regiminis, quod ab eo habebat, ejus providentiæ dereliquit.

fit Abbas Laudunenſis

ubi meliores nactus diſcipulos,

B

a

Prælaturæ renuntiat.

b

C *& cum ſociis peregrinationis,*

19 Taliter vero Chriſti tirones Abbati ſanctiſſimo ſubjiciuntur, & ſancti Patriarchæ noſtri Abrahæ exẽplo, de terra & cognatione ſua egrediuntur. Fit conjunctio lætabunda, fit exultatio jucunda; exultant de magiſtro diſcipuli, gaudet magiſter ſuper diſcipulos: exultat Abbas ſuper ſocietatem, à Deo ſibi tam mirabiliter præviſam; lætantur tirones Chriſti quia vident & cognoſcunt, non ab homine, ſed à Deo quæ deſiderabant omnia ſibi provenire juxta voluntatem ſuã. Seculi itaq; honore depoſito, viam, qua Chriſtum ſequantur, ingrediuntur; & uſq; ad B. Dyoniſii *c* domũ, quem locum ſibi delegerant, undequaq; conveniunt. Adorata igitur ad ſanctorum Martyrum ſepulcrum Salvatoris clementia, eorum deniq; Martyrum & aliorum Sanctorum patrociniis ſuo auxilio convocatis, Chriſti duce providentia, Aurelianis, ut ibidem ad Sanctæ Crucis *d* adorent eccleſiam, dirigunt veſtigia. Cumq; & inde diſceſſiſſent, & Turonis, ubi Sanctiſſimi Confeſſoris Martini corpus requieſcere [noſcitur], appropinquaſſent; peregrinos, qui à S. Petro Roma remeabant, invenerunt; qui ab eis, unde eſſent aut quo irent, vel quid in animo verſarent, per omnia ſcrutati ſunt. Patefacto igitur eorum deſiderio, adeunt Abbatem; rogantes ut ad eorum fines iter ſuum dirigeret, quatenus de ſubſtantiis ſuis, in alodiis, quæ diſponebant dare ad Deo ſerviendum, eccleſiam conſtitueret: quod & factum fuiſſet, niſi Deus eorum habitationem alias diſpoſuiſſet. Et quia Deus voluit, peregrini in viam ſuam abierunt: Abbas vero & ſocii ſui Pictavium, Deo ducente, pervenerunt. *e*

AUC. SYNCHRONO EX MS.

c

excipitur à Comite Pictavienſi

f

20 Ingreſſis autem illis civitatem, ecce comes Pictavium, Guido venerabilis, Dei proviſione ex altera parte advenit: quod cum Abbas cognoviſſet, ſperans ſibi non abſurdum ſi cum eo loqueretur, venit ad eum, monens ſocios ut ſe ſequerentur. Cum autem eos Comes conſpiceret, reſalutavit; & unde veniſſent, aut quo ire vellent, diligenter inquiſivit. Cui Abbas omnia, quæ in animo habebat, aperuit; & quod de terris ſuis & cognationibus ſuis egreſſi, Dominum ſequebantur, adjecit. Cognita autem Comes eorum voluntate & divina in hoc proviſione, Abbatem & ſuos cœpit rogare, ut pro Chriſto, pro cujus cœperant amore, quocumque in ſua terra vellent, remanerent; ipſe vero conſilium & auxilium ſuum ſibi in omnibus curaret impendere. Dum vero de his ad invicem ſermocinarentur; ecce quidam Burdegalæ Præpoſitus, nomine *g* Radulphus, à Deo miſſus venit: & Comiti, ſi vellet, quod ad idoneum locum eos deduceret, indicavit. Unde Comes lætus vehementer effectus, Abbatem & ſuos ejuſdem Præpoſiti cuſtodiæ mancipavit, ut eos quaſi ſe cuſtodiret, & quemcumque locum in tota ſua terra ſibi deligerent, ſine aliqua controverſia, nihil dubitans, ſuo imperio concederet. Quid multa? Præpoſitus Radulphus ſuſcepit eos gaudens, & ad locum, qui Silva-major inter duo maria nuncupatur, adduxit; & eccleſiam parvulam, non ex lapidibus, ſed de terra conſtructam, oſtendit. Silva autem in circuitu tam denſa vepribus & ſentibus creverat, quod nullus ad eccleſiam appropinquare poterat, niſi gladio aut alio ferramento prius iter feciſſet. Ad hanc quidem eccleſiam dum Abbas & ſui veniſſent, tantus eidem Abbati amor ibidem remanendi occurrit, quod ſe non alias iturum amplius, Deo, ſi ſibi propitiaretur, promiſit.

g

E *& Præpoſito Burdegalenſi commendatus,*

adit poſſeſſionem ſilvæ-majoris:

h

21 Tunc temporis autem terræ illius & ſilvæ dominus & poſſeſſor erat quidam miles Angerius de Riontio *h*, & cum illo alii quamplures, quorum nomina ipſe cognoſcit, qui creavit: cum omnibus vero ſic Abbas egit, ut omnes locum Deo & ſanctæ ejus matri Mariæ condonarent, & ab omni ſervitio ſolutum in perpetuum facerent; & ita Sanctus Pater Geraldus exhilaratus, ad eccleſiam rediit, & deinceps conſtruere habitaculum ſibi & ſuis fecit. Quadam ſiquidem nocte cœpit Deum obnixe deprecari, quatenus ſi eorum ibidem ſtatio ſibi placeret, oſtenderet; & omnes actus eorum, ſecundum bonitatis ſuæ divitias, in bonum dirigeret. Cumq, orando defeſſus obdormiret, ſibi videbatur, quia de parte Orientis currus, quem duo boves ducerent, veniret: poſt vero aliquantum tempus duo boves mutabantur in equum unum; & equus eumdem tramitem, quem boves, gradiebatur. Tandem equus converſus in Dei filio, ita ſuſpenſo, ut pro nobis prius fuerat in crucis patibulo, inferior crucis pars tangebat terram, ſuperior vero uſque ad cælum erigebatur. Cumque ſanctiſſimus vir talia reſpiceret, à loco, in quo erat, ſurrexit; & Chriſtum, ſicut in cruce pendebat, adoravit; tanta autem & tam mirabili viſione animatus Dei ſervus, evigilavit; evigilans vero, & diu ſecum quæ viderat pertractans, quia Dei viſio erat cognovit; & quia, ubi fixum erat ſanctæ Crucis ſignum, ibidem eccleſiam fundare debebat, intellexit: [pariterq;] cognovit quoniam Deo iter ſuum & actio placeret,

F *& monaſterium in ea extruit.*

d

AUC. SYNCHRONO EX MS. cujus dono & gratia fuerat, quod eum taliter adoraſſet. His igitur peractis, milites, qui cum Abbate venerant, adhuc laicali habitu induti, quod devoverant iter ad S. Jacobum, ingreſſi ſunt: & tamen cum licentia ac benedictione Abbatis, ſine cujus præcepto nihil facere promiſerunt. Tandem ſua peregrinatione peracta, ad eum regreſſi ſunt; & S. Benedicti habitum, devoti ac Deo ſe ex toto committentes, ſuſceperunt.

Primi iſtic ſub eo monachi.

22 Si quis autem nomina eorum, qui cum Abbate primitus venerunt, cognoſcere voluerit; ſine dubio cognoſcere poterit quicumque ſubſcriptam paginam intelligens legerit. Geraldus Abbas & monachi tres, qui de monaſterio, quod prius rexerat, ipſius amore cum eo venerunt. Unus Martinus, qui poſtea eccleſiam S. Dyoniſii de monte rexit. Alius vero Ebroinus, qui de militari habitu egrediens, Dei amore incluſus, uſque ad mortem fortiter pugnavit. Tertius quidem *i* Alerannus, ipſius Abbatis nepos. Iſti tres monachi jam facti venerunt, & in loco eodem, ſicut Regula S. Benedicti præcipit, profeſſi ſunt. Venerunt & alii quinque, qui adhuc laicali habitu induti eum ut magiſtrum & patrem Dei amore ſecuti ſunt: ex quibus unus fuit Berlegius *k* nomine, vir bene morigeratus, in conſilio providus, in ſermone præclarus, armorum probitate ſtrenuus, bonis omnibus in amicitia junctus, caritate fervidus, divitiis ſecularibus & dignitate ad plenum munitus: fuit [autem] Francigena, ex regiis militibus non infimus, ex Noviomo *l* civitate Franciæ oriundus. Hic autem quamdiu ſecularibus negotiis interfuit, omnibus, qui cum eo erant, ubicumque amabilis ſuper omnes ſemper fuit: divitiis nimirum abundavit, & eas liberaliter, non ut earum ſervus, ſed ut dominus tractavit. In pueritia litterarum ſtudiis datus à parentibus fuit: ſed poſtquam adoleſcentiæ annos ingreſſus eſt, dimiſſo litterarum ſtudio militiæ inhæſit: nimirum, quia nobilis & nobili genere ortus, animum ſuum non poterat ab hujuſmodi exercitiis refrænare; præſertim cum videret æquævos ſuos talibus negotiis inclinari. Quid multa? militiam amplexus & armis militaribus ſuppoſitus, ſatis longo tempore ſe in militia exercuit; donec dextera Dei tactus, ſe non bene agere cognovit, arma deſeruit, & iterum unda lacrymarum & confeſſione pura baptizatus, Abbatem Geraldum in Silvam majorem ſecutus, ſicut Euangelicus ſermo monet & imperat, omnibus quæ poſſidebat renuntiavit.

Martinus, Ebroinus, Alerannus, i novitii Berlegius, k B l

C

23 Alius autem Wido de Monte-Lauduno civitate Franciæ (ita enim vocatur) oriundus, miles Epiſcopalis, divitiis refertus, & nobilitate ſeculi ſatis decoratus. Vir iſte virtutis erat conſiliarius, animi ſui rector ſtrenuus, & in omni probitate elegantiſſimus. Tertius Tezzo, juvenisquidem, ſed animo fortis, & quamdiu in ſeculo converſatus eſt numquam arma ſua alteri deſeruit, nec timore militiæ unius jugum unquam mutavit; ſed ſemper, ubicumque eſſet, victoriam & palmam acquirere ſuper omnes ſocios elaboravit. Quartus autem Walterus, ſimiliter de civitate Monte-Lauduno, vir militaris & probus, in opere & ſermone diſcretus, conſilio polſens, non in aliquo ſuperfluus & in omni opere ſuo temperatus. Quintus vero Litherius, *m* Laudunenſis ſimiliter, homo honeſtus & largus, in armis ſatis valens, omnibus ſerviens, omnes diligens, inter ceteros milites probitate inferior eſſe deſpiciés, ſemper ad majora militiæ exercitia ſe erigens; & quæ probo homini cognoſcebat convenientia, omnibus modis, ut poterat, opere & animo capeſſens. Hi omnes, digito divinæ miſerationis compuncti, renuntiantes omnibus quæ poſſidebant, & de terris & de cognationibus ſuis egreſſi, Chriſtum ſecuti

Wido, Tezzo, Walterus, Litherius, m

ſunt: & qui prius in veſtibus pretioſis fulgebant, poſtea ſordebant induti veſtibus viliſſimis: fiunt nemorum & ſilvarum fortiſſimi extirpatores, qui prius fuerant ſtrenuiſſimi bellatores. In his ergo adimpletus eſt ſermo Propheticus, qui dicit: Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Hi nunquam Scripturas legerant, ſed tamen quæ Scriptura præcipit impleverunt: & quia prius illicita multoties egerant, poſtea à licitis, ultra quam credibile ſit, abſtinebant; ab ipſo etiam pane: multoties in die nec aquam aliquam ſumere volebant, ut magis ac magis in ſe corporis voluptates refrænare potuiſſent.

D *è militia aſſumpti.* Iſa. 2, 3

24 Igitur poſtquam B. Geraldus in loco eodem, ut ſupra dictum eſt, ubi Dominum Jeſum in cruce viderat in viſione & adoraverat, monaſterium fundavit; de die in diem ipſum cœpit opus ſuccreſcere ac melius proficere. Nec mirum; nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; & omnis plantatio, quam plantat cæleſtis Pater, non eradicatur, ſed ſemper proſperatur. O quanta reverantia ille venerandus eſt dies ab hujus patriæ incolis, quo beatus vir à Deo miſſus, de longinquis terræ partibus huc advenit! Anno ſiquidem ab Incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimo *n* nono cum ſociis ſuis venit Dominus Geraldus in Silvam-majorem, in feſtivitate (ut fertur) Apoſtolorum Simonis *o* & Judæ. Fama igitur tanti viri per diverſas regiones ſe velocius extendit; in ſecundo anno inceptum eſt monaſterium; quinto ſcilicet Idus Maji in honore Domini & B. Mariæ Virginis & Sanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ. Populi in unum conglobati, ad eum confluere cœperunt catervatim; ut illius fruerentur aſpectu, & ejus prædicationis numine dura eorum corda divinæ gratiæ ſeminibus aptarentur. Erat enim aſpectu angelicus, corpore caſtus, mente devotus, ſermone facundus, diverſis virtutum floribus adornatus, oratione aſſiduus, ſigniſque in vita ſua plurimis decoratus. Ante adventum namque illius, accolæ hujus patriæ, rudes & quaſi agreſtes erant; & quid ſanctitatis religioniſque bonum eſſet, minus agnoſcebant: ſed efferos eorum animos ſervus Dei electus, tam exemplis quam prædicationibus, multoties mitigabat, & eorum plurimos ad pœnitentiam confeſſionemque provocabat. Nam cum maxima multitudo ad eum, ut ſua confiterentur crimina, ſæpe veniſſent; hanc omnibus in commune pœnitentiam, in remiſſionem peccatorum ſuorum, injungebat; ut ſexta quidem feria jejunarent, ſabbato vero à carne abſtinerent.

utilitas novi monaſterii

n E *o*

inter rudes populos.

F

ANNOTATA.

a *Putamus hunc fuiſſe* S. Arnulphum, *quo abdicante magiſtratum S. Medardi Sueſſionenſis cœnobio præfectus fuerat Abbas Geraldus: adeoque duas Prælaturas ſucceſſive geſtas in unam confundi. Sunt autem Laudunum & Sueſſiones vicinæ prorſus civitates, vix ſeſquidiei itinere ſejunctæ ab invicem.*

b *Helinandi Ep. Laudunenſis ab anno* 1052 *ad* 1098. *Sueſſionibus quoque Epiſcopus erat ab anno* 1072 *Theobaldus de Petrafonte, uſque ad* 1080: *in cujus manus reſignaſſe Geraldum Abbatiam S. Medardi non audemus affirmare; quandoquidem inde ceſſerit violenter expulſus.*

c *Monaſterium hujus nominis celeberrimum, ſecundo lapide ab urbe Pariſina.*

d *Deſcribit in Annal. Aurel. Sauſſajus quam celebris fuerit ad hoc* templum S. Crucis *Aurelianis & etiam nunc ſit confluxus peregrinorum: & quidem lib.* 1 *num.* 6 *allegat bullam Calixti* II, *qua dicitur:* Qui peregrinationes devotionis cauſa . . . facere voluerint, memores

mores esse debent] ecclesiæ S. Crucis Aurelianensis.
A *Cœpit autem sedere Calixtus hic an.* 1119.

e *Mainardus* In Aquitaniam, monasterii condendi gratia, Deo duce profectus est: *contrarium ipsius S. Geraldi testimonio constat, scribentis se illuc esse profectum* causâ petendi antra solitudinis: *sed Deus alio consilium vertit.*

f Guido *agnomine Godefridus: hic assumpto* Guillelmi VII *nomine, fratri Petro Guillelmo VI successerat anno* 1058, *mortuus* 1084: *de quo videndus Ioannes Besslii, & Commentarius ad Acta* S. *Guillelmi Eremitæ num.* 17. 10 *Februarij.*

g *An à Præpositura ecclesiæ S. Severini prope Burdegalam translatus ad Archidiaconatum Burdegalensem, eoque titulo subsignavit anno* 1078 *definitioni controversiæ inter Ebrardum Abbatem* S. *Crucis de Thalamonte & Odericum Abbatem* S. *Trinitatis de Vendocino, apud Besslium in Probat. pag.* 360?

h Riontium *vicus est ad Garumnæ ripam vix quatuor aut quinque leucis distans à Silva-majori, vulgo* Rions. *Ipsa autem Silva, vulgo la* Seauve majour *nuncupatur, & abest Burdegala leucis circiter septem.*

i *Fuit* Aleranus *tertius Silvensis monasterii Abbas, in necrologiis* vir vitæ venerabilis *dictus; obiit* IV *Kal. Apr. anno* 1107.
B

k *Mainardus* Herlegium *scribit, additque fuisse* fratrem Castellani Noviomensis.

l *Est ea Suessionibus quam Lauduno multo propior.*

m *Mainardo* Lucherius.

n *Chronicon Malleacense quod & S. Maxentii dicitur tomo* 2 *Novæ bibliothecæ Philippi Labbe.* Anno 1077 Girandus cœpit ædificare cœnobium S. Mariæ Silvæmajoris. *Forte tunc primum illuc appulit, & proprietatem loci solum biennio post accepit.*

o 28 *Octobris. Habentur ibidem eorumdem* SS Simonis & Judæ *reliquiæ de capitibus uiriusque: & quidem S. Simonis cranium plusquam dimidium; includuntur autem capiti & thecæ, anno* 1669 *factæ, &, nisi quod caput argenteum non sit, prorsus simili ei, cui includuntur caput & cilicium* S. *Geraldi.*

CAPUT IV.

Miracula per S. Geraldum in vita atque post mortem facta.

S. Geraldus invocatus
C

25 Divulgata igitur sancti viri opinione per diversas regiones, quidam de Episcopio Lemovicensi oriundus ipsum cum fletu pro parvulo exorabat filio, qui tortos ac multum deformes habebat pedes; dicens, O Sancte Geralde, si ea quæ dicuntur de te sunt vera, aufer opprobrium domus meæ. Talia genitore prosequente, meritis servi Dei puer integerrimam adeptus est sanitatem. *a* Pater itaque, pro tantæ rei miraculo stupens ac vehementer congaudens, puerum ipsum ad præsentiam hominis deduxit, & cum multa devotione pro accepto beneficio gratias egit. Nec illud reticendum, quod plerique morbidi aut febricitantes, si forte sanctificatum ab eo comederent panem, nec non qui de lapide trito, quem Fratres paraverant, ejus sepulturæ bibissent; incolumes, ac Deo gratias Sanctoque Geraldo referentes, ad propria læti revertebantur.

a loripedem sanat

naufragium salvat,

26 Cum vero per diversas Galliæ nationes prædicti viri Dei se fama diffunderet, quidam S. Petri Carnotensis monachus, audiens illius præclara gesta, in suis precibus frequenter obnixe postulaverat, ut non ante videret mortem, quam hominis Dei frueretur visione & alloquio. Sed cum forte Anglicum mare dispositsset transmeare, ingressus navem, procellosis insurgentibus undis, naufragium pertulit. In mediis itaque fluctibus, submersis sociis, nave quassata & amissa, monachus involvitur, diemque cum sequenti nocte in tanto duxit discrimine. Cum vero huc illucque intumescentibus raperetur undis, nihilque aliud nisi mortem expectaret imminentem; recordatus est inter ipsas pelagi angustias, illius, quem Angelicam in terris audierat ducere vitam, tantumque desideraverat intueri: imoque à pectore trahens suspiria, O Sancte, inquit, Geralde, Dei summi serve, quem tantopere cupivi cernere, si quid potes in præsentia Dei, adjuva me, misertus mei. Talia illo frequenter ingeminante, statim navis volucri cursu adveniens, meritis viri Dei, de confinio mortis illum excepit. Hæc quoque retulerunt, qui monachum, S. Geraldo, postea non sine magno fletu talia narrantem, viderunt. AUCTORE D. P.

mortuæ

27 His igitur, hujusmodi virtutibus in vita vir Domini feliciter pollens, postquam multas de ore cruenti leonis & quærentis quas devoret, animas abstraxit; & tamquam lucerna supra candelabrum posita, quam plurimos ignorantiæ tenebris submersos ad fidei religionisque lumen reduxit, annis maturus meritisque felix, Nonis Aprilis migravit ad Dominum: sepultusque est in ecclesia, quam ipse fundaverat, ad dexteram partem altaris B.Mariæ. In ejus transitu non minima multitudo virorum nobilium, Clericorum & laicorum, agricolarumque ac mulierum congregata est: qui ex oppidis ac villis & etiam ex Burdegala urbe, illius audito recessu, confluxerant. Hi ergo in cælum clamore sublato, laceratis genis, cum ingenti fletu, piissimum patrem & recti itineris doctorem se amisisse dolebant; lumenque totius patriæ, intimo ex corde, extinctum fore, amare deflebant. Itaque longum est imo impossibile explanare, quanta per eum Dominus bona operari dignatus est, quanta mirabilia in vita sua ostendere, quanti de tenebris ad veram lucem scilicet Christum subtracti sunt. Pauca de plurimis signis & virtutibus, quæ post obitum gessit, ne omnino tacere videamur, succincte differamus: nam ea signa quæ in vita fecit, per negligentiam maxima ex parte oblivioni tradita sunt. Domino itaque annuente, ipsiusque Sanctis meritis intervenientibus, sermo noster, quem in honore ejusdem scribere aggredimur, bonum principium finemque accipiat.

cum aliis

elevato corpore,

28 Tempore illo quo B. Geraldus adhuc vitales carpebat auras, quidam ab eo in monachum receptus est, Petrus nomine. Hic fuit ipsius diebus plurimis Capellanus, & ipse illius clausit oculos, ac sepulturæ cum aliis Fratribus honorifice tradidit. Hic jam grandævus, electione Fratrum, Septimus ac successit in Abbatis dignitatem, multaque de ejus mirabilibus referens, in diebus illis suis, tale perhibebat miraculum fuisse patratum. Consilium aliquando Fratrum fuit, ut de sepulcro, in quo humatus primum vir Dei fuerat, transferretur. Congregato ergo Episcoporum, Abbatum, Clericorum & Nobilium non minimo cœtu, levaverunt, ut decebat, viri timorati, sancti viri ossa. Multa Nobilium turba præsens ibi tunc aderat, & quidam ex populo vir fidelis, inter ceteros quoque astabat; magnopere procurans, si quomodo ex Reliquiis aliquid accipere valeret. Tandem cum sancti caput ostenderetur populo, prædictus vir desubtus extendit vestem, unusque in ipsa veste ex dentibus casu cecidit. Quod videns homo, ad se vestem traxit, dentem abscondit, ac se bene remuneratum credens fore, recessit inde. Sed cum villam egressus paulum processisset, nutu divino obstupefactus, huc atque illuc errabat, rectam non prævalens gradi viam. Intellexit denique meritis Sancti, cujus ferebat Reli- F

dens anfertur,

& restituitur.

AUC. SYNCHRONO EX MS.

quias, iter ſuum præpediri: reverſuſque, licet invitus, ad monaſterium, rem Abbati Fratribuſque retulit, Reliquiaſque protulit, ſicque lætus diſceſſit.

miles S. Geraldo commendatus à matre,

29 Aliud quoque miraculi genus præfatus Abbas Petrus narrabat: Quædam, inquit, nobilis mulier, duos habens filios milites, B. Geraldum quam maxime venerabatur, ac ſæpe ad illius eccleſiam veniens, tam ſe quam filios attentive commendabat. Accidit vero quadam die, ut ipſius filii cum aliis Militibus in exercitu procedere vellent; ſed cum eos mater earum de exercitu retinere non quiviſſet, illis jam ad proficiſcendum paratis, poſitis in terram genibus, talia fertur filiis cum gemitu dixiſſe. O filii, Deo vos commendo; & S. Mariæ & S. Geraldi Silvæ-majoris cuſtodiæ, cujus ſum ancilla, omnino commendo. In procinctu itaque cum eſſent poſiti, quidam ex adverſariis unum ex his lancea appetiit, & in corpore armis nudo hunc valde percuſſit: ſed virtute Dei meritiſque ſancti viri, cui marer illos commendaverat, nihil feriendo nocere potuit: ferrum etenim lanceæ, licet multo conatu percuſſor in corpore ejus infixerit, ac ſi mollis cera eſſet, replicatum eſt; ut acumen ferri, quod prius rectum fuerat, poſt verſus haſtam retorqueretur. Audiens itaque mater tam mirabile factum, filiumque obtentu beati viri à morte ereptum, ad ipſius ſepulcrum gratias oblatura cum filiis advenit, ferrum lanceæ ſecum detulit, multiſque diebus ſupra ſepulcrum ſancti ipſum ferrum in teſtimonium virtutis pependit.

miraculo ſervatur illæſus.

B

ſanatur hydropicus,

30 In cœnobio Silvæ-majoris quidam ex Fratribus, corporis moleſtia tactus, ægritudine gravi laborabat; nam adinſtar utris inflata cute, totus vehementer intumuerat, nihilque aliud niſi mortem ſolam expectabat. Sed cum nocte quadam anxius ſe ſopori dediſſet, ad beati viri ſepulcrum ſe conſpexit in viſione aſſiſtere, tumuloque illius, ut ſibi videbatur, patefacto, ſuam infirmitatem cum uno ex dentibus ſancti frequenter ſignare. Evigilans autem, & quæ viderat ſecum pertractans, facto mane, quamvis gravi pondere fatigaretur ægritudinis, ad tumulum tamen viri Dei acceſſit; magnopere implorans, ut ſuis meritis ſibi gratiam ſanitatis à Domino impetraret: tali modo ſanus effectus, hoc nobis fideliter retulit. Alio quoque tempore Frater quidam ejuſdem monaſterii uſque ad mortem infirmatus eſt: nam ſine voce fere triduo permanens, omnes eos qui intuebantur de ſanitate ſua deſperare fecerat. Sed cum ad hoc perveniſſet, ut de lecto eum miniſtri abſtrahere uſque ad terram, & in cilicio (ut eſt conſuetudo morientium) deponere feſtinarent; triſtis admodum factus, ſe vertit ad parietem; Dominumque ut ſibi miſereretur orare, ſanctumque Geraldum, prout poterat, invocare cœpit in auxilium: & ſicut ipſe perhibebat, cum oculos quaſi obdormiens clauſiſſet; ecce ſubito quidam ſenex, veneranda *b* canicie ac decorus aſpectu, aſtitit ei. Videbatur autem ei, quod non alius niſi vir ſanctus eſſet, quem paulo ante invocaverat. Cumque idem ſenex infirmum tetigiſſet, & aliam in partem vertiſſet; extemplo ægritudine recedente, ſanguinis copia ex illius emanavit naribus: ſicque ſe à periculo mortis, obtentu beati viri, liberatum eſſe proteſtabatur.

convaleſcit moribundus:

C

b

recuperantur amiſſa:

31 Aliud quoque miraculum, minimum quidem, ſed pietate conditum, idem Sanctus operatus eſt. Cum mulier quædam ex longinquis partibus, conſumptis omnibus quæ habebat, veniſſet ad monaſterium illius; nomen ejus frequenter inclamabat, atque veluti vivens ipſe in corpore præſens adeſſet, *c* alimoniam ſedulo ab eo petebat: cumque jam ad monaſterii portam egreſſura propinquaret, duodecim nummos in terram jacentes reperit: quos accipiens, cum gratiarum actione gaudens diſceſſit. Nec diſſimile huic fuit, quod cum unus ex cuſtodibus monaſterii clavem modicam amiſiſſet, & diu multum quæſiviſſet circumquaque, nec inveniſſet; tandem ad ſepulcrum beati viri acceſſit, ut in hac neceſſitate ſubveniret ſibi exorans: ſtatimque ut à ſepulcro ſurrexit, clavem ante altare invenit, ſatiſque admiratus gratias egit.

D

captivus, apparente ſibi ſancto

d

32 Quidam Miles forte captus ab inimicis, Oliverius nomine, filius videlicet illius Augerii de Riontio, qui Silvæ-majoris locum S. Geraldo prius dederat, ductus eſt apud Caſtrum, quod Mons-Revellus *d* dicitur; & ibi magno ferri pondere oneratus, nuduſque, ad ſolem lacte perunctus, ut à muſcis avidius impeteretur, poſitus eſt. Sed accepti beneficii B. Geraldus non immemor, huic in tali confuſione conſtituto, non nocte, ſed die, viſibiliter apparens, dixit: Quomodo tibi eſt, frater? At ille reſpondit, Male. Surge, inquit Sanctus, ſurge, [Aſt ille:] Et qualiter, Domine, poſſum ſurgere, tanto catenarum depreſſus gravamine? Surge, inquit [Sanctus] quantocyus: ne timeas. Cumque tentaſſet aſſurgere, illico omnia in terram corruerunt vincula. At ille obſtupefactus; Quis es, inquit, Domine? Ne cures ait [Sanctus] ſcire, qui ſim ego: ſed compedes accipiens, ad S. Mariæ Silvæ-majoris cœnobium concitus perge, Deoque ibi gratias age. Videns itaque homo, cuſtodes non longe abeſſe, nec non in platea quam plurimos deambulantes, formidabat abire. Videns Sanctus, dicit ad eum: Ne paveas, quia nullus mortalium, uſque ad locum quem prædixi, obeſſe tibi prævalebit. Obſecro, inquit, Domine, ut mihi nomen tuum digneris intimare. Et ille: Scito me Geraldum Silvæ-majoris Abbatem eſſe. Quo dicto ab oculis aſpicientis, illico evanuit. Animatus tandem ſponſionibus tanti viri, ex oppido nemine prohibente, aſſumptis ſecum compedibus, ut juſſus fuerat, exiit; ſicque lætus & alacer ad cœnobium S. Mariæ Silvæ-majoris venit; Deo gratias & S. Geraldo reddidit; miraculum Fratribus ibidem ſervientibus ſeriatim retulit. Illi autem confeſtim, ſumma cum lætitia pulſatis ſignis, Te Deum Laudamus ſolenniter decantaverunt. Hæc vero & alia quæ narramus ſigna, non ab aliis, niſi ab his qui hæc certiſſime viderunt & audierunt, vel quibus ſunt collata, accepimus.

E

ſolutus & vinculis,

inobſervatus redit ad ſuos.

33 De manifeſtis etiam ſignis, ad illius tumulum frequentius patratis, ſilendum non eſt. *e* Nam viri quam plures nec non mulieres, amiſſo ſenſu, cum ad illius adducti fuiſſent tumulum à parentibus vel amicis, vigiliis trium aut quatuor noctium celebratis, priſtinæ ſanitati reſtituebantur, annuumque monaſterio cenſum reportabant. Tantamque ei Dominus gratiam largiri dignatus eſt, ut abſque numero captivos, ferro, vinculis, compedibuſque ab inimicis vehementer aſtrictis, non tantum de vicinis, ſed etiam de longinquis mundi finibus, liberos abire incunctanter præceperit: ita ut etiam de Normannicis regionibus nonnulli ad monaſterium ipſius, cum catenis & compedibus & aliis tormentorū generibus, gratias oblaturi, advenerint captivi; illum ſe facie ad faciem vidiſſe, illiuſque nutu ac meritis ſe ſolutos eſſe à vinculis, fideliter profitentes; compediburque ſupra ipſius ſepulcrum appenſis, annuoque cenſu indicto, ſuam cum gaudio redierunt in patriam. Multi quoque ex accolis patriæ, aliquo tacti dolore, capitis, oculorum, manuum, pedum vel aliorum membrorum; invocato ipſius nomine cereas ſæpe exprimunt ſimilitudines; quas illius tumulo ſuperpendentes, ſoſpitatem priſtinam ſe meritis ejuſdem recepiſſe fideliter confitentur. Navem etiam, à quodam naufrago ex cera compoſitam, ſe-

uti & plures alii,

F

e

beneficium compedibus allatis profeſſi.

multū ſepulcrum clarett miraculis.

pulcro

A pulcro appenſam, multoties vidimus; qui ſe in magno maris diſcrimine poſitum, invocatione ſola nominis S. Geraldi à morte liberatum mirabiliter fore, perhibebat. Ut quid nos autem de ejus loquimur mirabilibus? cum hoc ſolum ad illius declaranda ſufficiat merita, quod tantum religionis exemplum in hac effulſit patria per eum; quod abſque numero peccatores ſeculo relicto mortem evaſerunt; quod in cœnobio ab eo conſtructo juvenes &
f *f* virgines, ſenes cum junioribus laudant nomen Domini. Nam locus, qui quondam ſpelunca latronum, latibulum luporum & ferarum extiterat; viro Dei adveniente, domus orationis, locus ſanctificationis & religionis & pacis, effectus eſt. Quis tandem ipſe, vel quantæ ſanctitatis, aut cujus vitæ fuerit, multo melius opera quam dicta elucidant: exitus autem acta probat. Ne igitur verborum prolixitas legentibus tædium inferat, ſcribendi finem faciamus. Deum ſuper omnia & in omnibus glorificantes: qui tam egregium doctorem beatiſſimum Geraldum, de longinquis finibus, ad illuminationem regionis iſtius mirabiliter deſtinavit: cui eſt
B honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Aberravit ergo Mainardus, dum brevis eſſe voluit, ſcripſitque quod* puerum pater duxit ad S. Geraldum: qui fuſis ad Deum precibus eum ſanavit.

b *Ita etiam legit Mainardus: ecgraphum noſtrum habebat* cervice.

c *Rurſum hic ſenſus breviando turbatur à Mainardo, cum dicit, quod* mulier venerit, à ſancto Abbate eleemoſynam petitura.

d Mons-Revellus *in Breſsia inferiori, titulo Comitatus illuſtre oppidum, plus quam* 150 *leucis diſtans à Silva-majori.*

e *Mainardus addit (in ecgrapho noſtro fortaſis negligenter omiſſa) hæc verba:* Nam qui de lapide ſepulcri ejus contuſo, aquæ permixto, bibebant, ſanabantur.

f *Etiam ſanctimoniales à S. Geraldo eſſe in Silva-majori collectas, non ſola probat traditio, hactenus domum oſtendens, nunc quidem à ſecularibus habitatam, ſed adhuc in multis monaſterio ſimilem: verum etiam plurima Silvenſis chartularii inſtrumenta, in quorum uno ſic legitur:* quædam matrona Oregundis nomine, ſpreta ſeculari ambitione,
C in monaſterium quod eſt in Silva-majore venit, ac ſe ſuaque eidem loco tradidit, habitumque ſanctæ converſationis à Domno Geraldo, primo ipſius loci Abbate accepit. *& Alibi* Agnes de Mont-primlau, donans ſe in monachum Dei & S. Mariæ Silvæ-majoris, poſtulavit.

VITA II.

Auctore Chriſtiano Monacho Silvæ-majoris.

PROLOGUS.

Vitæ ſanctorũ, cum ſint adexemplum efficaciſſimæ,

1 LIcet ſancti & juſti viri bonorum noſtrorum non egeant, qui repromiſſiones adepti, diverſas in regno cæleſti pro meritorum exigentia ſortiti ſunt manſiones: competit tamen officio profeſſionis humanæ, illorum humilitatem, patientiam, ceteraſque virtutes recenſere devotius, quos per vitæ meritum confidit poſſe patrocinium ſupplicantibus indulgere. Dum enim felices eorum actus debito laudum honore proſequimur, nobis quoque proficimus: quia ſumpto bonæ operationis exemplo, animus ſæpe, quantumlibet corporis & negligentiæ frigore preſſus, igne divini amoris accenditur; & iniquis cogitationibus ſuffocatis, frequenter ad ſimilia provocatur. Sicut namque perverſorum ſunt vitanda contagia, ne corrumpant; ita bonorum amplectenda converſatio, ut informet. Præterea in ſoliloquiorum libro de Juſtis eſt ab ipſo Spiritu ſancto dictata ſententia in hunc modum: In memoria æterna erit Juſtus: & quis ei audeat repugnare? Conſtat igitur juſtorum æternam eſſe memoriam, quam æternum humana debet devotio frequentare. Alibi quoque idem Spiritus ſanctus de inimicis juſtorum ita dicit: Qui oderunt juſtum delinquent. Valde ſiquidem in ſanctos & juſtos, & in auctorem ſuum Dominum Jeſum Chriſtum delinquere convincuntur; qui eorum laudabilem vitam & converſationem ſanctam & crucem continuam, taciturnitatis videntur ſepelire diſpendio, acſi deprehendantur felicibus ipſorum actibus invidere.

per Chriſtianum ex ms.

non debent ſilentio tegi. Pſ. 111, 7

Pſ. 33, 22

2 Nos autem non ſic; ſed Venerabilis Patris noſtri B. Geraldi vitam ſummatim & breviter decurſuri, qui probatus inventus eſt in monaſtici Ordinis diſciplina, nudam ſequi veritatem intendimus, nec noſtrum ſidus aureum mendicati luminis ſuffragiis adjuvare. Ea enim de cauſa mihi rudi & ſimplici labor eſt opuſculi hujus impoſitus, ut in revelanda humanæ intelligentiæ juſtitia ſancti viri (Cæleſtibus enim notus eſt per ſe ipſum) verborum phaleris parietem non dealbem, quem conſtat propriæ virtutis nitore ſplendeſcere: ſed potius in humilitate & patientia, ſua geſta humili ſtylo & verbis nudis ac ſimplicibus percurrenti, ultra veri limites non liceat evagari. Meam ergo inſufficientiam à ſpiritualibus viris ſupportari deſidero; quorum quæro interceſſionibus ſacris, curis temporalium multipliciter diſtractus, ab amplexu terrenorum & devio ſeculorium actionum, ad mandatorum Dei vias revocari. Tu autem Domine virtutem, Rex gloriæ, virtus & ſapientia Patris, Sanctorum ſplendor, mihi timido & inſueti dictaminis aggredienti materiam, miſeratus aſſiſte; linguamque trementi confirmare digneris Spiritu veritatis, qui ad purum excoquat in me ſcoriam totius verbi ſuperflui, & in omnem dicendorum veritatem inducat: ut circa vitam & converſationem beati viri veraciter amplexatus hiſtoriam, conſpectui tuo acceptus appeream, & auditoribus in proferendo ſermone, te donante, inveniar ſufficiens & fidelis.

ideo S. Geraldi Vita ſcribitur,

humili ſed veraci ſtylo.

E

F

CAPUT I.

Vita S. Geraldi Corbejæ in monaſterio acta.

Corbeia hãtus

3 REgnante Domino noſtro Jeſu Chriſto in eccleſia Sanctorum, & in cordibus electorum ſuorum præſidente, fuit in Corbeiæ pago B. Geraldus ex fidelibus parentibus procreatus: cujus vita laudabilis, & fama integra, & honeſta converſatio, providente ſibi ſuperna clementia, gratiæ ipſis annis mollioribus principia ſuſceperunt. Initiatus enim litteris, ſicut paterna ſolicitudo decrevit, factus eſt Deo docibilis; & quanto exterius à magiſtro propinata ſibi doctrinæ pocula ebibebat avidius, tanto profundius inter ſecreta cordis ſui recepta ſolicitius conſervabat: eratque ejus indolis puer, ut in illo pueritia à puritate, non minus rei efficacia quam cognatione vocum, deprehenderetur merito derivari. Docuerat ſiquidem illum, qui docet hominem ſcientiam, qui vocat quæ non ſunt tamquam ea quæ ſunt, qui ex ore infantium laudem perficit, & facit diſertas linguas mutorum. Vocavit namque Dominus quoſdam ex utero, ut Hieremiam & B. Joannem Baptiſtam; quoſdam à cunis, ut Beatiſſimum Nicolaum; à telonio Matthæum, alium

& pie educatus,

PER CHRISTIANUM AX MS.

alium à nuptiis, ſecundum quod B. Geraldum, ab ipſis infantiæ rudimentis. Hæc autem ideo prælibata ſunt, ut intelligat Lector, quod in manu Dei eſt omnis profeſſio, omnis ætas, & ſine ipſo nihil eſt validum, nihil ſanctum.

litteriſque imbutus, Pſ.30, 16

4 Paruit ergo B. Geraldus vocationi divinæ, acſi cum Propheta clamaret: In manibus tuis, Domine, ſortes meæ. Hunc autem ſic divina gratia, diſciplinâ, moribus & ſcientia illuſtravit, ut ſtuperet magiſter ejus, quod eruditionis ſuæ curam longe vita pueri & ingenium prævenirent. Laſciviam igitur puerilem, quam ſolet ætas illa complecti, faſtidiens; prætendebat & actu & habitu maturi hominis gravitatem. Ut autem vas ſuum in ſanctificatione, à mundi mundus illecebris, poſſideret; religionis clauſtrum, accedente parentum fidelium devotione, intravit; & eligens abjectus eſſe in domo Dei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum, profeſſus eſt voto inconcuſſo & ſtabili monaſtici ordinis diſciplinam in Corbejenſi monaſterio: in quo ipſa pueritiæ rudimenta per ſuſceptionem habitus & vitæ munditiam conſecravit Altiſſimo: ubi etiam nondum adoleſcens Domini jugum portare indefeſſis humeris aſſuevit, cum timore Domini obſervantias & traditiones Patrum reverenter amplectens. Vultu demiſſo & humili erat: in oratione aſſiduus, in abſtinentia firmus, fervens in ordine, in corporis afflictione auſterus, gravis tantum ſibi, gratus erat & benevolus univerſis.

ac monachus factus,

B

tum aliis virtutibus

5 Sane ubi in eccleſia vel extra, ſpiritualis Patris verbo vel nutu, ad miniſterium vel ad alias honeſtas operas & neceſſarias vocabatur, ibi erat in obediendo feſtinata, non impetuoſa celeritas, Providentia non remiſſa; ut nec moræ negligentia eſſet in affectu notabilis, nec ſubito & improvide attentans pœnitudinem impetus miniſtraret. Non in eo, ut ſæpe fieri ſolet, murmur aut dictio varia ſeu vultus mutatio, in re quantumlibet oneroſa & ardua, obedientiæ meritum decerpebat. Nolebat per inobedientiam peccatum ariolandi contrahere; ſed per incrementa virtutum in conſpectu Altiſſimi, cui ſe immolare decreverat, complacere potius anhelabat. Inde factum eſt, ut quanto erat ad obedientiam pronior, ad negotia domus tractanda paratior, & competentior per ſinceritatem ad onera ſuſtinenda; tanto ei ex ſpeciali mandato circa frequens miniſterium cura propenſior immineret. Unde frequenter ex officio ſolicitudinis ab orationis & contemplationis arce corporaliter abductus, corpus laboribus extrinſecus impendebat; animus vero propoſitum ſervabat immobilis, ut eſſet ſemper, quocumque obedientia corpus diſtraheret, in conſpectu Domini meditatio cordis ejus.

tum obedientia excellit.

C

incurrit gravem dolorem capitis:

6 Et quia flagellat Dominus omnem filium quem recipit; accidit ut vir Dei, dum ab alimentis abſtinet, dum vigiliis & orationibus mentem jugiter occupat, corpus laboribus immoderate fatigat; circa nobile membrum, caput videlicet, ſonticam incurreret paſſionem. Cumque plerique de ſuis ſoleant gloriari ſucceſſibus, de adverſis turbari & deprimi; ipſe de ſuæ gloriabatur infirmitatis anguſtiis,

2 Cor.12,10

fortis cum Apoſtolo effectus in ſpiritu, cum magis inſolentiam carnis per infirmitatis flagellum cerneret edomari. Impendebant patienti Fratres compaſſionis affectum, & in viſitatione illius futuræ ſuæ deſolationis diſpendia ſolabantur: ipſe autem doloris acerbitatem quanta poterat ſerenitate diſſimulans, ſe ſimulare nitebatur incolumem; ut genitalem Fratrum triſtitiam demulceret. O mira patientiæ virtus! palliabat morbi ſymptomata, ut ſocios condolentes doloris participatione fraudaret. Procuravit pariter, ut de his quæ ſibi ad neceſſitatem

& quæ ſibi ad remedium vel ſolatium dabantur,

corporis miniſtrabantur (de quibus, ſolo Deo conſcio & quodam ſerviente ſuo, quidquid poterat, tam caute quam ſolicite, ſubtrahebat ipſi neceſſitati) quod ſuſtentationi debilium artuum ſupereſſet, poſſet abundantius pauperibus miniſtrare. Sub prætextu quoque acquirendi ſibi medicinalis auxilii, ad nutum & conceſſionem Abbatis ſui, libenter de paternis facultatibus aliquid extorquebat; & tamen medicinam carnalem corpori ſuo non adhibens, gaudebat in nutrimentum pauperum piæ calliditatis commenta convertere. Specialiter autem diebus ſingulis trium pauperum refectioni vacabat; & ſummæ humilitatis exemplar ſtudioſius imitatus, abluendo eorum pedes & capillis capitis detergendo, Dominicæ cœnæ myſteria humiliter recenſebat. Adorabat in eis, fuſis ſine menſura lacrymis, & frequentius toto corpore quam genibus incurvatus, individuæ Trinitatis eſſentiam, & acceleratæ propitiationis indulgentiam precabatur. Sic vivebat & in talibus, in juniore ætate adultus, ſenex & maturus in tempore pubertatis. Ejus ſi quidem converſatio ita erat.

D

pauperibus largitur.

Abbati Romam eunti.

7 Interea prædictus vir, prudens & venerabilis, loci illius Abbas, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli decrevit limina viſitare; & etiam Domno Leoni, tunc Apoſtolicæ Sedis Antiſtiti, quaſdam neceſſitates domus expoſitum ire. Complacebat autem ei in vita B. Geraldi & moribus, & cuncta ſibi arbitrabatur ceſſura in proſperum, ſi in via quam ambulabat ipſius deſiderabili conſortio frueretur. Communicat ei propoſitum ſuum Pater: paret ille & ſe parat pariter, impendere volens Patri devoti famulatus obſequium: & quamquam aſſiduo languore tabeſceret, factus eſt, Dei gratia & obedientiæ merito, quolibet ſano pronior & ſufficientior ad laborem. Supplevit in illo obedientiæ virtus, quidquid naturalis vigoris chronica ſibi ægritudo ſubtraxerat. Abeuntibus ergo illis, non eſt fraudatus bonus Abbas à deſiderio ſuo; quia meritis ſancti viri, omnibus rite peractis, ſicut ſperaverat, incolumis ad propria remeavit. Reverſus autem cum ipſo B. Geraldus, creſcebat & confortabatur in ſpiritu & virtute, orationi ſine intermiſſione intentus, ita quidem quod in genubus & articulis pedum callos ſupercreſcentes exorandi aſſiduitate contraxerat.

E

ſocius profciſcitur.

inde reverſus ingravaſcenti dolori.

8 Cumque jam provectæ eſſet ætatis, & quodam die functus Sacerdotio Miſſarum ſolennia celebraret, ita ſubito invaluit morbus ejus, ut ſola virtute Sacramenti ſubſiſteret. Expleto ergo miniſterio, lectulum languens adiit, rogans fuſis lacrymis & ſtans in cubiculo Patrem ſuum cæleſtem, ut non eatenus permitteret invaleſcere morbum ſuum & dolorem capitis, quo minus Sacramento altaris idoneus redderetur. Curari ergo meruit à cæleſti medico, qui manum terreni medici abhorrebat. Res mira! Ecce enim, à latere dextero altaris, ignis ſub ſpecie linguæ aſcendens, totum corpus ejus, & in quo jacebat lectulum ſplendore mirifico illuſtravit; & ſtatim languor capitis omnino fugatus eſt, & integre ejus ſoſpitas reſtituta. Volebat clamare præ gaudio, vix enim motus alacres exilire volentes poterat continere: verumtamen ad ſe reverſus & viſibiliter Dei virtutem agnoſcens, ſapienter continuit viſionem. O juſtum & pium Dei judicium! In pauperibus ſuis ſenſerat remunerator piiſſimus erogata ſtipendia medicorum, & idcirco idoneum judicavit ſervum ſuum medicinali auxilio non fruſtrari. Fit itaque vigil & ſolicitus vir beatus, non ſolum votum profeſſionis cum integritate complere, ſed ne conceſſam ſibi gratiam in vacuum abire permitteret, ſupererogare plurima in pſalmis hymnis & canticis ſatagebat.

F

ealitus remedium obtinet.

9 Eo

A *divinis visionibus semel*

9 Eo autem tempore conceſſit in fata monaſterii Cuſtos & commiſſa eſt B. Geraldo cuſtodia, quia monaſterio diu noctuque præ ceteris frequentius incumbebat. Unde cum quadam nocte anticipaſſent oculi ejus vigilias, & proſtratus ad oſtium, infuſas lacrymis orationes funderet ad Dominum; vidit in viſione Dominum Jeſum Chriſtum, cum Angelorum & Archangelorum militiæque cæleſtis exercitu, monaſterium introire & ſe ad celebranda Miſſarum ſolennia præparare. Aptatis igitur ſingulis, ſicut miniſtris tam celeberrimis competebat, cum ad altare Miſſam celebraturus accederet Rex pariter & Sacerdos, quæſito utrum omnes qui feſto tam ſacro intereſſe debuerant adveniſſent, dicebat Dominus Jeſus, unum adhuc introducendum deeſſe, qui ad januam monaſterii orationi vacabat. Introducebatur ergo per miniſterium Angelorum, & inter beatorum ſpirituum agmina locabatur: qui ſtatim, eleganter in choro diſpoſiti, inchoabant ſolenniter Miſſæ Introitum, Gaudeamus. Stabat autem ſtupefactus ex magnitudine viſionis, & in corde ſuo omnia conſervabat.

iterumque excitatus, B

10 Alio tempore in viſione vidit, quod ad monaſterium B. Petri Corbeienſis hominum multitudo convenerat: cumque ipſe inter illos, qui nomen Domini invocabant, aſſiſteret coram eo, & ad contumplandum beneficium Dominicæ Paſſionis ejus ſubtiliter intenderetur affectus; imago Crucifixi occurrens illi, coram omnibus capitis ſui verticem lætiſſime contrectabat, & conſolabatur eum dicens; Confortare, fili, in Domino & in potentia virtutis ejus. Et in hæc verba diſcedens, locum proprium repetebat. Credendum procul dubio erat, quod tam excellentiſſimæ viſiones in beato viro aliquid latentis myſterii deſignarent. Sed

abit Hieroſolymam: quid aliud, niſi quod per meritum fidei, cum his qui regna vicerunt & juſtitiam operati ſunt, repromiſſionis erat beatitudinem adepturus? Crucifigebat itaque cum vitiis & concupiſcentiis carnem ſuam, illum volens imitari & ſequi, quem pro ſalute hominum noverat crucifixum: cujus figuram ſibi admodum blandientem ſub ſpecie quadam ænigmatica fuerat contemplatus. Inde & concepit in mente, ut, in qualemcumque retributionem impenſæ ſibi familiaritatis & gratiæ, adiret locum ubi corporaliter ſteterant pedes ejus, ubi Eccleſiam de ſanguine proprio, depulſa materia veteris Synagogæ, formaverat: ubi ſcilicet in medio terræ per

C crucis patibulum ſalutem fuerat operatus.

& adoratis ſacris locis,

11 Reſpondit ergo effectus affectui, & impetrata licentia ab Abbate ſuo, dolente plurimum ſe deſolatum relinqui præſentia ejus, quæſivit quem deſiderabat anima illius, Hieroſolymam pergens, & votum quod fecerat ſolvens. Sciebat quidem dictum ab Angelo, Surrexit, non eſt hic: & tamen, non quod ſciret jam inter monumenti anguſtias contineri, ſed quia olim poſitus fuerat ibidem, majeſtatem ipſius adorabat; intus habens vir Dei, per inhabitantem gratiam, cujus adorabat in cælis eſſentiam.

Corbeiam reverſus, Obtulit ergo multas phialas aureas, odoramentorum plenas, ſcilicet abundantes orationibus ſacris: & peragratis cum devotione locis nativitatis ejus & baptiſmi & jejunii & aliis, quæ corporali greſſu illius manſione ſeu miraculorum operatione authentica & celebria facta erant, tranſtulit illum Dominus per mare magnum, reducens eum ad monaſterium ſuum; ubi cum gaudio & veneratione receptus, his qui ad audiendam vocem ſermonum ejus greſſu & animo feſtinabant; non nugas non fabulas, ſed quæ de potentia divina circa Sanctos ſuos, quos iter agendo in via viſu aut fido auditu didicerat, referebat.

12 Cum autem in bonis operibus confirmatus delectaretur in Domino, & faceret bonitatem, atque aſcenſionibus in corde ſuo diſpoſitis de virtute in virtutem adſcenderet, & lux ejus coram hominibus ſic luceret, ut videntes opera ſua bona darent gloriam Altiſſimo; non poſt multos reditus ſui dies contigit humanitus Laudunenſi Abbati [ut moreretur]. Loci autem illius Fratres, in unum mente & corpore congregati, elegerunt & prælegerunt illum; felices ſi jugum ejus, quod cervicibus ſuis aptaverant, abſque recalcitratione portarent. Non venit ille, ſed trahitur, eo ipſo quod refugit attrahendus: quia in eccleſiaſticæ Prælationis obtentu, ſicut ambitio importuna damnatur, ita profecto humilitas & timor Domini acceptantur. Cœpit ergo in commiſſo ſibi officio ſummi Doctoris exemplis informari, prius in ſe complens quod alios hortabatur. Deducebat illis in medium aſſiduam noviſſimorum memoriam, ſanctorum Patrum ædificantes amplectendas ſententias, profeſſionis vinculum, ordinis normam, voti debitum & perſeverantiam in virtute. Cum igitur in ſubditis, quæ

ſed monachorum per vitiaciam pertæſum, E adverſa monaſticæ profeſſionis erant, extirpare nullatenus poſſet; divertit ſapienter ab inutili opere dorſum ſuum; & dimiſſis quos ſalubriter gubernare non poterat, ad regendum corporis ſuis clauſtrum, vitando eorum ſuſpecta contagia, ſe convertit ne vas ſincerum vel in modico incruſtaret. Gaudeat Silva-major, quia in divortio iſto conceptionis ſuæ myſteria inchoantur. De ſe an de alio aliquo habet iſtud migrandi propoſitum religioſiſſimus Pater? O B. Benedicte, te habuit in hoc & in aliis ſpeculum & exemplar, didaſcalum & tutorem: qui cum vidiſſes in ſubditis, quos invitus regendos ſuſcepperas, tam induſtriam & propenſiorem curam nullatenus poſſe prævalere, quibus & prædixeras te illorum moribus convenire non poſſe; ad exemplum Divinitatis dimiſiſti eos ſecundum deſideria cordis eorum: & tunc, ut ait B. Gregorius, ad locum dilectæ ſolitudinis rediens ne forte teipſum relinqueres & illos non invenires, habitaſti tecum.

Prælaturam dimittit.

CAPUT II.

Silvæ-majoris fundatio: Miracula S. Geraldi viventis, felix obitus.

13 Igitur reſignata in manu Pontificis, ſicut mori eſt, Abbatia, eorum quæ retro erant penitus obliviſcens, ſeſe ad anteriora extendit; & inito conſilio cum quodam ſanctiſſimo viro, qui inter manſiunculæ cujuſdam macerias corpus ſuum incurvaverat propter Chriſtum, generales monaſtici ordinis obſervantias religionis fervore tranſcendens, eremum concupivit: decrevitque alios de cetero filios non habere, niſi quos ex fœcunditate nova, humili ejus obſtetricante ſervitio, divina ei gratia parturiret. In levamen autem & ſolatium concepti propoſiti, vir ille juſtus adjunxit illi quatuor profeſſione laicos, virtute inſignes; à quibus, cum ad ipſum cauſa pœnitentiæ humiliter acceſſiſſent, diverſorum peccatorum maculas extirparat, & corda illorum ad recipiendum Dei verbum vomere exhortationis aptaverat: qui & firma deliberatione cenſuerat, in ſatisfactionem horum quæ commiſerant, paupertatem amplecti & ſequi, & à propriis ſemet juribus abſtinere.

Pauculis ſociis acceptis, F

Pariſios

14 Subjecti ergo invicem in timore Chriſti, invocata divina clementia ut dirigat greſſus ſuos, intendunt per egreſſum ſeculi cælorum regnum acquirere, & B. Dionyſii domum conſtituunt viarum ſuarum principium. Cumque ibi orantes ſanctorum Martyrum petiviſſent meritis adjuvari, ad urbem tandem Pictavorum continuato itinere

inde Pictavium proficiſcitur:

PER CHRISTIANUM EX MS.

perveniunt. Novi autem tirones illi, qui jam erant in ſeculari militia veterani, B. Geraldum ducem conſtituerant & magiſtrum, & ipſius in omnibus arbitrio regebantur. Et cum per quemdam civitatis vicum agerent iter ſuum, ſicut Spiritu Domini ducebantur, obviaverunt Comiti Pictavienſi; deditque ſibi Dominus gratiam in conſpectu illius, & ſalutatus ab eis reddidit ſtatim illis blandæ ſalutationis alloquium: & deprehendens in ipſorum habitu certa patientiæ atque humilitatis indicia, quæſivit quæ cauſa eſſet viæ. Illi autem non aurum vel argentum, ſed locum ſolitarium & religioni accommodum ſe quærere reſponderunt. Supervenit autem quidam Burdegalenſis Præpoſitus, qui in diebus illis Comitis intraverat curiam; & intellecto ipſorum propoſito, gaudens etiam quod Comitem haberet propitium, Mihi, inquit, Domine, committantur: ego enim cum beneplacito veſtro locum ipſis deſignabo idoneum, & circa eorum obſequium geram fideliter vices veſtras.

ſuſcipitur à Comite,

15 Ergo ubi Præpoſito jam dicto Comes illos commiſit, ſpondens favoris & auxilii opem, & eidem miniſteriali præcipiens, ut eos haberet ſincerius commendatos, ab ipſius præſentia diſceſſerunt, & fecerunt ſicut præcepit illis Præpoſitus, veneruntque Burdegalenſem diœceſim, & ſine mora in terra, quam Inter-duo-maria nuncupant, locus eſt eis vaſtæ ſolitudinis deſignatus, quem ad differentiam minorum nemorum Majorem-ſilvam incolæ appellabant. Erat enim ſilva longitudine & latitudine ſpatioſa, & diverſorum generum arboribus circumſepta, invia undequaque, niſi viator ſolicitus iter ſibi in ſecuri & aſcia complanaret. Quid plura? quanto fit locus ille à frequentia hominum & habitatione remotior, tanto beato viro & ſociis ſuis acceptabilior invenitur. Ex ipſa quidem facti celeritate conjicitur, quod voluntatis Dei fuit, ut cito ſibi occurreret quod volebant. Fuerat autem olim ibi eccleſiola quædam, ſed facta jam in deſolationem defecerat. Acceſſit ad locum vir Dei, & ſingula cœpit diligenti conſideratione metiri: jamque ſpiritus ejus ſuper præparandam habitationem ſibi per providentiam ferebatur: qui tamen in hac peregrinatione ſolo corpore conſtitutus, mente in patria converſabatur æterna. Ecce homo, verus Dei cultor, ductus eſt in deſertum; à Spiritu ſancto videlicet, qui in adventu ejus, & prava direxit & aſpera complanavit.

& Præpoſito Burdegalen. commendatus

B

ad Silvam-majorem du. citur, an. 1079,

C

16 Jam deſignabat in mente ubi eccleſiam & alias officinas apte diſponeret & locaret: jam erat opus illius coram eo. Anno autem incarnati Verbi milleſimo ſeptuageſimo nono dignatus eſt Dominus in adventu Beati Geraldi locum Silvæ-majoris & patriam illuſtrare. Poſtulavit ſibi ſignum à Domino, an vellet eum ibi ſiſtere greſſum ſuum, & in honore illius opus propoſitum inchoare; an diſponeret ipſum adhuc peregre proficiſci. Cumque diutius in oratione perſiſtens, reſponſum à cæleſti conſilio expectaret, quaſi in extaſi factus, ecce Filius Dei in vexillo Crucis offert ſe aſpectui ſervi ſui. Crucis vero tanta immenſitas erat, ut ejus pars inferior terræ infixa maneret, ſuperior cæli ardua penetraret, & ita diutius firma & ſtabilis perſiſtebat. Non tamen materialiter illa crux videbatur, ſed erat quædam claritas formata in modum crucis, quæ totum locum miri ſplendoris magnitudine illuſtrabat. Expergefactus itaque homo Dei, certum concepit ex magnitudine viſionis indicium, quod habitationem loci illius Dominus receptaret. Domine Deus noſter, tu exaudiebas illum; Deus, tu propitius fuiſti ei. Loco igitur, qui conceptioni ſuæ competeret, certis limitibus de-

eumque locũ ſuæ quieti deſtinatum

cæleſti edoctus viſione,

monaſterium condit,

ſignato, libertate quoque & immunitatis integritate à terræ illius nobilibus dominis impetrata, cœpit operari conſilio manuum ſuarum; & in loco, in quo viderat Dei filium paſſionis inſigniis præfulgentem, eccleſiam, in honore ipſius & ejus ſanctiſſimæ genitricis Mariæ, ſecundo adventus ſui anno fundavit; & vivens in ſanctitate & juſtitia coram ipſo, orabat aſſiduus, ut debilia operis ſui principia meliori eventu divina clementia proſperaret.

D

17 Patet hodie quod exaudita eſt noſtri ſpiritualis Zachariæ oratio; quia illa eccleſiola, quam invenit vetuſtate confractam, quaſi ſterilis erat; & tamen in ſenectute illa viſitata & gravidata per gratiam, dānato ſterilitatis opprobrio, facta eſt fœcunda in ſobole, ita quod in Hiſpania & in multis partibus Galliarum ipſam, tamquam matrem ſuam, ſuſcitata ex ea filialis *a* devotio reveretur. Sub ipſa vero novitate ædificationis novellæ, fuerunt quidam qui dicerent de beato viro, quod ſeductor erat, & quod loculis ſarcinatis ad loca dimiſſa erat poſtmodum reverſurus. Occaſione hujuſmodi ſuſpicionis iniquæ, viri quidam ſpiritu diabolico concitati, numero quatuordecim, habitationem ſancti viri adhuc novellam & tenuem temere arbitrati ſunt diſſipare: & ſuſceptis armis, in quibus confidebant, circa crepuſculum veſpertinum ad locum iter arripiunt, ut, quod mente conceperant, compleant, ſi permiſſi fuerint, per effectum. Cumque propius acceſſiſſent, ut rapina & ſacrilegio, quorum conceptione jam inquinaverant mentem, nefariam dexteram ſordidarent; ſubito audito tintinnabuli ſono, quod de more ad nocturna officia pulſabatur, in terram, cæci effecti & ſtupidi, corruerunt; & facti ſunt adeo per omnia membra invalidi, ut humanus affectus, ſpectans tam miſerabiles, poſſet merito condolere. Mane autem facto Fratres ad opera exeuntes, illos quaſi ſemianimes invenerunt, novitatem facti illius Beato citiſſime annuntiantes. Cumque vir Dei adveniens ipſos aſpexiſſet, armatos pariter & impotentes armorum, ſatis intellexit quo ſpiritu adveniſſent; & tamen eſt ſciſcitatus ab eis, quæ cauſa illos ad deſerti ſolitudinem deduxiſſet. Illi vero ſe infelices vociferantes & miſeros, confeſſi ſunt hac de cauſa veniſſe, ut locum habitationis ejus deſtruerent & penitus ſpoliarent: ſed divina poteſtate prohibiti, pœnam pro affectu temerario ſuſtinebant. Venia tandem humiliter poſtulata, in virtute divina juſſit eos vir Dei conſurgere, & raptorum deinceps officium denegare. Illi autem protinus ad orationem beati viri, in conſpectu omnium qui aderant, viſus beneficio reſtituti, cum antea nil viderent, & ſolita penitus incolumitate percepta, ibidem ad ſerviendum Deo ſe voto conſtanti & ſtabili contulerunt; & operante divina gratia, per miniſterium ſervi Dei, in ſimplicitatem ovinam lupina rabies eſt converſa; ita quod ſub ordinis monaſtici diſciplina vitam ibi poſtmodum feliciter in Domino finiverunt.

ex quo plura alia deinde prognata:

a

qui hoc deſtructuri venerant inimici,

E

divinitus puniti,

ibidem monachi fiunt

F

18 Audierant vicini præconia ſancti viri, & per omnia montana circumpoſita ejus divulgabatur opinio, in tantum ut ad eum confluerent, & pane vitæ ſatiati ab ipſo illi temporalia miniſtrarent. Rudis ſiquidem adhuc erat in cordibus incolarum fidei Chriſtianæ religio; utres veteres erant, & ideo vinum novæ gratiæ corrumpebant. Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis: non tamen erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine. Veniebant autem omnes qui habebant infirmos, animas ſcilicet inquinamentis multiformis immunditiæ ſordidatos; & operante Domino per miniſterium ſervi ſui, docebat eos agere pœnitentiam in remiſſionem peccatorum,

S. *Geraldus miraculis clareſcente*

A catorum, & ſic curabantur ab infirmitatibus ſuis; & cordibus eorum ad recipiendum Dei ſemen vomere prædicationis aptatis, virtutum ſurculum ſpiritualis agricola inſerebat: ideoque ad eum de diverſis confluebant, & audiebant eum libentius, quia ſicut Prophetam eum habebant. Erat enim aſpectu Angelicus & corpore caſtus, mente devotus, ſermone facundus, in oratione vigil, in extrinſecis providus, in exterioribus cautus, hilaris erga hoſpites, pauperibus humilis & benevolus diſpenſator: erat omnibus omnia, ſecundum eruditionem Apoſtoli, ut omnes lucrifaceret Deo; proficiens non tam perfectæ prædicationis officio quam immaculatæ converſationis exemplo. Felix patria, quæ in viſitatione illius promiſſionum Iſaiæ Prophetæ optatum meruit principium obtinere. Iſ. 35, 1 Dixerat ipſe in vaticinio ſuo, Lætabitur deſerta & invia, exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium: & poſt pauca, manus diſſolutas confortari præcepit, & genua debilia roborari. Hæc omnia venerunt ſuper eam: nuſquam enim per deſerti ac ſolitudinis magnitudinem, uſque ad prædicti Patris adventum, liber ibi patebat acceſſus; ſed tunc facta ſunt prava in directa, & aſpera in vias planas; B confortatæ ſunt diſſolutæ manus, & genua roborata debilia: quia inter ceteras gratias, quas contulerat Dominus Sancto ſuo, dedit ei gratiam etiam ſanitatum.

frequentari incipit locus, antea deſertus.

puer loripes ſanatur:

19 Opinione namque beati viri longe lateque diſperſa, vir quidam de Limovicenſi diœceſi, fidem habens his quæ de vita & ſanctitate illius dicebantur & deducebantur in publicum, fiducialiter agebat in eum, rogans humiliter ut ipſius ſuffragio filius ejus, qui à nativitate pedes tortuoſos habebat & deformes, optatâm perciperet ſanitatem. Cumque nihil hæſitans dudum in hujuſcemodi oratione perſiſteret, filio ſuo perfecte curato, & tam in naturalem formam quam recti greſſus officium reſtituto, ſenſit ſibi beati viri præſidium mirabiliter adfuiſſe. Igitur accepti beneficii non ingratus, aſſumpto filio in teſtimonium patrati miraculi, præſentiam adiit ſancti viri; & de percepta ſanitate gratias Deo & beato viro cum devotione perſolvit.

monachus Carnotenſis naufragus

C 20 Jam prædicti venerabilis ſemperque venerandi fama partes etiam attigerat Galliarum, & illius vitæ præconia, ibi, unde jam pridem venerat, reciprocatione felici nec ſine virtutum multo fœnore, referebat. Quidam autem monachus monaſterii S. Petri Carnotenſis, audita ſervi Dei fama, poſtulavit à Domino, ut non prius mortem naturalem incurreret, quam ejus deſideratam poſſet faciem intueri, ſuoque optato colloquio ſatiari. Interim autem illum mare Anglicum navigio tentare oportuit, ubi permiſſione divina procellam graviſſimam ventorum contrarietas excitavit, unde incuſſione undarum percuſſa navis eſt caſſata, & ipſe miſerabilis naufragus, mediis fluctibus ſine ulla ligni aut funis ſuſtentatione relictus, mortem aut per ſubmerſionem aut per eliſionem, quam crebro ex conflictu fluctuum ſuſtinebat, merito formidabat, aſcendens uſque ad cælos & deſcendens uſque ad abyſſos; & uſque ad extremum mortis & vitæ diſſidium agebatur, fere per diem & noctem continue. Cum ei occurrit B. Geraldi memoria, & clamans non minus cordis voce quam oris, ipſius præſidium ſtudioſius implorabat, dicens; Vir Dei, quem miſer & infelix ego viſitare decreveram, ſi vera ſunt quæ de tuæ virtute operationis audivi, adſis in auxilium naufraganti: impetra orationibus tuis ſacris à Domino, ne diſruptis morte miſerabili vinculis vitæ meæ, votum, quod de præſentia tua pe-

B. Geraldum invocans ſalvatur:

tenda conceperam, d ſſolvatur. Vix orationis verba finierat, & ecce in auxilium ſpei ſuæ optato affuit vir beatus, ita quod ad invocationem ejus obvia eum navis exciperet, & ſolo reſtitueret de profundo pelagi liberatum. In voto ergo ſuo, accedente tanto beneficio, confirmatus, qui jam appropinquaverat uſque ad portas mortis, vitæ priſtinæ reſtitutus, liberatorem ſuum devotus appetiit; & gratias agens, quam magna ſibi fecerat qui potens eſt ob ipſius merita, ſupplici confeſſione monſtrabat. PER CHRISTIANUM EX MS.

plurimi à febribus curantur:

21 Vir vero illuſtris opinionis & gratiæ, ſi quando ei contingeret recitari præconia, non ſibi, ſed quem ſervum reputabat inutilem, ſed divinæ magnitudini humiliter adſcribebat. Confluebant ſiquidem ad illum de diverſis partibus plurimi, qui vel infeſtabantur à febribus vel aliis languoribus tenebantur: quibus per pœnitentiam primo mundatis interius, benedictum panem miniſtrabat; & frequenter per miniſterium ſuum, his qui digni erant, ſpiritualem curam ejus ſpiritualis ſoſpitas ſequebatur. Plures quoque de lapide in ſepulturam illius aptato, cultello ſeu modo quolibet minuente tritum potibus immiſcebant; & ex ipſo potu, virtute faciente divina, ſæpe à ſuis infirmitatibus curabantur.

E *Ipſe mortem præſentiens ſuos extremis alloquitur,*

22 Cumque per multa ſigna & prodigia vita ejus ſancta & immaculata manifeſtius claruiſſet, tandem reſolutionis ſuæ tempus inſtare ſpiritu revelante cognovit, & in unum Fratribus convocatis, cœpit eos ſacris exhortationibus informare, ut videlicet poſt ejus obitum caute declinarent contentiones & ſchiſmata, ſervantes omnibus modis in vinculo pacis ſpiritus unitatem, & ne traditiones ejus aliqua ſuperſtitione permitterent inquinari: ſed ſciret unuſquiſque poſſidere in ſanctificatione vas ſuum, ut templum Spiritus ſancti fieri mereretur. Poſtquam autem à Patre ſpirituali verbi Dei cibo refecti ſunt, & ipſe ſibi adhiberi fecit remedium Unctionis extremæ: ſumptis quoque ſacroſanctis Dominici Corporis & Sanguinis cum omni devotione Sacramentis, ad præparandam ſibi viam ſalutis æternæ, dedit pacis oſculum univerſis: & data cum benedictione licentia, juſſit eos in partem ſecedere, ut cæleſtium ſpirituum agmina, per quæ ipſum divina dignatio viſitabat, illis amotis ocius ſubintrarent, & aſſumptum ejus ſpiritum ad locum adducerent ſibi à Domino præparatum. Ad hanc vocem egreſſi ſunt, Cæleſtium præſentia ſtupefacti, gaudentes pariter & dolentes, dum eos hinc Patris diſſolutio F mœſtos efficeret, hinc de corona ipſius per tam digna miracula ſpei & fidei reficeret certitudo.

quibus dimiſſis

viſitatur à Sanctis

23 Adſunt igitur, agminum conſortia beatorum; mortemque, rem amaram, quæ naturaliter horrorem inducit, tanta circa eum obſequii impenſi reverentia, glorioſa quædam conſolationis pariter & ſecuritatis celebritas feſtivat. Igitur tam ſancta & venerabili concione præſente, B. Geraldus, diſpoſita domo ſua, clauſtris & officinis pro parte compoſitis, erecta monaſterii fabrica pro maxima dimenſione parietum, formata & informata ibi monaſtici ordinis diſciplina, appoſitis etiam certis & ſingularibus obſervantiis (quæ uſque in hodiernum, diem divina operante virtute, ſummo ſtudio, inviolabili firmitate ſervantur) emeritus, ætate maturus, in ſenectute bona, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo *b* quinto, Nonis Aprilis, naturæ debitum ſolvit: & celebrato cenſura divina corporis animæque divortio, vitalem ſpiritum, exultantem in Domino, Angelorum aſſiſtentium ſinibus reſignavit. *& moritur an. 1095* *b*

& multis undique concurrentibus ſepultus

24 Audita vero ſancta depoſitione illius, plurima de diverſis partibus turba Cleri & populi, virorum & mulierum turmæ, juvenes & ac virgines, ſenes cum junioribus, ad celebrandas ejus exequias con-

PER CHRISTIANUM EX MS.

venerunt. Lamentabantur inconſolabiliter, & dolebant ſe deſolatos ejus præſentia temporabili: ſed quem in terris noverant converſationem duxiſſe Angelicam, ipſius patrocinio ſpirituali ſe cum omni fiducia ſperabant aſſidue in poſterum conſolandos. Sed quia conſolatore ſublato de conſolationis imminentis diſpendio formidabāt, deplorabant communiter commune incommodum: & cum eſſet communis inter ipſos dolendi materia, eadem eos ad fletus & lacrymas communiter provocabat. Sepultum eſt itaque venerabile corpus ejus in eccleſia ipſa & ſeptentrionali plaga; & ſepulcrum ejus multimodis miraculorum inſigniis, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, tam decenter quā reverenter ornatur, ſecundum diverſa beneficia, quæ per ipſius merita fidelium devotio experitur. Nos igitur, qui eum vitam terrenā & tranſitoriam in melius fide non dubia credimus immutaſſe, & de terra iſta morientium ad terram viventium tranſlatum eſſe feliciter, Deo gratias agimus, qui ſpecialem in conſpectu ſuo paſtorem & patronum B. Geraldum nobis dignatus eſt immenſā ſua clementia deputare: qui eſt in Sanctis ſuis mirabilis, cui eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

miraculis honoratur.

B

ANNOTATA.

a *Pullaria generalis Archiepiſcopatus Burdegalenſis, gallice edita Pariſiis anno 1648, continens omnia iſtius Archidiœceſis beneficia, enumerat Prioratus circiter 30 qui modo ab hac Abbatia dependent, præter eccleſias curatas multo plures: in illis ſunt quatuor in Arragonia Prioratus, unus in Anglia.*

b *Bucelinus neſcio qua ſua aut typothetarum ſocordia in textu & margine an. 1050 habet.*

CAPUT III.

Miracula poſt B. Geraldi tranſitum.

Pauca ex multis ſcribuntur: Math. 12, 39

25 DUm diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, à pie credentibus non multum eſt de miraculorum inquiſitione curandum: dictū quippe credimus à Domino: Generatio prava & adultera ſignum quærit. Unde miracula plerumque data & oſtenſa eſſe credimus, ad incredulorum duritiam convincendā. In his autem qui perfecte credunt, & in fide Chriſti firmati, arſerunt igne mutuæ caritatis, honeſtius & tutius eſt cenſendum, omnipotentem Deū in ſuis magnificare operibus, qui dividit ſingulis prout vult; quam ubi vita ſancta precedit, de miraculis nimis proterve inquirere; vel quærendo aliquid dignū correctione ſentire. Satis enim eſt quod juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorum; honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius. Verumtamen de multis miraculis, quę Deus per merita S. Geraldi dignatus eſt ante diſſolutionis ſuæ terminum vel poſt operari, pauca cum devotione recitanda decrevimus: quia per negligentiā plurima, ſoli Deo nota in memoria hominū non habentur. Licet igitur totā vitam ejus miraculis claram credamus & miraculoſam undequaq; fuiſſe; aliqua tamen ſpecioſa ſcribimus, ne inopia turpiter eſſe inopes cōvincamur.

C

Miles à matre commendatus ſancto

26 Quædā mulier nobilis duos filios habens, militari cingulo jam aptatos, tantam poſuerat in virtute ſancti viri fiduciam, ut frequenter cum devotione ipſius tumulum viſitaret, & ſe ac duos filios ſuos ejus præſidio & defenſioni ſubmitteret. Quadam vero die cum videret eos accingi & parari ad prælium, quod prope manſionem ſuam caſualiter imminebat, nec poſſe illos aliquatenus cohiberi; ipſos flexis genubus, fuſis lacrymis, B. Geraldi patrocinio commendavit, oravit & petivit ab eo, ut ipſos ei ſanos incolumeſque remitteret. Igitur procedentibus illis, cum præcipites ferrentur ad pugnā, deſiderio exercendæ militiæ inflammati; quidam illorū adverſarius ex inſidiis, quas occulte poſuerat, ſuper eos irruit improviſus, unumq; ex eis valido impetu lancea transfixurus appetiit: ſed prævalente cuſtodia ſancti viri, cuſpis ferri, obice nudi corporis hebetata, non potuit feriēdo nocere; imo ferri durities, carnis reflexa mollitie, viſa eſt verſus rigorem haſtæ acti eſſet cerea retorqueri: ſicque miles à cuſtode ſuo ſervatus illæſus, matri ejus lætus & incolumis reſtitutus eſt. Mater vero miraculi novitate ſtupens & lætabunda, ſepulcrum defenſoris adiit feſtinanter, filios ſecum ducens, ferrum lanceæ detulit, ut tumbæ ſuperpoſitum ſemper in rei geſtæ memoriam dependeret.

D

liberatur à morte.

Petrus Abbas 7 teſtatur.

27 Cum vir ſanctus Abbatis humilis diligēter exequeretur officium, fuit inter alios quidam juvenis, Petrus nomine, monachatus ab eo: qui Domino inſpirante in paſtore ſequens veſtigia ſanctitatis, tanto ab ipſo perfectiorem informationē accepit, quanto per ferventiorem vitam eam diligentius quærens avidius appetebat. Hic ergo cum circa eum in officio Capellani fuiſſet diutius converſatus, de ſanctitate ipſius & vita immaculata notitiam pleniorem habebat. Referebat autem præmiſſum miraculum, & alia plurima, poſtquam fuit electione Fratrum canonica in domo ipſa, ſecundum meritorum & firmitatis exigentiam, religionis paſtor & Abbas ſeptimus ordinatus. Inter cetera vero iſtud etiam *a* ſcripto tradidit & probato ſuo teſtimonio confirmavit. In cœnobio ipſo unum de Fratribus gravi contigit ægritudine laborare: defluxione namque inordinata & nimia totum intumuerat corpus ejus, cutiſque facta livida, per omnes corporis partes ad tactū quemlibet tympanizans, vehementiſſime tendebatur. Qui cum languoris ſui ſolū mortis crederet ſupereſſe remedium, caſſatus & oppreſſus acerbitate doloris, & affectus tędio miſerabilis vitæ, quaſi quædam moles ſibi impedimento exiſtēs, acceleratæ mortis terminū expectabat. Cumq; B. Geraldi patroni ſui tam attentis quam neceſſariis votis præſidium imploraſſet: quietem aliquantam ſomno momentaneo ſuperveniente accipiens, gratam habuit viſionem. Putabat enim ante ſacram ipſius beati viri tumbā ſe pro vero conſiſtere, & de tumulo ultro ſibi aperto dentem unū de corpore ſancto & reverendo aſſumere. Cum quo ſuper ſe imprimens ſignū Crucis, ſe curatum perfectiſſime ſentiebat. Igitur præ gaudio excitatus, affectabat experiri realiter, quod imaginarie fuerat contemplatus. Mane autem facto, molem corporis traxit cum ſumma difficultate ad tumulum, & juxta formam viſionis procedens in ſingula, per merita ſancti viri, contra humanæ ſpei fiduciam, perfectam adeptus eſt ſanitatem,

E

a fratrem quemdam à moleſto corporis totius tumore

ad tumbam ſancti liberatum.

F

28 Quodam etiam tempore quidam ejuſdem monaſterii Cuſtos, adeo fuerat violentia gravis infirmitatis exhauſtus, ut in ultimo vitæ & mortis examine conſtitutus, nulla in ſe viventis ſigna ſpiritus, eū ſubtiliter vocantibus exhiberet. Cum autem miniſtri & qui aſtabant, circa hujuſmodi attenti eſſent, & inter certum & incertum mentes hominum agerentur, niſi quia pluribus certior videbatur pro morte ſententia; & vellent facere pro illo ſecundum conſuetudinem morientium, ut eum ad terram deponerent; in cinere pariter & cilicio, ſicut moris eſt, collocandum; idem infirmus, affectu quo potuit intimo, ſancti viri præſidiū invocavit, de ipſius meritis & virtute confiſus, & (ſicut ipſe teſtimoniū perhibuit continuo liberatus) adfuit ipſi præſentialiter in veneranda canitie vir beatus, qui eum blande attrectans, mirabiliter manuum impoſitione liberavit.

moribundus, ipſo apparente ſanatur.

29 Oliverius quoq; nobilis miles, filius Augerii de Rioncio,

A Rioncio, nobilis viri, de cujus dono locũ Silvæ-majoris adeptus fuerat vir beatus, captus ab hoſtibus, ad caſtrum, quod Mons-rebellis dicitur, fuit in multis verberibus & corporis afflictione adductus. Cumque ibi tentus eſſet aliquamdiu, compedibus & manicis ferreis alligatus, nuduſque lacte perfuſus quodam die ſolaribus radiis exponeretur, ut à muſcis impeteretur avidius, & ipſarum ſtimulis acrius torqueretur: memoratus vir Dei, beneficii non immemor, die media ei obſequium perſonalis viſitationis exhibuit, conſolatuſque ipſum blandæ ſalutationis alloquio, dixit ei: Quomodo tibi eſt, Frater; Domine, inquit, male, ſicut vides. Surge, inquit Sanctus; ſurge. Qui reſpondit, Quomodo poſſum ſurgere, preſſus tantarum pondere catenarum? Et reverſus ad ſe, cum ad inſtantiam ſancti viri ſurgere attentaſſet, confeſtim omnia vincula, quibus obſtrictus tenebatur, in terram diſſoluta penitus corruerunt. Sentiens itaque divinum ſibi adeſſe præſidium, ſciſcitabatur ſedulo nomen ejus; videnſque cuſtodes ſibi imminere non longe abſentes, alioſque deambulantes plurimos in platea, metuebat abire. Cujus puſillanimitatem Sanctus arguens, ait: Vade, ne timeas, & ſumpta in teſtimonium vincula, quibus ligatus extiteras, ad cœnobium B. Mariæ Silvæ-majoris abſque ullo timore deporta: nullus enim horum, quos vides, nec quiſlibet alius, uſque ad locum quem prædixi, te poterit aliquatenus impedire. Sciaſque Geraldum, quondam illius Abbatem, tibi extitiſſe ductorem. Admirans igitur ille pariter & gaudens, non tam pro liberatione ſua quam pro manifeſta viſitatione ſancti viri, abiit viam ſuam, juxta verbum quod dixerat ei Sanctus, per medios hoſtes tutus; & in memorato monaſterio receptus, ſeriatim quæ ſibi contigerant nuntiavit. Convenientes igitur confeſtim Clerus & populus cum Fratribus ejus loci in eccleſia, cum ſumma lætitia, & lacrymas fundentes præ gaudio, pulſatis ſignis hymnum Deo, Te Deum laudamus, cantaverunt, & gratias uberrimas retulerunt, & in memoriam patratæ virtutis, ipſa ferrea vincula ad honorem Dei ſuper ſepulcrum ſancti viri, cum multis aliis, longo poſt tempore dependerunt.

captus ab hoſtibus

ſolutus vinculis

eodem venit è paralytica

30 In porticu hoſpitalis, quod propeportam monaſterii B. Geraldus adhuc vivens ad recipiendos pauperes infirmoſque conſtruxerat; mulier quædam, Algare nomine, de villa quæ dicitur Avaron *b* oriunda, inter veſtibulum ipſius domus eleemoſynariæ paralytica jacens, acerbitate paſſionis & doloris continui acriter torquebatur. Quadam autem nocte B. Geraldus mulieri languenti apparuit, faciem habens emerita canitie candidatam: & cum juberet eam ſurgere, mulier ad aſpectum viri pariter & verbum ſtupefacta, utpote quæ per longum tempus uſum membrorum amiſerat; crebra tamen illius juſſione excitata ſimul & compulſa, ſurrexit. Surgente autem illa, fragor tantus ex nervorum protenſione productus eſt, ut ipſa ex terribilibus vocibus, quas audita eſt inde facta ſtupida ſyncopando proferre, dormientes in hoſpitali excitari compelleret, & apertis januis ſciſcitari ab ea, quid cauſæ coëgiſſet eam tam inſolite & tam terribiliter proclamare. Quæ humiliter pandens ordinem in ſe patrati miraculi, juſſam ſe eſſe aſſeruit à B. Geraldo, qui eum ſanaverat, ad monaſterium gratias reddituram properare. Secum ergo ipſam rectis greſſibus ad monaſterium incedentem ducentes pulſaverunt ad januam: quibus apertis introeuntes proſecuti ſunt eam uſque ad tumulum beati viri cum laudibus, magnificantes Deum cum reverentia & timore, qui per merita ſancti viri mulierem mirabiliter liberavit.

b

C

ſimili viſione curatur

31 In alia quoque muliere, omni penitus membrorum ſuorum uſu deſtituta, quam quidam filius ejus de remotis partibus ad eumdem quem præmiſimus locum hoſpitalis adduxerat; idem vir ſanctus præſentiæ ſuæ exhibitione, ad manifeſtam omnibus Dei virtutem & Dei gloriam, hoc miraculum ſuæ curationis iteravit: & quia conſimile alias factum fuit, in recitatione illius per ſingula non duximus immorandum.

PER CHRISTIANUM EX MS.

item alia paralytica,

32 Claudus quidam in eodem hoſpitali fuerat diutius ſuſtentatus, qui circa crura, pedes & tibias adeo erat debilitatus omnino, quod enervato naturali vigore, ad neceſſaria repens, natium manuumque beneficio traheretur. Huic autem B. Geraldus in viſione apparens, hortatus eſt eum ut eccleſiam peteret, & inter alios nocte imminente, qua ſolennes agebantur Vigiliæ, pernoctaret orando & reciperet ſanitatem. Paret ille, & protrahens cum difficultate ad eccleſiam ſemetipſum, prope ſancti viri tumulum ſe locavit. Cumque juxta promiſſum viri Dei divinæ virtutis potentiam expectaret; impellebant eum majores & nobiliores qui ad eumdem locum devotionis cauſam confluxerant, ſancti viri tumulo inhærere propius affectantes. Excuſabat quantum poterat impotentiam ſuam, rogans ut compaterentur afflicto: ſed quanto magis parci ſibi poſcebat, tanto invaleſcebat clamor impellentium contra ipſum. Itaque neceſſitate compulſus diſcedere laborabat, & extenſis manibus ad gradus altaris B. Mariæ, auxilio beati Confeſſoris ſurrexit, ſtetitque ſuper pedes erectus, gratias agens Deo & B. Geraldo, cujus promiſſum certum & firmum comprobaverat in effectu: & integre liberatus, viſus eſt dudum præfati monaſterii paſtor armentarius extitiſſe.

& claudus quidam

E

poſtea monaſterii armentarius.

33 Proceſſu vero temporis, habito & firmato bonorum virorum conſilio, de ipſius ſancto corpore transferendo, convocatis Epiſcopis & aliis religioſis viris; cum glorioſum ejus corpus de loco in quo poſitum fuerat, reverentia debita & timore, locum tranſportaretur in alium, ubi tutius & ſecretius haberetur; unus de aſſtantibus veſtem ſuam ſtudioſius ſuppoſuit, & dentem unum à loco ſuo convulſum lætabundus accepit. Diſcedens igitur, inſignem reverendi corporis portiunculam gerens, egreſſus villam, tanto fuit ſtupore perculſus, ut relicto recto itinere de via vagus quæreret, & eadem loca ſæpiſſime circinans, diutiſſime mente captus erraret; & eundo laborans, ultra non poſſet à ſancti viri monaſterio elongari. Tandem cum ad ſe divina permiſſione rediret, advertit iter ſuum ex ſancti viri Reliquiis impediri, cum eas indignus & indigne geſtaret: & concepto revertendi propoſito, ſtatim ſui compos effectus ad monaſterium properavit; & delictum pii furti Abbati & Fratribus ejuſdem loci denuntians, Reliquias reſignavit; & poſtulata venia de commiſſo, liber & incolumis eſt dimiſſus.

In elevatione corporis

dentem auferens aliquis, nequit abire.

F

34 De caſtello, quod *c* Burgus dicitur, ad monaſterium Silvæ-majoris adducta eſt dæmoniaca quædam; quæ licet ante ingreſſum monaſterii veſtes ſcinderet, & debacchando verba inſana proferret; in ipſo introitu in tantum converſus eſt furor ejus, ut ab illa omnino ceſſaret inſania, & pro ſalute ſua B. Mariæ Sanctique Geraldi Confeſſoris præſidium invocaret. Cum autem noctibus ibi pluribus in oratione fuiſſet, nec ſatisfieret voto ſuo; committens ſe beati viri cuſtodiæ ad propria remeabat. Sane parum à monaſterio diſceſſerat, & ecce obviam habuit Confeſſorem; qui apprehendens dexteram manum ejus, fugavit dæmonium, eamque reſtituit ſanitati. In villa Silvæ-majoris, quam-

liberatur dæmoniaca, c

tibia arida ſanatur.

AUC. SYNCHRONO EX MS.

dam, cui tibia una cum ipſo pede aruerat, accedentem ad ejus tumulum, in ſpe ſanitatis adipiſcendæ, vir Dei coram populo miraculoſe ſanavit, & aptiorem reddidit in eundo quam antea extitiſſet.

mendicus contractus

35 Audita ſane poteſtate ſignorum, quæ fiebant ſuper his qui infirmabantur, factus eſt concurſus populorum: & cum ad patrocinium viri Dei confluerent de diverſis terrarum partibus multitudo languentium, adipiſcendæ gratia ſanitatis; advenit inter alios quidam de Burdegala civitate oriundus, nomine Petrus: qui tibiarum & pedum nervis contractis & emortuis incurvatus, ſolis manuum & genuum ſubſidiis more quadrupedis incedebat. Dilato vero circa eum, ſecreta divini diſpenſatione conſilii, curationis remedio, erat in eodem loco publice mendicans longo tempore, & ad eleemoſynam ſedens. Cumque de impenſis miſericordiæ, quas acceperat, ad uſuram commodare propoſuiſſet, & per conceptam voluntatem jam mancipaſſet effectui: compaſſus vir Dei miſerrimo homini, (ea nimirum qua ſolitus erat ſpecialiter pietate moveri, circa ejuſmodi languidos) mirificans in eo miſericordias ſuas, effectu proſequente curationis, occurrit ipſius hominis tam peſtifero criminis morbo, ne contritione duplici contereretur. Apparuit autem per viſum, eique minaciter innuens comminatus eſt, inſtanter ſibi diem imminere ſupremum: præcipiens ut quidquid de contagioſo fœnoris lucro manus ejus contigerunt, quantocius redderet, & confeſſus de peccato reſipiſceret, & caveret impoſterum; ſicque confidenter ad monaſterium properans vota ſua Deo perſolveret, ibidem adepturus integerrimam ſanitatem. Qui ſtatim ſingula quæ juſſus fuerat devotiſſime complens, ad beati viri ſepulcrum acceſſit, & oratione ad Deum præmiſſa, invocato ipſius nomine, reſtituta eſt ei perfecta ſuorum greſſuum rectitudo. Benedictus per omnia Deus Dominus, qui per merita B. Geraldi totum hominem ſanum faciens, geminæ tam animæ quam corporis ſaluti reſtituit caſtigatum. Præfatus autem homo oblatis ad ſepulcrum pro teſtimonio ligneis inſtrumentis, quorum uſu ſubnixus antea gradiebatur, gratias agens Deo diſceſſit incolumis; pauciſque poſtmodum diebus evolutis, juxta verbum ſancti viri, diem clauſit extremum.

datas ſibi eleemoſynas uſuræ impendens,

B

jubetur pœnitendo

ſanitatem mereri.

C

36 Igitur quia difficile nimis eſt longumque deſcribere, quanta per eum Dominus bona dignatus fuerit operari, quanti etiam ab errore viæ malæ ad viam converſationis ſanctæ ac pietatem divinæ juſtitiæ ſint converſi; paucis tamen enuntiatis, de plurimis miraculorum ejus virtutibus, quorum partem vidimus & cognovimus ea, partem quoque dederunt nos fideles Ordinis noſtri Patres & annuntiaverunt nobis, ut enarrarentur in progenie altera; & de quibuſdam perhibuerunt teſtimonium, & credimus eorum teſtimonium verum eſſe, ad finem de cetero duximus properandum. Hoc profecto teſtificantes cunctis legentibus, quod juxta teſtimonium præcedentium Patrum, ſecundum etiam fidem oculorum noſtrorum, multa fecit & alia ſigna, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc: quæ non ſolum per negligentiam, verum etiam propter ſuam frequentiam, ac demum ad evitandam prolixitatem prætermiſſa ſunt: & præcipue quia tutius & honeſtius judicamus, longe infra metas perfectæ veritatis, multa relinquendo, ſubſiſtere; quam ultra videamur impetuoſe nimiſque loquaciter prorupiſſe. Verumtamen iſtud poſſumus confidenter adſtruere, quod ſæpe meminimus nos vidiſſe, utriuſque ſexus homines pro diverſarum quibus indigebant beneficiis ſanitatum, ad ſepulcrum ſancti viri à parentibus eorum & amicis adductos; ibique in oratione & abſtinentia trium aut quatuor noctium vigiliis celebratis, integræ ſanitati per beati viri merita reſtitutos. Qui poſtmodum in gratiæ perceptæ memoriam, ad ſolutionem certi & annui cenſus ſe devote monaſterio & Fratribus ibi Deo ſervientibus obligabant; & viſitantes locum, ſtatutis eum temporibus perſolvebant. Plures quoque de partibus Normanniæ ſpecialiter, & generaliter de diverſis aliis locis, ad ipſum ſæpius monaſterium acceſſerunt; trahentes ſecum atque portantes diverſa genera catenarum, quas ad ejus tumulum offerentes humiliter, aſſerebant ſe ad invocationem illius mirabiliter liberatos: & prædicto modo conſtituebant ſe monaſterio cenſuales. Quod etiam ipſum ſæpiſſime vidimus à multis & longinquis partibus monaſterio perſolutum. Adhuc ſiquidem per gratiam Dei frequentantur & vigent per effectum miraculorum ejus inſignia: adhuc per eum Dominus vincula diſſolvit & carceres, peſtes aufert, febres evacuat, fugat dæmones, regit eccleſiam quam fundavit in honore B. Mariæ & beatorum Apoſtolorum Simonis & Judæ & omnium Sanctorum, quorum conſortium omnibus diebus vitæ ſuæ in juſtitia & ſanctitate quæſivit: ad quod perduci mereamur, illo greſſus noſtros dirigente, qui eſt principium ſine principio, finis ſine fine. Amen.

D

etiam ex longinquis partibus,

E

Alia plurima miracula ſcripta non ſunt.

concurritur ad ſepulcrũ ob infirmũ.

ANNOTATA.

a *Crediderit ne Chriſtianus primam Vitam ab illo Petro ſcriptam eſſe, an aliud ejus ſcriptum viderit, incertum eſt. Hoc ſi fuiſſet, miraremur in prima Vita non citari: iſtud non credet, qui viderit, quomodo ipſe Petrus ſemel iterumque citetur ut teſtis in illa vita, imo tamquam jam mortuus.*

b *Rectius fortaſſis* Avallon, *quo nomine eſt oppidum in Ducatu Burgundiæ ad fines Nivernenſes.*

c Burgum *vulgo* ſupra mare *cognominatum, milliaribus infra Burdegalam circiter 12, ad oſtium Dordonæ in Garumnam influentis, cum eoque portum ampliſſimum efficientis.*

SERMO DE S. GERALDO,

A Stephano Epiſcopo Tornacenſi

pro Officii proprii Lectionibus compoſitus.

F

Celebrandus S. Geraldi natalis,

1 SAnctorum mortem, ſemper pretioſam in conſpectu Domini, Beatiſſimi Geraldi, tum Patris præcipui, tum etiam Confeſſoris egregii, natalitia feſta commendant: jure enim diem ſacri ejus de ſeculo tranſitus natalitiam dixerim, quo mundani squallore emergens ergaſtuli, celeſtis conſcendere meruit palatia regni; deque ſiniſtra tranſlatus in dexteram, jura mortis atrocia perenni immortalitate mutavit; & de perituro & labenti ſeculo evectus eſt cælo. Vere beatus, vere omnifaria laude digniſſimus cui propoſitum fuit ita militare in ſeculo, ut in perpetuum regnaret cum Chriſto.

qui de hoſte triumphans

11 Denique æterni Imperatoris victricia arma ſecutus, atque inter athletas robuſtos dato nomine, ſacramentis militaribus obligatus, non ſegnis in divina militia torpuit, non ſibi notam paſſus eſt deſertoris inuri: quin potius viriliter cum hoſte congreſſus, diſciplinabili ratione certaminis, non modo contrarios ictus, clypeo fidei circumſeptus, eluſit; verum etiam infeſtos inimici impetus, ingenti pondere virtutis, inclytus præliator oppreſſit.

calum poſſidet,

111 Ita de omnibus victor emergens, curru invectus æthereo, ad cæleſte capitolium nobilem duxit triumphum: palmaque immortalitatis pariter donatus & laurea, ſidereos cœtus meritorum privilegio

A gio cumulavit : ibique feliciter perpetuus, ac perpetuo felix, ipſe conregnans Chriſto, cohabitat Angelis, conſpatiatur Archangelis, poſtremo Sanctorum omnium millibus collætatur. Inde hodiernæ feſtivitatis manavere tripudia : inde Chriſtianæ plebi tantæ tamque præclaræ ſolennitatis gaudia profluxerunt : hinc Clerus concinit, inde populus plaudit, pauper tripudiat, dives exultat.

Sanctis quibuſvis comparandus, ob virtutes

IV Juvenes & virgines, ſenes cum junioribus laudant nomen Domini : cujus munere hic tantus, tam celebris tamque præclarus emicuit ; ut & ſanctitatis apice magnus, & miraculorum copia maximus, quibuſcumque Sanctorum prædicetur merito comparandus & præmio. Cujus enim continentiam ſingularis parſimoniæ ſtudio non æquavit ? cui virtute patientiæ impar fuit ? quo fide inferior, ſpe minor extitit ? quem denique ſummæ caritatis provectibus non tranſcendit ? qui ſua quidem & ſe abnegavit pro Chriſto, ut ipſum in caritate Dei & proximi, crucem ſuam tollendo quotidie, greſſibus pedum ſequeretur & actuum : parentes relinquens & patriam, culmen honoris & humanos favores fugiens, & manens in ſolitudine, ut caſtis Deo famularetur obſequiis ; ſemet ipſum convertendis peccatoribus tradens, ut liberaret à morte animas eorum, eoſque lucrifaceret & redderet Redemptori.

B

& miracula ;

V Quantum vero ſpiritualium refulſerit ſplendore ſignorum explicare, ſuperfluum judico : quia tanta ſunt, ut ſui magnitudine multorum, imo omnium, notitiam facile vindicarint. Si ergo tanta potuit moribundus, credimus equidem, nec vana fide, multo potiora obtinere poterit immortalis : ſi pugnans talia præſtitit, regnans cum Domino incomparabiliter meliora præſtabit. Hunc ergo inter juſtos juſte numerandum, teſtantur facta per ſeculum, ſigna poſt tranſitum ; opera, dum vixit, mirabilia ; poſtquam receſſit, mirabiliora.

Martyribus quoque

VI Cum præſertim ad unum ſanctitatis culmen diverſos mutavit aſcenſus : [quia] non una eſt tantum via, quæ gloriæ tuæ, Chriſte, ducit ad regnum. Quid enim durius eſt, crucem ferre per tempora, quam mortem ſtatim ſubire per vulnera ? Quid inferius eſt, mundum vincere, quam gladium non timere ? Non diſtat propter te mortificatus à mortuo : cum in utroque ſit glorioſum, & abuti nolle quod placeat, & uti nolle quod liceat.

C

in nullo inferior :

VII Par eſt enim, ut credimus, illecebris non acquieſcere per rigorem, ſuppliciis non cedere per dolorem. Ubi eſt æqualis animus in dilectione, Percuſſor deeſt fidei, non confeſſor. Voluit triumphare, qui militat, qui militare non deſtitit, dum conſummat. Sed in his ſibi nihil ſine adjutorio tuo arroget humana fragilitas : tuis enim, Domine, muneribus debet imputare, qui vicit : quia tuis viribus portavit utique, quod pertulit. Hunc tu, Deus ſumme, coram te pro noſtris facinoribus interceſſorem ſtatue : quem dono gratiæ tuæ, & vita illuſtrem, & mortis interminatione conſtituiſti inſignem.

& ab omnibus pie invocandus.

VIII Hunc igitur nos talem ac tantum virum debitæ ſervitutis frequentemus obſequiis ; nec torpeat animus in officiis, ſi non vult eſſe fruſtratus in votis : Divus enim Geraldus rogatus aderit, interpellatus favebit ; cuncta incommoda ſubmovens, cuncta commoda providebit. Flectet precibus Judicem, pro reis & fragilibus interpellabit Auctorem, obtinebit apud Deum veniam criminum, impetrato immortalitatis munere conſortia dabit præmiorum. Præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui laus & perennis gloria, indeficiens victoria, nunc & in omnia ſecula. Amen.

LECTIO ſancti Euangelii ſecundum Joannem. In illo tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis Ego lux in mundum veni ut omnis qui credit in me in tenebris non maneat &c. Homilia Divi Auguſtini Epiſcopi ex tractatu 54 in Joannem ante medium ſuper eumdem locum. PER STEP. EP. TORN.

Lectionibus interſeruntur Reſponſoria rythmica, quorum unum pro auctoris dignitate hic addimus.

Reſponſoria & Antiphonæ

Delectare, Silva-major, in Geraldi nomine :
Qui ſplendore veri ſolis & cæleſti lumine,
Umbram tuam liberavit à mortis caligine,
Et mundavit ſaltus tuos ab effuſo ſanguine.

Hoc primum Reſponſorium eſt : cetera ex diverſis vitæ ejus partibus laudibuſque petita, huic fere ſimilia nec ad hiſtoriæ notitiam facientia. Antiphonæ ad Pſalmos ſingulos, tam Matutini quam veſpertini officii, pari variantur metri ac rythmi venuſtate : quos tamen brevitatis cauſa omittimus. Hymnos in eodem officio decantandos hic damus.

HYMNUS AD VESPERAS ET MATUTINUM.

Exaltet Aquitania Patris noſtri præconia,
Cujus gaudet præſentia ſentitque beneficia.
In hoc ſolenni gaudio, creſcat noſtra devotio,
Fruamur ut propitio Geraldi patrocinio. E
Hic ab ætate tenera, inter virtutis opera,
Nec formidavit aſpera, nec affectavit proſpera.
Vir inſignis, vir inclytus, vas erat ſancti Spiritus,
Tam Prælatus quam ſubditus, ad labores expoſitus.
Simplex & rectus animo, Deo gratus & proximo,
Affectu promat intimo preces noſtras Altiſſimo.

AD LAUDES

Hymnum laudis & gloriæ læti canamus hodie,
Ut ſit in ſignum gratiæ concepta vox lætitiæ.
Geraldus ab illecebris mundus, & mundo celebris,
Exit de carnis latebris nec funeſtus nec funebris.
Sub monachali regula ruga carens & macula,
Per ſigna per miracula mortis diſrupit vincula.
Currens, ſed non in irritum, naturæ ſolvit debitum :
Cujus commendat exitum curſus expleti meritum.
Confeſſor par Martyribus, adeſto confidentibus :
Junge nos tuis precibus concives cæli civibus.
Sit laus Patri cum Filio, & in duobus Tertio :
Quorũ ſimplex connexio, unitas, & non unio. Amẽ.

ORATIO F

Concede nobis, omnipotens Deus, S. Geraldi, Confeſſoris tui atque Abbatis, meritis confoveri : ut quem multis voluiſti miraculis declarare in terris, ejus interceſſionibus commendemur in cælis.

EPITAPHIA

à Baldrico Abbate Burgulienſi compoſita.

COævus & familiaris S. Geraldo fuit Baldricus, Burgulienſis apud Andegavos Abbas factus anno MLXXXIX, *poſtea autem ſub annum* MCV *Dolenſis Archiepiſcopus : cujus carmina hiſtorica, ex MS. Codice Alexandri Petavii Viri Clariſſimi edita, leguntur tom.* 4 *Francicorum du Cheſne, & inter hæc pag.* 270 *ſequentia Epitaphia.*

I

Cum pro defunctis ſoleant orare fideles,
Proque ſibi caris perpetuent lacrymas ;
Pro Patre Geraldo nihil eſt utriuſque neceſſe,
Qui cæli civis incola vixit humi.

Silvam

Silvam majorem monachis Dominoque dicavit,
PER STEP. Exul ſponte ſua finibus à patriis.
P. TORN. Francia natalis ſibi ſorduit, hancque reliquit,
Silveſtres ſaltus Burdegalæ veniens.
Pullulat ecce polo ſilveſtris terra colonos,
Quæ per Geraldum floruit agricolam.
En felix anima cæli lætatur in aula:
Artus hic poſiti lætificent populos.

II

Silvæ-majoris jacet hic ſanctiſſimus Abbas,
Abbatum ſplendor & monachile decus:
Hic ſilvas coluit, Chriſtoque novalia fecit,
Ut ſaliunca roſam, poma ſalix generet.
Iſte locus primum ſilveſtris & effera tellus,
Ipſius exemplis eſt modo porta poli.
Vir cani capitis, vir perfectæ probitatis,
Cælorum civis dormiit in Domino.
Plebs Aquitana, Patris corpus complectere tanti,
Qui tibi vivit adhuc religionis odor.
Gallia congaude Geraldo, quem genuiſti,
Ac cineres ſanctos hic venerare ſuos.

III

Mente columbinus, zeli fervore ſeverus,
Alloquio dulcis, moribus egregius,
B Pauperibus largus, ſibi parcus, fronte ſerenus,
Cunctis compatiens pectore largifluo,
Abbas Geraldus jacet hic pro carne ſepultus:
Liber enim cælos ſpiritus obtinuit.
Gallica plebs genitrix, plebi dedit hunc Aquitanæ,
Et ſilvas veteres Burdegalæ coluit:
Qui tantum terræ, genti quoque profuit illi,
Ut modo gens per eum terraque fructificet.
Oſſibus hic locus eſt dives decoratus opimis,
Proſit honor populis oſſibus exhibitus.

IV

Alba columba Dei, maculis rugiſque remotis,
Quem nocuit culpæ nulla nigredo ſuæ,
Miles ut emeritus ad Regis præmia raptus,
Spiritus Abbatis vendicat aſtra ſibi.
At qui de terra cinis eſt adjunctus eidem;
Hac requieſcit humo, jure vocatus homo.
Hic natale ſolum, quod erat ſibi Francia dulcis,
Ultro deſeruit, pone ſequens Abraham:
Silvæ-majoris probus hoſpes & incola primus,
Hos tenuit ſaltus, excoluitque Deo,
Nomine Geraldus, vir ſtrenuus; alta ſitivit,
C Hic pauſat corpus, ſpiritus alta tenet.

V

Prudens ut ſerpens, ſimplex, Geralde, columba;
Angelicus ſpecie, gratus olor capite;
Vir, leo zelando, ſupplex agnus patiendo;
Mitis, manſuetus, religione probus;
Hanc ubi divino domuiſti vomere terram,
Ad te collectis Fratribus innumeris;
Tandem communis contractus imagine mortis,
Das animam cælo, membra ſoli gremio.
Ora pro nobis, Geralde, Pater reverende,
Non opus eſt pro te nos aliud petere.

His addi poteſt quod de Sancto Geraldo ab Eccleſia cani ſcribit Molanus, in officio utique proprio:

Belgica quem genuit, nobis Aquitania ſervat,
In Domini ſervo ſerviat ut Domino:
Illa diu felix, felicior iſta, magiſtri
Doctrina, ſignis, corpore, fede, prece:
Carnem ſuppliciis, hoſtem virtute ſubegit,
Mundum contemptu, cetera monſtra fide.

Vbi nota Corbejam, Geraldi patriam, in ea Picardiæ parte ſitam eſſe, quæ antiquitus Belgicæ II accenſebatur: eoque ſenſu Belgam vocari Sanctum. Molanus, qui neutram vitam viderat, nec niſi ex S. Arnulphi Actis elogium in Natalibus proferendum accipiebat, plus aliquid ſuſpicatus eſt, eo quod S. Arnulphus iſte Flander fuerit, multique è Brabantia & Flandria ejus amore ad S. Medardi monaſterium Sueſſionas potuerint convolaſſe; atque inter eos Geraldus: ideoque locum ei dandum putavit inter Sanctos hodierni Belgii; quod ſecuti etiam alii ſunt. Sed leves iſtæ conjecturæ corruunt certiori veritate productæ. L

CATALOGVS ABBATVM Succeſſorum S. Geraldi in Silva-majori.

à R. D. Stephano du Lauvâ collectus.

EXpletis omnibus quæ de S. Geraldo referenda occurrebant, reſtabat inſignis monaſterii, ab eodem fundati, hiſtoria nobis promiſſa: pro qua ſimplicem Abbatum catalogum, à prænominato D. Stephano collectum exhibemus; ne viro diligentiſſimo pereat pars aliqua fructus, à nobis ſperati; & ut ſic ſuppleatur defectus Sammarthanorum in hac parte; quos credere volumus nihilominus quã nos diligentes fuiſſe in Abbatibus iſtius monaſterii quærendis; ſed deteriori quam nos fortuna uſos, incurriſſe in aliquem ſimilem ei, qui optimo Priori Bellordau ſucceſſit, ſuaque moroſitate effecit, ut adhuc aliquid deſideraremus, ad plenam hujus materiæ abſolutionem petitum nec obtentum. E

I S. Geraldus, de quo ultra annum MLXXXIX nulla fit mentio in ſcripturis hactenus aſſervatis apud nos: ſicut nec de ejus ſucceſſore ulla ante annum MXCVII. *Sed vita à Monacho Chriſtiano conſcripta, atque ex Silva-majori ad Corbeiam miſſa, dubium omne tollit, expreſſe notans annum* MXCV, *quo S. Giraldus mortuus ſit.*

II Achelmus Santius, ex Archidiacono Metropolitanæ eccleſiæ S. Andreæ Burdegalenſis, monachus in Silva-majori factus, deinde B. Geraldo ſuffectus: cujus in MSS. fit mentio ad annum MXCVII & MCII. Obiit XI Kalend. Decembris. Jacet in capella Epiſcoporum: quæ etiam in noſtra extat eccleſia, & Sacriſtiæ loco inſervit.

III Aleramnus aut Halarandus, nepos B. Geraldi, ejuſque Lauduno huc uſque comes, in Necrologiis vir vitæ venerabilis dictus. Obiit IV Kalendas Aprilis anni MCVII, quo ei ſuffectus eſt

IV Gaufridus primus, Laudunenſis dictus, qui à prædicto anno ad MCXXI monaſterio præfuit. Obiit XIV Kal. Februarii, anno, ut videtur, proxime citato.

V Rumaldus, mortuus eodem aut ſequenti anno, V Idus Junij. Jacet in capella Epiſcoporum. F

VI Gaufridus II, rexit monaſterium ab anno prædicto uſque ad MCXXXI, quo factus eſt Epiſcopus Vaſatenſis.

VII Petrus de Ambaſia, S. Geraldi diſcipulus & Capellanus, anno prædicto electus, vivebat anno MCXXXV, defunctuſque eſt XIV Calend. Maij.

VIII Petrus II de Didonia, vivebat anno MCLXIV, quo obtinuit ab Alexandro III ſummo Pontifice bullam, in qua confirmantur Silvæ-majori multæ eccleſiæ pluresque poſſeſſiones, nominatim anno MCLXIX. Obiit VII Kal. Octobris anni MCLXXXIV. Jacet in capella Epiſcoporum.

IX Raymunudus, piæ recordationis, electus eſt anno MCLXXXIV, & vivebat anno MCLXXXIX; obiit IV Nonas Julij. Jacet ad portam monaſterii.

X Petrus de Laubeſe, vivebat anno MCXC & obiit MCXCVII, Idibus Januarij. Jacet in capella Epiſcoporũ ex parte Capituli: obtinuit eodem anno MCXCVII Bullam à Cæleſtino III, ſuperiori ſimilem, ſed paulo ampliorem.

XI Gombaldus, obiit VII Idus Januarii. Jacet in Capitulo juxta pueros, ex parte chori prioris.

XII Amalvinus, vivebat anno MCCVIII, obiit MCCXXI, V Idus Martij. Jacet in clauſtro, ſubtus imagine Beatæ Virginis.

XIII Gri-

A

xiii Grimoardus, hujus monaſterii (ſicut & ſuperiores) profeſſus, ejuſdemque Abbas anno MCCXXI electus, & poſtea factus Convenarum Epiſcopus; ita tamen ut Epiſcopatum & monaſterium deinceps ſimul rexerit. Hujus tempore Gerardus Burdegalenſis Epiſcopus, aſſiſtente ſibi Amanevo Archiepiſcopo Auxitano, præſentibuſque utriuſque ſuffraganeis nec non plurima Abbatum, Clericorum, Nobiliumque corona (obtentis prius à Comitibus Toloſano, Engoliſmenſi, Petragoricenſi, aliiſque vicinis Vicecomitibus, ſalvi & ſecuri conductus litteris) eccleſiam Silvæ-majoris conſecravit, in die S. Bartholomæo ſacro, anno MCCXXXI: Indulgentiaſque, tam ipſe Gerardus quam alii Præſules, eamdem eccleſiam infra Octavam Dedicationis viſitaturis conceſſerunt. Ceterum Grimoardus in vivis adhuc agebat anno MCCXXXV. Obiit IV Idus Septembris: jacet apud Convenas.

xiv Ramnulphus, vivebat annis MCCXL & MCC XLII. Obiit VII kalendas Iunii: jacet in Capitulo, ad pedes Crucifixi.

xv Bertrandus de Sancto-Lupo, vivebat annis MCCXLV & MCCXLIX. Obiit V Kalendas Iunii; jacet in Capitulo, de choro Abbatis.

B

xvi Guillelmus de Gonac, fuit Papæ Capellanus, & vivebat anno MCCLV.

xvii Bernardus de Faja, piæ recordationis: vivebat anno MCCLXIII. Obiit Nonis Decembris: jacet in Capitulo, de choro Abbatis.

xviii Ioannes de Condomio, vir religioſus & venerabilis, vivebat anno MCCLXXIII & LXXIV. Obiit VII Idus Octob. jacet ante capitulũ, de choro Prioris.

xix Florentius.

xx Barranus de Curton, piæ recordationis. Obiit XVI kalendas Anguſti,

xxi Petrus Hugonis, piæ recordationis. Obiit XI kalend. Novemb. jacet ante Capitulũ, de choro Prioris.

xxii Gualhardus de la Chaſſanha, bonæ memoriæ. Obiit kalend. Decembris: jacet in ingreſſu Capituli.

xxiii Balduinus, Prior Neronis villæ. Obiit III Nonas Decembris.

xxiv Guillel. de la Tilheda, vivebat an. MCCCXXIX. Obiit II Idus Iulii: jacet in capella S. Ioannis.

xxv Guido de Ferreriis, vivebat anno MCCCL. Obiit VI kalendas Iunii.

xxvi Hugo de Marcenhaco, vivebat anno MCCC LXX. Obiit VI Nonas Maji.

xxvii Bernardus.

xxviii Guillelmus Guytardi.

C

xxix Geraldus de Burgoli, vivebat annis MCCC XC & MCCCVI. Obiit Nonis Maji.

xxx Guilhermus, vivebat anno MCCCCXXVI. Obiit IV Idus Iulii: jacet apud Avenionem.

D

xxxi Philippus de l'Eſpinaſſa, vivebat anno MCCCCXXXII. Obiit kalendis Iulii: jacet ante Capitulum.

xxxii Geraldus de Pedena, vivebat annis MCCCC XXXVIII & MCCCCLXI. Obiit XI kalendas Maji.

xxxiii Benedictus de Guitone, Decretorum Doctor, vivebat annis MCCCCLXV & MCCCCLXXXV. Obtinuit XX Maji anni MCCCCLXXVIII à Rege Galliæ, ut nundinæ & mercatus apud ſilvam-majorem reſtituerentur. Obiit VIII kalend. Martii.

xxxiv Ioannes de Chaſſaignes, è familia de Breſac. Obiit VIII kalend. Februarii.

xxxiv Ioannes de Larmendie, fornices eccleſiæ aliquot & cameram Abbatialem redintegravit. Vivebat anno MDXIII, & obiit II Nonas Maji anno MDXXIII.

xxxvi Iacobus de Larmendie, Epiſcopus Sarlatenſis, obiit XIV kalendas Decemb. an. MDXXXIII.

xxxvii Mattheus de Longue-joye, Epiſcopus Sueſſionenſis, obiit III Idus Septembris an. MDLVII.

xxxviii Elias de Gontault de Saint Genies, obiit Nonis Martii, anni MDLXXIV,

xxxix Stephanus de Gontault de Saint Genies, Protonotarius Apoſtolicus.

E

xl Franciſcus de Favolo, obiit IV kalendas Iulii anno MDCVIII.

xli Ludovicus de la Valette, Archiepiſcopus Toloſanus & Cardinalis.

xii Henricus de Sceubleau de Sourdis, Archiepiſcopus Burdegalenſis.

xliii Ludovicus de la Riviere, Epiſcopus Lingonenſis, adhuc ſuperſtes.

Hactenus Catalogus ille, qui cumex ipſis inſtrumentis antiquis acceptus ſit, plus fidei meretur quam Malleacenſe chronicon, etſi eodem ſcriptum tempore, quo primi ſucceſſores S. Geraldi vixerunt: quos ita enumerat. Succeſſerunt Guillelmus (*alteri* Achelmus) Alerannus, Gaufredus, item Goffredus; *omiſſo intermedio* Rumaldo *cujus breviſſima præfectura fuit.* Petrus, *qui Goffredum, Epiſcopatui Vaſatenſi admotum, ſecutus eſt non nominatur: vel quia necdum ad notitiam auctoris pervenerat in anno* MCXXXIV *finientis, vel quia Goffredus non ſtatim à ſua promotione ſe abdicavit regimine monaſterii, pauciſſimis leucis à civitate Vaſatenſi remoti, vel denique quia ipſa ejus promotio ſerius facta eſt: deſtituit enim nos hoc loco Sammarthanorum catalogus valde hiulcus, & neminem nominans, qui Vaſatenſi eccleſiæ præfuerit inter* Stephaoum *annp* MCIII *notum; &* Garſiam *anno* MCLXXIV *nominatum; niſi nudum nomen cujuſdam* Fortis, *ante vel poſt quem, non ſolum* Goffredus *prædictus, ſed alii plures præfuiſſe potuerunt.*

F

DE S. ALBERTO EPISCOPO MONTIS-CORVINI IN APVLIA.

D. P.

ANNO MC XXVII

Vita à Richardo ſucceſſore ſcripta.

Poſtquam Ioannes XIII *Romanus Pontifex Beneventanam Eccleſiam eſſe juſſit Metropolitanam, non tantum ex veteribus Epiſcopatibus plures eidem ſubjecti ſunt, ſed etiam novi ex occaſione inſtituti ſuffraganeorum Præſulum auxere numerum. Ita undecimo ſeculo ornatæ ſunt Epiſcopali titulo Vulturaria, Principatus Vlterioris montana civitas, aliaque urbs tunc primum condita & Montis-Corvini appellata: cujus utriuſq; tituli in unico nunc Vulturarienſi conjuncta permanet dignitas, ab anno* MCCCCXXXIII. *Montis-corvini Epiſcopatum Sanctus, de quo agere inſtituimus, Albertus, primus ac ſolus Cæleſtium cumulavit honoribus. Vitam ejus Richardus, ibidem non diu poſt ipſum electus, ſcripſit: quam Alexander Gerardinus, Vulturariæ & Montis-corvini Antiſtes, ſtylo luculentiore expolivit, vir multis editis ſcriptiſque monumentis clarus, priuſquam in Indiam Occidentalem proficeretur, S. Dominici urbem cujus titulo Epiſcopali recturus.*

ab Alexandro item Epiſcopo poſita,

2 *Hujus Alexandri res geſtas & laudes ex Onuphrii Gerardini ſcriptis vulgavit primus Ferdinandus Vgellus, tomo 7 Italiæ ſacræ, teſtatus eumdem vitas Epiſcoporum anteceſſorum ſcripſiſſe: atque inter eas hanc S. Alberti, quam uti ex ipſo accepit autegrapho, ſic nobis liberaliter tradidit, in eodem 7 tomo jam excuſam. Hinc igitur eam damus. Omittimus autem hymnos, metro Sapphico ad Veſperas, Matutinum & Laudes recitandos; quos ejuſdem Alexandri eſſe ſcribit Vghellus neque nos dubitamus: quippe quem verſu quoque varia elucubraſſe opuſcula intelligimus & Sapphico quidem S. Benedicti Vitam. Hic ſufficit indicaſſe illis hymnis contineri Vitæ proſa conſcriptæ ſummam, iiſdemque luculenter probari eccleſiaſticum Sancti Alberti cultum, & quidem ſolennem*

datur ex MS.

omiſſis officii propriis hymnis.

AUCTORE D. P.

ſolennem per Officium ſpeciale. Corpus Vulturariam eſſe tranſlatum ibique decentiſſime adſervari, habemus pro certo; quandoquidem Montis-Corvini civitatem nunc ſolo aquatam jacere, ejuſque nihil ſupereſſe hoc tempore, præter quædam eccleſiæ Epiſcopalis mœniorumque veſtigia, dicat Vghellus, de Epiſcopis Vulturarienſibus agens.

mortuus eſt non anno 1037

3 *Annum, quo S. Albertus obiit,* milleſimum & trigeſimum ſeptimum *nobis atque Vgello exhibuit mendoſum exemplum; & huic quidem totum Epiſcoporum Corvinenſium turbavit ordinem, nobis autem difficultatem haud modicam objecit: cujus ſolutionem priuſquam aggredimur, oſtendendum eſt evidenter, cum characteribus omnibus in S. Alberti Vita expreſſis pugnare annum illum. Primus ſit annus conditæ in Monte-Corvino civitatis, quem Alexander præfatur fuiſſe à ſuo tempore annum* CCCCLXIII. *Obiit Alexander ſeptuagenarius anno* MDXXV, *natus proinde anno* MCCCCLV: *Epiſcopus creatus dicitur circa annum* MCCCCXCVI, *Vitam autem S. Alberti anno* MCCCC XCIX *ſcripſiſſe. Vt igitur, quod tamen minime eſt veroſimile, concedamus, Alexandrum ſcilicet annos* CCCCLXIII *conditæ civitatis ad ſuæ nativitatis annum numeraſſe, non niſi anno* DCCCCXCII *initium illa ſuum habuerit; quomodo igitur Albertus, qui in urbem jam conditam dumtaxat quinquennis venit, potuit anno* MXXXVII *præ longo ſenio ſenio cæcus obiiſſe? Quod ſi annos illos* CCCCLXIII *ad tempus ſcriptæ Vitæ ducas (ut fieri debere ſuadet communis hominum loquendi modus & veriſimilitudo longe maxima) anno dumtaxat* MXXXVI *cœperit Mons-corvinus formam habere civitatis.*

cum necdum Vrbs eſſet Mons-corvinus,

B

& Normanni in Italiam recens advecti;

4 *Alter character, convincens Sanctum non eſſe mortuum anno* MXXXIII, *petitur ab ipſius natalibus* è nobili genere Normandorum. *Atqui primi ex ea gente quadraginta, qui Hieroſolymitana peregrinatione perfuncti, Salernum applicuerunt, urbemque à Saracenorum obſidione mirabiliter liberando adeo ſibi Guamerii Principis procerumque animos devinxerunt, ut communi conſilio legati mitterentur ad ſuos cum muneribus, quibus gens illa in Italiam adverſus Saracenos non tam invitaretur quam traheretur; primi, inquam illi quadraginta, Leone Oſtienſi tunc vivente atque id poſt annos fere ſedecim teſtante, venerunt anno* MIII. *Effectum autem nullum legatio habuit, ante annum* MXIX; *quo Rudolpho Normanno, cum paucis ſuorum è patria ad Papam Benedictum profugo, atque ad Beneventanos directo, altera inſignis victoria obtigit contra Græcos, Italiæ nihilo minus quam fuerant Saraceni moleſtos: cujus victoriæ fama delata in Galliam, Richardum Comitem permovit, ut maximam Normannorum multitudinem, cum conjugibus liberiſque ad iter paratam, non modo non impediret ſed etiam impelleret Rudolpho ire in auxilium, ibique novam gentis coloniam figere, eo tempore, quo Albertus (ſi mendoſus non eſſet annus mortis) haud longe ab octogenario abfuiſſe debuiſſet.*

C

ſed 1127,

5 *Ergo exiſtimo in autographo pro anno mortis ſcriptum fuiſſe litteris numeralibus an.* MCXXVII *ubi ſomniculoſus quiſpiã pro* C *legerit & deſcripſerit* X, *numeroſq; ad longũ extendens,* milleſimum & trigeſimum ſeptimum. *Hoc autem poſito, ſeriem Corbinenſium Epiſcoporum ſic ordinandam putamus, ut ex iis, quorum nomina habentur, primus ſederit* Adeodatus; *annoque* MLIX *interfuerit Concilio Romano, Nicolai* II *juſſu convocato, ut teſtatur Vghellus, non abſque idoneo, ut arbitramur, argumento, quamvis illud non exprimat. Adeodato mediate vel immediate ſucceſſerit* Beatus, *Beato* Albertus: *circa annum* X *conditæ urbis illuc puer cum parente delatus, ſi nonagenario major fuit cum moreretur. S. Alberto* Creſcentius *homo iniquus, cæco ſeni non tam Coadjutor quam perſecutor quoad viveret datus, ideoq; eidem non præmortuus (ut ſcribit Vghellus haud ſatis expenſis Actorum verbis) ſed parvo admodum ſuperſtes tempore. Quo è vivis ſublato ſucceſſerit* Petrus, *num.* 12 *hic nominatus, & coævus Rogerio Siciliæ Regi ab anno* MCII *ad* MCLIV *imperanti; coævus etiam Rao, Vulturariæ Epiſcopo, circa annum* MCXXIX *extincto, ſic ut ipſum, quo Raus legitur ſalvatus, miraculum, immediate poſt S. Alberti mortem, recenti adhuc ejus meritorum memoria, contigerit.*

ſucceſſor fuit Adeodati,

deceſſor Petri,

D

6 *Poſſunt hæc egregie confirmari ex ætate* Petri Beneventani Archiepiſcopi, *cujus hortatu Vitam S. Alberti Richardus compoſuit, ut præfatur Alexander. Iſte ſiquidem* Petrus (*ipſo Vghello approbante, & adſtipulante publico quod Vipera produxit inſtrumento*) *Metropolitanam ſedem tenebat anno* MCXLVIII *& (ut idem Vgellus contra Viperam probat auctoritate bullæ, ab Anaſtaſio Papa Indictione* I *Pontificatus anno* IV *datæ ad eumdem Petrum) ad huc in vivis erat anno* MCLIII: *ut non potuerit ei coævus Richardus, ante annos centum ſucceſſiſſe immediate Alberto; quemadmodum, ætatum inter ſe conferendarum immemor, Vghellus ſcripſit. Adde, quod ſerie Epiſcopali ſic conſtituta, ut Petrum Corvinenſem Epiſcopum Richardus ſecutus ſit, nihil prorſus in tota hac Vita futurum ſit, quod aliunde quam à primo auctore Richardo acceperit Alexander; pollicitus in Exordio, non ſupplementum, ſed ſolum* lucidiorem ſtylum. *Richardo autem immediate potuit ſucceſſiſſe* Rofridus, *anno* MCLXXIX *Concilio Lateranenſi præſens; huic vero* Urſus, *ac denique anno* MCCXXI Raus *quidam, à præmemorato Vulturarienſi diverſus: poſt quem reliquo* XIII *ſeculo deficit hiulcus Epiſcoporum Corbinenſium catalogus apud Vghellum: neque nos hactenus aliunde comperimus, quos inter* Raum *atque* Rogerium, *anno* MCCCX *florentem, poſimus collocare.*

quam ſecutus Petri Beneventani coævus Richardus,

E

VITA

Auctore Alexandro Epiſc. Vulturarienſi

Ex MS. Ferdinandi Vghelli.

a

1 EGo Alexander Gerardinus *a* Epiſcopus, omnium Epiſcoporum & fidelium Dei minimus, cum diœceſim meam peragrarem, & ſuperiorũ Pontificum majorum meorum Vitas colligerem; comperi Sanctiſſimum Albertum, è genere nobili Normandorum, vitam agere incultam; quamvis hortatu Ampliſſimi Petri Beneventani Archiepiſcopi, Richardus Montis-corvini Epiſcopus eam compoſuerit. Itaq; amore magno, quo in magnum Patrem Albertum agor, lucidiori eam ſtylo conſcribere conſtitui.

b

Puer in Montem-corvinum ductus,

2 Quadringenteſimo & ſexageſimo tertio anno à tempore noſtro, cum illuſtris civitas Montis-corvini conderetur, fama ubertatis vulgata ubique, plurimæ gentes ad eam incolendam convenere: inter quas cum è Planiſio *c* oppido plurimi ſe conferrent, Ioannes Alberti pater eo quoq; ſe contulit, cum Alberto puerulo quinque annorum. Qui principium capiens ab opere pietatis, ædem D. Nicolai, quam modo dirutam cernimus, in ipſo Montis-corvini & Luceriæ confinio ædificavit. Filium vero Albertum diſciplinæ litterariæ imbuendum cum traderet, divinum videres in eo opus elucere: cum tamen à primo tempore mulierum commercia evitaret, & juventutem & reliquam ætatem in jejunio, in ornatu templorum, & continua ad Deum prece occupatam haberet, & communem patrem pauperum ſe præſtaret.

c

F

& litteris inſtructus,

d

creatur Epiſcopus:

3 Mortuo Beato Epiſcopo, biduo ante natalem Domini, Clerus, populus & *d* Comes, qui eo tempore eam provinciam habebat, communi voto Albertum patriæ paſtorem elegere, fugientem & renuentem tale onus ſubire. Verum cum vi cogeretur, noluit ante conſecrari, quam templum ſuum, parvum & incultum, ad honorem Dei altum & celebre erigeret. Deinde fama ſanctitatis coaleſcente indies, *e* Dux Apuliæ & ceteri proceres ad crimina eorum confitenda certatim cœpere ad eum concurrere. Et poſtremo, cum orationibus, jejuniis, aſſiduo fletu & magna ante Deum meditatione corpus attenuaret; lumen oculorum amiſit.

e

viſum amittit:

Quo

A *ſitienti aqua in vinum vertitur,*

4 Quo tempore manifeſta miracula in eo apparere cœpere. Nam quodam die, cum more ſuo ante januam curiæ reſideret, tempore æſtatis admodum importuno; & quemdam tranſeuntem eo loco ſentiret; ſciſcitatus quis eſſet, poſtquam audivit eum eſſe famulum Joannis Limi, percunctatus unde veniret; cum ille aquam è fonte efferre diceret, petiit parum aquæ. Quam cum ille in vaſe porrigeret, & Sanctiſſimus Albertus ori apponeret, magno Dei mirando in vinum mutata continuo eſt. Quare cum Albertus vellet bibere, inquit, Fili mi, cur me decepiſti? Petebam ego aquam, tu vinum dediſti. Admiratus famulus rem tantam, magno jurejurando affirmavit, ſe puram ſolum aquam dediſſe; ac propterea, cum aquam iterum daret, illa in vinum mutata iterum eſt. Quo miraculo magnum Alberti nomen eſſe cœpit.

invocatus captivum liberat, *f*

5 Et paulo poſt cum Willelmus Comes *f* Rotelli, quemdam captivum gravi compede & duro ergaſtulo maceraret, nec ille tanto labori ſufficeret, nomen Alberti alta voce invocare cœpit: quem nocte ſequenti venientem in ſomnis & dicentem vidit: Surge, & inde abi. Qui cum expergiſceretur, & verum videretur imperium illud fuiſſe; diu obſtupuit, deinde altera nocte, cum iterum appareret, cœpit percunctari quis eſſet: qui reſpondit ſe

B eſſe Albertum, Montis-corvini Epiſcopum, qui ei dicebat ut inde abiret. Quam rem cum ille fruſtra tentaret, putavit ſomnium inane eſſe. Et tandem, cum tertia nocte accederet, dixit, ſe eo labore adeo fatigatum eſſe, quod magis non rediret. Mox eum inter loquendum inopinato apprehendit, & extra Termulas ad locum Monti-corvino vicinum inter vineas reliquit. Qui mane poſtea cum Albertum adiret, & miro genere laudum eum proſequendo gratias ageret, quod ſua potentia duro tandem carcere evaſiſſet; reſpondit Sanctiſſimus Albertus: Ne mihi hoc, fili, adſcribe, ſed immortali Deo, qui mira potentia erigit eliſos & liberat compeditos. Quæ miracula Le-

g marchus *g*, Beneventanæ ſedis Archiepiſcopus, à Deſiderio & Albino, qui veneranda canitie grandævi erant, & ea viderant, audivit; cum more Archiepiſcopi Montem-corvinum viſitaret, & ingenti undequaque ſtudio miracula Alberti inquireret.

à Creſcentio Vicario ſuo vexatur

6 Deinde ſenio in longum progrediente, ob lumen oculorum amiſſum, eum videres ſpiritum divinum habere & futura prædicentem. Cum enim Cle-

C rus, populus & Comes provinciæ, ob ſenium & cæcitatem Gubernatorem ei darent Creſcentium Sacerdotem, hominem potentem & ſcelerum plenum; & ille cuperet vitam Alberti brevem fore; ei Albertus

h inquit: Creſcenti, affirmo tibi te brevi Epiſcopum *h* fore: verum omnia habiturum adverſa in eo munere. Quod quidem miraculo Dei verum fuit poſtea, cum homo impius vitam Sanctiſſimi Alberti pueris, amicis, & malis hominibus committeret: qui dæmonum fraude modo eum per ſcopulos & loca aſpera montium ducebant, quod frequenter cadebat; modo ingenter voces ſupra caput ſenile emittebant; modo calceos & veſtes in ignem jaciebant. Sæpe cum magno riſu aquam in ſanctiſſimum vultum projicientes dicebant; O Domine, pluit, tege te: magni modo imbres effluunt. Quin etiam cum dormiret in medio Julii & Auguſti calore, plures cicadas prope caput ſanctiſſimi ponebant. Quæ omnia ille æquiſſimo animo tolerando Deum orabat, ne ullum malum pro illa re vellet reddere. Verum ultio divina tandem comparuit, & manifeſto judicio æterni Dei partim eorum duro exilio, partim crudeli morte, & partim inopia & duro carcere miſere occubuere.

ac tandem piiſſime moritur,

7 Et cum ultimo Deus eo labore, Albertum liberare vellet, extemplo totam late urbem movit fama Alberti morientis. Itaque cum viri, mulieres & pueri cum ingenti ad eum ploratu concurrerent, proclamare alta voce cœperunt: O cuſtos noſter; ô publice omnium parens! ô ſalus! ô defenſio! ô publica ac privata ſpes patriæ noſtræ! quid impoſterum faciemus? Ecce, Pater Alberte, eam quam habemus libertatem te vivente, te modo moriente amittimus. Tunc ille corpore jam deſtituto viribus, læto vultu, ora populo ſuo quondam amata [aperiens] illis benedixit, & eam dicens poſtremam fore orationem, quam ad populum ſuum haberet, piè & juſte vivere docuit; & corpore jam languente, iterum benedicens; è vita veluti dormiens emigravit, nonis Aprilis milleſimo centeſimo vigeſimo ſeptimo anno ab ortu noſtri Redemptoris. AUCTORE ALEX. EP. EX MS,

funus miraculo honoratur,

8 Deinde ſequenti die, cum ſanctiſſimum corpus ingenti omnium fletu ad ſepulcrum ferretur, viderunt virgulam fumi, cælum tangentem, è corpore mortui emitti, quæ totum latè aërem implebat. Et tunc Ruſſus, homo comprobatæ fidei & ſanctitatis, qui putabat oculos ſuos caligaſſe, fumo jam evaneſcente una cum ſacrificio, alta voce gratias agere cœpit immortali Deo, qui tam mirabilia opera eo tempore aperiret. Et paulo poſt magna languentium caterva tumulum adire, & manifeſto Alberti miraculo E cum ſanitate redire viſa eſt.

ſolvitur contracta, *k*

9 Inter ceteros ſubito poſt exceſſum ejus, fama ſancti viri Baſilicam, mulierem Aliſanam, movit ut Montem-corvinum peteret, quæ biennio apud *k* Aliſatem fuerat toto corpore contracta, & nullo membro integra: Et cum hoſpiti aperiret, ſe in eam urbem accedere cum funali more conſueto, ut ſanctum ſepulcrum videret; hoſpes eam rem Epiſcopo detulit: qui cupiens rem populo gratam facere, primum æterno & immortali Deo gratias egit, qui admiranda eo ſeculo opera populo aperiret: deinde eam mulierem ante ſepulcrum adduci fecit. Quæ cum diu & noctu profuſis lacrymis oraret, forte evenit eo die quo miraculum contigit, quod Dominus & populus civitatis ad publica patriæ negotia obeunda in eo templo conveniret: cum ſubito mulierem audivere reddentem alta voce laudes & Deo & B. Alberto: quin etiam plurimi clare ſenſere, oſſa confracta ad antiquum redire ſtatum membrorum. Quare tota urbe ad templum procurrente cum ingenti gaudio, illa publice faſſa eſt, divina revelatione ad tumulum veniſſe.

paralyticus mutuſque ſanatur, *l*

10 Paulo poſt Benedictus quidam è Bicari *l* oppido, quod ad octavum lapidem inde eſt, cum gravi F & longa ægritudine toto corpore laboraret, & manuum ac pedum jure amiſſo linguæ quoque eloquium jam amitteret; ad Sancti templum Alberti ſe deduci fecit. Ubi cum hebdomadam totam fruſtra oraſſet, cum magna ira inde receſſit, referens Alberti ope omnes gaudere, & ſe opis immunem recedere: ac eo modo templum Serræ oppidi noctu intravit. Ubi cum pernoctaſſet, ſanctiſſimum Albertum in ſomnis venientem & dicentem vidit: Quare, frater, triſtis & mœrens incedis? cum ea quæ Dei ſunt in voluntate tua nequaquam ſint. Verum ſurge: hac infirmitate non amplius gravaberis. Qui continuo excitatus, ſe valentem toto corpore reperit; itaque ad templum Alberti rediens, cum ingenti omnium gaudio diu in ea urbe permanſit. Et eo pene tempore aliud miraculum Richardo Epiſcopo preſente factum eſt.

energumena liberatur,

11 Cum innumeræ mulierum & hominum catervæ eo confluerent, & plura quotidie miracula fierent, contigit quamdam mulierem, nomine Mariam, occulto Dei judicio à dæmone præoccupari, quæ cum Alberto conjuge ſuo & bono nomine & magno quoque amore vivebat. In tanta re ſtupebat maritus, mirabantur vicini, dolebant affines; illa vero horri-

AUCTORE ALEXANDRO EP.

horribili voce debacchabatur, ora torquebat, dentibus frendebat, pectora plangebat; & lumine torvo unumquemque aſpiciens, ora, veſtes & totum corpus lacerabat. Quare maritus, cum fruſtra opem medicorum imploraſſet, ad S. Alberti templum devenit: ubi expoſita uxore ante ſepulcrum, cum crederet eam mitiorem debere fieri, illa iracundior effecta, toto triduo latrans more canum, immanes inhumanas voces, inauditos ejulatus, ac horrendos fremitus toto populo ſtupente emiſit. Poſtremo cum maritus nullo modo inde diſcederet, ſed omne tempus ibi manere & ſanctam Trinitatem invocare ſtatueret, ſpiritus impotens in ea amplius ſubſiſtere, continuo eam in terram dejecit: ubi ventre, mamillis, & toto pectore effecto tumido, immenſum ſpiritum, in venenum luridum converſum, cum ingenti labore evomit. Quo miraculo Richardus Epiſcopus & populus [moti] conſtituerunt ad uſque nonum diem pro ea orare, diſcriminata civium portione, qui noctu eam cuſtodirent. Verum quadam nocte, cum paulum dormirent, magna corvorum multitudo totum templum extemplo ambire cœpit, ac unus ingenti impetu eam arripuit: quam cum è terra elevaret, illi excitati & ſtupidi cum magno tandem labore eam liberavere.

m Quare Richardus Epiſcopus, accito Joanne *m* Vul-
B turariæ Epiſcopo & homine venerabili in conſilium, cum errorem mulieris comperiſſent, ei injunxere ut ad ſanctum Sepulcrum in Orientem trajiceret. Quod quidem iter magno cum gaudio illa confecit, & ad templum Alberti reverſa, brevi ibi mortua eſt.

in mari pe. riclitantes

12 Aliud quoque miraculum prætereundum nunc nullo modo eſt, comprobatum quadam epiſtola venerabilis Rai Vulturariæ Epiſcopi, venerabili Petro Montis-Corvini Epiſcopo, urbis clero & populo [ſcripta]. Cũ Raus à Rogerio Siciliæ Rege glorioſiſſimo Panormi vocaretur, & è Salerno ad propinqua *n* Balneariæ, quæ prope Pharum ſunt loca
n deveniret; magna orta tempeſtate nautas rogavit, ut portum Balneareæ intrarent. Quam rem cum facere conarentur, vento aſſurgente in immenſum, per media maria rejecti cum ingenti periculo ſunt. Quare Epiſcopus, longe magis quam antea motus, cœpit publice polliceri omnia bona quæ habebat, ſi terram contingerent. Tunc nautæ cum ingenti fletu reſpondêre, ſe perditos eſſe: & vento inter Occi-

ad portum miraculoſe adducuntur:

dentem & ſeptentrionem orto, miraculo quodam per arctiſſimos ſcopulos evaſere. Deinde per anguſtias Phari cum corriperentur, nec ullam ſpem de ſalute haberent, deſperata omni multitudine, cœ-
C pit Raus S. Alberti nomen invocare. Et continuo hominem vidit indutum alba veſte, honorabili effigie & læto vultu, venientem ad ſe, inquiens: Adſum, quem vocas: Albertus ego ſum. Quare cum Raus ad ſanctos pedes ejus volveretur, Albertus eum erigens, Magno, inquit, animo eſto, Raë fili; portum continuo continges, & magna Dei miſericordia, inter eundum & redeundum, omnia ſecunda tibi erunt. Et cum hæc dixiſſet, continuo evanuit. Quare Raus, in medium prodiens, proclamavit: Vivite animo ſecuro omnes qui hic eſtis: magna ego miracula vidi. Nec ea ad plenum enarrarat, cum navem videre veluti volantem altiſſimos montes aquarum ſuperare, & portum inopinato intrare. Quo miraculo, omnes qui in navi erant coiere in unum, & gratias ſanctiſſimo Alberto innumeras egere. Raus vero rediens è Sicilia, ſanctum illico ſepulcrum Alberti adivit, exceptus miro gaudio à Clero & populo montis-Corvini.

13 Legimus, quod nequaquam omittendum eſt, S. Albertum, cum ſuper altare hoſtiam Chriſti conſecratam teneret, & cum magnis lacrymis oraret, ut
D ſibi ſignificaret quibus rebus ſalutem animæ acqui-

Sacrificantem aliquando Albertum.

rere poſſet, nec reſponderet; dixiſſe, Domine mi, meis è manibus te numquam dimittam, niſi antea reſponderis. Et eo non reſpondente, eum conjuraſſe. Qui tandem reſpondit hæc ſeptẽ ab eo facienda eſſe. Primum ſi omni die me paſces, hoc eſt, ſi amore mei unum obolum quotidie dederis, magis animæ tuæ proderit & gratum mihi erit, quam ſi poſt mortem pro te præberent unum montem auri qui è terra cælum contingeret. Secundo, magis va-

ſeptem actus valde meritorios Chriſtus docet.

let unam omni die lacrymam emittere dum vives, quam ſi poſt mortem tot effluerent lacrymæ pro te quod unum poſſent lacum efficere. Tertio, ſatis mihi placet, ſi qualibet nocte à ſomno oblectabili te amovebis, & toto me corde orabis: quæ res animæ tuæ magis conducet, quam ſi te mortuo decem hominum millia ad bellum pro fide Chriſti nomine tuo trajicerent. Quarto mihi magnopere gratum erit, ſi in re dubia in bonam capies partem omnia quæ ab aliis fient operabunturque, nec ulla emittes murmura de proximo tuo, & eum corriges errantem inter te & ipſum: quod certe magis valebit, quam ſi ſeptem annorum jejunium in pane & aqua conficeres. Quintum; quod plus omnibus mihi placet, ſi bono animo gravem offenſam inimico tuo remiſeris: quod quidem magis animæ tuæ utile erit, quam
E ſi ad S. Jacobum Gallecum eundo, ad unumquodque milliare campum virgis plenum invenires, quibus eo modo te verberares, ut tuum late ſanguinem in quolibet milliario effunderes. Sextum eſt, ſi omni tempore te minorem omni creatura exiſtimaveris; quæ vera humilitas eſt, & magis animæ tuæ proderit, quam ſi multa hoſpitalia pauperum ſuſtentares, & ſitientem & famelicam hominum turbam omni die reficeres. Septimo cavebis, quoad vives ullum facere judicium animo temerario: quod gratum mihi magis erit, quam ſi totas dies in oratione ageres, & omni quoque tempore jejunares, & omnia bona amore Dei dares. Studebis igitur Alberte, ſi meam cupies gloriam adipiſci, hæc animo & opere adimplere.

ANNOTATA.

a Alexander *eſt Epiſcopus creatus circa annum* 1496, *ſed tantis Regum negotiis ſemper implicitus, ut multum ſit quod vel primis annis in ſuo Epiſcopatu reſederit: quem dimiſit anno* 1515, *& anno* 1520 *in Indiam ſolvit, mortuus anno* 1525, *ſeptuagenarius.*

b *Chriſti* 1036 *ut probatum ſupra.*

c Planiſium *hic dici ſuſpicor, quod modo* ſilva-plana F *vocatur, medio fere inter Vulturariam Luceriamque itinere: ab his quantum* Mons-corvinus, *diſtet non divinamus, quia locum dirutum nuſquam exprimunt tabulæ geographicæ.*

d *Fortaſſe* Landulfus VI *Comes Capuæ & Princeps Beneventi, qui monaſterium ingreſſo Pandulfo patre anno* 1059 *regnavit cum filio Pandulfo* IV *uſque ad* 1074, *quo hic occiſus eſt, & denique etiam ipſe mortuus* 1077, *finem fecit Principatus, in Longobardica ſtirpe diu continuati, & Normannis Principibus locum ceſſit.*

e Guillelmum *intelligo, cui an.* 1114 *Paſchalis Papa in ampliſſimo Procerum conventu* conceſſit Ducatum Calabriæ Apuliæ & Siciliæ, *eis pharum videlicet (quæ omnia deinde nobilior Apuliæ appellatio abſorpſit) ut habet Falco Beneventanus in chronico, per primos* 40 *annos illius ſeculi ducto; quem Guillelmum Anonymus Caſinenſis, in chronico totum fere ſeculum* XII *complexo, obiiſſe ſcribit anno* 1126.

f *In Aprutio ſive Samnio terras ſuas hic habuiſſe videtur:* extra Termulas *enim (quæ nunc eſt Epiſcopalis civitas*

A *vitas ad mare, & extremus Apuliæ verſus Italiam terminus) deportatus mox dicitur, cum liberaretur captivus.*

g *An hic* Lemarchus *Beneventanus Archiepiſcopus, inter Gregorium, anno* 1142 *adhuc ſuperſtitem; & Petrum, quem conſtat ſedere cœpiſſe intra annum ab inde ſextum, conſtituendus eſt medius? Nuſquam alibi ejus nomen occurrit: ſed bene* Roſamundi, *qui ex parte Pſeudo-pontificis Anacleti, expulſo Gregorio, aliquamdiu Sedem illam tenuit.*

h *Non igitur vivente adhuc Alberto obiit: ſed eidem mortuo ſucceſſit, ex Gubernatore factus Epiſcopus.*

i *Ecgraphum mendoſe* milleſimo trigeſimo ſeptimo.

k *Hodie* Aliſi, *circa Vulturnum amnem Epiſcopalis civitas ſub Capuano Archiepiſcopo, 30 circiter P. M. Vulturaria diſtans.* D

l Bicari *oppidum, nunc* Viccaro, *inter Luceriam & Troiam.*

m *Ex hiſce ſolum Actis innotuit Vghello* Joannis *Epiſcopi nomen; qui erroneos ſuos de Richardo ſecutus calculos, hunc dixit ſediſſe ipſo quo S. Albertus obiit anno: rectius facturus ſi primum inter Epiſcopos Vulturarienſes locum reliquiſſet Arderado: & Ioannem hunc feciſſet unum ex Rai mox nominandi, ſucceſſoribus illis, quorum nomina adhuc deſiderantur ad explendam annorum ut minimum octoginta lacunam.*

n Balnearia *oppidum,* Bagnara, *vix octo P. M. à Phari anguſtiis periculoſiſſimis diſita.*

DE B. IVLIANA VIRGINE,

PRIORISSA MONTIS-CORNELII APUD LEODIUM,

PROMOTRICE FESTI CORPORIS CHRISTI,

COMMENTARIVS PRÆVIVS G. H.

§. 1. Vitæ varii ſcriptores. Locus natalis B. Julianæ.

ANNO MCCLVIII. *Vita B. Iulianæ mox ab obitu primo Gallice dein Latinæ ſcripta:* C *hic edita è duplici MS. Leodienſi, & alio Rubeæ-Vallis,*

Vo illuſtria monumenta proponuntur in Actis hic jam proferendis: horum aliud ſpectat ad virtutes & res præclare geſtas à ſanctiſſima Virgine Iuliana; aliud continet feſti corporis Chriſti, hactenus ſumma cum ſolennitate in Eccleſia celebrati, primam originem, ex viſo Iulianæ Virgini divinitus oblato. Hiſce monumentis, quæ fides habenda ſit, auctor in præfatione ediſſerit, dum ait, ea fuiſſe à venerabilibus & fide dignis perſonis cognita & relata, quarum quædam cum ipſa Juliana converſatæ, quædam etiam ſpecialem amicitiæ gratiam conſecutæ, de vita & virtutibus ejus plurima cognoverunt, & ſine fermento falſitatis ſciſcitantibus indicarunt. *Fuerunt ea primum*, per diligentiam unius valde religioſæ perſonæ, veluti quædam fragmenta ne perirent, in lingua Gallica litteris commendata, & per Joannem de Lauſenna, Canonicum Eccleſiæ S. Martini Leodienſis, admirandæ ſanctitatis virum, approbata. *Ex hujus Canonici, fidiſſimi Iulianæ amici, conſilio, alter ibidem ſcriptor vertit in Latinum, imo multis additis locupletavit, uti teſtatur Bartholomæus Fiſen in ſuis Annotationibus ad Hiſtoriam de prima feſti Corporis Chriſti Origine num.* 15, *aſſerens priorem Vitam Gallice ſcriptam in libello MS. pervetuſto aſſervari in domo Corneliana, in qua Iuliana vixerat. At perantiquum exemplum Latinum in tabulario Corneliano repertum, Pariſiis periiſſe inter manus typographi, qui dum edere pararet, abivit è vivis. Poſtea Lambertus Ruitius domus Cornelianæ Vicarius eadem Acta ex antiquo MS. Codice in domo ad Catenam anno* MCCCCXXXVI *exarato deſcripſit anno* MDXCI, *& cum alio Carthuſianorum Leodienſium exemplo contulit, quod etiamnum in domo Corneliana ſervatur, uti in apographo noſtro inde tranſmiſſo legitur. Hæc Acta damus collata cum Vita, reperta in MS. codice cœnobii Rubeæ-Vallis prope Bruxellas in ſecunda parte Hagiologii Brabantinorum. Extat eadem in MS. codice Averbodienſi, quem anno* MDCLI *Antverpiam delatum habuit Chryſoſtomus Vander-Sterren, cœnobii S. Michaelis Abbas Præmonſtratenſis. Inter perſonas B. Iulianæ ſanctiore familiaritate conjunctas fuit Eva, juxta eccleſiam S. Martini apud Leodienſes Recluſa: cujus frequens in Vita mentio fit: & num.* 30 *libri* 2 *dicitur*, in hodiernum diem, *quo ſcriberet auctor*, magnifice atteſtari. *Vivebat dicta Eva adhuc anno* MCCLXIV, *quando Bullam, de ſolennitate Venerabilis Sacramenti inſtituta, ei tranſmiſit Vrbanus IV Papa: quam Bullam ſub finem Vitæ in codice Rubeæ-Vallis annexam reperimus, & hic pariter damus. Diviſit auctor Vitam in duos libros, iterum in ſua capitula ſubdiviſos ut ipſe lib.* 1 *num.* 13 *appellat: ſed quæ his ſubnectuntur ſummaria rerum, alia ſunt in MSS. Leodienſibus, alia in MS. Rubeæ-Vallis, utraque à poſteris annexa. Porro in MSS. Leodienſibus ſubjungitur lib.* 2 *cap.* 46 *iſte titulus:* De deſiderio mortis, quod Juliana habebat, & quod à ſcriptore dicitur Martyr eſſe; *quæ eſſe ab ipſo ſcriptore adjuncta nemo dixerit: hujus loco in MS. Rubeæ-Vallis iſta leguntur:* Quomodo cupiebat diſſolvi & cum Chriſto eſſe, & quomodo Martyr fuit. *Nos omiſſis iſtis titulis, quia ſimilia ſummaria margini adſcribimus, capitula in numeros commutamus, & more noſtro totum tractatum in Capita juſtæ prolixitatis dividimus.* *in 2 libros diſtinctas*

2 *Auctorem hunc Synchronum* non longo intervallo (*verba ſunt Bartholomæi Fiſen*) ſecuti ſunt Joannes Holſemius Canonicus Leodienſis, Joannes Ultramoſanus, & Joannes Warnantius, qui inter res à popularibus ſuis geſtas hiſtoriam hanc breviter ſed diſerte commemorant: ſcripſerunt autem ſub annum MCCCXXX. Ejuſdem meminit auctor Magni Chronici Belgici, qui vixit ſub obſidionem Noveſianam F ſive anno MCCCCLXXIV. *Sed hi omnes fere de Inſtitutione feſti Venerabilis Sacramenti apud Leodienſes agunt, abſque ſingulari mentione Iulianæ Virginis: ad quam ejus originem primam deduxit Ioannes Dieſthemius Blærus, Leodii ad S. Iacobi Prior è Benedictina familia: qui anno* MCCCCXCVI *ſcripſit ea de re commentarium, in decem diſtributum articulos, Duaci cum ſpeculo magno exemplorum typis Bellerianis anno* MDCIII *excuſum, & recuſum in Annalibus Bzovii ad annum Chriſti* MCCXXX. *Eodem labente ſeculo* XV, *quo Blærus vixit, idem argumentum tractavit Guillelmus Fanius, Leodii ad S. Martini Canonicus, ſed hunc libellum necdum ſcimus typis prodiiſſe. Supra memoratus Lambertus Ruitius edidit Leodii, typis Ioannis Voſii anno* MDXCVIII, *Vitam B. Iulianæ, ex antiquis codicibus Latinis in Gallicum verſam; cui ſubjunxit compendium, extractum ex Commentario Latino dicti Guillelmi Fanii. Floruit ſub initium hujus ſeculi Ioannes Chapeavellus, Canonicus & Vicarius Leodienſis, qui Geſta Epiſcoporum Tungrenſium, Trajectenſium & Leodienſium tribus tomis edidit anno* MDCXIII, *& tomo ſecundo ſubjunxit*; Tractatum hiſtoricum, de prima & vera origine feſtivitatis Sacratiſſimi Corporis & Sanguinis Domini, ex authenticis hiſtoriis & documentis collectum. *Hic primo omnium* *Secuti alii ſcriptores,* *Ioannes Blærus,* *Guillelmus Fanius,* *Lambertus Ruitius,* *Ioannes Chapeavillus,*

AUCTORE G. H. *omnium allegat* Vitam B. Julianæ *quam damus, asseritque eam* pluribus in locis iſtius diœceſis in veteribus codicibus MSS. aſſervari, duobus libris docte & graviter ab auctore anonymo illius temporis deſcriptam. *Chappeavillum ſecutus eſt ante memoratus Bartholomæus Fiſen Leodienſis, è Societate noſtra, vir in rebus Leodienſibus admodum eruditus: qui illuſtri Commentario, Duaci typis Bellerianis anno* MDCXXVIII *vulgato, totam hanc hiſtoriam, de Vita B. Iulianæ & Origine prima feſti Corporis Chriſti, præclare illuſtravit: iterumque plurima de eadem materia habet in Hiſtoria Eccleſiæ Leodienſis, quam deduxit ad annum* MCCLII, *poſt quem B. Iuliana aliquot annis ſuperſuit in vita. Hujus denique Vitam propria phraſi ad hunc quintum Aprilis edidit idem Fiſen, in Floribus Eccleſiæ Leodienſis, anno* MDCXLVII *excuſis.*

& Bartholomæus Fiſen.

3 *Locus natalis B. Iulianæ in terra fuit* Retinna, intra ſecundum ab urbe Leodienſi lapidem, *quam ideo* civem Leodienſem *appellat Fiſen num.* 16 *Notationum ad priorem tractatum.* Quia, *inquit*, Retinna eis fines eos ſita eſt, quos urbi circumſcribit leuca Bannalis, ut loquuntur: populus enim Leodienſis univerſus, pars urbem, adjacentem agrum pars inhabitat: ſed pari gaudent utrobique jure, etiam ſuffragii ad comitia, cum Conſularia tum alia quævis: iiſdem item legibus utuntur, civeſque ſunt & nominantur, atque Conſulibus æque parent. Conſularis porro hujuſce provinciæ terminos idiomate vulgari Bannalem leucam vocant, quamquam aliquando leuca minus, ad duas aliquando Leucas, ſeu ſex millia paſſuum extendatur. In dicto pago Retinna fons eſt, quem incolæ, S. Julianæ appellant, qua ex cauſa nihil adfertur. Quædam ibidem domus antiquum Abbatiæ nomen retinent: exiſtimo villam olim fuiſſe Cornelianæ domus eodem loco poſitam, quo fuerint ædes parentum S. Julianæ. Sed jam, bonis in emphiteuſim datis, nullum Cornelianæ villæ nomen eſt. *Hæc Fiſen de loco natali* B. Julianæ, *quam ubique* Sanctæ *titulo honorat.*

Nata eſt Retinnæ.

B

ubi fons B. Iuliana.

§. 11. Domus Montis-Cornelii: S. Auguſtini Regula ibidem obſervata.

4 *Alter locus, in quo B. Iuliana educata, & dein ſanctimonialis & Prioriſſa vixit, fuit* ad portam urbis Leodienſis Tranſmoſanam, ſub arduo monte, quem Cornelii vel Cornorum dici *tradit Fiſen*, vernacula voce ad corna propendente. *Fuit in dicto monte duplex domus religioſis hominibus deſtinata, alia in vertice montis, alia ad pedem. In vertice fuit Præmonſtratenſe cœnobium, ab Adalberone Epiſcopo, qui anno* MCXXIV *vita functus eſt, conſtitutum. Verum Præmonſtratenſes migrarunt in urbem anno* MCCLXXXVIII, *accepto ad Moſam peramœno loco, quando Epiſcopus in vertice Corneliani montis arcem conſtruxit: quam Engelbertus à Marca, item Epiſcopus, anno* MCCCLVII *attribuit Carthuſianis: quos in hodiernum diem magno Numinis honore locum tenere tradit Fiſen num.* 20 *in Notis. Ad pedem hujus montis Corneliani erat domus ampla, in noſodochium ſimul & cœnobium extructa à Leodienſibus, ut cives utriuſque ſexus, qui lepræ contagium incurrerent, ibidem manſionem acciperent, uti lib.* 2 *cap.* 1 *infra in Vita late explicatur: & plane congruunt ea, quæ Iacobus de Vitriaco, ſcriptor iſtius ætatis integerrimus, in Hiſtoria Occidentis cap.* 25 *his verbis tradit:* Sunt aliæ tam virorum quam mulierum, ſeculo renuntiantium & regulariter in domibus leproſorum & hoſpitalibus pauperum viventium, abſque æſtimatione & numero certo, in omnibus Occidentis regionibus congregationes, pauperibus & infirmis humiliter & devote miniſtrantes. Vivunt autem ſecundum S. Auguſtini regulam, abſque proprio & in communi, ſub unius Majoris obedientia; & habitu regulari ſuſcepto, perpetuam Domino promittunt continentiam. Seorſum autem viri, & ſeorſum feminæ, cum omni reverentia & caſtitate, dormiunt & manducant. Horas autem Canonicas, quantum hoſpitalitatis ſtudium & pauperum Chriſti miniſterium permittunt, diebus & noctibus audire non omittunt. In domibus autem, in quibus major eſt conventus, & numeroſior Fratrum & Sororum congregatio, frequenter in capitulo ad corrigendas delinquentium negligentias, vel pro aliis neceſſariis & honeſtis cauſis congregantur. Lectiones autem divinarum Scripturarum plerumque, dum reficiuntur corpora, ſibi faciunt recitari: in refectorio & aliis certis locis & horis conſtitutis ſilentiũ obſervantes. Homines autem infirmos vel hoſpites ſanos, quos in domibus ſuis ſuſcipiunt, ſeparatos à mulieribus manducare faciunt & dormire. Capellani autem eorum cum omni humilitate & devotione pauperibus & infirmis in ſpiritualibus miniſtrantes, verbo divinæ prædicationis indoctos inſtruunt, puſillanimes & debiles conſolantur, & ad patientiam & gratiarum actionem exhortantur. Divinum officium, ut omnes infirmi audire in ſuis lectis valeant, in capella communi diebus & noctibus aſſidue celebrant. Confeſſiones autem & extremas Unctiones & alia Sacramenta diligenter & ſolicite ſubminiſtrant infirmis, & mortuis debitam exhibent ſepulturam. *His multa ſubjungit, & dein iſta addit:* Pariſiis & Noviomi in Francia, Pruuni in Campania, Tornaci in Flandria, Leodii in Lotharingia, Bruxellis in Brabantia, ſunt hoſpitalia pietatis, domus honeſtatis, officinæ ſanctitatis, conventus decoris & religionis, refugia pauperum, aſylum miſerorum, conſolationes lugentium, refectio eſurientium, ſuavitas & mitigatio infirmorum. *Hæc Vitriacus S. R. E. Cardinalis, vita functus* XXX *Aprilis anno* MCCXLIV, *cum in deſignata ab eo domo leproſorum apud Leodienſes degeret B. Iuliana Prioriſſa. Erat enim tunc Lotharingia inferior ſive Ripuaria, celebris Ducatus in hiſce Belgii inferioris partibus, quibus Godefridus dux Bullonius, poſtmodum Rex Hieroſolymitanus præfuerat: & quia comites Lovanienſes & Limburgenſes olium Ducatum Lotharingiæ poſſederunt, hinc factum, ut etiam poſtea duces Brabantiæ & Limburgenſes ſuerint ſic appellati. Erant etiam Ducibus Lotharingiæ inferioris obnoxii alii circumquaque Comites & Domini, imprimis ditio Leodienſis, Hasbania, vicinaque loca.*

D

laudata à Vitriaco.

E

ſita tunc in Lotharingia inferiore.

In Monte-Cornelii habitarunt Præmonſtratenſes,

C

nunc Carthuſiani:

ad pedem Domus pro religioſis & ægris,

ſecundum regulam S. Auguſtini

5 *Fuit igitur apud dictos Leodienſes laudatum à Vitriaco hoſpitale ſeu domus leproſorum in monte Cornelii, in qua ex illo tempore in hodiernum uſque diem, teſte Fiſeno, viguit Regula Auguſtiniana, & ſecundum hanc etiam vota ibidem emittuntur; neque ullum alibi ſupereſſe Leodii familiæ hujus veſtigium affirmat, ideoque miratur unde in mentem venerit Molano & aliis recentioribus ſcriptoribus, ut S. Iulianam Virginibus Ciſtercienſibus præfuiſſe aſſererent, Controverſia hæc acriter ventilata nuper fuit in Flandria inter Petrum de Waghenare, Priorem Furnenſem Ordinis Præmonſtratenſis; & Carolum de Viſch, itidem Priorem Brugenſem monaſterii Dunenſis ordinis Ciſtercienſis, dum ſuis uterque eam conatur vindicare; ille in tractatu de Perſonis ordinis Præmonſtratenſis ſanctitate illuſtribus, una cum Vita S. Norberti edito anno* MDCLI; *iſte in Bibliotheca ſcriptorum ſacri Ordinis Ciſtercienſis, recuſa anno* MDCLVI. *Waghenare pag.* 104 *& ſequentibus inter Præmonſtratenſes recenſet* B. Julianam, B. Joannem Priorem, B. Sapientiam Prioriſſam, BB. Oziliam, Ermentrudem, Eliſabetham & Agnetem, *ſorores religioſas in Monte-Cornelii, quod honoriſica omnium mentio fiat in Vita B. Iulianæ. At contra Chryſoſtomus Henriquez omnes inſcripſit ad diverſos dies ſuo Menologio Ordinis Ciſtercienſis. Edidit idem poſtea Lilia Ciſtercii, ſeu ſacrarum Virginum Ciſtercienſium Vitas, & inter has diſtinctione* 3 *Vitam B. Iulianæ, præfatus ſe eam,* paucis quidem mutatis, ex celeberrima Rubeæ-Vallis bibliotheca deſumpſiſſe: *ſed non indicat, quænam ſint*

quam fuiſſe Ordinis Ciſtercienſis voluerunt aliqui.

F

Vitâ B. Iulianæ ad hoc probandum varie interpolatâ.

AUCTORE G. H.

A *ſint illæ, quæ pro libitu ſuo mutarit. Videntur potiſſimum eſſe, quibus B. Iulianam, & alias memoratas perſonas ſuo Ordini adſtrueret: ita lib. 1 num. 2 ad iſta verba,* ad domum Montis Cornelii, prope Leodium, quæ tunc novella erat plantatio, *adjunxit* Ciſtercienſis Ordinis: *& num. 6 ad iſta verba,* ſcripta beatiſſimi Bernardi vehementer ſibi ignita viſa ſunt; *adjunxit* Patris noſtri Bernardi, *quaſi ſcriptor antiquus fuiſſet Ordinis Ciſtercienſis: & lib. 2 nu. 7 de Iacobo de Trecis, poſtea Vrbano IV Papa, ad iſta verba,* Hic ſiquidem poſtea factus eſt Eccleſiæ Virdunenſis Epiſcopus, *hæc inter poſuit,* Hic ſiquidem Deo liberius vacare deſiderans, dignitates & honores Eccleſiaſticos contempſit, & in quodam monaſterio Ordinis noſtri habitum religionis aſſumpſit, & poſtmodum factus eſt Virdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus. *At num. 27 ut Præmonſtratenſibus argumentum præcipuum ſurriperetur, iſta verba,* Primo de quodam monacho albi habitus ſuperioris montis Cornelii ſibi Priorem conſtituerunt, *ita immutavit:* Quemdam monachum ſuperioris montis Cornelii ſibi Priorem conſtituerunt. *Omitto alia quærere.*

Sane vixit exul & ſepulta eſt in monaſteriis Ciſtercien.

B 6 *Multa ſane ſunt in Vita B. Iulianæ, quæ oſtendunt ejus erga Ciſtercienſes affectum: quia S. Bernardi ſcriptis delectabatur, & pulſa è domo Corneliana in Roberti-montem, in Vallem noſtræ Dominæ, ac denique Salſiniam ſe recepit, & poſtremo Villarii ſepeliri voluit: quæ omnia Ciſtercienſis Ordinis domicilia eſſe indicantur in ipſa Vita B. Iulianæ. Præterea (& hoc potiſſimum Ciſtercienſium argumentum eſt deſumptum ex lib. 2 Vitæ num. 33) Iuliana & ſociæ* de conſilio peritorum & religioſorum, maxime autē Reverendi Patris Guyardi Cameracenſis Epiſcopi, ſubjectioni & protectioni Salſinienſis Abbatiſſæ ſe quoad viverent ſubdiderunt: ne abſque Superiore, ſed ſolo propriæ voluntatis arbitrio, vivere dicerentur. *Factum id cum adhuc Namurci degeret Iuliana prope eccleſiam S. Symphoriani, poſtea autem, mortuis Agnete & Ozilia comitibus, cum ſocia Iſabella migravit Salſiniā. Et hæc omnia ejuſmodi ſunt, ut appareat multum in S. Iulianam juris habere Ciſtercienſes; non tamen talia, ut vel per umbram vero ſimile faciant, quod Domus Cornelienſis fuerit Inſtituti Ciſtercienſis.*

ſeque protectioni & obedientiæ Abbatiſſæ Ciſterc. ſubjecit:

non videtur tamen aliam à primæ Regulam eſſe profeſſa

7 *Imo poſt mortem Iſabellæ, lib. 2 num. 42, dicitur quod Iuliana,* ſe ſolam intuens remanſiſſe, mandavit è Domo Cornelii-montis unam de Sororibus Ermentrudem nomine, venire ad ſe. *Quomodo autem ſolam ſe apprehendere potuiſſet, ſi Salſinienſibus fuiſſet nova alterius Regulæ profeßione accenſa? Quid?* quod ipſamet, *inquit Fiſen,* cum Salſiniæ degeret, Priorem Cornelianum ad ſe venientem exceperit, non ſecus ac animæ ſuæ Præſidem & Paſtorem, eoque nomine commendavit Ermentrudi *ut illi confiteretur, quemadmodum eodem num. 42 indicatur. Atque ex his, inquit Fiſen,* efficitur, ejuſdē tum inſtituti fuiſſe, cujus fuerat cum domum Corneliana incoleret; ſive in Auguſtiniana familia, ut vixerat, ita extremū poſuiſſe ſpiritum, *& quidē extra monaſteria Ciſtercienſia, in recluſorio Foſſenſi. Accedit quod, ut dicitur n. 50,* cum ante obitum ſuum à venerabili Abbatiſſa rogaretur, ut in domo ſua de Saleſinnes ſuam eligeret ſepulturam, hoc facere recuſavit: *hoc enim quomodo vel rogari debuiſſet vel potuiſſet recuſare domus Salſinienſis profeſſa? Fuimus & nos in Domo Corneliana, invenimuſque tam ipſas Sorores ad pedem montis, apud quas etiā eccleſia eſt, quam Fratres, qui ſe Præbendatos vocabant, in domo*

C

quæ Auguſtiniana tunc fuit & nunc eſt.

in habitu nigro, qualis Sacerdotum fere ſecularium eſt, & Virginum in paternis propriiſve ædibus continentiam profitentiū; idq; ſub S. Auguſtini Regula, abſque ulla mutatæ umquā eo loci profeßionis memoria: Iulianam autē ipſam picturæ omnes, antiquæ & novæ, nigro in habitu repræſentabant. Quæ res nos jam antea in ſententiā Fiſeni propenſos, eo facilius inclinavit, quod haberemus ipſius Caroli de Viſch epiſtolam, olim ad P. Bollandum datam, qua ingenue profitebatur, ſe plane in eamdē opinionem concedere, atq; ab initio ita ſenſurum fuiſſe, niſi a-

lio abſtuliſſet magnorum auctorum invicem ſe ſequentiū conſentiēs aſſertio: ſed addebat, nec Præmonſtratenſem dici debere, idque etiam agnoſcere viros ex ordine Præmonſtratenſi præcipuos Chryſoſtomum vander Sterre Abbatem Antverpienſem & Amandum Fabium Religioſum Ninovienſem, nobis à pietate, eruditione ac ſinceritate notißimos. Atque hic ſiſtendum nobis putabamus, cum R. D. Godefridus de Licht, in celeberrimo S. Michaelis monaſterio Præmonſtratenſis Canonicus, ſedulus antiquitatis eccleſiaſticæ ſcrutator, exhibuit nobis deductas rationes, quibus putabat probabile effici, Corneliana domus Sorores & Fratres, ad ſuum Ordinem potius quam ad alium illū pertinuiſſe: quas rationes quia egregiā continent doctrinā, viſum eſt § ſequenti proponere. Quod autem Cornelienſis domus nūquam fuerit inſtituti Ciſtercienſis vel ſola vicinia Abbatiæ Præmonſtratenſis probare poteſt, cum inter conditiones ſocietatis ab utroq; ordine initæ anno MCXLII, *& à S. Bernardo ſubſignatæ, una ſit,* ut Manſio Sororum ab Abbatia, *alterius ſcilicet Ordinis,* diſtet duabus leucis.

§. III. Quare Cornelienſis domus videatur aliquibus primitus fuiſſe inſtituti Præmonſtratenſis.

8 *VT bene intelligatur, quo fundamento nitantur Præmonſtratenſes, dum ſuis B. Iulianam annumerant;* E *notandum eſt primo, quod ab exordio Ordinis Præmonſtratenſis habitaverunt feminæ in eodem monaſterio cum viris;* adeo *tamen* incluſæ, (*ut ait Cardinalis Vitriacus cap.* 22,) intra ſepta monaſterii tenebantur, quod ad eas nullus hominum patebat ingreſſus. Sed cum primo fervore tepeſcente, improvida ſecuritas torporem & negligentiam inducere cœpit, *B. Hugo, S. Norberti in Ordinis regimine ſucceſſor,* Patrū Capituli generalis decreto ſanciri fecit, ne deinceps ſanctimoniales ad idem cum viris religioſis contubernium admitterentur: ſed remotiori loco ſejunctæ transferrentur, *ut ait le Paige in Bibliotheca Præmonſtrat. lib. 1, parte 1, cap.* 19. *Quod & in multis monaſteriis factum eſſe conſtat; ſic tamen ut manerent adhuc illius monaſterii, unde tranſlatæ erant, membra; & earum domicilia prædicto monaſterio manerent incorporata. Hinc factum eſt, quod aliquæ magis, aliquæ minus procul tranſlatæ ſint: prout locus habitationi commodus ſeſe offerebat.*

Eodem in monaſterio etiam Sorores habitabant olim, in Ordine Præmonſtratenſi

deinde tectō ſeparatæ cōmune habebant nomen monaſterii:

9 *Notandum ſecundo prædicta ſanctimonialium monaſteria non citari diverſis nominibus in catalogis monaſteriorum Ordinis, quam nominibus monaſteriorum virilium, quia his abſolute incorporata erant; quamvis interim conſtet fuiſſe diſtincta domicilia. Patet hoc ex monaſterio cui* F *præfuit B. Oda, quod ſueberat monaſterio Bonæ-ſpei in Hannonia: item ex monaſterio S. Michaelis Antverpiæ, quod adhuc diu poſt prædictum Capitulum generale, clauſtrum Sororum ſibi incorporatum habuit, quod cum omnibus bonis ſuis ad ipſum virorum monaſterium pertinebat; ut probant diplomata authentica, alterum Nicolai Cameracenſis Epiſcopi, datum* MCLV; *aliud Godefridi Ducis Brabantiæ, datum* MCLXI *& Alexandri Papæ III, datum* MCLXXIX: *quibus inter bona eidem Eccleſiæ Sancti Michaelis propria, confirmant* curtem Sororum cum libertate eccleſiæ earumdem: *uti & littera Henrici Ducis, datæ* MCLXXXVI, *quibus idem Dux confirmat inter bona eadem* clauſtrum Sororum: *ipſæ autem quæ adhuc ſuperſunt, & incurabilium curam ſub Regula S. Auguſtini gerunt, etiam nunc meminerunt ſuæ olim ſubjectionis, conataq; ſunt haud ita pridē ad eamdem redire; ſed juſtis de cauſis non fuerunt admiſſæ. Idem conſtat de monaſterio Sancti Nicolai Furnenſis ex litteris Philippi comitis Flandriæ & Viromandiæ, datis* MCLXXXI, *quibus confirmat* Sororibus Sancti Nicolai de Furnes quinquaginta ſolidos annuatim perſolvendos, *uti etiam fecit Vrbanus III, ſcribens* dilectis in Chriſto filiabus Chriſtianæ Prior iſſæ & ſororibus S. Nicolai Furnenſis *&c. Aliarum Prioriſſarum prædicti monaſterii meminit antiquum Necrologium Sancti Auguſtini Morinenſis, quo*

AUCTORE G. H. *quæ ad longum videri poſſunt apud Petrum de Wagenare in deſcriptione ſui monaſterii S. Nicolai. Quod autem his amplius eſt, in quibuſdam monaſteriis videtur diutius perſeveraviſſe antiquus mos cohabitandi, vel quia deficiebant media ad ædes Sororibus alibi ædificandas, vel quia fervor nondum ita tepuerat, ut ex mutua cohabitatione periculum timeretur, vel aliis de cauſis. Cauſam hoc ſuſpirandi præbet epiſtola 68 Geruaſii Abbatis Præmonſtratenſis ad Henricum Ducem Brabantiæ, qua ita ſcribit:* ſane cum Venerabilis frater N. Abbas Floreffiæ, pia (ut credimus) intentione ductus, intendat Sorores, quæ nunc apud Poſtellam commorantur, ad alium locum transferre, ubi eorum honeſtas & fama melius conſervetur, ſternuitatem Veſtram affectuoſe rogamus, quatenus eidem velitis Abbati aſſiſtere in hoc facto &c. *Conſtat autem apud omnes monaſterium Poſtellenſe à prima ſua fundatione fuiſſe virorum. Cum ergo præfatus Geruaſius anno tantum* MCCIX *Generalatum adjerit, veroſimile ſit illum antiquum morem tunc temporis nondum plane fuiſſe abrogatum.*

multa poſtea nudam S. Auguſtini regulam retinuere.

10 *Notandum tertio, quod ſuccedentibus temporibus plures Prælati, ſeſe à regimine ſanctimonialium paullatim ſubtraxerint: qui quidem eas partim ſiverunt emori, partim ſufficienter fundatas ſuis proventibus vivere permiſerunt, eaſque vel ſibi ſubjectas retinuerunt, vel Epiſcoporum juriſdictioni (cui Ordo diu ſubjectus fuit) totaliter reliquerunt, apud quas ſic perſeveravit Regulæ Auguſtinianæ obſervantia, ut quod ei additū fuerat ex inſtituti Norbertini peculiari forma, in deſuetudinem oblivionemque abierit. Accidit hoc ſanctimonialibus Stenfordienſibus in Flandria, monaſterio Præmonſtratenſi S. Auguſtini apud Morinos in Arteſia diu ſubjectis; & iis quas ſupra diximus Antverpienſibus, quæ nunc pure Auguſtinianæ ſunt, & ſcapulare nigrum aſſumpſerunt; reliquum habitum, etiam pallium, adhuc ſervantes album. Similia exempla abſque omni dubio plura reperirentur, & forte allatis clariora, ſi aliorum monaſteriorum archiva quis perluſtraret.*

B

ita in monte. Cornelii factum creditur,

11 *His prænotatis, dicendum videtur, prædictis modis cum monaſterio Montis-Cornelii inferiori fuiſſe actum: nam imprimis, in Monte-Cornelii Fratres & Sorores inſtituti Præmonſtratenſis ſimul habitaſſe, teſtis omni exceptione major eſt S. Bernardus Epiſtola 79, quæ eſt ad Lucam prædicti monaſterii Abbatem; in qua ex profeſſo ipſum admonet, ut Fratrum & Sororum cohabitationem ſeparet:* Obſecramus, *inquit*, per ſanguinem illum qui pro animabus fuſus eſt, ne tanti emptarum parvi pendatur periculum: quod maxime ex virorum & feminarum cohabitatione non immerito timetur ab his, qui in ſchola Dei diu jam contra diaboli tentamenta luctati, propria experientia edocti, dicere poſſunt cum Apoſtolo: non enim ignoramus aſtutias ejus &c. *Quamvis enim hunc Lucam, Ioannes Picardus & Iacobus Merlo Horſtius, in notis ad eamdem Epiſtolam, ex Trithemii conjectura, Benedictinum faciant; tamen illum Norbertinum fuiſſe tam clare ipſa indicat epiſtola, ut res probatione non indigeat. Eſt autem omnino veroſimile prædictas Sorores, vel ad hanc S. Bernardi admonitionem, vel poſtea ſecundum Hugonis Generalis decretum, à Fratribus ſeparatas, fuiſſe ad pedem montis deductas; ubi fortaſsis jam tum, ex more ordinis Præmonſtratenſis antiquo, Xenodochium erat ipſius monaſterii Corneliani: cum arduus aſcenſu mons haud ita commodus eſſet excipiendis viatoribus & peregrinis: quod tamen caritatis officium Ordini proprium fuiſſe, docere poteſt celeberrima fundatio Poſtellenſis, eidem ab ipſis ſuis principiis deſtinata; & SS. Gervaſii atque Protaſii Xenodochium, ab ipſo S. Norberto conſtitutum. Cum autem Leodienſibus viſum eſt utriuſque ſexus Leproſorium inſtituere; prædictæ quidem Sorores infirmarum ibi collocandarū miniſterio potuerunt ſufficere: pro viris autem infirmis deputandi fuere Fratres, non tamen ſub eadem, ſed ſub habitatione diverſa: quibus communiter præfuerit Prior ſive Prælatus, ex ſuperiori monaſterio aſſumptus, fortaſsis etiam in eodem habitans. Clariora*

C

2 Cor. 2, 11

ubi ſeparata à ſuperiori monaſterio Sorores,

poſt erectionē Leproſorii

hæc fient, ſi ipſius Epiſcopi Roberti diploma, eo tempore datum quo ibidem Prioriſſam agebat B. Iuliana, integrum protulerimus: in quo & profeſſionis formulam licebit notare, ei qua Præmonſtratenſes utuntur perquam ſimillimam, ſic tamen ut appareat jam non amplius Abbati ſuperioris monaſterii ſubjectos ſubjectaſque fuiſſe, quibus hanc Conſtitutionem Epiſcopus condit: eſt autem hujuſmodi.

D

12 Robertus Dei gratia Leodienſis Epiſcopus, dilectis filiis, univerſis Fratribus & Sororibus Domus leproſorum de Cornillion, juxta Leodium, in perpetuum. Ex injuncto nobis Paſtoralis curæ officio, ſaluti & paci veſtræ providere, & humilitati veſtræ pietatis intuitu cogimur inclinari. Ea propter, dilecti in Chriſto filii, volentes vos omnes & ſingulos, tam viros quam mulieres, tam ſanos quam infirmos, in domo Dei honeſte & pacifice converſari; ſtatuimus, quatenus diſciplinam Capituli, inſtituta ſilentii & laboris, ceteraſque bonas & approbatas conſuetudines & inſtitutiones domus veſtræ, diligenter & fideliter obſervetis: nec Prælatus audeat in illis aliquid immutare, vel cum aliquo diſpenſare, niſi quando viderit expedire. Præcipimus autem, ut illi, qui apud vos renuntiant ſeculo; profeſſionem ſuam ſolennizent viva voce in hunc modum.

acceperunt à Roberto Ep. una cum Fratribus

E

formulam profeſſionis.

Ego N. facio profeſſionem, & promitto ſtabilitatem in hac domo N. voveo etiam & promitto Deo & Beatæ Mariæ, & Tibi N. hujus domus Patri, abdictam proprietatis, & cuſtodiam caſtitatis perpetuam, & obedientiam ſecundum Regulam Divi Auguſtini, ad diſcretionem tuam, tuorumque ſucceſſorum, & quod ero obediens tibi, tuiſque ſucceſſoribus uſque ad mortem.

Prælatus autem ſit providus & diſcretus, ut eamdem Regulam vos pro modulo veſtro firmiter faciat obſervare. Prohibemus autem diſtricte in virtute obedientiæ, ne quis veſtrum proprium aliquo modo poſſideat; ſed ſi quis aliquid habeat proprii, totum incontinenti reſignet: ſi quis vero proprium deprehenſus fuerit habere, monitione præmiſſa, de domo expellatur, nec recipiatur ulterius, niſi digne ſecundum regularem diſciplinam pœniteat: quod ſi proprietas apud quempiam inventa fuerit poſt mortem, ipſa cum eo in ſignum ſuæ perditionis extra atrium ſubterretur. Quicumque vero, tam in his quam aliis quibuſlibet obſervandis vel caſibus, negligentes vel reprehenſibiles inventi fuerint, Prælatus eos caritative corripiat, & eorum exceſſus corrigat & emendet; pœnam debitam tranſgreſſoribus, juxta modum culpæ & perſonæ delinquentis, infligendo. De quolibet autem conventu duæ perſonæ, diſcretæ & zelum religionis habentes, aſſumantur; quæ ſolicite inveſtigent ea, quæ correctione & reformatione digna fuerint, & ea fideliter perferant ad Prælatum: qui manifeſtos exceſſus; in manifeſto, & occultos in occulto, ſtudeat emendare, cum dilectione hominum & odio vitiorum, & cauſas & origines malorum radicitus extirpando. Cui Prælato tam Clerici quam laici, tam ſani quam infirmi, tam viri quam mulieres, obedientiam pariter & reverentiam ſtudeant exhibere. Cum autem à vobis eligendus fuerit Prælatus, ſtatuimus, ut antequam ad electionem procedatur, evocentur viri prudentes & timentes, qui vos de modo eligendi inſtruant, & ad eligendum idoneum Paſtorem diligenter commoneant; in cujus electione nullum jus unquam ſibi vendicare præſumant: diſtrictius autem prohibemus, ne per laicos ſeculares, cum Fratribus & Sororibus prædicta electio præſumatur: quæ ſi forte præſumpta fuerit, ipſam eſſe irrutam noveritis & inanem &c. *Notandum eſt autem apud Præmonſtratenſes adhuc in uſu eſſe, ut duplicis generis Præpoſiti diſtinguantur: ſcilicet*

F

mandatum abſolutiſſimæ paupertatis.

jus Prælati eligendi.

quod erat Præmonſtr. inſtituto conforme:

ſcilicet Manuales qui à Patribus Abbatibus (ut vocant) conſtituuntur, ſine electione Monialium; & Prælati, qui à Monialibus eliguntur: & tales hic in Belgio ſunt Præpoſitus Vallis liliorum Mechliniæ, & Præpoſitus de Oiſterhaudt prope Eredam, & plures alii circa partes Germaniæ.

13 *Et primi quidem generis Prælatum Robertus voluit, expreſſe cavens, ne in Prælati electione jus unquam ſibi vendicare præſumerent, qui erant conſulendi dumtaxat: videtur tamen poſt Epiſcopi Roberti mortem, plus aliquid juris circa electionem acceſiſſe Abbati monaſterii ſuperioris: quia invenitur in archivis monaſterii Belli-reditus (quo ſcilicet, anno* XXX *poſt mortem B. Iulianæ, Præmonſtratenſes è Cornelia-no monte deducti migravere) ſupplex libellus, charactere veteri & ſermone Gallico exaratus, cujus principium Latine redditum Robertus Lamberti, Averbodienſis Prior (in hiſtoria Divæ Virginis de Cortenboſch, pro aſſerenda Præmonſtratenſibus Iuliana, prolixe diſputans) tale profert,* Exponit debito cum honore Reverendus Dominus Abbas & Conventus Belli-reditus, quod olim (*cum videlicet in Monte Cornelii morarentur*) permiſerint civitati, in pede dicti Montis Cornelii extruere domum & capellam, dotatam bonis & eleemoſynis civium, tam pro elephantiacis ſeu leproſis quam Fratribus & Sororibus ſanis, quæ Cornelii Montis eſt appellata: & quod pertinuerit ad ipſum Abbatem & Conventum denominare, & inſtituere unum vel duos è ſuis Fratribus, qui dictam Capellam regerent, & Fratribus ac Sororibus, tam ſanis quam ægris, inſervirent: quos ad beneplacitum revocabant & amovebant, quando neceſſe erat, & alios ejuſdem Conventus in ipſorum locum ſubſtituebant: qui Fratres & Sorores tenentur profiteri & obſervare Regulam Divi Auguſtini, exemplo Abbatis & Conventus ſuperioris, qui eamdē profitentur. Cum ergo plures Religioſi dicti Conventus, prædicto regimini, uti Priores, præfatorum Fratrum & Sororum præfuerint, prout ex documentis adjunctis in favorē antedictorū Dominorum Abbatis & Conventus apparet, *&c.*

14 *Hi ſunt ergo* Clerici domeſtici, *de quibus in Vita apud Fiſen fit mentio, ſcilicet Clerici unius domus vel pertinentes ad eamdem domum. Ad quid enim alios Clericos, ut eſſent Priores & Capellani, Abbas monaſterii ſuperioris mitteret ad inferius, ſi idem ſuos habebat Clericos domeſticos diverſos, id eſt ad monaſterium ſuperius non pertinentes? Quandonam autem eos ſic mittere deſierit Abbas prædictus, difficile eſt divinare, maxime cum ad manum non ſint documenta, quibus id ſibi juris olim fuiſſe, varioſque Priores ita miſſos eſſe, probare nitebatur Belli-reditus Abbas, nec annus ſupplicationis præfatæ nobis notetur à Domino Lamberti præcitato. Longius tamen tempus videtur inſinuari, quam quod à Roberti Epiſcopī morte ad annum tranſlati in urbem cœnobii extenditur, qui fuit Chriſti* MCCLXXXVIII. *Veroſimiliter autem ſuſpicari quis poſſet, quod Præmonſtratenſes, ab Alexandro Papa* V *anno Chriſti* MCCCCIX *Epiſcoporum juriſdictioni exempti; liberum hujus ſuæ exemptionis uſum nonnullorum jurium ceſſione redemerint ab Epiſcopo Leodienſi, inter quæ fuerit Domus Cornelienſis adminiſtratio, quam ne ullo unquam tempore iidē repeterent, juſſi ſint Fratres & Sorores ibi commorantes habitum nigrum aſſumere: qui proinde etiam in picturis nunc cernitur: quod ipſum tanto pronius fuit ab Epiſcopo peti, à Præmonſtratenſibus concedi; quod hos tædere debuerit litium, ratione fundationis inter Epiſcopum & Magiſtratum urbis pridem vertentium;* dum utrimque, *ut ait Fiſen*, tamquam de violato jure contenditur ad noſtram uſque ætatem: *Epiſcopi autem intererat, neminem, niſi ſua vel ſaltem libera Fratrum ac Sororum electione conſtitutum, admiſceri gubernationi domus, aliunde ſatis controverſæ.*

Ex dictis ſequuntur duo ſatis veroſimilia

15 *Hactenus ſuperiori paragrapho laudatus* R. D. Godefridus: *quæ ſane perſuadent nobis, fieri potuiſſe, ut quæ antea ſub eodem cum Fratribus tecto in ſuperiori monaſterio habitaverant Sorores, fuerint ad pedem montis deductæ, & ibidem uſque ad tempus erecti à civibus Leproſorii perſeverave-*

rint, tamquam membrum & pars monaſterii ſuperioris: quamvis Belli-reditus Abbas in ſuo libello ſupplici non meminerit ullarum Sororum, ibi ante tempus, quod diximus exiſtentium, & deſignato per Abbatem Priori, ut prætenditur, ſubjectarum. Ex prædictis etiam credibile nobis videtur quod ad reſtauran-dam diſciplinam, in domo Corneliana mire labefactatam, & per Simoniaci Prioris reſtitutionem, Roberto Epiſcopo mortuo & pulſa in exilium Iuliana fœde peſſumdatam, viſum fuerit Leodienſium Epiſcoporum alicui, dictam domum eatenus Abbati Præmonſtratenſi ſubjacere, quatenus ea per Priorem ab ipſo conſtitutum & ejus nutu amovibilem deinceps regeretur, ſalvâ quoad reliqua primâ Roberti Epiſcopi inſtitutione: atque ita vera & bene fundata fuerit Abbatis Belli-reditus ſupplicatio. Sed quod attinet ipſum illud tempus, quo Robertus & Iuliana vixere, tantum abeſt ut ejuſmodi aliqua ſubjectio vel dependentia à Præmonſtratenſibus probetur, vel ex hujus Vita, vel ex Bulla illius; ut econtra, potius ex utraque colligi videatur, diverſi à Præmonſtratenſium uſu inſtituti & habitus domum illam fuiſſe, mereq; ac ſimpliciter Auguſtinianæ, quemadmodum etiam nunc eſt Regulæ. Nam in Bulla quidem altū eſt de Ordine Præmonſtratenſi & monaſterio ſuperiori ſilentium, ingens ſane contra prætenſam Cornelienſis domus ab eiſdem dependentiam præjudicium: & tam Simoniacum Priorē, turbarum omnium fontem, quā in ejus locum ab Epiſcopo Roberto ſubſtitutum Ioannem, ex ipſorum Cornelienſium Fratrū, ibidem admiſſorum, numero fuiſſe aſſumptos longe eſt veroſimilius; aut ſaltem eos non eſſe ex Superiori monaſterio petitos. Et enim cum Simoniacum iſtum reducere ſeditioſi molirentur, ut quoquomodo intus conceptam malitiam palliarēt, primo de quodam monacho albi habitus, ſuperioris montis Cornelii ſibi Priorem conſtituerunt, ſanctum vero innocentemq; Fratrem *Ioannem videlicet*, abſq; ratione de Prioratu ſceleratiſſime removerunt. *Quid vero indicare poteſt tam expreſſa hoc loco* albi habitus *&* montis ſuperioris *deſignatio, niſi inſolitā quamdam novitatē, & electionem hominis ex diverſo inſtituto quam tunc eſſent Cornelienſis leproſorii inquilini; de quibus quoties in Vita Iulianæ fit mentio, non aliud legas, quam* Frater quidam, Quædam Ordinis mulier *&c.*

16 *Certe ſi illi fuiſſent ſuperioris monaſterii profeſſi, ut volunt, vix eſt credibile, contra Ioannē ex eodem monaſterio alium aſſumendum fuiſſe (quomodo enim tolerare nedū probare potuiſſet Abbas novā electionē, inductivā perniciosiſſimi ſchiſmatis inter ſui ipſius ordinis imo etiam monaſterii religioſos?) & Robertus Epiſcopus, quando ſimoniacum Priorem gradu ſuo movit, debuiſſet eum potius remittere ad monaſteriū ſuum, quā Hoyum, in domum nullatenus ſubjectam ſuperioris monaſterii Abbati Præmonſtratēſi. Ad hoc tamen reſponderi poſſet, certioris quietis cauſa longius eum abductum ab Epiſcopo, cum necdum eſſet Ordo exemptus juriſdictioni Ordinariorū. Magis nos movet quod cap.* 1 *lib.* 2 *de Vita S. Iulianæ (eſt autē totū hoc caput de Cornelianæ domus fundatione) nullum inveniatur Præmonſtratenſis habitus regulæq; veſtigiū: imo habitum, ut nunc eſt, ſic ab initio inſtituti leproſorii fuiſſe nigrū, & Sororū quidem eumdem fere qui erat Recluſarū (niſi quod hæ nigro uterētur velo: iſtæ, quomodo nunc Begginæ, ſolo lineo capitis integumento eſſent contentæ) videtur haud obſcure doceri lib.* 2 *n.* 28 *ubi dicitur, quod* cū *Iuliana* perſecutionis ſuæ tēpore incujuſdam Recluſæ reclu ſorio moraretur, ſuadebat ei Recluſa, ut velum nigru m capiti ſuo ſuperponeret, ut Recluſa credi ſubito ab intuentibus potuiſſet; *quod vix profuiſſet, ſi reliquus habitus albus erat. Adde quod Virgines Præmonſtratenſes omnino nō caruerint velo nigro cū in Chronico Laudunenſi lib.* 3 *cap.* 7 *dicatur,* quod nulli *quidē* licet habere velū ſericum more quarumdā ſanctimonialiū; ſed *tamen aut præceptum aut permiſſum ſit,* viliſſimū panniculū nigrum ſupra caput geſtare, *quale geſtabant humiles Recluſæ, & etiam nunc geſtant dicti ordinis profeſſæ. Aſt inquiunt monſtratur adhuc in monaſterio ſuperiori poſticum quoddam, ſerviens occulto ad domum Cornelianam deſcenſui, per quod illuc ſolebat Prior Ioannes commeare ad audiendas Iulianæ & Sororum confeſſiones. De poſtico,*

AUCTORE G. H.

non tamen quod præcipue hic quæritur

pro tempore quo ibi vixit Iuliana,

habitū, non velo nigro uſa.

AUCTORE G. H. *quodque illud ſervierit iis Prioribus, quos aliquando ex ſuperiori monaſterio acceptos agnoſcimus, nemo ibit inficias: ſed an recte Ioanni applicetur, quod eo uſus fuerit, merito ambigimus. Ob has igitur cauſas putamus, conſtitutam prius à nobis ſententiam poſſe veroſimiliorem haberi, ſic tamen ut præjudicatum nolimus Præmonſtratenſium juri, quod in Iulianam habere ſe exiſtimant, & cujus fundamenta, uti nobis propoſita ſunt, ita candide ſubjecimus lectorum arbitrio. Ciſtercienſium qualecumque in eamdem jus, nihilo minus everſum volumus, modo id non ex Religioſa profeßione (per hanc enim eorum Ordini inſertam Iulianam, nec veroſimili quidem ratione poterit ſuſtineri) ſed aliunde deducant. His prælo jam ſubjiciendis, venit epiſtola ex Gallia, interrogans, an Iulianam non eſſemus adſcripturi Canonicis Regularibus S. Auguſtini. Nova ea nobis interrogatio accidit, quibus hactenus innotuerat nullus ejuſmodi opinionis auctor: niſi forte* Regularium Canonicorum *nomine, latius ſumpto, etiam Præmonſtratenſes comprehendat aliquis, quamvis Ordinem hi diſtinctum conſtituant ab aliis qui paſſim Regulares S. Auguſtini appellantur.*

§. IV Tempus vitæ & obitus B. Julianæ: Reliquiæ tranſlatæ: memoria ſacra.

B. Iuliana nata an. 1193

B

17 *Floruit hæc ſanctiſſima Virgo Iuliana ſeculo Chriſti decimo tertio, nata civis Leodiēſis anno Chriſti* MCXCIII, *uti ex ſerie totius vitæ mox conſtabit. Cum dein annos quinq; ætatis haberet, ut lib. 1 num. 2 indicatur, in domum Montis-Cornelii adducta, in conſortio ſanctimonialium pie educata, inter eas poſtmodum habitum monaſticum ſecundum regulam S. Auguſtini ſuſcepit. Circa annum ætatis* XVI, *Chriſti* MCCVIII *vidit primum ſignum in luna, ac biennio poſt intelligit divinitus feſtum Corporis Chriſti in Eccleſia ſanciendum: ſed annis viginti refugit divinum de novo illo feſto decretum denuntiare. Interim in Prioriſſam domus Corneliana electa, incipit circa annum* MCCXXX *arcanum ad ſe de cælo delatū, de inſtituendo feſto Corporis Chriſti aperire; & annis ſubſecutis conſulere ſapientes, inter quos fuit Guiardus Epiſcopus Cameracenſis, ad eam Cathedram promotus anno* MCCXXXVIII. *Ea omnia indicantur lib. 2 nu. 6, 7 & 8. Anno* MCCXL *B. Iuliana, ob dirutā habitationem, diſceßit in urbem ad recluſam Evam, & ad ædes Canonici S. Martini Ioannis de Lauſenna; ſed poſt tres menſes reſtituta eſt per ſententiam & auctoritatem Epiſcopi Roberti, qui ineunte Novembri dicti anni, ex ſede Lingonenſi ad Leodienſem tranſlatus fuerat: quæ leguntar lib. 2 n. 21, 22 & 23. Tunc, depoſito ſimoniaco Priore, ſubrogatus eſt Ioannes, qui officium de Corpore Chriſti compoſuit, à viris eruditis approbatum. Anno* MCCXLVI *Robertus Epiſcopus in Synodo diœceſana feſtum decernit; & ſub initium Octobris Foßis ager, novum Officium de feſto Corporis Chriſti in conſpectu ſuo celebrari præcepit; dein* XVI *Octobris ibidem vita ſungitur.*

ab an. 1208 incipit illuſtrari viſione de feſto Ven. Sacramenti,

cœptum eſt autem anno 1246 celebrari.

C

18 *Anno ſequenti* MCCXLVII, *Canonici S. Martini omniū primi celebrant feſtum Corporis Chriſti, Feria quinta poſt Dominicam ſanctiſſimæ Trinitatis: prout illud ibidem quoq; anno* MCCLII *celebravit Hugo, & tam ipſe, quam biennio poſt Petrus Capoccius, Cardinales ambo & Legati, ſuis diplomatis confirmarūt, uti traditur lib. 3 n. 13 & ſequentibus. Interim B. Iuliana, relicto Monte Corneliano, ob inteſtina & Leodienſium & Montis-Cornelii diſſidia diſceßit ad monaſteria Ciſtercienſiū Sanctimonialium, Montem Roberti, & Vallē benedictinam prope Leodium, & Vallem Beatæ Mariæ prope Hujum. Sed coacta ex iis migrare, abiit Namurcum, degitque primum apud Beghinas in magna paupertate, dein in domo Archidiaconi Leodienſis, unde in Abbatiam Salſinnienſem ſanctimonialiū etiam Ciſtercienſium migravit, uti habentur nu. 31 & ſeqnentibus. Demū circa annum* MCCLVI *coacta Salſinniâ cedere, migravit Foſſas, ubi poſt vitam in omni virtutum genere exactā, ob-*

Iuliana moritur, anno 1258.

dormivit in Domino, anno gratiæ MCCLVIII, ætatis ſuæ LXVI, Nonis Aprilis feria ſexta *poſt Octavam Paſchatis, quod dicto anno celebratum eſt die* XXIV *Martii, cyclo Lunæ V, Solis VII, littera Dominicali F. In codicibus MSS. per errorem amanuenſium legebatur annus præcedens* MCCCLVII, *quem etiam plurimi deſcripſerunt. Sed tum* Nonæ Aprilis *conveniebant in feriam quintā, non ſextam; neq;* feria quarta cadebat in vigiliam S. Ambroſii, *ſeu diem tertium Aprilis; neque proximus ab obitu dies erat* Sabbatum; *neq; tertius quo ſepulturæ tradita fuit, incidebat* in Dominica, *quæ omnia in Vita ſignantur. Anno* MCCLXI *creatus eſt Pontifex Romanus Vrbanus IV, ad quem rogatu Evæ recluſæ, (quæ fuerat B. Iulianæ fidelis amica & concors in promotione feſti prædicti) ſcribit Henricus Epiſcopus Leodienſis pro ſanctione dicti feſti, eamque impetrat: itaque ipſum anno* MCCLXII *celebratur per univerſam diœceſim Leodienſem. Dein anno* MCCLXIV *indicit Vrbanus IV feſtum per totam Eccleſiam, & ea de re Bullam dirigit ad prædictam recluſam Evam, quæ infra ſub finem Vitæ annectitur.*

D

19 *Chryſoſtomus Henriquez cap. 75 Vitæ, agit de tranſlatione corporis B. Iulianæ & iſta ſcribit.* Multos annos ſacrum corpus cum aliis ejuſdem monaſterii Reliquiis poſt majus altare remanſit reconditum: ſed, propter inteſtinos & harum provinciarum motus, non eo quem merebatur affectum fuit honore: donec paulatim mitigato rerum ſtatu & tempore ſedatiori, Robertus Henrion, hujus domus Prælatus, ad decentiorem locum Beatæ corpus transferre decrevit. Quod & reipſa factum, & corpus ſacrum cum aliis Sanctorum reliquiis in S.P.N. Bernardi Sacellum, quod iaſpide & marmore ornari juſſerat, tranſtulit; in eoque arcam ex marmore nigro affabre politam fieri fecit, in eaque Sanctorum oſſa collocari. *Præfuit Robertus Abbas ab anno* MDLXXXVII *ad annum* MDCXX, *in dicto S. Bernardi Sacello ſepultus.*

ſacra oſſa inter alias Reliquias aſſervata & tranſlata.

B

20 *Memoriam ejuſdem Iulianæ honorifice paſſim celebrant ſcriptores: ac primum Auctor Vitæ Synchronus paſſim* Virginem Chriſti *appellat: poſteri autem cum Vitam transſcriberent, hunc titulum præpoſuerunt:* Vita S. Julianæ Virginis, Domus Cornelii apud Leodium Prioriſſæ. *Ita* Sanctæ *titulo honorarunt illam Lambertus Ruitius, domus Corneliana Vicarius; Ioannes Chapeavillus, Eccleſiæ Leodienſis Canonicus & Vicarius; Bartholomæus Fiſen, ante memorati; item Ioannes d'Aßignies Abbas poſtea Nizellenſis, in Vita ejus, cū aliis Ordinis Ciſtercienſis edita; Heribertus Roſweydus, in Legendario Belgico, Galeſinius, aliiq;. Alii titulo* Beatæ *Iulianā honorarūt, ut ante citati Chryſoſtomus Henriquez, Carolus de Viſch, Petrus de Waghenare; itē Franciſcus Haræus de Vitis Sanctorū, Miræus in Faſtis Belgicis, Wion, Menardus & Bucelinus in Martyrologiis monaſticis, Ferrarius in Catalogo Generali, aliique. Nonnulli ab utroq; titulo &* Sanctæ & Beatæ *abſtrahunt, ut auctor Florarii MS. Molanus, Caniſius, Sauſſaius, aliique. Ægidius* Monin *poſt ſuum Sacrarium Namurcenſe, conſcripſit Officia quædam Sanctorum diœceſis Namurcenſis, & ad diem* V *Aprilis conſtituit* feſtū S. Julianæ Virginis ſemiduplex, *ſubjungitq; lectiones ex Vita in ſecundo Nocturno recitandas: ſed quas ipſe ex ſua devotione videtur compoſuiſſe. Certe in officiis propriis feſtorum diœceſis Namurcenſis, anno* MDCXIX *excuſis, nulla B. Iulianæ mentio invenitur. Auctor Florarii MS. ad* VII *Aprilis iſta habet:* Apud Villariū monaſterium Brabantiæ, tranſlatio Julianæ Virginis, ſanctimonialis de Corelino. *Agitur ibidē de aliqua antiquiore tranſlatione: nam quæ ſub Roberto Henrione facta eſt anno* MDXCIX, *contigit* XVII *Ianuarii, & ad illum diem inſcripta eſt Menologio Chryſoſtomi Henriquez.: dictum autem Florarium ſeculo præcedente erat exaratum.*

memoriā ejus cum titulo Sanctæ *aut* Beatæ *an colatur officio Eccleſiaſtico?*

F

Tranſlationes relatæ ad 7 Aprilis & 17 Ianuarii.

21 *Huc uſque ad prælum paraveramus noſtram de B. Iuliana commentationē, quando per autumnū anni* MDCLXVIII, *pro inveſtigandis Sanctorum Actis, ad Moſanes Moſellanoſque tractus profecti, utramque ſub monte Corneliano, tam Fratrum quam Sororum, domum luſtravimus: & intelleximus, occaſione Indulgentiæ, eccleſiam Cornelienſem in feſto S. Iulianæ viſitātibus non ita pridē conceſſæ, magnoq; Leodienſiū civiū concurſu frequentatæ; magnam controverſiam motam fuiſſe prædictis monaſterii* Corneliani *inquilinis, tamquā ſuperſtitioſis, & adverſus Vrbanianæ* Conſtitutionis *decreta peccantibus, in eo, quod Iulianā velut Sanctā, colendam proponerent. Cujus quidē controverſiæ ſuſcitator, ſcriptis verbiſq; non contentus, etiā ſuſpenſionis minas intētare præſumpſit, Iulianā ſic colentibus: ſed repreſſus*

B. Iuliana obtrectator

A confutatus

repreſſus eſt inconſideratus illius zelus egregia apologia, à Lectoribus ſacræ Theologiæ in conventu Fratrum Minorum Recollectorum elaborata, cujus copiam nobis fecit Fr. Nicolaus du Bois, Præbendarius Cornelienſis. Ex hac pauca (nam cetera ex ipſis Vrbanianæ Conſtitutionis verbis atque hoc noſtro commentario liquent) excerpta habe.

antiquitate invocationis publicæ,

22 Ne prætexi poſſit, Julianam fuiſſe quidem ab antiquo celebrem, ob revelationem inſtituendi feſti venerabilis Sacramenti, ſed nullo cultu ſacro veneratam; recolligamus hic multiplicia illius cultus argumenta. Et primo quidem, de titulo Sanctæ & Beatæ conſtat ex antiquiſſimis hiſtoriis, & ore communi Cleri populique, uſque ad denominationem cujuſdam fontis in loco ejus natali, S. Julianæ nuncupati. Secundo, nota eſt ſolennis & religioſa ſepultura Julianæ, inter ſacratiora Corpora monaſterii Villarienſis, nullo alio quam ſanctitatis nomine conſtituta virgini exuli & pauperculæ; erecto eidem monumento marmoreo, quatuor pedes alto, cum appenſa tabella orationis, communis quidē ad Sanctos ibi ſepultos, propriæ vero ad S. Julianam. Quæ eadem (& hoc eſt tertium argumentū) in Floreffienſis Abbatiæ Litaniis propriis inter Sanctos Ordinis Præmonſtratenſis, his verbis proponitur invocanda, B. Juliana, multis è cælo revelationibus illuſtrata; cujus opera Deus feſtum ſanctiſſimi Sacramenti per totam Eccleſiam annue celebrari voluit, unde eſt laus tua nimis: ora pro nobis.

B cultuq; & uſu ſtatuarū,

23 Quartum argumentum petitur à ſacris ſtatuis S Julianæ: quarum una lignea, ab immemorabili tempore extitit & extat in eccleſia Cornelienſi, erecta ad columnam chori, ex oppoſito æqualis ſtatuæ S. Auguſtini, præferens manu figuram Theothecæ ſeu Remonſtrantiæ: quæ ſtatua eſt tam antiqua & cariosa, ut oportuerit illam à triennio exterius illuſtrare pigmentis: quando etiam pro ſerto florum, quod antiquitus capiti impoſitum cernebatur, ſubſtituta eſt corona inaurata. Hæc ſtatua eſt & fuit, ab immemorabili, expoſita publico cultui populi, genibus flexibus coram ea orare, luminariaque & vota offerre ſoliti: imo in feſto S. Auguſtini, Patroni illius eccleſiæ, eodem cum ipſius Sancti ſtatua modo honoratur, per oblationem florei ſerti, à Conſulibus Leodienſibus aut eorum Commiſſariis faciendam. Altera ſtatua, ſimilis formæ, extat in eccleſia Parochiali Flerontina prope Leodium; & quotannis ante venerabile Sacramentum defertur proceſſionaliter, ob memoriam feſti eidem revelati, & nativitatis ejus ex vico Retinne, eidem parochiæ ſubjecto. Tertia eſt inciſa lapidi arenoſo & jam pene exeſo, in eccleſia Cornelienſi, juxta tabernaculum Venerabilis; ejuſdem cum prioribus formæ & ſubſcriptionis, S. Julianæ nomen exhibentis. Quarta denique fuit in ipſa Dominici Corporis hierotheca argentea, reſpondens ſtatunculo ſancti Angeli ex uno latere poſito, quæ inſigniis radiorum ornatum habens caput, videbatur Sacramentum extenſis manibus ſuſtentare. Licet autem hæc hierotheca, ab annis tribus reformata, atque in auguſtiorem & magis tranſparentem formam ſit refuſa; ſuperſunt tamen prioris formæ & ſtatunculorum in ea poſitorum teſtes oculati ac memores; imprimis aurifaber ipſe, qui refudit, atque R. D. Prior Carthuſiæ cum uno ex ſuis Religioſis. Et in hujus rei memoriam, novæ hierothecæ inſerta eſt duplex ejuſdem Sanctæ imago, cum hiſtoria duplicis ſigni, in luna deficiente & per Apoſtolos facti.

C

imaginum & picturarū Beatæ.

24 Quintum argumentum faciunt icones æri inciſæ, indeque in chartam impreſſæ, ac publice diſtributæ: quæ omnes habent aliquod indicium ſanctitatis ejus. Omnium antiquiſſima, repreſentat Venerabile Sacramentum, ſuſtentatum manibus B. Julianæ irradiatæ, & Iſabellæ; adoratum autem à S. Auguſtino & Eva recluſa. Altera recentior, de anno 1625, idem Sacramentum exhibet adoratum à Juliana, Iſabella & Eva, ſic ut ſola media Juliana caput habeat diademate ſeu circulo luminoſo cinctum: & hæc Decano atque Capitulo S. Martini Leodii dedicata, ſervit Confraternitati Venerabilis Sacramenti, publiceque quotannis inter Confratres diſtribuitur. Tertia vero repræſentans ſolam Julianam diadematam, dictum Venerabile adorantem, ſimiliter in eccleſia Montis Cornelii quotannis inter Confratres ac S. Julianæ devotos diſtribuitur. Denique ejuſdem eccleſiæ parietes interiores ab omni retrò memoria ambiebantur picturis grandibus, totam S. Julianæ vitam per partes repræſentantibus: quas ætate conſumptas, tertiumque innovatas videre nunc quoque licet, una cum recentioribus in locum antiquarum ſubſtitutis. In ſummitate autem majoris aræ depicta eſt S. Juliana, radiata caput, & velut exſtatica. Quin & in templo Villarienſi æque ipſius Julianæ ac ceterorum ibidem quieſcentium Sanctorum depicta imago eſt, cum adſcripto titulo Beatæ

AUCTORE G. H.

25 *Accedit his omnibus illuſtrius ſolennioris cultus argumentum ex regno Portugalliæ, quo etiam Reliquiæ, & quidem Roma miſſæ ad Oratorium regium exornandum, ſuperiori ſeculo pervenerunt; ſcilicet* tres partes ex ſpina dorſi. *Quas ſolenni feſto à Sacellanis regiis annue honoratas fuiſſe* V *Aprilis cum Officio trium Lectionum, ſacra Rituum congregatione approbante, teſtatus eſt Ioannes Alvarez de Luzana, civitatis Portus Epiſcopus & Regii in Luſitania Sacelli Præpoſitus: quemadmodum fuſe diximus* II *Aprilis* § 4 *ante Vitam S. Mariæ Ægyptiacæ, eadem occaſione ſimili ibidem cultu donatæ. Ibi videre lector poterit qualiter eæ Reliquiæ poſtmodum pervenerint ad monaſterium S. Salvatoris Ordinis Ciſtercienſis Antverpiæ; ac demum anno* MDCLXXII *die* VII *Auguſti ſolennißima pompa ſint circumlatæ, ſub tertio ejuſdem pompæ labaro, quod Sanctarum monacharum erat, à Religioſis Tertiariis S. Francisci, quos Beguardos dicimus, una cum hoc lemmate annum Tranſlationis notante,* IVLIana eVCharIstIæ feStIs DeVotIssIMa. *Permiſſum quoque eſt, ex vi Vrbanianæ Bullæ anni* MDCXXX *die* III *Iulii emanatæ, qua ſtatuitur ut* in eccleſiis Parochialium aut Regularium utriuſque ſexus, ubi notabiles Sanctorum & Sanctarum approbatæ ſervarentur Reliquiæ, eorum earumque feſtum poſſit ac debeat celebrari tali officio ac ritu, quali in eccleſia, unde tranſlatæ ſunt, celebrari ſolitum erat: *permiſſum eſt, inquam, auctoritate Ordinarii, ut dicti Ciſtercienſes duas de Vita Sanctæ Julianæ Lectiones proprias componerent, atque in choro recitandas imprimi curarent, prout eæ impreſſæ nunc habentur uſurpanturque, additis* XL *dierum Indulgentiis, ipſo die conſequendis, præter alias gratias Confraternitati ibidem ſub Clemente* X *inſtitutæ indultas.*

festum annuum cum officio olim in Luſitaniæ ubi Reliquiæ,

E

F

VITA

ab Auctore coævo deſcripta

ex variis codicibus MSS.

PROLOGUS.

Exempla trahunt homines ad imitandum

INter omnia viſibilia, quibus humana natura de facili ad bonum flectitur vel ad malum, exemplum videtur præcipuum eſſe. Nam ſicut impreſſionem cera recipit ex ſigillo, ſic vitæ formatur moralitas ab exemplo. Hinc fortaſſis noſtris temporibus tanta ſuperabundat iniquitas, quod multiplicati ſint ſuper numerum qui ſe præſtant imitabiles ad perverſa; letalique frigore frigeſcit

AUCTORE COÆVO EX MSS.

geſcit caritas multorum, quia pauci admodum inveniuntur, qui in ſuis actibus demonſtrant ſtudia imitanda. Facit igitur conſuetudinem delinquendi, delinquentium multitudo. Miro quippe modo inducitur humana fragilitas ad imitandum eos, quorum frequentius intuetur opera, ſive bona fuerint ſive mala. Ob hanc cauſam ſemper operæ pretium fuit Sanctorum & Sanctarum geſta deſcribi, & ita exempla eorum qui ſimiliter de hoc mundo ſunt aſſumpti, veluti in rem præſentem per ſcriptorum memoriam revocari: ut ſicut humana mortalitas ex pravorum moribus paſſim invenire poteſt quo corruat; ita Sanctorum lectis vel auditis exemplis, ſi adhuc per Dei gratiam ſtat, habeat quo proficiat; vel ſi jam cecidit, habeat quo reſurgat. Sed licet Sanctorum Sanctarumque temporis antiqui geſta, auribus inculcata fidelium, virtutum ſemper eſſe debeant incentiva; ſcio tamen quod exempla Sanctorum noſtri temporis, quanto recentiora tanto magis ſunt motiva. Ea namque quæ modernorum frequentata ſunt viſui, accommodatiora videntur & uſui. Quamvis autem de terra Sanctus defeciſſe videatur, præ perfectorum nimia caritate; nulli tamen dubium eſſe debet, quin & noſtra tempora multos Sanctos habuerint, & adhuc habeant, atque Sanctas; non ſolum mulieribus, ſed & viris in virtutum exercitiis & profectibus imitandas. Sed forſitan quis dicat: Si temporibus iſtis ineſt tanta ſanctorum virorum inopia, mulierem ſanctam quis inveniet? Proferam, ſi placet, unam Virginem, quam noſtrum ſeculum quaſi lilium germinavit: Virginem, qualem dicit Apoſtolus, ſanctam corpore & ſpiritu. Juliana hæc eſt, quæ ante paucos dies ab hoc ſeculo nequam aſſumpta, digna eſt ut pro ædificatione fidelium ad memoriam revocetur. Ipſa eſt, quæ corporalis fragilitatis, qua plerique modernorum ſuam ignaviam & teporem veluti ſcuto tegunt, ſed & ſexus oblita, ad perfectionis ardua cucurrit & apprehendit. Cucurrit per profundiſſimam humilitatem; & in carne debili & pene inutili ſummâ apprehendit perfectionem. Hanc igitur Virginem qualicumque ſtylo reducam ad medium, de vita ejus & converſatione ſancta, de exercitio profectuque virtutum, de affectionibus ſuis & revelationibus ſibi factis pauciſſima conſcribendo, tamquam ſi de ubertate agri pleni cui benedixit Dominus aliquas ſpicas colligam: vel ſi de arbore fructu referta pauca poma decerpam, vel ſi de vinea fertili perpaucas uvas eligam. Cujus paucitatis ratio hæc eſt, quod quædam perſonæ, quæ hujus Virginis individuę comites pacis & perſecutionis temporibus extiterant, ante illam, ſicut optaverant, ab hoc ſeculo migraverunt; multorumque relatu dignorum, quæ plus aliis in Chriſti ancilla cognoverant, neminem conſcium reliquerunt. Quamquam ipſa Virgo illis vel aliis numquam revelaverit gratiarum plenitudinem quam accepit. Tam amica ſiquidem à primis annis ſibi fuit humilitas, ut quidquid mirabile foret in auribus audientium ſi diceret, perpetuo ſilentio intra clauſtra pectoris obſeraret, niſi interdum ad aliqua communicanda, fræna oris ejus libertas ſancti Spiritus relaxaret. De cognitis autem omiſi plurima: quia ad oſtendendum noſtræ Virginis ſanctitatem, partem eorum credidi ſufficere, volens & in hoc faſtidioſis lectoribus providere. Quæ vero conſcripta ſunt, à venerabilibus & fide dignis perſonis cognita ſunt & relata: quarum quædam, etſi non omni, tamen multo tempore quo vixit, cum ipſa converſatæ; quædam autem ſpecialem dilectionis ejus gratiam conſecutæ, de vita & virtutibus ejus plurima cognoverunt, & ſine falſitatis fermento ſciſcitantibus nobis narraverunt. Quæ quidem per diligentiam unius valde religioſæ perſonæ, veluti quædam fragmenta ne perirent, in lingua Gallica litteris commendata; & per Dominum Joannem de Lauſenna, Canonicum eccleſiæ Sancti Martini Leodienſis, admirandæ ſanctitatis virum, approbata ſunt: cujus etiam vita & mors, quæ jam intervenit, pretioſam non brevem commendationē, ſed opus proprium deſiderat, ſi fuerit qui aſſumat. Hoc ſolum fuit, quod tanto viro, cum ſibi recitaretur quomodo per præfatam perſonam collectum fuerat, potuit diſplicere; quod nullus ſermo ſanctitatem, puritatem, caritatem & juſtitiæ zelum noſtræ Virginis, quam ipſe præ cunctis viris melius cognoverat, digne poterat explicare. Ipſo autem mihi (quem in amicorum ſuorum numero, quamvis indignum & immeritum, computabat) ſupplicante, licet rudis & indoctus, tandem aliquando adorſus ſum, quod Gallice factum fuerat, vertere in Latinum. Præcipue cum ipſe, nec non & aliæ perſonæ (quibus non obtemperare nefas mihi viſum eſt, quæ me ad ſcribendum ſimiliter inducebant) narrationem ſimplicem peterent, non ornatam. Sic igitur compulſus ſum meam prodere inſipientiam, dum iſtud agere attentavi, quod certe competebat ingenio meliori. Sed obſecro lectores pariter & auditores, ut ſi cuiquam illorum ſuppetit copia dicendi, non vanum ducat nec pigritetur in hoc opere ingenii ſui vires exercere, & dignam materiam, digna veſtiat elocutione. Nam licet veritas, pure & ſimpliciter dicta, digna ſit munere acceptionis: ſcio tamen quod ornatus additus veritati multum ei conferat gratiæ & favoris. Nec mihi cauſabor fieri injuriam, ſi veritas meæ narrationis impolitæ per aliquem induſtrium in melius alicubi reformetur; vel etiam decentiori loquendi genere totaliter innovetur. Præſens autem opuſculum in duos libellos diviſum eſt. Primus noſtræ Virginis ortum, incrementa ætatum, profectus affectuum & virtutum, ſublimitatemque contemplationum inſinuat. Secundus, tribulationes & perſecutiones, quas pro zelo juſtitiæ; & injurias & dolores, quos pro ſpeciali ſolennitate Sacramenti ſuſtinuit, nec non & beatum ejus tranſitum manifeſtat.

inter hæc eminent geſta Sanctorum,

maxime recentiora,

B

1 Cor. 7, 34 *ut ſunt geſta B. Iuliana.*

horum multa latent ob mortem familiarium,

C

& humilitatem ipſius Virginis:

dantur ſelecta & certa,

D

è Gallico & approbato tranſlata,

rudi ſtylo propoſita,

E

ut ab aliis exornentur

diviſa in duos libros.

LIBER I.

CAPUT I.

Ortus, pia educatio, humilis converſatio.

F

1 FUit in Epiſcopatu Leodienſi, in villa de Retinnes, vir quidam multarum virtutum prædituſ meritis, clarus progenie, divitiis pollens, Henricus nomine, & uxor ejus Freſcendis: qui cum pluribus annis pariter vixiſſent abſque ulla ſobole, per ſe & per quoſdam fideles inceſſanter orationibus & eleemoſynis Dominum precabantur, ut ipſe qui omnia poteſt, eis liberos, divinis mandatis parituros, tribuere dignaretur. Benignus autem & miſericors Deus, qui preces ad ſe clamantium, præcipue ubi efficaciam orationis manus adjuvat piæ operationis, ſolitus eſt exaudire; decrevit geminæ prolis exhibitione fidelium ſuorum preces & opera, petitionis munere non privare. Procreatæ ſunt namque ex eis duæ filiæ, quas educabant multa cura & ſolicitudine: Harum autem nomen majoris Agnes; minoris vero vocatum eſt, Juliana.

2 Orbatæ ſunt autem in ætate tenerrima ſolatio parentum, vitam bonam bono fine conſummantium. Amici vero & cognati juvencularum, quarum junior habebat tantummodo quinque annos, nutu Dei ſolicitudinem gerentes de ipſarum innocentiâ

a Nata Retinnæ parentibus piis, & opulentis

habuit ſororē Agnetem,

cum ea, parentibus mortuis,

centia conſervanda, eaſdem ad *b* domum Montis-Cornelii prope Leodium, quæ tunc novella erat plantatio, adduci fecerunt, & in conſortium Sororum ibidem degentium recipi procurarunt. Viſum namque eſt eis fore dignum, ut hujus inopia juvencularum abundantia ſuppleretur; in uno eodemque facto providentes illarum paupertati, & iſtarum conſulentes innocentiæ & ſaluti. At Sorores, dictæ domus Superiores, ſuper harum infantiâ pia geſtantes viſcera, ad *c* Boveriam, à domo prædicta non longe diviſum, eas poſuerunt; à quadam ſpirituali Sorore, Sapientia nomine, ibidem commorante, nutriendas & erudiendas. Subdiderunt igitur infantulæ jugo Domini colla juvenilia, ſub *d* Sapientia earum nutrice pariter & magiſtra. Ipſa namque illarum paſcebat corpora ſicut nutrix, reficiebat & mentes ut magiſtra, tradendo legem vitæ & diſciplinæ. Potabat inſuper alumnas ſuas Sapientia, aqua ſapientiæ ſalutaris: quam illæ, pro ætate & tempore, ſitibundo pectore hauriebant. Crevit autem ſoror major natu in laudabili ſimplicitate vitæ, in magna quoque corporis & animæ ſanctitate: ipſam tamen in utriuſque hominis ſanctimonia minor ſupergreſſa eſt. Siquidem Chriſtus, cui licet quod vult facere, ampliores cumulos gratiæ & virtutis theſaurizavit ſuper eam. Prætermiſſa igitur narratione vitæ & converſationis laudabilis *e* Agnetis, quæ pie & ſimpliciter vivendo ſe agnam veraciter exhibuit (indignum enim erat ſi res nomini diſcreparet) ad executionem hiſtoriæ noſtræ juvenculæ Julianæ, præſentis narrationis ſeries convertatur.

b *tradium educanda in Monte-Cornelio*

dein Boveriæ

c

d

proficit in virtute.

A

B

e

1 Igitur Juliana, ſub magiſtra poſita, non erat magiſterii impatiens, non fugitans diſciplinæ, non denique appetens ludos, quod tamen hujuſmodi ætas dulce ac familiare habere ſolet; jam enim ætatem moribus tranſcendebat, expers totius inſolentiæ & laſciviæ puerilis. Erat quippe corpore juvencula, ſed animo cana: amabat autem habitare ſecum, ſimplex plurimum & quieta, & ultra quam credi poteſt verecunda. Et viſum eſt magiſtræ ſuæ bonum, ut eam litteras doceret, per quas Deum cognoſceret & amaret; ad cujus amorem aſpirare tantæ indolis infantia videbatur. Sedens igitur Juliana ad magiſtræ ſuæ pedes, ab ea litteras docebatur; cujus doctrinæ quotidianis profectibus reſpondebat. Sortita etenim erat ſpiritum bonum, per quem erat docilis valde: & factum eſt in brevi tempore ut non ſolum pſalterium legere ſciret, ſed etiam cordetenus retineret: dederat enim Deus ei & intellectum capacem & memoriam tenacem: in iſta etiam ætatem ſi quid legerat vel audierat, quod virtutis gratiam redolebat; hoc corde retinens, adimplere opere cupiebat.

imbuitur litteris,

pſalterium addiſcit:

C

4 Quadam enim die, cum Sorores aſſueta perſolverent jejunia, illius Scripturæ de Vita B. Nicolai, quod quarta & ſexta feria ſemel ſugebat ubera, Juliana recordata, ſimiliter jejunare decrevit: & ipſa feciſſet ſatis propoſito, niſi magiſtræ ſuæ ſeveritas primævis conatibus obſtitiſſet. Aggreſſa eſt autem Juliana devotum jejunium, ſed præſumptum: & magiſtram ſuam latere non potuit. Quæ iratam ſe ſimulans, ad terrorem eam tulit extra Boveriam, & in nivem projecit (hiems enim erat) dixitque illi: Quomodo illicentiata jejunium ſumpſiſti, hic pœnitentiam tuam age: & dimittens eam in nive, in domum regreſſa eſt. Juliana autem in vocem murmuris vel impatientiæ non erupit, ut plerumque fieri ſolet ab infantibus hujuſmodi ætatis ad modicam læſionem: ſed, nec loco quidem mota in quo poſita erat, vultum ſibi & formam aſſumpſerat pœnitentis. Poſt aliquantulum temporis regreſſa ad eam magiſtra ſua, præcepit ei, ut continue, ad eccleſiam iret, & ſuper reatu ſuo confeſſionem ſuam non differret. Quæ ſurgens de loco frigoris, conFeſtim paruit imperanti; & ſuper eo quod præſumpſerat, & magiſtram ſuam turbaverat, humiliter eſt confeſſa. Sacerdos autem tantæ puritatis confeſſionem audiens, injunxit eidem, ut quod preſumptione jejunii peccaverat, eſu unius ovi expiaret. Quæ regreſſa quod juſſa fuerat adimplevit. Julianæ jejunium non infantiæ deputetur, vel alicui levitati: in eo potius attendatur quoddam præludium longiſſimi jejunii ſecuturi.

quia jejunavit ſine licentia Magiſtræ

humiliter pœnitentiam egit:

AUCTORE COÆVO EX MS.

5 Cum autem aliquantulum plus ætatis fuiſſet adepta, ædificium quod ad cœlos pertingeret conſtruere deſiderans, in tuto humilitatis curavit jacere fundamenta. Nolens enim otioſa manducare panem ſuum, & amplius cupiens miniſtrare quam miniſtrari, officium elegit humile & abjectum, cujus fructus in commune proficeret, & nihilominus humilitas in opere permaneret. Petivit ſiquidem à Superioribus domus & effuſis precibus obtinuit, ut cum pecora è loco paſcuæ plenis uberibus reverterentur, ipſa ab eis lac mulgeret. Agebat ergo Juliana hoc officium tanto devotius, quanto plures lacte manibus ſuis extracto uſuros cognoverat. Æſtimabat autem pia mentis devotione, pœnitentiæ infirmorum omniumque bonorum quæ in congregatione fiebant ſe fore participem, quæ lacte hujuſmodi uteretur. Contigit autem multotiens cum lac à pecoribus traheret, ictu pedum vaccarum ipſam graviter percuti & ad terram proſterni: ipſa tamen, propter amorem ſilentii, non voces planctus vel clamores, ſed nec ſonos levis querimoniæ proferebat. Soror autem ipſius Agnes interdum ad locum, cauſa videndi quid ſoror ſua Juliana ageret, veniens, ipſamque ad terram proſtratam reperiens, triſtis dicebat ad illam: O miſera Juliana, quid hic jaces? Scio, miſerabilis ſoror, ſcio quia in hoc ſterquilinio morieris. At illa ſororis ſuæ vocem audiens, triſtior efficiebatur pro lactis effuſione, quam pro ſui corporis læſione: verecundiæque rubore ſuffuſa, exinde humiliter confitebatur, ac ſi hoc ſibi pro ſua negligentia eveniſſet. Non inſiſtimus omnibus quæ decoraverunt bonæ indolis pueritiam Julianæ: ad majorem ipſius ætatem & majora opera feſtinamus.

impetrato officio mulgendi vaccas,

E

id magna humilitate & patientia peragit.

6 Ab ineunte enim ejus adoleſcentia cœpit manifeſtius apparere quid eſſet in Virgine, ut in ipſa Chriſti gratia vacua non videretur, opera quidem quæ faciebat teſtimonium de ipſa perhibebant, & ex ſtudiis ſuis agnoſci poterat evidenter. Videres enim Virginem adoleſcentulam, minus quod caro poſſet ſed quid vellet ſpiritus attendentem; aggredientem non ſolum quæ obedientia imperaſſet, ſed & quæ utilitas induxiſſet vel caritas ſuaſiſſet: videres, inquam, illam ſolicitam præ omnibus, circa ſe negligentem, & Sororibus omnibus obedientiſſimam; de ſeipſa autem, tamquam de vaſe perdito, non curantem. Semper priora ſua nulla reputans, majora moliebatur, ad non parcendum corpori, & ad ſerviendum omnibus: corpuſque virgineum ſine intermiſſione jejuniis ac vigiliis multis, orationibus frequentibus, inſuper & laboribus aſſiduis atterebat. Cum autem præ nimio labore vires ſibi ſentiret deficere, dum ei dabatur in amico ſibi ſilentio paululum immorari, mirum dictu! vires ſibi reparare ac reſumere videbatur. Nec deſtitit ab exercitio corporali, donec labores exterius, affectiones autem interius prævalentes, vires corporis ejus penitus exhauſiſſent; & infirmum carnis animal ſic caderet, ut non adjiceret amplius ut reſurgeret. Cum autem ab opere ſibi vacaret, continuo ſe ad ſtudia ſpiritualia convertebat & aut orabat, aut legebat, aut meditationi inſerviebat: mire enim meditativa ſemper fuit. Quæ cum jam omnem ſcripturam Latinam & Gallicam

F

ſtrenue operatur

tempus à labore vacuum impendit lectioni S. Auguſtini

AUCTORE COÆVO EX MS. & S. Bernardi super Cantica

libere legere didiciſſet, libros B. Auguſtini multo affectu legebat; ipſumque Sanctum plurimum diligebat. Verum quoniam ſcripta beatiſſimi Bernardi vehementer ſibi ignita viſa ſunt, & dulciora ſuper mel & favum; ea legebat & amplectebatur devotione multa valde, ipſumque Sanctum, immenſæ dilectionis privilegio honorabat. Dedit igitur animum ſuum ad eloquia ejus; & pluſquam viginti ſermones extremæ partis, editos ab eodem ſuper Cantica Canticorum, in quibus ipſe Beatiſſimus humanam ſcientiam viſus eſt exceſſiſſe, ſtudioſe cordetenus didicit, & firmæ memoriæ commendavit. Quidni Juliana libentius legeret & diſceret carmen nuptiale Chriſti & Eccleſiæ, Verbi & animæ? Amatoria profecto cantica ardentius diligebat, cum amoris lingua ſibi ignota non eſſet aut barbara, quæ amabat. A primis ſiquidem adoleſcentiæ ſuæ annis, amorem ſuum contulit totum Chriſto, Virgo Virgini, Virginis filio. Proinde beata plane Virgo, quæ antequam ſeculi complexibus foret fœdata, Chriſto per amorem extitit fœderata: cui tanto felicius quanto maturius ſe devovit. Si quando autem Juliana cum ſuis ſororibus loquebatur, de Deo ſermo ſuus, ex cordis abundantia prodiens, texebatur. Si quid vero ex præcepto Superiorum foret agendum, hoc omnimodis volebat, ut id ſibi in nomine Domini injungeretur, ut ex tanto & tali nomine ſua obedientia condiretur.

ob ſuum erga Chriſtum amorem:

colloquitur de Deo:

B

7 Hanc igitur diſciplinam morum profectumque virtutum, Sapientia nutrix ejus vigilanti ſolertia & ſolerti vigilantia ponderans & attendens, in ſtuporem & admirationem non modicam vertebatur, in immenſumque ſuper alumnæ ſuæ profectibus lætabatur. Quidni enim exultaret in gaudio Sapientia, cum videret illam non ſapientia hujus mundi, quæ eſt ſtultitia apud Deum, inflatam; non etiam carnis ſapientia, quæ mortem operatur, illectam; ſed illa cæleſti utique & divina, quæ de occultis trahitur, inſignitam: non quod ipſa doctrinæ ſuæ imputaret alumnæ virtutum continua incrementa: quia neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid; ſed qui incrementum dat Deus. Cognoſcebat ſiquidem Julianam currere ad apprehendendum perfectionis culmina, non tam ſe nutrice, quam unctione magiſtra. Nec potuit diſſimulare, quin inſignia vitæ & converſationis illius perſonis aliquibus revelaret; ut cognito, quanta qui potens eſt in ipſa operabatur, utilitas ædificationis audientibus proveniret. Cumque ex hoc cunctis eſſet reverentiæ & ſtupori; non tamen inſolentior exinde, ut aſſolet, reddebatur; ſed magis mitis & humilis in omnibus & præ omnibus inveniebatur.

proficit cum admiratione nutricis

& ædificatione aliorũ.

C

8 Cœpit itaque paulatim crebreſcere laudabilis converſationis ejus opinio, & odor famæ ejus longe lateque reſpergi, & ipſa à magnis humilibuſque perſonis deinceps frequentari. Sed ipſa, quæ deliteſcere ac latere ſub humilitatis ſuæ modio cupiebat, acceſſus adventantium ferebat ægerrime, indignam ſe reputans quæ deberet ab aliquo viſitari. Unde ſi quemquam de magnis perſonis ad ſe venturum ſcire potuiſſet, præ maxima humilitate & verecundia latebras petens, abſcondebat ſe; ut ſic abſque offenſione illius colloquium declinaret: & hoc præcipue in tempore juventutis ſuæ; quamquam in omni vita ſua ſublimium perſonarum acceſſus moleſte ſuſtinuerit. Quod ſi etiam in provecta ætate ſua, illis ad ſe venientibus, pro vitando ſcandalo, colloqui cogeretur; hoc cum tanta verecundia & cordis anguſtia faciebat, ut hoc ipſum pœnæ purgatorii compararet. Si autem in juventute ſua ipſam à magnis perſonis contingeret præveniri, ut nec ſubterfugere potuiſſet; requiſita ab eis ut de Deo aliquid loqueretur, ipſis cum omni humilitate & modeſtia reſpondebat: Ego ſum coquinæ miniſtra, ſororum ancilla, & à me divina vultis audire colloquia? Scio, fateor, ſcio pecorum lac mulgere, pullos gallinarum nutrire, & talia infima facere, quid amplius à me ſciſcitamini? Sed vos qui de Deo peramplius & perfectius noſtis loqui, de Deo obſecro loquamini, & ego vos audiam diligenter: quod quidem magis exigit æquitas rationis. Hæc Juliana ad magnas perſonas juventutis ſuæ tempore. Ceterum cum perſonis humilibus & puſillis ſermocinatio ejus, quibus de Deo & animarum ſalute affectuoſius loquebatur, ſecundum quod intelligentiæ ætati & profectui videbat competere ſingulorum.

ſubterfugit magnatum viſitationes,

aut cum eis humiliter agit.

D

ANNOTATA.

a *De* Retinna *ſupra egimus.*

b *Inſtitutio & ſitus hujus domus plene deſcribitur lib. 2. num. 1. aliqua ſupra dicta ſunt.*

c Boveria villa proxima & ex adverſo, *inquit Fiſen.*

d *Fuit* Sapientia *poſtmodum Prioriſſa Montis-Cornelii, eique mortuæ ſucceſſit B. Iuliana.*

e *Alia ab hac Agnete ſorore. fuit Agnes ſocia B. Iulianæ, ſepultæ Salſiniæ, infra relata lib. 2 num. 33.*

E

CAPUT II.

Peccata aliena ut propria deflet Iuliana: eximius ejus affectus erga ſacrificium Miſſæ & ſacram Euchariſtiam.

9 TAntam autem ſpiritus contritionem pro peccatis totius humani generis ſibi aſſumpſerat, ut omnis dolor & gemitus, licet apud ſe multus, pro peccatis hujuſmodi, minimus à ſe, imo quaſi nullus æſtimaretur. Unde veluti de minori planctu ſe diſtricte redarguens, omnium peccatorum rea in ſuis oculis videbatur. Unum autem ſubjungimus exemplum, ut id, quod diximus, clarius eluceſcat. Cum quædam ſublimis perſona aliquando veniſſet ad eam, cœpit ab ea inquirere, ut aliquod bonum, quod Deus ipſam docuerat, enarraret. Illa autem, ſe parum boni ſcire, cum omni humilitate reſpondit, magnam ſe aſſerens peccatricem. Et cum multa ille peccata dinumeraret, quæ Deus ab ancilla ſua longe ſemper fecerat, inquirens ſi rea illorum peccaminum teneretur; illa reſpondit: Domine, bene poteſt eſſe quod culpabilis ſum omnium peccatorum. Ille vero minus attendens ex quo fonte verba hujuſmodi emanarent, cum indignatione receſſit ab ea: æſtimaverat enim, ut arbitror, ſe ſublimia auditurum: arbitratus forſitan veram religionem in ſublimitate ſermonis conſiſtere. Sorores autem ipſius ex hoc verecundæ & triſtes effectæ ſunt, inquirenteſque cum invectione, quanam conſcientia de ſe hujuſmodi ſententiam protuliſſet, hoc reſponſum ab ea receperunt: Quoniam tam ingentem dolorem & cordis anxietatem pro peccatis humani generis, quibus continue offenditur Deus, non habeo ut deberem, ideo rea mihi videor omnium peccatorum. O vere Virginem perfectæ religionis! firmum religioſæ perfectionis exemplar! Sed heu! quam perpaucos reliquit ſuæ virtutis imitatores, ſuæ religionis æmulatores. Pauci ſiquidem uſque hodie videntur ſuorum peccatorum vulnera digne lamentari, ſed multo pauciores qui in alienorum delictorum planctu Julianam ſatagunt imitari.

hominum peccata deflet:

eorumque rea ſe dicit, quod non ſatis ea doleret:

F

10 A tempore autem quo poſita eſt Juliana, cum Sapientia nutrice ſua, ad Boveriam commorari; ab eadem,

A eadem, cum hoc commode fieri poterat, ſecundum conſuetudinem Sororum ad eccleſiam ducebatur. Prævenit autem ancillam ſuam Julianam Deus in benedictionibus dulcedinis ſuæ, ab ætate tenera, cum eam contingebat Miſſarum ſolenniis intereſſe; præcipue tamen & abundantiori devotione in tempore Sacramenti. Ad iſtud ſiquidem mirabile Sacramentum ab ætate puerili concipere cœpit non pueriles affectus. Miram vero ſuavitatis intimæ dulcedinem hora ſacrificii à Spiritu ſancto primitus ſentiens infundi, ſicut aquam cor ſuum cœpit effundere, & in conſpectu Altiſſimi deprecari, ut ad ampliorem guſtatæ dulcedinis poſſet gratiam promoveri. Et cum de die in diem, per vehemens deſiderium, ad ſumendum quod optabat capacior redderetur; adeo fervor devotionis excrevit, ut cum tempore Sacramenti orationi incubuiſſet, à torrente voluptatis ſuæ vix poſſet avelli. Non erat quidquam in quo poſſet amplius delectari, quam ſi illa hora permitteretur orationi & guſtui ſuo diutius immorari. Sed nutrix ejus & ſorores, & ſi non ad horam devotioni, provida tamen intentione, ipſius teneritudini deferentes, ipſam ab oratione extrahebant, & guſtum ſpiritualium deliciarum (quod moleſte ferebat) interrumpere compellebant. Et cum ab ea

B inquirerent, quidnam vellet edere; ipſa copiam ſpiritualis refectionis quantum poterat occultabat; & modo illo ſuo jocoſo, de pulchriori & meliori ſe velle edere dicebat. Intelligebat autem de ſpirituali refectione, qua quidem paulo ante paſta fuerat, ſed minime ſaturata. Scriptum eſt enim: Qui

Eccl. 24, 29 edunt me adhuc eſurient. Sed Sorores ejus intelligentes de cibo corporis ſui, eidem refectionis hora de meliori cibo, quem habere poterant, apponebant: ipſa autem cibum corporalem faſtidiens, etſi non voce, tamen ipſa re; non talem fore cibum, quem deſiderabat edere, demonſtrabat, quem ſub pulchrioris & melioris nomine palliaverat. Pro pace tamen Sororum, & contra ſuum appetitum; modice deguſtans, tam parum exinde comedebat, ut Sorores quæ hoc videbant firmiter aſſererent, humanam creaturam ex tam modico cibo nullatenus poſſe ſubſiſtere per naturam. Sed Chriſti Virgini, ad loca uberioris paſcuæ revertenti, tanta dabatur copia refectionis ſpiritualis, ut & corpus ſuſtentaretur, & anima ejus ſicut adipe & pinguedine repleretur.

C 11 Cum autem affectio, quam habebat Juliana, ad vivifici corporis & Sanguinis Chriſti Sacramentum, per ſingulos dies creſceret in immenſum; non requieſcente aliter ſpiritu ejus, unum è duobus facere cogebatur, aut Miſſæ ſolenniis intereſſe, aut illo tempore ubi commodius poterat orationi incumbere: & primum quidem ſibi erat in ferventi deſiderio, reliquum in ſolatio. Tantum enim dulcedinis ſupernæ haurire conſueverat, cum Miſſæ intereſſet Sacramento, ut ſummo affectu quotidie redire cuperet in idipſum: ſed quia Sororibus ſuis conſuetudinis non erat Miſſam diebus ſingulis audire, ipſa ſibi vim inferens, morem eis gerebat, ne quibuſdam Sororibus eſſet indignationi, quibuſdam admirationi. Si enim diebus ſingulis, contra conſuetudinem illarum, intereſſe Miſſæ attentaret; infirmiores quæque de ſingulari prerogativa vel dominio quod præ ipſis habere videretur, poterant indignari; perfectiores, per hujuſmodi inſuetam frequentiam, manifeſtato ipſius vehementi deſiderio, poterant admirari: quæ duo, ſcilicet indignationem vel offenſionem Sororum ſuarum, vel ſui ipſius admirationem ſeu oſtentationem, in omni vita ſua quantum potuit ævitavit; in uno quidem conſulens Sororum paci, in altero propriæ humilitati. Faciebat autem quod poterat: & cum Miſſam audire non licebat ſibi, illo tempore orationi, ubi melius poterat, incumbebat. Quod perpendens Sapientia nutrix ejus, eidem condeſcendit pio affectu, & ex parte devotioni illius providit: nam in dicta Boveria oratorium ipſi fieri procuravit. Opportunitate igitur loci ſecretioris accepta, Juliana tempore Miſſæ oratorium introibat, & altaris Sacramento, quia corpore non poterat, mente intererat, parte ſui utique digniori. Inſiſtebat autem orationi tanto devotius quanto ſecretius, & corporalem abſentiam, mentis præſentia ſolabatur. Miſericors autem & miſerator Dominus ancillæ ſuæ deſiderium & præparationem cordis ejus clementi oculo conſiderabat, & ipſam eo tempore infuſione ſuæ gratiæ copioſius perfundebat.

12 Cum autem unici dilecti ſui & electi, non modo ex millibus, ſed ex omnibus qui in cœlo ſunt & in terra, ſacroſanctum corpus Chriſti percipiebat; tunc tanto tamque abundanti rore gratiæ & devotionis adipe replebatur, ut ad inſtar ceræ ad ignem appoſitæ anima ipſius liqueſceret, & intra ſemetipſam ſpiritus ſuus deficeret. Tunc enim guſtabat & videbat quoniam ſuavis eſt Dominus, acceptis utique muneribus gratiæ amplioris. Sentiebat ſiquidem in edulio ſacri Corporis omne delectamentum & omnem ſaporem ſuavitatis. Nam quod populo Iſraelitico, de manna pluente de cælo, contigit in figura; hoc Julianæ, dum panem vivum qui de cælo deſcendit ſumeret, cujus umbram manna gerebat, contingebat in reipſa: niſi quod panis iſte multo amplius dulce ac ſaporoſum ſapiebat in corde Julianæ, ſpiritalis & ſuavis; quam manna olim ſaperet in ore populi, carnalis & duræ cervicis. Poſt perceptionem autem Corporis Chriſti Virgo noſtra, ſaltem per ſeptimanam volebat in ſilentio permanere; nimis ægre ferens his diebus, niſi pro magna & urgenti neceſſitate vel utilitate, acceſſus quarumlibet perſonarum. Non tamen æſtimes quod per hujuſmodi temporis ſpatium, ad agendum feſtum illi quem perceperat, ſibi ſufficere videretur; cum ipſa Sororibus ſibi victualia miniſtrantibus ſæpius dixerit, quatenus per unum menſem ſibi nullum cibum corporalem penitus miniſtrarent; imo nec ipſæ ad eam accederent, & ab acceſſu quarumlibet aliarum perſonarum adventantium defenſarent. Tantam ſiquidem fortitudinē eſſe in illius ſacri panis edulio ſentiebat, ut per tantum temporis in fortitudine cibi iſtius etiam corporaliter ſe poſſe ſubſiſtere non timeret: probatumque de facili id fuiſſet, ſi non defuiſſet ex parte Sororum ſibi miniſtrantium quæ probaret. Verum quoniam Julianæ tam longa quies & tam diuturnum ſilentium non dabatur, ſicuti cupiebat, iterum tamen tota abſorpta in ſpiritu, illi ſoli, quem perceperat & amabat, ſponſa ſponſo vacabat; & in abundantia caritatis intimæ & fervoris plenitudine, miro & ineffabili modo, eidem per unionem ſpiritus adhærebat: atque in divinum mutata affectum, non poterat ſentire aut ſapere præter Deum. Et ut brevibus agnoſcas, quam ſingulari prærogativa gratiæ ſuæ viſitavit ancillam ſuam Chriſtus, in perceptione Corporis & Sanguinis ſui; iſtud non æſtimo reticendum, quod per plures annos ante obitum ſuum, quotiens corpus Chriſti recipiebat (quod præ immenſo amore ſæpius facere deſiderio magno deſiderabat) Chriſtus eidem aliquod novum ſecretum, de ſuis arcanis cæleſtibus, revelabat. Quæ tamen ſecreta, tam indiſcreta (ſi dici fas eſt) humilitate recondebat; ut recte cum Propheta clamitare poſſe videretur, Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi. Quæ etiam ſecreta non modo ab extraneis abſcondebat, ſed nec familiaribus & ſibi cariſſimis aliqua de illis, niſi rariſſime, revelabat;

AUCTORE COÆVO EX MS.

eo tempore in oratorio proceſſundit

magnam in oratione aulcedinem experitur, maxime in Miſſa.

in Sacra Communione repletur dulciſſimo ſapore:

E

poſt eam optat integra ſeptimana in ſilentio conſiſtere,

& integro menſe abſtinere à quocumque cibo

F

optat quotidie intereſſe Sacrificio Miſſæ,

communicat ſemper aliquod cæleſte ſecretum percipit:

Iſa. 24, 16

ſi licuiſſet abſque offenſione Sororum,

aut oſtentatione ſui.

AUCTORE COÆVO EX MS.

revelabat; vel niſi ſpiritu ebria, omnino reticere non poterat. In tantum ab annis teneris profundæ humilitatis extitit æmulatrix, ut quicquid ſanctitatis opinionem ſibi conferre poterat, ſi diceret, ſilentio tegeret, ne quis ſupra id quod ipſa ſe æſtimaverat, æſtimaret. Deſpicabatur autem ſe interius, nihil ſe reputans in cubiculo cordis; nec alterius pretii quam ipſa ſtatuerat, volebat ſe aliquibus exterius reputari.

ſed præ humilitate occulta:

13 Sed ecce, cum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus ancillæ ſuæ dedit odorem ſuum. Quam gratum namque & quam acceptum ſuavitatis odorem nardus humilitatis Julianæ dederit Regi Chriſto in accubitu ſuo, id eſt in ſinu Patris cubanti; in hoc cognoſcere poteris evidentiſſime, quod ipſe utique excelſus Dominus, qui humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit, quadam ſingulari gratia ſuam ipſius voluntatem ancillæ ſuæ dignatus eſt præ cunctis mortalibus revelare. Ad inchoandum ſiquidem ſpeciale feſtum, de ſacratiſſimi Corporis & Sanguinis ipſius Sacramento, quod ipſa Dei virtus & Dei ſapientia Jeſus Chriſtus adhuc fieri volebat in terris, non multos nobiles & potentes hujus mundi, ſecularis potentiæ vel eccleſiaſticæ dignitatis, ſtatuit eligendos; ſed ipſe, qui infirma mundi elegit, ut fortia quæque confundat, humilem Julianam, ſigno ſibi præoſtenſo & ſignificatione divinitus revelata, ad hoc agendum mirabiliter prælegit. Quæ cum hujuſmodi rem, tam arduam & excelſam, imponi cuiquam alteri perſonæ, cujus auctoritate poſſet ipſa res efferri velociter in ſublime, inſtantiſſime in conſpectu Domini precaretur; reſponſum accepit, oportere hoc per ipſam omni modo inchoari, & etiam deinceps per perſonas humiles promoveri. Sed quonam modo hoc actum fuerit & oſtenſum, alias Domino concedente, latius enarrandum eſt. Hæc autem per anticipationem diximus, quia in quibuſdam præcedentibus capitulis de vivifico Corporis & Sanguinis Chriſti Sacramento, ad quod Chriſti virgo mirabiliter afficiebatur, fecimus mentionem: & ut manifeſtius legentibus innoteſcat, quam ſpeciali dilectionis ſuæ munere ipſam Chriſtus voluit illuſtrare.

à Deo eligitur ad feſtū venerabilis Sacramenti promovendum.

B

lib. 2. nu. 5.

CAPUT III.

Labores corporis & mentis à Iuliana aſſumpti: jejunia & vigiliæ.

C

14 Sed quæ carnis fortitudo, in conſpectu talium affectionum, diutius ſubſiſteret? Si enim ſecundum, ſententiam Sapientis, frequens meditatio eſt carnis afflictio; quomodo frequentiſſimæ meditationi addita multa & frequens affectio, non eſt carnis deſtructio ſeu mortificatio, & virium enervatio. Quid autem, ſi, poſt juges meditationes & affectiones, augeatur multa corporalis exercitatio? Hæc autem duo exercitia, corporis videlicet & ſpiritus, Juliana ferventi animo, quamdiu potuit, tenuit; miro modo in una perſona ſe Martham & Mariam exhibens. Ab adoleſcentia ſiquidem ſua, omni petenti ſe tribuens & Martham exhibens, ſeſe laboribus exponebat; poſt obedientiæ autem atque pietatis opera, ſibi intendens & ſoli Deo vacans, ſe Mariam nihilominus demonſtrabat. Sed numquid ſolum unum de dictis duobus non erat ſatis validum, corpus debilitare ac dejicere virgineum? Nec enim fortitudo lapidum fortitudo Julianæ, nec caro ſua ænea erat. Unde non fuit mirum, ſi tenerum corpus, gemino obſeſſum impugnatore, cito expugnatum eſt, foris laboribus dominantibus, intus affectionibus prævaleſcentibus: Cecidit igitur Iuliana, adhuc in ætate juventutis conſtituta, in multam corporis debilitatem: quam & habuit omnibus diebus, quibus vixit: & hæc fuit occaſio, qua cōpulſa eſt labores omittere corporales. Quod ſi de nimietate, Chriſti Virgo credatur exceſſiſſe; habet certe exceſſus hujuſmodi apud pias mentes reverentiam ſuam. Quid enim ſi plenitudinem virtutum, quam habebat à gratia, labore teneri corporis ſtuduit cumulare? Nec de nimietate, ſed fervore, exemplum poſteris dereliquit; nec ipſa, quæ ſpiritu cœperat, carne aliquando conſummavit: ſed dum caro defecit, invaluit ſpiritus; & dum aruit actus, viruit affectus. Juliana ſic ſpiritu valens erat in carne debili & infirma, ut recte cum Apoſtolo dicere potuiſſet, Quando infirmor, tunc fortis ſum & potens. Videſne quod infirmitas corporis ſpiritui vires adaugeat, & ſubminiſtret vigorem? contrario noveris, fortitudinem carnis debilitatem ſpiritus operari. Si intus vel foris me debilitari oporteat, utinam ſic carne deficiam, ut ſpiritu invaleſcam: nam habere perfectam fortitudinem utriuſque, id difficillimum: hæc enim ſibi adinvicem adverſantur; & plerumque, dum unum dejicitur, aliud elevatur. Nec iſta diximus, quod ſummopere Julianam oporteat excuſari de nimietate: quoniam ad eam quam incurrit debilitatem, non tam exercitiis corporalibus quam mentis affectionibus & amoris tractibus credimus deveniſſe. Quod ſi & in his eam reprehendere volueris, in tua reprehenſione culpare Dominum forſitan convincēris, cui ipſa dicere cum Propheta poterat: Seduxiſti me Domine, & ſeducta ſum; fortior me fuiſti, & invaluiſti. Quid enim ſi placuit Deo ipſam omnino ab actibus forinſecis ſequeſtrare; ut ſic eam, ſatis interioribus deditam, ſibi arctius aſtringeret? Nolebat fortaſſis Chriſtus in ancilla ſua, exercitatione corporis, quæ ad modicum valet, exercitationes ſpiritus interrumpi; volens vacare totaliter eam ſibi. Ceterum ſpiritus eſt Deus, & quos ſpecialius ſibi vult aſtringere, efficit ſpirituales. Tam ſpiritalem autem Juliana, omni infirmitatis & debilitatis ſuæ tempore, duxit vitam; ut non ſolum ſpiritus ejus, ſed & corpus ipſius quodammodo ſpiritaliter vivere videretur. Quis enim credere poſſet, quod ipſa Sororum jejunia obſervare potuiſſet, in corpore imbecilli & pene inutili? Ipſa autem non illarum tantum jejunia cuſtodivit, ſed in jejuniis & vigiliis ſemper præ omnibus abundavit.

D

2 Cor. 12, 10

& mentis affectionibus;

E

Ier 20, 7

non ſolum ſervat jejunia Sororū,

15 Ut autem interim taceam illa jejunia, quæ Juliana ſine exemplo Sororum ab adoleſcentia protelavit, hoc tacendum non arbitror, quod ante ſuum obitum, per triginta annos & amplius, omni tempore continuum jejunium celebravit. Tempus autem refectionis ſuæ veſpera erat: tam modicum vero, imo tam nihilum ſemper erat, quod refectionis hora ſumebat; ut quæcumque perſonæ hoc noverant, firmiſſime credere poſſent, domicilium corporis ejus, pro defectu vel tenuitate ſuſtentamenti corporis, velociſſime ruiturum; ſi non pariter agnoviſſent in ipſa ſanctum Spiritum habitare, corpuſque ejus ſimul cum anima inviſibilipotentia ſuſtentare. Nonnullæ tamen perſonæ, quæ vel ex parte cognoverant gratiam à Domino ſibi datam, ægre nimis ferebant ipſius tam diuturnum nec interpolatum jejunium; cum ipſam ad eas familiaritatis gratia divertere contingebat. Hoc etiam illas non modicum moleſtabat, quod hora refectionis non comedere, ſed ſolum guſtare ſibi appoſita videretur. Et cum ſæpius ab illis perſonis, ad quas venerat, rogaretur, ut cum eis bis in die comederet; illa hoc ſe facere non poſſe reſpondebat. Illis autem importune inſtantibus, paſſa eſt tandem aliquando pro ſecunda refectione cibum ſibi ex caritatis officio miniſtrari, ne quaſi ex quadam mentis pertinacia crederetur negando precantium reſiſtere voluntati. Quæ cum

F

ſed 30 annis jejunans uſque ad veſperam.

Ecle. 12. 12

Debilitatem corporis contrahit aſſiduis laboribus,

cum cibum ſibi præparatum ori ſuo impoſuiſſet, dentibus tereret, linguæ miniſterio huc illucque per palatum verſaret, non potuit ex eo quidquam vel modicum deglutire. Et ſic vel ſero, perſonæ quæ eam ad hoc coëgerant, crediderunt verbis ejus, quod non poſſet conſuetum jejunium violare. Et, ut ego arbitror, aut conſuetudo ſibi verſa fuerat in naturam, aut Spiritus ſanctus hoc fieri volebat, ne illa quam repleverat, non tam ex ſeipſo, quam communi uſu naturæ vivere putaretur. Cum autem à præfatis perſonis, de modicitate cibi ſuæ ſolius refectionis, querimonia moveretur, & crederetur quod cibos accuratius præparatos in majori vel deberet vel poſſet ſumere quantitate; appoſitus eſt ei quandoque pullus aſſus, *a* ſpeciebus accuratiſſime præparatus. Quæ de cute modicum quid decerpſit & comedit, de reliquo non guſtavit. Oblatæ ſunt eidem & ſimplices ſpecies, ut his ſaltem refici debuiſſet: ipſa autem, pro pace & caritate offerentium, illas dentibus comminuens nec deglutire prævalens, clandeſtine ab ore ſuo eas rejiciebat, & ſub appoſita ſibi mappula recondebat. Qua remota inveniebantur ipſæ ſpecies, ſolum dentibus comminutæ, in ea qua appoſitæ fuerant quantitate. Sed quid dicam, quod ipſa aliquando familiarem ſibi perſonam veniens viſitare, cibum ſuum ſecum attulit? Attulit ſiquidem ſecum neſcio quot piſa, quæ uni pullo columbarum ad unicam refectionem non debere ſufficere judicares: quæ in aqua decocta, hora refectionis ejus, prout rogaverat, ſunt allata: hæc ſibi in ſancto convivio fuerunt epulæ; hæc fuerunt deliciæ. Ceterum ſi plurima horum ſimilia, quæ à fide dignis comperta ſunt & relata, in præſentiarum narrarem; quibuſdam, ni fallor, incredibilia viderentur. Hoc ipſum autem ut potuiſſet ſumere quod ſumebat, apud Deum precibus impetrarat. Cum enim non ſolum non traheretur appetitus aliqua voluptate, ſed ſola cibi memoria exiſteret ſaturata; ſæpius rogavit Dominum, ut ſaltem aliquantulum cibi poſſet ſumere, ne in admirationem cunctis gentibus verteretur, ſi ſine cibo corporali vivere diceretur. Unde hoc tantillum quod ſumebat, non tam conferebat ſibi corporis ſuſtentationem, quam humanæ naturæ quamdam communionem; qua videlicet dici poterat uti cibo corporali, licet nimium modico & exili. Solebat etiam fidelibus ſuis dicere, quod comedere, bibere, & loqui, præ cunctis rebus in ſe ſibi erant onerosi, in quibus humanam mortalitatem novimus amplius delectari. Victum autem ipſius tenuiſſimum, & prope nullum, comitabatur ſimilis ſomnus tenuiſſimus, & prope nullus, qui nulli alteri niſi ſibi quantulamcumque refectionem tribuere poſſet. In feſtivitatibus autem Sanctorum totas noctes, vel fere totas, ducebat inſomnes; tunc etenim conſuetum vigiliarum penſum devotio cumulabat. Vigiliæ ejus ſtudiis ſpiritualibus erant plenæ, ſanctiſque meditationibus, affectionibus, orationibus & contemplationibus. Si autem tandem aliquando paululum pauſatura, caput ſuper auriculare reclinaſſet; malignus ſpiritus de ſub capite ejus illud trahebat, vel lectum ipſius crebris motibus concutiebat: tum enim ad ipſam, veluti opportunitate accepta, aliquam moleſtiam illaturus, accedere tutius præſumebat; cum illa pauſatura, ab oratione ſpiritum relaxabat. Juliana vero leviter evigilans, orationis arma ſibi familiaria reſumebat, quibus hoſtem ſuum potentiſſime repellebat. Sciendum namque, quod ipſe malignus, felicibus ſtudiis Julianæ invidens, à juventute illius viſibiliter & ſenſibiliter eam conturbare conatus eſt, multifarie multiſque modis ipſam acriter inſectando; donec conatus ſuos fruſtrari, & nihil omnino ſic ſe proficere conſiderans; per miniſtros ſuos odia & perſecutiones adverſus Chriſti Virginem concitavit, inviſibiliter & nequiſſime ſæviendo: de quibus perſecutionibus dicendum alias erit nobis, interim alia perſequamur.

A *longa conſuetudine dediscit prandere,*

nequit veſci delicatis cibis:

a

B *paucis piſis in aqua decoctis contenta.*

moleſtiam æſtimat cibū capere

C *ſæpe totas noctes vigilat in oratione.*

Paulum dormiens à dæmone vexatur:

AUCTORE COÆVO EX MS.

ANNOTATA.

a *Aromata* ſpecies *vocari præcipuarum in Europa linguarum uſus fecit: ita B. Ordoricus de Portu-Nanis in ſua peregrinatione relata 14 Ianu. nu. 11 habet* in Javam inſulā naſci nuces muſquatas & multas ſpecies pretioſas, *& S. Franciſca Romana dicitur à Matiotto in Vita 9 Martij nu. 10*, abſtinuiſſe à ſaccharo, melle, ſpeciebus, & à rebus eiſdem conditis.

CAPUT IV.

Eximia devotio erga Sanctos, Deiparam Virginem, Chriſtum incarnatum, atque erga SS. Trinitatem.

16 VEnerabatur Juliana multa devotione Sanctos Dei, veluti amicos ſui ſponſi & cives ſupernæ Hieruſalem, ut pote & ipſa quandoque illorum cœtibus aggreganda: in quorum feſtivitatibus de ipſorum felicitate per internam dulcedinem non modicam præguſtabat, licet adhuc in regione diſſimilitudinis conſtituta. Excellentiori autem affectu & veneratione ampliori Mariam Virginem diligebat, ſicut Dei Matrem, ſponſi parentem, dilecti ſui unici genitricem. In Annuntiatione vero Dominica, annum, ut ita dixerim, affectionum inchoabat; & omnem diſpenſationem, quam Chriſtus geſſit in carne & ſancta recolit Eccleſia, quibuſdam devotis & affectionis paſſibus ſequens, miro modo ipſius anni circulū pertranſibat. Et quidem, ſecundum congruētiam temporum & ſolennitatum, ut verbi gratia, Nativitatis, Circumciſionis, Paſſionis, Reſurrectioniſque Chriſti; & Aſcenſionis aliarumque feſtivitatum, ſicut beatæ Virginis multorumque Sanctorum, quas ſuis in locis diſtinctas ſingulis annis mater Eccleſia veneratur, Juliana flectebatur, modoque ineffabili, non ſolum nobis, qui quod ſentiebat non ſentimus; ſed etiam ipſi quæ ſentiebat, inenarrabili, ad ſolennitates ſingulas afficiebatur. Et primo adveniente Dominica Annuntiatione, multum gaudii & ſolatii ſentiebat in illa allocutione, quam habuit Angelus ad Mariam; & verecundæ Virginis, ſed ſapientis, reſponſione. Sicut autem Chriſtus in conſideratione Sacramenti Corporis & Sanguinis ſui, illam per cognitionem & amorem mirabiliter afficiebat: ſic Virgo Maria, Incarnationem dominicam contemplantem, amoris igne & intelligentiæ lumine dignantiſſime perluſtrabat. De ſalutatione autem ipſius beatæ Virginis, quam frequentiſſime in ore habebat, dicere ſolebat ſuis familiaribus & amicis, quod multum placebat glorioſæ Virgini, cum ſalutationi ſuæ addebatur ſui conſenſus reſponſio, videlicet, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Unde perſonas, de quibus confidebat, affectuoſius hortabatur, ut ſicut ipſa hoc dicebat, ipſæ dicerent, & ſic dicendum docerent; & hoc non mediocriter placere beatæ Virgini nuntiarent. Dicebat illud additum, eſſe conſummationem ad beatæ Virginis ſalutationem; quia tunc perfecte in ea celebratum fuit incarnationis myſterium, cum ipſa reſpondendo. Ecce ancilla Domini &c. ſuum præbuit aſſenſum. Quis autem dubitare debeat utrum tantumdem, imo multo amplius, decuerit beatam Virginem audire dicentes, Ecce ancilla Domini; renovantes eidem gaudium perfectæ in ipſa Chriſti incarnationis; quam replicantes ipſi gaudium Angelicæ ſalutationis?

Devota ergā ſanctos,

E

maxime Deiparam,

afficitur myſterio Incarnationis,

F

& aſſenſui Virginis ad eam præbito.

AUCTORE COÆVO EX MS.

Ineſtimabili etiam ſapore internæ dulcedinis interiorem illius hominem demulcebat, cum canticum ſuum in præſentia Elizabeth editum, videlicet, Magnificat anima mea Dominum, ipſa Juliana recolebat. Sed jam ſuper hoc ipſius teſtimonium proferamus: ætatem ſiquidem & auctoritatem ſpiritus vehementis habuit, cum hujuſmodi protulit teſtimonium.

17 Cum Juliana tempore quodam, ante ſuum obitum, apud *a* Saleſynne, abbatiam monialium Ciſtercienſis Ordinis, moraretur; quædam vice cum venerabili Abbatiſſa ejuſdem loci ſuper dulcedine hujus Cantici conferebat. Et cum ipſa Abbatiſſa inſtaret, ut illa eam quam ſuper hoc ſentiebat mellifluam dulcedinem, aliquatenus eructaret; Juliana repente veluti inebriata, non tamen vino ſed ſpiritu, niſi quod ſpiritus vinum eſt inebrians quam præclarum; ipſa, inquam, ſermones ſuos minus hac vice in judicio diſponens, (quod tamen ſemper facere conſueverat) fræna oris ſui ſancto Spiritu relaxante, in hæc verba prorupit: Parum eſt Domina, quod ſentio; ſed pro tanto auro, quod capere poſſet in qua nunc degimus abbatia, nollem, prout mihi donatum eſt à Virgine Maria, ſuper ipſius Cantico, quod ſapio non ſapere, quod ſentio non ſentire. Quod audiens Abbatiſſa non mirum ſi mirata eſt. Verum cum Chriſti famula Juliana poſtmodum, ea quæ veluti in exceſſu mentis dixerat, pectore retractaret; cœpit eam pœnitere, quod verbum notabile protuliſſet. Unde ſequenti die, cum ei loquendi cum dicta Abbatiſſa data eſſet copia; de verbo heſterna die prolato ſuppliciter veniam precabatur; obſecrans ne ipſam ſuper hoc, quod incaute dixerat, accuſaret. In honorem autem novem menſium, quibus virgo ſingularis ſalutis noſtræ auctorem, unigenitum Dei filium, ſuo geſtavit in utero, Canticum memoratum novies diebus ſingulis dicere conſueverat. Perſonas & ſibi familiares & dilectas admonebat, ut cum aliis orationibus ipſarum, toties illud diebus ſingulis recitarent. Dicebat enim videri ſibi impoſſibile, ut quævis perſona in ſtatu gratiæ conſtituta, de quacumque poſtulatione ſua, ad ſalutem animæ pertinente, non exaudiretur interceſſione Virginis glorioſæ; quæ gaudium ipſius, quod tunc habuit, cum in voce exultationis protulit Magnificat anima mea Dominum & quæ ſequuntur, eidem Virgini quotidie tot vicibus renovaret, quot menſibus Dei filium ſuo portavit in utero tam felici. Obſecrabatque affectuoſiſſime Juliana, ut id ubique, & præcipue in conventibus monialium & begginarum, diſſeminaretur; proculdubio profectum taliter dicentium non ignorans, & omnium ſpiritale commodum concupiſcens.

ejuſque Cantico, Magnificat,

C

18 Quanto devotionis amore Juliana ſolennitates anni præcipuas recolebat, quanta ſuavitate dulcedinis intimæ. Virginis glorioſæ aliorumque Sanctorum & Sanctarum feſtivitates agebat, non eſt noſtræ exilitatis & inopiæ declarare. Quis enim, ut de ceteris interim ſileam, verbis ſufficiat enarrare, quanta ſpiritus jucunditate, & quam ferventis amoris brachiis ſuſcipiebat Chriſtum, parvulum recens natum, in ſolennitate Natalis ejus? Quis digne exprimere, ne dicam penſare valeat, quanto devotionis adipe holocauſta meditationum & orationum ejus impinguabantur, in conſideratione Chriſti aut naſcentis, aut lactentis, aut in Circumciſione ſanguinem ſuum meraciſſimum effundentis? Quis etiam illius vim doloris & illos compaſſionis affectus, quos ad memoriam paſſionis Chriſti Juliana habebat, poſſet ſermonibus explicare? In explicandis affectibus, quos ad ſingula prædictorum & horum ſimilium ipſa habebat, & ingenium ſuccumberet Origenis, & areſceret torrens eloquentiæ Ciceronis. Ad omnem ſiquidem diſpenſationem, quam illa ſingularis majeſtas exhibuit in carne, affectuoſiſſima erat: quam ſæpius à primævis annis meditando & recolendo, cordi ſuo arctius impreſſerat. Cum autem ejuſmodi aliquid ſancta Eccleſia congruo tempore recolebat, Juliana ſe tempori per omnia conformabat. Unde eo tempore, quo in Eccleſia canitur de Chriſti paſſione, tanta afficiebatur compaſſione, ut vix ſeſe caperet præ dolore? quæ dum divinis intererat, in lacrymis tota erat; ita ut ab ejus oculis profluentibus lacrymarum imbribus, de torculari Crucis expreſſis, locum templi in quo ſedebat abundantius humectaret. Et cum audiebat incipi hymnum, Vexilla regis prodeunt; paſſione Chriſti ſibi ſubito renovata, magnos interdum clamores emittebat, ipſamque deduci extra eccleſiam velociſſime oportebat. Liqueſcebat ſiquidem ad hujus memoriam paſſionis, nec ſe poterat continere, quin vel ad modicum per clamores hujuſmodi reſpiraret: qui tamen non nutu animi ipſius prodibant, ſed affectuoſi cordis ejus ſubitis motibus erumpebant. Multotiens etiam optaſſe dicitur, in conſpectu omnium viventium pro Chriſto perpeti mortem crucis; ut ſic ſaltem aliquantulam rependere vicem poſſet illius, quam Chriſtus in cruce moriens exhibuerat, caritatis. Sed quoniam mortem crucis aſſequi non poterat corpore, ut optabat; ſæpius in ſpiritu in eamdem, in qua Chriſtus paſſus eſt, crucem, ſeſe incredibili fervore dilectionis extendebat. Quo in ſtatu videbatur eidem, quod ſi in eo quod ſibi per ſpiritum monſtratum erat datumque ſentire, per amorem paſſionis Chriſti, ſpiritum ſuum permitteret progredi quantum vellet; progreſſo regreſſus ad humana de cetero non pateret. A juventute etenim ſua, in ſuis ſanctis & creberrimis meditationibus, pio mentis oculo aſpiciebat Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua: Adſpiciebat ligatum, flagellatum, conſputum, opprobriis laceſſitum, clavis confixum. Aſpiciebat illum ſerpentem æneum, in hujus exilii deſerto ſuper crucis ſtipitem exaltatum, myrrha potatum, latus lancea perforatum. Hæc patientis & morientis Chriſti inſignia cordi Julianæ ſemper fuere præſentia. Et vide num digne canere potuerit illud Cantici Canticorum, Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Et revera digne: ex omnibus enim dilecti anxietatibus & amaritudinibus, quæ per myrrham deſignantur, veluti ex ramuſculis myrrhæ odoriferæ, ſibi faſciculum colligaverat, collectumque inter ubera ſua collocaverat; amara illa ſalutifera, quæ in ſalutem mundi Salvator noſter dignatus eſt pati, in principali ſui pectoris parte reponendo; patientiſque & morientis Chriſti memorialia memoriæ ſuæ arctius commendando: quorum memoriâ tam carneum ac tenerum cor ſibimet confecerat, ut multo tempore nec aliquam perſonam audire loquentem, nec ipſa loqui de Chriſti paſſione poterat, quin præ nimia compaſſione ad dolorem cordis incredibilem ipſa moveretur. Sicut autem perſonæ proteſtatæ ſunt, quæ Julianam plenius cognoverunt, tria fuerunt quæ à juventute ejus vires ſui corporis exhauſerunt: unum labor ingens, quem ad Boveriam habuit, exercitii corporis, aliud, frequens memoria Dominicæ paſſionis; reliquum, ad Creatorem ſuum vehementer intenſi affectus amoris.

D

ejuſque paſſionis in

hanc proſequitur lacrymis, & clamoribus,

E

optat in cruce mori:

F

memoriale Chriſti patientis cor impreſſum habet.

19 In ſolennitate autē Aſcenſionis Domini, Juliana interdum ſe domibus incluſam non poterat ſuſtinere; ſed eam deduci ſeu deferri ſub dio, ubi cœlū conſpiceret, oportebat. Viſum autem erat ei, quod videret Chriſtum,

mira conſolatione afficitur in feſtivitatibus Sanctorum,

maxime Chriſti Domini,

de die recitat & aliis commendat.

A *Christum ascendentem in ejus festo contemplans, exundat gaudio,*

Christum, in humanitatis nostræ forma, sicut olim intuentibus discipulis ascenderat, virtute sublatum propria, cælorum ardua penetrare: in quo suo beato intuitu dicebatur mirabiliter delectari. Unde cum in die solennitatis memoratæ, ad quamdam sibi dilectam personam visitandi gratia divertisset, sic repleta & referta gratia fuit; ut plenitudinem ejus angusto corpore capere non valente, illa ad quam Juliana venerat plurimum timeret, ne disrupto corporis vasculo, sua visitatrix per medium scinderetur. Illa autem quæ sic affectæ præsto erat (mirabile dictu) vocem Julianæ audiebat, quam sine oris apertione, sed solo pectore proferebat. Pro captanda vero aliquantula evaporatione ardoris, quem intra se patiebatur, ut vocem inclusam emitteret admonuit, neminem hanc asserens auditurum. At illa exclamavit & dixit: Recessit Dominus meus. Nonne tibi videtur dixisse? Ascendit Deus in jubilatione. Sic autem veluti Ascensionis peracto officio, cum ad se foret reversa, sic sibi erat per quamdam mœstitiæ gravitatem, ac si sola fuisset & orphana derelicta. Sed postmodum in Altaris Sacramento consolationem plurimam resumebat, nec non & in hoc verbo solatii, quod discipulis suis & cunctis pariter fidelibus dereliquit, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

& pectore, quasi ore clauso loquitur.

B

20 Solet quædam vitæ venerabilis persona referre, quod cum Juliana aliquando ad eam familiaritatis gratia venisset; cœpit cum alia persona, nescio quam Horam diei persolvere. Quæ cum de hymno ipsi Horæ deputato, Præsta Pater per Filium, præsta per almum Spiritum, usque huc dixisset; fixis oculis in cœlum, ulterius quidquam dicere non potuit; sed defecit ad intuitum Trinitatis: raptaque per mentis excessum ad sublimia contemplanda; ad ineffabilium arcanorum illius supernæ civitatis, quam fluminis impetus lætificat, notitiam est admissa: quod etiam sibi præ excellenti mentis puritate & corporis sanctitate sæpissime contingebat. In quo suo beato excessu, statum, felicitatem, & gloriam illius supernæ Hierusalem contemplabatur, & de beatitudine jucunditatis & exultationis eorum, qui epulantur in conspectu Dei & delectantur in lætitia, interiori hausto non modicum præguslabat: quæ domus illius non manu factæ diversoria & mansiones (quæ multæ & diversæ sunt pro quorumcumque diversitate meritorum) perambulans, perveniebat ad illam summam Divinitatem, quam diligebat anima sua. Contemplabatur igitur mundi cordis oculis Trinitatem in Unitate, & Unitatem in Trinitate: Trinitatem in Personarum proprietate, Unitatem in simplici substantia, essentia, natura. Intuebatur, & in suo intuitu mirabatur, quomodo illa Deitas in Personis non abnuit divisionem, quæ in sua simplicissima substantia, essentia, natura, nullam recipit sectionem. Videbat quomodo illa summa Deitas, incarnatione unigeniti Patris, tota descendit in terris: & nihilominus tota remansit in cælis. Videbat beatos Spiritus, nec non & Sanctorum animas, quomodo erant in seipsis, quomodo in Deo, & quomodo Deus erat in illis. Videbat quomodo Christus singulis se sumentibus in salutem, se totum, integrum, & perfectum exhibet in cibum; quem nihilominus in semetipso remanere videbat integrum & perfectum. Hæc & multa alia de excellentia Divinitatis & gloria Sanctorum in suo beato excessu contemplabatur; horumque plurima tam pura & defæcata intelligentia comprehendebat, ut mera cognitionis futuræ veritas, vel ex parte, ipsi contemplanti partes suas agere videre-

C

contemplatur subinde mysterium SS. Trinitatis

Incarnationis, gloriæ Sanctorum, & sacrosanctæ Eucharistiæ.

tur. De omnibus autem quæ ad Catholicam fidem pertinent articulis, illo docente qui docet hominem scientiam, ita ad plenum fuerat edocta; ut non esset quod super his doctores deberet consulere vel Scripturas. Tam inconvulsibile siquidem orthodoxæ fidei, unctione magistra, sumpserat firmamentum; ut aliquando diceret, quidquid contingere posset; id est, injectis etiam coram se quarumlibet hæresium decipulis, se numquam posse ab ipsius fidei rectitudine deviare. Nec tangebat ipsam illa Sapientis sententia, Scrutatores majestatis opprimentur à gloria: ubi reor accipi irruptores, non qui rapiuntur in eam, sed qui irruunt. Ipsa vero ad majestatis arcana perscrutanda non irrumpebat propria temeritate, sed ad ipsa rapiebatur & admittebatur filii Dei dignatione. Unde non opprimebatur à gloria, sed imprimebatur in ipsa, ad quam Christo duce fuerat admissa, ut gloriaretur & delectaretur in vera gloria. Ceterum cum ab hoc felici statu ad seipsam foret relapsa, plerumque sibi quidam supernæ claritatis radius, ipsius intellectum illuminans, emanebat; ut non minus clare minusve lucide multa bona spiritualia cognosceret pura mentis intelligentia, quam nos visu corporalia cognoscimus.

AUCTORE COÆVO EX MS.

in recta fide firmiter radicata.

Prov. 25, 27

E

ANNOTATA.

a Salesina, *aut* Salsinia *ad Sabim in Comitatu Namurcensi Abbatia, quam Molinensi Abbati, in eodem Comitatu ad Mosam, peculiariter parere, tradit Miræus in Chronico Cistercienst: hujus ædes sacra dicitur ab Innocentio II Papa anno 1130 dedicata. De ea Abbatia late infra agitur.*

CAPUT V.

Spiritu prophetico res varias indicat Iuliana; potissimum Evæ Virgini recluſæ.

21 INter alia charismatum dona, quæ Juliana de thesauris sponsi sui Christi perceperat, spiritus prophetiæ non mediocriter refulgebat. Sed ad notitiam prophetiæ forsitan, non ad insipientiam, lectoribus aliqua dicere vel breviter operæ pretium æstimamus. Secundum etymologiam nominis dicitur prophetia, quia prædicit futura, & secundum hoc tantummodo temporis est futuri: verum, sicut evidenter probat B. Gregorius in expositione Ezechielis Prophetæ, in prima videlicet homilia, præteritum, præsens, & futurum tempus continet prophetia. Ut igitur expositio hujus nominis prophetia, tribus his temporibus valeat convenire; recte dicitur prophetia, non quia prædicit futura, sed quia prodit occulta. Prophetia ergo futuri temporis est, cum res quælibet prædicuntur, quæ tantum in futuro tempore occultantur. Prophetia præteriti temporis est, cum ea quæ facta sunt, quæ prophetantis subjecta oculis non fuerunt, nemine etiam referente, cognita referuntur. Est & prophetia temporis præsentis, cum manifesta fuerint abscondita cordis: sicut enim res quælibet absconditur in futuro tempore, sic cogitatio & affectus in latenti corde. Alio modo præsentis temporis est prophetia, cum res non per animum sed per locum tegitur, & tamen per spiritum denudatur; ut ibi sit prophetantis animus, ubi per præsentiam non est corpus. Hæc omnia sacræ Scripturæ testimoniis possent de facili comprobari; sed ne nimiam digressionem à materia faciamus, probationes hujusmodi præterimus, Hæc autem ideo diximus, ut in subsequentibus capitulis lectoribus pateat manifeste, quomodo Juliana in omni genere

F

Clara in omni genere prophetiæ.

AUCTORE COÆVO EX MS.

novit futura præterita & præſentia arcana.

claruit prophetiæ. Multa ſiquidem, priuſquam evenirent, ventura prophetico ſpiritu prædixit: multa etiam, quæ jam evenerant, quæ nec viderat, nec referre audierat, per eũdem ſpiritum revelavit: nonnulla in momento, quo in remotis locis fiebant, fieri nuntiavit: ſtatus multarum perſonarum ſpiritu cognovit: ſecreta inſuper cordium ſe cognoſcere manifeſto indicio declaravit. Sed jam, quæ ad horum claram probationem poterunt ſufficere, pauca de pluribus proponimus enarrare. Lectores autem admonitos eſſe volumus, ut perſemetipſos tempora diſcant attendere prophetiæ: non enim, in ſingulis capitulis, quæ aliqua per prophetiam dicta continebunt, tempora ipſius prophetiæ intendimus iterare. Hoc etiam noverint, quod omnia capitula quæ prophetiam continent, ad invicem minime connectuntur; ſed alia aliud continentia ſæpius inſeruntur: ſi enim ipſa ad invicem conjungere vellemus, inprimis forſitan quæ dicenda ſunt, in poſtremis ordine præpoſtero diceremus. His ita prælibatis, quæ narranda ſunt, veritate prævia proſequemur.

Evam vacillantem in propoſito juvat:

B

a

22 Venerat aliquando Chriſti famula Juliana ad laudabilis Vitæ Evam, recluſam S. Martini Leodii in monte: erant ſiquidem ad invicem familiariſſimæ, ut pote inter ſe colligatæ indiſſolubili vinculo caritatis. Prædicta ſiquidem *a* Eva, in ætate floridæ juventutis conſtituta, Chriſto inſpirante tacta eſt amore recluſorii; ſed nihilominus ut eſt humanæ fragilitatis, territa eſt ſublimitate propoſiti: quo cognito Juliana, inanem timorem ab illius pectore verbis potentibus effugavit, & ad conſummandum propoſitum exhortationibus ipſam efficaciter animavit: jam enim mutua in Chriſto dilectio inter ipſas habebat exordium, quæ & poſtmodum creſcente utriuſque relatione indeficiens reperit incrementum. Ingreſſa eſt igitur anguſtias recluſorii Eva, ut Evam ſuam, id eſt, carnem ſuam ſpiritui liberius ſubjugaret, fructuſque ſpiritualium bonorum ſibi licentius ampliaret: ingreſſa, inquam, hoc pacto interveniente, fuit, ut dilecta exhortatrix ſua, ad minus ſemel in anno, ipſam deberet viſitare. Venerat itaque, ut præmiſſum eſt, aliquando Juliana ad prædictam Recluſam, recluſorium noviter ingreſſam: in cujus ſolario cum incubuiſſet orationi, ſicut ei moris erat in omni loco orare frequentius; ſenſit per ſpiritum Corpus Domini in eccleſia B. Martini, poſt Miſſarum ſolennia, minime remanſiſſe. Completa vero oratione, deſcendit de ſolario, vultuque ſubtriſti ſic ait ad Recluſam! Corpus Domini, Recluſa, poſt Miſſam in hac eccleſia non ſervatur: quod tamen in aliis eccleſiis fieri conſuevit. Sic autem fuerat; neſcio an ex oblivione vel conſuetudine hoc acciderat. Eadem Chriſti virgo Juliana, cum alio tempore ad dictam Recluſam rediſſet & orationem fudiſſet, cognovit per ſpiritum Corpus Domini in prefata eccleſia, ante & poſt Miſſæ ſolennia, reſervari. Quæ internum animi gaudium prodens, facie ſerenata ſic ait Recluſæ: Revera, Recluſa, ſolito nunc opulentior eſt veſtra eccleſia, quoniam Corpore Chriſti, quod in ipſa ante Miſſam & poſt continuo remanet, eſt ditata. Cognovit autem ipſa Recluſa fideli inquiſitione, dilectam ſibi Julianam, de Corpore Chriſti ſemel & iterum, non niſi prophetico ſpiritu veriſſimâ nuntiaſſe.

& recluſam factam inviſit:

C

cognoſcit divinitus Corpus Chriſti abeſſe à templo

alias adeſſe in eo.

23 Cum vero alio tempore ad eumdem locum adveniſſet, ab ipſa Recluſa cum omni devotionis hilaritate ſuſcepta eſt. Juliana vero ſemper cogitans quæ Dei erant, aut orationi incumbebat aut divinis laudibus inſiſtebat, ſeu etiam cum ipſa Recluſa de ſalutaribus & ſpiritalibus colloquiis conferebat. Inter loquendum autem cœpit aliquando ab ipſa Recluſa poſtulare, ut ſibi vellet cordis ſui abſcondita, revelare. Illa vero novitate petitionis hujuſmodi ſtupefacta, ſicut eſt humanæ verecundiæ, ſuper hoc cœpit aliquatenus hæſitare. At Chriſti famula Juliana, quid eſt, inquit, ô Recluſa, putas te mihi celare abſcondita cordis tui? Scio, inquit, ſcio tam bene tuum per omnia cogitatum, ac ſi in palma mea (ducebat autem digitum ſuper palmam) viderem oculis corporalibus, quidquid cogitas, litteris exaratum. Ad faciendum vero hujus tam admirabilis dicti fidem, cœpit plurima de cordis illius abditis edicere. Recluſa vero ad ſeipſam oculos reflectendo, hoc evidentiſſimo indicio comperit Julianã veraciter prophetare: ipſa ſiquidem exterius nuntiabat, quæ illa intra ſemetipſam cognoſcebat. Sic Recluſa ſibimet ab hoſpite ſua manifeſte exponi audivit, quæ ipſi exponere primitus hæſitavit. Dic quæſo, lector, num poterat iſta perſcrutari profunda cordis ſui, quæ tam lucide rimabatur ſecreta pectoris alieni? Et tamen ſcriptum eſt, Perverſum cor hominis & imperſcrutabile. Sed, ut liquide patet, non acceperat iſta ſpiritum hujus mundi, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt: qui non ſolum hominis, ſed etiam ſcrutatur profunda Dei.

D

ejuſdem Evæ cogitationes introſpicit:

Ier. 17, 9

E

novit & abominatur aliorum peccata

24 Multotiens Juliana, quando cum aliquibus perſonis ad ſe venientibus loquebatur, cognoſcebat per ſpiritum cujuſmodi vitio laborabant. Cum autem aliquas ex illis infectas criminalibus ſentiebat, earum præſentiam vix æquanimiter tolerabat. Et quia Deus ſuper omnia vitium ſuperbiæ deteſtatur, propter quod ſimilitudinis ſuæ ſignaculo non pepercit, ſed ſic ipſum præcipitavit, ut non adjiciat ut reſurgat: ipſa etiam Chriſti virgo Juliana, ubicumque hujuſmodi vitium comperiſſet, ipſum ultra quam dici valeat abhorrebat. Spiritus quidem ejus, mitis & humilis, abominabatur vehementiſſime ſpiritum per ſuperbiam turgidum & inflatum: unde cum hujuſmodi morte peſtifera quaſpiam perſonas infectas revelante ſpiritu cognoſcebat; vix ſemetipſam, quin recederet, valebat continere; vix cum talibus valebat conſidere: ſcandala tamen multo ſtudio devitans, vim ſibimet inferebat, & ipſas de ſua ipſarum ſalute, prout expedire noverat, admonebat. Sed, quoniam quod de ipſis ſentiebat, manifeſte pandere non audebat; metuens ſemetipſam prodere occulta hujuſmodi revelando, ſeu ne ſibi non crederent, vel correptionem ſuam manifeſtam non acceptarent, ſi vitium quo laborabant exprimeret; ſaltem quoquomodo, verbis quidem infirmis intellectibus occultis, ſed exercitatis ſenſibus ſatis claris, eaſdem ad purgationem deteſtandi ſuperbiæ vitii provocabat. Expurgate, dicebat eis, expurgate vetus fermentum: his verbis ſuperbiæ vitium intelligens, & volens intelligi, ipſam à cordis finibus admonens expurgari. Et revera fermentum ſuperbia eſt, quæ totam maſſam virtutum ſui admixtione corrumpere conſuevit. Sed nunquid non fermentum vetus ſuperbia, quæ in cælo ſumpſit exordium? & quidem, teſte Scriptura, initium omnis peccati ſuperbia eſt. Vice verſa, cum Chriſti Virginem Julianam cum aliquibus perſonis, ſibi prius ignotis, loqui contingebat; tantam interdum dulcedinem & requiem inveniebat ſpiritus ſuus in eiſdem, ut non ambigeret Spiritum ſanctum locum habitationis in illarum perſonarum cordibus elegiſſe.

maxime ſuperbiam.

F

& modeſte conatur eradicare.

Eccl. 10, 15

25 Infirmabatur aliquando una Sororum Montis Cornelii vehementer, in tantũ ut nihil omnino cibi poſſet recipere corporalis: petivit igitur corpus Domini dari ſibi. Sorores autem plurimum timebant, quod non poſſet illud conſumere; veluti quæ nec vel modicum quid poterat deglutire: ægrotantis tamen cupientes ſatisfacere voluntati, fecerunt ſicut petierat

orat Deum ut Ozilia poſſit viaticum corporis Chriſti accipere,

petierat viaticum apportari. Juliana vero cum alia
A Sorore tunc erat in alio loco, longe ab ægrotante
diviſo: quæ cum audiſſet campanam, quæ pulſari
conſueverat quando Corpus Chriſti ægrotantibus
ferebatur, ſtatim proſtravit ſe in terram, fundens
orationem coram Domino. Oravit autem, ut ipſe
Chriſtus tantum dignaretur conferre roboris ægro-
tanti, ut ipſum Soror illa poſſet recipere ad ſalutem.
& intelligit ſuas preces eſſe exaudi-tas. Exaudivit continuo Dominus deſiderium ſupplican-
tis, & ad majoris gratiæ cumulum eidem quod ex-
audita fuerat revelavit: & cum erexiſſet ſe ab oratio-
ne, dixit conſorti ſuæ: Soror mea, referatis gratias
noſtro Salvatori; quoniam Soror *b* Ozilia (ſic enim
b vocabatur) ipſum integraliter jam recepit.

26 Jacebat quodam tempore Juliana in dormi-
torio dictæ domus, & divino amore mirabiliter æ-
ſtuabat, ita ut veraciter quibuſcumque ſpiritalibus
dicere poſſet illud Cantici canticorum, Adjuro vos,
Cant. 5, 8 filiæ Hieruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut
annuntietis ei quia amore langueo. Decubuerat ſi-
quidem lecto, non alio profecto quam divini amoris
decumbit è languore divini amoris: languore; ſed Sorores dictæ domus, ipſam laborare
B credebant moleſtia corporali. Veniens interim quæ-
dam puella, quæ gratiam familiaritatis ejus fuerat
aſſecuta, cœpit de Juliana à dictæ Domus Soro-
ribus ſciſcitari: quæ reſponderunt illi, ipſam, quam
petebat, jam per triduum lecto decumbentem gra-
viter infirmari. At illa, Ite inquit, & eidem quod
huc advenerim nuntiate. Quod cum feciſſent, ex
voluntate jacentis introducta eſt ad eam: & cum ſeſe
invicem mutuæ caritatis officio ſalutaſſent, Chriſti
Virgo dixit puellæ: Accedite huc, ut de Deo pari-
ter colloquamur: in primis autem rogemus ſanctam
Trinitatem, ut nobis congaudentibus cæleſtes ju-
beat adeſſe virtutes, ut ipſarum præſentia noſtrum
Pſ. 33, 16 & 144, 19 *inflammat aliam eodem igne,* gaudium ſit plenum. O quam vera ſententia Pro-
phetæ quæ dicit: Oculi Domini ſuper juſtos, &
aures ejus in preces eorum. Quod ſi teſte eodem Pro-
pheta, voluntatem timentium ſe faciet, & deprecа-
tionem eorum exaudiet, quanto magis diligentium?
Exaudivit igitur famulæ ſuæ precem, brevem
ſiquidem, ſed devotam: tanta namque dulcedinis
intimæ ſuavitate, illa quæ advenerat eſt reſperſa,
tanto devotionis adipe ſaginata, tam vehementi fer-
vore ſpiritus inflammata, ut ipſa ſuo illo felici ex-
perimento ſentiret, cæleſtes illas virtutes ad preces
Virginis adveniſſe. Poſt aliquantulum vero tempo-
ris ſpatium, dixit illi Juliana: Oremus jam ad Do-
C minum, dilecta mea, noveritis enim in hac hora u-
cognoſcit mortem abſentis amici, num de amicis meis ab hoc ſeculo tranſmigrare. Et
oraverunt. Poſt fuſam autem orationem cœpit illa
quæ advenerat, intra ſe cogitare, quomodo Chriſti
Virgo, quod dixerat cognoſcere potuiſſet: nec di-
ſtulit diutius inquirere, quomodo in abſentia cor-
porali tranſitum cujuſpiam familiaris ſui ſcire pote-
rat, etiam nemine nuntiante. At illa, In ipſa, in-
quit, hora ſpecialis dolor in corpore me invadit,
mihi quidem alias inexpertus, niſi cum aliquis ami-
corum meorum eſt de præſentis vitæ exilio migra-
turus: ipſe autem dolor tantus eſt, ut vix illum va-
leam ſuſtinere: & cum alicujus amicorum meorum
interiori doloris alias inſueti indicio. obitus & hora tranſitus nuntiatur, reminiſcor illam
horam fuiſſe, in qua ſpecialem, ut prædixi, paſſa
ſum in corpore paſſionem. Cum autem mutua col-
locutione & immenſa ſpiritus ſuavitate fuiſſent ad
invicem recreatæ, illa quæ advenerat licentiam pe-
tiit abeundi. At Chriſti Virgo, veluti pro benedi-
ctione, unum pomum contulit recedenti: quod il-
la cum hilaritate ſuſcepit, & ſecum domum appor-
tavit. Placuit autem ſibi, non ſine divina, ut arbi-
tror, voluntate, cujus ſaporis eſſet pomum, quod
attulerat, attentare; & cum guſtaſſet, invenit fru-
ctum ſaporis dulciſſimi & ad edendum ſuaviſſimi. AUCTORE
Admirans autem ſe tantam guſtare dulcedinem, cre- COÆVO
didit, quod hæc ipſa dulcedo ex ſe guſtante potius EX MS.
procederet, quam ex pomo: tam copioſa ſiquidem *pomum attactu ſuo mirabilis ſaporis efficit.*
paulo ante irrigata fuerat dulcedine, ut credere poſ-
ſet nec fructum arboris ſibi poſſe ſapere niſi dulce?
Certificari tamen ſuper hoc volens, diviſit pomum
contubernalibus ſuis, quatenus, ſi forte guſtando
ſimilem probarent dulcedinem, hanc pomo juſtius
aſſcriberet; ſin autem, hanc ipſam ſibimet ſecurius
imputaret. Guſtantes autem, tantam expertæ ſunt
in ipſo pomo dulcedinem & ſaporem, ut unanimi-
ter proteſtarentur, ſe numquam æqualem in fructu
arboris deguſtaſſe. Credidit igitur puella, non in-
ſipienter, ut æſtimo, hujuſmodi ſaporem dulcedi-
nis in ipſo pomo à nativitatis ſuæ primordio non
creviſſe, ſed potius nuperrime Julianæ meritis ac-
creviſſe: accreviſſe dixerim, ad cognoſcendum,
quanta dulcedinis ſuavitate electam & dilectam
ſuam Chriſtus perfunderet in interiori homine, qui
etiam gratia ipſius tantum dulcorem feciſſet in po-
mo viſibili conſidere

27 Non ſolum Chriſti Virgo Juliana ſuorum ob- *aliorum obitus ex revelatione docta*
itus amicorum illo ſpeciali, quem prædixi, dolore E
corporis cognoſcebat: ſed interdum ſpiritus alicujus
illorum qui deceſſerat, per locum in quo illa erat
tranſiens, ab eadem devote orationum ſuffragia pre-
cabatur. Aliquando etiam Spiritu ſancto revelan-
te, migrationem cujuſpiam ſibi familiarium cognoſ-
cebat. Unde cum quadam vice obitus unius mulie- *eos juvat recitatus Vigilius defunctorum.*
ris ſibi cariſſimæ per ſpiritum innotuiſſet, continuo
pro illius anima perſolvit, in abundantia lacryma-
rum, vigilias defunctorum. At illa quæ deceſſerat,
Dei permiſſione ſorori ſuæ apparuit annuntians ei
quod Chriſti Virgo Juliana pro ſe Vigilias perſol-
viſſet, quæ ſibi mirabiliter profuerant. Soror au-
tem defunctæ non diſtulit diutius Chriſti virginem
viſitare, & germanæ ſuæ obitum nuntiare. Ad quam
Juliana: Noveram ego bene deceſſum illius, pro
qua dixeram vigilias, tota liqueſcens in lacrymis;
quæ ſi bona Chriſtiana fuiſſem, ſibi prodeſſe debue-
rant. Tunc recordata eſt mulier verborum ſororis
ſuæ defunctæ, quæ ſibi apparuerat, videlicet Vigi-
lias Virginis ſibi plurimum profuiſſe.

28 Quodam tempore Juliana venit ad eam, *viſitans Evam Recluſam.*
quam præfati ſumus, juxta eccleſiam S. Martini Re- F
cluſam, à qua cum omni devotionis affectu ſuſcep-
ta eſt. Sed cum ipſa Recluſa hoſpitem ſuam proſpe-
xiſſet multum debilem & infirmam, ipſam in ſola-
rio ſuper lectulum collocavit: erat autem Vigilia
Dedicationis eccleſiæ memoratæ, ſed hoc ipſa quæ
advenerat, ignorabat. Senſit attamen poſt paulu- *cognoſcit in ſpiritu eſſe Vigiliam Dedicationis eccleſiæ:*
lum, & agnovit excellentiam ſolennitatis inſtantis,
non alio ſibi quam Spiritu ſancto revelante, & ip-
ſam, uſque ad oblivionem totius debilitatis & infir-
mitatis, dono ſuæ gratiæ perfundente. Surrexit igi-
tur velociter, & cum omni celeritate, ſicut illa quæ
vere ebria erat, non vino ſed ſpiritu, gradus deſcen-
dit ſolarii, in quo jacuerat; & per feneſtram recluſorii, veluti volando, ingredi feſtinabat. Trahebа- *viſa Chriſti patientis imagine, præ dolore animo deliquium patitur.*
tur ſiquidem, in impetu ſpiritus vehementis, loci
amore, in quo tantæ ſolennitatis myſteria noverat,
recolenda. Cui occurrens Recluſa dixit: Non,
Domina mea, ſed pro noſtra Dedicatione jam in-
ſtante, juvate me altare meum diligentius adornare.
At illa, libenter, inquit. Cum autem aperuiſſet Re-
cluſa Veronicam ſuam: Chriſti Virgo fixit oculos
ad imaginem Salvatoris: quæ ſtatim nimio correpta
dolore, ex memoria paſſionis Chriſti, ad terram
corruit & defecit. Recluſa autem accepit eam in
ulnas ſuas, & ipſam in lectulo reclinavit. Cupienſ-
que ipſius dolorem vel pellere vel lenire, dixit ei:

AUCTORE COÆVO EX MSS.

Quiescite, Domina mea, quoniam dolor passionis Christi jam abiit & recessit. At illa: Verum est, inquit, quod recessit; sed tamen ipsam passionem sustinuit. Post aliquantulum vero temporis spatium, cum audisset pulsari campanam festivam, quam dicunt Benedictam, ecclesiæ memoratæ; per fenestram sibi propinquam fixit oculos in cæli firmamento, raptaque in spiritu tam mirabiliter extitit, ut nullo signo vitæ in ipsa remanente, credi potuisset veraciter expirasse; nisi quod tincta & pallida paulo ante ora ipsius, nunc quasi lilia candebant; genæ colore roseo vernabant; oculi vero ejus, tamquam duo crystalli, radioso lumine rutilabant. Quos cum diutius in firmamento cæli fixos immobiliter tenuisset, clausit, aliquod membrorum suorum penitus non movendo. Deinde ipsa Recluſa, quæ familiare obsequium præstabat sic affectæ, audivit ipsam cum beatissimis Petro & Paulo Apostolis colloquentem. Post hæc, quos clauserat, aperuit oculos; & videns Recluſam prope assistere, obstupuit, & dixit: Eamus. At recluſa: Et quo, inquit, Domina mea, ibimus? Quæ respondit: Romam ad Apostolos. Evigilans siquidem à somno sui excessus, eo modo quo Petrus, qui olim in transfiguratione
B Salvatoris tria tabernacula volebat fieri, nesciebat quid loquebatur. Et numquid ipsa ebria erat? Ebria plane, sed spiritu: sic etenim loquebatur, acsi ipsa, adhuc in mortali corpore degens, ea facilitate posset Apostolorum limina perquirere, qua ipsi corpore exuti ipsam poterant in spiritu visitare.

rapta in extasim

auditur cum SS. Petro & Paulo colloqui.

29 Infirmabatur aliquando dicta Recluſa multis infirmitatibus, inter quas febre acuta gravius laborabat: quæ quidem in tantum invaluerat, ut quique familiares ejus & noti de ipsius convalescentia desperarent. Quod cum Juliana cognovisset, properavit ad eam venire gratia visitandi. Quæ cum venisset oratorium intravit & oravit: cum autem surrexisset ab oratione, locuta est ipsi Recluſæ, & dixit ei. Ab omnibus his infirmitatibus sanabimini; recuperatura enim est, omnimodam sospitatem. Et hoc quidem protulit de exteriori homine ægrotantis: de interiori vero cum ipsa eadem non minus mirabiliter est locuta, manifestans statum mentis, in quo erat ipsa Recluſa; nec non & illum, in quem erat postmodum ventura. Ex præmissis autem non cecidit aliquid in terram, sed omnia, prout ipsa spiritu prophetico prædixerat, ut fidelis ipsa inveniretur, suis temporibus evenerunt. Corporalem siquidem ipsa Recluſa recepit sanitatem: in illum etiam
C mentis statum, qui sibi à Juliana prædictus fuerat, asseruit se venisse.

prædicit eidē Evæ ægræ sospitatem,

& statum mentis præsentem atq; futurum indicat,

30 Manifestavit autem ipsa Recluſa postmodum dilectæ suæ Julianæ multas tribulationes, quæ suum animum vehementer affligebant. At illa blande consolata est eam, divinam eidem clementiam providens affuturam. Ab omnibus, inquit, his tribulationibus, quas habetis, liberabit vos Dominus. Quod & factum est: nam ab omnibus his liberata est per Dei gratiam, sibi Julianæ meritis & precibus impetratam, sicut ipsa Recluſa usque in hodiernum diem magnifice protestatur.

& liberandā à tribulationibus promittit.

31 Frequentabatur quædam Ordinis mulier à quodam improbo importune, quam Christi Virgo Juliana non modicum diligebat. Hæc autem frequentatio erat contra voluntatem ejus, quæ hominis illius spiritum cognoscebat: nec non & ipsius mulieris, cum cordis illius nequitiam percepisset. Admonuit ergo mulier hominem sæpius, ut à frequentia sui accessus desisteret; sed hujusmodi admonitionem ille surdis auribus audiebat. Qui cum die quadam accessisset, & rogatus nollet abire; zelo religionis accensa mulier duas personas convocavit,

quidam compulsus ab accessu ad Sanctimonialem desistere,

quæ illum recedere compulerunt, & eidem suam improbitatem & stultitiam exprobraverunt. Ille vero repulsam suam æquanimiter non ferens, iracundiæ facibus inflammatus, cœpit religiosam mulierem inhonestatis & turpitudinis arguere & mendaciter diffamare. In via autem qua ambulabat, ore sacrilego virus vipereum mendacii jaculando, divina ultione ad terram corruit, correptus morbo valido ægritudinis repentinæ. Qui simul cognitione & memoria privatus, ad propria, velut exanimis, delatus est. Quod audiens referri prædicta mulier, cœpit inconsolabiliter contristari, quod hoc illi misero, etsi non culpa, tamen causa sui accidisset; præcipue cum illum in statu salutis non confideret comprehensum. Misit igitur familiaritatis ausu ad Christi Virginem Julianam, rogans eam omni affectu, ut divinam clementiam precaretur, quatenus illi sic punito cognitionem, qua vel pœnitere posset, tribueret dignaretur: alioquin sciret, cor suum numquam pacis solatium habiturum. His auditis Christi Virgo, sicut tota pietatis visceribus affluebat, dilectæ suæ dolenti condoluit, & in virtute orationis clamavit ad Dominum; & quod petere rogata fuerat, impetravit. Placatus siquidem Dominus ancillæ suæ precibus, restituit flagellato memoriam & cognitio-
E nem, non solum qualem ante habuerat, sed cognitionem contulit & veram & illuminatam, cum munere voluntatis in melius commutatæ. Quibus ille receptis, compunctus est corde, publice protestans, se de bona muliere per omnia fuisse mentitum; spondens si convalesceret, se de reatu mendacii ab illa veniam precaturum. Ut autem veterem hominem cum actibus suis exueret, accersito Christi vicario confessus est, spiritum mentis suæ cupiens renovari. In brevi autem tempore, post purgationem & sanitatem mentis, reddita est illi etiam sanitas corporalis; quæ non ob aliud fuerat perdita, nisi quia mentis sanitas fuerat jam amissa. Qui totus sanus factus, ad prædictam mulierem redire, & vias antiquas voluit repetere. Sed religiosa mulier, provida futurorum, licet hominem speraret ex antiquo in alium commutatum; timuit tamen, ne ille processu temporis pristinos inconditos mores resumeret. Misit igitur denuo ad Christi famulam Julianam, rogans & obsecrans, quatenus Dominum exoraret, ut hominem illum à voluntate mala custodiret, & in bono statu, quem eidem sua pietate dederat, conservaret. Quid multis immorer? Levavit Juliana
F puras manus in oratione ad Dominum, & quod petiit obtinuit: nam Dominus, qui homini punito sanitatem & bene agendi contulerat voluntatem, ad majorem securitatem etiam in magna parte male agendi abstulit facultatem: subtraxit insuper pius Dominus ab illo fere omnium rerum cognitionem, quæ ad suam illius salutem minime faciebant.

L

ejusque famam mendaciis ladens

subito morbo punitus,

Iuliana precibus emendatus,

sanitatem recipit,

& facultatē male agendi amittit.

32 Miserat aliquando Juliana quemdam Clericum ad partes remotas, pro quibusdam negotiis peragendis: operuerat autem nix ita totam terræ superficiem, ut ille viam seu semitam tenere non posset: unde in loca plurimum periculosa incidit oberrando. At ipsa quæ ipsum miserat, continuo cognovit per spiritum, quomodo illi erat: mandavitque quibusdam familiaribus suis, ut Dominum rogarent, quatenus Clericum ab instantibus periculis eripere dignaretur: fuditque etiam ipsa orationem ad Dominum. Exaudivit igitur Dominus preces clamantium ad se, & illum à periculis, quæ incurrerat, maturius liberavit. Cognovit & hoc ipsum Christi Virgo in momento; nam & ereptionem Clerici nuntiavit, & gratias illius retulit ereptori. Reversus autem Clericus, seriatim narravit diem & horam, quando in prædicta inciderit pericula; non aliter

Clerici absentiū periculū cognoscit,

& precando avertit.

aliter profecto quam Christi ancilla prædixerat; firmiter proteſtans, non niſi ſuffragiis orationum credere, tanta ſe evadere pericula potuiſſe.

33 Ægrotabat aliquando quidam de amicis ejus præcipuis ægritudine vehementi, ut omnes qui adveniebant mortem eſſe ei in januis nuntiarent: quod cum cognoviſſet Juliana, venit eum viſitare ex officio mutuæ caritatis. Et cum illi infirmo per aliquantulum temporis aſtitiſſet tandem receſſura, dixit ei: Ego quidem recedam, ſed nequaquam hoc facerem, niſi vos melius habiturum cognoviſſem: ſed rogo vos, ut quamdiu tam debilis fueritis, quod Miſſam celebrare non poteritis (ſiquidem Presbyter erat) ipſe ſaltem ſemel in hebdomada Corpus Domini recipiatis. Ille vero qui ſine intellectu duxerat infirmitatem, admonitionem hujuſmodi intellexit, & cum omni devotione adimplevit.

Presbyterum ægrum prædicit ſanandum:

34 Narrare ſolet magnæ religionis & claræ opinionis Hadewigis, Recluſa S. Remacli juxta Leodium, Sororem Julianam quam plurima ſibi per prophetiæ ſpiritum prædixiſſe. Viventibus adhuc in corpore dictæ Recluſæ matre & ſorore, prædixit ipſi Recluſæ, matrem ejus primitus morituram, ſororem autem ejus poſtmodum ſecuturam: ipſam vero Recluſam ſuperſtitem remanſuram: quod abſque ulla commutatione rei exitus comprobavit.

& quo ordine ſint tres morituræ.

ANNOTATA.

a Evæ *hujus Vita, ex his Actis deſumpta, deſcribitur à Fiſen parte 2 Paralipomenon ad Flores Eccleſiæ Leodienſis, qui cap. 4 addit iſta:* Tumulum à Martinianis Canonicis ornatum pro virtutis merito habemus, cui è candido marmore ipſius Evæ ſimulacrum cum inſcriptione additum erat. Sed abſumptum flammis templum, quando poſtea reſtauratum fuit, quale hodie videmus; è tumuli marmoribus erecta eſt ara, quam Venerabili Sacramento dicari placuit. Ita, neſcio, quo pacto, ignotum ferme manſit aut certe inhonorum ejus ſepulcrum, donec noſtri hujus ſeculi anno viceſimo ſecundo, magna omnium exultatione & reverentia, è tenebris & obſcuro ſepulcro in lucem venerationemque extractum eſt ſacræ Virginis corpus: è quo partem aliquam Sereniſſima Infanta Iſabella Clara Eugenia Belgarum Princeps magna animi demiſſione religioneque accepit. *Hæc Fiſen, qui titulo* Beatæ *eam honorat. Addunt auctores Apologiæ eam elevationem à Nuntio Apoſtolico factam fuiſſe. Nos vidimus aram, audivimuſque quot feriis quintis ad illum è Choro, poſt Veſperas, ſolitos proceſſionaliter venire Canonicos, ad eumque recitare collectam de Venerabili.*

b Ozilia *cum titulo* Beatæ *refertur à Raißio, in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii à Molano editos, ad hunc diem. De ejus obitu agitur infra lib. 2 num. 33.*

CAPUT VI.

Tentati & ægri adjuti: dæmones compreſſi. Reliquiæ falſæ detectæ.

37 COmpatiebatur mirabiliter Juliana proximis ſuis, qui tentationum procellis urgebantur, ſeu qui cordis vel corporis gravaminibus premebantur, ut veraciter cum Apoſtolo dicere poſſet, Quis 2 Cor. 11, 29 infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror? Unde cum aliquæ perſonæ, familiaritatis commercio ſeu liberationis deſiderio ad eam venientes, tentationes ſeu gravamina eidem vero corde, humiliter & abſque hypocriſi, revelabant; & ipſa ſecundum gratiam diviſionum ſpirituum, quam à Domino acceperat, cognoſcebat, quia ita erat; paſſiones hujuſmodi, per nimiam mentis compaſſionem, ſibi arctius aſſumebat, & tamquam propias ad Dominum deferebat: nec apparebat in conſpectu Domini vacua; ſed effundebat ſicut aquam cor ſuum coram ipſo, in ſpiritu humiliato, & contrito, cum munere devotæ orationis & effuſione lacrymarum copioſa; & ut, ad miſericordiam præſtandam tribulatis & afflictis, citius moveret divinæ viſcera pietatis, corpus ſuum tenerum abſque miſericordia duris verberibus affligebat: nec requieſcebat ſpiritus ejus, donec ipſæ perſonæ à tentationibus vel gravaminibus omnimodam liberationem, vel (ſi forſitan ipſas totaliter liberari non expediret) ſaltem alleviationem à Domino recepiſſent. Deficiet mihi dies, ſi tentationes & gravamina explicare tentavero, à quibus orationum ejus inſtantia quam plures perſonæ conſolationis divinæ beneficium reportarunt: ſed quoniam parcendum eſt faſtidioſis lectoribus, tentabimus referre pauca de pluribus.

AUCTORE COÆVO EX MS. *Tentatis compatiens*

tres ibi ſe affligit:

36 Obſederat ſpiritum cujuſdam Beghinæ horribilis acedia: quæ jam illam à multis bonorum operum exercitiis, ſicut aſſolet, reddiderat enervatam: cunctiſque fere rebus ſibi tædio exiſtentibus, etiam erat oneri ſibi ipſi. Venit autem ad Chriſti famulam Julianam, & oſtendit illi miſeriam, quæ ſpiritum ſuum oppreſſerat vehementer. At Chriſti Virgo dolenti condoluit, & cum mentis & corporis afflictione pro illius liberatione Dominum exoravit. Nec fruſtrata eſt diutius prece ſua, ſed quod petiit impetravit: nam Dominus ejus precibus acediam à mente Beghinæ miſericorditer propulſavit. Cognovit etiam liberationem illius, tam cito vel citius per ſpiritum, quam ipſa Beghina poſſet de ſeipſa cognoſcere per experimentum. Mandavit autem Juliana illam venire ad ſe, & diligenter ac materno affectu in vera religione inſtruxit eam, tamquam filiam ſpiritualem, quam Dominus obtentu precum ſuarum dignatus fuerat à puteo interitus revocare. Laborabat in ſuper hæc eadem Beghina ingenti capitis dolore, quem rheuma quod habebat continuum procreabat: quæ cum Julianæ ſuper hujuſmodi dolore conqueſta fuiſſet, Chriſti Virgo pileum, quem capiti ſuo ſuperponere ſolebat, quaſi pro benedictione largita eſt. Quem cum Beghina capiti ſuo impoſuiſſet, ita ſanata eſt, ut amplius vehementiam doloris priſtini non ſentiret.

liberat Beghinam precibus ab acedia,

& pileo ſuo à dolore capitis:

37 Quædam mulier Ordinis, ex morte cujuſdam amici ſui tantam cordis incurrerat triſtitiam & dolorem, ut ſenſu perturbato ſe crederet in inſaniam convertendam; nec poterat per alicujus perſonæ conſolationem ab hujuſmodi dolore & mœſtitia relevari. Acceſſit tandem ad Chriſti famulam Julianam, & ſuper inflicto cordis vulnere conqueſta eſt; ſi forte poſſet per gratiam illi datam aliquatenus conſolari. At Chriſti Virgo ſic ait: Repellite hæc, Domina, ab animo veſtro, & totum cor veſtrum ad Dominum convertatis, & ipſe à vobis cuncta quæ patimini gravamina propulſabit. Hæc & hujuſmodi cum multo compaſſionis affectu & ſermonibus conſolatoriis proferens, mentis illius conſtantiam, quæ jam fere totaliter exciderat, mirabiliter reſtauravit. Tantam ſiquidem mulier, antequam recederet, conſolationem eſt adepta; ut dolore pene toto exulante, teſtaretur ſe credere, vix majus miraculum poſſe fieri, quam tantum dolorem & triſtitiam in tam brevi temporis ſpatio relegari.

verbis ſanctimonialem à magna triſtitia:

38 Venit aliquando ad Chriſti famulam Julianam quædam Beghina, quæ à maligno ſpiritu crudeliter & jugiter in anima & corpore vexabatur. Quæ cum illi premertium & fere opprimentium ſe tentationum miſerabilem ſeriem enarraſſet; humiliter poſtulabat interceſſionis illius ſubſidiis adjuvari.

aliam Beghinam à maligno ſpiritu

Oravit

AUCTORE COÆVO EX MS.

Oravit igitur Christi Virgo, & divinæ propitiationis effectum celerem reportavit: siquidem visum est ipsi Beghinæ, cum abire deberet, magnum rapidem ponderosum à suis humeris cecidisse, & continuo sensit seipsam quasi totaliter ab infestantium vexationum pondere liberatam.

dæmonem contra se insurgentem

39 Cum igitur Juliana per singula temporum curricula animas à potestate maligni spiritus eriperet, & Christo curaret restituere; adversum se iram & invidiam diaboli acrius provocabat. Nimium siquidem irascebatur peccator, dentibus suis fremebat & tabescebat, cum videret quam plures animas, quas tentationum procellis absorbuisse, vel peccatorum pondere se putabat irremediabiliter dejecisse, per illius orationum efficaciam quasi ab inferni voragine revocari. Tota igitur malignitate in Christi famulam sæviebat, & ipsam dormientem vel vigilantem

etiam in larvalibus figuris,

quiescere non sinebat. Ipsi etiam, larvales protendens figuras, visibiliter apparebat; forsitan ut eam ab animarum, ab ipso captivarum, liberatione desistere cogeret; vel saltem ipsam ferendo, pœnas eidem, quas poterat, irrogaret. Sed quanto ille in eam amplius grassabatur, tanto ipsa libentius animas ab illius nexibus solvere nitebatur: sciebat

B

enim intantum Christo id operis complacere, in quantum malignum perpendebat spiritum super hoc insanire. Suspectas tamen semper habens illius insidias, super custodiam suam stabat; ne forsitan illum sibi, vel in levibus, supplantare contingeret & insultare. Orationis autem clypeo dentem invidi retundebat, quo circumdata à dextris & à sinistris, intus & foris, persecutoris sui insultus intrepida sustinebat. In Sacramento tamen altaris, specialem & præcipuam fortitudinem assumebat: qua infatigabiliter adversus illum, cum innumeris malitiæ suæ artibus, poterat colluctari. Qui cum Julianam multo tempore visibiliter vexasset, ut adversum eam credi posset conjurasse; traditus est & ipse in forma visibili & sensibili in manus illius, vexationem quam intulerat recepturus.

depellit oratione.

& sacra Eucharistia:

subinde verberat, & conculcat,

40 Solent narrare quædam Sorores domus Montis-Cornelii aliquando se audivisse strepitum & impetum, quem Juliana in dæmonem faciebat: quem manibus tenens cædebat toto conamine, & pedibus conculcabat, & eidem exprobrans insultabat: Sic sic, qui se Altissimo coæquare voluit à muliercula calcabatur; & qui in eam præsumpserat insurgere, confundebatur, & operiebatur sicut diploide confusione verberis & pudoris. Et cum aufugere cæsus jam

C

cuperet & nequiret; tandem Christi famulam sic est allocutus: Dimitte me, & vade ad Sorores tuas, quæ sub ostio thalami tui auscultantes struxerunt tibi insidias: quæ te super hoc, quod celari desideras, accusabunt. Ad hanc vocem dimisit illum, & veniens ad ostium thalami, invenit aliquas Sorores ibidem, prout dæmon fugæ cupidus dixerat, excubantes: quibus repertis, contristata est, quod ipsæ forent conscïæ talis rei. In dicta siquidem Domo fuerunt duo genera personarum, quæ Christi sponsam curiosius explorabant, unum ad invidendum, aliud ad imitandum: quod & usque adhuc in omni choro adolescentularum, ni fallor, poterit inveniri. Unum Julianæ plaudebat quotidianis profectibus; aliud quæque bene gesta depravans, ejusdem virtutibus derogabat. Unum glorificando Dominum in famula sua operantem, perfectionis limites ascendebat; illud mirabiliter descendens, cruciatu livoris proprii tabescebat. Juliana vero, veluti lilium florens, hoc & illud genus personarum, & beneficiorum obsequiis quibus poterat, & vitæ sanctimonia venustabat.

etiam Sanctimonialibus audientibus,

eique aut applaudentibus, aut invidentibus.

41 Erat quædam Beghina, quæ gravissimam infirmitatem duobus annis & dimidio in uno oculorum perpessa fuerat: excreverat autem ab ejus oculo frustrum carnis, ad modum nucis, quod horrorem intuentibus ingerebat. Affligebatur igitur illa duplici contritione, verecundiæ scilicet & doloris; utrumque etiam diuturnitas temporis augmentabat. Sano tandem ducta consilio, venit ad Christi famulam Julianam semel & secundo; & eidem conquerendo exposuit, quantam & quanto tempore toleraverat oculi passionem. Illa vero sicut ad compatiendum parata erat, condoluit patienti; oculum morbidum signavit; & eidem pro benedictione lineum pannum dedit, quo ab oculis suis tergere consueverat exitus lacrymarum. Quæ valefaciens discessit; & secum pannum, quem acceperat, deportavit. Crastina vero die, cum ipsa Beghina interesset Missarum solenniis & oraret; non sine divino, ut creditur, nutu in levem soporem resoluta est: & vidit, & ecce quædam reverenda persona, quam Christi Virgo Juliana mittebat ab altari, veniebat ad se; quæ manibus attrectans oculum, carnem superfluam amovebat leviter & curabat: quo facto recedebat sopor ab ea. Quæ cum apposuisset manum oculo, nil sensit veteris passionis, & se recepisse cognovit optatam multo tempore sospitatem: & gaudio

E

magno valde ipsa gavisa est, & Christo gratias suo ipsius reddidit curatori. Contubernales vero ipsius & notæ stupebant vehementer, cum viderent ipsius curationem tam inopinatam, intuentes sanitatem oculi illius tam subitam & perfectam. Quæ cum scisscitantibus enarrasset ordinem rei gestæ, dabant gloriam Deo, qui merita dilectæ suæ Julianæ manifestare voluerat miraculo tam jucundo. Nec enim ob aliud Christus voluit, ut arbitror, quod dicta Beghina personam ad se venientem, & sanitatis remedia conferentem, sibi mitti à famula sua conspiceret; nisi ut liquide cognosceret, se adeptam meritis & precibus illius oculi sanitatem.

D

oculi, frusto carnis tecti, infirmitas,

ejus benedictione & lineo panno, adhibito,

sub Missa tollitur.

42 Sicut Christi Virgo Juliana bonos hominum spiritus à malis per spiritum discernebat; sic per gratiam à Deo sibi datam, veras Reliquias à falsis mirabiliter cognoscebat. Unde contigit quod quidam magnus Princeps terræ, & quidam amicus ipsius Virginis, falsæ spei multis & persuasibilibus sermonibus fuerant incitati, ut ad Terram sanctam deberent proficisci: dictum namque erat eis, per visionem esse revelatum, si iter hujusmodi arriperent, ipsos contra gentem perfidam potenter & viriliter acturos; columnam etiam, cui alligatus; nec non & virgas, quibus cæsus fuit mundi Salvator, cum multis aliis pretiosissimis Reliquiis inventuros. Qui tantæ promissioni, quamvis inani, pene dexteras dederant; & quod mendaciter eis suasum fuerat, fere fuit persuasum. Sed benignitas Salvatoris, licet larga munificentiæ suæ dextera posset illos ad nutum vel in præsenti vel in futuro munerare, etiam inanibus verbis circumventos; noluit tamen, spe fallaci promissorum non consequendorum, ipsos per tot maris & terræ spatia fatigari. Visum est igitur illi alteri à Principe, consilium requirere à Christi famula Juliana; nec debere ipsum tantam rem aggredi, absque illius voluntate & persuasione, cujus adeptus fuerat familiaritatem, & ex parte noverat sanctitatē. Venit igitur ad eam, Deo sic volente, & quid sibi & Principi suasum fuerat intimavit. At illa continuo persuasit illi, his quæ suadebantur non credere; libere pronuntians, quod hæc omnia mendaciter fingebantur; & prohibuit illa ne iter arriperet, & ne falsis visionibus fidem adhiberet. Ille autem continuo magis elegit Virgini credere, quam blandis admodum persuasionibus pertinaciter adhærere. Princeps etiam non omnino eisdem se credidit, nam illuc

Iter aggressuris in Palæstinam spe Reliquiarū

F

dissuadet, ob mendacia illis imposita,

illuc ire perſonaliter recuſavit: miſit tamen nuntios ſuos trans maria, ad cognoſcendum quid ibi poſſet inveniri. Et qui miſſi fuerant, cum rediſſent, nuntiarunt Principi columnam fore tam grandem, quod per tot terrarum intervalla non potuiſſet ab eis apportari: de virgis tamen, quibus Salvator mundi cæſus fuerat, dixerunt ſe attuliſſe, ſceleratiſſime mentientes. Quæ cum ad Chriſti Virginem fuiſſent allatæ, non plus eidem devotionis ac ſuavitatis intimæ contulerunt, quam ſi videret virgas communes, ſicut & videbat. Cognovit igitur veraciter ipſa, nec non & alia perſona, has eſſe virgas communes, nec quidquam eis impendi debere reverentiæ & honoris. Quid? cũ Chriſti Virgo id quod de hujuſmodi virgis cognoverat, intimaſſet; facta diligẽti inquiſitione à Principe, cognitæ ſunt perſonæ, quæ ipſum cũ amico Virginis, ſuis ipſorum adinventionibus & fraudulentis ſuaſionibus, ultra mare trahere conati ſunt: quæ etiam eiſdem falſis Reliquiis illudere præſumpſerunt. Sed jam liber claudendus eſt, & narrationis curſus, pro modica captanda requie, aliquantulum ſuſpendendus.

& virgas inde allatas novit communes eſſe.

LIBER II.

PROLOGUS.

Dicendæ ſunt tribulationes & perſecutiones in proximo, quas pro zelo juſtitiæ & Chriſti amore Juliana ante beatæ dormitionis ſuæ terminum toleravit. Baiulavit, ſiquidem & ipſa crucem ſuam, & ſecuta eſt Chriſtũ: ſecuta plane, etſi non morte crucis, tamen tolerantia cruciatus. Numquid non cruciata domeſticorum perſecutionem ſuſtinens, injurias multiplices patiẽs, domo fugere coacta, in paupertate loca diverſa adire compulſa? Sed jam veluti intermiſſa diæta modicũ reſpiremus, ut ad prætactas perſecutiones & tribulationes, & ſi non perferendas, referendas tamen, cum aliis dignis memoria, virilius aſſurgamus.

CAPUT I.

Inſtitutio domus Montis-Cornelii. Hujus Prioriſſa Iuliana perſecutiones patitur.

1 *a* AD majorem notitiã eorũ, quæ dicenda ſunt, credimus opportunum; ſi aliqua breviter & ſuccincte de inſtitutione & ordinatione domus Mõtis-Cornelii proferamus. Sciendum igitur, quod dicta domus, non longe à Leodio diſtans, à civibus Leodienſibus ob hoc, ut dicitur, fuit ſpecialiter inſtaurata, ut cives Leodienſes utriuſq; ſexus, qui lepræ contagiũ incurrerent, ibidẽ reciperent manſionẽ, ipſius domus facultatibus ſuſtentandi. In qua pariter, *b* viri & mulieres, ſani & incolumes, admittuntur; ut per perſonas ſanas utriuſq; ſexus, diverſis & opportunis officiis deputatas, neceſſitati infirmorũ ſimiliter utriuſq; ſexus cõgrue miniſtretur: utriq; vero ſexui ſuus habitus deputatus eſt. Viri autem, tam ſani quã ægroti, Fratres; mulieres vero, tam incolumes quã infirmæ, vocantur Sorores. Sororibus præficitur Prioriſſa, cui *c* ſecundũ Religionis ſuæ ordinem tenentur obedire. Super omnes tamen Fratres & Sorores domus, conſtituitur Prior: cui obediendũ eſt ab omnibus, ut Prælato. Sunt autẽ in dicta domo cũ Priore, aliquanti Fratres Clerici & Sacerdotes, à quibus divina officia celebrãtur. Et quoniam dicta domus à civibus Leodienſibus, ut dictum eſt, extitit fundata; ipſi duos aut tres viros providos inter ſe per tempora ſolent inſtituere, qui dictæ domui debẽt in temporalibus providere. In hac igitur domo cum venerabilis *d* Sapientia per plures annos Prioriſſæ officium ſtrenue compleviſſet, laborũ ſuorum à Domino propriã receptura mercedẽ, carne ſoluta eſt: ipſa autem fuerat, ſub qua nutrice, Juliana ſummo Regi infantiæ & innocentiæ ſuæ primordia dedicavit; ſub qua magiſtra, ad perfectionis ardua, ætatis & ſexus oblita, cucurrit, quæ Chriſto juvante poſtmodum apprehendit.

a

b C *domus Montis-Cornelii prope Leodium, inſtituta pro leproſis utriuſque ſexus, regitur à Prioriſſa,*

c

& Priore,

ubi poſt Sapientiam,

d

2 Poſt obitũ vero præfatæ Sapientiæ, diminuti ſunt etiã morte interveniente dictæ domus ſapientes: juniorũ autẽ Fratrum & Sororũ numerus pullulavit. At illi, quorum intererat domui de Prioriſſa providere, cognoverunt quod juniores Sorores multũ deſiderabant bonam ſibi præfici Prioriſſam: unde curabãt eis talẽ eligere, cujus converſatione & admonitione poſſent in melius proficere. Et quoniã Chriſti Virgo Juliana, admirandæ converſationis merito & ſanctitatis privilegio Sorores dictæ domus ſupergreſſa fuerat univerſas; viſum eſt eis, quod nulla dignior illa jam erat præeſſe, quæ à primis annis, unctione magiſtrã, & ſubeſſe didicerat & coëſſe. Concurrẽtibus igitur votis Sororũ in illã, conſtituta eſt domus antedictæ, non ſine divina providentia, Prioriſſa. Nolebat ſiquidẽ Chriſtus lucernam ardentem & lucentẽ ulterius abſcondi ſub modio, ſed poni ſuper candelabrũ, ut luceret omnibus qui in domo Dei erant. Juliana vero quamvis latere, quamvis etiã ſubeſſe multo magis concupiſceret quã præeſſe, inobedientiæ tamẽ vitium incurrere pertimeſcens, pure propter Deũ & obedientiæ bonũ, injunctũ ſibi ſuſcepit officiũ. Sed quis qualiter Chriſti Virgo in hujuſmodi officio præfuerit, imo profuerit digne valeat enarrare? Præfuit in utilitate, præfuit in humilitate, præfuit & in ſolicitudine. exemplũ ſe præbuit cunctis bonorũ operũ, non quærens quæ ſua erant, ſed quæ Ieſu Chriſti. Prioriſſæ ſibi vendicavit curã & operam, non dominium ſive pompã. Quæcũque ſancta, quæcumq; amabilia, quæcumq; bonæ famæ & religionis, hæc loquebatur & exhortabatur. Toto affectu caritatẽ Chriſti, ubi erat, ſtuduit augmentare; ubi non erat, curavit ſalutaribus monitis provocare. Cõmiſſum ſibi Sororũ gregem ad paſcendum, ad ſingula virtutum genera commonebat, prout capacitati & intelligentiæ ſingularũ noverat expedire; & quæ bonæ voluntatis erant Sorores, delectabãtur in admonitione & doctrina illius, gratãter cervices ſuas affectuoſæ Prioriſſæ magiſterio ſubmittentes; & credebãt verbis ſuis, & ſuſtinebant conſiliũ ejus, nec obliviſcebantur operũ. Operabatur ſiquidẽ Chriſti famula, cũ ejus adminiculo ſalutẽ illarum, invitans eas officioſiſſima caritate ſemper progredi ad chariſmata meliora. Nõ dominã ſe exhibebat, ſed ancillã, ſed matrem, ſed nutricẽ. Et quomodo ſororum benevolarũ in ſe non attraheret affectum? Illis ſiquidem pro tribulationibus ſeu neceſſitatibus ad ſe concurrentibus, conſolationis & juvaminis materna prætẽdebat ubera, roriflua ubera, de cælo plena. Poſuerat enim Pater totius cõſolationis in ore Julianæ verbũ ſolatii ſpiritualis, ut eas quæ vel in triſtitia vel in tribulatione erant, poſſet per datã ſibi gratiã conſolari. Pusillamines confortabat, proficientibus applaudebat, perfectis congaudebat. Æmulabatur omnes Dei æmulatione, deſiderãs & totis niſibus ſatagẽs, ipſas virgines caſtas exhibere Chriſti. Et ut ſibi commiſſas oves Chriſto offerret ſanctas carne & ſpiritu, ſtudebat omni modo ipſarũ conſervare innocentiã, profecto innocens & ipſa. An non Juliana innocens? de qua confeſſor ſuus, qui ejus conſcientiã perfecte cognoverat, tã audacter quam veraciter proteſtatus eſt, quod ipſa numquã peccatum commiſerat criminale. An non innocens & agna immaculata? quæ numquã ſentire permiſſa eſt vel primos motus carnis, lididine titillantis. Siquidẽ cũ aliquæ perſonæ de tentationibus validis illecebræ carnalis, quas patiebantur, ſibi conquererẽtur; ipſa apud ſe de hujuſmodi plurimũ mirabatur, pro eo quod nũquã in vita ſua fuiſſet ſimile quid experta. Quibuſdã etiã ſibi familiaribus teſtata eſt, quod non plus unquã tẽtata fuerit de carnalis concupiſcentiæ voluptate, quam nec tentata fuerat mortuorum oſſa comedere. O virginitas reverenda, ô puritas admiranda! Licet autem rara avis ſit in terris, aut innocentiã carnis vel ſaltẽ ſpiritus nõ perdere, aut humi-

AUCTORE COÆVO EX MS,

omnium votis in Prioriſſam

electa B. Iuliana,

rara ſanctitatis præſulacet exemplo,

E

innocens ipſa non commiſſo ullo peccato graviore

F

omnes in omni virtutum genere promovendo.

nec libidinis motibus tentata,

AUCTORE COÆVO EX MS.

humilitatē utriuſq; ſanctimonia non excludi, Juliana tamen ſpeciali gratiæ privilegio, carnis & ſpiritus innocentiā ſemper retinuit, & humilitatē virtutū cuſtodem non amiſit; merito proinde digna, quæ à ſponſo ſuo Chriſto audire mereretur, Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra. Nec immerito pulchra dicitur, cui ſanctitas amiſſa humilitatē non attulit, ſed ſervata admiſit: merito Virgo noſtra cū repetitione audit ſe à ſpōſo ſuo pulchrā nominari, à quo ſibi datū eſt utriuſque, carnis ſcilicet ac ſpiritus, pulchritudine gloriari. Ab iſta igitur Agni ſponſa, ſponſi agna, oves Domini, videlicet bonæ voluntatis Sorores domus Montis-Cornelii, ad æternæ viriditatis paſcua minabātur: ſub hac agricola novellæ plantationes, in agro Domini plantatæ, in virtutibus creſcebāt & multiplicabantur.

& interim ſemper humillima perſiſtens.

3 Sed quid putas? invenitne Chriſti Virgo aliquid laborandū in agro Domini Dei ſui? Et plurimū. Etſi illa quæ præceſſerat Prioriſſa in eo multū laboravit, non tamē totū elaboravit: invenit namq; nova Prioriſſa in agro Domini, unde non modicū doluit, arbores ſteriles: Sorores loquor, arbores ſine fructu, niſi forte glandiū aut ſiliquarū quas porci manducant. Invenit inquā, nonnullas Sorores immites, inobediētes, moribus & actibus ordini repugnātes; & quod nimis puritatis amatrici diſplicuit, cū viris conventicula periculoſiſſima celebrantes. Hæ quidē erāt quæ prætergrediebantur viā, quæ quantū in ipſis erat, vindemiabant & demoliebātur, ad inſtar vulpecularum, vineam Domini Sabaoth Iſtas igitur primitus aggreſſa eſt in ſpiritu lenitatis, ut ſe à frequentationibus hominū refrænarēt. Quæ cum illius admonitionē ſurdis auribus præterirent (neque enim eis placebat dimittere, quod libebat ſæpius iterare) viſum eſt Chriſti Virgini utēdū ſibi fore medicamine fortiori. Zelo igitur Phinees accenſa, cœpit illarū vitia durius reprehendere; vitiorū germina pungere; non palpare: intermiſcebat tamen temporibus tēpora, duris increpationibus ſuavia blandimenta. In cuſtodiendis etiā illis ſibi fuit diligentia ac ſolicitudo tanta, ut plerūq; requiē non caperet nec noctibus nec diebus: incredibilis enim illi cura fuit, ne ſibi commiſſæ Sorores, prout conſueverāt, periculis ſe committerent animarū. Multotiens cum illas in pace crederet pauſaturas, & ipſa laſſa membra vellet aliquantula requie refovere, excitabatur à maligno ſpiritu, aliquādo nuntiāte, Sorores ipſas non requieſcere, ſed fugiſſe. Nec tamē credendū eſt hæc illū nuntiare, quod illarum æmularetur ſalutem, qui tantū ſitit ſanguinē. Et cum Chriſto Virgo ſurgeret feſtinanter, utrumne illæ quieſcerent cognitura; reperiebat aliquando illas reſeratis oſtiis receſſiſſe. Interdum tamen ipſe malignus, Julianam excitans, mendacium de ipſis Sororibus loquebatur: ſiquidem ſpiritus mendax eſt, & aliquando verum dicere compellebatur. Etenim cum ipſa aliquando excitata ſurgeret, dictas Sorores audiens aufugiſſe; inveniebat illas pacifice quieſcētes.

emendare ſtudet vitia ſubditarum ſuaviter,

& fortiter,

adjugilans ita die ac nocte,

etiam à ſpiritu maligno excitatur:

4 Hæc & hujuſmodi cum Chriſti Virgo ageret inceſſanter, & ſuis ovibus vias obſtrueret delinquendi; experimento didicit, quod ait Scriptura, Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionē patientur. Illæ ſiquidem jam non oves, ſed lupæ ferociſſimæ, omne genus ſpiritalis medicinæ contemnentes, vitiorum morbum magis fovere quam abjicere cupiebant; & in phreneſim animi dilapſæ, curantis manum & induſtriam reſpuebant. Non ſolum autem illæ, ſed & illi à quorum frequentationibus & conventiculis ipſas retrahere laborabat, iniquo odio oderant illam, nec poterant ei quidquam pacifice loqui; & fremebant dentibus in illam, & detractionibus, ſuſurriis, inimicitiis & omnibus modis quibus poterant, ipſam perſequebantur. Pro nefas, poſuerunt adverſum Chriſti famulam mala pro bonis, & odium pro dilectione ſua; & loquebantur adverſus eam lingua doloſa, & ſermonibus odii circumdabāt eam, dignam potius circumdari floribus roſarum & liliis convallium. Firmaverunt inſuper ſibi ſermonem nequam, & ſcrutati ſunt longo tempore, ut in Chriſti ancilla deprehendere & ſic reprehendere publice poſſent aliquam iniquitatem: ſe defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Nam Juliana, quæ Chriſto artifice ad perfectum fuerat elimata, tam pie & prudenter in omnibus ſe habebat, ut nihil inveniret, quod digne capere poſſet malignitas ſcrutatorū. Nec tamen propter hoc reverſi ſunt ad cor (ſiquidē ira & furore excæcatum erat inſipiens cor eorū) ſed omnes quos poterant de domo venenatis colloquiis adverſus Chriſti Virginem concitabant: & inveniebant populum qui ſibi crederet, proniorem ad malū quam ad bonum: & multiplicatum eſt in illam odium vehementer. Numquam tamen potuit domus illa exaſperans, in omni perſecutione ſua & furore, unctionem Spiritus, qua plene Chriſti Virgo imbuta fuerat, exterminare; quin ipſa inter tribulationes & contumelias, quas eſt paſſa ab eis, in ſua manſuetudine perduraret. Siquidem cum his qui oderunt pacē erat pacifica, exemplo Job cuncta ſufferens in omni patientia. Nec perſequentibus ſe vicem rependebat, ſed male agentes, cum zelo caritatis opportunis temporibus arguebat, vitia perſequens, non perſonas. In illis autē diebus præerat Domui Prior vitæ venerabilis, nomine Godefridus, qui Chriſti ancillā cum adjutorio divino multum in ſuis tribulationibus confortabat.

corroboratur à Godefrido Priore.

2 Tim. 3, 12

ab eis, earūq; amatoribus, perſecutiones paſſa,

5 In vita iſtius Prioris revelavit Deus famulæ ſuæ multa, quæ poſt dicti Prioris obitū evenerunt. Solet enim illa, quam prefati ſumus, Recluſa S. Martini narrare, quod cū Juliana, vivente adhuc memorato Priore, aliquando veniſſet ad eam, dixit ei: Maligni ſpiritus, Recluſa, qui me uſq; nunc viſibiliter vexaverunt, receſſerunt à me; ſed maligni ſpiritus qui in cordibus virorū & mulierū inviſibiliter regnant, acrius de cetero inſurgent adverſum me, in me malignius ſævituri. Sævient etiam, inquit, adverſus eccleſiā Chriſti, & eos qui eam voluerint exaltare; ſed me primitus aggrediētur. Hoc autē ultimum dicebat de ſolennitate Sacramenti, quæ per ipſā erat mundo ex juſſione Domini propalanda: de quo Chriſti Virgo primo & principaliter, nec non & multi fideles qui eā promovere primitus attentaverunt, multa mala perpeſſi ſunt. Poſt hæc addidit adhuc loqui ad Recluſam, dicens: Dominus Godefridus, laudabilis Prior noſter, intra anni curriculū ab hoc ſeculo migraturus eſt. Eſt autē unus Frater in domo noſtra, qui ſibi ſuccedet in Prioratu, ſub quo maligni ſpiritus ita ſævient in me, ut neceſſe mihi fuerit fugere à facie ipſius tribulātis. Eſt & in ipſa domo alter Frater, juvenis & innocens, qui me juvabit tribulationū pondera ſupportare. Verumtamen fugere oportet me, & lacrymis obortis dixit: In illo tempore, ô Recluſa, neceſſaria mihi eritis: nonne profugā veſtro recipietis hoſpitio. Tunc Recluſa ad illā; Omne, inquit ſolatium & omne bonum, quod vobis præſtare potero, noveritis me vobis cū omni deſiderio præſtiturā. Non cecidit autē quidquā ex præmiſſis, quæ Chriſti Virgo prædixerat, in terrā: ſed omnia ſuis temporibus evenerunt. Siquidē omnia memorata revelaverat ſibi Dominus eventura: ſpecialius tamē quā aliis temporibus, in hora Sacramenti altaris, incerta & occulta ſapientiæ & voluntatis ſuæ revelabat ſibi Deus. De quibus unū excellentiſſimū, in quo prerogativa noſtræ Virginis manifeſte dignoſci poterit, credimus enarrandum; ſepoſitis ad tempus tribulationibus, quas paulo ante tetigimus, quas tempore congruo reſumemus.

hujus obitū prædicit & perſecutiones ſibi poſtmodum inferendas.

ANNOTATA.

a *Quæ hoc numero referuntur, extant ſolum in* MS. *Carthuſiano.*

b Conventus quatuor *etiamnum appellantur, quia ſeparantur*

A *parantur habitatione viri ſani, & lepra ſeu morbis infecti, item eodem modo feminæ.*

c *Secundum regulam S. Auguſtini, uti ſupra probatum.*

d Sapientia *mortua traditur à Fiſeno circa annum* 1230: *& cum titulo* Beatæ *inſerta eſt Menologio Henriquez ad* 31 *Martij.*

CAPUT II.

Occaſio prima inſtituendæ ſolennitatis Venerabilis Sacramenti Corporis & Sanguinis Chriſti.

a 6 TEmpore inventutis ſuæ, *a* quotiens Chriſti Virgo Juliana orationi incumbebat, magnũ ſibi ſignum & mirabile apparebat. Apparebat, inquã, ei luna in ſuo ſplendore, cum aliquantula tamen ſui ſphærici corporis fractione: quam cum multo tempore conſpexiſſet, mirabatur multum, ignorans quid illa portenderet. Ex eo autem non ſatis poterat admirari, quod quotiens orationibus inſiſtebat, dictum ſignum indeſinenter ſe ſub illius conſpectum ingerebat: & cũ totis conatibus niteretur amovere, quod volebat, nec prævaleret; cœpit timore & tremore multo nimis ſuper hoc cruciari, æſtimans ſe tentari. Orabat autem, & B per perſonas ſibi fideles orari Dominũ faciebat, quatenus ipſam à quadam tentatione, quam ſe pati dicebat, eripere dignaretur. Sed cum nulla induſtria, nulla ſua vel aliorũ fidelium prece importunitatẽ ſigni poſſet à ſe repellere; cœpit tandẽ aliquando cogitare, ne forte non tam laborare deberet ad ſignum hujuſmodi repellendũ, quã in ipſo ſigno aliquid myſticũ inquirendum. Contulit igitur ſe totam cũ omni devotione ad deprecandũ Dominum, quatenus ſi id, quod videbat, aliquid ſignificaret; ſibi revelare nõ dedignaretur myſteriũ viſionis. Tunc revelavit ei Chriſtus; in luna, præſentẽ Eccleſiam; in lunæ autẽ fractione, defectum unius ſolennitatis in Eccleſia figurari, quã adhuc volebat in terris à ſuis fidelibus celebrari. Hanc autem ſuam eſſe voluntatẽ, ut ad augmentũ fidei, in fine ſeculi debilitandæ, nec non & ad profectũ & gratiã electorum, inſtitutio Sacramenti Corporis & Sanguinis ſui quolibet anno ſemel ſolennius ac ſpecialius recoleretur, quã in Cœna Domini, quando circa lotionẽ pedum & memoriã paſſionis ſuæ Eccleſia generaliter occupatur: in ipſaque ſolennitate de memoria ipſius Sacramenti ſuppleri diligentius oportere, quod aliis quotidianis diebus in minori devotione ſeu negligẽtiis fuerit prætermiſſum. Hæc igitur cũ Chriſtus Virgini ſuæ revelaſſet, injunxit eidẽ, ut hanc ſolennitatẽ C ipſa inchoaret, & eã debere fieri, mundo primitus nũtiaret. At Juliana, ſublimitatẽ negotii nec non humilitatẽ & fragilitatẽ ſuã ponderans & attendens, ultra quã dici poſſet obſtupuit, & quod ſibi injungebatur ſe nõ poſſe facere reſpondit. Verũ quotiens orationi incũbebat, admonebat eã Chriſtus, ut negotiũ ſibi injunctum aſſumeret, quã ad hoc quæ cunctis mortalibus elegiſſet. At illa ſemper reſpõdebat: Domine, dimitte me; & quod mihi injungis, injũge potius magnis Clericis, lumine ſcientiæ fulgentibus, qui ſciant & poſſint promovere tantũ negotiũ? nam quomodo id poſſem? Nõ ſum ego, Domine, digna nuntiare mundo rem tã arduã, tã excelſam: nec ipſam ſcirẽ, nec poſſem adimplere. Reſponſumq; eſt illi, quod hanc ſolennitatẽ oportebat per ipſam omni modo inchoari, & deinceps per perſonas humiles promoveri. Et cũ aliquando inſtaret orationi, obſecrans tota intentione Dominũ, ut aliã perſonã eligeret ad hoc opus; audivit vocẽ dicentẽ. Confitebor tibi, Pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus hujus mundi, & revelaſti ea parvulis. Nec ſic continuo acquievit, ſed reſpondit: Excita, Domine, temetipſũ; excita & magnos Clericos; & dimitte me in pace, tuam minimã creaturã. Et facta eſt rurſum vox ad eã dicẽs, Immiſit in os meũ canticũ novum, carmen Deo noſtro: juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam & ſalutare tuum dixi: non abſcondi miſericordiam tuam & veritatem tuam à conſilio multo.

7 Igitur cũ à tempore viſionis prædictæ, pluſquam viginti annorũ curricula pertranſiſſent; & iterũ Chriſti Virgo Juliana, præ nimia humilitate, inenarrabilibus gemitibus & precibus inſtitiſſet, quatenus ipſe Chriſtus cuiquã alteri perſonæ negotiũ memoratum imponeret, nec hoc ſolũ poſſet aliquatenus impetrare; cernens ſibi durum fore contra voluntatis divinæ ſtimulum calcitrare, voluntatẽ ſuã ipſius ſubdidit voluntati: inſtiterat enim tantis precibus & fletibus, ut plerumq; exhauſtis lacrymis, oculi ejus purũ ſanguinem loco lacrymarum deducerent. Nec offendatur quiſquam, quod Chriſti Virgo tam ſero divinæ viſa ſit acquieſcere admonitioni: cum hoc non ex aliqua proceſſerit negligentia, ſeu minori erga ipſum Sacramentum devotione; ſed ſolũ ex profundiſſima humilitate: ſemper enim in cõſpectu Domini ſe indigniſſimã aſſerebat, ut tanta ſolennitas per ipſam mundo innoteſceret, de imperitia & de impoſſibilitate ſua nihilominus ſe excuſans. Sed quãto ipſa ſe indignioré reputabat, tanto Chriſtus, humilitatis amator & doctor, E dignioré eam judicabat. Acquieſcens igitur vel ſero admonitioni toties ſibi factæ, primũ cũcta per ordinẽ patefecit viro vitæ venerabilis, Domino Joanni de Lauſenna, Eccleſiæ S. Martini Leodienſis Canonico, cujus memoria in benedictione eſt; quẽ pro ſuæ ſanctitatis excellentia plurimum diligebat: & rogavit eum, ut quoniã ipſe notus erat multis & magnis Clericis & religioſis perſonis, qui ad ipſum orationũ gratia veniebant: omnia quæ ipſa ei retulit, tacito tamen nomine ſuo, illis exponeret: ut cognoſceret, quid etiã magnis Theologis de ſolennitate hujuſmodi videretur. Et vide Virginẽ ſapientẽ: non agit quidquã præcipitanter, non aggreditur aliquid inconſulte: ſed cũ maturitate & deliberatione multa nimis, facit univerſa; per ſe probans, & probari per alios concupiſcẽs, ſi ſpiritus ex Deo ſint. Audiant hoc utriuſq; ſexus homines, ſapiẽtes in oculis ſuis, credentes omni ſpiritui, qui quæcũque mentibus ſuis occurrerint divinas æſtimant revelationes. Julianę oſtenditur ſignũ, revelatur myſteriũ; injungitur imo & inculcatur negotium, & hæc omnia ab eo qui nec fallere nec falli poteſt: & tamẽ per homines, in lege divina doctos & ſpiritum Dei habẽtes, cuncta præmiſſa poſtulat retractari. Sed ſi exemplum F Virginis noſtræ eis pro minimo eſt, Pauli opus, attendant. Nonne Evangelium ſuum, quod nõ ab homine acceperat, ſed à Chriſto, cum hominibus tamẽ cenſuit conferẽdũ, ne forte in vacuũ curreret aut cucurriſſet? Ibi ille ſecurus non eſt; nec Chriſti famula Juliana: ſi quis hoc ſit, viderit ne non tam ſecuritas quam temeritas debeat judicari. Expoſita ſunt igitur omnia ſupradicta Domino *c* Jacobo de Trecis, tunc Archidiacono Leodiẽſis Eccleſiæ, viro utiq; in lege divina plurimũ erudito & ſanctitatis meritis decorato: qui quoniam ſemper ſe fidelem exhibuit coram Deo in modicis quæ accepit ab eo; poſtmodũ conſtitui promeruit ſuper multa. Hic ſiquidẽ poſtea factus eſt Eccleſiæ Virdunenſis Epiſcopus, à qua de hinc in Patriarchã Hieroſolymitanum eſt aſſumptus: demũ, Deo ipſum mirabiliter promovente, poſt Alexandrũ Papam quartũ, in ſummum eſt Pontificẽ ſublimatus, & Urbanus vocatus. Expoſita ſunt etiam cuncta præmiſſa Fratri *d* Hugoni, tũc Priori Provinciali Ordinis Fratrũ Prædicatorum; qui poſtmodum, ſuis exigentibus meritis, in Romanæ Eccleſiæ Cardinalẽ meruit promoveri: nec nõ & Reverendo Patri Domino *e* Guiardo Cameracenſi Epiſcopo, qui in diebus illis veluti duo cæli luminaria magna, vita & ſcientia, in Eccleſia refulge-

per lunam cum aliqua ſui fractione ſibi ſæpius apparentem, diſcit, in Eccleſia ſolennitatem Ven. Sacramenti eſſe inſtituendam:

& fruſtra pro humilitate ſe excuſat:

poſt annos 20 acquieſcens:

viſionem indicat Joanni de Lauſennâ Canonico:

dein examinatam ab Archidiacono Iacobo de Trecis poſteâ Vrbano IV Papa.

d aliiſque viros doctiſs.

e

AUCTORE COÆVO EX MS.

Galat. 2

AUCTORE COÆVO EX MS. refulgebant. Expoſita ſunt inſuper omnia viro eruditiſſimo Cancellario Pariſienſi, nec non & Fratribus Ægidio, Joanni, & Renardo, lectoribus Fratrũ Prædicatorum Leodienſium; inſuper & multis aliis perſonis, vita & ſcientia ad inſtar ſiderum micantibus. Sed quando diſſideret ſanctus Spiritus à ſeipſo? quando ſibimet contraria loqueretur? Non aliud profecto per os ancillæ ſuæ Julianæ, & aliud per ora ſervorum ſuorum fidelium eſt locutus: ſed nec inventum eſt inter eos, Eſt & Non, ſed, Eſt, tantum. Prædictæ ſiquidem perſonæ omnes, diligenter auditis, intellectis & examinatis meritis negotii memorati, uno ſpiritu pronuntiaverunt, non poſſe inveniri in lege divina rationem efficacem, quare reverendi Sacramenti ſpecialis feſtivitas fieri non deberet. Digniſſimum autem fore ac juſtiſſimum, nec non ad honorem Dei cedere, ad profectum etiam & gratiam electorum, ſi memoriam inſtitutionis ipſius Sacramenti ſolennius ac ſpecialius, quam uſque ad illud tempus, annis ſingulis mater Eccleſia celebraret. Cujus ſententiæ concordiam cum Chriſti Virgo cognoviſſet, gratias egit Deo, quod voluntatis ſuæ reſponſum poſuiſſet in ore tantorum ac talium perſonarum.

& ab omnibus approbatur.

B

Piam Iſabellam Beghinam, inter Sorores Cornelianas admiſſam,

8 Verum cum ancilla Chriſti multo affectu deſideraret, ut quævis alia perſona nomen haberet novæ ſolennitatis inchoandæ; perſonamque habere cuperet è vicino, quæ conſentiret quod ipſa ſentiebat, cum qua ſuper ſuo deſiderio conferre poſſet, & cui ea, quæ interdum ex plenitudine celare non poterat, valeret vel in modico communicare; audivit famam celebrem cujuſdam Beghinæ, Iſabellæ nomine, Hui commorantis, quæ apud omnes perſonas religioſas, quæ eam cognoverant, æſtimationis maximæ habebatur: erat ſiquidem miræ patientiæ, humilitatis præcipuæ, caritatis immenſæ, multa denique pollens gratia & virtute. Ad hanc perfectionis eminentiam pius Dominus, qui flagellat omnem filium quem recipit, per multas tribulationes eam provexerat, & per ingentia corporis flagella, tantorum donis cariſmatum dignam fecerat. Hujus igitur audita opinione, Chriſti famula Juliana procurat, ut ipſa Iſabella in domo Cornelii-montis reciperetur in Sororem. Quam cum Chriſti Virgo ſæpius experta colloquendo fuiſſet, quam illuminatam à Domino mentem haberet in intelligendis rebus ſpiritualibus

C

interrogat de inſtituenda ſolennitate,

& divinis; tandem aliquando voluit attentare, an quidquam arcani cæleſtis ſuper inſtitutione novæ ſolennitatis Sacramenti divinitus accepiſſet. Et cum de mirabilibus ipſius Sacramenti aliquantulum ad invicem contuliſſent, interrogavit eam Soror Juliana, quid ſibi videretur de facienda ſpeciali ſolennitate, ipſius Sacramenti, in ejus gratiarum actionem, gloriam & honorem. At illa, quæ nondum acceperat ſpeciale bonum ſentiendi ſuper hoc quod illa ſentiebat; hacque vice minus cauta, elicere mel de petra oleumque de ſaxo duriſſimo; & ut apertius loquar, minus provida, ab interrogante extrahere, quid de hoc eſſet in ſpelunca cordis ſui, præ nimia humilitate magnum myſterium occultandi, ſimpliciter reſpondit: Et unde, Domina mea, pia corda quotidie feſtum agunt niſi de hujuſmodi Sacramento? Tunc Soror Juliana, ex illius reſponſione percipiens, de cognitione arcani ſibi revelati necdum illi quippiam revelatum; non aliter ſe habuit, quam ſi gladio ancipiti cor ejus tranſverberatum fuiſſet. Anxiabatur enim intrinſecus Juliana, illam nequaquam ſolatium ſimilis revelationis (quod crediderat) inveniſſe. At ſoror Iſabella, ex vultu geſtuque illius cognoſcens, eam, quam ex ſua ſimplici reſponſione imo ignorantia conceperat, vim doloris; & agnoſcens ſe non ſentire quod illa ſuper hoc ſentiebat; per unius anni circulum per ſe inſtantiſſime Dominũ exoravit, & per quam plures religioſas perſonas eum rogari obtinuit, ut in hoc intelligentiæ ſuæ oculos aperiret. Quo temporis ſpatio evoluto, contigit eam neſcio qua de cauſa Recluſam S. Martini adire. Cujus recluſorio cum appropiaſſet, & valvas ejuſdem eccleſiæ conſpiceret reſeratas; illam orationis gratia introivit, & ante Crucifixum ſe proſtravit. Et ecce in momento, in ictu oculi, rapta eſt ad ſuperna; oſtenditque ei Dominus, quomodo hæc ſpecialis feſtivitas Sacramenti ſemper fuerat in ſecreto beatæ Trinitatis; revelans eidem jam jamque tempus advenire, quo hominibus, in quos fines ſeculorum devenerunt, deberet hæc ſacratiſſima ſolennitas declarari: videbatque omnes cœleſtium ordinum exercitus jugibus & devotis precibus Dominum deprecantes, ut quam uſque ad hæc tempora in abditis tenuerat, nunc tandem aliquando ad confortandum confirmandumque fidem eccleſiæ militantis, electarumque gratiam augmentandam, novam ſolennitatem mundo periclitanti patefacere feſtinaret. Quæ cum à ſupernis ad ima rediſſet, ad exemplar beatorum ſpirituum, hanc in mundo fieri deſiderantium & deprecantium pro ea Dominum, tantum deſiderium habuit ut hæc ſolennitas mundo innoteſceret, ut aliquando diceret, quod ipſa ſola inſtaret pro hac ſolennitate in Eccleſia facienda, etiam ſi univerſus mundus obſiſteret ex adverſo; dante ſibi fiduciam ea, quam ſuper hoc cognoverat, Domini voluntate. Quæ cum Sorori Julianæ id quod in raptu ſuo viderat, retuliſſet: exultavit illa gaudio vehementi, quod voluntatis divinæ hanc haberet teſtem certiſſimam: quam non ex auditu ab homine, ſed per revelationem & meram cognitionem ſibi fecerat Dominus ſociam & conſortem. Ex tunc & deinceps Chriſti Virgo Juliana & illa, ſuper hac ſancta feſtivitate inſtituenda & promovenda, mellito eloquio frequentius & familiarius ad invicem conferebant.

D

& poſt preces integro anno fuſas,

eam divina revelatione excitatam.

E

accipit ſociã in promovenda dicta ſolennitate.

9 Sic Juliana, divino & humano conſilio roborata, cœpit intra ſe cogitare, quemnam poſſet ad componendum tantæ ſolennitatis Officium accerſire. Sed cum attenderet ſe ad manum non poſſe habere viros litteratos, Clericos excellentes, qui ad agendum idonei viderentur, conſiſa; ſolum de divina ſapientia affutura, quemdam Fratrem domus ſuæ Joannem nomine, juvenem quidem, ſed plurimum innocentem, ad hoc opus in corde ſuo diſpoſuit eligendum. Iſte ſiquidem erat de quo Chriſti Virgo longe ante Recluſæ S. Martini prædixerat, quod ipſe venturarum in eam tribulationum juvaret ipſam pondera ſupportare: quem licet in litterarum ſcientia noſceret imperitum, ſciens tamen Dei virtutem & ſapientiam (cujus opus fieri volebat) digna poſſe dicere per indoctum, ipſum, de inquirendo & componendo novæ feſtivitatis Officio, ſtuduit exhortatoriis ſermonibus convenire. Ille autem primo cœpit diffidere, & de ſua ignorantia excuſare: ſed Juliana diffidentem & puſillanimem confortabat, & divinum affuturum auxilium promittebat. Quid multa? Ille, licet ingenii & ſcientiæ ſuæ menſuram excedere non ambigeret onus tantum (modicæ quippe litteraturæ erat) victus tamen precibus & auctoritate Virginis, cujus optime noverat ſanctitatem, inquirere & ordinare prædictum Officium eſt aggreſſus. Aggreſſus inquam, de illius perſuaſus confidere adjutorio, qui dicit per Prophetam: Aperi os tuum & ego implebo illud. Sicque frater ille juvenis & Chriſti Virgo condixerunt, ut ille pergeret ad ſcribendum, illa ſimiliter accederet ad orandum; ut alter alterius labore juvaretur. & ſic ad invicem conſolarentur. Percurrens igitur ille multorum Sanctorum

f f F

Curat officiã de Corpore Chriſti conſcribi per juvenem & minus eruditum Clericum.

Pſal. 80. 11

A *quod illo componente, ipſa orante,*

ctorum libros, ſicut apis prudentiſſima divinarum ſententiarum flores legebat, Sacramenti Corporis & Sanguinis Chriſti dulcedinem ſapientes; ex quibus intra ſemetipſum Antiphonarũ, Reſponſoriorum, Hymnorum & aliorum, quæ ad ipſum Officium pertinent mella conficiens, ea in tabularum alveario recondebat; ceris ſua mella reſtituens, profecto prioribus dulciora. Unde contigit ut ipſe facilius & doctius, quam prius ſperare potuiſſet, faceret quod libebat. Verum quod hoc agere poterat, potius aſſcribebat Chriſti Virginis orationi, quam ſuæ induſtriæ vel labori; & cum aliquid ad prædictum Officium pertinens compoſuerat, ipſum ad illam afferens, aiebat, Hoc, domina mea, vobis mittitur de ſupernis; videte & examinate ſi quid ſit in cantu vel littera corrigendum. Quod illa permirabilem ſcientiam ſibi infuſam, tanta ſubtilitate & perſpicacitate, cum expoſceret neceſſitas, faciebat; ut poſt ipſius examinationem & correctionem, numquam neceſſe fuerit limam etiam ſummorum accedere Magiſtrorum. Et quod Chriſti Virgo probaverat, hoc ille retentabat, aut illius correctioni relinquebat. Sicque factum eſt, ut totum Officium novæ ſolemnitatis, nocturnum & diurnum, in Hymnis, Antiphonis, Reſponſoriis Lectionibus, Capitulis, Collectis, & aliis omnibus proprie propriis, Chriſti Virgine orante, juvene Fratre componente, Deo autem mirabiliter auxiliante, conſummaretur. Hæc autem omnia tantæ ſuavitatis & dulcedinis ſunt in littera & cantu, ut etiam à lapideis cordibus devotionem merito debeant extorquere. Sed antequam publicarentur, monſtrata ſunt illis, quos ſupra nominavimus, magnis Theologis, & multis aliis viris non mediocriter litteratis; ut viderent & examinarent, ſi quid eſſet, quod deſiderarent corrigi vel expoſcerent eliminari: qui ad lucem veritatis omnia diligentius perſcrutantes, nihil invenire potuerunt inſipidum, incompoſitum, vel incultum. Plerique ex ipſis mirantes ſciſcitabantur, quis tantum ac tale opus agere potuiſſet? Quibus cum reſponderetur, quod ille Frater juvenis, quem prædiximus, hoc egiſſet; hi qui eum noverant, reſpondebant: Non revera hoc opus ille fecit, ſed Spiritus ſanctus: cunctaque magnifice collaudabant, cum nihil invenirent, etiam curioſius explorantes, quod limam requireret correctoris. *g*

perfectum eſt, & à viris eruditis, approbatum.

B

ANNOTATA.

C a *Annum ætatis* 16, *Chriſti* 1208 *aſſignat Fiſen, aitque biennio poſt cognoviſſe explicationem.*

b *Circa an. Chriſti* 1230. *Hic autem eſt ille Ioannes de Lauſenna, de quo infra ſæpius, in Prologo dictus* vir miræ Sanctitatis: *quare Vitam ejus hinc collectam velut viri beati aut ſancti edidit Fiſen parte* 2 *Paralipomenon.*

c Jacobus Pantaleon, *cognominatus* Archidiaconus Leodienſis, *non* Laudunenſis, *ut, apud Ciaconium legitur. Sanmarthani utrumque Archidiaconatum ei tribuunt creatus Epiſcopus Virdunenſis anno* 1252, *Patriarcha Hieroſolymitanus* 1255. *Pontifex Romanus ſub nomine* Urbani IV *anno* 1261, *mortuus* 1264.

d Hugo de S. Caro: *alias de S. Theodoro, creatus eſt Cardinalis ab Innocentio* IV *an.* 1244, *mortuus an.* 1264.

e Guiardus de Lauduno, *alias Guido, renuntiatus Epiſcopus Cameracenſis anno* 1238, *mortuus Affligemii anno* 1247.

f Joannes, *dein* Prior, *inſcriptus eſt Menologio Henriquez ut* Beatus *ad Kalendas Ianuarias,*

g *In MS. Rubeæ vallis addebantur iſta:* Hoc officium incipit, Animarum cibus; & reperitur plenum in Eccleſia Tungrenſi & aliis locis. Deinde Urbanus IV; officium quod ubique cantatur, inſtituit. *Addit Chapeauvillus*, Illud officium haberi in eccleſia collegiata S. Martini & parochiali S. Joannis Baptiſtæ Leodii, & pluribus eccleſiis diœceſis Leodienſis. AUCTORE COÆVO, EX MS.

CAPUT III.

Solennitas Venerabilis Sacramenti inter varias adverſitates promota & cœpta celebrari,

1 HIs itaque geſtis, cum Chriſti Virgo, totis affectuum medullis, ipſam ſolennitatem cuperet promoveri; humani generis inimicus, qui dominatur ſuper omnes filios ſuperbiæ, tota malignitate cœpit econtrario debacchari. Eo ſiquidem perſuadente & inſtigante, quamplures eccleſiaſticæ perſonæ, quibus ob ſpem promotionis prædictæ feſtivitatis fuerat eminentia propalata, honorem Deo non dantes, ejuſdem promotioni totis conatibus reſtiterunt. Proh dolor! qui priores in promotione debuerant exiſtere, priores facti ſunt in impugnatione ipſique ſe demonſtrabant eſſe de numero illorum de quibus Dominus conqueritur per Prophetam, Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me: Cognovit bos poſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui Iſrael non cognovit me, populus non intellexit. Revera populus hic, cum in honore eſſet eccleſiaſticæ dignitatis, non intellexit; & quod deteſtabilius eſt, noluit intelligere ut bene ageret, & ſolennitatem Domini promoveret? ſed ſicut in Job legitur, tetendit adverſus Deum manum ſuam, & contra Omnipotentem roboratus eſt, dum poteſtate ſua abutendo ipſam feſtivitatem nec permitteret exaltari! ſed cucurrit adverſus Deum extento collo, & pingui cervice armatus eſt. Et fortaſſis pinguedo Eccleſiaſticorum redituum excæcaverat cor illius, ut lumen non poſſet aſpicere veritatis. Incraſſatus eſt dilectus & recalcitravit (ait ille mitiſſimus Moyſes) incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. Prodiit ſiquidem quaſi ex adipe iniquitas ejus, qui dum tantum attendit carnis propriæ voluptatem, divinam non curat facere voluntatem. Sed jam hic ſermo reprimendus, ne forte quiſpiam illorum hæc legat vel audiat, & iraſcatur, dentibus ſuis fremat & inſaniat; & exacuat contra me ut gladium linguam ſuam, & percutiat virga oris ſui. Divulgatum eſt igitur ſatis cito verbum hoc de præmiſſa ſolennitate longe lateque per Epiſcopatum Leodienſem; & fiebat aliis, humilibus videlicet & devotis, pro ipſius acceptione & reverentia, odor vitæ in vitam; aliis vero, pro ſuperbia, impugnatione & blaſphemia, videbatur fieri odor mortis in mortem. Profecto ſicut olim ſenex juſtus Simeon, cujus ſenectus fuit in miſericordia uberi, cum Chriſtum infantem accepiſſet in ulnas ſuas, de ipſo prædixit; ſic & de præſenti feſtivitate potuit dici, quod poſita eſſet in ruinam & reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradiceretur. Poſita ſiquidem in ruinam adverſantium ſuperborum; in reſurrectionem autem humilium & mitium, tantæ Chriſti gratiæ devotione debita obſequentium. Et in ſignum contradiceretur. Nihil verius: innumerabiles enim hæc ſolennitas habuit contradictores, atrociſſimos impugnatores. Nam ſicut olim Chriſto nato Herodes turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum eo; ſic publicato novæ ſolennitatis ſidere, diabolus, quem Herodes ſignificat, cum ſuis ſatellitibus invidis & ſuperbis turbatus eſt, & unanimiter naſcentem moliti ſunt extinguere feſtivitatem: hanc enim pari conſilio ſuperfluam indicabant, hanc pari ſententia condemnabant. Quæ

Reperit multos inſtigante dæmone obſiſtentes.

Iſa. 1, 2

Iob 15, 26

Deut. 32, 15

Luc. 2, 34

ſuperfluam fore feſtivitatem judicantes,

AUCTORE COÆVO EX MS.

insania in tantum primitus invaluit, ut multo magis Clericos quam Laicos involveret; & eos amplius, qui tumidi erant illa quæ inflat scientia, sed vacui illa quæ ædificat caritate: & quod sine gravi dolore dicendum non est, contradictionis insania multos eorum, qui nomen & habitum religionis portabant, in se habuit involutos. Hoc autem solum adversarii omnes, ad destructionem & dejectionem ipsius, adducebant; quod hæc solennitas quotidie in altaris fieret Sacramento, & propter hoc foret sicut superflua refutanda; qua sola, non dico ratione, sed abusione, fortitudinem inexpugnabilem festivitatis à Deo institutæ, veluti ariete oppositio, infringere nitebantur. Verum ab eo quem præfati sumus Reverendo Patre Fratre Hugone, Ordinis Ftatrum Prædicatorum Presbytero Catdinali, illo magno Theologo & egregio prædicatore, erectum est unius luculentæ epistolæ propugnaculum ex adverso, quod oppugnantium machinamenta omnino diruit & confringit. Sed non continuo obstructum est os loquentium iniqua adversus Dominum & adversus ejus devotam famulam Julianam; sed contra illam & Domini solennitatem per singulos dies virus detractionis pestiferum eructabat. Sed hoc totum factum est, ut adimpleretur sermo, quem Juliana longe ante Reclusæ S. Martini prædixerat; malignos videlicet spiritus, in cordibus hominum regnantes, adversus Ecclesiam Dei & eos qui eam vellent exaltare sævituros; sed primitus contra seipsam. Profecto sic fuit: prædictæ siquidem festivitatis oppugnatores, pusilli cum magnis, somniatricem Christi Virginem appellabant; & in ore innumerabilium fautorum eorumdem, qui eam nec viderant nec noverant, nomen Julianæ somniatricis & detractionibus & subsannationibus assiduis profabatur. Siquidem facta erat in derisum populi hujus, canticum eorum tota die: sed hæc omnia sustinuit propter te, Domine, audiens vituperationem multorum commorantium in circuitu.

B *à quibus somniatrix appellatur,*

11 Videns igitur Virgo Christi, ad promovendam prædictam solennitatem sibi deesse humana suffragia; solita devotione recurrere studuit ad divina: & proposuit visitare limina Sanctorum Sanctarumque, in civitate Colonienſi quiescentium, præcipue beati Petri cælestis januæ clavigeri Sanctique Andreę & sanctorum Apostolorum, nec non & illius candidati exercitus duodecim millium Virginum, quæ non inquinaverunt vestimenta sua, Virgines enim permanserunt; quatenus fusis precibus ad illos, ipsi in unum pariter congregati, à sancta Trinitate suis intercessionibus obtinerent, ut festivitatem, quam ipsa in terris fieri volebat & sibi imposuerat, exaltaret. Profecta est autem peregre cum aliquibus Sororibus domus suæ, occultans peregrinationis suæ causam: sed hæc erat solum ejus intentio, ut prædicto negotio Sanctorum Sanctarumque suffragia postularet. Et cum ipsa cum suo illo Sororum comitatu currum conscendisset (siquidem præ nimia debilitate pedes ire non poterat) malignus spiritus, hanc peregrinationem contra se & suos esse subtilitate suæ naturæ percipiens, super currum visibiliter apparuit, toto malignitatis anniſu, ipsam cum suis comitibus satagens impedire. At illa se cum suis orationum clypeo protegebat: unde & absque ullo impedimento Coloniam pervenit. Et ingressa civitatem, in ecclesiam S. Petri se fecit primitus introduci, & ante unum de altaribus procubuit in orationem. Sed quis illius orationis instantiam, quis precum illarum devotionem edisserat? Cælum procul dubio ejus patuit precibus, & oratio ad supernos pervenit auditus: quod postea manifeste probavit eventus. Adiuro vos, filiæ Hierusalem per capreas hinnulosque cervorum, vos, inquam, quæ Christi sponsam comitatæ estis, ut non suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. Sed heu! secus factum est. Circa vespertinam namque horam accedentes comites illius, eam de loco orationis, de amœnitate uberioris pascuæ, levaverunt; mutam tamen & quasi totam à carnis sensibus sequestratam. Tandem cum inter Sororũ manus ad se foret reversa, voce querula exclamans ait: Heu! cur me defertis, priusquam segetes sint collectæ? Causabatur, ut arbitror, quod eam à somno sui excessus, citius quam voluerat, excitassent; quodque ipsam à collectione frugum devotionis & orationis, quarum delectabatur copia, revocassent. Plures etiam dictæ civitatis ecclesias circuivit, cum omni devotionis affectu Sanctorum & Sanctarum suffragia requirendo.

D *in extasim rapitur:*

profecta Coloniam, pusrocinium hujusnegotii petit à SS. Petro Andrea & Virginibus Virsulanis.

C

12 Peracta peregrinatione præmissa, gloriosæ Virginis Mariæ *a* Tungrensis, nec non & B. Servatii Trajectensis adjecit limina visitare, quatenus multiplicatis intercessoribus, quod desiderabat, citius impetraret. Et cum iter cum suis comitibus inchoasset, videns diabolus & invidens, sanctæ solennitatis negotium per illius solicitudinem & orationis instantiam promoveri, imo furore succensus; currum, quo Christi Virgo cum suis vehebatur, in plana via & pulchra, nequiter subvertit, seſe exhibens rotam quintam: qui quoniam illarum animabus nocere non poterat, saltem corpora interimere conabatur. Verumtamen Christi famulæ, cum ruente curru cecidissent, non sunt collisæ: quia Dominus suppositit manum suam.

a Proficiscens ad Deiparam Tungrensem & ad S. Servatium, currus everso manet cum suis illæsa.

E

13 Interim dum sic Christi Virgo, pro exaltatione novæ festivitatis, implorando Sanctorum suffragia, laborabat; Christus eo quo volebat modo illius desiderium procurabat. Nutu siquidem ipsius qui disponit omnia suaviter, viri venerabiles & religiosi, solennitatis ordinem & processum exposuerunt Reverendo Patri Domino Roberto Leodiensi Episcopo; & eidem, ut divinæ munus gratiæ agnosceret & exaltaret, verbis efficacibus suggesserunt. Quid plura? Cognitis tandem aliquando dictæ festivitatis meritis, bene sibi complacuit, & ipsum jure debere fieri indicavit: qui etiam, per continua temporum incrementa, crevit & ipse in illius dilectione; unde & eam proposuit magnifice exaltare. Universis igitur ecclesiasticis personis suæ diœceseos per elegantem epistolam præcepit, ipsam solennitatem singulis annis, die ad hoc statuto, cum Officio proprio, celebrari; & ab eorum plebibus, sicut diem Dominicam, ab omni servili opere inviolabiliter observari *c*, Circiter etiam viginti Officia ipsius festivitatis fecit de proprio conscribi, volens ea ad habendam copiam per loca distribui opportuna. Et ne quisquam negligentium Prælatorum de ignorantia se posset excusare; proposuit in generali sua *d* Synodo (quæ singulis annis convenientibus ecclesiarum Rectoribus, & conciliorum Decanis in unum fieri solet) quod per epistolam statuerat, viva voce solenniter publicare. Sed heu! præventus est *e* morte, & quod voluit, adimplere non potuit: qui etsi propositum non perfecit, mercedem tamen propositi non amisit. Verum quoniam adhuc de ipso, quantam reverentiam & familiaritatem Christi famulæ Julianæ exhibuerit, nec non de ipsius obitu alias est dicendum; nunc potius, quibus auxiliis & incrementis sancta solennitas promota fuerit, referemus.

Promovet solennitatem Robertus Ep. Leodiensis,

b

F

c

d

sed morte præventus impeditur.

e

14 Missus est aliquando Reverendus Pater Frater Hugo, Ordinis Fratrum Prædicatorum Presbyter Cardinalis, ad Allemanniæ partes à summi Pontificis Latere destinatus: qui cum Leodium venisset, à venerabilibus & religiosis personis, ostensum est

A

Solenne feſtum celebrat Leodij Hugo Cardinalis, in eccleſia S. Martini.

eſt ei memoratæ ſolennitatis Officium: quam longe ante, videlicet cum adhuc eſſet Prior Provincialis prædicti Ordinis pronuntiaverat jure eſſe faciendam. Qui omnia in ipſo contenta Officio diligentioribus oculis conſiderans & perſcrutans, nihil addendum, nihil minuendum arbitratus eſt, cuncta decenter inveniensordinata. Et immiſit Deus in cor ejus, ut novam ſolennitatem per ſemet ipſum exaltaret, & ſe exemplum ad hanc celebrandũ cunctis fidelibus exhiberet. Divulgato igitur per civitatem Leodienſem, quod ipſe Cardinalis in eccleſia S. Martini in Monte eſſet celebraturus de ſolennitate Sacramenti, convenit copioſa fidelium multitudo. Ipſe vero dignitatis ſuæ infulis redimitus, inter ipſa Miſſarum ſolennia, turbæ multæ, quæ convenerat, fluenta ſapientiæ cæleſtis propinaturus, locum conſcendit eminentem; & de ſublimitate & gratia ſolennitatis præſentis ſermonem fecit ad Clericos & Laicos elegantem. In primo illam plurimum commendavit, ipſam ad honorem Dei aſſerens eſſe, nec non ad profectum non modicum electorum; Deum omnipotentem proteſtans, piæ recolentibus eam, liberali dextera largiturum ſuarum multiformium munera gratiarum. Diem quoque, quo per annos

B

ſingulos celebrari deberet, inſtituit: & omnibus ad hoc præparatis, quorum Deus corda tangeret, licentiam tribuit percipiendi ſingulis annis ipſo ſolennitatis die ſacratiſſimum corpus Chriſti. Sermone autem completo, Miſſarum ſolennia peregit ſolenniter & devote. Ad ipſius etiam Cardinalis exhortationem Canonici majoris Eccleſiæ Leodienſis, dicto Cardinali in partibus ipſis adhuc agente, præmiſſam ſolennitatem in ſua eccleſia in Officio plenario celebrarunt. Verum nonnulli eorum probati ſunt hanc feciſſe, non tam ex devotione, quam timore vel placendi cupiditate: ſiquidem ipſo Cardinali ad Curiam Romanam reverſo, hi qui videbantur ipſius eccleſiæ columnæ, quorum conſilio & auxilio videbatur ipſa ſolennitas non ſolum per aliquot annos fieri poſſe, ſed etiam forſitan in perpetuum ſtabiliri; evoluto anno, ipſam fieri prohibuerunt, tumidi & elati. Sic contra Deum poteſtate ſibi conceſſa ſunt abuſi, qui plus aliis ab eo dignitatis & nominis fuerant aſſecuti. Sed quam metuenda morte vitam finierint, appropinquante termino qui non poterat præteriri, magis arbitor reticendum: nec tamen temerario judicio affirmaverim, ipſos in talionem ſuæ contradictionis

C

tali morte punitos extitiſſe. Hoc tamen audacter dixerim, quamplures eccleſiaſticas perſonas, quæ grande nomen habebant, juxta nomen magnorum qui ſunt in terra, quas ſancta ſolennitas impugnatrices habuit & rebelles, ſic morte preoccupatas fuiſſe, ut ipſarum mors à laicis in proverbium verteretur. Iſtud autem ad terrorem dicendum putavi, ut omnes qui hæc legerint vel audierint, cum ad ipſos mentio ſanctæ ſolennitatis pervenerit, diſcant eidem non detrahere, nec procaciter & pertinaciter defendere, quod id ſufficere debeat, quod de altaris Sacramento quotidie in Eccleſia celebratur; ne ipſi fruſtra contra torrentem divinæ voluntatis niti videantur, ſive contra ſtimulum calcitrare. Utinam potius, ſi poſſibilitas adſit, amplectendam feſtivitatem ipſi promoveant; vel ſi forſitan non adſit, ſaltem toto cordis affectu ipſam cupiant promoveri: ne ſi aliter (quod abſit) fecerint, ſola vexatio det intellectum auditui. Caveant obſecro, ne ſi rebellium involuti fuerint culpa, involvantur & pœna. Vellem quoſcumque homines ad tantæ ſolennitatis gratiam provocari, non tam vexatione quam unctione magiſtra.

15 Ceterum antequam reverendus Cardinalis ad Romanam Curiam reverteretur, dictæ ſolennitati providere ſtuduit in futurum: nam à cunctis Eccleſiarum Rectoribus & Prælatis & aliis Chriſti fidelibus, infra legationis ſuæ terminos conſtitutis, ipſam ſtatuit celebrandam; eamdem fieri rogans, præcipiens & injungens, ſingulis annis, die ad hoc prefixa, cum proprio Officio ipſi ſolennitati deputato. Et ut omnibus innoteſcat, quanta reverentia & devotione memoratus Cardinalis ipſam cenſuit honorandam, ipſius epiſtolam præſenti capitulo duximus inſerendam. Tenor igitur epiſtolæ eſt iſte: Reverendis Patribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Venerabilibus Fratribus Abbatibus, ac aliis dilectis in Chriſto Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & omnium quorumlibet ordinum perſonis, aliis quoque fidelibus infra legationis noſtræ terminos conſtitutis, Frater Hugo, miſeratione divina tituli S. Sabinæ Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſalutem in Domino. Dum humani generis merita, & æterni beneficia Conditoris, in libra rationis appendimus; tum majorem inter ipſa diſtantiam, quam eſt guttæ roris & Oceani, invenimus; grandi mens noſtra timore concutitur: eo quod nihil aliud in rectæ inveſtigationis judicio reperitur, niſi quod ſi totus homo, ſicut cera à facie ignis, in obſequia divina liqueſceret; Deo tamen in homine quidquam dignum rependere non valeret. Ipſe ſiquidem hominem de lutea materia conditum, concivem Angelorum effecit; formamque ſervi accipiens, & carnem uniens Deitati, Pro ipſius redemptione inæſtimabile ſui fudit ſanguinis pretium, quem dolebat ſervitutis diabolicis nexibus compeditum. Nec iſtud ſibi ſufficere poterat, quin etiam ad majoris erga nos dilectionis indicium corpus ſuum ablaturus ab oculis noſtris, & illaturus ſideribus, ipſum nobis ſub mundiſſima quadam Sacramenti ſindone relinqueret involutum; ut operatione ejus contra poteſtates aërias ſenſus noſtros muniret, & venialia peccata remitteret, in gravioribus tolleret omnino conſenſum, ac virtutum perfectionem tribueret; illud quoque edendo jugiter habeamus in animo memoriam Dominicæ Paſſionis, ac de tanto beneficio laudis eihoſtiam offeramus, qui nos per ſingula momenta continua beneficiorum conſolatione proſequitur, donec excreverimus in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti; edentes medullam tritici, & bibentes vinum merum ſuper menſam in regno ſuo, quæ nobis in tenebris & in umbra

F

mortis exiſtentibus ſub quodam Sacramenti cortice, palea litteræ, ac velamine fidei proponuntur. Sane licet hoc venerabile Sacramentum in quotidiana memoria cum devotione debita recolatur; dignum tamen eſt, ad confutandum quorumdam hæreticorum inſaniam, ut vel ſemel in anno ſpecialius ac ſolennius quam in Cœna Domini (quando circa lotionem pedum ac memoriam Dominicæ Paſſionis ſancta Mater Eccleſia occupatur generalius) ac aliis quotidianis diebus, ad memoriam cunctis ſenſibus revocetur. Cum enim ſancti, quorum in Litaniis & Miſſis & aliis ſecretis orationibus memoria quotidie in Eccleſia veneratur, ſemel in anno nihilominus ad eorum merita ſpecialius recolenda habeant feſta ſua; non incongruum eſt, ſi ſacrum ſacrorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum, feſtum habeat ſpeciale; in quo caute & ſolicite ſuppleatur, quod de ipſius memoria veneranda, aliis quotidianis diebus, fuerat prætermiſſum. Nos itaque ſtatuentes, quod proxima quinta feria poſt octavas Pentecoſtes, feſtum de hoc excellentiſſimo Sacramento infra omnes legationis noſtræ terminos teneatur, Univerſitatem veſtram rogamus

&

AUCTORE CŒVO EX MSS.

Hugo Cardinalis eamdem ſollennitatem promovet litteris circularibus.

iis inculcat debitum gratitudinis,

ob præſtantiam hujus Sacramenti auctum,

in ſimili feſto aliquatenus ſolvit.

quod feria quinta poſt Octavam Pentecoſtes celebrari mandat:

AUCTORE COÆVO EX MS.

& hortamur in Domino, vobis qua fungimur auctoritate firmiter præcipiendo mandantes, ac in remiſſione peccaminum injungendo, quatenus dictum feſtum, prædicta die ſingulis annis, cum novem Lectionibus, Reſponſoriis, Verſiculis & Antiphonis propriis, ſuper hoc ſpecialiter ordinatis, in ſingulis eccleſiis celebretis, & veſtris ſubditis annuatim Dominica præcedente publice nuntietis; ut vigiliis, eleemoſynis, orationibus, ac aliis bonis operibus ſic ſe ſtudeant præparare, ut eſſe poſſint illa die participes illius dulciſſimi Sacramenti. At illi qui parati fuerint & probati, & quorum tetigerit Deus corda; ipſum non de neceſſitate ſed dē honeſtate recipere, ſi velint, valeant cum ſalute; ut per operationem ipſius & vitia eorum purgentur, & juſta deſideria compleantur. Nos enim ad invitandum fideles quod feſtum iſtud venerabilius celebrent & obſervent; omnibus pœnitentibus & confeſſis, qui ad eccleſiam, ubi Officium agetur de eodē, ipſo die & per octavas, acceſſerint reverenter, centum dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Leodii, IV Kalendas Januarii, Pontificatus Domini Innocentii IV anno decimo *f*. Aliam etiam idem Cardinalis edidit epiſtolam de eadem materia, ſermone compoſitam luculento, in qua ipſam reverendi Sacramenti ſolennitatem ſe celebraſſe proteſtatur.

& indulgentias concedit.

f

B

Poſtmodum autem, cum Reverendus Pater *g* Petrus, ad Velum aureum Diaconus Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, Leodium adveniſſet; dictam ſolennitatem confirmavit, inſuper & de eadem epiſtolam compoſuit elegantem. Sed has duas epiſtolas, cum illa etiam quam dedit bonæ memoriæ Robertus Leodienſis Epiſcopus, licet commendationem non modicam ſanctæ ſolennitatis in ſe contineant, & invitationem ad ipſius reverentiam & honorem; propter delicatos lectores non credimus annectendas, ne fortaſſis pareret copia congeſta faſtidium.

g

Idem feſtum promovet Petrus Cardinalis Capoccius.

ANNOTATA.

a *Traditio Tungrorum eſt eadem, quam Virgini Matri dicatam volunt, conditam fuiſſe primo ſeculo à S. Materno, & poſt vaſtationes varias reſtauratam, & à Leone* 3 *Papa anno* 799 *dedicatam.*

b *Epiſtola Roberti Epiſcopi ea de re ſcripta anno* 1246 *ex MS. codice Eccleſiæ S. Ioannis Baptiſtæ, excuſa à Chappeavillano eſt cap.* 6 *& à Fiſeno cap.* 36.

c *Præſcripſit etiam jejunium in vigilia feſti.*

d *Verba ipſa, quibus id in Synodo eſt propoſitum appenſa leguntur in tabulis Cornelii Montis.*

C

e *Mortuus eſt dicto anno* 1246, *die* 16 *Octobris*, quem in conſpectu ſuo, ægrum voluiſſe, novum de auguſtiſſimo Myſterio officiū celebrari, *teſtatur Fiſen c.* 36.

f *Ergo anno Chriſti* 1252.

g Petrus Capoccius *Cardinalis S. Georgii in Velabro, creatus anno* 1244, *epiſtolam ſuam, quam habet Chapeavillanus, dedit* pridie Kalend. Decemb. *anno* 1254.

CAPUT IV.

Solennitas Ven. Sacramenti variis redditibus collatis ſtabilita. B. Iulianæ de ea colloquium cum Eva Recluſa.

Stephanus Canonicus S. Martini,

16 ERat in eccleſia S. Martini quidam Canonicus, nomine Stephanus. Hic habebat ſororem ſuā ſecum manentem, nomine Mariam, mulierem honeſtæ vitæ, religioſarumq; perſonarum dilectricem, ſpecialiter autem Chriſti Virginis Julianæ. Prædictus vero Canonicus, licet ad ſenilem perveniſſet ætatem, tactus tamen, ut creditur, amore natalis patriæ, quæ pleroſque ſic allicit, ut immemores non ſinat eſſe ſui, præbendam ſuam pro quadam eccleſia parochiali patriæ ſuæ voluit commutare. Quod cum Soror ejus cognoviſſet (nimis ægre ferens, à religioſis, quas in civitate Leodienſi & in circuitu ejus noverat, elō-

D

gari) modis omnibus, quibus potuit, ipſum à propoſito ſuo ſtuduit revocare. Sed cum ille ſororis precibus nequaquam flexus, nec diſſuaſionibus revocatus, ſuo propoſito pertinaciter adhæreret; ſoror ejus inflexibilem fratris voluntatē Chriſti Virgini Julianæ, cum dolore cordis & anxietate ſpiritus, intimavit. At illa dolentē & anxiā blande conſolata eſt, dicens: Domina mea, ad orationū ſuffragia recurramus, & Deus auxiliabitur; fraterq; veſter, ſi Deo placuerit, revertetur. Quod & factum eſt. Cum enim frater ejus ad patriam profectus, illis ſe præſentaſſet, coram quibus debebat fieri commutatio; oblatus eſt ei liber, ut legendo aliquid, leviſſima examinatione idoneus diceretur. Mira res & vehementer ſtupenda! ipſe qui legum peritus erat, qui nomen magnum ſcientiæ gerebat, non plus aperto libro legere potuit, quam ſi numquam litteras conſpexiſſet. Unde quis dubitet orationis Julianæ hāc fuiſſe potentiā, ut ille tam peritus, ad tantam etiā legendi deveniret imperitiam? Et confeſſus eſt publice, & non negavit: & confeſſus eſt, quod veraciter credebat, hoc ſibi ſolum orationibus eveniſſe; eo quod ſoror ſua attentaſſet ipſum multis precibus, ſed non potuiſſet Leodii detinere. Prodidit autem impoſſibilitatem ſuam, quod videlicet nil amplius agere poterat, quam videbant. Regreſſus igitur Leodium, infecto commutationis negotio, tempore longo permanſit debilis & infirmus, pro magna parte intellectu & memoria deſtitutus.

precibus à B. Iuliana fuſis,

creditur in ſuo Canonicatu perſtitiſſe,

E

17 Cum autem Reverendus Cardinalis frater Hugo ſæpedictus in eccleſia S. Martini Miſſam de ſolennitate Sacramenti, ſicut ſuperius diximus, celebraret; memoratus Canonicus à ſorore ſua ad ipſam eccleſiam deductus eſt. Qui cum audiret ipſum Cardinalē ſermocinantem, & ipſam quam recolebat ſolennitatē plurimum commendantem; dedit Dominus auditui ejus gaudium & lætitiam. Intellexit namque, præveniente ſe gratia, feſtivitatis de qua ſermo erat eminentiam; in qua ſibi bene complacuit. Completis demum Miſſæ ſolenniis, cum ad domum propriam remeaſſet, ſic ait ſorori ſuæ: Ad honorem Dei videtur mihi eſſe iſta ſolennitas, de qua locutus eſt hodie Cardinalis: unde, niſi jampridem de rebus meis diſpoſuiſſē, tantū ex eis eccleſiæ S. Martini conferrem, quod ibidem in perpetuum hæc feſtivitas annis ſingulis poſſet ſolenniter venerari. Diſpoſuerat autem & ordinaverat, ut fere omnia quæ habebat ad ſororem ſuam devolverentur. At illa, non minori forſitan deſiderio inflammata, tale dedit reſponſū. Diſpoſitione tua, frater mi, non obſtante, tantum de bonis noſtris eidem eccleſiæ conferamus, unde poſſit ibi tanta ſolennitas perpetuo celebrari. Competentes igitur redditus, in perpetuum percipiendos, de bonis ſuis dictæ eccleſiæ unanimiter aſſignarunt: unde ex tunc in poſterum amplectenda Sacramenti ſolennitas, cum proprio Officio & luminari decentiſſimo, ſicut in præcipuis feſtivitatibus fieri conſuevit, ibidem ſolenniter celebratur. Et ō benignitas & liberalitas Salvatoris noſtri Dei! Non enim contenta fuit menſuram bonam, & confertam, & coagitatā, & ſupereffluentem illis pro ſuorum ipſorum devotione, quam ad ſolennitatem ſanctam habuerant, uſque ad futurum ſeculū reſervare; quin imo in præſenti vita gratiarum ſuarum muneribus dignata eſt ipſos, in anima & corpore, prævenire; ut de perceptione præſentium munerum, firma foret expectatio futurorum. Largitus eſt ſiquidem Chriſtus dicto Canonico, præter ſolitum, multam ſui ipſius cognitionem, & magnam ad altaris Sacramentum devotionem; qua incitante ſingulis hebdomadis ſe Chriſti corpore muniebat. Hac autem cognitionis & devotionis gratia illuſtratus, in bona ſpe & confeſſione, plenus

redditus cēſſerunt ut dicta ſolennitas quotannis celebretur.

F

plenus dierum, vitæ ſuæ terminum conſummavit.

A 18 Poſt obitum vero ipſius, Soror ſua, quam præ-
Sororà magna ægritudine, fati ſumus, Maria, cœpit multa ægritudinis corporalis moleſtia vapulare, ab eo qui flagellat omnes quos recipit: ut forſitan hac infirmitatis fornace, peccatorum ipſius, ſine quibus humana vita duci non poteſt, ſcoria purgaretur; aut fortaſſis, ſicut demũ apparuit, ut manifeſtarentur opera Dei in illa. Qua infirmitate cum multo tempore laboraſſet, contigit aliquando ut reverendi Sacramenti ſolennitas adveniret. Sed quid ageret amatrix tantæ ſolennitatis? Infirmitas imperabat lecto decumbere, devotio ſuadebat & urgebat ipſius feſtivitatis ſolenniis intereſſe: in tantum autem infirmitatis pondere gravabatur; ut vix ad proxima loca poſſet incedere: ſic inflata erat, ut flecti ſeu curvari penitus non valeret. Vicit autem alacritas devotionis, pondus infirmitatis: nam ſibimet vim inferens, ad eccleſiam parochialem quoquomodo acceſſit: in qua audito ſanctæ ſolennitatis Officio (ſiquidem ibi celebrabatur) perceptoque Chriſti corpore; pro ipſius diei reverentia, ad domum propriam reverſa eſt. Quæ cum laſſa & infirma corporis membra lectulo reddidiſſet, irrepente ſomno
Ipſo feſto Corporis Chriſti liberatur,
B placido, obdormivit. Affuit autem dormienti Chriſti omnipotentia, quæ ab illa depulit totam invalitudinem, & perfectam reſtituit ſanitatem. Quæ cum evigilaſſet, invenit ſe ex inſperato, ab omni monſtruoſæ inflationis miſeria & veternoſæ ægritudinis moleſtia liberatam: & agnoſcens Chriſti miſericordiam ſibi mirabiliter affuiſſe, pro devotione; quam ad ejus feſtivitatem habuerat & habebat; immenſas gratias illi ſuo reddidit Curatori: honorificumque ducens Chriſti gloriam revelare, factũ in ſe miraculũ Canonicis eccleſiæ S. Martini, ubi ſpecialius quã alibi venerabatur dicta ſolennitas, patefecit. Hoc idem quampluribus perſonis expoſuit, annuntians & divulgans, quã magna & mira ſibi fecerat qui potens eſt, Nec erat unde poſſet quibuſcumque incredulitatis vel dubitationis ſcrupulus ſuboriri: cum plena & evidens ſanitas proteſtantis, factum eſſet teſtimonium credibile nimis. Quotquot autem ipſam ſolennitatem diligebant, gaviſi ſunt gaudio magno valde; quod Chriſtus eam ſibi gratam fore & acceptam, tam patenti miraculo dignatus fuerat declarare.

19 Poſtmodum autem quidam Canonicus memora-
Joannes Canonicus additredditus pro Octava,
C tæ eccleſiæ, Joannes nomine, Laudunum, unde natus erat, profectus eſt, ubi & illa, qua mortuus eſt infirmitate, cœpit vehementius laborare. Cui cum allatum fuiſſet Corpus Domini, ſicut ipſe petierat, dixit: Expectate pauliſper: quia minus digne recepi meum ſæpius Salvatorem, medietatem meæ domus clauſtralis Leodienſis lego eccleſiæ S. Martini, ut inde Octavæ ſolennitatis Sacramenti ibidem perpetuo recolantur. Quod & factum eſt: & ſic ſolennitas Sacramenti, nec non & Octavæ ipſius, ſingulis annis in eccleſia S. Martini Leodii ſolenniter peraguntur. Beatum igitur Martinum Chriſti Virgo Juliana his de cauſis plurimum diligebat, quoniam in eccleſia ſua magis quam in aliis nova Sacramenti ſolennitas fuerat exaltata; nec non & pro honore quem ei Sacramenta offerenti Dominus exhibuit; videlicet quando Spiritus ſanctus in figura globi ignei ſuper caput ejus apparuit. Hoc etiam dilectionem ejus cumulabat, quod beatus ille Confeſſor de recluſorio & aliis bonis proviserat dilectæ ſibi Evæ Recluſæ, ſub Chriſti & ipſius protectione commoranti; quod & ipſum recluſorium ſpeciale refugium erat ſibi, à facie perſequentium fugienti. Unde quandoque pro immenſo amore quem ad ipſum Sanctum habebat, ex abundantia cordis in hæc verba prorupit: Beatus, inquit, Martinus, penes quem hoſpitatæ ſumus, ô Recluſa, tam dulcis mihi videtur, ut & tota terra, ejus mihi videatur dulcedinem diſtillare.

AUCTORE COÆVO EX MS, *B. Iuliana de eadem ſolennitate colloquens cum Eva,*

20 Non mireris lector, me narrationi & promotioni ſacræ ſolennitatis diutius inſediſſe; ſiquidem hoc Chriſto & ejus famulæ Julianæ (ad quorum honorem hoc opus, licet indigniſſimus, aggreſſus ſũ) ſpecialiter æſtimo placiturum. Arbitror & ipſam Chriſti Virginem, licet in cæleſti patria ſũb umbra illius, quem in terra vivens tantum dilexit, jam delectabiliter quieſcentem; magis uſq; huc deſiderare dictam feſtivitatẽ apud homines exaltari, quam eã quam in ſuo corpore duxit vitam (licet ſanctam, beneplacentem Deo & perfectam) perpetuæ hominum memoriæ commendari. Hæc namq; ſolennitas à primis annis totam ipſius affectionem vendicaverat: hæc illius cor & mentẽ, ultra quã ullus ſermo poſſit exprimere, poſſederat. Unde cum ante promotionem illius ad eam, quã præfati ſumus, Recluſam acceſſiſſet, & mire meditativa videretur, ſic ad ipſam Recluſa locuta eſt: Obſecro, Domina mea, ſi placet, edicite mihi, quid vos tam meditativam facit & tribulatam? Sed ſi quidquam gravaminis eſt in cauſa, ſcilicet vellem, ſi poſſibilitas adeſſet, illius tolerantia vos adjuvare. At illa reſpondit: Meditationes, inquit, cordis mei cauſam ſumunt ex quadam ſolennitate Sacramenti: hæc à longo tempore uſq; ad
E diem hanc, in corde meo continue verſata eſt, nec unquam alicui demonſtravi; nec verbis aliquibus explicare poſſem, quod ex hac ſentire mihi divinitus eſt conceſſum. Attamen quod potero dicam vobis; quandoquidem qualecumq; illud eſt ſcire cupitis. Hæc ſolennitas ſemper fuit in ſecreto Trinitatis. Aſſumpto autem ſermone, Chriſti Virgo dictæ Recluſæ per ordinem enarravit ſignum lunæ, quod à juventute ſua viderat; ſignificatum, quod ei Dominus revelaverat; & quid ſibi ſuper hoc injunxerat, ſicut ſæpius eſt relatum. Cumq; narrationis ſuæ ſeriem conſummaſſet, Recluſa non modicum ex auditis mirata eſt, & rogabat eam dicens: Precor vos, Domina mea, orare Dominum pro me, quatenus mihi donare dignetur, ut de ipſo Sacramento ſentiam quod ſentitis. Quæ reſpondit: Non faciam hoc Recluſa: non expedit quidem. Hoc enim veſtra humanitas non poſſet fer-
huic ejus amorem inſtillat,
re, quin potius deficere cogeretur; id namq; eſt quod vires corporis mei penitus enervavit, humanitatẽq; meam deſtruxit. Verumtamen vobis & aliis amicis ſuis Deus ex eo ſentire donabit, ad veſtram & ipſorum utilitatem; metiens vobis & ipſis menſuram, quam capere valeatis. Tempore vero procedente ſermo Virginis in ipſa Recluſa ſpecialiter impletus eſt: in tantum ſiquidem extitit ſanctæ ſolennitatis amatrix, ut omnis dilatio ipſam vehementius cruciaret,
F qua dictam feſtivitatem non cerneret exaltatam. Et quoniam juxta poëtam,

Res eſt ſoliciti plena timoris amor,

Ipſa plurimum metuebat, ne illam non contingeret promoveri. Sed cum ſuper hujuſmodi timore apud Virginem Chriſti querimoniam detuliſſet, tale conſolationis ab ea reſponſum accepit: Ne timeatis, inquit, ô Recluſa, hæc ſolennitas exaltabitur; ſed per humiles & puſillos, ad profectum quidem omnium electorum. Verum totius bonitatis adverſarius per ſe & ſuos huic exaltationi ſe opponet, & graſſabitur ex adverſo; ſed conatus ipſius ad nihilum redigetur, nec poterit prævalere. Ex his autem omnibus ne unum quidem jota præteriit, ſed cuncta per ordinem evenerunt ſicut ſuperius ſatis ſuperq; declaratum eſt. Et quoniam de ſancta Sacramenti ſolennitate & de promotione ipſius, nec non & de tribulationibus & anguſtiis, quas ejuſdem occaſione Chriſti Virgo fortiter & perſeveranter ſuſtinuit, plurima fortaſſis, ut videtur legentibus, ſed pauciſſima reſpectu eorum quæ fuerunt enar-

AUCTORE COÆVO EX MS.

enarravimus; reſtat ut & eas tribulationes & perſecutiones, quas pro juſtitia & veritate zelo animarum & fervore religionis, patientiſſime toleravit, prætactas quidem ſuperius, ſed ad tempus intermiſſas, dicere reſumamus.

CAPUT V.

Perſecutio à Priore illata & ſedata. Excellentia morũ B. Iulianæ. Mors Epiſcopi Leodienſis.

B. Iuliana patitur multa adverſa

21 INgreſſo viam univerſæ carnis Domino Godefrido, quondam Domus Cornelii-montis Priore, infra tempus quod Juliana longe prænuntiaverat, invaluit tribulatio ſuper eam. Ille namq; quoad vixit, juvare, confortare & conſolari ſolebat Chriſti Virginem, contra vitia perſonarum Domus reprehenſionibus & orationibus dimicantem. Succeſſit autem illi in Prioratu, vitioſo, ut poſtea claruit, introitu, quidam Frater ipſius Domus, de quo etiã Chriſti famula prædixerat ſe ſub illius, dominio tanta paſſuram, ut ipſam à facie tribulantis fugere oporteret. Siquidem ante promotionem ſuam erat ipſe Chriſti Virgini, vitia carpenti, præcipue contrarius, abundavit autem amplius jam promotus. O quam pernicioſa res eſt potentia, addita maliciæ! Hic prædeceſſoris ſui veſtigiis non inhærens, ancillæ Chriſti ſanctitati non detulit; opera ſua diſponens, non arbitrio rationis, ſed præcipitio propriæ voluntatis. Et ut de ſpiritualibus, quæ ipſo regnante non modicum paſſa ſunt detrimentum, interim taceamus (parcimus enim, honori domus ipſius deferentes) multam curam & ſolicitudinem cœpit habere, ut chartas & inſtrumenta omnium bonorum domus penes ſe haberet, ut de bonis ipſis faceret, quod liberet, licentius & ſecurius. Fur non venit, niſi ut furetur, & mactet, & perdat. Sed quid ego dixi? Nunquid erat iſte fur? Audi potius quid dicit, non ego, ſed Dominus, Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro. Hic autem aliunde aſcendit, quia (ſicut poſtea patuit) per ſimoniam adeptus eſt officium Prioratus. Sciens autem Virgo Chriſti multa damna & pericula ſibi & toti domui imminere, ſi in illius dilapidatoris manibus traderentur; de conſilio religioſarum perſonarum procuravit ipſa & ſanior pars Sororum, ut ipſa chartas haberet, & penes ſe fideliter conſervaret. Accepta vero occaſione, totius iracundiæ fax diabolus, dicti Prioris fautorumque ejus, ſcilicet adverſariorum Julianæ, corda nimio furore & ira, adverſus illam & ſuas religioſas comites, inflammavit; ita ut civibus Leodienſibus conquererentur & dicerent, illas furto ſurripuiſſe chartas domus. Ad provocandum etiam dictos cives amplius, addiderunt, quod Chriſti Virgo multam pecuniam Leodienſi Epiſcopo Domino Roberto tradiderat, pro quadam ſolennitate facienda. Hoc autem adverſarii ejus iniquo confinxerant mendacio; quoniam hi qui eam intus & foris cognoverunt, veraciter proteſtati ſunt, quod nihil unquam omnino contulit Epiſcopo, ut ipſa ſolennitas, vel fieret vel exaltaretur. Irati igitur cives Leodienſes ex auditis, una dierum ad dictam domum venerunt, & una cum adverſariis Julianæ, qui in ipſa domo erant, ad illius oratorium properarunt, violentiam illaturi. Qui fracto manibus ſacrilegis oratorii oſtio, veluti cervicoſi irruperunt; & chartas, quas ibidem intellexerant abſconditas, huc illucque quærentes, Deo volente minime repererunt: quæ tamen in tam manifeſto erant, ut illi efferati cuidam ſcrinio, in quo repoſitæ erant chartæ, impingere potuiſſent. Quibus non inventis majori furore ſuccenſi ſunt, & res alias, quæ ſe illorum oculis ingerebant, confregerunt & per oratorium diſperſerunt. Duabus etiam religioſis Sororibus, quas invenerunt, multis injurioſis ſermonibus exprobrarunt, imponentes illis, quod Julianam & chartas pariter abſcondiſſent. Erat enim Chriſti Virgo in alium locum ducta, & clauſum oſtium ſuper eam. Illis autem abeuntibus, dictæ Sorores ad Julianæ oratorium ſunt reverſæ, & res oratorii confractas & disjectas; ſcrinium autem, ubi chartæ repoſitæ fuerant, ſanum & intactum invenerunt. Quod cum Chriſti Virgini nuntiatum fuiſſet, ait, Gratias Deo, neque enim illi placet, ut ipſi cives chartas noſtras habeant, & domus hæc ſervituti indebitæ ſupponatur.

à Ioanne ad Prioratum Simoniace promoto:

ne chartis fundationis, abuthur, occultat eas,

& contra inſidiantes cives adſervat.

Ioan. 10, 1

22 Verum cum odium Prioris & fautorum ejus de domo, nec non & civium Leodienſium, qui muneribus partem Prioris fovebant, per decurſus temporum non deficeret, ſed vehementer accreſceret adverſus Julianam & ſequaces ejus, timens ipſa, ne ſi illi rurſus pariter convenirent, eam præ nimio furore morte afficerent, decrevit juxta Apoſtoli ſententiam, dare locum iræ. Dixit itaque religioſis Sororibus, ſecum in agone tribulationum & perſecutionum pro juſtitia decertantibus; Si homines iſti, qui odio iniquo perſequuntur me gratis, rurſus irruerint in me & occiderint me, timeo necis meæ culpabilis inveniri; præcipue, cum ego ipſorum cognoſcens ſævitiam, recedendo hinc, valeam eorum rabiem declinare. Vadam igitur ad domum Recluſæ S. Martini, neque enim chartas hujus domus petentibus æſtimo conferendas. At illæ unanimiter reſponderunt: Quocunque perrexeritis, ſequemur vos, paratæ vobiſcum cunctas tribulationes propter juſtitiam ſuſtinere. Sic ergo Virgo Chriſti, cum ſancto ſuo illo comitatu, veluti de Ur Chaldæorum exiens, penes dictam Recluſam hoſpitata eſt. Quo cognito ille revera lucerna ardens & lucens, Dominus Joannes de Lauſenna, eccleſiæ S. Martini Canonicus, acceſſit, & cum omni caritatis dulcedine dixit ei, Domus Recluſæ, Soror Juliana, vobis veſtriſque comitibus nimis eſt anguſta; mea major eſt, eam eligite ad manendum, cum participatione præbendæ meæ: ipſam vobis expono, in eccleſia S. Martini pauſaturus. At illa audito tantæ caritatis verbo, junctis manibus ait: Gratias tibi, Domine Deus meus, qui bene adimpleſti verbum Apoſtoli, dicentis: Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis. Æſtimabam ego me hic habere duos tantum parvos amicos, ſed gratias tibi, magnos experior, non puſillos. Et manſit apud eos, ſpatio trium menſium.

Rom. 12, 19 *diſcedit cum ſuis ad recluſam Evã.*

& ades Canonici Lauſenna.

1 Cor. 10, 13

23 Cum autem ad Reverendum Patrem Robertum Leodienſem Epiſcopum clamoſa inſinuatione perveniſſet, quod Chriſti Virgo Juliana cum ſuis ſequacibus tam male à Priore domus ſuæ illiuſque fautoribus tractaretur, ut eam cedere oportuiſſet illorum inſaniæ & furori; ipſe venerabilis Epiſcopus perſonaliter ad S. Martinum veniens, præcepit Chriſti Virgini, ne illinc recederent, donec ipſe ſuper ſtatu domus prædictæ feciſſet inquiri cum omni diligentia veritatem. Miſit ergo viros providos & diſcretos ad ipſam domum, inquirere & cognoſcere, quonam modo ille qui præerat promotus fuerat in Priorem, & quomodo ſub ejus adminiſtratione ſpiritualia & temporalia ſe haberent. Qui veritatem ſuper his articulis à ſingulis Fratribus & Sororibus domus ſub juramento diligentius inquirentes, invenerunt, quod ille qui præerat, per ſimoniacam pravitatem adeptus fuerat Prioratum: ſub quo domus ipſa magnum patiebatur in ſpiritualibus & temporalibus detrimentum. Quidam etiam de Fratribus, qui partem dicti Prioris foverat, poſtmodum teſtatus eſt, quod ipſe Prior non minus quam æquale ſibi pondus argenti dictæ do-

depoſito per Epiſcopum Priore

A domui conſtitiſſet. Cum autem memorato Epiſcopo per inquiſitores fuiſſet veritas declarata, juſto rationis libramine depoſuit Priorem de ſede, & exaltavit humiles; illum qui ſimoniace promotus fuerat, ad Domum Leproſorum Hoyenſem emittendo; Chriſti vero ancillam & ſuas comites ad domum propriam revocando. Sicque permanſerunt ab invicem ſeparati, uſque ad obitum præfati Epiſcopi.

prævidit Ioannem, Priorem multa paſſurum adverſa,

b4 Regreſſæ igitur Sorores, cœperunt de ſubſtituendo idoneo Priore diligentem habere tractatum. Verum plures religioſi viri, inteſtinam domus diſcordiam cognoſcentes, officium Prioratus illius, licet requiſiti, ſuſcipere formidabant. Unde neceſſitate compellente, juvenem & innocentem Fratrem illum, qui Dei & ejus ancillæ adjutorio ſolennitatis Sacramenti Officium decentiſſime compoſuerat, in Priorem domus præfici procurarunt. Et licet Chriſti Virgo multum illi compateretur, quem ſciebat in Prioratu ſuo multa adverſa paſſurum; promotioni tamen ejus ſuum præbuit aſſenſum, ſciens quod bona ſpiritualia domus & temporalia, quæ ſub alio Priore fuerant diminuta, ſub protectione iſtius, ſuffragante Dei clementia, non modica reſumerent incrementa.

B *accipit novum oratorium:*

25 Poſtmodum præfatus Leodienſis Epiſcopus, qui multum Julianam pro ſuæ ſanctitatis privilegio diligebat, in pulchriori & ſaniori loco quam ille erat, in quo vetus oratorium ſitum erat, novam orationis cellulam eidem conſtrui imperavit. Quam licet ipſe Epiſcopus ſolvere de ſuo proprio voluiſſet, eximiæ tamen vitæ Dominus Joannes de Lauſenna & Recluſa prædicta S. Martini illam perfecerunt ſuis ſumptibus & expenſis. Ibi confluebant multæ religioſæ & ſublimes perſonæ, ut ex viſis & auditis in illa & per illam ædificati, ſeſe ipſius orationibus commendarent. Quis enim virtutis & honeſtatis amator, non deſideraret venire & videre Virginem ſanctam, verecundam, pavidam, circumſpectam? Quis ſapiens & proficere cupiens non ambiret intueri & legere legem Domini immaculatam, non dico modo illam exaratam in codicibus, ſed ſcriptam in Julianæ moribus & ſenſibus? Totum in illa diſciplinatum erat, totum inſigne virtutis, perfectionis forma. Taceo nunc de ejus interiori homine, cujus pulchritudinem, puritatem & conſtantiam, mores ipſius ſatis oſtendebant & vita; ita ſemper uno eodemque modo, illoque honeſtiſſimo ac decentiſſimo, ſe agebat, ut nihil appareret in ea, quod poſſet offendere intuentes. At ſententia B. Jacobi hæc eſt, Qui non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir. Et quis unquam in Juliana, etiamſi curioſius obſervavit, deprehendere potuit otioſum, non dico verbum, ſed nutum? Quis manum pedemve moventem fruſtra? Proteſtatus, eſt vir quidam, valde religioſus & ſanctus, ſe non poſſe reminiſci, quod per triginta annos & amplius, quibus Julianam noverat, aliquando viderit eam aliquod membrorum ſuorum movere ſine ratione. Tanta denique diſtantia morum erat inter ipſam & alias mulieres, ut quique religioſi & perfecti, pro ſingulari gratia ſanctitatis quam in ea videbant, ipſam ſuſpicerent & admirarentur. Quid non ædificans & dignum admiratione in ejus ſermone, ingreſſu, geſtu, aſpectu, habitu, & vultu? Vultus illi ſerenus, habitus modeſtus, ſimplex & humilis aſpectus, compoſitus geſtus, inceſſus æquitati accomodus, & levitatis & ignaviæ alienus. Sermo illi rarus & circumſpectus, qui nil niſi ſpiritum redolebat. Apparebat in carne ejus gratia quædam, ſpiritualis tamen potius quam carnalis. In facie claritas refulgebat, non utique terrena ſed cæleſtis: in oculis columbina ſimplicitas radiabat, & nitor Angelicæ puritatis. Tanta ſiquidem erat interioris ejus hominis pulchritudo, ut evidentibus quibuſdam indiciis foras erumperet; & de puritatis internæ cumulo & gratiæ, copioſe perfuſus homo quoque exterior videbatur. Et quidem omnia ſupradicta ſeſe omnibus intuentibus offerebant. Ceterum qui majori familiaritatis auſu, aliqua de promptuario cordis illius poterant elicere, vel etiam hi quibus vel pauca volebat de intimis revelare; ipſi profecto multo clarius agnoſcebant, quanta ſinceritatis, pietatis & caritatis affluentia, nec non & quam dulciſſimis affectionibus pectus virgineum redundabat. Inde erat quod magni, religioſi & litterati viri, qui munera cæleſtium gratiarum in ſe vel in aliis perpendere noverant, Julianam multo venerabantur affectu; ſcientes ipſam ſponſam Domini virtutum, quæ tantarum virtutum copiam obtineret. Multæ igitur religioſæ & ſublimes perſonæ, nonnullæ ſolo claræ opinionis odore provocatæ, nonnullæ ex his quæ in Chriſti Virgine alias viderant & audierant delectatæ; ad eã ædificationis gratia veniebãt, & poſt divina colloquia ſeſe orationibus illius devotiſſime commendabant. At illa quæ familiari ſibi humilitate ſemper magis optaverat & optabat latere quam apparere, & deprimi quam extolli; cum gravamine nimis adventantium frequentiam tolerabat. In una autem dierum venerunt ad eam duo Epiſcopi, ille tam famoſus Theologus Guyardus Cameracenſis, & memoratus Dominus Robertus Leodienſis. At licet Chriſti Virgini tantarum perſonarum dignatio & devotio placuiſſet, ægerrime tamen tulit, quod ex illarum acceſſu aliquid temporalis honoris in oculis hominum ſibi accidere videretur: & ſuſpicata eſt fuiſſe monitos à Recluſa S. Martini ut eam viſitarent. Unde cum poſtmodum ad ipſam Recluſam veniſſet, dixit ei: Si poſſem odiſſe vos, Recluſa, & hoc abſque peccato facere licuiſſet; fateor odiſſem vos: quia nunquam, niſi per vos, fuiſſem in curiis Principum nominata. Et unde mihi ut veniant Epiſcopi ad me? Sed deprecor Regem mundi, ut ante meum obitum, tantum mihi patiatur inferri verecundiæ & dedecoris, quantum ex illorum acceſſu mihi, licet invitæ, præſtitum eſt reverentiæ & honoris. O mira optio! quoniam in filiis hominum nimis rara. Quis verecundiam & dedecus optat ſibi? Sufficere nos credimus, honores nec appetere nec quærere; ſed &, ſi forſitan honoremur nec extollimur, dicimus nos ſecuros. Sed quis ſibi gratis oblatum honorem verecundia & dedecore optat compenſari? Hæc vox frequentius verſari ſolet in ore vel corde illorum, qui juſte vel injuſte præmiſſa patiuntur, Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte. Sed tu, Juliana, optaſti tibi amarum nimis calicem propinari. Ne timeas neque formides: non fraudaberis voto tuo. Revera Chriſti Virgo in ſua memorata optione & deprecatione exaudita eſt; nam poſt deceſſum prædicti Leodienſis Epiſcopi, tantas tribulationes & perſecutiones, plenas verecundiæ & dedecoris, ſuſtinuit, ut in his explicandis, ſi adeſſet, Tullianæ fluvius eloquentiæ ſiccaretur.

AUCTORE COÆVO EX MS.

ex concurſu illuſtrium perſonarum

E

& 2 Epiſcoporum

humilior.

optat dedecus & verecundiam perperi.

F

conſervat interioris hominis pulchritudinem,

Iac. 3, 2

C

externam modeſtiam,

& rectam membrorum compoſitionem:

26 Quodam tempore cum memoratus Leodienſis Epiſcopus, ſolita devotione ad Chriſti Virginem acceſſiſſet, dixit ei: Olim, Soror Juliana, cum mihi dicere ſolebatis, quod ad honorem Dei & profectum electorum eſſet ſolennitas Sacramenti; conſueveram reſpondere, quod id bene credebam. Sed gratias Deo, quoniam credulitatis locum, rei certitudo ſubintravit. Profiteor me jam non credere, ſed ſcire, quod ipſa vere ſit ad honorem Dei: ſiquidem hujus gratia bene mecum actum eſt. Tunc Juliana, quæ ipſum Epiſcopum ad Remenſem Archiepiſcopatũ multo labore & deſiderio noverat anhelare; eumdẽ ſuper hoc admonere curavit, humiliter & fidenter, dicens; Sufficiat vobis obſecro, Domine mi, quod

prædicit Episcopo non provehendum ad Archiepiſcopatum:

AUCTORE COÆVO EX MS.

quod de larga manu Domini accepiſtis; ſcientes certiſſime, quod numquam in Remenſem Archiepiſcopatum provehi vos continget. Nolite ergo ſuper hoc laborare: quoniam labor omnis, ut id poſſitis aſſequi quod optatis, in vacuum expendetur. Sed ô cæca ambitio dignitatum! Quamvis memoratus Epiſcopus Chriſti Virginem Julianam multum veneraretur, ut ei crederet; vana tamen ſpe ductus, ab inchoato labore adipiſcendi Archiepiſcopatum prædictum, penitus non ceſſavit; ſed numquam eum, ad quem laboraverat, apprehendit: ſiquidem non multo poſt tempore depreſſus eſt ægritudine vehementi, qua & invaleſcente ad extrema pervenit. Qui conſiderans diligenter, inſtare ſibi vitæ terminum, qui non poterat præteriri; illos qui ſecum erant cum multa precum inſtantia, monere, rogare, & exhortari ſtuduit; ut ſolennitatem Sacramenti, quam ipſe dilexerat plurimum, & ipſi ſimiliter diligerent, & pro poſſe ſuo promoverent: quam ipſe jam in mortis articulo poſitus, tam ſublimiter, ſicut in corde ſuo diſpoſuerat, non poterat exaltare. In ſignum autem devotionis & affectionis magnæ, quam ad illam habuerat & habebat, fecit coram ſe de ipſa ſolennitate celebrari. Qui multum corde compunctus de ſuis exceſſibus & peccatis, in bona ſpe & confeſſione extremum ſpiritum exhalavit. In eo autem anno, quo dictus Epiſcopus deceſſit, antequam moreretur, Juliana tria recepit indicia mortis ejus. Cum enim aliquando vacaret orationi, facta eſt vox ſuper eam dicens; Epiſcope Roberte. Alias etiam cum oraret vox ipſa ſermonem repetiit antedictum. Tertio audivit vocem dicentem, Epiſcope Roberte, morere. Ipſa vero licet interpolatis temporibus hæc audiſſet, non appoſuit cor, illudi ſibi reputans à maligno. Verum in hora tranſitus ipſius Epiſcopi, aſtitit Chriſti Virgini oranti ſpiritus, imaginem ipſius qui deceſſerat repræſentans: qui pertranſiens, ſuppliciter illi dixit: Precare. At illa: Et quiſnam, inquit, eſtis vos? Tunc ille: Ego, inquit, ſum Epiſcopus Robertus. Tunc demum credidit Chriſti Virgo, quod ipſe Leodienſis Epiſcopus tranſierat de hoc mundo: ſicque cognovit, quod illæ quas audierat, non fuerant illuſoriæ voces; ſed illius, quem vocabant, imminentis obitus proditrices. Cum autem fama pernicibus alis volante, Recluſa S. Martini de præfati Epiſcopi obitu cognoviſſet; miſit continuo puellam ſuam ad Chriſti Virginem hoc triſte nuntium nuntiare. Quam cum Juliana vidiſſet, antequam illa quæ advenerat, verbum de eo, pro quo venerat, retuliſſet; dixit ad eam: Non veniſtis modo mihi proſpera nuntiare, ſicut alias facere ſolebatis. Tunc puella, quæ jam in ſumma exponi audierat rem, pro qua miſſa fuerat; retulit ei memoratum Epiſcopum deceſſiſſe. Cui Juliana reſpondit: Verum eſt, & ego quidem hoc bene cognoveram.

B *deque ejus morte præmonita*

mortui quoque ſpiritum videt.

C

CAPUT VI.

Tribulationes Iulianæ multiplices. Diſceſſus in varia monaſteria, dein Namurcum & ad monaſterium Saleſmenſe.

27 POſt deceſſum igitur ſæpe dicti Epiſcopi, Fratres & Sorores, imo lupi & tigrides de domo montis Cornelii, qui vivente dicto Epiſcopo Chriſti Virgini ſe opponere non audebant manifeſte, veteris malitiæ & iracundiæ non immemores, adverſus illam eo amplius inflammata, quo diutius occultata, totius nequitiæ & furoris reſumpſerunt incendia. Remandaverunt primitus autem apud Hoyum Fratrem illum, qui de Prioratu domus prædictæ per memoratum Epiſcopum dejectus fuerat, clareſcentibus culpis ejus: quem per aliquod temporis ſpatium, veluti unum de aliis Fratribus ſecum manere fecerunt. Et ut quoquomodo intus conceptam malitiam palliarent, primo de quodam monacho albi habitus, ſuperioris montis Cornelii, ſibi Priorem conſtituerunt: ſanctum vero innocentemque Fratrem juvenem, qui ſecundum ſapientiam deſuper ſibi datam ipſam domum in ſpiritualibus & temporalibus ſtrenue gubernabat, abſque ratione de Prioratu ſceleratiſſime removerunt. Advertens igitur Chriſti Virgo rurſum turbines inſurgere, & tentationum fabulationumque intumeſcere fluctus, Sorores ad hærentes ſibi, Sanctorum verbis & exemplis devote ſtuduit confirmare, quatenus tentamenta omnia diſcerent in omni patientia ſuſtinere. Fratrem etiam illum innocentem, qui vere factis oſtenderat ſe Priorem, efficaciter admonuit, ne officium deponeret Prioratus, licet alter locum ejus per adverſariorum violentiam occuparet. Et incitabat eum Chriſti Virgo, ut Sanctorum exempla ad ſui ipſius aſſumeret munimentum; invitans ut ſemper mente revolveret, quod de B. Lamberto canitur.

D

& intruſo tertio Priore,

a

animat ſocias ſuas,

& ante datâ Priorem ut in officio permaneat:

Fortis in adverſis, humilis per proſpera pacis
Nec terrore teri potuit, nec munere frangi.

E

Et iterum illud:

In corde illius ſinceritas & legis plenitudo,
In ore ipſius veritas erat & pulchritudo.

28 Poſt modicum tempus adverſarii Julianæ, Fratrem, qui antea per Leodienſem Epiſcopum à Prioratu domus juſto judicio fuerat amotus, quem & remandaverant per fas & nefas, inſtituentes & deſtituentes pro ſuæ libitu voluntatis, iterum Priorem fecerunt. Quo facto ad Chriſti Virginem accedebant, & moventes capita ſua inſultabant ei, dicentes: Iſti oportebit te omnino obedire, etenim tuus Prior eſt. At illa cum omni manſuetudine reſpondebat: Nequaquam. Crevit igitur intantum odium ſuper eam, ut & magnos lapides in illius oratorium projicerent, etiam cum ipſa Regem cæli ſua familiari frequentia exoraret. Timentes autem valde, ne per ſublimes & religioſas perſonas, quæ Julianam noverant & viſitare conſueverant, Prior ab eis conſtitutus, ſicut jam pridem, à domo pariter & ab officio pelleretur; illo conſentiente, omnibus modis, quibus poterant, id agere ſatagebant, quo Chriſti Virgo ab ipſa domo recedere cogeretur. Et exacerbaverunt rurſus adverſus illam cives Leodienſes, eos venenatis ſuggeſtionibus ad agendum impie provocantes. Qui die quodam venerunt ad ipſam domum, & conglobati ſunt cum eis iniqui domus, qui oderant Julianam; & impetu facto unanimiter, acceſſerunt cum ferreis inſtrumentis, & aliis ad hoc aptis, ad oratorium funditus deſtruendum. Rapta eſt autem à ſuis religioſis Sororibus & incluſa in dormitorio domus. Illi vero, tanquam canes rabidi, domum orationis atrociter confringebant; providentes ne Chriſti Virgo ad illam de cetero habere reditum potuiſſet. Rapiebant etiam lapides & partes lignorum conſciſſorum, & totis viribus contra feneſtras dormitorii, ubi eam incluſam intellexerant, jaciebant. Verum primus qui manum & brachium ad projiciendum extendit, ſic divina ultione læſus eſt, ut uſque ad vitæ ſuæ terminum, læſionis perceptæ numquam recuperare potuerit ſanitatem. Et cum hoc fuiſſet Chriſti Virgini nuntiatum, ad inſtar Protomartyris Stephani, poſitis genibus devote Dominum exorabat, quatenus illos ab omni impedimento & periculo cuſtodiret. Nec deſtitit ab oratione, donec illi oratorium ejus funditus deſtruxiſſent. In omnibus autem his non peccavit Juliana labiis ſuis, neque ſtultum quid contra Deum

reſtituto Priore Simoniaco,

variis tribulationibus agitatur

F

orat pro deſtructoribus oratorii

in nova perſecutione

A Deum vel malefactores ſuos clam vel palam locuta eſt: ſed cuncta ſuſtinuit in ſumma patientia. Attamen tanto dolore cruciabatur interius, pro ſuo oratorio ſic deſtructo, ut aliquando diceret uni de Fratribus dictæ domus: In tantum, Frater, doleo deſtructionem oratorii mei, quod pro tanto argenti, quantum ipſum oratorium fuerat, non permiſiſſem illud deſtrui, ſi abſque peccato prohibere potuiſſem, ſi reædificari mihi denuo non deberet. Noveritis autem illos grande peccatum ſuper hoc commiſiſſe: ſiquidem pro commoditate ſalubris aëris & loci, in quo meum oratorium ſitum erat, recuperaveram corporis tantas vires, ut ego & Soror Iſabella pro fidelibus defunctis, per ſingulos dies & noctes, pſalterium ex integro diceremus, exceptis aliis Horis nocturnis & durnis: ſed de cetero non ſpero me fore tam validam, ut illud poſſim ſolito more perſolvere.

ſibi ad ſanitatem recuperandam aptiſſimi.

29 Quam graviter autem ſuper hoc offenſus fuerit Dominus majeſtatis, cuidam religioſæ perſonæ dignatus eſt revelare. Cum enim aliquando in nubibus cæli intenderet aciem oculorum, vidit veluti clavam immenſam ſuper civitatem Leodienſem in aëre pendentem, & crebris concuſſionibus minitantem. Quæ mirata eſt, & ſtupore contremuit vehementi, & depecata eſt Dominum, quatenus, ſi placeret in oculis ejus, ſibi notum faceret, quid illud quod viderat, portendebat. Et facta eſt vox ad eam dicens: Pro peccato, quod commiſſum eſt in Sororem Julianam, oportet totam civitatem Leodienſem duro verbere flagellari. Quod & factum eſt. Non multo ſiquidem tempore poſt, orta eſt diſſenſio inter Leodienſem *b* Electum, & cives dictæ civitatis: unde tot & tantæ afflictiones & incommoda pervenerunt, ut hiſtoriæ Troianæ ſcriptor Homerus in his ſuccumberet explicandis. Animadverſionis autem divinæ flagellum omnibus extitit tam commune, ut vix quiſpiam Clericus vel laicus, dives vel pauper, vir vel femina, ſtultus vel ſapiens, ſublimis & infimus, in tanta remanſerit civitate, qui in aliquo cujuſcumque rei detrimento divinam expertus non fuerit ultionem. Cujus doloris exterminium afflavit primas & principales Leodienſis epiſcopatus villas; nec tamen ideo factum eſt ſingulis minus, quia diffuſius. Inde ſecuta eſt domorum deſtructio, divitum depauperatio, ad ultimam egeſtatem reductio mediocrium, deinde & ſtrages hominum. Audiant & attendant hoc, obſecro, qui Chriſti electos & dilectos parvi pendunt, imo nec metuunt contriſtare; vel qui majori inſania eiſdem irrogare injurias non verentur. Audiant nihilominus vocem ſupremæ Majeſtatis, ſuis fidelibus & amicis proteſtantis, Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Et illud: Mihi vindictam, & ego retribuam eis, dicit Dominus.

B *punitione divina in perſequentes ſeeuta.*

b

C

Zacch. 2, 8
Hebr. 10, 30

30 Conſiderante poſtmodum Chriſti Virgine Juliana, quod factores novi Prioris ipſam ad obediendum illi (qui, contra Deum, locum boni, innocentis, & adhuc viventis occupaverat) omnino cogere volebant; quodque, præ nimia iracundia & furore, eam alicubi procedentem lapidibus inſectarentur; dixit religioſis & ſibi adhærentibus ſororibus: Vos videtis, quod in hac domo non valeo commorari; eo quod iniquorum odium aſcendit ſemper, & ad mortem me perſequi videntur. Dabo igitur locum iræ & perſequentium furori; nolens, præveniendo mortem meam, apud Deum culpabilis inveniri. Oportet hinc me recedere, & alibi domicilium quærere. At Sorores, quæ optime noverant ipſam hæc omnia pro juſtitia tolerare, ferventi deſiderio reſponderunt: Et nos, Domina, ſequemur vos quocumque perrexeritis. At illa: Vos omnes, inquit, non potero mecum ducere, ignorans adhuc ubi recipere debeam manſionem. Verum quæ ex vobis fortiores ſunt, & tribulationes melius ſufferre prævalent, remanebunt: & Deus auxiliabitur eis inter anguſtias & dolores.

deliberat relicto Monte Cornelio,

AUCTORE COÆVO EX MS. *alio diſcedere cum ſociis.*

31 Tunc receſſit Chriſti Virgo, cum aliquantis Sororibus, de domo exaſperatrice Montis-Cornelii, veluti de Ur Chaldæorum; receſſit autem ſine argenti ſubſidio. Et cum interrogaretur, quis ſibi & ſuis comitibus ſumptus neceſſarios miniſtraret; ipſa quæ totam ſolicitudinem ſuam, ſecundum B. Petri conſilium, in Domino projecerat, reſpondebat: Deus auxiliabitur nobis; &, ſi neceſſe fuerit, duæ de fortibus Sororibus noſtris ibunt per oſtia mendicare. Manſit autem primitus in Roberti-monte, poſtea in Valle-benedicta, deinde in Valle-beatæ Mariæ, domibus monialium Ciſtercienſis Ordinis. Sed prædictus Prior, imo Prioratus pervaſor, in ſinlis domibus memoratis perſequens Chriſti Virginem, ſemper machinamentis callidis procuravit, ut ipſa in nulla dictarum domorum diuturnam invenire potuerit manſionem. At ipſa quæ non ſurdis auribus audiebat Dominum, in Evangelio diſcipulis ſuis de eorum perſecutoribus dicentem; Cum vos perſecuti fuerint in una civitate fugite in aliam: dicit comitibus ſuis; Eamus Namurcum, pulſos ſiquidem à patria recipere conſuevit. Et aggreſſæ ſunt laborem hujus viæ, plenum calumitatis & miſeriæ. O quanta mala ſuſtinuit devota famula tua Juliana, propter te, Domine! Domeſticorum perſecutionem, à domo propria & patria depulſione, nunc autem familiarium & amicorum elongatione, domicilii difficilem adeptionem, ſumptuum paupertatem. Sed quoniam accepta erat tibi, neceſſe erat ut tentatio probaret eam. Numquid non probaſti eam in omnibus fideliſſimam? Profecto tu probaſti: probaſti ſiquidem eam, Deus, cum olim vitia domus ſuæ eliminare conaretur ipſa, in variis conflictibus juſtitiæ & veritatis; examinaſti eam, ſicut examinatur argentum, in camino multiplicis perſecutionis & tribulationis; nec eſt inventa in ipſa iniquitas impatientiæ vel murmurationis. Tua, Domine, probatio & examinatio, ſiquid in ea imperfectum remanſerat, eliminavit, imo perfectionis ejus merita augmentavit; imo potius mentis ejus inconvulſibilem conſtantiam, quæ magna ex parte latebat homines, declaravit. Quis enim crederet, in ſexu fragili & corpore pene inutili, tantam virtutem conſtantiæ & fortitudinis? Sed more ſiderum, quæ in die latent, & in nocte lucent, ipſa virtus, quæ non apparuerat in proſperis, enituit in adverſis. Nunc manifeſtatur quod te dilexerit toto corde, tota anima, tota virtute. Jam pridem notum fuerat, quod toto corde te diligeret, cum tam dulciter erga te & tuos afficeretur; tota anima, cum tam prudenter ab ipſa ad inſtar interioris hominis, exterior quoque ejus converſatio regeretur; ſed luce clarius nunc conſtat, quod hæc tota virtute diligit te, à qua labor, dolor, & adverſitatum multiplex afflictio tum fortiter ſuſtinetur. Jam nunc apparet, & per totum vitæ ſuæ reſiduum apparebit, quod in ipſa fuerit fortis ut mors dilectio, niſi quod veracius dici poteſt, fortior omni morte. Siquidem aquæ multæ tribulationum non potuerunt ipſius extinguere caritatem, & flumina inundantium anxietatum & temporalium amaritudinum innocentis vitæ ſuæ non valuerunt obruere puritatem.

in variis monaſteriis hoſpitatur:

Matth. 5, 11 *ſed cogitur diſcedere,*

E

magno animo perſecutionem ferens.

F

32 Cum igitur Namurcum perveniſſent Chriſti Virgo Juliana & Sorores ejus, vix invenire potuerunt, qui eas colligerent hoſpitio; quia non erat eis notio in diverſorio. Tandem aliquando cum pauperibus Beghinis acceperunt hoſpitium, ubi per aliquod tempus manſerunt in magna anguſtia pau-

Namurcum migrans

AUCTORE COÆVO EX MS.

paupertatis. At Juliana frequenter dilectum ſuum Jeſum Chriſtum reducebat ad memoriam, qui cum dives eſſet, pro nobis pauper factus eſt, ut nos ejus inopia ditaremur. Omnes etiam neceſſitates, anguſtias, perſecutiones, amaritudines & hujuſmodi, quæ ipſum Salvatorem mundi pro ſalute generis humani pertuliſſe Euangelica ſcriptura commemorat, ſolicite ruminabat; & quidquid exterioris adverſitatis & gravaminis ipſa tolerabat, pro illius amore parvipendebat. Gratulabatur ſe ancillam & diſcipulam Chriſti, per viam temporalium tribulationum incedere, per quam Dominum & Magiſtrum noverat præceſſiſſe. Sciens etiam in veritatis teſtamento hanc clauſulam fuiſſe appoſitam, in mundo preſſuram habebitis; gaudebat, illam quæ ſibi ex tabulis teſtatoris aſſignata fuerat, ſibi cedere in portionem. Non recuſabat ex teſtamento, debita præſentium afflictionum exolvere, ut ad legatam æternæ beatitudinis hereditatem poſſet aliquando pervenire. Nec dubitabat divitias hereditatis in infinitum ſupergredi debita afflictionis; ſciens quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Cum autem ipſa Chriſti Virgo, & ejus comites, multum inopes & egentes, ſicut dictum eſt, cum Beghinis pauperibus morarentur; cognovit de

B

ipſarum perſecutione & paupertate venerabilis Domina *d* Hymana, domus de Saleſinnes prope Namurcum Abbatiſſa; ipſa vero erat ſoror Reverendi

e

Patris *e* Conrardi Colonienſis Archiepiſcopi, multæ ſapientiæ & gratiæ titulis inſignita. Quæ multum illis compatiens, viro valde venerabilis vitæ, Domino Joanni Leodienſi Archidiacono, ſtuduit nuntiare, quod multum religioſæ Sorores domus Cornelii-Montis, injuſte depulſæ, Namurci ſine certo hoſpitio morabantur. Ipſe namque Archidiaconus pauperibus Beghinis Namurcenſibus, multa pietatis ſubſidia conſueverat erogare: & fecit cum Chriſti Virgine & ejus comitibus miſericordiam; nam domum, quam prope eccleſiam S. Albani habebat, conceſſit eiſdem, in qua longo tempore morabantur. Quæ lætabantur omni gaudio ſpiritali, quod ipſa domus vicina eſſet eccleſiæ, in qua prætioſarum erat copia Reliquiarum, præcipue de ligno Crucis, & de ſanguine Domini: in quarum meditatione & devotione frequentiſſima impinguabantur, & delectabantur ſicut in omnibus divitiis: fecit autem poſtmodum dictus Archidiaconus conſtrui Namurci ſuis ſumptibus hoſpitale, in quo ſine pretio Beghinæ pauperes & debiles habitarent. Con-

C

tulit vero terram Julianæ & ſuis comitibus juxta dictum hoſpitale, & eccleſiam S. Symphoriani ad habitaculum conſtruendum. Et facta eſt eis domuncula ſubſidiis fidelium: in qua longo tempore pauperem vitam ducentes, eleemoſynis victitabant.

33 Poſt hæc attendens venerabilis Abbatiſſa de Saleſinnes, injuſtum valde fore, famulas Chriſti à domo Montis-Cornelii nihil percipere, ad quam olim earum bona ampla fuerant devoluta; per ſe & perſonas alias procuravit, ut ab ipſa domo reditus annuos, quamdiu viverent, obtinerent. Quæ de conſilio peritorum & religioſorum, maxime autem Reverendi Patris Guyardi Cameracenſis Epiſcopi, ſubjectioni & protectioni præfatæ Abbatiſſæ ſe, quamdiu viverent, ſubdiderunt; ne abſque ſuperiore, ſed ſolo propriæ voluntatis arbitrio, vivere dicerentur. Poſtmodum duæ de comitibus Julianæ,

f

quarum una *f* Agnes, alia Ozilia vocabatur, pretioſa morte interveniente, ab hoc nequam ſeculo ſunt ſublatæ, & in memorata domo de Saleſinnes traditæ ſepulturæ. Iſtæ ſanctis moribus & vita ſemper demonſtraverant, ſe eſſe veras & individuas comites Julianæ; cum ipſa cunctas tribulationes & anguſtias perferentes, uſque ad conſummationem vitæ. His itaque defunctis, ſoror Iſabella, quæ ſola cum Virgine Chriſti remanſerat, ſuadebat ei crebris admonitionibus, ut irent apud Saleſinnes commorari; dicens, non expedire ſibi, tenere hoſpitium pro ipſis duabus, quæ ambæ remanſerant nimis debiles & infirmas. Erat ſiquidem jam connexum, inter dictam de Saliſennes Abbatiſſam & Chriſti Virginem, dulce ac forte vinculum caritatis; nec dubium erat ſorori Iſabellæ, quin adventum Julianæ venerabilis Abbatiſſa plurimum affectaret. Recuſabat autē Chriſti famula illo ire; tribulationem & dolorem, quæ ſuperventuræ erant dictæ domui, pertimeſcens. Verum cum à ſorore ſua per ſingulos dies importunis precibus rogaretur, quatenus illuc irent gratia commorandi; voluntatem ſuam, licet nimium renitentem, tandem illius ſubdidit voluntati. Quas ad præfatam domum venientes, cum venerabilis Abbatiſſa cum omni devotione ſuſcepiſſet, aulam latam & ſpatioſam eis expoſuit ad manendum; multam ſuis hoſpitibus impendens reverentiam, cum obſequio caritatis. At humilitatis amatrix Juliana, honores & obſequia, quæ ſibi exhibebantur, moleſtiſſime ſuſtinebat; ſicut illa quæ & adhuc erat, & ſemper fuerat ad hujuſmodi verecunda: deprecabaturque ſæpius Abbatiſſam, ut ipſam cum ſua comite prope eccleſiam in aliqua domuncula collocaret; aſſerens ſe libentius manere in locis humilibus & modicis, quam in aulis ſublimibus & porrectis.

D

E

ANNOTATA.

a *Sive Ordinis Præmonſtratenſis, quos in vertice montis tunc habitaſſe ſupra diximus.*

b Henricus Gueldrenſis, Electus *dicitur, quod diu poſtea anno* 1258 *Preſbyter ordinatus, fuerit in Epiſcopum conſecratus. Diſſenſio illa inter hunc & cives fuit præcipue an.* 1253, *conſule Hocſemium & alios apud Chapeavillanum.*

c *Priores prope Leodium, tertia prope Hoyum etiamnum extant.*

d Hymana *ſive* Himmana Abbatiſſa *cum titulo* Beatæ *memoratur in Menologio Henriquez ad* 29 *Ianuarii.*

e Conradus de Hochſtade *creatus anno* 1238, *mortuus anno* 1261.

f *Non fuit hæc* Agnes *ſoror B. Iulianæ, uti habent Fiſen, Sauſſajus, Chryſoſtomus Henriquez & Bucelinus ad* 21 *Ianuarii.*

CAPUT VI.

F

Geſta Iulianæ in Saleſinnes; prædictiones variæ: diſceſſus Foſſas.

34 Referre ſolebat ipſa venerabilis Abbatiſſa, prædixiſſe hoſpitem ſuam Julianam longo tempore poſtea futura, idq; in rebus quamplurimis ſe percepiſſe. Ex quibus hoc unum ex pluribus non credidi reticendum, quod ipſis quodam die ad invicem de illis beatis undecim millibus Virginum colloquentibus, ſoror Juliana dixit Abbatiſſæ, quod per ipſam & ejus ſororem, videlicet Dominam Aleydem S. Walburgis *a* Venerabilem Abbatiſſam, dictæ Virgines honorarentur. Quod dictum, poſt obitum Prophetiſſæ, ſic adimpletum eſt. Memoratæ ſiquidem Abbatiſſæ & ſorores, obtenta licentia fodiendi in cœmeterio Colonienſi ſanctarum Virginum prædictarum, in altum fodi terram fecerunt; &

a

ex inſperato inventa ſunt *b* quingenta & eo amplius corpora Virginum earumdem: theſaurus videlicet in agro abſconditus, deſiderabilior auro, pretioſiorque argento. Quæ per curam dictarum ſororum

b

& ſo-

abit cum Iſabella in Abbatiam;

expetit viliorem habitationem.

Prædicit inter alia, per Abbatiſſam & ſororem ejus ſanctas Virgines Vrſulanas honorandas,

dein in domo Archidiaconi Leodienſis, juxta eccleſiam S. Albani,

tum prope eadem S. Symphoriani.

aliquos reditus percipit:

ſubjicit ſe Abbatiſſæ Saleſinnen.

f mortuis Agnete & Oziliæ,

amore Chriſti optime contenta:

& ſolicitudinem in Flandriam deportata, ab illuſtri Matrona *c* Margareta Flandriæ Comitiſſa, cum exultatione univerſæ illius terræ ſuſcepta ſunt, & in illis locis, & ab illis perſonis quibus diſtributa ſunt, habita in ſummo honore & immenſa reverentia. Sicque factum eſt, ut verax fuiſſe probaretur illa, quæ per dictas Reverendas Abbatiſſas, ſanctas Virgines prædixerat honorandas.

A

c

35 Eo tempore, quo Chriſti famula Juliana apud Saleſinnes morabatur, quidam Clericus, potentioris burgenſis de Namurco cognatus, prope dictam Abbatiam de Saleſinnes domum habebat, in qua cum nequitiæ & diſſolutionis ſuæ conſortibus redire & vitam ducere conſueverat inhoneſtam. Cum autem veniſſet Namurcenſis *d* Imperatrix ad domum de Saleſinnes memoratam, intimatum eſt ei de inhoneſtate & diſſolutione, quæ in domo præfati Clerici ducebatur. At ipſa zelo juſtitiæ inflammata, lupanariam domum deſtrui imperavit. Quo facto, Namurcenſes iracundia & furore fuerunt ineffabiliter effrænati ſeu efferati, & adverſum eam odio vehementiſſimo concitati. Et licet iracundiæ feritas in pleriſque diuturnitate temporis ſoleat mitigari, in iſtis tamen non ceſſabat per dies ſingulos excitari: contra domum etiam de Saleſinnes, & ejus Abbatiſſam, erant ultra quam dici valet inflammati, cujus conſilio dicebant Imperatricem omnia, quæ faciebat & fecerat, operari.

ob lupanar deſtructum

d

incurrit odiũ variorum.

B

36 Aſpiciens autem à longe Juliana Namurcenſes acerrime ſævituros, in memoratam domum & ejus Abbatiſſam, niſi ſe ab Imperatricis familiaritate retraheret, admonebat eam multotiens, ut ſapienter illius conſortium declinaret. Sed hoc illa facere non poterat: nam Imperatrix elongari eam à ſe minime permittebat. Quod intuens Chriſti Virgo; tanto cruciabatur mœrore, ut requiem ſibi capere non valeret; ſed deficiebat in dolore vita ſua, & anni ejus in gemitibus; ita ut oculi ipſius fere continuos deducerent exitus lacrymarum. Augebat etiam lamentationis ejus cumulos, quod dictam perturbationem toti villæ ſeu oppido Namurcenſi fore communem, ſicut exitus con.probavit, quodam præſagio futurorum prævidebat. Unde cum aliquando interrogaretur, cur intantum ſe affligeret, & quare tam continue in lacrymis verſaretur; reſpondebat: Quidni multo luctu plangam anguſtiam & dolorem, qui ſuperventuri ſunt oppido Namurcenſi., boniſque tam viris quam mulieribus, qui in ipſo ſunt? ipſi nos in peregrinationis noſtræ tempore receperunt, & multa nobis humanitatis beneficia impenderunt. Cur non etiam lugeam deſolationem, huic Domui de Saleſinnes imminentem, tribulationeſque, quas exinde noſtra Abbatiſſa, licet immerito, patietur. Scio enim & veraciter ſcio, quod ſi tranquilla & pacata tempora habere potuiſſet, dulcem circa Dominum frequentiam inveniſſet. Hæc mihi juſti ſunt cauſa doloris, hæc lamentationis meæ materia, hæc mihi luctum & planctum uberem adminiſtrant. Diebus etiam & noctibus, lacrymoſis ſupplicationibus Dominum exorabat, quatenus, quidquid de ipſa domo fieri permitteret, animas & corpora dilectæ ſibi Abbatiſſæ totiuſque congregationis ſibi commiſſæ ab omni periculo defenſaret. Multotiens etiam rogavit Dominum, ut imminentium flagellorum ictus ſibi infligeret, dummodo eas ab illis miſericorditer liberaret. Nec mirum ſi quæque dura & gravia pro tam dilectis familiaribus & beneficis ſuis perpeti voluiſſet, quæ pro perſecutoribus & contubernalibus propriis, ſub conditione ſalutis eorum obtinendæ, mortem pati corporalem noſcitur optaviſſe. Interrogabatur ſiquidem aliquando, quomodo pro illis qui tantum tribulationis & perſecutionis ſibi irrogaverant, & injuſte, poſſet Dominum deprecari? & ipſa reſpondit: Vellem ego ſemel abſque merito mortem recipere corporalem, & poſtea ad vitam reduci præſentem denuo moritura; hoc pacto, quod hi qui me perſecuti ſunt injuſte, in ſtatu conſiſterent ſalvandorum. O vere verbum magnificum! Optio tam admiranda quam cara. Perpendiſne quam copioſus caritatis ignis in virgineo pectore accenſus fuerat, qui levi commotus interrogatione, ſcintillas tam fervidas emittebat? Nonne ſatis magnum quid videri poterat, ſi dilata morte propria, quam lege humanæ conditionis evadere non poterat, unam interim mortem cuperet ſuſtinere; hac tamen pactione ut ipſa mors ſibi in meritum, & perſecutoribus ſuis cederet in ſalutem? Profecto ſatis hoc magnum & votum nimis rarum; cum, Veritate atteſtante, majorem caritatem nemo habeat, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Verum animam ponere pro inimicis, excellentiſſima, quam Chriſtus habuit, caritas eſt; quia cum adhuc inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo in ſanguine filii ejus. Vera igitur amatrix & imitatrix Chriſti, etſi non æqualem Chriſto habuit caritatem (neque enim alicui creaturæ fuit, eſt, vel erit poſſibile) illi tamen ſimilem vel ex parte viſa eſt in deſiderio habuiſſe; quæ pro perſequentium ſe ſalute mortem cupiebat, etiam abſque proprio merito, ſuſtinere.

prævidens deſolationem monaſterii, & perturbationem urbis Namurcẽſis,

multum contriſtatur:

C

optat pro Saleſinnenſibus affligi.

37 In memoratis autem tribulationibus Chriſti Virgine perſiſtente, verbum quod longe ante prædixerat, conſummatum eſt. Quodam ſiquidem tempore Sorores *e* Agnes & Ozilia, quas jam ſuperius deceſſiſſe diximus, nec non & Soror Iſabella, dum adhuc viverent, & timerent non modicum ne Chriſti Virgo Juliana, quam ſequebantur, ab eis tolleretur; dixerunt ad illam; Ex inſperato fortaſſis, Domina mortis interveniente divortio tollemini à nobis, & nos ſolas & orphanas relinquetis. At illa, ſpiritum concipiens propheticum, blande conſolata eſt eas, dicens: Non turbetur cor veſtrum ſuper hoc, neque formidet: nam vos omnes præcedetis me, & ego noviſſima omnium remanebo. Quod & factum eſt. Nam Soror Iſabella (quæ ſuos humeros in ſupportandis Chriſti Virginis oneribus numquam ſubduxerat, quæ & in multa carnis & ſpiritus ſanctitate præſentis vitæ ſtadium cucurrerat) carne ſoluta eſt, & in domo de Saleſinnes, ubi aliæ duæ Sorores ejus ſepultæ fuerant, eſt ſepulta. Cujus corpus cum lavari & præparari ex more deberet, venerabilis Abbatiſſa altiori conſilio non eſt paſſa Julianam his obſequiis intereſſe, ut ſeorſim poſita melius à lacrymis temperaret. Quibus peractis, Abbatiſſa ad eam rediit gratia conſolationis; quam invenit uberrimos lacrymarum rivulos effundentem. Cui cum ironice diceret Abbatiſſa: Pulchrum nobis exemplum relinquitis, quæ ſic ex illius obitu plangitis & lugetis; illa reſpondit: Non ego illam, ſed lugeo memetipſam. Quantam autem credulitatem, imo quantam certitudinem ancilla Chriſti Juliana habuerit, quod Soror Iſabella ab omnibus pœnis, etiam purgatoriis, eſſet poſt obitum abſoluta, & ſine macula etiam Domino præſentata; ex eo poteſt conjici, quod ipſa Juliana, quæ pro ſibi familiaribus & dilectis, cum ab hoc ſeculo migrabant, curam maximam & ſolicitudinem pro earum liberatione à pœnis purgatorii adhibebat, & Dominum pro eis inſtantiſſimis precibus, per ſe & per alias religioſas perſonas, exorabat; numquam pro Sorore Iſabella, cum qua ſemper fuerat cor unum & anima una, viſa eſt aut percepta pro illa defuncta orationes à perſona qualibet requiſiſſe. Deinde ab obitu Sororis Iſabellæ elapſis quindecim diebus, venerabilis Abbatiſſa jocando

e

Iſabellam ſc. cum poſt alias duas, ut prædixerat ad ſe vocat tuam

firmiter credit à pœnis purgatorii abſolutam.

AUCTORE COÆVO EX MS.

imo pro ſe perſequentibus mortem ſubire.

Ioa. 15, 13

E

F

AUCTORE COÆVO EX MS.

cando dixit Julianæ: Inſidias, Domina, vobis ſtruxi: optime vos notavi, quod numquam perſonam quamlibet adventantem ut oraret, numquam me etiam ut orarem, vel Conventum domus hujus orare facerem pro Sorore Iſabella, vel tenuiter monuiſtis. At illa vultu placido ſerenaque facie, veluti ſubridendo, reſpondit: Quiſpiam ſanctorum dicit, quod injuriam facit Sancto, qui orat pro Sancto. O compendioſa reſponſio, ſed fœcunda! Hac enim breviſſima euntiatione Abbatiſſæ ſatisfecit, & quid de Sorore ſua noverat ſatis lucide demonſtravit. Hoc ſiquidem verbum non accepit aliter Abbatiſſa, quam ſi ſibi verbis aliis reſpondiſſet: Soror Iſabella ſancta eſt, & ideo pro ea orari non decet. Admonita enim jam pridem ipſa fuerat Abbatiſſa à viro vitæ venerabilis, Domino Joanne de Lauſenna, ut verbis Julianæ non aliter fidem daret, quam ſi Chriſtus ei verba eadem ore proprio protuliſſet. Ob hoc autem Juliana dictam domum de Saleſinnes non mediocriter diligebat, quod in ipſa tres tam precioſæ gemmæ reconditæ fuerant: ubi & multa Sanctorum corpora quieſcebant. Inde etiam multum dolebat quod ab ipſa domo Conventus eſſet diſpergendus, & ipſe locus per invaſionem & deſtructionem ſævientium hominum vel ad tempus in ſolitudinem redigendus. Sed antequam tentemus ulterius progredi, narrationi quorumdam, quæ uſque huc diſtulimus, paululum non pigeat immorari.

B

38 Cum aliquando quædam perſona Chriſti Virgini, de diſſenſione ipſius & Prioris Montis-Cornelii, loqueretur; inter alia, familiaritatis auſu, intulit dicens: Multa eorum, quæ impoſuiſtis ipſi Priori, non creduntur à pluribus, Domina mea, vera eſſe; pluſquam juſto eidem dicimini nocuiſſe. At illa, reſpondit: Scire vos volo, dilecta mea, quod numquam adverſum ipſum Priorem ab Euangelica ſemita declinavi, occaſione cujuſcumque tribulationis vel injuriæ, quam ipſe mihi irrogavit. Indubitanter etiam noveritis, quod nec ſubtus nec ſupra terram eſt argentum, pro quo de illo verbum mendacii protuliſſem, vel etiam contra eum quidquam machinarer, unde mea me conſcientia remorderet. Cujus proteſtationi facillime credendum eſt; cum ipſa ea, quæ religioſis etiam perſonis minima vel nulla vitia videbantur, mirabili conſtantia facere recuſaret. Hujus rei gratia unum, quod interim occurrit, ſubjiciam exemplum. *f* Cum in perſecutionis ſuæ tempore Chriſti Virgo in cujuſdam Recluſæ recluſorio moraretur, ſuadebat ei Recluſa ut velum nigrum capiti ſuo ſuperponeret, ut Recluſa credi ab intuentibus ſubito potuiſſet. Et hoc ideo, ne hi qui de foris erant, & Priori Montis-Cornelii verbo & animo favebant, ipſam quoquomodo per feneſtras recognoſcerent, & injurioſis ſermonibus laniarent. Quod ipſa facere nullatenus acquievit, aſſerens duplicitatis vitio ſe teneri, ſi cum eſſet alia, alia vellet credi. Non igitur mirum, ſi minus præfato Priori vel cuiquam inſonti injuſtas ſtruxiſſet calumnias, ædificando ad gehennam, quæ tantam tenebat in minimis diſciplinam.

f

C

recuſat velũ nigrum ut lateat accipere

39 Solet quædam perſona teſtari, de cujus aſſertione non eſt licitum dubitare, ſe vidiſſe Namurci Chriſti Virginem Julianam, aliquando poſt Euangelium orationi incumbentem, & deſuper caput ejus ingentem evaporationem fumi ſuperius aſcendentem. Quod, ut arbitror, ideo Dominus voluit demonſtrare, ut perſona quæ hoc videbat, ex viſibilibus inviſibilia deberet attendere; ut videlicet agnoſceret, quantæ caritatis ignis fervebat in virgineo pectore, à quo tantæ fumus evaporationis monſtrabatur ſurſum aſcendere. Et hoc eſt quod orabat Pſ.140,2 Pſalmiſta, dicens: Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.

in oratione evaporat fumum è capite:

ſumma patientia perfert tribulationes immiſſas.

D

40 Infirmabatur aliquando quædam monialis vehementer, quam Juliana non modicum diligebat: quod cum ſibi nuntiatum fuiſſet, intempeſtæ noctis ſilentio, ſe contulit & inſtitit orationi. Mane autẽ facto cum interrogaretur de illius, quam heſterno die cognoverat, infirmitate, reſpondit: Infirmitas hæc non eſt ad mortem. Prius ego moritura ſum quam ipſa: quæ ſuperſtes, pro me Dominum exorabit. Quod & factum eſt: prius enim exivit à corpore, dicta moniali ſuperſtite manente.

prædicit ægram peſt ſe victuram:

41 Quadam die, cum Chriſti Virgo de Domo Saleſinnes Namurcum eſſet itura, ſuadebant ei comites ejus, ut navim ſibi præparatam aſcenderet, ne ipſam fatigari pedes eundo per circuitum oporteret. Sed ad hoc nulla ſuaſione potuit tunc induci, ſed magis ſuadentibus conſulebat, ne res ſuas ponerent in ipſa navi. Impoſitæ tamen fuerunt contra ejus conſilium, præcipue cum illis videretur nihil eſſe timendum. Aſſumpſit autem ipſa laborem pedes eundi, via quidem prolixiori. Verum antequam navis aquam pertranſire potuiſſet, demerſa eſt, & res pariter quæ iinpoſitæ fuerant in eadem.

cognoſcit navim ſubmergendam:

42 Poſt felicem comitum ſuarum obitum, Chriſti Virgo ſe ſolam intuens remanſiſſe, mandavit in domo Cornelii-montis unam de Sororibus, *g* Ermentrudem nomine, venire ad ſe. Quæ venit, ſicut illa quæ tota erat Julianæ expoſita voluntati. Poſt hæc immiſit Deus in cor Fratris Joannis, domus Montis-Cornelii veri Prioris, licet per intruſionem alterius ſupplantati, ut Chriſti Virginem viſitaret: qui cum illa præſente & abſente paſſus fuerat pro Chriſti amore tribulationes multas. Qui cum veniſſet ad eam, cum immenſo caritatis affectu ſuſceptus eſt, ſicut ille quem Juliana pro innocentia & ſanctitate plurimum diligebat. Cum autem recedere debuiſſet, Chriſti Virgo commonuit Sororem Ermentrudem dicens: Confitemini Fratri Joanni, quia verus Prior veſter eſt, & habet animæ veſtræ curam; ſcientes certiſſime, quod numquam amplius ego & vos confitebimur ei. Hoc ipſa dixit per ſpiritum propheticum, prævidens dictum Fratrem ex hoc mundo ad Patrem in proximo migraturum. Siquidem cum reverſus fuiſſet, correptus eſt ægritudine vehementi; qua per ſingulos dies invaleſcente, preſentis vitæ miſerias pretioſæ mortis tranſitu terminavit. In hora autem beatæ migrationis illius, cum quædam venerabilis vitæ Recluſa longe diſtans à loco, ubi Chriſti ſervus objerat, orationi inſiſteret; audivit vocem numeroſæ multitudinis ſuper ſe tranſeuntis, & hujuſmodi Invitatorium, Chriſtum Regem Regum adoremus Dominum, mirabili altitudine & ineffabili dulcedine decantatis. Audiebat etiam vocem Fratris Joannis, & qui recognoſcebat inter choros pſallentis multitudinis: ſiquidem eadem hora deceſſerat; quod tamen ipſa, quæ cantantes audiebat, penitus ignorabat. Quæ præ immenſitate gaudii ſeſe capere non prævalens, cœpit & ipſa pſallere cum pſallentibus. Poſt paululum Chriſti Recluſæ nuntiatum eſt de illius beata dormitione: quæ per fidelem inquiſitionem cognovit, quod illa fuerat hora tranſitus ſervi Dei, qua voces cantantium & laudantium Deum audierat in ſublimi. Cum vero corpus illius adhuc in medio jaceret eccleſiæ, quædam religioſa perſona inſiſtebat orationi: & vidit, & ecce tecta eccleſiæ pandebantur; & Dominus Ieſus, cum glorioſa Virgine matre ſua, de ſuperioribus deſcendebant: qui defuncti animam dignanter aſſumentes, eam evolando ſuperius deferebant. Cum autem vir vitæ venerabilis, in die qua defunctus traditus eſt ſepulturæ, pro illius anima Domino ſacrificium obtuliſſet; interrogabant

E

& Ioannem quondam Priorem brevi moriturũ.

F

auditum in horæ mortis cum aliis cantans.

A gabant eum religioſæ Sorores domus illius, quid ſibi de Domino Joanne viſum fuiſſet. Qui pro concepta de illo fiducia, reſpondit, Intuitus eſt dilectum ſuum Ieſum Chriſtum & ſatiatus eſt.

43 Poſt hæc furor populi Namurcenſis adeo contra domum de Saleſinnes exarſerat, ut firmiter aſſererent, ſe illam incendio vaſtaturos. Quod cum Imperatrix cognoviſſet, mandavit Abbatiſſæ, ut & ipſa & Conventus à domo ſua diſcederent; quo uſque illa, quæ inter eam & gentem ſuam ſæviebat perturbatio, ſedaretur: ipſa vero cuſtodes domui de Saleſinnes conſtitueret, qui eam à cunctis hoſtibus tuerentur. Sed cum id Chriſti Virgini Julianæ, relatum fuiſſet, vehementi cordis dolore percuſſa eſt; ſciens, quod qui cuſtodes conſtituerentur, prius ipſam domum dedecori ſubjicerent, nec eam demum ab impugnantibus incurſibus defenſarent. Cum autem Conventus diſpergeretur, ipſa vim doloris intra ſe reprimere non prævalens, in ingentes clamores erumpebat; & veluti diruptis interioribus præ cordis anguſtia, per os ſuum ſanguinem emittebat: quod ex tunc & deinceps quamdiu ſupervixit, facere non deſivit. Moniales vero mœrorem illius lenire cupientes, dicebant ei, B quod commotio Namurcenſium, qua recedebant, per Imperatricem cito finiretur; & ſic pace reddita, Conventus diſperſio citius revocaretur. At Chriſti Virgo nullam conſolationem ſuper hoc admittebat; ſed dicebat: Si vos diſpergimini, non tam cito revertemini. Hoc autem quod dixit & quod ſenſit de domo de Saleſinnes, ſive de diſperſione Conventus, ſive de cuſtodibus domus, novimus plenius eveniſſe, nec quidquam quod evenire oporteat credimus ſupereſſe. In hora vero diſperſionis amaræ Conventus prædicti, quædam religioſa perſona Leodii manens, orationi vacabat: quæ cum dilectam ſibi Julianam ad memoriam revocaſſet, cœpit intra ſe anxiari & mœſta eſſe, tantoque & tam valido cruciari dolore, ut idem dolor ſibi intolerabilis videretur. Et cum ab oratione ſurrexiſſet, quemdam vitæ laudabilis Sacerdotem, qui ad eam venerat rogavit, dicens: Obſecro, Domine, orate pro Sorore Juliana, quoniam aut ipſa nunc moritur, aut dolorem nimium patitur. Sic autem erat. Nec poſt aliquantulum temporis miſſæ ſunt ſibi litteræ, à venerabili Abbatiſſa de Saleſinnes & Chriſti Virgine, illius vehementiſſimi C doloris, quem ipſa in diſperſione dictæ domus ſuſtinuerat, mirabilem ſeriem continentes. Tunc manifeſte perſona memorata cognovit, illam afflictionis Julianæ horam fuiſſe, qua ipſam aut mortem aut dolorem nimium pati, in oratione ſua per nimiam compaſſionem, ſenſerat, & Sacerdoti, qui tunc ad eam venerat, revelarat.

44 Diſperſo igitur conventu de Saleſinnes, venerabilis Abbatiſſa Chriſti Virginis Julianæ ſolicitudinem gerens, deduxit eam ad domum Cantoris de *h* Foſſis, viri vitæ laudabilis & honeſtæ. Qui cognita ſanctitate tantæ hoſpitis, eam cum comite ſua, gratanter ſuo ſuſcepit hoſpitio, impendens eiſdem multæ caritatis obſequia, cum affluentia reverentiæ & honoris. Fecerat autem dictus Cantor olim fieri recluſorium, eccleſiæ Foſſenſi contignum, in quo Soror ejus recluſa fuerat; quæ eodem tempore & die, quo Recluſa Sancti Martini Leodii ſuum recluſorium, & illa ſuum ſimiliter intraverat. Sed cum jam eſſet in adventu Julianæ Chriſti Virgo de medio ſublata, ipſe Cantor dictum recluſorium proponebat facere deſtrui. Tunc mutata voluntate, bene decenter fecit illud in omnibus neceſſariis præparari, quod & Julianæ tribuit gratia commorandi. Ipſam etiam in dicto recluſorio manentem, quamdiu poſtmodum illa vixit, miro veneratus eſt affectu, ſciens eam eſſe ſanctam & refertam muneribus ſpiritualium gratiarum. AUCTORE COÆVO EX MS.

in diſperſione monaſterii Saleſinnenſis

præ triſtitia cordis ſanguinē ſpuit,

quod alteri abſenti revelatur:

h deducta Foſſam,

degit in recluſorio:

ANNOTATA.

a Aleidem *apud Eichſtadienſes in Germania ſuperiore (ubi S. Walburgis corpus eſſe late diximus in ejus Vita 25 Februarij) Abbatiſſam fuiſſe, tradit Crumbachius lib. 8 Hiſtoriæ Vrſulanæ cap. 19*

b Quingenta *habent MSS. & Fiſen, at Chryſoſtomus Henriquez & Molanus ediderunt* quinquaginta. *De unico corpore Hymanæ conceſſo anno 1256 legitur teſtimonium authenticum apud Crumbachium cap. 18.*

c *Eſt hæc* Margareta, *Balduini Imperatoris Conſtantinopolitani filia, quæ in regimine Flandriæ & Hannoniæ ſucceſſit ſorori Mariæ anno 1244, & vixit uſque ad annum 1280.*

d *Hæc eſt* Martha, *quondam uxor Balduini II Imperatoris CP. cui Blanca mater S. Ludovici Regis Francorum Comitatū Namurcenſem reddidit, quem, Martha Imperatrice adſentiente, anno 1262 accepit Guido, ante dictæ Margaretæ filius.*

e *Has tres cum titulo* Beatarum *refert ad hunc diem Raißius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii à Molano editos: &* Iſabellam *appellat* Elizabetham *cum Chryſoſtomo Henriquez.* B

f *Sequentia uſque ad num. 43 deſunt in MS. Rubeæ-Vallis: & apud Henriquez ſolum nonnulla de Ioannis viſitatione ex num. 42 adjungebantur.*

g Ermentrudis *cum titulo* Beatæ *inſcripta eſt Menologio Henriquez ad 7 Aprilis.*

h Foſſa *oppidum tribus à Saleſinnenſi monaſterio leucis verſus Occidentem; ubi donante locum S. Gertrude, monaſterium extruxit S. Vltanus.*

CAPUT VIII.

Vltimus morbus, obitus ſepultura.

45 CUm autem miſericors pater, fidelis ancillæ Julianæ decerneret finire ac remunerare tot & tantas, quas pro amore ſuo ſuſtinuerat, tribulationes, anguſtias & dolores, exaggeravit ſuper eam moleſtias corporales. Quæ decidit in lectum extremæ infirmitatis ſuæ, cœpitque caro infirma de die in diem deficere. Invictum tamen ab oratione ſpiritum minime relaxabat: ſed etiam cum jam præ nimia, quam inter cetera patiebatur, oris anxietate, difficulter loqueretur; nihilominus Horarum ſuarum conſuetum perſum Domino perſolvebat. Et cum terreſtrem corporis ſui habitationem pro certo cognoſceret diſſolvendam, illius dilectiſſimi in Chriſto amici ſui, Domini Joannis de Lauſenna, Canonici S. Martini Leodienſis, multum præſentiam ſuſpirabat; & à perſonis aſſidentibus ſibi, ſi quo modo poſſet eū habere, ſæpius requirebat. Deſiderabat autem illum, ea ſpecialiter, ut creditur, intentione, ut ſecreta ſua, quæ tantopere in vita celaverat, eidem vel in vitæ ſuæ termino revelaret. Verum in hac extrema ægritudine ſua, nec ipſe Dominus Joannes, nec alii familiares & amici ſui, qui Leodii morabantur, eam viſitarunt; tūm propter guerrarum oppidi Namurcenſis diſcrimina; tum quia non credebant ipſam eo tempore morituram, infirmitate quam tunc patiebatur; aliis quas ſæpe ſuſtinuerat, ex quibus & convaluerat, eſſe ſimilem æſtimantes. Ex quo completum eſt verbum, quod longe ante cuidam ſibi dilectæ prædixerat, quod videlicet ſpecialium amicorum ſuorum, & præcipue illorum qui eam in cunctis tribulationibus ſuis in anima & corpore cognoverāt, migrationis ſuæ tempore non eſſet præſentia habitura. Olim etiā ad Sorores ſibi ſpecialius adhærētes dicere ſolebat, ut ipſa vivente, ſi quid boni capere poſſent, caperent; nā ad

In ultimam ægritudinem delapſa, F

nequit habere alloquium amicorum:

AUCTORE COÆVO EX MS.

hoc fruſtra vitæ ſuæ terminum expectarent. Noverat nempe illas hac fallaci expectatione ſuſpenſas, ut ſaltem ipſis panderet ſuorum ſecretorum abſcondita, cum eſſet à corpore migratura. Sed manifeſte ſatis ſignificabat, quod nec tunc etiam revelaret; cum futurum eſſet illos tunc abſentes fore, quibus ea deſideraret committere, quod aliis non poſſet. Nam licet extremo vitæ ſuæ tempore quaſdam perſonas præſentes haberet, de quibus non modicum confidebat; attamen vel verecundabatur, vel non audebat eiſdem ita prodere abſcondita cordis ſui; ſicut feciſſet uni de fideliſſimis ſuis, qui totius vitæ ſuæ ſeriem in corpore & anima cognoviſſet, qui ex præcognitis facilius quæ diceret, intelligeret, crederet, & ſcripto diligentius commendaret. Sed cum jã morti appropians videret quempiam de ſuis hujuſmodi non adeſſe, vocavit ad ſe Sororem Ermentrudem, cum qua de morte ſua ſecretum cœpit habere ſermonem. At illa verbum mortis Chriſti Virginis æquaminiter ferre non prævalens, flere cœpit uberrime. Tunc Juliana ad illam: Turbaſtis, inquit, me Soror, jam amplius non ſum vobiſcum de hujuſmodi locutura. Non aperuit igitur ulterius ad illam os ſuum ſuper his quæ intenderat; cum tamen conſtet, quia quædã illi dicere propoſuiſſet, ſi vel ad tempus diſſimulare, cordis ſui mœſtitiã potuiſſet. Demum etiam adduci ſibi Notarium poſtulavit. Sed cum in illa villa non poſſet ad manũ ſcriptor idoneus inveniri, tandem ad eam puer juvenis eſt adductus: quem cum vidiſſet, dixit, non poſſe per talem puerum ſe juvari. Sic igitur Juliana quemquam mortalem non habuit vel in morte ſuorũ conſcium ſecretorum; quæ tamẽ expoſita, ſanctitatis ſuæ gloriam poterant declarare; & amicos ipſius & notos debuerant amplius jucundare. Quod tamen ſine divino conſilio non credimus eveniſſe. Sed quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Voluit fortaſſe omnipotens Deus, ut virtutis amatores in ancilla ſua potius attenderent ea quæ ſe offerebant omnibus imitanda, quam ea quæ, ſi revelata forent, eſſent tantummodo admiranda. Vel mirabilis exiſtebat ſcientia illorum, confortata erat, nec poteramus ad eam. Vel fortaſſis eramus nos indigni cognoſcere ſublimitatem tantorum ac talium arcanorum, quos premit ac deprimit uſque adhuc numeroſitas peccatorum.

quibus ſecreta cordis aperiret

46 Jam ferventiſſimus ille ſacri deſiderii ignis, diſſolvendi & cum Chriſto eſſe, in virgineo pectore jam pridem vehementer accenſus, interius ſe includi non patiebatur; ſed ignito eloquio ſcintilliſque verborum ardentiſſimis exterius erumpebat. Jam Chriſti Virgo, quæ totiens in ſecretis ſuis orationibus Domino dicere conſueverat, evidenter hæc & multa horum ſimilia replicabat: Domine quando me liberabis de corpore mortis hujus? Quando veniet illa dulcis hora, quam tantum deſideravi? Quando adimplebis deſiderium cordis mei? Et cum à circumſtantibus aliquando cauſa conſolationis diceretur eidẽ, quod jam ibat ad mortem; cum omni fiducia reſpondebat: Certe non ego ad mortem, ſed ad vitam vado. Quid igitur conquereris Chriſti Virgo? Non diutius prolongabitur exilium tuum: in proximo eſt, ut ad patriam revertaris. Nonne tu illa es, quæ tam inceſſanter clamaſti ad Dominum, dicens: Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo? Clamor tuus aſcendit uſque ad Regem cæli, qui videns vidit afflictiones cordis & corporis tui, quas paſſa es pro ipſius nominis gloria in Ægypto: unde jã feſtinabit educere te de domo carceris & umbra mortis. Jucundare igitur, filia Sion; & exulta ſatis, filia Hieruſalem: lætare jam fere enavigato hujus ſeculi nequam mari magno & ſpatioſo; citius deſiderato portui applicabis. Adhuc modicum & atrociſſimis tyrannis, mundo videlicet carne & dæmone, cum univerſis exercitibus ſuis devictis, glorioſe procedes è prælio, palma victoriæ decoranda, & virginitatis laurea coronanda. Sed ipſi laureæ nec roſæ nec lilia deerunt: roſæ ob inſigne martyrii, lilia propter privilegium candoris virginei. Nec me pœnitet, Chriſti Virgo, Martyrem te dixiſſe: cur enim Martyrum choris te dubitaverim aggregandam? quia martyrium, quod illi habuerunt in opere, tu habuiſti in voluntate. Nam, ſicut in primo libro dixiſſe me recolo, cum frequenter in mente revolveres memoriam Dominicæ paſſionis, & à facie ejus, ſicut cera à facie ignis, cor tuum molle ac tenerum liqueſceret; ſæpiſſime deſiderio magno deſideraſti, pro amore Crucifixi perpeti mortem crucis, etiam coram viventibus univerſis. Cur & in hoc non te aſſeram Martyrem voluntate, quæ pro inimicorũ tuorum & perſequentium te ſalute, mortem unam noſceris optaviſſe? Porro memini quempiam Sanctorum in ſuis ſcriptis famoſiſſimis reliquiſſe, genus eſſe martyrii, mortificare membra ſua quæ ſunt ſuper terram: illo quidem, ut dicit, quo membra cæduntur ferro, horrore mitius, ſed diuturnitate moleſtius. Quod ſi verum eſt imo quia verum eſt (ſiquidem qui hoc dicit B. Bernardus, cujus doctrina ut ſol & luna per totam Eccleſiam) nemo ſanæ mentis, Chriſti Virgo, te dubitet dicere etiam in opere Martyrem glorioſam. Tu namque à primis annis, non ſolum corpus, ſed & corporis ſenſus penitus mortificaſti: plurimam debilitatem & continuã pertuliſti: infirmitates multas & magnas ſuſtinuiſti: injurias, contumelias, tribulationes, perſecutiones innumeras pro Chriſti nomine toleraſti, in quibus te ſemper ſuaviter & fortiter habuiſti. Revera, Chriſti Virgo, niſi illam, qua Martyres paſſi ſunt, conſtantiam mentis adepta fuiſſes, numquam in tot & tantis tribulationibus perſiſtere potuiſſes. Audacter ergo dixi ſuperius, & adhuc dico; Laureæ tuæ nec roſæ nec lilia deerunt. Vel ſi malueris, quoniam amicus tuus candidus eſt & rubicũdus, à candido coronam recipies candidam, à rubicundo purpuream: nam ipſum candidum ſecuta es candore puriſſimæ virginitatis; rubicundum, tolerantia multiplicis paſſionis. Sed adhuc ſuſtine modicum temporis, & pro multitudine quam ſuſtinuiſti præſentium tribulationum & dolorum, introducenda es in æternorum plenitudinem gaudiorum.

D

coronanda Virgo & Martyr voluntate

& mortificatione continua:

E

47 Cum autem Chriſti ancilla totam Quadrageſimam, in multa ſilentii diſciplina & ſumma patientia ægritudinis, quam in toto corpore patiebatur, tranſe giſſet, in Vigilia Dominicæ Reſurrectionis, dixit Sorori Ermentrudi: Cras mihi eundum eſt ad eccleſiã, & valedicendum eccleſiæ; quoniam numquam in hac vita corruptibili ſum ad eã amplius perrectura. Craſtina igitur die valde diluculo ſurrexit, & ducta eſt ad eccleſiam, in qua Matutinis & laudibus pluribuſque Miſſis auditis, de manu venerabilis hoſpitis ſui Cantoris, Miſſam celebrantis, Corpus Domini cum omni devotione ſuſcepit, abſque impedimento moleſtiæ corporalis. Quæ reverſa ab altari, reducta eſt in locum ſuum orationis, ab eccleſia uſque ad veſperum non recedens. Sed quis jam proferre ne dicam cogitare ſufficiat, quam medullata devotionis holocauſta in ara cordis ſui ſacrificaverit ſuo hoſpiti tam dilecto? Quis etiam valeat æſtimare, qualia & quanta laudum munia hac in die Juliana obtulerit Domino reſurgenti? Non ponebat in cælum os ſuum, feſtum tamen ſolenne animi pinguedine faciebat, & quod corpore non poterat, mente agebat, ſicut ſcripum eſt: Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. Nonnulli ipſa die, pro tantæ ſolennitatis lætitia voces ſuas modulatis cantibus exaltabãt; Chriſti Virgo intra ſemetipſam, in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus cantabat

F

deducta in eccleſiam die Paſchæ, ſacram Euchariſtiam ſumit:

Pſal. 75, 11

B

C

deſiderat eſſe cum Chriſto,

cantabat & pſallebat Deo in corde ſuo, mentis jubilo ſolennizans. Celebritate igitur Dominicæ reſurrectionis ab ea ſic peracta, ad domum reducta eſt, cum jam ſol vergeret ad occaſum. Demum Oleo ſacro ſe poſtulavit inungi. Et cum inungeretur tota in lacrymis liqueſcebat, ita ut Sacerdos inungens eam, ſuper illius affluentiſſima devotione plurimum miraretur: ſuper hoc etiam non mediocriter obſtupeſcens, quod Chriſti Virgo ad quælibet membra, quæ ſibi inungebantur, orationem dicebat ad hoc proprie congruentem.

A *inungitur;*

48 Feria vero *a* quarta, in vigilia ſcilicet S. Ambroſii, cum in tantũ debilis appareret, ut jam in extremis agere putaretur; venerabilis Abbatiſſa de Saleſinnes, quæ tunc aderat, dilectæ ſuæ Julianæ funeri cupiens intereſſe, volebat in ipſo recluſorio pernoctare. Quæ cum ab ægrotante, ut in pace recederet, ſæpius rogaretur; ſed præ timore & expectatione tranſitus illius, ut putabat, jam inſtantis, hoc omnino facere recuſaret; maluit Chriſti Virgo, quod de ſemetipſa cognoverat, ſub involucro verborum prodere, quam dilectam ſibi Abbatiſſam, de ſubtractione ſua pavidam, per noctem in anguſtiis recluſorii remanere. Ait namque ad illam: Recedite, Domina mea, recedite in pace; quoniam nec hodierna, ſed nec craſtina quidem die, ſum ab hoc ſeculo migratura. Hoc autem vere dixit; nam uſq; ad diem tertium ſupervixit. Unde aliqualiter conſtat, quod reſolutionis ſuæ diem bene noverat, quæ licet reſolvi jam crederetur, de prolongatione vitæ ſuæ talem ſententiã præferebat. Quam tamen, ut omnimodam declinaret admirationem, nullatenus protuliſſet, ſi ſua ſimplici admonitione Abbatiſſa recedere voluiſſet. Quæ tunc ſecurius ad propria remeavit, cum ſe Chriſti Virgo uſq; ad diem tertium fore ſuperſtitem deſignavit. Feria vero quinta, cum jam adeo vicinæ mortis anguſtia premeretur, ut Horas conſuetas, ſicut heri & nudiuſtertius, perſolvere non valeret; volebat tamen ut corã ſe dicerentur: quæ cum dicentibus, quod poterat & quantum poterat, perſolvebat: laudavit ſiquidẽ & ipſa Dominum in omni vita ſua, & eum in omni tempore benedixit. Demum cum nihil amplius dicere prevaleret, hæc Apocalypſis verba frequentiſſime replicabat; Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

a

B *tempus obitus ſui indicat:*

49 Noviſſime cum terreſtris habitaculi compago, undiq; jam ſoluta, deſideranti animæ liberum præſtaret egreſſum; magnus ille dies illuxit, quo perpetuus illi ortus eſt dies. Ad cujus exitũ præfata venerabilis Abbatiſſa de Saleſinnes Domina Hymana cũ aliquibus monialibus, ſed & laudabilis Cantor Foſſenſis cũ quibuſdam aliis perſonis, præſente ſemper Sorore Ermentrude convenerant; fideliũ videlicet modica multitudo. In articulo diei & horæ illius, dixit Abbatiſſa dilectæ ſuæ morienti, imo verius vitæ omniũ propinquanti: Quoniam infirmitate præpediente accipere Corpus Domini non valetis, faciemus illud ſaltem afferri, & vobis præſentari, ut eidem vos commendetis.

C *coram venerabili Euchariſtia*

At illa reſpondit. Non, Domina mea: præſumptio enim eſſet. Hoc autem dicebat ex profundiſſima & familiariſſima ſibi humilitate, reputans juſtum, non Dominum ſuum ad ſe, ſed magis ſe ad eum ire debere. Ipſi etiã Abbatiſſæ adhuc inſtanti & dicenti, hoc modis omnibus fieri oportere, ut quem amplius in hoc ſeculo non videret, ſemel tamẽ ſuum cerneret Salvatorem. Dixit iterũ, Non neceſſe eſt, Domina mea, videre in præſenti vita, quem viſura ſum in æterna. Demum una moniali dicente, ipſam debere voluntatem ſuam Abbatiſſæ ſubdere, annuit fieri quod volebant. Tunc prædictus Cantor Foſſenſis, albis indutus, attulit Corpus Domini. Quæ cum audiſſet pulſari nolam, quæ pulſari cõſueverat, cũ ad communicandũ Corpus Domini ferebatur, mirũ in modũ excitavit ſemetipſam ad ſurgendũ. Reſumpto igitur ſpiritu, & naturæ vim inferens, ſurrexit in lectuli ſui medio, & reſedit. Ipſe autẽ Cantor adveniens, & Corpus Domini abſtractũ à vaſculo tenens ante ipſam reverenter, dixit ei: Ecce, Domina, Salvator veſter, qui pro vobis naſci & mori dignatus eſt: orate eum, ut vos defendat ab inimicis, & ſit ductor veſter. Quæ in eũ qui ſibi præſentabatur acutiſſimo intuitu figens oculos, reſpondit, Amen, & Dominæ meæ ſimiliter. Dicebat autẽ de aſtante ſibi venerabili Abbatiſſa, cui eadẽ bona, quæ ſibimetipſi, ex affectu cordis intimo exoptabat. Nec plura locuta his, caput lectulo reclinavit, & cõtinuo expiravit. Igitur feria ſexta, hora diei nona, ſancta illa anima carne ſoluta eſt; ſervans profecto diem & horã, quibus dilectus ſponſus ejus Ieſus Chriſtus, in cruce pendens, emiſit ſpiritũ. Quis hoc divinæ diſpenſationis myſterio non æſtimet actũ? Revera dignũ & juſtum erat, ut Juliana quæ primis annis, nõ quaſi ex neceſſitate, ſed voluntarie, ſed devote, ſed ardentiſſime bajulavêrat crucem ſuam, ut ſequeretur Chriſti Virgo Virginem, Virginis filium; & quæ ad ejus memoriã paſſionis ineffabiliter ſemper affecta fuerat, in morte ſua pretioſa diem & horã ſortiretur Dominicæ paſſionis. Felix & ſerenus iſte dies, quo tibi Virgo beata plenus meridies Chriſtus illuxit! Dies omnibus vitæ tuæ diebus à te tãtis expectatus deſideriis, expetitus ſuſpiriis, frequẽtatus meditationibus, votis & devotis precibus præmunitus. Dies iſte laborũ tuorũ finis, tribulationũ meta, perſecutionũ terminus, lacrymarũ & dolorum eliminatio, totius caliginoſæ mœſtitiæ depulſio. Nunc incedis gratulabunda & laudans pro diebus, quibus humiliata es, annis quibus vidiſti mala. Convertere igitur, Virgo beata, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.

AUCTORE COÆVO EX MS.

expirat:

E

50 Cum autem fidelis anima in ſancta feliciter ingreditur, corpus rite paratũ vaſculo reconditur; reconditũ ab illa fideliũ ſupra dicta multitudine cum omni reverentia cuſtoditur; circa quod etiã de nocte cum pſalmorũ frequẽtia vigilatur. Sequenti vero die, ſcilicet Sabbato, Sacrificio in eccleſia Foſſenſi pro defuncta oblato, corpus Virginis currui impoſitũ à fideli amico ſuo Nonno Goberto, qui demãdatus advenerat, ad domum *b* Villarienſem deducitur; ſicut Chriſti Virgo, dum adhuc viveret, ordinarat. Siquidem cum ante ſuum obitum rogaretur à Venerabili Abbatiſſa, ut in domo ſua de Saleſinnes ſuam eligeret ſepulturam, hoc facere recuſavit, propter illa quæ illi Domui noverat eventura: ſed deprecata eſt eam, ut poſt tranſitũ ſuum demandaret memorato Nonno Goberto, ut ad domum Villarienſem corpus ſuum procuraret adduci, in qua volebat omnino ſepeliri. Fuerat autem dictus Nonnus Gobertus olim *c* miles in ſeculo potẽtiſſimus, valde locuples & famoſus, de nobilioribus regni Franciæ oriundus; ſed jam divina vocatione in ſeculi fuga nobilior, in terrenorũ contemptu ditior & famoſior, & in expugnando hoſtes animæ potentior effectus. Hic jam pridem in præfata domo Villarienſi factus monachus, Chriſti Virginẽ Julianã in vita ſua plurimũ diligebat, pro ea quã in ipſa cognoverat corporis & ſpiritus ſanctitate. Deductum eſt igitur per eum ad dictam domum corpus exanime, ipſum uſque illuc venerabili Abbatiſſa cum ſuis proſequente. Quod ſuſceptum eſt à conventu domus cum omni reverentia, ſpecialique gratia reſervatum eſt in craſtinum: ſed & in ipſa nocte circa ipſum corpus excubiæ ſunt à monachis perſolutæ. Die autem Dominico per voluntatem Dei, quidam Clericus advenit etiam non rogatus: qui de reverendo altaris Sacramento, quod ancilla tua, Chriſte, pro tui amore tantum dilexerat, conventui domus ſermonem edidit elegantem. Poſt hæc, Miſſæ ſolenniis celebratis, omnibuſque rite peractis, corpus

b ſepelitur in monaſterio Villarienſi-

F

c

AUCTORE COÆVO EX MS. virgineum inter ſanctiora domus corpora traditum eſt ſepulturæ. Tuum eſt Chriſte, depoſitum, quod Domui Villarienſi creditum eſt: tuus eſt ibi theſaurus abſconditus, in tempore quo repoſcendum cenſueris reſignandus. Anno igitur gratiæ *d* MCCLVII, Chriſti Virgo Juliana feliciter obdormivit in Domino: anno quidem ætatis ſuæ ſexageſimo ſexto, Nonis Aprilis, feria ſexta hora nona. Tertia vero die, id eſt Dominica, in domo Villarienſi ſepulta eſt, in loco in quo bene complacuit. *e*

d

e

51 Memorare Virgo beata, eorum quos olim in carne degens amicos & familiares habuiſti, quos in hujus ærumnoſæ peregrinationis exilio reliquiſti. Olim mœſtos fovebas conſolationibus, exhortationibus puſillamines roborabas, periclitantes orationibus adjuvabas, aderas laborantibus, anguſtiatis ſubveniebas, deſolatis gratiam impetrabas. Et hæc quidem omnia in via, quidni multo amplius & efficacius hæc actites in patria? Introiſti in potentias Domini, & nunc potentior es ad impetrandum. Dat eis fiduciã; ab antiquo multotiens magna experta, ſed multo magis modo cumulata, tua benignitas, & in immenſum augmentata caritas. Nam ſi, quis adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum illo, & Deus caritas eſt; quanto conjunctior es Deo, tanto plenior es caritate. Porro impaſſibilis eſt Deus, ſed non incompaſſibilis, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere: eſt enim miſericors, imo ipſa miſericordia, & miſericordia ab æterno & uſque in æternum. Ergo & te neceſſe eſt eſſe miſericordem, quæ miſericordi inhæres, quamvis jam minime miſera ſis: & quæ non pateris, compateris tamẽ. Affectus proinde tuus non eſt imminutus, ſed immutatus: nec, quoniam Deum induiſti, te miſericordiæ viſcera exuiſti. Quod infirmũ eſt abjeciſti, ſed nonquod piũ. Caritas denique numquã excidit: nõ ergo obliviſceris eos in finem. Non ſolum autem eos, ſed nec obliviſcaris univerſos & ſingulos, qui interceſſionis tuæ gratiam ſupplices deprecantur, qui in ſuis tribulationibus ſeu neceſſitatibus ſe tuis patrociniis deſiderant adjuvari. Memor eſto, & mei modici ſcriptoris tui, qui nunc vel ſero tuam gratiam deſidero conſequi, quam cum adhuc in carne viveres præ ætatis teneritudine, vel ut verius dicam præ defectu ſapientiæ, requirere non curavi. Nunc flexis genibus, manus ſupplices cum munuſculo præſentis opuſculi, quod ad tuorum inſtantiam, ne omnino latitares, edidi, tendo ad te. Suſcipe munus, ſuſcipe deprecantem, ut in illorum numero, quibus impetras gratiam apud Deum, me quoque digneris liberali facilitate, ſeu liberalitate facili computare.

Invocatur à Scriptore.

B

C

dolente quod junior ipſam noſſe non curaverit.

Fuit tempus quando ad te acceſſum habere potui opportunum, mediantibus his, quos in carne degens ſpecialiter diligebas; qui uno eodemque tempore & te & me noverant & amabant; licet multum diſſimiliter, pro nimia diſſimilitudine meritorum. Te namque Virginem caſtam, ſanctam carne & ſpiritu, propriis meritis diligendam & noverant & amabant; me vero non meis, quæ nulla erant, meritis, ſed potius quorumdam amicorum meorum favore & gratia. Per illos igitur, quos præfatus ſum, mediatores aliquando potuiſſem tuam gratiam, dum adhuc viveres in corpore, adipiſci, ſi tunc mihi curæ fuiſſet providere animæ meæ & ſaluti. Verum in illo tempore in memetipſo experiebar, quod ait Scriptura, proni ſunt ſenſus hominis & cogitationes ab adoleſcentia in malum. Carnalis ſiquidem jam tunc eram, non percipiens, ſed nec deſiderans vel quærens quæ erant ſpiritus Dei, caducis inhians, tranſitoriis inſiſtens, ruens per ſingulas dies in præcipitia vitiorum. Et cum infixus eſſem in limo profundi, nec eſſet ſubſtantia, complacuit ei qui me ſegregavit ex utero matris meæ, ut vocaret per gratiam ſuam; & eduxit me

Gen, 8, 21

de lacu miſeriæ & de luto fecis, & ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos. Roga nunc Virgo beata dilectum Sponſum tuum, ut perficiat greſſus meos in ſemitis ſuis, ut in proſperis vel adverſis non moveantur veſtigia mea, & qui jam ipſo largiente manum miſi ad aratrum, non reſpiciam retro; ſed poſteriorum oblitus ad anteriora me extendam; ut per viam mandatorum ejus currendo, de virtute proficiam in virtutem. Det igitur mihi meritis & precibus tuis dilectus tuus robur in actibus, diſciplinam in moribus, conſolationem in tribulationibus, devotionem in orationibus, directionem & dulcedinem in meditationibus, ordinationem in affectionibus: det etiam mihi in præſenti gratiam caritatis ſuæ, ut in futuro tribuere dignetur gloriam beatitudinis ſupernæ, Ieſus Chriſtus, ſponſus tuus, Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Amen. *f*

D

f

ANNOTATA.

a *Feria quarta poſt Dominicam in Albis, ſive Octavam Paſchæ.*

b Villarium *Ordinis Ciſtercienſis monaſterium in Brabantia Gallicana, & diœceſi Namurcenſi, duabus leucis à Gemblaco oppido diſitum.*

E

c Gobertus *ex Comite Aſperi-montis monachus Villarienſis, habuit fratrem natu ſeniorem Ioannem primo Virdunenſem, poſtea Metenſem Epiſcopum. Obiit* Gobertus 20. *Auguſti anno* 1263. *Præclare ejus meminit Roſweydus noſter in epiſtola dedicatoria ad Henricum vander Heyden Abbatem Villarienſem, cui opera S. Paulini Epiſcopi Nolani à ſe notis illuſtrata dedicavit. Habemus librum MS. de Geſtis illuſtrium virorum Villarienſium: in quo Vita Caroli Abbatis, quam excudimus ad diem 29 Ianuarij, primo loco refertur, cui mox ſubſtituitur Vita dicti Goberti cum epitaphio.*

d *Erat in MS.* MCCLVII, *unico numero omiſſo, ſed tum non erat feria ſexta.*

e *Sequentia deſunt in MS. Rubeæ-Vallis & apud Henriquez.*

f *Addebatur in MS. Leodienſi*, Finis Vitæ Julianæ: *arbitrantur tamen ſequens caput ab eodem auctore poſtea adjunctum.*

CAPUT IX.

Miracula poſt obitum.

F

52 POſt tranſitum Chriſti Virginis Julianæ, cum quædam vitæ venerabilis perſona, tempore Sacramenti, orationi inſiſteret; quodam humanitatis debito, de ſubtractione illius, quam olim tenerrime dilexerat, flere cœpit uberrime. Inter ipſas autem lacrymas devotiſſimis precibus Dominum exoravit, ut ſua clementia ſibi dignaretur oſtendere, quomodo illi eſſet, & an alicujus ſubventionis auxilio indigeret. Nec ſuſpendit diutius pius Dominus deſiderium ſupplicantis; ſed repente menti ejus infudit hanc, quæ de B. Agnete canitur, antiphonam: Ecce quod cupivi jam video, quod quæſivi jam teneo; illi ſum juncta in cælis, quem in terris poſita tota devotione dilexi. Tanta autem continuo menti illius fiduciæ ſerenitas eſt illapſa, ut jam in patria dilectam ſuam non ambigeret conſecutam, illam quam tantum in vita ſitierat & eſurierat Dei beatiſſimam viſionem.

Beatitudo æterna Julianæ revelatur.

53 Quædam mulier habebat infantem, infirmitate diutina laborantem: quem cum tandem aliquando de quodam panno ſibi collato, qui ancillæ Chriſti Julianæ fuerat, involviſſet; poſt tempus modicũ reſtitutus eſt ipſe infantulus ſoſpitati. Duæ Beghinæ, quæ nimiam patiebantur dentium paſſionem, ad quamdã religio-

Sanantur infirmitas infantis,

religiosam personam venerunt; quæ sudarium, & alia quædam linea, quæ fuerant Christi Virginis, sibi cum multa diligentia conservabat. Et cum illarum genas & facies de hujusmodi tetigisset, ipsæ Beghinæ in brevi præfatum dolorem dentium penitus evaserunt. Conversus quidam Domus de Herkenrode, in tantum rupturę doloribus urgebatur, ut nimis esset ei onerosum, & grave, etiam pro magnis domus suæ necessitatibus & utilitatibus, equitare. Qui cum aliquando ad domum Villarienſem & sepulchrum memoratæ Virginis accessisset; orabat eam, quatenus, si tanti esset, quanti dicebatur, meriti apud Deum, sibi dignaretur super tanto, quod patiebatur, gravamine aliquod remedium impetrare. Post factam autem orationem, se sensit ab angustia pristina quasi totaliter liberatum; ita ut pedes ire posset, & equitare competenter, & domus suæ negotia procurare.

A *dolor dentium Beghinarum,*

hernia alicujus Conversi,

54 Quædam vitæ venerabilis & probatæ persona, quæ Christi Virginem Julianam viventem in corpore non mediocriter dilexerat, aliquando debilis erat valde, & multum vinum desiderabat, & cibaria accuratius præparata; in vigilia vero solennitatis Sacramenti, cum sopori membra debilia contulisset, visum est ei, Christi Virginem sibi assistere, & dicere: Esto parata, quatenus gratiam, quam Deus die crastina daturus est tibi, recipere merearis. Memorata vero persona, pro posse suo fecit, sicut in somnis admonita fuerat, superventuræ gratiæ non dissimulans internum receptaculum præparare. Quæ cum ipsa solennitatis die tempore Missæ orationi insisteret, in excessu mentis subito est effecta. Et vidit, & ecce Dominus Jesus, indutus Sacerdotalibus, Missam reverendissime celebrabat; cui ancilla sua Juliana virgineis manibus ministrabat. Videbatur autem ei, quæ sic excesserat quod ipsa ad altare accedebat; & summus ille sacerdos, assistente sibi sua Virgine, ad calicem pulcherrimum & optimum, sibi poculum propinabat. Cujus rei veritas sic impleta est, ut cum illa persona rediisset ad se, sic ab ubertate divinæ gratiæ inebriata, & torrente supernæ dulcedinis est potata; ut illa quæ præfati sumus desideria cibi & potus, quæ carnis debilitas ingesserat, superabundans & prævalens refectio spiritus propulsaret.

B *à B. Juliana apparente gratia Dei conferenda alteri innotescit,*

55 Copia *a* Bullæ, quam contulit Dominus Urbanus Papa, hujus nominis quartus, Reclusæ S. Martini Leodienſis præscriptæ, quæ fuit socia venerabilis Julianæ, & concors in voluntate promovendi celebritatem festivitatis Sacramenti altaris, de qua canit ipsa Bulla, quæ originaliter servatur in ecclesia S. Martini *b* Leodienſis, ubi hæc sancta Recluſa jacet sepulta.

a

Evæ Reclusæ,

C *b*

56 Urbanus Episcopus, servus servorum Dei, dilectæ in Christo filiæ Evæ, Reclusæ S. Martini Leodienſis, salutem & Apostolicam benedictionem. Scimus, ô filia, quod magno desiderio desideravit anima tua, ut solenne festum sacratissimi Corporis Domini nostri Jesu Christi institueretur in Ecclesia Dei, à Christi fidelibus perpetuis temporibus celebrandum: & ideo tibi significamus ad gaudium, quod nos ad corroborationem Catholicæ fidei digne duxim us statuendum, ut de tama dmirabili Sacramento, præter quotidianam commemorationem quam de ipso facit Ecclesia, specialior & solennior memoria celebretur, certum ad hoc designantes diem, videlicet feriam quintam proximam post Dominicam festi Pentecoste proxime sequentem, ut in ipsa feria quinta devotæ turbæ fidelium, propter hoc, ad ecclesiam affectuose concurrant: sitque dies ille universis Christicolis nova festivitate jucundus, & ampla jucunditate festivus, prout in litteris Apostolicis, quas per universum orbem super hoc dirigimus, plenius continetur. Et scias, quod nos hujusmodi festum cum omnibus Fratribus nostris, Romanæ videlicet Ecclesiæ Cardinalibus, nec non cum omnibus Archiepiscopis & Episcopis ceterisque Ecclesiarum Prælatis, tunc ad Sedem Apostolicam commorantibus, (ad hoc ut videntibus & audientibus de tanti festi celebritate salubre præberetur exemplum) duximus celebrandum. Magnificet igitur anima tua Dominum, & exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo: quia viderunt jam oculi tui salutare tuum, quod paravimus ante faciem omnium populorum. Lætare insuper, quia omnipotens Dominus tribuit tibi desiderium cordis tui, & voluntate labiorum tuorum non fraudavit te cælestis gratiæ plenitudo. Et quia quaternum, in quo ipsius festi habetur *c* Officium, tibi sub Bulla nostra per latorem præsentium destinamus, volumus & per Apostolica scripta tibi mandamus, quatenus quaternum ipsum cum devotione recipias, & ejus copiam personis illam petentibus exhibeas, liberaliter & libenter: & instes devotis supplicationibus apud illum, qui memoriale tam salutiferum de se ipso reliquit in terris, ut nobis ex alto tribuat gratiam, commissam nostro regimini Ecclesiam suam regendi utiliter, ad laudem & gloriam sui nominis, & salubriter gubernandi. Datum apud Urbem-veterem, sexto Idus Septembris, Pontificatus nostri anno quarto *d*.

AUCTORE COÆVO EX MSS.

Urbanus Papa gratulatur novum festum

à se Romæ celebratum;

eique mittit officium de se,

c

d

ANNOTATA.

a *Subnectebatur enim hoc titulo in MS. Rubeæ Vallis.*

b *Edidit inde Chappeavillanus, sed paucis verbis hinc inde omissis aut additis aut mutatis: apud quem & Fisenum alia circa hoc festum tunc constituta legi possunt.*

c *A S. Thoma Aquinate tunc compositum.*

d *Id est, anno Christi* 1264.

E F

DE S. VINCENTIO FERRERIO

G. H

ORDINIS PRÆDICATORVM VENETI IN ARMORICIS.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§. I. Varii Vitæ ejus scriptores. Cultus Sacer.

ANNO MCCCCXIX

IN Britannia Armorica, Galliarum ad Oceanum regione, est urbs Episcopalis, Venetum seu Venetiæ dicta, in qua S. Vincentius Ferrerius, vir plane Apostolicus, diem in terris ultimum, & in cælesti patria primum est assecutus. Fuit hic natione Hispanus, in urbe Valentina honeste genitus, liberaliter educatus, & in Ordinem Prædicatorum adscitus: qui doctrinæ suæ & verbi divini annuntiati nec non miraculorum patratorum theatrum habuit fere universas Hispanias & Gallias, nec non magnam Italicarum ditionum & Britannicarum insularum partem. Hos ejus eximios labores & ex iis exortos glorioſos triumphos quatuor libris descripsit Petrus Ranzanus, Siculus Panormitanus, Ordinis Prædicatorum, poesi, arte oratoria, historiæ peritia, &

Vitam S. Vincentii Scripsit,

Petrus Ranzanus

AUCTORE G. H. *Theologica doctrina præstantissimus: quo* Magister Ordinis Generalis Martialis Auribelli, *ut scribit ipsemet in Prologo*, valde familiariter utebatur eo tempore, quo laborabat apud summos Pontifices, ut Vincentius ceteris Sanctis annumeraretur: *cujus etiam jussu Vitam hanc composuit, illique inscripsit anno* MCCCCLV, *quo Vincentius fuerat inter Sanctos relatus. Inter alia monumenta, usus est* quatuor Processibus, qui de vita & miraculis confecti fuerant Avenione, Veneti, Tolosæ & Neapoli, *uti ipse ad librum tertium præfatur. Postmodum ob celebrem famam virtutis eum Sixtus IV Pontifex constituit anno* MCCCCLXXVIII *Episcopum Lucerinum, in Apulia Daunia, & Ferdinandus Rex utriusque Siciliæ Neapolim accersitum, filio suo præceptorem esse jussit, atque ad Matthiam Corvinum Pannoniæ Regem misit Legatum: quo in munere, quod triennio obivit, de rebus Vngaricis elaboravit librum, à Ioanne Sambuco vulgatum: unde ad diem* XXVIII *Ianuarij edidimus Vitam B. Margaritæ, ex Regibus Vngariæ prognatæ, & illustris sanctitate Virginis ex ordine Prædicatorum.*

anno 1455. usus 4. Processibus, dein Episcopus Lucerinus:

2 *Scripsit præterea Ranzanus de urbis Panormi antiquitate, de laudibus Lucerinæ civitatis, & alia monumenta, quæ referuntur à Leandro Alberto, Thoma Fazello, & Ferdinando Vghello: qui anno* MCCCCXCII *vita functum asserit: ut videatur hos de S. Vincentii Vita libros in prima sua & maxime vegeta, sed satis matura ætate, conscripsisse*, stylo usus *ut præfatur*, admodum plano, *quem Laurentius Surius, ut monet ante tertium librum*, paulo Latiniorem reddidit, & varia *etiam perissimum* miracula, brevitatis studio omisit: *sub finem autem indicat* quædam defuisse in exemplari MS. quod se habuisse unicum *fatetur. Vitam eamdem, neglecta ulteriore inquisitione, ediderunt ex Surio Antonius Senensis inter Vitas Sanctorum Patrum Ordinis Prædicatorum, & Abrahamus Bzovius in Annalibus ad annum* MCCCCXVIII, *eamdemq; plurimi contraxerunt, & suis Legendariis, etiam in quascumque vulgares linguas translatam, inseruerunt. Nos hanc S. Vincentii* Vitam, *à Petro Ranzano conscriptam damus, servato primigenio stylo, quam habemus ex codice ultrajectino membranaceo, olim conscripto: in quo præterea sunt* Vitæ S. Dominici per Theodorum de Appoldia, & S. Thomæ Aquinatis, *& liber qui inscribitur* Vitas fratrum Prædicatorum, *ac tandem* Vita S. Catharinæ de Senis. *Sed neque hic satis integrum opus habere nos putamus: nam quartus liber, qui prolixissimus esse deberet, propter multitudinem miraculorum post mortem patratorum, brevissimus est, & multo minor præcedentibus. Quinti etiam libri solum invenimus initium. Memores igitur nos olim in præclaro Ebracensi monasterio inter Herbipolim & Bambergam lustrasse Bibliothecam optime ordinatam; & Centuria 2. num.* 100 *prædictam S. Vincentii Vitam conspexisse, post annos duodecim epistolam illuc direximus; si forte hic deficientia istic adessent: sed quacumque adhibita opera non potuit amplius inveniri designatus Codex: quare eo tantum serviet hæc monuisse, ut si ipse vel alius similis alibi inveniatur, cum hic edendis conferre velit aliquis, & quod amplius reperiet nobis describere, in operis totius supplemento proferendum.*

B quam mutilam & stylo mutatam edidit Surius,

Idem Ranzanus scripsit poëma de S. Vincentio:

Composuit idem Ranzanus poëma heroicum centum viginti trium versuum in laudem S. Vincentii, quod manu exaratum Florentiæ reperimus in Conventu S. Marci ejusdem ordinis Prædicatorum: ex quo hos paucos versus inserimus:

Numina Vincenti suplices tua poscimus alme,
Optima quem merito devexit ad æthera virtus.
Ne gemitus nostros, ne despice vota precantũ:
Sed bonus exaudi, & facilis res aspice nostras.

nos magis integram ex MS. damus.

Vitam dein scripsit Castilionensis anno 1470

3 *Reperimus præterea in eodem Conventus S. Marci codice* Vitam S. Vincentii, anno MCCCCLXX editam per Dominum Franciscum Castilionensem Presbyterum, sacræ Theologiæ Doctorem & in litteris Græcis atque Latinis sui temporis eruditissimum, Canonicum S. Laurentii Florentini, & Plebanum S. Appiani, *qui anno* MCCCCLXXI *conscripsit Vitam S. Petri Martyris, ac proxime sequenti Vitam S. Thomæ Aquinatis. Auctor Vitam S. Vincentii inscripsit* Jacobo, titulo S. Chrysogoni Cardinali Papiensi, *illi qui à Pio II Pontifice donatus familia Picolominea & insignibus ejus, ac creatus Cardinalis anno* MCCCCLXI, *vixit usque ad* XXIX *Septembris anni* MCCCCLXXIX, *& reliquit a se conscriptum opus epistolarum & libros septem Commentariorum, quibus gesta sui temporis est complexus. In Prologo ad hunc Cardinalem asserit Castilionensis* se egregia facta S. Vincentii reperisse in Processibus curiæ nullo digesta ordine, ut diversi ab Hispania testes evocati indicarant, *eaque* brevissima narratione perstrinxisse. *Nos quia pauca sunt ab Ranzano non indicata, ne moles excrescat, ea aut Notationibus inserimus, aut aliqua ad sepulcrum Sancti patrata miracula seorsim subjungimus: reliquam vitam, à nobis Florentiæ descriptam, & jam suis ad marginem breviariis illustratam, omittimus: ejus autem loco damus in fine Ordinem Canonizationis, ab memorato Ranzano conscriptum, sed quem dolemus in codice MS. mutilum esse, & hanc jacturam supplemus ex Bulla Canonizationis à Pio II Pontifice vulgata, posteriorem ejus partem transcribentes: eique conjungimus brevem narrationem Translati corporis, quam Mediolani nacti sumus in bibliotheca conventus S. Mariæ Gratiarum, in MSS. codicibus ab Ambrosio Taegio collectis; & nuperæ inventionis seriem, Veneto nobis recenter submissam.*

D ex qua aliqua dantur, cum Ordine Canonizationis à Ranzano edito, & ex Bulla Canonizationis supplebo.

E Scripserunt eodem seculo 15. S. Antoninus.

4 *Eodem tempore cum Ranzano & Castilionensi floruit S. Antoninus, ex eodem S. Dominici Ordine Archiepiscopus Florentinus, vita functus anno* MCCCCLIX, *id est non integris quatuor annis post canonizationem Sancti Vincentii; de cujus virtutibus & miraculis illustrem tractatum concinnavit; editum parte 3 Historiarum, titulo 23. cap. 8, ex quo in nostris Annotationibus nonnulla observamus. Nono post Sancti Vincentii canonizationem anno, Christi* MCCCCLXIV, *sub nomine ipsius Sancti fundatus Placentiæ in Hispania est Prædicatorum conventus, ab Alvaro de Zuniga & Leonora Pimentel, primum Comitibus, post Ducibus Placentinis: quorum erga Sanctum virum devotio singularis visa est insigni miraculo cohonestari, quando ipsis ante Fratrum adventum solitis S. Vincentii festum quam solennissime celebrandum curare, & quadam vice concionatorem non habentibus, oblatus ex insperato est ignotus Frater, habitu Dominicanum præferens, qui ad Ducissam adductus, cum demum annuisset de Sancto sermonem ad populum facere, non modo cælesti quadam facundia rapuit in admirationem auditores universos; sed nemini postea conspectus frustraque requisitus, creditus est fuisse ipse S. Vincentius. Hoc qui narrat, ex loci traditione & auctoribus, ut ait, gravibus Fr. Alphonsus Fernandez Dominicanus in Annalibus Placentinis; addit Ducissam, ut affectum suum pasceret suavius, exegisse à suo Confessario, ut Vitam, virtutes & miracula S. Vincentii scriberet, idque eum prolixe ac copiose fecisse, credo ex jam vulgatis Ranzani scriptis, & Hispanica lingua: hactenus tamen non comperi qui opus tale à se visum diceret. Plurima postmodum excusa sunt compendia Vitæ Sancti Vincentii, quorum aliquod habetur in antiquo Legendario, Coloniæ & Lovanii anno tertio & quinto post millesimum quadringentesimum & octogesimum impresso: & aliud brevius ab Antonio Verlo Vincentino subjunctum Catologo Sanctorum, à Petro de Natalibus conscripto, ac primum anno* MCCCCXCIII *excuso, quo tempore etiam vivebat Robertus de Licio, qui ejus virtutes in cancione à se edita deprædicat. Hisce aliquanto junior Ioannes Antonius Flaminius, Foro-Cornelii, quam modo Imolam dicimus, prognatus, Vitam S. Vincentii à se conscriptam dicavit anno* MDXVI *Francisco Bentivolo Canonico Bononiensi, quam anno sequenti Leander Albertus libro quinto de Viris illustribus Ordinis Prædicatorũ vulgavit, & ipsemet cum aliis Vitis Sanctorum Ordinis Prædicatorum à se compositis edidit anno* MDXXIX. *Hisce præponendæ forent Lectiones, quæ in antiquis Breviariis excusæ sunt de Vita S. Vincentii, si eas omnes videre licuisset. Habemus quæ anno* MDLV *excusæ sunt in Breviario Ordinis*

Anonymus Hispanus in Conv. Placentino, aliique

F

seculo 16. Flaminius,

auctores Lectionum in Breviariis,

Præ-

A *Prædicatorum, & quæ in eccleſia Maclovienſi ante illud tempus recitari ſolebant, & quæ hoc tempore in tota diœceſi Venetenſi recitantur. Floruerunt in Hiſpania eodem* XVI *ſeculo illuſtres Ordinis Prædicatorum ſcriptores Ioannes Marietta, Vincentius Iuſtinianus Antiſtius, Franciſcus Diagus,* & alii, *Thomas Truxillus & Ildephonſus Giron. Ex his primus integro libro* XI, *capitibus* 41, *vitam deduxit. Antiſtius laudatur à Baronio in Notis ad diem* V *Aprilis: uſus eſt is variis manuſcriptis tractatibus in regno Valentiæ adſervatis: hunc allegant Truxillus libro* 2 *Theſauri Concionum, ubi præclare hiſtoriam vitæ* S. *Vincentii deducit, & Diagus lib.* 2 *Hiſtoriæ, quam de Provincia Aragoniæ Ordinis Prædicatorum vulgavit anno* MDCIX, *in qua capitibus viginti duobus enarrat geſta* S. *Vincentii: quæ etiam illuſtri ſermone exornat ante citatus Giron tomo primo Concionum, Salmanticæ anno* MDCII *editarum. Item Ioannes Lopes par.* 3 *Hiſtoriæ Ordinis lib.* 2 *cap.* 14 *& novem ſequentibus, & Alphonſus Caſtillo in Sacrario Valentino à folio* 9, *ad* 29. *Præ his omnibus optaremus nanciſci ipſos, quibus illi uſi MSS. tractatus proceſſuſque: eos libenter daturi in ſupplemento operis. Apud Italos Michael Pius parte prima & ſecunda de viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum celebrat S. Vincentium; & Stephanus Razzius de Vitis Sanctorum, Beatorum & illuſtrium virorum ac ſanctimonialium Ordinis ejuſdem: hic autem cum Ioanne Marietta ſæpius allegat Formicarium Ioannis Nideri; qui natione Suevus, ante Canonizationem illius ſcriptis claruit. Hiſce jungendi tres ejuſdem Ordinis ſcriptores, qui noſtro tempore in Galliis floruerunt, Albertus le Grand de Sanctis Britanniæ Armoricæ, tum Bernardus Guyard & Ioannes de Rechac. Ex his Bernardus ediditſuam hiſtoriam anno* MDCXXXIV, *Rechac anno* MDCXLVII *tomo ſecundo Vitarum Sanctorum Ordinis Prædicatorum: indeque Latine damus (nam Gallico idiomate ambo ſcripſerunt) varia miracula, quæ in Britannia Armorica & aliis vicinis regionibus contigerunt: uſque dum originalem proceſſum Venetenſem aliquis ſubminiſtret nobis, qui pro eo aliiſque ſimilibus impetrandis haud parum, ſed fruſtra, laboravimus.*

B *noviſſime Guyard, & Rechac.*

ex quibus miracula eduntur,

5 *Cultus ſacer præſcribitur à Pio* II *Pontifice in Bulla Canonizationis, ſed neſcio quo caſu, ne dicam errore, indicetur feſtum* VIII Idus Aprilis celebrandum, *cum die præcedenti ipſis* Nonis Aprilis *ex hac vita deceſſerit Sanctus, & eo die hactenus feſtum celebretur. Ita in Miſſali Ordinis Prædicatorum, quod habemus tempore* V*incentii de Caſtro-novo Generalis Venetiis anno* MDIV *excuſum, præſcribitur ipſis* Nonis Aprilis Officium totum duplex: *& diu ante ad iſtum diem erat inſcriptum nomen* MS. *Martyrologio Bruxellenſi, &* MS. *Florario Sanctorum, item in Martyrologio Coloniæ & Lubecæ anno* 1490 *excuſo. Secuti paſſim alii, Grevenus &* Molanus *in additionibus ad* V*ſuardum, Bellinus auctius editus Pariſiis, Maurolycus, Felicius, Galeſinius, Caniſius & cum iis Martyrologium Romanum: in quo iſta leguntur,* Venetiæ in Britannia minori S. Vincentii Confeſſoris, cognomento Ferrerii, Ordinis Prædicatorum, qui potens opere & Sermone multa millia infidelium convertit ad Chriſtum. *Majora encomia legantur in Martyrologio Ordinis Prædicatorum Gallicano Sauſſaji, & Hiſpanico Tamaji Salazar, qui ejus Acta tradit ex pervetuſto Legendario ante ducentos annos conſcripto, in novem Lectiones diſtributa, iiſque ſubjungit tres hymnos, qui etiam in ſupra citato Breviario Ordinis Prædicatorum continentur, quos conſcriptos à Martiale Auribelli, dicit Albertus le Grand. Ad diem* XII *Aprilis in Martyrologio Ordinis Prædicatorum memoratur* Octava S. Vincentii. *Cujus corporis elevationem anno* MCCCCLVI *factam eſſe* V Aprilis *indicatur infra in Hiſtoria elevationis: quæ interim à Kalendario Mariano Balinghemii refertur ad diem* XIII *Iunii, & in Martyrologio Caniſii ad* XXIX *Octobris. Solennitas canonizationis à Marietta in Calendario præfixo adſcribitur ad Kalendas Octobris, quem diem etiam annotavit Balinghemius: ſed illo die data eſt à Pio* II *Bulla de Canonizatione, à deceſſore ſuo Caliſto* III *facta, XXIX Iunii, in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli.*

C

Cultus ſacer 5 Aprilis,

cum octava in Ordine Prædicatorii

§ II Chronologia annorum quibus S. Vincentius vixit, ab eius nativitate uſque ad annum ætatis LXII.

AUCTORE G. H.

6 *Aggredimur temporum, quibus S. Vincentius vixit, concurſum ſeu convenientiam proponere, ut lux clarior rebus geſtis affulgeat.* Dies nativitatis *aſſignatur à Franciſco Diago & Ioanne Rechaco* vigeſimus tertius Januarii, quo natalis S. Emerentianæ Virginis & Martyris celebratur. *In Silentio antiquorum deſunt quibus id ulterius probemus aut etiam improbemus.* Annum *indicant iidem auctores* milleſimum trecenteſimum quinquageſimum; *verum arbitramur* ſeptimum *addi debere; uti ex ſequentibus conſtabit. Petrus Ranzanus tempus, quo Ordinem Prædicatorum eſt ingreſſus, iſtis circumſtantiis deſcribit:* Prior ceterique Fratres tribuerunt ei habitum die Dominica, Nonis Februarii, eo agente octavum & decimum annum. *Ita perantiquus codex manuſcriptus, cui editio Surii conſentit, & habetur etiam in illuſtribus Legendariis Hiſpanicis Ioannis Mariettæ & Ioannis Baſilii Sanctorii. Explicant* Nonas Februarii *Diagus, Rechacus, Marietta & paſſim alii, dum addunt* in feſto S. Agathæ Virginis & Martyris *id contigiſſe. Iidem aſſerunt eum* expleviſſe annos ætatis ſeptemdecim, *ac* decimum octavum inchoaſſe, *ſcilicet diebus ſolum quatuordecim. His ergo poſitis inquiri debet, quibus annis* Nonæ Februarii convenerunt in diem Dominicam, *quando ea ſignabatur littera A. Contigit hoc Chriſti anno* MCCCLXXIV, *cyclo ſolis* XII; *& elapſi erant anni ſeptemdecim ab indicato* MCCCLVII, *quo eum natum fuiſſe hinc probamus, & infra aliis argumentis ſtabilimus. Diagus, Rechagus & alii aſſignant annum* MCCCLVIII *biſſextilem, quando cyclo Solis* V *& litteris Dominicalibus* B A, Nonæ Februa. *inciderunt* in diem lunæ, non Dominicam, *quod tamen expreſſe indicat Ranzanus. Marietta ut omnia ſervet, annum indicat* MCCCLVII, *quaſi natus eſſet ante annum* MCCCXL, *quod nullo modo conſiſtit.*

Natus traditur 23 Ianuarii, *anno* 1357; *habitum Ordinis Prædicatorum accipit die Dominica* 5 Februarii, *anno ætatis* 8. E *Chriſti* 1374;

7 *Facta proximo anno ſolenni religionis ſuæ profeſſione, ſex annos ſequentes impendit ſtudiis, partim diſcipulus, partim Profeſſor, prælegendo Philoſophiam;* inter quæ ſtudia, cum eſſet annorum viginti quatuor, edidit inſigne opus de Dialecticis ſuppoſitionibus. *Annus ex ſupputatione noſtra tunc labebatur* MCCCLXXX; *cum ante biennium Vrbanus* VI *eſſet electus Pontifex Romanus* VIII *Aprilis: à quo ſeceſſus factus eſt multorum Cardinalium, & contra eum electus eſt* XXI *Septembris Robertus ex Comitibus Gebennenſibus, & Clemens* VII *appellatus: qui mox ut tradit Ciaconius* quatuor Legatos creavit, Lemovicenſem ad Regem Francorum, Agrifolium ad Regem Bohemiæ, deſignatum Imperatorem, Pictavienſem ad Regem Angliæ, & Petrum de Luna ad Hiſpaniæ Reges, qui eos de electione ſua edocerent. *Devenit tunc in dicti Petri de Luna notitiam* S. *Vincentius, traditurque num.* 11 Ilerdæ Theologorum adnumeratus collegio *à* Petro de Luna, *ſive ut ibidem per quamdam anticipationem dicitur,* à Benedicto maximo Pontifice. Annum *tunc* agebat Vincentius vigeſimum octavum, *ergo è noſtro ſenſu annus Chriſti erat* MCCCLXXXIV *aut proxime ſequens. Erat eodem tempore* Epiſcopus Valentinus Jacobus, ei conſanguinitate conjunctus, *creatus circa annum* MCCCLXX. *Hujus ergo, & Capituli ac Magiſtratus Valentini rogatu remiſſus Valentiam Vincentius, prælegit ibidem Theologiam, & concionatus eſt* ſex annos continuos: *ſed* inter hæc tempora Petrus de Luna, cum ex Hiſpania Legatus mitteretur ad Carolum Francorum Regem, Vincentium ſecum duxit ac tamdiu detinuit, donec peracto Legationis tempore ad ipſum Pontificem Avenionem rediit. *Hujus Legationis tempus ſimul cum annis ſex, quibus Valentiæ moratus eſt, definimus ab anno* MCCCLXXXV *ad annum* MCCCXCIV. *Hactenus relata continentur apud Ranzanum libro primo Vitæ ejus, & dicun-*

natus annos 24. *dialecticam edit an. Chriſti* 1380;

an æt. 28, *Chr.* 1384 *creatur Magiſter in Theologia;*

docet Valentiæ 6 *annos,*

& adeſt Petro de Luna Legato;

uſque ad an. 1394;

AUCTORE G. H.

dicuntur in Prologo libri ſecundi eſſe geſta S. Vincentii à puerili ad juvenilem ætatẽ. *Deinde auctor* tranſit ad ea, quæ in matura ætate fecit *quam inchoamus ab anno ætatis trigeſimo ſeptimo, ut mirũ ſit plures annos ab aliis requiri, maxime cum eos ab omni actione vacuos cogantur accipere.*

ætatis 37.

8 *Clemente* VII *Avenione die* VI *Septembris anno* MCCCXCIV *vita functo, ſubrogatus eſt Petrus de Luna*, XXVIII *ejuſdem Septembris: à quo eſt* Avenionem evocatus S. Vincentius, in Confeſſorem electus, & Magiſter palatii Apoſtolici inſtitutus. Annos duos egiſſe in palatio *habent Acta antiqua in Legendario Lovanienſi & Colonienſi, quos aſſignamus nonageſimum quintum & ſextum poſt milleſimum & trecenteſimum. Eoſdem admittit Rechacus, qui addit deinde, cum Schiſinatis tædio affectus, ſex menſes moratus in Conventu Avenionenſi Patrum Prædicatorum fuiſſet, magna vi febrium correptum eſſe; quando à Chriſto, apparente inter Angelos & SS. Dominicum & Franciſcum, conſtitutus eſt præco Euangelii: quod tertia Octobris pridie feſti S. Franciſci contigiſſe Rechacus addit. Ranzanus num.* 8 *dicti libri* 2 *ait*; dum ageret annum quadrageſimum, incepiſſe peregrinationis tempus, & doctrinæ continuum illud ac mirabile exercitium: *quem annum arbitramur ex prædictis recte ſtatui annum* MCCCXCVI, *aut ſequentem quo abſolvit* quadrageſimum ætatis. *Obtulerat S. Vincentio Epiſcopatum Benedictus Antipapa*, vacantibus Valentino, Ilerdenſi & aliarum Eccleſiarum Epiſcopatibus. *Mortuum fuiſſe Iacobum de Aragon Epiſcopum Valentinum* XXX *Maij*, *anno memorato* MCCCXCVI, *tradit Hieronymus Zurita lib.* 10 *Annalium Aragoniæ cap.* 61, *ut plane tempora hic indicata ſtabiliantur.*

fuit Confeſſarius & Magiſter ſacri palatii anno 1395 *& ſequenti.*

à Chriſto conſtituitur Præco Euangelii,

anno ætatis 40. *Chriſti* 1396, *aut* 1397.

B

9 *Confirmatus dein Apoſtolicus concionator à* Benedicto XIII, *incepit ſuas prædicationes, & continuavit ſecundem Rechacum cap.* 6 *ab anno Chriſti* MCCCXCVIII, *uſq; ad finẽ vitæ ſive annum* MCCCCXIX, *cũ duos ultimos annos vixiſſet in Britannia Armorica, ad quam venit primo vere anni* MCCCCXVII. Agebat eo tempore vir Dei annum ætatis ſexageſimum, *nam ita apud Ranzanum lib.* 4 *num.* 1 *legendum arbitramur, licet culpa amanuenſium legatur* annus ſeptuageſimus: *quod paucis litteris mutatis potuit contigiſſe: ita in Prologo dicit auctor* ſe opus quatuor libris diſtinguere, *& confirmat in Prologo libri quarti, licet & apud Surium & in codice MS. legatur* opus libris quinque diſtingui. *& lib.* 3 *num.* 6 *dicitur* S. Bernardinus ſex annis ante S. Vincentium Catalogo Sanctorum adſcriptus, *cum ſolum fuerint* anni quinque & dies 36. *Denique lib.* 4 *num.* 9 *dicitur* S. Vincentius obiiſſe die Veneris, Nonis Aprilis, anno milleſimo, quadringenteſimo decimo octavo, *ubi annus ſumitur more Britonum & Francorum, tunc temporis finiendus in Paſchate, qui nobis eſt annus ſequens* decimus nonus. *At quod dicatur* obiiſſe die Veneris, *ſive ut Surius habet* feria ſexta, *manifeſtus error eſt, emendatus apud Caſtilionenſem, qui aſſignat* quartam feriam ante diem Palmarum: *quam etiam feriam ſcribunt Vincentius Iuſtinianus Antiſtius, Franciſcus Diagus, & paſſim alii. Et recte, quia dicto anno* MCCCCXIX, *cyclo Lunæ* 14, *Solis* XXVIII, *littera Dominicali A, fuit Paſcha celebratum die* XVI *Aprilis, & Nonæ ejuſdem menſis inciderunt in* feriam quartam ante diem Palmarum, *cum jam ageret* annum ætatis ſexageſimum ſecundum, *uti oſtendimus ex ſerie vitæ, ex Ranzano potiſſimum deducta. Si qui aliter ſentiant ac velint vixiſſe ad* annum ætatis ſeptuageſimum, *aut etiam* ad annum ætatis ſeptuageſimum octavum *(uti in citato ſupra Breviario Ordinis Prædicatorum & apud Mariettam & alios legitur) per nos licet, modo ipſi ſeriem vitæ ejus poſſint ſtabilire. Objiceret nobis Rechiacus actum notarialem in Conventu Valentino adſervatum, in quo omnes religioſi profeſſi dicti Conventus referuntur ad annum* MCCCLXVIII, *eorumque ultimus habetur* Vincentius Ferrerius: *verum quia longa experientia didicimus ſæpius diplomata aliaque ſimilia inſtrumenta à poſteris magna cum annorum mutatione tranſcribi, non poſſumus continuo ſimilibus ſcriptis fidere, potiſſimum cum certiora argumenta contrarium evincunt. Ex his unicum oppono. Cum S. Vincentius ſit creatus Magiſter in Theologia anno ætatis* XXVIII, *& ſecundũ illos anno Chriſti* MCCCLXXVII; *non potuit id fieri per Petrum de Luna, qui anno præcedente, ut conſtat ex Ciaconio & aliis, cum Gregorio* XI *Papa Romam profectus, ibidem permanſit, & ædes ſuas propriis ſumptibus conſtruxit: adfuitque anno* MCCCLXXVIII *electioni Vrbani VI. & dein Fundis Clementis VII Antipapæ, à quo miſſus Legatus in Hiſpaniam, primam notitiam S. Vincentii accepit. In compendio Vitæ ante ſermones ejus edito, traditur obiiſſe anno* MCCCCXXXIII, *ſed ſimilia errata non merentur notari.*

venit in Britanniam, anno 1417 *ætatis* 60 *non* 70.

mortuus 5 *Aprilis*

C

anno 1419.

feria 4. ante Dominicam Palmarum.

ætatis 62.

D

§. III. Quæ loca & quo tempore, ſint illuſtrata prædicatione Euangelica S. Vincentii.

10 HIs poſitis regredimur *ad annos prædicationis Apoſtolicæ, à Diago & Rechaco potiſſimum deductos, quos lib.* 2 *cap.* 6 *ita auſpicatur Ranzanus:* Poſthæc, *id eſt poſt confirmatam auctoritatem prædicandi*, ex Avenione primum, deinde paullatim progrediendo, per urbes & villas euangelizans, in Cataloniam reverſus eſt: ubi potens opere & ſermone, duos continuos annos docere inſtitit. *Diagus & Rechacus, ſecuti Antiſtium cujus ſcripta non habuimus, aſſignant annum* MCCCXCVIII *& ſequentem, & recte coagruit calculus à nobis poſitus. Eo tempore traditur Ioannes Solerius puerulus ſanatus, quem tunc prædixit eximium fore Theologum, uti habetur lib.* 3 *num.* 16. *Poſt luſtratas forſan varias ditiones Aragoniæ & Valenciæ diſceſſit Barcinone anno* MCCCC, *& navigavit uſque in Provinciam, Galliæ ditionem verſus Alpes: & Aquis Sextiis fuit, ab die* XXVII *Octobris uſque ad Kalendas Decembris; & iterum à die quinto uſque ad decimum Ianuarij anni* MCCCCI: *uti ex monumentis conventus Aquenſis tradit Honoratus Boucheus lib.* 9 *hiſtoriæ Provinciæ ſect.* 4 *cap.* 2 §. 2 *Inde tunc Alpes tranſgreſſus, fuit in Pedemontana & Lombardica ditione: & inter alia miracula facta, prædixit Alexandriæ ſanctam vitam B. Bernardini Ordinis Fratrum Minorum; uti continetur lib.* 3 *num.* 6.

Prædicat anno 1398 *&* 1399, *in Catalonia:*

E

an. 1400 *in Provincia:*

an. 1401 *in Pedemontio & Lombardia:*

11 *Anno ſecundo dicti ſeculi, iterum trans Alpes in Delphinatum deſcendit, & ex oppido de Romanis ſcripſit menſe Martio Ordinis Magiſtro Generali Ioanni de Podio, & reddidit ſuæ miſſionis & prædicationum accuratam rationem. Harum litterarum, quæ videntur periiſſe, in aliis ſequenti anno ſcriptis mentionem facit. In his autem, apud Boucheum & Rechacũ iſta habet:* ubi ex oppido de Romanis diſceſſi, per tres menſes continuos fui in Delphinatu, prædicando in circuitu verbum Dei per civitates, caſtella & villas, in quibus nondum fueram: præcipue tamen viſitavi tres illas famoſiſſimas valles hæreticorum in diœceſi Ebredunenſi, quarum una vocatur Luzerna, altera Argenteya, & tertia Vallis-Pura, *imo ante* Vallis-Puta, *& modo dicitur* Vallis Ludoviſia *de qua late agitur infra lib.* 2 *nu.* 22. Quo peracto, *inquit*, ad requeſtas & rogamina multorum tranſivi in Lombardiam: ubi continuo prædicavi per annũ & menſem, in cunctis civitatibus, villis & caſtris: & quamplures inveni valles hæreticorum, tam Valdenſium quam Gazariorum perverſorum, quas percurri in diœceſi Taurinenſi, & ſingulas per ordinẽ viſitavi, prædicando in unaquaq; ipſarum fidem & doctrinã Catholicæ veritatis cũ improbatione errorum ipſorũ. Et omnes per Dei miſericordiã ardentiſſime & cum magno devotionis affectu ac reverentia veritatẽ fidei ſuſceperunt, Domino quippe cooperante & ſermonẽ confirmante... Completis autẽ tredecim menſibus continuis in Lombardia, intravi Sabaudiã: & quinq; jam ſunt menſes elapſi, ex quo requiſitus, utiq; per Prælatos & Dominos patriæ, pluries & cum magno affectu eã viſitavi: percurri diœceſes quatuor, ſcilicet Sedunẽſẽ, Tarantaſiæ, Maurianenſem & Gratianopoiis, quæ multũ habet in Sabaudia, prædicando in circuitu per civitates & villas

an. 1402 *in Delphinatu:*

an. 1402 *& 1403 in Lombardia*

& Sabaudia

A las & caſtra eorum. Et ſum modo in diœceſi Gebennenſi. Inter alia vero enormia inveni in partibus iſtis unum errorem nimis dilatatum, celebrando feſtum ſolenniter in craſtina Corporis Chriſti, & tenendo confratrias ſub nomine Sancti Orientis... Contra hunc errorem nunc principaliter inſiſto, prædicando quotidie, Domino cooperante & ſermonem confirmante, & efficaciter extirpatus eſt; genteſque iſtæ venientes nunc dolent, audientes tantum ſe errare in fide. Cum vero per Dei gratiam hic error fuerit pleniſſime extirpatus, habeo intrare Lauſanenſem diœceſim, & protinus eradicare morem illum paganorũ, quẽ habent, ubi communiter & manifeſte adorant ſolẽ ſicut Deum, maxime ruſtici, exhibendo ei de mane ſuas orationes & reverenter ei faciendo. Nam ipſe Lauſanenſis Epiſcopus bene per duas vel tres diætas venit ad me, humiliter obſecrando ex corde, quod ſuã diœceſim viſitarem, ubi ſunt multæ villæ hæreticorũ in confinibus Alemanniæ & Sabaudiæ, quod & promiſi. Intendo ibi eſſe circa tempus inſtantis Quadrageſimæ... Datum in civitate Gebennenſi anno MCCCCIII, die XVII Decembris. *Ex hac epiſtola habemus peracta uſque ad Paſcha circiter anni* IV *iſtius ſeculi, quando ex Lauſanenſi provincia videtur in Lotharingiam uſque perrexiſſe, ubi ſolebat ob reverentiam tanti viri in urbe Tullenſi adſervari cathedra, ex qua ſuas ibidem conciones habuerat. Quæ præterea eo anno & hieme ſequenti peracta ſint, latent.*

an. 1404 Lauſanæ,

& in Lotharingia, B

an. 1405 Genuæ,

12 *Anno quinto dicti ſeculi evocatus à Benedicto* XIII, *& Genuam profectus, ei adfuit menſe Majo, ibique, (quod lib. 2 num. 14 narratur) materna lingua in concione uſus, fuit à Græcis, Teutonicis, Sardis, Vngaris & aliis nationibus intellectus: neque voluit ſuas preces adjungere, ut reo Valentino vita concederetur, uti dicto libro 2 num.* 11 *refertur.* Genuæ uno fere menſe commoratus, *uti eodem lib. 2 num.* 8 *legitur*, diſcurrit per omnem illam maritimam regionem, quæ vulgo Riparia Genuæ appellatur. *Regreſſus dein in* Gallias, & per eas

in Gallia & Belgio, euangelizando diſcurrens, in Flandriam *ſeu Belgium* venit, diverſaſque ejus urbes ſalutaribus monitis imbuit: *tunc* Audomaropolis proprio ejus thorace donata eſt, *quem* in æde Patrum Prædicatorum *adhuc adſervari teſtatur Hyacinthus Choquetius, libro de Sanctis Belgis Ordinis Prædicatorum cap.* 5. *Henricus Rex Angliæ, permotus fama mirabilium operum ejus, ut ad ſe veniret eum rogavit. Navigavit ergo in Angliam, inde in Scotiam & Hiberniam, & poſtmodum in Gallias reverſus, in Vaſconia & Pictavienſi ditione aliquamdiu permanſit. Quæ potiſſimum anno ſexto & ſeptimo dicti ſeculi peracta ſunt: quem ultimum in Arvernia finivit, per Adventum Claromonte concionatus: ubi cathedra ejus adſervatur ſed in duas ſciſſa partes, cujus pars in eccleſia Cathedrali, pars in proprii Ordinis conventu viſitur. Anno* VIII *dicti ſeculi Lugduni eum aliquamdiu vixiſſe tradunt, & Avenione apud Benedictum* XIII; *dein Aquis ſextiis adfuiſſe ſub finem Octobris.*

C *1406 & 1407, in Anglia, Scotia Hibernia Vaſconia Arvernia, an. 1408 Lugduni, in Provincia*

§ III Ultimum S. Vincentii in hac vita decennium chronologice explicatum.

& in regno Granatenſi, 13 VErgebat *ad finem annus Chriſti* MCCCCVIII *quando Hiſpanias repetens S. Vincentius è portu Maſſilienſi navigavit ad regnum Granatenſe, incitatus à Rege Mahometano, uti latius indicatur lib. 2 num.* 17. *Inde coactus diſcedere excoluit agrum Valentinum & Catalaunenſem, idq, anno nono dicti ſeculi: ac plurimum laboravit in urbibus & diœceſibus Gerundenſibus & Vicenſibus: & in hac urbe concionatum fuiſſe* XXXI *Maji feria ſexta & duobus diebus ſequentibus, conſtat ex Actis publicis confectis ob capitalia odia, in maximam concordiam & caritatem converſa. De duobus millibus hominum quindecim panibus in vicino pago nutritis agitur l. 3 n. 23. Poſt hæc allocuturus Regem Aragoniæ Martinum, hujus litteris invitatus, Barcinonem venit* XIV *Iunii, ac partim in urbe partim in ſubjectis pagis uſque ad finem Septembris permanſit. Interea dicto Regi Martino, ab aliis rogatus, indicavit obitum filii Martini, Regis Siciliæ,* XV *Iulii defuncti; & in ſecundis nuptiis ejuſdem Regis coram Benedicto* XIII *celebravit Miſſam* XVI *Septembris. In eadem urbe agnovit mortem Abbatis Montis ferrati, in cella ſua ſubito extincti, uti legitur lib. 3 n. 17. Inde Dertoſam proficiſcens, ob* AUCTORE G. H.

an. 1410 Valentiæ, *diſſolutionem pontis magnam multitudinem à periculo ſubmerſionis conſervat, & in concione detegit aliquos procul indè peccantes: quæ traduntur l. 3 n. 35, item n. 13 Dertoſa in regnũ Valentinum diſcedens, in villa S. Matthæi detexit fraudes dæmonis, ſub habitu eremitico ſallentis: & apud Morellam, haud procul Valentia, prædixit mortem Martini Regis, quæ poſt octo dies* 10 *Maji contigit an.* MCCCCX. *At* XXIV *Iunii in urbe Valentina fœminæ mutæ ad pauca verba eloquenda linguæ uſum tribuit: ibidemque fraudem alterius, ducentos aureos ſibi detinentis, agnoſcit & dæmones expellit: quæ leguntur dicto l. 3 n. 12, 18, 22, 24, 25 & 27. Verum, quia* extincto Rege

& in Italia, Martino, *ut n. 19 habetur*, ſubſecuta eſt magna diſceptatio inter multas clariſſimas familias, cuinam regni ſceptrũ deberetur; *S. Vincentius à Florentinis aliiſq; vicinis populis invitatus in Italiam navigavit; & Piſæ, Senis, Florentiæ, Lucæ atq; in ſubjectis pagis concionatus, pervenit ad Portum-Veneris, in Riparia Genuenſi haud procul Sarzana ſitum;* E *ubi litteras à Ioanne Hiſpaniæ Rege accepit, quibus in Hiſpanias revocabatur.*

14 *Quæ maxima parte ad.* MCCCCXI *peregit, ea ex proprio S.* *an. 1411,* *Vincentii teſtimonio habentur, in libro concionum ſuarum conſcripta, qui ſub initium hujus ſeculi, apud Ioannẽ Riberam Archiepiſcopum Valentinũ aſſervabatur. Fuit porro Murciæ à Do-* *Murtiæ,* *minica Sexageſimæ uſq; ad feriam tertiam Paſchatis, quando ibidem Dominica Palmarum tres dæmones, ſub terribili equorum ſpecie conatos concionẽ ejus turbare in nomine Ieſu coegit ex urbe egredi, quod l. 3 n. 26 pluribus explicatur. Egreſſus Murcia, feria quarta poſt Paſchale feſtum, concionatus eſt feria quinta Molinæ, & ſequenti die Ciciæ: ac Sabbato. Dominica in in Albis & feria ſecunda Iumillæ; dein tribus proximis, in quo-* *in Caſtellâ nova,* *rum ultimo fuit feſtũ S. Georgii, in oppido Elice & feria ſexta Touarræ, & Sabbato venit Cinchillã, ubi diebus ſeptemdecim eſt concionatus. Inde profectus* XII *Maji, conciones habuit die* XVI *& duabus ſequentibus Abaceta Villaverdæ & Allicarizi, ubi quatriduo manſit: & dein morbo impeditus intermiſit conciones uſq; ad feſtũ Pentecoſtes, quo die & ſequenti Moralejæ concionatus eſt. Moraleja Villam-Regiam profectus, ibidẽ functiones continuavit à feſto Sanctiſ. Trinitatis uſq; ad feſtum* S. Ioannis Baptiſtæ. *Inde digreſſus Malagoniam, Ieveneſum & Orgaſium, ubi ſuis concionibus exornavit feſtũ SS. Petri & Pauli: dein Nambrocæ totum menſẽ Iulii ſacris ſuis functionibus impendit: uti initium Auguſti Benquerenciæ, Iepez, & Ocaniæ, ubi celebravit feſtũ S. Dominici & dein S. Laurentii, in quâ urbe veſtis ſuperior ejus inter reliquias adſervatur. Ocania per* F

Toleti, *Boroxam & Illeſcam profectus eſt Toletum, ubi aliquot millia Iudæorum ad Chriſtianiſmũ convertit, & ex eorum ſynagoga confecit eccleſiam Deiparæ Virgini ſacram, ibidemque (quod l. 3 n. 8 indicatur) tẽpore ſacrificii Miſſæ obitũ ſororis ſuæ intellexit, & mox populo in concione manifeſtavit. Æger Toleti* *Ayllonæ,* *integris ſex hebdomadis ab aliis exercitiis quievit, uſq; ad primam Dominicam Adventus, quando Ayllonem ad Regem perrexit, & impetravit edicta contra Iudæos & Mauros, ut ſeparati à Chriſtianis viverent, & aliquo externo ſigno dignoſcerentur. Hactenus ex itinerario ab ipſomet S. Vincentio ſcripto: dein, quia l. 2 c. 8 Vitæ dicitur*, urbes, oppida & villas Hiſpaniæ ulterioris, excepta Gallicia & Portugallia, circumiviſſe; *recte ſub finem dicti an.* MCCCCXI *adhuc Valli-* *& Valliſoleti:* *ſoleti fuiſſe traditur in quadam epiſtola, in Conventu S. Pauli adſervata: & quæ ibidem mirabilia fecit, picturæ atteſtantur.*

an. 1409, in ditione Valentina & Catalania.

15 *Sub initium anni* MCCCCXII *Salmanticæ fuiſſe aſſerunt* *an. 1417* *Diagus & Rechacus: in qua mortuum ab eo ſuſcitatũ eſſe narrat Illeſonſus Girõ, Præſentatus & Prædicator Generalis Ordinis Prædicatorum ex conventu S. Stephani Salmanticenſis, tomo primo Concionum pro feſtis Salmanticæ an.* MDCII *ex-* *Salmanticæ,*

victore G. H. cuſo: ubi in Concione unica de S. Vincentio, thema ex cap. 14 Apocalypſeos aſſumptum eſt his verbis: Vidi alterum Angelum volantē per mediū cæli, habentem euangeliū æternum, ut euangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem & tribum, linguam & populum, dicens voce magna: Timente Dominū, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus, & adorate eum qui fecit cælum & terram & mare & fontes aquarum. Dein in ipſa concione iſta traduntur de S. Vincentio: Vere fuit Angelus à Joanne prævisus, ſicut ipſe in publica concione Salmanticæ teſtatus eſt: cumq; de ea re aliquid ſcandali videret oriri, miraculo id ſtatim confirmavit. Nam ex ſuggeſto juſſit adduci cadaver occiſi hominis, qui tunc efferebatur ad ſepulcrum illumque coram omnibus ſuſcitavit: præcepit enim in nomine Chriſti, ut è feretro ſurgeret, & ſtatim ſurrexit. In cujus rei teſtimonium fixa ibi fuit Crux lignea, quam per plures annos ego ſæpe vidi: cujus loco lapidea Crux in Monte-Oliveti nunc ſubſtituta manet. Salmantica egreſſus, dicitur Zamoram petiiſſe, ubi duo rei ad ejus concionem adducti, dein ob enormia peccata comburendi, ſub finem concionis igne divino conſumpti & combuſti apparuerunt. Zamora deducitur à dictis auctoribus Placentiam, ubi poſt filium Ducis reſuſcitatum, eſt Ordini conventus extructus. Guadalaxaræ etiam Cathedra adſervatur, ex qua ſuas ad populum conciones habuit. Interim XIV die B Martii inter novem Iudices adſcitus eſt, ut cum iis de jure ſucceſſionis in regno, Aragoniæ ſententiam efferret. Congregati fuerunt in civitate Caſſpenſi à XXIV Martii uſque ad XXIV Iunii, quando in feſto S. Ioannis Baptiſta ſententiam pronuntiarunt: qua Ferdinando Infanti Caſtellæ ſucceſſio fuit adjudicata. Caſpa Alcanitium profectus, inde ſcriptum à ſe libellum de extremo judicio, curavit ad Benedictum XIII tranſmitti: hujus ſit mentio lib. 2. num. 6, quem integrum refert Marietta cap. 25, & Antonius Senenſis aſſerit excuſum fuiſſe in quarto, & à ſe Neapoli viſum. Adveneratque Caſaraugustam Rex Ferdinandus ad diem III Septembris, cui ibidem & Ilerdæ adfuit S. Vincentius, ejus aliquanso tempore Confeſſarius & concionator.

ubi mortuū reſuſcitat, Zamoræ, Guadalaxaræ, in Aragonia Caſpæ, Alcanitii, Caſaraugustæ, Ilerdæ, Valaquiæ, An. 1413, Valentiæ,

16 Inde dimiſſus cum aliquamdiu Valaqueriæ habuiſſet conciones, diſceſſit Valentiam, ibique hoc anno per Adventum, & ſequenti MCCCXIII per Quadrageſimam ſuas conciones continuavit: ubi inveterata odia inter Soleros ſeu Solenos & Centellas ſuſtulit, quæ indicantur lib. 2 num. 13. Iuſſus poſtea fuit litteris regiis 12 Aprilis ſignatis, dum aliud indicetur, Valentiæ conſiſtere; quod fecit, ſed aliis litteris 29 Iunii data facultate diſceſſit Valentia Traygueram, ubi mutæ mulieri ad mortem læſæ, ut ſua peccata Sacerdoti confiteretur, loquelam tribuit, quæ hiſtoria lib. 3 num. 21 late deſcribitur, & quod habetur num. 37, febres Laurentii Peregrini Sacerdotis ſuſtulit. Deinde poſt habitas variis in locis conciones venit Barcinonem XXV Auguſti, & quia Rex cum exercitu abierat contra Comitem Vrgellenſem, navigavit in inſulam Majoricam: in qua fuit à Kalendis Septemb. uſque ad XXIII Februarii anni ſequentis, concionatus in urbe & pagis, & plura millia Maurorum ad fidem Chriſti adduxit. Reverſus in Catalóniam anno MCCCCXIV, Dertoſæ egit cum Benedicto XIII, & in concione prædixit Iudæos mox acceſſuros, è quibus multos convertit, uti lib. 3 num. 14 indicatur. Inde pluribus Regis litteris rogatus Caſaraugustam venit, ac poſtea in feſto venerabilis Sacramenti, unica concione Daroca habita decem & centum Iudæos ad Chriſtianam religionem adduxit. Sub finem Iulii Maëllam profectus, longam cum Benedicto XIII & Ferdinando Rege diſſertationem inſtituit de optima methodo pacis & unitatis Eccleſiarum; inde Caſaraugustam ſub initium Novembris reverſus multos Iudæos Chriſto lucratus fuit. Anno MCCCCXV peregrinatus eſt concionando per varias Aragoniæ & Cataloniæ partes, ut ita Perpinianum veniret: ac tum creditur in Villa-longa ſex millia hominum reſeciſſe vino non diminuto, & in Monte-Albo ſanaſſe ſurdum ac furibundum, item miſere contractum, & tertium è lapſu contritum, ac Barbaſtri in feſto Apoſtolorum tempeſtatem ſubmoviſſe: quæ omnia lib. 3 num. 23, 28, 32 & ſequentibus referuntur, quo etiam in itinere dicitur Cerverii à S. Dominico recreatus illa viſitatione, quæ lib. 2 num. 23 late deſcribitur. Interim ad commune colloquium perventuri erant Perpinianum Benedictus XIII, Sigiſmundus Imperator, & Ferdinandus Rex Aragoniæ: ad quam urbem acceſſit S. Vincentius ultimo die Auguſti: qui tum multis conatus eſt ſuadere Benedicto XIII, ut ſe Concilio Conſtantienſi ſubjiceret, & ſi opus eſſet pro pace Eccleſiæ ſummo Pontificio cederet, quæ lib. 2 num. 3 leguntur. Ibidem tunc coram Imperatore, Rege & Pontifice, deterſit Iudæorum in concione obgannientium calumniam illam, quæ lib. 3 num. 41 deſcribitur; qua etiam in urbe graviſſimis febribus correptus, prædixit medicis poſt quatuor dies ſe omni morbo liberandum, quod ibidem lib. 3 num. 3 indicatur. D Cerverii, Perpiniani, An. 1416, Toloſæ,

17 Anno MCCCCXVI, rogatu Ferdinandi Regis & Alphonſi filii, qui illi XVI Aprilis defuncto ſucceſſerat, Conſtantiam petiturus in Gallias abiit, ac Toloſam ingreſſus eſt feria ſexta ante Dominicam Palmarum; ubi quod lib. 2 num. 15 indicatur, ceſſabant opificia & lectiones publicæ, dum ſuas ad populum conciones haberet: ibidem in loco vicino ſanavit epilepticum & prope Carcaſſinem, quo erat evocatus, pluviam procuravit, cæcumque illuminavit. Adfuit in urbe Caſtrenſi pridie Aſcenſionis E Domini, quando tempeſtatem abegit, ac poſtridie in ipſo feſto & die XXVI Maji paralyticum ſanavit. Quæ omnia leguntur lib. 3 num. 30 & 31. Tragica autem hiſtoria de filio à propria matre occiſo & in cibum ſecto & cocto, atque à S. Vincentio in eadem Occitania reſuſcitato, eodem lib. 3 cap. 19 narratur. At quam gratus fuerit Biterris, indicatur lib. 2 num. 11. Poſt varios labores in iſta provincia exantlatos, Burgundiam peragravit, atq; varios monachos Claravalle peſte afflictos liberavit: & Divione conſiſtens litteras ab Alphonſo Rege, die ultima Auguſti ſcriptas, accepit circa XV Septembris: quibus à à Rege urgebatur ut Conſtantiam feſtinaret: eodemque tempore adfuit Petrus Cardinalis Sancti Angeli, Conſtantia ad eum cum aliis miſſus, ut lib. 2 num. 8 ſignificatur. Inde retroceſſit Bituriges, tum Turones ac Nannetes, ſæpiuſque rogatus ad Ioannem Britanniæ Armoricæ Ducem in urbem Venetenſem venit: & ibidem à Dominica quarta Quadrageſimæ uſque ad feriam tertiam Paſchatis eſt concionatus anno MCCCCXVII. In eadem urbe biennio poſt ſancte diem extremum clauſit, cum ante totam fere Britanniam ſacris ſuis functionibus excoluiſſet cum magna parte Normanniæ: in quam ab Henrico V Rege Angliæ, qui Cadomi eo tempore degebat, fuerat evocatus. Biterris, Claravalle, Divione, Bituriglbus, Turonibus, Nannetibus, An. 1417 Veneti. F

Barcinone, C in inſula Majorica, an. 1414, Dertoſa, Caſaraugusta, Daroca, Maëlla, 1415, Villa-longa, Monte-Albo, Barbaſtri,

VITA

Auctore Petro Ranzano Ordinis Prædicatorum, dein Epiſc. Lucerino.

Ex codice MS. *Vltrajectino.*

PROLOGUS.

SI majorum noſtrorum, qui poſt noſtrum inclytum Ducem Dominicum Ordinis Prædicatorum gubernationem habuerunt, facta, dicta, geſta, inſtituta diligenter repetere, & cum eis ea quæ à te geſta ſunt ex eo tempore quo Dei providentia ejuſdem Ordinis ſummus Magiſter creatus es, conferre voluerimus, Pater Reverendiſſime; certe ſatis compertum habebimus, quod nulli eorum inferior, multis æqualis, plurimis vero præſtantior habearis. Nam ſi laudari ſolent illi, qui Prædicatorum Religionē fundaverunt; laudandus quoq; es tu, quandoquidem ea, quæ ipſi fundaverunt, & quæ

tu

A reperiſti vetuſtate collapſa & pene interitura, diligenter erexiſti, prudenter auxiſti, ſapientiſſime conſervaſti. Solent illi laudari, quod ſtudioſos bonarum artium amaverunt: ſed non minus & tu laudari dignus es, qui omnia Italiæ loca & multa extra Italiam, in quibus olim noſtrorũ Fratrum publica ſtudia litterarum eſſe conſueverant (quæ tu objacturas, quas noſter Ordo multis annis antea paſſus fuerat, diruta inveniſti) pro ſingulari animi tui virtute in ſplendidiorem cultum reſtituiſti. Omitto eas virtutes, quibus præditos eſſe oportet eos qui alios gubernant, præſertim juſtitiam, clementiam, manſuetudinem, liberalitatem: in quibus certe nemine inferior, omnium prudentium virorum judicio, exiſtimaris. Ad univerſas vero has & alias virtutes tuas, quas prætermiſſas hoc loco facio, illud unum accedit, quod eſt omnium præſtantiſſimum: nam cum ab annis *a* centum & triginta, ante quos floruit illud ſingulare Chriſtianæ Eccleſiæ lumen, Thomas Aquinas, uſque ad hanc ætatem fere innumerabiles utriuſque ſexus homines in diverſis mundi partibus habuerimus, qui tam doctrinarum multarum ubertate, quam vitæ ſanctitate & crebra miraculorum coruſcatione claruerunt; tamen tanta fuit noſtrorum Patrum ſeu negligentia ſeu puſillanimitas, ut eorum mirifica vita paucis nota & fere in obſcuro ſit; cum tamen nonnulli ex eis in ſanctorum Martyrum, multi in Confeſſorum, alii in Virginum catalogo aſcribi ac collocari digniſſime mererentur. Inter quos ille vir præcipuus fuit, vir, inquam, Apoſtolicus, B. Vincentius Valentinus: qui veluti ſol ceteras ſtellas claritate, ſic ipſe vitæ ſanctimonia, verbi divini præconio, ac variorum miraculorum coruſcantia ceteros ſuperavit. Et tamen cum quinque *c* & triginta anni uſque ad præſentem annum fluxerint, quod ex noſtra luce diſceſſit; neminem ex noſtris habuimus, cujus tanta diligentia aut tantus animus eſſet, ut à ſummis Pontificibus eum catalogo Sanctorum adſcribi poſtulaſſet. Quæ res facile fieri potuiſſet, quandoquidem viri ſanctitas erat fere toti mundo notiſſima, & nominis ejus erat fama celeberrima. Supererant præterea illi Romani *d* Pontifices, quibus erant cognita mirabilia opera ejus, & ſumma utilitas, quam ex fructu doctrinæ ejus (quam longe lateque diffudit) fuit Chriſtiana reſpublica conſecuta. Tu vero, Pater ſapientiſſime, ſicut doctrina multos ex his, qui te in noſtri Ordinis maximo Magiſterio præceſſere, ſic & animi magnitudine ſuperare contendis. Nam non dimittens tui regiminis gubernaculum, elegiſti pio illi ſanctoque negotio dare operam, quod ab aliis neglectum eſt: ut videlicet induſtria, vigilantia, prudentia tua *e* Nicolao Pontifici Maximo, qui ipſum Vincentium nuſquam viderat, ſed ſolum de ejus operibus pauca quædam audierat, ſuggereretur; ut inveſtigata tanti viri mirabili vita; cum ceteris Sanctis, more Romanæ Eccleſiæ, eum connumeraret. Qua in re novi ego ac ceteri, quibus tu pro humanitate tua plurimum familiariter eo tempore utebaris, quot, quantos, qualeſque labores ſuſceperis: ſed eos prætermiſſos facio, quoniam eos enumerare nec hic locus eſt congruus, nec brevibus perſtringi poſſet. Et quoniam negotio, quod magnanimiter aggredi voluiſti, quamquam non à Nicolao Pontifice ſed à *f* Calixto tertio, qui ei in ſummo Pontificio ſucceſſit, finis impoſitus eſt; volens noſtri Vincentii geſta mandare memoriæ poſteritatis, mihi juſſiſti, ut ea, quæ de ejus mirabilibus factis apud Maximum Pontificem univerſamque Romanam Eccleſiam claris veridiciſque teſtimoniis comprobata ſunt, deberem ipſe conſcribere. Quam rem, etiamſi arduam & præter ingenii mei vires ac fere infiniti operis eſſe manifeſte perſpicio; tamen quia nefas eſt tua diffugere juſſa, quod ipſe juſſiſti, facere nuper inſtitui. Fuit vero mihi illud jucundiſſimum, tum obedientiæ merito, cujus præmium me ſpero in cælis habiturum; tum quia ſcio ipſum Vincentium pro me Jeſum Chriſtum continue deprecaturum, ut mihi detur poſſe hanc noſtram mortalem fragilemque vitam ſine errore tranſigere. Nec minus ſpero tanta admiratione digna eſſe hujus divini viri opera, quod quicumque legerint, quæ ſum ipſe ſcripturus, facile permoveri poterunt, ut ejus exemplo præſentem vitam cum omnibus ejus voluptatibus aſpernentur. Igitur antequam narrationis meæ principium faciam, invoco gratiam Spiritus ſancti, quo duce, rerum copia, ſtylus, ordoque dicendi mihi miniſtretur, ſitque mei operis & fortunatum initium & feliciſſimus finis: ut illud nec vetuſtas abolere, nec ulla delere poſſit oblivio. Ipſum autem opus *g* quinque libris, & ſingulos libros ſuis *h* capitulis diſtinguam: quibus, de quo erit narratio, patebit illuſtrius. Stylo utar admodum plano, ut videlicet ſicut hoc opus eſt ad diverſos populos divulgandum, ſic à diverſis hominibus doctis atque indoctis ea quæ narrabuntur facile intelligi poſſint. Vale. *i* ex Panormo. Anno Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quinto.

Laudandum cenſet Magiſtrum Ordinis

ob ſingulares ejus virtutes,

a

b

B

c

& promotã canonizationem S. Vincentii,

d

C

apud Nicolaum V,

e

& Calixtum III,

f

Ejus mandato ſcribit Vitam S. Vincentii,

AUCTORE RANZANO EX MS.

E

g

h

E

i

ANNOTATA.

a *Cum Vita hac ſcripta ſit anno* 1455, *per annos* 130 *ſurſum numerando pervenietur ad annum* 1325.

b *Quomodo tunc floruit S. Thomas Aquinas, mortuus uti conſtat* 1274? *Vtique non in hac mortali vita degens; ſed jam in cælis immortalis, taliſque à Ioanne* XXII *declaratus anno* 1323: *primus autem poſt eum, de quo late egimus* 7 *Martii, Sanctis adſcriptus ex Ordine Prædicatorum, fuit S. Vincentius.*

c *Imo ſex & triginta, ab anno* 1419 *ad* 1455. *ſed auctor utrumque terminum, quo anni imperfecti numerantur, neglexit.*

d *Scilicet* Martinus III, *dictus* V (*cujus tempore mortuus eſt S. Vincentius*) & Eugenius IV, *qui antea Gabriel Condelmerius dictus, creatus fuerat Cardinalis à Gregorio* XII *anno* 2408, *id eſt annis undecim ante obitum S. Vincentii.*

e Nicolaus V, *antea Thomas Lucanus dictus, ab Eugenio* 4 *Cardinalis creatus* 16 *Decembris anno* 1446, & *poſt non integros tres menſes Papa* 6 *Martii* 1447, *mortuus* 24 *Martii* 1455. *cum vix duos annos in ſuo Generali Magiſterio abſolviſſet Martialis Auribelli.*

f Calliſtus III, *ante Alphonſus Borgia dictus, in eadem urbe Valentina cum S. Vincentio natus, & ibidem ſub Martino Papa creatus Epiſcopus, anno* 1427, *dein ab Eugenio* IV *Cardinalis an.* 1444, *in Papam electus* 8 *Aprilis* 1455, *cui illam dignitatem prædixerat S. Vincentius, quem* 29 *Iunii Sanctis adſcripſit, tertio menſe ſui Pontificatus.*

g *Quatuor dumtaxat libros ſcripturum ſe ſuſceperat Ranzanus ut patet ex Prologo lib.* 4. Poſt hoc *tamen* opus *alium librum de Canonizatione Sancti ſibi decretum eſſe ſignificat lib.* 3 *num.* 6. *Qui ceteris accedens* quintus *eſt*; *ideoque librarii videntur hic pro quatuor ſcripſiſſe* quinque. *Veremur ne ipſius etiam libri* 4 *pars maxima nobis deſit: certe poſtremi libri* 5. *Prologum dumtaxat & initium habemus, damuſque ſeorſim poſt miracula ex Proceſſu Venetenſi collecta.*

h *Nos omiſſis iſtis capitulis more noſtro in commodiora capita & numeros diſtinguimus.*

i *Sequentia, de anno & loco dedicationis, in Vita hactenus edita, fuerant omiſſa.*

AUCTORE RANZANO EX MS.

LIBER I.

Geſta S. Vincentii ab exordio vitæ, uſque ad maturam ætatem.

CAPUT I.

Nomen Vincentii. Præſagia ante nativitatem facta. Pia ejus pueritia & adoleſcentia.

Vincentius ob victoriam de mundo:

1 VIncentius à vincendo, quodam divino præſagio, nomen ſortitus eſt: vicit enim illa tria, de quibus ſic ait Auguſtinus in libro de Agone Chriſtiano; Quod cum cunctis ejus erroribus, amoribus, terroribus mundus iſte vincatur, ſanctorum docuit Martyrum beata mors. Beatus autem Vincentius, licet pro Chriſti confeſſione necatus non fuerit, ut Martyr dici potuiſſet; tamen dum viveret magnanime cum hoſtibus importuniſſimis dimicavit; eoſque animi ſui quadam inſeparabili virtute devicit. Nam vicit mundi errores, mirifica ſapientia; amores, integra mentis & corporis caſtimonia, terrores, incredibili animi fortitudine ac patientia. Quomodo vero ea vicerit, docebunt ea quæ de ejus integerrima vita, deque operibus omni admiratione digniſſimis, infra memorabuntur. Sed non inepte de eo illud intelligi poteſt, quod apud Euangeliſtam Joannem in Apocalypſi deſcribitur: Vidi, & ecce equus albus: & qui ſedebat ſuper eum, habebat arcum: & data eſt ei corona, & exivit vincens, ut vinceret. Primi enim illius ſigilli apertio, quæ hoc loco à Joanne deſcribitur, quamvis litterali ſenſu primum ſtatum Eccleſiæ Chriſti ſignificet, ut concorditer ab omnibus illuſtribus ſcriptoribus exponitur; ac per equum album, primum ſtatum Apoſtolorum intelligendum eſſe dicant, quorum tempore, ob novitatem ſacri baptiſmatis, Eccleſia ipſa nitens & candida dicebatur; tamen non alienum erit, ſi ſermonem iſtum de hoc inclyto Confeſſore noſtro Vincentio intelligamus. Equus quidem dici poteſt tam ob magnanimitatem; quam habuit cum hoſtibus, quos paulo ante nominavimus, dimicando; quam ob prædicationis miniſterium, quod exercuit, dum diſcurrit per univerſas occiduas regiones, Euangelium Chriſti longe lateque diffundendo. Nec tamen equus ſolum dictus eſt; ſed pulchrum fuit, ut adderetur, albus; ob nitorem videlicet pudicitiæ, qua emicuit; ob ſplendorem eruditionis, qua claruit; & tandem ob fulgorem doctrinæ, quam miris operibus ac varia miraculorum coruſcatione diffudit. Super hunc equum album Chriſtus ſedit. Teſte nempe Auguſtino, Chriſti gratia eſt in ſancti hominis anima, ſicut ſeſſor in equo. Chriſtus etiam in hoc equo ſedens, habuit arcum, qui eſt veteris novique teſtamenti Scriptura, qua defenditur Chriſtiana religio, vulneratur ac premitur hoſtis, dejicitur & confunditur Judæorum perfidia & hæreticorum perverſitas. Et data eſt eidem huic equo albo corona triplex: una ex ſideribus, & hoc propter mirabilium virtutum multitudinem, de qua corona ait Joannes in Apocalypſi; Et in capite ejus corona ſtellarum duodecim; altera ex auro, propter eruditionem magnamque doctrinæ claritatem, de qua dicitur in Eccleſiaſtico, Corona aurea ſuper caput ejus; tertia ex lapide pretioſo, de qua dicitur in Pſalmo, Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo. Hic equus tam glorioſa corona inſignis, exivit vincens carnis voluptates, mundi delicias, dæmoniſque verſutias. Exivit, inquam, in campum mundanarum tribulationum, ut vinceret carnem caſtitate, mundum paupertate, dæmonem humilitate, vitia perfectâ caritate. Quæ omnia eum feciſſe, ex geſtis ejus clariſſimis manifeſte demonſtrabitur. Sed & huic, tam ſtrenue decertanti tamque glorioſe ex proſtratis hoſtibus triumphanti, multiplex & pretioſiſſimum præmium promiſit ille, pro cujus amore pugnatur, in Apocalypſi dicens: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei. Et paulo poſt: Vincenti dabo manna abſconditum &c. Quæ autem ſint iſta tam magnifica præmia, quæ figurate vincenti à Jeſu Chriſto promittuntur, in præſenti miſſa faciamus: nimium enim longa ſumeretur oratio, ſi ſingula hæc verba, quorum ſenſus eſt profundiſſimus, vellemus exponere.

B

comparatur equo Apocalyptico,

eique albo,

C

habenti arcum ex ſacra Scriptura,

& coronam triplicem,

Apoc. 6, 2

Apoc. 12, 1

Eccl. 45, 14

Pſal. 20, 4

D

Apoc. 2

2 Beatus Vincentius ex Valentia, clariſſima Hiſpaniæ civitate, & ex antiqua honeſtaque Ferrariorum familia nativitatis duxit originem. Parentes ejus, poſt peractam in multis corporis deliciis juventutem, maturiorem ætatem cum tanta morum elegantia & tam honeſte tamque religioſe tranſegerunt, quod non immerito tam inſignem filium habere meruerunt. Inter cetera vero quibus eorum vita laudabilis reddebatur, illud ſervare præcipue ſtuduerunt, quod ſingulis annis, facto diligenti calculo rerum quæ erant eis eorumque familiæ neceſſariæ, id quod tandem ſuperfluum erat, pauperibus erogabant, Itaque ambo pie viventes, hunc filium genuerunt: qui non ſolum eis, ſed & univerſæ patriæ ejus perpetuam gloriam comparavit. Fuerunt etiam eis adhuc alii duo filii, quorum alter Petrus, alter Bonifacius nominatus eſt. Hic autem Bonifacius fuit vir utriuſque Juris conſultus, omnium ſui temporis eruditiſſimus: qui mortua uxore, adhortatus à B. Vincentio, Carthuſienſem Ordinem elegit, ejuſque habitum ſuſcepit in quodam monaſterio extra urbem Valentiam, quod ab incolis ibidem vocatur Porta-cæli: inter illius autem Ordinis Fratres adeo religioſe converſatus eſt, quod poſt quatuor annos eum in eorum Generalem Rectorem elegerunt. Satis de hoc: ad Beati Vincentii parentes redeamus.

Natus Valentiæ in Hiſpania, à parentibus honeſtis & addictis eleemoſynæ.

E

à duobus fratribus habuit Carthuſianum alterum,

3 Quantus autem aut qualis eſſet Vincentius naſciturus, patri uno, matri vero duobus indiciis oſtenſum eſt, antequam ex utero naſceretur. Patri namque dormienti, quadam nocte viſum eſt quod, cum in eccleſia Fratrum Prædicatorum eſſet, quemdam in ipſorum Fratrum habitu, virum plurimum venerabilem, prædicantem audiebat: cumque ea quæ ab illo dicebantur, magna cum aviditate hauriret, memoriæque commendare conaretur; hæc verba à viro ei dici videbantur: Congratulor tibi, ô fili cariſſime: poſt paucos enim dies uxor tua pariet tibi filium, cujus erit tanta vitæ integritas, tanta doctrinæ utilitas, tanta famæ ac mirabilium operum claritas, quod omnes Galliarum Hiſpaniarumque populi eum, tamquam unum ex veteribus Apoſtolis, venerabuntur: eritque Frater Ordinis Prædicatorum, ſicut me vides. Poſt quæ dicta, multitudo quæ ibi adeſſe videbatur, magnis vocibus Deo gratias referebat. Itaque dum & ipſe in illiuſmodi gratiarum actione ſeſe multitudini conformem reddere conaretur, ſtatim ſomno ſolutus eſt, conatuque vocis dormientem uxorem excitavit. Illa expergefacta, cœpit virum curioſe interrogare, quidnam ſibi vellet, quod tam magnam vocem dormiens emiſerit. Nec multum vir moratus, ſciſcitanti uxori, ſomnium quod viderat, jucundiſſime indicavit. Igitur ſuper ea re multa collocuti ſunt invicem: verum quia à multis theologis ſæpe didicerant, hujuſcemodi ſomniis raram adhibendam eſſe fidem, non multum de tali viſione gaviſi ſunt: ſed tamen non penitus

F

nec dum natus Patri in viſione oſtenſus, qualis & quantus eſſet futurus:

fuit

A fuit eis ablata ſpes, quo minus crederent aliqua ex parte futurum eſſe illud, quod eis per ſomnium promittebatur: unde rem ipſam Divinæ providentiæ commiſerunt. Verum ipſi mulieri duobus indiciis ſatis perſuadebatur, non omnino vanum viri ſomnium eſſe exiſtimandum. Unum fuit, quod, cum antea ſingulos filios, quos genuerat, in utero maxima cum moleſtia geſtaſſet; tamen quamdiu fuit Vincentio gravida, nihil moleſtiæ ſentiebat: quinimo tanta erat ei agilitas, tantumque corporis robur, ut pene nihil in utero portare videretur. Alterum fuit, quod eodem exiſtens filio gravida, ex utero ſuo ſæpe miro modo audivit, tamquam voces canis latrantis, ſonos emitti. Cumque ex eadem re vehementer obſtupefacta, à nonnullis, qui ſingulares ſerviDei eſſe dicebantur, præſertim à viro clariſſimo Jacobo, c Romanæ Eccleſiæ Cardinali, & Valentinæ urbis Epiſcopo, qui erat ei conſanguinitate propinquus, perquireret, quid ſibi ſignificare vellet hujuſmodi latratus; ei reſponſum eſt, nihil aliud fore, niſi quod paritura eſſet infantem, qui eſſet futurus Euangelii Chriſti ferventiſſimus ac eruditiſſimus ſanctiſſimuſque prædicator: hi namque, qui in Eccleſia Chriſtiana prædicandi exercent officium, non abſurde canibus comparari conſueverunt. Adveniente deinde tempore pariendi, quoniam multis hujuſmodi portenta divulgaverant, magna multitudo populi marium ac feminarum ad domum eorum convenit, non ſolum ut eis congratularentur, ſed etiam ut quiſque videre poſſet natum infantem, de quo talia promiſſa divina facta dicebantur.

dein & mari duplici indicio.

c

B

Conſanguinei in baptiſmo diſceptantibus

4 Peractis deinde aliquot diebus, conſtituto die baptiſmi, amici & cognati ad eccleſiam convenere. Cum igitur deventum eſt ad ea quæ in pueris baptizandis fieri ſolent, inter eos qui aderant longa fuit diſceptatio de ipſius nominis impoſitione: unuſquiſque enim ex eis, qui ad baptiſmum fuerant vocati, ſuum nomen infanti imponere cupiebat. Tunc Sacerdos, videns inter eos tantam eſſe diſcrepantiam, tædio affectus, tandem inquit: Quando diu vos expectavi, nec vos video eſſe poſſe concordes; ego volo huic infanti nomen imponere: ſit igitur nomen ejus Vincentius. Quod illi audientes, conticuerunt, laudaverunque prudentis conſilium, ac ſimul dixerunt: Vocetur Vincentius. Fuit tamen poſt factum magna omnibus admiratio, illudque non niſi Dei providentia eveniſſe arbitrati ſunt; nam nemo ex cognatis, nec ex cunctis qui adſtabant aliquis erat qui Vincentius vocaretur. Multi autem ex eis qui affuerunt, ea quæ geſta ſunt in iſtiuſmodi nominis impoſitione, memoriæ commendaverunt: ut videlicet videre poſſent, ſi illi nomini futura opera Vincentii convenirent. Demum ubi Vincentius adolevit, manifeſte viderunt tam mirifica eſſe ejus opera, ut rei & nominis nulla diſcrepantia penitus appareret.

Sacerdos ei nomen Vincentii imponit:

C

amabilis in infantia

5 Matri præterea, Vincentium infantem educanti, plures cauſæ oblatæ ſunt, ut eum, ultra quam credi poſſet, tenerrime diligeret. Quemadmodum enim ei parum moleſtiæ dederat, tempore quo eo gravida fuerat; ſic & dum eum parvulum nutriebat, rarus erat in eo vagitus; & ubicumque à matre collocabatur, tacitus quieſcebat. Si quando in cunabulis poſitus vigilabat, apertos tenens oculos, ſecum totus jucundus eſſe videbatur. Erat aſpectu decorus, ut non modo matri, verum etiam ſingulis qui eum aſpiciebant, amabilis redderetur. Mox vero, ubi ſextum annum attigit, parentes primis eum litteris imbuendum tradiderunt. Itaque puer in talibus exercitiis primos annos agens, incredibile dictu eſt quam brevi tempore quantum profecerit: nondum namque decimum annum attigerat, & non ſolum pueros coætaneos, ſed & multos alios eo natu majores, qui ſub eodem præceptore proficiebant, jam longe ſuperaverat. Pueris rariſſime colludebat: & ſi interdum eum cum pueris eſſe contingeret, poſt brevem honeſtumque ludum eos ſilere & ſedere cogebat, & aliquem eminentem locum conſcendens, ſic dicebat: Audite, ô pueri, quæ loquor, & dijudicate, aptuſne an ineptus prædicator ſim ipſe futurus. Itaque ſedentibus ſilentibuſque illis, ſe primo loco Cruce ſignabat; & incipiens quædam dicebat, quæ didicerat ab eis qui Valentiæ prædicabant. Nullum eruditum theologum viderat prædicantem, quem in quibuſdam geſtibus, dictis ac ſententiis non ſciviſſet effingere. Hæc omnia parentes ac ceteri qui videbant, non ſolum conſiderabant, ſed etiam mirabantur, & tacito pectore conſervabant.

puer ſtudiis incumbit:

AUCTORE RANZANO EX MS.

& pueris concionatur:

6 In Grammatica autem non mediocriter inſtructus, dum ageret duodecimum annum, ad dialecticam ſuum ſtudium tranſtulit: in qua quoque facultate in duorum annorum ſpatio tantum profecit, quod inter adoleſcentes, qui ſecum illi facultati incumbebant, ſummus omnium habebatur. Vitam ſuam, ſicut in pueritia ſic & in adoleſcente ætate, cum omni innocentia ſtuduit ducere. Faciebat hoc non ſolum gratia, quam Deus ipſum præveniens in mentem ejus à teneris annis infuderat; verum etiam quædã animi ſui natura fortunatiſſima, qua in virtutes pronus & inclinatus ſummopere reddebatur. Juvit quoque & parentum diligentia, qui pueri innocentiam pronumque in virtutes animum advertentes, multis blanditiis eum frequenter incitabant & exhortabantur, ut in incepta virtute perſeveraret, ac quotidie niteretur fieri melior. Itaque quemadmodum ab optimis parentibus ſuis didicerat, ſic debito tempore eccleſias frequentabat, Miſſarum ſolenniis intererat, prædicatorum doctrinas avide & devotiſſime hauriebat, religioſe jejunabat, pie Dei laudibus vacabat. Singulis hebdomadis bis, id eſt, quarta & ſexta feria, eum jejunare docuerunt: quorum documentum adeo tenaciter menti adoleſcentis impreſſum eſt, illudque tanta alacritate ſuſcepit, ut uſque ad felicem vitæ ſuæ terminum hujuſcemodi jejunium frequenter ſervaverit.

adoleſcens audit philoſophiam:

modeſtus in moribus,

frequens in eccleſia.

jejunat feria 4 & 6.

E

7 Quoſcumque etiam prædicatores, qui Valentiæ Dei verbum prædicabant, ſive docti ſive indocti eſſent, quadam pia curioſitate audire cupiebat: quando vero ipſi prædicatores aliquid in beatæ Virginis Mariæ glorioſiſſimæ Dei genitricis laudes dicebant, lætus totus efficiebatur, & ex ipſa mentis lætitia lacrymas continere non poterat. Semper autem flebat uberrime, quando de myſterio Paſſionis Chriſti aut ipſe legebat, aut ab aliis legi vel dici audiebat: tantaque inerat ei in lacrymando dulcedo, ut à lacrymis deſiſtere eſſet ei moleſtum, in eis vero perdurare jucundiſſimum. Pro ſingulari quoque devotione, quam habebat ad Crucem Ieſu Chriſti & ad beatam Virginem Mariam, Officium, quod in utriuſque laudem Clerici dicere ſolent, ſingulis ſtatutis horis quotidie dicebat. Erga pauperes, præſertim Religioſos, liberaliſſimum ſe ſemper exhibuit: eos enim in domum parentum ſuorum introductos, rebus quibus poterat lætiſſima fronte refici faciebat. Et quamvis hujuſcemodi pietatis officiis tantum eſſet aſſiduus, parentes tamen ei congratulabantur, nec unquam ea, quæ ſanctus adoleſcens in eleemoſynas erogabat, contracta facie eum facere prohibuerunt: quinimo tertiam partem ſubſtantiæ, quæ eum contingebat, ei conceſſerunt: quam ille quatriduo totam pauperibus erogabat.

F

addictus cultui Deiparæ Virginis & Paſſioni Chriſti,

benignus in pauperes.

AUCTORE RANZANO EX MS.

ANNOTATA.

a *Pater ejus appellabatur aliis* Guilelmus, *aliis* Michaël Ferrarius, urbis Notarius *seu* Graphiarius: *mater* Constantia Miguel, filia Guillelmi Miguel & Catharinæ Revert, *ut ea & alia de familia pluribus describit Franciscus Diagus lib.2 Historiæ quam de provincia Aragoniæ Ordinis Prædicatorum scripsit, cap.50, Rechacus cap.1 Vitæ, & alii.*

b Bonifacius *præfuit Generalis toti ordini Carthusianorum ab anno 1402 ad 1410, quando renuntiavit & absolutus est, postea mortuus 29 Aprilis anno 1417. De eo apud Carthusianos extat à Polycarpo de Riparia factum hoc distichon:*

Debueram Prior esse, fui: me vincere, vici:
Tollere Schisma, tuli: cedere, deposui.

c *Hic videtur debere addi aut subintelligi,* postmodum: *nam factus traditur* Jacobus *Episcopus Valentinus anno 1369, anno autem 1357 erat Episcopus* Vitalis *Iacobi decessor, quando S. Vincentium esse natum, supra diximus: alii alios Episcopos hic loco Iacobi substituunt.*

CAPUT II.

B *Ingressus S. Vincentii in Ordinem Prædicatorum. Studia theologica. Conciones.*

8 HIs tot tantisque præclaris adolescentis virtutibus accedebat illud, quod, cum raro in homine adolescente possit reperiri, solet quoque esse & maxima admiratione dignum: namque antequam *a* secundum & vicesimum annum attingeret, tam pertinaci studio litteris incubuit, ut inter eos, qui Valentiæ philosophiam Theologiamque profitebantur, summus omnium haberetur. Inerat ei grande & acutum ingenium, tenax indelebiliſq; memoria, & continua in studiis perseverantia. Tantæ vero modestiæ fuit, ut numquã visus sit cum aliquo, sive loquendo sive etiam disputando, contendere. Parentibus tantum obedire tantumq; honorare eos studuit, ut numquã ab aliquo notari potuerit, quod eis vel minimam dederit offensam. Hæ tam mirificæ virtutes fecerunt, ut à cunctis Valentinis civibus vehementissime amaretur.

Summus habetur & philosophus & theologus

9 Memor sancti hujus adolescentis pater, eorum quæ de filio ejus nascituro ei fuerant divinitus indicata; atque ex alia parte considerans in adulto filio tantam rerum peritiam tantamque morum elegantiam, quadam die eum ad se accersitum his verbis allocutus est: Tria sunt, optime fili, quæ me plurimum agitant, redduntque animo suspensum: & si mihi daretur optio, plane ex meipso intelligerem, quid illorum potius esset eligendum: volui tamen tuam audire sententiam, & polliceor me penitus prosecuturum id quod ipse facere proposueris. Memoriæ mihi est, quod tibi frequentere narravi, ea quæ de te mihi Deus per quietem revelavit, antequam ex matris utero nascereris: & variæ virtutes, quibus jam à primis annis te præditum vidi, mihi spondere videntur, omnino debere imperi, quod habitum religionis Prædicatorum sis susceperturus, quodque in ipso habitu debes esse fidei Christianæ prædicator præcipuus. Me deinde inducunt divitiæ, quibus pro summa Dei liberalitate abundamus, florida quoque adolescentia tua formæque præstantia, ut uxorem tibi aliquam perquiram, quæ his omnibus conveniat. Postremo, quoniam considero in te multarum rerum esse peritiam, quæ profecto tanta est, ut omnes existiment te futurum esse unum ex viris doctissimis, quos orbis terrarum habet; idcirco ipse mihi fortissime persuasi, ut te vel Romam vel Parisius mitterem, ubi virtus & eruditio tua his qui eruditissimi sunt nota fiat, & tandem ad aliquam dignitatem merito efferri possis, quo nostræ familiæ perpetua gloria comparetur. Hæc sunt, carissime fili, quibus meus animus quotidianis fluctibus agitatur: verum ego numquam ad aliquid horum faciendum te exhortor, nisi ad id quod tibi potius videatur. Tu tamen manifesta mihi consilium animi tui, ut, dum opportunum tempus nobis est, tibi, antequam moriar, de eo in quod declinare volueris provideamus. Ad hæc Vincentius ita paucis verbis respondit: Decreveram, pater optime, jam dudum te alloqui super his, quæ de meipso facere proposueram: sed quoniam Dei voluntate factum est, ut tu me prævenires, pro his omnibus quæ dixisti, brevissime respondebo, tibique omnia quæ in animo mihi sunt, manifestabo. A divitiis, corporis voluptatibus, & seculi hujus honoribus scito me esse plurimum alienum. Omnem amorem, curam, propositum, & omne consilium meum in Iesum Christum sine aliqua hæsitatione defixi: & ob hanc rem constitui habitum B. Dominici susc ipere, & in ejus religione me Dei servitio dedicare. Suppliciter igitur te oro, pater mi suavissime, ut si me amas, facias me tua benedictione dignum: & hoc idem à matre mea humiliter postulabo; ut videlicet pace amborum ad Dei servitium valeam proficisci. Hæc igitur Vincentii verba patris animum tantum commoverunt, quod lacrymas continere non potuit. Igitur filium complectens ac deosculans, multis cum lacrymis benedixit. Filius quoque collo patris appendens, ac paternis lacrymis plurimum commotus, cœpit & ipse uberrime flere. Igitur spirituali lætitia ac mutua pietate collacrymantes, Deo gratias retulere: moxque pater filium ad matrem duxit, eique sanctum propositum suum indicavit. Qua ex re vehementer gavisa mater, ac videns filium ante se prostratum, ut maternam benedictionem acciperet, non minus & ipsa cœpit collacrymari. Tandem, Carissime fili, inquit, hoc est, quod semper optavi, & quod à Domino mihi concedi frequentissime postulavi. Tibi & nobis congratulor: tibi quidem, quia effugies hujus caducæ vitæ miserias; nobis autem, quia à Iesu Christo nobis concedi meruimus, ut nostri voti compotes nos esse videremus. Igitur Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuũ. Det tibi Deus cælestem benedictionem: meam autem, quamdiu vixero, semper habebis.

D

eligit vitam religiosam in Ordine S. Dominici:

approbantibus parentibus.

10 In his atque aliis hujusce modi sermonibus, illius diei maximam partem consumpserunt: postero autem die pater cum filio ad Fratrum Prædicatorum conventum sese contulerunt, & Priori ceterisque Fratribus causam, ob quam venerant, exposuerunt. Quanto ergo gaudio affecti sint Fratres, brevibus certe aperiri non posset sermonibus: confiderabant namque, quod adolescens, qui in prima ætate erat & scientia & moribus præstantissimus, merito in matura ætate maximus futurus esset: ac propterea arbitrabantur, quod Prædicatorum Ordini multum splendoris & gloriæ esset adepturus. Quas ob res eum jucundissime & humanissime susceperunt: & post triduum die Dominica, *b* quæ fuit Nonis Februarij, eo agente octavum & decimum annum, ei habitum tribuerunt. Post habitus susceptionem cœpit ingeniosus puer ea inter cetera legere, quæ de vita divi Patris Dominici scripta sunt. Mira profecto adolescentis sapientia: dignum enim esse censuit, ut inprimis illa essent intelligenda, in quibus suum inclytum ducem Dominicum imitari debuisset. Itaque ultra plurimas virtutes, quibus B. Dominicum præditum fuisse legit, & in quibus ejus æmulator esse studuit, sacræ theologiæ ac lectioni sancta-

E

admittitur & sacro habitu induitur.

b

legit Vitam S. Dominici:

F

C *è tribus à patre circa statum vitæ eligendæ propositis,*

A *ſtudiis theologicis & ſacra Scriptura incumbit:*

ſanctarum Scripturarum, exemplo ipſius B. Domiſi, ſe totum dedit: ut videlicet talibus, divinis armis munitus, poſſet opportuno tempore Euangelii doctrinam longe lateque diffundere. Numquam otioſe ſtare vel loqui viſus eſt: univerſum vero tempus aut orationibus, aut ſcholaſticis exercitiis, aut officiis ei commiſſis occupabat. Erat in eo, in cunctis quæ faciebat & dicebat, multa & admirabilis humilitas: in converſatione autem, ultra quam dici poſſit, ſe omnibus humanum exhibebat. Deinde, quia, ut ſupra ſcripſimus, non ſolum morum elegantia, ſed etiam doctrinæ claritate excellens habebatur; ab eo qui in ipſo Fratrum conventu præerat, ei injunctum eſt, ut pro Fratrum adoleſcentium profectu de dialectica & de philoſophia aliqua

Prælegit dialecticam & philoſophicam legere debuiſſet: quam rem humiliter & jucunde ſeſe facturum obtulit. Tanta autem erat in eo, quando legebat, facundia & eruditio, quod ex ſecularibus quoque juvenibus, ad eum audiendum ac ſub ejus diſciplina proficiendum, ſupra ſeptuaginta convenerunt. In quo exercitio tres continuos annos conſumpſit.

mittitur Barcinonem & Ilerdam:

B 11 Deinde Prior ceterique Fratres, grande ejus ingenium conſiderantes, indignumque æſtimantes, ut tantus juvenis Valentiæ teneretur, uno animo decreverunt eum mittere Barcinonam, unam ex claris celebratiſque urbibus, quas orbis terrarum habet: in qua erant nonnulli theologi ex ipſo Ordine Prædicatorum, qui illa ætate omnium doctiſſimi habebantur: deinde Ilerdam antiquam celebremque Cataloniæ civitatem; in qua pro illo tempore florebant publica ſtudia liberalium diſciplinarum. Ipſe igitur quo à Fratribus miſſus fuerat humiliter proficiſcens, cœpit theologicæ facultati tam pertinaciter incumbere, quod pro ſingulari eruditione ſua, vigeſimum octavum annum agens, fuit theologorum adnumeratus collegio *c* à Benedicto Maximo Pontifice, cujus paulo poſt mentionem faciemus. Inter ſtu-

c edit librum de Dialecticis ſuppoſitionibus.

diorum vero ejus tempora, cum eſſet viginti quatuor annorum, edidit inſigne illud opus de Dialecticis ſuppoſitionibus: in quo quiſque manifeſte videre poteſt, quanta fuerit auctoris peritia, ſi conſideretur in ipſo opuſculo multa eſſe præclariſſima, non ſolum ex media philoſophia, verum etiam ex profundiſſima theologia delecta. Poſtea autem quam inſigni illa corona donatus eſt, qua donari ſolent hi qui theologis connumerantur, à Fratribus & amicis

C fuit Valentiam revocatus. Et quia, ut ſupra memoratum eſt, ob doctrinam virtuteſque ejus celeberrimi nominis erat: idcirco ea hora, qua Valentiam ingreſſus eſt, à multis nobilibus clariſque viris, ei obviam extra urbem euntibus, fuit magno cum honore ſuſceptus. Paucis vero poſt diebus Epiſcopus & Capitulum Valentinæ Eccleſiæ, & hi qui in ipſa urbe magiſtratum gerebant, eum obſecraverunt, ut aliquid de Scripturis ſacris deque facultate theologica publice legeret: quam rem libenti animo factu-

prælegit theologiam & concionatur: rum ſeſe reſpondit. Itaque impetrata facultate ab eo qui Aragoniæ provinciam gubernabat, in ipſa Valentina urbe & eccleſia ſex continuos annos, cum incredibili omnium attentione, non ſolum legit eis, qui in ſcholis vacabant ſtudiis liberalium artium, verum etiam viris popularibus publice prædicavit, à quibus mira aviditate audiebatur: tantæque veneprationis erat apud eos, ut in ipſa civitate ſolus doctus, ſolus religioſus, ac ſolus ſanctus, & ſolus Chriſti ſervus haberetur. Tam autem longe lateque nomen eruditionis & ſanctitatis ejus diffuſum erat, quod ex proximis quoque viciniſque civitatibus multi concurrerent, ut eum & prædicantem audirent, & ſub tam inſigni litterarum ac morum præceptore proficerent.

12 Inter hæc tempora venit Valentiam, vir illa ætate nominatiſſimus, Petrus de Luna, unus ex Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, miſſus Legatus ad Carolum *d* Francorum Regem à Clemente Papa, quem in Fundenſi urbe in ſummum Antiſtitem *e* elegerat illa pars Cardinalium, quæ ab Urbano Papa ſexto, tamquam à Pontifice non rite creato, diſceſſerat. Is igitur, auditis his quæ de Vincentii doctrina & miris ejus virtutibus ferebantur, eum ſecum duxit, ac tamdiu tenuit, donec peracto legationis tempore ad ipſum Pontificem rediit. Tam grata autem fuit Cardinali Vincentii converſatio, ut vix multis precibus impetrare potuerit, ne ejus curiam ſequeretur. Tandem impetrato quod voluit, Valentiam reverſus, retulit ſe ad conſueta legendi ac prædicandi exercitia.

AUCTORE RANZANO EX MS.

adeſt Legato Pontificio ad Carolum Regē Francorum.

d e

ANNOTATA.

a *In MS. noſtro, omiſſo* ſecundo, ſolum, legebatur viceſimum annum. *Flaminius habet:* Nondum annos duo de viginti natus, *& forſan melius ut ex ſequentibus patet.*

b *Vt* Nona Februarij *conveniant in Dominicam, debet ipſa Dominica ſignari littera A, quod, contigiſſe anno* 1374, *ſupra diximus.*

c *Doctor creatur circa annis* 1384, *Cardinali tunc Legato ad Reges Hiſpaniarum Petro de Luna, qui hic* Benedictus *dicitur.*

d *Is eſt Carolus VI, qui patri Carolo V mortuo* 1380, *die* 16 *Septembris, ſucceſſit, vita functus* 21 *Octobris anno* 1422.

e *Electus eſt tam Vrbanus VI, quam Clemens, anno* 1378; *ille* 8 *Aprilis, iſte* 21 *Septembris.*

CAPUT III.

Infeſtationes dæmonum, & tentationes à mulieribus impudicis illatæ forti animo ſuperantur. Fama à detrahente lacerata, reſtituitur.

14 IN ipſa autem civitate Valentia, licet multum fructum fecerit animarum, tamen quamdiu ibi commoratus eſt, & dæmonum & hominum varias pertulit inſidias. Sed ut de inviſibilibus inſidiis omittamus, quibus omnes à dæmonibus tentari fideles ſolent, de viſibilibus hoc loco pauca ſubjiciamus. Quadam nocte, cum finito matutinali Officio ante B. Mariæ Virginis oraret imaginem, & inter cetera virtutem perſeverantiæ à Domino Ieſu Chriſto ſibi concedi peteret; viſus eſt ei adſtare ante oculos diabolus, in ſpecie ſenis valde venerabilis, cujus erat barba uſque ad genua prolixa & nigerrima, qui ei dixit: Ego ſum unus ex illis veteribus Patribus, qui multis annis, magna cum corporis continentia ac incredibili potus cibique parcitate, Ægypti ſolitudinem incolui: & cum eſſem juvenis, omnem corporis voluptatem experiri volui: poſtquam vero tempora juventutis meæ in variis deliciis conſumpſi, in me reverſus, pœnitentiam egi: & ſic clementiſſimus Deus dedit mihi veniam peccatorum meorum. Nunc igitur, ſi mihi ſeni credendum eſt, qui habeo multarum rerum uſum, tibi ſuadeo, ut floridæ ætati tuæ compatiaris, & hanc corporis macerationem nunc omittas, & uſque ad ſenectam reſerves. Nec dubites: paratus eſt enim Deus ſemper peccatorum ſuſcipere pœnitentiam. Sanctus autem Vincentius, ubi primo rem hujuſcemodi vidit, fuit vehementi timore commotus: ſed poſtquam verba loquentis advertit eſſe venenifera, diabolum eſſe ſuſpicatus eſt: unde ſeſe Deo & beatæ Virgini commendans, nihil ad verba diaboli reſpondit, ſed ſe ſigno Cru-

F *Dæmonem inſtar eremitæ Ægyptii apparentem, & à pœnitentia avocantem Crucis ſigno fugat.*

cis

AUCTORE RANZANO EX MS.

cis muniens, Abi, inquit, peſtifer ſerpens: namque ex ſubdolis verbis & dictis tuis, non unus ex Ægypti Patribus, ſed ex inferni dæmonibus unus eſſe convinceris. Credidiſti novum militem Chriſti tuis inſidiis poſſe ſuperari: ſed licet novus ſim in hac militia, tamen gratia Chriſti, cujus amore laboribus ac tentationibus me expoſui, me ſic undique armatum reddet, ut contra te dimicare non metuam. Dæmon vero ſe cognitum videns, emiſſo ejulatu magno ac teterrimo fœtore relicto, protinus evanuit. Viſionem vero iſtam vir Dei nonnullis Fratribus revelavit, eos obſecrans ac ſtrictiſſimis præceptis eis inhibens, ne cui rem geſtam revelarent. At illi indignum eſſe arbitrantes, ut tam memorabile factum ſilentio premeretur, rem prout geſta fuerat per univerſam civitatem divulgaverunt.

iterum in ſpecie Æthiopis deſperationem perſeverantiæ injicientem:

14 Alia quoque nocte eidem oranti ante altare quoddam, in quo erat imago Ieſu Chriſti crucifixi depicta, apparuit diabolus in ſpecie vaſti Æthiopis, hujuſcemodi verba depromens: Orationibus ac ceteris operibus tuis, quibus te cælum credis poſſe adipiſci, tantum inſidiabor, donec faciam te turpiter devictum ſuccumbere. Ad quem ſanctus Chriſti miles hoc pacto reſpondit: quamdiu me gratia
B Dei comitabitur, nullas tuas qualeſcumque inſidias formidabo. Et diabolus; Nihil eſt, inquit, difficilius, quam ut uſque in finem poſſis in gratia, de qua loqueris, perſeverare. Reſpondit Vincentius: Ille qui dedit mihi ut inciperem, dabit mihi quoque ut perſeverem. Itaque tunc frontem armavit Crucis ſignaculo, & illico dæmon diſparuit ab eo, tamquam umbra fugatur à ſole.

Adverſus Helvidiũ,

15 Alio tempore, dum circa quartam noctis horam in cella ſua legeret librum illum, quem edidit D. Hieronymus de B. Mariæ Virginitate perpetua, & inter ſuavitatem lectionis beatam ipſam Virginem obſecraret, ut ejus virginitatem cuſtodiret: facta

territus voce diabolica contra virginitatem,

eſt ad eum vox hujuſcemodi, Non omnes poſſumus eſſe virgines: namque tametſi uſque nunc te Virginem appellare potuiſti, non tamen ulterius patiar, ut tam honorato nomine gaudeas. Vir Dei ad hæc verba plurimum attendens, intra ſe tacitus ſoliciteque volutabat, quid ſibi vellet ſermo, quem audierat. Non enim induci poterat, ut verba illa ab ore B. Mariæ Virginis emanaſſe crederet: quippe quæ quos invenit virginitatis cuſtodes, Virgo ipſa, ſemper amavit, confortavit, adjuvit, magnificavit. Genua igitur flectens, ab ipſa Virgine petiit,
C ut, quid ſignificare vellent verba illa terrifica, dignaretur oſtendere. Nec multo poſt ei beata Virgo cum luce magna viſibiliter apparuit; & poſtquam ſui eum viſione confortavit lætumque reddidit, hoc pacto locuta eſt: Verba, illa, ad te paulo ante facta, diaboli fuerunt: qui tibi proponit bonorum operum difficultatem, ut territus ab incepta virtute deſiſtas. Tu tantum cautus eſto, & conſtanti animo perſeveres. Et quamquam tibi crebras parabit inſidias, ac frequenter conabitur ut periclitetur virginitas tua, utque ceteræ virtutes, quæ in te ſunt, corruant; tamen ne diffidas: ſpera ſemper in Domino, quoniam ipſe erit clypeus tuus, quo non ſolum arma diaboli poteris facile contemnere, ſed & ipſum cunctaſque artes & verſutias ejus magnanimiter ſuperabis. Hæc ubi à Virgine glorioſa dicta ſunt, ei à Vincentio gratiæ referuntur, & illa mox diſparuit. Ex eo autem tempore Chriſti militi tantum fervoris accrevit, ut non terreſtris homo ſed cæleſtis Angelus eſſe videretur. Nunc ſubjicienda quoque ſunt exempla quædam, quibus patebit, quanta calliditate antiquus hoſtis niſus eſt ejus animum frangere & ad libidinem inclinare.

à B. Maria apparente confortatur:

16 Erat B. Vincentius non ſolum virtutibus præditus, ſed etiam corpore pulcher & adſpectu venuſtus: quo fiebat, ut ejus virtutes eſſent gratiores, D facerentque ut ab omnibus vehementer amaretur. Fuit igitur Valentiæ mulier quædam, tam nobilitate generis clara quam corporali forma præſtans: quæ, ſuggerente diabolo, capta eſt amore ipſius Vincentii carnali tam ardenter, quod nullam aut animi aut corporis quietem habere poterat: ſed ſingulis diebus frequentabat loca, in quibus eum vel videre vel alloqui poſſet. Vincentius vero, licet eam ad ſe *ad feminã Valentinã libidinoſo amore æſtuantem,* frequenter venire videret, tamen nihil malum & ſiniſtrum ſuſpicabatur; ſed arbitrabatur eam aliqua devotione moveri, ut devotis mulieribus conſuetum eſt; quæ ſervos Dei quadam naturali pietate, affectuoſius quam faciant mares, piis obſequiis venerantur. Illa autem de die in diem vehementiſſimo fervore amoris agitabatur, ac tandem quid faceret neſciens, deliberavit corporis gravem ægritudinem fingere, ut ſic haberet opportunitatem alloquendi eum, & eidem manifeſtandi flammas ardentis amoris, quibus intrinſecus urebatur. Itaque lecto ægrotantium more decubuit, cœpitque multo eum clamore magnos dolores oſtendere, ac demum in ipſo lecto frequenter huc atque illuc tam miſerabiliter verſabatur, quod cunctos qui adſtabant ad
E ſui commiſerationem mirum in modum provocabat. Advocantur medici, qui nullum in ea ægritudinis *& ſe ægram eſſe fingentẽ, evocatus,* ſignum eſſe cognoſcentes, varia judicia proferebant: ſi qua tamen in ea ægritudo eſſet, intrinſecus eſſe arbitrabantur. Tandem, videntes quod nimio dolore torquebatur, conſulunt accerſiri Sacerdotem, cui illa confiteretur: ne videlicet inter tanti doloris vehementiam ſine ſacra confeſſione diſcederet. Eligitur itaque ab ea vir Dei Vincentius: qui celeriter veniens, cameramque in qua illa decumbebat ingreſſus; ac cunctis qui aderant ex more excluſis, cœpit puellam exhortari ad pœnitentiam, & peccatorum ſuorum contritionem veram. Mulier vero in initio non audet manifeſtare vehementiam amoris, quo occupata tenebatur, ſed ipſa fecit ea quæ pro conſuetudine Chriſtianæ religionis ad ritum pertinent confeſſionis. Verumtamen interea ſæpe propoſuit, amorem quo urebatur verbis exprimere: ſed quando dicere incipiebat, pudor verba labiis inhærentia detinebat: & ſic protrahebat ulterius verba, reſpondebatque ad ea de quibus ſanctus confeſſor eam interrogabat. Et poſt multa verba ultro citroque habita, tandem occultum ignem mulier celare non potuit, ſed omni formidine pudoreque depoſito, Scito, inquit, ô Frater Vincenti, me non
F quidem corpore ſed mente ægram detineri: & niſi tu mihi pro tua miſeratione ſuccurreris, ſcito me illico morituram. Jam enim annus eſt, quod tuo amore adeo ardenter capta ſum, ut non ſolum ignis ardentis flammis cor meum quaſi exuri ſentiam, ſed & ad tanti fervoris agitationem deveni, quod frequentiſſime me ipſam propriis manibus enecare decreveram. Volui tibi ſæpiſſime cordis mei fervorem manifeſtare: ſed me partim tenuit pudor femineus, partim nomen ſanctitatis & innocentiæ tuæ, quæ me formidare fecerunt, ne tam execrabile facinus tibi aperirem: itaque tandem deſperans, nemini meum ignem indicare volui, ſed tacitum uſque ad hoc tempus reſervavi. Mihi vero ſuper hac re iterum atque iterum cogitanti, viſum eſt potius, ut debuiſſem *& ad libidinem provocatus,* hanc corporis ægritudinem fingere, quo locum tempuſque opportunum haberem, quibus hujus ignis flammas poſſem extinguere, & optata voluntate potiri. Quamobrem meum corpus, quod cernis eſſe pulcherrimum, expono poteſtati tuæ. Sume igitur *diſcedit cum execratione:* nunc de me voluptatem, & principium faciamus, ut deinceps ſimus ambo indiſſolubili ac perpetuo amore con-

A

re conjuncti. Hæc dicens, linteum quo tegebatur amovit, & ſeſe totam nudam exhibuit. Sanctus vero Confeſſor admiratus impudentis feminæ audaciam, ac ſcelus abominabile execrans, inprimis eam commonere cœpit, ut nudum corpus tegeret; deinde à tam nefario opere abducere cum ſeveritate multa conatus eſt: poſtremo ei dixit, quod Ieſu Chriſto ſuum corpus animumque à teneris annis devoverat, quodque ſe perpetuam caſtitatem ſervaturum promiſerat, & ob id omnem terrenum amorem abdicaverat, omnemque libidinem execraverat. Quibus dictis, ab ea protinus diſceſſit. Illa tali reſponſo indignata, mox cogitavit in virum innocentem objectare infamiam, & tamquam altera Putipharis uxor voluit clamare ac dicere contra Sanctum Dei, quod eam violenter oppri-

obſeſſam à diabolo,

mere voluiſſet: ſed ſumma Dei providentia nequaquam paſſa eſt, ut innocenti homini tam execrabilis facinoris infamia opponeretur. Ecce enim cum primum impudens femina voluit vocem emittere, ille idem diabolus, qui ei nefandum amorem ingeſſerat, ejus corpus graviſſime vexare cœpit. Accurrunt igitur cuncti, qui extra cameram expectabant, & tanti clamoris cauſam diligenter ſciſcitabantur.

B

Tandem, viſis multis ſignis, mulierem à dæmonio vexari perpenderunt. Advocantur itaque multi, qui dæmonem noverant adjurare: adhibentur præterea remedia, quæ hujuſmodi adhiberi conſueverant: quæ nihil proficiebant ad hoc ut diabolus expelleretur: unde & ipſe diabolus eis qui eum adjurabant, hoc pacto reſpondebat: Ex hoc corpore numquam me expellere poteritis, niſi huc venerit vir ille, qui in medio igne poſitus, non potuit ab igne comburi. Quærunt igitur omnes, quid ſibi velint hæc verba, quæ diabolus proferebat. Poſt longam hujus viri ſciſcitationem, quidam ex his qui aderant in medium ſurgentes, inquiunt: Advocetur, Frater Vincentius: nam ipſe mulieris hujus confeſſionem audivit. Eſt etiam vir & ſcientia & ſanctitate inſignis, propter quæ certum nobis eſſe debet, quod nemo ſit, qui vobis poſſit verius vocum harum ſignificationem aperire quam ipſe. Aſſenſere omnes, & mox ad Beatum Vincentium ſeſe contulerunt, & iterum quæ acciderant aperuerunt: precanturque ut dignetur viſitare feminam, quæ, dum valebat, magnam erga eum benevolentiam ſeſe habere demonſtraverat. Ipſe autem, etſi ſe plurimum difficilem oſtendit; tamen, ne rem inconſuetam facere videretur, quandoquidem antea infirmos ſemper viſitare conſueverat, fecit quod illi voluerunt. Attamen ſecum multa cogitans, ſeſe Ieſu Chriſto commendavit, eumque precatus eſt, ut pro immenſa clementia ſua dignaretur miſereri mulieris, quæ à dæmone, non ſolum corpore ſed etiam in anima vexabatur. Poſtquam igitur ventum eſt in locum, ubi illa mulier vexabatur, dæmon ululatum teterrimum & horribiliſſimum emittens, En adeſt, inquit, vir ille, qui in medio igne poſitus, non fuit ab igne combuſtus: nunc igitur hinc diſcedendum eſt: & hæc dicens protinus abiit & hujus mulieris corpus ſemimortuum dereliquit. Illi igitur qui aderant, videntes tam grande miraculum, obſtupuerunt, ejuſque ſanctitatem majori in veneratione habuerunt.

17 Alium quoque modum diabolus machinatus eſt, quo fortem caſtumque animum ejus frangeret, & ad libidinem inclinaret. Suggeſſit enim nonnullis (qui ſeu religioſi ſeu ſeculares homines fuerint, nobis incertum eſt) ut pro experiendo ſancti viri animo mulierem quamdam meretricem ſpecioſiſſimam, pretio conductam, in cellam ejus nocte introducerent. Captato igitur opportuno tempore,

quo videlicet Vincentius ipſe ex more in eccleſia orationi inſiſtebat, memorata femina in cellam ejus introducta eſt. Vincentius ergo ab oratione regrediens, clauſo oſtio, & in locum, ubi dormire ſolebat, veniens, reſpicit ibi illam mulierem ſedentem, & in primo aſpectu vehementer obſtupuit, & antequam alloqueretur, multa cogitabat: ſed tandem exiſtimavit illam non eſſe mulierem ut videbatur, ſed potius diabolum, qui in mulieris ſpecie eum decipere voluiſſet: unde hoc pacto locutus eſt: Quæ tibi cauſa fuit, ut huc venires in tali forma, maledicte diabole, qui ſervis Dei novis ſemper dolis inſidiaris? Meretrix autem, ut erat ab eis, qui eam introduxerant, inſtructa, ita reſpondit: Noli, ô Frater Vincenti, me diabolum appellare: femina enim ſum, & non diabolus. Sed obſecro te, ut me patienter audias, & exponam tibi cauſam quæ me movit ad hoc: & modum quo huc ingreſſa ſum. Fere quatuor menſes ſunt, quod tuo amore capta ſum & frequenter tentavi, ut diei vel noctis tempore ſecreto ad te venire poſſem; ſed numquam mihi miſeræ ſeſe obtulit opportunitas. Nunc autem à nemine hominum viſa, huc ingreſſa ſum, & neceſſarium eſt ut in hoc lectulo ſimul hac nocte dormiamus: & ex hoc nunc tibi promitto, quod quoties de meo corpore voluptatem capere volueris, ad hoc, conſimili modo & quo nunc feci, me conferam. Nec dubites quia nemini norum erit id quod ſimul faciemus. Scio quidem famam tuæ honeſtatis eſſe integerrimam, & quamvis homen habeas ſanctitatis, tamen quia ſcio te fragilem eſſe hominem, auſa ſum ad te confidenter venire, certa quod tu quoque de me poteris ſine dubitatione confidere. Hæc dicens, in oſcula impudica & in obſcœnos amplexus ruere voluit: at Vincentius prohibuit, atque feminæ ſpecioſitate aut pretioſarum veſtium ornatu, aut comptis lepidiſque verbis ne parum quidem commotus aut captus, Abi, inquit, peſtifera beſtia, & unde veniſti protinus revertaris: quod ſi ſecus feceris, cave ne ſubita morte moriaris: tentaſti enim fœdare animum corpuſque meum, qui à primis annis meis Chriſti ſervitio me mancipavi. Illa vero ad verba militis Chriſti ſic ſtatim compuncta fuit, quod adventus ſui cauſam modumque patefacit, & eos præterea nominavit, qui eam ad hoc conduxerunt, & ad frangendum animum Sancti Dei per illum modum inſtigaverunt. Quibus rebus cognitis, multa cum manſuetudine Vincentius meretricem illam admonuit, & eam de multis redarguit, præſertim de fœtidiſſimo ſtatu ſuo, dicens eam laqueum eſſe diaboli, quo hominum animæ ad mortem caperentur. Multa quoque alia ei dixit, quæ omnia enarrare nimis longum eſſet ſed ut paucis multa complectamur, poſt multa verba ſalutifera correptionis, cor meretricis ita mutatum eſt itaque flexum, quod uberrimis lacrymis humi proſtrata, à viro Dei veniam petiit, & promiſit ei meretricium ſe velle relinquere; & demum impetrata venia, cum magna peccatorum contritione, diſceſſit. Beatus tamen Vincentius eam obſecravit, ne cui id quod geſtum fuerat revelaret, niſi illis qui eam introduxerant; ne videlicet illi qui tantum flagitium perpetraverant, infames haberentur: at illa non deſtitit, quin rem geſtam multis ex ordine revelaret. Paucos vero poſt dies quemadmodum promiſerat, proſtibulo egreſſa conjugem accepit, & deinceps reliquum vitæ ſuæ tempus in vera corporis animique continentia conſummavit.

Meretricem in cellam adductam reperit.

ad ſcelus invitantem rejicit:

ad meliorem vitam inducit:

18 Nunc unum ſubjiciendum, quo perſpicue patebit, quam manſuete pertulit flagitioſorum hominum inſidias & contumelias, qui ei plurimum invidebant. Frater quidam Valentiæ fuit

AUCTORE RANZANO EX MS.

C

ſua præſentia liberat:

E

F

AUCTORE RANZANO EX MS.

ex ordine Prædicatorum, qui omnem ætatem uſque in ſenectam in laſcivia turpiter duxerat, & ob hoc Beatum Vincentium exoſum habebat, quia videlicet eum ſæpius increpabat, & eum à mala vita abducere & ad bene vivendum inducere conabatur. Itaque non ferens æquo animo viri Dei increpationes & ſalutiferos admonitus, ei multum detrahebat, & in eum multa ſcelera objiciebat, & ſic ſeminabat multa, quibus celebris fama ejus obſcurari ſedarique potuiſſet. Igitur exercens corporis ſui aſſuetam obſcœnamque libidinem, quadam nocte meretricem, quæ illis diebus Valentiam venerat, ad dormiendum ſecum introduxit. Mane vero perſoluto meretrici pretio, non tamen tanto, quantum illa ſe habituram ſperabat, eam ut potuit ſecreto emiſit. Meretrix vero faciem Fratris diligenter intuita eſt, ut videlicet quis eſſet per effigiem poſſet cognoſcere: & antequam cellam egrederetur, dixit ſe numquam diſceſſuram, niſi prius ſciret, quo nomine ipſe Frater vocaretur. Ille mox reſpondens, Vocor, inquit, Frater Vincentius Ferrarii: & caveas, obſecro, ne cui dicas quod fecimus. His ab eo dictis, abiit meretrix, & lenoni cum quo morabatur, ac multis aliis dixit, quod in conventu Fratrum Prædicatorum cum Fratre Vincentio per integræ noctis ſpatium dormiviſſet: & cum idem Frater Vincentius multam de ea voluptatem accepiſſet, non tamen dignam ei pro labore mercedem reddidiſſet. Et ad hæc multa alia turpia adjecit, quæ honeſtis de cauſſis miſſa facimus. Leno autem & plerique alii ſcelerati homines, qui B. Vincentium ſummo odio habebant, quia tamquam vitiorum reprehenſor ſeverus, eorum deteſtanda flagitia denudabat & terribiliter arguebat; ſtatim per univerſam civitatem rem divulgaverunt. Per idem tempus erat Valentiæ Bonifacius, ipſius B. Vincentii germanus, cujus ſupra mentionem fecimus; qui & illo tempore erat in urbe ipſa unus ex Patribus Juratis, quod eſt quoddam magiſtratus genus, quo non ſolum Valentina civitas ſed & univerſæ pene Cataloniæ civitates uti conſueverunt. Huic multi ex Valentinis civibus retulerunt ex ordine rem omnem, quæ de Fratre ejus Vincentio ferebatur: qui tantum ſcelus credere non potuit, quandoquidem conſcius erat virtutum, quibus præditus erat germanus ejus: propter quod arbitratus eſt, prout res ſeſe habebat, ab invidis videlicet hominibus in virum innocentem fuiſſe objectam hujuſcemodi infamiam. Itaque ex ejus conſilio, hi qui una cum eo magiſtratum prædictum gerebant & rem publicam ſibi digne gubernabant, conſtituerunt ut fieret per urbem Valentinam quædam generalis proceſſio, cui ſinguli Clerici ex ſingulis Ordinibus urbis intereſſent. Conſtituta autem die Bonifacius ipſe & collegæ ſui ac cetera Valentina nobilitas conſtiterunt in loco, in quo ſeſe collocare tempore hujuſmodi ſolennitatum ſolebant, ubi & meretricem quoque illam, quæ ſe cum Magiſtro Vincentio dormiſſe jactaverat, conſiſtere voluere: juſſeruntque ei, ut ſingulos Fratres ordinis Prædicatorum incedentes diligenter aſpiceret, & eum cum quo dormierat fideliter eis indicaret. Procedentibus igitur ſingulis Fratribus, cum tranſiret Magiſter Vincentius, Jurati eum meretrici oſtendentes, interrogaverunt, an ille eſſet, quem noſſe cupiebant. Illa reſpondens, Non iſte, inquit, eſt ille, quem quæritis: ſcio enim hunc eſſe illum Dei ſervum, ad cujus doctrinam audiendam omnes concurrunt: quem & ego, ex quo Valentiam veni, quatuor vicibus vidi prædicantem. Ille vero Frater, quem noſſe petitis, ſenex eſt. Deinde ubi ipſe Vincentius & poſt eum tres alii Fratres ex more præterierunt, mox advenit Frater ille qui ſcelus admiſerat, & meretrix eum ſine ullo indice agnoſcens, & digito demonſtrans, En, inquit, hic eſt ille, quem quæritis. Finita deinde proceſſione, Bonifacius ceteriique nobiles, qui civitati præſidebant, Fratrem infamatorem ad ſe accerſiri juſſerunt, eique multam pœnam ac etiam mortem, ſi opus eſſet, comminati ſunt, niſi coram eis opus ſuum nefandum confiteretur, & aboleret infamiam, quam in virum Dei Vincentium oppoſuerat. Ille terrefactus, ſtatim fecit quod illi voluerunt: rem namque, ut erat geſta, eis narravit; deinde ab eis confuſus abſceſſit, pergenſque ad Chriſti ſervum Vincentium, qui hæc omnia ignorabat, multum lacrymans ab eo veniam petiit, & facillime impetravit.

obtrectatorē patitur.

Turpiſſime infamatur.

B

C

infamia in obtrectatorē retorta,

D

LIBER II.

Res præclare geſtæ in matura ætate.

PROLOGUS.

1 POſtquam de Divi Vincentii vita narrata ſunt ea, quæ à puerili uſque ad juvenilem ætatem ab eo geſta, deſcribenda videbantur, Pater præſtantiſſime, in quarum rerum narratione erat hujus operis primus liber conſummandus: reliquum nobis eſt, ut ad alia ejus geſta & mirifica opera, quæ in matura ætate per eum Deus fecit, tranſeamus uſque ad felicem illum diem, quo ex hac luce diſceſſit. Et quamquam hujuſcemodi geſta & opera tot & tanta ſint, ut pro eorum clariore narratione longiſſima volumina non immerito poſtulentur; tamen conabor ea quantum potero ſub brevitate perſtringere, atque ita ſtylum temperare; ut nec longitudo operis tædio afficiat eos qui legerint, nec ea quæ ſunt memoria digna prætermittantur. Nec dubito certe, quin mihi, ſcripturo tam præclara facinora, idem convenientiſſimum ſit, quod eloquentiſſimo ac beatiſſimo Patri Hieronymo convenit, qui ſcripturus geſta Beati Hilarionis, Porro, inquit, mihi tanta ac talis viri converſatio vitaque dicenda eſt, ut Homerus quoque, ſi adeſſet, vel invideret materiæ vel ſuccumberet. Quamobrem verendum mihi eſt, ne cum tam mirabilis viri virtutibus impar & ingenium & eloquentia noſtra ſit, ab omnibus ſapientibus mea arguatur audacia. Verum quod obedientiæ onus, à te mihi impoſitum, dejicere indignum eſſet, idcirco invoco gratiam Spiritus ſancti: qui ſicut illi cæleſtes virtutes largitus eſt, ſic mihi, ſi non geſtis ejus parem, ſaltem meo ingenio non imparem ſermonem tribuat, quo ea poſſim fideliter enarrare. Verum quia uno libro velle ſingula ejus geſta complecti, nimis longum eſſet; ideo pro eorum narratione duos libros diſtinguam.

E

Studium brevitatis in ſumma rerum copia addicitur.

F

CAPUT I.

Labores in ſchiſmate Eccleſiæ. Apparitio Chriſti. Auctoritas Euangelii prædicandi.

2 IGitur ut eorum, quæ deinceps ſcripturi ſumus, cum eis quæ ſupra narravimus, ſit continuata narratio; quædam pro rerum notitia ſunt altius repetenda. Per illud tempus apud Avenionem, Galliæ nobiliſſimam civitatem, commorabatur Benedictus tertius decimus, Summus Romanæ Eccleſiæ Pontifex, quem ſuperiori libro diximus fuiſſe miſſum Legatum ad Carolum Gallorum Regem à Clemente Papa, quem in eodem libro diximus apud

integritati reſtituitur.

à Benedicto XIII in ſchiſmate Avenione conſtituto Papa,

A pud Fundos fuiſſe creatum ſummum Pontificem, ab ea parte Cardinalium quæ ab Urbano Papa ſexto diſceſſerat. Mortuo enim ipſo *a* Clemente apud Avenionem, uno conſenſu omnium Cardinalium, qui in ipſa urbe conſiſtebant, ipſe Benedictus Pontifex creatus eſt, quamvis duæ aliæ partes Cardinalium *b* duos alios Pontifices elegiſſent. Quo factum eſt, ut ſchiſma ſit ſubſecutum inter populos Chriſtianos: quandoquidem tres ſummi Pontifices uno eodemque tempore Romanæ Eccleſiæ præſidebant, quorum tamen quilibet ſeſe legitime creatum fuiſſe arbitrabatur. Quo vero modo id factum fuerit, non eſt à nobis hoc loco dicendum: eorum enim eſt iſta dicere, qui ſcripſerunt catalogum ſummorum Pontificum. Illud vero omittendum non eſt, quod ſinguli fere Galliarum Hiſpaniarumque Principes & civitates ipſi Benedicto obediebant. Igitur Benedictus, quamprimum ad ſummum Sacerdotium electus eſt, miſſis nuntiis & litteris, virum Dei Vincentium ad ſe accerſiri juſſit: quia eruditio & ſanctitas viri ei notiſſima erat, & ideo eum ſecum habere voluit, ac in ſuum Confeſſorem elegit, & Magiſtrum palatii Apoſtolici inſtituit. Itaque Vincentius, ne juſſis Pontificis non obtemperare videretur, quamvis moleſtum ei eſſet ſequi curiam terreni Principis, tamen ſingula, quæ ei impoſita ſunt, diligenter executus eſt. Conſiſtens autem in ipſa Avenionenſi urbe, numquam otioſus fuit, ſed omne *c* tempus ſuum dabat aut lectioni ſacrarum Scripturarum, aut doctrinæ verbi Dei, aut ædificationi proximorum, aut vigiliis crebriſque jejuniis, hymnis & orationibus. Ob quas res non modo ab ipſo ſummo Pontifice & univerſis Prælatis, qui in ipſa urbe commorabantur, verum etiam à cunctis Avenionenſibus civibus, tamquam Dei ſingularis fideliſque ſervus, ac Chriſtianæ veritatis eximius Doctor amabatur, obſervabatur, venerabatur, & egregiis laudibus extollebatur. Fuerunt quam plurimi eo tempore, qui ſalutaribus ſuaſionibus exempliſque ejus flexi, corruptos mores ac ſceleratam anteactam vitam in ſanctam converſionem commutaverunt.

a

b

eligitur in Confeſſarium & Magiſtrum ſacri palatii.

B

c

negotium tollendi ſchiſmatis ſibi commiſſum ſtrenue agit:

C

3 Et quoniam, ut paulo ante memoravimus, tres ſummi Pontifices præſidebant Eccleſiæ Chriſtianæ, & quiſque eorum ſe rite creatum aſſeverabat, ob quod maximum ſchiſma erat inter populos Chriſtianos; ideirco fuerunt ea tempeſtate multi, qui ſibi conſtituerunt animo tractare, ut Eccleſiam ad unionem reducerent. Sed quia non ita, ut decuit, rem aggreſſi ſunt; ideo id quod volebant, perficere non valebant. Ob quod à multis, tam Eccleſiarum Prælatis quam terrarum Principibus res omnis fidei B. Vincentii commiſſa eſt, tanquam hominis, qui verax prudenſque & erat & habebatur, & qui non quærebat gloriam terrenæ dignitatis: propter quæ unuſquiſque arbitrabatur, neminem inter mortales inveniri poſſe, qui tantum negotium vel diligentius, vel prudentius vel melius perficeret. Itaque in primis vir Dei ad Benedictum Pontificem adiit, eique ſuaſit, ut univerſos Prælatos & cum eis cunctos theologos ac utriuſque Juris conſultos, quorum Avenione magna multitudo erat, ad ſe accerſiri juberet, & in conſultatione poni faceret, quid ei eſſet in tanta Eccleſiæ fluctuatione faciendum. Præterea conſuluit, ut potius in ſumma inopia ageret viam, quam quod propter terrenam dignitatem ſuam inter populos Chriſtianos diſcordia foveretur. Propter hæc & multa alia, quæ omiſſa facimus, eidem Benedicto Pontifici ſuaſit, ſi opus eſſet, pro pace Eccleſiæ ſummo Pontificio cederet. Pontifex vero non multum moratus, cedere quidem noluit, ſed convocatis ſingulis Prælatis ceteriſque eruditis viris qui ejus curiam ſequebantur, rem in conſultatione poni fecit, quemadmodum ei B. Vincentius ante perſuaſerat. Verum quia res, de qua erat conſultatio, & ardua & plurimum periculoſa eſſe videbatur, ideo in ejus agitatione ipſi Prælati plutibus menſibus inſtiterunt. At Vincentius interea nihil omiſit, quo minus ſua opera unio Eccleſiæ fieret: namque multas Galliæ & Hiſpaniæ urbes peragravit, ſe videlicet conferens modo ad Sigiſmundum Imperatorem, qui *d* per ea tempora in Cataloniam venerat; modo ad Carolum Francorum Regem; aliquando ad Martinum Aragoniæ Regem; ſæpe ad ipſum Benedictum, ut tam periculoſo negotio aliquis felix finis tandem imponeretur. Itaque horum, quos modo nominavimus, atque aliorum Chriſtianorum Principum, & quam plurimorum Eccleſiarum Prælatorum una voce unoque conſilio tandem deliberatum eſt, ut Conſtantiæ, præclara *e* Germaniæ urbe, generale Concilium fieret, quo tantis naviculæ Chriſti fluctibus melius conſuleretur.

AUCTORE RANZANO EX MS. *adit Imperatorem, Reges, & Benedictum,*

d

e

f

4 Cum hæc Avenione *f* & Conſtantiæ gererentur, & quadam die B. Vincentius mente plurimum agitaretur, & inter ſe quæreret, quid ſibi agendum eſſet in tanta rerum anguſtia; repente magna vi febrium occupari ſe ſenſit. Poſt duodecim vero dies, quibus adeo graviter decubuit, ita ut multi eum credidiſſent moriturum, ei viſus eſt Ieſus Chriſtus, mirabili claritate coruſcans: quem inter multitudinem Angelorum comitabantur beati Patres Dominicus & Franciſcus, qui & eum confortavit, & lætiſſimum eum ex ſui viſione reddidit; demum poſt multa his verbis eum allocutus eſt: Conſtans eſto, miſerve Vincenti, & omnem mentis angorem penitus abjicias. Sicut enim te in multis tentationibus fortem feci, atque ab hominum & dæmonum inſidiis variis eripui; ſic & deinceps faciam, & uſque in finem te mea gratia comitabitur, ac nunc ex hac corporis ægritudine & mentis anguſtia te liberabo: cito enim erit pax Eccleſiæ reddita. Tu vero quam primum convalueris, ex curia Benedicti diſcede: elegi enim te in ſingularem Euangelii mei præconem, & volo quod per univerſas Galliarum Hiſpaniarumque regiones euangelizans, cum humilitate ac paupertate diſcurras; & tandem poſt uberrimum verborum operumque tuorum fructum, in finibus terræ feliciter morieris. Inter cetera autem, quæ euangelizabis, volo ut populis extremum judicii diem cito affuturum denunties, populorum ſcelera reprehendens ſine formidine. Et quamquam multas improborum hominum calumnias patieris, ne timeas, quoniam tecum ſemper ero; & me duce evades cuncta pericula, adverſariorumque inſidias facile deſpicies. Vade, adhuc te expectabo, antequam mundi terminus veniat. Hæc dicens, genas B. Vincentii leniter tetigit, tamquam videlicet ei ſignum ſingularis familiaritatis oſtenderet: moxque adjectis multis, quæ ad ædificationem & inſtruendum militem ſuum erant neceſſaria, Chriſtus ipſe diſparuit. At Vincentius ſtatim reſumptis viribus, ex lecto, quo decumbebat, ſurgit; volenſque exequi, quæ Chriſtus juſſerat, in primis decrevit adire ſummum Pontificem, cui aperiret ſuum ſanctum propoſitum, & cujus licentia res ipſa facta majorem videretur habere auctoritatem.

Avenione æger à Chriſto inter Angelos & SS. Dominicum & Franciſcum inviſitur:

E

præco Evangelii conſtituitur:

F

extremum judicium jubetur intimare.

5 Igitur dum ad ſummum Pontificem ſeſe conferre vellet, ecce ipſe Pontifex, magna Prælatorum multitudine comitatus, conventum Fratrum Prædicatorum ingreſſus eſt, qui ad viſitandum ſervum Chriſti Vincentium veniebat. Itaque ut vidit virum Dei ſe ſibi obviam offerentem, quem audierat graviſſima ægritudine occupatm & de cujus vita non multum

ſanctæ propoſitum indicat Papæ.

AUCTORE RANZANO EX MS.

sperabatur, plurimum & admiratus & gavisus est. Post multos autem sermones inter eos habitos, Vincentius suum animum Benedicto Papæ manifestavit. Ille id ægre ferens, multas vias invenit, quibus Vincentius secum detineretur. Denique videns eum à proposito dimoveri non posse, excogitavit singularem aliam viam, qua vel à proposito eum desistere faceret, vel animus ejus facilius frangeretur.

g recusat Episcopatum & Cardinalatum:

Vacantibus namque tum *g* Valentino, tum aliarum quarumdam Ecclesiarum Episcopatibus, eum Episcopum creare constituit. Cumque nec oblatis hujuscemodi dignitatibus ipse Vincentius flecteretur, quadam die convocatis Cardinalibus, qui Avenione commorabantur, paratoque ex more pileo, eum ad se accersitum, collegio eorum una omnium voce voluit adnumerare. Vincentius hanc quoque dignitatem non quidem despexit, sed certe justis de causis admittere noluit: primum, quia sese indignum tam excellenti dignitate existimabat: deinde, quia longe utiliora & fructuosiora animo cogitabat: postremo (quod & præcipue eum movebat) quia si in tali dignitatis grada constitutus esset, ab ipsius Pontificis curia discedere nequivisset, ob quod nec Christi legationem exequi potuisset.

B

accipit auctoritatem Euangelii; prædicandi,

Verumtamen ne ingratus Pontifici Maximo ipsisque Cardinalibus videretur, eis maximas gratias referebat, ac manifestato animi sui proposito, ab eis licentiam auctoritatemque evangelizandi postulavit. Summus autem Sacerdos ac Cardinales, audientes causas quas vir Dei exposuit, indignum esse censuerunt, ut aliquo modo sanctum ejus propositum impediretur: quas ob res eum, quocumque voluisset, abire permiserunt. Insuper ut efficacius & salubrius populis Dei euangelium per mundum discurrens evangelizare posset, idem Pontifex sponte sua magnam ligandi absolvendique potestatem ei contulit, mittens eum tamquam specialem Apostolicæ Sedis Legàtum, qui peccatores à vitiis abduceret & ad pœnitentiam revocaret.

inculcat extremum judicium appropinquans:

6 Post hæc ex Avenione primum, deinde paulatim progrediendo, per urbes & villas evangelizans, in Cataloniam reversus est: ubi potens opere & sermone, duos continuos annos docere institit. Populi autem eum, tamquam unum ex veteribus Christi Apostolis sequebantur, atque incredibili quadam attentione audiebant, & multis obsequiis venerabantur. Et quia inter cetera, quæ docebat, generale judicium multis rationibus cito futurum esse confirmabat, ideo fuerunt multi, qui memorato Pontifici dicerent, quod Magister Vincentius plurimas novitates seminaret in populis: inter quas una præcipue erat, quod diem extremi judicii nostris diebus proximum esse fateretur: ex quo expedire dicebant, ut ipse, qui erat maximus Ecclesiæ Pastor, quid sibi talia velint, diligenter perquireret. Itaque datæ sunt ad Vincentium à Sede Apostolica litteræ, quibus ei jussum est, ut summum Pontificem certiorem faceret, quænam essent ea, quæ de ipsius judicii tempore fateri dicebatur.

C

de eo scriptū libellum offert Papæ:

Ipse itaque acceptis perlectisque litteris, jussis Apostolicis mox obtemperavit: composuit enim libellum quemdam satis egregium, in quo pauciſſimis complexus est verbis singulas rationes, quibus moveri solebat, ut probabiliter ostenderet ipsum judicium nostris temporibus esse propinquum. Libellum vero hunc ad Summum Pontificem misit, qui eum examinaret, corrigeret, probaret, vel etiam improbaret; si quo forte modo ea, quæ in ipso scripserat, improbanda viderentur. Sed nec Papa, qui hujusmodi libellum componi voluit, nec illi qui doctrinam viri Dei criminabantur, aliquid in eo compererunt, quod vel minima reprehensione dignum esse existimaretur.

7 Post paucos vero menses, Patres qui in concilio Constantiensi uniendæ Ecclesiæ gratia congregati sunt, post multam longamque rerum plurimarum discussionem, adjudicaverunt neminem ex illis tribus, qui se maximos Pontifices arbitrabantur, rite fuisse creatum: ob quod nullam obedientiam alicui eorum, tamquam Summo Sacerdoti, à populis Christianis dandam censuerunt. Nomina autem eorum non sunt silentio prætereunda: non quidem, quod eis, qui nostri Vincentii vitam lecturi sunt, necessarius sit illa scire, sed ne nobis memoria excidisse videantur. Unus eorum fuit Benedictus; cujus à nobis sæpe supra mentio facta est: alius, Gregorius duodecimus: tertius, Joannes vicesimus tertius. Itaque singulis his summo Pontificio privatis, in eodem Concilio una omnium Patrum voce Martinus *h* creatus est. Quo factum est ut ex illis tribus, quos modo nominavimus, Joannes & Gregorius, licet non libenter, tamen necessitate coacti, Sacerdotio renuntiaverint, ipsique Martino cesserint. At Benedictus, quoniam electio qua creatus est nulla ex parte reprehendi posse videbatur, numquam induci potuit, ut renuntiaret. Hæc quam primum ad aures Vincentii pervevere, non modo crebris litteris eum ad hujuscemodi renuntiationem adhortatus est, verum ipse sese ad eum contulit, ac multis variisque rationibus ei suasit, ut decretis ac deliberationi Constantiensis Concilii penitus obtemperaret. Denique videns, quod verbis suis flecti non posset, ab eo discessit, & ad consueta exercitia rediit.

Vt ex decreto Concilii Pontificatu cedat Benedictus, allaborat.

D

E

F

ANNOTATA.

a *Clemens mortuus est anno* 1394 *die* 16 *Septemb. in cujus locum,* 28 *ejusdem, Benedictus substitutus est, vivente adhuc Bonifacio* 9 *vero Pontifice.*

b *Successu temporis: nam Bonifacio mortuo anno* 1404 *succesit Innocentius VII, & huic anno* 1406 *decedenti subrogatur* Gregorius 12, *contra hunc &* Benedictum *in Synodo Pisana electus est* Alexander V *anno* 1409, *eoque anno* 1410 *mortuo* Joannes 13. *De quo tempore hic agi constat ex num.* 7 *ubi nomina exprimuntur.*

c Tempus duorum annorum *fuisse dicitur in Legendario, excuso Lovanii anno* 1485.

d *Annus hic erat* 1415, *quando* Sigismundus *Imperator Perpinianum ad Aragonum Regem & Benedictum profectus est, ut huic persuaderetur abdicatio Pontificatus. Litteras Ferdinandi Regis ad S. Vincentium, ut eo veniret, habet Diagus cap.* 65.

e *Fuerat* Concilium Constantiense *indictum à Ioanne* 13 *anno* 1413 *& cœptum mense Novembris ann.* 1414 *sed à Gregorio* 12 *confirmatum, & veluti Pontificio nomine convocatum anno* 1415 *datis litteris* 3 *Idus Martij, quæ ab Odorico Raynaldo referuntur num.* 1. *Litteras Ferdinandi Regis Aragoniæ scriptas* 31 *Augusti* 1416, *quibus hortatur Sanctum Vincentium ut Constantiam eat, habet Diagus cap.* 67.

f *Quæ hoc numero & sequenti referuntur, secundo anno Pontificatus expleto circa annum* 1397 *contigerunt sed nomen* Constantiæ *male irrepsit.*

g *Mortuo anno* 1396 *Iacobo Aragone, Episcopo Valentino, post Sedem viginti sex annorum.*

h *Martinus electus est anno* 1417 *die* 11 *Novembris feria* 5. Martinus V *appellatus, quamvis tertius hujus nominis esset, propter duos* Marinos, *qui etiam* Martini *vulgo nominantur.*

CA-

A

CAPUT II.

Conciones S. Vincentii in variis regnis habitæ: Methodus vivendi, circumducendi comites, & convertendi alios.

Peragrat concionando Hiſpanias, Galliasque partem Italiæ,

8 QUamvis juventutis ſuæ tempore multis in locis verbum Dei euangelizaverit, tamen dum ageret *a* quadrageſimum annum, cœpit peregrinationis ejus tempus, ac doctrinæ continuum illud ac mirabile exercitium, quod uſque ad vitæ ſuæ terminum ſine intermiſſione continuavit. Regiones autem, quas docens peragravit, hæ fuerunt: Catalonia, regnum Valentiæ, Aragonia & Navarra, quæ ſunt in citeriore Hiſpania. Ex Hiſpania vero ulteriore, excepta Gallicia & Portugallia, ſingulas alias fere regiones, urbes & oppida ac villas circuivit: Ex Gallia autem inprimis illa regio quam noſtro tempore vocant Linguam-Occitanam, Delphinatus, Provincia, Sabaudia, Francia, Burgundia, Nortmannia, Bituria, Alvernia, Flandria, *b* Albia, Pictavia, Picardia, Vaſconia, Britannia, ubi eum fuiſſe extinctum poſtea dicimus. Deſcendit quoque in Italiam, & univerſas regiones & urbes Pedis-montium luſtrans, atque multas Lombardiæ terras & civitates peragrans, demum venit Genuam, ubi uno fere menſe commoratus eſt. Diſcurrit præterea omnem illam maritimam regionem, quam vulgo Genuæ *c* Ripariam appellamus, decrevitque ſic paulatim progrediendo ac docendo venire in Tuſciam, & in ſingulas Italiæ regiones. Sed divino conſilio factum eſt, quod dum ipſe in portu Veneris conſiſteret, affuit nuntius à *d* Joanne Rege Hiſpaniæ miſſus, qui tradidit ei litteras, quibus multis precibus & magna inſtantia idem Rex eum in Hiſpanias revocabat. Itaque in Hiſpanias rediit, & poſt factum ibidem animarum uberrimum fructum, profectus eſt in Gallias, & ſic in Italiam ulterius proficiſci non potuit. Maris inſuper pericula nequaquam formidavit: navigavit enim ad inſulas Baleares, quas noſtro tempore Majoricam Minoricamque nominamus. Dum vero per Gallias euangelizando diſcurreret, *e* Henricus Rex Angliæ, permotus fama mirabilium operum ejus, parata quadam navi, & in ea miſſis nuntiis & litteris, eum ad ſe venire, & in eam inſulam navigare obſecravit. Facto itaque, quod religioſus Rex petierat, & eidem revelatis multis futuris, ad ejus regnum pertinentibus, quæ ſuccedentibus temporibus fuerunt penitus ſubſecuta, atque in ipſa inſula ſeminato verbo Dei, acquiſitoque maximo ex ejus doctrina fructu, inde diſceſſit, & in Scotiam, quæ eſt Angliæ proxima, navigavit. Ivit & in Hiberniam, quæ eſt alia Oceani maris inſula, & in ea non multum commoratus, tandem in Gallias reverſus eſt.

a

b

B

c

d

iterum Hiſpanias, Baleares inſulas,

e

C

& Britannicas,

poſt Miſſam cantatam concionatur:

9 In hujuſcemodi vero peregrinatione ſive diſcurſu, vitæ ſuæ talis ordo fuit. Nocte ſolum quinque horas quieti tribuebat, reliquas noctis partes vel orationibus vel lectionibus ſacrarum Scripturarum occupabat: mane autem in locum, ubi populi eum prædicaturum expectabant, ſe conferebat. Primum ipſe Miſſam cantu ex more celebrabat, deinde verba ſalutis, prout Spiritus ſanctus menti ejus infundebat, pronuntiabat; poſtea ſermone finito, volens populorum ad ſe concurrentium devotioni ſatisfacere, eis manus oſculandas præbebat, oblatoſque ſibi infirmos Cruce ſignabat. Sicque plurimi, quorum numerus nobis incertus, ſoli Deo cognitus eſt, diverſo infirmitatum genere laborantes, poſt factum in eis à viro Dei ſalutiferæ Crucis ſignaculum, perfectæ ſanitatis beneficium reportabant. Pro quarum rerum narratione alium locum excogitavimus: verba tamen, quibus in hujuſmodi languentium ſanationibus utebatur, hoc in loco ſubjiciemus: Signa, inquit, eos, qui crediderint, hæc ſequentur: Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Hæc primo dicebat, deinde ſtatim adjiciebat; Jeſus, Mariæ filius, mundi ſalus & Dominus, qui te traxit ad fidem Catholicam, te conſervet in ea & beatum faciat, & ab hac infirmitate te liberare dignetur. Amen. Deinde cibo ſatis parco corpus pro neceſſitate naturæ reficiebat. Cibus ejus ex piſcibus frequenter fuit: quos tamen non multo ſtudio coctos paratoſque volebat, ſed quomodo religioſi viri ſtatui conveniens videbatur. Ab eo anno, quo religionem Prædicatorum profeſſus eſt, uſque ad diem quo migravit à vita, ab eſu carnium abſtinuit, niſi aliqua evidens neceſſitas eum aliter facere compuliſſet. Numquam voluit, niſi uno ferculo uti: vinum, multa aqua dilutum ſemper ſumebat, illudque ſemel, aut bis, aut rato ter, ſed numquam ultra tertiam vicem bibere viſus eſt. Et ut pauciſſimis verbis multa complectamur, conſtitutiones Fratrum Prædicatorum, quoad ſingulas ceremonias & ipſam regulam, ubicumque eum eſſe contigerat, non minus ſervabat, quam ſi in ipſorum Fratrum clauſtro moraretur. Quadraginta annos, exceptis diebus Dominicis, ut plurimum jejunavit: nec unquam talia jejunia aliquo caſu prætermiſit, niſi per corporis ægritudinem ea prætermittere cogeretur. Iter vero diſcurſus ejus non equitando, ſed propriis pedibus peregit; ſolo quodam baculo contentus: cui frequentius innitebatur, idque quindecim annis continue fecit. Verum poſtea ex quadam ægritudine, quæ ſibi ſupervenit in tibiam, gravior tardiorque effectus, neceſſitate compulſus, habuit quemdam aſinum, quo vehebatur, quoties de civitate in civitatem proficiſcebatur. Illud quoque frequenter fecit, præſertim in locis ubi erat ei opportunitas, ut poſſet de rebus ſuo uſui neceſſariis pro ſua voluntate diſponere, quod ſuper ſarmentorum aut palearum aut iſtiuſmodi rerum ſtraminibus, vel paupere ſacculo modica lana pleno, dormiret. Nudam carnem ejus nemo vidit unquam, nec etiam Fratres illi, quibus ipſe familiarius utebatur. Illud præterea pro edomanda carne & in memoria paſſionis Chriſti à prima adoleſcentia ſervavit, quod ſingulis noctibus quibuſdam flagellis, è funibus confectis, corpus ſuum multis cum lacrymis cædebat. Et ſi forte alicujus ægritudinis impedimento id facere nequiviſſet, hoc à fidis ſociis ſuis fieri volebat; eos per Jeſum Chriſtum obteſtans, ne quid dubitarent, ſed eum validis ictibus cæderent.

AUCTORE RANZANO EX MS.

parcus in cibo,

& potu:

E

plurimum jejunat:

iter pedes dirigit aut aſino inſidens.

F

flagellis corpus caſtigat.

socios quinque habet ex Ordine Prædicatorum:

f

g

10 Elegit autem in ſocios quoſdam Fratres, ex ipſo Prædicatorum Ordine, quorum quinque fuerunt, Petrus *f* Rayna, Joannes de Pulchro-Prato, quem Toloſæ ſtudiis litterarum vacantem ad Prædicatorum Ordinem traxerat, Raphaël Cardoa, *g* Joffredus Blañes, & Petrus Cerdani: & licet hi omnes fuerunt viri, quorum vita fuit clara & fama celebris; duo tamen illi, quos ultimo loco nominavimus, tantæ perfectionis tantæque eruditionis fuerunt, ut eorum doctrina multis populis profuerit; & in vita & poſt mortem multis miraculis claruerunt. Et quoniam magna populorum multitudo eum de loco ad locum euntem ſequebatur, quorum pars publicam pro commiſſis pœnitentiam agebat, pars alia ſola devotione movebatur, ut videlicet à viro Dei verba ædificationis ſpiritualis audirent, & ut bene vivendi exemplum acciperent; propterea excogitatus eſt ab eo quidam rerum ordo, quo devotio ſequentium magis augeretur, ut vitæ doctrinæque ejus fructus eſſet copioſior. Ducebat namque ſecum multos Sacerdotes,

varios Sacerdotes ducit comites,

signo Crucis innumeros ſanat:

AUCTORE RANZANO EX MS.

cerdotes, quos ex diverſis Religionibus elegerat: quorum officium erat, vel audire confeſſiones pœnitentium, vel Epiſtolas, Euangelia ſacroſque hymnos ex more decantare, quando & quoties Miſſarum ſolennia agebantur. Organa quoque portari faciebat, ut videlicet cantus ſuavitate populorum affectus incenderetur vehementius, & Dei laudationi vacaret diligentius. Inſuper quoſdam Notarios elegit, qui, quoties à viro Dei de pace inter diſcordes tractaretur, præſto adeſſent, ac remiſſiones inter eos factas litteris mandarent, ne forte eos, ut à multis fieri ſolet, facti poſt pœniteret. Eos præterea, qui eum pro agenda pœnitentia ſequebantur, ſingulis diebus poſt ſolis occaſum, per urbes & quæcumque alia loca, ad quæ declinabant, quaſdam proceſſiones facere volebat, eiſque quoſdam hymnos, quos eo modo procedentes cantarent, ipſe compoſuit; ac jubebat, ut quiſque eorum nudatis humeris ſeipſum flagellis cæderet, & alta voce diceret: Hoc ſit in memoriam paſſionis Jeſu Chriſti, & in remiſſionem peccatorum meorum. Inter quæ flagella tanta cordium devotio, tantus erat omnium luctus, tanta contritio, tanta religio, ut ipſi quoque incolæ locorum, ubi hæc agebantur, non ſolum in lacrymas ſolverentur, ſed etiam complures ex eis, flexi talibus exemplis, virum Dei ſanctamque ſocietatem ejus per multa terrarum ſpatia religioſe ſequerentur; ex quo factum eſt, ut aliquando ſupra numerum decem millium hominum pervenerit religioſa illa ſocietas. Quin etiam tanta multitudo confluebat, tam ad videndum iſtiuſmodi ſpectaculum, quam ad audiendam tam mirabilis prædicatoris doctrinam, ut non ſolum in populoſiſſimis urbibus, ſed etiam in campeſtribus locis, uſque ad octoginta millia hominum frequenter convenirent. Et quamvis talis corporis flagellatio in frigorum, ventorum, pluviarumque ſæpenumero fieret tempore, nemo tamen ex eis unquam incurrit vel minimam ægritudinem: quam rem multi miraculo dignam non immerito exiſtimavere. Verum ne qua poſſet eſſe confuſio, propter concurrentem turbam; elegit nonnullos viros, quorum neque fama, neque converſatio poterat aut haberi aut eſſe ſuſpecta: quibus curam dedit, quæ erant victui neceſſaria parare, ſtationes diverſoriaque ſingulis diſtribuere (ut videlicet mares à feminis, Clerici à ſecularibus ſepararentur) & tandem omnia alia diſponere, prout temporis, loci rerumque opportunitas poſtulaſſet.

aliquos Notarios:

in proceſſione flagellationem fieri curat:

B

Quidquid eleemoſynarum ei tribuebatur, ſociis ſuis prout cuique opus erat diſtribui faciebat: ſi quid vero ſuperfluum erat, pauperibus erogare ſolebat. Pecuniam, quoties offerebatur, à ſociis ſuis accipi prohibebat, jubebatque, ut nihil niſi quæ eſſent quotidiano uſui neceſſaria, acciperent. Cum quadam die Conſules cujuſdam oppidi Galliæ, quod Biterris dicitur, triginta ei aureos in eleemoſynam obtuliſſent, & vir Dei eos numquam voluiſſet accipere, atque illi eum in nomine Jeſu Chriſti & B. Mariæ Virginis adjuraſſent, ut eos omnino acciperet, ipſe (ne nomina tam veneranda ſpernere videretur) aureos quidem illico accepit, ſed mox eos cuidam ex ſociis dedit, juſſitque ut non prius ex oppido diſcederet, quam pauperibus, orphanis, viduiſque diſtribueret. Omnium hominum, non ſolum popularium ſed etiam Principum & Eccleſiarum Prælatorum, vitia arguebat: non enim reſpiciebat perſonas hominum: unde nemini parcebat, & quæ ei reprehenſione digna videbantur, ardentiſſime reprehendebat. Cum Clericis tamen prudentius ſeſe habebat: nam quoties ad aures ejus aliquod magnum & nefarium facinus Clericorum perveniebat, eos aliquo in loco ſecreto congregabat, ac ſic quomodo, quantum, aut quibus de rebus opus erat, commonebat. Nec ſolum viris id faciebat, verum etiam feminis, quæ erant incluſæ monaſteriis. Quam ſeverus autem in homines flagitioſos fuerit, uno exemplo ſatis erit oſtendere. Tempore quo erat Januæ, nobiliſſima urbe Italiæ, vir quidam Valentiæ oriundus, ob quædam admiſſa ſcelera fuerat ultimo ſupplicio condemnatus. Cumque virum Dei complures obſecraſſent, ut Januenſium Ducem adiret, & eum rogaret, ut homini conterraneo ſuo ſeu compatriotæ ſuo impunitatem concederet, reſpondit: Abſit, ut opera mea juſtitiæ locus impediatur, & ſceleratis hominibus impunitas concedatur: illud vero libenti animo faciam, ut genus mortis permutetur. Itaque Ducem adiit, & quidquid petiit, facile impetravit. Quoties vero Miſſam celebrabat, ante Dominici Corporis & Sanguinis ſumptionem ex oculis ejus tot lacrymæ affluebant, ut ex eis qui hoc aſpiciebant, pauciſſimi eſſent qui non collacrymarentur: ex quo frequenter evenit, ut tantus luctus omnium audiretur, quantus eſſet, ſi in cujuſpiam morte à conſanguineis plangeretur. Et ne cui harum rerum vana ſuperſtitio fuiſſe videatur, deinceps nobis videndum eſt quanta utilitas fuerit ex mirabilibus ejus operibus ſubſecuta. Quæ res magis conſpicua erit, ſi de efficacia ſermonis ejus primo loco narraverimus.

D

Lacrymatur in Miſſa.

E

convenientibus ad 10 aut 80 millia.

diſponit ſtationes pro refectione corporis:

C

Pecuniam non vult accipere:

h

omnium vitia acriter caſtigat verbis:

ANNOTATA.

a *Circa annum Chriſti* 1397, *& ſequenti in Catalania conciones habitas tradit Diagus cap.* 58.

b *Loca hic indicata ſatis nota ſunt*, Albia *ſive Albiga, ubi Albigenſes, & loco* Pictaviæ *erat in MS. & apud Surium* Octavia, *ſed ita legendum cenſemus.*

c *Italis* Riviera de Genua: *indicatur tota illius Reipublicæ ora, ubi maritima.*

d *Hic eſt Ioannes* I *Caſtellæ & Legionis Rex, qui patri Henrico* 3 *ſucceſſit anno* 1407, *vixit uſque ad an.* 1454.

e *Hic eſt Henricus* IV *Lancaſtrius, qui regnavit ab anno* 1399 *ad* 1413.

f *Surius & Flaminius* Maya.

g *Surius* Joffredus Blaves. *Flaminius* Gottifredus Vlanes.

h *Biterræ urbs Epiſcopalis Occitaniæ ſeu Languedocii inferioris, ſub Archiepiſcopo Narbonenſi.*

CAPUT III.

F

Efficacia concionum. Converſio Iudæorum, Saracenorum, aliorum. Donum linguarum, Occurſus Principum & aliorum.

14 EFficaciam ſermonis ejus oſtendit, tum Chriſtianorum hominum utriuſque ſexus diverſorumque ſtatuum pœnitentia, tum maxime multorum millium Judæorum Saracenorumque converſio. Nam ex Chriſtianis hominibus, qui perditi atque obſtinati in manifeſtis flagitiis ab omnibus habebantur, ſupra centum millia ad ſalutiferam pœnitentiam reduxit. Erat enim in vitiorum reprehenſione terribilis, ita ut frequentiſſime accideret, ut multi ſcelerati adeo compungerentur verbis ejus, ut humi proſtrati, coram univerſa multitudine, omni pudore poſtpoſito, magna & enormia peccata confiterentur, & veniam lacrymabiliter pererent. Et quamvis ipſis peccatoribus ſic terribilis eſſet, tamen ſuas reprehenſiones cum tanta moderatione mitigabat, quod quicumque eum ſemel prædicantem audiebant, mirum in modum alliciebantur, ut ad eum iterum audiendum proficiſcerentur. Rarum omnino erat, ut

Supra 100 *millia perditorum hominum ad pœnitentiam induxit,*

lacrymas movet,

A ut ipſo prædicante auditores ad lacrymandum non provocarentur: cum vero, de futuro judicio, aut de Chriſti paſſione, vel de pœnis inferorum loqueretur, tam ipſe quam populi adſtantes, ſemper in tantum fletum prorumpebant, quod neceſſarium erat, ut per multũ temporis ſpatiũ ſileret, donec à lacrymis ceſſaretur. In explanatione ſacrarum Scripturarum erat tã clarus quam copioſus. Quæcumque vel docebat vel ſuadebat vel pro ſcelerum correptione dicebat, ſemper Scripturarum aut ſanctorum virorum teſtimoniis confirmabat, & auditorum animis mirabili quodam modo imprimebat. Tanta erat in eo ſententiarum exemplorumque ubertas quando prædicabat, ut ſingulos Scripturarum ſacrarum libros, ac quæcumque in earum expoſitionem viri ſancti conſcripſerunt, quaſi memoria habere videretur. Ne autem perirent ea, quæ de tanti viri ore emanabant, movit Deus animos nonnullorum ex auditoribus ejus, ut quæ ipſe prædicabat, utcumque poſſent, conſcriberent: itaque compoſuerunt ex eis complura volumina, quorum aliqua ſunt multis in locis divulgata, ex quibus noſtri temporis concionatores multum utilitatis accipiunt. Sunt tamen multi, qui & eum prædicantem audierunt, & nunc legunt ſermones quos ipſe ſuo tempore prædicabat in ſcripta redactos, aſſeruntque quod vix conſequuntur umbram eorum, quæ ipſe ſuo ore reſonabat.

B 13 Quam vero acutus, acer, copioſuſque diſputator contra Judæorum perfidiam fuerit, ac quam clare Scripturarum ænigmata eis aperire conſueverit, illud vel maxime demonſtrat, quod in diverſis utriuſque Hiſpaniæ urbibus, ſupra *a* viginti quinque millia ex eis ad ſuſcipiendam Chriſtianam adduxerit religionem, & eorum templa in Chriſti eccleſias dedicari fecerit. Nec minus multi Saraceni, quorum in Hiſpania magna copia eſt, ejus ignitis eloquiis incitati, ſacrilegam Mahometis ſectam deteſtantes, ſacrum baptiſma perceperunt, quorum numerus octo millium fuit. Multa præterea monaſteria, multa hoſpitalia, multæ ſacræ ædes, multi pontes pro fluviorum tranſitu, multis in locis fuerunt ejus perſuaſione conſtructi. Ad injuriarum odiorumque remiſſionem quam efficax fuerit ſermo ejus, teſtes ſunt univerſæ urbes, univerſi populi, apud quos verbum Dei ſeminavit. Nulla civitas fuit, in qua cives multiplicibus odiis diſcordes comperit, à qua prius diſceſſerit, quam eam magna ex parte pacatam concordemque relinqueret. Fuerunt fere innumerabiles, inter quos multis annis capitalia odia, ob necem aut amicorum aut affinium aut conſanguineorum, exarſerant; qui ſermonibus ejus concitati, ſic corde compuncti ſunt, ut nequaquam veriti ſint coram maxima hominum multitudine collacrymantes ſurgere ac clamare, ſeſe velle indulgere homicidis. C Inter quæ illud fuit memorabile, quod compoſuit magnam illam diſcordiam, quæ erat inter duas nobiliſſimas Valentinorum familias, Solenorum videlicet & Centellarum: quorum animi ita erant diſſidentes ac hoſtili odio incenſi, ut multis annis variæ cædes fuerint utrimque ſubſecutæ. Meretrices, lenones, homicidas, piratas, uſurarios, Dei Sanctorumque blaſphemos, & hujuſmodi generis homines, in ſceleribus perditos, fere *b* quadraginta millia reduxit ad propriorum flagitiorum cognitionem, & ad agendam publicam pœnitentiam, eo ordine quem ſupra expreſſimus. Nec mirum, ſi tam vehementer homines ad bene vivendum concitabat: namque cum ſanctitate vitæ erat in eo ſumma eloquentia, quam exornabat incredibilis ſententiarum gravitas, ſplendor nitorque ſermonis: quæ omnia reddebant eloquia ejus ignita, ita ut cuncta quæ loquebatur, non ex ore terreſtis hominis, ſed potius cæleſtis Angeli manare viderentur. Fuerunt multi, quibus divinitus conceſſum eſt, ut dum ipſe prædicaret, Angelos Dei viderent, qui ſuper eum in humili ſpecie humana frequenter deſcendebant. Ad omnia hæc accedebat, quod vox ejus ſic erat à naturâ diſpoſita, quod eam pro libito voluntatis, quomodo volebat, facile emittebat: nam pro rei neceſſitate acutam, gravem, gracilem ac ſonoram vocem edebat.

a Saracenos ad 8000:

ſacra loca conſtruicurat:

componit inveterata odia,

convertit publicos peccatores ad 4000.

b

in concionando Angelus videbatur, & ab Angelis cingi.

14 Multi inſuper quaſi miraculum de eo admirari ſolebant, quod cum numerus eorum qui eum prædicantem audiebant, frequentiſſime tantus eſſet, ut plures ab eo longiſſimo intervallo diſtare cogerentur; non tamen minus ab eis qui plurimum diſtantes erant, quam ab eis qui erant proximi, diſtincte audiebatur ſermo ejus. Illud autem omnium præſtantiſſimum erat in eo, quod ea quæ docebat, multis ſignis clariſſimiſque miraculis confirmabat, de quibus infra narrabimus. Magna etiam admiratione dignum illud eſt, quod donum linguarum, ſicut & veteribus Apoſtolis, ei conceſſum eſt. Cum enim per illas ſingulas regiones, quas ſupra memoravimus ſuas prædicationes diffunderet, & ſua Valentina ac materna lingua fuerit ſemper locutus; tamen ſinguli, tam pueri quam ætate provecti utriuſque ſexus, ejus ſermonem per ſingula verba percipiebant, perinde ac ſi in ſingulorum patria fuiſſet natus, & eorum idiomate fuiſſet locutus. Multi quoque *c* Græci, Teutonici, Sardi, Hungari, & alii in aliis locis natati, qui non niſi materna lingua loqui ſciebant, nec aliam intelligebant, devenientes ad loca in quibus prædicabat Vincentius, cum aliis ad audiendum concurrerunt & tandem facto verborum ejus fine faſſi ſunt ſe ſingula viri Dei verba percepiſſe, non minus quam ſi eorum lingua eum loquentem audiſſent. In illa Galliæ regione, quæ noſtro tempore Britannia dicitur, ſunt quidam populi, quos Galli vocant Britones Britonizantes, quorum lingua ſolis ipſis cognita eſt, & quamvis plurimi eorum linguam Gallorum loqui ſciant, multi tamen non niſi ſua lingua loquuntur, & nullam aliam intelligunt: qui tamen virum Dei, ſuo materno idiomate loquentem, diſtincte intelligebant, ita ut ſinguli quoque pueri & feminæ maximum fructum ex ſalutifera ejus doctrina perceperint.

intelligitur à procul diſſitis,

& lingua Valentina loquens, à quibuſcumq; populis,

c

E

5 Dicendum deinceps eſt, quantum non ſolum apud populares, ſed etiam apud clariſſimos Principes atque Eccleſiarum Prælatos & ipſos Summos Pontifices valuerit ejus auctoritas. Et in primis illud dicamus, quod erat communis omnium conſuetudo, quod ex ſingulis urbibus, ad quas proficiſcebatur, omnis populi multitudo, omniſque nobilitas, & omnis Clericorum ordo, ipſi quoque Epiſcopi & Eccleſiarum Prælati egredientes, ei ſeſe obviam offerebant, hymnos decantantes, & eum tamquam unum ex Chriſti Apoſtolis ad ipſas urbes excipiebant. Sæpe illud fieri ſibi prohibuit: ſed ubi animadvertit ex ea re populorum animos in Dei devotionem incendi, nec etiam poſſe prohiberi quo minus talis reverentia ſibi exhiberetur, quod illi faciebant, permittebat quidem, ſed propterea haud quaquam in ſuperbiam animus ejus efferebatur: omnia enim propter Deum faciebat, & in ipſius laudem & honorem referebat. Et cum multi ex eis, qui ei obviam pergebant, phaleratis equis veherentur, ipſe tamen vili aſino vectus, medius eorum humillime incedebat, vel in cælum erectos tenens oculos, vel humi defixos. Horis, quibus prædicabat, artifices nihil penitus operabantur. Ipſi quoque Doctores, qui prælegebant in locis ubi florebant publica ſtudia liberalium diſciplinarum, tamdiu à lectionibus vacabant, donec fieret finis prædicationis ejus. Tanta enim erat omnium cupiditas audiendæ doctrinæ ejus,

celebri occurſu in urbes inducitur,

F

ceſſantibus opificiis & lectionibus publicis.

AUCTORE RANZANO EX MS.

ejus, quod vix infirmi domi retineri poterant, quin ad audiendum eum & ipſi concurrerent.

16 Locis vero, in quibus prædicabat, quamdiu præſens fuit, tamdiu & etiam per multa tempora poſtea, à perjuriis, à Dei Sanctorumque blaſphemiis, ab aleæ ludis atque à multis aliis flagitiis ceſſatum eſt: tanta erat omnium contritio, tanta religio, tanta in veſtitu honeſtas & in victu parcitas, ut à cunctis, qui talia videbant ac diligenter conſiderabant, tempora priſcorum Apoſtolorum rediſſe æſtimarentur. Fuerunt per ea tempora quamplurimi viri, certe non indocti nec imprudentes, qui conſiderantes ipſius Vincentii ſingulas animi corporiſque virtutes, & maximum fructum, quem ſua clara doctrina, exemplis & operibus in populis fecerat: animadvertentes inſuper quam laudabilis fuerit ordo vitæ ejus, quantuſque fuerit ad eum populorum concurſus & quanta devotio, & demum quam varia ac magna fuerint miracula, quibus claruit vita ejus; dicere auderent, quod poſt priſcos Apoſtolos nemo fuit, qui eum non ſolum ſuperaverit, ſed nec etiam coæquaverit. Paupertatem euangelicam adeo efficaciter & commendabat & conſervabat, ut plures viri nobiles ac opibus ditiſſimi, ejus ſuaſionibus incitati, totam ſubſtantiam ſuam pauperibus diſtribuerent, & pauperem Chriſti Vincentium in paupertate ſequerentur. Nec minus concitati ſunt multi Clerici, ut locupletiſſima beneficia relinquentes, aut arctiorem eligerent religionem, aut eum ſequerentur, quocumque ire decreviſſet. Feminæ præterea clariſſimarum familiarum, ſanctis verbis ejus commonitæ, ſeſe arctis monaſteriis intruſerunt, ad ſervandam perpetuam pudicitiam. Tam autem venerabilis omnibus reddebatur, quod beatum ſe arbitrabatur, quicumque eum vel tangere vel alloqui potuiſſet. Tanta quoque erat multitudo eorum, qui ſacras manus ejus certatim oſculari cupiebant, quod in populoſis civitatibus frequentiſſime neceſſarium erat ut quidam lignei cancelli fierent, inter quos ipſe & ſocii ejus conſiſterent, quibus prohiberetur ad eum concurrentium acceſſus importunus.

maximo cum fructu & concurſu concionatur,

B

e

17 Martinus Papa & Ferdinandus *e* Aragoniæ, & Joannes Hiſpaniæ Reges, conſueverunt ei ſeſe obviam offerre, quoties eorum urbes, ubi ipſi præſentes erant, B. Vincentius ingrediebatur. Idem faciebant cuncti Galliarum ac Hiſpaniarum Principes, cum in urbes, eorum ditioni ſubjectas proficiſcebatur. *f* Machoma quoque Rex Granatæ, quamvis infidelis eſſet, tamen audita fama mirabilium operum, quæ de B. Vincentio ferebantur, præſertim quod multa Saracenorum Judæorumque millia ad religionem convertiſſet Chriſtianam, miſſis litteris & legatis eum ad ſuum regnum venire obſecravit, ut videlicet eum videre & prædicantem audire poſſet: ei fide publica promittens, ut in ejus regno poſſet legem Chriſtianam libere prædicare; nihil obſtare, quod Maurorum ſeu Mahometis lege idem fieri prohibeatur. Et Vincentius quidem, impetrata à Summo Pontifice eundi ad ipſum Regem facultate, lætus ſe eo contulit, ac coram illo ter prædicavit, cum incredibili tum Regis tum aliorum Saracenorum attentione. Cumque ejus doctrina tanta voluptate audiretur, ut jam magna populi multitudo, deſpecta Mahometis ſacrilega ſecta, eſſet ſacrum baptiſma ſuſceptura; nonnulli ex eorum Satrapis id ægre ferentes, Regi comminati ſunt regni amiſſionem ſubſecuturam, niſi Chriſtianus prædicator à regno expelleretur. Ea re compulſus eſt Vincentius ut ad docendos Chriſtianos populos reverteretur.

f *Rex Saracenus eum ad ſe accerſit.*

C

ANNOTATA. D

a *Ita Flaminius, Surius & Legendarium Lovanienſe: at MS. noſtrum* 22 millia,

b *Paulo ante num.* 12, centum millia *dicuntur, in Legendario Lovanienſi dicuntur* centum fere & quadraginta millia.

c *Id contigiſſe Genuæ ſupra diximus.*

d *Similes cancellos adhuc in conventu Ilerdenſi S. Matthæi & aliis Aragoniæ & Cataloniæ adſervari, tradunt Diagus & alii.*

e Ferdinandus, Honeſtus *dictus, poſt inter regnum Martino, de quo mox, ſucceſſit anno* 1412.

f Abenbalva Mahoma, *filius Regis Ioſeph mortuus anno* 1408. *Ita Diagus cap.* 57.

CAPUT IV.

Conſilium in rebus fidei & politicis petitum à S. Vincentio. Orationis gratia ſublimis. Adhortatio S. Dominici apparentis.

conſulitur,

18 SUbortis etiam frequenter aliquibus dubitationibus de arduiſſimis fidei Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ negotiis, Maximi Pontifices & Cardinalium Senatus ejus ſententiam, tamquam viri & doctiſſimi & ſanctiſſimi, non ſolū audire voluerunt, ſed etiam tamquam firmiſſimam tutiſſimamq; tenuerunt. Et licet ſæpius id factum ſit, tamen ne nimis hiſtoriā longam deſcribamus, unum ſolum hoc loco memorabimus. Cum in Conſtantienſi Concilio, inter omnes illos doctiſſimos Patres qui in eo convenerant, diu ſuiſſet magna quædam quæſtio agitata, nec unquā tantæ rei veritas inveniri potuiſſet, tandem conſtituerunt, ut ad B. Vincentium mitteretur, qui de ea re eos faceret certiores. Itaq; una omnium voce miſſus eſt ad eum *a* Joannes, tunc Cardinalis ſancti Angeli, cujus fuerunt comites quatuor, quorū duo erant Theologi, duo vero utriuſq; Juris Conſulti, omnium illius ætatis eruditiſſimi. Venienti igitur ad ſe Cardinali, & ſui adventus ei cauſam exponenti, Vincentius lacrymans reſpondit: unde, mihi, ut tantus taliſq; vir ad me veniat: breves litteræ me uſq; ad Conſtantiam advenire facile feciſſent. etiamſi in extremis partibus fuiſſem orbis. Illud vero vehementer admiror, quod tanta virorum doctiſſimorum multitudo, quantam ſcimus ad Conſtantienſe Concilium conveniſſe, nequiverit veritatem rei aperire, quam ego tam facilem tamque manifeſtam exiſtimo. Sed hanc ignorantiam non ob aliud eveniſſe puto, niſi ob ſuperbiam nonnullorum ex eis qui ſunt in ipſo Concilio, qui omnia non propter Deum faciunt, ſed ut humanam gloriam conſequantur. Hæc poſtquam ab eo dicta ſunt, ſtatim Cardinali & eis qui eum comitati ſunt explanavit quod illi voluerunt.

E

etiam à Patribus Concilii Conſtantienſis.

a

F

19 Nec ſolum ſpiritualia, ſed & ſecularia & quædam maximarum rerum negotia ejus fidei commiſſa ſunt. Extincto namq; Aragoniæ Rege Martino *b*, cum nulli legitimi filii ei relicti eſſēt, qui regno ſuccederēt, ſubſecuta eſt maxima diſceptatio inter multas clariſſimas familias, cuinam regni ſceptrum jure deberetur. Cumq; multo tempore res ipſa in controverſia fuiſſet, nec aliquis finis daretur, qui eis qui diſceptabant pacem eſſet allaturus, tandem fuit omnium communis ſententia, ut aliqui viri eligerentur, quorum tanta eſſet eruditio, tanta auctoritas, tanta fides, & tanta religio, ut in tanto negotio non immerito æqui probatique judices eſſent. Itaque delecti ſunt *c* novem ex omnibus, qui in Galliis & Hiſpaniis comperiri potuerunt: quorum duo fuerunt, ipſe Vincentius & Bonifacius

b

jus ſucceſſionis adrenum Aragoniæ deſignat,

c

A nifacius germanus ejus, de quo ſupra mẽtio facta eſt. Qui diſcuſſis ſingulis, quæ pro rei deliberatione diſcutienda videbantur, ipſius rei finem impoſuerunt, qualem jus & ratio imponendum poſtulaverunt. Facto præterea fine *d* Conſtantienſis Concilii, Martinus, qui in ipſo Concilio creatus Summus Pontifex fuit; illico miſit Antonium Montanum ad eum, qui eo tempore ſummus omnium theologus habebatur. Qui & litteras ad eum detulit, quibus Pontifex ei confirmavit omnem illam abſolvendi, ligandi, docendique poteſtatem, quam ei antea Benedictus contulerat, eum tamquam Chriſti Apoſtolum mittens, qui in nomine Ieſu Chriſti doctrinam euangelicam populis prædicaret.

d à Martino V Papa confirmatur Apoſtolicus concionator.

20 *e* Violantes inſuper, Aragoniæ Regina, Joannis Regis uxor, quadam feminea cupiditate permota, affectabat ingredi viri Dei cellulam, ut videlicet videre poſſet, qualis erat locus, in quo orabat; qualis lectulus, ubi quieſcebat. Cumque hoc à beato viro impetrare non poſſet (nefas namq; ei videbatur, ut feminæ ſervorum Dei cellas ingrederentur) illa indignans, cellulæ oſtium violenter aperiri juſſit; moxque ingrediens, loca, quæ videre cupiebat, vidit quidem; ſed virum Dei, qui intus erat, nec ipſa nec illi, qui eã comitabantur, videre potuerunt. Illa igitur à Fratribus, quos in cella reperit, ſciſcitatur ubinam Frater Vincentius eſſet. Reſpondent illi, quod eum ibidem præſentẽ ante oculos ſuos haberet; ac dicunt ſe plurimum admirari, quod eum non videret; cũ ipſe in loco patulo eſſet, unde ab omnibus videri poſſet. Poſtquã hæc Reginæ dixerunt, ad virũ Dei Vincentium converſi, Quid cauſæ eſt, inquiunt, Pater optime, quod Reginæ ad te venienti non aſſurgis, nec eam alloqueris? At ille, Neſcitis, inquit, filii mei, numquam fuiſſe à nobis permiſſum, ut feminæ in cellas noſtras introducerentur? Et quamvis hæc Regina ſit, tamen eam ingredi non permiſi, ne fiam perſonarum acceptor. Et quoniã violentiã hanc fecit, ut me invito ingredi auſa ſit, ideo quamdiu hoc in loco commorabitur, divino miraculo fiet, quod ejus oculi tenebuntur, ut quamvis coram habeat me, numquam tamen videre poſſit. Hæc audiens Regina, ſtatim egreditur: Vincentius autem ſecutus eſt eam. Quem illa videns, ante eum mirum in modum humiliata eſt, ac pro commiſſo veniam petiit. Cui dixit B. Vincentius: Niſi per muliebrem ignorantiam peccaviſſes, certe non impune tantam violentiam mihi feciſſes: ultor enim eſt Deus injuriarum, quæ in ſervis ejus inferuntur. Deinceps igitur cave, ne quid ſimile facias in ſervos Dei. Poſt multos vero ſermones inter eos habitos, Regina diſceſſit.

Regina Aragoniæ, per vim ingreſſa in cellam ejus, manet inconſpicuus

21 Alia quoque vice eadem Regina, volens explorare, an vita ipſius Vincentii talis in occulto eſſet, qualis coram hominibus videbatur; quadam nocte, magna virorum feminarumque nobilium comitante caterva, in conventum Fratrũ Barcinonæ introducta, tandem venit ad locum, ex quo per quaſdam rimas eum videre poterat. Itaque intuens, vidit virum Dei flexis genibus orantem, & circa eum maximam quãdam eſſe claritatem, ex qua magna radiorum multitudo profluens, circumquaq; diffundebatur. Illa diligentius intuetur, circumſpiciens an in ipſa cellula aliquæ accẽſæ faces eſſent, ex quibus tanta claritas emanaret: ac tandem perpendens eam non humano opere, ſed cœleſti miraculo fieri, ad comitantes converſa, Abeamus, inquit, obſecro: non enim eſt de hoc divino viro ulterius experimentum capiendum: longe quidem plura ac clariora ſunt ejus facta, quam ea quæ vel extra videntur vel fama referuntur. Eis igitur oſtendit id quod ipſa viderat, ac inde illico diſceſſerunt. Quas ob res Regina ex poſt tanta veneratione eum proſecuta eſt, quod quoties eum videbat, quaſi prona adorabat, non minus quam ſi aliquem Angelum cæleſtem per terras gradientem vidiſſet. Solebat quoque narrare vir quidam, nomine Leonardus Gayanus, qui eum multo tempore una cum aliis ſecutus fuerat, quod quadam nocte nonnulli aſpicientes per rimas quaſdam portæ cellulæ, ubi quieſcebat, viderunt cellam ipſam mirabili claritate reſplendentem, & in medio virum Dei à terra penitus elevatum, oculos ad cælum ac manus junctas tenentem, & devotione vehementiſſima orantem.

aliter videtur in oratione clarũ radiis illuſtratus,

AUCTORE RANZANO EX MS. *& elevatus à terra.*

22 In ea Galliæ regione, quam noſtri temporis vulgus Delphinatum appellat, eſt inter duos montes vallis quædam, quam ſub illud tempus, quo B. Vincentius clarebat, habitabat gens quædam fere barbara, quæ erat tot malorum labe infecta, quod quicumque ex eis non vacaſſet laſciviæ, aut non vixiſſet ex rapto, vel non fuiſſet humani ſanguinis effuſione delectatus, aut non fuiſſet magicarum artium præſtigiis infectus, eis nequaquam cohabitare poſſet. Propter quæ & plura alia gentis illius obſcœna facinora, Gallorum lingua locus iſte Vallis-puta dicebatur, quod Latino ſermone diceretur vallis immunda. Fuerunt autem multi ſummi Pontifices, qui ad eos frequenter prædicatores & hæreticæ pravitatis Inquiſitores miſerunt, ut vel ſalutaribus doctrinis vel pœnarum formidine à ſuis obſcœnitatibus revocarẽtur: ſed hæc nihil profuerunt. Nã ferociſſima gens illa eos qui mittebãtur, ferro irruens, vel ejiciebat vel trucidabat: ex quo ad eos ire omnes prædicatores formidabant. Hæc audiens fortis Chriſti miles, non quidem terrenis ſed cœleſtibus armis munitus, in vallem ipſam proficiſcitur. Duxit vero ſecum illam religioſam catervam, quæ eum ſequebatur agens pœnitentiam, modo quo ſupra diximus: ut videlicet eorum exemplo gens illa facilius ad contritionem provocaretur. Itaque ubi incolæ vallis tantum virum, cujus celeberrimam famam frequenter audierant, ad ſe veniſſe viderunt, ad ejus doctrinam audiendam certatim concurrerunt. Poſt paucos autem dies, omni ferocitate depoſita, fuit gens illa ab omni errore revocata, & ad veræ religionis cultum ſic reducta, ut non ſolum à ſceleribus deſiſterent, ſed etiam, quamdiu apud eos fuit B. Vincentius ac per multa tempora poſt, veræ converſionis ſigna multiplicibus indiciis demonſtrarent. Quamobrem fuit à viro Dei conſtitutum, ut non amplius Vallis-puta, ſed mutato nomine Vallis-pura vocaretur: quæ nominis appellatio uſque ad hæc noſtra tempora perſeverat.

Vallis-puta habitatores barbaros,

reducit ad bonam vitam.

23 Ultimo hujus libri loco illud unum dicendum eſt, quod eſt tam virginitatis quam multarum aliarum virtutum ejus teſtimonium mirabile ac manifeſtum indicium, quod non ſolum à ſeculi hujus hominibus, ſed etiam à cœleſtibus civibus venerabatur. Quadam enim vice dormienti B. Vincentio, media nocte adfuit ei B. Dominicus, ex cujus corpore tanta lux emittebatur, quod totus locus mira claritate reſplenduit. Ex quo expergefactus Beatus Vincentius, ac videns virum in Fratrum Prædicatorum habitu, Quis, inquit, es tu, qui hac hora huc te contuliſti? Reſpondit ille: Ego ſum Dominicus, Pater tuus, ad te à Chriſto Ieſu miſſus, ut à me multa docearis, quæ te cognoſcere omnino oportet, ut Dei legationem, ad quam electus es, ferventius exequaris. Da mihi igitur locum, & inſimul in hoc lectulo quieſcamus. Moxque ad eum ait Vincentius: Et unde mihi, ô Pater ſanctiſſime, tantum honoris advenit, ut tantus vir, cæleſtis civis, ad me venire; & mecum qui mortalis ſum, velit in viliſſimo lectulo meo quieſcere? Numquam id quod petis permittam: pedum vero tuorum veſtigia humi proſtratus adorabo. Quod ubi Vincentius facere voluit, Dominicus prohibuit, & ait: Age, Vincenti,

invitatur à S. Dominico apparente.

AUCTORE RANZANO EX MS.

per inceptam virtutum ſemitã conſtanti animo gradiaris: ſcito enim apud Deum magna eſſe merita tua. Et ut jucundius vitã agere poſſis, volo te ſcire, quod multa ſunt, quæ te mihi ſimilẽ efficiunt, propter quæ non immerito dignus es, ut mecum uno in loco quieſcas. Primum es ejuſdem Religionis vinculo adſtrictus, quo & ipſe fui, quando mortalis eram & veſtra vita fruebar. Deinde es Euangelicæ doctrinæ prædicator & doctor, à Chriſto ſicut & ego miſſus ad euangelizandum. Es præterea virginitatis virtute inſignis, qua me quoque conſtat præſtantiſſime claruiſſe. Poſtremo ſunt in te aliæ multæ magnæque virtutes, in quibus tu optimus filius me patrem feliciter imitaris: in illo tamẽ tibi ſum anteponẽdus, quod fui dux Ordinis Prædicatorum. Tu igitur ſtude, ut quæ cœpiſti, diligenter proſequaris, ut tandem peracto mortalis vitæ curſu, mecum in cæleſtium civium ordine colloceris. Poſt hæc dicta B. Vincentius ei gratias egit, eumque obſecravit, ut pro eo Dominum continue precaretur, quo ei largiretur bene vivendi perſeverantiam: itáque colloquentes, multam noctis partem deduxerunt. Socii autẽ ejus, qui in loco contiguo ei, ubi hæc agebantur, dormiebant, talium verborũ ſono è ſomno excitati ſunt: audienteſq; hujuſcemodi colloquiorum viciſſitudinem, per rimas quaſdam tabularum, quæ ipſas cellulas ſeparabant, inſpicientes, viderunt B. Vincentium & ſecum quemdam alium Fratrem, qui videbatur multum venerabilis, cum eo multa loquentem, ex cujus facie lux illa emanabat, qua luce locus multum replebatur. Qui conticuerũt quidem, ſed rem geſtã conſiderantes, menti condiderunt: & quamprimum dies illuxit, Vincentium adierunt, eumque per Ieſum Chriſtum & omnes Sanctos ejus obteſtantur, ut eis manifeſta faciat ſingula illa, quorũ partẽ proxima nocte viderant & audierant. Ille, quãvis primo plurimum reſtiterit, poſtquam tamen ſeſe adeo ſtricte obteſtatum vidit, eis omnem rem illico ex ordine manifeſtavit, orans ne cui revelarent.

& tamquam ipſi in multis ſimilis,

B

C

D

Ex 860 Miracula in 4 Proceſſibus probata, præcipua ſeliguntur.

a

b

E

F

ANNOTATA.

a *Imo* Petrus, *Rechaco & aliis* Cardinalis S. Angeli, *cognomento* Stephaneſcus de Hannibaldis, *creatus an.* 1405 *ab Innocentio 7 Papa: ante electionem Martini Papæ aliquot diebus mortuus*, 31 *Octob. anno* 1417. *quẽ veniſſe an.* 1416 *Divionem ad B. Vincentiũ tradit poſt alios Rechacus cap.* 20.

b *Mortuus eſt Martinus Rex* 31 *Maij anno* 1410.

c Tres Aragonii, Dominicus Oſcenſis Epiſcopus, Franciſcus Aranda & Berengarius Bardoxius; ex Catalaunis tres, Sagariga Tarraconẽſis Archiepiſcopus, Valſeca atq; Bernardus Gualbius: ex Valentinis tres, Vincentius Ferrerius, cujus erat inſignis opinio ſanctitatis ex Prædicatorio Ordine, ex Carthuſiano ejus frater Boniſacius Ferrerius, & Petrus Bertrandus. *Ita poſt alios Mariana lib.* 20 *Rerum Hiſpaniæ cap.* 2, *qui cap.* 5 *habet orationem à S. Vincentio habitam ante electionem, qua Ferdinandus eſt deſignatus* 30 *Iunÿ, & 3 Sept. anni* 1412 *proclamatus. Formulã qua ſuam ſententiã expoſuit S. Vincentius & dein alii, habet Diagus cap.* 61 *& dein* 62 *epiſtolam qua Rex eum invitat ad ſuam coronationem.*

d *Anno* 1418, *Aprilis* 22 *feria* 6.

e Violante, 2 *uxor Ioannis Regis Aragoniæ, cui ſupervixit ſub Rege Martino illius fratre. Hujus Confeſſarium fuiſſe S. Vincentium tradit Diagus cap.* 53.

ANNOTATA.

a *Ita Surius. MS. noſtrum* ſupra ſeptuaginta vel octoginta: *pro quo forſitan alibi legebatur* ſeptingenta vel octingenta: *magnum enim numerum fuiſſe probat eorum quæ hic proferuntur multitudo: & num.* 25 *dicuntur pluſquam* 70 *obſeſſi à dæmoniis liberati.*

b *Quatuor iſtos Proceſſus mandavit Pontifex in conventu ſupra Mineruam aſſervari, & illorum copiam volentibus exhiberi, ut eſt in Bulla Canonizationis. Ideo varias Romam dedimus litteras, ut ipſos nanciſceremur; ſed archivium luſtrantibus vel diligentia vel felicitas defuit, ut invenirent quod quærebant, quodque iſtic periiſſe vix eſt credibile: rogamus ut etiam poſthac inventa nobiſcum communicentur.*

LIBER III.

Prophetiæ donum. Miracula in vita patrata.

PROLOGUS.

PEr ea, quæ ſecundo libro narrata ſunt, Pater religioſiſſime, perſpicue videri poterit, quam mirabilis fuerit ordo vitæ noſtri Vincentii, quam magna ig-

CAPUT I.

Spiritu prophetico varia prædicta: quæ poſtea contigerunt.

1 APud Valentiam Hiſpaniæ, dum quadam die facto fine prædicationis inter quamplurimos, qui ad Beatum Vincentium pro habenda bene-

A benedictione concurrebant, ſimul adfuiſſet vir quidã qui Alphonſus vocabatur, qui præter multas ejus virtutes erat quoq; utriuſq; Juris Conſultus eruditiſſimus; vir Dei eum intuitus, Gratulor tibi, inquit, optime fili: ſcito eſſe futurum tempus, in quo familiæ ac patriæ tuæ maximam gloriã comparabis: eris enim inter omnes homines in ſupremæ dignitatis culmine conſtitutus; & poſtquam ego ex mortali vita migravero, tu in Eccleſia Dei me ſummo honore afficies, & maxima veneratione proſequeris. Sis autẽ memor ut in inceptis virtutibus perſeveres. Hæc verba ille memoriæ mandavit, ac viſus eſt de virtute in virtutem profeciſſe: quo factum eſt ut poſt aliquot annos Valentinus Epiſcopus creatus ſit, deinde Cardinalium collegio conſcriptus, & tandem in extrema ſenectute ſupra omnium hominũ opinionem, ad ſummum Romanæ Sedis Pontificiũ efferri meruerit. Quo tempore memor ipſe eorũ quæ ei B. Vincentius per quinquaginta annos ante huntiaverat, poſt duos menſes ſui Pontificatus, in die feſto & in ſacra æde S. Petri Apoſtoli, eum Romanæ Eccleſiæ catalogo Sanctorum adſcripſit. Hujus rei univerſus mundus eſt teſtis: ipſe enim Pontifex, antequam eſſet ad hujuſcemodi dignitatem elatus, illis qui erant ei familiaritate conjuncti narrare ſolebat id, quod tanto tempore ante Vincentius vaticinatus fuerat. Sed dum eſſet jam in ipſo maximo Sacerdotio conſtitutus, eſſetque inter eum & Cardinalium & plurium Epiſcoporum ſenatum ſermo de ipſius Vincentii meritis & miraculorum ſanctitate, ſæpe ejuſdẽ vaticinii memoriam fecit, ut videlicet efficaciſſimo ejus teſtimonio Vincentii ſanctitas coram univerſa Eccleſia irrefragabilius cõprobaretur.

Prædicit Alph. Borgiæ

ſummum Pontificatũ & ſe ab eo adſcribendũ Sanctis,

quod poſt 50 annos peractum:

B 2 Erat Vincentius admodum juvenis, & propter eruditionem ejus ex conſulto Patrum, qui ad Provinciale Capitulum ex more convenerant, decretum eſt ut Barcinonã mitteretur Philoſophiæ Magiſter: quæ eſt quædam dignitas, quæ in Ordine Prædicatorũ juvenibus conferri conſuevit. Et qui, ut ſupra narratum eſt, à prima ejus juventute aptiſſimus prædicator habebatur, idcirco Barcinone conſiſtens non ſolũ Philoſophiam in ſchola legebat, ſed & hominibus popularibus vitæ verbum euangelizabat. Per illud tempus in eadem regione tanta fuit annonæ penuria, ut multis diebus panis defeciſſet: ob quod in ipſa civitate ab eis qui magiſtratus gerebant, indicta fuit omniũ publica ſupplicatio, ut Deus provideret, ne populus fame periret. Itaque conſtitutæ ſunt proceſſiones, quibus non ſolum Clerici ſed & univerſi utriuſq; ſexus homines intereſſent. Cum igitur quadam die Dominica, talium proceſſionum tempore, ipſe Vincentius prædicaret in quodam loco, ubi erat multitudo ſupra triginta millia hominum; inſpiratus divinitus, Volo, inquit, ô Barcinonenſes cives, ut de beneficio à Deo vobis collato maximè gaudeatis, & in commune Deo gratias referatis: nã non prius adveſperaſcet, quin duæ magnæ naves tritico onuſtæ, ventis & mari tranquillo ad portum veſtræ urbis applicabunt. His verbis licet multi ex vulgo & gaviſi & admirati ſint, viri tamen graviores eis non multũ fidei præſtiterunt, non enim erat eis cognita viri ſanctitas, nec etiam fama virtutis ejus celebris erat. Mercatores præterea & hi quibus erat cura parandæ rei frumentariæ, non ea die ſed multo diu poſt naves frumentarias adfuturas expectabant, juxta proviſionem quam fecerant. Erat quoq; aliud quod eos attrahebat, ne hujuſmodi verbis crederent: nam illo & multis aliis ante diebus, fuit magna maris ventorumq; commotio. Quas ob res verba S. Vincentii potius ſcandalum quam lætitiam obtulerunt. Itaq; Prior ceteriq; Fratres eum plurimum increpaverunt, dicentes, eum temerarie fuiſſe locutum. Ipſe vero eum redarguentibus manſuetiſſime reſpondebat, ſemper aſſeverans futurum eſſe quidquid prædixerat. Et ne longius protrahatur hujus miraculi narratio, ante ſolis occaſum ſingula completa ſunt, quemadmodum S. Vincentius prænuntiaverat.

navès 2 tritico onuſtas adfuturas,

quod præter ſpem omnem contigit:

AUCTORE RANZANO EX MS,

3 Cum apud Perpinianum, quod eſt oppidum quoddam ubi Gallia à Catalonia ſeparatur, Vincentius graviſſimis febribus occupatus teneretur; ita ut multi eũ crederent moriturũ, & à Fratribus fuiſſent introducti ad eum medici, qui ſuæ ægritudini aliquod remedium afferrẽt; ille, Non eſt inquit, mihi opus medicinis veſtris: non enim ſum hoc tempore, aut hoc loco, aut ex hac ægritudine moriturus: adhuc enim reſtat mihi lõgior curſus peragendus: quatuor alios dies febres has patiar, poſt quas penitus me convaluiſſe videbitis. Abierunt igitur medici; & peractis quatuor diebus, viderunt factum eſſe id quod Vincentius futurum prædixerat.

ſe poſt 4 dies febri liberandum:

4 Frater quidam ex Ordine Eremitarum B. Auguſtini, Prior Conventus villæ Oreolæ, quæ eſt in Catalonia, multa impia una cum nonnullis invidis ac maledicis in B. Vincentiũ ſanctamq; doctrinã ejus conjectaverat: poſt aliquos vero menſes, conſiderans viri Dei manſuetudinem ac magnam in perferendis injuriis ei illatis conſtantiã & vitæ ejus ſanctitatem, atque animadvertens ſeſe contra eum fuiſſe mentitũ; quadã die, captato opportuno tempore, eũ adiit & veniã ſibi dari humiliter petiit, inquiens, Parce, ſerve Dei, parce ei qui in te multa impia commiſit: ego ſum unus ex illis ſceleratis viris, qui Valentiæ contra te tuamq; ſanctam & cæleſtẽ doctrinam conſpiraverunt; & ſupplex ad te nunc confugio, certus quod tu, pro humanitate ac manſuetudine tua, mihi veniã nõ denegabis: fateor certe multa me contra te mendacia fuiſſe locutũ. Ad hæc Vincentius, Ego, inquit, jam dudũ tibi tuiſq; cõplicibus peperci, ſed multo magis pepercit tibi Deus, qui poſuit in mentẽ tuam, ut hodierna die ad me venires. Noli ergo tardus eſſe ut animæ tuæ ſaluti conſulas: adeas ilico Sacerdotem, ut ſingula peccata, quorum meminiſſe poteris, confitearis: ſcito enim te cito moriturũ. Ille vero metu & magno terrore percuſſus, ſtatim fecit quod vir Dei faciendum ſuaſerat. Demum accepta benedictione & pacis oſculo ab eo receſſit, itaq; arripuit iter, elongatuſq; ſpatio fere ſex millium paſſuum, non prius devenit in locum quo tendere decreverat, quam cadens in terram, ſtatim extinctus eſt, non ſine maximo terrore & admiratione eorum qui cum eo comitabantur. Sanctus vero Vincentius eodem momento converſus ad multitudinem quæ eum ſequebatur, Oremus, inquit, omnes pro anima illius Fratris, quem paulò ante fueram ad confeſſionem exhortatus: nũc enim mortuus eſt. Juſſit igitur ut in eodem loco pararentur & celebrarentur exequiæ: quibus nondum factus fuerat finis, & adfuit nuntius qui eum ſubitanea morte fuiſſe extinctum aſſeveravit.

obtrectatori veniam petenti,

E

ſuadet confeſſionem, & prædicit ſubitaneam mortem,

quam ſuis indicat:

F

5 Monachus quidam, Gilabertus nomine, qui præerat monaſterio S. Mariæ de Podio apud Valentiã, dimiſſa Fratrum & ſui monaſterii cura, B. Vincentium cum cetera multitudine ſequi decrevit: cujus devotionem ipſe Vincentius animadvertens, eũ in ejus ſocietatem jucunde & libenter admiſit. Poſt paucos vero dies eo accerſito. Fili mi, inquit, te commonefacio, ut protinus pie confitearis, atq; deinde ad tuũ monaſterium redeas; ibi enim tibi eſt requiei locus deputatus. In ipſo autem itinere à Dei laudibus non deſiſtas, & ſi unquam cordis contritionem habuiſti, eam nunc excitare coneris: jam enim ante monaſterii fores, cũ ſummo omnium monachorum tuorum deſiderio, expectaberis. Abi nunc: tempus eſt, quo dandus eſt finis eorum deſiderio. Ille divini vatis verba nimis bene intelligens, jucundiſſime fecit ſingula ad quæ fuerat exhortatus. Facta igitur confeſſione acceptaque viri Dei benedictione ſtatim diſceſſit, & ad monaſterium properavit: monachi vero proſpicientes eum, ei obviã

item alteri eius comitibus:

AUCTORE RANZANO EX MS.

processerunt. Nec mora, ubi ad monasterii ipsius portam processit seu devenit, illic mortuus in terram corruit. B. Vincentius eodem momento fecit celebrari exequias, ut paullo ante de alio Fratre gestum fuisse narravimus.

6 Prædicante B. Vincentio Alexandriæ, quæ est Lombardiæ civitas, interfuit prædicationi ejus vir ille toto orbe terrarum nunc nominatissimus, Fr. Bernardinus Ordinis Minorum, qui eo tempore erat juvenis multisque ornatus virtutibus, sed nondum celebre in Italia nomen ejus habebatur. Illectus autem fama Vincentii, quæ per universum mundum jam erat longelateque diffusa, perrexit in memoratam urbem, ut videlicet illum magnum Euangelii præconem prædicantem audiret, de quo multa admiranda ubique narrabantur. Igitur ubi Bernardinus Vincentium prædicantem audivit, doctrina & eloquentia ac fervore ejus admiratus & stupefactus est: facto itaque prædicationis fine ad eum se contulit, cupiens eum familiariter alloqui, & ad amicitiam ejus admitti, ut tandem doctrina & exemplis tanti viri aliquid utilitatis accipere potuisset. Vincentius vero gratam juvenis indolem advertens, ei multa humanitatis obsequia exhibuit, B voluitque ut secum reficeretur: post multos vero sermones, quibus ambo collocuti sunt, Bernardinus accepta Vincentii benedictione gratias ei egit & inde recessit. Mane vero subsequentis diei, Vincentius dum prædicaret, dumque una cum aliis qui prædicationi intererant ipse quoque Bernardinus adesset; populum & eos qui aderant his verbis allocutus est: Scitote, filii mei, inter vos adstare quemdam religiosum hominem ex Ordine Fratrum Minorum, qui post paucos dies erit vir singularis in omni Italia: ex cujus doctrina & exemplis fructus magnus fiet in populo Christiano. Et quamvis ipse juvenis sit & ego senio confectus, tamen futurum est tempus, quo in Ecclesia Romana est mihi in honore præferendus. Exhortor igitur vos ut Deo gratias referatis, ipsumque deprecemur, ut pro populi Christiani utilitate impleat quod mihi revelavit. Et quia hoc futurum est, regrediar ego ad prædicandum in Gallias & in Hispanias, & reliquos Italiæ populos, ad quos docendos nondum profectus sum, ab eo erudiendos dimittam. His dictis rediit ad illud, unde digressionem fecerat. Hujus autem vaticinii veritas per singula completa fuit: nam post decem annos ipse Bernardinus per C omnem Italiam celebris habitus est, ac Vincentius in Gallias Hispaniasque remeavit. Quamvis etiam Vincentius *a* triginta annis ante Bernardinum feliciter decesserit, *b* sex tamen annis post illum fuit catalogo Sanctorum adscriptus: cujus tarditatis causas exponemus in eo libro quem post hoc opus, duce Iesu Christo, de ipsius Vincentii canonizatione componere decrevimus.

S. Bernardinum juvenem familiariter alloquitur:

prædicit eum fore illustrem concionatorē,

& ante se Sanctis adscribendum.

a

b

ANNOTATA.

a *Mortuus est* S. Bernardinus 20 *Maij pridie Ascensionis Domini anno* 1444, *ergo post S. Vincentium annis* 26 *minus* 45 *diebus.*

b *Canonizatus est anno* 1450 *die Pentecostes* 24 *Maij, id est ante canonizationem S. Vincentii annis* 5, *diebus* 36. *Flaminius rectius habet* quinque annos.

CAPUT II.

Absentia & abscondita revelata S. Vincentio.

7 NOn solum futurarum sed & præteritarum rerum occultarum sæpe fuit facta ei mira revelatio; cum tamen multis exemplis hoc ipsum manifestari posset, nos hæc pauca hoc loco memorabimus. Cum apud Cæsaraugustam, nobilem Arragoniæ civitatem, in quodam ipsius urbis campo prædicaret, materiam de qua loquebatur interrupit, & cœpit ubertim lacrymari: deinde lacrymantes tergens oculos, in cælum eos erexit, sicque inspiciendo per breve temporis spatium siluit. Denique ad populos, qui hoc ipsum admirabantur, jucundo vultu conversus. Ne miremini, inquit, filii mei, de his quæ à me vidistis fieri: revelavit enim mihi Deus, quod hac hora mater mea Valentiæ discessit, & ob hoc ipsum lacrymatus sum: sed jam congratulor ei, quia revelatum quoque mihi est, eam piam ac religiosam mortem obiisse, & nunc esse in cælis inter sanctos Angelos collocatam. Hæc verba fere singuli qui aderant notaverunt, ut videlicet inde scire possent, utrum verum esset, quod Vincentius sibi fuisse revelatum asseveravit: ac post paucos dies venerunt ad eum nuntii cum litteris, quibus felix matris ejus mors ei significata est; compertumque est, eam non alia die aut hora migrasse, quam eis quas ipse ante nuntiaverat.

D

Absens indicat concioni matrem eam hora morituā,

& beata gloria fruī.

8 Eodem quoque modo apud Toletum, quæ est urbs in ulteriore Hispania, fuit ei revelata mors *a* germanæ ejus, quæ numquam virum duxerat, sed semper in virginitate permanserat: de qua illud memorabile fertur, quod, cum prope mortem esset, petiit super se apponi quamdam tunicam laneam, quæ antea fuerat germani sui S. Vincentii, & quam ipsa ob tanti viri singularem devotionem multis annis cum magna diligentia servaverat: quod cum factum esset, illa, inter cetera quæ dicebat in laudem Dei, hæc verba sæpe repetebat: O mi germane, S. Vincenti, ora Deum pro me. Tandem post duas horas sic dixit, fueruntque novissima ejus verba: Ecce germanus meus Fr. Vincentius me perducit ante tribunal Iesu Christi, quibus dictis protinus emisit spiritum: itáque singula hæc fuerunt revelata B. Vincentio, dum Missam celebraret, & Eucharistiæ sacramentum ex more manu teneret: & quamprimum finitis Missarum solenniis adscendit locum ubi erat prædicaturus, rem ei revelatam populo manifestavit. Post multos autem dies venit nuntius, qui & de sororis suæ morte detulit litteras, & narravit singula quæ gesta sunt antequam moreretur. Illi autem qui verba nuntii notaverunt, comperierunt sororem ejus non alia die aut hora decessisse, quam illa in qua illam fuisse extinctam Vincentius F dixerat.

a *a* E *item sorore,*

quæ se ab eo ad tribunal Christi duci tam dixit.

9 Tempore illius biennii, quo eum in Britannia commoratum fuisse in sequenti libro ostendemus, quidam ex ejus sociis febribus occupatus, petiit ab eo benedici & Cruce signari, ut videlicet sicut pro aliis, sic pro eo, per manus impositionem sanitatis beneficium impetraret. Vincentius ei manum imposuit, ut ejus devotioni sic satisfaceret: sed eum paulo post intuens, Scito, inquit, fili mi, quod hac vice sanitatem, quam velles, impetrare non poteris: consule saluti animæ tuæ, quoniam post octo dies, prima Dominicæ diei hora, morieris. Iste statim quod sibi divinus vates suasit exequitur: die igitur & hora, quas prædixit vir sanctus, extinctus est: Beatus vero Vincentius, convocatis multis Sacerdotibus, qui ad exequias convenerant, Deprecor vos, inquit, omnes Fratres mei, ut singuli ex vobis tres Missas celebretis, ut anima defuncti socii mei de pœnis purgatorii liberetur: revelatum enim mihi est, quod triduo debet ibi cruciari. Sacerdotes mox faciunt, quod vir Dei eis faciendum imposuit: peracto autem triduo eis gratias egit, dixitque, defuncti animam Missarum & aliarum orationum suffragiis fuisse è purgatorii pœnis liberatam & ad cælos evolasse.

Socio uni prædicit diē & horam mortis,

scivitque eum triduo in purgatorio detentum.

10 Cum

A 10 Cum Toloſæ, Galliarum celeberrima urbe, quadam die tanta multitudo hominum ad ejus prædicationem conveniret, quod multis loca deeſſent, & ob hoc cogerentur aſcendere muros, qui erant per circuitum loci ubi ipſe prædicabat; quidam juvenis in ipſo muro aſſiſtens, ſomno preſſus eſt, ac ſic medius ex muro pendebat, ita ut, niſi Deus opem detuliſſet, non multo poſt moriturus cecidiſſet: locus vero ubi ille dormiebat, erat poſt tergum B. Vincentii, inter quem & ipſum erat quædam ſtructura tabularum, quæ penitus impediebat ne ille qui dormiebat ab eo videretur. At ille, Spiritu ſancto afflatus, materiam de qua dicebat intermiſit & dixit: Poſt terga mea eſt quidam juvenis ſuper muro dormiens, qui ſi non excitetur caſurus eſt, & ex ipſo caſu cum animæ ſuæ perpetuo damno moriturus: itaque ſuccurſum ei feratis, & de tanto periculo eum liberetis: & illico factum eſt.

novit in ſpiritu periculum juvenis dormientis,

11 Apud Ilerdam quidam Sacerdos, nomine Laurentius Peregrinus, juvenili quadam laſcivia permotus, conſueverat ſub exterioribus veſtibus uti ornatu aliarum rerum & veſtium, quibus laſcivi & ſeculares homines uti conſueverant: quas tamen nemini demonſtrabat, ſed ſolus in ſeipſo talium rerum cultu delectabatur. Cum igitur Vincentius in ipſa urbe prædicans multorum vitia redargueret, & inter cetera deteſtaretur laſciviam eorum qui in corporis ornatu ſuperfluam curam impenderent, omnem ipſius Laurentii vitam & converſationem omneq; ſtudium, quod in corporis ſui cultu impendebat, ſingularumq; veſtium formas & colores quas ſub exterioribus veſtibus induebatur, non minus deſcripſit quam ſi eum ab adoleſcentia ſua cognoviſſet. Quod ille audiens mirum in modum admiratus eſt, & ſecum cogitans, quod non humana ſed divina revelatione, tam ſecreta ejus geſtamina vir Dei ſcire potuiſſet, multa contritione compunctus, & omni vitæ veſtiumque laſcivia depoſita, ei adhæſit, eumque per viginti duos menſes per multa Hiſpaniarum loca fuit jucunde & religioſe ſecutus.

occultam alterius vanitatem,

B

12 Dum multi ex Valentia, omnibus abjectis relictiſq; temporalibus rebus, Vincentium, ut ſupra narravimus, ſequerentur, quidam homo, qui vocabatur Gaja, venditis omnibus ſuis bonis & pro eis acceptis quadringentis aureis, venit ad eum eique aperuit omnem ſuam deliberationem, dicens quod eum ſequi decreverat; & quod de quadringentis aureis, quos habebat, nihil facturus eſſet niſi quod ipſe ſuaſiſſet. Beatus autem Vincentius laudavit ſanctum ejus propoſitum, moxque ei ſuaſit, ut totam illam pecuniam pauperibus Chriſti diſtribueret. Abiit itaque ille, & erogatis ducentis aureis, reliquos ſibi retinuit, volens eos conſervare pro futuris neceſſitatibus: demum ad virum Chriſti regreſſus, Feci, inquit, Pater, quod ſuaſiſti. Vincentius vero Spiritu ſancto edoctus, percepit eum fuiſſe mentitum, & faciem ejus intuens, Tu, inquit, non es dignus, ut in conſortio eorum qui me ſequuntur habearis: mendacia enim loqueris: nam non omnia, ut ſuaſeram, in pauperibus erogaſti: eſt enim hoc manifeſtum indicium, quod non totam ſpem tuam in Domino poſuiſti. Itaque niſi ducentos aureos, quos tibi pro neceſſitatibus futuris retinuiſti, pauperibus dederis, me ſequi libero animo non poteris: mecum enim volo habere viros, qui fide & virtutibus, non qui auro terreniſque divitiis abundant. Ille hoc audiens, humiliter proſtratus ac de commiſſo dolens, peccatum coram omni multitudine confeſſus eſt, multiſque cum lacrymis veniam ab eo petiit, & illico impetravit: poſtea vero fecit aureorum illorum diſtributionem, quemadmodum viro Dei ſancte placuit.

C

fraudem detinentis 200 aureos,

13 Juxta fluvium, qui labitur prope Dertuſam Cataloniæ urbem, extant quædam tuguria, multis arboribus circumſepta, quæ paleas aliaque ejuſmodi conſervare conſueverant. Quadam igitur die, cum B. Vincentius in quodam extra urbem ipſam campo prædicaret, materiam de qua prædicabat intermittens, ſcio, inquit, magnum ignem incendi in uno ex tuguriis quæ ſunt juxta flumen: itaque bonum eſt ut aliqui ex vobis illuc currant & ferant auxilium, ne fortemajus ac diuturnius incendium ſubſequatur. Igitur multi inde conſurgentes in tuguriorum loca perrexerunt: cumque appropinquaſſent & extrinſecus nullum veſtigium ignis videretur, admirati ſunt & ſecum cogitabant, quem ignem vir Dei ſignificare voluiſſet. Tuguria dum ingrediuntur & circumſpiciunt, inquirentes ſi alicubi ignem videre poſſent, tandem comperiunt quemdam juvenem cum quadam muliere meretrice coëuntem. Quod ubi compertum eſt, ſtatim qualem ignem incenſum vir ſanctus dixerat intellexerunt. Rem autem hanc non immerito cuncti qui aderant miraculo attribuunt: nam erat penitus impoſſibile ut illa tugurium loca à Vincentio videri potuiſſent.

AUCTORE RANZANO EX MS.

fornicatores procul peccantes,

14 Alia quoque die, congregata ejuſdem civitatis multitudine gratia audiendæ prædicationis, Vincentius, poſtquam aſcendit locum in quo erat prædicaturus, non ſtatim fecit dicendi principium, quemadmodum antea conſueverat: quamobrem expectabat populus & vehementer admirabatur, cogitans quid ſibi vellet mora illa, quam ſic præter conſuetudinem faciebat. Ipſe autem hoc perpendens, Nulla ſit, inquit, vobis admiratio; ſilentii mei cauſa hæc eſt: exſpecto gratiam Dei, quæ cito de cælo ad nos dimittetur: nam videbitis ad hanc prædicationem concurrere homines, quorum adventus nobis omnibus erit gratiſſimus. Vos autem tali cum eis utamini humanitate, ut cum venerint, loca pro eis præparata inveniant. Vix autem verba finierat; & ecce omnis Judæorum Synagoga veniens dixit, ſe illa die velle audire quæ Vincentius prædicaret. Fuerunt igitur ab omnibus jucundiſſime recepti, atq; inter multitudinem tantam locum eis convenientem habuerunt. Vir autem Dei, antequam prædicandi principium faceret, ipſos Judæos coram omni multitudine interrogavit, quiſnam fuerit ille, qui eis ſuaſerat, ut ad audiendam ejus concionem illa die proficiſcerentur. Illi autem reſponderunt, ſe à nemine fuiſſe ſuaſos, ſed quod propria ſponte, veluti à Deo inſpirati, illuc omnes venire deliberaſſent. Itaque ſanctus Dei præco principium dicendi fecit, & mox tanta gratia diffuſa eſt in labiis ejus, quod magna Judæorum illorum pars fuerit a Judaica perfidia revocata & ad fidem Catholicam converſa.

E

ad concionem venturos Judæos:

F

è quibus multos convertit:

15 Dum quadam die prædicaret in quodam ulteriori Hiſpaniæ oppido, nomine Proleſques, quidam Judæus, qui in ſua lege omnium peritiſſimus habebatur, allectus fama celeberrima B. Vincentii, decrevit eum audire prædicantem, ut videret utrum talis eſſet, qualem eum eſſe fama referebat. Itaque ad quemdam amicum ſuum, hominem Chriſtianum, ſeſe contulit, cui quamprimum aperuit animi ſui conſilium. Ille eum in domum propriam ſuſcepit, ut ex ea ſecreto B. Vincentii prædicationem audire poſſet. Hujus autem viri domus taliter ſita erat, quod poſt terga prædicantis penitus relinquebatur. Inter ipſam prædicationem Judæus pauliſper cœpit dormitare: fuerunt igitur hæc divinitus revelata B. Vincentio, qui allegans quamdam Scripturæ ſententiam, quæ maxime contra Judæos eſſe videbatur, elevavit paulo altius vocem ſuam, & Judæum, qui, ut modo dicebamus, ex occulto loco prædicationem audiebat, ſic allocutus eſt: O Judæe,

item alterius Judæi occultum acceſſum.

AUCTORE RANZANO EX MS.

qui poſt terga mea dormis, & qui furtim ad audiendam doctrinam meam ad locum ubi nunc es te contuliſti, expergiſcaris, & conſidera hæc verba Scripturæ quantum arguant Judæorum perfidiam, qui Ieſum Nazarenum Chriſtum negaverunt. Judæus igitur expergefactus & obſtupefactus, tã ex eo quod Vincentius rem nemini notam revelavit, quam ex eo quod tam acute & veridice ac copioſe Scripturarum verba & ſenſum enucleabat, mutatus penitus eſt, & ad fidem Chriſti converſus: qui continuo baptizari voluit, & exemplo ejus quamplures alii converſi ſunt.

puerulum ſanat & prædicit eximiũ theologum futurum:

16 Barcinone mulier quædam habuit filium infantulum, qui ob nimium vagitum fractus fuerat in membris genitalibus; veniens itaque ad B. Vincentium petiit ab eo, ut infantulum ſuum ex more Cruce ſignaret, & manum ſuam in locum ægritudinis imponeret. Ipſe vero Spiritu ſancto intrinſecus afflatus, ad mulierem converſus eſt, eique dixit: Gaude, filia, & ſpera in Domino: hic enim tuus infans ab hac ægritudine cito liberabitur; & cum erit grandioris ætatis, erit Clericus, & tandem in matura ætate evadet theologus eruditiſſimus. Hæc poſtquam dixerat, ſuo more infantulo manum impoſuit: quo facto ſtatim fuit ſanitati reſtitutus. In temporum autem ſucceſſu ſingula completa ſunt, quemadmodum vir Dei tanto tempore ante fuerat vaticinatus. Vir quoque ille nunc ſupereſt, quem ob ſingularem eruditionem ejus *b* Alphonſus Aragonum Rex magno honore & benevolentia proſequitur, cujus nomen eſt *c* Joannes Solerius.

B

b

c

17 In eadem urbe, aſcendente B. Vincentio regale palatium, apparuit ei dæmon in humana ſpecie: quem divina revelatione vir Dei recognoſcens, interrogavit eum dicens, Quo vadis, maledicte? Reſpondet ille, Ad Montem-Serratum. Cumque ulterius Vincentius ab eo perquiſiviſſet, quamobrem illuc proficiſceretur; ille reſpondit; Non eſt opus ut nunc tibi manifeſtetur, ſed craſtina die fies de omnibus certior. Hæc dicens diabolus protinus diſparuit. Beatus autem Vincentius demum egreſſus, oravit Dominum, ut ei dignaretur revelare, quodnam illud eſſet quod dæmon ſe facturum in Monte Serrato aſſeveraverat, eique manifeſtare denegaverat. Facto itaque orationis fine, ad ſe ſocium accerſens; Unum, inquit, mihi Dominus revelavit, quod tibi dolenter refero. Scito quod quam cito dies craſtinus eluceſcet, ejuſdem Abbatis mortem audiemus. Poſtera autem die nuntiatum eſt, Abbatem memorati monaſterii in cella ſua mortuum fuiſſe repertum.

obitum Abbatis Montis-Serrati abſens novit:

C

18 Apud Morellam, quæ eſt villa non multum diſtans ab Urbe Valentiæ, prædicationem intermittens, Volo, inquit, vos omnes qui hic adſtatis, cautiores reddere, quod non prius octavus dies præterib it, quam erit magnum tonitruum, quod per univerſas regni partes audietur; & poſt ejus caſum magna ſanguinis humani effuſio ſubſequetur. Poſt duos vero dies, quia ob viri Dei verba magnus terror invaſerat, & unuſquiſque quale eſſet illud tonitruum ſciſcitari conabatur, ideo explanans verborum ſuorum ſignificantiam, dixit illud tonitruum nihil aliud fore, niſi quia poſt paucos dies nuntii venire deberent, qui Regem Martinum jam eſſe mortuum nuntiarent. Hæc verba omnes mente ſuſpenſos reddiderunt, cum nihil tale nemo eorum qui in regno erant vel ſuſpicaretur vel cogitaret: verumtamen poſt pauciſſimos dies ſingula venerunt, prout Vincentius prædixerat.

prædicit mortem Martini Regis Aragoniæ.

ANNOTATA. D

a *Diagus cap.* 55 *appellat* Catharinam, *ac mortuam tradit anno* 1411, *ibique agit de* Agnete *&* Franciſca *aliis ſancti Sororibus.*

b Alphonſus V, *Magnanimus dictus, ſucceßit Ferdinando patri anno* 1416 *defuncto, & ſuperſtes erat, cum hæc ſcriberentur, mortuus anno* 1458.

c *Idem* Joannes Solerius *poſt Vitam hanc editam, mortuo Iacobo Gerardo Epiſcopo Barcinonenſi, menſe Novembri anno* 1456 *ſubſtitutus eſt, & tertio anno ſui Epiſcopatus vita functus: de quo late agit Diagus lib.* 3 *Hiſtoriæ Comitum Barcinonenſium cap.* 23.

CAPUT III.

Mortuis vita, & mutis loquela data. Panis & vinum non diminutum.

19 DUm per eam partem Galliarum, quam vocant *a* Linguam-Anſerinam, verbum ædificationis Vincentius ſeminaret, venit in quamdam villam, quæ dicitur *b* ... erat enim in hac villa vir quidam tam genere quam virtutibus nobilis, cui erat uxor juvenis & ſpecioſa & multis virtutibus ornatiſſima, ſed tamen patiebatur quamdam ægritudinem quod certi temporis intervallis efficiebatur amens, non ſine magno ſui ipſius & ſuorum periculo: verum tempore quo ad ſe revertebatur, ita prudens & manſueta in cunctis dictis & geſtibus ejus videbatur, quod in ipſa villa nulla mulier erat quæ ei ſimilis haberetur. Adveniente igitur B. Vincentio fuit à viro ſuo rogatus, ut nullam aliam domum niſi domum ejus ad hoſpitandum eligeret, quod & impetravit. Itaque ingreſſus vir Dei domum ipſius, in ipſo primo ingreſſu mulierem ſibi oblatam benedixit, manumque ſuam ſuper caput ejus, ut illa poſcerat, impoſuit: ex quo factum eſt, ut quamdiu in ejus domo Vincentius commoratus eſt, illa nullum habuit dementiæ intervallum, ita ut à viro & à ceteris cunctis penitus curata putaretur. Poſtera vero die, viro ejus ceteriſque familiaribus ad Vincentii prædicationem euntibus, uxor, & cum ea quædam alia familiaris ei, relicta eſt, ut videlicet ea quæ refectioni neceſſaria erant, pararent. Verum longe aliter evenit quam vir ipſe cogitaverat: nam, cum illa alia mulier, quam cum uxore ejus reliquerat, aliis rebus neceſſariis eſſet intenta; ut conſueverat, furiis agitata, arrepto ferro proprium filium, qui erat infantulus, trucidavit, necatumque corpus in fruſta diviſit, & unam partem igni pro prandio coquendam appoſuit, partemque reliquam ad cœnam reſervavit. Completa autem prædicatione, ille vir domum lætus rediit, & mox occurrentem ei uxorem interrogavit, ſi jam prandium paratum eſſet, ut veniens ſanctus prædicator ſtatim reficeretur. Mulier reſpondit omnia neceſſaria eſſe parata, nihilque reſtare niſi quod veniens vir Dei poſſet ſine mora diſcumbere. Interrogante iterum viro ſi piſces bene paraviſſet; illa reſpondit, quod cum piſce quoque carnes paraverat optimas; quodque alias carnes haberet, quas ad cœnam reſervaverat. Hoc audiens vir eam redarguit, quandoquidem carnes ei parandas non reliquerat, quibus etiam B. Vincentius nequaquam veſcebatur. Volens igitur vir ejus rem inveſtigare diligentius, perpendit eam ſolita inſania eſſe agitatam, ac infantuli ſui carnes eſſe illas, quas uxor ejus ſe paraviſſe aſſeverabat. Oritur igitur omnium clamor & luctus, ac præ ceteris dolens pater, Heu! me miſerum! inquit, in quem tot & tantis adverſitatibus voluit ſævire fortuna. Hæccine

a

b

E

Infantem à propria matre occiſum, in fruſta diviſum, & coctum

F

ſuns

A ſunt quæ mihi redduntur pro operibus pietatis, quæ pauperibus Chriſti impendere conſuevi? Ex hoſpitalitate, qua ergo hunc ſervum Dei uſus ſum, ſperabam à Deo meam uxorem eſſe curandam: & tamen cunctis afflictionibus meis nunc hæc ſuperaddita eſt, quæ alias ſuperaret. Sic ſic, ô Frater Vincenti, mihi reddis meæ in te devotionis mercedem? Dum autem hæc & alia hujusmodi multa lacrymans conquereretur, multi concurrentes rem geſtam B. Vincentio narraverunt: qui nihil diffidens domum confeſtim properavit. Quam cum ingrediens, magnam in ea clamoris, luctus dolorisque confuſionem inveniſſet, voce manuque ſilentium indicens, Confidite, inquit, in Domino Jeſu Chriſto: qui ſicut infantem iſtum creavit ex nihilo, ſic & eum priſtinæ vitæ reſtituet, ſi veram fidem habueritis. His dictis juſſit ſibi exhiberi fruſta, in quæ corpuſculum fuerat à matre diviſum; deinde genua flexit fecitque brevem orationem, & poſtea ſuper fruſtis illis ſignaculum Crucis, dicens hæc verba: Jeſus, Mariæ filius, mundi ſalus & Dominus, qui hujus infantis animam ex nihilo fecit, eam ad hoc corpus reſtituat, ad laudem & gloriam ineffabilis majeſtatis ejus. Poſt quæ, B cunctis qui aderant ſpectantibus, protinus conjuncta ſunt membra, & infans mox vitæ priſtinæ eſt reſtitutus. Quam ob rem quanta fuerit omnium admiratio & quanta lætitia, & quantum fuerit in virum Dei aucta omnium veneratio, conſiderent ii qui quam grande fuerit tale tantumque miraculum pia mente conſideraverint.

Crucis ſigno & oratione reſuſcitat,

20 Apud *c* . . . . urbem quædam mulier tantarum lacrymarum effuſione ad B. Vincentii pedes provoluta, ei obtulit infantem quemdam mortuum, quē illa dicebat horis duodecim exanimem jacuiſſe. Ipſe vero mulieris illius magnam fidem conſiderans, mox oculos ſuos ad cælum erexit, ac facta breviſſima ſupplicatione, confeſtim corpori mortuo manum imponens, dixit mulieri: Abi domum, & in Dei laude continue perſevera: infans enim iſte nunc dormit, & de ſomno excitabitur poſtquam domum ingredieris. Credidit itaque illa, & ſtatim, ut S. Vincentius juſſerat, domum regreditur: ſtatimque, ubi ad domus limina devenit, cœpit infans ſe movere, vagitumque emittere, & matris ubera ad lactendum perquirere. Itaque coram multis, ad tantum ſpectaculum concurrentibus, ubera ſuxit, & deinde multos annos uſque ad maturam ætatem ſupervixit.

c alium infantem vitæ reſtituit:

C 21 Prædicante B. Vincentio in quadam villa prope Dertuſam, quæ Cataloniorum lingua dicitur Trayguera, contigit ab eo narrari geſtum illud, quo fertur S. Margaritam diabolum in humana ſpecie ſibi apparentem proſtraviſſe, victumque ſub pedibus tenuiſſe. Inter eos autem qui virum Dei ſequebantur, erat adoleſcens quidam Lombardus, cujus erat tanta ſimplicitas quod nullam rerum terrenarum utilitatem, ſed ſolum animæ ſalutem affectabat. Qui audiens quantus fuit Margaritæ triumphus contra diaboli verſutias, cœpit intra ſe multa cogitare, & inter cetera hoc pacto dicebat: O ſi Deus permiſerit aliquando ut diabolus voluerit in viſibili ſpecie mecum dimicare, eum conſimili modo proſternam, tantumque ſecum ſtrenue pugnabo, quouſque de eo victoriam reportavero. Igitur circa primam & vigeſimam horam villam egreſſus, captatoque ſibi opportuno loco ubi ſecretius oraret, genua flexit, cœpitque Dominum inter alia deprecari, ut permitteret diabolum ei viſibiliter in aliqua forma apparere, ut videlicet exemplo beatæ Virginis Margaritæ eum poſſet dimicando ſuperare. Dum itaque precaretur talia, ſupervenit in ipſum locum mulier quædam, quæ falcem in manu ſua tenebat, miſſa ad metendum herbas, quibus ibidem ille locus abundabat. Erat autem hæc mulier à nativitate muta: quæ cum veniſſet in locum, & vidiſſet illum adoleſcentem inter herbas genua flectentem, vehementer expavit, & retrocedens cœpit vocem ſine expreſſione ſermonis emittere, & ipſi adoleſcenti quibuſdam ſigni manuū & capitis quaſi minabatur. Adoleſcens autem cernens feminam deformoſiſſimam (utpote quæ erat ætate decrepita, corpore & longa facie macilenta, colore ſqualida, laceratas veſtes induta, quæ & altiſſimas ſine verborum expreſſione voces emittebat, eique falce quam in manu tenebat minari videbatur) eam non feminam, ſed diabolum in feminæ ſpecie ſibi apparentem, eſſe exiſtimavit, creditque à Deo preces ſuas eſſe exaudtas: quas ob res in eam irruit, & eam in terram protinus dejecit, ſic inquiens; Maledicte diabole, veniſti? non certe me viſibili certamine ſuperabis, quem inviſibili tentatione ſepiſſime ſuperaſti. Hæc dicens, crinibus eam arripuit, & huc atq; illuc trahens, modo manibus, modo calcibus, modo falce quam portaverat tamdiu percuſſit, totq; eam vulneribus affecit, quouſq; eam ſemimortuam reliquit. Ad hoc autem utriuſque ſexus magna multitudo concurrit, & videntes quod geſtum fuerat, adoleſcentem captum duro carceri incluſerunt. Relata E ſunt protinus hæc B. Vincentio: qui corpus, quod extinctum videbatur, ad ſe portari fecit confeſtim, moxque ſuper idem more ſuo orans manum impoſuit; quo facto mulier ſtatim reſpiravit. Ipſe autem accerſito quodam ex Sacerdotibus, qui eam comitabantur, huic juſſit ejus confeſſionem audire. Illi vero qui aderant hoc audientes, dixerunt viro Dei hæc fruſtra fieri, quoniam illa eſſet à nativitate muta, ac propterea nec audiret ac intelligeret Sacerdotem, nec etiam poſſet verbis ſuis peccata indicare & confiteri. His non obſtantibus iterum B. Vincentius Sacerdoti jubet, ut illius confeſſionem audiat, aſſeverans eam diſtinctiſſime omnia locuturam. Itaque quidquid vir Dei præceperat, Sacerdos confidenter exequitur. Quid opus eſt verbis? Quamprimum mulierem, pro audienda ejus confeſſione acceſſit & ei appropinquavit, illa, quam omnes Catalani mutam à nativitate cognoverant, locuta eſt, cœpitque multum diligenter & diſtincte confiteri; & ita perfectiſſime verba ſingula pronuntiavit, ac ſi antea numquam fuiſſet muta. Poſt factam vero confeſſionem petiit ſibi Euchariſtiam ac extremam unctionē miniſtrari: poſtremo tandem ſeſe Domino commendavit, & audientibus & expectantibus quam pluribus, qui ad tantum miraculum videndum convenerant, loqui numquam deſiit, quouſque ſpiritum exhalavit. Adoleſcens autem qui eam necaverat, ipſius B. Vincentii precibus à ſuſpendio liberatus, in Italiam remeavit.

loquelam tribuit ut poſſit conf. teri:

muta mulieri ad mortē laſa,

22 Aderat ſolennitas B. Joannis Baptiſtæ, & prædicante B. Vincentio in urbe Valentiæ, per mediam multitudinem ducta eſt ad eum mulier quædam, quæ fuerat muta à nativitate, prout aſſerebant hi qui eam adducebant. Ipſe autem perpendens magnam eſſe fidem illorum, oculos ad cælum pauliſper erexit, moxque ad mulierem converſus, coram omni multitudine eam alloquens, hoc pacto interrogavit: Quid vis, filia? Illa reſpondit: Panem volo & officium linguæ. Et Vincentius ad eam: Panem quidem quotidianum, quamdiu vixeris, habebis: officium vero linguæ non potes impetrare: pro futura enim utilitate tua te Deus voluit tali officio privari. Si enim uſum loquendi habuiſſes, tanta fuiſſet linguæ tuæ mordacitas, quod vitam corporis & animæ perdidiſſes. Mente igitur Deum magnificare non ceſſes, & cave ne ulterius ab eo petas, quod non immerito tibi denegabit. Mulier itaque reſpondit: Pater ſancte, faciam quod hortaris; ſtatimque obmutuit.

alter muta ad pauca verba loquelam tribuit:

AUCTORE RANZANO EX MS.

tuit, & viri, à quibus ducta fuerat, talis rei admiratione ſtupefacti, eam unde venerat reduxerunt. *d* Supervixit ita ſeptem annos, & tandem ex hac luce religioſe migravit.

d

23 Diſcedente B. Vincentio ex Vico, quæ eſt urbs Cataloniæ (cujus cives, primum inter ſe capitalia odia gerentes, in maxima concordia caritateque reliquerat) & verſus Barcinonem eo proficiſcente, declinavit in quoddam hoſpitium, cujus locus eorum lingua vocatur Lacona: quo cum primum perveniſſet, illi quibus erat cura de paranda refectione diſponere, interrogaverunt hoſpitem ſi quid haberet, quod viro Dei Vincentio ceterisque qui cum eo comitabantur ac ſequebantur comedendum ac bibendum apponeretur. Hoſpes reſpondit, nihil ſe habere niſi parum farinæ parumque vini in dolio: quod & ipſum vini ſaporem jam dudum amiſerat, & fere acetum factum eſſe videbatur. Cui illi dixerunt. Propera, & ex farina, quæ tibi eſt, conficies tot panes quot confici poterunt. Si enim non omnes refici poterimus, ſaltem tantum panis habeamus, quod cum ſervo Dei pro paucis quibusdam nobilibus, qui eum ex Vico uſque huc comitati ſunt, poſſit ſufficere: cetera autem multitudo patienter feret, quouſque Granolles perveniemus. Vinum quoque dolio extractum juſſerunt poni in quodam ligneo vaſe, quod ab illius regionis incolis vocatur portatoria: id autem fieri fecerunt ideo, quia erat eis conſuetudo, ut quoties in iſtiusmodi campeſtribus locis reficiebatur vinum in ipſa portatoria poneretur; ut videlicet quiſquis pro neceſſitate ſua ex ea ſumere poſſet. Itaque hoſpes confeſtim exequitur quod illi voluerunt: illi autem rem omnem aperuerunt B. Vincentio, addicuntque quod annona tanta eſſet, quod ei & illis paucis nobilibus qui eum comitabantur ſufficeret, cetera vero multitudo jejunans patienter expectaret, quouſque Granolles perveniſſet. Quæ ut audivit vir Dei, indignum eſſe cenſuit, ut tanta multitudo, quæ erat ſupra *e* duo millia hominum, tanti temporis jejunium pateretur: quamobrem in Dei liberalitate confiſus, jubet eis ne cui illud dicant, ſed paucos panes quos habebant, prout melius poſſent, multitudini diſtribuerent: vinum vero in portatoria impoſitum, ab omnibus, ut conſueverant, ſumi permitterent. Cœpit deinde benedictione facta, cum univerſa multitudine diſcumbere: mox autem, dum panes, qui numero erant quindecim, diſtribuerentur, vinumque ſumeretur, non ſolum ex eorum multiplicatione eſt illa multitudo ſatiata, ſed etiam ipſum vinum, quod fere acetum erat, in optimum guſtuque ſuaviſſimum mutatum eſt. Quod cernens hoſpes, confeſtim humi proſtratus, ac ingentes clamores emittens, rem omni multitudini manifeſtat: & licet a B. Vincentio cohiberetur, ipſe tamen multo magis clamans omnes qui aderant in gratiarum actionem invitabat. Finita autem refectione, & jubente viro Dei, ut hoſpiti pro debito panis & vini pretium ſolveretur, ille recuſavit, nec aliud ab eo petiit niſi ut domui ſuæ cunctiſque in ea habitantibus precaretur advenire cæleſtem benedictionem: quod & impetravit. Non autem fuit inanis hujuſcemodi precatio, quoniam in ea domo propter ipſam aliud non minus grande miraculum ſubſecutum eſt: ſequenti enim die hoſpes & uxor ejus, prima luce conſurgentes, parantesque pro vino & farina ad urbem proficiſci, arcam quidem farina, dolium vero ſuaviſſimo vino plenum uſque ad exuberationem compererunt. Hujusmodi vero rerum multiplicatio, ad ipſius B. Vincentii deprecationem, frequentiſſime facta eſt: ſed quomodo aut quibus in locis facta ſit, dicere omittimus, ne ſi ſingula commemorare vellemus, nimis longam noſtram narrationem faciamus. Vnum tamen hujus generis miraculum prætermittere nolumus, quoniam nobis ſpecioſum & magna admiratione dignum viſum eſt: deinde ad aliorum narrationem tranſitum faciemus. Eſt in Catalonia locus quidam, qui ab incolis dicitur Villa-longa, ad quem cum veniſſet B. Vincentius, una cum illa religioſa multitudine, quæ tunc erat fere numero ſex millium hominum; dominus illius loci, qui vocabatur Juſtus, confeſtim eis paravit refectionem, quam pro loci temporiſque congruentia parare potuit: inter alia vero vinum in portatoria poni fecit, ſervans videlicet conſuetudinem, quam hujuſmodi refectionum tempore à B. Vincentii ſociis ſervari paulo ante oſtendimus. Itaque poſteaquam omnes refecti ſunt & inde receſſerunt, portatoria vino repleta reperta eſt, proinde ac ſi nemo ex tanto numero hominum aliquid de eo non ſolum bibiſſet, ſed ne quidem guſtaviſſet. Ille vero tantæ rei admiratione plurimum ſtupefactus, decrevit ad virum Dei ſtatim pergere, eique tam grande inſuetumque miraculum patefacere: quod cum feciſſet; B. Vincentius, Abi, inquit, & Deo gratias age. Talia miracula videre merentur, qui ſe exercent in operibus pietatis: tu autem tanti Dei beneficii non obliviſcaris, & te exhortor, ut vinum quod tu dicis ſuperfuiſſe ac multiplicatum, conſerves & ſtudeas ut liberaliter diſtribuas cunctis, qui de eo ſibi dari à te petierint. Fecit itaque ille quidquid B. Vincentius juſſerat: nam per decem annos vinum ipſum conſervavit, nec unquam conſumi potuit, quamvis de eo tanta fuiſſet facta diſtributio, quod, judicio omnium quibus res ipſa cognita erat, in unius anni ſpatio totum conſumi debuiſſet. Et magna quoque admiratione dignum eſt, quod quicumque ex eo biberint, ab infirmitatibus, quas patiebantur curati ſint.

B *duo millia hominum reficit quindecim panibus*

e *paucoque vino ante acetoſo,*

C *& arcam farina doliumque vino replet:*

Similia ſæpius fecit:

D *ſex millia hominum reficit*

vino non diminuto:

E *etiam poſt decennium integro & ægris ſalutifero:*

F

ANNOTATA.

a *In MS. noſtro deerat hoc nomen, ſed ejus loco ſupererat ſpatium vacuum. Supplevimus ex Vita à Ioanne Flaminio Forocornelienſi ſcripta. Eſt autem* Lingua-Anſerina, *ſupra lib. 2. cap. 8. dicta* Lingua-Occitana, *quod Italis anſer appelletur* Oca. *Apud Surium legitur* In villa, quam Mercellam vocant non multum diſtante à Valencia. *Sed hæc ad præcedentem numerum à Surio additum ſpectant. Marietta indicat etiam in Francia contigiſſe.*

b *Eſt hic altera lacuna nominis, quod forſan ultro omiſſum eſt, ne familiæ infamia inureretur.*

c *Hic iterum nomen omiſſum, relicto vacuo ſpatio: cujus urbis nomen etiam alii non exprimunt.*

d *Flaminius*, quarto anno è vita migravit.

e *Idem*, tria millia.

CAPUT IV.

Dæmones expulſi & coerciti. Tempeſtates, pluvia, & nimia ſiccitas ſublatæ.

Dæmonem cogit in corpore obſeſſo immotum conſiſtere.

24 VIr quidam Valentiæ fuit, qui habens filiam, quam multis annis dæmon poſſederat, funibus vinctam, & ab octo viris vix conductam, eam B. Vincentio curandam præſentavit. Illa vero quamprimum viri Dei conſpectui oblata eſt, tot tantosque clamores cœpit emittere ac tantam violentiam facere eis à quibus ducebatur; ut omnes qui aderant conterriti redderentur. Sed & præter clamores ſpuma ex ore & naribus ejus emittebatur: ſe quoque mutabat in varios colores: multiplicem etiam motum corporis, capitis ceterorumque membrorum faciebat, ita ut omnes hæc conſpicientes, diabolum ipſum, non hominis effigiem, arbitrarentur ſeſe videre. B. autem Vincentius imprimis dæmonem his verbis alloquitur: Ex parte Jeſu Chriſti tibi præcipio, ut à

tam

A tam violento conatu deſiſtas, nec amplius movearis. Poſt quæ verba dæmon ptotinus obmutuit, corpusque puellæ permanſit immobile, & in virum Dei faciem convertens, eum obliquis oculis intuebatur. Vincentius vero eodem præcepto dæmonem adſtrinxit;ut illi maniſtet quomodo, quamobrē & ex quāto tempore puellam cœpit poſſidere. Ad quæ ſingula dæmon ſic reſpondit:Septē anni ſunt quod ego una cum nonnullis ſociis meis domum parentum hujus puellæ media nocte ingreſſi, conati ſumus viro ſuggere, ut uxorem ſuam dormientem trucidaret: Verum longe aliter evenit quam ſperabamus, ideoque & quod ſperabamus perficere nequivimus : ipſa enim uxor, ob magnum ſtrepitum quem fecimus, ſomno excitata, munivit ſe Crucis ſignaculo,nomenque Chriſti & Mariæ Virginis nominavit, quæ ut tu noſti, plurimum formidamus.Itaque nos cernentes eam munitam tam fortibus armis indignantesque, totam domum magnis & terribilibus motibus concuſſimus : puella autem hæc, quæ tunc erat decennis, metuens ne domus ipſa corrueret,ſub lectum fugit, putans ſe ibi fore tutiorem. Ego autem inde diſcedere nolui, niſi prius aliquid mali perpetraſſem : videnſque me nemini nocere poſſe(quoniam omnes ſeſe ſigno Crucis muniverant) corpus hujus puellæ, quæ nihil tale fecit, confeſtim intravi, illudque

B uſque ad hoc tempus præſens poſſedi & vexavi; aliquando quidem lenius, aliquando acrius, prout mihi gratius viſum eſt. Tunc B. Vincentius ei præcepit,ut ex ipſo corpore ſine aliquo puellæ nocumento diſcederet. Reſpondit ille ſe diſceſſurum, ſed quod locus per quem exire deberet ſibi conſtitueretur. Ad quem vir Dei, Volo, inquit, ut ex eo loco egrediaris, quē tu in hoc corpore ſordidiorem eſſe judicaveris. Dæmon autem adjecit hujusmodi verba, Ante te quam plures fuerant, qui me adjuraverunt, cogentes ut hoc corpus poſſidere deſiſterem : ſed me numquā pellere potuerunt. Tu vero Vincentius nominaris: me enim viciſti, & tibi obſiſtere nequeo. En paratus ſum facere quod jubes. His dictis, emiſſo ejulatu teterrimo, ex oppreſſo corpore receſſit, & cum horribili fœtore ipſam puellam, humi proſtratam, quaſi mortuam dereliquit. Vincentius autem eam ad domum portari ac refici juſſit, & ejus patrem admonuit, ut poſt refectionem Sacerdotem aliquem conaretur habere, cui illa confiteretur : quod illico factum eſt. At illa tantum deinceps in virtute profecit, ut non poſt multum temporis inter Valentinas

C mulieres honeſtiſſima & prudentiſſima fuerit omnium voce judicata.

25 Dum in eadem urbe alio quoque die prædicaret, virum quemdam ejus prædicationem audientem dæmon invaſit, eumque vexare moleſte cœpit, ut cunctis qui aderant non ſolum magnus terror incuteretur, ſed & eos ad ſui commiſerationem mirum in modum provocaret. Imprimis enim ingentem clamorem emiſit, deinde cœpit ſaltare & cantare, poſtmodum alternatim ridebat & flebat, aliquando etiam ex more luporum ululabat, interdum tamquam moribundus in terram proſtrabatur, moxque ſurgens horribiles ſpumas ex ore ejus & naribus emittebat, & tandem multos alios horribiles geſtus faciebat, Vincentius vero hæc cernens, voce manuq: multitudinem conterritam ſilere coëgit,& ſtatim ad eum converſus qui vexabatur,Maledicte,inquit,obmuteſce, nec amplius movearis,donec prædicationi finem impoſuero. Ille poſt hæc verba conſtitit erectus,& à vociferatione & ab illis motibus ac geſtibus ſic deſtitit, ut pene immobilis permaneret: quamdiu etiam vir Dei prædicans locutus eſt,tamdiu eum defixis oculis inſpexit, & quæ ore ejus emanabant erectis auribus hauriebat.

& fateri quomodo illuc intraſſet.

ac demum abire.

item dæmonem ſub concione ingreſſum corpus lenonis,

Facto autem fine ſermonis ad vociferationes rediit, motionesque & geſtus,quos antea,faciebat:ſed ad eū venieus S. Vincentius, frontem ejus Cruce ſignavit, diabolum vero in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti adjuravit,ut illico manifeſtaret cauſam ob quam illud corpus ſic invaſerat, & quod ex ipſo corpore confeſtim egrediatur.Dæmon vero ſic reſpondit: Hic homo,quem poſſideo, quamdam meretricem in proſtibulo ſuo detinuit ; & quoniam ob ſalutiferas adhortationes tuas illa rediit ad pœnitentiam & hunclenonem dereliquit,idcirco hic flagitioſus homo te & eos qui te ſequuntur & audiunt odit,& multas in te objectat infamias,multasq;fecit tibi contumelias:hodierno quoque die venit ad audiendam doctrinam, non certe ut aliquos fructus animæ perciperet,ſed ut te in aliquo criminaretur.Itaq;noli me hinc depellere, & ſine me tamdiu vexatum poſſidere ; donec ab eo tibi factas contumelias ulciſcar.Reſpondit S. Vincentius; Servus Jeſu Chriſti ſum, qui oravit pro eis qui eum crucifixerunt:itaq; ex parte ejus tibi præcipio,ut hujus peccatoris corpus deſinas poſſidere. Dæmon autē terribilem vocem emittens exivit, & reliquit poſt ſe horrendum ſulphuris fœtorem : corpus vero oppreſſum ſic mortificatum dimiſit, ut per unius horæ ſpatium in terra jacens penitus extinctum ab omnibus putaretur. At vir Dei illud non eſſe aſſeveravit : quin imo voluit unum ex Sacerdotibus, qui ſecum erant, ibi tamdiu expectare,donec corpus reſpiraſſet,ut ſtatim ille ad ſe reverſus confiteretur.De hujuſcemodi autem dæmonum expulſione & obſeſſis multa commemorari poſſent,quæ dicere prætermiſimus, nē eos qui legerint tædio prolixitatis afficiamus.Laudabiliſius igitur opus noſtrum facimus, ſi diverſorum generū miracula recenſebimus, ut videlicet diverſitate rerum longe ſpecioſior noſtra narratio videatur. Sciant tamen quicumque noſtri Vincentii opera ſcire affectaverint,quod ſupra *a* ſeptuaginta homines,diverſis locis diverſisque temporibus,ab hujuſmodi dæmonum obſeſſione liberavit,

AUCTORE RANZANO EX MS.

ipſum calumniari volentis, expellit:

& alios 70 energumenos liberat.

6

26 Cum die Dominica Palmarum B. Vincentius prædicaret apud Murciam civitatem ulterioris Hiſpaniæ,& inter alia multa diceret contra Judæorum perfidiam ac ſectam Saracenorum, ecce tres equi adverſus multitudinem venientes apparuerunt,quorum unus erat niger & alter pallidus,tertius rubeus eſſe videbatur: qui erecto capite effrænataque cervice ac emiſſo ex naribus fumo teterrimo,pedibus vero multo pulvere concitato,datoq; ex ore hinnitu terribili, contra multitudinem prædicationem audientium morſibus & calcibus irruerunt, tantum impetum facientes,ut univerſa multitudo quæ aderat, contrita & confuſa fugam arripere cogeretur. Vincentius, Deo revelante, ſtatim illos equos diabolos eſſe cognovit; igitur populum ipſum voce & manu ſilere faciens,Si homines, inquit, eſtis qui in Jeſu Chriſto confiditis, iſtos dæmones non metuatis ; ſed omnes vos Crucis armate ſignaculo, & eos à vobis abire facillime facietis.Quod ubi ab hominibus factū eſt, ipſe hoc pacto dæmones adjuravit:Ex parte Jeſu Chriſti vobis præcipio, ut ex hac urbe diſcedatis, nec alicui noceatis. Poſt hæc verba illi protinus terga verterunt,ac totam fere urbem percurrentes, ex porta,quæ ſpectat ad meridiem,egreſſi abierunt, nec ulterius comparuerunt. Poſtea B. Vincentius populum commonuit his verbis : Eſtote,inquit filii mei, animo conſtantes, nec vos à dæmonibus ſeduci permittatis. Dæmones quidem iſti, quos in equorum horribili ſpecie modo comparuiſſe vidiſtis, hanc civitatem longo tempore poſſederunt ; nunc autem ægre ferentes, quod multa vitia à vobis eradicavi,multumque fructum in vobis ſeminavi, tentaverunt ut alicui ex vobis nocere poſſent: ſed detis laudem Domino Ieſu Chriſto,qui

Damones 3 ſub terribili equorum ſpecie

conatos concionem turbare

in nomine Ieſu pellit:

AUCTORE RANZANO EX MS.

fecit ne quis ex vobis eorum insidiis laberetur. Volo tamen vos reddere certiores, quod non sine perpetrato malo ex hac urbe percurrentes recesserunt: nam est inter vos mulier quædam, quæ filiam suam virginem solam domi reliquerat, quam huc ad prædicationem ducere formidavit; & si nunc domum revertetur, filiam ipsam & stupratorem in eodem loco comperiet. His dictis rediit ad materiam, de qua à principio dicere cœperat. Interea mulier quædam, auditis his quæ à B. Vincentio dicebantur, cito domum pergens, reperit filiam in lecto cum quodam adolescente coëuntem: quæ tam nefarii facti visione stupefacta cucurrit ad virum Dei, & coram omni multitudine fassa est se rei veritatē comperisse, quemadmodum ab eo fuit relatum.

& eorum instincti alibi fieri fornicationē revelat:

27 In villa S. Matthæi, non longe distante ab urbe Valentiæ, in qua B. Vincentius per aliquot dies permanserat, visus est vir quidam, admodum venerabilis speciei, & habitum gerens hominis eremitæ; qui cum ultro se obtulisset B. Vincentium una cum aliis secuturum, fuit ab universa religiosa illa caterva humanissime susceptus: paucis autem post diebus, quibus in sua conversatione fuit, usus est multa calliditate. Postquam vero in sui amorem omnium animos conciliavit, cœpit seminare quædam venenifera verba, quibus doctrinæ B. Vincentii & fidei Catholicæ refragari videbatur. Pervenerunt hæc ad aures eorum qui in ipsa villa aliis præsidebant: itaque virum ipsum captum ac catenis vinctum tetro carcere detruserunt, volentes eum tamquam hæreticum debitis pœnis afficere, nisi ea quæ dixerat retractaret. Sequenti vero die volentes ab eo scire an in priori sententia perseveraret, missis ad carcerem ministris qui eum adducerent, neminem invenerunt nisi solum catenas & compedes ferreos, non aliter quodammodo quam eos ante reliquerant. Ad S. Vincentium igitur pergentes, ei rem omnem, prout se habuerat, narraverunt: qui subridens, Nulla, inquit, sit vobis de hac re solicitudo: nam non homo, ut vos putabatis, sed diabolus fuit, quem vos carceri mancipastis: qui, ut à mundi principio facere consuevit, conatus est impedire fructum, quem multi ex vobis ob meam doctrinam exceperunt.

eremitam conatum doctrinæ suæ & fidei catholicæ resistere

asserit dæmonem esse:

B

28 Est quædam villa in Catalonia, quæ vocatur Borbaster, ubi cum B. Vincentius prædicare vellet, die solennitatis Petri & Pauli, antequam sacras vestes deponeret, quibus ex more Missā celebraverat, subito mota in aëre nubium multitudo, tantus tonitruorum terribilium fragor, tam continua horribilisque fulgurum apparitio apparuit, ut ipsi cæli ruinam minari viderentur. Quas ob res cuncti qui aderant, arbitrabantur se penitus esse perituros. At Vincentius, quamvis tam grandem tempestatem motam advertéret, nihil tamen diffidens, Missarum solennia peregit: moxque ad multitudinem conversus, eam adhortatus est ne dubitarent, sed totam spem eorum in Domino Jesu Christo ponerent. Itaque contra tempestatem aquam benedictam aspersit, deinde fecit signum Crucis: nec mora, illico cessavit tempestas, & statim fiebat mira aeris serenitas. Conscendens deinde locum, ubi erat prædicaturus ad populum, tam grande miraculum admirantem, his verbis allocutus est: Filii mei, deprecationes Apostolorum, quorum hodierna die celebritatem solennizamus, nobis plurimum profuerunt: qui nisi pro nostra salute ante Christi majestatem provoluti essent, profecto fuisset in hac regione tempestas, quod nec in arboribus frondes nec in agris aliquid viride remansisset: nam non solum aqua, nix & grando, sed etiam igniti lapides è cælo cecidissent. Vos tamen certiores facio, quod non revolvetur annus, & similem tempestatem in hac regione videbitis: sed frequenter ad Deum preces porrigatis, quod pro immensa clementia sua vobis rebusque vestris parcat, ne multum damnum habeatis. His dictis in Apostolorum laudibus complevit prædicationem, & post paucos dies inde recessit: volutis autem undecim mensibus, subsecuta est tempestas illa, quam S. Vincentius subsecuturam prædixerat.

tempestatem aqua benedicta & Crucis signo pellit:

C

D

29 Simili quoque modo, non semel sed frequentissime, dum in diversis locis prædicaret, tempestatem per Crucis signaculum effugavit: nos vero quia non possumus omnia paucis concludere, de uno quod apud Tolosam gestum est, hoc narrabimus. Igitur eo prædicante in die solennitatis S. Martini, in quodam ipsius urbis campo, multæ nubes, terribilem quamdam caliginem facientes, apparuerunt: pauloque post tantus imber cœpit effundi, ut cuncti, qui prædicationem ejus audiebant, consurgentes fugam arripere voluerint. Sanctus autem Christi præco eos abire cohibuit, inquiens: Nemo vestrum ex loco ubi permanet moveatur: non enim istæ aquarum guttæ, aut lapides sunt aut sagittæ, à quibus vobis multum noceatur. Hæc dicens genua flexit, erexitque ad cælum oculos, & fecit brevissimam orationem. Tunc erectus, contra nubes & imbres fecit signaculum sanctæ Crucis: & sic statim sedata est pluvia, nubes effugatæ cæli & maxima claritas subsecuta est.

pluviam sistit Crucis signo:

E

30 Nec solum tonitruorum aquarumque tempestas fuit ejus orationibus mitigata, sed è contrario siccitatis tempore effusa est è cælo maxima imbrium abundantia: cumque id ab eo frequenter factum compererimus, consilium fuit, solum id memoriæ posteritatis tradere, quod factum est Carcassone, urbe Galliæ: quoniam ipsum præter cetera visum est nobis esse admiratione dignissimum. In ipsa igitur urbe & in ceteris vicinis regionibus, à mense Junio usque ad Januarium, tanta fuit siccitas terræ, ut ex ea nihil fructus illo anno colligi posse speraretur. Cives vero, tanta rerum necessitate compulsi, adeunt B. Vincentium, qui per illud tempus Tolosæ commorabatur: cui eorum necessitatem primo loco manifestaverunt, deinde obsecraverunt ipsum, ut quemadmodum ad illos populos, sic ad eos prædicandi gratia proficisceretur. Annuit vir Dei, & post quatuor dies quibus urbem intraverat, post finitam prædicationem, in eodem loco permanens ubi & prædicavit, jussit ut universus populus genua flecteret, & omnes Dominum præcarentur, ut pro infinita clementia sua de cælo aquas effunderet, quibus eorum terra ubertim rigaretur: ipse quoque genua flectens oravit. Quod ubi factum est, se erexit, & statim Crucem signavit in aere, tandemque jussit ut Deo singuli gratias agerent, & unusquisque domum reverteretur, quoniam orationes eorum exauditæ fuerant; & quod non prius domum ingrederentur, quam magna aquarum copia de cælis effunderetur. Vix verba finierat, tam subito aer in nubem coactus est, ac paulo post tanta aquarum abundantia de cælo emittitur, quantam unquam illius regionis homines sese vidisse antea meminissent. Sed hæc aquarum effusio non prius cessavit, quam Vincentius ipse suis hoc orationibus impetrasset.

eamdem in extremā siccitatis

oratione & Crucis signo impetrat.

F

ANNOTATA.

a *Surius*, Sexaginta, *Flaminius ait* Sex & sexaginta à fidelissimis scriptoribus *tradi. Franciscus Castilionensis, hoc unum illis simile refert*: Vir quidam se dæmonis sub chirographo devoverat: quem B. Vincentius accersito dæmone cum chirographum reddere coegisset à sævo immitique tyranno liberavit: isque post liberationem beatum virum quocumque se ferret sequebatur, ne iterum in gravissimi hostis manus incideret

chirographum à dæmone redditum

aliam prædixit futuram:

CAP.

A

CAPVT V.

Morbi curati. calumniæ depulſæ.

Sanantur paralyticus,

31] NUrbe Caſtrenſi, quæ eſt in eadem Galliarum regione, in die ſolennitatis aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, oblatum ei virum, qui ſeptem annis paralyſim paſſus fuerat, per manus ſuæ impoſitionem ſanitati reſtituit. In qua quoq; urbe magnam tonitruorum aquarumq; commotam tempeſtatem, dum prædicaret, per ſignum Crucis fugavit & aëris claritatem reduxit. In loco quem vocant Montem-Serquinum, non multum à Toloſa diſtantem, vir quidam, Gerardus nomine, patiens epilepſiam, quæ vulgo dicitur morbus caducus, poſt acceptam B. Vincentii

epilepticus, benedictionem, ſtatim fuit perfectæ ſanitati reſtitutus. In loco quem vocant Montem-Olivum, vicinum Carcaſſonæ, quemdam mercatorem, nomine Wilhelmus, *a* quinque annis viſu orbatum, poſt factam be-

a caecus, nedictionem, ad oculorum officium ſtatim reſtituit. Valentiæ ducto ad ſe viro, qui fuerat mutus quadraginta annis, ob quamdam ægritudinem quam in adoleſcentia paſſus eſt, manum ejus ori impoſuit, & illi-

mutus, co linguæ officium recuperavit. In eadem urbe, poſt aliquot dies, virum qui ex ægritudine ſurdus effectus

ſurdus, fuerat, & octo annos in ſurditate permanſerat, Cruce

B ſignavit in auribus; & ille protinus conſecutus eſt beneficium ſanitatis.

32 Matthæus quidam oriundus à Monte-albo, quæ eſt villa Cataloniæ, ex quadam ægritudine ſurdus effe-

item ſurdus, ac furibundus, ctus eſt, devenitq; in quamdam inſaniæ ſpecié, & certis temporum intervallis talibus furiis agitabatur, ut in homines impetum faceret: & niſi fuiſſet à multis cognitus, propter quod redditi ſunt cautiores, non defuiſſet quin plurimos necaſſet: quocirca una omnium voce unoq; conſilio fuit à villa depulſus. Ille autẽ per multos annos per montes & eremos errabundus vagatus eſt, ita ut totus ſilveſter effectus, potius fera quã homo videretur. Dum igitur ſic errãs vagaretur, quadam nocte ei dormienti viſum eſt, quod eſſet in Mõte-albo vir quidam geſtans habitum Fratrum Prædicatorum, qui aures ejus tangebat, & ſic ei ſanitatem reſtituebat. Itaq; illuceſcente die ſtatim ad Montem-album perrexit, ubi illis diebus B. Vincentius prædicandi gratia commorabatur. Cumq; veniſſet ad locum ubi prædicare ſolebat, vidiſſetq; quod eũ multitudo languentium adibat ab omnibus locis, ut ſibi manus imponeret; & ipſe commiſcuit ſeſe aliis, atque uberrime lacrymans viro Dei ſeſe obtulit, narrans ei quomodo ſurditatem incurrerat, omnemq; vitæ ſuæ ordinem; ac ſomnium, quod proxima nocte viderat, manifeſtavit;

C adjecitq; tantam in ſe eſſe fidem, quod ſi vir Dei manum auribus imponeret, protinus auditus beneficiũ impetraret. Vincentius, motus precibus & lacrymis ejus, fecit quod ille poſtulavit: poſtquam vero tetigit aures digito, quem vocant auricularem, & in eis fecit ſignum Crucis, dicens verba illa, quæ ſupra ægros manus imponens dicere conſuevit; ſtatim ille utriusque ægritudinis ſanitatem recuperavit: moxq; B. Vincentii præcepto confeſſus eſt, & eum octo menſibus ſecutus eſt, una cum aliis publicam agens pœnitentiam.

contractus, 33 In eadem villa quidam juvenis nomine Bartholomæus, (cui ex ægritudine, quã in tenera ætate paſſus fuerat, pedes ſic erant contracti, quod quindecim continuis annis nequivit ſolus incedere) B. Vincentio à parentibus ſuis eſt præſentatus, & ab eo Cruce ſignatus & benedictus, protinus eſt curatus; incedenſq; per mediam multitudinem ſine alicujus auxilio, dedit omnibus cauſam tantæ admirationis tantæq; lætitiæ, ut conclamarent, Deum laudantes, eique pro tanto beneficio gatias agentes.

34 In eodem loco juvenis quidam Antonius nomine, cognomento Pingdum, in eccleſia majori, cũ ædificii eſſet operibus intẽtus, una cũ patre ſuo qui erat architectus, ex quodam loco eminenti cecidit; ac ſic omnibus membris corporis diſſolutus eſt, ut qui eum viderant, præſertim medici, cito moriturum judicarẽt. Itaq; videns ipſe, quod eum medicorum cura juvare non poſſet; primo recepit ex more eccleſiaſtica Sacramenta, ac deinde ad cęleſtes medicinas ſe convertens, B. Vincentii; qui illis diebus ad Montem-album venerat, ſuffragium poſtulavit. Venientem igitur ad ſe virũ Dei multis cum lacrymis his verbis allocutus eſt: Serve Jeſu Chriſti, tune ille es, cujus meritis & precibus fere infinita ægrorum multitudo à Deo ſanitatis beneficium impetravit? ſoluſne ego ero, qui tuis precibus ſanitatẽ impetrare non potero, ex quo dignatus es ut preter merita mea uſq; ad pedes meos venire voluiſſes? Te igitur obſecro, ut ſicut pro aliis, ſic & pro me Deum depreceris. Flexus B. Vincentius rogantis precibus & lacrymis, excluſis cũctis qui in ipſa domo commorabantur, breviſſimam fecit orationem. Poſtea ad ægrum accedens, fecit in fronte ejus Crucis ſignaculum, dicens: Ne metuas, fili cariſſime: ex iſto enim caſu nequaquam morieris, & craſtina die ſanus ad perficiendum opus, quod faciebas, regredieris una cũ patre tuo. Caveatis tamen ne quid mercedis pro ipſo opere recipiatis: ſed illud perficietis in B. Mariæ Virginis gloriam: quia ejus merito ſanitatem, quam petis, te ſcias impetraviſſe. His dictis diſceſſit Vincentius; & ſequenti die, quemadmodum ægro dixerat, fuit penitus ſubſecutum.

ex lapſu contritus;

E

ſervantur ob diſſolutionẽ pontis ſubmergendo.

§ 5 Super fluvium, qui labitur juxtà Dertuſam, cujus ſupra mentionẽ fecimus; quamvis ejus ſit multa amplitudo & magna profunditas, nullus tamen eſt pons lapideus pro tranſitu conſtructus, ſed quibusdam ſcaphis, hinc & inde funibus alligatis, trabes ſuperpoſitæ ſunt, per quas euntibus tranſitus eſſe conſuevit. Dum igitur B. Vincentius, ſeminato verbo vitæ, die Paraſceves ex ipſa urbe recederet, & memoratum pontem ipſum tranſire oporteret; propter conſequentẽ multitudinem, tantum pondus fuit ponti ſuperadditum, ut ſcaphæ illæ aquis completæ eſſent penitus, & trabium ſtructura multis in locis diſſoluta frangeretur: quamobrem multi exiſtimantes ſe ſubmergendos elevaverunt voces cum lacrymis, & viri Dei præſidium poſtulaverunt. Ipſe itaq; videns tantum periculum imminere, mentem ad Dominum erigens, exoravit eum ut præſtare dignaretur auxiliũ populo perituro: moxque imprimis voce & manu multitudinẽ à metu cohibuit, deinde & aquis & lignis fecit ſignum Crucis, poſtremo juſſit ut omnes ſine timore tranſirent. Poſt quod miro quodam modo naviculæ, aquis evacuatæ, ſupernataverunt; & pons, qui paulo ante diſſolvi &

F frangi videbatur, ita fuit priſtino ſtatui reſtitutus, ut multitudo populi tranſiret ſine periculo; & in ipſis lignis nullum fractionis veſtigiũ apparuit poſtmodũ.

b abiguntur locuſtæ & bruchi.

36 Apud *b* Murſiam, urbem Hiſpaniæ citerioris, quodam tempore tanta fuit locuſtarum & bruchorũ multitudo, quod in quatuor dierum ſpatio quidquid viride erat in campis & in vineis fere devaſtaverant: cives autem de hoc dolentes, B. Vincentium, qui illis diebus illuc venerat, adierunt, orationem ejus & auxiliũ implorantes. Qui aquam benedictam afferri juſſit, & eam illico benedixit: deinde una cum Clericis, qui eũ comitari ſolebant, hymnos decantantibus, ad ſingulas urbis partes portasque perrexit; ſtansque in medio earum contra regiones, in quibus illud animalium genus eſſe dicebatur, aquam benedictam aſperſit. Sequenti autem die omnia illa animalia reperta ſunt mortua, & poſt paucos dies fuerunt vineæ & agri ad priorem viriditatem reſtaurati, ita ut illo anno nulla fuerit annonæ penuria ſubſecuta.

Lib. 3. n. 11. fugantur febres.

37 Sacerdos quidã, cui nomen Laurentius Peregrinus, cujus mẽtio ſupra facta, dũ quadã die graviſſimis febribus

AUCTORE RANZANO EX MS.

febribus occupatus non poſſet dare operam, ut proficienda multitudine, quæ virum Dei ſequebatur; & cetera diſponerentur, quæ B. Vincentius ſuæ curæ commiſerat; accepta ab eodem B. Vincentio benedictione, ſtatim ab eo febres fugatæ ſunt, & injunctum ei officium fuit diligenter & celeriter executus.

38 Vir quidam nomine Lodovicus Cataldus, à Barcinona oriundus, duos continuos annos patiens vehementiſſimum ac diuturnum capitis dolorem, quē vocant hemicraniam, impoſita capiti ejus B. Vin-

hemicrania,

centii manu, ſtatim ſic curatus eſt quod poſt quadraginta annos numquam ullum dolorem paſſus eſt. Valentiæ duæ mulieres ſimiliter ad virum Dei, pro

Vitium oculi

habenda benedictione, venerunt; quarum una per multos annos dextero oculo nihil penitus videre potuit, altera quatuor continuos annos fluxum ſanguinis paſſa erat; & quamvis multa medicorum remedia quæſiviſſent, numquam tamen medicinam inve-

fluxus ſanguinis,

nerunt, quæ eis vel parum profuiſſet. Itaque humanis auxiliis deſtitutæ, ſe B. Vincentii precibus commiſerunt; & quam primum benedictionem acceperunt, ſtatim ſanitatem, quam optaverant, impetraverunt. Mulier quædam Magdalena nomine, patiens in gutture moleſtiſſimam & inveteratam ægritudinem, dum in urbe Majoricarum B. Vincentius com-

malum gutturis,

moraretur, accepta ejus benedictione, & impoſita ei manu, in loco ubi ægritudinem patiebatur, ſta-

B

tim curata eſt.

39 In eadem urbe fuit mulier quædam, nomine Catharina, quæ, cum plures filios concepiſſet, nullum tamen peperit debito tempore, ſed ſemper ante tempus eos emittebat abortivos: igitur audita fama, quod B. Vincentius multis ſacrarum manuum impoſitione ſanitatis beneficium conferebat, eum adiit, eique ſuam afflictionem expoſuit, ac præterea orationis ejus auxilium imploravit, Vir autem Dei, fidem mulieris percipiens, Abi, inquit, filia, & noli de Dei liberalitate diffidere; & ſcito quod poſt pauciſſimos dies concipies, conceptumque filium debito tempore paries, ac deinceps propter aborſus nullam triſtitiam patieris. Abiit igitur illa gaudens; & poſtmodum non aliter evenit quam ei Vincentius dixerat, imo tam fœcunda fuit totque filios in paucis annis peperit, ut eos aliis mulieribus educandos dare cogeretur. *c*

periculum aborſus.

c

40 Abſcedente B. Vincentio à quodam monaſterio, non multum ab urbe Valentiæ diſtante, ubi proxima nocte ab ipſis monachis magna cum humilitate ſuſceptus quieverat, & verbum ædificationis docuerat; unus ex monachis Abbatem ſuum plurimum obſecravit, ut ſineret eum poſt virum Dei proficiſci, ut ſaltem ſequentis diei ſolam ejus prædicationem, quam erat ad populum habiturus, audiret. Quod cum ab Abbate impetrare non poſſet, quam primum ſequens dies illuxit, aſcendit quemdam eminentem locum, qui erat in ipſo monaſterio: cumque proſpiceret verſus regionem, ad quam B. Vincentius dixerat ſeſe profecturum, arrectis auribus adſtitit, fidem habens in ejusdem Vincentii meritis, quod ejus prædicationis vox poſſet ad aures ſuas pervenire. Deinde monachus ſic intentus cum proſpiceret, pervenit ad aures vox viri Dei, qui prædicabat in quadam villa, quæ dicitur Tolleta, quæ ab ipſo monaſterio ad quadraginta millia paſſuum diſtare perhibetur. Itaque ipſe animadvertens fuiſſe ſuo deſiderio ſatisfactum, ſtatim litteris mandat ſingula quæ ad ejus aures perveniebant. Dum hæc autem à monacho aguntur B. Vincentius prædicationem ſuam intermittens. Attendite, inquit, filii mei, qui huc gratia audiendæ meæ prædicationis conveniſtis, ne verba quæ loquor à veſtra memoria cadere permittatis. Sūt multi qui ea quæ vos auditis libenter audire deſiderarent

C

Prædicatio à diſtante ad 40. M. P. audiitur.

verumtamen eſt quidam vir religioſus, permanens in ſuo monaſterio multis millibus à nobis diſtante, ad cujus aures diſtincte ac perſpicue devenerunt ſingula verba, quæ à me pronuntiari hodie audiviſtis. His dictis rediit ad illud unde fuerat ante digreſſus: Monachus vero hæc audiens, ad Abbatem ſuum dixit: Deus mihi conceſſit, quod tu mihi concedere noluiſti: fui enim in loco, unde audivi & litteris mandavi quidquid Frater Vincentius in Tolleta hodie prædicavit. Abbas vero admirans & legens quæ monachus ſcripſerat, miſſo nuntio ſciſcitatus eſt, an etiam vera eſſent quæ monachus aſſeverabat. Itaq; tandem compertum eſt, eadem penitus fuiſſe, quæ ille litteris mandaverat & quæ Vincentius eadem die prædicaverat. Innotuit quoque ipſi Abbati, quod vir Dei Vincentius, dum prædicaret, eadem hora hujus rei mentionem coram adſtante multitudine fecerat.

D

41 Doctrinæ vitæque ejus tanta erat auctoritas, ut ætate qua ipſe claruit, in univerſo terrarum orbe ſolus ipſe vera docere & bene facere ac bene vivere putaretur: fuerunt tamen multi qui doctrinam ejus criminari, vel vitam ejus laceſſere conati ſunt. Nec mirum: ſcimus enim quod à mundi principio nulla bona unquam invidiâ caruerunt. Verumtamen ipſi invidi, qui eum laceſſere & doctrinam ejus criminari conabantur, adverſus eum prævalere numquam potuerunt: hoc autem ſolum duobus exemplis, quæ modo narrabimus, comprobabimus. Apud Perpinianum multis Judæis à nonnullis Chriſtianis, & quidem flagitioſiſſimis & impiiſſimis, ſuggeſtum eſt ut una dierum, quando magna populi multitudo adeſſet, & Vincentius contra Judæos aliquid loqueretur, deberent ipſi verba ejus interrumpere ac conclamare & dicere eum perverſo ſenſu verba Scripturarum interpretari, ut videlicet propterea videretur confuſus & fama ejus obfuſcaretur. Igitur dum juſſu Ferdinandi Regis decretum eſſet, ut ſinguli Judæi, qui Perpiniani commorabantur, quadam die Dominica Vincentii prædicationi intereſſent; in quo ſpectaculo univerſus populus & ipſe Rex & Sigiſmundus Imperator & Benedictus ſummus Pontifex, cujus in ſecundo libro mentionem fecimus, (qui omnes Perpinianum illis diebus convenerant, gratia unionis Eccleſiæ tractandæ) una cum pleriſq; aliis ſecularibus Principibus Eccleſiarumque Prælatis adeſſent, Judæi conſurgentes in medium, fecerunt prout illi ante ſuggeſſerant. Sed Vincentius nihil perturbatus: Silete, inquit, non eſt Chriſtianorum conſuetudo ut fiat verbi Dei interruptio, dum populo prædicatur: ſed ego conſtituo vobis horam, & hora Veſperarum ad me venietis, & tunc oſtendam vobis, ſi loca Scripturarum, ut vos aſſeritis, fuerim perverſe interpretatus. Conſtituta igitur hora, ipſis Judæis tam perſpicuam veritatem de ſingulis quæ prædicavit aperuit, ut omnes ſe penitus ſuperatos faterentur: & hoc ipſum ſequenti die, corā memorato ſummo Pontifice, Sigiſmundo Imperatore, Ferdinando Rege ac ceteris Principibus & univerſa multitudine confeſſi ſunt; & ſe in virum Dei fuiſſe mentitos dixerunt. Illi vero, quorum ſuggeſtione Judæi talem inſultum fecerunt, poſt paucos dies infelici morte perierunt.

detergitur calumnia,

Judæorum in concione obgannientium,

E

F

42 Quidā quoq; ex Fratrum Minorum Ordine Toloſæ commorans, volens refellere, & publica quidem prædicatione, quæ illis proximis diebus S. Vincentius prædicaverat; vix verba iniquæ detractionis finierat, & ſubito in terram cadens numquam loqui potuit, donec mente à Deo veniam poſtulavit, promittens ſe à B. Vincentio veniam petiturum, & retractaturū quidquid contra doctrinam ejus fuerat temerarie locutus. Igitur poſt voti emiſſionem, reſtituta eſt ei ſanitas & loquela: & mox B. Vincentium adiens pro coōmiſſo illico veniā poſtulavit, & facillime impetravit. *d*

& alterius qui ſubito in terram dejicitur.

d

AN-

A

ANNOTATA.

a *Flaminius*, qui triennium nihil viderat.

b *Surius* Muriſiam. *Flaminius* Nurſam.

c *Huic ex Caſtilionenſi illud adjungimus*: Vir quidam, Alanus nomine, habuit ancillam, quæ prægnans & vicina partui parere non poterat; quam adduxit B. Vincentio, ut eam benediceret. At ille poſitis manibus ſuper caput mulieris benedixit eam: fecit deinde Crucem ſuper ventrem ejus dicens: Ieſus Mariæ filius, mundi ſalus & Dominus, ſit tibi clemens & propitius. Simulque juſſit, ut domum accedere properaret: nam cito parituram maſculinam prolem prædixit, quod & factum eſt: vix enim domum attigerat, cum puerum peperit.

d *Caſtilionenſis illud habet*: Murmuraverat vir quidam in B. Vincentium, ejuſque vitæ ac prædicationi detraxerat, qui ſtatim crepuit, effundebanturque viſcera ejus: at ille reſipiſcens intellexit ſe ob blaſphemiam ſceluſque quod perpetraverat ea perpeti. Jubet ergo ſtatim ſe ad B. Vincentium deferri, profitetur detractionem ſuam, & veniam petit: quem beatus vir ſolo ſigno Crucis incolumem reddidit.

B

LIBER IV.

Acta duobus ultimis vitæ annis. Mors, Sepultura, miracula.

PROLOGUS.

1 QUoniam duce Ieſu Chriſto tam amplum campum non ſine magno labore percurri, ut geſta noſtri Vincentii, licet non omnia, tamen ex omnibus multa conſcripſerim, Pater humaniſſime; nunc nihil eſt reliquum, niſi ut vitæ quoque ejus felicem exitum deſcribam protinus. Multorum etiam miraculorum, quibus & in vita & poſt mortem in Britannia claruit, narratione hunc quartum librum, non ſine rationabili conſilio, diſtinxi: maximo enim tædio affeciſſem eos qui legerent, ſi in ſuperiori libro & ea quæ narrata ſunt & quæ deinceps narrabuntur complecti voluiſſem. Eritque in hoc libro mei incepti operis finis, ut videlicet unus idemque eſſet & narrationis meæ & vitæ terminus ejus, quo ex noſtra luce migravit ad cælum, à Ieſu Chriſto ſempiterna gloria & honore coronatus.

C

CAPUT I.

S. Vincentii in Britanniam Armoricam acceſſus, mora, morbus, obitus.

2 IGitur poſt illuſtratas illas ſingulas regiones, quas in ſuperiori libro expreſſimus, demum ingreſſus eſt eam Galliæ partem, quæ noſtro tempore Britannia nuncupatur, in eaque duos continuos annos doctrinam ſalutis longe lateque diffudit. Quo tempore quantum animarum fructum fecerit, certe brevibus verbis narrari non poſſet; hoc tamen argumento facile percipietur. Si loca fere infinita, quibus paucos dies in eis commorans prædicabat, quaſi templa religionis faciebat, ex eis videlicet omnia flagitiorum genera eradicans & ad virtutum opera reducens; quanto magis dicendum eſt, ejus doctrinam apud Britannos fructificaſſe, quos tam longo tempore ſine intermiſſione perdocuit? Agebat eo tempore vir Dei ſuæ ætatis *a* ſexageſimum annũ, eratque corpus ejus, tum ob ſenectutem, tum ob labores & cibi potuſque parcitatem ac vitæ auſteritatem, ita extenuatum, ut ſine alicujus rei ſuſtentaculo aut viri auxilio vix poſſet incedere. Verum propterea Chriſti venerabilis ſenex haud quaquam deliſtebat, quo minus pro fidelium animarum ſalute magnanime laboraret: conſueta namque exercitia, quæ ſupra memoravimus, numquam omiſit. Unum in eo ſingulare videbatur, quod à multis tamquam magnum aliquod miraculum habebatur. Cum enim, antequam aſcenderet locum quo prædicabat, adeo debilis eſſet, ut vix moveri aut loqui poſſe videretur; tamen poſtquam loquendi materiam incepit, non minus ardenter, erudite, diſtincte, luculenterque euangelizabat, quam tempore florentis ætatis facere conſueverat. Nulli hominum ſtatui, nulli ætati, nulli denique ſexui defuit fructus doctrinæ ac ſanctitatis ejus: nam non ſolum ætate provectos & eos qui grandium rerum & diſciplinarum erant capaces erudiebat; ſed & pueros ipſos certis ſtatutis horis ad ſe accerſitos informabat, eos inſtruens, quomodo ſe Cruce ſignare; & quomodo Dominicam orationem, Angelicam ſalutationem, & articulorum fidei Symbolum dicere; atque quanta veneratione amare Deum, & quibus obſequiis parentes & quemcumque proximum honorate debuiſſent. In dandis conſiliis non præponebat aut divites præ pauperibus, aut nobiles ignobilibus. Omnibus carus, omnibus utilis, pius ac benignus, omnibus amabilis ac venerabilis reddebatur. Erat in cunctis defenſor, conſultor, director orphanorum, pupillorum & viduarum: & ut in paucis multa complectamur, omnium doctor & pater erat; nec ſolum animas eorum verbo ſpiritualis ædificationis inſtruebat, verum etiam & ſanctis ejus precibus eis corporis ſanitatem impendebat. Cumque innumerabiles fuerint qui per ſanctarum manuum ejus impoſitionem perfectæ ſanitatis beneficium reportaverunt, ne tamen longius noſtra narratio protrahatur, ſatis erit ſi hoc loco pauca recenſebimus.

AUCTORE RANZANO EX MS.

& catechizat:

E

erga omnes beneficus:

Ultimis 2 annis ſenex in Britannia Armorica prædicat

a

3 *b* Uxor Joannis Britanniæ Ducis & Caroli Regis Francorum filia, multos annos non ſolum ſine prole fuit, ſed etiam numquam potuit ex viro concipere. Sed poſtquam à B. Vincentio *c* benedictionem accepit ac ſancta ejus manu ac Cruce uterus ſignatus eſt, illico concepit peperitque multos filios; quorum unus fuit Petrus, vir multarum virtutum gloria inſignis, qui nunc ſupereſt, clariſſimus Britannorum *d* Dux; & ob ſummam venerationem ac devotionem, quam ad S. Vincentii ſanctitatem habuit, multam operam dedit ac multa millia aureorum impendit, ut catalogo Sanctorum inſcriberetur. Nec hæc ſolum, ſed & quamplures aliæ mulieres hujuſcemodi manuum impoſitione concipiendi beneficium impetraverunt. In urbe Venetenſi venienti ad eum viro, qui decem & octo annis paralyticus fuerat, ut una cum aliis omnibus ad eumdem concurrentibus benedictionem acciperet, Argentum, inquit, & aurum non eſt mecum, ſed precor Dominum Ieſum Chriſtum, ut pro immenſa benignitate ſua, tibi ſanitatem, quam petis, largiatur. Et his dictis in multis corporis membris eum Cruce ſignavit, & ille ſtatim ſanum ſe ſenſit; ſurgenſque, Deum magnificavit, eique gratias agens diſceſſit, nec unquam talem ægritudinem de cetero per omnem vitam ſuam paſſus eſt, & poſt hoc vitam in ſua perfectiſſima ſanitate perduxit: & ideo ſemper B. Vincentio devotus vixit per omne vitæ ſuæ tempus.

b

Crucis ſigno fœcundas reddit mulieres:

c

d

F

ſanat paralyticum:

4 Poſt duos annos, quibus per Britanniam vitæ verbum ſequentibus ſignis prædicavit, conſiſtens in Venetenſi urbe, fuit à Fratribus qui eum ſequebantur ſuaſus, ut in Hiſpanias regrederetur; ut videlicet, cum ſenex eſſet, potius in patria propria quam in peregrina moreretur. Verum ille memor verbo-

AUCTORE RANZANO EX MS. lib. 2 nu. 4

rum illorum, quæ Chriſtus Ieſus ad eum habuerat tempore quo ei Avenione ægrotanti juſſit, ut per occiduas regiones prædicando diſcurreret, quemadmodum ſuperius in ſecundo libro diximus; eorum ſuaſionibus nullo pacto acquieſcere velle dicebat. Namque cum Britannia ſita ſit in extremis finibus Occidentis, arbitrabatur quod eſſet eadem regio, in qua Chriſtus prædixerat eum moriturum. Tandem importunis precibus ſociorum adſtrictus, decrevit ex Venetenſi urbe diſcedere & redire in Hiſpaniam: quæ regio cum ipſâ quoque in terrarum finibus ſit, poterat intelligi quod ea eſſet, in qua Chriſtus eum moriturum prædixerat. Itaque civibus Venetenſibus, primum in commune admonitis, ut ſanctæ doctrinæ ejus memores eſſent, relictiſque eis maxima triſtitia ob diſceſſum ejus affectis, media nocte, aſino, ut ſolebat, vectus iter arripuit: pergenſque una cum ſociis, cum multis millibus ſeſe ab urbe diſtare exiſtimaſſent, illuceſcente die ante ipſius urbis portas ſeſe eſſe deprehenderunt. Ex quo ipſe ad ſocios ſuos converſus ait: Redeamus, Fratres, in urbem: non enim aliud ſibi vult, niſi quod voluntas Dei eſt ut in hac patria ſim ei ſpiritum meum redditurus. Ingreditur igitur urbem, & quam primum civibus compertum eſt quod revertitur, ſtatim ei magno cum honore & gaudio occurrerunt. Mulieres quoque & pueri certatim occurrerunt ad oſculandum manus ejus, dicentes, Benedictus qui venit in nomine Domini. Tantus præterea fuit in ipſa urbe campanarum ſonitus, quantus fieri ſolebat quando alicujus diei feſti ſingularis ſolennitas celebratur.

egreſſurus in Hiſpaniâ

mirâ modo impeditur & regreſſus in urbem Venetenſem,

B

5 Poſtquam vero devenit in locum ubi hoſpitatus eſt, cives & eos qui eum comitati ſunt, hoc pacto allocutus eſt: Filii mei, Deo placuit ut ad vos redirem; non quidem prædicandi gratia, ſed ut apud vos claudam extremum vitæ meæ diem. Abite ergo unuſquiſque ad propria, & digna præmia reddat vobis Deus pro honore, quo me tantum hodierna die affeciſtis. Hæc & multa alia dixit, quibus omnes aſſiſtentes ad magnum fletum provocavit. Sequenti vero die occupatur graviſſimis febribus, & magno in ſingulis membris corporis dolore concutitur, ita ut pene totus defeciſſe videretur. Hæc tamen non impediverunt, quo minus ipſe omnia faceret, quæ viro Dei expediebant. Convocavit enim imprimis Fratres ſuos, & eis diem quo erat moriturus prænuntiavit; moxque accerſito Sacerdote, cui confiteri ſolebat, confeſſus eſt, petiitque omnium peccatorum ſuorum abſolutionem, prout Maximus Pontifex Martinus ei ante conceſſerat. Deinde ſingula ſalutifera Eccleſiæ Sacramenta tanta religione & devotione ſuſcepit, ut hac quoque vice Sanctis verbis ejus, crebris lacrymis ejus, hymniſque & orationibus, nemo fuit qui in uberrimas lacrymas non prorupiſſet. Triduum conſumpſit commonefaciens ſingulos qui ad eum viſitandum proficiſcebantur, ut diſciplinæ, quam ab eo acceperant, non obliviſcerentur. Sed cum per eos dies, quibus ægrotabat, multa fuiſſet locutus, quæ erant & admiratione & annotatione digna; non fuit nobis conſilium ſingula recenſere: verum ex omnibus hæc pauciſſima collegimus.

prædicit mortem ſuã,

ejuſque diem

C

extrema Sacramenta ſuſcipit.

6 Die quo divulgatum eſt per civitatem, quod vir Dei lecto decumbens Sacramenta receperat, quæ in extremo vitæ Chriſtiani homines recipere ſolent; *e* Epiſcopus ac Magiſtratus & univerſa Venetenſis urbis nobilitas ad eum viſitandum ſimul profecti ſunt. Poſt multos autem ſermones ultro citroque habitos, ipſe ad eos poſt hæc verba ſic locutus eſt: Viri Britones, ſi meminiſſe volueritis eorum quæ vobis per continuum biennium prædicavi, certe comperietis ea talia eſſe quæ à veritate non diſcrepant, ſed ſunt vobis ad animarum veſtrarum veram ſalutem profutura. Noſtis enim, quot & qualibus vitiis deditam veſtram patriam comperi; & nihil in me fuit quo ſaluti veſtræ conſulere potuiſſem, quod non ipſe jucundiſſime fecerim. Una ergo mecũ Deo gratias referatis, qui mihi gratiam ſermonis contulit, corda vero veſtra habilia fecit ut mea doctrina ad bene vivendum flecterentur. Vobis reliquum eſt, ut in inceptis virtutibus perſeveretis; & quæ à me didiciſtis, non obliviſcamini. Ego vero, ex quo Deo placuit ut in urbe hac ſit vitæ meæ terminus & requies, ante tribunal ejus ero veſter patronus, & continue pro vobis deprecabor, & id vobis me facturum promitto, ſi à mea diſciplina non diſceſſeritis. Valete itaque omnes, quoniam poſt decem dies ad Dominum migrabo.

e Venetenſes adhortatur ad perſeverantiam;

D

patientiſſimus in omnibus:

7 Poſt hæc prohibuit ad eum euntium frequentiam, ut videlicet major quies ſibi eſſet, ut divinarum rerum contemplationi vacaret. Et quamvis omnes ægritudines, quibus antea frequentiſſime vexatus eſt, patienter tulerit; tamen in hac, quæ moleſtiſſima fuit, tantam monſtravit patientiam, quod multi viri prudentes, & ipſi quoque medici, ægritudinis genus & patientiæ conſiderantes, frequenter dixerunt, impoſſibile fieri ſibi, quod homo vivens majorem patientiam habere poſſet. Dum à medicis aliquid fiebat, quod corpori potuiſſet læſionem aut dolorem inferre, nullus ex ore ejus clamor nullaque vox emittebatur, niſi quæ ſonaret nomen Ieſu Chriſti, aut Mariæ Virginis, aut alicujus ex Sanctis Dei. Excepto tempore, quo vel comedebat vel dormiebat, vel pro ſuperveniente neceſſitate aliquid loquebatur, ſemper Deo ſacrificium laudis immolabat. Viri autem qui in Venetenſi civitate præfidebant, conſiderantes quod in urbe ipſa nulla domus Fratrum Prædicatorum eſſet, voluerunt auferre litigium, quod de ſepultura ejus ſacri corporis futurum arbitrati ſunt. Itaque eum adeuntes interrogaverunt, quem locum pro ſepeliendo corpore ſuo vellet eligere. Ille reſpondit: Ego ſum vir religioſus, pauper & ſervus Chriſti: ideo de animæ meæ ſalute, non de ſepeliendo corpore ſatago. Verumtamen, ſicut in vita ſic & poſt mortem pacem à me habeatis: obſecro vos ut Priori conventus, qui inter alios mei Ordinis conventus eſt veſtræ urbi propinquior, de mei corporis ſepultura diſponere permittatis.

de ſepultura diſponit

E

F

inter preces obit.

8 Peractis proinde novem diebus, petiit legi Chriſti Paſſionem, juxta narrationem ſingulorum Euangeliſtarum: poſtea fecit legi illos ſeptem Pſalmos, quos Pœnitentiales appellamus: ſed & eoſdem Pſalmos & totum Pſalterium totiens dixit, donec ei corporis vires officiumque linguæ defecerunt. Ultimo vero loco lecta eſt Letania: poſt cujus finem ſtatim totus jucundus & hilaris effectus eſt, ac junctis elevatiſque manibus, & oculis in cælum erectis, migravit ad cælum. In quo tempore ex feneſtra viſa eſt ingredi locum, ubi decumbebat, magna & miri candoris multitudo quorumdam animalium, quæ vulgo papiliones dicuntur: quæ circumquaque tamdiu volaverunt, donec anima diſceſſit à corpore; ſed corpore extincto ſtatim receſſerunt, nec unquam viſa ſunt. Hæc autem animalia, quid niſi Angelos æſtimabimus fuiſſe, qui ſub tali ſpecie comparuerunt, & felicem illam animam in illam civitatem cæleſtem, inter illos glorioſiſſimos cives collocaverunt? Eadem quoque hora, mira ac ſuaviſſima *f* odorie fragrantia ex corpore ejus redundavit.

papilionibus circumvolitantibus.

f

AN-

A

ANNOTATA.

a Sexageſimum *certe non diu explerat, ſi 23 Ianuarij anno 1357 natus fuerit & venerit in Britanniam primo vere anni 1417. Irrepſerat neſcio quo modo* ſeptuageſimum: *quod mutare maluimus, ne in hunc locum temere incurrens aliquis deciperetur.*

b *Hic eſt* Joannes *hujus nominis* v, *&* Sapiens *cognominatus, qui patri itidem Ioanni ſucceſſit anno* 1399, *duxit uxorem* Joannam *filiam Caroli VI anno* 1404, *vita functam anno* 1433.

c *Hic paſſim intelligunt ſterilitatem, contractam poſt natum* 11 *Maij* 1414 *Franciſcum dein Ducem Britanniæ, de cujus nativitate agit Argentræus lib.* 10 *Hiſtoriæ Britannicæ cap.* 14.

d Petrus *poſt mortem Franciſci fratris conſtitutus eſt Dux anno* 1450, *mortuus* 22 *Septembris anno* 1457. *Conſule Argentræum lib.* 11 *cap.* 14 *&* 20.

e Amalricus de la Motte, *cujus ad Sedem Maclovienſem tranſlati, ſucceſſores duo, fuerunt ex Ordine Prædicatorum aſſumpti.*

f *His jungi poſſunt ſequentia à Caſtilionenſi: ſic rèlata* Fuit quidam peregrinationis ejus comes, Ferdinandus nomine, qui poſtea fuit Epiſcopus Teleſienſis, qui hæc atteſtabatur; ſi quando contigiſſet viri ſancti manum, dum in aſcenſu vel deſcenſu illum adjuvaret, magnam ex illa manu fragantiam redolere, quæ etiam uſque ad triduum ab ipſa Ferdinandi manu non diſcedebat. *Eadem habet S. Antoninus, & nonnulla illi ſpiritu prophetico addit prædicta. Eſt* Teleſia *urbs Epiſcopalis Samnii ſub Archiepiſcopo Beneventano, ubi Ferdinandum ſediſſe ab anno* 1454 *ad* 1458 *tradit Vghellus tomo* 8 *Italiæ ſacræ pag.* 522.

B

CAPUT II.

Exequiæ: Miracula poſt mortem.

Aquæ, quæ corpus lotũ,

9 PEr eos vero dies erat Veneti religioſa illa Ducis Britanniæ uxor, cujus ſupra facta eſt mentio; quæ ob ſingularem devotionem, quam habebat ad S. Vincentium dum adhuc viveret, voluit propriis manibus lavare corpus extinctum, prout videlicet conſuetudo eſt multarum gentium, quæ ſolent abluere mortuorum corpora: aquamque ipſam diu diligenter obſervavit. Quæ numquam corrumpi potuit, nec ex ea vermes, nec aliquid turpe procreatum eſt: quin imo tam diu gratiſſimo odore fragravit, quouſque in eo vaſe in quo repoſita fuerat, penitus conſumpta eſt: multi inſuper qui ex ea biberunt à variis languoribus curati ſunt. Dux vero Britanniæ exequias ei parari juſſit, quales & dignitati ſuæ & Vincentii virtutibus convenire djiudicavit: ad quas exequias partim à Duce convocati, partim ipſum corpus viſuri, & partim corporum ſanitatem recepturi, univerſa fere Britannia convenit. Sed & tanta fuit multitudo quæ certatim conabatur aut videre aut tangere illud venerandum corpus, quod neceſſarium fuit, ut inhumatum & multis armatis militibus cuſtoditum triduo teneretur. Verumtamen nec minimus fœtor inde exhalavit, nec aliqua vel in facie, vel in aliis membris, vel in carne fuit ſubſecuta mutatio; ſed ſemper idem color eademque facies corpori fuit, ab illa hora qua extinctum eſt, uſque ad tempus quo fuit ſepulcro conditum. Obiit autem *a* die Veneris, Nonis Aprilis, ſepultuſque eſt in majori eccleſia Venetenſi, anno Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo decimo *b* octavo. Et quemadmodum in vita ejus multis miraculis claruit, ſic & poſt obitum ejus innumerabiles homines, aut ſacrarum reliquiarum, aut veſtium quas vivus induebatur, aut ſepulcri ejus tactu, ab hora ſeparationis ejus uſque in hodiernum diem, beneficium perfectæ ſanitatis impetraverunt. Ne vero hujuſmodi miracula prætermittantur, aliqua ex eis compendio conſcribemus. AUCTORE RANZANO EX MS.

exequiæ ſolennes fiunt:

a

b

morbi pellũtur:

C

10 Apud Cælarauguſtam vir quidam, nomine Joannes Zanitus, epicimia mortaliter eſt percuſſus, taliter quod nullo pacto poſſe curari ab omnibus, præſertim à medicis, putabatur. Suaſus ab illuſtri Fratre Joanne de Graſſia, qui nunc Majoricenſis Epiſcopus & Alphonſi Regis Arragoniæ Confeſſor eſt, ad B. Vincentium voto multis cum lacrymis emiſſo, perfectam ſanitatem protinus impetravit. In eadem civitate mulier quædam, à viro zelotypo tribus mortalibus *c* ictibus, in diverſis ſui corporis locis vulnerata, invocato auxilio B. Vincentii, poſt pauciſſimos dies curata eſt, quamvis fuiſſet à chirurgicis tamquam moritura judicata. *Curantur peſte,* *vulnera,* *c*

11 Tactu quoque veſtimentorum vel aliarum rerum, quæ ſacrum corpus tetigerunt, multi ægritudinum quas patiebantur integram ſanitatem impetraverunt, & ex multis hæc pauca collegimus. Habetur Veneti quoddam ſtratum ex lana confectum, quod vulgo vocant matracium, ſuper quo jacens B. Vincentius mortuus fuiſſe perhibetur; & compertum eſt fuiſſe ſupra quadringentos homines, qui ex devotione ſuper eo certo temporis ſpatio jacuerunt, & à vehementiſſimis febribus aliorumque generum infirmitatibus ſtatim convaluerunt. Majoricis fertur haberi pallium ſeu cappa, qua B. Vincentius induebatur, tempore quo in ipſam inſulam navigavit; cujus tactu à tempore quo ex inſula diſceſſit uſque in hodiernum diem, non ſolum febres patientes, ſed etiam obſeſſi à dæmonibus, & mulieres in partu periclitantes curatæ ſunt, & à mortis manifeſtæ periculis liberatæ. *febres aut alii morbi* 400, E

12 Frater quidam ex Ordine Prædicatorum, nomine Wilhelmus Pottas, dum in memorata urbe Majoricarum B. Vincentius conſiſteret, habuit quoſdam pilos dum barba Vincentii tonderetur, quos pro ſui devotione multo tempore conſervavit. Huic cum quadam die nuntiatum eſſet, quod in ipſa urbe erat quædam ruſtica mulier à dæmone obſeſſa, quæ multis Judæis reſpondens multa ſecreta revelavit; acceptis ſupradictis pilis pergens ad locum ubi illa vexata tenebatur, eoſdem in quodam panno involutos collo ejus alligavit: ſed & diabolus qui mulierem obſidebat, virtutem pilorum ſentiens, ipſum corpus plurimum torquere cœpit. Itaque interrogatus quid erat in cauſa, quod ſic mulierem vehementius ſolito vexaret; reſpondit quod hoc faciebat propter capillos Fr. Vincentii Ferrarii; quorum magnam virtutem, & quidem ei contrariam, ſentiebat. Tandem poſt multa, quæ ſcivit mulier dicere & revelare, quæ ex ſeipſa numquam dicere vel revelare ſciviſſet, diabolus ex corpore exiit, illud pene mortuum derelinquens. *liberantur* *energumena,* F

13 Valentiæ vir quidam, nomine Wilhelmus Stadey, utriuſque Juris Conſultus, percuſſus morbo, quem vocant epidemiam, in utroque inguine, ita ut arbitrio quorundam peritiſſimorum medicorum mortuus judicaretur; indutus à matre quamdam lineam tunicam, quam vir ejus à B. Vincentio habuerat, & ob tanti viri reverentiam multo tempore diligenter & honorifice conſervaverat, ſtatim reſpirare cœpit: & ſigna illius morbi, quæ per totum corpus diffuſa erant, diſparuerunt, & poſt pauciſſimos dies penitus de tam periculoſa infirmitate convaluit. In quodam loco vicino urbi Dertuſæ, quem vocant de Bonifellet, vir quidam habens ſcapulare, quod à B. Vincentio habuerat, & magna reverentia conſervatum longo tempore tenuerat, illud *peſte laborans,* *2 energumeni,*

AUCTORE RANZANO EX MS.

illud impoſuit cuidam qui Dertuſæ obſidebatur, nec ullis exorciſmis curari potuerat; & ſtatim ab eo diabolus exiit. Dæmoniaca quædam in monaſterio de Prato, quod eſt in Arragonia, induta caligis quæ fuerant B. Vincentii, clamabat: O Vincentiole, Vincentiole, quare me tantum comburis? Tandem ea verba ſæpius repetens, emiſſo horribili ejulatu dæmon ex corpore diſceſſit, ipſamque mulierem ſemimortuam ac humi proſtratam dereliquit.

Periculoſe æger,

14 Quidam ex familiaribus Comitis de Dardana, qui unam partem tunicæ B. Vincentii multis annis religioſe & devote conſervaverat, patiens gravem quamdam ægritudinem ex qua penitus credebatur moriturus, ſuper ſe memoratam partem tunicæ apponi fecit, & ſequenti die perfecte convaluit. Quod multi alii ipſius Comitis familiares videntes, ſuper ſe apponi eamdem tunicam voluerunt, quoties ægrotaverunt, & etiam ab eorum infirmitatibus perfecte curati ſunt. Toloſæ mulier quædam, quæ pluribus annis moleſtiſſimum in capite dolorem paſſa fuerat, quamprimum capiti ſuppoſitum fuit birretum B. Vincentii, quod in urbe ipſa à Prædicatoribus Fratribus habetur, ſtatim curata eſt, quod numquam talem dolorem ſenſerit ulterius. *d*

dolore capitis laborans.

B *d*

ANNOTATA.

a *Sutius* feria ſexta, *at melius Caſtilionenſis*, quarta feria ante diem Palmarum, *ut ſupra probavimus.*

b *Annus hic* 1418 *numeratur more Britonum & Francorum, initium ſumentium à Paſchate, proinde annus fuit ſequens* 1419.

c *Caſtilionenſis ait*, pugione in mamillam transfixam, & in ſiniſtro humero; adeo ut in utroque vulnere pugionis cuſpis oppoſitum latus penetraverit. Illa vero, dum cederetur, frequenter B. Vincentium invocaverat. Cum vero ad eam jam mortuam acceſſiſſent propinqui & vicini, accepiſſentque ab ancilla, quæ ibi adfuerat, eam invocaſſe ſæpe B. Vincentium; fecerunt pro ipſa votum, & ſtatim ſurrexit incolumis, ſicque poſtea non parvo tempore ſupervixit.

d *Cum nulla hic habeatur concluſio & tam pauca ex adeo multis poſt mortem miraculis hactenus referantur, non abſque fundamento ſuſpicabimur, maximam hujus ultimi libri partem adhuc deſiderari: quæ utinam aliquando in lucem emergat.*

C

ALIA MIRACVLA

ad S. Vincentii ſepulcrum patrata,

Auctore Franciſco Caſtilionæo ex MSS.

Miraculis claret

1 FActa ſunt autem mox per B. Vincentium, divina operante virtute, ſigna & miracula, numero pene infinita, quæ recenſere longum eſſet: in quorum teſtimonium imagines cereæ multiplices ſine numero ipſi ſepulcro Beati viri appenſæ ſunt. Erat eadem tempeſtate quidam civis ejuſdem civitatis *a* Venetenſis, qui magna veſania & ingenti furore agitabatur, adeo ut catenis manicisque ferreis vix retineri poſſet. Is à propinquis amiciſque ductus ſuperpoſituſque ſepulcro beati viri, cum paululum obdormiviſſet, pallio ipſius B. Vincentii tectus; vidit in ſomnis, ut ipſe poſtmodum atteſtabatur, B. Vincentium dicentem ei: Confide, fili, nam in bono ſtatu cito eris; ſicque cum evigilaſſet integre ſanum ſeſe reperit. Deglutiverat puella quædam fibulam zonæ, ac tanto cruciatu vexabatur, ut nec jam aliud niſi inſtantem mortem præſtolaretur. Hæc facto voto ad ſepulcrum beati viri liberata eſt.

a ad ſepulcrum ejus ſanatur phreneticus,

& è deglutita fibula ægra,

D

2 Abbas quidam *b* venerabilis pietate habuit nepotem adoleſcentem in eadem civitate Venetenſi, quem ad colligendas nuces miſerat. Is cum arborem conſcendiſſet; ad terram decidit, ac mortuus eſt: pro quo Abbas votum fecit, ſimulque ad ſepulcrum beati Viri magna cum fide acceſſit: cumque diutius oraſſet, inde rediens, offendit in via unum ex domeſticis, qui magno cum gaudio nuntiavit illi, nepotem ſuum exiſſe ac vivere. Venerunt ex Normannia viri, qui ad ſepulcrum B. Vincentii puerum mortuum comportarunt: qui ſuperpoſitus ſepulcro illius, ſtatim reſurrexit. *c*

b revivi ſcunt è lapſu mortuus,

alius puer,

c

3 Fuit vir in oppido Joſelino, *d* Joannes nomine, qui cum forte ad fluvium deveniſſet, ubi adoleſcentes non pauci natabant; voluit nepotem, quem ſecum duxera, tnatum annos quindecim, ad natationē inſtruere: ſicque ipſe cū nepote in aquam deſcendit. Cum autem imprudentius mulino *e* qui proximus erat adhæſiſſent, ambo impetu aquæ & vorticibus rapti in profundum ferebantur. Cumque eorum alter, major natu, nare doctus, facile evaſiſſet; remanſit adoleſcens. Qui cum in conſpectu virorum ac mulierum, qui ibi tum aderant numero fere quadraginta, ſemel atque iterum in ſuperficie aquæ apparuiſſet, cœperunt acclamare omnes, Beate Pater Vincenti, adjuva illum: pauloque poſt ad ripam fluminis, aquæ impetu vel potius divino nutu, deductus eſt, jam plane defunctus, capite omnibuſque membris diſſolutis. Quod corpus, viri qui aderant ad ſepulcrum B. Vincentii attulerunt, accurrentibus parentibus, propinquis, magno populo ac Clero; factaque ſupplici oratione ac voto, ſuſcitatus eſt, ſtatimque incolumitati redditus.

d

e juvenis ſubmerſus.

E

4 Joannes Guerre Ducis Britanniæ *f* ſagittarius fuit: is à ſociis ſagittariis graviſſimis vulneribus ſaucius jacebat, adeo ut poſt octavum diem ingraveſcente morbo morti proximus fieret. Quod cum qui aderant animadvertiſſent, juſſerunt Sacerdotem accerſiri, qui confeſſionem ejus audiret, ac reliqua conferret Sacramenta: qui ſero veniens animæ tantum commendationem fecit, reliqua omiſit Sacramenta. Mox autem, antequam inde Sacerdos abiret, ille emiſit ſpiritum. Cumque de ejus ſepultura extra locum ſacrum, quoniam ſine confeſſione deceſſerat, ageretur; quædam piæ mulieres unanimes acclamarunt, ſuppliciter orantes B. Vincentium, ut reduceret animam illius, tantumque ſpatii vitæ daret, ut Pœnitentiam & Eccleſiæ Sacramenta ſuſciperet: factoque voto ſurrexit, qui fuerat mortuus, aſſerens ſe vidiſſe B. Vincentium inter multos dealbatum, à quo ſe protectum aſſerebat à dæmonibus, qui illum devorare parati erant. Supervixit autem poſtea annos non paucos. Mulier quædam, Ludovica nomine *g* Nocivietenſis diœceſis, leproſa penitus effecta, toto anno vehementi arſerat calore, qui à lepra inferebatur. Hæc acceſſit ad ſepulcrum B. Vincentii, factaque confeſſione & emiſſo voto, integre ſanata eſt.

f

& ſagittarius Ducis,

F

leproſa mundatur.

g

5 Fuit mulier in provincia Britanniæ, cui non ſatis omni tempore mens ſana adeſſe conſueverat: quæ cum eſſet prægnans magno edendi carnes deſiderio tenebatur, cui vir hoc interdixerat: non enim fortaſſe rite hoc appetebat. Illa vero magna veſania, natum, quem infra bimatum habebat, arripuit, bifariam diviſit, partemque nati in ollam, ut coqueretur, conjecit. Mox ſupervenit vir qui ut rem cognovit, vecors præ nimio dolore effectus, quid potiſſimum agat ignorat. Cumque veniſſet illi in mentem quanta eſſet virtus B. Vincentii, ad ejuſmodi ſigna conficienda; magna cum fide rapit partes

reſuſcitatur infans in partes ſectus, & oſſa injecta

A partes nati discerpti, ad sepulcrum B. Viri properat, effundit preces cum lacrymis. Quid plura? Meritis B. Vincentii conglutinantur partes pueri; reducitur in eo spiritus, revivisit qui fuerat in frusta divisus. Diffunditur tanti fama miraculi, concitatur ad tam mirum spectaculum tota Britannia, admirantibusque populis signum rei gestæ & testimonium veritatis affertur. Nam in ipso infante suscitato cernebatur divisionis signum, tamquam filum carneum, per ipsius incisionis loca distractum. *h* Res non tantum nostris temporibus, verum & superioribus seculis inaudita.

h alinsque natus mortuus.

6 Mulier quædam, Wilelma nomine, bino fœtu gravida, cum venisset ad partum, primo edidit infantem mortuum; quem cum obstetrices, solicitæ de salute secundi fœtus, abscondissent, donec terræ mandaretur; ne vir superveniens *i* magis mœrore mortui fœtus afficeretur, quam alterius viventis hilaritate gauderet; Cur non fit votum, inquiunt quædam mulieres quæ ibi aderant, B. Vincentio pro fœtu mortuo? Sicque mox omnes quæ aderant, cælesti spiritu afflatæ, supplices rogarunt B. Vincentium, ut tantum donec baptizaretur fœtus vitam reciperet, statimque facta oratione revixit puer, & baptizatus est, pluresque insuper menses superstes vixit. *k*

i

B

k item mortuus ex lapsu,

7 Nauta quidam ex alto ceciderat, spatio quadraginta pedum, ac mortuus est: amici vero ac nati ejus de sepultura soliciti decreverunt reservare corpus usque ad insequentem diem, quo de ejus morte certiores fierent: postridie vero ejus diei, quoniam sine confessione perierat, fecerunt votum B. Vincentio, tuleruntque corpus ejus ad sepulcrum beati Viri, & mox revixit.

sanatur peste percussa

8 In civitate Venetensi fuit vir, Oliverius nomine: is habuit filiam natam annos sex, quæ peste percussa & morti proxima, ducta est ad sepulcrum beati Viri: & cum fuisset super monumentum B. Vincentii collocata, tandem longis precibus & lacrymis sanata est, ipsumque monumentum per se bis concussum, & digitis quatuor à loco proprio, cunctis id cernentibus, elevatum est.

in vase submersa.

9 Puella quædam, nata annos septem, in quodam vase aqua pleno suffocata est: quam cum post triduum parentes mortuam invenissent, supplices cum lacrymis ad sepulcrum beati Viri attulerunt, frequentique in cœtu populi suscitata est. Vix narrari posset humano eloquio quam variæ sint ejus meritis ægritudines curatæ; quot paralytici, quot leprosi, surdi, cœci, quotque à dæmonio vexati incolumitati restituti. Multi peste percussi & morti proximi ad invocationem beati Viri curati sunt, complureſque mortui *l* variis casibus suscitati: multæ etiam domus igni succensæ, ad invocationem B. Vincentii, extincto mirabili modo igne, illæsæ permanserunt.

C

l alia innumera miracula.

Oculatus testis rerum ab eo in vita gestarum,

10 Multa omitto, multa etiam ne longior in scribendo sim sponte prætereo: hæc tantum volui carptim collegisse, quæ mihi memoriam illius viri, tantæque virtutis & gratiæ monumentum facere possint: quæ ipse nonnunquam, ad excitandum pietatis spiritum, brevi temporis spatio, & uno, ut dicitur, spiritu percurram. Unum tantum addam, quod ipse accepi à Sacerdote quodam longævo, Bartholomeo nomine, ex hac nostra Alexandria Italica oriundo; qui in adolescentia sua ipsum Beatum Vincentium, dum prædicaret variasque provincias circuiret, subsecutus fuerat, magnaque illi familiaritate adhæserat, habitumque tertii Ordinis Beati Dominici ab eo acceperat. Ille enim hæc omnia, quæ de eo superius enarrata sunt, de vita illius & moribus, de prædicatione ac sapientia, de signis quoque vera esse attestabatur: addebat etiam multa, quæ ei Beatus Vincentius de rebus futuris prædixerat; quorum ordinem cum non plane perceperim, ne etiam auctor novarum rerum fieri videar, hoc tempore omittenda decrevi. Id unum est, propter quod hujus viri mentionem feci, quod præ magnitudine rei vix proferre audeo: quod nisi haberem testem locupletem, hunc de quo loquor Presbyterum, virum probum atque gravissimum, non ausim profecto hoc proloqui; tanta est ipsius portenti novitas & miraculi excellentia. Sed quod impossibile est hominibus, possibile est apud Deum: nec profecto falsum est verbum Domini, quod de credentibus in se dixit, hæc quæ ego facio & ipsi facient, & majora horum facient. Quod & in B. Petro verum fuisse comprobatur, nam cum Salvator noster tres tantum mortuos, unumque ex illis quatriduanum suscitasse legatur; Apostolus ejus Petrus duodecim vita defunctos aut supra, unumque qui circiter annos duodecim antea sepultus fuerat, ab inferis revocavit.

EX MS.

narrat auctori

Ioa. 14, 12

quod concionante Vincentio rei duo

11 Dum igitur olim B. Vincentius, aiebat longævus ille, sicut consueverat prædicaret, contigit ut non longe ab eo loco, ibi vir sanctus & frequentissimus populus aderat, duo scelesti vir mulierque, in nefandissimo scelere deprehensi, ad supplicium traherentur, quo igni cremati tanti piaculi pœnas luerent. Quod cum vir Dei, proximum quemque quidnam id esset scisscitatus, intellexisset; jussit ad se officium publicum ac lictores una cum ipsis reis accersiri. Qui cum à frequenti populo, novarum rerum cupido, ad eum sine mora ducti fuissent (tanta enim erat viri auctoritas, ut ei quod jussisset contraire non liceret) Exspectate, inquit, nos, donec cœptum officium prædicationis absoluam: ipsos vero reos huc adducite, interimque soli sub ipso suggestu subque pedibus meis concluſi maneant (pars enim inferior suggesti undique asseribus claudi consuevit) quod & suadente vel impellente populo, statim factum est. Cœpit autem vir Dei altissimo sumpto principio de pœnis, quæ in purgatorio diversæ diversis flagitiis infliguntur, fermonem habere: in quo ille singulis criminibus singula supplicia propriasque cuique errato pœnas adscriptas esse, nec leves illas quidem, licet quandoque finem habituræ sint, sed ingentes & infernalibus proximas, longeque à nostris remotas, & multiplici proportione majores esse attestabatur; nullumque adeo grave hic à quoquam mortalium scelus perpetrari posse, quin illud ibi lustralibus ignibus, modo hic attritio cordis præcesserit, purgari ac deleri valeat. Agere autem ignem illum, cum sit corporeus, divino quodam & occulto judicio in animas corpore cassas. Tum demum ad scelus ab ipsis reis perpetratum, meritumque illis pro eo supplicium, longa oratione devenit: sicque circa hujusmodi malitiam, circiter horas tres (ut ille longævus aiebat) sermonem protraxit. Quo peracto, ut captivi, qui concluſi sub suggesto fuerant, educerentur permisit. O mira orationis virtus! quam efficax est verbum veritatis! Si manu supposuisset ignem, non plus potuisset efficere immissis facibus, quam verbo operatus est. Tantum enim conscientiæ reatus & compunctio admissi sceleris illos corrosit, ut cum accessissent viri qui illos ad supplicium educerent, nil præter ossa ipsa nuda, consumptis carnibus & cute, reperta sunt. Non est mea sententia ambigendum, quin vir Dei tantum spiritu & oratione potuerit, ut illi non modo ab instanti supplicio & ignominia publica, verum etiam ab omni pœna, quam in futura vita perpessuri erant,

E

sub ejus cathedra positi

finito sermone, inventi sint

F

usque ad ossa consumpti.

EX GALL. GUIARDI

erant, ſola compunctione cordis & brevi conſcientiæ aduſtione liberati, ad æternam requiem felicemque patriam commigrarint. Legitur quid ſimile à B. Eliſabeth, *m* in Pannonibus Regina, actum: illa enim tantum ſola oratione potuit, ut adoleſcentem quemdam, quem itidem orare juſſerat, ſpiritualibus facibus adurere videretur. Quis igitur ſapiens & intelliget hæc?

m

n 12 Non ceſſat autem B. Vincentius noſtris *n* quoque temporibus, divina operante virtute, ſigna invocatus & miracula facere: nuper enim à civitate Bononienſi graviſſimo teſtimonio relatum eſt, puerũ ſubmerſum, qui ſpatio dimidiæ fere horæ ſub aquis fuerat, ad invocationẽ B. Vincentii fuiſſe vitæ ſalutiq; reſtitutum. Cũ enim is puer, qui erat natus circiter annos quatuor, matri jã defunctus allatus eſſet; illa, quæ eum ex voto ſuſceperat, Vincentiumq; de viri ſancti nomine appellaverat; reminiſcens quo pacto ad invocationem B. Vincentii, cum prius eſſet ſterilis, illum accipere meruiſſet; non diffiſa ejuſdem virtuti, cœpit cum lacrymis ingentique ejulatu, magna commota fide, acclamare, Hunc, inquiens, per te, B. Vincenti, puerum accepi: per te mihi reſtituendus eſt. Tu olim hunc nobis dediſti, nunc reddas oportet. Ex ſterili quondam feciſti fœcundam matrem; nunc orbam & omnium mulierum infeliciſſimam adjuves neceſſe eſt. Nam quid mihi profuit illum ſuſcepiſſe, quem tam cito abſque ullo fructu amiſſura fueram? Satius fuerat non datum eſſe, quem tam immature, tanta cum matris calamitate, ablatum iri. Quid enim hactenus, ab ipſo conceptus initio, ex eo niſi labores ærumnaſque ſuſcepi? Hoc eſt, non filium dare, ſed auferre: hoc eſt, non gaudium lætitiamque matri, ſed infortunium & calamitatem perpetuam intuliſſe. Quid radium, tam cito defecturum, oriri opus fuerat? ad quid hic lucifer, tam ſubito occaſurus, apparuit? Potuiſti dudum, ſuperatis naturæ ac ſterilitatis meæ legibus, illum nobis donare: poteris etiam, Pater, illum ab inferis tuis precibus revocare: quodque pluribus aliis rogatus dediſti, hoc miſeræ matri, cum precibus ſupplicanti, præſtare ne moreris. Per te vixit puer, per te reviviſcat. Cœpit inter hæc verba lacrymaſque paulatim puer ſpiritum reſumere, ſicque non multo poſt redivivus matri filius incolumiſque reſtitutus eſt. Non eſt igitur hoc pacto abbreviata manus Domini: & nobiſcum eſt in Sanctis ſuis Dominus Ieſus uſque ad conſummationem ſeculi: apud quem B. Vincentius vir ſanctiſſimus, perpetuo cœlebs, magiſter & prædicator veritatis, ſit pro nobis aſſiduus interceſſor. Amen.

n Bononiæ

ſubmerſus puer reſuſcitatur.

B

C

ANNOTATA.

a *Bern. Guyard nominat*, Petrum Hernei ſive Graſſet, ex parochia Guillacenſi dicec. San-Maclovien.

b *S. Antoninus addit* Ciſtercienſis Ordinis diœceſis Venetenſis: le *Grand* monaſterii Landavallis. *Guyard etiam nomen exprimit &* Yvonem *vocat: ipſumque nepotem vocat* Joannem Goeliahan.

c *Teſtem ſic allati à patre & matre pueri, Guyard nominat; Guillelmum Roberti, de quo infra num.* 2.

d *S. Antonino dicitur*, Joannes de Joſſelino exiſtens in Riparia Auguſta: *eſt ibidem oppidum Ioſſelinum, in quo etiam fuerat concionatus.*

e *Gallice* Moulin, *mola, intelligitur autem hic ipſa rota, quæ aquæ impetu circumacta molam circumagi facit.*

f *S. Antonino* Archerius Ducis & diœceſis Trecenſis. *Diagus cap.* 72 *aſſerit contigiſſe anno* 1448.

g *Videtur* Namnetenſis *legendum*, *Guyard infra n.* 4, *notabiles aliquas circumſtantias habet.*

h *Idem narrant S. Antoninus & Le Grand, qui addit contigiſſe* in angulo Britanniæ. *Diagus cap.* 72 *aſſerit*, contigiſſe anno 1421, & ſanatum infantem diu vixiſſe, primo inſerviiſſe in eccleſia, ubi reſuſcitatus fuerat, dein Ordinis Prædicatorum aſſumpſiſſe habitum, & in Sicilia concionatorem ſæpius oſtendiſſe ſigna diviſionis, & devotionem erga S. Vincentium Siculis infudiſſe. *Ne autem dubitari poſſit quin hoc miraculum ſit diverſum ab eo quod libro* 3 *numero* 19 *à Ranzano refertur, facit teſtis oculata infra apud Guyardum numero* 31

D

i *Apud eumdem nominatur* Joannes le Clerc.

k *Idem ait ſolum tribus ſeptimanis vixiſſe.*

l *S. Antoninus*, Reperi, *inquit*, XXVIII defunctos poſt mortem ejus, per merita ejus & ad invocationem ejus nominis reſuſcitatos, ſigillatim & multum diſtincte à Notariis in Proceſſibus factis ad inquiſitionem de vita ejus & miraculis factam in diverſis regnis. *Poſſunt pauca latius expreſſa miracula apud eumdem legi.*

m *Eliſabetham Thuringiæ Landgraviam, filiam Regis Hungariæ intelligit, in cujus Actis* 19 *Novem. dandis habemus quod ſequitur.*

n *Id eſt ante annum* 1470, *quando hæc ſcripta ſunt.*

ALIA MIRACVLA

E

facta in Britannia Armorica, & ex Proceſſu Venetenſi Gallice collecta à Bernardo Guyardo de Ieſu Maria Ordinis Prædicatorum.

CAPUT I.

Miracula Veneti, maxime civibus, ad invocationem S. Vincentii facta.

1 IOannes Mayda elephantiacus, à patre ſuo commendatus Sancto, adductuſque ad ſepulcrum admodum male habens; ſanus inde reductus eſt, propter votum, quo ſe obligaverat pater imaginem ceream oblaturum, ejuſdem cujus filius ponderis, cum annua viginti ſolidorum penſione, quamdiu ille viveret. Hiſpanus quidam, noſtri Ordinis religioſus, videndi plenam facultatem à Sancti conterranei ſui ſepulcro pie viſitato retulit, ſacrificio Miſſæ & Officii lectione ibidem abſque impedimento perfunctus; qui advenerat totus ferme cæcus; admotiſque candelis aut ſolis radio non niſi ægre valebat lucem diſtinguere à tenebris. Joannes Rolandi, Dominus de Haerdelan, Conſiliarii & Auditoris rationum munere fungens apud Ducem, tenerrime diligebat S. Vincentium dum viveret, eoque meruit ipſum videre poſt mortem, tali habitu quali concionari ſolebat. Complures nautæ Venetenſes, in manifeſtum mortis periculum adducti per tempeſtatem, votum fecere S. Vincentio: quod cum eorum unus ſubſannaret, continuo lateris unius paralyſi punitus eſt, ceteri autem ſalvi ad portum adducti.

Curantur morbus cæci ductus &

debilitas oculorum;

F

apparet Sanctus devoto ſuo;

blaſphemus punitur.

2 Joanna, vidua Joannis Damon, è ſummis ædium ſcalis de gradu in gradum provoluta, non abſque magna fœti uteri ſuccuſſione, arbitrabatur aborſum continuo ſecuturum: ſed invocato Sancto, ut ſaltem baptiſmi gratia fœtui ſuo obtingeret, omni ſe liberam ſenſit dolore, nec niſi juſto tempore edidit fœtum, eumdemque vitalem. Alanus de Creſolis, toto triennio vehementi conflictatus febre, ſolutus ea fuit, poſtquam ad Sancti tumulum attulit cereum voto promiſſum. Eodemadducta femina paralytica Venetenſis, rediit domum per ſe, membris omnibus confirmata: nomen teſtes non expreſ-

Pragnans poſt lapſum ſalva.

curantur febres,

paralyſis.

A

vulnus tibiæ, *oculus læsus,*

expreſſêre. Guillelmus Roberti, incurabili ab annis quinque plaga tibiam affectam dolens, quod à medicis chirurgiſque non potuit, facto ad Sanctum voto impetravit. Idem illapſa in oculum feſtuca bimeſtri ſpatio cruciatus, ut neque videre commode nec dormire poſſet; oculum cereum offerendum vovit; & ſuum mox ſanum eſſe ſenſit. Joannes Boudiden, Veneti commorans, filiam habuit Olivam nomine, cui malum, ignotum medicis, faciem & fauces unamque mamillarum occupavit, & viſum ſimul atque loquelam abſtulit, ipſamque ſpem longioris vitæ. Sed puellæ frater votũ fecit de duodecim denariis, annue ad ſepulcrum offerendis: & intra quartã horæ partem viſum ac loquelam recuperavit ægra; neque totis octo diebus opus fuit ut integre convaleſceret.

ignotum malum cum mortis periculo:

puer mortuus ſuſcitatur:

3 Oliverio Rouxel, civi Venetenſi, mortuus erat Oliverius filius: uxor non ſatis mortuũ credens quem efflictim diligebat, candelã ori & naribus applicat, & calefaciẽdis pedibus calentes tegulas: quibus quamvis proficeretur nihil, noluit tamen permittere, ut terræ traderetur corpuſculum: ſed eo apud ſe ſervato, die poſtera maritum interrogat, numquid non iviſſet ad tumulum Sancti oraturus pro filio. Negat ille iviſſe ſe: inſtanti autem, ut eat, uxori morem gerens, candelam accendit ad ſepulcrum, alteramque detulit ad uxorem, quam ipſa quoque ibidem accendi faceret. Non poterat illa à caro corpore divelli longius: ergo templum Franciſcanorum ingreſſa, raptim ibi filium commendat Deo, beatæ Virgini Sanctoque Vincentio, & relicto ibidem pro Miſſa dicenda ſtipendio, recurrit domum curatura funus. Redeunte autem, dum adhuc eſſet in via, una cum deſiderio etiam ſpe videndi filium ſuſcitatum, duos denarios pro eodem annue perſolvendos vovet. Mox venienti Dominæ occurrit ancilla, dicitque, ut ante, frigidum frigidumque remanere parvulum. Illa tamen neque ſic deſperavit: igitur ingreſſa cubiculum, ubi jacentem reliquerat, vidit eum ad ſe converſum poſcere pomum, quod præ oculis erat, quoniam ſe ajebat famere. Tunc vero præ gaudio vix ſui compos, omiſſo pomo currit ad maritum, nuntiat ei ſuſcitatum filium. Venit ille & ridentem invenit, eidemque mater pomum porrigit: moxque eum ambo ad ſepulcrum ducunt, & gratias agunt: puer vero quatuor annos natus, quod erat diei reliquum ſanus cum pueris ludendo exegit.

B

C

alius puer ex peſte moribundus.

4 Petrina, uxor Joannis Venetenſis, undecim menſium filium commiſerat nutrici, in ſuburbio S. Salamonis habitanti: huic domum peſtilentia cum infeciſſet, nuntiatur matri contagio quoque afflatum eſſe parvulum. Ergo accurrit illa, periculi immemor, & animam jam agentem reperiens, inter brachia tollit, ac domum ſuam defert. Ibi cum Sancto votum feciſſet, ridere mox puer cœpit, & alterius nutricis ubera fugere, abſque ulla deinceps vel pueri vel ſecundæ nutricis vel ullius ex omnibus domeſticis noxa. Oliva, uxor Oliverii Lacqueron, duo ænea pollubra perdiderat, tunc temporis ſcutis aureis duobus æſtimata. Ea ſi recuperaret, vovit totidem ſe oblaturam ex cera ad ſepulcrum Sancti. Ab hoc poſtridie viſitato revertens, ignotum ad fores domus ſuæ hominem invenit, qui alterum ex amiſſis ei reddidit, aſſerens ex furis cujuſdam manibus receptum; altero autem die etiam ſecundum reportavit. Similiter duos ſcyphos argenteos ablatos ægerrime ferens Joannes le Clerc, eoſdem voto facto recuperavit: filiam quoque, ob hauſtam luem deſperatam à medicis, & domeſticos omnes ſervavit indemnes.

res amiſſæ recuperatæ.

ſanantur tres perſonæ à peſte,

5 Joanna, uxor Yvonis le Clerc, peſte contacta; cum jam animam ageret, & de maturando funere tractarent alii; ſub extremum ſpiritum recordata eſt voti ad Sanctum faciendi; & mox amiſſam recuperavit loquelam, atque intra paucos dies integram ſanitatem. Ab eodem contagio moribundam filiam ut commendaret Sancto, ſepulcrum adiit Joanna alia, uxor Guillelmi le Maunic: actaque ibi in oratione hora dimidia, ægram melius habentem reperit, & intra paucos dies ſanam. Domicella Margarita, uxor Joannis de Creſoles, paralytica effecta ac manibus contracta, omnem ſui movendi loquendique facultatem amiſit: pro qua votum faciens mater ſua, de cereo ad longitudinem corporis formando, & decem denariis annue dum filia viveret offerendis, mox ream ſeſe voti ſenſit. Eidem Margaretæ filia fuit triennis; Iſabella de Creſoles dicta: hæc, diebus antecineralibus ludens in domo Henriettæ le Sceaux, ex ſcalis decidit, &, ſanguine per os & caput ac brachia aliaſque contriti corporis partes defluente, pro mortua habebatur, ſenſus omnis ac motus expers. Ad lapſus nuntium perculſa mater tribus vicibus votum facit Sancto, nec enim mortuam eſſe ſciebat. Illa autem eo momento locuta eſt: & quamvis capiti ſic contrito nullam curationem præſumpſiſſent adhibere chirurgi, totoque biduo nihil cibi potuſve læſa admiſiſſet, mox tamen, ut novum votum nuncupavit mater, ſurrexit, comedit, bibit, convaluit. Eadem ex alio poſtea morbo ad extremum vitæ adducta articulum, poſt inediam octiduanam, ſimili voto ſanitatem recepit.

EX GALL. GUIARDI

alia à paralyſi,

lapſa puella contractum caput,

E

6 Matthæum Larans, letali frigore aliiſque indiciis omnia veræ mortis ſigna præferentem, ſepeliendum avia ſua judicabat; niſi votum mater cum lacrymis feciſſet pro filio: qui adapertis mox oculis, tandem etiam ſanatus eſt. Maria, Guillelmi Rolandi filia, decimum quintum diem deſperate ægrotans, & octavum jacens abſque loquela, cum jam jam credetur expiratura, ſurrexit ſana, voto pro ea ad Sanctum Vincentium nuncupato. Rolandus Brondic, libere reſpirandi & ambulandi facultate privatus, remedium, quod fruſtra quæſiverat apud medicos, invenit ad tumulum Sancti, ad urbis totius Venetenſis ſtuporem. Oliverius Herbelet, tonſor ex Nauſay in diœceſi Nannetenſi oriundus, Venetenſis incola, ex improviſo ſentiens os ſibi in dexterum latus torqueri & linguæ uſum impediri, obligavit ſe voto ad Sanctum emiſſo, & loco ſuo os, lingua uſui rediit, ad patroni magnalia publicanda. Joanne de Nova-villa cum pluribus aliis Burdegala Britanniam verſus navigante, tam denſa cunctos involvit nebula, ut omnem cæli terræque auferret conſpectum. Ergo ad tres ingentes ſcopulos alliditur navis adeo vehementer, ut primo impulſu actum de vita omnes crederent. Ille ſe navimque & merces ſuas commendat Sancto, cereum pro corporis ſui ſtatura vovens; & intra quadrantem horæ ea ſubiit ſerenitas, quæ ſufficeret ad locum qui Pornic dicitur in Britannia tenendum; utque conſtaret miraculo conceſſam, eodem quo appulit navis momento duplicata caligo, in ſeram uſque veſperam duravit.

moribundæ duo:

aſthma difficile,

os diſtortum.

F

navis erepta naufragio,

7 Dominus de la Barre, cum pluribus incolis Venetenſibus ex Hiſpania rediens, quando navis jam prope tenebat etiam portum Britanniæ, cui Penmarch nomen, horribili imbre & tenebroſa procella occupatus, ſolam mortem habebat præ oculis. Jamque conſilii & auxilii impotes, dimiſſa navigii cura, alter alteri confitebantur peccata, & funibus ſeſe adſtringebant bini ac bini; quia intra duos immanes ſcopulos medio ex mari aſſurgentes ſe jactari videbant, jam inde à prima ad horam Veſperarum. Tandem ſuccurrit confugere ad S. Vincentii patrocinium implorandum, nudatiſque pariter capitibus flectentes genua, & manus attol-

& altera interſcopulos periclitans.

EX GALL. GUIARDI

lentes in cœlum, voverunt unanimiter, quod, ſi à diſcrimine tam præſenti eriperentur, ab eo loco, ex quo primum conſpicerent turres eccleſiæ in qua requieſcit, pedites & ſola linea veſte tecti procederent, à porta autem ad ſepulcrum genibus proreptarent. Vix voti ſui pronuntiaverant verba, quando ipſo in aëre vir apparuit amictus albis, qui arreptum navis velum contorſit in partem, unde propitius ventus ſpirabat; atque de medio ſcopulorum fatalium ereptis, in portum Penmarch evadendi facultatem præbuit.

dæmon ex energumena,

8 Energumena Venetenſis, per vim ad Sancti ſepulcrum adducta, ibique à meridie ad horam uſque Veſperarum retenta, à maligno hoſpite liberata fuit. Quidam, Brabantus nomine, Picardus natione, de Sancto adhuc vivente neſcio quid impudenter effutiens, ita offendit Petrinam uxorem Joannis Boric civis Venetenſis, ut imprecata ei ſit caſum, quo ipſius Sancti auxilio aliquando egeret. Duobus igitur annis poſt, blaſphemus ille in paralyſin incidit, quæ os impurum fœde diſtorſit: ex pœna autem ſuum crimen agnoſcens, ſepulcrum ejus quem læſerat adivit venerabundus, & à placato retulit ſanitatem. Petrus le Boce, calculo ad modum nucis grandi omnino impeditus urinam reddere, diriſſimis torquebatur doloribus; & horrendum vociferans, ipſo in cruciatu expiraturus credebatur. Vovet pro filio, ſi convaleſcat, pater ceream imaginem offerendam, puerumque dum viveret hebdomade qualibet cum accenſa candela iturum ad ſepulcrum: qui mox ejecto calculo, dolore etiam omni eſt liberatus.

calculus è veſica ejectus.

B

moribunda ex peſte,

9 Oliva, Laurentii Hiſpani mater, peſte contacta, extraque ſpem poſita, voto facto fruſtravit expectationem eorum, qui de morte illius non dubitabant. Joannes Guillot ſexennem filiam, Mariam nomine, ex alto prolapſam mortuamque reperiens, clamoribus ſuis excivit vicinos. Suadent illi ut ipſam Sancti ſepulcro devoveat: ubi ſtatim ac quinque denarios obtulit, redemptam à morte filiam eſt gratulatus. Alanus l'Abbé à pertinaci anni unius & medii morbo ſanitatem emit, duos ſolidos & ſex denarios annue offerendos vovens, quam nullis impendiis poterat à medicis obtinere. Joannes Queré, Presbyter & ſacriſta S. Petri Venetenſis, teſtatus eſt ſe vidiſſe Presbyterum leproſum Lugdunenſem, cujus morbus cum medici juberent habere in deſperatis, voto ſe leproſus obſtrinxit Venetum veniendi ad ſepulcrum viri Dei, quem angelico potius quam humano modo vitam duxiſſe audiebat; ſtatim autem atque ſe dedit in viam, ſanguinem cœpit ejicere ex ore; & quanto plus conficiebat viæ, tanto magis proficiebat ad ſanitatem. Cum autem ad ſepulcrum venit, omnino ſanus, notabantur adhuc in ejus facie præteriti morbi necdum omnino ſiccata veſtigia. Ajebat autem, etiam duplo longioris viæ laborem libenter ſubiturum fuiſſe ſe, pro tali beneficio conſequendo.

mortua ex præcipitio juvantur.

ſanantur morbus diuturnus,

lepra,

C

elephantiaſis,

peſtis.

10 Joanni Gibon filia erat elephantiaſi laborans: cui ſanitatem impetravit voto facto de curando ad ſepulcrum cereo, qui filiæ corpus altitudine & groſſitie æquaret. Similis cerei Miſſæque inſuper curandæ voto, Alana, uxor Joannis Joyaux, mortem à peſte imminentem evaſit. Eadem ſcyphos duos argenteos duarum marcarum & totidem unciarum ſubreptos furto querebatur, & voto facto, pro iis recuperandis ſpem ſuam firmans, exaudita eſt; Namnetenſi enim ex urbe, quo furtum ſuum detulerat nequam, in fruſta comminutum, ipſam recepit ab aurifabro quodam. Maria, Guillelmi Rolandi filia, minime dubia morte jacebat, depoſita, totam unam noctem diemque. Recordantur parentes tabellæ ad ſepulcrum appenſæ, qua exhibetur reddita infanti vita, quem mater ſua in partes diviſerat; & votum quoque pro filia faciunt. Illa autem plorare mox cœpit: quod videns pater ad Sancti accurrit tumulum acturus gratias, indeque revertens filiam reperit edentem, ridentem, ludentem, verbo ſanam prorſus, ad ſtuporem maximum familiæ totius.

recuperantur amiſſa.

moribunda conſurgit.

D

ſub trabe contrita ſuſcitatur.

11 Cum filia Joannis Michardi ludibunda ſe ſupra ingentem quamdam trabem libraret, devoluta in caput ſubtus eam cecidit, illudque comminutum putrido pomo (verba depoſitionis ſunt) ſimile videbatur. Accurrit, qui labentem viderat, Oliverius Cadoret; magnoque niſu conatus trabem attollere, inque conatu deficiens, iterato collidit infelicem: quæ plurium auxilio ſubducta à pondere opprimente, lectoque impoſita, totam unam horam mortua jacuit. Poſt hæc, omnibus, qui una cum mœſtiſſimo patre lectum ambiebant, genuflectentibus & S. Vincentium invocantibus, aperuit oculos, ſuſpirium dedit, intraque duos dies convaluit ad ſtuporem chirurgorum. Prædictus quoque Oliverius, per os perque feceſſum ſanguine copioſo fluens menſem jam tertium, à medicis denique, nihil amplius præſidii ſua in arte reperientibus, morti eſt addictus; eamdem vero ipſe & uxor ſua arcuerunt, voventes cereum, totidem quot moribundus libras appenſurum, ſeque ituros ad ſepulcrum in amictu lineo ac pedibus nudis.

ſanguinis fluxus ſiſtitur.

E

CAPUT II.

Miracula patrata in eorum gratiam qui diœceſim Venetenſem incolebant.

Sanatur puer moribundus peſte.

12 QUæ ſequuntur miracula in variis Venetenſis diœceſeos parochiis accidêre: incipimus ab ea, quæ urbi ſuburbana eſt, S. Paterni. Hic graſſans peſtilitas omnes Joannis Tegat liberos abſtulerat præter unicum, qui & ipſe jam animam agebat: quare cum alteri defuncto ſepulcrum effoſſurus abiret pater, dixit ei uxor, etiam huic, jam jam expiraturo, foſſam facito. Tum doloris impatiens, O miſeriam! inquit, itáne omnes ſimul proles aufert Deus? Tandem meliori conſilio, pro qualitercumque ſuperſtite votum vovit S. Vincentio, multis cum lacrymis duos denarios promittens; eodemque fine mariti frater è vicina domo abiit, ſacrificium Miſſæ ad altare Sancti curaturus. Vix autem dimidium viæ abſolverat, quin puerulus cibum poſcens, comederet ovum, totuſque mox ſanus appareret. Joanna, uxor Joannis Aufray, ex Ployengriffet oriunda, ſed Veneti tunc habitans, morbum patiebatur caducum viſumque amiſerat: votum igitur fecit, & utroque malo libera fuit. Sed negligens præ pudore publicare miraculum ad ſepulcrum, quod viſitarat ex voto; octavo rurſum die, utrumque beneficium amiſſum doluit, & remedium ab humana arte quæſivit. Tandem à vicinis rogata nullumne emiſiſſet votum pro ſanitate recuperanda etiam hac vice, feciſſe quidem negabat, ſed aiebat jam facere: progreſſaque ad S. Petri eccleſiam, dum facta peccatorum confeſſione injuncta ſibi pœnitentiam implet ante Crucifixum, ibi extremum cecidit, deinde vero per merita Sancti viſum recuperans, etiam caduco morbo libera impoſterum manſit.

mulier caduca & cæca ſemel iterumque.

F

extinctus fœtus reviviſcit.

13 Aliettæ, uxori Joannis Jeudy, fœtus in ipſo puerperio extinctus cum eſſet, obſtetrici culpam afflicti parentes impingebant: illa probro & dolore ſtimulata, in genua ſe provolvit, infantem S. Vincentio vovet, orationem Dominicam recitat: qua finita, qui ultra dimidiam horam jacuerat mortuus, manifeſta vitæ ſigna edidit, uſque dum baptiſmum recepiſſet. Domicella Joanna Traineaux, uxor Joannis

A *convaleſcit moribunda ex peſte,*

Joannis de Coetlagat, liberis ſex peſte præmortuis, ipſa quoque jacebat moritura, omnium facultatum uſu privata. Fecerat illa votum S. Vincentio, ut primum ſe afflatam ſenſit: cum autem jam animam ageret, duplicavit votum maritus ejus; eodemque inſtanti mentis & loquelæ compos effecta, etiam cibum popoſcit ac ſumpſit, nec multo poſt plenam habuit ſanitatem. Piſcatores tres Joannes Gnezon, Joannes Rochelard, & Petrus Carancoux, operi ſuo intenti ad inſulam, quæ Veneto diſtans leucis octo Malver nuncupatur, ſubita tempeſtate exorta, ſpem vitæ abjecerant, niſi quam reliquam fecerat nota S. Vincentii potentia: ad hanc igitur implorandam vota faciunt, & continuo tempeſtas poſuit, ipſaque quæ confracta prorſus fuerant retia, ex aquis integra ſunt retracta.

tempeſtas ſedatur,

mortuus ſuſcitatur,

14 Ceciderat è ſublimibus ſcalis Matthæus, Laurentii Monterray filius; & pro mortuo à cunctis habitus, hora dimidia jacuerat frigidus. Invocat S. Vincentium deſperabunda mater, filiique alterum oculum apertum videt: reduplicat preces; & cœptum favorem feſtinans abſolvere Sanctus, plenam depoſito reddidit ſanitatem. Navis Hiſpanica ad bellum inſtructa, prope Bellam-inſulam deprehenderat lembum, quo Joannes Bars aliique nautæ vehebantur. Hi ne capiantur ab hoſtibus S. Vincentium implorant, præter Jacobum Parin, nihil veritum ſocios irridendo interrogare, quomodo ab eo opem ſperarent, qui ſibi ipſi opitulari contra mortem non potuit? Hæc dicenti contortum os, loquela ablata, & ſpiritus pene vitalis extinctus eſt; ita ſubito corruit in conſpectu omnium. Tam præſenti divinæ ultionis exemplo flexi ſocii, ipſum quoque cœperunt commendare Sancto; & precantibus illis, ſenſus quidem & vox blaſphemo rediit, os autem diſtortum ei perpetuo manſit; cujus etiam culpæ pauperculi illi potuerunt adſcribere, quod non eſſent tunc ab hoſtibus eruti; ſicuti interceſſioni Sancti attribuerunt, quod paulo poſt libertati fuerint reſtituti.

blaſphemus punitur,

B

à piratis & naufragio ſalvati quidam.

15 Rivallum Madec, cum ſociis ſecurius navigantem, ceperant Scotici quidam piratæ; eodemque die confracta ad ſcopulum navi, in eo quem ſalutis cauſa conſcenderant lembo omnes perierant. Mali ab aqua extantis corbitam occupat cum ſuis Rivallus, & invocati Sancti auxilium non diu præſtolatus eſt: vix enim media hora effluxerat, cum bellica navis, eamdem inſiſtens viam, omnes excepit.

C

moribundus ſervatus,

Ludovica, uxor Joannis Cadoret, identidem cereum accendebat benedictum, ut nati ante novem menſes filioli, & tertio jam die à materno lacte omnique alio nutrimento abſtinentis, ſpiritum extremum legeret: interim S. Vincentii recordata, filium ei ſuum devovet, & mox melius habens parvulus ſuxit ubera, intraque paucos dies convaluit. Thomaſia, uxor Fevrier, filiam ſuam Joannam, Yberto Niou conjugatam, maligno quodam per caput rheumate ſic affectam videns, ut oculi ſiniſtri lumine extincto, exiguus admodum ſupereſſet dexteri oculi uſus; S. Vincentio commendatam duxit ad ſepulcrum; quæ poſtero die facultatem videndi, nec multo poſt integram habuit ſanitatem.

oculi debiles ſanati.

incendium repreſſum,

16 Petri Hernou domum comprehendens ignis, matrem ejus jam extinxerat: ille ſuperveniens, & malo, cui nullum videbat remedium, conſternatus, protectorem popoſcit S. Vincentium: moxque ſopitæ flammæ cetera omnia inconſumpta dimiſere.

amentia ſublata,

Oliverius Bocher mente ſana exciderat: vovet ejus pater linteatum ſe & genuflexum prorepturum à domo ſua ad ſepulcrum Sancti: qui mox filio ſanam mentem reſtituit. Ejuſdem ope ad matris votum reſtituta eſt vitæ Stephanetta Bellavenne, ſeque ream agnovit mater portandi ad ſepulcrum cerei, qui filiæ æquaret altitudinem, cruciſque ad hoc fabricatæ ut exequiali officio uſui eſſet. Joannæ, uxori Oliverii Querlacq, manus pedeſque diſſolverat paralyſis: ſed votum Sancto nuncupatum ſanitati reſtituit. Oliverium Colet, maritum ſuum, urgebat Alieta, ut contactæ peſtilenti aëre filiæ larcophagum pararet: verum ille ad ſepulcrum Sancti adire maluit, indeque revertens loquentem invenit filiam, quam à biduo omnis loquela deſtituerat, & eamdem ex integre vidit in brevi ſanam. Similis Ines Bandicum quemdam & uxorem ejus ac geminam prolem afflaverat: qui omnes cum ab humanis remediis longiorem non poſſent vitam ſperare, eamdem facto voto à propitio ſibi Vincentio impetrarunt. Simile votum à ſimili malo certâque morte etiam Guillelmam Travers exemit. Eumdem favorem uxori ac filio moribundis obtinuit Joannes le Gnenegou; pro filio vero cereum vovens imaginem, inſuperque promittens, quod uxor ſua, ſi convaleſceret, linteata & nudis pedibus Sancti ſepulcrum viſitaret. Peſtem quoque & imminentem ab ea mortem evaſit voto Margarita, uxor Joannis le Seigneur. Eadem in ſuo induſio venit ad ſepulcrum ſancti, expletura votum, quod pro moribundo nepote non fruſtra fecerat.

EX GALL. GUIARDI

mortua ſuſcitata.

ſanata paralyſis,

peſte moriturі plures ſervati.

E

ſanantur fabricians,

17 Uxorem Oliverii Baliquet ardens febris ad mortem præcipitabat: niſi ab ea ſe redemiſſet, denariis quinque ad ſepulcrum oblatis. Joannam quoque, Maturini Gauterii conjugem, intercus aqua tres jam annos prohibebat ambulare: ſed in induſio ſupra ſepulcrum depoſita manibus alienis, ſuis inde pedibus domum revertit liberata. Nihilominus ſubitam ſanitatem accepit Joanna, filia Guillelmi Riou, amiſſo loquendi uſu moribunda, mox ut Sancto fuit commendata. Joannes Bocher cum Venetenſibus aliis piſcatum exierat ad Bellam-inſulam, quando piratica Anglorum apparuit: contra quam cum S. Vincentii opem Venetenſes implorarent, diſparuerunt ab oculis Angli. Teſtatur autem idem Joannes, vitam ſibi miraculoſe ſervatam eo veſpere, quo non ſperabat viſurum ſe craſtinum, niſi peſtilens virus depuliſſet votum rite conceptum. Feſto S. Michaelis die, mortuam ab hora dimidia judicio omnium filiam Petrinam; Sancto commendavit Petrus Mauret, cereum pro ejus ſtatura longum voto promittens; & illa ſtupentibus cunctis viva ſurrexit. Tantum non mortuus erat Gamettus Metrea, eique tumulando jam paratus ſarcophagus; quando pro filio votum fecit pater, & ſanum recepit. Ejuſdem Gameti uxor Yvona, ſimili interceſſione viſum recuperavit amiſſum. Veneto Rupellam navigabat cum pluribus aliis Petrus le Moël: qui orta, qualem numquam ſenſerant, tempeſtate validiſſima, cum portum deſperarent, ſinguli cereum Sancto voverunt; & tranquillo mox mari, propoſitum iter feliciter decurrerunt. Denique Joannes Albelec, amiſſum equum ubique requirens, cum facto voto pagum quemdam tranſiret, equi ſui hinnitum audiit ex proximo ſtabulo; eoque referato, reperit quem quærebat.

hydropica, moribunda.

repelluntur piratæ.

juvantur moribundæ duo.

mortua una

F

& cæca.

tempeſtas ſedatur

equus amiſſus recipitur.

18 In parochia Divæ Virginis de Mené ſuccenſa peſtilentia, Radulpho Ruallain ita inflaverat guttur, ut bovino paleari comparandum videretur, ſpiritumque extremis in labris haberet; ſine mora autem illud derumuit, cum pro eo votum uxor ſua feciſſet, & poſtridie ſanus ipſe ex integro fuit. Duobus ibidem peſtiferis carbunculis infecta Guidona quædam Guillou, tertium diem jacebat vocis & mentis expers; cui remedio fuit votum patris pro ea nuncupatum, de adeundo pedibus nudis atque in induſio Sancti ſepulcro.

peſtiferi ſanati.

EX GALL. GUIARDI *alias moribundi,*

19 In parochia S. Salomonis, quo le Houſſec, ex tribus quot ægrotaverat annis, totos duos jacuerat impotens movere corpus, tandem etiam quatriduo integro loqu ela & ſenſu privatus. Vix autem eum uxor ſua Oliva Sancto vovit, quin levamen ſenſerit, & intra octiduum ſanus fuerit, obligatus annue ad quinque denarios ſuo curatori pendendos. Ad ejuſdem ſepulcrum à domo ſua genibus repens Joannes Terrier pro filio moribundo, eumdem in reditu prorſus ſanum reperit. Intra octo dies ſanatus quoque fuit puer, filius Joannis le Bouteiller, ex eminentiori cubiculo deorſum lapſus, loquelaqueac ſenſu deſtitutus: quia pater & mater ad ſepulcrum recurrerant ſancti viri. Peſte moriebantur filiæ duæ Joannis Mace: pro quarum prima decem, pro ſecunda quinque denarios vovens S. Vincentio, vivam utramque ſervavit. Moriturum quoque credebat ſe Joannes Scaby, impacto equi calce ſic percuſſus, ut trium hebdomadarum ſpatio neque movere, neque dormire poſſet, nec comedere: ſed eodem tempore, quo ad altare Sancti Miſſam dicendam ejus uxor curavit, decem quoad viveret denarios vovens, ſublevari ſe ſenſit, nec diu poſt ex integro ſanum.

& ab equo percuſſus.

20 In oppido Hennebont commorabatur Joannes Timoy, Briocenſis natu, ſedecim menſibus crudeli afflictus podagra, totum non pedem tantum, ſed crus ipſum ligante: hic ad ſepulcrum S. Vincentii accedens adminiculo alieno, ibique ſublevatus, ſuis ipſe pedibus, nullius fulcri indigens, domum regreſſus, eſt. Ibidem mater Theobaldi Laeſet, vovendo quod dictum ſepulcrum viſitaret, amiſſam videndi facultatem recuperavit. Dominus de Capite-nemoris, parochiæ de Bubri nobilis incola, ita afficiebatur S. Vincentii concionibus audiendis, ut ea ſola de cauſa ipſum per totam Britanniam ſit aſſectatus, uſque dum Venetum reverteretur: quod obſequium mortuus Sanctus memorabili compenſavit beneficio. Nam cum filius, ei tenerrime dilectus, Joannes nomine (cujus in laſciviori adoleſcentia factus erat, non lege, ſed natura pater) ex Normannia veniens, hauſta quæ per argenti minera fluebat aqua ita intumuiſſet, ut ad genua propenderet diſtentus venter, umbilicus procidens groſſitiem ac longitudinem brachii æquaret, & inflatum guttur non permitteret oculis liberum in terram deſpectum; adduxit eum pater ſuus ad medicos Ducis; his autem remedium nullum idoneum reperientibus, eumdem reduxit domum, victimam brevi ſecuturæ mortis: quæ etiam credita eſt abeſſe propius, poſtquam tribus ſeptimanis, vocis cibique ac potus expers, non niſi pauculas vini guttas transmitteret, ori immiſſas per dentes, inſerto violenter cultro utcumque reſeratos. Jam lintea mortualia parabantur, quando avus adoleſcentis, qui velut legitimum amabat hunc ſuũ nepotem, magna cum fiducia preces ad S. Vincentium pro eo dirigit. Nec mora, oculos aperit infirmus, fari incipit, magnaque cum violentia ex prorumpentis umbilici abſceſſu ejectat calculos ad ſexaginta, ſubſidenteque tumore momento pene temporis convaleſcit, cum ingenti ſtupore præſentium; ac deinde itinere leucarum decem, nudis pedibus ſoloque induſio tectus, ad ſepulcrum Sancti ſupplicabundus abit. Eodem ſe iturum vovens Petrus le Naveſic, peſtem excuſſit, à qua mortem timebat.

item podagricus

B

cata,

miſere tumefactus

C

& jam moriturus,

21 In parochia Elvenſi magno membrorum omnium languore & capitis diuturno dolore laboraverat vir nobilis, dictus Guillielmus: qui ad ſepulcrum veniens, cum intra utramque tumbam ſe collocaſſet, ſurrexit inde, ſanus ſi unquam. Ibidem febrim, novem menſibus torquentem, expulit Joannes Boloreæ; nec deinde reducem eam ſenſit. Domicella Joanna le Moigne, uxor Ioannis de Noyal, obtulerat homini non ſatis noto hauſtum vini, deinde per leges urbanitatis coacta ex eodem potare vitro, non quidem bibit (exhorruerat enim, cum vidiſſet hoſpitis ſui os & labia fœdi contagioſique morbi indicia præferre manifeſta) libavit tamen extremis labiis: adeoque præſens malum ſenſit, ut in terram corrueret, & letali correpta frigore per horas duas, neque loqui quidquam nec ſentire poſſet. Conſternatus cum iis qui aderant maritus, cum neſciret unde remedium ſperaret, ad Sanctum recurrit Vincentium, & ſolidos quinque vovit: illaque mox locuta eſt atque convaluit. Henrietta le Noblan, viginti quinque annos nata, mentis vocisque expers jacebat ex peſte, paratuſque expiraturæ mox ſarcophagus erat: ſanitatem tamen illa recepit, poſtquam pater ac mater puellæ voviſſent cereum ſarcophagum Sancto, plurium ejus miraculorum recordati. Extinctum pene toto triennio viſum implorata ope ejuſdem Sancti, Ioannes Corre ibidem recepit.

D

febris,

letalis ſyncope,

curantur ex peſte contracta amentes,

22 In parochia Muſſuillac, Mariæ filiæ Guilielmi Terrovin & uxori Ioannis le Duc, phreneſim attulerat peſtilentia, eoque redegerat miſeram, ut nonum diem nihil vel comederet vel loqueretur: hinc afflictus pater ad eccleſiam S. Petri Venetenſis ſe vertit, filiam S. Vincentio devovet: mox loquitur illa, & cito convaleſcit. Indidem venerat Indulgentiarum cauſa Oliverius d'Anonal, viſisque quæ Veneti fiebant miraculis, eorum relationem fecit uxori. Ambo igitur voverunt Sancto, quod ipſi ſiſterent filium ſuum, adeo infirmum, ut integro fere anno formare vocem non potuerit: hoc autem ſtatim ac fecere, locutus eſt, & ante triduum plene convaluit. Gemino peſtilenti carbone ictus Joannes Guezel ad mortem tendebat, una cum filio ſimilem carbonem ferente: cum eodemque ſervatus in vivis eſt per uxorem, pollicitam denarios ſeptem ad ſepulcrum offerendos. Totidem locis peſtem receperat Petrina, Yvonis le Dagant filia, & poſtquam ſine voce, viſu, cibo, paſtu quinque dies jacuiſſet, paratus ad ſepulturam ſarcophagus erat: ſed hunc cum decem denariis Sancto vovere maluit moribundæ pater, eademque nocte queri illa, loqui poſtridie, mox autem integre convaleſcere cœpit.

E

puer inſtemus,

poſtiſeri moribundæ.

23 Ex parochia Ploevignier venit Guillielmus le Mareſchal, à moleſta tredecim menſium febri curandus: votumque obtinuit, noctem unam ſupra Sancti ſepulcrum dormiens. In eadem parochia, amiſſis peſtilentia liberis ſex, poſtremam quoque Catharinam morti proximam videns pater, Ioannes Micolahic, eiq; ſarcophagum apparari; cum precibus accurrit ad Vincentium, & prompta filiæ convaleſcentia recreatus inter tot funera eſt. Ex tribus ibidem fratribus, eadem afflatis lue, ſolus ſuperfuit Ioannes Richard, quia ſe Sancto commendavit. Tertium filium, poſt mortem duorum, ſimili extingui peſte dolens Ioannes le Gloavec, cum uxore ſua vovit candelam & imaginem ex cera, quotannis offerendas ad ſepulcrum: ipſaque hora ſanus puer loqui cœpit. Promiſſis ad idem ſepulcrum ſolidis decem, copioſum ſanguinem per nares jecit Petrus Yvelin; & convaluit à peſte, qua certo extinguendus putabatur. Siniſtri oculi viſum, quem illapſa caſtaneæ teſta ſuſtulerat, invocatus S. Vincentius reddiderat; negligentibus votum implere parentibus, rurſus eumdem amiſit Maria, filia Oliverii Avanture: culpam igitur agnovere & reſarcivere illi, Venetumque venere; ubi cum tantum à S. Petri eccleſia iidem abeſſent, quantum bino jactu metiri lapis poſſet, denuo viſum recuperavit puella. Similem negligentiam complendi voti, pro filio moribundo facti, Yvo Cudel ſimili modo mulctatus doluit, & nudis pedibus ac linteatus veniens

F

ingrati pro ſanitate eamdem amittunt.

votum ſolventes recuperant.

depelluntur feſtis,

languor,

A vediēs ad tumulum, iterato mortem à puero depulit.
Oliverius quoq; Meithezour pro recepto, quem pene extinctum duobus menſibus doluerat, viſu, reus duorū oculorum ex cera ad ſepulcrum ferendorum, cum voti oblitus eſſet, ſeptem hebdomadis infirmus decubuit; & culpam confitens ſanitatem recepit, ubi promiſit ſe publicaturum miraculum. Denique Ioannes Sancti, in jam dicta parochia menſem totum affixus lecto, ſeque mori exiſtimans, quia non modo non ambulare, ſed nec edere aut bibere jam amplius poterat; annuam quinque denariorum penſionem cum imagine cerea vovit Sancto, & mox vocem ſibi dicentem audit: Surge ſanatus es. Veritatem facti probavit ipſe, poſtridie ad ſepulcrum ſe ſiſtens.

ſanatur moribundus,

variі à peſte

24 In parochia Martyrum peſtis afflaverat Yvonis Stephani geminam prolem: quam cum totidem candelis voverunt parentes ducendam ad ſepulcrum Sancti, & ſanitate ſecuta votum ſolverunt. Proximam quoque ex eodem morbo mortem expectabat Joanna, vidua Yvonis Brechgnan, per octo dies videndi, loquendi, edendi, bibendi facultatibus deſtituta: ſed mox, ut mater ſua viginti denarios, quoad viveret Sancto offerendos, vovit, loqui cœpit ac brevi convaluit. Totidem diebus alienus à mente propter peſtilentiam, agnoſcebat neminem Guillotus du Cheſne: nihilominus vitam ſervavit, voto à conſanguineis nuncupato de Miſſa ad ſepulcrum S. Vincentii curanda. Voto quoque denariorum decem Guillielmus de Launay emit filio, ab ortu muto, loquendi facultatem: eidemque Sancto vovens ſeſe Ægidius Thomaſon, liber à morbo caduco fuit.

B

aliiq; morbis voto facto eripiuntur.

25 Peſte infectiſſima erat parochia dicta Limerzel, qui autem intacti adhuc ſupererant cum Rectore proceſſionem inſtituerunt ad ſepulcrum Sancti, ſex leucis diſtans; & promptam mali ceſſationem adepti, plures pagos exemplo ſuo ad ſimile beneficium ſperandum obtinendumque exciverunt. Ibidem quidam Petrus Cantor fuit, cui ex gravi morbo facies retrorſa permanſerat annis ſeptem: hic eodem venturum ſe quotannis vovens cum certis quibusdam eleemoſynis, venit ut voverat, ſanatusque per annos aliquot votum tenuit: quod ubi neglexit, verſa eſt denuo in dorſum facies; & ille ſanatus denuo, ne ſæpius hoc pateretur accurate quotannis votum ſuum exolvit.

verſa facies reſtituitur.

CAPVT III.

Alia miracula diœceſanis Venetenſibus conceſſa.

C

Invocato S. Vincentio variі à peſte ſanantur

26 IN parochia Sulniae peſte infectus Guilielmus le Marchadour, cum ingenti admiratione jacuit per menſes duos, vocis, viſus, potus atq; cibi expers: tandem vovit Sancto filium parens, & hic ſanatum ſe ſubito videns, addidit votum denariorum quinque, pro ſingulis quos deinceps viveret annis. Eodem morbo graviter affectam duabus in partibus, & loquela deſtitutam filiam, Petrus Bobes ſervavit in vivis, idem invocans patrocinium. Peſtem quoque à ſe depulerunt Joannes & Henricus le Boneil fratres, cum voviſſent venturos ſe ad ſepulcrum linteatos, & ceream imaginem allaturos. Quatuor fere menſibus neque ſomnum ceperat neque urinam reddiderat Ioannes Madec, quare apud omnes erat conclamatum de vita: ſervavit hanc tamen, ſanatus intra quinque dies, poſt votum factum de quinque ſolidis cereoque ad ſepulcrum. Ex dorſi atque renum dolore ingenti tam infirmus erat Guilielmus Rolandy, ut ægre ſe commovere poſſet: cui cum aliquis negaſſet, unquam ſurrecturum à morbo, vovit adire tumbam S. Vincentii, ibique denarios duos offerre: & eodem momento ſanitatem recuperavit.

alii à diſuria,

27 Ex Menguyo in parochiam Grandis-campi veniens Nognoalus de Capite-nemoris, vidit domum Ioannis Herué ſic ardentem, ut humano auxilio non ſupereſſet locus: ad hoc ſpectaculum vir ille nobilis, intimo commiſerationis affectu tactus, pauperculi ædes commendavit Sancto, quem fuerat tota dum viveret ſecutus Britannia. Invocantis ſe preces exaudiit Sanctus, & domus illa, quamvis paleis tecta, parum admodum apparuit læſa; imo qui intra eam cunaſque ſuas relictus erat infans, damnum nullum ſenſit. Uxori ejuſdem nobilis ſic intumuerat venter, undecim menſium ſpatio, non ſine doloribus magnis, ut gemino fœtu gravida crederetur, donec conſulti Ducis medici judicaverunt malum ignotum & incurabile eſſe. Videns ergo maritus eam deficere, hortatus eſt ut in S. Vincentium fiduciam haberet: quæ cum eo votum faciens, nocte ſequenti vehementiori vomitu ſeceſſuque ita exoneravit ſeſe, ut intra triduum prorſus ſana, nudis pedibus ex ſuis ædibus de Menguyo ad ſepulcrū S. Vincentii venerit. Nudis quoq; pedibus & linteati ex parochia prænominata Grandis-campi venerunt undecim, quibus ſalutare contra peſtem fuerat votum Sancto feciſſe. Ioannæ quoque Pinchon profuit votum, ab alio pro ſe factum, & eo in articulo, quo ſarcophagus parabatur.

EX GALL. GUIARDI.

& nephritide:

incendium exſtinguitur

tumor ventris ſanatur,

& in multis peſtis,

E

28 In parochia Queſtelbertz peſte ſublatis ceteris liberis, unicus, iſque jam moribundus, Guilielmo Zufi erat ſuper: qui mortem à filio feliciter arcuit, facto ad S. Vincentium voto. Indidem veniens Martinus Guenregou Licentiatus Juris, ut à quartana febri liberaretur, ſupra Sancti ſepulcrum recubuit, ibique poſtremum febris acceſſum ſenſit. Ad eamdem tumbam allaturum ſe imaginem ceream pro filia moribunda vovit pater, parochiæ jam dictæ inquilinus; illaque mox loqui cœpit, & cibo ſumpto ſanata fuit. Petrus quidam de Riparia minabat equum, fruges ad molam laturum: qui calce feriens alterum ejus tempus, ita gravi illud percuſſit ictu, ut cranii rupturam multus ſanguis & ſubita mors ſecuta ſit. Accurrit mater, accurrit ad clamorem ejus vicinia tota, & orbam, qua poſſunt, ſolantur ratione. Illa nihilominus juſſit in lectum ſuum deferri cadaver, ibique proſtrata in genua, cœpit pro reſtituenda filio vita Sanctum invocare Vincentium: addidit & votum, quo nuncupato, convertens ſe filius quærit à matre, quis ſe iſtic depoſuiſſet. Exponit illa quid acciderit: vicinos convocat gratulabunda: mirantur illi vivum videre, quem crediderant mortuum; neque minus quando intra paucos dies viderunt ſanum conſolidato vulnere, cujus curatio, ut mortuus non fuiſſet, longum omnino tempus requiſiviſſet.

item quartana.

moribunda ſervatur,

diffracto cranio mortuus reſuſcitatur.

F

29 In parochia Ambon agebat animam filia Joannis Quelas, quem abſentem accerſivit uxor ſua, proviſurum de ſepultura defunctæ. Accurrit ille propere, ipſaque in via S. Vincentium invocat, & domum veniens filiam reperit proſſus ſanatam, eo ipſo momento, quantum ex intervallo loci licuit cognoſcere, quo votum pater nuncupaverat. Eidem poſt mortem Ducis in ejus conſilio lis gravis verſabatur contra Joannem Venetenſem: qui cū formidatus eſſet cunctis, quærenti pro cauſa æqua patronum nemo inventus eſt qui vellet eam litem ſuſcipere. Igitur ad ſepulcrum accedens rogavit Sanctum, ut alicui inſpiraret mentem ad hoc, animumque pro rei æquitate imperterritum: & egreſſus è templo obvium habuit Henricum Combalam, cauſidicum & procuratorem Namnetenſem, ultro quod cupiebat offerentem. Greſſabatur in jam dicta parochia peſtis & plerosque auferebat incolarum: ergo liberis ſuis, quos ſeptem habebat, metuens Ioannes Simon omnes quidem commendavit Sancto, pro duobus autem, quos amabat teneriùs

ſervatur alia moribunda.

patronus in judicio invenitur,

variі liberantur à peſte,

EX GALL. GUIARD.

tenerius, votum fecit trium ſolidorum & denariorum quatuor, ſi ſaltem hi ſervarentur in vivis. Exauditum pro his eventus docuit: nam cum omnes afflaſſet malum, duos hoſce ſolos non ſuſtulit. Oliverio quoque Colenou verſantem extremis in labris ſpiritum mater ſua retinuit, vovens nudis pedibus & corpore linteato accedere ad ſepulcrum Sancti, ibiq: Miſſam dicendam curare.

dolore diuturno,

morbo caduco,

30 In parochia Sene, Yvo Davo, Preſbyter, convaluit à dolore, qui anno uno & medio difficilem admodum ei fecerat inceſſum, precibus ad ſanctum fuſis: ſimiliq; modo Catharinam uxorem ſuam à morbo caduco liberavit Joannes le Franc. In parochia de Sentene jam jam expiratura jacebat ex peſte Ludovica, filia nobilis viri Yvonis de Loquemeren: quam voto facto quia meruit ſanam recipere mater, gratias actura Venetum acceſſit, atque à porta eccleſiæ ad ſepulcrum Sancti genibus reptare voluit. Ibidem brachium ex morbo ſibi credidit periturum Petronilla, vidua Ioannis Ahayo, niſi invocatus Sanctus præſidium tuliſſet. Filia quoque Alani Alanon, Ioanna nomine, mente capta & furioſa, eodem die mente & corpore ſana ceream imaginem ad ſepulcrum tulit, quo votum pro ſe mater fecerat. In parochia Marzen duobus cæcis reparatus per Sanctum viſus eſt, qui eo nomine gratias acturi venerunt. Ioannes Damon ſcilicet, & Guilielmi Cazre uxor Petrina. Guilielmus autem interceſſione eadem vitam conſervavit duobus filiis, quos duabus in partibus peſtis attigerat, cum viginti denarios voviſſet ad ſepulcrum ferendos.

peſtilentia,

ſtupore brachii,

rabie,

cæcitate,

B

31 In parochia Ploeneres habitabat nobilis Domina Oliva de Coetſal, vidua quondam Silveſtri de Lorneloux; cui filius poſt morbum dierum ſeptem mortuus eſt. Ipſa igitur, quoniam S. Vincentium viventem cognoverat, & erga demortuum magno tenebatur affectu; mandavit uni famulorum, ut cadaver parvuli linteo involutum aſſumeret in equo, Venetumque ad domum ſuam de Querlonevan deportaret, ſepulcro Sancti ſuperponendum. Eunti ſe quoque comitem junxit; utque erat deſiderii impotens maternus affectus, mandabat identidem famulo, inſpiceret filium, ſi nondum revixiſſet; ſed fruſtra ſemper. Ergo pervenitur ad ſepulcrum, eique imponitur exemptum linteo ſepulcrali corpuſculum: mater vero in genua ſe dat, Deumque rogat, ut ſi, quemadmodum credebat, Sanctus eſſet Magiſter Vincentius, vita filio redderetur: eodemque momento reviviſcens defunctus ridere cœpit, & ceraſa quæ ſecum portaverat famulus puerili aviditate comedere. Atque hoc ſecundum fuiſſe miraculum, quod eſt in S. Petri eccleſia publicatum, teſtabatur matrona, ſeque exinde annis ſingulis iviſſe, & porro ituram ad ſepulcrum cum oblatione duodecim denariorum: eademque aſſerebat, ipſo quo filius ſuus reſuſcitabatur tempore, adveniſſe qui alium puerum adferebant, aſſerebantq; S. Vincentii ope revocatum ad vitam, poſtquam ei mater prægnans, humanæ carnis appetitu agitata, caput bifariam diffidiſſet; cujus rei teſtimonium dabat linea, inter partes miraculo unitas conſpicua.

puer defunctus ſuſcitatur,

impoſitus ſepulcro:

C

32 In Parochia Theix, gemina peſte moriebatur Ioannes filius Aufredi Pezron: quem in vivis retinens pater ſuus, reum ſeſe agnovit voti, quo pollicitus erat una cum filio accedere nudis pedibus inque induſio ad ſepulcrum Sancti. In Plaudren ſanus ſurrexit è lecto, cui biennio jacuerat affixus, quidam Guilielmus Langorez dictus, cum ſeſe Sancto obſtrinxiſſet per votum. In Lavara quidam Joannes Guinqueron, nec brachia nec crura movere poterat toto menſe, imo nec dormire nec edere quidquam; donec annuam decem denariorum penſionem Sancto

item alius cui caput fiſſum erat.

peſte aut aliter laborantes ſanantur,

vovit. In Guegon uxorem & duas ancillas, peſte ſublatas, extulerat Ioannes de Quelem; ipſe autem ut præſervari mereretur effecit, vovendo quod nudis pedibus atque induſio tectus ardentem cereum ad ſepulcrum ferret. In parochia dicta Mouſtouer Gueheno, equum amiſſum tribus diebus fruſtra requiſiverat nobilis vir, Bonabus de Colledon: reperit autem eodem die, quo duos ſolidos ſe portaturum Sancto vovit. In oppido Rochefort obierat Franciſca, filia Nicolai le Comte, qui Duci Britanniæ Conſiliarius & Auditor Cameræ rationum erat: prius autem quam ſepulturæ aptaretur, votum vovit uterque parens, de argenteo duarum marcarum calice offerendo; quodque ſi filia ſuſcitaretur, nudis pedibus & linteata ad ſepulcrum ejus iret mater: quæ voti rea illud continuo implevit, quamvis hiberna tempeſtas & grande ſex leucarum intervallum potuiſſent ſuadere dilationem.

D

equus amiſſus invenitur,

mortua ſuſcitatur una

33 In loco Monachorum dicto, peſte contactus Henricus de Remungol agebat animam vocis expers: convaluit tamen mox ut amici ſcutum aureum pro ejus incolumitate voverunt. Idem beneficium ſimili in articulo, in parochia de Ploegmelen Yvoni Marec obtigit. In parochia autem S. majoli jam expiraverat uxor Ioannis de Coveto: maritus tamen jactura mœſtus, aſcendit in collem, ex quo eccleſia S. Petri Venetenſis conſpici poterat, & S. Vincentium orat pro reſuſcitatione uxoris. Neque fruſtra: domum redux vivam & comedentem reperit; ipſaque, nuda pedes ac linteata, factum à maurito pro ſe votum implens, patratumque in ſe miraculum narrans, admirationi cunctis fuit. In parochia Guergh, arthritis inveterata annorum trium humeros brachiaque Ioannis Sigilliferi ſic impediverat, ut iis non magis uti poſſet, quam ſi nulla habuiſſet: qui poſtquam pluribus Sanctis ſe devoviſſet, experientia didicit quod ſanitatis ſibi reddendæ laus fuerit S. Vincentio reſervata. Ejusdem auxilio Guilielmus Anglus, in parochia de Languidic, liberatus eſt à peſte, ex qua non credebat ſe poſſe convaleſcere. Eodem in metu ibidem verſabatur Ioannes Guidomary, geminis in partibus ſe malum traxiſſe videns: vixit tamen, quia nudis pedibus linteatumque ad Sancti tumulum iturum ſe vovit. In parochia de Badeu, oculi dextri lumen amiſerat Petrus Prederet, factoque voto recuperavit. Auditum vero recepit Thomas Bourſec, quia cereas aures tumulo appendendas promiſerat. In Noyal Pontivi, *a* Stephanus le Mayer extremum ducebat ſpiritum: poſtera tamen die Veneti ſeſtitit ad ſepulcrum Sancti, cum ſtupore omnium ſervatus in vivis, voto, quod pater ſuus nuncupaverat, Sancto.

alteraque,

E

ſanantur arthriticus,

peſte infecti,

cocles,

ſurdus,

moribundus a

F

34 In Ploemur femina quædam amens reſtituta ſibi eſt, facto pro ea ab amicis voto. Petrus Cardier; parochiæ ſanctæ Crucis incola, fracta ad Meandum navi mergebatur in mari, natandi ignarus: itaque Deiparæ Virgini Sanctoque Vincentio commendavit ſe, eodemque momento ſurſum aſcendens, inviſibili quadam manu ſuſtentari ſe ſenſit, deindeque aſſeri uni impoſitus (modum ignorabat ipſe) pervenit ad littus, unde plus quam leucarum quatuor ſpatio aberat, decem ipſas horas ſuper undas fluctuans. Curatæ ſunt à grandi dolore capitis filiæ Yvonis du Beiſit, Domini parochiæ Peaule dictæ, per impoſitionem manuum S. Vincentii, in Abbatia de Precibus B. Mariæ nuncupata; quod quæ teſtata eſt Petronella de Barzualen, dictæ parochiæ inquilina, addidit ſe quoque multos favores ejusdem Sancti interventu obtinuiſſe: ad quē etiam facto per patr em voto, ibidē ſanitatem recepit filius Ioannis Davion, qui viſus vocis & cibi expers per octiduum jacuerat. Uxor Simonis Tutgual, in parochia de Quileron, gradiendi facultate ab anno deſtituta, ſanitatem per mariti votum

inſana,

juvantur ſubmerſione proximus,

capite dolentes,

moribundus b

debilis,

votum recepit. In parochia S. Evæ, voto facto revixit puer qui mane in cunis erat repertus mortuus, & filius cujusdam à Kermrib cognominati, vilui redditus est eodem tempore, quo pater suus ad Sancti monumentum orabat.

alius moribundus,

35 Oliverius de Quinsec, Hennebonti Seneschallus & Ducis Consiliarius, cum in parochia Sarzau ad Joannem Surzur divertisset, vidit hospitis filium animam agere, pro eoque sanctum invocavit Vincentiū: mox autem loqui cœpit æger & postridie apparuit totus sanus. In parochia Plumergat gulam Ioannis Cadoudal occupabat pestis, qua ne extingueretur votum fecit S. Vincentio, ejusque se reum postridie agnovit: uti etiam pro filia sanæ menti reddita, à qua prorsus exciderat. In parochia de Questembert, adeo per annos duos infirmus jacuerat Ioannes Plonger, ut ægre comedere aut dormire posset: hortatur uxor ut S. Vincentio quinque solidos voveat: respondit ille, nescire se an Sanctus esset, quia jam vovisset denarios quinque, & tamen nihil sensisset solatii. Iterum inquit, uxor ei te commenda, & quos dico quinque solidos, vove. Fecit & eodem instanti convaluit. In parochia Gueheno, filia Guilielmi le Guilchet, Ludovica nomine, quem post parentis votum recuperaverat oculi dexteri usum, votoque dilato rursum amisserat, eodem impleto recepit denuo Ioannes. Quere, in parochia Quistinic, septimum annum immani ventris torquebatur dolore, qui tandem in inguine adeo enormem aperuit plagam, ut per eam foras procederent intestina, nisi applicito laneo panno continerentur. Suadebant amici ut S. Vincentii experiretur auxilium, ille autem majorem in medicis collocabat fiduciam. Tandem tamen, nihil eos proficere videns, devovit se Sancto, intraque decimum diem sanata est plaga alias incurabilis.

peste tactus,

amens

graviter infirmus,

cocles,

B

læsus in inguine

36 In parochia Guorn, quinque hebdomadis jacuit affixa lecto uxor Petri Guiliermi, cibi & somni expers, itaque receptis Ecclesiæ Sacramentis se parabat ad mortem. Sed maritus ut non moreretur effecit, vovens annuos quinq; denarios dum viveret, si uxor convaluisset, uti mox factum. Arthritim in humeris bachiisque tertio anno ferebat Joannes le Soellour, parochiæ Guern inquilinus: à qua voto facto sanatus est. In parochia Treffleau votum faciens Petrus Loard, de quinq; solidis ad canonizationem juvandā, totidemq; denariis annue offerendis, si evaderet periculum, in quo se videbat, conjuge, sorore & quinq; liberis peste extinctis; luem quidem contraxit ipse, sed mox convaluit. Idem omnino pro filio vovens Petrus Legat, animam egredientem retinuit in corpore: erat autem inquilinus parochiæ Ploescob, ad quam etiam spectabat nobilis ille Silvester Lorneloux; cujus filium supra suscitatum diximus. In oppido *c* Maleſtricto (, cujus Domina una cum Ducissa semper adfuerat S. Vincentio extremum ægrotanti) mortuo Sancto agebat animam filia Bertelotti Percherel, pridem surda: pro cujus vita cum vovissent parentes, quod pariter omnes pedibus nudis tumulum sancti visitarent, auditum illa, & intra paucos dies sanitatem recepit. In parochia Missiriac à morte rediit Guilielmus Guichoux, ex parentum voto suscitatus. Votū pro filia, à morbo caduco liberata, solvere negligens Alanus le Clenicho relabentem vidit: maturavit igitur exolvere sese, neque deinceps relapsa est unquam, erat hic incola parochiæ S. Congari. In parochia autem S. Croverii claudus quidam Joannes Avise, experiri volens eorum fidem, qui à S. Vincentio rectum sibi promittebant incessum, comperit minime vanam fuisse.

arthriticus,

peste afflati tres,

C

moribunda, Puella & puer

morbo caduco laborans,

& claudus.

ANNOTATA.

a *Ad distinctionem alterius* Noyal, *intra primum ab urbe*

Venetensi lapidem siti. Est autem Pontivi diœcesis Venetensis oppidum: ne Pontivium in Picardia Comitatum hic intelligat aliquis. AUCTORE GUIARDO

b Abbatia de precibus B. Mariæ *Monachis Cisterciensibus fundata circa an. 1250. ad oram oceani, ubi in eumdem Villania incurrit, ut isti preces pro naufragantibus fierent: estque in diœcesi Venetensi, de qua vide multis Argentræum.*

c *vulgo* Maleſtroit *super Dunstam fluvium.*

CAPVT IV.

Quædam miracula, aliorum Episcopatuum Britannicorum diœcesanis facta.

37 IN reliquis Britanniæ Episcopatibus facta quoque complura miracula sunt, quorum hic pauca commemorabo. Redonensis diœcesis oppidum est Rotonium, vulgo Redon: hic filium in extremis constitutum videns Dionysius Brehant, conscenso celeriter equo Venetum properavit, S. Vincentii imploraturus auxilium, & Missam ibi dicendam curavit. Necdum exierat templo, cum supervenit vir quidam, eique nuntiavit quod filium ejus vidisset miraculose sanatum. Ibidem S. Salvatoris *a* Abbatia est, in qua venerabilis Abbas Yvo decumbens, desperabatur à medicis: igitur ipse, qui sanus viventis adhuc Vincentii fuerat admirator, mortuum invocat moribundus; votetque se curaturum imaginem, quæ in ecclesia publico exponatur honori, si fuerit canonizatus: interim jubet cantari Missam, in qua ipsius commemoratio fiat. Obdormiscens autem, visus est sibi videre Sanctū, D. Benedicto dicentem hæc verba: Curemus hunc ægrum. Ad quæ experrectus, ridere cœpit, & quod audiverat videratq; narrare Religiosis. Neq; fuisse somnium eventu patuit: nam postero die sanus surrexit. Ejusdem diœcesis cæca quædam, cujus nomen testes reticuere, auditis S. Vincentii miraculis, promisit se illius visitaturam sepulcrum, receptoq; mox visu votū implevit. In Fano deniq; S. Albini, du Cormier dicti, cum esset Rolinus le Mee Dinantensis, ab annis septem morbum caducum patiens, consanguinei ejus commendarunt eum S. Vincentio, nec unquam postea est relapsus.

Redoni sanantur moribundi puer

a

& Abbas.

E

in diœcesi Redonensi cæca,

& caducus.

38 In Nannetensi Episcopatu, Ploemelensis parochiæ Rector testatur, vidisse se civem Nannetensem, cujus sibi nomen de memoria excidit, qui catarrho quodam fuerat annis quatuordecim impeditus ne posset ambulare: quin & mortem sibi ab eo metuebat nisi ad sepulcrum Sancti sanitatem obtinuisset. Ex Blaing parochia votum adeundi sepulcri implens Joanna, vidua Joannis Durand, meruit à lepræ morbo curari. Guerrandæ in parochia S. Guingualoei habitabant quidam, quorum præcipui, Mauritius Gilles, Yvo Calven, Ioannes Iaquin, Nicolaus Nihau, & Nicolaus Curtnay: qui inter piratas Anglos deprehensi, cum se vita bonisq; spoliandos crederent, omnes se prostraverunt in genua, S. Vincentii implorantes misericordiam, pollicentesq; quod Guerranda Venetum nudis irent pedibus & linteati. Mox autem vētus impetuosior piratas ad dimidiam leucam removit: qui cum identidem remis incumbendo proximos se prædæ crederent, iisdem votum replicantibus, identidem repulsi agebantur retro; donec in portum subducta navis est: nec distulerunt votum implere, & quisque pro facultate offerre aliquid. Guerrandensis item nobilis, Ioannes Iolan, moribundam neptem Catharinā de Karccabut commendans Sancto, eamdem cum stupore omnium subito sanam vidit. Veneno infecta erat Ioanna uxor Guillielmi Bourdon, natu quidem Redonensis, sed in Burgo-novo Radias cauponariam exercens; hæc visitato tumulo fuit miraculose liberata. Ad eumdem tumulum ex parochia

in Nannetensi catarrhus periculosus,

& lepros sanantur.

F

juvantur periclitantes a piratis.

moribunda,

veneno infecta,

AUCTORE GUIARDO

Roſarii venit Joannes l'Andel, mœſtus quod uxor ſua numquam filios, niſi mortuos, pareret: deinceps autem vivos enixa eſt. In parochia Fregeac nobilis quidam, Alanus Querlein, iracundia præceps, tribus vulneribus confodit alium, Joannem Joelin dictum. Fugiens autem & facti pœnitens ſe provolvit in genua, Sanctumque obſecravit, ut vitam redderet, cui ipſe abſtulerat: nec minus quam petiit factũ eſt, & Joelinus corã omnibus ſuſcitatus ſurrexit.

abortire ſolita,

occiſus ſuſcitatur.

39 Ex Sanmavlocienſis diœceſis oppido Dinantio, Joannes Jovanneau ad ſepulcrum S. Vincentii, uti voverat veniens, quanto Venetenſi urbi fiebat propior, tanto clarius videre incipiebat, qui antea omnino cæcus fuerat. Petrina Morin, ardenti cuidam faciei timori, quem diutius tolerare non poterat remedium quærens, nullum invenit, niſi in voto de adeũdo per tres ſecundas ferias loco, in quo Dinantii fuerat Sanctus concionatus. Ibidem Petronillæ cujusdam frater & maritus Petrus Piron, pro illa moribunda votum fecerunt, quod ſanatam ad ſepulcrum Sancti adducerent: ſed votum implere dum differunt, invadit eam febris, dimiſſura cum primũ ſe darent in viam. Quoniam vero Dinantienſis oppidi illata eſt mentio, non eſt omnino prætereundum, quod ibidem in ſancti viri obitu accidit miraculum. Loci hujus magiſtratus curam tractandi, quamdiu ibi concionaretur Sancti, dederat Joanni de Luquelic: hic cereos duos, quibus inter ſacrificandum uſus ille in Grandi-campo fuerat, domum ſuam religionis ergo detulit, eosdemque uxor ejus ſibi traditos armario ad lectum proximo aſſervandos incluſit. Supervenit interea Purificationis feſtum, quando cereos ſuos proferre ex armario mulier volens, ipſum quidem firmiter clauſum reperit, cereos tamen, quos neque alteri dediſſe neque prorſus loco moviſſe certa erat, fruſtra requiſivit. Obſtupuit ad inopinatam jacturam mulier, & doluit: ſed dolor hic diuturnus non fuit. Moritur etenim proximo Aprili Sanctus, ipſoq; mortis momento experrectus ſubito Ioannes, cereos antehac deſideratos ſuper ipſo armario lucere ardentes conſpicit, & uxorem ad ejuſdem novitatis, communicandam viſionem expergefacit. Quid vero ea denotaretur non prius cognovere, quam tempus & horã, qua ad æternã lucem Sanctus abiit, aliis referentibus intellexere.

In San-maclovienſi, cæcus,

facies tumefacta,

& moribunda ſanantur.

B

Cerei in ejus honorem ſervati

in hora mortis ejus aliis accenduntur.

Ibidem ſanantur peſte infecta.

40 Pluribus aliis in eadem Sanmaclovienſi diœceſi S. Vincentius Miraculis claruit. In parochia de Ploumangat Domina loci, Helena de Plorech, uxor Guilielmi de Ploumangat, peſte afflata extra ſpẽ vitæ erat facie enormiter intumeſcente & dolores augẽte; quæ detumuit, mox ut maritus & pater decumbentis pro ea votum nuncupavere, ac deinde ſanitati reſtituta eſt ipſa. Parochiæ Cannenſis inquilinus nobilis, Radulphus de Boſtrioannis, in prælio graviter læſus ab Anglis, & in profundum ac fœtidum projectus lacum, cum ibi dimidia jacuiſſet hora, commendans ſe divæ Virgini Dinantienſi à virtutibus dictæ & S. Vincentio votum faciens, in ripa laci ſtantem vidit equũ, optime inſtructum & expectantem donec emergeret ille, illum conſcendens, pernici curſu Venetum advolavit, liberatori ſuo acturus gratias. Alietta, uxor Oliveri Colet, in parochia Guillac, amiſſum viſum, orante S. Vincentium matre, recuperavit. In Ploenmelenſi oppido habitans Joannes le Roux, dolorem ſtomachi, quem magni s fruſtra factis expenſis incurabilem judicarant medici, & quem votum Sancto factum curarat, ſenſit recrudeſcere gravius graviuſq; donec viſitato ſepulcro votum implevit. Idem filiæ, ſic ægræ ut menſem unum abſq; voce decumberet ſanitatem obtinuit, S. Vincentio infirmam commendans. In oppido Joſſellino, amiſſam loquendi facultatem recepit filius Godefridi l'Amoureux, cum pater Sanctũ invocavit. Presbyter ejuſdem oppidi, Guilielmus le Bot,

in prælio læſus & mergendus,

caca,

ſtomacho dolens,

mutus,

vidiſſe ſe teſtatus eſt paralyticam feminam ad tumulũ S. Vincentii curatam. Ad eumdẽ advectus equo Joannes Bertier Ioſſelinenſis, qui mane inventus velut mortuus fuerat, in eoq; ſtatu totum unum diem permanſerat, miraculoſe ſanatus ſurrexit. In fluvium Ioſſelinenſem ad molendinum, iſtuc ubi duas minimum lanceas profundus eſt, mergi videbatur Ioannes Gueho, quindecim annos natus & natandi rudis: jamq; tertio fundum petierat, pluribus inſpectantibus nec valentibus ſuccurrere; cum quædam domicella caſtri, Margarita Bourdat, admodum pia, S. Vincentio puerum vovit: qui quarta vice aſcendens ab aqua, eductus inde, ſed mortuus eſt; brevi autem reſuſcitatus per ipſius interceſſionem Sancti, ad cujus tumulum illo die parentes Indulgentiarũ lucrandarum cauſa acceſſerãt.

D

paralytica,

ſyncopem paſſus,

ſuſcitantur puer merſus,

41 Joannes Venetenſis, capitaneus baliſtariorum Ducis, ita graviter læſerat Ioannem Guerre baliſtariũ Trecorienſem, ſtipendia importunius exigentem, ut mors fuerit conſecuta. Hujus hoſpita Catharina, uxor Ioannis Guernezne, ſuæ imputans negligentiæ quod abſq; confeſſione expiraſſet; non deſiit S. Vincentium implorare, ut vitam mortuo tantiſper redderet, donec ſua eſſet confeſſus peccata. Exauditam autẽ ſeſe mox vidit, teſtante eo qui mortuus fuerat, à viro quodã albis veſtito ad vitam ſe eſſe revocatum. Vixit porro etjam diu poſt, ſed qui blaſphemiis horrendis aſſuerat antea, ex tunc plane alius ſuis apparuit. Nobilis Querliſquinenſis, Guilielmus Kmirhinc dictus, gradi absq; furcilla non poterat: ſed ad ſepulcrum Sancti veniens ſanatusq; ipſam ibi reliquit, in monumentũ miraculi. In Conubienſi Epiſcopatu & parochia Corleyenſi, reſuſcitatus à morte ad vitam eſt Ioannes Pauli, poſt votum à ſua uxore factum. Ex Leonenſi diœceſi Venetum advenerat nauta quidam, & hoſpitabatur apud Ægidium Guiaſſon, ubi ex feneſtra, quadragenos pedes alta, in præceps datus expiravit. Accurrit hoſpita conſternata, & ſi forte adhuc viveret foco applicat rigentẽ: ſed fruſtra. Ergo provoluta in genua convertitur ad preces, & S. Vincentium invocat: qui eadem hora mortuo vocẽ vitamq; ſic reddidit, ut poſtero die actis ſancto gratiis ſanus & incolumis ad ſuos diſceſſerit.

& Trecoriẽſis ex vulnere mortuus.

E

ſanatur debilis.

Cornubienſis annus,

alius Leonẽſis à morte ſuſcitatus.

42 Habes bonam partem miraculorum ex Venetenſi proceſſu in breviorem formam quantum potui ſuccincte contractorum, ne tædium legenti prolixitas pareret, licet non abſq; periculo omittendarũ circumſtantiarum quarumdam valde notabilium: excuſabit lector in votis miraculiſq; explicandis eamdem phraſim ſæpius recurrentem, neque enim in re ſimili toties poſſibile fuit illam mutare, quoties eam placuit iterare Deo: qui multis præterea miraculis aliis Sanctum hunc ſuum glorificavit. Omittenda nobis ea omnia ſunt: ſicut & illa quæ patrata fuerunt ad plumeum lectum nobilis familiæ Pleſſiacenſis de Roſmadec, in quo nocte una infirmus decumbens S. Vincentius eumdem multis ſalutiferum effecit, ſuper ipſum devote recumbentibus: donec belli calamitas quædã è medio illum ſuſtulit, ſic tamen ut tanti boni illic aliquando poſſeſſi memoria ſemper fuerit conſervata, una cum inſigni erga Sanctum ejuſq; Fratres affectu. Cujus affectus hæres idem qui nominis ſanguiniſque aviti, domi ſuæ excepit Fratres, ultimis hiſce annis pro ſtabiliendo Veneti conventu laborantes, identidemq; hac de cauſa iens ac rediens per hiberna frigora, ad avunculum ſuum Venetenſem Epiſcopum, tot ſuis officiis colophonẽ impoſuit munifica fundatione conventus Venetenſis, ipſi S. Vincentio dedicati.

Hactenus ex proceſſu Venetenſi.

F

lectus ſanctã multis ſalutaris.

43 Quid vero de illa precandi formula dicam qua plurimum uſus eſt in curandis ægris S. Vincentius, & cujus exempla pluries cuſa & recuſa numero maximo diſtribuuntur per Fratres Rhedonenſis Convẽtus à S. Maria Boni-nuntii appellationẽ habẽtis? Ipſe ego vidi

& precandi formula vitioſiſſima.

A vidi oculis meis plurimas perſonas, tam religioſas quam ſeculares, ſuper quas eadem recitata fraugebat febres in ipſa paroxysmi vehementia. Oratio autem illa hæc eſt: Super ægros manus imponent & bene habebunt. Jeſus Mariæ filius, mundi ſalus & Dominus, qui te trahit ad fidem Catholicam, te conſervet & beatum faciat, & ab hac infirmitate liberare dignetur. Amen. Hæc oratio infinitarum curationum mediatrix ei fuit, ex quarum immenſo propemodum numero octingentæ ſeptuaginta tres legitimis comprobatæ teſtimoniis ſunt, ad Canonizationem ejus ſuadendam, de qua nunc dicere aggrediemur. *Hactenus Bernardus Guyard in ſuo de Vita & miraculis S. Vincentii tractatu Gallico, Pariſiis edito anno* MDCXXXIV. *Quæ deinde ſubjungit, ea ex ipſis fontibus proferre malumus addimus autem, quæ triennio poſt geſta, addere ipſe non potuit, recogniti & honorificentiſſimo tranſlati Corporis hiſtoriam authenticam; ne quid ad præſentem uſque diem deſideretur, quod ad Sancti hujus notitiam faciat: plura daturi ſi ipſos Proceſſus atque imprimis Hiſpanicos, Ranzano intactos, nanciſci potuiſſemus: quos adhuc mitti petimus, nec non Ranzani tractatum de Canonizatione S. Vincentii, cujus ſolum principium habemus & damus.*

ANNOTATA.

B a Abbatiam S. Salvatoris *Redonenſis nuſquam in ſuo tomo 4 Galliæ Chriſtianæ Sanmarthani collocant, quamvis illius, ſub Epiſcopo mox nominando reformatæ, ex occaſione meminerint.*

b Sebaſtianus de Roſmadec, *filius Ioannis Domini de Pleſis: hic fuit aſſumptus ex Abbatia S. Germani de Pratis Pariſiis; qui quam multa in hac ſua diœceſi inſtituerit Religioſorum ac Religioſarum domicilia, annis illis 22 quibus Sedem tenuit uſque ad 1646, ſtrictim exponunt Sanmarthani tom. 3. Huic igitur merito ſuum de S. Vincentii vita & miraculis librum inſcripſit hic Bernardus Guiardus, & ipſe viciſſim ſuum erga Dominicanos affectum teſtatus eſt, ſepulcrum apud eos eligens: nobis quoque cum gratitudine commemorandus, quia ſub ejus auſpiciis Societas Ieſu Venetenſis Collegii poſſeſſionem adivit.*

GLORIA POSTUMA S. VINCENTII
Ex variis monumentis collecta.
CAPUT I.
Acta pro Canonizatione ex Ranzano ad Magiſtrum Generalem Ordinis Prædicatorum.

C 1 Nemo eſt qui ambigat, Pater Reverendiſſime, opera tua magna ex parte factum fuiſſe, ut præclariſſima noſtri Vincentii geſta, quæ quatuor ſuperioribus libris à me ſcripta ſunt, per univerſum terrarum orbem Chriſtianis populis manifeſtarentur. Nam cùm antea eſſent fere obſcura, utpote paucis & ſolum in quibuſdam mundi angulis nota, tu tamen feciſti ut darentur in lucem, & coram maximo Romanæ Eccleſiæ Pontifice ac Cardinalium ſenatu vitæ ſanctitas examinaretur & comprobaretur, ac demum ut tantus vir uno omnium conſenſu Sanctorum catalogo conſcriberetur. Quamobrem dignum mihi viſum eſt & rationi conſentaneum, ut à me quoq; ſcribatur quomodo, quove ordine, quo tempore, & quo Pontifice, ac quorum auxilio iſtiusmodi adſcriptio, ſeu ut vulgo dicunt, canonizatio facta ſit: ut videlicet res ipſa poſteritati nota fiat, & patere poſſit quãta fuerit diligentia tua, ac quales quantosque labores ſuſcepiſti, ut tantæ rei finis imponeretur. Erit namq; exemplo cunctis, qui poſt te erunt noſtri Ordinis gubernaculum habituri; conſiderabuntq; eidem quãta fuerit multitudo animi tui, qui rem, qua nullam majorem à ſummis Pontificibus fieri conſtat, aggredi non ſolum non formidaveris, ſed & tandem debito fine compleveris. Itaque ſi qua eis prudentia erit, ſi qua magnanimitas, te in ſimili aut in majori re magna & ardua imitari conabuntur: ex quo certe noſtro Prædicatorum Ordini maxima comparabitur gloria, ac maximum decus accreſcet; quandoquidem noſtro tempore hoc factum viderimus, quod jam à centum & triginta annis majores noſtri vel facere formidaverunt vel neglexerunt. Tua igitur eſt hæc laus, tua ſumma gloria; tuum nomen pro hac re jure meretur eſſe perpetuum: tibi noſtra ætas, tibi noſter Ordo ſe debere ſemper fatebuntur, qui tanto gaudio nos affeciſti, tantumq; honoris nobis attuliſti, ac tantam gloriam comparaſti. Imprimis tamen ſunt quædam pro rei noſtræ notitia repetenda, ſine quibus non ſatis poſſent eſſe perſpicua ea quæ infra ſum ſcripturus.

In exemplii & incitamentum poſterorum hæc ſcribuntur.

AUCTORE D. P.

Pro canonizatione ſolicitant Principes,

2 Mortuus eſt autem B. Vincentius, ut alias ſcripſimus, anno Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo decimo octavo, quo tempore Martinus Pontifex Romanæ Eccleſiæ præſidebat. Fuerant eodem tempore quam plures Galliarum Hiſpaniarumque Principes ac multæ florentiſſimæ civitates & gymnaſia ſiorũ univerſitates, multi quoq; Eccleſiarum Prælati, qui ipſius B. Vincentii operibus, miraculis ac fama celeberrima concitati, ad memoratum Pontificem partim litteras dederunt, partim legatos miſerunt, poſtulantes ut tam inſignem virum, ex more Romanæ Eccleſiæ, Catalogo Sanctorum conſcriberet. Horum præcipuus fuit Joannes clariſſimus Britonum Dux, qui magna ex parte S. Vincentii opera ante & poſt mortẽ viderat, & in ejus præſẽtia ex noſtra luce migraverat. Pontifex autem Martinus, cui viri ſancti converſatio notiſſima erat, dignum eſſe judicavit, ut fieret quod illi poſtulaverunt: itaque multa conſtituit quibus ipſa res efficeretur. Dum vero ea diſponuntur quæ tanto negotio erant neceſſaria, Romanæ Eccleſiæ ſupervenerunt *a* ſiniſtra quædam, quæ ſummum Pontificem ac Cardinales ita terruerunt, ut nullis alijs negotiis, niſi ad cogitandum de ſalute ac tuenda Romanæ Eccleſiæ libertate, vacare potuiſſent. Ad hæc acceſſit quod Fratres ex Ordine Prædicatorum, illi præcipue quorum hoc negotium proſequi intererat, videntes per aliquot annos in Romana Curia nihil de ea re fuiſſe tractatum, magna ſegnitie affecti, omnia neglexerunt: ex quo factũ eſt quod Principes, quos paulo ante diximus ad Pontificem ſcripſiſſe, & ipſi deſtiterunt. Poſt quatuordecim autem annos, quibus ipſe Martinus Eccleſiæ præfuit, ei ſucceſſit *b* Eugenius quartus: qui permotus tam fama mirabilium geſtorum S. Vincentii, quã litteris & legatis Joannis Britanniæ Ducis (qui videns pacem jam redditam Eccleſiæ, iterum Pontificem ipſum pro illius rei executione pulſavit) non minus & ipſe animo concepit eam rem perficere, quam Martinus ſe perfecturum ante conceperat. Verum dũ Eugenius examinationem vitæ ac converſationis Vincentii ex more Romanæ Eccleſiæ committere decrevit, *c* ſchiſma in Eccleſia oritur, & ipſe *d* Joannes extinctus eſt: quas ob res illud quoq; factũ, quod res fuit penitus prætermiſſa. Poſt ſedecim annos quibus Eugenius fuit ſummo Sacerdotio potitus, uſq; ad ſeptimum annum Nicolai quinti, qui poſt Eugenium ſedit, nihil in Romana Curia tractatum eſt, quod ad hujusmodi negotium pertinet: *e* ſeptimo vero Pontificatus Nicolai anno, multi Eccleſiarum diverſarum Præſules ac ſeculares Principes fuerunt, quibus nota fuerat Vincentii doctrina & vitæ integritas ac miraculorum coruſcatio, quorum præcipui fuerunt Joannes Hiſpaniæ & Alphonſus Arragoniæ Reges, ac Petrus Britanniæ Dux; qui Fratrum Prædicatorum ſeu deſidiam ſeu negligentiam coarguerunt, eorumque animos concitarunt, ut Beati

& maxime Ioannes Dux Britanniæ E

a

apud Martinũ Papam

F

b

& Eugenium.

c d

e

& alii apud Nicolaum v

AUCTORE D. P.

Vincentii rem in memoria haberent, ut videlicet darẽt operam ut ejus canonizatio, quæ fuerat per tot annos omiſſa, à Maximo Pontifice Nicolao poſtularetur: promittuntque ſeſe operam daturos in ſingulis rebus, quæ tanti negotii uſui neceſſariæ eſſe viderentur.

imo & Generales Ordinis Guido Flamothetus in Capitulo generali Romano

3 His increpationibus ac promiſſis concitati ſunt Fratres & communi Patrum totius Ordinis conſultu Romæ *f* celebratum eſt generale Capitulum: ubi vir celebris nominis Fr. Guido *g* Flamothetus fuit, ipſius Ordinis ſummus Magiſter deſignatus. Cum quo omnis Patrum ſenatus, qui ad ipſum Capitulum ex more convenerat, ſummum Pontificem adierunt, petieruntque ab eo ut vir cæleſtis vitæ Vincentius, pro Chriſtianæ & Catholicæ Eccleſiæ conſuetudine, Sanctorum catalogo conſcriberetur. Quibus Reſpondit ſummus Pontifex Nicolaus, ſe libenti animo tantæ rei daturum operam: ſed quoniam res ipſa inter alias, quas Maximi Pontifices facere ſolent, maxima eſt, idcirco de ea diutius cogitandum. His vero Pontificis verbis ipſe Guido lætus vehementer effectus, cœpit una cum aliis Patribus agitare de ſingulis quæ pro rei executione agi oportet. Itaque poſt longam rei diſcuſſionem, decretum eſt, ut futurum generale
B Capitulum celebraretur Nanneti, quæ eſt urbs Britanniæ: ut videlicet in ipſa urbe facilius convenire potuiſſent virũ inclytum Petrum, qui hujuſcemodi rem ab ineunte ætate vehementer affectaverat: cum quo de ſingulis, quæ erant negotio illi neceſſaria, diſponerent. Sed poſt octo menſes Guido ipſe Neapoli extinctus eſt, nec propterea depoſitum fuit quominus Nanneti generale Capitulum celebraretur. Congregata in ipſa urbe *h* ſynodo Fratrum, divina providentia factum eſt, ut una omnium Patrum voce, uno conſilio, uno quoque conſenſu vir illuſtris Frater Martialis Auribelli, Avenionenſis, non ſolum Theologus omnium ſui temporis eruditiſſimus, ſed etiam tantum erat acre ingenium, ſumma magnitudo animi cum ſumma prudentia, ut Ordinis Prædicatorum ſummus Magiſter crearetur. Is igitur, ut erat prudens & magnanimus, quam primum ſe ad ipſam dignitatem elatum vidit, inter alia quæ in hujuſmodi Capitulis generalibus tractari ſolent, primum quod tractari voluit fuit, ut inveſtigaretur, quid ab aliis pro memorata canonizatione factum fuerat, & quid ulterius reſtaret faciendum. Cognovit itaque à Fratre Conrardo Aſtenſi, Theologo doctiſſimo (qui per illud tempus erat in Romana Curia Ordinis Prædicatorum Procurator) quæ erant illa quæ fuetant
C ante tractata, quæ tamen non erant tali negotio multum profutura, niſi executioni mandarentur. Ipſe tamen nihil in re tam ardua diffidens, memoratum Ducem convenit, ad quem & ad univerſam nobilitatem Britannorum habuit luculentam orationem: cujus fuit tantæ eloquentiæ nitor, tantaque ſententiarum gravitas ac tanta vehementia, ut omnes faciliime flexi ſint, adeo ut Dux & ceteri conclamaſſent, omiſſis
i omnibus aliis privatis publiciſque negotiis, nihil aliud niſi de B. Vincentii canonizatione eſſe cogitandum. *i*

& Martialis Auribelli in Capitulo Nannetenſi.

ANNOTATA.

a *Intelliguntur ea tempora, quando Alphonſus Rex Aragoniæ accepit regnum Neapolitanum & Siciliæ, contra quem in Ludovicum Andegavenſem curã regni tranſtulerat Martinus Papa.*

b *Martino mortuo* 20. *Februarii anno* 1431, *ſucceſſit Eugenius* 4 *electus* 3 *Martii.*

Anc Amedeo Duce Sabaudiæ in Concilio Baſilienſi creato tipapa.

d *Is anno Chriſti* 1443 *Auguſti* 28 *extinctus eſt, cui Franciſcus filius tum ſucceßit, huic Petrus frater* 1450.

e *Labebatur tunc annus Chriſti* 1453.

f *Anno* 1452. g *S. Antonino* Flammuchetus.

h *Anno* 1453. D

i *Reliqua deſunt, ſupplenda ex Bulla Canonizationis.*

CAPUT II.

Ordo Canonizationis ex Bulla data à Pio Papa II.

à Nicolao V.

4 NIcolaus prædeceſſor plene de fama fidei & excellentiæ vitæ atque miraculorum ipſius informatus, volens ad ulteriora procedere juxta Sanctæ Romanæ Eccleſiæ morem, Venerabilibus Fratribus noſtris, tunc ſuis, Georgio Epiſcopo Oſtienſi, & *tres Cardinales* Caliſto Prædeceſſori noſtro tunc in minoribus conſtituto, ac Ioanni Sancti Angeli Diacono Cardinali commiſit, quod de veritate fidei, & excellentia vitæ, *Commiſſarii conſtituti* & miraculorum gratia, per ſe aut eorum aliquem in Curia, extra vero per Iudices ab eis deputandos, diligenter informarent. Qui mandatis præfati Nicolai prædeceſſoris obtemperantes, & in Curia nonnullis *curavit proceſſus fieri Neapoli,* teſtibus examinatis, extra vero Romanam Curiam juxta poteſtatem eis datam, in civitate Neapolitana venerabiles Fratres noſtros, Patriarcham Alexandrinum Archiepiſcopum Neapolitanum, & Episcopum Majoricenſem ibidem commorantes; in partibus *Avenione,* E Delphinatus, Vaſionenſem & Utricenſem Epiſcopos, ac dilectos filios Officialem Avenionenſem & Decanum Eccleſiæ S. Petri Avenionenſem; in regno Franciæ, Archiepiſcopum Toloſanum, Epiſcopum Mira- *Toloſa,* picenſem, ac eorum Officiales; in Britannia vero, Dolenſem & Maclovienſem Epiſcopos, necnon S. *& Venetii;* Iacuti & de Buzay Dolenſis & Nannetenſis Diœceſis Abbates, ac Nannetenſem & Venetenſem Officiales ſubdelegarunt: qui juxta tenorem poteſtatis eis per Commiſſarios traditæ teſtes examinarunt, & dicta ipſorum in ſcriptis redacta, clauſa cum ſubſcriptione Notariorum & ſigillis eorum ad Curiam tranſmiſerunt, & tandem per eoſdem Cardinales Commiſſarios inſpectis, recognitis ac miſſis diligenter proceſſibus, inventum eſt quod in civitate Neapolitana, viginti octo; in Avenionenſi & circumvicinis partibus, decem & octo; in regno Franciæ, videlicet Toloſæ, quadraginta octo; in Britannia vero trecenti & decem teſtes examinati: inter quos nonnulli Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, mul- *in quibus audiiti teſtes* ti Epiſcopi & Eccleſiarum Prælati, Rex Aragonum 400. præfatus, plurimique alii ex ſtatu ſeculari viri nobiles, pluresque alii legum, artium ac ſacræ Theologiæ Baccalaurii, Licentiati, Doctores ac Magiſtri extiterunt.

F
Caliſtus Papa III.

5 At poſtquam dictus Nicolaus prædeceſſor rebus fuerat humanis exemptus, piæ memoriæ Caliſtus Papa III Prædeceſſor noſter, dudum ante in minoribus conſtitutus, & unus ex Commiſſariis antedictis, ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumptus, dilectum filium noſtrum *a* Alanum, titulo S. Praxedit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyterum Cardinalem, loco ſui in hujuſmodi negotio deputavit delegatum; & facta eidem Caliſto Prædeceſſori per præ- *ob teſtimonia legitimè probata.* fatos Commiſſarios relatione fideli, in duobus ſecretis conſiſtoriis, de dictis teſtium examinatorum; reperit omnia, quæ de fide, de excellentia vitæ, de laboribus, moribus caſtis, de actibus ſtrenuis, de humilitate & ſimplicitate, ac miraculis ipſius Vincentii dicta fuere, legitime probata: ideoque de con- *cum Cardinalibus decernit procedendum ad canonizationem;* ſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum, tunc ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ad ulteriora in canonizatione ejuſdem Vincentii procedendum eſſe decrevit: & deinde ex more dicta ipſorum teſtium fecit in duobus Conſiſtoriis generalibus publice recitari, ac poſtea vocatis eisdem Cardinalibus & Prælatis qui in Curia aderant

A rant, omnes nemine diſcrepante cenſuerunt, ad canonizationem dicti Vincentii eſſe merito procedendum. Idem quoque Caliſtus Prædeceſſor dicta die, videlicet tertia Junii, Pontificatus ſui anno primo, in ipſorum Cardinalium & Prælatorum præſentia, de ipſorum omnium conſenſu unanimi, pronuntiavit atque decrevit Vincentium præfatum eſſe canonizandum: quod publice & ſolenniter faciendum in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli proxime ſequenti, videlicet tertio Kalendas Julij, Pontificatus ejuſdem anno prædicto, ſtatuit & etiam ordinavit.

& 29 Iunii Sanctis adſcribit:

6 Poſtmodum vero dictus Caliſtus Prædeceſſor, die ſolennitatis Apoſtolorum hujuſmodi, ut præfertur, adveniente, tam ex vitæ excellentia quam miraculorum coruſcatione, nec non vera notitia, quam de ipſo Vincentio tunc vivente habuerat, eum virum comperit aſſecutum fuiſſe gratiam, quam Deus omnipotens ſanctis & electis ſuis conceſſit; & ſimilia ſigna ex eo conſecuta fuiſſe, quæ ad cognoſcendum fideles ac Dei miniſtros Veritas in ipſo Euangelio demonſtravit pro ſuæ informatione Eccleſiæ ne poſſit errare, ſic inquiens: Signa autem eos, qui crediderint hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſuper ægros manus imponent & bene habebunt. Ea propter eum auctoritate Apoſtolica canonizavit, & litterarum ſuarum, ſi deſuper confectæ fuiſſent, tenore, in Sanctorum catalogo adſcribendum eſſe decrevit: univerſos & ſingulos Patriarchas, Archiepiſcopos, ceteroſque Eccleſiarum Prælatos monuit, & attente hortatus eſt, eis nihilominus injungendo, quod *b* octavo Idus Aprilis feſtum ejuſdem Sancti Vincentii, ſicut de uno Confeſſore non Pontifice, annis ſingulis devote ac ſolēniter celebrarent, ac facerent à ſuis ſubditis devotione congrua celebrari & etiam venerari: ut pia ejus interceſſione à noxiis protegi, & gaudia ſempiterna valeant adipiſci. Miracula vero, quæ Deus per eumdem Sanctum fecerat, propter eorum multitudinem, ne modum litterarum, ſi ut præfertur confectæ fuiſſent, egrederentur, duxit ſilentio prætereunda: mandans proceſſus omnes ſuper illis habitos, in eccleſia domus S. Mariæ ſuper Mineruam de Urbe dicti Ordinis ad perpetuā rei memoriam cuſtodiri, *c* & illorum copiam volentibus exhiberi, ac etiam in officio ipſius ſancti viri, quoad fieri poſſet, latius declarari. Ceterum Caliſtus Prædeceſſor præfatus, ut ad tanti Confeſſoris ſepulcrum C & eccleſias, in quibus de eo feſtivitas celebratur, eo devotius & affluentius fidelium conflueret multitudo, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui reverenter ac devote ad prædictum ſepulcrum & eccleſias in eodem feſto annuatim accederent, ipſius ſuffragia petituri, de omnipotentis Dei miſericordia & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſus, ſeptem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxavit.

b jubet feſtum celebrari:

c concedit indulgentias:

7 Ne autem pro eo quod ſuper canonizatione & aliis præmiſſis, ejuſdem Prædeceſſoris litteræ, ejus ſuperveniente obitu, minime confectæ fuerunt, in poſterum valeat de hujuſmodi canonizatione & aliis præmiſſis quomodolibet hæſitari; licet ea in baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, Cardinalibus, Prælatis & multitudine populi circumſtantibus, fuerit publicata; volumus & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod canonizatio & alia præmiſſa dicta die, videlicet tertio Kalendas Julii, plenarium ſortiantur effectum, acſi ſub ipſius diei data ejuſdem Prædeceſſoris litteræ confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur: quodque præſentes litteræ ad probandum plene Canonizationem ipſam & omnia alia prædicta ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtri decreti & voluntatis infringere &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVIII, Kalendis Octobris, Pontificatus noſtri anno primo.

Pius II Bullam canonizationis edit.

AUCTORE D. P.

ANNOTATA.

a Alanus *ex familia Coëtiva in Britannia Armoricâ prognatus, ex Epiſcopo Volenſi & Coriſopitenſi Archiepiſcopus Avenionenſis, dein Legatus in Gallias miſſus eſt, & datus Ordini Prædicatorum Protector.*

b *At pridie ſeu Nonis Aprilis colitur.*

c *Quomodo ergo ibi non amplius inveniuntur? An forte in ultima urbis direptione per Cæſarianos milites non tantum expilati ſunt theſauri ſacri, ſed etiam monaſteriorum diſſipata Archiva? Si Romæ autographæ periere, quin reparatur jactura, denuo tranſcriptis exemplis Veneti, Avenione, Toloſæ, Neapoli adhuc inveniendis?*

CAPUT III.

Elevatio, Reliquiæ, occultatio corporis S. Vincentii.

E

8 ANno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto, die quinto menſis Aprilis ſacratiſſimum corpus S. Vincentii Confeſſoris, quod in Venetenſi civitate Britanniæ in cathedrali eccleſia humili jacebat ſolo, præſentibus Domino Alano Protectore Domino Duce Britanniæ cum Duciſſa ejus conſorte, Domino Epiſcopo Venetenſi, Magiſtro Ordinis ac nonnullis dictæ Eccleſiæ Canonicis atque pluribus Fratribus Ordinis, concomitantibus pluribus miraculis, exhumatum eſt, & alio in loco honorabili depoſitum, cum tribus ſeris & totidem clavibus: quarum unam pro ſe retinuit præfatus Dominus Legatus, aliam præfato D. Duci tradidit cuſtodiendam, tertiam vero præfato Domino Epiſcopo. Celebrata quoque fuit in honore præfati Sancti ſolenniſſima proceſſio, cui interfuit pene innumerabilis populi multitudo, ut exiſtimatum eſt, uſque ad numerum centum quinquaginta millium perſonarum extraneorum, & uſque ad centenariū numerum Fratrum Ordinis. Dum autem hæc tranſlatio prædicti corporis fieret, Magiſter Ordinis coram teſtibus & Notario, ſolenni cum proteſtatione, à præfato Domino Epiſcopo & dictæ eccleſiæ Canonicis F dictum corpus inſtantiſſime petiit ſibi & Ordini dari, cum de jure ad Ordinem pertineat: quod quidem obtinere non potuit: intendebat tamen apud ſummum Pontificem in Romana curia pro pretioſi theſauri recuperatione operam dare, prout à Provincialibus & Definitoribus unanimiter & inſtanter in præfato Capitulo generali extitit requiſitus.

Corpus elevatur anno 1456.

9 *Hactenus Codex MS. Ambroſii Taegii in Conventu S. Mariæ Gratiarum Mediolani. At ſcriptores Britanniæ quamplurimos Epiſcopos adfuiſſe tradunt. Albertus le Grand in Vita S. Vincentii, citato codice MS. aſſerit adfuiſſe ſolum Archiepiſcopum Rotomagenſem, cum novem Epiſcopis Britanniæ & ſex aliis ex vicinis diœceſibus, quorum omnium nomina profert, additque Turonenſem Archiepiſcopum morbo impeditum non adfuiſſe. Erant Venetenſis Epiſcopus Ivo de Pontſal, ex Ordine Prædicatorum & Conventu Coriſopitenſi aſſumptus, & Ordinis Magiſter Generalis ſæpius memoratus Martialis Auribelli, cujus pro obtinendo ſacro corpore petitioni ut favebat, quod de extrema Sancti voluntate num. 7 lib. 4 ſcribit Ranzanus: ita adverſabatur, quod dicit Bernardus Guyard partis 2 cap. 8, hauſtum ex proceſſu Venetenſi, reſpondiſſe quærentibus ubi ſepeliri vellet:* Iſtic ubi Duci Epiſcopoque videbitur: *quod tamen non obſtat,*

præſentibus pluribus Epiſcopis.

AUCTORE D. P.

obſtat, quo minus poſt iſtam ſuæ voluntatis reſignationem, à Ranzano diſſimulanter præteritam, indicaverit Sanctus, optare ſe in proximo Ordinis conventu ſepulturam. Porro humilem eatenus S. Vincentii tumulum, fuiſſe auguſtiori fabrica, qualis nunc conſpicitur, eadem occaſione, exaltatum; intraque eum repoſitam dictam trium clavium arcam, etſi dicat nemo, credibile eſt. An vero ibi manſerit arca iſta uſque ad belli civilis turbas, circa finem ſeculi XVI, *merito ambigimus. Manſiſſe ſuadet, quod poſt annos necdum quinquaginta ab illis turbis elapſos, nemo fuerit, qui vel arcam noſſet, vel alibi, puta ſupra altare quodpiam, Sanctum corpus honoratum fuiſſe meminiſſet. E contra eamdem arcam tunc honorificentius fuiſſe tranſlatam, relictis intra tumbam una alterave vertebrarum, in peculiari ſcrinio (quod ibi poſtea ſolum eſt repertum) conditarum, veroſimile reddit ijta ſacrorum membrorum diviſio, quam non eſſe factam ante turbas prædictas, ſed ipſo dumtaxat quo arca occultata eſt tempore, vix apparet credibile: quomodo enim ſecretum eſſe potuiſſet, quod eſſet factum cum eorum omnium ſcientia, penes quos erant (ſi tamen necdum perierant) tres illæ claves ad arcam reſerandam neceſſariæ? Fuerit igitur ea diviſio facta non multis poſt primam Elevationem annis, quando ex eadem arca accepta eſt mandibula, argentea herma vetuſti operis, quæ etiam nunc ſupereſt, includenda ad uſus proceſſionales: & ideo facta fuerit, ut vertebris intra tumbam relictis, non eſſet vana eorum religio qui eamdem porro venerabundi accederent: arca autem principalis, alibi collocata magiſque conſpicua, efficacius accenderet pietatem. Sed hæc pietas jam tumulo venerando aſſueta ibidem hæſerit pertinacius, & ſic factum fuerit ut proceſſu temporis pene in oblivionem venerit arca, itaque facilius ſubduci è templo poſſit, ut mox dicetur.*

erigitur tumulus

in quo relicta vertebra aliqua.

B

10 *Poſt Martialem Auribellum alii quinque Generales Ordinis in urbem Venetenſem ad ſacrũ D. Vincentii tumulum peregrini advenerunt, videlicet* Salvus Caſſeta Siculus, Joachimus Turrianus Venetus, Joannes Clareo Normannus, Franciſcus Silveſter Ferrarienſis, & Nicolaus Rodulphius Florentinus. *Hic procuravit, ut aliquis Ordinis Conventus conſtitueretur apud Venetenſes, qui in ſuburbio S. Paterni cœptus eſt conſtrui anno* MDCXXXIII, *ad honorem S. Vincentii, cui ante dicatus ibidem fuerat Conventus Carmelitarum Diſcalceatorum: apud quos aliquæ ſacrorum oſſium particulæ adſervantur, ut etiam apud Carmelitas Morlaxios & in eccleſiis Nannetenſibus Deiparæ Virginis & S. Petri: Carthuſiani quoque ibidem habent coſtam, & Patres Prædicatores Guenkampi articulum digiti. Pyrrhus Rocchus in Notitia eccleſiarum Siciliæ complures Ordinis conventus nominat, in quibus ſit aliquid Reliquiarum ejuſdem: quarum loco etiam habentur epiſtolæ; & ſic aſſervatur una Vincentii Catanæ, cum alia epiſtola S. Catharinæ Senenſis & tertia S. Franciſci Paulani, ut habetur tom. 2 pag. 85. Aſt pag. 560 dicitur Lilybæi in æde S. Spiritus, quæ FF. Prædicatorum eſt, honorari ejuſdem Sancti* baculus, datus à B. Vincentio Piſtoya ejuſdem Ordinis Marſalæ agente, qui prodeſt multis infirmitatibus, maxime mulieribus puerperis. *Induxerat Carmelitas Diſcalceatos Venetum Sebaſtianus Roſmadec Epiſcopus anno* MDCXXVIII: *quo tempore cum corpus S. Vincentii, annis multis nemini conſpectum, lateret; eodem autem deinde reperto, fuerit ſeveriſſime cautum ne quid auferretur; & quod cautum erat religioſiſſime ſit obſervatum (alias enim qui factum eſſet ut novus Prædicatorum Conventus Venetenſis nullã tanti theſauri particulam obtineret?) hæc inquã cum ita ſe habeant, conſequens videtur accepiſſe dictos Carmelitas ab iis ad quos ante corporis occultationem exceptæ particulæ Epiſcopali donatione pervenerunt: quomodo ad Carthuſianos perveniſſe coſtam, ad Guenkampenſes Prædicatores articulum digiti, vix ambigimus.*

viſitarunt eum Generales Ordinis:

Veneti conventus conſtruitur:

aliquæ alibi reliquiæ,

C

ex iis quæ reſervata erant in Tranſlatione

11 *Porro reliqua oſſa, quemadmodum jam inſinuavimus, ideo videntur in peculiari arca extra tumulum fuiſſe conſervata, ut proprium iis altare vel ſacellum erigeretur: quod licet frigeſcente devotionis ardore factum non ſit, divinitus tamen videtur fuiſſe proviſum, ne tantus theſaurus urbi eripe-retur, ſuo tempore quandoque exaltandus. Fuit quidem ſingularis Britannici Ducatus felicitas, quod in eam non penetraverit Calviniſtarum rabies, anno* MDLXII *totis pene graſſata Galliis, in excidium expilationemque rerum atque locorum ſanctorum: non tamen non habuit ſibi ab eadem timere, quando Henricus IV Navarræus, necdum ejurata hæreſi, ad regnum ſucceſſionis jure debitum obtinendum, armatis pro cauſa ſua Hugonottis plurimum utebatur, &, ſi voto ſuo potiretur, rei Catholicæ timebatur pernicioſus futurus. Itaque conſœderati adverſus eum Catholici principes, Hiſpanos evocavere in auxilium:* quorum aliqui ex regno Valentino, S. Vincentii patria, oriundi, cum eſſent urbi Venetenſi ad præſidium dati, occaſionem ſe nactos arbitrati ſunt ſacri corporis avehendi. Quod conſilium Philippo II ſic probatum eſt, ut pro illo impetrando ſcripſerit ad Canonicos Venetenſes litteras. Sed his cum nihil profici viderent Hiſpani, aliam inivere rationem qua poſſent optatum bonum conſequi. Inſtruxere ſcilicet comœdiam ſpectabilem, quæ dum ſui novitate diſtineret populum, ipſi ſacrum pignus ab eccleſia rapere habebant deſtinatum. Habitabat tum forte Valentiæ quidam Venetenſis civis, nomine Bourgerol, opulentus imprimis, & quid molirentur Hiſpani haud vano edoctus indicio, Venetenſes monuit ut caverent: cujus piæ ſedulitatis non exiguum deinde fructum retuliſſe ſe credidit, quando annos natus ſexaginta & octo duxit pompam proceſſionalem celeberrimam, in qua tranſlatum eſſe venerandum depoſitum infra dicetur.

D

Arca ne ab Hiſpanis avehatur occultata circa an. 1590

E

12 Ab hujus autem ore didicimus, quod non tantum Venetenſes cives, de periculo moniti, providere curaverint, ne poſſent deſtinata conſequi Hiſpani: ſed etiam Canonici jam inde ab exceptis Regis Philippi litteris judicaverint prudenter facturos ſe, ſi ab oculis eorum, qui addere ad preces violentiam poſſent, ſubducerent ſacri corporis cuſtodem arcam; idque quam fieri poſſet ſecretiſſime, ne qua indicium emanaret. Datur ergo Canonicorum ſeniori poteſtas ipſam recipiendi ad ſe, & ubi tutum judicaret conſervandi: qui deinde morti proximus, juſſit in Sacriſtiam referri eamdem ciſtam: ubi abſque honore ullo remanſit, ſolis chori miniſtris ad componendas ſuper eam veſtes, quas perſoluto officio exuebant & temere ſic abjiciebant, opportunas, cum nemo ex junioribus curaret quærere, quid in ea contineretur; nullus autem ex ſenioribus, aliquam fortaſſe ejus rei notitiam habentibus, de eadem quidpiam mandaſſet ante mortem ad inſtructionem poſteritatis. *Hactenus fere R. P. Bartholomæus Vimont, Collegii quod Societas Ieſu Veneti habet bis Rector, & antea Miſſionis Canadenſis Superior, qui inventionis tranſlationiſque, de qua jam narrare aggredimur, oculatus teſtis, hæc ipſa ſtudioſe quæſita narravit P. Franciſco de Kernatous; hic autem ad nos tranſcripſit anno* MDCLXVI, *una cum Epiſcopi Venetenſis epiſtola paſtorali, totius inventionis ſeriem continente, quam hic ex Gallico Latine ſubjungimus; ut hæreticis, Reliquiarum ſanctarum incertitudinem calumniari ſolitis, evidenter appareat, quanta cum circumſpectione in hujuſmodi negotio procedere conſueverint Antiſtites Catholici.*

in omnimodam venit oblivionem,

F

nec ante an. 1637 agnita fuit.

CAPUT IV.

Inventio, recognitio & tranſlatio anno MDCXXXVII.

SEbaſtianus de Roſmadec, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Venetenſis, cunctis noſtræ diœceſis fidelibus.

13 Si noſtro quondam Prædeceſſori, Domno Amalrico de la Motte, magnæ cauſa lætitiæ fuit, tempore ſuo videre S. Vincentium Ferrerium, Dei verbum huic diœceſi annuntiantem, eique corporis ſui exuvias, quo ipſe vellet loco collocandas, relin-

quentem

A quentem anno MCCCCXVIII: ſi Domno Yvoni de Pontſal, noſtro item Deceſſori, parem exultandi occaſionem attulit ejuſdem Sancti per Calixtum III facta canonizatio anno MCCCCLV, eamque ſubſecuta altero poſt anno ſacri corporis ejus ex tumulo elevatio in noſtra cathedrali eccleſia, per Illuſtriſſimum Alanum de Coutigny, S. R. E. Cardinalem tituli S. Praxedis & Apoſtolicum Legatum, peracta: haud minus noſtrum gaudium eſſe convenit, quorum diebus inveniri fecit Deus ſanctas ejuſdem corporis Reliquias, majoribus noſtris pridem occultatas: quod tamen integrum nobis non foret, niſi vos quoque illius faceremus participes, per veram & accuratam rei totius narrationem.

* ſcilicet ante Paſcha an. 1419

Inſtaurata eſt S. Vincentii veneratio,

14 Notum igitur vobis ſit, quod licet urbis hujus Venetenſis à peſte & bellis conſervatio, communi fidelium opinione, imputata fuerit S. Vincentii, patroni noſtri ſpecialis, precibus; & eccleſiæ noſtræ Cathedralis ornatus atque incrementum accepta referri debeant Principum ac populorum pietati, erga eumdem Sanctum religioſe affectorum; fervor tamen hujus devotionis haud modice refrixerit per eos annos, quibus Sanctum illius corpus occultum latuit, ut partim hæreticorum urbi huic imminentium furori, partim Hiſpanorum eamdem tuentium cupiditati ſubduceretur. Deus autem, in Sancto ſuo volens glorificari, non permiſit diutius obſoletam deliteſcere venerationem illius: ſed eam cœpit ſuſcitare, tempore Domini Jacobi de Martin, immediati deceſſoris noſtri; qui ſpecioſiſſimis tapetiis, ad eccleſiæ noſtræ cathedralis ornatum conficiendis, intexi curavit partem miraculorum, à Sancto in vivis agente patratorum: quæ autem eo mortuo ſolita erat quotannis inſtitui ſupplicatio in nocte quintam Aprilis præcedente, ea etiam reſumpta eſt majori quam unquam antea apparatu, ex fundatione cujuſdam ex precipuis in hac urbe miniſtris Regiis circa annum MDC. Principes etiam atque magnates cœperunt ad venerandum Sancti tumulum accurrere, quos inter fuere præcipui Dominus Princeps Condæus, Dominus de Guiſe & Domini Duces de Briſſac Pater ac Filius; nec non Prædicatorum Ordinis Magiſter Generalis P. Radulphus, qui huc anno MDCXXXI adveniens, à Nobis & ab hujus urbis civibus conſenſum obtinuit, ad ſui Ordinis Conventum hic erigendum, eumdem fundante Domino de Pleſſis Roſmadec.

B *miraculis in tapetes textis,*

annua ſupplicatione reſumpta,

C *argentea theca*

15 Idem erga Sanctum devotionis affectus Venerabiles eccleſiæ noſtræ Canonicos induxit, ut excipiendis illius Reliquiis argenteam thecam fabricandam locarent. Dominus quoque Dux Briſſacenſis, is qui nunc vivit, & Dominus de Galeſſoniere Conſiliarius Status, ad ſepulcrum prædictum argenteas lampades ex voto obtulerunt; & hic quidem Pariſiis una hac de cauſa venit, ita ſe facere teſtatus, quod in extremo mortis agone conſtitutus, voto ad Sanctum nuncupato, ſanitatem ſubito recuperaſſet. Pari zelo jam dictorum Canonicorum Capitulum cœperunt exſtruere in Sanctiſſimæ Virginis Sanctique Vincentii honorem ſacellum poſt chorum eccleſiæ noſtræ, quo perfecto locoque ibidem præparato, intra quem argentea, quam diximus, capſa locaretur; aliud reſtabat nihil quam ut requirerentur Reliquiæ, intra eam componendæ. Accidit ut Patres Capucini Capitulum Provinciale in hac urbe celebrandum edixiſſent eodem tempore, quo de faciendâ tranſlatione ſacri corporis agitabantur conſilia; quo intellecto, apud nos & Canonicos noſtros humilibus inſtitere precibus, ut actioni iſti eligeremus diem, quo ipſi pariter proponere poſſent populo Indulgentias, Pontificia liberalitate conceſſas iis qui durante Capitulo intereſſent quadraginta horarum orationi: id quod non difficulter obtinuerunt, ſimulque electus eſt ſolennitati dies menſis Septembris ſextus. AUCTORE D. P.

ſacelloque fabricato:

poſt quæ decreta tranſlatio

16 Quibus in hunc modum conſtitutis, juſſimus omnes Sancti Reliquias, quæ noſtra in eccleſia reperirentur, colligi. Cum vero ad inſtantiam Domini Briſacenſis, per D. Henricum Baſſeline, Canonicum Theologalem eccleſiæ noſtræ, die XXIV Maji, juſſiſſemus aperiri tumbam S. Vincentii, iſque in ea paucas admodum Reliquias inveniſſet, in argentea autem ipſius herma ſolam mandibulam abſque cranio; cœpimus vehementer angi quo tandem loco poſſet ipſum cranium & reliqua corporis oſſa reperiri. Monuimus ergo Dominos Canonicos ut omnes eccleſiæ angulos ſcrutarentur, ubicumque ſuſpicari poſſent latere Reliquias: qui capitulariter collecti, quæſtionis faciendæ curam impoſuerunt Dominis Guimarrho & Baſſeline Canonicis. Hi autem in ſacriſtia intra armarium, excipiendis cappis baculiſque choralibus ſerviens, invenere ciſtam tribus ceris occluſam: quibus effractis apparuit cranium abſque mandibula, quod proinde una cum ceteris oſſibus incunctanter crediderunt S. Vincentii eſſe: itaque retulerunt nobis, & ſuam aſſertionem confirmaverunt exhibitis duobus nummis, pariter in eadem repertis arca; quorum alter Ducis Joannis erat, ejus ſub quo migravit ex hac vita Sanctus; alter Franciſci Britannæ Ducis, qui ſicut & prior pro Sancti canonizatione impetranda multum laboraverat, quamvis ea ſub Petro demum ejus nominis ſecundo peracta fuerit. *ſed ſola mandibula inventa in reliquiario,* *alibi inventa eſt arca,* E

17 Hoc indicio accepto, & Collegio Canonicorum in Capitulum deſuper convocato, decrevimus inſpectionem prædictæ ciſtæ rite faciendam: & quoniam certo conſtabat, eam quæ in herma argentea ſervabatur mandibulam, eſſe indubitatam S. Vincentii Reliquiam; convenit advocandos eſſe viros peritos, qui dijudicarent, an ea quadraret cranio intra arcam reperto, ſic ut ejuſdem corporis partes eſſe credi deberet. Die igitur ſeptima menſis Auguſti currentis ad hoc delecta, circa horam poſt meridiem tertiam, una no biſcum fuere Dominus Joannes Petit, toparcha de la Bergerie, Doctor medicus, & Claudius Goſſement, Magiſter chirurgus hujus urbis: quibus adjuratis de veritate, quantum ex artis ſuæ regulis ea poſſet cognoſci, edicenda coram nobis noſtriſque Fratribus, Dominis Canonicis ibi præſentibus, publici Notarii manu conſignata ſunt ſingula intra arcam reperta; deinde prædicti duo Medicus & Chirurgus mandibulam maxillæ ſuperiori applicantes, invenerunt judicaveruntque tam apte eas inter ſe quadrare, tam quoad junctûras quam quoad ordinem ſuperiorum inferiorumque dentium (qui utrimque pares numero ſic erant ordinati, ut eminentiores depreſſioribus reſponderent) quod dubitari non poſſet, quin mandibula fuiſſet propria pars capitis unius ejuſdemque, cujus erat cranium. Idem confirmabat ſimilis utriuſque oſſis color odorque, ab inductione aromatici cujuſdam pulveris, quo pulvere ſimiliter inducta erant reliqua in eadem ciſta oſſa: quæ ipſa, propter congruentiam juſtam cum capite, ejuſdem quoque corporis eſſe cenſebant. *ad cujus recognitionem convocati medicus & chirurgus* *judicarunt ejuſdem corporis oſſa eſſe in arca. cujus erat mandibula;* F

18 Ab his principiis ad ulteriorem inquiſitionem progreſſi, mandavimus Venerabilibus Archidiacono & Pœnitentiario eccleſiæ noſtræ, viſitare Reliquias concluſas intra arcam argenteam, Corpora Sanctorum appellatam: ſi forte in ea reperiretur aliquid de Reliquiis S. Vincentii. Id illi cum feciſſent die XVI Auguſti, nobiſque legitime ſignificaſſent probaſſentque, nullas S. Vincentii, ſed plures aliorum Sanctorum Reliquias ibi eſſe inventas; *qui etiam in Theologorum conventu deſuper indicto*

decrevi

AUCTORE D. P. decrevimus, ſecundũ Concilii Tridentini decreta, in recognitione Reliquiarum noviter inventarũ ſervanda, convocandos eſſe bono numero viros theologos atq; pios, quorum conſilio uteremur: itaq; citati ſunt in diẽ XXIII Auguſti reverendi Patres Rector Ieſuitarum, Vicarius Nazarethanus, Prior Carmelitarũ de Bondon & Prior Carmelitarũ Diſcalceatorũ, Guardianus convẽtus S. Franciſci, Provincialis & Guardianus Capucinorum, Prior Prædicatorum, Venerabiles & diſcreti Domini Natalis le Cerf, Guillelmus le Gallois Officialis ac magnus Vicarius Venetenſis, & Jacobus Bullion Promotor, Theologi omnes, ad ſuffragium; ad præſentiam autem teſtimoniumq; rebus gerendis exhibendũ, Domini Locum-tenens & Procurator Regius hujus urbis: pluresque nobiles ac cives, qui pariter omnes audirent judicium medicorum ac chirurgorum, ſuper dictas Reliquias ex artis ipſorum præſcripto formandum.

Idem juraverunt:

19 Dicta die comparuerunt omnes, præter unum Priorem Carmelitarum Diſcalceatorum, ſub horam ſecundam poſt meridianam, intra ſacellum, poſt cathedralem chorum, Beatæ Virgini Sanctoque Vincentio ædificatum: & ex mandato noſtro cum illis pariter adfuerunt, tum Venerabiles Canonici Capitulares eccleſiæ noſtræ, tum Domini Joannes Petit & N. du Buiſſon Doctores Medici, in hac urbe Venetenſi & vicina Arubienſi commorantes, nec non Claudius Goſſement & Nicolaus Thomazzo hujus urbis Magiſtri chirurgi. Coram quibus omnibus allata eſt prædicta capſa ferrata, in qua erant Reliquiæ, cum indubitata S. Vincentii mandibula conferendæ: quæ omnes poſt decantatum Hymnum, VENI CREATOR SPIRITUS, ſupra menſam expoſitæ, atque à dictis medicis chirurgiſque attente fuerunt conſideratæ. Præfati autem Petit & Goſſement, in priori ſua perſiſtentes ſententia, pronuntiarunt quod ejuſdem corporis, cujus erat mandibula, eſſent cranium & reliqua oſſa: alii vero duo du Buiſſon & Thomazzo, admirati convenientiam & proportionem dentium utriuſque mandibulæ, allegarunt tamen inferioris mandibulæ intra cranii juncturas motum minus liberum videri, ac proinde non ſatis liquere an mandibula & cranium eſſent ejuſdem corporis oſſa.

aliũ difficilẽ conjunctæ cũ cranio mandibulæ motũ objiciẽtibus,

20 Ad hoc reſponderunt præfati Petit & Goſſement, commiſſam cum cranio mandibulam ſufficienter aperiri: magnamque differentiam eſſe inter vivum corpus, & illud quod eſſet ab annis circiter ducentis mortuum; cujus partes ſemper diſiunctæ, diverſiſque in locis ſervatæ, & quadamtenus carioſæ eſſent: præſertim in iis quæ circa tempora ſunt cavitatibus, iſtic ubi ſuperiori mandibulæ inferior committitur, & viventibus eſt facillimus motus, propter ligamen cartilagineum, admodum leve ac mobile, quo circumvolvuntur apophyſes candyloides mandibulæ inferioris: quæ carthilago cum mortuis defluat, negabant rationem ullam difficilioris motus habendam, quando apophyſes ſive tubercula oſſium tam apte inſinuant ſe cavitatibus ſuis. Tunc auditis Religioſorum Theologorum, Officialium & Canonicorum eccleſiæ noſtræ ſententiis, judicavimus, ad pleniorem Reliquiarum examinandarum cognitionem, in diem XXI Auguſti novum conventum indicere; ad quem alii inſuper chirurgi advocati expenderent difficultatem à dictis du Buiſſon & Thomazzo propoſitam, poſtquam in ſuis quique conventibus eccleſiiſque tanti momenti negotium ardentibus precibus curaſſent Deo per ſe ſuoſque commendandum.

quæſita hujus difficultatis cauſſa;

C

21 Convenerunt ergo hora & die præſignatis, tum iidem qui ſupra, tum Reverendi Patres Guardianus Capucinorum Redonenſium & Prior Carmelitarum diſcalceatorum, pro Magiſtro vero Thomaſſo advenit ex oppido Arubienſi chirurgus Michael Danielet. Coram quibus & Venerabili Capitulo noſtro, poſt iteratam Hymni VENI CREATOR decantationem, ardentibus ſupra menſam cereis lampadibuſque, expoſita rurſum ſacra oſſa ſunt, ex capſa educta. Quibus denuo inſpectis præfatus du Buiſſon dixit, expendiſſe diligenter ſe, qua ex cauſa procederet difficilis ille motus mandibulæ inferioris ad ſuperiorem applicitæ; neque aliam ſibi verofimiliorem occurrere, quam quod partes diu ab invicem ſeparatæ, & humido in loco poſitæ aliquando fuerint; quo factum ſit, ut contractior deinde aliquanto mandibula nimis arcte ſtringeret cranium, itáque difficilius moveretur. Quare nullum ſibi reſtare dubium, quin prænotata dictarum partium inter ſe convenientia ſufficiens argumentum eſſet, ad judicandum ejuſdem ambas eſſe corporis. Confirmandæ tamen veritatis cauſa expediens videri, ut vertebra, quam ex proceſſu verbali XXIV Maij facto intellexerat in tumba S. Vincentii repertam, produceretur: quæ ſi cum vertebris reliquis in ciſta repertis congruere quoque videretur, evidenter eſſet demonſtratura omnium Reliquiarum pariter in ciſta repoſitarum, & ejuſdem corporis compagem manifeſto formantium, veritatem. Rogati ſententiam ſuam D. Petit chirurgique duo, conſenſere, mandibulam & cranium ejuſdem plane corporis oſſa fuiſſe, omnem autem quæ apud aliquos eſſe forſan poſſet ambiguitatem tollendam, vertebris utrimque inter ſe collatis.

D

& judicata non obeſſe certitudini Reliquiarum arcæ,

quia in oſſibus mortuorum motus ille naturaliter eſt impeditior.

E

22 Auditis deinde prædictorum Religioſorum, Theologorum, Canonicorumque ſententiis, ipſam quoque vertebram è tumba Sancti requirendam decrevimus, qua ſequenti die coram iiſdem conventuris inſpecta, operi huic manus extrema admoveretur. Ergo circa ſeptimam veſpertinam eo acceſſimus, cum parte aliqua Canonicorum & Reverendis Patribus Provinciali ac Guardianis Rhedonenſi & Venetenſi Capucinorum; tumbaque per Magiſtrum Carolum l'Honneur, ſerarium hujus urbis, recluſa; capſulam ligneam invenimus, habentem in longitudine pedes quatuor, unum & dimidium in latitudine: ex qua, poſt fuſas devote preces, extraximus vertebram, & quædam minutiora oſſa, rubeo ſericeo panno involuta; quæ cum omni reverentia poni juſſimus ad mandibulam in argentea herma, uſque in diem ſequentem XXIX Auguſti: quo ultra meridiem ad horas duas ducto, denuo iidem qui antea omnes, pluresque alii de conſenſu noſtro, nec non Magiſter Nicolaus Thomazzo chirurgus, adfuerunt: coramque iis, poſt conſuetum hymnum decantatum, primum mandibulam & repertas in tumba Reliquias expoſuimus, tum majorem capſam per dictum ſerarium juſſimus aperiri, & à medicis chirurgiſque novum de veritate dicenda exegimus ſacramentum.

& maxime quia vertebra in tumba inventa

F

23 Illi autem conſiderantes hanc vertebram ejuſdem coloris & aromaticæ inductionis ſpeciẽ præferre, quam reliqua quæ ciſta continebat oſſa, interque ea requirentes vertebram, quæ iſti intra tumbam repertæ deberet immediate conjugari: unanimi conſenſu pronuntiaverunt vertebram, in tumba repertam, iſtius omnino eſſe corporis, cujus reliqua oſſa quæ continebantur in ciſta, æque ac mandibulam ſupra dictam: cumque tam vertebra quam mandibula extra dubium haberentur pro veris S. Vincentii Reliquiis, tales quoque haberi debere repertas in arca. Huic judicio ſuum confirmantibus judicium, quotquot rogati fuerunt ſuffragium ferre, omnium in hoc convenere vota, ut declararemus has eſſe veras S. Vincentii Reliquias, & ut tales fidelis

cum inventa in ciſta optime congruebant.

A

Itaque definitum eſt has eſſe veras S. Vincentii Reliquias,

lis populi venerationi exponendas. Sumpto igitur Pontificali ornatu & ſancti Spiritus gratia invocata, pronuntiavimus ſententiam in hæc verba. Ex auctoritate Dei omnipotentis, Patris, Filii & Spiritus S. Sanctorumque Apoſtolorum Petri & Pauli, & ea quam tenemus in hac diœceſi, declaramus, quod præſentia oſſa omnia & ſingula ſint veræ Reliquiæ Corporis S. Vincentii Ferrerii, canonizati à S. D. Calixto Papa III die XIII Julii, anni MCCCCLV, decernimuſque & mandamus, ut ex nunc pro talibus habeantur; diſtricte inhibentes, ne quis diverſas ab his aut ab aliis ex horum compage legitime acceptis, & ſecundum formam ab eccleſia præſcripta recognitis, audeat venerationi exponere. Prohibemus etiam ſub pœna excommunicationis auferre hinc, particulã etiã minimam abſque noſtro conſenſu, in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠ Atque his dictis, ſubmiſſi in genua, ſanctas Reliquias humili oſculo adoravimus ipſi, & præſentibus omnibus adorandas exhibuimus: & inde iiſdem omnibus, qui plurimi adfuerant, comitantibus, ad mediã tẽpli navim progreſſi, Deo ſolennes egimus gratias, decantato Ambroſiano hymno TE DEUM, pro tanti receptione theſauri.

B

ad quarum venerationem invitatus populus Venetenſis

ad 40 millia confluxit.

24 Hæc ſunt, Cariſſimi, quorum læta nuntia vobiſcum cenſuimus per totam diœceſim noſtrã communicanda, exhortántes in Domino, ut juxta ea verba, unde ſermonum ad noſtros majores hac in urbe habendorum initium fecit glorioſus S. Vincentius Ferrerius, dicens, Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta ne pereant, vos quoque pretioſa oſſium illius fragmenta conſervetis debitæ religionis honore, ut Deus ac Dominus noſter benedicat armis optimi Regis noſtri Ludovici XIII, ejuſque perſonam tueatur, voſque ſub obedientia ſuorum mandatorum viventes conſervet in pace. Ut autem vos ad eaſdem Reliquias venerandas magis etiam invitaremus, eas coram Domino Epiſcopo Tricorienſi; totoque Capitulo noſtro; in argenteam arcam, ad hoc ut ſupra dictum eſt fabricatam, repoſuimus; V die præſentis menſis, eamdemque proceſſionaliter ſequenti die circumtulimus ad conventus, Capucinorum, Prædicatorum, & Nazarethanum: ac denique finitis in noſtra Cathedrali 40 horarum precibus, quibus maximo cum animi noſtri gaudio ad centum quinquaginta millia fidelium interfuere; ipſam curavimus transferendam ad altare ſacelli, in Divæ Virginis Sanctique Vincentii honorem fabricati; poſt chorum dictæ noſtræ Cathedralis: atque de his omnibus publicum inſtrumentum fieri mandavimus per Magiſtrum Maturinum Nicolazzo, Secretarium noſtrum, hac feria V, die X Septembris, poſt meridiẽ, anno Domini MDCXXXVII.

C

CAPUT V.

Feſtum Tranſlationis prædictæ VI *Septembris.*

PLacuit exinde ut annue renovaretur lætitiæ tam ſingularis memoria: itaque compoſitæ vulgatæq; primum Lectiones ſunt, VI *Septembris ab omni clero Venetenſi ſub officio ſolenni ad ſecundum Nocturnum in Matutinis recitandæ: deinde conſtitutus eſt ordo proceſſionalis Pompæ qui ſervatur hactenus nobiſque à præfato Patre Franciſco de Kernatous eſt tranſmiſſus. Sed hunc, quia nihil diverſum continet à conſuetis in ſimili occaſione, prætermittimus: Lectiones hic damus.*

LECTIO IV Cum vigerent bella in minori Britannia, diu latuit major pars corporis S. Vincentii Ferrerii, quod in eccleſia Venetenſi conditum fuit. Per id tempus cultus ejus frigeſcebat: ſed Dei munere primum ſub Jacobo Epiſcopo, tum ſub Sebaſtiano augeri cœpit & invaleſcere. Nam Francorum Regina particulam quamdam reliquiarum hujus Sancti ſummis precibus expoſcit: Duces, Magnates & complures alii tumulum ejus votis & donariis frequentãt: adjiciuntur miracula. Acceſſit huc etiam Nicolaus Rodulphus Dominicanorum Generalis Miniſter anno Domini MDCXXVI, qui à Sebaſtiano Epiſcopo & Civibus Venetenſibus conſenſum obtinuit in hac urbe conſtruendi ſui Ordinis monaſterium. Capitulum vero Venetenſe Sacellum, quod à tergo majoris Altaris conſiſtit, cujus fundamenta à terra exſtabant, eleganti & inſigni ſtructura quam primum abſolvendũ in honorem Deiparæ Virginis & S. Vincentii curavit: capſamque argenteam affabre conficiendam, in qua ſacrum pignus reponeretur.

AUCTORE D. P.

E

LECT. V Quia vero non conſtabat de loco, in quo poſitum fuerat: duo Canonici juxta ordinem Epiſcopi & Capituli, caplas omnes eccleſiæ loculos, imo & recondita quæque accurate & congrua devotione perquirunt. Tandem in armario quodam Sacriſtiæ arcam reperiunt, operculo camerato, laminis ferreis lævigato, operibus expolitis circũdatã, & triplici ſera munitam. Qua reſerata, calvariam intro reperiunt ſine maxilla inferiori, & reliqua fere oſſa quibus corpus componitur, duplici velamine involuta, exterius pãnno ſerico, intus mappa Altaris, crucibus ſignata. Advocantur Medici & Chirurgi complures, quorum opera calvaria illa conferretur & conjungeretur cum maxilla inferiori: quæ pro certa & indubitata S. Vincentii Reliquia ſemper omnium venerationi expoſita fuit. Quæ cum pluribus diebus peracta fuiſſent, adhibitis jejuniis, precibus & invocatione Spiritus ſancti omnique religionis ſtudio; frequenti piorum & peritorum virorum ſecularium & regularium conventu, aſtantibus primoribus civitatis & videntibus omnibus, maxilla inferior ſacro vertici coadunatur, & ſupernæ partes inferioribus tanta proportione conjunguntur, ita dentes dentibus incumbunt, ut luce meridiana clarius fuerit, omnia hæc oſſa inter ſe collata unum idemque corpus aliquando conſtituiſſe.

F

LECT. VI Illuſtriſſimus ergo Antiſtes, rogatis Canonicorum ſententiis, tum aliorũ quorumdã Theologorum, Patrum Societatis Ieſu, Capucinorum, qui tunc temporis Capitulum ſuum Veneti habebant, & Regularium in hac urbe degentium, quos in conſilium adhibuerat; de communi ſententia, decretum Pontificio ſolennique ritu frequenti Populo protulit, omnia hæc oſſa, coram & in præſentia poſita, accurateq; recognita, veras Reliquias eſſe S. Vincentii Ferrerii Confeſſoris, à Calixto III ſummo Pontifice in Sanctorum numerum relati. Et confeſtim pio cultu flexis genibus veneratus eſt, quod omnes pariter fecere. Mox ſacrum corpus in capſa argentea repoſitũ fuit, die V menſis Septembris anno Domini MDCXXXVII. Die vero ſequenti ſolenni ſupplicatione publicarũ, viarum apparatu, omnique ſpiritualis lætitiæ ſignificatione, piæque venerationis ſtudio circa muros urbis circumducitur: maxilla item cum ſua prædivite theca; incredibili populi undique convenientis frequentia. Poſt hæc includitur capſa illa in loculo marmoreo, qui in medium Altaris è ſuperiori loco protenditur, cum feneſtella ſeu oſtiolo bipatente, à fronte cancellis ferreis & ina ratis obtecto, duplicique ſera munito: lampas vero aſſidue perlucet urbis Venetenſis impenſis & magnificentia. Et ut aliquod eſſet perpetuum hujus beneficii monumentum, ad colendam ejus memoriam, dies feſtus Tranſlationis Reliquiarum S. Vincentii inſtituitur ſextus Septembris, quo ſupplicatio anniverſaria celebratur, & ſacrum corpus circa muros Urbis ſingulis annis, eadem qua prius religione, circumfertur, Sebaſtiano Epiſcopo Fundatore.

VI APRILIS.

SANCTI QVI VIII IDVS COLVNTVR.

Sanctus Sixtus ſeu Xyſtus primus, Pontifex Romanus, Martyr.
S. Firmus,
S. Herenæus Ep.
S. Himmarus,
S. Solutor,
S. Quirinius,
S. Moyſes,
S. Romanus,
S. Succeſſus,
S. Quartilla,
S. Romana,
S. Donatus,
S. Sixtus,
S. Victor,
S. Quiriaca,
S. Gagus,
S. Satyrus,
} Martyres, Nicomediæ in Bithynia.

S. Rufina,
S. Moderata,
S. Romana,
S. Secundus,
SS. alii VII,
S. Florentinus,
S. Geminianus,
S. Saturus,
} Martyres, Sirmii in Pannonia, aut aliqui forſan alibi.

S. Timotheus,
S. Diogenes,
S. Cluſus Presb.
} Martyres, in Macedonia.

S. Timotheus,
S. Macaria,
S. Tyria,
S. Marcia ſeu Marga,
S. Maxima,
} Martyres Alexandriæ in Ægypto.

S. Marina,
S. Teguliana,
S. Vrbanus,
} Martyres.

S. Cæleſtina Virgo, & alii DCCC,
} Martyres.

Sancti CXX aut CL Martyres, in Perſide, ſub Sapore Rege.
S. Platonis, apud Græcos.
Sancti duo Martyres, Aſcalone in Palæſtina.
S. Marcellinus, Tribunus & Notarius, Martyr Carthagine.
S. Cæleſtinus primus, Pontifex Romanus.

S. Amandus Comes.
S. Lucius.
S. Leontius.
S. Lucianus.
} Giſalbæ in Italia.

S. Eutychius, Patriarcha Conſtantinopolitanus.
S. Winebaudus, Abbas, Trecis in Gallia.
B. Notkerus Balbulus, monachus Sangallenſis, in Helvetia.
S. Berthanus, Epiſcopus, in Scotia.
S. Philaretus, monachus, in Calabria.
S. Celſus, Archiepiſcopus Armacanus, in Hibernia.
S. Wilhelmus, Abbas Roſchildenſis, in Dania, Ordinis Canonicorum Regularium.
Ven. Catharina de Palanza, Fundatrix monaſterii S. Mariæ de Monte, Congregationis Ambroſianæ ſub regula S. Auguſtini, ſupra Vareſium in Ducatu Mediolanenſi.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.

Baldericus Clivius, Epiſcopus ultrajectinus, *cognomento* Pius, *præfixo* S. (*ut Sanctis ſolet*) *notatur à Theodoro Rhay ad hunc diem inter Animas illuſtres Iuliæ, Cliviæ &c, obiit anno* DCCCCLXXVII, VI *Idus Ianuarii juxta Sammarthanos, vir de Eccleſia in temporalibus ac ſpiritualibus optime meritus per annos* 60, *quibus eam Sedem tenuit. Nam urbẽ à Danis fœde deformatam inveniens, ponte, portis propugnaculis inſtruxit; eccleſias exuſtas dirutaſq; reſtauravit; terras, predia, decimas de manibus inimicorũ eruit; SS Vrbani Benigni Pontiani, Agnetis reliquias ex Italia attulit; monetæ cudendæ facultatem aliaq; Dominicialia ab Imperatore accepit, cum omnimoda exemptione à judicio & poteſtate Comitum, aliaq; plura fecit, quæ apud jam dictos Sanmarthanos diſtinctius indicata, videri poſſunt, & plenius apud rerũ Vltrajectenſiũ ſcriptores. Necdũ tamen veſtigium reperimus cultus ſacri ab ultrajectinis ei olim delati; quæ ſi inveniãtur, poterimus de rebus ab eogeſtis agere in ſupplemento* VIII Januar.

S. Elias Eremita *habet feſtum* VIII *Idus Aprilis (ſic enim corrigendum videtur, quod vitio erat impreſſum* XIII) *& altare proprium in inſula & eccleſia* S. *Iulii diœceſis Novarienſis, teſte Carolo Epiſcopo Novarienſi, in ſua Novaria pag.* 1841. *Ibidem, inquit, ab annis fere ducentis vetus ejus imago ut peregrini, mitra ad pedes poſita, apparet, cum hac epigraphe,* S. Elias Epiſcopus Sedunenſis. *Addit Canonicum*

A

nicum Sedunenſem, *ea de re interrogatũ reſpondiſſe Eliam Epiſcopũ Sanctum haberi Seduni, & credi in ditione Mediolanenſi ſepultum. Fuerit igitur unus ex iis quorum nomina in Catalogis latent uſque ad annum* DXV. *Quæcumque autem de ipſo certo dici poſſent, habentur omnia in Actis SS. Iulii & Iuliani num.* 12 XXXI Januarij.

S. Claudius *refertur in Menologio Græco poëtico Chriſtophori Mitylenæi, & Kalendario Græco à Genebrardo Latine edito. Forſan eſt* Sanctus Claudianus Perſa, *de quo egimus; aut* Claudius, *Anteſignanus Martyrum Corinthi paſſorum, de quo egimus eodem die inter Prætermiſſos, & latius* XXV Februarij.

S. Proſper Martyr *officio Eccleſiaſtico, ſub ritu duplici, celebratur in Archimonaſterio Antoniano diœceſis Viennenſis, ob ſacras ejus Reliquias ibidem aſſervatas. De eo aliiſque Sanctis, qui ibidem ob ſimilem cauſam coluntur, egimus* XIII Martij.

Tranſlatio corporis S. Leandri Epiſcopi Hiſpalenſis, ex eccleſia SS. Juſtæ & Ruffinæ ad Cathedralem, *memoratur in pervetuſto Breviario Hiſpalenſi, uti dictum ad ejus Vitam* XIII Martij.

S. Patricii ordinatio *inſcripta eſt Martyrologio Tamlactenſi. De eo egimus* XVII Martij.

S. Irenæus, Epiſcopus & Martyr Sirmii, *memoratur hoc die à Floro, Rabano, Notkero & in variis MSS. quæ diſcuſimus ad Vitam ejus, datam* XXV Martij.

B

S. Theodorus Epiſcopus, } Martyres; in Penta-
S. Irenæus Diaconus, } poli Libyæ ſuperi-
S. Serapion, } Lectores, } oris, *referuntur in*
S. Ammonius, } *Martyrologiis S. Hieronymi & Notkeri: item in variis MSS. de quibus egimus* XXVI Martij.

S. Armogaſti *nomen eſt in pervetuſto MS. Caſinenſi. Quis ſit non aſſequimur. Colitur* Armogaſtes, Comes & Martyr in Africa, XXIX Martij.

S. Secundus Martyr, & Patronus Eccleſiæ Aſtenſis, *hoc etiam die ſolenni cultu celebratur, teſte Ferrario in Catalogo Generali & in Catalogo Sanctorum Italiæ. Nos varia ejus Acta dedimus* XXIX Martij.

S. Amphianus, *aliquibus* Amplianus, Martyr apud Cæſaream, *refertur in MSS. Vaticano Eccleſiæ Sancti Petri, & Bruxellenſi Sanctæ Gudilæ. De eo egimus die* 11 Aprilis.

S. Irene, Virgo & Martyr Theſſalonicæ, *memoratur hoc die in MS. Vaticano Eccleſiæ Sancti Petri. Inſcripta eſt plurimis Faſtis pridie. Quia tamen Acta ejus & Sororum, SS. Agapes & Chioniæ, ſunt conjuncta; ſimul de omnibus egimus* III Aprilis.

C

S. Julianæ Corporis Tranſlatio ad Villarium. *Ita Kalendarium Ciſtercienſe, Divione anno* 1617 *excuſum. De ea egimus* V Aprilis.

S. Adriani natale *celebratur in MS. Adone Leodienſi S. Laurentii & MS. Florario, cum ante in utroque codice actum eſſet de Sancto Epiphanio Epiſcopo, Donato, & aliis Martyribus Afris, quos in ſequentem diem rejecimus: an iis jungendus ſit* Adrianus, *an ſeorſim alibi martyrium paſſus ſit, non liquet.*

SS. Feliciſſimi & Agapiti natalis *memoratur in MS. Trevirenſi Sancti Maximini, abſque ulteriore notitia. Vtriuſque nominis plures Martyres occurrunt, & forſan ob cultum Reliquiarum hic indicatur eorum aliquis.*

Summiſtæ, *ſeu* Lunæ Miſtæ *memoria eſt in apographis Martyrologii Hieronymiani, poſt SS. Theodorum, Ireneum, Serapionem & Ammonium, quos ſupra diximus coli* XXVI *Martij; & ſequebantur* Apricus & Victor, *quos infra rejicimus in diem ſequentem, ubi de* S. Coprica & Victore *agitur, de* Summiſta *ſeu* Luna-Miſta *certiorem lectionem requirimus.*

Lucia, vidua Martyr, *memoratur à Greveno in Additionibus ad Vſuardum, hactenus nobis ignota.*

S. Theodorus, Ancyranus in Galatia Epiſcopus, vir libris ſcriptis adverſus Neſtorium inſignis, *dicitur à Petro de Natalibus lib.* 4 *cap* 34 quieviſſe in Domino VIII Idus Aprilis, *citato Gennadio; qui cap.* 55 *de eo agit, uti Honorius cap.* 54: *ſed neuter* Sanctum *appellat, aut tradit hoc die obiiſſe. Interim Petrum de Natalibus ſequuntur Witfordus in Martyrologio Anglice edito, Grevenus, Maurolycus, Caniſius, Galeſinius, Ferrarius. Nos certiora de cultu eccleſiaſtico optaremus habere documenta.*

D

S. Theodorus, Presbyter Antiochenæ Eccleſiæ, libris adverſus Apollinariſtas & Eunomianos compoſitis clarus, *adjungitur præcedenti Theodoro apud Petrum de Natalibus lib.* 4 *cap.* 35. *Sequuntur citati Witfordus, Maurolycus, Galeſinius, Ferrarius. Agunt de eo Gennadius & Honorius, uterque cap.* 12, *ſed neuter* Sanctum *appellat, uti neque Maurolycus.*

Prudentius Epiſcopus Tricaſſinus, *refertur ut* Sanctus *in additionibus Carthuſianorum Colonenſium ad Vſuardum utriuſque editionis & in MS. Florario Sanctorum; Demochares etiam* Sanctum *appellavit, atque poſt eum recentiores auctores & Hagiologi varii. Camuzatus addit*, Reliquias ejus, capſulæ ligneæ incluſas, in primaria Tricaſſium æde aſſervari; in eaque feſtum ejus hoc die peragi cum officio 9 lectionum in quo omnia de communi; *unde ſuſpicatur Vitam ejus intercidiſſe. At non interciderunt ipſius aliorumque opera, ex quibus conſtat non omnino recte in fide ſenſiſſe, & odio quodam Hincmari Remenſis, qui ſuæ eccleſiæ jura contra eum aſſeruerat, à recto tramite deflexiſſe: quod & Annales Bertiniani intra vigeſimum à Prudentii obitu annum ſcripti ſic confirmant, quaſi non prius male ſcribendi finem quam vivendi feciſſet. Rem totam Ludovicus Cellotius deducit libro* 3 *Hiſtoriæ Gotteſchalci cap* 9 *& deinceps. Potuit quidem moriens eccleſiæ judicio ſe ſuaque ſubjeciſſe: merito tamen requirimus antiquius aliquod de ejus ſanctitate & cultu teſtimonium quam ſint ſupra allegata.*

E

S. P. Euphemius, *notatur hodie in Kalendario Ruthenico apud Poſſevinum in Apparatu: videtur eſſe aliquis Hegumenus Græcus, aliunde nobis necdum cognitus.*

Aidecus, } *indicantur in Mar-*
Cronbecus Ab. Cluanenſis, } *tyrologio Hibernorum*
Carhubius Epiſcopus, } *Tamlactenſi, & priori præfigitur titulus* Sancti.

Coquinæ Abbatis *nomen, recentiori manu adſcriptum eſt Martyrologio MS. Trevirenſi (ut videtur)* S. *Paulini: de quo alibi nihil reperimus.*

S. Continentia *adſcripta eſt à Carthuſianis Bruxellenſibus ad Grevenum: Ejus nomen alibi inter Sanctas necdum legimus.*

F

Henricus, monachus Villarienſis Ordinis Ciſtercienſis, *cum titulo* Beati *celebratur ab Henriquez, Bucelino, & Chalemoto, cum titulo* Sancti *à Sauſſaio.* Corpora *hujus & aliorum,* latitantibus abdita terris, *elevavit anno* 1599 *Henricus Horion Abbas. Sed an ab Eccleſia cultus indultus nos latet.*

Martinus de Vargas, Regularis obſervantiæ Ordinis Ciſtercienſis Inſtitutor, *celebratur in Menologiis Henriquez, qui late ejus Acta proſequitur, uti & Bucelinus: ſed abſtinet utique à titulo* Beati *uti & Chalemotus. Silet de eo etiam Tamaius Salazar in Martyrologio Hiſpanico.*

Joannes ab Amſterdamo, } Ordinis minorum S.
anno 1579 ab hæreticis } Franciſci, *omnes ſeculo præcedenti vita functi,*
occiſus, } *cum titulo* Beati *referuntur in Martyrologio*
Humilis Offidanus, Capucinus, } *Franciſcano Arturi à*
Alphonſus ab Herrera, in } *Monſtier: utrum id ei licuerit per Vrbani Papæ*
Mexico, } *VIII Conſtitutiones aliis*
Franciſcus à S. Joſepho, in } *judicandum dimittimus.*
Hiſpania, }
Joannes ab Occania, in } *Monſtier: utrum id ei licuerit per Vrbani Papæ*
Caſtella, } *VIII Conſtitutiones aliis judicandum dimittimus.*

A S. Epiphanius Ep. S. Donatus, S. Sixtus, S. Rufinus, S. Modeſtus, & alii XI, } Martyres in Africa, *referuntur hoc die in Martyrologiis variis: aſt in Martyrologio Romano, poſt Vſuardum & alios, colunturVII* Aprilis.

Aprici, Apricii *ſeu* Paricii & Victoris in Libya *mentio habetur in Martyrologiis S. Hieronymi: quos arbitramur eſſe, qui ſub nomine* Copricæ *&* Victoris *in eiſdem & aliis Faſtis referuntur* VII Aprilis.

S. Hegeſippus, vir eruditiſſimus, *memoratur in MS. Martyrologio Barberiniano & apud Maurolycum: ab aliis* VII Aprilis.

S. Macarii Epiſcopi elevatio *memoratur in additionibus MSS. Carthuſiæ Bruxellenſis ad Grevenum, & putatur eſſe Epiſcopus Antiochenus, qui colitur* X Aprilis.

S. Silla, Virgo & Martyr, *celebratur à Georgio Cardoſo in Hagiologio Luſitano, & in Notis varios adducit, quorum aliqui opinantur hanc eſſe* Zitam Lucenſem, *cujus Vitam habemus, & ad quam hæc controverſia melius dirimetur, die* XXVII Aprilis

S. Petrus, Ordinis Prædicatorum, Martyr *occubuit hoc die, anno 1252, Sabbato ante Dominicam in Albis. Feſtum ejus celebratur* XXIX Aprilis.

B Uſo monachus S. Galli, doctrina, pietate & miraculis clarus, hoc die anno 872 in monaſterio Grandiſuallenſi diœceſis Baſileenſis mortuus, *cum titulo* Beati *memoratur in Helvetia ſancta Henrici Mureri pag. 198 & Menologio Bucelini, ſed neuter verbum profert de aliquo cultu Eccleſiaſtico. Pleniorem vitæ ejus hiſtoriam habet Ekkehardus cap. 2 in libro de caſibus monaſterii S. Galli, aſſerens famam eſſe quod corpus furto ablatum ſit in aliquam eccleſiam Burgandiæ: certe in ſuo tumulo non haberi. Necrologium Sangallenſe ejus memoriam recolit* XIV Maji.

Urbanus, Abbas in Hiſpania. *cum titulo* Beati *inſcriptus eſt Martyrologio Benedictino Menardi; qui in obſervationibus aſſerit* Abbatem fuiſſe monaſterii Sancti Petri de Montibus, *in Aſturicenſi diœceſi. Citantur Miræus & Yepez: ſed neuter meminit hujus aut alterius dieï, quo aut mortuus ſit, aut ullam venerationem habeat. Menardum ſecutus Tamayus Salazar eumdem inſcripſit Martyrologio ſuo Hiſpanico, &* Sancti *titulo honoravit, addiditque ex Yepez elogium, ſed nimia auxeſi amplificatum. Extant verba Yepez tomo 2 ad annum 646 cap. 3 & ſic melius ſunt in editione Colonienſi à Thoma Weiſs Latine reddita:* Prioribus

C adde Sanctum Urbanum Abbatem, qui ob præclara merita in cœnobio S. Jacobi de Pennalua, eodem quo S. Gennadius Sacello, inſigni mauſoleo conditus eſt. *Similia habet Prudentius de Sandoval in hiſtoria Fundationis S. Petri de Montibus, factæ à S. Fructuoſo Epiſcopo Braccarenſi, qui colitur* XVI *Aprilis: quo certe die; aut potius cum Sancto Gennadio agi poterit de memorato Vrbano. Colitur iſte officio Eccleſiaſtico in Eccleſia Aſturicenſi, cujus fuit Epiſcopus, ſub ritu duplici primæ claſſis* X Maji. *inſcriptus nonnullis Martyrologiis* XXV Maji.

S. Afræ & plurium Sanctorum Martyrum Tranſlatio Brixiæ, *facta anno 1580, inſcribitur Martyrologio Brixienſi Bernardini Faini. Agemus de ea die quo præcipue colitur,* XXIV Maji.

Burchardus, Epiſcopus Haluerſtadenſis, hoc die anno MLXXXVIII Martyrii cruore perfuſus, apud Goſlariam extinctus eſt à ſchiſmaticis, ob defenſionem Sedis Apoſtolicæ, contra Henrici Imperatoris machinationes. *Annum & diem indicat Bertoldus, in Appendice ad Hermanni Contracti Chronicon: at genus martyrii explicat Petrus Bernriedienſis, in Vita S. Gregorii* VII *Papæ. Quapropter quia nomen ejus in ſacris Faſtis necdum reperimus, de illo ſimul agemus ad Vitam dicti S. Gregorii, ſi forſan lux interim aliunde accedat,* XXV Maji.

D S. Marcianus, S. Nicanor, S. Apollonius, } Martyres in Ægypto, *inſcribuntur Martyrologio MS. Bruxellenſi S. Gudilæ: in pluribus habentur præcedenti die. De iis agendum eſt* V Junii.

S. Irenæi, Epiſcopi Lugdunenſis & Martyris, revelatio *hoc die facta memoratur à Sauſſaio in ſupplemento Martyrologii Gallicani. Hujus Sancti dies natalis celebratur* XXVIII Junij.

S. Lupi, Epiſcopi Trecenſis, oſtenſio & repoſitio capitis *memoratur à Sauſſayo in Martyrologio Gallicano: & late ex antiquis monumentis deducitur à Nicolao Camuzato, in Promptuario ſacrarum Antiquitatum Tricaſſinæ diœceſis fol. 153 & ſequente: quæ omnia poterunt elucidari ad ejus Natalem* XXIX Junij.

Elſtanus, monachus apud Abendoniam, juſſu Sancti Ethelwoldi manum bullienti aquæ illæſus impoſuit & extraxit: dein Epiſcopus Wiltonienſis factus, ſancto fine quieviſſe *traditur. Hunc Edouardus Maihew ad hunc diem adſcripſit Trophæis Benedictinis Congregationis Anglicanæ, anno 1615 editis,* E *& titulo* Beati *honoravit. Secuti Menardus & Bucelinus in Menologio Benedictino. Aſt Hieronymus Porter in Floribus Sanctorum Angliæ, anno 1632 editis, eumque ſecutus auctor ſecundæ editionis Martyrologii Anglicani,* Sanctum *appellant, & talem cenſet Alfordus in Annalibus Eccleſiæ Anglicanæ ad annum 986 numero 2. Colitur* Sanctus Ethelwoldus, *quando de hoc Elſtano iterum agendum erit, & ſi veſtigium cultus Eccleſiaſtici reperiatur, Sanctis incunctanter à nobis adſcribetur* I Auguſti.

S. Alfwoldus, Rex Northumbriæ & Martyr, *ad hunc diem inſcriptus eſt Martyrologio Anglicano primæ editionis, & hujus exemplo, Ferrarii Catalogo generali. Verum in ſecunda editione dicti Martyrologii, cum approbatione Michaelis Alfordi in Annalibus Anglicanis ad annum 78, numero ſecundo, transfertur ejus memoria in diem* XXIII Septembris.

S. Galla vidua Romana, & ſanctimonialis apud S. Petrum, *hoc die ex hac vita migraſſe creditur, inſcripta Martyrologiis monaſticis Wionis, Menardi, Dorganii, Bucelini, item Ferrarii Catalogo Generali & Catalogo Sanctorum Italiæ. In Martyrologio Romano refertur* V Octobris.

F B. Joanna de Signa, *quia cultum aliquem habere dicitur feria II poſt Paſcha vel poſt Octavam Paſchæ, huc refertur ab Arturo in Martyrologio & Gynæceo, & quidem tamquam Tertiaria: feſtum ejus agitur die quo obiit* IX Novembris.

S. Menalchius Archiepiſcopus, patruus Sancti Livini Epiſcopi & Martyris, *refertur in MSS. additionibus Carthuſiæ Bruxellenſis ad Grevenum ejus mentio fit in Vita Sancti Livini, ad quam poterit de eo ulterius agi* XII Novembris.

B. Ambroſius de Mediolano, *Ordinis Obſervantium, hac die obiit Monte-Leonis in Vmbria, referturque in Martyrologio Franciſcano & à Iacobillo: qui ultimus Vitam ejus in quodam MS. ſuo inveniens, & Proceſſum nactus ſuper ejuſdem Vita ac miraculis Spoleti fabricatum Ordinarii auctoritate, rurſum de ipſo plenius agere inſtituit, eo die, quo corpus, poſt octo menſes à ſepultura repertum integrum, coruſcavit miraculis, quando & nos de eo agemus; ſi citata documenta, quæ necdum impetrare potuimus, nanciſcamur, videlicet* XXVI Decembris.

DE

A DES. SIXTO SEV XYSTO PRIMO,

PONTIFICE ROMANO MARTYRE

CAPUT I.

G.H.

Cultus ejus, Ætas, Acta.

ANNO CXXVII

Notitia S. Sixti ſeu Xyſti Pontificis Romani antiquiſſima, extat apud S. Irenæum, qui Epiſcopus Lugdunenſis glorioſo martyrio coronatus eſt anno CCI. *Hic lib.* 3. *adverſus hæreſes cap.* 3. *agit* de Apoſtolorum traditione, vel ab Apoſtolis in Eccleſia Epiſcoporum ſucceſſione, *& ſolos adducit Epiſcopos Eccleſiæ Romanæ, & inter hos dicitur* Euariſto ſucceſſiſſe Alexander, ac deinceps Sextus ab Apoſtolis conſtitutus Sixtus, & ab hoc Teleſphorus, qui etjam glorioſiſſime martyrium fecit. *Quæ S. Irenæi verba ſub hujus nomine, inſeruit Euſebius Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ lib.* 5. *cap.* 6. Sextus ab Apoſtolis *ſtatuitur ab Irenæo, qui revera Septimus ab iisdem fuit, eo quod ob affinitatem nominum,* Cletus & Anacletus *ab eo & aliis quibusdam non fuerint diſtincti, ſed aliqua ſocordia in unam eamdemque perſonam conflati. De hac controverſia agimus infra* XXVI *Aprilis, ad Acta S. Cleti Pontificis: ad quem diem annotat Baronius,* in his, quæ ſunt Romanæ Eccleſiæ, majorem eſſe adhibendam fidem ejus alumnis, quam ceteris. *Antiquiſſimum Romanæ Eccleſiæ monumentum in hac quæſtione arbitramur eſſe Catalogum Romanorum Pontificum, ante Liberii Papæ mortem concinnatum, in plures partes diſtingue[n]dum, quarum prior finit cum Vrbano Papa, anno Chriſti* CCXXXI *Martyre defuncto; quam partem ab S. Antero, necdum Pontifice, collectam fuiſſe opinamur, quod is* geſta Martyrum diligenter à Notariis exquiſiviſſe *tradatur. In hoc Catalogo octavus Epiſcopus Romanus adeoq; à S. Petro Apoſtolo ſeptimus, collocatur S. Sixtus, cum hoc parvo elogio:* Sixtus annis decem, menſibus tribus, diebus viginti uno. Fuit temporibus Hadriani, à Conſulatu Nigri & Aproniani, uſque Vero III & Ambibulo. *Fuerunt* Quinctius Niger & T. Vipſanius Apronianus Conſules *anno æræ Chriſtianæ* CXVII, *quibus itidem Conſulibus & anno Traianus Imperator apud Selinuntem Ciliciæ, quæ poſtea Traianopolis appellata eſt, diem extremum obiit* X *Auguſti, ſucceſitque ab illo adoptatus Hadrianus, in elogio dicto memoratus. Iidem Sedis illius* anni decem, menſes tres, dies viginti unus *memorantur apud Anaſtaſium de Vitis Pontificum, & in libro Pontificali. Conſentiunt Acta antiqua & integerrima S. Alexandri, deceſſoris ad diem* III *Maji illuſtranda. In his dicitur poſt martyrium S. Alexandri,* eodem anno nutu Dei defunctus Traianus. *Fuit S. Alexander pluribus menſibus in carcere detentus; quo tempore arbitramur S. Sixtum fuiſſe Epiſcopum, circa* XIII *diem aut proxime ſequentes menſis Decembris anni* CXVI, *conſecratum, ac Vicarium egiſſe S. Alexandri, atque inde numerari* annos decem, menſes tres & dies viginti unum, *qui ei attribuuntur, uſque ad diem* III *aut* VI *Aprilis anni* CXXVII, *quo etiam Martyr ex hac Vita deceſſit. Fuerunt dicto anno* Conſules Titianus & Gallicanus, *ſub quibus initium Pontificatus S. Teleſphori collocatur in jam laudato Catalogo, & anno proxime elapſo* CXXVI Conſules *fuerunt* Veſpronius Candidus Verus, & Ambibulus, *ſive (ut aliis placet)* Ambiguus Bibulus, *aut magis corrupte* Angulus *ſive* Anniculus; *quos ultimos habuit toto anno Conſules S. Sixtus, & ad tres menſes vixit ſub ſequentibus Conſulibus, mortuus anno decimo Hadriani Imperatoris. De variis Pontificibus, qui aliis in exilium miſſis, aut in carcere detentis, aut aliis de cauſis impeditis, fuerint Vicarii conſtituti, alibi accuratius agendum eſt. Conſulat Lector etiam illa, quæ* XVII *Aprilis dicuntur in Vita S. Aniceti Pontificis.*

Memoratur à S. Irenæo,

An. 117. *ultimo trajani,*

an 10. *Hadriani Imp.*

B

& in antiquo Catalogo Romanorum Pontificum

C

mortuo S. Alexandro ſucceſſit,

ante ejus Vicarius,

moritur an. 127.

2 *Florus in ſuo Supplemento ad Martyrologium Bedæ tertio die Aprilis in MSS. Atrebatenſi & Tornacenſi iſta ſcribit,* Romæ S. Sixti, Papæ & Martyris, qui dum Cathedræ S. Petri decem annis præſideret, conſtituit, ut intra Actionem Sacerdos incipiens populo hymnum decantaret, videlicet Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth &c. Martyrioque coronatur tempore Veri & Anniculi, *quos ultimo anno Vitæ S. Sixti Conſules fuiſſe diximus. Iisdem plane verbis & die (niſi quod loco* Anniculi *ſcribatur* Annicti) *notatur memoria S. Sixti in pervetuſto Martyrologio monaſterii S. Sabini in Pireneis, unde excerpta ad Gallias ſpectantia edidit Sauſſayus ad calcem ſui Martyrologii Gallicani, quia ſcilicet primis ipſius elogii verbis infartum erat aliquid ad Galliam ſpectans,* qui dum [Epiſcopus Convenarum], *videturq; ſubintelligi* fuiſſet. *Eſt hæc quoque in radicibus Pireneorum Epiſcopalis civitas: ſed an & quo fundamento ipſa ſibi S. Sixtum arrogarit olim non divinamus; hodie nullum ibi ſupereſſe ejusmodi opinationis veſtigium colligitur ex Gallia Chriſtiana Sammarthanorum, ubi propanitur catalogus Epiſcoporum a ſq; ulla Sixti mentione. Eodem* III Nonas Aprilis Sepultum eſſe S. Sixtum, *referunt encomia ſcripta in altero Catalogo mox dando; & ab Anaſtaſio & Luitprando, & in MSS. Geſtis Summorum Pontificum ad Martinum* V *deductis, propoſita. Eodem etiam die memoratur S. Sixtus in MS. Martyrologio Lætienſi.*

colitur 3. *Aprilis;*

E

3 *Verum in aliis Martyrologiis, cum Libro Pontificali, paſſim refertur ad hunc* VI *diem Aprilis, quem ita auſpicatur Vſuardus:* Octavo Idus Aprilis, Romæ natalis B. Sixti Papæ & Martyris, cui temporibus Hadriani, ut ſibi Chriſtum lucrifaceret, libenter mortem ſuſtinuit temporalem. *Wandelbertus hoc eum diſticho exornat:*

& 6 Apr.

Idibus Octavis Sixtus Martyrque Sacerque
Præminet, Adriano mortem ſub Cæſare paſſus.

Eodem modo paſſum eſſe S. Sixtum ſub Adriano Imperatore, *habent vetuſtiſſima quæque Martyrologia manuſcripta, & cumiis Ado, Notkerus, Bellinus, Maurolycus, Felicius, Caniſius, Galeſinius. Simili modo Euſebius (quem Georgius Syncellus & alii Græci ſequuntur) obitum S. Sixti & ſucceſionem S. Teleſphori collocat* ſub Hadriano Imperatore, *ſed uno anno ſerius,* Conſulibus Torquato & Libone, *ſive ſecundum calculum noſtrum, ad annum Chriſti* CXXVIII. *Alphonſus Ciaconius aſſerit* ob fidei Chriſtianæ confeſſionem occiſum eſſe VIII Idus Aprilis, anno vero Domini CXXXIX, & Hadriani Imp. XXI & ultimo. *At Baronius ſcribit* S. Sixtum creatum Pontificem anno Hadriani XIII, martyrium paſſum anno tertio Antonini Pii, & Chriſti CXLII. *Quorſum hi duo ab omni antiquitate deflectant alibi diſcutimus: hic notabis, S. Sixti Papæ & martyris feſtum cum officio* 3 *Lectionum præcipi in Kalendario Breviarii Æduenſis ſeu Auguſtodunenſis præſenti die* VI *Aprilis, prout illud excuſum habemus anno* 1534: *itemque in Dolenſi apud Burgundiones anni* 1519.

F

4 *Acta S. Sixti aliqua indicantur in Catalogo Pontificum, ex perantiquis membranis Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ Chriſtinæ alibi à nobis dando; & inde hæc tranſcribimus.* Xiſtus, natione Romanus, ex patre Paſtore de regione Via-lata, ſedit annos decem, menſes duos, diem unum. Fuit autem temporibus Hadriani uſque Vero & Angulo: martyrio coronatur. Hic conſtituit, ut miniſteria ſacrata non tangerentur niſi à miniſtris. Hic conſtituit ut quicumque Epiſcopus evo-

Acta ex alio Catalogo MS.

AUCTORE D. P.

atus ad Sedem Romanam Apoſtolicam, & rediens ad parochiam ſuam, non ſuſciperetur, niſi confirmata Salutationis plebe ad Sedem Apoſtolicam. Hic conſtituit ut infra actionem Sacerdotis, populus hymnum decantaret, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth &c. Hic fecit ordinationes tres, Preſbyteros undecim, Diaconos tres, Epiſcopos per diverſa loca quatuor. Qui etiam ſepultus eſt juxta corpus B. Petri in Vaticano, III Nonas Aprilis, & ceſſavit Epiſcopatus menſes duos. *Hactenus Acta ex dicto Catalogo quem ſeculo Chriſti ſexto confectum probamus alibi. Anaſtaſius hunc Catalogum fere deſcripſit; ſed Sedis* annos decem, menſes tres, dies viginti unum, (*ut in priore Catalogo habetur*) *legiſſe videtur. Dein ait Epiſcopum non ſuſcipiendum*, niſi cum litteris Patriarchæ Salutationis plebi, quæ eſt formata. At liber Pontificalis: Non ſuſcipiatur, niſi cum formatis Salutationis ad plebem à Sede Apoſtolica. Epiſtolas *has* formatas *ſeu* communicatorias *etiam dicit* Canonicas, Pacificas, & Eccleſiaſticas, *tradit Baronius ad annum 142 num 7, earumque uſum late explicat Sirmundus, in appendice ad tomum ſecundum Conciliorum.*

ali dies.

B

SS Genulphus & Peregrinus ab eo in Gallias miſſi:

5 *Franciſcus Boſquetus lib. 2 Hiſtoriarum Eccleſiæ Gallicanæ cap. 1 ſub finem iſta habet:* A Sixto I Romano Epiſcopo in Gallias miſſi dicuntur Peregrinus, qui Sedit Antiſſiodori, Genulphus qui cadurcis. At hunc Sixto II tribuunt, fortaſſis etiam & illum oportet. *Vitam S. Genulphi dedimus* XVII *Ianuarii, & à Sixto* II *miſſum oſtendimus; de S. Peregrino acturi ſumus ad diem* XVI *Maji, quando ejus miſſio examinabitur.*

CAPUT II.

Sepultura, Tranſlatio, Inventio S. Sixti.

ejus ſepultura,

6 SEpultus *dicitur* S. Sixtus juxta corpus S. Petri in Vaticano. *Onuphrius de ſeptem-Vrbis Eccleſiis pag. 41, poſt indicatam Confeſſionem S. Petri, addit:* Præter altare majus S. Petri in antiqua baſilica viginti alia altaria, partim ſacellis vel oratoriis incluſa, partim ſine ædiculis ipſis fuere. Primum à dextera altaris majoris in tranſverſa baſilicæ parte, quam Crucem eccleſiæ vocant, verſus abſidam fuit oratorium & altare S. Xyſti Papæ & Martyris, ſub quo à Paſchali II Papa ſepulta fuere corpora Sanctorum Pontificum, Xyſti ipſius, Fabiani Martyrum, & Sergii II. *Hæc ibi. Sedit Paſchalis* II *ab anno* MXCIX *ad annum* MCXVIII. *Celebratur etiamnum officio duplici feſtum S. Sixti* I *Papæ hoc* VI *Aprilis in eccleſia Vaticana, eo quod corpus illius ibidem adſervetur, uti in Ordine Officii divini pro an.* MDCLXV *à Ioſepho de Fide, Magiſtro Ceremoniarum ejusdem Eccleſiæ, compoſito præcipitur.*

oratorium & altare Romæ,

C

an etiam nunc corpus?

7 *Interim apud Ludovicum Iacob, in Bibliotheca Pontificia, occaſione Decretalium aliorumque librorum S Sixto falſo attributarum, de ejus corpore hæc leguntur:* Fuit illud Roma anno MCXXXII, ad Aletrinam Latii civitatem in Hernicis devectum, & in templo primario conditum, anno vero MDLXXXIV ſub Reverendiſſimo Patre Egnatio Dante Perufino, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopo Aletrino, qui hiſtoriam utriuſque Tranſlationis ſcribendam curavit, corpus eſt repertum. *Ergo plenius hæc de re inſtrui cupientes, ad Sorani noſtri Collegii Patres, tamquam Aletrio vicinißimos, litteras dedimus, ſi forte deſcriptam juſſu Epiſcopi Egnatii hiſtoriam nanciſci poſſemus. Incubuit non ſegniter in demandatam ſibi curam* P. *Petrus Clodius, tum ſua ipſius erga Sanctos pietate animatus, tum* P. *Euſebii Truchtes Aßiſtentiæ Germanicæ Secretarii commendatione admonitus: itaque impetrata tandem eſt narratio, quæ à* P. *Andrea Ferrario Romano, ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci, typis mandata anno* MDCLV *ſex implebat folia; ſed quoniam eam à ſe longius abire non patiebatur is, qui unicam illud exemplar volebat eccleſiæ ſervari; neceſſe fuit ſcripto excipere verboſißimæ alias relationis ſynopſim, quod ita eſt factum ut nihil omitteretur hiſtoriæ, ſola autem ſuperflua ac fere puerilia ornamenta ſtyli intempeſtive luxuriantis reſecarentur. Ea autem Synopſis, ex Italico Latine reddita, ſic habet.*

Hiſtoriæ translationis Aletrium

unde acceptæ.

D

8 Anno MCXXXII variæ regiones Italiæ dira peſtilentia vexabantur, nec parum ab ea damni patiebatur Aliffa, urbs Epiſcopalis Samnii, ſub Archiepiſcopatu Beneventavo, nunc pene deſerta, Epiſcopis in Pede-montis plerumque habitantibus. Malo huic remedium quærens oppidi prædictæ Dominus, Romano Pontifici (qui tunc Innocentius II erat) ſupplicavit, ut Sancti alicujus corpus ſibi concederet, cujus patrocinio poſſet urbs ſua ab incumbenti lue repurgari. Preces eas cælum prius quam Pontifex audiit: accidit enim eodem pene tempore, ut ingens trabs in eccleſia S. Petri ex alto lapſa, quoddam ejuſdem eccleſiæ altare frangeret; eoque fracto appareret repoſita intus capſula, continens S. Sixti Papæ I corpus. Ea res Pontificem movit, ut Aliffanis hunc potiſſimum indulgeret Patronum, quorum Comes ſanctas Reliquias reverenter accipiens, & bene ornatæ mulæ imponens Aliffam eas miſit. Pars viæ paulo plus quam tertia confecta erat, quando mula, ſacri depoſiti bajula, cohiberi non potuit, quo minus à via plana largaque deflectens, per aſperam ſemitam eniteretur in montem, iterque caperet Alatrum verſus; & neque verberibus neque blanditiis moveri jumentum valuit, ut rediret in viam; quantumque muliones aliique præſentes allaborarant.

An. 1132 corpus conceſſum Aliffenſibus,

à mula, ultra progredi non valente,

E

9 Fruſtra ergo ſe eſſe videntes, duxere mulam ad proximum S. Matthæi templum, quod adjacet Volubro (lacus is eſt juxta majorem urbis Aletrinæ portam) & re mox per civitatem vulgata, Petrus Epiſcopus cum ſuo Clero & magna civium multitudine egreſſus eſt, ad ſacrum corpus ſuſcipiendum. Deinde deliberatum eſt quænam potiſſimum eccleſia eſſet tanto theſauro ditanda, & in varias varii abiere ſententias, aliis S. Stephani templum, S. Mariæ aliis nominantibus. Tandem Epiſcopo viſum conſultius eſt divino judicio rem committere, & quo mula ultro ſe inferret iſtic deponere ſacrum corpus. Ita dimiſſa mula collem quemdam aſcendit, ſeque ad Cathedralem S. Pauli eccleſiam contulit; ante cujus januam ſuper gradus humiliter inclinata in genua, viſa eſt admonere ſequentes, iſtic ſe exonerari debere: quod & factum die XI Ianuarii an. MCXXXII. Aliffanis autem, jacturam ſuam dolentibus, datus eſt digitus: quem eorum urbi, non minus quam reliquæ partes Aletrinæ, fuiſſe ſalutarem, extincta mox quæ graſſabatur epidemia, non temere credimus; quandoquidem Aliffana civitas nihilominus quam Aletrana in hodiernum uſque diem S. Sixtum veneratur, ut eccleſiæ Cathedralis Tutelarem, ejuſque Reliquias ſervat in ſacello ſub confeſſione, uti tomo 8 Italiæ ſacræ teſtis eſt Ferdinandus Vghellus.

Alatrum infertur;

in eccleſiam cathedralem:

F

Aliffanis digitus conceditur, 6

10 Progreſſu deinde temporis, labentibus quatuor & dimidio ſeculis, in oblivionem venit locus, in quo Reliquiæ ſacræ erant reconditæ; die tamen XI Ianuarii annue recolebatur Tranſlationis primæ feſtivitas, aliaque feſtivitas feria IV Paſchali in memoriam victoriæ ab Aletrinis contra Aragonii Regis copias circa annum MCCCXXXVI obtentæ. His ita ſe habentibus ſub annum MDLXXXIV Philippum Compagnum Cardinalem S. Sixti cupido inceſſit indagandi corpus S. Sixti: quare obtenta à Gregorio XIII patruo ſuo, qui & ipſe ante Pontificatum Cardinalis S. Sixti fuerat, facultate, D. Egnatio Danti Epiſcopo Alitrino mandavit, ut in eam rem quam diligentiſſime incumberet.

dies Tranſlationis 18 *Ian. feſtus habetur,*

11 Noverat Egnatius prædeceſſorum ſuorum duos idem facere aggreſſos ſevere punitos fuiſſe, &

uni

A uni quidem ſubito obtenebratum viſum, alteri morbum caducum ſuperveniſſe, labente de manibus quē ad aram perfringendam ſuſtulerat malleo: fretus tamen obedientiæ merito Dominica III Quadrageſimæ, tunc in IV Martii cadente, hora poſt occaſum ſolis inchoatæque ab eo diei V tertia, Vicario ſuo generali tribuſque aliis ſuis domeſticis comitatus, aperiri juſſit marmoreum S. Sixti altare, in quo vitreum vas continuo apparuit variis plenum Reliquiis, cum bulla ſigilloque cereo, ita marcidis, ut legi omnino potuerit nihil. Inventa etiam eſt membrana alia, quæ diligenter relecta hæc verba exhibuit. Anno milleſimo centeſimo quinquageſimo Septimo, Adriani Papæ Quarti anno III, Indict. V, menſe Maji die XII dedicatum eſt hoc altare à D. Rodulpho Aletrino Epiſcopo, ad honorem D. N. Jeſu Chriſti & ejus beatiſſimæ matris Mariæ ſemper Virginis; B. Xyſti Papæ Primi & Martyris, cujus corpus in hoc altari reconditum eſt; S. Laurentii Martyris, & Sanctorum quatuor Coronatorum, & ſanctorum Martyrum Chryſanthi & Dariæ, & S. Romani Militis, & S. Hieronymi Mart. & S. Cyrillæ Mart. & S. Concordiæ Mart. & aliorum plurimorum Martyrum Chriſti, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

quæritur in corpus anno 1584.

4 Martii invenitur memoria altaris conſecrati anno 1157.

12 Non tamen repertum tunc ſacrum corpus eſt. Itaque Epiſcopus jejunium & orationem populo, velut pro maximi momēti negotio, indixit: noctisq; initio Dominicā Lætare præcedentis præter ſupradictos etiā duos Patres Capucinos advocari juſſit. Tū rupto altari diſcooperuit capſellam plumbeam; longam palmos duos & paulo amplius, altam & latam palmum unum; cui antiquis characteribus inciſæ erant hæ litteræ, HIC RECONDITUM EST CORPUS S. XISTI PP. PRIMI ET MART. Ex aperta autem capſula diffuſus odor thureus locum omnem implevit: Epiſcopus autem ultima feria VI Martii, eademque Dominicæ Paraſceves die, totam rei geſtæ hiſtoriam populo pro concione expoſuit. Data deinde opera eſt, ut faciendæ quam decentiſſimæ tranſlationi omnia aptarentur; & in primis aurata ex nuceo ligno theca nova, introrſum veſtita holoſerico, in eamque repoſita eſt capſa plumbea, poſtquam ab ea exemiſſet Epiſcopus ſacrum caput, cui adhuc inhærent venerandi cani; & fabricata eſt argentea quadringentorum ſcutorum herma, qualis nunc quotannis proceſſionaliter circumfertur: reſervavit etiam ſibi os tibiæ dextræ, quod Sanctimoniales Ordinis S. Benedicti ab Annuntiata nuncupatæ reverenter acceptum, argenteæ libiæ incluſerunt. Denique præparatus eſt locus ſub altari majori, ad inſtar ejus quod in Vaticana S. Petri Baſilica principem tunc locum tenebat laborato; cujus aditus duplici obſtruitur oſtio, altero marmoreo vetuſti operis, altero ferreo & inaurato. Denique accurrentibus ad dictam diem viginti circiter hominum millibus, peracta ſolennitas eſt die IV Aprilis: cujus hoc duraturum ad poſteros monumentum, pilæ cuidam ipſius eccleſiæ, præfati Epiſcopi juſſu, tunc inſculptum; poſtmodum à D. Michael-angelo Brancavallerio, itidem Aletrino Epiſcopo, tranſlatum eſt in aliam ejuſdem eccleſiæ pilam, magis expoſitam oculis ingredientium, & eſt hujusmodi:

ipſum vero corpus 12 ejusdem: B

transfertur ſolenniter 4 Aprilis.

caput & os libia ſeorſim ſervantur, C

13 Beati Xyſti Papæ primi & Mart. Corpus, dum è Baſilica Vaticana Aliſſium Rainulphus Comes transferre nititur; mula ipſum vehens à recto tramite devians, in hanc Cathedralem eccleſiam miraculoſe detulit MCXXXII. S. D. Innocentii Papæ II anno III. At vero cum temporum vetuſtate ſepulturæ locus ignotus eſſet, à pleriſque Eccleſiæ hujus Pontificibus fruſta perquiritur, donec MDLXIIII, die XII Martii Pontificatus S. D. N. Gregorii XIII an. XII, Fr. Egnatius Dantes Peruſinus, Ord. Prædicatorum, Epiſcopus Aletrinus, ipſum arca plumbea incluſum adinvenit, uti litteris his barbaris ſculptum erat, HIC RECONDITUM EST CORPUS S. XYSTI PAPÆ I. ET MARTYRIS: quod ingenti gaudio accepit, totique civitati & vicinis urbibus patefecit. Exiſtente autem totius Campaniæ populorum concurſu, ipſum corpus ex humili loco in majus altare honorificentiſſime tranſtulit, poſtquam à nobiliſſimis Præſulibus, D. Gaſparo Viviano, Epiſcopo Anagnino; D. Hortenſio Baptiſta, Epiſcopo Verulano; D. Flaminio Philonardo, Epiſcopo Aquinate; D. Jacobo Maſino, Epiſcopo Signienſi; D. Iulio Ungareſio, Gubernatore Campaniæ cognitum, & firma atteſtatione comprobatum, propriis humeris per totam civitatem nobiliſſima pompa aſportatum eſt, die IV Aprilis ejuſdem anni.

hiſtoria rei geſtæ lapidi inciditur,

AUCTORE D. P.

14 *Atque hæc ſola inſcriptio (niſi vehementer fallimur) hiſtoria eſt à Ludovico Iacob ſuperius laudata, præter quam nullam aliam juſſu Egnatii Epiſcopi ſcriptam quærere amplius oporteat. Poſitus autem hic titulus fuerit ipſo die, quo Romæ in Pontificem electus anno* MDLXXXV *eſt Sixtus* V, *videlicet* XII *die Aprilis: hoc enim affirmare videtur Epiſtola quædam ab Egnatio Epiſcopo ad dictum Pontificem data, & ab auctore præmiſſa narrationis citata. Exinde autem perſeveravit populus Aletrinus quartum Paſchalis octavæ diem ſolennius agere, proceſſionales pompas exquiſitiſſime apparatas per totam urbem ducendo, & ſacra cantica hymnoſque ad Sancti ſui honorem compoſitos concinendo, non ſine plurimorum undiq; vicinorum concurſu: ſatis enim celebris tota regione evaſit hic Sanctus miraculoſis favoribus quos ab eodem acceptos prædicant qui ei ſe commendavere. Æri etiam inſculptæ ſunt imagines variæ, quibus tota hactenus narratæ rei ſeries oculis ipſis cognoſcenda proponitur.*

in eccleſia 1585 12 Ap collocatur.

feria 4 Paſchali recolitur 2 Translatio. B

Occaſio prædictæ inquiſitionis

15 *Quærere nunc poſſet aliquis, cur prænominatus Philippus Boncompagnus, S. Sixti Cardinalis, qui tanto ſtudio juſſerat in corpus ſacrum inquiri, non etiam ipſum aut bonam illius partem curaverit Romam referri. Sed huic quæſtioni facilē inveniet ſolutionem, qui conſiderare voluerit, quā cauſam Cardinalis iſte habuerit ad mandatum ejusmodi Epiſcopo Aletrino dandum. Exiſtimo igitur quod cum Tituli ſui eccleſiam, Romæ Via Appia ſitam, ac pene collapſam deſolatamq; magnifice reſtaurāſſet; atque inter alia corpus S. Sixti, Papæ item & Martyris, nomine quidem ac tempore ſecundi, ſed nominis martyriique celebritate propter ſubſecutam S. Laurentii paſſionem longe primi, crederetur ſub ejusdem eccleſiæ altari majori requieſcere, jam olim illuc tranſlatum ex antiquo cœmeterio ipſius S. Sixti, eadem via Appia, ſed extra urbem; fidem faciente antiquo ſatis lapide, ibidem reperto, & nominibus Sanctorum pariter in eccleſia prædicta reconditorum, inſcripto: hæc inquam cum ita eſſent, & nihilominus alii, propter S. Sixti Reliquias Aletrium tranſlatas, addubitarent, num vera eſſet inſcriptio (ſolent enim quæ diverſorum ejusdem nominis ſunt in celebriorem unum paſſim conferri omnia) credibile eſt ſtudioſum ſui Tutelaris Cardinalē, ſcripſiſſe Aletrium: poſtquam autem cognovit, ipſum quem Aletrienſes poſſidebant non eſſe, quem illimet antea forte crediderant, tituli ſui celeberrimum Sixtum, ſed ejusdem appellationis alterum; nihil habuit cur Aletrienſes ultra commoveret. Credo porro eos non difficulter aſſenſuros aliquid è ſuo S. Sixto remanſiſſe in Vaticano: cū alienum ſit ac fuerit ſemper à Pontificū conſuetudine, ita Sanctorum pignora largiri aliis, ut Romanæ eccleſiæ iisdem integre viduentur; ſed potius eorumdem partem aliquam ipſis relinquere ſoleant per quas ibidem conſervetur talium eccleſiarum dignitas ſanctitasq; & non imminuatur popularis erga Sanctos devotio, etiam poſt majorem Corporis ſancti partem ablatam.*

D *videtur accepta à corpore quod Romæ eſſe dicebatur*

DE SANCTIS MARTYRIBVS NICOMEDIENSIBVS. D

FIRMO, HERENÆO EPISCOPO, HIMNARO, SOLUTORE, QUIRIACO, MOYSE, ROMANO, SVCCESSO, QUARTILLA, ROMANA, DONATO, SIXTO, VICTORE, QUIRIACA, GAGO, SATYRO.

G.H.

VI APR.

Firmus aliquibus Firminus.

Succeſſus, Quartilla, Romana, Quiriaca.

Lluſtris hæc turma Martyrum primo loco in antiquis Martyrologiis collocatur, quorum unius nomen exprimitur in MS. Vltrajectino Eccleſiæ Collegiatæ S. Mariæ, his verbis: Nicomedia Firmi Epiſcopi & Martyris & aliorum viginti octo. *In MS. Trevirenſi* Firminus *appellatur: cetera conveniunt. Grevenus in auctario Vſuardi & Caniſius* Firminum *etiam nuncupant, &* ſocios *aſſignant* viginti quinque: *ſed multi ex his videntur ſpectare ad ſequentes claſſes. In aliis faſtis* Epiſcopus *dicitur, non* Firmus, *ſed proximus ejus ſocius; & hunc ita exprimunt MSS. Vaticanum eccleſiæ S. Petri, Caſinenſe & Maximinianum*: In Nicomedia Firmi, Herenæi Epiſcopi, *qui in MS. Barberiniano* Berenæus, *in Corbeienſi* Ærenæus *ſcribitur: in MS. Auguſtano S. Vdalrici alii ſocii junguntur his verbis:* In Nicomedia Firmi, Herennei, Romani, Donati, Quiriaci. *In MS. Pariſienſi, nobis à Philippo Labbe communicato, ſecundus appellatur* Beronnæus, *& in utroque codice alii quatuor, qui ad varias mox ſequentes claſſes Martyrum ſpectant, adiunguntur, hic omiſi. Memoria* Firmi, Romani, & Donati *inſerta eſt Martyrologio Aquisgranenſi. In MS. Rhinovienſi* Firmo *adjunguntur* Solutor, & Quiriacus. *In MS. Richenovienſi additur* Moyſes, *& prior ſcribitur* Salvator. *Grevenus, poſt relatum* S. Firminum, cum ſociis viginti quinque, *varios Sanctos commemorat, ac dein iſta tradit:* Item SS. Berennei, Romani, Donati, Cluſi, Quiriaci. *De* Cluſio *Presbytero Alexandrino infra agemus. Eſt etiam* Donatus Martyr *inter Afros Martyres ad hanc diem relatus, ſed ad ſequentem diem cum Vſuardo & Romano Martyrologio collocandus.*

B

Herenæus, ſeu Berenæus

Romanus, Donatus, Quiriacus.

Solutor ſeu Salvator, Moyſes,

2 *Et hactenus ex variis Martyrologiis ſeptem Martyres ſuis nominibus expreſimus, quibus alii junguntur in Martyrologii S. Hieronymiani Corbejenſi apographo ita Pariſiis excuſo:* VIII Idus Aprilis. In Nicomedia Firmi, Henei Epiſcopi, Himnari, Solutoris, Quiriaci, Moyſy, Romani, Donati, Sixti, Victoris, Gagi, Satyri. *Verum omiſſo* Satyro, *quatuor alii adduntur in MS. Blumiano hoc ordine:* In Nicomedia Firmi, Herenei Epiſcopi, Himnari, Salutoris, Quiriaci, Moyſi, Romani, Succeſſi, Quartillæ, Romanæ, Donatæ, Xiſti, Victoris, Quiriaci, Gagi. *Iidem referuntur apud Florentinium ex Lucenſi codice. At loco* Herenei, *ſcribitur* Hermei; *& penultimus* Quiriaca *appellatur. In apographo Epternacenſi detinetur* Donatus, *& loco* Firmi, Himnari & Victoris, *legitur* Sirmi, Imani & Victuri, *& iterum interponebatur nomen* Sirmi, *pro quo* in Sirmio *legendum eſſe ex ſequenti claſſe conſtabit. Eſt ergo horum Martyrum anteſignanus ſtatuendus* Firmus, *perperam aliis* Firminus *&* Sirmus *dictus: cui primus ſubjungitur* Epiſcopus Herenæus, *aliquibus* Bereneus, *& quod minus probamus* Hermeus *&* Heneus. *Tertius eſt* Himnarus, *etiam* Imarus *dictus, rectius fortaſſe ab origine Græca ſcribendus* Hymnarus, *dein* Solutor, *aliis* Salutor *&* Salvator. *Qui pluribus* Donatus *eſt, etiam* Donata *legitur, uti pro* Quiriaca *ſub finem poſita, etiam alter* Quiriacus *ponitur.* Saturus *additur in unico Corbejenſi codice. In MS. Kalendario præfixo operibus S. Iſidori Hiſpalenſis, adſervatis Romæ apud Patres Congregationis Oratorii in Vallicella,* S. Firmo *adjungitur* Leontius Epiſcopus: *qui aut craſſiore amanuenſium incuria pro* Herenæo *poſitus eſt; aut, ſi alius eſt, necdum nobis alibi obſervatus. In MS. Hibernico Tamlactenſis Eccleſiæ memoria recolitur* SS. Herenei, Berenei, Firmi, Solutoris, Quartilæ, Ciriacii, Moyſi: *& aliis interpoſitis,* Romani, Gaji, Donati, Victoris, Sixti. *Refertur à nonnullis ad hunc diem* S. Herenæus, *ſive* Irenæus, Epiſcopus Syrmii & Martyr, *à nobis ad* XXV *Martii relatus, uti ſupra inter Prætermiſſos & ad alios dies rejectos ſuggeſimus. Galeſinius citatis Annalibus Eccleſiaſticis (ſed quibus, filet) iſta non ſatis probanda habet:* Nicææ in Bithynia SS. Firmi, Romani, Donati & Clunii: qui Juliano Imperatore, acerrimo fidei hoſte, pro religionis Chriſtianæ victoria corona Martyrii donati ſunt. *Galeſinium deſcribit Ferrarius in Generali Catalogo. Hujus* Firmi caput aſſervari Interamnæ in Umbria in Eccleſia Cathedrali, *ſcribit Iacobillus de Reliquiis hujus urbis.*

Himnarus, Sixtus, Victor, Gagus.

C

Satyrus.

E

F

DE SANCTIS MARTYRIBVS SIRMIENSIBVS

RUFINA, MODERATA, ROMANA, SECUNDO, ET ALIIS SEPTEM, ITEM FLORENTINO, GEMINIANO, SATURO,

G.H.

VI APRIL.

Nomina Martyrum:

Ltera eſt hæc turma Martyrum in antiquis S. Hieronymi Martyrologiis indicata: & in Blumiano apographo ita relata: Et in Sirmia Roſinæ, Moderatæ, Romanæ, Secundi cum aliis ſeptem, Florentini, Geminiani. *Eadem habentur apud Florentinium ex codicibus Lucenſibus niſi quod in illis* Secundæ, *non* Secundi *legatur. Verum apud Acherium in editione Pariſienſi excuſum eſt* Secundi, *&* Rufinæ. *& poſt* Geminianum *additur nomen* Saturi. *Aliqua eſt commixtio in MS. Epternacenſi cum claſſe præcedenti, ubi iſta traduntur:* Sirmi *ſeu* Sirmii, Donati, Xiſti, Victuri, Gagi, *qui ad Martyres Nicomedienſes jam relatos ſpectant.* Roſinæ, Moderatæ. Item Romanæ, Secundi & aliorum ſeptem, Florentini, Geminani. *Quibus duobus omiſſis id MS. Barberino, Auctario genuini Bedæ, & MS. Maximiniano eadem ita proponuntur:* In Sirmia Rufinæ, Moderatæ, Romanæ, Secundi cum aliis ſeptem. *Eadem habentur in MS. Pragenſi, ſed loco omiſſo; qui apud Grevenum in Auctario Vſuardi,* Apud Sirmium *indicatur: ſed mendo magno in MS. Colonienſi S. Mariæ ad Gradus dicitur,* In Smirna, *&* Romana *omittitur. Reliqua ubique magno conſenſu reperiuntur. In MS. Tamlactenſi omiſſo loco ſit mentio* Moderatæ, Rufinæ, Succeſſiæ & aliorum ſeptem, Florentii, Gemini, *& dein* Florentini. *In MS. Bruxellenſi S. Gudilæ celebratur* S. Florentius Martyr.

2 *Difficultas eſt num Sirmienſibus Martyribus jungendi ſint*

A

An recte jungantur Florentinus & Geminianus:

sint jam memorati Florentinus & Geminianus, *imo & qui in Corbejensi codice apud Parisios excuso additur*, Saturus, *quod turma Martyrum Sirmiensium videatur cum* aliis septem *concludi, ac forsan incuria amanuensium locus, aut vox* alibi *desit. Verum potuerunt hi duo seu tres seorsim ab aliis ibidem martyrium passi fuisse, uti seorsim collocantur. Qua monitione præmissa eosdem propenimus, cum aliis Sirmii passis. Fuit autem* Sirmium *metropolis Pannoniæ, ad Savum fluvium sita, de qua sæpius egimus, petissimum* XXV *Martii ad Vitam* S. Irenæi Episcopi *ibidem* & Martyris, *&* XXVI *Martii, quo die ibidem passos* SS. Montanum, Maximam & alios quadraginta *retulimus. Plures ibidem passi referuntur die* 2, 6, *&* 8 *Ianuarii.* D

DE SS. TIMOTHEO ET DIOGENE

MARTYRIBVS IN MACEDONIA

G. H.

VI APR.

Martyres hi hoc & sequenti die relati, an diversi?

DVas Martyrum classes, in Hieronymiani Martyrologii ecgraphis relatas, Nicomedienſium ſcilicet *&* Sirmienſium, *de quibus jam egimus; ſequebatur tertia Martyrum Afrorum, quos ob auctoritatem Vſuardi & Martyrologii Romani in ſequentem diem ſepoſuimus. Poſt hos referuntur in eisdem Martyrologiis duo Martyres*, Timotheus & Diogenes, *qui iterum ad ſequentem diem in eisdem faſtis leguntur, cum hac tamen differentia, quod hoc die dicantur paſſi* in Macedonia, *neque ulli jungantur ſocii. At ſequenti die relati, dicuntur* in Antiochia Syriæ *Martyrium ſubiiſſe, & junguntur* Macaria, *aliis* Madiaria, *&* Maxima. *Hos ut inter ſe diverſos ad utrumque diem referimus, & hoc die cum quatuor apographis Hieronymianis: memorant illos Vſuardus, Bellinus, Galleſinius, & illuſtriora MSS. Martyrologia cum hodierno Romano eisdem fere verbis:* In Macedonia Sanctorum Timothei & Diogenis, Martyrum. *Caniſius addit:* qui crudelia tormenta ſunt perpeſſi. *Notkerus diſſentit, aut potius aberrat, dum iſta habet:* In Nicomedia Timothei & Theogenis. *Maurolycus certa urbem Macedoniæ aſſignat:* In Macedoniæ civitate Philippis, SS. Timothei & Diogenis. *Reliqua Acta latent, è quibus certiora poſſemus proferre eosque à Martyribus Antiochenis ſolidiori argumento ſecerniere.* E

an hi Philippis passi?

B

DE SANCTIS MARTYRIBVS ALEXANDRINIS

G. H.

CLVSIO PRESBYTERO, TIMOTHEO, MACARIA,

VI APRIL.

TYRIA, MARCIA, SIVE MARGA, ET MAXIMA,

An simul omnes passi,

PRogredimur cum Martyrologio S. Hieronymi, in cujus apographo Epternacenſi, quo ut noſtro uſi ſumus, poſt relatos SS. Timotheum & Diogenem in Macedonia paſſos, iſta ſubduntur. In Alexandria Cluſi Preſbyteri, Pantapoli, Timothei, Tyriæ Macariæ, Margæ. *Quæ in MS. Blumiano ita leguntur:* In Alexandria Cluſi Preſbyteri, Pintaboli, Timothei, Macariæ, Tiriæ, Marthæ, Maximæ. *Verum apud Florentinium ex codice Lucenſi, quaſi in duas partes dividuntur hoc modo:* In Alexandria Natalis Cluſi Presbyteri. Pentapoli, Timothei Macariæ, Tyriæ, Marciæ, Maximæ. *In editione Pariſienſi ex codice Corbejenſi omittitur* Tyria, *reliqua conſentiunt. Ex quibus hoc dubium reſultat, num ſeptem hic Martyres recenſeantur, & Alexandriæ adſcribantur, & inter hoſce ſit collocandus* Pantapolus, *ſeu* Pintabolus, *aut* Pentapolus. *Omiſerunt eum in ſuis ludicibus Florentinius & Acherius, rati poſteriores quinque Martyres, in regione* Pentapoli *dicta, fuiſſe paſſos: & Florentinius quidem cum indicaſſet* plures regiones Pentapolis nomine vocatas, *reſolvit hic* Pentapolim Libyæ regionem *intelligi, ibique paſſos quinque ſubſtitutos Martyres. Verum videtur poſſe objici nomen* Pentapoli *male interjectum, ac debere poſt hos Martyres reiici; & ſic ſubjungi:* In Pentapoli Libyæ ſuperioris, Theodori Epiſcopi, Hirenæi Diaconi, Serapionis & Ammonii Lectorum. *Favet huic noſtræ opinioni Notkerus, qui ita ante octingentos fere annos ſcripſit:* Pentapoli Libyæ ſuperioris, paſſio Theodori Epiſcopi & multorum Martyrum. *Coluntur* Theodorus, Hirenæus, Serapion *&* Ammonius *potissimum* XXVI *Martii, ubi eos* in Pentapoli Libyæ *paſſos diximus tradi in Martyrologiis S. Hieronymi, Vſuardi, Adonis, Notkeri, & hodierno Romano. Hac ergo ratione moti ſex alios relinquimus cum S. Cluſio; & arbitramur vero ſimilius Alexandriæ eſſe adſcribendos. In MSS. antiquo Reginæ Sueciæ, ab Holſtenio plurimum laudato, memoratur aliorum anteſignanus* Cluſius Presbyter Alexandriæ. *At loco omiſſo* Timotheus *&* Cluſius *memorantur in MSS. Auguſtano S. Vdalrici, & Pariſienſi Labbei: & ſolus* Cluſius *in MS. Aquisgranenſi: item apud Grevenum & Galeſinium: ſed hic* Clunium *appellat. Grevenus præterea de aliis iſta habet:* In Pentapoli Maximæ & Macariæ: *cui ſi aliis repertis Martyrologiis adſcribi debere conſtet, per nos ſemper licebit. De urbe* Sirmio *ita tranſpoſita inter alios Martyres Nicomedienſes, etiam in antiquiſſimo apographo Martyrologii Hieronymiani, ſupra hoc die monuimus: quemadmodum & hic regionem* Pentapolim *arbitramur perperam immiſtam Martyribus Alexandrinis.*

C

an hotheri Pentapoli sit removendum ad alios Martyres?

F

DE SANCTIS MARTYRIBVS.

G. H.

MARINA VIRG. TEGVLIANO, VRBANO.

VI APRIL. *Concluduntur varia Martyrologia cum omnibus aut uno alterove ex his Martyribus. Nam Caſinenſe, Vaticanum S. Petri, & aliud Reginæ Sueciæ ab Helſtenio deſcriptum iſta habent*: Et alibi Natale S. Marinæ. *Quæ in MS. Adone ejusdem Reginæ* Maria *appellatur*; *in MSS. Auguſtano S. Vdalrici & Pariſienſi Labbæi* Marinus. *Duo junguntur in MS. Blumiano & Epternacenſi*, Et alibi Sanctæ Marinæ & Teguliani: *ſed* Tegulianæ *ſcribitur apud Florentinium ex codice Lucenſi. Apud Acherium in editione Pariſienſi ex codice Corbejenſi iſta leguntur*: Et alibi natalis Sanctæ Marinæ & Teguliani, Vrbani. *In MSS. Adone Leodienſi monaſterii S. Laurentii & in MS. Florario reperitur* Natale S. Adriani. *An hic forſan foret* Vrbanus *jam relatus, non audemus definire. In Kalendario Breviarii Mediolanenſis, anno* MDXXXIX *excuſi, celebratur memoria ſolius* S. Marinæ Virginis.

DE S. CÆLESTINA VIRGINE,

G. H.

ET ALIIS DCCC MARTYRIBUS.

B VI APRIL. *Djunximus hanc præclaram turmam ex antiquis Martyrologiis, quorum unum in eccleſia collegiata S. Mariæ apud Vltrajectinos ſolebat in uſu eſſe: In hoc iſta habentur*: Item S. Cæleſtinæ Virginis cum aliis octingentis. *Quæ eadem habentur in Trevirenſi MS. S. Martini, &* DCCC *numero Romano exprimuntur: pro quo numero apud Grevenum in Additionibus ad Vſuardum leguntur ſolum* alii LXXX. *At caniſius in utraque editione numero Arabico ſolum* 8 alios *adjungit. Caniſium deſcripſit Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non ſunt.* E

DE SS. CXX AVTCL MARTYRIBVS,

G. H.

IN PERSIDE SVB SAPORE REGE.

CIRCA CCCXLII. *Synaxarium Ms. Græcum Pariſienſe collegii Claromontani Societatis Ieſu, diem quintum Aprilis ita auſpicatur*: Ἄθλησις τῶν ἁγίων ἑκατὸν εἴκοσι Μαρτύρων, τῶν ἐν Περσίδι τελειωθέντων. *Eadem in Menæis excuſis & manuſcriptis & apud Maximum Cythereũ leguntur ad hunc* VI *April. & à Cardinale Sirleto in Menologio Græco ita Latine exponuntur*: Sanctorum Martyrum centum viginti, in Perſide coronatorum: *quos* igni extinctos *fuiſſe additur in Mss. Menæis Chiſletianis. Menæa excuſa idem indicant per hoc diſtichum:*

Adſcripti 5 & 6 April.

inignem conjecti.

Ἂν ἐξαριθμῇς ὃς τὸ πῦρ Περσῶν φλέγει,
Εὑροις ἔχοντας τετράκις κὴ τρὶς δέκα.

C *Sed quoniam* quater & ter decem *ſolum conficiunt ſeptuaginta, putamus vitiatum hic aliquid, & poſtremum verſum hoc modo legendum eſſe*:

Εὑροις ἔχοντας τρὶς τὸ τετράκις δέκα.

& ſub hac correctione totum diſtichon Latine ſic reddimus, ut ſint CXX.

Si quos aduſſit Perſicus rogus, velis
Numerare; habebis ter quater vicibus decem.

ex Imperio Romano captivi abducti,

2 *Plenius indicatur tempus & genus martyrii in* MSS. *Menologio Baſilii Porphyrogeniti Imperatoris his verbis*: Martyrium ſanctorum centũ & quinquaginta Martyrum, in Perſide coronatorum. Sapor impius Perſarum Rex Imperium Romanorum vexavit, tempore Conſtantii Romanorum Imperatoris, Deo hoc permittente, ob excitatam inſipientis Arii hæreſin, quam, ſuadente Euſebio Arianorum anteſignano, & ipſe Imperator amplexus erat. Rex ergo Sapor, multa ſubvertens oppida & regiones, plures è Chriſtianis captivos abduxit: quorum aliqui quidem jugulati fuerunt alii in itinere perierunt. Centum vero & quinquaginta ſolummodo ſuperſtites in Perſidem fuerunt adducti, catenis conſtricti, & in carcerem conjecti & aſſiduis ærumnis per plurimos dies contriti. Tempus autẽ vacuum à vanis negotiis nactus Sapor, mandavit ingentem lignorum ſtruem accẽdi & educi è carcere ſanctos viros, eosq; juſſit Chriſtum abnegare, & ignẽ adorare. Quod cum conſtanter recuſaſſent, ipſos in ignem conjici præcepit & ita martyrium feliciter conſummarunt.

num indicati à Sozomeno.

3 *Hactenus Græci, quos ſecuti Galeſinius & Baronius inſcripſerunt ſuis Martyrologiis, his paucis verbis*: In Perſide Sanctorum centum viginti Martyrum. *Allegatur à Baronio* Menologium Græcorum *à Sirleto editum: additurque* ferri paſſos in Adiabenorum regione, *quæ eſt in Aſſyria*: de his agere Sozomenum lib. 2 cap. 11. in fine, *ubi iſta traduntur*: Cum edicto Saporis ratum eſſet, ut ſoli Sacerdotes & Doctores fidei Chriſtianæ comprehenderentur, Magi & eorum Principes totam Perſidem obeuntes, Epiſcopos & Sacerdotes gravibus afficiunt incommodis, cum in aliis locis, tum maxime omnium in Adiabenorum regione, quæ eſt pars Perſidis, tota fidei Chriſtianæ dicata. *Hæc ibi. Verum non hic de Epiſcopis & Sacerdotibus, in Perſide habitantibus, agitur; ſed de Chriſtianis, ex Imperio Romano abductis, de quibus iſta verba Theophanis, ad annum Chriſti* CCCXLIII *Conſtantii* VI, *videntur potius intelligenda*: Hoc anno Conſtantius devictis Aſſyriis triumphavit. Sapores vero Rex priſtinis ſceleribus hoc adjecit, ut ſubditos Chriſtianos dire perſequeretur: *& hæc erant tempora, quando Conſtantius Imperator ſe hæreſis Arianæ præbuit fautorem acerrimum, & Euſebius Epiſcopus Nicomedienſis præfuit Conciliabulo Antiochiæ habito, in quo S. Athanaſius è Sede Alexandrina depulſus eſt, & in ejus locum Georgius Cappadox ſubrogatus.* F

an potius ad Theophanem?

num fuerint 150 aut 120

Hæc de tempore, at de numero manet controverſia, num cum accurata deſcriptione Menologii Baſilii Imperatoris ſint ſtatuendi Martyres centum & quinquaginta, an vero cum Menæis centum ſolum & viginti: quod judicio lectoris permittimus. Imo videntur multo plures in regione Romanorum trucidati, aut in via periiſſe: de quibus, quia non conſtat tam manifeſta fidei Chriſtianæ profeſſio in martyrio exacta, ſiletur.

an plures adjiciendi?

De ducentis & quinquaginta Clericis ſub Sapore occiſis præter varios Epiſcopos, Preſbyteros & Diaconos ſuis nominibus expreſſos, agimus infra XXII *Aprilis.*

DE

A DE SANCTA PLATONIDE,

APVD GRÆCOS.

G. H.

VI APRIL.

S. Platonis femina

Relatis Martyribus Perſis, ſubjunguntur in Menæis Græcis & apud Maximum Cytherorum Epiſcopum, tres alii Sancti ex quibus primo loco, ab aliis ſejuncta, celebratur Sancta Platonis, *non addita regione, in qua vixerit; dein* duo Martyres Aſcaloniticæ, *non expreſſis eorum nominibus, referuntur: quos omnes non ſatis diſtinxit Sirletus in collecto à ſe Menologio Græco, dum iſta ſcribit:* Item Sancti Platonidis, & Sanctorum Martyrum duorum apud Aſcalonem. *Hinc Baronius citato Menologio Græco iſta ita conjunxit:* Aſcalone paſſio Sanctorum Platonidis & aliorum duorum Martyrum. *In citatis Menæis & apud Cythereum iſta leguntur* τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τῆς ὁσίας Πλατωνίδος *In Menæis MSS. Chifletianis additur* ἐν εἰρήνῃ in pace quieviſſe. *At quia Græcis per* τὸ πλάτος *indicatur res ampla lata ſeu patens, hæc alluſio fit in diſticho adjuncto in Menæis:* *in pace quievit.*

Πόλυ πλάτη φέρει σε τὴν Πλατωνίδα,
Ταῖς ἀρεταῖς λάμψασαν εἰς γῆς τὰ πλάτη

Spatioſa cæli te ferunt Platonida,
Spatioſa terræ meritis illuſtrantem.

In quo ſtatu hæc pia femina floruerit, Virgo, vidua an conjugata, hactenus nequimus aſſerere. In recto Platonis *dicitur, ut ex ipſa inflexionis Græca forma apparet: quam non obſervaverunt, quibus* Platonides *terminatione virili lectum fuit.*

DE SS. DVOBVS MARTYRIBVS,

G. H.

ASCALONE IN PALÆSTINA.

B VI APRIL.

Scalon urbs antiqua Palæſtinæ maritimæ, quondam inter urbes Philiſtinorum præcipua, & ſub Chriſtianis Epiſcopalis, ſubjecta Cæſareæ metropoli: quam ſeculo Chriſti octavo à Saracenis fuiſſe occupatam docuimus in Actis XX *Martyrum monachorum Lauræ* S. *Sabæ* 20 *Martii cap.* 1. *& eſt hæc urbs, modo Scalona dicta, etiamnum Sedes Præfecti Turcici. Huic urbi adſcribunt duos Martyres Græci in Menæis excuſis & manu exaratis & apud Maximum Cythereum hoc encomio:* eodem die Sanctorum duorum Martyrum, qui Aſcalone uſque ad lumbos in terra defoſſi, vitam glorioſe finiverunt.

In Menæis additur hoc diſtichon: E

Ἄνηρστος γῆ καρπὸν ἐκφύει, λέγε,
Ὁ κάρπος ἄνδρες ἄχρις ὀσφύος δύο

Inculta dic quod terra jam fructum ferat:
Fructus ſunt viri duo, lumborum tenus.

Quod Sirletus Platonidem, piam feminam, dum virum facit, non ſatis diſiungat ab his Martyribus, & dederit aliis occaſionem magis aberrandi, jam ſupra diximus. Quo tempore hi Martyres coronam gloriæ meruerint non liquet. Subiunximus Platonidi, quia ut citius, ita ſerius, ſub iconoclaſtis aut Saracenis, potuerunt Martyres occubuiſſe.

DE SANCTO MARCELLINO,

TRIBVNO ET NOTARIO

MARTYRE CARTHAGINE IN AFRICA.

G. H.

CAPVT I.

C

F

Dignitas Tribuni & Notarii. Præfectura S. Marcellini in Collatione Carthaginenſi cum Donatiſtis.

ANNO CCCCXIII

Tribunus & Notarius Honorii Imper.

Vm Martyrologii Romanitabulis proferimus, Marcellinum *virum ſapientem & religioſum, in aula Honorii Imperatoris* Tribunum & Notarium, *imo, ut Baronio placet in Notis ad Martyrologium Romanum,* Tribunum Notariorum, virum fama notiſſimum; *ex iis ſcilicet qui* Principibus erant à ſecretis, deligique ad hoc ſoliti integerrimæ vitæ viri. *Tribunus etiam & Notarius fuit Dulcitius, cui poſt S. Marcellini martyrium in Africa demandatam fuiſſe curam legum & juſſionum Imperialium ſcribit S. Auguſtinus lib.* 2 *Retractationum cap.* 59. *Certe apud Caſſiodorum Variarum lib.* 1 *epiſt.* 4 *Theodoricus Rex Senatui urbis Romanæ ſcribit,* patrem Caſſiodori, ſub Valentiniano Principe, *dicti Honorii filio,* geſſiſſe Tribuni & Notarii laudabiliter dignitatem: fuiſſeque honorem qui tunc dabatur egregiis, dum ad Imperiale ſecretum tales conſtaret eligi, in quibus reprehenſionis vitium nequiret reperiri.

2 *Cum Sanctus Marcellinus in ea dignitate verſaretur circa annum* Chriſti CCCCV, furor Donatiſtarum, *teſte* S. *Auguſtino l.* 3. *contra Iulianum Pelagianum c.* 1, occuparat Africam totam, nec prædicari à Catholicis veritatem, contra ſuum patiebantur errorem; violentis aggreſſionibus, latrocinationibus, itinerum obſidionibus, rapinis, ignibus, cædibus multa vaſtantes, cuncta terrentes. *Hæc igitur, ut deinde declaratur, neceſſitas, compulit Catholicos, ut miſſis ad Honorium Imperatorem quatuor Epiſcopis, Collationem fieri cum Donatiſtis peterent: ut Geſtis in illa Collatione confectis, eorum Catholici contunderent invereundiam, & reprimerent audaciam; nihil dubitantes, quin in ea Donatiſtæ cauſa caderent. Tunc, ut ſcribit Poſſidius in Vita S. Auguſtini cap.* 13 jubente glorioſiſſimo & invictiſſimo Imperatore Honorio, Collatio ab univerſis Epiſcopis Catholicis apud Carthaginem cum Donatiſtarum Epiſcopis facta eſt: propter quod perficiendum, etiam à ſuo latere, Tribunum Marcellinum ad Africam Judicem miſerat, *ad quem extat hujusmodi reſcriptum l.* 16 *Codicis Theodoſiani*

anno 410 graſſantibus in Africa Donatiſtis,

& petita à Catholicis Collatione,

AUCTORE G. H.

tit 11 *Lege* 3. Honorius & Theodosius Augusti Marcellino suo salutem. Ea quæ circa Catholicam fidem vel olim ordinavit antiquitas, vel parentum nostrorum auctoritas religiosa constituit, vel nostra Serenitas roboravit, nonnulla superstitione submota, integra atque inviolata custodire præcipimus. Datum IV Idus Octobris Ravennæ, Varrane V. C. *Is est ante indictus annus* ccccx. *Hæc est pars majoris epistolæ, ex qua videtur excerpta lex aut saltem illi inserta. Appellatur in Gestis Collationis Carthaginensis inter Concilia generalia excusi* Imperiale præceptum, *quod S. Marcellinus Cognitor jussit recitari, & parte* 1. *cap.* 4 *ita habetur.*

& Collationi cum Imperiali præcepto

3 Imperatores Cæsares, Flavius Honorius & Theodosius, Pii, Felices, Victores, ac Triumphatores, Augusti, Flavio Marcellino suo. Inter Imperii nostri maximas curas Catholicæ legis reverentia aut prima semper aut sola est: neque enim aliud aut belli laboribus egimus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi ut verum Dei cultum orbis nostri plebs devota custodiat: ut etiam Donatistæ vel terrore vel monitu olim implere convenerant, qui Africam, hoc est regni nostri maximam partem & secularibus officiis fideliter servientem, vano errore & dissensione superflua decolorant. Nos tamen eadem frequenter non piget replicare, quæ omnium retro Principum devota in Deum sancivit auctoritas, ne temporibus nostris, si quid in injuriam legis Catholicæ fuerit generatum, justo judicio hoc nobis possit imputare posteritas. Nec sane latet conscientiam nostram sermo cælestis oraculi, quem errori suo posse proficere sæva Donatistarum interpretatio profitetur, qui quamvis depravatos animos ad correctionem mitius invitaret, aboleri eum tamen etiam ante jussimus, ne qua superstitionibus præstaretur occasio. Nunc quoque excludendam subreptionem simili auctoritate censemus, illudque merito profitemur, libenter nos ea, quæ statuta fuerant submovere, ne in divinum cultum nobis se quisquam auctoribus æstimet posse peccare. Et quamvis una sit omnium & manifesta sententia, Catholicę legis plenam veritatem, recto hominũ cultu & cælesti sententia [esse] comprobatam, studio [tamen] pacis & gratiæ venerabilium virorum Episcoporum legationẽ libenter admisimus, quæ congregari Donatistas Episcopos ad cœtum celeberrimę desiderat civitatis: ut electis etiã Sacerdotibus, quos pars utraq; delegerit, habitis disputationibus, superstitionem ratio manifesta confutet. Quam rem intra quatuor menses præcipimus explicari, ut conversos animos populorum etiam clementia nostra, sicut desiderat, celerius possit cognoscere. Quod si intra præstitutum tempus studiose Donatistarum Episcopi declinaverint convenire, trini edicti vocatione contumacium tempora concludantur, quibus emensis atque transactis, si provocati adesse contempserint, cedat cum ecclesiis populus, qui doctores suos silentio cognoverit superatos, & victum se aliquando gratuletur: sciatque si non præceptis nostris, vel Catholicæ legis veris imperiis serviendum. Cui siquidem disputationi principe loco te Judicem volumus residere. Quidquid etiam ante in mandatis acceperis, plenissime meministi; omnemque vel in congregandis Episcopis vel evocandis, si adesse contempserint, curam te volumus sustinere: ut & ea, quæ ante mandata sunt, & quæ nunc statuta cognoscis, probata possis implere solertia: id ante omnia servaturus, ut ea quæ circa Catholicam legem vel olim ordinavit antiquitas, vel parentum nostrorum auctoritas religiosa constituit, vel nostra Serenitas roboravit, novella subreptione submota, integra & inviolata custodias. Ut sane adminiculà competentia actibus tuis deesse non possint, viros spectabiles Proconsulem atque Vicarium Serenitas nostra commonuit, ut si propriarum dignitatum statum cupiunt retinere, si apparitionem suam extrema declinare supplicia, tam ex propriis Officiis, quam ex omnium Judicum apparitione, abunde necessarios faciant deputari. Erit jam solicitudinis tuæ, si quid ulla noveris arte differri, missis relationibus indicare, ut negligentes puniat digna correctio. Omnia sane, quæ vel in unum Episcopis congregatis disputatio completa firmaverit, vel desistentibus forte statuerit circa contumaces lata sententia, te referre conveniet: ut quid ad confirmandum Catholicam fidem præceptio nostra profecerit, celerius possimus agnoscere. Vale Marcelline, carissime nobis. Data pridie Idus Octobris, Ravennæ.

jubetur præsidere.

evocat Episcopos ad Kalendas Iunias ann 411.

4 *Hactenus præceptum Imperiale: cui quam primum satisfacere conatus* S. *Marcellinus, edicto suo Episcopos congregari jussit, in quo ista habet, capite quinto relata:* Quoniam libenter assensum tribuit Clementia Principalis, & Concilium fieri intra Africam universale decrevit, utrisque partibus juxta poscentibus; huic me disputationi principe loco Judicem voluit residere. Unde cunctos per Africam, tam Catholicæ quam partis Donatianæ Episcopos, hujus edicti tenore commoneo, ut intra tempus lege præscriptum, id est intra quatuor menses, qui dies intra diem Calendarum Juniarum sine dubio concludetur, ad civitatem splendidam Carthaginiensem, Concilii faciendi gratia, convenire non differant. *Et pluribus interpositis ista proponit:* Et quoniam tanti mihi negotii summam committere voluit Augustissimus Princeps, illud me quoque fateor libenter accipere, ut si de mea persona aliquid cunctationis affertur, alium mecum Judicem, quem ipsi delegerint Donatianæ partis & fidei, vel superioris vel similis dignitatis, residere non abnuam. Sive autem cum alio sive solus in hoc negotio judicaturus interero, nihil aliud me, nisi quod allegationes partium examinatæ potuerint demonstrare, & quod veri invenerit fides, per admirabile mysterium Trinitatis, per Incarnationis Dominicæ Sacramentum, & per salutem supra memoratorum Principum, judicaturum me esse promitto. Nec illam sane partem potui reticere, quatenus noverint, sive pro Donatistis, sive pro Catholicis fuerit lata sententia, in nullo Donatistarum Episcopos aliquam molestiam esse passuros; sed liberos, & ab omni injuriæ genere alienos, ad propria redituros: quod me & per tremendum judicii diem, & per Sacramenta superius memorata, ita facturum esse polliceor: *Hactenus excerpta ex edicto* S. Marcellini Cognitoris, *ut eum appellat S. Augustinus, in Breviculo Collationum à se scripto, in quo bene advertit,* basilicas sine jussione Imperatoris redditas Donatistis, qui se pollicerentur esse venturos, ut eo modo eos ad conferendum etiam beneficiis invitaret.

paratus admittere socium,

addicit ostanem sinceritatem,

& liberum reditum Donatistis

venturisque basilicas reddit:

5 *Alterum misit* S. *Marcellinus Cognitor edictum ad præsentes utriusque partis apud Carthaginem Episcopos, proposuitque eis locum & modum Collationis futuræ, ac voluit ab utraque parte sibi responderi: quæ cap.* 10 *continentur. Habita autem Collatio est* in secretario Thermarum Gargilianarum, *in Carthaginensis urbis meditullio, loco amplo, lucido ac refrigerante calores æstivos; quem ex præscripto ingressi sunt* Kalendis Junii, post Consulatum Varanis, anno Christi ccccxi. *Explicantur hæc omnia & notantur accurate in ipsis Gestis Collationis cum omni apparatu asseclarum. Gesta illa conscripsit* Marcellus Memorialis, *qui fatetur in Præfatione se à viro* spectabili, &

præscribit locum Thermas Gargilianas Carthagine.

& in quo plurimum insigne probitatis est, Tribuno & Notario Marcellino, curarum ascitum in partem, non tam merito suo, quam dignatione censentis, communicavisse cum judice librandæ disceptationis laborem. *Hæc porro Gesta in tres Cognitiones distinguuntur, & in capitula quingenta & octoginta subdividuntur: quibus omnibus præfuit* Marcellinus, vir clarissimus, Tribunus & Notarius, *coactus sexcentas prope interlocutiones interponere, uti eas numerat Franciscus Balduinus in Historia Carthaginensis Collationis: advertitque non egisse* Marcellinum juris minime aut novi aut dubii arbitrum, sed facti potius quam juris quæsitorem; & quidem cognitionem illi potius quam jurisdictionem mandari; denique judicem cum formula dari, uti olim rerum privatarum judices privati à Prætore dabantur... Quam demisse, temperanter & modeste hic se gesserit Marcellinus, Acta ipsa ostendunt:

A *socium ascisc-cit Marcellum, qui Gesta conscripsit.*

facti quæsitor, & cognitor,

6 *S. Augustinus in Breviculo Collationum ita eas concludit, cum sententia definitiva S. Marcellini*: In ultimo Cognitor dixit: Si contra nihil est quod legatis, exire dignemini, ut possit plena de omnibus scribi sententia. Et utrisque exeuntibus, sententiam scripsit, quam rursus intromissis partibus recitavit, qua complexus est omnia quæ de prolixa trium dierum actione potuit recordari. In quibus quædam non eo ordine, quo gesta sunt commemoravit; omnia tamen veraciter posuit; confutatos à Catholicis Donatistas omnium documentorum manifestatione pronuntians. *Invaserant hoc temporis Imperium Romanum crudelissimi hostes, Alaricus, Constantinus, Constans, Maximus, Iovinus, Sebastianus, Sarus, quorum post alios meminit Baronius ad hunc annum* CCCCXI. *Eodem tempore mirifica consecutum esse Honorium Imperatorem beneficia, quod Ecclesiæ Catholicæ eximio religionis exemplo prodesset, testatur Orosius coævus scriptor lib.7 cap.24.* Merito, *inquit*, tanta sane largitus est Deus, quia in his diebus, præcipiente Honorio & adjuvante Constantio, pax & unitas per universam Africam Ecclesiæ Catholicæ reddita est; & corpus Christi, quod nos sumus, redintegrata discissione sanatum est; imposita executione sancti præcepti Marcellino Tribuno, viro inprimis prudenti & industrio omniumque studiorum bonorum appetentissimo. *Hæc Orosius.*

B *sententiam scripto profert*

de Donatistis manifeste confutatis,

quam consequitur pax Ecclesiarum.

7 *Quæ autem tunc à S. Marcellino gesta sunt, confirmasse Honorium Imperatorem, constat ex lib.16 Codicis Theodosiani, titulo 5 de hæreticis, lege 55 ubi ista leguntur:* Imperatores Honorius & Theodosius Augusti, Juliano Proconsuli Africæ. Notione & solcitudine Marcellini, spectabilis memoriæ viri, contra Donatistas gesta sunt ea; quæ translata in publica monumenta, habere volumus perpetuam stabilitatem: neque enim morte Cognitoris perire debet publica fides. Datum III Kalendas Septembris, Romæ, Constantio & Constante Cos. *Est is annus Christi* CCCCXIV, *cum jam anno præcedente esset S. Marcellinus martyrio coronatus. Transisse hac occasione multa millia Donatistarum ad gremium Ecclesiæ Catholicæ testatus est S. Augustinus, scribens postea contra Gaudentium lib.1 cap.29. Possidius etiam in Vita S. Augustini cap.13 ait*, ex hac ratione solito amplius Episcopos Donatistarum cum suis Clericis & plebibus communicavisse; & pacem tenentes Catholicam multos eorum, qui Catholicam ante aspernabantur fidem, persecutiones usque ad membrorum amputationem & internecionem pertulisse.

C *Facta ejus confirmat Honorius Imperator:*

multa millia Donatistarū convertuntur,

CAPUT II.

AUCTORE G. H.

S. Marcellini familiaris notitia cum SS. Augustino & Hieronymo. Illius martyrium & cultus. An patria Toletum.

8 QUod S. Marcellinus *fuerit* omnium studiorum bonorum appetentissimus, *ut supra ex Orosio diximus, optime ex S. Augustino confirmari potest, qui varios ei tractatus inscripsit (inter quos sunt tres libri de peccatorum meritis & remissione deque baptismo parvulorum) atque hæc inter alia in Præfatione libri primi interserit:* Studio tuo, Marcellini carissime, quo nobis es gratior atque jucundior, diutius esse debitor nolui; atque, ut verum dicam, non potui. Sic enim me compulit vel ipsa caritas, qua in uno incommutabili unum sumus in melius commutandi; vel timor, ne in te offenderem Deum, qui tibi desiderium tale donavit, cui serviendo illi serviam qui donavit. Sic, inquam me compulit, sic duxit & traxit, ad dissolvendas pro tantillis viribus quæstiones, quas mihi scribendo indixisti; ut ea causa in animo meo paulisper vinceret alias, donec aliquid efficerem, quo me bonæ tuæ voluntati & eorum quibus hæc curæ sunt, etsi non sufficienter, tamen obedienter deservisse constaret. *Hæc ibi S. Augustinus, qui ad librum secundum & tertium alloquitur eumdem S. Marcellinum. Hic ergo* lectis hisce opusculis rescripsit se moveri, eo quod fieri posse dixerat, ut sit homo sine peccato, si voluntas ei non desit ope divina adjuvante: sed tamen præter unum in quo omnes vivificabuntur, neminem fuisse vel fore, in quo hic vivente foret illa perfectio. Absurdum enim sibi videbatur dici aliquid fieri posse, cujus desit exemplum. *Leguntur hæc sub initium libri de spiritu & littera, quem occasione dicti responsi scripsit ad eumdem Marcellinum S. Augustinus: qui etiam ad eumdem dictavit eruditissimos libros* XXII *de Civitate Dei contra Paganos, cum hoc exordio:* Glorioſissimam civitatem Dei... hoc opere, ad te instituto & mea promissione debito, defendere adversus eos, qui Conditori ejus Deos suos præferunt, fili carissime Marcelline, suscepi. *Et mox de Romana Vrbe capta inchoatur opus, ut videatur circa tempus Collationis Carthaginensis cœptum. Et quamvis longe antequam finis ei imponeretur, martyrio coronatus S. Marcellinus ad feliciorem vitam migrasset; quia tamen ad eum priores libros scripserat S. Augustinus, memoriæ tanti viri integrum opus dicatum ac consecratum esse voluit; uti his ipsis pene verbis testatur Leonardus Coquæus, in Præfatione ad suos Commentarios in dictos libros de Civitate Dei.*

E

S. Augustinus inscribit illi libros de peccatorum meritis & remissione & baptismo parvulorū;

& responso accepto

mittit librū de Spiritu & littera.

item libros 22 de Civitate Dei.

F

9 *Magna quoque fuit epistolarum communicatio inter utrumque, unde apparet, in media Reipublicæ gubernatione, S. Marcellinum de religione inprimis solicitum fuisse, & sacrarum Scripturarum valde studiosum; subtilissimas etiam quæstiones intellexisse, & ad earum resolutionem S. Augustinum incitasse. Inter epistolas hujus prima collocatur ad Volusianum, qua hunc exhortatur ad scribendum, indicans quid ex litteris sacris illi potissimum sit legendum. Quæsierat epistola secunda Marcellinus, quomodo Deus immensus claudi potuerit utero Virginis, & an mundi curam deseruerit interim, & an miraculis satis declarata sit ejus divinitas. Respondit ad singula S. Augustinus epistola tertia: quam cum Volusianus legisset S. Marcellino, hic S. Augustino scripsit epistolam quartam, narrans quosdam cavillari, quod Deus veterem legem abrogarit; quodque doctrina Euangelica sit inutilis Reipublicæ, denique Christianos Principes multum malorum invexisse Reipublicæ. Ad quæ omnia respondit S. Augustinus epistola quinta. Iterum epistola septima meminit dictarum epistolarum, quas à S. Marcellino sibi scriptas attulerant Bonifacius Episcopus & Vrbanus Presbyter, & respondet primo quæstioni, de aqua tempore Pharaonis à magis*

Varias ei mittit epistolas & ad dubia proposita respondet:

AUCTORE G. H.

in ſanguinem converſa; dein explicat illi locum taxatum ex libro de Libero arbitrio; poſtea agit de origine animarum, & virginitate Deiparæ Mariæ. Verum epiſtola centeſima quinquageſima octava & ſequente rogat S. Marcellinum, ut quæ adverſus Donatiſtas decreta ſunt, publicentur; & qui nolunt reſipiſcere, caſtigentur, ſed citra mortis pœnam.

10 *Extat etiam S. Hieronymi epiſtola octogeſima ſecunda, ad eumdem Marcellinum in Africam miſſa, quæ teſtis eſt hunc virum ſubtiliſſimas Eccleſiæ quæſtiones, veluti de origine animæ, prop ſuiſſe; & ad diſcendum ſemper paratum, ne quidem hoc ſtudium remiſiſſe in maxima Imperii Romani perturbatione: cum S. Hieronymus, ei reſcribens, fateatur, ſeſe urbis Romanæ vaſtatione dejectum non potuiſſe ſtudiis operam dare. Idem S. Hieronymus, lib. 3 adverſus Pelagianos ſub finem, de Marcellino & libris illi a S. Auguſtino inſcriptis iſta habet:* Scripſit dudum vir ſanctus & eloquens, Epiſcopus Auguſtinus ad Marcellinum, qui poſtea, ſub invidia tyrannidis Heracleanæ, ab hæreticis innocens cæſus eſt, duos libros de infantibus baptizandis contra hæreſim veſtram, per quam vultis aſſerere baptizari infantes non in remiſſionem peccatorum, ſed in regnum cælorum, juxta illud, quod ſcriptum eſt in Euangelio: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum cælorum. Tertium quoque ad eumdem Marcellinum contra eos, qui dicunt idem quod vos, poſſe hominem ſine peccato eſſe, ſi velit, abſque Dei gratia.

S. Hieronymus eidem ſcribit:

& commemorat libros eidem à S. Auguſtino ſcriptos.

Ioa. 3, 5

B

11 *Hæc S. Hieronymus. At quæ de tyrannide Heracleana indicat elucidatione aliqua egent. Heraclianus ergo Comes Africæ, adverſus Attalam tyrannum Africam ſtrenue tutatus, & Conſulatum anno* CCCCXIII *cum Lucio adeptus fuerat: ſed animo elatus ad res novas aſſurrexit, & retenta annona, Africæ tyrannidem arripuit. Dein cum ſeptingentis navibus movens exercitum de Africa Romam adverſus Honorium, occurſu Marini Comitis territus, Otriculi primum in conflictu ſuperatus, mox in fugam verſus, arrepta navi ſolus Carthaginem rediit: ibique poſt hoſtis publicus judicatus, miſſis per Honorium percuſſoribus, in æde Memoriæ interfectus eſt: uti ea deducuntur apud Oroſium lib. 7 cap. 42, Idacium Marcellinum, & Adonem, in Chronicis. Mox in bona ejus & ſatellites itum eſt, geſtaque ſub eo infirmata ſunt, imo & Conſulatus ejus eraſus eſt legibus Honorii, & fere ſcriptum Poſt Conſulatum Honorii VIII & Theodoſii V. Conſulatur lex 13 Codicis Theodoſiani, de Infirmandis his quæ ſub tyrannis aut barbaris geſta ſunt lib. 15 tit. 14. & lex 21 de Pœnis lib. 9 tit. 40. Hac occaſione Donatiſtæ hæretici, quaſi S. Marcellinus faviſſet Heracliano, invidia moti, falſo innocentem apud Marinum Comitem accuſarunt: qui* Marcellinum, *ut Oroſius dubitat, & cum eo Ado,* incertum an zelo ſtimulatus, an auro corruptus, occidit: *aut ſicut S. Hieronymus tradit,* ab hæreticis *arrepta ſubdole facultate,* innocens cæſus eſt. *Videbatur Marinus ob Africam à ſæviſſima tyrannide liberatum & Romano Imperio reſtitutam conſecuturus nobilem triumphum: verum (ut Oroſius & Ado poſt indicatam necem Marcellini ſubjungunt)* continuo revocatus ex Africa, factuſque privatus, ad pœnam vel ad pœnitentiam, conſcientiæ ſuæ dimiſſus eſt. *Imo lege Honorii Imperatoris ſupra à nobis relata, omnia quæ ſub S. Marcellino in Collatione Carthaginenſi geſta fuerant, ut perpetuam haberent firmitatem, anno poſt obitum ejus ſequente ſtabilita fuerunt.*

Occaſione Heracleana tyrannidis,

occiditur S. Marcellinus à Donatiſtis

C

& Marinus necis complex punitur.

12 *Permanet hactenus illuſtris memoria S. Marcellini, qui cum titulo Martyrii in Eccleſiaſticas tabulas ab earum recognitore Baronio relatus, meruit debita veneratione honeſtari: unde in Romano Martyrologio iſta leguntur ad hunc diem ſextum Martii:* Carthagine S. Marcellini Martyris, qui ob Catholicæ fidei defenſionem ab hæreticis occiſus eſt. *Majus ei concinnavit elogium Tamayus Salazar in ſuo Martyrologio Hiſpanico:* Carthagine in Africa, *inquit,* S. Marcellini, Tribuni Notariorum, ex urbe Toleto Hiſpaniæ orti, Natalis innovatur: qui SS. Hieronymo & Auguſtino familiaritate conjunctus, & poſt fraudibus Donatiſtarum hæreticorum obtruncatus. Martyr intrepidus cælos ingreditur. *Verum de S. Marcellini apud Toletanos in Hiſpania nativitate nihil apud dictos SS. Hieronymum & Auguſtinum, nihil etiam apud Oroſium, Idatium alioſve probatæ fidei auctores legitur. Vnus in teſtem à Tamayo vocatur Marcus Maximus, quod diſtinctis & puris clauſulis in Chronico in hæc verba prorumpat ad annum Chriſti 432 num. 4.* S. Marcellinus, domo Toletanus & Tribunus, VI Aprilis, propter fidem Catholicam, Carthagine patitur. *Verum eſt cæſus S. Marcellinus non anno* CCCCXXXII, *cum jam pridem S. Hieronymus eſſet vita functus, ſed anno* CCCCXIII. *Excuſat Bivarius in ſuo ad Maximum Commentario, id factum,* ne tanti viri memoria è Chronicis Hiſpanorum periret, quem viderat ſolertiam Dextri præteriiſſe: *potius dixiſſet, quia confictores Chronici ſub nomine Dextri non adverterant eum tempore Dextri paſſum eſſe, intruſerunt in Chronicon Maximi, poſtea confictum.*

D

Inſcribitur ille Martyrol. Romano,

& Hiſpanico Tamaii Salazar,

an recte dicatur domo Toletanus,

E

13 *Nec multum proſunt hæc in eodem Maximi Chronico ad annum 562 num. 1 poſita.* Floret in Hiſpania Marcellinus, S. Marcellini Martyris nepos. *Ad quem locum explicandum ſcribit Rudericus Carus,* fuiſſe Marcellinum hunc Archipresbyterum Toletanum, ſubſcripſiſſeque Concilio III Toletano ſub Receſuinto: hujuſque meminiſſe Sidonium Apollinarem lib. 2 Epiſt. ad Serranum. *Rudericum deſcribit Antonius de Quintanadueñas in libro de Sanctis urbis Toletanæ, quibus S. Marcellinum annumerat ob unius Maximi auctoritatem. Verum hic quoque alia σφάλματα eaque enormia occurrunt. Nam Marcellinus Archipresbyter Toletanus, occaſione cujus S. Marcellino Martyri videtur afficta patriæ Toletum in Hiſpania, non ſubſcripſit Concilio III Toletano, quod ſub Reccaredo Rege habitum eſt; ſed Concilio IV, quod ſub Receſuintho habitum Æra* DCXCIII, *ſine anno Chriſti 655, cum à morte Maximi ſcriptoris annus flueret quadrageſimus: hinc litteris numerorum majorum tranſpoſitis ad annum 562 ea poſita fuerunt. De illo autem Marcellino Archipresbytero Toletano non potuit agere Apollinaris Sidonius, mortuus circa annum* CCCCLXXXII, *id eſt annis* CLXXXII, *antequam illud Concilium Toleti eſt celebratum. Hiſce ergo rejectis Bivarius arbitratur indicari Marcellinum Comitem, qui Chronicon deduxit uſque ad annum* DXXXV, *ab alio poſtea auctum, & ſub ejus nomine editum. Sed eſto vixerit ad annum* DLXII, *quomodo floruit in Hiſpania, quem Caſſiodorus, Inſtitutionis divinarum Scripturarum cap. 17 aſſerit.* Illyricanum fuiſſe ac ferri adhuc Patricii Juſtiniani egiſſe cancellos? *Potius diceret aliquis: ſi Marcellinus, quem allegatis, & quem Caſſiodorus dicit Illyricanum fuiſſe, nepos aut pronepos fuit S. Marcellini Martyris, de quo agimus, conſequens erit hunc quoque Illyricanum fuiſſe. Nolumus tamen hoc adſtruere, ſed dicimus, in Silentio antiquorum ſcriptorum non liquere, quænam Martyris patria fuerit.*

ejuſque nepos Marcellinus,

F

DE

A

DE S. CÆLESTINO PRIMO, PONTIFICE ROMANO.

G. H.

CAPUT I.

Exordium Pontificatus. S. Auguſtinus adjutus & laudatus. Pelagiani ejecti. SS. Palladius & Patricius in Hiberniam deſtinati. Alia decreta.

AN. CCCC-XXXII VI APRIL.

Bonifacio primo, Sedis Romanæ Pontifice Summo, ex hac vita ad præmium æternum laborum ſuorum evocato XXV *Octobris; ſubrogatus eſt* S. *Cæleſtinus primus die* III *Novembris, cum Sedes vacaſſet dies novem, anno Chriſti* CCCCXXIII, *Indictione* VI, *Aſclepiodoto & Mariniano Conſulibus: quorum dignitate indicata, Marcellinus Comes & Proſper in Chronicis, ſcribunt* Cæleſtinum, Romanæ Eccleſiæ Antiſtitem creatum, vixiſſe annos novem. *Fuit is* natione Romanus ex patre Priſco.

Creatur Papa anno 423.

2 *Florebat tum ſummo doctrinæ & ſanctitatis ſplendore S. Auguſtinus, Hipponenſis Epiſcopus, qui quo loco habuerit Cæleſtinum, indicat epiſtola* 261, *eidem ſub initium Pontificatus ſcripta, ex qua nonnulla damus, & ſic eam incipit:* Domino beatiſſimo & debita caritate venerando, Sancto Papæ Cæleſtino, Auguſtinus in Domino Salutem. Primum gratulationem reddo meritis tuis, quod te in illa Sede Dominus Deus noſter ſine ulla, ſicut audivimus, plebis ſuæ diſciſſione conſtituit. Deinde inſinuo Sanctitati Tuæ, quæ ſint circa nos, ut non ſolum orando pro nobis, verum etiam conſulendo & opitulando ſubvenias. In magna quippe tribulatione poſitus, hæc ad tuam beatitudinem ſcripta direxi: quoniam volens prodeſſe quibuſdam in noſtra vicinitate membris Chriſti, magnam illis cladem improvidus & incautus ingeſſi. *Rem geſtam paucis expono. Fuſſulam caſtellum cum contigua regione ab errore Donatiſtarum reduxerat S. Auguſtinus ad unitatem Eccleſiæ, & Epiſcopum ibi conſtituendum curarat Antonium, ſecum in monaſterio à prima ætate nutritum: quem ob crimina objecta noluit Epiſcopatus honore privari, ſed corripiendo minuit poteſtatem, ne ſcilicet eis præeſſet ulterius cum quibus ſic egerat: quibus late explicatis, ita* S. *Cæleſtinum alloquitur:* Collabora, obſecro, nobiſcum, pietate venerabilis Domine beatiſſime, & debita caritate venerande ſancte Papa: & jube tibi, quæ directa ſunt omnia recitari. Vide Epiſcopatum qualiter geſſerit, quemadmodum judicio noſtro uſque adeo conſenſerit communione privatus, niſi prius Fuſſalenſibus omnia redderentur... In illis autem multiplicibus geſtis, quibus de illo noſtrum judicium continetur, magis deberem vereri, ne tibi minus ſevere, quam oporteret, judicaſſe videamur; niſi ſcirem vos tam propenſos ad miſericordiam, ut non ſolum nobis, quia illi pepercimus, verum etiam ipſi exiſtimetis eſſe parcendum... Exiſtat exemplo, ipſa Sede Apoſtolica judicante, vel aliorum judicata firmante, quoſdam pro culpis quibuſdam nec Epiſcopatus ſpoliatos honore, nec relictos omnimodo impunitos... Militares impetus, tamquam executuros Apoſtolicæ Sedis ſententiam, ſive ipſe ſive rumores creberrimi comminantur, ut miſeri homines Chriſtiani Catholici graviora formident à Catholico Epiſcopo, quam cum eſſent hæretici, à Catholicorum Imperatorum legibus formidabant. Non ſinas iſta fieri, obſecro te per Chriſti ſanguinem, per Apoſtoli Petri memoriam, qui Chriſtianorum Præpoſitos populorum monuit, ne violenter dominentur inter fratres. Sin autem & membra Chriſti, quæ in illa regione ſunt, ab exitiabili timore ac triſtitia recreaveris, & meam ſenectutem hac miſericordiæ juſtitia fueris conſolatus; retribuet tibi & in præſenti & in futura vita, qui per te nobis in iſta tribulatione ſuccurrit, & qui te in illa Sede conſtituit.

B

unanimi electione:

à S. Auguſtino rogatur patrocinium

in cauſſa Epiſcopi Fuſſalenſis propter crimina dejiciendi.

C

3 *Hæc* S. *Auguſtinus, qui ſuperfuit uſque ad annum* CCCCXXX, *quem ab obitu plurimum laudavit* S. *Cæleſtinus, epiſtola* 1 *ad Epiſcopos Galliæ, his verbis:* Auguſtinum, ſanctæ recordationis virum, pro vita ſua atque meritis, in noſtra communione ſemper habuimus, neque unquam hunc falſæ ſuſpicionis ſaltem rumor adſperſit; quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter Magiſtros optimos etiam ante à meis deceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune ſenſerunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori. *Hæc* S. *Cæleſtinus; ex quibus ſatis ſecure conjicimus in ante pretacta controverſia eum* S. *Auguſtino faviſſe, ſicut in hac jam citata epiſtola approbat ſcripta* S. *Auguſtini contra Pelagium & Cæleſtium hujus diſcipulum. Eidem epiſtolæ junguntur capita quædam adverſus Pelagianos errores, ex decretis Romanorum Pontificum & Conciliis collecta, quæ quamvis Cæleſtini non ſint, eidem tamen tribui à Petro Diacono, Floro, Magiſtro, Hincmaro, Creſconio, Ivone aliiſque tradit Sirmondus ad tomum* 1 *Conciliorum Galliæ pag.* 196. *Ab aliquibus tribuuntur Proſpero, qui libro contra Collatorem dictam* S. *Cæleſtini epiſtolam plurimum laudat; & ſub finem iſta tradit:* Venerabilis memoriæ Pontifex Cæleſtinus, cui, ad Eccleſiæ Catholicæ præſidium, multa Dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt, ſciens damnatis non examen judicii, ſed ſolum pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum; Cæleſtium, quaſi non diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus juſſit extrudi. Ab eo & prædeceſſorum ſuorum ſtatuta & decreta Synodalia inviolabiliter ſervanda cenſebat: ut quod ſemel meruerat abſcindi, nequaquam admitteret retractari. Nec vero ſegniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberavit, quando quoſdam inimicos gratiæ, ſolum ſuæ originis occupantes, etiam ab illo ſecreto excluſit Oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſervare Catholicam, fecit etiam barbaram Chriſtianam. *Idem Proſper in Chronico ad annum* CCCCXXIX, Florentio & Dionyſio Conſulibus, *iſta ſcribit:* Agricola Pelagianus, Severiani Epiſcopi Pelagiani filius, Eccleſias Britanniæ dogmatis ſui inſinuatione corrupit. Sed actione Palladii Diaconi Papa Cæleſtinus Germanum Autiſſiodorenſem Epiſcopum vice ſua mittit, & deturbatis hæreticis Britannos ad Catholicam fidem dirigit. *Hinc Harpsfeldius in Hiſtoria Britannica Eccleſiaſtica cap.* 2, *ad ſex prima ſecula hoc utitur epiphonemate:* Cæleſtino Britannia noſtra ſingularem quamdam gratiam debet, ad quam pacificandam ipſa Sacerdotii Gallici lumina, Germanum Autiſſiodorenſem & Lupum Trecaſſinum Epiſcopos, honoratiſſima legatione delegavit. *Reliqua diſcutientur ad Vitas* SS. *Germani & Lupi, quos alii miſſos à Synodo Gallicana dicunt.*

laudat S. Auguſtini doctrinam;

contra Pelagium & Cæleſtium,

hinc ex Italia expelli curat:

D

E

F

Britanniam ab hæreſi Pelagiana liberat:

4 *Quomodo autem* S. *Cæleſtinus dicatur Hiberniam barbaram Scotorum inſulam, feciſſe Chriſtianam, late deduximus ad Vitam* S. *Patricii* XVII *Martii, & ex Iocelino*

AUCTORE G. H.

Mittit in Hiberniam SS. Palladium & Patricium

num. 22 ista edidimus: Patricius prosperum iter sibi faciente Deo salutarium nostrorum, ad Urbem orbis caput devenit, Apostolorum Martyrumque memorias debita devotione venerationis visitans, notitiam & familiaritatem Summi Pontificis nactus, in oculis ejusdem gratiam invenit. Præsidebat tunc temporis Apostolicæ Cathedræ nomine & conversatione Cælestinus primus, à B. Petro Apostolo quadragesimus * tertius. Hic autem S. Patricium secum retinens, fide, doctrina & sanctitate probatum perfectumque inventum, in Pontificem tandem consecravit, ipsumque ad convertendam Hibernicam gentem destinare decrevit. Præmiserat præfatus Papa prædicandi gratia in Hiberniam ante illum alium Doctorem, nomine Palladium, Archidiaconum scilicet suum: cui adjunctis sociis contulit copiam librorum, utrumque scilicet testamentum, cum Reliquiis Apostolorum Petri & Pauli ac Martyrum plurimorum. Hibernicis vero prædicationi non credentibus, sed obstinatissime oppugnantibus, à regione illorum discessit, Romamque tendens in Britannia infra fines Pictorum in fata decessit.... Certificatus Domnus Apostolicus de morte Palladii, iter & opus salutaris legationis Patricio præcise præcepit aggredi, quod antea facere distulit, consilio usus strictiori. *Hæc Iocelinus. Fuit Palladius à S. Cælestino in Hiberniam missus anno* CCCCXXX, *post cujus discessum Romam adveniens S. Patricius facultatem Hibernis prædicandi petiturus, repulsam passus est a S. Cælestino. Anno* CCCCXXXI *S. Palladius, Hibernorum conversione desperata revertens, in Britannia apud Pictos mortuus est* VI *Iulij. Patricius à S. Germano Romam remissus cum litteris commendatitiis & Segetio Presbytero, anno* CCCCXXXII *à S. Cælestino Papa, paucis ante obitum ejus diebus, legationem Hibernicam impetrat, quam Sixtus illius successor confirmavit: uti pluribus deduximus* § V *&* IX *ante Vitam S. Patricii.*

* *imo* quintus

5 *Memoratis supra* Consulibus Florentio & Dionysio, *id est anno* CCCCXIX, *scripsit epistolam tertiam Cælestinus Papa universis Episcopis, per Apuliam & Calabriam constitutis, ac primo præscribit*, ut nulli Sacerdotum liceat canones ignorare; *deinde* quod non oporteat Clericis Ecclesiarum contemptis, Episcopos de laicis ordinare: *& quod illi ad excusationes suas studia & conatum populi adferrent, eosdem ita admonuit*: Docendus est populus, non sequendus: nosque, si nesciunt, eos quid liceat, quidve non liceat commonere, non his consensum præbere debemus. Quisquis vero conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram Apostolicæ Sedis minime defuturam. Quæ enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus. Per totas ergo hoc, quæ propriis Rectoribus carent, Ecclesias volumus innotescat, ut nullus sibi spe aliqua forsitan blanditus illudat. *Præterea ut in Libro Pontificali & apud Anastasium legitur*, constituit ut centum quinquaginta Psalmi Davidis ante sacrificium psallerentur antiphonati, *pro quibus in MS. Codice Palatino legitur*, ut Antiphona ante sacrificium caneretur, *scilicet cum aliquo ex dictis Psalmis, quod jam dicitur* Introitus Missæ, *constans Antiphona una & Psalmo: sed cujus solum principium cani, ipsumque addito* Gloria Patri *& resumpta Antiphona concludi, subsequentium seculorum usu, usque in hodiernum diem observato, invaluit.*

prohibet è laicis Episcopos ordinari.

Introitum Missæ addit.

CAPUT II.

Hæresis Nestoriana detecta, & condemnata à S. Cælestino, dein in Concilio Ephesino, ejus auctoritate celebrato.

6 *Mortuo Sisinnio Episcopo Constantinopolitano subrogatus est Nestorius, patria Antiochenus,* IV *Idus Aprilis anno* CCCCXXVIII, *Felice & Tauro Consulibus, & exceptus communi omnium plausu, quasi alter Ioannes Chrysostomus esset futurus. Testatur id S. Cælestinus Papa epistola ad Nestorium data, in qua ista habet*: Lætificavit animam nostram venientium enarratio nuntiorum, quam mox firmavit eorum, qui interfuerunt ordinationi tuæ, relatio collegarum: qui tibi testimonii tantum detulerunt, quantum ferri huic debuit, qui aliunde videbatur electus. Tanta ante opinione vixisti, ut tuis te aliena civitas invideret. *Hæc S. Cælestinus. Sed quod Nestorius mox faverit Pelagianis, eosque Roma expulsos exceperit, & novam insuper hæresim sparserit, ista subjunxit*: Nunc cernimus præclarum illud testimonium tibi datum in nihilum recidisse, tuaque honesta illa initia malum rumorem consecutum esse. *Prosper in Chronico, ad dictum annum* CCCCXXVIII *& Consulatum Felicis & Tauri ista habet*: Nestorius Constantinopolitanus Episcopus novum Ecclesiis molitur errorem inducere, prædicans Christum ex Maria, hominem tantum, non etiam Deum natum, eique divinitatem collatam esse ex merito: cujus impietati præcipua Cyrilli Alexandrini Episcopi & Papæ Cælestini repugnat auctoritas. *Colitur S. Cyrillus* XXVIII *Ianuarij, ad quem diem de hæresi hac Nestoriana pluribus egimus* § VI *& sequentibus, quæ Lector ibidem reperiet. Divulgarat Nestorius hæreses suas, sparsis ubique pestilentibus libellis, & Romam etiam ad S. Cælestinum delatis; qui illorum blasphemiis, quibus scatebant, examinatis, Cyrillo scripsit, ut diligenter perquireret, num illa revera essent à Nestorio conscripta: uti testatur Cyrillus epistola ad Nestorium his verbis*: Cum fides tam insigniter læderetur; totque passim perverterentur, qui tandem tacere hic licuit... Quandoquidem Cælestino religiosissimo Romanæ Ecclesiæ Episcopo jubente, ceteriisque piissimis Episcopis, qui ipsi adfuere. ita postulantibus, investigare cogor, chartulæne illæ & exegeses, quæ illuc ad se, nescio quomodo, perlatæ sunt, à tua pietate an ab alio quopiam profectæ sunt. Scribunt enim, ut qui gravissime videantur offensi.

Creato Nestorio Episcopo CP. lætatur:

sed intellecta ejus hæresi

eidem suæ auctoritate repugnat:

de libellis ab eo sparsis

curat per S. Cyrillum quari.

7 *Cum frustra Nestorii emendationem tentasset Cyrillus, ad S. Cælestinum legavit Posidonium, Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconum, qui eum de omnibus certiorem fecit. Rescripsit humanissimas litteras Cælestinus, III Idus Augusti, Theodosio Augusto* XIII *& Valentiano Augusto* III *Consulibus, sive anno Christi* CCCCXXX *& S. Cyrilli orthodoxam doctrinam atque incensum in religione studium extollit & admiratur, de Nestorio autem ita censet*: Hunc nos ab ovilibus arcere oportet, nisi, ut optamus, ad bonam frugem se receperit, si qua tamen hujus rei spes adhuc reliqua est. Desideramus enim, ut convertatur & vivat, nisi concreditorum sibi vitam jam dudum ipse perdiderit. Quod si vero in pertinacia sua perstiterit, aperta mox condemnationis sententia in illum feretur... Universi proinde, quos ille tamquam sibi obsistentes à communione, ut putavit, semovit, in nostra societate se permanere intelligant. Sciant nihilominus eam ipsum communionem post hac nobiscum habere non posse, si doctrinæ Apostolicæ porro adversatus, perversam hanc viam contumaciter urgere perrexerit. Quamobrem nostræ Sedis auctoritate ascita, nostraque vice & loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita

ab hoc certior factus,

jubet sententiam condemnationis ferri,

A *nisi intra 10 dies doctrinâ suam anathematizet:*

quisita severitate sententiam exequeris; nempe ut nisi decem dierum intervallo, ab hujus nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi Domini nostri generatione fidem inposterum confessurum se spondeat, quam & Romana & tuæ Sanctitatis Ecclesia, & universa denique religio Christiana prædicat, illico Sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat. Is vero modis omnibus se à nostro corpore segregatum esse intelligat; ut qui omnem medentium curam aspernatus, nec non instar pestiferi morbi per universum Ecclesiæ corpus insano modo grassatus, tam seipsum quam ceteros sibi commissos in extremum exitium præcipitare studuerit.

8 *Hæc S. Cælestinus, qui addit, se eadem scribere ad* Coëpiscopos Joannem *Antiochenum*, Rufum *Thessalonicensem*, Juvenalem *Hierosolymitanum*, *&* Flavianum *Philippensem*, quo Divina Christi Domini nostri sententia pluribus de eo sit manifestata. *Extat epistola ad Ioannem Antiochenum tomo* I *Actorum Concilii Ephesini inserta cap.* 19, *ubi capitibus præcedentibus habentur ejusdem Sancti Cælestini super hac re tunc scriptæ epistolæ ad Nestorium & Clerum Constantinopolitanum*, *à quarum ultima excerpimus hæc pauca:* Præsens hic noster sermo omnes in universum complectitur, quo nimirum stabiliores subinde animosioresque in Domino effecti, non ad diversa abducamini, quin mutuis potius infirmitatibus inter vos mederi enitamini. Cogimur namque infirmiores, qui istic sunt, vobis in præsentia commendare, ubi ipsum medicum graviter advertimus laborare; cui nihilominus, si quid possum, subventum cupimus... Quia vero in re tam ardua nostra præsentia propemodum necessaria videbatur, neque tamen propter interjectum mare longique itineris intervalla commode satis id fieri queat, fratri nostro Cyrillo munus nostramque personam imposuimus, ne morbus propter moram longiorem latius serpat, suumque virus in plures diffundat. Vos interea, Apostolicos sermones ob oculos habentes, in eadem sententia eodemque sensu perfecti estote: ut quemadmodum legimus, ad finem usque perseverantes, omnes salutem consequi possimus. *In altera ad Nestorium epistola de Cyrillo ista habet*: Nostri in te judicii formulam ad S. Cyrillum Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum transmisimus, ut noster hac in parte Vicarius efficiat, quo nostrum decretum & tibi & reliquis quoque omnibus fratribus patefiat. Nam cum aliqua de re communi deliberatio suscipitur, tunc omnes, quid actum statutumque sit, intelligere oportet. *Hæc S. Cælestinus.*

B *S. Cyrillum suum in hac re Vicarium statuit,*

Matt. 10, 22

C

9 *Cyrillus post acceptas Sancti Cælestini epistolas, actitis Alexandriam vicinis Episcopis, Synodum cogit; & cum ea; post discussas Nestorii epistolas & exegeses, eum hæreticum pronuntiat; ac missis Constantinopolim quatuor Ecclesiæ Alexandrinæ ministris, obtulit Nestorio Synodalem epistolam, quæ fidei orthodoxæ confessionem & duodecim errorum anathematismos continebat; addita Sancti Cælestini epistola cum decreto damnationis, nisi intra præscriptum decem dierum spatium resipisceret. Nestorius accepta hac epistola lectisque anathematismis, in Cyrillum insurgens, hæreseos eum Apollinaris accusavit. Quibus omnibus ad Theodosium Imperatorem delatis, hic rem eo perductam ratus, ut opus esset universali Concilio, Sanctum Petronium, postea Bononiensem Episcopum, misit ad Sanctum Cælestinum Papam, ut ejus auctoritate Ephesi Concilium haberetur:* quod Theodosius indixit XIII Kalendas Decembris in Pentecosten anni sequentis CCCCXXXI, *cui ab Sancto Cælestino præscriptam fuisse formam testatus est Firmus, Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, in ipsa Ephesina Synodo:* in qua in Legatis suis atque Vicariis, id est, beatissimo Cyrillo Alexandrinæ urbis Episcopo, Arcadio & Projecto Episcopis & Philippo Presbytero, beatissimus Cælestinus Papa senioris Romæ noscitur præsedisse: *ut in quinta Synodo Oecumenica, Constantinopoli anno* DLIII *habita, Episcopi testantur. In ea ergo Synodo ab Episcopis plusquam ducentis damnationis sententia in Nestorium lata, ita refertur tomo* 2 *Concilii cap.* 10. Sancta Synodus dixit: Cum inter cetera religiosissimus Nestorius, neque nostræ citationi parere, neque sanctissimos rursum religiosissimosque Episcopos nostros ad se missos admittere voluerit; non potuimus ad eorum quæ impie docuit, examinationem animum non adjungere. Edocti itaque partim ex litteris commentariisque illius, hic publice lectis; partim rursus ex concionibus, quas in hac Ephesiorum metropoli habuit; partim denique ex testibus fide dignis, illum impie docere & sapere; per sacros Canones sanctissimique Romanæ Ecclesiæ Episcopi Cælestini Patris nostri litteras, lacrymis fusi & pene inviti; ad lugubrem hanc sententiam urgemur. Igitur Dominus noster Iesus Christus, quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per sacram hanc Synodum, eumdem Nestorium omni prorsus Episcopali dignitate privatum, & ab universo nihilominus Sacerdotum consortio & cœtu alienum esse decernit.

Concilio Ephesino sua auctoritate habito

10 *Inter epistolas Sancti Cælestini hic memoratas possunt tres illæ censeri, quas cum suis Legatis misit ad Synodum Ephesinam, & ad Sanctum Cyrillum suum in hac Vicarium, & ad Theodosium Imperatorem, quæ & ipsis Conciliis & Annalibus Baronii inserta sunt. Solum ex priore pauca proferimus verba ad Synodum exhortatoria, tantoque Pontifice digna, & sunt ista:* Simus unanimes, unum, quia sic expedit; sentientes: nihil per contentionem, nihil agere per inanem gloriam gestiamus: ut una anima cum uno corde sit cunctis; quandoquidem fides, quæ est una, pulsatur. Doleat, imo lugeat hoc nobiscum omne commune collegium, quod vocatur is in judicium, qui judicaturus est mundum: discutitur, qui discussurus est omnes: & calumniam patitur, qui redemit. Accingatur armis Dei vestra Paternitas: scitis quæ galea caput nostrum muniat, quæ lorica pectus includat: non vos nunc demum Ecclesiastica rectores castra ceperunt. Nemo dubitet, favente Domino, qui facit utraque unum, depositis armis pacem futuram, quando se ipsa causa defendit.... Et vestro hunc sancto conventui quid aliud postulandum, quam ut cum fiducia loquamini verbum Dei, ut repleti Spiritu sancto, licet ore diverso, unum tamen quod Spiritus docuit proferatis. His omnibus bene animati, adestote Catholicæ fidei & Ecclesiarum quieti, adestote & præteritis & præsentibus & futuris, rogantes atque servantes quæ ad pacem sunt Hierusalem. Direximus pro nostra solicitudine sanctos Fratres & Consacerdotes nostros, unanimes nobis & probatissimos viros, Arcadium & Projectum Coëpiscopos nostros, & Philippum Presbyterum nostrum, qui his quæ agentur interfint, & quæ à nobis ante statuta sunt exequantur: quibus præstandum per vestram Sanctitatem non dubitamus assensum, quando id quod legitur, videatur pro universalis Ecclesiæ securitate decretum. Data VIII Idus Maij, Basso & Antiocho Consulibus.

ad id hortatus per epistolam Episcopos congregatos.

11 *Finita tandē feliciter Synodus est, & Nestorius condemnatus: qui è Sede sua dejectus, & in pristinum suum monasterium* S. *Euprepii, quod est Antiochiæ, relegatus fuit; pro eoque*

D *& condemnat Nestorium:*

E

F

AUCTORE G. H.

monitus de condemnatione Neſtorii

ſubrogatus in Epiſcopum Conſtantinopolitanum, S. Maximianus, cujus Acta damus XXI *Aprilis. Tunc Epiſcopi qui Epheſi fuerant congregati, & Theodoſius Imperator, uti etiam dictus Maximianus, legationem miſerunt ad S. Cæleſtinum Papam, eidem gratulati de proſtrata cum auctore hæreſi Neſtoriana. Miſſi ad hoc Ioannes Presbyter & Epictetus, Romam pervenerunt ipſo die Natalis Domini. Reſcripſit S. Cæleſtinus illuſtres epiſtolas, datas Idibus Martii, Flavio Aëtio & Valerio Conſulibus, anno* CCCCXXXII, *id eſt, non integro menſe ante ſuum obitum. Baronius eas ſuis Annalibus inſeruit, ut noviſſimas ſanctiſſimi Patris epiſtolas & ultima ejus elogia. Prima epiſtola eſt inſcripta* ſanctæ Synodo apud Epheſum conſtitutæ, *& facta encyclica miſſa eſt ad Epiſcopos, qui Epheſo ad ſuas diœceſes receſſerant, cujus hoc eſt exordium:* Tandem malorum fine gaudendum eſt. Tandem nobis omnibus in commune dicendum: Dextera tua, Domine, glorificata eſt in virtute, dextera manus tua confregit inimicos: *&c. ubi mirifice laudat ſtudia Patrum, & pietatem Theodoſii Imperatoris, gaudetque S. Maximianum eſſe conſtitutum Epiſcopum Conſtantinopolitanum in locum depoſiti Neſtorii: hunc cupit longius ablegari, ut Antiochia ejus hæreſi liberetur. Similia ſcripſit Theodoſio Imperatori, S. Maximiano Epiſcopo, & hujus Clero Conſtantinopolitano. Concludo hanc Neſtorii exodum illuſtri Proſperi contra Collatorem epiphonemate, quod ita prope finem proponit:* Per hunc virum, *Cæleſtinum Pontificem*, omnes Orientales Eccleſiæ gemina peſte purgatæ ſunt, quando Cyrillo, Alexandrinæ urbis Antiſtiti, glorioſiſſimæ fidei Catholicæ defenſori, ad execrandam Neſtorianam impietatem Apoſtolico auxiliatus eſt gladio: quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterum proſternerentur. *Similia habent Vincentius Lirinenſis, (qui ſub Sixto III huius ſucceſſore ſcripſit) libro adverſus hæreſes capite ultimo, & Gennadius de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap.* 54, *quem etiam librum adhuc quinto ſeculo confecit.*

ſcribit Patribus Synodi Epheſinæ, &c

favet S. Proclo.

12 Maximianus, *uti aſſerit Socrates lib.*7 *cap.*39, cum duos annos & menſes quinque præfuiſſet, è vita exiit, pridie Idus Aprilis, Areobindo & Aſpare Conſulibus, *id eſt duobus poſt obitum* S. Cæleſtini *annis, cujus* epiſtolæ adhuc ſuffragabantur Proclo, ut in locum Maximiani aſſumeretur, quia ſcripſerat Papa olim, nihil obſtare quo minus Cyzicenus creatus Epiſcopus, ad Sedem Conſtantinopolitanam transferretur. *Quod ejus decretum olim poſt Maximiani electionem innotuit, dein hoc defuncto profuit Proclo.*

C

CAPUT III.

Baſilicæ ejus donis exornatæ: ſepultura, Cultus ſacer, Reliquiæ.

Theodoſio Imperatori & aliis.

B

Dedicat baſilicam Iuliam,

& variis donis exornat,

13 *Colitur die* XII *hujus menſis Aprilis* S. *Iulius, itidem Pontifex Romanus, quem diximus inter alias fabricas feciſſe baſilicam Iuliam, regione* VII *juxta forum Trajani. Alia fuit baſilica Iulia, diu ante ab Auguſto ſub Iulii Cæſaris nomine extructa, & à Plinio ac Quintiliano memorata. Iterum in baſilica Iulia dicitur Pontifex ordinatus Sanctus Bonifacius, & hujus ſucceſſor* Cæleſtinus dedicavit baſilicam Juliam, in qua poſt ignem celicum (*aliis* Zeacum, Ceticum; Geticum) obtulit hæc dona: patenam argenteam, penſantem libras quindecim; ſcyphos argenteos duos, penſantes ſingulos libras octo; amas argenteas duas, penſantes ſingulas libras decem; calices minores argenteos quinque, penſantes ſingulos libras tres; aqua-maniles argenteos duos, penſantes ſingulos libros decem; candelabra argentea duo, penſantia ſingula libras triginta; canthara ceroſtata ærea vel ænea viginti quatuor, penſantia ſingula libras triginta; item coronas argenteas decem, penſantes ſinguias libras decem. Ad B. Petrum Apoſtolum pharum cantharum, penſans libras viginti quinque ex argento puriſſimo; cantharа argentea ceroſtata in gremio baſilicæ, penſantia ſingula libras viginti: *uti ea leguntur in Libro Pontificali in MSS. Geſtis Pontificum, apud Anaſtaſium & alios. Demum ut in eiſdem additur,* hic fecit ordinationes tres per menſem Decembrem, Presbyteros triginta duos, Diaconos duodecim, Epiſcopos per diverſa loca quadraginta ſex.

D

uti & eccleſiam S. Petri

facit tres ordinationes:

14 *Illuſtrem Cæleſtini mentionem facit Hadrianus I Papa, in epiſtola ad Carolum Magnum Francorum Regem: in qua dum refellit objectiones contra ſeptimam Synodum Oecumenicam, iſta in Reſponſione ad Actionem quintam ſcribit:* Iterum & de tertio Concilio, Sanctus Cæleſtinus Papa proprium ſuum cœmeterium picturis decoravit. *Ejus autem cœmeterium hoc loco appellatur ipſemet locus, à S. Cæleſtino in ſepulturam ſpecialiter ſibi delectus, vel certe hoc titulo poſt obitum ejus communi omnium voce nuncupatus; quod ibidem à fidelibus conditus fuerat; uti interpretatur Aringhus lib.*4 *Romæ ſubterraneæ cap.*28, *ubi agit* de celebri Priſcillæ cœmeterio via Salaria, *in quo S. Cæleſtinum fuiſſe ſepultum paſſim omnes tradunt. Epitaphium ejus olim ſepulcro affixum edidit Gruterus, in Antiquis inſcriptionibus pag.* 1171, *& eſt hujuſmodi:*

cœmeterium ſuum exornat picturis:

quod Priſcillæ antea dictum.

E

Præſul Apoſtolicæ Sedis, venerabilis omni
Quem rexit populo, decimum dum conderet annum
Cæleſtinus agens, vitam migravit in illam,
Debita quæ Sanctis æternos reddit honores.
Corporis hic tumulus: requieſcunt oſſa, ciniſque:
Nec perit hinc aliquid: Domino caro cuncta reſurgit.
Terrenum nunc terra tegit, mens neſcia mortis
Vivit, & aſpectu fruitur bene conſcia Chriſti.

ejus ibi epitaphium.

15 *Sedit* S. *Cæleſtinus annos integros octo, & partes duorum annorum, quæ ſolum quinque menſes conficiunt & tres quatuorve dies. Mortuus eſt Indictione* XV *Valerio & Aëtio Conſulibus anno* CCCCXXXII; *ſucceſſorem nactus* S. *Sixtum III, cujus Vitam illuſtravimus* XXVIII *Martii. Dies obitus ejus in antiquiore Catalogo Pontificum, ſeculo Chriſti ſexto confecto, aſſignatur* VII Idus Aprilis; *quo die inſcriptus eſt nonnullis codicibus MSS. Adonis & Vſuardi, item Martyrologio ſub nomine Bedæ edito, & alteri Coloniæ & Lubecæ anno* 1490 *excuſo, Greveni etiam auctario ad Vſuardum & nonnullis aliis. Verum* VIII Idus Aprilis *habent Anaſtaſius, Luitprandus, Abbo Floriacenſis cum Libro Pontificali,* MSS. *Geſtis Pontificum & paſſim aliis: quo etiam die refertur in Martyrologiis Bellini, Maurolyci, Felicii, Galeſinii, Caniſii, & in nonnullis* MSS. *item in antiquo Miſſalis & Breviarii Mediolanenſis Kalendario, &* Martyr *dicitur. In Martyrologio hodierno Romano hoc ei tribuitur elogium:* Romæ S. Cæleſtini Papæ, qui Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum damnavit, Pelagiumque fugavit: cujus etiam auctoritate ſancta univerſalis Synodus Epheſina adverſus eumdem Neſtorium celebrata eſt.

mortui anno 432.

7 Aprilis

F

aut potius 6 Aprilis.

16 *Onuphrius Panvinius libro de* VII *Vrbis Eccleſiis aliiſque præcipuis, fere ſub finem, agit de eccleſia & titulo S. Praxedis, aſſeritque Paſchalem ex Presbytero Cardinale titulo S. Praxedis, anno* DCCCXVII *creatum Pontificem, mox hanc eccleſiam reſtauraſſe & variis Sanctorum reliquiis exornaſſe: de quibus in pariete muri, prope oratorium Sancti Zenonis, hujuſmodi tabula marmorea extat:* In nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, temporibus ſanctiſſimi & ter beatiſſimi & Apoſtolici Domini Paſchalis Papæ, infra

corpus anno 817 delatū ad eccleſiam S. Praxedis.

A fra ducta ſunt veneranda Sanctorum corpora in hanc Sanctam & venerabilem baſilicã beatæ Chriſti Virginis Praxedis: quæ prædictus Pontifex, dirutis ex cœmeteriis ſeu cryptis, jacentia auferens, ſub hoc ſacro-ſancto altari ſumma cum diligentia propriis manibus condidit, in menſe Julio, die xx, Indictione x. Nomina vero Pontificum Romanorum hæc ſunt: Urbani, Stephani, Anteri, Miltiadis, Fabiani, Julij, Pontiani, Siricii, Lucii, Xyſti, Felicis, Anaſtaſii & Cæleſtini. *Octavius Pancirolus in Theſauro abſcondito Vrbis, regione 2, eccleſia 42, aſſerit pleraque horum Pontificum pignora ad alias eccleſias fuiſſe tranſlata, at trium Pontificum, Pontiani, Siricii & Cæleſtini corpora etiamnum ibidem aſſervari: aliquas tamen hujus poſtremi reliquias eſſe in eccleſia S. Pauli extra muros Vrbis.*

dicitur ibidem adhuc eſſe.

ſed Mantuani tradunt inde ablatum apud ſe aſſervari.

17 *Aliquas etiam reperiri Bononiæ in eccleſia S. Stephani & alia Scholæ piæ tradit Maſinus hoc die. Interim in Officiis propriis, pro Eccleſia Cathedrali Mantuana ejuſque diœceſi anno* MDCXXVI *excuſis, præcipitur* VI *Aprilis Feſtum titulare S. Cæleſtini Papæ & Confeſſoris, & Lectiones ſecundi Nocturni ſunt ex Annalibus Cardinalis Baronii deſumptæ, in iiſque ſub finem iſta adduntur:* Tanti Pontificis Reliquiæ, poſt multa temporum curricula Mantuam tranſlatæ, in Cathedrali Eccleſia ſumma religione ac pietate venerantur. *Quæ hujus rei haberentur Mantuæ documenta requirentibus nobis, reſpondit* P. *Antonius Favoritus noſtræ Societatis Sacerdos*, ex quadam Franciſci Gonzagæ, ab anno MDXCIII ad MDCXX Epiſcopi Mantuani, conſtitutione haberi; quod antiqua & conſtans traditio, ſed nullis litterarum monumentis conſignata, ſit, Corpus S. Cæleſtini à quopiam ablatum Roma fuiſſe: qui dum prope Mantuam in vico Pietole dicto ſubſiſteret, ibi ægrotarit atque obierit: cum quo capſa ſacrorum cuſtos oſſium tumulata, poſt multos deinde annos caſu inventa, elevataque, & intra Urbem honorifice tranſlata fuerit. AUCTORE G. H.

18 *In eccleſia collegiata oppidi Rotnacenſis in Flandria colitur* XVII *Maij* S. Cæleſtinus, *quem Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii & alii tradiderunt eſſe* Cæleſtinum primum Papam. *Verum, ut ex inſcriptione feretri cuprei conſtat, iſte dicitur fuiſſe* Martyr & gladio vitam finiviſſe; *uti deducemus ad diem* XVII *Maij.* *Alius Cæleſtinus colitur Rotnaci.*

DE S. AMANDO COMITE,

ET SS. LUCIO, LEONTIO, LUCIANO,

GISALBÆ IN ITALIA.

G. H.

VI APRIL.

Giſalbæ apud Bergomum

Ergomum urbs Orobiorum antiqua eſt in Italia Alpeſtri, inter Breſciam & Comum ſita, in cujus diœceſi octo ab ipſa paſſuum millibus verſus Breſciam diſtat Giſalba, oppidum honore Comitatus etiamnum celebre. Nam teſte Ferdinando Vghello tomo 4 Italiæ ſacræ, in Laurentio octavo Sedis Bergomenſis Epiſcopo, Præpoſitus Eccleſiæ S. Laurentii, Giſalbæ Comes eſt; & temporalem ſpiritualemque juriſdictionem eo in oppido exercet, habetque uſum mitræ pro dignitate, à Summis Pontificibus ſpeciali privilegio conceſſum. *Hujus oppidi Comes traditur fuiſſe S. Amandus, de quo hæc in marmore leguntur in ſacrario Giſalbenſis eccleſiæ.*

Comes S. Amandus

6 Aprilis mortuus;

2 Anno à nativitate Domini currente DXV, VI Aprilis S. Amandus Martyr debitum ſoluit humanæ vitæ. Hic Comes Giſalbæ fuit, ædificari fecit eccleſiam S. Laurentii, quam ampliſſimis poſſeſſionibus ditavit: & jacet in eccleſia S. Mariæ in medio duorum altarium. *De eodem Sancto Achilles Mutius hos verſus panxit, ab Vghello relatos:*

C

Giſalbæ fuerat Præfectus Amandius olim,
Illuſtris caſtri, vir pietate gravis.
Sæpius hectoreis turatam viribus urbem,
In ſuperos cives quem retulere pii.

inter Sanctos relatus.

3 *Agit de eodem Amando Bartholomæus de Peregrinis parte 2 Vineæ Bergomenſis cap. 9, & Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, qui potiſſimum ex dicta Vinea hoc elogium confecit:* Amandus Giſalbæ Comes, piis operibus addictus, acceptabilemque Deo vitam agens, templum S. Laurentio Martyri ædificavit, illudque amplis reditibus, multis ei prædiis attributis, dotavit: quod poſtea in Abbatiam erectum fuit, deque S. Amandi nomine appellatum. Cum vero aliquot annos ibi tamquam in cœnobio vitam religioſam duxiſſet, anno ſalutis quingenteſimo decimo quinto, VIII Idus Aprilis, ex hac mortali vita deceſſit, in æde S. Mariæ ejuſdem pagi, (ut epitaphium ſuum declarat) conditus. *Hæc Ferrarius, qui eumdem Sanctum inſcripſit Catalogo generali. Brauzius Epiſcopus Sarſinæ in Martyrologio Poëtico eum hoc exornat diſticho.*

fundator eccleſiæ S. Laurentii.

Eximia pietate Comes præclarus Amandus,
Quam ſtatuit Sancto, poſſidet ipſe Domum.

4 *His collectis; epiſtolam direximus Brixiam, & conſuluimus admodum Reverendum Dominum Bernardinum Fainum, nobis ob mutuas litteras familiarem. Ab hoc excitatus Reverendus Pater Donatus Calvus Bergomenſis, ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini, vir eruditus, & libris ad hiſtoriam Bergomenſem ſpectantibus clarus, de S. Amando indicavit*, Nullum hujus Divi extare proprium officium vel Lectiones, ſed totum de Communi unius Martyris agi cum Octava. Ejus obitus diem ſexta Aprilis fuiſſe, Tranſlationis autem ſexta Februarij, & hac die ejus ſolennitatem Giſalbæ celebrari. Eccleſiam autem S. Mariæ, in qua adhuc jacet corpus S. Amandi cum ſociis, poſſideri à Societate Diſciplinatorum. Eccleſiam vero S. Laurentii Præpoſituralem eſſe, olim Abbatiam nuncupatam, cujus Præpoſitus fert mitram, & gaudet titulo Comitis, eſtque in diœceſi Bergomenſi, non tamen in civitate, dignitas principalis. *Præterea miſit extractum ex ſuo libro de Armigeris Bergomenſibus Italice ſcripto, additque de eo amplius nihil ſe potuiſſe invenire:* Extant, *inquit idem*, una cum corpore Sancti Amandi in eccleſia *S. Mariæ corpora* SS. Lucii, Leontii & Luciani: *quorum Acta & dies mortis in tenebris jacent, & de eis fit tantum commemoratio in officio diei S. Amandi. Elogium autem S. Amandi, ex prædicto libro, ut dixi, miſſum, hujuſmodi eſt.*

colitur officio Eccleſiaſtico.

corpus in eccleſia S. Mariæ,

F

cum corporibus trium Sanctorum.

5 Amandus Comes Giſalbæ ſub Severo Imperatore, anno quadringenteſimo ſexageſimo tertio, Duce Ricimere militem exercuit, fortiterque contra Berigum Alanorum Regem, qui Bergomi provinciam invaſerat, pugnavit, patriamque tutatus eſt. Nam in valle Decia, quæ nunc dicitur Scalve, cum Berigo inito certamine, non tam Ricimeres, quam Amandus unico prælio de Alanis triumphantes, felici victoria triumphales laurus Cæſareo diademati addiderunt. Paucis abhinc annis Inſubriæ Gubernator Ricimeres effectus, bellicoque faſtu tumidus, ſceptrum Artemii, qui Severo in Imperio ſucceſſerat, repudiavit. Sic tota Italia in ancipiti hærente, an Artemii, num Ricimeris jugo colla

Dicitur Alanos bello ſuperaſſe

AUCTORE G. H.

colla ſupponeret; Amandus fide conſtans, partes Artemii ſecutus, ſe cum militibus in Bergomenſem urbem ad ejus tutelam & cuſtodiam tranſtulit. Pater hinc patriæ effectus, afflictorum ſolamen, civium ſcutum, ac totius provinciæ validus defenſor.

Bergomum pro Artemio Imp propugnaviſſe:

Catholicam fidem contra Arianos defendiſſe tempore Odoacri & Theodorici,

6 Sæpe cum hoſtibus congreſſus bellum geſſit, pugnavit, vicit. Sed adhuc fortius, cum Odoacer Herulorum Rex Ariana hæreſi univerſam labefactavit Italiam, orthodoxa fide armatus, quamvis Odoacri peſtifero ſceptro externo inſerviret obſequio, monſtrum infernale Arianiſmi aggreſſus, ſic ejus depreſſit viret, ut Bergomenſem patriam ab ejus letali contagio immunem, Deo adjuvante, ſervaret. Idem præſtitit cum anno quadringenteſimo octogeſimo nono à Theodorico Oſtrogothorum Rege, ejecto Odoacre, naufraga vera fides inter Arianorum procellas natabat. Semper Amandus fidei cuſtos, nullis parcens ſudoribus, Catholicam religionem protexit, Romanam ſanctitatem defendit, & licet minis, injuriis, inſultibus, inſidiis, perſecutionibus ac damnis, Arianorum fraude ac dolis ſæpe ſæpiuſque impeteretur, numquam ab incepto deſtitit, numquam à vera fide nec per latum unguem diſceſſit.

B

dotaviſſe eccleſiam S. Laurentii

7 Eccleſiam S. Laurentii conſtruxit, quam prædiis ac aliis bonis dotavit. Morum candore, eleemoſynarum largitione, ſanctitatis jubare, virtutum omnium ſplendore patriam univerſam illuſtravit. Martyr obiit ob innumeras perſecutiones ac damna, quæ pro Chriſti fide ſuſtulit, quamvis ignoto mortis genere, die ſexta Aprilis: cujus etiam feſtum colitur, in ejus Tranſlationis memoriam, ſexta Februarii.

D

ac Martyr obiiſſe;

8 *Hæc ille, incunctantius à nobis recipienda, ſi pariter indicaſſet, ex quibus auctoribus ac monumentis acceperit ſingula. Veremur enim ne hic dumtaxat proponatur ſpecioſa ſeries novarum conjecturarum, à viro hiſtoriæ Italicæ perito, non inepte pertexturum, atque ab invicem congrue pendentium. Nam* Giſalbæ *nomen, Longobardico in Inſubria dominatu antiquius eſſe, (cum ipſum Longobardicum ſit,* Gizonis-montem *ſignificans) difficulter poſſumus perſuaderi: ſuſpicamurque ad Longobardorum tempora & perſecutionem referendum eſſe S. Amandum, qui in propriis ſuis fundis S. Laurentii eccleſiam erexerit, in eamque intulerit corpora ſive reliquias antiquiorum trium Sanctorum Martyrum, fortaſſis Thebæorum, prius quam iſtud loco nomen aut oppidi jura eſſent: quique deinde à ſupervenientibus Longobardis fidei cauſa cæſus, meruerit una cum aliis tribus communem ſepulturam atque honorem. Non enim eſt novum, ut qui poſſeſſiones aliquas habuerunt in locis, poſtmodum celebriori titulo ornatis, talium locorum dicantur Comites, Duces, aut Principes; fieri etiam potuit ut Amandus ex Romani imperii norma Comitis geſſerit titulum, non loco ſed officio adſtrictum, & quia in oppido, nunc Giſalba dicto, olim vixerit, Comes dicatur Giſalbæ.*

forte ad Longobardorum tempora deferendum.

E

DE SANCTO EVTYCHIO PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO,

G. H.

ANNO DLXXII S *Eutychius natus* 512

Presbyter creatus anno 542

Patriarcha CP. an. 552

Floruit ſexto Chriſti ſeculo Sanctiſſimus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Patriarcha Eutychius, *natus anno* DXII, *uti ex reliquo vitæ decurſu & annis in ea peractis ſeptuaginta, clare demonſtratur.* Creatus eſt Presbyter cum triginta eſſet annorum, *circa annum Chriſti* DXLII. *Habitu dein monaſtico apud Amaſenos aſſumpto, vixit primum monachus, dein Archimandrita uſque ad annum* DLII, *quo S. Menas Patriarcha Conſtantinopolitanus mortuus eſt* XXV *Auguſti: cui* S. Eutychius, *jam ante ut Metropolitæ Amaſeni* Apocriſiarius Conſtantinopolim profectus, eo ipſo die, quo Menæ cadaver, *ut Theophanes ſcribit,* in ſacris adytis adhuc expoſitum jacebat, ſuffectus eſt Patriarcha: *& anno ſequenti* DLIII *præfuit cum aliis Patriarchis Concilio v Oecumenico Conſtantinopoli habito. Cum præclaris virtutibus Patriarchatum anno* XIII *regeret: & Iuſtiniani Imperatoris errores fortiter oppugnaret, anno* DLXV Indictione XIII, *abductus eſt* XXII Ianuarij, *primum ad duo conſequenter monaſteria, dein ad Principem inſulam, inde Amaſeam relegatus,* & Joannes Scholaſticus *in ejus locum ſubrogatus eſt* XIII Aprilis: *quo poſtmodum* XXXI Auguſti Indictione X *anno* DLXXVII *extincto, cum* duodecim annis & quinque menſibus Eutychius *exul in monaſterio Amaſeno vixiſſet, plurimis miraculis clarus, revocatus eſt à Iuſtino Imperatore & Tiberio Cæſare ad Eccleſiam ſuam Conſtantinopolitanam, quam* tertia Octobris die Dominica *ingreſſus, ſacrificium Miſſæ peregit, & per ſex horas ſacram Euchariſtiam diſtribuit. Vixit poſtmodum* quatuor annos & ſex menſes, *acri febre correptus anno* DLXXXII, *ipſo die feſto Paſchatis, quo ſacrificium Miſſæ obtulerat, & ſacra communione ſuos refecerat. Conveniebat Paſcha in diem* XXIX *Martij, cyclo Lunæ* XIII, *Solis* III, *littera Dominicali D.* Cum totam illam hebdomadam ægrotaſſet, mente firma Deum oravit uſque ad ſeptimam horam Dominicæ ſecundo-primæ poſt Paſcha, *quæ in diem* V *Aprilis incidebat.* Cumque omnibus benedixiſſet, *tandem* circa nonam aut decimam noctis horam, *quæ jam ſpectabat ad feriam* II *& diem* VI *Aprilis,* in Dei manus ſpiritu commendato, ex hac vita diſceſſit. *Hæc in Vita: cui conſentit Theophanes ita ſcribens ad annum Tiberii quartum & ultimum:* Hoc anno, die ſexto Aprilis, Indictione decima quinta, Eutychius Patriarcha diem extremum clauſit. *Prædixerat autem* Tiberio Imperatori, *cum ab eo in ultimo morbo inviſeretur,* celerem ipſi mortem inſtare: idque verum fuiſſe eventus docuit. Nam quatuor poſt menſibus è vita deceſſit Imperator. *Ita infra in Vita legitur. Quæ etiam in Chronico Conſtantinopolitano, paſſim dicto Alexandrino, ſic confirmantur:* Quarto Imperii anno æger Tiberius. Quinto Auguſti XV Indictione, creatus eſt Cæſar Mauritius Tiberius, & XIII Auguſti coronatus Auguſtus, data illi in uxorem Conſtantina filia. XIV Auguſti moritur Tiberius. *Elapſi tunc erant ab obitu S. Eutychii ſolum menſes quatuor & dies octo. Eadem confirmat Theophanes.*

dein Tiberius Imp. 14 Auguſti.

C

exulat ductus Amaſeam anno 560

revocatus ad Sedem ſuam anno 577,

mortuus anno 582

F

2 *Sed quis melius ea nobis potuit indicare, quam* Euſtathius Presbyter, *ſcriptor Vitæ S. Eutychii, qui familiaris hujus domeſticus vixit, & cum eo in exilium profectus atque reverſus Conſtantinopolim, numquam ab ejus latere diſceſſit, annoſque, menſes, dies & horas accurate obſervavit: ut mirum ſit aliter à Baronio annos ejus, imo & annos Tiberii potuiſſe ordinari, & collocari utriuſque obitum ad annum Chriſti* DLXXXVI, *cum præcipuam partem vitæ S. Eutychii, ab Euſtathio Presbytero ſcriptæ, in ſuos Annales transferret & num.* 7 *ita ſcriberet:* Quod ad obitum Eutychii pertinet, idem tradit Euſtathius, ipſum die Paſchatis poſt officium veſpertinum acri febre correptum, ſicque depaſtis eo igne viſceribus, poſt ſeptem dies, nempe ſequenti Dominica, migraſſe ex hac vita. *Aſt ſignato à Baronio anno* DLXXXVI, *Paſcha incidit in* XVII *diem Aprilis, & Dominica ſequens in* XXIV *diem Aprilis, & ſic dies ejus natalis non eſſet aſſignandus* VI *Aprilis, ſed* XXV *ejuſdem menſis. Præterea anno* DLXXXVI *erat* Indictio quarta: *at contra Theophanes bis indicat* Indictionem decimam quintam *ad obitum tam* S. Eutychii VI Aprilis vita functi, *quam* Tiberii Imperatoris XIV Auguſti mortui, cum, *inquit,* annos tres, menſes decem

neutrius obitus differendus ad annum 586

nocte 6 Aprilis.

A decem, & dies octo imperasset. *Regnavit post Tiberium Mauritius à* XIV *Augusti anni* DLXXXII *per integros annos viginti usque ad annum* DCII; *occisus* XXVII *Novembris, feria* III, *Indictione* VI; *quem annum, mensem & diem cædis ejus affirmat; sed Imperio ejus tribuit solum annos* XVI, *contra omnium scriptorum consensum. Annos ejus Imperii viginti accuratissime digestos enumerant, Simocatta, in Historia Mauritii Imperatoris libris octo conscripta, Theophanes, Auctor Chronici præcitati & alii.*

Vita mox ab obitu ejus scripta: 3 *Imperante Mauritio scripsit Eustathius Presbyter Vitam S. Eutychii, cum* elapsi essent anni duodeviginti, *quod exul apud Amasenos Imperium ejus prædixisset: eodemque Imperatore præsente, in solennissima panegyri eamdem recitavit, quem admodum apparet ex Epilogo, ubi, quem* imprimis *appellat* divinum ac sacrum caput, *non alius intelligendus quam ipse Imperator. Recitavit autem, quantum ex subducta temporum ratione conjicimus, & ex ipsius rei congruentia, in anniversaria justorum funebrium conclusione anno* DLXXXIII; *cum ante annos octodecim facta prædictio ad annum* DLXV, *qui fuit exilii primus, commodissime referatur. Extabat ea Vita Græce in Bibliotheca Veneta, unde acceptam Lipomanus habuit, ex eoque Surius, Latine redditam à Petro Francisco Zino. Nos alterum ejus exemplar ex Bibliotheca Vaticana nacti, cum videremus interpretem, veluti tam prolixæ orationis conspectu attonitum, segniori animo minusque attento ad translationem faciendam accessisse, & locis quam plurimis impegisse, necessarium duximus novam ex Græco versionem adornare. Aliam vitam S. Eutychii nacti sumus ex Codice Serenissimæ Christinæ Reginæ Sueciæ, qui fuerat Pauli Rhamnusii & amicorum: in quo solum erant Vitæ Sanctorum, quorum reliquiæ sunt Venetiis in monasterio S. Georgii majoris. Hanc autem Vitam* Fabianus Cretensis, Monachus Congregationis Casinensis, alias S. Justinæ, ex Græco in Latinum traduxerat. *In hac Vita cujus aliud exemplar manu Ferdinandi Vghelli transscriptum ab ipsomet Romæ accepimus,* Eustachius *loco* Eutychii *appellatur, & pauca hæc sub finem de translato corpore habentur:* Sepultus est sanctissimus Eustachius sub altare Sanctorum, ubi etiam venerandæ SS. Andreæ, Timothei & Lucæ reliquiæ repositæ sunt. Anno vero Domini millesimo, ducentesimo quadragesimo sexto, Duce autem Venetorum inclyto Andrea Dandulo, Romæ autem Innocentio IV Pontifice Maximo, Imperatore vero Federico secundo, sanctissimum ejus corpus Venetias delatum est, & in fano D. Georgii, cognomento Majoris, honorifice in altari reconditum die vicesima secunda mensis Aprilis, ubi diuturna hymnorum laudumque precatione à monachis devotissime colitur. *Hæc ibi. Conveniunt in annum* MCCXLVI, *Pontificatus Innocentii IV, & fere Imperium Federici II, contra quem Henricus Landgravius Thuringiæ & Hassiæ anno præcedenti designatus fuerat Imperator, abrogato per Concilium generale Lugdunense Imperio Federici. Sed major difficultas est in Andrea Dandulo, qui seculo sequenti, & anno* MCCCXXXVI *Dux Venetorum creatus traditur ab hujus Reipublicæ scriptoribus. Bellinus de Padua inscripsit suo Martyrologio secundum morem curiæ Romanæ plerosque Sanctos, quorum reliquiæ Venetiis servantur in dicto monasterio* S. *Georgii Majoris; & ad memoratum* XXII *diem Aprilis ista habet:* Item in monasterio S. Georgii Majoris Venetiarum translatio S. Eustachii Patriarchæ Constantinopolitani anno Domini MCCXLVI. *Bellinũ sequuntur Maurolycus, Felicius, Molanus, Canisius, Galesinius & Ferrarius. Consentit MS. Folrentinũ in bibliotheca Senatoris Strozzi adservatum. Idem Bellinus ad diem* XIX *Februarij iterum refert memoriam* S. Eustachii Patriarchæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ. *Sequuntur iterum omnes ante citati auctores, ex quibus Canisius addit, fusius de eo agi* XVI *Julij, forsan ratus illum esse* S. Eustathium Archiepiscopum Antiochenum, *qui eo die colitur. Plura diximus ad diem* XIX *Februarij inter Prætermissos & in alios dies rejectos, quæ ibi videri possunt. Ceterum quæ in citata Vita S. Eutychii per Fabianum Cretensem habentur, nolumus proferre, quia est compendium alterius Vitæ non sine variis mendis confectum.*

AUCTORE G. H.

Sub nomine S. Eustachii

cum translatione corporis Venetias:

B

C

& inscripta Martyrologiis 22 Aprilis

& 19 Februarij.

alia ex priore contracta

cultus sacer apud Græcos.

4 *Solennissimo officio celebrant Græci festum S. Eutychii ad diem* VI *Aprilis, in Menæis excusis & manu exaratis, qualia Romæ, Florentiæ, Mediolani, Taurini, Parisiis & Divione reperimus: ut plane mirum sit à Sirleti Menologio excludum esse: nam & in Ephemeride metrica, & in Kalendarii Moscovitici tabulis solus hic nominatur. In MS. Menologio Basilii Imperatoris istud habetur elogium:* Die sexta Aprilis, Memoria sancti Patris nostri Eutychii, Archiepiscopi Constantinopolitani. Sanctus Pater noster Eutychius fuit sub imperio magni Justiniani, è regione Phrygia exortus. Præclare autem educatus ab * Hesychio Presbytero & Thaumaturgo, ejus avo; ac in sacra Scriptura, studio & meditatione assidua versatus, ab Episcopo Amaseæ susceptus est, ac primum monachus, deinde Presbyter initiatus, tranquillam egit vitam in monasterio S. Meletii. Quinto deinde Concilio congregato à Justiniano; cum Episcopus Amaseæ eo tempore infirma valetudine detineretur, missus est vice illius Eutychius, qui in Concilio inter alios ita excelluit, ut de eo Menas Patriarcha dixerit: Hic erit meus successor. Et ita post mortem illius electus est Patriarcha. Cum vero postea in odium Imperatoris incidisset, exul relegatus est. Post mortem vero Justiniani suam recepit Sedem à Justino & Tiberio. Cum autem multa patrasset miracula & impetum magnæ mortalitatis precibus cohibuisset, & Tiberii mortem prædixisset, sicut etiam ante ejus regnum; ex hac vita decessit, sepultus in ecclesia sanctorum Apostolorum. *Eadem habentur in Anthologio novo, quod Arcudius Clementi VIII Pontifici inscripsit. Longiora Vitæ elogia continentur in Mæneis, in quibus sub finẽ ista verba leguntur:* τελεύτα δὲ ἡ αὐτοῦ σύναξις ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ; Celebratur dies festus ejus in sanctissima magna ecclesia. *Laudatur in odis zelus ejus in orthodoxa fide propugnanda & hæresi deprimenda; & ob varia ab eo patrata miracula,* Thaumaturgus *appellatur in ipsa dictarum Odarum Acrostichide hac:*

Τὸν θαμαλεργὸν Εὐτυχιὸν θαυμάσω.
Mirabor Eutychium mirorum effectorem.

Ante elogium vero jam recitatum hoc præmittitur distichon, cum allusione ad nomen Eutychii, *quod* fortunatum *seu* bona fortuna utentem *significat.*

Εὐτύχιον θανέντα τιμῶν τοῖς λόγοις,
Ἐμαυτὸν εὐτυχέστατον κρίνω.
Morientem Eutychium sermonibus laudans,
Ipsum me judico fortunatissimum.

etiam Thaumaturgus appellatur.

elogium ex Menologio Basilii Imp.

* *imo* Eutychio

cultus probatus à Molano Ferrario Baronio,

5 *Ioannes Molanus in Auctario Usuardi ad diem* VI *Aprilis ejus memoriam celebrat, & in prima editione hoc ejus extat elogium:* Constantinopoli natalis magni & beati Patris nostri Eutychii; Patriarchæ Constantinopolitani; cujus vita & miracula conscripta sunt ab Eustachio humili Presbytero. *Eumdem celebrat Ferrarius in Catalogo generali: & Baronius relato ejus obitu ad annum* DLXXXVI *num.* 7 *asserit,* non immerito eum à Græcis ut Sanctum coli, anniversariaque die ejusdem natale celebrari. *Addi his possunt Bellinus & sex alii Martyrologi, licet hi sub nomine S. Eustachii eum celebrent,* XXII *Aprilis &* XIX *Februarij, ut supra monuimus: quod iterato facit Ferrarius ad diem* II *Maij his verbis:* Venetiis translatio corporis S. Eutychii Episcopi Constantinopolitani. *In notis allegatur* Kalendarium Ecclesiæ S. Georgii Majoris, in qua corpus asservatur, quod è Byzantio Venetias in dictam ecclesiam anno Domini MCCXLVI translatum, ut monumenta MSS. cœnobii S. Georgii habent.

F

& alii.

translatio ad 2 Maij.

A

VITA

Auctore Euſtathio Presbytero ejus domeſtico familiari.

Ex MS. Græco Vaticano, Interprete D. P.

PROLOGUS.

Suæ tenuitatis ſibi conſcius auctor,

MAgnum nobis argumentum propoſitum eſt, ſed facultas tenuis ad explicandum ſufficit: ardet animus, ſed lingua friget, nec enarrare poteſt res admirandas & optime inſtitutam magni viri vitam: cogitatio ampla eſt, ſed dictio anguſta: multa ad Davidicæ turris ædificationem materia ſuppetit, ſed architectus adeſt inexpertus ac rudis. Verumtamen præbet Dominus, quia Deus omnipotens, ſapientiâ inſipientibus, & ſuggerit euangelizantibus verbum virtute multa; idemque digito ſuo, id eſt Spiritu ſancto, aures ſurdorum aperit: & linguam, vix aut ne vix quidem mobilem ad loquendum, diſertam reddit is, qui poteſt ex lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. Scio etiam quod cum dives in omnibus ſit, ita ſuſcipiat obolos duos, ut etiam auro & topazio eos præferat: nam nec calicem quidem aquæ frigidæ, tantum in nomine diſcipuli datum, aſpernaturum ſe promiſit. Quid igitur abſterrere nos debet ab hoc munere ſuſcipiendo? An quod ea nobis deſit orationis copia, qua divinum virum poſſimus pro dignitate laudare? Minime vero. Nec enim, quia totum quod terram inter ac cælum eſt ſpatium nequimus oculis emetiri, inquit Magnus Baſilius, propterea nolumus illud, quantum poſſumus, intueri. Itaque nec ego, quamvis orationis inopia laborem, & argumentum difficile propoſitum ſit, amplectar otium ignavum atque iners; neque iis aſſimilabor, qui propter timorem atque imperitiam rei nauticæ, ſolo maris aſpectu ſic terrentur, ut nec experimenti quidem cauſa littori propinquas undas attingere audeant. Potius auxilio viri beatiſſimi fretus, conabor pro viribus ſatisfacere ſtudio populorum: quos ſcio hoc ſolum deſiderare, quod apud me pauperem reperietur, non autem quantum magno iſti viro debetur.

præſumit tamen pro viribus laudare Eutychium

2 Sane non ſuſcipiebatur à Deo ſolus is, qui vitulos pretioſos & oves offerebat ad ſacrificium; ſed ſimilam & turturem quoque & columbam, parva quidem & vilia, pura tamen munuſcula offerens, laudabatur: æſtimatur enim unuſquiſque ex eo quod habet, non quo caret. Quapropter illo confiſus qui dixit, Qui quærit invenit, & pulſanti aperietur: licet non ignorem imperitiam meam, explicabo tamen magni hujus viri geſta præclara; vel potius peritioribus dabo occaſionem laudandi eum, qui omni laude ſuperior eſt, quique ipſe ſibi eſt laus maxima. Siquidem, ut Sapiens ait, argentum ignitum eſt lingua juſti, & labia rectorum ſtillant gratias: ex ejus enim veracibus ſermonibus ingens ſplendor refulget. Sicut igitur illuſtratur ſol propria, non aliena luce; ita nec magnum orbis lumen doctorque Eutychius aliorum eget laudibus, ut oſtendatur fuiſſe perfectus: neque opus eſt imponere ei coronam gloriæ aliunde acceptam; quia ſicuti juxta Prophetam David, omnis gloria filiæ Regis ab intus circumdata varietate, ita divinum illud ac ſacrum caput omnibus virtutum generibus adornatum eſt; idemque, velut ſublimis quædam facula, perpetuo ſplendet omnibus in hoc vitæ pelago navigantibus, ad quam reſpicientes in ſecuriſſimum ac tranquillum portum deducantur quieturi.

omni laude ſuperiorem,

B

C

Luc. 11, 9

Prov. 10, 10

Pſ 44, 15

3 Hic igitur vir omnino maximus ac Dei ſervus, Pontifex ſanctus, non ab hominibus, nec per homines, ſed per Jeſum Chriſtum conſtitutus, juſtus, pius, verus, ab omni reprehenſione alienus, Jobo ſimilis demonſtratus eſt per patientiam. Quoniam autem Beati Job mentio incidit, operæ pretium erit ex ejus hiſtoria memorandi hujus Pontificis præconia exaggerare, tum propter multa quæ ipſi contigerunt adverſa, tum propter fortitudinem animi qua talia pertulit. Ac primum quidem vir fuit Job in terra Hus, gregibus, armentis, & pecunia dives: Eutychii autem divitiæ in eo ſitæ erant quod nihil haberet, poſſideret nihil. Ille pro filiis ſeptem offerebat ſacrificium Deo, ex vitulis & hircis; hic non pro ſeptem, ſed pro decies mille, imo pro populis innumerabilibus, incruentam immolabat victimam, quæ ſine partitione quotidie diſtribuitur. Quia vero Jobi hiſtoria etiam commemorat dignitatem & & loci & generis, age, hujus quoque admirandi herois patriam & parentes conſideremus. Videbimus autem eum è Chriſtianis & orthodoxis parentibus atque avis genitum, & à prima infantia educatum: ſcrutemur radicem, cujus eſt ramus, & arborem cognoſcamus ex fructu: nam ex arbore juſtitiæ, fructus vitæ oritur. Neceſſarium erit igitur intelligere (ſi qui tamen ſint qui ignorent) qua ex regione & loco, ſive qua ex radice ortus ſit magnus hic fructus; potius dixeris vitis florida, perennis vitæ ramis abundans; caritatis pampinis circumvoluta; morum pulchritudine, tamquam copia foliorum, exuberans; atque abunde ferens ſuaves & maturos virtutum botros, unde emanavit vinum corda hominum lætificans; factus etiam velut terra, ſemen ſuſcipiens fructumque multiplicans, alibi quidem trigeſimum, alibi ſexageſimum aut centeſimum: quem quidem fructum ipſe edidit, fruendum perfectioribus & ſenſum habentibus, exercitatiorem ad bonum à malo diſcernendum.

atque cum S. Iob comparandum.

D

E

CAPUT I.

S. Eutychii patria: parentes, educatio, ſtudia.

à Theii in Phrygia natus

4 ORiundus erat vir hic magnus ex regione Phrygum, natus in Villa Theii *a* id eſt Divini, ſic enim appellatur divina villa, unde Sanctus prodiit: cui proinde vel ad laudem ſufficeret tam præclara appellatio. Quid namque tali nomine illuſtrius poteſt inveniri? quo & habitatores ex Deo nacta, & divinum virum protuliſſe ſignificatur, aut potius ipſam nuncupationem prophetico quodam ſpiritu propter ipſum ſuſcepiſſe: qui etiam dignam ei contulit retributionem, muro ipſam inexpugnabili circumdans, quando in ea templum glorioſorum quadraginta Martyrum excitavit, multipliciter efficiens, ut divinum quoddam refugium eſſet ad plurimarum animarum ſalutem, eorum potiſſimum qui ſolitariam atque Angelicam vitam inibi amplecterentur. Porro cum in ea regione multa zizania ab inimico humani generis ſata excreſcerent, hæreticæ inquam pravitatis germina; parentes hujus Sancti apparuerunt ſplendidiores aſtris, verba vitæ habentes, & omnem venenatarum beſtiarum virtutem conculcantes: accepta à patre luminum poteſtate ambulandi ſuper aſpides & ſcorpiones & omnem potentiam inimici.

ubi templum XL Martyribus ædificavit,

F

avum habuit Eutychium Presb. miraculis clarum,

5 Quis eamdem cum ipſo patriam nactus, avum hujus præſtantis viri ipſique cognominem ignorat? Eutychium, inquam, & inter Sacerdotes præfulgentem, & gratiam eiiciendi dæmones morbosque curandi nactum à Deo: quem vel intueri formidabant vexati ab impuris ſpiritibus, non valentes ſufferre promicantem ex ejus vultu gratiam, quin ſtatim corruerent eaque facerent, quæ conſuevere immundo

A do ſpiritui traditi, per Dei providentiam in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat in horrendo judicii die: quibus ſic laborantibus clemens & miſericors Deus, non ſinens eos, qui tentatione probantur, vexari ſupra id quod poſſunt, cum tentationis proventu medelam adferebat, per viri ſancti manus ipſis impoſitas. Ex hac Sacerdotali radice pullulavit filia, nomine Syneſia, reapte huic ſuæ appellationi reſpondens, utpote vere effecta prudentiæ mater: quæ cum recte educata adoleviſſet, opportuno tempore conjuncta eſt in Domino cum viro ſimillimo moribus ac ſenſu, ut ea quæ paulo poſt deducemus, oſtendunt.

matrem Syneſiam,

6 Hæc concepit ac genuit filium primogenitum, Eutychium magnum Patriarcham: antequam enim fingeret ſervum ſuum in utero Deus, novit eum; & antequam exiret de vulva, ſanctificavit atque hoc ei nomen impoſuit: quos enim præſcivit Deus, hos & vocavit; quos autem vocavit, hos & ſanctificavit. Beata ſane quæ geſtavit illum, & tanti Patris mater fuit: nihil utique minor Anna, quia plus quam Samuel hic. Illa obſtringebatur Domino conſecrare filium quem peperiſſet; nam Deo ſupplicans; Si dederis, inquit; mihi ſemen virile, conſecrabo ipſum in conſpectu tuo omnibus diebus vitæ ejus: B aſt majus quiddam hæc fecit; quod nullius voti obſtricta neceſſitate filium ſuum obtulit Deo. Illa precibus impetratum, unius gentis Sacerdotem & prophetam orbis univerſi, Samuelem in lucem edidit: hæc, illius quem laudamus mater, ultro datum totius Orientis Pontificem & Patrem Patrum ſancte peperit, & congrue ei quam habuerat viſioni educavit. Hoc enim manifeſtabat lux quæ ipſam circumfulſit, cum in utero fœtum geſtabat. Narrabat ſiquidem de ſeipſa, inquiens, Cum nocte quadam jacerem in lecto, magna lux me lectumque in quo jacebam circumfulſit, adeo ut non leviter conturbarer ob ſpectaculi novitatem, multumque cogitarem dicens, Quid vult hoc ſibi quod video? Portendebat autem, ut ego arbitror, oriturum ex ea ſtellam matutinam imo juſtum virum ſepties lucidiorem ſole; qui ſicut exitus docuit, præſagiorum veritatem confirmans, illuminaret multos ſedentes in ignorantia, & in deſidia jacentes excitaret.

Annæ Samuelis parè:

& de futura filii ſanctitate cælitus edoctam

7 Quid autem de marito hujus atque genitore magni hujus Patrum Patris dicemus? Præclararane illius facta præteribimus ſilentio, an de eo quoque pauca quædam breviter attingemus? Quis æque generoſus ut Alexander? hoc enim ei nomen erat: quis Imperatori atque Principibus tam carus, tam honoratus? hujus, inquam, ſeculi poteſtatibus: æterno enim Imperatori Deo quam gratus fuerit, filii ab eo geniti declarant honores. Ejus, qui tunc exercitibus præerat, invicta erat in bellis dextera; (Beliſarium *b* intelligo, quem etiam ipſe faciebat plurimi, & magno habebat in honore, ut inter ſtrenuos ac fortes viros preſtantem, quam qui maxime) Scholarii *c* militia honoratus. Quamvis autem & apud Imperatorem & apud Principes magnam gloriam obtineret Chriſti etiam miles; nulla tamen re magis venerabilis fuit, quam quod talis filii pater eſſet. His ergo majoribus atque parentibus, hominibus vere Chriſtianis & orthodoxis & mirabilium effectoribus ortus magnus hic atque mirabilis Eutychius; apud eosdem educatus nutritusq; primam tranſegit ætatulam.

patrem Alexandrum pium ac fortem militem.

b

c

8 Expedit autem non præterire ſilentio ipſum educationis locum; quomodo ſcilicet hic quoque, ipſius futuram magnam & felicem civitatem Auguſtorum ſuo nomine præſignaret, quando & Paulum comperimus nativitatis & educationis ſuæ meminiſſe, dicentem ſe ex Tarſo Ciliciæ oriundum, ad pedes Gamalielis enutritum fuiſſe. Quænam igitur magnum Eutychium enutrierit terra videamus. Auguſtopolis *d* hæc fuit, in qua & ſanctum baptiſma ſuſcepit, ipſe per illud multos filios regeneraturus, & mundo ſuperiori proviſurus. Mirandum eſt autem quo i eum tunc avus ſuus edocuit. Narrabat ſiquidem vir optimus, quod cum ab illo ad ſacrum lavacrum duceretur, didicerit ab eodem, quod quia ibi eſſet baptizatus, deberet illuc ſemper venire, & genua flectere, & ſic orare, Bonam mihi mentem largire Domine, & fac ut ſodales meos in addiſcendis litteris ſuperem. Quæ quidem inſtitutio à Spiritu ſancto profecta eſt, ut meminiſſet certoque ſciret ſe ſanctum Eccleſiæ Catholicæ atque Apoſtolicæ baptiſma ſuſcepiſſe. Enutritus igitur apud avum in ſanctiſſima ejus eccleſia juxta Auguſtopolim, ubi ille Presbyter erat & ſacræ gazæ cuſtos, didicit in prima ætatula litteras, moreſque compoſuit, inceſſum & habitum atque hilarem vultus modeſtiam formas, eaque omnia plene percipiens, quæ ad virtutis perfectionem attinent.

AUCT. EUSTATHIO EX MS. GR. *d*

Auguſtopoli apud avum pie educatus

9 Quandoquidem autem oportuit etiam puerum agere aliquid, congruum cenſeo nec pueriles illius ludos inenarratos tranſire. Hi vero quales? Dicam breviter. Domus, in qua manebat ipſe cum ſuo prædicto avo, uſque in hodiernum diem Ramorum appellatur: & hanc appellationem obtinuit quia fratres in ea commorantes cognominabantur *e* Clonades, id eſt Rami: duodecim enim erant avi fratres, omnes proceri; unde & nominis ſumpta ratio: magnæ enim arboris magnos etiam ramos eſſe conſtat. In hac igitur domo pueris multis congregatis die quadam, ea quæ pueris conveniunt actitabantur. Quæ autem illa? Ut Principum ac Sacerdotum nomina mutuo darent acciperentque: quidam etiam nomina ſua manu propria ſcribebant in pariete, cum ea quam quiſque eligebat dignitate. Aſt magnus hic vir divinitus inſpiratus, cum ſuum quoque nomen ibidem ſcripſiſſet, affixit ei titulum Patriarchæ: & in hodiernum uſque diem iſto in loco puerilibus manus illius litteris efformata videntur hæc verba, Eutychius Patriarcha. Quis id non admiretur? Luſit quidem cum Iſmaele Iſaac, ſed tacita fuit patriarchalis dignitas, quamvis Patriarchæ filius & quidem unigenitus eſſet, atque ex eo tribuū multitudinem promiſiſſet Abrahamo Deus, futurumque patrem multarum gentium. Viſus eſt etiam aliquando *f* Athanaſius, magnus ille Alexandrinorum Epiſcopus, ſimilem luſum cum ſuis coætaneis inſtituiſſe, quemadmodum narrant ii qui Vitam ejus conſcripſerunt: ſed neque hic tale quid ſcripſit aut dixit de ſeipſo. Solus vero Eutychius, tamquam alter Samuel; ab infantia futura proſpiciens, divino Spiritu motus, Patriarchalem dignitatem ſibi conferendam præſignavit, & gratiam quam eſſet à Patre luminum accepturus: omne enim datum optimum & omne donum perfectum de ſurſum eſt, quemadmodum divinus Jacobus loquitur.

puerili ludo

E

e

deſignat ſe fore Patriarcham.

f

F

Iſac. 1, 17

10 Cum igitur duodecim jam eſſet annorum, eumque extra avi domum jam tempus vocaret alio, ut implerentur in eo quæ à Domino fuerant præfinita: non audivit quemadmodum Abraham, Exi de terra tua & de cognatione tua (neque enim parentes & propinqui ejus Deo adverſabantur, ſicut Tharas in Haran) ſed quemadmodum Jacob, ab Iſaac & Rebecca benedictus, ad urbium reginam miſſus eſt à parentibus & avo, quem diximus, diſciplinarum ſecularium percipiendarum cauſa; ſed occaſione tali grandius ibidem facturus operæpretium, quemadmodum apparebit. Nam ut Jacob in Meſopotamiam profectus, Liam & Rachelem filias Laban uxores accepit (qui ſane Laban mundi figuram

duodennis ſtudiorum cauſa mittitur C P.

AUCT. EUSTATHIO EX MS. GR

guram gerit, & filiæ ejus Eccleſiam ex Judæis Gentibusq; conflatam, ſignificant) ſic etiam Deus novum Jacob magnumq; Patriarcham Eutychiũ, ordinatione paulo poſt ſecuta, conſtituit novæ Romæ Pontificem, jungens ei Eccleſiam ex utroque populo collectam. Verum cum diſciplinas, quarum ſingulas & vulgus & ſapientes admirantur, omnes ipſe velut unicam percurriſſet, pauca ex ſingulis auditu percipiens; & in declamationibus atque exercitationibus aliis æquales ſuos ſuperaſſet; ad eam, quæ vera & ſola eſt ſapientia, ſe totum contulit; nihil ab inſipientibus illis Philoſophis trahens ex vetere illa & ſpinoſa, Ægyptiacique fermenti graveolentiam ſpargente diſciplina atque doctrina (ſic enim erat erga res divinas affectus) ſed id ſolum quod in eis bonum ac religioni conſentaneum erat decerpens, juxta proverbium quo dicitur, Roſam carpe, & ſpinas cave.

& poſt egregium in iis profectum,

Iac. 3, 15 *majoremque in vera ſapientia:*

11 Didicerat enim ſibique perſuaſerat, ſapientiam hujus mundi, ut loquitur Apoſtolus, non deſcendere de ſurſum ſed eſſe terrenam, animalem ac diabolicam, nec ullum ſpiritualem fructum ſe complectentibus adferre: eam vero quæ de ſurſum eſt ſapientiam, eſſe caſtam, pacificam, modeſtam, ſuaſibilem, plenam miſericordia & fructibus bonorum operum, quibus ſectatores ejus perfruuntur. Hanc

B ſummo complexus ſtudio hic vir Dei magnus, cepit conſilium bonum, quod non auferretur ab eo,

Prov. 2, 11 ſed quo ipſe ſervaretur: ſic enim ait Sapiens: Bonum conſilium cuſtodiet te & prudentia ſervabit te. Ipſum autem per Spiritus ſancti efficaciam ſtatim executus eſt, gratiam non differens, neque dicens, Cras veniam atque perficiam: ſed cum dixiſſet, Volo; ſtatim conſecutus eſt effectus. Erat autem admirabilis iſtius conſilii auctor Deus: quia omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Verum de quod illud conſilium fuit? hoc ſcilicet, ut terræ terrena cuncta relinqueret, & omnem Ægyptiacam affectionem ſub ſabulo ſepeliens, ad montem virtutum, id eſt, ad chorum Angelicum monachorum contenderet, quemadmodum mox latius explicabimus.

decernit ſeculo valedicere.

ANNOTATA.

a *Interpreti Zino* Divinus pagus, *juxta notionem vocis Θεῖος. Fabianus Cretenſis, in alia Vita ait* Thio quondam pernobili Phrygiæ pago exortum, claruiſſe

C Juſtiniani magni temporibus, *ſcilicet Patriarcham: natus eſt autem ſub Anaſtaſio Imperatore circa annum* 512.

b Beliſarius, *celeberrimus Dux exercitus ſub Iuſtiniano Imperatore, qui hic intelligitur.*

c *Frequens* Scholariorum *mentio in hiſtoriis & Vitis Græcis, erantque veluti Prætorii milites. Zinus, quia vim vocis non ſatis intelligebat, hunc Alexandri titulum diſſimulavit.*

d Auguſtopolis, *urbs Epiſcopalis in Phrygia Salutari ſub Synnada metropoli. Illius Epiſcopus Ioannes ſubſcripſit Concilio Epheſino: quod autem hæc ſuo nomine præſignarit Patriarchæ* C P. *futurum Eutychium non obſervavit Zinus, quia non vidit* Auguſtorum civitatem *dici Conſtantinopolim ipſam.*

e *Græce τῶν κλόνα προσαγορέυεται, ubi κλόνα vulgari Phrygum ſolœciſmo ponitur pro κλονάδων. Zinus, ratus accuſativum ſingularem eſſe à κλών,* ramus, *vertit,* Clona id eſt Ramum appellant: *reliquæ deinde periodi ſenſum conturbat ac mutilat.*

f *Colitur* S. Athanaſius 2 *Maii, ſed hunc ejus luſum expoſuimus 26 Februarii in Vita* S. *Alexandri Epiſcopi Alexandrini* § 2.

CAPUT II.

D

Graduum eccleſiaſticorum ſuſceptio: vita monaſtica.

De monaſterio cogitans

12 POſtquam monaſtici habitus ſuſcipiendi propoſitum ſic, ut diximus, conſtituiſſet; ac ſupra petram quæ Chriſtus eſt ædificatus, firmum ac ſtabile videretur habere fundamentum; Deo ſic agente, oblata eſt occaſio quædam, quæ conſilium iſtud pauliſper impediret. Nam ſicut iter agentes, ipſoque in itinere mutuo colloquentes, ſi repentino aliquo percellantur tonitru, per modicum tempus intermittunt & iter & ſermonem; illo autem ceſſante, utrumque reſumunt: ſic omnino contigit huic admirabili viro. Dum enim ſolitariæ vitæ ineundæ quam maxime verſat cogitationes, oblata eſt Pontificalis dignitas, *a* Amaſæorum Epiſcopo aliisque nonnullis ſummo ſtudio contendentibus ut *b* Lazichenorum ſuſciperet Epiſcopatum. Horum voluntate precibusque coactus, cum ita Deum velle exiſtimaret, ceſſit neceſſitati, ſeq; velut agnum innocentem tradidit Metropolitæ Amaſeno, tunc in urbe Regia commoranti.

vocatur ad Epiſcopatum

a

b

13 Et primum quidem ſuſcepit ſpiritalem gratiam Lectoris, quam per ſe Dominus ipſe initiavit, quando accepto libro legit, & complicatum miniſtro reddidit. Notandum vero eſt quod capillos ſuos primum depoſuit, non in obſcuro aliquo loco: ſed in æde ſacra, eaque, ob cauſam plenam reverentiæ ac religionis, delecta. Audiamus igitur quis locus ille fuerit. Notum eſt omnibus glorioſæ Dominæ noſtræ Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ templum, *c* Vrbicii dictum & in Strategio ſitum. In hoc à prima ætate magnus hic vir die noctuque divinis vacabat precationibus, in eodemque ſancti corporis ac pretioſi ſanguinis Chriſti Dei noſtri communione primum dignatus fuit: quapropter etiam congruum duxit & in eodem, cum id jam tempus requireret, ſpiritales Clericatus acciperet gratias. Vere altera Sion declarata es, ſancta Chriſti Matris eccleſia: quoniam in te miſſus eſt Spiritus ſanctus ſuper divinum hunc & Apoſtolicum virum: & tu, vir Dei, haud vano deſiderio deſideraſti gratiam quam adamabas, cujus pulchritudinem jam diu concupieras, quamq; in ipſo ſacrario accipere expetebas.

E

c

qui dum ita ade D.V.

prope baptiſterium tonderetur in Clericum.

14 Quid igitur actum eſt? Paratus erat qui pretioſum illius caput tonderet: quærebatur ſecretus à turba locus, & dignus digno repertus eſt. Ecquis autem? Sanctum baptiſterium: illuc conceſſerunt. Cumq; non invenirent ubi conſiderent, Dei providentia factũ eſt, ut in almi lavacri baſi conſideret Eutychius: & contra ipſius atq; tondentis voluntatem, divino tamen conſilio, accidit, ut in ſacrum fontem omnes ejus capilli deciderint. Admiratione ſunt digna profecto omnia quæ magno huic viro contigerunt. Qui enim ipſum tamquam mater regeneraverat fons ſacer, veluti manum explicans rurſum ejus mater effecta eſt, dũ ipſius quoq; capillos excepit Quod autem factum eſt, mea quidem ſententia ſignificabat, innumeram hominum multitudinem per ipſum in ſacro hujus auguſtæ civitatis fonte regenerandam. Nam ſicut nemo poteſt cæli ſtellas, aut arenam maris, aut capillos capitis dinumerare: ita nemo poterit numero comprehendere regale ſacerdotium ac gentem ſanctam, quam per aquam & Spiritum regeneratam vir ſanctus obtulit Deo. Neq; vero alterum quod indicavi, capillorum, inquam in ſacrum fontem illapſus, ſilentio præter eundum eſt: ipſe enim cuncta ſibi obvenientia ſuſcipiebat tamquam ordinata à Deo, & obſervabat diligenter. Cum igitur in iis etiam iſta eſſent, decrevit numquam ſe abluere nec aqua communi irrigare ca-

capilli ejus in ſacrum fontem ceciderunt.

put

A put quod & reipſa præſtitit,uſque ad vitæ finem illotus perſeverans;in eoq; obſervans mandatum divinum,Vovete & reddite Domino Deo veſtro;&, Bonum eſt viro cũ portaverit jugum ab adoleſcentia ſua.

Pſ 75, 12 Thr.3,27

15 Et hæc quidem circa primos ordines peracta ſunt:quid autem poſtea? Cum Diaconi jugum paulo poſt ſubiiſſet,alter apparuit Stephanus,potens verbo & opere,vitaq;& moribus multos docens ac inſtruẽs quomodo oporteat perficere divinum miniſterium & converſari in domo Domini,quæ eſt eccleſia Dei viventis.In hoc Diaconatus gradu ex præſcripto divinorum Canonum manſit aliquantulo tempore:deinde,ut de pluribus mereretur bene, provectus eſt ad cathedram Presbyterorum. Conſiderate autem quo modo,ordine & ratione illi cũcta ceſſerint. Nihil citra ętatẽ,perfectaomnia,omnia plena fuerũt divina gratia. Ordinis autẽ ratio cum in rebus univerſis,tum in gradibus Religionis optima eſt. Cum *d* triginta eſſet annorum Presbyter creatus eſt;etiam quoad ætatẽ corporis,menſuram perfectam attingens. Hanc ætatem Chriſtus ſuper omnia Deus videtur honoraſſe, qui cum triginta eſſet annorum baptizatus eſt, per conjunctionem perſonæ me & mea omnia ſumens, ut ego quæ illius ſunt acciperem. Cum igitur in Presbyterotum ſede conſideret,eumque,utDavid canit,exaltarent in eccleſia populorum,& in cathedra ſeniorum laudarent; gradum etiam illum ſuo decoravit exemplo:nec enim ſimul ſatus atq;editus fuit,quemadmodum de Gigantibus fingunt fabulæ; aut ut repentini quidam,tamquam die uno formati ex luto, populorum Præſides;non, inquam repente ad eum gradum venit;quia ipſe non erat qui gradum proſequeretur: ſed gradus illum ſecutus eſt,ſicut ait Scriptura;Miſericordia tua,Domine,ſubſequetur me.

Poſtea Diaconus ordinatus

& anno ætatis 30 Presbyter,

d

B

Pſa. 106,32

Pſ.22,6

16 Sic ergo ex divina lege perfectis omnibus, cum jam Sacerdotali ordine ac ſtatu eſſet honoratus,& in ſpem veniſſet Lazichenæ Sedis, prohibitus eſt ad eam procurationem accedere:conſilium enim mutavit Deus, qui meliora ſemper ac præſtantiora ſervis ſuis procurat. Neque enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, inquit Dominus per Prophetam;homo quippe in faciem reſpicit,Deus autem intuetur cor.Poſtquã igitur diſſipatũ eſt illud ſtudiũ& Lazichenæurbis Epiſcopatus devenit ad aliũ;recurrit iterum optimus hic ad primũquod ab initio adamaverat,conſilium:negotiatur incorruptas divitias, & prudentem patremfamilias imitatur,qui proferens de theſauris ſuis nova & vetera, pretioſam emit margaritam & ſuperlucratus eſt. Sic enim etiam vir admirabilis blandas vitæ voluptates ſenſuique blandientes pulchre commutavit, dans temporalia ut acciperet æterna. Apoſtolorum quoq;exemplo,qui relictis omnibus ſecuti ſunt Chriſtum,propter excellentem cognitionis magnitudinem, ſolitariæ vitæ totum ſe tradidit & monachi veſtem induit. Amplectens autem re atq;habitu ac ſermone philoſophiam illam, quam ex utero matris adamaverat, imitatus eſt EliamThesbitem atq;Ioannem Baptiſtam,qui exercitationis viam imitari volentibus oſtendentes,ſolitudinem primi coluerunt. Quamquam magnus Eutychius non deſertum,non Carmelum habitavit;ſed Amaſæorum metropolim elegit,ubi deſiderio ſuo faceret ſatis. In hac enim civitate ſanctum eſt monaſterium, quod ſanctiſſimi quondam Epiſcopi Meletius,*e* Uranius & Seleucus ædificandum curarunt: quorum quidem Meletius & Seleucus,cum ſanctiſſimam Amaſæorum rexiſſent Eccleſiam,in ea ſancte dormierunt, & in hodiernum uſq;diem miracula & curationes operantur: quin & de magna Seleuco narratur ſignum,quod per eum adhuc viventem fecit Deus.

cum alius datus eſſet Epiſcopus, Lazichenis

Iſa 55, 8

fit monachus in monaſterio SS. Meletii Seleuci & Vranii

e

17 Fames aliquando graviſſima occupaverat regionem,nec mediocre periculum imminebat. Cum enim ex horreo,quod adhuc ſupereſt,totum frumentũ eſſet exportatum, cuſtos, flagitantium importunitatẽ non ferens,acceſſit ad S.Seleucum,& horrei claves reddidit;Non eſt,inquiens,frumentum in horreo, & efflagitantis populi multitudinem nequeo ſuſtinere. Accepit claves vir ſanctus,eaſq;in lectulo ſuo poſuit,non deſiſtens Deum per totam noctem orare,ut ex more oſtenderet admirabilem potentiã ſuam, quo populũ poſſet alere ac ſuſtentare. Poſtridie mane conveniũt de more ad ſanctum Epiſcopum religioſiſſimi Clerici: tum ad cuſtodem horrei Seleucus, Accipe,inquit,claves,Frater,& ſubveni pauperum neceſſitati. At ille rurſusjurejurando affirmavit,in horreo nihil eſſe frumẽti. Eum ergo in ſua infidelitate perſiſtere videns vir magnus, converſus ad Clericos,Benedictus, inquit, Dominus:abite cum illo, & cognoſcite utrum vera dicat nec ne. Cum autem abiiſſent,& vellent aperire oſtium,vix potuerunt introire præ frumenti multitudine. Deſcriptio autẽ exportati frumenti uſq;ad hunc diem circumfertur his verbis,Et ex oratione S.Seleuci decem myriades. Atq;hæc deB.Seleuco.Sepulcrũ vero Uranii,ejus qui *f* Iboroꝝ cathedram exornavit ibiq; conditus eſt,uſq;in præſens operatur ſanitates:& hoc manifeſtatur per infirmos,qui diebus ſingulis in ea æde in qua requieſcit Sanctus,decumbunt:quorũ ſinguli non pro ſua quique dignitate,ſed prout advenire cõtigerit,ingrediũtur, acceduntq;ad ſepulturã Sancti & à morbis liberati,currũt ſani,glorificãtes Dominũ.

horreum vacuum oratione implevit

f

E

Vranii ſepulcrum miraculis claret)

18 Monaſticum igitur habitum magnusEutychius induit in hoc magno monaſterio,quod ipſe poſtea tũ ædificiis,tum cultu divino, tum proventuum ad hæc neceſſariorum incrementis amplificavit. Cumq; ſuccinctos haberet lumbos in veritate,& ſancti Spiritus armaturam ſuſcepiſſet, provinciã admiſit totius monachalis Ordinis in ea Metropoli gubernandi, ex eoq;munere Catholicus ſeu Generalis appellabatur. Hac autẽ dignitate nihil elatus, non cogitavit magna in corde ſuo aut oculos ſuſtulit in ſublime:ſed omnẽ caducæ ac miſeræ hujus vitæ ſplendorem ut inanem aſpernabatur:quippe qui non ignoraret hominis gloriam eſſe ſicut floꝛẽ fœni:ideoq; licet maximus eſſet ac primus omnium,ita ſe gerebat acſi fuiſſet unus è multis:ſic enim Dominus præcipit, Qui vult inter vos primus eſſe,ſit omnium ultimus & miniſter:quia plane memoriter retinebat hanc Sapientis ſententiã, Rectorem te poſuerunt?noli extolli:eſto in illis quaſi unus ex ipſis.Porro cum temporis non exigui, decẽ videlicet annorum ſpatio, degens in eodẽ monaſterio eique præſidens, feciſſet omnia & docuiſſet, multosque ſuis cohortationibus & doctrina lucratus eſſet Deo,obſervans illudEuangelicum,Qui fecerit & docuerit,hic magnus vocabitur in regno cælorum:& illud.Melius eſt nomen bonum quam divitæ multæ; meruit illa verba audire,Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam;itáq;illuſtris effectus eſt, ut qui inſtar ardentis ſed abſconditæ ſub modio lampadis erat, electus ſit qui ſupra candelabum poſitus fideles omnes illuſtraret,& omnibus innoteſceret,ſicut civitas ſupra montẽ poſita.Sed quomodo geſta ſunt hæc?Factum eſt Dei providentia,ut in negotio quodam,ad omnes Chriſtianos pertinente, magni hujus viri requireretur opera:quod quidem ipſius ſolius cauſa motum fuiſſe exiſtimo,quia per ipſum ſolum contigit initium dari congruæ correctioni. Negotium autẽ fuit hujusmodi.

& totã monaſticũ ordinẽ ibidem præſidet

Mar. 9, 43

Eccli. 32, 1

annis decẽ:

F

Mat. 5, 19
Prov. 22, 1
Mat 25, 21

ANNOTATA.

a *Eſt* Amaſea *metropolis Helenoponti,etiamnum celebris: de qua plenior agendi occaſio 26 Aprilis ad Vitam S. Baſilei, ibidem Epiſcopi & Martyris. Nonnulla etiam de ea diximus 3 Martij,ad Vitam SS.Eutropii, Cleonici & Baſiliſci Martyrũ.*

b *Vix alibi nota eſt urbs hæc* Lazichenorum,*infra n.16* Lazichorum *ac deinde* Lazichi *Epiſcopatus: ſuſpicor eam-*

AUCT. ETSTATHIO EX MS. GR (*ex quibus S. Seleucus Ep. tempore famis*

AUCT. EUSTATHIO EX MS. GR.

dem esse quæ in antiquis Notitiis Episcopatuum, post Geographiam sacram Caroli à S. Paulo editis, vocatur Zalichus & Zalichin *(per metathesim scilicet ævi posterioris)* sive Leontopolis, *una ex quatuor Episcopatibus Amaseno Metropolitæ subjectis. Est quidem &* Lazicha provincia, *antiquis dicta* Colchis, *ad eumdem Euxinum Pontum, sed longius dissita, & quæ proprium habebat Metropolitem.* Phasidis *dictum: ut de ea hic cogitare non liceat.*

c *Georgius Codinus de Originibus CP. videtur ista de hoc templo habere:* Templum Sanctæ Deiparæ, cognominatum Urbicii, ædificavit alius quidam Urbicius & Magister militum Orientis, centum & octoginta annis post conditam Constantinopolim: *ergo circa annum* 510, *tempore Anastasii Imperatoris. Græce* ἐν τοῖς Οὐρβικίου. *Zinus verterat* in Urbicii regione in Imperatoris campo. *Sed ædes, non regionem, Urbicii dictas arbitramur, ut cum dicitur* ἐν ταῖς Ῥῴφιανᾶις; *& has ædes fuisse in* Strategio *id est foro Prætoriano, quod Petrus Gillius in Topographia CP. attribuit* 5 *Regioni.*

d *Circa annum Christi* 542.

e *Nomina horum Episcoporum necdum reperimus in ullis Fastis sacris.*

B f Iberorum *legit Zinus: & sic in subscriptionibus Concilii Constantinopolitani* 1 *solus ex Helenopolitana Provincia legitur subscripsisse* Pansophius *sive* Pantophilus: *in antiquis notitiis prælaudatis,* Ἰβηρῶν, Ἰβύρα, Ἰβόρνων: *legitur* Iboriam *urbem vocant Geographi recentiores sub Metropoli Amasena. Non igitur hic cogitandum de* Iberia, *nunc* Georgia *dicta, Persidique vicina: & qui infra num* 61, majori ex parte Iberes, Ἴβηρες *Amaseam confugisse dicuntur, ex hac urbe venerunt.*

CAPUT III.

Occasio profectionis Constantinopolitanæ; electio ad Patriarchatum.

Ad Concilium vOecū.

19 CItis omnes quotquot adestis discendi sciēdiq; studiosi, Sanctum Concilium quintum in Regia urbe fuisse celebratum, regnante Divo Justiniano Imperatore, qui Christianæ religionis studiosissimus fuit, & diligentissimus in congregandis sanctissimis Episcopis adversus tria Capitula, id est, Theodoreti scripta, contra duodecim capita S. Cyrilli; & Epistolā scriptam ad Marim Persā, quæ Ibæ dicebatur; ac Theodori Episcopi Mopsuesteni Judaicas nugas & maledicta; quæ diligēter explorata, & juste improbata, meritoq; damnata fuerunt ab ipso sancto Oecumēico Concilio. Cum igitur omnes Episcopi sanctissimi convocarētur accersebatur, etiam Metropolita Amasæorū, ut ad hāc urbium Reginam prædictorum quæstionum causā se
C conferret. Verū impediebatur is infirma corporis va-
pro Amaseno Metropolita accedens, letudine, Deo sic disponente, ut latēs sancti hujus viri thesaurus fieret manifestus. Itaq; Metropolites primū per alios probos ac venerandos viros nisus est ei persuadere, ut regnatricem civitatem adiret; deinde ipsemet illum hortatus est, ut sibi velit obsequi, ac vice sua proficisci alacriter ad Concilium, utpote divinorū dogmatum peritissimus. Cessit cohortationibus vir sanctus: tam enim erat ad obtemperandum promptus, ubi lucrum salutis sperabatur; quā tardus ad obsequendū, sicubi detrimentum aut damnū animę propositū erat.

20 Cum tamen initio rē ægre ferret, sicut olim Moyses cum mittebatur in Ægyptum ad liberandos filios
movetur per visum Israel; vidit etiam novus hic Moyses, si non rubum ardentem, ast clibanum flagrantem sicut Abraham; audivitq; vocem, nō quæ diceret, Nē appropinques huc, aut, Solve calceamentū de pedibus tuis (quibus præcipitur, ut deponantur cogitationes terrenæ atq; carnales) sed verba similia his, Abraham, Abraham: per memetipsum juravi dicit Dominus benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo, te, & erit semen tuum sicut astra cæli: tot enim talesq; sunt filii, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; sed ex aqua & Spiritu aliisq; spiritualibus gratiis ei nati sunt. D

21 Quæ autem visio illa fuerit quam vidit, & vox *de conferendo sibi Patriarchatu:* quam audivit, operæ prætium fuerit commemorare: rursum enim novus Joseph, rursum novus Daniel magnus hic vir apparuit. Videbam, inquit in visione noctis digitum manus Domini in firmamento cæli, & montem, huic sancto monasterio imminentē (est autē mons ille valde sublimis, in quo S. Martyris *a* Thalalæi ædem constructā videmus) & digitus monstrabat mihi verticem mentis, & vox audiebatur dicens, illic eris Episcopus. Quis per montem illum aliud significari credidisset, quam urbium reginam, sicut & declaravit eventus? Est enim ipsa vertex atq; fastigium vere civitatum seu montium reliquorum, de quibus David Ps. 103, 13 ait, Rigans montes de superioribus suis: nam sive virtutes Angelicas sive montes ipsos & civitates intelligas, utroque modo apparet veritas. *a*

22 Cum igitur hanc visionem habuisset, Deum, qui illam ostenderat, deprecabatur, ut sacrum illud munus & reddendæ pro unoquoq; rationis periculum transferret à se, ac potius sibi concederet in futura vita perfrui bonis illis quæ justitiæ promissa sunt, atq; audire, E
Esto super decē civitates. Sed Deus, qui nubes ducit *probatusque Patriarchæ & Imperatori* ab extremis terræ, quiq; à gregibus ovium vocavit David, & unxit eum Prophetam ac Regem; elegit quoq; mitem hunc virum, & ea qua dixi occasione perduxit in urbium ampliſſimam. Mansit autem apud Patriarcham, qui Menas *b* appellabatur, eratq; vir sanctissimus ac divinus: qui Angelicam agens vitā atq; futura prospiciens, hortatus magnum Euthymium est, ne discederet à se; & sancto Clero suo illum ostendens dixit, Hic monachus erit successor meus. Confestim vero missus ad Imperatorem Eutychius, cum apud eum de rebus propositis disputaretur, apparuit omni humana divinaq; disciplina instructissimus; congressiq; cum eo hæretici, non ad utilitatem, sed ad simpliciorum eversionem soliti altercari, haud quaquam potuerunt resistere sapientię & spirituiquo loquebatur. Cumq; negarent aliqui, anathemati subiiciendos eos, qui post mortē deprehenderentur fuisse hæretici; ipse divinarū *in confutandis hæreticis,* Scripturarum testimonio demonstravit sic esse puniendos: nam & Rex Josias, sicut de eo prophetatum fuerat, eorum ossa qui vitulis immolarant, post mortē effodit atq; combussit: idem igitur etiā servandum in hæreticis est, ut post obitum quoq; puniantur. *b*

23 Imperator & qui adstabant mirati, deinceps eum magnopere coluerūt observaruntque. Si autē liberius *ab hoc* intra regiam versante Eutychio, apud Deum & ho- F
mines magis declaratæ sunt divitiæ eruditionis ejus. Amabat autem eum Imperator, imo Imperatorum ac Regum omnium Dominus; cui cum ante ortum nostrum nota sint omnia (quos enim præscivit & prædestinavit, hos & vocavit & glorificavit) magnū quoq; Euthymium vocavit ad dignitatem Pontificalem. Et enim post dies paucos sanctus Dei servus Menas, regiæ urbis Patriarcha, de quo jam fecimus mentionē, in senectute bona, & plenus dierum cum Dei gratia transactorum, migravit ad vitam Angelorum atq; sanctorum Patrum: cujus mortis nuntio ad Christianissimum Imperatorem perlato, multi certatim conabātur studio incredibili corrumpere promissis & muneribus amicos Imperatoris, ut hominibus indignis deferretur Pontificatus. Sed qui omnia facit & mutat, *in illius mortui locū optatur.* quiq; corda scrutatur & renes Deus, cor Regis cum finibus terræ in manu sua continens, Serenissimi Imperatoris animum inclinavit ad hunc dignissimum virum. Quare uni ex honorationibus Referendariis (Petrus hic appellabatur) confestim mandavit, ut quæreret, teneret, & congruenti cum honore custodiret magnum Eutychium; uti & fecit.

Sed

A *juxta viſiones tam ipſi Eutychio*

24 Sed audite viſionem, quam is dum cuſtodiretur, aſpexit. Videbar, inquit, magnus ille vir, grandem quamdam præclaramque domum intueri, ac lectum ſtratum ſplendide, in quo jacebat mulier, Sophia nomine: quæ cum vocaſſet me, ſuaque mihi monſtraviſſet ornamenta; vidi mox ſolarium domui adjacens repletum eſſe nivibus, & puerum in ſolario ſtantem Sotericum nomine, qui nisi ego præveniens è nive eductum præſervaſſem à lapſu, caſurus de ſolario videbatur. Hoc autem viſo quid ſignificabatur aliud, quã pulcherrima Eccleſiæ ſanctiſſimæ opera, per illum ornatum deſignata? per puerum autem periclitantem in nive, indicabantur doctrinæ ſalutaris dogmata. Utraque certe neceſſariam rectitudinem obtinuerunt, ſancto viro præſidente ac gubernante. Quæ vero facta ſunt prius quam juſſus eſſet cuſtodiri, confirmaverunt conſilium, quod ab initio de ipſo conceperat Chriſti ſtudioſiſſimus Imperator, tam apud ſanctiſſimum Clerum quam apud ſacrum Senatum. His quippe ſuadere volens ille, tamquam qui de ipſo divinam viſionem habuiſſet dormiens in æde S. Petri Apoſtolorum Coryphæi quæ eſt in Athyra *c* (ibi enim Proceſſum habebat) vidiſſe ſe dixit Principem Apoſtolici ſenatus in ſomno, monſtrantem ſibi magnum Eutychium, dicentemque, Hunc cura Epiſcopum fieri. Quæ cum ille ſub jurejurando confirmaret ita vidiſſe, videntes illi inſtantiam Imperatoris, quantumque præferret ſtudium, cum divina quadam illuſtratione conjunctum, unanimiter omnes, communi mente, ſententia ac voce, *d* ante tempus clamaverunt Dignus, Dignus.

quam Imperatori oblatas,

c

B

d

& ex Cleri CP conſenſu ordinatur,

25 Cunctis autem rite & ex Canonum præſcripto peractis, cum jam tempus eſſet ut ſacrarum manuum impoſitione & initiatione conſecraretur Pater ac Magiſter omnium, adducitur ad ſanctum altare, multos ad illud Sacerdotes atque Pontifices poſtea adducturus: conſecratur precantium manibus diviniſque & venerandis orationibus & ſancto impletur Spiritu, qui ſanctificatus ipſe præſentes omnes Pontifices ſanctificabat: ovis errantis *e* typum ſuper humeros tollit: aſcendit ſublimem thronum in eoque conſidet, ac Paſtorum principem Chriſtum in cælum revertẽtem, qui & ipſe pronuntiavit colligatoriam illam ac conjunctivam ſeu potius conſervativam vocem, imitatus eſt, omni populo dicens, Pax omnibus, quã viciſſim eidem omnes apprecati ſunt. Enimvero præclare divinus David de ipſo antea exclamavit, Quam magnificata ſunt opera tua, Domine! omnia in ſapientia feciſti: nam quę circa divinum hunc virũ ſunt acta, plena ſunt ſapientia, & fideles omnes lætitia afficiunt.

e

Pſ. 91, 6

C

an. ætat. 40.

26 Porro dignum imprimis eſt, annorum ipſius cognoſcere numerum, ut quam perfectus plenuſque concurrerit, poſſit intelligi: par enim erat ut in perfecto viro perfecta eſſent omnia. Conſecratus eſt igitur Patriarcha anno ætatis ſuæ quadrageſimo, qui numerus in divinis Scripturis ut myſticus perfectusq; reperitur. Nam Iſaac, Abrahæ ex Sara unigenitus filius, virgo permanens uſq; dũ annorum quadraginta adeptus eſſet ætatem, tunc demum Rebeccam accepit uxorem, Chriſti myſterium & Eccleſiæ ex gentibus congregandæ figuram exprimens. Quid autẽ Moyſes, magnus Dei ſervus? nonne cum annum quadrageſimũ attigit, fratres ſuos inviſit in Ægypto, & videns Ægyptiũ quemdã Judæo injurium, eo interfecto, auxilium tulit injuriam patienti? Nonne aliis quadraginta annis expletis in Madian, factus eſt dignus divina illa viſione, quam vidit in monte Sina, quod rubus arderet igne, ſed non comburetur, audivitq, vocem dicentem ſibi, Videns vidi afflictionem populi mei in Ægypto & gemitum eorum audivi, & deſcendi ut eruerem ipſos: veni & mittam te in Ægyptum? Quid hoc ſignificat? niſi ipſum ordinari ſacrorum Præſulem & liberatorem filiorum Iſraël. Jam vero quomodo divinas leges, Dei digito tabulis inſcriptas accepit? nonne poſtquam jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, inquibus & novi teſtamenti myſteria didicit? Ac merito quidem Moyſes hunc numerum duplicavit, lex enim erat, & id quod ſub lege eſt: lex autem imperfecta eſt; non item miniſtri gratiæ. Quid deniq; omnium Salvator & liberator Chriſtus legisque impletor, numquid non etiam ipſe hunc numerum honoravit, quando quadraginta diebus & noctibus jejunans, omnemque tentationem & inſultum inimici excipiens, humano figmento poteſtatem dedit calcandi ſuper aſpidem & ſcorpionem univerſamque virtutem inimici? poſt reſurrectionem vero ſuam numquid non iterum diverſimode verſatus cum Apoſtolis ac diſcipulis ſuis per dies quadraginta, benedictione data ſublatus eſt ab eis, & ferebatur in cælum relinquens iis pacem, & per ipſos Eccleſiæ ſuæ, quam proprio ſanguine acquiſierat? Et hæc ex multis pauca propoſui, volens oſtendere, omnia quæ circa ſanctum hunc virum peracta ſunt, divina quadam gratia ſic fuiſſe ordinata, ut eſſent conſideration digniſſima.

Numeri hujus myſteria

Gen. 25, 20

Act. 7, 23 & 30

AUCT. EUSTATHIO EX MSCR.

ANNOTATA.

E

a Thalalæus Martyr *eſt, Edeſſæ in Syria, ſub Numeriano Imperatore paſſus 20 Maii. Habuit etiam eccleſiam in Bithynia, de qua egimus in Vita* S. Auxentii 4 Febru. num. 31. *Apud Lipomanum & Surium minus integre* Thalæus *legitur.*

b *Colitur* S. Menas Patriarcha 25 *Auguſti etiam Martyrol. Rom. adſcriptus, mortuus Indictione 15, an Chriſti 552.*

c *Græce ἐν τῷ Ἀθύρᾳ, quo videtur ſignificari, non urbs,* Athyra *pluraliter dicta, ad 24. p. m. diſtans Conſtantinopoli; ſed fluvius* Athyras, *ab urbe iſta nomen mutuans, juxta quem fuerit templum, in quo Πρόκεσσον egerat Imperator; quod Zinus, qui nomen loci ante diſſimularat, volens exprimere vertit* habere ſenatum. *Agit de ea voce pluribus Meurſius in Græco-barbaris, oſtenditque προκέσσον dici* Proceſſum, *ſicut Σκέσσος* ſucceſſus, *& Ἀντικέσσωρ Anteceſſor: & omnino videtur* Proceſſus *dici ea omnis functio, ad quam Imperator procedit extra palatium: maxime ſi ejus cauſa alibi pernoctet, uti hic factum. Sic in Faſtis, quos Siculos vulgo jam nominant, Leo Imperator dicitur abiiſſe Peram atque in æde S. Mamantis Proceſſum per menſes ſex feciſſe, dum ſeſe urbi non fidit. Differt autem Πρόκεσσος à περιελεύσει quia hæc ſolius fere religionis cauſa inſtituebatur, Imperatore ante veſperam in palatium redeunte, quæ* Supplicatio *aut* proceſſio *vertitur. Vtrobique autem comitantur officia omnia cum ſuis inſignibus.*

F

d *Theophanes hæc ita exponit:* Eodem tempore, Indictione 15 Menas Epiſcopus CP. defunctus eſt in cujus locum ſuffectus Apocriſiarius Amaſeæ, Presbyter & monaſterii ipſius Amaſeæ monachus, Eutychius, eo ipſo die quo Menæ cadaver in ſacris adytis adhuc expoſitum jacebat.

e S. *Iſidorus Peluſiota hunc typum lib.* 1 *epiſt.* 136 *ad Herminum Comitem ita explicat:* Id amiculum, quod Sacerdos humeris geſtat, ex lana & lino contextum, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæſivit, inventamque humeris ſuis ſuſtulit, pellem deſignat. Epiſcopus enim, qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungitur; atque ipſo etiam habitu omnibus oſtendit, ſe boni illius ac magni Paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit.

CAPVT IV.

Concilium V *Oecumenicum, oppugnati hæretici: Iuſtinianus Imperator ab iis ſeductus.*

27 VErum quis deinceps fuit cũ eſſet conſecratus divinamq; illam accepiſſet dignitatẽ? Qualis per ignitas linguas ſuper Apoſtolos deſcẽdit ſanctitas, talis & ſuper ipſũ requievit & Spiritu ſancto plenus

Plenus Spiritu ſancto

a

AUCT. EUSTATHIO EX MS GR. loqui cœpit, quemadmodũ ipſe ſpiritus dabat eloqui ei. Merito poſſet hic aliquis totum illũ ſcripturæ locum accommodare, Erant autem in Hieruſalem viri religioſi, ex omni gente quæ ſub cælo eſt. Vere enim ex omni gente religioſiſſimi *b* Epiſcopi in nova Ieruſalem Conſtantinopoli congregati erant, propter illa tria, quæ antea commemoravi, Capitula, Cum igitur conveniſſet multitudo, audiverunt ipſum attoniti loquentem alia lingua adverſus diverſas hæreticorum linguas: alia enim lingua eſt loquens recta, ab ea quæ propria dialecto loquitur diſtorta; id eſt manentium in veræ fidei confeſſione, contra linguam eorum qui in ſuperbia ſua loquuntur iniquitatem adverſus Altiſſimum. Itaq; ignita viri lingua ſuſtulit eos in finem, Spiritus ſancti auxilio & ſanctiſſimis Epiſcopis adjuvantibus; ut cum Moyſes opem Iſraëlitæ tulit Ægyptiumque percuſſit. Hæreticorum enim dogmata à veris Iſraelitis æſtimantur tenebroſa & execranda; ideoq; & damnata ſepeliuntur ſub ſabulo.

Acta. 2,5

b

hæreticos confudit.

28 Quæ porro in magno illo quinto Concilio mota, acta, & definita ſint, ſcitis, viri doctiſſimi, ut neceſſe non ſit de iis aliquid dici à nobis; & ſcire ea facile poſſint, ſi qui ignorent. Huc vero congruit id quod dictum eſt à Davide, Sacerdotes tui induantur juſtitia & Sancti tui exultent: itemque illud, quod ab Apoſtolo dictũ eſt, Induite armaturam Spiritus ſancti, quo poſſitis omnia tela inimici ignita extinguere. Indutus igitur lorica juſtitiæ, & calceatus pedes in præparatione Euangelii pacis; in omnibus ſumens ſcutũ fidei, & galeam ſalutis, & gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei; ſpinas amputavit, & vias aſperas planas reddidit; ejectisque lapidibus, id eſt, maledicis & deteſtandis hæreticorum ſermonibus, ex vera fidei via, ſanctiſſimis Eccleſiis pacem reddidit; medium maceriæ parietem ſolvens, per expoſitionem & comprobationem ſanctorum dogmatum. Res autem admirabilis & animo illius digna accidit, qualis ut puto imo ſcio certiſſime, nec evenit hactenus, nec eventura eſt in poſterum. Cum enim multa ſancta Concilia diverſis locis atq; temporibus ſint celebrata, ex quo cõſtituta eſt Chriſtiana religio; nemo tamen meminit unquam, niſi hujus magni viri tempore, quatuor Patriarchas conveniſſe. Itaque cunctis dubitationibus & controverſiis, non per violentam coactionem, neque per ſtudia partium, ſed per efficaciam demonſtrationum ſuaſionumque diſſolutis, pax ſumma & magna tranquillitas in Dei eccleſia eſt ſublecuta.

Pſ. 131, 9

Eph. 6,11

B

& fidem explicavit

in ea Synodo

29 Quatuor autem Patriarchæ hi fuerunt: *c* Vigilius veteris, & hic Eutychius novæ Romæ, *d* Apollinarius magnæ Alexandriæ, *e* Domninus Theopoleos: qui tamquam in corpus unum ex quatuor elementis conflati, unanimes idemque ſentientes, manus inter ſe conjunxerunt, ut iſtud Pſalmi oraculum teſtatur, Flumina plaudent manibus in id ipſum, montes exultabunt; & quod à Zacharia dictum eſt; In die illa erit tumultus Domini magnus in eis, & apprehendet vir manum proximi ſui, & conſeretur manus ejus ſuper manum proximi ſui; ſed & Judas pugnabit adverſus Jeruſalem, & congregabitur robur omnium gentium in circuitu. Magnam igitur quamdam eamque quadruplicem quodammodo & auream catenam conficientes, in templum Dei, hoc eſt in magnam eccleſiam ſunt ingreſſi; & divinum incruentumque ſacrificium ſimul obtulerunt, imitati Chriſtum, Dominum Principemque Paſtorum, qui unica oblatione ſanctificavit univerſos, ſemel paſſus in fine ſeculorum; ne dicam quod Sacerdos ſemel in anno Sancta Sanctorum ingrediens, figuralem & umbraticam exprimebat latriam.

c d

e

C

cui 4 Patriarchæ ad fuerunt,

Pſ. 97, 8

Zach. 14,10

30 Quatuor hi ſpirituales fluvii tollentes contriPſ. 92 3 tiones intellectualium montium, juxta illud, Elevaverunt flumina fluctus ſuos; ejecerunt opiniones hæreticorum, quæ apud fideles maculæ quædam & ſordes ſunt; à vocibus aquarum multarum, id eſt Scripturarum & Patrum teſtimoniis; lætitiamque & gaudium ſanctis montibus, id eſt Chriſti Eccleſiis, pepererunt. Quis vidit, quis audivit res hujusmodi? Pulchri ſane & admodum pulchri ſunt fluvii, qui egrediuntur de paradiſo: multo tamen magis laudandi ſunt quatuor hi, qui in paradiſum ingreſſi ſunt. Paradiſus enim eſt Eccleſia Dei, in qua plantati ſumus in montem hereditatis, in habitaculum paratum, quod Dominus ſanctificavit, quod paraverunt manus ejus, qui regnat in ſeculum & ultra. Horum igitur conſenſu & conjunctione Dominus Deus noſter, fortis & potens in bello, currus Pharaonis & exercitum projecit in mare, delectos hæreſeon fautores *f* & trium Capitulorum impietatem demergens; novo nimirum Moyſe manum tollente, & virga, id eſt Cruce, filios contumaciæ in aqua maris ſuffocante: filii autem Iſrael ambulaverunt per ſiccum in medio ejus.

D

& tria capitula damnaverunt.

f

31 Cum igitur Paſtores quatuor, per concordiam rectumque ſenſum, facti eſſent unum ovile & unus Paſtor, & omnis diſciplinæ moderatio ſuper Sacerdotes Domini & populum ejus conquieviſſet; diſceſſerunt cum magno gaudio ad ſuas ſinguli civitates & populos; ac diu quidem tuno omnes eccleſiæ Dei in pace verſatæ ſunt (ambulabant enim & ædificabantur in timore Dei, & ſancti Spiritus conſolatione replebantur) relictus autem Conſtantinopoli eſt ſolus, novus hic omnibus in rebus Jacob & magnus Patriarcha Eutychius; & ſicut ille quondam ad vadum torrentis Jaboc luctatus eſt; non cum homine cum quali lucta iſtius fuit (ſi quidem is homo ille erat qui benedixit Jacob & mutavit nomen ejus in Iſraelem, dixitque, Quia cum Deo potuiſti luctari) ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tam viſibiles quam inviſibiles. Solus enim pro Chriſto Deo noſtro bellum ſuſcepit, ſolus ſubiit Eccleſiarum ſolicitudinem & uſque ad ſanguinem reſtitit, nocte ac die pugnans adverſus hoſtes veritatis: quia graves & *g* Abarici lupi non deſinebant Dei gregem oppugnare, mala cogitantes & loquentes perverſa, captivaſque ducentes animas ſimpliciorum.

F

Poſtea Eccleſiam ſuã Rexit Eutychius.

paſtorali ſolicitudine Iacobo compar.

g

32 Dei igitur ſervus gregem, à Principe Paſtorum ſibi creditum, ſuper aquam refectionis & in loco paſcuæ collocavit, quod firmum erat conſervans, quod fractum alligans, quod debile confirmans, quod aberrabat reducens tamquam peritus paſtor, ſermonibus & rationibus, idque per tempus non modicum. Ardore diei & noctis frigore urebatur, ſicut Jacob Patriarcha, qui pro Lia & Rachele ſervivit Laban, paſcens pecora ejus annis quatuordecim. Verum ille pro ovibus rationis expertibus ferebat labores, quorum erat manifeſta merces (nam quæ ſublimioris ſpeculationis ſunt, quod ſcilicet conjugium illud Jacobi cum duabus ſororibus figuram quamdam præ ſe ferebat Eccleſiæ ex Judæis & gentibus congregandæ, quam Chriſtus omnium Deus ſibi deſpondit, aliam orationem requireret) magnus autem hic vir Dei Eutychius, annorum numero, duodecim Apoſtolis pari, gregem Chriſti pavit, quem ipſe Paſtorum Princeps, Apoſtolorum Principi Petro commendavit, Si diligis & amas me, inquiens, paſce agnos meos, paſce oves meas: has namque obſignatas Cruce & virtutibus varias, in unum ovile, id eſt in ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, congregatas conſervavit, alieno non ſervientes nec audientes: oves enim propriæ ſemper audiunt vocem veri paſtoris. Ipſe vero non fuit mercenarius,

E

annis 12. in plena pace.

A rius, neque ut fur, aut latro, aut peregrinus, aut alienus in ovile ingreſſus eſt; ſed divina lege & optimo ordine, cum diſciplina & gratia congruente, conjuncta eſt illi Eccleſia Dei, quam virginem caſtam Domino cuſtodivit.

Pſ. 10, 14 uſque dum invidia dæmonis turbata ſunt res,

32 Ceterum diu hoc ferre non potuit honeſtatis inimicus inviduſque diabolus, qui inſolens atque ſuperbus dixit, In fortitudine manus meæ detraxi quaſi potens in ſublimi reſidentes, & invenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum; ſicut colliguntur ova quæ derelicta ſunt, ſic univerſam terram ego congregavi. Cum enim florentem ac plenum Chriſti agrum cerneret, frumentumque maturum ac multiplex & ad cælum uſque pertingens; quid fecerit zizaniorum ſator & generis noſtri hoſtis, quid machinatus ſit ſapiens ille ad faciendum malum, quomodo zizania in frumentum conjecerit, videamus. Specie pietatis & religionis (contingit namque, ut ait Apoſtolus, quod aliqui zelum habeant ſed non ſecundum ſcientiam) aper ille de ſilva & ſingularis ferus, per ſimpliciores aliquos, pulchram Eccleſiæ vineam aggreſſus eſt devaſtare, immiſitque ventos & procellas in domum bene ædificatam, aut ut verius dicam in ipſam petram; quæ tamen firma permanſit, illis paulo poſt diſſolutis pulvere ipſoque vento celerius. Verum, quiſnam zelus hic fuerit aut quæ ſpecies pietatis, explicemus paucis.

Rom. 10, 2

B

Imperatore ſuſtinente quod Chriſti corpus fuerit incorruptibile,

33 Scitis omnes, qui pii Imperatoris Juſtiniani ſtudium circa divina dogmata cognoviſtis, quomodo in eam is potiſſimum curam incumberet, ut omnes hæreticorum rationes una cum ipſis improbaret atque everteret; quas etiam ſuperavit, uti & alia multa, tum argumentis & demonſtrationibus, tum teſtimoniis Scripturarum illos confutans. Hic, neſcio quo auctore & magiſtro, cœpit ſub ſpecie religionis probare execrabilem ac deteſtandam & pernicioſam opinionem illam, quæ Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus, ob ipſius Divinitatis conjunctionem, incorruptibile fuiſſe aſſerebat: eaque opinio, ut cancer ſerpens atque depaſcens, totum prope orbem perdidiſſet, niſi noſter Phinees antevertens reſtitiſſet. Quænam autem fuit placatio illa, quantum in ipſo erat, & quæ lues curata? Sanctorum Apoſtolorum & Prophetarum atque Doctorum teſtimonia multa, & demonſtrationes, quibus uſus eſt ille ad peſtiferam illam luem opprimendam: pernicioſa enim omnino eſt peſtis, affirmare Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus ante Reſurrectionem expers fuiſſe corruptionis: nam quis adeo ſtultus eſt, ut id aſſerat, quo conceſſo neceſſario conſequatur, fictam & ſimulatam fuiſſe humanæ carnis aſſumptionem? Quomodo enim incorruptibile corpus pati potuit, aut circumcidi, aut pannis involvi, aut lacte nutriri? Hæc vero ſi ſubjiſſe credimus illam vitæ largitricem carnem, crucemque & clavorum foramina & lanceæ vulnus confitemur, non poteſt incorruptibilis dici, niſi hoc ſolo ſenſu, quod nulla unquam peccati maculâ fuerit coinquinata, nec in ſepulcro diſſoluta. Sed hæc ſi perſequi voluerimus eſſemus longiores, & ſunt à magno Eutychio ſtudioſe & acriter etiam ſcriptis diſputata, ex quibus facile poterit veritatem intelligere, ſi quis eam ignorat. Potius videamus quid ſecutum ſit, poſtquam Patrum teſtimonia propoſuit.

C

quod eſſe hæreticum

oſtendit Patriarcha,

Ezc. 31, 19

34 Cum magnus hic vir oratione longa comprobaſſet Imperatori, non eſſe id Eccleſiæ Catholicæ dogma; animam ipſe quidem ſuam liberavit, ut loquitur Propheta Ezechiel, quæ ad rem faciebant exponens; malorum vero inventores mortui ſunt in ſua iniquitate. Prævaluerunt enim circumvenientes Imperatorem, eoque perſuaſo inſtar guttarum ſæpe cadentium petram excavarunt. Equidem libens prætermitto nominare iſtius impiæ opinionis magiſtros, inſani Origenis, *h* Evagrii, Didymique dogmata defendentes, ne malum malo rependere videar, & contumelia calumniam proſequi, contraque propoſitum ac mores S. Eutychii facere, qui ex beato noſtri Salvatoris mandato factis & verbis docuit, non eſſe malum reddendum pro malo, ſed contra potius benedicendum maledicentibus, & pro perſequentibus eſſe orandum. Et vero cum videantur ſilenda potius quam prædicanda quæ geſta tunc ſunt; æquum puto, ut quod ejus exemplis faciendum didicimus, ſilentio digna ſilenter præteteamus.

AUCT. EUTHIO STATHIO EX MS. GR.

h

& divina in reos juſtitia comprobavit.

35 Interim pervigil oculus juſtitiæ divinæ, non permiſit impunitam abire malitiam; ſed omnino retexit ac patefecit calumniã: adeo ut ipſimet ore proprio conjurationem faſſi, ultionis æquitatẽ collaudarint. Erant autem qui hæc machinati ſunt, non ſolum ex eorum numero qui apud Imperatorem valebant plurimum, ſed etiam ex Sacerdotibus inſigniores & magnarum Eccleſiarum Præſules (ſi tamen Sacerdotum nomine digni ſunt, homines calumniatores & improbi) eoſque omnes punivit juſtitia, obſtruens labia loquentia iniquitatem adverſus juſtum in ſuperbia & deſpectione. Iſti igitur, ut dictum eſt, execrabilium & impiorum dogmatum ſtudio perverterunt Imperatoris ſimplicitatem & occaſione vocis, Incorruptibilis, inique, ut patet, & contra divinos Canones atque inſtituta eccleſiaſtica fecerunt, quidquid contra beatum virum perpetrarunt: quos profecto non pertranſiit juſtus Judex, ne in hac quidem vita; ſed multipliciter traduct in exemplum, tam ipſi quam omnes ipſis conſentientes, deſcenderunt ad inferos cum dolore.

E

ANNOTATA.

a *Primo miſit ad Vigilium Papam Romanum, fidei ſuæ profeſſionem, qua admittit* 4 Concilia generalia, *& amplectitur* epiſtolas Præſulum Romanæ Sedis Apoſtolicæ, tam aliorum, quam Leonis beatæ memoriæ de recta fide ſcriptas: *& petit Præſidente Vigilio tria Capitula in Concilio proponi. Reſpondit Vigilius* VI *Ianuarij poſt Conſulatum Baſilii anno* 12, *Chriſti* 553.

b *Epiſcopi* 165 *in Concilio Oecumenico* V *congregati in conſeſſione prima ad diem* 4 *Maij, ejuſdem anni.*

c Vigilius Papa *à Iuſtiniano Imper. accitus, aderat Conſtantinopoli: ſed licet à* 20 *tam Patriarchis quam Metropolitis, & dein à præcipuis aulæ Imperatoriæ miniſtris acceſſeretur, non voluit tamen intereſſe* Concilio, *ſed cum ſcriptum ſuum,* Conſtitutum *dictum* 14 *Maij publicaſſet, fuit in exilium miſſus, ac poſtea die* 8 *Decembris approbavit omnia in dicto* Concilio *concluſa.*

d Apollinarius *pulſo Zoilo, intruſus fuerat in Sedem Alexandrinam; ſed cum Zoilo mortuo profeſſionem fidei obtuliſſet Vigilio Papæ, in legitimum Epiſcopum receptus eſt, & ſedit ad annum circiter* 569.

e Domnus *aliis, cujus Sedi anni* 14 *tribuuntur à* 546 *ad* 560. Antiochia *autem dicta eſt* Theopolis, *poſtquam ingenti terremotu collapſa, à Iuſtianiano Imperatore anno* 529 *reſtaurata fuit: qua de re conſule Euagrium & Theophanem.*

f *Theophanes addit:* Concilium habitum adverſus dementem Origenem, Didymum oculorum lumine privatum, Euagrium, eorumque delíria in Gentilium mentem declinantia, & inſuper adverſus Acephalorum capita. *De his infra num.* 26 *agitur.*

g *Ita ecgraphum noſtrum* Ἀβαρικοί, *quod magis placet quam* Arabici *apud Zinum: quia* Abares, *non* Arabes, *iis temporibus maxime exitiales Imperio erant, ut ab his potius quam illis tunc cognominari potuerint quæcumque barbara efferaque.*

AUCT. EUSTATHIO EX MS. GR.

h *Præcipuus fuit* Theodorus, cognomine Aſcidas, Epiſcopus Cæſareæ in Cappadocia, *de quo legendus Euagrius lib. 4 hiſt. Eccleſ. cap. 37 & 38 ubi hæreſin Iuſtiniani exponit.*

CAPUT V.

Poſt geminam captivitatem ablegatur S. Eutychius in inſulam Principem, deinde Amaſeam.

Hæreſicæ opinioni ſubſcribere renuens,

36 CUm eorum quos dixi perverſorum ſtudiis aucta eſſet morbi vis diuturna, & vulnus difficulter tractabile, imo immedicabile jam evaſiſſet; aſſumens Imperator chartam, in qua continebatur blaſphema illa opinio, quod Domini corpus ex conjunctione cum natura divina incorruptibile fuerit, eam divino magnoque pugili Eutychio prælegit, poſtulans ut ſuo ipſam ſuffragio ſententiaque comprobaret. At ille, ut æquum erat, primum cohortationibus utens, negabat eam eſſe Apoſtolorum doctrinam, neque quoad ſenſum aut verba aſſentiebatur, omnem cogitatum jactans in Dominum. Multum autem ſuadens atque cohortans, non potuit perſuaderi ut faceret aliquid adverſus eccleſiam
B Catholicam & recta dogmata: ſed illud Apoſtoli uAct. 20, 20 ſurpans, quia nihil ſubtraxi utilium quo minus annuntiarem vobis, prompte ſeipſum tradidit ad omnia quæ gravia putantur ſuſtinenda propter fidem in Chriſtum: Certus enim, ſum inquiens, quia neque mors neque vita, nec præſentia, nec futura, nec tribulatio, nec anguſtia, nec fames, nec nuditas, nec gladius poterunt me ſeparare à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Utrum vero dumtaxat verbis ea dixerit, an etiam compleverit opere, palam eſt omnibus, quoniam verba ſubſecuta ſunt facta.

a occupato ab hoſtibus Patriarchio

37 Nam cum nollet falſi dogmatis errorem ſuſcipere & *a* Aphthartodocitas comprobare; ſtatim malorum inventores, omnia prompti audere, Principes, inquam, & Sacerdotes anni illius, congregati in auditorium & convenientes in unum, meditati ſunt inania adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus; perſuaſeruntque Imperatori, ut virum virtutibus omnibus ornatum de ſua Sede expelleret, in

b eaque conſtitueret *b* alium, qui ſtudiis & opinionibus ſuis conſentiret: quemadmodum & factum eſt.

c Feſto namque S. *c* Timothei die, dum illud in novo palatio Hormiſdæ dicto celebraretur, & S. Eutychius divinam rem faceret; Tribunus militum &

C ſatellites Tribuni, ſeu potius feræ immanis miniſtri, invaſerunt Patriarchium; comprehenderuntque & diſtraxerunt viri ſancti familiares, qui contra illum teſtificarentur, ut quoquomodo veroſimile facerent, eum non ſine cauſa fuiſſe à Pontificatu depoſitum. Aſt vir magnus, cum intellexiſſet eorum invaſionem in Patriarchium, & quoſdam è numero ſuorum illinc violenter abſtractos carcerique incluſos eſſe; peracto Sacrificio & ſancta Communione diſtributa, in ſacrario manſit: dictum enim ei erat à quibuſdam, certo id ſe ſcire ratis, de vita quoque ipſum periclitari, ſi extra ſacros ambitus prodiiſſet; eo quod armati quidam collocati in palatiis, Antiochi dictis, tali conſilio ipſum expectarent foris. Hæc igitur intelligens vir beatus, ante altare conſtitit poſt dimiſſum populum, ſolitiſque veſtibus & ſuper humerali (quod ſemper ſecum deferebat) indutus, extentis in oratione manibus, perſtitit uſque horam tertiam noctis, Deum obſecrans, ut recta dogmata & Eccleſiam ſuam tranquillam conſervaret.

ſuâque abſtractus a-lio,

38 Finita oratione, monachi & Sacerdotes qui aderant, hortati ſunt eum ut cibum caperet; quo ſumpto, cum paululum quieviſſet, adfuit cum gladiis & fuſtibus multoque cum præſidio militari, magna illa fera, Ætherius inquam; correptumque ſanctum virum, nudum & nihil habentem, in monaſterium Choracudim dictum deportavit. Quo in loco poſt- *tum Chal-*
D *cedonem*
quam diem unum moratus, & propter ejuſdem mo- *traductus,*
naſterii paupertatem male tractatus eſſet, miſericordia moti adverſarii (nam hi quoque virtutem viri demirabantur) collocarunt eum in monaſterio Hoſiæ dicto, prope Chalcedonem: neque ultra quærentes jurene an injuria eſſet depoſitus, facta ordinatione illegitima, & Epiſcoporũ conventu poſt diem octavũ convocato, virũ ſanctum, quem cauſa indicta ejecerant, in jus vocarunt ut ſe purgaret, eo quod libelli adverſus eum eſſent oblati confeſſui. Hi autem quid continerent neceſſe eſt audire & ridere: utique quod
d delicatiores aviculas comediſſet, quod multis ho- *d*
ris oraſſet genuflexus, & alia ſimilia, etiam his ridicula magis. Accerſebatur igitur ut ab hujuſmodi criminibus ſe purgaret.

citatur ad pſeudoſynodum cauſam dicturus:

39 Verum ille Epiſcopis & Principibus, ex mandato Synodi nuntium ferentibus; Ad quem, inquit, acceditis, & quem me vocatis? Reſponderunt, veritate coacti, Ad Dominum & Patrem noſtrum. Quibus ipſe rurſum, Quis eſt, inquit, Dominus ac
E Pater veſter. Illi vero, tamquam ab occulta quadam virtute flagellati, Venimus, inquiunt, ad Dominum Eutychium, Patriarcham noſtrum. Patriarcha, inquit ille, per Dei gratiam ſum, neque hanc dignitatem hominum quiſquam à me auferet. Quis autem ille, quem meo loco conſtituiſtis? Ad hæc obmuteſcentes illi, reverterunt confuſi ad eos à quibus miſſi fuerant. Rurſum vero idem confeſſus, *coram quia*
omnia contra Canones agens, ſecundam & tertiam *comparere*
citationem, ex Canonum ſcilicet præſcripto, San- *recuſans*
cto faciendam curavit: quibus ille congrue ſemper reſpondit, ſi judicium Canonicum mihi indulgetur, detur mihi & Clerus meus & ordo Patriarchalis, tunc veniam & reſpondebo, & ipſos accuſatores meos accipiam teſtes. Quibus illi auditis, nihil rationi conſonum facientes, ſententiam contra Sanctum tulerunt ipſis dignam; quam vir beatus antevertens, ſubjecit omnes Canonicis pœnis donec reſipiſcerent.

& in Principis inſ. ablegatus.

40 Finitis confeſſus illius ludis, is qui conſilium Achitophelis diſjecerat, axeſque curruum Pharaonis confregerat, diſſipavit etiam illorum machinamenta, ipſos inter ſe implicans. Interea licet occaſionem honeſtam adverſus Juſtum non reperiſſent, ut tamen quæ contra fas egerant rite viderentur egiſſe (erant autem iidem & accuſatores & judices)
F ipſum ex loco ubi erat, in inſulam *e* Principis dictam tranſtulerunt. Appulit ad eam vir beatus in *e*
hieme & *f* Sabbato ac nocte profunda: mane autem *f*
facto, priuſquam aliud quidquam ageret, vidit Crucem in pariete pictam cum hoc elogio: Chriſtus nobiſcum: ſtate. Quo aſpectu vehementer recreatus, egit gratias Deo, qui hanc ſibi conſolationem attuliſſet. Deinde poſtquam in ea inſula tres heb- *denique exilii Amaſeni*
domadas ſub militari cuſtodia numeroſa, ſicut tem- *decretum*
pus illud poſcebat, egiſſet; iterum ab eiſdem judicibus decretum eſt, ut Amaſæorum metropolim peteret, maneretque in monaſterio quod olim ordinarat: prout factum eſt. Quæ vero illic adverſus eum ſcripta actaque ſunt, dicere ſuperſedeo, ne longior ſim: ſatis enim eſt quod appoſite ad argumentum hoc dixit Ezechiel ex perſona Dei, In illo tem- *Ezc. 7, 22*
pore avertam faciem meam ab eis, & contaminabunt epiſcopatum meum, & ingredientur in ſancta mea incuſtodita, & facient inquinationem magnam. Sed quæ deinde evenerint videamus.

41 Fidelis Dei ſervus Eutychius rurſum Paulo ſimilis declaratur, rurſum hujus hiſtoria ad ipſum quoque poteſt referri: ſic enim de illo ſcriptum eſt:

Ut

A Ut autem indicatum eſt navigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis cuſtodiis centurioni nomine Julio, ſic & de Sancto factum eſt. Nam poſtquam multa tentare eſſent conſultata, tandem, ut diximus, decretum fuit; ut ad Amaſæorum metropolim ſe conferret, & in ſuo ipſius monaſterio viveret. Ille autem quid? An oblocutus eſt quidpiam? aut ſuccurrit illi quod Dominus prædixerat, Nemo Propheta ſuſceptus eſt in patria ſua? Minime vero: ſed prompto animo ſubiit omnia: gaudebat enim quod dignus habitus eſſet pro nomine Dei contumeliam pati; dabatque operam, ut non ſolum in illum crederet, ſed etiam ut pro eo pateretur, quoniam fides ſine operibus mortua eſt. Imitatus eſt etiam in hac re ſuper omnia Dominum, qui dorſum tradidit flagellis, & genas alapis, & faciem ſuam non avertit à fœditate ſputorum; cujus livore ſanati ſumus omnes: qui etiam dixit, ſi me perſecuti fuerint & vos perſequentur; ſi patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus? Hoc intellexit & egit ſervus Dei, certus omnes potius acerbitates pati, quam fidem prodere; idque ut exemplo ſuo confirmarentur multi, ſtabileſque & immobiles in recta confeſſione permanerent.

Act. 27, 1

Luc. 4 *cum multa patientiæ teſtificatione excipiens,*

Mat. 10, 25

B Quod & obtinuit: nam omnes Patriarchæ multique Epiſcopi, præſertim Orientales, recuſarunt Imperatoriæ opinioni ſubſcribere, eique tum per Synodum tum per ſcripta reſtiterunt; imprimis ſanctiſſimus Theopolitanus Patriarcha *g* Anaſtaſius, qui eaſdem quas magnus Euthymius, ærumnaſne dicam an coronas? tulit.

g

per varia itinerum incommoda.

42 Cum igitur indicta cauſa damnatus eſſet exilio, parataque ad deportationem omnia, nos quoque perſecutionem cum illo & exilium pro Chriſto ferre decrevimus. Ille autem, hoc intellecto, oſculatus in oſculo ſancto omnes; ore quidem eos qui aderant in inſula, ut Epheſios in littore Paulus; animo vero totâm Eccleſiam ſibi concreditam; eam commendavit Domino, à quo ipſam acceperat. Iis porro qui nos ducerent traditi, in monaſterium ipſius tranſlati ſumus; in exilium quidem, ut arbitrabantur qui nos eo miſerant; ut vero exiſtimabat ipſe in ſalutem & multorum bonorum occaſionem. Quæ autem tunc in via geſta ſunt, non minus moleſtiæ acerbitatiſque quam miraculorum curationumque plena, volens prætereo, ut orationis longitudo vitetur. Interim hæc & majora *h* monſtrat via ipſa publica, dum feſtum celebrat ejus reditus, quem illac vir magnus ac fortis habuit.

h

C *illuc deſcendit ſicut Abraham & Iacob in Ægyptum.*

42 Deſcendit igitur in Amaſeam magnus pugnator Eutychius, ut olim Abraham & ejus nepos Jacob in Ægyptum, ambo Patriarchæ propter famem: nam quod Salvator noſter Ieſus Chriſtus in eamdem Ægyptum deſcendit, ut rem excellentiorem, cum honore præterimus, propter nubem levem & propter caſum manufactorum ſimulacrorum. Aſt deſcenſus hic multis miraculis claruit; Dei enim carnem humanam induti præſentia quid mirum ſi prodigia operetur? Fateor: ſed non caruit miraculo etiam prior ille magnorum Patriarcharum deſcenſus, ut facile declarat viſio divinitus Pharaoni oblata propter Abraham & Saram, propter quam eos cum honore dimiſit: & Joſephi manifeſtatio; & Jacobi atque filiorum ejus ad ipſum profectio. Sed forſitan illi quidem ejuſmodi fruiti ſint miraculis, magnus autem Eutychius expers fuit iſtiuſmodi gratiæ? Nequaquam: ſed hanc etiam ei conceſſit rerum effector Deus: quæ qualia quantaque fuerint, multis omiſſis, videamus. ipſi ſiquidem ea perſpeximus, & audivimus, & manus noſtræ contrectaverunt, & quæ vidimus teſtamur. Qui enim dixit, Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet; &, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti, Tollere & mittere in mare, & fiet ita; ipſe dedit ſervo ſuo gratiam ſanitatum, ut morbos curaret & dæmones ejiceret.

miraculis illuſtratur.

AUCT. EUSTATHIO EX MS. GR.

ANNOTATA.

a *Dicti ab ἄφθαρτον incorruptum, & δοκέω opinor, cenſeo: minus integre Lipomanus & ſurius* Aphthardocitæ.

b *Hic eſt* Joannes Scholaſticus, *Apocriſiarius magnæ Antiochiæ.*

c *Die 22 Ianuarij, quo Græci eum colunt, anno 565.*

d *Primo loco ponit Zinus* quod unctus eſſet *: ſed deeſt in ecgrapho noſtro: deinde diſſimulavit* συκολόκυλα ὀρνιθίων, *quæ quid ſint nobis incompertum fatemur; vertimus tamen non ſimpliciter* Aviculas *uti ille, ſed* Avicularum delicatiores; *quod ex initio nominis à* σῦκον ficus *compoſiti, conjectemus aliquod* Ficedularum *genus intelligi.*

e *Eſt* Principus, *in Aſtaceno ſinu Propontidis, in qua S. Theodorum Studitam à morte ſepultura tradidimus 4 Febru. in Vita S. Nicolai Studitæ, cap. 7 & diximus Græce legi* πρὸς τῇ γειτονι νήσῳ Πριγκίπῳ; ad vicinam inſulam Principum *tranſlatum. Inde ergo per Bithyniam & Galatiam ductus eſt Amaſiam S. Eutychius.* E

f *Die Sabati 31 Ianuarij littera Dominicali D. Zinus verterat in* tempeſtate diei Sabbati: *ſed clarum eſt alludi ad iſtud Matthei 24.* Ne fiat fuga veſtra in hieme vel Sabbato. *Græce* ἐν χειμῶνι.

g *De* ſancto hoc Patriarcha Anaſtaſio *agemus. 21 Aprilis, quo colitur etiam* S. Anaſtaſius Presbyter monachus Sinaita in Arabia, *ab aliquibus à dicto Patriarcha non diſtinctus: ſed perperam, uti iſtic oſtenditur.*

h *Zinus minus diſtincte (ut alia fere infinita quæ diſſimulo) veterat,* Quamquam eadem majoraque publice perſpecta ſunt, cum viri ſancti revocatio celebrata eſt.

CAPUT VI.

Varia miracula, à S. Eutychio Amaſeæ patrata.

44 CUrationibus efficiendis neceſſarium eſt ut curandorum fides adſit & curantium virtus: horum alterum ſi defuerit, nihil proderit alterum: econtra vero utrumque concurrente utroque, operatur. Ideo Euangeliſta de Domino loquens, Non poterat, inquit, iſtic multa ſigna facere, propter illorum incredulitatem. Hinc etiam qui cum fide ad virum hunc ſanctum accedebant, plus gratiæ accipiebant, cum omnia poſſibilia ſint credenti; & ipſe eſſet accinctus tradita ſibi à Patre luminum gratia. Exordiar igitur à curationibus: vos qui ejuſmodi narrationibus delectamini, attendite. Sed unde aut à qua gratia ſumendum initium eſt? Sunt quidem præſtantiora miracula alia, ab hoc tamen incipiendum exiſtimo.

Matt. 13, 58

F

45 Erat in urbe Amaſea *a* par quoddam conjugium, legitimis nuptis copulatum, qui cum filiis procreandis crebro darent operam, fruſtrabantur effectu; infantibus, prius fere quam de ventre exirent, immature morientibus, parenteſque magno mœrore afficientibus, quia dolores quidem ſuſtinuerunt, gaudio autem privati ſunt. Quid igitur faciunt? Utile conſilium capiunt: confugiunt ad Deum, qui mortuos etiam poteſt revocare in vitam per ſervos ſuos. Imitantur viduam Sareptanam, cujus filium Elias ſuſcitavit: Sunamitidem imitantur, quæ cucurrit ad Eliſæum, cum filius ejus in cœnaculo jaceret mortuus. Confugiunt & ipſi ad beatum virum: ſupplicant, precibus ſuis impetret, ut infantes ſibi naſcantur vivaces. Hic pro illis precatus, ambos unxit oleo

a Conjugibus ob immaturam liberorum mortem afflictis

AUCT. EUSTATHIO EX MS. GR.

oleo ſancto, tum eo quod è pretioſa Cruce, tum illo quod ex ſanctæ puræque Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ Dominæ noſtræ imagine ſolet ſcaturire *b* Sozopoli, dicens, In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: ſic enim ſolebat facere cunctis ægrotantibus, qui ad ſe accedebant; quemadmodum & Divus Jacobus præcepit, Infirmatur inquiens aliquis ex vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.

vivacem prolem impetrat;

b Iac. 5, 14

& nondum natæ ſexum dignoſcens,

46 Cum igitur precandi finem feciſſet, & tamquam gratia quadam afflatus pauliſper tacuiſſet, mox, Nomen, inquit, illi imponetis Petri, & vivet: erat enim mulier gravida. Ego autem, qui aderam, reſpondi, At ſi feminam pariet, ecquod illi nomen imponent? Minime, inquit ille, ſed Petrum vocabunt & ſalvus erit. Quibus verbis gaudentes, tamquam puerum nondum natum in ulnis geſtarent, domum reverſi ſunt. Tempore vero impleto,

Petrum vocari jubet

peperit filium, quemadmodum ante prædixerat & viderat ſervus Dei. Baptizandum ergo eum curarunt parentes, & nominarunt Petrum: poſteaque una cum ipſo ad virum ſanctum accedentes, complexi ſunt pedes ejus, & confeſſi ſunt quanta ſibi feciſſet Deus, & quomodo ſui miſertus eſſet. Impoſitis autem puero manibus eidem vir ſanctus benedixit. Cumque creviſſet is qui ex præſcientia & precibus editus in lucem fuerat, alter quoque natus eſt illis. Itaque venientes rurſus ambos filios ad ſanctum virum attulerunt, laudanteſque Deum rogaverunt, quo nomine poſtremus deberet appellari.

B

Pro. 18, 19 *ejuſque fratrem Ioannem.*

Qui utrumque intuitus, illud Salomonis venuſte uſurpavit, Frater, inquiens, qui adjuvatur à fratre, tamquam civitas fortis. Parentibus autem ipſorum dixit: Joannem hunc appellabitis, quoniam in æde S. Joannis veſtras preces Dominus exaudivit. Creveruntque pueri, & vulgatum eſt hoc in tota illa civitate, & omnes collaudabant Deum. Sed rem aliam admirabilem, Dei auxilio à ſancto viro factam, videamus.

c Mutum & ſurdũ curat.

47 Presbyter *c* quidam, è villa ad ſanctiſſimam majorem eccleſiam pertinente, filium habebat ſurdum & mutum, annorum circiter quatuordecim: quem ad ſanctum virum perducens ſupplicabat, ut ipſi à Deo opem impetraret. Itaque cum pro illo preces fudiſſet, omnes ejus ſenſus inunxit oleo ſancto, terque Nunechem (nam id erat illi nomen) vocavit. Ac primo quidem die obſcure reſpondit. Cum autem tres dies ibi manſiſſet, & oleo ſancto inungeretur; ſolutum eſt vinculum linguæ ejus; & loquebatur ac audiebat recte. Cumque vellet eum pater in monaſterio relinquere, noluit Dei ſervus. Presbyter igitur aſſumpto filio ſano, domum reverſus eſt magno cum gaudio. Audiamus & aliud inſigne miraculum.

C

item alium.

48 Quidam alius ejuſdem loci, qui inter ipſos ſanctiſſimæ Dei eccleſiæ Clericos allectus erat, Cyrillus nomine, filium habebat quinque annorum & amplius, qui tamen nec loqui poterat, nec alimentum accipere, nec vivere omnino, nec etiam mori. Hunc cum ad virum ſanctum perduxiſſent, ille ſolitas preces adhibuit, & ſanctam Communionem impertivit: panem quoque communem benedicens dedit ei atque dimiſit. Ex illa autem die, ſoluta eſt lingua ipſius & loquebatur, edebatque & bibebat, recepta per Dei gratiam ſanitate. Audiamus & aliud huic ſimile, imo vero admirabilius.

d

49 Eſt oppidulum quoddam *d* Zela, ipſi metropoli Amaſeæ propinquum: hinc venientes quidam puerum quadrimum ad ſanctum virum adduxerunt, nihil niſi paululum nutrimenti ex matris ubere capientem. Erat autem carnis ac corporis propemodum expers, neque colorem ullum habebat: ſed tamquam ſpica vento corrupta, quæ nondum confirmata exilem quamdã atque inanem granorum & ariſtarum ſpeciem habet; ſic & puer ille videbatur, ut quicumque vellet tenues ejus coſtas omnes nervoſque & oſſa poſſet numerare. Hunc vir Dei magnus cum aſpexiſſet ſic exiccatum, & parentes illius dolore tabeſcentes; implorans auxilium Dei, facientis eſſe quæ non ſunt, totum pueri corpus inunxit oleo pretioſo, & ſanctam Communionem ei impartivit: panem quoque communem benedicens parentibus dedit, precepitque ut mero illum intingerent pueroque præberent. Quod illi cum feciſſent, voti compotes facti ſunt. Poſtridie enim magnum in eo carnis diſcrimen aſpeximus: accepit autem mediocre nutrimentum & incrementum: tertia vero die alium ex alio vidimus. Tenebat namque panem in manu ſua, & coram parentibus edebat; movebatque oculos ſuos, qui antea reconditi vix cerni poterant, & ſingulos adſtantium intuebatur. Dicebant præterea parentes ejus, ex qua hora pro illo vir ſanctus oraſſet, ubera matris attingere noluiſſe, ſed oblato cibo fuiſſe nutritum. Læti igitur cum filio ſano in oppidulum ſuum reverterunt. Hic ſi querat aliquis, cur puer non ſtatim acceperit integram ſanitatem; ſciat judicia Dei multam eſſe abyſſum. Videmus etiam Dominum noſtrum, arcano quodam conſilio, infirmos quoſdam non ſtatim curaſſe. Cum enim oculos cæci inunxiſſet luto, Abi, inquit, in Siloam, & lava: & lotus vidit. Et cum alii manus impoſuiſſet, rogavit, ecquid cerneret? reſponditque ille, Video homines ſicut arbores ambulantes. Ex quo patet ſanitatem quibuſdem paulatim fuiſſe conceſſam à Domino, eas ob cauſas, quas novit is, qui quid cuique utile ſit cognoſcit. Sed hæc hactenus. Aliud miraculum explicemus.

D

puerum toto corpore areſcentem

inungens oleo & communionem præbens,

E

valentem efficit

50 Filius cujuſdam opificis Amaſeæ, repentino morbo correptus, ad portas mortis appropinquaverat. Hunc pater ulnis impoſitum ad monaſterium geſtavit, ut viro ſancto illum offerret, quatenus ejus precibus recuperaret ſanitatem. Diſtinebatur ille tunc negotiis aliis, venerant enim aliqui ut ab ipſo inſtruerentur, & otium ſuſcipiendi pueri eo tempore non habebat. Quamobrem, cum ſatis diu pater expectaſſet, volebat diſcedere: Quid enim, inquiebat, ultra vexem beatum virum, cum puer moriatur? Conſiderans autem Deum poſſe etiam mortuos revocare ad vitam, pauliſper moratus ſum hominem, & videbamus puerum revera omnino defeciſſe maxima corporis parte. Ejus igitur motus periculo, ſanctum virum accerſivi: qui nulla interjecta mora venit ad oratorium, & precibus adhibitis puero manus ſuas impoſuit, unxitque oleo ſancto ac domum dimiſit. Poſtridie pater revertit, cum lacrymis Deo gratias agens pro ſalute filii ſui. Interrogatus autem quomodo ſe haberet puer; reſpondit, Dei gratia & ſancti viri precibus, omnino convaluiſſe: Tota enim, inquit, nocte luſit, & vigil lætatus eſt. Haud multo poſt vidimus puerum etiam nos, & collaudavimus Deum, qui mortuis quoque vitam reſtituit. Sed de hoc quoque ſatis dictum: ad aliud miraculum tranſeamus

item alium moribundũ

F

51 Ruſtica quædam mulier, cum ſeptenni filio, quibuſdam de cauſis in urbem venerat: ibi dæmonis incurſu obſtupuerunt repente pedes pueri, adeo ut iis inſiſtere nullo modo valeret. Mater ergo triſtis & lugens portavit filium ad virum ſanctum: qui oleum ſanctum cum precibus adhuit pedibus pueri: finita autem precatione mater volens experiri utrum ſtare poſſet puer, depoſuit ipſum. Et ille quidem initio tremens, caſurus eſſe videbatur; verum ubi paula-

& alium pedibus debilem,

A paulatim fiduciam ſumpſit (blandis enim vocibus animos ei faciebant qui aderant) ſtetit intrepidus, & nihil commotus eſt. Firmatis igitur repente plantis & talis ipſius, cum matre domum eſt reverſus, ſaliens & laudans Deum. Nos quoque qui miraculum videramus, quomodo ſcilicet pedibus alienis ingreſſus in templum, propriis pedibus egrediebatur; collaudavimus Deum, qui noſtris temporibus talem gratiã ſervo ſuo eſſet largitus. Audiamus & aliud miraculum magis venerandum, ſiquidem morbus magis miſerandus ac novus fuit.

52 Adhæret Amaſeæ civitati monaſterium feminarum, Flaviæ nuncupatum, ex illis quædam perduxerunt ad optimum virum puellam quaſi annorũ
e quinque, dicentes eam omnino non admittere ſanpuellam non valentem cõmunicare ctam Communionem: ſed cum illa accipienda eſt, magno timore ac tremore corripi, exclamare, triſtari, ſanctum potum averſari. Cumque dies Dominica eſſet, & ſacrum Chriſti corpus ac ſanguis diſtribueretur; nos dictis fidem non habentes, priuſquã vir ſanctus ſuper puella preces ſolitas adhiberet; juſſimus ut veniret ipſa & communicaret. Verum cum ad ſacra myſteria appropinquare cœpiſſet, deprehendimus vera eſſe quæ dicebantur: quod enim magno cũ
B labore in os accepit, cum vomitu agreſtique clamore projecit; adſtantium vero quidam porrecta manu ipſum accipiens, in ignem miſit. Nos igitur mœſti ac territi domum remiſimus puellam, hortantes ut poà dæmone id impediente liberat: ſtridie reverteretur. Reverſæ autem conſuetas orationes adhibens vir ſanctus, omnes ejus ſenſus oleo benedicto unxit: cum vero ad os perveniſſet, illa vocem inconditam emittens, magnam evomuit fœditatem, aut potius immundum ſpiritum qui eam affligebat. Poſtea ex mandato viri ſancti abiit ut ſuſciperet ſacram Communionem, & per Dei gratiam, ſine ulla concuſſione aut formidine, ſumpſit Dominicum corpus ac pretioſum ejus ſanguinem. Suſpirans autem vehementer puella, jam ſana, Ecce, inquit, Colothim (ſic enim illius regionis pueri oblatam, id eſt panem nondum ſanctificatum, appellant) deinceps percipiã. Et omnes collaudaverunt Deum, qui res admirandas & novas atque incredibiles, quarum non eſt numerus, etiam per ſervos ſuos facit: mirabilis enim Deus Iſrael in Sanctis ſuis.

f 53 Juvenis quidam, operis *f* muſivi faciendi peritus, in domo Chryſaphii piæ memoriæ, in ipſa Amaſena civitate, exercebat artem ſuam. Auferente autem eo ex pariete muſivum vetus, Veneris hiſtoriam expreſſam repræſentans (volebat enim vir ille ex domo ſua Archangeli oratorium facere, eo quod eſſet in ſublime educta, & ex inferiore oratorium ſanctæ immaculatæque Dominæ noſtræ Dei genitricis & ſemper virginis Mariæ, quod & factum eſt) cũ fœdam impudicæ Veneris imaginem exculperet, dæmon qui illi inhærebat, ſic invaſit manum ejus, ut inflammata tumeſceret, & gravi affecta carcinomate neceſſariò amputanda diceretur ab iis qui videbant. Eo periculo cognito utile juvenis conſilium accipit, & ad virum ſanctum confugit, ut per ipſum à Deo auxilium impetret. At ille cum pro ipſo oraſſet, unxit oleo ſancto dexteram ipſius, inflammatione ac carcinomate laborantem: eoque per triduum facto, divino auxilio convaluit manus, atque alteri ſimilis reddita eſt. Ipſe autem quo in loco noxam acceperat, in eo, memoriæ & grati animi cauſa, ſancti viri depinxit effigiem, ut manus, quæ beneficium curationis acceperat, ſuum ſecundum Deum medicum teſtaretur. Huic ſimile aliud quoque factum eſt miraculum.

manum ab eodem inflammatam ſanat:

54 Puerum ab impuro dæmone vexatum ſculptor quidam ad beatum virum duxit: qui cum magno viro precanti aſtitiſſet; adſtantium quidam, propterea quod puer parvulus eſſet, dixit ſculptori, Attolle in ulnas puerum, ut ſanctificationem accipiat. Quo facto & abſoluta precatione, ambo diſceſſerunt. Poſtridie ſculptor venit, lugens ac dolens, quod cruciatum manus ſuæ ferre non poſſet. Cumque ex eo quæreretur, quid lugeret, quid haberet? Poſtquam, inquit, puerum tenui; manus mea cœpit incredibili dolore torqueri: dæmon enim, relicto puero, mihi adhæſit; & ille quidem curatus eſt, ego autem in diſcrimine verſor. His auditis ſubridens vir beatus, dæmonem talia facientem contempſit; & pro miſero illo precatus, liberavit eum; nihil aliud faciendum præcipiens, niſi ut precationibus incumberet. At ille neglecto viri Dei mandato, tumoremque & ardorem manus timens, ad medicos confugit, ut impleret id quod ſcriptum eſt, Qui delinquit in conſpectu ejus qui fecit eum, incidet in manus medici: erat enim manum ſuam perditurus. Itaque, cum omnia in medicos conſumens & per balnea oberrans, nihil adjumenti perciperet, ſed magis laboraret; rurſum acceſſit ad medicum qui argentum non requireret, ſed gratis operam impertiretur. Qui nihil moratus aut hæſitans, Deum miſericordem obſecravit ut liberaretur: quod & obtinuit. Ille autem precibus poſtea
E incumbens, quemadmodum Sanctus juſſerat, à doloribus & inflammatione liberatus eſt, adeo ut Deum laudans artem ſuam ſolitam exerceret. Verum quando in eorum, qui à ſpiritibus immundis vexati liberatique ſunt, mentionem incidimus; de apoſtata quodam verba faciamus, eo quod non mediocrem utilitatem ea res afferre poteſt, parvi facientibus & reprobantibus monaſticum habitum.

55 Juvenis quidam ab improbo & gravi dæmone ita vexabatur, ut quoties illum affligebat à nemine poſſet contineri: omnes enim ſuperabat, & conterebat omnes. Hunc miſerum adduxerunt ad virum ſanctum, gratiam ejuſmodi ſpiritus pellendi nactum à Deo, qui cum pretioſæ Crucis telum, dæmonibus formidabile, & oleum ejus adhibuiſſet fronti hominis vexati; ille ſigno Crucis tamquam clavo ignito tranſfixus, clamare cœpit & ſpumas effundere, furereque, & dentibus frendere, ut non ab uno ſed à multis dæmonibus vexari videretur: & licet multi monachi eum tenerent, omnes ſuperavit atque afflixit; diuque vexatus, tandem ut moruus jacuit. Nos illum omnino liberatum arbitrabamur: ſed poſtridie reverſus pejora patiebatur. Cum igitur
F diu fuiſſet afflictus & vexatus à dæmone, admirabatur Dei ſervus, & ſecum admirabatur cur ab eo dæmon non recederet; dixitque mihi ut miſerum hominem interrogarem, quis eſſet, & unde ei tam improbi dæmonis incurſus contigiſſet. Itaque cum miſero illi jam conſtaret ratio, cœpi eum minutim interrogare de ejus ſtatu atque converſatione à prima pueritia. Ipſe autem; Puer, inquit, ingreſſus in monaſterium S. Joannis Acropolitani (Acropolis enim appellatur locus monaſterii ejus quod eſt Amaſeæ) non parvo tempore ibi manſi; tandemque piæ exercitationis pertæſus, ſpreto monachali habitu exivi è monaſterio, & ſimul cum habitu vitam mutavi: nam & mulierem cognovi, & alia multa peccata commiſi. Itaque nunc, ut videtis, ſum in hoc ſtatu, & ab immundo ſpiritu miſere teneor atque affligor. Vos mihi, ſi quid poteſtis, opitulamini.

56 Hæc cum ex nobis didiciſſet vir ſanctus, imo vero nos ab illo (niſi enim ipſe cognoviſſet, non præcepiſſet nobis ut hominem vexatum de ſtatu ſuo interrogaremus, intendens utique exemplo tali confirmare nos, vitæque monaſticæ & Angelicæ con-

AUCTORE STATHIO EX MS. GR. *Idem alio in caſu facit,*

etiam poſtquam adhibuerit medicinum

Eccli. 38, 15

malum vecruduit.

Pro energumeno quodã fruſtra laborans,

intelligit apoſtataſſe à monaſterio,

eoque exemplo ſuos erudit,

AUCT. EUSTATHIO EX MS. GR.

contẽptores & de eo dimittendo tentatos provocare ad pœnitentiam) ſuggeſſit nobis illa verba Job, Videntes plagam meam timete,&, Ne dederis in commotionem pedem tuum, &, Nemo mittens manum ſuam ad aratrum & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Hæc ille & multa alia his ſimilia effatus, ad confirmationẽ & utilitatem præſentium monachorum; vexatum hominem ob ea quæ dixerat miſeratus eſt, altumque ſuſpirans & continenter orans; ea Davidis verba ex perſona miſeri illius pronuntiavit: Dixi, Confitebor adverſus me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Ita quidem vir ſanctus ad hunc uſque verſum pronuntians Pſalmum: non alienum eſt autem, ut verſum quoque ſequentem adjiciamus, poſtquam enim dixit, Et tu remiſiſti iniquitatem peccati mei, ſequitur hic verſus, Pro hac orabit ad te, non quiliber, ſed quis? omnis Sanctus in tempore opportuno: opportunum vero tempus eſt, quando petuntur à Deo quæ illi placent: Petite enim, inquit, & dabitur vobis; pulſate, & aperietur vobis. Cum igitur homo vexatus confeſſus eſſet, pro ipſo rurſum conſuetas preces Deo obtulit vir ſanctus, hortatuſque eſt ut in monaſterium ſuum reverteretur, habitumque reciperet, quem abjecerat & contumelia affecerat. Quod ille cum ſtudioſe feciſſet, non eſt amplius à dæmone vexatus, ſed in monaſterio manſit, prudenterque ac modeſte ſe geſſit. Quamobrem laudabant Deum qui ibi erant, atque dicebant; Hodie ſalus mundo huic facta eſt: quia Frater hic noſter, mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus eſt. Impletum eſt etiam illud: Multum valet oratio juſti aſſidua. Audivit etiam ab illo is qui curatus fuerat; Ecce ſanus factus es, noli amplius peccare. Sed reliqua miracula jam perſequamur. *g*

Pſ. 35, 5

Luc. 12, 9

& perſuaſum redire liberat.

B

Iac. 5, 16

g

57 Homo quidam eo laborans morbo, qui totum corpus depaſcitur, ad ſanctum virum confugit, ſupplicans ut ſibi à Deo miſericordiam impetraret. Qui miſerum morbo prope conſumptum aſpiciens, non mediocriter commotus eſt. Adhibita igitur oratione unxit oculos ejus & manus oleo ſancto, præcipienſque ne vinum omnino guſtaret, dimiſit. Ille vero libenter paruit, ſciens quæ ab hominibus effici nequeunt Deo eſſe facilia, & exemplo Naaman Syri domum ſuam reverſus eſt.

ſanat leproſum,

C

Cum autem anni ſpatium præteriiſſet, rurſum idem vir rediit, gratias agens Deo & laudans illum, quod morbus amplius non ſerperet, ſed cohiberetur atque deficeret.

h ob perjurium ex cæcato lumen reſtituit:

58 Alius quidam ad virum ſanctum acceſſit dicens, ſe eſſe ex Polyando *h* Comanorum, annoque jam integro non vidiſſe lumen, idque ex cauſa hujuſmodi. Ob controverſiam quæ ſibi cum quodam intercedebat in judicio jurare coactus, pejeravit, tamquam perjurii nullum eſſet crimen: Deus autem, conſulens ſaluti ejus, excæcavit eum. Quo affectus ſupplicio cum lucem non cerneret, & manu duceretur, venit ad virum Dei, & peccatum perjurii confeſſus, oculorum ſecutam cæcitatem indicavit; rectè judicans, Deum Sacerdotibus tribuiſſe maximam poteſtatẽ per ſanctos Apoſtolos, quibus dixit, Quæcumque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cælis, & quæcumque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in cælis. Proinde cum vir admirabilis ſolvendi munus (ſuorum enim quiſque peccatorum catenis obſtringitur) atq; curandi haberet; Deum omnipotentem oravit, ut ipſi tum perjurii veniam, tum oculorum ſanitatem concederet. Abſoluta vero ſuper illum precatione, unxit illum oleo ſancto tribus [illegible] factum eſt, ut qui alienis manibus & oculis ductus venerat, propriis in ſuam civitatem reverſus ſit, Deum laudans.

Matt. 18, 18

D

uberibus aridis copiam lactis

59 At hos quidem paucos è multis commemoravimus, qui curati ſunt, & quos de facie novimus: magna enim quotidie virorum, feminarum ac puerorum multitudo ad eum confugiebat: qui cum variis morbis, tam manifeſtis quam occultis, laborarent, omnes Dei miſericordiam conſequebantur. Mulieres etiam veniebant cum pueris adhuc lactentibus: qui cum lugerent ac quererentur, quod nutrimento carerent ſuo; matres ipſæ dolebant, quod ſibi fontes lactis exaruiſſent. Miſerandum autem erat ſpectaculum, & ſuſpiria ac gemitus & clamores varii. Quid ageret vir Dei magnus, intuens matres ſimul ac filios lugentes vociferanteſque, hos quidem propter famem, illas vero quod ſe filiis orbari cernerent? Nonne animam ejus vehementer commoveri erat neceſſe; præſertim cum eſſet tam mitis, tam clemens, tam miſericors erga omnes? Commovebatur plane, ideoque etiam impetrabat poſtulata: orans enim dicebat ea quæ Moyſes ille magnus: Domine, dimitte eis hanc noxam; aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. Quibus verbis obſecrans Deum, efficiebat ut miſereretur eorum qui miſericordiæ ipſius indigebant.

Exo. 32, 32

E

etiam ſuper abundantiùs impertit.

60 Operæ pretium eſt autem ut ex mulieribus, idem patientibus ad eumq; confugientibus & curatis, unam memoremus, quæ ſanata rediit ad monaſterium, & gratiam Dei prædicavit his verbis: Lacte defecta ad ſanctum virum acceſſi cum filio meo: poſtquam vero ille, pro me precatus, oleum dediſſet, è monaſterii foribus egredienti ubera lac dederunt, diuq; tanta fluxerunt copia, ut alienos quoque pueros lactarem: omnes vero qui me antea noverant laudant Deum, quia prius quidem emendicabam lac alienum, è domo in domum tranſiens, ut nutrirem infantulum meum, nunc autem non deſino idem facere & ſimul iis à quibus acceperam reddere, cauſam omnibus explicans, & enarrans Dei magnalia: talis enim eſt Dei gratia, ut ubi abundavit afflictio, nunc ſuperabundet gratia. Num parvum hoc eſſe aliquibus videtur? Non equidem exiſtimo aliquem ſanæ mentis id cogitare: quin potius ipſum æquaturum ei miraculo quod ſterili contigit. Nam quemadmodum illa naturam habebat gignendis liberis formatam, parere tamen non poterat: ſic hujus ubera, lactis quidem fluxum habere naturaliter debebant, ſed is aruerat, ut per ſervum Dei exuberaret. Veritatem autem dico in Chriſto: multæ mulieres tum hoc morbo, tum aliis pluribus occultis ac gravibus laborantes, veniebant & Dei opem exorabant. Porro de hujuſmodi curationibus, licet plurima dici poſſint, hæc ſatis ſint.

F

ANNOTATA.

a *Zinus vertit*, Androgynus erat legitima uxore copulatus: *in Græco clare eſt* Ἀνδρόγυνον *non* Ἀνδρόγυνος *&c cetera conſequentur in neutro* ἐκ νομίμου γάμου συνειρμωσμένον: *ut appareat non geminum in una perſona ſexum, ſed geminam perſonam ſignificari uno matrimonio conjunctam.*

b *Duplex in Patriarchatu* CP. *eſt urbs Epiſcopalis* Sozopolis, *alia in Thracia ſub metropoli Hadrianopoli, alia & magis celebris atque Amaſeæ vicinior in Piſidia.*

c *Zinus* Senem *vertit: nos ordinem non ætatem ſignificari putamus: cum conjugia Græco Clero permiſſa ſciamus.*

d Zela *urbs Epiſcopalis ſub Amaſea metropoli. Zinus legit* Zala, *ecgraphum noſtrum in antiquis notitiis* urbs zelorum.

e *Ætatẽ diſſimulavit Zinus, forſitan ſuſpectũ habens annorũ* nume-

A *numerum cum tamen paulo ſuperius quadrimo puero data cõmunio dicatur. Scimus nos in Eccleſia Græca etiam infantes ſolitos communicare: & vero ex verbis puellæ mox adferendis apparet, ejus ætatis fuiſſe, quæ inter oblatam necdum conſecratam & ipſam Euchariſtiam nullum noſſet diſcrimen.*

f Artem pingendi *vertit Zinus: quod Græce eſt τὴν τῦ μωσαϊϙὸς τέχνην, quæ ad marmorariã potius pertinet: non enim penicillo res agitur & coloribus, ſed lapillis quadratis coloris varii (μῶσας Thraces dicunt) ex quibus componitur tabula, opere Italis notiſſimo, quo magis miramur interpretem Italum hic hæſiſſe.*

g *Quod ſequitur miraculũ deeſt in ecgrapho noſtro Vaticano.*

h Ab urbe Cumano *verterat Zinus, ſeu potius* Cumana: *hinc nihil pronius erat quam ut* Cumana Pontica *intelligeretur, ad eumdem cum Amaſea Iridem fluvium ſita: ſed* Comanam Cappadociæ *intelligere ſuadet expreſſe in Græco additum nomen* Πολυάνδρου, *quod corrigo & ſcribo* Πολυανδῦ, *nomen oppidi, haud procul a Comana Cappadociæ ſiti juxta Ptolomæum, Ortelio teſte, qui interpretes Ptolomæi arguit loco,* Polyandus, *ſcripſiſſe* Padyandus.

CAPUT VII.

S. Eutychius in fame annonam ſervat indeficientem,
B *Imperium quibuſdã prænuntiat, Amaſenis valedicit.*

61 NUnc videamus & aliam gratiam, huic ſancto viro conceſſam à Deo, quæ quidem, ut ego cenſeo, non multum differt ab ea quã Elias Propheta in Sareptis declaravit. Quamquam Thesbites quidem, poſtquã famem ſecundũ oris ſui verbum induxit, à vidua, ſe ſuumque filium negligente, benigne ſuſceptus hoſpitio, hoc rependit beneficiũ, ut neque in hydria deficeret farina, neque oleum in lecytho. Hic autem, quaſi ſecundus quidam Elias, famẽ ipſe non intulit, ſed multos fame laborantes ſuis precibus ſuſtentavit, tali quam exponere aggredior, occaſione. Impiorũ *a* Perſarũ incurſum in rempublicã noſtram, quo novus Nabuchodonoſor Choſroës *b* Sebaſten venit & Meliteñen, horunt omnes. Cum igitur in magnas anguſtias atq; diſcrimẽ res eſſent adductæ, vicini fere omnes *c* Nicopoli, *d* Neocæſarea, Comanis, Zela, aliiſq; ex civitatibus finitimis Amaſeã ſe conferebant, tamquã in munitiſſimũ locum, confiſi non tã præſidio urbis quã viri ſancti precibus: omnes enim tã indigenæ quam advenæ inquilini, qui magna ex parte erant Iberes, & hoſpites reliqui ſpes ſuas ſecundum Deũ in illo collocarant; ſervabanturq; pendentes ex ore ejus & verba ipſius audientes. Meritõ igitur in tali tumultu ad urbẽ cucurrit innumerabilis hominũ multitudo ſed cum diu ibi commorataeſſet, cõſecuta eſt magna cibariorum penuria. Itaq; omnibus ad ſanctum ipſius monaſteriũ, velut ad tutiſſimum portum, confugientibus, ut ſimul cum corporibus animos paſcerent, magnus quotidie ſumptus fiebat: & interim fames creſcebat indies, tum propter exercitus noſtros, tũ propter Dei & reipublicæ adverſarios; unde magna in mœſtitia verſabamur univerſi; quia dum multitudini panis ſubminiſtratur, ſic exinanitæ ſunt arcæ monaſterii, in quibus farina conſervabatur, ut nec unius quidẽ hebdomadæ cibus in iis eſſet reliquus.

Occaſione belli Perſici

a

b

c d

Inductam annonæ caritatem

C

62 Tunc horrei cuſtodes, ſanctiſſimi monachi, videntes farinam minui & flagitantium multitudinem creſcere, ad virum magnũ acceſſerunt, illũ Scripturæ locum uſurpantes, Tranſiens in Macedoniam, adjuva nos: quoniam farina jam deficit in arcis, & ſpes victus nobis adimitur. At ille nulla interpoſita mora nihilq; dubitans, ſed fidens opulentæ miſericordiæ Dei; ingreſſus in eum locum in quo erant arcæ, jam propemodum farina vacuæ, poſt fuſas ad Deum preces ſolatus eſt miniſtros, Bono, inquiẽs, eſtote animo: quod enim egentibus impartitis, Dominus Deus noſter reſtituet duplicatum: ſpero enim, quemadmodum olim ex hydria farina non defecit, ita nunc minime defuturam: nam licet inclinaveritis ex hoc in illud (ut eſt in Pſalmo dictum) hoc eſt à pleno ad id quod eſt inane; tamen fæx ejus non erit exinanita, ſed edent omnes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominũ Deum noſtrum. His verbis gaudio repleti religioſiſſimi monachi, alacriter exequebantur mandata, panem ſufficienter diſtribuentes omnibus accedentibus; eoque modo magnam populi turbam, fame laborantem, diu nutriverunt; tanto majori miraculo, quod cũ farinæ in annum paratæ nihil adderetur, & tantum quotidie conſumeretur; tamen non ſolum non defecit, verum etiã poſtquam nova farina eſſet illata, farina vetus diu, imo ſemper, ſatis fuit; ſicut ſcriptũ eſt, Comedetis vetuſtiſſima veterum, & vetera novis ſupervenientibus projicietis: ſine pœnitentia enim ſunt dona Dei.

AUCT. EUSTATHIO EXMS. GR.

nec tamen deficientibus.

Pſa. 74, 9

Leu. 26, 10

63 Ac de miraculis quidẽ, quæ à ſancto viro geſta ſunt, ſatis ſit retuliſſe hæc pauca, reliqua dimittentes iis qui de ipſo ſublimius ſcrutari & ſcribere voluerint: non tamen erit alienum ſi quod in ipſomet factũ eſt recenſeamus. Ecquod autem iſtud eſt? Illud nimirum, quod pertinet ad ejus reditum in propriã Sedẽ, quam numquã omnino derelinquerat. Cum igitur duodecim *e* annorũ ſpatio atque eo amplius in monaſterio à ſe conſtituto manſiſſet, & res admirabiles hactenus cõmemoratas atq; alias multas Dei auxilio perfeciſſet; ſumma miraculorũ ab eo geſtorum ea fuit gratia, quã circa ipſum Deus oſtendit: non enim Legatus, non Angelus, ſed ipſe Deus, qui per nebulam & turbinem Job fuerat allocutus, qui tardus eſt ad vindictã & celer ad remunerationẽ, qui non relinquit omnino virgã peccatorum ſuper ſortem juſtorum, ut non diſcant malitiam juſti, in fine certaminũ pugilẽ ſuum clare alloquitur: Accinge ſicut vir lumbos tuos; interrogabo tẽ, tu autẽ mihi reſpondebis. Opinariſne me aliter tecũ loqui, quã ut juſtus appareas? Hoc eſt vulnerũ medicamentum, hæc certaminis corona, hæc patientiæ remuneratio, hoc pignus mercedis futuræ: idem qui dolere facit, rurſum te recreat.

Annis 12, in exilio actis,

E

e

Iob 40, 2

64 Nemo putet, eum ſine tentationibus & afflictionibus gravibuſq; periculis totũ tempus tranſegiſſe in monaſterio ſuo: non enim deerant hoſtes viſibiles & inviſibiles, qui conjicerent eũ in caminũ tentationũ, perturbationũq; flammã incenderẽt, & doloribus ejus adderent incrementũ, ut illũ Pſalmi verſum poſſet dicere, Super dolorẽ vulnerum meorũ addiderunt. Omnes autem ſanctum monaſterium ita vexabant, ut tæderet nos etiã vivere, niſi Angelus Domini deſcendiſſet, & flammã ignis diſcuſſiſſet, feciſſetq; medium fornacis quaſi ventũ roris flantem. Quoniã igitur oportebat aurum probatũ è fornace eximi, ut ſplendidius videretur (Taliter enim ſunt Sancti, qui tranſcũt per tentationes, quorũ ſub perſona dicit David, Tranſivimus per ignem & aquã, & eduxiſti nos in refrigerium) etiam pugnatorem egregium eduxit in refrigerium Deus, qui tentationes diſſolvit; Non te, inquiens, deſeram neq; derelinquam: quemadmodũ & Apoſtolus ait: Fidelis eſt autem Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione proventum. Verum qualis liberatio ejus, quis reditus fuerit, breviter videamus.

multiſque in eo toleratis ærumnis,

Pſa 68, 27

F

Pſa. 65, 12

1 Cor. 10, 13

65 Cũ is qui in Sedẽ hujus generoſi magniq; viri irrepſerat, *f* migraſſet ex hac vita (quẽ in locum, novit is qui id arcanis quibuſdam de cauſis permiſit fieri) pius populus Paſtorẽ Doctoremq; ſuũ repoſcens, ad Imperatores Juſtinũ & Tiberium, imprimiſq; ad Imperatorum ac Regũ omniũ verum Imperatorẽ ac Regem Deum noſtrũ exclamare cœpit, ut ſibi redderetur fidei cuſtos, Trinitatis buccinator, rectæq; religionis defenſor, qui omnia omnibus fiebat ut plures lucrifaceret. Illi autem, quos nunc beata continet requies,

f reſtituitur per Juſt. nunc & Tiberiũ

liberalitate ſua levat Sanctus,

Act. 16, 9

ex arcis monaſterii fere exhauſtis,

AUCT. EUTATHIO MS. GR

cum eadem ſentirent, ſuſcipientes divinum populi fidelisſimi ſtudium & caritatis ardorem, quo ipſi quoque jam pridem erga ſanctum virum flagrabant, conceſſerunt quod rogabantur, quodque ipſimet optaverant ſemper, tum multis aliis de cauſis, tum ob eam præcipue, quod eos Imperatores futuros prædixerat. De quibus, quamvis à progreſſu cohiberi ideo nos oporteat, tamen cum tempus hoc exigat, pauca dicenda ſunt: ne illius periculum qui talentum defoderat, in nobis quoque locum habeat. Quæ igitur illis prænuntiata fuerint, commemorabo.

g quibus imperium prædixerat

66 Annis circiter tribus ante *g* imperium Juſtini, magno & futura proſpicienti Pontifici patefactum fuit, ipſum imperaturum. Qui nulla interpoſita mora, ut eum in Dei timore confirmaret, faceretque eum ſolicitius vitam ex pietate inſtituere, cum in Jucundianis Proceſſus ageretur, quodam die, ipſum in ſecretum ſevocavit, ubi erat feneſtra (hoc enim ſignum aſſumebatur, uti lapidum cumulus olim teſtimonium fuit) & Audi, inquit, Domine Curopalates; quamvis humilis ego, ſervus tamen & Sacerdos Dei ſum, cui ipſe ſignificavit, te poſt avunculum tuum Imperatorem futurum. Quare vide ne huc illuc diſtraharis occupationibus; ſed attende tibi, & operam da, ut dignus evadas qui perficias Dei voluntatem. His auditis, gratias egit Deo Juſtinus, & viro magno in hunc modum reſpondit: Deus me dignum faciat, ut voluntati ejus obtemperem, meque gubernem & regam arbitrio tuo. Atque hæc quidem ſic acta ſunt: cum autem vir magnus eſſet in inſula quæ Principis dicitur, quo-

Juſtino tribus annis ante verbo. tenus

B

& aliis pridem ex viſione;

dam die colloquens nobis: In viſione, inquit, noctis quidam mihi gladium dedit, continentem imagines Juſtini & Sophiæ conjugis ejus, qui mihi arridebant: quid autem hoc dicam ſignificare? Quidam vero adſtantium reſpondens dixit: Deciſionem ſive finem ejus quod nunc ſtruitur negotii vidiſti. At ille; Minime, inquit ille, ſed hi ipſi regnabunt, & me vindicabunt: Imperatorio enim habitu indutos conſpexi. Quod imperaverint perſpicuum eſt, & quod ipſum ſint ulti: nam condemnaviſſe multos eorum qui in ejus ejectione contra ipſum fuerant, omnes novimus. Itaque hæc ab illo ut prænuntiata, ſic & perfecta ſunt: quid porro de piæ memoriæ Tiberio prædixerit, videamus.

67 Primum quidem ipſum Tiberium tunc Notarium, apud Juſtinum, antequam eſſet Imperator, collocavit: deinde cum apud *h* Sirmium Avarici belli cauſa ageret, ſcripſit ad eum vir admirabilis: ſcribendi autem occaſionem hanc habuit. Tribunus quidam militum Amaſeæ commorantium, cupiens apud Tiberium inire gratiam, acceptis à ſancto viro commendatitiis litteris, Sirmium alacriter eſt profectus. Epiſtolæ vero argumentum erat hujuſmodi, ut Imperii quoque prænuntiationem contineret; poſt proœmium enim ſequebantur hæc verba: Nunc quidem in parte reipublicæ gubernaculum tibi commiſit Deus, mox autem illud concedet ex integro. Nemo noſtrum id tunc animadvertit: ſed ubi *i* Cæſar creatus eſt primum intelleximus: epiſtolam enim accipiens aſſervavit, ut poſtea cognovimus. Ac de duorum quidem Imperatorum prædictione ſatis dictum ſit: quid autem & de præſenti Mauritio Chriſti ſtudioſiſſimo prænuntiarit, explicemus.

C

h Tiberio per litteras:

i

idem prædixit de Mauritio Amaſea,

68 Ante annos octodecim & priuſquam ille regnaret, * cum viveret Sanctus in monaſterio, ita ferente rerum commutatarum viciſſitudine; accidit ut ii omnes qui Ponti provinciam adminiſtrabant, quæſtores *k* inquam & procuratores pecuniæ publicæ, nec non ii quibus Moderatianæ Legionis commiſſa erat cura, venirent ex *l* Arabiſſo, unde eorum quidam oriundi erant, iique affines & propinqui modo regnantis fideliſſimi Imperatoris. Hi igitur omnes, ut decebat, veniebant ad Beatum, multam ex eo capturi utilitatem: ut autem in colloquiis plerumque ſolet contingere, alii quidem ipſam laudabant provinciam, alii aliam regionem. Talia cum hinc inde moverentur, vir Dei magnus facete quidem, ſic tamen ut appareret minime contemptim eum loqui, de ipſa Arabiſſo ſermonem intulit, ejuſque laudes expoſuit. Et ille quidem nobis atque aliis indidem oriundis urbanitatis atque ſocietatis cauſa talia dicere videbatur: ſed finis oſtendit verborum eventum. Quænam autem & qualia ſunt quæ de ea vir ſanctus prophetavit? Quoties mentionem faciebat Arabiſſi, dicebat gratiose, nobis omnibus & Principibus qui inde erant oriundi audientibus; Magna eſt urbs veſtra: ideoque de ipſa dicitur, Ex Nazareth poteſt aliquid boni eſſe. Non dixit autem, Ego dico, ne ſe ſublimem oſtenderet, ſed humilem: omnis enim qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.

D

Laudans ejus patriam,

69 Et hæc quidem Amaſeæ prædicta ſunt: cum autem placuiſſet Deo, ut in ſuam Sedem reſtitueretur, *m* biennio ante obitum Tiberii Imperatoris, contigit ut ipſe Tiberius in morbum incideret: & inviſit eum Dei ſervus, atque convaluit: per viſum enim intellexerat, eum tunc non eſſe moriturum; & multis quærentibus de ſucceſſore, ſi quid ei humanitus contigiſſet, dicebat vir magnus, Non morietur: nominantibus autem diverſos, nihil reſpondebat Beatus. Ubi vero piiſſimum hunc Imperatorem Mauritium nominavit aliquis, ipſe ſe colligens, aperuit palam quæ ante cognoverat atque prædixerat, Vere non habes alium, inquiens, idque jurejurando affirmans. Tunc igitur & quæ Amaſeæ dicta fuerant meminimus: quare nemo de his dubitet: & ideo perſonas, tempora, loca & occaſiones expreſſimus, ne quis nos putaret hæc in ejus gratiam confinxiſſe. Qui capit, capiat; & qui non vult credere, ne credat: quid enim mihi de his qui foris ſunt judicare? Sed eo revertamur unde digreſſi ſumus, cum de viri ſancti revocatione loqueremur.

m

E

ac rurſum conſtantinopoli.

70 Poſt quam igitur Chriſtianiſſimi populi clamores exaudiviſſent Juſtinus & Tiberius *n* Imperatores, magna ſtatim cum celeritate & gaudio miſerunt generoſiſſimos *o* Scribones ad ſanctum virum, ut eum vel invitum ac recuſantem reducerent ad regiam civitatem. Hi ad eum pervenientes reddiderunt litteras Imperatorum: quibus ille perlectis, ſuſpiciens in cælum & lacrymans, egit gratias Deo: Ecce, inquiens, Domine, labia mea non prohibebo, quoniam tu intelleXiſti cogitationes meas de longe, ſemitam meam & funiculum meum inveſtigaſti, & omnes vias meas prævidiſti: mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confirmata eſt & non potero ad eam. Quis novit mentem Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Quis diſſipabit ea quæ decrevit Altiſſimus? Num dicet figmentum ei qui ſe finxit, cur me feciſti ſic? Audivi auditionem tuam, & timui; cogitavi opera tua, & expavi. His & aliis verbis ſimilibus multis cum gratias egiſſet, & in ſancto monaſterio ſupra thronum reſidens, divinum ſacrificium obtuliſſet (dies enim Dominica erat poſt quam etiam ſalutiferæ Crucis *p* memoriam Septembris menſis die decimaquarta ſplendide celebravimus) monaſterio & omnibus in eo habitantibus benedixit, univerſæque civitati; & omnes Deo commendans, iter ſuſcepit, Archiepiſcopo ad uſque regiam civitatem comitante.

n

o

F

Revocatus in Vrbem

Amaſea diſcedit,

p

71 Videre tunc licuit novum plane ſpectaculum & divina illius anima dignum; mixta ſcilicet inter ſe contraria, dolorem & gaudium, luctum & læti-

A lætitiam. Cum enim alii quidem ob ejus diſceſſum dolerent, alii propter ipſius revocationem lætarentur; diverſas eorum oculi effundebant lacrymas, partim mœroris, partim gaudii plenas; imo vero ob nimiam exultationem illæ omnibus erumpebant: lacrymæ namque, ut ſciunt omnes, etiam ex ingenti præcedente gaudio oboriuntur, quæ cor non affligunt, ſi non procedant ex contorſione viſcerum & animi labore: ubi enim peccatum non anteceſſit contra id quod licebat, nec dolores conſequuntur. Peccaverat Princeps Apoſtolorum, ideo amare fleviſſe dicitur: quod ſi deſint peccata, fluentes lacrymæ, non tam lacrymæ quam lætitiæ rivuli appellandæ ſunt. Videmus utrumque fieri in vite: quæ cum putatur & circumfoditur, lacrymatur ut dolens, è contra vero cum luxuriat & racemos undique pendentes habet, lætitiæ atque hilaritatis lacrymas exhibet iis qui eam inciderint. Hoc igitur modo Dei ſervus omnes civitatis incolas lætitia afficiebat & gaudio; cumque illos Domino comendaſſet, vix tandem ab iis divelli potuit ac proficiſci.

ſequentibus civium lacrymis

dolore & gaudio mixtis.

ANNOTATA.

B a *Anno* 572 *Perſicum bellum renovatum eſſe tradit Theophanes. Cauſam belli exorti indicat Euagrius lib.* 5 *cap.*7, *quod Armenii à Perſis afflicti ſe ſubjeciſſent Imperio Romano.*

b Sebaſte & Melitene, *notiſſimæ Metropoles Armeniæ primæ & Armeniæ ſecundæ.*

c Nicopolis *urbs Epiſcopalis ſub Sebaſtena Metropoli.*

d Neocæſarea *metropolis Ponti Polemoniaci. Zinus* Cæſarea, *minus recte.*

e *Ab anno* 565 *ad* 577

f *Mortuum eſſe* 31 *Auguſti Indict.* 10, *anno* 577 Joannem Epiſcopum CP. *tradit Theophanes. De eo egimus* 21 *Februarij inter Prætermiſſos pag.*234.

g *Ergo circa an.*563. *Mortuo enim Iuſtiniano an.*566, 14 *Novembris*, Juſtinus, *ex ſorore Vigilantia nepos, ſucceſſit.*

h *Theophanes ad annum Iuſtini* 9 *Chriſti* 574 *ait* Avares graſſatos in provincias Danubio conterminas (*ubi eſt* Sirmium *ſitum*) & Tiberium excubitorum Comitem adverſus eos ab Imperatore miſſum.

i Tiberium adoptatum à Juſtino filium & Cæſarem renuntiatum, & paris honoris conſortem effectum anno Imperii 10, *Chriſti* 575, *tradit Theophanes.*

C k *Græce* Τζαγλεύλας *φημι τὴ ἀνύλας τῶν δημοσίων: quæ fatemur per conjecturam à nobis Latine reddita eſſe, ſunt enim vocabula non pure Græca. Meurſius in Græco-barbaris* Τζαγλεύλας Tractatores *vertit, quaſi à* tracto: Ανύλαι *vero ducti videntur ab* ανύω expedio, *conficio. Zinus omnia, quia ſibi obſcura, ſic in pauca contraxit, ſenſu haud leviter turbato:* Cum ageret vir ſanctus in monaſterio, in ea rerum perturbatione contigit, ut omnes qui Ponti provinciam incolebant venirent ad ſanctum hunc virum, magnam ex illius ſermone utilitatem percepturi: *ſed & reliqua pars hujus numeri tota contracta eſt.*

l Arabiſus *ſive* Arabyſſus, *Armeniæ minoris urbs Epiſcopalis ſub Melitena metropoli. Cappadociæ adſcribit Euagrius lib.* 5 *cap.* 19. *ubi ſcribit, Mauritium ibi natum fuiſſe.*

m *Ergo anno* 580. *Nam anno* 582, *Indict.* 15, 14 *Auguſti, in tabem lapſus Tiberius, Mauritium generum renuntiavit Imperatorem, & intro relatus expiravit. Ita Theophanes.*

n *Imo* Juſtinus Imperator, *& Tiberius tunc ſolum* Cæſar, *poſtea* Imperator.

o Σκριβῶνας Præfectos Satellitii Imperatorii *Latine dici auctor eſt Suidas, & confirmant loca allata à Meurſio; & qui hic ipſis datur titulus* Generoſiſſimi. *Zinus ſimpliciter vertit* Scribas: *ſed diverſus erat* Σκριβα *idem ſcilicet qui* γραφεὺς ſcriptor. AUCT. EUSTATHIO EX MS. GR.

p *Eſt Græcis adhuc feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis à Conſtantino Magno factæ, & inciderat in feriam tertiam: adeoque dies Dominica præcedens quæ hic commemoratur, fuerat die* 12 *Septembris, littera Dominicali C.*

CAPUT VIII.

Regreſſus Conſtantinopolim ad Patriarchatum: præclaræ corporis & animi dotes.

72 QUis ea quæ tunc admirabilia contigerunt, valeat explicare pro dignitate? quæ lingua ſufficiat enarrare aſſiduos varioſq; occurſus, alios ab aliis ſplendore diſcrepantes; acclamationeſque fauſtas omnium, una ac clara voce dicentium, Benedictus qui venit in nomine Domini, &, Gloria in excelſis Deo & in terra pax. Sciebant quotquot ita clamabant dictum eſſe à Domino, Qui vos recipit, me recipit: & cui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet. Afferebant autem infirmos juxta viam, ut vel umbra viri fortis eos attingeret; & hi pro ratione fidei ſuæ auxilium accipiebant à Deo. Nam cum ab *a* Euchaitis diſcederet vir ſanctus, mulier quædam cum filio ægrotante progrediens, impulſa eſt à multitudine & cecidit ſubtus jumenta, ita ut de ipſius deque filii vita, tamquam jam mortuorum, omnes deſperarent: ipſa tamē manſit incolumis, & à puero diſceſſit morbus quo tenebatur. Atque ita totum noſtrum iter perfecimus.

In itinere miraculis honoratur Matt. 10, 41

E *a apud Euchaitas.*

73 Cum autem ad Nicomedienſium metropolim perveniſſemus, videbamur nobis veniſſe in alium mundum, & tamquam de ſomno excitati cogitabamus utrum vera eſſent quæ fiebant; ſicut de Apoſtolorum Principe narrat hiſtoria, quod poſtquam Angelus Petri latus tetigit, dixitque ei, Accingere & calcea te caligas tuas, & ſequere me; tranſeuntes primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ultro aperta eſt eis; Petrus autem exiſtimabat ſe viſum videre. Sic & magno Eutychio contigit, & Nicomediam pervenientes vere cognovimus, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & Petri imitatorem eripuit de manu omnium qui ei inſidias ſtruxerant. Neque enim dumtaxat fidelis & Chriſtianus populus, regale ſacerdotium, gens ſancta, edebat acclamationes congruas & gratias agebat Deo: ſed incredulum etiam & à grege noſtro alienum vulgus Hebræorum, propemodum pueros illos imitans, clamabat, Benedictus qui venit in nomine Domini; &, Creſcat fides Chriſtianorum.

Tranſit Nicomedia cum gratulatione omnium.

F

74 Igitur, cum nihilo minori honore pugil noſter regreſſus eſt in urbium reginam, à ſuo præclaro exilio, quam in Alexandriam magnus ille multiſque certaminibus notus Athanaſius, de quo ſic ſcribit divinus Gregorius *b*: Pullus quidem eum vehebat, [& fere (quod quæſo ne inſipienter arguar dixiſſe) fere, inquam; ſicut Jeſum meum pullus ille, ſignificans vel populum gentium quē à vinculis ignorantiæ ſolutum benefaciendo conciliavit atque conſcendit, vel quidquid aliud ſub ec ſymbolo volueris intelligere;] rami vero eum excipiebant veſtiumque variarum ac multiplicium ante & ſubtus jactarum proſtrationes [cum in hoc ſolum inglorius appareret, qui ſummus & perfectiſſimus eſt reque parem habet. Sed & ingredientis Chriſti imago quædam erant] ante eum clamantes ſalienteſque, niſi quod non ſolum puerorum turba eū glorificabat, ſed omnis lingua concorditer diſcors invicem ſe ſuperare volentium: & hæc dicens, publicos plauſus prætereo, unguenta incenſa,

Conſtantinopolim regreditur uti Athanaſius Alexandriā.

b

AUCT. EUSTATHIO EX MS GR. Noctes pervigiles, totamq; lumine colluſtratã urbẽ, & communes privatasque epulas, atque omne id quod in oſtentationem lætitiæ adhibent civitates, quæ univerſa ſuperabunde & pene ultra modum exhibita ſunt. Ad hunc ergo modum etiam nunc ſuam in urbem regreſſus eſt magnus & admirabilis Eutychius, cum eaque celebritate, ut licet ab omni retro tempore multæ multorum honorificæ exceptiones factæ ſint, non ſolum Principibus ſed etiam Sacerdotibus & Palatinis illuſtrioribus, nulla frequentior aut glorioſior fuiſſe memoretur, ſed ipſa ſola præcellat & ſuperaverit omnes: adeo ut illud magniloqui Iſaiæ merito huic loco congruere dixeris. Et adducent fratres eorum (id eſt fideles Levitæ & Sacerdotes) donum Domino, & in lecticis mulorum cum umbraculis ad civitatem ſanctã Jeruſalem Numquid enim non ita fuit? Imo vero Patrem ac Paſtorem & Magiſtrum ſuum fidelis populus duxit in ſanctam civitatem, novam Jeruſalem atque urbium reginam. Quis dicendo poſſet aſſequi res admirandas, mari terraque tunc geſtas? quomodo ſcilicet conſtratus ſit pontus, tergaque ſua navibus ſubjiciens telluri factus fuerit ſimilis, adeo ut ſine impedimento poſſent omnes ſuper ipſum incedere, & nemo præ multitudine hominum aquam ab humo diſcerneret, utraque autem eſſet labium unum voxque divina & cæleſtis omnium, Domini & Creatoris ſui gloriam celebrantium.

excepius maximo plauſu civium,

Iſ. 66. 20

& pompa obviarum navium:

B

75 Atque hæc eo dicta ſint, ut recordentur qui ſciunt, & diſcant qui neſciunt. Quid porro, an cetera prætermittemus? Minime vero: ſed quænam iſta? Divino conſilio factum eſt, ut unde diſceſſus principium fuit, inde etiam habuerit initium reditus. Cum enim dies feſtus S. Timothei, in palatio Hormiſdæ, ut ante diximus celebraretur, illinc vir pius ſublatus eſt ſacrificium faciens, & ea quæ deſcripſimus toleravit: cum autem curſum ſuum expleſſet, tamquam ſol, exultavit ut gigas, currens viam ſuã à ſummo cæli & occurrens uſque ad extremum ejus. Siquidem in iisdem Hormiſdæ palatiis reſtitutus eſt, tamquam ſponſus procedens in thalamum ſuum, nec fuit qui ſe abſconderet à calore ejus, eoque non frueretur. Omnes namque fideles ſanctitatis & gratiæ ejus participes exſtiterunt per viſum vel per tactum, multi etiam per ſalutationem & dulcem congreſſum; alii per auditum delectabantur, quia fama ejus rei paulo poſt per omnẽ terram eſt divagata.

& nocte in Hormiſda Palatio actæ

76 Nocte poſt hæc in templo prædicto tranſacta, ſumpſit Superhumerale, quod ipſe ſemper ſecum geſtabat; & cum ſancto Clero ſuo ad auguſtam ædem ſanctæ & immaculatæ Dominæ noſtræ Dei genitricis & ſemper virginis Mariæ in Blachernis ſe contulit: nam illic erant Imperatores Juſtinus & Tiberius, qui ſanctum virum hilari vultu & magno cum honore excipientes, ac tempori tali congrua locuti, dimiſerunt eum, quia dies Dominica erat, & divinum ſacrificium volebat peragere. Quis hic non opportune uſurpet illa Pſalmi verba, Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Si quis enim illam tempeſtatis ſeu tentationis diem ac noctem, cum hac revocationis ac reditus ejus, ſummæque pacis ac tranquillitatis comparet, magnam ſapientiam & ſcientiam in utroq; tempore & negotio reperiet. Nam tempore illo ſabbatum *c* & hiems erat, ſiquidem vigeſima ſecunda Januarii tentatus vir ſanctus & ejectus fuit: reſtitutus eſt autem tertia Octobris, quæ Dominica erat: qua quidem die & illi qui ipſi inſidias ſtruxerant, eumque ejecerant in exilium, Ætherius & Addæus, hic urbis Præfectus, ille palatiorum Antiochi dictorum *d* Curator, mortui ſunt: & quemadmodum ambo virum ſanctum pellendum & adulterinam ordinationem faciendam curaverant, ita meritam ambo mercedem receperunt. In hac igitur die & vir optimus ſuam recepit Eccleſiam, & ipſi vita privati ſunt multis annis *e* prius quam ipſe revocaretur. Accommodari huc etiam poſſunt verba illa Prophetica, Et erit in loco, ubi dicetur, Non populus meus (uti quibusdam videbatur) dicetur, Filii Dei viventis. In Hormiſdæ enim palatio, ut dictum eſt, facta eſt reſtitutio..... Non enim qui conſiderabant *f* ſtadia, intelligebant illud, Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes propter me: gandete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.

C

ad Blachernas procedit

c die 3 Oct. qua antea obierant adverſarii ſui Addæus,

d

D

e

Oſ. 1, 10

f

Matt 5, 10 & 11,

& Ætherius eadem quæ intulerat paſſus,

77 Jam & de ſuperhumerali dicendum eſt aliquid, quod illi in ſua dejectione ereptum non fuit, ſed apud eum manſit. Cum enim ex Clericis quidam ſuaderent Ætherio ut ipſum ſancto viro adimeret, ille, neglectis eorum verbis, facere id recuſavit. Itaque ipſe cum indignationem Imperatoris incurriſſet, ad ſe viſendum venientibus confeſſus eſt, dicens: Quæ feci Domino Eutychio, omnia in me cumulate reciderunt: per homines ejus oppugnavi eum, per homines meos oppugnatus ſum: veſtimenta ejus diripui, omnia mea direpta ſunt: unum tantum non ademi, id mihi quoque eſt relictum; hortantibus enim me Clericis ut Superhumerale auferrem, id non feci: & ecce etiam in hac calamitate remanſit mihi zona cum inſignibus dignitatum. Hæc ille quidem dicebat mœrens, tempus tamen pœnitentiæ non invenit, quamvis cum lacrymis quæreret eam. Ac de his quidem ſatis: ad narrationem inſtitutam revertamur.

E

Sedi ſuæ reſtituitur in templo S. Sophiæ,

78 Poſtquam vir ſanctus, ut dictum eſt, congreſſus cum Imperatoribus, ab iisdem ægre divulſus eſſet; videns populum, Chriſti ſuique Paſtoris ſtudioſum, gratias Deo inceſſantes agere, precatus eſt communem Dominum, ut ipſe eorum vellet eſſe remunerator: atque ita cum univerſa fidelium turba ingreſſus eſt in eccleſiam, idque tamquam in regnum Dei, non ſine labore: quia magna premebat multitudo, quæ divinum templum occuparat. Aſcendit deinde in ambonem, ſicut olim Moyſes in montem Sinai; ibique ſublatis ad Deum manibus populi preces & ſupplicationes cæleſti Deo ac Patri offerre, ejusque miſericordiam ad plebem videbatur deducere; neque enim propter populi multitudinem aliud fieri poterat. Tonitrua autem & creſcens buccinarum ſonus, id eſt aptæ divinorum oraculorum lectiones, clarius & vehementius pronuntiatæ, cum timore & magna compunctione peragebantur. Denique divina caligo ſanctum altare operuit: ſuper quo cum incruentum ſacrificium obtuliſſet, ejus communionem diſtribuit fideli populo, ab hora tertia uſque ad nonam: eo quod ipſam omnes vellent de manibus ejus accipere.

F

& ſacram communionem impertiit populo

Pſ. 18, 3

tunc & ſemper ad eam frequentis.

79 Nam quotieſcumque diſtribuebat communionem omnes ad eum, ſicut in principio abſque ſatietate concurrebant: quia intuitu ejus non poterant ſaturari quicumque ſolebant recte ſentire: ſed quantum quis ei hærebat magis, tanto vehementius attrahebatur, eodem erga illum affectus modo, quo erga magnetem lapidem ferrum, quod arcana quadam vi naturaliter trahitur: ita namque vir admirabiles omnes ſeſe aſpicientes, amanter alliciebat. Erat enim toto habitu gratioſus, & animi ac corporis pulchritudine decorus; ſublimis opere, ſenſu humilis, virtute venerandus, congreſſu benignus atq; affabilis, manſuetus, miſericors; ſermone dulcis, ſed moribus dulcior; aſpectu Angelicus, ſed animo magis.

Neque

A

Prov. 15,13 *Laudatur Eutychius conformatione membrorum.*

80 Nequeo omnes illius tum ſpirituales tum corporeas dotes; explicare membrorum omniũ conformationem aptam, unde interior homo plerumque dignoſcitur; vultus hilaritatem & gratiam, de quo Salamon ait, Cor gaudens (Deo ſcilicet) *g* exhilarat faciem; oculos lætos & pupillas bene cuſtoditas, tales enim aſpiciunt recta & annuunt juſta; dentes candidos, quia purus & cæleſtis eſt juſtorum cibus; ignita labra, à quibus pura & ardentia verba gratiæque ſtillabant; contractas & rectas aures, ad omnem divinam vocem ſuſcipiendam idoneas; collum, ut Davidis turrem ædificatum, atque ad ferendum Chriſti divinæque caritatis ſpirituale jugum & Eccleſiarum ſolicitudinem accommodatum; niveam ſacri capitis comam & barbam, Aaroniçæ ſimilem, qua vitæ ſplendor & perfectio ſignificabatur; adhæc corporis fragrantiam, tamquam unguentum quod deſcendit in oram veſtimenti Sacerdotalis; ætatis moderationem, quæ eam ſecundum Chriſtum perfectam oſtendebat; latas manus, ampliſſimæ liberalitatis indices; congruos aptosque digitos ad ſermones divinos & ſana dogmata conſcribenda; rectos omnino ac firmos pedes, nec ad dexteram nec ad ſiniſtram declinantes, ſed incedentes per tritam & regiam viam, quam bos & aſinus, id eſt populus Chriſtianus ex Judæis & Gentibus collectus, calcat.

g

B

81 Quis compoſitum ejus inceſſum & pulchros totius corporis motus deſcribat? ſic enim incedunt modeſti ſpecioſique pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona *h*, unde divinus perpetuusque motus animorum intelligitur? Quis pro dignitate laudabit pallorem, ita in ejus facie floreſcentem, ut mali punici cortex aut cujuſpiam alterius pomi pallentis color ſolet cum ſuavi odore conjunctus? Talis profecto vere temperantium atque obduratorum eſt vita, eorum qui variorum atque optimorum fructuum dulcedinem continent in cellis ſpiritualibus, rutilantque & ſpirant aliis quidem, uti ſcriptum eſt, odorem mortis in mortem, aliis autem odorem vitæ in vitam facti pro cujuſque voluntate. Quis non admiretur doctrinæ ejus firmum, ſtabilem atque conſtantem ſermonem, quem nocte & die facere non deſinebat, ut (quemadmodum de magno Baſilio Divus Gregorius *i* ait) & manſuete reprehenderet & laudaret diſciplinate, neque alterutro per immoderantiam noceret; ſed correctione uteretur paterna, laudatione magiſtrali; neque diſſolutus in lenibus, neque auſterus in gravibus; ſed his diſcretionem, iſtis prudentiam adhiberet, *k* utraq; vero in eo eſſent infima, ſi figuram dictionis attendas; ſufficientia tamen ad inſtructionem; & minimum quidem haberent de virga, propter modeſtiam ſermonis; minus etiam de ſectione, propter ipſius virgæ moderatiſſimum uſum.

h totiusque corporis habitu,

2 Cor. 2, 16

i

C

k

82 Quid vobis deſcribam virum? Iam antea Paulus eum exprimit, idque cum magnum illum Pontificem cælos penetrantem laudat: illuc enim uſque audet oratio aſcendere, ſiquidem Chriſtos eſſe didici eos, qui ſecundum Chriſti præcepta vivunt. Hic totus erat dulcis, totus amabilis: qui cum adhuc eſſet in terra ſpiritu ſublatus terram reliquerat, & extra carnem ac mundum ſemper erat, vitamque agebat his viſibilibus ſuperiorem, divinas illas formas ſuſcipiens, quæ cum inferioribus & commutabilibus iſtis non commiſcentur: qui purum Deitatis ſpeculum ſemper fuit, lumini lumen adjungens etiam debiliori obtitui perſpicuum: qui verſabatur cum Angelis, cum Archangelis Dominum collaudabat, cum Deo Sacerdotio fungebatur, & ſuperiorem creabat mundum per ſanctum baptiſma aliaque munera ſpiritalia. Quis hæc & ſimilia de divino viro pro dignitate recenſebit? Quis orator, quis narrationum ſacrarũ ſcriptor iſta, ut decet, perſequetur? Utinam adeſſet Divus Gregorius, ut nunc etiam magnum Baſilium laudaret! nam hujus ſancti viri multæ magnæque virtutes ſunt, quæ ad Baſilii menſuram accedunt: ſufficit autem diſcipulo, ait Dominus, ſi ſit ſicut magiſter ejus. Beatus enimvero qui eas digne explicuerit: ſed non ego, qui nec dicendi facultate nec ſcientia valeo, idoneus ſum ad viri divini actus, ſicut ſcribi eos par eſt, enarrandos; veritus tamen ne ſimilis deprehenderer ſervo, talentum accipienti atque defodienti, in idemque cum illo periculum inciderem, illis argumentum materiamque ſuggeſſi, qui res à Sancto geſtas valebunt deſcribere.

& morum ornatu,

AUCT. EUS. STATHIO EX MS. GR. *laudatore Gregorio Nazianzeno digno.*

ANNOTATA.

a Euchaitarum *civitas, ſub metropoli Amaſeorum etiam Theodoropolis dicta eſt, de qua late egimus 7 Februarii, ad Vitam S. Theodori Ducis, in ea nati.*

b *Gregorii Nazianzeni orationem de S. Athanaſio illuſtrabimus die 2 Maji: interim ex ea hic integramus contextum, quem MSS. Græca nobis exhibent truncatum, non Euſtathii Scriptoris vitio (hic enim integram, ſi non periodum, tamen ſententiam dediſſet) ſed præcipitantis librarii, & diſparata verba ſic incongrue connectentis,* Καὶ μή μοι τῆς ἀπονοίας μέμψηδε, πῶλος μὲν ἦγεν τὸν ἄνδρα, κλάδοι δὲ ἀύλὸν ὑποδέχονλο καὶ ῥῶσεις ἱμαλίων πολυανθῶν καὶ οἱ προβοῶνλες. *Ita autem omittuntur omnia quibus indicatur comparatio cum Chriſto, & tamen hujus ſolius comparationis cauſa uſurpantur à Baſilio, adeoque & ab Euſtathio tranſcribuntur hæc verba,* μή μοι τῆς ἀπονοίας μέμψηδε, quod quæſo ne inſipienter me dixiſſe arguatis. *MS. Venetum nihilo perfectius in hac parte quam Vaticanum, Zinum hæc interpretantem impulit, ut petitam ab auctore veniam converteret ad Athanaſium ſive Eutychium, ita ſcribens,* neque aliquis arrogantiam e tribuat.

B

c *Quando ſcilicet ad inſulam Principem eſt avectus, ut ſupra num.* 40 *indicatur; vel quando poſt tres hebdomadas miſſus eſt Amaſeam, die 6 vel 26 Februarii: dies autem 22 Ianuarii, qua detentus eſt, ut dicitur num.* 37, *anno* 565 *non erat Sabbatum ſed feria quinta, litt. era Dominicali C.*

d *Zinus vocat* Curatorem Antiochiæ: *ſed Græce eſt* τῶν Ἀνλιόχε, *per quæ non poſſumus aliud intelligere quam ipſa illa palatia, in quibus poſitas Sancto inſidias dictum erat num.* 37.

e *Vtpote mortui anno* 568, *id eſt proxime ſequente exilium S. Eutychii, ut manifeſtior appareret ultio, quo celetior: ſolus enim hic annus ex omnibus poſt ſecutis habuit litteram Dominicalem C, adeoque tertiam Octobris in Dominica.*

f *Zinus explicationis cauſa ſcripſit* ſtadia, equitatus & hujusmodi res: *ſed arbitror excidiſſe aliquid, ideoque malui . . . . puncta notare: nec enim apta connexio eſt.*

g *Textus Græcus ſecundum* LXX, Cordi læti facies floret.

h *Ita ſenſus requirit, & ita Zinus vertit, credo quia in ſuo MS. ſic legit: ecgraphum noſtrum mendoſe,* τῶν ἐυαγγελιζομένων τῶν ἀγαθῶν τὴν εἰρήνην.

i *Scripſit quidem Nazianzenus prolixam S. Baſilii laudationem illuſtrandam à nobis* 14 *Iunii: ſed in ea non reperitur talis ſententia, adeo ut oporteat hic memoria lapſum fuiſſe auctorem.*

k *Quæ ſequuntur defuerint MS. Veneto ſiquidem Zinus ita vertit & finit hanc periodum,* ut neque bonitas diſſoluta, nec gravitas aſpera; ſed illa prudens, hæc modeſta, utraque ſapiens videretur.

F

CAP.

AUCT. EUSTATHIO EX MS. GR.

CAPUT IX.

Miracula Conſtantinopoli patrata: doctrina propugnata.

Idem poſt reditum qui ante fuerat,

83 VErum adhuc ad radicem montis heremus: neceſſe eſt autem ut exponamus quæ vir optimus geſſit poſt reditum, rurſum uſurpando verba quæ de magno Athanaſio ſcripſit prælaudatus Gregorius. Num forſitan ipſe quidem ita vixit ſicut conveniebat eos qui tanto populo eſſent præfuturi, non autem docuit ſicut vixit? aut non certavit ſicut docuit? vel minus periclitatus eſt aliis qui pro doctrina aliqua ſubiere certamen, aut ex ipſo certamine minus laudis retulit? aut denique eorum quæ ſub ingreſſum geſta ſunt ſplendorem obſcuravit quidpiam poſtea actum? Nequaquam; omnia ſibi invicem congruebant, tamquã in cithara una eademque ſymphonia, vita, doctrina, certamina, pericula reditum conſecuta. Simul enim atque ad eccleſiam pervenit, [non ita affectus erat ut ſolent, qui immodica cæcati iracundia, quidquid primum occurrerit protrudunt aut percutiunt, quantumvis dignum à quo manus abſtineant, furore ſcilicet prædominante. Sed hoc potiſſimum tempus ſui probandi eſſe cenſuit (ſit enim plerumque ut adverſa quis patiens moderatior ſit, poteſtatem autem referendæ injuriæ nactus inſolentius ſe gerat)] tam leniter tamq; manſuete circa eos egit à quibus afflictus erat, ut ne illis ipſis quidem, ut ſic loquar, inſuavis eſſet viri reditus. Verum hæc alii admirentur & laudent, quibus otium eſt res etiam parvas ab eo geſtas prædicare: cum autem parvas dico, ipſum cum ſeipſo, resque ipſius inter ſe comparo; non enim glorioſo illi viro cedere ad gloriam potuit, quidquam quantumcumque illuſtre id eſſet, propter ſuperexcellentem illius gloriam, quoniam, ſicut audivimus, etiam minima & tenuia illius ſatis eſſent alteri non parum illuſtrando. Quæ igitur per novum hunc Athanaſium, poſt reverſionem ejus fecerit Deus, videamus. Num forte ex præterita conturbatione rerum aliquam ſpiritualium bonorum fecit jacturam aut gratia ei conceſſa divinitus, fuit aliqua ratione imminuta? Nequaquam, ut aliqui poſſent cogitare: ſed econtra aucta cumulataque ei fuerunt iſta, ſicut Dominus ait, Et majora horum facietis; ut ex iis quæ pauca de multis commemorabimus, noſſe licet.

B

aut etiam major,

C

inſtituta ſupplicatione

84 Non ignoratis, quotquo reditum ejus tenetis memoria, mortalitatem magnam ac diuturnam fuiſſe antequam reverteretur, quæ omnem promiſcue ſuſtuliſſet ætatẽ, niſi adveniſſet Dei electus ſicut alter Phinees, qui ſtetit & placavit & ceſſavit quaſſatio. Quomodo autem placatus eſt Deus? Supplicatione illa, quam ipſe cum populo Chriſtiano inſtituit, à ſanctiſſima magna eccleſia uſque ad ædem ſanctæ & immaculatæ Dominæ noſtræ Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ in Blachernis. Dum enim ſic rogaretur Chriſtus Deus noſter, quem ipſa incarnatum de Spiritu ſancto peperit, pepercit ille populo, Angelumque cohibuit, qui ſine intermiſſione percutiebat civitatem. Imitatus eſt autem hac in re vir admirabilis Prophetam David, qui cum propter numerationẽ populi graſſaretur, peſtis dicebat ad Deum, Ego Paſtor peccavi, dem ego pœnas: iſti quid meruerunt? Poſtquam vero vidit Angelum in area Ornan Jebuſæi, oravitque eum, imo vero communem Dominum in eo, ne extenderet porro manum in Jeruſalem, exauditus eſt: quamobrem & altare conſtituit in ipſa area, & Domino boves immolavit, & placato eo mors ſævire deſiit. Numquid autem magnus ac manſuetus Eutychius, offerens rationabile & incruentum ſacrificium Deo, idem non effecit? Profecto, niſi populo ſalutem impetraſſet, non dimiſiſſet extenſas manus. Ab eo igitur die, quamdiu beatus vir in vivis fuit, Chriſtus Deus noſter cohibuit à populo Angelum percutientem. Atque hoc quidem ipſius reducis primum opus fuit, quo communem omnibus ſalutem impetravit: nunc aliud, quod per eumdem Dominus omnipotens fecit, videamus.

peſtilentiam ceſſare facit,

D

85 Puer quidam ex nobilioribus, qui apud Calopodium, Primicerium Auguſtæ, habitabat, imo ab ipſo enutritus erat, adverſo quodam caſu injuriam in oculo acceperat à tempore notabili, ac demum ſic periclitabatur, ut totum invertendum crederet, & nullus medicorum ei poſſet ſuccurrere: quantum enim illi medebantur magis tanto gravius oculus offendebatur. Huc adductum cum eſſet malum, confugit ad medicum potentiſſimum, qui ſola oratione poterat noxam ſanare: ſicut & fecit: nam facta ſuper ipſum oratione, infirmum oculum unxit venerando oleo; & continuo apparuit ſanus ſicut alius. Videamus nunc aliud admirabile ſignum.

oculum laſũ curat:

E

86 Cyrillo *a* Cinario multis annis uxor convixerat, quæ aqua intercute laborans extremo verſabatur in diſcrimine, adeo ut etiam ipſa, poſt multas in medicos factas expenſas, nihil utilitatis accipiens, ſalutem ſuam deſperaret. Hanc accipiens vir ſuus, ex alio in alium ſuburbanum locum circumducebat, ſperans levamen aliquid ab aeris bonitate. Contigit autem circa illud tempus ſanctum degere in *b* Pyleatico: quod ubi vir pius cognovit (erat enim illi notus) abſque ulla cunctatione uxorem ad eum duxit, ſupplicans, ut pro illa à morbo liberanda Deum oraret. Quam cum vidiſſemus, obſtupuimus omnes tantam ponderoſi ventris molem: Sanctus vero pro ea orans unxit eam oleo ſancto atque dimiſit. Poſt aliquot porro dies, viro ſancto rurſum in Pyleatico degente, vir ille denuo adduxit uxorem, gratias agens Deo, illamque oſtendit omnibus, pondere & preſſura priori levatam: ita enim diſparuerat moles ventris, itaq; ſana adſtabat, ut numquam ægrotaſſe videretur. Multi igitur quod factum erat miraculum intelligentes, glorificabant Deum: quia plus quam annorum quadraginta erat mulier, in qua iſtius ſanitatis ſignum contigerat.

a

hydropicam ſanat:

b

87 Verum ne aliquibus videar incredibilia narrare, congruum puto non ultra in his pergere; neque enim ultra Gades, ut ait Divus Gregorius, tranſeundum: ſed & Gregorius Nyſſenus, docens orationem non eſſe protrahendam ultra menſuram gratiarum, de propria ſua *c* ſorore ſic loquitur: Hæc ab illa geſta ſunt omnia: quæ quidem diligentius ipſa ſcrutatis vera eſſe creduntur, licet ſupra fidem ſint, apud eos vero qui carni nimium addicti ſunt putantur extra veriſimilitudinem eſſe. Sed hi ſane ignorant pro menſura fidei diſtributionem quoq; munerum fieri, ut fide puſillis tribuantur parva, magna vero iis qui fidei amplitudine pollent. Verum ne incredulis detur occaſio Dei munera carpendi, ſublimiora miracula prætermiſimus, hæc quæ recenſuimus ſatis eſſe ad hiſtoriam æſtimantes. Quæ ſane verba de magno quoque Eutychio dicta ſcriptaque intelligantur.

& aliis majoribus etiam miraculis claret.

F

c

88 Curſum ergo ſuum conſummavit Dei famulus, fide ſervata, expectans de reliquo repoſitam ſibi coronam juſtitiæ, poſtquam à reditu ſuo reſtitutioneque in cathedram Patriarchalem tranſactis quatuor *d* annis, annos univerſim vixiſſet *e* ſeptuaginta; & ſermones, cooperante Spiritu ſancto adverſus quaſcumque hæreſes in quiete conſcriptos, publicaſſet; eosque exponens omnibus germanis atque fidelibus orthodoxæ Catholicæ Eccleſiæ filiis, atque ibi conſcripta

Deniq; ætatis anno 70

d

e

A

post editos sermones

scripta opere ipso complens, plane clareque docuisset non esse inhærendum simo lutoque, huic inquam temporali vitæ rebusque caducis: tale enim est opus figlinum ut semper impleatur & moveatur: nam multiplicem conversionem Jonæ, repræsentantis volubilitatem hujus vitæ, aliis expendere volentibus relinquo. Multa igitur alia præclara faciens, ut vita ac mores ejus norma essent Episcopatus, doctrina autem orthodoxiæ regula, tandem desiderabat dissolvi & esse cum Christo, licet propter multorum salutem in carne manere magis necessarium judicaret. Oportebat tamen ostendi ipsum quoque hominem esse, animæque & corporis disiunctionem subire: quamobrem de illa philosophabatur quotidie, & eadem quæ Patres sui Basilius atque Gregorius sentiebat ac loquebatur: quorum unus, Carnem, inquit, despice quæ præterit; animam cura, quæ est immortalis: alter autem, Utinam, inquit, gravi hac exuar tunica, ut leviorem accipiam.

ad mortem sese deposuit.

89 Hæc ille animo versans ac meditans, atque cum magnis Patribus ita vivens, ut non minus Basilii, Gregorii *f* utriusque & magni *g* Dionysii ac reliquorum sanctorum Doctorum, Prophetarum atq; Apostolorum dogmata quam aërem hunc spiraret, quibusdam tamen mente imperfectis suspectus erat quasi ab illis in materia resurrectionis *h* dissentiret; cum stulti homines non intelligerent, nec quid affirmaret nec de quibus loqueretur. Quid autem mirum si puerilia sapientes sic de ipso sentirent; cum Dominus ac Deus noster in Dei digito ejiciens dæmonia, ea in principe dæmoniorum ejicere putaretur? Numquid de D. Paulo, in Areopago loquente de Jesu & resurrectione ejus dictum est, Quid vult seminiverbius iste? Numquid non Basilius, virtutum fundamentum & Spiritus sancti propugnator, ab imperitis æstimatus est illius divinitatem non confiteri? Quid ergo mirum, si de hoc quoque sacro capite, magno, inquam, divinoque viro Eutychio, qui fuit columna ac lumen Ecclesiæ, venerandisque Patribus per omnia similis, tale quidpiam suspicati sunt, qui modum resurrectionis futuræ non capiebant: absit enim ut unquam contrarium senserit rectis Ecclesiæ sanctæ & Apostolicæ dogmatibus.

B

f g

h

temere in suspicionem vocatus

velut non recte sentiēs de resurrectione.

90 Plenæ sunt orationes ejus sanctorum Patrum hac de re sententiis; qualis est illa D. Gregorii: Si quis dicit Christum ita nunc deposuisse carnem, ut ab ea nudatam Divinitatem & esse & venturam asserat, is adventus ejus gloriam ne videat. Qui igitur fieri potuit, ut qui hanc sententiam sermonibus suis inseruit, ab illius sensu discreparit? Num forte aliter sentiebat ac loquebatur? Absit. Si ei cor pravum numquam adhæsit, multo minus sententia duplex. Didicerat quæ sit animi & corporis conjunctio quantum quidem homini est possibile; & prout ejus ministerio animus fuerit usus, ita simul cum illo bonis immortalibus frui; quodque corpus, si afflictum atque in servitutem redactum fuerit, simul cum anima evitet supplicia sempiterna: itaque utrumque simul aut condemnetur aut coronetur. Oportet enim omnes adstare ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque prout gessit in suo corpore, sive bonum sive malum: quia utrumque in hac vita simul operatur, & ideo utrumque simul ante Christi tribunal comparebit. Justum autem erit tribunal illud, neque ibi erit acceptio personarum, aut judicium media solum ex parte

C

quod aliter fuisse probant ejus verba

& evidens auctoritas Scripturæ sacræ.

fiet: sed ut loquitur Ecclesiastes, Cuncta quæ fiunt adducet Dominus in judicium pro omni abscondito, sive bonum sive malum illud sit. Quod quidem judicium ideo justum erit, quia post resurrectionem nec corpus sine anima, nec anima sine corpore, cum quo vixit semper, reperietur; sed immortalitatis pulchritudine decorabitur anima simul & corpus. AUCT. EUSTATHIO EX MS. GR.

ANNOTATA.

a *Zinus* Catulum *Latine verterat: forte scriptum invenit* Κυναρίῳ.

b *Idem* Paleaticum *legit.*

c *Hæc est* S. *Macrina Virgo, quæ colitur* 19 *Iulii, in cujus Vita ista sub finem leguntur: uti prius adagium legitur in Nazianzeni Orat.* 20 *de* S. *Basilio.*

d *Adde, &* dies ducs, *à die* 3 *Octobris anni* 577, *ad* 6 *Aprilis exclusive anni* 582.

e *Natus anno* 512.

f *Scilicet* S. *Gregorius Nazianzenus &* S. *Gregorius Nyssenus.*

E

g *Dogmata illa intelligit, quæ* S. *Dionysio Areopagitæ tribuuntur, & à Petavio libro de Dogmatibus Theologicis etiam sub nomine Magni* Dionysii *citantur.*

h *Propter controversiam quam habuit cum* S. *Gregorio Magno, tunc Constantinopolim misso Sedis Apostolicæ Apocrisiario. Eam explicat* Gregorius *lib.* 14 *moralium in Iob cap.* 29, *asseritque* S. Eutychium, *in ultimo morbo,* pellem manus suæ tenentem, dixisse: Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus: *at* carnem impalpabilem futuram scripsisse arguitur.

CAPUT X.

Morbus, obitus, sepultura S. Eutychii.

dissolvi ardenter cupiens, Ps. 41, 2

91 ISta & istis sublimiora cogitans & docens, discedere cupiebat à corpore, atque ad Dominum proficisci; usurpans identidem illa verba Davidis, Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus; &, Quando veniam & apparebo ante faciam tuam? Videbat etiam calamitates magnæ huic civitati obventuras, & instituta ac studia nostra non bona; ideoque die ac nocte precabatur clementem Deum, ut vel minas remitteret ac civitati malum nullum inferret, vel sibi adimeret vitam, ne ejus intueretur afflictionem. Et vero impetravit quæ fuerat precatus: voluntatem enim timentium se facit Dominus & orationes eorum exaudit & salvos facit eos. Exauditus est autem eo modo quem indicat Propheta, dicens, Ad huc loquente te, dicam, Ecce adsum.

F

Isa. 58, 9 & 65, 24

92 Instabat dies complementum temporis, anni corona, immo vero annorum bonitas, festivitas festivitatum, initium universalis resurrectionis, Christi Dei nostri *a* Resurrectio, cui triumphalem hymnum canunt cælum & terra; de qua divinus David ait: Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea: constituite diem solennem in condensis usque ad cornu altaris, id est usque ad Angelicas virtutes, quando, sicut scissum quoque velum declarat, revelata sunt cælestia terrestribus, suumque creatorem una eademque voce laudare cœpit omnis rationalis creatura, juxta illud, Fiat voluntas tua sicut in cælis & in

a Ps. 117, 24 *celebrato Paschali festo,*

AUCT. EUSTATHIO EX MS GR.

terra. Cum igitur diem hanc ſplendide celebraſſet, is qui de ea ſemper locutus fuerat, ſicut alius nemo; & ſanctiſſimam magnam eccleſiam ſuffitu luſtraſſet; & ſancta baptiſmata feciſſet; oſculatus eſt omnes Epiſcopos & Sacerdotes, Imperatorem quoque & Senatum atque univerſum populum Domini, omnibus ſe in ſpiritu commendans. Quamvis autem multis ignotum eſſet quid ageretur, & ex conſuetudine diei feſti ita fieri ſuſpicarentur; ſolus ipſe ſciebat quid ageret.

datoque extremo cunctis oſculo,

93 Sed ô quomodo? Non poſſim id nunc dicere ſine lacrymis. Etenim miſer ego frequentius ſolito ipſa die exoſculatus ſum Angelicam ejus faciē: cumq; id bis ac tertio feciſſem, ſatiari non poteram: interrogatus autem ab eo cur ita ſæpe id facerem, contra meipſum prophetavi (quod utinam non fuiſſet) dicens, quia hunc ſolum diem habeo: ſolus enim ante ipſum mortuus ſum, ſolus relictus orphanus, ſolus amiſi pretioſam margaritam, ſolus theſaurum in agro abſcondi, ſolus erravi tamquam ovis paſtorem non habens, ſolus lugens & mœrens obambulo totum diem. Paulo poſt autem omnes, qui bonorum ipſius participes extiterunt, verba illa mecum pronuntiabunt, ut arbitror, Extinctum eſt lumen oculorum noſtrorum, erepta eſt nobis lux animarum, ereptum vitæ ſubſidium, diſſolutum concordiæ ſignaculum, ſublatum vinculum caritatis, imbecillium firmamentum confractum. Propter te, Pater, nox etiam pro die ſplendebat, per tuam illuſtrem vitam illuminata; nunc dies etiā convertetur in tenebras. Sed non eſt indulgendum lamentis, præſertim ante tempus, ne illud ab eo audiamus, Nolite flere ſuper me.

quos inter etiam ipſe ſcriptor,

B

94 Cum totum divini Officii ordinem bonus Paſtor expleſſet, & univerſo fideli populo ſacroſanctum Domini corpus diſtribuiſſet, in ſanctum Epiſcopium reverſus, refectionem modicam cum ſolitis familiaribus ſumpſit hilariter. Poſt cibum autem brevemque quietem, cum Lychnici tempus inſtaret, deberetque adeſſe Officio veſpertino; totum illius corpus invaſit contractio quædam: quamobrem ex religioſiſſimis ejus Clericis quidam obſecrabant ut quieſceret. Sed nullis precibus induci potuit ut ad officium Veſpertinum non accederet. Sancto igitur Spiritu confirmatus in venerandam Dei eccleſiam ſe contulit, ubi illum expectabat populus; quia omnes illum, ſemper quidem, tunc tamen potiſſimum optabant intueri, quando procedebat Apoſtolicam indutus ſtolam. In qua cum multiplices Veſpertinæ Liturgiæ preces expleviſſet, ſacrum altare oſculatus, fidelium gregem commendavit Deo. Tunc ex altari viſibili velut ad inviſibile, de virtute in virtutem progrediens, clauſis ſenſibus & procul à populo preces peregit. Reverſus deinde in Epiſcopium, in lectulo ſuo decubuit, vehementique febri circa mediam noctem correptus eſt; atque ita manſit dies ſeptem orationibus continuis incumbens, ſeque ſigno Crucis muniens.

corripitur febri circa Veſperas;

& his quoque per ſe expletis,

C

lecto decumbit:

omnem medicinam recuſat,

95 Interim ad religioſiſſimi Imperatoris Tiberii aures pervenit, intendi vim morbi: qui ea re valde perturbatus, intermiſſis omnibus civilibus curis, de illo unice ſolicitus, miſit præſtantiſſimos medicos, qui curarent eum, à quo multi variique morbi curati fuerant. Et hi quidem plus ex doctrina ejus perceperunt auxilii, quam ipſi contulerunt: ſiquidem nullum ſibi paſſus eſt adhiberi medicamentum, dicens: Præceptum poſuit, & non præteribit: medicum habeo alium, qui me ſuo arbitratu curabit. His auditis Imperator, magno cum deſiderio & fide, inviſit beatum virum, primo quidem ut ab illo benedictionem acciperet, deinde ut intelligeret, quis poſt illum Paſtor recturus eſſet populum. Ipſe autem Imperatori quidem benedixit, alterum vero reticuit, propter cauſas quaſdam, revelante Deo ſibi notas. Itaque rei ac tempori congrua cum Imperatore locutus, eumdem ſua benedictione munitum dimiſit, vultu læto atque hilari. Ego deinde ex quibusdam Imperatoris familiaribus accepi, prænuntiatam ei a ſancto viro eſſe mortem celeriter adventem: quam prædictionem comprobavit eventus: nam Chriſti amantiſſimus Imperator quatuor poſt *b* menſes è vivis abiit.

viſitatur ab Imperatore Tiberio,

D

eique mortē inſtantem prædicit.

b

96 Porro cum totam hebdomadam ægrotaſſet Sanctus, ſimplex moribus, ſed gubernandi ſcientia multiplex; ſapiens in verbis, ſed ſapientior ſenſu; magnus inquam Patriarcha Eutychius; mente firma Deum precatus pro univerſis, uſque ad ſeptimam horam Dominicæ ſecundo-primæ *c* poſt Paſcha (conveniebat enim ut ſeptima hora peragerent ea quæ ſunt quietæ obdormitioni propria) poſt benedictionem cunctis datam, ut olim filiis ſuis dedit Jacob, novus ipſe Jacob pedes extendit: & circa nonam aut decimam horam in manus Domini commendavit ſpiritum ſuum, & diſcedens ex hac vita in ſenectute bona, ab Angelis ad cæleſtes choros eſt ſublevatus. Quomodo autem id deinceps cognovimus? Vtique ex duobus quæ tunc contigere ſignis. Eodem ſiquidem tempore, quo illius anima ſejungebatur à corpore, univerſus populus in eccleſia clamavit clara voce, Kyrie eleiſon; poſtquam ſcilicet Hebdomadarius *d* lucernariam precationem abſolvens dixiſſet, Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri ſecundum magnam miſericordiam tuam: Domine exaudi & miſerere. Tunc nempe converſus in eas quas diximus voces populus, magno cum clamore, Paſtoris atque Doctoris ſui animam tranſmiſit ad Deum, ipſo ita rem moderante. Quis id non admiretur? Quis non item illud, quod nec oculi nec reliquæ corporis partes cujusquam opera componendæ fuerunt; cum illi quidem ſub palpebris ſuis, ſicuti naturaliter dormientibus ſolent, decore conderentur; labra autem concluſa & manus ante pectus complicatæ invenirentur, & totum corpus ſponte ſuâ tam convenientem ſitum accepiſſet, ut nullius manus illi fuerit admovenda; ſed appareret divinioris animæ opus eſſe ipſam illam corporis extincti compoſitionem. Sed quid deinde conſecutum ſit videamus.

moritur Octava Paſchæ

c

ſub noctis initium,

E

dum populus Kyrie eleiſon conclamaret

d

corpore mortui decorum ſitum

F

97 Rurſum apparuit ſimilis | Baſilio, de quo magnus Gregorius ait: Cum jacturam ſenſiſſet civitas, orphanam ſe derelictam queſta, moriendi neceſſitatem tamquam tyrannidem incuſavit; & animam, velut ſi manibus aut precibus poſſet retineri, comprehendere concupivit. Omnibus autem ad funus paratis, Sanctus ipſe manibus Sanctorum ſublatus geſtabatur, ſingulis vel oram veſtimenti vel ſacrum feretrum contingere geſtientibus. Quid enim corpore illo purius aut ſanctius? Aliis ad eos qui portabant appropinquare, aliis aſpectu tantum, quaſi ex eo quoque utilitas proveniret, frui cupientibus plenæ erant plateæ, plenæ porticus; omnes ædium feneſtræ, omnia tectorum faſtigia & culmina. Premebant ſe mutuo qui præibant & qui ſequebantur, qui prope erant & qui adventabant, immunerabilis hominum promiſcuæ ætatis ac ſexus multitudo, cum eaque quotquot apud Imperatorem erant in gradu aliquo dignitatis, imprimis Vrbis Præfectus, omnes ſuperans in viri ſancti funere honeſtando: adfuiſſet etiam Imperator,

exequiæ honorate,

perator, niſi curandum ſibi putaſſet, ne quis in populo tumultus naſceretur: adfuerunt autem omnes militum & Sacerdotum ordines atque infinitus cœtus monachorum. Certabant cum lamentis cantus pſalmorum, cedebat perturbationibus philoſophia noſtri cum externis, externi cum noſtris contendebant, utri magis lugendo plus conſolationis perciperent. Illud porro admirabile ac pene incredibile fuit, quod ex tot hominum millibus nemo ullum in periculum incidit, præſertim cum multi deprimerentur ipſo pondere ſuper ſe ſtantium, *e* viſendi corporis cauſa. Ceterum ut epitaphii more paucis abſolvam, Honorat ingreſſum ejus, egreſſum glorioſiorem honorando [Deus] *f*, multas quidem excitans lacrymas, ſed plures relinquens in animis omnium, majorem circa eum gloriam intuentium.

A ô maximo concurſu celebrata.

e

f

98 Inter hæc, vitatis ægre rapientium manibus, illatum eſt corpus in ædem ſanctorum Apoſtolorum; & juxta inſtitutionem ſanctorum Patrum appoſitus eſt Patriarchis Patriarcha, Prædicatoribus Prædicator, Martyribus Martyr, Apoſtolis eorum ſecutus veſtigia: cujus etiam corpus juxta corpora eorumdē ſanctorum Apoſtolorum S. Andreæ, Lucæ, Timothei, ſecundum longitudinem ante altare ad baſim ejus contumulatum, requieſcit: hunc enim locum ipſe ſibi vivus elegerat, ut corpus ſuum ne poſt obitum quidem longius à ſancto altari recederet. Quia cum anima cæleſti aſſiſteret altari, ibique cum ſanctis Angelis & Apoſtolis pro univerſo populo preces effunderet; æquum etiam erat ut quod illi conjunctum fuerat corpus, quodque ſimul inceſſerat certaveratque, ne quidem in terra ſejungeretur unquam ab almo altari; ſed cum Sacerdote ſupplicante, Deoque hoſtiam divinam offerente, pro ſuo populo & civitate quodammodo ſupplicaret. Nā & corpora Sanctorum parem habent cum animis virtutem: quia pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus; & Protegam civitatem hanc, inquit, Dominus, propter me & propter David ſervum meum: ideoque magnæ nobis conſolationi ſunt Sancti, qui per fidem vicerunt regna, adepti ſunt repromiſſiones, & poſt vitæ commutationem pollent virtute majori.

ſepultura in templo Apoſtolorum

B

4 Reg. 19, 34

99 Agite nunc etiam magni Baſilii laudatores, mihique ſermonis inopia laboranti optulamini. Ego quidem plura cupio præterire: ſed aliud me poſt aliud trahit; & tamquam in corpore partibus omnibus æque pulchro, quid quid ocurrit videtur pulchrius, & orationem ad ſe convertit. Agite igitur egregias illius dotes perſequimini, qui illarum & laudatores & teſtes exiſtitis. Præclarum inter vos certamen ſuſcipite, viri ſimul ac feminæ, adoleſcentes & virgines, ſenes & juvenes, ſacerdotes & populus, monachi & cœnobitæ, qui in contemplatione quique in actione verſamini. Alius laudet ſtudium ejus in jejuniis & precibus tam aſſiduum, velut ſi corporis expers fuiſſet: alius vigiliarum & pſalmodiarum conſtantiam: alius aſperam atque incredibilem duritiem victus, aut animi demiſſionem: alius oblivionem injuriarum in eo præcipue excellentem, juxta præceptum Apoſtoli dicentis, Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.

ſynopſis virtutum ejus.

C

Eph. 4, 26

100 Omnis igitur præſentium chorus qui me circumſtatis, quotquot ad ſuperiorem & *g* quotquot ad inferiorem templi partem pertinetis, quique ex noſtrorum quique ex numero externorum adeſtis, conficite mecum laudationem, & alius alias novi hujus Baſilii virtutes celebrate. Qui præſidetis in judiciis, laudate legislatorem; qui civitatem regitis, civem; qui eſtis de populo, popularem; qui eruditione delectamini, magiſtrum; qui ſolitudine gaudetis, illius amantem; qui frequentia, judicem; qui ſimplicitate, ducem; qui contemplatione, theologum; qui in ſecundis rebus verſamini, moderatorem; qui in adverſis, conſolatorem; virgines, virginem; conjuges, caſtum; ſenectus baculum; juventus, diſciplinam; paupertas, largitorem; cuſtodem, opulentia. Videntur mihi quoque defenſorem viduæ, pupilli patrem, inopes pauperum ſtudioſum, hoſpitalem hoſpites, fraternitatis dilectorem fratres, ægrotantes medicum cujuſcumque morbi ac medicinam, ſani conſervatorem valetudinis; omnes denique efferre eum laudibus, qui omnia factus eſt omnibus, ut omnes aut plurimes lucraretur. Ego quidem ſic amborum Patrum virtutes laudibus miſcens, tenues ſermonis epulas convivis delicatis appoſui, caules ſcilicet cum paſtillis tamquam apparatum delicioſum; nequaquam laudis futurus expers, quia quod honeſtum erat præſumpſi: vobis autem, qui tanto ſtudio juſta magno Eutychio perſolviſtis, nihil aliud conſuluerim, niſi ut ad illum ſemper reſpicientes, vos illum cernere & viciſſim ab eo conſpici exiſtimetis: hæc enim coronis erit recte factorum ejus, in hoc virtutum viri theſaurus conſiſtit.

ob quas ab omni hominum genere laudandus.

g

e

AUCT. EUSTATHIO EX MS. GR.

B

ANNOTATA.

a *Anno* 582 *fuit Paſcha die* 29 *Martii, littera Dominicali* D.

b *Adde, & octo diebus; nam Tiberium* 14 *Auguſti mortuum eſſe diximus.*

c *Græce* ἡ δευτεροπρώτη Κυριακή, *ea Latinis Dominica in Albis, ſive* prima poſt Paſcha, *Græcis* Dominica nova, ἡ νέα, *etiam dicitur Allatius in Diſſertatione de Dominicis & Hebdomadibus recentiorum Græcorum, addit* Dominicam Thomæ *vocari, ab Euangelio; & ab ordine Dominicarum, quarum prima nunc cenſetur ipſa Dominica Paſchalis, dici* ſecundam, *à quâ deinceps ſequentes feriæ nomen accipiant, contra quam fieri ante Paſcha conſuevit, quando feriæ Græcis nominantur à ſequenti Dominica. Videtur hic* δευτεροπρώτη *dici* Secundo-prima, *ſicuti in Romano Breviario dies octava à feſto S. Agnetis* 21 *Ianuarii vocatur* Agnetis ſecundo.

d *Græce* Κυριακὸς, *quaſi* Dominicalis, *quod qualibet Dominica mutarentur Clericorum ſeu Preſbyterorum vices dicendi præcationem.* Hebdomadarium *tamen vertere maluimus: qua voce, ad ſignificandum cujus eæ vices ſunt, Chorus Latinus utitur.*

e *Zinus vertit,* cum multæ etiam feminæ accederent onus in utero geſtantes. *Sed Græca aliud prorſus indicant, quale ſcilicet in magno viſendi ſtudio fieri ſolet, ut aliorum humeris inſiſtant alii.*

f *Obſcuriſſimus hoc loco, fateor, Græcus textus eſt, quemque vix demum addita vote* Deus *ad ſanitatem aliquam adducere licuit: Zinus in aliam prorſus interpretationem abiit. ita ſcribens:* Atque ut aliquem epitaphium adjungam externis honoribus interior cumulatur. Multorum quidem lacrymas excitavit, ſed ea major gloria fuit quod omnium animis defixus hærebat.

g *Græce* ὅσοι τῷ Βήματος ἢ ὅσοι τῶν κάλω, *intelligiturque Clerus, qui inter ſacra occupat locum altaris* (tribunam *ſeu* chorum *Latini dicunt*) *& populus, qui extra cancellos anteriorem & inferiorem templi partem occupat: quæ Zinus non intelligens vertit,* Qui pulpitum attingitis & qui eſtis inferius: *quaſi cum reſpectu ad oratorem ipſum, ex ambone verba facientem.*

AUCT. EUSTATHIO EX MS. GR. *Excuſat auctor ſuæ dictionis tenuitatem* Ex. 12, 3

EPILOGUS.

REſtat ut qui me benigne audiſtis, tuque imprimis divinum ac ſacrum Caput, detis veniam paupertati orationis meæ, Moſaicum illud de agni eſu mandatum expendentes : Decima die menſis primi tollat unuſquisque agnum per domos & familias ſuas : ſin autem minor eſt numerus quam ſufficere poſſit ad veſcendum agnum, aſſumet vicinum ſuum qui conjunctus eſt domui ſuæ. Si ad unius agni eſum multos convocandos præcepit ; quid ad Paſtoris alicujus & quidem talis Paſtoris laudationem fieri mandaſſet ? Ego, ſancte Pater, cum tuis encomiis prædicandis par eſſe non poſſem, legi obtemperans, non pauperes vicinos meos ; ſed æquales ac pares tuos, eximios utique viros, convocavi ; non ut agnum unum edi conſpicerent, ſed ut Paſtorem peregrinationis ſocium collaudarent. Æquum eſt ſane ut tranſeuntes per viam & à viatico tenuiter inſtructi, id eſt eloquentia & doctrina inopes, concinnæque & ſonoræ compoſitionis elegantia, eant ad aquam vivam & bibant ex ipſo fontis labro ac puteo : neque enim decet ad alienam, doctrinam inquam & eruditionem, accedere. Itaque quæ ex tuis recte factis potui aſſequi dicendo, Pater ſancte ; ea ſitientibus prompte appoſui : quæ autem vires meas ſuperabant, neque ſermone meo poterant comprehendi, divina ſapientibus viris ipſorumque ſermonibus direliqui : quorum verba, ſicut ſcriptum eſt, ſunt ſtimuli & quaſi clavi igniti : Da autem ſapienti occaſionem & ſapientior erit, doce juſtum & feſtinabit ſuſcipere. Apoſtolus vero, Veſtra, inquit, abundantia illorum inopiam ſuppleat, ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut fiat æqualitas & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea : & iterum, Quod mihi deerat ſuppleverunt Fratres venientes à Macedonia. Et vos igitur, viri perfecti, qui viri hujus ſancti divinique Patris ac magiſtri laudatores ac veri eſtis filii, animi mei ſtudium atque propenſionem boni conſulite ; & quod deeſt laudationi, ſupplete ; imo vero totum hoc onus in vos ſuſcipite, ut impleatur quod ſcriptum eſt, Frater qui adiuvatur à fratre quaſi civitas firma, invaleſcit autem ſicut regnum clauſum vecte.

D

Eccl. 12, 11
Prov. 9, 9
2 Cor. 8, 14
Col. 1, 24
2 Cor. 11, 9
Prov. 18, 19

102 Tu vero, ſanctiſſime ac Beatiſſime Pater, de cælo nos reſpice, & vitæ noſtræ curſum ad ſalutem dirige, ut cum hinc neceſſerimus recipias nos in ſinum Abrahæ & in æterna juſtorum tabernacula, ubi purius atque perfectius videamus quæ abs te didicimus de ſancta & ſempiterna ejusdem eſſentiæ Trinitate. Eamdem, Pater, deprecare pro nobis famulis tuis, proque grege tuo, hoc fideliſſimo Chriſtique amantiſſimo populo, ut bona conſequamur æterna, in Chriſto Jeſu Domino noſtro ; cum quo Deo & Patri gloria ſit & adoratio, ſimul cum ſancto bonoq ; & vitæ largitore Spiritu, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

& Sanctum invocat.

B

E

DE S. VVINEBAVDO ABBATE.

G. H. *TRECIS IN GALLIA.*

CIRCA AN. DCXX *Vita olim Scripta.*

Nicolaus Camuſatus in Promptuario ſacrarum antiquitatum Tricaſina diœceſis, inter alia illuſtria monumenta & Sanctorum Acta, ediddit à pag. 288 ex antiquis Codicibus MSS. Vitam S. Winebaudi, Abbatis monaſterii S. Lupi, tunc in ſuburbio urbis Trecenſis conſtituti. Hanc Vitam more noſtro diſtinctam & illuſtratam damus, ſimplici ſatis ſtylo, ſed veridico conſcriptam : quam ſuo ſtylo contractam edidit Benedictus Gononus lib. 2 de Vitis Patrum Occidentis pag. 97. & in linguam Gallicam tranſlatam Nicolaus Des-Guerrois in Hiſtoria Eccleſiaſtica Trecenſi, potiſſimum ad annum DCXXII, *ac denique Simon Martin in Sacris Reliquiis deſerti pag. 278 & ſequente. Floruit hic Sanctus Abbas in ea dignitate circa annum* DLXXX, *è vita migravit circa annum* DCXX, *uti ex ipſis Actis per probabiles conjecturas colligimus.*

Ætas. C

2 *Cum ſeculo Chriſti quinto floreret S. Lupus Epiſcopus Trecenſis, ante memoratum cœnobium extitiſſe, ſed Deiparæ Virgini Mariæ dicatum, habent antiqua Acta ejusdem S. Lupi ad* XXIX *Iulii edendas, & confirmat Camuſatus in ſuis ad hanc Vitam Notis. Quo etiam tempore in vicina diœceſi Lingonenſi extructum eſt monaſterium Reomanenſe, uti conſtat ex Vita S. Ioannis primi Abbatis, ad diem* XXVIII *Ianuarii illuſtrata ; eminebantque in ſanctitate vitæ Romanus & Lupicinus, fratres & Abbates in monaſteriis Iurenſibus de quibus actum eſt* XXVIII *Februarii &* XXI *Martii. Cum prædictus S. Lupus, in baſilica dicti monaſterii ſepultus, pluribus clareret miraculis, S. Lupi cœnobium appellari cœpit, quod permanſit uſque ad annum* DCCCXCII, *quando à Normannis eſt incenſum & everſum. Quam cladem Clerici ac monachi dicti cœnobii prævidentes, ſecuriora loca, aſportatis ſecum reliquiis S S. Lupi & VVinebaudi, petierunt, & poſtquam impetus Normannicus reſedit, reverſi ; ædem intra urbis ſepta ſub eodem S. Lupi nomine extruxerunt, ſub Canonicorum auſpiciis diu gubernatam : qui circa annum* MCXXXV *Auguſtianæ regulæ normam ſuſcepe-runt, electo Abbate Girardo ex Priore S. Martini aſſumpto, cui ſucceſſerunt Eurardus ; dein Guiterus : ſub quo ſacra oſſa S. VVinebaudi fuerunt in novam capſam depoſita. Hujus rei hiſtoriam ita narrat Camuſatus pag. 300. Anno* MDCIX *ſacrarum D. Winebaudi reliquiarum cuſtodes, dicti cœnobii S. Lupi Religioſos, rogavi, ut capſam, in quam ipſæ reliquiæ ingeſtæ ſunt reſerari recludique permitterent, quod æquo animo annuerunt. Ea vero patefacta, inventa ſunt oſſa, reverenter collocata in eadem theca, bracteis argenteis obtecta, quam etiam duodecim Apoſtolorum argenteæ imagines affabre factæ circumquaque ambiunt : in quam etiam aliqui Latini inciſi fuerant verſus : ex quibus duo hi ſolum integri reſtant.*

intra urbem reſtauratur.

Reliquiæ S. Winebaudi an. 1180 exornatæ.

F

Anno milleno centeno ac octuageno,
Præſule Matthæo, fio ſub Patre Guitero.

De Matthæo, qui fuit LVII *Epiſcopus Trecenſis, conſule Sammarthanos tomo 3 Galliæ Chriſtianæ pag. 1081.*

ejus monaſterii S. Mariæ dicatum

dein S. Lupo Trecenſi

everſum anno 892

3 *In loco ſuburbano, ubi* S. Winebaudus *fuerat* Abbas, *poſtmodum extructa eſt ædicula S. Martino ſacra, in qua alterum* S. Winebaudi brachium *reverenter adſervari tradit ſupra indicatus des-Guerrois ; qui aſſerit,* locum octo leucis Trecis diſſitum, prope pagum S. Petri de Bourſenay, celebrem eſſe eremitica vita S. Winebaudi : *ubi teſte Camuſato pag.* 300 Prioratus eſt, ejuſdem S. VVinebaudi nomine inſignitus, qui ex Divi Lupi cœnobio dependet : ubi fons limpidiſſimis ſcatens aquis, Prioratus ſacrarium irrigat : quo complures, febrili calore æſtuantes, poſt ſalutatum precibus votisque invocatum eumdem Divum Winebaudum, ſe proluũt, & à morbo ejus præſidio recreantur, ſicut an-

brachium in Sacello S. Martini.

A te quadringentos annos Guarnero Triagnelli Domino contigit : quod ipſe, tanti non immemor beneficii, toti poſteritati teſtatum eſſe voluit, monumento litterario hac verborum formula concepto.

teſtimonio an. 1179 confirmatus.

Ego Garnerus de Triagnello notum fieri volo univerſis, tam præſentibus quam futuris, quod Canonici S. Lupi Trecenſis, apud S. Winebaudum degentes, tres modios avenæ pro ſalvamento ſingulis annis, de ſuis propriis mihi reddere ſolebant. Sed cum ego diutius febre quartana vehementer fuiſſem afflictus, ad fontem B. Winebaudi quadrigis propter nimiam debilitatem vix adductus, ibidem tribus diebus balneatus, beati Confeſſoris meritis & interceſſionibus à febre omnino liberatus, unum modium annonæ prædictæ in Ieſu Chriſti gratiarum actione eidem eccleſiæ in eleemoſynam perpetuam condonavi. Actum anno MCLXXIX.

relatus ad 18 Decembris à Trithemio,

4 *Hunc* S. Winebaudum, *vel hoc ſolo titulo, quod* Abbas *fuerit, Ordinis Benedictini viris illuſtribus adſcripſit Trithemius lib. cap. 67 his verbis:* Winebaldus Abbas monaſterii S. Lupi Trecaſſini, vir doctus & ſanctus, apud Regem Lotharium, qui Burgundiam obtinuit, in magno pretio fuit. Hic etiam B. Lupo Senonenſi Epiſcopo valde familiaris & dilectus, eum Regi offenſo reconciliavit. Claruit anno Domini DCXX, cujus feſtum XV Kalendas Januarii celebratur. *Trithemium ſequuntur Wion & Dorganius in Martyrologiis*

B

quo die obiit S. Winibaldus Ab Heidenhemēſis

monaſticis: quibus perperam citatis Ferrarius refert S. Wunibaldum Abbatem Heidenhemenſem in Germania, fratrem SS. Wilibaldi & Walburgis, quem dicto XVIII Decembris mortuum eſſe diximus VII Februarij ad Vitam S. Richardi patris num. 9. De eodem etiam iſto die agit Sauſſaius.

ut 6 Aprilis ab aliis memoratur.

5 *Verum quia* octavo Idus Aprilis obiiſſe *infra, in Vita dicitur* S. Winebaudus, *hac die refertur, ſed nomine magis detorto, in MS. Carmelitano Coloniæ adſervato & MS. Florario Sanctorum, item in Martyrologio Colonienſi anno 1490 excuſo, & apud Grevenum & Molanum in Auctario Vſuardi:* & Wermebandus Abbas *appellatur: quos ſecuti Wion & Dorganius. Ferrarius,* & Wermebandum Abbatem, & Guinebaldum Confeſſorem, *ut diſtinctos,* Trecis *adſcribit: quem Maurolycus* Wermebaldum *appellat. Menardus rectius* Winebaudum *nominat, uti etiam Sauſſaius & Bucelinus, qui longiora encomia ex Vita deſcripſerunt. Mirum eſt eamdem non referri à Conſtantino Ghinio in Natalibus Sanctorum Canonicorum, cum cœnobium illud S. Lupi à quingentis annis fuerit Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini. In pervetuſto Martyrologio MS. Eccleſiæ Remenſis SS. Timothei & Apollinaris, ita memoratur.* Trecas S. Winebaudi Presbyteri &

C

Confeſſoris. *Ferrarius iterum ſub nomine* Vanebotti *eum ſuo Catalogo ad diem* XVI *Aprilis inſcripſit. Ioannes Mabillon in Indice Sanctorum Prætermiſſorum in ſeculo ſecundo Benedictino refert* S. Winebaudum, *& aſteriſcum non apponens, rejicit à germanis Benedictinis. Feſtivitas* S. Winebaudi, *ob majorem populi accurrentis commoditatem celebratur Dominica II poſt Paſcha, uti ex epiſtola Trecis à R. D. Couſinet ſcripta accepimus anno* MDCLXIII.

VITA

ex Promptuario Tricaſſino Camuzati.

1 LAus operum virtutumque ſanctarum veraciter aucta, lucis tramitibus clareat; ut perfectio geſtis non indigeat, plebſque pia ſuum non omittat ordinem, ſed manifeſta ratione pateſcat. Vir ſanctiſſimus Winebaudus, *a* Nogenti vici diœceſis Tricaſſinæ civitatis indigena, ortus eſt natalibus non infimis. Pater namque ejus & mater ex ſobole fuerunt Romana, ſed cum ſumma libertate egregii præcellerent pollentes, filium ad erudiendum litteris deſtinarunt, qui etiam cum ſumma celeritate ſapientiam, quæ donum Dei eſt, adipiſcitur; & gratiam Spiritus ſancti mox conſequitur, & cum dicatus Deo, *fit Clericus;* incertos caducoſque mundanæ fragilitatis caſus pertimeſceret, clericatus onus accepit, & regularem normam fons divinus ita ei infudit, ut in cellula exigua ſolitariam duceret vitam. Cum igitur in oratione & jejuniis & pſalmorum cantibus atque excubiis pernoctaret; divina crebrius munera, non vacanter ſed decenter, vir ſanctus per ſacra myſteria celebrabat [per quæ & patuiſſe] aditum primævæ virtutis ejus, glorioſius eſt dicere. Porro mihi tanti ac talis viri dicenda conſurgit materia: qui vere beatiſſimus, abſtinentiæ vel delicatioris cibi vel carnis ingluviei, à pueritia, inſpirante Domino, tantæ continentiæ frænos ſibi impoſuit, ut non jam majus exigeret, quam quod ſingulari buccella lactis aleretur puerulus.

a Natus Nogenti.

& abſtinentiam colit.

2 Cum jam ſolutæ pecudes in paſcua ſua degerent, & herbarum pecora victualia depaſcerent; quidam (ut aiunt) fur in agello vicino, nomine *b* Honorius, matris ſuæ vitulum ſolicitat ad furandum. Tunc ille anxius quid ageret; veluti fera terribilis exiliit, collum vituli ſtrinxit brachiis, & os ejus velocius effrænavit, ut non audiretur mugitus vituli: ligatum ferro animal, quin & verberibus coarctatum, ſecernit à matre ejus, & ad ſuam domum ubi latebat collocavit. Illico apprehenſa ſecuri, dextra flexa in capite; voluit interficere, cogitans miſerrimus quod ſibi non poſſet eripi: cui poſt tergum Angelica manus retinuit manubrium. Nihil profuit virium augmentum, cum nequaquam ulla vi poterat ei facere detrimentum. Sæpius per triduum functus eſt hoc officio faciinoroſus latro, ac demum arreptus eſt à dæmonio. Vox humana mutata eſt in pecudis vocem, pariterque currebant, ſed mugitus ejus ad aſtra penetrabant. Vitulus exeſis & diſſipatis nexibus, ad matrem feſtinavit illæſus; & prædo diris conſtipatus ardoribus, ad Sacerdotem properavit cruentus: & cum prope cellulam ſancti viri aſſiſteret, caput exagitans crebrius, informes perſonabat balatus. Audiens hæc vir beatiſſimus Winebaudus, oſtium cellulæ patefecit, ſignumque Crucis ori ejus impoſuit; complexaque cervice perſtringens ulnas, ori inſufflat, & ex mugitu vox tranquilla regreſſa eſt. Ad quem vir exorabilis ait: Mitiga-

b *fur abducit ſibi vitulum*

E

nequit occidere

ab Angelo impeditus:

à dæmone arreptus, mugitum edit:

à S. Winebaudo,

emendatior dimittitur.

F

tione redarguo te; ut nequaquam ulterius audacter noxius ulli exiſtas; ſin autem non vis, & hic & in futuro gravia pœnæ ſupplicia ſuſtinebis atque tormenta. Quæ tua ſunt, tibi juſta ſufficiant: abutere illis, ſi vis opes tuas vitali beneficio curſimque agere; caſtigatumque ac mitigatum, illum ad propria abire permiſit.

3 Audiens beatiſſimus vir *c* Gallomagnus, Tricaſſinæ urbis Epiſcopus, famam B. Winebaudi, quæ perſpicue divulgabatur in populo, illico cum feſtinatione reverentiſſimum Lectorem ad virum venerabilem direxit; quem tertianæ typus incommodis graviſſimis perurgebat. Vir ſanctus Winebaudus pertimeſcens intrinſecus, & cogitans ne magnitudo Pontificis ſe non ad propria reverti permitteret, ait: Frater mi, non audeo renuere juſſionem Pontificalem, ſi ſanctitas ſua permitteret me ſervum ſuum ad propriam *d* cellulam remeare. Denique fidentiſſimo merito ad eum pervenit, cui non incognitum erat S. Lupi exorando detinere ſuffragium: & cum vis ardoris ac frigoris repentina infeſtatione artus Lectoris ſæpius exagitaret, inde flexo poplite ad orationem humo ſe proſternens, excellentis fidei virtute emicuit, & ſaluberrimam adeptus eſt medicinam. Quem Pontifex cum virtute S. Winebaudi vi febrium ereptum eſſe viceret, ait ad venerabilem vi-

c *ipſe evocatus ad Epiſcopū Trecenſem.*

d

lectorem ejus febri liberat.

EX CAMUSATO.

rum: Si permittit almitas tua, tibi loqui non desinam. Necesse nobis est, vir sancte, ut civitatem istam non deseras, & pro ovibus propriis orare disponas. At vir beatissimus ait ad eum: S. Pauli monita non audeo renuere, quibus ait; Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Petiit vir sanctus Pontifex, ut ad basilicam *e* S. Lupi, ad serviendum sanctimoniæ suæ continuis orationibus, dignaretur promoveri.

Rom. 13, 2

e

f

4 Eodem itaque *f* tempore Audericus jam dictæ basilicæ Abbas decessit: post cujus decessum sacra Fratrum laus omnium voce una conclamat ad prædictum virum Apostolicum, ut venerabilem Winebaudum, quem in Levitici vel Sacerdotalis honoris gradum benedictione sacra summo apice sublimaverat, suis obtutibus mererentur adipisci Abbatem. Videns hæc beatus Pontifex, quod nutu Dei una in populo voluntas proclamaret; ait omnibus qui in amore ipsius unanimiter persistebant: O sacratissimi viri, hunc Winebaudum quem acclamatis, superni Arbitri nutu & voluntate utriusque sexus, acquiescimus & ordinamus vobis Abbatem. Ordinatione accepta, hæc Abbas ait Fratribus: Consolamini & nolite timere: caritas in vobis inconcussa permaneat, ut perfectio non indigeat famulatu. Beatus igitur vir, electus à Deo, jugibus orationibus & jejuniis placita bonitate indesinenter vacabat.

Abbas ordinatur:

B

avide jejunans

5 Operæpretium est ejus enarrare virtutes, quia in eo tanta parcitas fuit, ut quadragenario numero dierum jejunium usque ad somnum custodiret, & cervicem subditam jugo imposuit, ut in recusione cellulæ fatigata omnino membra humo prosterneret: nam per totam hebdomadam edulium sibi uberius non exhibuit quam tres panes modicos, quos non amplius nisi tribus pugillis farinæ per singulos dies dispertiret, ut per repetitum numerum Trinitatem sanctam indicaret. Et cum beatissimus Winebaudus Abbas in natalitiis Sanctorum à cellula egrederetur, vultu hilari & claro eloquio Fratres corroborabat. Hi autem admirabantur & metuebant eum per omnia, quod tot diebus tantam inediam sustineret, ut dimidium panem ad esum haberet, & integræ partes reliquæ [manebant], quas edacitas non consumpserat. Parsimoniæ laus in melius cum palma triumphi & fama crescebat in plebem: quia Deus misericors etiam athletæ suo vitalem alimoniam ministrabat. Majus robur increvit in eum per abstinentiam, quam si dapibus copiosis sæpius satiata alvus repleretur: sed vir sanctissimus, sapientia pervigil, lenitate placabilis, dictum Euangelii non præteriit, & serpentis astutiam tenuit: quia & caput suum, quod est Christus, custodivit, ut prudenter devitaret insidias diaboli; & simplicitatem columbæ tenuit, ut mira humilitate in hoc seculo mala non perpetraret. Semper inimicus atrociissimus, ad decipiendas animas innocentum, uti serpens aditum requirit, ut eas percutiat decipula, qua Evam seduxit & socium.

& dure cubans

robusta manet valetudine.

C

prudens & simplex,

g

6 Mulier quædam de villa *g* Arceacensi, cum sacro die Dominico compater suus ad eam visitandam veniisset, qui filium suum spiritaliter ex lavacro sacro regeneraverat: obnixius eum ipsa & vir suus deprecati sunt, ut suam domum ingrederetur; cui cursim præparantes sedilia, sederunt pariter. Sed cum seminam garrulam, scintilla propriæ avaritiæ inflammasset, præsumptiva anticipavit viri sui colloquium, ut quæ mente conceperat, ore nefanda proferret. Indissolubili (ait) fidei vinculo me apud te constringo, si haberem siceram aut falernum, poculum tibi traderem; quæ tamen lagunculas plenas in conclavi suo recluserat. Ille fide plenus credidit: & remeavit. Statim falsiloquax nutu Dei, serpentino percussa

Mulierem sordide avaram

est jaculo. Igitur cum sacro jam dicto die post hæc filii sui caput ablueret ac comeret, manu constricta cohæserunt articuli, & mordicus palmam foravit, ita ut extrema ejus *h* dentium summitas appareret: [quia] cui tota hebdomadâ non suffecerat, diem almum incauta polluit. Et cum jam mortem subitaneam ante oculos prævideret, voce magna cum ejulatu exclamavit: Væ mihi! quis subveniet ad auxilium meum, cum Dei judicio condemnata appareo? Dehinc percussa mœstitia, reminiscens de virtutibus sancti viri Winebaudi, quod fama ejus peragraret provincias, reverentissime cum summa festinatione ad eum veniens, quasi ad proprium medicum adjutorium postulabat. Cum autem promptissime se beatissimus Abbas ad orationem prostravisset, & limina S. Lupi propriis oscularetur labiis, & lacrymæ ex oculis ejus profluerent; miseratio divina ab eo longinqua non fuit: cui ad serviendum jugiter, præsens esse non destitit. Oratione peracta, apprehensa manu mulieris, ei signaculum Crucis impositit, & digitos (qui in carne connexi erant, ac veluti sudes) sigillatim movens, & convulsos à manu, in usus pristinos revocans, sanissimam ad suum diversorium remisit.

D

h

graviterque punitam

precibus & signo Crucis sanat,

E

i

uti & paralyticam.

7 Nommulla nomine, femina de villa Prisciacensi *i*, paralysis infirmitate detenta septennio, usu unius manus fuerat damnata, nullius rei efficax. Tanta immobilitas artubus erat, quod quasi lignum aridum membra omnia flectere non poterat. Inspiratione divina, mira mulieri vicini loci ostensa est visio, placida & benigna; quasi cerneret sanctum Abbatem ingredientem ad eam, & suis sacris manibus membra debilia palpantem, & vigorem pristinum in nomine Redemptoris (effugata debilitate) suis artubus restituentem. Revelatione comperta, parentalis amor & vir ejus continuo allevaverunt eam, onerantes vehiculum, & usque ad Sancti pedes, paralytica deposita, properarunt. Precamur, inquiunt, Domine, ut audias. Jam dudum spiritaliter prævidisti ægrotam; nunc præsens est, adjuva. Mox beatissimus Abbas prostravit se ad orationem, & cum gemitu & lacrymis ait: Domine Deus, qui verus & unus es, dignare hanc debilem & morbidam videre, & ab ea mortem peccatorum depelle. Statim insignis manus, sacræ Crucis capiti signaculum imposuit, oleoque benedicto membratim perlinivit. Commotis doloribus, in robore pristino reparata est: & quæ in plaustro venerat, sanitate recepta remeavit in gloria.

F

Pro redemptione S. Lupi

k

l

8 Post hanc rem gestâ, Domini Clotharii Regis (nescio quo casu) B. *k* Lupus Senonicæ civitatis Episcopus dignoscitur incurrisse calumniam, & extra ritû canonicæ sententiæ adeptus exiliû. Pro cujus rei causa, *l* Archidiaconus suus ad venerandissimum Abbatẽ pervenit, genibusque innixus est, ut prædictum Regẽ suggerendum sanctitas sua non renueret deprecari, ut non amplius Pastoris præsidio sacrosancta Ecclesia destituta consisteret, nec extorris haberetur nec extraneus. Quamobrem nec fit roganti dilatio, ubi misericordia voces prævenit supplicantis. Cœpto itinere cum divina gratia aggreditur viam propere. Cum vir sanctus ad oppidum Rothomagense eminus appropinquaret, & jam phœbus curriculum, die peracta, ad vesperam declinaret; ait ad comites suos, Figite, fratres, tentoriolum nostrum, quoniam confecti sumus ab itinere: & cum se beatissimus ad quiescendum parumper prostrasset, divina admonitio ægrotis subvenit. Vulgatum est de adventu ipsius, quod in loco vicino Sancti mansio haberetur. Gavisæ sunt interim mulierculæ cujusdam parentes, & concurrentes ad eam quæ lumine privata erat, apprehensam illam manu propria [illu]cos,

abiens ad Chlotharium Regem.

cæcam illu[mi]nat.

tes, perduxerunt ad Chriſti inclytum militem, & aiunt ad eum: Domine, noſtram prolem reſpice. Inſpiciens beatiſſimus ſervus Domini, mulierem caſu tali eſſe damnatam, benedictionem capiti vel oculis ſanctæque Crucis ſignaculum impoſuit. Confeſtim amotis tenebris clareſcunt lumina: & quæ extraneo officio ad eum perducta fuerat, recepit integrum viſum, & pedibus ſuis abſque dubio ad propria remeavit.

A

9 Necdum puella de loco abierat, & ecce homunculus quidam, jam dictæ civitatis indigena, inſtigante parte adverſa rabidus, turbidus & deſperabilis, velut multorum canum latrantium vocibus raucitans dentibuſque contendens, mordiciis & labiis quæcumque conſequi potuiſſet truculentis dentibus lacerabat, etiam inſontes: quem ingens turba hominum vix oppreſſerunt, ligantes ejus manus ligaminibus, & circunſeptus latera vinculis, quaſi taurus ferociſſimus ad ſervum Dei pertrahitur. Adſumus, dicunt, ante vos, Domine clemens; devios ab itinere detraxit, quod famuli tui vix huc trahere eum coram te potuimus. Imploramus, Domine, coërce & da requiem rabido. Quos ille cernens, miſero condoluit: elevatiſque in cælum oculis, in ſublime utraſque erigens palmas, oravit. Illico [autem ut] apprehenſa cæſarie in occipiti capitis, cervicemque rigidam amplexu confovens, vexillum Crucis ori impoſuit; ſoſpes ille effectus eſt, & nequaquam noxius illis ulterius apparuit, ſed incolumis ad genitalem regreſſus eſt locum.

& rabidum ſanat.

B

10 Tunc beatiſſimus pervenit ad Regem in villam nomine Alentum, non longe ab oppido Rothomagenſi. Qui cum eum vidiſſet, gavisus eſt, & quaſi Angelum Domini ac uti munus cæleſte excepit. Petiit igitur vir Dei Winebaudus, ſecundum precem Archidiaconi, ut reos qui à Ducibus vel Comitibus ſuis in lacunis aut in carceribus tenebantur, Celſitas ſua ſine ulla dilatione, pro religione Sanctorum vel pro ſtabilitate regia, dignaretur abſolvere. Proinde *m* quod petiit habuit obtentum: abſolutis captivis cum B. Lupo Pontifice Senonicorum.

impetrat à Rege captivorum & S. Lupi liberationem:

m

n

11 Vale dicto, iter repetit, Pariſius *n* civitatem advenit, & duos tantum Presbyteros & unũ Diaconum ſecum retinens; in ante expectandus, ceteros abire permiſit. Poſthæc, ait Fratribus qui ſecum remanſerunt, Oremus; & non faciamus moram, ſed ſecretius gradiamur viam noſtram: & cum prius eccleſias Sanctorum venerabiliter circuiſſet, fons & origo miſericordiæ Deus ei pietatis intuitu intimavit, ut carcerali in loco damnatis, cuſtodiæ nexibus exutis, miſericordiæ jubar impartiret. Qua de re accitum Presbyterum comitem viæ, cum allocutus eſt dicens; Accelera, ne moreris: inquire diligenter ſi cuſtos carceris adeſt. Qui pergens velocius, fores propulſans, obſeratas reperit, & agnita renuntiavit dicens: Olim, Domine, adventum tuum divina annuntiatio pleriſque locis manifeſte prænuntiavit: milites quidem qui cuſtodiebant fugerunt, & omnia clauſtra vinculatorum obſerata tenentur ſilentio. Tunc Sanctus ait: Silete, cariſſimi, orandi locus advenit. Et cum oraſſet, poſt paululum carcer ille corruit, & intrinſecus damnatorum neminem eliſit, imo & membra eorum omnia à compedibus & repagulis omnibus divino myſterio relaxata ſunt. Poſt hæc dixit ad conſodales ſuos, eamus jam, quia nobis Deus patefecit oſtia ergaſtuli. Et cum iiſſent pariter, ingreſſi ſunt ad illos qui incarcerati erant inter ſaxa: & vix quemquam de ruina manibus ſuis eruere potuerunt, quia ſemineces præ fame & ſiti membris omnibus titubabant, & greſſum regere non poterant. Exinde dedit eis vir ſanctus panem & potum, & refocillato ſpiritu & animo, manu ſua per ſingulos capita abluit, & cæſariem capillorum qui per tempus increverant totundit, & dato pretio veſtimenta mercatus, ſordes pannoſque quibus erant amicti jubens rejicere, novis veſtibus omnes reinduit, dicens; Videte, filioli mei; abſolutionem divinam meruiſtis, ſine metu redite ad propria.

C

revertens oratione oſtia carceris aperit.

ex ejuſdemq; corruentis ruina,

educit captivos,

EX CAMUSATO.

12 Reverſo ſuo Pontifici & ſancto viro Winebaudo & ingredientibus *o* Senonicam civitatem, plebs exultans obviam progreditur cum hymnis & canticis. Poſt hæc procedente tempore, die *p* quadam, dum S. Lupus in urbe Senonica ad prandium ſederet, per Spiritum ſanctum agnovit, quod vir Domini Winebaudus eccleſiam S. Stephani introiſſet: tunc relicto prandio, alacer obviam pergit nemine nuntiante, & S. Winebaudum inter eccleſiam S. Mariæ & S. Stephani euntem invenit, atque oratione in prædicta eccleſia completa, datoque pacis oſculo, ad propriũm perduxit convivium.

o

p

à S. Lupo ad convivium pertrahitur:

13 Sæpius catervatim ad cellulam beati viri Winebaudi confluebant infirmi, deprecantes obnixius, ut vel tactu membra eorum attrectaret, & ærumnoſas ſarcinas ab eis deponeret. Sed Deus verus medicus, non dereliquit fidelem amicum diutius orantem: continuo namque, ubi manus Sancti tangebat infirmantes, vigore priſtino reintegrato, auxiliante Domino, incolumes ad propria domicilia revertebantur. O virum clariſſimum, cujus benignitas baculum ſuum portantes, à paſſionibus & febribus liberavit! Dum eſſet adhuc in corpore conſtitutus, multi à dæmonibus correpti, variis vocibus clamitabant ſe ejus torqueri virtutibus, & cum per ſingulos diſtrictionem verbi propenſius ingereret, per vexillum ſigni ſanctæ Crucis effugata dæmonia poſſeſſos, tamquam vaſa nitida, relinquebant: nam beatiſſimus athleta atque ſervus Domini, per obteſtationem divinam præcipiebat, ut mirabiliter effugati maligni ſpiritus illuc pergerent, ubi flammigera ſuſtinerent tormenta.

sanat varios ægros E

& energumenos:

O quam pretioſum virum! in quo nullus ſtetit dolus, qui numquam libidinoſe carnalem commiſcuit thorum, ut caſtitate cuſtodita in eo virginitatis integritas permaneret. Tantam etiam in ſe miſericordiam habuit, ut indigentibus indeſinenter eleemoſynæ largiretur alimentum. O Sacerdotem præoptimum, jejuniis caſtigatum, orationibus devotum, templum Domini, habitaculum Spiritus ſancti! Ad tempus ergo illud accedamus, in quo tranſmigravit ad Dominum. Tranſlatus eſt in ſupernam Hieruſalem, Juſtis exultantibus ſe tantæ fidei plenum excepiſſe collegam. Promeruit amicus Dei ut in terra edituş, gloriam cælorum poſſideret per virtutem quam non habuit per naturam. Obiit vir ſanctus octavo Idus Aprilis. Mundum vicit, ſpiritum emittens ad cœlum: vitæ terminum non depoſuit, ſed mutavit. Oremus ut per interceſſionem ipſius ſuper nos Dominus vultum ſuum dignetur illuminare, quo per verbum verum poſſimus arctam viam currere. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

excellit caſtitate & aliis virtutibus:

F

moritur 6 Aprilis.

ANNOTATA.

a Nogentum *oppidum, duodecim circiter leucis Trecis diſitum prope Sequanam fluvium, verſus Pariſios.*

b *Vereor ut recte ſcriptum ſit nomen, quod ipſius agri eſſe potius crediderim quam furis indigni nominari.*

c De Gallomagno *Epiſcopo actum eſt 2 Aprilis in Vita S. Nicetii cap. 3 ubi littera* b *in Notis, obſervavimus eum interfuiſſe Concilio Pariſienſi an. 572 aut ſeq. & Matiſconenſi anno* 581.

d S. Wi-

A d S. Winebaudum, antequam ad Archimandritæ illius ſacræ domus Lupinæ extramuranæ honoris amplitudinem eveheretur, in eremo anachoreticam vitam in quodam Tricaſſinæ diœceſis loco, ſeptem leucis ab urbe diſſito, duxiſſe, ex firma traditione perſuaſiſſimum habetur, in quo ut canit ille:

Fons eſt illimis vitreiſque argenteus undis.

Ita Camuzatus. De hoc fonte miraculis claro ſupra egimus,

e *Hic eſt* S. Lupus *Epiſcopus Trecenſis, mortuus* 29 *Iulij anno* 479. *Ejus autem baſilicam cum cœnobio tunc temporis extra urbis mœnia fuiſſe, jam vero quia civitas Tricaſſina hac parte dilatata eſt & longius producta, murorum ambitu cinctam, præ ſe ferre S. Martini titulum, tradit Camuzatus.*

f *Deſ-Guerrois* Auderici *obitum & ſucceſſionem S. Winebaudi refert ad annum circiter* 580, *le Cointe in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum rejicit in annum* 583.

g Arceia, *ſive* Arceiæ, *antiqua urbs ad Albam, ſive Albulam fluvium,* 8 *leucis Trecis, memorata in Itinerario Antonini, & in Vita S. Balſemii,* 16 *Auguſti illuſtranda; unde* Arciacenſis Campania, *ſicut* Catalaunenſis Campania *dicitur.*

h *Fortaſſe* digitorum, *ut ſignificetur, extremas ungues trans manum perforatam apparuiſſe.*

B i *Des-Guerrois appellat Gallice* Precy.

k *In Vita S. Lupi Epiſcopi Senonenſis, dicitur cauſa exilii, ira & furor* Farulfi, *à Chlothario Rege (poſtquam Burgundiæ regnum obtinuerat, defuncto Theoderico Rege, ejuſque filiis anno* 613 *occiſis) in Burgundiam directi; & iniquitas* Medegeſili, *qui in S. Remigii ſuburbio monaſterium regens, ſancti Epiſcopi locum occupare conabatur, & ideo à civibus Senonenſibus occiſus eſt.*

l *Hæc ita in eadem Vita narrantur:* Ea tempeſtate in Tricaſſina civitate florebat S. Winebaudus, in D baſilica antiqui Præſulis Lupi, apud eamdem urbem quieſcentis, Abbatis fungens miniſterio, ſanctitate mirabili. Porro Senonicæ Eccleſiæ Archidiaconus Rognegiſilus, populi precibus, imo vero Chriſti amore incitatus, à S. Winibaudo precibus contendit, ut à Rege Chlothario peteret, S. Lupo ut liceret ab exilio revocari atque Sedem reverti ſuam, ne plebs Paſtore orbata, luporum faucibus expoſita videretur. Fecit Winibaudus ut rogatus erat.

m *Eadem* S. *Lupi Vita:* Rex ejus precibus flectitur, mutat odium in benevolentiam, mittit à latere ſuo virum Dei Winebaudum, qui ſanctum Epiſcopum reducat. Ubi in mutuos venere conſpectus Lupus & Winebaudus, præ gaudio pariter fleverunt. Winebaudus doluit ea ſancti Antiſtitis calamitate: eumque dolorem inter mutua colloquia teſtabatur... Deinde ſimul ſe dant itineri, & B. Winebaudus ſanctiſſimum Præſulem lætus Regis obtutibus præſentat. Lætatur Rex & Proceres omnes gratulantur tanti Antiſtitis præſentia.

n *Eadem vita:* Porro autem inclyti Sacerdotes Lupus & Winebaudus, Regi & proceribus ejus valedicentes, ſanctitatis inter ſe conjuncti nexibus, E Lutetiam pertranſeunt: & ecce multa reorum turba vinculis conſtricta, aut carceribus incluſa, eorum virtute ſolvitur, eiſque obviam progreditur.

o *Eadem Vita:* Obviam deinde beatis viris Lupo & Winebaudo plebs Senonica egreditur cum hymnis & canticis, permultis præ gaudio flentibus.

p *Eadem plane narrantur in dicta Vita* S. *Lupi.*

DE B. NOTKERO BALBVLO.

D. P.

MONACHO SANGALLENSI IN HELVETIA.

ANNO DCCCCXII. *S. Columbani diſcipulus* S. *Gallus,*

LVxovienſis monaſterii diſciplinæque exinde propagatæ auctor inſtitutorque ſanctiſſimus Columbanus, cujus diem feſtum Eccleſia XXI Novembris recolit, impiæ Brunichildis furori cedens, inter alios viæ & exilii comites, Sanctos Gallum Deicolumque aſcivit; quibus in itinere coactis ſubſiſtere magiſtrumque dimittere, ob infirmitates Dei providentia immiſſas; ab eorum quidem altero Lutrenſe cœnobium in Burgundia, ſicut XVIII Ianuarii dictum meminimus, accepit exordium; ab altero nomen retinet nobiliſſimum nunc in Helvetia monaſterium, à Sancto, inquam Gallo, circa annum DCXXVI ibidem tumulato & miraculis clareſcente. *Quæ fuerit ibi primis iſtis initiis ſervata Regula nihil attinet quærere, nam tenuiſſe diſcipulos & poſteris ſervanda tradidiſſe ſui magiſtri inſtituta, debet haberi certiſſimum: hæc autem (ut ipſa inſpicienti planum fiet) erant à Benedictinis conſtitutionibus diverſiſſima. Quæri ſolummodo poſſet quamdiu ea ſola fuerint ſervata à S. Columbani ſectatoribus: & de Lutrenſibus quidem difficilius id poterit definiri, cum ex S. Deicoli Vita dumtaxat habeamus, iniquos deſolati jam loci poſſeſſores, Hugonem Comitem filioſque ultione divina perterritos, poſt annum DCCCCXI voviſſe, quod* Beatiſſimi Benedicti Regulæ, tonſura, habitu, profeſſione obedientialiter ſe ſubderent, & ejuſdem loci ſtabilitatem fine tenus cuſtodirent. *De S. Galli Cella determinatius conſtat, ex ipſis ejus Actis à VValafrido Strabone fideliter deſcriptis,* S. *Othmarum, primum Abbatem eo loco eſſe inſtitutum à Carolo Martello,* ut regularem inibi vitam inſtituere ſtuderet; *& à Martelli filio Pipino,* libellum, quem Benedictus Pater de cœnobitarum converſatione compoſuerat, *accepiſſe, atque* ex illo tempore monaſticæ vitæ in cœnobio S. Galli exordium *deſignari.*

magiſtri inſtituta tenuit:

ad ejus cellæ fundatur poſtea monaſterium,

2 *Quantis ea ibi profecerit incrementis, ex hac, quam daturi ſumus, S. Notkeri Balbuli vita egregie eluceſcet. Quia tamen diſcreta Abbatum indulgentia ſanctis illis aſcetis, propter ſummam loci inopiam & carentiam piſcium, præter Regulæ præſcriptum aliquid relaxarat circa eſum carnium & paucularum rerum proprietatem, ingens quædam adverſus eos commota tempeſtas eſt, ſub* Otthone Magno, *Regulæ conſtituendæ prætextu. Sed miſſis ad inſpiciendum Epiſcopis totidemque Abbatibus è regno primariis, manifeſte patuit, id quod aliqui eorum antequam irent Imperatori teſtati fuerant,* magis Regulares in Regno monachos non haberi. *Itaque illi quidem, ut juſſi erant,* mira caritatis diſcretione *uſi, optime conſolatos,* & in Regulam S. Benedicti ſtabilitos ut volebant, reliquerunt; *Imperatori autem retulerunt,* quod omne habere eorum ſolicite ſcrutati, apud neminem illorum ullius boni copiam præter caritatis & humilitatis inveniſſent: *ſolam loci paupertatem obeſſe, quominus* in vino & ceteris Regulæ ſumptibus *præſcripta monachis præberentur ſolatia. Cumque nihilominus Kebonem Laurishamenſem Abbatem eodem redire juſſiſſet Imperator,* ut Benedicti viam diſcretione, qua noſſet, coram Galli pullis ingrederetur, moreque ſuo eos doceret vivere; *eoque non contentus, etiam Sandratum Colonienſem monachum aliquanto poſt tempore recipi ab eis juſſiſſet, ut diſciplinæ formandæ magiſtrum; hic, quia ibi nihil quod argueret inveniebat, non erubuit eis vitio vertere, quod* glorioſa vocum exaltatione quotidie Dominicam, in eccleſia; in refectorio vero Feriam ſextam ſemper agerent, *jejuniorum rigore &* vini parcimonia. *Igitur cum hic præ verecundia culparum, contra ipſam quam ſtabilire venerat Regulam commiſſarum, fugam tandem iniiſſet;* Ottho *moleſtiarum pœnitens, quas prætextu Regulæ innoxiis attulerat, ſua ipſos viſitatione ſolatus eſt, & admirabilem in cunctis diſciplinæ rigorem admiratus, quando medius eorum*

quod veluti minus regulare ſub Othone I accuſatum

invenitur optimam ſervare diſciplinam.

in

A *in eccleſia conſiſtens omneſque circumſpiciens, baculum è manibus ſibi elabi experimenti cauſa permiſit, & nemini monachorum caput aut oculos ad hoc motos vidit.*

3 *Deſcribuntur hæc fuſè ab Ekkehardo monacho Sangallenſi, in libro de caſibus monaſterii ultra annum* DCCCCLXXXII *perducto; itáque deſcribuntur, ut niſi Walafridus Augienſis Abbas, rogatu Gozperti Sangallenſis Abbatis & monachorum ejus, S. Galli vitam ſcribens ſub annum* DCCCXXX, *tam expreſſe docuiſſet, quod* poſt glorioſam B. Galli depoſitionem, à temporibus ſcilicet Dagoberti uſq; ad Carolum Martellum, quotidianas excubias apud ſacri corporis reliquias adminiſtrarint religioſi quidam Clerici, vel diſcipulatus ejus memoria vel divino amore ſuccenſi, *abſque ulla ſcilicet cœnobiticæ vitæ forma; quodque S. Othmaro, ad eamdem ibi conſtituendam aſſumpto, datus fuerit libellus S. Benedicti Regulam continens; niſi inquam hæc ex ipſorum Sangallenſium ſcriptis Walafridus ita clare teſtaretur, omnino ſuſpicaremur locum illum jam inde à S. Galli morte uſque ad Otthonum tempora, numquam interrupto diſciplinæ ordine, fuiſſe gubernatum ſecundum S. Columbani Regulam cui ut Benedictina ſuperinduceretur, tunc primum tanto ſtrepitu ac molimine ſit agitatum. Nunc vero nihil eſt quare S. Othmarum & ſecutos in Sangallenſi monaſterio Sanctos, ac nominatim hunc, de quo acturi ſumus, Notkerum Balbulum, Benedictinis aliquis cunctetur adſcribere.*

& S. Benedicti Regulã cum primo ſuo Abbate accepiſſe.

B

4 *Receptus hic admodum puer in monaſterium illud eſt ſub Grimaldo Abbate, poſt annum* DCCCXLI, *& primum Yſonis, deinde Marcelli Hiberni diſciplina commiſſus, huic in magiſterio ſchola clauſtralis ſucceſit; ſicut ſocius ejus individuus Ratpertus in regimine canonica, id eſt clericalis juventutis, extra clauſtrum, ſucceſſerat Yſoni ſub annum* DCCCLXXI *morienti. Hoc tempore vel paulo poſt compoſuit idem B. Notkerus illud Martyrologium, quod ſub ejus nomine ex MSS. S. Galli vulgavit Henricus Caniſius Antiquarum lectionum tom. 6, quemadmodum ipſe manifeſte indicat ad* X *Kalendas Iunij, de S. Deſiderio Epiſcopo Viennenſi ſcribens in hunc modum:* De quo, *ſcilicet Deſiderio,* quia Venerabilis Pater Ado, ejuſdem eccleſiæ noſtra ætate Pontifex, ut pote in præſentia poſito & ob id ſuis in cunctis notiſſimo, aliquid ſpeciale dicere ſuperfluum exiſtimavit in ſuo ſcilicet Martyrologio; nos juxta ſcriptum, quod idem Apoſtolicus vir anno ab Incarnatione Domini DCCCLXX Indictione III ... cum Reliquiis ipſius Sancti Martyris Deſiderii, & aliorũ Sanctorum pignoribus atque agonibus, nobis in cœnobio B. Galli conſtitutis direxit, pauca de eo ſummatim attingentes, earumdem rerum ignaris inſinuare curavimus. *Vſus autem imprimis Notkerus eſt Martyrologio Adonis; quod videtur partim contrahendum ſumpſiſſe, partim ſupplendum, tum ex antiquioribus martyrologiis MSS. tum ex Rhabano & propriis quorumdam Sanctorum Actis.*

Ibi S. Notkerus ſub annum 870 florens

martyrologiũ ſcripſit:

C

5 *Porro quomodo Reliquiarum S. Deſiderii, ſuo tempore ad Sangallenſes delatarum, meminit Notkerus, ſic non omiſiſſet, ad* V *Kal. Sept. Martyrium S. Pelagii compendio recitans, meminiſſe corporis à ſuo Abbate & Epiſcopo Conſtantienſi Salomone Roma Conſtantiam allati ſub annum* DCCCCXVIII, *ſi tunc adhuc in vivis fuiſſet. Quare Hepidanni Annales, ab anno* DCCIX *ad* MLXII *ductos, poſſumus immo debemus intelligere de* Sancto Notkero (*ſic enim ipſum expreſſe indigetat Ekkehardus cap.* 16 *libri ſui, in ejus ut pridem mortui memoriam incidens*) *quando ibi legimus anno* DCCCCXII, Eodem anno Notkerus Magiſter obiit. *Etſi enim plures, de quibus mox, claruerint in eo monaſterio Notkeri, nullus tamen toto eo ſeculo decimo præter Balbulum innoteſcere meruit. Notkerus enim Phyſicus & Notkerus Abbas, hic nepos, ille avunculus, ſub Otthonibus floruere, & quo anno* Stella cometes tempore Autumni viſa eſt, *ſcilicet* DCCCCLXXXI, mox ſecuta eſt mors Abbatis Notkeri, *ante ſeptennium dumtaxat ordinati in flore ætatis*, & ejus quondam anteceſſoris Bur-

obiit an. 912.

poſtea ibidẽ floruerunt alii ejuſdem nominis,

chardi (*ut ſcribit Hepidannus*) & Notkeri medici, *ſenis decrepiti atque cæci. His vero multo etiam poſterior eſt is, quem Murerus cum Beati titulo refert,* Notkerus Labeo, *& die* XXVIII *Iulij anno* MXXII *obiiſſe ſcribit; Sed & in Hepidanni Chronico legitur, quod anno* MCCXXVIII, Notker noſtræ memoriæ hominum doctiſſimus & benigniſſimus, *aliique ibidem nominati,* morbo late ſæviente interierunt; *is fortaſis cujus in Ephemeridibus Sangallenſibus, anno* 1272 *conſcriptis, notatur obitus ad* XVIII *Kalendas Ianuarij, tamquam monachi Presbyterique: ſi tamen hic eſt ab illo Mureri Beato diverſus.*

AUCTORE D. P.

6 *Sancti autem Notkeri res geſtas, quales hic damus, verbotenus fere hiſtoriæ ſuæ inſeruit præcitatus Ekkehardus:* Junior *dictus, reſpectu alterius coævi & paulo ante eum in monaſterio Sangallenſi Decani: ſed qui reſpectu aliorum vita ſcripta haud minus celebrium, & utroque jam dicto Ekkehardo ſeniorum, Quartus cognominari potuiſſet. Primus enim ex iis quos novimus, & abſolute dicendus ſenior, idemque Decanus monaſterii, ſub Otthone primo floruit: ſecundus Ottonis II ſacellanus atque magiſter fuit: tertius, jam ante nominatus Decanus: quartus citatus ſcriptor, ſub Nortperto Abbate circa annum* MXL *conſtituto hiſtoriam texens de Caſibus monaſterii, proſequendo Ratperti cujuſdam opus à Salomone ad Immonem, id eſt, ad annum* DCCCCLXXII. *Poſt hos autem omnes, utrius & medii ſeculi intervallo, rurſum alius Ekkehardus, Decani titulo inſignis etiam ipſe extitit, qui tempore Innocentii II vixiſſe ſe teſtatur (ut infra num. 28 videbitur) & S. Notkeri Vitam ex præcitato libro & aliis nonnullis monumentis collegit: quæ utinam ipſa potius ſincera ad nos perveniſſent, quam Vita varie interpolata, qualis eſt à Goldaſto edita. Non fuit tamen admodum difficile ipſam repurgare ineptis quibuſdam gloſſematis, & laciniis ineptius alienis loco intruſis; itáque cavere ne lectorem turbaret hominis imperiti audacia, qui ubicumque* Caroli Imperatoris *nomen legit,* Magni *cognomen appinxit, & inter num. 48 ac 49 interjecit caput de primi Ottonis erga cœnobium S. Galli zelo, addens quomodo imperator illuc adveniens paulo ante mortem ſuam, requiſierit,* ubi eſſet & an adhuc viveret dulcis ſuus nepos Notkerus Balbulus, *quem grandævum & oculis caligantem oſculatus, apprehenſa comiter manu ipſe & filius Otto II in clauſtrum deduxerint: quæ omnia liber de caſibus monaſterii (unde ſunt deſcripta) de Notkero Phyſico, Albatis Notkeri avunculo, narrat: annis fere* LXX *poſt mortem S. Notkeri geſta.*

S. Notkeri *vita ſcripta ſeculo 13.*

interpolata deinde, non ſine confuſione

7 *Similiter etiam num. 7 inſerebatur de tribus Notkeris importuna digreſſio, Notkeros Phyſicum & Abbatem in unam conflans perſonam,* eoque poſito *tertium aſſignans,* qui cognominabatur Piperis granum, *propter ingenii acrimoniam: quod clare legitur in Ekkehardo cap.* 9; *ubi* Notkerus, quem pro ſeveritate diſciplinarum Piperis granum cognominabant, *aſſeritur fuiſſe* doctor, pictor, medicus, *ſub Cualone Abbate: adeoque non alius, quam qui paſſim* Phyſicus *indigetatur ſeu* Medicus. *Cunradus de Fabaria S. Othmari Presbyter, & quartum de caſibus monaſterii S. Galli librum contexens, atque in Conrado Abbate, cujus electioni anno* MCCXXVI *facta interfuerat, deſinens, Yſonis diſcipulos cap.* 3 *recenſens, à Notkero Balbulo, diſtinguit* Notkerum artis theoricæ magiſtrum, *ut dubites an intelligat Phyſicum, qui Yſonem vidiſſe numquam potuit. Denique Melchior Heimen feldius Goldaſtus, qui omnia Sangallenſia monumenta Francofurti vulgavit, ſuis annotationibus illuſtrata, ubique in Indice, Notkero Abbati dat cognomen* Labeonis. *Metzlerus apud Caniſium duos ſcriptis celebres Notkeros ponit; alterum Balbulum, qui fuerit auctor Martyrologii; alteram Phyſicum, qui anno* MXXXIII *mortuus ſit: quæ omnia ex dictis corruunt. Ceterum cum ipſi Sangallenſes, ſeculo* XIII *poſteriores, ita fuerint circa Notkeros hallucinati, ignoſcendum Trithemio, Fiſeno, aliiſque ſcriptoribus externis erit, quod Notgerum Epiſcopum Leodienſem, ab hoc noſtro Sancto non diſtinxerint, aut hunc eumdem ad Ottonum tempora retraxerint, à Vitæ interpolatore decepti: quos ſibi ipſis contradicere, in libro de Scriptoribus Latinis*

perſonarum & temporũ.

Quia plures Notkeros non ſatis quidã diſtinxere.

AUCTORE D. P.

bene animadvertit Voſsius. Nihilo minus erravere Arnoldus Wion & Arnoldum ſecutus Philippus Ferrarius, quando ad X *diem Aprilis Notkero Epiſcopo Leodienſi auxeruvt titulos, eumque abſolute & Sanctum nominarunt, & crediderunt* Abbatem *fuiſſe* Sangallenſem, *cum ad Epiſcopales inſulas aſſumeretur.* Vir Sanctus *dicitur ab Alberico, ejuſdem electionem ad annum* DCCCCLXXII *referente:* Sanctæ memoriæ *à Sauſſaio, Gallicanis Sanctis ipſum admiſcente: Fiſen, qui optime ſciebat eum pro Sancto non haberi, Vitam ſic refert per ſeptem capita deductam, ut omni religioſiori titulo abſtineat. Mortuus eſt autem Notkerus Epiſcopus anno* MVII, IX *Idus Aprilis. Aſt Notkerus Abbas* XVIII *Kalendas Ianuarij anno* DCCCCLXXIII, *poſt annorum quatuor Prelaturam; adeo ut Epiſcopi electionem mors Abbatis preceſſerit uno tantum anno.*

Scripta Sancto attributa.

8 *Servarunt diu Sangallenſes Pſalterium, Arnulpho imperante in linguam Alemannicam à Notkero tranſlatum,* tanta verborum difficultate, *inquit Ioachimus Vadianus lib. 2 de collegiis monaſteriiſque Germaniæ veteribus*, ut non niſi ab attento & immorante lectore accipi queat: tam dura enim & anhelans vetus illa Francorum & Alemannorum lingua fuit. *Specimen linguæ in oratione Dominica & Apoſtolico ſymbolo, poſt idem Pſalterium ſcripto, cognoſcere qui volet, jam nominatum auctorem legat apud Goldaſtum tom.* 3 *pag.* 47. *Pſalterii penes quem tunc erat jam dictum exemplum, Ekkehardi Iunioris manu ad uſum Imperatricis S. Scilicet Mathildis Maguntiæ ſcriptum: verum à Vadiano diſſentiens Goldaſtus tom.* 1 *pag.* 5 *Pſalterii interpretem facit, non Balbulum ſed Phyſicum. Balbulo certius videtur tribui poſſe Charta alimoniæ, per Wiliboldum quemdam terrulæ ſuæ traditione coemptæ ab Hartmuoto Abbate; quam* Notker, ad vicem Winidharti monachi, ſcripſit & ſubſcripſit, *notavitque annum* XXXIII *regni Ludovici Iunioris, numerando ſcilicet ab obitu Patris Ludovici Pii, id eſt ab anno* DCCCXL: *adeo ut annus vulgaris æræ* DCCCLXXIII *ibi notetur, quando dies* XVI *Kalendas Iunij in Dominicam cadebat, ut eadem habet ſubſignatio apud Goldaſtum tom.* 3 *pag.* 67. *Prædictus Vadianus extare etiam ait Vitam B. Galli, eodem auctore deſcriptam hexametris verſibus, duris quidem illis & incultis, ſed raris tamen illo ſeculo. Trithemius eidem tribuit librum de Muſica & ſymphonia unum; qui videtur num.* 14 *Vitæ indicari, velut ad Lampertum quemdam ſcriptus: proinde facilius ei in hoc conſentimus quam in libro de expoſitoribus ſacræ Scripturæ, & alio epiſtolarum ad diverſos, vix dubitantes quin illi ſint Notkeri alterius, & forte Leodienſis, de quo ſe acturum in titulo promiſerat Trithemius.*

B

C

imprimis Sequentiæ, quarū occaſione Beatus haberi cœpit ſub Innocentio 3

9 *Præcipuam laudem S. Notkerus Balbulus retulit à Sequentiario, de quo agitur cap.* 4 *Vitæ: cujus occaſione ibidem refertur ab Innocentio III Sanctorum honoribus dignus pronuntiatus, licet Sangallenſes eatenus de illo*, ſicut pro alio defuncto, *egiſſent: quod Cunradus de Fabaria, Vitæ auctori & Innocentio Papæ III coævus ſcriptor, ſic exponit:* Inquiſitus, *Vdalricus* VI *Abbas*, ab Apoſtolico, *ſcilicet Innocentio III*, de B. Notkero an magnæ penes Alamannos eſſet auctoritatis, dignum eum judicavit canonizatione catholica, reſponſo Abbatis audito. *Exiſtimo autem nihil quidem tunc Romæ motum fuiſſe, ſed ab hoc tempore inchoatam anniverſariam ejuſdem commemorationē, quæ in Ephemeride Sangallenſi anno* MCCLXXII *deſcripta, ſic notatur.* VIII Idus Aprilis obitus Notkeri, qui Sequentias compoſuit: in cujus anniverſario datur minor ſtoupus (*cereviſiariæ menſuræ genus eſt*) de Balnea-ſtupa retro muros & de aliis duabus domibus ſibi adjacentibus & hortis ſuperpoſitis, quæ pertinent ad eccleſiam S. Petri. *Hujus autem præbitionis auctorem eadem Ephemerides notant ad* V *Idus Decembris, ubi ſignatur* Obitus Hermanni monachi atque Presbyteri de Ottiburron & Zuozwillere, *& additur:* Iſte inſtituit Stoupum in anniverſario Notkeri, magiſtri Sequentiarum.

commemoratique obitus dies, 6 Apr.

10 *In Epitaphio quod poſt Vitam additur* Idibus A-prilis Octonis carne ſolutus, *dicitur Notkerus noſter Ferrarius tamen in Generali Catalogo, & ſecutus eum Hugo Menardus, ac deinde Bucelinus*, B. Notkeri depoſitionem *notant* VI Kalas Aprilis; *decepti, ut videtur, mendoſo Vitæ illius textu, ubi* VI Idus pro VI die Aprilis *ſcribitur: quo* VI *die Index Officiorum proprium monaſterii S. Galli notat feſtum* Notkeri Confeſſoris, duplex 2 claſſis: *ſed additur*, Celebratur in Dominica Jubilate. *Quare non poſſumus ſatis mirari errorem illum de* VI Idus Aprilis, *non modò inveniri in eo Hagiologio, quod Sangallenſis Germanice privatim legunt (ubi notatur* VIII *Aprilis*, hodiè dies eſt obitus Sancti Patris Notkeri) *ſed etiam in Lectionibus, quæ ſacræ Rituum Congregationi oblatæ ab eademq; approbatæ ſunt anno* 1608. *Probamus autem quod de canonizatione (quæ in dicto Hagiologio perperam tribuebatur Iulio* II) *clarius & verius loquantur Lectiones, quarum in* 2 *Nocturno ultima hoc modo terminatur.* Cum ſexcentis quaſi annis frequentibus fulgeret miraculis, Julij II Pontificis Maximi juſſu, Hugo Conſtantienſis eccleſiæ Antiſtes, anno Domini MDXIV, Leonis X anno II, Beatum declaravit. Ejus vero feſtivitatem anniverſario ritu, in monaſterio & ſubjectis eccleſiis omnibus celebrandam, Franciſcus Abbas ad Dominicam tertiam Paſchæ trajecit.

D

alii ſeperam id. legerunt.

ſub Leone 10 feſtum inſtitutum

E

præhabito proceſſu, quē damus. an. 1628 *facta tranſlatio.*

11 *Proceſſum à dicto Hugone ex Julij Pontificis mandato formatum, ſed ſub Leone dumtaxat abſolutum, & ipſius feſti celebratione actuali configuratum, poſt Vitam dabimus ex Goldaſto & Caniſio inter ſe collatis, qui ambo ex Sangallenſi autographo accepere. Addere potuiſſemus celebritatem anni* MDCXXVIII, *qua Idibus Octobris tranſlata ſunt corpora SS. Othmari atque Notkeri; cujus Tranſlationis hiſtoricam narrationem ad nos tranſmiſit R. D. Marcus Erber, Sangallenſis Decanus: ſed quoniam præcipuus honor S. Othmaro debetur, malumus eam differre uſque in* XVI *Novembris. Interim hic ex ſupplicatione Sangallenſium, oblata ſacræ Rituum Congregationi anno* MDCXXIV, *addimus, extare litteras, ab Hugone Conſtantienſi ad Clerum Sangallenſem ſcriptas, ſub anno Domini* MDXX, III *Aprilis, quibus teſtatur*, ſe auctoritate Apoſtolica B. Notkerum Catalogo Sanctorum adſcripſiſſe. *Cum vero auctoritas Notkerum canonizandi non potuerit à commiſsione Iulii* II *manaſſe (hic enim expreſſe caverat*, ne ex his quæ *circa decernendum Beati Notkeri feſtum idem Hugo* ordinaſſet, dictus Notkerus propterea Canonizatus aut alias approbatus cenſeretur, *idque rurſus Hugo in decreto deſuper condito monuit) ſuſpicari quis poſſet, poſt inſtitutionem feſti illius, aliquid ulterius actum & impetratum eſſe ab Apoſtolica Sede, vi cujus licuerit, colere Notkerum, tamquam Beatum approbatum ab Eccleſia univerſali. Aſt contra facit, quod dicatur in ſupplicatione prædicta*, non raro *quidem* accidiſſe, ut cum altaria nova in eccleſiis ac locis S. Galli monaſterio ſubjectis erigerentur, illa etiam in B. Notkeri honorem dedicarentur, nomen in Litaniis, Collectis & aliis precibus publicis atque ſolennibus adhiberetur: *nihilominus ratione clauſulæ, Iuliano indulto inſertæ, fuiſſe à pluribus dubitatum an iſta eſſent legitime facta & fieri deinceps poſſent. Reſpondit autem ſacra Rituum Congregatio licite facta & fieri poſſe*, ſtantibus quæ Julius Papa reſcripſit; *tantum abſtinerent monachi aut Clerici S. Galli extra ſuas ditiones ea facere, Miſſamque & Officium de B. Notkero alibi quam in ſuis celebrare. Ex quibus prior illa ſuſpicio corruit, & liquet, cultum B. Notkeri, inferiorem hactenus eſſe eo, qui Beatis pro tota Eccleſia approbatis defertur & præcitata Hugonis ad Sangallenſem Clerum verba, non eſſe nimis ſtricte accipienda.*

F

cultus adſolos Sangallenſes reſtrictus.

VITA

Auct. Ekkehardo Decano Sangallensi.

à Caniſio & Goldaſto edita ex MSS. monaſterii S. Galli.

PROLOGUS.

*al. ſubolet *Vitam* S. *Notkeri*

1 IN primis conqueror, quod maxime *ſubdolet, perfectos viros ac ſapientiſſimos, in cœnobio B. Galli degentes, multorum Patrum ſive Fratrum inibi commorantium laudabilia geſta non ſcripſiſſe: cum conſtet eos multa digna relatu feciſſe atque dixiſſe. Ideo multo mœrore affectus ſum, & miror valde quid cauſæ exſtiterit, quod *a* [ſic neglecti fuerint] tanti viri, quibus immeritus eſt mundus frui, quorum inſtitutione informatur Clerus, per quos omnium artifex Spiritus ſanctus voluit ornare Officium divinum, in quo jucundantur animæ juſtorum; quorum doctrina fulget & lætatur Eccleſia Dei, non ſolum per Alemanniam, verum etiam à mari uſque ad mare, & in univerſo mundo uſque ad terminos orbis, in hymnis & ſequentiis, in tropis & letaniis, in diverſis cantibus & melodiis pluribuſque eccleſiaſticis diſciplinis. Nam cum ſciamus *eos ſanctiſſimos atque doctiſſimos fuiſſe, & in Sanctorum numero aliquos ipſorum aſcitos; grave nobis & tædioſum eſt, nihil de eorum virtutibus ſcriptum reperiſſe. Sed nos eadem geſta, quamvis modica, quæ majores in ſcriptis nobis reliquerunt, de Notkero, cognomento Balbulo, viro doctrina ſophiæ tunc in tempore famoſiſſimo, meritorumque ſanctitate beatiſſimo, ejuſque ſodalibus, quæque invenimus in ſchedulis, in unum compilare ſtuduimus.

a

B

* *al.* eorum

ex antiquioribus

2 Licet enim huic operi longe impar ſim: laudabilis vitæ converſatio & ſapientia prænominati Notkeri Balbuli, valde hoc expoſcit, ut lucerna tam clara non ſub modio ſed ſuper candelabrum ponatur, ut luceat omnibus qui in mundo ſunt. Virtutes quoque ſancti viri ſuamque vitam digne ſcribere non tepentis animi officium eſt: cum ad hoc opus ſufficere non credam quamlibet ſapientiſſimum. Quidam vero in rationis inquiſitione aut in ornatu eloquentiæ laborantes ea, quæ ſimpliciter proferri poſſent & plane, audientibus vel legentibus faſtidium ſæpius præbent. Nos itaque nec Donati regulis ad plenum imbuti, vel grammatica Priſciani, minuſve dialecticis verſutiis exercitati, nec rhetoricis floribus philoſophicæ eloquentiæ exhilarati, non in ſublimitate ſermonis, ea quæ collegimus, vere fideli humilitate, dictante rationis juſtitia exequemur. Unum vero timendum & verendum mihi eſt, cum narrauero magnalia facta Sanctorum, ne dicat mihi Deus peccanti, Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Ego non de juſtitia præſumendo, ſed invocato ſancto viro Dei, ut meritis ipſius & precibus adjutorium per Spiritus ſancti gratiam mihi conferatur, ut inceptum opus devote perficiatur, quaſi ſibamen aliquod ad deguſtandum auribus & animo veſtro propono: ſi quid vero diſplicuerit; rogo ut emendetur & nobis concedatur.

C

Stylo ſimplici auctor ſuſcipit colligendam.

Pſ. 49, 16

ANNOTATA.

a *Quædam hinc inde deficientia hoc modo ſupplevimus, ut lectorem moleſtia levaremus: verba etiam quandoque ineptiſſime tranſpoſita rectiori ordine collocavimus.*

CAPUT I.

S. Notkeri inſtitutio monaſtica, ejuſque in adoleſcentia virtutes.

3 CHriſtus Dei virtus & Dei ſapientia, qui miſericorditer, ut nos à peccatis liberaret, formam carnis ſibi aſſumpſerat peccatricis, ſicut nos peccatores per diverſas vocat ætates, ita etiam propter diverſas meritorum virtutes juſtificat & ſalvat. Quoſdam enim adhuc in utero ſanctificat & replet Spiritu ſancto; quoſdam autem in lacte matris, licet virtutum qualitates non diſcernentes, ornatum pudicitiæ ſuperinduit; alios autem adhuc pueros, ut à laſcivitate quieſcant, continentiæ dote roborat; ipſos vero juvenes, maximam carnis adverſus ſpiritum pugnam quaſi nimis ferventes paſſos, in victoriæ corona triumphare donat; ſenes, jam quaſi ad mortem declinatos, ad pœnitentiam revocat; eos denique qui in decrepita ætate ſunt, variis affectos tribulationibus, tandem amore cœleſtis patriæ ad ſuperna ſuſpirare concedit. Has igitur virtutes licet partim & per diverſas ætates aliquibus det, multos tamen videre licet, quos [quia] Eccleſiæ ſuæ ſpeculum & formam propoſuit, omnibus his virtutibus decorat, ut eum de quo nobis ſermo eſt. De cujus virtutibus ea quæ virorum valde venerabilium veraci relatione didici, vel *a* ſcripta pro quantitate commentis comperi, ne amore loci aliquid fingere arguar, ſimpliciter humili caraxatione proſequamur; & ſingula ejus facta vel dicta ſanctarum Scripturarum auctoritatibus, eo Spiritu quo vir ſanctus abundabat corroborante, confirmantes, ad relationis noſtræ propoſitum redeamus.

S. Notkerus omnibus ornandus virtutibus.

E

a

4 Igitur beatus Notkerus de pago qui *b* Turgowe dicitur, oriundus fuit; & in vico qui Sacer pagus vocatur Latine, vulgariter vero appellatur *c* Heiligowe, à nobiliſſimis progenitoribus procreatus eſt. Nam de Carolorum genere & ſanguine & Saxonum antiquorum *d* erat parentum proſapia. Etymologiam vero ſui nominis per vices temporum adimplebat, cum Apoſtolo neceſſarie *e* deſiderans eſſe cum Chriſto multo melius. Sed tale nomen in tali loco non caſu arbitror accidiſſe, ſed Dei diſpoſitione, ſine cujus nutu nec pluviæ gutta in terram cadit. Filius enim Dei qui Bethlehem ubi naſceretur elegerat, Nazareth ubi nutriretur, Ieruſalem ubi pateretur; quique loca ipſa nominibus tantis ſacramentis convenientibus voluit nuncupari; ipſe etiam locum, quem tanti viri nativitate conſecraverat, tali vocabulo voluit appellari. Cujus præfati parentes, cum ſecularis vitæ nobilitate eleganter floridi pollerent, ab ipſo matris utero filium ſuum grammaticæ artis flagello ſubdere devoverant. Quia vero in Monaſterio Sancti Galli ſeptem liberalium artium ſtudium & regularis vitæ rigorem vel diſciplinam florere audierant (Spiritu ſancto eis tale deſiderium inſpirante, ut eundem locum virtutibus tanti viri ob meritum beati Patroni adornaret) monaſticæ eum vitæ ibidem ſubjicere propoſuerunt. *f* Quem etiam ſub Archimandrita nomine *g* Grimaldo, qui tunc loco huic præerat, Abbate *h* Canonico, admodum venerabili & ſanctitate honeſto viro, regulariter Domino & Patri Gallo cum oblatione deferentes, inibi ſacræ inſtitutionis, gratia [dimiſerunt: atque ita gratia] Spiritus ſancti præliburtis, coma capitis ſub ejuſdem Abbatis regimine depoſita, magiſtro Y ſoni, omnium artium eruditiſſimo & maxime divinarum Scripturarum peritiſſimo, imbuendus traditur.

F

b *nobili genere in Turgovia natus.*

c

d

e

à piis parentibus

in S. Galli cœnobio offertur.

f

g

h

& Yſoni magiſtro traditus

EX EKKEHARDO.

5 Litterali itaque diſciplinæ bonæ indolis puer appoſitus, tanto ingenio quæque docte didicit, ut facile agnoſceretur, non hoc humani ſtudii eſſe capacitatem, ſed divini Spiritus operationem: qui, ſicut in Regum libro legitur de David, *i* Spiritum ſanctum accipiens infantulus, per omne tempus vitæ ſuæ manſit cum eo, & in reliquum. Namque ut ejuſdem Paracliti gratiam in baptiſmate ſuſceperat, ita à puericia per omnes ætates in Dei timore * immaculatum ſe conſervans (præter ea ſine quibus homo eſſe non poteſt vivens) nunquam de ſecreto cordis ſui, ubi verum Dei templum eſſe debet, eam expulerat. Hic quaſi novus Daniel, adhuc puer, ſeniorum patrum diſcutiebat facta, ac tanta diſcretione penſabat, ut quicquid virtutis in eis videret conveniens ætati ſuæ, hoc in abſcondito mentis ſuæ depingens imitaturus reconderet; ſi quid autem vitioſum vel reprehenſibile ſenſerat, aut unde ſibi ſuſpicio naſci poſſet, ſtatim ad ſui ipſius reſpiceret miſeriam: & ſciens quia vix eſt homo qui non aliquando excedat, pro rigore magiſterii clauſtralis diſciplinæ, qui ſemper in eodem loco ob cuſtodiam ſanctæ regulæ puerili ætate maximus inerat, nolebat vel audebat arguere; ſed cito removebat à ſe; & longe de ſuæ recordationis intentione abjiciebat: erat enim ei in deſiderio magis cœlibem in terris ducere vitam, & fraternam caritatem conſervare ad omnes, quam oculo ſuſpicionis alere odium, nutrimentum detractionis.

i 1 Reg 19, 3

* *al.* immaculatus cõſervabat

egregie proficit, tam in doctrina

B

6 Sanctus vir Dei, cum de infantili ſimplicitate proceſſiſſet ad juventutis florem, animum tamen ſemper habebat firmum ad devotionẽ propoſiti boni, ſciens ſcriptũ, Adoleſcentia & voluptas vana ſunt: * & rurſus ſe convertens in illam ſententiam quæ dicit, Lætare juvenis in adoleſcentia tua, numquam eo ſe iocundiorem exhibebat, ſed amplius gravitatis exempla præbebat coævis. Amoris namque flamma ſic ardens, & quotidie in oratione mentem afficiens, & carnem macerans per compunctionis lacrymas, nihil terrenum, nil tranſitorium quærens, ſolus ſibi vacabat; ut ei qui omnia fecit, mente collecta in unum adhæreret, & ejus deſiderio tranſcenderet mundana omnia, non jam timore pœnarum, non memoria vitiorum, ſed dilectionis igne ſuccenſus cum odore virtutum: ita ut merito in Sponſæ laude diceretur animæ ejus, Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris & univerſi pulveris pigmentarii? Itaque juſti viri oratio, concepta ex virtutibus intimi amoris, quaſi fumus ex aromatibus lacrymas elicere ſolet; quia dum ſola cæleſtia poſtulat, fit plerumque interdum tantæ ſubtilitatis vis amoris, ut hanc nec ipſe animus comprehendere poſſit, qui illuminatus haberi meruit: & ideo thuris myrrhæque incenſum ſacrificat, dũm aſſidue carnis vitia mortificat, & ad Dei [tendit] viſionem, ad quam pervenire medullitus inardeſcit; ſeque ipſum in bonis virtutum operibus Deo exhibet & exercet, ac ſic velut pigmentariorum pulveres offertur.

quam morũ gravitate

Ecc. 11, 9 & 10

* *al.* Plus

& erandi fervore,

Cant. 3, 6

C

7 Habebat vir beatus defectum à pueritia, eo quod tardioris & impeditioris linguæ eſſet, * ſed velociſſimus erat facundia ſpiritus *k*. Quod non caſu ei eveniſſe putandum eſt: ſed ſicut beatus Moyſes, ex quo loqui cum eo cœperat Dominus, ineloquentem ſe fatebatur; ita iſti, accepta ſancti Spiritus gratia, redditus eſt exterior homo elinguis, ut interior loqueretur plane. Studuit namque vir Deo plenus, ut gratiam collatam ſibi de facili non amitteret, omni cuſtodia munire cor ſuum: orationi, vigiliis, jejuniis, abſtinentiæ & patientiæ operam dedit, ac ſubito ſe ipſum tranſcendit, juxta illud Eſaiæ: Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebit & germinabit Iſraël, & replebunt faciem orbis ſemine. Omni vero impetu niſus eſt ſternere carnem, ſuperare dæmones, ut perveniret ad eam celſitudinem, qua inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiceret. Ideoque oculum contemplationis per feneſtellam dirigens humilitatis, [ſuſpiciebat] ad ſupernam civitatem Ieruſalem, & ad univerſum inibi cœtum filiorum Iſraël, id eſt, videntium Deum, ubi de plenitudine ſedentis in dextra, id eſt, Domini noſtri Ieſu Chriſti, acciperet unde repleret ſanctam Eccleſiam, per latum orbem diffuſam ſemine, id eſt, exemplo, doctrina & laude. Sacros vero Ordines, quos adhuc puer ipſe ſuſceperat, ita beatis moribus ornabat, ut ſi ætatis teneritas non repugnaret, altioribus quibuſque ſacramentis coaptari potuiſſet. Cumque puerilem ætatem cum coævulis ſuis & earumdem virtutum ſuarum æmulis tranſiret, ita ſe eiſdem in omni familiaritate & morum honeſtate conjunxerat, ut in ipſis laudem ſine invidia, & pares amicos facile inveniret.

Senſuum cuſtodia

Iſ. 27, 6

licet voce Balbulus.

k

D

8 Ea autem quæ vitioſa juvenum & lubrica ætas expoſcit, ſicut eſt diſcurrere, vagari, circuire, laſcivire, ſuperbire, ambire, voluptatibus uri, ſtulta conſortia [quærere,] inutilia loqui, & alia plura quibus juvenes afficiuntur, ita prorſus deteſtatus eſt, ut numquam extra portas monaſterii, niſi obedientia coactus, pedem poſuiſſet. Et cum firma religio eum ad id compuliſſet, antequam egrederetur, ſigno Crucis quaſi fortius pugnaturus ſe muniens, deinde per ſingula altaria Sanctorum ſibi cum lacrymis expoſtulans præſidia, proſtratus etiam Fratrum religioſorum pedibus, ne aliqua ſeculari macula vel delectatione inficeretur, deprecatus eſt ut orarent: nam Pſalmus vel ſancta meditatio, foris dum eſſet, raro aut nunquam defuit: cetera quæque parvipendit, iſta nunquam neglexit. In Monaſterio vero nullus eum unquam de ſolio ſurgere vel ambulare, niſi ordinate, viderat; Numquam ſe juvenum vel ſodalium jocis immiſcuit; ſed ipſis jocantibus, quia extrema gaudii luctus occuparet; ſæpius proclamavit. Sed nec illius præcepti [fuit] obliviоſus auditor: In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. Fuit idem in omni manſuetudine omnibus ſubditus, & ad ſerviendum promptiſſimus: & jam Domini ſui factus imitator, qui ad filium Reguli non ivit, ad ſervum Centurionis ire paratus fuit; cellæ infirmorum frequentius intereſſe, quam cum ſanis converſari ſtuduit. Quos blande conſolatus, ne ipſam infirmitatem inaniter, ſed ad ſuorum veniam peccatorum proveniſſe ſperarent, fideliter monuit. Sordes autem & fœtores infirmantium ita familiariter & delectabiliter paſſus eſt, quod non fœtoris, ſed dulciſſimi odoris redolentiam eum ſenſiſſe putares.

& interiori collectioni ſtudet:

E

Eccli. 7, 15

infirmis humiliter miniſtrat,

F

9 Præpoſituras vero & decanias aut alicujus ordinis officium ſeu prælationem numquam concupivit, dicens prælationem ſæpius ſuperbiam, jactantiam, arrogantiam, diſcurſus & multiloquia comitari; & huic ſine crimine intereſſe, non humanæ virtutis, ſed divinæ donationis fore. Ipſis tamen compaſſus, non tranſgredientes dure aut ſtrenue arguit, ſed eos priorem ſibi requiem fletibus & precibus expoſcere diligentius rogavit. Prælationes enim aliquando ex virtutibus, quandoque etiam ex vitiis, ad majorem ipſorum damnationem, occulto Dei judicio provenire conteſtatus eſt. Mulierum quoque colloquia, quaſi certos tentatoris laqueos, fugit; à forma ipſarum, etiam conſanguinitatis catena conjunctarum, oculos dimovit, dicens cum Pſalmiſta: Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me. Caſtitatis videlicet & cordis munditiæ tam arduus ſectator & amator exſtitit,

prælaturas fugit,

caſtitatem ſollicite ſervat,

Pſ. 118, 37

A ſtitit, prout ipſe ſæpius ad exemplum cum ſociis confabulabatur, ut agni veſtigia immaculatus ſequi poſſet. Numquam præſtigiis aliquarum feminarum vel dæmonum inſtinctu [ſuperatus] imaginationi conſenſit, ut ullo fornicationis genere ſe pollueret, ſed mentem ſuam ſub tali cautela ſervabat, ut juxta beati Job exemplum, necquidem cogitaret de virgine. Si quos etiam ſermones blæſos aut riſui aptos proloqui audierat, illis, quia de omni verbo otioſo reddituri eſſent rationem, caritatis amator prædixit.

ANNOTATA.

a *Vtraque editio*, ut ſcripta in continenti, comperi *fortaſſe* in commentariis.

b *Helvetia hodierna ſtrictius accepta, ut à Valeſiis Griſonibusque diſtincta, in quatuor pagos ab occidente in Orientem dividitur* Wiflis purgergow, Argow, Zurichgow & Turgow : *quorum hic orientalior Conſtantienſi Epiſcopo & S. Galli Abbati ſubiiciebatur. Nomen ab antiquis* Tigurinis, *quorum urbis præcipua* Tigurum *vulgo* Zurich, *putant aliqui declinatum : ſed cum totam hanc regionem* B Thur *fluvius irriget, non aliunde petenda eſt ratio nominis. Eſt autem Tentonica antiqua lingua* au *ſive* ou *pratum paſcuum, unde* gou *ſive* gau, *quaſi* gheau, *paſcuoſa regio, ſicut ex* hem, hom, *quod ſignificat domum, fit* ghem, ghom, *villa plures domos complexa: & ſicut hoc in villarum nominibus componendis apud Teutones uſitatiſſimum, ita iſtud in nominibus regionum.*

c *Nunc* Elgow, *proximus Kiburgo vicus, diſtans à S. Galli monaſterio. P. M. circiter* 30.

d *Addebatur* Nam de Carolorum genere & Saxonum antiquorum, de quibus illo in tempore Imperatores Ottones orti ſunt, erat parentum ejus proſapia : *quod merum eſſe gloſſema interpolatoris multimodis perſuademur, & ut tale expungimus : cauſam non exponimus, quia eam in ſingulis pene verbis lector eruditus per ſe inveniet.*

e Notkerus, Notherus, Notgerus *pro varia dialecto mollius aſperiusve pronuntiatur : nobis* Not-ghere *ſignificat deſiderium vel deſiderantem rerum neceſſariarum : in quo nomine ſic accepto moderati animi omen eximitur, ad quod auctor hic alluſit : alias alia quoque poſſet nominis ratio dari.*

f *Goldaſti judicio ex margine in contextum irrepſerant, quæ delevimus, hæc ſequentia.* Proceſſu etiam temporis poſtea eorum pene omnis ſubſtantia collata eſt huic monaſterio.

C g *Hedipanus in Chronico ad annum* 841, Chrimaldus Abbas conſtituitur : *ad annum vero* 871, Grimaldus Abba obiit, & Harth muotus ei ſucceſſit.

h *Strictius ſumenda hæc vox, non quaſi juxta Canones electum ſignificet, ſed prout etiam hodie* Canonici, *id eſt, Clerici ſeculares diſtinguuntur à monachis: ut non ex his ſed ex illis Grimaldus aſſumptus fuerit. Patet hoc ex pluribus hujus Vitæ locis, & nominatim infra num.* 23 *ubi Bernardus Abbas prævidens futurum ut Salomon poſt ſe conſtitueretur, ſuaſit eum ad monachatum admitti, quatenus,* Si acciderit, quod veremur, ut iterum Canonico ſubdamur, noſter tamen ſit Frater & monachus.

i Directus eſt, *inquit textus ſacer,* Spiritus Domini à die illa (*ſuæ ſcilicet unctionis juſſu Dei facta à Samuele*) in David *adhuc puero*, & deinceps.

k *Plane præter rationem contextus, inſeruit huic loco Interpolator mentionem de tribus Notkeris, magna cum rerum ac temporum confuſione: nam* Notkerus *Abbas, & avunculus ejus* Notkerus *Phyſicus, ambo anno* 981 *mortui tempore Ottonum, in unam conflantur perſonam; &* S. Notkero *finguntur coævi fuiſſe integro ſeculo juniores. Quare hæc omiſimus.*

CAPVT II.

S. Notkeri & ſociorum ſub Marcello magiſtro profectus, diſciplinæ Sangallenſis commendatio.

10 NArrando ſive laudando viri ſanctiſſimi Notkeri Balbuli geſta, laudes ſociorum ejus minime queo reticere: ideoque parcendum eſt mihi, ſi neceſſitate compulſus, plectro linguæ à latere tangam cordam, qua reſonent laude digna virtutum facta vel dicta dulciſſimi viri ſodalium, huic operi inſerenda. Cum beati viri mens, micis de magna menſa ſanctæ Scripturæ cadentibus ſaturata, cum ſodalibus Raperto & Tutilone æque Monachis, ſub Yſone Magiſtro hoc in tempore litteratiſſimo, artium liberalium ſubtilitates, non pro gloria ſeu favore ſeculari, ſed pro utilitate ſanctæ Dei Eccleſiæ, admodum ſatis edocta eſſet, & in divinis non mediocriter * prælibuta fuiſſet, tamen cupiens amplius imbui, poſtulavit in fide, nihil hæſitans, Spiritum ſanctum, qui eum ab infantia repleverat, qui ubi vult ſpirat, ut ejus deſiderium compleat. Nam ſicut terræ arenti ſerotinum imbrem, quo infundatur, ut germinet, mittit; ita mox quemdam Epiſcopum Scottigenam, nomine Marcum, Dominus miſit ad cellam ſancti Galli. Qui rediens à Roma, repatriare volens, Gallum tamquam compatriotam ſuum viſitat: cui comitabatur filius ſororis, Mœngal nomine : poſtea à noſtris Marcellus diminutive à Marco avunculo ejus eſt vocatus. Hic erat in divinis & humanis ſcripturis eruditiſſimus, cujus doctrinis beati viri Notkeri ſitibundum cor infuſum refocillatum eſt. Cumque à fratribus honorifice, ſicut Epiſcopum decuit, ſuſciperentur; cognita beatus vir Notkerus ſcientia ſupradicti Marcelli, cucurrit ſubito ac preces Domino fudit, * obnixius cum lacrymis oravit, & ut eis voluntatem ibi morandi ob meritum S. Galli daret, petiit: qui ſtatim exauditus eſt. Itaque tantum deſiderium loci & regularis vitæ utrumque, Spiritus ſancti gratia id operante, cœperat; ut ſi abire etjam cogerentur, ipſi quantum viribus prævalerent, ſtare repugnarent.

Profectus majoris cupidus Notkerus.

* *al.* Prælibata adepta

& Marcelli hoſpitis doctrina captus.

* *al.* obnoxius *Deum exorat ut is ibi manere velit.*

11 Quid plura? Rogatur Epiſcopus cum ſociis loco noſtro aliquandiu ſtare, allecto nepote; diuque ſecum deliberantes, tamen tandem conſenſit remanere Epiſcopus, cum nepote & paucis ſuæ linguæ apparitoribus. Ceteris igitur repatriantibus, ſtola indutus abeuntes benedixit, & cū multis lacrymis utrimque diſceſſum eſt. Traduntur poſt breve tempus Marcello ſcholæ cluſtri cum beato Notkero Balbulo & ceteris monachici habitus pueris: exteriores vero, id eſt canonicæ, Yſoni, cum Salomone & ejus comparibus. Iſte Salomon quis vel qualis fuerit in ſequentibus dicemus. Marcello vero præſidente, mentes diſcipulorum Notkeri, Raperti, Tutilonis, aliorumque, ſeptem liberalium artium ſcientia adplene imbuit. Muſicæ autem jocundiſſimæ arti diligentius hi tres præ ceteris animum apposuerunt, ſed præ omnibus ſanctus Notkerus: quæ cum ceteris artibus ſit naturalior, & quamvis difficilius apprehenſa, uſu quidem ſit commodior ac ſuavior, tantum in ea demum prævaluerunt, quātum in ſingularum operibus quæ jam ante tetigimus aliarum ſex artium. Tres iſti diſcipuli Marcelli, Notkerus balbulus, Rapertus, Tutilo, ita unanimes in omni familiaritate, virtutum honeſtate, & morum converſatione erant, ut eſſet eis cor unum, & anima una eſſet. Individui in amore fraternæ caritatis, & ſicut mater unicum filium, ita amabiles in vita ſua dilexerunt ſe, & cum morte ſint ſeparati, in regno

ſub eoqi cum Raperto & Tutilone

Muſicam perdiſcit.

EX EKKEHARDO.

tamen Christi in unum sunt congregati: quamvis votis essent unicordes in fraterna caritate, natura tamen, ut sit, erant dissimiles. Quantum autem vir Domini Notkerus cum sociis in arte musica profecerit, subsequentia declarabunt.

Cantum Gregorianum.

12 Dum more sapientissimi Salomonis, secundum institutum Regis David patris ejus, in domo Domini propter compunctiones musicæ dulcedinis, beatus Papa Gregorius (ut scribit *a* de eo Joannes Sedis Romanæ Archidiaconus) Antiphonarium *b* centonem studiosissimus nimis utiliter compilasset; scholam etiam Cantorum, quæ hactenus eisdem institutionibus in sancta Romana Ecclesia modulatur, constituit. Hujus ergo modulationis dulcedinem, inter alias Europæ gentes, Germani seu Galli sive Alemanni discere crebroque rediscere potuerunt; incorruptam vero, tam levitate animi, qua nonnulla de proprio Gregorianis cantibus miscuerunt, quam feritate quoque naturali, minime servavere. Alpina siquidem corpora, vocum suarum tonitruis altisone perstrepentia, susceptæ modulationis dulcedinem proprie non resultant: quia bibuli gutturis barbara grossitas dū inflexionibus & repercussionibus & diaphoniarū diphthongis mitē nititur edere cantilenā, naturali quodā fragore, quasi plaustra per gradus confuse sonantia, rigidas voces jactat; sicq; audientium animos, quos mulcere debuerant, tales, exasperando magis ac obstrependo, conturbant *c* [Ejusmodi gens, si forsan desunt bona naturalia, vel si nolunt aut non possunt bonum modum adipisci, statim despiciunt, & incidunt in illam sententiam, Stulti contemnunt sapientiæ doctrinam; & cum sint incompositi moribus, & incompta voce, magistri tamen & rectores, propter alicujus quem arrogant sibi religionis intuitum, volunt videri; & non solummodo ipsi non percipiunt, verum etiam alios impediunt, ut non percipiant modulaminis dulcedinem & intellectus. [Hinc est quod hujus Gregorii tempore, cum Augustino, tunc Britanniam adeunte, per Occidentem quoque Romanæ institutionis cantores dispersi, barbaros insigniter docuerunt. Quibus defunctis, Occidentales Ecclesiæ subito susceptū modulationis organum vitiarunt. *d* Iterum [ergo] Joannes quidam Romanus cantor, cum Theodoro æque Romano sed Eboraci Archiepiscopo, per Gallias in Britannias à Vitaliano Papa destinatur: qui circumquaque positarum Ecclesiarum filios ad pristinam cantilenæ dulcedinem revocans, tam per se quam per suos discipulos, multis annis Romanæ doctrinæ regulam servavit: sed his defunctis statim deviaverunt. [Hic est ille Vitalianus Præsul, cujus adhuc cantum quando Apostolicus celebrat, quidam qui dicuntur Vitaliani, solent edere in præsentia ejus.]

a b

B

c

d

C

Carolus M. curat restituit,

13 Interea Carolus, qui dicebatur Magnus, Rex Francorum, cum esset Romæ, offensus dissonantia Romani & Gallicani cantus (cum Gallorum procacitas *e* à Romanis cantum quibusdam næniis argumentaretur esse corruptum, Romanique è diverso authenticum antiphonarium probabiliter ostentarent) interrogasse fertur, quis inter rivum & fontem limpidiorem aquam conservare solet? Respondentibus fontem, prudenter adjecit: Ergo & nos, qui de rivo corruptam lympham hactenus bibimus, ad perennis fontis necesse est fluenta principalia recurramus. Mox itaque duos suorum industrios Clericos Adriano Papæ dereliquit; hisque satis eleganter eruditis, Metensem Ecclesiam ad suavitatem modulationis pristinæ revocavit, per quam totam Galliam correxit. Sed cum post aliqua tempora, defunctis his, qui Romæ educati fuerant, cantum Gallicanarum Ecclesiarum à Metensi discrepare prudentissimus Regum vidisset, ac unumquemque ab alterutro vitiatum cantum jactantem adverteret: Iterum, inquit, redeamus ad fontem. Fuit interim in maximo desiderio Prælatis S. Galli *f* aliisque magistris ibi degentibus, ut cantum secundum authenticum Antiphonarium regerent, & melodias Romano more tenerent. Qualiter autem ista profecuti sunt intimare curabimus posteris. Mittens ergo denuo Imperator Carolus Romam, ad Adrianum Papam, rogat ut ei iterum mittat duos Romanos, cantuum gnaros, in Franciam. Tunc Papa regiis precibus annuens, juxta petitionem suam secundo duos mittit, cum authenticis Antiphonariis, & [libris de] septem liberalibus artibus: quorum judicio Imperator omnes corrupisse dulcedinem Romani cantus, levitate quadam, cognovit. Vocabatur unus eorum Petrus, & alter Romanus, cantuum & septem liberalium artium paginis satis admodum imbuti, & Metensem Ecclesiam, ut priores, adibant. Qui cum in Septimo *g* lacuque Cumano aere Romanis contrario quaterentur; Romanus febre correptus, vix ad nos usque pervenire potuit; Antiphonarium vero secum, Petro renitente, vellet nollet, cum duos haberent, unum sancto Gallo attulit. In brevi autem tempore, Domino se juvante, convaluit Romanus de febre. Petrus quidem pergit ad Imperatorem, qui comperto de Romano, mittit celerem nuntium, qui eum, si convalesceret, nobiscum state nosque instruere juberet. Quod ille quidem Patrum hospitalitati regratiando libentissime fecit, *h* Quatuor, inquiens, mercedes, vos sancti Domini, in me uno acquisistis: hospes erat, & in me eum collegistis: infirmus, & visitastis: esurivit, & dedistis mihi in eo manducare: sitivit, & dedistis mihi in eo bibere. Deinde uterque fama volante studium alter alterius cum audisset, æmulabantur pro laude & gloria, naturali gentis suæ more, uter alterum transcenderet. Memoria dignum est quantum hac æmulatione uterque locus profecerit, & non solum in cantu, sed & in ceteris doctrinis excreverit.

e

D

f

duobus Cantoribus Romā petiit,

E

h

alter in concilio S. Galli.

14 Fecerat quidem Petrus ibi jubilos ad Sequentias, quas Metenses vocant: Romanus vero è contra Romane & amœne de suo nobis jubilos modulaverat: quos utique post, sanctus vir Notkerus quibus videmus verbis ligabat; Frigdoræ videlicet & Occidentanæ, quas sic nominabat,* cantibus animatus, [& novos modulos] etiam ipse de suo cogitavit. Romanus autem quasi nostra præ Metensibus extollere fas fuerit, Romanæ Sedis honorem S. Galli cœnobio sic quidem inferre curavit. Erat Romæ instrumentum quoddam & theca, ad reposituram Antiphonarii authentici & publicam omnibus adventantibus inspectionem, quod à cantu dicebatur cantarium. Tale itaque ipse apud nos ad instar illius, circa aram Apostolorum cum authentico quem ipse attulit, exemplato antiphonario locari fecit, in quo usque hodie si quid dissentitur in cantu, quasi in speculo, error ejusmodi universus pervidetur atque corrigitur. In ipso quoque primus ille litteras Alphabeti significativas notulis, quibus visum est, susum k aut jusum, ante aut retro *l* assignare excogitavit: quas postea cuidam Lamperto amice quærenti B. Notkerus Balbulus dilucidavit: [quod in eo contemni non debet] cum & Martianus, quem *m* de Nuptiis miramur, virtutes earum scribere molitus sit. Abinde sumpsit exordium tota fere Europa, & maxime Germania sive Teutonia, secundum modum & formam (sicut in Monasterio sancti Galli viri peritissimi ediderunt, Romanus & Notkerus Balbulus ceterique magistri juxta exemplum authentici Antiphonarii Gregorii correxerunt elegit cantare, & hunc ritum modulandi servare, quem etiam omnes Vsum *n* appellaverunt. Hos itaque supradictos viros secutus

modulos componunt,

i

**al.* quibus

F

k l

m

quos Notkerus auxit & illustravit:

n

secutus Berno monachus S. Galli, postea Abbas *o* Augensis, super hunc Usum Summam valde subtilem scribit ad Episcopum Peregrinum *p* Colonien sem.

A

o p

15 Quantum cella S Galli in hoc tempore virtutum auspiciis, ob merita inhabitantium, spiritualibusque disciplinis augeri cœperit, tandemque floruerit, memorari jucundum est. Erat enim Senatus reipublicæ loci illius tunc quidem sanctissimus, ut Adelbero *q* Augustensis Ecclesiæ Antistes testatur. Qui beatus Præsul signa & virtutes S. Galli à pluribus audiens, locum in die festivitatis *r* ejus orandi gratia adiit, & præsens plura conspiciens; Major est, inquit, gratia loci hujus, quam rumor quem audivi. Igitur domum redieris, interrogatus inter cetera aliquando à suis, essetne nobiscum, ut fama vulgavit, religio cum doctrina, severitas cum disciplina? Ceteri, inquit, quid sentiant nescio; quod mihi animo est pronuntio: Unum ego Sanctum, & hunc defunctum, quæsivi: vivos autem, ut vere Fratres fatear, sanctissimos inveni. Doctrinam vero illorum & disciplinam, in virtutum eorum operibus videre est: delectat me enim talium memorari, quos quidem ut iterum videam vix expecto. Oportet ut omnibus modis, meis me juvantibus, præparem, quatenus ad proximum S. Galli diem viros Dei visitans, Frater illorum conscriptus fiam, & quantum mihi gratiæ est, caritatem illorum regratier. Venit autem Dei electus ut spoponderat, & magnis donis Fratres & familias exhilaravit.

cujus tempore monasterii disciplina coram visa.

q

r

Laudatur à S. Adalberone Ep. Aug.

B

16 Eodem modo accidit etiam Petrum *s* Veronensem Episcopum inopinatum venire. Hunc ergo Fratres suscipientes, quod melius quidem habebant Euangelium ei offerebant. At ille arbitratus se despici, quoniam famam loci magnam audierat, de vilitate secum fluctuabat libri. Ad Missas argenti calix proponitur, qui etiam melior habetur: de quo etiam quiddam sinistrum trutinat. Cumque prandio sumptuoso pasceretur, surgens à mensa, Fratrum petit alloquium. Quibus collectis; Bene, ait, Domini, mecum egistis; & ut audivimus sic vidimus; sed pro Euangelio & calice vilibus propositis, manet scrupulum: quamvis sim indignus ac vilis, non tamen vilis loci dicor Episcopus. Constanter nobis protestantibus meliora non esse S. Gallo, spiritus hominis quievit. Sumens tandem quosdam Fratrum in partem secreto, locutus est eis: Mittite, inquit, post me Veronam, sex quos habetis fidissimos viatores; qui bini & bini, per tres vias, quæ hinc illo ducunt, mihi adveniant; fingillatim tamen se mihi bini & bini ostendant: ac pollice in manum recurvo eleemosynam petant. Quos ego, ut alios soleo, in penetral meum, solus solos, coram meis inducam & vestiam; aurum autem, cujus æquipondium *t* vobis do, cruribus eorum fasciolis circumligabo, & dimittam eos, ut ad vos eodem artificio, quo venerant, fortuna comite redeant. Factum est, ut largitor acutus docuit allatum est S. Gallo & Fratribus ejus grave pondus auri Veronensis, & concordat pondus æquipondio. Quid ergo? De auro Petri fit calix fit capsa, fit cavea Euangelii, omnia pretiosissimis gemmis ornata.

s

Petro seu Adalpreto Ep. Veron.

C

t

17 Simili modo *u* Landeolus vir sanctus *x* Darviensis Episcopus: hic Suevus & nobilis erat, & apud S. Gallum educatus & doctus: qui etiam multa dona contulit cœnobio ejus & Fratribus. Igitur Episcopus factus, Romam sæpius adire solebat; sed tandem aliquando rediens à Roma, Gallum suum & Fratres visitare cupiens, Italici aëris vitio febre correptus, vix ad nos usque pervenire prævaluit. Qui sciens superveniſſe sibi vitæ præsentis finem, vocatis ad se Abbate ac Fratribus, coram eis diem ultimum clausit, ac nobili obitu transiit, & cum omni honore in Ecclesia S. Petri corpus ejus est humatum. Ad cujus tumbam sæpe infirmi, meritis ipsius sanitatem adepti sunt. Hæc sint pro gloria domus scripta, in qua tales Sancti habitabant, quos venerint ab Oriente & Occidente æmulari Pontifices regionum & Principes terrarum, sed ad propositum revertamur.

u x

& Laudeolo Ep. Tarbens.

ANNOTATA.

a *L. 2. cap. 6 unde hæc ad longum descripta quæ Ekkehardus in libro 2 de Casibus monasterii cap. 4 (de Hartmanno sub an. 922 Abbate, accurati cantus studiosissimo, & S. Notkeri coævo ac familiari agens) ita brevius descripsit.* Karolus Imperator cognomine magnus, cum esset Romæ, ecclesias Cisalpinas viden; Romanæ ecclesiæ multimodis in cantu (ut & Joannes scribit) dissonare; rogat Adrianum Papam tunc quidem secundo (cum defuncti essent quos ante Gregorius miserat) ut iterum mittat Romanos cantuum gnaros in Franciam. Mittuntur secundum Regis petitionem Petrus & Romanus, & cantuum & septem liberalium artium paginis admodum imbuti, Metensem ecclesiam, ut priores, adituri. Qui cum in Septimo, &c. *verbotenus ex citato libro ut sequuntur transcripta & emendanda.*

b *Titulus præcitati ex Ioanne Diacono capitis in omnibus MSS hic est* Antephonarium centonizans (*id est ex plurium egregiorum musicorum compositionibus in unum colligens*) cantorum constituit scholam. *Nihil igitur causæ est cur pro* centone *legi* cantum *Goldastus velit; cum fuerit hoc Gregoriani Antiphonarii nomen.*

E

c *Quæ* [ ] *inclusimus non sunt Ioannis* Diaconi *verba, sed à Vitæ hujus compilatore eisdem interjiciuntur.*

d *Reliqua hujus numeri non habuisset suspecta Goldastus, velut huic Vitæ interspersa ab alio, si ipsum Ioannis Diaconi textum consuluisset, ubi hæc eadem leguntur præter ultimas duas lineas.*

e *Qui hæc transcripserat è Ioanne Diacono, non advertens quo referentur pronomina* Nostrates *&* nostri, *ipsa immutata reliquerat: nos, ex mente auctoris eos qui intelligi debent* Romanos *expressimus.*

f *Addiderat interpolator, &* B. Notkero; *quod alieno tempore insertum expungimus.*

g *Imo* Sexto, *Insubriæ oppido ad lacum Verbanum vulgo Majorem: huc enim illas Roma Metas recta ducebat via, interque Verbanum ac Comarum lacrum tenendum erat iter per Helvetiam. Suspicamur Goldastum, qui in libro de casibus monasterii, pro* Sectune (*quod sua ei exhibebant* MSS) *notarat ad marginem legendum esse* Septimum, *hujus vitæ perversa lectione adductus, sed hoc notaret: cum è contra a* Sextum, *vero nomine, minus discedat. Itali* Sesto *dicunt.*

F

h *Nescio quo modo aut sensu irrepserint hæc verba*, Deinde nuntius subintulit verba Caroli ad congregationem, *nisi aliquid excidit quod sensum faciebat: cum autem absint à loco unde acceptum hoc caput, maluimus ea omittere.*

i Frigdorarum originem à Græcis, Occidentanarum à Latinis esse vel ipsa nomina faciunt fidem, *inquit, in sua adhuc loquendi exercitata observatione Goldastus:* nam Frigdora, constat ex modis quos Græci appellant Phrygium & Dorium: Occidentanæ videntur mutatis Græcæ ecclesiæ modis à B. Ambrosio inventæ, & à B. Gregorio in Occidentali Ecclesiæ institutæ. *ita ille.*

k *Anonymus Sangallensis, in libro de modo psallendi apud Goldastum, cavet ne quis audiatur* voce præsumptiori vel altiori, remissiori aut graviore, id est susum vel jusu *contare quam alii. Dubitat interim Goldastus an non debeat scribi* surſu vel versum, *non recte inter se opponuntur* surſu ac versum; *bene autē* surſu ac deorsum: *Sed quæ Italis etiā hodie* ſuſo è giuſo *dicuntur. Olim Franci, & adhuc vvalones nostri dicunt* sus & jus, *vocali longa & finali s in concursu consonantium absorbendo. Canisius mutato textu MS.* surſum aut deorsum *posuit. In Translata, S. Sebastian. 20 Ian. num. 76* modo josum nunc surſum *raptari quid dicitur.* Augustinus *sepius* jusum *habet, ut ibi notatur.*

l *Ita sæpe notata vidimus responsoria post lectiones in Lectionariis antiquis; habebatque hic notandi modus eam commoditatem*

EX EKKEHARDO.

tatem, quod tota ratio muſices, quæ Gregorianis neumatis (*ut vocabant ſignata ingens occupaſſet membranæ ſpatium, haberi poterat deſignata ſupra communis formæ ſcripturam; lineis dũtaxat paulo laxius ſcriptis ad iſtorum ſignorum interpoſitionẽ; quomodo nunc poëſees tironibus ſyllabarum quantitates & metri formam inter verſus notamus.*

m Martianus *cognomento* Capella, *vir Proconſularis, de quo* Gregorius Turon *lib.* 10 *Hiſtoriæ Francicæ ſic loquitur,* Quod ſi te Martianus noſter libris ſeptem erudiit, id eſt ſi te grammaticis docuit legere, in dialecticis altercationum propoſitiones advertere, in rhetoicis genera metrorum agnoſcere, in geometricis terrarum linearumque menſuras colligere, in aſtrologicis curſus ſiderum contemplari, in arithmeticis numerorũ partes colligere, in harmoniis ſonorum modulationes ſuavium accentuum carminibus concrepare. *Extant etjam nunc hi libri de ſeptem artibus liberalibus, uti & novem alii* de nuptiis Philologiæ & Mercurii. *Potuit ſuũ Martianum* Gregorius *dicere, ſicut ſuum* Quintilianum *appellant rhetores, Ariſtotelem dialectici: adeoque nihil obſtat quo minus Carthaginenſis, ut de ſe indicat, habeatur.*

n *Quid ſit* Vſus *in cantu præclare explicat Hugonis Reutlingenſis interpres, ſeculi* 14 *ſcriptor, in proœmio apud Goldaſtum his verbis.* S. Gregorius .. Antiphonarium & Graduale ... collegit, & neumavit ſeu notavit: proceſſu autem temporis quidam Alemanni & præcipue Canonici Ordinis S. Benedicti, qui cantum muſicalem, non ſolum ex arte, verum etiam ex uſu & conſuetudine, perfecte & cordetenus didicerant, ipſum omiſſis clavibus & lineis, quę in neuma ſeu nota muſicali requiruntur, ſimpliciter in libris eorum notare cœperunt, & ſic decantaverunt deinde juniores, & ſuos diſcipulos ſine arte, ex frequenti uſu & ex magna conſuetudine, cantum informavere: qui cantus ſic per conſuetudinem doctus, non muſica, ſed uſus eſt denominatus: in quo tamen diſcipuli à doctoribus & doctores à diſcipuli multipliciter diſcrepare cœperunt: ex qua diſcrepantia & artis ignorantia uſus dictus eſt confuſus; quo ſpreto nunc fere omnes Alemanni ad veram artem muſicæ reverſuntur. *Hæc ille, cum necdũ muſica in choralẽ & figuralem, ut nunc ſe habet, eſſet diſtincta.*

o *Hinc Bruſchium & eum ſecutos Sammarthanos corrigas, qui monachum Prumienſem faciunt: tutius iis credemus anno* 1048 *eſſe mortuum. Trithemius ejus opera enumerat:* imprimis libros duos de muſica ſeu tonis ad Piligrinum, *qui adhuc in* MSS. *latent, Trithemio viſi.*

p *Succeßit hic an.* 1021 S. *Heriberto, cujus Vitam dedimus* 16 *Martij.*

q *Sanctis adſcriptus ab Hugone Mainardo & Bucelino ad* 12 *Iunii, creatus eſt Epiſcopus ſecundum Bruſchium anno* 904.

r *Scilicet* 16 *Octobris.*

s *Ante an.* 1290 *nullum habuere Veronenſes Epiſcopum* Petrum; *& accuratum eſſe catalogum Præſulum, quos nono ſeculo exeunte & decimo ineunte referunt ejus urbis hiſtorici, demonſtrant diplomata ab Vgello tom.* 5. *Italiæ ſacræ relata: quare vehementer impellor, ut* Adalberti *ſeu* Adalperti *vel* Adalpreti, *nomen minus integre aut ſcriptum aut memoria retentum, credam dediſſe occaſionem erroris. Sedebat is an.* 891 *& an.* 926 *adhuc videtur fuiſſe in vivis, Notherio in Coadiutorem & ſucceſſorem aſſumpto, niſi malis ſeſe Epiſcopatu in favorem* Notherii *abdicaſſe.*

t *Ad hoc ſcilicet, ut ſi ſibi aliquid reſervare niterentur, prodi poſſent indicio ponderis. Sed cur tanta cum cautela? Credo ob bella quibus ſub Berengario Rege vexabatur Italia, quæ demũ eo miſerum compulere, ut cum maximo totius regionis damno Hungaros in ſubſidium evocarit, anno* 919.

u *Murerus* Landolum *vocat, & an.* 878 *mortuum notat, eique ut Beato diem ſignat* 31 *Ianuarii: nos de eo alibi nihil reperimus.*

x *Eſt* Derbia *olim* Deruentio *Angliæ oppidum non ignobile, ſed nuſquam memoratur Sedem habuiſſe Epiſcopalem; & ſi habuiſſet, quomodo ad eam tali ſeculo perveniſſet homo* Suevus? *Murerus* Landeolum *facit Trevirenſem Archiepiſcopum: ſed repugnant omnes Trevirenſium annales, nullum talem Epiſcopum agnoſcentes. Cr diderim* Tarbienſẽ *ſeu potius* Tarbenſem *legi debere, quæ antiquitus hodieq; eſt civitas Epiſcopalis in Aquitania, nota jam inde ab an.* 506, *quando Concilio Agathenſi ſubſcripſit Epiſcopi Apri nomine Ingenuus Presbyter. Latent antiquiorum Epiſcoporum nomina pleraq; quibus hunc Landeolum, Tarbenſibus nunc ignotum, accenſeas licet.*

CAPVT III.

Superbus Notkeri tentator punitur: Salomon fit monachus ac deinde Abbas.

18 SCriptũ eſt, Theſaurus occultus & ſapientia abſcondita, quæ utilitas in utriſq; ? Sanctitas viri perfecti ignota, ſic eſt quaſi Sol in nocte ſub nube, nulli lucet. Ideo veritatis voce docemur, ut lumen ſanctitatis non ſub modio, ſed ſuper candelabrum ſiſtamus, ut omnibus qui in domo ſunt rutilet, & civitas ſupra montem poſita non obnubiletur latebris ignorantiæ. Licet ſigna non ſint fidelium, ſed infidelium: tamen Chriſtus Dei filius dilectum famulum ſuum Notkerum, prophetiæ ſpiritu coronavit, per quẽ ſignis quam plurimis, ut ſancti viri bonitas innoteſceret, mirabiliter donavit. Enimvero in Spiritu Dei, multa bonis & malis aut fortunia prædixit aut infortunia: nã his qui, ut Apoſtolus Paulus ait, Spiritu Dei aguntur, data eſt poteſtas filios Dei fieri, ſicut Ioannes aſſerit. Tales etiam aliquando ſigna ex poteſtate faciunt, velut Petrus qui Tabitã mortuam, ſuſcitavit orando. Ananiam vero & Saphyram increpando morti tradidit: ita beatus iſte, unum ſuperbe diſquirendo puniens, dejecit; alterum per fatuam ſtultitiam in mortem lapſum, à pœnis inferni, ad perpetuam vitam precibus revocavit, de quo in ſequentibus dicemus. Carolus *a* Imperator, qui multis bonis ditaverat locum S. Galli, ipſe per ſe hebdomada S. Othmari propoſitor & pincerna fuit. Eo ergo tẽpore, ut more ſolito ſæpius ibi commanebat, Fratres lætificaturus, ad prædictum Monaſterium venit; & per triduum ibidem caritative moratus, profundiſſimis Scripturarum quæſtionibus apud ſanctum virum Notkerum *b* ſe exercitavit: quẽ quidam Capellanus ſuus elatæ mentis comitatus eſt. Sed Deus, qui arrogantes deponit, mitibus autem dat gratiam, in hoc oſtendit quantum ſit juſtos deſpicere, eosque odiſſe, & (quod proprie eſt ſancti Spiritus blaſphemia, quæ nec hic remittitur neque in futuro) virtutibus eorum detrahere.

Ecc 20, 32

Spiritu Dei plenus Notkerus,

Mat. 5, 15

Rom. 8, 14
Ioa. 1, 12

a

à Capellano Imperatoris

b

19 Is ergo cum audiſſet Regem ſe interrogando & quærendo exercere, ipſumque dulciſſimi ſancti patris Notkeri reſponſionibus certificatum; inſufflavit ſathanas in cor ejus, ut ſapientiæ, juſtitię & humilitati ſancti viri invidens (ſicut ſemper ſuperbi humilibus adverſantur) cœperit illudere, torquere & contemnere. Et cum per eccleſiam ſecum hæc omnia cogitando vellet tranſire, virum Dei, pſalterio ut ſolebat aſſidẽtem, præteriens conſpexit: agnitoq; quod is eſſet, qui Imperatori Carolo plura quærenti pridie quæſita reſolverat, comitantibus ait; Ecce, inquam, iſte eſt, quo neminem in regno Caroli ajunt eſſe doctiorem: ſed ſi vultis, ego illum tam præcellentiſſime doctum ad irriſionem vobis tentabo; & quod tantæ famæ vir ſolvere omnino neſciat, interrogabo. Illis vero ut hoc faceret curioſe rogantibus, accedunt pariter & ſalutant eum. Humilis ille aſſurgens, ipſorum adventum miratus, quid petant aut quid velint requirit. At hic infelix, de quo præfati ſumus; Scimus, inquit, homo doctiſſime, omnium artium profunditates te ex ſtudio ſcire, cœleſtia vero ſecreta ex ſanctæ vitæ contẽplatione omnia noſſe: quid autẽ nunc jam Deus in cælis faciat, ſi noſti, à te cupimus audire. Tunc Sanctus, promiſſionibus Domini certus, dicentis; Nolitẽ cogitare

contemptim interrogatus quid ageret Deus?

A cogitare quomodo aut quid loquamini; Spiritu ſancto per os ejus reſpondente, Scio, inquit, ſcio, & optime ſcio: nunc enim facit, quod ſemper facit, utiq; & tibi quam mox in brevi facturus eſt; exaltat humiles, & humiliat ſuperbos. Quod ſanctum virum non voto maledicentis aut vindictæ dixiſſe, ſed officio prophetantis, ipſe propheticus ſpiritus, qui malevolam animam non ingreditur, probat.

illi mox tibia frangitur,

20 Abibat tentator ille & irriſor, à ſuis magis irriſus, parvipendẽs, quid ſibi futurũ prædixiſſet. Quid plura? Sonant continue campanæ ad concurſũ & laudes Cæſaris receſſuri. Arripit ille, infelix futurus, labarũ ſuũ, eo die ordine ſuo Dominum antecedente; & equo ſuperbe invectus, ante portã civitatis offendens cecidit; & miſere in facie colliſus, crus cõfregit, Committitur novo Abbati nomine *c* Bernardo procurandus. Mox accurrunt Fratres, proſtratũ ſublevant, clauſtro inferũt, diverſis fomentis, ut crus ejus coaguletur atq; ut uniretur, laborant. Sed cũ nihil ſuas artes profeciſſe viderent, comperto tandẽ Fratres beati viri Notkeri præſagio, hortantur ut viri Dei ſi ſe inviſere dignetur, abſolutionẽ, & tanti Patris benedictionẽ ſibi petere nõ

c

B negligat. Quod cum ille, ut ſemper perverſæ mentis fuit, deſpective de Notkero audiret, & nihil ſibi mali ejuſdem Patris vaticinio contigiſſe proclamaret, coagulari illa fractura nullis formentis, nullis adunari valuit ligamentis. Cũ ergo continuo dolore diu cruciaretur, tandẽ in ſe reverſus recogitabat, qualiter tentaverit virum Dei, Media itaq; nocte ſupplicat Fratres, ut famulum Dei ad ſe venire, benedictionẽ ei impoſiturum, deprecarentur. Qui ſtatim juſſa cõplentes, con-

nec niſi S. benedicente ſanatur.

citeSanctum Dei accerſierunt, miſerati ſuam paſſionẽ & clamores. At ille veniens, quid velit, inquirit. Tunc ille, Pater ſancte, peccavi in Deum & in te, tentando te rogo ergo ignoſce mihi, & tange crus meũ; & ſpero ſanari. Qui cum crus contrectaſſet, confeſtim conbullire ſenſit illud, ac ſubito coagulatũ & unitum eſt; ita ut ipſe infirmus paucis diebus priſtinæ ſanitati reſtitueretur, meritis ſancti viri; & verbis ejus correptus, ne amplius ſuperbiret, ſevere didicit de cetero humilia ſentire, & quomodo Deus ſuperbos humiliaret: humiliatus autem mente & corpore ſanatus, ad ſua cum gudio remeavit.

d e Salomon ſub Yſone educatus in Clebicum;

21 Temporibus prædicti Grimaldi Canonici Abbatis, & Harmoti *d* ejus Conabbatis, Salomonis paretes cum eſſent clari *e* & illuſtres ipſũ Yſoni S. Galli monacho, tunc temporis doctori nominatiſſimo, tradunt erudiendum, & clericatui initiandũ. Quẽ apprime, ut ajunt, ipſe erudierat, ſed & Notkeri balbuli, Raperti, Tutilonis & Hartmanni commonachorũ ſtatui prætulerat, & delicatius quaſi Canonicũ educaverat. Creverant inde clandeſtinæ inter ſummæ indolis condiſcipulos invidiæ, & cum liberales eſſent genere & ingenio, ut ea ætas ſolet æquanimiter non ferebant alienum ſibi, qui Fratres forent, præferri, & qui natalibus eſſent pares, doctrinarum profectibus ab illo præiri. Defunguntur Salomonis adhuc pueri parentes, & ipſe hæres effectus, ſcholisq; ablatus, jam adoleſcens petiit Frater fieri conſcriptus, quod & conſecutus eſt. Gri-

f g

maldus Abbas, qui erat Archicappellanus, eum ſibi ſuffecerat, & eo juvante fit Archicappellanus Ludovici Pii *f* cujus ſingulari gratia ſic potitus in brevi, eſt, ut

h i

adhuc Canonicus primo Elewangis, *g* poſt etiã Campidonenſibus *h* præficeretur. Tandem Hattone *i* Archiepiſcopo Maguntino favẽte, pluribus locis Abbas præponitur. Locum vero S. Galli præ omnibus diligebat, unde tradidit de prędiis ſuis, ut manſio ei fieret, dum crebro ab aula veniens Abbati & familiæ non eſſet oneroſus. Clauſtrum etiam, quia potens erat, abſq; duce, & (quod magnæ confuſionis tunc erat & eſt) lineus diatim introiit; propter quod ab æmulis ſuis murmura ſurgunt, ipſo ignaro. Nam cum uni pel-

litium vellet dare, Pellitium (ait ille) tuum optime appretiabor; duas cucullas habeo, quarum tibi unam, ut clauſtrum eo decentius nobiſcum in ea introëas, induendam cõtrado. Et ille; Eja (inquit) hæc utiq; Tutilo & Rapertus, vel alii invidi mei in ore tuo poſuerant. Receſſit homo artificioſus, ratione ſimplici quaſi devictus, reputans hominem tanti meriti non niſi in Spiritu Dei ſibi talia prolocutum: & deinceps abſtinuit, abſque aliquo Patrum, ut moris eſt, præduce, clauſtrum introire manifeſte.

EX EKKEHARDO.

exindeq; pie additus loco,

22 Itaque ingreditur clam penetralia clauſtri noſtri bonus fur noctibus, nudipedes, *k* cappaq; uti Fratrũ unus putaretur, indutus. Senſerant illum prædicti ſex ſodales, Notkerus, Rapertus & Tutilo, ſed ſanctã fraudem texerant. Nimis (ajunt) inſolens eſt quemquam monachi habitu præter nos intrare intima noſtra, maxime noctibus. Initur conſilium, & conſtituuntur duo vigiles, qui obſervent inceſſum ejus. Ingreditur iterum ille, ſicut fur in nocte. Senſerat hunc Rutkerus ſenior, qui prævenerat vigilias matutinas, ſtans in oratione, cumq; vidiſſet hominem in tenebris, neſcivit quis eſſet; ſed agnitus eſt, cum vigiles approperat cũ lumine. Rurſum pater ille: Per S. Galli, inquit meritũ (ſic enim Patres jurabant) hunc in clauſtro ejus, his horis, non patimur habitum. Tremefactus autem ille ab non ignari hominis verbis (nam eum ſemper præ oculis habebat, & ſibi in his, quæ ad Deum fuerant, ducem & cuſtodem elegerat) Parere me, ait, Pater reverende, oratorium S. Petri ingredi; ibi poſtquã oravero, numquã, niſi ut lex loci habet, clauſtrũ intrabo. Te vero juvante & Fratribus, cras precari Abbatẽ eſt animus, ut monachico habitu mihi liceat clauſtrum egredi & ingredi; deforis autem, coram militibus meis & ceteris, canonico, ut ſoleo, indumento verſari. Imo, ait ſenior, S. Gallus in cor mittat, ut ſi ſemel eo induaris, nunquam quoad vixeris, niſi ſolito monachis tempore exuaris.

k

& noctu clauſtrum ingredi deprehenſus,

E

petit ad hoc habitum monachalem indulgeri,

23 Panditur animus hominis & petitio Abbati, Rudkero adſtipulante. Erant tunc in re publica noſtra ſenatores, ſancti viri & prudentes, qui conſuluntur: Hartmannus, conſilio magnus, qui Letaniam, *l* Sanctus humili prece, texuit, & melodiam fecerat; Notkerus Balbulus, qui Sequentias; Ratpertus, qui Letaniam, Ardua ſpes mundi: Tutilo, qui Hodie cantandus, & pleraq; alia dictaverat. Fuerunt & alii cœnobitæ S. Galli, viri doctiſſimi & ſanctæ religionis: Hartmannus junior & Waltrannus, aliiq; quam plures ſancti viri, quorum melodiæ ipſi quales fuerint non celant, opera enim illorũ multa per Eccleſiã clara extãt: qui omnes ab Abbate loqui juſſi ſunt. Regula noſtra (ait Hartmannus) non ſimilitudinẽ monachi, ſed monachũ quærit. Notkerus ait, Prætexta hæc qua ſuperindui deſiderat, ſi togã præcederet, non utiq; diſpliceret. Rapertus dixit, Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros, aut aliquis latet error. Tutilo inquit, Fraternam ſocietatem ei plene conceſſimus, hãc ei quantũ in me eſt, mi Abba, non denego: ſi autẽ lupũ ovino vellere quærit induere, per alios quam mei conſenſum perficiet. Audiens Bernardus Abbas quid ſuſpicarentur in homine: Scio inquit, filii, quid ab illo vereamini; ſed exiſtimo melius actum fore nobiſcum ſi apud nos initiatus monachum ſe aliquando noſtrum faciat, & habitum à ſancto Gallo ſumat, ne ſi ante acciderit, quod veremur, ut iterum Canonico ſubdamur, noſter tamen ſit frater & Monachus.

l

F

auditis ſententiis ei ſuadetur

24 Mittitur ad illum Rudkerus cum aliis quibuſdam rem ſuaſurus; in proceſſu temporis, Deo dante pollicetur facere quod conſulitur, tamen interim propter clauſtri reverentiam, talis ſibi habitus rogat ſit licitus. Variis hinc inde Fratrum tractatibus vix tandẽ conceditur: deſignatur ei locus, ubi intrans habitum indueret, exiens exueret. Aliquando poſtea

EX EKKEHARDO.

veniens ab aula, inter cetera de muneribus Regis *m* Arnolphi, quæ S. Gallo ſe daturum ait; etiam munus valde glorioſum attulit, capſam ſolide auream, gemmis regaliter inclytam, Reliquiis ſummis refertam, in modum capellæ formatam, cui ſimile quidem nihil unquam vidimus. Suadet iterum Rudkerus homini non aurũ, ſed ipſum, Gallo ſuo offerre, & ſe monachum ejus verum tandem perficere. Factum eſt, ut ſe magni conſilii Angelus hortatus eſt: Regi datori Arnolpho poſtquam votum aperuit ſuum, capſam illam ſuſpendens collo, tunica monachi & cuculla indutus, aram S. Galli, Bernardo Abbate annuente, nudipes adiit, peccata deflens, ſeculo renuntians, S. Galli monachum ſe profitetur: quem etiam Abbas, tamquam de palatio monachũ, delicatius tractavit, ac præ ceteris habuit. Poſt modicum tempus, conſiliis hominis carere non poſſe republica tota perſonante, Abbatis ſui permiſſo, Rex eundem Salomonem iterum in aulam aſſumpſit, & *n* priorum honorum ſtatibus reſtituit; tandem quoq; & auxit *n* am Augenſem *o* Abbatiam ei tradidit.

m ut reipſa monachus fiat:.

quo impetrato, fit Abbas, n o

B 25 Bernardo per conſilium Hattonis Abbatia reſignata, idem Salomon ſubſtituitur, & locum S. Galli ſuſcepit regendum; quem præ omnibus locis poſtea apud Deum & homines amplificare curavit, in theſauris, in ornamentis ex auro & argento gemmiſque pretioſis, & Sanctorum Reliquiis, & ſubſtantia magna. Cum vero annum & dimidium loco S. Galli præfuiſſet, tandem Conſtantiæ eſt prælatus, & Dei factus Paſtor & Epiſcopus. Erat enim homo fortunatus, prudens conſilio, & eloquens, valdeq; liberalis. Idẽ Salomon à Roma Conſtantiæ attulit Pelagium Martyrẽ, & ut putatur à Peruſio Conſtantium Epiſcopum & Martyrem, quibus ſarcophagos miro artificio ex auro & gemmis & ebore per manus Tutilonis comparavit. Qui ejus geſta deſiderat noſſe, librum qui de caſibus Monaſterii ſcriptus eſt, legat. *p*

deinde & Epiſcopus.

p

ANNOTATA.

a *Liber de caſibus monaſterii, unde hæc accepta, numquam niſi* Carolum *ſimpliciter nominat, neq; credimus hujus Vitæ auctorem tam imperitum fuiſſe ut* Magnum *intellexerit, cũ ex ipſis quos præ oculis habebat libris potuerit ſeriem temporũ edoceri: expungimus ergo hic & deinceps ſemper turpe gloſſema Interpolatoris inepti.*

b *Similiter quod hic additur,* Nepotem ſuum; *etſi enim à Carolingis genus ducere Notkerum non negemus, vix tamen perſuaderi poterimus natum ex Caroli Craſſi ſorore, aut alio tam propinquo gradu conſanguineum, donec id aliquo melioris fidei argumento probetur.*

C c *Hepidannus an.* 884, Ex petitione Harthmuoti Abbatis Bernhardus in locum ejus conſtituitur: *poſt quem an.* 891. Salomon, *de quo mox,* Abbas conſtituitur.

d *Hunc à Fratribus electum Coadiutorem ac ſucceſſorem Grimaldus ipſe à Ludovico Pio impetrarat, ut majori cum quiete monaſterii, minoriq; cum invidia monachis ipſe Clericus præeſſet & amiſſam in ſe libertatẽ per ſe atque poſt ſe Sangallenſes recuperarent; ipſeque ab ea cura liber aulam commodius frequentaret uti narrat Ratpertus c. 8. de Caſibus monaſterii.*

e Comites à Ramſwag, *inquit, Goldaſtus* ad ſiniſtrã Sintriæ fluminis. *Supereſt adhuc familia nobilis, ſed primum ad titulum Baronum redacta, deinde etiam hoc privata.*

f *Non* Imperatoris, *ut habet ineptum gloſſema, quod expunximus; ſed* Regis Germaniæ, *filii ejus, quem Germani* Pium *quoq; dixere, patrem* Imperatorem *vocare ſoliti. Sic Hepidannus in Chronico an.* 840, Ludovicus Imperator obiit. *& anno* 876 Ludovicus Pius Rex Germaniæ obiit.

g *De hoc nobili in Suevia monaſterio multis egimus,* 17 *Ian. Commentarii ad Acta* SS. *Tergeminorum prævii n.* 10. *Bucelinus parte* 2 *Germaniæ ſacræ Abbatum proponit Catalogum, ſed mendoſiſſimum quoad numeros annorum, tam quibus præfuerunt quam quibus electi vel mortui ſunt: ut merito judicemus parvi æſtimandum, quod in eo Salomon prætermittatur, uti forſitan alii aliqui. Crediderim ceſſione Lindeberti ſeu Liudberti, anno* 863 *ad Archiepiſcopatum Moguntinum promoti, Salomonem hac Abbatia auctum.*

D h *De hoc quoq;* 16. *Ian. ad c.* 1 *Vitæ S. Tozzonis egimus: loci Abbates annumerat Bruſchius, ex Bruſchio Bucelinus: ſed nullus in ius Salomoni locus: ut nec hic catalogus fidus haberi poſſit.*

i *Creatus an.* 981, *mortuus* 913, *qui etiam ipſe Elvvangenſibus per annos* 17 *dicitur à Bruſchio præfuiſſe: quomodo aut quando non divinamus.*

k *Vtpote qui per Quadrageſimam ſeſe aulæ furatus, ſacrum illud tempus ibi agebat in pœnitentia, ut indicat hæc pluribus deſcribens* Ekkehardus: *unde colligas admodum pium & religioſum fuiſſe licet ſub habitu canonico & in aula viveret. Itaque exorbitanti prorſus exaggeratione ſupra n.* 18 *dicitur, à morte peccati ad vitam gratiæ precibus S.* Notkeri *vocatus.*

l *Placet hoc præ Lectione Goldaſti: qui omiſſa voce,* Sanctus (*quã putamus eſſe initium letaniæ hic indicatæ*) *ſic legit:* Qui letaniam, Humili prece, textum & melodiam fecerat: *quaſi letania inchoaretur ab his verbis,* Humili prece.

m *Vtique anno* 888 *ineunte recens creati: cujus electioni forte interfuerat Solomon.*

n *Ita corrigo ex libro de caſibus, cum hic deprayate apud Goldaſtum legatur,* & priorem hominem ſtatuit. *Caniſius,* Priorum honore ſtatuit.

E o *An* Richenaw *id eſt,* Augiam-divitem *in Rheni & lacus Veneti inſula, morte Ruthonis ſeu Rudilonis dicto anno* 888 *vacantem? ſed huic in catalogo apud Bucelinum prænominatus Hatto, dicitur ſucceſſiſſe. Eſt & alia* Augia, major *dicta, infra lacum Brigantium: ſed cujus Abbates nuſquam habemus recenſitos.*

p *Ideo quædam ſuperflua hinc reſecuimus: omittimus etiam tamquam ab interpolatore intruſum & nihil pertinens ad S. Notkerum, caput de Conrado Imperatore, quomodo ipſe ut Hepidannus ait,* Anno 912, in feſtivitate S. Stephani ad veſperum, venit ad monaſterium S. Galli.

CAPUT X.

Notkerus Sequentias ſcribendis clareſcit: item Ratpertus ac Totilo ejus ſocii individui.

26 AGente Imperatore Cunrado paſcha *a* apud Maguntinam civitatem, S. Galli monacho ſcholas inibi regente, & procurante etiã Cantoris officium; ut ſolitum eſt, in medio chori *b* imponens, crebro coronatus, & *c* infulatus, adornatuſq; *d* pretioſiſſimis indumentis: cumq; manũ ille ad modulos Sequentiæ pangendos rite levaſſet; tres Epiſcopi, hominis quondam diſcipuli, Imperatori ſuo in throno proximi. Ibimus, ajunt, domine Rex, & magiſtrũ in eo quod ipſe nos docuit juvabimus. Illo hoc gratum fore dicente, deſcendentes veſtiti Pontificalibus ſociantur S. Galli monacho, & inclinantes inclinato, opus Dei quod docuit, reverenter cum eo perficiunt. Flebat homo cũ gaudio, gratias referẽs ſancto Gallo. Poſt Miſſas peractas vix ille, coactus pedes Imperii, ut moris eſt, petere, auri uncias in eis poſitas ſuſtulit: ad Imperatricẽ *e* vero ridente Imperatore per vim tractus, & ibi aurũ ejus ſumpſit è pedibus. Mathilda quoq; ſoror ejus annulum ei in digitum, vellet nollet, inſeruit. Hæc idcirco enarravi, ut honorẽ doctrinæ & diſciplinæ, ſicut à Spiritu ſancto beatus vir Notkerus in ſecreto cordis ſui contemplando didicerat, ad ædificationẽ audientium proponerẽ. Nam eamdẽ diſciplinam Angelicam Deus dedit viro ſancto & ſociis ſuis, per Spiritũ ſanctum ſuum docere Eccleſiam ſuam, in jubilis *f* Sequentiarum agendis; ideo, ut reor, ut per intuitũ Angelicarum diſciplinarum oriatur hominibus mẽtis devotio; & dilatato corde, mens ſeipſam tranſcendat, & ſpiritalior fiat. Heliſeus Propheta, ſicut liber Regum narrat, requiſitus de verbo Domini, cũ ſe ſenſiſſet ſpiritũ prophetiæ tũc tẽporis non habere, fecit ſibi pſaltẽ adduci, quo pſallẽte ſtatim ſpiritũ propheticũ hauſit.

b c d Notkeri diſcipulus coram Rege honoratus:

F

e

f

Soles

A *ipſe ſpiritu Dei plenus*

27 Solet namque,ut plures novimus, dulcis harmonia cor exhilarare, & ei ſua gaudia ad memoriam revocare, & quo uniuscujuſque animum ſuus amor arctius afficit, eo profundius audita harmonia exteriori affectum tangit, & interiorem illam ſpiritalem harmoniam ad memoriam reducit;ut audita melodia, audientis animum ad aſſueta gaudia ſuffulciat atq;levet. Pſallendo itaq;ſeu laudando viam Domino paramus,qua ad nos miris quibuſdam myſteriorũ ſuorũ revelationihus venire deſiderat, quando ex magno cordis tripudio in divina præconia jubilamus, & in gratiarum actionem aſſurgentes ex intimis viſceribus medullitus in Dei laudes ſincero mentis amore, cum magno cordis clamore reboamus. In tali igitur pſalmodia ſpiritaliq;harmonia,anima contemplativa,ſpiritalibus theoriis aſſueta; incipit tripudiare, & præ gaudii nimietate ſuo quodam modo geſtire, ac ſpiritales quoſdam & ſui generis ſaltus dare,& ſe à terra terreniſq;omnibus ſuſpendere,& ad cœleſtium contemplationem tota mentis alienatione tranſcendere. Tali etiam doctrina repleverat Spiritus ſanctus, vas ſibi electum,beatum Notkerum.Sequentias quas idẽ Pater ſanctus fecerat, deſtinavit per bajulum urbis Romæ *g* Papæ Nicolao & Luitwardo Vercellenſi Epiſcopo,tunc temporis Caroli Imperatoris Archicancellario.Qui venerandus Apoſtolicæ ſedis Pontifex,ea quæ vir ſanctus Spiritu ſancto annuente dictaverat,ſancivit;atq;ſanctæ Eccleſiæ Chriſti per mundi climata in laudem Dei colenda inſtituit:& non ſolũ ea quæ beatus vir Notkerus dictaverat,verum etiam ea quæ ſocii & Fratres ejus,in eodem monaſterio S. Galli compoſuerant, omnia canonizavit, videlicet hymnos,ſequentias,tropos,letanias, omnesque cantilenas,quas fecerunt, rythmatice, metrice,vel proſaice & diſciplinas quas docuerunt, totum authenticavit, ac divulgavit in laudem ſanctæ Trinitatis & beatæ Mariæ omniumq;Sanctorum ſanctæ matrisEccleſiæ.

Librum compoſuit Sequẽtiarum,

B

g

quas ad Eccleſiæ Cath. uſum recepit Nicolaus I. h

28 Quoties in oratione verba ſuperant affectum, fit multiloquium,in quo peccatum non deerit. Neq; prece tali exaudiuntur homines à Deo, quaſi eũ pluribus verbis conentur inflectere: neq; conciliat eum multiplex ſermo orantis, ſed pura ſinceraque orationis intentio. Si autem triſtitiæ fuerit oratio, ululatus dicitur; ſi vero gaudii, jubilus; tunc nequit verbis quidquam exprimi, neque prorſus valet fileri.Ideoq; vir ſanctus, quia habuit defectum linguæ, nitebatur ſemper corde orare. Inſuper ſciebat etiam bonum eſſe & ſono vocis,hymnis & canticis ſpiritualibus,Deũ glorificare: modicum tamen ajebat prodeſſe ſono vocis canere ſine cordis devota intentione; ſed ſicut ait Apoſtolus, Cantantes in cordibus veſtris Deo: hoc eſt, non ſolum voce, verum etiam corde pſallentes;unde & alibi dicit: Pſallam ſpiritu, pſallam & mente.Sicut ergo orationibus regimur & docemur, ut devoti ſimus Deo, & ſtabiles in virtutibus: ita Pſalmorum ſtudiis delectamur in effabilia æterna. Pſallendi enim utilitas triſtia corda conſolatur, gratiores mentes facit, ſtudioſos oblectat,mentes exuſcitat,peccatores ad lamenta invitat, mundiora reddit hominis interiora,& promptiorem ad pietatis opera. Nam quamvis dura ſint carnalium corda, ſtatim ut dulcedo inſonuerit ad effectum clementiæ animum eorum inflectit.Itaq;dum Chriſtianum non vocis modulatio,ſed tantum verba divina debeant commovere,neſcio quo tamen pacto,quandoque modulatione canentis, major naſcitur compunctio cordis. Multi enim reperiuntur,qui cantus ſuavitate commoti, ſua crimina plangunt,atq;ex ea parte magis flectuntur ad ſpiritum contritionis, & lachrymarum ubertatem ac benevolam emendationem, ex quo non verborum, ſed pſallentium dulcedo vocum & diſcretio inſonuerit jucundiſſima.Oratio in præſenti vita tantum pro remedio peccatorum effunditur: Pſalmorum autem decantatio perpetuam Dei laudem dememorat, ſicut ſcriptum eſt:Beati qui habitant in domo tua, Domine,in ſecula ſeculorum laudabunt te. Sequentiæ etiam canticum victoriæ deſignant quo juſtorum animæ in Deo pro ſua liberatione exultant:ſicut filii Iſrael pro ſua ereptione canticum victoriæ canebant, & quondam Romani.Jubilus autem id eſt neuma, quem quidam in organis jubilant, plauſum victorum lætantium commendat. *i*

EX EKKEHARDO. Pſ.83.5

i

Notkerus ob Sequentiam de S. Spiritu

29 Fertur de beato viro,cum quadam die dormitorium tranſiret, auſcultans molendinum juxta vicinum, cujus rota tarde volvebatur, & propter penuriam aquæ garriens, quoſdam dabat quodammodo vocum ſonos. Quod audiens homo Deo dignus, ſtatim fuit in ſpiritu, & illud elegans dictamen edidit, atque de poſſeſſore, ſuo ſcilicet eodem almo Spiritu, nectareum modulamen eructavit ac toti mundo ad ſalutem propinavit, Sequentiam dico,quæ eſt de Spiritu ſancto *k*; Sancti Spiritus adſit nobis gratia. Cum ergo eam compleſſet, miſit eam pro xenio Imperatori Carolo. *l* Idem verus Chriſticola Imperator miſit ei per eundem bajulum,quod ſibi idem Spiritus inſpiraverat, Hymnum, Veni creator. Talibus alis ſolent pennata animalia ſe mutuo ferire,id eſt,perfecti viri & docti, ſpiritali ſcientia eruditi, ſolent ſe diverſitate adhortationum exercitare, ſicut S. Auguſtinus B. Hieronymo,& S. Hieronymus B. Auguſtino per internunciũ Paulum Oroſium *m* fecerunt.[Græci etiam ſimili modo *n* PythagoramPhiloſophum affirmant tranſiſſe ſecus fabricam aliquam; & audiens malleatorum ictus ſuper incudem, diſcrevit ſex voces muſicales.]

k

l

E

m

n

30 Bene hic ponendum eſt,quod noſtris temporibus evenit colloquium de beato viro Notkero apud Sedem Romanam. Venerabilis Abbas S. Galli Vldalricus *o*,piæ memoriæ,hujus nominis ſextus, in legatione Regis Friderici ſecundi, poſtea Cæſaris, venit Romam ad Innocentium Papam tertium miſſus. Cumq;de multis eſſet ſermo eorum,& plura conferrent ad invicem; accidit Miſſam celebrari ante Apoſtolicum de Spiritu ſancto cum Sequentia,Sancti Spiritus adſit nobis gratia,præſẽte Abbate.Fecerat & ipſe idem Papa ſequentiam de ſancto Spiritu, videlicet, Veni ſancte ſpiritus. Peractis Miſſis & orationibus convenerunt iterum ad fabulandum, & inter cetera requiſivit Papa Abbatem,dicens:Quis fuit Notkerus tuus?quomodo agis diem anniverſarii ejus? Erant enim Romæ aliqua ſcripta de eo in libris Sequentiarum,quæ ipſe Papa legerat.Reſpondit Abbas,Simplicẽ monachũ eum fuiſſe in domo ſua,de nobiliſſimis terræ ortum,valde ſciolum & Sanctum. Ad quem Papa: Agis ne feſtivitatem ejus?Cui ille:Non,Domine:ſcimus quia Sanctus eſt privatim tantum:agitur de eo ſicut pro alio defuncto. His verbis Papa commotus,O nequiſſimi(inquit)malo veſtro tanti tamq;ſanctiſſimi viri,qui erat pleniſſimus Spiritu ſancto, non facitis memoriam? Quod hujus feſtivitatem non celebratis,*p* infelices eritis.

o

ab Innocẽtio 3 laudatur,

F

& feſtive colendus judicatur.

p

30 Nunc quales tres prædicti reipublicæ noſtræ Senatores extiterint, ſcriptis dememoremus. Otio numquam vacabant,& quod ſemper doctorũ eſt & utilium,in lenitate ſpiritus & in quiete cordis ambulãtes,raro aut nũquam ſine opere aut meditatione vel exercitio virtutis præteribat eis tempus:unde aſſiduas ab aliquibus detractiones & dorſiloquia,ut vitioſe ſolet fieri in conventibus, patiebantur. Sed maxime, quia minus refellere ſolebat,ſanctus,ut vere aſſeram, dominus Notkerus.Tutilo quidem & Rapertus, acriores talibus, minuſque ad contumelias habiles,rarius ab eis lædebantur. Notkerus autẽ hominum mitiſſimus,quid injuriæ eſſent in ſemetipſo didicit. De quibus

Notkerus cum ſociis

C

Col.3,16
1 Cor.14,15

ad clendum devotionis affectum.

Pſalmodiæ modulatæ utilitas

EX EKKEHARDO. quibus pluribus unum aliquem introducere volumus, ut quantum ſatanas in talibus præſumat, ab uno diſcas omnes. Erat hic quidam Refectorarius, nomine Sindolphus; fictis autem poſtremo obſequiolis, *q* cum alias in nullo eſſet utilis [captabat gratiam Salomonis] accuſans fratres criminibus confictis, per quæ agnitus eſt ipſe proditor, & proditi perfecti inventi ſunt. Nam cum eſſet Refectorarius, pro commodis incommoda ſæpius quibus auſus erat exhibebat, præ cæteris autem ſancto viro Notkero. Quod ille æquanimiter ferens, compatiebatur inferenti, & orabat pro eo. Salomone vero in multis occupato, neque ad ſingula attendere ſufficienti, alimonia interdum cum detraheretur vel depravaretur, clamabant plures pro injuſtitia: inter quos etiam aliquando iſti tres, quos dicimus, aliqua locuti ſunt. At Sindolphus, diſcordiæ ſemper fomes, ſciens antiquam condiſcipulorum odii facem & cauſam, accommodat ſe auribus Salomonis, quaſi pro ſuo honore rem ſibi ſit dicturus: ille vero etſi nihil nocivius ſciſſet Prælatis ac ſubditis, quam ſuſurros & detractores audire, quid novi afferret quæſivit. Cui ſubditus, tres illos, ſemper ſuper ſe verba jacere ſolitos, heſterno quoque die de eo quæ importabilia ſunt *r*, mentitur locutos. Credidit ille ſermoni quem dixit, & contra de ſe nil mali opinantes rancorem portavit, tandem & oſtendit. At illi cum nihil ab eo reatus ſui exſculpere poſſent, Sindolphi ſe technis ariolantur fuiſſe circumventos. Re tandem coram Fratribus diſcuſſa, cum ipſi teſtantibus illis nihil ſe omnino erga Epiſcopum dixiſſe, eum cum ceteris convincerent: falſidicum ut judicet, & vindictam ſuper eum faciat, quiſque ſibi rogant: quod cum ille diſſimulaſſet, taciti quieverunt.

calumniam patitur à Sindulpho.

r

B

qui eorum colloquia noctu observãs,

31 Erat tribus illis inſeparabilibus conſuetudo, permiſſo quidem Prioris, in intervallo Laudum nocturno convenire in ſcriptorio, collationeſque tali horæ aptiſſimas de Scripturis facere. At Sindolphus ſciens horam & colloquia, quadam nocte feneſtræ vitreæ, cui Tutilo aſſederat, clandeſtinus foris appropiat, aureque vitro affixa, ſi quid rapere poſſet, quod depravatum Epiſcopo traderet, auſcultabat. Senſerat illum Tutilo homo pervicax, lacertiſque confiſus, Latialiterque, quo illum qui nihil intelligeret lateret, compares alloquitur: Adeſt ille, inquit, & aurem feneſtræ affixit. Sed tu Notkere, quia timidulus es, cede in eccleſiam: Ratperte autem, anime mi, rapto flagello Fratrum, quod pendet in pyrali, deforis accurre; ego enim illum, cum appropinquare te ſenſero, vitrio citiſſime read-aperto, captum capillis & ad me pertractum violenter tenebo. Tu autem, cor meum, confortare & eſto robuſtus; flagelloque in illum totis viribus increpita, & Deum in illo ulciſcere. Ille vero, ut ſemper erat ad diſciplinas acutiſſimus, modeſte exiens, rapto flagello cucurrit celerrime, hominemque intro capite tractum totis viribus à dorſo ingrandinat. Et ecce ille manibus pedibuſque renixus, flagellum, quo vapulabat, capiens tenuit. At Rapertus è vicino virgam ejus, proprius aſpectam, rapiens, ictus ei validiſſimos infregit. Cum autem parci ſibi male jam mulctatus incaſſum petiiſſet, apud ſe ſubmurmurans voce opus eſſe, exclamans vociferavit. Statim Fratrum pars voce audita, tali tempore inſolita, ſtupens accurrit cum luminibus, & quidnam eſſet quæſivit. Tutilo vero Diabolum ſe cœpiſſe creber ingeminans, lumen adhiberi rogat, ut in cujus imagine eum teneret, territus inſpiceret. Capite autem inviti hac illacque verſato, ad inſpicientes, ſi Sindolphus eſſet, quaſi neſcius, interrogat. Omnibus, enimvero ipſum eſſe, clamantibus,

C

deprehenditur & castigatur à Ratperto & Tutilone.

& ut illum dimitteret rogantibus, relicto eo, Me miſerum, ait, in auricularem & intimum Epiſcopi manus miſi. Et Rapertus quidem, accurrentibus, in partem cedens, clam ſe ſubduxit (neque enim ipſe qui paſſus eſt, à quo cæderetur ſcire poterat) quærentibus autem aliquibus, ubi nam Dominus Notkerus, Rapertuſque abiſſent; Ambo, inquit, ad opus Dei, diabolum ſentientes, abjerunt; meque cum illo negotio perambulante in tenebris dimiſerunt. Vere, ait, ſcitote omnes, Angelum Dei ictus ei manu ſua incuſſiſſe. Demum diſcedentibus Fratribus, à partium ſectatoribus ſurgunt, ut fit, multiloquia. Alii Dei judicio, ut auſcultatores clandeſtini publicarentur, factum dicebant: alii vero, tali viro, niſi quod Angelum Domini prætendit, ſimile opus non decuiſſe.

D

& pergens virus ſanctis adverſari

32 Occultabat ergo ſe ille, confractus corporis pariter & mentis dolore. Interrogat denique Epiſcopus poſt aliquot dies, ubi nam tam diu moraretur ſuus famidicus: ſic enim hominem nominare ſolebat & ſolitus erat, nova ſemper ſibi aliqua clam apportantem. A quo re, ut erat, veraciter comperta, quoniam tantæ auctoritati pro tam turpiter reo nihil imputare volebat, conſolatur accitum ſic dicens: Quoniam, inquit, illi à pueritia mei ſemper æmuli malè tibi fecerunt, ego ſi advixero, melius tibi facere habebo. Ira operariorum factus eſt ab ipſo Decanus, contradicentibus cunctis, ne rem tam *præclari loci in tali homine dejiceret. Deinde amplius non deſtitit adverſari tribus illis, dedecore ſibi illato, & officio collato animatus. Quadam igitur die, quod erat refectorarius, Notkero & Raperto coquinæ ordinariis, cum menſuram potus, ut officii ſui erat, in vaſe ſuo non dico poneret *f* beato viro; ſed maledicta muſſitans eo abſente, ad huc quaſi projiceret; vas illud caſu accidente de menſa lapſum in terram cecidit, operculoque procul rotante, vas in latus jacuit, vinumque velut ſi ſubrectum *t* eſſet ſolide continuit. Quod ille videns, huc atque illuc circuiens, tandem moroſe reverſus *v* cum levaſſet, accurrentibus qui aſtantes viderant, & ſi quidquam de vino effuſum ſit, terram contuentibus; neque uſque ad unam guttam comperientibus exiſſe, Ne miremini, inquit Sindolphus, ſi diabolus, à quo nigros libros ipſe & ſocii ejus diſcunt, faſcinatorum ſuorum calices ne effunderetur continuit. Quod Hartmannus * poſt Abbas à dicentibus cum audiſſet, protervoque illi cum occurriſſet; Vide, inquit, bone vir, ne in tales viros, injurias tuas tam patienrer ferentes, nimium tandem deſipias. Cur ad invidiam in tantum concupiſcit ſpiritus tuus? An neſcis quia ſuſurrones & detrectatores, & qui irritant fratres, ac ferunt in eos diſcordias, Deo ſunt odibiles? Cui ille, cum ſibi ſolita uſque ad convitia reſpondiſſet protervia, Waltrannus tunc Decanus in proximo Capitulo, regulari eum vindictæ ſubjecit, ſed tamen adhuc ejus non quievit nequam ſpiritus. Itaque tandem malum per eum viro ſancto, quo dolore intrinſecus cordis tactus eſt, accidit: Epiſtolas Canonicas Græcas à Luitwardo Vercellenſi Epiſcopo ſibi præſtitas, multis ſudoribus beatus vir exemplaverat, & ecce Sindolphus eumdem codicem delicate ſcriptum caſu incurrens furatus eſt, & ſingulas quaternionum, ſicut hodie videre eſt, cultro exciſas diſcerpſit & depravavit, ac poſtea iterũ complicatas, occulte in locum ubi eas fuerat furatus repoſuit. Tranſtulit idem ſanctus vir Pſalterium de Latina lingua in barbaricam linguam, ſicut hodie eſt in armario.*

E

f

t

miraculo confutatur

v

** al.* Proabbas,

F

nec tamen emendatur:

Ratpertus in ſcholis ſedulus

33 Ratpertus inter ambos, Notkerum videlicet & Tutilonem, medius incedebat, Scholarum ab adoleſcentia magiſter; doctor planus & benevolus, diſci-

** al.* præclaram

A disciplinis asperior; raro præter Fratres pedem claustro promovens; duos calceos annum habens, excursus mortem nominans: & ideo sæpe Tutilonem itinerariũ, ut se caveret amplexibus monens. In scholis sedulus, plerumque Cursus & Missas *x* negligebat; Bonas, inquiens, Missas audimus, cum eas agi docemus. Qui cum labem maximam claustri impunitatem nominasset, ad Capitulum tamen nonnisi vocatus venit, cum sibi officium capitulandi & puniendi gravissimum, ut ait, esset traditum. Cum vero & ipse Sanctus circa claustrum S. Galli diu languidus iret, nec tamen docere desineret; quadraginta discipulis quondam suis canonicis, tunc quidem *pie moritur.* Presbyteris, loco propter festum adventantibus, animam singulis in manibus commisit, quorum quisque ei triginta Missas obituro promiserunt. Sic ille lætissimus factus, Deum uti se diutius morbo coqueret rogans, & pœnis nitidus effectus, inter discipulorum manus in paradisum, ut credimus, transiit. Pro quo B. Notkerus & Tutilo præter ceteros Fratres, dolentes quia post eum relicti sunt, multa fecerunt. Scripserat idem homo beatus librum de casibus Monasterii, incipiens à temporibus B. Columbani usque ad Salomonem Episcopum & Abbatem B nostrum. Dictaverat etiam Letanias, quas Ecclesia canit per totum orbem in diebus Rogationum, præter alia plura quæ fecerat.

Tutilo, pictor, sculptor aurifex, musicus

34 Longe aliter Tutilo bonus erat & utilis quam socii, homo lacertis & omnibus membris, sicut Fabius athletas eligere docet. Erat enim valde eloquens, voce clara & dulci, celaturæ elegans, picturæ artifex, ac mirificus aurifex; musicus sicut & socii, sed in omnium genere fidium & instrumentorum & fistularum præ omnibus: nam & filios nobilium in loco ab Abbate destinato fidibus edocuit. Nuntius procul & prope solers; in structuris & ceteris artibus suis efficax; concinnandi in utraque *y* lingua promptulus & potens natura; serio & joco festivus; adeo ut Carolus noster aliquando ei maledixerit, qui talis naturæ hominem monachum fecerit. Sed inter hæc omnia, quod præ aliis est, in choro strenuus, in latebris erat lachrymosus; versus & melodias facere præpotens, castus ut Marcelli discipulus, qui feminis oculos clausit. Ea autem quæ dictaverat, singularis & agnoscibilis melodiæ sunt; quia per psalterium seu per rotam, in qua potentior ipse erat, *z* neumata inventa dulciora sunt, ut apparet in tropis, Hodie cantandus, & Omnium virtutum gemmis: quos quidem tropos Carolo obtulit canendos; ad Offerendam, *aa* scilicet, Viri Galilæi, quam ipse fecerat. Hanc etiam Rex Offerendam cum dictasset, Tutiloni misit, & versus addere injunxit. At ille apposuit, Quoniam Dominus Iesus Christus cum esset omnipotens genitor, fons & origo, cum sequentibus: Gaudete & cantate. Alia etiam plura ad invicem conscripserunt: sed ista proposuimus, ut quia dispar ejus melodia sit ceteris, si musicus es noris. Abbatum vero sub quibus militaverat permissis, plerumque & præceptis, multas propter artificia simul & doctrinas peragraverat terras: picturas & aurificia etiam & anaglyphas, carminibus & epigrammatis decorabat singulariter pretiosis: tantæque auctoritatis ubicumque moraretur apparuit, ut nemo illum qui vidisset, S. Galli monachum dubitasset. Erat enim in divinis & humanis æque ad responsa paratissimus, & si quid indecens vel inordinatum maxime in monachis usquam vidisset, pro loco, tempore & persona zelator erectus, ut in uno de pluribus dicere habebimus.

y

z

C

& poeta insignis,

aa

summeque zelosus

lascivum monachum

35 Gnarus namque homo, quoniam erat itinerarius, longe lateque terrarum & urbium, missus aliquando est pro communi causa Maguntiam, uti- que pro pannis laneis emendis, quos *bb* sericales vocant, & tunicas. In ingressu ergo civitatis circa S. Albani monasterium hospitium petens, hominibus suis statim propter pabula & victualia mercatum missis, ipse super sedili se lassus, ut paulisper requiesceret, locaverat. Erant autem dies vindemiæ, quibus Fratres ad obedientias dimissi sunt per vineas. Et ecce primo signo ad Vesperas pulsato, Circator *cc* Fratres collecturus, asino pro religione insidens; ostio domus hospitii jam dicti, quasi ibi aliquem quæsiturus, appropiat; latenter quoque, si commatrina sua domi sit, scisitando, domum inquietat. At illa de camera egressa, salutans compatrem, hospitem illum dormire putans, obtulit viro mustum. Quo ille impigre hausto vaseque reddito, mammam feminæ titillat assentientis. Hospes vero viso facinore exilit; ne ulterius procederet in facto; illumque scelestum inclamitans, comis apprehensum in terram dejecit; flagelloque, quo ad equum usus est ad huc manu habito, acriter hominem cecidit, adjiciens; Hoc tibi S. Gallus, frater S. Albani, dedit. Ille quidem quamvis pro reatu sit tristis & passus, timidus tamen sui, venia petita, uti se celatum habere vellet, hominem rogat. Hospes illi; Ne modo adjicias peccatum peccato, quantum in me est bene celaberis. Intimatur Abbati Fratrem de S. Gallo ante portam hospitari; qui statim per nuntium vocat eum in claustrum. Nomen scisitati, agnoscunt hominem diu fama vulgatum, caritativeque tractato ipsi exhibebant ei Martham, ille autem capacibus porrigebat Mariam. Rogaturque ibi morari usque dum thronum Dei, in bractea altaris aurea, celaret: cui similem anaglypham, raro usque hodie videre est alteram, in circulo scribens hunc versum.

EX EKKEHARDO

bb

flagello cædit.

E

Ecce polo potior solio, terraque scabello.

sed pœnitentia famæ parcit.

Cum autem aliquantum tardasset, non celatum opus ex parte relinquens redienseque; à nostris quid deforis egerit rogatus est dicere, Fratrem (inquit) ibi indisciplinatum vidi, quem ut ferirem, flagellum levans intentavi: quod illi & mihi quidem ut indulgeatur rogo. Sic ille fidei memor, veritati parcens, non tamen mentitus est.

36 Missus aliquando ad Metensium urbem, celaturus thronum, & imaginem B. Mariæ desuper, [fecit aliquid] quod quamvis monachi non fuerit, propter naturam tamen hominis dicere volo. Cum ergo iter ageret, ibat per silvam latronibus aptam, duobus suis comitatus, uno scutato cum lancea, altero sine: Et ecce à duobus audacissimis invasus, ambos istos uterque suo equo dejecerat. Interea ille, utroque in spolio occupato, robur quoddam validum circumspectum arripuit, & terrore magno minax super illos venit. At illi videntes hominem forti assimilem, spolia omittunt, scuta dorso rejecta contra illum vergunt. Lanceasque ille latronum præ securitate procul abjectas, suos citissime rapere jussit, & ut se defenderent acer verbis emonuit. Quas cum dejectas celeres raperent, tanti ducis violentiam minime se perpeti posse videntes, hostes ab eo exarmati divertunt. Sic isti etiam lancea sua levata (ut si illi reverterent, Domino suo eam darent) imperterriti silvam pertranseunt. Ergo Tutilo cum venisset ad urbem, & operi celaturus astans satageret, ecce duo viri astiterunt juxta illum, S. Mariæ imaginem celantem, in habitu peregrini, eleemosynamque petebant. Quibus cum nummos clam tribueret, divertentes ab eo, Clerico cuidam à longe astanti ajebant: Benedictus vir iste Domino, qui nos hodie bene consolatus est. Sed estne soror ejus, inquiunt, domina illa præclara, quæ ei tam commode radios ad manum dat, & docet quid faciet? Ille vero miratur quid di-

F

latrones duos in fugam agit.

B. Mariæ imaginem pingit

EX EKKEHARDO.

cerent, cum nuperrime ab eo digreſſus nil tale vidiſſet: revertitur ergo cum peregrinis, & quod dixerant velut ad momentum & in ictu oculi contemplatur. Aiunt autem illi Clericus & peregrini: Benedictus tu Domine Pater, qui tali magiſtra uteris ad opera. Qui cum ipſos quid dicerent neſcire aſſereret, vehementer in illos invectus, ne cui tale aliquid diceret interminatur. Et ſtatim quidem peregrini tranſeuntes diſparuerunt, nec amplius ab aliquo ſunt viſi: in craſtinum autem cum gloriam talem de ſe plures audiret dictitare, occulte ſubtrahens ſe, ceſſit è medio, neque jam ultra in urbe illa operari volebat. In bractea autem ipſa aurea cum reliquiſſet circuli planitiem vacuam, neſcio cujus arte, tales celati ſunt apices:

ipſamet penicillum regente,

dd Hoc panthema *dd* pia celaverat ipſa Maria.

Sed & imago ſedens quaſi viva, cunctis inſpectantibus adhuc hodie eſt veneranda. Dicebant autem nobis Patres, quod ipſe vir Dei in reditu iter agendo, in quamdam villam ubi ad Miſſas ſonatum eſt properans, dæmonem in eccleſia bacchantem ab homine, invocatione S. Galli, ejecerit. Sunt & alia quæ de illo audivimus multa, de quibus quia nobis nihil certum conſtat, tacere quam ſcribere maluimus. De obitu autem ejus, *ee* quia nihil conſtans comperimus, hoc ſolum aſtruimus, quod eum ad gaudia æterna tranſiſſe confidimus & indubitanter aſſerimus.

energumenũ liberat.

B *ee*

ANNOTATA.

a *Anno fortaſis* 915 *quando Curiam ſolemnem ibidem celebratam, & capitis damnatos Erchingerum, Bertholdum, & Luitfridum Alemanniæ Duces, tradunt ſcriptores Germani: obſerva tamen quod Ekkehardus, qui præſens adfuit & ex cujus cap.* 6 *hæc deſcripta ſunt, dicat Regem hoc Paſcha egiſſe* in Ingilinheim, *Caroli Magni natale palatium haud procul à Moguntia, ibique Cantoris officio tunc functum illum; ſcholæ Moguntinæ magiſtrum.*

b *Sive, ut nunc loquimur,* Intonans. i. *prima Officii verba cantando præiens.*

c *Etiam hodie Eccleſia Moguntina obtinet, ut Archiepiſcopo Moguntino Pontificaliter celebrante, Decanus, Cantor & duo alii præcipui Officiales mithrati aſſiſtant ſuis quique locis.*

d *Sane toto noſtro per Germaniam, Italiam, Galliam itinere, quo non ſolas bibliothecas ſed precipua quæque regionum iſtarum ſacraria luſtravimus, ſimile nihil vidimus eccleſiæ Moguntinæ theſauro, maxime in veſtibus ſacris; quas, incredibili gemmarum & margaritarum copia & ſplendore contextas anno* 1660, *die* 20 *Auguſti ſpectavimus.*

C

e Placentia *hæc fuit,* Ludovici Germaniæ Regis filia *juxta Bucelinum, hiſtoriæ Agilolfingicæ f.* 368.

f *In MS. quo uſus Goldaſtus, hæc in margine habebatur annotatio.* Sequentiæ etenim canticum victoriæ deſignant, &c *prout infra in fine num.* 28 *uſque ad num.* 29.

g *Sedit Nicolaus I ab anno* 858 *ad an.* 867, *Liutwardus vero ſolum anno* 880 *Epiſcopatum iniit & tenuit ad initium ſequentis ſeculi: ut merito dubites, an liber iſte non niſi poſt dicti Nicolai mortem factus ſit, & ſoli Liutwardo deſtinatus, per quem Romanæ eccleſiæ innotuerit, tandemque meruerit à Nicolao II, annis fere nonaginta poſt primum creato, approbari: Trithemius libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis confundit in unum tres Notkeros, cum harum ſequentiarum auctorem facit* Notgerum ex Abbate monaſterii S. Galli Leodienſem Epiſcopum: *& nihilominus dicit,* ejus Sequentiarium Nicolaus Papa primus approbavit & ad Miſſas decantari præcepit.

h *Quæ ſequuntur margini adſcripta invenit Goldaſtus; & ut invenit, ſic reliquit. Caniſius ipſa inſeruit contextui.*

D

i *Hactenus illa, diverſa forſitan manu adſcripta: cujus rei judicium lectori relinquimus.*

k *Perperam igitur Ioannes à Voragine cap.* 186 *de S. Pelagio, auctorem hujus Sequentiæ facit Hermannum Contractum.*

l *Vt Carolum Magnum hic intelligebat Interpolator, ſic addidit,* Qui forte tunc Aquiſgrani morabatur.

m *Id teſtatur Gennadius de Script. eccleſ. cap.* 39 Ab Auguſtino pro quærenda animæ ratione ad Hieronymum miſſum Oroſium. *Et hic Paulus ille eſt, quem Auguſtinus Hieronymo commendat, Ep.* 9 *ut* cujus æſtimatio bonum teſtimonium apud Deum habeat in regionibus *Occidentis: quique ad Auguſtinum ſcripſit ſeptem libros Hiſtoriarum adverſus Paganos, celebre in hunc uſque diem opus.*

n *Hæc quoque de Pythagora ſolum haberi in margine Goldaſtus notat.*

o *Iuxta Chronologiam Ioachimi Vadiani, perductam uſque ad annum* 1530, Udalricus *ſive* Ulricus Saxo *ab anno* 1204 *præfuit, per annos* 15 *hebdomadas* 40; *Goldaſtus perperam legit* quintus: *Vdalricus enim* v *obiit an.* 1200, *quando Fredericus ſeptennis dumtaxat erat, qui non niſi decennio poſt Rex electus, poſt alterum decennium coronatus eſt Imperator: adeoque intra an.* 1210 *&* 1220 *res, quæ hic narratur, contigit.*

E

p *Hoc igitur principium Sangallenſibus fuerit annue S. Notkeri memoriam privato ſaltem cultu proſequendi.*

q *Liber caſuum ſic:* Fictis autem poſtremo obſequelis, cum alias in nullo eſſet utilis, accuſans Fratres criminibus conjectis, à Salomone Operariorum poſitus eſt Decanus.

r *Vtrobique ſic,* Heſterno quæ Deo importabilia ſunt: *nos ex conjectura correximus.*

s *Quæ Ekkinhardus alius communiter de tribus dicit in plurali, compilator mutatis pauculis uni aptat Notkero: perperam; ſi tribus commune vas, illud erat.*

t *Alias* ſubreptum.

v *Ibidem ſic brevius & clarius.* Quod ille, moroſe reverſus (nam per paſſus aliquot feſtinus abſceſſerat) cum levaſſet.

x *Gregor. Tur. l.* 1 *de gloria Mart.* Exurgente autem mane Abbate cum monachis ad celebrandum curſum. *Sunt ergo* curſus *eccleſiaſtici (de quibus etiam ſe librum condidiſſe teſtatur idem Gregorius)* Horæ Canonicæ: *quomodo hodie quoque Officium B. Virginis* curſum *dici Germanis mos eſt. Patet porro hinc quam antiquæ ſit conſuetudo, etiam in optime diſciplinatis monaſteriis, ut Scholarum Magiſtri abſolvantur à chori oneribus, & ſatisfaciant privata Officii Miſſæque recitatione.*

F

y *Latina ſcilicet & Alemanniſa:* concinnare *autem hic dicit quod nos* componere.

z *Alias* pneumata: *& rectius, ſi etymologiam ſpectes: nam* πνεῦμα aſſenſus, annutus, voluntas, *quid ad Muſicam? πνεῦμα vero* ſpiritus, ſpiratio *multum ſane: interim tamen Balbus quidam apud Goldaſtum, cum dixiſſet,* Neuma, vocum emiſſio vel modulatio eſt; Neumaticus, modulator dulcis, ſuavis & conſonans: *addit,* Et eſt vitium ſcriptorum, cum invenitur pneuma, ut ſcribatur per P, & eſt ibi barbariſmus. *Beletus de divinis officiis apud eumdem Goldaſtum,* Notandum eſt, neumam feminini generis abſque P accipi pro jubilo.

aa *Cantus poſt Euangelii lectionem: qui* Offertorium *appellatur in rituali Romano.*

bb *Malim legere hoc modo*, quos ſergiales vocant ad tunicas, *ſcilicet,* faciendas: *ejuſmodi autem pannus laneus texturæ levioris Hiſpanis* Xerga, *Italis* Sargia *Francis* Sarge *dicitur: Germanis etiam voce compoſita* Sare-wat.

cc Ita

A cc *Ita vocatur à* Circando *id eſt circumeundo, is qui tempore divini Officii cellas & officinas obit, inveſtigaturus abſentes.*

dd *Videtur dici contractim, quaſi* παραθημα repoſitorium, *ſeu* depoſitorium: *& rectius forte* Parthema *ſcriberetur.*

ee *Ephemerides Sangallenſes* v Kal. Apr. B. Tuitilo obiit. *Murerus annum ſignat* 896, *&* in S. Catharinæ ſacello, quod etiam S. Tutelonis ſacellum & cœmeterium dictum ſit, ſepultum *ait, ac diem, veluti feſtum ejus proprium, in margine notat* XXXI *Ianuarij. Idem* Aſtronomi & Confeſſoris *titulos Tutiloni aptat: nos ab aſtronomiæ ſingulari peritia ſpeciatim laudari eum nuſquam invenimus. Necrologium Sangallenſe MS. elogium ejus habet* 27 *Apr. Bucelinus Epitaphium ei poſitum recitat.*

CAPUT V.

Sancti humilitas & crebræ de diabolo victoriæ.

Carus omnibus ob doctrinam Notkerus

37 BEati igitur viri Notkeri quæ reliqua ſunt de eo audenter narrabimus; quoniam illum ſancti Spiritus vas electum nequaquam dubitamus. Erat enim corpore non animo gracilis, voce non ſpiritu balbulus: in divinis erectus, in adverſis patiens; ad omnia mitis, in noſtratibus acer erat exactor *a* diſciplinæ; ad repentina & inopinata timidulus erat, præter dæmones infeſtantes, quibus quidem ſe audenter opponere ſolebat: in orando, legendo, meditando, dictando, * celeberrimus. Et ut omnes ſanctitatis ejus ſub compendio complectar dotes, ſancti Spiritus erat vaſculum, quo ſuo tempore abundantius nullum. Nam, ut prælibavimus, dies noctesque ſemper idem & novus, quod Rapertus in ſcholis, hoc ipſe in clauſtro, præter verbera, omni caritatis egit cenſura. Priorum itaque permiſſu, magis autem & hortatu, juveniores ad hoc idonei, noctes dieſque, quando ab orationibus *b* quieſceret, velut in inſidiis erant [neque enim hora incompetens dicebatur, ſi cum codice in manibus quis cum Domno Notkero loquebatur]. Ipſe autem cum propter regulæ tenorem ſibilis eos, interdum etiam ſtrepitu abſturbabat; tamen ab Abbatibus per obedientiam ei injunctum eſt hoc idem quod refutarat. Docebat enim eos bonitatem & diſciplinam & ſcientiam, & mandata Dei ſolicite credere & ſervare, dicens, vitæ munditiam & puritatem non inveniri in terra ſuaviter viventium: ſed oportet hominem excolere terram cordis ſui, ſicut ruſticus agrum, ut uberes fructus exinde habeat. Qui vero incipiunt & non perſeverant, comparatur perdici, de qua Ieremias ait, Fovit perdix quæ non peperit, in dimidio dierum ſuorū deſelinquet ea, & in noviſſimo erit inſipiens: non attendentes quia extrema gaudii luctus occupat.

a * *an creberrimus?*

b

C

Ier. 17, 11

humillimus tamen erat,

38 Permiſſu Abbatum ſub quibus militabat, ſecundum voluntatem ſuam vivebat ad libitum ſuum; quia videbant verbo Domini firmatum, & ubi Spiritus Domini, ibi libertas, quoniam ſpiritalis judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur. Ardua enim ejus vita continenter quiddam divinæ excellentiæ in vultu prætendebat: oculus intuens in eum jucundabatur, & auris audiens eum gratulabatur. Tamen omnem gratiam, quam ſe ſenſerat percepiſſe, ſub tutela humilitatis ſtudebat occultare, dicens cum

Iob 9, 30 Beato Job: Si fuero lotus aquis nivis, & fulſerint mundiſſimæ manus meæ: tamen ſordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea. Propter humilitatis igitur cuſtodiam, cum eſſet homo ſcientiſſimus, ſemper magis aſſidebat pſalterio, quam

c ceteris libris *c*. Inter omnes confratres ſuos ſic ambulabat, majores & minores ita venerabatur, ut nulli ſe præponeret, ſed quantum in ipſo, eſſet omnibus amabilis affabiliſque: quam autem melliſluus in reſponſis fuerit & alloquiis, lacrymæ eorum qui hominem viderant, & poſt ipſum ſupererant, requirentibus eum liquido manifeſtabant. EX EKKEHARDO.

magis autem jam factus Presbyter:

Poſtquam vero Presbyterii gradum vir Domini Notkerus, multa obecientia coactus, humillime conſcendiſſet; tunc demum ſic quaſi nil prius virtuoſe egiſſet, illas quatuor virtutes cardinales & earum appendices, id eſt, juſtitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, tamquam animæ naturales; tanta diligentia obſervavit, diſcuſſit, atque in his ſe exercuit; ut cunctis pateret, quia fortis Chriſti miles, omnia arma ſpiritalia, contra diaboli nequitias pugnaturus, ſibi induiſſet; Spiritaliter quoque ut diximus fortis erat, ſicut Propheta ait: Qui appropinquant Deo accipient de doctrina illius: & qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, & aſſument ſibi pennas ſicut aquilæ: current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient, ſed volabunt ut requieſcant, ſicut columba in foraminibus petræ, id eſt, Chriſti: & ideo elongantes ſe à conſortio mundanæ offenſionis, fugient & manebunt in ſolitudine internæ jucunditatis.

Iſ. 40, 31

39 Quantum autem Tutilo robuſtus fuit in homines, tantum vir ſanctus & plus valuit ipſe in dæmones: alias autem corpore attenuatus erat, ut jejunans & vigilans, debilis, tener & macer. Contigit ergo quadam nocte, ut diem in eccleſia præveniens in maturitate, altariaque circuiens, ut ſolebat, in oratione flendo ejularet: cumque veniens in cryptam duodecim Apoſtolorum ſanctique Columbani, uberrime fleret, & acricres de poſt aram oculi ejus deducerent lacrymas, quaſi canem audiebat muſſitantem. Interdum etiam mixtam vocem ſicut ſuis grunnientis cum ſentiret, intellexit tentatorem; & Eſne tu, inquit, iterum ibi? *d* Quam bene tibi miſer contigit nunc muſſitanti & grunnienti, poſt glorioſas voces illas quas in cœlis habueras: accenſoque lumine, quo angulo lateret, quæſivit. Ille vero ſiniſtro angulo appropianti, tanquam canis rabidus veſtes lacerat: Eia, inquit ille, ſervitium tuum foris cryptam ſatagere habeo: neque enim pœnæ illæ, quas (ut aiunt) jam pateris, ſufficiunt; acrius tibi aliquid paraturus ſum. Præcipio autem tibi in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti & iſtorum Sanctorum, ut me in eodem quo nunc indutus es canino corpore exſpectes. Et ille: Faciam, inquit, ſi volo. At Notkerus, velocius abiens; Confido, ait in Domino, quod velis nolis me exſpectabis. Feſtinato autem aram S. Galli adiens, cambotam, quam ſanctus magiſter *e* Columbanus per Magnoaldum Diaconum miſerat cum epiſtola abſolutionis felici diſcipulo ſuo Gallo, multarum virtutum operatricem, cum ſphæra illa ſanctæ Crucis notiſſima, rapuit: & in introitu cryptæ dextro ſphæra poſita, cum baculo à ſiniſtro introiit, & caninum illum aggreſſus eſt diabolum. Cum autem illum baculo ſancto cædere cœpiſſet, voces ſuas anteriores altiori gannitu edidit, latratu & grunnitu. Tandem vero cum ad ſphæram ſanctiſſimam zabulus, cædentem fugiens, veniſſet; ultra jam progredi non valens conſtitit, & tot jam ictus & incuſſiones ferre non ſuſtinens, Barbarice clamans: *f* Owe mir! we! vociferauit.

E

unde contra dæmonem fortis,

d *apparentem in ſpecie canis*

F

e *baculo S. Columbani verberavit,*

f

40 Interea ædituus cum baſilicam intraſſet, voceſque horridas audiſſet, lumen velox in manibus ſumpſit, & ad cryptam acceleravit. At Pater ſanctus; cū dæmoni ictum ultimū feciſſet, baculum ſanctum in . . . *g* loçis confregit. Et niſi ædituus ſphæram videns allevaſſet, ſicque diabolum more canis abire permiſiſſet; adhuc cædere eum habuiſſet. Ædituus vero baculo inſpecto attonitus, Baculumne ſanctum, inquit, Domine mi, in cane fœdaſti? Illo

g

autem

EX EKKEHARDO. autem conticente, addidit: Quis nam erat ille, inquit, qui, Owe mir, we, vociferavit? [Ad quæ Notkerus nihil reſpondit]. Putans ergo ædituus, illum pro pietate furem aliquem celare velle, ivit pedes per totam eccleſiam, furem comprehendere cupiens; ſed cum neque furem inveniret, neque canem, graditur ſecum tractando fluctuans, quia eccleſiam poſt ſe introiens clauſerat, quidnam eſſe poſſet quod contigerat ſatis admirans. Virum denique regularem, jam ſemel ſibi tacitum, amplius alloqui non auſus eſt præſumere. Secundum autem quod vir ſanctus Domini Notkerus humilis erat & prudens, ædituo foras ire ſignificans, in partem eum ſumpſit, benedictioneque prælata, Quomodo baculum, inquit, fili mi, fregi? niſi tu juveris ſecreta mea habebunt efferri. Sed quia meum non eſt ambulare in magnis neque in mirabilibus ſuper me, ſilentio fidei tuæ committo quod factum eſt: ſicque ei rem, quamvis invitus, ut facta eſt, enucleavit. At ille baculo per fabrum latenter reparato, quod factum fuerat, ad tempus occultavit: in temporis autem proceſſu, res ut erat in medium venit. Paucos Sanctorum legimus diabolum ſic coërcitum ſtrinxiſſe, ut vapulatus plagas cædentis non potuerit effugere: unde canis ille infernalis aliquid tale machinabatur intra ſe, qualiter viro ſancto rependeret confuſionem digne ſibi illatam.

eique inſultavit.

B

qui viciſſim, ut erat minatus, *h*

41 Erat eodem in tempore, in loco adoleſcens quidam monachus, admodum litteratus, Comitis de Kiburg *h* filius, beati viri Notkeri de ſorore nepos, nomine Wolo, inquietus & vagus. Cui propter averſionem, cum Decanus ipſe nec Domnus Notkerus ſeu ceteri imperare potuiſſent, crebroque eſſet verbis & verberibus coërcitus, nihilque exinde proficeret; omnes pro talis ingenii viro dolebant. Nam quadam die advenerant in Monaſterium parentes ejus pro eo ſoliciti, per quorum monita cum parumper proficeret, iterum poſt abitum eorum idem erat. Diabolus autem una die Sancto apparuit Notkero diluculo; Mala tibi, inquit, & Fratribus tuis facturus ſum nocte. *i* Reſpondit beatus vir ſpiritui nequam: Mala avis frequenter malam famam prodere ſolet. Mox itaque ille bonus Notkerus, ſic enim à vulgo nominabatur, Fratribus quæ audierat à ſathana intimavit, & uti die illo ſe præcaverent innotuit: Wolo vero cum hoc & ipſe à dicentibus audiſſet; Senes, inquit, ſemper vana ſomniant. Erat autem dies ipſe, quo ſibi à Decano ne quoquam, ut ſolebat, clauſtro progrederetur, interdictum eſſe omnes noverant. Cum ergo ſederet ad ſcribendum, ultima ejus ſcriptura erat, Incipiebat enim mori, uti habetur Joannis quarto. Igitur illico à loco exiliens, ceteris illum inclamantibus; Quo nunc Wolo? quo nunc? in campanarium ſancti Galli, per gradus ad hoc quidem nobis paratos, aſcendere, incipit: ut oculis, quia greſſu non licuit, montes campoſque circumſpiciens, vel ſic animo ſuo vago ſatisfaceret. Aſcendens namque cum ſuper altare Virginum *k* veniſſet, impulſu ut creditur diaboli, per laquear cecidit, omnique corpore concuſſus collum confregit. Plurimis autem qui forte viderant vel audierant accurrentibus, cum viaticum ei properanter afferrent, confeſſione dicta communicavit. Illi vero cum eum efferre voluiſſent, & ad domum infirmorum portare; Sinite me, inquit, ſanctas Virgines prius inclamare: ipſæ enim ſciunt, quamvis alias nefandiſſimus, mulierem tamen nũquam novi.

i

Wolonem, Notkeri nepotem diſcolum, C

k precipitavit de turri:

ſed morientis pœnitentia

42 Interea cum alte ejulaſſet, B. Notkero accurrente, manus illi porrexit; Tibi, inquiens, domine mi & ſanctis Virginibus, quas ſemper amabas, animam peccatricem commendo. Qui ſtatim ſpiritu conturbatus, gemendo circa eum ſe jactans; Sanctæ, ait, Virgines, in vobis confiſus, Fratris iſtius crimina ſuper me tollo, & ambos nos vobis committo: & hæc dicens, flebat & ejulabat ex intimo cordis affectu. Cumque ille efferretur de oratorio, pro foribus eccleſiæ quiete petita, Notkerum manu arctiſſime ſtringens, omnibus preces pro eo effundentibus, emiſit ſpiritum. Inter exequias S. Notkerus eum lavit; more ſolito in feretrum collocavit; obſequium ipſe faciens, totam ejus ſepulturam procuravit; ſemper quoad vixit & quamdiu potuit, duo in ſe Monachi officia aſſumpſit, atque perſolvenda ſibi lege ſtatuit. Completorium vero ipſo obitus viri die dum finiretur, Patrum quidam ſimplicior, precem in qua ſcriptum legitur, Ut ſicut læti duximus diem, ita noctem quoque tranſigamus; dum recitaſſet; vir Dei mœrens ſurgens, Quid petis, inquit, frater admirabilis; quid petis? Sufficeret hodiernæ diei malitia ſua, & ſuperabundaret: tu autem nocti eadem precaris. Septima autem obitus hominis die, cum Sanctus Dei pernoctans in eccleſia manſiſſet, circa tempus laudis nocturnæ parumper ſuper genua pauſans, videt quaſi Ratpertum ſuum ſe excitantem & dicentem ſibi, Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Evigilans ergo ait, Unde anime mi? unde hoc noſti? Hæc igitur cum ſubjunxiſſet, quaſi modeſto gradu ille exiit. At ipſe putans eum eccleſiam, ut ibi licentius loqueretur, exiſſe, dum eum extra velum proſequitur, neque ipſum neque greſſus ejus ullum ſentire poterat ſonum; cereoque accenſo quæſivit illum in lecto. Quem etiam cum inveniſſet de lecto jam ſurgentem, ut & ipſe ſicut ſolebat præveniret in matutitate, & anticiparet vigilias, vir Dei cereo extincto in eccleſiam rediit; æſtimabat quippe ſe viſum vidiſſe, & intelligens ſciebat quod factum fuerat, quia per Angelum fiebat. Mox igitur hilaris factus, gratulabundus, Te Deum laudamus incipiens, præ gaudio flens, ſilenter cantavit. Die autem clare dato, quærente Ratperto, utrumne ad excitandum ſe nocte veniſſet; Sanctus Dei quid viderat, amabili ſuo aperuit: tandem quoque & ceteros Fratres ſpes tanta non latuit. Gaviſi ſunt ergo Fratres magno tripudio de ſalvatione Fratris, laudantes & glorificantes Deum in omnibus, quæ audierant & viderant, ſicut dixit illis vir beatus.

D

& ſalus revelantur

mœrenti avunculo,

E

43 Ut datur perſpici adhuc loci religionem conſiderantibus & intuentibus, etiam in pſalmodiis tredecim ſedilia cum pſalteriis, aut auro impictis aut alias nobilibus picturis ornatis, & ſecundum veritatem . . . valde correctis, habebat. Præterea & alias habet illa S. Galli baſilica capellas *l*, in quarum una angulari, foribus proxima, beatus vir Notkerus pſallere erat ſolitus. Nempe hic locus eſt ille, ubi aſſidue Sanctus Domini, humilis ac tremulus, videns paupertatem ſuam, præſtolabatur pſallens ſpiritu & mente, ut intelligeret in via immaculata, quando adveniret ad ſe, & in meditatione ſua exardeſceret & eloquium ſuum igniret divinus ille ignis, quem Dominus miſit in terram, cujus habitatio eſt in Sion & caminus in Hieruſalem, id eſt, in ſpeculativis mentibus, quarum deſideria velut ſcintillæ tendunt ad alta, & in carne degentes, ſupra modum vitæ carnalis ambulant. O quam ſæpe in eodem loco vir ſanctus lacrymarum imbre infuſus, roreque cœleſti irrigatus eſt; ita ut ignea ejus oratio quaſi fumus aromatum, & ſicut vapor thuris cum ſuavi thymiamate redolens aſcenderet, penetrans cœlos, thurificans altare Dei, ut ipſe pſallere poſſet; Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, &, cum Habacuc, Super excelſa mea deducet me victor, in Pſalmis canentem; ubi agmina Angelorum ineffabili jubilo collaudant Deum majeſtatis trinum & unum.

Eidem in angulo eccleſiæ orare ſolito, F

l

44 Accidit

A *damon ob Nonam omiſſam inſultat,*

44 Accidit autem ut quadam die huic occupationi ita inſtaret, ut ſpiritum non relaxaret à continua contemplatione, in tantum ut ad Nonæ ſynaxim non veniret, neque eam per ſe caneret. In illo itaque ſolio, cum poſt completorium clara adhuc die precibus inſiſteret, videt ſuper ſe in laqueari interruptis trabibus diabolum conſediſſe, & ſtylo in tabula ſcribere: eruperat enim tabulam de laqueari, in qua ſcribebat. Quem cum, quid ſcelus ſcriberet, interrogaſſet? Nonam, inquit, quam tu ſcelus hodie ſuperſederas, ſcribo. At ille dicto citius, Deus in adjutorium &c. proſecutuſque cetera, videt iterum diabolum manu celerrima, quod ſcripſerat planaſſe. Cumque ad preces ſynaxis ſe vir Dei proſterneret, tabulam laquearis diſrupti, in qua diabolus ſcribebat, ſuper eum dejecit. At vir ſanctus videns, ut ictum declinaret citius, à loco reſiliit. Cachinnans ergo ſatanas, Hoc tantum, *victuſque nititur eum decidere,* inquit, ut mihi aſſurgeres effeci. Enimvero, ait ei Notkerus, ſi tu caninus vel porcinus fueris, iterum tecum habeo operari. Statim cum evanuiſſet fugiens, Fratres aliqui in extremis templi orantes, ſonum tabulæ voceſque audientes, mirati quid eſſet, cito aderant. Videntes igitur eum, ut ſolebat proſtratum, nolebant illum, eo etiam quod incompetens erat hora, impedire. Tamen Tutilo, unus ex ipſis, ſigno dato amice eum evocans foras, ſilenter in aurem; Magnas, inquit, inquit, inquietudines tu & dæmones tui Fratribus facere ſoletis. Cui ille; Audieruntne, anime mi, Fratres omnia? Non omnia, inquit, ſed mihi velim quæ hæc turba fuerit, per ſingula pandas. Itaque cum id vir Dei abnueret, & ab eo concitus tabulam, quæ ibi cecidit ſubtraheret, alii qui viderant in latebris orantes, totum ut factum fuerat, non celabant. Vere locus iſte venerabilior ceteris & ſanctior eſt angulis univerſis, in quo tantus contemplator in tantis ſe cœleſtium virtutum gymnaſiis exercuit. Quam occulte autem ac ſubtiliter hoc ageret, breve indicium ſubjunctum declarabit.

B

Eorum colletis exemplo

45 Carolus Imperator in tantum dilexit locum S. Galli, & ita familiaris erat Fratribus, ut eum non aliter nominarent, quam noſter Carolus. Plus tamen & ampliori dilectionis privilegio Notkerum ſuum amabat, quia ſcientia, intelligentiaque & ſpiritalium diſciplinarum virtutumque cœleſtium religioſitas, abundantius inventæ ſunt in eo. *m* Erat enim ei vir Domini in ſpiritalibus ſemper conſiliarius; & ubicunque eum apprehendere quibat, aut ipſemet acceſſit ad eum; aut ſi non, per internuntium de conſiliis eum conveniebat. Contigit vero eum aliquando beato viro litteras dirigere per aliquem, forte ab eo exigens de virtutibus & vitiis aliquas quæſtiones enodari, & ſolutiones earū enucleatius exprimere. Cumque nuntius ad locū veniſſet, manſit in loco aliquot diebus. Quadam die tædio victus ibi morandi, adiit virum ſanctum, inveniteq; eum in horto eradicantem, evellentem & ejicientem herbas inutiles; radicantem autem, tranſponentem, plantantē & irrigantem herbas utiles. Intulit nuntius dicens: Sancte Pater, quid mandas domino meo? Ad quem ille: Ea quæ me vides facere: hæc dic ei & nihil aliud. Reverſus ergo nuntius ad Dominum ſuum, nuntiavit ei quæ vir beatus dixerat. Deinde ſubinfert, quia invenerit eum eum in horto eradicantem & ejicentem herbas inutiles, & radicantem & ſtatuentem & irrigantem herbas utiles. Ad quem Imperator reſpondit: Satis mihi dixiſti, prudenti viro ſufficeret. Puto quod felix Rex ſenſerit, quia vir Domini admonuerit, ut vitia ſpiritalia ſive carnalia de horto cordis ſui eradicaret & ejiceret, ut per incrementa gratiarum ſpiritus virtutes ſuccreſcerent; aut forte ut de Eccleſia Dei, ſuper quam imperium ſuſceperat, erroneos & impios evelleret & extirparet, ut juſtorū lucis ſemita creſceret & dilataretur uſque ad perfectum die. Nec mirum ſi vir beatus horti officium libenter agebat, irrigando, plantando, eradicando & ejiciendo imitās Dominum per Prophetam dicentem: Rigabo hortū meum. Et Oſeæ: Ero quaſi ros: Iſraël germinabit ſicut lilium. Proinde facta eſt anima juſti quaſi hortus irriguus. Et ſponſus in Canticis, Deſcendit in hortum ad areolas aromatum, ut paſcatur in hortis & lilia colligat. Itaque & à Mariæ in horto viſus idem ſponſus, æſtimatur eſſe hortulanus. Sic ſic vir ſanctus, tendēs ad faſtigium ſpeculativæ vitæ, ſicut aquila intuens & renidens contra claritatem Solis, ita oculis interni hominis ſpeculator ſpiritalis, humilitate eximia ſemetipſum tranſcendens, ſupra modum excellens divinæ gloriæ pondus contemplans, arcanum cœleſte [penetrabat.] Tali enim lucta laborabat in Dei horto, ut merito cum Jacob, Iſraël, id eſt, vir videns Deum, poſſit appellari: hujuſmodi vero eruditus vir exercitiis, diſcernebat virtutes à vitiis.

EX EKKEHARDO. Eccl 24.42 Of 14.6 Cant. 6.1

m

C

de animi cultu docetur Imperator,

non ſine fructu.

ANNOTATA.

a *Vterque Ekkehardus*, In noſtratium acer erat exactor diſciplinis: *quod ex conjectura correximus.*

b *Poſterior brevius & perturbatius*, Quieſcere velut cum inſidiis dæmonum erat: ipſe propter regulæ tenorem eos.... abſturbarat: hoc idem cum refutarat, tamen ab Abbatibus per obedientiam injunctum ei eſt: *nos ex priori clariorem ſenſum & pleniorem reſtituimus.*

E

c *Hic inconcinnius intruſa erant quæ, ſupra ex priori Ekkehardo poſuimus, & ſic mutata legebantur*: Porro non erat hora neque incompetens dicebatur, ſi codicem in manibus non habuit, quando quis cum eo aliquid conferebat.

d *Emargine in contextum fortaſſe irrepſerant hæc quæ expunximus*: Bene conſtat virum Dei plures pugnas & conflictus eum eo habuiſſe, de quibus triumphos victoriæ reportarat.

e *De hac, ex ipſa S. Magnoaldi vita, egimus in Vita S. Tozzonis 16 Jan. alibi* Cambuta *ſcribitur, eſtque pedum Abbatiale, ſed ligneum. Goldaſtus* baculum incurvum *interpretatatur: & hoc ſenſu Germanis Epiſcopale pedum dicitur* Crumberſtab.

F

f *Id eſt, Germanice ſeu Helvetice.* Væ mihi! væ!

g *Deeſt forte* duobus *in Proceſſu num. 38, præfatus baculus ſolum dicitur habuiſſe* fructuram.

h *Goldaſtus tom. 2 rerum Alemann. pag. 19) in catalogo ſcriptorum gloſſisque paternis, opinatur, Hartmannum dictum; qui in Vdalriciano veteri MS. genealogiam dictorum Comitum continente, primus collocatur; cujus ſucceſſor Hupaldus fuerit circa annū 865 natus: itaque conveniunt tempora. Nam potuit Hupaldo paucul is annis ſenior Wolo ex eodē patre natus fuiſſe circa annum 860. periit enim admodū juvenis, & Hepidannus de eo ad annum 876, Volo cecidit. Matrem ejus appellat Goldaſtus* Comitē Elichoviam: *proprie an appellative? Nos ſcimus Notkeri patriam* Hellicgow *ſive* Elichoviam, *Kyburgo proximam villam fuiſſe, ejus parentes ab illa Comites nuncupatos neſcimus. Ceterū qui prior hæc ſcripſit Ekkehardus, Wolonem ſimpliciter dixit Comitis cujuſdam filium, & quod eſſet Notkeri nepos tacuit. Goldaſtus ad cap. 9 Ekkehardi dubitat, an* Kerhilda Virgo, Notkeri Balbuli neptis, *de cujus incluſione ibi agitur, fuerit ſoror Wolonis: ſed nimia eſt ætatis diſcrepantia: nam ut dictum ex Hepidanno,* anno 876 Wolo cecidit: *anno autem* 952 Kerhilt vi Kal. Junij in die Aſcenſionis Domini ſacro velamine induta eſt, & in natali S. Mariæ incluſa. *Vt Notkeri proneptis aut abneptis fuerit.*

i *Addit Goldaſti editio.* Ut probatius conjici poteſt, datur intelligi, dæmoni huic permiſſum futura præſcire: *quod quia gloſſema marginale vedetur, expunximus.*

k *Quæ illæ nominatim proprium in S. Galli eccleſiam altare haberent, ut mox dicitur, nondum invenimus.*

l *Ephemerides monaſterii à Goldaſto editæ ad* XV *Kal. Martij*

EX EKKE-HARDO. *has ſex Capellas nominant, & vurſum* IX *Kal. ejuſdem Martij eaſdem numerant cum aliis octo eccleſiis & capellis: itaque neſcimus, an iſtic nominatæ fuerint in ipſa S. Galli eccleſia an extra eam.*

m *Hic interpolator qui Carolum* Magnum, *& Notkerum* ejus nepotem *iterum huic loco induxerat; connexam apte periodum inepto diſtraxit gloſſemate, addens.* Nam & auxit locum prædiis vehementer, & firmavit eum regalibus teſtamentis & honoribus.

CAPUT VI.

S. Notkeri ſenectus, morbus, obitus, ſepultura.

a 46 ORbatus igitur ſociis *a* clariſſimus vir Domini Notkerus, quoniam illum Spiritus ſancti vas electiſſimum nequaquam dubitamus, ſuperſtes ipſe remanſit ſanctiſſimus, uterinis in eodē ſpiritu viduus & orbus. Jam enim proceſſerat in dies plurimos, nec tamen relaxabat ſpiritum ab optimo incepto propter annorum nimiam gravedinem: ſed magis ac magis adhortationibus ſeipſum roborans, ſpiritu extendens ſe in anteriorā, cogitans illud quod ſcriptū eſt: Quid eſt homo aut quæ gratia illius? Numerus dierum e-
Eccli 18, 7 jus, ut multum centum anni, quaſi gutta maris & ſi-
B cut calculus arenæ, ſic exigui in die ævi deputati ſunt. Sedebat namque in loculo ſuo ſolus quietus, velut ſapiens in omnibus metuebat; & ideo media nocte præanticipans vigilias, ſemper præparabat ſe ad orationem, dicens cum Propheta: Anima mea deſideravit
Iſ 26, 9 te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de
totum ſe dat contemplationi cæleſtium. mane vigilabo ad te. Quamvis enim nemo ſciat, utrū amore an odio dignus ſit; tamen ſuper cuſtodiam vir ſanctus ſtans jugiter, confidenter præſumebat de ſpiritu, qui eum ab infantia ſuis chariſmatibus illibaverat. Et ſi vinum & muſica lætificant cor, & tibia & pſalterium ſuavem faciunt melodiam; quanto magis amor ſapientiæ, cujus id eſt, Chriſti quem dilexit homo ſanctus & juſtus, eloquia, dulciora erant faucibus ſuis ſuper mel & favum; & cuſtodivit ea ab utero matris ſuæ? Non enim privabit bonis eum Dominus virtutum, qui ſic in innocentia ambulat ſperando in eū. Contulit vero illi Dominus gratiam ad merita, ut mereretur in ſua converſatione adipiſci gloriam & conſortium Sanctorum, quorum ampliavit laudem in ſancta Eccleſia in conſpectu filiorum hominum, ut omnis Chriſtianus properaret & caderet in faciem
C ſuam adorare Dominum Chriſtum. Propterea vir ſpiritalis ſine intermiſſione fudit preces excelſo Deo omnipotenti, & iteravit orationem ſuam, ut Dominus multiplicaret pſallentes vocibus ſuis, ut in cælū reſonaret ſonus, Spiritus ſancti gratia auctus, omni dulcedinis ſuavitate plenus. Ideoque digne memoria ejus in compoſitione odoris ſanctæ Eccleſiæ facta eſt velut opus pigmentarii, ut non fraudetur virtutum ejus meritis & precibus, ſed more omnium laudetur nomen Notkeri in eo qui fecit eum, & quaſi mel indulcetur ejus recordatio, & ut muſica in convivio vini, quod germinat virgines: id eſt, ut ejus caſtitatis exemplo arduæque continentis vitæ plures eruditantur. Nunc de tranſitu ejus quia modica ſcimus, ſcita cito explicabimus. *b*

b 47 Vir itaque ſanctus ac ſpiritalis nimia ætate in-
ad eaque magno animi affectu aſpirat: graveſcente in loculo ſuo, id eſt, in angulo ſedens templi, egeſtatem rerum & pauperiem reputabat ſpiritus ſui abundantiam. Poterat iſte Sanctus dicere, ac ſi attenuatus corpore, omni deſiderio aſpirans oculis interioris hominis, ſemper ſuſpiciendo in excelſum, gemens intra ſe: O quando ingrediar viam univerſæ carnis? Aut quomodo introibo in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei? Putas & aſcendam ad populum accinctum, ut requieſcam & ſim in manſionibus Angelorum, & inter plenitudines Sanctorum detentio mea? O quam beati qui habitant in domo tua, Domine: ambulabunt enim in lumine vultus tui, & in lumine tuo, videbunt illud ineffabile paternum lumen: replebuntur & inebriabuntur ab ubertate dulcedinis tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Ideoq; ſitivit anima mea te fontem vitæ, & de mane conſurgens fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Siquidem homo Dei poſtquam gratiam Spiritus ſancti pereepit, ab infantia uſque ad hanc ætatem, ita viriliter pugnabat contra minitantem carnem, contra ſuperbiam mundi, ac intrepidus contra dæmonum terrores, ut numquam mundanæ contagionis aliquid mundum cor ſuum involaret ad inquinandum, juxta illud Evangelicum: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Contemptum ſui & parcimoniam, ut prædiximus, ſic amabat, ut apte ſibi conveniat: Beati pauperes ſpiritu, quia veſtrum eſt regnum cœlorum. Ergo merito fiducialiter ſecurus ſubinfert: Certus ſum enim, quia neque tribulatio vel anguſtia, neque mors nec vita, neq; aliqua creatura poterit me ſeparare à caritate Chriſti, quæ promiſit decertanti, per os Joannis in Apocalypſi dicens: Vincenti dabo edere de ligno vitæ & manna abſconditum, in-
E dueturque veſtibus albis, & erit columna in templo meo, & ſedere eum in throno meo faciam, ſicut & ego in throno Patris mei ſedi. His & talibus incitamentis, aliiſque quam pluribus adhortationibus exercitabat, & ſcopebat in meditatione ſua ſpiritum ſuum, à juventute uſque ad ſenium.

& extremis munitus Sacramentis 48 Tandem cum tæderet animam ſuā vitæ in hoc mundo vano, oravit Deum ut faceret ſignum in bono, dicens: Quoniam magnus es Domine & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus, ſuavis & mitis, & copioſus in miſericordia, patiens & multæ miſericordiæ, ac verax omnibus invocantibus te; auribus percipe orationem meam, & intende voci deprecationis meæ. Denique miſit Deus miſericordiam ſuam, & eripuit eum de ſeculo nequam; & in medio Fratrum ſuorum ſuſtulit cum, tamquam ovem de grege Domini, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eum. Nam febre utiquè correptus aliquot dies erat languens. Cumque ſentiret diem vocationis ſuæ adeſſe, & creſcente dolore infirmior exiſteret, convocatis Fratribus, coram eis munitus eſt Viatico ſacroſancti myſterii corporis & ſanguinis Chriſti, atque Unctione divini liquaminis illinitus, valedicens omni-
F bus benedixit eis, & commendans eos Deo & ſanctis Patronis Gallo & Othmaro, ſeque orationibus eorū commendans, multis clarus meritis, virtutumq; odoribus redimitus, in ſenecta bona plenus dierū, beato fine deficiens, ſanctum tradidit ſpiritum. Non æſtimo *feliciter moritur,* aliquem dubitare de tam beati viri anima, tot pigmē-tis laborum ſuorum inſignita, totiens Flamine ſancto ignita, quæ Angelorum jubilos docuit Eccleſiam Dei, quin in Angelicis carminibus ſit evecta ad cælica regna; ubi inter pſallentium choros, & inter catervas electorum monachorum ſiderea ſede conſidens, coronatus effulgeat, & majeſtatem omnipotentis Dei facie ad faciem videat. Obiit ſanctus Dei Notkerus, vas ſignatum Spiritus ſancti, * ſexto idus ** imo octavo* Aprilis: & appoſitus eſt ad patres ſuos, in capite baſilicæ ſancti Joannis Baptiſtæ & beati Petri principis Apoſtolorum, ſepultuſque eſt in plaga Orientali.

& magno cum luctu ſepelitur 49 Hymno dicto in obſequio viri Dei, ſuper ſepulchrum ejus advolventes lapidem, ſignantes monumentum, regreſſi ſunt Fratres gemebundi & triſtes in oratorium, lacrymarum imbribus irrorati, dolentes quod viri ſancti corporalem præſentiam amplius habere non oportebat: Heu me proh dolor & nefas! O negligentia! O ignavia! O torpor!

A torpor! quod tam plurium annorum circuli revoluti ſunt, quod tanta ac talis, tam elegans, tam lucida, tam præelecta, ac præclara margarita latuit in retro, & non in ante; in diademate Reginæ, id eſt, in fronte ſanctæ Eccleſiæ locata, ut omnibus luceret, qui in ea ſunt? Aut cur homo eximiæ gratiæ non plura fecerit miracula? Cui ordinate reſpondendum eſt. Verum eſt quia Pater ſanctus pauca ſcripſit, præter Sequentias & alia modica, cantumq; etiam correxit ſecundum uſum, juxta exemplaria beati Gregorii, eumque in ſcholis docuit atque inſtituit, ſicut præfati ſumus. Sciebat enim homo Dei quod plures opera plura fecerant, quos doctiores & ſanctiores humiliter ſibi prætulit: & quia ſcientia inflat, ſapientia ædificat, caritas illuminat; ideoq; ſe nulli implicabat negotio, ut largius Deo & ſibi vacaret, & arrogantiam ſive jactantiam liberius declinaret. Erat namq; tantæ humilitatis vir ac ſibi deſpectus, ut non ſolummodo laudē non quæreret ab hominibus, verum etiam quantum in ipſo eſſet, nomen ſuum vellet nescīri in terris: propter gloriam pro qua multo fervoris deſiderio inardeſcens ſæpius flagrabat.

cur vir tam doctus tam pauca ſcripſerit,

& tam ſanctus tam pauca ſigna fecerit?

B 50 Alio modo de ſignis. Sciendum itaque eſt, quod multi ſunt qui ſigna faciunt, & virtutem ſignorū non habent: & ſunt alii qui virtutem ſignorū habent, ſigna tamen non faciunt, ſicut legitur in quadam Homilia B. Gregorii: & ſunt alii plures Sanctorum, qui ſigna valenter & abunde faciunt, quibus tamen majores ſunt hi qui ſigna non faciunt. Nam ut in ipſis Apoſtolis plus erat mirabilis virtus operum, quam ſignorum; ita nunc eſt in Eccleſia. Plus eſt bene vivere quam ſigna facere. Fere nulla ſigna fecerunt Patriarchæ & Prophetæ, exceptis Moyſe, Joſue, Helia, & Heliſæo. Aut quæ ſigna fecit ſanctiſſima ac præcelſa Dei genitrix Virgo æterna? vel ille cui inter natos mulierum nemo major? Nulla leguntur ſigna feciſſe, quamdiu erant in hac vita. Nec ipſe Dominus dignoſcitur ſigna feciſſe in his triginta annis. Nulla igitur ſigna leguntur agmina Angelica feciſſe, ut dicatur hoc ſignum fecit ille Chorus, vel ille Cherubim aut Seraphim nec aliquis Angelus de ordine alicujus agminis in propria perſona, niſi forte Michaël vel Raphaël ſoli aliquid fecerint: ſed tamen eorum miniſterio credimus pene omnia miracula patrari. Sunt etiam nonnulli Sanctorum, quorum feſta ſancta Eccleſia valde ſolenniter ſolet celebrare, & commemorationem eorum agere, quibus tamen aliqui majores ſunt, quorum nulla fit mentio. Unus vero illorum erat iſte ſanctus ac beatus Notkerus, quia Chriſto confixus cruci, carnem ſuam crucifigebat cum vitiis & concupiſcentiis. Propterea idem Dominus Ieſus Chriſtus, ſummus Pontifex factus, cum baculo, id eſt cruce, introiit ſemel in Sancta, ut per ſanguinem ſuum ſanctificaret templum ac dedicaret Eccleſiæ tripudianti in cœlis: in quo canonizavit feſta Sanctorum prædictorum, celebranda ab Angelicis ſpiritibus, B. Notkeri & aliorum ſimilium, ibi videlicet in ſui præſentia: in quo templo ſedens cathedra, ſede ſplendet fulgida, & cum eo Sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex, & quoniam dilexit eos, in æternum conſervabuntur, & delectabuntur in multitudine pacis: & quia in pace factus locus eorum, ideo fulgebunt ſole ſplendidius in terra viventium, & regnabunt cum eo in ævum & ultra.

C

Cur tot Scripturæ hic intextæ?

Iob 38, 2

51 Si quiſquā forte, invidiæ vel odii face accenſus, arguet nos de peccato & de injuſtitia, ſuo judicio derogans nobis Domini verbo, dicentis de Heliu ad Beatum Job: Quis eſt iſte involvens ſententias ſermonibus imperitis? eo quod tantas ac tales auctoritates operi inſeruerim: quicumque ille eſt, ſcire debet quod rationis eſt, quia myſtica Sanctorum merita, vita & geſta, myſticis ſunt auctoritatibus exemplanda, & ſpiritalia ſpiritalibus ſunt comparanda. Idcirco magis me reprehendo & ago pœnitentiam, quod minus dixerim, quam exegerint merita & geſta hominis juſti. Si quis autem impoſuerit nobis falſa finxiſſe; Deum conteſtor, credat qui velit, nulla me ſcripſiſſe, niſi quæ audivi, vidi, vel legi: alioquin mallem tacuiſſe. Unum tamen dico, & ideo parcendum eſt mihi, licet ſim illitteratus & indoctus, quoniam non cognovi litteraturam; eo tamen ſpiritu quo vir Domini abundabat donante, introiens in potentias Dei, de dextra ſedentis in throno, & de plenitudine ejuſdem Spiritus accepi quæ ſcripſi? Et cum non ſim rhetor, rhetoricæ tamen artis regulam imitatus, verarum rerum aut veriſimilium atteſtatione cauſam probabilem reddidi: quia auctoritates quas poſui, qui oculo rationis diſcernit & conſiderat, peroptime agnoſcet, quam apte textui conveniant & Dei viro congruant.

EX EKKEHARDO.

cur omiſſa plurima S. Notkeri miracula

B De miraculis beati viri Notkeri, quæ poſt tranſitum ſuum ad tumbam ejus, meritis ipſius ſuffragantibus, contigerunt, longum eſſet enarrare quanta vel qualia: nam à die depoſitionis ſuæ, quo gleba ſancta latuit & theſaurus pretioſus eſt abſconditus in terra, plura ſigna ejus interceſſione patrata ſunt, per ducentorum circiter & eo amplius annorum ſpatium, ante quos Pater ſanctus migravit ad Dominum. Sed ſicut audivimus, ita & vidimus, utriuſque ſexus homines, ſenes cum junioribus & infantulis, diverſarum ægritudinum infortunio laborantes, circa ſepulcrum ſancti viri degentes, orationi inſtantes, oblationes ſuper ſepulcrum offerentes, lumina accendentes, gratiam curationum præſtolantes, divinum auxilium flagitantes: denique mox meritis ſervi ſui, miſit Deus verbum ſuum & ſanavit eos, & eripuit eos de interitu eorum. Multi etenim eorum tandem ſoſpitate potiti, liberati à malis omnibus, priſtinam ſanitatem adepti, cum gaudio remearunt ad ſua, glorificantes & laudantes Deum, & ſervum ejus S. Notkerum. Si quis vero omnia ejus miracula vellet ſcribere, majus volumen fieret quam vita: etenim plura ab hominibus loci ſunt neglecta, ac proceſſu temporis oblivioni tradita. Cum ergo ſigna non ſint fidelium, ſed propter infideles fiant: & aliis odor vitæ in vitam, aliis ſint odor mortis in mortem, maxime incredulis & deriſoribus, ne arguamur celare gloriam Dei & viri ſancti, & dicatur nobis hoc Apoſtolicum, Canes muti non valentes latrare laudes Domini & virtutes Sanctorū ejus; & ne ſilentio redarguti, poſtea unuſquiſque noſtrum mœrens & dolens cum Propheta dicat: Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis, ego ſum, quanta audivimus & cognovimus miracula facta, & patres noſtri narraverunt nobis, & adhuc aliqui narrabunt, [quædam] in ſcripto poſteris demandamus *c*, [quædam prætermittimus, quia occultata adhuc ſunt à nobis.

F

Iſ. 56, 10

& 6, 5

c

EPITAPHIUM AD EJUS TUMULUM *d*

d

Ecce decus patriæ Notkerus, dogma ſophiæ,
Ut mortalis homo conditur hoc tumulo.
Idibus octonis hic carne ſolutus Aprilis,
Cælis invehitur, carmine ſuſcipitur.

ANNOTATA.

a *Merito miramur de horum obitu nihil in annalibus Hepidanni inveniri. Tuitilonis mentio eſt in Ephemeridibus ad* V *Kal. Apr. hoc modo* B. Tuitilo obiit. *Alibi Beati titulum ei datum non invenimus.*

EX HENR. CANISIO.

b *Hic adeo turpiter obliviſcitur ſui interpolator, ut qui antea Caroli Magni æqualem S.* Not. *erum fecerat, adeoque initio noni ſeculi florentem, nunc inducat cum Otthone magno jam ſene fabulantem, tranſcribens ea omnia quæ tempore* Notkeri *Abbatis geſta de avunculo ejuſdem* Notkero *medico ultimo capite de caſibus monaſterii narraverat* Ekkehardus, *ſpectantque manifeſte ad annum 973, quo* Notkerus *Abbas factus eſt, uno ante mortem ipſius Ottonis anno: quem nihilominus quærentem inducit,* ille dulcis nepos ſuus Notkerus Balbulus, ubi eſſet & an adhuc viveret. *ubi* Ekkehardus *ſolum habet* Notkerus ſuus ubi eſſet interrogat: *eadem impudentia hujus* Notkeri, *Medici ſcilicet, jam decrepiti cæcitatem, tranſtulit ad Balbulum. Igitur totum hoc caput reſecuimus: manifeſte enim præter mentem auctoris interrumpitur contextus hiſtoriæ, ad viri ſancti mortem narrandam tranſeuntis.*

c *Hoc modo explendam eſſe auctoris mentem patet ex ſenſu. Dolendum eſt autem reliqua capita nuſquam reperiri.*

d *Deeſt in editione Caniſii.*

PROCESSVS CANONIZATIONIS,

ab Henrico Caniſio ex MSS. *editus.*

B

CAPUT I.

Commiſſariorum ad examen inſtituendum delegatio & ſubdelegatio.

Hugo Ep. Conſtant.

1 HUgo, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Conſtantienſis, venerabili nobis in Chriſto ſincere dilecto Domino Joanni Zwick, in decretis Licentiato, Canonico & Cuſtodi Eccleſiæ noſtræ Conſtantienſis, Conſiliarioque noſtro fideli, ſalutem in Domino, & in commiſſis diligentiam adhibere fidelem. Litteras ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Julij felicis recordationis Papæ ſecundi, in forma Brevis ſub annulo piſcatoris clauſas, emanatas, & nobis pro parte venerabilium & religioſorum nobis in Chriſto ſincere dilectorum Franciſci Abbatis & Conventus monaſterii S. Galli Ordinis S. Benedicti noſtræ diœceſis, principalium & in eiſdem litteris principaliter nominatorum, obſignatas, ea qua decuit reverentia recepiſſe, aperuiſſe & legiſſe noveris hujuſmodi ſub tenore.

C *ex commiſſione Julij II.*

2 Venerabili Fratri Epiſcopo Conſtantienſi, Julius Papa ſecundus. Venerabilis frater ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecerunt, dilecti filii, Franciſcus Abbas & Conventus monaſterii S. Galli Ordinis S. Benedicti, veſtræ diœceſis; quod cum corpus B. Notkeri, olim monachi dicti monaſterii, in capella Sanctorum Petri & Pauli, ſita infra ſepta ejuſdem monaſterii, debito cum honore conſervetur (Qui adhuc catalogo Sanctorum annotatus & canonizatus non fuit, & multis claret miraculis, & frequens fidelium concurſus habetur, cum ejus interceſſione plures ex dictis fidelibus ſentiant & cognoſcant ſuas petitiones apud Dominum exaudiri) ſummopere cupiunt eis & quibuſlibet aliis perſonis, una die cujuſlibet anni per eos eligenda, vel die quo dictus Notkerus ab hoc ſeculo migravit, feſtum Confeſſoris minoris ac Miſſam & Officium ejuſdem B. Notkeri, à primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas ejuſdem diei, in dicta capella ejuſdem monaſterii, nec non aliis eccleſiis & capellis dicto monaſterio ſubjectis, ſolenniter celebrandi, cujuſvis licentia minime requiſita, licentiam concedi. Quare pro parte Abbatis & Conventus prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatũ, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationi inclinati, de præmiſſis certam notitiam non habentes, fraternitati tuæ, de qua in Domino præcipuam fiduciam obtinemus, per præſentes committimus & mandamus, ut in præmiſſis, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, facias, ordines, atque decernas, prout videbitur tibi faciendum, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus tamen, quod ex his quæ circa præmiſſa feceris, decreveris atque ordinaveris, dictus Notkerus propterea canonizatus aut alias approbatus non cenſeatur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris, die 20. Decemb. 1512. pontificatus noſtri anno 10.

D

Balthaſar Tuerdus.

3 Poſt quarum quidem litterarum præinſertarum præſentationem, receptionem, aperturam, & diligentem inſpectionem, nobis & per nos uti præmittitur factas, fuimus pro parte dicti Domini Abbatis & Conventus principalium, & in litteris præinſertis, ut præfertur principaliter nominatorum, quatenus ad executionem dictarum litterarũ & contentorum in eiſdem, juxta earumdem vim, formam, continentiam & tenorem procedere dignaremur, debita cum inſtantia requiſiti. Nos itaque de præmiſſis certam notitiam non habentes, & nihilominus ſuperioris mandata, & præſertim Apoſtolica, reverenter exequi cupientes, ut tenemur; tibi, de cujus fidelitate & circumſpectione in Domino præcipuã ſpem obtinemus, præſentibus auctoritate Apoſtolica nobis commiſſa & qua fungimur, committimus & mandamus; quatenus nedum in dicto Monaſterio, ſed & in aliis parochialibus eccleſiis dicti oppidi S. Galli, publicum proponi facias edictum; admonendo & requirendo auctoritate Apoſtolica prædicta, ac, ſi tibi viſum fuerit, ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ, omnes & ſingulos utriuſque ſexus homines, quibus de vita vel miraculis B. Notkeri, olim monachi dicti monaſterii, vel ex certa ſcientia vel veridico relatu ſeniorum, ſeu authenticis ſcripturis conſtiterit, quatenus coram te in dicto monaſterio ſancti Galli, & illic in *a* ſtuba Auff der Hell vulgata, propria in perſona compareant, agnitam de præmiſſis depoſituri veritatem. Quos ſiquidem ſic comparentes, coaſſumpto diſcreto nobis in Chriſto dilecto Leonhardo Altweger, noſtræ diœceſis ac in officio Vicariatus curiæ noſtræ Conſtantienſis Notario & Scriba jurato, de veritate dicenda in forma juris juratos ſolenniter recipias, & ſuper narratis in litteris præinſertis diligenter examines; eoſdem quærendo de veritate narratorum in eiſdẽ litteris, & de vita ac miraculis B. Notkeri: an pro nomine Chriſti labores ſuſtinuit; de humilitate ejuſdem; an in vita perſequẽtes paſſus fuerit, & de cauſa perſecutionis: item de miraculis per eum in vita & poſt mortem factis, & quæ ſeu qualia fecerit miracula, & quomodo evenerint; an ex vi verborum vel merito iſtius ſancti viri, an illa miracula tendant in corroborationem fidei, & quæ vel qualis ſit de his fama viciniæ, & de aliis circumſtantiis. Et dicta & depoſitiones teſtium hujuſmodi, per dictum Notarium in ſcriptis fideliter redactas, & ſigillo tuo ab extra clauſas, nobis quantocius remittas. Teſtes autem qui tibi nominati fuerint, ſi ſe gratia, odio, amore, timore, prece, pretio, aut favore ſubtraxerint; vice & auctoritate noſtra, imo verius Apoſtolica, eccleſiaſticam per cenſuram veritati teſtimonium perhibere compellas, tuam in præmiſſis conſcientiam oneramus. Datum in aula noſtra Conſtantienſi, ſub officii Vicariatus curiæ noſtræ Conſtantienſis appreſſione, Anno Domini milleſimo quingenteſimo tredecimo, menſis

Ioannem Swick Cuſtodem Conſtantienſ.

ad cogendos audiendoſq; teſtes delegat;

&

& examinã inſtituendo materiam præſcribit.

E

F

A mensis Aprilis die prima, indictione prima.
Leonhardus Altweger Notarius ſubſcripſit.

4 *Non potuit delegatus hic injunctum ſibi munus implere: quare Epiſcopus in eum, quem Ioanni aſſeſſorem conſtituerat, Leonardum, totam cauſæ informandæ provinciam tranſtulit, per breve hujus qui ſequitur tenoris*: Hugo ... Epiſcopus Conſtantienſis &c... Quamquam nos pridem examen & receptionem teſtium, ſuper narratis quarumdam littetarum Apoſtolicarum in forma brevis, occaſione B. Notkeri emanatarum, producendorum, ſive virtute edicti deſuper emiſſi comparentium, venerabili nobis in Chriſto dilecto Joanni Zwick per alias noſtras certi tenoris litteras commiſerimus: tamen quia idem Dominus Cuſtos ob infirmitatem corporalem examini hujuſmodi intendere non poteſt, Nos tibi, de cujus induſtria & fidelitate in Domino ſingularem obtinemus fiduciam, examen & receptionem teſtium hujuſmodi ſub modo equidem & forma prioris commiſſionis, dicto Domino Cuſtodi factæ, auctoritate Apoſtolica committimus, & te in ejuſdem locum harum ſerie litterarum ſurrogamus. Datum in aula noſtra Conſtantienſi anno Domini milleſimo quingenteſimo tredecimo, die ſecunda menſis Apr. Indictione prima; ſub ſigillo officii Vicariatus dictæ Curiæ noſtræ Conſtantienſis, à tergo præſentium impreſſione.

Ioanni agrotanti ſubſtituitur Leonardus Notarius.

B Ex ſpeciali commiſſione dicti Domini Hugonis Epiſcopi, Cunradus Rainer ſubſcripſit.

5 Cujus quidem Commiſſionis præinſertæ vigore, Ego præfatus Leonardus Altweger, Notarius, cauſæ hujuſmodi Edictum publicum juxta continentiam prioris Commiſſionis in oppido S. Galli, & quidem in Monaſterio ac ſanctorum Laurentii & Magni parochialibus Eccleſiis præponi feci; & de ejus executione fideli ratione mihi facta, Ego idem Leonardus Altweger teſtes infraſcriptos coram me, tempore & loco ſubnotatis, virtute edicti hujusmodi comparentes, in forma juris juratos ſolenniter recepi, & juxta mentem & formam dictæ prioris Commiſſionis diligenter examinavi, ut ſequitur deponentes: Juravit autem uniſquiſque eorum quod ſibi ut ferat teſtimonium, nil eſt datum, promiſſum vel remiſſum: nec ex ſua depoſitione ſperat conſequi lucrum, commodum vel emolumentum: non eſt quid, quomodo, aut qualiter deponere debeat informatus: ſed metu cenſurarum & virtute edicti comparet, agnitam ſibi depoſiturus veritatem, odio, amore, favore, prece, pretio & omni humana gratia penitus poſtpoſitis & ſemotis.

C

ANNOTATA.

a *Germanis, ſolitis conclavia & aulas domorum præcipuas fornacibus, quas* Stubas *vocant, inſtruere, uſitatum eſt ipſas quoque aulas ſic nuncupare, hæc autem aula ſive ſtuba* ſupra infernum *cognominatur.*

CAPVT II.

Iuratorum teſtium depoſitiones, præcipue de miraculis B. Notkeri.

Teſtis 1. *Ob neglectam eorum canonizationis*

6 PRovidus Othmarus Blum Sub-burgermeiſter oppidi S. Galli, ætatis annorum XLI, depoſuit & dixit, quod ipſe natus ſit in oppido S. Galli, & ab ineunte ætate ſua à ſuis parentibus & majoribus audiverit, qualiter ille S. Notkerus, cujus corpus in Eccleſia S. Petri ejuſdem oppidi S. Galli tumulatum exiſtit, vir fuerit ſanctus & canonizatione ac veneratione digniſſimus: & quamdiu omitteretur ejus canonizatio, ſemper in centum annis oppidum S. Galli ignis voraginem paſſurum ſit, prout audiverit ter *a* abſumptum ſic fuiſſe, ipſe tamen non recordetur. Sicque audiverit, quod eo non canonizato nullus Abbas monaſterii S. Galli bonam valetudinem corporisque ſanitatem habiturus eſſet, prout ipſe tres recordetur, videlicet Dominos Abbatem Ulricum, Abbatem Gotthardum, & nunc modernum Dominum Abbatem *b*: qui certe omnes poſtquam Abbatialem dignitatem adepti, infirmi fuerint, prout & modernus Abbas hodierno die ſit infirmus, pallore faciei id teſtante. Et propterea idem ſanctus Notkerus veneratus ſit, quamdiu teſtis recordetur, ut ſanctus & potens in conſpectu Dei omnipotentis, &c. Advertit etiam idem Othmarus prædictus annis duodecim ſeu quatuordecim elapſis, à quondam Cûrado Lacher de Conſtantia lapicida, cive oppidi S. Galli, qualiter ipſe interfuerit; quando ſepulcrum ſancti Notkeri altius elevatum fuerit, & novus lapis deſuper poſitus: & quod ibi inventus fuerit ſarcophagus *c* plumbeus, unde odor ſuaviſſimus exierit, adeo quod ipſe & ceteri de eo mirati ſunt, & ad monaſterium cucurrerunt, illa Fratribus nuntiantes: qui letaniam ibi decantaverunt. Hæc ſic ut præfertur à dicto Cunrado viro equidem fide digno audiverit. Ipſe denique teſtis habuerit filium unius anni, qui epilepſia, vulgariter Rindlivve laboraverit; ut vero ipſa uxor teſtis cum puerulo cereo votum fecerit ad S. Notkerum, continuo reconvaluerit. Et ſint inde anni elapſi tredecim aut quatuordecim. Ipſe etiam teſtis circa duodecim annos valde periculoſa laboraverit ægritudine, per ſex aut ſeptem ſeptimanas, ubi ipſe beneficio & interceſſione hujus S. Notkeri continue curatus fuerit, uxore pro eo votum faciente, aliud non dicit.

a *cives & Abbates afflicti*

b

odor ſuavis à ſepulcro.

c

E

ipſe teſtis ejuſque filius ſanati.

Teſtis 2. 7 Laurentius Hochrutiner civis oppidi ſancti Galli, annos natus XXXVIII, ſuper narratis in litteris brevis diligenter medio ſuo præſtito juramento examinatus, dicit, quod ipſe ab ineunte ſua ætate B. Notkerum pro viro ſancto & veneratione digniſſimo ſingularique auxiliatore omnium eum in neceſſitate invocantium haberi audiverit. Unde ipſe ante aut circa quatuordecim annos crus doluerit, & multa foramina habuerit, valde periculoſa, & ut ipſe à nullo curari potuerit; voverit Deo & S. Notkero, quod ipſe ſingulis diebus Dominicis velit viſitare ſepulcrum ejus, & ibi orare tria Pater noſter & totidem Ave Maria, cum quartali ceræ; & ſtatim emiſſo voto in ſex diebus reconvaluit. Et audiverit quod nullus Abbatum monaſterii S. Galli ſupradicti ſanitate haberet gaudere, illo ſancto viro non canonizato.

ab incurabili fiſtula curatur.

F

Teſtis 3. 8 Gallus Stucheler de oppido ſancti Galli, ætatis annorum ultra XXX, dicit quod B. Notkerus veneratus fuerit, ut Sanctus, Vnde annis elapſis decem, ipſe in ſiniſtra manu quandam tumefactionem habuerit per quatuordecim dies valde periculoſam, & adeo gravem, quod eum eadem operari plane nihil potuit. Sed ut votum fecerit ad B. Notkerum in tribus diebus reconvaluerit. Dicit etiam quod ipſe habuerit duorum annorum puerum, qui etiam tumefactionem circa genitalia habuerit tantam quod ruptus credebatur: ſed beneficio & interceſſione B. Notkeri continue reconvaluerit voto, ad eundem B. Notkerum emiſſo.

ſanantur tumor manus

Teſtis 4. 10 Egli Ebinter in ſuburbio S. Galli, ætatis annorum ultra quinquaginta, dicit quod B. Notkerus fuerit vir ſanctus, prout & ut Sanctus fuerit veneratus. Ipſe etiam teſtis habuerit uxorem & duas proles, quæ febribus laboraverint vehementer, & ipſe pro eis fecerit votum ad S. Notkerum, quo ſoluto ſtati-

EX HENR. CANISIO

ſtatim reconvaluerint, ut credit ex interceſſione B. Notkeri.

11 Magdalena Ebinterin, uxor Joannis Eblin de Gekenvveil, Parochiæ ſancti Laurentii, ætatis annorum xxvi, dicit quod ipſa audiverit ſemper, quod B. Notkerus fuerit vir ſanctus & veneratione dignus, & ſingularis auxiliator omnium invocantiũ eum in neceſſitatibus ſuis: unde ipſa adhuc ſoluta, & quidem ante vel circa decem annos, in crure dextro & tumefactionem & ulcera peſſima habuit, adeo quod plerique dixerunt eam habere plagam S. Quirini. Ipſa voverit & promiſerit S. Notkero ſe viſitaturam ejus ſepulcrum cum certis orationibus: continue ut votum hujuſmodi ſolverit & antequam domum redierit reconvaluerit, ut credit, ex invocatione, dicti Sancti.

Teſtis 5. *ulcera peſſima,*

12 Elſa Holderſchwenderin de Schowigẽ Parochiæ ſancti Laurentii, ætatis annorum xxvii, deponit ſe à majoribus & parentibus ſuis ſemper audiviſſe, quod S. Notkerus, &c. Unde ipſa circa annos ſex aut quinque ſubita & vehementi capitis infirmitate correpta fuerit: & ut ad ſepulcrum S. Notkeri votum fecerit, cum uno luminari cereo unius obuli, ita quidẽ quod quamdiu idem luminare arderet, tamdiu ipſa nudis & flexis genibus orare vellet. Et ſtatim voto emiſſo cœperit ſe melius habere, & reconvaluerit plene, meritis & interceſſione, ut credit, dicti Notkeri adiuta. Similiter & matri ſuæ auxiliatus fuerit, in brachio quodam dolores habenti, & revera pro viro ſancto habeatur.

Teſtis 6. *infirmitas capitis,*

B

13 Anna Tannerin de Strubenſell Parochiæ ſancti Laurentii, habens annos ſuæ ætatis li dicit, ſe de vita ejus amplius deponere non poſſe, quam quod audiverit à majoribus quod etiam miraculis in vita claruerit. Dici namque audiverit, quod fuerit tempore S. Notkeri quidam *d* mercator, qui eidem omnibus in rebus adverſus fuerit, & tandem de equo ceciderit & fregerit crus: & quod, idem poſtquam à nemine curari potuit, beneficio iſtius ſancti viri priſtinæ reſtitutus fuerit ſanitati. Ipſa etiam triginta annos fuerit in hoc .... * & etiam habuerit puſtulas, & ex eis quaſi contracta fuerit in omnibus membris, & beneficio ac interceſſione ejuſdem ſenſerit, ſe non parum levatam, & ex doloribus & infirmitatibus hujuſmodi liberatam.

Teſtis 7. *crus fractum*

d

* *forte oppido mulier contracta,*

Teſtis 8.

C

ruptura,

14 Ulricus Bogt, prope oppidum ſancti Galli reſidens Parochiæ S. Laurentii, ætatis annorum xxxiv, dicit, quod ipſe in ſeptimana proxime tranſacta, circa genitalia, quandam tumefactionem neſcit unde cauſatam habuerit; adeo quod plerique crediderint, & certe ipſemet teſtis, quod ruptus eſſet. Sed ut votum fecerit ad B. Mariam virginem in Monaſterio S. Galli ac beatum Notkerum, ſtatim priſtinam adeptus fuerit ſanitatem: ita quod nihil prorſus ſentiat doloris. Et audiverit eum ſemper fuiſſe & eſſe virum ſanctum, &c.

Teſtis 9 *tumor cordis,*

15 Paulus Stabiner Parochiæ S. Laurentii oppidi S. Galli, habens annos ſuæ ætatis xl, dicit quod ipſe ab ineunte ætate ſua audiverit ſemper de ſanctitate & miraculis ſancti viri Notkeri: unde ipſe circa annos decem in gravem inciderit infirmitatem; ita quidem quod tumefactus fuerit circa cor, ſic quod nemo ſibi ſpem vitæ promiſerit. In qua infirmitate uxor teſtis pro ſe teſte votum fecerit ad S. Notkerum: quo voto emiſſo & nondum ſoluto, ſtatim teſtis meliorationem ſenſerit, & priſtinam, ut credit, ex interceſſione B. Notkeri adeptus ſit ſanitatem. A quo tempore erga eundem ſingularem geſſerit devotionem, crediderit que & hodie credat, eum eſſe potentem auxiliatorem.

Teſtis 10

16 Petrus Wyſſ, civis oppidi ſancti Galli, ætatis annorum lx & circa, dicit, ſibi aliter de vita ejuſdem ſancti Notkeri non conſtare, quam quod ipſe ſemel à quodam Conventuali Bernardo, Prædicatore Monaſterii S. Galli (neſcit ſpecificare tempus) publice in cancellis audiverit de S. Notkero, ubi multa dixerit de ejus ſanctitate, & inter alia retulit, qualiter Carolus Romanorum Imperator magnam in eumdem Notkerum fidem poſuit, & pleraque de ejus conſilio diſpoſuerit: Unde cum ſemel oppido S. Galli fuerit, quidam ejuſdem Capellanus forſitan moleſte ferens, quod eumdem Notkerum monachum ſibi præferret; dixerit ſe libenter eumdem Notkerum videre velle. Qui cum ſibi oſtenſus fuerit, & dictum quod oculos ſemper in cœlum intentos haberet; idem Capellanus volens eum tentare, ex ſuperbia quæſiverit ab eodem: quid modo Deus faceret in cœlo: ad quæ idem Notkerus reſponderit: Deus modo facit, quod ab æterno fecit, Et illo latius, quid tamen faceret, interrogante, reſponderit idem Notkerus: Exaltat humiles & ſuperbos humiliat. Præterea dicit ipſe teſtis, quod in eccleſia S. Petri viderit quamdam tabellam: in qua in vulgari Alamannico ſcriptum erat, quod anteactis annis quidam Abbas Monaſterii ſancti Galli ad Romanam curiam equitaverit pro confirmatione. Quem tunc Papa interrogaverit de illo ſancto viro, & quomodo diem ejus celebraret. Cui cum idem Abbas reſponderit, quod non aliter celebraret ejus diem quam alterius monachi defuncti; ipſe Papa indignatus contra eum, maledixerit ei quod in ejus profeſto jejunium non indiceret, & ejus diẽ non faceret feriari. Hæc teſtis ex eadem tabella plus ſemel legerit: neſcit tamen an eadem tabella adhuc in dicta eccleſia pendeat vel ne, aliud non dicit.

D

De Capellano redarguto,

& Papa feſti neglectũ improbante.

E

17 Anna Staberelin ad Martis Tobel parochiæ S. Laurentii, habens ſuæ ætatis annos xxxi & circa, uxor legitima Bernhardi Cunker, dicit quod audiverit ſemper de ejus ſanctitate & miraculis, unde ipſa circa undecim annos puerulum quemdam habuerit, cui umbilicus tumefactus fuerit ad magnitudinem ovi aucæ. Sed ut eumdem puerulum ad S. Notkerum devoverit, ſenſerit continue meliorationem de die in diem, ita quod tandem plene & omnino convaluerit, & ab eo tempore in eumdem S. Notkerum ſingularem ſpem habuerit & devotionis affectum.

Teſt. 10 *de tumore umbilicali,*

18 Heinricus Ruminer, civis oppidi S. Galli, ætatis annorum xxxiv & circa, dicit quod ipſe in oppido S. Galli ſit natus, & ab ineunte ætate ſua audiverit de ſancti Notkeri ſanctitate. Unde ipſe, qui etiam ad eumdem ſingularem habuerit devotionis affectum, quemdam habuerit puerum, tunc tres annos habentem, qui dyſenteriam paſſus fuerit: ex qua forſan vel alio accidente circa genitalia adeo tumefactus fuerit, quod omnes homines, qui eum viderint, crediderint eum ruptum fuiſſe. Quem teſtis devoverit cum quartali ceræ ad S. Notkerum: & ecce ſtatim voto ſoluto in triduo proximo reconvaluerit plene, & tam à dyſenteria quam tumefactione prædictis, ut teſtis credit, interceſſione & precibus B. Notkeri liberatus fuerit. Habuerit etiam quamdam puellulam, quæ etiam puncturas habuerit, & ſuſtinuerit intrinſecus adeo vehementes dolores, quod è naribus & ore ſanguinis fluxum cauſaverint. Quæ etiam ut deducta fuerit ad S. Notkeri ſepulcrum, liberata fuerit.

Teſtis 11 *de dyſenteria*

F

& puncturæ

19 Anna Merkin vidua & relicta quondam Jacobi Merck de S. Gallo, ætatis annorum xlviii, dicit, quod ante vel circa tredecim annos peperit filiũ, qui in collo ſive gutture habuit quid obſtaculi: ita quod aliquando nec loqui potuit, nec inſpirare, nec reſpirare: quem etiam devoverit ad S. Notkerum, & ad ejus ſepulcrum. Qui ſtatim poſthac, ut credit teſtis

Teſtis 12 *de faucium oppilatione*

testis, ex intercessione istius sancti viri reconvaluerit, nec hujusmodi infirmitatem postea senserit unquam. Unde ipsa in cunctis suis necessitatibus ad eum, tanquam singularem auxiliatorem, speciale habuerit refugium. A

20 Fida Gemunderin, uxor legitima Ulrici Rochlin, civis oppidi S. Galli, annos nata XLV, dicit quod in bello Switensi proximo, in nostris finibus habito, ipsa habuerit quamdam puellulam nomine Veronicam, tunc quinque annos habentem, quæ quadam nocte per totum corpus ejus ulceribus consperſa fuerit, quod nec acu quis locum apprehendere potuisset in toto corpore, quo sanie & ulceribus non fuisset plena: unde testis territa desuper consuluerit chirurgos. Ut vero neminem invenerit, qui se de cura ejus intromittere vellet, duxerit ipsa exspectandum esse, quid natura operari vellet. Itaque post certos dies abeuntibus ulceribus unũ horrendissimum ulcus sive foramen remanserit, & de die in diem in profunditatem & latitudinem creverit adeoque omnes videntes in commiserationem movebantur: erat namque cruribus obsitum & aspectu admodum tetrum & horridum. Et ut varios desuper consuluerit chirurgos, & nemo spem salutis promittere vellet, ipsa sic in angustiis constituta, nesciens quo se verteret, cum puella totam noctem duceret insomnem, & præ vehementia nec somnum nec cibum capere posset, venerit in mentem, qualiter ille S. Notkerus multis in diversis necessitatibus subvenisset. Et sic eamdem puellulam devoverit ad S. Notkeri sepulcrum, cum crure cereo, & certis orationibus; promiserit denique se deinceps ejus diem ad dies vitæ suæ feriari, & proximum filium quem eam gignere contingeret, nomine S. Notkeri vocare velle. Et ecce statim emisso voto, puella à clamoribus cessaverit, & dolor ejus mitigatus fuerit, & de die in diem melius habere cœperit, & tandem reconvaluerit plene, unde postea ad eumdem singulare gesserit devotionis affectum.

Testis 13, *De fœdissimo ulcere* e

atq; à chirurgis desperato.

B

21 Heinricus Maurer, ein Scherer Parochiæ S. Laurentii, ætatis annorum LXX, dicit quod circa viginti quinque annos quidam vicinus suus, videlicet Joannes Roler, quemdam habuerit juvenem, quinque forsan annorum, qui & claudus fuerit & in manibus & pedibus ita contractus, quod ire non potuerit. Qui ut per ejus matrem, ad persuasionem uxoris sui testis, ad sepulcrum B. Notkeri devotus fuit & delatus; statim, & quidem ipsa die, reconvaluerit & ire potuerit ac ambulaverit. Hæc testis viderit, & majus miraculum non conspexerit unquam. Aliud non dicit.

Testis 14 *de puero contracto;*

C

22 Gretha *f* Langulrichin, civis oppidi S. Galli, annos nata sexaginta tres, dicit quod ipsa, ante vel circa decem annos, in sinistro femore tantos habuit dolores, quod nec cibum nec somnum capere, nec ullam requiem habere potuerit: unde ipsa ad persuasionem cujusdam vicinæ suæ se devoverit, cum certis luminaribus & orationibus, ad sepulcrum ejusdem Sancti; & statim ut solverit votum, melius se habere inceperit & reconvaluerit, ut credit, ex intercessione B. Notkeri.

f

Testis 15, *de dolore gravi,*

23 Barbara Fiegerin de Riederholtz, Parochiæ S. Laurentii, ætatis annorum XLII & circa, dicit, quod annis elapsis novem vel circa, testis juvenem quemdam masculum habuerit, qui ceciderit in horreo quodam [ex solario in pavimentum] *g* certe alte & periculose, adeo quod caput in novem septimanis erigere, nec circum aut suspicere potuerit: & sic testis eumdem devoverit ad sanctum Notkerum. Qui statim ut ad capellam sive ecclesiam ejusdem devenerit, juvenis clamaverit, Mater, ego possum suspicere. Et sic mater præ gaudio flens accurrerit, & ita esse viderit, sicque reconvaluerit, & hodie vivat, nil sentiens inde quidquam. Postea testis pepererit infantulum, quem per viginti unam septimam duntaxat gestaverit, qui ut natus, fuerit creditus ab omnibus mortuus, unde ipsa devoverit eumdem ad S. Notkerum cum holocausto vivo. Idem infantulus vitalia insignia ostenderit, & baptismi lavacro renatus fuerit.

Testis 16, *de puero præcipitato*

g

EX HENR. CANISIO. *& 21 hebdomadum partu;*

24 Genoveva Sprollin de sancto Gallo, annos nata quadraginta vel circa, dicit & deposuit, quod circa vel ante tredecim annos quemdam habuit puerulum, tunc quatuor annos habentem, quem testis sanum equidem in lectum posuit, sed lucescente die ut eũ è lecto receperit, viderit quod totum corpus ejus non aliter fuit, quam si urticis cæsum fuisset: & territa valde diversa secum putavit. Altero vero mane viderit totum corpus pueri plenum ulceribus nigris & pessimis, non sine horrenda tumefactione. Quod ut mater ipsius testis viderit, suaserit testi, quod eum ad S. Notkerum devoveret. Quod ut testis una cum matre fecerit, & votum exolverit; altero & sic tertio mane puer ipse omnino reconvaluerit, & profecto miraculose, quia secundum naturam credat id fieri non potuisse: & ob hoc firmiter credat sine omni hæsitatione, quod id precibus & intercessionibus S. Notkeri obtinuerit, & ab eodẽ tempore in eum specialem confidentiam habeat in omnibus necessitatibus suis. E

Testis 17 *de puero ulceroso.*

25 Heinricus Geiszburer de Beknow, civis oppidi S. Galli, habens annos suæ ætatis LXIV & circa, deposuit, quod ipse circa vel ante septennium de plaustro quodam fœni ceciderit, itaque humerus ex juncturis dissolutus fuerit: & statim emisso voto absque ullo chirurgico & sine medicamento reconvaluerit, ut credit, ex intercessione B. Notkeri.

Test. 18 *de humero luxato,*

26 Barbara Studerin de S. Gallo, habens annos suæ ætatis quinquaginta & circa, dicit se de S. Notkero ab ineunte ætate sua multa audivisse, unde ipsa circa decem annorum spatium puerum quemdam habuerit trium annorum, quem ut ad lectum posuerit exclamaverit puer: O mater, mulier quædam mecum fuit. Et mane, ut susceperit puerum, compererit quod puer in uno brachio mutilatus fuerit; unde territa pro eo, voverit duo brachia cerea, unum B. Mariæ virgini in monasterio, & aliud B. Notkero, sicque in tribus sive quatuor diebus, postquam votum exolverit, reconvaluerit, ut credit, ex intercessione B. Mariæ virginis & B. Notkeri.

Test. 19 *de puero malefactato.*

27 Gebhardus *i* Holtzmann Præco oppidi sancti Galli, ætatis annorum XLVIII dicit quod ipse annis triginta vel circa novissimis in oppido S. Galli morã duxerit, à quibus semper audiverit de ejus sanctitate dici multa quidem & varia in cancellis & alibi, sed postquam ejus sepulcrum altius elevatum fuerit, major cœperit ad eum haberi recursus: unde testis etiã ad eum singularem adhibere cœperit devotionem. Decimus namque annus jam agatur, quando Heluetii quoddam castrum in Lombardia, Lucarnum *k* nominatum, obsederint, ubi testis pariter expeditioni interfuerit, sicque è castro quadam emissa bombarda lapidem quemdam tetigerit non longe à teste jacentem, eumdem in minutissimas partes confregerit, quæ resilierint in testem: sicque in ambobus cruribus admodũ læsus fuerit: & hoc facto cũ ipse testis cedere vellet, unus alius sagittarius eum per crus cũ emenda *l* penetrarit. Et licet testis tunc per chirurgicos curatus fuerit, tamen postquam ad patriam redierit, idem crus tumefieri cœperit; & ut se devoverit ad S. Notkerum, ea ipsa die reliquiæ quæ in crure remanserint, eruperint, & sic de die in diem cœperit melius habere, & tandem omnino reconvaluerit ex intercessione, ut credit, B. Notkeri.

Testis 20, F *i* *de crure læso* *k* *l*

28 Vlricus Schlumpff, civis oppidi S. Galli, habens

Testis 21,

EX HENR. CANISIO. *de elevatione ſancti corporis.*

bens annos ſuæ ætatis XLIII, dicit quod ipſe in oppido S. Galli natus, alitus & in hunc uſque diem converſatus fuerit, & ſemper ab ineunte ætate ſua, & maxime poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, audiverit multa de ſanctitate B. Notkeri, & ſignanter legerit in ejus Vita, quod ipſe auctor fuerit illius ſequentiæ, Sancti Spiritus aſſit nobis gratia, & quod miraculis in vita clarus fuit & ſanctitate. Unde annis elapſis ſedecim, teſtis & certi alii ſui concives, ob ſanctitatem illius ſancti viri & miracula quæ indies fiebant, ad eum ſingularem gerentes devotionis affectum, moleſte quidem tulerint, quod ejus lapis tumularis non renovaretur. Unde ipſi inter ſe concordaverint de faciendo novo lapide ad ſepulcrum illius, & antiquum lapidem amovere voluerint, & novum ſuperponere, & repertæ fuerint. Reliquiæ iſtius viri ſancti in lapide concavato, quem lapis antiquus ſuperpoſitus concluſerat, & ut teſtis è fratre ſuo Caſpare Schlumpff nunc Burgermagiſtro dicti oppidi audiverit, oſſa ejus ita candida fuerint & alba, quod candidiora & albiora numquam vidiſſet; fuiſſent collocata ordine ad inſtar corporis, nec in aliqua parte læſa ſive conſumpta, unde odor ſuaviſſimus exierit. Addens quod annis elapſis octo vel circa, teſti natus fuerit infantulus in utroque latere ruptus, & poſtquam quatuordecim hebdomadas natus fuerit, alius ſupervenerit morbus, videlicet comitialis; unde teſtis videns & intuens illum miſerabilem puerum, cogitaverit intra ſe, quod implorare velit B. Mariam virginem in monaſterio: & ſtatim ut ad imaginem ejus pervenerit, venerit ſibi in mentem quod eumdem puerum devovere velit ad B. Notkerum: unde ipſe continuo iverit ad ſepulcrum B. Notkeri, invocando eundem B. Notkerum, & promittendo eidem puerulum cereum tres libras habentem, & quod ſingulis diebus, per anni ſpatium, viſitare velit ejus ſepulcrum, & ibi orare quinque Pater noſter & totidem Ave Maria. Et ecce ſtatim ut domum redierit, invenerit puerum ubera matris ſugentem; qui mox ſe ab uberibus verterit ad patrem & riſerit, & ea ipſa die liberatus fuerit à morbo comitiali, & ruptura ejus ea ipſa hora ita alleviatæ fuerint, quod eumdem nil aut parum impediverint. Unde breviter concludit, quod S. Notkerus eum num quam dereliquerit, propterea ipſe in eum ſpecialem habeat devotionem, & in omnibus ſuis neceſſitatibus ad eum tamquã ſpecialem auxiliatorem refugium habeat & recurſum.

B *de morbo comitiali & ruptura curatis.*

C Teſtis 22, *de perjuro debitore emendato.*

29 Michael Haltmayer, civis oppidi S. Galli, habens annos ſuæ ætatis quadraginta, dicit ſe ab annis viginti & circa, multa de vita & miraculis B. Notkeri audiviſſe, & ob hoc eumdem ſibi in patronum elegiſſe. Annis namque duodecim vel circa elapſis teſtis quemdam habuerit debitorem in oppido Feldkirch *m* & ibidem alium creditorem, cui videlicet ipſe teſtis debebat. Fueritque idem creditor contentus de debitore ſummam recipere, in qua teſtis ſibi remanmanſerit obligatus. Debitore vero debitum diffitente, & juramento per eum quod ſibi teſti in nullo teneretur præſtito; dictus creditor rurſum convenit ſe teſtem, unde teſtis convenire habuit ſuum debitorem. Et cum iterum decretum fuiſſet juramentum, teſtis invocavit B. Notkerum, ut ſibi adjumento eſſet, ne ſic injuſte damnificaretur. Et ecce, lecto dicto debitori juramento, idem ambabus manibus in cælum levatis, publice coram Juſticiariis oppidi, Feldkirch dixerit & exclamaverit: O quid ego volui feciſſe? ego fateor debitum: ut ſic debitum fatendo, quod antea diffeſſus fuerat per juramentum. Poſtea & quidem ante vel circa biennium teſtis dolere cœperit in brachio dextro, adeo quod laborare amplius non potuerit. Et cum hujuſmodi dolores per dimidium annum quaſi ſuſtinuerit, ipſeque curari non potuerit, devoverit ſe ad S. Notkerũ, & mox in triduo reconvaluerit. Poſt hæc habuerit quẽdam puerum, qui latentem habuit infirmitatem, ita quod nec ambulare potuerit nec ſtare, quamvis trium annorum jam fuerit. Sed ſtatim ut ad ſepulcrum B. Notkeri eum devoverit, cœperit ambulare & totaliter reconvaluerit, ut credit, ex interceſſione beati Notkeri, quem credit eſſe ſanctum virum & potentem apud Deum, ſingularemque auxiliatorem omnium invocantium eum. Fama denique ſit, quod eo non canonizato nullus Abbas Monaſterii S. Galli ſanitatem corporalem habiturus ſit. Quod etiam oppidum S. Galli in centum annis ſemper ſit ignis voragine abſumendum, & multa alia ſimilia de eodem audivit, aliter non deponit.

D

& puero impotente.

30 Gallus Schloſſer, civis oppidi S. Galli, ætatis annorum ultra LXXIV, dicit quod quamquam ipſe ante vel circa viginti annos proxime lapſos multa de S. Notkero audiverit, & quod idem canonizandus eſſet; tamen ipſe teſtis de eo non multum curaverit, nec ad eum aliquam geſſerit devotionem, uſque ad anni forſan proxime tranſacti ſpatium: ubi teſtis in crure quodam dolores habuerit tam vehementes & urgentes ac intolerabiles, quod bene deſperaverit. Unde inductu uxoris ſuæ ſe ad B. Notkerum devoverit, & ſtatim voto emiſſo, & quidem in quartali unius horæ, cœperit melius habere, & ab eodem tempore tam vehementes dolores numquam ſenſerit, ut credit, ex interceſſione B. Notkeri.

Teſtis 42, *de cruris dolore.*

E

31 Nicolaus Schnapperli, Capellanus S. Wiboradis, oppidi S. Galli, ætatis annorum XXXV, dicit, quod ipſe anno MDXII proxime tranſacto, tantos in cruribus & genibus perperſſus fuerit dolores, quod præ nimio doloris gravamine nec dormire nec acquieſcere valuerit, his intrinſecus punctionibus exiſtentibus; diebus quoque certis claudicando perambulaverit. Tandem venerit in mentem ſancti viri Notkeri ſanctimonia vitæque integritas, cui ſe quadam ſumpta fiducia devoverit una cum una libra ceræ, quibuſdam ſuper additis orationibus ad ejuſdem ſacroſanctum ſepulcrum, in ſacello S. Petri Apoſtorum Principis conſtitutum, de ejuſdem, ut præmiſſum eſt, meritis & ſuffragiis confidens. Quibus rite peractis, notabiliter ejus ſenſerit auxilia, ita quod de cetero dormire ac ambulare, ut antea conſueverit, potuerit. Idcirco eumdem ſuo judicio & teſtimonio, licet inerti, haud minimum, ſed inter potiſſimos Dei electos eſſe cenſeat. Cujus quidem vitæ ſeries Teutonica & vulgari narretur hiſtoria: quem etiam Magiſter Guilelmus *n* in Rationali divinorum Officiorum libro quarto, Nec non Lombardica hiſtoria *o* de S. Pelagio primo ſummo Pontifice, Abbatem S. Galli auctoremque plurimarum Sequentiarum eſſe commemorent. Qui, ut ejus ſacra referat hiſtoria, vita comite, perplures dæmonum pertulerit inſidias, quas prorſus fidei virtute & ſanctitatis merito devicerit, vitamque ſuam litterarum ſtudio & moribus optimis adornaverit, vitæ quoque temporalis terminum fauſtiſſimo fine concluſerit, anno incarnationis Dominicæ nongenteſimo decimo quarto, *p* VI Idus Aprilis, &c.

Teſtis 25, *de punctionibus internis.*

F

n

o

p

32 Ennalina Grafin de S. Gallo, virgo ætatis annorum viginti duorum dicit ſe S. Notkerum in neceſſitatibus omnium eum invocantium auxiliatorem ſingularem eſſe expertam. Vnde anni ſpatium Sebaſtiano fratre ſuo duobus ulceribus graviſſimis adeo laborante, quod is nec die nec noctu requiem habere potuerit, ipſa miſerata fratrem, eumdem devoverit ad B. Notkerum, cum luminari cereo

Teſtis 26, *de ulceribus graviſſimis.*

debrachii dolore

A cereo ad corpus ejus menſo. Et ſtatim ut id fecerit, frater melius habere inceperit: & inde ſucceſſive totaliter reconvaluerit, ut credit, ex interceſſione B. Notkeri.

Teſtis 27, *de dolore capitis,* 33 Dorothea Schlatterin de ſancto Gallo, ætatis annorum xxv, dicit, quod S. Notkerus in ſe teſte miraculum fecerit tale. Quia ipſa ab ineunte ætate ſua debile caput habuerit, & multos dolores capitis ſuſtinuerit, adeo quod ſæpe & ſæpius in lecto decumbere habuerit; & ut ante octo annos vel circa tot miracula de S. Notkero audiverit, ſe quoque ad ejus ſepulcrum devoverit, & ſtatim melius habere cœperit, ut credit, ex interceſſione B. Notkeri.

Teſtis 28, *de fama Sanctitatis,* 34 Dominus Joannes Weniger, perpetuus Vicarius eccleſiæ S. Laurentii oppidi S. Galli, agens annũ xt dicit, ſe de ejus vita nil certi deponere poſſe, quia idem S. Notkerus nos longe præceſſerit, & ante multos annos de hoc medio ſublatus ſit. Ipſe autem teſtis, qui natus ſit in oppido S. Galli, ab eo tempore quo uſum rationis habuerit, à ſenioribus & majoribus ac Patribus conventus monaſterii S. Galli audiverit, eumdem in vita ſua ſanctitate claruiſſe: quod veriſimile ſit, quod certo ſciatur, quod ipſe ſit auctor multarum Sequentiarum, quæ hodierno die in laudibus Altiſſimi decantantur, quas utique niſi Spiritus ſancti gratia illuminatus edere non potuiſſet: hinc credat, prout à tempore prætacto crediderit, eum virum fuiſſe & eſſe ſanctum. Hinc Dominus teſtis interrogatus an pro Chriſti nomine labores ſuſtinuerit, de humilitate & perſecutione. Reſpondet, ex ſua hiſtoria, quam teſtis ſæpe legerit, liquido conſtare, eum pie vixiſſe, multas perſecutiones à diabolo ſuſtinuiſſe, & in humilitate profundum fuiſſe: & his ſcriptis teſtis indubiam fidem adhibuerit, quia & fama ſeniorum fide dignorum virorum his adminiculum præbuit & præbeat. De miraculis ejus interrogatus, dicit, in vita ſua contineri, eum etiam in vita ſua miraculis claruiſſe, poſt mortẽ vero & præſertim noſtris temporibus multis coruſcaſſe miraculis, & ſe ſpecialẽ auxiliatorẽ oſtenderit, eum in ſuis neceſſitatibus invocantium. Hinc eſt quod magnus populi ad eum habeatur recurſus, & nedum populi, ſed ipſe teſtis etiam ad eum ſpecialem geſſerit & gerat devotionis affectum. Ita quidem quod in ſuis infirmitatibus eum non dubitet invocare, tanquam ſanctum virum & potentem apud Deum, & ſenſerit ſe aliquando ejus interceſſione, non ex vi verborum vel

& virtute miraculorũ.

C aliquo alio ſiniſtro modo, in ſuis infirmitatibus obtinuiſſe alleviamen.

Teſtis 29, *de brachii debilitate,* 35 Georgius Tiſchmacher, civis oppidi S. Galli, habens annos ſuæ ætatis quadraginta dicit, quod annis duodecim elapſis vel circa, teſtis ipſe in dextro brachio ita debilitatus fuerit, quod eodẽ uti non potuerit ad artificium ſuum, nec quidẽ cochlear levare per ſedecim ſeptimanas: & ſtatim ut ſe devoverit ad B. Notkerum, reconvaluerit, & quidem intra duos dies ſoluto voto, ut credit, ex interceſſione B. Notkeri.

Teſtis 30, *decrure curato.* 36 Caſpar Giller, civis oppidi S. Galli & ſutor ibidem, habens annos ſuæ ætatis quinquaginta & circa, dicit quod quamdiu ipſe recordetur, B. Notkerus pro viro ſancto reputatus fuerit, unde cum teſtis ante vel circa octo vel duodecim annos in crure ulcus habuerit valde periculoſum, & ut ſe devoverit ad B. Notkerum, cœpit melius ſe habere; ita quod ex ulcere quoddam parvum os exierit & deinde reconvaluerit, ut credit ex interceſſione B. Notkeri.

37 Septima vero die ejuſdem menſis Aprilis, & quidem hora Sexta *q* vel circa meridiem, venerabilis Frater Laurentius Schab, ſacræ Theologiæ Licentiatus, Conventualis Monaſterii Selignſtatenſis, Maguntinæ diœceſis Ordinis ſancti Benedicti, ad præſens Prædicator Monaſterii S. Galli Ordinis ejuſdem, coram venerabili viro Domino Heinrico Sadler Juris utriuſque Doctore, Advocato Conſiſtoriali Curiæ Conſtantienſis, & mihi præfato hujus cauſæ Notario ſive Commiſſario per reverendiſſimũ Dominum noſtrum Conſtantienſem adjuncto, meque eodem Notario, orationem, ut dicebat, ex antiquiſſimis libris conceptam fecit, & in hunc, qui ſequitur, recitavit modum. Inſtituenti mihi apud dominationes veſtras orationem facere, poſteaquam diu multumque tacitus mecum deliberavi, quam allaturus eſſem materiam &c. *r* Qua quidem oratione finita, comparuerunt coram dicto Domino Doctore meque Commiſſario, virtute edicti, uti præfertur emiſſi, teſtes ſubſcripti: quos ſimiliter in vim dictæ commiſſionis meæ in præſentia præfati Domini Doctoris juratos recepi & examinavi, ut ſequitur deponentes. EX HENR. CANISIO. *Habetur oratio de Vita B. Notkeri.*

38 Dominus frater Ulricus Herr monachus profeſſus & conventualis Monaſterii B. Galli, annos natus xxxvi, Cuſtos, juxta commiſſionis formam medio ſuo præſtito juramento examinatus & interrogatus de vita B. Notkeri dicit, ſe de vita ejus de certa ſcientia deponere non poſſe; his exceptis quæ ex ejus Vita, quam ſæpe legerit, didicerit, ad quam ſe refert. Ex qua nec non ex aliis libris de antiquiſſima ſcriptura, appareat eumdem fuiſſe auctorem multarum Sequentiarum, ſignanter infra notatarum, videlicet nativitatis Chriſti, Natus ante ſecula; Epiphaniæ, Feſta Chriſti; de ſancto Spiritu ſive Pentecoſtes, Sancti Spiritus; & multarum aliarũ. Et hæc pateant ex libro, ubi imago ejuſdem ſit depicta. Scripſerit etiam *s* de B. Notkero in libello quodam Eckerhardus, Frater monachus monaſterii S. Galli. Et audiverit ſemper, quamdiu in monaſterio fuerit, quod in veneratione, Fratrum fuerit, quamdiu ipſe teſtis recordetur, & quidem in majori veneratione, præſertim conventus, quam nunc ſit. Idem etiam teſtis baculum valde antiquum, habentem fracturam, de quo in 26 capitulo *t* Vitæ B. Notkeri fit mentio; attulit; qui dicitur baculus S. Columbani, cum quo idem B. Notkerus dæmonem verberaſſe aſſeritur. *de fama ſanctitatis,* *t*

Teſtis 31, *Audiuntur* E

39 Dominus Ulricus Stoſs, monachus profeſſus Ordinis S. Benedicti & conventualis monaſterii B. Galli Plebanus in Salmſach *u*, habens annos ſuæ ætatis ſexaginta & circa, dicit, quod ab annis quinquaginta vel circa, conventualis fuerit monaſterii S. Galli, à quo tempore & per quod tempus, Legendam ſive hiſtoriam B. Notkeri ſæpe ad menſam legi audiverit & legerit; ubi & in qua tota vita B. Notkeri contineatur. De miraculis ejus interrogatus dicit quod ipſe audiverit à ſenioribus adhuc juvenis, & præcipue jam annis triginta vel circa, quidam Joannes Studli de S. Gallo teſti narraverit, quod ipſe alias Auguſtæ telo quodam ſagittatus fuerit, adeo quod telum fractum fuerit, & certa pars in eo remanſerit: quæ ut ſe ad B. Notkerum devoverit, abſque ulla chirurgicorum ope exiverit, ipſeque reconvaluerit, unde ipſe eum tenuerit pro viro ſancto. Teſt. 32, *de Vita lecta* *u* F *& telo ejus. ctо è vulnere*

40 Dominus Fr. Jacobus Schurpff, conventualis monaſterii S. Galli, habens annos ſuæ ætatis li, dicit, quod ipſe annis quadraginta ſeu circa in monaſterio B. Galli fuerit, à quo tempore & per quod tempus teſtis ipſe Legendam ſive hiſtoriam B. Notkeri ſæpe legerit & legi audiverit, pluraque alia à Simone Gellfrandt, & à Fratre dicto der lange Hans, Patribus & Senioribus ejuſdem monaſterii, de ſanctitate S. Notkeri audiverit, qualiter beatus Notkerus ſemper vir ſanctus fuerit, & ut vir ſanctus veneratus & tentus fuerit, & pro tertio *y* Patrono veneretur, & orationes ſpeciales de eo habe- Teſt. 33

EXHENR. CANISIO *& conuerſa ad eumdem propter miracula,*

antur. De miraculis ejuſdem B. Notkeri interrogatus, dicit eũdem in vita ſua miraculis claruiſſe, prout ex Legenda ſive hiſtoria ſua non obſcure appareat. Poſt mortem quoque multa miracula fecerit, & hodierno die faciat: hinc ad eum magnus multis annis Chriſti fidelium fuerit concurſus, qui & ſe ejus interceſſione à diverſis morbis ſenſerint liberatos, quorum teſtes plures viderit & de hoc fama ſit tanta per oppidum & circa, quod idem ſanctus Notkerus admodum notus & pro ſancto viro habitus & tentus, prout teneatur & habeatur.

Teſtis 34. *de miraculis à ſe ſcripto exceptis,*

41 Honorabilis Dominus Heinricus Baumann Presbyter, Capellanus Capellæ S. Petri oppidi S. Galli, habens annos ſuæ ætatis LXVII, dicit, quod ipſe in oppido S. Galli natus, alitus & educatus fuerit & ſit, & per triginta quatuor annos fuerit Capellanus dictæ Capellæ, à quo tempore & per quod tempus etiam ad B. Notkerum magnus fuerit populi concurſus, & multi ſe precibus ejuſdem Sancti crediderint adverſis morbis liberatos. Ad ſeque teſtem venerint multæ & innumeræ perſonæ utriuſque ſexus, narrantes varia diverſaque miracula iſtius B. Notkeri, requirenteſque ſe teſtem deſuper, ut ea inſcribere velit, prout & teſtis multa miracula inſcripſerit, ſibi à perſonis ſic ad eum confluentibus delata & demanifeſtata. Ipſe etiam teſtis ad eumdem Sanctum in ſuis neceſſitatibus ſingulare refugium habuerit & hodie habeat, unde anno proxime præterito, circa feſtum omnium Sanctorum, quædam neptis ex ipſius teſtis ſorore, in vehementem inciderit paſſionem, adeo quod teſtis ceterique de incendio timuerunt & majori malo: ſicque teſtis ad B. Notkerum confugerit, eumdem invocando pro dicta nepte ſua, una cum B. Franciſco, ſub cujus regula militet: & cœperit ſtatim melius habere, ut credit ex interceſſione beati Notkeri.

B

Teſtis 35. *de cultu cõſtanti,*

42 Dominus Joannes Sayler, Decanus monaſterii S. Galli, Ordinis ſancti Benedicti, habens annos ſuæ ætatis LVI, dicit quod ipſe firmiſſime credat ita eſſe, prout in legenda ſeu hiſtoria ejuſdem B. Notkeri contineatur, ad quam ſe teſtis refert. Similiter depoſuit, quod à parentibus carnalibus & à ſenioribus & Patribus dicti Conventus, qui eum præceſſerint, ſemper audiverit, B. Notkerũ fuiſſe & eſſe virum ſanctũ, prout pro tali habitus & reputatus fuerit quamdiu teſtis recordetur. Ipſe etiam teſtis de eo ſpeciales habeat orationes, & eum veneretur ut tertium Patronum hujus monaſterii. De poſt Dominus teſtis de miraculis interrogatus dicit, quod nil certius de ipſius factis queat deponere, quam ipſa doceat Legenda vitæ, ad quã ſe referat, & quod magnus fiat concurſus ad ejus ſepulcrum habitus. Inſuper adiunxit, quod annis elapſis duodecim vel circa, quidam cives, ob ſingularem devotionem quam ad eumdem geſſerint, eidem novum lapidem tumularem facere inſtituerint, & ut antiquum lapidem amovere voluerint, teſtis, ut tunc Cuſtos, interfuerit; & viderit amoto lapide oſſa B. Notkeri in quodam lapide concavato jacere, unde odor exierit ſuaviſſimus, de quo teſtis territus, ſtatim ſepulcrum iterum antiquo lapide claudi juſſerit: unde certe teſtis ſpeciale ſumpſerit ſanctitatis argumentum, & ſic clauſum in hodiernum diem remanſerit.

C *de odore ſuavi in tumuli apertione.*

Teſtis 36. *de eodem odore.*

43 Providus Caſpar Schlumpff Burgimagiſter oppidi S. Galli, ætatis LIX, ſimiliter dicit, qualiter cum antiquum lapidem amovere voluerint, inventus fuerit ſacrophagus lapideus, qui præſente teſte, ac Vlrico Sayler cive & conrado Hiller lapicida, apertus fuerit. In quo viderit oſſa omnino illæſa, ſimul jacentia, non ad inſtar corporis humani; unde exiverit odor ſuaviſſimus, & talis qualem antea olfecit numquam: propterea eum credit eſſe Sanctum, & omni veneratione dignum.

D

44 Leonhardus Altweger Notarius. Et præter dictos teſtes adhuc nonnulli alii, coram me commiſſario comparuerunt, utriuſque ſexus homines, offerentes ſe de ſanctitate & miraculis B. Notkeri deponere velle ac ſcire: tamen etiam dicti Domini Doctoris conſilio fretus, & ejus accedente conſenſu, examini hujuſmodi demum in Dei nomine finem impoſui. In quorum etiam omnium ac ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, ſupradictus Reverendiſſimus Pater hoc præſens Regiſtrum ſive præſentem Proceſſum exinde fieri, & per me Notarium præ & infra ſcriptum ſubſcribi, ſigillique ſui Pontificalis per ſingulorum foliorum transfixionem juſſit & fecit appenſione muniri. Quæ acta & facta ſunt Anno Domini, Indictione, Menſe, Die, & Locis præfatis, & Præſentibus, quibus ſupra.

Concluſio Proceſſus.

ANNOTATA.

E

a *Hepidannus in chronico.* Anno 936 monaſterium S. Galli concrematum eſt VI Kal. Maii, feria quarta. *Incendii hiſtoriam, per ignem virgis a puero vapulaturo injectũ exorti deſcribit Ekkehardus cap. 6 qui poſtea c. 8 ſic concludit, A.D.* 1215 mœnia hujus villæ exuſta ſunt igne domeſtico, VI Nonas Maji Abbate noſtro præſente & tecta monaſterii & clauſtri ædificia multa ſolicitudine defendente. *Alterum incendium Henricus Suizerus in Chronologia Helvetica ponit an.* 1314, quo urbs & monaſteriũ cũ templis & campanis omnibus conflagravit, ſex tãtum domibus ſalvis remanentibus 15 Oct. *tum an.* 1418 *dicit ex ſimili vrbis & monaſterii conflagratione ſolum* 17 *domos ſuperfuiſſe.*

b *Ioachimus Vadianus, in brevi Abbatum Sangallenſium, chronologia, eos hoc modo recenſet:* 1463 Vlricus VIII dictus Roſch de Wangen in Algovia, annos 18 minus 6 hebdomadibus. 1491 Gothardus Giel de Glatburg, annos 13, hebdomades 4, dies 2. 1504 Franciſcus Geisberger de Conſtantia, annos 25 minus diebus 13.

c *Murerus addit oſſa prorſus candida, abſq; ullo aduſtionis veſtigio, eſſe reperta: & hanc innovationem ſepulcri factam dicit anno* 1500.

d *Non de mercatore aliquo, ſed Imperatoris Capellano hoc narratur in Vita cap.* 3.

e *Bellum illud indicatur à præcitato Suizero an.* 1490. Abbatiſcellani & Sangallenſes, ob dirutum monaſterium Roſchacenſe, à Tigurinis & Lucernatibus bello petuntur. Sangallum obſeſſum pacem petit, magnaque pecuniæ ſumma multatur. *Caniſius quidem de puella ſanata legit* & nunc, *id eſſet, anno* 1513 quinque annos habentem: *ſed alibi in ſimilibus* tunc *ponitur.*

F

f *Pro* Margareta: *ſicut ſupra n.* 12 Elſa *pro* Eliſabetha: *cujuſmodi contractionibus etiam Belgæ utimur.*

g *Latine reddidimus, quod hic habebatur Germanice* von einer buner in das denn.

i *Caniſius legit* Idem Gebhardus. *an omiſſum aliquid?*

k *Idem,* Lucarum, *mendoſe. Eſt* Lucarnum *hodie,* Locarno, *Ducatus mediolanenſis oppidulum ad Verbanum lacum, nunc Helvetici juris, an Hiſpanorum ceſſione? Nihil de ea in Chronolog. Suizerus ſed bene quod Galli, Mediolanum poſſidentibus, & Bilitioni empti poſſeſſione Heluetos arcentibus, hi Locarnum obſederint, nec niſi Bilitione tradito ab obſidione receſſerint an.* 1503 *Alibi invenio Gallos tenuiſſe Locarnum ab anno* 1499 *ad* 1513

l *Quod hoc genus teli apud Helvetos ſit, necdum capimus.*

m *Vicinæ Sangallenſibus Rhetiæ oppidum, intervallo* 24, *milliarium Italicorum.*

n *Durandus*

A n *Durandus lib. 4 cap. 22 num. 2* Nocherius Abbas S. Galli in Teutonia primo pneumis ipſius Alleluja compoſuit, & Nicolaus Papa ad Miſſas cantari præcepit: *hæc, illeverbotenus deſcripta ex ea, de qua mox.*

o *Legenda Sanctorum Ioannis à Voragine, leg. 176, quæ Pelagii hiſtoria ſcatet fabulis undique collectis, & ad tempora Pelagii Papæ relatis, ſic ut nihil minus contineat quam promiſſam in titulo Pelagii Vitam. Hinc vero etiam Trithemius hauſit errorem, quo Notkerum ſcripſit S. Galli Abbatem.*

p *Imo* 912, VIII Id. Apr. *ut ſupra oſtenſum.*

q *Scilicet more eccleſiaſtico incipiendo ab aurora numerare horas: alias non ita, ſed à media nocte numeratas tunc Helvetis horas fuiſſe, patet infra num.* 49.

r *Extat ea oratio apud Caniſium poſt diploma Conſtantienſis Epiſcopi à nobis hic cap.* 1 *relatum: quæ quia verbotenus accepta eſt ex Vita, ſic ut ejus dumtaxat epitome ſit potuit abſq; hiſtoriæ damno omitti.*

s *Caniſius addit* carmina: *quod quomodo hic irrepſerit neſcimus: niſi ſenſus ſit quod B. Notkerus* ſcripſerit etiam carmina: de beato *autem* Notkero *ſcripſerit* in libello quodam Eckehardus, *que eſt Vita à nobis edita.*

t *Secundum noſtram diviſionem num.* 40.

B u *Vicus eſt ad lacum Conſtantienſem, medio inter Conſtantiam & S. Gallum itinere.*

x *Id eſt.* Joannes Longus.

y *Scilicet poſt ſanctos Gallum & Othmarum.*

CAPVT III.

Decernitur & defertur B. Notkero cultus Beati.

45 HVgo *&c. ut ſupra in diplomate Commiſſionis, ſub-inſertâ denuo ad verbum bullâ Iulii* II, *poſt cujus tenorem teſtatus Epiſcopus ſe debite fuiſſe requiſitum ad executionem ejusdem ſicut ſupra, ſic proſequitur.* Nos Itaque cupientes ſuperiorum noſtrorum & maxime Apoſtolicis mandatis reverenter obedire, ut tenemur, de veritate inibi expoſitorum aliisque facti hujuſmodi qualitatibus & circumſtantiis inquiſivimus diligenter. Et quia hujuſmodi diligenti inquiſitione auctoritate Apoſtolica per nos præhabita, centũ quinquaginta *a* quatuor utriuſq; ſexus fide dignorum teſtium; nec non duorum vetuſtorum librorum evidenti teſtimonio de vitæ ſanctimonia & quam plurimis miraculis, quæ Deus omnipotens meritis ac precibus B. Notkeri, olim dum vixit monachi monaſterii S. Galli Ordinis S. Benedicti; cujus corpus in ſanctorũ Petri & Pauli principum Apoſtolorum capella, infra ſepta ejuſdem monaſterii ſita, reconditum honorifice conſervatur, operatus eſt, & indies operatur; & quod multi Chriſti fideles ad eamdẽ capellam fervore devotionis, quam erga ipſum B. Notkerum gerunt accenſi, ſedulo confluere ac vota ſua Altiſſimo perſolvere conſueverunt, ac petitiones ſuas exaudiri, & adverſis, infirmitatibus, periculis & neceſſitatibus ſe curari eripi & ſublevari ſenſerunt & cognoverunt; & quod propterea idem Beatus Notkerus à longo tempore citra in magna veneratione haberi conſuevit, prout habetur, nobis legitime conſtitit & conſtat. Idcirco attendentes petitionem præfatorum Dominorum Abbatum & Conventus fore juſtam & rationi conſonam, ac volentes mandatum Apoſtolicum nobis in hac parte directum reverenter exequi, ut tenemur, auctoritate Apoſtolica ſupradicta, qua fungimur in hac parte, præfatis Dominis moderno & pro tẽpore Abbati & Conventui, & quibuslibet aliis perſonis, ut una die cujuslibet anni per eos eligenda, vel die qua B. Notkerus præfatus ab hoc ſeculo migravit, feſtum Confeſſoris minoris ac Miſſam & Officium ejuſdem B. Notkeri, à primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas ejuſdem diei, in dicta capella ſanctorum Petri & Pauli ac ejuſdem monaſterii, nec non aliis eccleſiis & capellis eidem monaſterio ſubjectis, cujuſuis licentia minime requiſita; ſolenniter celebrare & facere celebrari poſſint & licite valeant, licentiam & facultatem liberam concedendum decernimus; prout auctoritate prædicta concedimus per præſentes, non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, prout præfatus Iulius Papa ſecundus in litteris ſuis præinſertis voluit, quod idem B. Notkerus propterea canonizatus aut alias approbatus non cenſeatur. In quorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, litteras præſentes inde fieri & ſigilli officii noſtri pontificalis juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum Conſtantiæ provinciæ Maguntinæ, in aula noſtra, anno Domini milleſimo quingenteſimo tredecimo, die quarta menſis Octobris, Indictione prima, Pontificatus vero ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri Leonis divina providentia Papæ decimi, anno primo.

EX HENR. CANISIO

in monaſterio & locis ei ſubjectis.

Hugo Epiſcopus Conſtantienſis manu propria ſubſcripſit.

46 Sancti Spiritus adſit nobis gratia, Amen. *b* Cũ inter claras Principis ſapientiæ laudes puriore luce, tãquam aliquod ſidus irradiet; quod amore fidei ac Chriſtianæ religionis fervore ſanctæq; Romanæ Sedis reverentia veneratur; & ſicuti ſacratiſſimæ leges teſtãtur, converſationis monachalis vita ſic eſt honeſta, ſic cõmendat hominem, ut omnem quidẽ humanã ejus maculam detergat; purum autem declaret ac rationabili natura decentẽ, & plurima ſecundũ mentẽ operantem, & humanis cogitationibus celſiorem. Si quis igitur futurus eſt monachus, eſſe perfectus indiget, & divinorum eruditione eloquiorũ & conſervationis integritate, ut tanta dignus ſit mutatione. Hæc & ſimilia, reverendiſſimus in Chriſto Pater & Princeps, Dominus Franciſcus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Archimandrita & Præſul monaſterii S. Galli, ſanctæ Sedi Apoſtolicæ immediatæ ſubjecti, de B. Notkero ad aures Sanctiſſimi Domini noſtri Domini Julij divina providentia Papæ ſecundi, deduxit. Qui quidem præfatus Dominus noſter Julius, ut ſupremus Princeps, & ut verus Vicarius Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, nutu divino motus, tamquam piiſſimus & vigilans paſtor erga gregem divinitus ſibi commiſſum, perſpicaci animo ac mentis ſuæ acumine conſiderans, oculiſq; ſuæ pietatis intuens benignus in B. Notkerum, ac harum conditionum olim monachum cœnobii divi Galli advertens extitiſſe, talem invenit, ut bene de eo dici poſſit, excelſior omnibus factus, ac talentum ſibi creditum duplicatum, fideliter omnipotenti reſtituit.

E

b Monaſticæ vitæ laudes clarorum Notkerum

47 Nihilominus tamen, juxta Canonicas ſanctiones Patrum & Apoſtolicam doctrinam, videlicet, Nemini cito manum imponas, vitæ ſuæ ſanctimoniã & doctrinam diſcutiendã ac debito ordine & maturo proceſſu inquirendã Reverendiſſimo in Chriſto Patri & Domino, Domino Hugoni Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Conſtantienſi, tanquam ſuæ Sanctitatis in hac parte delegato commiſit, prout in ſuæ Sanctitatis Apoſtolicis litteris, in forma brevis, ſub annulo piſcatoris, plene continetur. Qui quidem delegatus mentem Sanctitatis præfati Domini noſtri perpendẽs, hujuſmodi mandatum veneraliliter ac legaliter expedire cupiens, eumdẽ Notkerum doctrina & miraculis plurimis coruſcaſſe, dictis & atteſtationibus centũ & quadraginta quatuor teſtium utriuſq; ſexus invenit; prout proceſſus regiſtri deſuper facti & manu diſcreti viri magiſtri Leonhardi Altweger, Notarii publici & hujuſmodi cauſæ Scribæ ſubſcripti, clarius edocet. Ita ut, etiam non petita venia, in perſona Notkeri rite

Apoſtolicæ Sedi propẽnens Abbas.

F

præmiſſa informatione requiſita. 1 Tim. 5, 22

dicere

Epiſcopus Conſtans.

c omnibus examinatis & compertis

feſtum & cultum Beati decernit.

EX HENR. CANISIO

dicere poſſimus, Domine probaſti me & cognoviſti me. Idcirco dignũ inventum eſt, quin ita quoque Reverendiſſimus Dominus delegatus Apoſtolicus decrevit, ob ſanctimoniã vitæ & doctrinã præfati Notkeri eumdẽ fore & debere debito modo venerari. Ita ut aliquo ſtatuto die anni, per præfatum Reverendiſſimum Principem & Abbatem eligendo, in eccleſia præfati monaſterii, capellis & eccleſiis ſibi unitis & ſubjectis, tanquam de ſimplici Confeſſore legi & cãtari poſſit, prout in ſuæ reverendisſimæ paternitatis proceſſu, latius continetur. Sed cum nunc ad actum rite procedendum ſit, divino numine invocato, incipiamus tali exordio, videlicet:

in Dominica Iubilate feſtum celebraturus,

48 In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Amen. Anno à nativitate ejuſdem milleſimo quingenteſimo quartodecimo, Indictione ſecunda, die Sabbathi, ſexta menſis Maji, cujus ſequens Dominica in Dei eccleſia erat Dominica Jubilate, hora veſpertina vel quaſi, Põtificatus ſanctiſsimi in Chriſto Patris & Domini nõſtri, Domini Leonis divina providentia Papæ decimi anno ſecundo, in noſtrorum infraſcriptorum trium Notariorũ publicorum ac teſtium præſentia, Reverẽdisſimus in Chriſto Pater & Dominus, Dominus Franciſcus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Abbas præfati Monaſterii ſancti Galli, ſedi Apoſtolicæ immediate ſubjecti. Conſtantienſis diœceſis, in animo ſuo revolvens dictum ſacræ ſore pagina, Os juſti meditabitur ſapientiam; talia præmeditatus, id, tam pium, tam ſanctum, tam præclarum, & ut ſingula brevibus præſtringantur, toti patriæ tám neceſſarium Patronum & & Advocatum apud cunctipotentem extollere, non ſore negligendum ſeu floccifaciendum, juxta id, Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui ſint in domo aliena. Volens juxta Apoſtolicam admiſsionem, fimbrias gloriæ laudis & ſanctimoniæ olim venerabilis ac beati Notkeri, cœnobitæ præfati monaſterii Sancti Galli, dilatare atque extollere, juxta illud ſacri eloquii dictum, Vivent mortui tui Domine, & interfecti mei reſurgent; cum magna ſolennitate ac pontificalium celebritate concomitante toto ſuæ reverendisſimæ Paternitatis Conventu ac toto Clero, in & extra oppidum S. Galli, cum magna caterva populi utriuſq; ſexus, adſtantibus & miniſtrantibus ſuæ reverendisſimæ Paternitati religioſis & venerabilibus viris Dominis Alberto Miles, Ludovico Blarer, cœnobitis ibidem; Heinrico Buman, ac Lazaro Talman, Capellanis officii glorioſæ virginis & genitricis Dei Mariæ; cum proceſsione ac ſolenni cantu eccleſiam præfati Monaſterii egreſſus, & ad capellam Beatorum Petri & Pauli, in qua corpus B. Notkeri requieſcit, cum magna devotione ſe tranſtulit: ibique litteras Apoſtolicas, ad extollendum & glorificandum beatum Notkerum cum earum proceſſu ſibi præſentatas, venerabiliter ſuſcepit; cum cantu, reſponſoriis, antiphonis, verſiculis & collectis ad hoc deſervientibus, & hujuſmodi actum concernentibus, cum concluſione, lætabundi cantus, Te Deum laudamus.

Pſ 36, 30 B

Prov. 5, 9

Iſa. 26, 19

pridie ſe confert ad ſacrum ſepulcrum,

C

& ipſo die feſtum celebrat,

49 His itaque peractis, in vi Apoſtolicæ admiſsionis, diem prædicti Notkeri ſingulis annis celebrandum ad Dominicam Jubilate inſtituit: & deſuper per organum honorabilis viri Vdalrici Bati, Cancellarii præfati monaſterii, proteſtatus eſt ſolenniter & expreſſe, ſuam reverendisſimam Paternitatem, cum omni humilitate Apoſtolicas litteras cum earum proceſſu recepiſſe, & juxta earum tenorem ad contenta in eis proceſsiſſe, neque plus minuſve quam in litteris Apoſtolicis continetur, ſe velle feciſſe aut facere, offerendo ſe ſemper ad Apoſtolica mandata filium obedientiæ. De quibus omnibus præfatus Cancellarius, de mandato prælibati reverendisſimi Domini Principis vivæ vocis oraculo ſibi facto, inſtanter nos tres infraſcriptos Notarios requiſivit, & petiit ſuper his omnibus ſuæ reverendiſſimæ Paternitati unum vel plura publicum ſeu publica inſtrumentum ſeu inſtrumẽta fieri & tradi, ſicq; proceſſionaliter eſt receſſum, & Veſperæ inibi ſolennes de B. Notkero per præfatum reverendiſſimũ Abbatem & chorum decantatæ ſunt. Et ſequenti die, videlicet Dominica Jubilate, mane circa horam nonam ante meridiem, feſtum B. Notkeri juxta prænominatam inſtitutionem, cum Miſſa ſolenni in pontificalibus ſuis, cum devotione ſolenniter decantavit, adſtante toto Clero & populi utriuſque ſexus multitudine copioſa. Fuerunt autem ex venerabili Conventu Monaſterii ſancti Galli, in illo actu præſentes reverendi ac devoti Domini: Pater Joannes Sayler Decanus. Pater Gallus Ropſt Subdecanus. *c*

D

coram mignacho

c

50 Acta ſunt hæc Anno, Indictione, diebus, horis, menſe & Pontificatu, quibus ſupra. Præſentibus ibidem religioſis, devotis ac venerabilibus, validis & providentibus viris, Patre Laurentio Schab, Licentiato in Theologia, Ordinis S. Benedicti, ex Monaſterio Selgenſtatt Maguntinenſis diœceſis, tunc Prædicatore Monaſterii ejuſdẽ. Patre Joanne Fabri, Ordinis Prædicatorum. Patre Matthia Stelke Ordinis Minorum. Patre Sigiſmundo Lang Ordinis B. Auguſtini. Dominis, Magiſtro Hermanno Miles parochialis Eccleſiæ S. Magni in oppido ſancti Galli Paſtore & Decano Capituli Ruralis in Rorſchach. *d* Cunrado Pachoffen de Turrego, Capitaneo Monaſterii S. Galli; Caſpare von Wiler, Magiſtro civium præfati oppidi S. Galli; Caſpare Schlumpff, antiquo Magiſtro civium, *e* & aliis quam plurimis fide dignis utriuſq; ſexus hominibus, ad hujuſmodi actus vocatis ſpecialiter atque rogatis.

E

& aliis;

d

e

f. noque inſtrumento publico ſignant Notarii

51 Et ego Chriſtophorus Winckler, Rector parochialis Eccleſiæ oppidi Altſtettenſis vallis Rheni, Conſtantienſis diœceſis, provinciæ Maguntinenſis, ſacra Imperiali auctoritate Notarius, quia hujuſmodi ſolenni proceſſioni litterarum Apoſtolicarum, tum earum proceſſui, præſentationi & exhibitioni & acceptationi, laudis & gloriæ B. Notkeri amplificationi, feſtivitatis ejus inſtitutioni, proteſtationi, divinorũ ſucceſſive Officiorum celebrationi, Pontificaliumque celebrationi, omnibuſque aliis & ſingulis, dum ſic ut præmittitur fierent & agerentur, una cum infra ſcriptis meis in hac parte collegis & legalibus Notariis ac prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi; ideo hoc præſens publicum Inſtrumentum, manu mea propria ſcriptũ exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi, & in hanc publicã formam redegi, ſignoq; & nomine ſolitis & conſuetis ſignavi, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus, &c. *f*

F

f

ANNOTATA.

a *Habemus depoſitiones teſtium 56: ceteri ergo ſolum de fama ſanctitatis ac miraculorum depoſuerint vel deponere parati fuerint: quos nihil particulare de miraculis relaturos Commiſſarius putaverit non eſſe ſigillatim audiendos.*

b *Hæc eſt præfatio ad deſcriptionem actus ſolennis & honoris B. Notkero publice exhibiti.*

c *Reliquos vide apud Caniſium nominatim, Patres undecim, Fratres ſeptem.*

d *Sequebantur nomina aliorum ex Clero vigintitrium.*

e *Tum præter hos tres expreſſos, aliorum quinque laicorũ.*

f *Simili modo, ſed formula breviori nomina ſua ſubſcripſerunt,* Wolfgangus Reuter & Caſpar Fruh *Notarii: exemplumque ab originali tranſcriptum manu prædicti* Wolfgangi, *denuo reſcripſiſſe ſe anno* 1526 *teſtatur* Fridolinus Sicher Organiſta, *ex cujus* MS. *Caniſius impreſſit.*

DE

DE SANCTO BERTHAMO.

EPISCOPO IN SCOTIA

G. H.

CIRCA AN. DCCCXXXIX

IN *Breviario Eccleſiæ Aberdonenſis in Scotia, celebratur memoria præpoſiti in titulo Epiſcopi, his verbis*: S. Berthami Epiſcopi & Confeſſoris in Scotia, ſub Rege Kennedo, anno DCCCXXXIX, VI Aprilis: *Thomas Dempſterus lib. 2 Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gentis Scotorum, citato Breviario Scotico, aſſerit*, floruiſſe dicto anno DCCCXXXIX, coli VI Aprilis, ubique regni templis & aris ei erectis: incertum cujus Eccleſiæ fuerit Epiſcopus, putari Orcadum. *Idem Dempſterus in Menologio Scotico*, Kirchuæ, *inquit*, Berthami, Epiſcopi Orcadum ſanctiſſimi, *citatur Kalendarium Adami Regii. Ferrarius eumdem inſcripſit Catalogo generali his verbis*: Kirchwalli in Orcadibus S. Berthami Epiſcopi, *& in Notis aſſerit*, Kirchwallum eſſe urbem Epiſcopalem Pomonæ, inſulæ Orcadum præcipuæ, quæ & Kirchua ſeu Kirkua nominatur: *aliis etiam* B Carcoviaca *dicitur. David Camerarius longo eum elogio, utinam vero, celebrat.* S. Berchamus, *inquit*, vel Berthanus Epiſcopus Orcadenſis & Confeſſor. Magna fuit is ſanctitatis opinione in Sterlingenſi provincia. Adoleſcentiæ annos in celebri illo Divi Columbæ monaſterio, non procul Sterlino ſive Strivilingo, tranſegit. Ad Epiſcopatum evectus, ſtatim pervolutandis Sanctorum Vitis, Vironis præcipue, Plechelmi & Kiliani Epiſcoporum, qui apud exteras gentes & miraculorum gloria & vitæ ſanctitate celebres habebantur, diligenter inſiſtere; præclariſſima eorumdem dicta & facta excerpere, & præ oculis ſemper habere; horum frequenti meditatione ſeipſum velut in ſpeculo contemplans, magno eos imitandi ferebatur deſiderio, & limpidiſſima è cælo perfundebatur dulcedine. Et certe ad imitationem illorum, plurima eaque præclara geſſit Berchamus Sanctus. *Hæc ibi. Dempſterus aſſerit eum ſcripſiſſe libros varios: ſed veremur, ne quod Philippus Labbe tomo 2 de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Martino Polono pag. 63 tradit, hic locum obtineat, ſcilicet eum* in patriæ ſuæ gratiam omnes fabulas conſarcinaſſe. *Quare harum rerum curioſum lectorem ad ejus hiſtoriam remittimus: & eum titulum præfigimus, quem Breviarium Aberdonenſe proponit.*

Cultus ſacer

an Epiſcopus Orcadum,

elogium Camerarii.

an libri ab eo ſcripti?

E

DE SANCTO PHILARETO

MONACHO IN CALABRIA ULTERIORE.

G. H.

ANNO MLXX.

VIta S. *Philareti Græce olim ſcripta, fuit adſervata in illuſtri bibliotheca monaſterii S. Salvatoris ex ordine S. Baſilii, prope urbem Siciliæ Meſſanam. Eam Latinitate donavit Auguſtinus Floritus è Societate Jeſu Sacerdos, de hiſtoria Sanctorum Siculorum bene meritus, uti atteſtatur Octavius Cajetanus ex eadem Societate, qui hæc Acta edidit tomo ſecundo de Vitis Sanctorum Siculorum: ex quo nos eadem, ſed more noſtro diſtincta atque illuſtrata, damus: ipſum textum Græcum libenter etiam daturi in fine. ſi ad eum obtinendum adhibita hactenus diligentia pertingere potuiſſet: ſpetamus tamen futurum aliquando è Siculis aliquem, qui etiam in his efficacem operam nobis commodet. Auctor Vitæ fuit Nilus, qui in eodem monaſterio cum S. Philareto monachus vixit. Certe num. 14 aſſerit ſe ibidem* magnum hunc virum cognoviſſe; *illudque ſibi* initium atque originem fuiſſe, ut ſanctius perfectiuſque vitæ genus adinveniret atque ſectaretur. *Iterum num. 31 reditum illius ad monaſterium deſcribens, ita ait*: Quid vero pro his attulit, cum ad nos venit ſingularis virtutis homo? *Poſtea num. 43 deſcripturus, quomodo* divinæ contemplationi continenter vacaret; Id, *inquit*, & nos ipſi novimus & ab aliis audivimus. *Porro de hoc auctore ita cenſet Floritus interpres*: Videtur quidem aliquanto verboſus; verum, eum ſi advertamus, non hiſtoriam, ſed panegyrim ac laudationem conſcribere, aliquid condonemus æquum eſt: pius vero admodum eſt & bonæ dictionis. *Hiſce addit Cajetanus*, habitum eſſe ſermonem, non ad monachos modo ſui monaſterii, ſed coram multitudine Calabrorum confluente. *Breviarium hujus Vitæ ſcripſit quidam Presbyter, Ioſaphat nomine, quod item in Codice Græco extat in memorata ante bibliotheca S. Salvatoris prope Meſſanam, ſed illud Breviarium Vitæ non vidimus, niſi à Cajetano citatum.*

Vita Græca Latinè reddita,

C *ſcripta à Nilo monacho coævo,*

inſtar panegyris dicta ad populum,

Ejus compendium.

2 *Monaſterium, in quo* S. *Philaretus vixit infra num.* 14 *ſcribitur* Aulinas, *ac dein num.* 19 *appellatur* monaſterium S. Eliæ. *Verum hoc in hujus Vita, auctor etiam antiquus & ejuſdem loci monachus*, Salinas *vocat. Floruit S. Elias ſeculo Chriſti nono, mortuus octogenarius anno* DCCCCIII, XVI *Kalendas Auguſti. Situm ejus monaſterii commonſtrant hodierni Geographi in mappa Calabriæ ulterioris, haud procul à littore maris Tyrrheni, inter oppida Palmam & Seminaram: nec procul inde Senopolis, locus infra num.* 14 *habitatione Philareti & parentum notus, ad octo circiter millia paſſuum verſus Orientem diſtat. Cajetanus in Notis ad Vitam S. Eliæ num.* 19 *ait*, in monte Palmæ imminente extare adhuc ſpeluncam, S. Eliæ ſacram. *Sed imprimis notandum hoc loco eſt* Monaſterium, *ipſius* S. Philareti *nomine dictum; cujus meminit Ferdinandus Vghellus, Tomo* 8 *Italiæ ſacræ in deſcriptione Calabriæ col.* 245, *tamquam* haud procul inde *ſiti*, Ordinis *item* S. Baſilii; ubi *inquit* ejus (*Philareti*) brachium, *&* B. Eliæ magiſtri caput aſſervatur. *Recte, ſi magiſtri nomen accipiatur latius, ut qui ſub Eliæ diſcipulis vitæ religioſæ tirocinium poſuit, ipſis quoque adnumeretur, æque ac ſi immediate ab Elia inſtructus fuiſſet. Plus enim non patitur ratio temporum, quibus Philaretus vixiſſe traditur; quæque optime colliguntur hoc modo.*

Monaſterium S. Eliæ, palæſtra S. Philareti.

aliud ab eo nuncupatum.

F

3 *Quando Georgius Maniaces cum exercitu in Siciliam appulit, atque inde Saracenos expulit, quod factum eſſe anno* MXXXVIII *infra cap.* 2 *conſtabit, duodevigeſimum annum ætatis S. Philaretus egiſſe traditur num.* 10. *Natus ergo fuit anno* MXX. *Cum vero annum* XXV *ageret, ſcilicet anno Chriſti* MXLV, *habitum monaſticum ſumpſit, atque in eo perſeveravit uſque ad finem, mortuus anno ætatis quinquageſimo, ergo Chriſti* MLXX. *Qui cum poſt duos ab obitu annos clareſceret miraculis, eodem loci ut num.* 53 *traditur,* oratorium ab ipſis fundamentis excitatum eſt, ac pulchre affabreque conſtructum, ſanctiſſimo viro dicatur. *Hieronymus Marafiotus lib.* 1 *Chronici Calabriæ cap.* 32, *& eum ſecutus Cajetanus tradunt, juxta Seminaram ſupra indicatam extare in valle eccleſiam cum aliquo monaſteriolo* S. *Philareto dicatam, in qua alterum ejus brachium adſervatur; eumque ibidem ſolenni veneratione coli hoc die* VI *Aprilis, ad quem etiam diem Cajetanus in Martyrologio Siculo, Ferrarius in Catalogo generali & Catalogo Sanctorum, eumdem celebrant. Citat hic* tabulas Eccleſiæ

Ætas hujus,

ei dicatum oratorium, & eccleſia,

cultus 6 Aprilis.

A Seminaræ, à qua uti Patronus habetur, & monachus Taurianenſis *appellatur. Verum fuit monaſterium S. Eliæ ſupra vetus oppidum Taurianum, cujus corpus cum ad ſuum monaſterium eſſet referendum*, monachos ad Taurianum obviam proceſſiſſe *extrema pars Vitæ ejus demonſtrat. Ex Tauriani à Saracenis everſi ruinis, Seminara conſtructa paßim traditur.*

VITA

Auctore Nilo monacho coævo,

Interprete Auguſtino Florito S. I.

PROLOGUS.

1 CUm Philareti, divini plane hominis, cæleſtem atque Angelis parem vitam, in virtutis ſtudioſorum gratiam, componere in animo habeam; duas video cogitationes ſibi invicem oppoſitas, ſtrenueque inter ſe pugnantes, ac ſi altera contra alteram victoriæ trophæum ſit erectura; ambas tamen ab uno eodemque animi motu promanantes. Ac profecto nova quædam utrimque exoritur concertatio. Hæc ſi quidem nonniſi metum ac timorem protendit, ac terribilia graviaque ſupplicia interminatur, & revocat in memoriam pœnas acerbiſſimas, quas olim Ozan & Hozias, cum Dathan & Abiron, multique alii, cum ex antiquis tum ex recentioribus, divina myſteria indigne tractantes, ob eorum pravitatem Deo Optimo Maximo dederunt: ad hæc inſcitiam tenuitatemque noſtram ob oculos ponit: tum debere omnibus ludibrium ac riſum & inutilem fore minimeque fructuoſam hanc narrationem: præterea præſtare divina ſilentio colere, ac Numen propitium amicumque habere, quam indignis verbis ea videri quidem ornare, ſed in divinam iram indignationemque incidere. Illa vero, ante omnia neceſſario juſſis parendum eſſe proponit; tum quod debemus perſoluendum: quippe homo noſter ac probe notus, audientium animis ardentiſſimum amorem; ſancto huic cœtui ad unius Dei gloriam congregato, ad virtutis ſtudium adhortationem; qui ad ſuperna currunt ac feſtinant, vehementem contentionem firmumque tenorem; recte feliciterque agentibus, ſpem; quietis, portum; ſedatas animi perturbationes tenentibus, lætitiam ſuavitatemque immenſam; triſtitia affectis, conſolationem; male moleſteque vitam trahentibus, medicinam; utque omnia uno verbo dicam, ea demum elargitur, quæ adipiſcentium animas & lætitia & lucro afficiant.

Propoſuit ſcriptor quæ à ſcriptione deterrerent.

B

& quæ ad illam alliciāt:

C

2 Quoniam vero noſtri animi mens ita in utroſque motus dominatur, ut in utram illa cogitationem inclinetur atque aſſentiat, huic uni, velut arbitra ac moderatrix, præclara victoriæ trophæa attribuat; age, jam utrumque æquis lancibus expendamus, omniaque ſecundum Apoſtolum probemus. Et ſilentium quidem magno nobis undequaque fore detrimento videmus: contra non minimam utilitatem ac fructum pio ſtudioſoque huic cœtui ex oratione noſtra eventurum. Itaque quod ſatius eſt, ab eo quod minus conducit, ſecernentes; id quod bonum eſt teneamus, ac priori illi cogitationi cum ſuis terriculamentis ac minis vale dicentes, poſteriorem (ut quæ multos ingenti gaudio ſit cumulatura) lætanter gratanterque pro virili complectamur. Atque ea ſane in medium afferemus, quæ in bonorum virtutiſque ſtudioſorum gratiam, & memoria ſimul & hiſtoria ſint magnopere digna. Enimvero contra fas juſque omne facturi videremur, ſi tam præclara virtutum facinora tantumque vitæ ſplendorem ſilentii tenebris involveremus. Perſolvamus itaque quod debemus: vitemus inobedientiæ periculum; ad honeſtam æmulationem impellantur auditores; qui in curſu contendunt, in ſui propoſiti calore confirmentur; reliquis etiam, res præclare geſtas deſcribentes, conſulamus; univerſuſque terrarum orbis incredibili lætitia perfundatur (Eſt enim id proprium ac ſolenne, cum viri juſti laudes memorantur) Deus etiam ab omnibus laudetur, qui glorificatur in conſilio Sanctorum.

1 Theſſ 5, 21 *decernit Vitam hanc eſſe ſcribendam.*

D

3 Vos etiam, ſanctiſſima concio, qui hanc mihi provinciam demandaſtis, ad perficiendum obedientiæ opus, opem mihi veſtris precibus implorate; ac nobis in dicendo non mediocriter laborantibus, orationibus Deo acceptiſſimis veſtrum auxilium ne denegetis. Cum enim quaſi ad certamina quædam atque ad luctam, quæ robur vireſque noſtras excedunt, aggredi debeamus, pelaguſque trajicere immenſum ac periculoſum; certe precationum ſubſidio mirum quantum indigemus, ne forte rerum difficultatibus omnino obruti, mente, ut dicitur, periclitemur: & quem paullo ante minime ſumus veriti, riſum plane omnibus debeamus, ut qui rerum præſtantiam pro dignitate aſſequi oratione noſtra haud potuerimus. Sed Deo, certaminis moderatori naviſque gubernatori, orationis noſtræ gubernacula tradentes; nec non eum, de quo inſtituitur oratio, noſtris precibus permotum, nobis ſocium adjutoremque propitium adepti; ad hæc ſanctis veſtrum omnium precationibus accedentibus, exiguo hoc noſtræ cogitationis navigio, in hunc modum propoſiti argumenti pelago nos libenti animo committamus.

petit preces aliorum:

E

Deum & S. Philaretum invocat.

CAPUT I.

Patria Sicilia: hujus laus. Adoleſcentia & inſtitutio S. Philareti.

4 VErum enimvero, cum ita in more poſitum ſit, primum omnium, quemadmodum cenſent qui hoc dicendi genere delectantur, ſuo ordine currens oratio, de ſancti viri patria mentionem faciat: ſi licet tamen ei patriam ac genus hic in terris tribuere, qui in cæleſti urbe domicilium eſt nactus ſuum, quique pro genere atque hereditate ſua Deum ipſum eſt adeptus, cui uni vivebat vivendique rationes omnes tradiderat, vanis caduciſque hujus mundi rebus plane mortuus. Ibi carnis vinculis exolutus cum cæleſtibus illis mentibus à concretione materiæ alienis, in eadem cæli aula verſans, ejus quem ſummopere expetebat aſpectu planius & plenius perfruitur, ſpeculis umbriſque ac figuris rerum à veritate ipſa remotis. Verumtamen inferior ac terrena illi patria, celeberrima Siculorum inſula fuiſſe perhibetur: quam profecto, utpote tam ſancti viri natalem, paululum decet laudibus exornare: ad hoc tantum ut unde vir talis tantuſque ortus ſit dilucidius oſtendamus; non ut aliquid inde gloriæ homini feliciſſimo accedat. Quæ enim illi gloriæ fieri poſſit acceſſio, qui ſummam perfectamque gloriam ac ſplendorem à Deo eſt conſecutus? Qui illi addi honos, qui ſupra omnem intelligendi rationem à ſupremo illo rerum omnium Moderatore eſt honeſtatus? Quæ illi laudes, quæ acclamationes adjungi, quem præpotens Deus omneſque Angelorum ordines mirum in modum extollunt, omnibuſque præconiis omnique exornandi genere majorem prædicant?

Philaretus cali civis,

F

in Sicilia naſcitur.

5 Sicilia regio eſt, undequaque ut ita dicam inſignis, *a* ſed præ ceteris aliis rebus aërem habet hilarem, ac jucundum, undique ſplendidum ac coruſcum, &

ubi moderatum, tum calens.

a propter

A propter ſummam ejus temperiem incolis maxime ſalutarem, æſtate roſcidum, hieme vero calidum. Quin ſuis hominibus inter cetera commoda hæc præcipue mirâ quadam ratione impertitur: formas enim ac facies, ad præclaras eorum artes animique ornamenta, effingere aptareque pernovit; cum nonnullos gignit albos ac ſubrubicundos, honeſta ac liberali forma præditos, quibus non minimum ac vulgare ingenii acumen elargitur. Natura enim comparatum eſt, ut cum cæli aër denſus ac craſſus ſit maleque temperatus, ſoleat quibuſdam in locis cogi atque concreſcere, neque brevem nec ſubitam habere morborum curationem, ac proinde ex utroque capite peſtilens & inſalubris eſſe illis, qui ejus aura veſcuntur: ſicuti contra, qui tenuis & bene temperatus ſit, utrimque utilis ac conducibilis ſit iis neceſſe eſt, qui ſub eo ſunt conſtituti. In ea tellus maxime fœcunda, fœta quibuſcumque fructibus ac frugibus: regio feraciſſima, quam amentes Agar nepotes per vim in ſuam ditionem captam, terram ſane bonis omnibus affluentem, devaſtarunt; cum ad eam tamquam ad deliciarum paradiſum habitandam commigraſſent; ſic enim de eo ſentiunt incolæ univerſi.

homines ingenio acuto præditi,

terra fertilis,

B 6 Ibi varii aquarum fontes, ſplendidiſſimis ac ſuaviſſimis aquis perpetuo ſcatentes, balnearum ſcaturigines multæ, multa fluviorum genera; quorum nonnulli ex magnis montibus erumpentes, ac per ſumma collium decurrentes, ſuo ingenti lapſu aures permulcent, & intuentium oculos maxime delectant, præſertim cum ſiti cruciantur: alii vero per camporum planities feruntur curſu amœniſſimo ac placidiſſimo, & per paſcua omnia veluti equitantes ea reddunt fœcunda; qui ſane indigenis commoda præbent duo, & aquas ad potum abundantiſſime ſubminiſtrant, & arbores & cujuſcumque generis ſtirpes ac plantas rigant. Verum ille Æthnæus ignis ſemper mihi viſus eſt admiratione dignus, qui ſcilicet unde ſcaturiat, & olim & noſtris etiam temporibus, problema philoſophis præbuit, quod profecto non facili negotio ſolvi queat, cum res ſit mira & ſtupore digna: quamquam non defuerunt, qui varie de eo dicere conati ſunt, ſed hi dubitationem potius adauxere. Nec vero minus digna eſt quam admirere, aqua fontis Arethuſii, fluviuſque Alpheus per immenſa currens maria, ut cum amata, ut ajunt, lympha commiſceatur. Non deſunt ligna ex

fluvii multi,

mons Æthna alsaque singularia,

C iis, quæ magno in pretio ſunt apud mortales, cedri, inquam, cupreſſi, & ad prælucendum piceæ, proceræ illæ atq; è terra in ſublime non mediocriter erectæ. Lapis, diverſa à ceteris natura, duo in ſeſe commoda continet, cryſtalli inſtar pellucidus, ac ſuaviſſimi ſalis uſum incolis ſubminiſtrans. Multa etiam ſunt ſacra ac religioſa tẽpla. At vero mira eſt pulcritudo ac magnitudo ædificiorum, quæ in maximis urbibus conſpiciuntur, atque ex his ſatis illuſtria ac præclara cenſentur, quæ ab antiquis mira arte poſita ſunt.

7 Quid equorum præſepia? (ut de animantibus ratione carentibus aliqua etiam ratio hic habeatur; id quod in præpotentis Dei auctoris gloriam ac laudem cedat; hæc enim etiam cum aliis materies ſunt divinarum laudum) ſane hic gignuntur feroces, varii coloris, corpore procero. Non boum armenta, non ovilia, non apum examina ſuis alvearibus incluſa deſideres; quæ prope infinita ſunt, & mellis dulcedine hoſpites eo confluentes reficiunt ac recreant. Quæ vero mulorum genera, quorum alii ad ferenda onera, alii ad vehicula trahenda aptiſſimi? Porro aliorum animantium genus multiplex, quæ vel cibos ſuppeditant, vel ad alios uſus neceſſarios ſunt accommodata, nec non ad candidas mentes di-

equi generoſi,

& omnia generis animalia,

vino timore informandas. Quid avium garritus? quæ partim ab humana conſuetudine non abhorrent, partim locis deſertis magis delectantur? atqui eæ nec paucæ ſunt, & pingues ſuccique plenas eadem inſula ſolet educare. Mare circumfluum bonis omnibus, quæ ex ſe naſcuntur, ditat univerſos. Portus in ea & ampli & lati, quos intuens, non alia quam divina manu factos eſſe diceres: atque hic, præter alia bona & utilitates, oſtrea conchiliaque reperiuntur, ad purpuras regioſque ornatus.

AUCTORE NILO. *ac marit. commoda,*

8 Sed quid attinet, quæ in ea regione ſunt ſingula percenſere? Nam, quemadmodum Sicilienſium res omnibus antecellunt, ſic rebus ipſis ipſi ſunt oratione longe ſuperiores. Teſtantur hoc orationum lumina & ornamenta, quæ à veteribus ſapientiſſime conſcriptæ, omnemque aliis gloriam præripientes, immortale Siculis decus peperere. Nonne Poetarum, Rhetorum Philoſophorumque ac ceterorum ſcriptorum dicendi genus, ſi uſpiam, hic ita valuit, ut palmam ſibi apud omnes vendicarint Siculi? Sed quid ego Oratorum ac Philoſophorum, quid Vatum Hiſtoricorumque lumen, ſplendoremque orationis commemoro? cum hæc verborum lenocinia nihil apud nos ſint, qui cæleſtia ac divina profitemur; neque eorum placita ullo pacto ſequi velimus, cum à rationibus noſtris longe ſint aliena, neque apta ad commendandum, quod apud nos eſt, bonum. Quare his prætermiſſis, eos maxime recenſebo, qui hic in Euangelii gratia enituerunt, & univerſi terrarum orbis lumina præclariſſima extitere. Pontifices, inquam, ac Sacerdotes, qui pro Chriſti amore in ſacro ſanguine finem vitæ concluſerunt ſuæ; tum alios Martyres atque Aſcetas, quique ad ſanguinis uſque effuſionem in veritatis confeſſione fortiter dimicarunt: ad hæc ſanctarum mulierum cœtus, ac infinitam prope multitudinem eorum, qui pietate, caſtimonia morumque ſeveritate floruerunt; quos Occidens veluti quædam lumina cum progignat, Orientales etiam ſplendores imitatur. Inter quos hic magnus quoque vir, ſolis inſtar exoriens, vitæ ſuæ ſplendore univerſum orbem illuſtravit; quorum ille res geſtas, veluti ad quoddam exemplar, aut ad divinum, ut rectius loquar, archetypum identidem ſpectans, ſingulos imitando, accurate in ſeſe effingere ſtudebat, Chriſti athletas in laboribus, aſcetas in rebus præclare pieque geſtis, in fidei conſtantia confeſſores, omnes demum ardentiſſima erga Deum caritate, quoad ejus fieri poſſet, æmulabatur. Nunc vero noſtræ orationis curſus, veluti de compacto, in ipſa jam nuda rerum elementa pervenit; genus, inquam, educationem, ipſamque magni viri adoleſcentiam; quæ, cum in eo omnia, non humana ſed divina ratione, geſta ſint; divinum plane hominem & eſſe & vocari debere, ipſæmet res poſtea planum fecerunt.

sed pottissimũ scriptores illustres;

E

& inter Christianos, variis sanctis

F

9 Ille itaque in ea *b* provincia *c* natus jam, cum tamen & antequam gigneretur Deo fuiſſet dicatus, ac poſt ſacroſancto baptiſmatis fonte renatus; cuidam Chriſtianorum Sacerdoti ad diſcendas literas à parentibus traditur. Qui quidem & probi & naturæ religioſi extitere, rebus etiam pie ſanctèque geſtis, & fidei in primis orthodoxæ ſinceritate ceteris excellebant. Ac prima quidem timoris Dei elementa arripuit, etenim initium ſapientiæ, ut *d* Salomon ait, eſt timor Dei; meditatur prudentiam, inveſtigat de Deo, audit judicium, timet ſupplicia, metuit minas, appetit bona, peccatum averſatur, apprehendit virtutem, amat regnum; denique, quod eſt palmarium, Deum diligit. Verum inibi pauca quædam ex omnibus diſciplinis delibavit, quantum ſufficere ſibi exiſtimabat, ne earum expers omnino videretur: id quod brevi ſane eſt conſecutus; cum & præclara

b c

pie educatus Eccli. 1. 16 *d*

& disciplinis instructus,

AUCTORE NILO.

præclara ingenii indoles, & virtus mirum in modum ad quodvis præſtandum in eo concurrerent. Itaque & Deo & parentibus totum ſe tradebat ac commendabat; obſequentem ac morigerum in omnibus ſe illis præbens, in timore Dei; res domeſticas, ut jubebatur, æque curans, ac nequaquam virtutis obliviſcens. Semel in die cibo ſe reficiebat: ea enim ab ipſa pueritia, veluti prima virtutis incunabula, ante cetera omnia ſibi eſſe ſtatuit; ſed ſolis omnino neceſſariis corporis neceſſitudini ſatisfaciebat. Sacra templa aſſidue frequentare, divina cæleſtiaque ſic animo meditari, ut futuræ in ſe gratiæ non obſcura indicia oſtenderet: eam ſuis ſibi oculis legem diſciplinamque præſcripſerat, uti novum nec uſitatum quiddam oratio noſtra deſcribat, neceſſe ſit. Quid aurium diſcretionem, quid odoratus inſtitutionem, quid linguæ continentiam, quid tactum fræno coercitum dicam? Quid gravitatem inceſſus, quid candidam minimeque fucatam morum compoſitionem, quam ſemper eamdem retinuit, prædicem?

Virtuti ſe dedit,

ANNOTATA.

a *Quæ hic in laudem Siciliæ congeruntur, ſingula in Notis à Cajetano probantur, adductis ſententiis antiquorum hiſtoricorum, oratorum, & poëtarum, ſed quia ad S. Philaretum non ſpectant, illa omittimus: cum ſimilia & multo exactiora narrentur à Thoma Faſello, Mario Aretio, Dominico Mario Nigro, Philippo Cluverio & ſimilibus.*

b *Mirum plane eſt non indicari ex qua parte Siciliæ, urbe, oppido, aut pago fuerit oriundus. Infra num.* 14 *dicitur* pater ejus agricola, & in labore opereque habuiſſe ſocium filium. *Interim, teſte Cajetano,* S. Philaretum civem ſuum agnovere ſemper Panormitani ac venerati ſunt conſtanti ſemper traditione, quam nemo convellere eſt auſus, *imo* natum eſſe in urbe Panormo *ſcribi à* Joſaphato Presbytero in Vitæ Breviario. *Quod profecto videtur ignoraſſe Nilus, qui in laudem urbis Panormitanæ panegyrim late extendiſſet. Forſan in diœceſi Panormitana agrum excoluit, ut inde Panormitanus fuerit habitus.*

c *Natus eſt S. Philaretus circa annum* 1020.

d *Imo Eccleſiaſticus, Ieſus filius Sirach.*

CAPUT II.

Sicilia Saracenis erepta. Diſceſſus S. Philareti cum parentibus in Calabriam.

C

Annum 18 *ætatis agebat.*

10 VErum is cum adoleviſſet, inciperetque jam genæ lanuginem edere, duodevigeſimum annum agens; teneretque ſceptrum imperii Conſtantinopolitani *a* Michael, (is ille eſt, in quem autumant malum inſiliiſſe *b* ſpiritum, quod in Romani, qui ante ſe regnaverat, necem conſpiraſſet) is, inquam, bellum in Sicilia, tum ab ejus provinciæ *c* Toparcha, tum à Siculis nonnullis ſæpe rogatus, adverſus Africanos barbaros gerendum ſtatuit: erat enim alioqui vir, ut fertur, bonus ac temperatus, pauperum ſtudioſus, miſericors, aliorumque mala ægre ferebat; nihilque impediebat, quo minus omnes pro ſuo quiſque arbitratu pietatem colerent; cum id unum peccaſſet, quod in antecedentem ſe Regem mortem eſſet molitus, heu nimio regnandi deſiderio inflammatus. Hic imperatoriis juſſis coacto undique Græcorum exercitu, terra marique copias inſtructas, ad barbaris exteriſque bellum inferendum, in Siciliam mittit: ac præter ceteros Tribunos ac duces, Maniacem, virum multis rebus præclare geſtis partiſque crebro victoriis celeberrimum, Ducem omnibus præfecit; quem tamen ſociorum invidia ſuaque temeritas fertur miſere perdidiſſe.

a

b

cum à Michaele Paphlagone

c

Maniaces Dux cum claſſe in Siciliam miſſus,

11 Interim vero Barbarorum *d* tyrannus, eo qui in Sicilia dominabatur per dolum ſublato, bona illius omnia deprædatus, & in regnum quod ille adminiſtrabat invadens, nemine omnino obſiſtente, Panormi totiuſque Siciliæ potitur: mox ſuperbia elatus, non longe ab urbe in campum quemdam ampliſſimum egreditur, ut hoſtium adverſus ſe adventare maturantium copias ſpecularetur. Jam audacia inſolentiaque exultans, Imperatoriis legionibus procedere obviam parabat: jam certam ſibi victoriam ſtultus pollicebatur, non divino quidem fretus præſidio (qui enim hoc faceret homo impius & à vero Dei cultu longe abhorrens?) ſed ſua ferocia potius & copiarum multitudine confiſus, erant enim centum fere hominum millia. Verum talis ac tanta hominis ſuperbia & arrogantia, quæ ei hactenus res omnes proſpere geſſerat, tandem aliquando deprimi ac conculcari debebat; maximeque conſentaneum erat, ut à tam alto gloriæ faſtigio ad terram uſque præceps laberetur; cum ſuperbis Deus reſiſtat. Etenim cum Græci Rhegio actuoſis navigiis (neque enim difficile eſt) tranſmitterent, Deo Iſraël præeunte ac ducente; ille cum illuſtriorem fieri victoriam vehementer cuperet, & Græcorum imperium ſine ulla controverſia ſibi vendicare, tot nimirum copiis pollens potenſque, id conſilii adverſus Dei populum doloſe malitioſeque vafer homo excogitavit: quippe ad omnia inceptanda facilis eſt perverſitas, omniaque fieri poſſe ſuadet, ei præſertim qui opibus potentiaque plurimum valet. Tribulorum ingentem fieri vim mandat, & circum circa, ubi ipſe erat, projici; adeo ut veluti tutiſſimum, ut opinabatur, facerent propugnaculum arcemque munitiſſimam: uti in ipſo congreſſu, Græcorum equitatus, trajectis videlicet equorum pedibus, facili negotio victus caperetur. Atqui non advertit homo ſtultiſſimus, Græcorum equos laminis quibuſdam planis ac ſolidiſſimis pedes habere ſubligatos.

D

d

Saracenum invaſorem,

hominem impium ac ſuperbum,

E

12 Quid inter hæc mirabilium effector Deus, qui diviſit mare, & Iſraëliticum populum fugitivum ſalvum incolumemque ſervavit; qui comprehendit ſapientes in aſtutia ſua? *e* Græci ferrum manuſque cum hoſtibus conſerunt (ut interim, ob eorum multitudinem, reliqua in medio curſu hiſtoriæ prætermittam) in tres acies à peritiſſimo illo rei militaris Duce diſtributi. Sed, proh rem, bone Deus, admirabilem! Confeſtim Barbarorum exercitus in fugam convertitur, cum ne primum quidem ferre ullo pacto noſtrorum impetum potuiſſet. Cadit quaſi pulvis ante Græcorum pedes, quoniam cecidit timor eorum ſuper ipſos. Jacet veluti lapis ferro manuque conciſus: & qui ſuperbia inflatus, ante victoriam trophæa ſibi animo fingebat atque ſomniabat, ut mancipium irridetur. Duo enim erant quæ ſecum dimicabant, ipſa Græcorum acies, & vehementis ſpiritus cujuſdam flatus, qui in hoſtium faciem magno cum impetu irruebat, oſtendens divinæ ultionis pœnas, propter illius ſuperbiam in hominem irrogatas. Itaque in hunc modum cum ſuæ ille improbitatis pœnas perſpicue dediſſet; exiguo ſuorum numero comitatus, equorumque celeritate uſus, vix Græcorum manus effugit; parvumque navigium conſcendens, magno cum dedecore & ignominia in patriam fugitivus revertitur; materiem querimoniarum ac fracti victique exercitus reliquias, ſuæ patriæ ac regno ſeipſum ferens. Quid autem inde acciderit dicamus neceſſe eſt, cum auditores rapiat in admirationem, habeatque non parum jucunditatis ac ſuavitatis oratio.

e devicit,

F

& in Africam fugere coëgit.

13 Primum omnium gratiæ immortales agebantur Deo, in bellis præpotenti; laudibuſque in cælum

à ſuis

à ſuis pie ſancteque efferebatur, quod ejuſmodi de Barbaris victoriam largitus fuiſſet. Quæ vero ad fidem religionemque pertinent, in *f* priſtinam libertatem ſunt aſſerta, cum antea magno in timore ac terrore, propter tyranni immanitatem, verſarentur. Enituit, eluxitque veritas: Chriſti vero famuli, jugo barbaricæ ſervitutis erepti, facti ſunt compotes libertatis: ſimul vincti carcere mittuntur, captivi vinculis liberantur, & qui compedibus cohibentur, iis poteſtas fit libere abeundi. Gen. 12. 1 Tum, Egredere de terra tua & de cognatione tua, ſicut aliquando Patriarcha Abraham, ſic & magnus Philaretus à Domino audivit; ac periculoſum pelagus traijciens, Veni, inquit, in terram, quam monſtravero tibi, in qua etiam te opere maximo glorioſum efficiam: non in ſortita terræ diſtributione, non in ſeminis proliſque promiſſione, quam ſicut ſtellas cæli multiplicaturum illi Deus eſt pollicitus; non è ſomniorum conjectione atque interpretatione, totius Regni præfectura ac rei frumentariæ ſumma poteſtate conceſſa, tamquam alii Joſeph, Jacobi filio; ſed ſanctimonia ac juſtitia, & magnorum miraculorum oſtenſione.

f tunc reſtituta religione Chriſtiana,

Siciliam cũ parentibus deſerit Philaretus

& Senopoli in Oxlabria degit.

14 Qui poſtquam fretum tranſmiſit, Rhegio, quod Calabro littori adjacet, una cum parentibus pertranſiens, inde in *g* Aulinas (ſic enim appellant) cum iiſdem divinitus adventavit. Aulinas inquam illas, quæ nobis, ſi cui alii, bonorum omnium cauſa extitere: in iis enim magnum hunc virum cognovimus, eæ nobis initium atque origo fuere, ut ſanctius perfectiuſque vitæ genus adinveniremus atque ſectaremur. Ibi in quodam oppidulo Senopoli (ita nuncuparunt, qui primi illud tenuere) ſuum domicilium collocarunt. Eſt vero regio illa optima undequaque, & fructuum omnium fœcundiſſima. Verum cum pater ejus eſſet agricola, & ex ſacris litteris audiviſſet, beatos eos appellari, qui darent magis quam acciperent (quamquam ille multo jam ante ei rei aſſueviſſet) ex propriis ſudoribus ac manuum mercede victum ſibi quærere decrevit, cum & in labore opereque faciendo ſocium haberet filium. Is autem cum paulo poſt animum attendiſſet & ad cogitandum applicuiſſet, ſecum ipſe cœpit ante facta recenſere; quomodo patria ceſſiſſet, quæ prius fuerit ſibi vivendi ratio, quid in itinere, quid in mari contigerit, quaque ratione in extera regione vitam traduceret; tum rerum mutationem, & aſperum durumque vitæ genus; in primis vero reputabat ardentiſſimum monaſtici inſtituti deſiderium, quod ſe ab ineunte ætate vehementer inceſſerat; item reliqua omnia, quæ per ætatem ad illam diem meminiſſe potuiſſet, ſingula memoria repetebat: conſuevit enim animi mens, cum ſeſe collegerit, futura & ante acta omnia in memoriam redigere.

varie de ſtatu vitæ amplectendo ſolicitus.

ANNOTATA.

a Michael Paphlago, *Zoës Imperatricis adulter, qua inſtigante, Romanum Argyrum Imperatorem interfecit, feria quinta majoris ante Paſcha hebdomadis anno* 1034. *regnavit uſque ad annum* 1041, *quo obiit* 10. *Decemb.* 10 *Indictione.*

b *Curopalates eadem ita confirmat.* Captus eſt Imperator dæmoniaco morbo, quem furioſum morbum appellabant: quo uſque ad finem vitæ laboravit.

c Apolaphar: *de quo aliter Curopalates.*

d Umer *aliis dicitur.*

e *Hæc contigerunt anno* 1038 Indictione 6 *apud Curopalatem.*

f *Proſtrato hoſte mox* tredecim civitates cepit Maniaces, demum univerſam inſulam ſibi ſubegit. *Ita*

Curopalates, ſed cum ex falſis calumniis in vincula conjectus eſſet, perdita iterum Sicilia eſt. AUCTORE NILO.

g *Deinde monaſterium S. Eliæ appellatum eſt: de quo ſupra egimus.*

CAPUT III.

Deliberatio S. Philareti de ſtatu vitæ. Vita monaſtica in monaſterio S. Eliæ.

Deſpicit res mundanas,

15 TUm ſecum ipſe & cum anima ſua colloquens (magno enim erga Deum amore æſtuabat) ac identidem ſuſpirans; Philippe inquit, (hoc erat ei nomen cum ſeculari habitum adhuc geſtaret) quid cunctamur? quid pigritamur? ſiccine in poſterum hic dormitabimus? Quæ Deus ejuſque præcepta mandant, recognoſce: evigila jam, ſoporem excute, hinc ſecedamus; quandoquidem nos Chriſtus monet, noſtramque ſalutem indies præſtolatur. Non ſane noſter eſt mundus, nec quæ in ipſo ſunt univerſa: non parentum amor, non dulcis amicorum conſuetudo, non corporis illecebræ, non juventutis deliciæ, non ipſe ætatis flos. Prætereunt, pereunt iſthæc omnia; una tantum virtus, ut perennis immortaliſque haberetur, à natura impetravit. Age jam, E ô virtus, quæ tui ſtudioſos immortali gloria cohoneſtas, illos ſane divinos omnibuſque conſpicuos reddens; te unam amo, te expeto, tui ſolius ingenti deſiderio efferor. Vos, monachi, beatos appello, qui *felicitatem monachorũ, agnoſcit,* vos Deo mancipaſtis, abjectis contemptiſque mundi deliciis ac ſordibus, uti Deo arctius conjungeremini, ejuſque regni efficeremini heredes. En unquam erit, cum vobiſcum una atque inter vos verſabor, ſuave Chriſti jugum ſimul trahens? Quis dabit Pſ. 54. 7. mihi pennas ſicut columbæ? ut cum Davide loquar, & volabo, & requieſcam inter vos: ego, in quam, qui vos veſtraque expeto ac diſcupio, vobiſcum conquieſcam. O Pater, ô Verbum, una divinitas ac regnum, reſpice quæſo amorem in te meum; reſpice *ijſque adjungi optat:* ſuſpiria, meque mundo caduciſque mundi rebus tandem libera. Adjunge me, ô dulciſſime, tuæ & divinarum circum te mentium beatitudini. Utinam, quæ tam expeto, videam! utinam tuis fruar muneribus! utinam ſpe potiar mea, delecter gratiæ deliciis, particeps ſociuſque efficiar ſanctorum virorum, qui jam in ſe uſque à mundi primordio accepti placitique tibi fuere!

16 Hæc cum diceret, lacrymarum vim, inſtar fluminis, ex oculis mittebat: erat quippe divina deſuper afflatus gratia, ejuſque mens cæleſti lumine illuſtrata. Itaque ſimul hic ſatis ſuperque animum calefecit, intimiſque præcordiis ignem accendit, hæc in occulto animi receſſu magno cum dolore condita gerebat. Neque enim cum parentibus conſilia ſua *mortificatione & aliis virtutibus præparat animum.* fas erat communicare, ut in profectione ſibi ne eſſent impedimento: ſed interim jejuniis plurimis ac vigiliis aliiſque corporis macerationibus ſe dedens, ſpe cæleſtium bonorum nutriebatur nitebaturq; puritate ac virginitate animum exornare, temperantiam colere, ac ceteras virtutes & ſpiritualia decora ſibi comparare. Quæ cum ita eſſent, ac ſecum ipſe volutaret locorum deſerta, ferarum cavernas, montiũ altitudines, ſecretiores ſpeluncas; in monachorum caſtra tranſire tandem decreverat, miro quietis ac pacatæ ſecretæq; à ſeculi rumoribus vitæ deſiderio inflammatus.

17 Sed cum tanta molientem animoque fabricantem, parentes latere nullo pacto poſſet, præſertim unicus iis exiſtens; ac vererentur, ne indignati ob occultam ſeceſſionem diris illum devoverent, neve abjecti minimique animi verbum aliquod in Deum effunderent, aut indignationis iracundiæque cauſſa filius parentibus eſſe videretur; omnem

AUCTORE NILO.

consilii sui rationem iis aperiendam esse statuit, tempusque opportunum nactus, magna, ut decet, reverentia, Pater, inquit, tuque mater suavissima, jamdiu vehemens cogitatio animum incessit meum, ossa atque adeo medullas ipsas penitus edens atque conficiens, quam vobiscum conferre jam pridem animus erat; sed sum maxime veritus, ne quid ægritudinis ac doloris à me vobis oriretur, præsertim cum peregrinos hic esse vos sciam, patria domoque carentes: nunc vero ab ipsa vehementis desiderii flamma stimulatus, rem amplius cælare neque volo neque possum. Dum ii simul filii sermonem audiere, ipsum multa alia dicere parantem confestim interpellant, (mirum enim quam calida sunt in ejusmodi rebus parentum viscera) atque his illum, animo consternati magnoque timore perculsi, aggrediuntur: Ecquid, fili carissime, siniſtri aliquid adversique tibi evenit? age jam quam primum nobis aperire ne graveris. Hic vero (ut potens vehemensque erga Deum est amor) urit me, inquit, cupido solitariæ vitæ, adeo ut ferre illam neutiquam possim. Solidæ mihi noctes vigilantur, diesque mihi ducuntur lucis lætitiæque expertes; ipsa mihi vita gravis molestaque est, cum nihil in ea sit quod me oblectet; Christi jugum expeto, ejus crucem humeris gestare atque pone illum consequi vehementer cupio.

parentibus suis desiderii indicat:

B

18 Parentes ubi hæc audierunt, eumque ita affectum esse sedulo cognoverunt, quamvis essent ceteroqui pii ac religiosi, iis tamen nescio quis tristitiæ ac doloris sensus fuit. Neque mirum; eæ scilicet consuetæ hominum sunt affectiones, genitorumque amor clementior atque indulgentior in hujusmodi rebus esse solet, quam in aliis. Verumtamen simul constantem firmamque filii sententiam intelligunt, cum ab emicante in eo animi ardore, tum à susceptis ab ipsa ineunte ætate pro virtute comparanda laboribus, tum maxime ab assidua carnis castigatione; simul videntes fieri non posse, ut à tenaci proposito ille unquam dimoveatur; sed, nisi volentes libentesque abeundi faciant potestatem, clam illum omnino profecturum, ex quo graviorem tristitiam ac mœrorem caperent: præpotentem Deum, qui ita facere sibi dignaretur, glorioſum prædicantes, debitasque illi gratias persolventes, ei libere abscedendi faciunt copiam; Abi, inquiunt, fili, abi jam, & bonum prosperumque tibi iter contingat, neque in sacrosanctis Deoque acceptissimis precationibus nostri unquam te capiat oblivio. Is autem in genua procumbens, pedesque amborum amplexatus, deosculandi lacrymisque irrigandi nullum modum faciebat; duo interim eaque honestissima præstans, & gratias illis agebat, quod abeundi facultatem impertirent; & ab iisdem enixe expetebat, ut eorum preces itineris comites ne denegarent. Hic parentes natum è terra erigentes, amboq; pariter complectentes, valere jubent, ac prospera fortunataq; omnia à Superis precantes, in hunc modum, magno cum fletu ac dolore, dimittunt.

facultatem abeundi impetrat:

C

19 Adolescens vero, ut qui mundum mundique omnia derelinqueret, ingenti gaudio delibutus, ac Deum optimum de hujuscemodi rebus laudans, domo egreditur; illud veluti dexterum quoddam præludium suæ ad Deum itionis usurpare incipiens, Notam mihi fac, Domine, viam, in qua ambulem. Confestim autem gradum stitit, ubi pervenit ad monasterium, quod vocant S. Eliæ: illius inquam, qui in divinarum rerum contemplatione plurimum valuit, quemque Juniorem historia, quæ de eo conscripta est, solet appellare; neque inde ultra progredi volebat, seu, ut verius dicam, valebat, sic decernente divina providentia. Futurum enim erat, ut decertatis divinis illis ac supra naturæ vim certaminibus, eidem postmodum monasterio ornamentum gloriamque non vulgarem pareret. Cumque hujusce monasterii Præfecto, qui ea tempestate Orestes erat, vir omnibus conspicuus, sui copiam faceret; ante ejus pedes provolutus, rogat ab homine aliquod precationum suarum subsidium; deinde audacter, magnaque cum fiducia consilia sua omnia illi exponit, suumque solitariæ vitæ desiderium, quamque vehementer expeteret indui habitum monasticum. Tum benedictione ei impertita, ingenti lætitia cumulatus, in ceterorum Fratrum numerum cooptatur, quintum supra vigesimum ætatis suæ annum agens.

ad monasterium S. Eliæ Junioris contendit:

D

in cœtum Fratrum recipitur:

20 Hic piis religiosisque exercitationibus sedulam operam navare, & cujuscumque ministerii genus rite cœpit obire. Verum simul ille hominem videt obedientia præclare ornatum ac patientia fortitudineque & ceteris virtutibus insignem, ex præsentibus conjecturam faciens de rebus venturis, Fratres, inquit, cum admiratione, enimvero hic magnum se aliquando monachum præbebit præstabitque, si tamen ei divina gratia ad finem usque non desit. Nec vana fuit vaticinatio: nam hac ratione cum se satis exercuisset, monasticisque institutis rite informatus, statutum à Patribus exercitationis tempus exegisset, sancto Angelicoque habitu illum induere cogitabat Præfectus. Qui juvenem accersens, Age, inquit, fili, jam confectum est tibi monasticæ probationis tempus, jam spes desideriaque tua suum sunt finem adepta: nunc vero isto te divino monachorum ornatu tegens, commilitonem pugnæque socium Fratrum numero hodierna luce adscribo. Tu vero, fili, quandoquidem tibi majora sunt certamina graviores labores subeundi, si sub cælesti Rege merere in animo habes, probe noveris, ingentes tibi labores communem omnium hostem paraturum, multumque tibi in cursu pulverem excitaturum: studet enim si qua te ab honesto virtutis studio possit revocare. Quis vero unquam miles inermis ac sine gladio, hasta, & clypeo, congredi cum hoste ausit? Sed neque palæstrita cum suo adversario pugnat, quin in arenam prius descenderit, tunicaque abjecta in medio theatro nudus insistat, pulverem ventilans, solumque manibus pulsans. Quamvis autem anteacto jam tempore ad comparandam virtutem totis nervis totisque præcordiis incubueris, id quod gratum acceptumque Deo fuit; is tamen hoc studebat, ut præclara tua certamina spiritalesque pugnæ veluti ex tenebris ad lucem vocarentur, & ex acutissimis spinis jucundissimi fructus excerperentur. Verumtamen bono animo esto; vinces sat scio, deque tuis hostibus insignem victoriam reportabis, si tamen te fide muniveris, spe obarmaveris, caritate contexeris, ac per obedientiam animique submissionem de terra ad Deum contenderis sublevare.

Abbatem in admirationē rapit:

E

ad perseverantiam in sancto certamine incitatur:

F

21 Hic vero iterum in genua procumbens, consuetaque cum reverentia salute illi impertita, omnes hostium insidias divina aspirante gratia, ejusque precibus non mediocriter adjutum, stabili constantique fide se vicisse ac servatum esse incolumem, ingenue profitebatur. Tum congregato omni monachorum cœtu, peractisque de more ceremoniis, sacrosancto ac cælesti eum habitu induit, munitque mysticis armis; scuto nimirum fidei, ad ignescentia omnia adversarii tela retorquenda; thorace caritatis, bona omnia in sese continentis; galea vero spei, ut nequissimi tela omnia posset extinguere; demum hasta, quod verbum est Dei, ut ea inimicissimum sibi cacodæmonem contrucidaret. Atque hæc etiam ad ea, quæ videmus, sensuque percipimus, possunt adaptari: ac primum thoracem quidem asticharium intelligamus, deinde quod supra cervices ac scapulas

monastico habitu induitur.

A

b ſcapulas eſt, quodque etiam *b* pallium vocare conA ſuevimus, ſcutum appellemus: ſed galea ſit, quod
c capiti imponimus, cui *c* cucullium antiqua Patrum conſuetudo nomen fecit; pro haſta denique ipſa Chriſti Domini crucis effigies nobis uſui eſſe poteſt, quam in fronte fideles omnes perpetuo geſtamus, qua perinde atque ab haſtæ ictu noſter hoſtis confoditur: nec interim cingulum omittamus cum ſua fibula, quorum alterum libidines noſtras coerceat, ne unquam animus ab iis ad corporis illecebras trahi ſe turpiter ſinat, præcipue cum hoc ſit militis ſignum; alter vero quaſi clavus, cum Chriſto una nos cruci ſuffigens, eum quidem verum Chriſti militem reddit, qui non adverſum carnem & ſanguinem, ſed adverſus principatus & poteſtates, rectores tenebrarum hujus ſeculi, pugnare atque ire contra meditetur.

22 Itaque Philaretum tum ipſe tum omnis monachorum conventus ſacro oſculo cum ſalutaſſent, admonebat ea enixe facere ſtuderet, quæ grata placitaque Deo eſſent. Hic vero ut deſiderii, quo jam pridem tenebatur, factus eſt compos, diviniſque ſe veſtibus ornatum videt; ignes ignibus cumulat, & deſideria deſideriis inflammat, prioriſque vivendi rationis oblitus, nova rerum exordia adinvenire in poſterum excogitabat: ut qui ſedulo ſtuderet, ne ullo pacto oſcitanter parumque accurate ſe gereret ad ea temperanda, quæ tantopere expetebat, atque ita paulatim calore poſtmodum extincto, confeſtim cæleſti gratia orbaretur: caritatis enim ignis, deficiente paulatim vehementi piarum commentationum ſtudio, tepeſcit adeo, ut tandem aliquando extinguatur, caſſumque deſerat eum qui ſe ante poſſidebat. Jam vero cum Dominum ipſum de paupertate ad diſcipulos differentem audiret, neutiquam duas habere tunicas oportere eum qui ad Euangelium ſequendum ſe accingeret; primum ſtolam abjicit, deinde alteram etiam tunicam, unica tantum contentus, quam ſufficere ſibi exiſtimabat. Cumque rurſus auribus uſurparet illud Apoſtoli, Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem ac bona, nudis pedibus incedere conſtituit. Ad hæc cum egregia illa ac ſupra naturæ vim Moyſis, Eliæ, atque adeo ipſius Chriſti jejunia cognoviſſet, per integram hebdomadam, ſæpe etiam per duas, à cibo continenter abſtinere connitebatur. Quin & Magni *d* Antonii ſilentium, B. Ephraem lacrymas, rurſus Sabbæ
d C Theodoſiique pugnas atque certamina, quæ clam gerere conſueverant, omniumque deinceps Sanctorum Patrum præclara facinora ac documenta virtutis imitari, ſumma ope contendebat. In primis vero Eliæ Junioris vitam ſuſpiciebat, ejus inſiſtere veſtigiis, quo ad ejus fieri poſſet, ſtudens; nihilque gratius ac jucundius ſibi poterat evenire, quam ut res præclare ab eo geſtas audiret; hinc librum, in quo eæ continebantur, aſſidue præ manibus habebat.

Ad progreſſũ in virtute incitatus.

in magna veſtitus victuſque auſteritate

Rom. 10, 15

ANNOTATA.

a Sticharium, tunica *in Gloſſa vetere Græco-Latina.* Stica *etiam* tunica *in Gloſſa Iſidori.*

b Pallium S. *Hieronymo* palliolum, *Caſſiano* anguſtum pallium, *alii etiam* Mafortem *appellant de qua voce ſæpius egimus.*

c Cucullium, *ut* Cuculla S. *Hieronymo & Caſſiano.*

d *Vitas dedimus* S *Antonii* 17 *Ianuarij*, S. *Ephræm* 1 *Febru. Theodoſii Cœnobiarchæ* 11 *Ianuarij*, *at* S. *Sabbæ Vita erit danda* 5 *Decembris.*

AUCTORE NILO.

CAPUT IV.

Cura armentorum & equorum ſuſcepta. Vita ejus ſolitaria.

23 VErum enimvero hactenus ab ingenti deſiderio ſtimulati, ac ſanctis Patrum juſſis coacti, dicere S. Philareti acta litteriſque mandare pro virili noſtra, alacri libentique animo, ſumus conniſi. In poſterum tamen, cum immenſum mare nobis trajiciendum videamus, ac profundiſſimam rerum abyſſum atque voraginem, ulterius progredi, metu ac timore perculſi, præpedimur. Atque hoc ipſum eſt, quod ſub initium orationis noſtræ pertimeſcebamus; verumtamen ſanctiſſimi viri precibus ſubnixi, periculo nos rurſus committere non dubitamus. Igitur cum ea ita ſe haberent, ac magnos quotidie in virtutis via progreſſus faceret, boniſq; ſpiritalibus partim jam potitus eſſet partim ſe cumulandum olim crebris ad Deum precibus effundendis ſperaret; monaſterii Præfectus hominem ad ſe acciri jubet, ac blanda lenique oratione utens (illum enim ob ſummam vitæ ſanctimoniam magnopere reverebatur) Philarete, inquit, cariſſime (ſic enim poſt monaſticum habitum nominatus eſt) bovum præfecturam ſuſcipias velim. Hic vero, ut præ nimia verecundia ac modeſtia erat oculis in terram demiſſis, eos paulo erigens, ac ſumma cum lenitate ac decora verecundia in ſenioris aſpectum convertens (inerat enim in ſancti viri facie quædam ſuavitas ac lepor, quæ ejus virtutem ſatis omnibus indicabat) modeſte reſpondit. Ego, vero, Pater venerande, cum in Dei tuaique manus animam tradiderim meam, qui fieri poteſt ut in poſterum voluntatem habeam? jam enim te, poſt Deum, ſicut animæ, ſic etiam vitæ meæ curatorem ac tutorem ab initio delegi; proinde recte intelligo, ad communem omnium judicem Deum noſtrũ, illo metuendo judicii die, te potius pro anima mea rationem, quam à te Deus poſtulabit, redditurũ. Quare nihil eſt, cur tibi adverſer, Pater; quidquid enim mihi mandaveris, prompto animo ſuſcipiam: hoc unũ à te contendens, ut tuis precibus ſubleves tenuitatem meam. Id quod & ipſe & omnium monachorum cœtus pollicitus eſt, cum hoc ſolenne ſit cœnobitis.

E

præficitur armentis monaſterij:

24 Illud præterea addidit magnus vir, Scis, Pater verende, novitium me eſſe, magnaque ex parte diſciplinarum expertem, ut niſi veſtris precationibus mihi opem afferatis, nonnullum periculum ſit, ne dilanier ab eo qui tamquam leo rapit ac rugit, facilioreq; negotio devorer, quam animalia in campis paſcentia à potentioribus belluis. Neque vero, ut probe noſti, de levi negotio ac repatvi momenti hic agitur; ſed de animæ ſalute, quæ ad præpotentis Dei imaginem eſt efformata, æterna, immortalis, interitus materiæque omnino expers, univerſo mundo & quidquid in eo eſt longe pretioſior. At ille; Ita eſt, inquit, ſed ego infinita incomprehenſaque Dei miſericordia fretus, ſpero fore, ut ab omnibus inimici laqueis atque inſidiis incolumis ſervere, fili; ſi tamen ipſe etiam ſalutem tuam continenter curare numquam deſiteris. Neque enim obedientiæ ſtudioſo ſatis eſt, ad virtutis perfectionem parandam, ſenioris ſui continua ad Deum precatio; niſi ipſe, quod in ſe eſt, afferre etiam conetur, ut hinc duplicem à Deo coronam referat. Cum enim interceſſoris vice fungatur ſenior, ad eos omni ope juvandos, qui per obedientiam ad Deum aſcendere vehementer expetunt, ab eo certe ratio repoſcetur; qui eam reddere quidem paratiſſimus eſſe debet, ſed haud de omnibus omnino (hoc enim eſſet liberum illis arbitrium de medio tollere; neque præmium

F

præclarè monitis inſtruitur.

AUCTORE NILO.

aut ſupplicium ei rite obtingeret cui vel maxime debetur, quod eſt à ratione valde alienum) verum partim ego, quippe qui animarum curam ſuſceperim, partim etiam qui vitia potuerunt evitare ac virtutem adipiſci, cum naturalem operandi facultatem Deus illis attribuerit.

25 Ubi dicendi finem fecit ſenior, Fratreſque omnes in Dominicam ædem cogi juſſiſſet, ipſe etiam ingreditur; cumque Triſagium cum omnibus inciperet, ac quinquageſimum pſalmum utrimque ſimul recitaſſent; Videte, inquit, Fratres, (magnum virum illis indicans) hunc, ante veſtrum omnium aſpectum, bobus præficio. Ille autem ad pedes ſenioris accidens, ſolum lacrymis irrigabat; Omneſque, inquit, pro me ad Deum preces effunderetis vellem. Tunc ſinguli proclamant: Domine, miſerere. Mox lacrymantibus adhuc oculis, hominem è terra ſuſtollunt; ac ſe mutuo amplexantes & ſalutantes, dimittunt, magna cum lætitia laudes Deo concinentem. Is vero è monaſterio egrediens, illud Davidis canere occœpit: Domine, probaſti me & cognoviſti me. Simul autem ad animalia propius acceſſit, eaque per prata ſibi cibum quæritantia conſpexit, mente animoque mirum in modum inflammatus, manantibus affatim lacrymis: Qui paſcis Iſrael, intende; qui deducis velut ovem Joſeph, rurſus cantabat. Poſt paullo inde in tugurium proficiſcens, illud; Quam pulchræ ſunt domus tuæ, Jacob, lacrymans memoria repetebat: ut autem ad paſtores venit, eos blande mutuis amplexibus ſalutavit.

magna pietate, præfecturam bovum ſuſcipit,

Pſ. 138, 1

B

Pſ. 79, 2

26 Atque jam prandii tempus advenerat, appoſitaque menſa cibum jam tum erant ſumpturi. Primum gratias Deo agentes, conſuetaſque precationes una proferentes, omnes, quæ parata erant, caſeum ac butyrum comedunt. Sed divinus Philaretus ſolo pane & quibuſdam oleribus quæ paſſim occurrerant excerptis, naturæ neceſſitati indulgebat. Secum enim ipſe ſtatuerat, jam tum cum hanc ſibi curam demandavit ſenior, nihil omnino ex hujuſcemodi rebus attingere, dum hoc munere fungeretur. Quem morem non tum modo, ſed toto vitæ ſuæ tempore ſemper retinuit: neque horum precibus unquam adduci potuit, ut aliquid hujuſmodi deguſtaret: quod gens illa ruſtica vehementer admirari ac ſuſpicere ſolebat, dicentes, Qui fieri poteſt, ut hic, cum juvenis adhuc ſit & in ipſo efferveſcentis ætatis flore, eo continentiæ ac temperantiæ pervenerit, ut libidinum ſuarum habere modum ſciat. Profecto quidem iſte nequaquam homo vulgaris eſt: quin egregiæ ſe olim virtutis ac ſanctimoniæ virum omnibus oſtendet. Ex eo tamquam patrem ac rei pecuariæ principem, tum in virtutibus præceptorem ac continentiæ ducem rerumque ſuarum moderatorem, ſi quando aliquis à recto aberraret, & habebant & reverebantur: ea enim virtutis eſt vis, ut vel ab inimiciſſimo homine ſibi honorem ac reverentiam vindicet.

vilioribus cibis contentus,

C

à paſtoribus ut pater habetur:

27 Verum ille quotidie jejunare conſueverat, ſemel ad Nonam pane tantum & gelidæ potione ſe reficiebat, quibus ſilveſtria etiam olera addebat. Porro exiſtimabat hanc ſibi demandatam provinciam occaſionem fuiſſe, ut voti fieret compos ſui: nimirum uti, quemadmodum veteres illi ac ſancti viri, Moyſes inquam & Elias & qui poſt illos floruere, non ita temere & quaſi fortuito, ſed ex induſtria ſtudioque, eremum coleret ibique verſaretur: idque divino factum conſilio ratus, immortales Deo gratias agebat, quod ſe aſſecutum videret, quod jam inde à puero tantopere cupiviſſet; ac proin Seniorem vehementer amabat, quod ei ſe muneri deſtinaſſet. Ceterum illud admiratione dignum, quod, ubi philoſophiam addiſcere difficile omnino aliis videtur (quid enim cum re pecuaria philoſophia?) id ipſum ibidem perfacile ſibi ducebat, ſolitariæ ſecretæque ab aliis vitæ deſiderio vehementer incenſus. Hinc mira animæ puritas ac candor, nulla ſcelerum ac vitiorum colluvione contaminatus: eratque, ut cum diviniſſimo Vate loquar, tamquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, in lege Dei meditans die ac nocte; aut tamquam pomum, ut Salomonis utar verbis, inter ligna ſilvæ, divinis perpetuo bene redolens virtutibus. Precationis ſtudium numquam interrumpere, animi cogitationes perpurgare, latere vero maxime ſtudebat; uti ii cum quibus verſabatur, nihil omnino de ejus virtute ac ſanctimonia ſubodorarentur; ſi forte evenire unquam poteſt, ut lucerna non luceat, maxime iis qui purgatos habent animi ſenſus.

auſtere pieque vivens

Pſal. 1, 3

Cant. 2, 3

in omni virtute exercetur,

D

28 Nec interea tamen rei pecuariæ curam negligebat, adeo ut bubulcis ipſis in labore ac ſolicitudine nihil concederet; imo etiam longo intervallo anteiret, hiemis frigora & æſtatis calores conſtantes ferens; cum per ſumma montium, ima vallium, rivos fluvioſque peragrare ei neceſſe eſſet, ad pabula pecori curanda: ubi cum glacie ac gelu, cum nivibus ac ventis, noctu diuque ſibi erat dimicandum; non duas ut duceret uxores (ut obiter, quod de Patriarcha Jacob ſecundum litteram refert ſacra hiſtoria, hic etiam attingamus) ſed ut actionem & contemplationem, duo veræ ſapientiæ faſtigia, ſibi vendicaret; quod infirmum erat conſolidans, quod ægrotum ſanans, quod confractum alligans, quod abjectum reducens. Interdum in montibus ſub dio cum pecore noctes integras vigilare cogebatur; ut cetera interim illis cogitanda relinquamus, qui in eo genere non nihil ſunt verſati. Quod vero attinet ad exercitationis virtutiſque ſtudium, in quo uſque ad ſanguinem fortiter pugnavit, ad cujuſnam ex ſanctiſſimis illis Patribus exemplum effictum efformatumque oratione hic noſtra repræſentabimus?

E

29 Pugnas item ejus ac certamina quæ poterit oratio explicare, quæ lingua percenſere, quamvis præclariſſimo dicendi genere exornata? Quis demum labores ſudoreſque exequi, quos forti ille conſtantique animo, in virtute comparanda, diu multumque pertulit? Ubi enim erat illi in ea præfectura lecti mollitudo? ubi cubilis ſplendor? ubi cataſtromatum ceterorumque quibus ſolum inſternitur ornatus? cum eſſet unica tantum tunica ſive indumento pro his omnibus ſatis ſuperque contentus. Ubi balneorum illi deliciæ? ubi amicorum ac neceſſariorum conſuetudines & alloquia? ubi panis exquiſite elaboratus? ubi celebres æquoris piſces? ubi oleum, ceteraque id genus, quibus epulæ condiuntur, quorum vix quidem nomen agnoverat? Non autumnus, pomorum pater, ſuas ibi vices habebat; non vinum erat ad corporis vires refocillandas, non ſacra eloquia veteris novique Teſtamenti illic audires, aut pſalmodiæ ſonum ſacroſque hymnos ac cantus, quibus mœror triſtitiaque animæ aliqua ex parte leniri ac levari ſolet; quod graviſſimum moleſtiſſimumque malorum, quæ ibi aderant videbatur. Niſi forte dicas, nihil horum indigum fuiſſe illum, qui Chriſtum, bonorum auctorem omnium, in ſe habitantem contineret. Verumtamen nihil ex his ibi erat, ſed deſertus vaſtuſque locus ac ſqualidus iis, qui ſecundum carnem vivere decreverunt: ſed ut verius loquamur, hæc omnia ſuaviſſimæ illi erant deliciæ, animique oblectamenta jucundiſſima, propter ſummam de futuris præmiis conceptam ſpem.

omne humanum ſolatium fugit:

30 Neque unam illic pugnam ſuſtinuit, ſed alteram priore minime inferiorem, ne dicam graviorem, fortiter perferre neceſſe habuit. Nam cum tot tantoſque labores pro virtute exantlaſſet ſudo-

ſimul curam equorum ſuſcepit.

reſque

A resque effudiſſet, ad nova iterum certamina vocatus, deſcendit ſtrenuus athleta; demandata ei à Seniore equorum præfectura, una cum boum quod ante habebat, miniſterio. Sed bono animo eſtote: non animum deſpondit bonus gladiator, nequaquam invictiſſimam ejus conſtantiæ turrim labefecit novum pugnæ genus certaminiſque permutatio: potius enim animum vireſque addidit, promptioremque ad dimicandum reddidit: atque in hunc modum victor ex prioribus illis certaminibus eſt egreſſus, ac Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti, magna cum
Rom. 8, 35 lætitia, cum Paulo dicebat. Jam vero probe noſtis, qui ſubeundi labores ſudoreſque effundendi in agēdis ad pabulandum equis, in quibus præter efferam eorum naturam numquam certus videri poteſt ordo: nam, etſi ſuos ductores, duceſque habeant; illud tamen habent incommodi, quod velocitate pedum valentes, neque facile ad paſtum ſe ſe agi ſinunt, nec ut melius dicam poſſunt: ſic impetu quodam, nunc in altiſſimos montes feruntur, nunc per valles locaque frigida diſcurrunt ad paſtionem; cum equi natura calidiſſimi ſint ac fervidiſſimi, proindeque ad ſuos appetitus vehementius ac validius
B rapiuntur quam cetera animantia.

CAPVT V.

Reditus ad monaſterium. Hortulani officium impoſitum. Magna abſtinentia.

31 IN eorum itaque cura cum aliquod tempus, cum magna tolerantia ac fortitudine, ſe exercuiſſet; quoniam haud conſentaneum erat, hominem rationis cognitioniſque divinæ participem cū brutis ratione carentibus omnem ætatem exigere, ac ſupernæ civitatis civem omnis eſſe humanæ conſuetudinis expertem (niſi forte haud quaquam his omnibus deſtitutum appellaveris, qui divinis contemplationibus perfrueretur, cuique non deeſſent cæleſtes ſpiritus, qui eum in laboribus ſublevarent ac placide conſolarentur) tandem in monaſteriū revocatur, haud ſine magna cæleſtis numinis providentia. Decebat enim, uti eremus à præclaris ejus
Revocatur è montibus in monaſteriū. facinoribus non parum fuit illuſtrata, ita hoc contineri eum, qui univerſo terrarum orbi lumen ac decus eſſet allaturus. At vero quoniam monaſterii fecimus mentionem, laborumque quos in eo pertulit præclarus athleta; credite, totus commoveor, Auditores, ita ut lacrymas tenere non poſſim, cum vix
C apud me ſim, adeoque æſtuent præcordia, ut parum abſit quin amens externatuſque videar. Sed oro vos, pia ac religioſa concio, ne me putetis ita temere ac fortuito loqui, cum hujuſmodi verborum lenociniis naturaliter delectari neſciam, neque unquam didicerim. Verum & ipſa rei novitas vehementerque perturbatus animus, præ gaudio ac voluptate, lacrymas ex oculis eliciunt; ipſumque athletam in arena fortiter dimicantem ob oculos ponunt; neque me ſinunt omnino ſine motu aliquid ex his quæ ille geſſit in memoriam revocare: cum enim in ea quæ ſupra ſe ſunt inciderit animi mens, extra ſe magna cum admiratione rapitur.

32 Sed ut eo revertatur unde digreſſa fuerat oratio; relinquit montium altitudines, valles, ſpeluncas, ſaltus, rupium cavernas, ferarum conſuetudinem, ſerpentium ſocietatem, cum equis convictū, ceteraque omnia quæ in ſolitudine reperiuntur, quodque omnium eſt palmarium & admiratione
omni perturbatione animi purgatus magnopere dignum, turbulentos animi motus pravaſque libidines ac perturbationes, cogitationum bella ac ſeditiones, effrenem humanæ naturæ licentiā, ac demum quidquid pravi malique miſero atque infelici mortalium generi à principio evenit. Quid AUCTORE
vero pro his attulit, cum ad nos venit ſingularis vir- NILO.
tutis homo? Magna enim vero, ac ſe ſuiſque laboribus maxime digna. Eſtote animis attenti Auditores, & advertite. Attulit, inquam, ſedatas animi perturbationes, cogitationes compoſitas, mentis tranquillitatem, morum diſciplinam, ſcelera vitiaque omnia exterminata atque profligata, ex quibus actio ac contemplatio gignuntur, quæ miræ, egregiæque in eo exſtitere. Sed huc uſque proſpera uſi ſumus navigatione, dum Deo bene juvante res nobis bene cederet: ſed nunc difficultatibus ac periculis undique cingimur: in poſterum ille nobis præſto, ſit, redigatque in memoriam ac doceat quæ dicta à nobis oporteat, qui docet hominem ſcientiam, qui Deus eſt ante ſecula, & univerſorum Dominus, qui verba ſubminiſtrat verborum egentibus, ne in poſterum naufragium facientes miſere pereamus. Fertur enim orationis noſtræ navigium, non jam ad tutiſſimos portus & ad ipſum pugnæ certaminiſque finem (qui enim fieri poteſt, ut in pelago ipſo portus appareat?) ſed per quosdam inacceſſos latentesque ſcopulos, per ſyrtes breviaque in gratiis abripimur, neque ulterius provehi permittimur.

E *ad novos labores.*

33 Sed tu, ô Verbum Dei & Deus (ſic enim præſtat te appellare) ſapientia Dei, Patrique conſubſtantialis; illius ſignaculum ac veriſſima imago, ejuſdemq; æternitatis figura ac gloriæ ſplendor, fons & vita veraque lux (his enim nominibus à nobis appellaris, cum his longe te majorem eſſe intelligamus; neque, quamvis indigni ſimus qui hoc præſtemus, qui tuus in homines eſt amor, iraſceris aut indignaris, natura bonus ac mitis) rora nobis miſerationum tuarum rorem, inſtilla in areſcentia noſtrum omnium corda è tuæ ſapientiæ abyſſis cognitionis guttulam, qui vel ſupra duriſſimas petras, cum tibi libitum fuerit, ſeminare ſoles, uberrimoſque fructus de lapidibus capere. Age jam, Chriſte optime, largire nobis gratiam Sancti tui Spiritus Paracleti, per quem & piſcatores divina loquuntur, ac rudes omniumque diſciplinarum expertes ſapientiam adinveniunt, & abſconditam Dei ſapientiam in myſterio loquuntur: mentem noſtram illuſtra, eamque tuæ gratiæ ſplendore tange, concita, inflamma, nervos ejus contende, vias complana, linguam emunda, inſcitiæ vincula quibus obligatur exſolve, ut fluere poſſit oratio: ita enim famulus tuus, ad finem uſque à nobis commendatus, te Deum ante omnia ſecula ac Verbum lætus gratanſque glorioſum prædicabit.

F

34 Age vero, quandoquidem à Deo Deique laudatione exorſi jam ſumus, ſequitur nunc ut dicamus, quid magnus Philaretus geſſerit, cum tot tantiſque donis auctus ornatuſque ex monte in monaſterium revertit. Itaque ubi poſt tot præclara certamina, veluti alter vetus legislator, ex ſolitudine deſcendit, non tabulas lapideas ferens, ſed optimas monaſtici inſtituti leges in corde deſcriptas geſtās, ſacroque monaſterio redditus eſt, tot tantisque bonis illud ditaturus; excepit hominem ingenti cum *à Præfectō monaſterii excepitus.* lætitia monaſterii Præfectus, ejuſque ſedulitatem ac diligentiam in demandato miniſterio ſummopere commendavit. Veni, inquiens, fili cariſſime, quandoquidem tolerantia tua tuaq; obedientia ſuper omnes tuos æquales hodierna luce enituit, diuque in belluarum præfectura deſudaſti; in poſterum te quietum reddere æquum eſt, iſtoque onere levare. Atqui minime ille advertebat ad majores ſe eſſe gravioresque pugnas deſtinandum. Iam enim, inquit, optime novi, quid illic rerum geſſeris, nihilque me latet; quamque præclare tecum ſit agendum, res à

AUCTORE NILO.

te geſtæ mihi ſunt teſtes laudatiſſimi: tu vero interim tamquam aurum probatus es, & tamquam argentum elaboratum illuſtratus, atque inſtar lapidis pretioſi omnibus oſtenſus.

34 Tum digito locum quemdam oſtendens, Ille, inquit, locus, qui nobis è regione eſt, neque longius abeſt à monaſterio quam quo lapidem aliquis torqueret, aquis maxime abundat, ac nonnulla adhuc ſervat veſtigia antiqui cucumerarii, ſed totus dumis ac virgultis ſilveſcit; illuc igitur te confer, inquit, & lutum voraginemque omnem cum expurgaveris, tuguriumque tibi conſtruxeris; locum redde omni olerum genere conſitū, quæ Fratribus uſui eſſe poſſint. Ibi ille, unicum obedientiæ exemplar, qui numquam repugnare obſiſtereque didicerat, Seniorem, ut conſueverat, reverenter ſalutans, ad demandatam ſibi provinciam capeſſendam, forti magnoque animo proficiſcitur, ac ligonem accipiēs ceteraque hujuſmodi ruſtica inſtrumenta quibus terra frangitur, ac cœno virgultiſque omnibus locum expurgans, ſtatim hortum facit omnibus oleribus conſitum, parvamque ſibi caſam in qua habitaret figit, ſed quod paullo ante per quamdam allegoriam pelagus, ſyrtes, ſcopulos, dicebamus, ab his tamquam ab exemplis ac figuris in ipſam rerum nudam veritatem jam pervenimus: bono tamen animo ſumus, neque quidquam pertimeſcimus, cum prope adſit gubernator, qui imbecillitati noſtræ opem afferat, dirigatque noſtræ orationis curſum.

ad hortum excolendum deſtinatur:

in eoque extructa ſibi caſa,

B

35 Itaque tugurium ibi cum poſuiſſet, cœpit varia olerum genera ac nonnullas etiam ſtirpes, ad fructus percipiendos ſerere, hortumque accurate diligenterque curare; ſi liceat tamen horti præfectum olitoremque eum dicere, qui omnis virtutis cultor ornatorque ſit. Igitur cum eo loci verſaretur ac laboraret, binas ſuſtinens pugnas ac certamina, illud conſilii cœpit vir profecto ſapiēs imo ſapientiſſimus (mirum enim quam veloces ſunt puræ mentes ad boni honeſtique indagationem) per totum vitæ ſuæ curſum, quantum in ſe eſſet, eam vivendi rationem inſtituere, quæ hominibus quidem obſcura occultaque eſſet, ſed uni Deo cognita ejuſque oculis maxime digna. Etenim probe norat, qui à multis gloriā expeteret, eumdem à Dei gloria longe aberrare. Atque id jure quidem optimo: inaudierat enim à Domino dicente, Neſciat ſiniſtra quid faciat dextera. Proinde cum ad Deum oraret, à nemine unquam mortali ſe conſpici omnino ſinebat; nec plurimum dum quieſceret. Neque vero ejus tugurium, præſertim interdiu, quis clauſum vidit, ne anſa daretur ſuſpicandi, hominem orationis orationi vacare.

ſtrenue laborat,

Matt. 6,3

C

36 Porro ea erat victus ratio, ut quotidie ad Nonam, ut ſibi videbatur, cibo ſe reficeret; atque is erant conciſa quædam olera agreſtia: laute vero opipareque obſonabatur, cum ſal comeſſet. Rurſum ſecum ipſe ſtatuit, nihil omnino ex oleribus, quæ ipſe coleret hortuſque ferret, unquam, ſe guſtaturum: quod ad vitæ ſuæ exitum vir maſculæ virtutis generoſe conſtanterque in multa fortitudine, ac tolerantia ſervavit. Potus perpetuo erat ei aqua: interdum vini aliquid ſumebat, idque reor propter eos qui ſe arbitrarentur ac viderent: piſcis vero valde parum, cum ſcilicet latere non poſſet, invitus attingebat. Ceterum lac, buryrum, caſeum, ex quo rei pecuariæ præfectus eſt, iis, qui veſci vellent, condonavit. Sed veſtis, quæ nuda corporis membra cooperiret, ex paleis erat, inſtar craſſioris ſportæ contexta, loculi ſpeciem ad amuſſim referens; intexta cannabi aſpera horridaq;: hæc ſupplebat neceſſariā indumenti vicem. Cubile in nuda ſimplicique humo jacebat, aſperioribus quibuſdam ramis ſtratum, ac fœno paleiſque ſupertectum, leviter tamen, ne cubandi ratio ab illis, qui eo penetrarent, perſpiceretur. Lapis iſque etiam fœno tectus, erat ei pro cervicali. Cujuſvis operimenti vices ſimplex veſtis, ex ſetis texta, obibat: ex fœno etiam erat velum, quo caput tegebat: item ex paleis calceamenta, quæ inſtar cujuſdam crepidæ ſibi aptaverat.

oleribus agreſtibus & aqua victitans,

D

in veſtitu cubituque durus,

37 Porro fortunatum illud ac ſempiterna memoria dignum tugurium, cunctis bonis quæ in mundo conſpiciuntur abundabat; quod his omnibus careret, unum hunc ſolum ac divinum theſaurum in ſe continens ac claudens. Erat vero in horti cultura aſſiduus; fune ſeu catena cingebatur, more veterum Patrum, ſed minime neceſſaria ad torporem ac ſegnitiem excutiendam cogitationumque elationem reprimendam: ſi fas eſt tamen dicere, cogitationes humanas in Angelo reperiri. Utraque rectius forſan appellaveris additamenta minime neceſſaria, ad non interruptum aſſiduumque quo Deum ardebat, ſtudium. Formamvero, ut ſic loquar, & exemplare, ſicuti in rebus aliis, ita in hac ſe præbens omnibus, qui ita minime degerent, ut vel per ejus facta docerentur, ne iners ac remiſſum vitæ genus traducerent. Animi ſenſus, ſi quiſquam alius, humiles ac demiſſos habebat. Silentii adeo tenax erat, ut neque à domeſticis ac familiaribus, cum quibus verſabatur, conveniri poſſet, idque vehementer omnes admirarentur. Noverat enim miræ virtutis homo accurateque didicerat, in multiloquio, ut ſapientiſſimus Salomon ait, non deeſſe peccatum, linguæque lapſus frequentiores eſſe, gravioremque ruinam afferre, quam ex altiſſima aliqua ſpecula præcipites: in iis quippe corpus, interitui obnoxium, lædi ſolet; in illis vero animus, qui à concretione materiæ liber eſt & immortalis. Itaque pauca loquebatur, eaque ſatis diu multumque ſecum cogitata.

E

& ſilentii tenaciſſimus.

Prov. 10. 19

CAPVT VI.

Monita pia omni hominum generi data. Benignitas in peregrinos. Piæ exercitationes.

38 ILlud vero dictitabat, abſurdum eſſe, monachum ſuperbia efferri, qui ſe ſuamque veſtiendi rationem intueatur. Quid enim dicebat pallium eſt, niſi fletus? quid analabus *a*, niſi crucis effigies? quid cucullium niſi cadaveris in ſepulchro conditi formam præfert? quid porro detonſa coma caputque raſum aliud ſignificat, quam rerum omnium quæ in mundo ſunt ſpoliationem atq; contemptum? De illis qui pacatum quietumque vivendi genus delegiſſent, dicebat; nihil curare eos debere fluxa caducaq; quæ infra lunam ſunt, ne cum re ipſa ſimul etiam nomen amitterent. De monachis vero, qui intempeſtive ac ſine cauſa temere per orbem vagarentur ac circumirent, cavendum iis ſummopere dicebat, ne longe ab ovili aberrarent, cum multæ ſint feræ, nobis interitum aſſidue meditantes ac molientes. Ipſis præterea qui in ſpiritualem agonem ſe conjeciſſent, ne abjecto parvoque animo eſſent, ſed in laboribus ac concertationibus ad finem uſque conſtanter perſiſterent ac permanerent, exſpectantes Dei miſericordiam, in caritate Chriſti ac ſpiritualibus viſceribus ſuadebat. Accedentibus vero ad ſe obedientiæ cultoribus, Quid, inquit, vos athletæ, petitis, qui voluntates veſtras, tamquam ſanguinem quotidie effunditis?

F

docet monachos congruas iis virtutes, a

39 Nec vero qui in ſeculo verſarentur, ſuis mellitis adhortationibus ſuoque magiſterio, in virtutis viam dirigere omittebat; monens, temperantiam enixe ut curarent ac continentiam, & virtutum omnium altricem eleemoſynam. Juvenibus item præcipere ſolebat, bona rerum initia haberent, uti melior

præſcribit ſecularibus eleemoſynas,

inde

A inde finis conſequeretur: cui enim minime eſt laudabile principium, totum quod deinceps fiet deſpicatum contemptumque fore. Senioribus ac provectæ ætatis hominibus, modeſto demiſſoque animo eſſent, ne indignatum ſibi Dominum ſentirent: qui enim mortificata membra habent, corporiſque vim fractam ac debilitatam, abſonum videri eoſdem eſſe animi perturbationibus praviſque libidinibus valentes. Mulieres monebat, propriæ eſſent imbecillitatis memores, & quæ vel ipſos viros maxime dedecent, à petulantia impudentiaque abhorrerent; præcipue in colloquiis hominumque conventibus ac conſuetudinibus, maxime vero à licentia libertateque, riſu & cachinnis admixta: earum ornatum eſſe taciturnitatem ac pudicitiam. Jis autem quibuſcum miſere ageretur, generoſe perferenda eſſe advenientia mala, propter futurorum bonorum ſpem; cum humanis in rebus nihil ſit perpetuo ſtabile ac firmum, ſed caducum ac mutabile. Lapſis præterea, ut omnem ſpem in Deo eiuſque miſericordia poſitam habere, & vere ſincereque peccata deteſtari, ſeque ad Deum convertere, quam maxime poſſent, ſtuderent: Ne flagitiis vos, inquiens, coopertos mors deprehendens, reos æternis addicat ſuppliciis.

& cuique ætati.

ſexui,

conditioni,

B 40 Ad hæc omnes monebat, futuri judicii eſſent memores, ac in cæleſtia incomprehenſaque bona magno amore inflammati: eos autem qui ſuis orbati eſſent, ne luctu ſe ac mœrore conficerent, ut ceteri qui nullam ſpem habent de reſurrectione. Quid enim, dicebat, magis contra jus fasque eſſe poſſit, quam mortuis poſthabitis, vivos deplorare ac queri? vivunt enim quotquot ad Deum cum fide commigrarunt; mortuos vero fidei lumine deſtitutos vocabat, ut qui Deum minime norint. Qui vero calamitatibus ærumniſque eſſent miſere afflicti, eos bono æquoque animo eſſe jubebat vehementerque gaudere, præcipue ſi hi ceteros pietate præſtarent. Eſtote, inquiens, ſanctorum virorum imitatores, æmulique eorum magnanimitatis: iſti enim in calamitatibus adverſiſque fortunæ caſibus, magna lætitia cumulabantur, venturam ſibi à Deo remunerationem animo præcipientes. Nec his tantum finibus ejus adhortatio claudebatur, ſed ad Principes atque Optimates protendebatur; modeſtos eos eſſe debere, neque ſuperbos ſpiritus habere, ſed univerſorum Conditorem ac Dominum ſe longe majorem, ac potentiorem cogitarent ac ducerent. Ad hæc clementes benignique in pauperes eſſent, alieniſque malis miſericordia moverentur, ex tot tantiſque donis quæ à præpotenti Deo accepiſſent.

gradui,

C 41 Qui verò è peccatorum cœno ſe eripere ac reſipiſcere in animo haberent, jis timorem Dei maximi accommodatum eſſe dicebat animique ſubmiſſionem, ad extremum uſque vitæ ſpiritum iiſdem valde conſentaneam, neque ullo unquam tempore ſejungendam. Sacerdotibus vero ſacriſque Ordinibus initiatis, vitam ducerent nullis reprehenſionibus obnoxiam; ſuis ut moribus virtutiſque documentis alios ad eamdem vitæ ſanctimoniam pertraherent: ſolet enim plerumque populus ad Principum mores ſe accommodare ſimiliſque effici. De virginitate ac conjugio nullas niſi voluntatis terminos atque leges ponebat; & quomodo ſervanda eſſent docebat. Illud vero præ ceteris omnibus ſuadebat, ut unum Deum in tribus perſonis colerent atque adorarent, ac ſanctorum Patrum decretis, ac ſententiis inſiſterent atque adhæreſcerent, nec novi aliquid de iis quæ ad fidem pertinerent ulla unquam ratione inveherent.

& ordini proprie obſervanda,

42 Ceterum ejus oratio ſuavis erat, ac divino quodam ſale reſperſa ac condita, cæleſtibuſque gratiis ſtillans, in omnes lenis ac mitis: at vero in eos, qui peccaſſent quidem, ſed reſipiſcere ac pœnitentiam agere minime curarent, caſuique ac temere vitam ducerent, aſperiorem ſe ac ſeveriorem præbebat. Porro ejus ſpeciem ac vultum, non humanum ſed Angelicum diceres; ut ex hoc etiam, quemadmodum ex rebus geſtis, qui illum minime cognoverunt, homo ſanctiſſimus innoteſcat. Erat vultu oblongo ac ſubnigro: in eoque veſtigia quædam ſervabat acutiſſimi morbi, qui illum tenera adhuc ætate graviter pertentaverat: colore item pallido, propter duram aſperamque vivendi rationem. Naſus honeſtus, ſupercilia decora, oculi aliquanto cærulei, barba modice prolixa, corpus tenue ac gracile, ſtatura brevis ſicuti Paulum diceres, quemadmodum conſcripta hiſtoria de eo nos docet. Tardus ad loquendum, velox ad audiendum, mente ſemper in ſe collecta & à ſenſibus abſtracta: manſuetus ut nihil ſupra, maximeque ab iracundia alienus. Contentiones concertationeſque verborum ac litigia neſciebat, ſeu ut verius loquar, renuebat. Sæpenumero enim accidit, ut cum ad quotidianam victus ſibi præſcriptam rationem capiendam in monaſterium veniret, neque promus tempori diſtribuere poſſet, aut ejus patientiam vellet periclitari (ut in his plerumque fieri ſolet) inanis domum, ne verbum quidem addens, repedaret. In hunc modum ſemel, iterum, ac tertio cum iret, fruſtratuſq; reverteretur, ſine ullo prorſus cibi ſubſidio, magna cum patientia remanebat: decreverat quippe ſanctus vir nihil interim ſe comeſturum, dum ſibi ſtata panis portio redderetur, idque diu conſtanter faciens forti animo ferebat. Siquis illum afficeret contumeliis, ſumma lætitia replebatur: ſi conviciis ac maledictis inſectaretur, ei bene precabatur beneque dicebat. Rurſus Deo gratias agebat, cum contemni ſe ab aliis odioſumque haberi ſentiret: enixeque Deum optimum pro iis orabat qui ſe tentare voluiſſent, divinorum præceptorum cuſtos accuratiſſimus ac ſervantiſſimus.

AUCTORE NILO.

ipſemet exemplorũ exemplum,

manſuetus & patiens,

E

43 Agite vero & illud de magno hoc homine videamus. Aſſidue in horto verſabatur, ſuaque in cellula morabatur; cumque via quædam eſſet quæ illuc duceret, hinc fiebat ut viatores eſſent non pauci (neque enim longe diſtabant vici) quos ille humaniter accipiebat, appoſitis oleribus quæ hortus ferebat, ac pane quem ad famem tolerandam ſibi à monaſterio acceperat; cum veteris Abrahæ exemplo, nutibus quibuſdam ac ſubmiſſa voce, ad exiguum illud hoſpitium eos invitaſſet atque impuliſſet: quod, ut paulo ante diximus, ſemper patens apertumque videbatur. Cum duo hac in re prudenter præſtaret, alterum quidem, quod admiratione ſane dignum eſt, imitans priſcos illos Patriarchas, Abraham, inquam, Lot, atque Iob Sanctiſſimum, quibus pauperes atque egeni maximæ curæ erant: ille enim quercui Mambre aſſidens, viatoreſque humaniſſime apud ſe divertere compellens, laute liberaliterque accipiebat; hic vero ad portam civitatis ſedens prætereuntes invitabat, ſuamque domum inire cogens, ipſe etiam hoſpites benigne honeſteque habebat: tertius autem, Mea, dicebat, janua cuicumque homini patet: itaque ſanctorum Patrum morem erga pauperes imitans, ſimilem ſe illis præbebat. Alterum vero, nequis illum quod ſæpe evenire ſolet, divinæ orationi continenter vacare ſuſpicaretur: quæ res illi proſperè cedebat, atque id & nos ipſi novimus & ab aliis audivimus.

benignus in peregrinis excipiendis,

F

44 Quos vero clam homo pientiſſimus labores tulerit, quamque præclara facinora ediderit hic tamdiu commoratus, omnes profecto latet: ipſe ſolus qui occulta ignotaque cognoſcit atque intuetur, per novit Deus. Ex horum numero, unum ſolum novimus, idque ſapientiſſima Dei Optimi Maximi providen-

tia

AUCTORE NILO.

nudus in gelido flumine pernoctat.

tia factum reor, ne ille omnino in tenebris delitescerct, qui luce ac splendore esset maxime dignus) unum inquam ex occultis obscurisque ejus facinoribus quidam de nocte advertit, cum eximiæ virtutis homo ex monasterio rediret, quod illustre est novumque pugnæ genus. Fluvius inter hortum ac monasterium præterfluit, perpetuo maximeque frigidus, non hieme tantum sed æstivis etiam caloribus, adeo ut soleat congelare: in eum nudus pectore tenus ille se conjecit, ibique totam noctem sub dio cum gelidæ frigore dimicavit; occulta etiam animo certamina decernens. Cum igitur latere minime posset, in ipso conflictu deprehensus est; minime quidem stans corpore erecto (quippe è vi, quam sibi inferebat generosus athleta, fessus jam erat, éque gelu pene obriguerat) sed ad fluminis ripam, sine omni voce parumque spiritus ducens, prostratus jacebat: quod ita esse ij facile crediderint, qui frigoris vim aliquando sunt experti. Hoc ille cum vidisset, hominem aliquanto sublimem rapit, nec longe à ripa collocat. Sed à sancto viro exoratus est, ne cui unquam quod vidisset aperiret, dum ipse vita & communi spiritu frueretur: qui quidem, tum divinitus sibi id ostensum esse ratus, tum quod ita ille sibi mandavisset, intimis cordis penetralibus rem fideliter texit atque servavit Atque hoc, ut diximus, ita se habuit.

B

pie ad synaxim accedit.

45 Verum singulis Dominicis diebus ad Fratrum synaxim, vir omnino modesti demissique animi, cum abiret, in postremum omnium locum seorsum ab aliis secedebat, in se collectus: solus solum Deum familiariter alloquens atque appellans, oculis in terram demissis & capite quam maxime inclinato, tamquam alicujus criminis reus conspectus sermonesque omnium prorsus fugeret: neque enim sibi expedire aut decere existimabat, cum Deo ac mortalibus simul colloqui atque versari. Porro immotis penitus firmisque pedibus solo adhærebat, perinde ac clavis essent affixi, dum solennis sacri Officii canon absolveretur: animum vero in tremendo, metuendoque Dei throno semper collocatum habebat, splendorem indè ac lumen hauriens, divinisque mentis excessibus perpetuo fruens. Dei ac Domini nostri Servatoris verba summopere verebatur, eaque audiendi magno semper studio efferebatur: proin sacrosanctum Euangelium sæpe præ manibus gestans, attente accurateque pervolutabat; in eoque divini Verbi incarnationem præ ceteris magno cum animi sensu atque admiratione, suspiciebat.

& Divino Officio interest.

C

CAPUT VII.

Morbus, mors, sepultura, miracula.

2. Tim. 4. 7.

46 IGitur cum ita vixisset, ac vitam suam sic instituisset, ut omnibus qui nostra ætate sunt antecelleret, bonumque certamen, ut Divus Paulus ait, certasset ac fidem servasset; novit in reliquo, posthabita hac ærumnosa terra, ad optatos Dei sui amplexus commigrare. At vero, quandoquidem ejus commigrationem audistis, orationem ipsam veluti jam in portum appulsam, videtis. Equidem licet probe intelligam, neminem ex vobis esse, Auditores, qui in dubium vocare audeat, quæ hactenus recensuimus; tamen de præmiis certatoris fortasse aliquis dubitaverit. Quid autem causæ est, cur miracula sanctis viris tributa cum sint, veluti quoddam etsi leve præmium, aut quasi pignus & arthabo cæleſtis beatitudinis; tam inusitatum atque incomparabile vitæ genus nullis signorum radiis, quæ alios viros sanctitate conspicuos divina virtute patrasse novimus, effulserit atque enituerit? Sed

nullis miraculis vivens effulsit,

æquis animis estote, Auditores, ac paulisper expectate, & audictis, post ejus dormitionem miracula effeciſſe magnum hunc hominem, si forte nihil ejusmodi ille dum viveret edidit: cum abiectioni suique ipsius despicientiæ ac gloriæ contemptui, sicut in rebus aliis, ita in hac perpetuo studuerit: idque cæleſti consilio singularique prudentia feciſſe reor, ut qui vellet nos exercere & ad patientiam adhortari, quicumque in comparanda virtute ac pietate desudaremus; ut si quando ad virtutis apicem fuerimus evecti, neque his ornamentis frui videamur, neutiquam ægre feramus aut mœrore nos conficiamus, quasi re aliqua magni momenti summeque necessaria orbati.

D

sed post mortem:

47 Reddi etiam alia ratio potest, quæ à vulgi sensu sit longe secreta atque aliena, quam adhibito nobis exemplo, ab ipsa rerum natura deprompto, rudioribus palam facere pro virili nostra conabimur, quæ fortasse non longe abest à nostro proposito. Primo planta gignitur, post surculi sive stolones, sequuntur flores (ut etiam à plantis exempla mutuemus) postremo fructus. Sufficit porro sua exercitatio ac divina quædam probatio virtutis cultoribus, ut de illis periculum fiat, quinam sint. Miracula enim atque divinæ virtutes, quæ in sanctis viris eluxere, certe nihil aliud sunt, quam donum à Deo ipsis impensum, ut illum ardentius ament ac venerentur, pro ut temporis ratio atque opportunitas petit. Verumtamen vel qui indigent, vel qui accipiunt, aut imposterum sunt accepturi, sciant à Deo sibi gratis impertiri. Quod si nonnulli ex majoribus nostris, sub ipsum exercitationis initium atque adeo toto vitæ cursu, signa quædam admirabilia ac magnas virtutes patrasse videntur; nihil est cur admiremini, cum, ut supra est à nobis dictum, sua natura Dei donum omnino sit, non magis eorum qui indigent quam qui accipiunt causa elargitum. Itaque qui eo donati sunt, donum se existiment habere, ut hinc donatori fructus ferentes, ad virtutis studium magis ac magis incumbant: quia id fortasse ab iis petebat donator, cum illud daret. At vero si nonnulli ex sanctis viris, neque in hac lucis usura nec postquam naturæ concesserunt, eo munere claruere; primum hac in re animadvertendum est, minime quidem eos hac de causa virtutem coluisse (hoc enim neque decorum est ac potius vanum) sed propter spem futurorum bonorum sempiternamque beatitudinem, quam in cæleſti regno bonis paratam esse scirent. Ad hæc propter eos, qui pro virtute ad tempus strenue certant atque contendunt, qui cum toto vitæ spatio in omni virtutum genere se exercuerint, neque se dignos viderint qui eo munere à Deo impertirentur; veluti ad divinum exemplar aspectantes, se magis imposterum demittunt, ac labores quos in virtute pertulerint inde consolantur.

ex mero beneplacito Dei.

E

F

48 Sed ut à Sanctis ad sanctum hunc virum, & à gloria ad gloriam oratio nostra convertatur: cum *æger,* magnus vir paullulum ægrotasset, omnesque corporis vires labefactæ deficerent, nec (utpote mortalis nostræque naturæ particeps) posset amplius morbo resistere, quamquam vitam homine majorem hic in terrarum orbe exegisset; prostratus in nudo solo, quod cubilis sibi vicem obibat, haud quaquam virtutis oblitus, consuetas Deo preces forti magnoque animo effundebat. Id ubi ex Fratribus aliquot resciscunt, hominem invisunt: quem graviter morbo laborantem videntes, nec adesse qui necessaria ministraret; precibus ab eo contendunt, surgeret à solo, & in monasterium cum ipsis veniret. Cum ille, qui in omnibus optimum semper exemplar ac virtutis formam se præbuisset, paulo se erigens, libentissime Fratribus paruit, ab iisque

à Fratribus

ab iisque aliquanto ſublevatus monaſterium init: oportebat enim, cum illius velut germen eſſet ac ſpiritualis alumnus atque adeo divina victima, non longe peregreque finem vitæ ſuæ concludere. Nam etſi majorem certaminum partem ibidem non obivit, eorum tamen fructus, actus, ac veluti quoddam divinorum bonorum pondus divinumque theſaurum, huc poſtremo afferens, eodem loci à laboribus ſuis requievit.

ad monaſterium ducitur,

49 Jam vero in quadam illum cella collocantes, nihilque periculi in præſentia ſuſpicantes, quod hilarem ac ſpiritu vividum cernerent, ſinguli domum ſuam reverturntur, ſolum virum ſanctiſſimum deſerentes: ſi tamen ille ſolus eſt, qui Deum habet ſe alloquentem ac conſolantem. Ipſe vero cum tota nocte omne laudationis genus Deo perſolviſſet, ſub auroram oculos mentemque, ſpiritu ſanus ac valens, in eum quo ante animo perfruebatur intendens, ac tandem illud proferens, In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum; magna cum voluptate atque incredibili gaudio, hilari lætoque aſpectu, divina incomprehenſaque præmia præcipienti ſimilis, beatam illam cæleſtibuſque mentibus venerandam animam efflavit: quam cæleſtes Angelorum chori reverenter ſuſcipientes, magnaque cum admiratione amplexati, eamque comitantes, omnium conditori Deo honorificentiſſime magnaque cum gloria, tamquam divinum quoddam atque ornatiſſimum donum, obtulere. Qui profecto illam accipiens, inter præclaros Sanctorum virorum, qui jam inde uſque à mundi incunabulis fuerunt, ordines adſcribit: ubi lætantium omnium eſt habitatio, ubi gaudium & exultatio, ubi eſt cæleſte regnum; ut laborum fructus ac præmium, cum iis qui beate feliciterque illic vivunt, perciperet ampliſſimum, vir plane in parendo illuſtris, in miniſteriis obeundis præclarus, in exercitationibus atque adeo in ipſis uſque ad ſanguinem concertationibus homo ſane admirabilis atque conſpicuus, cum quinquageſimum ætatis ſuæ annum ageret.

sub auroram latus moritur,

natus annos 50, ℔

50 Sed mane ubi illum monachi mortuum jam ac fine ſpiritu vident, ore oculiſque ac manibus ad majeſtatem ſplendoremque regium rite honeſteque compoſitis, accenſis cereis juſta perſolventes, aliis comitantibus, præcurrentibus aliis, cum hymnis ac pſalmodia, in lectulo jacentem ante Eccleſiam efferunt (is enim eſt iis ritus & canon antiquiſſimus) conſuetoque Miſſæ ſacrificio, ſecundum Eccleſiaſticam de vita functis conſtitutionem, pro eo peracto, ad tumulum ferentes, rite honorificéque ibidem illum condidere. Sed pro! Chriſte, rem miram! ex ſanctiſſimo ac beatiſſimo corpore odor quidam ſuaviſſimus, qui omne odoramentorum genus ſuperaret, exhalare viſus eſt: ut hinc præclara ejus facinora ac certamina, quæ ille clam omnes geſſerat, omnibus fierent conſpicua. Verumtamen neque ad id quidem animum advertere voluerunt, in occulta obſcuraque virtutis illius potius intuentes; quare cum haberent lacera, pannoſaque ejus veſtimenta, tamquam nulli uſui accommodata (quæ tum erat eorum opinio) quadam in pertica per ſummam negligentiam ſuſpenderunt, ea penitus ex animo memoriaque delentes.

ſepelitur

odore ſuaviſſimo ex eius, corpore exhalante,

51 Et jam duorum annorum ſpatium præterierat, cum lux quædam è cælo, ô rem admiratione dignam! divino tumulo effulgens, præclariſſimum orbis terrarum ſolem ſub terra adhuc latentem nuntiat. Atque ji qui tam novum ac præter naturæ ordinem miraculum viderunt, animo conſternati hæſerunt (neque enim ſemel aut iterum, ſed ſæpe nocte intempeſta ſuperne illabens illis videbatur) cum rerum divinarum eſſent rudes atque inexperti, neque eam, ut diximus, ſanctitatis opinionem de magno hoc homine haberent, de re conjecturam facere nullo pacto valebant. Verum enimvero Deus, mirabilium effector juſtorumque adjutor præſentiſſimus, cum famulum ſuum multo pluris duceret, hac ratione iis qui illum ignorarent conſpicuum facere voluit. Mulier quædam ex propinquis oppidis, è quadam cerebri diſtillatione corporeos oculos amiſerat: ea ad ſepulcrum divini, de quo mentionem fecimus, Eliæ (quem ad diſcrimen veteris illius, qui curru eſt in paradiſum tranſlatus, Juniorem perbelle oratio appellavit) ſanitatem impetratura confugit, cum & in vita & poſt mortem miraculis clarus extiterit Pater ſanctiſſimus. Cum autem illa diu ibidem ſubſiſtens nullum morbi levamen ſentiret, rem ſane quam graviter moleſteque ferenti divina quædam viſio offertur. Videbatur enim ſibi videre divinum illum ac mirabilium rerum patratorem Eliam. Quid, inquit, ſine ullo fructu hic immoraris, magnoque cum periculo vigiliis te conficis? Age jam exurge & ad D. Philareti ſepulcrum ubi conceſſeris, ſanitatis rectæ compos efficieris. Illa è viſu perterrefacta, obſtupuit: neque enim adhuc ſcire poterat, verane eſſent, quæ ſanctus vir ſibi paulo ante memoraſſet; quandoquidem nullum Philaretum, Sanctorum virorum numero adſcriptum, eo loco eſſe exiſtimabat.

Mulier cæca a S. Elia apparente adillud mittitur.

52 Poſtquam vero non ſemel ſed tertio jam eadem ſibi viſio eſt oblata, ac ſancti viri juſſa vehementius eam vrgere cœperunt; ingens timor ac pavor mulieris animum inceſſit, eque metu ac terrore excitata, ſtupenti ſimilis, quicumque ſibi obviam irent, rogabat: Et quis, inquit, ex Sanctorum numero Philaretus nomine, mihi quidem minime notus, vobis autem cognitiſſimus, hoc tractu colitur? Tum ii novitatem etiam nominis admirantes, ſe hominem neſcire omnino teſtificabantur. Illa vero omni ope ac ſubſidio deſtituta, animo hærere; neque quid inceptaret, quidve conſilii caperet in tanta re videbat. Cum vero jam luceſcere inciperet (ſtudebat enim univerſorum Dominus ſervum ſuum omnibus qui illum ignorarent quamprimum aperire atque illuſtrem facere) cum monachi de more ad ſacros hymnos decantandos in templo eſſent coacti, in medio adſtans muliercula, cœpit ſingulos cum lacrymis ac fletu orare atque obſecrari; ecquid Philaretum virum ſanctiſſimum aliquis noſſet; ſimul totam rei ac viſionis ſeriem ediſſerens. At hi perculſi etiam novitate nominis, ignorare ſe, quis aut qualis eſſet iſte vir ſanctus, quem diceret, mulieri profitebantur. Verum ex ipſis neſcio quis, qui divinum ſplendorem in ſepulcrum illabi perſpexerat, manus & caput quatiens, Credite, Patres, in eos intuitus inquit, Frater Philaretus, ille olitor hortique præfectus, jam in Sanctorum numerum eſt relatus: atque is eſt dubio procul, quem hæc femella perquirit. Tu vero abi, inquit, mulier, & ad illius ſepulcrum accidens, enixe ſanctum virum deprecare, & ſane videbis gloriam Dei. Hæc vero aliorum manibus ducta, ad ſacrum ſepulcrum proficiſcitur: eum parum ex eo pulveris accepiſſet oculiſque admoviſſet (ut magna atque admirabilia ſunt opera tua, Domine) confeſtim pernicioſum ac noxium illud oculorum velamen, quaſi pellis undequaque detractum, ſanas omnino ac ſine ullo morbi veſtigio pupillas mulieri reliquit, cujuſmodi erant antequam eo morbo laboraret. Rurſus illa provolutis genibus ad ſepulcrum, divina quadam animi voluptate perfuſa, ac miraculi magnitudine attonita, immortales

eoque poſt longam inquiſitionem

invento

illuminatur

AUCTORE NILO.

gratias agere ei qui de ſe optime meruiſſet, Deum laudans ejuſque magnalia admirans. Domum autem reverſa ſanitatis compos animoque confirmata, miraculi nuntia ac promulgatrix omnibus fuit.

53 Quæ fama ubique locorum ac gentium diſſeminata, & veluti divina quædam, ac vocalis tuba omnia perſonans, non ex vicinia tantum propinquiſque regionibus, ſed peregre etiam magnam hominum multitudinem ciebat: qui variis morborum generibus cum afflictarentur, ad venerandum, divinumque illius ſepulcrum concurrentes, ſinguli, præter multorum opinionem & ſupra quam cuiquam credibile eſt, ſanitate redonabantur. Ibi videre erat miraculorum multitudinem, quæ magna cum omnium admiratione à ſanctiſſimo viro edebantur; ac divini cujuſdam vnguenti odorem ſuaviſſimum ſpirare, qui & corpora & animos omnium recrearet. Tum eodem loci oratorium ab ipſis fundamentis excitatum eſt; ac pulchre, affabreque conſtructum, ſanctiſſimo viro dicatur. Hic indies frequentes fiunt hominum concurſus, cum cæleſtem ac divinam medicamentorum omnium officinam ibi adinveniant, ad morbos malaque omnia rite curanda. Porro ſancti viri laceræ veſtes, integræ prorſus atque intactæ hodieque, ut fixæ erant in ligno compertæ, divino gratoque odore fragrantes, ut cæleſtes Reliquiæ minutatim diſſectæ piiſque viris diſtributæ, varia etiam morborum genera ex hominum corporibus pepulere. Enimvero maxime conſentaneum erat, ipſa etiam veſtimenta, quæ ſubeundis pro virtute laboribus ſudore fuerant ſordidata, ſuam etiam gloriam ſortiri; cum Deus tam incredibili admirabilique ratione ſervum ſuum cohoneſtaverit. Quod ſi fœnum tanto gloriæ ſplendore rerum omnium Opifex affecerit, quanta illum quis exiſtimaverit gratia cælitus donatum? Ejuſmodi Apoſtolorum ſudaria fuiſſe novimus, eorumque ſemicintia dæmones eieciſſe, ac ſudorem ex eorum corporibus manantem variis morborum generibus medicinam feciſſe.

plures ægroti ſanitati reſtituuntur,

Oratorium D. Philareto ſtructum:

lacera veſtes miraculis illuſtrantur.

B

EPILOGUS

Scriptor invocat S. Philaretum.

54 TU vero ſanctorum ac beatorum Patrum illuſtre decus & ornamentum, quandoquidem de te rebuſque tuis epitaphium, tenuibus quidem, ſed tamen qualibus poſſumus verbis componimus; orationemque, quamvis tua præſtantia ac dignitate longe inferiorem, noſtris tamen viribus noſtroque in te ſtudio parem conteximus: tu, inquam, qui Deo proprior clarius ac purius illum intueris, ac mortalitatis noſtræ vinculis jam exolutus magnam fiduciam ac libertatem apud eumdem es adeptus; ne unquam noſtri te capiat oblivio: ſed cum duobus hiſce noſtris fratribus ac pia matre, qui tetram libidinum nubem ex animo exegere, Deum orare atque obſecrare continenter velis, ut in feliciſſimam ac beatiſſimam ſanctorum virorum ſocietatem alliciamur. Et quamvis extra omnem aleam felix ſis ac fortunatus, noſtris tamen turbulentis animi motibus ſuccurre miſericors, atque à nobis vilia hæc quæ tibi offerimus orationis donaria, læta fronte accipere ne graveris: quæ opitulantibus divinis atque Angelicis tuis precationibus expoſuimus, ab iiſdem ad ſcribendum impulſi atque excitati: ſecus enim audaciæ ac temeritatis nota culpandi fuiſſemus, quippe nihil tam inſigni ſanctimonia dignum afferentes. Sed utinam, quemadmodum in hac, ſic etiam in tuas ſanctiſſimas ac beatiſſimas manſiones relicto corpore, & in ipſo Ieſu Domino noſtro, noſtra ad Deum peregrinatione perfuncti, admittamur.

C

pro ſe ſuisq;

D

55 Ceterum tu divine ſacerque magni illius viri grex, ut paucis omnia complectar, tuque Calabrorum cœtus, agite, venerandam Deoque jucundam panegyrim celebremus; & ad divinum ſepulcrum magna cum fide concedentes, communi alacritate lætitiaque efferamur, pios Deoque gratos ad Dominum cantus concinentes, Quoniam viſitavit, & fecit redemptionem Dominus populo ſuo, & erexit cornu ſalutis in nobis, humilia reſpiciens & ſuſcitans de terra inopem. Sed vero, ut te beatiſſimum & fortunatiſſimum inter omnia monaſterium, appellem, quam longa de tuis encomiis contexi poteſt oratio, quoniam geminos in te continens ſoles, divinis ſane theſauris opulentum eniteſcis. Jam enim habes adoleſcentium magiſterium, ſeniorum gubernaculum, caniciei virtutem, ſenij ſcipionem, juvenum diſciplinam, paſtorum paſtores ſane divinos; in miſeriis adverſiſque caſibus conſolationem, in calamitatibus ſubſidium, in tentationibus ſolamen, gubernatores in tempeſtatibus, in omnibus infortuniis proſperitatem, athletas in laboribus, in præclaris facinoribus aſcetas, in vigiliis ac precationibus cæleſtes profecto Angelos: qui in tenebricoſa caligine verſantur, ſua habent lumina: qui à recto aberrant, ductores; qui flagitiis ſunt cooperti, apud Deum interceſſores; lapſi, qui ſe erigant & ad Deum ſublevent; qui ſtrenue fortiterque concertant, bonorum largitores; virtutis ſtudioſi pravarumque libidinum exterminatores ac profligatores, ſpem ſane certam atque tutam; cœnobitæ, patientiam; qui alienæ voluntati parent, exemplum ac documentum; qui in quiete ac ſolitudine vitam traducunt, tolerantiam: qui actioni ac contemplationi ſe dedunt, duo ambarum culmina atque faſtigia; eremi montiumque cultores, celeſtem perennemque lætitiam; virginitate præditi, formam ac figuram; caſti ac continentes, perfectam exquiſitamque munditiam ac puritatem; qui in mundo verſantur, mundum atque ornamentum: ſanctimoniam, ſacerdotes; optimates principeſque in republica viri, manſuetudinem atque clementiam; cives, rectam adminiſtrationem; conjuges, continentiam; ægroti, medicos; nautæ ac vectores, naucleros; qui maris fluctibus ac reflatu ventorum jactantur, ſerenitatem ac tranquillitatem. Quid plura? Univerſi divinos apud Deum patronos atque advocatos. Ad hos imitandos totis nervis totiſque præcordiis contendamus; cum non longe à nobis remota, ſed ſatis propinqua habeamus exempla: ut una cum ipſis digni ſimus qui cæleſte regnum adipiſcamur, boniſque ſempiternis perfruamur, præſtante gratia ac benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: cui ſimul cum Patre & Spiritu ſancto gloria, honor & imperium, nunc & ſemper & in ſeculorum ſecula. Amen.

ad ejus feſtiũ celebrandum monachos excitat:

duos illis Patronos SS. Eliam & Philaretum gratulans.

E

F

D E

DE SANCTO CELSO D. P.

ARCHIEPISCOPO ARMACANO IN HIBERNIA.

ANNO MCXXVIII

S. *Celsus Episcopus,*

FOmanı Martyrologii tabulæ, *Gregorii* XIII. *jussu à Cæsare Baronio iteratò recognitæ ad hujus diei Sanctos, priori editione recensitos, addunt* S. Celsum, *hisce verbis*: In Hibernia S. Celsi Episcopi, qui B. Malachiam in Episcopatu præcessit. *Quæ verba tam male intellexit Martyrologii Anglicani auctor Vvilsnus, ut quia S. Malachias à Celso fuerat Episcopus Connertensis ordinatus, crediderit ipsum in hoc Episcopatu successisse Celso; quod fuerat de Ardmachano intelligendum. Patet id ex S. Bernardo, in vita S. Malachiæ sic scribente*: Dum hæc ita aguntur, contigit infirmari Archiepiscopum Celsum .... & cognoscens quia moreretur, fecit sibi testamentum, quatenus Malachias deberet succedere sibi, quod nullus videretur dignior qui episcoparetur in sede prima. *Hanc Ardmachanam fuisse ex ipsius S. Patricii institutione nemo dubitat: quomodo autem eam Celsus & quam sancte rexerit, non è Vitæ Actis, quæ nulla extant; neque ex cultu ejus nomini corporique ab Hibernis delato, de quo nihil comperimus; sed ex iis solis cognoscimus indiciis, quæ nobis præcitata Vita suppeditat.*

non (Connerensis, sed Armacanus;

B

2 *Primum, quod* ipse est qui Malachiam in Diaconum, Presbyterum Episcopumque ordinarat. *Erat ergo non tantum nomine & jurisdictione;* (quales octo extiterant ante Celsum, viri uxorati & absque Ordinibus, litterati tamen) *sed ipso etiam charactere Episcopus, qui per seipsum conferre aliis sacros Ordines posset: quæ res insigne arguit continentiæ studium. Alterum est, quod licet* quorumdam diabolica ambitione potentum mos pessimus inoleverat, Sedem sanctam obtentum iri hereditaria possessione, neque patiebantur episcopari nisi qui esset de tribu & familia sua; *& licet* decursis jam in hac malitia quasi generationibus quindecim, eo usque firmaverat sibi jus pravum generatio mala & adultera, ut etsi interdum defecissent Clerici de sanguine illo, non tamen Episcopi, *laicis uxoratis (clericorum cælibum defectum supplentibus;* Celsus *nihilominus optime intelligens, quod ab ejusmodi fonte existeret,* tota illa (*de qua multa Bernardus*) dissolutio disciplinæ ecclesiasticæ, censuræ enervatio, religionis evacuatio; *omnino constituit infringere execrandam successionem, & alienum ab ea Malachiam, Episcopum Connertensem, designare post se futurum Archiepiscopum. Itaque morti proximus,* hoc præsentibus indixit, hoc mandavit absentibus, hoc specialiter ambobus Momoniæ Regibus & majoribus terræ, S. Patricii auctoritate, præcepit.

non solo nomine, sed etiam charactere,

abrogat jus hereditariæ successionis.

C

à recentioribus dicitur,

3 *Hæc sunt quæ de S. Celso ex certa antiquitate haberi possunt indubitata: plura in chronico Episcoporum Ardmachanorum, quod est ad S. Patricii Acta appendix* VII, *Colganus colligit: sed ex Annalibus hoc demum seculo à Fr. Michaele Clery & tribus sociis in conventu Dungallensi compilatis, quos propterea Quatuor-Magistrorum Annales nuncupat, collectosque asserit ex vetustioribus & probatioribus patriæ chronicis, præcipue (luanensibus, Insulensibus & Senatensibus. Ad quæ veluti ad fontes, exposita prius unicujusque antiquitate & probitate, utinam digitum intendisset Colganus, eorumque nobis verba dedisset! Nunc suos Quatuor-magistros dumtaxat allegantem nec quanta sit chronicorum istorum antiquitas indicantem timidius sequimur: sequimur tamen, ne Celsi in Episcopatu gesta prorsus cogamur prætermittere intacta. Sunt autem per annos hoc modo digesta.*

4 *Anno* MCVI, secundum chronicon Senaten-

Provinciam Hiberniæ visitando obiisse,

E

5 *Ceterum videtur Celsus, parum dignam Christiano Pastore visitandi gregis rationem, principio quidem tenuisse uti eam à decessoribus suis acceperat; deinde eamdem sustulisse: fortassis in magna illa Synodo, sub annum* MCXII *in annalibus Senatensibus annotata, & in dictorum Annalium margine* de Usneach *appellata, qui mons amœnissimus & totius veluti insulæ umbilicus, iam olim habendis comitiis universæ gentis celebratur. Fuit enim indicta hæc Synodus* ad regulas vitæ & morum Clero & populo præscribendas; *& par fuit integritatis exemplo Archiepiscopum prælucere ordinis utriusque proceribus quæ interfuere; videlicet* ex una parte Moelmunus sive Marianus, nobilissimus senior Cleri Hiberniæ, cum quinquaginta Episcopis, trecentis Presbyteris & tribus millibus Ordinis Ecclesiastici; ex altera Murchertachus Rex Australis Hiberniæ, cum collecta indidem nobilitate. *Quæ ne incredibilia videantur saltem quoad numerum Episcoporum; videatur notitia quinque Patriarchatuum, ex vetustis Regiæ Bibliothecæ ac Thuanæ schedis Parisiis eruta, per Carolum à S. Paulo ad calcem Geographiæ sacræ; in earumque prima, præter Archiepiscopales quatuor, ad quinquaginta quatuor suffraganeas earum nominatas reperientur. Sciendum quoque eo tempore duos Reges habuisse insulam, qui se utrique dicerent Hiberniæ Reges, sic ut Australibus unus, prænominatus scilicet Murchertachius sive Mauritius; Septentrionalibus imperitaret Domnaldus, prædicti Mauritij patruus.*

Synodum grandem celebrasse

F

6 *Successere deinde tempora Armacanæ metropoli privatim & toti genti publice luctuosa magis, quæ egregiam Celsi Primatis virtutem non minus exercitam habuere, quam facere potuerunt illustrem:* anno enim MCXII Arx Armacana cum templis, tribusque ex cetera urbe plateis, deflagravit. Quadriennio post Abbatia cum viginti ædibus absumpta est: duæ rursum plateæ anno MCXXI arsere, quam longe à porta tendebantur

exustas ecclesias reparasse;

AUCTORE D. P.

tur ad arcem, & menſæ Decembri tempeſtas ingens turris Armacanæ tectum dejecit. *Quibus damnis reparandis ſic intendit Celſus*, ut per eum anno MCXXV, v Idus Januarij regulis integre cõtecta & inſtaurata ſit Eccleſia cathedralis, poſtquam per annos centum triginta non niſi ex parte fuiſſet contecta: *& per eumdem, anno immediate ſequenti*, conſecrata eſt XII kal. Novembris Baſilica SS. Petri & Pauli, Ardmachæ à B. Imaro extructa. Magna poſt hæc belli tempeſtas per totam Hiberniam exorta eſt, Principum ſimultatibus & factionibus: ad quam ſedandam S. Celſus à ſua Sede ſpatio unius anni & menſis abfuit, diſcordes animos Principum reconcilians, & regulas pacis atque morum clero & populo præſcribens: rurſumque anno MCXXVIII per eumdem Archiepiſcopum, ſpatio unius anni allaborantem negotio, ſancitum eſt fœdus pacis & concordiæ inter Conacios & Momonios.

& 1 Aprilis mortuus,

7 *Denique idem Sanctus Archiepiſcopus, poſtquam Primatum Hiberniæ plus quam duodecim annis cum medio, Dublinienſem etiam Epiſcopatum*, communi Hibernorum & Normannorum voto electus, *annis octo laudabiliter adminiſtraſſet*; poſt multos ordinatos Epiſcopos, Preſbyteros & diverſorum graduum Clericos; poſt multas baſilicas, eccleſias & cœmeteria conſecrata; poſt magnas eleemoſynas & pias largitiones; poſt vitam in jejuniis, orationibus, prædicationibus, Miſſarum celebrationibus & id generis variis exercitiis pietatis tranſactam; Sacramentis Pœnitentiæ & extremæ Unctionis præmunitus, anno ætatis ſuæ quinquageſimo, Chriſti MCXXIX, in Momonia locoque Ard-Patric dicto, ſpiritum cælo reddidit, primo die Aprilis. Corpus feria quarta ſequenti ductum eſt Liſmorum S. Machudæ, ibi ſepeliendum juxta ipſius teſtamentum, ibique feria quinta ſequenti, cum pſalmis, hymnis & canticis, in ſanctuario, Epiſcoporum vulgo vocato, ſepultum eſt.

B

Liſmoriæ ſepultus,

anno 1128, feria 5;

8 *Hæc omnia ſi Quatuor-Magiſtri accepere ex Vltonienſibus ſive Senatenſibus, qui ſoli citantur, Annalibus, Æram Chriſti vulgarem (ut ſæpe inculcat Colganus) uno anno prævertentibus; recte Cardinalis Baronius in ſuis ad Romanum Martyrologium notis S. Celſi mortem anno MCXXVIII adſcripſit. Neque refert quod illo biſſextili anno Litteris Dominicalibus A G, dies V Aprilis non concurrat cum feria V hebdomadæ, proindeque coli nequeat tamquam anniverſarius depoſitionis dies. Nam qui Baronio occaſionem dedit S. Celſi nomen Romano Martyrologio inſerendi, primus & ſolus Ioannes Molanus, inter proprias ſuas ad Vſuardum additiones, ex recentiorum hagiologorum collectaneis acceptas, & anno 1568 Lovanij vulgatas, minuſculo charactere apponens hæc verba*, In Hibernia S. Celſi Ardmachenſis Epiſcopi & Confeſſoris, de quo Bernardus in Vita S. Malachiæ; *Idem Molanus eadem verba in ſecunda & tertia ejuſdem Martyrologii editione anno 1573 & 1583 omiſit: eoque ſatis indicavit, haud ſatis ſibi vel de cultu Celſi vel de die quo collocari debeat, conſtitiſſe: quas poſteriores editiones ſi nactus fuiſſet Baronius, abeſſet forſan etiam hodie à Romano Martyrologio Celſi nomen, uti & alia non nulla.*

C

D

adeoque non 6. Aprilis.

9 *Igitur nihil obeſt, quo minus cum Hibernico Mariani Gormani Martyrologio, ante annos circiter quingentos ſcripto,* Kallachus, Comorbanus Patricii (*hic ipſe utique de quo agimus* Celſus: *neque enim alius ex S. Patricij ſucceſſoribus hoc aut ſimile nomen tulit*) *credatur eo quo notatur die, id eſt, ipſis kalendis Aprilis, ſolitus in Hibernica eccleſia commemorari; imo etiam eo die mortuus, ſi aliunde id haberi poſſit quam ex martyrologiis, non mortis, ſed commemorationis, quacumque alia ex cauſa tali die affixa anniverſaria continentibus. Quod ſi primo Aprilis die mortuus, depoſitus fuit feria quinta proxime ſequenti, factum id fuerit die pariter quinto menſis; neque ad annum MCXXIX erit cum Colgano refugiendum, ut dies depoſitionis uno die propius ad diem mortis admoveatur.* Liſmorium *enim, VVaterfordienſis Comitatus inſignis civitas, quo delatum ſancti viri corpus fuiſſe dicitur, ab* Ard-Patric, *ſive* (*ut ab Anglis effertur*) Done Patrick, *id eſt, Colle S. Patricij, villa Limericenſis Comitatus, in qua eſt mortuus, plus quam duorum dierum itinere diſtat.*

Faſtis Hibernicis adſcriptus 1.

depoſitus 5. Aprilis.

E

10 *In Viſione mirabili, de inferorum pœnis & paradiſi gaudiis, oblata Tugdalo Hibernico militi ſub annũ* MCXLVIII, *& à Marco monacho de Inſula barbara in Latinam linguam tranſlata, dicitur militis illius anima*, vidiſſe S. Patricium Hibernorum Apoſtolum cum magna turba Epiſcoporum, inter quos quatuor ſibi notos vidit; videlicet Cæleſtinum Ardmachanum Archiepiſcopum & Malachiam, qui prædicto viro ſucceſſit in Archiepiſcopatũ .... *Succeſſit autem ut ſcribit Bernardus* non mox neque facile. Ecce enim de ſemine nequam qui occupet locum, Mauritius nomine. Is per quinquennium fretus potentia ſeculari incubavit Eccleſiæ, non Epiſcopus ſed tyrannus, *Erat enim Domnaldi ante S. Celſum Epiſcopi filius. Cetera quæ fuere conſecuta habentur in S. Malachiæ Vita, ad diem* III *Novembris dandâ, quæ interim apud Surium aut inter S. Bernardi opera legi poterit.*

ejuſdem Tugdalo revelata gloria.

F

DE SANCTO VVILHELMO

ABBATE ROSCHILDENSI IN DANIA,

ORDINIS CANONICORVM REGVLARIVM S. VICTORIS.

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§. I. S. Wilhelmi cultus, Canonizatio, Profeſſio.

ANNO. MCCIII. *Canonicis Regular. ex S. Rufi in Provincia*

Auguſtinianæ Regulæ propagatio per Canonicos, undecimo Æræ Chriſtianæ ſeculo feliciter cœpta, & ex præcipuo ejus in Provincia monaſterio, S. Rufi dicto, ante ejuſdem ſeculi finem provecta in Hiſpaniam, ut eſt in Vita B. Ollegarij cap I *ad diem* VI *Martii dictum; ſequenti mox ſeculo palmites ſuos protulit ad uſque urbem Tragiam Galliarum, quando, ut eſt in MS. Chronico Alberici*, anno MCXXIX in Domum S. Victoris Pariſienſis, quæ erat Prioria nigrorum monachorum de Maſſilia, adductus eſt conventus Regularium de S. Rufo de Valentia, per Hugonem de S. Victore. *Vbi nota*, de Valentia *dici, non quia jam tum id nomen erat Congregationi ex S. Rufi Avenionenſis cœnobio propagatæ; ſed quia poſtea, everſis per Albigenſes omnibus Avenionenſis tractus monaſteriis, ii qui prope muros dictæ urbis ſedẽ & caput Ordinis ſui habebant, nomen & dignitatem loci tranſtulerunt Valentiam in Delphinatum circa annum* MCCX : *quod priuſquam fieret tam copioſas ex Victorina domo propagines egerat novellus Ordo, ut in veteri ejuſdem domus MS. ſic legatur.* Anno MCXXXVIII clarebat Ordo Canonicus S. Victoris Pariſienſis, celebriſque per orbem fama habebatur

ad S. Victoris Pariſios;

A bebatur, propter insignes personas moribus & scientiis ornatas, quas in diversis mundi ecclesiis sparsit, velut vitis fœcunda, palmites proferens transplantandos.

Indeque ad S. Genovefæ propagatis,

2 *Et quidem intra proximum decennium anno* MCXLVII *propinquæ S. Genovefæ ecclesiæ commodavit Abbas Gilduinus Priorem suum Oddonem: cujus disciplina informatus Sanctus hic Guilielmus, ipsum Ordinem ad regna usque Septentrionalia transtulit, factus anno* MCLXII Abbas Roschildensis in Dania, *sive, ut illo ævo passim nominabatur à sciolis, Danos Dacosque confundentibus*, Dacia: *quo nomine, cum titulo Confessoris, ad hunc* VI *Aprilis adscriptus invenitur Additionibus Hermanni Greven & Ioannis Molani ad Vsuardi Martyrologium, necnon Martyrologio Galesinii & Kalendario historico Felicii. Florarium quoque MS. sanctorum*, In Dacia, *inquit*, depositio S. Guilielmi Abbatis. *Romanæ denique ecclesiæ novæ tabulæ hunc diem sic finiunt.* In Dania S. Gulielmi Abbatis, vita & miraculis clari: *ad quæ verba annotat Cardinalis Baronius*: Honorius Papa III, cum de ejus vita mandasset diligenter inquiri, certior redditus à Gregorio, Romano cive nobilis familiæ Crescentianæ, tunc S. Theodori Diacono Cardinale, Legatum à latere agente in Dania, Suecia atque Bohemia, retulit eum inter

Ordo quoque in Daniam transit per S. Wilhelmum,

6. Apr. inscriptum martyrologiis,

B Sanctos.

1224. canonizatum ab Honorio 3.

3 *Extat Canonizationis hujus bulla, anno* MCCXXIV, XII *Kal. Februarij expedita, apud Odoricum Rainaldum, Baronii continuatorem diligentissimum; qua testatur Pontifex, quod* inquiri mandaverit de prædicti famuli Dei vita fama & miraculis per Thomam quondam Archiepiscopũ Lundensem (*nam biennio ante decessisse eum habet Historia gentis Danorum de qua infra sæpius*) approbatæ vitæ virum, timoratum & justum, cui merito erat super hoc adhibenda fides; ac per Venerabilem Petrum Roskildendem Episcopum, & Abbatem de Eruado Cisterciẽsis Ordinis: qui de vita & fama certi, tam per se quam alios, & de miraculis tam per eos in quibus facta fuerant quam per testes fide dignos, veritate cognita, certum reddere Pontificem curarint; inter alia exponentes, quod tanta in Christo gratia divinæ benedictionis effulsit, ut ejus suffragiis leprosi mundentur, sanentur ægroti, liberentur dæmoniaci, aperiatur lingua mutorum, & quod est mirabilius jam idem sit plurium mortuorum almificus suscitator. *Pergit deinde Pontifex matri Ecclesiæ novum florem, regnoque Daniæ tantum gratulari Patronum, ac denique*, Cantet, *inquit*, novum Domino canticum ecclesia S. Thomæ de Paraclito, quæ splendore novi luminis, Confessoris ipsius requiescentis ibidem, pulchra facta est & apparuit speciosa. Cete-

C

& an 1238 Translatum,

rum eodem quo expedita est Bulla anno, *facta quoque solennitas est. Peregerit eam* Petrus Jacobi filius, *hujus nominis* II *Episcopus Roskildensis, anno dumtaxat sequenti mortuus: sin minus, fecerit eam* Nicolaus Stig, *sub quo etiam* anno Domini MCCXXXVIII *facta est* Translatio S. Wilhelmi Abbatis in Oppellut *quod in Slesvicensi Breviario* Apilholt *alibi* Ebbelholt *& in geographicis tabulis* Evelholt *nominatur*; *10 circiter passuum millibus distans Roschilda versus Euroboream, in quo fuit dictum S. Thomæ monasterium.*

cum facultate Missæ de eo dicendæ,

4 *Erat istius temporis usus, quemadmodum tum aliis exemplis, tum* III *Aprilis in S. Richardi Cicestrensis Actis num.* 117 *apparet, ut cum aliquem Sanctorum numero adscriberet Pontifex, etiam Orationes præscriberet proprias, quibus illius nomen esset sub sacrificio Missæ commemorandum. Ejusmodi Orationes an insertæ fuerint bullæ Canonizationis, ignoramus: eam enim partem, qua fideles hortatur Pontifex*, ut sanctorum Christi Confessorum cultu ac laudibus Wilhelmum prosequantur, ejusque preces apud numen implorent, *omisit Raynaldus, neque operæ pretium est laboriosius quæri: ipsas, quod satis est, invenimus post Vitam in codice Victorino descriptas, atque hic damus; ut si quando vel sacrorum cultus restituetur in Dania, vel sacer Ordo Canonicorum Regularium easdem judicabit inferendas Officio, quod non ita pridem recitandum de hoc suo Sancto impetrarunt, ad manum sint uti volentibus, & sunt hæ.* COLLECTA. Omnipotens sempiterne Deus, qui mirabiliter fulges in electis tuis, quos te inhabitatore glorificare voluisti: da nobis quæsumus, B. Wilhelmi Confessoris tui atque Abbatis ita digne commemorationem agere, ut ejus suffragantibus meritis templum tuum fieri mereamur. SECRETA. Muneribus tuis, quæsumus Domine, S. Wilhelmi Confessoris tui atque Abbatis intercessione, gratiam tuæ placationis interfere; ut & collata nobis remedia tuearis, & conferenda propitius largiaris. COMMUNIO. Refecti, Domine, sacræ participationis dapibus, supplices te deposcimus, ut S. Wilhelmi Confessoris tui atque Abbatis precibus semper sublevemur, & divinæ consolationis muneribus digni efficiamur.

AUCTORE D. P.

cum Orationibus propriis.

Festum ejus aliquod 16. Junij.

5 *Quoniam vero in confinio anni* MCCII *& anni* MCCIII (*annos Gallicano more à Paschate ad Pascha numerando*) *sub auroram diei Paschalis tunc in* VIII *Idus Aprilis cadentis, mortuus est Sanctus, atque adeo periculum erat ne identidem impediretur eidem decreta annua veneratio: credimus ordinatione saltem Episcopali institutum fuisse, ut festum ejus ageretur* XVI *Kalendas Julij, quemadmodum testatur Trithemius infra citandus, ipso forsitan die præmemoratæ Translationis. Verum extinctis in Dania Sanctorum honoribus, exolevit hic usus; juxta quem in Slesvicensi Breviario sub annum* MDII *impresso, quando Slesvicensem Cathedram tenebat Godscalcus de Alevelde, præscribitur faciendum Officium* de sancto Wilhelmo totum de Communi Confessoris non Pontificis, *cum propria Collecta hic superius posita, & sex propriis Lectionibus de Vita pro* I *&* II *Nocturno. Recentiores, qui ex sola Vita cognitam habebant Wilhelmi sanctitatem, ex ea etiam acceperunt diem mortis, quo ipsum adscriberent concinnatis à se Martyrologiis; nulla habita ratione diei à Trithemio notatæ; ideo forsitan quia ipsis non incidit suspicari, de Roschildensi Abbate Trithemium agere, tamquam de S. Benedictino. Cur autem id fecit ille? Credo quia Abbatem esse meminerat, & omnia in Dania monasteria credebat Benedictini, aut saltem Cisterciensis, (cujus fuerunt sane pleraque) Ordinis esse. Etenim parum solicitus auctor iste historiam vitæ discere, satis habuit hæc scribere.* Wilhelmus Abbas cujusdam monasterii in Dacia, cujus vocabulum jam non occurrit; vir certe religiosæ & sanctissimæ vitæ, multis virtutibus & signis à Deo meruit honorari, cujus festum colitur XVI Kalendas Julij.

E

Non fuit ille Cisterciensis,

F

(cujus ordinis progressus in Dania

6 *Habemus inter Septentrionalium rerum scriptores, Erpoldi Lindebrogii studio editos Francofurti an.* 1609, *Gentis Danorum historiam; in qua post Regum gentilium nomina atque gesta, seriatim absque numero annorum exposita, mox à tempore Christianitatis inductæ ad annos Christi aptantur omnia, & ad annum* MCCLXXXVIII *deducuntur: quæ historia circa res undecimi, duodecimi ac decimitertii seculi maximam fidem & auctoritatem meretur, accuratissime notans, non tantum Regum ortas obitusque, & quæ singulorum tempore memoratu digniora acta sunt in politico statu: sed etiam initia & obitus Episcoporum Daniæ, nec non natales conventuum singulorum, quos Ordo Cisterciensis ab anno* MCXLII *ad* MCCX *ad viginti quatuor in Dania acquisivit; notans etiam quo anno S. Bernardus ingressus Ordinem, quo anno ipse & S. Malachiæ sint ex hac vita egressi: ut dubitare nullatenus possimus, quin auctor fuerit Ordinis Cisterciensis monachus, adeoque falsus omnino sit titulus præferens nomen,* Erici Pomerani Daniæ Regis: *qui anno* MCCCCXI, *annis post finitum Chronicon plus quam centum, adoptionis jure introductus, inertissime gessit ac demum etiam dimisit regnum, nusquam à litterarum studiis commendatus. In hac historia sive Chronica, notatur quod* anno MCCII S. Wilhelmus Abbas migravit, *& quod anno* MCCXXVIII

notat Chronica, Erico Regi male ad scripta)

AUCTORE D. P. *facta sit* Translatio S. Wilhelmi Abbatis in Oppelhut. *Nempe duo hæc puncta ad eum scopum, quem sibi auctor præstituerat, imprimis spectabant: non item quo anno vel Roschildense in Eschil monasterium, vel Thomæum in Ebbelholt Canonicos Regulares excepisset. Non prætermisisset autem notare, quod Cistercienses instituti fuerint istorum monasteriorum novi incolæ: si hoc vere notare potuisset: quod si non fuere Cistercienses, multo minus dici potest fuisse eos alia quacumque ratione Regulam Benedictinam professos, ob solam Trithemii, tam confuse & tam inexplorate scribentis atque in talibus frequentissime aberrantis, auctoritatem.*

nec aliter Benedictinus

sed Canonicus Regularis:

7 *Sed quid opus aliunde petere argumenta ad subruendam assertionem adeo parum fundatam? Quisquis Acta vel à Surio edita vel à nobis edenda legerit, nullatenus dubitabit, quin Sanctus hic apud avunculum in S. Germani de Pratis Benedictino cœnobio, non aliter quam in schola puer secularis educatus, ab eodemque ad canonicalem in S. Genovefæ ecclesia præbendam promotus, postea è seculari Canonico, Canonicus ibidem Regularis factus, haud aliud quam Canonicorum Regularium institutum in Daniam adduxerit propagaritque, quemadmodum num. 39 clarissime dicitur, & apud Surium num. 14 saltem de monasterio S. Thomæ, in quo postremos vitæ annos egit, obiit & sepultus est. Quare non satis possumus admirari, quod à Canonicis Regularibus non modo inter officia propria præteritus, sed nec inter sui Ordinis Sanctos numeratus, nisi admodum sero, reperiatur Wilhelmus; usque adeo ut nec Pennotto quidem lib. 2. cap 33. num. 17 Surium alleganti, & enarranti quomodo Regularis disciplina fuerit ad S. Genovefæ constituta, in mentem venerit quidquam dicere de sui Ordinis Colonis in Daniam traductis per S. Wilhelmum: à quo veriorem laudem dare monasterio isti poterat, quam à Petro Lombardo Sententiarum Magistro, ex Canonico Carnotensi facto Episcopo Parisiensi, quasi is antea in S. Genovefæ secularis Canonicus, Regulatem ibi disciplinam inter primos admiserit. Sed lecta apud Surium Vita, defectum agnovit & supplendum curavit Pennottus, impetrata facultate S. Guilielmum Officio duplici cum propriis Lectionibus è Vita desumptis colendi: itaque cujus nec nomen quidem inveniebatur in kalendario anni* MDCXIII, *ejus Officium pro* VI *Aprilis, cum aliqua ipsius Pennotti circa illud Annotatione, inter propria Ordinis officia prodiit primum Romæ, dein Montibus anno* MDCXXXV, *& deinde Venetiis anno* MDCXLIII *atque in aliis postea editionibus.*

hùc ejusculiũ negligẽtibus, B

data est ansa Benedictinis eum sibi arrogandi.

C

8 *Igitur Canonicis circa hujus S. Wilhelmi memoriam tam diuturna usis negligentia, veniam mereretur Arnoldus VVion, quod Trithemio adhærens suo eum adscripserit Ordini, si ab historia vitiarda abstinuisset. Nunc vero quis poterit patienter hæc de S. VVilhelmo legere apud eumdem in Annotationibus ad hunc diem?* Vitam ejus adfert Surius. Fuit primum monachus S. Germani Parisiis sub regula S. Benedicti: assumptus deinde in Abbatem S. Genovefæ ibidem, quod cœnobium Regulæ S. Augustini supposititum erat, Regularis aliquamdiu vixit: sed postmodum à Rege Daniæ Waldemaro evocatus, priorem Regulam reassumens, Abbas Roschildensis constitutus est. *Prudentior Bucelinus, etsi alias in Sanctis undecumque ad suum trahendis Ordinem minime scrupulosus, cavit ne in tam evidentem falsitatem sciens volensque impingeret. Quod autem in S. Genovefæ Abbas fuerit VVilhelmus, non potuit VVion apud Surium nisi somnians legere: hoc ipso indicans qua accuratione cetera de Guilielmo scripserit. Pontanus libro 3 rerum Danicarum, pag. 294, obitum ejus ponens sub annum* MCCI, *his verbis eum, licet hæreticus, laudat.* Idem annus fatalis quoque fuit Guillelmo Abbati Ebelholtensis cœnobii, quod ad sanctum Paraclitum Latine nominabant. Eum è Collegio divæ Genovefæ, quod erat Lutetiæ Parisiorum, evocari in Daniam, una cum aliis ejusdem cœnobii sociis, curaverat Absalon. Hi apud Danos vitam monasticam ad Regulam D. Augustini, cujusmodi Lutetiis ex instituto S. Victoris coluerant, primum sunt auspicati. Guillelmus vero, cum ob vitæ sanctimoniam, tum quod facta quædam miraculosa (ita traditur) post ejus obitum essent observata, inter Sanctos exinde relatus est, appellatusque S. Guillelmus Parisiensis. Epitaphium ejus hujusmodi circumfertur:

etiam à Pontano laudatur.

D *ejusdem Epitaphium*

Parisiis natus, dictis factisque beatus,
Mundo sublatus, jacet hic Guillelmus humatus.

§. 11. Scripta Vita & Miracula. Acta Parisiis, illustrata.

Vita à Surio edita stylo mutato,

9 *Vitam S. VVilhelmi dare profitetur Surius*, ab eo*jusdem* quidem discipulo conscriptam, sed à se locis aliquot in compendium redactam, plerumque etiam phrasi mutatam. *Nos eam in monasterio S. Victoris Parisiis invenimus stylo, ut arbitramur, primigenio; & non tantum discipulum Sancti agnovimus, qui saltem extremis annis ei in Dania convixerit, quod est ex num. 54 & sequentibus manifestissimum: sed etiam natione Francum, utpote qui num* 41 Perticas *pisces vocans, quos Latine* Percas *nominaremus, probat se in hunc solœcismum esse lapsum, propter amphiboliam patriæ, id est, Francicæ linguæ, cui &* Perca *&* Pertica *dicitur vocabulo commune* Perche. *Hoc tamen inter eam quam reperit Surius, & hanc quam damus intercst; quod ista talis fuit qualis scripta est paucis post viri sancti obitum annis, & num. 57 his fere verbis finiebatur:* Possent hic multa commemorari, satis admiranda, quæ vel audivimus vel vidimus in Paraclito, ubi sacrum ejus corpus conditum est: sed ipsa multitudo nos ne id fiat dehortatur. *Nostra autem hæc ab eodem scriptore (quod ipse stylus clare indicat & apparet etiam ex fine num. 67) post annos circiter decem aucta est accessione miraculorum, antea prætermissorum, ideoque prædicta clausula in hunc modum mutata invenitur.* Sed his breviter commemoratis, veniamus ad miracula quæ vel vidimus vel audivimus in civitate Dei nostri, id est in Paraclito, ubi requiescit glorioſus Confessor Dei Wilhelmus.

E

à nobis primigenio stylo datur.

una cum miraculis additis ab eodem auctore.

10 *His miraculis, per tria capita deductis, nulla apponitur clausula, quæ finem indicet scriptionis. Quare suspicamur, materiam istam ulterius prosequendam fuisse, nisi auctorem vel mors vel casus alius impedivisset. Certe omnino existimamus omnia & gesta & scripta esse, non tantum prius quam fieret sacri corporis translatio vel elevatio, annis* XXXV *post obitum Sancti; sed etiam prius quam tractaretur Canonizationis negotium; quamvis in titulo MS.* Sanctus, *in principio ipsius vitæ* Beatus, *in decursu nominetur* sanctus ac glorioſus Dei Confessor Wilhelmus. *Verum quantumcumque cito hæc scripta concipiantur, plures tamen quam quinquaginta anni fluxisse dicendi sunt ab eo tempore, quo ex Francia in Daniam Sanctus venerat, quando verosimiliter scriptor hic admodum puer aut juvenis erat: qui proinde quæcumque de rebus Parisiis à Sancto gestis narrare potuit, habere ab aliis debuit, qui ex aliis è Francia advectis audiverant; cum credibile sit ipsum Sanctum parce loqui solitum de suis laudibus. Est igitur venia dignus auctor, quod earum rerum, quoad personarum ac temporum circumstantias, minus distinctam historiam texuerit, & in aliquibus aberrarit à veritate, certius cognoscenda ex epistolis Abbatis Suggerii, per quem ea acta sunt omnia, quæ spectant ad introductionem disciplinæ Regularis in antiquissimam S. Genovefæ ecclesiam: ubi hæc eadem quam damus sancti Vita cum miraculis extat in antiquissimo MS. sicut etiam invenitur in monasterio Viridis-vallis prope Bruxellam, quod similiter Canonicorum Regularium est.*

F

sed qui res Francicas minus distincte cognovit.

11 *Claudius Malingre l. 2 Antiquit. Parisien. pag.* 157 *allegat Euangeliorum librum antiquum, argenteis obtectum laminis; ad cujus calcem in Sacristia S. Genovefæ, ubi asservatur, hæc legerit:* Anno Domini MCXLVIII, ivit Rex Ludovicus Hierusalem, *licet enim anno precedenti post Pentecosten è Gallia solverat, non tamen ante mediam* Quadra-

Anno 1148

A *quadrageſimam appulit in Terram-Sanctam, nec niſi poſt Paſcha Hieroſolymam adiit.* Eodem anno eccleſia noſtra de ſtatu Canonicorum ſecularium ad Regularem ordinem eſt mutata, ope atque induſtria Suggerii bonæ memoriæ (*obiit enim* MCLII) S. Dionyſii Abbatis, injungente eidem Abbati Domno Eugenio & illuſtri Francorum Rege ſupradicto. *Nempe cum anno* MCXLVII *Pariſios veniens Eugenius Pontifex, ad eccleſiam S. Genovefæ, Sanctis Petro & Paulo dicatam, atque Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjectam, ut ex Bulla Paſchalis* II *anno* MCVIII *data cognoſcitur, diverſiſſet; cauſa vel hoſpitii inter Canonicos capiendi, ut vult præcitatus Claudius; vel, ut Vita hæc habet eſtque veroſimilius, ſacri dumtaxat celebrandi: ita tam ipſe quam Ludovicus Rex commoti ſunt inſolentia Canonicorum ibidem conſiſtentium, ut de mutando Ordine conſilium cœperint; & Pontifex, cum eſſet Lingonis in Italiam rediturus, Suggerio mandarit, ut Priorem Abbavillæum Ordinis Cluniacenſis cum octo monachis S. Martini à Campis immitteret in eccleſiam S. Genovefæ, qui locum Canonicorum ſecularium ibidem acciperent.*

Regulares ad S. Genovefæ conſtituuntur

potius quam monachi,

ex deſiderio ſecularium,

12 *Egit Suggerius rem ſibi demandatam gnaviter: occaſione tamen* querulorum Canonicorum, ad Curiam Romanam proficiſcentium, diſcrete diſtulit; *accerſens interim eos quos oportebat in dicta eccleſia collocari, ſi Pontifex in ſententia perſeveraret,* Cum ſubito, *inquit ipſe in epiſtola deſuper ſcripta,* proxima die fere tertia aut quarta, qua deſignatum Abbatem & monachos in eccleſia eadem ponere propoſueramus, ecce præfati Canonici, videlicet Cantor & alii, à facie veſtra redeuntes, mutatam pro bono pacis ſententiam, in Canonicorum Regularium poſitione, nobis reddiderunt. *Non igitur, quod auctor noſter credidiſſe videtur, apud Regem Pontificemque adhuc Pariſiis exiſtentes, actum eſt de inducendis ad S. Genovefæ eccleſiam Regularibus. Sed neque ea cogitatio ſuſcepta eſt* ad inſtantiſſimas preces San-Victoriani Abbatis, *verum ad ipſorummet ſecularium Canonicorum poſtulationem: quos tamen ne in hoc ipſo quidem conſentientes inveniens Suggerius,* multa, *inquit,* & moroſa reprehenſione inſiſtebamus, quod etiam poſtulata, miſericorditer conceſſa, refutarent: donec qui ſanioris erant conſilii & filii lucis, Canonicos Regulares ſe ſuſcepturos pacifice, promiſerunt.

B

quos in hoc vacillantes

eiſque ab invito S. Victoris Abbate

impetrat Abbatem Odonem:

ad parendum Pontifici Suggerius impellit,

C

13 *Porro quam nihil hic impulſu Abbatis S. Victoris actum ſit, magis etiam ex iis patet quæ idem Suggerius in ſua epiſtola ſic proſequitur.* Nos autem ſuper hoc exhilarati, quoniam quidam de melioribus, Abbatem ſibi conſtitui & Canonicos de S. Victore, poſtulabant; tum quia nullam penes nos religioſiorem in ſuo ſtatu novimus eccleſiam, tum quia propinquitate loci ad omnem eorum commodior exiſtit neceſſitatem, ad eos divertimus; virumque venerabilem Abbatem S. Victoris, *Gilduinum nomine,* operibus pietatis approbatum, modo ſeorſum modo in Conventu ſuo, ut his opem ferret, & adjutor Divinitatis evelleret & deſtrueret, ædificaret & plantaret, in nomine Domini ſuppliciter efflagitabamus. Qui ut emeritus Pater & ejuſdem loci providus procurator (*utique ab anno* MCXXIX) cum hoc ipſum inſtanter recuſaret; ut Priorem ſuum, virum venerabilem & religioſum, Abbatem fieri poſtulare nos comperit, obortis lacrymis cum fletu & anguſtia cordis, ſenium defectumque ſuum opponens, ejuſdemque Prioris conſilium & auxilium ſi eo privaretur deplorans, fere per totam diem recuſando, & quod numquam fieret deteſtando, uſque ad proximam Nonam detinuit. Tandem vero victus precibus multorum, imo auctoritate veſtra, qua eum importune opportune adjurabamus, tam miſericordia quam pietate, pro alieno commodo ſuum ſuſtinens incommodum; eumdem venerabilem Priorem, cum duodecim Fratribus, viris religioſis & honeſtis, nobis contradidit: quos in feſto S. Bartholomæi ad eamdem eccleſiam ſolenniter cum Clero & populo civitatis induximus, & venerabili Meldenſi Epiſcopo Manaſſi, quem nobiſcum his agendis ſuſceperamus, eadem die coram altari ejuſdem S. Genovefæ Abbatem benedici ſolenniter fecimus &c. *quæ vide apud du Cheſne tom* 4 *Francicorum pag.* 506. *vel ex eo apud Sammarthanos, uti & alios ejuſdem Suggerii labores, pro tuendis ibidem adverſus ſeculares Regularibus, in alia ad eumdem Eugenium epiſtola;* Fratrum autem iſtorum duodecim nomina habentur in Necrologio S. Victoris, & deſcribuntur in quàdam conventione cum Victorinis facta pro decurſu aquæ Beveris, ſuntque Guibertus, Prior; Guillelmus, Supprior; Henricus, Guillelmus, Stephanus, Andreas, Presbyteri; Odo & Guillelmus, Diaconi; Gaufridus & Theobaldus, Subdiaconi. *Ita ad nos Claudius du Moulinet: qui ſi annum dictæ conventionis notaſſet, certius dicere poſſemus, utrum* Guillemus Supprior *hic notatus, fuerit noſter Sanctus, an alius ei ſynonymus, qui idem officium ante ipſum geſſerit. Magis propendeo ut eumdem credam: quia cum hic, non duodecim, ſed decem ſolum Fratres notentur, ſuſpicari cogor ſcriptam conventionem aliquantis annis poſt introductionem Regulæ, cū ex duodenario illo numero obiiſſent aliqui aut ad S. Victoris remigraſſent, quidam etiam acceſiſſent novi, in quibus ipſe S. Guillelmus fuerit, cum iſta fierent, etiam Supprior; hoc enim fuiſſe conſtat ex Vita num.* 18: *adeo ut incertum maneat, quinam ex decem numeratis à cœnobio S. Victoris tranſierint ad S. Genovefam.*

AUCTORE D. P

E

qui S. Wilhelmum ad ordinem recipit,

14 *Inter eos quoque quos* filios lucis & meliores *appellat Suggerius, fuiſſe VVilhelmum omnino crederemus: niſi Vita hæc tam clare teſtaretur, eum in ſua Præpoſitura abfuiſſe, non tantum cum turbæ priores Pariſiis exiſterent, ſed etiam cum anno ſequenti novus Abbas Oddo conſtitueretur. Nempe ab nimium diſſimilibus ſui quotidianas injurias ſuſtinens, videtur cupidius dignitatem Præpoſiti, in qua ſervire Deo poſſet quietius aut expetiiſſe aut admiſiſſe, retento nihilominus priori beneficio, ob quod ne reſidere Pariſiis cogeretur, facile potuit impetraſſe, tam potenti nixus patrocinio. Interim quia ſecularibus illis, qui nollent Regularem Ordinem ſuſcipere, ex Regis Pontificiſque voluntate integri manebant quoad viverent ſuarum præbendarum fructus; neceſſe habuit novus Abbas Oddo VVilhelmum de facta mutatione commonefacere, & quomodo ſolvi ſibi vellet exquirere: quod licet per litteras fieri poſſet aut internuntios, ipſum tamen ad ſe invitare maluit; quem ex iis quæ antea egiſſe ac paſſum noverat, ſperabat poſſe non difficulter induci, ad Regularis vitæ inſtitutum pariter amplectendum, atque ita ſublevandam ſuorum acceſſione borrorum novellæ coloniæ paupertatem. His autem ſic poſitis, minus erit mirandum, quod S. VVilhelmus non adeo diſtinctam rerum ſe abſente geſtarum notitiam ſuis poſtea in Dania diſcipulis communicarit.*

F

& poſt annos aliquot ad S. Victoris reüiit,

15 *Aſt quod ſequitur,* recurſis poſt hæc non multorum annorum curriculis, *pro Oddone defuncto Abbatem eſſe electum Guarinum, non niſi auctori, parum integre quæ audierat recordato, poteſt adſcribi. Conſtat enim ex Aimoini continuatore, in annum* MCLXV *deſinente, quod anno jam dicto, in baptiſmo Philippi Auguſti, præter Hugonem, Abbatem S. Germani,* Herveius quoque Abbas S. Victoris & Odo quondam Abbas S. Genovefæ patrini exiterunt. *Vivebat igitur tum adhuc Odo, ſed non amplius Abbas. Vivebat autem in primo ſuo S. Victoris monaſterio, ubi etiam nunc ejus ſepulcrum extat, cum inſigni epitaphio, quod recitant Sammarthani. Quæ autem abdicandæ dignitatis, & illuc unde emiſſus orat quam citiſsime potuit revertendi cauſa ei fuerit alia, quam optimi ſenis Gilduini inſtantia quotidiana? Igitur anno* MCLIII, *credimus ſe abdicaſſe Odonem, quemadmodum in ſui monaſterii monumentis haberi ſcripſit nobis Claudius du Moulinet: neque dubitamus ei tunc eſſe ſuffectum Guarinum, quem licet in Catalogo Abbatum apud Sammarthanos omiſerit illius catalogi compilator* Boularius,

Guarino Abbate conſtituto.

AUCTORE D. P.

Boulartius, non dubitamus ponere ante Albertum, circa annum duntaxat MCLXVII, *ut ipſe fatetur, Abbatiæ illi regendæ admotum.*

16 *Hic Guarinus Priorem, communibus quidem votis electum, ſed, quia per Regem volebat conſtitui, repudiatum, ejuſdem Regis auctoritate induxerat in Officium: quare contra hanc minus Canonicam actionem, zelo libertatis religioſæ accenſus Wilhelmus, invitatuſque vicinitate Pontificis tunc* Senonibus *commorantis, eodem excurrit. Sed ſuum illum fervorem non ſatis probare Pontifici potuit; proinde ſuggeſtionem ejus exaudivit quidem, ut dicitur in Vita, juſſitque Priorem alium eligi; ipſum tamen Wilhelmum voluit Abbati quoque ſuo, pro irreverentia contra eum commiſſa, facere ſatis. Sed Abbas viſus eſt modum exceſſiſſe, ideoque querela de eo ad Pontificem delata, neceſſe habuit idem Pontifex in hac verba ſcribere.* Alexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, S. Germani & S. Victoris Abbatibus, Priori quoque & Suppriori eccleſiæ S. Victoris, & Odoni quondam S. Genovefæ Abbati, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Significatum nobis eſt, quod cum Guillelmus, S. Genovefæ Canonicus, ad præſentiam noſtram, abſque Abbatis & Capituli ſui licentia, acceſſiſſet; eumdem ad prædictum Abbatem, ut in Capitulo de ejuſmodi

B

tranſgreſſione humiliter ſatisfaceret, à nobis tranſmiſſum; ita vehementer & inhoneſte tractavit, quod ipſum univerſis veſtibus exuens & acriter verberans, ſeptem diebus in terra cum canibus cibum ſumere fecit. Quoniam vero de viro tam honeſto & religioſo aliquid ſiniſtrum non debemus facile credere, Nos, de veſtra honeſtate plenius confidentes, hoc veſtræ diſcretioni committimus exequendum: mandantes ut rem ipſam diligentiſſime inquiratis, & hujus rei veritatem veſtris litteris nobis fideliter intimetis. Data Senonis XV Kal. Sept. *Habuit ea ſeveritatis, adverſus Guillelmum exercita, delatio multum exaggerationis & fictionis, ut patet ex Vita: & hanc fuiſſe cauſam credimus, cur non timuerit Abbas* S. *Genovefæ coram ipſo Pontifice una cum* S. *Guillelmo citatus comparere. Aſt quo anno? Refert Baronius ex Neubrigenſi, quod Alexander Papa, qui anno* MCLXIII IV *Kal. Iunij Concilium Turonenſe in Gallia celebrarat, oblata ſibi habitationis in Galliæ Angliæve regnis conſtituendæ optione, Cenomanos (imo Senonas) elegerit, ibique* à Kalend. Octobris, uſque ad Paſcha ſecundi anni (*ſcilicet* MCLXV) moram non minimam faciens, univerſalis Eccleſiæ negotia inibi pro ſui officii debito tractavit.

C

17 *Ergo hæc controverſia, perperam à Baronio relata ad tempus Eugenii Papæ prænominati, ad annum* MCLXIV *ſpectat; eamque biennio integro anteceſſit revelatio Capitis* S *Genovefæ; cujus hiſtoria à nobis abſq; auctoris nomine exhibita* III *Ianuarij pag.* 152 *ex Ms. Bruxellenſi, in Ms.* S. *Victoris reperitur ſub hoc titulo,* Tractatus B Wilhelmi de revelatione capitis & corporis B. Genovefæ: *utrobique autem notatur decima menſis Ianuarij anni ab incarnatione Domini* MCLXI, *uſque ad Paſcha ſcilicet numerandi, cum more noſtro* LXII *jam eſſet inchoatus. Certe* S. *Genovefæ devotiſſimus ſemper fuit VVilhelmus, & quod ipſe illius tractatus auctor fuerit, veroſimile ſit ex eo maxime, quod quæ zelo admirabili fecerat dixeratque contra eum, qui ſuſpectam volebat facere ſacri pignoris veritatem, ipſe ibi præ modeſtia diſſimulaverit; quo fit ut hiſtoria illa magnam ex hac Vita lucem capere poſſit, & hæc vicißim inde accipere, ubi abſque diſſimulatione Aurelianenſis iſte linguæ infrunitæ Epiſcopus, vocatur Manaſſes, eaque adduntur elogia, quæ æquus lector, & magnarum multarumque illius Manaßis laudum atque virtutum gnarus, fortaßis credere difficulter volet à viro Sancto aptata fuiſſe Epiſcopo, alias ſatis probo.*

18 Carolus Sauſſayus *in Annalibus Aurelianenſibus omnino contendit errore aliquo factum eſſe in hac Vita ut* Aurelianenſis *ſcriberetur, eo maxime quod addatur* Stultiloquium Epiſcopi, quod contra beatam Virginem intulerat, haud quaquam inultum manſiſſe: *quippe qui* poſtea multis irretitus criminibus à Sede ſua ejectus, vitam indignam digna morte miſerabiliter finivit. *Hoc enim, inquit, de nullo poſſet intelligi quam de Elia, ob atroces accuſationes depoſito: ſed annis ſeptemdecim prius quam iſta Pariſiis agerentur. Verum uti ex una parte ignoſcendum putamus Sancto, quod motus atrocitate blaſphemiæ & ſcandali exinde enati, acerbius fuerit invectus in eum, ex cujus ore inconſulta quadam dicacitate exciderant verba, Sanctæ ipſi ejuſque miniſtris tam injurioſa: ita ſcriptori noſtro non debet magno vitio verti, quod qui iſta forte jam legerat in tractatu prædicto, ipſum eſſe æſtimaverit illum, de quo tam mala fama diffuſa fuerat.*

D

19 *Antiquus codex Ms. quem in bibliotheca Regia Hafnienſi aſſervari teſtatur* Stephanius, *in ſuis ad Saxonem Grammaticum prolegomenis cap.* 11, *iſta de* S. *Guilielmo habet:* Anno Domini MCLXI miſit Abſolon Epiſcopus Roſchildenſis Saxonem, Præpoſitum Roſchildenſem, Pariſios ad eccleſiam B. Genovefæ, & adduxit Fr. Wilhelmum cum aliis tribus Fratribus in Daniam. Et factus eſt Abbas S. Wilhelmus in Echillio, ubi erant Canonici Regulares, nihil præter nomen & habitum habentes, qui antea habuerunt Priorem pro Prælato. Obiit autem S. Wilhelmus XL anno poſtquam curam Paſtoralem ſuſcepit, & ſepultus eſt in monaſterio D. Thomæ, in oppido Zelandiæ, Ebbelholt dicto, anno MCCII. *Vterque annus, tam quo in Daniam diſceſſit Sanctus, quam quo è vivis idem abiit, videtur ex Vitæ hiſtoria acceptus. Primo enim num.* 24 *dicitur, Abſolon Roſchildenſis Epiſcopus: quem Hiſtoria, Erici Regis nomen falſo præferens, aſſerit promotum anno* MLVIII, *deque reſtituenda in dicto loco diſciplina ſolicitum, evocaſſe VVilhelmum, ſibi olim Pariſiis ſtudenti familiarius notum:* Multi ſiquidem Dani ætate illa, qua Philippus Rex uxorem habebat Gerbergam, Daniæ Regis ſororem, Pariſios confluebant ſtudiorum cauſa, habebantque proprium ſibi gymnaſium, contiguum ei quod nunc eſt collegium Laudunenſe, in via S. Genovefæ ad radicem montis, *uti nos docuit Claudius du Moulinet.*

E

20 *Secundo num.* 52 *in fine habentur hæc verba,* Pretioſam reſolutus in mortem emiſit ſpiritum, VIII Idus Aprilis anno ab Incarnatione Domini MCCII ætatis ſuæ anno XCVIII, poſtquam vero curam Dominici gregis ſuſcepit quadrageſimo. *In quo prima illa difficultas quoad annum obitus, quomodo is convenit cum Paſchate, ſub cujus auroram die* VI *Aprilis conſtat mortuum eſſe Guillelmum, non habet nec requirit aliam ſolutionem, quam quod illa quæ nocte Paſchali gerebantur, adhuc imputarentur anno tum finienti, non novo cum ipſa Dominica reſurrectione exordienti. Sed quod idem annus fuerit à ſuſcepto paſtorali regimine quadrageſimus, non poteſt conſiſtere cum recta chronologia iiſque rebus, quas ſub annum* MCLXIV *Senonibus atque Pariſiis geſtas irrefragabili Alexandri Pontificis teſtimonio conſtat. Quapropter vehementer propendemus, ut velut certiorem approbemus lectionem Codicis Genovefiani, priori loco notantis annum* MCLXXI, *& conſequenter annum quo mortuus eſt paſtoralis curæ trigeſimum. Etenim congruentius eſt ut longiori plurium annorum Epiſcopatu, partaque exinde & corroborata auctoritate, innovationem iſtam attentaverit Abſalon: & omnino neceſſarium eſſe conſtat, ut ultra annum* LXXI *iſtius ſeculi diſceſſus iſte differatur. Nam quod dici forte poſſet, eo quidem anno Pariſios adveniſſe Saxonem Præpoſitum, negotium tamen ab eo ſic tractatum ut ſolum poſt annos aliquot fuerit conſummatum, non ſatis videtur ſimile vero: quia ingreſſus in Daniam Guillelmus ita immatura imparataque reperit omnia, ut ſatis appareat non fuiſſe antea diu anxieque diſputatum, undenam ſuſtentandi & quibus conditionibus recipiendi eſſent qui mitterentur.*

F

opponit ſe illegitimæ Prioris inſtitutioni Guillelmus,

ideoque acrius caſtigatus

defenditur ab Alexandro III *an.* 1164

idem anno 1162 *interfuerat revelationi* S. *Genovefæ*

eique obloquentem Manaſſem Aurelian.

Mortuus an. 1203

Venit in Daniam, non an. 1161

ſed an. 1171

VITA

A

VITA
Auctore ejus Diſcipulo in Dania.

ex MS. cœnobii S. Victoris Pariſiis.

CAPUT I.

Ad S. Genovefæ ſecularem Canonicum diſſoluti Collegæ perſequuntur: Regulares illuc inducuntur.

a *b* *In S. Germani de Pratis educatus,*

1 BEatus Wilhelmus, ex nobili ortus *a* proſapia, venerabili viro *b* Hugoni, Abbati S. Germani de Pratis, à parentibus ſuis ad educandum traditus fuit: qui eum ut nepotem ſuum benigne ſuſcipiens, litteralibus ſtudiis diligenter erudiri fecit. Cumque adhuc infantulus in clauſtro apud S. Germanum nutriretur, ac primis elementis litterarum informaretur; ſtudioſe conſiderabat, quomodo monachi in clauſtro ſederent, legerent, cantarent & orarent: unde, velut apis prudentiſſima, florum diverſitatem inveniens, munera mellis ab eis ſuſcepit, & in favo cordis ſui recondebat. Meditabatur namque tunc mente puerili, quod devotus poſtea impleret ætate ſenili. Divina itaque ſibi cooperante gratia, multos coævos ſuos docilitate ingenii præcellens, ſtudio liberalium artium tranſſcendit; atque inter ipſos magiſtros artium, ſcientia & doctrina conſpicuos, famoſus habebatur. Igitur Abbas Hugo de profectu & honeſtate morum nepotis ſui exultabat uberius, & gratias Deo agebat; volenſque ejus utilitati impoſterum eſſe proviſum, ei in Subdiaconum promoto Præbendam in eccleſia Pariſienſi Apoſtolorum Petri & Pauli & B. Genovefæ, in qua tunc ſeculares erant Canonici, acquiſivit. Factus itaque Canonicus ſecularis, omnia quæ ad eũ pertinebãt prudenter exequebatur. Animadvertens etiam quod in tenera ætate ſui educatus monachos in quiete degentes facere cognoverat, accepto libro ſæpius in clauſtro ſolus ſedebat & legebat, & in divina lectione ſe exercebat.

fit ad S. Genovefæ Canonicus;

2 Quod videntes Concanonici ſui, indignati ſunt vehementer; & ejus bonis moribus invidentes, unde deberent proficere, inde cœperunt deficere. Cogitationes ſuæ adverſus eum erant in malum, inflammatæ à gehenna. Stridebant ſiquidem dentibus in eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui: ſepulcrum enim patens erat guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum. Unde convenerunt in unum adverſus innocentẽ, dicentes: Viri fratres, quid faciemus? Ecce homo iſte multa contra nos & conſuetudines noſtras facit: nam contrarius eſt operibus noſtris, monaſticam volens ſuper nos inducere vitam. Ad memoriam revocemus quod ait Philoſophus,

ubi ob vitæ ſanctimoniã exoſus Collegis,

C

Ovid 1, de Rem.

Principiis obſta: ſero medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.

Obſtemus igitur ejus malis adinventionibus & eas radicitus extirpemus: nam ſi dimiſerimus eum ſic, venient non tantum Romani, ſed & Summus Pontifex & Francorum Rex, & tollent nobis locum, nobiſque ejectis viros alterius ſchematis in tabernaculis noſtris regnare facient, & erimus in proverbiũ omni populo. Hæc & his ſimilia quaſi ſpiritu prophetiæ inter ſe alternabant; ignari quod tale quid eis poſt annos paucos eſſent venturum.

3 Ab illo ergo die cogitabant quomodo eum affligerent, & fraude circumuentum à ſua Canonica citius eliminarent; & rei facti ſunt in cogitationibus ſuis. Unus ergo ex ipſis, qui ei ceteris familiarior eſſe videbatur (neſcitur ex propria deliberatione, an aliorum ſuggeſtione) ſub quadam dilectionis ſpecie, quam non geſtabat in corde, eum convenit ſecreto, dicens; O cariſſime & omni dilectione digniſſime, eſt ſecretum quod tibi volo dicere; ſi tu adjuratus promiſeris hoc te nulli manifeſtaturum, donec opere complevero quod mente pertracto. Ad hoc vir Domini reſpondit, ſe optime poſſe habere celatum, quod ille volui: eſſe ſecretum. Tunc ille: Diu eſt, cariſſime Frater, quod, deſiderio vitæ cæleſtis, vitã iſtam quam tenemus mutare diſpoſui: nam licet vocatur vita, mors tamen potius dicenda eſt quã vita; quia amatores ſuos ad æternam perducere cognoſcitur mortem. Mundus enim in maligno poſitus eſt & omni immũditia plenus, qua ſuos indefinẽter irretit: unde attendamus quod Dominus in Euangelio ait: Vigilate quia neſcitis diem neque horam. Et iterum: qui non renuntiaverit omnibus his quæ poſſidet non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et Apoſtolus, Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Surgamus ergo de ſomno culpę & ornemus lampades noſtras, & cum prudentibus ſimus vigiles; ut veniente patrefamilias, ſine repulſa ingrediamur cum eo ad nuptias.

D

ab uno eorũ; religioſiorẽ vitæ deſiderium ſimulante,

Matt. 24, 42 Luc 12, 35 Rom. 13, 11

ad petendum monaſteriũ invitatur;

4 Cumq; ille intente auſcultaret verba ipſius, adjecit: Si fuerimus duo, fovebimur mutuo obſequio. Cui vir Dei reſpondit: Salutaria ſunt quæ peroraſti, & ſapienti ſuper aurũ & apidem pretioſum deſiderabilia. Sed quid faciemus? At ille: Si vere caduca & trãſitoria mundi relinquere voluerimus, nos cũ noſtris Deo fideliter in religionis habitu offeramus. Ad hæc ille ſubſidens ait: Noncum velle habeo monachari; ſed pro ſalute animæ meæ & tuæ, ſi dictis facta compenſes, faciã quæ hortaris: ita tamen, ut quod te prius videro aggreſſum, tutius ipſe ſequar. At ille gaudens, intulit; Bene dixiſti; ita fiat. Cumq; ſæpius inter ſe de contemptu mundi & de ſuo propoſito familiaria ſererẽt colloquia; placuit utriq; quantocius adire monaſterium monachorum, quod Caritas *c* nuncupatur. Quo cũ perveniſſent, dator hujus conſilii, accito Patre monaſterii, cauſam adventus ipſorum humiliter aperit: quorũ adventu & voto ille gaviſus, caritatis brachiis eos amplectitur, & in hunc modum dat reſponſum: Dominus noſter ait, qui venit ad me non ejiciam foras. Huic ego innixus ſentẽtiæ, libenter vobis temporalia & ſpiritualia hujus domus impertiar, & huic ſanctæ congregationi vos aſſociare curabo, ſi à propoſito non defeceritis. Cui cum grates pro tã dulci reſponſo, & pro eo quod eorum decreviſſet acceptare petitionem, retuliſſent multimodas; jubet Abbas eos in hoſpitium recipi, & eis neceſſaria adminiſtrari.

& ab eodem perſuaſus,

c

Joa. 6, 37

5 Cumque reſiderent, ille Wilhelmum ſic alloquitur: Jam, Domino favente, bonum opus & ſaluti animarum noſtrarum proficuum inchoavimus: reſtat ut, ipſo adjuvante, ab incepto nequaquam deſiſtamus. Quam felix es, Frater dilecte, quod nullius impedimẽto temporali ſubjaces; ſed ab omnibus expeditus, habitum ad præſens cũ his ſanctis viris potes accipere! Me autem ad modicum oportet domum repedare, ut matri & ſorori meæ tutorẽ provideam: quia impium & graviſſimũ eſſet mihi peccatum, eas ſine tutela relinquere; cum Apoſtolus dicat, Siquis ſuorum curam non habet, maxime fidelium, fidem negavit & eſt infideli deterior. Tu autem æquo animo eſto, & noli ægre ferre ad tempus abſentiam meam: ſed quod habes facere, fac citius. Ego autem, expleto termino induciarum à te mihi creditarum, coram Deo & Sanctis ejus me promitto velocius reverſurũ. Tunc Wilhelmus, quod Spiritu Dei hæc non agerentur perſentiens, ſed ut eum à ſe diſiunctum loris vinciret clauſtralibus, ſic reſpondit: Maturior ætas te ad præeundũ provocat; me autem ætate juniorẽ non te prævenire, ſed magis decet ſubſequi: hoc etiã in initio admonitionis tuæ me tibi recolo pollicitũ fuiſſe. Tunc hujus doli inventor, videns fraudis ſuæ commenta effectu fruſtrari, longa ſuſpiria ab imo traxit pectore, atq; di-

E

1 Tim. 5, 8

fraudẽ caute eludit.

F

ibidem deſerendum ſe videns,

AUCTORE DISCIPUL. EX MS.

cebat: Differamus ergo in aliud tempus. Et ſic à clauſtro recedentes, per iter quo venerant remeabant; & in ſeipſam reciprocata, mentita eſt iniquitas ſibi.

Collegis invitis & inſcis

6 Domnus Abbas Hugo, ſemper eodem zelo dilectionis circa profectum nepotis ſui inconcuſſe fervens, eum in gradum Diaconi promoveri voluit: quod cognoſcentes æmuli ſui, dolore cordis intrinſecus tacti, timebant ne, ſi ordinaretur in eccleſia ſua, ad majorem proveheretur dignitatem. Ideo timori ſuo ſolatium excogitantes, Epiſcopum *d* Pariſienſem precibus circum venerunt multimodis, ut eum omnino ad promovendã non ſuſciperet, aut eo tempore ſacros Ordines facere penitus deſiſteret.

d

Diaconus ordinatus,

Quorum precibus Epiſcopus victus, & eorum verbis nimium credulus, quia eum in multis accuſabant, ſacros Ordines facere diſtulit. Sed Deus omnipotens, qui comprehendit aſtutos in aſtutia ſua, & perdit ſapientiam ſapientium, & intellectum intelligentium reprobat; quod moliti fuerant contra nepotem ſuum, Abbatem Hugonem minime latere voluit. Unde idem Abbas illum cum litteris ſuis Silvanectenſi *e* Epiſcopo ordinandum tranſmiſit; & quod voluit idem Epiſcopus devotus implevit.

e

B

7 Adeptus itaque Diaconatus officium, domum rediit, nullo Canonicorum ſuorum ſciente, quo vel ad quid abierat. Sabbato ſubſequenti intitulatur ad Homiliam legendam, quia vicarium propter eorum importunitatem habere non poterat. Hoc autem faciebant, ut ipſo non habente qui Leviticum pro eo officium expleret, ſecundum quod inſtitutio Præbendæ ſuæ exigebat, ſcandalizaretur; & ipſi materiam malignandi contra eum haberent. Nocte dominica, cum ſeptima Lectio pronuntiari debuiſſet, ipſe ad eamdem pronuntiandam acceſſit, & aperto libro, alta voce, Jube Domine, perſonuit: erat autem Euangelium *f*, Erat Jeſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Ad cujus juſſionis vocem repleti ſtupore magno & extaſi, in eo quod contigerat illis, obmutuerunt & ſiluerunt à reſponſo Benedictionis: & quoniam renovatus eſt dolor eorum, relictis Matutinis & choro, exierunt unus poſt alterum incipientes à ſenioribus: & remanſit Wilhelmus ſolus ad pulpitum, & Magiſter Albericus in medio choro, qui erat vir bonus & juſtus: hic non conſenſerat conſilio & actibus illorum, ſed expectabat regnum Dei.

ex improviſo ad legendum accedit:

f

Luc. 11. 14

rei ſtupore dilapſi à choro æmuli

C

8 Mane facto, cũ Canonici in unum conveniſſent, & de his quæ facta fuiſſent ad invicem ruminarent; ſuperveniens Magiſter *g* Albericus, ſic orſus eſt loqui: Hoc vere poſſumus dicere, quia hac nocte vidimus mirabilia. Et quis non miretur? Mirum non eſt quod unicus omnipotentis Dei Filius dæmoniũ, quod erat mutum, ejicere potuit; & loquente muto miratæ ſunt turbæ: ſed illud mihi magis admirabile, quod Domino Wilhelmo Homiliam pronuntiante, Erat Jeſus ejiciens dæmonium, ejecti ſunt Concanonici ſui de eccleſia, homines videlicet rationales; & ipſo loquente, facti ſunt muti; & fratres ſui elongaverunt ab eo, & noti quaſi alieni receſſerunt. Ipſo ſermonem finiente, facti ſunt perſecutores ſervi Dei in parabolam omnibus qui hæc audierant.

g

à Mag. Alberico acute perſtringuntur.

Pſ. 117, 7
Pſ. 77. 28

Wilhelmus Præpoſitura quadam ornatur.

9 Beatus autem Wilhelmus, jugi meditatione verbi Dei roboratus, in omnibus ſe prudenter regebat, ut cum Pſalmiſta poſſet dicere, Dominus mihi adjutor eſt, non timebo quid faciat mihi homo. Et iterum, Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. Cumque adjutorio Dei, cujus judicium abyſſus multa, & contra cujus examen non eſt ſtabile hominis conſilium, patientia armatus adverſarios ſuos, in incepta malitia perſeverantes, redderet inermes; cujuſdam Præpoſituræ *b* dignitate ſublima-

b

tur. O Chriſti pietas, omni proſequenda laude! qui famulum ſuum in tempore bene placiti ſui novit extollere, quem ante tempus filii invidiæ moliebantur opprimere. Concanonici autem ſui, turpi marcentes otio, in apparatu regio ederunt & biberunt ad luxuriam, in ſuperbia & in abuſione, uſque in diem, in qua Dominus Eugenius Papa intravit Galliam, habens, præter ea quæ extrinſecus erant inſtantia quotidiana, ſolicitudinem omnium eccleſiarum ſibi à Deo commiſſarum. Hic ſuperbiam eorum confregit, & ad nihilum redegit: nam illo adveniente Pariſius, quod metuebant evenit, & quod verebantur accidit eis: non fortuitu quidem, nec Wilhelmi actum aut præmeditatum conſilio; ſed divinæ ſapientiæ juſto cuncta diſponente judicio.

D

i

Eugenio Papa Pariſios ingreſſo,

k

10 Volens itaque Dominus Papa ſcire ſi floruiſſet vinea, ſi flores fructus dediſſent; *i* receſſit in partes Galliæ: cui Pariſius appropinquanti Rex Ludovicus & *k* Epiſcopus ejuſdem Civitatis, cum multitudine Clericorum & Laicorum, accurrunt; & honorifice ſuſceptum ad eccleſiam B. Virginis Mariæ cum magno tripudio perducunt. Poſt paucos dies placuit ei eccleſiam B. Genovefæ viſitare, & ibi divina celebrare, quia *l* Apoſtolica dicebatur. Quo cum perveniſſet, pallium ſericum ante altare à miniſtris eccleſiæ deponitur, ubi Dominus Papa ad orandum proſternitur. Oratione completa veſtibulum *m* ingreditur, & ad Miſſam celebrandam ſacris veſtibus induitur. Interea miniſtri Domini Papæ pallium *n* ſericum tollunt, affirmantes illud ſibi deberi, ſecundum antiquæ conſuetudinis morem. Quod famuli Canonicorum indigne ferentes, pallium ab eorum manibus extrahere moliuntur: Romani è contra totis niſibus illud ſibi attrahere non deſiſtunt. Quid in his moror? Trahere ad invicem non deſtiterunt, donec ſciſſo fruſtatim pallio pugnis ſe percuterent, & miniſtri eccleſiæ ſervos Domini Papæ ſanguinolentos adhibitis fuſtibus redderent. Cumque clamor diſcordantium in eccleſia attolleretur, accurrit Rex Ludovicus, eos compeſcere volens: illi vero, quia obſcuratum erat inſipiens cor eorum, Regem in decore ſuo venientem non verebantur, ſed eum ſicut alios validis ictibus affecerunt.

E

l

m

ſeque ad Miſſam in S. Genovefa parante,

n

rixa inter ejus & eccleſiæ miniſtros oritur:

11 Cumque hæc agerentur, quidam ex familia Domini Papæ, ſciſſa veſte & facie unguibus exarata, Domini ſui advoluti pedibus, lacrymabiliter ei injurias ſuas proponunt, dicentes, Ecce quomodo honorantur, quos Dominus Papa vult honorari. Talene nobis debetur præmium; qui reliquimus Romam & noſtra, & ſecuti ſumus te? Habeat jam Roma pudorem: nuſquam fuimus ſine honore niſi in eccleſia iſta, in qua acciderunt nobis mala quæ non merebamur; unde opprobrium facti ſumus vicinis noſtris, ſubſannatio & deriſio his qui in circuitu noſtro ſunt: ſed, ſiquid potes, aufer opprobrium noſtrum. Cum autem Apoſtolicus cuncta cognoviſſet, quæ facta fuiſſent; nimia exacerbatus indignatione, reſpondit: Mihi vindictam, & ego retribuam. Et accerſito Domino Rege Ludovico, ſic fatur: Ego ob reverentiam Apoſtolorum Petri & Pauli & B. Genovefæ, huc acceſſi divina tractare myſteria: & Canonici hujus eccleſiæ, maligni & inſipientes, timorem Domini abjicientes, famulos meos, ut me ad iracundiam provocarent, pugnis & flagellis ceciderunt. Sed ne diu glorientur in malitia ſua, tu, qui cauſã eccleſiæ hujus tueris, mihi de prædictis tranſgreſſoribus juſtitiam exhibere ne moreris. Rex autem Domino Papæ, à ſe juſtitiam quærenti, ait: Pater Sancte, cui querelas injuriæ mihi illatæ exponam, aut quis mihi juſtitiam faciet? nam ego, ut veſtri, dum eos diſiungere conarer,

F

iſti querun. tur Papa.

Papa Regis

A conarer; graves ictus furentium ſuſtinui. Sed cum tibi à Domino ligandi atque ſoluendi juſto judicio collata eſt poteſtas, ecce in manu tua ſunt; redde retributionem eorum ipſis. His dictis ſimul ab loco illo receſſerunt.

iidem de monachis illuc inducendis deliberant,

12 Cum autem ſimul pergerent, iterum ortus eſt ſermo inter illos, quomodo ſuperbiam illorum Canonicorum deſtruerent, & vineam illam aliis agricolis locarent, qui redderent fructum ejus temporibus ſuis. Nec tamen cuiquam eorum violentiam inferre voluerunt, ut Præbenda ſua privarentur, priuſquam Deus tolleret eos de medio, quia multi ex eis nobiles & ſcientes extiterunt: ſed ut injuriam eis illatam, ſine peccato, per viros religioſos vindicarent, eis eccleſiam B. Genovefæ committendo. Decreverunt ergo Nigros monachos ibidem eſſe conſtituendos: ſed hoc eos maxime angebat, quod ad eorum emolumentum, præter unam Præbendam, quæ tunc forte vacabat, non habebant. Abbas itaque S. Victoris, comperto eorum conſilio de mutatione Ordinis, Dominum Papam & Regem Ludovicũ precibus circumvenit affectuoſis, ut ordo S. Auguſtini in eccleſia, ad honorem Dei & Apoſtolorum Petri & Pauli & B. Genovefæ Vir-

mutata deinde mente,

B ginis, horum patrocinio inſtitueretur: multis aſſerens aſſertionibus, quod facilius ex contumacibus illis ad regularem vitam ipſorum, quam ad habitum & conſuetudinem monachorum converterentur *o*.

o locum Canonicis Regul. tradunt ſub Odone Ab.

13 Apoſtolicus autem & Rex Ludovicus, cognoſcentes bonam famam ipſius Abbatis & ſuorum Fratrum, & Religionem ipſam per omnes vicinos eorum extolli, & domum S. Victoris magnæ caritatis odore redolere; petitioni Abbatis, juſto deſiderio flagrantis, gratum præbuerunt aſſenſum. Electus eſt die poſtero in Abbatem Odo Prior, homo ſanctæ converſationis ac totius prudentiæ, & religionis indefeſſus amator: miſſique ſunt cum eo duodecim Canonici, viri honeſti & bonæ famæ ad eccleſiam B. Genovefæ, ſicut ipſius Virginis decebat puritatem: ſicque Ordo B. Auguſtini in eccleſia B. Genovefæ, privilegio Domini Papæ Eugenii *p* ac Chriſtianiſſimi Regis Ludovici,

P immutabiliter confirmatus, uſque in hodiernum diem ibidem conſervatur. Ecce, ut in principio commemoratum eſt, Canonici priores, Caiphæ prophetiam habentes, locum ſuum perdiderunt, & datus eſt locus ille genti alienæ, genti videlicet

C religioſæ, vineam Domini religioſe excolenti.

ANNOTATA.

a *Sub annum* 1105: *quippe qui anno ætatis* 98, *Chriſti* 1203, *obiit, ut infra dicetur.*

b Hugo Abbas S. Germani de Pratis, *hujus nominis tertius, ſuffectus Rainaldo ſub annum* 1116 *defuncto, cũ Wilhelmus decimum annum ætatis expleviſſet: mortuus dicitur à San-Marthanis Dominica Palmarum anni* 1145, *forſan more Gallico æſtimati, cum alias numerandus eſſet* 1146.

c *Duo ſub nomine* Caritatis *monaſteria habet Ordo Ciſtercienſis, alterum Biſontinæ, alterum Lingonenſis diœceſis; ſed cum hoc à principio fuerit monialium, patet de iſto agi, quod ſemper virorum fuit, fundatum anno* 1133, *ſub primo Abbate Petro, qui uſque ad an.* 1164 *vixiſſe dicitur. Annum igitur circiter* 30 *ætatis ſuæ agebat VVilhelmus, quando hæc actitabantur. Claudius du Molinet in MSS. ad hanc Vitam annotationibus, quas nobiſcum humaniter communicavit, aſſignat nobis inſignem Benedictini Ordinis Prioratum ad Ligerim Autiſſiodorenſis diœceſis, quod ſane haud paulo propius Pariſiis abeſt: ſed tunc dicendum foret hujus monaſterii Superiorem, qui numquam niſi Prior fuit, abuſive dumtaxat hic vocari Abbatem.*

d *Haud dubie* Stephanum, *qui ab anno* 1123 *ad* 1140 *Sedem illam tenuit.*

e *Clarẽbaldo vel Petro: nec enim liquet quo anno alter alteri ſucceſſerit: hunc Sammarthani inveniunt anno* 1139, *iſtũ* 1123 *ſediſſe.* Mirum autem videri non debet *inquit prælaudatus Claudius*, non fuiſſe requiſitas dimiſſoriales Epiſcopi Pariſienſis: ſiquidem S. Genovefæ eccleſia ejuſq; Canonici erant ab Epiſcopi juriſdictione exempti.

AUCTORE DISCIPUL. EX MS.

f *Erat ergo Dominca* 3 *Quadrageſimæ: ex quo colligas, Hebdomade* 2 *Quadrageſimæ fuiſſe Silvanecti, extra tẽpus ordinatũ, qui non potuerat in feriis Quatuor temporũ immediate prægreſſis ordinari; nam ad diætam unã Sylvanectum Pariſiis diſtat.*

g Mag. Albericus, *hoc tempore & nomine ſcholarum Remenſium Rector, multis laudatur à S. Bernardo & Vincẽtio Belluac. qui demum an.* 1136 *Archiepiſcopus Bituricenſis cõſtitutus moritur* 1140. *ut forte ipſo anno res hæc acta ſit, quo Albericus Pariſios venerat ad Regem petiturus vel accepturus cathedram iſtam.*

h *Suggerit Claudius, in ſuo S. Genovefæ codice, antiqua manu ante annos fere* 200, *inveniri ad marginẽ ſcripta hæc verba;* Uſq, in hodiernum diem ſolet Curatus de Spinolio & Quinciaco Præpoſituræ dignitatem & beneficium gerere in villa de Spinolio: *eſſe autem eam ſitam inter Pariſios & Melodunum.*

i *Baronius hunc ſeceſſum ponit an.* 1147, *ejuſque cauſam confert in perſecutiones juges, ab Arnaldiſtis Romæ ſuſcitatas, quas diutius ſuſtinere nequibat Pontifex.*

k *Ludovicus ſcilicet* VII, *Craſſi filius, annum tunc agens regni decimum, & Theobaldus, qui, ex Priore S. Martini de Campis aſſumptus poſt Stephanum, ſedit uſque ad an.* 1159. E

l Non quia Apoſtolis dicata fuit, hoc enim ei commune cum multis: ſed quia in illa erecta erat Camera Apoſtolica, ad tuitionẽ eccleſiarũ Sedi Romanæ immediate per Galliã ſubjectarũ: unde emanant litteræ illæ, quas vocant monitoriales; & cenſuræ, quas Abbas S. Genovefæ, tamquam delegatus Pontificis, ferre conſuevit per quaſcumque regni diœceſes. *Ita nos ex domeſtici archivii notitia docuit Cl. Moulinet.*

m *Voſſius in Etymologico ex Ovidii & pluriũ antiquorũ ſententia, à Veſta, cui ingreſſus domorũ ſacer eſſet, dictum* veſtibulũ *docet: quæ ſententia plus forte eruditionis habet quam veritatis; quid ni enim ſimpliciter à* veſtiendo *nomẽ acceptũ ſit, eo quod iſtic toga ſe veſtirent Latini, domo in publicum prodituri. Ita certe hic auctor ſenſit, indeq; occaſionem accepit, vocem hanc pro* veſtiario *ſeu ſacriſtia accipiendi.*

n *Claudius Malingrè lib.* 2 *antiqu. Pariſ. pag.* 157 *affirmat, Pallium hoc à Rege fuiſſe miſſum in uſum Papæ: ſed aliud hic non obſcure indicatur, videlicet moris fuiſſe, ut pallium advenienti Pontifici ab iis ad quos ingrediebatur ſubſtratum, miniſtris cederet*

o *Imo ipſorummet ſecularium Canonicorum hoc fuiſſe conſilium pro eoque Pontifici ſupplicaſſe, ſcimus ex Suggerio, qui rem à ſe actam Pontifici reſcribit.* F

p *Vtriuſque diplomatis originale ſervatur in archivio illius monaſterii: Eugenii Papæ bulla Oddoni Abbati ſociiſq; inſcripta incipit:* Dominus ſapientia fundavit terram.

CAPUT II.

S. VVilhelmus, è ſeculari Regularis Canonicus factus, magni zeli exempla præbet.

14 CUm hæc agerentur, Wilhelmus in Præpoſituræ ſuam ſeceſſerat, de rebus domeſticis cũ amicis ſuis tractans & diſponens die ſequenti, cum ad menſam diverſis ferculis oneratã cũ ſuis diſcubuiſſet, ecce quidã ſubito intravit, qui eum ſic allocutus eſt: Salutat vos Dominus Abbas Odo de B. Genovefa, & litteras iſtas vobis tranſmittit. Ille ultra quam credi poteſt admirans ſalutantis verba, ait: Quis eſt ille Abbas, vel quando fuit Abbas in eccleſia B. Genovefæ? Cui nuntius: Odo, Prior de S. Victore, ipſe eſt Abbas in eccleſia B. Genovefæ, heri à Summo Pontifice *a* & Domino Rege ibidem conſtitutus. Ad hæc Guilhelmus: In ſomnis hæc audio? an vera mihi refers? Vera

Pariſios accerſitus Wilhelmus.

AUCTORE DISCIPUL. EXMS.

sunt, inquit. Tunc discutiens seriem litterarū, vidit sibi mandatum ab Abbate Odone, ut Capitulum suum quantocius adire non superſederet. Surrexit itaque refectionis curam postponens, & valedicens omnibus, ait: Vadam & videbo si est hæc mutatio dexteræ Excelsi. Cumque clauſtrum B. Genovefæ intrasset, vidit ibi viros ſchemate Religionis adornatos. Credidit ergo sermoni, quem dixerat illi nuntius: sed tamen vehementer intra se hæsitabat, cur hoc eveniſſet, aut quæ causa fuerit hujus mutationis. Nuntiatur protinus Abbati adventus Domini Wilhelmi: cui festinanter occurrit, & in oſculo pacis ſuſceptum devotiſſime amplectitur.

quæ facta erant intelligit,

15 Cumque resiederent ac inter se miscerent colloquia alterna; adventus sui suorumque modum, & cetera quæ illis evenerant diebus, Abbas pandit Wilhelmo: quibus relatis, cœpit eum de contemptu mundi admonere, dicens: Fili, si dives esse cupis, veras divitias require; si gloriam dignitatis diligis, in illa superna Angelorum curia adscribi festina. Animadverte quod Dominus in Euangelio ait, Qui amat patrem aut matrem & agros aut domos & cetera plus quam me, non est me dignus. Et iterum, Beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum Dei: beati qui nunc esuritis, quoniam saturabimini. Et B. Joannes Euangelista ait, Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quia si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo. Huic bene concordat B. Jacobus Apostolus dicens quicumque voluerit amicus esse hujus seculi, inimicus Dei constituitur. Ne tardes ergo converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ne subito veniat ira Dei super te, & in tempore vindictæ disperdat te. Valde stultus est, qui pro eo quod parvo tempore luxuriæ deservit, suumque miserum desiderium pravis delectationibus pascit; & cælestem perdit amœnitatem, & æternam incurrit damnationem Igitur renuntia omnibus quæ possides, & bajula crucem Christi quotidie: qui cum esset dives & præpotens, Rex cæli & terræ, sponte pauper factus est pro nobis, ut nos divites faceret secum in regno cælorum.

Matt. 10, 37
Luc. 6, 21

1 Joa 2, 15

B

Jac. 4, 4
& ad seculi fugam excitatur:

deinde Crucifixi aspectu magis commotus,

16 Postquam finem his imposuit monitis, apprehensa manu ejus, duxit illum ad vitream *b* fenestram, in qua erat imago Crucifixi depicta. Tunc renovato sermone, ait: Videsne, mi Domine, hanc imaginem, & consideras? Cui ille: Video plane & diligenter considero: nam si hoc mysterium mihi vetus est, per usum est tamen mihi semper novum, propter eum qui nos reformavit & conformavit corpori claritatis suæ, & renovat hominem nostrum interiorem de die in diem. Intelligens Abbas cor ejus à Spiritu sancto inflammatum, iterum dicit: Vides, quanta amoris dulcedine te sibi alligare cupit & extensis brachiis suscipiendo amplecti, qui pro te se permisit crucifigi? Protinus vir Dei, lacrymarum imbre ora perfusus, & propter nimium singultum vix verba valens edere, cum timore respondit: Utinam scire possim, quod me dignaretur habere servum sibi, & præteritæ iniquitatis & fragilitatis meæ errores dimittere! Ad hæc Abbas: Ego fidejussor ero, si sanis monitis obtemperare volueris, quod non solum peccata tua dimittet, verum etiam post vitæ hujus terminum cum Sanctis suis æterna coronabit gloria. Nec mora Wilhelmus ad pedes corruens [habuit] fidem dictis; seque & sua Deo benigne commendavit, & sic de hujus mundi naufragio nudus evasit.

b

C

tradit se Religioni,

17 Lætatur Christi familia de tanti juvenis conversione, nec minus gaudet ex insperato auxilio tam repente sibi cælitus transmisso. O bone Jesu, quam magnificata sunt opera tua! nam omnia opera nostra, ut ait Propheta, operatus es in nobis. Jam expletum esse cernimus, quod te dixisse legimus, Facilius est camelum per acus foramen transire quam divitem regnum cælorum intrare. Sed cum homines terrena tantum sapientes interrogarent, quis ergo potest salvus fieri? respondisti, Quæ apud homines sunt impossibilia, possibilia sunt apud Deum. Ecce, quia hunc ad gratiam prædestinasti, facile de superbo humilem, de divite pauperem facere potuisti. Dicat quisque quod sentit in laude Apostolorum Petri & Andreæ germanorum scriptum, quod ad unius jussionis vocem prædicantis Domini, relictis retibus & navi, secuti sunt Redemptorem: iste vero non tantum ad Domini, sed ipsius servi admonitionem; non solum retia & navem, sed prædia & possessiones, domos & familias, divitias & honores, insuper & semetipsum reliquit. Nec hoc idcirco dicimus, ut eum summis æquiparemus Apostolis: sed sic approbamus minora opera, ut non vituperemus majorum magnalia.

D

Isa 16, 12
Lu. 18, 15
& Deum mirabiliter in se glorificat.

Studio orationis,

18 Susceptо itaque habitu regulari, Wilhelmus appositus est ad ceteros Fratres, & annumeratus est cum illis duodecim; & mutato habitu, mutatus est in virum alterum; atque divina cooperante gratia, quæ sibi eum vas electionis præviderat, proficiebat de virtute in virtutem, ut dignus haberetur videre Deum Deorum in Sion. Erat enim præditus virtute caritatis, humilitate præcipuus, patientia fortis, obedientia tractabilis, & ad cetera genera virtutum promptus. Insistebat lectioni, orationi, divinæ contemplationi; vigiliis, jejuniis artus domabat corporis; & qui solebat in sericis procedere indumentis, post in abjectis vestibus servit pauper pauperibus; divitiarum præteritæ vitæ oblitus, panem furfureum ut ceteri edebat, & herbas agrestes in edulium præparatas cum gratiarum sumebat actione: non enim alias delicias duæ Præbendæ *c* tantum, in principio ipsis Fratribus & familiæ eorum, præbere poterant. Unde fortis athleta Christi, in incepto stabilis religionis atque ordinis, in tantum vehemens æmulator exstitit, quod cum Suppriоris fungeretur officio, nulla patiebatur Ordinis instituta transgredi.

E

abstinentiæ,

c

& observantiæ regularis eximius,

19 His & aliis hujusmodi virtutum studiis cum se indesinenter exerceret, jamque probatus Deo & hominibus existeret; Dominus noster Jesus Christus, juxta illud Euangelicum, Qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum; quadam nocte, cum membra sopori dedisset, apparuit ei in visione, in specie pulcherrimi juvenis, vocansque eum proprio nomine ait, Noveris te ad quamdam insulam mecum profecturum, ubi multa tentationum genera perferes atque molestias; sed his meo adjutorio superatis, depositо carnis onere mecum eris in paradiso. Quid autem vellet sibi talis visio talisque admonitio, nequaquam poterat conjicere, antequam in Daciam, ad insulam quæ Zelandia est vocabulo, ubi nunc requiescit, vocaretur.

Joa. 14, 21
per visionem à Christo discit futura.

F

20 Recursis post hæc non multorum annorum curriculis, Abbas Odo in senectute bona migravit ad Dominum *d*: quo defuncto, Dominus Garinus, ejusdem monasterii Prior, quia vir honestus & litteratus & providus in agendis habebatur, in Abbatem eligitur. Postquam autem consecratus & in sede sua erat confirmatus, habitus est sermo ad Fratres in Capitulo de Priore substituendo. Fuit ibi quidam, cui Abbas omnimodis affectabat dare Prioratum, annuentibus cunctis & Abbati consentientibus: sed resistebat ille Frater, dicens, Justum est ut in Regali Abbatia officiales per Regem

d

contra instituta Ordinis obtrusum Priorem

A gem in officiis ſuis imponantur. Quod audientes Fratres, conturbati vehementer, dixerunt: Si vis ſecundum Ordinis tenorem Prioris ſuſcipere officium; conſentimus electioni tuæ: ſin autem terminos, quos poſuerunt Patres noſtri, transgredi tentaveris, numquam ad illud continges. Illo autem in ſuo propoſito perſiſtente, Abbas, ut ſui incepti compos fieret, Fratrem illum ſecum ad Regis palatium duxit; & quia ignota Regi erat ordinis inſtitutio, factus eſt ille Prior ab eo in palatio. Optatum quoque reportans effectum, hora refectionis acceſſit ad cymbalum, & percuſſo cymbalo convocavit Conventum. Fratres hoc videntes, quid facerent, quid dicerent? Loqui non poterant: ſed nutibus & ſignis interiorem cordis amaritudinem demonſtrabant. Quia vero juſtus ut leo confidit, Wilhelmus animatus zelo Ordinis & amore juſtitiæ, poſt ingreſſum refectorii præſumptorem illum, à nola ſubmovit, & Suppriorem adhibuit.

generoſe repellit ab officio,

21 Submotus ille cum rubore exivit, dedecusque ſibi illatum cum magno gemitu Abbati expoſuit. Conquerentem blande conſolatus eſt, dicens; Si iſta Wilhelmo de S. Germano non reddidero, numquam Abbas ero. Fratribus in Capitulo mane congregatis, proclamatus eſt Wilhelmus, quod manum Priori impoſuiſſet violentam. Negat ille ſe unquam Priori aliquam intuliſſe injuriam. Poſt aliquos vero verborum diſcurſus ſic fatur: Si in his

& pœnam ob hoc impoſitam libens excipit:

B aliquid peccavi, quod ab officio Prioris, non Priorem, ſed Ordinis prævaricatorem abegi; præſto ſum emendatoriam ſubire vindictam. Et veniam ſumens, continuo damnatur ſilentio; & ut ſingulis ſeptimanis tres dies in pane & aqua jejunans, in terra ſine menſali ſedeat. Ille vero talem ſententiam non abhorruit, ſed animadvertens Paſtoris ſententiam eſſe timendam, juſtam ſive injuſtam, quod ſuo capiti injunctum fuerat humiliter ſuſtinuit. Exiit tunc ſermo inter Fratres, quod diſcipulus ille injuſto damnatur officio: quamobrem quidam Domnum

ſed abſolvitur.

e Apoſtolicum, qui tunc Senonis *e* morabatur, cum feſtinatione adiit, & omnia ſecundum quod acta fuerant tanto Patri intimavit. Summus Pontifex non bene ferens Ordinis prevaricationem, & innocentem graviter ſententiatum, Abbati de S. Genovefa ſubito mandavit ut ſuæ præſentiæ ſine mora ſe exhiberet, & Wilhelmum ſui itineris faceret conſortem. Paruit ille mandato, aſſumptoque ſecum Wilhelmo venit Senonis, aſſiſtensque ſummo Pontifici temeritatis & indiſcretionis arguitur, & Wilhelmus à ſententia liberatur; & ne de cetero Officiales contra Ordinis inſtituta eligantur vel inſtituantur, diſtrictiſſime præcipitur.

C 22 Dum medium ſilentium tenerent omnia, & quæque procella tempeſtatis in eccleſia illa videretur ſedata; murmur factum eſt in populo, quod caput B. Genovefæ de loco ſancto ſuo eſſet ſublatum. Spiritus hujus blaſphemiæ Regias tandem perculit aures: unde ex relatis Dominus Rex Ludovicus immenſa furoris ira exacerbatur, juravit per Sanctum de Bethleem; quod, ſi hoc verum foret, omnes Canonicos flagellis cæſos de ipſa eiiceret eccleſia: & adhibitis cuſtodibus, qui cuſtodiam haberent de theſauro & reliquiis illius monaſterii, litteras ad

Coram Clero Gallicano, ad requirendum S. Genovefæ caput collecto,

f Archiepiſcopum *f* Senonenſem & Suffraganeos ejus; ad Abbates & Priores ejuſdem Epiſcopatus miſit, præcipiendo ut omnes in die ab ipſo prefixo, hujus rei veritatem indagaturi, Pariſiis convenirent. Fratres jusjurandum Regis percipientes, conturbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos: & quamvis formidabilis erat eis ira Principis, magis tamen de theſauro præſtantiore auro & margarita pretioſa, quem ſibi verebantur ablatum, doluerunt. Præ ceteris autem anxiatus eſt ſpiritus Wilhelmi, qui omnium reliquiarum capſas & theſaurum eccleſię jam dudum in ſua ſuſceperat cuſtodia.

AUCTORE DISCIPULO EX MS.

23 Illuxit dies ſtatutus, advenit Rex cum ſuis, advenerunt Pontifices & Abbates, advenit etiam multitudo non minima, exitum rei ſcire cupiens. Tandem nominatis & aſſignatis, qui cum Archiepiſcopo & aliis Epiſcopis ad locum ſanctum ſanctæ Virginis aſcenderent, voluit Wilhelmus cum eis aſcendere, nec permittebatur. Unde arrepto, neſcio magis, candelabro aut thuribulo, ſecum ait; Si mihi non aliter conceditur, ſaltem aſcendam ut miniſter: & cœpit ire. Aperto igitur ſcrinio, ecce caput B. Genovefæ, Franciæ gemma, cum ceteris membrorum ſuorum Reliquiis, reperitur. Quod cum fidelis famulus ipſius magnus Wilhelmus videret, conceptum animi gaudium intra ſe non capiens, quin illud voce exultationis eructaret; oblitus illorum qui majoris erant auctoritatis, Te Deum laudamus audacter inchoavit; ut tota eccleſia in voce reſonaret ipſius, quod inchoatum omnis populus, qui convenerat ad diem feſtum, non minori alacritate ad finem decantavit. Quo decantato, Archiepiſcopus Collectam ipſius Virginis proſequitur.

ut videt ſcrinium apertum Wilhelmus,

Te Deum intonat,

24 Qui cum finem impoſuiſſet, Epiſcopus Aurelianenſis cum maxima indignatione intonat: Quis eſt iſte leccator *g*, qui contra auctoritatem Domini Archiepiſcopi & aliorum Epiſcoporum, propter caput cujuſdam vetulæ, quod hic fraudulenter impoſuerunt iſti, Te Deum tam temere inchoare præſumpſit? Wilhelmus ad hæc: Si quæritis quis ſum, ſcire vos volo: quod calumnioſe vos intuliſtis, non ſum leccator, ſed ſervus B. Genovefæ: quod autem præſumptionis me arguitis, non temeraria præſumptio, ſed integra ſanctæ Virginis, quam ſemper habui, me face e compulit dilectio. Caput, quod vidiſtis, vetulæ fore non abnuo, virginitatis florem ſemper retinentis; ſeptuaginta annorum & eo *h* amplius B. Genovefa extitit, virgo ſemper munda & immaculata, donec cælo redderet animam, & terræ corporis materiam. Sed ne quis ſcrupulus dubietatis de hoc capite cordibus veſtris inhæreat, facite clibanum vehementer igniri, & ego aſſumpto capite, ad declaranda beatæ Virginis merita, ignitum intrabo ſecurus. Ad hæc Epiſcopus ſubſannans reſpondit, Ego quidem in cuppam aquæ calidæ cum eo non intrarem, & tu in clibanum ardentem intrares? Archiepiſcopus vero, verboſitatem Epiſcopi ultra non ferens ſuperſtitioſam, innuit ei ut taceret, & devoti Fratris fidem & ſinceram erga ſanctam Virginem devotionem approbavit: ſtultiloquium vero, quod Epiſcopus contra beatam Virginem polluto ore intulerat, inultum nequaquam eſſe potuit; quoniam perdet Deus omnes qui loquuntur mendacium: unde poſtea multis irretitus criminibus, à Sede ſua ejectus, vitam indignam digna morte miſerabiliter *i* finivit.

& E proque ejus veritate teſtanda,

effert clibanum ardentem ingredi.

F

l

m

ANNOTATA.

a *Imo, ut jam vidimus, à Suggerio, ſed auctoritate ab utroque pridem abſente accepta, de Prælato, quem voluiſſet, conſtituendo.*

b Hanc fuiſſe in medio Capituli à majoribus accepimus, *inquit Cl. du Moulinet*, in qua etiam vidimus imaginem Crucifixi vetuſtiſſimam depictam.

c *Eugenius in epiſtola 27 ad Suggerium, Regularibus,* ad ſuſtentationem *eorum*, beneficium Decanatus & Præbendas Silvanectenſis Epiſcopi, Gregorii Diaconi Cardinalis & Altiſſiodorenſis Theſaurarii, Apoſtolica auctoritate deputans, *addit*: ad ipſorum quoque uſum omnia beneficia decedentium Cano-

AUCTORE DISCIPULO EX MS.

nicorum assignari volumus & jubemus. *Sed forte in prioribus tradendis difficultas fuit; posteriorum autem duo solummodo adhuc venerant in potestatem Regularium, unum per susceptionem Wilhelmi, & alterum cujus jam ante hanc mutationem vacantis mentio fit supra num.* 12.

d *Verius migravit ad suum S. Victoris monasterium, rebus ad S. Genovefæ jam satis constitutis cum sua præsentia ibi non magnopere egerent, & egeret summopere Abbas Gilduinus, ubi ultra annum* 1165 *superstes vixit.*

e *Alexander* III. *an.* 1164.

f *Fuit hic Hugo dictus, seditque ab anno* 1144 *ad* 1169.

g *Isidorus in glossis*, Lecca est proprietas lingendi: unde, hic leccator, &, hæc leccatrix: *& lingere Franci ex lingua Teutonica* lecken, *dicunt* lecher, *Itali (ex Longobardica utique)* leccare. *Et verbale quidem* leccator, *hinc deductum, sicut Teutonicum* Lecker, *proprie significat hominem gulæ deditum (quomodo etiam delicia vocantur* leccariæ, *Teutonice* Leckernyen, *aliaque his affinia derivata; quatenus eas lambendo labia digitosque, velut regustare solent gulosi) accipitur tamen etiam pro convitio, in quemcumque petulantem ac lascivum hominem jaciendo; uti fit hoc loco.*

h *Denos octies annos peregrinatam in hoc mundo habet Vita*

i *Quod Eliæ ante annos* 17 *contigerat, ejus successori Manassi haud recte hic applicatur: fuit Manasses extra hanc inconsideratam dicacitatem laudatissimus Episcopus.*

B

CAPUT III.

In Daniam accersitus Wilhelmus fit Abbas Roschildensis, & multa adversa fortiter sustinet.

Sub Rege Dania Waldemaro. *a b*

25 ANno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo primo, regnabat in Dacia Waldemarus Rex *a* filius Canuti Regis *b* & Martyris; qui Slavos à finibus regni sui abegit, quos sæpius invadere solebant, captivos ducentes viros ac mulieres, & omnia quæ attingere poterant deprædantes. Filius quippe Martyris cum esset, ipsius interventu in cunctis bellorum certaminibus, quæ contra *c* Slavos, qui tunc pagani erant, [gessit], victor extitit glorioſus: unde ostensa eis via salutis æternæ, illos colla jugo Christi submittere coëgit. Erat vir iste sapiens & discretus, potens in opere & sermone, & omni populo [acceptus]. Eodem tempore adornabat Sacerdotium in Roschildensi Ecclesia Episcopus Absalon, *d* homo magni consilii, Clericorum decus, mœrentium & afflictorum consolator, omniumque religiosorum pius amator, totiusque populi modestus gubernator; advenarum & pauperum clemens sustentator, Sclavorumque maximus persecutor; ornamentum fidei, sobrietatis exemplum, forma pudicitiæ, nobilitatis & probitatis insigne speculum; lucerna refulgens in templo Dei, & ipsius fortis columna & immobilis.

c

Episcopus Roschild. Salomon, *d*

C

e Canonicorũ in Eschil ecl. lapsam disciplinam.

26 In hujus diœcesi erat cœnobium Canonicorum, in insula quæ *e* Eschil dicitur, haud longe distans à pago Roschildensi, mari undique circumdata. Hic locus, virentibus pratis ac diversis nemorum arboribus decoratus, commanentibus in eo delectabilis erat atque gratiosus, rarus tamen tunc temporis illic erat numerus Fratrum commorantium, qui frustra Regulares dicebantur, quia nullius religionis disciplinis adornabantur. Regulares quomodo dicerentur, qui nulli censuræ regulari caput submittebant? Claustrales quomodo essent, qui claustrali clausura carebant? Instituta Ordinis scripta habebant, sed nihil eorum observabant. In summis festivitatibus anni seculares, qui eis erant familiares, cum mulieribus suis domum eorum frequentabant, cum ipsis festa celebraturi; in domo refectorii cum viris & mulieribus epulabantur, & inebriabantur, ducebantque choreas: taliter domus in eorum actibus confundebatur, atque substantia illius dilapidabatur. Heu! quid tunc fiebat de divino servitio, cum plus noctis potationi quam psalmodiæ & divinæ contemplationi impenderent? Quis tunc digne intercessor fieret ad Deum pro populo? In matutinali synaxi potu æstuantes nimio, potius eos dormire libebat quam cantare. Sic impudenter viventes, omnium religiosorum auribus detestandam infamiam infuderunt.

D

non ferens.

27 Venerabilis igitur Roschildensis Episcopus Absalon, videns & considerans vitam eorum ab omni religione discrepare; tactus dolore intrinsecus, detestabatur animas talium virorum, diabolica fraude obtenebratas, atque ad fluxum seculi nimis inclinatas: unde sæpius mente tacita revolvebat, quomodo illi ecclesiæ consuleret, Ordinis & religionis formam annuente Domino in melius immutaturus. Reminiscitur tandem familiaritatis & amicitiæ, quam cum Wilhelmo viro Religioso olim pepigerat, cum Parisiis studendi gratia moraretur: attendensque eum virum honestum, virum utique providum & discretum, & sanctis moribus adornatum, complacuit in illo animæ suæ ut ei accito daret locum supramemoratum. Missо itaque nuntio, videlicet Saxone *f* Præposito, viro honesto, ad ecclesiam B. Genovefæ, virum sæpius nominatum, scilicet Dominum Wilhelmum, cum aliis tribus Fratribus, instanter & obnixe suis litteris sibi deposcit delegari: aptum apud se Religioni ipsorum locum esse, quem ad honorem Dei & ad excellentiam Ordinis S. Augustini, eisdem Fratribus se pollicetur collaturum.

Wilhelmum cum sociis tribus petit *f*

E

28 Abbas *g* considerans petitionem tanti Præsulis justam esse & honestam, consentiente Capitulo adjudicavit fieri postulationem ipsius. Missus est ergo Fr. Wilhelmus, tribus aliis secum assumptis, cum Præposito Saxone in Daciam: qui prospero itinere pergentes, post Assumptionem B. Mariæ Zelandiam intraverunt, & die tertia *h* Ringstadium pervenerunt, quod B. Canuti Martyris illustratur meritis, cujus vita glorioſa justitiæ plurimum luce refulsit. Voluntas Dei erat ut ibi eis occurreret quod volebant, Regis videlicet Waldemari & Pontificis Absalonis præsentia. Hi in adventu illorum Fratrum lætati, lætis amplexi sunt brachiis, & ad osculum pacis susceperunt; & cum adventui ipsorum aliquantulum blando sermone congratulati fuissent, spoponderunt quod eos foverent ut filios, diligerent ut fratres, consulerent ut amici. Lætati in his quæ dicta sunt eis, cum gaudio regrediuntur ad suum hospitium. Tribus diebus ibidem peractis transierunt Roschildis: quorum vestigia quidam ex familia Episcopi secuti sunt, qui ibidem eos procurarent: sic enim expediebat honestæ consuetudini terræ, & probitati illius qui eos vocaverat.

g

& impetrat.

h

qui à rege & Episcopo bene excepti,

F

29 Aliquantis diebus in civitate expletis, ad insulam Eschilli navigio applicuerunt: ubi sex nominetenus Canonicorum invenerunt: quorum vultus, exangues ex eorum adventu facti, expalluerunt, & sermo in ore eorum exaruit, quia malæ consuetudini eorum videbant jam imminere dispendium. Unde ad injuriam supervenientium Fratrum, ea nocte post cœnam conventicula facientes, Domini Pontificis decreverunt adire præsentiam, ut ei quod acciderat, velut ignoranti, intimarent, & ab eo compassionis extorquerent affectum, ne gentem perderent & locum. Verum Dominus Episcopus, rei seriem jamdudum prænoscens & eorũ malitiam reprehendens, dissimu-

in Eschil transeunt.

A *& vitam regularem inducunt,*

dissimulavit audita: ne forte, dum illuc venire, moraretur substantia domus magis quam prius destrueretur. Præfixit tamen eis diem, in qua suam exhiberet præsentiam, & velut ignarus, adventus Fratrum supervenientium, diligenter inquireret causam. Igitur proxima die post festum B. Bartholomæi, sicut promiserat advenit, & habito cum eis sermone de Pastore sibi constituendo, Fr. Wilhelmus in Abbatem eligitur, & in Abbatis sede collocatur: cum tamen prius non Abbatem, sed Præpositum & Priorem habere soliti fuissent. Ipso die duo ex prioribus Canonicis abeundi retrorsum licentiam acceperunt & obtinuerunt, Domino Episcopo judicante eos debere dimitti, ne malignantibus eis tumultus fieret in populo: quatuor remanserunt, valde senes & ad omne opus fere inutiles. Unus ex eis, qui Prioris habebat officium, vir erat honestus & in diebus suis inventus est justus; unde incepit existere unus ex eis, & regulari instructus tramite vitam priorem meliori fine terminare.

Wilhelmo Abbate electo,

Hic ob loci paupertatem desertus à sociis,

29 Igitur postquam Dominus Abbas Wilhelmus curam domus suscepisset, voluit Dominus Episcopus, rogatu ejusdem Abbatis, scire quæ & quanta esset illius domus substantia, & quid in cibariis habeatur: videnque promptuaria eorum fere esse vacua, sex caseis tantum repertis & perna & dimidia, cognovit quia comederant Jacob & locum ejus desolaverant. Repletus ergo bono pudore & admiratione Episcopus, cœpit confortare animos Fratrum & ipsius Abbatis, sicq; jussit dari eis quinque libras denariorum ad necessaria victualium comparanda, promittens eis in posterum sufficientis expensæ subsidia. Transacto aliquanto temporis spatio, Fratres qui cum Abbate venerant, paupertatem insolitam non ferentes, & frigoris nimiam sævitiam abhorrentes, ab Episcopo repatriandi licentiam acceperunt. Quod factum Dominum Episcopum valde commovit, sed violentiam nulli inferri voluit.

B

dimitti quoque ab Episcopo postulat.

30 Abbas vero nō bene ferens discessum suorum, quem terrebant mores alienæ terræ & idioma ignotum; eamdem, quam ipsi ab Episcopo acceperant, licentiam ipse postulavit; asserens supra vires suas opus esse, ad quod fuerat evocatus; securiusque sibi fore liberum cum aliis habere regressum. Ad hæc verba Abbatis concidit vultus Episcopi & animus: tandem tamen in hunc prorupit sermonem: Desiderio desideravimus adventum vestrum, ad ecclesiæ istius profectum: sed, ut perpendimus, prosperis illius successibus & incrementis plurimum invidet inimicus: pavet enim nimium quod ius amissurus sit antiquum, quod hactenus possederat per enormitates locum illum inhabitantium. Sed si animi vestri propositum Dominus propensiori concilio mutare vellet, magno pietatis affectu rogaremus, ne susceptum semel regiminis officium conaremini deserere. Non vobis sit formidini solum hoc opus aggredi: quia non in hominis potestate victoria belli consistit, sed de cælo est fortitudo; & ita salvat Dominus in paucis, ut in multis. Quod credebatis Fratrum vestrorum impleri auxilio, potens est Dominus nostri solius explere obsequio. His aliisque venerabilis Episcopi monitis, sale sapientiæ conditis, Abbas roboratus; & intra se memorans, quod Dominus per Jeremiam Prophetam loquitur, Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus; immutato animi sui proposito, acquievit remanere ut videret finem.

C

Sed remanere persuasus,

Ier. 17. 5.

31 Eodem anno egressa est sententia à Domino, & ecce facta est fames in terra, deficiente annona; & animalia fere omnia mortua sunt, oves videlicet & vaccæ: ideoque nec butyrum nec caseos, nisi paucos, Fratres residui poterant habere ad manducandum. Unde in seditionem conversi, non iudicio divino cuncta examinabant, sed Abbati suo totum pondus suæ adversitatis adscribebant, dicentes, Væ nobis! cur in diebus nostris huc advenit homo pannosus, vilis homuncio, qui nil bibens nil manducans, sed meliora quæque domus in argento & auro commutans, & in loculis suis reponens, nos inedia ciborum torquet, pro cibis folia arborum & herbas agrestes subministrans. Hoc seminarium mendacii ab eis publicatum per aures plurimorum discurrebat: & quia pravæ mentes hominum pronæ semper sunt ad detrahendum bonis, apud malevolos offuscabatur veritas. Vir autem Domini objectis non movebatur; sed omnia patienter sustinuit, factus tamquam homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

AUCTORE DISCIPULO EX MS.

multa suorum convitia justinet:

Dæmon exburere eum nititur,

32 Quadam nocte, dum Fratres se sopori dedissent, adfuit inter eos sathan; & lumen, quod more solito lucebat in medio dormitorii, subvertit; & iuxta lectum Abbatis, ubi stramina erat magna cōgeries, ad comburendum Abbatem deposuit. Verum militem suum in hoc agone non deseruit cæleste præsidium: nam stramina in circuitu in modum coronæ comburebantur, & straminibus asser suppositus adustionem sustinuit; Abbatis vero lectum omnino non tetigit incendium. Rumor hujus facti ad aures pervenit Episcopi: qui post dies non multos declinavit ad claustrum, & quod dicebatur veritati comprobavit consonum.

E

& deinde minis per alterum intentatis

33 Postera i nocte, dolens antiquus hostis quod artibus suis defuisset effectus, ad aliud se convertit genus tentandi. Nam ad lectum cujusdam Fratris dormientis accessit, & ait: Noveris me Dominum hujus loci fuisse, omnibus potatoribus atque scortatoribus prælatum existere; sed in Abbatis vestri adventu vim patior, quod ei non cedet in bonum. Cumque Frater, quis esset, inquireret, & quo nomine censeretur: Salmanasar se confessus est appellari, & Babyloniorum Regem ab antiquis temporibus fuisse. Et addidit: Consule Abbati ut ab inceptis desistat, nec Abbatibus debitam ab Episcopo benedictionem accipiat: hic enim me invito claustrum permanere non poterit. Cui Frater respondit: Quod mihi suggeris faciendum, ei tu suggere: numquid & tu ejus notitiam non habes? Habeo, inquit, sed minus modo quam prius: unde nuntia ei quæ jussi, hoc interposito ei insignio, quod in crypta B. Genovefæ Parisiensis septem Palmos cum Litania Clerico cuidam propria manu cōscripsit: refer etiam quod altera noctæ pro injuria mihi illata eum comburere volui, sed meo frustratus sum desiderio, quia fortior me supervenit; nec obtinere potui, ut quod volebam mandaretur effectui. Mane facto, Frater quæ audierat Abbati intimavit: ille vero audita parvi pendens, suggestioni diaboli nullam adhibebat fidem, septem Psalmorum nullam habens memoriam. Post modicum tempus famulus Thoconis Præpositi, à Parisiensi civitate reversus in Daciam, Abbatem Wilhelmum aggreditur his verbis: Salutat vos Dominus meus, & se vestræ totum commendans amicitiæ, rogat affectuose, ut pro eo Dominum Episcopum deprecemini, ut sibi studio vacanti consuetæ largitatis manum porrigat auxiliarem: & hoc signum vobis quod miserit me, quod ei Parisius septem Psalmos cum Litania scripseritis. Abbas admiratus relata, verum recolit quod diabolus Fratri per somnium insinuavit, videlicet septem Psalmos se scripsisse Præposito Thoconi.

F

conatur eumdem loco pellere,

& fidem facere occultatæ ejus revelando:

34 Alio quoque tempore Abbas Wilhelmus, comitatus Thrumone Sacerdote, viro utique litterato

AUCTORE DISCIPULO EX MS.

rato & diſcreto, hoſpitandi gratia ad villam, que k Thorſtanthorp dicitur, declinavit, ubi dū nox in ſuo curſu mediū iter haberet, antiquus hoſtis, fremēs adverſus ſanctum Dei, nova irritamenta ſuæ nequitiæ adinvenit, preferens habitum ſanctitatis, ſub ſpecie antiquiſſimi ac turpiſſimi monachi: accedenſque ad lectum Abbatis, prius ſalutiferæ Crucis [ſigno] munitum, laborabat quieſcentem in eo libidinis [fomitem] obſcœno opere irritare. Sed ille, licet ſomno oculos dederat, mente tamen vigilans, adverſario dixit: Vade retro, ſpurciſſime omnium, in me per Dei gratiam tui deſiderii nullum conſequeris effectum. Diabolus hæc audiens, acrioris ſævitiæ ſtimulis agitatur; & accedens propius, nebulam fœtoris ori Abbatis inſpirat; & peccata, dudum confeſſione abolita & multarum lacrymarum imbre diluta, nefando ore retexit. Abbas autem, dum in ſomno tam graviter ab ipſo fatigaretur, valido impulſu pedis aliquantum elevati hoſtem à ſe rejecit. Qui videns ſe à viro Dei deluſum, ut leo crudeliſſimus cœpit ſęvire; atque ad lectum Trumonis Sacerdotis, in altera parte jacētis atque vigilantis, greſſus dirigere, laterique ejus fortiſſimū ictum illidere, ita ut videretur Sacerdoti quod aliquas de coſtis ſibi fregiſſet.

k *alias dormienti tentat illudere,*

ab eoque repulſus

35 Mane dum aurora finem daret [nocti], decantatis laudibus Dei, quia tempus erat frigidum, uterque, ſcilicet Abbas & Sacerdos, ſe in calefactorium recepit. Quibus ibidem reſidentibus, ſic allocutus eſt Sacerdos Abbatem: O mi Domine Abba, cuſtodiat te & adiuvet omnipotens Deus. Et reſpondit Abbas: Amen. Cumque ſic bis vel ter dixiſſet; ad quid hoc toties repeteret, Abbas inquiſivit. Cui ille ſcio quod multos tentationis aculeos es paſſus, pluresque eris paſſurus; ſed ex his omnibus liberet te Deus. Vidi hac nocte quantam moleſtiam à ſathana ſuſtinuiſti, & quomodo ori tuo nebulam fœtoris infundebat peſſimi, & audivi quanta tibi inferebat convitia & opprobria; cumque à te diſcederet confuſus, irruit in me vehementer, percuſſoque latere meo, ut reor, aliquam ex coſtis mihi fregit. Ideo tibi eidem inimico viriliter arbitror eſſe reſiſtendum, ne, ſi te victo triumphaverit, mittat te in gehennam. Ad hanc vocem cœpit Abbas tædere & pavere, revocans ad memoriam vexationes adverſarii quas nocte præterita ſuſtinuerat.

B *in ſocium ejus ſuam rabiem vertit.*

ANNOTATA.

a *An.* 1157 *totius Daniæ monarchiam adeptus eſt* VValdemarus, *eamque tenuit uſque ad an.* 1182.

b *Hic eſt* S. Canutus Rex *Obotritorum & Dux Sleswicenſis, anno* 1133 *interfectus, de quo egimus* 7. *Ianuarij.*

C

c *Surius vetuſtiori nomine* Wandalos *ſcripſit: de quibus ſatis actum* 7. *Ian. Incerti auctoris Chronicon Slavicum, ab initio prædicatæ inter ſclavos fidei uſque ad gentis perfectam hoc tempore converſionem ductum, præciſe in anno* 1168 *deſinit, quo* Rugiani, diutius quam ceteri omnes Slani in errore perſeverantes, domiti ſunt, & res Chriſtiana inter eos ſtabilita. *Quæ ſequitur continuatio à cap.* 33 *uſque ad an.* 1487, *uti collecta ex variis & ſtyli diverſiſimi, deberet ſub alio titulo proponi.*

d Abſalon Epiſcopus Roſchildenſis *unanimi totius Capituli conſenſu electus, ut ſcribit Saxo Grammaticus hiſtoriæ Danicæ lib.* 14. *Hiſtoria Erici Regis nomen præferens, anno* 1188 *factum Archiepiſcopum Lundenſem, aſſerit ſimul Roſchildenſem ſedem tenuiſſe ad annum uſque* 1201, *quo obiit.*

e *Sinus ab Roſchilda in Oceanum borealem procurrens, tres ſucceſsive inſulas habet, Geographis notatas quidem, ſed abſque nomine: ab harum prima, vrbi proxima videtur ipſi ſinui nomen detortum manſiſſe, ut hodieque* Iſel-fiort *dicatur; ipſam certe eam eſſe quæ* Eſchil *hic dicitur vix ambigimus, etſi nominis hodierna pronuntiatio ab antiqua ſcriptione deviet: in Breviario Sleſwicenſi* Eskilzo *ſcribitur.*

D

f *Hunc eſſe* Saxonem *hiſtoriæ Danicæ ſcriptorem, vulgari cognomine Grammaticum, conatur oſtendere ejus commentator Stephanius: neque dubitari ſinunt in vetuſtiſſimo codice reperti de eo MSS. verſus rythmici, quos apud eumdem eſt legere. pag.* 23.

g *Boulactius apud Sammarthanos,* Albertum *hic intelligit, quem tamen non niſi anno* 1167 *ordinatum fatetur: ut videatur ex Genovefiani codicis fide cenſuiſſe anno* 1171. *dumtaxat obiiſſe Sanctum.*

h *Ita Surius, nec dubitavimus ſequi, quamvis in ecgrapho noſtro* Zundſtadium *legeretur. Quia omnes de loco ſepulturæ conveniunt, & deinceps Regum iſtic Mauſolæa fuere.*

i *Surius totum hunc paragraphum omiſit.*

k *Idem* Torſtantop *legit, forſan is qui in tabulis* Doſtrup, *inter Ringſtadium & Roſchildam.*

CAPUT IV.

S. Wilhelmi virtutes, & quædam viventis miracula.

Inter tribulationes & inſidias invictus multa patitur

36 FUrens adhuc hoſtis antiquus, quod tentationes ſuas adverſus Chriſtum Domini nullus ſequeretur effectus, diſpoſuit per ſatellites ſuos efficere, quod per ſe nequiverat implere: unde inſpiravit cordibus Fratrum quorumdam, ut hominem Dei variis contumeliis afficerent, & multis injuriis laceſſerent, & ſic cum dedecore ad proprios lares cogerent repedare. Ipſe autem à verbis impiorum non timuit, quia firmatus erat ſupra firmam petram: frequenter enim ſecum commemorabat illud Apoſtolicum, Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem; ſpes autem non confundit. Cumque in talibus filii degeneres proceſſum nō haberent, conſilium fecerunt in unum ut eum morti traderent: aliquando enim eum ſacco impoſitum in mari demergere diſponebant, aliquando eum telis confodere, & aliquando Sclavis vendere; ſepius cerebro ipſius ſecuribus impactis extinguere moliebantur: ſed Deus, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, diſſipavit conſilia eorum, & dilecto ſuo dedit cum tentatione proventum.

Rom. 5, 3.

E

propter diſciplinam.

37 Sed cur hoc facere attentabant? Quia cum Deo erat ſpiritus ejus, in rigore Ordinis tenendo, & in omni religionis obſervantia, nec patiebatur eos per abrupta vitiorum diſcurrere: erat enim ſanctæ religionis indeficiens imitator, Ordinis ac ſanctæ inſtitutionis admirabilis conſervator, vitiorum fortis exſtirpator, virtutum verus amator; quæque honeſta & ſanctimoniæ plena inveſtigans & docens. Severus extitit in correptione, ſedulus in correctione, dulcis & humilis in hortatione, modeſtus in reddenda ratione: in ſermone verax, in judicio juſtus, in commiſſo fidelis. Infirmorum erat conſolator, pauperum ac peregrinorum benigniſſimus procurator. Inſiſtebat vigiliis, ieiuniis & continuis orationibus, curam ſui gregis infatigabiliter agens, eumque, ut fidelis ſervus talentum ſibi creditum lucrifaceret, Domino ſuo jugiter precibus commendabat. Fratribus nocte quieſcentibus, horas matutinales vigiliis anticipabat, Dominique miſericordiam pro eiſdem devotis gemitibus exorabat. In ſermonibus ſuis, quibus Fratres ad bene agendum inſtruebat, promptus erat ad lacrymas & ad lamenta, in tantum ut auditores ſuos ſæpius ad pœnitentiam & cordis compunctionem provocaret, & cunctis liquido conſtaret divinam illi ſemper adeſſe gratiam. Zelo Ordinis animatus aliquando elatis & ſuperbis rigidus erat, atque tranſgreſſores Ordinis emendatoriam ſubire vindictam cogebat & ferre ſententiam: noverat enim quod pro tot eſſet rationem Deo redditurus, quot ſuo exemplo aut ſilentio à ſemitis juſtitiæ ſineret aberrare. Denique illos

F

ejuſdem in regimine virtutes præclaræ, diſcretio,

qui

A qui obſtinatæ mentis erant, nec ad veniam petendam pro ſuis exceſſibus inclinabantur, ipſe eis formam humilitatis oſtendens, ab eis veniam contra regulam ſuæ dignitatis poſtulabat.

fortitudo, 38 In perſecutionibus, quæ ei à diſcipulis ſuis & aliis inferebantur, conſtans erat & patiens, & virtute patientiæ omnes vincebat. Virtus pietatis & miſericordiæ in eo tantum abundabat, ut in illũ peccantes, & poſt peccata ad veniam redeuntes, cum omni hilaritate & modeſtia exciperet, & pro eorum exceſſibus uberrime fleret, Dominoque pro eorum converſione gratias referret multimodas. Caritatem ſemper *caritas,* ſectabatur, invidias & detractiones deteſtabatur, verbum inhoneſtũ ſive vaniloquium ſive riſus ineptos minime proferebat, vel ab ore alicujus audire volebat. Sermo ei jugiter erat de pace & concordia, & humilitate & manſuetudine, & de honore quo ſe Fratres invicem prævenire habebant. In orationibus *pietas,* frequens, in lectionibus aſſiduus, in devotione extitit præcipuus. Horis quoque diurnis ac nocturnis, ſine magno neceſſitatis articulo, numquam abeſſe volebat. Circa devotionem in choro, pſallentium, ac ſacrum altaris miniſterium animus ejus ſedulo verſabatur, & devotiores in his tenerrime diligebat Cilicio carnem ſuam uſque ad diem mortis domabat, ipſamque ſpiritui ſervire cogebat. Frugalem menſam *auſteritas vitæ,* habere volebat, non propter corporis ſui refectionẽ, cum miræ eſſet abſtinentiæ; ſed propter pauperũ & B infirmorum refocillationem, quos paterno fovebat affectu. In ſtratu ſuo [nihil] habebat, præter laneotum *a* ſtraminibus ſuperpoſitum, aut pelles urſorum propter frigus expellendum, quando magis ſæviebat hyems, niſi nimiæ infirmitatis moleſtia mollioribus eum indulgere membra coëgiſſet: & ſicut modicus erat ei victus, ſic & veſtitus. *a*

condit monaſterium S. Thomæ. b 39 Monaſterium S. Thomæ Apoſtoli, in loco qui Paraclitus *b* vocatur, primus conſtruxit, & Ordinem S. Auguſtini in eo tranſtulit, & transferendo obſervari inſtituit, ac privilegio Domini Alexandri Papæ ibidem perpetuo obſervandum confirmari fecit. Nunc vero quia in laude viri Dei utcumque à propoſito digreſſi ſumus, ad ea quæ inchoavimus de- *ſanatur dyſentericus,* promere, redeamus. Cuidam dyſenterico, in villa que Methelhuſe ab indigenis dicitur, per viſum revelatum eſt, ut de cibo Abbatis Wilhelmi guſtaret, & ſanaretur à languore ſuo. Credidit homo ille ſermoni quem audierat, & miſſo nuntio citius ad clauſtrum, quod voluit petivit & accepit. Cumque allatos cibos comediſſet, ceſſante fluxu infirmitatis ſuæ, ſtatim per eoſdem intus reformari meruit.

C *& puella moribunda* 40 Quædam puella, de villa vocabulo Nadweth, clauſtro vicina, magnæ infirmitatis tenebatur cruciatu: cumque per tres dies jaceret quaſi corpus exanime, vitaliſque calor tantũ membris ipſius ineſſe videretur; circumſteterunt eam amici ejus & cognati, lugentes eam tamquam defunctam Mater autem puellæ, Brigida nomine, quia multos dies & noctes duxerat inſomnes ſuper eam, faciendo vigilias, quarta die levi corripitur ſopore: cumque obdormiret, vidit in ſomno mulierem, niveas veſtes indutam, lecto ægrotantis aſſiſtere, ſibiq; talia dicere: Moleſtaris, mulier, plurimum pro filia tua. At illa: Quid mirum? triduo enim ſuſtinemus eam, jam jam migraturam: & ecce adhuc tempus ſupereſt. Reſpõdit altera; Scito filiam tuam ſanitatem poſſe recuperare vitæque augmentũ ſumere, ſi de cibo vel reliquiis Abbatis Wilhelmi de Paraclito guſtaverit. His dictis diſparuit: mater vero puellæ evigilans, omnia, quæ in ſomnis audierat & viderat, cunctis qui aderant expoſuit. Conſulunt illi monentis mandato parere, quia prædictus Abbas à multis Sanctus habebatur, & vere ſic erat, fulgente in eo gratia divina.

41 Mulier igitur ſpe bonæ viſionis & conſolatione ſuorum confortata, ad clauſtrum mobiliore properat greſſu, & officialibus, quos extra ambitum clauſtri invenit, viſionem quam viderat ex ordine pandit. Nuntiatur ergo à Fratribus Abbati mulieris petitio, & retexitur ejuſdem de filiæ ſuæ remedio cælitus manifeſtata viſio. Vir Domini, ſuper afflictos pia ſemper geſtans viſcera, tam matri quam filiæ compatiens; piſces, ques *c* perticas vocamus, & ſorbitium, quod ſibi fuerat præparatum, juſſit mulieri in nomine Domini impartiri, ut eſſet ſalus & remedium puellæ, in diſcrimine mortis laboranti. Gaviſa illa de munere, mox domum redit propere, & quod ſecum attulit ſorbile ocius ori infudit filiæ. Quod cum tertio factum fuiſſet, & ad interiora miro laberetur rugitu; revixit puella, & attraxit ſpiritum, & poſt paululum reſedit quæ fuerat quaſi mortua: & cum acceſſiſſent ad eam ſui, aperiens os ſuum benedixit Deum, & dixit: Jam non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini: confido enim in Domino, quod precibus & meritis Wilhelmi Abbatis reddita ſim ſanitati. Qui ad eam convenerant, teſtimonium perhibebant veritati de his, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eorum.

c

42 Languebat quidam in villa Aneſe *d*, & deſiderabat libere aquam de fonte, quem Abbas fecerat emundari & firmis clauſuris ſignari: ſed quia nullus ad eumdem fontem poterat habere acceſſum, niſi ad nutum illius qui eum ſervabat clauſum, fecit ille Abbati ſuum intimari deſiderium. Accitus eſt igitur Fr. Ericus, qui ſupradicti fontis habebat cuſtodiam, præceptumque eſt illi, ut de ipſius aqua ægroto porrigat poculum. Cumque allata n guſtaſſet languidus, mox cognovit quam ſaluber eſt guſtus ejus: quia non tantum ſitim ſuam extinxit, ſed etiam optatæ ſalutis gratiam contulit.

d item alius hauſta aqua per eum miſſa.

E

43 Quidam monachus Ciſtercienſis ordinis, Haquinus nomine, de clauſtro Eſrom *e*, tanta raucitate obtuſi pectoris per multos annos anxiabatur, ut vix à circumſtantibus eum diſcerni poterat quid diceret. Cumq; nullo antidoto potionis vel alterius artis, remedium ſuæ infirmitatis inveniſſet, incidit ei bonum conſilium, ut ad azylum S. Thomæ de Paraclito declinaret. Venit ergo, & Patrem monaſterii adiens, quid pateretur querulo murmure expoſuit, & cœpit eum humiliter rogare, ut ob gratiam recuperandæ ſanitatis manũ gutturi ſuo imponeret. Vir autem Domini, ad rogantem aliquantulum jucundatus, præmiſſo ſigno Crucis, tetigit guttur ſuum, dicens, Sanet te filius Dei. Et exauditus eſt pro ſua reverentia: nã monachus divinum ſibi ſenſit adeſſe auxiliũ: quia arteriæ anheli pectoris paulatim dilatabantur, & organum vocis diu amiſſæ de die in diem reformabatur. Reverſus igitur ad domum, unde exierat, confirmabat Fratres ſuos, manifeſtans omnibus, quoniam in Paraclito eſt Senior, qui novit homines curare; affirmans, quoniam hic eſt Wilhelmus Abbas.

Sanatur raucus, impoſitione manus; e

F

44 Quodam tempore, cũ Wilhelmus à Curia Romana *f* rediret, equus ſervi ſui inter rupes Alpium læſus pedem, iter nullum facere potuit; de quo infortunio animo turbatus, exoravit Altiſſimũ, ut propter merita Sanctorum, quorum ſecum Reliquias retulit, ſanaretur equus ille. Finita oratione, pedem equi dolore plenum manibus palpavit, & palpando dolorem mitigavit: & ex illa hora ſanatus eſt equus ille, inceptum peragens iter.

f equus læſus attactu;

45 Quodam die, cum ad negotia domus exiret, equitavit quemdam *g* roncinum: Frater autem, qui cum eo ibat, conſiderans pulchritudinem equi & diſpoſitionem membrorum ipſius, ait. Proh dolor! quod talis equus non *h* ambulat. Cui Abbas; Crediſne quod poterit ambulare? At ille: Minime credo, quia ſenex eſt, & naturalem mi-

Immutatur ſegnis equi inceſſus:

g

h

AUCTORE DISCIPUL. EX MS.

nime immutabit curſum. Cui iterum Abbas: Modicæ fidei, quid dubitas? potens eſt Deus facere eum ambulare quantum vobis placuerit. Et hæc dicens, cœpit eum urgere calcaribus. Ille vero ſoliti curſus oblitus, greſſus faciebat planos, bene ambulando quamdiu vir Dei dorſo ejus inſedit. Frater vero de viſo miraculo admiratione plenus, reverſus domum narravit Fratribus ſuis, que geſta erant in via; quomodo Pater monaſterii fecit roncinum ambulare; & mirati ſunt univerſi.

S. Guiliel-mus ægrotat & periculoſe.

46 Quodam tempore lecto ægritudinis incubuit, nimiæ infirmitatis detentus cruciatu: cumque de ſpatio ſuæ vitæ dubitaret, nocte Dominica, graviori infirmitatis agitatus ſtimulo, invocavit Dominam ſuam B. Genovefam, quam toto mentis deſiderio amabat, ut ſui memor Dominum pro eo precatura accederet. Illa devoti ſervi ſui miſerta, cum parum obdormiret, apparuit ei, ſtans à parte pedum lecti in quo jacebat; & facie jucunda & alloquio dulci conſolabatur eum, dicens; Ne timeas, quoniam bonum Dominum habemus. Ille ex hilaritate vultus eam agnoſcens, cœpit gratias agere venienti, inquirens, quis eſſet Dominus ille. Cui illa: Jeſus filius Dei. Vir autem Domini audiens

B

filium Dei nominari, quantum ſopor ſinebat, exultabat uberius; & poſt paululum evigilans, & ſentiens ſe ſanitati precibus S. Genoveſæ Virginis reſtitutum, benedixit Deum, qui non derelinquit ſperantes in ſe, ſed in Sanctis ſuis ſemper eſt mirabilis. Multa quidem & alia per eum Dominus operari dignatus eſt miracula, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, quia vel propter negligentiam oblivioni tradita in memoria non habentur, vel quia ſanctitati ejus detrahentibus incredibilia videbantur: nunc autem ad glorioſum ejus tranſitum ſtylus reflectatur, & quo tempore & qualiter de hoc mundo migravit ad Dominum, brevi ſermone referri debet.

à S. Genove-fa ſanitatem exorat.

ANNOTATA.

a *Ita in MS repertum etiam Surius teſtatur, ipſe* laneum pannum *vertit: malo culcitram intelligere lana ſartam, &* Laneotum *vocem Gallicam æſtimare.*

b *In oppido Zelandiæ* Ebbelholt, *ut habet vetus MS. Eſchillenſi ſcilicet monaſterio in continente ad ortum propriori.*

c *Imo* Percas *Latine & Græce, Gallice autem* Perche, *quod etiam ſignificat* perticam. *Ex qua vocis amphibolia intelligitur ſcriptor hic fuiſſe Francus. Germanis idem piſcis nominatus* Bârs, *habeturque fluvialium omnium delicatiſſimus.*

C

d *Num. 76 dicitur vicina clauſtro. Apud Surium totus hic paragraphus deſideratur.*

e *In ſeptentrionali Zelandiæ ora haud longe à Croneburgo. Conventum iſtic inſtitutum, ipſo quo S. Bernardus obiit anno* 1153, *notat hiſtoria nomine Erici Regis titulata.*

f *Pontanus in Hiſtoria Daniæ iter hoc refert ad annum* 1195, *quo* Canutus Rex, *intelligens Gerbergam ſororem ſuam à Rege Philippo repudiatam*, hanc cauſam cœpit agere apud Pontificem Celeſtinum per ſuos Oratores, Andream Senonis, Cancellarium; & Abbatem Guillelmum, natione Gallum.

g Roncinus, *equus eſt vilis: Hiſpanis hodieque uſitata vox* Rocin: *an à Teutonico* Ros *equus: an vero à* Ronce *vepris, quaſi haud alio paſtu dignus?*

h *Francis, Italis, Hiſpanis communis hæc phraſis, qua exprimunt gradarium ſeu tolutarium inceſſum equi, artificio edocti ad paſſus numeroſe glomerandos.*

CAPUT V.

Felix Sancti obitus & ſigna futuræ gloriæ ejus prægreſſa ac ſecuta.

ſeptennio ante de ſua morte præmonitus,

47 ANte ſeptem annos ſui tranſitus de hoc mundo ad Patrem, nocte quadam, per viſum vir qua m, decorus aſpectu, veneranda canitie, venuſta facie, adſtitit ei & dixit: Septem dies vives. Ille de viſione ſua plurimum ſolicitus, ſed Spiritu Domini plenus, ſeptem dies incolumis tranſiens, interpretatus eſt per ſeptem dies ſeptem hebdomadas, vel ſeptem menſes, vel ſeptem annos (quod verius erat) deſignari; ſicut rei exitus comprobavit. Caſtigans igitur corpus ſuum & in ſervitutem redigens, quamquam Dominũ Deum tota mentis devotione prius dilexerat, ac mandatis ipſius jugi obſervatione inhæſerat; ab illo tamen tẽpore uſque ad finem vitæ ſuæ, ita carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifixit, ut anteacta vita, reſpectu vitæ ſubſequentis, delicata fuiſſe crederetur ac voluptuoſa. Quis enim eum ſine lacrymis maxillas ejus rigantibus orantẽ vidit? Cumque in altari Divina celebraret, ſacrũ myſterium offerens Deo, ſic inflammabatur, ſic lacrymabatur, veluti præſentes Domini in carne aſpiceret paſſiones. Longum eſt itaque verbis exprimere, quantis vigiliis, jejuniis & orationibus aſſiduis ſeipſum afflixerit, & in holocauſtum Domino preparaverit. Adiecit ad-

D

ad eam ſe ſolicite præparat,

huc Dominus famuli ſui tentare patientiam, & tamquam aurum in fornace probare, ita corpus ejus ulceribus replevit, ut à planta pedis uſque ad verticem non eſſet in eo ſanitas. Ille ſciens, quia virtus in infirmitate perficitur, omnia patienter ſuſtinuit, & ait: Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autem quare non ſuſtineamus?

E

maxime poſtrema Quadrageſima:

48 Interea, ſeptem annis mira abſtinentia & carnis mortificatione fere tranſactis, cum Quadrageſima, à cunctis fidelibus ſacra devotione obſervanda, adveniret; vir Domini ſedula mente meditans noviſſima ſua, & agonem ſui finis, licet diem & horam ſuæ reſolutionis adhuc ignoraret, terminum tamen qui præteriri non poterat appropinquare ſciens, quotidie, cum ſumma cordis contritione & lacrymarum effuſione & magna reverentia, ſacrificia Domini noſtri Ieſu Chriſti celebrabat, ac ſacroſancta ipſius Corporis & Sanguinis participatione ſe præmuniebat. Quarta feria, quæ Cœnam Domini precedit, pauſante eo in ſua camera cum quibuſdam Fratribus, qui colloquendi gratia ad ipſum convenerant, conqueſtus eſt Prior ſibi & ceteris Fratribus, ſe numquam graviorem noctem ſuſtinuiſſe. Vir autem Domini è converſo reſpondit: Meliorem ac delectabiliorem noctem numquam me recolo habuiſſe: quia vidi Dominum meum Ieſum Chriſtum: duo alii cum eo erant & ego tertius, cum quibus ineffabiliter ſum delectatus. Ad hæc Prior inquit, Forte, Pater ſancte, Dominus in hac viſitatione vos ad ſe vocare venit, ſicut vobis promiſit antequam partes Daciæ intraretis. Ad reſponſa Prioris ſuſpirans, & perfundens fletibus ora, ait: Fiat mihi ſecundum verbum tuum.

F

in Cœna Domini ultimum ſacrificat,

49 Poſtera die quæ Cœna Domini appellatur, ad altare Divina celebraturus accedit, & Abſolutione ſuper diſcipulos ſolito more facta, & iiſdem de manibus ipſius communicatis, Miſſaque celebrata; Chriſtum in pauperibus ſuſcepturus, cum ceteris Fratribus progreditur, & mandatum cum ipſorum magna devotione peragit: quo peracto, ultimam cœnam cum diſcipulis ſuis ſumpturus ingreditur, Dominicum in hoc imitatus exemplum. O felix cœna, quæ tanti Patris magis eſt illuſtrata præſentia, quam deliciis refectionis ditata! Quis verbis queat referre, quã hilaris vultus, quam jucunda facies omnibus à ſancto viro eſt oſtenſa, qui illi convivio interfuerunt? Jam in vultu ipſius miro modo quoddam futuri gaudii præſagium demonſtrabatur, quod ex abundantia lætitiæ, quæ in ipſo ultra ſolitum cernebatur, cognoſci poterat. Jam divina miſericordia locum habitationis ſuæ, ſibi ad cœnandum præparatum intraverat: jam Spiritus ſanctus totum interiorem hominem ipſius repleverat, & velut Sponſus in thalamo, ſic in cubiculo cordis ſui requievit:

& certam ſpem ſalutis exin de vultu præfert;

jam

A jam demonſtrabatur in carne ipſius, oculis corporeis ſubjecta quanto exultationis gaudio anima ejus in Domino Deo ſuo exultavit, ob futuræ retributionis glorificationem, quam ei Dominus dare diſpoſuit, ſicut cuidam diſcipulo ſuo honeſtæ converſationis viro, nomine Gerardo, ante duodecim annos & eo amplius; per viſionem revelare dignatus eſt.

tranſiturus ad gloriam, de qua ei præparata.

50 Quadam nocte prædicto Canonico in ſuo lecto quieſcenti, quidam maturus ætate ſic intonat, Surge, ſequere me. Quem ſecutus, ad ignota loca deducitur: tandem in quamdam planitiem, valde ſpecioſam & floribus amœnam, venientes, domum miræ magnitudinis, marmoreis lapidibus conſtructam, ſubeunt. Quanta autem claritas, quanta odoris ſuavitas, quam mira jucunditas illi domui inerat, lingua videntis exprimere non ſuffecit: ſedes autem in ea locata erat gemmis pretioſis & auro puriſſimo adornata, & in medio ſedis corona aurea poſita, lapidibus pretioſiſſimis decorata, ſed ad huc imperfecta: in circuitu autem ſedis erant quatuor viri, in albis ſedentes, laminas aureas cum lapidibus pretioſis ad perfectionem coronæ componentes. Cumque

pridem ejus diſcipulo fuit revelatum.

jam dictus Frater, admiratione plenus & veluti in ecſtaſi raptus, oſtenſa ſibi tacitus conſiderabat; ductor ſuus affatur eum his verbis: Scis cujus eſt hæc ſedes vel corona? Illo negante ſe ſcire, ait: Hanc

B ſedem Abbas veſter in tempore ſuæ converſionis à ſeculo ad Dominum promeruit, quando domos & divitias & hujus mundi gloriam pro Chriſto reliquit, & ſeipſum abnegavit, tollens crucem ſuam ſequendo Redemptorem: corona vero cum perfecta fuerit multis tribulationibus & diris perſecutionibus, quas pro Ordinis obſervantia viriliter ſuſtinuit & adhuc ſuſtinebit, coronabitur; implebiturque in eo, quod Jacobus Apoſtolus dicit, Beatus vir qui ſuffert

Jac. 1, 12. tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe,

extrema correptus ægritudine,

51 Poſtquam ſurrexit à cœna, voluit lavare pedes diſcipulorum ſuorum: ſed tactus graviſſimo dolore lateris, non eſt permiſſus. Reſidens ergo, ſic orabat: Domine Deus, in omnibus & per omnia fiat voluntas tua, qui es benedictus in ſecula. Illumina faciem tuam ſuper ſervum tuum, & ſalvum me fac, & non confundas me ab expectatione mea: ne projicias me in tempore ſenectutis; cum defecerit virtus mea ne derelinquas me. Perſeverante itaque infirmitate & magis ingraveſcente, cubatum deducitur; reſiduum diei & medietatem noctis ſubſequentis cum magno cruciatu ſufferens. Poſtea, quia in eo

C gratia divina vacua non fuit, dolor ille ſedatur & leni febre corripitur: cumque viribus corporis cœpiſſet deſtitui, in Vigilia Paſchæ, Fratres, qui ad eum viſitandi gratia convenerant, rogaverunt eum, ut ſibi provideret & ſacra Vnctione perungeretur. Quibus iſta perſuadentibus, inquit: Non eſt mihi, ut putatis: nihil doloris, nihilque debilitatis in corpore penitus ſentio. Vellem mihi lectum in choro fieri, ut futuræ noctis Dominicæ Reſurrectionis miniſterio intereſſem. Quibus reſpondentibus, ſe canentium voces nequaquam ſufferre poſſe; intulit, Faciamus ergo, quod melius eſt. O veneranda tanti viri circa cultum divini obſequii immutabilis devotio, quæ nec alicujus rei eventu, nec tanti defectus incommodo potuit minorari!

novo induitur cilicio,

52 Illo autem ſic laborante, aſſignati ſunt Fratres, qui in vigiliis excubantes cuſtodirent eum. Sancta igitur nocte Dominicæ Reſurrectionis, vir Dei de ſuo tranſitu ſolicitus, unum de ſibi adſtantibus advocans, dixit: Scis, fili, quia nova advenit ſolennitas, cuncto populo veneranda: debemus ideo novis indui veſtibus. Affer mihi veſtem, quam habes, ut illam induam. Intelligens ille de qua veſte loqueretur, attulit ei cilicium novum, & ſubmoto veteri veſtivit eum novo. Cumque in magno foret defectu, à cuſtodibus ſuis iterum admonetur ut ſacri Olei liquore frueretur. Quibus iſta perſuadentibus, reſpondit: Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, lucem expectabo. Interea Conventu glorioſæ noctis vigiliis & laudibus inſiſtente, cum tertia Lectio finem accepiſſet, & tertium Reſponſorium *a* inchoatum fuiſſet, Cum tranſiſſet ſabbatum; unus ex cuſtodibus feſtinanter accurrit, indicans eum cito migraturum. Depulſa noctis caligine, aurora ſacræ lucis tunc rutilabat, quam vir Dei ſe promiſerat exſpectaturum: cumque illud Reſponſorium cantaretur, Ut venientes ungerent Jeſum; Prior accitis aliquibus Fratribus chorum exivit, ferens ſecum ſacri Olei liquorem, quo venerabilem Patrem jam agonizantem perungeret. Quibus advenientibus hoc ſolum Sanctus Dei ſæpius replicabat: Cito, cito. Unctione expleta depoſitus eſt in cinerem & cilicium, ut ſecundum B. Martini doctrinam in cinere & cilicio Chriſtianus & verus Catholicus moreretur. Quo facto pretioſam reſolutus in mortem emiſit ſpiritum, octavo Idus Aprilis, anno ab Incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo ſecundo, ætatis ſuæ anno nonageſimo octavo, poſtquam vero curam Dominici gregis ſuſcepit quadrageſimo.

AUCTORE DISCIPULO EX. MS.

a

& rite inunctus pie moritur,

b

53 Sic illa anima, à carnis ergaſtulo egreſſa, de triſtitia ad lætitiam, de labore ad requiem, de mundo tranſivit ad Dominum. Spirituales autem filii, venerandi Patris corpus cum hymnis & canticis, cum gemitibus & lacrymis, in ſanctam tranſtulerunt eccleſiam, collocantes illud in medio choro. Quibus in ſedibus ſuis receptis, Te Deum laudamus incipitur, & matutinales Laudes Reſurrectionis Dominicæ, lacrymoſis vocibus canentium, debita tamen veneratione explentur. Quam ſit mirabilis Deus in Sanctis ſuis, lector, animadverte: quia nec vita iſtius viri fuit ſine gloria, nec mors ſine gratia, ſed in conſpectu Dei multum pretioſa: illo enim die ſuſcepit eum Dominus in paradiſum, quo idem Dominus victor ab inferis ſurrexit; & qui ſolennia dominicæ Reſurrectionis cum magno tripudio ſæpius celebravit in terris, eodem die cum debito honore Angelicis eſt aſſociatus choris. Altera die Paſchæ ſepultus eſt ante altare S. Thomæ Apoſtoli, quod ipſe conſtruxerat; Domino Abbate Turchillo eccleſiæ B. Mariæ *c* de Errom, cum monachis ſuis, obſequium funeri ejus impendente, & Sacerdotibus ac Clericis multiſque aliis cum magna devotione accurrentibus, ut ipſius exequiis intereſſent. In quo loco Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ad laudem & gloriam ſui nominis, per glorioſi Confeſſoris ſui ſuffragia, uſque in hodiernum diem innumera preſtat beneficia, his qui ex toto corde quærunt illum, cui eſt honor & gloria, per infinita ſecula ſeculorum. Amen. *d*

E

ipſo die Paſchæ,

poſtridie ſepelitur:

c

F

d

54 O quantus erat luctus omnium! quanta præcipue lamenta diſcipulorum, qui licet de tanti Patris glorificatione certi haberemur, ejus tamen orbati, preſentia, humano more triſtabamur. Dies feſti noſtri converſi ſunt in luctum, & ſabbata noſtra in lamentationem: licet gaudendum nobis eſſet, quod quem doctorem habuimus in terris, interceſſorem haberemus in cælis, ſi mens doloris rationem admitteret. Sed benedictus Deus, qui triſtitiam noſtram convertit in gaudium: nam poſt tranſitum Patris noſtri juvenes noſtri viſiones videbant, & ſeniores noſtri ſomnia ſomniabant, per quæ certi eramus quod Dominus in brevi Sanctum ſuum eſſet mirificaturus.

lenitur luctus diſcipulorum

55 Erant duo juvenes de familia ipſius ſancti, in diverſis conſtituti regionibus, qui in ipſa

gemina viſione.

AUCTORE DISCIPUL. EX MS.

hora ſui tranſitus de hoc mundo, in viſione viderunt quomodo ad gaudium tranſivit Angelorum: & licet eorum aliquantulum diverſa eſt viſio, utraque tamen plena fide relatione digna eſt & memoria. Alter iſtorum, Nicolaus nomine, in Teutonicis partibus in civitate e Hildesheim ſtudio litterarum operam dabat: hic eadem hora, qua vir Dei glebam ſui corporis cælum ingreſſurus depoſuit, vidit per viſionem quamdam perſonam ſibi ignotam, ſtola candida amictam, cælum conſcendere: & ſicut in picturis ſolet fieri, in quibus Domini Aſcenſio memoratur, totus infra nubes ſuſceptus depingitur, tantumque pedes ipſius apparent; ſic & iſte Sanctus infra nubes candidas ſuſceptus eſt, tantumque pedes ejus & veſtimentorum extremitates videbantur. Cumque ille in cælum fixis luminibus viſa admiraretur, adſtitit ei vir quidam dicens; Quid admiraris aſpiciens in cælum: hic homo aſſumptus in cælum, Abbas veſter eſt; qui in patientia vicit perſecutiones ſeculi: nunc autem coronatur, quia fideliter vixit in mandatis Domini. Expergefactus ille, & per viam ductus ad monaſterium unde apoſtatando receſſerat, rediit; atque offerens ſe emendationi, prædictam viſionem omnibus intimavit.

e qua oſtenſus eſt in cælum aſcendere,

comitantibus Angelis

B *f*

56 Alteri ſupradictorum, Godmundo nomine, in clauſtro, quod *f* Sora dicitur, commoranti, glorificati hominis talis oſtenſa eſt viſio. Appropinquante diluculo Dominicæ Reſurrectionis, aſpiciebat in viſu, pene vigilans, multitudinem Angelorum, prædulci ſuavitate canentium: inter quos duo Angeli, ineffabili claritate fulgidi, quemdam ætate maturum, Sacerdotalibus veſtibus decoratum, à dextris & à ſiniſtris ſuſtentabant, brachia ipſius humeris ſuis tenentes innixa, & ad cælum uſque progredientes. Hos ſequebatur diabolus, non minima dæmonum furentium atque ſtridentium ſtipatus caterva. Sanctis vero Angelis in cælum receptis, ille hoſtis antiquus, dolenti ſimilis, via qua venerat cum ſuis remeabat: quidam autem dæmonum lento ſequebantur gradu, claudicando incedentes. Ille qui hanc viſionem videbat, audacior factus, uni eorum qui tardior ceteris veniebat, ait: Adjuro te per Filium Dei, ut indices mihi quæ ſunt hæc quæ vidi. Ille interrogantem ſe torva facie & obliquo oculo intuitus, reſpondit: Si ſcire vis, Abbas veſter Wilhelmus de mundo eſt ſublatus, & tanto obſequio Angelorum, in cælo deportatus: nos autem venimus,

dæmonibuſq; confuſis.

C

ut aliquid juris noſtri in eo haberemus; ſed violentiam ab Angelis paſſi, fruſtrati ſumus à propoſito noſtro. Mane prima ſabbati ſurgens predictus juvenis, magiſtro ſuo & omnibus qui cum eo erant viſionem ſuam expoſuit: qui reſpondentes dixerunt: Vere credimus quod jam dormitionem accepit, & in pace factus eſt locus ejus. Tandem reverſus ad domum noſtram, eadem nobis ex Ordine intimare curavit, & ſuſcepto Religionis habitu ibidem Deo militare cœpit.

ANNOTATA.

a *Iuxta uſum Canonicorum Regularium, qui etiam apud Præmonſtratenſes obtinet, acceptus ex veteri uſu plerarumque Eccleſiarum Galliæ, uti ex earum propriis Breviariis liquet. Romana Eccleſia, quæ poſt tertiam Lectionem Paſchalem immediate ſubjungit hymnum Ambroſianum, hoc Reſponſorium ſubjicit Lectioni ſecundæ.*

b *Ejus morientis verba hæc refert Severus Sulpitius in Vita*: Non decet Chriſtianum niſi in cinere mori.

c *De fundatione hujus Ciſtercienſis monaſterii jam egimus, ad Caput præcedens litt.* e

d *Credibile eſt primæ ſcriptionis hic finem fuiſſe: ſed paulo poſt addita ab auctore ſequentia uſque ad num.* 58.

e *In Ducatu Brunswicenſi Epiſcopalis civitas* Hildesheim, *Archiepiſcopo Colonienſi nunc commiſſa, initium debet Ludovico Pio, qui illic ædificato palatio eodem tranſtulit Anlicenſem Epiſcopatum, à parente Carolo Magno erectum ad Saxonum converſionem.*

D

f *Ordinis Ciſtercienſis monaſterium eſt* Sora, *anno* 1161 *inchoatum in Zelandia, diſtans Ringhſtadio ad Occidentem trium vel quatuor horarum ſpatio.*

CAPUT VI.

Miracula poſt tranſitum S. Wilhelmi.

Ad æmulorũ confuſionem

57 SAlvator noſter Jeſus Chriſtus, volens dilectiſſimi Confeſſoris ſui Wilhelmi, quem ſtola immortalitatis poſt mortem veſtivit in cælis, in conſpectu filiorum hominum inſignia revelare virtutum; dedit ei poteſtatem, ſuper infirmos variis languoribus, faciendi opera quæ ipſe fecit, & majora horum: ut collaudent multi ſapientiam ejus, & uſque in ſeculum non deleatur & non recedat memoria ejus, & nomen ejus requiratur in generatione & in generationem. Cœpit igitur ſervus Dei, poſtquam dormivit cum patribus ſuis, primo inter incredulos & æmulos ſuos, quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, paulatim rutilare miraculis; ut mendaces oſtenderet, qui maculaverunt illum & detraxerunt ſanctitati ejus, blaſphemantes nomen ejus. Poſtquam autem clarificatus eſt apud proximos ſuos, cœpit ad laudem & gloriam nominis ejus qui cunctos condidit Sanctos, quaſi ſol refulgens in meridie, longe lateque majoribus & crebrioribus coruſcare prodigiis: unde à quatuor plagis terræ factus eſt concurſus populorum, cernere cupientium quæ per eum fiebant mirabilia. Dæmonia ab obſeſſis corporibus effugabat, paralyticos ſanabat, cæcis viſum reſtituebat, claudis greſſum, ſurdis auditum, mutis loquelam, contractos ac propriis genibus repentes in ſtatum erigebat debitum, leproſos mundabat, mortuos ſuſcitabat, & ſemi mortuos à faucibus ipſius mortis ad vitam revocabat; & non tantum homines ſed & animalia ſanabat, quemadmodum multiplicabat Deus miſericordiam ſuam cum illo: venti turbines ſuos ad invocationem ipſius nominis coërcebant, & maria ab amaritudine quieſcebant. Sed his breviter commemoratis, veniamus ad miracula, quæ vel audivimus vel vidimus in civitate Dei noſtri, id eſt in Paraclito, ubi requieſcit glorioſus Confeſſor Dei Wilhelmus. *a*

E

miraculis clareſcit,

F

58 Cum adhuc eſſet Abbas Wilhelmus in corpore corruptibili, laborans ſenio, duo dentes ex capite ejus avulſi ſunt: quos committens Fratri Saxoni, dixit: Habe cuſtodiam horum dentium penes te, & noli illos amittere. Fecit ille quod rogatus fuerat, hæſitans intra ſe cur hoc ei mandatum dediſſet. Poſtquam autem tulit eum Dominus de medio, diſcipuli ejus qui ſuperſtites erant, in memoriam tanti Patris, aliquid de rebus vel veſtimentis ejus ſibi impertiri optabant: inter quos ad fuit Sacriſta, Brixius nomine, conquerens ſe nihil de rebus ipſius accepiſſe, preter mitram pelliceam, quam ſolitus erat geſtare in capite. Cui ſic conquerenti, Frater cui dentes commiſſi fuerant, reſpondit: Dabo tibi donum non parvum, immo magnum, margaritam pretioſam, ſcilicet dentem Patris noſtri, qui te in vita ſua dilexit, non ſingulariter ſolum, ſed ſpecialiter unum. Et hæc dicens, tradidit dentem. Ille pro collato ſibi munere gratias agens multimodas, ſuſceptum dentem, prout decuit, in magna habuit veneratione. O quanta Deus mortalibus per hunc dentem poſtmodum contulit beneficia! quæ ſi ſcriberentur, mens infirma credere nequaquam acquieſceret.

a primum in dentibus quæ viventi excideranr,

59 Erat

A *quorum ablutione ſanatur morbus caducus,*

59 Erat tunc temporis in clauſtro quidam ſcholaris, Grimolfus nomine, fere quindecim annos ab ortu habens, morbo laborans caduco. Quodam die, cum in terram prædicto morbo eliſus, volutaretur ſpumans, ſupervenit Abbas Richardus, viri Dei ſucceſſor: & miſericordia motus ſuper eum, dicit ſecretario qui ſecum venerat: Vides quam miſerabiliter cruciatur Clericus iſte? Vade ocius, & dentem Patris in aqua lava, & ipſam aquam ori ejus infunde, ut probemus quid virtutis habeat in ſe dens ille. Obtemperans præcepto Abbatis, ſibi injunctum implevit: cumque ſalutiferum liquorem ori laborantis infundere vellet, non potuit, quia dentes ad invicem tenebat compreſſos. Arripiens igitur cultellum fauces illius diſiunxit, infundens ori ejus aquam allatam: quam cum guſtando abſorbuiſſet, cœpit fremere & gemere, ſicut ſi bullientem olei liquorem ſumpſiſſet: poſt paululum tamen requievit, quaſi in ecſtaſi raptus. Tranſactis aliquibus horis diei, revixit ſpiritus ejus, & reſurrexit ſanus: de reliquo vero morbus ille eum non tetigit, neque contriſtavit, nec quidquam moleſtiæ intulit. Hoc initium ſignorum fecit ſervus Dei poſt tranſitum ſuum, in conſpectu diſcipulorum ſuorum, & manifeſtavit gloriam ſuam. Eamdem conſecutus eſt miſericordiam Sueno filius Tolph, morbo laborans ſimili.

B

60 Manifeſtavit iterum S. Wilhelmus gloriam ſanctitatis ſuæ in villa *b* Friſleven: manifeſtavit autem ſic. Erat inibi mulier quædam, obſeſſa dæmone peſſimo: quæ omnibus ad ſe conſolationis cauſa accedentibus ſecreta cordis detegebat, & exprobrabat peccata, prout ſuggeſſit ei inimicus. Diaconus, qui erat in villa illa, venit ut invocaret ſuper eum nomen Dei ſui, & ejiceret dæmonium. Vidit mulier Diaconum ad ſe intrantem, & concitata ad contumelias, exclamavit: Diacone, ad quid venis? ſta foris. Non es dignus ut intres ſub tecto meo. Quis es, bene novi, & facta tua; habens ſcientiam viarum tuarum. Tu es qui pauperis mulieris gallinam furabaris, & deplumabas, & plumas cum pennis ſubtus una ſæpe abſcondebas, & eamdem in cœna edebas, putans furtum tuum me latere. Recede à me, peſſime; recede: longe ſit à me benedictio tua. Diaconus de ſibi objectis confuſus, triſtior quam advenerat in domum ſuam eſt reverſus, objecti criminis conſcius. Converſus quidam de familia & de domo ipſius Sancti, in eadem villa exiſtens manſionarius, predictæ mulieris deteſtatus inſaniam, venit ad clauſtrum, & petiit ſibi dari aquam, in qua dens ſancti viri lotus eſſet. Petiit, & obtinuit, & reverſus obtulit illam mulieri ad bibendum: bibit, & expulſo ſpiritu immundo ſalva facta eſt ex infirmitate ſua. Poſtea non multo elapſo tempore, altera mulier in eadem villa arrepta eſt à dæmonio, & ſimili curata eſt medicamine.

b *& energumena duæ liberantur.*

C

item in Mettelhuſe alia,

61 Iter faciente Fr. Saxone, dum tranſiret Metheluſe, homines illius villæ clamabant ad eum, dicentes: Domine, ſi quid potes, adjuva nos, miſertus noſtri. Quos cum interrogaret, quid haberent, & quid ſibi vellent fieri; reſponderunt, Eſt hic mulier, Heſtrith nomine, quæ habens nimium appetitum edendi radices olerum, ingreſſa eſt hortum ſuum, & cœpit eas ab humo effodere, & effoſſas avide corrodere; quod cum feciſſet, ſtatim inſiluit in eam ſpiritus malignus, vehementer diſcerpens eam: & ecce eam ligatam tenemus, ne ſeipſam interficiat ac pueros ſuos ſtrangulet: virgis eam cædimus & majora flagella minamur, ſed in hoc non proficimus, imo magis pœnam pœnæ accumulamus. Commotus ille ſuper infortunio mulieris, juſſit ſibi aquam exhiberi, quam dente S. Wilhelmi, quem ſibi retinuerat, conſignans, & in ea tingens, invocato nomine ſanctæ Trinitatis & ipſius Sancti, dedit eis ut auferrent, ac furenti porrigerent mulieri. Cumque oblatam bibiſſet aquam, mox hoſpes improbus, vim ſacri liquoris non ſuſtinens, domicilum quod occupaverat reliquit invitus, mulierque ſenſum recepit priſtinum. Frater vero ſupradictus poſt paululum reverſus, declinavit ad domum mulieris, ut videret qualiter ſe haberet: invenit eam ſane ſapientem, & laudantem Deum in Sancto ſuo, qui fecit miſericordiam ſuam cum illa.

AUCTORE DISCIPUL. EX MS.

& parturiēs præmortuo fœtu

62 In eadem villa uxor Wideri erat gravida: impletum eſt tempus illius pariendi, ſed præ difficultate partus parere non poterat. Torquebatur miſere; laborans partu, ſed non pariens; languens, ſed non moriens. Talibus cruciatibus afflicta, omnibus ſuis fit cauſa doloris. Interea intra matris clauſtra infans privatur vita, & fit infelicis matris uterus miſeræ prolis tumulus: jacet funus in funere, mortuum in moriente, ante ſubtractum quam viſum, ante ſepultum quam natum. Vir autem ipſius, pro morte mulieris ſuæ anxius, huc illucque diſcurrit; omnes circumvenit, ſi quid remedii moribundæ mulieri poſſet reperire. Tandem venit ad clauſtrum, Sacriſtam invenit, inquirit ab eo ſi aliquid conſilii, ſcripto vel medicina, novit contra tam miſerum caſum: Cui ſic interroganti, reſpondit: Non eſt opus medicina vel ſcripto in tali articulo, ſed Dei & Sanctorum ſuffragio: ſi fidem adhibueris, credo me ei antidotum poſſe conferre ſalutis. Lavabo dentem S. Wilhelmi in aqua, quam ei deferes ad bibendum: ſi crediderit ſe ejus meritis poſſe liberari, poſt guſtum illius evadet periculum mortis. Fecit quod promiſit, & inſtructum bene in fide cum potu ſalutifero remiſit ad propria. Cumque domum reverſus fuiſſet, quod attulit infudit ori mulieris, præ dolore morti jam proximæ, & egreditur. Vix eo egreſſo foras, & liquore ſancto ad ſecreta mulieris decurrente, peperit fœtum putridum. Quod cum vidiſſet, reſumpto ſpiritu, exclamavit: Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe habebam concipere. Attende, Domine, & vide, ſi eſt dolor ut eſt dolor meus: ſed gratias tibi ago, qui me meritis ſancti Confeſſoris tui Wilhelmi à periculo mortis liberaſti. Audientes vicini quod factum fuiſſet cum illa tale miraculum, congratulabantur ei, dantes laudes Deo & S. Wilhelmo non minores pro ſecundo miraculo quam pro primo.

E

eadem aqua hauſta vitā ſervat.

F

furioſus quidam ſanæ mentis reddi-tur,

63 Quodam tempore, dum Fr. Saxo jam ſæpe nominatus veniſſet Willike, & ſe in hoſpitium recepiſſet; intravit quidam dæmoniacus, furens & frendens. Hunc tanta vexabat dementia, ut ſæpius habitatione relicta inter beſtias quaſi beſtia viveret. Ex ingreſſu ipſius tota turbatur familia, timens inſultum ejus. Furentem intuitus Frater, dixit, Vis comedere? Cui ille ſubſannando & debacchando reſpondit: Tu comede. Reſpondenti ſic, iterum ait, Vis bibere? & præcepit ſibi aquam miniſtrari. Cumque mora fieret in allatione aquæ, accepit ſerum quod in promptu erat; & intingens in eo dentem S. Wilhelmi, porrexit furioſo. Cumque biberet, factum eſt in ore ejus dulce ſicut mel: unde datori ſuo ait, Bonum eſt quod mihi dediſti, peto ut des amplius. Et cum bibiſſet ſecundo & tertio, expulſo ſpiritu phantaſtico, compos ſui effectus eſt. Secundo die ſequebatur eumdem Fratrem ad clauſtrum magnificans Deum, & gratias exolvit liberatori ſuo Wilhelmo, docens omnes experimento ſui, quia potens eſt & ſanctum nomen ejus.

64 Quodam tempore, cum D. Petrus Roſchildenſis Epiſcopus, & Frater noſter, apud nos eſſet, & in veſpere ad cœnam diſcubuiſſet; famuli ejus,

AUCTORE DISCIPULO EX MS.

qui inferebant ea quæ ad refectionem erant neceſſaria, nuntiaverunt ei dicentes, Benedictus ſit Deus, quia jam vidimus oculis noſtris cereum ardentem, tãquam faculam de cælo, ſupra ſepulcrum S. Wilhelmi deſcendere; & tectum eccleſiæ deſcendenti pervium iter facere. Intravit unus poſt alium ejuſdem viſionis nuntius. Tunc Venerandus Sacerdos, luminibus erectis in cælum, benedicens Deum, ſic orſus eſt loqui: Niſi quia potens eſt Dominus quod & quantum vult & quomodo vult magnificare & glorificare, vix poſſum adhibere fidem miraculis, quæ ad quorumdam ſepulcra referuntur facta, quorum vitam & converſationem in carne exiſtentium cognovi: ſed nullus ſcrupulus dubietatis cordi meo inhæret de virtutibus, quæ ab iſto Sancto fiunt; cujus vitam tam probatam in omnibus eſſe perpendi, ut vix aliquis cordis ejus contritionem aut compunctionem, mentis humilitatem, conſcientiæ puritatem, ad amicos & inimicos magnam caritatem, & ad pauperes in maxima paupertate eximiam largitatem, ſufficiat admirari: laudabo igitur nomen ejus aſſidue & collaudabo illud in confeſſione, quoniam ſtabilita ſunt bona illius in Domino, & ipſe erit ei merces æterna.

ſuper ſepulcrum fax accenſa celitus viſa deſcendere:

B

ad illud curatur mulier à ventris tumore,

65 Quædam mulier, pauper rebus, ſed fide dives, præſentavit ſe ſepulcro S. Wilhelmi, gratiam ſanitatis ab eo poſtulatura: quæ ventrem, ſicut vidimus, adeo inflatum habuit tumoris magnitudine, ut vix trium ulnarum cingulo cingeretur. Fratribus ad refectionem euntibus, illa acceptâ licentiâ ad ſepulcrum viri Dei lacrymis & orationibus inſiſtebat: ipſis ſumentibus cibum corporalem, ipſa reficitur cibo ſpirituali: nam illo horæ ſpatio curata eſt ab infirmitate ſua, veluti ſibi oranti Confeſſor Domini reſpondiſſet: Mulier, magna eſt fides tua; fiat tibi ſicut vis. O quam firma fides infirmæ! quam meritoria! quam cito remunerata! Fratribus ad Eccleſiam reverſis, in gratiis agendis, ita tenuis & gracilis eſt inventa, ut vix eadem crederetur, nullum retinens veſtigium tumoris ſive inflationis. Interrogata ſi aliquam ruptionem intrinſecus vel extrinſecus ſuſtinuiſſet, per quam humor noxius vel ſanies defluxit; negavit ſe aliquid ruptionis vel doloris in ſui curatione ſenſiſſe, ſed tumorem ſedatum fuiſſe, ſicut placuit ei qui eam ſanam fecit. In memoriam hujus facti & ad augmentum fidei aliorum, ſuſpenſum eſt cingulum, quo uſa fuerat, habens longitudinem ſuperius poſitam. Compulſantur igitur ſigna, & dantur laudes Deo, & glorificatur ab omnibus in miraculo, quod pro ſui famuli fecit merito. Multiplicantur de die in diem prodigia; non deficit, ſed augmentatur in domo Dei lecythus olei; ſudat alabaſtrum unguenti, fragrat celeſtis odor balſami; concurrunt turbæ languidorum, & conſequuntur præmia beneficiorum.

C

Queritur Sanctus in choris Canonicorum arctari ſe:

66 Quantæ ſanctitatis memorabilis Pater noſter S. Wilhelmus in vita ſua extiterit, ſubſequentium veluti & præcedentium miraculorum declarabunt prodigia: ut enim pietatis ſuæ multimoda beneficia frequenter & in publico indigentibus exhiberet, ſæpius Fratribus & aliis per viſiones conqueſtus eſt, ſe in arcto loco concludi; eo quod in medio choro modicæ eccleſiæ, ex lignis fabricatæ, tumulatus eſſet, paucorum præter Fratres receptibilis; ideoque neque eis prodeſſe neque aliis ſe poſſe conferre optatæ ſoſpitatis gratiam, quamdiu ibidem arctaretur & acceſſus hominum prohiberetur. Igitur dum in ſeptimo anno, poſtquam requievit à laboribus ſuis, ſanctuarium novæ & latioris eccleſiæ ex tegulis conſtructum conſummaretur, & chorus Fratrum in eo diſponeretur, ſeparatus longe à mauſeolo viri Dei, ligneaque eccleſia peregrinis & infirmis undequaque adventantibus ad orandum relinqueretur; in vigilia Aſcenſionis Domini tanta multitudo populi convenit, ut ipſâ eccleſiâ repletâ, vix tota curia alios capere poſſet: tunc à veſpera uſque ad Miſſam ſubſequentis diei, quatuordecim facta ſunt miracula: proxima vero Dominica quatuor, in feſto vero Pentecoſtes omni die quatuor vel quinque.

locoque libero relicto,

D

67 Succedente vero feſto B. Botulfi Abbatis, quod *d* colitur octo diebus ante feſtum S. Joannis Baptiſtæ, cum majus altare in honore B. Thomæ Apoſtoli à Venerabili Rodſcildenſi Epiſcopo Petro dedicaretur, tot & tanta fiebant mirabilia, ut nullus ea referre ſciat, præter illum quem nihil latet: In via enim per quam veniebant, & in ſilva longe à monaſterio, ubi ſederat vel deambulaverat ſervus Dei, ſanabantur ægroti. O quantum gaudium & exultatio tunc fuit in omni populo, vidente magnalia & mirabilia Dei quæ operabatur per Sanctum ſuum! Reſonabat eccleſia, reſonabat & curia, reſonabat & ſilva in voces laudantium & dicentium, Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Reddidimus & nos penſum ſervitutis noſtræ, cantantes & pſallentes in corde & ore Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus, & quoniam viſitavit nos oriens ex alto, & erexit cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui. Tunc recordati ſumus verborum ipſius, quibus conſolabatur nos in vita ſua, conquerentes de paupertate noſtra: dicebat enim nobis: Patientes eſtote, quoniam adhuc viſitabit vos Deus in ſalutari ſuo, & replebuntur horrea veſtra ſaturitate, & erit locus iſte valde glorioſus.

d crebrrima fiunt miracula.

E

ANNOTATA.

a *Hic finiuntur Acta apud Surium, & extrema clauſula in contrarium prorſus ſenſum convertitur, ut in Comment. prævio diximus.*

b *Vicus eſt media inter Ringſtadium & Faxam via, hodie* fræs leuff.

c *De hoc ita Claudius du Moulinet*: Fuit nepos Abſalonis eique ſucceſſit, *(ſcilicet anno 1178 facto Archiepiſcopo)* emiſerat autem Canonicam Profeſſionem Pariſiis in manibus Stephani Abbatis S. Genovefæ, poſtea Epiſcopi Tornacenſis, qui ad ipſum duas ex ſuis epiſtolas direxit, ſcilicet Ep. 157 & 163. Obitus ejus notatur in Necrologio S. Genovefæ die 18 Octobris hoc modo, Anniverſarium piæ memoriæ Petri Roſchildenſis Epiſcopi, Cancellarii Regni Daciæ, Canonici noſtri Profeſſi.

F

d *17 Iunii: unde autem ejus cultus in Dania? Ex eo nempe, quod Dani diu in Anglia dominati, præcipuos quoque Angliæ ſanctos didicerint venerari.*

CAPUT VII.

Alia S. Vilhelmi miracula.

a Illuminatur cæca una

68 QUædam mulier de *a* Kopmanhaven, Olava nomine, ab infantia oculos habuit dolentes, propter quam cauſam cæcitatem incurrit: audiens hæc famam ſancti viri ubique celebrem, venit ad ſepulcrum ejus, lacrymis & orationibus poſtulans ut lumen recipere mereretur. Petiit, & obtinuit quod voluit: nam dum orationi inſiſteret, aperti ſunt oculi ejus, ita ut clare videret omnia. In vigilia Pentecoſtes juvenis viginti annorum, paralyſi diſſolutus & omni membrorum officio deſtitutus, ad tumulum S. Wilhelmi manibus aliorum apportatus, deponitur: rogatur cuſtos ſepulcri, ut exhibeat illi paralytico ſalutarem liquorem, ſcilicet aquam in qua dens S. Wilhelmi [lotus erat: qui] ſatisfaciens precibus

precibus rogantium, dedit aquam medicinalem, qua guſtata infirmus officium membrorum recipit, omnibus articulis ad debitum uſum conſolidatis.

b & alteram

69 Quædam mulier de *b* Bardeleve, Reginalda nomine, ab utero matris ſuæ egreſſa fuerat cæca. Sicut tenebræ ejus ita & lumen ejus: lumine carebat oculorum, ſed lumine vigebat cordis. Unde in fide radicata & fundata, ſciens quia prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, ducatu fratris ſui ad S. Wilhelmum peregre profecta eſt. Quo cum perveniſſet, nocturno tempore cœpit vigilias in ipſo cœmeterio facere. Cumque reſideret & requieſceret à labore ſuo, horror gravis invaſit eam, & timor & tremor venerunt ſuper eam: unde quaſi in ecſtaſi facta, ſupra pedes ſuos erigebatur, & manibus miros faciebat plauſus; poſt paululum ad terram relabitur, iterumque erigitur. Cumque ſic ſæpius impelleretur, frater ipſius, ſciens eam concepta prole eſſe gravidam, timuit valde ne abortivum faceret, vel quod in utero portaret pro tanta laboris magnitudine ſuffocaret: unde converſus ad Dominum & ad Sanctum ejus, pro ea cœpit humiliter deprecari. Quia vero oculi Domini ſunt ſuper juſtos & aureos ejus in preces eorum, infans conſervatur in utero, & mulier illuminatur viri Dei merito: nam nox ejus verſa eſt in lucem, & ſub ipſius temporis tenebris tenebras amiſit oculorum.

c Sanatur Sacerdos oculis debitis,

70 Andreas Sacerdos de *c* Zunhe diutino labore oculorum periclitabatur, & timebat ſe lumen oculorum amittere & continuæ noctis tenebris ſubjici. Corde igitur contrito & ſpiritu humiliato, ut has tenebras evadere poſſit, ad S. Wilhelmum ſe ſpondet profecturum. Habens igitur ſpem recuperandæ ſanitatis, & ſciens quia ſtulta & infidelis promiſſio diſplicet Deo, iter aggreditur, votum ſuum completurus. Et quia virtus Sancti erat ad ſanandum eum, in via qua veniebat, remota caligine, oculi ſui cœperunt clareſcere, & viſum amiſſum recuperare. Perveniens ad ſepulcrum viri Dei hoc miraculum omnibus pandit, benedicens Deum, qui dedit eis talem Patronum in ſalutem populi ſui.

Energumeno muto loquela redditur,

71 Ante quinque dies feſtivitatis B. Joannis Baptiſtæ, cives Roſchildenſes profecti de civitate ſua venerunt ad S. Wilhelmum: hos comitatus eſt quidam mutus, mercenarius bonus, Ketillus nomine, Normannus natione: hujus linguam ſatanas ligaverat undecim annos, nec quidquam loqui poterat. Poſtquam eccleſiam ingreſſus eſt, conturbavit eum ſpiritus, & eliſus concidit in terram. Reſurgebat ſæpius, ſed gradu inſtabili ſtare non valebat: vertebat ſe in latera, & volutabatur de loco ad locum: corruebat in faciem ſuam, allidebatur ad petram, quocumque impetus eum ferebat: caſu frequenti læſus multumque diſcerptus, veſtes ſuas projiciebat: malo ſuo veniſſe videbatur, quia inſanire putabatur, quem ſic virtus divina ſanare diſponebat. Nocte Dominica Matutinis fere decantatis, ſolutum eſt vinculum linguæ ejus & loquebatur recte, magnificans Deum. Accurrit populus ad pium & glorioſum ſpectaculum; tam gaudio plenum quam admiratione dignum: accurrunt Roſchildenſes, ut videant Ketillum loquentem, quem diu noverant obmuteſcentem: tandem preſentatur Fratribus, & ante Priorem ſiſtitur: cui interroganti, unde eſſet & quomodo loquelam perdidiſſet, reſpondit: De Norwegia ſum oriundus, ante undecim annos obdormiens in campo, perdidi loquelam: obdormivi ſanus, evigilavi mutus. Hæc eo referente, quædam matrona nobilis, apud quam fuerat hoſpitatus duobus annis, perhibebat teſtimonium verbis ejus, cum multis aliis qui convenerant ad diem feſtum.

72 In die S. Nicolai venit ad nos quidam ruſticus de *d* Lucethorp, cum filio ſuo ſurdo & muto, habente annos duodecim. Hunc pater deputaverat cuſtodem pecorum ſuorum: qui, ut mos eſt paſtoribus, jacens in quodam monticulo, obdormivit: Cum autem ſurrexiſſet à gravi ſomno, ſurdus factus eſt & mutus. Rogavit nos pro filio, ut Sancti admitteretur ſepulcro: roganti aſſenſum præbuimus: cuſtos vero ſepulcri accipiens dentem S. Wilhelmi, in aquam miſit, & eamdem auribus & ori pueri infudit, dicens: Præcipio tibi in nomine Domini & per virtutem S. Wilhelmi, ut dicas nobis quo voceris nomine. Ad hanc vocem adjurantis apertum eſt os pueri, auditu ſimul reſtituto, & reſpondit: Petrus. Poſt hæc interrogatus plura, reſpondit libere ad ſingula: videntes hæc gavisi ſumus gaudio magno, laudantes Deum in Sancto ſuo, qui ſurdum fecit audire & mutum loqui.

AUCTORE DISCIPUL. EX MS.

d Curatur ſurdus & mutus unus

& alter:

73 Alio tempore oblatus eſt quidam puer ſeptem annorum, quem matris uterus in hanc lucem profudit ſurdum & mutum: aderat tunc in eccleſia non minima multitudo populi, quam rumor novitatis attraxit. Suſcipiens ergo Frater illam communem languidorum ac infirmorum efficacem medicinam, miſit in os pueri & in aures dicens: In virtute S. Wilhelmi præcipio tibi, ut poſt me loquaris verba, quæ me audieris proferentem. Adjuratus in virtute ſancti Confeſſoris, mox duos ſenſus, ſibi à primordio ſui ortus denegatos, capeſſit, ſcilicet auditum & loquelam: & inchoante Fratre Dominicam orationem, loquitur verbum poſt verbum, voce articulata & intelligibili, licet in verbis formandis & exprimendis balbutiret: qui autem adduxerant eum, ſtabant ſtupefacti, mirantes de his quæ procedebant de ore ejus.

item queocubus ulceroſus

74 Quadam ſolennitate, cum innumeri utriuſq; ſexus ad Sanctũ noſtrum concurrerent, attulit quædã mulier parvulam puellam inter brachia ſua, in cujus oculo ulcus excreverat immenſum, & ad intuendum valde horribile. Accedens illa cum filia ad Fratrem, qui curam agebat infirmorum, rogat ut ſtillam ſacri liquoris oculo miſeræ natæ infundat. Inclinans aures petitioni mulieris, perfecit rogatum, & inſuper ſanctum dentem tumori applicuit. Mirum dictu! ſtatim rupta eſt cutis ſub oculo, velut ferro transfixa, & tumor ſubſidit, cedens preſentiæ Reliquiarum: ſanieſque emanare non deſiit, donec oculus aperiretur, & claritate videndi ſimilis fieret incolumi: & omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

Sanitatem petenti

75 Crebreſcentibus miraculis & fama Confeſſoris creſcente, ad auxilium ipſius confugit quædam mulier, multis cruciata doloribus. Hæc Sanctum ſuppliciter exorabat, ut eam Domino ſuis precibus commendaret, quatenus ſic ſe de ſuis miſeriis liberaret, prout ſciret ſibi expedire. Nocturnas in eccleſia agens vigilias, cum leni correpta ſopore caput reclinaret ſuper *e* formam, cui ſanctus in vita ſua conſuevit incumbere, orationi inſiſtens, vidit Confeſſorem Domini aſſiſtentem ſibi & dicentem; Mulier, revertere in domum tuam, quia in præſenti non poteris curari: eſt tamen ſalus tua in manu Domini: poſtquam aliquantulum temporis feceris in tuis cruciatibus, tamquam lapis vivus in cæleſti ædificio collocaberis. In his verbis expergefacta mulier, lætior ex promiſſis efficitur quam ſi corporales amiſiſſet dolores: & quæ ſibi dicta fuerant circumſtantibus referens, & animadvertens Dei decretum eſſe immutabile, reverſa in domum ſuam, cum ſumma devotione vitæ ſuæ præſtolabatur terminum.

e ci a & felix mors promittitur.

debili ſanato

76 Nec illud ſilendum eſſe arbitror, quod Priori relatione non eſt multum diſſimile. Erat quidam debilis membris & quaſi phreneticus, in villa Aneſe quæ vicina eſt clauſtro: hic ſolatiũ ſuæ infirmitatis & debilita-

AUCTORE DISCIPULO EX MS.

debilitatis à Sancto volens impetrare, venit ad ſarcophagum ejus. Cumque inibi quinque dies continuaſſet in oratione & lacrymis, ut auxilium divinum ſuper ſe videret; ſomno ſubditur. Dormienti apparuit Confeſſor Dei, inquiens: Quid hic jaces? Sanitatem in hoc loco non habebis: te autem in domum tuam redeunte ſanitatem recuperabis: ſed illa non erit tibi diuturna. His auditis conturbatus eſt cor hominis & contremuerunt oſſa ejus, ſomnuſque ab oculis ejus tollitur. Excitatus itaque & viſionis ſuæ memor, non abſque magna cordis contritione, quod audierat nobis indicavit. Inſtructus ergo quod divina providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, ad proprios lares revertitur. Poſtmodum non multo elapſo tempore robuſtior factus, arrepta ſecuri, ut ligna ſecaret, ſilvam ingreditur: dumque ſtudioſius operi inſiſtit, robur, in quo laborabat ſuper eum corruit, & confractus membra mortuus eſt. Quid tamen cauſæ fuerit quod talem ſortitus eſt mortem, non eſt meum diſcutere: quia judicia Dei abyſſus multa.

indicatur brevi obeunda mors.

duæ mulieres curatæ, cæca una,

77 In eadem villa degebant duæ mulieres, diverſa infirmitate laborantes: altera lumen amiſerat oculorum, altera vero in quadam ſui corporis parte ſacro igne conſumebatur. Sedulas Deo pro ſui liberatione fundebant preces, & S. Wilhelmo ſe voto obligabant, ut ejus ſuffragantibus meritis à tanta calamitate liberari mererentur. His ita in oratione perſiſtentibus, illa cujus oculi caligaverant, in viſione videbat, ſe quaſi peregrinationis cauſa monaſterium S. Thomæ adire, obviumque S. Wilhelmum in via habere, ſuperpelliceo indutum, & aſperſorium cum aqua benedicta in manu ferentem: quo viſo admodum pavefacta, vix audet interrogare quis eſſet. Nihilominus tamen interrogat: Quis es tu, Domine? Cui ille, Confide filia, ego ſum Abbas Wilhelmus, quem ſæpius invocaſti: & nunc vado ad mulierem, quæ mordaci igne in villa tua tribulatur, quia clamat ad me tota die: tu autem interim vade ad locum requietionis meæ, & ibi præſtolare adventum meum. Eadem hora evigilavit ſana, lumine oculorum recepto: & in altera extinctus eſt ignis, non illuminans ſed conſumens. Ut autem breviter dicam, ſicut utraque divina miſeratione ſimul eſt curata, ſic ſimul ad ſepulcrum Confeſſoris Dei veniebant, ſimul in terram corruebant, ſimul ſurgebant, ſimul poſt gratiarum actiones glorioſa in ſe facta miracula omnibus prædicabant: nec hoc tantum illæ faciebant, ſed etiam villani ipſarum, qui curationi earum teſtimonium cum magno gaudio perhibebant.

B

C

altera ſacrũ ignem patiẽs:

f item Sacerdos eodem igne conſumptus.

78 Quidam Sacerdos de *f* Schania, Reinerus nomine, de Hazdelzar, percuſſus ſacro igne in lingua, ægrotabat fere ad mortem, quia erat ille languor fortiſſimus. Fuerat ille quondam S. Wilhelmi diſcipulus, ſed apoſtatando inter ſeculares ſeculariter vivebat. Cum mors jam eſſet in januis, & vitæ ſuæ terminus acceleraret, miſit filium ſuum ad monachos de eccleſia omnium Sanctorum, ut aliquem Fratrem ſibi adduceret, qui ei Confeſſionis & Unctionis miniſterium impenderet, & habitu ſuæ religionis inveſtiret. Interim ad ſe reverſus, & mente retractans quanta miraculorum gloria Dominus ſanctum ſuum Wilhelmum mirificaverat; compunctus corde, quod ei vel in carne viventi vel poſt carnis depoſitionem glorificato non ſatisfeciſſet, ait intra ſe: Pater ſancte, peccavi in cælum & coram te; jam non ſum dignus vocari filius tuus. Sed parce peccatis meis: ſi autem, antequam nuntius redierit, aliqua ſalvationis gratia me viſitaveris, ad domum tuam revertar, & quod deliqui curabo emendare. Corde vovit juſtitiam; & ecce divina miſeratio, quæ ſemper pœnitentibus præſto eſt, illi adfuit, & invocantem Sanctum ſuum liberavit. Extinguebatur ſubito ignis mordax, & rumpebatur tumor in ore, & ſanies mixta cum ſanguine profluebat, quaſi aliquis linguam digitis exprimeret. Sanus factus ſanctum adivit, narrans nobis quantum Dominus fecit animæ ſuæ: ſed tamen apoſtaſiæ ſuæ renuntiare diſtulit: erat enim de numero illorum, qui in tempore tribulationis ſuæ clamant ad Dominum, & cum liberati fuerint ad iniquitatem redeunt, & eſt error ille peior priore.

D

g Sanatur puella moribunda.

79 Puella quædam, in villa *g* Gherluſe, eodem torquebatur morbo: jam loqui ceſſaverat, & horam ultimam expectabat. Erat in eadem villa quidam Clericus, Laurentius nomine, qui eam tenere diligebat. Hic præ ceteris de morte ejus, quam diligebat anima ſua, anxius, ad clauſtrum properat, & impetrata aqua medicinali citius regreditur, & ori dilectæ ſuæ ſalutarem liquorem quem attulerat, curioſius infundit, & tumorem excreſcentem eodem perungit, quo facto morbi materia extincta eſt & mulier convaluit ab infirmitate ſua.

& mulier phrenetica, h

80 Sed quid facilius eſt, dare ſalutem mentis an corporis? qui multos ſanavit in corpore, mulierem de Ripenſi *h* civitate ſanavit in mente. Inſanierat multis ſeptimanis poſt partum, & viro ſuo, matri & ſorori & ceteris amicis ſuis inopinatum doloris vulnus inflixerat. Ab iſtis ad Sanctum trahitur; manibus à tergo ligatis, licet renitens ac reclamans, Sancto præſentatur: in eccleſiam ducta, eccleſiam replet clamore, verba blaſphemiæ multiplicando. Ibi tota die & tota nocte inſaniens, adveniente luce ſolis, lucem recipere meruit rationis: ſoluta à vinculis, diſcrimen impoſuit capillis ſuis: veſtita veſtibus ſuis, fecit gaudium ſuis conſanguineis: in Miſſa matutinali ſumpſit Euchariſtiam de manu Sacerdotis; & quæ adducta fuerat in triſtitia, jam ſui compos remeavit cum lætitia.

E

Accipiter amiſſus reſtituitur,

81 Vir quidam, Bernardus nomine, ad nundinas Schanienſes tendebat navigio: cui in mare navi-ganti, accipiter, quem in manu tenebat, elapſus abvolavit. Altera die cum ad portum applicuiſſet, & ad prandendum diſcubuiſſet, audivit à ſecum diſcumbentibus, per S. Wilhelmum ſuis temporibus inaudita fieri miracula. Quibus admiratus & de amiſſione ſui accipitris cor adhuc habens ſaucium, in hunc prorupit ſermonem: S. Wilhelme, redde mihi accipitrem meum, & dabo tibi marcam ceræ. Finitis his verbis, accipiter nutu divino advenit, & coram eo reſedit. Attonitus novitate tanti miraculi, quod Sancto vovit, reddere non diſtulit, laudem referens Altiſſimo, qui dedit talem poteſtatem hominibus. Magnus Confeſſor noſter, & magna virtus ejus, & miraculorum ejus non eſt numerus.

i Mulier paralytica ſanatur.

82 Allata eſt quædam mulier ad ſepulcrum ejus, Cæcilia nomine, de villa *i* Ekebe, membra habens univerſa paralyſi nimiâ diſſoluta; manuum, pedum, totiuſque corporis ſui penitus impos jacebat: nullum vitæ videbatur habere indicium, niſi quod oculis inerat motio. Quocumque illam corporis vocabat neceſſitas, duorum vel trium ferebatur auxilio; quia non ſeipſam à latere in latus vertere, non manus vel expanſas claudere vel clauſas porrigere, non pedes vel protenſos retrahere vel ad ſe collectos protendere valebat. Jacebat ab hora nona uſque in veſperam, Dei expectans miſericordiam. Tunc primo incepit tremere, deinde caput parumper movere: ſenſit tandem crura pedeſque ab inſenſibilitate revocari, calefieri nervos, totumque corpus præter dexterum brachium in quamdã agilitatis gratiam renovari. Senſit igitur & experta eſt, manifeſta Dei virtute ſe ſanam effectam, præter dexterum brachium, quod ad ſui correctionem remanſit aridum. Lætabunda illico reſedit, & lacrymis præ lætitia obortis

Sancto

Sancto gratiarum actiones relatura, ad tumbam ipsius accedit. Fit clamor in populo, laudatur Deus in excelso, qui tantam curationis gratiâ sancto suo præstat Wilhelmo. Cur tamen brachium aridum remanserit, nec omnimodam consecuta sit sanitatem, stupet mulier, miratur Frater sepulcri custos. Unde sequenti Dominica rogat eam redire, & pietatem Domini & ipsius Sancti pro brachii sui restauratione efflagitare. Conservabat mulier verba rogantis corde suo, & Dominica sequenti revertitur: sed qualis venit, talis recessit.

solo brachio excepto,

quod ipsum, facta omnium peccat. confessione,

83 Iterum in sancto die Pentecostes rediit: nec tunc exaudiri meruit. Miratur custos sepulcri mulierem toties cassо labore venire & redire, ait illi; Mulier, scrutare conscientiam tuam, & diligenter inquire si aliqua via iniquitatis in te est, & confitere eam, & mundaberis. Paruit sanis dictis, & in domo sua statuit ante oculos cordis occulta conscientiæ, diligenter investigans quo commisso adhuc tenetur obnoxia. Tandem reminiscitur quoddam facinus se commisisse, quod numquam alicui fuerat confessa. Tunc ingemiscens, precibusque & lacrymis largioribus indulgens, ad Sanctum Dei regreditur; & invento Fratre qui custodiam habebat sepulcri; adorat eum prona, dicens, Domine propitius esto mihi peccatrici. Multum quidem peccavi, nec emendare curavi; sed audi me sero pœnitentem, & ora pro peccatis meis. Confessa igitur prædicto Sacerdoti crimen quod celaverat, & emendationis vitæ faciens sponsionem, repente marcidi brachii recepit sanitatem. Videns se mulier totius corporis recepisse valetudinem, gratulabunda exclamavit, Convertimini ad Dominum Deum nostrum, quoniam benignus & misericors est, patiens & multum misericors, & præstabilis super malitia. Erat eodem die festivitas S. Joannis Baptistæ, & convenerat maxima multitudo utriusque sexus, quæ audientes quæ facta fuerant glorificabant Deum, qui ad hoc hactenus mulierem flagellavit in corpore, ut animam ejus mundaret à crimine. O magnæ pietatis virum, cujus precibus ab omni clade, tam animæ quam corporis, liberata est mulier! O insigne prodigium! quia quanto anima pars hominis est potior, tanto constat curationem ipsius glorioſius esse miraculum. Vere per Confessorem nostrum factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

B

ei restituitur.

leprosus mundat r.

C

84 Erat quidam juvenis in Guthlandia, Lignerus nomine, dives valde, sed leprosus. Multa medicis, filiis hominum in quibus non est salus, pro sui corporis mũdatione voluit dare; sed non fuit qui adjuvaret eum. Advertens tandem, quia vana salus hominis, & quoniam adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem suam: ad nos post transitum maris pervenit, spe corporalis sanitatis adipiscendæ. Manus illius, brachia, pedes, & crura, totumque corpus sordida lepra infecerat: post aliquot tempus secundum petitionem suam mansit nobiscum, vigiliis & orationi insistens, & se sæpius aqua medicinali lavans ac refrigerans. Quo facto, secundum fidei suæ meritum, de die in diem melioratur, lepræ contagio evanescente. Reversus iterum ad patriam suam perfecte curatus est, & qui prius præ fœtore omnibus erat vitabilis, deinceps habuit communionem cum hominibus, & habitavit cum illis. Testes suæ curationis habuimus parochianos suos & Sacerdotem: qui reintegrata carne sua & refloreſcente, nullum signum lepræ in eo testati sunt remansisse.

ANNOTATA.

AUCTORE DISCIPUL. EX MS.

a *Id est* Mercatorum portus, *nunc civitas regia in Zelandia & duriori contractione* Koffenhafn, *atque Latine scribentibus etiam brevius* Hafnia: *Belgis autem corrupte* Coppenhaghen.

b *An vicus in tabulis, dictus* Balderup? *ut hic legi debeat saltem* Barderuve? *esset illud intra* 20 *milliare a cœnobio S. Thomæ ad Orientem.*

c *Forte nunc* Sund-by, *ad fauces æstuarii Roschildensis.*

d *Videtur esse* Lystrup *propè Faxam, quæ enim nomina olim, viciniori Belgis dialecto, terminabantur in* thorp *sive* dorp *pagus, nunc ibi in* trup *omnia terminat usus.*

e *In Vita S. Lupicini* 21 *Martii num.* 2 formula, *Itemque* 1 *Ian. in Vita S. Eugenii num.* 4. *Sed & in Regula monasterii S. Cæsareæ* 12 *Ian. num.* 35. *jubentur Virgines* Primiceriæ vel Formariæ obedire: *at appareat choro Præfectam designari, &* Formas *dici subsellia choralia, ante quæ solet etiam reclinatorium aptari, ad eorum qui genu flexi orant commoditatem.*

f Schania *dicitur extrema pars continentis, Zelandiæ objecta atq; ad Daniæ regnum pertinens, contermina Sueciæ: in hac prope* Landskroon, *notatur* Herfle, *fortassis ex nomine* Hazdelzar *reliquum.*

E

g *Hodie* Gierlose, *inter* Slangerup & Fredericburgum, *diœcesis Roschildensis oppidà, ad septentrionem.*

h *In lutia an Oceanum Occidentalem juxta Nispæ ostia, de qua sæpe ad Acta S. Anscharii* 3 *Febr.*

i *Forte nunc* Egby *prope Kugam: ultra quam versus Faxam invenitur etiam duplex* Egede.

CAPUT VIII.

Reliqua miracula S. Wilhelmi.

85 Vere glorioſus Dominus in Sancto suo, & laudabilis in operibus illius, qui puellæ Inghefrit nomine, de Nordèberghe, de villa *a* Luagbe, pessimo contagio lepræ infectæ, ac siniſtro oculo cæcatæ misericorditer subvenit, in domo sui Confessoris Wilhelmi, [dum ei partim] visum reddidit, partim à lepra mundavit. Hæc tanti beneficii munus adepta, parẽtibus suis, quibus immensi doloris causa fuerat, inopinatæ lætitiæ reportavit materiam ad propria rediens, & inter redeundum tota mundata. Sequenti anno cũ matre sua rediit, lepra ex toto fugata, S. Wilhelmo pro tanto beneficio gratias actura, qui liberavit corpus suum à perditione. In reditu ejus obstuperunt qui eã prius viderant, quia sic erat alterata facies ejus, sic lepra annihilata, sic caro florida. Sacerdos Joannes & mater ejus perhibebant testimonium, quoniam meritis S. Wilhelmi mundata erat à lepra sua.

Mundantur puella a

F

86 Aggravata est manus domini super mulierem *b* Allandensem, Tonnam nomine, lepram per totum corpus ejus diffundens, & carnem ejus gravi ulcere vulnerans: omnes qui videbant eam aspernabantur eam, quia à planta pedis usque ad verticem non erat in ea sanitas. Audivit mulier famam Confessoris, & plurima percepit de miraculis ejus, unde festinavit adire eum, ut tribueret ei secundum cor suum, & adimpleret desiderium suum, & fieret secundum fidem suam. Cum perveniſſet ad locum proſtravit se in oratione juxta sepulcrum ejus, & clamavit ad Dominum ex toto corde suo, ut sui misereretur. Audivit Dominus & misertus est ejus, factus est adjutor suus: nam ea surgente ab oratione, in conspectu omnium qui aderant, cecidit lepra de corpore ipsius, velut squammæ de pisce: & omnes qui videbant, benedicebant Dominum, dicentes, Quia hodie vidimus mirabilia.

b

& mulier à lepra.

87 Adducta est ad nos quædam contracta de

AUCTORE DISCIPULO EX MS.

Norwegia, viginti ſex annos ætatis habens. Iſta, auxilio ſuorum, multorum Sanctorum limina expetierat; ut cui natura officium gradiendi negaverat, auctor naturæ, cui omnis natura ſubditur, Sanctorum ſuffragio conferret. Sed diſtulit Deus apud alios dare ei ſalutem, ut ſancto ſuo Wilhelmo fieret cauſa laudis & gloriæ. Applicuit mulier ad portum ſalutis, ſcilicet ad ſepulcrum viri Dei, & ſtatuit in corde ſuo, ſpiritum ab oratione non relaxare nec alias diſcedere, quouſque conſolidaret baſes ejus & plantas. Poſt quindecim dies, nervis extenſis & talis pedū à natibus protenſis, ſtatuit Confeſſor noſter ſupra petram pedes ejus, & direxit greſſus ejus; & vidit omnis populus contractam ambulantem & laudantem Deum: vidit & gaviſus eſt.

curantur contracta, una,

88 Cum turba plurima conveniret ad S. Wilhelmum, & de civitatibus properarent ad eum; quædam contracta à nativitate ſua, Olava nomine, de oppido Copmanhaven, audita prioris miraculi fama, in vigilia S. Joannis Baptiſtæ ad Sanctum eſt allata: ſed præ preſſura gentium in eccleſiam venire nō potuit. Nocte igitur ſequenti, cum juxta eccleſiam verſus meridiem ſederet, & Sancti gratiam obortis lacrymis pro ſui liberatione devotiſſime interpellaret; apparuit ei quidam veneranda canitie, dicens, Mulier ingredere eccleſiam. At illa: Domine, inceſſu carens præ multitudine nequeo ingredi, nec habeo hominē qui mittat me in eccleſiam. Repe, inquit ei ſenior, ad oſtium eccleſiæ, quod reſpicit ad Aquilonem: & ibi occurret tibi homo in griſea cappa alboq; pileo, qui te introducet. In his verbis conſolata repſit velociter, & cum perveniſſet ad oſtium invenit hominem, habentem veſtitum ſicut dixit ei ſenior: qui ab ea rogatus tranſvexit eam in eccleſiam. Ubi recepta inter languidos, trementes & huc illucque corruentes, incepit & ipſa tremere: quod cum feciſſet, cognovit quia prope eſſent dies curationis ſuæ. Anxiabatur tamen, quod veſtes non haberet talares, ſed tantummodo breves in quibus ſolebat repere: unde Sanctum in hunc modū interpellabat, Alme Chriſti Confeſſor Wilhelme, ſi volueris mihi gratiā ſanitatis conferre, quæſo ne ſinas me per pavimentum volutari cum ſim ſemitecta, ne reveletur turpitudo mea, & fiā in deriſum omni populo. Oravit, & ſecundum orationē ſuam factum eſt ei: nam primo Nocturno finito cum quieſceret, dextri cruris nervos à nativitate contractos ſenſit laxari & laxando extendi: & item quaſi poſt horam unam ſimiliter nervos ſiniſtri cruris. Conſolidatis poſt paululum baſibus & plantis ſuis, erigitur ſupra pedes: & quod natura non dederat, huc illucque incedendo, exercitio apprehendit. Quo facto immiſit in os populi canticum novum, carmen Deo noſtro: viderunt enim multi & lætati ſunt, & ſperaverunt in Domino. Hujus mulieris teſtis fuit Decanus Abſalon, de eccleſia B. Mariæ de Copmanhaven cum Fratribus ſuis, & omnes cives illius caſtri.

ultra,

tertia.

89 Memorabile & inter fideles memorandū, quod piiſſimi Patris noſtri gratia quorumdā votum prævenit, & ad voti obligationem eos compellit; quorūdam ſponſionem ſtatim cum ſalute ſubſequitur; quibuſdam occurrit in itinere, quoſdam ſuſcipit in introitu cœmeterii; alios vel in eccleſia vel ad ipſum ſepulcrum præſtolatur; alios abeuntes comitatur; nonnullos diutius ab auxilio ſuſpendens, tandem ſanitati reſtituit. Mulieri de civitate *c* Lundenſi, Guthæ nomine, contractis nervis atque conſtrictis, viginti quinque annis ſubtractus erat inceſſus. Hæc bis ad Sanctum [venit], nec tamen voto ſuo potita ſoſpes eſt reverſa. Secundo die poſt Aſcenſionem Domini tertio advenit, & uſque in vigiliam Pentecoſtes jugiter juxta ſepulcrum vigiliis & orationibus incumbens, miſericordiam Dei & ipſius Sancti devotius præſtolabatur. Reſpexit Dominus humilitatem ancillæ ſuæ, adjiciens ei quod oratione intendebat: nam in ſancta vigilia Pentecoſtes, expletis Prophetiis *d* & Glorificationibus, Diacono Euangelium pronuntiante, ſomnus ſuaviſſimus obrepſit ei, & audivit vocem dicentem ſibi, Mulier, ſurge: non decet Chriſtianos ad Euangelium ſedere, ſed cum reverentia ſtare & auſcultare quod legitur. Excitata reſpexit ad mulierē quæ ſtabat ad tergum ejus, & interrogavit eam, quid ſibi diceret. Cui illa: Nihil. Intelligens hanc vocem veniſſe deſuper, exultavit uberius, & ſtatim ſenſit nervos extendi, non tamen abſque moleſtia; tibias vegetari, carnem refoveri, & medullam in oſſibus caleſieri. Inventa igitur dragma quam perdiderat, ſurrexit lætabunda & laudans; & antequam lectio Euangelii finem reciperet, ter ſepulcrum Confeſſoris firmo gradu circuivit, obnixius gratias perſonando: populus autem in hymnis & confeſſionibus benedicebat Dominum, qui diem ſubſequentem, in quo & igne cæleſti mons Sinain canduit, & ſuper Chriſti diſcipulos Spiritus ſanctus in linguis igneis deſcendit, tanti miraculi gloria voluit prævenire.

d

Puer in molendino contritus

90 Paulus, filius Entinghi, puer octo annorum, de villa Tortorpuyt, cum parentibus ſuis [hoſpitabatur juxta molendinum, quod pertinet] ad manſionem monachorum de Aſwarbode: quibus in pratis ad fœnum congregandum euntibus, puer domi remanſit. Intrans interim domū molendini, ut duceret equum qui trahebat molendinum, per impetum rotæ ipſius molendini impulſus, cecidit inter quamdam columnam & ipſam rotam molendini; ita quod equus non poterat trahere molendinum. Sic inter rotam & columnam, dorſo confracto & aliis membris colliſis, permanſit ab ortu ſolis uſque ad tertiam. In illa hora venerunt octo homines, qui retrahentes rotam cum magna difficultate puerū mortuum extraxerunt. Accurrit domina domus, Ingerth nomine, & volens probare ſi adhuc viveret, vertebat eum huc atque illuc, & in auras ſublevabat: ſed fruſtra, quia non erat in eo vox nec ſenſus, ſed jacebat abſque flatu vitali, ita ut dicerent omnes, quia mortuus eſt. Adveniunt tandem miſeri parentes, ejulantes & clamantes, Domine, miſerere. Heu! quid accidit nobis? Et flexis genibus clamabant, Glorioſe Confeſſor Dei Wilhelme, redde nobis filium noſtrum. Et non ſurrexit puer, ſed tota illa die permanſit mortuus, & nocte uſque ad galli cantum. In galli cantu autem voventibus illis, quod ſi reſuſcitaretur, Deo & B. Wilhelmo eum præſentarent, revixit ſpiritus ejus, & cœpit moveri: ſed loquelam uſque ad diem non recuperavit. Mane illuceſcente die, dicebat matri, quando ibimus ad S. Wilhelmum? Gaviſa mulier & admirata quod Sanctum nominaret, quem numquam prius audierat nominari, reſpondit, Fili poſt octo dies, in die S. Laurentii, ſi vixeris. Adveniente ſolennitate glorioſi Martyris Laurentii, venerunt pariter pater & mater pueri, adducentes eum in manibus ſuis, jam ſana habentem membra, præter dorſum quod erat adhuc ſaucium, parte ſubtracta ubi fuerat fractum. Veritatem hujus miraculi diligentius inquiſivimus, & cognovimus, ex teſtimonio eorum & aliorum qui adfuerant, quia revera ſuſcitavit eum Confeſſor noſter à mortuis, & reddidit parentibus ſuis.

reſuſcitatur.

item alium aquis mer-ſus.

91 Filius cujuſdam viduæ in Oreberghem, annos ætatis habēs quatuor, ludens cū aliis pueris juxta amnem, ſed caſu lapſus infra crepidinē alvei, in ipſis aquis ſubmergitur. Redeunt pueri domū qui cum eo luſerant, nuntiantes matri quia in amne præcipitatus eſt filius ſuus. Quibus auditis, ſciſſis à pectore veſtibus & avulſis à capite capillis, clamat & ejulat, Væ mihi miſeræ! Hujus clamore glomerantur in unum vicini, & currentes ad locum ubi pueri eum corruiſſe

A corruiſſe aſſerunt, minime reperiunt. Deſcendentes per ripam amnis, reperiunt eum in quodã ſinu ipſius fluminis, ubi impetus gurgitis eũ involverat. Repertum extrahunt, atque extractum cum luctu & ejulatu domum reportant. Suſpendunt puerum pedibus luridi coloris, & os illius ligno impoſito reſerant, ut effluat aqua qua turget: ſed in hoc amplius labor & dolor, quia defecerat ſpiritus ejus. Deinde rotant eum in alveo, & ad vitam caſſo conatu revocare contendunt. Interea mater pueri, ſed jam non mater, orbata filio, continuas fundit lacrymas, crebra dat ſuſpiria, clamoſas voces dirigit ad Deum, non ceſſans S. Wilhelmum invocare, ut ei reſtituat filium ſuum: tanto dolore concutitur, tanto mœrore afficitur, ut omnes ad planctus & lamenta provocaret, omneſque pariter cum ea clamarent, Sancte Dei Confeſſor ſuper mortuum noſtrum auxilii tui oſtende virtutem, licet ſumus indigni: ut credamus mirabilibus tuis, quæ auribus noſtris frequenter inſonuerunt. Mater vero votum vovit, dicens: Sancte Dei, ſi filium meum meritis tuis ſuſcitatum recipere meruero, medietatem portionis ejus, quidquid eum in mobilibus continget, tibi offeram, & eum ad te adducam. Miſertus Confeſſor mulieris,
B puerum vitæ reſtituit, apparente primitus in facie ejus nota ruboris, & poſtmodum eo oculos circumducente: & facta eſt lætitia magna in domo, & extrema luctus occupavit gaudium. Gaudium & lætitiam obtinuit mulier, & fugit dolor & gemitus ab ea, & exclamaverunt omnes, Confitebimur, Sancte Dei, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & nos cognoſcimus nimis. Sequenti anno cum filio ſuo viſitavit S. Wilhelmum, & coram omnibus Fratribus & populi multitudine, adhibitis ſibi teſtibus, filium ſuum mortuum & à mortuis revocatum, meritis S. Wilhelmi, confeſſa eſt. AUCTORE DISCIPULO EX MS.

ANNOTATA.

a *In extrema verſus meridiem Zelandia invenitur territorii* Waringhborgenſis *oppidum hoc nomine, pro quo an* Nordinbergh *hic irrepſerit divinent alii. Eſt & aliud* Lunghbe *in latere orientali prope Hafniam.*

b *Fortaſſe* Lalandenſis: *eſt autem* Lalandia, *inſula modica, Zelandiæ ad meridiem objecta, à Falſtria parvo diviſa freto.*

c *Daniæ metropolis* Lunda *& Sede Archiepiſcopali inſignis, in ea quæ dicitur Scania.*

d *Sex illæ ſunt, poſt quas in parochialibus eccleſiis ſequitur Benedictio fontis, hic omiſſa, ac denique decantatis litaniis intonatur* Gloria in excelſis, *eodem ſcilicet ritu quo in Vigilia Paſchatis.* E

DE B. CATHARINA PALANTINA,

FUNDATRICE MONASTERII S. MARIÆ DE MONTE SUPRA VARESIVM IN DVCATV MEDIOLANENSI.

D. P.

AN. MCCCC-LXXVIII. *Vitis Arianis creditur S. Ambroſius erexiſſe altare D. V.*

C Um alias, ut fama eſt, B. Ambroſius hæreticos Arianos, qui in Mediolanenſi diœceſi & aliis Lombardiæ partibus quã maxime invaluerant, perſequendo; eos de quodam monte, in diœceſi prædicta exiſtente, & in quo hæretici prædicti ſe receperant, divino auxilio adjutus expuliſſet; inibi in honorem B. Mariæ Virginis, à qua, ut firmiter creditur, victoria contra dictos hæreticos ſibi promiſſa fuerat, quoddam altare erexit; & aſſiſtentibus ſibi quã plurimis aliis Epiſcopis conſecravit, & in eo primus Miſſam in honorem ejuſdem Beatæ Virginis decantavit. Poſtmodum Chriſti fidelium devotione ſucceſcente, inibi eccleſia in honorem ejuſdem B Virginis Mariæ conſtructa extitit, confluente ad illam ab inde citra magna populi multitudine, devotionis cauſa, quam ad ipſam B. Mariam Virginẽ gerunt, ac etiam ob crebra miracula, quæ inibi Altiſſimus interceſſione ejuſdem indies operari nõ ceſſat. *Hactenus Innocentius Papa* VIII, *per bullam anni* MCCCCXCI *concedens Indulgentias quaſdã pie locum adeuntibus proponendas. Rem geſtam Ripamontius lib.* 4 *Hiſtoriæ Mediolan. aliique narrant diffuſius.*

in monte ſupra Vareſium ſito,

2 *Mons ille, olim ſitu & aſcenſu aſperrimus, nunc ad majorem peregrinantium commoditatem magno ſumptu quadantenus levigatus, & latiori ac faciliori calle conſcendendus, diſtat Mediolano paſſuum millibus circiter quinquaginta; atque ab Occidente quidem Lacum Verbanum vulgo Majorem, ad Auſtrum vero Boreamque minores duos lacus deſpicit, quorum hic à Lugano, iſte à Ghivira adjacentibus oppidis nomẽ habet.* Montem, *à vicinis dextra levaque caſtellis, alii* de Velate, *alii* de Orona *nuncupant: verum frequentior uſus, à Mediolanenſibus inductus, habet ut nuncupetur* S. Maria de monte ſupra Vareſium, *quod eſt inter Arni Olanæque rivulorum principia non minimum oppidum,* Varonis vicus *aliquibus dictum, teſte Leandro Alberti in deſcriptione Italiæ. Ejuſdem montis fundataq; in eo eccleſiæ religionẽ antiquam hoc demonſtrat, quod jam inde ab anno* MX *Archipresbyteros, Diaconis Canoniciſq; ibidem conſtitutis præpoſitos, inveniatur habuiſſe:*

ubi ab anno 1010 Archipresbyteri fuere,

quorũ ad quindecim uſq; in antiquis monumentis nominatim expreſſos, teſtatur vidiſſe Cæſar Tettamantius; addens, tantam eorum fuiſſe auctoritatẽ, ut minores Ordines & Beneficia ipſa conferendi jus haberent; eoq; in ſtatu rẽ manſiſſe uſq; ad tempora Gaſparini Perri, qui pro ſuo in monaſterium iſtic conſtitutũ affectu tam ſuam Arch presbyteralem quã ceteras Canonicales præbendas eidem fecit attribui anno MDII: *exindeque ejuſdem eccleſiæ Curati dici cœpere Archipresbyterales Vicarii.*

ac demum monaſterium inſtituit Catharina,

3 *Eccleſiæ hujus, additique eidem anno* MCCCCLXXXIV *Sixti* IV *auctoritate Parthencnis, plenam hiſtoriam deſcriptionemque Mediolanenſibus typis vulgavit Cæſar Tettamantius, Oblatus & Curatus Robeccarus, anno* 1655: *quam nos, anno poſt ſexto, Mediolano tranſeuntes accepimus dono adm. R D. Chriſtophori Suadelli, in eccleſia Metropolitana Sacriſtæ Titularis. Ex hac hiſtoria damus Vitam B. Catharinæ Palantinæ ſive de Palantia, eremitica primum converſatione ibidem, dein monaſtica inſtitutione claræ. Fuerat ea poſt mortem ſepulta in eccleſia loci collegiata: ſed* pro exhumanda B. Catharina *facultatẽ requiſitus Alexander Papa VI,* Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & conventui monaſterii B. Mariæ montis, Ordinis S. Ambroſii ad nemus, ſub Regula S. Auguſtini degẽtibus, Mediolanẽſis diœceſis, *dedit Breve, cujus exemplar, una cum reliquis de cultu Beatæ documentis, atq; authenticis miraculorum inſtrumentis, ad nos miſit, qui ſpiritualia exercitia ex more noſtræ Societatis piis illis ſanctimonialibus traditurus præſens aderat in ſacro Monte, & oculis perſpecta renuntiare poterat, dum hæc commentanda ſuſcepiſſemus,* R. P. *Franciſcus Caſtilionæus, veteri amicitia nobis dum vixit conjunctus. Ipſius Brevis hæc verba ſunt.*

pro qua ex humanda & transferenda

4 Dilectæ in Domino filiæ, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis feciſtis, quod cum quondam Catharina de Palantia, prima Abbatiſſa iſtius Monaſterii, ab hac luce migraſſet, & iſtud monaſterium eccleſiam intra ejus clauſuram non haberet, illa in Collegiata eccleſia S. Mariæ Montis, prope quã dictum monaſterium conſtitutũ eſt, ſepulta fuit; quodque deſideratis corpus ipſius Catharinæ, propter ejus laudabilem vitam, etiam ex eo quia prima Abbatiſſa

facultatem largitur Alexander 6.

AUCTORE D. P.

tissa istius monasterii fuit, inde exhumari, & in ecclesia istius monasterii sepeliri facere. Nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, ut corpus ipsius Catharinæ de dicta ecclesia, in qua sepultũ est, de consensu quorum interest, exhumari facere, & ad ecclesiã intra clausur ãistius monasterii existentẽ transferre, ac in ea sepeliri facere, libere & licite valeatis, tenore præsentium concedimus pariter & indulgemus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceteriscque contrariis quibuscumq;. Datũ Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVI Aprilis MDII, Pontificatus nostri anno decimo.

D. de Sancto Sebastiano

concessum deinde ut publice veneranda servaretur in ecclesia,

5 *Hactenus privatæ dumtaxat Sanctimonialium ergà defunctam Matrem pietati factum potetat videri satis; nihil enim in dicto Brevi est quod ad publicã veneratiomem, Catharinæ velut Beatæ concessam, extendi possit. Sed evicit fidelium circũcirca degentium pia importunitas, ne ab oculis vulgi removeretur sacrum depositum, utque extra claustrum retineretur in ecclesia, iis quorum interesset indulgentibus, ut asserit Tettamantius num.* 23: *qui circa exhumationis modum, resesi corporis statum, translationis ordinem, depositionis secundæ formã nihil nos docuit, quia nihil de iis scriptum antiquitus invenit. Non dubitamus tamen, quin legitime impetrata sit indulgentia exponendi publice corporis: quandoquidem teste præcitato Tettamantio, anno* MDXXXIII pulchrũ factum sit in dicta ecclesia monumentum, *cum tali, quam Castillionæus descriptã misit, epigraphe:* Hujus precibus cæci visum, claudi gressum, muti loquelam, leprosus munditiam, deformis decorem, ægrotantes sanitatem recipiunt: asthmaticus, debiles & languidi curantur: *quemadmodũ plenius legi potest in tredecim Notarialibus & publicis instrumẽtis, quæ, omissis communibus & identidem recurrentibus juris formulis, quartum hujus Vitæ caput constituunt; brevius autem, sed Italice, habentur apud Tettamantium Historiæ ipsius capite* 18.

B

eique miraculis coruscæ an 1533 *conditum insigne monumentum,*

6 *Fuerunt ea omnia miracula intra duos primos ab obitu Beatæ menses patrata: postea plura alia facta sunt, quæ licet scriptis authenticis exarata non extent, multa tamen & magna fuisse oportet, quorum causa prædictum excitatum est monumentum,* in quo supra terram modice elevato, intra sacellum trium Magorum, nunc requiescit venerabile corpus, & sæpe adhuc ostenditur, fere ex toto integrũ. Quoties autem ostenditur, *inquit, Castilionæus,* duæ ut minimũ candelæ accenduntur ante arcam; & adstant Clerici linteati duo, funalia totidem accensa præferentes manibus: præter lampadem jugiter ante sepulcrum ardentem, cereosque & funalia, ab accurrente ad venerationem frequentem populo reverenter oblata. Plures etiam curant crebras istic ad honorem Beatæ Missas celebrari: numquam tamen frequentiori concursu colitur, quam Dominica in Albis: siquidem hic dies peculiari festivitate celebris habetur, eo quod dies VI Aprilis, qua ad cælestem patriam abiit Beata, ut plurimum incidit in Quadragesimam, in qua, juxta ritum Ambrosianum, nullius Sancti solennitas agitur. Tunc autem in memoriam Beatæ decantatur Sacrum de Spiritu sancto. Anathemata, etiã argentea, oblata sunt & identidem offeruntur non pauca; sed non diu relinquuntur monumento appensa, verum separatim servantur de mandato Abbatissæ. Variæ quoque imagines circum templum visuntur, in quibus Catharina radiato capite, & titulo Beatæ expresse adscripto, honorata conspicitur: etiam in antiquissima una supra altum parietem depicta; nec non in iconibus æri incisis, quæ fovendæ peregrinorum adventantium pietati à Sanctimonialibus distribuuntur.

in quo spectatur cum cultu cereorum,

C

& precipue colitur Dominica in Albis.

Congregationis Ambrosianæ exordia,

7 *Congregatio Ambrosiana, unde, habitum, Regulam, Officii divini ritum assumpsit B. Catharina, pridem extincta est, summorum Pontificum auctoritate. Dum stetit, intra solam Mediolanensem Provinciam stetit, multa ibidem numerans monasteria, sub uno proprio Generali, residente in primaria hujus instituti Abbatia, quæ* S. Ambrosii ad nemus, *vulgo* Andemo, *dicebatur. Est illa in uno suburbiorum Mediolanensium, quod à Comensi porta nomen habet, olim & silvulam densam fuisse, & tres viros nobiles S. Ambrosii ævo eremiticam duxisse vitam, & sæpe ab eodem sancto Præsule visitatos esse, habet antiqua loci traditio. Certe ab iis, qui locum postea incoluere, eremitis erecta ibi S. Ambrosio ecclesia est: eorum autem successores, assumpta demum S. Augustini regula ad monasticum transiere institutum, quod deinde vehementer in illa Provincia est propagatum, uti scribit Paulus Morigia cap.* 45 *in Historia Religionum. Habuisse non virorum solum, sed etiam mulierum monasteria, ideo persuademur, quia non credimus absque exemplo fuisse hoc montanum cœnobium:* certum tamen est, *inquit Castillionæus,* quod dictum cœnobium immediate subjaceat Jurisdictioni Archiepiscopali; & nec olim quidem, cum adhuc staret Ambrosiana Congregatio, ejus Generali aut missis ab eo Visitatoribus ullatenus fuit subjectum. *Hoc ipsum satis liquet ex Vita mox danda, & ex Tettamantii historia: cum Gasparinus de Porris, ipsius loci Archipresbyter, cui ejusque successoribus ex professionis suæ formula sanctimoniales istæ subjiciebãtur, Sacerdos fuerit secularis. Quomodo tamen Oblatæ Turris-speculorum, à S. Franciscæ Romanæ institutæ, Ordini accensentur Camaldulensi, à quo habitum formamque vivendi sumpsere, licet absque ulla ad Ordinem subjectione: ita ad Congregationem Ambrosianam censendum est pertinuisse monasterium S. Mariæ de monte.*

D

ad eam quomodo spectarit B. Catharina,

E

ejus patria Palantia,

8 *Cognomentum Beata retinuit à patria Palantia, quam Carolus Episcopus Novarienses, lib.* 1 *suæ Novariæ in descriptione Terminationis Intrensis,* nobilem vicum seu burgũ *appellat, situm ad ripam Occiduam Laci, majoris* XV *circiter milliaribus à Monte. Alii eamdem fecerunt cum antiqua Pollentia, longius requirenda; sed ipse sustinet antiquum satis nomen retinere à* Palante, *Claudii Imperatoris liberto carissimo: idque duobus confirmat argumentis. Primo quia in ipso loco reperitur marmoreum monumentum, pro salute Claudii ibi positum, ab altero ejusdem Claudii liberto, non minus caro, Narcisso. Secundo quia in altera laci ripa viculus sit* Calpurninus, *vulgo* Carpugninus *dictus; scimus autem ex Tacito, fuisse Narcisso isti amasiam prædilectam, nomine Calpurniam. Quæ dicens Carolus, videtur sensisse, quod Narcissus plurium circa Lacum fundorum dominus fuerit, ex quibus unum à sodali ac socio, iterum ab amica nuncupari jusserit. Quæ quam fortassis vera, tam certo vana sunt omnia: & hujus B. Catharinæ, apud cæli Dominum gratiosæ, natalibus clarior longe facta est Palantia; quam à memoria quantumcumque potentis hominis in aula Imperatoris terreni.*

F

VITA

Ex Italico Cæsaris Tettamantii.

CAPUT I.

Natales Catharinæ, & vitæ in Monte sancto solitariæ rigor ac forma.

Domesticis omnibus peste extinctis,

1 CIrca annum Domini MCCCCXXXVII, in nobili atque opulenta urbecula Novariensis diœcesis, Palantia dicta, & ad ripam Majoris lacus sita, habitans vir quidam non infimi generis nec fortunarum; quem ex felici matrimonio duodecim prolium parentem Deus fecerat; pestilentiæ istic grassantis fugiendæ causa, cum iis cumque familia cetera migravit Vogoniam, *a* Vallis Ossolanæ oppidum. Sed & hic ingressa epidemiæ lues, continuatis funeribus patrẽ, matrem, & utriusque sexus liberos sustulit, una ex omnibus superstite filiola Catharina; quæ delata Mediolanum est, commendataque matronæ nobili, dictæ etiam ipsi Catharinæ, cognomine de Silentio, & amicæ

Catharina defertur Mediolanum:

A mitæ cujuſdam Jacobi de Oſſona, ibidem nominatiſſimi. Hanc magis quam nobilitas ſua ornabat vitæ ſanctioris fama: itaque ſub ejus tutela educanda parvula, cœpit à teneris unguiculis futuræ ſanctitatis dare indicia; congruis ætatulæ illi ornata virtutibus, humilitate, obedientia, tenero erga res omnes ſacras affectu, atque imprimis ea, quam ex magiſtræ & nutricis ſuæ hauriebat exemplis, religione erga beatiſſimam virginem Dei matrem, cui ſingulis ſabbatinis diebus millies Ave-Maria recitare in conſuetudinem aſſumpſit. Abit interim è vivis matrona prædicta, & paucos intra annos bis orphanam relinquit Catharinam; quæ humanæ mortalitatis conſideratione ad mundi contemptũ Chriſtique ſequendi ac imitandi deſiderium excitata vehementius; magna cum gratia incipiebat de hiſce rebus, deque mortificandis affectibus naturalibus, atque æterna beatitudine dumtaxat appetenda, loqui frequentius, ad ſtuporem audientium, & tam præcocem in ea ſapientiam ad mirantium.

ibique pientiſſime educata,

2 Annum agenti decimum quartum ætatis, inſpiravit Deus deſiderium grande vitæ in ſtatu religioſo degendæ, & unico caſtarum animarum Sponſo dicandæ virginitatis. Hanc quia videbat non poſſe ſervari intaminatam, niſi corpus redigeretur in ſervitutem ſubiicereturque ſpiritui, cœpit illud macerare vigiliis, jejuniis, orationibus; crebris etiam flagellis carnem ſuam innocentem affligere; & quarum caſtitatem notiori ſciebat encomio celebrari per Eccleſiam catholicam, Sanctarum, inquam, Virginum Catharinæ, Agnetis, Luciæ aliarumque adhibere patrocinia, earum profeſtis iejunando, aliiſque eas modis demerendo. Tandem quod animo conſtituerat reapſe aggreſſa, in monaſterium quoddam ſe recepit: ſed ne ibidem monaſtico indueretur habitu effecit prædictus Jacobus de Oſſuna & nobilis Eliſabetha Chiocara, quibus, multum ne faceret diſſuadentibus, non parere, ipſa quæ erat obedientiſſima ſibi ducebat religioni. Nempe novo quod conderet monaſterio reſervari eam volebat Deus: interim vero perſeverabat ipſa ſacra loca Mediolani inviſere, & nunc hanc, nunc illam adire eccleſiam; nuſquam tamen eſſe crebrius libentiuſque quam in Ambroſiana crypta, ſiquidem hunc Sanctum ſibi peculiariter optabat habere advocatum. Magnum quoque è lectione ſacra divinique verbi auditione capiebat fructum.

an. æt 14 ſtatuit Deo ſeipſam dicare.

B

prohibita monaſteriũ ingredi,

3 Accidit aliquando ut B. Albertus *b*, ex Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci, ad Mediolanenſem populum verba faciens, multa diceret de acerbiſſimis pœnis à Chriſto redemptore noſtro noſtri cauſa perpeſſis: quæ cum in pectus Catharinæ altius penetraſſent, ſtatim ut domum rediit, ante Crucifixi imaginem ſe proſtravit, & multis perfuſa lacrymis, votum vovit perpetuæ caſtitatis. Ab hinc cæleſtibus plenius perfundi deliciis, & Sponſum divinum crebrius cernere, etiam corporeis obtutibus, cœpit. Fuit cum ſomniavit quod ſola profundum procelloſumque mare enavigans, magno cum labore ad portum optatum appelleret; nec multo poſt Jeſum ſuum Crucifixum videret, audiretque dicentem: Dilecta filia Catharina, locum piis tuis deſideriis opportunum, in quo vitam ducas finiaſque mei unius intenta famulatui, elegi tibi, Sancta Maria in Monte appellatum. His verbis mirum in modum exhilarata Catharina, Palantiam ſe contulit; indeque poſt pauculorum dierum moram, ad ſacrum ſibique deſignatum montem: ubi ſolitarias quaſdam reperit, earumque vitam brevis temporis experientia probatam ſic adamavit, ut cum Palantiam revertiſſet, vale ultimum dictura conſanguineis ſuis, non potuerit à ſancto propoſito rationibus ullis dimoveri. Reverſa igitur ad eaſdem, cum animo numquam ex eo loco recedendi, ad unam omnes peſte afflatas reperit, magnaque cum caritate cunctis, uſque dum morerentur, inſervivit. Ad extremum contacta etiam ipſamet eſt, & neceſſarii auxilii cauſa Palantiam redire compulſa fuit. Hic illa metuens ne contagium à ſe traherent alii, votum nuncupavit Deo, quod ſi abſque ullius incommodo ſanitatem conſequeretur, mox eſſet in montem regreſſura, ibique manſura toto tempore vitæ ſuæ. Neque morata votum ſanitas eſt; ſed ipſo in veſtigio Catharinam apprehendit: adeo ut videatur Deus non aliam ob cauſam ei morbum iſtum immiſiſſe, quam ut voti religione firmaretur, quod ipſo inſpirante facere diſpoſuerat.

b vovet caſtitatem.

C

Monita divinitus de ſacro monte adeundo,

& peſte afflata,

EX ITAL. TETTAMANTII. *per votum ibi manendi ſanatur,*

4 Sciens porro quod Dei famulatum ſerio capeſcenti multa ſe offerre ſoleant impedimenta, pericula, tentamenta, brevi ferventique oratione in hunc fere modum affata dilectum ſuum eſt: O æterne atque omnipotens Creator & Redemptor Deus, ecce me humilem ancillam tuam, ad hunc aridum aſperumque locum profectam, ut tuæ faciam voluntati ſatis: ergo tibi animam corpuſque commendo: tu me protege, defende, guberna: quia ſine te nihil poſſum facere: cum tuo autem, ſpes mea, auxilio poſſum omnia. Fiat in me voluntas tua. Amen. His dictis in pedes erecta ſtetit, ac veluti ſi inter paradiſi delicias conſtitiſſet, exhilaratam ſe ſentiens, eremiticam ibi vitam auſpicata eſt, anno MCCCCLII, die XXIV Aprilis, apud Mediolanenſes magno Georgio Martyri ſacro. Venerant cum ea perſonæ quædam piæ, Chriſti tirunculam deducturæ ad locum deſtinati agonis: quibus Palantiam redire parantibus, turbari cœlum omne cœpit, tonitruiſque & fulminibus inhorreſcens, obſcuritate ſua effundendum mox imbrem minitari. Eas incertas conſilii Catharina videns, ſuaſit Angelicam ſalutationem ut dicerent flexis genibus ſingulæ: tum omnes ex ordine complexa oſculataque juſſit aſſurgere, atque in Dei nomine in viam ſe dare, promittens grandem illam pluviam, quam metuebant, non prius deſcenſuram, quam Palantiam ſiccæ revertiſſent

Montem adit ſeque offert Deo:

E

imbrem ſuſtinet dum ſocia redeat,

5 Ita jam ſolitariæ prima cura fuit mundare & reparare tuguriolum, in quo ſibi habitationem ſtatueret; quo labore uſque ad ſeram protracto veſperam, reſecit aliquantiſper, jejuna etiam tunc: actiſque Deo gratiis quod eam fatigationem pro ipſius amore pati mereretur, poſt aliquam requiem in orationem ſe dedit, recolendis Chriſti patientis tormentis pia meditatione intendens animum. Hoc ſic refecto, corpus etiam refici volens Deus, fecit ut ab oratione ſurgens prope videret poſitum panis fruſtum, illuc ab Angelo quopiam (ut pie credere volebat) allatum; eoque cum gratiarum actione ſumpto, rurſum orationi ſe reddidit & bonam noctis partem eidem impendit; reliquam ſomno modico, ſuper humum rudam capiendo. Perſeveravit deinde multis menſibus, tam aſperis initiis aſperiorem vitæ progreſſum addens, & contra objectos ab hoſte infernali terrores ſignum Crucis objiciens. Sæpe etiam ad ſepulcrum unius ex prædictis ſolitariis ſe conferens, mortem ridere & provocare videbatur. Animabat autem ipſa ſeſe ad perſeverantiam, conſideratione eorum laborum quos aulici, nautæ, milites, mercatores, agricolæ, in vita ſua ob ſpem temporalis alicujus commodi quotidie ſuſtinent. Dicebat quandoque etiam ipſa ſibi: Quot noctes inſomnes protraxit Chriſtus amore mei; quoties ſitim famemque ſuſtinuit? quantum mei cauſa ſudavit & alſit? & ego grave ducam pro eo viciſſim pati aliquid? Sic animo comparata, conſanguineis ad eam

F

vitam ſummo auſteram auſpicata,

in eadem conſtanter perſeverat.

EX ITAL. TETTAMANTII.

viſendam venientibus, ejuſque maciem atque ſquallorem miſerantibus, & locum commodiorem ut requireret perſuadere nitentibus, reſpondebat, ſpem ſibi firmam eſſe in Deo, cujus mandato iſtic cœpiſſet habitare.

jejuniorum ejus frequētia,

6 Primis porro ſex vitæ ſolitariæ annis, continuo jejunio corpus macerans, ſolis cibis quadrageſimalibus vixit, iiſque vilibus & admodum parce ſumptis: poſtea in gravem prolapſa morbum, coacta fuit nimiam illam abſtinentiam moderari aliquantum, eſurialibus diebus interponendo alios, quibus plenius faceret naturali neceſſitati ſatis; non aliis tamen, quam quos ſupra deſignavimus, cibis utens. Jejuniorum igitur hic ordo erat: primum à prima die Mercurii poſt Epiphaniam uſque ad Quadrageſimam & deincepsad Paſcha; quo intendebat Chriſti Servatoris, ex tunc jejunia ſua inchoantis, honorare exemplum: deinde à profeſto Aſcenſionis Dominicæ uſque ad Pentecoſten; imitatione Apoſtolorum, quos illo tempore jejunaſſe communis eſt opinio: tertiò ab Exaltione ſanctæ Crucis uſque ad Nativitatem Chriſti; ſecundum quorumdam Religioſorum inſtitutum. Jejunabat etiam quindecim diebus ante Aſſumptionem Dominæ noſtræ; vel quia ita ſe apparare volebat, ad precipuum ſacri Montis
B feſtum celebrandum religioſius; vel quia ipſius Deiparæ ſibi in hoc propoſuerat exemplum, quam Græci arbitrantur omnibus illis diebus jejunaſſe, ideoque & ipſi jejunium illud, quod Beatæ virginis nuncupant, ſervare conſueverunt. Ut verbo concludam, jejunabat Catharina totis fere decem menſibus per annum: & eamdem obſervantiam in ſuum monaſterium poſtea induxit, vivaque etiam nunc ſui exempli memoria, ibidem pro parte majori conſervat.

& aliarum pœnitentiarum rigor:

7 Præterea tribus primis annis, per omnes ſecundas, quartas ſextaſque ferias totius Quadrageſimæ omni prorſus alimento abſtinuit, ſola Dominici Corporis ſuſceptione contenta: ideinque faciebat in plurium Sanctorum profeſtis; id quod ſibi paratum erat, inter pauperes diſpartiens. Piſcibus etiam per Quadrageſimæ atque Adventus tempora ſemper abſtinuit; nimias eſſe delicias rata: & tunc pariter non niſi uno cibi genere reficiebatur. Tantum vero illius erat patiendi pro Chriſto deſiderium, ut illo jejuniorum rigore carnem macerans, iis adderet ternam quot diebus flagellationem ſui, catena ferrea, quæ nunc pro Reliquiis apud monachas eſt, ad hoc utens: ſemel pro ſuis delictis caſtigandis, iterum pro
C adjuvandis animabus Purgatorii, tertio pro omnibus totius mundi peccatis. Septemdecim inſuper continuis annis rudi veſtita cilicio fuit, funeque ex ſetis equinis contexto uſque adeo arcte conſtricta renes ut tenera ejus caro corroderetur haud modice. Hæc omnia condiebat meditatio jugis paſſionis Chriſti: cujus ut facilius recordaretur montem in quo habitabat Olivetano aut Calvario aſſimilabat; prælaga fortaſſis quod locus ille, ædificatis toto monte *c* ſacellis, per Roſarii myſteria diſtributis, transformandus aliquando eſſet in quādam ſanctæ Civitatis ſpeciem. Nullum etiam tranſire ſibi patiebatur diem, quo non Dominicæ Paſſionis hiſtoriam, ab Ioanne Euangeliſta conſcriptam, recitaret attente.

veſtitus

c

& ſomni ratio.

8 Quoties cubitum concedebat, exhauſtas vires reparatura ſomno breviſſimo, multis cum ſingultibus lacrymabunda dicebat: O durum dilecti mei lectulum! vulpes foveas habent & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet: ego vero peccatrix miſerrima ſupra paleas reclinor, ne duritiam ſentiam. Nocte autem natalis Dominici ſomnum nullum admittens, ſed totam illam contemplandis incarnati Verbi myſteriis impendens, aſſimilabatur prudentibus virginibus, Sponſi adventum præſtolantibus. Oratio porrò ejus D
pene jugis eſſe videbatur, cum ſæpe in quodam eremitorii ſui atriolo, multas per noctem horas genaflexa; quandoque etiam in extaſim rapta, decem horas continuaret orando. Si eam febris ſubinde tenebat, quamdiu quidem aliqua diſcipularum ſuarum aderat, captabat quietem; ubi autem illa receſſerat, iterum ad orandum convertebatur. Collegerat ſibi pſalmorum certorum & orationum vocalium omni die recitandorum faſciculum. Denique Miſſæ ſacrificio tanta cum animi applicatione conſueverat intereſſe, ut quoties ſacrum Chriſti corpus aut ſanguis in calice adorandus elevabatur, extra ſeipſam raperetur. Silentium tenebat, ubicumque & quandocumq; poterat ſalvis legibus caritatis: confabulationes vero verbaque otioſa vehementiſſime 1. Cor. 15. 33
oderat, ſciens à Paulo Apoſtolo dictum: Corrumpunt mores bonos colloquia prava.

atque orationi ſe maxime.

ANNOTATA.

a *In mappis Topographicis* Vgogna *ad* Toſam *fluvium, minus recte fortaſſis ſcriptum in dictis mappis pro* Oſa, *ex eo quod adjuncta rivo illi planities* vulgo val d'Oſa *vel vel* d'Oſſola *dicatur: noſtro enim ſcriptori notorum ſibi locorum certius conſtabat nomenclatura, quam peregrini chorographi alterando ſæpe corrumpunt Eſt autem Vigonia oppidum, Palantiæ ad Occidentem ſitum, intervallo circiter 14 milliarium.* E

b *In conventu S. Angeli Mediolani duos hoc tempore* Albertos *concionatores floruiſſe Waddingus dicit, & ab Arturo referuntur in Martyrologio Franciſcano; alter Morigius cognomento, 26 Iunij, qui floruit circa an.* 1448; *alter Sartianenſis à patria dictus, cujus ibidem ſepulti etiam miracula memorentur, anno* 1450 15 *Auguſti mortui, ad quem Mediolani audiendum ad 60 hominum millia aliquando confluxerint. Suſpicamur unum eumdemque eſſe: an autem vere cultum eccleſiaſticum habeat ad diem 15 Aug. examinabimus.*

c *Agit pluribus de hiſce Tettamantius cap. 23, vocatque ſacella ſanctiſſimi Roſarii, unde colligas, pro numero 15 myſteriorum Roſarii, totidem quoque eſſe ſacella, quomodo repreſentantur in quadam imagine B. Iulianæ una cum montis totius conſpectu.*

CAPUT II.

Socias aliquas admittit Catharina, prophetico ſpiritu & curationum gratia illuſtratur.

F

Catharina ſociam optanti,

9 NOn poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita, neque excellens virtus ſupra Chriſtum fundata, quia has ipſa montis Chriſtique ſublimitas omnium oculis ſpectanda attollit. Itaque annis nonnullis in eum, quem deſcripſimus, modum ſupra montem à ſancta noſtra ſolitaria ductis; lucernam ardentem lucentemque de ſub modio tollere, atque ad plurium utilitatem revelare volens Deus; effecit ut ſanctitatis ejus fama toto Mediolanenſi Ducatu diffunderetur, atque ad viſendam eam precumque illius imploranda auxilia quamplurimos undique evocaret; qui omnes ab ea dimittebantur, ad vitam è legis Chriſtianæ norma ducendam ſalubribus monitis inſtructi animatique. Porro idem Deus Catharinæ, ab ipſo fere eremiticæ vitæ principio, inſpiraverat deſiderium grande, inventæ à ſe utilitatis commoda communicandi cum aliis, in eamdem ſocietatem aggregandis; quas adhoc divinitus inci-
diebus 18 adhæret quædam Dominna; tari multa ſæpe precum rogabat inſtantia. Igitur ſeptuageſima poſtquam ſacrum montem aſcenderat die, venit ad viſitandam Catharinam quædam Domnina de Ruffinis, earum una quæ Palantia egredien-

rem

A tem ad montis aſpera Virginem deduxerant; &, niſi fallor, ejuſdem conſanguinea.. Hæc diebus octodecim in eremitorio iſto permanſit, & ſæpe notavit Catharinam genuflexam orare, pectuſque duro ſilice tundere, quemadmodum S. Hieronymus feciſſe memoratur.

poſtea Iuliana, puella ruſtica,

10 Anno deinde MCCCCLIV, die XIV Octobris, cum menſem in monte trigeſimum ageret virgo, ſociam eidem individuam adduxit cupido ſimilem ejus vitam ducendi; eamdemque in pluribus aliis exinde divina bonitas incendit. Fuit illa Juliana *a* de Pureſellis, inter Buſtum majus *b* & Galeratam nata, Caſſinæ Vergheranæ, ut quidam; ut alii ſentiunt, Caſſinæ-pauperum. Patrem ea habebat ruſticum, qui filiam pridem aſſuetam delectari impenſe ſacris frequentandis, divino verbo audiendo, Chriſtique cruciatibus recolendis; aſſuetam etiam Quadrageſimas totas ducere in pane & aqua, interimque non minus quam alii domeſticorum laborare; denique certam nullius mortalis ſponſi nuptiis implicari; multimodis per totos decem annos exagitavit, ad hoc ut maritum conſentiret admittere; quinimo aliquando in cubiculum clauſam crudeliter in facie verberavit, unum illud ſatagens qua minis qua colaphis extorquere. Cum igitur videret puella, non poſſe ſe paterna in domo, uni Deo placendi ſerviendique rationem qualem optabat tenere; cumque identidem precibus ſolicitaret Deiparam, indicare ſibi dignaretur modum, quo poſſet inflammatis animi ſui deſideriis fieri ſatis; inſtinctu quodam interiori ſenſit admoneri ſe, ſacrum Montem adiret, ibi intellectura, ubi, quomodo & qua in ſocietate deberet Chriſto famulari.

a b

patris ad nuptias cogentis ſaviciam fugiens,

B

& ex Catharina conſilium quærens,

11 Ivit igitur, quo diximus anno & die, ſui cujuſdam fratris viæ periti ſecuta ducatum; lucrataque Indulgentias, omnibus ibi tunc propoſitas, audivit de B. Catharina, qualem & quam ſanctam vitam illa in vicino ageret. Igitur ad eam adiit, rogavitque humiliter, ut quoniam neſciret ipſa quomodo deberet ſervire Deo, Catharina conſilium daret, quod ſibi certum eſſet exequi, veluti ex Dei ore acceptum. Vidit Beata ſancto eam Spiritu agi, ideoque reſpondit: Non debet humani ſpiritus conſilium præferri divino, qui & voluntatem ſerviendi Deo inſpiravit tibi, & deſiderium quærendi ex me modum quo id facere poſſes. Proinde ſi velis, me quid ſentiam aperire tibi, ipſaque cupis doceri experientia, & quod ego jam cœpi experiendo cognoſcere; ante omnia opus eſt ferventi oratione, qua præpares animam tuam ad tentationes, quæ Dei ſervitutem aggredientibus deeſſe neque poſſunt nec ſolent: ſcito interim, nullius tantam eſſe capacitatem ingenii, quæ comprehendere poſſit vel minimam partem eorum bonorum, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. Cumque accenſa his dictis Juliana iterum ſe ad omnia promptam offerret, rogaretque ut ne à ſua ipſam ſocietate repelleret Beata; iterum juſſa eſt ad orationem reverti. Paruit illa, indeque reverſa cœpit enarrare Catharinæ, quæ & quanta ſuſtinuiſſet paterna in domo. Tum denique dixit Beata, ea ſibi prorſus ſimilia videri S. Julianæ paſſionibus, proinde ipſam à ſe in ſociam recipi.

C

in ſociam admitti petit & impetrat.

ac licet rudis litterarum,

12 Exhilarata ſupra quam dici poteſt Juliana, & ad ſuum regreſſa fratrem, Domum, inquit, ſolus redi: ego enim hic & domum & matrem reperi, cujus ductu ſpero animam ſalvam facere. Erat autem tunc annorum viginti ſeptem; quapropter non iudicavit expedire Catharina, jacturam temporis facere in communicanda ipſi litterarum ſcientia; ſed ſatis habuit orationem Dominicam cum ſalute Angelica dicendam ei præſcribere, & alias nonnullas quotidiani uſus devotas precatiunculas eamdem edocere; tantos in hoc exercitio facientem progreſſus, ut ſanctimoniæ non vulgaris ſpem magiſtræ ſuæ daret. Et vero erat Iuliana proficiendi in ſpiritu cupidiſſima, ideoque ſæpe Catharinæ ſupplex accidebat ad genua, ut ne tæderet illam laboris ad ſuam inſtructionem neceſſarii, utque omnem Chriſto placendi rationem ſe vellet quam accuratiſſime docere. Igitur quadam die Catharina declaravit ei, Chriſtianæ diſciplinæ & perfectionis ſummam ea contineri, quam ipſe Dominus Ieſus nobis præſcripſit regula, dicens: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde: hac ergo via ſequendum eſſe Sponſum, ſiquidem progreſſum facere aliquem vellet. Atque ex ea hora tam ſerio id agere aggreſſa eſt Iuliana, ut quidquid ageret diceretve, humilitatem ſaperet. Interrogata autem cujus libri lectione tam ſalutarem ſcientiam adeo plene eſſet indepta, reſpondebat, Ejus ſolius libri, in quo caritas humilitasque, non tam verbis quam exemplis, legebantur deſcriptæ.

ex ITAL. TETTAMANTII.

egregie proficit, in humilitate præſertim.

His accedit Benedicta Bimia,

13 Annos viginti ſeptem ſic conjunctæ vixere Catharina & Iuliana, quando divinæ placuit boniſtati eis tertiam addere, quæ ſuavius ſtringeret nexum amoris utrimque ardentiſſimi, communicatione fervoris & amoris ſui. Siquidem ſub ejuſdem ſeculi annum LXXI, menſis martii die XI, Benedicta *c* Bimia, nobili prope Vareſium loco & genere edita, in ipſo ſuæ inventutis flore, tracta boni exempli odore, quem ſanctæ ille ſociæ longe lateque de ſe fundebant; nemine conſanguineorum ſuorum conſcio, nacta commoditatem ſacri montis adeundi, & eremitorii prænominati feneſtram unam apertam inveniens, ſubito illuc ſe per eamdem iniecit, attonitis ad improviſæ irruptionis novitatem Beatis. Quæ tamen ut ſanctum animæ illius cognovere propoſitum, ipſumque ex Deo eſſe probavere, nihil cunctatæ ſunt ſociam accipere Benedictam; quam, delicate licet enutritam, non terreret neque aſperitas loci, neque ipſis ſubjecta oculis victus cultuſque in eodem ab illis obſervata durities. Exemplum Benedictæ paulo poſt ſecuta eſt Franciſca *d* ejuſdem familiæ ac nominis Bimia, nec unquam deinceps defuere aliquæ, per quas Bimiarum nomen in ſancto monte perennaret; ſic ut hodie quoque ibidem ſuperſint ſanctimoniales quatuor appellationis iſtius. Denique eiſdem ſe quintam adjunxit quædam Paula de Amurtiis de Buſto.

c

E

nec non alia duæ:

d

ad quarum inſtructionem

14 His ſodalibus aſſociata Catharina, majori quam antehac fervore cœpit in omnigenæ virtutis ſtudium incumbere, veluti quæ non jam ſibi ſoli, ſed novis quoque in Chriſto filiabus neceſſe haberet ſpiritualis incrementi accipere alimoniam. Catharinam autem imitari certatim dum nituntur diſcipulæ, & exempla ejus in ſeipſas transferre; jacta ſunt novi monaſterii prima fundamina, non illa debilia & materialia, quæ nullam fabricam æternùm ſuſtinent; ſed ſpiritualia humilitatis, orationis, obedientiæ, patientiæ, abſtinentiæ & caſtitatis; ideoque firmiſſima, quia ſupra petram, quæ eſt Chriſtus, ſolidata. Exemplis addebat Beata ſalutarium quoque admonitionum verba, quibus efficaciam addebant petita ex Scripturis ſacris teſtimonia quæ eidem ſuggerebat, non ſtudii humani diligentia, ſed infuſa cælitus ſapientia, ſanctis orationibus contemplationibusque exculta, ad ſtuporem virorum etiam doctiſſimorum, qui talia eam tractantem & explanantem avidiſſime audiebant. Quam vero plene hac illam ſcientia imbuiſſet Spiritus ſancti unctio, vel inde poterat eſſe manifeſtum, quod quotieſcumque accidebat ut ad aram facientes coram ſe Sacerdotes perperam legerent aliquid pronuntiarentve, ſoleret eos ad ſe ſecreto accerſere, modeſteque rogare ut velient privatim præ-

F

egregia ſapientia Catharinæ infunditur,

videre

EX ITAL. TETTAMANTII.

videre Miſſam *e* dicendam, prius quam altare accederent, ne deinceps aliquid errarent in publico circa myſterium tam auguſtum, cum ſcandalo peritiorum quos intereſſe contingeret. Hortabatur etiam eoſdem Sacerdotes, maxime quibus incumberet animarum cura, ut earum ſaluti invigilarent ſedulo, & ſtuderent ſubditis vitæ exemplo prælucere, ſuoque officio cum diligentia atque caritate fungi.

e quæ etiam Sacerdotes inter ſacrificandum errantes corrigit,

15 Ad hæc impertiverat ei Deus donum introſpiciendorum cordium, quo nihil ei erat ad attemperandam loco, tempori, atque, perſonis monitionem opportunius. Etenim diſcrete admodum eo utebatur, & ſi quid tali ratione cognoviſſet obeſſe ſaluti alienæ profectuique, maxime ſuarum diſcipularum; cavebat ut quam minime offenderetur ea quæ erat monenda perſona, ideoque ipſi ſeorſim abductæ revelabat, quid de ea cognoviſſet: tanta cum evidentia veritatis, tantaque cum demonſtratione affectus materni ſuggerens remedia, ut nemo non culpam quantumvis occultiſſimam agnoſceret libens, emendationemque promitteret. Numquam iratam eam vidiſſet aliquis; nec ſiquid contra Dei legem factum referretur, immodice conturbatam: ſed eadem ſemper & verbis & vultui ejus ſuavitas ſerenitaſque perſtabant, indices interioris manſuetudinis: cui cum ſumma eſſet adjuncta humilitas, fiebat ut ipſa ſe peccatricem viliſſimam, omniumque judicaret indigniſſimã, quamvis ab omni labe mortali immunem ſemper vitam duxiſſet. Accidit vt ei iraſcens aliquis alapam infligeret: cui illa præcepti Dominici memor, alteram genam obvertit. Videbatur quidem in reprehendendis vitiis terribilis: ſed eam ſeveritatem leniebant verba plena amoris atque dulcedinis, quibus eorum etiam qui arguebantur corda vehementer inflammabat. Tam autem erat in omnibus ſuis morbis atque doloribus patiens, ut cum aliquando frequentia & aſperitate flagrorum ultra viginti plagas extenuato in corpore circumferret, ne minimo quidem ſigno monſtraret ullum tot vulnerum ſenſum.

& ſecreta cordium penetrat;

eodem faciunt inſignia ejus humilitas,

B

patientiæ,

caritas.

16 Ex eleemoſynis ſibi oblatis partem unam tenui ſuo ſervabat victui, partem diſtribuebat pauperibus; tertiam impendebat curandis Sacris, pro peccatorum converſione dicendis. Caritatis & commiſerationis viſcera habebat tenerrima, affligebaturque ſummopere, quoties aliquem eſſe tribulatum intelligebat. Quoniam vero per ſe ipſam nequibat exercere miſericordiæ corporalis externa opera, frequentibus orationibus conabatur ſupplere deficientem ad iſta facultatem. Euchariſtiæ ſacramento pientiſſime devota, omni die feſto curabat illud ſuſcipere, idque ita ut ſæpius extra ſe rapta videretur & ſolis cæleſtibus contemplandis intenta, tota quæ communionem præcedebat die ac nocte; quando etiam ſolis quadrageſimalibus utebatur cibis, ne tunc quidem ab hac pia conſuetudine diſcedens, quando ſacræ Synaxi deſtinata dies lunæ erat, adeoque ipſa in Dominica jejunandum. Imprimis autem curabat ſic vivere, juxta ſui S. Ambroſii monitũ, ut quotidie mereretur Euchariſtiam accipere; etiam leviſſimas noxas multa pœnitentia, lacrymis, dolore & crebra confeſſione expurgans. Illo quo communicabat die nulli prorſus perſonæ extraneæ loqui ſuſtinebat: diſcipulas autem ſuas tunc forte accedentes, breviſſimis expediebat verbis. Cum itaque intra ſe collecta toto maneret die, accidit quodam Dominicæ nativitatis feſto, ut internus animi ardor forte erumpens, inſolito rubore accenderet faciem, & radii quidam lucidi ab ea procedere viderentur.

S. Euchariſtiæ ſumendæ pie afficitur.

C

17 Sed & aliis gratiarum ſupernaturalium donis effectiſque voluit aliquando patefacere Dus, quam ea ſibi grata eſſet, cum & futura ſubinde prædiceret, & deſperatis ægritudinibus medelam afferret. Et primum quidem dum Catharina, quindecim dumtaxat annorum puella, Palantiæ per dies aliquot moraretur res ſuas diſpoſitura, eique ſocia adeſſet Domnina de Ruffinis, cujus alibi jam facta mentio; Domninæ fratres iniere conſilium, de eadem deſponenda cuidam illius oppidi civi. Ad amicam ſuam Catharinam Domnina conſilii cauſa accurrit: petit ipſa trium quatuorve dierum inducias, quibus Dei exquireret voluntatem: deinde dixit Domninæ: Si nubas Clementi (hoc erat civi illi nomen) multa tibi evenient incommoda: nihilo tamen minus obediendum eſſe fratribus cenſeo, promittoque tandem conſolandam te quieteque victuram. Nec aliter accidit quam prædixerat: Clemens ille, inter varias ſuæ familiæ calamitates, pene ſemper infirmus languit: Domnina vero poſt mortem ejus aſſumpſit habitum tertii Ordinis S. Franciſci, in eoque à curis ſecularibus abjuncta vixit. Nobili cuidam Lodevenſi ſublata furto erat capſa, magni pretii ſupellectile plena: qui poſtquam ſe Catharinæ orationibus commendavit, ipſam quadrageſimo die relatam domi ſuę invenit; nec ſcire unquã potuit quis retuliſſet.

Domnina ſocia matrimonii ſui ſucceſſum prædicit:

ablata precibus reſtitui facit:

18 Mulieribus ſex, diuturnæ ſterilitatis remedium per ejuſdem Catharinæ orationes ſperantibus, deſideratum matrimonii fructum impetravit: quas inter Magdalena quædam fuit, illuſtris femina, Ioanni Aloyſio Vice-Comiti nupta. Liberavit etiam juvenem quemdam ab infeſtatione dæmonum, qua mirum in modum vexabatur. Altera mulier graviſſime afflicta, ut ejus orationibus ſe commendavit, exauditam ſe & conſolatam reperit. Ægrotabat *f* Caſtilione Dominus Guido Caſtilionenſis, Legum Doctor & in Cathedrali Mediolanenſi Archipresbyter anno MCCCCLXVIII; qui medicos audiens vitæ ſuæ metuere, ad Catharinam, de cujus ſanctitate multa intellexerat, ablegavit P. Ioannem Beſozzum, interrogaturum an ab illo morbo convaleſceret. Reſpondit convaliturum Catharina, tantum eleemoſynas pro ſe fieri, Sacra aliquot dici, & nonnullos pauperes veſtiri curaret: quo facto paucos intra dies Archipresbyter convaluit. Petrus autem de Caſtiglione ibidem Archipresbyter, anno MCCCCLXXVII menſe Octobri, ad eamdem ſimili ex cauſa mittens nepotem ſuum Iacobum, futurum intellexit ut intra dies non multos certo moreretur, & mortuus eſt die quinto Novembris.

ſterilibus conjugiis prolem impetrat:

E

f

ægris vitam mortemve prænuntiat

19 Anno MCCCCLXII Mediolani in parochia S. Petri *g* Piſcatoris, extremo in periculo vitæ verſabatur parturiens Eliſabetha de Cattaneis, mater Donati Ciocari, cui expertiſſimi medici Simon Mazetta & Antonius Bernareggius clare edixerunt, fieri non poſſe ut ultra iſtum diem, aut ut ſummum noctem, mater viveret. His dictis ſupervenit quidã è *h* Sexto oppidulo. Eliſabethæ patria, Chriſtophorus nomine, ſignificavitque die poſtero in montem ſanctum iturum ſe: ad quem Donatus, Ergo, inquit, ad piam illam ſolitariam accede, obſecro, ut matri meæ à medicis depoſitæ productiorem impetret vitam, ſaltem ad annos ſeptem in honorem ſeptem gaudiorum Mariæ Virginis. Ivit Chriſtophorus, & Catharinam adiit: quæ illo quidem veſpere aliud non dixit, quam debere Donatum ei quod voluntati divinæ placuiſſet patienter acquieſcere: poſtero autem die injunxit abeunti, lætus ut rediret Mediolanum, inventurum enim ſolutam à febri Eliſabetham, eamque non ſolum ſeptem ſed plus quam duodecim annis ſupervicturam: ut revera vixit ſuperſtes decimo ſexto poſt hæc anno, quando Donatus iſta teſtando depoſuit.

g parturienti deſperata ultra 12 annos victuram.

F

AN-

A

ANNOTATA.

Vitam ejus seorsim texit Tettamantius cap. 19. & 20. nobis ad historiæ seriem visum est commodius disiuncta permiscere.

b *Distant hæc oppida ab inuicem P M circiter 7, in Septemtrionem: ex Galerato autem Valerium ituris secundum Arni fluvioli ripam fere 12 passuum millia restant.*

c *De hac est caput 21 Tettamantii.*

d *Videtur hæc ætate prior fuisse quam Benedicta: quia num. 21 in ordine Professionis collocatur prior: ultima autem, collocatur Iuliana, quia tamquam soror laica inferiori in gradu ceteris ministrabat, à chori officiis libera.*

e *Hanc diligentiam Tettamantius exemplo S. Thomæ Aquinatis & constitutione S. Caroli Borromæi cunctis Sacerdotibus præscriptam commendat: addi potest exemplum S. P. N. Ignatii, soliti Missã postridie dicendẽ pridie vesperi prævidere.*

f *Duo sunt hujus nominis oppidula alterum intra alterum circa fines Mantuani Ducatus: primum B. Aloysii Gonzagæ natalibus nobile, secundum hic signari putamus.*

g *Ad verbum ex Italico* S. Petri cum rete: *an quia sic ibidem ab antiquo depictus super altari.*

h *Ad lacum Verbanum, qua Ticinus influit, Ducali castro insigne oppidum.*

B

CAPUT III.

Eremitorio in monasterium converso Priorissa eligitur Catharina, *ac pie moritur: sociæ item ejus Iuliana ac Benedicta.*

Obloquentiũ susurris mota

20 QUantumcumque exemplaris esset B. Catharinæ vita, eamque secretarum rerum cognitione ac futurarum prædictione multoties honoratã à Deo constaret, ut proinde dubium nemini esse deberet, quin esset Numini acceptissima; inventi sunt nihilominus aliqui, qui de ea inciperent mussitare, nequaquam licitũ posse haberi, quod in illo eremitorio socias colligeret, nulli Regulæ per Pontificem approbatæ subjectas; imo & excommunicatam propterea esse spargebant in vulgus. Sufferebat eos patiẽter Catharina, &, ne ipsis ad peccatum imputaretur dicacitas importuna, multis Deum exorare precibus nitebatur. Rem tamen ad consilium virorum prudentissimorum detulit, in quibus Lancelottus de Comitibus Medensis, Reverendissimi Archiepiscopi Mediolanensis Generalis Vicarius, & Dominus Frãciscus de Cruce fuit: qui omnes dixere, nihil in ea associatione culpari posse hactenus, modo solius pœnitentiæ causa, non autem velut novã per se constituturæ Religionẽ convenissent. His non contenta, multis apud Deum cœpit instare precibus, ut ex eo intelligere mereretur, placeretne ei hæc vivendi forma, an vero addi aliquid mutarive vellet. Ita cum perseveraret orans, & cibum nullum capiens, spatio temporis longiori; sic est debilitata, ut ipsum pene usum loquendi amiserit. Nocte autem sequenti apparuit ei singularis suus patronus & advocatus S. Ambrosius, Pontificalibus albis indutus, & tres in manu catenas habens, quarum unam porrigere videbatur, & dicere: Catharina, Dei famula, hanc accipe, futura illius conservatrix & custos. Intellexit Beata, & sociabus quoque suis significavit, tribus istis catenis totidem ecclesiæ Ordines significari, Martyrum scilicet, Confessorum, atque Virginum, quarum collegium ipsa in monte sacro fundaret: ideoque assentientibus ipsis constituit eremiticam vitam in monasticam commutare.

consultat de novæ familiæ statu:

C

& à S. Ambrosio per visum animata,

ex sociarum consensu petit monasticum,

21 Communi igitur quinque sociarum nomine, videlicet Catharinæ, Franciscæ, Benedictæ, Paulæ, & Julianæ oblatus Sixto IV Pontifici summo libellus supplex est: qui per Breve anni MCCCCLXXIV, expeditum X die Novembris, Archipresbytero Mediolanensi commisit, ut eremitorium Montis-sancti in claustrum converteret, inibique inclusis daret, quem petebant, habitum Fratrum S. Ambrosii ad Nemus, faceretque Regulæ Augustinianæ professas. Altero deinde Brevi anni sequentis, sub die XXIX Septembris, indulsit intra claustrum habere hortum ac cœmeterium, & velo nigro uti. Priori accepto Brevi, viros quosdam nobiles ad D. Guidonem Castillionæum, tunc Mediolanensem Archipresbyterum, piæ virgines delegaverunt, qui ei Apostolicas litteras traderent. Accepit eas dictus Archipresbyter die 11 Januatij anni MCCCCLXXV: & post longum maturumque examen, re tota collata cum Gasparino Archipresbytero ecclesiæ S. Mariæ in monte, cui proximum adhærebat eremitorium, die X Augustini anni MCCCCLXXVI, illuc se contulit; & de consensu prædicti Gasparini jus contulit virginibus, claustri, horti, & cœmeterii ibidem habendi: sacroque donatas habita ad religiosam professionem admisit, sub hac formula. Ego N. profitendo promitto obedientiam, paupertatem, castitatem omnipotenti Deo, B. Mariæ, & B. Ambrosio Patri nostro, & tibi Archipresbytero Commissario Apostolico, vivere secundum Regulam S. Augustini & Constitutiones S. Ambrosii: subjiciens me curæ & regimini Venerabilis, D. Gasparini de Porris Archipresbyteri ecclesiæ S. Mariæ in monte, successorumque suorum canonice intrantium, juxta formam litterarum & Brevis Apostolici desuper confectorum, quam usq; ad mortem servandam recepimus & admisimus. Preterea cõcessit eisdẽ, ut horas Canonicas ritu Ambrosiano recitarent, velumque nigrum ipsis imposuit, & Abbatissam seu Priorem, à dicto Archipresbytero confirmandam, eligere eas ad triennium jussit.

ex Italia. TETTAMANTII.

eumque profitetur

sub regula S. Augustini,

E

& obedientia Archipresbyteri,

22 Primæ hujus electionis vota quatuor in Catharinam convenere: quæ ut in eam consentiret rogata, noctis unius postulavit inducias, factura postridie quidquid Deum velle cognovisset. Instantibus autem aliis ne cunctaretur, respondit, quod nollet divinæ dispositioni resistere: atque ita coram D. Castilionæo prædicto genuflexa, accepit de manibus ejus annulum & monasterii possessionem, servatis omnibus ceremoniis atque ritibus, in ejusmodi actione solitis observari: magna cum novarum Religiosarum gratulatione, manus eidem porrigentium in signum promissæ obedientiæ, eamque in Matrem recipientium, prout de his omnibus constat per instrumentum, manu Joannis Galeratæ Notarii Archiepiscopalis signatum. Exinde monitis atque exemplis dilectas filias solicitius cœpit ad vitæ religiosæ normam exercere Catharina; cui exhaustæ per continuam annorum viginti quatuor pœnitentiã vires cum mortem viciram prænuntiarent, vigesimo ab nuncupata professione mense, tertia ante obitum septimana vocavit ad se Benedictam Bimiam, eique proximam suam migrationem indicavit, his deinde eam verbis affata: Filia mea carissima, quomodo S. Franciscus Fratri Bernardo *a* spiritualium suorum filiorum primo, ita & ego tibi benedictionem meam in nomine Domini impertior. Confortare obsecro & esto magnanima, atque confide in eum qui potens est etiam absque me regere & custodire te: ego tibi iterum benedico, teque hujus mei monasterii constituo heredem; tu enim post me hujus regiminis onus sustinebis. His dictis lacrymata amanterque complexa Benedictam, Iterum, inquit filia mea, meam tibi benedictionem relinquo.

prima ipsa Priorissa eligitur.

F

mortis suæ præscia Benedictam substituit,

a

23 Triduo ante mortem, omnes ad se convenire jussit, dixitque: Filiolæ meæ, quod vobis relinquere moritura possum ac volo testamentum, hoc est: ut pacem vos inter concordiamq; servetis; & in votorũ vestrorũ observatione constãtes, vos mutuo diligatis.

extremã munit.

EX ITAL. TETTAMANTII.

Denique D. Gaſparinũ Porrum Rectorem & Confeſſarium ſuum rogavit, ut locum & ſuas in eo filias habere vellet commendatum, ſibique extrema conferre Sacramenta. Quibus acceptis & hora exitus appropinquante, lectis animæ commendationibus conſuetis, juſſit ſe verti in dextrum latus, & ſigno Crucis ſe muniens petiit Litanias recitari. Ventum erat ad S. Ambroſii nomen, quando inclinatione profunda capitis ſacrum venerata nomen, credita eſt animam pariter expirare: ſed paulo poſt allatam ad ſe Crucifixi imaginem pie exoſculata, dixit, Video dilectum meũ Crucifixum. Iterum deinde cum Confeſſarius, Ecce tuum Crucifixum, diceret: Video eum, inquit, eumq; cordi inſculptum habeo. Denique novies hæc verba iterans, In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, abiit ex hac vita, anno ſuæ ætatis quadrageſimo primo, Chriſti MCCCCLXXVIII, die ſexta Aprilis, feria II, hora *b* XVIII. Corpus inſepultum per dies quindecim in templo ſtetit expoſitum omnibus, & ſemper candidum atque incorruptum; poſtea ibidem ſepultum eſt, quia necdum cœmeteriũ clauſtrale conſecratum erat. Alexander VI de vita ejus laudabili factus certior, per Breve anni MDII, XXV. Aprilis, conceſſit facultatẽ illius exhumandæ & ad chorũ monaſterii pro ſolatio Religioſarum transferendæ: ſed evicit devotio popularis ut relinqueretur in eccleſia ibiq; ſervaretur, donec anno MDXXXVI pulcrum ei fieret monumentum, in quo ſupra terrã modice elevato, intra ſacellum trium Magorum, nunc requieſcit, & integrũ adhuc ſæpe oſtenditur cum veneratione accedẽtibus.

pie moritur.

b *Honos corpori habitus.*

B

Ei ſubrogata Benedicta Birma,

24 Communibus poſt Catharinam ſuffragiis Prioriſſæ munus adepta Benedicta, egregie promovit monaſterii ſtatum, eoque adduxit ut Archipresbyter Porrus ceterique Canonici præbendas ſuas eidem tranſcripſerint. Ex hinc aucta eſt monaſterii fabrica, & eccleſia B. Mariæ fuit multipliciter exornata. Sed & Lucretia Alciata *c* lautiſſimam hereditatem ſuam ſeque ipſam contradidit monaſterio, dicta deinceps Soror Illuminata. Hanc aliæ aliæque plures imitatæ ſacrum illum cœtum frequentiorem celebrioremque reddidere, ſanctis Benedictæ monitis exempliſque ad vitam religioſam inibi ſectandã animatæ, quamvis diſciplinæ ſummus rigor obſervaretur, ut cilicio fere ſemper indutæ Sanctimoniales nõ niſi ſuper ſtramen ſomnum caperent, duriterque & tenuiter omnes veſcerentur ac veſtirentur. Servabant autem hanc quoque conſuetudinem piam, ut manuali operi ſilenter intentis, una ex omnibus prælegeret Vitam alicujus Sancti, ex qua ſingulæ ſibi ſeligerent virtutem aliquam, imitatione exprimendam & exercendam ſtudioſius, eamdemque haberet pro materia piarum collationum ſermonumque, ad leniendum laborum faſtidium religioſe miſcendorum.

c *monaſterii res valde augeti:*

C

moritur Iuliana an. 1501,

25 Rebus ſic proſpere ſuccedentibus in monaſterio, numerabantur anno ſeculari quingenteſimo Religioſæ quadraginta, inter quas etiam tum vivebat Juliana, prima B. Catharinæ ſocia, cujus hoc pium inventum fuit, ut quovis anno ad centum mille ſalutationes Angelicas Virgini adnumeraret, ad idem faciendum etiam alias Sorores præeũdo invitans; unde videtur dimanaſſe, quod à nativitate Deiparæ uſque ad feſtum Purificationis, ad certa horarum intervalla, multæ ejuſmodi Salutationes recitentur à ſingulis, quæ deniq; ad prænotatum attingant numerũ, & veſtem, ut aiunt, quamdam beatiſſimæ Matri contexant. Notabatur in Juliana ſingularis ſenſuum oriſque cuſtodia, cum profundiſſima humilitate atq; obedientia ſimplici: alia Spiritus ſancti dona, ut poterant celari facile, quia erant interna, ab ea ſic occultabantur ſtudioſiſſime, ne laudem ipſi humanam parerent. Deniq; anno MDI febri maligna correpta, Chriſtianiſque munita Sacramentis, cum dies omnino triginta ſuper vixiſſet, omnis fere cibi ac potus expers, ſoliſq; contemplationũ cæleſtium deliciis paſta; ipſa nocte Aſſũptionis Marianæ, è ſtrato (erat illud f... arentibus foliis ſaccus) in nudam humum tranſponi voluit. Ibi poſt horarum aliquot quietum ſilentium, manus oculoſque in cælum attollens, & quaſi cum aliquo diu amanterq; deſiderato ſuaviter colloquens, cælo animam reddidit, terræ autem corpus reliquit; quod inter lavandum juvenili redditum decori apparuit Et ipſum tunc quidẽ, licet ſuaviter fragans, communi eſt ſepultura donatum; anno autẽ MDXLVII die XII Februarij, adhuc integrum atque palpabile inventum, tranſlatum eſt ad chorum Sanctimonialium, ab iiſque pie ibidem honarotur. *d* Dicuntur etiam ad invocationẽ apparitionemve illius facta mirabilia quædã: & magnus ille Joannes Jacobus Trivultius, haud diu poſt Julianæ mortem plurima ſibi, prout illa prædixerat eveniſſe teſtatus, voluit magnificũ ei monumentum extruendum locare: feciſſetque, niſi piæ Virgines, ejuſmodi ſepulcrorum ornatum paupertati ſuæ parum convenientem arbitratæ rogaſſent, ut impenſas in illud deſtinatas converteret ad propylæum templi pro ſua magnificentia exornandum: quod & factum cernitur.

D

corpus in chorum transfertur 1547.

d

26 Erat quidem à principio monaſtici ordinis illuc introducti conſtitutũ, ut communibus ſanctimonalium ſuffragiis tertio quoq; anno eligeretur Prioriſſa: ſed hæ, liberum ſibi eſſe interpretatæ prorogare ſemel electæ magiſtratum quotieſcumque placuiſſet, numquam adduci potuere ut dum viveret Benedicta eligerent ſibi aliam. Ergo hæc pie verita, ne libertas illa degeneraret in ſervitutem; ſi quam contingeret poſt ſe eligi continuãdi imperii cupidiorẽ; à Leone X petiit impetravitque, die XVI Martij anni MDXIII, ne cui ultra triennium gerere Præfecturam liceret. Sed ipſius perſonam ea lege exemptã voluit haberi Pontifex. ideoque numquam potuit impetrare ut ſibi privatim vivere aut mori daretur: manſitque in officio uſque ad annum MDXIX; quando eidem religioſe defunctæ ſuffecta eſt Soror Illuminata, cujus ſuperius facta mentio eſt, atque inde ex ordine aliæ aliæq;. Sub quibus ſua ſemper loco diſciplina, & apud Cleri populique primates manſit voluntas illius promovẽdi: nam & S. Carolus Borromæus Mediolanenſis Archiepiſcopus eumdem viſitavit frequenter, & felicis memoriæ Margareta Hiſpaniarum Regina, anno MDCI Sanctimonialibus ipſis ſcribens, ſe & Regem maritum ſuum nominare dignata eſt monaſterii iſtius Protectores.

E

Pontifex jubet triennalem ſolum præfecturam eſſe.

F

ANNOTATA.

a *Eſt hic* Bernardus à Quintavalle, *paſſim Ordinis primogenitus dictus, & multis a Sancto moriente benedictionibus cumulatus. Arturus in Martyrol. Franciſcano diem* 10 *Iulij ejus commemorationi delegit.*

b *Hora* 18, *tunc erat Italis, ab occaſu ſolis horas numerantibus, ea quæ nobis à media nocte exordientibus eſſet poſt meridiem prima: die enim ſexta aprilis in Mediolanenſi Ducatu gradum* 45 *elevationis cenſenti, nox media habebatur hora poſt ſolis occaſum quinta.*

c *De* B. Juliana *toto capite* 22 *tractat Tettamantius, ex eoque colligitur annos natam circiter* 22 *profeſſam eſſe Religionem: hoc enim fecit an.* 1488, 2 *Iulij, mortua ætatis an.* 74 *Chriſti* 1540.

d *Quomodo idem Corpus anno* 1650, 23 *Octobris tranſlatum ſolenniſſime ſit in alium locum, ubi poſſet etiam ab externis conſpici & honorari, exindeque decretum, ut quoniam dies obitus feſto Aſſumptæ Virginis impediatur, deinceps* 4 *Dominica Octobris B. Iulianæ ſacra eſſet, dicemus ad dictam* 23 *quando de hac tranſlatione plenius agemus.*

cum æſtimatione ſanctitatis.

CA-

A

CAPUT IV.

Miracula B. Catharinæ publicis inſtrumentis firmata, ex Originalibus Latinis MSS.

Annũ quinque cæcus

27 IN nomine Domini, Anno à Nativitate ejuſdem MCCCCLXXVIII, Indictione XI, die Veneris, XVII menſis Aprilis, in præſentia mei Notarii & teſtium infraſcriptorum, ad hæc ſpecialiter vocatorum & rogatorum, Jacobus de Lionibus, filius quondam Peloli dicti Rubei, habitans in loco Cabialio vallis Cuvii Ducatus Mediolani, voluntarie, ſponte & ex certa ſcientia, etiam ſuo ſacramento jurando, juravit & jurat ad ſancta Dei Euangelia, manu corporali tactis ſcripturis, in manibus mei Notarii infraſcripti, dixit & proteſtatus fuit, & dicit & proteſtatur; quod, dum ipſe Jacobus, qui eſt annorum triginta vel circa, jam annis quinque proxime præteritis privatus eſſet viſu ſuo, propter intenſas pannas *a* ambobus oculis incumbentes, & intellexiſſet de miraculis per corpus Dominæ Catharinæ, alias Eremitæ, noviter defunctæ in eccleſia S. Mariæ de monte Vareſio; acceſſit ad dictum corpus, & ejus precibus requirebat omnes adſtantes, quatenus darent ſibi paululum de *b* drapis ipſius Dominæ Catharinæ pro tergendis oculis, quoniam ſperabat ejus meritis viſum ſuum recipere. Et tandem venerabilis vir Dominus Fr Jacobus, Ordinis S. Franciſci & eremita S. Franciſci in Pertica, oculos ipſius cæci palpare *c* fecit manibus d. D. Catharinæ. Quo facto ſtatim viſum bonum recepit, & cognoſcebat ea omnia quæ ſibi ſubtiliter demonſtrabantur, renuntiando exceptioni ſupraſcriptæ hujus proteſtationis prædictorum & infraſcriptorum, non ita actorum & factorum, omnique probationi & differentiæ in contrarium.

a

B

b

attactu corporis redditũ ſibi viſum

c

profitetur coram teſtibus.

28 Et de his omnibus rogatum fuit per nos Georgium de Marliano & Franciſcum de Velate, Notarios infraſcriptos publicum debere confici inſtrumentum, unum & plura ejuſdem tenoris. Actum in domibus D. Archipresbyteri d. Eccleſiæ S. Mariæ montis, præſentibus D. Fr. Jacobo de Bimio, Ord. S. Franciſci & Eremitano d. eccleſiæ S. Franciſci de Pertica; D. Presbytero Joanne de Pioris, Beneficiarii eccleſiæ S. Bernardi d. loci de monte; Joanne Petro de Gavanzate, filio quondam Joannis, habitante in burgo Variſii capitis Plebis, Ducatus ſupraſcripti, omnibus notis; Mag. Jacobo del Mayno, filio quondam D. Damiani, civitatis Mediolani, portæ Ticinenſis, parochiæ S. Georgii in palatio; Dominico de Canezariis, filio qu. Petri, civitatis Mediolani, portæ Tonſæ, parochiæ S. Stephani; Bartholomæo de Erimis, filio qu. D. Antonii, civitatis Mediolani, portæ Ticinenſis, parochiæ S. Sebaſtiani; Benedicto de Delfinonibus, filio qu. Nicolini, civitatis Mediolani, portæ Ticinenſis, parochiæ S. Mariæ Beltradis; & Joanne de Laſate, filio D. Marcoli, civitatis Mediolani, portæ Ticinenſis, parochiæ S. Mariæ Beltradis; omnibus teſtibus idoneis, vocatis & rogatis.

C

Simili atteſtatione probatur, ſanatũ eſſe brachiũ contractum,

29 Poſtea vero, ſupraſcriptis anno, indictione & die, D. Eugenia de Blanchis, relicta qu. D. Petri, & filia qu. D. Bertolini, habitans in loco Velate, plebis burgi Variſii, ætatis annorum ſeptuaginta vel circa.... dixit & proteſtata eſt... quod dum ipſa D. Eugenia haberet ejus brachium dextrum contractũ venis ſuis, in modum quod ſe male operabatur *d* cum d. brachio, & pene *e* ipſum movere poterat uſque ad caput: ſed cum ab annis duobus proxime præteritis citra, multum gravata fuiſſet doloribus in d. brachio, habuit recurſum ad paululum tunicæ drapi d. D Catharinæ, quod ſibi detulerat D. Paula de Blanchis, relicta qu. D. Stephanini de d. loco Velate: & palpitando ipſum drapum ſuper ejus brachio, ab uno capite uſque ad aliud, ſubito ſana facta fuit, ita & taliter, quod eſt potens & valet in d. brachio, nullos ſentiens in illo dolores, & ita agens & melius brachio dextero quam ſolebat in ſiniſtro. Et de prædictis rogatum fuit, ut ſupra. Actum, ut ſupra, proxime præſentibus & proxime ſupraſcriptis.

d

e

EX MSS.

puero moribundo ſalutem reditã,

30 Poſtea... Joannes de Fictombris, filius Petri, habitans in loco Maſnago, plebis burgi Variſii... dixit & proteſtatus fuit... quod cum ipſe Joannes, qui eſt ætatis annorum viginti quatuor, haberet unum ejus filium, ætatis anni unius, infirmum cum colora *f* una multũ venenoſa in pectore, cum pruriginibus maximis, ita quod ipſe puer non requieſcebat, & de quo pluries dubitabatur de morte, quoniam Nicolaus de Martis, barbitonſor & aſſiſtens d. curæ, dicebat vidiſſe alios filios ſimili modo migraſſe, ad quorum cuſtodiam interfuerat ipſe Nicolaus barbitonſor. Sed dum ipſe Joannes, ſperans in meritis B. Catharinæ, tetigiſſet corpus d. D. Catharinæ cum uno *g* paneto, quem ſecum habebat; cum applicuit domum, tetigit d. puerum ægrotantem ut ſupra cum d. paneto. Die tunc proxime ſequenti reperit filium ſuum de infirmo ſanum factum eſſe.

f

g

E

brachium aridum reſtitutum,

31 Poſtea... Dominicus de Cavaleris, filius qu. Joannoli, habitãs in loco de Cabialio plebis Cuvii.... dixit & proteſtatus fuit .. quod dum ipſe Dominicus, qui eſt ætatis annorum ſexaginta vel circa, haberet unam ejus filiam, nomine Joanninam, annorum octo, & haberet brachiũ unum aridum jam annis ſex proxime præteritis, intellexiſſetque de miraculis d. Beatæ D. Catharinæ; ejus Dominici uxor, nomine Catharina, duxit d. Joanninam brachio aridam ad d. eccleſiam: & factis ejus orationibus ad d. corpus, facta requiſitione à circumſtantibus, palpare fecerunt ſeu tangere d. corpus B. Catharinæ cum d. brachio arido: & ſtatim ipſa Joannina ſana facta fuit, & ita potens eſt in d brachio arido prout in ſiniſtro.

✠ Ego Franciſcus de Velate, filius qu. Chriſtophori, habitans in burgo Variſio, capite plebis, Ducatus Mediolani, Notarius publicus Mediolani, hæc miracula, una cum D. Georgio de Marliano, Notario publico Mediolani, rogatus tradidi, ſupraſcripſi, & ex parte per alium ſcribi feci.

h

Plures ſimul teſtantur

F

i

32 Die *h* lunæ primo menſis Junij, in burgo Canobii, in domo habitationis D. Andreæ, filii qu. D. Joannis Matthei de Bagiocchis, de trans flumẽ plebis Canobii, in præſentia mei Notarii & teſtium infraſcriptorum, D. Catharina, filia qu. D. Donati de Magotia de Locarno lacus-majoris, uxor D. Andreæ de Bagiocchis ſupraſcripti, habitãs Canobii, quæ eſt ætatis, ut aſſerit, annorum XXX vel circa; *i* Comina, filia qu. Georgii de Coldironibus, de Cardo plebis Canobii, habitatrix d. burgi Canobii, quæ eſt ætatis annorũ XXX vel circa; Antonia, filia Joannis olim D. Mag. Roncii, de trans flumen de Burgo Canobii, quæ eſt ætatis annorum XVIII, ut aſſerit, vel circa; Petra, filia Donati de Zochis, de d. burgo Canobii, quæ eſt ætatis XVIII ut aſſerit; & Antonius, filius qu. Antonini Malaſtiæ de Rõco, qui eſt ætatis annorũ XVIII, ut aſſerit; qui omnes habitãt in ſupra ſcripto burgo Canobii, Lacus majoris, diœceſis Mediolani, ſponte & ex certa ſciẽtia & aliis omnibus modis, jure, via, cauſa, forma, quibus melius potuerunt & poſſunt, ipſi & quilibet ipſorum, dixerunt & proteſtati fuerunt, ... verum fuiſſe & eſſe;

mortua coleretem vivum rediiſſe & oculum apertum fuiſſe.

33 Quod cũ de anno præſenti & menſe Aprili proxime præteriti, vociferatũ fuiſſet, quamdã D. Catharinã, eremitam in eccleſia S. Mariæ de monte, eſſe defunctã, & facere ex Omnipotentis miſericordia multa miracula, receſſerũt de Canobio & iverũt ad d. eccleſiã ad viſitandũ: & viſitaverũt corpus d. D. Catharinæ

EX MSS. eremitæ. Et fuit die x menſis Aprilis, qui fuit die quarto vel circa obitus d. D. Catharinæ eremitæ: cujus quidem corpus erat in una capſa in d. eccleſia. Et ſe poſuerunt in orationibus coram d. corpore: & infra modicum tempus ipſis ſtantibus in orationibus, viderunt vultum ipſius D. Catharinæ eremitæ, qui vultus antea erat pallidus, effectum coloratum. Viderunt etiam d. D. Catharinam aperientem oculum ſuum ſiniſtrum: & ad prædicta erant præſentes multæ aliæ perſonæ. Renuntiantes prædictæ, D. Catharina, Comina, Petra, Antonina & Antonius exceptioni & juri non factæ dictæ proteſtationis & omni auxilio doli mali & infraſcriptorum ſine cauſa juſta vel ex injuſta & generaliter qualibet alia occaſione remota & renuntiata... Interfuerunt teſtes noti præmiſſiſque rogati & vocati, Mattheus filius qu. D. Joannis Matthei de Bagiocchis, habitator d. burgi Canobii; Jacobus de Martinis de Belinzago, habitator d. burgi Canobii, & Jacobus, filius Alberti Mozy de Gurzio, plebis Canobii.

✠ Ego Euſebius Notarius, filius qu. Joannis de Carmeo, burgi Canobii habitator, hoc inſtrumentum proteſtationis rogatus tradidi & ſubſcripſi.

B *declaratur quomodo*

34 Die Sabbati, ſexto menſis Junij, Soror Franciſca de Bimio-ſuperiori, monacha & profeſſa monaſterii gloriſiſſimæ Dominæ S. Mariæ montis plebis Variſii, Ordinis S. Auguſtini, cum Horis tamen canonicis juxta morem S. Ambroſii, ad perpetuam rerum memoriam & ut veritas ſemper appareat, ad honorem omnipotentis Dei & glorioſiſſimæ virginis

k matris Mariæ, dixit & proteſtata fuit..... *k* quod in veritate die Lunæ, ſexto menſis Aprilis, quo die deceſſit Rev. D. Catharina de Palantia, Abbatiſſa & eremita d. monaſterii (quæ deceſſit circa horam decimam ſeptimam vel decimam octavam ipſius diei) ipſa Soror Franciſca cum forfice una, hora ſecunda noctis vel circa, incepit incidere ungues ipſius qu. D. Catharinæ digiti de medio unius manus; & non recordatur ſi eſſet plus manus dextra quam ſiniſtra: & quod incidendo ipſum unguem exivit ſanguis ex dicto digito. Et quod viſo d. ſanguine, Sor. Benedicta de Bimio accepit ipſi Sorori Franciſchinæ dictam forficem de manibus, dicendo quod incideret nimis ſubtus d. unguem. Et poſtea incidit ipſa Sor. Benedicta omnes alios ungues ipſius qu. D. Catharinæ, reſervato ungue unius digiti curvi ſeu plicati, qui extendi non poterat etiam ipſa vivente.

ex mortua ungue profundius ſecto cruor fluxerit.

C Et hoc factum fuit in præſentia Sororis Julianæ, Beltraminæ de Bimio, & Catharinæ de Variſio dictæ Tarancinæ. Et de prædictis rogatum fuit publicum Inſtrumentum debere confici per me Notarium infraſcriptum. Actum in d. monaſterio, penes primum oſtium d. monaſterii. Interfuerunt ibi teſtes, Mag. Jacobus de Brincio, filius Donati; Antonius de Ceſarigo, filius qu. Maffioli; Luchinus de Comerio, filius qu. Zanoni; omnes habitantes de loco Brincio, plebis Cunii, Ducatus Mediolani; Defendens de S. Maria, filius qu. Petroli; Joannes de S. Maria, filius qu. Antonini, dicti Ramponi; Joſeph Columbinus, filius qu. Jacobi, omnes habitantes in loco de S. Maria montis; & Caſſianus de Avinio, filius qu. Andreini, habitans in loco Velate plebis Variſii.

l varia de eodem miraculo depoſitiones.

35 ✠ Ego Petrus de Plantavidis, filius qu. D. Jacobi, habitans in burgo Variſii publicus Imperiali auctoritate Notarius.... *l Qui, eodem die, loco, & teſtibus ſimilem proteſtationem Sor. Benedictæ de Bimio, de eadem inciſione unguium & ſanguine fluente, eadem prorſus forma*, rogatus tradidit & ſuſcripſit. *Item proteſtationem Sor. Paulæ de Buſtis*, quod vidit dictos ungues inciſos, & quod vere tunc audivit alias Sorores d. monaſterii dicentes, quod exierat ſanguis ex digito primo inciſo per Sor. Franciſcam de Bimio: ſed quod ipſa Soror Paula non vidit d. ſanguinem, quia erat poſt alias Sorores ibidem exiſtentes. *Item proteſtationem* Sor. Julianæ de Caſſianis de Verghera, quod vere erat in loco ubi inciſi fuerunt ungues ipſius D. Catharinæ, per Sorores Franciſcam & Benedictam de Bimio; tamen ipſa Juliana non proſpiciebat ad munus ipſarum Franciſcæ & Benedictæ, quia attendebat ad dicendum orationes ſuas. *Ibidem & eodem modo proteſtatæ ſunt*, Beltramina de Bimio, filia qu. Antonii, & relicta qu. Beltramini de Lugano, habitans in loco de Bimio ſuperiori, Caſtellaniæ burgi Variſii; & Catharina de Variſio, filia qu. Antonini, relicta qu. Antonii dicti Taranzini, habitans in d. burgo Variſii. Quod fuerunt præſentes in d. monaſterio, ubi repoſitum erat corpus d. D. Catharinæ ſuper lobiam *m*, ubi ſtant dictæ Dominæ ad videndum Miſſas in d. monaſterio, quæ lobia eſt intra eccleſiam: & viderunt quod Sor. Franciſca de Bimio incepit incidere ungues ipſius D. Catharinæ, & ad digitum de medio manus dextræ; & quod inciſit unguem unum paucum ſubtus: & quod viderunt quod de digito exivit ſanguis: quo viſo Sor. Benedicta de Bimio ſibi accepit de manu d. forficem, & *n* ſtenta fuit ad incidendum alios ungues, & eos inciſit reſervato ungue unius digiti, quem habebat curvum in manu dextra, qui erat digitus quartus ipſius manus dextræ: & quod poſtea, per dies octo poſt, quando fiebat ſeptimum, vidit d. Catharina dictos ungues qui creverunt.

D

m & quomodo unguesrecreverint,

E *n*

corpus autē incorruptum manſerit diebus 15.

36 *Eædem coram eodē Notario in eodem inſtrumento teſtatæ ſunt*, quod viderunt D. Catharinam & ejus corpus diſcoopertum, & per reſpectum ad vultum, manus, brachia & pedes, in d. eccleſia per dies quindecim continuos, per modum quod poterat videri totum corpus: & quod d. corpus erat ſine aliqua corruptione & ſine aliquo malo odore: & quod viderunt ipſum corpus omni die dictorum quindecim dierum, excepto uno die quod d. Beltramina non venerat ad montem: & quod *o* manezaverunt manus ipſius qu. D. Catharinæ mortuæ ut ſupra, & brachia quæ erant alba & colorita: & quod digiti manus d. D Catharinæ poterant plicari & plicabantur, prout & quemadmodum ſi fuiſſet viva. *Condendo inſtrumento interfuerunt teſtes, qui ſupra. Eademque de corporis incorruptione, per dies quindecim omni die pluries à ſe manezando comperta, teſtati ſunt prænominati*, Joannes & Defendens de S. Maria: *quibus dum exciperentur interfuerunt teſtes*, Lafranchus de Pozzis, filius qu. D. Donati, habitans in loco S. Mariæ de monte; Antonius, filius qu. Albertini, habitans in loco de Brincio plebis Cuvii; Luchinus de Comerio *, filius qu. Zanini, habitans in loco de Brincio; & Antonius Barberius de Velate, filius qu. Mag. Jacobi, habitans in loco Velate plebis Variſii.

o

F

* *alibi* de Bezutio.

confirmatur unguis recrescentis miraculum

37 *Iiſdem præſentibus & eodem die ac modo*, Mag. Jacobus de Mayno, filius qu. D. Damiani, civitatis Mediolani, portæ Ticinenſis, parochiæ S. Georgii in palatio; Bartholomæus de Curvis, filius qu. D. Antonii, civitatis Mediolani, portæ Ticinenſis, parochiæ S. Sebaſtiani; & Joannes Petrus de Donatis, filius qu. Mag. Joannis, civitatis Mediolani, parochiæ S. Euphemiæ; ad inſtantiam prædicti Notarii, perſonæ publicæ, ſtipulantis & recipientis in nomine & vice & ad utilitatem cujuſlibet perſonæ, cuja intereſt, interierit vel intereſſe poterit quomodolibet in futurum, ad æternam rei memoriam & ut veritas ſemper appareat, dixerunt & proteſtati fuerunt..... quod poſt mortem Rev. D. Catharinæ de Phalantia.... per dies ſex vel circa, ipſo Mag. Jacobo, in præſentia ſupra ſcriptorum Bartholomæi & Joannis Petri, manezante d. corpus, accepit unguem

guem de manu dextera ipſius Dominæ & digiti
A qui inciſus fuit, & quod poſtea crevit alius unguis ſeu ortus eſt ſuper d. digito, qui poteſt videri ſe præſenti: quem unguem viderunt ipſi proteſtantes, & etiam primum unguem ab alio acceptum.

Multi conteſtes deponunt,

38 *Præfati Mag. Iacobus, Bartholomæus, & Ioannes Petrus, nec non* Bernardinus de Maziis, filius Ambroſini, habitans in burgo de Abbiate graſſo, Ducatus Mediolani; Ambroſinus de Angleria, filius qu. Beltramini, civitatis Mediolani, portæ orientalis, parochiæ S. Babilæ; & Bernardinus de Porris, filius qu. Janeti Fazini, habitans in loco Lentate Ducatus Mediolani ... juraverunt & jurant... quod ipſi omnes laborantes ad eccleſiam S. Mariæ de monte, ad faciendum *p* ſtadios chori d. eccleſiæ, jam menſibus tribus proxime præteritis, ſcilicet à ſecunda hebdomade Quadrageſimæ proxime preteritæ citra, de mandato Venerabilis viri D. Archipresbyteri d. eccleſiæ; ſuſceperunt & manezaverunt corpus beatum qu. Venerabilis D. Catharinæ de Palantia, olim Abbatiſſæ ſeu Eremitæ monaſterii S. Mariæ de monte, pluries & pluries, faciendo ipſi capſam & ſepulcrum, & portando ipſum corpus in pluribus locis d. eccleſiæ de loco ad
B locum. Et quod viderunt per ſpatium dierum ſexdecim continuorum d. corpus ſtare coloritum & ſanum & ſine aliqua corruptione, præſertim vultum, brachia, manus & pedes ſine aliquo fœtore & malo odore: & ipſum corpus odoraverunt pluries.

de corporis incorruptione ſibi comperta,

p

deque ſanatis aſthmate,

39 Et quod d. Bernardinus de Porris patiebatur infirmitatem aſthmaticam, omnibus diebus duobus ſive tribus ſive quatuor, per modum quod tempore ipſius infirmitatis non poterat aliquid facere nec laborare. Et facta oratione & recommiſſione precibus d. qu. D. Catharinæ, remanſit & eſt liberatus à d. infirmitate: & ipſum viderunt & vident ſanum, & laborat cum eis. Et etiam viderunt tantos alios infirmos, qui remanſerunt liberati à ſuis infirmitatibus: & inter alios puellam unam quæ habebat ſtropiatam *q* manum unam uſque ad cubitum, adeo quod non poterat quidquam facere. Et quod d. Joannes Petrus fecit tangere ipſam puellam corpus venerandum: & ſtatim remanſit ſana d. puella, & viderunt eamſanam. Et quemdam alium qui habebat tantam infirmitatem in oculis per modum quod non poterat videre, & procedebat aqua ab ipſius oculis; & factis precibus ſuis ipſi qu. D.
C Catharinæ, remanſit liberatus à d. infirmitate. Et quemdam alium qui non poterat ire ſine *r* tamolis ſeu ferulis, remanſitque liberatus per modum quod ire poterat ſine ipſis ferulis. Et quemdam ætatis annorum ſexaginta, qui ſteterat per tantum tempus quod non poterat videre, prout dicebant certæ perſonæ quæ erant cum eo; & poſito ſe ſupra corpus & capſam d. D. Catharinæ, clamavit referens gratias Deo, quod meritis præfatæ D. Catharinæ videbat faciem d. D. Catharinæ & alia quæ ſibi oſtendebantur: quia antea non poterat videre. Et à multis aliis diverſis infirmitatibus viderunt multos alios infirmos ſanos effici, in dictis temporibus quibus ſteterunt ad dictum locum de monte.

manu manca,

q

oculis infirmis,

r diuturna caecitate,

brachio inutili,

40 Et quod d. Bernardinus de Maziis vidit unum, qui habebat annos quinquaginta, habentem brachium unum, de quo non poterat ſe adjuvare: & tacto velo ipſius qu. D. Catharinæ, quod præfata D. Catharina gerebat in capite, ſtatim ſenſit ſe liberatum à d. infirmitate... Actum ſupra ſaxum, ſitum ante oſtium d. monaſterii. Interfuerunt ibi teſtes *ſex, ante hac ad priores atteſtationes nominati* & Antonius Cerimi de S. Maria, filius qu. Joannis, habitans in d. loco de S. Maria. Poſtea vero ſupraſcriptis anno, indictione & die ſupraſcriptus Bernardinus de Porris... dixit & proteſtatus eſt, quod vidit quemdam de plebe Ogona, qui erat mutus *s* & ſtropiatus una tibia, & ibat cum ferulis ſeu tamolis, & *t* paucum videbat. Et quod poſtea vidit & audivit ipſum ſanum & videre: & dimiſit ibi tamolas ſive ſcrozias, factis orationibus ſuis & recommiſſione ſua d. qu. D. Catharinæ.

EX MSS.

s tibia manca,

t

41 *Eodem die & iiſdem preſentibus*, Mag. Antonius Tizonus, filius qu. D. Firmi, civitatis Mediolani, portæ Ticinenſis, parochiæ S. Georgii in palatio.... dixit & proteſtatus fuit... quod die nono poſt deceſſum qu. Rev. D. Catharinæ de Palantia... accepit unum paucum drapi tunicæ d. qu D. Catharinæ; & eum drapum portavit in Mediolano. Et quod ipſum drapum conceſſit uni Dominæ, quem poſtea dedit Joanni Ambroſio de Prædis, civi Mediolanenſi, portæ Ticinenſis, parochiæ S. Vincentii: qui habebat unum ejus fratrem, qui erat infirmus & patiebatur febres, in modum quod non poterat ſudare, nec beneficium corporis habere, nec dormire. Et quod poſito d. drapo ſupra corpus d. infirmi, habuit dicta omnia beneficia: quæ ſi non habuiſſet, erat mortuus ſecundum judicium medici ſui. Et proteſtabatur d. medicus quod fuerat miraculum. Et quod etiam habebat ipſe Mag. Antonius unam ejus filiam, quæ habebat maxillas groſſas & inflatas: & quod Urſina, uxor ipſius proteſtantis, fecit votum & ſe recommiſit orationibus ſupraſcriptæ qu. D. Catharinæ: & immediate facta d. oratione & voto, remanſit ejus d. filia liberata. Et quoc vidit etiam ipſe Mag. Antonius d. qu. D Catharinam nono die poſt ejus mortem: & quod ejus corpus odoravit, & nullum habebat malum odorem ſed bonum odorem. ....

febri pericloſa,

E

deformitate more gendarum,

Quomodo brachium moverit mortua:

42 *Eodem die* Venerabilis vir D. Presbyter, Anſelmus de Lampugnano, Capellanus eccleſiæ S. Mariæ de monte..... dixit & proteſtatus fuit... quod die Dominica, XII menſis Aprilis proxime præteriti, in celebratione Veſperarum in d. eccleſia, in qua aderant multæ perſonæ, inſurrexit magnus clamor inter dictas perſonas, exiſtentes circa corpus qu. Rev. D. Catharinæ de Palantia, in quo clamore audivit ipſe proteſtans quoſdam clamare: O beata Virgo Maria; alios: O B. Catharina; alios, aliud. Et quod ipſe D. Anſelmus dicebat eis perſonis, quare taliter clamabant. Et quod dicebant, quod viderant quod d. D. Catharina moverat brachium unum, & quod aperuerat unum oculum. Quibus auditis ipſe proteſtans acceſſit ad dictum locum, ubi erat poſitum corpus venerandum d. qu D. Catharinæ, quod erat in quodam ſepulcro in d eccleſia ſubter terram, tamen aperto cum ſbarris *v* altis, per brachium unum cum dimidio & plus ſuper terram. Et vidit quod d. corpus d. qu. D. Catharinæ, poſitum in d. monumento per ipſum proteſtantem & per alios Presbyteros d. eccleſiæ, moverat brachium unum. Et hoc fuit abſque eo quod aliqua perſona fuiſſet nec ire potuiſſet in eo ſepulcro ad movendū d. brachium. Actum in ſala Vener. viri D. Presbyteri Gaſparini de Porris, Archipresbyteri d. eccleſiæ S. Mariæ de monte. Fuerunt ibi teſtes præſentes D. Presb. Donatus de Blanchis, Canonicus eccleſiæ S. Victoris de Variſio; D. Presb. Petrus de Velate, Canonicus eccleſiæ SS. Petri & Pauli de Abiate; & Joannes Antonius de Montegatiis, filius qu. Margioli, habitans in loco de Rhaude, Ducatus Mediolani.

F

v

Quomodo brachium moverit mortua:

& febres de brachium debile

43 *Ibidem & iiſdem teſtibus eodem die preſentibus*, Triſtantus de Porris, filius qu. Antonii, civitatis Mediolani, portæ Ticinenſis, parochiæ S. Petri in campo Laudenſi..... dixit & proteſtatus fuit... quod die Martis proxime præterito, dum eſſet in domo habitationis Dominorum Franciſci, Simonis, Roberti,

EX MSS. Roberti & Gaſparini, fratrum de Trezio, tinctorum, ſita in porta Vercellina, parochiæ S. Petri in Caminadella, interrogaverunt ipſum proteſtantem ipſi fratres de miraculis, quæ faciebat qu. D. Catharina de Palantia. Et ipſe Triſtantus dixit, x quod fuerat verum, quod faciebat x de miraculis. Et quod ipſi fratres dixerunt, quod habuerant de drapo quod portabat y in dorſo ipſa D. Catharina: y curavit ejus manus. & quod habebant quamdam dominam in Mediolano quæ patiebatur febres, & habebat brachium unum debilitatum, per modũ quod illud non poterat movere. Et quod dederunt d. drapum ipſi dominæ. Et quod d. domina infirma poſuerat d. drapum ſuper ejus infirma perſona. Et quod d. domina infirma remanſit libera à dictis febribus & brachio. . . .

✠ Ego Petrus de Plantanidis *ut ſupra.*

Concordant ſupraſcripta inſtrumenta cum originalibus à me viſis: & pro fide

✠ Ego Presbyter Joannes Baptiſta Niger Nigronus, filius qu. Antonii, Curatus Velati plebis Variſii, Mediolanenſis diœceſis, publicus auctoritate Apoſtolica & Curiæ Archiepiſcopalis Mediolani Notarius, ſubſcripſi cum ſigillo ſolito tabellionatus mei. *Atteſtatur autem pro eodem* Hyacinthus Gratianus, I. V. D. Canonicus eccleſiæ Metropolitanæ Firmanæ, Curiæque Archiepiſcopalis Mediolani Vicarius Generalis, . . . in palatio Archiepiſcopali, die Mercurii, ſeptima menſis Martij MDCLXX. *Subſcriptum erat*:

Joannes Thomas Buſius . . . . . .

B

ANNOTATA.

a *Tuſcanis maſculine dicuntur* panni, *maculæ albicantes, quæ oculis ſupercretæ eoſdem obnubilant; forte à Teutonico* Panne, *quod tegulam imbricemve ſigni ſicat, ducta metaphora.*

b Drapum, *Italis Franciſque communis vox*; pannum *Latini dicerent.*

c *Inferius* Palpitare, *pro* fricare, *ſeu* affricare.

d *Idiotiſmo Italico dicitur communius* s'adoperare, *id eſt*, uti.

e *Id eſt* Vix, *Italice nunc*, à pena; *Gallice*, à peine.

f *Videtur* Colora *accipi pro macula coloris nigri, quæ lis peſtilenti febre afflatis, una major, aut plures minores ſolent ad pectus erumpere.* D

g *Diminutivum à voce* panis, panetus.

h *Hoc quoque & cetera omnia ſequentia inſtrumenta incipiunt, ut primum*, In nomine Domini anno à nativitate ejuſdem 1478 Indictione XI. *quod ſemel hic monuiſſe ſit ſatis.*

i *Abbreviate pro* Jacomina, *ſeu*, Jacobina, *dicitur* Comina.

k *Formulam notarialem longiorem, à priori diverſam, & hic atque in ſequentibus omiſſam, videbis infra numero* 37.

l *Ab hoc Notario ſunt deinde cetera uſque ad finem Inſtrumenta decem, ſub compendium hic relata; ne in iis formulis initialibus atque finalibus replicandis charta conſumeretur.*

m *Aliàs* lobium: *videtur hic accipi pro choro monialium penſili.*

n *Id eſt* diſtenta *ſive* occupata.

o *Id eſt Sedilia, alias* Stalli *dicta.*

p *Tuſcani* Maneggiare, *Franci* manier, *ſicut ab* hand, manus, *Teutones formant* handelen, *tractare, contrectare.*

q Stropiatus *inutilis ſeu mancus, quaſi dicas illaqueatum ſeu impeditum, communi Francis, Italis & Hiſpanis idiotiſmo, à voce Teutonica* Strop, *laqueus, vinculum.* E

r *Quæ hic* tamolæ, *infra etiam vocantur* ſcrociæ, *aliàs* crociæ, *fulcra ſubaxillaria.*

s *Forte* mutilus, *quia de loquela reddita nullum ſequitur verbum.*

t *Et hic vernaculis pene omnibus linguis communis idiotiſmus, Italis* poco; *Francis*, peu *adverbialiter pro* parum.

v Sbarra *vel* sbarro *ſumitur ab Italis pro* ſepimento; *fortaſſe à materia primo obvia ad ſepiendi uſum, videlicet longis rotundiſque novellarum abietum haſtilibus ſeu malis, quæ à Teutonibus* ſparre *vocantur.*

x *Hic quoque Francicæ Italicæque linguæ communis idiotiſmus eſt, ut cum verbo activo loco Accuſativi jungatur Ablativus per præpoſitionem* De.

y *Id eſt*, quo veſtiebatur, *locutione Italis uſitata.*

VII. APRILIS.

SANCTI QVI VII IDVS COLVNTVR.

Anctus Hegeſippus, Scriptor Eccleſiaſticus.

S. Epiphanius Ep. }
S. Donatus, }
S. Sixtus, } Martyres in Africa.
S. Rufinus, }
S. Modeſtus, & alii XI, }

S. Timotheus, }
S. Diogenes, }
S. Macaria ſeu Madiaria, } Martyr. Antiochiæ,
S. Maxima, }
S. Eleuſus Pr. }

S. Coprica, }
S. Victor, } Martyres in Lybia ſuperiore.
S. Donatus, }

S. Peleuſus, ſeu Peluſius, Presbyter, Martyr Alexandriæ.

S. Cyriacus, & Socii X, } Martyres Nicomediæ.

S. Calliopius Martyr, Pompeiopoli in Cilicia.

S. Donatus, }
S. Cyrillus, }
S. Eugenius, } Martyres.
S. Euſebius, }
S. Marinus, }
S. Rufinus Thaumaturgus. }
S. Aquilina Iunior, & cc Milites, } Martyres Synopæ in Cilicia.

S. Saturninus, Epiſc. Veron. in Italia.

S. Aphraa-

S. Aphraates, anachoreta in Syria.
S. Chlotharius, Vitriaci in Campania Gallica.
S. Georgius, Episcopus Mitylenæ, in insula Lesbo.
S. Eberhardus, ex Comite Nelleburgio monachus, fundator monasterii Omnium Sanctorum in Helvetia.
S. Aybertus Presbyter, recluſus Ordinis Benedictini, in Hannonia.
B. Hermannus Iosephus, Ordinis Præmonſtratenſis, Steinfeldiæ in Germania.
B. Chriſtianus, Duaci in Gallo-Flandria.
B. Vrſulina Virgo, Parmæ in Italia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.

SAncti Victoriani, Abbatis Asanenſis, Translatio corporis *memoratur in Martyrologio Hiſpanico Tamaji Salazar. De hoc Sancto, & variis ejus Tranſlationibus egimus die ejus natali* XII Januarij.

Godefridus, Presbyter & Confeſſor, *refertur in MS. Florario Sanctorum, non additis circumſtantiis loci & temporis, ut de eo judicari poſſet. De Beato Godefrido Cappenbergenſi, ordinis Præmonſtratenſis, late egimus* XIII Januarij.

S. Timothei Apoſtoli tranſlatio *memoratur in MS Florario, à Greveno etiam & Caniſio. De ea egimus ad diem ejus natalem* XXIV Januarij.

Brunulphus Epiſcopus *memoratur in MS. Florario Sanctorum penes nos aſſervato, quis ille ſit, non addita Sede, unde judicabimus? Colitur S. Brynulphus, Epiſcopus Scarenſis in Suecia,* VI Februarij.

SS. Martyrum Fauſtini & Jovitæ } Tranſlatio *hoc die*
& S. Fauſtini Epiſcopi Brixienſis } *peracta recolitur in Martyrologio Brixienſi Bernardini Fayni: qui hos Martyres in eccleſia S. Aphræ ſepultos, contendit eſſe colendos* XV *Martij, ut diverſos ab iis quorum eſt celeberrima in omnibus eccleſiaſticis Faſtis memoria, die* XV Februarij. *Quod licebit in ſupplemento iſtius diei examinare quemadmodum & de S. Fauſtino Epiſcopo licebit plura dicere, ex monumentis ab eodem Bernardino Fayno ſub miniſtratis, ad ſupplementum* XVI Februarij.

Apollonius Martyr *eſt inſcriptus MS. Florario Sanctorum. Sunt plures hujus nominis: ex his ſequenti die refertur* Apollonius, qui Philemonem Judicem convertit: *quorum Acta dedimus* VIII Martij.

Petrus de Sanctoia, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, hoc die anno 1431 mortuus, vitæ ſanctimonia illuſtris, requieſcit Vallisoleti in Conventu S. Franciſci, ſub ſummo altari tumulatus: *cum titulo* Beati *memoratur in Martyrologio Franciſcano Arturi du Monſtier: à quo abſtinet Franciſcus Haroldus in Epitome Annalium Ordinis Minorum. Nos omnia quæ de eo ſciuntur, dedimus in Vita B. Petri Regalati* XXX Martij.

Julianæ Virginis, ſanctimonialis de Corelino, Tranſlatio apud Vilarium, monaſterium Brabantiæ, *his verbis inſcripta eſt MS. Florario Sanctorum. De ea egimus die ejus natali* V Aprilis.

S. Vincentius Ordinis Prædicatorum, *memoratur in Kalendario antiqui Miſſalis & Breviarii Ambroſiani. De eo egimus* V Aprilis.

S. Cæleſtinus Papa *dicitur hoc die mortuus in antiquo Catalogo, & in variis Martyrologiis; uti diximus* VI Aprilis.

S. Winobaudus, Abbas Trecenſis, *memoratur in MS. Vſuardo S. Germani de Pratis: de eo egimus* VI Aprilis.

S. Dioclia Martyr, Pompeiopoli in Cilicia, *inſcripta eſt Catalogo generali Ferrarii. Eſt hæc Græcis* Θεοκλεία, *mater S. Calliopii Martyris, & in amplexu corporis defuncti mortua. De ea agitur infra in hujus Vita.*

Bernacus Abbas, *traditur* in Cambrica Boreali vixiſſe, circa annum 500, & ſtupendis miraculis claruiſſe, mortuus *hoc die, relatus in Martyrologio Anglicano ſecundæ editionis, & in Indice Sanctorum Angliæ à Michaele Alfordo Annalibus ſuis appoſito; & ſuggeritur locus, in quo de eo agit. Verum omnia in Annalibus poſt obitum auctoris recognitis ſunt omiſſa; eo quod Acta apud Capgravium videantur apocrypha, neque ſatis conſtet de ejus cultu: quare abſque præjudicio cupimus ulterius informari an ejus ut Sancti mentio ſit apud alios ſcriptores, quos otium non eſt ideo omnes perlegere. Ferrarius in Catalogo generali adſcribit eum Galliæ.*

Sancti, qui in perſecutione Vandalica, ſub Geiſerico & Hunerico, Regibus Arianis, pro fide Catholica coronati ſunt, *ut* in Sicilia *aliquo cultu celebres, referuntur ab Octavio Cajetano in Martyrologio Siculo. Verum in majore ejus opere, de Vitis Sanctorum Siculorum, nulla eſt eorum mentio.*

S. Adelini Epiſcopi, Wintoniæ in Anglia, Confeſſoris, *memoria ſit in Auctario Carthuſianorum Bruxellenſium hactenus inedito. Weſtmonaſterienſis in Floribus Hiſtoriarum Anglicanarum ad annum* 888, *aſſerit* Æthelinum, Vintonienſem Epiſcopum, Regis Ælfredi & Weſtſaxonum eleemoſynas Romam deportaviſſe. *Nihil aliud de illo ejuſve cultu hactenus reperimus.*

Walterius, Frater monaſterii Cluniacenſis ſub S. Odilone Abbate, nocte magni Sabbati Reſurrectionis Dominicæ obiit, columna lucis ignea apparente. *Ita Radulphus Glaber lib. 5. cap. 1. Hunc cum titulo* Beati *referunt Menardus & Bucelinus*, Sanctum *appellat Sauſſajus: antiquiorem cultus & venerationis probationem quæſivimus Cluniaci, nec potuimus reperire,*

Sigenius Scotus Presbyter, monaſterii Benedictini in Helluenſi inſula Abbas, venerationi maximæ apud omnes habitus, *ſcilicet dum viveret. Ita Leſleus lib. 4 Rerum Scoticarum in Donaldo* 53 *Rege, & neque Sanctum neque Beatum appellat. Hunc Wion in Appendice ad Martyrologium monaſticum, quod diem natalem ignoraret, retulit &* Sanctum *appellavit. Wilſonus, cui forte deerat Sanctus hoc die ponendus, eum inſcripſit Martyrologio Anglicano. Secuti Ferrarius in Catalogo generali, Dempſterus & Camerarius in Martyrologiis Scoticis, & Fitzimon in Catalogo Sanctorum Hiberniæ. Verum certiora argumenta deſideramus. Deeſt nomen in Martyrologio Tamlactenſi, Catalogo Sanctorum Scotiæ ante hos auctores confecto, & in Breviario Aberdonenſi.*

Salvator, Martyr in Anglia, *refertur in MS. Florario, in Auctario Greveni ad Vſuardum, & in Martyrologio Germanico. Deeſt in Martyrologiis Anglicanis.*

Gibertus Abbas Luxovienſis, & ejus monachus Titilmus, à Paganis occiſi, *referuntur à Trithemio lib. 3 de Viris illuſtribus Benedictinis cap.* 32, *& à Wione & Menardo in Appendice, quod diem natalem ignorarint. Eos ad hunc diem retulit Bucelinus. At Sanmarthani in Gallia Chriſtiana tradunt*, Gibardum *ſive* Gibertum Abbatem, cum omnibus ejus monachis, interfectum à Saracenis de Saxonia: *& videntur Normanni ſic appellari, qui ſeculo Chriſti nono, quando ea cædes contigit, Gallicas ditiones vaſtarunt. Nos certiora monumenta*

numenta venerationis & diei & modi quo occiſi ſunt, exſpectamus.

S. Macarius monachus, *abſque ulla notitia loci & temporis, memoratur in Martyrologio MS: Bruxellenſi S. Gudilæ. Varii ſunt* Macarii: *unde difficultas eſt ut diſtinguatur.*

S. Finanus Abbas, *in quodam Sanctorum Hibernicorum catalogo relatus hoc die, abeſt ab eo quem vulgávit Henricus Fitzimon & à Tamlactenſi martyrologio: ergo Vitam ejus, quam in noſtro Ms. Salmanticenſi habemus, ex ſola (ut apparet) traditione parvo cum judicio ſcriptam, differimus, donec ejus Actis plus lucis affulgeat, & de celebri ejus cultu plenius nobis conſtet.*

Senanus Epiſcopus, Senanus Abbas, Ruſſonus de Inſula Pich, Macliegus Dorenſis, } in Hibernia *memorantur in Martyrologio Tamlactenſi: Colganus* VIII *Martij ad Vitam S. Senani Epiſcopi & Abbatis Inis-Cathenſis in Appendice cap.* I *refert* Senannum Epiſcopum coli VII Aprilis, *de Senano Abbate ſiler. Plura de hiſce Hibernis non potuimus aſſequi.*

Hermannus, Converſus in Clauſtro Hemmerodenſi, Beatiſſimæ Virgini multum devotus, quæ apparens eum conſolata eſt. *Latius hæc referuntur à Cæſario lib.* 7 *Hiſtoriarum memorabilium ſui temporis cap.* 52, *ubi abſtinet à titulo* Beati, *quem ei tribuunt Henriquez, Bucelinus & Chalemotus. Nos Hemmenrodæ fuimus, & de ejus veneratione nihil intelleximus.*

Ermentrudis, Sanctimonialis in Monte-Cornelii apud Leodienſes, B. Julianæ ſub finem vitæ ſocia, *refertur ab Henriquez, Bucelino & Chalemoto cum titulo* Beatæ *inter Ciſtercienſes. Dedimus Vitam B. Julianæ* V *Aprilis, & diximus eam probabilius vixiſſe ſecundum regulam S. Auguſtini. Interim quotquot nominantur iſtius loci ſanctimoniales, cum titulo* Beatæ, *variis locis iſtius Menologii ſunt inſcriptæ. Nos in Monte-Cornelii omnia diſcuſſimus, ut temere titulum* Beatæ *tribuemus Julianæ & ſociabus ejus: & pro Iuliana quidem certa ſatis ſunt omnia, pro aliis nec umbra quidem probabilitatis extat.*

Joſephus monachus monaſterii Schonfeldenſis, *cum titulo* Sancti *inſcriptus eſt Kalendario Ms. Ordinis S. Benedicti, nobis ignotus. Eſt monaſterium Schonenfeldt ejuſdem Ordinis, non procul ob oſtia Lyci in Bavaria. Quid ſi Schonfeldia pro Steinfeldia irrepſererit intelligaturque B. Hermannus Ioſeph, cujus Vitam hodie damus?*

Petrus Andreas Challiau Turonenſis, Ordinis Minimorum, gratia prædicationis & converſionis animarū conſpicuus, *memoratur à Sauſſayo in Supplemento Martyrol. Gallicani: ſed ſolum inter viros Pios cenſetur.*

Franciſcus à Magdalena, Sebaſtianus à S. Maria, Elvira à Villa-ſicca, } In Hiſpania, Ordinis S. Franciſci, floruerunt opinione ſanctitatis, *& relati ſunt cum titulo* Beati *in Martyrol. Franciſcano Arturi à Monaſterio.*

SS. Euphemia & Eucapia, Chalcedone plurima tormenta paſſæ, *referuntur à Floro in Mss. Atrebatenſi & Tornacenſi* Euphemia *etiam inſcripta eſt Kalendario Miſſalis Ms. Moguntini, & nomen* Evapii *pro*, Eucapia *in Kalendario Aquileienſi. De iis cum aliis Martyrologiis agemus* XIII Aprilis.

S. Martinus, Abbas in Arvernis, *indicatur in Catalogo generali Ferrarii: qui citat tabulas Eccleſiæ Arvernenſis & Surii tomum* 2. *ſed is* Martius Abbas *eſt, & refertur* XIII Aprilis

Brandani *ſeu* Brundani, Epiſcopi & Confeſſoris, *mentio fit in Ms. Florario & auctario uſuardi per Grevenum. Eſt* Brandanus Abbas, varia navigatione celebris, *qui à Petro de Natalibus lib.* 5. *cap.* 117 *& alius etiam* Epiſcopus *appellatur, & colitur* XVI Maij.

Baptiſta Varani, *fundatrix monaſterii S. Claræ Camerini, tomo* 1 *de Sanctis Vmbriæ refertur à Iacobillo hoc die cum titulo Beatæ. Abſtinet eo titulo Dominicus Paſinus, qui ejus Vitam ſcriptaque vulgavit: ipſe vero Iacobillus tomo* 3 *retractans quæ prius de anno & die mortis ſcripſerat, inducias de eadem agendi (ſi interim de aliquo ejus cultu diſtinctius quidpiam afferatur) concedit uſque in* XXXI Maij

S. Mariæ Magdalenæ converſio anno ſalutis XXXII, vitæ ſuæ XX, *inſcripta eſt Ms. Florario Sanctorum. De ea agendum* XXII Julij.

S. Ludovici Epiſcopi, Ordinis Minorum, feſtum Canonizationis *refertur in Auctario Carthuſianorum Bruxellenſium. Colitur is* XIX Auguſti

Philibertus *jungitur* SS. Eleuſo & Macariæ, *apud Grevenum in Auctario Vſuardi. De his infra hoc die agimus: ſed non putamus quidquam iis eſſe commune cum iſto, cujus nomen Francicum eſt & Martyrum ævo recentius. Aliqui hujus nominis Abbas, colitur* XX Aug.

S. Alpinus, Ep. Catalaunenſis, *memoratur in Ms. Kalendario Autiſſiodorenſi. Fuit iſtius Eccleſiæ* VIII *Epiſcopus, & colitur* VII Septembris.

S. Perpetui, Epiſcopi Trajecti, tranſlatio Dionanti facta, ab Eccleſia S. Vincentii ad baſilicam Deiparæ Virginis, *celebratur à Sauſſayo in Martyrologio Gallicano: eſt ejus natalis* IV Novembris.

Brectus, Epiſcopus Turonenſis & Confeſſor, *memoratur in Ms. Florario Sanctorum. Is aliis* Briccius *dicitur, & colitur* XIII Novembris.

S. Lazari, Pontificis & Martyris, inventio corporis Maſſiliæ, *memoratur primo loco in Martyrologio Gallicano Sauſſay. Natalis ejus celebratur quando de loco ſepulturæ ejus agendum etiam erit.* XVII Decemb.

DE SANCTO HEGESIPPO

G. H. *SCRIPTORE ECCLESIASTICO.*

CIRCA AN OLXXX.

Elogium ex S. Hieronymo

Præclarum S. Hegeſippi elogium edidit S. Hieronymus, libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 22, *his verbis:* Hegeſippus, vicinus Apoſtolicorum temporum, omnes à Paſſione Domini uſque ad ſuam ætatem Eccleſiaſticorum Actuum texens hiſtorias, multaque ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros compoſuit, ſermone ſimplici, ut quorum vitam ſectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem. Aſſerit ſe veniſſe ſub Aniceto Romam, qui decimus poſt Petrum Epiſcopus fuit, & perſeveraſſe uſque ad Eleutherium ejuſdem urbis Epiſcopum, qui Aniceti quondam Diaconus fuerat. Præterea adverſum idola diſputans, ex quo primum errore creviſſent, ſubtexit hiſtoriam, ex qua oſtendit, qua floruerit ætate. Ait enim: Tumulos mortuis templaque fecerunt, ſicut uſque hodie videmus: è quibus eſt & Antinous ſervus Hadriani Cæſaris, cui & gymnicus agon exercetur apud Antinoum civitatem, quam ex ejus nomine condidit, & ſtatuit prophetas in templo. Antinoum autem in deliciis habuiſſe Cæſar Hadrianus ſcribitur. *Hæc* S. *Hieronymus: qui aliquod encomium ex ejus libris habet cap.* 2 *de eiſdem Scriptoribus, quod proferendum erit ad Kalendas Maj, quo colitur* S. *Iacobus frater Domini, de quo ibidem agitur. Ex dicto* S. *Hieronymo elogia ſua deſumpſerunt Vſuardus, Ado, Notkerus, Bellinus, Maurolycus & alii recentiores, & paſſim* virum ſanctiſſimum, virum ſapientiſſimum, & virum Dei *appellant. In Martyrologio Romano adſcribitur* Romæ: *& à Ferrario recenſetur in Catalogo Sanctorum Italiæ. Quæ ab Adone ſub finem adduntur*, de converſatione ejus in gentili

deſcriptum in Martyrologiis.

A gentili Philoſophia & inſtitutione in ſectis Platonicis, *ſpectant ad S. Iuſtinum Philoſophum & Martyrem, & XIII Aprilis in ejus Vita referentur. Eadem ex Adone deſcripſit auctor Bedæ ſuppoſititii, & nonnulla ſuo encomio inſeruit Galeſinius.*

Tempus vitæ ſub Pontificibus Romanis,

2 *S. Aniceto, cujus tempore Romam venit S. Hegeſippus, præfuit Eccleſiæ Summus Pontifex ab anno* CXLIX *uſque ad annum* CLIII, *martyrio coronatus* XVII *Aprilis, ad quem diem illa exacte traduntur. Succeſſit Aniceto S. Pius, illius ante & S. Hygini Vicarius, dein verus Pontifex uſque ad annum* CLXI; *quando illi ſubſtitutus S. Soter ſedit annos novem, & plures menſes, mortuus anno* CLXXI, *die* XXII *Aprilis, ubi accurata temporis ratio aſſignatur. Soteri dicto anno ſucceſſit S. Eleutherius, vixitque uſque ad annum* CLXXXVI. *Fuerunt tunc Imperatores Romani Antoninus Pius ab anno* CXXXVIII, *cui ſubrogatus eſt anno* CLXI M. *Aurelius Antoninus cum fratre ſuo L. Ælio Vero, & imperium reliquit filio ſuo Commodo, anno* CLXXX, *ſi tamen ad illud tempus vixerit S. Hegeſippus, clarus etiam ante tempora Antonini Pii ſub hujus deceſſore Hadriano Imperatore, qui, teſte Spartiano,* Antinoum ſuum dum per Nilum navigat perdidit, & muliebriter flevit. Græci volente Hadriano eum conſecrarunt, oracula per eum dari aſſerentes, quæ Hadrianus ipſe compoſuiſſe jactatur: *Ad quem locum multa congerit in Notis Claudius Salmaſius. De Antinoo puero dilectiſſimo plurima ex Scriptoribus Eccleſiaſticis collegit Petrus Halloix in ſuis Notationibus ad Caput 3 Vitæ S. Hegeſippi late deductæ: e que interſerit, quæcumque ex quinque libris S. Hegeſippi (qui cum maximo detrimento veritatis Eccleſiaſticæ perierunt) ſuperſunt fragmenta, ab Euſebio in Hiſtoria Eccleſiaſtica producta; inter quæ poſt martyrium S. Iacobi fratris Domini, de quo jam egimus, eſt perſecutio ſub Domitiano contra propinquos Chriſti Servatoris mota, & martyrium S. Simeonis Epiſcopi Hieroſolymitani, ad diem* XVIII *Februarii relatum ex libro 3 Euſebii, & cap. 32, cui tunc iſta adduntur ex Hegeſippo.*

& Imperatoribus.

B

contra inſurgentes poſt Apoſtolorum tempus perſecutiones,

3 Poſt hæc idem ſcriptor res illa ætate geſtas commemorans, addit Eccleſiam ad hæc uſque tempora, inſtar cujuſdam virginis, adhuc in obſcuro receſſu delitescentis, integram atque incorruptam permanſiſſe, quicumque rectam prædicationis Euangelicæ regulam depravare niterentur. Sed poſtquam ſacer Apoſtolorum cœtus vario mortis genere extinctus eſt, effluxeratque jam ætas hominum illorum, qui divinam ipſam ſapientiam ſuis auribus auſcultare meruerant; tunc demum exorta eſt impii erroris conſpiratio, fraude & malitia falſorum doctorum: qui, utpote nullo amplius ex Apoſtolis ſuperſtite, poſt hæc nudo, quod aiunt, capite adverſus prædicationem veritatis adulterinam doctrinam obtrudere aggreſſi ſunt. Et Hegeſippus quidem de iis rebus in hunc fere modum ſcribit. *At poſt indicatos falſæ doctrinæ duces lib. 4 cap. 7 & 8 iſta adjungit Euſebius:* Et adverſariorum quidem inventa, à ſemetipſis confutata, confeſtim extincta ſunt, aliis ſuper alias exorientibus ſectis, cum priores aſſidue diffluerent, & in multiplices ac multiformes errorum ſpecies vario quæque modo evaneſcerent. Catholica autem Eccleſia, quæ ſola vera eſt, ſemperque ſui ſimilis & conſtans, novis quotidie incrementis augebatur: gravitate, ſinceritate ac libertate, modeſtia denique ac ſanctitate vitæ cujuſdam philoſophiæque divinæ, omnium oculos, non Græcorum modo, verum etiam barbarorum perſtringens. Simul etiam extincta eſt temporis lapſu calumnia il-

C

Catholicam Eccleſiam efflorescere,

la, quæ univerſæ religioni noſtræ afficta fuerat: manſitque tandem diſciplina noſtra, ſola omnium conſenſu ſuperior & victrix, ac præ reliquis ſectis modeſtia, gravitate, divinæque ſapientiæ præceptis excellere ab omnibus judicata: adeo ut exinde ad noſtra uſque tempora, nemo ſit auſus ullam infamiæ labem fidei noſtræ aſpergere, aut aliquam ejuſmodi calumniam inferre, qualem veteres illi noſtræ religionis hoſtes jactare conſueverant. Cete- *propugnat.*
rum illis temporibus rurſus veritas plures ſui patronos in medium produxit, qui non ſolum viva voce, ſed etiam ſcriptis diſputationibus adverſus impias hæreſes decertarunt. Inter quos celebris fuit Hegeſippus, cujus teſtimonio in ſuperioribus libris ſæpiſſime uſi fuimus, cum res Apoſtolorum temporibus geſtas ex illius fide ac relatione traderemus. *Hæc Euſebius, qui hiſce ſubjungit, quæ nos ſub initium à S. Hieronymo excerpta dedimus.*

4 *Demum cap. 21 & 22 iſta habet:* Iiſdem temporibus in Eccleſia floruerunt Hegeſippus, de quo abunde jam dixi, & Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, Pinytus quoque Cretenſium Epiſcopus... ac poſtremo Irenæus, quorum omnium libri ſinceram Apoſtolicæ traditionis ac veræ fidei doctrinam continentes ad nos uſque pervenerunt... Hegeſippus quidem in quinque Commentariorum libris, luculentiſſima fidei ſuæ teſtimonia nobis reliquit. Scribit enim ſe, cum Romam proficiſceretur, plurimos Epiſcopos adiiſſe, & ab omnibus unam eamdemque audiviſſe doctrinam. Idem poſtquam de Clementis epiſtola ad Corinthios quædam commemoravit, hæc addit, quæ nos ſi placet audiamus. Et Corinthiorum quidem, inquit, Eccleſia in recta fide permanſit uſque ad Primum ejuſdem loci Epiſcopum. Quocum familiariter collocutus ſum, dum Romam navigarem: nec paucos dies verſatus ſum cum Corinthiis, mutuamque ex recta fide conſolationem cepimus. Romam vero cum veniſſem, manſi ibi apud Anicetum, cujus tum Diaconus erat Eleutherus. Poſt obitum deinde Aniceti ſucceſſit Soter, quem excepit Eleutherus. In ſingulis autem Epiſcoporum ſucceſſionibus & per ſingulas urbes eadem manent, quæ per legem ac Prophetas & à Domino ipſo prædicata ſunt. *Relatis dein hæreſibus tunc exortis, addit, Euſebius:* Nonnulla item ex Hebræorum Euangelio & Syriaco, & ex Hebraica lingua profert in medium, ſatis per ſe aperte ſignificans, ſe ex Hebræis ad Chriſti fidem tranſiiſſe. Alia quoque, ex Judaicis traditionibus, ſcripto minime comprehenſis, petita, commemorat. Non ſolum autem ipſe, ſed etiam Irenæus & omnes antiqui Proverbia Salomonis vocare ſolent Sapientiam, omnium virtutum præcepta continentem. Denique agens de libris, qui apocryphi dicuntur, quoſdam eorum ſua ætate ab nonnullis hæreticis compoſitos eſſe ſcribit. *Hæc Euſebius. Concludimus verbis Ioannis Tritthemii libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in quo iſta habet:* Hegeſippus natione Judæus, ad fidem Chriſti converſus, doctrina & ſanctitate in Eccleſia Dei admirabilis effulſit: cujus feſtum cum ceteris Sanctis in Martyrologio locum obtinuit. *De alio Hegeſippo ſeu Ioſippo, cujus libri de Bello Iudaico & excidio urbis Hieroſolymitanæ extant, conſule Philippi Labbe Diſſertationem hiſtoricam de Scriptoribus Eccleſiaſticis & alios ibidem citatos. Petrus de Natalibus lib. 4 Catalogi cap. 36 omnia perperam uni eidemque S. Hegeſippo tribuit.*

Romam proficiscens cum variis Epiſcopis

E

& Pontificibus Romanis agit:

ipſe ex Hebræo Chriſtianus,

F

Proverbia Salomonis æſtimat.

AUCTORE G. H.

DE SANCTIS MARTYRIBVS AFRIS,

EPIPHANIO EPISCOPO, DONATO, RVFINO, MODESTO, ET ALIIS XI.

G. H.

VI & V I APRILIS *Priore die memorantur Epiphanius Presb.*

Illuſtris horum Martyrum memoria eſt, & VI *&* VII *Aprilis: ac priore die* S. Epiphanius, Epiſcopus in Africa, *ut reliquorum Dux & Anteſignanus, refertur in pervetuſto Martyrologio Richenovienſi ſive Augiæ-divitis: qui* Martyr *appellatur cum* XIII Sociis *adjunctis in Martyrologio Trevirenſi S. Martini, ſeu* XIV *in Faſtis Rhinovienſibus: ſed de hoc numero agendum, dum alii ſuis nominibus fuerint indicati. In Ms. Codice monaſterii* S. *Cyriaci, jungitur ſclus* Rufinus, *ſed per errorem* Epiphania *ſcribitur; cum reliqui Faſti* Epiphanium Epiſcopum *habeant. Ms. Reginæ Suecia ab Holſtenio laudatum habet* Epiphanium Epiſcopum, Donatum & alios XIII. *In Ms. Pragenſi iſta habentur:* Epiphanii Epiſcopi, Donati, Rufini, Modeſti & aliorum XL. *In Ms. Barberiniano & ſupplemento Bedæ iſta leguntur.* In Africa natale S. Epiphanii Epiſcopi, Donati, Rufini, Modeſti & aliorum, *qui in Mss. Lætienſi & Tornacenſi* S. *Martini, ſignantur* undecim, *ſed* Rufinus *omittitur. In apographo vetuſtiſſimo Martyrologii Hieronymiani, adjuncto alio Martyre, iſta referuntur:* In Africa Epiphanii Epiſcopi, Donati, Sixti, Rufini, Modeſti & aliorum X, *qui* XI *dicuntur in apographis Blumiano & Corbeienſi Pariſiis excuſo: pro quo numero in codice Lucenſi & memorato Pragenſi perperam* XL *ſcribuntur: uti etiam* Modeſta *in Corbeienſi eſt, aliis omnibus* Modeſtus. *Notkerus eoſdem omnes memorat cum ſociis* undecim: *qui* duodecim *ſignantur in Mss. Leodenſibus* S. *Lamberti &* S. *Laurentii. In Ms. Tamlachtenſi memorantur* Epiphanius, Rufinianus, Modeſtus.

Rufinus,

Donatus,

B

Modeſtus,

Sixtus,

2 *At diem* VII *hujus Aprilis ita incipit Vſuardus:* Apud Africam natalis SS. Epiphanii Epiſcopi, Donati & aliorum tredecim. *Quæ eadem leguntur apud Bellinum, Grevenum, Maurolycum, Felicium, Caniſium, Galeſinium & in quamplurimis Mss. in quorum nonnullis leguntur ſocii* quatuordecim, *uti etiam in Martyrologiis Coloniæ & Lubecæ anno* 1490 *excuſis & apud Petrum de Natalibus lib.* II, *num.* 113. *In hodierno Romano iſta leguntur primo loco:* In Africa ſanctorum Martyrum Epiphanii Epiſcopi, Donati, Rufini & aliorum tredecim. *Verum ſi cum aliis ante indicatis Martyrologiis jungantur* Sixtus & Modeſtus, *cum iiſdem rectius retinebuntur ſolum* ſocii undecim. *Addit Baronius in Notis,* cujus fuerit civitatis Epiſcopus Epiphanius, vel quando ſit paſſus, nuſquam ſe potuiſſe invenire. *In Ms. Romano baſilicæ S. Petri in Vaticano celebrantur* Epiphanius Epiſcopus, Donatus & alii tredecim apud Africam Martyres. *Aliquas* S. Rufini *Martyris reliquias haberi Bononiæ in eccleſia* S. *Dominici tradit ad hunc diem Maſinus in Bononia perluſtrata: ſed quas alterius eſſe dixerim, æque ac pars cruris quæ ſub nomine* Epiphanii Epiſc. & Mart. *à Carolo* IV *Imperatore anno* MCCCLXX *ex Tuſcia Pragam allata dicitur in Diario Reliquiarum eccleſiæ Metropolitanæ* S. *Viti, per ejuſdem eccleſiæ Decanum nuper vulgato*

Relati etiam VII *Aprilis*

E

DE SANCTIS MARTYRIBVS ANTIOCHENIS.

TIMOTHEO, DIOGENE, MACARIA, SIVE MADIARIA ET MAXIMA.

ITEM S. ELEVSO PRESBYTERO.

G. H.

VII APR. C

Poſt relatos Martyres Afros, de quibus jam egimus, ſubjungebantur die VI *Aprilis, in antiquis apographis Martyrologii S. Hieronymi,* Timotheus & Diogenes in Macedonia *paſſi: de quibus cum Martyrologiis Vſuardi, Notkeri, Bellini aliorumque & potiſſimum Romano ad illum diem egimus. Verum qui referuntur in iiſdem aliiſq; antiquis Martyrologiis cum ſociis Antiochiæ in Syria* VII *Aprilis paſſi, eos, ut à Macedonibus Martyribus diverſos hoc die recenſemus. Ac primo Martyrologium Reginæ Sueciæ, ab Holſtenio laudatum & in Adverſis ad Martyrologium Romanum citatum, iſta habet:* In Antiochia Syriæ natalis S. Timothei cum aliis tribus: *quos* ſex *tradunt* MSS. *Trevirenſe* S. *Martini, & Vltrajectinum* S. *Mariæ.* MSS. *Tornacenſe & Lætienſe:* In Antiochia Syriæ Timothei, Diogenis. *addunt Vaticanum* S. *Petri, & aliud* S. *Cyriaci, nomen* Macariæ. *Quæ in* MS. *Aquiſgranenſi ſic exprimuntur:* Timothei, Avigenis *corrige* Diogenis, Eleuſi, Macariæ. *Wandelbertus ex his duos in ſuo poëmate celebrat hoc verſu:*

Martyres relati in antiquis MSS.

Diogenes ſeptenis, Eleuſuſque feruntur.

In MSS. *Faſtis* S. *Maximini valde antiquis celebratur* Eleuſus, Presbyter in Antiochia Syriæ. *In* MSS. *Auguſtano* S. *Vdalrici & Pariſienſi Labbæi hoc ordine indicantur:* In Antiochia Syriæ Timothei, Diogenis, Eleuſi, Macariæ, Maximæ. *In* MS. *Tamlactenſi indicantur* Timotheus, Eleuſus *& aliis interpoſitis* Diogenes, Macaria & Maxima. *In* MS. *Colonienſi S. Mariæ ad Gradus, reliquis relatis ſub finem, dicitur,* & Eleuſi Presbyteri: *qui tamen in apographis Martyrologii Hieronymiani ſejungitur, & ſic primo loco legitur:* Antiochiæ Syriæ Timothei, Diogenis, Macariæ, Maximæ, Et alibi Eleuſi Presbyteri. *Quæ etiam in nonnullis aliis* MSS. *Martyrologiis leguntur. In Lucenſi codice* Macarius & Maximus *ſcribuntur. De eiſdem, ut opinamur, Martyribus agitur* XXVI *Martii, uti ibidem inter Prætermiſſos & in alios dies rejectos diximus. Ac primo in pervetuſto & primario Martyrologio S. Hieronymi ſic legitur:* Antiochiæ Timothei, Diogenis, Macariæ ac Maximæ. *In Lucenſi & Corbeienſi, & Tamlachtenſi, loco* Macariæ, *habetur* Madiariæ; *uti in Blumiano* Maximi, *loco* Maximæ: *ſed hæc deeſt in codice Altempſiano.* Timotheus & Diogenes *memorantur etiam in Kalendariis antiqui Miſſalis & Breviarii Ambroſianii, item in* MSS. *Barberiniano, Pragenſi & Richenovienſi, & ſolus* Timotheus *in Auguſtano & Labbeano. Nulla vero mentio ad iſtum diem habetur* Eleuſi, *quem ut Sanctum, ne multiplicemus titulos, ſub finem detinemus. Apud Grevenum poſt Eleuſum & Macariam jungitur Philibertus, de quo alibi nihil legimus, niſi ſit S.* Philibertus *Abbas* XX *Auguſti commemorandus: nomen certe Francicum eſt, & antiquis martyribus non bene jungitur.*

F

an Eleuſius ſejungendus?

Iidem relati 26 Martii

DE

DE SS. COPRICA, VICTORE, DONATO,

G. H.

MARTYRIBVS IN LIBYA SVPERIORE.

VII APRIL. *Raduntur hi Martyres*, in Libia ſuperiore *hoc die paſſi, in quatuor apographis Martyrologii Hieronymiani; item in Mss. Romano Cardinalis Barberini, Leodienſi S. Laurentii, Trevirenſi S. Maximini, & Ms. Florario Sanctorum: & ſunt*, Coprica & Victor. *Pro priore in Ms. Epternacenſi S. Hieronymi legitur*, Caprica; *in Ms. Auguſtano S. Vdalrici*, Aprica; *in Pariſienſi Labbæi*, Capua. *In Ms. Corbeienſi S. Hieronymi, Pariſiis excuſo, additur tertius ſocius* Donatus. *De his aliiſque videtur mentio fieri in dictis apographis Martyrologii Hieronymi item apud Notkerum & alios die præcedenti his verbis:* Pentapoli Lybiæ ſuperioris, natalis SS. Theodori Epiſcopi, Hirenæi, Diaconi, Serapionis & Ammonii Lectorum, *(quos eoſdem retulimus* XXVI *Martij)* Summiſtæ, Aprici, Victoris.

Pro Summiſta *in tribus apographis Hieronymiani prædicti ſcripta leguntur in codice Epternacenſi duorum nomina,* Luni Miſtæ. *Hoc, dum certior lectio occurret, inter Prætermiſſos collocato, arbitramur, hoc die relatos* Copricam, *aliis* Capricam, *ſive* Apricam & Victorem, *iſtic dici* Apricum, Apricium, Paricium *(nam iſta cum varietate ſcribuntur)* & Victorem. *In perſecutione Diocletiani paſſos eſſe quatuor* XXVI *Martij relatos, ibidem diximus: quod de hiſce videtur etiam dicendum. In Ms. Neapolitano Antonii Caraccioli referuntur* natalis S. Coprici & natalis S. Hirenæ, *videtur hoc nomen pro* S. Hirenæo Diacono *ſumptum.*

DE S. PELEVSIO, SEV PELVSIO,

G. H.

PRESBYTERO, MARTYRE ALEXANDRIÆ.

VII APRIL. *Vjus Sancti memoria celeberrima eſt in pleriſq; Martyrologiis, ſed cum aliqua ſcriptionis varietate. In duplici aprographo S. Hieronymi ſcribitur* Peleuſius, *quo etiam modo legitur in Martyrologio hodierno Romano, item in aliis Coloniæ & Lubecæ anno* 1490 *excuſis, & non nullis Mss. At* Peluſius *ſcribitur in Ms. Blumiano S. Hieronymi, item apud Vſuardum, Notkerum, Bellinũ, Molanũ, & in plurimis antiquis Mss.* Piluſus *habetur in codice Lucenſi* S. *Hieronymi,* Peloſus *apud Rabanum,* Palenſius *in Beda ſuppoſititio.* Peleuſoppus, *in auctario Vſuardi per Grevenum. Petrus de Natalibus lib.* II *Catalogi num.* 114 *iſta habet:* Pleuſius Presbyter eodẽ die (VII *Idus Aprilis*) in Chriſto quievit. *Hinc in aliquo* Martyrologio, *à Carthuſianis Vltrajectinis ſuppleto, appellatur* Confeſſor. *Verum cum antiquis omnibus melius iſta in* Martyrologio *Romano habentur:* Alexandriæ S. Peleuſii, Presbyteri & Martyris. *Vnus vexat nos ſcrupulus, num hic Martyr inter tot nomina etiam* Cluſius *dicatur in antiquis Martyrologii Hieronymiani apographis ad diem præcedentem, ubi* Cluſium Presbyterum, *cum aliis etiam Alexandriæ paſſum, retulimus. Vtrumque hac addita monitione, propter antiquitatem Martyrologiorum, detinemus: ob eamdemque eum diſtinguimus à* S. Eleuſo Presbytero *ſupra relato, licet vehementer timeamus ne unus idemque ſit* Eleuſius *&* Peleuſius.

DE SS. CYRIACO ET SOCIIS,

G. H.

MARTYRIBVS NICOMEDIÆ.

VII APRIL. *In antiquiſſimo apographo Martyrologii Hieronymiani quo hactenus uſi ſumus, poſt alios jam relatos Martyres iſta leguntur:* Nicomediæ Cyriaci cum aliis decem. *Eadem habentur in Faſtis antiquis monaſteriorum Richenaugienſis & Rhinovienſis, item apud Rabanum, Notkerum & Bedam ſuppoſititium; quo citato, & indicato conſenſu veterum manuſcriptorum, iſta habentur in hodierno Martyrologio Romano:* Nicomediæ S. Cyriaci & aliorum decem Martyrum. *Eumdem cum hoc ſociorum numero commemorat Galeſinius. Nec plura hactenus de his Martyribus ſcire licuit.*

DE S. CALLIOPIO MARTYRE,

G. H.

POMPEIOPOLI IN CILICIA,

ANNO CCCIV. *Notiſſimæ ſũt Pãphilia & Cilicia, regiones, Aſiæ cõtiguæ ad mare Mediterraneũ, & multorum Martyrum ſanguine irrigatæ. In priore urbs eſt metropolitana Perga, in qua* Patroboli *honore illuſtris* Calliopius *cũ dira ibi perſecutio Diocletiani & Maximiani ferveret, navigavit in Ciliciã; &* Pompeiopoli, *urbe iſtic maritima & poſtmodũ Epiſcopali, captus, atq; poſt atrociſſima tormenta cruci affixus,* VII *Aprilis ſpiritum Deo reddidit, ipſo die Paraſceves Domini: ergo anno Chriſti* CCCIV, *quando Cyclo Lunæ* I, *Solis* V *litteris, Dominicalibus* B A, *feſtũ Paſchatis incidit in diem nonũ Aprilis. Depoſuerãt purpurã ipſis Kalendis Aprilis Diocletianus & Maximianus Herculeus, ſed perſecutio in provinciis prorogata eſt ſub Galerio Maximiano Armentario, Diocletiani genero.*

S. Calliopius Pergæ natus,

Pompeiopoli crucifixus

anno 304.

Acta Martyrii dantur ex MSS. Græcis Veneto & Vaticano.

2 *Acta martyrii S. Calliopii nactus eſt in bibliotheca do-*

minii Venetorum Aloyſius Lipomanus, eaque à Petro Franciſco Zino Veronenſi Latine reddita edidit tomo VII *Vitarũ Sanctorum Patrum. Nos eadem Græce nacti ſumus in Bibliotheca Vaticana & codice* 1660, *quæ ad calcem hujus tomi damus, & hoc loco collata cum interpretatione Zini, ex eaq; hinc inde auximus & emendavimus. Auctoris nomen non indicatur: videtur is antiquus fuiſſe, & ex Notariis exceptoribus deſumpſiſſe verba inter Martyrẽ atq; Præfectum ultro citroq; dicta. Actorum ſinceritatẽ & puritatẽ confirmant nonnulla ex iis excerpta compendia: horum aliquod extat in* MS. Menologio Baſilii Imperatoris Porphyrogeniti, *quod hic Latine redditum damus: eſt autem ejuſmodi.*

compendium in Ms. Menologio Baſilii Imperatoris

3 Eadẽ die VII, certamẽ ſancti Martyris Calliopii. Calliopius Chriſti Martyr fuit ſub Imperio Maximiani, ex regione Pamphiliæ prognatus, filius Theocliæ,

AUCTORE G. H.

cliæ, cujuſdá fœminæ Chriſtianæ & locupletis: à qua pie & religioſe educatus, in aſſidua divinarum Scripturarum meditatione & ſtudio verſatus eſt. Perſecutione autem commota, Pompeiopolim ſponte ſua diſceſſit: ubi coram Maximo Præfecto Chriſtum eſt libere profeſſus. Manibus proinde poſt terga revinctis, crudeliter verberatus eſt in carcere. Tunc mater ejus ad eum ingreſſa, ſanguinem ſpongia abſtergebat: diſtributis enim in pauperes omnibus divitiis ſuis, ſecuta fuerat filium. Hic vero è carcere eductus, condemnatus eſt ut crucifigeretur. Nec modo in paſſione & cruciatibus conſors fuit Chriſti, ſed etiam in diebus, quibus paſſus eſt. Siquidem feria quinta majoris hebdomadæ erat dies, in qua crucifixus eſt. Mater autem ipſius lictoribus quinque nummos aureos donavit, rogans ipſos, ne æqualiter, ac Chriſtus crucifixus fuit, filium ſuum cruci affigerent. Quare verſo deorſum capite crucifixus, hora tertia diei Paraſceves ſpiritum Deo tradidit; & mater ejus irruens in ipſum, animam emiſit.

Officium Eccleſiaſticum apud Græcos in Menæis:

B

3 *Græci in magnis Menæis officio Eccleſiaſtico celebrant hoc die S. Calliopium Martyrem, & multiplicibus odis laudant ejus magnanimam conſtantiam, & invictam inter tam diverſos cruciatus tolerantiam. Intexuntur de eo cantiones S. Ioſephi Hymnographi, & in iis initia ſingularum ſtropharum adſtringuntur certis litteris initialibus, prout hæ in hoc præpoſito Acroſticho reperiuntur, totidem litteris Latine reddito.*

Καλὰς ἐπαινῶ Καλλιωπίᾳ πόνους.

Pulchros labores Calliopii cano.

Sub finem adduntur quinque ſtrophæ, quæ nomen Ιωσὴφ *auctoris exprimunt, qualem in ſimilibus odis Græcorum ritum expoſuimus in Vita S. Hilarionis Iunioris, Abbatis monaſterii Pelecetes,* XXVIII *Martii. His omiſſis, vitandi in nimia prolixitate tædii cauſa, proferimus elogium, in iiſdem Menæis & apud Maximum Cytherorum Epiſcopum Græce editum, & ex Actis ſubjungendis excerptum, quod eſt ejuſmodi.*

elogium inde Latine redditum.

4 Eodem die S. Calliopii Martyris. Vixit hic temporibus Maximiani Imperatoris, natus matre Theoclia, in urbe Pamphiliæ, Perge dicta. Edoctus fidem Chriſtianam, pie ſancteque à matre educatus eſt, & in divinis Scripturis plurimum exercitatus. Exorta vero adverſus Chriſtianos perſecutione, ſibi ipſe animum addidit auxitque, &

C

à matre ſua inflammatus eſt ad martyrium pro Chriſto ſubeundum. Sponte erga ſua Pompeiopolim profectus, coram Maximo Præfecto Chriſti nomen collaudavit & invocavit. Vinctis ergo poſt terga manibus, plumbatis nervis cæditur, & in rotam actus & extenſus, ſubjecto igne torretur. Sed Angeli adſtantis ope rota conſtitit, & ignis cum ingenti ſpectantium admiratione refrixit. Laceratis porro membris apparens Sanctus, in carcerem conjectus eſt: in quem mater ejus ingreſſa, ſtillantem è vulneribus cruorem abſterſit. Diſpertita porro erat in pauperes omnes divitias ſuas, ſervoſque omnes & ancillas, quinquaginta numero, libertate donarat. Aderat ergo filio ſuo & cum eo pſallebat, quando media nocte, lumine carcerem illuſtrante, voceque de cælo delata, libertas Martyris & in Chriſti fide conſtantia laudabatur: unde magis ad ſubeunda adhuc pro Chriſto certamina incitabatur. Ubi ergo à fide dimoveri non poterat, ut cruci affigeretur condemnatus, particeps factus eſt paſſionis & cruciatuum Chriſti Domini, non ſolum in ipſo mortis genere, ſed etiam in tempore. Nam feria quinta magnæ & ſanctæ hebdomadæ, ante Reſurrectionem Chriſti & Dei noſtri, in crucem actus eſt inverſo capite: quod, matre petente & quinque aureos nummos lictoribus donante, factum eſt. Poſtridie vero ipſo die paraſceves hora tertia ſpiritum reddidit. Mater filium è cruce depoſitum complexa, & animo deficiens, animam etiam ipſa emiſit, & cum ſancto Martyre filio eſt ſepulta.

D

5 *Hactenus Menæa, in quibus, quia in titulo hujus diei agitur* de ſancto Martyre Calliopio, *& dein primum elogium de S. Georgio Epiſcopo Mitylenæ profertur, ſecundum de S. Calliopio; Sirletus in Menologio ſuo bis refert S. Calliopium hoc modo:* Die VII Sancti Martyris Calliopii. Eodem die ſancti Patris noſtri Georgii Epiſcopi Mitylenæ, monaſticæ vitæ obſervatione inſignis. Eodem die Sancti Martyris Calliopii Maximiano Imperatore *Hæc ibi, quæ ſunt de uno eodemque S. Calliopio accipienda; & auctoris arguunt præcipitantiam in compilatione opuſculi illius. alias quoque notatâ. De S. Georgio infra agimus. E Latinis ſe exemplo Græcorum, referunt eumdem Molanus in ſecunda & tertia editione Auctarii ſui ad Vſuardum, Galeſinius, Caniſius, & Baronius in hodierno Martyrologio Romano cum hoc elogio:* In Cilicia S. Calliopii Martyris, qui ſub Maximo Præfecto, poſt alia tormenta, verſo in terram capite cruci affixus, nobili corona martyrii coronatus eſt. *In Notationibus multa ſuggerit Baronius de ſupplicio crucis, & quod etiam Seneca in libro de Conſolatione ad Marciam indicet,* eſſe qui capite in terram verſo ſuſpendant. *Reliqua ibi videri poſſunt.*

in Menologio Sirleti idem bis repetitur.

relatus in Faſtis Lat. & Martyrologio Rom.

E

6 *Ferrarius in Catalogo generali recolit* S. Diocliam Martyrem Pompeiopoli in Cilicia, *& in Notis pluribus agit de urbe Epiſcopali Pompeiopoli, & dein* ex Græcis Diocliam matrem S. Calliopii *refert, quæ illis* Θεοκλεία *dicitur, in amplexu corporis defuncti filii extincta, ſed an* Martyr *colatur, aut ullis faſtis ſacris ſit inſcripta, necdum legimus.*

Theoclia mater an Martyr cenſenda.

ACTA MARTYRII

Ex MS. Græco Vaticano.

1 THeoclia quædam, mulier pia ac timens Deum cum tota familia ſua, multas faciebat eleemoſynas vitamque honeſtam ducebat: viro autem Senatorii generis conjuncta, per annos multos nullos liberos genuit, quia ſterilis erat. Hæc tandem aliquando ſecundum promiſſionem concipiens, cum uterum ferret, mortuus eſt vir ejus in magna opulentia: ipſa vero filium peperit & vocavit nomen ejus Calliopium, omnique divinarum lectionum diſciplina inſtruendum curavit, quia erat Patricius *a* Perges Pamphyliæ. Contigit porro temporibus illis ut prævalente idololatriæ errore, occultaretur veritas, multique idolis impuris libabant: Sanctus autem Calliopius incumbebat aſſiduis precationibus jejuniiſque. Cumque ad Judicem delatum eſſet de juvene quod Chriſtianus eſſet, B. Theoclia mater ejus, dans ei aurum, veſtes & famulitium, mari commiſit filium, ut ipſius loci tribunal effugeret. Pompeiopolim igitur Ciliciæ navigavit: ubi cum impuriſſimus Maximus inſanis *b* ſuperſtitionibus ſuis choreiſque & commeſſationibus deorum impurorum honori agendis vacaret, videns talia ſanctus adoleſcens obſtupuit, miratus quidnam id eſſet, quia ipſe jejunio continuo aſſueverat. Quæſivit ergo ex circumſtantibus, quidnam id eſſet? & reſponderunt ei feſtivitatem eſſe deorum atque aiebant, Veni & particeps eſto convivii noſtri. Quibus ipſe reſpondit, Chriſtianus ſum, & jejunando feſtum ago Chriſto; nec enim fas eſt ut in os Chriſtum laudantium ingrediantur libationes deorum immundorum atque impurorum.

Nobiliter natus & pie educatus

F

a propter perſecutionem

juſſu matris ex Pamphylia in Ciliciâ tranſit,

b

ubi recuſans participare ſacrificiis

2 Delata

A 2 Delata ſunt hæc omnia ad aures Præfecti, qui furore repletus iſti eum juſſit: adſtanti autem coram tribunali dixit, Maximus, Quod tibi nomen eſt? Calliopius dixit, Chriſtianus ſum, & Calliopius vocor. Maximus Præfectus dixit, Cum univerſus orbis conviviis celebret feſtivitatem deorum, quomodo tu in ejuſmodi errore perſiſtis? Calliopius dixit: Vos eſtis qui in errore tenebrisque verſamini, quia dereliquentes Deum vivum, factorem cæli & terræ, qui verbo creavit omnia, adoratis inſenſata ligna & attrita ſaxa, opera manuum impiarum. Maximus Præfectus dixit, Flos adoleſcentiæ tuæ petulantem te reddit, nec vulgaria ſibi tormenta depoſcit: dic ergo cujus nationis es & cujus generis? Calliopius dixit, Ex Pamphylia natus, genere ſenatorio ac *c* patricio ſum: ſed quod præ his omnibus nobiliſſimum, Chriſtianus. Maximus dixit: Reſponde mihi, an parentes habes? Calliopius dixit: Matrem habeo: pater pridem mortuus eſt. Maximus Præfectus dixit: Per magnum ſolem & deos omnes, ſi volueris pius eſſe & diis ſacrificare, filiam quam habeo unigenitam tibi in matrimonium trado. Calliopius dixit: Si voluero ad conjugium me convertere, dignarer filiam tuam uxorem accipere, *d* potius quam eam tradere procuratori negotiorum matris meæ. Verum ſcito, quod ita crediderim Chriſto, B ut me oporteat hoc lutum quod plaſmavit Deus & ad propriam formavit imaginem, immaculatum ſiſtere coram ejus tribunali. Quare quod tibi viſum fuerit facito: ego enim Chriſtianus ſum.

coram Præſide irridet cultum Deorum,

c

ejuſque filiam ſibi oblatam reſpuit;

d

immotus ad minas

3 Maximus Præfectus dixit: Sceleſtiſſime, putaſne ejuſmodi verbis ad iracundiam provocare me, ut te compendioſo ſupplicio perdam? Non faciam; ſed poſtquam corpus tuum minutim diſſolvero, reliquum igni tradam. Calliopius dixit: Quanto pluribus protenſioribuſque tormentis contra me uſus fueris, tanto illuſtrior mihi plectetur corona toleran.iæ: nam ſicut ait Scriptura, nemo coronatur niſi qui legitime certaverit. Maximus Præfectus dixit: Extendentes eum, plumbatis confringite omnia oſſa; videtur enim mihi grande aliquid & memorabile affectare. Cumque verberaretur Calliopius, dixit: Gratias tibi ago, Chriſte, quia dignus habitus ſum verberari pro glorioſo nomine tuo. Maximus Præfectus dixit: Crede mihi & ſacrifica diis, ut videas patriam tuam, nec facultatibus tuis priveris: vides enim quam acerbe torquearis. Calliopius dixit: Video ſuavitatem futuræ quietis à Chriſto repromiſſæ, & tormenta non ſentio: quamvis autem in peregrina ſim regione, ſcio tamen, quia Domini eſt terra & plenitudo ejus: quin etiam hic video matrem meam & patriam meam: mater enim mea eſt orthodoxa eccleſia Chriſti, patria vero cæleſtis Jeruſalem: quia noſtra, ut inquit Apoſtolus, converſatio in cælis eſt: quod ſi carnalem matrem mihi obtendas, eſt qui dicat, Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus: hæc Dei vox eſt. Affluentiam porro divitiarum contemno, magiſque eligo cum Chriſto crucifixo affligi, quam per peccatum obtinere tranſitoriam fatui mundi requiem.

2. Tim. 2

& plumbatis cæſus,

C *contemnit omnia tranſitoria,*

4 Maximus Præfectus dixit: Sicut extenſus jacet, crudis nervis ipſius ventrem verberate, dicentes, Impie, non reſpondeas aliud pro alio, ſed ad quæſita loquere. Calliopius inquit, Inſenſate & omni fera crudelior, atque aliene à cæleſti & Chriſtiana pietate; ego tibi ſermonem veritatis pando, & tu ſpiritualibus oculis nihil videns atque aures obſtruens ne audias verbum Domini, interim me ſic jubes ut homicidam contra fas torqueri. Maximus Præfectus dixit: Ponite rotam, & multum ignem ſubſternite: eique alligetur violenter uſque ad diſſolutionem artuum. Adoleſcens autem, tormentum iſtud graviter ſentiens, dixit; Adeſdum: Chriſte, ex MS. GR. ſervo tuo, ut uſque in finem glorificetur nomen tuum in me indigno famulo tuo; & cognoſcant omnes, quoniam qui ſperat in te non confundetur in ſecula. Mox autem adfuit Angelus Domini, & ſtruem prunarum extinxit; famuli vero volentes circumagere rotam, non potuerunt. Porro delicata illius membra ſimul cum ſanguine erant circumfuſa rotæ, adeo ut oſſa ejus omnia nuda cernerentur; habebat enim rota gladios biſacutos in modum ſerræ.

diſſectiſque membris

vota alligatus juvatur ab Angelo;

5 Deinde juſſit Præfectus ſolutum à rota deponi, ſpectaculo tam miſerando, ut omnes intuentes ipſum exclamarent, O judicium impium! o qualis juvenis male perditur! Maximus Præfectus dixit: Nonne dixi tibi, quod juventus tua petulantem te facit, tibique graviores cruciatus conciliat? Calliopius dixit: Canis impudentiſſime, ſiccine me alloqueris, quaſi tormenta tua recuſantem? Maximus dixit: Infeliciſſime, putas obtinere per contumelias ut brevi defungaris ſupplicio? Non fiet. Accedens ergo ſacrifica diis ut lucrifacias tormenta reliqua. Calliopius dixit: Confido in Chriſto meo, quod puram meam in Deum confeſſionem non contaminabis: corpus meum in tua eſt poteſtate, crucia ut voles, recepturus in die judicii vices tuas à Deo: qua enim metiris menſura, eadem & remetietur tibi. Maximus Præfectus dixit: Ferro vincientes eum cuſtodite in carcere interiori, ubi nullus curam illius gerat, nec ullus amicorum ejus profanorum accedat, E qui eum beatum dicat propter ea quæ ſuſtinuit, impie adverſum deos agens. Confeſtim ergo ferreis catenis conſtringentes B. Calliopium, in cuſtodiam interiorem compegerunt.

ab ea depoſitus,

coniicitur in carcerem.

6 Hæc ubi mater ejus cognovit, primum condito teſtamento ducentos quinquaginta famulos liberos eſſe juſſit cum ſuo quemque peculio, & quidquid habebat auri, argenti, pretioſæ veſtis dimiſit pauperibus: poſſeſſiones vero donavit ſanctiſſimæ eccleſiæ: atque ita egrediens venit in Ciliciam ad ſanctiſſimum ſuum filium Calliopium: ingreſſaque in cuſtodiam, procidens adorabat eum, vulnera ejus tabida obligans. Sanctus vero Calliopius ferro ligatus, totoque corpore propter tormenta tumidus, non poterat ſurgere ſuæque matri obviam ire: ſolum dixit: Bene veniſti, teſtis paſſionum Chriſti. Mater autem videns filii ſui diſciſſum corpus, dixit ad eum, Beata ego & beatus fructus ventris mei, quæ tamquam Anna Samuelem conſecravi te Chriſto cimelium ſanctum, & tamquam Sara Iſaacum produxi te Chriſto holocauſtum, in ſacrificium acceptabile & beneplacens. Manſit porro nocte illa tota mater ipſius in cuſtodia, ad pedes ejus reſidens, & ſimul ambo orabant & glorificabant Deum. Circa mediam deinde noctem lux magna affulſit in carcere, factaque eſt vox ad eos dicens, Vos eſtis Sancti Dei & confeſſores Chriſti, ac ſubverſores idolorum, qui relicta patria & poſſeſſionibus cum Chriſto affligimini.

quo poſtquam ſua pauperibus diſtribuit,

adveniens mater, gratulatur ſibi de conſtantia filii.

F

7 Mane autem facto, ſedens pro tribunali Præfectus dixit: Voca Calliopium, Chriſtiana profitentem ſacra. Demetrius Centurio dixit: Adeſt. Maximus Præfectus dixit: Obſecro te, numquid vel jam induxiſti animum ab inſania deſiſtere, & implere præceptum Auguſtorum, ac diis ſacrificando vivere? an potius ſacrificando teipſum male perire, ſimilia magiſtro tuo patiens? Calliopius dixit: Miror impudentiam tuam, quomodo, cum ſæpius ex me audieris, Chriſtianus ſum, & Chriſtianus moriar, & in Chriſto vivam, non erubeſcas veritatem oppugnare: equidem feſtino ut ſimilia magiſtro patiens conſummer. Hæc audiens Præfectus atque ex reſponſionibus intelligens incommutabilem Martyris animum, juſſit crucifigi eum quinta ſabbatorum

qui cruci adjudicatur.

ex ms. gr. *capite inverſo ſigitur,*

Paſchæ. Videns autem mater quid futurum eſſet, crucifixuris eam dedit quinque nummos, rogavitque ut alio, quam Dominus Chriſtus, modo in caput converſus figeretur. Quinta igitur Sabbathorum aſcendit in crucem, & *e* die Paraſceves hora tertia tradidit Spiritum. Et venit ad eum vox de cælo dicens, Aſcende cohabitator Chriſti & coheres Angelorum.

e

& cum matre ſibi commortua ſepelitur.

8 Mater porro ipſius, accipiens corpus ſanctiſſimi & ter beatiſſimi filii ſui, circumfuſa eſt collo ejus, glorificans Chriſtum, ſuamque etiam ipſa ſubito efflavit animam. Venientes vero Fratres ſuſtulerunt ſancta corpora, eaque depoſuerunt in decenti loco, glorificantes Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, cui gloria & poteſtas in ſecula ſeculorum. Amen.

ANNOTATA. D

a *Græce* Πατροβόβλος, *quod alibi necdum lectum ſuſpicarer eſſe officii nomen, niſi infra reſpondens de ſuo genere Martyr, eadem voce uteretur: ergo Zinum ſequens* Patricium *verto.*

b *Ibidem* βακχίας ἢ τελευτᾶς, *quod dictus Zinus* Bacchanalia *vertit.*

c *Videtur hoc addi ad diſtinctionem alterius claſſis Senatoriæ ex plebe.*

d *Zinus:* Non prius filiam tuam acciperem, quam mater mea id ſciret & approbaret: *ita forte in Ms. Veneto legitur.*

e *Hanc temporis circumſtantiam Zinus omiſit.*

DE SANCTIS MARTYRIBVS

G. H.

DONATO, CYRILLO, EVGENIO, EVSEBIO ET MARINO

VII Aprl.

B

Dvbii diu hæſimus circa hos Martyres, quod varii horum nominum Martyres aliis diebus per annum reperiantur. Verum cum nuſquam conjungantur, tandem ſtatuimus eos lectori proponere, ob auctoritatem vetuſtiſſimi Martyrologii, quod antiquo Longobardico charactere ipſi in celeberrimo totius Ordinis Benedictini Archimonaſterio Caſinenſi invenimus & curavimus deſcribi. In eo iſta ſolum ad hunc diem leguntur: VII Idus Aprilis Natalis ſanctorum Martyrum Donati, Cyrilli, Eugenii, Euſebii & Marini Martyris. *An ultimus ſit ſejungendus à reliquis, propter nomen* Martyris; *an hoc à poſteris adjunctum, non liquet. Erunt forſan, qui ſimilia Martyrologia nanciſcentur, imo pleniora adjuncto tempore & loco martyrii, ex quibus major lux hiſce Martyribus affundetur. Alios ex dicto Martyrologio damus* IX & X Aprilis.

E

DE SANCTIS MARTYRIBVS

G. H.

RVFINO THAVMATVRGO DIACONO, AQVILINA IVNIORE ET CC MILITIBVS,

SINOPE AD PONTVM EVXINVM,

CIRCA AN. CCCX

Poſtquam Diocletianus & Maximianus Herculeus, poſt ſummam in Chriſtianos exercitam lanienam, Imperio ſeſe anno Chriſti CCCIV *abdicarunt; Imperatores & Auguſti facti ſunt Iulius Conſtantius Chlorus & Galerius Maximianus Herculeus; quorum ille Galliis & Britanniis contentus fuit, hic Romanum reliquum poſſedit orbem, atque conſortem curarum & Imperii aſſumpſit Severum & Galerium Maximinum, ſororis ſuæ filium. Severo tradita fuit Italia; Maximino Oriens permittitur. Hic crudeliſſimam movit adverſus Chriſtianos perſecutionem, in qua memoratos in titulo Sanctos glorioſam martyrii coronam adeptos fuiſſe, traditur in perantiquo Menologio Baſilii Imperatoris Porphyrogeniti, & ad* VII *Aprilis iſta leguntur.*

In perſecutione Maximini hi Martyres paſſi,

C

2 Eodem die Certamen ſanctorum Martyrum Rufini Diaconi & ſociorum. Sub Imperio impii Maximini, gravi excitata adverſus Chriſtianos perſecutione, quicumque Chriſtum profitebatur, deprehenſus ab idolorum cultoribus, & multis tormentis excruciatus, demum morti tradebatur. Eo tempore fuit Rufinus Diaconus Eccleſiæ Chriſti, qui cum multos Chriſti nomen ac fidem doceret, in vincula conjectus fuit, & in carcerem detruſus. Quædam autem matrona Chriſtiana, nomine Aquilina, cum ipſius curam gereret, eique provideret, etiam in carcere detenta fuit. Hi ambo ad Præſidem adducti, variis affecti ſunt cruciatibus. Cum vero plura patrarent prodigia, ducentos milites ad fidem Chriſti amplectendam incitarunt. Quapropter iram exardeſcens Præſes, juſſit cunctos gladio occidi. Tunc lictores ad locum ſupplicii eos omnes vinctos adduxerunt, & caput ſingulis amputarunt, qui ad finem uſque gratias Deo egerunt.

Rufinus Diaconus,

Aquilina,

200 milites.

3 *Hactenus Menologium Baſilii Imperatoris, à quo reliqua Menæa & Faſti Græci plurimum luminis mutuantur, & viciſſim aliquod conferunt, quando de ſingulis conſequenter agunt. Ac primo* à S. Ruffino *incipiunt, quem* Sanctum Martyrem Diaconum *nominant magna Menæa tam manu exarata quam typis cuſa, una cum Maximo Epiſcopo Cytherorum* ἐν βίοις ἁγίων. *In Menæis excuſis iſti verſus junguntur.* *Rufinus calce plexus,*

Σφαγῆς λογισθεὶς ὡς πρόβατον Ῥοῦφῖνος,
Σφάττει παλαιὸν, τὸν διαβόλον, λύκον.
Ovis æſtimatus occiſionis, lupum
Veterem necaſſe gloriatur Rufinus.

F

4 *Altera eſt* Sancta Martyr Aquilina Junior, manibus poſt tergum revinctis, & flammis exuſta. *Vti traditur in dictis Menæis & apud Maximum Cytheræum. Quare* Junior, *ſive ἡ νέα, compelletur, infra commodius dicetur. Ceterum varii cruciatus, quibus affecta fuit, exponuntur per flammas, quibus pars anterior corporis, puta pectus, mamillæ &c. uſtulata fuit: an deinde capite amputato martyrium conſummarit, non liquet. Ad uſtulationem præditam verſibus hiſce è Menæis aeſcriptis alluditur:* *Aquilina uſtulata,*

Ὀπισθόχειρα κινίοις σφεβλεμένην
Ἐμπροσθίως φλέγεσι τὴν Ἀκυλίναν
Poſt terga duris funibus nexam manus,
Ab ante flammis uſtulant Aquillinam.

5 *Tertio loco collocantur in eiſdem Menæis & apud Cytheræum,* Sancti ducenti Martyres, qui Sinope gladio percuſſi vitam finierunt. *Hos ſolos Martyres ſuo Menologio inſcripſit Sirletus, eoque citato referuntur in hodiernis Martyrologii Romani tabulis. Galeſinius hoc eos encomio exornat:* In oppido Sinope beatiſſimorum Martyrum ducentorum: qui multis exantlatis certaminis laboribus, demum gladio percuſſi, ob inſigne fidei *200 Martyres gladio percuſſi:*

A fidei teſtimonium, præmio ſempiterno donati ſunt. *Quæ ex Galeſinio deſumpta, extant in ſecunda editione Martyrologii à Caniſio Germanice editi. Et hi diſticho exornantur in Menæis hoc modo:*

Ἀνεῖλεν ἀνδρῶν εἰκάδας δέκα ξίφος,
Οἷς ἀνδρικὸς νοῦς, ἀνδρικὴ καὶ καρδία
Decies viginti ſuſtulit gladius viros,
Quibus virilis mens, virile cor fuit.

ſimul relati, 6 *In* Ms. *Synaxario Pariſienſi collegii Claromontani Societatis Ieſu, & in Menæis Mss. Mediolani adſervatis in bibliotheca Ambroſiana & ſignatis littera O ac numero* 148, *ita ſimul junguntur:* Eodem die certamen Sancti Rufini Thaumaturgi, & ſanctæ Martyris Aquilinæ, & ſanctorum ducentorum Martyrum cum ipſa paſſorum. *Tempus ſupra indicatum eſt* ſub Imperio & perſecutione *paſſi Sinope,* Maximini. *Locus dicitur: urbs olim Epiſcopalis Sinope, ad Pontum Euxinum ſita, ab aliis Paphlagoniæ, ab aliis Helenoponto provinciæ adſcripta.*

7 *Ab iſtis ducentis, & Aquilina cum illis nominata, diverſi omnino ſunt ii, de quibus in duplici Ms. codice Menæorum, Taurini in bibliotheca Ducis Sabaudiæ iſta reperimus, & deſcripſimus:* Et certamen ſancti Martyris Rufini Diaco- *aliis* 200 *milites cum Aquilina ſub Decio,*
B ni, & ſanctæ Martyris Aquilinæ & Sanctorũ ducentorum, qui cum illa martyrium compleverunt. Hi ab impio Imperatore Decio ad ſanctum Chriſti Martyrẽ Chriſtophorum comprehendendum fuerãt miſſi: ſed viſis miraculis, quæ Sanctus hic patrabat, crediderũt in Chriſtũ, & coram tyranno divinitatẽ hujus confeſſi, mandato ejus capite plexi ſunt. *Quæ ita latius in Magnis* *à S. Chriſtophoro converſi* *Menæis* IX *Maij in elogio S. Chriſtophori exponuntur:* Miſſis ducentis ad eũ ſatelliribus Imperatoriis captus, dũ ad Imperatorẽ deduceretur, manu ſcipionẽ gerebat, qui præter omniũ expectationem repente cœpit frondeſcere. Defecerat in via milites annona, quam apparente Angelo Chriſtophorus copioſam ductoribus ſuppeditavit: quo miraculo omnes ad fidẽ Chriſtianam ſunt converſi, & ſimul cũ S. Chriſtophore à ſacroſancto Martyre Babyla Antiochiæ baptizati, ubi pro Reprobo Chriſtophorus eſt appellatus. Cũ ad Imperatorem veniſſent, juſſit hic duas meretrices Aquilinã & Callinicã ad Chriſtophorum ingredi, ut eũ ad laſciviam & idolorum cultũ pertraherẽt. Sed contra factum eſt. Illæ enim à Chriſtophoro fidẽ Chriſtianam edoctæ, idola deſeruerunt, & Chriſtum palã apud Imperatorem profeſſæ, flagris crudeliter conciſæ, aliiſq; tormentis ſuperatis martyrii coronam reportarunt. Dein ſententia capitis in ducẽtos milites pronuntiata, cum ad Sancti pedes venerabundi procubuiſſent, omnes ſecuri percuſſi ſunt. AUCTORE G. H.

8 *Hæc ibi, ſed, ut dixi plane de aliis Sanctis, quam qui* *item alia Aquilina* 13 *Junij.* *hoc die celebrantur Sinope ad Pontum Euxinum ſub Maximino circa annorum Chriſti* CCCX *paſſi, cum* S. *Chriſtophorus & alii in Lycia prope mare Mediterraneum ſub Decio circa annum* CCL *ſint martyrio coronati. Quamvis autem Aquilina, per Chriſtophorum converſa (cujus & S. Niceæ Romanum Martyrologium meminit* XXIV, *& cui Latina S. Chriſtophori Acta ſolum quadraginta milites jungunt) Quamvis inquam Aquilina iſta annis circiter ſexaginta ſenior ſit ea quam Iuniorem Menæa vocant: hoc tamen cognomentum putamus additum ratione alterius* Aquilinæ, *annis ſolummodo viginti anterioris, quæ anno Diocletiani* VII *Chriſti* CCXC *ſub Proconſule Voluſiano poſt varia tormenta capite plexa colitur* XIII *Junij. Etenim hujus Aquilinæ & propria habentur Acta & celeberrimus eſt apud Græcos cultus: primæ autem illius ſub Decio memoria, tota pendet à S. Chriſtophoro, qui ſui nominis claritate fecit quidem ut non omnino obſcura eſſent nomina mulierum ab ipſo converſarum & ante ipſum coronatarum; non videtur tamen hoc ſufficere, ut tali reſpectu alia, per ſeipſam clariſſima Martyr, dicta fuerit* Junior: *ideoque eam libentius cum iſta celebriori & proprium in Eccleſia Græca officium feſtumque habente, comparamus.* *cujus reſpectu prima dicta ſit junior.*
E

DE S. SATVRNINO

EPISCOPO VERONENSI IN ITALIA.

G. H.

VII APRIL. *EX antiquo Martyrologio Veronẽſi Eccleſiæ Cathedralis aliiſque codicibus Mss conſtat ſex & triginta hujus urbis Epiſcopos Sanctorum catalogo inſcriptos fuiſſe, & ſolitos officio Eccleſiaſtico ſub ritu duplici coli. Idem confirmari*
C *à Franciſco Corna, Ioanne Pantheo, Mathia Vgonio aliiſq; antiquis ſcriptoribus tradunt Raphaël Bagata, & Baptiſta Perrettus, nec non Auguſtinus Valerius Epiſcopus Veronenſis & S. R. E. Cardinalis in antiquis monumentis Sanctorum Epiſcoporũ Veronenſium, in quibus de* S. *Saturnino pag.* 42 *hoc elogium profertur:* Saturninus, Veronæ Epiſcopus, ob admirabilem humanarum & divinarum rerum doctrinam, & ob varias illuſtreſque virtutes, quibus populo Veronenſi profuit, magno in honore apud omnes eſt habitus. Cum autem pie & prudenter in Epiſcopali munere ſe geſſiſſet, migravit ad Dominum VII Idus Aprilis. Ejus corpus ſepultum eſt in baſilica S. Ste- *Inter* 36 *Sanctos Epiſcopos Veronenſes* *S. Saturninus* *7 Aprilis mortuus,* phani. *Hæc ibi, & pag.* 11, *ubi de ſepultura Epiſcoporum agitur, iſta leguntur:* S. Saturnini Epiſcopi corpus requieſcit in eccleſia S. Stephani, ut ex tabula vetuſta, ex membranis, ex Franciſco Corna, & ex tabula Sanctorum VII Aprilis conſtat. *Onuphrius Panuinius lib.* 4 *Antiquitatum Veronenſium cap.* 5 *iſta ſcribit:* Poſt Proculum Epiſcopatum Veronenſem, ut Joannes Veronenſis Diaconus ſcribit, ſuſcepit Saturninus, ſingulari pietate vir; qui moriens, in crypta pone theatrum (ubi oratorium Divo Stephano dicatum erat, ejuſque nunc baſilica eſt) conditus fuit. *Et capite præcedenti ſive* 4 *iſta latius ſic explicat:* Baſilica S. Ste- *ſepultus in crypta* phani Veronæ inter vetuſtiſſimas ejus civitatis eccleſias eſt, primis temporibus paulo extra urbis portam, loco qui dicebatur ad Fonticulos, via Tridentina ædificata, quæ aliquando Cathedralis fuiſſe traditur. In ea ſunt condita corpora multorum Sanctorum, Epiſcoporum Veronenſium: *& poſt inſcriptionem ex tabella marmorea allegatam, & indicata varia eccleſiæ loca & altaria, in quibus corpora Sanctorum requieſcunt, iſta ſubduntur:* In eadem baſilica incertis locis jacent corpora Sanctorum Epiſcoporum Veronenſium, Lucidii, Dimidriani, Servuli, Vindemialis, Saturnini & Lupi. *Hæc Panuinius.* *jam in baſilica S. Stephani.*
F

2 *Quo autẽ tempore vixerit S. Saturninus, aut quotus fuerit hujus Sedis Epiſcopus, quoſve habuerit deceſſores aut ſucceſſores, iucertum eſt. Nã fatetur* Panuinius *cap.* 7 *dicti lib.* 4 res has, *de ſucceſſione Epiſcoporum,* nimia jã vetuſtate, majorumq; fatali ignavia, tenebris vetuſtatis oppreſſas eſſe. *De* S. *Proculo, quẽ ipſe cũ Ioanne Diacono Veronenſi (qui ſub initiũ ſeculi* XIV *floruit) ſtatuit quartũ, & deceſſorẽ S. Saturnini egimus pluribus* XXIII *Martij: oſtendimuſq; ex Actis* SS. *Firmi & Ruſtici, eũ videri ſeculo Chriſti quarto, pace Eccleſiæ reddita, è vivis deceſſiſſe. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ & in Topographia ad Martyrologium Romanum ſtatuit* S. *Saturninum decimum quartum Epiſcopum, quẽ* Panuinius *quintũ fecerat. Bagata,* Perrettus *& Auguſtinus Valerius ſuæ de his Sanctis Epiſcopis elogia ordine alphabetico proferunt, quod tẽpora, quibus ſinguli vixerint, ſint obſcuriſſima & incerta. Sacra ejus memoria inſcripta eſt Martyrologio Galeſinii & hodierno Romano, &, quod jam dictum eſt, Catalogo Sanctorũ Italiæ à Ferrario concinnato. Nicolaus Brautius, Epiſcopus Sarſinæ, hoc eum diſticho honorat:* *Quando vixerit incertũ.* *Nomẽ in ſacris faſtis.*

Feſta

Feſta Saturnini celebrat devota Verona,
Impenſi ſtudii ſubſidiique memor.
Maſinus in Bononia perluſtrata ad hunc diem tradit aliquas S. Saturnini Epiſcopi reliquias aſſervari in eccleſia S. Franciſci, & extra portam S. Mamoli in eccleſia Ieſuatorum. *aliqua reliquæ Bononiæ,*

G. H.

DE SANCTO APHRAATE

ANACHORETA IN SYRIA

SUB FINEM SECULI IV.

Acta dantur ex Theodoreto

Acta S. Aphraatis deſcripſit nobis Theodoretus, Epiſcopus Cyri in Syria, qui eum adoleſcens cum matre inviſit, ejuque benedictione munitus eſt. Edidit ea potiſſimum in ſuo Philotheo ſive Hiſtoria religioſa capite 8, *& nonnulla repetiit libro.* 4 *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.* 23. *ex quo nonnulla ad priora Acta annotamus. Ejuſdem meminit Theophanes ad annum* XI *Valentiani & Valentis, ubi iſta habet*: Sed & divinus Aphraates Valentis impietatem magna cum libertate Antiochiæ coram exprobravit & obiurgavit. *&c. Plura, ſed ex Theodoreto, quem citat, edidit Nicephorus Calliſtus lib.* 11 *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.* 25.

cultus apud Latinos 7 Aprilis

B

2 *Cultus ejus ſacer indicatur in Faſtis Latinis & Græcis. Nam tabulæ Martyrologii Romani ad hunc* VII *Aprilis iſta de eo habent*: In Syria S. Aphraatis anachoretæ, qui Valentis tempore, Catholicam fidem virtute miraculorum adverſus Arianos defendit. *Græci eum celebrant* XXIX *Ianuarii, uti tunc inter Prætermiſſos & in alios dies remiſſos diximus. In pervetuſto Synaxario Ms. Collegii Claromontani Societatis Ieſu Pariſiis, hoc elogium, ex Vita excerptum, legitur*: Memoria ſancti Patris noſtri Aphraatis. Hic erat ſub Imperio Valentis, apud Perſas & natus & educatus, eorumque leges & ſancita edoctus. Verum contribulium ſuorum impietatem deteſtatus, Edeſſam venit, & ſe in domuncula extra muros urbis reperta incluſit. Inde Antiochiam venit, & in quodam ante urbem cœnobio diverſatus, curam propriæ animæ ſuſcepit. Non permiſit unquam ut contubernalem admitteret: nihil à quoquam admiſit, non panem, non obſonium, non veſtem. Contigit autem ut Anthemius Conſul, cum ab Imperatore legatus ad Perſas deſtinatus rediret, tunicam apud Perſas contextam Sancto adferret, quam non admiſit, ei plene rationibus ſatisfaciens. Cum autem impius Valens Eccleſiam perturbaret, & cogeret omnes Arii hæreſin amplecti, ad ejus alloquium admiſſus, ſapientiſſimis verbis & paradigmatis in ſtuporem adduxit: quando aliquis eunuchorum ex Imperatoris famulis ſancto huic mortem comminatus eſt. Sed audaciæ pœnas non multo poſt dedit; nam cum in balnei ſolium inſiliiſſet, animam in eo miſere amiſit. Quo facto territus Imperator, ſanctum in exilium relegare non eſt auſus. Equum ejuſdem gravi morbo correptum ſanavit: mulieris etiam maleficium oleo ſacro ſolvit, & mariti amorem reconciliavit. Locuſtas etiam agros infeſtantes à quodam rogatus abegit, aqua à ſe benedicta, qua juſſit agri fines aſpergi. Hæc & alia cum ſacratiſſimus Aphraates peregiſſet, vitam hanc finivit, & animam Deo laborum remuneratori tradidit. *Hæc Græci de dicto Sancto in ſuis officiis Eccleſiaſticis recitabant: qui in magnis Menæis hoc diſtichon habent*:

apud Græcos 29 Ianuarii

Cum hoc elogio.

Ὁ σάρκα καὶ ζῶν νεκρὸς ὢν Ἀφραάτης,
Αἰωνίως ζῇ καὶ νεκρὸς φανεὶς ἄπνους

Qui carne mortuus etiam vivens erat;
Nunc quoque, licet exanimis, æternum vivit

Sepultura cujus (S. Macedonio & Theodoſio.

3 *Corpus defuncti tumulatum eſſe in æde ſanctorum Martyrum in eodem tumulo cum ſanctis Macedonio & Theodoſio (quorum hic ad* XI, *iſte ad* XXIV *Ianuarij cultum ſuum, habet) ex utriuſque Actis, ab eodem Theodoreto deſcriptis conſtat: nam de Macedonio agens ita loquitur*: Ferentes illum ſacrum lectum ſuper humeros, deportarunt in ædem Martyrum victoria inſignium, & cum divinis viris Aphraate & Theodoſio ſanctum illud & Deo gratum corpus depoſuerunt. *De Theodoſio autem agens, ſic ſcribit.* Idem autem loculus illum excepit, qui illum quoque Divinum ac beatum Aphraatem. *Quinam autem fuere hi ſancti Martyres in quorum æde collocata ſacra hæc pignora quievere? Tam multos ea urbs Martyres habuit ut difficile ſit coniectare quinam hic antonomaſticῶς indicentur. Propendet animus in eos qui* X *Novembris coluntur Demetrium Epiſcopum, Anianum Diaconum, Euſtaſium & alios viginti, donec certior aliunde lux affulgeat: nam S. Iuliani, S. Babylæ aut aliorum celebria templa ab ipſis fere ſolis nuncupantur.*

VITA

Auctore Theodoreto Epiſcopo Cyri.

E

CAPUT I.

Ortus in Perſide. Converſio & vita anachoretica.

QUod una ſit omnium hominum natura, & philoſophari ſit facile volentibus, ſive Græcis ſive barbaris, ex multis quoque aliis ſcire eſt in promptu: ad hoc autem aperte oſtendendum ſufficit vel ſolus Aphraates. Is enim in *a* Perſis, qui ſunt injuſtiſſimi, & natus & educatus; & ortus ex talibus parentibus, & in eorum legibus inſtitutus; ad tantam pervenit virtutem, ut eos qui ex piis nati fuerant, & piam doctrinam ab ineunte ætate acceperant, obſcuraverit. Primum enim contempto genere (erat autem id clarum & illuſtre) accurrit ad Dominum adorandum, majores ſuos imitatus Magos; deinde ſui generis hominum impietatem abominatus, ſuæ prætulit alienam regionem. *Aphraates natione Perſa,* *a*

2 Et cum veniſſet Edeſſam (eſt autem civitas maxima & populo frequentiſſima, & quæ pietate inſigniter exornatur) atque extra ejus ambitum inveniſſet domunculam, & ſe in ea incluſiſſet; ſuæ curam gerebat animæ, veluti quidam optimus agricola, vitiorum ſpinas exſcindens radicitus, & divinam expurgans ſegetem & maturos Euangelii fructus offerens Domino. Illinc venit Antiochiam, quæ ab hæretica procella graviter circumſidebatur; ubi cum ante civitatem in quoddam philoſophiæ gymnaſium divertiſſet, & Græcæ linguæ pauca verba didiciſſet, ad divinos quidem ſermones audiendos traxit plurimos: utens autem lingua barbarie commixta, fœtus proferebat ingenii & intelligentiæ, ex gratia divini Spiritus accipiens hæc fluenta. Quis enim ex iis qui ſuam jactant eloquentiam, & ſupercilia contrahentes loquuntur elate & magnifice, & propter ſyllogiſmorum laqueos juveniliter exultant, inerudita illa & barbara voce fuit unquam ſuperior? Ratiocinationibus enim ratiocinationes, & divinis eloquiis philoſophorum vincebat rationes, cum magno Paulo clamans, etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia. Hoc autem modo perpetuo ex Apoſtoli ſententia deprimebat rationes, & omnem altitudinem quæ extollitur adverſus Dei cognitionem, & captivabat omnem intelligentiam ad Chriſti obedientiam. *b* *vitam aſceticam exercet Edeſſæ, dein Antiochiæ.* E

dientiam. Licebat autem videre concurrentes eos qui gerebant magiſtratus, & qui erant relati in aliquos militiæ Numeros, eoſque qui manu ſibi victum comparabant, & ut ſemel dicam, privatos & milites, doctos & litterarum rudes, pauperes, & divites: & alios quidem ſilentio accipientes ea quæ offerebantur, alios vero rogantes & ſciſcitantes, & ſermoni præbentes occaſionem.

A *omnis generis homines inſtruit*

3 Cum autem tantum laborem caperet, non paſſus eſt unquam ullum accipere qui ſecum habitaret: quin etiam malebat ſuam ipſius operam, quam officium & miniſterium, quod ſibi offerebatur ab aliis. Cumque ejus congreſſiones & collocutiones fierent ad portam atrii, ipſe eam aperiebat ingredientibus, & abeuntes deducebat ac dimittebat. Nihil autem unquam omnino accepit ab aliquo, non panem, non obſonium, non veſtem; ſed unus ſolus ei notus panem ſuppeditabat. Cum autem uſque ad profundum proceſſiſſet ſenium, poſt occaſum ſolis veſcebatur oleribus. Aiunt autem Anthemium, qui poſtea fuit & Præfectus & *d* Conſul, cum electus Legatus profectus eſſet ad Perſas, ad eum attuliſſe tunicam apud Perſas contextam, & dixiſſe: Cum ſcirem unicuique ſuam dulcem eſſe patriam, & qui illic naſcuntur fructus eſſe jucundiſſimos, hanc ex patria ad te attuli tunicam, rogoque ut tu eam accipias, ego vero ſim tuæ benedictionis particeps. Is autem quidem primum juſſit poni in ſubſellio, deinde cum multi fuiſſent interjecti ſermones, dixit ſe angi animo, utpote quod ſit in duas partes diviſa cogitatio. Illo autem rogante cauſam, Semper, inquit, conſtitui habere unum ſolum qui mecum habitaret; mihique ipſi hanc legem impoſui, ut mihi omnino denegetur duorum ſimul habitatio. Cum ergo unus mecum jam ſedecim annis habitaſſet, & eſſet mihi cordi; eceſſit quidam meus contribulis, volens mecum habitare, & rogans ut hoc ſibi liceat. Hoc mihi mentem diſtrahit: duos enim ſimul habere non patiar. Contribulem enim amplector ut contribulem; priorem autem, ut qui mihi cordi fuerit, expellere, & grave & iniquum exiſtimo. Ille vero, Merito, inquit, ô pater: neque enim fas eſt, ut eum qui tibi plurimo tempore inſerviit, amandes, tamquam non aptum; eum autem, cujus morum nondum feciſti periculum, propter ſolam admittas patriam. Ad hæc divinus Aphraates, Non accipiam ergo, inquit, ô vir admirande, hanc tunicam; duas enim habere non patiar: eſt enim mea, meâ quidem ſententia jucundior; tua vero melior ea quæ mihi tanto tempore inſerviit. Cum callido ergo commento ſic eluſiſſet Anthemium, & ingenii ſolertiæ exhibuiſſet miraculum, perſuaſit ut nemo deinceps cum eo ageret de illa tunica. Ego autem hæc retuli, volens duo ſimul oſtendere: & quod ab uno ſolo acceperit quod curando corpori ſatis erat, & quod tanta ejus fuerit ſapientia, ut effecerit, ut qui rogabat ut acciperet, ſententiam tulerit eum non debere accipere. Sed his & quæ ſunt hujuſmodi relictis, narrabo majora.

vivit in magna auſteritate

d

B

Perſicam tunicam ab Anthemio oblatam,

egregio apologo narrato rejicit:

C

e *In magna perſecutione à Valente excitata*

4 Cum *e* Julianus Deo infeſtus in barbarorum regione pœnas dediſſet impietatis, res quidem fuere parumper tranquilliores alumnis pietatis, cum Jovianus accepiſſet clavum Romani imperii: poſtquam autem hic quoque, cum parvo *f* tempore regnaſſet, accepit finem vitæ, Valens autem accepit principatum, procellæ & tempeſtates rurſus mare noſtrum agitabant, graviſque fluctus excitabatur, & undæ maximæ ſcapham undique impetebant. Efficiebat autem graviorem tempeſtatem ſolitudo gubernatorum. Eos enim Imperator, qui in ſolam veram religionem exercebat audaciam ſuam, coegit habitare in exilio. Et cum tanta eſſet uſus iniquitate, impietatis eum non capiebat ſatietas; ſed diſpergebat ac diſſipabat cœtum piorum omnium, inſtar feræ immanis gregem contendens diſcerpere. Ea de cauſa eos non ſolum expulit ab omni Eccleſia, ſed etiam ex latere montis, & ex ripa fluvii, & ex bellico gymnaſio. Hæc enim loca perpetuo mutabant, ut in quos obiter ſæviret armata manus. Et *g* Scythæ quidem, & *h* alii barbari, totam Thraciam à Danubio uſque ad Propontidem ſecure populabantur: ille autem eorum auditionem, ne arrectis quidem, ut dicitur, auribus, poterat accipere: ſed in eos qui erant ejuſdem generis & ejus ditionis, pietateque ac religione clari, armis utebatur. Divinus autem populus illorum malorum deflebat importunitatem, Davidicum illud canens canticum: Super flumina Babylonis illic ſedimus. Et flevimus, dum recordaremur tui Sion, Reliqua autem cantici eis non conveniebant. Aphraates enim & Flavianus *i* & Diodorus, non permiſerunt ut ſuſpenderentur in ſalicibus inſtrumenta doctrinæ; nec paſſi ſunt dicere: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Sed & in montibus, & in campis, & in urbe, & in ſuburbanis, & in ædibus, & in foris, canticum Domini aſſidue canebant. A Davide enim didicerant, Domini eſt terra, & plenitudo ejus, orbis terræ, & omnes qui habitant in eo. Rurſus autem audierant eumdem Prophetam clamantem: Benedicite Domino omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus. Audiverunt autem divinum quoque Paulum præcipientem orare viros in omni loco, tollentes manus ſanctas abſque ira & diſceptationibus. Porro autem ipſe quoque Dominus loquens cum Samaritana hoc prædixit apertius: Amen enim, inquit, dico tibi mulier, venit hora, & nunc eſt, quando neque in loco hoc, neque Jeroſolymis, ſed in omni loco adorabunt Patrem.

EX THEODORETO

g *h*

Pſ.136, 4

i

E

cum Flaviano & Diodoro perſiſtit conſtans:

Pſa.23, 1
Pſ.102, 22

1.Tim.2, 8

Ioan.5, 21

5 Hæc cum didiciſſent, & in domo, & in foro, &, ut Apoſtolice dicam, publice & per domos, perpetuo teſtificabantur: & veluti quidam præſtantiſſimi Imperatores, ſuos quidem armabant, adverſarios autem confodiebant. Atque magnum quidem Flavianum & divinum Diodorum, qui tunc ſub alio gregem paſcebant, & ſecunda cathedra digni erant habiti, hæc facere quæ dixi, & admirandum quidem eſt, & laude dignum: ſed tamen hæc faciebant, cum eſſent electi exercitus imperatores, & ſubjecti legibus imperatoriis. Sapientiſſimus autem Aphraates ſua ſponte ad hæc proſilivit certamina: in quiete enim educatus, cum eius inſtitutum eſſe per ſe vivere & extra teli jactum ſederet, ut dicitur; cum vidiſſet belli vehementiam, non illi placuit quod eſſet ſecurius; ſed quietem jubens valere ad tempus, piæ phalangis fuit in pugna princeps, feriens quidem & vita & ſermone & miraculis, ipſe autem numquam percuſſus.

Act 20, 20

Eccleſiam propugnat.

F

k *objurgatus à Valente, quod cellam reliquiſſet, acute reſpondet.*

6 Qui etiam cum Imperator, omni ex parte ſtultus, eum aliquando vidiſſet *k* exeuntem in gymnaſium bellicum (contigerat enim ut tunc illic congregarentur qui erant rite venerandæ Trinitatis ſocii; oſtendit autem aliquis eum, ad ripam fluvii ambulantem, ſpectanti Imperatori) rogavit eum quonam tenderet. Cum is autem dixiſſet ſe ire deprecatum pro terrarum orbe &

EX THEODORETO

pro Imperio ; rurſus reſpondit Imperator , Et quanam de cauſa vitam profitens monaſticam , ſecure per forum ingrederis , ſilentio & quiete relicta. Ille autem (ſolebat enim Dominum imitans , parabolice ratiocinari.) Dic mihi , inquit , Imperator , ſi eſſem virgo abſconſa in thalamo , vidiſſem autem aliquem in domum patris ignem injicientem , quid mihi conſuluiſſes facere , videnti flammam ardentem & domum quæ comburitur ; intuſne ſedere , & domum quæ crematur deſpicere ? Sed ſic ego quoque incendio perirem. Sin autem dicis oportere properare , aquam ferre , & ſuſque deque currere , flammamque extinguere ; ne me reprehendas , ô Imperator , ſi id ipſum facio. Quod enim tu conſulueris virgini , quæ eſt in thalamo ; hoc ego cogor facere , qui vitam ſum profeſſus monaſticam. Quod ſi tu me reprehendis , qui quietem reliquerim ; teipſum reprehende , qui hanc flammam in domum divinam injeceris ; & non me , qui cogor extinguere. Quod enim oporteat opem ferre domui paternæ quæ uritur , ipſe quoque confiteberis: quod autem Deus ſit magis verus & germanus pater , quam ii qui ſunt in terra , eſt cuivis apertum , etiam qui rebus divinis non eſt omnino initiatus. Nihil ergo abſurdum facimus , ô Imperator , neque cœpto noſtro & inſtituto contrarium , ſi veræ religionis alumnos congregamus & paſcimus , & eis herbam divinam exhibemus.

B

irrogata ei contumelia morte punitur.

7 His dictis , Imperator quidem tacite eſſentiebatur , conſiderans juſtam defenſionem : unus autem ex iis qui nec viri cenſentur nec mulieres , ſed poſſe unquam patres fieri eis eſt ademptum , & hac de cauſa cenſentur bene velle Imperatori & ei loqui confidenter , is ex loco ſuperiore divinum virum convitio eſt inſectatus , & *l* mortem minitatus : ſed non ita diu poſt pœnas luit ſuæ audaciæ. Nam cum vellet Imperator corpus lavare in balneo , acceſſit quidem miſer tamquam ſolium viſurus an bene eſſet temperatum , mente autem captus , inſiluit in ſolium , quod aquam calidam minime temperatam continebat : & cum nullus adeſſet intus , (ſolus enim ingreſſus fuerat , viſurus an eſſet paratum) remanſit coctus & reſolutus. Cum autem tempus interim tereretur , mittit Imperator alium qui eum vocaret : is autem neminem in illa domo inveniens , id renuntiat Imperatori. Cum deinde autem plures accurriſſent , omnia perſcrutantes ſolia , & ad illud tandem veniſſent , eum jacentem & vita privatum aſpiciunt. Excitato autem tumultu & omnibus flentibus , alii quidem aquam illam calidam exhauſerunt , alii vero corpus miſerrimum extulerunt. Hinc factum eſt , ut metus invaderet Imperatorem & omnes qui armabantur adverſus pietatem: ſparſa eſt autem fama per totam civitatem , quales infelix ille luerit pœnas contumeliæ qua affecit Aphraatem : omneſque Deum Aphraatis perpetuis celebrabant laudibus. Hoc , etſi inſtarent adverſarii , obſtitit , quo minus homo Dei mitteretur in exilium : Imperator enim perterritus , eos quidem qui hæc ſuadebant averſabatur , virum autem reverebatur.

l

C

8 Porro autem aliunde quoque ejus virtutem didicit. Equus quidam bono genere natus , & portare apprime doctus , erat Imperatori cariſſimus : morbus quidam qui ei acciderat , male habebat Imperatorem , retinebatur autem humidorum excrementorum excretio ; ad eumque curandum accerſebantur , qui in hac arte fuerant exercitati. Cum ea autem eſſet etiam morbo inferior, Imperator quidem moleſtia afficiebatur lamentabatur autem is cui equorum cura fuerat credita. Cum eſſet autem pius & fide firmus , in meridie venit una cum equo ad magni Aphraatis habitaculum : & cum morbum dixiſſet , & fidem ſuam ſignificaſſet , oravit ut ſolveret morbum ſuis precibus. Ille autem nihil cunctatus , ſed ſtatim Deum precatus , juſſit aquam hauriri ex puteo : & cum ei ſalutaris Crucis ſignum impoſuiſſet , juſſit eam ad equum afferri : is autem bibit plus quam conſueverat. Deinde cum oleum divina invocatione impleſſet benedictione , equi ventrem inungit : & manus contrectatione ſtatim morbus eſt ſublatus. Lætus ergo homo , equo accepto , cucurrit ad ſtabulum. Veſpere autem (ſolebat enim eo tempore venire ad ſtabulum Imperator) venit & interrogavit quomodo equus ſe haberet. Is autem cum ſanum eſſe ſignificaſſet , & equum valentem & exultantem , hinnientemque & collum ſuperbe erigentem eduxiſſet , rogavit eum cauſam ſanitatis. Ubi autem diu cunctatus (verebatur enim oſtendere medicum , ſciens eum qui rogabat eſſe ei infenſum) tandem verum coactus eſt dicere , & docuit modum curationis. Obſtupuit quidem Imperator , & confeſſus eſt eum eſſe virum admirabilem : nec tamen à priore deſtitit inſania , ſed perrexit furere adverſus Unigenitum , donec à barbarico fuit *m* igne conſumptus , ne ſepultura quidem , qua famuli vel mendici , dignatus. Divinus autem Aphraates & in illa tempeſtate ſuam oſtendit virtutem , & reddita tranquillitate fecit quoque conſimiliter. Porro autem alia quoque miracula fecit innumerabilia , quorum unius vel duorum meminero.

D

Equum Imperatoris ægrum ſanat

Valente extincto tranquille vivit:

E

m

9 Mulier quædam , genere nobilis , ſimul cum viro intemperante trahens jugum matrimonii , venit ad beatum illum hominem , deflens propriam calamitatem. Dicebat enim maritum concubinæ captum conſuetudine , magicis quibuſdam præſtigiis fuiſſe incantatum , & odio habere ipſam legitimo matrimonio conjunctam. Hæc autem dicebat mulier , ſtans pro foribus atrii : ſic enim ſolebat colloqui cum femina ; nullam enim unquam admiſit intra fores. Tunc ergo mulieris miſertus ejulantis , oratione incantationis abolet operationem : & cum olei guttum , ab ipſa allatum , invocatione divina ſanctificaſſet ; juſſit ut eo ungeretur. Hæc præcepta cum impleſſet mulier , conjugis amorem in ſe tranſtulit , & perſuaſit ut pro illegitimo legitimum cubile eligeret.

inter maritum & uxorem exortum maleficium ſolvit oleo ſacro.

F

10 Jam vero dicunt etiam , quod cum locuſtæ aliquando regionem repente invaſiſſent , & inſtar ignis omnia conſumerent , ſegetes , arbores, prata & nemora ; venit ad eum quidam vir pius, rogans ut opem ferret , unum quidem agrum habenti , ex eo autem & ſe & uxorem & filios & familiam alenti , & à quo etiam imperatoria exigeretur collatio. Is ergo rurſus Dominicam imitans benignitatem , juſſit ad ſe afferri congium aquæ. Poſtquam autem aquæ congium attulit is qui orabat , ei quidem manum impoſuit ; Deum autem eſt precatus , ut fluentum impleret divina virtute : deinde finita oratione , juſſit ut in prædii limitibus aqua aſpergeretur. Qui eam attulerat , fecit ut juſſus fuerat : idque fuit illis agris pro vallo ſacroſancto & inexpugnabili : nam uſque ad illos fines reptantes & circumvolantes locuſtæ , inſtar exercitus , rurſus retroceſſerunt , benedictionem impoſitam extimeſcentes , & veluti quodam fræno ſuffocatæ , & ultra progredi prohibitæ.

ab agris arcet locuſtas aqua benedicta

11 Et quid opus eſt dicere omnia quæ facta ſunt à beata illa anima : hæc enim ſatis ſunt ad oſtendendum

dendum ſplendorem gratiæ quæ in eo habitabat. Eum ego vidi, & ſanctæ illius dexteræ percepi benedictionem, cum eſſem quidem adhuc adoleſcens, matri autem me adjunxiſſem comitem ad illum proficiſcenti. Et cum pro more quidem januam aperuiſſet, illam & ſuo ſermone dignatus eſt & benedictione: me autem intromiſſum impertiit opibus deprecationis. Ea nunc quoque fruar, ut qui credam eum vivere, & una cum Angelis choros ducere, & majori quam olim apud Deum uti fiducia. Eam enim tunc metiebatur corpus mortale, ne occaſio arrogantiæ evaderet, ſi fuiſſet major quam par eſſet fiducia. Nunc autem depoſito onere perturbationum animi, ut athleta victoriâ potitus, fiducia & libera loquendi facultate utitur apud Agonothetam. Qua de cauſa oro quoque, ut ejus conſequar interceſſionem.

A *Theodoreto & matri benedicit.*

ANNOTATA.

a *Perſarum regnum late extendebatur ultra Aſſyriam uſque in Meſopotomiam.*

b Edeſſa *urbs Oſrhoëna provinciæ metropolitana, Syris ultra Euphratem ſita, & ideo à multis Meſopotamiæ adſcribitur.*

B

c *Poſtquam* S. Euſtathius *à Conſtantio Imperatore hæretico fuerat ob fidem orthodoxam Sede ſua pulſus, plures conſequenter ſunt Antiochiæ conſtituti Epiſcopi, hæreſeos Arianæ propagatores.*

d Anthemius *fuit* Conſul *creatus pro Oriente anno* 405, *ejuſque collega pro Occidente Stilico. Quantus hic vir erat, optime indicat S. Ioannes Chryſoſtomus epiſtola* 147, *ex ſuo exilio Cucuſano ſcripta ad ipſum, tunc Conſulem creatum, ubi inter alia habet*: Nos te non Præfectum atque Conſulem amamus, ſed Dominum meum ſuaviſſimum Anthemium, cum magna prudentia atque ingenii acumine tum etiam ingenti philoſophia refertum. *Eximium poſtea pietatis ac fidelitatis ſpecimen dedit, cum defuncto Arcadio anno* 408, *pro Theodoſio juniore adhuc puero regimen ſuſcipiens totius Imperii, eidem ipſum integrum illibatumque ſervavit.*

D

e Julianus *poſtquam à Cteſiphontis obſidione coactus fuerat diſcedere, occiſus eſt anno* 363.

f *Regnavit* Jovianus *menſibus ſolum* 7, *diebus* 22, *mortuus* 17 *Februarij anno* 364, *cui ſucceſſit Valentinianus, qui fratrem ſuum Valentem ſecit conſortem Imperii.*

g *Theophanes cum indicaſſet Valentem tandem Antiochia Conſtantinopolim reverſum anno* 378, *& à Gothis ſuperatum & igne conſumptum, addit* Scythas vernacula ipſorum lingua Gotthos nuncupatos, *venerat autem Antiochiam Valens anno* 370, *aut* 371.

h *Videntur barbari indicari, quos à Theodoſio Magno in Thracia debellatos ante indicarat Theophanes.*

i *Theodoretus lib.* 4 *hiſtor. Eccleſ. cap.* 22 *late* Flaviani *&* Diodori *labores, pro fide orthodoxa aſſumptos, deſcribit: hi, S. Meletio à Valente in exilium ejecto, uti* 12 *Februarij in ejus Vita dictum eſt*, gregis illius curam ſuſceperunt, lupis quidem fortitudinem & ſapientiam ſuam opponentes, ovibus vero convenientem curam impendentes.

k *Theodoretus cap.* 23 *late hunc congreſſum hiſtoriæ ſuæ intexuit, & ſic incipit*: Regiam quidem ab Aquilone Orontes fluvius præterfluit: à meridie autem duarum contignationum porticus ampliſſima muro urbis inædificata eſt, excelſas utrimque turres habens. Inter regiam & fluvium via eſt publica, quæ urbem portâ illâ exeuntes excipit ducitque in agros ſuburbanos. Per hanc tranſeuntem divinum Aphraatem ... ab alto ex regia porticu proſpectavit Imperator.

E

l *Has eunuchi minas & pœnam ſubſecutam etiam narrat Theophanes.*

m Valens *anno Ch.* 378, 5 *Idus Auguſti à Gothis devictus, in tugurio, quo ſe incluſerat, vivus eſt exuſtus.*

DE SANCTO CHLOTHARIO,

VITRIACI IN CAMPANIA GALLICA.

G. H.

VII APRIL.

C

Illuſtre nomen apud antiquos Francos fecerunt varii Reges ex familia prima Merovingica, Chlotharii nuncupati; ex quibus Chlotharius primus, Magni Chlodovæi filius, initio Rex Sueſſionenſis; ac dein, tribus fratribus eorumque poſteris mortuis, Monarcha Francorum; cujus, ex filio Childerico Rege Sueſſionenſi, nepos fuit Chlotharius ſecundus, iterum reliquis vita functis Monarcha. Hujus, per filium Dagobertum & Chlodoveum II nepotem, pronepos fuit Chlotharius tertius, Neuſtriorum Rex. Quartus etiam Chlotharius fuit Rex Auſtraſiorum ad breve tempus conſtitutus, quem arbitramur patre Dagoberto II S. Sigisberti filio prognatum. Fuit etiam S. Gunthramno Regi Burgundionum, Chlotharii primi filio, primogenitus Chlotharius: ſed qui in ſua puerita è vivis deceſſit. Non mirum ergo eſt ſi Regum exemplo plurimi eorum ſubditi fuerint Chlotharii appellati, quorum facile aliquis, vita ſancte peracta, potuit inter Cælites adſcriptus, & venerationem publicam in particulari quapiam Eccleſia adeptus fuiſſe. Talem Chlotharium indicat ad hunc diem Claudius Chalemotus ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, & ordinis Ciſtercienſis in monaſterio S. Mariæ de Columba Abbas, in Serie Sanctorum & Beatorum ſacri Ordinis Ciſtercienſis anno MDCLXVI *Pariſiis excuſa: cujus iſta verba ſunt*: Septimo Idus Aprilis. In Campania, monaſterio S. Jacobi de Vitriaco, feſtivitas S. Chlotharii Confeſſoris, ob Reliquias ejus ibidem repoſitas: ubi memoria ejus eſt celebris, ob peregrinos illuc advenientes. *Hæc Chalemotus, ex traditione dicti monaſterii, cujus mentionem faciunt Sanctarthani tomo quarto Galliæ Chriſtianæ, aſſeruntque eſſe* S. Jacobi prope Vitriacum Ordinis Ciſtercienſis monialiũ ſub Claravalle, diœceſis Catalaunenſis. *Eſt autem ſupra Catalaunum, ad fluvium Matronam, dictum oppidum* Vitriacum, *vulgo* Vitry le Francois; *ad diſcrimen vicini loci*, Vitry le Brulé *appellati. De dicto S. Chlothario plura hactenus non potuimus aſſequi.*

F

DE S. GEORGIO EPISCOPO,

MITYLENÆ IN INSVLA LESBO,

D. P.

CIRCA AN. DCCCXVI

IEsbus, *maris Agæi clariſſima inſula, octo olim, teſte Plinio, urbibus culta fuit: harum præcipua & celeberrima eſt* Mitylene, *in latere inſulæ ortivo, quod Aſiam ſpectat, extructa. Ab hac urbe tota inſula, jam ſaltem à quingentis annis tempore Euſtatii, Mitylene appellata eſt. Viros olim genuit hæc urbs ſapientia & doctrina præſtantes, Pittacum, inter ſeptem Græciæ ſapientes habitum; Alcæum, poëtam; Sappho, feminam poëtriam; Theophanem, amicum Cn. Pompeii intimum, & rerum ab eo geſtarum ſcriptorem. Nec defecit poſt acceptam Euangelii lucem à ſuo vigore, ſed illuſtres habuit Epiſcopos Metropolitas, inter quos ſeculo Chriſti octavo floruit S. Georgius, à quo Menologium Baſilii Imperatoris Porphyrogeniti hunc diem auſpicatur, cum hoc ejus elogio:*

Inter plures illuſtres Mitylenenſes

S. Georgius Epiſcopus.

B

2 Die ſeptimo ejuſdem menſis Aprilis, memoria ſancti Patris noſtri Georgii, Epiſcopi Mitylenenſis. Sanctus P. N. Georgius, divino vere numine ac ſpiritu afflatus, & fortiſſimus Chriſti Confeſſor, filius fuit nobilium, divitum, & piorum parentum: quorum divitias quidem odio habens, pietatem vero amplectens; atque ob Chriſti deſiderium & amorem, quo flagrabat, nobilitatem & gloriam contemnens; domo egreſſus, in quodam cœnobio monaſticam iniit vitam: ubi plurimas quidem virtutes exercuit, præſertim vero in eleemoſynis dandis excelluit: tota enim die, juxta illud Davidicum, miſereri & commodare non ceſſavit. Quapropter, unanimi Cleri ſuffragio, Mitylenenſis Eccleſiæ initiatus fuit Epiſcopus; quando eamdem, quam ante exhibuerat, miſericordiam in eleemoſynis conferendis exercuit. Iconomachorum poſtea hæreſis apparuit: cujus ipſe quidem infenſiſſimus hoſtis fuit, orthodoxæ vero religionis propugnator acerrimus. Ipſe enim ſacras imagines coluit atque adoravit, earumque cultum etiam alios edocuit. Demum cum multa jam patraſſet miracula, certior factus ex revelatione & divino ſidere reſolutionem corporis ſui inſtare, ſic feliciter & ſancte in Chriſto deceſſit.

ante monachus,

deditus eleemoſynis,

Pſal. 36. 26.

Eccleſiæ defenſor contra iconomachos,

claret miraculis.

C

3 *Græci in magnis Menæis S. Georgium hoc die celebrant, ac verſum hexametrum, quem ſingulis diebus de unico eoque præcipuo Sancto proferunt, applicant huic, & eſt ejuſmodi.*

Ζωὰν δ' ἐκ θανάτοιο Γεώργιος ἑβδόμῃ εὗρεν

Septena, vitam de morte Georgius hauſit.

Præterea hoc eum diſtichо exornant Græci.

Ἔχει Μιτυλήνη σε καὶ τεθνηκότα,

Ὡς ζῶντα, Γεώργιε, προστάτην μέγαν.

Talem Georgi mortuum Mitylene

Te habet, ut habuit dum viveres, defenſorem.

colitur à Græcis ſolenni veneratione.

Iidem Græci paſſim in omnibus Menæis, tam manuſcriptis, quam excuſis, item apud Maximum Epiſcopum Cytherorum ἐν βίοις ἁγίων, *& in Novo Anthologio ſeu Breviario, ab Antonio Arcudio concinnato, & auctoritate Clementis* VIII *approbato, hoc encomium habent.* Sancti Patris noſtri Georgii Epiſcopi Mitylenæ. A teneris hic unguiculis magno deſiderio in Chriſtum ferebatur, vitamque monaſticam ingreſſus, ſe in omni virtute ac præſertim humilitate magis præ reliquis exercuit, mire etiam in eleemoſynis dandis excelluit. Ad Sedem Epiſcopalem Mitylenenſem promotus, ſuo munere præclare functus eſt. Hæreſim iconomachorum tam docte ſapienterque refutavit, ut ipſimet principes hæreticorum, vi argumentorum perculſi, ſuum errorem agnoſcerent. Et quamvis in mortali corpore verſaretur, tanta tamen abſtinentia vixit, ut cum Angelis compararetur. Morituro non ſolum ipſi, ſed toti illius Eccleſiæ & ovili, per cæleſte ſidus propinquus è vita exceſſus ſignificatus eſt. Ex ipſius reliquiis fontes gratiarum & miraculorum profluxere, quibus adeuntes curati ſunt: unde Sanctus hic mire ab omnibus cultus eſt & amatus. *Hæc ibi, quæ paucis mutatis ad diem* XVI *Maij iterum leguntur in eiſdem Menæis excuſis & manuſcriptis, & apud Maximum Cytherænm: & plenius indicatur eum plurimis miraculis à morte claruiſſe. A Græcis etiam ad Ruthenos tranſiit hujus Sancti veneratio, qui eorum Faſtos apud Poſſevinum in Apparatu implet cum titulo* Sancti Patris; *eumdem videntur exhibere tabulæ Kalendarii Muſcovitici, ſed corrupto nomine* Sergius *ſcribitur.*

& mors miraculis honorata

4 *Baronius, cum ad annum* DCCXXXV *Leonis Iſaurici Imperatoris ſævientem magis rabiem adverſus cultores ſacrarum imaginum indicaſſet, proponit illuſtres Epiſcopos, Presbyteros ac monachos, qui tunc fortiter propugnarunt orthodoxam religionem & ſacrarum imaginum venerationem, eamdemque ſanguine effuſo confirmarunt, & variis Martyribus ſubjungit Confeſſores,* & ſimiliter, *inquit,* Georgius Epiſcopus Mitylenus, & ipſe ob eamdem confeſſionem in ſanctos Confeſſores relatus, cujus natalis dies ſeptima Aprilis reperitur in tabulis Græcorum adſcriptus. *Eumdem ad hunc diem retulerunt Molanus in auctario Vſuardi, & Ferrarius in Catalogo generali.*

Relatus in Annalibus ad an. 735.

E

5 *Habemus ex Laurentiana Magni Ducis Hetruriæ Bibliotheca, deſcripta* Acta Sanctorum ac deiferorum interque ſe germanorum fratrum, Mitylenæ quieſcentium, David videlicet, Georgii ipſius inſulæ Metropolitæ, atque Simeonis, Confeſſorum & miraculis illuſtrium, *cum proprio eorumdem ſimul celebrandorum Officio, pro die prima Februarii: eumdem autem Georgium rati qui in Menæis celebratur, curaveramus ea Latine reddi ab Hugone Bollio, hoc die danda. Sed cum ea incæpimus prælo parare, primum invenimus Georgium, Davidis atque Simeonis Germanum, Presbyterum fuiſſe conſecratum circa annum Chriſti* DCCLXXXII, *annis pluſquam quadraginta poſt Leonis Iſaurici mortem, & quidem ab ipſo hujus diei* Georgio, tempore Iſaurici, egregio Confeſſore, tunc totius inſulæ Archiepiſcopatum tenente. *Deinde cognovimus eumdem à Sanctis Methodio Patriarcha atque Theodora Imperatrice, poſt Synodum ad Orthodoxiæ reſtitutionem Conſtantinopoli celebratam, anno* DCCCXLIII *patriæ ſuæ eſſe datum Antiſtitem. Iſtis igitur Actis ad Kalendas Februarij, in poſt faciendo Supplemento, reſervatis (quo die ſimul omnes ſolenniter coluntur, in eodem ſimul tumulo quieſcentes) ea ſola quæ ſeniorem Georgium ſpectant hic excerpemus.*

Confeſſor ſub Leone Iſaurico,

ab alio S. Georgio juniore diſtinguendus

F

6 *Cum igitur auctor, poſt S. Davidis obitum explicatum, S. Simeonis res geſtas deſcribere aggrederetur, primum aſſerit hunc in patriam ab Idæo in Phrygia monte, ubi fratrem ſepelierat, regreſſum,* inveniſſe ſupremum ſacrorum Præſidem Georgium *hunc noſtrum,* inſignem temporibus Leonis Iſaurici Confeſſorem: cui & fratrem Georgium obtulerit Presbyterio initiandum. *Deinde in hiſtoriæ progreſſu narrat, ſigna prægreſſa renovatam ſub Leone Armeno perſecutionem & Georgii Epiſcopi expulſionem, in hunc modum.* Cum populus ad veſpertinas preces Domino perſoluendas in ſanctæ ac glorioſæ Martyris Theodoræ templo, quod inferioris portus ripæ adjacet, conveniſſet, ultimumque Kyrie eleiſon decantaret, & manus atque oculi omnium eſſent in ſublime erecti; ſubito crux illa, quæ ſupra ciborium ſacræ menſæ defixa erat, magno cum ſtridore revulſa, & verſus abſidam

floret in Episcopatu ſub an. 782

renovantur Lesbii de perſecutione

eſt

A est sublata: deinde inclinato vertice in pavimenti foramen quoddam miserabiliter depacta, ibidem immobilis aliquamdiu stetit. Quod cum fidelis populus vidisset, multis ecclesiam implevit lacrymis, Kyrie eleison, diuturno & magno clamore insonans, nolensque ab æde sacra discedere, ut pote qui metueret ne jam adesset supremum insulæ exterminium. Dimisso tandem, licet ægre, cœtu, ad columnam curritur, & ingens inauspicatumque prodigium Patribus Simeoni atque Georgio nuntiatur. Quibus sanctissimus Simeon, omne mysterium futuræ rei de cælo edoctus, ita fatur cum lacrymis: Non ita erit ut veremini, fratres, neque hanc regionem funditus evertendam dabit Deus: sed Imperator Deo invisus atque adversarius diebus his surget, qui decorem ecclesiæ omnem auferet, venerandis imaginibus ad terram dejectis. Ite in pace: sicut Domini est voluntas, sic fiat.

sub Leone Armeno resuscitandæ,

& S. Georgii expulsione alterèusque intrusione.

7 Paucis porro diebus interjectis, porcus, auribus & cauda mutilus, atque ex signis quibusdam notisque monstrosis toti urbi notissimus, ejusdem ecclesiæ fores nescio quo modo apertas nactus, ad sancta altaris adyta penetravit sese, atque in Episcopali throno se composuit. Conabantur æditui,

B rem intuiti, abominandum spectaculum ab oculis amovere, porcum expellendo: sed nullis ille terrebatur minis, neque prius excessit quam verberibus fustibusque cruentaretur. Hinc rursum multitudo accelerat ad Deiferum Simeonem, & quid acciderit narrat: Cui ille, Confidite filioli, quia porcus iste graphice representat futurum, Deo permittente, Episcopum sibi similem, ejusque fortunam. Dictum rei probavit eventus: nam ferini nominis Imperatore Leone sceptrum Orientis adepto, moribus ei ac nomine similis Antistes invasit Episcopatum. Hunc autem, ut adulterinum intrusumque, abominata plebs omnis fidelium est, rectæ fidei opinionibus inhærens, utpote divinitus inspiratarum Scripturarum lacte pasci solitus, & informari doctrinis venerandorum virorum atque sanctorum Patrum, Georgii inquam sanctissimi Præsulis (quem & impiissimus in perpetuum ad mortem usque exilium relegavit Chersonam) atque Simeonis, qui & ipse vehementer hæresiarcham abominabatur.

ipse Chersonæ exul moritur sub an. 816.

8 *Sanctus igitur Præsul, qui primum sub Leone Isauri-*

co, fortasis ante initum Episcopatum, c'aruerat; rursus sub Leone Armeno confessionis stadium ingressus, ad annum usque DCCCXVI *& ultra in decrepitam ætatem vitam debuit propagasse: dicitur autem in præcitatis Actis liberiori execratione hæresiarcharum, scilicet Imperatoris Tyranni & pseudo-patriarchæ Theodoti, eorum adversus se ralliem implacabiliter provocasse: quod factum creatimus, quando Imperator Orthodoxos Episcopos omnes Constantinopolim convocavit, tentaturus num qua fraude, pollicitatione aut comminatione eos cum Nicephoro Patriarcha in suam sententiam posset pertrahere, uti videre est in ipsius S. Nicephori Actis, propositis* XIII *Martij. Confirmantur hæc ex Canone, ejusdem Sancti laudes prædicante, quem cum reliquo ipsius Officio Menea exhibent, seorsim ab alio hujus diei Officio S. Calliopium concernente; cui præmissa Sticharia similaria sic inchoantur,* Πάτερ Γεώργιε, Χριστὸν τὴν σεπτὴν καὶ ἄχραντον τιμητικῶς προσεκύνησας εἰκόνα, πάνσοφε, θεομάχων θράσος μηδαμῶς πλαγέμενος. Sanctam & immaculatam Christi imaginem reverenter adorasti, Pater Georgi sapientissime, nihil formidans Deo rebellantium audaciam. *deinde cum expressiori debellatæ iconomachiæ mentione:* Θυμὸν ἀσεβῶν ὑπήνεγκας θρασυνομένων ἀλόγιστα, ὃς καὶ ἐθέασας ὑπερυψωθέντας δυσσεβεῖ φρονήματι, καὶ πάλιν συντριβέντας δεινότερον διαφανέσταλα. Furorem sustinuisti audentium rectæ

E rationi contraria, quos & vidisti super impietatis sepimentum elevatos, ac denuo manifestissima ruina obtritos. *Ipe Canon præcipue singulas virtutes ejus celebrat; vitæ austeritatem, crucis ferendæ tolerantiam, spiritus paupertatem, eleemosynarum largitatem, morum rectitudinem, lacrymarum frequentiam, passionum mortificationem, aliasque id genus propheticum insuper spiritum, quo suam ad meliora id est superna bona translationem præscivit: dicit denique quod sit,* Ἰατὴρ ἀνιάτων νοσημάτων, καὶ ἐλαλὴς ἀκαθάρτων πνευμάτων. Medicus incurabilium infirmitatum, & expulsor immundorum spirituum: *atque concluditur hac strophe,* Θησαυρὸν ἀκένωτον καὶ πλοῦτον χαρισμάτων τὴν σὴν κόνιν ἔχοντες καὶ σῶρον τῶν λειψάνων, ἐμπιπλάμεθα νοητῶν ἀρωμάτων, ἀξιομακάριστε Γεώργιε. Cinerem tuum & reliquiarum thecam habentes, thesaurum sane gratiarum inexhaustum, implemur aromatibus spiritualibus, Georgi verè beatissime. *Quæ fidem faciunt, corpus in exilio mortui ad suam ecclesiam postea relatum fuisse, quod in elogio supra relato non satis exprimitur.*

laudatur in propriis de eo odis

ac gloria miraculorū

& reliqua virtutes.

DE BEATO EBERHARDO,

EX COMITE NELLEBVRGENSI ORDINIS S. BENED. MONACHO,

SCHAFFHUSIÆ IN SUEVIA. D. P.

SEC. XI. *Ad Rheni Germanicā ripam*

NEllenburgensium Comitum *in Suevia ditio, Danubio versus Boream clausa, in orientem procurrebat olim usque ad Rheni ripam; eum etiam comprehendens locum, qui venientes ex Acronio & Veneto lacus naves scaphasque excipit, ibi exonerandas, quoniam ulteriorem cursum prohibet major Rheni cataracta, tertio inde milliario ab altissimis rupibus se præcipitantis, unde* Schafthusiæ *nomen ductum plerique volunt, quamvis indigenæ malint ab ovibus,* schaff *Germanice dictis, etymon & insignia petere. Ast sive naviculariorum sive opilionum usibus structæ domus primam habitandi loci occasionem dederint, inter omnes convenit, celebritatem esse totam à monasterio, quod ibi in honorem* S. Salvatoris Jesu Christi & Sanctorum omnium *circa annum millesimum condi cœptum amplæ paulatim urbi (ut alia pleraque) nomen dedit, quæ opibus aucta,*

in constructo à se monasterio

& Imperialis civitatis privilegiis donata, Abbatum potestati se paulatim subtraxit; ac denique eamdem prorsus extinxit, per fœdam ipsorummet monachorum à Catholica religione apostasiam. Eadē urbs ab annis circiter ducentis, inita cum pagis Helveticis societate. nunc annumeratur Turgoviæ, quamvis sita in Germanica Rheni ripa; cujus positionis rationem potiorem habentes quam recentium fœderum, maluimus illam adscribere Sueviæ. Dicti monasterii chronicon antiquum, nescio ubi, reperit Ioannes Murerus Carthusianus, ex eoque potissimum transcripsit vitam Eberhardi, quem ibidem dimisso nobili Comitatu monachum, cum appellatione Beati Fundatoris cultum fuisse, satis probant, quæ in eadem vita narrantur; & titulus sacelli, per plura sæcula superstitis, quod in eius postea appellationem transiit, & S. Eberhardi sacellum dicitur. Neque dubito quin antiquum ipsius monasterii martyrologium idem probaret, si inveniretur; vota item & preces accurrentium ad sepulcrum, si avita ibidem perstitisset religio. Vlterius protensum illius cultum aut nominis commemorationem inter officia sacra, nullum probat argumentum: unde qui Benedictinos fastos compilavere Wion & Menardus, nusquam illius meminerunt; nec meminisset Bucelinus ad hunc diem, nisi apud Murerum in Helvetia

colebatur olim ut Beatus.

A *ſacra Vitam reperiſſet. Mallemus eam nos hoc loco dare ipſis antiqui illius Chronici verbis, dabimuſque etiam poſtea, ſi illa nobis aliunde ſubminiſtrentur: nunc, quod poſſumus, à Murero Germanice editam Latine reddimus, optamuſque ut urbi avita fides, monaſterio diſciplina, ſacris oſſibus veneratio reſtituatur aliquando.*

VITA

Ex antiquo loci Chronico MS.

à Ioanne Murero Germanice edita

1 CIrca annum Chriſti milleſimum quartum, in Suevia Germaniæ ſuperioris provincia, floruit Eppo Comes Nelleburgenſis, dives agris opibuſque: qui matrimonio ſibi junxit Hedwigem *a*, ſancti Hungarorum Regis Stephani filiam, & S. Henrici Imperatoris ex Giſila ſorore neptem; qui tantis ſubnixus affinitatibus, nihil aliud quam ſeculi pompas & ſuæ familiæ amplificandam claritatem meditabatur. Alia longe erant Hedwigis vota ſtudiaque; & Deo diviniſque rebus intenta, vacabat orationibus & multiplicabat eleemoſynas: morem inſuper ſibi fecerat quot noctibus ad recitandum pſalterium ſurgere. Id cum illa continuis aliquot uſurpaſſet annis, ſurrexit aliquando ab latere uxoris, poſt ejuſmodi vigiliam fatigationemque profundius dormientis, Comes Eppo; & librum, unde illa ſolebat Pſalmos decurrere, ad culinam detulit atque in ignem projecit, ut quam verbis cohibere non potuerat pietatem, facto illo caſtigaret. Poſtridie ad opus ſuum revertens coquus, ſupra prunas poſitum, ſed incombuſtum, reperit heræ librum: quæ ab eo monita de miraculo, prompte accurrit, ipſumque recepit, & cujus id opera factum eſſet haud difficulter intellexit. Neque id diſſimulavit Eppo, cum rurſus librum ſalvum conſpexit; qui corde compunctus, & culpam apud Deum atque uxorem agnoſcens, nulli deinceps impedimento piis ejus exercitiis fuit; ſed ipſe potius ad ſimilia ſeſe tranſtulit, & ad finem vitæ in iiſdem perſeveravit.

a Parentibus Eppone atque Hedwige,

2 Naſcitur iis interim filius Eberhardus, nec diu poſt obit Eppo pater. Hinc alia cura Hedwigi non ſuperfuit, quam ut relictam ſibi ex marito prolem, tantarum opum & poſſeſſionum heredem, pie religioſeque educaret. Proinde, cum diſcendis litteris artibuſque ingenuis congruam attigiſſet ætatem, elegit peregrinum quemdam Sacerdotem nomine Lupardum, eique filium inſtituendum tradidit: poſtea vero ſumpſit eidem uxorem, Ittam nomine, ex qua filii ſex procreati ſunt, *b* Otto ſcilicet, Archiepiſcopus poſtea Trevirenſis; Eggehardus, Richenaugienſis monachus, ac demum anno MLXXI ejuſdem monaſterii Abbas *c*; Abbanus, in prima juventute mortuus; tum alii duo, qui ſub Henrico IV militantes anno MLXXV occubuerunt in bello; ac denique Burchardus, Nelleburgenſis Comes futurus. Sic auctam ſtabilitamque familiam videns Hedwigis, Eberhardi mater, valefecit filio, & in diœceſim Moguntinam ſe recepit: ædificatoque ibidem in Deiparæ honorem ſanctimonialium cœnobio *d* Swabenheim dicto, quod ſuperfuit vitæ in ſancta converſatione abſolvit, ſibi Deoque ſoli vacans.

natus Eberhardus,

b

c post liberos ex Itta uxore ſuſcepios,

d

3 Eberhardus autem cum uxore, quamvis terrenis bonis affluens, iiſdem tamen non apponens cor ſuum, ſed Deo ſervire ac placere ſatagens; primum quidem Romam ad limina Sanctorum Petri & Pauli atque Compoſtellam ad S. Jacobum honorandum peregrinatus eſt: deinde divino amore magis magiſque ſuccenſus, ubi unum ſolum *e* in ſeculo ſibi reliquum vidit heredem ac ſucceſſorem Burchardum, decrevit ex abundanti poſſeſſionum ſuarum partem aliquam, de conſenſu uxoris ſuæ, convertere in cœnobium monachorum ſub S. Benedicti regula conſtruendum. Dumque circa loci electionem ambiguus, propriis atque alienis precibus divinam expetit voluntatem cognoſcere, piæ ſupplicationis conſortem inter alios voluit habere virum probum ac ſimplicem, profeſſione navicularium, qui duabus infra lacum Acronium leucis Germanicis, ex una in alteram ripam tranſvehebat itinerantes. Hic pro negotio ſibi commendato precibus nocturnis incumbens, non procul à ſe atque à Rheni ripa vidit ingentem ignem aſſurgere atque in ejus medio crucem aureo ſplendore fulgentem: cujus aſpectu monitus, eum eſſe locum quem delegerat Dominus, non diſtulit viſionem indicare Eberhardo: qui & ipſe eumdem ſuo propoſito aptiſſimum inveniens, primum ibi ædificavit ſacellum cum tribus altaribus, in honorem Dominicæ reſurrectionis, quæ anno MLII die XXIII Auguſti Leo IX *f* conſecravit, dictum poſtea ſacellum S. Eberhardi.

D *ædificandi monaſterii locum*

viſu cæleſti edoctus,

f

4 Deinde monaſterium ſtruere exorſus, ex conſilio pientiſſimi Sacerdotis Lupoldi, cui filii Burchardi inſtitutionem commiſerat, in honorem Sancti Salvatoris Jeſu Chriſti & *g* omnium Sanctorum, cum opus intra duodecim annos compleſſet, inſtituit ibidem duodecim monachos, juxta numerum ſanctorum Chriſti Apoſtolorum *h*, ipſumque in die S. Bartholomæi anno MLXIV dedicandum curavit à Rumoldo *i* Epiſcopo Conſtantienſi; & reditibus poſſeſſionibuſque dotatum, Sigefrido Abbati, una cum ſociis ex *k* Hirſchaugienſibus monachis accepto, regendum commiſit. Denique incolumitati loci ſic fundati conſultum eſſe cupiens, rurſum ingreſſus eſt iter Romanum Eberhardus cum magnifico comitatu, novumque monaſterium cum rebus atque perſonis acquiſitis & acquirendis Apoſtolicæ Sedis tuitioni commiſit, acceptante ipſum Alexandro II, & Bullas deſuper requiſitas expediente ſub nota anni MLXVI.

illudque dedicans an. 1064

E

g

h

i

k

ibi ſub Sigefrido Ab. monachos 12 ſtatuit.

5 In hoc porro Romano itinere, voluit omnipotens Deus famuli ſui ſanctitatem hujuſmodi miraculo comprobare. Erat in Italiæ partibus cæcus, cui per ſomnum fuerat revelatum, quod à Comite quodam Germano Romam proficiſcente recepturus eſſet viſum: proinde erat juxta viam aſſiduus, & de tranſeuntibus quinam eſſent crebram habebat quæſtionem. Accidit ergo ut tranſeunte Comite, cum caterva ſimul æquitantium, prædicto cæco, equorum tranſitum obſervanti & quinam eſſent interroganti, reſponderetur Teutonicos eſſe, qui tranſirent, viros eccleſiaſticos ac ſeculares, aſſeclas magni ac potentis ex Teutonia Comitis, qui Romam iter inſtitutum ageret. Tum cæcus lacrymabili voce Comitem exorſus eſt deprecari, ut ſui vellet miſereri. Comes autem exiſtimans eleemoſynam petere, dari juſſit; ſed renuit cæcus, viſum ſe à Comite, non argentum, aſſerens poſtulare. Itaque eumdem ſecutus ad diverſorium, quod ipſo in loco noctem acturo Comiti præparatum fuerat; exoravit famulos, ut qua ille manus abluiſſet aqua, eam ſibi ſervarent condonarentque. Cumque eadem laviſſet oculos, aperti illico ſunt oculi ejus: qui clare videns & diſcernens omnia, laudavit Deum, & famuli ejus meritum toto vulgavit vico.

Romam denuo profectus

E

cæcum illuminat.

6 Alterum nihilominus in Germania contigit, in ipſa filii Burchardi perſona. Hunc cum equitibus aliquot ante ſe dirigebat occaſione quadam, ipſeque eadem ſubſequebatur via: ſic autē iter agens ex famulis inſperato retrogreſſis intellexit pater, feſtinandum ſibi eſſe, ſi filium vivum conſpicere velit; media enim via

reverſus filiū moribundum ſanat.

A *Mangoldum Ab. apoſtatã*

via correptum letali morbo, ægre perferri ad diverſorium potuiſſe. Accurrit concitus Eberhardus, & flexis ante lectum decumbentis genibus, primum orationes ad Deum fudit; tum pelvi imponens ligna duo, in crucem decuſſata, aquam deſuper infundi juſſit, ex eaque potum filio dedit, & ſimul reddidit ſanitatem, cum admiratione ipſius ægri præſentiumque omnium. Sed corporibus hæc impenſa fuere, præ quibus æſtimanda eſt ſalus animæ Mangoldi conſervata, qui nobiliter natus, & in familia Eberhardi Comitis aliquamdiu cum laude verſatus, monachum induerat in Steinenſi *l* S. Georgii ſupra Rhenum cœnobio, factus tandem etiam loci Abbas. Sed velut ad hoc ſolum elatus eſſet quo rueret gravius, poſt annos non multos vitæ regularis pertæſus, tandem ad ſeculum ſe retulerat, habitu Ordineque dimiſſo.

l

convertit ad pœnitentiã,

7 Huic ſic miſere lapſo, ſeque in ſeculari habitu impudenter circumferenti, obviam aliquando factus Eberhardus Comes: Ecquid, Mangolde, reſponſurus es, inquit, judici tuo, in die illa qua perfidiæ & apoſtaſiæ tuæ rationem ſimul & pœnam exiget? Revertere, miſer, unde divertiſti: neſcis enim quando comprehenſura te ſit hora illa: temporanea & fluxa hæc vita eſt, ſed quæ ſequitur æterna. His aliiſque ſimilibus compunctus ille, abjecit ſe ante Comitis pedes, ſuppliciter orans, deprecatorem ipſum ut mereretur habere, ad Eccleſiæ atque Ordinis pacem recuperandam; ea tamen conditione, ut cum bona Steinenſis Abbatis venia, manere ſibi liceret in Schaffhuſienſi ipſius Comitis monaſterio, ubi mallet omnium poſtremus vivere, quam primus in ſuo. His verbis recreatus Eberhardus, hominemque amplexus peramanter, cum magna gratiæ obtinendæ fiducia ad Abbatem prænominatum acceſſit; eoque libenter annuente, habitum Ordinemque reſumpſit Mangoldus in novo Sanctorum omnium monaſterio, ubi ſeveras admiſſi criminis pœnas à ſe ipſo exigens, conſtanti in pœnitentia vixit annis pluribus, ac denique feliciter in Domino requievit, in eodem loco ſepultus.

B

pro eoque in monaſterio pie mortuo

ſed purgatoriis pœnas ſuſtinente,

8 Poſt tempus deinde aliquod, pernoctanti in precibus Eberhardo Comiti, & pro defuncti Mangoldi anima ſupplicanti, apparuit ipſe, renuntiavitque; ſe æterno damnandum fuiſſe ſupplicio, niſi precum illius interventu reductus ad Ordinem pœnitentiam agere incepiſſet; pro criminum autem in ſeculo & apoſtaſia commiſſorum gravitate ac multitudine, purgatoriis in flammis graviter cruciari; nunc vero orare, ut quem ſalutaribus monitis ſuis ab gehennæ incendio liberarat, eumdem nunc à temporario illo igne precum ſuarum ſuffragiis dignaretur redimere. His dictis diſparuit, & mane facto pientiſſimæ uxori ſuæ Ittæ narravit Comes quid vidiſſet audiviſſetque de Fr. Mangoldo. Ambo igitur pro ejus auxilio inceperunt orationibus, eleemoſynis, jejuniis, aliiſque operibus religioſis vacare intentius, curantes etiam multa expiatoria ſacrificia fieri pro mortuo: neque eo contenti, Compoſtellam inſuper peregrinati ſunt pro eadem cauſa. Cum vero in patriam rediviſſent, rurſum oranti Comiti Mangoldus in nocturna viſione apparuit, gratias agens quod per ejus auxilium æterna jam frueretur beatitudine in cælis. Tum ſpiritu exhilaratus Eberhardus Comes, Eia inquit Mangolde, unum dicito an opera mea placeant Deo. Placent reſpondit ille, & magis placebunt, ſi bonis bona pergas adjicere conſtanter proficiens.

C

poſt varia pia opera Compoſtellã peregrinatur.

tum religioſæ vitæ deſiderio captus,

9 Jam annum ætatis attigerat quartum ſupra quinquageſimum, & à terrenarum rerum cura paulatim abſtractum animum, ad excolendam virtutem tranſtulerat; quando iſtis Mangoldi dictis vehementius ſtimulatus, decrevit omnino nuntium remittere ſeculo; & Comitatus dignitate in filium tranſlata, ipſum ſeſe conſecrare Deo in monaſterio Sanctorum omnium. Ergo conjugi ſuæ dilectiſſimæ expoſuit, quomodo Mangoldus aſſertus cælo apparuiſſet ſibi, affirmaſſetque placere Deo opera ejus, ideoque decretum ſibi eſſe, modicum reliquæ vitæ ſpatium ipſi offerre, ut mereretur placere magis; petere ergo ut cum bona illius venia liceat ſibi, abdicatis omnibus temporalibus, obedientiæ jugum ſubire in monaſterio quod conſtruxerant. Ad hanc orationem lætata Itta, hoc ipſum reſpondit eſſe quod diu deſideranti animo concupierat, ut à maritali libera ſervitute, Deo poſſet expeditius famulari: faceret igitur, ipſo bene juvante, quod conceperat animo, ejuſdem propoſiti conſortem uxorem habiturus *m*. Dictum, factum: ſtitit ſe Abbati Sigefrido Eberhardus, ejuſque obedientiæ colla ſubjecit, & in ea alios ſex annos vivens, cum multa precum, jejuniorum & operum bonorum inſtantia, poſt ſexaginta vitæ annos expletos, die VII Aprilis evocatus ad mercedem eſt, & Deo, quem ſemper amaverat, ſociatus in cælis.

EX GERM. MURERI

cum bona uxoris gratia

m

fit monachus obitque an. ætat. 60.

10 Mortuum Sigefridus Abbas cum conventu, uxor quoque ac filius, cum multa nobilium Ordinis utriuſque frequentia, in novo Schaffhuſienſi monaſterio ſepelierunt. Ad ejus vero tumulum cœpit Deus crebra patrare miracula, multis infirmis & opis egentibus curationem & auxilium exhibens: ex quibus mox tria aggrediar explicare, ſicut antea tria mirabilia ejuſdem opera adhuc in ſeculari vita agentis expoſui. Prius tamen dicendum eſt, quod propter ejuſmodi operum divinorum claritatem, corpus ejus fuerit è crypta, ſub qua condebatur, elatum poſitumque ante altare ſanctæ Crucis: poſtea vero tranſlatum fuit ad novam eccleſiam, ab Abbate Sigefrido & Burchardo *n* Comite ædificatam, ubi ſuper ipſum in illius medio collocatus eſt grandis ac ſpecioſus lapis, eleganter inſculptam habens effigiem corporis. Super quem cum aliquando irreverentius conſtitiſſet nobilis quidam, neque monitus diſcedere voluiſſet, falco quem tenebat manibus in veſtigio ſupra ſepulcrum Comitis mortuus eſt; tantuſque hominem pavor invaſit, ut ægre potuerit exitum eccleſiæ reperire, mortuum in ea falconem relinquens.

E

claret miraculis.

n

ſepulcri ſui violatorem punit.

energumenã liberat,

11 Energumenum quemdam ad varia Sanctorum loca perigrinationibus miraculiſque celebria circumduxerant conſanguinei, ſed Deo curationem ipſius ad manifeſtanda ſervi ſui merita differente, nuſquam ei ſalutem invenerunt: intellecta autem ſepulcri ejus virtute mirifica, multipliciter vinctum & omnimodis repugnantem adduxerunt; ſeque mox exauditos gaviſi ſunt, reducentes ſecum ſanum ac liberum, patientem ſuum. Alius brachiorum uſu ſic privatus, ut cibum, niſi alienis manibus in os ingeſtum, nullum ſumeret; cum ad ſepulcrum Beati acceſſit, ſanitatem poſtulans, reſtitutas ſibi manus continuo ſenſit, & ad opus quodvis idoneas. Legimus etiam de Schaffhuſienſi quodam à nativitate muto, qui cum animo concepiſſet quod curationem à viro beato deberet petere, nummum unum offerre ſupra ſepulcrum; fide plena ipſum nummum ori impoſuit, eumque ex ore ſinens ſupra illud labi, ipſo inſtanti ſenſit ſolvi linguæ ſuæ vinculum, & loqui tam perfecte cœpit, velut ſi numquam impeditus fuiſſet.

F

& muto loquelã donat.

ANNOTATA.

a *Stumphius, in Chronica Helvetiorum lib. 5 cap. 17, unde primum hujus Vitæ caput accepiſſe profitetur Murerus, ſolum dicit* Hedwigem, regia ſtirpe prognatam, *Eponi*

poni uxorem obtigisse. S. Stephanum dicit Bonfinius plures liberos suscepisse, quorum nomina lateant, præterquam unius Emerici ante patrem mortui, & prolis saltem masculæ defecta regnum reliquisse suo ex sorore nepoti Petro; quapropter vereor ut satis solide hic Murerus processerit. Allegat Stumpfius Richenaugiense chronicon, ex quo genealogiam dictam acceperit.

b Udonem *vulgo* Adonem *dictum, scribit Browerus in Annal. Trevir. lib. 12 num. ad annum* 1067, *refutatque Lazium qui Eberhardi, non filium, sed fratrem facit, dicto autem anno electus tenuit Trevirensem Cathedram usque ad* 1077.

c *Addit Bucelinus, parte* 1 *Germaniæ sacræ, quod* tandem à Guelfone Duce ad Episcopatum Augustanum evocatus in itinere moritur an. 1089. *Frater, qui sequitur &* Albanus *nominatur, Stumpfio* Adalbertus *est.*

d *De monasterio* Swabenheim *(quod* Suevorum domum *interpretabere) sitne adhuc super, necdum comperi.*

e *An ergo necdum nati erant duo illi, de quibus, velut an.* 1075. *in prælio cæsis, ante facta est mentio? Vereor ne hæc Eberhardi orbitas per gratuitam conjecturam fuerit à Murero excogitata.*

f Colitur S. Leo IX, 19 *Aprilis: ante cujus Vitam* §. 4 *agimus de ejus profectione in Germaniam an.* 1052.

g *Merianus, in topographia Helvetiæ confœderationis num.* 12, *dicit, S. Salvatoris dictum in principio Monasterium; postea accepisse nomen à Sanctis Omnibus, credo à templo quod post Eberhardi mortem filius ejus extruxit. Calvinistæ, qui nec nomen Sanctorum patienter ferunt, eo abolito, priorem resumpserunt; ubi nunc pro sacris monachorum cantibus puerperarum gemitus & infantium personant ploratus, secundum egregiæ illius reformationis morem.*

h *Idem Merianus ait, in fundamento positos esse ingentes duodecim lapides, quorum singuli pedes* 17 *alti, in uno quoque latere* 9 *pedes complectuntur. Et vero mons ingens ad urbis latus occiduum est, eruendis ab omni retro memoria saxis maximo hiatu versus Rhenum apertus, unde illi & scindi & advehi commodissime potuerunt.*

i Rumoldum *etiam vocat Harmannus in Annalibus Eremi Deiparæ, ubi monachus vivebat, abdicata Præpositura Goslarienſi, quando in Episcopum est assumptus an.* 1051: *alii* Grimaldum *&* Rumaldum *nominant: sedit autem usque an.* 1069.

k Hirtzaugiense *antiquum & nobile monasterium est, in Ducatu Wirtembergico, de quo multa Bucelinus parte* 1 *Germaniæ sacræ, ac rursum parte* 2, *ubi ad centum* monasteria *enumerat,* per Hirsaugienses monachos aut noviter instituta aut post ruinam magnifice reformata, ex catalogo quodam veteri ejusdem monasterii; *inter quæ Schaffusianum omnium Sanctorum novum, 22 loco censetur.*

l *Hoc quoque monasterium eamdem cum Schaffusiensi calamitatẽ passum, tandem quoad titulum & possessiones transiit ad jus Abbatis Petrusiani. Est autem in Germanica Rheni ripa à Schaffusia p.m. circiter* 14 *fundatum haud diu post annum millesimum, quando Trudewingus, octavus Duellienſis monasterii in VVirtembergia Abbas, illuc cum monachis suis migravit: nunc Helvetica confœderatione associatum est oppidum.*

m *Stumpfius ait, ipsam sibi extruxisse recluſorium haud procul à monasterio, quod Sigefridus Abbas converterit in cœnobium S. Agnetis, quo titulo hodieque ecclesia & ædes superſunt. Sanctimonialibus eadem qua monachi reformatione extinctis.*

n *Burchardus, nullis ex Hedwige uxore Saxonica susceptis liberis, auxit vehementer cœnobium, Randensem silvam & Hemineam vallem, in Suevia utramque, eidem donans, præter alia multa, teste Stumpfio.*

DE S. AYBERTO PRESBYTERO,

RECLVSO ORD. BENEDICTINI IN HANNONIA.

G. H.

ANNO MCXL.

Crispinio à Clericis ad Benedictinos translato. C

S. Aybertus ibidem fit monachus anno 1090,

mortuus an. 1140.

Crispinium monasterium, inter Valentianas & Gislenopolim Hannoniæ civitates pari pene itinerum intercapedine situm, sua primordia debet S. Landelino, *qui illud seculo Christi septimo extruxit, & post vitam ibidem maxima cum perfectione exactam migravit ad Christum* XV Iunij. *Incoluerunt illud olim* Clerici, *unde à Baldrico lib.* 2 *Chronici Cameracensis cap* 41 monasterium Canonicorum *appellatur, in quorum locum circa annum* MLXXX *monachi Benedictini fuerunt substituti; quibus primus Abbas præfuit Rainerus, infra in Vita S. Ayberti memoratus, qui eo assumpto itineris comite Romam profectus est, eumdemque inter monachos suos anno* MXC *suscepit, & cœnobii sui* Præpositum & Cellerarium *fecit. Vixit postmodum* S. *Aybertus, tam monachus quam recluſus, annis quinquaginta usque ad annum Christi millesimum centesimum quadragesimum; quando Cyclo Lunæ* I, Solis I *litteris Dominicalibus* G. F. festum Paschatis incidit in diem VII Aprilis, *quo infra num.* 23 *dicitur* S. Aybertus feliciter obdormivisse in Domino.

Vitam scripsit Robertus Archidiaconus Ostrevandensis

ad Alvisum Episcopum Atrebatensẽ, mortuum an. 1148

2 *Vitam hanc scripsit auctor coævus, qui num.* 22 *asserit se* eum viventem & mortuum dilexisse. *Nomen suum indicat in epistola dedicatoria esse* Robertum, *&* Dei miseratione sẽ esse Ostrevandiensem Archidiaconum. *Est autem* pagus Ostrevandus, *aliis* Ostrebandus, Austerbantus *sive* Austerbantia, *ditio, inclusa fluviis Senseto, Scarpa & Scaldi, in quem il i ad Buchamum & Mortaignam derivantur. Inscripta est hæc Vita Alviso, Episcopo Atrebatensi, dum viveret* S. Aybertus, *constituto: qui jussu Eugenii in expeditione Hierosolymitana Pater & Pastor totius Francorum exercitus factus, Philippis in Macedonia anno* MCXLVIII, *octo post obitum S. Ayberti annis, ex hac vita decesſit. Laurentius Surius affirmat hanc Vitam* bona fide conscriptam fuisse, *quam edidit ad diem* VII *Aprilis, sed* plerumque in gratiam lectoris stylo mutato *& sub finem contractam. Eamdem primæva phrasi habemus ex Ms. Cœnobii Rubeæ Vallis prope Bruxellas: & eamdem edidit Arnoldus Raisius, Canonicus Duacensis,* ex antiquissimo MS. membranaceo cœnobii Crispinensis verbotenus erutam: *quam hic damus, nostro more in capita & numeros distinctam, & summariis marginalibus aliisque annotationibus illustratam. Ex hac Vita ediderunt sua compendia Franciscus Hæreus, Lippelous, Dubletius & passim alii.*

3 *Corpus S. Ayberti in cellula sua; in qua Recluſus vixerat, sepultum fuit, in oratorio ibidem ad honorem Deiparæ Virginis extructo. Ex monumentis antiquis Oratorii sive Capellæ S. Ayberti scribit Ioannes Cognatus, libro* 3 *Historiæ Tornacensis cap.* 42, *sacras S. Ayberti reliquias capsæ inclusas, fuisse anno* MCCCIII *ex monasterio Crispiniano ad dictam Capellam Deiparæ Virgini dicatam deportatas; quæ postmodum anno* MCCCCLXIV *sub Ioanne Gavreo Episcopo Cameracensi, ab hujus Suffraganeo Godefrido fuerunt die* III *Octobris novæ capsæ impositæ. Cum anno* MDLXVI *hæretici Calvinistæ summa rabie per Belgicas ditiones furerent, ac sacras ubique Sanctorum reliquias diriperent ac comburerent; hæc sacri corporis S. Ayberti theca fuit per Dominum hujus loci & fundi sub vepribus & urticis in pascuis aliquibus abscondita, neque ab hæreticis licet diligenter inquirentibus reperta. Cum dein oratorium, ab hæreticis destructum, fuisset reparatum; Martinus Cupreus, Episcopus Chalcedonensis & Suffraganeus Archiepiscopi Cameracensis Maximiliani à Bergis, anno* MDLXVIII *ipsis Kalendis Maij illud dedicavit ad honorem Sanctæ*

Corpus capsæ inclusum an. 1303 *& iterum an.* 1464

contra rabiẽ Calvinistarum asservatum:

A *concessa Indulgentia:*

Sanctæ Crucis, Deiparæ Virginis & S. Ayberti Confessoris, cujus ibidem sacrum requiescit corpus, & concessæ sunt Indulgentiæ octoginta dierum partim ab Archiepiscopo, partim à Suffraganeo Cupreo, in singulis solennitatibus tam Sanctæ Crucis quam beatissimæ Virginis Mariæ, nec non die S. Ayberti, & in Paraseeve Domini.

4 *Et forsan ab hoc anno* MDLXVIII *factum est ut auctoritate Archiepiscopi festum S. Ayberti postridie Kalendarum Maij ex Crispinio venientes annue celebrarent, uti ad ejusdem mensis diem secundum cum aliqua ejus Vita refert in* Colitur festū 2 Maij & 7 Aprilis: *Natalibus Sanctorum Belgii Molanus: qui tamen in Additionibus ad Vsuardum nomen S. Ayberti collocat ad hunc* VII *diē Aprilis, ad quem passim alii habent, Miræus in Fastis Belgicis & Burgundicis, Antonius Balinghē in Kalendario Mariano, Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino, Canisius in Germanico, Balduinus Willotius in Hagiologio Belgico, item Martyrologium Gallice Leodii anno* MDCXXIV *excusum; Auctariū Carthusianorum Tornacensium ad Grevenum necdum editū. Vtroq; die, & hoc* VII *Aprilis & 11 Maij, celebrant Aybertum, Ferrarius in Catalogo generali, Saussayus in Martyrologio Gallico, VVion, Dorganius, Buccelinus in Fastis Benedictinis.*

5 *Corpus S. Ayberti hoc tempore asservari apud Crispiniē-ses in dicto oratorio tradit supra memoratus Cognatus & Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag. 178, qui dein pag. 345*

B *brachium & costa delata Tornacū ad monasteriū S. Martini,*

asserit, brachiū S. Ayberti Cōfessoris & monachi Benedictini cū costa & vertebra ejusdē Sācti, à Petro Aymerico Abbate Crispiniēsi, de consensu Prioris & Conventus ac de permissione & licentia Ioannis Richardoti Archiepiscopi Cameracēsis, donatū Petro de Loyers Abbati S. Martini civitatis Tornacensis, anno MDCX, *die* XXIV *Novembris. Quas reliquias rite examinatas approbavit Michaël Desne Episcopus Tornacēsis, anno* MDCXI, *die* XV *Martij, & concessit officiū Ecclesiasticū ritu duplici de Communi Confessoris non Pontificis* VII *Aprilis, die natali ejusdem Sancti, celebrari, & Indulgētias eo die dictā Ecclesiam visitantibus elargitus est. Demū in capsa Reliquiarum sequens inscriptio habetur:* Inæstimabiles has Reliquiarum Divi Ayberti gazas, pietatis ac venerationis ergo, hac capsula honorari & conservari curavit Reverendus Dominus D. Petrus de Loyers, anno Domini MDCXV Aprilis XVIII. *Alia diplomata integra apud Rassiū legi possunt: qui addit, dictum D. Petrum de Loyers memoratam vertebrā*

vertebra ad vicum d'Espain,

Ecclesiæ parochiali pagi d'Espain inter Tornacū & S. Amandum ad Scaldim siti, dono dedisse die X *Aprilis anni* MDCXI, *ubi divina misericordia per merita S. Ayberti nonnulla operata est miracula, quæ ab Episcopo Tornacensi Michaele Desne approbata, cum aliis quibusdam post Vitam dabimus: hic solū dicimus Episcopum iis qui præsentes Translationi intererant* XL

C *dierum Indulgentias elargitum, similesq; in eorum gratiā qui Espaniensem ecclesiam visitarēt in festis vel infra Octavas S. Ayberti, Pentecostes, Venerabilis Sacramenti, Assumptæ Virginis, Sanctorum omnium, & Natalis Dominici.*

6 Denique tantus brevi Prælatorum, magnatū ac peregrinorum ex Hannonia Artesiaq; Espaniū fieri cœpit cōcursus, ut collectæ exiguo tempore eleemosynæ sufficerint ædificando à fundamentis sacello in

Vbi sacellum ejus

S. Ayberti honorem, quod ecclesiæ parochialis lateri adhæreret, primum ejus lapidem rite collocante Abbate S. Martini, vice Domini Episcopi tunc artriticis doloribus impedito, anno MDCXII, tertia Dominica Junii præsentibus Dominis Mortaniæ & Rongiaci atq; infinita accolarū multitudine. Inquilini autē Espanienses vicinarūq; villarū Mande, Rongy, Hollain, & Wes, cupientes in pio hoc opere partē habere aliquā varias instituere collectas, quibus demū effectū est, ut tota fabrica absoluta, altare sacelli consecraretur à Reverendissimo Tornacensi, die Dominica in XXII Septembris cadente anno MDCXIII. *Hactenus Cognatus historiæ Tornacen. parte 4 cap. 40. Aliquæ ejusdem S. Ayberti Reliquiæ sunt in monasterio Altimontensi in prædicta Hannonia. Præterea os brachii ejusdem Sancti esse in veneratione Montibus in monasterio Nigrarū Sororum, his donatum à Ludovico Berlemontio Archiepiscopo Cameracensi (qui tempore*

os tibiæ Montes,

suæ Sedis, quam tenuit ab anno MDLXX *usq; ad* MDXCVI, *dictas Reliquias visitans, aliquas ex eis sibi assumpserat) testatur Cognatus lib. 3 cap. 42, ubi ait anno* MDCIX *delatū fuisse Valentianas corpus, & cum aliis corporibus Sanctorū in solenni processione circumlatum, ac dein ad propriā capellam relatū.* AUCTORE G. H.

7 *His ita positis, & nullum dubitandi locum relinquentibus, quin S. Aybertus non tantū Belga, sed in Belgio monachus atq; eremita vixerit & obierit; nemo Crispinienſem Abbatiam, cujus Abbatem Reinerium secutus aliquando Sanctus in Italiam est, aliam sibi poterit imaginari ab ea, ex qua & Vitā & Reliquias & omnem hujus Sancti notitiam fluxisse evidens est ex antedictis. Quia tamen post Vitam à Surio editam, Vallumbrosana Benedictinorum in Italia congregatio, ipsum Sanctorum suorum ascripsit Catalogo, ut qui ex dicta Vita cognoscebatur, in ipsa Valle-umbrosa hospes aliquantulo tempore pie conversatus, & quia, eadē Congregatio, in finibus Hetruriæ & Romandiolæ sub Faventina diœcesi habet Abbatiam, dictam S.* Mariæ de Crespino; *data nonnullis occasio est, & Rayneriū istius monasterii Abbatibus annumerandi, & Aybertum eodem transferendi, tanta conjecturæ audacis præsidentia, ut etiam ibidem juxta monstretur jam locus, in quo Sanctus vitam eremiticam egerit. Quod ut de aliis ejusdem instituti & monasterii Religiosis verissime credatur (visuntur enim etiam nunc tum apud Vallumbrosam, tum apud alias plures hujus Ordinis Abbatias cellæ seu eremitoria, quo cum sui Abbatis licentia recipiebant sese, quos ad abstractioris vitæ genus vocabat Deus) ita de S. Ayberto nō potest nisi inconsiderantissime fingi.*

Perperā fingitur fuisse Ordinis Vallumbrosani

E

Etenim prædicti Sancti eremiticam cellam, antequam abiret in Italiam, constat ex num. 6 Vitæ eamdem fuisse, in qua dicebatur fuisse S. Domitianus, S. Landelini fundatoris Crispinienſis comes individuus, Crispiniique sepultus: & postquam ex Italia eodem reversus Aybertus est, somniavit altissimā arborem inter Hasnonium & S. Amandū sitā, *ut dicitur num. 9,* cui advolans aquila vestem monachalē adferre, eumq; ea vestire videbatur; *unde intellexit ad monasticā vitā in Crispinienſi Abbatia, quam situs arboris designabat, ineundam se vocari: quod solum satis esse poterat ad Crispiniense S. Ayberti monasterium à centum ejusdem nominis aliis, si cubi essent, distinguendum. Mitto pluribus hæc refellere, quia altum Valumbrosanorum scriptorum de S. Ayberto silentium satis diluit novellam opinationem, ex sola nominum affinitate prognatam.*

ad S. Mariæ de Crispino in Italia.

VITA
Auctore Roberto Archidiacono Ostrevandensi.
EPISTOLA
Ad Alvisum Episcopum Atrebatensem

1 EGo Robertus Dei miseratione Ostrevādiensis Archidiaconus humilis & indignus, opusculum, quod de vita & moribus Domni Ayberti venerabilis Presbyteri Deo inspirante composui, Reverende Pater & Domine Præsul Alvise, diligentiæ vestræ hac mente relegendum destinavi, ut quidquid in eo laudabiliter dictum vel correctione dignum legendo inveneritis, pondere auctoritatis vestræ confirmetur vel mutetur. Scio enim & à quodam sapiente didici, nihil esse perfectum in humanis actibus, sed neque ex omni parte beatum. Quocirca minus erubesco, si forte aliquid imperfectum in opere nostro inveniatur, quod industria sapientis amici ad perfectū reducatur. Longe quippe mihi carius est, si qua sunt in scripto nostro minus caute dicta, vestra prudentia privatim & paterne emendari, quam ab aliquo malevolo publice & dēte livido nequiter demorderi. Sunt equidem nobis forma & exemplum taliter agendi, poëtæ & sapientes antiqui, quos imitari debemus, qui codices suos sapientibus amicis recitandos delegabant, ut si qua in eis minus regulariter dicta invenirent, fraterna dulcedine corrigerent, antequam

Auctor Alviso Episc. offert hanc Vitam corrigendam.

AUCTORE ROBERTO ARCHID.

ipſa volumina in publicum prodirent. Scriptum eſt enim, Membranis intus poſitis, delere licebit quod non ediderit. His itaque dictis ego ipſe, qui in hoc libello formoſum hominem colore virtutum depinxi, licet deformis pictor & virtutis expers, Reverende Pater, quaſi jurejurando aſſero, & aſſerendo juro, me ſcienter nihil mendacii admiſcuiſſe: quia per Dei gratiam tanta eſt copia veritatis, quod non fuit nobis neceſſaria inventio peſtiferæ falſitatis. Unde quaſi ſacrilegium reputavi, ſi honeſtam vitam & claram famam Angelici viri nævo vel contagio inventitiæ falſitatis, quam ipſe vivens ut nefas abhorruit, inficiens obfuſcaſſem. Quicumque enim perſonam religioſam, viventem vel defunctam, falſis laudibus honorare & honorando magnificare ſtuduerit, neceſſe eſt ſibi caveat ne mentiendo decidat in laqueum perditionis. Pſal. 5, 7. Scriptum eſt enim: Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Itaque ab Omnipotente Deo, qui eſt Veritas, & cui abominabilis eſt omnis doloſa iniquitas, talis laudator ſeipſum occidendo longe alienum facit. Sap. 1, 11. Os enim quod mentitur occidit animam: Nec perſonæ ulli, ſane ſapienti (quia falſa laudando, defraudat grata vel bene dicta) placens eſt talis laudatio. Hoc igitur totum prævidens, prohibui tibias meas à permixtione mendacii: ſciebam enim quod modicū pernicioſæ mendacitatis fermētaret & fermentando corrumperet totam maſſam ſinceritatis & veritatis: ideoque has falſas adinventiones eſſe vitandas æſtimavi. Valete.

in ea nihil mendacii ſcienter poſuit,

B

PROLOGUS.

2 SIcut antiquitus imagines triumphatorum & agoniſtarum, vel arcus triumphales, in quibus triumphi & ipſa ſimulacra egregiorum virorum ob recordationem & memoriam honeſtatis exprimebātur, fieri ſolebant, ut inſpicientes ea quodammodo ad opera probitatis animarētur; ita apices litterarū, quibus glorioſa facta vel dicta ſanctorum Patrum referuntur, ſcribi ſolent, ut legentes vel audientes litteras ipſas, vehementer accendantur ad faciendum ea quæ ſunt digna relatione & ſcripto. Hanc igitur ſimilitudinem ſequēs, vitam ſancti Sacerdotis Chriſti, Domni Ayberti, pro ut à religioſis & veridicis viris, & maxime à Domno Alulpho religioſo monacho, qui ejus ſecreta melius ceteris noverat, accepi, diligenter elucidare pro mediocritate ingenii mei propoſui; ut legentes vel audientes eam, ſanctum virum, ſi non per omnia, ſaltem aliqua ex parte imitari molirentur; vel

C

eum devote flagitarent, ut apud miſericordem Deum fiat illis pius interceſſor & promptus adjutor. Valde enim indecens & abſurdum nobis viſum eſt, ſi fama & opera tanti viri ſilentio clauderentur. Et quoniam Dominus famulum ſuum mirificavit, præbēdo ei vires mirabiliter patiendi & agendi; nos quoque ex debito fraternæ dilectionis debemus eum, colore & ornatu verborum pro modulo noſtro, ſcribendo mirificare; ſi facultas nobiliter & urbane loquendi nobis ſuppeteret, & labia noſtra à nobis eſſent, ut demulcētes aures & corda auditorū ſuavitate & elegātia poſitionum, eos ad audiendum & imitandum, quæ de venerabili viro ſubſcribentur, attētiores & magis prōptos redderemus. At ſi facultas deficit, voluntas tamen non deeſt. Precemur igitur Spiritum ſanctum, qui in Sanctis ſuis mirabilis & glorioſus eſt, ut ad laudem & gloriā nominis ſui & ſancti viri, & ad utilitatē noſtrā & auditorum, ea quæ de ſancto viro explicare deſtinavi, digne & laudabiliter perficere valeam.

Vitæ Sanctorum ad imitationem proponuntur,

uti hujus Sancti veridice collecta,

invocatur gratia Spiritus ſancti Pſal. 67.

CAPUT I.

Pia adoleſcentia, Vita eremetica, Romanum iter, ingreſſus in Religionem.

3 BEatus itaq; Aybertus, Sacerdos Chriſti egregius, territorio Tornacenſi oriundus extitit, ea ſcilicet villa, quæ vocatur Eſpeen. Magis virtutibus & ſacris operibus potens, quā proſapia inſignis; cum tamē ex religioſis & honeſtis parentibus progenitus eſſe dignoſcatur. Pater enim ejus pro certo Miles fuiſſe creditur, Albaldus nomine: Mater vero dicta eſt Helvidis: ambo liberæ conditionis & honeſtæ perſonæ, Deum timētes & amantes. Et quoniā, teſte Pſalmiſta, generatio rectorū benedicetur, credimus eos ex merito ſuæ bonitatis genuiſſe filium cæleſti benedictione dignum, ut ſequentia luce clarius edocebunt.

D

Honeſtis parentibus natus,

Pſal. 5.

4 Ut igitur naturali & recto ordine incedentes, opera ſancti viri ſcribēdo proſequamur, primū omniū dicēdum eſt, quæ præſagia ſive primordia futuræ ſanctitatis puer bonæ indolis præmiſit, Spiritu ſancto docente non littera, qui ubi vult ſpirat & quē vult inſpirat. Cū enim puer parvulus eſſet, conſuevit in noctibus ſæpiſſime de lecto latēter ſurgere, flexiſq; genibus & membris humi proſtratus, eamq; deoſculans, innumeris *a* veniis totū corpus fatigare. Quod dū parum dormiēs frequentaret, neminē ſcire volens, tandē latere non potuit; à famulis enim domus ſic agere repertus eſt. Sed quoniā nolebat habere judicē vel teſtē ſui laboris niſi Chriſtū, cui timebat diſplicere ſi hominibus placeret, ſeceſſit in ovile oviū, æſtimās ſecretius ſe ibi facturū quod alibi facere conſueverat. Sed tandē aliquando ex nimia flexione genuum fatigatus, terræ proſtratus, rurſus inventus eſt. Nec tamē à bono opere ceſſabat, quia ſe ſubtrahens in quantū poterat viſibus humanis, alia quærebat diverticula ſuæ ſolitudini congrua: nolebat enim populari favore mercedē perdere glorioſam. Nā certe quiſquis in laudibus hominum ſua bona cōſtituit, non eſt ſanæ mētis, imo aſſidet inſano, non attendēs illud Apoſtoli: Si hominibus placerē, Chriſti ſervus non eſſem. Nec ſolū hoc modo divino amore vexabat corpus, verum etiā frequēter jejuniis inſiſtens, ac caute jejunando duriter illud idem macerabat: ea enim die, qua ſe jejunaturū cogitabat, tantillum pomi vel alicujus rei præguſtabat: ut ſi forte à Patre, nolente parvulum jejunare, quæreretur an comediſſet; poſſet veridicus puer liquido reſpondere, ſe comediſſe. Forſitan enim audierat: Os, quod mentitur, occidit animam. Qui neque mentiri neque jurare conſuevit, neq; ludicra vel otioſa verba proferre, ideoq; de verbo otioſo in die judicii minime eſt rationem redditurus. Nec eſt reticendum, quod dum in campo cuſtodiret jumenta patris, audito ſono campanæ, illis relictis convolabat ad eccleſiam, laudes cum precibus, pro modulo ſuæ intelligentiæ, divinis auribus infuſurus. Nec mirum, ſcriptum eſt enim: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.

frequenter jejunat,

Gal. 1.

Sap. 1.

audito in campis ſigno convolat ad eccleſiam:

Pſal. 8.

F

5 His primitiis virtutū & bonæ actionis puer illuſtris eruditus, mutata ætate & provectior factus, Spiritu ſancto duce, quātocius ad majora feſtinavit, quæ ſtylo currente divinaq; gratia ſuffragāte, mox è veſtigio parebunt. Hic enim à primævo juvētutis flore limina Eccleſiarum frequētare cœpit, verba vitæ devote auditurus: intellexerat enim vir Deo plenus dictū à Domino: Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud. Qui cum in ſeculo adhuc moraretur, laſciviam mundi & ejus oblectamenta paullatim abhorrens, & abhorrendo vilipendens, ſoli omnipotenti Deo vacare cogitabat; timens ne inimicus Dei efficeretur, ſi amicus mundi fieret. Quapropter arctiorē vitam arripere geſtiens, mundanis illecebris paullo poſt omnino abrenuntiavit. Sed qualiter ad converſionis gratiā pervenit, vitā mutavit, mundū deſeruit, & quo ordine & labore per anguſtam & arctam viam ad Deū feliciter tranſmigravit, operæ pretium eſt referre, dulce & pium audire. Itaque cum eſſet juvenis & laicus in domo patris ſui, & ſanctitatis, ut dictū eſt, amator, forte quadam die audivit mimum cantando referentem vitam & converſionem S. *b* Theobaldi, & aſperitatem vitæ ejus, quam numquam vivendo deſerens, tandem

& provectior conciones audit.

Luc. 11.

mundanas delicias relinquit:

ex cautione mimi corde compūcto.

b

A tandem perpetuam adeptus eſt gloriam. His itaque auditis,& aure cordis perceptis,adeo divina illico cõpunctus eſt gratia, ne deinceps carne nec ſagimine nec lineis uteretur pannis, ſed laneis & cilicinis; in frigore & nuditate omnipotenti Deo gaudenter ſerviturus. Quocirca cœpit ſtudioſe quærere consortium religioſorum virorum: cum quibus fame, ſiti, jejuniis, vigiliis, orationibus crebris, corpus caſtigaret & in ſervitutem redigeret, ſpiritum roboraret, carnem rationi ſubjugando.

ſtrictiorem vitam eligit:

6 Dum ergo hoc quæreret, quodam peregrino, quem pater hoſpitio ſuſceperat, duce & indice, invenit virum magnæ ſanctitatis & miræ abſtinentiæ, ſcilicet Sacerdotem egregium, Joannem *c* nomine, demorantem in ſolitudine quadam à ſtrepitu & converſatione ſemota hominum, in qua dicebatur fuiſſe S. *d* Domitianus. Erat autem Sacerdos iſte monachus de Criſpino,ſed permiſſione Domni *e* Raineri Criſpinienſis Abbatis hunc deſertum incolebat locũ; cui venerabilis Aybertus fœdere caritatis conjungitur, ut ibi uno ſpiritu & pari voluntate Domino deſervirét. Sed quãtas miſerias & calamitates & paupertates pro ſpe vitæ æternæ loco eodem patienter ſuſtinuerunt, non poteſt facile per ſingula explicari, à Dei tantum laudibus & precibus non ceſſantes: ex una enim parte nuditatis & frigoris anguſtia eos premebat ex alia vero corporalis alimoniæ penuria coarctabat. Multos enim dies tranſierunt panem oculis non videntes, ſed contenti erant herbis & radicibus herbarum, quarum tunc copia in partibus illis non habebatur. Quid ergo multa proſequar de afflictione horum virorum? Tanta fame, tanta macie, tanto pallore, jejunando, vigilando, orando, frigus patiendo & nuditatem, afficiebantur, ut hominibus diſſimiles eſſe penitus viderentur, homines non apparentes: quia, ut ipſe Pater Aybertus referebat, dum aliquando exiret locum in quo morabatur, cauſa neceſſitatis cogente, videntes eum paſtores hirſutum, & deformiter panniculis obſitum, fugiebant, prodigium eſſe exiſtimantes. Dicebat enim ſe ſic plerumque frigore eſſe anxium, ut veſtem, quam monachus exuerat, Miſſam celebraturus, indueret, timens ne interim vi algoris extingueretur. Quid mirum? ſæpe enim in hieme evenit, ut pane deficiente, glacie fracta herbas ab aquis manibus extraherent, quibus utentes vix animam retinebant, aliud manducare non habentes. Exiſtimabant forte cum Apoſtolo non eſſe condignas paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Conſiderabant etiam Dei ſervi, quia quanto unuſquiſque in hac vita tractat ſe aſperius, tanto ſupernæ dilectioni arctius conjungitur; ſicut econtra quanto quiſque inferius delectatur, tanto à ſuperno amore diſiungitur. Qui dum hæc ſubtiliter cordetenus inſpicerent, forte apud ſe dicebant ſe eſſe ſervos inutiles, jure facientes quidquid boni facere laborabant, nec ex abundanti vel ultra debitum quidquam facere poſſe: quia, etſi juſtificetur homo ex operibus ſuis, tamen quantuſcumque ſit, non ſine auxilio divinæ gratiæ & pietatis ſaluari poteſt dicente Apoſtolo: Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. Ideoque quidquid boni faciebant, non ſibi ſed Patri luminum adſcribebant, à quo omne donum perfectum deſcendit. Inter hæc tamen quæ prædicta ſunt vir Dei paullatim pſalterium addiſcebat.

c ipſe & eremita quidã,

d

e ex monaſterio Criſpinienſi,

patienter ferunt miſeriam,

B

herbis victitant:

Rom. 8.

C

& ſe ſervos inutiles æſtimant:

Rom. 9.

Cum Criſpinienſi Ab. Romam proficiſcuntur,

7 Eodem itaque tempore contigit Dominum Rainerum, Criſpinienſem Abbatem, ob confirmandam libertatem monaſterii ſui, Apoſtolorum limina viſitare: quo ſecum hos duos viros, vinculo dilectionis ſibi adſtrictos, ducere conſilium fuit. Quo in itinere quantos labores & anguſtias hi tres ſancti viri, fraterna caritate devincti ſuſtinuerunt, ſoli Deo notum eſt: ut pote pedibus nudis penitus incedentes, cilicio veſtiti, modicum pecuniæ habentes, abundantia paupertatis locupletes; mulũ quem ſecum duxerant vix vel numquã aſcendentes, ſed peregrinos debiles & infirmos deſuper ſedere faciebant. Qui cum Romam veniſſent, dictũ eſt eis ſanctæ memoriæ Papam *f* Urbanum, quẽ petebant, eſſe Beneventi. Quod audientes Domnus Aybertus & frater Joannes non auſi ſunt arripere tam longum iter, tum quia diffidebant viribus corporis, tum quia Frater Joannes infirmabatur. Ideoque conſilio & benevolentia prædicti Abbatis in Umbroſam-vallem ſeceſſerunt, ibi eum dum rediret præſtolaturi. Ubi quidem monachos miræ continentiæ & exquiſitæ vitæ invenerunt, qui ſuper eos viſcera pietatis effundentes ac *g* benigne ſuſcipientes, perpetuo illos ſecum retinere ſtuduerunt. Monachi enim iſti, de quibus agimus, ut multorum ſinceritas teſtatur, ſunt firmiter & perfecte regulam S. Benedicti obſervantes, de labore manuum viventes, multis & variis laboribus inceſſanter, ſpe cæleſtis vitæ, corpora afficientes; in rigore diſciplinæ ſeverã caritate fervidi, in peregrinis & pauperibus ſuſcipiendis benigni, in ſepeliẽdis fratribus pii, inſuper omni genere religionis præclari, & (ut duo prædicti viri fatebãtur) omnibus monachis, quos hactenus viderant, ſanctitate præferendi. Qui cum eis per aliquot temporis ſpatium demorantes, ab illis multa documenta recte vivendi, ut ipſi teſtabantur, ſuſceperunt.

AUCTORE ROBERTO ARCHID.

nudis pedibus, cilicio veſtitus;

f Abbate Beneventum petente,

in Vallem Umbroſam ſecedunt:

g

à monachis ſanctæ vitæ tibus

benigne excepti:

E

8 Inter hæc vero Abbas Rainerus, paucis comitãtibus, cœptũ iter peregit; venienſque Beneventum, à Domino Papa Urbano honeſte ſuſceptus eſt. Quapropter munimentũ monaſterii ſui, quod devote poſtulaverat, facillime adeptus eſt. Itaq; expleto negotio & Abbate Apoſtolica benedictione firmato, lætabũdus & gaudens rediit ad ſocios, à quibus & cœnobitis lætanter ſuſceptus eſt. Licet à propoſito hoc loco digreſſionẽ feciſſe videamur, deſcendẽdo ad cœnobitas Umbroſæ-vallis eorumq; vitam commendãdo, tamẽ quidquid de eis laudabiliter dicitur, totũ ſane ſapiẽti poteſt videri apte & conveniẽter ipſi propoſito cohærere; quia dum eorũ egregia facta ſcribẽdo magnificamus, ipſum quoq; quodammodo attollere intendimus, cujus cauſa hoc opus ſcribendum ſuſcepimus, & qui, ut ipſe referebat, multa ab eis exempla & incẽtiva Deo ſerviendi non ſurda aure percepit. Nec mirum: teſtante enim Pſalmiſtæ, Cum Sancto Sanctus eris.

& eorum exemplo animati;

Pſal. 17.

F

9 Demũ vero poſtquã ſervi Dei bene ſunt recreati, ſalutatis Fratribus, & multitudine gratiarũ & laudum reddita pro beneficiis ſibi ab eis collatis, ad propria reverſi ſunt loca, multa eundo & redeundo, ut dictum eſt perpeſſi. Abbas ad monaſterium rediit, & duo ſancti viri ad eremũ. Ubi dum forte quadã nocte Domnus Aybertus mẽbra ſopori dediſſet, ſomniãdo, altiſſimã arborem, inter *h* Haſnoniũ & *i* S. Amandum ſitã, viſus eſt aſcendiſſe cui deſuper advolãs albus accipiter ſive aquila, veſtẽ monachalem adferre, illumque ea veſtire videbatur. Qua viſione permotus evigilavit, cœpitq; vehementer meditari quid viſio illa portenderet. Tandẽ bene viſum eſt ei, ſecundum viſionis tenorẽ, ut monachus fieret. Quod facile *k* impetravit à Domno Rainero Criſpiniẽſi Abbate, ſanctæ memoriæ viro; monachis tamẽ primo renuentibus, ſed poſt volentibus. Videbant enim humilẽ & deſpectam perſonã, nec putabant eum fore talẽ, qualẽ poſtea experti ſunt. Sicq; fit ut quædã prius viſa vilia, poſt in altũ Deo volente promoveantur, ut de David legitur. Fit itaq; monachus cũ benedictione celeſti. Deinde vero poſt aliquantum tẽporis factus ejuſdẽ cœnobii Præpoſitus, & communi Fratrũ electione Cellerarius: intelligebant enim eum perutilem eſſe ad hæc negotia peragenda. His namque officiis, tam in exterioribus

redeunt ad eremum:

S. *Aybertus viſione motus,*

h i

k

fit monachus Criſpiniẽſis.

dein Præpoſitus & Cellarius

AUCTORE ROBERTO ARCHID.

quam in interioribus, ſic omnipotenti Deo & Fratribus ſervivit, ut ab omnibus amaretur. Semper quidem de communi utilitate ſolicitus erat, pro communi commodo laborans, & modum diſcretionis per omnia cuſtodiens, in opere & manibus ejus, ut dicitur, omne bonum exuberabat. Promptus erat feſtinare ad exteriora negotia peragenda, fraterna utilitate vel neceſſitate exigente. Deinde ſic curam monaſterii, ut pia mater filiorum, gerebat: hoſpitalitatis amator, pauperibus largus, ſibimet parcus extitit; & quod ſibi retrahebat, aliis largiebatur. Pacem vero & concordiam inter Fratres ſuper omnia diligebat; murmura & detractiones & cetera hujuſmodi, quæ ſolent ſentiri in clauſtro, deteſtabatur & propellebat. Proprietatem vero in monacho mortiferam & deteſtabilem omnimodis aſſerebat.

diſcretus

promptus,

hoſpitalis,

pacificus,

anteacta vita rigorem ſervat.

10 Qualiter autem in cœnobio ſibi vixit non eſt reticendum. Pane equidem & aqua, herbis & leguminibus & fructu arborum, ſemel in die mediocriter utens, corpus ſuſtentabat: lac & caſeus ſive piſcis os ejus non intrabant: cilicio aſperrimo carnem domabat. Lectum nullum creditur habuiſſe niſi ſcamnum vel aliud lignum, quibus ſuperpoſitus ſatis mediocriter pauſabat. Pſalterium ante matutinas ſemper pſallere conſuevit. In flectione genuum creberrimus, ubertate & effuſione lacrymarum irriguus & abundans extitit: unde confidenter cum Pſalmiſta dicere potuit: Laboravi in gemitu meo, lavi per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigavi. Qui cum ſe in clauſtro annis *l* viginti quinque tam miro modo exerceret, tamen laudem Dei ſemper in ore gerebat. Eſuries quidem, ſitis, algor, omnimoda carnis afflictio apud ſanctum virum locum deliciarum obtinere videbantur, cum ſemper jucundus & hilaris & videretur & eſſet. Sancti quippe viri, dum aliquando mente conſiderant futuram pœnam impiorum, & juſtorum gloriam, quidquid pro Deo patiuntur levius portant, dum hinc eos ſpes perennis gloriæ demulcet, inde vero futura pœna deterret: ideoque tolerando pœnam temporalem, devitant æternam, & devitando æternam, lucrantur coronam perpetuam. Sicque fit, ut dum famuli Chriſti cavent quod gravius eſt, levius ferant quod minus grave eſt, etſi ſit illud valde oneroſum. Itaque huic ſpirituali homini jugum Chriſti ſuave, & onus ejus leve factum eſt: qui cum multis virtutibus floreret, integer corpore & virgo ab utero matris creditur permanſiſſe, quod eſt angelicum decus & virtutum inſigne præcipuum.

B

devotus in oratione,

Pſal. 6.

l annis 25 in clauſtro degit

ſemper hilaris,

ſemper virgo.

C

ANNOTATA.

a Venias *eſſe inclinationes vel genuflectiones, reverentiæ vel ſatisfactionis cauſa factas, diximus 22 Ianuarij ad caput 4 Vitæ B. Walteri de Birbeke littera c. & latius expoſuimus 26 Martij ad Miracula S. Ludgeri § 7 litt. q. & ſæpius in hoc opere occurrit hæc vox in dicta ſignificatione.*

b *Hic eſt* S. Theobaldus Eremita, *qui ſeculo Chriſti* XI *floruit: cujus varia Acta habemus ſuo tempore danda, ſeu potius* 30 *Iunij, aut primo Iulij: nam de die ejus cultus ſacro variant auctores.*

c *Rayſſius annotat* venerabilem hunc eremitam ſenſibus fuiſſe canum, & exercitatione & probatione diuturna regularis diſciplinæ omnimode inſtructum.

d *Fuit* S. Domitianus *individuus comes S. Landelini, mortuus 22 Iunij, cujus corpus adſervatur Criſpinii.*

e Rainerus, *primus Abbas Benedictinus, ex monacho Haſnonienſi, factus circa an.* 1080, *& mortuus circa an.* 1096.

f *Hic eſt* Urbanus Papa 2 *electus anno* 1088, *qui anno* 1089 *videtur Beneventi aliquamdiu ſubſtitiſſe, atque iſta occaſione ſe Barim contulit, invitatus ut corpus* S. *Nicolai Barim tranſlatum reconderet, & Barenſem Epiſcopum conſecraret, uti ipſius diploma ibidem datum* nono Octobris *anni* MLXXXIX *oſtendit. Eſt id ad dictum annum à Baronio excuſum.*

D

g *Hanc benignitatem & nos experti fuimus, dum anno* 1661 *in hanc* Vallem-Umbroſam *excurrimus, Acta Sanctorum inquiſituri, uti diximus* 10 *Martij, ad Vitam B. Andreæ ejuſdem loci Abbatis.*

h Haſnonium *Hannoniæ Abbatia, in confiniis Galloflandriæ ad Scarpum fluvium, tertio à Valentianis lapide.*

i *De* S. Amando *ejuſque monaſterio late egimus 6 Februarij.*

k *Anno* 1090.

l *Ab anno* 1090 *ad* 1115.

CAPUT II.

Reditus ad eremum: Vita aſperrima etiam poſt Sacerdotium.

11 QUid multa dicam? licet hæc quæ dicuntur magna & ſtupenda eſſe videantur, pro minimo tamen reputans quidquid boni egerat, habere recluſionem in eremo concupivit, ut liberius ibi divinis laudibus & precibus vacaret, & corpus acrius perdomaret. Itaque cellulam in loco deſerto, antequam monaſterium egrederetur, præparari fecit: qua præparata, vix licentiam cœnobium egredi, & cellulam ingredi à *a* Lamberto Abbate impetravit: valde enim Fratribus monaſterii extiterat neceſſarius. Qua tandem percepta, recluſionem ingreſſus eſt, in qua quamdiu *b* vixit, ſub imperio Criſpinienſis Abbatis Domino militavit. Sed quam duriter in ea corpus exercuit, ut glorioſum eſt audire, ſic glorioſum eſt imitari. Viginti namque & quinque annis in ea incluſus permanſit: ex quibus viginti duobus ab omni pane abſtinuit, totidem vero ab omni potu, exceptis duobus. Nullo tamen voto adſtrictus, ſed ſponte panem & potum, & cetera alimenta quædam corpori neceſſaria tot annis omnino deſeruit.

E

Redit aderemum.

a

b

22 annis abſtinet à pane, 20 à potu:

12 Quomodo autem contigit ut à pane abſtineret, qui habet aures audiendi audiat; pium enim & dulce valde eſt hoc audire. Evenit quidem quodam tempore hiemali, ut locus ille in quo vir morabatur, adeo aquarum effuſione circumdaretur, ut nemo ad eum accedere, nec quiſquam egredi poſſet. Quocirca panis penuria aſtrictus, & quia Miſſarum ſolennia non audiebat, vehementius permotus (nondum enim Sacerdos erat) nocte quadam cœpit conqueri dolenter, & conquerendo ſanctam Virginem Mariam præcordialiter interpellare, ut ſuis miſeriis propitiaretur, his vel hujuſmodi obſecrationibus utens: O ſancta Virgo Virginum Maria, quæ pariendo Dei filium, mundo perdito gaudia contuliſti, quæ es fons pietatis & miſericordiæ copia, ſubveni mihi miſero, corporali pane egenti, & Miſſarum ſolennia non audienti. Quo dicto, ſtatim vir Dei obdormivit, ſancta vero Dei Genitrix Virgo illico in forma pulcherrimæ mulieris, cum multitudine puellarum inferioris ſtaturæ, per viſum, Dei famulo apparuit: quas cum vidiſſet, viſus eſt dixiſſe: Si pridem feminas in clauſtro vidiſſem, utique eas inde expuliſſem, Quare igitur huc accedere præſumpſiſtis? Ad hæc Virgo ſancta: Tace, Frater, ego ſum Virgo Maria, quam tam dulciter invocaſti. Quid vis? Et ille: Succurre mihi peccatori, ſuper his quibus indigeo, & quibus bene ſcis me indigere. Et Domina ad eum: An credis omnipotentem Deum te poſſe paſcere ſine pane? Et ille: Credo, Domina. Et Domina: Cur iterum conquereris de Miſſis quas non audis? Certe tota vita tua & cuncta operatio tua, Miſſarum ſunt ſolennia. Deinde viſa eſt Domina accipere buccellam panis,

E

excitatur à Deipara Virgine apparente:

panis, & mittere in os ſancti viri. Ipſe vero tali viſione permotus, extitit ſic ab hac hora, quod nec panem eſurivit nec panem amplius comedere curavit, contentus herbis, radicibus, & illis vilibus cibis quibus veſci conſueverat.

aſperrimo cilicio induitur,

13 Vis ſcire qua purpura vel byſſo indutus coruſcabat Chriſti miles? Certe à planta pedis uſque ad verticem aſperrimo cilicio induebatur. Si de lecto quæris; lectus ejus erat, ut diximus, ſcamnum vel aliud lignum, ſacculo cilicino pro cervicali capitis ejus ſuppoſito. Quid prædicta replicabo? Quidquid bene geſſit iſte Dei famulus antequam in recluſione intraſſet, factus incluſus ampliavit, & durius ſe tractando melioravit. Si prius flevit amare, poſtea amarius: ſi prius ferbuit caritate, poſtea ferventius: ſi prius jejunavit in pane & aqua, poſtea tot annis quot diximus, neutro uſus eſt: & ſic cetera bona quæ prius fecit, arctius vivendo exaggeravit. Oſtenſo quam decenter iſte Dei cultor veſtivit & coluit exteriorem hominem, dulce & decorum eſt calamo depingere, quam glorioſe ornavit interiorem. Patientia itaque & caritate colorata, cocco bis tincto, ceteriſque armis lucis ſic eum armavit; ut ipſe miles Chriſti ex utroque latere munitus, poſſit ſecure & honeſte in die ambulare, ante vultum diſtricti & tremendi judicis, ubi vix juſtus ſalvabitur: de hac enim die dicit Malachias Propheta: Quis poterit cogitare diem adventus ejus? aut quis ſtabit ad videndum illum? Sic igitur intus & exterius armis juſtitiæ athleta Chriſti loricatus, conſtanter poterat procedere ad debellandum fortem armatum, terribilem & metuendum, id eſt, leviathan, qui pro minimo habens quod pelagus abſorbuit, ſitit etiam ingurgitare Jordanem, ſcilicet credulos cum incredulis ſibi incorporare geſtiens.

patientia & caritate munitus:

Malac. 3.

14 Interea bono odore ejus orbem terrarum replente, cœpit populus frequentare eum. Interea de conſilio ſapientum virorum, cum prius fuiſſet Acolythus, demum à Domino *c* Burchardo Cameracenſi Epiſcopo Subdiaconus & Diaconus factus, deinde ad honorem Sacerdotii quaſi à laico aſſumptus, promotus eſt, ut populis ad ſe venientibus melius conſuleret, & familiarius ſecreta confeſſionum audiret. Factus autem *d* Presbyter duas in die celebrabat Miſſas, unam pro vivis, alteram pro defunctis. Vigilias pro defunctis ad novem lectiones cantare conſueverat, tali ordine: in prima quidem parte vigiliæ præcinebat quinquaginta pſalmos, tribus ſequentibus lectionibus: ſic & in ſecunda & tertia parte faciebat. Itaque in vigilia ſua ter quinquaginta pſalmos pſallere conſueverat, quod eſt totum pſalterium, interpoſitis novem lectionibus: quod quidem eſſet oneroſum & grave non facienti ex animo. Centies in die flectebat genua, & quinquageſies proſtrato corpore, ſcilicet articulis & digitis ſublevato, in unaquaque flectione dicens: Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Pſalmos & orationes inceſſanter os ejus perſonabat, niſi forte à populo conſilium poſtulante impediretur: quod ſi quis diligenter intueri voluerit, non eſt ab oratione ceſſare. Pecuniam accipere, vel manibus tangere, quaſi ſerpentinum virus exhorrebat. At ſi quis aliquid ei importune largiri volebat, illud donari præcipiebat monaſterio Criſpinienſi, multis & variis neceſſitatibus implicito.

c consecratus Sacerdos

d duas Miſſas quotidie celebrat:

C pro animabus defunctis integrum pſalterium recitat:

centies flectit genua:

pecuniam nõ tangit.

15 Quid ſuper hæc dicam? Si vir iſte omnium flagitiorum reus fuiſſet, quæ pœnitendo & ſe macerando abolere voluiſſet, quid amplius faceret? Quis ſic temporibus iſtis odivit animam ſuam, ut in æternam vitam eam ſalvam faceret? quis ita fuit perſecutor ſui ipſius? Utique ſi tyrannus aliquis eum in compedibus vel vinculis tenuiſſet, eique panem & potum ſaltem per tres vel quatuor dies ſubtraxiſſet, lamentabile vel pernicioſum eſſe judicaretur: ipſe vero hæc utraque multis annis ſponte ſua ſibi abſtulit: attamen nullis flagitiis obnoxius, ſed multis virtutibus plenus fuiſſe cognoſcitur. Nec tamen expertum eum peccati facimus, ſed à mortiferis ſceleribus alienum: teſtante enim beato Joanne Euangeliſta, Si dixerimus quia peccatum non habemus, mentimur. Prædictis ergo exercitiis & aliis anguſtiis, iſte vivens lapis expolitus, & ex omni parte teres & rotundus factus, meruit locari in ædificio cæleſtis Jeruſalem, ubi pretioſi lapides, preſſuris & tunſionibus expoliti, cum gemmis & margaritis nitentibus qualitate meritorum, æterno & mirabili fulgore coruſcant: ſcriptum eſt enim, Fulgebunt Juſti. Quid tandem potius dicam de viro iſto? dicam eum Martyrem an Confeſſorem? Sed ut verius fatear & Martyrem & Confeſſorem. Licet enim ſanguine fuſo laureatus non extiteris, tamen aliter crucem Domini bajulando, voluntate & actu Martyr fuit, gloria & honore coronandus. Martyr fuit, dum carnem cum vitiis & concupiſcentiis crucifixit; Martyr quidem fuit, dum omnem carnalem voluptatem ſibi abdicavit; licet frequentiori uſu Martyres dicantur cruore paſſionis purpurati, vel alia vi à perſecutoribus extincti. Quod quidem genus martyrii voluntate ſola ſuſtinuit, cum tamen nihil ſit Deo ditius bona voluntate: quia ſi forte tempora perſecutionis rediiſſent, ut pro certo à multis creditur, lætabundus & gaudens perſecutoribus occurriſſet, cervicem ultro percuſſori oblaturus. Sed quia hoc alio modo non potuit fieri, alium modum martyrii exquiſivit; ſcilicet ſe ipſum omnipotenti Deo hoſtiam viventem in odorem ſuavitatis immolavit, carnis ſuæ crudelis perſecutor factus, quod non longe diſtat à paſſione martyrii à tyranno illati. Beatus namque Joannes Apoſtolus calicem Domini legitur bibiſſe, ſed non legitur pro Chriſto ſanguinem fudiſſe, in pace vitam finiens. Nec tamen putet aliquis me eſſe tam perverſæ mentis, ut alterum alteri æquiparandum eſſe cogitem; cum B. Joannes dicatur Virgo electus à Domino, atque inter ceteros magis dilectus. Sed exemplo Apoſtoli oſtendere intellexi, aliquando aliquem poſſe bibere calicem Domini ſine ſanguinis effuſione.

AUCTORE ROBERTO ARCHID.

à graviori peccato immunis

1 Joan. 1.

Matth. 13.

comparatur Martyribus:

perſecutor ſui,

16 Confeſſor quidem fuit, quia corde, ore, totius boni operis exhibitione Deum laudavit, & multos ad confeſſionem ſuarum ſpurcitiarum ſua benignitate ac manſuetudine attraxit. Confeſſio quidem aliquando eſt peccati, aliquando eſt laudis & gratiæ actio: dum enim dicit filius Dei ad Patrem: Confiteor tibi Domine Pater cæli & terræ, hæc confeſſio non eſt peccati, ſed laudis & gratiæ actio: quia ipſe filius Dei nec peccavit, nec peccare potuit. Si certe Tulliana eloquentia mihi forte donaretur, tamen magnitudo ſanctitatis excelleret facundiam eloquentis, & citius ſermo quam materia deficeret. Sæpe quidem, fratres mei, vitas Sanctorum Patrum legi & relegi, in quibus viri miræ abſtinentiæ inveniuntur: ſed neminem reperi, cui in afflictione carnis iſtum poſſim facere ſecundum. Quis ergo ſanctitatem hujus beati Sacerdotis ad unguem poſſit exprimere? qui dum vitavit cibum hominum, utens eſca beſtiarum, eſca beſtialis facta eſt ei medicina ſalutaris: nam edendo ſiliquas porcorum bene meruit potiri pane Angelorum. Itaque panem Angelorum manducavit Angelicus homo, qui de cælo deſcendit & dat vitam mundo: hic enim homo dum in agone contendens ab omnibus quæ militant adverſus animam abſtinuit, bravium bene currentium, bene currens & ipſe percepit. Quod non eſt unius tantum

& Confeſſoribus

F

Matth. 11.

in afflictione carnis nullis Sanctorum Secundus:

AUCTORE ROBERTO ARCHID.

lege ſtudii, imo omnium bene currentium jure cœli.

ANNOTATA.

a Lambertus *circiter annum* 1096 *factus Abbas, ex Haſnonienſi cœnobio etiam aſſumptus, dicitur rem domeſticam maxime promoviſſe & auxiſſe, & vixiſſe uſque ad annum* 1116.

b *Ab anno* 1115 *ad annum* 1140

c Burchardus *in Epiſcopum electus anno* 1114, *ſed biennio poſt conſecratus, vitam exemplarem duxit, mortuus anno* 1129, *aut, ut alii, non ante annum* 1133.

d *Molanus ad diem* 2 *Maij, & Rayßius plura conferunt exempla eorum, qui plures Miſſas celebrarunt; quos lector poteſt conſulere.*

CAPUT III.

Zelus animarum. Confeßiones auditæ.

17 HActenus præſcripto qualiter ſibi vixit, nunc conſequens videtur, ut dicatur, quomodo ex debito fraternæ dilectionis & aliis vixerit. Dum enim conſulendo & aliis profuit, nimirum cumulum ſuæ beatitudinis multipliciter augmentavit. Itaque lucerna iſta caritatis igne ſuccenſa, ac virtutum lumine plena, nec ſub modio, ſed ſuper candelabrum ponenda, poſtquam radios ſuæ claritatis per orbem terrarum effudit; fama longe lateque ejus ſtupenda beneficia deferente, inde diverſarum nationum populi excitati catervatim ruebant, ſancti viri faciem cernere, & quæ ab eo dicebantur audire cupientes, atque deſiderantes ei ſua nefanda ſcelera confiteri. Ille vero jucundo animo & alacri vultu ſuſcipiebat, & dulciter conſolabatur omnes ad ſe venientes. Erat enim ei quaſi naturaliter inſitum, ut ſe faceret omnia omnibus ad ſe venientibus, ſecundum qualitatem eorum, cupiens illos facere populum acceptabilem Deo, ſectatorem bonorum operum. Triſtibus quidem & contribulatis compatiens, jucundis vero & gaudentibus congaudens; hiſque & illis prout res poſtulabat paterno affectu ſubveniendo conſulens, atque eorum adverſa & proſpera condolendo & congratulando ſua faciens; de adverſis quidem condolens, de proſperis quidem congaudens, quod eſt argumentum veræ dilectionis. Scriptum eſt enim; Exhibitio operis, probatio eſt dilectionis.

B *Incumbit ſaluti aliorum*

undique accurrentium.

C S Gregorius.

omnibus omnia factus,

18 Illos quoque qui cauſa confeſſionis adveniebant, prius quaſi juramento aſtringebat, ut audito conſilio ſuo ad Epiſcopos redirent, eadem flagitia eis confeſſuri. Quos equidem videbat pertinaces & obſtinatos, & jurantes ſe nulli alii ſua crimina relaturos, timens ne in baratrum deſperationis inciderent, ſi eos non audiret, tandem improbitate eorum devictus, ad confeſſionem eos recipiebat, ſecundum modum ſcelerum medicamentum pœnitentiæ injungens, nec tamen deſiſtens fortiter perſuadere. & vehementer adjurare, ut turpia quæ ei detexerant ſuis Epiſcopis non celarent; alioquin gravem & fere importabilem pœnitentiam eis imponebat; quomodo utique eum oblique ſubſannantes & mordaci dente ſua facta carpentes, non debere facere mentiebantur. Attamen à Domino Papa *a* Paſchali per Dominum *b* Oduinum Abbatem *c* S. Giſleni mandatum accepit, ut omnes ad ſe venientes ad confitendum enormitatem ſuorum facinorum alacriter audiret, & ſecundum quantitatem reatuum modo pœnitentialis medicamenti eos oneraret: deinde hoc idem ei à Domino Papa *d* Innocentio injunctum eſt. Unde ex ſupra dictis colligere poſſumus, quam multi

confitentes audit,

accepta facultate à Paſchali Papa II

a

b c

& Innocentio II

d

ei ſuas ſpurcitias detexerunt: qui numquam alicui aliis revelaſſent, cum ſuis iniquitatibus potius perituri. Tantus autem concurſus populorum undique venientium plerumque confluebat ad eum, ut locus ille, in quo morabatur vir Dei, ſic ex omni parte circumdaretur, ſicut aliquando caſtella vel urbes ſolent ab hoſtibus obſideri. Quapropter adeo fatigabant eum, ut vix modicum poſſet comedere, & paululum quieſcere, natura humanæ fragilitatis exigente. Unde etiam ſæpe contigit, ut plures cum eo ſecreto loqui cupientes, nec locum habere valentes, ſuas miſerabiles immunditias & abhorrenda flagitia publice & cunctis audientibus confitentes vociferarentur. Ipſe vero pro tempore & loco eis reſpondens, ſalubre conſilium impendebat. Plerique quidem, qui ad eum propius accedere poterant, vio lenter veſtimentum ejus rumpebant, & quod quiſque inde arripere poterat aſportabat, illud pro reliquiis habituri; illo reclamante & dolente, & ſe miſerum peccatorem vocante, nec eum eſſe talem qualem ipſi putabant.

D

veſtium particulis inſtar reliquiarum ablatis,

19 Si igitur facta & dicta hujus hominis fideliter intueri velimus, veriſimile nobis videbitur, cor tanti viri, tot & tantis virtutibus illuſtrati, ſpiritum elationis veneno nequitiæ ſuæ nequaquam infeciſſe; cum ipſe in puerili & juvenili ætate peſtem ipſius ſuperbiæ cautius boſtili gladio devitaſſet. Attamen fortaſſis ab ea tentari potuit, ſed Deo faciente proventum, non creditur poſſe ſuperari: quo tamen vitio multi reputati ſapientes ſæpe decipiuntur: quia, ut quidam Sapiens ait, Hac luce nonnumquam roſa vertitur in ſaliuncam. Pacatis enim & prorſus ſedatis omnibus aliis vitiis, draco pervigil & tortuoſus ſerpens omni niſu molitur venenum peſtiferæ elationis immiſcere bonis actibus, & eo totam maſſam ſinceritatis & bonitatis corrumpere; quia dum quibuſcumque rebus vel mentibus ſuperbia admiſcetur, eorum perditionis cauſa eſt: ipſa enim jam pridem conſuevit dejicere Angelos & homines: Unde à quodam Sapiente præcipitur eſſe cavendum etiam in recte factis. Quiſquis ergo hac peſtifera lue delectatur, dicente Hieronymo, Scriba eſt & Phariſæus, magis cupiens videri & dici bonus quam eſſe.

E

non ſuperbit:

Lib. 2. Comēt. in cap 23. Matth.

20 Cum igitur hujus mirifici viri fama populi commoti ad eum confluerent ex omni parte terrarum, non putet aliquis ſolum illitteratum vulgus & idiotas eum adiviſſe: imo Epiſcopi, Archidiaconi, Abbates, Eremitæ, Moniales, & omne genus religioſorum & litteratorum virorum, nobiles viri & feminæ, ſanctum virum frequentabant, ſe ejus beneficiis & orationibus commendare gratulantes, nec confeſſionis immemores, & hominem Dei quaſi belluam multorum capitum admirantes. Quis enim non obſtupeſceret audiens hominem nihil omnino tot annis, ut dictum eſt, bibentem, panem non edentem? Prout mihi videtur, ſi ita omnino ſine cibo, ſicut ſine pane & potu, diutius aliquatenus vivere potuiſſet, nihil prorſus comediſſet. Sed quia hoc natura repugnante nullatenus fieri potuit, illos nō pretioſos cibos ſupradictos ſibi ad edendū elegit, quibus utendo vix vitam ſibi retinere potuit. Cum ergo ſciam Chriſtum eſſe mirabilem in Sanctis ſui:, tamen in memetipſo obſtupeſcens admiror & admirando exclamo dicens: O incomprehenſibilis altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quantas animas, diabolica fraude deceptas, à laqueis diaboli, vir iſte ſimplex & ſatis mediocriter peritia litterarum imbutus, medicamento confeſſionis & pœnitentiæ eripuit, imo Deus per eum! Qui etſi non fuit in ornatu tabernaculi typice phiala, ubertatem ſapientiæ abundanter pluribus propinans; fuit ſaltem cyathus, modica doctrina multos inebrians, eorumque mentibus

invifitur ab Epiſcopis & aliis viris magnis.

F

admirātibus ejus abſtinentiam.

Pſal. 67.

Rom. 11.

mediocriter eruditus,

magnos fructus facit.

A bus oblivionem perpetrandi peſſima Deo inſpirante dulciter inſtillans. Unde cum ad judicium venerit, non vacua manu veniet, multos manipulos afferens, Matth. 25. & à Domino gratulando auditurus: Euge ſerve bone & fidelis &c. Inter quos & joculatorem illum abjectis nugis ad viam veritatis convertit, cujus cantu divinitus inſpiratus ad veram religionem prius converſus fuerat.

21 His ita perſcriptis dicimus, ſi quis prædicta conſulere & ordinem rei diligenter penſare voluerit, *Verus Sacerdos,* inveniet Sacerdotem Chriſti myſtice in ſacrificio Dei caput non ſine cauda obtuliſſe, dum gradiendo de virtute in virtutem, bono initio meliorem exitum junxit, Deum Deorum in Sion feliciter viſurus. Quid multis immoror? Ut ergo quidquid ſuperius diffuſe de venerabili viro ſcriptum in brevi colligam, dico quod tota vita ejus fuit martyrium, miraculum, conſolatio miſerorum, ſolamen peccatorum, labor & pœnitentia, amor & timor illius qui *Chriſtum ſequens* in Euangelio terribiliter loquitur, dicens: Qui vult Luc. 9 poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat cru- *crucem ſuam tollit:* cem ſuam, & ſequatur me: alioquin non eſt me

B dignus. Quem ipſe non ſurda aure audiens, crucem ejus ferendo ſatis expreſſe ſecutus eſt, illum diligens ut patrem, & timens ut dominum. Nec eſt ambigendum, omnipotentem Deum per famulum ſuũ & alia miracula in vita ejus & poſt mortem feciſſe, *creditur miraculis claruiſſe:* quæ tempore congruo eo juvante ſcripta fulgebunt; cum tamen virtus caritatis multifariam abundaſſet in eo, quæ & communis eſt ſolis bonis; & longe dignior virtute miraculorum, quæ eſt communis bonis & malis. Quia etſi non habuit alimenta corporea, quibus reficeret pauperes, & omnes ad ſe venientes, quod eſt effectus veræ dilectionis; habuit tamen affectum bonæ voluntatis, reconditum in theſauro cordis, quo Deo nihil ditius eſt: unde procedebat *verbo Dei recreat alios:* panis verbi Dei, quo recreabat pro modo doctrinæ ſuæ omnes eo indigentes, qui tanto melior eſt corporali pane, quanto melior eſt anima quam corpus.

22 Attamen quibuſlibet cum magna jucunditate animi offerebat ad edendum illas agreſtes eſcas, quibus ſuſtentabatur. Quid ergo aliud daret, qui nihil omnino habebat præter cilicium, quo caro ejus tegebatur, & bonæ voluntatis munus, quod ante Dei oculos non eſt minus munifica manu donantis? Itaque quod habuit hoc fecit. O ſi jam pridem inter

C antiquos Patres, hoc aureum ſidus tanto fulgore ru- *antiquis Patribus comparandus,* tilaſſet, quantis præconiis & laudibus hodie celebraretur? Sunt quippe quædam, quæ quanto ſunt antiquiora tanto ſunt cariora, & melioris æſtimationis præſentibus & his quæ pro oculis habentur, maxime ideo quia ſunt magis antiqua; quæ cauſa ſatis eſt infirma & debilis. At ſi forte tanta eſt vis temporum, ut antiquiora præſentibus in hac parte præjudicent; tunc equidem veriſimiliter poteſt dici, quia laudes & præconia ſancti viri, quæ à modernis modo tacentur, poſteri noſtri facti veterani, mag- *ut vir ſummi meriti,* nifico ore admirantes decantabunt. Et quoniam magni meriti eſt iſte Sanctus apud Deum, exoremus eum fratres cariſſimi dulciter & devote, ut ſuis precibus & meritis apud fontem miſericordiæ, *invocatur à ſcriptore:* Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, veniam peccatorum noſtrorum nobis impetret, qui ejus gloriam & honorem attollere cupimus, quique eum viventem & mortuum dileximus, nec non omnibus pie & miſericorditer poſtulantibus ſuffragium ejus, & gaudia æternæ beatitudinis ſine fine manſura. Amen.

ANNOTATA. AUCTORE ROBERTO ARCHID.

a Paſchalis Papa II *ſedit ab anno 1099 ad annum* 1118.

b Oduinus *ejus nominis ſecundus traditur rexiſſe monaſterium ab anno* 1115 *uſque ad annum* 1142, *& mortuus ut vir ſanctiſſimus, atque in corporis afflictione ſingularis.*

c *Colitur* S. Giſlenus 9 *Octobris: monaſterium ab eo conſtructum, cui oppidum accrevit, ſitum eſt in Hannoniæ medio fere itinere inter Montes Hannoniæ & Valentianas.*

d Innocentius II *ſedit ab anno* 1130 *uſque ad annum* 1143. *Copia litterarum ab hoc ad S. Aybertum miſſarum, quæ in archivio cœnobii Criſpinienſis adſervantur, miſſa anno* 1614 *à Claudio Abbate ad Michaëlem Deſne Epiſcopum Tornacenſem, eſt excuſa à Ioanne Cognato lib.* 3 *Hiſtoriæ Tornacenſis cap.* 42, *& hæc ejuſmodi:* Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, cariſſimo filio ſuo Ayberto, monacho & recluſo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quia veridica relatione comperi te à prædeceſſoribus meis Paſchali & Honorio licentiam accepiſſe pœnitentiam dare & abſolutionem facere confitentibus peccata ſua; eamdem tibi poteſtatem auctoritate Dei & B Petri Apoſtoli & noſtra concedimus, rogans dilectionem tuam, ut memor E ſis noſtris in orationibus tuis: de reædificatione locelli tui, unde mihi mandaſti, precor & obſecro omnes, ad quos miſeris & rogaveris in remiſſione peccatorum ſuorum, ut tibi de eleemoſynis ſuis ſubveniant. Proinde omnibus benefactoribus tuis quartam partem pœnitentiæ ſuæ, ex parte Dei & Apoſtolorum ſuorum Petri & Pauli & noſtra relaxamus. Concedimus etiam tibi, ut in oratorio tuo licentias habeas oſtiis apertis Miſſas celebrare, etiamſi pro aliquo foris-facto patria reliqua inbannizata fuerit. Omnes vero te viſitantes in eundo & redeundo pacem ex toto habere præcipimus: in eos autem, qui in eis manum injecerint, gladium excommunicationis, quoad reſipuerint & tibi ſatisfecerint, exerimus. Vale. Data Remis XII Kalendas Novembris. *In appenſo plumbo ex parte una inſcriptam erat* Innocentius Papa II, *ex altera videbatur effigies Apoſtolorum Petri & Pauli. Annus qui ſubtiſe ur in diplomate fuit* 1131, *quo, uti tradit Robertus de Monte in ſupplemento Sigeberti,* Concilio Remis habito, præſente Rege Ludovico, filius ejus Ludovicus in Regem conſecratur à Papa Innocentio, VIII Kalendas Novembris, *cum ante quatuor dies ibidem ſignata fuiſſent memorata littera. At indicatus ſupra Honerius Papa* II, *fuit deceſſor Innocentii, & ſedit ab anno* 1124 *uſque ad annum* 1130. F

CAPUT IV.

Obitus, ſepultura, miracula.

23 SEd ne multa dictando pluraque ſcribendo auditoribus tædium inferre videamur, ſuperſedendum eſt his, & ad finem operis quantocius feſtinandum. Peractis itaque *a* quinquaginta annis, *a* nec multo plus vel minus, ex quo factus fuit mona- *Anno 60 ſui monachatus* chus, uſque ad finem ejus, in quibus ſic ſe duriter, ut dictum eſt, exercuit; prætermiſſis temporibus illis, in quibus non mollius ſe tractavit, degens in eremo cum Joanne glorioſo monacho & ſancto Sacerdote; tranſactis, inquam, tot annis, paucis diebus præcedentibus Paſcha Domini cœpit letali morbo ægrotare. Qui cum ſentiret ſe nullo modo poſſe evadere, fecit vocari Dominum Ingelbertum, tunc temporis Criſpinienſis eccleſiæ Priorem. Quo accito, ſacro Oleo ab illo perunctus eſt, & participatione dominici Corporis & Sanguinis Catholice confirmatus. Deinde ipſo ſacratiſſimo die ſancti Paſchæ, *extremis Sacramentis munitus,*

quod

AUCTORE ROBERTO ARCHID.

quod *b* tunc VII idus Aprilis accidit celebrandum, circa horam diei nonam ſpiritum exhalans, feliciter obdormivit in Domino, ex hoc mundo glorioſe tranſiens ad Patrem, cum eo perrenniter regnaturus: ſacrum vero corpus ejus ab amicis ſuis biduo inhumatum, conſervatum eſt, tertia die ſepeliendum. Interim autem Abbates, viri religioſi & feminæ, & cum eis populi utriuſque ſexus ad exequias ſancti viri undique convenerunt, & cum cereis & luminaribus, vigilias utriuſque noctis pie ac devote celebrarunt, incraſtino glorioſum honorifice ſepulturi. Die autem craſtina, id eſt, tertia feria, ſole radios ſuæ claritatis ubique effundente, ſepultum eſt venerabile corpus ab Abbatibus Criſpinienſi, & S. Amandi, ceteriſque viris religioſis & honeſtis, cum fletu & planctu & clamore magno in eodem loco, in quo cellula ejus fuerat: ubi meritis & orationibus ejus ægris & pie eum poſtulantibus multa præſtantur beneficia, largiente Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen *c*.

b obit 7 Aprilis, die Paſchæ,

vigiliis biduo peractis,

ſepelitur in cellula ſua:

miraculis claret;

c

24 Eodem quoque tempore *d* Arnoldus Comes, non quia Comes, ſed quia iſtius provinciæ Haſnonienſis Comitis germanus extiterat, magis mortem quam vitam provocans, ſic febre illicebatur. Qui cũ nullo modo convalelcere quiret, pluſquam præcordiali amico admodum ingemiſcens, nondum ſe autumat defraudandum, ſi ad beatiſſimi & religioſiſſimi ſic per cunctas nationes divulgati viri intuitum poſſet pervenire. Talia vero nec diu eo volutante, locum quo vitæ adeo perquiſitæ ſciebat relegatum, in cujus conſpectu cujuſlibet criminum pendebat remedium, ſpe citius adeundo accipit: ante cujus arctiſſimæ cellulæ feneſtram, quo alii conſueverant reſidere, ſedit. Ibidem itaque variorum precaminum conſiliis invicem evolutis, Domini noſtri Jeſu Chriſti omnipotentatu, febricitans animadvertit, quod ſi beati viri potu potaretur, ſtatim ſingula membra ſua reddentur ſanitati. Multotiens quippe animum ſuum hoc verbo vexavit, Potens eſt Dominus de laqueo hujus cœnulentæ infirmitatis me liberare, iſtius viri repetitione. Nec animi revolutionem parvipendere negligens, beati viri potum ab eo quæſivit propinandum. Vir itaque Dei cum religionis ſacramento inquit ei, omnimodo cervifiæ, medonis, vini, & alio qualicumque potu prorſus carere, præter putei lympham ſe prope imminentis. Ægrotanſque Comes non modice illius lympham putei exorſus eſt precari. Quo audito, vir Dei, plenus boni operis, praveque ſuavium turbam conterens moroſam, vitam gerens angelicam, Hilmaro ſuo ſatellite convocato, lympham è puteo hauſtam Comiti præcepit adferri. Iſte vero famulus, per plurima ſui ſequens patroni veſtigia, lympham haurit in vaſe diligenter, & quam potuit diligentius Domino præpotenti potandam obtulit. Memoriam ſiquidem, quam noſtris primoribus Jeſus Chriſtus, cum potum in cœna ſummi Patris gratia ſuis diſcipulis benediceret, revelavit, eamdem à Dei famulo prædictus Præpotẽs moratur habendã. Vir ergo dilectus Deo & hominibus, hoc modo vel conſimili dextera manu extenſa, cum ſigno Crucis hanc aquæ creaturam benedixit, Potum ſervorum ſuorum filius Dei benedicat. Comes vero finita benedictione, dum potaret ejuſdem lymphæ potum, per ſingula ſua membra ſic ſentit immedullari, ut ſi montanum temetum falernum, vel cujuſlibet generis vineæ, quoniam miræ potentiæ, foret vinum. Ad hoc tantum vox velocior mente infit, aquam vinum hujuſce quam guſtaverat eſſentiæ fore factum. Hoc audito vir Dei, ne mendax Deo & hominibus judicaretur, ocyus cratere recepto, illius potus guſtum (aut parum aut fere nihil guſtando) ſentiit, quia jam longo tempore præterito corpus ſuum quolibet potu, omni pane, vigiliis, jejuniis, orationibus (abunde eleemoſynas, ei in Domino largitas, largiendo pauperibus) & quibuſlibet exercitiis, ut dictum eſt, macerare initiatus eſt: invenitur enim legendo, nullus homo penitus ſine peccato eſt. De plurimis liquido in Vitas-Patrum & alibi religioſiſſima religio legitur, ſed ſi poſſet dici, nihil ad hunc. Quis enim mortalium ſic fere ſine allice odorabilis mellis, fuſus dulcedine alicubi repertus eſt?

D

d Arnoldus Comes

B

gravi febri detentus,

poſt confeſſionem S. Ayberto factã,

ejus potum petit:

C

hauſtam è puteo aquam accipit,

benedictione Sancti

mutatam in præſtantiſſimum vinum

25 Quidam vero monachus, vita cujus tota erat religio, Alulfus nomine, qui publica taxatione Criſpinienſis eccleſiæ, ad conſervanda illius loci eccleſiaſtica & cetera beneficia, delegatus fuerat, eumdem potum dum guſtaret, ſtatim Jeſu Chriſti omnipotentiam ibidem, & alibi nunc & ſemper cum fidelium turmis, liquido vigere declaravit. Quis enim unquam puro corde Deum invocavit, & derelictus eſt? quis ei fide ſerviens, deſeritur? Abunde hic vir ſacer inſequitur, præcepta Pſalmiſtæ dicentis, Spera in Deo, & dabit tibi petitiones cordis tui. Tanta ſiquidem in corde verſat varietate, ad quid primitus poſſit tendere, quod nullo modo valet invenire: modo autem, exigente carnis fragilitate, multo majore formidine contremiſcit, quam ſi monſtrum vel aliquid tale horridius ſe præſente cerneret ſtare: modo autem de more, & æquipollentius hoc modo vel alio, Deum invocare & dicere, O infinite Pater miſericordiæ, quam comprehenſibilis tua tibi obedientibus potentia, in quo ſunt, per quem ſunt, ex quo ſunt omnia; per te mundi gratia in quo ſalus æterna; ex quo quidquid bonum procedit optimum, omne ſanctum ſanctius, omne probum probius; criminum indultor, miſerorum conſolator, largitor gaudiorum, medicina vitiorum; fletum paſſus ad veſperum, ſummo mane ante luciferum, delevisti per Jeſum filium conatus ejus, qui conſolaris nos per ſingulas noſtras tribulationes: tibi laus, ſalus & gloria, honor, poteſtas & imperium per infinita ſeculorum ſecula. Amen.

Pſ. 36, 4

ab Alulfo monacho guſtatum.

E

ANNOTATA.

a *Ab anno* 1090 *ad* 1140

b *Anno Chriſti* 1140, *ut ſupra probatum.*

c *Hic eſt finis Vitæ: ſequentia videntur eſſe ab alia manu.*

d Arnoldus, *ſive*, Arnulphus, *natus ex Balduino I & Ida Lovanienſi, frater Balduini II Comitis Hannoniæ.* E *Habuit is uxorem Beatricem filiam & heredem Domini Rhodienſis, vulgo de Reux, ex quo longa ſerie prognati Domini de Reux, & alii Domini de Traſigniez, per matrimonia adjuncti. Eſt Rhodium oppidum Hannoniæ, & jam ſpectat ad Croiam gentem, titulumque Comitatus accepit à Carolo V; & ditio Traſigniaca in Brabantia Gallicana ab Alberto Principe Belgarum exornata eſt titulo Marchionatus.*

EPITAPHIUM S. AYBERTI.

Conditur hoc tumulo memoratus in orbe Recluſus,
Domnus Aybertus: qui mactans in cruce carnem,
Chriſti Paſcha fuit, proprium cum Paſcha peregit,
Ille potens per te laudetur Rex, Ayberte,
Qui tibi mortalis veſtito tegmine carnis,
Mirando plane dat munere pabula vitæ.

MIRACULA RECENTIORA.

Ex Variis.

26 ANno MDCIX Senatus populuſque Valencenenſis, ab Abbate Criſpinienſi petiit & impetravit feretrum S. Ayberti, una cum corpore S. Landelini

Reliquiæ Valencenis circumlatæ

A Landelini alíiſque Sanctorum pignoribus, proceſſionali in pompa circum urbem geſtandum. Ea ſolennitate peracta, relatum feretrum eſt Criſpinium, & ego, *inquit Ioannes Cognatus, Hiſtoriæ Tornacenſis tomo 3 cap.* 44, inter viſitandum quaſdam Hannoniæ Abbatias illuc appuli ipſo die, quo ſacelli S. Ayberti curatores advenerant, feretrum relaturi ad ſacellum. Obtigit ergo mihi ea felicitas honorandi tunc S. Ayberti corpus, tam in Criſpinienſi S. Landelini eccleſia, quam in ſuo ſacello atque per viam: eaque occaſione audivi, quod cum hac noſtra ætate ignis corripuiſſet ipſum, quod ibi eſt, prædium, partemque ſacelli ſibi propinquiorem; quidam prædii iſtius inquilinus, non tam percuntis domus quam periclitantis ſacelli feretrique ſenſu tactus, in genua ſe provolverit; Deum orans, ut ſacellum ſaltem ſalvum vellet. Quo facto domus quidem tota arſit, in ſacello autem conſopitus per ſe ignis eſt, abſque eo quod opem affundenda aqua ferret aliquis, aut gliſcenti flammæ aliter ſe opponeret.

ſacellum ab incendio ſervatum,

& puer à ſubmerſione.

27 Ejuſdem Sancti meritis aliud quoque admirandum tribuitur, ſimiliter noſtra memoria patratum. Filius villici, prædictum prædium excolentis, in puteum S. Ayberti (unde ego quoque hauſtam aquam devotus guſtavi) memorato ſupra Sacello vicinum, improvidus ceciderat: quem inde mortuum eductum iri domeſtici ſui rati, ſtupuerunt extrahi à ſe, plenum vitæ ac ſanitatis: ipſe autem interrogatus, quomodo ſalvus remanſiſſet, reſpondit adfuiſſe ſibi S. Aybertum, utque cadendentem exceperat molliter, ſic lapſum ſuſtinuiſſe ne ſuffocaretur. *Hactenus Cognatus: quæ ſequuntur Eſpanii patrata, & approbante Reverendiſſimo Tornacenſi Gallice Tornaci impreſſa anno* MDXIII *accepimus à R. P. Petro Lechon Collegii noſtri Tornacenſis Rectore, eademque etiam tomo 4 Tornacenſis hiſtoriæ cap.* 40 *verbotenus inſcruit Ioannes Cognatus ſupra nominatus: iterumque ſeorſim excuſa fuere anno* MDCXXVI.

aliui febribus ad extremum deductus,

28 Joannes Verié, filius Petri Laboureur & Catharinæ Simon, in vico Bleheriarum parochiæ Eſpanienſis commorantium, quinque annos ac decem menſes natus, cum ſpatio integri anni, demptis dumtaxat hebdomadis tribus, febri laboraſſet; duodecim poſtremis morbis ſui diebus ita graviter eſt afflictus, ut quia moriturus timebatur, vigilandum juxta decumbentem fuerit pluribus continuis noctibus. Accidit interim ut anno MDCXI die x Aprilis, S. Ayberti reliquiæ Eſpanium inferrentur: cujus fama audita, pueri infirmi parentes grandem concepere fiduciam impetrandæ filio ſanitatis; eumque, licet præ nimia imbecillitate recuſantem, die XIII menſis prædicti ad eccleſiam Eſpanienſem detulerunt: ubi poſt auditum Miſſæ officium divinumque auxilium imploratum, ad exoſculandas ſancti viri Reliquias filium detulere, & earum brevi ſenſere virtutem. Vix enim domum revertentes medium tenebant inter, quin puer melius ſe habere diceret, ex quo ſacra pignora fuerat oſculatus: domi autem ante focum in ſella depoſitus, ludere & fabulari cum præſentibus cœpit, neque exinde aut opus habuit lecto decumbere aut febrem ſenſit. Poſtera autem die, ad agendas Deo Sanctoque Ayberto gratias, Eſpanium reductus eſt puer à parentibus: qui ſacrificium Miſſæ offerendum curaverunt, cum propoſito novenis diebus continuis idem faciendi. Puer vero adeo brevi tempore vires integras recuperavit, ut à quinta ſextaque novendialis devotionis luce Eſpanium potuerit ire pedes, exindeque conſtanter bene habuit, prout conſtat per declarationem patris ac matris prænominatorum, Parochi Eſpanienſis, aliorumque medio juramento rem teſtantium in Bleheriis anno MDXII, die XXIX & XXX Martij, coram Magiſtro Nicolao Philippo Loys, ſacræ Theologiæ licentiato & Decano Tornaceſii, ad hoc deputato per Reverendiſſimum Tornacenſem: quorum depoſitiones rite examinatas cenſuit admittendas dictus Reverendiſſimus Tornacenſis, de conſilio ſui Vicariatus, die IX Aprilis anni prænotati.

convaleſcit reliquias oſculando. Eſpanii.

29 Joannes le Roux, annos natus quinquaginta, inquilinus villæ S. Amandi in Pabula, profeſſione piſcator, in eaque dicti loci Abbatiæ deſerviens, ab initio Junij anni MDCXI uſque ad dimidium Septembrem febrim tulit, eamque poſtremis quindecim dictæ infirmitatis diebus adeo gravem, ut vix duabus tribuſve per diem horis intermitteret. Accidit autem ut quidam ejus conſanguineus ex Mortania, qui viſitandi ejus cauſa advenerat, ſermonem inferret de beneficiis, quæ tum per S. Aybertum Eſpanii obtineri dicebantur: ſuadebat autem ut aliquem eo per triduum mitteret, gratiam pro eo petiturum. Lentius hoc conſilium infirmo eſt viſum, & ſatius eſſe duxit tres uno die illuc è ſuis dirigere, uxorem ſcilicet fratrem atque ſororem. Hi poſtera luce, ſub horam quintam & ſemis matutinam, ſuo in lecto relinquentes hominem graviter febrientem, in iter dedere ſe, atque Eſpanium paulo poſt ſeptimam advenere. Eodem autem tempore quo illi orabant in eccleſia, infirmus domi ſuæ obdormivit, qui diebus præcedentibus ſomnum capere nullum potuerat; deindeque expergefactus, ſeque à febri liberum ſentiens, ſurrexit è ſtrato, veſtes induit, ad focum acceſſit, eoque in ſtatu inventus eſt à ſuis domum regreſſis. Jejunus autem ut erat, prius quam guſtaret aliquid, bibit aquam è puteo S. Ayberti allatam: quod ipſum per tres quatuorve die facere perſeveravit. Tandem exiſtimans eadem hora ſanatum ſe fuiſſe, qua pro ipſo Eſpanii orabant peregrini; diligenter ab iis queſivit horam, qua illuc adveniſſent; ipſamque eſſe comperiens, qua ſibi fuerat reſtitutus, promiſit per ſe Eſpanium una cum uxore abire: quod die Dominica proxima fecit, atque iterum poſtea. Quemadmodum fuſius declaratur per depoſitiones ipſius Joannis le Roux, Stephani fratris ejus & Jaſſinæ Potier uxoris; qui in Villa S. Amandi, die XXIX Martij & VII Junii, anno MDCXII adjurati, hanc curationem, eo quo dictum eſt modo, accidiſſe, unanimiter teſtati ſunt, coram prædicto Domino Chriſtianitatis Decano, ad hoc per Reverendiſſimum Tornacenſem deputato, & coram multis teſtibus.

diuturna febris pellitur eadē hora,

qua alii pro egroto Eſpanii ſupplicat.

eodem ad reliquias viſitandas accedens

30 Martinus du Sart, annos natus viginti octo, habitans in ſuburbio S. Amandi extra portam Tornacenſem, die Mercurii ante feſtum SS. Jacobi & Chriſtophori, anno MDCXI correptus eſt febri, quæ eum compulit lecto decumbere per tres continuas ſeptimanas; unde abſque alieno auxilio movere ſe nullatenus poterat, & ſæpe etiam è ſtatu mentis excutiebatur: exinde vero lenta febri languit uſque ad feriam ſecundam Paſchæ anni MDCXII, quando votum concepit, quod ſi poſtridie poſſet pedibus ſuis utcumque inſiſtere, iret favente Deo Eſpanium, ibique invocaret S. Aybertum, ad obtinendam ejus interceſſione ſanitatem. Facto mane fecit quod promiſerat; &, quamvis cum maxima difficultate, ſacro tamen Miſſæ ſacrificio interfuit cum uxore ſua, riteque ſanctum

lenta febre liberatur:

A invocavit. Inde revertuntur domum; & quia recurſuram eo die febrim præſtolabantur, iterum ipſe & uxor ſua Deo & S. Ayberto promiſerunt, quod ſi illis bene juvantibus ſanaretur, rurſum Eſpanium irent: & ex illo die, nullam amplius febrim paſſus, certo credit S. Ayberti meritis ſe fuiſſe ſanatum. Qua de re ipſe Martinus aliique de mandato prædicti Reverendiſſimi auditi, & coram Vicariatu ejus examinati fuere, anno MDCXII, die X Decembris, permiſſumque eſt ut hæc curatio tamquam miraculoſa publicaretur, vice Epiſcopi ſubſignante T. Noppeno. *Addamus his tria alia, ex monumentis Criſpinienſibus excuſa à Raiſio.*

uti & coquus Criſpinienſis, 31 Jacobus Dorliens, coquus abbatiæ Criſpinienſis, febre quartana laboraverat: cui malo quævis artis medicinæ præſidia fruſtra tentavit. Sex menſibus cum ſemiſſe ſic preſſus eſt æger, donec II Maij, MDCXXVI, invocato S. Ayberti auxilio, extemplo febre ſolvitur, nec poſtea unquam rediit. Teſtatumque hoc fecit VI Kal. Junij, anno MDCXXIX, tum aliis ad id ſpecialiter evocatis fide dignis, tum Paſtori ſuo, cui ob egregias tum animi tum corporis dotes fides omnis eſt adhibenda.

B *& mulier Athenſis Criſpinii.* 32 Lectiſſima femina Agnes Meurin, Vincentii Maſſenaire mercatoris Athenſis conjux, febrium peſtilentialium ita fuerat implicita moleſtiis ut eſſet in vitæ aleam adducta. Hæc præter omnium expectationem, ubi ad optimi Confeſſoris Chriſti Ayberti confugit aſylum, repente convaluit. Tam ſubitæ ſanitatis donum, interventu S. Ayberti ſibi collatum, jure jurando coram teſtibus fide dignis ipſa affirmavit, nomineque ſuo conſignavit, anno MDCXXIX, VI Idus Maias.

ſanatur etiã puella contracta. 33 Martham, Jaſpardi Bourgeois & Annæ François filiam, Criſpinienſem, vigeſimo quarto aut circiter ætatis ſuæ anno, quædam nervorum contractio admodum vehemens per annum circiter divexavit, ita ut omnino incedere nequiret, D ob tibiam retractiorem altera. Cumque ſæpe ſæpius S. Ayberti auxiliatrices imploraſſet manus, bona filia ſanitati priſtinæ tandem redditur. Poſtea autem ipſa ejuſque mater & germanus frater, Landelinus nomine, VI Non. Quintileis anno MDCXXIX veritati id eſſe conſentaneum, præſentibus Paſtore, Balivo & aliis quam pluribus ejuſdem loci, declararunt & affirmarunt.

ORATIO A FEBRICITANTIBUS RECITANDA.

O Sanctiſſime Pater Ayberte, fidelis & juſte ſerve Dei excelſi, qui febricitantibus levamen tribuis, ac vario morborum genere detentis medelam confers; quæſo te pro ſolita pietate tua miſerere mei, ac diutina gravique febrium ægritudine vexatum tuis ſanctis precibus, priſtinæ ſanitati reſtitue; ut mente & corpore ſanus, omnipotenti Deo debitas agere gratias, eique jugiter poſſim famulari.

Verſ. Ora pro nobis beate Pater Ayberte. E
Reſp. Ut purgati à labe criminum, vivamus beatifice poſt hujus vitæ terminum.

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui meritis B. Ayberti Confeſſoris tui, per lymphæ putei ſui ſumptionem, fidelium debilia corpora ad priſtinam ſanitatem revocari voluiſti; tribue quæſumus nobis, ut miſerationis tuæ fonte liniti, ſpretis hujus mundi illecebris, cum integritate mentis & corporis, ad celeſte bravium pervenire mereamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Amen.

DE B. HERMANNO IOSEPHO,

ORD. PRÆMONSTRAT. STEINFELDIÆ IN GERMANIA.

G. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§. 1. B. Hermanni Vita ab oculato teſte ſcripta: aliorum teſtimonia: ipſiuſmet opuſcula.

POST AN. MCCXXX VI AUT VII APRILIS. *Steinfeldia in Eyſtia,* STeinfeldia, *antiqua ac celebris Ordinis Præmonſtratenſis Abbatia eſt, in diœceſi ac ditione Archiepiſcoporum Colonienſium, regioni Eyſtiæ inſerta, ac ſita inter quatuor oppida, quorum infra in hiſtoria miraculorum fit mentio. Horum primum verſus* Septemtrionem *cenſeri poteſt* Tulpiacum, *antiquis* Tolbiacum *&* Tolpiacum: *cui magis verſus Orientem adjungitur* Monaſterium Eyſtiæ. *At verſus Meridiem viſitur* Blanckenhemium, *& quod Steinfeldiæ maxime vicinum eſt, verſus Occidentem tendens* Rifferſcheida. *Cœptum traditur monaſterium* Steinfeldia *ſeculo Chriſti decimo, & per annos* CLXXVII *habitatum à ſanctimonialibus: in quarum locum circa initium* XII *ſeculi ſubſtituti ſunt Canonici Regulares, ex Springerbacenſi cœnobio diœceſis Trevirenſis evocati: qui illuſtri fama Ordinis Præmonſtratenſis, à S. Norberto circa annum* MCXX *inchoati, & mirum in modum ſeſe diffundentis, excitati, huic ſe ſubjicientes, candidum dicti Ordinis habitum ſuſceperunt.*

monaſteriũ olim ſanctimonialium,

dein Canonicorum Regularium, poſtea Ord. Præmonſtratenſis.

B. Hermanni Ioſephi Vita ab oculato teſte ſcripta, 2 *Inter hos Canonicos Steinfeldenſes, primo Ordinis Præmonſtratenſis ſeculo, floruit B. Hermannus, poſtmodum Ioſeph appellatus; virtutum exercitiis & revelationum gratia diem viveret illuſtris, ac mox à morte miraculorum beneficiis à Deo cumulatus. Quæ omnia ut apud poſteros eſſent nota, excitatus eſt aliquis hujus cœnobii Steinfeldenſis alumnus, ut de beato viro conſcriberet, quæ ipſemet* aut oculis ſuis conſpexiſſet, *aut* ab ore ejus cognoviſſet, *aut* ex Fratribus ei familiariſſimis didiciſſet, *aut denique* quæ ita celebri opinione vulgata fuiſſent, ut iis nulla tergiverſatione debeat contradici, *ut paſſim in Prologo & in ipſis Actis ſæpius indicatur. Vitam hanc habuit Laurentius Surius, & ſtylo paſſim mutato edidit ita contractam, ut integra ſubinde capita omiſerit, & miraculorum ejus vix quartam partem attigerit. Quare Vitam hanc recenſere, & uberioribus notationibus illuſtratam edere ſtuduit Ioannes Chryſoſtomus Vander-Sterre, Ordinis Præmonſtratenſis anno* MDCXXVII *Antverpiæ Prior, poſtmodum Abbas & ſtudiis noſtris de Vitis Sanctorum addictus: cui in ea dignitate ſucceſſerunt Norbertus van Couwerven & Macarius Simeomo: quorum utrique aliquam præfationem inſcripſimus in Actis Sanctorum Februarij & Martij, teſtati eorum benevolum animum in ſtudiis noſtris promovendis. Conſtat autem Vita hæc duplici tractatu, cujus prior ſolum attingit ea, quæ à prima pueritia uſque ad ipſam ſenectutem ſive ultimum vitæ annum feliciter fuerunt peracta. Alter vero tractatus poſt brevem totius vitæ anacephalæoſin, mortem beati viri, ac corporis tranſ-*

edita contracta à Surio,

integra à Chryſ. Vander-Sterre,

conſtat duplici tractatu:

A *tranſlationem & plurima quibus Deus ipſum decoravit, miracula complectitur. Conſcriptus autem poſterior tractatus videtur, antequam prolixior Vita, in priore tractatu contenta, concinnaretur, aut certe vulgaretur. Porro auctor ad poſteriorem tractatum ita præfatur:* Ea quæ vel ipſe vidi, vel ab his qui viderunt & vere ſciverunt veraciter intellexi, præſenti ſchedulæ, quantum brevitas temporis permiſit, fideliter annotavi, omiſſis plurimis, quæ in alio opuſculo (ſi tu ſumme Opifex annueris) plenius, lucidius, dulciuſque tractabo. *Hæc Auctor, qui ſub finem, dictum poſteriorem tractatum* refectiunculam prandii *compellat*, & cœnam delicatioribus ferculis pleniorem, *in qua* hæc & alia tam facta quam fienda plenius reſcribentur, *promittit, quod præſtitit in priore tractatu, quem præmitti debere ordo hiſtoricus ſuadet.*

num auctor ejus ſacriſta, 3 *Nomen ſuum Auctor nuſquam prodit: innuitur in tractatu poſteriore num.* 8 *aliquid* de ſacriſta Steinfeldenſi, *qui* ad phreneticum acceſſit, *& addixit eum* per merita Sancti à Deo liberandum; *additurque*, qui & hoc ſcripſit. *Verum* hoc *unicum phrenetici ſanati videtur intelligi miraculum, quod ſcripto aut juſſus aut ſua ſponte obtulerit auctori vitæ, quem fuiſſe inter Steinfeldenſes Canonicos virum eximiæ auctoritatis indicant interpoſitæ ſæpius admonitiones ad ſuos, pro majore morum & vitæ religioſæ reformatione, & potiſſimum id confirmat venerabilis Eliſabethæ ſanctimonalis Ciſtercienſis commendatio num.* 39 *relata, qua* commonet diligenter *ſcriptorem (poſtquam ab hoc fuiſſet, præſente B. Ioſepho, extrema unctione munita)* ut omnibus modis cavere ſtudeat, ne ipſum verbo aut facto aliquando conturbet: infirmitati ejus miſericorditer condeſcendat, & in omnibus, quibus poſſit, ferat ſubſidium. *Surius ſuſpicatur fuiſſe* Abbatem aut alium Steinfeldenſium Superiorem. *Surii opinionem amplectuntur Petrus Cratepolius in tractatu de Sanctis Germaniæ, Zaccharias Lippelous, aut certe Cornelius Graſius in Selectis Vitis Sanctorum ad* XXIV *Maij, & memoratus Vander-Sterren in ſuis annotationibus ad hanc Vitam: quam aſſerit ſe ex antiquo Ms. codice cœnobii Steinfeldenſis fideliter depromptam edidiſſe, at poſteriorem tractatum contuliſſe cum alio Ms. cœnobii Marchtallenſis, in diœceſi Conſtantienſi & circaria Suevica ſiti, ab Andrea Binder ejuſdem loci Priore ſubmiſſo. Addit in codice Ms. præfixũ fuiſſe à quadringẽtis annis hunc titulum:* Incipit Vita Sancti Joſeph, Sacerdotis & Confeſſoris, Canonici in Steinfeld.

ſaltem vir eximiæ ſanctimoniæ, B *num Abbas aut Superior?* *ex quibus Mss. edita?*

4 *Vitam ejuſdem B. Hermanni Ioſephi, verſibus quos vocant leoninis, ſed admodum ſimplicibus ac rudibus, compoſuit anno* MCCCLVIII *VVilhelmus Vreſſenich, tum Paſtoris munere defungens, anno ſequente in Abbatem Steinfeldenſem electus. Poëmatis initium eſt ejuſmodi:*

C *Vita alia verſibus ſcripta à Wilhelmo Vreſſenich,*

Agrippinenſis Hermanni pauperis ortum
Deſinit vero hiſce verſibus
Sanctorum vere legitur tot nullus habere,
Ut Joſeph, alloquia cũ Virgine matre Maria.

alia Dialogiſtica à Raſone Bonovicino, *Aliam ejuſdem Hermanni Vitam per modum dialogi, interloquentibus Magiſtro & Novitio, contexuit Raſo Bonus-vicinus, alias Goetgebuer, ex celebri Gandenſium ortus familia ſacræ Theologiæ Licentiatus Pariſienſis, & apud Steinfeldenſes Magiſter novitiorum, mortuus* XVIII *Octobris anni* MDIX; *Hanc Vitam Coloniæ impreſſam, dum adhuc auctor viveret (hoc enim perſuadet characterum forma) habuimus ex Bibliotheca Abbatiali* S. *Michaelis, ſed primo ultimoque folio, ubi tempus impreſſionis nomenque auctoris forſitan exprimebantur mutilam, ex eaque cum antiquo contextu collata varia, in Annotationes retulimus. Dividitur ipſa in Capitula* 31, *& monitis brevibus interpolatur, alias multo ſuccinctior priori; cujus prolixitas tædium quibuſdam pariens, occaſionem illius ſcribendæ dedit, ut dicitur in prologo: & cap.* 11 *ſic Novitium ſuum Pater alloquitur:* Initio dixi, non me velle nova cudere, (nec enim poſſum, nec volo) ſed ex his quæ diffuſius ſcripta de illo reperi, quantum poſſem, te & illius exemplis & meis verbis ad tam ſanctiſſimam illius vitam illicere. *Nomen Raſonis, ut Vitæ à Surio editæ auctoris, perperam excuſum eſt apud Franciſcum Haræum, in ſuo de Viris Sanctorum compendio, Autbertum Miræum in Faſtis Belgicis & Burgundicis, Heribertum Roſweidum in Legendario Belgico, & alios: quod hic monuiſſe ſufficit. Præter auctores jam laudatos,* B. Hermanni-Joſeph Canonici & Presbyteri Steinfeldenſis Vitam metricam *panxit &* Alexandro VII Pontifici maximo *dicavit Petrus de VVaghenaer, ejuſdem Ordinis Præmonſtratenſis apud Furnenſes in Flandria Canonicus: qui ſub finem ſubjunxit,* Syllabum ſeptuaginta duorum auctorum, diverſorum ordinum, ſtatuum, nationum, pietate, eruditione & ſcriptis celebrium, qui pro concione & calamo, vel in Martyrologiis, Faſtis, Hagiologiis, Natalibus, Hiſtoriis, Commentariis & Aſceticis libellis, per quinque ſecula, teſtimonium reddiderunt famæ ſanctitatis B. Hermanni Joſeph. *Inter hos* LXXII *auctores, ſuis nominibus exprimantur viginti ſex illuſtres Scriptores Societatis Ieſu, inter quos eminent Petrus Caniſius, Iacobus Alvarez de Paz, Matthæus Raderus, Cornelius à Lapide, Hermannus Crumbach, Paulus Barry, Hieremias Drexelius, Nicolaus Lancicius, Antonius Balinghem, aliique, quorum tractatus, in quibus de B. Hermanno Ioſepho agunt, a dicto VVaghenaer indicantur. Alii hujus beati viri vitam in alia idiomata tranſtulerunt, quam Gallicam reddidit Petrus Boreus, Abbatiæ S. Ioannis apud Ambianenſes Canonicus: Italicam edidit Cornelius Hanegravius Præſes collegii Præmonſtratenſis Romæ: Belgice Gaſpar Tſandoel, Tungerloenſis cœnobii Canonicus æque ac prior Denique eandem Vitam Germanicis rhythmis illuſtravit Chriſtophorus Pilckmannus, cœnobii Steinfeldenſis ante annos* L *Abbas.*

AUCTORE G. H.

alia metrica à Petro de Waghenaer,

cum Syllabo auctorũ qui de eo agunt.

E

Opuſcula à B. Hermanno edita.

5 *Quæ edidit opuſcula B. Hermannus Ioſephus, infra in Vita recenſentur: ex iis varios rhythmos ſubjunxit Vitæ Chryſoſtomus Vander-Sterre, inter quæ Iubilus eſt,* S. *Vrſulæ ejuſque comitum hiſtoriam attinens, qui quomodo compoſitus aut potius cœtus ei dictatus fuerit narratur in Vita. Duos quoque revelationum libros, de Paſſione ſive Hiſtoria undecim millium Virginum Vrſulanarum, & earum expeditione ac peregrinatione edidit Hermannus Crumbach cum ſuis annotationibus in S. Vrſula vindicata lib.* 7 *à pag.* 512 *ad pag.* 654, *conatus ex vita præcitata probare lib.* 1 *cap.* 24, *&* 25 *eos compoſitos fuiſſe à B. Hermanno Steinfeldenſi. Ejus ſententiæ favet quod Razo Bonus-vicinus, poſtquam narraſſet modum quo hymnus Vrſulanus cum ſuis notis eſſet compoſitus à Ioſepho, prout habetur in Vita num.* 29, *dictos Revelationum libros pro indubitatis ſuſcipiens, ante cap.* 13 *hunc ponit titulum,* Multa de virginum ſanctarum geſtis ei revelantur arcana. *Capitis etiam* 12 *contextum, in his verbis deſinentem,* Numeros præterea (*prædicti ſcilicet hymni*) aptavit virgo Sancta, *quæ illi ex Vrſulanis apparuerat,* ita ut jam Frater noſter notarii verius partes ageret quã dictantis; *contextum inquam ſic continuat:* quæ de ſuarum genere comitum (& quidem nominatim per ſingula) de profectione præterea & conſummatione antea cognita fuerant nemini, ex hac *ſcilicet Virgine,* veriſſime condidicit, & fideliſſime mãdavit litteris: quæ hactenus fideliſſime in ejus ſunt cuſtodita domo. *Sed quomodo rem tam illuſtrem, imo omnibus in Vita relatis illuſtriorem, aut ignorare potuit auctor Vitæ, aut cognitam vel omnino prætermittere, vel ſic attingere obſcure, ut non poſſit prudenter credi, quod omnino attingere eam voluerit? Eſto enim in Tractatu poſteriori num* 2 *mentio fiat revelationum quarumdam in genere, quibus fuerit à ſanctis Virginibus conſolatus, & quod,* cum ad laudem earum hiſtoriæ verba cõpoſuiſſet; ipſis docentibus & præcinẽtibus, totius pene hiſtoriæ melodiam didicerit: & quædam etiã Virginum, nomina ſua ipſi dignatæ fuerint revelare; *vix tamen extendi hæc poſſunt ultra hymnum præcitatum, & proprias lectiones pro Officio divino: nam hæ ſuperiori ſeculo nomine* hiſtoriæ *deſignabantur in rubricis Breviariorum, & his ſolis ſua erat aptanda melodia. Plura dicemus* XXI *Octob.*

an etiam revelationum Vrſulanarũ libri?

R

AUCTORE G. H.

§. 11. Tempus Vitæ B. Hermanni, annus & dies obitus: cultus ſacer.

Habuit revelationem de martyrio S. Engelberti anno 1225.

6 TEmporis, *quo vixit B. Hermannus-Ioſeph, unicum extat in antiqua Vita teſtimonium num.* 23, *ubi agitur de martyrio S. Engelberti Archiepiſcopi Colonienſis, illi ante indicato: quod factum eſt anno Chriſti* MCCXXV. *Quam diu deinceps vixerit, nuſquam innuitur. In poſteriore tractatu dicitur* Dominica III Quadrageſimæ *diſceſsiſſe ad monaſterium Virginum Ciſtercienſium, ac* feria tertia poſt Dominicam Palmarum correptus febribus: *poſtea vero*, cum in quinta feria dierum Paſchæ carne ſolutus, & in ſepulcro terræ paluſtris, naturaliter humente, depoſitus fuiſſet, & in tertia dierum Pentecoſtes exhumatus, corpuſculum ſacrum fuiſſe incorruptum. *Hæc ibi, ubi nudus character eſt* feriæ quintæ dierum Paſchæ, *qua* carne ſolutus eſt: *ſed quæ feria ſingulis annis recurrit: & videtur tam dicta* feria quinta Paſchalis, *quam* tertia dierum Pentecoſtes, *apud Canonicos Steinfeldenſis in aliqua reverētia proximo poſt obitum ejus ſeculo permanſiſſe, ob felicem B. Hermanni-Ioſephi mortem & corporis in monaſterio ſuo ſuſceptionem ac depoſitionem. Hinc poſtmodum controverſia exorta eſt inter auctores, quo die objerit, aliis ſeptimum Aprilis, aliis quartum aut tertium pro obitu ſive ſepultura aſſignantibus.*

obiit B. Hermannus feria 5. Paſcha,

B

7 In vetuſtiſſimo obituario cœnobii Hoven Ordinis Ciſtercienſis, *in quo mortem objiſſe traditur*, annotatum haberi obitum ejus ad VII Idus Aprilis, *obſervat in Notationibus Vander-Sterre, additque* in eodem Codice antiquiſſimo charactere *iſta haberi*: Notum ſit omnibus hujus Eccleſiæ filiabus, tam futuris quam præſentibus, quod hi ſunt Fratres, quos plena caritate recepimus, & ſingulari oratione commendatos habemus, Fratres de Valle-Petri, *id eſt Heiſterbacenſes*, de Sigeberg & de Steinfeldt. *Scripſit ad nos anno* MDCXLIV *Hermannus Mylius typographus Colonienſis iſta verba*: Incidi in diverſas imagines B. Hermanni dicti Joſeph, Antverpiæ ſculptas, quibus addebatur dies IV Aprilis: cum hic in patria antiqua traditio plane ſit contraria: quam ſecutus Surius Vitam ejuſdem ad VII Aprilis collocavit. Ego curioſius inquirens egi ſuper hac re cum Prælato Steinfeldenſi, qui ſeptimam Aprilis in Hemerologio (in quod omnes dies obitus cujuſcumque Fratris ejuſdem Conventus referuntur) morte B. Hermanni ſignatam reſpondit: imo memoriam ejus illo die Steinfeldiæ hactenus actam & adhuc agi. Vellem ſculptores moneri, ut diem illi aſſignent VII Aprilis aut nullum. Et ſi quod forte argumentum in contrarium habent, ad majorem laudem Sancti cognominis, libenter diluam. *Hæc dictus Hermannus Mylius. Sed centum facile annis ante Surium ad* VII *Aprilis iſta retulit auctor Florarii Ms.* Ipſo die B. Hermanni monachi & Confeſſoris. *Eodem etiam tempore floruit Hermannus Greven Cartuſianus Colonienſis anno* MCCCCLXXX *vita functus, qui in additionibus ad Vſuardum iſta habet*: Item in Eyflia monaſterio Steinfeldt ſanctæ memoriæ Hermanni, qui & Joſeph propter ſimplicitatem dictus eſt. *Quod elogium inſeruerunt Caniſius Martyrologio Germanico, & Molanus additionibus ſuis ad Vſuardum ſæpius recuſis, qui majus encomium texuit in Natalibus Sanctorum Belgii, & Miræus in Faſtis Belgicis & Burgundicis, quod ſtudiorum cauſa in Friſia aliquot annis vixerit. Conſtantinus Ghinius longo etiam encomio eum celebrat in Natalibus Sanctorum Canonicorum, uti Balinghemius in Kalendario Mariano. Demum Wion & Dorganius eum Martyrologiis Benedictinis inſcripſerunt, quam ob cauſam ignoramus, niſi forſan ſufficiat, quod in monaſterio Ciſtercienſi diem ultimum objerit. Horum omnium exemplo eum Ferrarius retulit in Catalogo generali. Vitæ ejus compendium ad eumdem* VII *diem memoratur ab Haræo Latine, à Roſweido Belgice, à Valentino Leuchtio & Franciſco A-*

& ſecundum plurimos 7 Aprilis,

C

gricola in Vitis Sanctorum Germanice editis. Sequuntur Guillelmus Gazæus & Dionyſius Mudtzardt in Hiſtoriis Eccleſiaſticis Belgii, & plures alii. In horum ſententia dicendum foret B. Hermannum Ioſephum ex hac vita deceſsiſſe anno MCCXXXIII, *quando cyclo Lunæ* XVIII *& Solis* X *littera Dominicali* B. *Paſcha incidit in diem* III *Aprilis, & feria quinta dierum Paſchæ in diem* VII *ejuſdem Aprilis: & tertia dierum Pentecoſtes in* XXIV *Maij, quo die* Tranſlationem corporis *celebrant Gelenius in Faſtis Agrippinenſibus, & Vander Sterre in Natalibus Sanctorum Præmonſtratenſium; ad quem etiam Vitam ejus ediderunt Lippelous & Graſius Carthuſiani.*

D

tranſlatum 24 Maij.

8 *Alii interim contendunt mortem* B. *Hermanni-Ioſephi incidiſſe in* diem quartum Aprilis, *quod aſſerit Vander-Sterre* evidenter declarare duo Steinfeldenſis Eccleſiæ Necrologia ſive Memoriarum libros, quorum alter à quadringentis annis conſcriptus eſt, in quo collocari Natalem ejus quarta Aprilis ſignificavit illi Petrus Roſtius Steinfeldenſis Canonicus. *Verum huic opponi poſſet auctoritas Prælati Steinfeldenſis, aſſerentis* diem VII Aprilis in Hemerologio morte B. Hermanni ſignatam, & memoriam illius eo die Steinfeldiæ hactenus actam & adhuc agi *anno* MDCXLIV, *ut ſupra ex litteris Hermanni Mylii diximus. Aliud argumentum deſumitur ex Vita Dialogiſtica Raſonis Bonivicini anno* MDXI *Coloniæ excuſa, in qua cap.* 26 *traditur* objiſſe anno MCCXXVI, pridie Nonas Aprilis, qui dies Divo Præſuli Ambroſio feſtus habetur. *Hæc Raſo, tribus fere ſeculis B. Hermanno-Ioſepho junior. Mortuus eſt S. Ambroſius pridie Paſchatis, ejuſque Natalis in eccleſia Mediolanenſi rejectus eſt in feriam quintam poſt Paſcha: ut vel ideo Raſo potuerit legiſſe cultum utriuſque in eumdem diem convenire. Num vero S. Ambroſius ex hac vita diſceſſerit* IV *Aprilis, an potius* XVII *ejuſdem menſis, alias latius ſumus diſcuſſuri. Præterea indicatus à Raſone dies* IV *Aprilis anni* MCCXXVI *nullo modo congruit cum feria quinta Paſchali, ſed incidiſſet in Sabbatum ante Dominicam Paſſionis, Paſchate dein celebrato* XIX *Aprilis. His non obſtantibus recentiores aliqui aſſumpſerunt diem* IV *Aprilis. Erat Breviarium Præmonſtratenſe Madriti excuſum, in cujus Kalendario* ad diem VII Aprilis *poſita eſſe iſta verba*, B. Joſep-Hermanni duplex, *refert Vander-Sterre ex litteris Michaelis Maldonati, cœnobii Madritenſis Supprioris & Congregationis Hiſpanicæ Procuratoris generalis. Habemus ordinem recitandi officium divinum anno* MDCXL *& aliis excuſum, in quo pro Ordine Canonicorum Præmonſtratenſium aſſignantur* ad diem IV Aprilis, *iſta verba*: Joſeph Presbyteri & Confeſſoris Duplex. *Quo etiam* IV Aprilis *iidem Canonici Præmonſtratenſes in Belgio officio Eccleſiaſtico celebrarunt memoriam ſacram dicti Ioſephi, & longo encomio veneratur eumdem idem Vander-Sterre in Natalibus Sanctorum Ordinis Præmonſtratenſis: & conſequenter in ſuis ad hanc Vitam annotationibus, objiſſe tradit anno* MCCXLI, *quando cyclo Lunæ* VII *Solis* XVIII *littera Dominicali* F *Paſcha celebratum eſt* XXXI *Martij, & feria quinta Paſchalis incidit in* IV *diem Aprilis.*

E

eoque officio Eccleſiaſtico colitur,

F

& objiſſe anno 1240

9 *Verum quia Molanus, Miræus, Roſweydus & paſſim alii B. Hermannum Ioſephum obiiſſe ſcribunt anno Chriſti* MCCXXXVI, *aliam viam inivit Ægidius Gelenius in Faſtis Agrippinenſibus, & ad diem* III *Aprilis iſta ſcribit*: Eodem die tranſitus B. Hermanni Colonienſis, cognomento Joſeph, de quo die ſequenti. *Ac dein ad* IV *Aprilis iſta habet*: Eodem die feſtivitas B. Hermanni Colonienſis, Canonici Præmonſtratenſis in Steinfeldt, ejuſdem diœceſeos monaſterio, ob ſimplicitatem & ſingularem erga beatam Virginem Mariam devotionis affectum cognomento Joſeph, qui divinitus illuminatus multa corpora Sanctarum Virginum revelavit, & S. Engelberti martyrium prædixit, eumdemque undecim poſt annis ſecutus, nempe anno MCCXXXVI, feria quinta poſt Paſcha, *& ſequenti die* IV Aprilis ſepultus eſt. *Hæc ibi, ſed ita verbis tranſpoſitis legenda,*

ſecundum Geleniumo mortuus eſt 3 Aprilis,

& colitur 4. quo eſſet ſepultus.

A legenda. *Idem Gelenius ad diem* VII *Aprilis obſervat, tunc à pleriſque natalem ejus recenſeri: & conſequenter ad diem* XXIV *Maij iſta habet*: Tranſlatio B. Hermanni Colonienſis, cognomento Joſeph, Canonici & Presbyteri Ordinis Præmonſtratenſis, ad eccleſiam in Steinfelt diœceſis Colonienſis, ubi in magna veneratione admirandis illuſtris miraculis hactenus requieſcit. *Hæc Gelenius & fere ex Chryſoſtomo Vander-Sterre: qui eadem ad dictum diem* XXIV *Maij habet, ſed in Notationibus ad Vitam hanc, errorem arbitratus, ſtatuit diem* XXI *Maij, qua Tranſlatio contigiſſet anno* MCCXII. *Verũ Gelenius, dum cum aliis ſtatuit objiſſe anno* MCCXXXVI, *pro Tranſlatione deberet aſſignare* XX *Maij: nam dicto anno biſſextili, cyclo Lunæ* II, *Solis* XIII, *litteris Dominicalibus* F E, *Paſcha fuit* XXX *Martij, & feria quinta dierum Paſchæ incidit in* III *Aprilis, & feſtum Pentecoſtes in* XVIII *Maij. Aliorum opiniones non recenſemus, quia non obſervant* objiſſe feria quinta dierum Paſchæ, *quod tamen ex antiqua Vita certum eſt; licet ſepultura potuerit poſtridie contigiſſe, & ad ſe traxiſſe annuam feſtivitatem.*

an. 1236,

nobis dies & annus mortis manet dubius.

10 *Omnibus his accurate perpenſis, arbitramur quidem annum, menſem & diem, quo B. Hermannus-Joſeph ex hac vita diſceſſit non poſſe evidentibus, omnino argumentis approbari: majorem tamen veroſimilitudinem ſtare pro die* VII *Aprilis, ideoque hæc ad eum diem luci publicæ damus; data omnibus & ſingulis plena facultate, ut etiam ad diem* IV *hujus menſis ipſa retrahant pro majore ſua devotione, quandoquidem in aliquibus monaſteriis præcipua ſolennitas de eo tunc celebratur; margini autem ſub initium utrumque diem adſcribimus, & poſt annum* MCCXXX *mortuum eſſe ſtatuimus: ſive illi addendi, tres, aut ſex, aut etiam undecim anni ſint.*

B

§. 3. Reliquiæ, ſtatuæ & imagines, Acta Romæ pro ejus cultu.

Tumba reliquiarum antiqua,

anno 1509 in medio templo collocata:

altare

11 *Habet B. Hermannus Joſeph in Steinfelt tumbam elevatam, in qua ſacrum ejus corpus requieſcit, at neſcitur quo tempore illud è terra levatum: propter miraculorum autem frequentiam id olim factum eſſe non dubitamus. Eſt dicta tumba vetuſta, è ligno ſculpta, & pulchre depicta; annoque* MDIX, *ab Abbate Ioanne à Monaſterio-Eiſliæ, à loco ſepulturæ ad medium templi tranſlata una cum altari, quod paſſim B. Joſephi-Hermanni appellatur, In tabula Sacriſtiæ iſta leguntur*: Altarium extra cancellos ferreos tertium, conſecratum eſt in honorem B. Mariæ Virginis, B. Joſeph Confeſſoris, BB. Petri, Andreæ & Matthiæ Apoſtolorum, Sanctorumque Dionyſii & Nicaſii Martyrum atque Pontificum, & B. Catharinæ Virginis, quorum effigies in valvis altaris poſitæ ſunt. *Sed hæ valuæ, cum ipſa quam operiunt pictura majori, nunc ad aliud altare tranſlatæ monſtrantur: ipſarum vero loco excitatum ſupra aram prædictam eſt ſcriniarii operis haud inelegans pegma, quod aëri ac viſui pervium minus impedit proſpectum verſus chorum. Sepulcro hujuſmodi affixum eſt Epitaphium:*

C

Epitaphium,

Conditur hac tumba ſimplex, Joſeph, illa colũba,
Delicium Mariæ, grande decus patriæ.

ſtatua,

imago cum clavibus calice & roſis

12 *Prope ſepulturæ locum pulchra Beati hujus viſitur ſtatua, juſtam hominis adæquans longitudinem; quæ à dexteris B. Mariæ iconem æque proceram habet. Fuit aliqua ejus imago in Germania ſculpta, in qua exprimitur habitu ſuo regulari antiquo, cui ex zona complures pendent claves, & altera manu calicem tenet, ex quo tres flores ad inſtar roſarum exurgunt. Vbi per claves munus Sacriſtæ, quod obivit, videtur intelligi. Dicitur apud Steinfeldenſes traditio eſſe, Deiparam Virginem per ejus cubiculum roſas ſparſiſſe, quas ille calice collegerit. Quidquid ſit de iſta traditione, cui non multum fidimus, cum ea apparitio in antiquis Actis non habeatur; ſatis pictoribus videtur fuiſſe, ut eam imaginem ſic effingerent. Myſticas ejus expliationes habet Chryſoſtomus Vander Sterre: quaſi ſignificetur ipſum ſub Miſſæ ſacrificio cæleſti ſubinde odore refertum, aut quod ſoleret Deiparam Virginem appellare roſam. Aliam curavit dictus Vander-Sterre ejuſdem Beati effigiem, in qua altero brachio puerulum Ieſum devote ſtringit, altero lilium detinet. Roſweydus in Legendario Belgico inter alios Divos, qui menſe Aprili coluntur, B. Hermannum Joſephum curavit ſculpi colloquentem cum Deipara Virgine, puerulum Ieſum ei offerente. Inter rariores picturas, quæ in templo & oratoriis Sodalitatum Antverpiæ in Domo profeſſa Societatis Ieſu viſuntur, eſt in Sodalitate ſeu Congregatione juvenum aliqua hujus B. Hermanni Ioſephi pictura, ab Antonio Van Dyck efformata, in qua dictus Beatus Deiparam Virginem inter duos Angelos apparentem in ſponſam accipit, prout ea hiſtoria infra in Vita num. 22 explicatur. Voluit Sodales ſuos hac repræſentatione in amorem Deiparæ Virginis excitare Hermannus Spruit Societatis Ieſu Sacerdos, qui tum eam Congregationem dirigebat, poſtmodum Rector conſtitutus collegiorum Aloſtani, Iprenſis & Brugenſis.*

AUCTORE G. H.

alia imago cum puero Ieſu, alia cum Deipara Virgine & Angelis.

13 *Claudit ſuas Notationes Vander-Sterre tribus Orationibus, quæ olim de B. Hermanno Ioſepho ſunt compoſitæ & recitatæ, ex quibus unam hic damus in Marenſi cœnobio repertam, ſed pro Steinfeldenſibus compoſitam, qua eſt hujuſmodi*: Deus, qui B. Hermannum ad monaſticæ perfectionis culmen viſione mirabili vocare, & gratiæ tuæ præſidiis ſolidare dignatus es, ut dilectiſſimi Filii tui Genitrici ſub nomine caſtiſſimi Joſeph deſponſari, ejuſque ſtupenda familiaritate per omnem vitam frui mererentur: concede propitius, ut, quem miris virtutibus clarere ac miraculis hoc in loco vigere voluiſti, ejus digniſſima interceſſione adjuvemur, & perpetua in cæleſtibus, cum Unigenito tuo ejuſque Matre ſanctiſſima, beatitudine donemur. Per eumdem Dominum &c.

antiqua Oratio.

E

Reliquiæ Coloniæ.

14 *Notabiles B. Hermanni-Joſephi reliquiæ aſſervantur Coloniæ in templo Parochiali S. Chriſtophori, quas illi pia munificentia contulit Norbertus ab Horichem Abbas Steinfeldenſis, cujus aula & ſeminarium Ordinis, parochiali territorio continentur: in qua aula viſitur ſacellum B. Hermanni Joſephi, in quod ob bellicas irruptiones ſacrum ejus corpus, Steinfeldenſi in templo diu religioſiſſime aſſervatum, prout infra in Proceſſu deſcribatur, delatum poſtea, ibidem adhuc anno* MDCLX *adſervabatur, quando ab Hermanno Crumbach Societatis Ieſu Sacerdote eo ducti ſacras has reliquias venerati ſumus, oblongæ ciſtæ incluſas, ſed hæc ob abſentiam Superioris nobis non fuit aperta. Alias nonnullas ejuſdem Beati Reliquias habet Abbatia Parcenſis prope Lovanium & Tungerloenſis cum ſublimi elegantique ſtatua, quam ibidem anno* MDCLXIX *ſumus venerati. Habent etiam Carthuſiani Colonienſes aliquas, de quibus alibi. Porro totius Corporis ſacri deſtructioni, per ejuſmodi Reliquiarum diſtributiones formidandæ, providens* Joannes Roberti, permiſſione divina monaſterii B. Mariæ Floreffienſis, Ordinis Præmonſtratenſis, Namurcenſis diœceſis, humilis Abbas, nec non Reverendiſſimi Generalis in Circariis Floreffiæ, Flandriæ, Pontivi, & Weſtphaliæ Vicarius; cum inter cetera Viſitationis munia veneratus fuiſſet ſanctiſſimas Reliquias B. Joſephi aliorumque Sanctorum, quæ in eccleſia Steinfeldenſi requieſcunt & venerantur; eaſdemque Reliquias inveniſſet per varias diſtributiones imminutas, & apparenter per importunas ſolicitationes diverſarum perſonarum imminuendas, niſi opportuno remedio tantus theſaurus conſervaretur; operæ pretium duxit, Abbati Steinfeldenſi mandare & inhibere, ne impoſterum per ipſum aut alios ex dictis Reliquiis B. Joſephi, aut aliorum Sanctorũ Sanctarumq; in iſta eccleſia requieſcentium, aliquibus perſonis, qualiſcumque qualitatis fuerint, diſtribuat aut diſtribui ſinat, abſque expreſſa licentia dicti Reverendiſſimi Domini Generalis aut Patris Viſitatoris: *mandatum deſuper confectum ſignans* anno Domini MDCXIX, menſis Februarij die IX.

F

ſeparari imposterum vetatur.

15 *Quam impenſe laboratum ſit, pro hujus cultu promo-*

AUCTORE G. H.

Interceſſio Ferdinandi 2 Imp. ad Pontificem pro ejus cultu & veneratione.

vendo, ita tradit ad Lectorem Vander Sterre: Ferdinãdus II Imperator inſtãtiſſimis à Sancta Sede Apoſtolica precibus per Oratoré ſuum Savelli Principẽ, & per Illuſtriſſimos ac Reverẽdiſſimos Cardinales, inclytæ Germanicæ nationis Protectores, divinos ac publicos petiit eidẽ Beatiſſimo Joſepho, olim Hermanno dicto, decerni honores . . . qui ante annos quadringentos (verba ſunt piiſſimi Cæſaris) ea vitæ morumque integritate ac ſanctimonia vixit, ut in omnibus ejus actionibus ſemper divini quid reſplenduerit, ejuſque monumentum iſtic & ſacra oſſa variis ac novis etiamnum indies miraculis clareant. Hujus viri honorem & gloriam, qua jam pridem inter Beatorum ſedes coronatus refulget, cum univerſus ſacer Ordo Præmonſtratenſis peculiari erga Confratrem ſuum reverentiæ affectu auctam, & Sanctitatis ſuæ auctoritate apud mortales propagatam deſideret, merito & Nos piiſſimo ejuſdem deſiderio libenter annuimus, atque ideo magis ſuffragamur, quod agnoſcamus tot annorum tribulationibus afflictæ & exagitatæ Germaniæ noſtræ, atque in ea militantis Eccleſiæ plurimum intereſſe, ut Sanctorum ſuorum Tutelarium numerus in cælis augeatur, veneratio amplietur, & honor atque gloria quotidianis augmentis magis magiſque in terris inclareſcat.

B

Collecta propria in Miſſa.

16 *Fuimus in Autumno anni* MDCLXVIII *Steinfeldiæ, ibique benigniſſime excepti à Reverendiſſimo loci illius Abbate D. Ioanne Luckenracht, ante corpus B. Ioſephi ad prædictum altare celebravimus Sacrum, idque de eodem Beato votivum cum propria Collecta, juxta piam omnium Sacerdotum, illuc devotionis cauſa advenientium, conſuetudinem. Eſt autem hæc Collecta:* Deus, qui B. Hermannum Joſeph, Confeſſorem tuum, adeo benedictionibus dulcedinis prævenisti, ut à pueritia creberrimis glorioſæ Virginis Mariæ viſitationibus & alloquiis frui, eique per Angelum deſponſari mereretur: præſta quæſumus, ut innocentis & ſanctæ vitæ ejus veſtigiis inſiſtentes, ad cæleſtem patriam, in qua glorioſus exultat, ſecuri perveniamus. Per Dominum &c. *Vidimus ibidem picturas, ſtatuas ceteraque antiquitatis monumenta publicum ac vetuſtum Beati ejuſdem cultum teſtantia: de quibus prolixius hic agere ſupersedemus,*

proceſſus de ejus antiquo cultu.

infra daturi integrum fere tenorem illius Proceſſus, qui ad probandam ſanctitatis famam, pro ſolenni canonizatione Romæ obtinenda, inſtitutus fuit anno MDCXXVIII: *& nobis tranſcriptus atque tranſmiſſus, prædicti Reverendiſſimi Abbatis beneficio. Claudat igitur hunc prævium Commentarium elegans Sequentia, eidem Beato olim compoſita, & forſitan aliquando in ſacris uſurpata; abrogata autem cum reliquis pleriſque omnibus Sequentiis, olim apud varios uſitatis.*

C

SEQUENTIA DE B. HERMANNO JOSEPH

Gaude felix Agrippina,
Plãde cohors Norbertina,
Deo laudes dicite:
Viro Dei, ſancto myſtæ,
Joſeph facer dies iſte:
Sancte hunc traducite.
Hunc tu mundo genuiſti,
Ordinique tranſmiſiſti
Candido, Colonia:
Evffliam hic illuſtravit,
Et Steinfeldiam ornavit
Sua ſanctimonia.
Coluit deuote piam
Puer innocens Mariam,
Abſtinens à crimine:
Tota vita viſitari,
Adjuvari, informari
Meruit à Virgine.
Summus Pater hunc amavit,
Et virtutum exornavit
Tunica polymita,
Fuit ſimplex, rectus, caſtus,
Pius, mitis, oſor faſtus,
Cunctis reddens debita.
Sancte Myſta, te laudare
Ipſe Chriſtus & vocare
Eſt dignatus, lilium:
Diva Virgo tibi favit;
Joſeph, ſponſum, te vocavit,
Capellanum, filium:
Tibi quoque deſponſari
Per Angelos, & portari
A te Jeſum voluit:
Quantus eſſes, & quantorum
Apud Deum meritorum
Angelus edocuit,
Ergo digne te laudamus,
Tua feſta celebramus
Digne, te ſuſpicimus:
Deum, qui ad nos te miſit,
Tibi tantas qui diviſit
Dores, benedicimus.
Ave Decus Confeſſorum,
Norma tu Presbyterorum
Ubiorum gloria:
Tua, noſter ô Patrone,
Eſt in benedictione
Merito memoria.
Tua interceſſione
Iram placa, Joſeph bone,
Irritati Numinis:
Loquere pro nobis bona,
Gratiarum poſce dona
Veniamque criminis.
Tu exaudi preces, Chriſte,
Tuus quas amicus iſte
Fundit pro clientibus:
Ut & ſervulinos tui
Cum eo poſſimus frui
Gaudiis cæleſtibus. Amen.

D

VITA

Auctore Canonico Steinfeldenſi Synchrono.

TRACTATVS I.

Acta in Vita.

PROLOGUS.

Auctor Chriſtum Dominũ invocat.

JEſu Chriſte, qui cum Patre & Spiritu ſancto facis mirabilia magna ſolus, ſive hæc per Angelorum ſive hominum miniſteria operari digneris; Vitam mirabilem B. Joſeph Fratris noſtri, & mortem in conſpectu tuo pretioſam, & miracula ſpecioſa quæ propter ejus merita operari dignatus es, ſcripto cupiens commendare, ad pedes miſericordiæ tuæ ſupplex & devotus accedo: per ejus te, Domine, obſecrans caritatem, ut ejus laudi (quæ vere tua eſt) benignus aſpires, inſpires veritatem ſcribenti: qui ficta laude non indiges, mendacium execraris, & diligis veritatem. Coram tuis enim oculis hoc non timeo proteſtari, qui es teſtis in cælo fidelis, me ex propoſito nihil fictum deſcribere; ſed ea, quæ à ſuis familiariſſimis, vel ab ejus ore cognovi, vel quæ apud Fratres ita celebri opinione vulgata ſunt, ut iis nulla tergiverſatione debeat contradici. Sunt tamen pauciſſima, quæ non à certis relatoribus fide dignis, vel ab ipſius ore fideli mihi facta fuerint manifeſta. Ob quam etiam cauſam me oportet quædam mirifica ſilentio præterire: quæ licet firmiter credam vera fore; tamen quia radicem veritatis non habeo, id eſt, teſtes de viſu & auditu, ſcripturæ veritatis noſtris temporibus valde mirabile: ſcilicet, quod infans quidam à matre dormiente oppreſſus, poſt compaſſionem matri lamentanti exhibitam à noſtro Joſeph, & orationem in eccleſia ab eo fuſam ad Dominum Jeſum, & ad beatam Matrem ejus, beati adhuc pueri meritis fuerit ſuſcitatus. Quod factum licet fidem difficilem mereatur, non eſſe tamen incredibile poterit confiteri, qui ſequentibus, non dubie veris, fidem voluerit adhibere. Hoc autem dubium ideo præſenti paginæ decrevi non committere; ut cetera non dubia, fide tanto firmiori credantur, quanto plus claruerit, quod nullum dubium (quantumcumque ad laudem Fratris noſtri poſſet operari) pro certo ſcribere dignum duxi. Mira quippe ſcripturus ſum, & quæ apud propriæ laudis amatores, & apud invidos detractores, qui non Dei ſed ſuam gloriam quærunt, quantacumque ſint veritate ſubnixa, vix fidem debeant invenire. Propter quod etiam credo, Dominum Deum ipſum tantis poſt mortem clarificaſſe miraculis, ut vita mirabilis commendetur per miracula facta poſt mortem: nihilominus quoque, ut per vitam mirabilem, miraculorum factorum poſt mortem veritas confirmetur. Difficilius enim illis miraculis, poſt deceſſum cujuſcumque patratis, fides poterit adhiberi, quæ non firmum à vita mirabili præcedenti teſtimonium ſortiuntur. Vita etiam Sanctorum mirabilis non omnino ſine periculo prædicatur, quæ poſt mortem

E

certa & fide digna ſe ſcribit aſſerit:

dubia omittere,

quale eſt de infante defuncto ad vitam revocato ab eo adhuc puero.

F

Acta hæc miraculis poſt mortem patratis confirmantur.

A tem nullis miraculorum teſtimoniis roboratur. Sunt tamen quidam, & apud Deum & apud homines glorioſi, quorum vel vitæ vel morti miracula defuerunt. Ille autem digne omnes detractores interimit, cujus tam vita quam mors miraculis commendata, ſibi invicem ſuffragantur. Si enim vitæ mirabili non credatur, vel etiam detrahatur; clamat mors miraculoſa pro vita: ſi vero derogetur miraculis mortis pretioſæ, ipſis miraculis vita mirabilis atteſtatur. Jam nunc igitur, Domine Jeſu, Via, Veritas & Vita, tuo ſcriptori larga benignitate ſerenus adeſto: &, per vitam mirabilem Servi tui, mihi via & dux advenire dignare; ut, intellectu deficientis in me ſcientiæ ſerenato, omni veritate ſubnixus, & mortem pretioſam & vitam laudabilem Servi tui digne valeam explicare. Tui, Domine, dicamus, an noſtri? Si verum fatebimur; & tuum illum dicemus, & noſtrum. Nam etſi tui ſolius eſt ſervus; (tu enim ſolus es Dominus, cui omne genu flectitur, & omnis lingua confitetur) noſter tamen conſervus eſt, cum quo communem Dominum, te, habemus. Tuus eſt, Domine Jeſu, Joſeph noſter: quem è cunctis Fratribus præelectum, polymita omnium virtutum tunica & talari ſingulariter veſtiviſti, & in exemplum omnibus poſuiſti; univerſis quidem mirabilem, imitabilem vero paucis. Noſter quoque eſt, Domine Jeſu, tuus Joſeph: quem (ut de tua, Domine, bonitate ſperamus) non ſolum ob ſalutem Fratrum ſuorum & unius familiæ, verum etiam totius Eccleſiæ, de carcere corporis mortis hujus, ad regnum, non jam Ægypti, ſed cæleſtis illius Jeruſalem (quam totis toties votis optaverat) tranſtuliſti. Tuus eſt, Domine Jeſu, tuus Joſeph; quem à primis infantiæ rudimentis, tibi benedictione ſpeciali ſingulariter vendicare, & uſque in finem fortiter conſervare dignatus es. Noſter etiam eſt, Domine Jeſu, noſter Joſeph; quem in terris habuiſſe Confratrem, cum inter nos viveret quaſi unus ex nobis, nunc autem in facie Majeſtatis tuæ pro nobis propitium gaudemus habere Patronum. Per hujus, Domine Jeſu, interceſſionem & merita, ad hoc opus manuum mearum reſpicere, ipſumque dirigere, & tibi ſanctificare dignare: ut ſicut ille laudes ſuas, cum nobiſcum mortalis adhuc viveret, modis omnibus ſubterfugit, ut paucis pauca de ſecretis ſuis faceret manifeſta, ſemper dicens factis, & etiam verbis aliquando, Secretum meum mihi; C ſecretum meum mihi: (ne ſi revelaretur indignis, perderet quod habebat; ſicut etiam mihi aliquando referebat) ita nunc ejuſdem ſervi tui, in tuta omnino ſtatione locati, laudes & merita tu ipſe tuis revelare dignare: ut ille magnificetur per te, & tu, Domine Jeſu, magnificeris in illo, qui numquam in ſe, ſed in te magnificari curavit.

ſuave alloquium ad Jeſum,

Erat Vita hæc diſtincta Capitulis, ſed quibus deerant pro 28 *capitibus ſua ſummaria in Ms. Steinfeldenſi, quæ Chryſoſtomus Vander Sterre ſupplevit. Nos pro capitulis dictis ſubſtituimus numeros, & more noſtro diſtinguimus in capita majora, ſummaria vero lectorum oculo hic ſubjicimus.*

1 Naſcitur Coloniæ Agrippinæ B. Joſeph, & in Baptiſmo Hermannus vocatur.
2 Egregia pueri ſancti infantia
3 Scholis applicatus rara pietate colere incipit Virginem-matrem.
4 Datur Joſepho cum puero Jeſu ludendi facultas.
5 De Chriſti ac Matris ejus atque Sanctorum apparitionibus diſſeritur.
6 Miro modo parvuli Joſeph inopiam ſublevat Mater miſericordiæ.
7 Videt Chriſtum in forma Crucifixi.
8 Duodecimo ætatis anno mundum deſerit, ac Steinfeldiæ candido Præmonſtrati Ordinis habitu induitur.
9 In Friſiam ad ulteriora ſtudia mittitur.
10 Miro modo capitis ejus ſcabies curatur.
11 Miniſterio Fratrum applicitus à Virgine Matre inſtruitur. AUCTORE
12 Quanto fervore ſe in Fratrum ſervitio exercuerit. COÆVO.
13 Ad Sacriſtiæ officium promotus contemplationi vacat.
14 Exercitiis devotionis admodum deditus longis ſe vigiliis ac ſtrati duritie affligit.
15 Suaviſſimo cælitus ad templi ingreſſum ſæpe reficitur odore.
16 Magna ejus erga nomen Virginis Deiparæ reverentia.
17 Videt Angelos in Matutinis Laudibus incenſum miniſtrantes
18 Creberrimis Virginis Matris apparitionibus honoratur.
19 Vocat eum glorioſa Deipara Capellanum ſuum.
20 Poſt inciſam venam incautius dormienti Joſeph Virgo Mater apparet.
21 Deum non ſine ratione Sanctorum ſuorum nomina ſubinde commutaſſe.
22 Quomodo Joſeph vocatus, ac Beatiſſimæ Deiparæ Sponſus effectus ſit.
23 Puerum Jeſum in viſione portandum ſuſcipit, ac Joſephi nomen ei confirmatur.
24 Quomodo aſſumpta vetulæ ſpecie B. Virgo Joſepho apparuerit.
25 Dentes duo B. Joſeph excuſſi à Virgine Matre mirabiliter reſtituuntur.
26 Varie à Deo exercetur beatus Joſeph.
27 Ab immoderato languore ope Sanctiſſimæ Virginis relevatur.
28 Sub Feſta majora gravius affligi ſolet; ac mirum in modum divinitus ſemel confortatur.
29 Quanto amore S. Urſulam & ſocias Virgines Martyres complexus ſit. E
30 Magna precum inſtantia caput unum SS. Virginum obtinuit.
31 Irreverentia cujuſdam erga ſacras Reliquias divinitus punitur.
32 Quomodo in raptu v derit pulchritudinem creaturarum.
33 Cælitus Beati Engelberti Colonienſis Archiepiſcopi cædem prænoſcit.
34 Quantos ſub Altaris Sacrificio mentis ſæpe patiatur exceſſus.
35 Sub prolixo ipſius Sacrificio cerei non tantum combu. rebantur, quantum ſub alterius breviori.
36 Eximius Joſephi erga divina Sacramenta cultus & reverentia
37 Quomodo divinis inrentus, qui alias debilis, ſupra naturam ſæpe roboratur.
38 Cujuſdam ſanctæ Virginis teſtimonio beati Joſeph ſanctitas comprobatur.
39 De meritis B. Joſeph.
40 De Caſtitate Joſeph.
41 De Humilitate.
42 De Caritate ejus.
43 De Patientia ejus.
44 Quod appellatus fuit Lilium Eccleſiæ.
45 De teſtimonio alterius virginis Eliſabeth.
46 Quod additi ſunt vitæ ſuæ novem anni
47 Quod anima Virginis præſentata fuit ei in Altari.
48 Quod viſum eſt caput ejus ardere. F
49 De expoſitione Cantici canticorum.
50 Quod ſcribens non eſt viſus à Fratribus.
51 Miro Dei favore, ne in Contemplatione turbetur, ſæpe à præſentibus non videtur.
52 Quod apparuit ei Dominus ferens ſecurim in manu ſua.
53 Quod languens non indiguit neceſſitate naturæ.
54 Quod bibit de lagena vacua.
55 Quod prædixit locum ſepulturæ.
56 Quod prædixit mortem ſuam.
57 De tentationibus ejus.
58 De receptione gratiæ quam perdiderat.
59 De præoſtenſa B. Joſepho B. Engelberti cæde, ex alio Tractatu teſtimonium.

CAPUT I.

Ortus, pia educatio, ſtudia, cultus Deiparæ Virginis, & hujus apparitiones.

1 HAbuit igitur B. Joſeph locum nativitatis ſuæ, illam inclytam civitatem Coloniam: in qua parentes illius inter ſuos concives admodum honeſti & divites, quantum ad ſeculum, commanebant. Poſt ortum vero illius orta eſt ſimul & rei familiaris neceſſitas; ut jam neceſſe foret ipſum infantem (ſicut ipſo poſtmodum referente cognovimus)

Naſcitur Colonia, honeſtis parentibus.

AUCTORE COÆVO

mus) non in deliciis, ſed in paupertate nutriri. Genitus autem, cum in Baptiſmi lavacro regenerationis Sacramentum acciperet, nomen Hermannus accepit: quod in noſtra lingua, *a* Vir honoris ſive Vir exercitus dici poteſt: quæ utraque expoſitio nominis, ipſi nominato valde convenienter aptatur. Vir enim honoris merito dictus fuit: quem Dominus tamquam diademate gloriæ & honoris, tam in gratuitis quam in naturalibus, coronavit in terris, nunc vero illa inæſtimabili gloria & honore beatam illius animam coronat in cælis. Nec caret corpuſculum ſacrum, licet corruptioni ſubjectum, privilegio honoris ſui: ad cujus ſepulcrum tot miraculorum beneficia ſunt patrata, tanta remedia infirmantibus ſunt collata. Digne etiam Vir exercitus dictus fuit: cujus anima, etiam dum adhuc eſſet fragilitate circumdata corporali, tanto omnium virtutum vallabatur exercitu, ut ei à Sponſo ſuo merito diceretur: Pulchra es & decora, filia Jeruſalem, terribilis, ut caſtrorum acies ordinata: & illud, En, lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt. Ipſe enim puerulus, à tempore regenerationis ſuæ, veri fuit lectulus Salomonis: in quo ipſi Sponſo, ſacri Baptiſmi veſte candida conſervata, ſine intermiſſione placuit deſiderabiliter habitare. Ambierunt hunc Sponſi lectulum inceſſanter ſexaginta fortiſſimi: id eſt, perfectio operum Decalogi; ſive perfecta ſanctorum cuſtodia Angelorum, quibus Dominus Sanctum ſuum in omnibus viis ſuis cuſtodire mandavit.

a Hermannus appellatur,

bene cominato nomine:

Cant. 6.
Cant. 3.

B

2 Electus itaque Dei puer, quem elegit, & ſuper quem poſuit Spiritum ſuum, in infantia teneriore ſub paupertate nutritus, didicit jam tunc nulli animum ſubdere voluptati; ſed ſubdi parentibus & quibuſque majoribus cum metu & reverentia, & eum coævulis ſuis ſocietate benigna & ſociali benignitate connecti. Nulla illi protervia vultus, & verborum blaſphemia, & inordinata omnium membrorum diſjectio, quæ pleroſque infantium noſtri temporis maculare conſueverunt; ſed vultus omnino ſerenus, oculique blandiſſimi, & qui, quid intus contineretur in corde, lætificis quibuſdam ſcintillulis emicantibus demonſtrarent. Habuit ſane hanc gratiam uſque ad finem vitæ mortalis; ut ſiquando ſine invidia videretur, tam vultus illius, quam oculi omnimodis columbini, & ſpiritualis lætitiæ plenitudinem in ſe oſtenderent, & in ipſum intendentibus miniſtrarent. Oris cuſtodiam ita ab ineuntis ætatis tempore ſtuduit conſervare, ut neque nos, qui cum ipſo una in domo pariter habitare conſuevimus, verbum jactantiæ aut contumeliæ, aut opprobrii vel maledictionis in quemquam, aut turpiloquii aut ſcurrilitatis alicujus, multo minus detractionis aut mendacii, audiverimus aliquando. Nonnumquam tamen (ne eſſe ſuper hominem videretur omnino) ad diſſimulandum quod erat, cunctis ſe ſocialem exhibuit; & jocis blandiſſimis, quibus ſeipſum deprimeret & alios in lætitiam erigeret, utebatur. Sed quia in hæc quadam præoccupatione dilapſi ſumus, jam nunc ad illius infantiæ rudimenta manum ſimul & animum advertamus.

C

in lingua non offendit.

inter ſtudia litterarum

3 Septennii tempus cum puer Domini attigiſſet, ſtudiis eſt applicitus litterarum: ad quas pro poſſibilitate puerilis ingenii capiendas, Dei docibilis ſatis habilitatus eſt. Mox mirum in modum divino Spiritu inſpiratus, totus ad Dei ſervitium puerulus eſt converſus: & ceteris conſcholaribus ſuis (ſicut moris eſt) feſtivis diebus ludentibus, hic ſe ab eorum conſortio ſegregabat, & *b* monaſterium B. Mariæ Virginis & Dei Genitricis ingreſſus, ante illius imaginem, formam Jeſu in ſinu gerentem, conſtare conſuevit; & modo cum imagine Matris, modo cum Filii, tamquam cum vivis, columbinæ ſimplicitatis puerulus, loquebatur *c*: & ſiquid forte manu gerebat panis aut fructuum, (ut pueris eſt conſuetum) nunc Matri, nunc Filio porrigebat. Opinata valde eſt, & à ſuis familiaribus nobis tradita, res miranda, quam loquar. Stetit aliquando (ſicut ſibi morem fecerat) ante iconem beatæ Virginis puer ſanctus, & pomum quod tulit, illi cum magna inſtantia & devotione præbebat. Et ecce, benigna Mater, ut devotionem pueri commendaret, & ne ſibi devotum contriſtaret infantem, imaginis manum extendit, & porrectum ſibi munuſculum de manu pueri gratanter accepit. O vere beata pueri innocentis infantia, quæ tam tempeſtivis revelationibus meruit conſolari! Quid torqueris, ô invidia? Expecta paululum, & rumpêris. Magis vero convertere, & ſanare; ut cum caritate hunc puerum noſtrum poſſis inſpicere, & dicere cum his, qui tantum principium cum gaudio admirantur: Quis putas puer iſte erit? in quo non dubie manus Domini operatur.

b pie veneratur imaginem Deipara,

c

D

& eidem pomũ offerto

4 Uberiori gaudio Mater gaudii tantum gaudium multiplicare dignata eſt, crebrioribus de cetero & manifeſtioribus revelationibus ſuo ſe puero manifeſtans. Cum igitur die quadam (ſicut conſueuerat) ſe cum ludentibus non commiſcens, puerulus monaſterium introiiſſet, vidit juxta pulpitum, quod in medio eccleſiæ ſitum eſt, in eminenti quadam via, in ſpecie viventis virginis, beatam Virginem, virginum Reginam, & cum ea cuſtodem ipſius Virginis Joannem Euangeliſtam; & coram Matre puerum Jeſum, ſe cum Joanne quaſi quibuſdam puerilibus luſibus exercentem. Et dum ſtaret puer noſter, mentem & oculos in eos cum delectabili admiratione & admirabili delectatione defigens, vocavit eum nutu manus & voce Mater benigna, puerum proprio nomine familiariter ſic appellans: Hermanne, adſcende ad nos. At puer, Quomodo, inquit, adſcendere potero, cum chorus ſit clauſus, & ſcalam, per quam adſcendam, non habeam? Cui beata Mater; Tenta, ait, ſi quo modo poſſis: quia te juvabo, porrigens tibi manum. Paruit puer: & dum non prævaleret; benigna Matre manum ſibi porrigente, adſcendit ad illos. Solebat autem familiaribus hoc narrare, quod dum niteretur adſcendere, clavi unius ferrei, qui ad munimentum Chori affixus erat, ſenſibilem quidem, ſed non viſibilem, juxta locum cordis, fixuram accepit: quam etiam multis poſtea temporibus cum dolore portavit: dixitque, fixuram illam fuiſſe præſagium multarum tribulationum & dolorum, quos poſtea, tamquam crucem ſuam, quotidie uſque in finem vitæ ſuæ portavit. Semper enim (ſicut poſtea refram, Domino adjuvante) cum profeciſſet in virum, tribulationibus corporis vel doloribus cordis, vir miræ innocentiæ vexabatur. Cũ vero in pulpitũ adjutorio beatæ Matris ſuperius adſcendiſſet; ipſa monente, puero noſtro cum puero Jeſu data eſt ludendi facultas: beata Matre ſedente, & ludos pueriles familiariter inſpectante. Et cum in tam mirabili delectatione aliqua pars diei tranſacta fuiſſet; appropinquante Officio veſpertino, puer, ea qua juvante & jubente adſcenderat, etiam tunc miniſtrante, deſcendit, eamdem conſolationem eodem in loco ſæpius accepturus.

E

à qua ſibi apparente cũ Ieſu & Joanne Euangeliſta

invitatur ut accedat:

eaque manũ porrigente aſcendit

F

accepta prope cor fixura;

& colludit puero Ieſu,

d

5 Solent *d* à legentibus, in his factis puerilibus, non pueriles quæſtiones moveri: quas quidem tangere, non autem ſolvere decrevi: quia me fateor ignorare, & velle doceri potius quam docere. Quærunt autem, quomodo Dominus Jeſus, qui ſine dubio in ea carne, quam aſſumpſit de Virgine, abiit in cælum; ſive etiam, quo modo eadem beata Virgo, de qua præſumitur quod ipſa quoque cum corpore ſit

qua id forma apparitionis potuerit contigiſſe.

A sit assumpta; soleant hominibus apparere: videlicet, utrum in eadem carne, quam habent, an tantum in anima: & an anima tunc à corpore separetur: vel quomodo maneat in corpore in cælo; & tamen nobis sine corpore illo, vel etiam cum quo corpore appareat: an aliquis Angelorum pro ipsis appareat, quod etiam quæritur de animabus Sanctorum, quorum corpora sunt in pulverem resoluta. Hæc autem quocumque modo, mihi incognito, fiant; quod tamen fiant, salva fide Christiana, cognosco. Nec enim dubium jam est, Dominum Jesum, post adscensionem suam, & beato Petro & Paulo apparuisse & aliis multis, quod testimonio Scripturæ poterit confirmari. Quod quidem de Deo non est difficile ad credendum: cujus Divinitas intra omnia est, sed non inclusa: extra omnia, sed non exclusa: quæ etiam sine humanitate assumpta, per ministerium creaturarum suarum, quocumque modo vult, potest se hominibus revelare. De beata autem Virgine Maria (si cum corpore simul assumpta est) & de animabus aliorum Sanctorum, vel etiam damnatorum, mihi magis incognitum est, quo modo revelentur: quod tamen revelentur, usus Ecclesiæ jam recepit. Scriptum est enim, & legitur in Ecclesiis, B & in publico recitatur, ipsam apparuisse *e* Theophilo & aliis quibusdam: Christum quoque, cum discipulorum numero, apparuisse B. Joanni Euangelistæ, de seculo migraturo. B. Gregorius quoque refert, beatos Martyres Joannem & Paulum cuidam apparuisse matronæ, & pro oblationibus suis illi gratias reddidisse: & à nonnullis Sanctorum visæ sunt etiam animæ damnatorum. Exercitent se in istis,

Horat. l. 1 Serm. Ingenium quibus est, & mens divinior, atq; os
Magna sonaturum:

sufficiat mihi & lectoribus meis, rei veritatem tenere, etsi eam non possumus comprehendere ratione: quæ certe nonnulla est; licet mihi adhuc forte non fuerit manifesta.

6 Cum die quadam, secundum consuetudinem suam, ecclesiam beatæ Virginis puer Domini introiisset, & in asperitate brumali nudis incederet pedibus; videns puerum Mater misericordiæ, in tanto frigore corporali, à cordis fervidi devotione minime tepuisse; consueta sibi misericordia mota est. Et advocans parvulum, statuto coram facie sua ait: Quare in tanto frigore nudis incedis pedibus? Respondit puer: Non habeo calceos. Sciens autem beata Mater, parentes pueri rei familiaris inopia laborare, dixit illi: Vade ad *f* lapidem illum (& lapidem digito demonstravit) & sub eo quatuor denarios invenies, quos tolles, & cum eis tibi calceos facies comparari. Credidit puer fidelis, & paruit jussis: & sicut fuerat demonstratum inveniens, ad altricem suam, beatam Matrem, rediit cum denariis lætabundus. At illa subjecit: Quotiescumque aliquo indigueris; calceis, tabulis, aut stylis, aut aliis necessariis; ad locum accedes eumdem, & invenies denarios, quibus tua necessitas sublevetur. Quis hæc referre, scribere, credereve præsumeret; si non paucis diebus ante mortem suam, pia calliditate inductus à nobis, hæc nobis confessione propria prodidisset? Gratias tibi Domine Jesu Christe; quod hæc ex confessione beati oris illius me noscere voluisti. Hac inaudita & tam mirabili veritate constante; quid erit, quod de te credi non possit, ô beatissime parvulorum? Sed non minus mirandum reputo, quod subscribo. Non diu latuit alios pueros, ubi puer purissimus toties sibi necessaria reperiret, & ad locum accedentes eumdem, diuque quærentes, nihil talium poterant invenire; haud dubium, quod eos à tali solatio magna meritorum distantia & prærogativa specialis gratiæ separaret.

Deipara alloquente & monstrante

C

f invenit pecuniam pro calceis

& aliis rebus necessariis.

AUCTORE COÆVO

7 Revelavit se post hæc puero suo, nostro Samueli, ipse Dominus Jesus, non in forma pueri, sed in specie Crucifixi, revelavit autem sic. Contigit in civitate Colonia nonnulla domorum mœnia incendio conflagrare, ubi puer Domini vicinus tunc temporis habitabat. Ruentibus multis, ut, si possent, sedarent incendium; vel (sicut moris est) saltem inspicerent; beatus puer etiam inter alios festinus accurrit. Et ecce, mirum in modum in medio incendii *g* Basilica quædam stabat: quæ licet undique ignibus premeretur, protectione divina permansit inusta. Admirantibus cunctis, & miraculum sibi invicem demonstrantibus, puer admirabilis cœpit hæc cum ceteris admirari: cumque Basilicam diligentius admirando respiceret, ecce, apparuit illi Dominus Jesus in specie Crucifixi, stans in una parte summitatis Basilicæ non ardentis. Sensit & intellexit puer sensatus, illam partem Basilicæ, propter præsentiam Crucifixi, non ardere. Sed rursus pueriliter est dubitare permissus, ut mirabilibus mirabiliora succederent, quare in aliis Ecclesiæ partibus, in quibus formam Crucifixi non vidit, non posset incendium dominari. Et cum omnes Ecclesiæ partes curiosius circuiret: quocumque se vertebat, eamdem speciem Crucifixi, in omnibus partibus contra se stare prospexit, & domum propriam ab incendio defendantem. Mirabatur sane tunc corporaliter fieri, quod etiam spiritualiter multo potius fieri postmodum est expertus: videlicet, fidem & memoriam, & maxime imitationem vitæ Domini crucifixi, contra omnia vitiorum incentiva valere, ut vere posset dicere cum Psalmista: Psal. 137] Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me Domine; & super inimicos meos extendes manum tuam, & salvabit me dextera tua.

in incendio publico

g videt ecclesiam à Christo crucifixo super eam apparente conservari.

E

F

ANNOTATA.

a *Germanis transposita aspiratione*, Ehr *significat* honorem; Hêr, exercitum; Man, virum.

b *Vressenich dicit ingressum* Ecclesiam, quæ dicitur Alta. *Vander-Sterre conjicit esse* monasterium sive Ecclesiam B. Mariæ in Capitolio: *& plures ecclesias B. Mariæ enumerat; quod pluribus præstat Gelenius in Sacrario urbis Colonienſis.*

c *Addit Razo* Plus dico: pia quadam audentia tentare cœpit, num quod puer Jesus tenebat, è manibus ejus posset evellere.

d *Quæ hoc numero seu capitulo habentur, ut superflua sunt omissa à Surio. De Apparitionibus divinis luculenter disseruit Petrus Thyræus. Sed & Alvarez de Pas tomo 3 Operum spiritualium lib. 5 par. 3 cap. 10 tria genera apparitionum recenset. Quæ aliaque pluribus deducit Vander-Sterre.*

e De S. Theophilo Vice-Domino *& apparitionibus illi factis egimus 4 Febru. De aliis hic indicatis agendum erit 27 Decemb. & 26 Junij.*

f *Raderus par. 2 Viridarii sacri cap. 5 hæc aliter narrat: quasi B. Hermannus, suggerente matre sua, petiisset à Deipara pro se & matre sua epulum & victum, & jussus esset significare matri suæ, conditum esse aurum sub lare domestico: quo reperto mater inde familiam aluisset.*

g *Razo* Sacellum *appellat.*

AUCTORE COÆVO

CAPUT II.

Ingreſſus in Ordinem Præmonſtratenſem: ſtudia, miniſterium refectorii.

8 IN tantis revelationum conſolationibus infantia teneriore decurſa, quæ ex plurima multitudine ad noſtram notitiam pervenerunt pauciſſimæ, ſtatim ut potuit perſentire, quid eſſet; benedictionem dulcedinis, qua præventus erat à Domino, indiciis evidentibus puer Domini declarare ſtudebat. Et cum jam circiter duodecimum ætatis annum ageret; relicta lata & ſpatioſa via ſiniſtri lateris, quæ multitudinem hominum per eam gradientem deducit ad mortem; arctam & anguſtam viam dexteræ, per quam graditur paucitas ſalvandorum, fortiter concupivit. Jam enim totum mundum peſſimarum cupiditatum incendio conflagrare conſpexit, & ſolos illos à mortiferis æſtibus poſſe ſalvari, qui ſub ſalutares alas confugerent Crucifixi: ſicut ſibi per ſalvatam, protegente Crucifixo, Baſilicam corporaliter fuerat demonſtratum. Sapienter ergo breviterque decrevit, mundus adhuc mundum immundum relinquere, & inconfuſus recedere de medio Babylonis. Appoſuit igitur gratiam concomitantem Dominus, qui gratis dederat gratiam prævenientem, & gratiam perficientem daturus erat: &, per quoſdam notos ſuos, illum itinere proſpero in eccleſiam Steinfeldt, Colonienſis Diœceſis, Ordinis Præmonſtratenſis, perduxit. Benedictus Dominus Deus ſalutarium noſtrorum die quotidie: qui tanto puero proſperum fecit iter, ut ad domum noſtram in nomine Domini perveniret. Cumque ibidem aliquo tempore moraretur, antequam habitu monaſtico veſtiretur; contigit Dedicationem capellæ S. Michaelis Archangeli advenire. Habet autem idem Archangelus capellam in eccleſia Steinfeldienſi, in eminenti loco, ſuper teſtudinem, in parte Occidentis ſitam: cujus Occidentalis murus, tunc temporis pro quadam neceſſitate fuerat in modum januæ patefactus. Stante itaque puero Angelico in proſpectu capellæ beati Archangeli, vidit per prædictam januam muri Occidentalis, quamdam flammam tantæ quantitatis erumpere, cum tanto impetu & violentia, ut totum monaſterium intrinſecus timeret incendio jam conſumi. Jam jamque clamaturus erat, & opem ferri ardenti monaſterio petiturus; ſed repreſſus puerili pudore & humilitatis verecundia (qua uſque ad finem vitæ, etiam ſuper ipſum ſexum femineum, moderabatur in omnibus) vel potius ipſum gratia interiore docente, ſilentio ſe continere decrevit, donec rei exitum comprobaret; quoniam omnes circum aſtantes vel non videre, vel diſſimulare, nimium mirabatur. Ipſe autem ignis, mirabiliter viſi, alium non vidit effectum, niſi quod ad ſuſcipiendum Religionis habitum novo & tam valido ſuccendebatur affectu, ut ſe à ſuſceptione illius, præ dulcedine flammæ & flamma dulcedinis, quam intus acceperat medullitus, graviſſime contineret. Jam enim & ipſe totus in quemdam ignem Divinum converſus erat, ut illi in habitu Angelico miniſtraret, qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem: quorum miniſterio, in ſua feſtivitate in ignis viſione apparentium, Angelum noſtrum credo tam valide fuiſſe ſuccenſum; ut agnoſceret illum iguem ſpiritualem fuiſſe, qui non corpora ſed ſpiritum ſuccendiſſet.

Anno ætatis duodecimo

confert ſe ad cœnobium Steinfeldēſe Ord. Præmonſtratēſis: Pſalm. 67.

ex capella S. Michaëlis,

in viſione intuitus flammas erūpere

ad ſuſcipiendum candidum habitū ſuccenditur,

B

C

9 Suſcepto tandum, ſecundum deſiderium ſuum, niveo ſacræ Religionis amictu; cœpit puer religioſus, tam apud Deum quam apud homines proficere ſapientia & ætate: & quia nondum annos diſcretionis attigerat, ante quos in monaſterio illo pueri ad Religionis habitum *a* recipi non ſolebant, miſſus eſt in *b* Friſiam cum aliis coævulis ſuis, & ut ætatis ſcandalum tolleretur, & ut in ſcholis proficeret in doctrina. Profecit itaque ſuper omnes coætaneos ſuos, tam in ſcientia, quam in moribus: ita ut ſe doctorem minoribus, & Angelum ſociis exhiberet. Nihil vitiorum in illo, quo illud genus hominum (ſcholares dico) implicari videtur (videlicet, inſolentia, mendacium, inobedientia, ſimulationes, rixæ, contumeliæ, lacerationes, & verba, verborum ſcurrilitas, ſed & cordis gravitas ad doctrinam) inerat: magis autem quadam ſpirituali alacritate perfuſus, ad diſcendum promptus, ad quælibet injuncta obediens, ita mirabiliter coætaneis ſuis morem gerebat; ut & apud illos ſpecialem favorem, & apud Deum gratiam mereretur. Tum vero in nomine Domini Jeſu miro ſuccenſus affectu, nihil illi in omni doctrina libebat audire, quod non ſalutare nomen Domini reſonaret. Quoties more puerorum fabulas poëtarum vel diſcere jubebatur vel legere, non ſuſtinuit patienter: imo & ipſos ſe docentes, ſuper quos jam intus ſpirituali unctione docente profecerat, reprehendit; aſſerens, quod Deo vero contumeliam irrogarent, falſorum deorum nomina in poëtarum libris etiam recitando. Solebatque nobis poſtmodum de quibuſdam magiſtris ſuis, qui ceteris religione præminere videbantur, narrare: ſe non ſufficere admirari, quod viri religioſi in ſcriptis poſſent poëticis delectari; cum tanta ſint ſcripta, veritate ſubnixa, per quæ ad Dei poſſit notitiam perveniri. Quis enim niſi ſtultus quærat lilium inter ſpinas, unde ſine punctionibus non poſſit abſtrahi, quod facilius & utilius ſine læſione poſſit acquiri? Nominare Jovem omnipotentem, Junoni nomen divinitatis attribuere, jurare per Herculem & per Caſtorem, quibuſcumque falſitatibus delectari, ſpinæ ſunt, & lacerant animam, quibus puer Domini animæ ſuæ temerari noluit puritatem, qui jam in ſolo & vero Deo didicerat delectari.

habitu ſuſcepto,

a

b

miſſus in Friſiam, ad ſtudia perficienda in doctrina & pietate proficit:

vitia evitat:

D

E

nec fert fabulas poëtarum:

10 Tango rem breviter, non perfunctorie tranſeundam, ſed magna animi conſideratione penſandam: quantam enim curam de pueri ſui puritate Pater miſericordiarum geſſerit, in hac re liquido apparebit. Contraxerat aliquando puer beatus, à patre & matre derelictus, ſed à Domino aſſumptus, tantam capitis ſcabiem, ut inter conſcholares ſuos non poſſet ſine verecundia comparere. Erant enim ei moleſti, & deridebant eum (ſicut eſſe ſolet illud genus hominum inquietum) & puer, licet patiens & quietus, ad quotidianas ſubſannationes animo tabeſcebat, & rubore verecundiæ urebatur. Vidit itaque Dominus continuam afflictionem tam mentis quam corporis, ſibi pauperis derelicti, & mirabiliter in adjutorium pupilli fidelis adjutor intendit: nam nocte quadam, cum corpuſculum ſopori dediſſet, ſenſit leniter quoddam animal (neſcio an reptile ſeu volatile) advenire, & roſtro ſuo cum tanta cautela totam illam purulentam ſcabiem amputare, ut nihil de ea reſidui remaneret, & puer Domini in illa corroſione nihil moleſtiæ ſuſtineret. Secuta eſt è veſtigio totius capitis integritas & puritas indilata: *c* ita ut, cum ſequenti die ad conſcholares intraſſet, omnibus inopinata in eo ſanitas appareret: & quia res tam manifeſta celari non poterat, irruunt ad puerum ſigillatim, & cauſam tam ſubitæ ſanitatis inquirunt. Aperuit ille, quantum potuit, quod factum fuerat, ſimplicitate conſueta: ſed corde exhibi-

F

laborans enormi capitis ſcabie

miraculoſe per viſum ſanatur:

c

A exhibitam ſibi Domini miſericordiam collaudabat. Vere Dominus memor dictorum, quæ per Prophetam locutus eſt: Tu, Domine, laborem & dolorem conſideras: tibi enim derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor. Et iterum: Ego autem mendicus ſum & pauper: Dominus ſolicitus eſt mei.

Pſal. 9.

Pſal. 39.

reverſus Steinfeldiã,

miniſterio refectorii deputatus,

11 Verum ubi, poſt profectum ſcientiæ & morum, puer Domini à Friſia ad propriam eccleſiam eſt reverſus; ad ſerviendum Fratribus in refectorio cum Fratre alio, ſe majore, eſt aliquando deputatus. Quod officium licet devotus impleret; triſtabatur tamen non modicum, quod præ corporali labore continuo non potuit conſuetis & debitis orationibus, lectioni ac contemplationi vacare. Doluit enim auferri à ſe partem optimam, quam jamdudum elegerat: videlicet, aut ſedere ad pedes humanitatis tuæ, Domine Jeſu; aut audire verbum tuum, quod & ore & exemplis nobis miniſtrare dignatus es; aut aſſumptis alis columbæ, cum illis quatuor animalibus, ad Divinitatis tuæ faciem ſubvolare, guſtareque & videre tuam, Domine, ſuavitatem: quam illi profecto perfectius percipere conſueverunt, qui actu fuerint minorati. Senſit hoc puer; qui jam in adoleſcentiæ proceſſerat pubertatem: & ægre à ſpecioſæ Rachelis avellebatur amplexu. Videns igitur Mater miſericordiæ, adoptatum ſibi filium, pro cauſſis hujuſmodi graviter animo tabeſcentem, ſuam illi præſentiam exhibere curavit: & conſueta illi ſuavitate blandita, quomodo ſe haberet, ſciſcitata eſt. At ille, ſe competenter habere reſpondens, hoc uno ſe aſſeruit valde gravari: quod quotidianis gravatus laboribus, orationibus conſuetis vacare non poſſet; & præcipue illis, quas ſecundum Ordinis conſtituta deberet. Sentiens pia Mater, adoleſcentem zelum quidem bonum habere, ſed non ſecundum ſcientiam; brevi quidem, ſed eximia illum ſententia ſic inſtruxit: Scias, inquit, nullum majus debitum te debere, quam ut in caritate ſervias Fratribus tuis. Dixit, & fecit intelligere docibilem adoleſcentem, quod dixerat: ut depoſita timoris ſarcina, Fratribus de cetero cum ſecuritate ſerviret. Neceſſarium reor murmuratores in hoc præſenti ſermone moneri, qui ad omne officium ſibi injunctum remurmurant & oblatrant; & cum convenientes excuſationes ſuæ pigritiæ, & (quod periculoſius eſt) inobedientiæ invenire non poſſunt, in injunctis officiis ſua ſe prætendunt devotione fraudari. Cuncta pene monaſteria talibus querimoniis ſunt repleta: in tantum ut vita Prælatorum (quibus incumbit de ſingulis officiis ordinare) per tales ad amaritudinem perducatur. Audiant utinam, utinam & exaudiant, Matris Domini Jeſu plenum auctoritate reſponſum: nullum magis debitum ſe debere, quam Fratribus cum caritate ſervire. Sciant etiam, tale ſervitium debito ſibi præmio minime cariturum; cum ſervorum bonorum, fidelium, & non pigrorum, remunerator advenerit Chriſtus Jeſus, qui ſervum pigrum, à bono torpentem opere, pro ſola pigritia condemnabit. Timeas, ô Frater, quicumque [talis es], pigri te ſervi, & talentum ſibi creditum nolentis expendere, ſententia condemnandum; ſi cor ad meditandum, linguam ad corrigendum, vocem ad cantandum alacriter & legendum, manus ad operandum, pedes ad ambulandum, in injunctis tibi officiis nolueris exercere: ſemper habens in mente, talentum eſſe Domini tibi creditum; quidquid in omnibus animæ viribus, quidquid in omnibus membris corporis, tibi à Domino, diſtricto judice, eſt collatum.

dolet tempus orationi dã. dum deeſſe,

B

à Deipara apparente,

docetur in caritate Fratribus ſervire:

C

12 Sacræ Matris colloquiis & monitis adoleſcens docibilis confortatus, cœpit ſecum altiori tractare conſilio, cujus in hoc ſervitio formam videretur habere: & occurrit animo ejus (ſicut ipſe nobis in gaudio ſpiritali narrare ſolebat) ille ſummus & humillimus ſuorum ſervus ſervorum, Dominus Jeſus: qui ut ſe ſervum oſtenderet, ſervitium ſuum & verbis pariter & exemplis oſtendit. Et verbis quidem: Quis, inquit, major eſt? qui miniſtrat, an qui recumbit? nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat: Filius enim hominis venit, non miniſtrari, ſed miniſtrare. Docuit hæc verbis Chriſtus Dominus: ſed & humillimis hæc implevit exemplis. In tantum enim ſe inclinavit Dominus Majeſtatis, ut ſervorum ſuorum pedes lavaret, coram illis etiam corpore inclinatus, & extergeret linteo, quo erat præcinctus *d*. Tanti Domini, ſervientis ſervis ſuis, formam ſe gerere humilis Frater noſter, ſerviens Fratribus ſuis, ſemper in corde gerebat: ex quo tanta ſe ſenſit alacritate portari, ut quotieſcumque tale Fratribus ſervitium exhibebat, non ſe ire aut currere, ſed potius volitare putaret, nimirum animi levitate in levitatem corporis tranſeunte. Magna diſtantia beati Fratris hujus à pleriſque Fratribus, qui vel ſuperbia eriguntur, vel gravantur acedia, ne in ſpiritalem lætitiam erigantur, vel humiliter inclinentur ut Deo miniſtrent in Fratribus, & Fratribus propter Deum. Diſcant exemplo præſenti, non ſolum ſine murmure, verum etiam humiliter & alacriter Fratribus miniſterium exhibere: & diſcant glorificare Deum & Dominum Jeſum, cujus miniſtrantis figuram in corde & corpore ſuo portant: videantque nihilominus, quantam miniſter noſter ex miniſterio ſuo fuerit gratiam conſecutus. Nam Domini Jeſu (cujus ſe formam gerere recognovit & ſenſit) gratia debriatus, & ſpirituali ſatietate refectus, multo tempore, famis & ſitis corporalis detrimenta non ſenſit; ita ut ultra quam credi poſſit, abſtinentiam protelaret, pia fraude circumveniens Fratrem illum, cum quo in refectorio pariter *e* ſerviebat. Inveniens quippe cauſas, propter quas vel ante vel poſt illum comederet; illo ignorante, ſimplicis panis & aquæ, quaſi conſuetudinaria fuit refectione contentus. Mira gratia! ut propter abſtinentiam diuturnam, nec in corporali labore deficeret, nec tanto tempore acceptæ divinitus perderet gratiæ ſuavitatem.

exemplo humillimi Jeſu propoſito

Lucæ 22

Matth. 20.

Joan. 13.

d

ſumma alacritate ſibi ſeruit:

E

& abſtinentiæ valde dediitus.

F

ANNOTATA.

a *Non recte Razo initio cap. 5 ait.* Ne ullus eum caſus auferre ſibi poſſet, quod per ætatem nondum licuit, ad Profeſſionem eum Fratres ſuſcipiunt: injurium eſſe nequaquam rati à legibus hominum eximi eum, quem lege Dei duci jam certo noverant.

b *Multis inquirit Vander Sterre, quo in loco Friſiæ ſtuduerit, & arbitratur ſcholam erectam aut in Horto S. Mariæ vulgo Marienwêrdt, aut in Baccavena. De utroque loco egimus 30 Martij ad Vitam B. Dodonis de Haſcha.*

c *Amplificans hæc Razo*, Hac, *inquit* viſione dum miro modo afficitur, repente ſomno excutitur. Tentat primum, ut fieri ſolet, an quæ viſa fuerant, ita ſe haberent & miratur: iterum iterumque locum manu contrectat, comperitque tandem non fuiſſe quod viderat inane phantaſma, ſed veram medentis manum.

d *Hunc locum allegat & explanat Aluarez de Paz tomo 2 Operum ſpiritualium lib. 3 par. 5 cap 13.*

e *Addit Razo, id ſemper jejunum facere ſolitum.*

AUCTORE COÆVO

CAPUT III.

Officium ſacriſtæ. Contemplationes: miri odores collati: reverentia ergo nomen Mariæ, ejuſdem apparitiones variæ.

13 MUltis itaque Dei electus, in officiis ad activam vitam pertinentibus, beneficiis ſublevatus, (per hanc enim ad contemplativam iter eſt ordinatum, ut per laborem Liæ ad Rachelis adſcendatur amplexus; & Sponſa ſe prius denigratam eſſe, & filiorum matris ſuæ pugnas ſuſtinuiſſe, declarat, antequam in Regis cellaria duceretur) tunc demum juvenis ſpecioſus ad Sacriſtæ officium eſt vocatus, in quo plenius & ſecurius poſſet contemplationi vacare. Sic enim Dominus (qui omnia ordinate diſponit) electi ſui vitam voluit ordinare, ut manu ſciret utraque pugnare: ne, ſicut plerique Fratrum, in actione fieret diſſolutus, & in contemplatione remiſſus. Multi enim videntur, qui cum ingrediuntur ad contemplandum, ad neceſſariæ actionis opera numquam volunt exire, & omnem corporalem laborem ſubterfugiunt obſtinate; in tantum, ut tandem in acediæ torporem dilapſi, etiam in contemplationis virtute deficiant: nec ad illam revocare ſe ſciant, ad quam aliquando animus (ſicut eſt humana infirmitas) tepefactus, per activæ [vitæ] exercitia revocatur. Alii vero cum foras, neceſſitate poſcente, egrediuntur ad opera actionis; ita ſe totos effundunt in illa, ut contemplationis præteritæ nec ſaltem meminerint, nec ab illa doleant ſe avulſos, nec ſe ad illam cogitent reverſuros. Non ſic Frater noſter à Domino & Magiſtro optimo noſcitur inſtitutus: ſed ſic officium actionis exercuit, ut labores corporis alacritate ſpiritus temperaret, ne diſſolutio ſequeretur: ita ad contemplationem pertinenti inhæſit officio, ne tamen ad exercitium corporale fieret tepidus aut remiſſus: & ſic, exemplo Aod, athletæ fortiſſimi, utraque manu utebatur pro dextera; dum utraque vita non minus ſapienter quàm fortiter uſus eſt, ut per utramque ad deſiderabilis dexteræ ſponſi anhelaret amplexum.

Cant. 1.

Ad Sacriſtæ officium promotus,

labores corporis alacritate ſpiritus ſublevati:

Judic. 3.

14 Antequam cetera contexam, neceſſarium puto, commonere lectorem, ne cuncta, quæ de Fratre noſtro proponimus explicare, in conſequentiam ſibi trahat: magis autem ſciat, quædam ſic eſſe ſcripta, ut ea tantum miremur in eo qui fecit; &, qui ea per hominem facere voluit, Dominum collaudemus: quædam vero ob hoc ſcriptis noverit exarata, ut ea etiam imitemur. Si enim ea, quæ ſuper naturam ſunt, Sanctorum exemplis incitati, voluerimus imitari; non ædificationem, quam quærimus, ſed ruinam potius inveniemus in illis. Item, ſi in Sanctis omnia quæ de eis ſcribuntur, tantum voluerimus admirari; in noſtra tarditate manebimus, & ſine fructu noſtro, Sanctorum ſcribentur & legentur exempla. Proinde lectorem moneo, diligenter attendere & diſcernere ſapienter, quid admirandum & quid imitandum ſit: ut in admirandis, Deo, mirabili in Sanctis ſuis, digna gratiarum actio referatur; in imitandis vero, per exempla virtutum, vita legentium emendetur. Non enim hæc me ſolum movet intentio, ut Fratrem prædicem, & magnificem Dominum; ſed etiam, ut legentes per meæ miniſterium paupertatis aliquid utilitatis acquirant. Sed jam ad narrationis ordinem redeamus. Accepto officio, quod contemplationi quam plurimum competebat, mirum in modum (tamquam tunc primum ad ſervitium divinum accederet, qui prius alios ſuperaverat in omnibus exercitiis ſpiritalibus) fervore ſpiritus excitatus, cœpit ſemetipſum etiam ſuperare. Nequaquam enim communibus vigiliis orationibuſque contentus; novas ſibi, ſuæ devotionis dulcedini reſpondentes, nec non & ipſam devotionem mirabiliter excitantes, orationes compoſuit, & *a* plurimas gratiarum actiones; quibus ſibi ad memoriam revocavit omnia, quæ Dominus Deus humano generi beneficia contuliſſet. Præcipue in Matrem Domini, ſuſceptricem ſuam, fervore mirabilis devotionis exarſit: quam etiam novorum verborum *b* gaudiis, gaudia ſua ipſi referentibus, & multiplicato Angelicæ ſalutationis verſiculo ſalutavit. Addidit & ſingulis gaudiis & ſalutationibus genuflexiones ſingulas: & talibus exercitiis, tam corporalibus quam ſpiritualibus, maximam noctis partem deduxit inſomnem. In tantum autem talibus vigiliis & orationibus operam dedit, ut modum humanæ naturæ excederet; & nullus Fratrum, illius vigilias obſervantium, per aliquod tempus illi ſimiliter vigilare valeret. Tanta quippe orationum, contemplationum & revelationum dulcedine ferebatur, ut corporalium neceſſitatum oblitus, ſolius ſe ſpiritus pabulo crederet victitare. Fecerat itaque ſibi conſuetudinem (quia cuſtodia monaſterii penes illum erat) in talibus ſtudiis uſque ad tempus matutinalis Officii vigilare: & cum per primæ campanæ ſonitum Fratribus dormientibus ſignum ſurgendi dediſſet; ipſe ſe lectulo reclinavit, donec ad tertiæ campanæ ſonitum (facto ſigno nolæ in dormitorio, ut Fratres chorum intrarent) ipſe quoque cum ceteris introivit, & Officiis interfuit matutinis. Nonnumquam à Patre domus & à Fratribus monebatur, ne tam inhumanis ſe laboribus cruciaret: ſed non potuit in illo deſiderabilis dulcedinis & dulcis deſiderii vehementia cohiberi. Habuit enim corpus ſatis habile ad laborem, & ex aptis lineamentis compoſitum, & bene ex primis componentibus ordinatum, quod non credebat poſſe laboribus aliquibus exhauriri. Addidit & his laboribus ſtrati duritiam, capite ſuper lapidem & corpore ſuper ligni duritiam requieſcens. Totum enim præſentis vitæ tempus reputans pœnitentiæ deputatum, ſuperfluum reputabat & vanum, ſiquid miſero corpori indulſiſſet. O quam diſſimilis nobis miſeris, qui toto conamine, ne in plenis ſemper ſimus laboribus, reluctamur.

componit novas preces ad Deum & Deiparã:

b

plurimum vigilat

uſque ad primum pulſũ ad Matutinum:

in duro ſtrato recumbit:

15 Raptum igitur tanto ſpiritus impetu, corpus prementem, ſpiritum elevantem, & in cunctis ſe virtutibus exercentem, beatum juvenem amplior eſt gratia conſecuta; ſervo cum Domino, diſcipulo cum Magiſtro, quaſi quodam certamine dimicante. Quaſi contendebat Dominus & Magiſter, ſervum & diſcipulum ſuum in cunctis benedictionibus dulcedinis prævenire, & diverſas illi gratias miniſtrare: ille quoque quaſi è contrario decertabat ſequi toto ſtudio, quacumque ſe noverat divina benedictione præventum: ſed & gratia Dei in eo vacua non fuit, quam alacritate mentis & bonorum operum exercitio in ſe ſuſcitare curavit. Sequentem itaque quo vocabatur, & ſe receptibilem amplioris gratiæ exhibentem, Dominus ad guſtum dulcedinis & ſuæ ſuavitatis odorem, crebris, imo quotidianis conſolationibus provocare decrevit. Nam quotieſcumque poſt refectionem corporalem, Pſalmum Miſerere mei Deus, in gratiarum actione canendo, à refectorio monaſterium introivit; odor aromaticus, imo paradiſiacus, illum tantæ ſuavitatis excepit, ut ſe paradiſum Domini crederet introire. Et vere Eccleſia eſt Domini paradiſus: in qua ſunt vivi flores roſarum, & lilia convallium, humilitatis violæ, cypri cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum, myrrha & balſamus, cum univerſis optimis & primis unguentis; quæ omnia in viris ſpiritualibus, qui in Eccleſia ſunt, eſt ſpiritualiter invenire. Non homo, ſed immundum pecus eſt, & indignus etiam

prævenitur benedictione dulcedinis:

miram caliſtus percipit fragantiam:

etiam corpore-tenus Eccleſiam Domini introire,
A qui horum non fuerit delectatus odore. Eſt & in
monaſterio haud dubie ſanctorum præſentia Ange-
lorum, conjunctorum pſallentibus, in medio juven-
cularum tympaniſtriarum. Eſt & corporaliter Do-
minus Angelorum, flos virgulæ, Virgunculæ ſacra-
tiſſimæ, ad cujus odorem reviviſcunt mortui. An
non mortuus, qui tantorum florum & aromatum,
& præcipue illius floris præcipui, floris omnium
florum, non delectatur præſentia? O ſi videamus,
in cujus præſentia ſtamus in Choro! ô ſi intueamur,
quorum nobis eſt conjuncta ſocietas! ô ſi intelliga-
mus, cui pſallimus, & quantus ſit qui noſtris ſtudiis
delectatur! haud dubium, quin delectaremur & nos,
& quoties in hymnis & canticis ſpiritualibus in con-
ſpectum Domini intraremus, cæleſtem, imo divi-
num, cum cariſſimo Fratre noſtro, ſentiremus o-
dorem. Quantum, putamus, potuit habere odoris
& delectationis in corde, qui etiam corporaliter tan-
tum perſenſit odorem? Nihil dubium, quin ab omni delectatione & carnis & mundi fuerit alienus, & totis animæ deſideriis, in conſpectum tuum, Domine, introjerit; qui etiam corporaliter ad te introiens, corporalis odoris fragrantia eſt refectus. Ig-
B norans autem in primis gratiam eſſe divinam quod ſenſerat, vel potius ſibi ſpecialem (tantæ enim ſibi abjectionis ſemper eſſe conſueverat, ut nihil ſibi ſpecialiter vendicaret de meritis) innuit ſociis ſuis, Fratribus ſecum intrantibus, ſi aliquid delectabile caperent odoratu; proditam gratiam, ſibi ſoli de-
prodendo eâ aliis, perdit: bitam, ſtatim perdidit; donec tandem eam prodendo ſæpius, & perdendo, iterumque recipiendo, eam non eſſe prodendam, ne perderetur, cautior redditus intellexit. Solebat ipſe hoc cum vehementi cordis contritione, quibuſdam ex Fratribus dicere, ſe inexplicabiles per manifeſtationem incautam gratias perdidiſſe.

16 Illud quoque ſilentio præterire non poſſum; quod Mater omnis dulcedinis & ſuavitatis filium ſuum, quem ſibi à primis infantiæ rudimentis ſpecialiter adoptare dignata eſt, odore ſimili frequentius recreavit. Hoc quoque ex ipſius relatione didicimus: ſed nihil eum ex hoc moleſtiæ comperimus pertuliſſe. Unde non inconvenienter conjicitur, quaſdam revelationum nulli nec unquam, quaſdam certis perſonis ſed tempore debito, quaſdam vero omnibus revelari debere. Paulus revelationes ſuas nulli aliquando revelavit. Beata Mater & Virgo re-
C velationes conceptus & partus ſui certis perſonis, tempore debito, manifeſtare curavit. Prophetæ revelationes ſuas in audientia totius populi effuderunt. Et has revelationum diverſitates in Fratre noſtro leviter poſſumus invenire, ſi tantummodo diligentem appoſuerimus intellectum. Sed redeamus ad rem. Moris eſt uſitati in Ordine noſtro (puto, quod & in aliis) ut quotieſcumque Nomen venerabile Virginis venerandæ in Collectis, in Symbolo, in Præfatione, & in Salutatione Angelica, quæ dicitur pro Invitatorio, nominetur, Conventus pro tempore veniam petat; in diebus afflictionis & non celebribus ſuper genua, & in diebus feſtivis cum
c manu. Sed noſter Sacriſta, quotieſcumque in
c proſternens ſe ad nomen Mariæ diebus feſtis Conventui non interfuit, ad nomen amabile & amatum velociſſime ſe terræ proſtravit; &, quanto diutius potuit ſine ſcandalo, terræ proſtratus adhæſit. Cumque frequenter hoc faceret contra Ordinis conſuetudinem; quidam familiarium ſuorum eum ſuper hoc convenire decrevit, petivitque ſuppliciter, ut ei cauſam talis inconſuetæ conſuetudinis explicaret. Intelligens ille, ſe reperiſſe perſonam, cui hoc ſecretum poſſet impune & cum utilitate committi, Ecce, inquit, quotiens ad nomen ſacræ Virginis proſternor ad terram, odor omnium florum & aromatum, cum tantæ ſuavitatis abundantia mihi de terra redolere videtur, ut ſemper ibi vellem recumbere in his deliciis, ſi liceret. Spe ergo recreationis iſtius ad procumbendum feſtinus; ſed, quia ægre tantam delectationem amittere me oportet, ſum tardior ad ſurgendum. Et hic quoque quamdam delectabilem mihi videor videre contentionem, dum Mater Maria & Filius Jeſus contendunt beatum juvenem ſimilibus gratiarum inſignibus adornare. Quanta, putas, fragrabat dulcedine in corde illius memoria Matris Domini, ad cujus nomen auditum terra naribus corporis ejus tantum aſperſit odorem? Vere dixerim, memoriam Mariæ in compoſitione factum opus pigmentarium; in omni ore indulcorabitur quaſi mel ejus memoria, & quaſi muſica in convivio vini, redolens quaſi flos roſarum in diebus vernis, & quaſi lilia, quæ ſunt in tranſitu aquæ, & quaſi thus in odorem ſuavitatis. Studeamus & nos, nares animæ noſtræ (quas puto poſſe dici vim concupiſcibilem) purgare ab omni delectatione peccati: ut in memoria abundantiæ ſuavitatis Domini & cariſſimæ Matris ejus, nos quoque delectari poſſimus.

AUCTORE COÆVO percipit odorem omnium florum & aromatum.

17 A laude Dei & commendatione Fratris noſtri; & ab ædificatione morum non vacat & illud, quod eodem Fratre noſtro referente cognovimus: videlicet, quod in Laudibus Matutinis, cum cantaretur ex more Euangelicus Hymnus, Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitavit & cetera; Dominus eum, quem ex omni plebe ſua ſibi peculiariter elegerat, ſuavitate mirifica viſitare dignatus eſt, faciens illum ſentire ſuavitatem odoris incenſi. Quippe, cum in Ordine noſtro, tantum in quatuor ſolennitatibus præcipuis, Nativitatis ſcilicet, & Reſurrectionis Dominicæ, & ſanctæ Pentecoſtes, & Dedicationis Eccleſiæ, ad Matutinas deferatur incenſum; Beatus iſte, qui in corde quotidianam, imo continuam ſolennitatem agebat; in benedicendo Dominum in omni tempore delectatus, quotidianis quoque diebus in Hymno Benedictionis Dominicæ, ſolennem non immerito perſenſit odorem. Agitur nihilominus & contra acediæ noſtræ torporem quæſtio in hoc, quod pigri ad ſurgendum nocte media cum Pſalmiſta, pigri ad glorioſum & laudabilem collaudandum, veloces ad recurrendum in pigritiam ſtrati noſtri, in laudibus Domini non perſeveramus in finem. Spero etiam, quod ea de cauſa, in eo Cantico in cuo Dominus benedicitur, pro
F eo quod viſitaverit plebem ſuam; tam crebro gratiam ſpiritualem perſenſerit Domini benedictus, ut ei primum, poſtmodum & nobis daretur advertere, quod ipſe ſpecialem à Domino legiſlatore gratiam percepiſſet: ut per eum Dominus plebem ſuam, & ſpecialiter Eccleſiam, in qua gratiam illam ſenſit, viſitare redimereque deberet; ipſumque in cornu ſalutis erigeret in domo, in qua fuerat à puerili ætate nutritus. Hoc autem valde notandum eſt, quod nobis ipſe (haud dubium quin de ſeipſo) tamquam de alio referre ſolebat: videlicet, quod in eodem tempore, quo ipſe mirificum odorem in Laudibus Matutinis perſenſit, quidam de Fratribus duos An-
quod videt duobus Angelis miniſtrari. gelos, dextra lævaque Fratribus præbentes incenſum, conſpexerit: & quibuſdam quidem præbebant hilariter, & devotiſſime inclinabant; alios vero, ſub quadam negligentia, præteribant; à quibuſdam vero, tamquam in quodam horrore, reſiliebant omnino. Facile autem dabatur intelligi, quid Angeli in Fratribus vel venerarentur, vel fugerent; cum noſter contemplator nomina exprimeret ſingulorum. Illi enim quibus Angeli thurificando & inclinando exhibuerunt honorem; tales cognoſcebantur

Lucæ 1. Sub Cantico Benedictus ſenſit fragrantiam incenſi.

AUCTORE COÆVO

exiſtere, qui Dominum & corde & voce laudarent: alii vero, quos negligentius præteribant, vel non cantando vel minus advertendo quid canerent, ſe aſpectu Angelico reddiderant indignos: tertii vero, quorum vita mors erat, ſive cantantes ſive tacentes, à ſanctis miniſtris tamquam fœtentia cadavera fugiebantur; nobis procul dubio documenta præbentibus, quantum noſtris bonis ſtudiis & bonis actibus, maxime in Dei laudibus, ſancti Angeli delectentur; & quantum perverſitatem morum noſtrorum, & noſtram acediam execrentur.

18 Rem relaturus mirabilem, & omnibus ſeculis inauditam, credulos & fideles me oportet poſtulare & habere lectores: ne in multitudine magnitudineque verarum virtutum (quas in ſervo ſuo, & cum ipſo, Domina & Regina virtutum operari dignata eſt) ſibi mentiantur, ſi eas negaverint inimici virtutum. Apponens igitur devotum ſibi juvenem, & ſuis laudibus inceſſanter inſtantem, Virgo magnificare beata; ipſi non ſemel, aut bis, aut quoties numero poſſit facile comprehendi, dulciſſimam præſentiam ſuam exhibere curavit: & tanta ſibi familiaritate per creberrimas revelationes connexuit; ut etiam inter homines quoſcumque, quos caritas ſolet conjungere ſpecialis, tanta vix aliquando potuerit familiaritas inveniri. In tantum enim in caritate familiaritas, & in familiaritate caritas, profecerunt utrimque, ut cunctis juvenem cognoſcentibus certiſſimum haberetur, quod noſter fidelis Samuel (ſic enim propter tam tempeſtivas revelationes non immerito nominatur) à Beata Virgine non tantum in ſervum fidelem, ſed potius in amicum unaminem eſſet, ex omnium electorum ſuorum numero, ſingulariter præelectus: & vere ſic erat. Frequentius illi audivimus acciditſe, quod, cum in una *d* abſide monaſterii orationibus eſſet ac meditationibus occupatus, vocem Dominæ & amicæ cariſſimæ, in oppoſita parte ſtantis, audivit; & non dubius, à qua vocaretur (vocem enim vocantis ex conſuetudine frequentata cognovit) tranſivit ad illam: & in aliquo ſecretiori loco pariter conſidentes, ille Beatæ Matri, de ſtatu ſuo ſingula requirenti, reſpondit; & ab ea viciſſim, quæcumque voluit, requiſivit. Talibus deductionibus nocturnas vigilias ſolabatur: tali conſolatrice quoſcumque adverſos ſuſtinebat eventus: talis matris conſolatoriis uberibus fovebatur: tali magiſtrâ multa dubia & incerta ſe inſtruente cognovit. Quid dicemus ad hæc? Miremur, miremur tanta mirabilia in Sancto mirabili, in ipſo Dominum & ipſum in Domino collaudantes, quem in his mirabilibus non poſſumus imitari. De beato & egregio Martino Turonenſi Epiſcopo ſcribitur, legitur, creditur, & pro magno ducitur, quod beata Virgo Maria, cum quibuſdam aliis convirginibus ſuis, ipſi ſe aliquoties curaverint revelare, & cum ipſo fuerint collocutæ. In aliis quoque Sanctorum mirabile reputatur, quod jam glorificati, ad adſpectum, colloquium, & conſolationem mortalium aliquoties admittantur. Sic & in Fratre noſtro mirabile & tanto mirabilius, quod hoc ei non aliquoties, ſed valde multoties novimus acciditſe.

Crebro apparentem ſibi Deiparam videt:

B

d

& ab ea evocatus eidè colloquitur:

C

19 Otioſum non erit, ſi etiam quædam minora, veritate & jucunditate ſubnixa, viri meritum & favorem mirabilem B. Virginis erga ipſum continentia, in medium deducamus. Venturus erat aliquando, neceſſitate cogente, ad quamdam Sororum eccleſiam, regimini Eccleſiæ Steinfeldenſis ſubjectam. Et ecce, beata Mater (in aliis etiam eccleſiis volens familiaris ſui meritum declarare) venientem, tamquam fidelis miniſtra, & dilecto ſuo locum præparatura, prævenit; &cuidam tam religioſæ Sorori, ut de ejus ſanctitate non debuerit dubitari, ſe cum verbis hujuſcemodi revelare dignata eſt: Venturus eſt ad locum iſtum hodie fidelis Capellanus meus; ſatagite, ut cum honore & benignitate ſuſcipiatur à vobis. Credidit virgo fidelis revelationi fideli: &, ut teſtes veritatis haberet, quibuſdam ſecum manentibus, quod intellexerat, intimavit. Æſtimo in hoc facto, Matrem dulciſſimam verecundiæ pudorati juvenis peperciſſe: qui in locis, maxime inconſuetis, ubi erga ſe familiaritatis indicia non aſpexit, peregrinum ſe & hoſpitem reputabat; nec (ſicut pleriſque juvenum Fratrum moris eſſe videmus, ad conciliandos ſibi in favorem Sororum animos ignotarum) alicujus ignotæ aliquando eum familiaritates agnovimus expetiſſe. Erat tamen non inhumanus, ſicut quoſdam è regione videmus, qui omnem ſexum femineum execrantur; ſed miræ benignitatis circa quaſdam feminarum virginumque, præcipue in quibus cor devotum per exeriora devotionis indicia poterat experiri; utile dans exemplum, ab incognitis cum verecundia abſtinendi, & benignitatis affectum circa beneficas exhibendi.

D

à S. Maria vocatur Capellanus ſuus.

20 Subnectere delectat quiddam breve, delectationis eximiæ, quod Lectorem in ſui jucunditate faciat admirantem, & in admiratione jucundum Phlebotomatus aliquando juvenis ſpecioſus (ſicut moris eſt) incaute ſe ad dormiendum ſuper lectulum reclinavit, ita ut ſuper brachium vulneratum toto corpore periculoſe jaceret; &, ſi illum Procuratrix fideliſſima non muniviſſet, ſalutem corporis, quam ſanguinis minutione quæſierat, cum ipſo forſitan ſanguine minuiſſet. Sed non paſſa, ut ſuus unanimis, cui fidelitatem debebat, vitæ detrimentum caſu tam miſerabili pateretur (quod leviter potuerat dormiendo) feſtinanter advenit; & jam dormitantem verbis hujuſcemodi excitavit: Cautelam tibi adhibere curato; quia minus caute ſubtus te minutum brachium poſuiſti, & poſt hæc brachium vulneratum beatis manibus apprehendens, docuit dormiturum, quomodo & illud, imo & totum corpus, ne aliquod pateretur periculum, collocaret. Quid eſt hoc? Auditane ſunt talia, aut ſcriptis alicubi commendata? Ficta putentur, ſi non ab ipſius ore hæc ad præmunitionem Fratrum jucundiſſime eſſent relata. Neque enim talia aliquatenus revelare conſuevit, niſi ad ſalutem animæ cujuſquam aut corporis pertinerent; maxime poſtquam quarumdam amiſſione conſolationum à magnorum revelatione eſt coërcitus ſecretorum; vel, niſi cum revelatione pariter revelaretur eidem, cui & ob quam cauſam foret, quod acceperat, revelandum. Nos autem & propter hæc & propter ſequentia benedicamus in mulieribus Benedictam, & ſervum ejus fideliſſimum, & amicum in amicis ejus omnibus benedictum.

E

poſt inciſam venam dormiens

à Deipara apparente, docetur modum decumbendi.

F

ANNOTATA.

a *Hujuſmodi eſt pium opuſculum continens* 12 Gratiarum actiones *ad Chriſtum, primo loco à Vander-Sterre poſt Vitam editum, & Oratio ex Cantico Canticorum ad Chriſtum directa, & tertio loco excuſa.*

b *Hujuſmodi eſt oratio quarto loco edita hoc exordio,* Gaude, plaude, clara Roſa. *Huic quinto loco ſubjungitur oratio parva de quinque gaudiis B. Mariæ, cum interpoſita quinies Salutatione Angelica.*

c Manu terra admota: *quam conſuetudinem in quibuſdam locis Ordinis etiamnum obſervari tradit citatus Vander-Sterre.*

d *Per* abſidem *intelligit Vander-Sterre locum templi elevatiorem, qualia ſunt ſecretiora oratoria, ſive Odeia, ipſi in Ordine Doxologia vocant: alias nominantur* doxalia, *quæ vox; quæ vox, licet ex Græco δόξα* laus *derivetur, etiam in vulgari lingua Brabantica uſu obtinet.*

CA-

A

CAPUT IV.

Nomen Ioſephi impoſitum & confirmatum cælitus. Languores ejus varii & beneficia à Deipara accepta.

a 21 *a* AUſculto jamdudum & animadverto murmura hæc legentium: quare, & quomodo ſit mutatum nomen cariſſimi Fratris noſtri, quod in baptiſmo acceperat, & quod ipſi etiam ſpecialiter expoſitione morali convenire monſtravi. Non fraudabo pia quæſtione lectorem: nam & hujus rei veritatem ex ipſius confeſſione cognovi; ita ut hanc audeam ſcripturæ veritatis committere confidenter. Adeſto Auctor veritatis, ſumma Veritas, Deus meus, nec me à tua veritate aliquatenus aberrare permitte. Sed, antequam rei propoſitæ tractatum exordiar, æſtimo non ſuperfluum, ſimplicibus & inquietis exemplo ſanctarum demonſtrare Scripturarum, non eſſe ſuperfluum, ſi nomina perſonis, etiam morali interpretatione convenientia, commutentur; dummodo & ipſa, quæ noviter imponuntur, ſpiritualem, & maxime ipſi perſonæ & cauſæ propter quam imponuntur congruentem, contineant intellectum. Demonſtratur hoc, in veteri Teſtamento, in Abraham & in Iſraël: quibus cum priora nomina (nam ante Abram & Jacob vocati fuerant) convenirent, & (ſicut notum eſt) à myſteriis non vacarent; non tamen ſuperfluum Dei Sapientia judicavit, ſi ſuis actibus & cauſſis, propter quas mutata fuerunt, convenientia nova nomina ſortirentur. In novo quoque Teſtamento, ipſum Dominum & Salvatorem noſtrum, [nomina] quorumdam Apoſtolorum (quos utique præ ceteris familiares habebat) bona quidem, & ipſis bene convenientia, & ſecundum præceptum Domini in Sacramento Circumciſionis impoſita (quæ tunc vicem Baptiſmi, & effectum ex parte, gerebat) legimus commutaſſe: & (ne in hoc quiſquam vim faciat) non hæc ipſum mutaſſe legimus in Baptiſmo; dum eum qui Simon antea vocabatur, Petrum; Jacobum & Joannem, filios tonitrui appellavit. Quare autem quidam eorum, quorum nomina ſunt mutata, prima nomina omnino amiſerunt; quidam vero prima pene omnino retinuerunt; aliqui vero, & primis ſecundis indifferenter, ſeparatim & etiam conjunctim aliquando nominentur; quare me non fatear ignorare? Nec enim me legiſſe memini vel audiſſe, ſi hujuſmodi dubium aliquando fuerit in quæſtione adductum; ſed tamen dubium non eſt, ſic ſe veritatem habere. Nam Abraham jam à nullo Abram, ſed Abraham nominatur, abolito penitus primo nomine: Jacob vero, licet Iſraël ſit vocatus, uſitato nomine, non Iſraël, ſed Jacob potius appellatur; ipſo Domino dicente: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob. Princeps Apoſtolorum, nunc ſigillatim Simon, nunc Petrus, nonnumquam utroque nomine pariter nuncupatur: quod in prænominatis minime invenitur. Filii Zebedæi, rariſſime filii tonitrui vocantur; niſi ille locus Euangelii aut cauſa talis nominis recitentur. Noſter vero binomius, cum Principe Apoſtolorum, in nominis appoſitione, maxime convenire videtur; eo quod nunc, licet raro, primo nomine niſi cum appoſitione ſecundi, nunc ſecundo nomine ſigillatim & frequentius, nonnumquam vero utroque conjunctim ſoleat appellari.

Exemplo uſitato nominũ mutandorum

B

in Lege veteri.

& nova

C

Exo. 3, 6 & 15, 16

binominis eſt Hermannus Ioſeph,

22 His itaque cogente quadam neceſſitate præmiſſis, jam ad ipſum diu exſpectatum rei ordinem veniamus. Neſcio, ex qua cauſa niſi quod ex voluntate divina novimus accidiſſe, ut Frater noſter, vaſculum niveæ caſtitatis, à quibuſdam Fratribus Joſeph inciperet nominari. Tulit ægre (ſicut nobis ipſe fatebatur) duorum valde inſignium virorum ſe nomine æquivoco nuncupari: illius videlicet Patriarchæ eximii, qui erat ſanctiſſimus inter fratres; & illius ſanctiſſimi, qui ad hoc electus erat ex omnibus, ut eſſet ei Mater Domini deſponſata. Cauſa autem moleſtiæ, quam pro hoc nomine in corde ſuo ſuſtinuit, erat illa: quia in nulla virtute ſe illis ſimilem inveniret, quorum vocabulo cenſeretur. Tantum igitur, pro injuſte (ut aſſervit) impoſito ſibi nomine, cordis incurrit angorem; ut die ſequenti Fratres ipſum cognominantes proclamare proponeret in Capitulo corrigendos. Nocte vero media, cum in conſuetis orationibus & gratiarum actionibus vigilaret, ſtans in extremis ſedibus juxta ſtallum Abbatis, & ſuper formas more ſolito ſe inclinans; ecce, reſpexit in medio chori, ad gradus Presbyterii, Virginem inenarrabilis pulchritudinis, regali ſchemate inſignitam: duo juxta illam juvenes pulcherrimi, dextra levaque videbantur aſſiſtere, quos eſſe Angelos intellexit, tantæ Dominæ paratos miniſterium exhibere. Stante beato Fratre, mox beatiore futuro, & viſionis novitatem & dulcedinem admirante, unum Angelorum audivit ad alterum ſic dicentem: Cui deſponſabimus Virginem iſtam? Reſpondit alter: Cui deſponſemus eam, niſi Fratri præſenti? At ille: Veniat ergo, inquit. Vocatus proceſſit cum pudore verecundiæ: ſed, ſicut alibi dicitur, Pudor ipſe decebat: tanta enim viſorum & auditorum incredibili novitate non potuit non ſtupere. Verum ubi uſque ad præſentiam Reginæ proceſſit, unus illum Angelorum affatus eſt: Oportet, inquit, ut tibi hæc puella clariſſima deſponſetur. Territus tanta dignatione Frater humilis & pudicus, indignitatem ſuam allegare cœpit: & tanta ſponſa & ſponſi nomine ſe omnino proclamavit indignum. Cumque cœpiſſet in obediendo morari; manum ejus dexteram Angelus apprehendit, & manui ſacratiſſimæ Virginis copulavit, & ſub his verbis deſponſationem perfecit: Ecce, inquit, hanc Virginem tibi trado in ſponſam, ſicut fuit deſponſata Joſeph; ut nomen ſponſi pariter cum ſponſa accipias: & de cetero, Joſeph erit nomen tuum. Quis calumniari præſumat, ſi factum eſt, quod promiſit Angelus, veri Dei verus nuntius? In omnem terram jam exivit ſonus nominis hujus, & in fines orbis terræ nomen Joſeph, quod ab Angelo vocatum eſt.

AUCTORE COÆVO

ob caſtitatẽ cœpit à ſuis Ioſeph nominari,

ſed invitus:

Deiparam Virginem inter duos Angelos apparentem.

E

in ſponſam accipit, & Ioſeph ab Angelo vocatur.

F

23 Et ſi forte ſit aliquis, qui adhuc aliquid quærat adjici ad confirmationem nominis Joſeph; audiat quod ſubnecto. Ipſo Joſeph veritatem narrationis hujuſmodi coram me & quibuſdam aliis Fratribus confitente, ſicut ſuperius proteſtatus ſum, gaviſus me occaſionem habere, ut ab illius ore, quod ab aliis ſatis audieram, extorquerem; (nam, ſicut ait quidam,

Et quamquam ſapor eſt allata dulcis in unda,
Gratius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.)

extemplo ſubjeci: Hoc etiam nobis petimus enarrari, qualiter hoc nomen Joſeph in te per os beatæ Virginis juxta majus Altare fuerit confirmatum. At ille ſubridens; Hoc, inquit, viſio fuit. Fuit autem hæc viſio talis: Cum in nocte quadam diutinis fuiſſet orationibus occupatus, & de labore ad requiem lectuli rediiſſet; cum jam ſoporari inciperet, ad eumdem locum ſibi rediiſſe, à quo ab oratione receſſerat, videbatur: &, ecce, reſpiciens ad Altare majus beatiſſimam Virginem ſibi videbatur videre, puerulum pulcherrimum inter brachia bajulantem. Cumque tam Matrem, quam puerum cum magna delectatione reſpiceret; tandem ad Matrem Domini,

ab

AUCTORE COÆVO

ab ipsa familiariter vocatus, accessit: tactusque & tractus desiderio desiderabilis pueri, & consueta fiducia animatus; Carissima, da mihi Filium tuum, inquit. Protrahens illa petentem aliquantulum (puto, ut magis accenderetur desiderium) tandem illi summe desideratum porrexit infantem; & adjecit: Porta filium meum, sicut ab sponso meo Joseph portatus est in Ægyptum; ut sicut idem onus, ita etiam similem honorem ejusdem nominis habeas. Confirmatum est itaque nomen Joseph in nostro Joseph, & confirmabitur in æternum, & vocabitur ei nomen novum, quod os universalis Dominæ nominavit. Monitus etiam à Domina & sponsa sua, ne de cetero super Joseph nomine aliquatenus murmuraret, tulit nomen honorificum de reliquo sine onere: & sic in consuetudinem est redactum, & in consuetudine præfatis auctoribus irrefragabiliter confirmatum, ut augmentum animæ glorioſæ etiam nomine comprobetur. *b*

Puerulum Iesum in visione portandum suscepit. & iterum Ioseph à Deipara appellatum:

b

24 Revocatur mihi factum memorabile ad memoriam, quod in moribus valeat utiliter ædificare lectorem. Accidit, juvenem tanti profectus, cujus conversatio jam in cælis erat, & supra homines ambulabat, fragilitatis humanæ defectu aliquantulum titillari; ut non omnino solitæ devotionis fervore obsequium, quod beatissimæ Matri debebat, per dies aliquot adimpleret. Erat autem tam modicus ille torpor acediæ, ut nullatenus illum in se deprehenderet, aut se reprehenderet propter illum. Fuit eo tempore magna importunitas effractorum; qui monasteria & ecclesias effringebant, & pretiosis quibuslibet spoliabant. Solicitus igitur B. Joseph, ne in monasterio, suæ commisso custodiæ, sinistri aliquid eveniret; ab orationibus & laudibus famularis sibi Dominæ se aliquantum abstraxit, & monasterii aditus observavit. Non ferens ergo, quæ continuis Angelorum laudibus satiatur, devotionem Fidelis sui, quibuscumque de caussis, sibi diminui; occurrit juveni, jam non sibi, sed custodiæ monasterii vigilanti, tamquam anicula, rugis habens faciem deformatam. Quam cum vidisset & minime cognovisset, vehementer expavit, propter timores nocturnos, & exclamans ait: Quid est hoc? At illa; Ego sum, inquit, custos hujus monasterii, sicut tempore multo fui. Cognoscens ille loquentem, quam non noverat in aspectu: Tune es, inquit, ô Rosa? sic enim ex nimia familiaritate, suppresso nomine reverentiæ, eam vocitare consuevit. Quæ respondit: Ego sum. Stupefactus ille, Quæ causa est, ait, quod tam vetulæ vultum tibi assumere voluisti? Cui illa; Talis, ait, oculis tuis appareo, qualem me in corde tuo delegeris retinere. Ego enim jam tibi vetula facta sum. Ubi enim est repræsentatio gaudiorum meorum? ubi Angelicæ Salutationis lætifica memoria? ubi ille fervor devotionis, juventus animæ tuæ, & cetera exercitia spiritualia, quæ mihi consuevisti hactenus exhibere, quæ me tibi & te mihi juvenem reddiderunt? Nolo, ut per custodiam monasterii à meo servitio te excuses, quod mea custodia multo melius conservabit. Correctus juvenis correptione severa; tantæ custodi curam monasterii de cetero decrevit committere: & tam se quam Dominam suam ad pristinam reducere juventutem, & in ea conservare spopondit. Quid dicimus? Quis torporem & teporem hunc pessimum animæ vetustatem non timeat, in quem tantus potuit athleta dilabi? In quantam vetustatem, putamus, nos acediæ nostræ quotidianæ continuæque perducunt, si Regina cælorum tam modica Fratris acedia se inveterasse monstravit? Quomodo nos per opera superflua, quibus (ne nihil fecisse videamur) ad tegendam acediam nostram vacamus sæpissime, nos poterimus

B

ob modicum torporem

Videt Deiparam in formâ vetulæ:

C

eam Rosam consuevit vocare:

excusare; cum non admittatur ad excusationem occupatio Fratris, quæ necessaria videbatur? Discamus hoc acediæ vitium tanto magis pertimescere; quanto magis est absconditum, & spiritualibus, ipsique spiritui, occultis insidiis insidiari consuevit. Habeamus continue in memoria Salutationem Angelicam, & gaudia beatissimæ Virginis, & hæc ei ad memoriam revocemus: per hoc enim nos ipsi plurimum complacere sciamus. Hoc etenim ipsa in loco libellum quemdam, ipsius gaudia multipliciter continentem, à quodam viro valde religioso, *c* primo Ecclesiæ Steinveldensis Abbate (nam ante ipsum Prælati *d* Præpositi vocabantur) compositum, plurimum commendavit, dicens nostro Joseph, se in illis suis laudibus non modicum delectationis habere.

D

gaudia Deipara ab ipsa commendata

c

d

cum delectatione recolit:

25 Inter cetera caritatis insignia, quæ circa Joseph suum Mater beneficentissima multipliciter exhibere consuevit, hoc mirificum specialiter enarratur: quod cum aliquando minus caute procedens pedibus offendisset, cadens in faciem duobus dentibus orbatus est. Quos cum evulsos manu portaret, sine omni spe recuperationis (neque enim edentulus si quis factus, rursum ei dentes orti sunt, multo minus aliquando repositi; cum, secundum naturam, non sit à privatione regressus ad habitum) ibat evomens sanguinem, fortassis ad lavatorium *e*, ut illum ablueret profluentem. At Mater misericordiæ, dolorem, pudorem & tantum detrimentum sui fidelissimi miserata, beatissimam & consuetam illi suam præsentiam occurrens exhibere curavit; & verbis compassionem signantibus familiarissime sciscitata est: Quid, inquit, habes? Cui ille, quantum potuit loquens; Dentes meos, ait, perdidi, cruciorque dolore. At illa subjecit: Da mihi, inquit, ipsos dentes evulsos. Quos cum de manu dilecti accepisset, in gingivas sanguinolentas illos reposuit locis suis, & omni dolore remoto vulnereque sanato dentes solidavit eosdem, ut nullum omnino doloris aut vulneris vestigium remaneret. Puto hos dentes lacte innocentiæ lotos, nec voracitate fuisse corruptos, nec motu iracundiæ vel invidiæ super aliquem frendere consuetos, quos Mater sacratissima benigna manu contingere, & tam mirabiliter reformare curavit

Dentes à lapsu evulsos,

E

e

manu Deiparæ oriundos recipit:

26 Multis talibus beatissimus juvenis beneficiis consolatus, & revelationibus sublevatus, jam in virum spiritalem profecerat; quem cibis solidioribus & pane filiorum & ipsis Dominicæ mensæ ferculis esse necessarium enutriri. Illos ergo panes hordeaceos, quos ipse noster Paterfamilias in manus suas accipere (tribulationem enim & dolorem invenit pro nobis, & infirmitates nostras ipse portavit, & pro nobis doluit) nec non benedicere dignatus est, nostro Joseph, ut filio dilecto, copiose divisit. Flagellis ergo durioribus cinxit eũ, intus dolore cordis, & foris corporis tribulatione fatigans. Cum enim apposuisset ei scientiam cum caritate & zelo (quem erga cunctos, quos cognoscere potuisset, & Ecclesiam propriam & universalem, habebat) apposuit & dolorem, caritati & zelo æqualiter respondentem. Ex nimiis quoque laboribus & vigiliis (quibus modum transgrediebatur humanum) tantam corporis infirmitatem incurrit, ut stomacho lassescente, moles totius corporis turbaretur: cum nullos jam cibos posset digerere præ languentis stomachi cruditate, de quo fumi indecocti & crudi in cerebrum jamdudum exhaustum vigiliis evaporaverunt, & pene incessantem illi molestiam capitis intulerunt. Tunc tandem illum ab omnibus necesse fuit officiis removeri, & permitti ut suæ, prout res postulabat, necessitati vacaret. Et licet vexaretur in corpore infirmitati-

F

variis afflictus infirmitatibus & capitis doloribus.

mitatibus, usque ad defectum omnimodum; pro eo A tamen, quod jam reputaretur inutilis, & ad consueta officia exire non posset, multo magis in animo torquebatur: maxime quia ipsemet sibi hunc dicebatur inflixisse defectum, qui in ineptis laboribus, cum moneretur à multis, sibi parcere noluisset. Ipse quoque indiscretos labores suos in nostra præsentia nonnumquam postea reprehendit, & nos labores nostros temperare commonuit, semetipsum nobis proponens in speculum & exemplum. Et hæc quidem, quantum ad hominem, dixerim. Quantum vero de divina datur providentia & ordinatione cognoscere, non insipienter intelligo, datum ei hunc stimulum carnis suæ (quem B. Augustinus etiam in Apostolo quamdam acutissimam infirmitatem intelligit) quo colaphizaretur ut puer: ne, ut juvenis, superbiret, ipsum revelationum & magnitudine & multitudine extollente. Nec miretur aliquis, nos in aliquas tribulationes & dolores ex nostra indiscretione decidere; in quas nos cadere, omnium Moderator ex sua summa discretione permittit. Nihil enim dubium est, illum aliquando nostra insipientia (maxime cum non deest nobis voluntatis bonitas) bene uti; qui etiam malitia diabolica pro sua bene utitur voluntate. B

2 Cor. 12. *Deo Sancti suum exercente,*

27 Accidit itaque, cum quadam die acrius torqueretur, multorum illum Sanctorum suffragia implorare: sed ex hoc nihil fuit remedii consecutus; puto, ut per illam dulcius solaretur, cui se specialiter devoverat specialem; imo magis, quæ illum sibi specialiter adoptaverat specialem. Igitur cum ante majus Altare tortus infirmusque veniret, vidit super Altare residentem feminam gloriosam: quam non agnoscens, & putans aliquam esse mortalium, cœpit non modice indignari super tanta præsumptione temerariæ mulieris. Illa vero se fideli suo revelans, vocavit eum ad se, dicens: Si me, sicut Sanctos alios, invocasses, te fortassis à tua infirmitate curassem. At ille, ut Dominam, quæ se jam per aliquod tempus à sua absentaverat præsentia, recognovit, procidit ante illam, & remedium postulavit. Illa vero dicente; Ecce, jam sanus esto; ab illo immoderato languore relevatus est: consueta tamen infirmitate manente, quam, ob custodiam humilitatis, à Magistro humilitatis accepit & quæ solius mortis remedio fuerat terminanda.

à Deipara apparente in altari sanatur à langore:

aliam infirmitatem ad mortem usq; retinet:

28 Nonnumquam tamen novimus accidisse, C quod ad tempus aliquod mirabiliter curabatur; elapsoque tempore ad feliciorem consuetudinem suam, & ad panem quotidianum edendum, vocante Domino, est reversus. Hoc autem pro consuetudine habuit multis annis, ut advenientibus solennitatibus novam semper miseriam expectaret; nisi dispensatori prudentissimo Domino placuisset, in diebus solennitates præcedentibus, exspectatam miseriam prævenire: unde istud verbum, Festa sunt mihi infesta, nobis sæpissime recitare solebat. Consuevit autem in festivitatibus (nisi, sicut dixi, flagella contingeret præveniri) ita acriter flagellari, ut in se vere sentiret impleri, quod scriptum est; Dies festi vestri vertentur in luctum; & à multis, ipsum non cognoscentibus, humiliatus & projectus à Domino crederetur. Tali modo in una vigiliarum Nativitatis Dominicæ tam immisericorditer cœpit affligi, ut omnes videntes, circa ipsum misericordia moverentur. Timor enim cordis pro solennitate præsente, & tremor corporis præ algoris membrorum magnitudine super ipsum venerunt, ut tectus omnium vestimentis calefieri non valeret: quin etiam & magnam molem lignorum, ipso rogante, super membra rigentia posuerunt: sed neque sic aliquid profecerunt. Adveniente tandem hora tempo-

maxime in majoribus festis:

ris benedicti, qua puer Jesus tamquam sponsus de thalamo venerando de utero processerat Virginali, omni recedente dolore, processit & Joseph de thalamo ægritudinis; & ad Laudes Matutinas introiens, ipsa die cum tanta cordis alacritate terna Missarum solennia celebravit, ut non solum nullum in eo doloris signum aut tristitiæ appareret, verum etiam de manu Domini munificentissimi, pro omnibus tribulationibus suis, recepisse duplicia videretur. Sicque per omne tempus vitæ suæ, tamquam duobus molaribus, nunc tribulationibus nunc consolationibus molebatur; ut panis fieret, sine omni fermento & furfure, similagineus, delicatus, dignus mensæ summi Patris familias præsentari.

ANCTORE COÆVO

Psalm. 18. *& dein divinitus confortatur.*

ANNOTATA.

a *Quæ hoc numero seu capitulo continentur, sunt ut parerga à Surio omissa.*

b *Visionem hanc Razo prætermisit.*

c *Is in Annalibus Steinfeldensibus appellatur* Albertus electus anno 1194, vir valde religiosus & cultui beatissimæ Deiparæ impense deditus. *Sed qui hic citatur ejus libellus, non extat.*

d *Præpositi quinque traduntur fuisse*; Everwinus, E Udalricus, Wernerus, Tetzelinus & Hermannus.

e *Razo absolute*, Lavandi sui gratia ocius se contulit ad labrum, quod gratissima quadam scaturigine in ejusdem monasterii ambitu præstantissimum est.

CAPUT V.

Amor & reverentia erga Virgines Ursulanas. Elevatio mentis ex creaturis. Martyrium S. Engelberti revelatum.

29 NUnc ad illas revelationes mirabiles & jucundas, quas ipsum de B. Ursula & comitibus ejus habuisse cognovimus, manum cum animo pariter advertamus: videbimusque manifeste, quod etiam in continuis tribulationibus jucunditatem & exultationem thesaurizaverit super ipsum, & nomine æterno hereditaverit eum Dominus Deus noster. Tantum, circa has Domini Virgines speciosas & Martyres pretiosas, felix Joseph affectum conceperat, ut illum signis evidentibus satis aperire non posset: tanta illis familiaritate & animi fuit puritate connexus, ut multa per illas secreta cognosceret, & aliquæ illi sua nomina revelarent, & in suis eum tribulationibus solarentur. Ut ergo intimum, circa has sacras Virgines, comprobaret affectum, novi *a* cantus historiam in illarum honorum compo nere proposuit, & amorem. Cumque applicuisset dexteram ad scribendum: ecce, una Virginum illi evidenter apparuit; & stans coram eo, quid scripturus esset, benignissime & familiarissime informavit. Quin etiam columbam pulcherrimam super humerum suum residere conspexit, quæ rostrum suum dictantis auriculæ incessanter infixit. Hanc quoque uram fore de numero sanctarum Virginum intellexit: unde & postea totam sacram sodalitatem illam, nec non omnes virgines Domino devotas, *b* Columbellas vocare, quasi nomine usitato consuevit. Sed cum melodiam historiæ, jam cõscriptæ (quod majoris difficultatis erat) deberet componere; quotiescumque ad hoc animum applicabat, non parvum Virginum chorum super se in aëre audire consuevit, concinentem cum jucunditate cælesti talem, quæ verbis conscriptis competeret, melodiam. Hoc quoque, quia quorumdam

magno amore & devotione erga S. Ursulam & socias Virgines fertur, F

a

b

eas Columbellas vocare consuevit.

AUCTORE CŒVO

fidem cum difficultate merebitur, me ex ore ipſius (qui de ſe mentiri non potuit) gaudeo audiviſſe. Nam cum multo poſt tempore ſolus cum ſolo familiariter conſediſſem, cœpi quaſi jocando præſumptuoſum vocare, qui hiſtoriarum auderet componere melodias, quod etiam peritiſſimis artis Muſicæ admodum difficile videretur. Coactus ſcandalum mihi tollere, & ſibi falſo impoſitum præſumptionis vitium excuſare, celatam eatenus mihi aperuit veritatem. Non ego, inquit, hanc ſolus compoſui melodiam; ſed ſacræ mihi fuerunt auxilio Columbellæ. Et cum modum hujus admirandæ revelationis inquirerem; Cum poſt dictamen, inquit, verborum hiſtoriæ, de melodia ſolicitus meo me lectulo reclinaſſem, chorus Virginum ſuper me in aëre congregatus, ipſam mihi præcinuit melodiam: quam ego ſicut ab ipſis didici, verbis ſubſcriptis ſtudui annotare. Cui ego; Hoc, inquam, frivolum videtur & fictum, ut quiſquam quanticumque ingenii taliter auditam à concinentibus melodiam poſſit memoriæ & ſcripto poſtea commendare. Ille vero, volens omnino ſatisfacere dubitanti, admirationem meam majori admiratione diſſolvit: ait enim: Quotieſcumque me illarum concentum contigit obliviſci, & mandare ſcripturæ notas alias quam audieram; illæ ſuper me iterum & iterum & multis vicibus redeuntes, illas notas, quas oblivioni tradideram, tamdiu & toties repetere minime deſtiterunt, donec meæ perfecte imprimerentur memoriæ, & meum errorem abraderem, & ſcripto, quod ipſæ docuerant, integre commendarem *c*. Solebat autem quædam verba ejuſdem hiſtoriæ cum melodia ſua nobis ſæpius recitare: quæ concinendo, Doctrices ſuas tanta dixit alacritate commotas, hæc eas cum tanta hilaritate multoties aſſeruit repetiiſſe, ut & ipſe hæc nobis referens mira jucunditate & oris & animi moveretur. Unde & pro illius auditu, quo illi dediſti gaudium & lætitiam, & pro auditu meo, quo mihi ex ore beati Joſeph veritatem hanc revelare dignatus es, benedico te, ô Domine Jeſu.

ab eâ edo ctus componit de eis canticum.

B

c

30 Veritatem quoque duorum miraculorum ſequentium, tuo, ô Frater cariſſime, audeo teſtimonio comprobare: neque enim tu dicendo, ſed nec ego ſcribendo veritatem offendam: te dicente, quæ ſciſti; & me ſcribente, quæ neſcientem per os tuum agnoſcere voluiſti. Accidit Dei nutu aliquando beatum Virum fuiſſe præſentem, ubi illum nobiliſſimum theſaurum, in agro terræ abſconditum, & illas pretioſiſſimas margaritas (Reliquias dico Virginum beatarum) contigit inveniri *d*. Inventum fuit tunc temporis inter cetera, ſed præ ceteris amabile, corpuſculum Virguncuiæ parvulæ, cujus caput accipiendi ſummo Joſeph, virgo & ipſe, deſiderio ferebatur. Ad eas igitur, quibus Reliquiarum ſanctarum cura commiſſa fuit, & præcipue ad *e* Abbatiſſam, pro capite puellulæ ſupplicaturus acceſſit, humillime & inſtantiſſime ſupplicavit, quæcumque potuit favorem conciliantia intermiſcuit verba: ſed repulſam patitur obſtinate. Sæpius precibus retentatis, cum nihil proficeret, dicentibus illis, quod Reliquiarum ſodalitatis ejuſdem, ſi vellet, ſibi copiam miniſtrarent; illud vero corpuſculum, & caput præcipue, à ſe nulla poſſe ratione divelli: tulit ille repulſam ægerrime, & humano deficiente ſubſidio, divinum ſenſit auxilium implorandum. Petivit ergo, ut ſecundum conſuetudinem ſuam, in eadem eccleſia ſanctarum Virginum, ſacroſancta permitteretur myſteria celebrare: intra quæ, tanta ſe Domino & ſacris Virginibus devotione proſtravit: ut certus fieret (ſive revelatione, ſive inſpiratione, neſcio) ſe, quod petierat, acceptum. Nec mora. Ab altari recedens ad Abbatiſſam acceſſit: quæ præfatum caput capellæ propriæ inferri præceperat, pro ſpecialibus illud Reliquiis habitura: & primis precibus replicatis, ipſam tam mirabiliter mutatam invenit; ut offerendo, quod ante tam dure negaverat, etiam prævenire videretur humilitatem petentis. Accepto igitur tam deſiderato theſauro, fulgidam ad nos detulit margaritam; & quod *f* Gertrudis nomen haberet (ſicut ei fuerat revelatum) nobis congratulantibus revelavit.

poſt ſanctarũ Virginũ Reliquias inveniat.

C

d

e

caput unius petens

repulſam patitur,

D

& S. Gertrudis eſſe per revelationẽ cognoſcit.

f

31 Sub idem tempus, ad quamdam bonæ devotionis matronam, in quoddam caſtellum intraverat Joſeph noſter: ut ſalutaret eamdem, quam pro devotionis opinione & miniſterii ſedulitate (quod religioſis exhibere conſuevit) admodum familiariter diligebat. Allata fuerant illuc duo capita Virginum beatarum: quæ apud eam in ſcrinio ſervabãtur. Quod cum (neſcio quo caſu) fuiſſet poſitum ſuper terram; quidam in oculis Joſeph, nullam exhibens ſacratis Reliquiis reverentiam, ſuper illud non timuit reſidere. Videns dilector Virginum ſacratarum, talem ipſis exhiberi contemptum, zelo zelatus eſt nimio pro dilectis; & (ſicut ipſe nobis in jucunditate ſpiritus recitare ſolebat) totus intrinſecus igne indignationis exarſit: concupivitque, ut ea ultio contemptorem Virginum ſequeretur, qua veſanus B. Martini contemptor, ſella conflagrante ſub eo, ſancto viro aſſurgere cogebatur. Mirum in modum, effectus continuo beati viri deſiderium eſt ſecutus, illo zeli ardore (quem tacite gerebat in pectore indignanti) in contumacis poſteriora ſeſſoris mirabiliter tranſeunte: quem ille non ferens, cum feſtinatione exiliit, cauſam tam ſubiti, quem ſenſerat, ardoris ignorans: quam tamen beato viro referente cognovit; nequaquam tamen ſibi, ſed ſacrarum Virginum meritis, hanc eo attribuente vindictam. Qualem, putamus, ardorem timebimus, qui nec Sanctorum Reliquiis, nec locis ſacratis, imo nec ipſi Sancto Sanctorum in eccleſia vel in choro, vel coram altari reverentiam exhibemus, indignantibus nobis ſanctis Angelis, ſacrorum locorum cuſtodibus, & maxime circa Corpus Dominicum, imo circa ipſum Dominum, devotas & reverendas excubias celebrantibus? Indignantur nobis proculdubio, indignantur, quoties nos ſancta altaria, vana cogitando, negligentius inclinando, Dominum non orando & honorando, viderint pertranſire. *g*

ob ſacras reliquias irreverenter habitas

pio zelo motus,

E

emendationẽ divinitus impetrat:

32 In quotidianis laborantem tribulationibus ſervum ſuum Dominus, mœſtorum conſolatio, laborantium fortitudo, multiplicibus conſolationibus, tum per creaturas ſuas, tum per ſemetipſum, confortare decrevit. Et quidem de conſolationibus, quas illi per prætatas ſacras Virgines miniſtravit, pauciſſima hæc mihi comperta ſunt, quæ per hoc ſcriptum memoriæ commendavi: ſuperſunt autem multa valde, quæ nec mihi comperta, nec ſcripto commendata ſunt. Quomodo vero per notitiam harũ creaturarum, quæ oculis ſunt ſubjectæ, & quarum ſpecies naturalis ſpectantium oculis ſe commendat, ſcilicet cæli & ſiderũ, virum [eximiæ] ſimplicitatis lætificaverit; volo quidem, ſed non valeo explicare. Talis enim res eſt, quæ nec ab ipſis videntibus & ſentientibus valeat explicari ut eſt; quanto minus ab imperfecte audientibus? Ne tamen nihil dicam, quantũ & qualiter potero explicabo. Cum quotidianis (ut dictum eſt) tribulationibus manu Domini tangeretur, & hoc interius reſponſum à Domino accepiſſet; ſufficit tibi gratia mea: nã virtus in infirmitate perficitur, cœpit frequenter cogitare de præmio quod ſperavit: & quid ſupercæleſtia delectationis haberẽt, deſiderabat cognoſcere, & in Dei ſanctuarium introire. His autẽ meditationibus occupatũ, contigit nocte quadam ad feneſtram Sacriſtiæ conſiſtere,

g

F

inter tribulationes

A *contemplatur ortum lunæ & ſiderum:*

ſiſtere, & ad orientem reſpicere: ubi ortum lunæ & ſiderum aliquorum, & puritatem firmamenti aliquatenus potuit contemplari. Cumque his omnibus intuendis tota mentis & corporis acie inhæreret; magna creaturarum delectatione, & eas integre cognoſcendi ardore correptus, ſic ipſum Creatorem affatus eſt: Domine omnium conditor, etſi teipſum, dum in hac habito Babylone, per ſpeculum & in ænigmate oportet cognoſcere; da mihi tamen tuarum cognitionem creaturarum, per quam ad te ipſum cognoſcendum mentis contuitus aliquantum perfectius ſublevetur. Et dum orans deſideranſque conſiſteret; ecce, modo mirabili (quem explicare ipſe non potuit, ſed nec ego) alienatus à ſe, in alterius ſcientiæ virum ſubito tranſlatus eſt: poſuitque Dominus ſubito ſub ejus contuitu, nimium dilatato, qualitatem & quantitatem (quod manifeſtius pulchritudinem & magnitudinem poſſumus appellare) firmamenti ac ſiderum, & per aliquod tempus ejus deſiderio ſatisfecit. A reverſo autem ad ſe nihil aliud potuimus intelligere; niſi quod in hac cognitione perfecta creaturarum, tam inæſtimabili fuiſſet delectatione refectus, ut nullius lingua hoc aliquatenus explicare valeret. O vere inæſtimabilem virum, omni proſequendum laude! quem Dominus ut filium flagellare & ut amicum unanimem ſecretorum ſuorum deliciis voluit conſolari. An non videtur in hoc facto compar illius incomparabilis *h* Benedicti, ſub cujus oculis in momento totus mundus adductus eſt? Non contendamus de meritis, ſed in utroque Dominum merito collaudemus.

& mente in Deum elevata

pulchritudinem creaturarum agnoſcit

B

h

33 Operæ pretium eſt illud etiam inſerere lectioni, & lectorum memoriæ commendari, qualiter paſſio eximii Præſulis *i* Engelberti, Colonienſis Archiepiſcopi, noſtro Joſeph, non per phantaſmata ſomniorum, ſed per viſionem, etiam corporeis oculis manifeſta fuerit præoſtenſa. Scribo autem illam (quantum valeo meminiſſe) ſicut eam ex videntis ore ſuſcepi. Ante præſati Pontificis paſſionem circiter *k* quatuor ſeptimanas, una nocte *l* media, firmamenti & ſiderum (ut æſtimo) puritate delectatus ex cauſa ſupradicta, ſub divo exierat, & ſtabat Dominum Creatorem in creaturarum ſpecioſitate contemplans: ab eo enim tempore, quo naturam & diſpoſitionem creaturarum per exceſſum cognoverat, illas cum majori devotione & delectatione conſueverat intueri. Cum ergo lunarem globum in meridionali plaga inſpiceret, eo tempore pleno & inoffenſo lumine refulgentem; ad plagam aquilonarem converſus, vidit aliam lunam oriri, cujus claritas tanta erat, ut naturalis lunæ claritatem perfectam pene penitus obſcuraret. Et cum rei novitate ſtaret attonitus; ecce, reſpexit firmamentum ad dexteram aperiri, & inter aperturam & lunam illam phantaſticã (quæ jam verſus aditum cæli cœperat elevari) vidit figurã gladii, brevis quidem, ſed lati, quales ſunt gladii Bauwarorum. Luna vero, quæ ab aquilone verſus orientem aſcendere videbatur, cum gladium contigiſſet; aditum firmamenti pariter intraverunt. At Joſeph, non intelligens viſionem (nõ dubius tamen quin aliquid magni portenderet) cum anxietate cordis ad lectulũ eſt regreſſus. In quo cum ſe ſolicitus reclinaret, palpebris ad dormitandum aliquantulum reſolutis, turbam quamdam ante domum, in qua jacuit, ſibi viſus eſt tranſeuntem audire; & alterum ad alterum conquerendo dicentem *m*: Heu! heu! Epiſcopus Engelbertus occiſus eſt: & hoc ſæpius repetebant. Conjecit ſatis ex hoc vir beatus, quid viſio illa portenderet, ſed dubitavit credere viſioni. Dixit enim apud ſe: Quomodo vir tantæ gloriæ & tantæ potentiæ, tantis ſemper fultus comitibus, occidetur: Quod ſi occiſus fuerit; quis credet, virum totum ſeculo deditum, virum tantorum ſucceſſuum & tantarum deliciarum ſubito coronari? Sed non potuit res præoſtenſa non perfici, & ordinata à Domino non conſummari. Cecidit ergo brevi poſt tempore vir tantus ſuorum gladiis proximorum; pro quo, ne caderet, extraneorum potius debuerant gladios ſuſtinere. Una tamen viſionis parte completa, adhuc Joſeph (ut ſibimet ſemper ſuſpectus eſſe conſueverat) de glorificatione Martyris dubitabat. Facta eſt itaque vox dicens ad eum: Pro eo, quod viſioni veriſſimæ, fidei oculos advertere noluiſti; ecce, oculorum corporis dolorem incurres: nec ſanitatem aliquatenus conſequeris, donec oculos cereos ad ſepulcrum Martyris efferas, & in tua ſanatione eam experiaris certiſſime (de qua nunc dubitas) veritatem. Dicta, fides protinus ſubſecuta eſt; Joſeph oculorum dolore graviter infirmato, &, per impletionem voti præfati, ſubita & integra ſanitate recepta. Omitto ſcribere, quid mihi reſponderit, quærenti ab eo quid cælo aperto conſpexerit; ne Philoſophis aut Theologis quæſtiones videar ſuſcitare. Sed nec ipſam viſionem articulatim expono: videlicet, quid pulchritudo lunæ lunam ſuperans naturalem, & iter ipſius ab aquilone in orientem ſignificet; quid etiam brevitas & latitudo mucronis, & cetera quæ circa hæc poſſunt diſquiri; cum noſtra brevitas poſſit ſufficere ſimplicitatis amicis, quibus in hoc opuſculo me fateor potiſſimum deſervire.

i

k l

lunarem globum contemplans,

C

videt aliam lunam phantaſticam,

poſt contactũ gladii in firmamentum intrare:

m

& audit S. Engelbertum Epiſcopum eſſe occiſum.

AUCTORE COÆVO *quo poſtmodum occiſo.*

dubitans de gloria ejus;

punitur dolore oculorum;

& oblatis oculis cereis ad ſepulcrũ ejus ſanantur.

E

F

ANNOTATA.

a *Videtur intelligi* jubilus *ſeu* hymnus dẽ Urſulanis Virginibus, *ſecundo loco editus poſt Vitam hoc exordio.* O vernantes Chriſti roſæ, ſupra modum ſpecioſæ. *Tribuitur eidem Sequentia de dictis Virginibus, ſexto loco excuſa, hoc initio:* Virginalis turma ſexus.

b *Iſta in citato jubilo leguntur:* O puellæ, ô agnellæ, Chriſti caræ Columbellæ.

c *Breviter Razo:* Numeros quoque aptavit matet virgo Sancta: *ſed videtur mendoſe*, mater, *loco*, pariter, *irrepſiſſe: quia agitur manifeſte de Vrſulana, ſequuntur enim verba relata in comment. num* 5

d *Celeberrimam Reliquiarum harum inventionem contigiſſe anno* 1155 *docet Crumbach lib.*7 *hiſtoriæ Vrſulanæ cap.*17. *Verum hic agi de poſteriore aliquarum reliquiarum inventione, facta haud diu ante vel poſt annum* 1200, *demonſtrat ætas B. Hermanni Ioſephi.*

e *Idem Crumbach lib* 9 *cap* 8 *docet, quomodo poſt annum* 900 *traductis Coloniam Virginibus Geritzimenſibus, inchoatum ad S. Vrſulam ſit monaſterium: fuerunt autem Abbatiſſæ, Gepa, Reinoldi Archiepiſcopi ſoror uſq; ad annum* 1172, *tum Clementia uſque ad initium ſeculi* 13, *Benedicta ad an.* 1229, *Friderundis ultra* 1238 *ſuperſtes.*

f *Illas Reliquias non amplius extare in eccleſia Steinfeldenſi, aut certe injuria temporum, nomine deperdito, immiſtas eſſe aliis, tradit citatus Crumbach lib.*1 *cap.*24 *ſub finem. Porro in Vrſulanarum Indice poſt lib.*8 *cap.*21 *idem recenſet hanc Gertrudem cum quinque aliis ejuſdem nominis: quas ſaltem Teutonicum nomen oſtendit non fuiſſe Britannas.*

g *Qui ſequitur numerus, eum Razo tranſilivit, brevitati ſtudens.*

h *Leguntur hæc in Vita S. Benedicti* 21 *Martij num.* 35.

i S. Engelbertus *paſſus eſt martyrium* 7 *Novemb. anno* 1225, *cujus Vitam ſcripſit Cæſarius Heiſterbacenſis, & ſub finem hanc revelationem annectit, quæ ad calcem hujus Vitæ iterum repetitur, ex alia relatione huc tranſlata; in qua dicitur viſio facta dicto* anno 1225 circa feſtum S. Gereonis, *qui colitur* 10 *Octobris.*

k *Perperam Cæſarius* hebdomadam unam *ſcribit.*

l *Alia relatio*, in prima vigilia noctis; *Cæſarius*, nocte intempeſta.

AUCTORE COÆVO

m *Eadem*: Quod vidiſti, mortem ſignificat Engelberti Colonienſis Archiepiſcopi: & ita glorioſe, ut vidiſti lunam illam in cælum recipi, ita anima ejus in egreſſu corporis ſuſcipietur in cælum, & ita glorioſe fulgebit coram Domino.

CAPUT VI.

Mentis exceſſus & ſumma reverentia ſub ſacrificio Miſſæ.

34 SUbnectere libet (utinam digne liceat) de gratia ſingulari, quam ei omnium largitor gratiarum, aliquot annis ante deceſſum ſuum, contulerat in ſacroſanctis Miſſarum myſteriis, omnibus ante actis temporibus inauditam. Sed nec iſta ſcribimus, ut trahantur ab aliquo in exemplum, qui non fuerit ſimilis exemplari. Beatus igitur & Deo dilectus & hominibus Joſeph, licet à principio ordinationis ſuæ, ſingularis fuerit gratiæ in divinis, ut ſummo Patri, præ ceteris Fratribus ſuis, tamquam unicus haberetur; maxime cum ſuum Patri Unicum immolaret; circa noviſſima tamen tempora ſua, ita inaudito modo illum viſitare curavit, ut ſingulis pene diebus infra ſecretas divini Myſterii fieret in exceſſu; & ſtans ſine omni corporis motu per horas plurimas cunctis de ſe mirabile ſpectaculum exhibebat. Et factus eſt multis in ſcandalum & in parabolam, non ſolum extraneis ſed & Fratribus propriis: ita ut etiam vix aliquis haberetur, qui ipſi propter tantas moras in altaris myſteriis miniſtraret. A nonnullis etiam Fratribus monitus & rogatus, ut vel à tanta protractione ceſſaret, vel cauſam tam inauditæ protractionis indicaret; eiſdem minime acquievit. Ego quoque inter ceteros ipſum ſuper hoc facto in familiaritate conveni, petivique ſuppliciter, ut cauſas tantæ moræ, non mihi (qui me ſciebam tanto myſterio prorſus indignum) ſed alicui de Fratribus, quos innocentia vitæ & animi puritas commendavit, ſuum vellet communicare ſecretum. Cumque non conſentienti, etiam animo commotus, inſtarem dicens, periculo plenum eſſe, quod tam inauditorum non haberet conſcium ſecretorum; tale tandem ab ipſo potui extorquere reſponſum: Vere, non audeo hoc cuiquam revelare ſecretum: quia ſi revelavero, & gratiam devotionis amittam, & miſerabiliter torquebor. Decrevi ergo ego de cetero ceſſare ab homine admirando; ne mea importunitate ſpiritum fortaſſis extinguerem, & ne ſpernerem prophetiam. Quidam vero (qui ei familiarius ſolebant aſſiſtere) quid in tanta mora faceret, explorare volentes, illi ſic ſtanti in faciem ſe dederunt; & tantam quietem corporis eum retinere viderunt, ut nec ore ad loquendum nec ad videndum oculis uteretur. Illos enim, qui in facie ejus in proximo & ex directo ſteterunt, ſe aſpicientes non vidit; cum tamen oculos ad videndum haberet apertos. Poſt multas autem moras, tamquam à ſomno evigilans, ſpiritum vehementer attraxit, & myſteria ſacroſancta perfecit. Puto ab eis, qui ſuper prævaricantes tabeſcunt, & non ſuper eos qui ambulant in lege Domini, facile comprehendi, quod ad magna, multa, ardua & dulcia contemplanda viri ſpiritualis ſpiritus raperetur; cum omnes ſenſus corporis ita relinqueret, ut in nullius illorum officio deſerviret. Quantum, putamus, ſpiritualibus intendit, qui ſe in corpore eſſe minime perſenſit? Quantum, putamus, intendit cæleſtibus, qui ſolo corpore remanſit in terris? Quantum, putamus, introivit in Deum, in quem ſitivit anima ejus, qui corpus proprium dereliquit? Quanta puritate ſpiritus vidit & audivit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui, qui apertis oculis corporis nihil vidit, patulis auribus nil audivit? Meditans & tractans iſta, cogor intueri (& utinam bene intuear!) miſeriam animæ meæ, ſimiliumque meorum; qui ad illa terrifica Sacramenta tam toti carnales, imo potius toti caro, accedimus: nihil ſpirituale, nihil cæleſte, nihil divinum meditamur, ſapimus, & aſpicimus: vix ſolam fidem, & illam (heu!) nimis infirmam, de divinis Sacramentis habemus: Creatoris, Redemptoris, Judiciſque præſentiam non ſentimus, nec præſentiam non ſentimus, nec præſentium Angelorum devotiſſimum miniſterium cogitamus. Majeſtatem Domini nec digne laudamus cum Angelis, nec cum Dominationibus adoramus, nec tremimus cum Poteſtatibus, cum cælis cælorumque Virtutibus ac beatis Seraphim minime exultamus. Frigidi, duri, graves, & aridi corde, cogitationibus inquieti, & variis paſſionibus obnoxii, Dominum Sabaoth contrectare & ſumere præſumimus indevoti: heu! diſſimiles illi, qui non ſolum exuit veterem hominem cum actibus ſuis, & induit novum hominem; verum etiam ſemetipſum reliquit, &, Domini recordatus, effudit ſuper ſe animam ſuam: tranſiens à tabernaculo carnis in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei; imo uſque ad ipſum & in ipſum Deum, fontem vivum: ad quem ſitivit anima ejus, ſicut deſiderat cervus ad fontes aquarum. O ſaltus illos cervinos, quos dedit ille in ſpiritu, à viſibilibus ad inviſibilia, à corporalibus ad ſpiritualia, à terrenis ad cæleſtia, ab humanis ad divina tranſmigrans! Saltavit extra oculum corporis, ut corporalia & viſibilia non videns, videret ſpiritualia & inviſibilia: ſaltavit extra aurem corporis, ut audibilia & fabilia non audiens, audiret ineffabilia, quæ humanum ſuperarent auditum. Et (quod magis mireris) nõ fuit hæc gratia unius diei, aut unius hebdomadæ, aut menſis unius, nec ſaltem unius anni; ſed & annis pluribus tanta in tanto viro gratia perduravit, guſtante & vidente ſuavitatis tuæ abundantiam, Domine Jeſu: cujus nos tantum memoriam, non guſtum & ſaturitatem, egeni nimis & pauperes & mendici, poſſumus eructare. *a*

35 Eructemus tamen, quæ poſſumus & quæ ſcimus de ſervo Dei ad laudem Dei: & ſervum in Domino, & in ſervo Dominum collaudemus. Erat aliquando, Domino diſponente, in monaſterio Sanctimonialium per annos aliquot, & Divina celebravit ibidem: ortumque fuit contra illum de protractione Miſſarum murmur non modicum; aliis conquerentibus, tempus laboris inutiliter ſe expendere; aliis vero dicentibus, de luminaribus diu ardentibus fieri detrimentum. Cumque hæ quæſtiones diutius agerentur, doluit vicem beati viri ſervus quidam (ſed poſt Converſus) qui eum ſatis familiariter diligebat: & veritatem detrimenti luminarium cupiens experiri, die quadam (dum eſſet iturus viam milliarii unius, duas aut tres leucas Gallicas continentem) abſcondit unam duarum candelarum, quæ ad altare ardere ſolebant, ubi Sacerdos Domini celebravit & longitudinem habebant æqualem: inceptiſque Miſſarum ſolenniis, incepit idem ſervus agere iter ſuum: quo, cum negotiis, conſummato, reverſus invenit Contemplatorem noſtrum, ſacris adhuc altaribus aſſiſtentem. Perfecto Officio, candelam abſconditam, cum cãdela quæ in Miſſæ ſollenniis arſerat, menſuravit, & invenit, de illa non tantum fuiſſe conſumptum, quantum in Miſſa brevitatis conſuetæ naturaliter potuiſſet conſumi. Gaviſus tulit utramq; candelã, & oſtendens eas Sororibus, retulit quid egiſſet: &, ne de cetero contra famulum Domini murmurarent, monuit diligẽter. Ecce, vere puer Domini electus, quem elegit, ob cujus meritum comprobandum vim

B *Sub divino Miſſæ Sacrificio mirabiles mentis patitur exceſſus:*

C *& oculis aperto obvios non videt:*

D *alius ab iis qui negligenter accedunt ad divina Sacramenta.*

E

F

a

pluribus annis ita in divina rapitur,

cereis minuc conſumptis, quam ſub Miſſa brevioris:

A vim virtutis ſuæ oblitus eſt ignis; ut illam in tam molli materia ſui fomenti exercere non poſſet, & puer Domini à calumniantibus liberaretur illæſus. An non videtur tibi cereus iſte rubo ardenti & non combuſto merito comparari? niſi forte mirabilius ſit, ignem materialem in ſubjectam materiam multo
b minus, quam naturaliter debuerat, potuiſſe. *b*

36 Puto, hoc quoque auditorum ædificationi aliquid profuturum, ſi, quantam habuerit reverentiam Sacramentis, quantam circa illa conficienda, tractanda & ſumenda habuerit diligentiam, quanto timore & tremore omnia vaſa & alia utenſilia ſacri miniſterii tractare conſueverit, in medium proferatur. Nec enim puto aliquem hominum in his tam ſuſpectum ſibi, & tam levis conicientiæ fuiſſe repertum, qui ſe ſemper in aliquo crederet exceſſiſſe. *reverentia ſcrupuloſa ejus erga ven. Euchariſtiam:* Nunc aquæ ſe nimium miſcuiſſe cum vino, nunc aliquas vini guttulas ſeparatim Calici adhæſiſſe, nunc in contactu Hoſtiæ conſecratæ, vel etiam in fractione ipſius, aliquas minutiſſimas particulas digitis adhæſiſſe timebat. Aliquando eaſdem minutias ſe cum anhelitu, in ſumendo Euchariſtiam de patena (ſuper quam duas Hoſtiæ partes ponere ſolemus) ſe rejeciſſe pertimuit: aliquando in bibendo Calicem,
B aliquid diſtillaſſe; aut aliquid incaute in Calice remanſiſſe vel Hoſtiæ vel humoris, quod non fuiſſet diligenter exterſum. Modo illam plicam Corporalis, ſuper quam poni ſolet Hoſtia, vel digitis, vel alia parte Corporalis ſe timuit contigiſſe: modo illis articulis digitorum, quibus ſacram Hoſtiam contrectarat, ante ablutionem ſe aliquid tetigiſſe: & ſuper omnia ſe devotione debita caruiſſe, flebiliter querebatur; ut vere, Verebar omnia opera mea, cum beato Job dicere potuiſſet. Propter nimiam ergo reverentiam, quam adhibuit Sacramentis, omnia moroſe peregit: ita quoties Corpus Dominicũ, tamquam Hominem adhuc paſſibilem levavit & poſuit: *ob hujus attactũ aſſervans jegmẽta unguium, & barbæ ſuperioris.* brachiorum elevatione & demiſſione, & totius corporis geſtus maxima reverentia temperavit. Illorum digitorum ungues, quibus ſacra Hoſtia contrectatur, & ſuperioris labii barbam ori proximam, qua aliquo caſu contingi poſſet Calicis Sacramentum, forfice ſolebat præſcindere, & propter Sacramenti reverentiam conſervare apud ſe; judicans indignum, illas extremitates corporis (licet in ſe viles) pedibus conculcari, quæ omnium Dominum (licet in Sacramento) contingendo multoties nobilitatæ fuiſſent. Nec
C hoc ſcribimus, ut trahi debeat in exemplum, quod tota Eccleſia non obſervat; ſed ut per hoc oſtendamus, quantam vir beatus in corde reverentiam exhibuerit Sacramentis, qui extrema corporis tanta diligentia, propter honorem Euchariſtiæ, honoravit. Illos ſane ſæpius coram nobis, & eorum conſuetudinem duriter reprehendit, qui vel ſimplici, vel etiam duplici poſt ſumptam Euchariſtiam ſunt ablutione contenti; aſſerens ex revelatione ſe divina veraciter comperiſſe, etiam poſt tertiam ablutionem aliquid Sacramenti (quod idem eſt totum) in Calice remanſiſſe.

37 Hoc etiam, quod ſuper naturam fuiſſe, & in ſervo Dei metas naturales exceſſiſſe videtur, ſilentio præterire non poſſum: quod cum ipſe tantæ debilitatis eſſet, & illam jam vertiſſet in conſuetudinem & naturam, ut ex viribus propriis nec ſtare diu *viribus majoribus ſolito pollet in miniſterio altaris: & apud devotas perſonas,* nec jejunare valeret, quin extremum defectum incurreret; circa altaris tamen miniſterium occupatus, & ſtare diutiſſime, & jejunare valebat. Accidit aliquando, cum apud tales eſſet perſonas, quarum devotione ſpecialiter lætabatur, per aliquot dies tanta ipſum corporis fortitudine, per alacritatem ſpiritus recreari, ut & debilitatem conſuetam in jejunio non ſentiret, & ſatis miraculoſe etiam corporaliter laboraret. Didicerat enim facere horologii inſtrumentum; propter quod nonnumquam ab aliis monaſteriis petebatur, ut vel nova faceret, ubi non erant, vel diſtemperata irerum temperaret. Fecit hoc cum tantæ jucunditatis affectu, ut non ſolum nulli ſua præſentia fuerit oneroſa, verum etiam omnibus cariſſimus haberetur. Tanta ſe benignitate omnium moribus & conſuetudini conformare ſciebat; ut *omnibus omnia factus.* quamvis inter perfectos ſapientiam loqueretur, ita tamen ut puer pueris haberetur, ut unum ſuorum eum pueri reputarent. Hanc etiam corporis fortitudinem ipſum nonnumquam novimus recepiſſe, cum ad meditandum & ſcribendum aliquid ſpirituale (circa quod aliqua ſingulari devotione & gratia *delectatur ſcriptione ſpiritualis:* movebatur) ſtudium applicaret; ita ut aliquando uſque ad meridiem, frequenter uſque ad veſperam & crepuſculum, jejunium protelaret. Tunc quoque cum Fratribus commonentibus & compellentibus aliquando (qui in Refectorio miniſtrabant) ut fragili corpuſculo indulgeret, acceſſiſſet ad menſam; uno pulmento frequenter, & maxime pultibus utebatur.

ANNOTATA.

a *Huc uſque dicta paucis his verbis abſoluit Razo cap* 15 *ſic ordiens*, Moris huic noſtro fuit rem divinam productius facere. E

b *Effundit ſe in hujus miraculi conſiderationem Razo, omittens quæ ſequuntur uſque ad num.* 38

CAPUT VII.

Sanctitas B. Ioſephi teſtimoniis approbata. Eximia ejus caſtitas & humilitas.

38 VEnio nunc ad viſiones & revelationes Domini, quæ aliis quoque perſonis nobis cognitis, & vitæ ſanctitate probatis, de beato viro factæ ſunt: ut non ſolum à ſeipſo, verum etiam ab aliis habeat teſtimonium veritatis. Erat in monaſterio *a* nobis cognito & vicino, ſancta Virgo Ciſtercienſis Ordinis, flos & lux noſtri temporis: cujus teſtimonio tanto fortius credere, & illud ſcripturæ tanto fiducialius audeo commendare, quanto illam ſpecialius familiariuſque cognovi. De cujus teſtimonio quiſque mecum minime dubitabit, qui legerit libellum, quem ipſe Joſeph primo de beatæ illius Virginis vita conſcripſit, & ego poſtea *b* breviavi, ne quiſquam prolixitatem illius forſitan faſtidiret. F Contigit aliquando, quemdam eccleſiæ noſtræ Fra- *cuidam ſanctæ Virgini Ciſterc. Ordinis indicantur virtutes ejus.* trem, ſimplicem Sacerdotem, bonum habentem à Fratribus teſtimonium, rebus humanis exiini, & ad Dominum accerſiri. Pro cujus anima Domino commendanda, præfata Virgo ſancta multas Domino ſupplicationes effundens, petivit à Domino, ut, quid de Fratris defuncti anima ageretur, ipſi revelare veris indiciis dignaretur. Poſt aliquot dies apparuit ſupplicanti defunctus, & de ſalvatione ſua certificavit & lætificavit eamdem. Cui poſt cetera illa ait: Rogo te, ut dicas mihi de Joſeph, cujus ſit meriti apud Dominum. Qui reſpondit: Magni eſt meriti; quia magnarum virtutum eſt. Scire enim debes, ipſum in humilitate, patientia, caritate, & obedientia, quibus præcellit univerſos, virtutibus adornatum. At ubi ad Joſeph hæc relata eſt revelatio; reſpondit: (quia ab ore ſuo audivi tempore procedente) Ego, inquit, hactenus revelationibus Eliſabeth (hoc enim erat nomen ejus) fidem adhibui; ſed modo timere compellor, hanc eſſe deceptam, cui de univerſorum noviſſimo, & prorſus inutili, & qui non ſit dignus panem quo veſcitur, hæc fuerint revelata *c*. Per talia verba, & ſe in ſemetipſo con- c

AUCTORE COÆVO

fundere, & apud nos dissimulare qui erat, & ne magnum aliquid de ipso sentiretur, præcipue laudes hominum declinare solebat.

39 Revelata est & secunda visio similis præfatæ ancillæ Dei de Joseph, quam mihi ore proprio enarravit. Appropinquante autem termino dissolutionis illius, mihi lamentabilis, quem illa orationibus & lacrymis suis ab omni adversitate protegere, & in omni dubio certificare solebat, astitit illi Angelus Domini, ita dicens: Præpara te, quia cito itura es. Intelligens illa de quo itinere diceret (pro hoc enim Dominum multo tempore fuerat instantia maxima deprecata) respondit: Ey! quam cito itura sum? At ille: Valde cito, inquit. Subjecit illa: Numquid ego sum citius transitura, vel Joseph? Ait: Tu quidem citius es transitura; sed ille te non multo post tempore consequetur. Cui illa iterum ait: Qualis vir est Joseph? Respondit Angelus: Joseph magnus vir est. Quam magnus? inquit. Nullum habet, inquit, similem in Ecclesia Steinfeldensi. Cœpit ergo Virgo sancta, bonæ opinionis Fratres ejusdem Ecclesiæ, suis nominibus Angelo recitare, & dixit: Numquid Joseph major est omnibus istis? istos enim bonos esse Fratres, omnium opinione habetur. Ait Angelus: Isti quidem admodum boni sunt; sed nihil ad Joseph. Et cum quadam vocis severitate, vim intentionis significante, subjecit: Nemo similis est Joseph: scias enim certissime, Joseph in castitate & puritate animæ & corporis, in humilitate perfecta, in caritate suprema, & in patientiæ longanimitate præcellere universos. Pluraque in hunc modum de viri virtutibus replicavit. In extrema quoque unctione, dum Famulæ Dei, ipsa jubente & præsente Joseph, hoc officium mœstissimus impendissem; omnibus amotis, me solum cum sola faciens residere, sic exorsa est: Ecce, inquit, jam non multa loquar tecum de cetero: scio enim certissime implendum quod per Dominum didici, annuntiante Angelo, & desiderio concupivi. In extremis ergo colloquiis Joseph tuæ caritati commendo: & te commoneo diligenter, ut omnibus modis cavere studeas, ne ipsum verbo vel facto aliquando conturbes. Infirmitati ipsius misericorditer condescende; & in omnibus fer subsidium, quibus potes. Scias enim certissime, quod nemo Joseph exacerbavit impune, etiam in vita præsenti, præter pœnam futuram, quam (si impœnitens decesserit) sustinebit: nam memetipsam in hac vita diutius cognosco torqueri, quia Joseph aliquoties conturbavi. Et recitavit verba Angeli, qui dixerat: Quia Joseph vir magnus est.

item Angelus de obitu illam monēs,

testatur sanctitatem B. Iosephi.

B

C

40 Sed quia virtutum beati viri mentio facta est; (in quibus tota vis & summa sanctitatis consistit) ut & eædem virtutes per signa possint exteriora cognosci, dignum videtur, singularum signa virtutum (quæ oculis nostris in ipso videre, & in ipso auribus audire potuimus) explicare. Et primum quidem de castitate ipsius, à qua primum commendatus est, videamus. Hac virtute ita à receptione vestis candidæ & immaculatæ, qua Baptismi tempore vestitus fuit, tanta perfectione decoratus est, ut gemma virginum, flos virginitatis, lilium castitatis, titulus pudicitiæ, vas electum continentiæ, agnus innocentiæ, & virgo virginum nostri temporis merito potuerit appellari: virgo in corde, virgo in oculis, virgo in auribus, virgo in olfactu, virgo in gustu, virgo in tactu. Quantum enim perpendere potuimus, in hac virtute nostram super modum fragilitatem excesserat; dum (quod opus trahere non convenit in exemplum) in omni loco, etiam in divinis (si quando opus erat) devotarum feminarum, sicut virorum, ministerio utebatur. Scio non defuturos qui hunc articulum mordaciter, fieri minime debuisse, nec ea scriptis oportuisse mandari [contendant]. Sed quid agam? Quomodo cæcutientes illuminem, ut videant quid commendem? Non enim ministerium feminarum, quantumcumque sanctarum, ministrantium Sacerdoti commendo: sed oculos carneos Sacerdotis, innocentiæ lacte lotos, ita repletos & absorptos à spiritu, ut non discernerent mulierem à viro: vel, si discrevit, nihil per adspectum in cor purissimum humanæ fragilitatis intrasse, quidni commendem? Talis quippe in corpore Angelus erat. Commendatur B. Bernardus, quod equitans in sella aurea, coloribusque depicta (quam mutuo se asseruit accepisse) non discreverit præ occupatione spiritus, in sella cujusmodi resideret; cum tamen non esset bonum, talem sellam monachum equitare: sed commendabile erat, ipsum à vanitate oculos avertisse. Quod si dixero & scripsero, quod aliquando, cum in meridie Joseph tertius castissimus, vellet lectulo reclinare corpus angelicum, non refugit in illo se strato reponere, in quo mulier sopita jacebat? Quæ cum, adhuc dormiente Joseph, expergisceretur à somno, virumque videret, expavit, erubuit & aufugit. Numquid & hic non vident illi, qui videntes non vident, & audientes non intelligunt, quem commendem? Non commendo virum in uno lecto cum muliere dormire; sed virum spiritualem mulieris præsentiam non sentire. Neque enim malum esset virum cum muliere dormire, si posset illicitum nil sentire; cum in castitatis commendatione dicatur: Juvenis cum virgine habitabit. quod utique malum non erit, quando nec spiritus adversus carnem, nec caro adversus spiritum concupiscet: quod etiam in nostro Joseph vidimus jam impletum.

D

E

Isaiæ 62

41 Virtutem humilitatis ejus quomodo digne commendem? Præ cunctis enim virtutibus specialiter fuit hæc virtus, virtus Joseph: quam nimirum tamquam verus veri Magistri discipulus (qui de se docendo dicebat; Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde) corde, voce, gestu, habitu, actibus & passionibus observabat. Hac virtute ita præminuit, ut cum cunctis cunctos virtutibus superaret, humilitatis tamen excellentia in ipso cunctarum virtutum suarum excellentiam superabat. Et quidem, si vocem modumque loquentis audires, si quam promptus sui fuerit accusator, & aliorum excusator, attenderes, & (ubi necessarium erat) quam verecundus fuerit reprehensor; vere diceres, humilitatis virtutem in corde suo, super hominem & super virtutes proprias alias, thronum regalis celsitudinis obtinere. Et sicut bona sua numquam jactabat; ita semper aliorum bona laudabat. Siquando in sui præsentia laudabatur; illam laudem aut jocis aliquibus, aut circumlocutione negationis, aut aliqua commemoratione suæ confusionis, ita mirabiliter didicerat declinare; ut nonnumquam idipsum, quod oculis nostris vidimus, & auribus nostris audivimus, ita à nostra credulitate excuteret, ne de ipso virtutis aliquid crederemus. Quotiescumque suimetipsius coram nobis faceret mentionem; se opprobrium hominum & abjectionem plebis, cifram *d* algorismi, numerum tantum, & fruges consumere natum, pomum silvestre putridum, ejectum de pomis utilibus, & onus omnium nominabat. Gestus omnium membrorum ejus simplicissimi; ut nihil *e* nobilitatis, nihil singularitatis in illorum aliquo invenires. Compungor ponens te in adspectu cordis mei, Frater carissime; & dissimilitudinem meam ad te in tui consideratione deploro. Caput tuum sicut caput lilii candidissimi, humiliter declinatum: nec enim contra Deum, cervice armata & collo pingui, cum superbo

F

Matth. 11

qua præclare res aliorum, nihili suas æstimi.

d

e

quæ illa auctori hujus Vitæ commendat:

Eximia ejus virginitas, nullu unquā tibidinū faecibus ambusta.

etiam admisso ministerio fœminarum.

perbo aliquando cucurriſti. Oculi tui veriſſime co-
A lumbarum; qui nihil raperent alienum, nec no-
civum quid inducerent in domicilium cordis tui.
Genæ tuæ, ſicut genæ turturis; humilitate deje-
ctæ, virginalis pudoris verecundia rubicundæ. In-
ceſſus pedum tuorum moderatus & ſimplex; nihil
in ſe omnino ſuperbiæ, nihil levitatis oſtentans.
Siquando aliquem ſibi aut videbat aut putabat of-
enſum; ad veniam petendam ſolebat, ſine acce-
ptione perſonarum, facillime ſuper genua inclinari,
& voce humillima indulgentiam poſtulare. Habitus
veſtimentorum illius, nec delicatus nec ſordidus;
veſtes detri-tas appetit: ſordidior tamen, quam delicatior apparebat. Pluri-
bus annis nova non vidimus eum cappa veſtitum:
quod ipſe nequaquam humilitati, ſed debilitati cor-
poris ſui attribuere ſolebat, afferens, nova ſe veſti-
menta non poſſe præ gravitate portare. Quod licet
veritatem haberet, præcipue tamen humilitatis virtu-
tem novimus in cauſa fuiſſe. Novis tunicis aliquan-
do uſus fuit; frequentius vero libentiuſque veteri-
bus, cum manicis *f* petiatis. Pelliceum ſuum, quod
f diutiſſime portare ſolebat, propriis aliquando ma-
nibus, cum panno laneo æque veteri reſarcivit: re-
dargutuſque à Fratre ſibi familiari prodidit verita-
tem; Ego, inquiens, meliori dignus non ſum.
B Calceamentis nulla arte compoſitis & ſæpe veteri-
bus, & quæ alii ante ipſum portaverant, utebatur;
& ſiquid in acumine anteriori videbantur nobilitatis
habere, alliſione eorum ad objecti ligni vel lapi-
dis duritiam retundebat. In omnibus actibus il-
lius nihil erat, quod cujuſquam virtuoſi adſpectum
offenderet; ſed magis in omnibus ſanctitatis indi-
cia præferebat. Totus enim ſibi ipſi ex corde vilue-
rat; &, quod ſibi intus erat, foris etiam aliis oſten-
debat. Quomodo ergo laudem ab aliis quæreret,
quam ſibimet etiam ipſe negabat? Certe non ſo-
lum non laudari, ſed etiam vilipendi quærebat:
quod evidenti documento probabo. Eunti Joſeph,
à ruſtico in maxillâ per-cuti cupit: in via quidam ruſticus occurrit: coram quo ſalutato,
genua ſua Sacerdos Domini inclinavit, & dixit: Ob-
ſecro te, ut quod peto à te, facias mihi. Reſpon-
dente illo, ſe libenter facturum; ſubjecit: Rogo te,
ait, ut me percutias in maxillam. Territus ruſticus
re inſolita, cœpit confabulari cum eo, & cauſam
petitionis inſolitæ percunctari. Ait Joſeph: Ego
meliori dignus non ſum, quam cædi in faciem, quia
putridum cadaver ſum. Hoc idem ruſticus de Sa-
C cerdotibus noſtris uni narravit. Quo comperto,
ſimplicitatem viri, ſtulti propter Chriſtum & pru-
dentis in Chriſto, tulimus ſatis ægre: non humili-
tatem (quæ vere facti hujus cauſa fuit) ſed ſtultitiam
attendentes in eo. Ille vero reprehenſus à nobis, ut
nos ad viam reduceret; Quo alio, inquit, jam dig-
nus ſum, immundum cadaver, niſi ut cædar in fa-
ciem? Docuit nos, doceat & legentem, plena hu-
militate reſponſio, quid de ſeipſo vir beatus ſenti-
ret: nec reprehendere ſtultitiam audeamus, ubi
& ab aliis contemni, tantæ humilitatis ſapientiam invenimus: cum per-
fecta humilitas, ſine nota ſtultitiæ, in conſpectu ho-
minum, gloriam ab invicem quærentium, vix aut
numquam valeat obſervari. Hujuſmodi ergo factis
pene omnes, qui ipſum cognoverunt, ita in ſui con-
ſideratione cæcaverat, ut nullis eum dignum laudi-
bus judicarent; multo magis optans ſtultitiæ, quam
ſanctitatis cognomen habere: mirabiliter ſciens gem-
mam in concha, frumentum in palea, ignem ſub ci-
nere conſervare. Parum eſt, proprie propriam Jo-
ſeph virtutem verbis aut ſcriptis talibus commenda-
re, quæ in omnibus, quæ de illo dicuntur & ſcri-
buntur, præconium obtinent ſpeciale. Si enim ſper-
nere mundum, ſpernere nullum, ſpernere ſeſe, ſper-
nere ſe ſperni, humilitatis perfectionem vere dicun-
tur habere; humilitatis perfectionem ſuper omnes, AUCTORE
quos novimus, veraciter aſſerimus fuiſſe in Joſeph. COÆVO
Item ſi ſufficiens eſt humilitas, ſubdi majoribus; a-
bundans, ſubdi æqualibus; ſuperabundans, ſubdi
minoribus; de hac ſuperabundantia Joſeph noſtrum,
non ſolum coram hominibus, qui falli poſſunt; ſed
coram facie tua, Domine Jeſu infallibilis, fiducialiter prædicamus.

ANNOTATA.

a Hoven *cœnobium prope Tolbiacum eſſe arbitratur Vander-Sterre, eo quod Steinfeldenſibus, jam tunc fungentibus Paſtoratu S. Martini in oppido Tolbiacenſi, frequenter acceſſus fuerit ad illud cœnobium, ab ipſa Steinfeldia tribus ſolum leucis diſitum. Eſt quidem nunc vicinius aliud ad duas leucas, in Burvenich: ſed quia ejus nuſquam meminit Cæſarius, putat illud vel tunc necdum fuiſſe inſtituti Ciſtercienſis, vel non tuliſſe perſonas ſanctitate illuſtres.*

b *Ea infra num.* 44 *vocatur* Eliſabeth: *ſed ejus vita à B. Ioſeph ſcripta & ab auctore hoc abbreviata non extat amplius: hinc quænam fuerit, non conſtat. Vixit tunc Eliſabetha monialis in cœnobio Hoven, cujus certamen cum diabolo & de hoc victoria refertur à Cæſario Heiſterbachenſi lib.* 5 *illuſtrium miraculorum cap.* 45, *ejuſque memoria inſcripta eſt Kalendario Ciſtercienſi anno* 1617 *Divione excuſo, ac Menologio Henriquez ad* 5 *diem Decembris.* E

c *Brevius Razo:* Ante hac ſemper ſororem meam Eliſabeth inter magnas & prudentes virgines maximi feci: ſed nunc mihi plane deliraſſe videtur. *Idem omittit ſequentia uſque ad num.* 41, *ubi de veſtium vilitate; & alia multa paucis perſtringit.*

d Algoriſmus, *aliis* algorithmus, *ars & peritia computandi, ſicut &* algebra. *Conſule Clavium lib.* 1 *Algebræ cap.* 1.

e Auliciſmus, *qui humilem religioſum non dicet, hic* nobilitas *dicitur.*

f Petium & petiam *pro parte aut particula deſumi ſæpius obſervavimus in hic opere, hinc* manicæ petiatæ *ſunt ex partibus immiſtis refectæ.*

CAPUT VIII.

Excellens caritas & patientia B. Ioſephi, lilio comparati: duo alia de ejus ſanctitate teſtimonia.

42 LAudemus & caritatem viri laudabilis, & quo F
poſſumus, præconio explicemus, quæ omnium radix eſt & origo virtutum: ita, ut quæcumque ex illa tamquam ex radice non prodeat, non virtus ſed ſtultitia veriſſime judicetur. Quid enim eſt humilitas niſi ſtultitia, ſi non ex caritatis radice procedat, hoc eſt, ſi non habeatur propter Deum? Quid caſtitas? Nonne virgines fatuæ; judicio veri Judicis refutantur, quæ caritatis oleo caruerunt? Matth. 25
Quid ſtultius patientia, quæ laboris ſui præmium non à Deo, ſed ab hominibus judicat expetendum? In hac ergo radice & fundamento virtutum, omnes virtutes ſuas plantaverat & fundaverat noſter architectus: quod nullatenus dubitabit, qui perfectionem *ſublimi caritate* illius humilitatis voluerit intueri. Simulatio quippe virtutum (quæ hypocriſis dicitur) plerumque pro gloria tranſitoria exercetur. Pro qua ſi pauper Chriſti mundique contemptor, ſe in virtutibus non *quæſivit ſolam Dei gloriam:* exercet; quid quærit, niſi gloriam Dei? Et hoc eſt diligere Deum & Dei caritatem habere, Dei gloriam quærere & non ſuam. Dilexit vere Deum dilectus Dei: propter quem corporis voluptatem in caſtitate, & mundi gloriam in humilitate contempſit. Dilexit vere Deum dilectus Deo; propter cujus

AUCTORE COÆVO

cujus labiorum verba vias duriſſimas cuſtodivit, vias difficiles ambulavit, viam mandatorum ipſius cucurrit; per anguſtam portam humilitatis, paupertatis, laboris & doloris, intrare contendit. Dilexit Deum vere Dei dilectus, qui & pro omni tranſitoria voluptate contempta, & omni tribulatione ſuſcepta, aliud præmium non quæſivit, niſi faciem tuam, Domine Jeſu. Quid enim quæſivit, niſi te? qui neque divitias, neque delicias, nec gloriam, nec aliquid tranſitorium quæſivit, præter te. Tibi, tibi, & tibi ſoli dixit cor ejus, caritate tua vulneratum: Exquiſivit te facies mea: faciem tuam requiram, Domine Jeſu. O quoties, & quam profundis gemitibus (etiam nobis præſentibus) tibi ſuſpirabat, Domine Jeſu! quam miſerabiliter hujus Babylonis præſentem miſeriam, tui vultus abſentiam querebatur! Noſtram querebatur miſeriam, tuam quærebat præſentiam: & ecce quod querebatur amiſit, & quod quærebat invenit. Nihil eſt jam in Chriſto quod queratur; nihil extra ipſum quod quærat, niſi forte ſecundam ſtolam, ſua omnino ceſſante miſeria, & tua ipſum, Domine Jeſu, miſericordia ſatiante. In tantum proximi caritate fervebat, ut vere ſciret gaudere cum vere gaudentibus & flere cum flentibus. Et, ut ea quæ in ipſo conſpeximus, caritatis inſignia prædicemus (quod tibi Domine Jeſu, dicimus) tanta circa afflictos, tam mente quam corpore, compaſſione & miſericordia movebatur; ut cor ejus mitiſſimum & benigniſſimum, omnium mœſtorum, laborantium, infirmorum, & de quacumque tribulatione clamantium omnium, ſuſceptivum crederes hoſpitale. Vidi ego aliquando, cum quidam Fratrum ſuas illi tentationes ac alias adverſitates conquerendo exponerent, tanta illum miſericordia & compaſſione moveri, ut vultus ejus decideret, cordis eum defectio manifeſta teneret. Omnibus quoque quibus potuit modis, ſolicitudine, compaſſione, conſolatione & oratione, afflictorum onera devote portavit, ut legem Chriſti, quæ eſt caritas, adimpleret. Dederat illi Dominus gratiam bonam & linguam eruditam, ut ſciret ſuſtentare eos verbo qui lapſi fuerant, & quorum veſtigia nutaverunt: quia ex his quæ paſſus erat, & patiebatur quotidie, omnibus tribulatis omnia facere ſe ſcivit: qui & à Spiritu ſancto & per experientiam erat in omnibus inſtiturus, & caritate cogente nullum ſibi extraneum reputabat.

B *proximos juvit [maxime afflictos,*

C

43 A virtute quoque patientiæ eſſe non potuit alienus, qui crucem ſuam, tamquam ex duobus lignis compoſitam, exteriori videlicet tribulatione & interiori dolore, ſequens veſtigia Domini crucifixi, quotidie bajulabat. Tamquam cinctus enim erat verberibus, licet miræ innocentiæ vir, ut in omni parte ejus poſſet patientia exerceri. Et à Domino quidem flagella multorum generum toleravit, ut omnium generum gaudia recipere mereretur. Multis itaque & quotidianis & pene continuis infirmitatibus corporis, debilitate ſtomachi, dolore capitis, defectione cordis creberrima (exceptis ſæpe ſupervenientibus languoribus) eſt vexatus. Afflixit & eum Dominus quodammodo omnia illi corporalia commoda prohibendo, ciborum, potuum, & equitaturæ, molliumque ſtratorum: ita ut ſæpe eſuriret & ſitiret, nec tamen illis cibis & potibus, quos eſuriit & ſitivit, ſe reficere eſt permiſſus. Erat omnibus non parva admiratio, cum viderent eum eſurientem aut ſitientem, non uti cibis & potibus ſecundum ordinem uti potuiſſet. Nonnumquam etiam cum poſt laborem & fatigationem extra monaſterium, lectuli molliores à diligentibus eum ſibi ſubſtrati fuiſſent, ut artus infirmos & debiles aliquantulum relevaret, abjecit lectulos compoſitos, & ſuper ſola ſtramina membra debilia reclinavit. Aliquando requiſitus ab admirantibus, quid cauſæ eſſet, quod vel cibis licitis vel lectulis mollioribus tam debilis nollet uti; reſpondens breviter, Jeſus, ait, prohibuit hoc: ſive, Jeſus hoc non vult. Equitaturis autem ſive curribus per duodecim annos fere uſus non eſt, nec in nivibus, nec in pluviis, nec fervore, nec frigore: ſed vias quaſcumque difficiles pedibus ambulavit, baculo parvulo valde imbecillia membra ſuſtentans. Hanc autem pœnitentiam auctoritate divina [ſuſcepiſſe], tali caſu ſumus experti. Erat aliquando iturus ad grangias Eccleſiæ noſtræ, aſſumpto ſecum Fratre, ſpeciali ſibi familiaritate conjuncto, & ſolum in comitatu equum habebant. Cumque ducentes equum in manibus, parvum viæ ſpatium pertranſiſſent, ait Joſeph: Jam procedere vix valeo, quia nimium laſſus ſum. Hortante eum Fratre, ut equum aſcenderet & aliquantulum repauſaret; reſpondit: Non poſſum. Tandem Fratre importunius inſiſtente, equum adſcendit: & cum ad paucos paſſus proceſſiſſet, equus ita graviter offendit, ut vix in eo reſidens remaneret. Ait ergo: Nonne dixi tibi, quia equitare non poſſum? Reſpondit Frater: Experiamur adhuc. Experti ſunt; & gravior offenſio eſt ſecuta. Adhuc, inquit, dimitte me, ut deſcendam, ne caſum graviorem incurram. Admirans Frater, & tamen quid ageretur ignorans. Etiam tertio, ait, in nomine Domini attentemus, teneboque te, ne caſu graviori poſſis collidi. Vix verba finierat: & equo pedes movente totus corruit; ita ut ſeſſor, Fratre eum ſuſtentante, vix remaneret illæſus. Tunc Frater videns ſe toties ſua voluntate fruſtratum, cœpit rogare ſuppliciter, ut ei hujus rei myſterium revelaret. Ait Joſeph: Ego tibi dico; Dominus Jeſus hoc mihi prohibuit. An putas, quia ſi non eſſem prohibitus, non comederem, biberem, & equitarem, ſicut ceteri hominum? Nunc vero, Domino jubente, tales me ſingulariter oportet ſuſtinere labores. Itaque uſque ad mortem ſuam, Domini Jeſu permanſit præcepto conſtrictus; ut exemplo ipſius nec equis nec curribus aliquatenus portaretur. Ab hominibus & à propriis Fratribus quibuſdam contumeliis eſt vexatus, objicientibus ei, quod ſæpius poſſet comedere & minime laborare: non attendentibus inſenſatis, quod omni labore laborioſius erat ei, laborare non poſſe, & omni jejunio durius, quod non poterat jejunare. Credo, Domine Jeſus, quod verecundiam & erubeſcentiam, quam ſuſtinuit, etiam cum nullius audiret improperia (pauci enim erant apud nos, qui ſcandalizarentur in illo) tu ei hodie revelatione vultus tui clariſſimi recompenſes. Cibos illos, quos eum, etiam in communibus jejuniis, ſicut puerulum, ſumere oportebat (nec enim ipſi, etiam in tempore Quadrageſimali peperciſti, nec ab eo paternæ manus tuæ duritiam retraxiſti, ut tunc ſaltem poſſet interpolatis diebus cum parvulis jejunare) credo te ei hodie revelatæ faciei tuæ dulcedine compenſare. Ipſe quoque ſatan ei, quantum potuit, fuit infeſtus; nunc in corvi, nunc in catti ſpecie oranti transfiguratus apparens; nunc cum cuculla cappæ in tergo pendente retraxit, ut ipſum faceret ſaltem ab oratione ceſſare, vel ut eum ex improviſo terrore concuteret, quem ad voluntatis ſuæ malitiam aliter non poterat inclinare. Exercebatur in his omnibus & multis aliis quotidie patientia athletæ fortiſſimi; & in utroque homine viriliter dimicans, coronæ præmium merebatur. Hæc de Beati virtutibus, non ſignificantibus, ſed efficientibus ſanctitatem, duxi aliquantulum latius proſequendum, ut hic

D *& in nulla re ſibi indulget:*

neque in itinere equum admittit

E

prohibitus à Chriſto:

F *contumelias appetitur:*

magna cum patientia

variis exercetur infirmitatibus:

à diabolo infeſtatur

tamquam

A tamquam in ſpeculo poſſit inſpicere, qui noſtrum Joſeph voluerit infallibiliter intueri. Nec eſt neceſſarium, hic de ipſius ſingulariter omnibus tractari virtutibus, de quibus per hunc textum & tractatum & tractabitur: ſed hæ quatuor virtutes ſunt omnium moralium origo & ſumma virtutum.

44 Duxi & aliam revelationem præfatæ Chriſti ancillæ, haud dubium de Joſeph factam, breviter explicare, ſummam ſanctitatis ejus laudem certiſſime continentem. Nam etſi viri glorificati & Angeli irrefragabiliter teſtimoniis ſit credendum (nam nuntii Dei ſunt, & teſtimonium aſſerunt veritati) multo potius tamen & ipſi Deo & ipſi Veritati fidem firmiſſimam convenit adhiberi. Cum itaque Eccleſia Steinfeldenſis magnis adverſitatibus quateretur, & ſolum ei remedium eſſet à Domino expetendum; præfata Chriſti virgo *a* Eliſabeth (quæ propter ſpirituales amicos, quos in eadem habebat Eccleſia, ipſam tamquam propriam diligebat) cœpit ſibi Eccleſiæ perturbatæ cauſam aſſumere, & nocte ac die à precibus & lacrymis non ceſſare. Experta loquor: fuit talis Chriſti Virginis conſuetudo, ut quotieſcumque pro cauſa aliqua Domino ſupplicare cœpiſſet, nequaquam ab inceptis laboribus temperaret, donec certam à Domino conſolationem recipere mereretur. Inſtanti itaque precibus, & multis lacrymarum fluminibus januam mitiſſimi cordis Domini valido clamore pulſanti, aſtitit ei ipſe mœrentium conſolator, & ſua præſentia & dulci alloquio ſuam eſt conſolatus ancillam. Quid, inquit, pro Eccleſia Steinfeldenſi clamas ad me? an putas me illius oblitum? Certiſſime ſcito, jam in eadem Eccleſia lilium germinare, quod teipſam dignitate præcellet: & quamdiu illud fuerit in ea Eccleſia, non poterit deperire. Siquis dubitet, quem hoc Lilium ſignificet; ſtudeat florem lilii & teſtimonium Angelicum comparare. Requiſitus enim de meritis ejus à ſæpe dicta Dei famula Angelus, reſpondit: Nullus ei in Eccleſia ſimilis eſt. Præfertur lilium omnibus floribus; præfertur omnibus Fratribus Joſeph. Et ſi eas, quas præoſtendimus, virtutes velis in lilio intueri; fuit non ſolum lilium convallium per humilitatem, ſed fuit & lilium inter ſpinas, per patientiam: fuit lilium agri, per caritatem, omnibus ſe communicantem; fuit lilium, ſine adjectione nominatum, per caſtitatis excellentiam & candorem. Et (ut omne dubium abſolvamus) Dominus per miraculorum frequentiam, quod eum lilium hoc appellaverit, multipliciter, mirabiliter & miſericorditer jam oſtendit. Magnificavit enim eum, non ſolum ſuper omnes Fratres ſuos, ſed etiam ſuper ancillam ſuam, Virginem pretioſam, cui iſta prædixerat, & in univerſos fines terræ ſui lilii diffudit odorem.

ſanctimonialiEliſabethæ, pro Steinfeldienſibus oranti,

a

reſponſum cælitus: lilium ibi germinare gratiſſimũ

B

& Joſeph optime lilio aſſimilatur.

C

45 Virginis alterius, æque ſanctæ, & ejuſdem nominis, teſtimonium annectimus: neque enim atteſtationes fidelium feminarum, maxime viraginum, quæ ſexum pariterque ſeculum calcarunt (Virgines Dei dico) in tali articulo à benevolis repelluntur. Brevia ſunt ſed magna quæ dico: dilige brevitatem, magnitudinem admirare. Stabat aliquando Dei Sacerdos eximius, & cum prolixitate dulcedinis & cum dulcedine prolixitatis conſuetæ in maxima hiemis aſperitate ſacroſancta myſteria celebrans: qui dum infra Canonem manibus elevatis aſtaret, frigoris vehementiam (qua aliis locis & temporibus vehementer urgeri ſolebat) non perſenſit omnino: ita enim à ſeipſo efficiebatur extraneus, ut membra ſenſibus corporeis deputata, per id temporis in ipſo vacarent. Oculus nihil vidit: auris nihil audivit: à manibus ipſis ſenſibilitas tactus aufugit. Interfuit tunc temporis Miſſarum ſolenniis, optimæ opinionis, ſimplicitatis puriſſimæ, & caſtitatis eximiæ præfata Virgo Chriſti, *b*: quæ ſuper Sacerdote Domini cœpit vehementius admirari, quod in tanto temporis ſpatio, quo adſtabat altaribus, tam immenſam frigoris vehementiam non ſentiret. Mirabiliter aperuit Dominus oculos admirantis, & majori miraculo dubium admirationis ejus abſoluit. Fecit enim eam videre ſummum Sacerdotem & verum Pontificem Dominum Jeſum ex una parte & beatiſſimam Matrem ipſius ex altera parte ſtare beatiſſimi Sacerdotis. Nec otioſi aſtabant, ſed ſuo miniſtro cariſſimo in ſacroſanctis myſteriis invicem miniſtrabant. Dexteram enim manum ejus Jeſus, ſiniſtram Maria tenebat; eaſque ſuo calefacientes attactu, frigoris ejus vehementiam temperabant. Quid indignaris invida incredulitas? quid fidelis caritas admiraris? Vide factum, & pro viſionis revelatione poteris nec admiratione nec invidia commoveri. Tam manifeſta eſt veritas, ut à quocumque invido vel incredulo dubitari non poſſit, beatiſſimum Domini Sacerdotem tantam vim frigoris non ſenſiſſe: hoc enim corporalium ſenſuum teſtimonio confirmatur. Quomodo enim ſi frigus ut homo ſenſiſſet, tot horis debilitatus homo in tanto frigore perduraſſet? Sed perſtitit, ſed perduravit: nec igni manus adhibuit: nec ſaltem contractione digitorum aut frigus temperavit aut paſſionis aliquod ſignum dedit: ſed neque peractis myſteriis in manibus ſignum algoris retinuit: relinquitur igitur, quod non ſenſit. Quod autem frigus non ſenſit, cujus credi poteſt gratia factum, niſi Domini Jeſu? Vere igitur (etſi non fuiſſet revelatione probatum) manus tuas, Sacerdos digniſſime, Domini Jeſu dignatio calefecit. Quis dubitet etiam venerabilem Matrem miniſterium ſuo reddidiſſe miniſtro; quæ ipſi ignem, non ſolum corpus ſed & ſpiritum inflammantem, à ſuo unico Filio ſuis potuit precibus impetrare? Credo, iſtam veritatem pio corde videntem, de viſione jucunda minime admirari aut dubitare debere. Perfectis itaque in fervore cordis & corporis refrigerio ſacris Miſſarum ſolenniis, accedens ad angelicum Sacerdotem Virgo contemplativa, ei quid viderit explicavit. At ille (ſicut ſemper auram humanæ laudis mira prudentia declinare ſolebat) Ego hoc, ait, non vidi: ſed quia frigus non ſenſi, ſic poſſe fieri cogitavi. Per hoc quod ait, Non vidi (quod utique corporaliter intelligendum eſt, quia nec corpore nec corpora vidit) ſuam, negando, humilitatem inſinuat: in hoc quod ait, Cogitavi, ſpiritualis viſionis indicat veritatem. Qui iſta mirando deficiunt (quia & viri dignitatem & dignationem Domini Jeſu minime comprehendunt) non minus mirari poterunt, quæ ſubnecto. Quid enim minus admirationis habet & miraculi à prædictis, quod à fideli teſte & magnæ opinionis audivimus, beatiſſimam Virginem & Matrem Domini viſam fuiſſe ſuo miniſtro, cum aureo Calice, habente auream Crucem in medio, adſtitiſſe, cum ſuum unicum Deo Patri in beatæ Matris offerret honorem; & tandem, aperto & dilatato pectore Sacerdotis, tantæ dignitatis Miniſtram, una cum Cruce & Calice, in medio pectoris ſuſcepiſſe? Ego non multum miror, eam in illud pectus viſam fuiſſe introire, in quo per dilectionis affectum & jugem memoriam ſine intermiſſione manebat.

AUCTORE COÆVO.

b

fovetur à Chriſto & B. Virgine.

ac frigus nẽ ſenſit:

E

F

aliàs ſacrificans ipſam quoque Deiparam ſuſcipit.

46 Volo (utinam & digne valeam!) aliud præfatæ Virgini & Joſeph commune miraculum enarrare: quod nobis eſt teſtimonio utriuſque compertũ. Percuſſerat ſervum ſuum, imo filium prædilectum, ad ſuam gloriam infirmitate & gravi & longa; quæ omnibus omnino ad mortem tendere videbatur. Venit igitur Virgo Chriſti, ut ſuum viſitaret infirmum,

raptus in ecſtaſes ſub Miſſæ ſacrificio in ſummo frigore

gravi morbo decumbens

AUCTORE COÆVO

quem firmiter diligebat; & ut extremum vale diceret morituro. Jacebat autem tunc diſpoſitione divina in quodam *c* caſtello, ubi à Dei famulis ſexus utriuſque licite poterat viſitari. Veniens autem Chriſti Virgo, amiçum quidem humanitus eſt miſerata languentem; altius tamen multo dolore ingemuit, quod non eſſet præceſſura, vel ſaltem comitatura pergentem, & ad utriuſque dilectum pariter profectura. Collecto igitur ſpiritu ſpem concepit, jam etiam deſperatum Domini miſericordia ab ipſis poſſe mortis januis revocari. Ventum eſt ergo ad orationem, & Domino Jeſu Chriſto pro vita jam morientis inſtantiſſime ſupplicatum. Tandem itaque omnium exauditor, tanta fiducia & tanta inſtantia in precibus vigilanti, ſemetipſum revelare dignatus eſt, & ſic alloqui procumbentem: Jam tuam petitionem exaudivi; &, propter te, vitæ illius addidi quinque annos. At illa: Si petitionem meam exaudiſti, inquit, non tantum quinque (quos à te non petivi) annos, ſed ei duodecim addere non recuſes. Quid enim ſunt quinque anni? Certe iſtis contenta non ſum. At Dominus miſerator & miſericors, ut aliquantulum ſatisfaceret filiæ delicatæ (cujus ſpiritum contriſtare nolebat) Ecce, ait, dabo tibi, ad augmentum vitæ illius, novem annos: nam in hac vita duodecim annis nullo modo permanebit. Illa vero nihil dubitans de oraculo, infirmo quid acceperit revelavit; aliiſque aliud omnino ſentientibus dixit, non eſſe tunc moriturum Joſeph. Secuta eſt veritas veritatem, id quod prædictum erat rerum eventu ſequente. Convaluit enim contra ſpem omnium, & in hac vita nobiſcum terminum annorum à Domino præfinitum exegit.

ad preces Virginis ſanctimonialis

B *accipit novē annos vitæ longioris.*

47 Et quia jam illius habui Virginis mentionem, finem illius brevi ſermone contingam: hoc etenim pertinet ad commendationem Joſeph *d* Beata igitur Virgo, illam perfectam Sponſi ſui prætentiam perfecte deſiderans, & ſupplicans vehementer, ut ante mortem Joſeph morti debitum concederetur exolvere; Joſeph adhuc vivente migravit ad Chriſtum. In hora autem defunctionis illius beatus vir jam ſolenniis Miſſarum intererat, nec de obitu illius ei quidquam fuerat humanitus revelatum; & ecce, inter ipſa ſacra & ſecreta myſteria divinorum Sacramentorum, adſtiterunt ei Angeli, qui ei ſacræ Virginis jam exemptam à corpore felicē animam præſentarunt, eique corporalem ejus obitum nuntiarunt. Contriſtatus de Virginis obitu, ſed de glorioſa ejus præſentatione lætatus, completis Miſſarum officiis, omnibus qui aderant recentem Virginis obitum nuntiavit: familiaribus vero, quomodo hoc ſibi revelatum fuerit, ſecretius revelavit. Ecce qualiter etiam adhuc in temporibus noſtris Dei ſapientia ludit in orbe terrarum, cujus deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum. Ecce, qualiter in oculis noſtris renovantur antiqua miracula, & ſpiritualium luce ſtellarum iſta nox noſtri temporis illuminata refulget: ut ſit jam nox noſtra ſicut dies temporum exactorum, & noctis noſtræ illuminatio inter diei delicias debeat computari.

d

videt ſub Miſſa animam dictæ Virginis.

C

48 Cogor, ſed volens, ſanctitati tuæ, Frater cariſſime, etiam virorum fidelium & nobis cognitorum teſtimonia adhibere, ne te ſolum feminarum teſtimonio mirificum prædicemus, tamquam virorum teſtimoniis careamus, aut eadem ſupprimamus. Audiant ergo, ſub compendioſa brevitate, quiddam ſatis mirificum, quod quidā de ipſo Joſeph (non ipſo, ſed Domino revelante) cognovit. Stetit aliquādo Dei Angelus (teſte enim Prophēta, Sacerdos, Angelus Domini exercituum eſt) juxta altare (non in tempore ſacrificii ſalutaris, ſed alio aliaque de cauſa) habens in manu ſua librum poſitum ſuper altare; & in illum reſpicens, aliquid meditando legebat. Contigit in ipſa hora, Domino ordinante, ſupervenire Fratrem eccleſiæ noſtræ Converſum, quem diligebat Joſeph: qui & de ore ipſius nonnulla de eis quæ tractata ſunt magnifica intellexit. Et reſpiciens Joſeph ſtantem, vidit vultum ejus tamquam vultum Angeli coruſcantem, ipſius vero capitis ſummitatem ſimilem carbonum ardentium & flammantium lampadarum. Ecce vere viri, veri Iſraëlitæ teſtimonium, viri jurati, viri omni exceptione majoris. Quid vobis videtur? Clament omnes & clament ſinguli: Dignus teſtis, dignum teſtimonium. Dignus enim à digno laudatus eſt, & innocens innocentis teſtimonio probatus eſt. Qui enim vidit, teſtimonium perhibuit de his, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus. Accedamus & nos corde quo poſſumus, & comprehendamus ſi poſſumus, quale Domino holocauſtum illo ſub tempore fuerit ſpiritus Joſeph, quanto illum igne Spiritus ſanctus inflammaverit, cum ille caminus interior intus in corpore non potuerit latitare.

D

Facies beati quaſi cincta lampadibus viſa eſt radios emittere

ANNOTATA.

a *Virginem hanc fuiſſe ſanctimonialem Ordinis Præmonſtratenſis & cœnobii Fuſniacenſis prope Tolbiacum, arbitratur Vander-Sterre. De Fuſniaco egimus 6 Februarij, ad Vitam S. Alderici, qui ibidem ſubulcus vixit. Razo, qui præcedentem numerum forte imprudens tranſiliit, ſequentem viſionem tribuit ibidem nominatæ* Eliſabethæ, *de qua ſupra, ex num. 38 egerat.*

E

b Sola. *inquit Razo*, ceteris tædio algoreque affectis, *atque ideo ſcilicet ab eccleſia digreſſis: deinde, omiſſis quæ hoc numero ſequuntur aliis, admirante Virginis conſtantiam novitio, hæc ſubjungit.* Imitanda ſane, ut dicit, fuit iſta Virginis conſtantia: ſed forſan pluris apud Dominum fuit ſancta hæc Fratris inter myſteria pietatis ſinceritas. Ad ſancta enim altaris acceſſurus myſteria, mira ſe devotione ac diligentia ſemper diſcuſſit: non animi tantum ſordes lacrymis diluens, ſed & miris modis etiam corporis præcavens mendas: identidem etiam Fratres ſingulos idipſum monens & orans: indignum & pene injuriæ loco habendum aſſerens, ibi negligere ſordes, ubi eas abſtergi oportuiſſet: quomodo enim inter orandum merebimur veniam, ſi ibi etiam peiora committemus?

c Tolbiacum, *Fuſniaco vicinum intelligit Vander-Sterre. Razo narrationem ſic texit.* Ut erat homo (*Joſeph*) ad plurima idoneus, nunc huc nunc illuc exire jubetur. Itaque dum ſubito die quodam corripitur morbo, è via ad notæ ſibi cujuſdam Dominæ præpotentis caſtellum divertit. Humaniſſime illic devotiſſimeque excipitur, ſed nulla morbo remedia inveniri potuere; ingraveſcit indies malum, nec niſi cum vita deſiturum videbatur. Reſcivit & hoc tandem dilecta illa Deo Eliſabet virgo &c.

F

d *Razo ſic orditur*: Virgo igitur illa, quem precibus jam mundo genuiſſe viſa eſt, denuo non ſecus imo & fortius quam vera mater dilexit: multum ſe invicem pauxillo hoc temporis intervallo ſpiritualibus recreant deliciis. Illa autem tempus ſubeſſe ſciens quo ipſum à carne ſolui neceſſe eſſet, rogare Dominum mœſta cœpit, ne ſe in eam ſervaret miſeriam, qua lugendus ſibi ſuus cariſſimus eſſet: quod & obtinuit.

CAPUT IX.

In expoſitione Cantici Canticorum & aliis occaſionibus redditur inviſibilis. Alia ei beneficia præſtita.

49 HAbemus etiam Fratris alterius teſtimonium (ſiquidem ſanctitas viri virorum teſtimoniis aſtruenda) ſed neceſſarium eſt ut præmittam, quod ab ipſius Joſeph mihi relatione compertum eſt.

Cœpe-

A Cœperat exponere, & expoſita in ſcriptum redigere Cantica Canticorum, mirantibus nobis, & intra nos & inter nos aut præſumptionem aut ſimplicitatem ejus accuſantibus vehementer. Nondum enim plurimi noveramus vitam & facta viri [juxta] inſtitutionem ipſius Domini Jeſu, aut ſecundum monita beatiſſimæ Matris ejus in omnibus ordinari. Dum igitur aliquando occaſione accepta, ipſum ſuper hoc facto familiariter conveniſſem; competentem excuſationem non habens, coactus eſt dicere veritatem. Ait enim: Non temeritate aliqua, nec virium mearum præſumptione, ut creditur, nec ſimplicitate deceptus, (tamquam ignorans quantum ingenii Tractatus iſte requirat) opus iſtud aggreſſus ſum, ſed Matre Domini commonente. Ego vero, nequaquam ſermonis brevitate & veritate contentus, modum revelationis diligentius inquirebam. At ille, Videbam, inquit, & ecce Mater Domini Jeſu apparuit mihi, ferens manibus ſpecioſam & ſpatioſam ſcutellam, in fundo ſuo parum olei continentem. Et arridens blandiſſime dixit mihi: Et hoc modicum, tibi eſt, ut illud exhaurias, reſervatum. Et adjecit dicere & docere: Quoniam liber Cantici Canticorum diverſorum expoſitionibus pene penitus eſt exhauſtus; hoc modicum tamen (quod ad ſimilitudinem hujus modici olei adhuc ſupereſt) à te ad commendationem meam eſt neceſſarium exhauriri. Tantæ igitur auctoris commonitione, & tantæ commonitricis auctoritate confiſus, mihi importabilem aſſumpſi laborem; magis eligens ignorantiæ hominum quam Matri Domini diſplicere.

Jubetur à Virgine Matre exponere Canticum Canticorum

B 50 E veſtigio eſt teſtimonium ſubnectendum, valde mirabile dictu, & ad credendum difficile; ſed eſt non unus ſolus hujus veritatis aſſertor, ut in ore duorum vel trium teſtium fidem verbum mirabile nanciſcatur. Aggreſſus exponere & ſcribere *a* in perſona Roſæ ſpecioſæ, Columbæ formoſæ (Roſæ ſine ſpina, Columbæ ſine felle) Cantica Canticorum, in locum ſolitarium ſe retruſit; ubi nec clamantium inſolentia turbaretur, nec multorum frequentaretur acceſſu. Ibi ſæpiſſime, ſuæ debilitatis continuæ & quotidianæ infirmitatis oblitus, tanta ſpiritus vehemen- raptabatur, tanta fruebatur contemplationum dulcedine, tanta ſacræ Scripturæ, quam tractabat, ebrietate potabatur; ut miſerum omnino traderet oblivioni corpuſculum, & horam vel cœnæ vel prandii (quam anxius cum puerulis prævenire conſueverat) vel minime cogitaret, vel ignoraret omnino. Extædiati nonnumquam Fratres, qui in refectorio miniſtrabant (cum etiam ad ſecundam menſam miniſtrantium venire tardaret) iverunt ad locum ſolitudinis, ubi illum ſolitum ſedere cognoverant: & eum non invenientes, vel potius non videntes (ibi enim erat, licet minime videretur) nimia expectatione commoti, cœperunt verbis aliquantulum durioribus culpare præſentem, quem putabant abſentem, & recedere indignantes. Quos ille ſuo tempore proſecutus, cum veniſſet ad eos, cœpit verba eorum ex ordine replicare, & commotionem animi reprehendere, & à motu iracundiæ & à verbis inordinatis cum lenitate conſueta monuit eos de cetero temperare, ſi iram Jeſu & Roſæ Matris ejus declinare curarent. At illi, nimia admiratione commoti; Unde, inquiunt, verba noſtræ commotionis potuiſti cognoſcere, cum te præſentem minime viderimus? Ille vero, ut eos in aliquam cognitionem veritatis induceret; Ego, inquit, verba veſtra, non aliquo referente, ſed metu audiente, cognoſco: à quibus, rogo, vos de cetero abſtinere.

ſcribens expoſitionem ſuam,

C *à præſentibus non videtur.*

AUCTORE COÆVO.

51 Nec una vice contigit eum, licet præſentem, à præſentibus non videri; ut veritas tanti miraculi (quæ etiam teſtibus confirmatur) nulla poſſet tergiverſatione celari. Devotione Fratris, qui in refectorio miniſtrabat, & familiaritate confiſus, in ipſo ſibi refectorio elegerat ſeſſionem, in quo poſt prandium tempore æſtivali, & poſt cœnam tempore hiemali, toto pene die potuit contemplationi ſtudioque vacare. Ibi nonnumquam à Fratre intrante & exeunte, januamque claudente, minime viſus eſt: ita ut intrans ſummopere miraretur, ſe non invenire, quem reliquerat; rurſuſque regrediens non minus ſtuperet, ſe eum reperiſſe, quem ſe ibi non reliquiſſe putabat. Clauſura enim oſtii talis erat, ut ab aliquo interius exiſtente aperiri non poſſet; ne quiſquam exiſtimet eum Fratre ignorante egredi aut regredi potuiſſe. Unde aliquando cum Frater exiret clauſurus januam, nec eum præſentem adſpiceret (exiſtimans tamen quod poſſet intus eſſe, ſicut heri & nudiuſtertius) clamavit aperte: Jam ſi intus es; ô Joſeph, te manifeſta; ne clauſo oſtio exire non poſſis. Tacente Joſeph, ac illo refectorium exire parante, & jam clavem ſeræ inſerente, clamare cœpit poſt tergum ejus: Parce, inquit, claudere: jam enim tecum egredi paratus ſum. At ille admirans & ſtupens vehementer, Si te, inquit, me egrediente, de cetero non prodideris, per totum diem te oportet clauſum intrinſecus remanere. Ille vero ſecundum conſuetudinem ſuam volens diſſimulare quod negare non poterat, Quare, inquit, me non vidiſti, qui coram facie tua ſedi? Ecce teſtimonia virorum, Fratrum Eccleſiæ Steinueldenſis, à quorum ore, ea quæ ſcribo, te teſte, Domine Jeſu, in meum defluxerunt auditum; ne forte minus fidei & credulitatis acquirant, ſi in tertiam vel quartam putentur tranſiſſe perſonam, antequam ſcripturæ fuerint commendata, aut ſi dubio recitentur auctore. Nec rarum fuit, imo pene quotidianum, ipſum à Fratribus per omnes angulos officinarum monaſterii ſtudioſe quæſitum, minime fuiſſe repertum; &, quando ei placuiſſet, cum admiratione eorum, fuiſſe reviſum *b*. Nos quoque tantum miraculum non perfunctorie tranſeamus, ſed quantum poſſumus in ipſius intremus myſterium: & corde ſtudioſo quæramus, quantæ ſubtilitatis ſpiritus ejus fuerit; quam perfecte ad illud inviſibile & incircumſcriptum lumen divinum acceſſerit; quam totus in interiora velaminis, in potentias Domini, in illud ſecretiſſimum Domini ſanctuarium introierit; cum etiam corpuſculum ejus corruptibile tantæ fuerit ſubtilitatis effectum, ut à præſentibus videri non poſſet. Quam totus in cellaria Regis, in cellam Sponſi vinariam, ipſo Sponſo introducente, in lætitia & exultatione introierat! quam totum ſeſe ſub umbra ligni vitæ, quod eſt in medio Paradiſi, abſconderat, & fructus ejus edebat. vinumque vitis veræ in cordis jucunditate bibebat! Quam dulciter, poſt illum languorem amatorium (quo diu continueque languerat) poſt illud, mortiferum neſcio ſi dicam, ſive vitiferum vulnus caritatis (quo dulciſſime & fortiſſime percuſſus, & mortem bonam tentationum & moleſtiarum mortificatricem inciderat, nihilominus & vitam meliorem, intellectus & ſaporis intimi vivificatricem, acquiſierat) quam dulciter, inquam, & quam totus in illis incomprehenſibilibus Sponſi amplexibus, in illo interiori cubiculo ſoli Sponſæ pervio;

in refectorio commorans non videtur.

b

abſconditus in Chriſto:

F

AUCTORE CŒVO.

vio; obdormierat ipſo Sponſo eum in ſuæ ſpeciei ſui vultus ſpecioſiſſimi abſcondito abſcondente, & filias Iſraël adjurante, ne ſuſcitarent neque facerent evigilare Dilectam, donec ipſa vellet. Quid enim tibi videtur dixiſſe Sponſus, Dilectum etiam corporaliter abſcondendo, niſi quod non ſuſcitaretur ab inquietis, neque evigilare niſi voluntarie cogeretur? Quid, Fratres, miramini, ſi talis horam prandii & refectionis corporalis non ſentiat, qui guſtat & videt quam ſuavis ſit Dominus, & quanta ſit multitudo & magnitudo dulcedinis Domini, quam abſcondit timentibus ſe, perficit eis qui ſperant in ſe, abſcondite quidem & perfecte largitur diligentibus ſe, quos in lumine vultus ſui abſcondit à conturbatione hominum, in tabernaculo ſuo illo (ubi tantum auditur vox exultationis & confeſſionis, ſonus feſtum celebrantis) protegit à contradictione linguarum? Siquid, anima mea, conaris, certe non pervenis, certe non apprehendis: quanto minus ſcribendo & garriendo ad illam requiem alios introducis? Benedic tamen, anima mea, Dominum, & omnia interiora mea Nomen ſanctum ejus: quia mirificavit miſericordiam ſuam facere cum Joſeph: & congratulare ei: & hæc ſit portio gaudii tui, ut gaudeas cum gaudente Joſeph; & hæc ad præſens ſatietas tua, ut (quantum potes) videas ſatiari Joſeph; & hæc requies tua, ut conſideres in amplexibus Sponſi requieſcentem Joſeph. Solus ad gaudium iſtud non intret, ſolus de deliciis iſtis non guſtet, ſolus requie ſomni hujus minime perfruatur Frater ille, majorem ſe æſtimans, invidenſque minori; qui magis in agro corporis, ſpinas & tribulos germinante, diligit converſari perverſus, quam intrare ad convivium Fratris minoris, ubi audiat ſymphoniam & chorum, & hœdo laſciviæ deſpecto, vitulum comedat ſaginatum. c

B

52 A mirabilibus teſtimoniis (quibus coram pluribus teſtibus Sanctum ſuum mirificare curavit Dominus, faciens mirabilia) ad ea, quæ ab ipſo Joſeph de ipſo audivimus, redeamus. Puto teſtimoniis præcedentibus ita percuſſas eſſe & contritas invidentium & detrahentium frontes, ut ultra ipſi Joſeph dicere non præſumant: Tu de teipſo teſtimonium dicis; teſtimonium tuum non eſt verum; cum teſtimonia ejus credibilia facta ſint nimis. Audiamus igitur & credamus veritatem, & nos audire & credere gaudeamus. Diſpoſitione divina in quodam aliquando monaſterio morabatur, quod multis & diutinis tribulationibus agitatum eſt, & crebris diſciplinæ Dominicæ percuſſionibus ad extrema perductum. Nomen autem monaſterii ideo reticemus, ne de aliquo videamur infamiam ſeminare. Motus ergo miſericordia ſuper monaſterii contritione Joſeph (in quo conterebatur & ipſe, qui cum infirmantibus didicerat infirmari) invalidam cauſam ſibi validus Orator, & non in legibus hominum ſed in lege Domini (quæ caritas eſt) peritiſſimus Advocatus aſſumpſit: & ſumpto thuribulo orationis incenſæ, & hauſto igne caritatis ardentis, inter Deum viventem & homines mortuos peccatis medium ſe objecit, nitens ſuaviſſimo devotæ orationis odore ſententiam jam egreſſam ſeveri Judicis vindiciſque placare. Cumque in ſpiritu humilitatis & animo contrito non deſiſteret ante faciem Domini introire; tandem & ipſe Dominus Jeſus ad eum venire, & ad orantem introire dignatus eſt. Venit autem, non ut exauditor orantis, ſed ut vindex ſeveriſſimus delinquentis. Tremebundus enim & in vultu totius ſeveritatis apparuit, ferens manu ſecurim acutam, tamquam eamdem Eccleſiam radicitus exciſurus, & funditus everſurus. Territus, ſupra quam dici poteſt, ad tam terribilem Domini venientis adſpectum amabilis interceſſor, tremens & pavens ad genua provolvitur iraſcentis; & quibus potuit precibus, lacrymis & gemitibus, tentavit manum continere minantis. Cui Dominus in magna ſeveritate, Surge, ait, & adſpice, pro quibus intercedas: conſidera & cognoſce totum hunc locum nihil viriditatis habere, niſi quantum occupant pedes tui, & vide qualem cauſam defendas. Surgens Joſeph, & verborum Domini veritatem agnoſcens, pavimento iterum ſe proſtravit, & non ceſſavit à precibus; donec Domino aliquantulum placato, vocem Domini ſe conſolantis, audiret: Iſta quidem Eccleſia miſericordiâ ſe reddidit indignam; ſed proprer te manus juſtiſſimæ ultionis meæ ſuſpenditur ad tempus.

D

precibus ſuis placat:

53 Beneficia Dei, quibus ſuper humanam naturam auctus fuit noſter Joſeph, hujus Capituli brevitas explicabit. Decubuit aliquando, ut putabatur, corporis infirmitate conſueta, & (ut poſtea verius compertum eſt) langue bat, caritatis jaculo vulneratus. Jacuit itaque ſuper ſtratum ſuum toto triduo continuato, ita ut nullus omnino per totum tempus illud ad ipſum accederet gratia viſitandi. Solebat enim ipſe & hoc mihi ſæpius replicare, quod aliquando hominum gratia ita fuit ab ipſo ſublata, ut quibuſdam quidquid ageret penitus diſpliceret; alii vero, quidquid ei accideret, non curarent. Cum ergo ſic ſine viſitatione jaceret, venit tandem ad eum Frater quidam, cujus jam ſæpe in hoc ſcripto feci ſine nomine mentionem: & decumbentem invenit. Cui Frater; Quid eſt, inquit, quod ſic decumbis? Langueo, ait. Ille; Quanto, inquit, tempore languiſti? Reſpondit: Triduum jam eſt, quod ab hoc lectulo non ſurrexi. At ille; Numquid, ait, non ſurrexiſti etiam ad neceſſitatem naturæ? Reſpondit Joſeph: Ego quidem ſcio: nequaquam me per triduum reſurrexiſſe; ſed propter Deum, ſubleva me; & vide ne forte aliquid inhoneſti acciderit neſcienti. Hoc autem dicebat, volens inducere Fratrem, ut ab hujuſmodi inquiſitione ceſſaret ne hoc incredibile ſecretum fieret manifeſtum. Suſtulit ergo eum, ut petierat, lectulumque reſpexit; ſed nihil indecori nec indecoris eſt inventum *d*. Tunc Frater ille, qui jam conſuetudine doctus erat ſecreta ſua rimari, & nihil circa eum fieri ſine cauſa; Rogo te, inquit, ne abſcondas à me myſterium hoc. Quid eſt, quod toto triduo decumbens, nullis naturæ neceſſariis eguiſti? At Joſeph, Fratris familiaritate devictus, precibuſque conſtrictus, aperuit veritatem. Ego, inquit, quando naturali infirmitate decumbo, naturæ neceſſitatibus me, ſicut & te, & quemvis hominem, eſt neceſſarium ſubjacere. Cum vero Dominus Jeſus mihi languorem immittit, ab omnibus naturæ neceſſariis liber exiſto. Vere liber, quem Dei Filius liberavit! vere liber, qui in ſanctis languoribus ſuis potuit naturæ præceptis minime ſubjacere! Quantam, putamus, ſanitatem ſpiritus in his languoribus conſecutus eſt, in quibus corpus ſic evaſerat omnia detrimenta naturæ? Si corpus tantæ fortitudinis exiſtit, ut nec refectione nec evacuatione indigeat; ſpiritus quomodo vegetatur? Corpus, vas ſtercorum, eſca vermium, ſuper hominem, ſuper naturam eſt, gloriam hominis jam glorificati prætendit; quantum proficit ſpiritus, quanta gloria ſubiimatur? O ſi videre liceat, ſapere & guſtare, qualis ſit iſte languor, qui tantas vires etiam corruptibili corpori adminiſtrat! O ſi mori liceat hoc languore! Benedictus es tu, Domine Jeſu, Pater Rectorque naturæ, qui abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & tuo ea Parvulo revelaſti.

E

d

F

languens amore divino, naturæ neceſſitatibus non videbatur ſubjectus.

monaſterii deperditi cauſam agit apud Deum,

& Chriſtū cum ſecuri apparentem ut aliud exſeruat,

CA-

ANNOTATA.

a *Razo, qui prioris capitis numerum ultimum & hujus primum omisit, non meminit scriptionis.*

b *Addit idem,* Referunt illi ad seniores quod compertum habebant: observant quoque & ipsi ut melius constare possit, & ita esse deprehenditur: Cœpit itaque inter suos iam magnus haberi &c. si quis antea temere lacesciverant... jam eum demulcenter reconciliare contendunt.

c *Numerum sequentem omittit Razo.*

d *Razo ipsum Fratrum ultro quærentem inducit*, finito videam anne humanæ necessitatis aliquid evenerit tibi. Adhæc in risum solutus, Joseph, Ego inquit *&c. ut infra.*

CAPUT X.

Potus subministratus. Mors & sepultura predictæ: Tentationes superatæ.

54 CRedo, non minus mirabile & naturæ contrarium, quod subjungo. Quia Domini Benedictus, in tanta debilitate corporis, quam sustinuit in itinere, nec equo nec aliquibus vehiculis
B utebatur: consueverat parvam secum portare lagunculam, trium haustuum quatuorve capacem; ut quando præ nimio labore & æstu intolerabili procedere non valebat, corpusculum nimis exhaustum aliquantulum recrearet. Secundum hanc igitur consuetudinem, jam appropinquante tempore resolutionis suæ, cum quodam admodum religioso viro, laico tamen, servus Domini ambulabat: & cum jam omnino fatiscentibus artubus caderet in defectum, consedit, & porrigi sibi lagunculam postulavit. Cui socius itineris sui ait: Jam de ista lagunc. ex lagena vacua, cula non bibetis, quia a exhausta est. Ait Joseph: Oro, fac mihi duos calamos, quos per orificium lagunculæ in fundum ejus immittam; si forsitan ibi aliquam guttam inveniam, quæ me aliquantulum refocillet, immissis calamis quia jam totus in defectu sum. At ille, licet sciret, nihil remansisse humidi in laguncula, obtemperavit tamen, & factos calamos porrexit Joseph. Quos haurit vinum, ille mittens in fundum lagunculæ, hausit vinum, quantum cum calamis poterat exhauriri. Et dixit socio suo: Accipe & bibe te. Credidit ille se deceptum, eo quod fuisset aliquid in laguncula, & ori, ut biberet, applicavit. Sed, cum trahentem per calamos, nihil sequeretur omnino; comperit se non
C fuisse deceptum, dixitque ad Joseph: Quid bibitur, ubi nihil penitus invenitur? Respondit: Tu nihil omnino scis. Et accepta lagena, ait: Verte in partem hanc, ut invenias. Et bibit etiam secundo: porrexitque ministro. Tentavit ille iterum; sed nihil iterum, iterumque. invenit. Joseph vero iterum, cum quadam jucunditate exprobrans ei quod nihil inveniret, accepta laguncula bibit & tertio, nihil penitus inveniente ministro: quia vere naturaliter nihil erat. Quod autem vir plenus gratia vinum invenit, ubi non fuerat; illius gratia factum est, qui cuncta creditur creasse de nihilo, & qui electo suo tam inauditum voluit miraculum non deesse. Mirentur alii elementorum mutationem, absentium cognitionem, præscientiam futurorum, sanitates languentium; etenim hæc mirabilia sunt: ego nihil tantum admiror horum, sicut de nihilo aliquid factum esse. Unde enim in vasculo vinum est inventum, ubi nihil dimissum fuerat, nisi operante solius potentia Creatoris?

55 Dum in talibus & multo pluribus mirabilibus, circa servum suum suas Dominus virtutes ostendit; etiam spiritu prophetiæ eum magnificare curavit. Nam cum dissolutionis suæ tempus desiderabile immineret; eodem anno quidam de Fratribus, cum post Matutinas Laudes, paulantibus ceteris Fratribus, ecclesiam introiisset, & Officii matutinalis debitum (à quo abfuerat) implere cœpisset, audivit à latere suo in medio monasterii fieri sonitum vehementem, ita ut totus concuteretur horrore, & expaveseeret vehementer: nec minus mirabatur, ex qua causa sonus tam insolitus in loco posset accidere, ubi nihil erat talis materiæ, cujus ruina talis posset sonitus generari. Itaque orationibus adimpletis, non sine admiratione recessit; & misit Dominus in cor ejus, ut hoc, quod audierat, referret ad Joseph, si forte per eum Dominus sibi hujus rei mysterium revelaret. Mane itaque facto (sicut Dominus voluit) factus est Joseph obvius procedenti: cui statim Frater explicuit quid audisset; & petivit sibi referri, si sciret quid tantus sonitus portendere potuisset. At Joseph subridens, Ego, ait, tibi, quid prædicit mal. sepulturam suam hoc factum significet, manifestabo. In eodem loco, ubi ille strepitus est auditus, quidam sepelietur tempore procedente: ad cujus sepulcrum magnus erit concursus, & magnus tumultus hominum audietur, concursum hominum. quem Dominus per illum sonitum queni auditti voluit præsignare. Certe valde manifesta facta est veritas prophetantis, ad ipsius tumulum (ipse enim ibidem tumulatus est) ruentibus populis caterva tim, remedium sanitatis quærentibus, sive cernere cupientibus & audire, quæ per eum Dominus mirabilia operetur. Prædixit quoque ante plures annos, Ecclesiam Steinveldensem multis tribulationibus fatigandam; cujus rei veritas jam per experientiam nimium est probata. Promisit etiam eidem Ecclesiæ post tribulationum angustias, felicia tempora successura: quæ in spe & desiderio expectamus, & expectabimus patienter, nihil de oraculo dubitantes. E

56 Felicis etiam resolutionis suæ tempus sibi non fuisse incognitum, ipse quibusdam patefecit indiciis, quæ breviter explicamus. Circa idem tempus, quo de sepulturæ loco (sicut præmisimus) prophetavit, accessit ad quosdam de Fratribus, qui sibi majori erant familiaritate conjuncti, & de quibus habuit fiduciam specialem, tam pro communicatione quorumdam secretorum suorum, quam pro singularitate devotionis ad Deum. Nam de nullis Fratribus, qualis vitæ fuissent vel essent, ipsum non dubito ignorasse. Accessit enim quadam die quemdam de Fratribus (cujus omnino notitiam habeo, sicut meipsius) qui in seculo dies primæ juventutis exegerat, antequam Religionis habitum assumpsisset: cui dixit: Dignum est ut hunc Psalmi versiculum, Bonitatem fecisti cum ser- F
vo tuo, quotiescumque protuleris, magnam cordis Psal. 118. devotionem apponas. Quod cum ille non intelligens diceret, non solum illum versum, sed & sequentem, & omnem Orationem cum magna devotione dicendam; ut intentionem suam plenius declaret, & ut Fratrem ad cognitionem suimet, & ad agendas novit vitam peccatricem alicujus. Deo gratias incitaret, subjecit: Est & alius alterius Psalmi versiculus, qu quoties à te cantatur, singulari debet intentione & devotione cantari: Quia miseri- Psal. 85. cordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori. Quasi diceret: Intellige, quod hæc est Domini bonitas, quam tecum fecit, quia eruit animam tuam ex inferno inferiori, in quo jam eras per meritum culpæ, non per passionem pœnæ. Stupet adhuc Frater ille, vitam suam peccatricem, dignam supplicio inferioris inferni, beato viri revelatam fuisse, quam non ab homine poterat didicisse. Non ergo ad hunc & sui similes, sed ad alios majoris aliquibus innocentiæ & devotionis, imminente tempore suæ ebrum us resolutionis, accessit, & humiliter supplicans ait: Ecce pradic... cujusdam Sacerdotis amici nostri finis appropinquat

AUCTORES COÆVO.

in loco sonitus audito.

AUCTORE COÆVO.

rogo vos propter Deum, ut illum orationibus veſtris Domino commendare curetis. Quærentibus de perſona, non aperuit quis eſſet; hoc ſolum ait: Qnia citius per experientiam cognoſcetis. Ecce Propheta magnus de præteritis, præſentibus & futuris, quod verum eſſe, ſi attentionem apponas, ô Lector, poteris invenire. Et quidem tam præteritorum quam futurorum ipſum habuiſſe notitiam, præſenti capitulo declaratur; in quo & præteritam Fratris vitam peccatis obnoxiam cognoviſſe cognoſcitur, & ſui exitus horam & locum ſepulturæ ſecundæ non ignoraſſe probatur. Præſentis quoque temporis in his quæ ſibi erant abſentia, eum habuiſſe ſcientiam, illo Capitulo declaratur, ubi præſentata ſibi ſuper Altare anima virginali, ipſius Virginis cognovit & prædicavit exceſſum.

57 Grati Deo & amabilis viri, non ſolum virtutes & gratias ſingulares, verum & tentationes & infirmitates, perfectivas virtutum, ad conſolationem tentatorum & infirmorum, evolvere dignum duxi; ut dicti Apoſtolici, etiam in Fratre noſtro, veritas

Rom. 8. 2 Cor, 12.

comprobetur, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; &, quod virtus in infirmitate perficitur. Appropinquante igitur tempore tranſitus ſui, quo vocaretur ad regnum is in quem vere advenerat Dei regnum; inconſuetis illum tentationibus

B

Lucæ 11.

Dominus titillavit, quas ante per experientiam minime recognovit. Nec reor aliam fuiſſe cauſam tentationis hujuſmodi, quantum ad ſe; niſi ut humilis humiliaretur adhuc, & juſtus juſtificaretur adhuc. In aliis vero alia cauſa fuit, videlicet ut etiam ſcirent in tentatione ſperare, & manum Domini nos non ad conſumptionem ſed ad conſummationem ferire. Fuit autem hæc carnalis tentatio, comparatione noſtrarum tentationum, parva quidem & quaſi nulla: ſed, reſpectu ſuæ Angelicæ puritatis, maxima videbatur. Permiſit etiam eum Dominus aliis importabilibus tentationibus infra divina myſteria fatigari, diabolo ſibi imagines muſcarum & maximarum aranearum (quarum magnitudo nobis eſt incognita) oſtendente, & viri devotiſſimi animum perturbante. In tantum vero talibus fuit phantaſiis & tentationibus fatigatus; ut propter hæc etiam ab altaris miniſterio aliquando abſtineret. Poſt aliquod tempus ad aliquem de Sacerdotibus, Fratribus noſtris, acceſſit humiliter; &, quas patiebatur moleſtias, ei miſerabiliter eſt conqueſtus. Et ſubjecit: Ecce ad te miſſus ſum, ut ab his moleſtiis, quas patior, curer à te. Territus Frater ille, qui ſe ſciebat multo minorem illo in meritis, Quis ego ſum, ait, ut à tentationibus tuis te curem? Reſpondit: Certe ad te miſſus ſum, ut inſidias diaboli coërceas à me. Videns Frater ille inſtantiam deprecantis, ſimul & memor cujuſdam infirmantis, qui (ſicut legitur in Dialogo) non fuit curatus à B. Petro, cujus ſuffragium flagitabat, ſed ad quemdam multo minoris meriti, ad *b* Abundium, mittebatur; à quo & curatus eſt; beati viri infeſtatorem dæmonem, non in ſuis meritis confiſus, ſed in Domino adjuravit: nec eum poſtea ab hujuſmodi moleſtiis comperimus fatigatum. Gratias tibi, Domine, qui infeſtantis inimici jacula, probationem fidelium tuorum eſſe voluiſti, & non vulnera: qui talem tuis tribuis pro labore mercedem, ut nullum tuorum fuiſſe gaudeat hoſtis imbellem: quinimo perpetuum eis largiris triumphum, ut tuis ſint fidelibus in exemplum, dum tentati, in humilitate liberati, in tua caritate firmantur.

Sub mortem inſolitis affligitur tentationibus:

etiam objectu imaginibus muſcarum & aranearum:

C

confugiens ad aliquem ex Sacerdotibus liberatur.

S. Gregorius lib. 3 cap. 25.

b

58 Habuit Sacerdos Domini quemdam juvenem, in habitu Canonico Regulari, in monaſterio monialium Ciſtercienſium, Domino ſervientem: qui admodum ſibi magna caritate devinctus, cum ad idem monaſterium veniret, in divinis ſibi miniſtrare conſuevit. Præceperat autem eidem juveni Dei ſervus, D ne poſt peracta Miſſarum ſolennia ſibi loqui, aut aliquid ab eo ſciſcitari præſumeret, donec ipſe eum prior alloqui voluiſſet. Quadam itaque die dum poſt perceptionem conſuetæ gratiæ, peractis ſacris myſteriis, recederet ab altari, gratiam quam habere conſueverat citius quam ſperaret amiſit. Eventu territus inconſueto (ut ſibi ſemper ſuſpectus eſſe conſueverat) aliquid ſe in gratiæ collatorem deliquiſſe timebat: & cum in nullo eum conſcientia remorderet, incidit menti ejus, quod fortaſſis volente Deo ſecretum ſuum præfato familiari ſuo communicare deberet. Converſuſque ad Dominum, Domine, inquit, ſi tuæ eſt voluntatis, ut ſecretum hoc huic tuo famulo debeam revelare; jam per ejus merita, reddere digneris mihi gratiæ tuæ ſolatium, quod amiſi. Vix verba finierat; & ecce, dulciſſima vehementia vehementiſſimaque dulcedine rediit odor mirificus, quem amiſerat: quo eum credimus quotidie fuiſſe detentum, cum in altaris adminiſtratione tardaret. Nihil enim aliud, præter illud, pro certo potuimus comperire, quod tamen eum non ſolummodo credimus tenuiſſe. Tunc accedens ad juvenem ſæpe dictum, quod evenerat, enarravit: ſed ſub ſeveritate prohibuit, ne, quam diu viveret, ſecretum hoc cuiquam præſumeret publicare. E c

Odor mirificus eum calitus reficit.

ANNOTATA.

a *Razo dicit, quod prior deficiens laicus, lagenam vacuaverat.*

b S. Abundius *hic, manſionarius Eccleſiæ S. Petri, colitur 14 Aprilis. Ceterum & hunc numerum & ſequentia, uſque ad num. 4 Tractatus alterius, prætermiſit Razo.*

c *Reliqua deſunt, ex ſubjuncto tractatu ſupplenda. Quæ de S. Engelberti martyrio ei revelato ſequebantur, ſupra indicavimus huc non pertinere Razo, poſt narrata quæ habentur num.* 56, quanto plus, inquit, ſuo acceſſit fini, tanto amplius divinis præpollebat donis: quas ſi plura videre quis cupit, ad geſtorum ejus (unde aſſumpta ſunt hæc omnia) ſe librum conferat: nos quæ ſuperſunt, nunc abſolvemus reliqua.

TRACTATUS ALTER

De obitu, Tranſlatione, & miraculis.

F

CAPUT I.

Rerum in vita geſtarum anacephalæoſis. Obitus & ſepultura.

1 AD laudem nominis tui, laudabilis Jeſu Chriſte, qui non ſolum in majeſtate tua mirabilis, verum etiam in Sanctis tuis glorioſus appares (propter quod etiam in Sanctis tuis te laudare monemur) præſentem ſchedulam, de tanto numero miraculorum, quæ per merita ſervi tui, Fratris Hermanni Joſeph (cujus corpuſculum in Steinueldenſi Eccleſia requieſcit) operari dignaris, conſcribere curavi; & ad laudem tuam, benigne Deus, mentes legentium excitare, qui non cum invidia tabeſcente iter habent, qui aliorum profectum ſuum putant eſſe defectum; ſed vera caritate cogente, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus didicerunt. Te ergo teſte, qui es in cælo teſtis fidelis, Domine Jeſu Chriſte, ea quæ vel ego ipſe vidi, vel ab his qui viderunt, & vere ſciverunt, veraciter intellexi, præſenti ſchedulæ, quantum brevitas temporis permiſit, fideliter annotavi: omiſſis plurimis, quæ in a alio opuſculo (ſi tu, ſumme Opifex,

Miracula conſcripturus,

eaque certiſſima,

a

Opifex, annueris) plenius, lucidius, dulciuſque tractabo.

A

pauca indicat geſta in pueritia,

2 Omitto igitur, quomodo ab ineuntis ætatis primordiis puerum puriſſimum in benedictionibus dulcedinis gratia divina prævenerit: quam dulcibus, licet puero convenientibus revelationibus, ſe noſtro Samueli, tamquam puer, Jeſus cum Matre Virgine revelare curaverit: quomodo ipſa Mater miſericordiæ, miſerans puerum in hiemis aſperitate algentem, oſtenſis numiſmatibus, calceaverit: quomodo ætate pariter & gratia proficiens, Beatæ Virginis ſe obſequiis mancipaverit: quanta ſe abſtinentia quantiſque vigiliis ultra humanum modum cruciaverit: quomodo Beatæ Virgi, ſibi vigilanti & corporali ſpecie apparenti, ab Angelo fuerit deſponſatus: per viſum vero, ipſa Virgine Matre ſuum Filiolum ipſi dante, ut portaret eum, ſicut à Joſeph portatus fuerat in Ægyptum, hoc nomen Joſeph primum ab Angelo vigilans, poſtea ab ipſa Matre Domini (qui ante vocatus fuerat Hermannus) per viſum meruerit adipiſci. Prætereo quoque quomodo à Matre Domini, in ſpecie vetulæ apparenti ſibi, commonitus fuerit, in ſervitio ipſius, majoris devotionis exiſtere, in quo (ſicut humani moris eſt) aliquantum fuerat tepefactus. *b*

apparitiones Deiparæ Virginis,

B

b

Omitto etiam quomodo per multos annos, ſingulis pene noctibus, beatæ Matris Domini conſolatione meruerit relevari, ipſam quæcumque voluit interrogans, & ad interrogata ei viciſſim reſpondens *c*. Sed neque hic ad præſens explicare propono, quantum dilexerit, quantum honoraverit Virgines ſacras, Urſulam & ſodales ejus; quantis revelationibus earum fuerit conſolatus: quo modo, cum ad laudem earum Hiſtoriæ verba compoſuiſſet, ipſis docentibus & præcinentibus totius pene hiſtoriæ melodiam didicerit, & quædam etiam Virginum nomina ſua ipſi dignatæ fuerint revelare. Viſionem quoque, quæ de occiſione Martyris Engelberti Colonienſis Archiepiſcopi, noſtro Joſeph non per ſomnium ſed vigilanti revelata fuit; laudem quoque Domini, qui ipſum lilium Steinfeldenſis Eccleſiæ appellavit; laudem quoque Angeli, qui ipſum in humilitatis virtute cunctis præcellere mortalibus prædicavit; ceterarumque virtutum ipſius inſignia, & animi puritatem, futurorum præſcientiam, & cæleſtium cognitionem, qua ipſum ipſe Creator lætificare curavit, omitto.

c

revelationes de ſanctis Virgulanis,

& martyrio S. Engelberti

C

3 Venio autem ad tempus illud, quod votis toties optaverat: in quo Creator lucis, lux vera, lucernam ſuam ardentem & lucentem, non jam ſub modio & in abſcondito ponere, ſed ſuper candelabrum manifeſtationis exaltare dignatus eſt. Appropinquante igitur tempore diſſolutionis ſuæ, per totam Quadrageſimam illam pene nihil niſi panem ſimplicem & cereviſiam calefactam & pauca pira aſſa (cum tamen miræ debilitatis exiſteret) nobis omnibus mirantibus, ipſumque culpantibus, aſſumpſit in cibum; nihilominus contemplationi, dictamini & ſcripturæ, in corpuſculo jam fatiſcente, animum infatigatum intendens.

ante obitum in Quadrageſima ſtrictè jejunat,

4 Dominica vero, qua cantatur, Oculi mei ſemper, cum illum oculis miſericordiæ Dominus reſpicere dignaretur, ut evelleret de laqueo pedes unici & pauperis ſui; venit ad Dominum Abbatem noſtrum nuntius *d* monaſterii quarumdam Sororum Ciſtercienſium, petens, ut ipſis (cum quibus etiam quandoque converſatus fuerat) concederetur ad tempus: quatenus per Quadrageſimam divina Sororibus celebraret eiſdem. Quod cum Abbas & Fratres omnino renuerent, eo quod videretur conſtitutionibus noſtri Ordinis obviare; ille, in ſpiritu futura prænoſcens, ad Abbatem acceſſit, & dimitti petivit, ut ad præfatas Sorores accederet: & hoc Dei aſſeruit eſſe voluntatem. Quod cum obtinuiſſet, & Fratres de ſuo receſſu conqueri & quam plurimum contriſtari videret; Una, inquit, cauſa eſt, quare nunc recedam: ſed ſciatis me poſt Paſcha ſine dubio reverſurum. Ambulans itaque pedibus ſuis (non enim in multis annis equo vel vehiculo uſus fuit) cum multa feſtinatione venit ad locum petitum; ſtatimque intrans ad interiora clauſtri, baculo (quo ſuſtentari ſolebat) terram in modum ſepulcri ſignavit; iiſque, quæ præſentes erant, Sororibus dixit: Ecce, in hoc loco ſepelietis me.

d

diſcedit ad monaſterium Sororum Ciſtercienſium,

AUCTORE COÆVO

ingreſſus clauſtrum

locum ſepulturæ ſuæ deſignat

5 In die Palmarum contra conſuetudinem ſuam tantæ fortitudinis fuit, ut totum Officium perageret indefeſſus, & tantæ conſolationis gratia repleretur, ut ad agendas Deo gratias Sorores hilariter invitaret. In tertia feria correptus febribus lectulo decubuit, & de die in diem acrius torquebatur. Per horas vero duas raro ſpiritu requievit: & factus in ecſtaſi, cum ad ſeſe rediret, ſe nihil proficere, & Jeſum ſuis durum eſſe petitionibus, querebatur. Cauſa vero nos hactenus latet. Hora vero diſſolutionis inſtante, circumſedentibus valedicens, & in manus ſui Jeſu ſpiritum ſuum commendans, erecto corde & vultu migravit ad Chriſtum *e*. Dei autem nutu, ſepultum fuit corpuſculum ipſius in eodem monaſterio, in loco præſignato, Suppriore noſtro præſente, & fruſtra regante Sorores, ut corpus Fratris noſtri nobis remitteretur, quem, cum viveret, conceſſeramus eiſdem. Quod cum nobis nuntiatum fuiſſet, poſt effuſionem lacrymarum cum ad nos fuiſſemus reverſi, propoſuimus repetere corpus Fratris noſtri, & pro hoc non parcere laboribus nec expenſis. Laborantibus itaque adfuit Deus noſter, mœſtorum conſolatio, laborantium fortitudo: &, data nobis gratia in conſpectu Domini Archiepiſcopi Colonienſis, ipſo jubente, corpus Fratris noſtri exhumavimus, ad laudem & gloriam Domini noſtri & fideliſſimi ſervi ejus. Siquidem, cum in quinta feria dierum Paſchæ carne ſolutus fuiſſet, & in ſepulcro terræ paluſtris, naturaliter humente, depoſitus fuiſſet, & in tertia dierum Pentecoſtes exhumatus à nobis; corpuſculum ſacrum invenimus incorruptum: ita, ut non ſolum in illo nullus vermiculus appareret, verum etiam ipſa cutis ſuperficies tota inveniretur illæſa. Tanto igitur accepto theſauro, facti ſicut conſolati, cum repedaremus ad noſtra, factus eſt concurſus populorum, in circuitu habitantium, cum cereis & crucibus occurrentium, laudantium Deum in Sancto ſuo, & dicentium: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Statimque Dominus Sanctum ſuum cœpit magnificare miraculis, & ſecundum propriam ſententiam, eum, qui ſe, ſupra humanum modum, ſub omni homine humiliaverat, & omni creaturæ ſubjecerat propter Deum, mirabiliter exaltare.

febri correptus ad extrema perducitur,

E

e

piiſſime ex hac vita decedit: ſepelitur.

& jubente Archiepiſcopo Colonienſi,

corpus poſt ſeptem hebdomadas incorruptum,

F

Steinfeldiam transfertur:

coruſcat miraculis.

ANNOTATA.

a *Hinc ſupra colleginus hunc tractatum primo editum fuiſſe.*

b *Hic in Ms. Marchtallenſi repetebatur dicta apparitio ab alio poſtmodum inſerta, quæ ſupra num. 24 ſatis explicatur.*

c *Hic iterum in eodem Ms. inſerta nonulla erant, & citatâ Vitâ, in qua tamen non habentur, ita referuntur:* Ne magnitudo revelationum eum extolleret, ipſum Mater miſericordiæ conſolari ſtudioſe diſtulit, ut ferventiorem redderet in quærendo. Quadam ergo die ipſius ſimplicitas vel, ut melius creditur, quædam indignatio, Miſſam pro defunctis, Requiem æternam, ipſum compulit Dominæ ſuæ; velut mortuæ,

AUCTORE COÆVO

mortuæ, decantare. Si enim, inquit, apud ſemetipſam viveret, me quaſi orphanum procul dubio viſitaret. Miſſa pro defunctis uſque ad Offertorium expleta, ſubito juxta altare adeſt illa terribilis ut caſtrorum acies ordinata, & quaſi ſubridendo ſe vivere & non mortuam affirmavit. Viſa igitur Stella maris, ſine qua nil ſe videre arbitratus eſt, ſtella, inquam, quæ nobis verum Solem protulit, ſtatim Offertorium, Felix namque, incipit, & ſic Miſſam de beata Virgine explevit. *Hæc ibi, quæ minus ab aliis probantur.*

d *Monaſterium ſupra relatum* Hoven *cenſet cum Roſtio Vander-Sterren, additque in Obituario vetuſtiſſimo dicti monaſterii annotatum haberi diem obitus.*

e *Razo addit:* Obiit autem virtutum plenus Frater Joſeph, pridie nonas Aprilis, qui dies divo Præſuli Ambroſio feſtus habetur, anno virginei partus MCCXXVI. *tum ſubjungit* In originali habetur quod, *&c de feriis Paſcha & Pentecoſtes, quibus ſepultum & elevatum eſt corpus, prout hic infra dicitur.*

CAPUT II.

B *Miracula in Tranſlatione, & poſt eam facta.*

Curantur dolores dentium.

6 QUidam cives civitatis Colonienſium, ſacro corpuſculo occurrentes, cum haberent puerum, magno dolore dentium fatigatum, maxillam pueri inflatam feretro ſacri corpuſculi applicuerunt, & ſtatim dolor evanuit tumorque ceſſavit Henricus, ſervus noſter in a Beſſenich, à ſimili morbo, poſt invocationem nominis Fratris Joſeph, curatus eſt. Agnes puella, virgo Deo devota, à morbo, quo per triennium laboraverat, & per annum & dimidium lecto decubuerat, membris omnibus in inferiori corporis parte præmortuis; apparente ſibi per viſum Fratre Joſeph, & manum ſuam ſuper ipſam ponente, & ſanitatem promittente, ita ſanata eſt ſubito, ut, quæ veſpertino tempore in carruca ſe deferri debere decreverat, in mane propriis pedibus viam valde difficilem ambulans, ad monaſterium noſtrum veniret, & cum ceteris terræ noſtræ, tam nobilibus quam privatis, omnibus mirantibus, ad ſacrificium accederet: quæ tanto tempore lecto decumbens, à multis eatenus fuerat viſitata, Deum laudantibus cum ea pariter & in ea, qui tam miſericorditer viſitaſſet eamdem.

a

& inveterato morbus:

C

7 Nec hoc prætereundum reor, quod quidam ex noſtris magno fervore devotionis accenſi, in nocturnæ quietis ſilentio ad thecam ſacri corpuſculi accedentes, aperuerunt eamdem; ſed nec tunc quidem aliquo ſunt fœtore coërciti: ſed, quaſcumque poterant, veſtium particulas ſibi pro benedictione ſumpſerunt: ſanguinem recentem, de innocentis ore ſtillantem (de quo numquam turpiloquium aut ſcurrilitas aut juramentum incautum, vel maledictum prodierat) diligentius abſterſerunt; mirantibus cunctis, quod in corpore ſepulti, poſt ſeptem ſeptimanas (tantum enim temporis, à die defunctionis ſuæ, uſque ad diem ſecundæ ſepulturæ ſuæ, effluxerat) tam recens ſanguis potuerit inveniri: laverunt etiam corpuſculum ſacrum aqua, per quam plurimi poſtea ſanitatis beneficia ſunt conſecuti. Totum corpus ita tractabile ſicut viventis inventum eſt: manus quoque & digitorum articuli tam facili poterant flexibilitate moveri, ut vivere crederetur.

recens ex ore ejus ſanguis effluit:

corpus ac ſi viveret eſt flexibile:

8 In adductione ſacri corpuſculi, fuerat apud nos [Gollfridus] quidam de parochia noſtra per dies aliquot: quem tanta phreneſis arripuerat, ut ab omnibus crederetur obſeſſus, & multis eum oporteret funibus alligari: nec enim ab uxore aut filiis manus abſtinuit; ſed quoſcumque poterat arripere, trahere, cædere, lacerare gaudebat. Cumque in die Trinitatis ad ſe aliquantulum reverſus, ſemiligatus ad ſepulcrum ſacri corpuſculi reſideret; acceſſit ad illum ſacriſta noſtræ Eccleſiæ (qui & hoc ſcripſit) quæſivitque, ſi per merita Fratris Joſeph, ibidem ſepulti, ſe à Domino confideret adjuvandum. Infirmo confitente quod ſic; ſubjecit ſacriſta: Invoca ergo Deum, ut per merita Fratris Joſeph tibi ſubvenire dignetur. At ille continuo exclamavit: Domine Deus, rogo te, ut per merita boni ſancti Joſeph, mihi mentem meam reformare digneris. Tunc ſacriſta, neſcio quo vero ſpiritu motus, Vade, inquit, in domum tuam, & Dominus te per merita Sancti ſui citius liberabit. Ex illa hora, illo revertente in domum ſuam, mentis ſuæ ſanitas eſt ad ipſum reverſa: & uſque hodie, per Dei gratiam, incolumis perſeverat.

D *ſanatur phreneticus,*

9 Eodem die (in Feſto Trinitatis) venit mulier quædam de b Dollendorp, ferens infantem adhuc pẽdentem ad ubera: qui nocte, matre dormiente, ſuffocatus in cunis, mane, cum mater ſurgeret ut ubera ſugenti præberet, mortuus inventus eſt. Cumque aures omnium miſerandis vocibus & ejulatu repleret, & materno dolori per multas horas ſatisfaceret lacrymando (non enim poterat eſſe dubium de morte infantis) tandem recordata beneficiorum, quibus Deus Iſraël plebem ſuam per B. Joſeph viſitare dignatur, accepta fiducia, proclamavit: Tibi voveo, S. Joſeph, ſi infantem meum meritis tuis ſuſcitaveris, ipſum ad ſepulcrum tuum præſentabo cum oblationibus. Audivit Deus, & non diſtulit: ſed, reſumpto ſpiritu, infans paulatim moveri cœpit, & oſcitare. Quo viſo, mater infantem arripuit feſtinanter, & ad ſepulcrum Fratris Joſeph, cum quodam compatre ſuo (hujus miraculi teſte) per duo milliaria provinciæ noſtræ cucurrit. Cumque infantem impoſuiſſet ſepulcro, ille tunc primum oculos aperuit; & colorem vivificum, priſtinumque vigorem omnino recepit. Ad confirmationem veritatis, juramento firmavit mulier, puerum vere fuiſſe mortuum & ſuſcitatum. Poſt octo dies venerunt ad ſepulchrum Fratris Joſeph, vir quidam & uxor ejus [de Honkirchen], ducentes puerum ſecum, circiter octo annos habentem: qui gravi caſu de equo, quem aſcenderat, cadens, duro ligno, ſuper terram jacente, alliſus eſt; ipſo ligno cerebrum pueri imprimente, & quaſi quamdam concavitatem in teſta cerebri faciente, ipſa tamen cute cum oſſe integra permanente. Parentes ſtupidi accurrentes, puerum, inventum exanimem, volvunt ſæpius & revolvunt, tentantes modis omnibus, ſi quod ſignum vitæ in attractu anhelitus vel calore vitali valeant invenire: ſed cum nullum indicium vitæ invenire valerent, mortem filii miſerabilem diutinis ſunt lacrymis proſecuti. Tandem veniente fama beneficiorum, per merita Fratris noſtri, à Deo factorum, in memoriam plangentium mortem filii; invocatione facta cum voto, filium ſuum vivum & incolumem recipere meruerunt: qui & ita factum eſſe juraverunt, præſente Conventu.

b

E *mortui reſuſcitantur, infans ſuffocatus in cunis,*

F *& puer ex equo lapſus:*

10 Mulier quædam de Reiferſcheidt c [Adelhaidis nomine], omnium membrorum officio in puerperio deſtituta, cum advecta fuiſſet ad ſepulcrum Fratris noſtri, tam celerem conſecuta eſt ſanitatem, ut propriis ſe inde pedibus reportaret, quæ alienis fuerat manibus apportata. Vir quidam ducens puerum ſex annorum ad ſepulcrum Fratris noſtri, dixit: Ecce,

c *ſanantur, membrorum officio deſtituta,*

puer moribundus, A Ecce, filius beati Joſeph. Siquidem puer ille valide conculcatus rota currus, per quinque dies jacuit ſine ſenſu, ita ut vix vitalis in eo ſentiretur ſpiritus, & ſingulis horis moriturus crederetur. Tandem facto voto adducendi puerum ad ſepulcrum Fratris Joſeph, puer convaluit, contra ſpem omnium, & inſperatæ eſt redditus ſanitati. Quædam puella de *d* Arwilre, quæ maximos dolores capitis ſuſtinuit & tumultus, cum ſtillam aquæ, qua corpus innocentis lotum eſt, accepiſſet in aure; abacto tumultu, perfectum recepit auditum. Puella quædam [de Pelheya] quæ per annos quatuor oculorum lumen amiſerat, cum ad ſepulchrum Fratris noſtri largiter fleret, illuminata eſt. In villa *e* Werde, ubi Caſtrum Imperiale eſt, dæmoniacus quidam, qui exorciſmos & Reliquias non curabat, applicato ſibi panno qui in ſanguine Joſeph intinctus fuerat (ſicut ſupra dictum eſt) ſtatim ab obſeſſo corpore compulſus eſt exire. Similiter quidam de Were villa, Hermannus nomine, ab infeſtatione dæmonis apud ſepulcrum Fratris Joſeph liberatus eſt.

d doloribus capitis vexata,

caca,

e energumenus,

curantur dolor capitis, 11 Beatrix uxor Joannis inſtitoris in Colonia, per impoſitionem pilei beati Joſeph, ab intolerabili capitis dolore liberata eſt. Mulier de Fuſnich, Gertrudis nomine, ad invocationem beati Fratris noſtri,

febris, B quotidianis eſt febribus liberata. Habebat eadem quemdam infantulum anniculum, qui ex quo de matris utero eſt egreſſus ad vitam, mortis indicia ſemper in ſuo corpore portavit. Toto enim corpore quaſi mortuus, in ſolo pectore vitalis ſpiritus aliquid ſentiebatur habere. Quæ ad confidendum de ſalute pueri ſui, ſua propria ſalute (quam conſecuta fuerat) celeriter animata, vovit etiam filium ſuum noſtro Joſeph, & integre eſt redditus ſanitati. Mulier quædam Eliſabeth nomine, de *f* Briſche, unum oculum habens obſcurum, alterum vero omnino cæcatum, eſt illuminata: quæ cum oculis fidei & fiducia ad ſepulcrum Joſeph properaret, in itinere utriuſque oculi perfectam ſanitatem recepit. Puella quædam, quæ erat in obſequio Advocati de Freiſſem, cum in aurem ejus vermis auricularis intraſſet, & intolerabili illam dolore torqueret; monente domina ſua, votum fecit veniendi ad noſtrum ſepultum: & ecce, mirum in modum, in emiſſione voti, omnis dolor à capite dolentis ſine mora pariter eſt egreſſus.

morbus desperatus sanitas,

f cæcitas alterius oculi,

dolor auris ob ingreſſum vermis,

dyſenteria cingulo ejus, 12 Puer quidam de Flaſtorp, Reinerus nomine, cum per ſex menſes morbo dyſenteriæ tam valide laboraret, ut etiam à parentibus propriis, qui ipſum tenere diligebant, mori optaretur; cum cinctus eſſet cingulo corporis caſti Joſeph, quo cinctus fuerat in ſepulcro, & monente Cellerario noſtro (cujus ipſe puer cognatus erat) parentes illum ad ſepulcrum Joſeph ducere promiſiſſent, votum fiduciæ

C fidelis eſt ſanitas conſecuta. Virgo de *g* Veya, Methildis nomine, horribilem incidit infirmitatem, ita

g hydropiſis, ut corpus undique, tamquam hydropicæ, tumeſceret, & tota cutis, extenſa tumore, ſanguinea appareret. Habuit mater ejus apud ſe particulam pellium, quibus noſter Joſeph fuerat (cum adhuc eſſet nobiſcum mortalis) veſtitus, & apud ſe mulier devota, pro benedictione, ſervaverat. Prolata pellicula corpus filiæ mater undique oblinivit; & ſtatim omnis rumor detumuit, & calor naturalis eſt ad corpus undique revocatus. Infans quidam de villa

dolor gutturis, Rode, cum propter nimium dolorem gutturis etiam linguæ officium perdidiſſet; accepit in ore ſtillam aquæ ſalutaris, qua corpus caſti Joſeph fuit ablutum. Ad tactum tanti medicaminis continuo omnis dolor aufugit; &, ſanato gutture, lingua expedita

Comitialis morbus. verba ſua cœpit directe proferre. In villa Fuſnich, mulier quædam habebat infantem, caduco morbo tam valide laborantem, ut, infra unius diei naturalis ſpatium, ſedecim vicibus pateretur. Pro quo cum mater ejus voviſſet, quod puerum, ſi curaretur, ad ſepulcrum Joſeph deferre deberet; ita curatus eſt puer, ut illum morbum miſerabilem de cetero minime pateretur. AUCTORE COÆVO.

ANNOTATA.

a Beſſenich *villa prope Tolbiacum. Omiſit hoc Razo.*

b Dollendorp *pagus 2 leucis diſtans Steinfeldia: & hoc à Razone omiſſum eſt, ac paucula alia.*

c *Aliis* Ryfferſcheit *oppidum vicinum, ut & alia loca memorata.*

d Arweiler *ad Aram fluvium,* xx *millibus paſſuum diſtat Steinfeldia.*

e *Vulgo* Keiſerswerd, *procul inde ad Rhenum, verſus Cliviæ Ducatum.*

f Briſich *oppidum ad Rhenum infra Andernacum.*

g *Razo* Ubeia: *qui deinde cetera omnia miracula omittit, excepto ultimo de Sacriſta S. Cuniberti.*

CAPUT III.

Miracula ex MS. Marchtallenſi adjuncta. Epilogus.

D

Curantur dolor gutturis: 13 MUlier quædam de Urs, nomine Hildegundis, dolorem gutturis tam graviter patiebatur, ut ei eſſet impoſſibile cibum aut potum deglutire: cumque jam eſſet conſtituta inter mortis & vitæ confinia, & unicum ſibi videret ſupereſſe ſolatium ut ad B. Joſephi confugeret ſuffragium; ejus nomen dum invocaſſet, & ſtillam ſalutaris aquæ deguſtaſſet, ſtatim dolor evanuit, & ad ſumendam eſcam facta eſt habilis. Ejuſdem Hildegundis filia *oculi mali affecti,* Adelhaidis nomine, cum nimium doleret oculis, quos etiam in modum duorum ovorum habebat turgidos & viſu privatos, ad ſepulcrum Joſeph cum oculis cereis advenit: quibus oblatis, & de aqua ſalutaris ablutionis oculis abſterſis, dolor abiit, lux rediit, & puella ſana receſſit. Converſus noſter Nicolaus, quondam de ictu gladii grande vulnus recepit in brachio dextro: ab eo tempore, quamvis cicatrix vulneris videretur obducta, doloris tamen acerbitas uſque nunc ex magna parte remanſit. Accedens igitur ad ſepulcrum B. Joſeph, ſupplicavit *brachii dolor,* ut ei dolorem inveteratum aliquantulum mitigaret. Exaudita eſt oratio ejus, ſtatimque dolor ſedatus E eſt. Poſt paucos dies venerunt orandi gratia hoſpites quamplurimi cum equitaturis multis. Ex quibus dum quidam horreum Eccleſiæ violenter irrumperent, & non tamquam hoſpites ſed quaſi prædones agere inciperent, Frater ille ad impatientiam provocatus ait: Utinam Dominus iſte, propter quem tantas hominum importunitates patimur, in loco ubi primum ſepultus fuerat remanſiſſet. Vix protulerat verba, & ſtatim linguæ temerariæ luit pœnam & peccatum. Nam dolor redivivus rediit, & vehementius quam antea dolere cœpit. Iterum ergo cucurrit ad ſepulcrum, confeſſus eſt peccatum, poſtulavit auxilium, & adeptus eſt remedium.

oculus æger 14 Mulier quædam Mechtildis nomine, de vico qui Goich nuncupatur, oculum habuit tabeſcentem, & jam præ nimiis doloribus pene deficientem. Porro fidelis haſtulam de theca, in qua corpus B. Joſeph fuerat collocatum, pro devotione abſciderat, de qua cum oculum infirmum contigiſſet, ſanatus eſt. Vir quidam de Blanckenheim, Peregrinus nomine, filiam habebat claudicantem & fiſtula laborantem, quam ad tumbam ſancti corporis humeris allatam depoſuit: quæ ſtatim mutari cœpit in melius,

AUCTORE COÆVO.

ita ut tumor detumeſceret, laxarentur nervi, omniſque dolor conquieſceret, & ſub adſpectu multorum quæ fuerat humeris alienis allata, propriis greſſibus redivit in ſua. Matrona quædam de Trevenſdorf, Hildegundis nomine, filia Hermanni Advocati de Marmach, variis afflicta doloribus, & ambobus debilitata cruribus, gradiendi uſum ab annis pene quatuor perdiderat. Quæ cum per neceſſarios ſuos ad memoriam B. Joſeph fuiſſet adducta; fudit ſupplicem orationem, fecit humilem confeſſionem, ſpemque ſalutis ſuæ, ſe, & ſua divinæ Providentiæ & orationibus B. Joſeph devote commendavit: ſicque domum reverſa eſt. Sed non fruſtra viſa eſt expetiiſſe B. Joſeph ſuffragia: nam ſtatim poſt reditum melius habere cœpit, & reſumptis paulatim viribus, infra paucos dies tam crurium quam omnium membrorum optatam adepta eſt ſanitatem. Philippus vir nobilis de Werneburg, cum in unius brachii dolore & debilitate fatigatus eſſet longo tempore, audiens & ipſe de B. Joſeph miraculis, promiſit mera fide, quod ſi ei brachium reſtitueret, memoriam ejus peragendis gratiis aditurus eſſet. Expertus eſt illico in ſe quod de aliis fideliter crediderat: ſiquidem brachium, quod nulla fomenta, nulla unquam medicamenta curare poterant, inviſibili Dei virtute ſub eodem momento curatum eſt. Adoleſcens quidam de Berendorf Gollfridus nomine, cæcitatem ſiniſtri oculi per octo annos patiebatur: pellicula quippe pupillam obtexerat, omnemque ei videndi facultatem intercluſerat. Hic inter ceteros auxilium B. Joſeph poſtulaturus advenit; ſed ad ſepulcrum curari non potuit: verum cum reventens iter carperet, pellicula oculum deſerente viſum recepit.

convaleſcunt claudicans ac fiſtula morbo laborans,

item claudicans,

uſu brachii deſtitutus,

B

cæcus altero oculo.

15 Converſus noſter Joannes de Guſtene, guttur habebat perſtrictum interius gravi ulcere, unde metuebat vitæ ſuæ grande periculum imminere: ſed cum deguſtaſſet ſalutaris aquæ poculum, confeſtim abſque ullo ſenſu doloris, ruptum eſt ulcus; ſicque homo ab inſtanti periculo liberatus eſt. Puella quædam de Holtzheim, Godeſta nomine, habens annos octo, tribus annis & amplius mirabiliter & miſerabiliter infirmabatur: in qua defecit omnis medicina, nec poterant ulla ſubvenire remedia: deferebatur ad diverſa Sanctorum limina, ubi circa infirmos gratia operabatur divina; ſed fruſtra agebantur omnia: quæ quanto diutius vivebat, tanto deterius habebat. Tandem cum jam proxima eſſet defunctioni, avunculus ejus eam vovere fecit, ut ſi per Beati merita Joſeph convaleſceret, candelam ei ceream ad ſuam menſuram afferret. Audivi ab ore puellæ matris, quod ſtatim poſt voti prolocutionem, filia conſecuta eſt ſanitatem. Paulina Monaſterienſis matrona, in laneis, & nudis pedibus incedens, humiliter advenit, & pro ſalute viri ſui duo crura cerea devote obtulit: fuerat namque idem vir ejus ab annis duobus infirmus cruribus, & præ tumoribus & ulcerum vulneribus, nec caligis uti, nec ad publicum debilitato greſſu incedere quivit: at ubi mulier poſt oblationem reverſa eſt domũ, vir ad introitum ipſius perſenſit cæleſte beneficium: nam crura ſolidata, ulcera ſunt ſanata, & libera facultas gradiendi divinitus eſt ei redonata. Alia puella de oppido Monaſterienſi aures ad audiendum habebat obſtructas, nec niſi clamoſa voce aliquem intelligere quivit. Hæc, ſicut audivi ab Arnoldo patruo ſuo, vittam ſuam quæ erat de auriphrygio reverenter offerens, impoſuit ſepulchro. Cujus devotioni B. Joſeph pie congratulans, deſiderantem diutius ſuſpendere noluit; ſed difficultatem, quam dudum in audiendo moleſte pertulerat, ab ea quantocius amovit.

infirmitas 8 annorum,

C

ulcera cruum,

obſtructio auriũ cum ſurditate:

16 Negotiator quidam de Tulpeto, Erewinus nomine, promiſit B. Joſeph ex devotionis affectu, quod ſepulcrum ejus viſitare deberet. Negotiis exterioribus implicatus, tum per negligentiam tum per oblivionem, minime implevit quod promiſerat: ſed ut vexatio daret homini intellectum, mirabiliter percuſſus, ſed mirabilius ſanatus eſt. Siquidem per quatuor ſeptimanas decubuit lecto, variis attritus doloribus, & deſperatus ab omnibus. Ad extremum itaque voti ſui memor, cognovit culpam, petivit indulgentiam, emendationem promiſit; ſicque ſalutem quam deſiderabat obtinuit.

D

morbus ex neglecto voto inflictus,

17 Reinerus miles de Arlesheim infirmabatur valde, inſuper & acutiſſimis quibuſdam punctionibus crebro tangebatur in latere, quæ etiam ita graves extiterunt, ut ad ſingulas puncturas ſe crederet exhalare ſpiritum. Cum igitur nulla jam ſpes vitæ ſupereſſet, ſeque ad exitum per extremam Unctionem præparare diſponeret; recordatus B. Joſeph, ejus in inſtanti tribulatione auxilium invocans, & ſuam ei oblationem, ſi convaleſceret, devotiſſime ſpondens. Mirabile dictu! poſtquam hoc votum protulit, mox convaluit, & die ſequenti mira cum alacritate currens ad ſepulcrum venit; gratias agens, & B. Joſeph obſequiis, cujus opem celerem expertus fuerat, ſemper de reliquo devotum ſe fore proclamitans. Mechtildi puellæ filiæ Reineri de Fuſſenich in corpore ebullierunt innumerabiles papulæ; quæ, ut ferebatur, adeo erant periculoſæ atque mortiferæ, ut niſi cito ſubventum fuiſſet, puella cogeretur ſubire diſpendium præſentis vitæ. Cujus dolori mater ejus Mechtildis compatiens, & conſulere cupiens, particulam veſtimenti beati Joſeph intinxit in aquam, dedit puellæ bibere, quin & locum doloris de ipſa aqua lavit; ſtatimque omnis dolor ceſſavit: multitudo quoque papularum, quaſi numquam fuiſſent, ſubito non comparuerunt. Per Chriſtum Dominum noſtrum.]

laterũ punctiones acutiſſimæ:

E

papulæ mortiferæ.

18 Sed quid moror? Non enim poterit charta, etiamſi ex integro ſcribatur, comprehendere, quantis ſignis & prodigiis Dominus Sanctum ſuum in tam paucis menſibus eſt magnificare dignatus. Sed neque filiis Belial (qui adhuc Chriſtum, in Sanctis ſuis operantem, dicunt & blaſphemant ejicere dæmonia in Beelzebub) poteſt multitudine miraculorum ſatisfieri: filiis vero lucis (qui confidunt in Domino, & congaudent veritati) credo per præſentia aliquantulum ſatisfactum. Dimitto illos interim poſt hanc refectiunculam prandii mei, eſurientes & ſitientes cœnam, delicatioribus ferculis pleniorem; donec & hæc & alia, tam facta quam fienda, plenius (cooperante Dei gratia) reſcribemus, ad laudem & gloriam laudabilis & glorioſi: qui facit mirabilia magna ſolus, Dominus Deus noſter, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Hoc autem magnificum, ſilentio præterire non debeo nec poſſum; quod, cum Hermannus, Cuſtos S. Cuniberti in Colonia, portiunculam de veſtimentis noſtri Joſeph accepiſſet, & illam minus digne in ciſtam propriam projeciſſet; nocte, cum ſe ſopori dediſſet, quemdam ſtrepitum inconſuetum, in eadem ciſta commotum, audivit: cumque, expergefactus tumultu, etiam oculos aperire cœpiſſet, vidit ſuper eumdem locum Cuſtos lumen claritatis ardere. Quod ibidem credens à ſervis ſuis incaute fuiſſe relictum, pro illo extinguendo ſurrexit; &, eo appropinquante, confeſtim evanuit. Diſcutiens ergo apud ſe, quid hæc viſio portendere poſſet, recordatus veſtis ſacratæ, quam illic inhoneſte poſuerat, ipſam eadem hora ſuſtulit, & in capellam ſuam, cum ceteris Reliquiis, devotione debita collocavit; ad laudem & gloriam Chriſti Jeſu Domini noſtri.

Auctor pauca ex multis ſelegit:

F

& plura addicit:

Pſal. 135.

particula veſtium negligentius habita, cæleſti lumine proditur.

PRO-

A

PROCESSVS INQUISITIONIS super fama ſanctitatis B. Hermanni,

Ex MS. Steinfeldenſi.

CAPUT I.

Delegatio Commiſſariorum, & commiſſionis ſuſceptio.

Jo. Gelenius & Jo. Schwan,

1 SEreniſſimo & Reverendiſſimo Domino, D. Ferdinando, ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ electo & confirmato Archiepiſcopo, ſacri Romani Imperii per Italiam Archicancellario & Principi Electori: Epiſcopo Paderbornenſi, Leodienſi & Monaſterienſi, Adminiſtratori Hildesheimenſi, Berchteſgadenſi, & Corbeienſi; Principi Stabulenſi: Comiti Palatino Rheni, utriuſque Bavariæ, Weſtphaliæ, Angariæ, & Bullionis Duci; Marchioni Franchimontenſi, Comiti Loſſenſi, Longienſi, Hornenſi; ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato nato; &c; Domino noſtro clementiſſimo, Joannes Gelenius &

B Joannes Schwan, ſacræ Theologiæ & Iuris utriuſque Doctores, Metropolitanæ & Collegiatæ SS. Apoſtorum & S. Gereonis Martyris Colonienſium eccleſiarum Presbyteri, Canonici capitulares reſpective; Decanus & Protonotarius Apoſtolicus alter, alter memoratæ veſtræ Celſitudinis Vicarius generalis & Conſiliarius; Commiſſarii ad infraſcripta ſpecialiter deputati, humillima noſtra omnique nexu devotiſſima ſtudia & obſequia.

à Ferdinando Archiep. Coloniensi,

2 Litteras commiſſoriales, Sereniſſimæ veſtræ Celſitudinis manu & ſigillo, Bonnæ, quinta Maji currentis anni ſubſcriptas & ſignatas, atque ad devotam inſtantiam Reverendi admodum Patris ac Domini, Chriſtophori Pilckman, ſacri Præmonſtratenſis Ordinis in Steinfeldt Abbatis, expeditas, omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes, nobis, conjunctim in ſacriſtia ædis Metropolitanæ Colonienſis congregatis, anno Salutis MDCXXVIII, Indictione XI, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri, D. Urbani, divina providentia ejus nominis Octavi, anno illius quinto; præſentibus ibidem & ad hoc requiſitis venerabilibus viris, Laurentio Staden & Paulo Auſſemio, Presbyteris ad SS. Apoſtolos & S. Cunibertum Canonicis, & reſpective

C Scholaſtico, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Notariis; nec non Guillelmo Wollersheim & Guilielmo Sleidano Clericis, teſtibus; Clariſſimus & conſultiſſimus D. Antonius Fabens, Juris utriuſque Licentiatus, in vim ſpecialis mandati ſui, de quo ſufficienter docuit, nobis præſentavit: eaſdemque omni cum reverentia acceptavimus hujuſmodi ſub tenore.

Sanctorum honorandorum,

3 Ferdinandus Dei gratia Archiepiſcopus Colonienſis .... venerabilibus ac devote nobis dilectis Joanni Gelenio & Joanni Schwan ... ſalutem & gratiam noſtram. Cum Sanctis, qui ſunt ante thronum Dei; & in templo ejus, id eſt, in Eccleſia triumphante, ſerviunt ei die ac nocte; nos, qui in terris adhuc militamus, honorem impendimus; jure

Eccli 44, 15 illud implemus quod Scriptura monet: Sapientiam ipſorum narrant populi, & laudem eorum enuntiet eccleſia. Quæ monitio tanto nobis ferventius eſt excipienda, quanto certius fide tenemus, fructum honoris, quem Sanctis impendimus in nos ipſos redundare: ipſi enim bonorum noſtrorum non egent. Quamvis autem debeamus hunc cultum omnibus qui conſcripti ſunt in cælis, & cum Chriſto ſine fine conregnant: ſpecialius tamen nos obligatos cognoſcimus his, qui particulares eccleſias & domos terre-

patrorum imprimis ſtudioſo;

ſtres, in quibus nos adhuc in corpore à Domino peregrinamur, vitæ ſuæ anteactæ exemplo & mira- EX MSS. STEINFEL. culorum gloria illuſtrarunt, nec unquam pro ſalute noſtra intercedere deſinunt. Inter hos eſſe non dubitamus Hermannum, qui Joſeph dictus eſt, in civitate noſtra Colonienſi ortum, & Steinfeldenſis monaſterii, Archidiœceſis noſtræ, ante annos quadringentos Canonicum: cujus ſanctam vitam & pretioſam mortem innumera pene miracula & communis vox populi, quæ vox Dei eſt, prædicant & conteſtantur.

in ordine ad canonizationem B. Hermanni,

4 Quandoquidem vero in hunc uſque diem idem Hermannus, quem & Joſephum vocant, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ auctoritate Cæleſtium catalogo non ſit inſcriptus: hinc eſt quod nos deſiderantes illi condignos honores decerni, & precibus venerabilis ac devote nobis dilecti, Chriſtophori Pilckman Steinfeldenſis Abbatis moti, Vobis, de quorum doctrina, zelo ac prudentia confidimus, conjunctim ac diviſim mandamus & committimus, ut vos (adhoc adjunctis duobus, qui in ſacris conſtituti ſint, Notariis) articulos illos, quos præfatus Abbas ſeu illius Procurator coram vobis exhibuerit, examinetis; examinatos ad probandum admittatis; teſtes deſuper nominatos citetis, ſeu citari, produci & jurare E jubeatis; citatos, productos & juratos audiatis; eorumque dicta ſeu depoſitiones, nec non ſcripta quæcumque, ad hanc rem pertinentia, exhiberi, conſcribi & conſignari faciatis & procuretis; ac nobis in forma probanti omnia hæc, conſcripta & conſignata, tranſmittatis. Nos enim ea Sanctiſſimi Domini noſtri (à cujus definitione Sanctorum cultus dependet) decreto, per præfatum Abbatem ſeu illius & Ordinis ſui Procuratorem, ſubjicere intendimus. Hæc eſt enixa voluntas noſtra. Datum in civitate noſtra Bonnæ, die V menſis Maji, anno MDCXXVIII.

ad inquirendum deputati,

✠ FERDINANDUS.

rogatique Steinfeldiæ accedere,

5 Quibus litteris à nobis reverenter exceptis, dicti Domini Abbatis Procurator ſeu Syndicus, Licentiatus Fabens, etiam atque etiam inſtitit, quatenus onus idem, humeris noſtris impoſitum, ſuſcipere; & juxta tenorem earumdem, ad majorem Dei gloriam honoremque B. Hermanni, procedere dignaremur. Inſuper exhibuit certos articulos, pro verificatione famæ ſanctitatis præfati B. Hermanni conceptos, rogans ſtudioſiſſime eoſdem ad probandum admitti & canonice examinari. Quia vero pro magna parte iidem per ocularem inſpectionem juſtificari poſſunt ac debent; petiit proximam feriam ſecundam, XXIX Maji, pro ſuſcipiendo itinere verſus

F cœnobium Steinfeldenſe, in quo dictus Hermannus ſanctiſſime vixit, deputari; ibidem in loco ocularem inſpectionem, ſuper omnibus quæ in facto perduranti conſiſtunt, ſumi; teſtes neceſſarios, ad deponendum de veritate famæ ſanctitatis & miraculorum, admitti & canonice examinari; nec non ſcripta & alia quæcumque ad hanc rem ſpectantia, extrahi, conſcribi & conſignari.

Commiſſionem ſuſcipiunt,

6 Nos igitur veſtræ Sereniſſimæ Celſitudinis mandatum, nobis hac in parte clementiſſime injunctum, ſedulo prout oportet ac reverenter exequi volentes, articulos præfatos acceptavimus; declarantes quod eoſdem accurate examinaturi, & in loco petitæ ocularis inſpectionis, ſuper admiſſione eorumdem ad probandum, decretum laturi ſimus. Et cum propter alias incidentes graves occupationes, Celſitudinis veſtræ Vicarius generalis D. Joannes Gelenius ad iter hoc ſeſe accingere, & teſtium examini aliiſque ad hoc ſalutare negotium requiſitis in Steinfeldt intereſſe non poſſet, ac commiſſionis hujus executio nobis conjunctim & diviſim clementiſſime impoſita eſſet; ita faciendum judicavimus, ut alter noſtrum

eorumque unus Steinfeldiam ſe confert.

ex MS. STEINFEL. D. Joannes Schtean ad memoratum monaſterium Steinfeldenſe, cum Notariis ſuprapoſitis, die XXIX Maji ſe reciperet; locum, in quo B. Hermannus ſeu Joſeph vitam, omni ſanctitatis genere cumulatam, vixerit; ejus ſacrum elevatum tumulum & Reliquias oculis inſpiceret; atque ea quæ ad proceſſum hunc feliciter continuandum neceſſaria judicaret, ſtatueret.

CAPUT II.

Articuli Commiſſariali examini propoſiti.

Jo: Schtean admittit articulos examinandos.

7 POſteaquam igitur penultima menſis Maji, ad monaſterium Religioſorum Patrum in Steinfeldt Joannes Schtean proſpere perveniſſet, repetiit Syndicus decretum die XXVI latum, maximopere rogans articulos, præbitos ad probandum, admitti; ocularem inſpectionem circa illos, qui in facto perduranti conſiſtunt, ſumi; & quæ demonſtrata fuerint, diſtincte regiſtrari; demum quæ hoc die à Chriſti fideli populo, ex diverſis circumjacentibus parochiis ad ipſius S. Joſeph ſacrum tumulum & ſancta lipſana confluente, religioſo cultu fiunt, ad protocollum referri; deſuper officium noſtrum omni
B meliori modo implorans. Quibus à Syndico in medium prolatis, atque articulis diligenter examinatis, vigore antememoratæ commiſſionis, nos Joannes Schtean I. D. & Commiſſarius, cum Domini noſtri collegæ aſſenſu antehac dato, dictos articulos decreti noſtri interpoſitione admiſimus, & paratos nos ad ocularem inſpectionem obtulimus; mandantes ea quæ fuerint viſu neceſſaria deſignari, oſtendi, omniaque & ſingula ſtudioſe litteris & chartis committi.

8 Tenor vero exhibitorum articulorum eſt iſte.

I Quod publica vox ſit & fama, beatæ memoriæ Hermannum, conditum Joſeph, ante annos quadringentos Coloniæ Agrippinæ honeſtis parentibus natum, in juvenili ætate innocentiſſime educatum; in celeberrimo Steinfeldenſi monaſterio, diœceſis Colonienſis, Ordinis S. Norberti, vitam regularem profeſſum; mira vitæ ſanctimonia, fide integra, ſuprema præſertim caſtitate ac humilitate, & columbina ſimplicitate, ſingularique in Deiparam Virginem cultu, floruiſſe.

II Publicam eſſe vocem & famam, quod idem, poſt creberrimas ſibi divinitus factas revelationes, ac caſtiſſime cum Deipara Virgine continuatam familiaritatem, prophetico plenus ſpiritu, demonſtrato
C prius ſepulturæ loco, ad æterna tabernacula cum ingenti ſanctitatis opinione diſceſſerit.

III Quod divina bonitas eum, in vita & poſt obitum, plurimis & creberrimis miraculis magnificarit; ac famulum ſuum, qui exemplo Domini omni homini ſe ſubjecerat, mirabiliter exaltarit: de quo publica vox eſt & fama.

IV Quod publica vox ſit & fama, ad ſepulcrum ejuſdem ægros multos eſſe ſanatos, mortuos ad vitam revocatos, cæcos illuminatos, ſurdos, phreneticos & hydropicos curatos, dæmones effugatos.

V Quod corpus dicti S. Hermanni in ſignum ſanctitatis, ſcientia & tolerantia Ordinarii, ad altitudinem circiter quatuor pedum à terra ſit elevatum: & tumba vetuſta, pulcre depicta ac cancellis ferreis circumſepta, honorifice aſſervetur.

VI Quod tumba hæc ipſum Joſephum, cum eo, quo Sancti ſolent, fulgore & gloria depictum, exhibeat.

VII Quod tumbæ huic altare, in media eccleſiæ navi, immediate adjaceat: quod ipſum extra vulgi memoriam vulgo altare S. Joſeph vocatur; prout de eo eſt publica vox & fama, & tabula altarium, in ſacriſtia Steinfeldenſi perpetuo pendens, indicat.

VIII Quod in columna eccleſiæ, pulcra ejuſdem D & antiqua videatur ſtatua, in habitu Præmonſtratenſi, juſtam hominis adæquans longitudinem.

IX Quod in valvis altaris depicta ſit effigies S. Joſeph, in regulari habitu S. Norberti.

X Quod tumbam ſupradictam & ſacras Reliquias plurimi utriuſque ſexus devoti Catholici, voti exolvendi cauſa, multis retro temporibus & in hodiernum uſque diem (maxime in Vigilia Aſcenſionis Domini, qua tumba aperiri ſolet) pie viſitent, luminaria & munera ſua offerant, & per cancellos tumbæ immittant; hymnum Germanicum in laudem S. Joſeph conceptum canant, ea ſpe & fiducia, quod confidant ſe ab infirmitatibus liberandos.

XI Quod extra monaſterium, ad crepidinem vaſtiſſimi montis, fonticulus ſcaturiat, qui in hodiernum uſque diem puteus S. Joſeph vocetur: eo quod vir devotiſſimus, ob penuriam aquæ limpidioris, non attento difficillimo montis aſcenſu & deſcenſu, aquam ex eo limpidiſſimam, ad uſum Sacrificii, manu propria quotidie adferre conſueverit: ad quam aquam hauriendam plurimi in hodiernum uſque diem, ad honorem prædicti Sancti, concurrunt, & per ejus uſum à morbis curari dicuntur.

XII Quod ex cauſis præmiſſis S. Joſeph inter E præcipuos monaſterii Steinfeldenſis Patronos olim & hodie numeretur, & colatur: prout ex antiquiſſimis picturis & altarium antependiis & feneſtris vitreis videre licet: & de eo eſt communis ac certa Fratrum religioſorum perſuaſio.

XIII Quod fama ſanctitatis ejuſdem non modo per Germaniam, ſed etiam exteras nationes, ſacrorum doctorum ſcriptis divulgata, & à diverſis auctoribus per ſingula ſecula ſit commendata.

XIV Quod à diverſis piis ſcriptoribus B. Joſephus, uti vir ſanctus, ad Sanctorum kalendaria ſit relatus.

XV Quod forma ſanctitatis ejus ab incerto rumore non prodierit: ſiquidem verum eſt

XVI Quod vita ejuſdem & miracula, divina cooperante gratia mortem ſubſecuta, à viro graviſſimo, qui cum Joſepho in regulari obſervantia familiariſſime vixit, in antiquiſſimo Steinfeldenſi archetypo deſcripta aſſervetur.

XVII Quod prædictum archetypon in Steinfeldenſi archivo, ad hæc uſque tempora, ſumma diligentia cuſtoditum fuit.

XVIII Quod ex eodem archetypo R. P. Laurentius Surius vitam B. Hermani, ad VII Idus Aprilis, auctioris editionis tomo ſecundo inſeruerit. F

XIX Quod vita hæc cum alio antiquiſſimo manuſcripto archetypo Marchtalenſi, ejuſdem Ordinis in Suevia, in effectu conveniat.

XX Quod ex illo noſtro archetypo fideliter deſumpta ſit illa D. Joſephi Vita, quæ anno proximo MDCXXVII opera R. P. Fr. Chryſoſtomi vander Sterre, in lucem prodiit.

CAPUT III.

Ocularis inſpectio ſepulcri & aliorum monumentorum.

9 POſt hos articulos memoratus Syndicus exhibuit ſubſequens directorium, allegando quod articulum V, VI, VII, VIII, IX, XII juſtificet per ocularem inſpectionem: ad quam ſumendam demonſtrabat cœnobium Steinfeldenſe, celeberrimum ac florentiſſimum in Eyfflia, ſeptem Germanicis milliaribus à Colonia Agrippina ſitum, commodiſſime ad regularem diſciplinam aptum: petens à nobis illud inſpici, & qualitatem ac ſtatum illius ad protocollon referri. Quod ubi accurate ac ſtudioſe perluſtravi-

In monaſterii Steinfeldenſis

mus

A mus, invenimus illud, loco in famoſa multorumque ſcriptis celebrata Arduennæ ſilva delecto, ſterili quamvis ac ſaxoſa gleba, attamen Religioni & Religioſorum ſeceſſibus apto, magnifice jam à multis annis ac ſplendide ædificatum, in veram monaſterii formam redactum eſſe; ac ſub reverendo admodum Patre & religioſiſſimo viro, D. Chriſtophoro Pilckmanno, morum gravitate, ordinis zelo, ac ſincera in Deum pietate præſtantiſſimo Præſule, hodie Regularum obſervantia, diſciplina, ac doctrina plurimum florere.

eccleſia inſigni, 10 Deinde Syndicus oſtendit eccleſiam, prætacto monaſterio contiguam, eleganter & magnifice in formam crucis extructam, quam viginti altaria illuſtrarent, & inter alia S. Potentini, Martyris & Aquitaniæ Ducis filii, ſacræ exuviæ, in ſumma ara maximo in honore ac reverentia aſſervatæ, clariſſimam ac illuſtriſſimam redderent. Quocirca præſentibus ſupradictis Notariis eccleſiaſticis & duobus teſtibus fide dignis ad hoc ſpecialiter vocatis, Joanne Nicolai & Adamo Pfaltz, die Mercurii, ultimo Maji, ingreſſi ſumus baſilicam Deiparæ virginis Mariæ, ſua magnitudine, ſplendore ac ornamentis auguſtam: cujus chorus ab ipſa navi ſeparatus abſide ſeu doxali & cancellis ferreis, egregiam cultus & honoris divini ſpeciem & formam præ ſe ferebat. Inter ipſas vero columnas, in capite ſeu principio navis, verſus chorum, vidimus tumbam antiqui operis, à terra pedibus quatuor plus minus elevatam, picturis Apoſtolorum & aliorum Sanctorum ornatam, cancellis ferreis ſupra ipſam tumbam aliquantum eminentibus veſtitam & munitam: in qua ſacræ S. Hermanni Reliquiæ à D. Abbate & Fratribus memorati monaſterii quieſcere dicebantur.

eſt tumba S. Joſephi,

B

& adjunctum habet ejus altare: 11 Erat autem eadem tumba, lata circiter pedes duos & ſemis, longa ſex: cujus pedes chorum reſpiciebant; caput autem contingebat altare ſibi imminens in honorem beatæ Virginis Mariæ & BB. Petri, Andreæ, & Matthiæ Apoſtolorum, Sanctorumque Dionyſii & Nicaſii Martyrum Pontificum, & beatæ Virginis Catharinæ conſecratum. Illudque, ob ſingularem aliquam ſanctitatis famam, vulgo S. Joſephi nominatum, ita conſtitutum erat, ut proſpectui totius Chriſto fidelis populi pateret. In valuis ejuſdem altaris, præter memoratorum Sanctorum picturas, hujus quoque B. Joſeph effigies, in habitu Præmonſtratenſium, cum fulgore & radiis circa caput, ſiniſtra librum, dextra calicem aureum cum tribus roſis geſtans, appoſita erat. Ad pedes tumbæ ſeu ſancti ſepulcri lampas ænea, diſpoſita in medio duorum candelabrorum vetuſtiſſimi operis, à terra plus minus quatuordecim pedibus elevata, continenter cum non exigua populi devotione ardebat.

cum effigie Beati,

C

& lampade præluenti:

in hac tumba decentur collocata oſſa, 12 Corpus ipſum in capſa, è ligno ſculpta ac monumento elevato inſerta, honeſtiſſime repoſitum ſervabatur. Caput, pulvino inclinatum, & ſuperiori parte auriphrygio circumdatum, honorifica pariter corona ejuſdem materiæ exornabat. Oculorum cavernis inſertæ erant pilæ cryſtallinæ. Reliquum corpus, ſindoni acu pictæ egregia cum munditia involutum, requieſcebat: & quidem omnia & ſingula oſſa (paucis, quæ deerant, exceptis) inſuta undequaque telæ mundiſſimæ, invicem ſibi ita connexa & colligata erant, ut ſceletum humani corporis pulcherrime referrent. Hæc autem omnia tegebantur tela alba & perſpicua, quam feneſtra ex pellucido vitro claudebat: ſupra quam crates ferrea, per ſuos cancellos ad dictam feneſtram vitream intuentibus, ad ipſa ſacra oſſa commodum ſatis præbebat aſpectum. Supra hanc feneſtram vitream aliquot centena numiſmata aliaque plura jacebant, quæ ad cultum & honorem ſæpedicti S. Joſeph piorum hominum oblationibus

per vitream feneſtram conſpiciuntur,

videbantur congeſta: inter cetera autem repertæ ſunt acus quædam, quas, uti Sacriſta referebat, devotæ mulieres magna animi confidentia offerre; ac alias, quæ aliquamdiu ibi jacuiſſent, inde tollere ſolent, quibus pepla connecterent; in Domino confidentes, ſe præſentiſſimum aliquod contra capitis punctiones, uberum dolores, alioſque ſui corporis morbos remedium & indubitatam medicinam aſportare.

D

& ſuper hanc inter donaria multa acus.

13 Inſuper ne fraus ulla vel minima irreverentia ſanctis his Reliquiis inferri poſſet, feneſtra vitrea peculiari adhuc ſerâ claudebatur: crates vero ferrea tabulâ ligneâ tegebatur, quæ inferius pediculis, ſuperius vero ſerâ munita, ipſum totum ſepulcrum ab omni malevolorum injuria protegebat. Porro in hac tabulâ depicta conſpiciebatur imago Sacerdotis, in caſula viridis coloris, geſtantis in manu calicem, ex quo tres roſæ prominebant: cujus caput tonſum erat ad modum Religioſi Præmonſtratenſis, & circum illud ſplendores & radii, Sanctorum iconibus appingi ſoliti, cum hac inſcriptione, BEATUS JOSEPH. Ex litterarum autem figuris ac tota inſuper pictura, antiquitas quædam venuſtiſſima ſufficienter apparebat. Videbatur autem in medio hujus tabulæ, quaſi ad pectus Sancti, fiſſura, injiciendis fidelium oblationibus accommodata.

In tumba ipſum operculo ligneo.

depictus eſt Joſeph cum titulo Beati:

E

prope & inter Sanctorum ſtatuas,

14 Columnæ, intra quas altare, Sancti tumulo imminens, collocatum erat; ſuſtinebant ab una parte tabernaculum, in quo olim venerabile Sacramentum auguſtiſſimi Corporis Chriſti aſſervari ſolebat; ab altera vero ſtatuam B. Mariæ Virginis, puerulum Jeſum in ulnis geſtantem. Huic, ab eodem latere dextro in ſecunda columna, juncta cernebatur ſtatua memorati B. Joſeph, in habitu Præmonſtratenſi cum calice deaurato: cui opponebatur S. Potentinus hujus eccleſiæ Patronus: in quibus ſtatuis, quæ juſtam hominis longitudinem & ſtaturam adæquant, palam ipſa antiquitas & vetuſtas ſimiliter oſtendebatur. Erant autem hæ ſtatuæ taliter ad dictas columnas ordinatæ, ut Diva Virgo tabernaculo Venerabilis Sacramenti, Sanctus autem Joſeph S. Potentino oppoſitus pulcro quodam ordine cerneretur. E regione ſepulturæ B. Joſeph pendebant à parte ſiniſtra ſub templi fornice organa; & in valvarum illa contegentium alterâ depicta cernebatur effigies B. Mariæ, S. Hermanno geniculanti, aſſiſtentibus hinc inde Angelis, manum hilari vultu porrigentis. Oſtenſum præterea fuit, ante altare B. V. Mariæ, in quo ſingulis diebus ſacrum Miſſæ officium legi dicebatur, antependium quoddam, aureis ſericiſque filis acupictum, in quo B. Joſeph cum calice liliato & B. Potentinus, uti hujus eccleſiæ Patroni, egregio opere repræſentabantur: ſicut eadem fere in alio quodam antependio maximarum ſolennitatum altaris ſummi (quorum utrumque, ut ex inſcriptionibus notabatur, Chriſti fidelium piorumque hominum oblationibus confectum erat) accurate ad oculum nobis monſtrata fuerunt.

ſtatuæ Beati oſtenditur,

& imago in valvis organorū,

eademque acupicta in pallio altarium,

F

item in tabulis,

15 Poſt hæc deinde deducti ad ſacriſtiam, ornamentorum eccleſiæ, vidimus ibidem binas tabulas: quarum una vetuſtiſſima, olim ſummi altaris ala fuit; modo autem pene carie corrupta & attrita eſt: altera anno MCCCCLXVIII confecta: in quibus, inter ceteras Sanctorum multorum imagines, ſancti quoque Hermanni icones, in habitu Præmonſtratenſi, vetuſtiſſimo labore depictæ conſpici adhuc & dignoſci optime poterant: quemadmodum non diſſimiliter in feneſtris capitularis domus & ambitus, circa annum Domini circiter MDXXVII & MDXXX poſitis, repræſentatæ & oſtenſæ nobis fuerunt.

& feneſtris.

16 Dum hæc, hora circiter octava antemeridiana, juxta prædictam fidelem narrationem, præfato modo fideliter & perquam mature luſtraremus;

ex Mss. Steinfel

peregrinorum ad tumulum frequentia & devotio.

summa cum animi lætitia & intima commotione cordis, vidimus ex variis parochiis Christi fidelem plebem, una cum Pastoribus, crucibus, vexillis, signisque Salvatoris nostri, ecclesiam memoratam maxima cum devotione & alacritate & pietate visitare; cantica & rythmos pios, in honorem Sancti compositos, sonoris vocibus decantare; ad sacrum S. Josephi tumulum, magno numero, pro pia consuetudine, genibus flexis & summo cultu illum honorando, preces ad Deum ardentissimas profundere; numismata quoque, ova & alia plura ad sacras Reliquias afferre; rosaria religiose ad caput & ossa ejusdem Sancti, per cancellos & apertam fenestellam vitream, immittere. Quibus peractis, summo Sacro (quod eodem, uti & ab immemorabili tempore, in præmentionato altari, sanctæ tumbæ contiguo & adjacenti, decantatum fuit) nec non concioni omnes & singuli, eadem animi devotione, cultu, reverentia, & attentione, pro singulari erga Deum, Deiparam & S. Josephum Steinfeldensem pietate & affectu, interfuerunt.

CAPUT IV.

B

Parochorum Eyfflienſium teſtimonia.

10 *Parochi ad examen admiſſi,*

17 SUbsequenter Syndicus pro verificatione articulorum, I, II, III, IV, item VI, VII, VIII, IX, X, XI & XII, nominabat in testes venerabiles & eruditos viros, I Jacobum Steigium, Pastorem in Gartzheim; II Joannem Mey, Pastorem in valle Blanckenheim; III Laurentium, Pastorem in Smidheim; IV Matthiam Alffensem, Pastorem in Zinsheim; V Adamum Bisium, Pastorem in Mulheim; VI Dionysium Molitorem, Pastorem in pago Blanckenheim, VII Joannem Panhausen, Pastorem in Kildenich; VIII Petrum Bollich, Pastorem in Dottelen; IX Antonium Panhausen, Parochum in Commeren; X Mathiam Helmich, Pastorem in Malmach: petens, ulteriori nominatione salva, eosdem admitti, super articulis propositis circumstantialiter examinari de causa scientiæ, & depositiones ad protocollon referri. Citationem itaque nominatorum Testium mandavimus Venerabili viro Paulo Haussemio, hujus sacri negotii Notario: qui mentionatis Pastoribus, in ambitu Steinfeldensis monasterii conjunctim præsentibus, suprapositam commissionem ostendit, contenta exposuit; & vigore illius, ad dicendam veritatem de fama sanctitatis & miraculorum S. Hermanni, eosdem viva voce citavit: qui omnes & singuli, visa commissione, prompros se paratosque declararunt. Postquam igitur eosdem coram nobis constitutos diligentissime de veritate dicenda admonuissemus; corporale juramentum, in forma consueta præstitum ab ipsis recepimus: & prævio exactissimo examine, nullum eorum prece, pretio aut favore ad veritatem attestandam seu testimonium dandum (uti omnes & singuli libere affirmabant) inductum, nec censuris ecclesiasticis innodatum, aut alias quomodolibet inidoneum reperientes; ad nonam circiter horam antemeridianam, Syndico instante, domum capitularem intrantes, subsequentes Pastores sigillatim summo studio & accurate examinavimus super articulis exhibitis; & responsiones per memoratos assumptos Notarios diligenter annotari jussimus.

C

juramento præstito attestantur,

17 *primos articulos esse veros,*

18 Primus testis Venerabilis vir Jacobus Steigius, annorum LII, parochus in Gartzheim, primi articuli contenta publico famæ testimonio omnino vera credit, asseritque sibi in pueritia à præceptoribus & postmodum à fide dignis eadem relata esse. Secundum credit similiter: præterquam quod non audierit Sanctum sepulturæ locum demonstrasse. Tertium credit similiter verum; causas notitiæ, quas ad primum, easdem allegans. Ad quartum respondet affirmative, addendo quod uxor Præfecti Steinfeldensis cognata sua, paucis ab hinc annis mortua, gravissimo & intolerabili oculorum dolore affecta fuerit; fecerit autem votum huic Sancto, eoque soluto seu facto & oblatione reddita ad easdem sacras Reliquias, minimo temporis intervallo, dicti Sancti suffragiis, pristinæ sanitati restituta sit: idque eam sibi sæpius retulisse. Præterea deponit esse communem famam & vocem populi per hanc patriam, Sancti hujus merito ac apud Deum interventu, eos qui iniquam oculorum valetudinem incurrunt, ab eadem emergere & sanari: seque intellexisse à diversis, varios languidos & malis obnoxios, hujus Sancti precibus & ad memoriam illius, sanatos esse. Quintum dicit esse verum: ait quoque Dominos Visitatores ecclesiasticos sacrum ejus monumentum invisisse ac veneratos esse. Articulos VI, VII, VIII, IX dicit esse veros, prout ex oculari inspectione patet. Decimum dicit esse verum & notorium, addens olim, pacificis ac inturbidis annis & temporibus, septuaginta duas parochias (prout sibi relatum ait) Sancti hujus sepulcrum religiose visitasse: hoc autem tempore pauciores confluere, cum bellis passim petantur. Ad undecimum & duodecimum respondit affirmative.

D

& speciatim cruciatum dolorem oculorum,

E

19 Testis II *simili modo ad singula respondens (quæ nihil opus est hic repetere, ubi quoad substantiam eadem fere dicuntur)* affirmat articulum X esse verum, addendo quod vota nonnumquam ad Sanctum hunc nuncupaverit, prout à majoribus factum esse audivit: hymnum quoque in laudem Sancti à fidelibus cani, & doceri à Pastoribus in lectione catechistica. Testis III annorum circiter LXX, ad primum respondit, quod ante annos XXXVIII initio pastoratus sui, quæsiverit à Parochianis cur pridie ascensionis Domini processio instituatur in Steinfelt; responderint autem seniores, eam ob quemdam Sanctum, condictum Joseph, ibidem sepultum, olim institutam & hactenus continuatam esse. Ad quartum audivit à prænobili Domino temporali in Schmidheim, anno MDCIII pie mortuo, viro octogenario, interventu S. Joseph plures ægros esse curatos. Ad decimum affirmat se vidisse, quod quadraginta circiter parochiæ Steinfeldiam venerint: quasdam ex his quatuor circiter horarum iter conficere: se quotannis cum suis parochianis Sanctum hoc die visitasse. Testis IV *nihil particulare deposuit, sed tantum affirmavit singulos articulos, ut priores.* Testis V ad quartum in specie audivit à quodam Wilhelmo Sutorio, viro centum annorum circiter adhuc vivente, quod gravissimo capitis dolore & summa ejus vertigine laborarit: & emisso voto Reliquias hujus Sancti visitandi, fusis precibus & audita re divina in altar juxta tumbam S. Joseph, miraculose sanatus sit.

& capitis,

20 Testis VI Articulum II credit ex cantico S. Joseph, quod passim in hisce partibus canitur, & inter cetera habet S. Josephum sepulcrum suum monstrasse. Articulum III & IV credit verum, addendo pro causa scientiæ, quod quædam Catharina, uxor Eberhardi Schloëmens villici, parochiana sua, diversis vicibus infeliciter pepererit, ac sibi testi retulerit, quod emisso voto ad sepulcrum S. Joseph, ibique lecto Sacro, felicius prolem in lucem ediderit. Hæc vero anno MDCXXVIII in Februario, cum denuo gestaret uterum, se deponentem accessit & rogavit, ut sacrum Missæ officium sub honore B.V. Mariæ in parochiali ecclesia pro se celebraret; eo quod propter milites S. Josephum visitare non posset, cujus sepulcrum voti exolvendi causa se omnino prima oppor-

& adjutam periculose parturientem,

A opportunitate inviſuram dicebat : & poſtmodum feliciter enixa eſt. Teſtis VII Articulum III & IV affirmans addit, quod intellexerit, ex Marmagen & vicinis locis puerperas ad S. Joſeph emiſiſſe vota. Ad X dicit, quod decem & tribus continuis annis proceſſionaliter Reliquias S. Joſeph in Steinfeldt viſitaverit: quodque altera Paſchæ, abſque vexillis & ſignis ſanctæ Crucis, ſoleat cum quibuſdam vicinis ſuis in Steinfeldt ſe conferre. Teſtis VIII, IX, X *eadem quæ ceteri affirmarunt in genere, in particulari nihil depoſuerunt quod hic annotari mereatur.*

inſpicitur fons S. Joſephi dictus.

21 Hiſce teſtibus ſic examinatis, & reſponſis eorum ad protocollon referri juſſis; Syndicus eodem ultimo Maji, inſtanter petiit ocularem inſpectionem inſtitui fonticuli, in articulo XI nominati, prout eamdem inſtituendam eſſe cenſuimus. Continuo ergo ad eum, non procul à monaſterio ſitum, perducti; ocullariter reperimus & vidimus, eum ex ſaxoſo quodam & præcipiti monte profluere & promanare. Fonticulus autem iſte, communi & conſtanti omnium indigenarum conſuetudine & nomine, B. Joſephi condictus eſt, eamque appellationem etiamnum retinet, idque ob ſingularem quamdam ſanctitatis viri famam. Quoniam beatus vir; cum ſæpius
B eccleſiæ Steinfeldenſis ſacriſtam ageret, ex hoc fonte aquam quotidie tuliſſe creditur, ob limpidiſſimam ejus puritatem: quoniam ſacrificiis non niſi puriſſimam aquam adhibendam eſſe exiſtimaret, qualem dictus fonticulus etiamnum (prout oculis noſtris vidimus) ſcaturit.

CAPUT V.

Depoſitiones aliorum teſtium Steinfeldiæ auditæ.

Novi teſtes producti,

22 Die ſequenti, qui primus fuit Julii, ob celebrem feſtivitatem Aſcenſionis Dominicæ, ab hoc inquiſitionis negotio ceſſatum eſt. Secundo itaque Junii officium nobis commiſſum continuantibus nobis, Syndicus nominavit ulterius Teſtes ſupra articulis I, III, IV, X & XII, admodum Reverendum D. Hubertum à Caſteren, Decanum Collegiatæ eccleſiæ SS. Chryſanthi & Dariæ Martyrum in metropoli Eyffliæ, teſtem XI; XII Reverendum & doctiſſimum D. Wilhelmum Elſich, Canonicum ibidem; item honeſtos viros, Wilhelmum Schoumaker, teſtem XIII; XIV. Matthiam Urfft; XV Petrum de Urfft; XVI Hubertum Roëſt, Scabinum in
C Schleiden; XVII Annonem Haës, Scabinum in Rhen; XVIII Antonium Becker; XIX Petrum Latz; XX nobilem & virtuoſam Dominam, Sibyllam Kintzweiler, nobilis & equeſtris viri Petri de Crummel relictam viduam: petens contra eoſdem citationem decerni, prout eamdem decrevimus & inſinuari fecimus.

atteſtantur frequentiæ peregrinorum,

23 Quibus comparentibus eodem die in domo capitulari, Teſtis XI ad X dicit, plurimos undequaque, non modo Canonicos & agricolas Monaſterienſes, ſed & Magnates & Comites circum habitantes, ſepulcrum S. Joſeph viſitaſſe, parochias aliquot pridie Aſcenſionis Domini peregrinationem ad S. Joſephum Steinfeldiam inſtituiſſe, memoriam inſtitutæ proceſſionis non extare, famam ferre olim ſeptuaginta pagos confluxiſſe ad viſitationem ſacrorum S. Joſephi pignorum, vidiſſe ſe aliquando viginti *auxilio ſterilibus ſperari ſolito,* parochias uno die in eccleſia Steinfeldiana. Teſtis XII, ætatis annorum LX, Sacellanus Ducis Arſchottani Principis in Aremberg, ad X dicit omnino eſſe verum, prout ſæpius vidit, & communem eſſe fiduciam apud mulieres ſteriles, quod viſitatione hujus Sancti fœcunditatem obtineant.

24 Teſtis XIII habitans in Mulheim, ætatis ſuæ annorum XCVI, Scabinus in Blanckenheim & Erberich; qui, præterquam quod ſcipioni innitatur, mentis ſuæ omnino compos, loquela & bono judicio præditus erat; dicit quod audivit à patre ſuo ſep- *antiquiſſimo cultui B. Joſephi,* tuagenario & pluribus aliis jam olim defunctis, peculiari cultu in Steinfeldt coli S. Potentinum Martyrem & S. Joſeph Confeſſorem. In ſpecie autem de ſua perſona depoſuit, quod ante annos quadraginta circiter gravi vertigine & cerebri indiſpoſitione laboraverit, ut negotia ſua & operas omnino præſtare non poſſet: atque ideo ob famam miracu- *vertigini per eum curatæ,* lorum, quæ ab hominibus patenter in viſitatione ſepulcri S. Joſeph obtineri ſolent, ſe quoque motum eſſe, ex pago Mulheim, trium horarum ſpatio à Steinfelt diſtante, viſitare ſepulcrum B. Joſeph: atque oblationibus pro ſua tenuitate ibidem factis & fuſis precibus perfectam conſecutum eſſe ſanitatem, ſine ullo humano remedio; neque ab eo tempore uſque ad extremam hanc ſuam ſenectam, ſimi- *ovorum oblationi pro ulceribus & tumoribus,* lem morbum ſenſiſſe. Teſtis XIV, annorum LXVII in ſpecie ſcit, quod ova ab ulceroſis ad B. Joſephi tumulum offerri ſolent: qui poſt Deum huic Sancto confidentes ſanitatem recuperant, prout diverſos novit ſanatos, modo autem vita functos. Matrem, avum, & aviam habuit centenarios, à quibus intel- E lexit, S. Joſephum habitum ab ipſis eorumque majoribus fuiſſe pro viro ſancto: & quod multi languidi & ægroti, cingentes ſe cingulo hujus ſancti viri, ex voto ſanitati reſtituti ſunt.

ex mss. Steinfel.

ſalubritate fontis,

25 Teſtis XV, nonagenarius, addit hæc ipſa ſe ante annos circiter octoginta audiviſſe ab avia, quæ centum annorum ætatem exceſſerat, quæque à matre ſua centenaria eadem intellexerat: multoſque, de quorum ſalute deſperabatur, ſolitos ex dicto fonticulo B. Joſephi aquam bibere; eorumque aliquot, prout audivit, eâdem ſumpta ſanitatem recuperaſſe. Teſtis XVI dicit quod frequenter viderit peregrinos, inter quos fuerunt Magnates & Comites, viſitaſſe S. Joſephi ſacra lipſana: & quod ipſe, dum habitaret ſuperioribus annis apud monaſterium Steinfeldenſe, viderit templum aperiri, etiam extra tempora ſolennium proceſſionum (de quibus teſtes ſupramemorati depoſuerunt) & reliquias S. Joſephi oſtendi, & oblationes fieri cum ſpe alicujus ſolatii habendi. Teſtis XVII vidit inter cetera dona, oblata fuiſſe ova, pro curandis tumoribus non naturalibus. Te- *remedio à ſurdaſtris impetrato,* ſtis XVIII dicit, ſe olim paſſum fuiſſe ſuſurrum & ſtrepitum in capite, & fiducia ſanitatis conſequendæ ad S. Joſeph reliquias veniſſe, atque oblationibus F factis fuſiſque precibus, ſine ullo alio remedio ſanitatem recuperaſſe. Retuliſſe etiam ſibi quemdam ſenem Bernardum Brower, in pago Rohën habitantem, quod cum ſimilia paſſus eſſet & obtinendi remedii cauſa ad S. Joſeph ſepulcrum ſe peregrinatum contuliſſet, quamprimum ad muros Steinfeldiani monaſterii pervenit, curatus & ſanus factus ſit: eumdemque ſenem templum ingreſſum eſſe, vota Deo ac Sancto perſolviſſe, atque in hanc uſque horam vivere. Qui idem teſtis per nos Commiſſarios miſſus ut dictum Bernardum adduceret, ab eoque reverſus retuliſit; quod vir ille centenarius, adeo debilis ſit & exigui ſpiritus, ut huc ad locum monaſterii accedere non potuerit: ne tamen veritas occultaretur, ſibi teſti & alii conteſti dicto Joanni Zimmermam, conſtanti judicio & loquela depoſuerit eadem quæ ſupra.

moribundus ſanato,

26 Teſtis XIX deponit, quod ipſe binis vicibus graviſſimis febribus ad mortem uſque laboraverit, omnibuſque Eccleſiæ Sacramentis munitus fuerit, nec jam amplius vinum, cereviſiam aut aliud quidpiam bibere aut perferre potuerit: ita autem deſperato ſibi incidiſſe putei S. Joſephi memoriam, & diſſuadentibus omnibus juſſiſſe ſibi ex eo aquam

EX MSS. STEINFEL aquam adferri, eamque cum ſingulari ſolatio bibiſſe, & ſic paulatim confortatum & priſtinæ ſanitati reſtitutum fuiſſe: plane & per omnia, uti arbitratur, meritis & interceſſione S. Joſephi & uſu illius aquæ. *parturienti adjuta,* Nicolaus inſuper Sleght, Prætor in Margamen, Urfft & Walen, teſtatus publicam & conſtantem famam eſſe, multos interceſſione dicti Sancti ſanitatem recuperaſſe, in ſpecie nominavit uxorem Quæſtoris in Dollendorff, generoſi & illuſtris D. Comitis de Manderſcheidt, Keil & Dollendorff: quæ cum maximam difficultatem in partu paſſa eſſet, & diverſas proles mortuas peperiſſet; tandem voto pro viſitatione Reliquiarum S. Joſeph facto, vivam ſive moleſtia & periculo enixa eſt, ac poſtmodum procurato in altari S. Joſeph Sacro, beneficium, interceſſione hujus Sancti ipſi collatum, conteſtata eſt.

muliebri infirmitati ſubito ſanata. 27 Teſtis xx in fide nobilis matronæ depoſuit, quod ipſa cum ante aliquot annos, vivente marito ſuo, gravi morbo muliebri ſexui proprio laboraret, mota fuerit ex communi fama miraculorum ad ſingularem erga S. Joſephum devotionem, & provoluta ante imaginem Crucifixi domi ſuæ divinam opem & interceſſionem B. Joſeph enixiſſimis precibus efflagitarit, dictumque B. Joſephum in ſingularem Patronum elegerit, ac firmiter propoſuerit ipſius ſepulcrum in Steinfeldt viſitare. Nihilominus etiam ad humana remedia reſpiciens, conſcenſo curru, una cum marito ſuo ad Illuſtriſſimam D. Comitiſſam de Blanckenheim, remedii habendi cauſa, profecta fuerit; in via vero media ita graviter infirmata, ut de curru in pulvinaria, terræ impoſita, collocari debuerit: ſtatim tamen ita mirabili modo convaluerit, ut denuo aſcenſo curru, cum ad D. Comitiſſam perveniſſet, ipſam puduerit quod de morbo conqueri deberet: quodque vix capere potuerit, quanam ratione ex gravi hac infirmitate tam ſubito ſanitati reſtitueretur. Nec ſe aliter poſſe cogitare, & firmiter credere, idipſum ad preces, Deo & B. Joſepho fuſas, contigiſſe. Unde & mota fuit ut ſepulcrum illius in Steinfeldt viſitaret, votaque ac preces ibidem offerret. Exinde vero, ſi aliquando ſimili morbo eam tentari contingat, ſemper refugium ad Sancti hujus tumulum habere, & fuſis precibus & facta oblatione, evaneſcente morbo, redire ſanatam. Præſcriptam depoſitionem veram eſſe affirmabat ejuſdem domicellæ famula Maria: quæ tempore hujus infirmitatis & recuperatæ ſanitatis ipſi ſervierat.

B

Finis hujus examinis. C 28 Hoc examine abſoluto, proteſtatus eſt Syndicus, quod tota patria Eyffliaca de antiquitate & notoreitate famæ ſanctitatis ſæpedicti Joſeph conteſtari poſſit: quæ facile & libens beneficia ſibi interceſſione hujus Sancti collata conteſtaretur. Verum ne cauſa latius, quam neceſſum videtur, protrahatur; exiſtimat per teſtimonia Paſtorum & Judicum, quæ tamquam pro tota communitate loquuntur, famam ſanctitatis & miraculorum ſufficienter probatam, nec ulteriorem nominationem teſtium eſſe hoc loco neceſſariam: reſervans tamen ſibi, Coloniæ aliiſque locis remotioribus, quatenus opus, ulteriorem teſtium productionem.

CAPUT VI.

Examen Coloniæ inſtitutum.

29 INſuper nona menſis Junii memoratus Syndicus, coram nobis Joanne Gelenio, Vicario generali & Commiſſario in hac cauſa, comparens in ſacriſtia metropolitanæ eccleſiæ Colonienſis, ad docendum quod fama ſanctitatis & miraculorum B. Hermanni dicti Joſeph non modo per Eyffliam, ſed longe lateque per Germaniam diffuſa ſit, ulterius nominabat ſuper articulis I, II, III, IV & X teſtes ſubſequentes, petens contra eoſdem citationem decerni &c. Imprimis nominavit adm. reverendum, eximium & perquam magnificum virum ac Dominum Severinum Binium, ſacræ Theologiæ Doctorem, Metropolitanæ eccleſiæ Colonienſis Presbyterum Canonicum capitularem, almæ Univerſitatis generalis Studii Colonienſis Rectorem. II Reverendiſſimum in Chriſto Patrem ac Dominum, Ottonem Gereon de Gutmannis ex Sobernheim, Epiſcopum Cyrenenſem, ſacræ Theologiæ Doctorem, Sereniſſimæ veſtræ Celſitudinis in Pontificalibus Vicarium generalem & Conſiliarium, Metropolitanæ & Archidiaconalium Collegiatarum B. Mariæ Virginis ad gradus Colonienſis, & S. Martini Embricenſis eccleſiarum reſpective Præpoſitum, Decanum, & Presbyterum Canonicum Capitularem, Archidiaconum Ultrajectinum, Tremonienſem & Hammonenſem. III Reverendiſſimum virum ac Dominum Joannem Cholinum, ſacræ Theologiæ Doctorem, Metropolitanæ Colonienſis & SS. Caſti & Florentii Bonnenſis Eccleſiarum reſpective Præpoſitum, ac Presbyterum Canonicum capitularem, memoratæ Celſitudinis veſtræ Conſiliarum intimum. IV Adm. reverendum atque eximium virum ac Dominum Henricum Francken Sierſtorffium, ſacræ Theologiæ Doctorem, Metropolitanæ eccleſiæ Presbyterum Canonicum capitularem, Gymnaſii Laurentiani Regentem vigilantiſſimum. V Adm. reverendum atque eximium virum, D. Leonardum Marium, ſacræ Theologiæ Doctorem ac profundiſſimum Profeſſorem, Parochialis ad S. Laurentium Paſtorem, & Collegiatæ S. Urſulæ Colonienſis Canonicum, Facultatis Theologicæ Decanum. VI Adm. reverendum, clariſſimnm & conſultiſſimum virum, D. Adolfum à Pempelfurt, Juris utriuſque Licentiatum, Collegiatarum eccleſiarum S. Mariæ ad gradus & S. Georgii Colonienſis Decanum reſpective & Canonicum, veſtræ Celſitudinis Sigilliferum majorem. VI Reverendum & doctiſſimum virum, P. Philippum Sebium, Societatis Jeſu Presbyterum. VII Reverendum & religioſum P. Georgium Garnefeldt, Carthuſiæ Colonienſis Presbyterum ac Bibliothecarium. VIII R. P. Chryſanthum Bartzweiler, ejuſdem Carthuſiæ Vicarium. IX Spectabilem ac clariſſimum virum, D. Hermannum Mylium, inclytæ Reipublicæ Colonienſis Civem ac Senatorem.

D

Rector Univerſitatis Colon.

Chorepiſcopus,

Præpoſitus,

Canonici varii,

nonnulliquæ Religioſi,

E

30 *Omittimus depoſitiones & atteſtationes ſingulorum, quia ſingulare nihil continent, præter Martyrologiorum in Commentario prævio productorum teſtimonia: unius Patris Garnefeldii ſatis eſt hic meminiſſe, qui* teſtatus eſt famam ſanctitatis hujus ſæpe nominati S. Joſephi inter Patres Carthuſianos jam annis, uti cognovit, centum ſatis eſſe celebrem, ſeque ſufficienter & mature hac de re inſtructum, credere, R. P. Laurentium Surium, virum maximi judicii, plurimæ lectionis, & in rebus hiſtoricis ſicuti verſatiſſimum ita & accuratiſſimum, Vitam hujus ſancti viri libris ſuis inſerturum non fuiſſe, niſi conſtantem de eo ſanctitatis famam habuiſſet notiſſimam. Habentur præterea apud eoſdem Patres Carthuſianos, inter ceteras Confeſſorum Reliquias, Reliquiæ B. Hermanni, dicti Joſeph, Religioſi Steinfeldenſis, uti dictus P. Garnefelt ex ordinario Reliquiarum catalogo, ſingulis annis in nominata Cathuſia publice prælegi ſolito, oſtendit & demonſtravit. Sicut præterea idem Pater atteſtatus eſt, quod viginti ab hinc annis in hac Colonienſi Carthuſia, vir quidam optimæ famæ & vitæ religioſæ obſervantiſſimus, annorum circiter ſeptuaginta, P. Marius de Mirich nominatus, pie obierit: qui ſingulari quodam pietatis affectu, ob conſtantem & perpetuum

F

teſtantur de fama ſanctitatis,

& Reliquiis apud Carthuſianos ſervatis:

A perpetuum ſanctitatis rumorem, hunc S. Hermannum colere & venerari, pieque ac ſancte de eo loqui ſemper conſueverat. Oſtenſum nobis etiam ab eodem P. Garnefeldt fuit reliquiarium, in quo honeſtiſſime religioſo cultu aſſervabantur Reliquiæ de S. Clemente Papa & Martyre, de S. Urſula aliiſque pluribus Martyribus & Confeſſoribus: illudque accuratius perluſtrantes, reperimus ei appoſitam ſchedam cum hoc fere verborum tenore: Sanctæ memoriæ Fr. Hermanni, alias Joſeph, Canonici Steinfeldenſis, miraculis clari: qui Coloniæ natus eſt: obiit autem in ſenectute ſancta, anno Domini MCCXXVI die IV menſis Aprilis in Ordine Præmonſtratenſi. Conſcripta autem hæc ſcheda fuit à R. P. Nicolao Meſſenich, viro fide digniſſimo, ante annos circiter viginti ſeptem Sacriſta Cartuſiæ Colonienſis, nunc Priori Carthuſiæ Dulnamienſis in Weſtphalia, uti idem P. Garnefelt fideliter referebat. Appoſita autem eadem iſta ſcheda erat, cuidam parti humani corporis ſeu oſſiculo, ex ſpina dorſi deſumpto.

producuntur auctores qui de Hermanno ut Sancto ſcripſere,

B 31 Die XXVII menſis Junii D. Licentiatus Fabens, Syndicus Domini Abbatis, coram nobis Joanne Schwan comparuit, & ulterius docendo de fama ſanctitatis & miraculorum B. Joſephi, exhibuit receſſum ſubmiſſivum ſub verborum tenore, ut infra. *Hunc omittimus: quia eadem fere omnia continet, quæ ſupra ſunt deducta, agendo de auctoribus Ioſephi ſanctitatem atteſtantibus, qui etiam ex articulis pro examine propoſitis cognoſcuntur. Protulit item prædictus Syndicus* atteſtationes Illuſtrium & Generoſorum, Caroli Comitis in Manderſcheidt, Blanckenheim & Geroltſtein, Domini in Cronenburgh, Bettingen & Dhaun, S. R. Imperii Equitis, & S. Cæſareæ Majeſtatis deputati Ducis belli, cum Anna Salome, Comitiſſa & Domina earumdem ditionum, nata Comitiſſa in Manderſcheidt & Ruſſy, fidem facientis de conſtanti & celebri cultu B. Hermanni: & Comitis Erneſti de Marcka & Schleida, Baronis in Lummey & Serein, Domini in Karpen & Saffenburgh, Præfecti hereditarii Marchionatus Francimontenſis: *quorum litteras nihil opus eſt hic ex Germanico Latinas dare. Denique* exhibuit Syndicus duos antiquiſſimos libros, quorum prior continebat dialogum in Vitam B. Joſeph Canonici Steinfeldenſis, cum imagine B. Mariæ Virginis in frontiſpicio, cui appictus erat B. Joſeph, Beatæ Virgini parvulum Jeſum offerens: impreſſus autem erat ante annos centum: cui adjuncta in eadem compactura erat alia Vita ejuſdem viri ſancti, anno MCCCLVIII metrice conſcripta. Alter vero in Pergameno à Coætaneo S. Hermanni, de vita ejuſdem conſcriptus erat: cujus authenticam copiam ad Acta regiſtratam veſtræ Celſitudini ſimul tranſmiſimus ..... Ex quibus omnibus exiſtimat dictus Syndicus, famam ſanctitatis & miraculorum beati viri ſufficienter probatam, deſuper ſe judicio ſanctæ Sedis Apoſtolicæ ſubmittens.

atteſtationes duorum Comitum,

& antiqui codices de vita.

C

Offertur proceſſus Archiepiſcopo.

32 Hæc ſunt Acta publica, Sereniſſime ac Clementiſſime Princeps, quæ in vim factæ nobis à veſtra Sereniſſima Celſitudine commiſſionis, diligenti examine prævio, ſedula inquiſitione facta, fide integra adhibita, per Notarios fide digniſſimos, ad hoc ſacrum negotium ſpecialiter aſſumptos, regiſtrari & deſcribi fecimus, ac veſtræ Sereniſſimæ Celſitudini, cum omni & debita animi devotione, cum diutiſſimi & proſperrimi regiminis precatione, offerimus & tranſmittimus: atque in fidem omnium & ſingulorum, eadem nos una cum Notariis ſubſcripſimus, & ſigillis noſtris communiri fecimus. Datum Ubiorum Coloniæ, die tertia Julii, anno Virginei partus MDCXXVIII.

33 *His adde, quod ante Tranſlationem corporis, factam anno* MDIX, *feſto S. Heriberti, per Ioannem tunc Steinfeldenſis monaſterii Abbatem, fuerit in veneratione tam tumba quam altare S. Ioſephi: quippe de quibus dicti Abbatis juſſu renovatis, ad annum prænemoratum fit mentio in Vitis & Computibus Abbatum Steinfeldenſium: ex quibus ab anno* MCCCCXCII *cœptis etiam habetur, quid annis deinceps ſingulis ex tumba Sancti ſublatum atque in gazophylacium tranſlatum ſit: anno ſcilicet prænominato* Marcæ CCLXXXII, ſchellingi tres: *prout hæc uſque ad annum* MDXLI *colligit D. Norbertus Steinfeldenſis Abbas, & poſt ecgraphum hujus Proceſſus deſcriptum accepimus. Vbi etiam, ex libellis Coloniæ impreſſis, de ſolennibus Proceſſionibus ibidem inſtitutis, anno* MDCXXXIX *tempore Iubilei, die* XXIX *Iunii; & anno* MDCXLIV *die* XXIX *Septembris, habetur; primo quidem quod circumlatum ſit* decimo quarto loco Corpus S. Hermanni dicti Joſeph, filii Colonienſis, & magni amici beatiſſimæ Virginis Mariæ. *Secundo quod Abbas Steinfeldenſis in hæc verba ſcripſerit, anno prænotato,* VI Novembris ad inſtantiam RR. PP. Franciſcanorum de obſervantia ad Olivas, me Fr. Norberto Horichem, Abbate Steinfeldenſi permittente, & nobili Domicella Virgine de Bolant tumbam ornante, in ſolenni proceſſione circumgeſtatum fuit ſacrum corpus S. Hermanni Joſeph, Canonici Steinfeldenſis caſtiſſimi, & maximi Deiparæ cultoris: quod è ſacello SS. Norberti & Hermanni Joſephi elatum, finita proceſſione comitantibus flammigeris, ad illud reportatum fuit. *Denique noviſſime* anno MDCLXVI venit ad Seminarium S. Norberti intra Coloniam adm. R. P. Wiex, tum temporis Supprior & Magiſter novitiorum apud Patres Diſcalceatos Colonienſes, germanus frater generoſi Baronis de Wiex, ſupremi venationum Præfecti apud Sereniſſimum Electorem & Archiepiſcopum Colonienſem; deferens ad nos tres imperiales Vienna Auſtriæ, à quadam matrona nobili, præmemorato Patri bene nota, huc miſſos, & Steinfeldiam deportandos ad ſepulcrum B. Hermanni Joſeph, cujus meritis & ſuffragiis aiebat, poſtquam eum ardenter invocaſſet, à ſpeciali quadam neceſſitate ſe liberatam recentiſſime fuiſſe. Unde liquet hujus Sancti cultum etiam in remotioribus plagis vigere, prout idem Pater pluribus exemplis confirmare noverat. Ita actum eſſe propriæ manus ſubſcriptione teſtor, Coloniæ die II Novembris MDCLXVIII.

EX MS. STEINFEL.

Oblationes ad tumbam multitudo,

Corpus proceſſionaliter circumlatum.

Fr. Theodorus Firminich Seminarii Præſes.

E

F

APPENDIX.

De Reliquiis B. Hermanni Antverpiam allatis & ſolenniter expoſitis anno MDCLXXXIII.

34 *Præmonſtratenſibus Virginibus indictum ab urbe Bredana exilium, quod eis magiſtratuum acatholicorum malevolentia ad augmentum miſeriarum adduxerat, vertit divina clementia in egregium ipſius Ordinis noſtræque civitatis Antverpienſis commodum & ornamentum. Nam in ſuburbanum Ooſterhautanum compulſæ, dum conſiderant nec ibi diutius quieturas ſe, quam hæreticis dominis fuiſſet collibitum; delectas ex ſuo numero pauculas miſerunt Antverpiam; quas eccleſiæ* S. *Michaelis Abbas Norbertus van Cauwerven paterno excepit affectu, fovitque in ſpem reſtaurandi ibidem aliquando Sanctimonialium Præmonſtratienſium contubernii, quale in hac urbe olim fuiſſe, oſtenſum eſt ante Acta* S. *Iulianæ Cornelienſis num.* 9 *die* V *Aprilis, idque ante annos quingentos, multo utique prius quam aliud ullum ſacrarum Virginum monaſterium apud nos haberetur. Interim favore Auriaci Principis revocatæ*

Præmonſtr. Virginum monaſteria Antverpiæ.

A

Bredam Ooſterhautanæ exules, Antverpienſi coloniæ Prioriſſam miſere D. Chriſtinam Crills cum Catharina Snyders Suppriorissa : ſub hac vero, per mortem Prioriſſæ jam nominatæ ſupremam adminiſtrationem adepta, capitibus pluribus aucta novella plantatio excrevit in monaſterium lectiſſimarum Virginum, numero, cultu, diſciplina nulli Antverpienſium Parthenonum inferius : cui hoc denique anno MDCLXXIII *favore Excellentiſſimi Comitis de Monterey, Belgicarum provinciarum pro Rege Catholico Gubernatoris, adnitente illius pientiſſima conjuge, acceſſit robur Privilegii Regii, confirmantis poſſeſſionem fundi pro monaſterio, templo, hortoque acquiſiti, eumque ad manum ut vocant mortuam transferentis. Ex hinc pergit illud quotidianis augeri incrementis, ſuoſque tam latos ſuoceſſus acceptos refert, aut unice aut præcipue, Ampliſſimis cœnobii S. Michaelis Abbatibus, ex quibus Macarius Simeomo deceſſoris ſui ſupra nominati cœpta promovens, tum aliis multis modis virgineum cœtum munivit ornavitque, tum eidem de ſacrarum Reliquiarum tutela proſpexit ; inter alia publicæ privataque devotionis incitamenta, communicans eidem partem non minimam, de corpore B. Hermanni, quam olim,* ad frequentem & devotam inſtantiam, Abbati & Fratribus Antverpiæ Ordinem Præmonſtratenſem profeſſis *donaverat Abbas Steinfeldenſis*, confidens per hoc ſancti illius Fratris cultum auctum iri, fraternum amorem erga invicem promoveri, & mutuis precibus adjuvari poſſe.

poſtliminio rejuvatus,

ornatur Reliquiæ Beati,

B

35 *Hujus boni ut latius ſeſe diffunderet utilitas, opus erat recognitione & approbatione Epiſcopali, quam die* XVI *Martii,* MDCLXXIII *expedivit Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus* Fr. Ambroſius Capello, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Antverpienſis, *ſub hoc tenore :* Quoniam qui Sanctis deferuntur honores, in Dei omnipotentis gloriam & totius Eccleſiæ redundant utilitatem ; merito exiſtimamus, quæ eorumdem cultui amplificando conducunt, ſingulari nobis ſtudio eſſe promovenda. Cum itaque pro parte Ampliſſimi D. Macarii Simeomo, Ordinis Præmonſtratenſis S. Michaelis in hac civitate Abbatis, nobis eſſet exhibita pars quædam Spinædorſi B. Hermanni dicti Joſeph, Ordinis Præmonſtratenſis Canonici Steinfeldenſis, ab Ampliſſimo Domino Chriſtophoro Pilckman Abbate Steinfeldenſi huc tranſmiſſa, & Abbatiæ S. Michaelis præfatæ dono data (prout litteræ donationis, datæ IX Auguſti MDCXXII, dicti D. Abbatis ſigillo & ſignatura authenticis munitæ, luculenter teſtabantur) eamdem prævie inſpectam, recognitam & approbatam, ad ejuſdem Ampliſ. D. Abbatis S. Michaelis petitionem, in duas partes diviſimus, & utramque ſigillo noſtro minori in cera Hiſpanica impreſſo munivimus. Quarum unam dictus D. Abbas, ſingularis erga B. Hermannum devotionis affectu ac liberalis animi candore, dono dedit monaſterio Venerabilis Sacramenti Monialium ejuſdem Ordinis Præmonſtratenſis in hac civitate. Quam piam donationem ratam & gratam habentes, in regeſta noſtra referri mandavimus ; ac præfatam particulam donatam & ſigillo noſtro Epiſcopali ut ſupra munitam, de novo inſpeximus, recognovimus & auctoritate noſtra ordinaria approbavimus, ac pro veris & legalibus dicti B. Hermanni Joſeph reliquiis, ad ejuſdem majorem cultum & gloriam, in eccleſia monaſterii Vener. Sacramenti prætacti ac in tota diœceſi noſtra publicæ Chriſti fidelium devotioni exponi permiſimus.

ab Abbate S. Michaelis communicata,

& per Epiſcopum approbata ;

C

ea exponitur die 11 *Sept.* 1673

36 *Expoſitioni huic ſolemniter faciendæ electus eſt dies* XI *Septembris, quæ à primis Veſperis inchoata eſt, cum excellenti muſicorum harmonia, Hymnum Ambroſianum intonante R. D. Hermanno Ioſepho vander Peerten, ipſius monaſterii Præpoſito ; & R. P. Philippo de Meſmacre, ex Ordine Minimorum, dicente ad frequentem populi concionem, de Sancti laudibus ac merito cultu. Viſa eſt pietati fidelium nox eſſe longior, quæ cœptam feſtivitatem interpolabat quadamtenus ; & multi ſoli ortum horis aliquot præverterunt, poſcentes ſibi aperiri eccleſiæ januam, ut in honorando pignore iſto ſacro primas ferrent. Nec minor reliquo toto die perque ſequentem Octavum fervor eluxit, ſive ſub Miſſæ ſacrificio, tam privatim per ſuccedentes ordinate Myſtas Sancti cultores lecto, quam publice decantato per ipſum S. Michaelis Abbatem Pontificaliter ornatum ; ſive ſub Officii divini partibus aliis, congrua aptaque dictione interpolatis, per egregios ex quovis Religioſorum cœtu oratores, pia æmulatione certantes in Sancto exornando.*

D

37 *His, quibus præcipue cultus ſacer continetur, acceſſerat apparatus perquam magnificus arcuum, arborum, ac ſtatuarum, Sanctos Ordinis varios referentium, partim ad publicam ante monaſterium viam, partim in atrio ante templum patenti. Ipſius autem templi ornatus longe erat magnificentiſſimus, nam altare in ſpeciem montis argentei aſſurgebat, aureis argenteiſque variorum illuſtrium Sanctorum lipſanothecis, in circuli ſpatioſi formam ſic ordinatis, ut medium circuli locum occuparet arca argentea, continens B. Hermanni reliquiam, & in præclaram ejuſdem metalli crucem deſinens. Poſtquam autem peracto octiduo depoſita ab altari eſt arca prædicta, tunc ipſa Reliquia, eo ubi ſemper conſpici & honorari poſſet loco conſtituenda, exempta eſt jam dicta arca, & collocata intra aliud opus ex argento, in formam ſolis elaboratum, gemmiſque & adamantibus pretioſum, quod circuit Angelorum inauratorum chorea, ſic ut diameter operis tres pedes impleat ; ipſam vero Reliquiam umbone in medio cryſtallus muniat. Toti operi (cui inter altare & ſuggeſtum concionatorium, in pariete laterali receptaculum idoneum elaboravit ſculptorum induſtria) prætenditur ſpeculare vitrum formæ ſimiliter orbicularis, ut per ipſas cryſtallos penetrans viſus in ſacrum pignus defigatur devotius, & exaudiendæ orationis ſpem excitet augeatque intuitus præſentis ut ſic dicam Sancti. Nec vero vana illa quam pluribus fuit, prout teſtari poſſunt argenteorum omnis formæ anathematum oblationes, quæ nunc occupant viciniora dicti parietis loca. Vt vero continua foret hæc civium utilitas, ſi pietas ipſa continuaretur ; placuit Reverendiſſimo Antverpienſi ſpiritualibus lucris proponendis eamdem ſtimulare ; ideoque dierum quadraginta Indulgentias, oblatas fidelibus Dominicam orationem cum ſalutatione Angelica quinies ibidem per Octavam antedictam iterantibus, extendit ad omnes deinceps ſabbatinos dies, per bullam* XVII *Septembris ſignatam.*

cum magno apparatu :

ubi nunc honoratur in ſpecioſa lipſanotheca,

38 *Porro inter communia devotæ civitatis gaudia, quam ſingularis fuerit ſacrarum lætitia Virginum, tam caro pignore ſe locupletatas gratulantium, vix ipſa fortaſſis explicent quæ ſenſerunt : non deſunt autem inter eaſdem quæ teſtari velint, quam certam promptamque expertæ ſint opem novi ſui Patroni, cum eam ſuis in neceſſitatibus fidenter poſtulaſſent. Sed domeſtica teſtimonia, pro affectus magnitudine, ſuſpicioni alicui obnoxia fore exiſtimans earumdem Prælata, D. Godefrida van Cappenberg ; in ſua quam de antedictis ſcripſit relatione, iſtis omiſſis, maluit externa quædam colligere, ab iis qui factam in ſe gratiam profeſſi ſunt, prout ipſiuſmet verbis, Latine fideliter redditis, explicabo ; non quaſi eccleſiaſtici fori judicium prævertens, miraculis ea annumerare præſumam, ſed ad exprimendam fiduciam, quam in B. Hermanno Ioſeph collocatam ſe habuiſſe voluerunt iſti ſignificare, & piam de auxilio per ipſum ſibi allato credulitatem.* Vicina monaſterio habitat mulier, quæ pollicem periculoſe infectum habens, cum ipſius vitæ diſcrimine, venit profitens quod invocato Sancto fuerit derepente ſanata, & geminarum manuum formam obtulit in templo appendendam. Simili modo ſubitò ſanatæ ſunt puella quædam Eliſabeth nomine, & mulier altera ſimul cum ipſa

F

cum fructu devotionis,

etiam corporibus ſanitari.

A ipſa ægrotans, ſtatim ac Sanctum invocaverunt; & propterea Miſſam dicendam curarunt, ſub qua ambæ gratiam ſibi impertitam profeſſæ, Dominici Corporis epulo ſunt refectæ. Denique Ludovica quædam, puella bimula, filia cujuſdam Legati, ob rationes minime nominandi, ad extremum vitæ perducta diſcrimen; ſervata tamen in vivis eſt, eo quod de familia aliquis arſuram ante ſacras reliquias candelam attulerit, parvulam B. Hermanno commendans: hoc enim facto continuo cœpit melius habere infirma, & ſimul cum ipſa cera conſumpto morbo, hic eſſe, illa ardere deſiit. D

DE BEATO CHRISTIANO,

DVACI IN GALLOFLANDRIA.

G. H.

FERIA II PASCHÆ. *Arnoldus Raiſius Duacenſis, ibidemque apud eadem Archiapoſtoli S. Petri Canonicus, optime de cultu & veneratione Sanctorum meritus, inter alia opuſcula edidit Auctarium ad Natales Sanctorum Belgii Ioannis Molani, cum illuſtri tabella in frontiſpicio excuſa: in qua Deipara Virgo inter varios Sanctos viſitur, eique à dextra manu adſtat* S. Chriſtianus Duacenus, *uti ſubſcriptio declarat: & ad* VII *Aprilis, poſt alios illuſtres viros relatos, hunc præfigit titulum*: Feria ſecunda poſt Dominicam Reſurrectionis. De S. Chriſtiano Confeſſore: *ac dein ex informatione Antonii L'Eſpaniol, ſacræ Theologiæ Licentiati & S. Albini Duaci Parochi, & aliorum, hanc Vitæ & venerationis ſeriem proponit.*

B Chriſtiani imago:

B

2 Duaci feſtivitas S. Chriſtiani Confeſſoris. Ejus vitæ converſatio me latet omnino; ſolum quod à viris fide digniſſimis ex relatione cognoverim, eum in pauperes profuſum fuiſſe. Invocatur religioſe à laborantibus in partu, item & à febricitantibus. Putatur fuiſſe S. Albini eccleſiæ Clericus: ideo pingitur manu geſtans claves eccleſiæ. Res certe anno, quo hæc ſcripſi, milleſimo ſcilicet ſupra ſexcenteſimum vigeſimum ſecundum, tertio Idus Martii admiratione digna contigit: quando tectum templi cum ipſo fornice penitus corruit. Quod capſulâ æreâ, in qua ſacrum caput reconditur, ingenti ruderum mole compreſſâ, caput incluſum nullatenus confractum fuerit. Eſt etiam quædam in ejus honorem erecta congregatio, quæ quotannis hac die (nam obitus ejus diem nuſquam reperi) officium de Communi Confeſſoris non Pontificis ſolenni ritu decantari curat. Defertur in amburbali ſupplicatione, quæ fit Dominica proxima ante Vigiliam Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, feretrum, in quo ſacræ ejus exuviæ reconduntur, & capſula ubi ſacrum caput. Haud procul à S. Albini eccleſia etiamnum cernere licet locum, qui hortus S. Chriſtiani nuncupatur. *Hæc ibi.*

eleemoſyna,

patrocinium in partu & febri.

Congregatio,

C

reliquiæ in proceſſione delatæ.

3 *Aliud ejus elogium habet Buzelinus lib.* 1 *Galloflandriæ cap.* 37 *pag.* 178, *quod hic ſubnecto. Sic autem ſcribit*: His beatæ memoriæ Sacerdotem Chriſtianum vel Chriſtianum ſubjungo, qui S. Albini parœciam non parum illuſtravit, dum viveret. Actorum nihil ſuppeditat, incuriane hominum, an temporum vel ignis injuria id contigerit, incompertum habeo. Quod ipſius imagines ita pingantur, ut manu claves geſtent, in eam aliqui veniunt cogitationem, ut ædis Albinianæ Clericum fuiſſe arbitrentur. Non levem alere Duacenſes ſanctitatis ejus opinionem inde colligitur, quod ejus corpus caputque ſeparatim thecis incluſa, cum ceteris hujus urbis ſanctis corporibus & lipſanis, in anniverſaria & amburbali proceſſione deferantur; quod in ejus honorem erecta ſit Confraternitas, quæ per ſingulos annos poſtridie Paſchatis ad ejus laudem Sacrum ſolenniter in Divi Albini templo cari curat; quod mulieres partus difficultate & doloribus laborantes, dein febrientes, opem ejus votis & precibus implorent. Quo vero tempore vixerit, quo die annoque mortem oppetierit, nulla produnt monumenta.

E

Clericatus in S. Albini,

Sacrum in ejus honorem cantari ſolitum.

4 *Præter hæc duo elogia, extat in Hierogazophylacio Belgico ante memorati Raiſii hæc iterata memoria*: In S. Albini templo parochiali Duaci, B. Chriſtiani Duacenſis Confeſſoris, in pauperes & egenos munificentiſſimi. Corpus viſitur in theca lignea inaurata; caput vero ſupra majus altare in particulari vaſe ex metallo, ornatu pulchro, conſpicitur.

reliquiæ in majori altari.

F

DE B. VRSVLINA VIRGINE,

PARMÆ IN ITALIA.

D. P.

ANNO MCCCCX *Chriſtianæ æræ ſeculum* XIV *ſi gravibus ſcandalis ſchiſmatiſque Chriſti ſponſam Eccleſiam decoloratam vidit, unde boni omnes dolerent; habuit etiam, unde gauderent, eximios ſanctitate viros, qui ſe murum opponerent pro domo Dei; neque viros tantum, ſed etiam virgines, pacis Eccleſiaſticæ reformandæ ſtudioſiſſimas, eoque de univerſo fidelium Chriſti cœtu optime meritas; B. Catharinam Senenſem, cujus Acta* XXIX *Aprilis illuſtrata dabimus; B. Coletam, Ordinis S. Claræ reformatricem, de qua prolixe egimus* VI *Martii; & hanc B. Vrſulinam, quæ adipſummet Clementem Antipapam primum à Chriſto Domino, deinde ab ejus Vicario Bonifacio* IX *delegata, infuſa ſibi cœlitus doctrina confudit pervicaciſſimam ſchiſmaticorum pertinaciam, cum prius innumeris divinis revelationibus clara, magnam ſanctitatis opinionem in Ciſalpina Gallia obtinuiſſet.*

Vitæ damus ſcriptam, à Priore Carthuſiano,

2 *Revelationes iſtæ, in plura volumina diviſæ ſervantur, anno poſt Beatæ tranſlationem quadrageſimo, Chriſti circiter* MCCCCLII, *partim Parmæ in monaſterio S. Quintini, quo defunctæ corpus Verona delatum eſt; partim juxta Parmam apud Patres Carthuſianos, quemadmodum teſtatur libellus ſupplex, pro augendo B. Vrſulinæ cultu tunc oblatus Dominis Ancianis civitatis Parmenſis. Eaſdem revelationes omnes ſe legiſſe teſtatur is, qui rogatu Abbatiſſæ S. Quintini, Magdalenæ San-Vitalæ, vitam & mores prænominatæ Beatæ Latino ac ſimplici ſermone ſcripſit*, Fr. Simon de Zanachis, *Parmenſis origine*, Prior *autem* Domus SS. Mariæ & Hieronymi de Montello prope Triviſium; *procul quidem à Parma centum circiter paſſuum millibus, ſed tanto propriæ Venetiis atque Veronæ, unde videntur petenda fuiſſe documenta complura ad hanc ſcriptionem neceſſaria, præter ea quæ in Carthuſia Parmenſi exiſtens auctor ibi legiſſe & collegiſſe potuit. Præfatur autem* quod ſuper hac re, viri, & vita religioſi & ſermone ſcientiaque præclari, multa hinc inde congregarint; *ipſe tamen ſperet fore accepta*, quæ ex diverſis libris, tam Latine quam vulgariter deſcriptis,

anno 1472.

AUCTORE D. P. magno cum labore collegit ; *ſcriptionem finiens, uti ad calcem additur*, anno Domini MCCCCLXXII, die decem millium Virginum de menſe Octobris. *Eam vitam quam pridem habebamus Italice redditam, juſſaque Abbatiſſæ ac monacharum S. Quintini anno* MDCXV *typis Antei Viottæ vulgatam, cum dedicatione ad Illuſtriſſimam Dominam Mauram Luceniam Farneſiam (cum diu fruſtra quæſiviſſemus Latinam) tandem ex Italico ſumpſimus Latine reddendam : ſed prius quam danda prælo eſſet inventus eſt primigenius contextus, tranſcriptuſque à P. Heraclio Criſtanello : quam cultiori noſtræ phraſi prætulimus, atque hic damus ex Ms. originali, quod penes monachas prædictas ſervatur.*

una cum libello ſupplici,

3 *Vt autem conſtet quanta in veneratione ſancta hæc Virgo fuerit, intra quadrageſimum ab obitu annum ; præmittimus libellum ſupplicem, ex earumdem monacharum archivo acceptum, qualis oblatus olim eſt Parmenſi magiſtratui in hæc verba.* Magnifici & generoſi viri, quia Beata Urſulina de Parma, cujus corpus jam annis quadraginta elapſis requieſcit in eccleſia S. Quintini Parmenſis, tempore vitæ ſuæ multas viſiones & revelationes divinas habuit, quarum libri multi reſident tam apud monaſterium S. Quintini quam apud monaſterium Carthuſianorum, & multis poſt mortem ipſius claruit miraculis, hic, & Venetiis ; quorum multitudine Illuſtriſſimi Domini Veneti quoddam monaſterium Dominarum, ſub vocabulo & ad honorem dictæ B. Urſulinæ jam inchoarunt, & perficere intendunt, ipſamque mediantibus viſionibus, revelationibus, & miraculis prædictis canonizari facere, & in devotionem maximam aſſumere intendunt : & proinde venerabiles Religioſæ Domina Abbatiſſa & Moniales monaſterii S. Quintini, quæ timent, quod corpus ipſum, quod in eccleſia ſua non tute nec ſecure jacet, tempore nocturno furtivè poſſit ſubtrahi, & alio aportari, ſupplicant vobis, quatenus pro reverentia & devotione dictæ B. Urſulinæ, hujus civitatis oriundæ, & quæ pro eadem civitate ſemper preces ad Altiſſimum effundat, dignemini certam eleemoſynam & ſuffragium ipſis ſupplicantibus impertiri, quibus valeant in eccleſia ſua prædicta fieri & conſtrui facere unam capellettam devotam & tutam, in qua reſideat dictum corpus, cum altari devote ; ut devotio & reverentia dictæ B. Urſulinæ in dies creſcat, & ſic fiat ut à forenſibus viſitetur cum fuerit canonizata, reperiatur ſepulcrum ſuum eſſe honoratum & ſecurum, ita quod hinc ſubtrahi, & exportari non poſſit : cujus quidem exportatio ſi adveniret (quod Deus avertat) maxima infamia, negligentia, & indevotio dicto monaſterio ac huic almæ urbi & civibus omnibus Parmenſibus perpetua ſequeretur : offerentes ſe dictæ ſupplicantes perpetuo Deum & dictam B. Urſulinam exorare pro eadem Communitate, quam Deus ad vota conſervet.

pro ſacelli extructione oblato

Senatui Parmenſi,

B

C

& oratione propria.

4 *Quem effectum tunc habuerit ſupplicatio, non exprimit Vitæ interpres Italicus, qui libellum hunc patriter Italice redditum poſuit poſt Hymnum ſeu Antiphonam & orationem, quam* in commemoratione B. Urſulinæ *cantandam præfatus Simon compoſuit, vitæque à ſe compilatæ ſubjunxit. Hymnum (quia ad hiſtoriam facit nihil, & exiguo cum lepore compoſitus eſt, utpote nulli metro rythmove accurate adſtrictus) tranſcribendum nobis eſſe non putamus ; Oratio talis eſt.* Domine Jeſu Chriſte, qui B. Urſulinam tantis miraculis & virtutibus decoraſti, eamque perpetuis & felicibus gaudiis in cælo lætificaſti : concede propitius, ut ejus meritis & precibus continuis, ſalutem & proſperitatem mentis & corporis conſequamur, & ad gaudia tuæ beatitudinis æterna feliciter perveniamus. Qui vivis &c. Fuit *tamen* ſucceſſu temporis facta capella, qualem deſiderabant piæ illæ Virgines, ad latus dextrum templi, intra quam repoſitum ſub arca marmorea fuit ſacrum corpus, *inquit Antonius Maria Garofanus in ſuo Parmenſi Sanctuario, ſub annum* 1593 *Parmæ impreſſo apud Eraſmum Viottum, pag.* 129 *referens compendium Vitæ, exceptum ex Annalibus Parmenſibus, quos necdum vidimus : ſed ex tranſcriptis apud Girolanum cognoſcimus, haud admodum accurate antiquorum monumentorum fidei inhæſiſſe auctorem, quemadmodum in annotationibus ad Vitam obſervabimus, inſuper ad gratiam magis quam veritatem ſcripſiſſe, cum dixit, quindecennem Vrſulinam habitu S. Benedicti donatam fuiſſe ab Abbatiſſa S. Quintini, ubi Vita expreſſe dicit, quam ob cauſam ſemper recuſaverit alicujus religioſi Ordinis veſtem aſſumere.*

D

in quibus perperam accenſetur Benedictinis,

5 *Eadem Vita accuratius lecta docere ipſum debuiſſet, annis haud multo plus quam tribus, Veronæ, ubi mortua eſt, vixiſſe Vrſulinam. Cum autem relegata ipſa fuerit anno* MCCCCIV, *per edictum contra omnes Rubeæ factionis, etiam feminas & parvulos, publicatum* XXIV *Iunii (ut clariſſime colligitur ex Bonaventura Angeli, Parmenſem hiſtoriam accuratiſſime deſcribente, non tantum per annos, ſed etiam per dies quibus res unaquæque geſta eſt, impreſſam* 1591) *cumque exul Vrſulina non longam moram Bononiæ fecerit antequam ſe Veronam conferret ; ſequitur neceſſario, ipſam non anno* MCCCCXIV *obiiſſe ; ſed ut ſummum* MCCCCX. *Non tamen etiam citius : quia oportet annos quindecim invenire poſt mortem Clementis Antipapæ, quæ accidit in Septembri anni* MCCCXCIV, *& præſentem Avenione Vrſulinam habuit ; utique dimidio anno prius quam illa in iter Hieroſolymitanum ſe daret, in quo ei dicti quindecim anni prorogati fuere, ut dicitur in Vita : quos etiam moriens ipſa teſtatur fuiſſe completos. Ceterum ad illuſtres annos, quos Veronæ in conducto tranſegit Vrſulina, oportet alios duos addere, quos egerit in illo, quod reformaſſe dicitur, Veronenſium monacharum cœnobio, inducta illuc ab exilii ſui comite S. Pauli Abbatiſſa : quam tamen in illo loco commorationem oblitus fuerit notare auctor : nam alias nequidem ad annum* MCCCCX *potuiſſet pervenire. Cur autem, ſi ad triennium à Vitæ auctore expreſſum addi poſſunt anni duo, non etiam poſſent anni ſex, atque ita vere mortua eſſe Vrſulina anno* MCCCCXIV ? *In promptu eſt ratio : quia Ottone Tertio Parmenſi tyranno, ad Pontaltum cæſo, die* XXVII *Maji, poſtridie Pentecoſtes, anno* MCCCCIX ; *& Tertiorum dominatu Parmæ intra annum unum funditus extincto, non eſt credibile diutius in alieno ſolo manſuras fuiſſe exules, maxime Abbatiſſam S. Pauli, apud quam Veronæ mortua eſt Vrſulina ; quamque ſui monaſterii cura urgebat ad reditum, ut primum liceret, maturandum.*

& anno 1414 mortua dicitur:

cum videatur obiiſſe 1410,

E

6 *Erroribus tot deprehenſis in ea, quæ apud Girolanum eſt, vitæ epitome ; non magnam apud nos certitudinem habet, quod ait de corpore intra marmoream arcam locato cum hoc epitaphio, per Nicolaum Burcium Sacerdotem Parmenſem compoſito.*

F

Vrſulina decus patriæ, Parmenſis origo,
Hoc ſita mauſoleo, caſta, decora fuit :
Nutu divino ſignis miracula præſtans,
Grandia non ceſſat virgo beata dare.

arca etiam illius marmorea,

Etenim in arca marmorea, quæ etiam nunc extat, hoc ſolum inſcriptum legitur ✠ B. Urſulinæ Parmenſi, Virgini Seraphicæ, divinis eloquiis & miraculis decoratæ, Joanna de Sancto Vitali Antiſtes B. M. F. C. 1507. *Crediderim igitur, mauſoleum quidem ſive tabernaculum, aut, ut in libello ſupplici vocatur*, capellettam, *fuiſſe expenſis civitatis Parmenſis extructam, & præcitatis verſibus inſcriptam : ſed capſam quæ corpus continebat, ligneam fuiſſe uſque ad annum* MDVII, *quo marmoream* bene merenti fieri curavit *Ioanna.*

ſolum confecta eſt anno 1507,

Alia vitæ compendia,

7 *Hæc autem ſic perſeverarunt uſque ad initium ſeculi* XVII, *quando deſtructa veteri S. Quintini eccleſia, nova ſurrexit à fundamentis* : intra quam, *ait Interpres Italus, anno* MDCVI tranſlata eſt cum corpore Arca, ſic ut diximus inſcripta ; repoſitaque in capella, quæ primâ eſt ad latus ſiniſtrum, ingredientibus templum per majorem portam ; *idque, ut nobis P. Chriſtanellus ſcribit*, ſub altari, ſupra quod expoſita cernitur imago ipſius B. Urſulinæ, S. Joanne Euangeliſta & matre

tranſlataque an. 1606,

matre ſua comitatæ, *quod in Avenionenſi itinere acciderat. Et hæc fortaſſis haud ita pridem ſubſtituta eſt in locum alterius, cujus meminit Italica Vita, velut* repræſentantis Dominam noſtram Virginem Mariam, filii mortui corpus ſinu foventem, & cum ea B. Urſulinam. Præterea ſuper eodem altari (in quo alias numquam Miſſa celebratur) *inquit P. Chriſtianellus*, in feſto hujus Beatæ, *puta* VII *Aprilis (hanc enim mortis diem Girofanus notat)* accenduntur quatuor aut ſex candelæ, neque alia ad præſens eſt B. Urſulinæ veneratio, aut peculiaris ad ipſius memoriam populi confluxus.

ſub altare novum.

Deſiderantur miracula poſt mortem,

8 *Vtinam ad languentium erga hanc Beatam Parmenſium pietatem exſuſcitandam, aliquando inveniantur & huic operi inſerenda proferantur miraculorum Venetiis atque Parmæ patratorum documenta, quibus obtinendam canonizationem Venetus Senatus æſtimabat! Vtinam ipſos Revelationum codices recolligat aliquis, & vel eos publici juris faciat, vel exinde decerpat, quæ hiſtoriam ſanctitatemque Beatæ illuſtriorem poſſint reddere; quemadmodum factum eſt in Vita S. Franciſcæ Romanæ, ſub nomine Magdalenæ Anguillariæ vulgata, editaque per nos ad* IX *Martii! Fortaſſis etiam publica Eccleſiæ univerſalis hiſtoria, ex ipſis haud modicam lucem acciperet, maxime circa res inter Bonifacium Papam IX & Clementem VII Antipapam geſtas; quemadmodum eædem ex hac Vita multum illuſtrantur, quatenus illa accepta eſt ex ejus ſcriptis qui Avenione morantis Vrſulinæ Revelationes, ipſamet dictante, conſignavit litteris, Antonio inquam de Mediolano, Clementis Antipapæ Procuratore, & eorum quæ tunc Acta dicuntur teſte oculato. Hoc autem hic addimus, ut de veritate iſtorum dubitare nemo poſſit, quamvis ea prætermiſerint alii eorumdem temporium ſcriptores; quos ſolos habuit & ſolos ſequi potuit Annalium eccleſiaſticorum proſecutor Odoricus Raynaldus. Etenim neque litterarum Bonifacii Papæ Regeſtum ullum citat Annaliſta; nec qui Antipapæ iſtius finem, electionemque Petri de Luna Avenione, præſens cognoverit, auctorem ullum: ſed monumentorum idoneorum defectu coactus fuit paucis ea perſtringere, & plura aliunde eruenda poſterorum diligentiæ dimittere.*

B

& ex revelationibus ejus ſaltem excerpta hiſtorica.

Monachariũ S. Quintini erga Beatam devotio.

9 *Porro ex ore Venerabilis Abbatiſſæ D. Mariæ Cæciliæ Palmiæ anno* 1670 *ſcribit prænominatus P. Heraclius Chriſtianellus, quod* Sanctimoniales ibidem omnes hanc Beatam ſummopere venerantur, ſeque ei commendant; primum ut à peſte, deinde ut ab incendio conſervetur monaſterium, tertio ut virginum ſacrarum honor nullum ex ulla parte patiatur detrimentum. Addit inſuper ipſa Abbatiſſa, ſe, tempore graſſantis per totam Italiam peſtis, in hoc vixiſſe monaſterio, teſtaturque nullam ex omnibus periculoſo illo morbo afflatam fuiſſe, eo quod diebus ſingulis Conventus univerſus ad Beatæ arcam ſupplicabundus accedere conſueviſſet, & monaſterii præſervationem concordibus votis ab eadem poſtulare: unam autem ex virginibus, ad ſacrum habitum admitti poſtulantibus (vulgo Donzenantes dicuntur) peſte contactam, voluiſſe ante ſacram arcam deponi, ibique fuſis precibus fuiſſe citiſſime liberatam, & adhuc in ipſo monaſterio vivere.

C

VITA

Auct. Simone de Zanachis Carthuſ.

Ex MS. monaſterii S. Quintini Parmæ.

PRÆFATIO.

D

REverendæ in Chriſto Matri, Dominæ Magdalenæ de Sancto-Vitali, Abbatiſſæ monaſterii S Quintini de Parma, Ordinis S. Benedicti, ceteriſque monialibus in dicto monaſterio Chriſto Jeſu ſponſo jucundiſſimo famulantibus, Frater Simon de Zanachis de Parma, inutilis Chriſti ſervus, atque domus Sanctorum *a* Mariæ & Hieronymi de Montello prope Triviſium Ordinis Carthuſienſis Prior indignus, in pretioſo immaculati Agni ſanguine vitam impertitur æternam. *a*

1 Venit in mentem, Reverenda Mater, illud ſacræ Scripturæ, quod Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei revelare honorificum eſt: & iſtud in ſcrinio pectoris mei perſæpe revolvens, accenſuſque ardore egregiæ fidei veſtræ, quod me eliŋguem & pauperem ſermone atque ſcientia eligere ſeu compellere dignaris, ut aliquid ad explementum ſanctæ tui deſiderii de inopia ſenſus mei conferam; [decrevi facere] quod ſæpe rogaſti, ut vitam & mores beatæ Virginis Urſulinæ de Parma (ſi quam iſtis in partibus reperirme in ſcriptis, vel à viris fide dignis audirem) quamvis imperito digeram ſtylo.; non leporem ſermonis inquirens, ſed veritati ipſius vitæ tibi & ceteris monialibus, quæ in monaſterio, ubi requieſcit ſacrum ejus corpus, commoratis, tranſmitterem. Cui rei quantum me pius ardor ſancti deſiderii veſtri provocat ſatisfacere, tantum multiplices labores & curæ occupationeſve, quæ ex officio Prioratus mihi honorarie deferuntur, volentem obtemperare deterrent: ut nec vitæ meæ ita æquiparant merita, ut confidam me geſta vel vitam talis tantæque Virginis digne poſſe animo & mente complecti. Huc accedit, quod ſuper hac re viri & vita religioſi & ſermone ſcientiaque præclari, jam multa hinc inde congregarint: poſt quorum tanta exuberantis eloquentiæ flumina, poſſem non immerito præſumptionis notari, ſi aliquid ſtillicidii hujus inferre tentarem; niſi ad hoc fiducia veſtrarum orationum animaret, & ſponſio quod vel vobis hæc (quæ ex diverſis libris, tam latine quam vulgariter deſcriptis, magno cum labore collegi) forent accepta qualiacumque ſunt, vel ea ad conſolationem iſtius patriæ hominum deputaretis. Quod ſi quid à nobis minus forſitan caute prolatum fuerit, & pie relegatis, & cum venia indulgentiæ ſuſtentetis oro; fidem potius & caritatem mei ſermonis, quam venuſtatem requirentes. Tob. 12, 17

E

Rogatus ſcribere quidquid ſciret,

2 Quapropter, dilectiſſima in Chriſto Mater, & vos Matres devotiſſimæ, unicum religionis exemplar, veſtris cælicis orationibus animatus, ſecundum vires ingenioli mei, opus, quod injunxiſtis, aggrediar; & ea quæ ab aliis *b* hinc inde relicta ſunt (utpote qui audita potius quam experta deſcribere omiſerunt) velut rudi ſtylo vobis veritatem ſcientibus intimabo. Quamquam verear & indignum judicem, tantæ præclariſſimæ Virginis vitam & laudes, meo inerti eloquio & indocto ſermone, inter ſapientum linguas & compoſita ora, perſonare: quas obſecro, ut rem ipſam velint potius, quam noſtrum incultum librare ſermonem: velint, inquam, magis piam mentem meam, quam rudem calamum indagare. Volo etiam ſciant, me veſtris aſſiduis devinctum precibus, ultra proprias vires meis

profitetur ſe quidem multimodis impediri,

F

petentium tamen benevolentiæ fidere,

b

& ſcripturum etiam ab aliis prætermiſſa:

PERSIM, ZANCHI EX MS. meis pondus humeris impoſuiſſe. Sed tanta vis præcepti fuit, ut minime quod nolebam & admodum verebar, negare potuerim. Et licet pro paucitate ingenii mei ſatis me inſufficientem & indignum ad tantum opus penitus eſſe noverim; devotione tamen maxima pariter compulſus, quam erga eamdem præclariſſimam Virginem jam dudum me gerere cognovi, omni depoſita formidine & ampla ſpe ſuffultus, me accingam. Denique veſtris adjutus orationibus, ſanctæque Virginis Urſolinæ interceſſionibus, apprime ſpe certa munitus, quale potero huic opuſculo ingenium meum accommodabo. Qua in re ſi forte minus dixero, aut ultro tacerem, quod tantæ almificæ Virginis magnitudo videretur expoſcere, imperitiæ meæ, optimæ Matres, veniam præſtate. Unum tamen potiſſime mihi curæ erit, ut multa brevi eloquio perſtringam, ne lectionis prolixitas legentibus audientibuſque faſtidium fortaſſis afferret. Igitur almi Spiritus gratia confiſus, hoc opus aggrediar.

erat rei veritatem ſuſcipi,

non ſtyli ſimplicitatem conſideret.

ANNOTATA.

a *Ecgraphum noſtrum* Azariæ : *ſed veriti ne error deſcribentis ſit, maluimus impreſſum Italicum ſequi : videtur enim Interpreti credi poſſe circa appellationem loci quem ſatis noviſſe potuit.*

B

b *Nullus horum nunc extat, quod quidem ſciamus; gratiam habituri, ſi quis indicaverit, ut per eorum atteſtationem Vita hæc evadat illuſtrior.*

CAPUT I.

B. Urſulinæ nativitas & adoleſcentia, divinis revelationibus illuſtratæ.

a Parentibus divino juſſu conjunctis,

3 FUit vir quidam Petrus *a* nomine, rectus admodum & in omni bonitate coram Deo & hominibus ambulans, ex aurea civitate quæ Parma nuncupatur, non parum & nobilitate & antiquitate inter alias civitates Italicas inſignis, oriundus. Hic cum diu caſtitatis zelo matrimonium poſt primas nuptias declinaſſet, ſeque aſſiduis, ut poterat, Domino commendaret orationibus, ad hunc die quadam, cum ex intimis viſceribus & intento corde oraret ad Dominum, vox hujuſmodi de cælo facta eſt dicens : Petre, aſſume Bertolinam in uxorem tibi. Et quando hic primam ſuſcepit uxorem, dicta Bertolina erat in ventre matris, quæ poſtmodum fuit ſecunda. Ex hac itaque Petrus ipſe attonitus voce, nimiumque perterritus, anxius plurimum cœpit cogitare ſuper hujuſmodi voce ad eum dilapſa. Satis igitur ſuperque ſatis anceps, neſciuſque in quam partem declinaret, & præſertim cum nuptias ipſas dudum antea abjeciſſet, diu tandem intra ſe librato conſilio, ſtatuit divinæ obtemperare voluntati. Qui quidem Petrus cum poſt longas crebraſque ſciſcitationes, nominatam Bartolinam, perpridem ignotam ſibi, virtuteſque & progeniem clare agnoviſſet, eamdem in uxorem accepit.

C

revelatur filiæ naſcituræ,

4 Die vero quadam celebri, cum hæc Bartolina, jam tranſducta per multum [tempus] & poſt aliquas filias [editas] ſola in domo [mariti] exiſtens de mundi hujus vanitatibus & brevitate humanæ vitæ, necnon de cæleſti gloria, & beatorum Spirituum beatitudine, intento animo & mente, excogitaret; in exceſſum mentis eripitur, & quanta ſit Trinitatis individuitas, ſublimitas & magnitudo diu meditans, tantæ meditationis ſuavitate compulſa, immenſas prorupit in voces. Præelegerat namque eam Spiritus ſanctus. Nam nocte ſequenti idem Spiritus ſanctus Petrum virum ejus in ſomnis edocuit, quod ſcilicet ex ea pretioſiſſimus fructus matrimonii eſſet exiturus. Quindecim igitur diebus elapſis, Petro dormienti videbatur, quod Epiſcopus civitatis eumdem, ut ſecum moraretur, interpellaret; ſeque id facturum denegaret, propter curam familiæ & uxoris. Epiſcopus vero, ut ſecure id faceret, eum exhortari videbatur. Cui apparebat tale reſponſum reddere; Accedam domum, & uxorem meam conſulam. Et facta promiſſione dandæ reſponſionis, domum properare videbatur : & ecce Angelum ſe vocantem audivit. Cumque eidem interroganti enarraret Epiſcopi petitionem, quodque unius menſis inducias ad reſpondendum accepiſſet, ait Petro Angelus : Immo anni unius, ultra menſem, expleto reſponſionis terminum. Hoc itaque termino impetrato ab Epiſcopo, ait illi Angelus : Uxor tua modo prægnans effecta, pariet filiam, quæ non parum Deo erit accepta. Quomodo, inquit, hæc noſti, ait Petrus? At ille dixit : Ego ſum Angelus, ad tui cuſtodiam deputatus : & ſcito, quod per quinquennium erit inhabilis ad rectum greſſum, & non ſine magno myſterio, quoniam Dominus ei multa revelabit. In ſexto vero incipiet ambulare, in quinto decimo incipiet dicere, & in ſexto decimo *b* perfecte loquetur, quæ Dominus ei revelabit. Et his dictis diſparuit Angelus. Expergefactus itaque Petrus, viſionis vim animo intento meditabatur, quin etiam uxori ſuæ expoſt ordine ſuo aliqua declaravit : & poſt prædictam viſionem ſupervixit Petrus annum & menſes octo.

D

futura ſanctitas,

b

E

nata mulieris adultera lactat recuſat :

5 Succedente itaque tempore beata Urſolina naſcitur ex dicta Bartolina, anno Domini MCCC-LXXV, die XIIII Maji in mane. Cumque ob matris infirmitatem opporteret B. Urſolinam fugere ubera aliena, quod & libenter faciebat; unius tamen mulieris, quæ adultera habebatur, non tantum ejus mamillas fugere recuſabat, ſed etiam tangere abhorrebat. Res quidem mira, ſed adhuc mirabilior, quod aliæ lactantes hoc videntes ſtupebant, dicentes; Vere ſi hæc infantula vixerit, aliquid magni erit : hæc vere jam ventura prognoſticat. Audi, oro, paſſim quod ſequitur. Iſta ſiquidem dum menſem quartum ſuæ ætatis ageret, cum antea nuſquam, nec poſt perplures menſes loqui noviſſet, hæc verba clara voce prorupit. O Deus; Deus Pater! Quod audiens mater plurimum mirata eſt, omniaque iſta in arcano ſui pectoris conſervabat. Huic B. Urſolinæ adhuc infantulæ ſoror erat, ex patre genita, annorum quatuor : hæc ſæpe in cunabulis B. Urſolinæ duos vidit aſſiſtere viros, candidiſſimis veſtibus indutos, à dextris unum, alterum vero à ſiniſtris. Sic mater pluribus argumentis verum eſſe comprobaverat; & increpans filiam dicebat; Dormiſne? Quæ reſpondebat, Non dormio, inquit; ſed cum tranſeunt ad eam, erigo caput meum plane, & clara luce ipſos intueor, & eſſe verum quod dico : Mater vero tacebat. Sed poſt multum tempus interrogavit Urſolinam de his duobus; quæ ait : Unus eorum fuit B. Petrus Apoſtolus, qui mihi alumnus à Deo conſtitutus fuerat. Alterum vero numquam propalare voluit; ſed quod fuerit B. Paulus, pie credi poteſt, *c* aut Angelus ſibi deputatus. Nam ſicut in vita hac mortali comites extitere, ita poſt mortem non fuit ab eo diviſus.

quadrimeſtris Dominum nominat :

F

cunis ſuis habet aſſiſtentes Sanctos,

c

quinquennis gradiendi facultatem accipit,

6 Beata igitur Urſolina jam quintum ætatis ſuæ annum agens, cum nondum recto incedere potuiſſet greſſu, ſicuti ab Angelo prædictum fuerat; mater ejus in eccleſia exiſtens, divina inſpiratione edocta, illam ſuper altare B. Petri Martyris, quod eſt in eccleſia Fratrum Prædicatorum, Deo obtulit : quæ mox tacto altari greſſum ſolidum & perfectum,

A fectum, quantum illa ætas patitur, recepit. Quodam namque die, dum B. Urſolina adhuc puella, ſcilicet annorum ſex, paſſim per viam prope domum deambularet; ecce duo viri aſpectu venerabiles, quos nemo adſtantium novit, tranſeuntes juxta

ſexennis à ſanctis cõmendatur,

beatam Virginem Urſolinam, poſitis capiti ſuo eorum manibus inquiunt, Hæc eſt puella à Deo electa, & ad magnum reſervata myſterium. Ex tunc cœpit beata Virgo mirabiles habere viſiones: & prima quam habuit fuit prima die anni, ſcilicet de conſummatione ſeculi, & de reſurrectione mortuorum:

& viſis divinis frui intiptens, aliàs ſocietates reſpuit:

& cœpit per humanum intellectum habere Dei cognitionem: quæ omnia apud ſe mente tacita deguſtabat; & ab omnibus deſideriis ſecularibus aliena, mente ac ſpiritu & omni devotione Domino vacabat. Unde & convicinæ ejus matri dicebant; Vere filia veſtra nimis ſuperba eſt & continens, quod numquam apparet in converſatione noſtra, ſicut aliæ perſonæ. At illa matri referenti reſpondit: Qua ratione valeam relinquere conſortium Domini mei Jeſu Chriſti & Sanctorum propter ipſas? vocavit enim me ſic Dominus, cui ſervio, & ita ſequor.

B *novennis quadam ſibi revelata manifeſtat,*

7 At cum ad nonum ſuæ ætatis annum pervenit, exigente tempore & loco, in Domino humilitate ſervata, cœpit de habitis à Deo viſionibus & revelationibus non nullos cum gratiarum actione facere participes, ſciens ſe daturam laudem in omnibus eſſe & gloriam Deo; ut ex hoc potentia Dei & immenſa bonitas laudaretur, & proximis pariter aliqualis conſequeretur utilitas. Humiliter tamen ſemper ſe habebat ea proferendo in communi, videlicet quando dicit, Una perſona vidit talem viſionem, intellige ipſam fore. Quando vero dicit; Audivi ab una perſona, intellige à perſona Patris, aut Filii, aut Spiritus ſancti, ſive ab Angelo aut ab aliquo Sancto. Nam deinceps Deus ipſe & Dominus noſter Jeſus Chriſtus quam plurima arcana & divina myſteria ſucceſſivis temporibus ei, quamdiu vixit, revelare dignatus eſt, ut plura ſuper his conſcripta teſtantur volumina; quæ omnia fateor vidiſſe, & maxima cum reverentia legiſſe. Tantæ namque fuit hæc beata Virgo Urſolina humilitatis & manſuetudinis, ut ea, quæ ſibi revelarat Deus, cum omni cuſtodia, loco & tempore manifeſtare conaretur.

abſtinet à concionibus audiendis,

C

8 Non ignara etiam divinæ voluntatis, ſuper eo quod ipſa factura erat, ad audiendas ſacras prædicantium voces accedere recuſavit. Non recuſo, inquit, ob id, mater, quod ſpernam prædicantium ſacra documenta, ſed illius obtempero mandatis,

habituque religioſo,

quem ipſi prædicant. Nam cum per me ipſe Deus & omnium Creator Dominus decreverit nonnulla humano generi intimare; prohibet, ne illuc me conferam, donec ſcripta erunt, quæ mihi revelare decrevit: fortaſſis ne exiſtiment homines, me ab illorum addidiciſſe ſermonibus, quod per me ipſe Deus revelare voluerit. Et ideo numquam ullum habitum regularem *d* aſſumere voluit, ſed tantum

d quindecennis narratur paterna viſio,

ſpiritualem, devotum & humilem quantum ferre potuit. Hæc namque beata Virgo, jam in quinto decimo ſuæ ætatis anno exiſtens, hujuſmodi vidit viſionem. Videbatur etenim ſibi quod in cæleſti eſſet patria, ante conſpectum Domini noſtri Jeſu Chriſti; quodque ipſe Dominus patri ipſius beatæ virginis aſtanti diceret: Eſtne hæc filia tua? Cui pater. Tu noſti Domine. Et Dominus Jeſus iterum ait illi: Eſtne hæc filia tua? Cui cum reſpondiſſet pater: Tua eſt, Domine. Tertio eumdem interrogavit: Filia tua eſtne iſta? Et cum reſpondiſſet: Eſt Domine; tunc Dominus inquit: Ediſſere jam huic filiæ tuæ viſionem, quam de ea habuiſti, dum adhuc in utero matris ſuæ eſſet: quod & pater juſſus fecit. Hoc itaque peracto, ait ad illum Dominus: Ego fui, inquit, Epiſcopus ille, ad quem poſt menſem reverſurum promiſeras, ut habito uxoris conſenſu mecum velles morari. Et hoc dicto viſio diſparuit. PER SIM. ZANACHI EX MS.

revelationes ſuas jubetur ſcribendas dictare:

9 Cui B. Urſolinæ cum continuis fere diebus viſiones aperte oſtenderet, & revelationes profundiſſimas indicaret ipſe Dominus, imperavit illi, ut cuncta, quæ ſibi revelaverat tranſcribi faceret. Cumque illa hæſitaret, cui impertiretur hoc onus, ait: Quem eligam Domine? Cui Dominus virum quemdam ſenem, Sacerdotem probatæque vitæ, ad hoc opus idoneum, declaravit. Qui quidem ſenex cum hoc facere ter penitus recuſaret, tandem cognita Dei voluntate opus aſſumere minime dubitavit: ſicque per tres annos interpolatim, dictante B. Urſolina Virgine prædicta, nonnulla librorum volumina digeſſit. Præter ipſum autem ſex alios habuit ipſa B. Urſolina revelationum ſuarum diverſis temporibus & locis ſcriptores. Primus enim fuit Dominus Thomas de Foſio, Parmenſis, Sacerdos prædictus; ſecundus Magiſter Nicolaus, Ordinis Eremitarum; tertius Dominus Antonius de Mediolano, procurator Clementis Antipapæ Avenione; quartus Dominus Jacobus de Sibinago, cauſarum procurator in curia Romana; quintus Magiſter Amicus, in curia Romana medicus: ſextus Magnificus Armigerûm conductor Girardus de Aldigeriis, *e* Parmenſis; ſeptimus eximius Doctor Dominus Donninus de Garumbertis, de Parma. E *e*

ejus cæleſtis doctrina,

10 Erat namque venerabilis hæc Virgo puſilla corpore, ſed aſpectu decorata venerabili; ob placidam ejus converſationem omnibus amabilis & affabilis, divinarumque Scripturarum peritiam habebat mirabilem: utpote de Trinitate, de Dei Incarnatione, de ejuſdem Nativitate, de Angelis, de cæleſti gloria. Mirabantur omnes ſuper ejus ſapientiam, & illius ſermonis elegantiam ſuper vires muliebres excedere judicabant: nam unuſquiſque omnis dubitationis ſolutionem clariſſimam reportabat. Et quod magis mirum eſt & Dei ſingulare munus, cum de his omnibus tam ſublime, eleganter, & profunde loqueretur, nemo in ea quidpiam jactantiæ perpendere potuit. Omnia enim cum humilitate, omnia cum manſuetudine quadam intrinſecus & extrinſecus, ac venuſtate ſermonis proferebat: adeo ut in corpore humano, præter corpus abſque ulla naturali compaſſione illam loqui judicarent. Jejunia, diſciplinas, orationes, & opera alia laudabilia, quæ Dei amore potius quam timore gehennæ jugiter exhibere ſatagebat, omni ſolicitudine & prudentia exquiſita *f* exoculare intendebat. In cunctis autem operibus ejus, tam ſpiritualibus quam corporalibus, obſervabat diſcretionem: ſciebat enim omnium virtutum illam eſſe matrem. Frequentiſſime ad Confeſſionem accedebat, & ſingulis menſibus almifici Chriſti Corpus, quam ſecrete poterat, aſſumebat, ut non ſpiritualis ab aliis reputaretur; ſingulis tamen diebus & horis intrinſecus ſpiritualibus alimentis à Domino paſcebatur. *humilitas,* *Diſcretio.* F *f*

ANNOTATA.

a Petrum de Rancis *Girofanus appellat.*

b *Additur in Ms.* perfecte ambulabit: *quod ſenſum perturbat. Eadem autem de cauſa hæc verba omiſimus ob quam initio hujus numeri, ex mente Interpretis Italici, addidimus duas treſve voces ſupplendo ſenſui neceſſarias.*

c *Non credimus poſt S. Petrum nominatum, difficilem futuram ut nominaret S. Paulum. Veroſimilius videtur, majorem utroque fuiſſe, ipſum ſcilicet Chriſtum Dominum: quod humilis virgo maluerit reticere.*

d *Vnde*

PER SIM. ZANACHI EX MS.

d *Vnde ergo accepit Girofani quod* anno 9 ætatis, propter habitas viſiones ab Abbatiſſa S Quintini acceperit habitum monaſticum S. Benedicti ? *Minus hoc conveniebat ad finem à Deo intentum, quam ſi audiret conciones. Certe in monaſterio vixiſſe non potuit.*

e *Hunc anno* 1403 *exeunte, in ipſo belli civilis æſtu Rubeis adhærentem, ab Ottone Tertiorum Duce interceptum cum ſuis & Guardaſonem abductum, ſcribit Bonaventura Angeli lib.* 3 *hiſtoriæ Parmenſis.*

f Exoculare, *id eſt, oculis humanis ſubducere.*

CAPUT II.

B. Vrſulina Avenionem mittitur ad commonendum Clementem Antipapam.

Nova Spiritus infuſione prævenit,

11 HUic beatæ Virgini Deus hujuſmodi viſionem oſtendere dignatus eſt, antequam aliquod iter arriperet. Traxit enim ſpiritum ejus ſicut gladium à vagina more ſolito, & per hanc intellexit, quantam fortitudinem, ſapientiam & caritatem ei communicavit. Videbatur enim ei, quod ad eccleſiam duceretur majorem, ubi Dominum vidit deambulantem, & quærentem circumquaque. Quem
B cum beata Virgo Urſolina interrogaſſet, quid quærebat; ille, Quæro, inquit, aliquod ſedile, ſuper quod valeam requieſcere; at necubi invenio. Illa vero cum ſediſſet in terris, ait illi: Domine ſede jam & requieſce ſuper genua mea, quod & fecit. Brevi igitur facto intervallo ſurrexit, duxitque B. Urſolinam in quamdam domum, ubi cum ex quadam vegete, ut ſibi videbatur, ille hauſiſſet cyathum vini optimi ſupra modum, mandavit B. Urſolinæ, ut guſtaret ex eo: quæ cum ex eo guſtaſſet bibiſſetque, talia protuliſſe ſibi viſa fuit: Nonnulli adſunt, qui, cum inebriati ſunt, loqui neſciunt; ego vero, poſtquam ex hoc mero guſtavi, altius video, & cogito clarius ſolito. Inter hæc expergiſcitur B. Urſolina, longeque quam primo ſe perfuſam inſpiciens, Deo immenſas retulit gratias: per quam viſionem maximum intellexit myſterium, præſens & futurum, ut infra patebit.

12 Quodam igitur tempore, cum ſacratiſſimum Chriſti corpus aſſumpſiſſet in die *a* Paſchæ, & ſpiri-
a *jubetur ituri ſe accingere,* tuali gaudio intrinſecus jucundaretur, facta eſt illi vox Domini dicens: Jam præpara te ituram, quo mittam te. Quo audito mox fidem præbuit imperanti. De his autem cum genitrix ejus certior facta
C fuiſſet, ingemuit; & plurimum contriſtari cœpit, dixitque: Heu! quomodo, ego plena dierum, & tu tam juvenis, ibimus abſque ductore? Cui B. Urſolina: Ita, Mater mea, ne dubites; numquid Domino nobiſcum exiſtente timebimus? aut erimus abſque comite? Abſit, Domini tantum obtemperemus mandatis, & ipſe in omnibus adjutor & protector noſter erit. Cunctis itaque paratis ad iter, B. Urſolina, matre ſocia & conſanguineo ejus & una alia
Avenionem ad Antipapam, muliere honeſta, tunc dixit Urſolina: Domine, quo me vis ire? Cui Dominus: Verſus civitatem Avi-
b nionem Galliæ Tranſalpinæ, ubi Pſeudopapa *b* Clemens commoratur. Nonne intelligis quantum ſchiſma eſt in univerſa Chriſtianitate propter ipſum? Illuc tuos verte greſſus.

13 At illa juſſu Dei iter arripiens, decrevit primo viſitare eccleſiam B. Mariæ Magdalenæ in partibus Provinciæ. Et cum deambularent tres pariter, relatum eſt eis, quod illac propter prædones dubium eſſet tranſire abſque jactura. Audiens hæc mater contriſtabatur, dicens Urſolinæ: Quid ergo faciemus, filia? Heu nobis, filia! At illa reſpondit: Dominus enim nobis providebit, mater, ne dubite-
Jer. 18, mus: quippe cum ipſe dixerit per Prophetam: Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum ſum dicit Dominus, ut eruam te: quoniam ad ea quæ mittam te ibis, & quæ mandavero tibi loqueris ad eos; ne timeas, dicit Dominus. At dum beata Virgo Urſolina cum matre divinum expectaret auxilium, quomodo tute pertranſire poſſent, ex inopinato quidam peregrinus *c* ſupervenit: quem cum illæ interrogaſſent, quo ſuum declinaret iter, reſpondit; Verſus eccleſiam S. Mariæ Magdalenæ iturum, non tamen illuc uſque. Cujus faciem & aſpectum cum B. Urſolina fuiſſet diligentius intuita, non quaſi hominis, ſed Angeli, ait matri: Hic jam noſter erit dux, itineris noſtri indubius comes: ſecure huic adhæreamus viatori, quem aſpectibus noſtris ipſe Pater clementiſſimus & orationum noſtrarum benignus exauditor exhibuit.

D *ad S. Mariam Magdal. deflectens, ducem accipit*

c

14 Peregrinus vero requiſitus comes ab illis, *S. Ioannem Eu. in ſpecie peregrini;* finxit ſe cum illis nolle adhærere, aſſerens ſe per loca illa numquam pedes declinaſſe, quodque etiam ipſe tam prolixum iter non haberet, & ita ſuper eo plurimum hæſitare videbatur. Cui ait B. Urſolina: ut quid dubitamus? Gratia Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti erit nobiſcum, quaſi eſſet de comite ſecura. Qui quidem peregrinus, immo Dei nuntius, quadam cum Angelica venuſtate, & oculorum
E pudicitia, capite inclinato, ita ut qui erat ſe recte indicaret, iter incepit: quem continuo B. Urſolina cum matre ſecuta eſt. Sicque ſane continuis diebus hic divinus comes, incogniti itineris oſtenſor, paſſim paribuſque gradibus eas per jactum lapidis antecedebat, ita ut ab illis diviſus putaretur, qui comes erat & prævius. Et ſi forte aliquando B. Urſolina aut mater feſſæ ad umbram arboris declinabant, mox & ille ſub altera arbore haud longe pariter ad umbram reſidebat. Quibus ſurgentibus, protinus & ipſe ad iter ſe parabat. In eodem hoſpitio numquam cum illis deſcendere voluit, ne forte, ut credendum eſt, ſanctæ Virginis famam aliquali macularet infamia. Mane autem ſingulo mox illum præ ſe cernebant euntem: ſicque ſingulis diebus B. Urſolinæ & matri viaticum præbebat itineris. Cumque plures
d ſic conſummaſſet dies, nuſquam aut prædonem, *d*
aut hoſtem, aut alium malæ conditionis virum quemquam invenere; licet loca illa ob multiplicia bella variis modis undique inquietarentur. A Domino enim factum eſt iſtud; nec ſane mirum, ſi cæleſti tuetur præſidio, ubi juſſu peregrinatur divino.

15 Eo igitur ſic pervento ad locum, quo ſe iturum prædixerat, cum jam tutiſſimum eſſet euntibus
F *qui deinde via Avenionem monſtrata,* iter, inquit B. Urſolinæ & matri: Iſtac modo tranſeo; illac vero eſt iter veſtrum: ite abſque dubio, & Domini pax ſuper vos erit. Ad quem B. Urſolina; Obſecro te, inquit, per illum qui nos ſuo pretioſo ſanguine redemit, ut nos deſolatas non derelinquas, quoniam abſque te nulla nobis ineſſet notitia itineris. Sicque illarum tandem ſe precibus devictum oſtendens, voto B. Urſolinæ & matris acquievit: & ſicut primo, uſque ad S. Mariam Magdalenam prævius comes cum illis devenit. At cum templum S. Mariæ Magdalenæ pariter viſitaſſent, inquit ad eas beatus ille peregrinus: Ecce jam votis veſtris ſatisfeci, ulterius vobiſcum non progredior. Et oſtenſa illis quadam via, ait: Hac pertranſite uſque ad montem illum, quem non procul cernitis, & inventa quadam valle incolas ibidem videbitis terram excolentes; hi vobis rectam oſtendent viam. Et his dictis diſcedens, mox ab earum oculis eva- *ſubito diſparet,* nuit. Mater vero, quæ uſque tunc hominem illum peregrinum putaverat, propter ejus diſceſſum repentinum perterrita, inquit B. Urſolinæ: Obſecro filia, quiſnam hic fuit, qui tot diebus fuit viator

A tor noſtri itineris, & tam repente è noſtris evanuit oculis? Cui B. Urſolina: Beatus ille extitit Joannes Euangeliſta, quem Deus dedit uſque modo nobis ducem. Quod audiens mater, non parvo repleta eſt gaudio. Poſt hæc procedentes, ut fuerant præmonitæ, laboratores, ut prædixerat B. Joannes Euangeliſta, invenerunt: hi cum illis viam oſtendiſſent, eas abire permiſerunt, quæ tandem ad optatam urbem Avenionenſem incolumes devenerunt.

urbem ingreſſa,

16 Tunc beata Virgo Urſolina, ſpirituali quodam gaudio ſuccenſa, in cælum expanſis manibus ad Dominum oravit, dicens: Domine Jeſu Chriſte, Magiſter optime, & veritatis lumen, cum te ductore ſoſpes huc pervenerim, tuum ut expleam mandatum, jam deſuper in me tuam infunde gratiam, & os meum tuo adimple eloquio, ut ego ancillarum tuarum minima ac penitus indigna, quod tuæ placeat majeſtati loqui valeam, quoniam, Domine, penitus inſcia ſum. Facta autem oratione hujuſmodi, ait illi Dominus: Urſolina, noli timere; confide, nam tecum ſum quocumque perambulaveris. Antipapam hunc accede, loquereque ad illum quæcumque te illi dicturam inſpiravero. Sicque B. Urſolina Dei nutu Petrum de *e* Podio Pſeudo-Cardinalem habuit in-

e

B troductorem ad Antipapam: qui ait ad illam; Quam ſalutationem & reverentiam facies ei, cum introducta fueris? Cui B. Urſolina; illam quam Spiritus ſanctus in cor meum inſpirabit. In ipſius itaque conſpectu Antipapæ conſtituta, in terris genua flectens, expanſiſque manibus, oculiſque directis in cælum, clara inquit voce: Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto. Tali itaque audita ſalutatione obſtupuerunt omnes.

introductaque ad Antipapam,

17 Tunc Antipapa mandavit, ut omnes parumper ſecederent, & ad ſe propius illam ire juſſit. Cui illa lingua intrepida, vultu audaci & mente non pavida, per *f* horam fere cum dimidia abſque hæſitatione ſermonem exolvit, quem talibus verbis concluſit: Noveris, quod ſi ea, quæ tibi expoſui pro parte Domini noſtri Jeſu Chriſti, exequi tardaveris; ſedes tua in inferno parem locum cum ipſo Lucifero habitura eſt. His etenim verbis non parum perterritus eſt Antipapa, ac circumſtantium aures pertimeſcens, altera ſtatuta die illam denuo audire decrevit, ut ſic ſubdolas aures commodius captato tempore poſſet devitare. Tunc de ſolio ſuo exurgens Antipapa, cum B. Urſolina devenit uſque ad ſecundam portam atrii ſui; ubi cum ipſe ſe obtuliſſet B. Urſolinæ, facturum quidquid ſui gratia poſſet expetere, ait illi B. Urſolina voce alta; Ego potius cortices arborum aſſumerem mihi in cibum, quam quidquam de tuo paterer accipere; & his dictis abſceſſit. Tunc omnes Pſeudo-Cardinales indignati ſunt contra Antipapam, quod pro una muliercula à ſolio ſuo ſurrexiſſet, & tantũ honoris illi impendiſſet. Quibus ait, non huic mulierculæ, ſed Domino, qui miſit illã.

f eumdem intrepide arguit,

honorifice ab eò reducta, redire jubetur:

C

ſed ſæpe fruſtra regreſſa,

18 Altera vero die ſtatuta, B. Urſolina Antipapam adivit. Quam cum ad ſe ingredi ipſe intellexiſſet, tremore tanto pariterque timore arreptus eſt, ut nullo pacto auderet illam introducere ad ſe, ejuſque intueri conſpectum: ita ut illam inviſam ad domum remittere fuerit coactus. Altera quoque die juſſit illam ad ſe accerſiri. Cum autem novit illam præ foribus eſſe, multo majori corripitur timore, & magis quam primo gelidior tremor per membra cucurrit. Secundo remittitur ad domum, altera die audienda commodius. Iterum & tertio ducitur ad Antipapam: cujus cum ille noviſſet adventum, multo vehementiori quam primo & ſecundo loco timore oppreſſus eſt, ac tremore quaſſatus. Infelix ille, cum tot tantiſque cognitis indiciis, hanc beatam Virginem ſumma cum veneratione & ſuſcipere & audire debuiſſet; illam ut peſtiferum quoddam, diabolico coactus imperio, cui potius quam Deo ſerviebat, à ſe remiſit; nec illius ullo modo paſſus eſt videre præſentiam, quam antea tanto honore fuerat veneratus. O miſer, & omnium hominum infeliciſſimus, & divinæ monitionis ac ſalutis ſuæ contemptor infandus, qui tot attractus modis, tantis præmonitus diſciplinis, ac divinis præviſus correctionibus, ſuam perfidiam tantam ac impietatem, in ſe & ſanctam Dei Eccleſiam, diſtulit agnoſcere. Videns igitur beata Urſolina, quod miſer ille Antipapa, pro nimio timore & tremore ſibi diabolice illatis, illam ad ſe introducere non auderet; quodque ex ore ejus Dei voluntatem nollet intelligere; pernimia ibidem circumſtantium hominum multitudine audiente, inquit: Cælum, terram, mare, & omnia quæ eorum ambitu continentur, invoco & obteſtor, quod venerim ei intimare Dei voluntatem, ſicut ipſe Deus mihi præcipere & mandare dignatus eſt. Et his dictis, pedem inde retorſit, & abſque mora ab urbe diſcedens Parmã rediit.

semper exclusa, Parmam revertit.

PER SIM. ZANACHI EX MS.

ANNOTATA.

a *Ad annum* 1391, *hæc etiam refert Angelus Marius Edoardi de Herba Chroniſta Parmenſis, in margine Italicæ verſionis citatus, quem necdum vidimus: ſed ſi profectionem immediate præceſſit viſio, dicendum erit ipſam* 1393 *factam eſſe: cum jam multæ viſiones præceſſiſſent: de quibus ſcripto exceptis actum eſt num.* 9.

b Robertus Gebennenſis, *dictus* Clemens VII, *contra Vrbanum VI ſublevatus an.* 1378.

c *Giroſani ſcribit ad Tarum torrentem,* 5 P. M. *dumtaxat Parma diſtitura, hanc ſocietatem eis oblatam: quod ex propria ejus & minus veroſimili conjectura dictum arbitramur.*

d *Vt minimum dierum* 20.

e Petrus Gerardus de Podio Ep. Anicienſis, *creatus Pſeudo-Cardinalis anno* 1390 *poſtea ſchiſmati renuntiavit; & S. R. E. Pœnitentiarius major, atque Cardinalis Tuſculanus obiit Avenione* 1415.

f *Vnde igitur habuit Giroſani, poſt primæ ſalutationis verba, cum omnium ſtupore prolata, nihil ultra addentem ſubito receſſiſſe, & aſſecuto ſe Clementi hoc tantum dixiſſe, Renuntia Clemens: nam ſi tardaveris, domus tua apud Luciferum erit? Ita ſcilicet qui compendia hiſtoriarum levi opera ſcribunt, plerumque faciunt diſpendia veritatis.*

E

CAPUT III.

Iterata Vrſulinæ Avenionem profectio, & conſtantia inter ſchiſmaticos ferocientes.

F

Romam miſſa,

19 PAucis itaque decurſis diebus, cum B. Urſolina feſſa admodum propter viarum longa diſcrimina, quæ exegerat, necdum priſtinas recuperaſſet vires; interim illi Dominus imperavit, ut Bonifacium ſummum Pontificem, & totius Dominici ovilis verum Paſtorem, in Urbe *a* reſidentem accederet, illique ediceret, quæcumque cum Pſeudo-Pontifice peregerat. Quæ mox aſſumpto divino juſſu, etſi feſſa admodum ſui corpuſculi membra geſtaret, gradu concito, mente libera, prompta intentione, Romam properavit, omni in Domino Jeſu ſui locata fiducia: intelligens proculdubio cuique homini, totis pro viribus corporis, verbo & opere divinum capeſſendum mandatum. At ubi Romam genitrice ejus comite applicuit; commoda habita facultate, divina largiente gratia, non longa injecta mora, conſpectum adiit ſummi Pontificis; eique, ut geſta fuerant, cuncta enarravit. Cui cum ſummus Pontifex Bonifacius fidem adhibere deſpiceret, omnipotens ipſe Deus (qui cæleſtium, terreſtrium & infernorum moderator eſt & rector, ac futurorum præſcius, quique etiam cuncta loco & tempore ineffabili ordine diſponit) miro quodam modo providit, ut quidam venerabilis

a

exponit Bonifacio quid Avenione egerit:

PER SIM. BANACHI EX MS.

Monachus Carthuſienſis, fide & reventia admodum dignus Romæ adeſſet, qui & pariter adfuit Avenione, cum ipſa B. Urſolina præmiſſa cum Pſeudo-Pontifice pertractavit: qui cuncta, ut acta fuerant viderat partim, partimque ex publico veracique ſermone didicerat. Hic ſane de cunctis incredulam ſummi Pontificis mentem certiorem fecit, ut ex quibuſdam ſuis epiſtolis hac de re mentionem facientibus, quas ipſe legi, manifeſte apparet.

20 Ex tunc igitur B. Urſolina, à ſummo Pontifice & ſacroſanctæ Eccleſiæ Cardinalibus, & ſuſcipitur & cum digno honore tractatur: dictiſque ſuis apud ipſos indubitatam acquiſivit fidem, ut vere abſque ullo dubio divinæ voluntatis illam eſſe nuntiam non ambigerent. Summus itaque Pontifex Bonifacius, cum Reverendiſſimis Cardinalibus, in publico Conſiſtorio, iterum atque iterum pertractatis enarratiſque iis, quæ B. Urſolina edixerat; tandem divina ſic operante ſapientia, ſtatuêre, pro reconcilianda ſacroſancta orthodoxa Eccleſia, ad præmiſſum Antipapam oratores tranſmittere, juxta ſententiam B. virginis Urſolinæ. Talis namque fuit B. Urſolinæ ſententia, ut ii Oratores Sedis Apoſtolicæ totis pro viribus conarentur inducere eumdem Antipapam & ejus B Pſeudo-Cardinales, quod nolint obſiſtere Sacroſanctæ Sedi Apoſtolicæ, quodque divinam præcavere deberent ultionem, atque etiam ut fideles & Catholici ſe humiliarent, ſicque divinam & ipſius Sedis Apoſtolicæ immenſam clementiam conſequi non dubitarent, ac ut ſibi & aliis eſſe nollent detrimentum & perditionis cauſa. Cumque hujuſmodi ſermo ſummo Pontifici cunctiſque Cardinalibus placuiſſet; omnes uno acti ſpiritu mox ſtatuêre, nullos Oratores ad prænominatum Antipapam deligere niſi B. Urſolinam; cum ex jam peractis intelligerent, eam divinis præſidiis præmunitam. Igitur B. Urſolina, fervens deſiderio ſalutis animarum, ebullienſque voluntate in exequendis mandatis Divinis, quamvis mulier & debilis, & priſtino fracta itinere, non longo viarum perterrita diſcrimine, ad Antipapam, pro Dei fide & ſacroſanctæ Matris Eccleſiæ ſtatu pacando, obtulit ſe læto animo reverſuram, & ipſius ſummi Pontificis captata juſſa pro viribus adimplere. Quod mirum in modum ipſi ſummo Pontifici placuit; ſicque votum B. Urſolinæ Pontifex ſummus & cuncti Cardinales admiſere. *b*

eodem remittitur:

b Avenionem venit,

21 Accepta igitur benedictione Apoſtolica, B. Urſolina, matre comite, Antipapam repetiit: ad C quem tandem, poſt plurimos labores & diſcrimina multa, cum litteris Apoſtolicis devenit. Sciens namque quod primo domus Domini ſit quærenda, viſitatum pergebat eccleſiam S. Deſiderii, in eadem urbe Avenione fundatam. Ecce autem obviam habuit Petrum de Podio Pſeudo-Cardinalē, quem jam ſæpius commemoravimus. Qui cum agnoviſſet, eam ad ſe vocavit, & ait illi: Urſolina, quo tuos pertendis greſſus? & unde modo? Cui illa: Caritas omnia ferens, omnia portans & ſuſtinens, huc iterum ad vos me adduxit. Cumque ille clarius cauſam ſui itineris percunctaretur; Salus, inquit, animarum veſtrarum me angit, ac peregrinam facit & alienigenam. Quid igitur petis, ait ad illam Petrus? Salutem, inquit, excupio animarum veſtrarum, illam exopto, illam totis concupiſco viſceribus. Cui ille ſubridens: Tu noſtrarum animarum, ut inquis, adeo ardenter & tam affectuoſe, & animo ſitienti exoptare videris ſalutem; at ſi juſta daretur occaſio, Papa & Cardinales optarent te interimere. An tu neſcis, quod in te omnes modo cauſas moliuntur? Ignoraſne quod, quomodo te perdant, excogitant ſinguli? Repedare igitur, unde veniſti, & quo citius fieri poteſt, ab hac urbe retrahe vultus: ultra non differas, quod conſulo. Jam in te conſpicio excogitatos cruciatus, ſi ulterius tuum differas reditum. Beata vero Urſolina, cui Spiritus ſanctus dabat eloquium, cui caritas præſtabat audaciam, nullo commota pavore horum verborum, ait ad illum: Obſecro jam te, & ſi mihi ulla vis orationis, te obteſtor, deprecor & exoro; ſi fas eſt, nulla interpoſita mora veſtro Papæ & cunctis Cardinalibus me ad eos iterato veniſſe renuntia: habeo enim ad eos ſummi Pontificis & veri Vicarii Domini noſtri Jeſu Chriſti ſermonem, quem perferam, & non ad præſens oſtendit litteras Apoſtolicas, ſed ad tempus reſervavit. D

introductaque ad Antipapam,

22 Hujus igitur beatæ Virginis cum Pſeudo-Papa & ſui Cardinales adventum comperiſſent, illam ad ſe accerſiri juſſit. Illa vero almifico Crucis ſignaculo ſe præmuniens, ſuam in Domino Jeſu Chriſto omnem habens ſpem, eo maxime quod unioni ſanctæ Eccleſiæ operam dabat, ſpectato illorum conſpectu abſque ulla hæſitatione, ab omni formidine libera ſe contulit; cum nullus aſpectus hominum tanti eſſe pretii poſſit, quem, quam armavit Spiritus ſanctus, valeat expaveſcere. Ad hos igitur ingreſſa, vultu tam conſtanti atque audaci & clara voce exorſa eſt, ut tantorum virorum expectatione minime perterrita, divinum potius quam humanum judicaretur proferre E ſermonem: & cum ita aperta fronte ad eos fuerit locuta, non tamen erga eam quiſquam auſus eſt ſiniſtrum proferre ſermonem, quamquam prius ſtatuiſſent, ut in tormentis vitam finiret. O ſumma divini verbi vis, & ſapientiæ ejus in cunctis diſpoſitio infallibilis! quos jam pridem illius nefandiſſimæ Sedis erectio & faſtus à veritatis via & veræ cognitionis tramite offuſcarat, beatæ Virginis ſermo, immo ſancti Spiritus, illorum mentes illuſtravit; ita ut mox ea audita reſumptis viribus rationis, Antipapa & Pſeudo-Cardinales illius ſermonem approbarent. Sicque beata Virgo ampliori omnique ſibi fandi data licentia, longius produxit ſermonem; illis irrefragabilibus rationibus oſtendens, non decere eos contra ſanctam orthodoxam Eccleſiam Romanam inſiſtere; ac potius omni depoſita cervice, illius ſe ſubmittere correctioni.

eum flectit,

uti etiam Cardinalem S. Angeli;

23 Verum jam dictus Antipapa, tantis devinctus rationibus divinis, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ jugo collum ponere decrevit. Reverendiſſimus inſuper, profectoque præclariſſimus ſcientia & vita, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis S. Angeli *c*, qui *c* & tunc aderat Pſeudo-Cardinalis, ac tanto errore illaqueatus, hujuſmodi Virginis tanto radiatus eloF quio, expanſis in cælum manibus ait beatæ Urſolinæ: Deum teſtor & Sanctos omnes, gratiam ſalutis noſtræ adepta es, ſicut Sanctæ Judith liberatio Jeruſalem data eſt. Hoc audito nonnulli Pſeudo-Cardinales, in eorum jam concepta perfidia & iniquitate contra Sanctam Eccleſiam Romanam impiiſſime perſeverantes, nullatenus rationibus B. Urſolinæ à tantis eorum perfidiæ erroribus amoti, Antipapæ & clementiſſimi Cardinalis ſancti Angeli verba ægre ferentes; non verbis, ſed tracto ore, rugatoque ſupercilio, ac mutato vultu, tantæ eorum perfidiæ dedêre indicium. Sicque exquiſitis artibus & machinationibus præcogitatis adhibuere modum, ut pacto aliquo beata Virgo Urſolina ad Antipapam & præfatum S. Angeli Cardinalem deinceps accedere compos non fieret.

nulliſque terroribus perſuaſa diſcedere,

ſed fruſtra propter aliorum pertinaciam:

24 Quidam vero impiiſſimus & ceteris immanior Pſeudo-Cardinalis, Martinus *d* nomine, non valens *d* ſuam ſub ſilentio ferre ingentem perfidiam, ut canis rabidus, ut ferociſſimus leo, & quaſi truculentiſſimus lupus & rapax, beatam virginem Urſolinam, aut potius Spiritus ſancti ſapientiam, ejus ſophiſticis argumentis & faſtuoſis ſermonibus involuere excogitans,

quorum unus curioſius ipſam interrogās,

A gitans, ait beatæ Virgini, ſtomachato ore & prolixo ſermone : Et ſi aſſeras te, ut Dei nuntius, ad nos deveniſſe, inſuper & tantas ab eo habuiſſe revelationes, ut fertur; jam quam tibi propoſuero enodato quæſtionem : opto etenim ut quid Trinitas ſit primum palamque declares. Tunc B. Urſolina, à Spiritu ſancto edocta, ipſum in foveam, quam ſibi paraverat, tali ſapientiſſima reſponſione retorſit; ait enim illi : Vidiſtine aliquando ipſam Trinitatem, quam tantopere ſcire deſideras? & ſi hanc fortaſſis videres, agnoſceres tunc illam? Qui cum reſpondiſſet. Minime; ait illi beata Virgo : Ergo fruſtra adeſſet ſermo meus de Trinitate, ex quo eam non caperes. Ille vero hac audita reſponſione, omni depoſita loquacitate obmutuit. Sed qui in prima acie victus eſt, ceu aſturiſſimus coluber ſecundas beatæ Virgini paravit inſidias : at pari telo ſuccubuit draco, quo & leo. Ait enim immanis ille ſerpens, & tales ex ejus peſtifero corde ſecundos educit ſermones : Cum ita domeſtice cum Deo loquaris, dic, inquam, mihi & ultro edoce, qui ſint ſalvandi, & qui damnabili ſupplicio deputandi? Accipe, lector, elegantiſſime arguram reſponſionem. Inquit enim ad hunc B. Urſolina, Vidiſti umquam arborem ſuis, quos produxerat, floribus ornatam?

ſapientibus ejus reſponſis confutatur :

B Qui cum ſe vidiſſe reſpondiſſet, ait B. Urſolina : Talem adduco arborem in medium : ſcires ne diſcernere flores arboris producendos fructus bonos à floribus excidendis? Ad quæ cum ipſe Martinus Pſeudo-Cardinalis cum ſuis aſtantibus complicibus nullatenus ſciret reſpondere; ait beata Virgo : Soli Deo hoc convenit, & cui voluerit revelare.

varie oppugnatur Urſulina,

24 Itaque ſe victos à B. Urſolina agnoſcentes, in eamdem ſuis ſtridebant dentibus; & quam tali congreſſu vincere non poterant, minis atque faſtuoſis eloquiis ſuperare conantur. Credisne, inquiunt, te ſolam tantos ſcientia excedere Cardinales, & illis ſapientiorem te eſſe, qui cum hanc eſſe fidem Catholicam aſſeruiſſent, in ea fide minime mori dubitarunt? Ad quos B. Urſolina reſpondit : Fateor, Deo teſte, quod me ceteris ſapientiorem non æſtimo, cum vilis muliercula & modici admodum valoris ſim; ſed uti inſtrumentum Spiritus ſancti ad vos exorſa ſum. Iterum cum illam ab aliis ſic edoctam aſſererent; Fruſtra, inquit illis, eſt quod creditis, cum ab aliis, quos

ſeparatur à matre,

modo concipitis, penitus edocta non fuerim. Ipſi vero demum exiſtimantes, matrem ipſius horum omnium eſſe repertricem, eas ab invicem ſeparârunt; matrem in quodam monaſterio collocantes, beatam

C vero Urſolinam apud uxorem cujuſdam nobilis civis cuſtodiendam tradiderunt, ut ſic facilius commodiuſque eam alloquendi illis daretur facultas. Sicque diu noctuque indefeſſi hæſitabant, ut canes rabidi, quo aliquid contra beatam Virginem poſſent vere aut veriſimiliter objicere, unde ſumpta cauſa ut optabant, in Virginem acrius malignarentur. Ipſa vero, Deo opitulante, ad omnes eorum ſermones omni ſapientia & circumſpectione reſponſa dabat; adeo ut ab ea aut victi aut confuſi, ſive taciti ſemper cogerentur abſcedere. At cum ipſi aliquando minis, terrore aliquando timoreque, ipſam beatam Virginem frangere aut ſuperare conarentur, vultu numquam mutato, aut perterrita facie, verbiſque titubantem ambiguis numquam illam invenire potuerunt.

magia ſuſpectata,

25 Verum illi & cæci & veri luminis gratia privati, hujus almæ Virginis vita & ſanctimonia nullatenus in melius mutati ſunt; at potius indies eorum perfidiam peraugentes, nil præter terrena excogitare valentes, hæſitarunt, quod fortaſſis aliqua magica aut ſuperſtitioſa arte B. Urſolina uteretur; cum liquido agnoſcerent, ipſius virginis facundiam excedere humanam facultatem. Sicque omnia illius indumenta fecerunt immutari, & omni cum diligentia & accurata inſpectione perquiri, ſi forte in aliqua illarum veſtium parte aliquid indignum ſeu ſuſpicioſum conſutum reperiretur. Hanc igitur beatam Virginem exquiſitis rationibus, terrore aut timore ſeu minis, & ceteris omnibus quæ contra beatam Virginem moliti ſunt, cum nec vincere nec ſuperare potuiſſent; vi eculii & tormentorum ſævitiis (ſic enim immaniſſimi illi exoptabant) non formidarunt extorquere, ut omnino fateretur, quibus maleficiis ipſi in omnibus ſuperarentur. Quibus illa ait : Maleficiis diaboli non utor, ſed beneficiis Domini noſtri Jeſu Chriſti pro animarum veſtrarum ſalute fungor.

PER SIM. ZANACHI LX MS.

& quæſtioni ſubjicienda,

26 O impii, & tanti ſceleris crudeles miniſtri, quo vultu, quave mente & ſenſu, ac quibus excogitatis rationibus, omni depoſitâ formidine Deique neglecto timore, cujus in terris vices agere profitebamini, potuiſtis in hanc ſanctam Virginem veſtras ſceleratas manus imponere? aut mentes faſtu exuberantes concitare, verbaque veſtra tam immaniſſima proferre? Quid à vobis, inquam, cunctarum creaturarum crudeliſſimi, beata hæc ac ſancta expoſcebat Virgo? Nonne veſtrarum ſalutem animarum? Unde igitur in vobis tanta immanitas, & grandis impietas? A quo fonte veſtra tanta emanavit crudelitas, ut pro pietate impietatem, pro caritate perfidiam, pro dilectione E odium commutare non timeritis? Proh dolor! Cum B. Urſolinam ad eculeum perduxiſſent, eamque de

mirabiliter liberatur :

more ignominioſo facto, ſuis exutam veſtibus, cooperuiſſent; & illius jam poſt tergum revinctas manus ad eculei funes impiiſſimi miniſtri connectere ſatagebant; ecce atrium, ubi hæc agebantur, per maximo conquatitur motu, ita ut omnis compago domus diſſolvi videretur, & proximi excidii minari ruinam. Quod videntes cuncti qui aderant, nimio percuſſi terrore, Deſinamus, inquiunt, deſinamus, ne nobis, ceu tortoribus B. Catharinæ, contingat; ſicque B. Urſolinam, timore potius perterriti quam amore adducti, illæſam permiſere. Quibus beata Virgo, de eorum interitu magis, quam de injuria ſibi illata dolens, ait : Cum his, quæ vobis dixi, fidem adhibere neglexeritis, jam ante receſſum meum divinum præſtolamini judicium.

loquentis per ſe ſpiritus ſpecimen dat coram adverſariis :

27 Mirabantur itaque omnes ſuper illius ſenſatis & exquiſitis rationibus ad omnes in quacumque re. Dominus vero Antonius de Mediolano advocator reſpondit : Vos aliter miraremini, ſi videretis eam laborantem & ſcribere facientem. Reſpondit Martinus Anti-Cardinalis : Hoc omnino volo videre. Et ſtatuerunt eam in atrio, in medio quatuor Anti-Cardinalium, in conſpectu populi. Tunc B. Urſolina, Spiritu ſancto edocta, omnibus videntibus incepit ſuere & dictare; & Dominus Antonius prædictus ſcribebat ea, quæ poſtmodum ſuper eos evenerunt : Iis itaque auditis timuerunt omnes ad hoc ſpectaculum ſtantes : nec tamen propter hoc à ſua malignitate ceſſaverunt; ſed in ſua obſtinatione perſiſtentes, diu noctuque per ſeptem menſes in necem beatæ Virginis laboraverunt. His itaque peractis beata

F

bis venena tentatur :

Virgo ad priſtinam domum reducta eſt, ubi quomodo ei propinaverunt venenum, ut ſic ſuo ultimo fungeretur die, ſemel in potu, ſecundo in lotione capitis, & ex utraque vice veneni ſigna clare intelligentibus apparuerunt; teſtis ille eſt, qui eam ab omnibus impiorum excogitationibus miro modo ineffabili ſua clementia liberam fecit. Demum omni peracto periculo ad deterrendum exterminandumque beatam Virginem, cum nil profeciſſent (nam contra Dominum & ejus ſervos nuſquam eſt conſilium) pauliſper à ſpeculationibus & moleſtiis in B. Urſolinam deſiterunt, feſſi potius & ignari quid ultra agerent, quam contenti; & magis victi quam pacati.

28 Interim dum tot tantiſque modis in ipſam Vir-

PER SIM. ZANACHI EX MS

ginem deſævirent, memoratus Antipapa de beata Urſolina percontatur; & aiunt jam diu fatuam abſceſſiſſe. Subito hoc relatum eſt beatæ Virgini, quæ mox miſit litteras Apoſtolicas, divina diſpenſatione reſervatas, quas à Roma detulerat ipſi Antipapæ, ex parte ſummi Pontificis & Cardinalium. Tunc dictus Antipapa miratus eſt valde, cum cognovit ipſam Urſolinam non receſſiſſe. Et cum perlegiſſet dictas litteras, vehementer ſtupuit: & vibrans caput, multum ſtetit ſuper ſe; cum ſuſpiriis anxius diu meditans ſuper hoc *e*. Paucis itaque interjectis diebus præmiſſus Antipapa Clemens, manus ejus abluens ut ad menſam *f* diſcumberet, repentina morte præoccupatus, miſerabiliter vitam ſuam finivit. Hoc actum eſt, ut impleretur ſermo B. Urſolinæ, quem illis prædixerat; id eſt, quod ante ejus diſceſſum divinum præſentirent judicium. Tunc Petrus de Luna *g* tulit prædictas litteras Apoſtolicas, & perrexit Pariſius ad conſulendum ſuper his ſapientes. Ceteri vero Pſeudo-Cardinales ad cor converſi, vitam & mores ac ſanctitatem conſtantiamque beatæ Virginis conſiderantes, nec non de perpetratis illatiſque injuriis in illam adhodum pœnitentes, illam ad ſe duci fecerunt, & pro impetrata venia injuriarum illatarum beatam conſulunt Urſolinam, quid facturi ſint. Quibus illa: Pro ſalute animarum vestrarum & aliorum populorum unanimiter & concorditer Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ abſque mora parendum eſt. Sicque omnes ad vota beatæ Virginis ſe facturos promiſere; ac ſubito miſerunt ſolennes ambaſciatores ſummo Pontifici Bonifacio, cupientes ad Dei miſericordiam pervenire. Receſſiſque ambaſciatoribus, & jam Januæ perventis; ecce cunctorum ille bonorum operum ardentiſſimus inimicus, una cum ſuo peſſimo miniſtro, ſcilicet Petro de Luna, qui tunc poſt prædicta reverſus eſt cum conſilio Pariſienſium, ambitione ac ſerpentina aſtutia plenus, eorum ſalubre conſilium ſubvertit, cum jam omnia parata & bene diſpoſita eſſent, ad obediendum ſummo Pontifici Bonifacio. Et ſtatim ambaſciatores revocaverunt, & Petrum de Luna in ſuum Antipapam elegerunt: & ſic in eorum jam cœpta perfidia perſeverare decreverunt. O bone Jeſu, cui omne cor patet, & omnis loquitur voluntas, & quem nullum latet ſecretum; tune forte eorum avertiſti voluntates, cum humilis (ut decebat) non fuerit converſio? An ipſi in eorum jam pridem radicata perfidia voluntati divinæ contraire præſumpſerunt? Neſcio: tanti diſcriminis nemo conſcius recte eſt niſi tu.

mittit Antipapa Apoſtolicas litteras:

e

f eodem mortuo,

g

B *Cardinales ejus ad unionem flectit;*

iiſque à bene cœpto reſilientibus,

C

29 Beata igitur Urſolina videns, quod ad eorum priſtinum errorem repedaſſent, omnique ſpe deſtituta, matre comite ad propriam patriam, unde diſceſſerat, eſt reverſa. Pauciſque interpoſitis diebus juſſu Domini hinc diſcedens, Romam adivit, atque ſerioſe cuncta, ut acta erant, ſummo Pontifici enarravit. A quo cum lætanter & animo jucundo ſuſcepta fuiſſet; multum ei compatiens propter multas variaſque tribulationes, quas Avenione pro reconciliatione fidei Catholicæ perpeſſa eſt, ei ſe gratioſe obtulit; nonnullas inſuper ſibi conferens gratias, ſcilicet Indulgentias & privilegia quatuordecim, quibus ædificare poſſet Oratorium in propria domo, ac divina ibidem Officia & Miſſas celebrari facere, & alia multa quæ modo reticenda cenſeo. Tandem domum reverſa eſt; ubi cum aliquamdiu commoraſſet, divino juſſu Mediolanum diſceſſit, ac Ducem Mediolani, tunc *h* Comitem Virtutum nuncupatum, adivit, cui multa ſecreta Dei revelavit pro honore & conſervatione ſui ſtatus. Sed ipſe nullatenus aures adhibere voluit, ad quem beata Virgo orſa eſt his verbis: Niſi credideris verbis meis, immo monitis Dei, ſcito te in brevi maximas perſecutiones *i* & tribulationes paſſurum eſſe; quod & factum eſt per *k* Fancincanum Campiductorem militum. Jubebat enim beata Virgo inter cetera, quod defenſionem Catholicæ fidei aſſumeret, & quod nullo pacto intromitteret ſe de ſectis eccleſiarum.

Romam redit,

Mediolanū abit.

h

D *i k*

ANNOTATA.

a *Autumnum fuiſſe anni* 1393, *quando, ſub certis quibuſdam conditionibus die* 8 *Auguſti per Romanos ſignatis, Bonifacius* IX *Romam revertit, ex eo colligas; quod ante* XIV *kal. Decembris nullum ejus Breve Romæ ſignatum invenit Odoricus Rainaldus in Annalibus. Proinde recte in annum* 1394 *hoc iter differendum quis dixerit.*

b *Hujus legationis nullam uſpiam fieri mentionem haud adeo mirum, cum ſuo illa effectu caruerit, idcoque minus memorabilis fuerit. Nullum quoque in Vaticano extare epiſtolarum Bonifacii Papæ regeſtum, unde Annalium Eccleſiaſticorum proſecutor Odoricus eam potuiſſet cognoſcere, colligitur ex iis quæ* 17 *tomo citantur documentis, abſque ulla talis Regeſti mentione: quo fit ut plurima ignoremus in cauſa ſchiſmatis Clementini acta, quibus etiam hæc hiſtoria potuiſſet illuſtrari & confirmari.*

c Guilielmus Novelleti, *Legum Doctor, natione Gallus, à Gregorio* XI *creatus an.* 1371, *mortuus Avenione anno, non* 1390 (*ut in ejus creatione apud Ciacconium an.* 1630 *legitur typographico errore*) *ſed, ut alibi apud eumdem melius,* 1394 *menſe Iulii. Garoſani* Guilielmum Indum *appellat.*

E

d *Hoc nomine nullus ſub Clementis obedientia fuit præter Epiſcopum Vlyſiponenſem, ab eodem Cardinalibus aggregatum an.* 1389.

e *Idem auctor longe aliter ſcribit, quaſi regreſſa Romam Vrſulina, Clementis abſolutionem à Bonifacio impetrarit, eaque de re litteras ad ipſum Clementem direxerit, quas hic paulo ante mortem conſternatus legerit.*

f Ante miſſam, *inquit Garoſani.* Apoplexia mórtuum *ſcribit Raynaldus, citatque hæc verba Iuliani Vrſini:* Poſt ſatis brevem infirmitatem, die XVI menſis Septembris anno Domini MCCCXCIV, Pontificatus ſui XVI, diem clauſit extremum in Avenione.

g Petrus de Luna, *mox ſchiſmatica electione* Benedictus XIII, *tum forte Pariſiis à Rege ejuſque concilio reverſus, ut ad ceſſionem cogeretur Clemens: quare objectum ei fuit, quod cauſa mortis accelerandæ eidem fuiſſet. Videtur autem has litteras aliaque documenta Petrus devexiſſe Pariſios, ut ſibi viam ſterneret ad Antipapatum; eo prætextu quod paratus eſſet, pro bono unionis cedente Bonifacio, cedere etiam ipſe (nam & vivente Clemente apud omnes fere Principes conatus erat ceſſionem utrimque faciendam perſuadere, ſpe derivandæ in ſe electionis) ſed electus ſuos electores fautoreſque fefellit, in ſchiſmate pertinax ad mortem uſque, etiam poſtquam, alio a partibus conſentientibus electo, deſertum ſe ab omnibus vidit.*

F

h *Ioanni Galeatio appellationem* Comitis Virtutum *(qua ex cauſa necdum comperi) identidem etiam tribuit in hiſtoria Mediolan. Corius uſque ad titulum Ducis acceptum: quem cum acceperit anno* 1395 *coronatus* 5 *Septembris, eodem Corio teſte, apparet quietem minime diuturnam fuiſſe Vrſulinæ, Avenione domum reverſæ.*

i *Sane anno* 1397 *Mantuam obſidens terra & aqua graviſſimam cladem accepit, iterumque ad Governolum vicum à Franciſco Gonzaga Duce Mantuano, prælio victus, Patavinæ urbis dominatum amiſit, ac pene etiam Veronenſis: in ceteris alias feliciſſimus, & tantum non Italiæ totius regnum aſſecutus.*

k Fancinum Canem *appellat Corius, & fuiſſe Caſalenſem dicit, atque ad Ducis ſtipendia acceſſiſſe poſt cladem Mantuanam, cum quingentis lancearcis Lombardis, à Marchione Monferratenſi dimiſſis. Hujus culpæ an imputari debeat clades ad Governolum neſcio, alias nullam ejus contra*

Ducem

A *Ducem rebellionem attingit Corius, imo etiam filio ejus infelicissimo juveni satis fidelem operam videtur præstitisse, usque ad suam & ipsius mortem, quæ anno 1412 mense Majo utrique obvenit: non est tamen credibile quod urbium Papiæ, Novaræ, Derthonæ, Comi, aliorumque locorum dominia, quæ Corius enumerat, Fancino ex mera Principum suorum liberalitate obvenerint: & licet eum Ioannes Maria Galeatii filius biennio ante creasset totius sui status Gubernatorem, apparet tamen graviter ejus jugum tulisse, & mortis ejus imminentis expectatione latatum, qua præventus à sicariis suis frui non potuit.*

CAPUT IV.

B. Vrsulina peregrinatur in Terram sanctam: exul Veronæ obit.

30 HÆc igitur beata Virgo, post plurimos labores & ærumnas, in multis divino jussu consummatis peregrinationibus, cum decrevisset sacrosanctum Domini nostri Jesu Christi sepulcrum, & cetera almificæ Passionis loca visitare, præclarissimam civitatem Venetiarum matre comite adivit, ubi navium ad præmissa sacra loca transeuntium grandis habetur copia. *a* Quo perventa, cum intellexisset, B puppem quamdam tutissimam ad sacra prædicta post duos aut tres menses navigaturam, super eam decrevit ascendere, opportuno tempore sui recessus exspectato. Interim Romam revisit, locaque ibidem sancta visitavit: ubi cum perpaucos dies expleisset, habita à summo Pontifice benedictione, inde rediens Urbinum civitatem intravit: ubi votis ac precibus quarumdam venerabilium dominarum per tres dies retenta est, invicem de Deo colloquentes, tempusque consummantes in obsequium Christi. Indeque recedens denuo prælibatam Venetiarum urbem devenit, matre sua comite: navemque super quam navigare decreverat, invenerunt duobus interjectis diebus jam ad optatum iter vela laxasse. Hoc igitur cum mater ejus non parum ægre pateretur, dixit B. Ursolinæ: Si moram non traxisses cum illis dominabus, ad horam ascendendi super navem bonam & novam venissemus: ecce quod abiit, & super veterem cogimur ascendere. Cui ait B. Ursolina: Divini enim judicii dispositio est: jam læta sis, mater mi, & minime præter Dei voluntatem tibi subrepat mœror: Dei nutu hoc actum putes.

Romam peregrinata, *a*

& Venetias ferius regressa,

C 31 Sicque navem plurimum vetustissimam, illuc pariter suum dirigens gressum, conscendit. Quæ cum flantibus ventis in altum vela dedisset, & jam per medium pelagus prosperum iter habens Illyricum mare sulcaret, scopulum de navi à longe concernunt. Nautæ vero nimia perpulsi pietate flere cœperunt super illum, inter se dicentes: Proh dolor! proximis elapsis diebus navis illa, tot onusta viris & mulieribus, ad sancta loca omni cum devotione properantibus, quæ paulo ante nos à littore discessit Veneto, urgentibus ventis & sævissima compellente procella, turbinibusque exagitata contrariis, illi scopulo collisa, æque per omnia passa est naufragium. O infelix casus! nemo ex ea navi superstes evasit. His intellectis clare cognovit mater, quantum Deus omnium rerum sapientissimus moderator, sui ac beatæ Virginis Ursolinæ curam regimenque habebat: & ex tunc mater consultius se gerebat cum filia, & gratias Deo referebat de evaso periculo, per moram factam Urbini cum venerabilibus illis dominabus. Beata igitur Ursolina, cum propter insuetos fluctus pelagi, gravissimum stomachi vomitum eversionesque pateretur, ut liquido universæ carnis suæ finem adesse non dubitaret; à Domino suæ vitæ inducias quindecim annorum impetravit, sicuti fecit Ezechiæ, & ita fuit, sicut in fine vitæ suæ claruit.

in vetusta navi salva navigat Hierosolymam;

vitam sibi ad annos 15 prorogari impetrat,

PER SIM. ZANACHI EX MS.

32 Tandem secundis spirantibus ventis, felici prosperoque cursu ad sacra & peroptata loca applicuit; quæ ut tempus adfuit, omni intrinseca devotione, in sacro & tacito sui pectoris armariolo locata, visitare cœpit. Sane quidem nemo excogitare posset, nisi ille cordium scrutator Deus, quantas ad illud sacratissimum præsepe, ubi Salvator ipse dignatus est nasci, fuderit lacrymas, quot gemitus; quotiesque amaris singultibus suas interruperit orationes, dum pio excogitaret animo, ibi Deum & hominem primos dedisse vagitus; verumque hominem se fore pluribus argumentis ostendisse. Præmeditabatur etiam, quemodo illic asellus & bos suum Deum & totius creaturæ conditorem agnoverint; atque per singula, quæ ibi gesta fuere, placita mente, meditatione suavi, mellifluo gustu, intrinsecus pascebatur. Post hæc inde abiens ad locum patibuli, immo ad redemptionis nostræ supremum mysterium, anxia & plurimum sitibunda desiderio videndi ea loca, pervenit. Hic felix illa anima, sed modo felicior, hic sacrum ipsius caput, hic mellifluum & penitus in lacrymis atque gemitibus resolutum cor illius, voces ingeminat, lacrymas ubertim effundit, E singultusque ab imo ipsius pectoris educit: per singula Domini nostri Jesu Christi passionem & mortem disolvit, rumina', & tali præmeditatione omnes sui corporis artus evertit. Singulis igitur visitatis sacrosanctis illis locis, singulorumque, ut diximus, locorum degustatis mysteriis; ad civitatem Venetiarum, unde discesserat, felici navigatione remeavit. Ubi perplures dies sanctissime degens, multos ad sanctimoniam convertit, multosque bonos mores constituit; adeo ut ab omnibus velut sancta venerabatur. Ubi etiam fama ejus & sanctimonia viget usque in hodiernum diem.

loca sacra visitat;

Venetias reversa,

33 Inde postmodum patriam rediit, ubi aliquandiu quod viderat, quod palpaverat, quodque tam pie degustaverat, tacito consilio sui sacrati pectoris ruminabat. O sacrum caput, & pernimium felix anima! quoties in sanctis locis ipsas profusas lacrymas & interruptos singultus ubertim revocabat! quoties ipsa perdulcia suspiria renovabat & gemitus! quoties & anxios persuavesque dolores nodatis modo manibus, modo carcellatis, & aliquando expansis in cælum, supinis oculis instaurabat! sicque talibus sacratissimis meditationibus, cogitatu dulcissimo, F mellifluisque amaritudinibus sanctum cor mentemque pudicam propulsabat, & jucundissime percellebat. Ut verum fatear, quid hac meditatione dulcius? quid suavius? quid visui jucundius? quid tactui delectabilius? quam ibidem Dominum Jesum pro nobis natum, passum, & sepultum recolere, ac locum redemptionis & relaxationis miserabilis captivitatis nostræ inspicere; Crucis foramina & petrarum scissuras corporeis attingere manibus? Quis hæc cogitans, videns, & tangens, uberrimas posset restringere lacrymas? Quis, inquam, ita ferreus, dirus & crudelis? Ut puto, Nemo, qui inde siccis oculis, absque compunctione, sine gemitu & indevotus abscederet. Hic profecto omnis ferrea mens & immane cor omnem sui deponeret feritatem. Quænam lingua hominis loqui, aut cor excogitare poterit, quid illa beata & nimium felix anima fecerit, dixerit, & excogitaverit ibidem? Sane nullus. Ea propter consultius censui ea prætereunda esse sub silentio, ne fortasse diminute loquens præclarissimæ Virgini etiam nolens derogarem.

indeque Parmam,

ius quæ viderat meditandis,

pientissime vacat.

34 Interea cum talibus in propria patria beata Virgo alimoniis pasceretur, Ottobon Tertius Præfecturam urbis Parmæ habebat *b*, una cum Domino *b*

PER SIM. ZAMACHI EX MS. Petro Rubeo, poſt mortem Ducis Mediolani Joannis Galeazzi Vice-comitis primi, qui antea Comes Virtutum appellatus eſt. Orta namque quadam diſcordia inter eos, prævaluit Ottobon tertius, *c* qui plurimas ſtrages in alteram partem, videlicet Rubeam fecit; ita ut quamplurimum ab omni humanitate judicaretur alienus, ac omnis feritatis inventor & fabricator immanitatis. In cujus cor diabolus, interemptor quietis, immiſit ut beatam Virginem, Virginiſque matrem cum ingenti parte populi, ab eorum quiete & placidiſſima pace perturbaret: invidebat enim inimicus tantæ ejus paci. Hic itaque Ottobon Tertius, accerſita beatæ Virginis genitrice, illi ſic & aliis imperat, ut ſi ea die in civitate reperiantur, ſe penitus flammis tradendam non dubitaret. Statuerat enim ille crudelis tyrannus poni unam candelam duorum denariorum accenſam, ad *d* campanam in medio plateæ conſtitutam, qua combuſta, omnes quotquot in civitate reperirentur, gladio necarentur. Quod ut intellexit mater, de ſtatuto ſibi termino longe magis mirata eſt, quam de præcepto ſibi injuncto: nam tantæ feritatis erat operator erga omnes, ut nulli, contra quem ſe pauliſper exaſperaſſet, inducias diſcedendi præfigere neſciverit, at mox ejus immaniſſimæ voluntatis deſiderium adimplere ſatagebat. Nemo enim has inducias tantæ adſcribat feritati, quæ antea quidquam ſciverat humanitatis; verum divinæ miſericordiæ, præventæ continuis precibus votiſque beatæ Virginis Urſolinæ.

c *Ottobono Tertio tyrannidem gerente,*

ejicitur in exilium,

d

B

Bononiam abit,

35 Volenteſque beata Urſolina & genitrix tanto locum dare tyranno, cum ipſa ſumma Veritas dixerit, Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam; patria derelicta, Bononiam devenerunt; ibique aliquantiſper, non tamen prolixe, in omni humilitate, continuis orationibus, vigiliis plurimis, crebris jejuniis, diſciplinis aſſiduis, uberrimiſque meditationibus Jeſu Chriſto ſponſo ſuo deſerviebat.

Matt. 10, 23

inde Veronam,

e

Inde comite veneranda Domina *e* Mariſtella, Abbatiſſa S. Pauli de Parma, pariter à tyranno prædicto expulſa (quæ ſemel vidit dictam Virginem per cubitum à terra elevatam, dum Dominus oſtenderet ſibi in viſu Creationem primi hominis) & matre Veronam acceſſerunt, ut ope ejus & induſtria omnium bonorum extructor ipſe Deus quoddam monaſterium monialium, quod omni prorſus bene vivendi ordine & regula ipſe ſatanas jam pridem denudarat, ad priſtinam obſervantiæ regularis ſanctimoniam ac inſtitutiones regulares reſipiſcere, repedare, reverſique aſtrueret. Hic igitur continuis tribus annis beata Virgo Urſolina pene *f* incognita vixit; ſaltem quod tanti meriti eſſet apud Deum nemo arbitrabatur, licet inter ceteras matronas laudabilis vitæ & famæ haberetur. Propriis namque manibus ſibi victum tegmenque exquirens, una cum ſua genitrice paucam exigebat alimoniam. At ſancti Spiritus, ſanctarumque adipem Scripturarum ac meditationum pinguedinem per ſingula momenta ſugebat; ſicque feliciſſimam illam ſuam animam, mentemque placatam divinis alimentis confovebat.

C

ubi reformat monaſterium,

f

& in extremam infirmitatem delapſa,

36 Deus autem & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui omnium bonorum operum perampliſſimus eſt remunerator, volens B. Urſolinam cæleſtis regni ſibi coheredem & participem facere, ac orationum, vigiliarum, diſciplinarum, jejuniorum, omniumque laborum ac ſuæ caritatis immenſæ conferre mercedem; quamdam membris ejus immiſit ægritudinem. Quæ cum nimium in beatam Virginem invaleſceret, ait ad illam mater: Obſecro te, filia mi, atque item te deprecor, hujuſmodi ægritudinis tuæ expoſce à Domino ſublevamen. Eia, filia mi, te obſecro; age, ut opto; fac, ut peto; expoſce, quod admodum deſidero. Ne me, filia mi, permittas tua pergrata converſatione orbari. Deprecor te, mi filia, miſerere matri, compatiare doloribus viſcerum, quæ te genuere. Talibus itaque mater ſermonibus ubertim filiam propulſabat. Cui beata Virgo: Dei voluntatem, mater mi, æquo animo tolerare debemus; ſcit enim ipſe Deus, quid nobis opus ſit. Numquid abs re in hoc nequam ac miſerabili ſæculo perduxit nos ipſe Deus? numquid & crucis noſtræ portiunculam ſuſtulimus? Me miſeram! nonne opus eſt, ut nos ſontes patiamur cum Chriſto capite noſtro? ſumus enim membra ejus. Ipſe autem innocens paſſus eſt, ut nos à morte turpiſſima liberaret, & ſic cum eo ad cæleſtem patriam ipſo miſerante convolaremus. Scitote jam, genitrix cariſſima, & vos fratres ſororeſque aſtantes, ad finem univerſæ carnis me perveniſſe, & quod ſuum eſt, me oportere reddere matri noſtræ terræ. Quintus decimus modo completus eſt annus, quod dum me morti proximam cognoviſſem, dum eſſem in navi, quindecim à Domino annorum prorogationem vitæ meæ impetravi: ſupereſt igitur, ut ego & vos pariter colla divinæ voluntati ſubmittamus. Hoc præcipuum Chriſtianæ mentis eſt, & animæ ad æternam gloriam electæ indicium.

D

matrem ſolatur,

E

37 Tunc Reverenda Domina Mariſtella, Abbatiſſa S. Pauli, de qua paulo ante ſermonem fecimus, beatæ Virgini Urſolinæ inquit: Obſecro te, & obteſtor per Dominum Jeſum ſponſum tuum, qui ſumma eſt caritas & dilectio, quique noſter communis Dominus eſt, ut nos edoceas, ſi in hac tua ægritudine ipſe Deus de gloria paradiſi te fecerit participem. Cui beata Virgo Urſolina, omni humilitate repleta, ingentique perfuſa caritate, ſciens ſe brevi ſpatio felicem illam animam Deo reddituram, omni quadam puritate tale fertur dediſſe reſponſum: Deus, ad quem omnis gloria & laus, atque cuncta intentio noſtra dirigatur, immenſa ſua ac inenarrabili clementia, poſtquam me ancillam ſuam incepit ſuæ bonitatis immenſæ facere participem, ceſſavit numquam, defuit nuſquam, quin ſingulis diebus me miſeram & ingratam rore ſuæ clementiæ diutius ac copioſius irroraret, & hujuſmodi gratia uſque modo me enutrivit. Mater vero jam ex his certior facta de tranſitu filiæ, hinc gaudio repletur, cum ad illam ſupercæleſtem patriam Jeruſalem beatam filiam aſcenſuram non ambigeret: hinc mœrore exagitata pernimio, quod tali ſolatio & ſenectutis ſuæ firmiſſimo baculo in ævum privabatur. Suppreſſis tamen lacrymis, ac in ore violentata lætitia, inquit ad filiam: Obſecro te, dulcis filia mi, quam his meis genui viſceribus, & proprio lacte nutrivi; ut antequam ad illam ſupernam civitatem aſcendas, aliquod mihi & his adſtantibus relinquas memoriale tui ad ſalutem animæ noſtræ. Tunc B. Urſolina reſpondit: Inprimis quidem obſecro, ut caritatem habeatis ad invicem; inſuper teneatis veram & vivam fidem, tenentes pro certo, quod quidquid vobis occurrerit, totum à Deo propter immenſum amorem, quem habet ad creaturam ſuam, non propter odium, procedit. Deinde hortor, & pro ſingulari memoriali vobis relinquo, ut neminem unquam judicio veſtro condemnetis. Noverat enim ſancta Virgo, quantum fallax ſit judicium hominum, & animarum noſtrarum ab ipſa natura, immo ab ipſa fragilitate noſtra inſtitutum perniciosiſſimum venenum.

F

Dei erga ſe liberalitatē teſtatur,

optima adſtantibus dat monita,

38 Cumque mater poſt hæc & ceteræ adſtantes exiſtimarent, B. Urſolinam ex hoc ſeculo migraturam, & jam cereos ex more circa illam accendiſſent, cognoviſſetque hoc ipſa, ait adſtantibus: Fruſtra circa funus meum laboratis modo; cras enim noſter erit

diem matri ſuæ prænunciat:

A erit finis. Interim oſtendit ſibi Dominus multa & ſtupenda indicia de damnatione & ſalvatione diverſorum graduum hominum, videlicet Chriſtianorum, Saracenorum & Judeorum, quas ipſe propriis oculis vidi & legi. Denique cum in ultima ejus ægritudine vehementia febrium, & incredibili dolore illorum torqueretur; & adeo attenuata conſumptaque eſſet, ut omnibus de ſe miraculum præbens, non humana, ſed cæleſtis creatura divinitus educata, merito credi poſſet; ipſa tamen vultu hilari facieque ſerena, nihil aliud ex ſancto ore ſuo reſonabat niſi: O mi Jeſu! ô mi Jeſu! Mirabilis ſane & ſtupenda patientia, quæ haud dubium, quin Dei donum fuerit, qui in Sanctis ſuis mirabiliter operatur, & mi-
Pſal. 61, 2 rabilis prædicatur. Nonne Deo, inquit David, ſubjecta erit anima mea? ab ipſo enim patientia mea.
& poſt varios affectus amoris, Tunc talem fertur emiſiſſe orationem ad Deum. O æterne Deus, ô Magiſter optime, qui feciſti & formaſti iſtud vas corporis creaturæ tuæ de limo terræ. O dulciſſime amor! ô ignita caritas, de tam vili reformaſti illud, in quo poſuiſti tam immenſum & grandem theſaurum, quanta eſt anima, quæ portat imaginem tui æterni Dei. Tu Magiſter bone, dulcis amor meus. Tu enim ille es magiſter, qui ædificas
B & reædificas, qui frangis & reſolidas iſtud vas, ſecundum beneplacitum tuæ bonitatis. Tibi Patri æterno ego miſerabilis ancilla tua offero denuo vitam meam, pro dulci & jucunda ſponſa tua Sancta matre Eccleſia reformanda, quam tibi ſumme recommendo. Miſerere Domine, Pater æterne, & mihi ignoſce propter magnam ignorantiam & maximam negligentiam, quam commiſi in Eccleſia ſponſa tua: quoniam non ſum operata, ut debueram. Peccavi, Domine, miſerere mei, & largire quæſo mihi benedictionem tuam. Amen.

contritionis, 39 Poſt hæc ſæpe percutiebat pectus ſuum dicendo: Mea culpa, Trinitas æterna, quoniam miſerabiliter offendi majeſtatem tuam in multa negligentia, in inobedientia, in ingratitudine, in ignorantia & in multis aliis defectibus. Heu me miſera! quoniam non obſervavi generalia mandata tua, & particularia mihi facta à bonitate tua; & maxime illud quod mihi feciſti, ut ſemper tibi impenderem honorem & proximo meo laborem. Sed contrarium egi, quia quæſivi honorem proprium, & in tempore neceſſitatis fugi laborem circa proximum. Mea culpa, Domine: Tu namque, Pater, mihi præcepiſti, ut me totam derelinquerem & perderem, & ſolum
C quærerem laudem & honorem nominis tui, pro ſalute animarum, cum deſiderio apprehendendi hunc cibum ſuper menſam ſanctiſſimæ Crucis tuæ: ſed ego quæſivi conſolationem propriam, & non ſtudui videre animas in manibus dominorum. Tu miſericordiſſime Pater, ſemper me invitaſti ad conſtringendum te cum ignitis & amoroſis deſideriis, cum lacrymis cordis, cum humili, continua & fideli oratione, pro ſalute totius mundi, & pro reformatione ſanctæ matris Eccleſiæ, tuæ dulciſſimæ ſponſæ, promittendo cum hoc medio reformare eamdem ſponſam. At ego miſera numquam reſpondi, ſed dormiens extiti in lecto negligentiæ meæ; & ideo tot & tanta mala venerunt in mundo, & tanta ruina in Eccleſia tua ſponſa. Heu me miſeram! Non habui in debita reverentia innumerabilia dona, & gratias tantorum dulciſſimorum tormentorum & pœnarum, quas poſuiſti ſuper iſto fragili corpore. Heu me! Non reſpexi ineffabilem affectum & honorem, quo mihi ea dediſti; & ideo non recepi ea cum affectu & ignito deſiderio. Heu me! Dulcis amor meus; æternus ſponſus animæ meæ! elegiſti me ab adoleſcentia tibi in ſponſam, & ego non extiti tibi fidelis, ſed infidelis & adultera, quoniam non habui

gratitudinis, memoriam plenam tui ipſius, & altiſſimorum beneficiorum tuorum; & ideo voluntas mea non fuit bene diſpoſita te amare & ſequi, ſicut me petiſti. De his & multis aliis dicebat culpam ſuam columba illa puriſſima, ſæpe percutiendo pectus ad exemplum aliorum. PER SIM. ZANACH. EX MS.

40 His itaque geſtis accepit Sacramenta Eccle- *Sacramenta ſuſcipit:*
ſiæ, cum humili devotione & reverentia: quibus acceptis, fixit oculos corporis in quamdam imaginem Crucifixi, & cœpit devote orare & loqui altiſſima, quæ vix intelligi poterant. Deinde accerſita matre ait: Da, mater dulciſſima, quæſo benedictionem *& petita benedictione matris,* filiæ tuæ, quam genuiſti, quoniam tempus eſt, ut revertar ad eum qui me miſit. Ecce Sponſus meus vocat me: ecce adeſt tempus & hora, quam tibi prædixi. Tunc mater lacrymans præ anguſtia cordis, omnique humili devotione, Miſerere, inquit, filia mea, genitricis tuæ; miſerere viſcerum, quæ te geſtaverunt, miſerere uberum, quæ te nutrierunt. Quonam pergis, filia mi? Heu me! ubi me deſeris! Benedicta ſis filia: ſed quæſo benedic & tu matri tuæ doloroſæ. Tunc B. Urſolina elevans aliquantiſper manum, be- *illi viciſſim benedicit:*
nedixit matri & adſtantibus, & alloquens aiebat: Domine, tu me vocas: ecce venio ad te. Venio enim, non mediantibus meritis meis, ſed prævenien- E
te miſericordia tua, quam à te requiro in virtute ſanguinis filii tui. Et ſic dulci voce dicebat: Pater, in manus tuas commendo animam & ſpiritum meum. *ac pie moritur.* Hac tandem ægritudine, immo hoc martyrio conſumpta, ſancto fine quievit: noſque corpore deſerens, animam Deo reddidit, cum eo regnatura in ſeculorum ſecula. Amen.

ANNOTATA.

a *Anno* 1395 *iter hoc ſuſceptum arbitramur, non* 1399, *ut ſcribit quidam: cum Beata videatur obiiſſe anno* 1410.

b *Hi (quorum nomina interpres Italicus reticuit) an.* 1404, 8 *Ianuarii tyrannidem ſimul exorſi ſunt, cum maximo civium plauſu: ſed parum diuturna horum lætitia fuit, quia brevis tyrannorum, antea inter ſe inimiciſſimorum, concordia.*

c *Excluſus fuit Petrus ab Vrbe & dominio circa finem Maji teſte Bonaventura Angeli pag.* 238.

d 24 Junii mandatum eſt, *inquit Bonaventura pag.* 242, ut ante Nonam egrederentur viri & feminæ, magni & parvi, ſpectantes ad clientelam Petri ſub interminatione ignis, ſi quis intra quartum milliare ab urbe inveniretur. *Non meminit quidem Cerei Bonaventura: ſed cum præcedentis anni Iulio & Auguſto bis idem factum memoret, ſatis indicat iſtam conſuetudinem, ſic determinandi temporis ad egreſſum relegatis conceſſi, fuiſſe Parmæ uſitatiſſimam.* F

e *Vetus Abbatia illa eſt: nam apud Vghellum extat Caroli Magni diploma illam tranſcribentis in jus Epiſcopi Parmenſis Wigbodi: ibi autem vocatur* Abbatia Mediana S. Pauli.

f *Præter tempus quod in monaſterio tranſegit, fuitque circiter biennale.*

CAPUT V.

Virtutes B. Vrſulina & adhortatio ad eam imitandam.

41 HOc igitur ordine defuncta beata Virgo Urſolina accepit repromiſſionem, quam à longe aſpiciebat & ſalutabat, confitens ſe peregri- 2 Cor. 5, 6
nam & hoſpitem ſuper terram: Quamdiu, ait Apoſtolus, in hoc corpore ſumus, peregrinamur à Do- *Corpus corruptionis expers toto triduo,*
mino. Cum vero ſanctum corpuſculum ejus toto triduo inhumatum ſervaretur, in tertio die tam incorruptum,

PER SIM. ZANACHI EX MS. corruptum, tam pulchrum tamque tractabile erat, ut non mortua ſed dormiens crederetur. Non dabis, inquit David, ſanctum tuum videre corruptionem.

Pſ. 15, 10 Act. 2, 27 Quæ verba etſi prophetice de Domino Jeſu Chriſto dicta ſint, cujus ſacroſancta caro corruptionem non vidit, veluti in Actibus Apoſtolorum teſtatur S. Apoſtolus Petrus; tamen & de venerabili ac ſancta Urſolina ac ceteris Sanctis intelligi poſſunt, quoniam

Col. 1, 18 membra Chriſti ſunt: Ipſe enim, ut ait Apoſtolus, eſt caput noſtrum, ex quo totum corpus, ſcilicet Eccleſiæ, compactum & connexum eſt per omnem

teſtatur beatitudinem Vrſulinæ. junctura. Quis igitur hanc venerandam ſanctamque Urſolinam, tamquam membrum Chriſti, cum Chriſto in cæleſti patria regnare non credat? quis ipſam Beatam eſſe dubitet? O Urſolina beata vere,

Invocat eâ auctor, terque quaterque beata: ecce quod credidiſti jam vides, quod concupiſti jam tenes. Memento quæſo noſtri, & adiva nos, qui in his mundi tempeſtatibus fluctuamus: atque orationum tuarum ſuffragio trahe nos poſt te, ut curramus in odorem virtutum tuarum.

42 Ceterum, ô beata Virgo Urſolina, mater & advocatrix mea præcordialiſſima, neque

B adhuc deſinere velim, quin pro virtute ingenioli

& collaudat ejus fidem, mei reliquas virtutes tuas laudibus proſequar & enarrem, quibus ornata ſemper fuiſti: fidem videlicet, ſpem & caritatem, prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam, & humilitatem. Fide etenim, ſine qua impoſſibile eſt quemquam placere Deo, tam repleta erat hæc Virgo beata, ut velut alter Enoch continuo ambularet mente cum Deo. Fide obtulit, non ſicut Abel de primogenitis gregis ſui, ſed de ſemetipſa plurimam hoſtiam Deo, viventem, ſanctam, placentem cum rationabili obſequio; certior exiſtens ſe non habere hic civitatem manentem, ſed futuram præſtolabatur, habentem fundamenta æterna, cujus artifex & conditor Deus. Fide imitata antiquorum Patrum ſanctorum exempla, divitias, honores, mundique delicias deſeruit; eaſque veluti ſtercora reputans, delegit vivere in egeſtate, in anguſtiis, in afflictionibus, in laboribus, quatenus in cæleſti patria digna eorum conſortio efficeretur. Fide denique juſtificata, pacem cum Deo ſemper

ſpem, habebat. Spe vero ad ſuperna bona ſuſpenſa, tamquam filia Dei, gloriabatur in omnibus tribulationibus; ſciens quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero ſpem. Hujuſmodi autem ſpes non confundebat eam, quia

C caritas Dei diffuſa erat in corde ſuo, per Spiritum

caritatem, ſanctum qui datus erat ei. Caritate enimvero ardebat quoad Dominum & quoad proximum, de corde puro & conſcientia bona & fide non ficta: illa, inquam, caritate, de qua loquitur Apoſtolus ſanctus,

1 Cor. 4, 21 Caritas patiens eſt, benigna eſt, caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Hæc omnia in beata Virgine aderant: ipſa patiens, ipſa benigna, nemini invidens, nec virtuoſis. Quis eam quippiam perverſe agere vidit? Procul ab ipſa ſuperbia, procul ambitio aberat. Quæ ſua erant non quærens, ſed quæ Jeſu Chriſti, nullis contumeliis aut injuriis, tamquam patientiſſima, irritabatur. Malum nequaquam cogitans, contriſtabatur de iniquitate, & gaudebat de æquitate & veritate.

reliquaſque virtutes: 43 De ipſius vero prudentia, juſtitia, fortitudine, temperantia, quid dicam? Prudens ſiquidem in agendis, juſta in regimine, fortis in adverſis, temperata in proſperis fuit. Ex ſua prudentia quid facto opus eſſet non neſciens, prudenter eligenda eligebat, reſpuenda reſpuebat; temperate proſperis utebatur, fortiter adverſa tolerabat. Juſte vero unicuique D quod ſuum erat diſtribuens, tantæ prudentiæ extitit, ut nihil pœnitendum appeteret, nil præter juſtum ageret; tantæ temperantiæ, ut nihil niſi turpia metuens, quidquid cogitabat, quidquid agebat ad rationis normam dirigeret; tantæ fortitudinis, ut terrenas cupiditates non ſolum reprimeret, verum etiam penitus obliviſceretur; tam denique juſta, ut omnem animi ſui cogitationem ad ſolum Deum dirigens, eum, tamquam omnium bonorum principium, medium ac finem fixa mentis acie intueretur. Quid plu- *cui velut alteri Iudith applaudit,* ra? omnium virtutum armis inſtructa, velut altera Judith, ſuperbum Holofernem cum toto penitus exercitu ſuo, id eſt, diabolũ cum omnibus vitiis, adeo ſtrenue confudit & ſuperavit, ut merito de ipſa cantari poſſit, Benedixit te Deus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos ſuos. Tu gloria urbis tuæ Parmæ: tu lætitia populi tui: tu decus & clarĭtudo generis tui: tu honorificentia filiarum tuarum te imitantium: quæ pugnaſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eo quod amaveris virtutes, & poſt vitia non ambulaveris; ideo manus Domini confortavit te, & eris benedicta in æternum. Hæc igitur ſanctiſſima virgo, his gemmis ac lapidibus pretioſis ornata, E atque hujuſmodi virtutibus decorata, nonne introducta in cubiculum dilecti Sponſi ſui, illud digne audire meretur; Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te?

& moniales S. Quintini, 44 Quapropter Reverenda in Chriſto Mater, & vos devotiſſimæ in Chriſto Sorores, gaudeamus & exultemus, & demus gloriam Deo, qui talem advocatricem & imitatricem habere meruimus: quæ jam introducta in cubiculum Regis æterni, ſalutem & gratiam nobis à Deo continue imprecatur: cui ex ſuarum merito virtutum nil prorſus denegatum iri confidamus. Sed reliquum eſt, Matres meæ in Chriſto venerandæ & dilectiſſimæ, ut in concluſione vos, etſi opus non ſit, filiali tamen audacia & dilectione ex- *ad ejusimitationem invitat,* horter, quatenus prænominatæ beatiſſimæ Virginis Urſolinæ veſtigia recto calle imitari ſtudeatis. Ipſa namque eſt lucerna ardens, non ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſita, quæ ſplendore ſuarum virtutum ac miraculorum fulgore, non tantum nobis, ſed & omnibus fidelibus in domo Dei lucet. Iſta, inquam, vos ſanctimoniales ex Ægypto, hoc eſt, ex tenebris & anguſtiis mundanis eductas, & per vaſtam ac terribilem ſolitudinem hujus mundi proficiſcentes, atque ad terram promiſſionis fluentem lacte & melle, ad patriam cæleſtem, in qua eſt civi- F tas ſancta Jeruſalem, id eſt viſio pacis, pervenire exoptantes, tamquam columna præcedit: quæ ut ignis in hoc deſerto tenebroſo, in nocte tentationum, præbet vobis lumen diſcretionis; & in ipſo æſtu tentationum præſtat vobis refrigerii conſolationem.

maxime in humilitate, 45 Sanctum Collegium veſtrum eſt ille Euangelicus ager, plenus ſuaviſſimi odoris, cui benedixit Dominus, quique oſtendit per quam viam ingredi debeat unaquæque veſtrum ad thalamum ſummi Regis, ubi jam introducta eſt ſanctiſſima Virgo Urſolina, per humilitatem ſuam ſingularem, quæ prima Chriſtianorum virtus eſt. Nam quæ veræ virgines & diſcipulæ Domini ſunt, debent ſicut Chriſtus ambulavit, & ipſæ ambulare. Ipſe namque hanc, tamquam fundamentum omnium virtutum, verbo & exemplo diſcipulos ac imitatores ſuos docuit: verbo, cum dixit, Diſcite à me, non, ut ait B. Auguſtinus, mundum fabricare, non cuncta viſibilia & inviſibilia creare, non in ipſo mundo miracula facere & mortuos ſuſcitare; ſed quia mitis ſum & humilis corde. Exemplo autem, quoniam cum eſſet filius Dei & Deus æternus, immenſus, incomprehenſibilis, omnium viſibilium & inviſibilium conditor, à Paterna gloria & ſedibus ſuis regalibus

A regalibus deſcendens in hanc vallem miſeriæ, ex utero humilis & ſanctiſſimæ Virginis Mariæ carnem humanam aſſumens, humiliter naſcens, puerulus, parvulus & pauperculus, humillimeque per triginta tres annos in hoc mundo converſatus, tandem ex ſua humilitate capi, flagellari, crucifigi, & pro noſtra redemptione mori dignatus eſt, humili & contemptibili morte crucis. Humiliavit enim, ait Apoſtolus, ſemetipſum uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Fundamentum ergo nullum melius, nullum utilius, nullum ſalubrius iſto, quod poſuit Jeſus Chriſtus benedictus. Humilitas videlicet, ſine qua, ut ait S. Gregorius, qui ceteras virtutes congregat, quaſi in ventum pulverem portat; & unde aliquid ferre cernitur, inde deterius cæcatur. Super hoc igitur fabrica ceterarum virtutum conſtruenda eſt; ut ad faſtigium caritatis, quod Deus eſt, perveniatur.

cujus exemplar ſe Chriſtus præbuit,

Phil. 2, 8

& quæ eſt fundamentum perfectionis,

46 Si cupitis exaltari, ſi ad conſpectum Dei pervenire deſideratis, Matres dilectiſſimæ & venerandæ, in hoc fundamento verſamini: ſuper ipſum ædificate vobis de lapidibus vivis, hoc eſt ex virtutibus, tabernaculum non manufactum in terris, ſed ſpirituale & æternum in cælis. Imitamini venerandam

B ſanctamque Virginem Urſolinam, quæ in hac humilitatis virtute ſe totam fundaverat, tamquam vera diſcipula Domini Jeſu Chriſti ſponſi ſui benigniſſimi, quem & mente & oratione ſecuta, humillime per totam vitam in mundo converſata eſt; atque in finem ſuum præfatum humilitatis exemplum vobis & ceteris Virginibus exhibuit. De quibus autem, etſi præceptum Domini non habere ſe dicat Apoſtolus Paulus, conſilium tamen dat, quoniam bonum eſt illis, ſi ſic permaneant. Deinde ſubdit: Innupta & Virgo cogitat, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, & ſit ſancta corpore & ſpiritu; Quæ ſunt Dei, inquit, cogitat, non certe quæ ſeculi; non quæ hominum, ſed quæ Dei ſunt cogitat. Primum quomodo, inquit, placeat Deo, non plane hominibus;

virginibus maxime neceſſariũ,

1 Cor. 7

Gal. 1, 10 quoniam ſi juxta eumdem Apoſtolum, hominibus placere ſtudet, Chriſti ſerva non eſt.

47 Deinde ſubdit, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Sancta, inquit, corpore, hoc eſt, ut in omnibus membris corporis ſui ſanctitatem ſervet; quoniam non prodeſt ſanctificatio ceterorum membrorum, ſi in uno inveniatur corruptio. Mundet igitur Virgo, ut ſit ſancta, caput ſuum, tanquam membrum corporis principale, ab omnibus inquinamentis & or-

C natibus mundanis & vanis. Mundet collum; ut non aures monilia, ſed potius illa ornamenta circumfe-

Prov. 3, 3 rat, de quibus Scriptura dicit; Miſericordia & veritas non deficiat à te, ſuſpende illas in collo tuo. Mundet oculos ab omni concupiſcentia; quoniam

Thr. 5, 31 ſanctus Hieremias propheta conqueritur dicens: Oculus meus deprædatus eſt animam meam. Mundet linguam à mendacio: Os enim quod mentitur occidit animam. Mundet à murmuratione, à detra-

Matt. 5, 34 ctione, à juramento; quia Scriptura eſt, Non jurabitis omnino, ſed ſit ſermo veſter, Eſt eſt, Non non: Mundet à verbis frivolis & otioſis: nam de omni verbo otioſo reddituri ſumus rationem in die judicii: Mundet aures, ut nonniſi ſermonibus ſanctis & veris auditum præbeant. Mundet & manus, ut ad omnia pietatis & miſericordiæ opera promptæ ſint. Mundet denique pedes, ut arduum & anguſtum gradiantur iter, quod tendit ad cælum: via enim,

Iſ. 35, 8 qua itur ad cælum via ſancta vocatur, ut ait Iſaias Propheta, & non tranſibit per eam virgo polluta. Cumque univerſa corporis membra mundaverit virgo ab omni ſorde peccati, tunc virginitatem ſibi

& ſpiritu: profuturam ſciat. Sancta igitur ſit corpore, ſancta quoque ſit ſpiritu, hoc eſt, ut quod opere illicitum eſt fieri, nec cogitatione admittat; illa enim virgo tam ſancta corpore quam ſpiritu eſt, quæ nec corpore nec mente peccat, ſciens quoniam & cordis inſpector eſt Deus. Quapropter, Virgines ſacræ, date operam quæſo, ut omnimode animum cum corpore mundum habeatis à peccato, quoniam ſcriptum eſt: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Matt. 5, 8 Denique vos in unum omnes, Matres, exhortor, ut ſitis omnibus forma pie in Chriſto vivendi, atque exemplar virtutum, veluti præfata venerabilis & beata Virgo Urſolina extitit.

PER SIM. ZANACHI EX MS.

qua debent eſſe ſancta corpore,

48 Verum jam tempus eſt, dilectiſſimæ Matres & Sorores in Chriſto venerandæ, ut finem huic operi meo imponam, in quo quod modum exceſſerim, quod nimis præſumptuoſus & temerarius extiterim, argui vereor. Monachi, dicet quiſpiam, officium eſt potius plangere & orare, quam in hujuſmodi dictaminum compoſitione tempus terere. Ego vero Deum cordis inſpectorem teſtem invoco, me neque temeritate, neque ulla præſumptione ductum, hoc opuſculum dictaſſe; ſed ſolum ad hoc me impulit ſingularis zelus devotionis, atque maxima vis amoris quem habui, habeo, & ſemper habiturus ſum, donec mihi vita comes fuerit, tam erga vos, Matres meæ in Chriſto cariſſimæ & venerandæ, E quam & erga venerabilem & beatiſſimam matrem & advocatricem meam ſanctam Urſolinam prædictam, ſuper cujus tumulum hos virtuoſæ vitæ ejus flores loco Epitaphii ſpargere, abſens corpore ſed præſens ſpiritu, inſtitui. Neque viſum eſt mihi tempus conſumpſiſſe inutiliter, quandoquidem tantæ tamque venerandæ Virginis laudes virtuteſque, pro ingenioli mei modulo, litteris memoriæ commendare ſtudui, ad exemplum & utilitatem poſterorum. Quod autem modum non ſervaverim, caritas id effecit, quæ cum vera ſit, modum in bonis operibus ſervare neſcit. Confido autem de vobis, quod (arguat me quicumque velit) nihilominus iſtud meum filiale obſequium ac pium ſtudium vobis, pro veſtra in me humanitate ac dilectione, ingratum non erit: mihique ſatis ſuperque erit, quamquam ab aliis reprehendar, ſi rem gratam vobis feciſſe cognovero.

excuſat ſe quod ſcribere præſumpſerit,

devotionis impulſus, affectus,

49 Suſcipite ergo, dulciſſimæ Matres meæ in Chriſto, hoc parvulum munuſculum de manu cordis mei, pauperculi ſervuli veſtri, tum ob memoriam & honorem dilectiſſimæ matris noſtræ beatæ Virginis Urſolinæ, tum contemplatione veſtri, à me, dilectione inſtigante, rudi ſtylo exaratum, meque veluti filium aut ſervulum veſtrum diligite: quia re F vera ego vos toto corde in Chriſto diligo. Dilatamini quæſo erga me in viſceribus caritatis, quia cor meum erga vos totum dilatatum eſt. Mementote mei continue in veſtris ſanctis orationibus, in quibus magnam ſpem ac fiduciam repoſitam habeo. Deum omnipotentem & piiſſimum ſupplex deprecor, quatenus ſuper vos, quouſque in hac peregri-

& perfectam illis ſanctitatem optat.

natione eſtis, tantam benedictionem ad plenitudinem ſanctitatis infundat, uti ſequentes veſtigia prædictæ venerabilis ac beatiſſimæ virginis Urſolinæ, alia poſt aliam peracto curſu hujus mortalitatis, ſanctificari in Eccleſiis mereamini; velut ipſam ſanctificatam nullo pacto ambigo, cui illud Apoſtoli veriſſime adaptari poteſt, quod videlicet Deus ipſam Rom. 8, 29 ab æterno præſciverit & prædeſtinaverit conformem fieri imaginis filii ſui. Quam autem prædeſtinavit, hanc & vocavit; & quam vocavit, hanc & juſtificavit; & quam juſtificavit, hanc & magnificavit, hoc eſt ſanctitate magnam effecit. Deus autem ſpei repleat vos, Matres in Chriſto devotiſſimæ, omni gaudio & pace, ut abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti. Amen.

rogatque ut gratum habeant opuſculum hoc,

PER SIM. 2 NACHI EX MS.

CAPUT VI.

Quædam B. Vrſulinæ Miracula.

Corpus poſt ſeſquianni ſepulturam integrum,

50 SEpultum autem fuit ſacrum ac venerandum corpus almificæ Virginis Urſolinæ, Veronæ in eccleſia S. Joannis. Quod poſtmodum, anno uno cum dimidio intermiſſo, mater ejus inde Parmam honorabiliter deportari fecit, integrum totaliter & illæſum, ac nulla penitus putredine aut corroſitate vitiatum; quin immo mira odoris ſuavitate fragrabat; illudque in eccleſia monaſterii veſtri S. Quintini cum ingenti devotione populi collocavit, uti continue cernitis. Quod beatum corpus cum contiParmam tranſfertur. nuis quatuor diebus & totidem noctibus in ipſa eccleſia inhumatum permiſiſſent, Dominus multa & plurima miracula oſtendere dignatus eſt, ut cuncto populo innoteſceret, quantum beatiſſima Virgo ſibi fuerit accepta. Ego enim ex multis pauca narrabo, ut de multis pauca, quantum beata Virgo fuit Deo grata, fidem præbeant indubitatam.

Abbatiſſa incredula,

51 Abbatiſſa igitur monaſterii veſtri S. Quintini, quæ de ſanctitate Beatæ incredula ludibrium cunctis adhibebat, Deo permittente, die ſecundo ante-
B quam corpus B. Virginis ad ejus eccleſiam deportaretur, penitus omni officio audiendi eſt privata. Adducto vero corpore beatæ Virginis in eccleſiam, Moniales innuebant Abbatiſſæ ſignis & manibus, ut melius poterant, quod corpus ſacrum cum devotione viſitaret; nam proculdubio ſciebant hoc ſibi divino eveniſſe judicio, quoniam beatam Virginem &

Ideoque audita privata,

ejus vitam deteſtabatur. Hæc vero Abbatiſſa in ejus pertinaci duritie perſeverans, ſanctimoniales hoc ſibi innuentes temere item deridebat; verum ut ipſis Monialibus ſic inſtantibus ſatisfaceret, precibus quarum victa fuerat, in eccleſiam perrexit, ubi venerabile corpus B. Urſolinæ aſſiſtebat: non tamen illi appropinquavit, ſed in choro eccleſiæ ſeorſum reſidebat. At una Monialium, quæ fortaſſis plus ceteris devotione tantarum reliquiarum detinebatur, ſtans retro Abbatiſſam, cum una feſtuca tetigit ingenti

curatur attactu:

cum devotione corpus B. Urſolinæ, ſcilicet per ſingulas partes faciei, & hoc facto mox retro, inſcia dicta Abbatiſſa, cum dicta feſtuca tetigit aures ipſius Abbatiſſæ, quæ ſtatim priſtinum recepit auditum. Hæc igitur Abbatiſſa, tanti miraculi novitate commota, protinus ante ſacras reliquias B. Urſolinæ ſe
C proſtravit, veniam humiliter petens de tamdiu protracta incredulitate, & pro beneficio ſibi impenſo Deo & beatæ Virgini gratias immenſas retulit.

reus à ſupplicio liberatur,

52 Theutonicus quidam, in carceribus mancipatus ob demerita ſua, cum in craſtinum capitalem ſententiam ſubire deberet, mulier quædam, quæ hujus viri mortem ægre admodum patiebatur, ſe ante venerandas Reliquias B. Urſolinæ proſtravit, & uberrimas profundens lacrymas, inquit: Deprecor te piiſſima Virgo, atque obnixe rogo, ſi à Deo electa fuiſti (ut inquiunt omnes) & ſi gratiam inveniſti in conſpectu Dei, ut impetres gratiam à Deo, ne hic pauper & nimium infelix, capitali ſententia deputatus, pereat; ſed tuis meritis gratiam liberationis inveniat coram Deo. Mira res & profecto admodum ſtupenda! Ille qui in craſtinum capitalem ſubire debebat ſententiam, liberatur, ac incolumis abire

Sterili proles impetratur,

permittitur. Mulier quædam, dum adhuc beata Virgo Urſolina eſſet in humanis, matrem deprecata eſt, ut filiam pro ſe exoraret, quod ipſa intercederet ad Dominum pro ea, ſcilicet quod mereretur poſſe filios concipere, quia ſterilis erat: quod cum exoraſſet B. Urſolina, paucos poſt dies hæc mulier concepit, ut optaverat.

53 Virgo quædam, quæ plurimum domeſtica & familiaris B. Urſolinæ dum viveret fuit, à parentibus coacta viro deſponſata eſt, licet ipſa pudicum & ſacrum corpus ex propoſito Domino conſecraverat, & id ſummo ſtudio conſervare peroptabat. Hæc autem virgo omni deſtituta auxilio, cum dies copulæ maritalis inſtaret, ad B. Urſolinam, tamquam ad extremum & ſingulare refugium, ſe contulit; & cum in ſecreto ſui thalami inſiſteret hujuſmodi ſermonibus, beatam virginem deprecata eſt: Et ſi certa ſim, Virgo pudiciſſima & Deo pergrata, quod interceſſiones tuæ apud Deum plures ſint & efficaces; te obſecro, te deprecor, & totis meis viſceribus miſera ego & infelix te exoro, atque per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem vivens admodum peramaſti, te obteſtor, ut pro me digneris intercedere coram ipſo Jeſu Chriſto, quando fueris facie ad faciem, ut ſi juſtum eſt & poſſibile (cum omnia ſint poſſibilia coram Deo) huic mortali ſponſo, cui invita deſponſata ſum, non conjungar; ſed pudicam & caſtam me valeam conſervare æterno ſponſo tuo, Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui me diu jam totis viſceribus & mente dedicavi: & denuo te teſte, nunc (ſi tamen mihi miſeræ peccatrici aſſiſtere non dedigneris) offero, me puram & caſtam, E
ipſo Domino Jeſu Chriſto favente, ac tuis coadjuvantibus meritis, quoad vixero, conſervare. Eia jam, beata Virgo, hujus infelicis famulæ tuæ ac devotæ, licet peccatricis, accipe preces: exaudi vota: & quas modo effundo lacrymas, & amaros ſingultus reſpice. Quæſo atque iterum quæſo, ne patiaris, ut revertantur ad me vacuæ, quas ex amariſſimo pectore eduxi, lacrymæ: didiciſti etenim vivens compati miſeris, & afflictis miſereri: multo magis ergo aſſiſtens in gloria, his compati debes & miſereri: in te enim omnis mea ſpes eſt, & per te ſpero conſequi omne votum. Me miſeram! heu miſeram me! O beata Virgo accelera conſolari. Præſtolor auxilium tuum; tuum exopto juvamen; & certa ſum, quod tot preces, tot lacrymas, tantoſque ſingultus & amaros gemitus, piiſſima, non deſpicies. Eia jam accelera, ut eruas me à tali & tanta miſeria & caſu irrevocabili.

apparens B. Vrſulina,

54 Vix illa hujuſmodi verba finierat, ecce illi apparuit B. Urſolina, eo induta habitu, quo eam viventem inſpicere conſueverat, ſed longe pulcrior; cujus aſpectum juvenis illa perterrita aſpicere non audebat. Quam cum B. Urſolina adeo trementem cognoviſſet; ait illi: Ne paveas, ſoror, en adſum, F
quam tantopere exoraſti: bono ſis animo, ſoror mea dilecta, & regni æterni mecum coheres: jam in Domino noſtro Jeſu Chriſto ſponſo noſtro gaude & exulta. Lætare, inquam, ſoror, quoniam deprecatio tua & ubertim profuſæ lacrymæ nubes tranſierunt, cunctoſque cælos & ſidera aurea pertranſeuntes, mox ad conſpectum majeſtatis divinæ perveneruntLæta jam eſto, quoniam Dominus noſter Jeſus Chriſtus, verus & æternus ſponſus, ut tuæ annuat voluntati, te ad æternas invitat nuptias; die namque Dominico futuro nobiſcum in perenni gloria congaudebis. Et hæc annuntiatio fuit die Mercurii ante eumdem diem Dominicum, quando ad æternas nuptias abiit, & parentes juvenis ſtatuerant omnino conſummare nuptias temporales. Talibus itaque dictis, beata Virgo Urſolina ab humanis ſe ſubtraxit oculis. Tunc juvenis illa omni lætitia & ſuavitate repleta eſt, & per ſingulas horas ac momenta præfixum diem ſui tranſitus intra ſe tacita mente memorabat, nec quas poterat Deo & beatæ Virgini condignas gratias exhibere ceſſabat: nam longius, quam petierat, votum ſuum fuerat conſecuta. Eo namque die cœpit ipſa juvenis febricitare,

intra diem tertiũ promittit beatam mortẽ:

virgini deſponſata nuptias deprecanti,

D

A & per ejus languida membra incompoſitus calor decurrere, omneſque vires corpuſculi ſui & ſenſus medullitus conquaſſare. Omnia etenim juvenis ipſa, mox regno fruitura cæleſti, æquo animo tolerabat; libenter ſufferens, ſed libentius expectans futura præmia: ſpe enim venturæ ſtatim gloriæ ingentem extinguebat languorem, ac pœna brevi perenne præmium compenſabat. Uſque in diem Dominicum tertium, ſcilicet ab apparitione B. Urſolinæ, juvenis ipſa febre admodum gravata, doloribus plena, anxia pernimium corpore, ſed mente hilaris pervenit; & hora præfixa ſibi per B. Urſolinam, Domino Jeſu Chriſto ſpiritum reddidit, cum ipſo regnatura in ſeculorum ſecula. Amen.

moribundi ſanat,

55 Quidam juvenis, gravi quadam infirmitate detentus & ad extrema jam perventus, cum à matre ſua, quæ infirmitatem filii ægre ferebat, ſacræ Virgini Urſolinæ devoveretur, mox reſumptis viribus in brevi extitit plenarie liberatus. Quædam mulier

ſubmergenda ſalvat,

Veronenſis, quæ dum lavaret quoddam linteamen ad fluvium, & de manibus ejus proſiliret, atque illud rehabere cupiens, pariter cum linteamine curſu fluvii per aquam duceretur; cernens ſe in periculo ſubmerſionis, Virginem invocavit; ſtatimque per Vir-

B ginem eſt ad terram cum linteamine reducta, & à

cæcitatem averſit,

præfato periculo liberata. Quædam mulier, nomine Catharina, in tantum patiebatur in oculis, ut de uno pene excæcata præ verecundia domum non exiret. Devovit ea ſe Virgini, quæ ſequenti nocte eidem apparuit dicens: Vade in mane ad Miſſam, & liberaberis; & ita factum eſt, ut virgo Urſolina eidem prædixerat.

apoſtatandi propoſitum precibus vanitas:

56 Monialis quædam in Venetiis multum tentabatur à diabolo, ut habitum religionis deponeret, & cuidam juveni ſe conjungeret; & eo jam erat reda-

cta, ut omnino à monaſterio cum prædicto juvene aufugere vellet. Mater vero prædictæ monialis, devota ſacræ Virgini Urſolinæ, hoc intelligens, & pro honore filiæ ægre ferens, cucurrit ad beatam Virginem Urſolinam, eamque deprecata eſt, ut ſtabilitatem filiæ à Domino impetraret, & tentationem illam nefandiſſimam de corde ſuo expelleret. Beata Virgo Urſolina oratorium ſuum intravit, & pro moniali oravit; indeque exiens matri prædictæ monialis quamdam ſcripturam tradidit, ut ad filiam ſuam deferret legendam. Erat enim ſcriptum in dicta charta ſic: Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat. Cumque præfata monialis perlegiſſet, mox ſtabilis effecta eſt; & perſeverans in propoſito priſtino, uſque in finem vitæ ſuæ Domino ſervivit, & in pace quievit. Amen. PER SIM. ZANACHI EX MS.

aliis innumeris miracula claret.

57 Quanta autem miracula Dominus operatur, per merita hujus ſacratiſſimæ Virginis Urſolinæ, Matris noſtræ Reverendæ, vobis Matribus in Chriſto dilectiſſimis audienda & addenda, dignius duxi relinquere, quam inſufficienter & minus polito eloquio enarrare. Quapropter, Matres in Chriſto devotiſſimæ, his ex paucis multo plura conſiderare debemus, ac mirabilem ejus vitam præclaroſque mores & ſanctam ejus converſationem; ut tanto exemplo

E edocti, valeamus pervenire ad æternam illam beatitudinem, in qua ipſa Virgo beata feliciter gaudet cum Deo Patre, & ejus Filio Domino noſtro Jeſu Chriſto, & cum Spiritu ſancto, cui eſt laus, honor, poteſtas & imperium per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

Finis adeſt compendioſæ deſcriptioni in Vitam beatiſſimæ Virginis Urſolinæ de Parma, præclariſſimæ Jeſu Chriſti ſponſæ. Anno Domini MCCCCLXXII, die decem millium Virginum, de menſe Octobri.

VIII APRILIS.

SANCTI QVI VI IDVS COLVNTVR.

SAnctus Herodion Novarum Patrarum,
S. Aſyncritus Hyrcaniæ,
S. Phlegon Marathonis,
C S. Hermes Dalmatiæ,
Epiſcopi Martyres.
S. Dionyſius, Epiſcopus Corinthiorum, Pariſiis in monaſterio S. Dionyſii.
S. Timorius,
S. Januarius,
S. Macarius,
S. Connexus,
S. Maxima,
S. Conceſſa,
Martyres, Carthagine & alibi in Africa.
S. Conceſſus,
S. Solutor,
S. Succeſſus,
S. Pinnarus,
S. Ammonius,
Martyres.
S. Ædeſius Martyr Alexandriæ.
S. Amantius, Epiſcopus Comenſis, in Italia Alpeſtri.
S. Perpetuus, Epiſcopus Turonenſis, in Gallia.
S. Redemptus, Epiſcopus Ferentinus, in Latio. F
S. Philaretus, monachus Baſiliani Ordinis, Martyr.
S. Galterius, Abbas S. Martini, Ordinis S. Benedicti, juxta Pontiſaram in Gallia.
B. Albertus, ex Canonico Regulari Epiſcopus Vercellenſis, Patriarcha Hieroſolymitanus, Legatus Apoſtolicus & Legiſlator Ord. Carmelit.
B. P. Ioannes de Orgaña, Abbas Bellopodienſis in Catalania, Ordinis Præmonſtratenſis.
B. Clemens, Generalis Eremitarum S. Auguſtini, Vrbe-veteri in Hetruria.
B. Martinus, Solitarius, Genuæ in Liguria.

EDuardi, Regis & Confeſſoris in Anglia, *memoria refertur in Kalendario MS. Ordinis Carmelitani, & dicitur* hujus Ordinis *eſſe. Probatio ſit penes illos, Mortuus eſt Eduardus Rex Confeſſor anno* 1066, *cujus Acta, abſque ſimili memoria, dedimus* VI Januarii.

S. Victoriani Aſanenſis in Hiſpania Tranſlatio *hoc die contigit, ad præcedentem refertur à Tamajo Salazar. Vitam ejus dedimus* XII Januarii.

S. Potitus Martyr, Tuſcanæ in Etruria *celebrari dicitur à Ferrario, in Generali Catalogo, & aliquas ejus ibidem reliquias haberi; cetera ignoramus, uti diximus ad Acta S. Potiti Martyris* XIII Januarii.

S. Deſignatus, Epiſcopus Trajectenſis, *quaſi eſſet* Ducis Dalenſis ex filia Regis Scotiæ filius, *hodie memoratur à Camerario in Menologio Scotico. Nos eam genealogiam rejecimus die ejus natali* XIII Januarii.

S. Macarius Abbas *celebratur in pervetuſto Martyrologio Caſinenſi, charactere Longobardico ſcripto; forſan eſt aliquis ex Abbatibus antiquis Ægypti, quales dedimus* XI & XV Januarii. B

S. Agabus Propheta, in Actis Apoſtolorum memoratus, *recolitur hoc die à Græcis cum aliis diſcipulis Apoſtolorum. De eo ſeorſim cum Latinis egimus* XIII Febr.

S. Proterius, Patriarcha Alexandrinus, *hoc die occiſus eſt: ac colitur* XXVIII Februarii.

S. Apollonius Martyr, qui Philemonem Judicemque convertit, *inſcriptus eſt Violæ Sanctorum, olim Hagenoæ excuſæ. Acta horum dedimus* VIII Martii.

Chronini Presbyteri elevatio *inſcripta eſt Menologio Scotico Demſteri. Conſule quæ de* Chronano monacho (*nam in Indice præfixo videtur idem ſtatui*) *inter Prætermiſſos diximus* VIII Martii.

S. Maria Ægyptiaca *celebratur in MSS. Latienſi & Leodienſi S. Lamberti, à pluribus ſequenti die. Nos cum Martyrologio Romano & aliis ejus Acta illuſtravimus* XI Aprilis.

S. Cæleſtinus Papa *ſolenni veneratione colitur hoc die à Græcis, & refertur in variis faſtis Latinorum. Acta ejus dedimus* VI Aprilis.

S. Notkeri Balbuli monachi Sangallenſis elevatio *ſeu* depoſitio, *aut ſaltem ſimplex memoria, refertur à Sauſſajo, Menardo, Ferrario & aliis. Nos Vitam & miracula ejus illuſtravimus* VI Aprilis.

C S. Epiphanius Epiſc. } Martyres apud Africam, *me-*
S. Donatus, } *morantur in Ms. Vaticano eccleſiæ*
& alii XIII } *S. Petri. De iis egimus* VII April.

Memoria myſtici cruoris, è particulis Crucis Chriſti in Paraſceve Domini fluentis, in monaſterio Fontis-Ebraldi, *explicatur à Sauſſajo in Supplemento Martyrologii ſui, ad quod lectorem remittimus.*

Aidanus, filius Hua-Dubnei, *indicatur in Ms. Hibernico Tamlachtenſi, item in pluribus Faſtis Hibernicis apud Colganum* 31 *Ianuarii ad Vitam S. Maidoci, ubi varios Sanctos Aidanos recenſet in Appendice cap.* 1, *& hic ſcribitur* Aidanus filius Hua-Duibhna.

Cathubius Epiſcopus *refertur in dicto Ms. Tamlachtenſi. Colganus* 16 *Februarii ad Vitam S. Lomani Epiſcopi Athrumenſis num.* 14 *arbitratur eumdem* Cathaldum *&* Cathladium *etiam appellari*, & obiiſſe anno 554 apud Quatuor-Magiſtros.

Falbeus Erdamenſis *in eodem Ms. Tamlachtenſi proponitur. Colgano ad Vitam S. Failbei Abbatis Hienſis* 10 *Martii appellatur* Falneus Abbas Erdamenſis anno 747 mortuus, *& coli dicitur* 8 Febr. *imo videtur* Aprilis *corrigendum, & referri etiam à Mariano Gormano.*

Tigernacus de Aredh, } *memorantur in dicto Ms. Tamlachtenſi, de quibus ulteriorem notitiam modo non habemus.*
Conanus filius Ferguſſii, }
Kinfœladius Abbas Benchorenſis, }

Anna, Baroniſſa de Schluſſelberg, *deinde* Abbatiſſa ſecunda cœnobii in Agro-Clavium *vulgo* Schluſſelberg, *in Franconia, duabus à Bamberga leucis, Ordinis Ciſtercienſis, cum titulo* Beatæ *refertur ab Henriquez & Bucelino, qui de ejuſdem monaſterii fundatione agit parte* 2 *Germaniæ ſacræ; & Henriquez in Liliis Ciſtercii pag.* 250.

Guillielmus, Abbas primum Villarii, poſtea Claræ-Vallis, magnæ ſanctitatis vir, *celebratur in Menologio Ciſtercienſi, & titulus* Beati *ei tribuitur: at* beatæ memoriæ *dicitur à Sauſſaio in Martyrologio Gallicano.* Fuit is captus ab Imperatore Frederico cum aliis plurimis Abbatibus, & in carcere mortuus, & poſt mortem ad Claram-vallem deductus, & in Clauſtro ſepultus; *uti hæc in Hiſtoria Abbatum Clarevallenſium leguntur, abſque ullo* Beati *titulo.*

Guilielmus Viennæ in Gallia, } Ordinis Sera-
Ludovicus Columbus Avenione, } phici S. Fran-
Joannes à Capraria, } in Hiſ- } ciſci, *referuntur*
Julianus à S. Auguſtino, } pania, } *cum titulo* Beati
Antonius à S. Gregorio apud Sinas, } *aut* Beatæ *ab*
Maria à S. Franciſco, } in Hiſpa- } *Arturo Munſtero*
Franciſca à S. Antonio, } nia, } *in Martyrologio Franciſcano, nulla cujuſquam eorum veneratione Eccleſiaſtica indicata.*

Matronæ Euangelicæ, quæ venerant Dominica mane ut ungerent Jeſum, *memorantur in Menæis Græcis, quod earum corpora fuerint Conſtantinopolim tranſlata, ut dicetur ad Vitam S. Mariæ Cleophæ* IX Aprilis.

Septem Virgines, Martyres in Sirmio, *memorantur à Sauſſajo*, ob veneratione illis tribui ſolitam in Eccleſia Leodienſi. *Nos cum aliis de iis agemus* IX Apr.

S. Bademi, Archimandritæ & Martyris, *memoria celebratur à Molano in auctario Vſuardi: & Acta ejus ad hunc diem retulit Surius; at Græci celebrant eum ſequenti die* IX Aprilis.

S. Zeno Epiſcopus, poſt annum 595 in Patronum Piſtorienſem aſſumptus eſt, cum ea ditio, vi aquarum obruta, ejus implorato patrocinio fuiſſet liberata, *uti tradit Vghellus tomo* 3 *Italiæ ſacræ col.* 353, *& Michaël Angelus Salvius in Hiſtoria Piſtorienſi pag.* 26. *Inſcriptus eſt Catalogo generali Ferrarii, dicitur que ejus urbis fuiſſe Epiſcopus, & corpus ejus ibidem maxima cum veneratione aſſervari; ſed id alii non habent, & primus dicitur Epiſcopus Reſcaldus floruiſſe anno* 600. *Hinc arbitramur S. Zenonem intelligi Epiſcopum Veronenſem, celebrem eo miraculo, quo exundans circum ejus eccleſiam Atheſis ipſam prohibitus eſt ingredi; & hanc cauſam putamus patrocinii à Piſtorienſibus in tali neceſſitate implorati. Colitur* XII Aprilis. F

S. Carpus Ep. } Martyres *celebrantur in Caſinenſi Ms. At*
S. Papyrius, } *duo priores, cum plurimis anonymis, re-*
S. Martialis, } *feruntur: ubi de iis agemus,* XIII April.

S. Frontini monachi *memoria inſcripta eſt Ms. Latienſi: forſan* Frontonis *legendum, & colitur* XIV Aprilis.

S. Pauſilippus Martyr, *ſub Hadriano paſſus, memoratur in Menologio Baſilii Imperatoris, Synaxario Ms. Pariſienſi, & aliis Mss. Menæis Græcis. At cum excuſis celebratur in Martyrologio Romano* XV Aprilis.

S. Victerbus, Epiſcopus Auguſtanus, *refertur à Wione, eumque ſecutis, Dorganio, Menardo, Bucelino & Ferrario. Citatur à Wione Demochares: ſed is compendium Vitæ contraxit ex Gaſpare Bruſchio, & per incuriam amanuenſium ſcripſit* obiiſſe 8 Aprilis, *cum Auctor Vitæ S. Magni, & Paulus Biennidenſis in Vita*

A *S. Hilariæ, & eos ſecuti Bruſchius, Cratepolius & alii, aſſerunt diem mortis eſſe* XVIII Aprilis.

S. Chronani Presbyteri elevatio *indicatur in Menologio Scotico Dempſteri: eſt S. Chromanus Presbyter in Menologio Scotico Camerarii* XV Maji.

Duvianus, in Glaſtonienſi monaſterio eremita & diſcipulus S. Joſephi ab Arimathia, *refertur in Martyrologio Anglicano. Verum de fabuloſitate ſuſpectus eſt nobis S. Ioſephi Apoſtolatus in Britannia; & Alfordus arbitratur* Duvianum *melius non diſtingui à* S. Damiano, *qui ſeculo Chriſti tertio floruit: ad cujus Vitam iſta poterunt diſcuti* XXIV Maji.

S. Sexburga, Regina Angliæ, dein Abbatiſſa, *memoratur à Greveno & Molano in Auctario Vſuardi, à Caniſio etiam & Ferrario & in Ms. Florario. Dies ejus natalis eſt* VI Julii.

S. Philaſtrii, Epiſcopi Brixienſis, inventio corporis, *memoratur à Galeſinio, & Ferrario*, Tranſlatio corporis *à Tamajo-Salazar. Hæc inſcribitur in Martyrologio Brixiano* IX *Aprilis, at natalis ejus* XVIII Julii.

S. Jonati Abbatis elevatio, Marchianis facta, *recolitur à Molano, Ferrario, Wione, Menardo, Sauſſajo & aliis. Natalis ejus eſt* I Auguſti.

S. Leobaldi, *aliis* Theobaldi & Libaudi, Martyris,
B tranſlatio Trecis, *memoratur in Ms. Carmeli Colonienſis, item à Maurolyco, Ferrario & Sauſſajo in Supplemento. Dies natalis eſt* VIII Auguſti.

Adamannus, Abbas Hyenſis in Britannia, *celebratur hoc die à Bucelino: ſed ab Anglis & Hibernis* II Sept.

Genemarus *Abbas memoratur à Greveno & Caniſio. Forſan eſt* S. Geremarus, Abbas Flaviacenſis, *qui ab aliis refertur* XXIV Septemb.

S. Exuperius, Epiſcopus Toloſanus, ſibi parcus & D
indigentibus pius, *memoratur in Mss. Martyrologiis Centulenſi, Leodienſ. S. Lamberti & S. Laurentii, & variis aliis: item à Maurolyco, Caniſio, Ferrario & aliis. Ab Vſuardo & aliis cum Martyrologio Romano nominatur* XXVIII Septembris.

Cerobonii, Epiſcopi & Confeſſoris, *mentio fit in Ms. Florario & alio quodam: in tertio additur*: In Maſſa civitate, in terra Senenſi. *Hic eſt* Epiſcopus Populonienſis, *cujus corpus eſt Maſſæ, quæ Populonio in dignitate Epiſcopali ſucceſſit. Dies ejus natalis eſt* X Octob.

S. Calliſtus, Papa & Martyr Romæ, *memoratur in Ms. Bruxellenſi S. Gudilæ: at* Tranſlatio corporis B. Calixti Papæ, ad Epiſcopatum Brixienſem, anno Salutis 844 *facta, indicatur in Ms. Florario. Interim nulla hujus tranſlationis aut ipſius S. Calliſti mentio fit in Martyrologio Brixiano Bernardini Fayni anno 1665 excuſo. Erunt hæc examinanda die ejus natali* XIV Octob.

S. Martinianus, } *Martyres, in perſecutione Wandalica*
S. Saturianus, } *apud Afros paſſi, referuntur in Mar-*
& duo fratres, } *tyrologio Gallice Leodii anno 1624 excuſo: nos cum Martyrol. Romano* XVI Octobris.

S. Dionyſii, Epiſcopi Alexandrini, Acta ex Euſebio *ad hunc diem referuntur à Surio: quem ſuſpicamur ob feſtum S. Dionyſii Epiſcopi Corinthiorum, qui hoc die colitur, aberraſſe; eaque Acta transferenda ad diem illius natalem* XVII Novembris. E

S. Rufus, ab Apoſtolo Paulo memoratus in epiſtola ad Romanos, *refertur à Græcis cum aliis Apoſtolorum diſcipulis, unaque cum SS. Herodione & Agabo pingitur in tabulis kalendarii Moſcovitici: at ſeorſim à Latinis cum Martyrologio Romano* XXI Novemb.

DE SANCTIS EPISCOPIS MARTYRIBVS,
HERODIONE NOVARVM PATRARVM,
ASYNCRITO HYRCANIÆ,
PHLEGONTE MARATHONIS, G.H.
ET HERME DALMATIÆ.

SECULO I

C *Græci in Menæis excuſis & manuſcriptis, & in Menologio Cardinalis Sirleti, nec non apud Maximum Epiſcopum Cytherorum, celebrant hodie memoriam* SS. Herodionis, Agabi, Rufi, Phlegontis, Aſyncriti & Hermæ; *eoſque* ex ſeptuaginta Chriſti diſcipulis *fuiſſe aſſerentes, juxta uſum Eccleſiæ ſuæ ſæpe* Apoſtolos *appellant. Ex his ſeorſim à Latinis & in Martyrologio Romano coluntur aliqui, uti Agabus* XIII *Februarii, & Rufus* XXI *Novembris. Iis ergo omiſſis, de aliis agimus hoc die: & de tribus in Martyrologio Romano, iſta leguntur*: Eodem die commemoratio SS. Herodionis, Aſyncriti & Phlegontis, de quibus ſcribit B. Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Romanos.

Cultus apud Græcos & Latinos.

2 *De S. Herodione iſta habentur in Menæis Græcis & Anthologio novo*: Ex his Herodion eſt, de quo magnus Apoſtolus Paulus meminit. Miniſtrabat ille omnibus Apoſtolis: quem ipſi poſtea primum Presbyterum, mox Epiſcopum Novarum-Patrarum crearunt. Cum multos ex Paganis ad Chriſtum doctrina ſua convertiſſet, per invidiam Judæorum multa ſuſtinuit. Impetu enim in illum facto una cum idololatris, primum crudeliter illum diverberarunt, & os ejus lapidibus contuderunt, deinde in eculeo ab eiſdem à capite ſuſpenſus, poſtremo ferro trajectus occubuit. *Quæ fere eadem leguntur in eiſdem Menæis ad diem* XXVIII *Martii: quo itidem die in Menologio Baſilii Porphyrogeniti Imperatoris elogium, aliquanto latius deductum, eſt à nobis ſub finem Martii Græce editum: quod ſic Latine ſonat*: Et certamen ſancti Apoſtoli Herodionis, unius ex ſeptuaginta. Herodion Chriſti Apoſtolus, erat unus ex ſeptuaginta diſcipulis: qui ſanctos Apoſtolos imitatus, cum illis in Chriſti fide F
prædicanda cooperabatur, eiſdem in omnibus inſerviens & obediens, ut diſcipulus Chriſti ita præcipientis, Qui vult omnium primus eſſe, ſit omnium ſervus & omnium miniſter. Poſtea vero ab eiſdem Apoſtolis ordinatus eſt Epiſcopus urbis Novarum-Patrarum: ubi multos ex paganis ad veram fidem inſtituit & ad Chriſtum convertit. Quapropter Judæi invidia concitati, & impetu in illum facto cum idololatris, comprehenderunt eum & immanibus tormentis afflixerunt: nam alii cædebant illum, alii os ſaxis obtundebant, alii lignis caput pulſabant; poſtremo inſtar ferarum crudelium, & ſilveſtrium ſanguinem ejus ſitientes, ut arietem ſelectum gladio obtruncarunt, & ſic beatam ſuam animam tradidit Chriſto Domino, propter quem violentam ſubiit mortem. *In Synopſi de* XX *diſcipulis, ſub nomine Dorothei fabricata, iſta habes*: Herodion, cujus Apoſtolus in eadem epiſtola *ad Romanos* meminit, & ipſe Patrarum Epiſcopus factus eſt. *Patræ, urbs Achaiæ propriæ in Peloponneſo, obitu & cultu S. Andreæ Apoſtoli celebris. Sed* has Patras *aſſerit Ortelius* à Conſtantinopolitanis ſcriptoribus veteres cognominari; & Patras-novas legi apud Gregoram & Nicetam, *uti in jam prolatis elogiis:*

Apoſtolis inſervit,

varia tormenta paſſus,

obtruncatur,

AUCTORE G.H.

elogiis : ſed ubi eæ ſint nondum potuimus ſcire. Eſt Patara urbs Lyciæ, in qua SS. Leonem & Paregorium paſſos fuiſſe diximus XVIII *Februarii, ſed nuſquam legimus Novam-Pataram dici. Ad hanc urbem putant aliqui S. Herodionem veniſſe, cum antea fuiſſet Tarſi Epiſcopus, ut ex Pſeudo-Hippolyto de* LXXII *diſcipulis colligunt : ubi nomen ejus ſic invenitur expreſſum* Ἡρωδίων Ἐπίσκοπος Ταρσοῦ, *nec amplius quid additur. Neceſſe etiam eſt eum Romæ fuiſſe cum S. Paulus ſuam ad Romanos ſcriberet epiſtolam, in qua cap.* 16. *num.* 11 *deſiderat*, ut ſalutarent Herodionem cognatum ſuum, *eadem ex natione & religione. Rutheni in ſuo kalendario apud Poſſevinum in Apparatu, corrupto nomine* Radionem *ſcribunt.*

cognatus S. Pauli,

3 *Eodem capite dictæ epiſtolæ ad Romanos cupit S. Paulus* ſalutari Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum eis erant fratres, *ex quibus Aſyncritus, Phlegon & Hermes hoc die à Græcis celebrantur : & de Phlegonte hoc diſtichon in Menæis legitur.*

S. Phlegon,

Σβέσας πλάνης φλέγοντα ὁ φλέγων φλόγα,
Οὗς Δαβὶδ εἶπε, πῦρ φλέγων βλέπει νόας.
Erroris ignem extinxit urentem Phlegon ;
Videtque mentes, quas David ignem vocat.

Mentes, inquam, Angelicas, de quibus Propheta Regius Pſalmo CIII, Qui facis Angelos tuos, ſpiritus ; & B miniſtros tuos ignem urentem. *Alluditur autem ad ſignificationem nominis, quod à* φλέγω uro, ardeo, *ſumitur : ſimilis alluſio eſt in ſequenti diſticho, quod* S. Aſyncrito *(Latine* Incomparabilem *dixeris) applicatur.*

& S. Aſyncritus,

Ἀσύγκριτον εὗρεν ὁ Ἀσύγκριτος δόξαν,
Δοξάσας ἐν γῇ τὸν Θεὸν Ἀσυγκρίτως.
Incomparabilem Aſyncritus laudem tulit,
Incomparabilem ut dedit laudem Deo.

martyrium paſſi,

4 *In ipſo elogio, poſt laudes S. Herodioni & aliis tributas, addunt :* Rufus Thebis eſt deſtinatus Epiſcopus, uti & Phlegon & reliqui per omnem orbem infidelibus veram fidem annuntiarunt. Uno ergo quodam die ab Judæis & Paganis variis tormentis excruciati, in Domino vitam finiverunt. *In Catalogo* LXX *Diſcipulorum, quem ex Ms Græco Vaticano habemus ſub nomine S. Hippolyti Martyris, & quem jam ſupra in Herodione allegavimus, nominantur* Ἀσύγκριτος Ἐπίσκοπος Ἰκονίας, Φλέγων Ἐπίσκοπος Μάρθων : *quod magis integre* Marathoniorum *ſcribitur, in pariter præcitata ſed fidei æque dubiæ Synopſi, ubi de his Sanctis iſta leguntur :* Aſyncritus & ipſe ab Apoſtolo ad Romanos recenſitus, Hyrcaniæ factus eſt Epiſcopus. Phlegon, cujus etiam eadem epiſtola meminit Apoſtolus, Epiſcopus Marathonenſis conſtitutus eſt. *Eſt autem* Marathon *Atticæ Achaiæ urbs Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Corinthi. At* Hyrcania *regio, in qua etiam metropolis* Hyrcania, *procul eſt diſſita, ultra Aſſyriam & Mediam, ad mare Caſpium, quod & Hyrcanum dicitur. Utrumque confirmant Græci in ſuis Odis, Troparii & Stichariis officium hujus* VIII *diei conſtituentibus, quorum auctor Ioſeph Hymnographus Canonem, quem Apoſtolicis viris panxit, huic acroſtichidi illigavit, ſuoque in fine nomini.*

C D

uterq; laudatur ut Epiſcopus,

Ἀποστόλοις πλέξωμεν ἔνθεον μέλος. ΙΩΣΗΦ.
Pangamus hymnum Apoſtolis ſacrum. Josep.

Aſyncritus Hyrcaniæ,

Singulæ nempe litteræ ſingulas ſtrophas inchoant, ut ſæpius dictum : quare eumdem litterarum numerum etiam Latina verſio conata eſt retinere : ipſa autem acroſtichide comprehenduntur etiam Theotocia ſeu Marialia, ſingulas Odas terminantia, quod in aliis ſimilibus paſſim non fit.

5 *Multæ hic congeruntur tum omnium conjunctim tum ſingulorum ſeorſim laudes : & de S. Aſyncrito quidem iſta recitantur.* Mortem prædicans impaſſibilis Dei, mortificatos ad vitam adducebat prudens Aſyncritus, Apoſtolorum gloriatio, & Hyrcaniæ prudens munimentum. Inveniebat te, Aſyncrite, Hyrcania fluvium, ſcaturigine aquarum ſpiritualium plenum ; & veneranda aquatione tua irrigata, protulit Chriſto Domino amœniſſimos fructus. *Hæc ibi de S. Aſyncrito : at de S. Phlegonte iſta traduntur :* Sacrate Phlegon, Gentilium errores divinis tuis ſermonibus glorioſe com- E buſſiſti, & corda miſere extincta calore ſpiritus manifeſte accendiſti. Urbis Marathonis incolæ te Præſidem maximum & Doctorem optimum, imo illuminatorem & pædagogum nacti, ô glorioſe Phlegon, inceſſanter venerantur. *In aliis odis, ut viri plane Apoſtolici, plurimis encomiis ſimul cum aliis ſupra indicatis honorantur ; &* Aſyncritus Magnus, *&* Phlegon Divinus *cognominantur. Tabulæ kalendarii Moſcovitici pro his duobus alios duos ex eodem numero* LXX *Diſcipulorum jungunt S. Herodioni*, Agabum *videlicet &* Rufum, *de quorum priori egimus* XIII *Februarii ; de poſteriori acturi* XXI *Novembris.*

Phlegon Marathonius.

6 *At qui ultimo loco celebratur* Hermes, *in ſupra indicato Catalogo pſeudo-Hippolyti traditur fuiſſe* Epiſcopus Dalmatiæ *alius à* S. Herma Epiſcopo Philippenſium, *S. Hermes Ep. Dalmatiæ.* *cujus memoria celebratur à Latinis* IX *Maji, & apud Græcos* VIII *Martii : à quo & apud Apoſtolum Paulum alius* Hermes *ſtatuitur, qui in diſticho dicitur* plurimas injurias paſſus, obtinuiſſe gloriam magni Dei, *& in Odis cognominatur* præclarus, glorioſus, qui inſtar ſolis Dalmatiam illuſtrarit. *Reliqua ſunt cum aliis communia.* F

DE SANCTO DIONYSIO,

EPISCOPO CORINTHIORVM,

G.H.

PARISIIS IN MONASTERIO S. DIONYSII.

CAPUT I.

Virtutes & epiſtolæ S. Dionyſii ex Euſebio relatæ. Nonnulla illi non debite adſcripta.

CIRCA AN. CLXXX

Euſebius Pamphilus, libro IV *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, late proſequitur, quæ ſub imperio M. Aurelii Antonini cum fratre ſuo L. Ælio Vero regnantis, id eſt ab anno* CLXI *ad annum* CLXXX, *evenerunt memoratu digna ; & cap.* 21 *de Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui tunc floruerunt, iſta habet :* Iiſdem temporibus in Eccleſia floruit Hegeſippus, *de quo egimus* VII *hujus*, & Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, Pinytus quoque Cretenſium Epiſcopus, Philippus præterea & Apollinaris ac Melito : Miſanus etiam & Modeſtus, ac potiſſimum Irenæus. Quorum omnium libri, ſinceram Apoſtolicæ traditionis ac veræ fidei doctrinam continentes, ad nos uſque pervenerunt. *Dein cap.* 23, *de S. Dionyſio & de epiſtolis ab eo ſcriptis, iſta tradit :*

Antiqua memoria apud Euſebium,

de ejus ſcriptis.

2 Primum quidem de Dionyſio dicendum eſt, qui Corinthiorum Eccleſiæ Epiſcopatum geſſit, nec ſolum populis ſibi commiſſis, verum etiam aliarum regionum & urbium incolis, divinos labores ſuos prolixe communicavit ; omnium commodis utilitatique inſerviens, in catholicis iſtis, quas ad diverſas Eccleſias ſcripſit, epiſtolis. Ex quibus una quidem eſt ad Lacedæmonios, rectæ fidei inſtitutionem continens, pacemque & unitatem inſinuans. Altera vero ad Athenienſes ſcripta, excitans ad fidem, & ad vitam ex præcepto Euangelii traducendam : qua in re negligentiam arguit Athenienſium, quippe qui à fide propemodum deſciviſſent, ex quo Publius eorum

Epiſtola I ad Lacedæmonios,

2 ad Athenienſes,

A eorum Episcopus, in persecutionibus tunc temporis excitatis, martyrium subierat. Meminit etiam Quadrati, qui post martyrium Publii Ppiscopus Athenienſium eſt conſtitutus: ejuſque labore & induſtria cives denuo in eccleſiam conveniſſe, & redivivum fidei ardorem in illis reparatum eſſe teſtatur. Refert præterea Dionyſium Areopagitam, qui à Paulo Apoſtolo ad fidem converſus eſt, quemadmodum traditur in Actibus Apoſtolorum, primum omnium Eccleſiæ Athenienſis Sacerdotium ſuſcepiſſe. *Habentur hi tres primi Athenienſium Epiſcopi: ex his S. Dionyſius ab Adone aliiſque refertur* III *Octobris. ſed diſtinctus à Pariſiorum Apoſtolo, qui colitur* IX *Octobris. Alter fuit S. Publius Martyr, quem celebravimus* XXI *Ianuarii. Tertius, propter apologiam pro defenſione religionis Chriſtianæ Hadriano Imperatori oblatam notiſſimus, Quadratus eſt, Faſtis ſacris ad diem* XXVI *Maji adſcriptus. Verum ad epiſtolas S. Dionyſii revertamur, de quibus ita pergit Euſebius.*

3 ad Nicomedienſes, 3 Sed & alia ejus epiſtola extat ad Nicomedienſes, in qua Marcionis hæreſim impugnans, veritatis regulæ firmiter adhæreſcit. Eccleſiæ præterea Gortynenſium & reliquis ſimul Eccleſiis Cretæ litteras ſcribens, Epiſcopum ipſorum Philippum magnopere prædicat, (quippe cujus eccleſia egregiam laudem fortitudinis & generoſi animi, communi omnium conſenſu, retuliſſet) monetque ut ab hæreticorum fraude ac verſutia ſibi caveant. In epiſtola vero, quam ſcribit ad Eccleſiam Amaſtrianorum & ceteras ſimul Eccleſias Ponti, ſe quidem à Bacchylide & Elpiſto ad ſcribendum impulſum eſſe commemorat: Epiſcopum autem ipſorum Palmam nominatim appellans, ſacram Scripturarum expoſitionem adfert. Multa quoque de nuptiis & de caſtitate eis præcipit: & cunctos, qui à quodam lapſu ſive delicto, ſive etiam ab hæretica pravitate reſiliunt, benigne ſuſcipi jubet. In eodem volumine continetur etiam epiſtola ad Gnoſſios, in qua Pinytum Eccleſiæ illius Epiſcopum monet, ne grave onus caſtitatis fratrum cervicibus tamquam neceſſarium imponat; ſed ejus, quæ in pleriſque hominibus ineſt, infirmitatis rationem habeat. Cui epiſtolæ reſpondens poſtea Pinytus, admiratione quidem ac laudibus effert inprimis Dionyſium; ſed tamen hortatur, ut ſolidiorem cibum tandem impertiat, & tranſmiſſis iterum perfectioris doctrinæ litteris plebem ſibi commiſſam altere velit: ne forte lacteis ſermonibus perpetuo innutriti homines, in infantili quadam diſciplina paulatim conſeneſcant. Quæ quidem epiſtola & rectam Pinyti fidem & ſolicitudinem de profectu plebis ipſi commiſſæ, eloquentiam quoque & peritiam rerum divinarum, velut tabella quadam picta, egregie commonſtrat. *Hæc ibi. Fuerunt autem celeberrimi duo in inſula Creta Epiſcopi: horum prior, Gortinenſium Præſul Philippus, colitur* XI *hujus menſis Aprilis: alter Pinytus, Gnoſiæ urbis, quondam regiæ, nunc deſtructæ Antiſtes, habet ſibi ſacrum diem* X *Octobris. De urbe Amaſtrena Paphlagoniæ ad Pontum Euxinum, pluribus actum eſt* XXI *Februarii ad Vitam S. Georgii, dictæ urbis circa annum* DCCC *Epiſcopi, ubi Palmas hoc Dionyſii tempore ſedit: Bacchylidem etiam & Elpiſtum arbitramur in eiſdem ad Pontum Euxinum regionibus Epiſcopos extitiſſe. Sed ad reliquas à S. Dionyſio ſcriptas epiſtolas redeamus, ab eodem Euſebio ita indicatas.*

4 ad Gortynenſes & Cretenſes, B

5 ad Amaſtrianos,

6 ad Gnoſſios,

C

7 ad Romanos: 4 Extat etiam epiſtola ejuſdem Dionyſii ad Romanos, Soteri, tunc temporis Epiſcopo Romanæ urbis, nuncupata: ex qua pauca quædam hic inſerere non abſurdum fuerit: ubi ſcilicet ille morem inſtitutumque Romanorum, ad perſecutionem uſque noſtra ætate factam perpetuo cuſtoditum, magnopere commendans, ita ſcribit: Hæc enim, inquit, vobis conſuetudo eſt, jam inde ab ipſo religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afflciatis, & Eccleſiis quamplurimis, quæ in ſingulis urbibus conſtitutæ ſunt, neceſſaria vitæ ſubſidia tranſmittatis. Et hac ratione tum egentium inopiam ſublevaris, tum fratribus, qui in metallis opus faciunt, neceſſaria ſuppeditatis: per hæc quæ ab initio tranſmittere conſueviſtis munera, morem inſtitutumque Romanorum, à majoribus veſtris acceptum, Romani retinentes. Atque hunc morem beatus Epiſcopus veſter Soter, non ſervavit ſolum, verum etiam adauxit: tum munera ſanctis deſtinata copioſe ſubminiſtrans; tum fratres peregre advenientes, tamquam liberos ſuos pater amantiſſimus, beatis ſermonibus conſolando. In hac ipſa etiam epiſtola meminit epiſtolæ Clementis ad Corinthios ſcriptæ, quam ex priſca conſuetudine in eccleſia legi ſolitam eſſe teſtatur his verbis: Hodie, inquit, ſacrum Dominicum tranſegimus, in quo epiſtolam veſtram legimus, quam quidem perpetuo deinceps legentes, perinde ac priorem illam nobis à Clemente ſcriptam epiſtolam, optimis præceptis ac documentis abundabimus. Idem præterea ſcriptor epiſtolas ſuas à falſariis corruptas eſſe admonet, ita ſcribens: Epiſtolas, inquit, ſcripſi rogatus à fratribus; ſed illas miniſtri quidam diaboli zizaniis compleverunt, quædam ex illis expungentes, quædam adjicientes: quos certe manet feralis illa ſententia: Væ vobis. Non mirum igitur videri debet, ſi ſacro-ſancta Domini Scripta quidam adulterare aggreſſi ſunt; quandoquidem in longe inferioribus ſcriptis idem auſi fuiſſe deprehenduntur. Habetur præterea alia ejuſdem epiſtola ad Chryſophoram fideliſſimam ſororem, cui convenienti ſcribens, ſpiritale, ut decuit, pabulum ſubminiſtrat. Atque hæc de Dionyſii ſcriptis à nobis dicta ſint. *Hactenus Euſebius. Memoratam hic ſub finem Chryſophoram ex inſcriptione, ut opinamur, S. Dionyſii appellatam* πιστὴν ἀδελφὴν, ſororem fideliſſimam, *ſeu* fide pleniſſimam, *autumamus illuſtrem fuiſſe matronam, ſive Virginem Deo ſacram & devotam, & ideo* ſororem *more illius ævi dictam. At S. Soter, cui prior epiſtola ad Romanos eſt inſcripta, præfuit Summus Pontifex Eccleſiæ per novem annos & aliquot menſes (temporibus M. Aurelii Antonini & L. Ælii Veri fratrum) ab anno Chriſti* CLXII *uſque ad annum* CLXXI *& diem* XXII *Aprilis, ubi ad ejus Vitam accurata ratio temporis, quo ſedit, aſſignatur. Ex eadem S. Dionyſii epiſtola ad Romanos illuſtre teſtimonium adfert Euſebius, lib. 2 cap. 25, de martyrio ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quod hic adjungimus, ita ergo ſcribit:* F Porro ambos uno eodemque tempore martyrium ſubiiſſe, Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus ad Romanos ſcribens, teſtatur his verbis: Ita & vos, inquit, tanta admonitione veſtra ſementem, quæ Petri & Pauli ſatione ſuccreverat, Romanos ſcilicet & Corinthios, ſimul commiſcuiſtis. Ambo enim illi in urbem noſtram Corinthum ingreſſi, ſparſo Euangelicæ doctrinæ ſemine nos inſtituerunt: & in Italiam ſimul profecti, cum vos ſimiliter inſtituiſſent, eodem tempore martyrium pertulerunt. *Idem Euſebius in Chronico ad Conſulatum Severi II & Herenniani, ſive annum Chriſti* CLXXI, *iſta habet:* Dionyſius Corinthi Epiſcopus, vir religione conſpicuus, celebrabatur. *Quæ plane eadem leguntur in Chronographia Georgii Syncelli, & Hiſtoria Eccleſiaſtica Anaſtaſii Bibliothecarii. S. Hieronymus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 27 epiſtolas S. Dionyſii enumerat, addito aliquo elogio, ſed jam à nobis ex Euſebio relato.*

5 *Ioannes Moſchus in Prato ſpirituali ſive lib. 10 de Vitis Patrum cap. 176, deſcribit peregrinationem decem virorum, inter quos erat aliquis Hebræus: qui petito in periculo mortis baptiſmo, cum aqua deeſſet, arena in forma baptiſmi perfuſus eſt & ſanatus; ſed à Dionyſio Aſcalonis Epiſcopo, re*

AUCTORE G. H.

horum beneficia & eleemoſynas laudat,

& maxime S. Soteris Papæ:

E

& deplorat ſuas epiſtolas eſſe corruptas:

8 ad Chryſophoram:

teſtatur martyrium SS. Petri & Pauli ſimul contigiſſe.

De Hebræo arena baptizato judicium tulit Dionyſius Ep. Aſcalonitæ,

ita

AUCTORE G.H.

tota diſcuſſa, juſſus in Iordane baptizari. Vnus ex his peregrinantibus erat juvenis quidam, Andreas nomine, qui ſenior & Abbas factus narravit Alexandriæ Ioanni Moſcho, ut ſaltem res illa contigerit ſeculo Chriſti ſexto. Nicephorus Calliſtus dictam hiſtoriam narrat lib. 3 cap. 37, ſed non abſque mendis, dum aſſerit contigiſſe Marco Aurelio Antonino adhuc Imperium adminiſtrante, & Dionyſium Epiſcopum Alexandrinum aqua abluendum eſſe *pronuntiaſſe*, & ita quod Sacramento deeſſet, ſarciendum. *Baronius eam hiſtoriam refert ad annum Chriſti* CLXXXI, & Dionyſium Epiſcopum Corinthiorum *fuiſſe correxit, quod alter* Epiſcopus Alexandrinus Dionyſius *junior foret & temporibus Marci Aurelii Antonini non viviſſet. Verum uti jam ex Ioanne Moſcho diximus*, Dionyſius Epiſcopus Aſcalonitarum *fuit, & aliquot ſeculis poſt hæc tempora res illa evenit. Demum non liquet, num Clemens Alexandrinus fuerit in Græcia uſus magiſtro S. Dionyſio Epiſcopo Corinthiorum, quod Baronius ad annum* CLXXXIII *ex conjectura eſt auguratus.*

non Alexandrinus,

neque Corinthiorũ:

an hic fuerit Magiſter Clementis Alexandrini.

CAPUT II.

Genus mortis. Cultus ſacer apud Græcos & Latinos. Corpus Pariſios delatum. Hiſtoria Tranſlationis.

Martyr habetur à Cedreno,

QVo mortis genere deceſſerit S. Dionyſius, non ſatis conveniunt ſcriptores. Cedrenus, relato obitu Antonini Pii Imperatoris, & Imperio ad generum ejus Marcum Aurelium Antoninum tranſlato, addit: Sub hoc Polycarpus, Joannis Euangeliſtæ diſcipulus, & Juſtinus Philoſophus, ac Dionyſius Corinthi Epiſcopus,

& Glycas,

martyrio ſunt affecti. *Et Michaël Glycas, qui etiam ſeculo duodecimo cum Cedreno floruit*, Poſt Hadrianum, *inquit*, Antoninus, cognomento Pius ob morum gravitatem, annos XXII imperavit: ſub quo Juſtinus Philoſophus & Dionyſius Corinthi Antiſtes, ut doctrinæ Chriſtianæ teſtimonio eſſent, vitam amiſerunt. *Verum ſub M. Aurelio Antonino paſſus eſt S. Polycarpus, Iuſtinus veroſimiliter ſub Vero & Commodo: de priore egimus* XXVI *Ianuarii, de poſteriore agemus infra* XIII *Aprilis, S. Dionyſium ſub jam dicto M. Aurelio Antonino floruiſſe ex ſupra dictis certiſſimum eſt. Græci in Magnis Menæis & apud Maximum Cytheræum celebrant* XXIX *Novembris* S. Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum, qui gladio percuſſus occubuit. *In Menæis adduntur hi verſus:*

& Gratis in Menais:

C

Διονύσιον εἷς πελῶν ϑυηπόλων,
Ξίφει μετελθὼν εἷς τελεῖ καὶ Μαρτύρων.

Epiſcoporum de choro Dionyſius,
Subjectus enſi de choro fit Martyrum.

à Latinis refertur ubique martyrio 22 Martii,

Contra ſacra Latinorum tabulæ abſque ulla martyrii mentione celebrant ejus memoriam XXII *Martii & hoc* VIII *Aprilis: ac priore die in Mss. Centulenſi S. Richarii, Leodienſi S. Lamberti, & alio noſtro ſub nomine Bedæ, item in Leodienſi S. Laurentii ſub nomine Adonis, & Bruxellenſi S. Gudilæ ſub nomine Vſuardi, iſta eiſdem plane verbis habent:* Apud Corinthum B. Dionyſii Epiſcopi, cujus eruditione & gratia, quam habuit in verbo Dei, multi fruuntur uſque hodie. *In Ms. Florario Sanctorum & nonnullis aliis memoratur abſque elogio.* Aſt

& 8 Apr.

hoc VIII *Aprilis, relato eodem elogio, quod jam attulimus, apud Vſuardum, Bellinum, Maurolycum, Molanum & alios, iſta ſub finem adduntur:* Claruit autem idem Chriſti electus temporibus Marci Antonini & Lucii Aurelii. *In hodiernis tabulis Martyrologii Romani hoc ejus encomium recitatur:* Apud Corinthum B. Dionyſii Epiſcopi, qui eruditione & gratia, quam habuit in verbo Dei, non ſolum ſuæ civitatis & provinciæ populos, ſed & aliarum provinciarum & urbium Epiſcopos epiſtolis erudivit, Romanoſque Pontifices adeo coluit, ut eorum epiſtolas publice legere in eccleſia diebus Dominicis conſueverit. Claruit autem temporibus Marci Antonini Veri & Lucii Aurelii Commodi. *In Martyrologiis Coloniæ & Lubecæ anno* 1490 *excuſis, & in Viola Sanctorum Hagenoæ impreſſa anno* 1508, *dicitur* beato fine in Chriſto quieviſſe. *Quæ eadem habet Petrus de Natalibus lib.* 4 *Catalogi cap.* 37. *In Natalibus Sanctorum Canonicorum à Ghinio editis, traditur* Corinthi obdormiviſſe in Domino, ſexto Idus Aprilis, circa annum Redemptoris CLXXX.

D

8 *Andreas Sauſſajus, ob reliquias in Galliam delatas, longo cum encomio ad hunc* VIII *Aprilis celebrat, his verbis:* In agro Pariſienſi, S. Dionyſii famoſo monaſterio, celebritas natalis S. Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi, doctrina & rebus pie geſtis inſignis, cujus præclaræ epiſtolæ, quas ad Eccleſias exaravit, permultum utilitatis rebus Chriſtianis attulerunt. Sacrum vero corpus ab Oriente Romam advectum, atque ab Innocentio Papa III datum Emerico Priori, inde ab eo in Gallias delatum ad prædictum cœnobium, auguſtoque feretro conditum, editiori loco proprie in altari quieſcit, hodieque cum magna reverentia piis viſitatoribus exhibetur: quibus & præfatus Pontifex ad tanti Cælitis ampliorem honorificationem, indulgentiarum munera in perpetuum conceſſit copioſa. *Agunt de eiſdem reliquiis Iacobus Breulius & Claudius Malingræus in ſuis commentariis hiſtoricis de urbe & diœceſi Pariſienſi, lib.* 4. *Nos etiam, ex noſtro itinere Romano per Gallias reduces, Pariſiis aliquot menſibus ſubſtitimus anno* MDCLXII, *& has ſacras reliquias aliaſque, quæ in dicto monaſterio adſervantur, pie venerati ſumus, Hiſtoriam Tranſlationis reperimus in illuſtri bibliotheca cœnobii Canonicorum Regularium S. Victoris, in codice numero* 873 *ſignato, quam inde deſcriptam hic damus.*

Corpus Pariſios ad monaſterium S. Dionyſii delatum.

E

Hiſtoria Tranſlationis ex MS.

9 Anno ab Incarnatione Domini MCCXV, Innocentius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Papa III ad Urbem generale Concilium convocavit. Ad hoc Concilium convenerunt ex omni natione, quæ ſub cælo eſt, Paſtores & Prælati ſanctæ Matris Eccleſiæ, Patriarchæ videlicet, Archiepiſcopi, Pontifices & Abbates, & inferioris gradus & ordinis aliæ perſonæ, quarum non erat numerus. Reges etiam & Principes diverſorum populorum vel per ſe vel per nuntios adfuerunt: vir autem venerabilis Abbas B. Areopagitæ Dionyſii, Henricus nomine, cum ceteris intereſſe non potuit, quia provectæ ætatis imbecillitas non permiſit. Miſit autem pro ſe & pro eccleſia ſua virum religioſum & honeſtum Hemericum, Magiſtrum Priorem, cum aliis perſonis ejuſdem eccleſiæ, qui ſe loco ſui, prout oportunius poſſent, Domini Papæ præſentiæ præſentarent. Soluto Concilio conceſſa eſt ſingulis licentia recedendi. Dominus autem Papa, volens omnibus palam facere benevolentiam & gratiam atque pium dilectionis affectum, quem erga venerabile cœnobium B. Dionyſii & tunc habebat & ſemper habuerat, vocavit ad ſe præfatum Hemericum ac ſocios ejus, & in pignus perpetuæ caritatis dedit eis theſaurum impretiabilem, Corpus videlicet ſanctiſſimi Dionyſii Confeſſoris, Corinthiorum Epiſcopi, ut ipſum ſecum cum honore debito in Franciam transferrent, & ex parte ſua eccleſiæ B. Dionyſii cum omni reverentia præſentarent. Tradidit illis præterea ſuæ largitionis teſtimoniales litteras, ſigillo ſanctæ Sedis Apoſtolicæ roboratas. Illi vero cum condignis gratiarum actionibus tam nobile, tam ſanctum, tam denique venerandum ſuſcipientes depoſitum, gratuita ſummi Pontificis exhilarati munificentia, quam citius potuerunt, in Franciam remearunt. Qui cum acceſſiſſent ad eccleſiam B. Dionyſii de Strata VIIII kal. Martii, prima ſcilicet Sabbathi, quæ dies Dominica nuncupatur, occurrit eis venerabilis Abbas & conventus cum proceſſione

Innocentius III Papa, poſt Concilium Lateranenſe,

F

tradit Hemerico Priori corpus S. Dionyſii:

A ceſſione ſolenni, Albis & cappis ſericis induti, cereis
21 Februarii an. 1216 ſolenniter exceptum: accenſis, pulſatis campanis, & univerſo Clero & populo comitante: & ſic cum hymnis & laudibus glorioſus Confeſſor & Pontifex Corinthiorum Dionyſius intromiſſus eſt in eccleſiam ſanctiſſimi Areopagitæ Dionyſii, & magna Miſſa de ipſo Confeſſore in ornamentis ſolennibus ſolenniter celebrata, intra apſidam, quæ ſuper corpora SS. Martyrum retro altare in Sanctis Sanctorum ſita eſt, in vaſe eburneo decenter compoſito locatus eſt. Sed quia modus & cauſa donationis hujus Apoſtolicæ, & venia quæ ab eodem conceſſa eſt omnibus, qui ad ſacras Sancti hujus Confeſſoris reliquias honorandas devote acceſſerint, in ejuſdem authentico pleniſſime continetur, ipſum in hoc loco ſubnectere curavimus, ut non ſolum à præſentibus ſed etiam à poſteris geſtæ rei veritas certior habeatur.

Bulla donationis, 10 Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conventui S. Dionyſii Pariſienſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Utrum glorioſus Martyr & Pontifex Dionyſius, cujus venerabile corpus in veſtra requieſcit eccleſia, ſit ille cenſendus, qui Areopagita vocatur, ab Apoſtolo Paulo converſus, diverſæ ſunt ſententiæ diverſorum.
B Quidam enim fatentur Dionyſium Areopagitam in Græcia fuiſſe mortuum & ſepultum, aliumque Dionyſium extitiſſe, qui fidem Chriſti Francorum populis prædicavit: alii vero aſſerunt, illum poſt mortem B. Pauli veniſſe Romam, & à S. Clemente Papa in Galliam deſtinatum, aliumque fuiſſe, qui mortuus eſt in Græcia & ſepultus; utrumque tamen egregium in opere, & ſermone præclarum. Nos autem neutri volentes præjudicare ſententiæ, ſed veſtrum cupientes honorare monaſterium, quod immediate ad Romanam ſpectat eccleſiam, ſacrum B. Dionyſii pignus, quod bonæ memoriæ * P. tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis, tunc Apoſtolicæ Sedis Legatus, de Græcia tulit in Urbem, vobis per dilectos filios Hemericum Priorem & quoſdam alios, nuntios monaſterii veſtri ad generale Concilium deſtinatos, devote dirigimus; ut cum utraſque Reliquias habueritis, nulla de cetero remaneat dubitatio, quin ſacræ B. Dionyſii Areopagitæ Reliquiæ apud veſtrũ monaſterium habeantur: vos igitur eas reverenter ſuſcipite, hanc nobis viciſſitudinem rependentes, ut in orationibus veſtris ſpiritualis ſemper ad Deum commemoratio noſtri fiat, & ſecundum oblationem eorumdem nuntiorum veſtrorum anniverſaria obitus noſtri memoria ſolenniter celebretur. Omnibus autem qui ad has ſacras Reliquias venerandas devote convenerint, quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis auctoritate Apoſtolica relaxamus. Nulli ergo omnino *Indulgentiæ concessæ.* hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & remiſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani, pridie Nonas Januarii, Pontificatus noſtri anno XVIII. E *Hactenus Bulla Innocentii III, ſed alius à Dionyſio Epiſcopo Corinthi eſt, ſupra ab hoc citatus Dionyſius Areopagitæ Epiſcopus Athenienſis, de cujus ſacris Reliquiis alia & valde diverſa controverſia agitatur, ſuo tempore tractanda: & nonnulla inſinuantur* XIX *Aprilis ad Vitam S. Leonis Papæ noni, qui corpus S. Dionyſii Areopagitæ tradit Ratiſponæ aſſervari, diplomate anno* MLII *hac de re ad Regem Francorum aliſque hujus regni prælatos & ſubditos miſſo.*

AUCTORE G. H. * *al.* Petius,

DE SANCTIS MARTYRIBVS, TIMORIO, IANVARIO, MACARIO, CONNEXO, MAXIMA, ET CONCESSA, CARTHAGINE ET ALIBI IN AFRICA.

G. H.

VIII APR. *Martyres ſex in Africa paſſi,* C *Etuſtiſſimum S. Hieronymi Martyrologium, à mille fere annis exaratum, & hactenus à nobis laudatum, hunc diem ita auſpicatur:* VI Idus Aprilis. In Africa Timorii, Januarii, Macarii, Conexi, Maximæ, Conceſſæ. *In aliis apographis hujus Martyrologii ſolum nominantur quatuor; & in Blumiano Ms. ita referuntur.* In Africa natalis SS. Thimori, Macarii, Conexi, Maximæ. *Verum* Maximi *legitur in Lucenſi & Corbeienſi apographis; & loco* Macarii *in priori habetur* Mecari, *in altero* Mœchari. *In aliqui Carthagine, pervetuſto Ms. Richenaugienſi, ſive Augiæ-divitis, monaſterii prope Conſtantiam in Suevia, duplex conſtituitur claſsis hoc modo:* In Africa Januarii, Macarii, & in Carthagine Conceſſi, Timoris, Connexi, & alibi Maximi, Solutoris *&c, ſed legendum:* Connexi, Maximi *quæ aliis* Maxima *eſt:* Et alibi Solutoris *uti mox ex ſequenti claſſe conſtabit. Item* Conceſſa *legendum: Nam* Conceſſus *ad ſequentem claſſem ſpectat. In Ms. monaſterii Rhinovienſis apud Heluetios etiam duo primi Africæ, ac duo ſequentes Carthagini tribuuntur, omiſsis duobus ultimis. In Timotheus pro Timorio poſitus, Ms. Trevirenſi S. Maximini ita legitur:* In Africa natalis Timothei, Macarii, Conexi, Maximæ. *In Ms. Vaticano num.* 5949 *ſignato habetur:* In Græcia S. Timothei. *Omiſſo loco in Kalendario Miſſalis Ambroſiani anno* 1560 *excuſi, refertur etiam* Timotheus Martyr: *quem plane autumamus hunc* Timorium *eſſe: pro quo in Ms. Tamlactenſi repeti nomen* Majori *arbitramur, loco ſimiliter omiſſo. Rabanus etiam duas claſſes ſtatuit hoc modo:* In Africa Januarii, Macarii & Maximæ. Et in Carthagine Conceſſæ. *Auctor Bedæ ſuppoſititii (nam genuinum ejus Martyrologium vacat) eadem habet, ſed* Macariæ *eſt excuſum, pro quo in Richenbergenſi ſub nomine ejuſdem Bedæ Ms. etiam* Macarii *legitur, &* Conceſſa Virgo *dicitur. Interim Beda in notis citato, iſta leguntur in hodierno Martyrologio Romano:* In Africa Sanctorum Martyrum Januarii, Maximæ & Macariæ. Carthagine S. Conceſſæ Martyris. *Quæ Notkerus ita conjungit:* In Africa SS. Januarii, Macarii, Maximæ, Conceſſæ & aliorum multorum. *Ita etiam* Macarius *apud Vſuardum & in omnibus Mss. codicibus legitur, ſed nomine ſub initium ſubinde diſtorto.* *& pro Macario etiam Macarius legitur.* F

2 *Magnum hic bellum indicitur antiquis Martyrologiis, dum* S. Conceſſa in Africa *paſſa, & ibidem* Carthagini *à variis adſcripta, transfertur in Hiſpaniam, quaſi dictis Martyrologiis prævaleret nuper conflatum Chronici Flavii Lucii Dextri, in quo ad annum* 300 *num.* 11 *iſta ſunt exarata:* Carthagine Hiſpaniæ S. Conceſſa Martyr egregia. *Eam ideo Tamajus-Salazar ſuo Martyrologio Hiſpanico inſcripſit cum hoc elogio:* Carthagine in Hiſpania martyrium S. Conceſſæ Virginis, apud omnes celebre: quo conſtanter, pro Chriſti numine & pro fidei nomine, coronas duplices adepta eſt. *Et ſimili modo aliquã ejus Vitam, à ſe pulchre excogitatam, adjungit, variaſque de Carthaginenſis Spartariæ origine adducit ſententias.* *Non intelligenda Carthago in Hiſpania ſita.*

3 *Maſinus in Bononia perluſtrata ad hunc diem celebrat memoriam S. Ianuarii Martyris, eo quod aliquæ cujuſdam Ianuarii S. Ianuarii Martyris Reliquiæ aſſerventur in eccleſia S. Benedicti in platea Galliera.* *Alicujus S. Januarii reliquiæ Bononiæ.*

DE SANCTIS MARTYRIBVS

CONCESSO, SOLVTORE, SVCCESSO, PINNARO ET AMMONIO.

G. H.

VIII APR. *Martyres quinque,*

Ltera claſsis Martyrum ita proponitur, in antiquiſsimo Martyrologio S. Hieronymi jam citato : Et alibi Conceſſi, Solutoris, Succeſſi, Pinnari. Item Ammoni. *Iidem, omiſſo* Ammono, *referuntur in apographo Lucenſi & Blumiano. Verum omnes ſunt cum additamento in Ms. Corbeienſi Pariſiis excuſo, his verbis*: Et alibi Conceſſi, Salutoris, Pinnari, Ammoni, Succeſſi, Donatæ. *In Ms. Reginæ Sueciæ, ab Holſtenio magni æſtimato, ita legitur*: Et alibi Conceſſi, Solutoris, Succeſſi cum aliis duobus, *qui ſunt* Pinnarus & Ammonus. *In Ms. Barberino referuntur*, Conceſſus, Ammonius & Succeſſus. *In Mss. Trevirenſi S. Maximini & Richenaugienſi, memorantur* Solutor, Succeſſus & Ammonius. *In Mss. Pariſienſi Labbæi & Auguſtano S. Vdalrici ſunt quinque, ſed aliis mixti, & in uno* Succeſſa, *in altero* Conceſſa *ſcribuntur, qui ſunt* Succeſſus & Conceſſus. *In Ms. Florario iſta habentur*: Eodem die SS. Maximi; Solutoris, Timori, Connexi, Donacii, Demetrii. *Ita in Ms. Leodienſi, poſt tres ex priori claſſe relatos, adduntur* Donatus & Demetrius. *Verum videntur ex ſequenti die huc tranſlati; ac proinde tam* Donatum, *quam* Donatam, *ſupra relatam, cum* Demetrio *omittimus. Eſt in Tamlacenſi etiam* Reganus *ſed aliis ignotus. Pro* Solutore *in Mss. Corbeienſi & Aquiſgranenſi dicitur* Salutor, *& forſan in Atrebatenſi, Tornacenſi & Lætienſi* Salvator. *Imo & præcedenti die eſt* Salvator Martyr in Anglia *apud Grevenum, Caniſium, & auctorem Florarii, qui Anglis ignotus eſt, & forſan pro iſtis verbis* Et alibi, *ab aliquo intruſum* in Anglia. *Vſuardus utramque claſſem conjunxit, dum iſta tradit*: In Africa Macarii Martyres & aliorum novem. *At Notkerus* aliorum multorum *ſcripſit. Wandelbertus ex priori claſſe* Maximum, *ſed aliis* Maximam, *& ex hac claſſe* Solutorem *conjungit hoc verſu*:

Maximus & ſenas Idus tenet, atque Solutor.

an addendi Donatus & Demetrius.

An Solutor aliis Salutor & Salvator?

B

E

DE SANCTO ÆDESIO, MARTYRE ALEXANDRIÆ.

G. H.

ANNO CCCIV. *Cultus ſacer.*

Abulæ ſacræ Martyrologii Romani auſpicantur hunc diem VIII *Aprilis à glorioſo martyrio S. Ædeſii his verbis*: Alexandriæ S. Ædeſii Martyris, fratris B. Apphiani, qui ſub Maximiano Galerio Imperatore, cum impium Judicem, quod Deo dicatas Virgines lenonibus traderet, palam argueret; à militibus tentus, ſæviſſimiſque affectus ſuppliciis, in mare demerſus eſt pro Chriſto Domino. *Acta martyrii S. Apphiani late deduximus ad diem ſecundum Aprilis, ubi pluribus de anno & die martyrii egimus. Euſebius Pamphili, cui dictus Apphianus cohabitarat, libro de Martyribus Palæſtinæ cap.* 4, *hujus glorioſum certamen, Cæſareæ in Palæſtina peractum, deſcribit; & cap.* 5 *ſubjungit Vlpiani & Ædeſii martyrium, extra Palæſtinam peractum; Vlpiani in urbe Tyro, uti diximus* III *Aprilis, & S. Ædeſii in urbe Alexandria, de quo iſta tradit Euſebius*:

C

Ædeſius frater S. Apphiani,

2 Aliquando poſt tempore Ædeſius, tam ſecundum Deum quam juxta carnem Apphiani frater germanus, germana cum illo perpeſſus eſt. Quippe poſt innumerabiles confeſſiones, poſt diuturnos carceris & vinculorum cruciatus, poſt Præſidum ſententias, quibus ad metalla Palæſtinæ fuerat condemnatus; poſt vitæ rationem plane philoſophicam, quam in pallio philoſophico agens perpetuo traduxerat (longius enim quam frater in diſciplinis proceſſerat, utpote qui operam dediſſet philoſophiæ) tandem apud Alexandriam, cum Judicem, qui de Chriſtianis quæſtionem habebat, ſupra modum debacchantem atque inſultantem vidiſſet; & nunc quidem viros graves variis afficientem contumeliis, nunc mulieres eximia caſtitate præditas, atque etiam Virgines Deo devotas lenonibus ad omne genus turpitudinis dedentem, idem ac frater facere conatus eſt. Cum enim hæc ipſi intolerabilia viderentur, ingenti animi fiducia acceſſit ad Judicem. Cumque verbis ſimul & factis illum pudore atque ignominia perfudiſſet, poſthæc multiplices tormentorum cruciatus fortiter perpeſſus, tandem in mare præcipitatus, eodem quo frater genere mortis interiit. Et hæc quidem Ædeſio, tametſi aliquanto poſt tempore, ut jam dixi, ad hunc modum contigerunt.

ad metalla condemnatur,

Alexandriæ Judicē impiū arguit,

in mare præcipitatur:

3 *Hæc Euſebius Pamphili. At Græci die* 11 *Aprilis ſimul celebrant* SS. Apphianum *(quem fere* Amphianum *appellant)* & Ædeſium, *& vocant* ex matre fratres, *quos Euſebius aſſerit* ὁμοπατρίους eodem patre prognatos. *Aloyſius Lipomanus tomo* VII *Vitarum Sanctorum edidit Acta utriuſque, & de S. Ædeſio iſta habet*: Similes autem poſtea cruciatus, haud multo interjecto tempore frater ejus Ædeſius pertulit. Hic & antequam frater ejus ad Deum conceſſiſſet, philoſophiæ ſe dedidit, & varias artes diſciplinaſque, non Græcas ſolum, ſed Romanas didicit, diuque Pamphili diſcipulus fuit. Et cum ſæpiſſime ſe Chriſtianum profeſſus eſſet, diuturnaque ſupplicia in carcere pertuliſſet, ad æris metalla primum in Palæſtina damnatus eſt. Et poſt hanc calamitatem Alexandriæ incidit in Hieroclem, qui totam Ægyptum adminiſtrabat. Hunc cum in Dei Martyres injuria ſævientem animadvertiſſet, ſanctaſque Dei Virgines tradentem lenonibus, qui eas omni nequitia & libidine contaminarent, nec tantam iniquitatem perferre poſſet, ſimile fraterno facinus aggreditur. Namque divino repletus zelo procedit, & verbis ac factis Hieroclem confundit. Manu enim ſua illi plagas in os infligit, humique ſupinum proſternit, & cædit ac monet, ne audeat contra naturæ leges Dei ſervos offendere. Hæc & alia multa cum ille dixiſſet & feciſſet, poſtea ſtrenue corpori ſuo illatos cruciatus pertulit; Done in mare conjectus, eumdem quem frater habuit vitæ finem. Atque Alexandriæ hoc certamen ſubiit.

F

variis ſcientiis inſtructus,

Hieroclem Judicem cædit:

4 *Hæc Græci in Actis à Lipomano editis, quorum tale compendium*

A *compendium extat in Menologio Baſilii Porphyrogeniti Imperatoris* : Ædeſius condemnatus, ut in æreis metallis effodiendis puniretur, miſſus eſt Alexandriam : ubi cum quadam die urbis Præſidem vidiſſet acriter in Chriſtianos deſævientem, feſtinans illico virga ipſum percuſſit. Unde multis prius cruciatibus vexatus, in mare demum projectus, martyrium feliciter conſummavit. *Hæc ibi, quæ ita paulo latius explicantur in Menæis Græcorum* : Ædeſius vero Alexandriæ in Ægypto ad fodinas ærarias miſſus, cum inter ſuas ærumnas videret Chriſtianos ab Hierocle ſuppliciis torqueri ; ſuæ vitæ contemptor, Præfectum ſua manu verberavit : qua de cauſa multis tormentis expoſitus, ipſe demum quoque in mare præcipitatus, martyrii lauream adeptus eſt. *Hæc ibi* AUCTORE G. H.

memoratur in Menologio Baſilii Imperat.

& Menæis Græcorum :

Adverſus memoratum Hieroclem ſcripſit librum Euſebius, una cum hujus Demonſtratione Euangelica Pariſiis, anno MDCXXVIII *Græce & Latine, Zenobio Acciaiolo interprete, editum : in quo eum egregie confutat, quod ex Philoſtrati Lemnii Sophiſtæ hiſtoria fuerat auſus Apollonium Tyanæum, infamem magum, Servatori noſtro Ieſu Chriſto comparare. Eumdem, ſed tacito nomine, eadem de cauſa inſectatur Lactantius Firmianus lib.* 5 *Divinarum inſtitutionum cap.* 3, *& plures alii. Conſuli poteſt Baronius ad an.* 302 *num.* 58 *& ſequentibus.*

Hierocles confutatur.

DE S. AMANTIO EPISCOPO,

COMI IN ITALIA ALPESTRI.

G. H.

CIRCA AN CCCCXLVI.

Antiquiſſima venerationis Eccleſiaſticæ, quam Sanctus Epiſcopus hic obtinet, memoria extat in Breviario veteri Comenſi, in quo hymnus hujuſmodi præſcribitur recitandus.

B

Cultus ex Breviario.

Magna quidē tunc gratia Comenſem intrat patriā,
Cum Beatus Amantius hanc regebat Eccleſiam.
Hic nam ſuccedens tertius Præſul almus Amantius,
Benevolus, ut decuit, Paſtoris Sedem tenuit.
Vivendi qui jam terminum ingrediens, Abundio
Gregis committit regimen, hoſtis ne oves perderet.
Sit laus Patri pro munere, de tanto Sancto Præſule,
Prolique cū Paraclito, uni trinoque imperio. Amen.

Deceſſor ejus S. Provinus fuit, ſucceſſor S. Abundius : illius Acta dedimus VIII *Martii, hujus* II *Aprilis.* S. Amantii apud Comum Epiſcopi & Confeſſoris *nomen celebratur in Martyrol. Romano : ubi in Notis perperam dicitur* ſucceſſiſſe S. Felici, qui vixit temporibus S. Ambroſii, cujus ad eum extat epiſtola. *Habetur hic primus Eccleſiæ Comenſis Epiſcopus, inter quem & S. Amantium ſedit jam memoratus Provinus. Galeſinius in ſuo Martyrologio hoc elogium concinnavit* : Novocomi S. Amantii, Epiſcopi & Confeſſoris : qui Leone primo Pontifice, Epiſcopalium virtutum & ſanctimoniæ laude florens, obdormivit in Domino.

& Faſti :

familia,

C

2 *Plura de eo habent Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, Vghellus tomo* 5 *Italiæ ſacræ columna* 238, *& Franciſcus Ballarinus in Chronico Comenſi pag.* 94. *Ac primo tradunt* à nonnullis videri Theodoſii Junioris Imperatoris ex ſorore nepotem, & Cantuariæ in Anglia natum. *Quæ nobis minus probantur, licet hanc ob cauſam inſcriptus ſit Martyrologio Hiſpanico Tamaji Salazar. Habuit Theodoſius ſorores S. Pulcheriam, quæ cum marito Marciano Imperatore in caſtitate vixit, tum Arcadiam & Marinam, quas in virginitatis propoſito admonitione S. Pulcheriæ permanſiſſe tradit Theophanes, ad annum obitus Arcadii Imperatoris, & harum patris ; qui in Oriente regnavit, nec ſcitur in Britannia, poſtea Anglia dicta, unquam fuiſſe. Sed his omiſſis ad certiora progrediamur, quæ ita tradit Vghellus :* Italiam petens, Comum pervenit, ac Provini virtutum contemplatione defixus, iiſdem pietatis laboribus, in quos incumbebat per id tempus magiſter, ſedulo admovit manus ; ſic ut dignus haberetur, qui decedenti Provino in Epiſcopatum ſufficeretur. *Hæc Vghellus : quibus ſimilia habent alii. S. Provinum è vita deceſſiſſe innuimus cum Ballarino circa annum Chriſti* CCCCXX : *cui ſi aliquamdiu convixerit S. Amantius, non potuit ſorore aliqua Theodoſii Iunioris prognatus fuiſſe. De rebus in Epiſcopatu geſtis iſta cum aliis tradit idem Vghellus* : Romæ fuit temporibus Magni Leonis, à quo SS. Petri & Pauli Apoſtolorum aliquot Reliquiis donatus, reverſus Comum, illas honorifice collocavit in eccleſia eiſdem ſanctis Apoſtolis dedicata, qua deinceps pro Cathedrali uſus eſt ; cum S. Carpophori templum, in quo ſuperiores Epiſcopi defixerant Sedem, longius videretur diſtare.

Epiſcopatus,

Reliquiæ SS. Petri & Pauli à S. Leone Papa donatæ :

E

3 *Fuit illud Apoſtolorum templum, anno* MXCV *die* III *Iunii, ab Vrbano II Papa in honorem S. Abundii Epiſcopi dedicatum : in cujus Vita iſta de S. Amantio habentur* : Hic Græco & Latino lepore affabilis, & ſanctitatis titulis illuſtris, S. Amantii factus eſt familiaris : quos mutuus affectus alterni fœderis tanto amore connexit, ut foret ambiguum, uter horum alterum magis diligeret. Ita tamen temperies erat ambobus, ut paſtorales faſces excellerent, & devota ovis ad nutum Paſtoris militaret. Multam concordiam, tanto ex duce tantoque ex milite Reſpublica ſanctæ Eccleſiæ ſuſcepit, multaque incommoda declinavit. Sic eorum vita jucunda, laudabilis & ſalutaris notis & ignotis fuit, ut ii præſentia religionis, illi ſola fama proficerent, dum tanta concordia alternæ dilectionis fruerentur. Amantium ægrotare contigit, ac extremis vitæ propinquare. Extemplo accerſivit Abundium, velut Elias Heliſæum, quem Dei providentia & teſtium præſentia Pontifex ordinavit Pontificem, ſuæ gubernationis dignum ſuperſtitem. *Hæc ibi : at quo id tempore contigerit, non additur. Ballarinus & Vghellus aſſerunt* S. Amantium ad ſuperos evolaſſe anno 448, *Ferrarius vero* circiter annum 460. in alteram vitam digreſſum ; *ſed manifeſto errore, ac forſan typographico, pro quo, ſi conjecturæ locus ſit, mallem legi annum* 446 : *ac tunc illi ſucceſſiſſet S. Abundius, cujus virtus cum jam palam ubique innoteſceret, miſſus ipſe eſt à S. Leone Papa Conſtantinopolim anno* 450 *ad Theodoſium Imperatorem, ut ad ejus Vitam* 2 *Aprilis dictum eſt.*

intima familiaritas cum S. Abundio ſucceſſore.

F

tempus mortis :

4 *A morte ſua honorificæ ſepulturæ traditus eſt S. Amantius, in æde ſua Cathedrali Apoſtolorum Petri & Pauli, dein S.* Abundii *dicta, ubi requievit uſque ad annum milleſimum quingenteſimum nonageſimum : quo tempore Ptolemæus Gallius Comenſis, S. R. E. Cardinalis, S.* Abundii *Comenſis* Abbatiæ *Commendatarius, illius eccleſiam vetuſtate collabentem fere à fundamentis reſtauravit : ubi & multorum Sanctorum, Comenſis Eccleſiæ Epiſcoporum, ibidem quieſcentium corpora, quæ reperit, honeſtiori loco recondidit : quando corpus* S. Amantii *donavit Patribus Societatis Ieſu, ut in eorum eccleſia,* SS. Amantio & Felici *dicata, collocaretur : de cujus corporis tranſlatione littera annua Societatis ad dictum annum* MDXC *iſta habent pag.* 138. Corpus S. Amantii, donum Ptolemæi Cardinalis, tranſlatum hoc anno in noſtram ædem eximia pompa. Concurrit multitudo ex adjacentibus oppidis frequens, gnara temporis, avida ſpectaculi. Arcuata erat

ſepultura,

tranſlatio corporis ad eccleſiam Societatis Ieſu illi dicatam.

AUCTORE G. H. erat urbs in capitibus viarum, adornata tabulis figniſque & perpetuo peripetaſmate: ſed area collegii templumque maxime illuſtria, multigenis argumentis, verſu inſcriptis pictiſque, alterno textu fulgentia: quorum copiam plebs imperita, eruditi elegantiam æſtimabant. Conditum ſacrum pignus arca marmorea ſub altari maximo: & votiva circum donaria, accepta propter beneficia, quorum imagines litteræque cauſam teſtantes, in auro argentoque expreſſæ, miraculum ad præſens, in poſterum monumentum. D

DE SANCTO PERPETVO,

G. H. *EPISCOPO TVRONENSI IN GALLIA.*

CAPUT I.

Tempus Epiſcopatus collati. Templum S. Martini & alia conſtructa. Hujus oſſa tranſlata.

CIRCA AN. CCCCXC. *DE primis Eccleſiæ Turonenſis in Gallia ad Ligerim Epiſcopis quæ certiora novimus, tradidit pleraque S. Gregorius, & ipſe Epiſcopus Turonenſis, qui in dicta Sede floruit ſeculo Chriſti ſexto, ſanctitate & doctrina eximius. Hic ergo, libro primo de Miraculis S. Martini, Epiſcopi etiam Turonenſis, capite ſexto, indicat tempus, quo S. Perpetuus, de quo hic agimus, ordinatus fuit* B *Epiſcopus Turonenſis, dum iſta ſcribit:* Operæ pretium *S. Perpetuus creatur Epiſcopus,* eſt etiam illud inſerere lectioni, qualiter S. Martini corpuſculum, in locum ubi nunc veneratur, fuerit Angelo annuente tranſlatum. Anno ſexageſimo *anno 64 poſt tranſitum S. Martini,* quarto poſt tranſitum glorioſi Domini Martini, Beatus Perpetuus Turonicæ Sedis Cathedram ſortitus eſt dignitatis. Adeptuſque hunc apicem, cum votorum magno conſenſu, fundamenta templi ampliora quam fuerant, ſuper beata membra locare diſpoſuit. In quod ſagaci inſiſtens ſtudio, mirifico mancipavit effectui. De qua fabrica multum quod loqueremur erat; ſed quia præſens eſt, conticere exinde melius putavimus. *Hæc ibi Gregorius: ex quo ad Kalendas Februarii ante Vitam S. Sigeberti Regis* *mortui an. 597.* *Francorum Auſtraſiorum* § VII *late deduxi S. Martinum vita functum eſſe anno* CCCXCVII, *& poſtmodum noſtro exemplo idem tradiderunt Carolus Le Cointe, tomo* 1 *Annalium Eccleſiaſticorum Francorum ad annum* 498 *à num.* 6 *ad num.* 24; *Ioannes Maan, in Sancta & Metropolitana Eccleſia Turonenſi, in Vita ejuſdem S. Martini à ſe illuſtrata; & Iacobus Grandamicus, in Chronologia Chriſtiana, Intervallo* 3 *cap.* 6, *ubi ſectione tertia aſſerit me* omnium C diligentiſſime hanc quæſtionem explicuiſſe, & ſequendum *aliis proponit. Succeſſores S. Martino in Sede Turonenſi fuerunt* S. Briccius, *cujus* annos Epiſcopatus fuiſſe XLVII *tradit idem Gregorius. Poſt quem eodem teſte* ſedit S. Euſtochius annos XVII, *ſcilicet uſque ad annum* CCCCLXI, *quando* annus ſexageſimus quartus *labebatur* poſt tranſitum S. Martini, *quo* S. Perpetuus Turonicæ Sedis Cathedram ſortitus eſt dignitatis. *ergo anno 461,*

2 *Idem Gregorius, ad calcem Hiſtoriæ Francorum, ſive lib.* 10 *cap.* 31, *recenſet Epiſcopos Turonenſes, & ſexto loco iſta habet:* Sextus ordinatur Perpetuus, de genere & ipſe, ut aiunt, Senatorio & propinquus deceſſoris ſui: dives valde & per multas civitates habens poſſeſſiones. *Hinc arbitramur lib.* 2 *cap.* 14 *intruſa eſſe verba iſta* quintus poſt B. Martinum, *eiſque abraſis ita legendum:* Apud urbem Turonicam defuncto Euſtochio, ſeptimo decimo ſacerdotii ſui anno, Perpetuus ordinatur, *ſcilicet* ſextus Epiſcopus Turonenſis: *uti etiam in ſequenti poëmate cecinit S. Sidonius Apollinaris Epiſcopus Arvernorum, S. Perpetuo familiaris, & pari nobilitate oriundus, atque ante hunc mortuus. Hic ergo libro* 4 *epiſtola* 18 *ad Lucontium iſta ſcribit:* Baſilicam ſancti Pontificis Confeſſoriſque Martini Perpetuus Epiſcopus, digniſſimus tanto prædeceſſore ſucceſſor, *ordine ſextus, nobilis & dives;*

multum priori, quæ fuit hactenus, capaciorem novavit. Magnum eſt ut ferunt opus nominandumque, quod in honorem talis viri factum, talis vir feciſſe debuerit. Hujus me parietibus inſcribere ſupradictus Sacerdos hoc epigramma compellit; quod recenſebis, ut eſt in his quæcumque depoſcit privilegio caritatis imperioſiſſimus. Atque utinam molis illius pompam, ſive donaria, nil hujus obſequii turpet oblatio: quod ſecus fore plurimum timeo, niſi forſan inter omnia venuſta, ſic epigrammatis iſtius fœditas placeat, ut niger nævus candido in corpore, qui quidem ſolet ſic facere riſum, quod accipere ſuffragium. Sed quid hinc amplius? Pone fiſtulas ipſe paſtoritias, & elegiæ noſtræ, quia pede claudicat, manum porrige. *incitat S. Sidonium Apollinarem ut carmine exornet baſilicam à ſe conſtructam,* E

Martini corpus, totis venerabile terris,
In quo poſt vitæ tempora vivit honor;
Texerat hic primum plebeio machina cultu,
Quæ Confeſſori non erat æqua ſuo:
Nec deliſtebat cives onerare pudore
Gloria magna viri, gratia parva loci.
Antiſtes ſed, qui numeratur ſextus ab ipſo,
Longam Perpetuus ſuſtulit invidiam;
Internum removens modici penetrale ſacelli,
Amplaque tecta levans exteriore domo.
Creveruntque ſimul, valido tribuente Patrono,
In ſpatiis ædes, conditor in meritis:
Quæ Salomoniaco potis eſt confligere templo,
Septima quæ mundo fabrica mira fuit.
Nam gemmis, auro, argento ſi ſplenduit illud;
Iſtud tranſgreditur cuncta metalla fide. F
Livor abi mordax, abſolvanturque priores:
Nil novet aut addat garrula poſteritas.
Dumq; venit Chriſtus, populos qui ſuſcitat omnes,
Perpetuo durent culmina Perpetui.

3 *Hactenus S. Sidonius Apollinaris de dicta eccleſia, de qua Gregorius Turonenſis, ad citatam calcem Hiſtoriæ, iſta habet:* Hic, ſubmota baſilica, quam prius Briccius Epiſcopus ædificaverat ſuper S. Martinum, ædificavit aliam ampliorem miro opere: in cujus abſida beatum corpus ipſius venerabilis Sancti tranſtulit. *Verum eadem idem Gregorius latius deducit libro* 2 *cap.* 14. Cum virtutes, *inquit*, aſſiduas ad ſepulcrum ejus fieri cerneret; cellulam, quæ ſuper eum fabricata fuerat, videns parvulam, indignam talibus miraculis judicavit. Qua ſubmota, magnam ibi baſilicam, quæ uſque hodie permanet, fabricavit: quæ habetur à civitate paſſus quingentos quinquaginta. Habet in longum pedes centum quinquaginta quinque, in latum ſexaginta: habet in altum uſque ad cameram pedes quadraginta quinque; feneſtras in altario triginta duas, in capſo viginti; columnas quadraginta unam: in toto ædificio feneſtras quinquaginta duas, columnas centum viginti: oſtia octo, tria *cujus fuit admiranda majeſtas,*

in

in altario, quinque in capſo, *ſeu gremio aut navi templi.*

4 *Sed quæ deinceps S. Perpetuus peregit, in dicto libro de Miraculis S. Martini, ità narrat idem Gregorius:* Adveniente ergo optato tempore Sacerdoti, ut templum dedicaret, & Sanctum corpuſculum à loco, ubi ſepultum fuerat transferret; convocavit Beatus Perpetuus ad diem feſtum vicinos Pontifices, ſed & Abbatum ac diverſorum Clericorum non minimam multitudinem. Et quia hoc in Calendis Julii agere volebat, vigilatâ unâ nocte, facto mane, accepto farculo, terram, quæ ſupra ſanctum erat tumulum, cœperunt effodere. Quo detecto, manus ut eum commoverent injiciunt; ibique multitudo tota laborans, nihil prorſus per totam diem profecit. Vigilatâ denique aliâ nocte, mane tentantes nihil omnino agere potuerunt. Tunc conturbati atque exterriti, quid facerent neſciebant. Dicit eis unus ex Clericis: Sciatis quia poſt hoc triduum natalis Epiſcopatus ejus eſſe conſueverat: & forſitan in hac die ſe transferri debere vos admonet. Tunc jejuniis ac orationibus & jugi ſilentio die noctuque inſiſtentes, triduum illud continuatim duxerunt. Quartâ autem die accedentes, ponenteſque manus, non valebant penitus movere ſepulcrum. Pavore autem exterriti, jam in hoc ſtantes, ut terrâ vaſculum, quod detexerant, operirent; apparuit eis venerandâ canicie ſenex, inſtar nivis candorem efferens, dicens ſe Abbatem & ait eis: Uſquequo conturbamini & tardatis? Non videtis Dominum Martinum ſtantem, vos juvare paratum, ſi apponitis? Tunc jactans pallium, quo utebatur, poſuit manum ad ſarcophagum cum reliquis Sacerdotibus, Crucibus paratis ac cereis, impoſitâque Antiphonâ, dederunt cuncti voces pſallentes in excelſo. Tum ad ſenis conatum protinus ſarcophagum cum ſummâ levitate commotum, in locum, ubi nunc veneratur, Domino annuente perducitur. Quo ad votum Sacerdotis compoſito, dictis etiam Miſſis, ut ventum eſt ad convivium, requirentes ſolicite ſenem, nequaquam reperiunt. Sed nec homo quidem extitit, qui eum de baſilicâ exire vidiſſet. Credo aliquam fuiſſe virtutem Angelicam, quæ & beatum virum ſe vidiſſe pronuntiavit & deinceps nulli comparuit. *Hæc ibi de dictâ Eccleſiâ, à S. Perpetuo conſtructâ, de quâ in Chronico S. Maxentii vulgo Malleacenſi, tomo 2 Novæ bibliothecæ manuſcriptorum à Philippo Labbe editæ, iſta leguntur:* Anno DCCCCIII Baſilica S. Martini Turonenſis, quam S. Perpetuus olim ædificaverat, cremata eſt pridie Kalendas Julii, quam poſtmodum noſtrâ ætate Herveus Theſaurarius reædificavit. *In Chronico Andegavenſi, tomo 1 ejuſdem Bibliothecæ, eadem referuntur;* ſed baſilica tertio cremata *dicitur.*

5 *Non ſtetit diligentia S. Perpetui in baſilicâ unâ S. Martini conſtruendâ; verum, ut additur dicto capite 14 libri 2 Hiſtoriæ,* quoniam camera cellulæ illius prioris eleganti opere fuerat fabricata, indignum duxit Sacerdos, ut opera ejus deperirent: ſed in honore beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli aliam conſtruxit baſilicam, in quâ cameram illam affixit. Multas & alias baſilicas ædificavit, quæ uſque hodie in Chriſti nomine conſtant. *Quæ latius ſub calcem dictæ hiſtoriæ indicantur.* Hic, *inquit*, ædificavit baſilicam S. Petri, in quâ cameram baſilicæ prioris poſuit, quæ uſque ad noſtra tempora perſeverat. Baſilicam quoque S. Laurentii monte Laudiaco ipſe conſtruxit. Hujus tempore ædificatæ ſunt eccleſiæ in vicis, id eſt, Evenâ, Mediconno, Berrao, Balatedine, Vernado. *Supra citatus Ioannes Maan, appellat* parochiales eccleſias ab ipſo conditas, *dicique vulgo*, Avoine, Monnoye, Barou, Balan, Vernou.

Evocat Epiſcopos & alios ad tranſlationem S. Martini,

& ob tardam caelitus immiſſam,

poſt jejunia & preces,

Angelo in forma Abbatis apparente

ſolenni pompâ tranſlatio peracta eſt.

aliàs eccleſias conſtruit.

CAPUT II. G. H.

Concilia habita. Jejunia & Vigiliæ ordinatæ: obitus, cultus ſacer.

6 *ANno Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo primo, quo S. Perpetuum ordinatum ſupra diximus, Severino & Dagalaiſo Conſulibus, convocatis aliquot Galliarum Epiſcopis, Concilium Turonibus collegit, ad quod iſta Præfatio præmittitur.* Severino V. C. Conſule, ſub die XIV Kalendas Decembris, cum ad ſacratiſſimam feſtivitatem, quâ Domini Martini receptio celebratur, in civitate Turonorum beatiſſimi Sacerdotes, quorum ſubſcriptio ſubter adjecta eſt, conveniſſent; neceſſario crediderunt, ut quia per longam incuriam in aliquo de rebus Eccleſiaſticæ diſciplinæ regula fuiſſet vitiata, definitionem ſuam, quæ cum Patrum auctoritate concordat, præſentis ſcripturæ emiſſione firmarent: non, quæ prius illicite admiſſa ſunt, revolventes; ſed poſteriorum univerſorum utilitati proſpicientes, ut ſecundum Euangelica præcepta & Apoſtolicam doctrinam Patrum ſtatuta ſervantes, Eccleſia Domini pura & immaculata permaneat. *Subſcripſerunt* Epiſcopi, Perpetuus Turonenſis, Victorius Cenomanenſis, Leo Bituricenſis, Euſebius Namnetenſis, Amandinus Catalaunenſis, Germanus Rotomagenſis, Athenius Redonenſis, Manſuetus Britannorum, cum Jocundino Presbytero juſſu Venerandi Epiſcopi. *Ex his Leo Bituricenſis & Victorius Cenomanenſis ſubſcripſerant ante Concilio Andegavenſi, Opilione Conſule anno* CCCCLIII *habito. Indicatus dies* XIV *Kalendas Decembris incidit in diem octavam ſolennitatis S. Martini: pro quo die mallet Ioannes Maan, ſed ex ſuâ conjecturâ, ſubſtitui diem* XI *Novembris S. Martino ſacrum. Carolus le Cointe arbitratur eo tantum anno illud feſtum celebratum: quod in Tractatu de Patriarchio Bituricenſi tomo 2 Bibliothecæ novæ Labbei, dicitur celebratum* XVIII Kalendas Decembris. *Sed quod ibidem tradatur Leo Epiſcopus ſediſſe annos decem & octo, admittimus, non tamen ab anno* XXXI *uſque ad annum* XLVIII *poſt quadringenteſimum, quod è dictis Conciliis rejicitur. Inde tamen & ex ejus ſucceſſoribus concludimus, Concilium dictum Turonicum non differendum uſque ad annum* CCCCLXXXII, *quo Severinus cum Trocondo collegâ Conſulatum geſſit, uti poſt alios à Ioanne Maan factum.*

Concilio Turonenſi præſidet annus 461.

7 *Aliud Concilium Veneti in Britanniâ Armoricâ à Perpetuo Metropolitano, in alicujus Venetenſis Epiſcopi ordinatione, celebratum eſt: cui præfigitur Epiſtola Synodi, ad Epiſcopos ejuſdem provinciæ qui Concilio non interfuerant, & eſt hujuſmodi.* Cum ſemper à nobis cura religionis haberi debeat in promptu, nec aliunde debeat eſſe meditatio, eo præcipue tempore, quo nos aut voluntas aut occaſio congregavit, ut communis ex multorum collatione tractatus, conſentiente in Chriſto ſpiritu, multarum ſententiarum auctoritate firmetur: ne ſingulorum pro arbitrii ſui qualitate definitio, aut imperitiæ decipiatur errore, aut tumore præſumptionis vel iracundiæ depravetur: & dum unuſquiſque, ſine fratrum collatione, ſuo tantum credit arbitrio, ſtatuat quod merito poſſit omnibus diſplicere. Itaque quoniam nos in Eccleſiâ Veneticâ cauſa ordinandi Epiſcopi congregavit, rectum eſſe credidimus de regulâ Eccleſiaſticâ, quæ nobis donante Domino credita eſt, & de diſtrictione, cujus cura non ſine culpâ noſtrâ omittetur, habitâ conſultatione, ut quæ in prioribus Patrum ſtatutis videmus omiſſa, & procedente tempore licentiâ, ex nimia prolabentis ſeculi libertate præſumptâ, ſtatutis ſaluberrimis ſanciremus. Quod in notitiam beatitudinis veſtræ, quia præſen-

Concilium Veneticum habet

ordinatus Epiſcopum Venetenſem.

AUCTORE G.H.

tia veſtra nobis, neceſſitate faciente, fraudata eſt, credidimus deferendum; ut ſi probabile duxeritis, id quoque & veſtra auctoritate firmetur & diſtrictione ſervetur. *Subſcripſit S. Perpetuus primus ſub hac formula* : Perpetuus Epiſcopus hanc definitionem noſtram relegi & ſubſcripſi, & ea quæ à Patribus noſtris vel à nobis prius ſtatuta ſunt, cenſeo obſervanda. *Sunt autem Canones ſedecim, pro immunitate Eccleſiæ aut reformatione morum ſanciti. Tempus quo illud Concilium habitum fuerit non indicatur. Retulit Sirmondus ad annum* CCCCLXV. *De S. Paterno ſeculo ſequenti Epiſcopo Venetenſi agimus* XV *Aprilis : quem modo ili conſtitutum Epiſcopum perperam à nonnullis indicari oſtendimus.*

inſtituit jejunia,

8 *Præterea, ut Gregorius ad calcem hiſtoriæ ſcripſit*, inſtituit jejunia vigiliaſque, qualiter per circulum anni obſervarentur, quod hodieque apud nos tenetur ſcriptum, quorum ordo hic eſt de jejuniis. Poſt Quinquageſimam, *id eſt Pentecoſten*, quarta & ſexta feria uſque Natale S. Joannis. De Kalendis Septembris uſque Kalendas Octobris, bina in ſeptimana jejunia. A depoſitione Domni Martini uſque Natale Domini, terna in ſeptimana jejunia. De natali S. Hilarii uſque medium Februarium, bina in ſeptimana jejunia. De vigiliis : Natali Domini, in Eccleſia; Epiphania, in Eccleſia; Natali S. Joannis, ad baſilicam Domni Martini; Natali S. Petri, ad ipſius baſilicam v Kalendas Aprilis; Reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti, ad baſilicam Domni Martini; Paſcha, in Eccleſia; Die Aſcenſionis, in baſilica Domni Martini; Die Quinquageſima, in Eccleſia; Paſſione S. Joannis, ad baſilicam in baptiſterio; Natali ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ad ipſorum baſilicam; Natali S. Martini, ad ejus baſilicam; Natali S. Symphoriani, ad baſilicam Domni Martini; Natali S. Lidorii, ad ejus baſilicam; Natali S. Briccii, ad Domni Martini baſilicam; Natali S. Hilarii, ad Domni Martini baſilicam. *Hæc ibi Vbi per nudam vocem* Eccleſiæ *videtur intelligi primaria ſeu Cathedralis : & in jejunio Quadrageſimali nihil immutatur.* Sedit autem *(ut concludens hunc locum Gregorius ait)* annos triginta, & ſepultus eſt in baſilica S. Martini.

B *& Vigiliæ quo loco agendæ ſint ordinat :*

Depoſitio die 30 Decembris :

9 *Quis dies S. Perpetuo fuerit in terra ultimus ac natalis in cælo, non indicavit S. Gregorius Epiſcopus Turonenſis.* Trigeſimum Decembris *ſignat antiquiſſimus poſt Bedam Martyrologus Florus, in hujus ſupplemento : cujus in Mss. Atrebatenſi, Tornacenſi & Latienſi iſta ſunt verba :* Turonis civitate depoſitio Perpetui Epiſcopi & Confeſſoris, qui religioſo magnoque voto corpus S. Martini removens, Angelicam viſitationem promeruit. *Hæc Florus, cui ætate proximus eſt B. Rabanus, qui eodem die* XXX *Decembris his eum verbis proponit* : Turonis depoſitio B. Perpetui Epiſcopi, qui S. Martini eccleſiam ædificavit. *Accedunt antiquitate ſuâ veneranda duo Martyrologii Hieronymiani apographa, Lucenſe Florentinii & Corbeienſe Pariſiis excuſum, cum alio Ms. Corbeienſi ante octingentos annos exarato : item Mss. Caſinenſe, in quo primo loco refertur; Barberinum in Auctario Bedæ, Vallicellanum Congregationis Oratorii Romæ, Trevirenſe S. Maximini, Bruxellenſe S. Gudilæ, & plura alia cum nonnullis apographis Vſuardi, cujus tamen primaria exemplaria eum referunt ad hunc Diem* VIII *Aprilis his verbis* : Turonis S. Perpetui Epiſcopi, admirandæ ſanctitatis viri. *Quæ eadem verba leguntur in hodierno Martyrologio Romano : & apud Adonem iſta adduntur* : Cujus opera templum ſuper reverenda oſſa B. Martini Epiſcopi perfectum eſt, ejuſque ſacrum corpus, de loco ubi primo tumulatum fuerat, tranſlatum ad locum ubi nunc condigne veneratum atque reconditum fuerat. *Similia habentur apud Notkerum, & auctorem Bedæ ſuppoſititii.*

C

ſacra memoria 8 Aprilis :

10 *Interim in Adonis Ms. Martyrologio Reginæ Sueciæ & aliis ad diem* XXX *Decembris iſta leguntur* : Turonis natale S. Perpetui Epiſcopi & Confeſſoris. *Quæ an recte in Appendicem rejecerit Roſweidus, & aſteriſco ſignarit Moſander, alii judicent. Apud Notkerum deſideratur menſis December. Vtroque die memoratur in Mss. Trevirenſi S. Martini, Leodienſi S. Lamberti, Centulenſi S. Richarii & aliis, item in Martyrologiis Bellini, Greveni, Galeſinii, Caniſii & aliis. Quia autem ad dictum diem* XXX *Decembris refertur* natalis *ejus &* depoſitio, *forſan eo die vita functus eſt aut certe ſepultus, ac tunc arbitraremur cum deceſſiſſe anno* CCCCXC. *Faveret tempus ſucceſſoris, qui fuit* S. Voluſianus; *ac teſte Gregorio*, ex genere Senatorio vir ſanctus & valde dives, propinquus & ipſe Perpetui Epiſcopi deceſſoris ſui, *qui anno Epiſcopatus ſui* VII, *circiter* CCCCXCVI *à Gothis, quod Chlodoveo Regi Francorum videretur favere, verſus Hiſpanias abductus eſt, ut diximus die ejus natali* XVIII *Ianuarii. Sin tamen alii opinentur S. Perpetuum hoc* VIII *Aprilis ex hac vita ad cæleſtem migraſſe, annum illis etiam concedemus* CCCCXCI. *De Reliquiis ejus, fuerinte aliquando elevatæ de terra & publico Turonenſis populi cultui expoſitæ, non invenimus qui nos doceat : id ſi factum fuit, fuerunt etiam illæ cum ceteris Sanctorum pignoribus per hæreticos diſſipatæ. Habet eccleſia S. Viti Pragæ Metropolitana partem de brachio alicujus* S. Perpetui Epiſcopi : *hujus Turonenſis eam eſſe credidit auctor Diarii nuper Pragæ vulgati, quamvis fateatur ignorare unde aut per quem ipſa Pragam allata ſit.*

D

mortui an. 490,

aut 491.

Reliquiæ.

E

CAPUT III.

Teſtamentum S. Perpetui Turon. Epiſc.

Ex tomo 5 Spicilegii recuſum.

11 GRegorius, *loco ubi ſupra num.* 8, *S. Perpetui elogio iſtic relato inſeruit hæc verba, ſeorſim proponenda :* Condiditque Teſtamentum, & deputavit per ſingulas civitates quod poſſidebat, in eis ipſis ſilicet eccleſiis, non modicam & Turonicæ tribuens facultatem. *Hoc Teſtamentum Ms. nactus* v. CL. *Hieronymus Vignerius, intexuerat Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Epiſcoporum orbis Gallici, à ſe prælo paratæ, una cum optimæ notæ veteris ævi ſcriptis, quæ in Præfatione ad* V *Tomum Spicilegii pag.* 11 *enumerat Lucas Acherius. Exiſtimat autem jam dictus Spicilegus, quod ipſum* Teſtamentum nulla eget obſervatione : concordant *enim inquit*, univerſa in eo contenta cum jure Cæſareo Pontificioque, concordant cum faſtis Conſularibus, concordant cum iis quæ narrat Gregorius. *Verum licet minime neceſſaria eruditioribus ſint, quibus* nobile hoc antiquitatis monumentum *poſſet illuſtrari; opportuna tamen erunt ſolum mediocriter in hac re verſatis. Quare cum expediens videatur, ad pleniorem demonſtrationem liberalis ac pii in Perpetuo animi, ipſum, quamvis in jam dicto Spicilegio excuſum ſemel, recudere hoc loco, non gravabimur obſervantiones pauculas more noſtro addere.*

illuſtratur,

F

S. Perpetuus

12 In nomine Jeſu Chriſti. Amen. Perpetuus peccator, Turonicæ Eccleſiæ Sacerdos, abire nolui ſine teſtamento, ne fraudentur pauperes iis, quæ ſuperna gratia mihi non merito liberaliter & amanter contulit; & ne, quod abſit, tranſeant ad alios quam ad Eccleſiam Sacerdotis bona.

Clero ſuo pacem precatus,

13 Presbyteris, Diaconibus, & Clericis Eccleſiæ meæ, pacem Domini Jeſu Chriſti do, lego. Amen. Confirma hoc Domine quod operatus es in nobis, neſciant ſchiſmata, ſtabiles in fide permaneant; quicumque regulam Euangelii fuerit ſecutus, ſit benedictus omni benedictione ſpirituali in ſupernis per Chriſtum Jeſum. Amen. Et Dominus Jeſus occidat impium vento oris ſui. Amen. Amen. Pax Eccleſiæ, pax populo; in urbe, in agro; à Deo & Patre Domini Jeſu Chriſti. Amen. Veni, Domine, & noli

A & noli ſuſtinere. Amen. Vobis itaque Presbyteris, Diaconibus & Clericis Eccleſiæ meæ, cum conſilio Agilonis Comitis, ſepeliendum cadaver mortis hujus, ubicumque elegeritis, permitto; ſcio quod Redemptor meus non moritur, & in carne videbo Liberatorem meum. Amen. Tamen ſi indigno mihi feceritis miſericordiam, quam ſupplex poſtulo, optarem ad Domni Martini pedes in diem quieſcere judicii, videbitis, judicabitis, eligetis; volo, ſtatuo, ratum jubeo quod vobis dominis & fratribus meis placuerit.

orat ut ſepeliatur ad pedes S. Martini:

ſervos manumittit,

14 In primis itaque ego Perpetuus, volo liberos eſſe liberaſque homines & feminas, quotquot habeo in villa *a* Saponaria, quos emi de mea pecunia, ut & pueros, quos in die diſceſſus mei non manumiſero in eccleſia: ita tamen ut libere ſerviant, quandiu vixerint, Eccleſiæ meæ, ſed abſque ſervitute ad heredes tranſmiſſibili & glebatica.

a

donat eccleſiæ varia jura & fundum,

15 Do etiam Eccleſiæ meæ agrum, quem Aligarius mihi vendidit in dicta villa Saponaria, cum ſtagno. Item molendina ſupra Carum prope dictam villam; necnon pecuaria & prata ipſi Eccleſiæ meæ do, lego.

b

alium legat pro oleo ad ſepulcrum S. Martini:

B

16 Villam de Bertiniaco *b* cum ſilva & omni reditu, ea conditione, qua mihi à Daniele Diacono vendita eſt, Eccleſiæ meæ pariter do, lego. Ita tamen ut de eorum proventibus oleum paretur pro Domni Martini ſepulcro indeficienter illuſtrando: quod ſi fuerit neglectum, & voluntas mea, quod non ſpero, caſſa; dicta villa de Bertiniaco cum adjunctis, heredibus meis mox nominandis cedat, volo, ſtatuo, jubeo.

remittit debita,

17 Quidquid & quoquo in loco, & à quacumque perſona fuerit mihi debitum, quo die abſceſſero, debitoribus ipſis do, lego. Exigere, quod dimitto, nullus præſumat, volo, ſtatuo.

c

Euphronio Presb dat lipſanotheam & Euangelium,

18 Tibi Fratri & Conſacerdoti dilectiſſimo Eufronio *c* thecam ex argento de Reliquiis Sanctorum do, lego. Illam intelligo quam deferre ſolebam; nam deauratam aliam quæ eſt in capſario meo, cum duobus calicibus aureis, & cruce ſimiliter aurea, quam Mabuinus fecit, Eccleſiæ meæ do, lego. Simul & omnes libros meos, præter Euangeliorum librum, quem ſcripſit Hilarius *d* quondam Pictavienſis Sacerdos, quem tibi Eufronio Fratri & Conſacerdoti dilectiſſimo cum præfata theca do, lego, volo, ſtatuo. Memor eſto mei. Amen.

d

e

legata alia pia condit:

C

19 Eccleſiæ S. Dionyſii *e* de Rambaſciaco, calicem argenteum, & crucem ſimiliter argenteam, in cujus manubrio eſt Reliquia de eodem S. Dionyſio do, lego.

f

20 Eccleſiæ de Proillio *f* ſimiliter calicem argenteum & urceos argenteos do lego. Similiter & *g* Amalario ibidem Presbytero capſulam unam communem de ſerico, item periſterium *h* & columbam argenteam ad repoſitorium, niſi maluerit Eccleſia mea illam qua utitur eidem Amalario tranſmittere, meam retinere: tibi Eccleſiæ meæ eligendum permitto, volo, ſtatuo.

g

h

i

ſororibus crucem parvam relinquit:

21 Sorori meæ Fidiæ Juliæ Perpetuæ crucem parvam auream ex *i* emblaſmate, in qua ſunt de Reliquiis Domini, do, lego. Quam tamen obnixe rogatam velim, ut ſi forte, jubente Domino, eam contigat migrare ante Dadolenam Virginem, Eccleſiæ meæ ei poſſidendam relinquat. Te etiam rogo ſoror Dadolena, ut moriens eam Eccleſiæ quæ libuerit addicas, ne veniat ad indignos. Quod ſi tranſeat Dadolena ante te, ſit tibi liberum, cariſſima ſoror Fidia Julia Perpetua, prædictam crucem cui volueris eccleſiæ relinquere, volo, ſtatuo. Memor eſto mei dilectiſſima. Amen.

22 Tibi Agiloni Comiti, ob egregia tua in Eccleſiam meam & pauperes filios meos merita, & ut pergas eorum defenſionem robuſte ſuſcipere ſicut cœpiſti, equum meum parabilem, & mulum quem elegeris do, lego. Memor eſto mei fili dilectiſſime. Amen. D

23 Eccleſiæ S. Petri periſtromata, quæ ei ad utendum in Natali *k* ejuſdem ſæpe conceſſi, omnino & abſolute do, lego. *k*

24 Tibi Fratri & Conſacerdoti cariſſimo, de quo Dominus providebit regendæ poſt diſceſſum *l* meum Eccleſiæ nunc meæ, tunc tuæ, aut potius nec meæ nec tuæ, ſed Chriſti, do quicquid ad uſum Epiſcopalem de rebus meis volueris eligere in camera & ſacrario vicino. Quod nolueris, heredum meorum nominandorum eſto. Presbyterum de Malleio, *m* eumque de Orbona *n*, ad gradus unde merito dejecti ſunt, nunquam reſtitue. Sportulam *o* tamen habeant quamdiu vixerint ſuper parte redituum meorum de *p* Preſſaio; quod ſupererit, cum parte illa quam utendam fruendam illis conceſſi, poſtquam obierint, & tibi utendum fruendum relinquo: poſt diſceſſum tuum Eccleſiæ meæ do, lego. At tu, Frater & Conſacerdos cariſſime, Presbyteros, Diaconos, Clericos, Virgines, meos, tuos, ama; exemplo juva, benevolentia præveni; fac ut ſciant ſe tibi filios non ſervos, te illis Patrem non dominatorem, rogo, volo, ſtatuo. *l* *ſucceſſorie eligendo certos reditus:* *m* *n* *o* *p* E

25 At vos viſcera mea, fratres dilectiſſimi, corona mea, gaudium meum, domini mei, filii mei, pauperes Chriſti, egeni, mendici, ægri, viduæ, orphani. Vos, inquam, heredes meos ſcribo, dico, ſtatuo. His quæ ſupra detractis, quicquid in bonis habeo, ſive in agris, paſcuis, pratis, nemoribus, vineis, manſis, hortis, aquis, molendinis, ſive in auro, argento, & veſtibus, ceteriſque rebus, de quibus me diſpoſuiſſe non conſtabit, heredes eſſe vos jubeo. Et ut omnia per diſcretionem adminiſtrentur, volo ut diſtrahantur quamprimum obiero & fieri poterit, & in pecuniam redigantur, cujus tres partes fiant. Hominibus egenis duæ diſtribuantur, ut placuerit Agrario Presbytero, & Comiti Agiloni: tertia viduis & pauperibus feminis, uti placuerit Virgini Dadolenæ, diſtribuatur, volo, rogo, ſtatuo. *heredes inſtituit pauperes:* *& teſtamenti curatores nominat.*

26 Teſtamentum hoc manu propria ſcriptum relegi & ſubſcripſi ego Perpetuus, Kalend. Maias poſt Conſulatum Leonis *q* Minoris A. Illud tu, Delmati fili, apud te depoſitum ſerva, & cum alio ſimili mea pariter manu ſcripto & ſubſcripto, quod apud Dadolenam depoſui, Agiloni Comiti coram Fratribus meis Presbyteris, Diaconibus & Clericis aperiendum & legendum trades, in nomine Domini volo, rogo, ſtatuo, fixum ratumque ſit. Benedic Domini: veni, Chriſte Jeſu. *ipſumque ſubſignat.* q

Ego Perpetuus in nomine tuo. Amen.

ANNOTATA.

a Saponaria, *vulgo* Savonnieres, *trans Carum fluvium, duabus ab urbe leucis diſita.*

b Bertiniacum, *in Arvernis nominatur à* P. *Du Val in Alphabeto Franciæ, an aliud in Turonibus ejuſdem ſit nominis ignoramus.*

c Sacerdotis *titulus hic ſupponit pro Epiſcopo, ut apparet, nullus autem anno* 475, *quo hæc ſcripta eſſe mox oſtendetur, tota Gallia ſciitur floruiſſe Epiſcopus* Euphronius, *quam Æduenſis ſive Auguſtodunenſis, de quo vide Sammarthanos in Gallia Chriſtiana.*

d S. Hilarii Epiſc. Pictavienſis *Vitam illuſtravimus* 13 *Ianuarii: obiit autem hic anno* 367.

e *Eadem forſitan, quæ in Pullaria generali diœceſis Turonenſis*

A *Turonenſis vocatus* S. Dionyſii ad Ligerim eccleſia Curata.

f Proillium, *vulgo* Pruilly, *alias* Pruliacum, *ad Clatam fluviolum in finibus diœceſeos ad meridiem: nunc Ordinis Benedictini Abbatia.*

g *Hic à Sammarthanis, inter tres antiquos Abbates, quorum nomina ſola ſervavit memoria, vocatur* Amblarius.

h Columba, *Græce* ϖϵιϛερὰ, *Quomodo autem pro Euchariſtia in eccleſiis aſſervanda olim uterentur vaſculo aureo vel argenteo, in formam columbæ efficto, ad deſignandam operationem Sancti Spiritus, & ipſum ſupra altare penderet, aut etiam ſupra baptiſterium, explicat Baronius ad an.* 57 *num.* 152.

i Emblaſma, *an idem quod* ἐμϖλαϛμα, *confectio ex maſſa quadam odorata vel medica, unde &* emplaſtrum *dicitur? Si ita: crediderim ipſas reliquias, in maſſæ modum fuiſſe coactas, uti nunc ſæpe videmus fieri admixta creta ſive argilla aliqua.*

k Natalis *eccleſiarum, eſt dies dedicationis earum.*

l *Succeſſit S. Perpetuo* S. Voluſianus, *poſt ſeptimum ſui Epiſcopatus annum Martyr: cujus feſtum agitur* 18 *Ianuarii, & cujus mortem circa annum* CCCCXCVIII *aut circa ipſum quingenteſimum accidiſſe liquet ex jam definita S. Perpetui ætate.* D

m Malleium, *vulgo* Maillé, *oppidum trans Ligerim duabus circiter Leucis infra Turones ſita.*

n Orbona *forſan hic dicitur oppidum, quod vulgo* Orbigny *ſive* Orbiniacum, *inter Carum & Lindroſium fluvios, intervallo circiter* 10 *leucarum verſus Euroafricum.*

o *Quod hic* ſportula, *nunc vulgarius vocamus* penſionem.

p *Ad Indrum fluvium, intra tertiam ab urbe leucam, verſus meridiem, notatur Prioratus* Relay; *prima forſitan littera vel hic abundante vel in tabulis Geographicis deficiente.*

q *Ergo anno* 475: *nam annus* 474 *notatur Conſulatu Leonis Iunioris, tum adhuc infantis, & ipſo anno, quo pater Leo magnus obiit, à ſuo tutore Zenone, imperium affectante, interempti. Porro cum huic teſtamento condito ſuperfuerit S. Perpetuus totis quindecim annis, Æduenſi Euphronio & aliquibus aliis hic nominatis fortaſſe ſuperſtes; non negaverim aliquam poſtea mutationem obveniſſe huic teſtamento per codicillum vel aliter.*

DE SANCTO REDEMPTO,

G. H. *EPISCOPO FERENTINI IN LATIO.*

CIRCA AN DLXXXVI

Ferentinum, urbs antiqua Latii in finibus Hernicorum, ob bella cum primis Romanorum Regibus geſta, à Livio aliiſque memorata, & poſt fidem Chriſti acceptam Sede etiam Epiſcopali nobilitata eſt. Inter Epiſcopos fuit S. Redemptus, cui hic VIII *Aprilis dies ſacer habetur. Ejus meminit S. Gregorius Magnus lib.* 3 *Dialogorum cap.* 38. *Nam cum Petrus Diaconus quæreretur incaſſum bonos ſubtrahi, quod videret & malos catervatim perire; ita reſpondit S. Gregorius.* Hæc de re nihil mireris Petre. Nam Redemptum Ferentinæ civitatis Epiſcopum, vitæ venerabilis virum, qui ante hos fere annos ſeptem ex hoc mundo migravit, tua dilectio cognitum habuit. Hic, ſicut mihi adhuc in monaſterio prope poſito valde familiariter jungebatur, hoc quod Joannis juniores prædeceſſoris mei tempore de mundi fine cognoverat, ſicut longe lateque claruerat, à me requiſitus, mihi ipſe narrabat. Aiebat namque, quia quadam die, dum parochias ſuas ex more circuiret, pervenit ad eccleſiam B. Eutychii Martyris. Adveſperaſcente autem quadam die ſtratum fieri ſibi juxta ſepulcrum Martyris voluit, atque ibi poſt laborem quievit: cum nocte media, ut aſſerebat, nec perfecte vigilare poterat, nec dormiebat, ſed depreſſus ut ſolet ſomno, gravabatur quodam pondere vigilans animus: atque ante eum beatus Martyr Eutychius aſtitit, dicens: Redempte, vigilas? Cui reſpondit: Vigilo. Qui ait: Finis venit univerſæ carnis, finis venit univerſæ carnis, finis venit univerſæ carnis. Poſt quam trinam vocem viſio Martyris, cum omnipotentis Dei gratia, quæ mentis ejus oculis apparebat, evanuit. Tunc vir Dei ſurrexit, ſeque in orationis lamentum dedit. Mox enim illa terribilia in cælum ſigna ſecuta ſunt, ut haſtæ atque acies igneæ ab Aquilonis parte viderentur. Mox effera Longobardorum gens de vagina ſuæ habitationis educta, in noſtram cervicem graſſata eſt: atque humanum genus, quod in hac terra præ nimia multitudine quaſi ſpiſſæ ſegetis more ſurrexerat, ſucciſum aruit. Nam depopulatæ urbes, everſa caſtra, concrematæ eccleſiæ, deſtructa ſunt monaſteria virorum ac feminarum, deſolata ab hominibus prædia, atque ab omni cultore deſtituta in ſolitudine vacat terra: nullus hanc poſſeſſor inhabitat, occupaverunt beſtiæ loca, quæ prius multitudo hominum tenebat. *per Longobardorum irruptiones explicatâ:*

Memoria ejus in Dialogis S. Gregorii,

Hactenus S. Gregorii narratio, ex qua liquet, quo tempore floruerit S. Redemptus. Nam Ioannes junior Papa, ſub cujus Pontificatu viſio prædicta contigit, eſt Ioannes III, *qui Sedit ab anno* DLIX, *ad annum* DLXXII. *At maxima Longobardorum irruptio contigit anno* DLXVI. *Superfuit vero S. Redemptus uſque ad annum circiter* DLXXXVI, *& ſic annis fere ſeptem mortuus fuerat, cum S. Gregorius anno* DXCIII *libros Dialogorum conſcriberet. Petrus de Natali* [c] *ob viſionem veluti de mundi fine,* *tempus vitæ & obitus,* *ejus ſabbus quod diem S. Redempti natalem ignoraret, retulit eum lib.* 11 *cap.* 105: *at Molanus in prima editione Auctarii ad Vſuardum ad hunc* VIII *Aprilis: ſecuti Caniſius, Ghinius & Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ. Quo etiam die in Martyrologio hodierno hoc elogio exornatur:* Ferentini in Hernicis S. Redempti Epiſcopi, cujus meminit B. Gregorius Papa. *Bucelinus eumdem inſcripſit Menologio Benedictinorum, quaſi ante Epiſcopatum monachus extitiſſet: quod etiam in ſuo elogio indicavit Ferrarius: cum ſolum* S. Gregorio adhuc in monaſterio poſito familiariter junctus *dicatur, ſed* Epiſcopus, *uti clarum eſt ex tempore Sedis S. Redempti, & monachatus S. Gregorii, quod* XII *Martii ad hujus diem expoſuimus. Melius & accuratius rem expendit Lucas d'Achery dum eum in ſeculo primo Sanctorum Ordinis S. Benedicti non collocavit. De S. Eutychio Martyre cujus hic meminit S. Gregorius, agemus cum Martyrologio Romano* XV *Aprilis.*

C F

DE

A

DE SANCTO PHILARETO,

MONACHO ORD. S. BASILII, MARTYRE. G. H.

CIRCA AN. DCCCXVIII

Cultus sacer,

reliquiæ:

Vita compendium.

Panormi natus,

& monachus factus,

OCtavius Cajetanus *in Martyrologio Siculo, eumque secutus Ferrarius in Catalogo generali, ista habent:* VIII Aprilis Panormi S. Philareti, monachi S. Basilii, sub Saracenis martyrio consecrati. *Festus ejus dies colitur & Panormi, & prope Messanam in monasterio S. Salvatoris, ubi caput ejus ferme integrum asservatur. Compendium vitæ ejus & martyrium repertum est in Ms. Codice antiquo Græco monasterii S. Bartholomæi de Virgine in Calabria, quod in Latinum ab Augustino Florito versum edidit dictus Cajetanus, tomo 2 Vitarum Sanctorum, & est hujusmodi.*

2 Sanctus Philaretus, in urbe Panormo natus, pro eximia in Deum pietate genus illustravit suum. Is ab ineunte ætate litteris Christiano homine dignis informatus, cum fluxa caducaque omnia quæ in mundo sunt, atque adeo fallaces ejus illecebras videret, sæculo nuntium remittens, ad monastici instituti castra transfugit. In eo vitæ genere ita excelluit, ut ad summum virtutis fastigium pervenerit. Verum cum Afer Panormo, sancti viri patria, potitus esset; in Calabriam trajicere in animo habebat, ratus eam regionem à perditorum hominum barbarie ac tyrannide liberiorem fore. Sed res *in Calabriâ fugit*: longe aliter cecidit: quippe non multis post diebus ab immanissimis barbaris captus, in custodiam detruditur, ac plurimos acerbissimosque pro Christo cruciatus fortiter ferens, in veri Dei confessione immobilis persistebat, ingenti plane gaudio ac lætitia incredibili delibutus. Ceterum Afri efferati cum gravissimis crudelissimisque aliis suppliciis Martyris constantiam exercuissent, Philaretum obtruncant: quo exitu sanctissimam Deoque acceptissimam vitam concluſit. Porro ejus sacræ reliquiæ in præclarissima Siciliæ insula quiescunt. *Hactenus ille auctor.*

captus, & plurimis cruciatus,

Martyr obit,

3 *Addit Cajetanus in Animadversionibus suis, ubi reliquum corpus quiescat, nondum exploratum sibi esse. Tempus vitæ & martyrii colligitur ex tempore, quo Saraceni Afri occuparunt Siciliam, quod factum est sub extremis temporibus Michaëlis Balbi Imperatoris, quando etiam hujus Sancti Martyrium contigisse opinamur, uno alterove anno citius, quam Michael vitam finiret, quod anno* DCCCXXIX *contigit.*

tempore Michaëlis Balbi.

DE SANCTO GALTERIO, G. H.

ABBATE S. MARTINI IVXTA PONTISARAM IN GALLIA.

SUB FINEM SECULI XI.

S. Galterii Abbatis Pontisarensis: C

Acta ex antiquis Legendariis,

VElocassinus *ager hoc tempore duplex censetur, Epta fluvio distinctus: hujus altera pars ditioni Normanniæ subjecta, vulgo* Vexinum Normannicum *dicitur; uti altera pars* Vexinum Francicum *appellatur, gubernationi insulæ Francicæ, ut vocant, adjecta. In hac censetur præcipua civitas* Pontisara, *nonnullis* Pontœsia *dicta, ad fluvium* Isaram, *antiquis* Oesiam, *sita: in cujus suburbiis ad Vionam constructum est sæculo Christi undecimo illustre Ordinis Benedictini monasterium, primo S. Germano, dein S. Martino sacratum: de cujus fundatione, etiam Philippi I Regis Francorum firmata diplomate, late agit Arturus du Monstier in Neustria pia pag.* 550 *& sequentibus. Ad hujus Abbatiæ regimen ex antiquo Resbacensi monasterio, olim per S. Audoënum constructo, evocatus est & constitutus primus Abbas* S. Galterius, *aliquibus* Galterus, Gualterus, Walterus & Gauterius *dictus: de cujus actis & vitæ sanctitate hic quærimus. Acta ejus hactenus inedita nacti sumus duplicia, utraque antiqua & illustria: ex his primo loco damus, quæ in antiquis Legendariis sive Breviariis habentur, & solent recitari in Officio Ecclesiastico pro Lectionibus ad Matutinum; tam in monasterio Pontisarensi virorum, quam in monasterio B. Mariæ Bertolcurtio feminarum, quod suam originem debet eidem S. Galterio: ut latius infra cap.* 3 *hujus Vitæ indicatur. Damus ea ex Ms. Tungrensi Canonicorum Regularium, & Ms. Horensi Fratrum Cruciferorum. Submisit eadem olim Andreas du Chesne, Regis Christianissimi Cosmographus, & nuper Hippolytus Vrayet, monachus Corbeiensis, uterque studiorum nostrorum amantissimus. Sunt hæc Acta de S. Galterio, partim ex iis, quæ secundo loco damus, contracta, partim quæ deessent in dictis Actis aliunde adjecta, & magis completa.*

2 *Secundo dein loco damus Acta valde antiqua, à monacho Pontisarensi, & S. Galterii discipulo, & maxima ex parte teste oculato, conscripta: ita num.* 16 *se inter illos recenset, quos paterno affectu dilexerat, & quos à mundialibus illecebris abstractos in timore Dei edocuerat. Et sub finem cap.* 2, Ceterum, *inquit*, quæ vidimus & audivimus, gloriosa ejusdem beati viri retexamus magnalia. *Acta hæc in codice membranaceo conscripta extant in dicta Pontisarensi S. Martini* Abbatia, *& procurante Frederico Flouëto nostro inde transcripta anno* MDCLI, *ad nos fuerunt transmissa; sed ante accurate cum autographo collata à Michaële* Alix, *Officiali Cergiensi & Parocho S. Audoëni Laumosnensi, qui id subscriptione sua testatus est,* XII *Iunii dicti anni* MDCLI. *Sub finem horum Actorum dicuntur* plurima ostendi miracula, veluti sequentis libri testatur paginula: *& in Prologo ad Historiam miraculorum asserit se* B. Gauterii Vitam transtulisque scripsisse, miraculaque ipsius denuo scribere velle: *& passim se oculatum testem exhibet. Hanc historiam nos Romæ per Gallias reduces, reperimus Parisiis apud Franciscum du Chesne, memorati ante Andreæ filium in tomo secundo Collectionum, & hic damus: eisque subjungimus* Chartam Canonizationis, *inventam in capsa reliquiarum S. Galterii, anno* MDCLV, *die* IV *Maji, & ab ante indicato Hippolyto Vrayet anno* MDCLXVI *ad nos transmissam.*

alia à discipulo ejus scripta,

cum Historia miraculorum, F

& Charta Canonizationis.

3 *Mortuus est* S. Galterius in die Parasceves, incumbente nocte, *sive* die Dominicæ passionis, *scilicet feria sexta ante festum Paschale.* Annus additur millesimus nonagesimus quintus, *quando cyclo Lunæ* XIII, *Solis* XII, *littera Dominicali* G, *Paschæ incidit in diem* XXV *Martii. Hinc cum priorem Vitam essemus nacti, statueramus eam dare ad diem* XXIII *Martii: sed dubii fuimus, num forte annus inciperetur à festo Paschali, adeoque obiisset* XI *Aprilis, Paschate celebrato die* XIII *ejusdem mensis. Verum secunda Vita sic concluditur.* Transiit autem sancte recordationis Pater noster Beatissimus Gauterius VI Idus Aprilis, anno ab Incarnatione Domini MXCV, Indictione III. *Quæ quia non cohærent uti ex dictis constat, expunximus tanquam ipsi*

Dies obitus in Parasceve,

an 8 *April.*

AUCTORE G. H. *Vita poſtmodum ab alio adjecta. Interim curavimus de vero ſancti Abbatis Natali inquiri apud ipſos Pontiſarenſes monachos, quorum Prior reſcripſit* XIX *Iunii anno* MDCLXVI, *in antiquo Martyrologio monaſterii ſui referri obitum ejus ad hunc* VIII *Aprilis his verbis :* VI Idus Aprilis apud caſtrum Pontiſarenſe tranſitus S. Galterii Abbatis : *additque Prior, eodem die celebrari feſtum in dict.a S. Martini Abbatia Pontiſarenſi, utque ad illum diem Acta S. Galteri operi noſtro inſerantur, plurimum expetit. Sanmarthani tomo* 4 *Galliæ Chriſtianæ, ubi de hac Abbatia agunt, arbitrantur* S. Galterium deceſſiſſe VI Idus Aprilis, die Paraſceves, Indictione III, anno MCX, *quando cyclo Lunæ* IX, *Solis* XXVII, *littera Dominicali B, Paſcha celebratum eſt die* X *Aprilis. Verum quia in utraque Vita dicitur* S. Galterius floruiſſe à tempore Leonis Papæ IX uſque ad tempus Urbani II, ſub Regibus Francorum Henrico & Philippo, *neceſſario citius debet deceſſiſſe. Si enim uſque ad annum* MCX *vixiſſet, attigiſſet* XI *annum Paſchalis* II *Papæ poſt obitum Vrbani electi, & annum* II *Ludovici Groſſi Regis Francorum. Quid ſi dicatur anno* MXCVII, *obiiſſe die tertia Aprilis in Paraſceve, & die* VIII *Aprilis feria* IV *poſt Paſcha ſepulturæ traditus ? Ita dies depoſitionis, uti alibi ſæpius factum eſt, pro die obitus fuiſſet aſſumptus. In Ms. Florario dies depoſitionis aſſignatur* XII Aprilis cum anno MXCI : *at dies* III *Maii à Molano & Carthuſianis Bruxellenſibus ad Grevenum, & Wione, ſed confundente in Notis cum Mailroſenſi in Scotia Abbate.*

B

dies Tranſlationis 3 *Maji,* 4 *Alter character de tranſlatione corporis clare exprimitur in citata charta Canonizationis, & eſt annus* MCLIII, *dies* III *Maji, in feſto Inventionis ſanctæ Crucis : ad quem in Martyrologio Pontiſarenſi iſta leguntur :* Quinto Nonas Maji. Apud caſtrum Pontiſarenſe tranſlatio S. Galterii Abbatis. *Verum feſtiva memoria hujus tranſlationis ab initio fuit in ſequentem diem,* IV *Maji, remiſſa : qui dies ab anno* MDXLVIII, *auctoritate Franciſci de Harlay de Chanvalon Archiepiſcopi Rotomagenſis & conſenſu communitatis Pontiſarenſis, cœptus eſt ſumma cum ſolennitate celebrari, eique cum facultate regia adjunctæ nundinæ annuæ ad duos dies continuandæ. In Abbatia ſanctimonialium B. Mariæ Bertolcurtenſi colitur S. Galbertus die* XXX *Maji : quod etiam feſtum obſervant Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana, Ignatius Ioſephus de S. Maria in Hiſtoria Abbavillana, Arturus du Monſtier in Neuſtria pia pag.* 551, *& Andreas Sauſſajus in Martyrologio Gallicano : qui longiſſimo encomio, ex Actis deducto, eum celebrat, & ſub finem iſta habet :* Abiit quidem ad præmium carne ſolutus VI Idus Aprilis, ſed quod illa dies ſæpe in funera Salvatoris incidat, tranſitus beati viri in hanc uſque diem colendus protelatur. *Chryſoſtomus Henriquez in Menologio Ciſtercienſi refert die* 2 *Maji, aſſeritque eum* egregiis virtutibus Ordinem Ciſtercienſem mire decoraviſſe. *Quæ ultro corruunt, neque indigent refutatione.*

recolitur 4 *Maji,*

alibi colitur 30 *Maji.*

C

VITA

Ex antiquis MSS. Codicibus.

PROLOGUS.

cauſa ſcriptionis. 1 DIviuæ laudis materiam, exultationis cauſam, præbet ordini monaſtico dies præſens ; qui, velut debitum canonem, reddit nobis B. Walteri jucundam memoriam & ſolennem. Inclinatis ſiquidem jam ad mala temporibus, & frigeſcente jam caritate multorum clauſtralium, Walterius, tamquam de nubilo ſol erumpens, tamquam de ſpineto roſa oriens, enituit honor ordinis, immo ipſe ordo potius monachorum : cujus & ortum & progreſſum, demumque exitum glorioſum deſcribere, meritorium mihi credo, & operante divinitus perſuaſione auditoribus fructuoſum.

D

CAPUT I.

S. Galterii inſtitutio : Vita monaſtica Resbaci, Abbatialis Pontiſaræ. Varia inde fuga.

a *b* 2 IN Ambianenſium finibus, territorio *a* Wimarenſi, pago qui dicitur *b* Andain-villa, Walterius extitit oriundus. Qui cum annis puerilibus, liberalibus diſciplinis eſſet à parentibus deputatus ; affluente ingenii gratia ſupra vires ætatulæ, primis imbutus eſt rudimentis. Ineunte vero adoleſcentia, futuræ in eo perfectionis ſigna prætendens, egreſſus eſt de terra & de cognatione ſua, & de domo patris ſui, ut à diverſis magiſtris plures ſcientias & diverſas ſententias felix peripateticus poſſet audire. Sic omnia probans, quod bonum erat retinens, edoctus plenius, factus eſt doctor, ſtuduitque docere fideliter & prodeſſe, regens ſcholas celebres, à magnis & à majoribus frequentatas.

Scientiis variis inſtructus aliosinſtruit.

E

3 Jam vir magni nominis, intus operante Spiritu, timere cœpit ne ſecularis pompa mentem illius alliceret, & ne ſpiritum extingueret cœnodoxiæ peſtis : concepitque Euangelii conſilium, ut pauper tollens crucem ſuam, ſequeretur pauperem crucifixum pro mundo Jeſum Chriſtum : elegit longe à tumultu ſeculi, tutiorem clauſtralium vitam & Mariæ partem optimam præferendam. Verumtamen, ſacrificium oblatum diſcretionis ſale condiens, duro cilicio carnem domans, prius in ſeculo diu probare voluit ; ne aſſumpta ſubito ordinis auſteritas regularis, ſub inſueto onere mutare faceret deſperantem. Demum tali exercitio roboratus, ad Resbacenſe *c* clauſtrum ſe contulit : ubi quantum ad traditiones ordinis, diu novitius ; quantum ad vitæ ſanctitatem, cito reliquos eſt ſupergreſſus.

deliberans de vita ſtatu cilicium induit,

fit monachus Resbaci,

c

4 Porro caritas non non iners otium damnans, conſideravit eo tempore quemdam plebejum à Præpoſito monaſterii, culpis exigentibus, carceri mancipatum, longaque afflictum inedia, ut pene jam deficeret fame. Commotus eſt itaque vir Dei compaſſionis viſceribus, datumque ſuæ refectioni panem clam reſervans, qui legerat illud Auguſtini, Habe caritatem, & fac quicquid vis ; piæ tranſgreſſionem cauſæ non timuit ; ſed intempeſtæ noctis ſilentio egreſſus clauſtrum, acceſſit ad carcerem, reſeranſque illum ſolvit vincula captivi, & eum pane quem tulerat refocillat. Extraxit deinde fame maceratum & propriis humeris portat, tamquam ovem perditam, ad locum ubi ſoluto libera patuit fuga. Prius tamen recepit ab eo fidei cautionem, ne quid mali pro pœna quam juſte ſuſtinuerat inferret deinceps illi eccleſiæ vel perſonæ : ſed & pro ſolutione hac daret gloriam Deo, patienter ſuſtinens contumeliam, & ſic ei cæderet ad coronam. Non latuit hoc factum Fratres ; delatum eſt ad Abbatem : qui virum miſericordiæ ſine miſericordia flagellavit, inflicto ſupplicio propter opus quod æternum præmium merebatur.

captivum ſuo pane reficit,

F

eumque humeris elatum liberans flagellatur :

5 His temporibus, non longe à Pontiſaræ caſtro, Fratres quidam monachili regulæ ſe ſubjicientes, locum elegerunt ad inhabitandum, ubi fundato Monaſterio poſſeſſiones fidelium devotio contulit, quibus ſuſtentarentur divinis officiis mancipati. Neve ſine Paſtore, eſſent ſicut oves errantes, deliberare cœperunt de Abbate. Famam autem jam antedicti viri, longe lateque diffuſam

abſens eligitur Abbas Pontiſarenſis.

A diffuſam ſecuti, elegerunt eum, ut ad hoc induceretur, operam omnimodam exhibentes. Qui recuſans fortius & renitens, cum difficultate tandem victus eſt, & ad illud officium tractus. Receptaque
d Pontificali benedictione, cum à Rege *d* Philippo, monaſterii ſui Advocato, ei Paſtoralis baculus traderetur, manuſque Regia prope recurvum eum perſtringeret; Abbas ſuper manum illam baculum prope recurvum accepit, dicens: Non de ſubtus manum tuam, ſed deſuper baculum iſtum recipio: non enim à te regimen Eccleſiæ ſuſcipio, ſed à Deo. Quod opus ſtrenuum Rex & qui aderant intra ſe commendantes, tantam inceperunt humilis perſonæ conſtantiam revereri. Promotus ergo ad dignitatis gradum, ſtuduit aſcendere per gradus virtutum. Qui neque perſonarum acceptor nec criminum palpator, blandum & manſuetum bonis, terribilem ſe exhibebat injuſtis. Statura procerus erat, vultu decorus, ſpecie angelicus, actu compoſitus; vilis in habitu, clarus ingenio, prudens conſilio, ſuavis eloquio: aliis largus, ſibi plurimum parcus; calcatis etiam turbinibus fortunarum, ſicut in proſperis, ſic in adverſis immota mente & facie perſiſtebat: necnon & quodam ſancti Spiritus artificio diverſas induens formas, manſuetis humilis, ſuperbis terribilis, magnus potentibus, æqualis pauperibus apparebat: nec minus admiranda ejus eloquentia, plana ſimplicibus erat, &
B admirabilis eruditis.

& à Rege inſtituitur:

excellit omni virtute,

Cluniacum fugit,

6 Verum cum beatus homo ſemper ſit pavidus, timere cœpit, ne vel in hoc ſtatu mentem ſuam gloria titillaret, vel Deus ab ipſo culpas ſubditorum ſeverius exigeret. Elapſus igitur à monaſterio fuga clandeſtina, ad Cluniacenſium clauſtrum ſe tranſtulit, diu ſibi affectatum, ubi potior tunc vigebat *e*
e ſchola virtutum. Occultanſque quis & quantus fuerit, quam humilem ſe ibi exhibuerit & devotum, quantiſque meritis in illa Religione claruerit, adjacentium locorum proteſtata eſt fama; quo ad uſque ad aures tranſvolans ſubditorum, bono odore ipſius terram replevit. Excitati igitur Fratres illi Magiſtrum ſuum requirunt ſolicite: quem Abbas Cluniacenſis invitus reſtituit, compulſus auctoritate majorum. Reverſus autem B. Galterius, modico tempore converſatus eſt inter Fratres illos, transferens ſe ad cryptam quamdam, non longe à monaſterio ſitam, ubi vitam eremiticam longo tempore Dei famulus egit. Ceterũ ibidem tam à ſuis quam ab aliis frequentatus, eumdem deſeruit locum, imitans
C forte anachoretam, qui dixiſſe legitur, fruentem alloquio hominum non eſſe dignum colloquio Angelorum.

reverſus vivit in cryptæ,

7 Prædictis autem cauſis, aut alia nobis forte occulta, longe eſſe à monaſterio ſuo decernens, perrexit ad inſulam quamdam Turonicæ civitati vicinam, adeptus ibidem fundatam in honore ſanctorum Martyrum Coſmæ & Damiani eccleſiolam, ſuæ ſolitudini competentem. Sed nec lucerna in medio, nec civitas ſupra montem poſita, nec Galterius in illa latere poteſt: ſed catervatim à Turonenſibus viſitatur, muneribus honoratur: quæ pro ſe recipiebat invitus, ſed ut ea pauperibus erogaret. Quadam enim die in ſimiles uſus exhauſtis omnibus, inſtanti cuidam pauperi libros ſuos tradidit pignori obligandos, ut pauper ille ſibi pecuniam retineret. Aliquando etiam tunicam, à Fratribus Majoris monaſterii ſibi datam, pauperi dedit, & Chriſtum in paupere veſtiens largitor algens inopem calefecit.

ac rurſum fugiens, in inſula prope Turonas.

ANNOTATA.

a Vimarenſe *ſeu* Vimeſium territorium, *vulgo* Pays de Vimeux *perperam in duobus Mss.* Minatenſe, *ſitum eſt ad ſiniſtram ripam Somonæ fluvii in mare labentis: ubi* EX MSS. *præcipuum oppidum eſt S. Valerici: de quo eginus ad hujus diem natalem, primum Aprilis.*

b Audainvilla & Andanivilla *vulgo* Andinville, *vel contractius* Ainville, *in media regiuncula.*

c Resbacum, *vulgo* Rebes, *ſub nomine Hieruſalem, in ſaltu Brigenſi ac diœceſi Meldenſi celebre monaſterium, à S. Audoëno ſeculo Chriſti* VII *conſtructum.*

d Philippus I Rex Francorum, *coronatus patre adhuc vivo, anno* 1059, *cui anno ſequenti defuncto cum integra poteſtate ſucceſſit adoleſcens* 8 *annorum: ut videatur S. Galterius liberiori potuiſſe uti joco. Deſunt hæc omnia de baculo accepto in altera Vita.*

e *Fuerant* Cluniaci *plures* Sancti Abbates, *uti SS. Majolus & Odilo, quibus ſucceſſerat & tunc præerat S. Hugo, cujus Acta illuſtramus ad diem* 29 *Aprilis, etiam cum aliis iſtis Martyrologio Romano inſcriptus.*

f *Ligeris fluvius ſupra & infra urbem Turonenſem plures inſulas continet. Eſt etiamnum prope dictam urbem* Præpoſitura S. Coſmæ *cum annexa cura paſtorali.*

CAPUT II.

Iter Romanum, admonitio Regis & Epiſcoporum, aliæ pœnitentiæ & virtutes.

8 AGarino demum, per loca ſancta diſcurrere conſueto, Pontiſaræ proditur. Fratres monaſterii ſui præparant iter, & properant ad dictam inſulam, & inveniunt quem requirunt. Allegant coram eo, monaſterium ejus in ſpiritualibus collapſum per abſentiam ſuam, & temporalia diſſipata. Deinde obvoluti ejus genibus, cum imbre lacrymarum vix moverunt eum, reditu difficile impetrato. *Reductus Pontiſaræ,* Reverſus autem diſſipata collegit, collapſa reſtituit, fracta ſolidavit, motus deviantium informavit. Deinde cauſa extitit ut Romanam Curiam viſitaret; viſitatiſque de more Sanctorum liminibus, Papæ Gregorio *a* Hildebranno pro abſolutione ſuſcepti regiminis ſupplicavit. Qui beati viri cognita ſanctitate, in ejus delectabatur alloquio, licet recuſans ejus petitioni annuere ſuper regimine deponendo. Sed ipſo cum multo honore multis diebus ſecum detento, demum ei injunxit data redeundi licentia, ut commiſſum ſibi gregem fideliter cuſtodiret. Nec de cetero *Romam* vacillaret niſi familiari conſilio Spiritus ſancti man- *petit:*
datum hoc mutaretur.

9 Reverſus igitur ad curam gregis, ſtuduit ſic F
oves per paſcua vitæ deducere, ut mererentur in caulis cæleſtibus collocari. Intus autem flamma æſtuans vehementi, non minus conſtanter quam fiducialiter potentum ſtigitia remordebat. Nam ali- *Regem monet:*
quando Philippum Regem Francorum, virum acerrimum, notans & increpans ſuper crimen ſimoniæ, dixit: Non licet tibi dignitates Eccleſiaſticas dare, nedum vendere; vendendo eas ementibus das exemplum, & ſic factus es reus criminis aliorum. Item ſuper quibuſdam mandatis jam dicti Papæ, videlicet de non audienda Miſſa Presbyteri *b* habentis con- *b*
cubinam, conſilio Epiſcoporum Pariſius convo- *& Epiſcopos in concilio congregatos,*
cato, cum nimis dura & indigna impleri pariter judicarent; vir ſanctus, qui tunc forte præſens aderat, audacter reſtitit in faciem eorum. Accenſi zelo Epiſcopi blaſphemantem & hoſtem Regni judicant illum, inductis & animatis Regis ſatellitibus: qui captum atque ligatum Sanctum Dei carceri manciparunt. Ibat autem à conſpectu concilii gaudens, quia dignus habitus eſt pro Chriſto contumeliam pati: amicorum autem interventu liberatus, reverſuſque ad propria, aggreſſus eſt vitam ſolito plus auſteram.

Ex MSS. *Eleemosynas clam facit per alios:*

10 Dans autem eleemosynam nolebat tuba canere ante se, sed palam repellens pauperes, eis larga beneficia occultissime conferebat. Unde die quadam viris honestis, Marcello Episcopo & Raymundo Diacono de Pontisaræ, non modicam commisit pecuniam pauperibus erogandam, fingens à quodam amico suo sibi traditam ad hos usus; inhibebatque ne dum viveret secretum hoc revelarent. Adeo dapsilis fuit in pauperes Christi, ut nec cultellum nec quidquam aliud, quo carere posset, inopi denegaret. In cellula juxta ecclesiam suam quantis carnem suam tormentis afflixerit, solus scit qui omnia contemplatur. Ibi lectus ejus filtrum erat, & vilis matta cilicio tecta: ita ut vix discerni posset quo caput reclinaret aut quo componeret pedes. Cilicio manicæ staminеæ apparebant assutæ, ne posset cilicium deprehendi. Ex nodosis corrigiis flagello confecto seipsum adeo dure disciplinavit, quod licet in remotiori thalamo secederet, fragor tamen verberum à sacristis ecclesiæ & ab aliis sæpius est auditus.

multum est in affligendo corpore,

infima obsequia affectat;

11 Vestimentum non nisi vetustate nimia dissolutum aut pauperibus datum mutavit. Sæpius lectoris, sæpius coquinarii officium in refectorio exercuit. Aliquoties clibanum coquendis panibus præparavit. Unde die quadam, nimia carnis maceratione deficiens, ante os furni cecidit, discipulorum manibus in cellulam reportatus. In refectorio raro convescens, familiarem habebat qui de vase suo vinario vino sublato, occulte aquam infunderet, ita ut à Fratribus vino refici crederetur, & potasse de illo. In cellula panes & fabas coctas sine pinguedine aut delicato sapore recipiebat: & cum tot panes sæpius in usus pauperum educti sunt, quot illati, constat eum faba & aqua tunc fuisse contentum. Aquam recipiebat sabbato ad usus suos, quæ sufficeret per hebdomadam subsequentem. Ceteris intrantibus dormitorium post psalmos matutinos, vigil in oratione, aliquoties inventus est obdormivisse, capite inter genua convoluto. Sedere autem in ecclesia velut acediæ crimen detestabatur. Artus, jejunio & senio fatiscentes, baculo cum deficerent sustentabat.

in oratione pervigilat.

ANNOTATA.

a *Hic est* S. Gregorius VII, *qui Sedit ab anno* 1073 *ad* 1086. *Colitur* 25 *Maji.*

C b Parisiense Concilium *habitum anno* 1091 *aut potius* 1092, *tradit Philippus Labbe in Synopsi historica omnium Conciliorum, ex diplomate Philippi Regis dato* 1092. *Sed istud diploma nobis omnino videtur esse fictitium, ut diximus in Propyleo ad tom.* 2 *num.* 66 *Potuerunt alia habita fuisse, quorum notitia latet.*

c *Quid proprie sit* Staminea *indicatum est tomo* 2 *Martii pag.* 755 *litt.* I.

CAPUT III.

Monasterium Bertolcurtium constructum; morbus & obitus S. Galterii.

a 12 His diebus, *a* singularis vitæ meritis digno divina revelatione Galterio, apparuit Mater beatissima virgo Maria, sic dicens: *b* Surge, Galteri, præpara iter, & vade apud Bertolcourt, & ibi prope dispone ecclesiam: elegi enim locum ibi, ad quem feminæ conveniant ad exhibendum mihi servitium & honorem. His dictis disparuit, relinquens virum super auditis libra discretionis indicium trutinantem: & quia nondum fidem adhibebat, supersedit executionem mandati. Reversa demum beata virgo, ministrum suum pigritiæ arguens, iteransque mandatum, ictum manus faciei ejus impressit, ita quod digitorum vestigia in facie ejus diu postmodum apparuisse dicant. Cogitans apud se & dicens, Quia Bertulcourt non vidi & locum nescio; instructo itinere peregre perfectus est, divinæ se sapientiæ commendans; sciscitatusque à viatoribus partes illas, instructus ad plenum, ultra urbem Ambianensem quinque leucis distantem *c* metam desideratam invenit.

b à Deipara apparente monitus,

D

Bertolcurtium abit,

c

13 Ibi in loco silvestri juxta aquas quievit & mansit, domunculam ibi fabricans & capellam. Ad quam ibi factus populorum concursus, ut ab eo pabulum vitæ æternæ reportarent. Sed & mulieribus sui causam adventus & revelationem secretius exponebat, ut ad exhibendum ibi obsequium beatæ Virgini devotas feminas animaret. Verum cum, sicut ait poëta,

Intollerabilius nihil est quam femina dives,

indeque à potentis femina pellitur.

apud Bartolcourt dominabatur matrona quædam, cui persuadente diabolo dictum est, occasione viri illius eidem damnum non modicum imminere; nam & fata illius turba affluens conculcaret, & quas ipsa sibi consignaverat possessiones, tamquam superveniente exercitu, plaustra & equites publicarent, si ibidem vir ille magni nominis diutius remaneret. Illa vero hostis antiqui consilio acquiescens, virum Dei à sede Dei proturbavit, & à suis finibus exire coegit: offensus autem infecto proposito ad sedem propriam remeavit. Verum detestabile facinus in brevi secuta est pœna. Nam cum Domina illa cum suis quadam die solenni ire ad ecclesiam moneretur, surrexit à cathedra, & morte subita retro cadens fractis cervicibus expiravit.

E

quæ subitæ morte plectitur:

14 Porro licet satanas bonum propositum totis nisibus studeat impedire, nihil tamen potest nisi quantum ei à divina permittitur potestate. Nam sanctæ mulieres & nobiles Godelendis & Helwigis se Domino devoventes, ad locum delectum cum magnis possessionibus convenerunt. Arbusta etiam propriis manibus vellicantes, tam possessiones acquisitas quam ædificia dilatant. In brevi autem confluentibus aliis feminis Deo dicatis, fideliumque devotione illuc ampla beneficia conferente, etiam in honore beatæ Virginis ibi fundata est ecclesia, & collatis illic prædiis ditata est & dotata. Virgines autem, sub regula B. Benedicti ibi Deo & beatæ Virgini servientes, post B. Galterii transitum anno tertio, præfatam Godelendim primam loci illius Abbatissam *d* consecrari fecerunt. Verum cælestis ille Dispensator, qui pendens in cruce vix unum latronem convertit, sed per discipulos suam postmodum Ecclesiam ampliavit; Sanctum suum, antequam in loco illo multum profeciset, desolato gregi reddidit; nihilominus plantationi ejus incrementum dedit.

monasterium construitur sub Abb. Godelende.

F

d

15 Redditus autem loco suo, de humili humiliorem, & de mansueto se reddidit mansuetiorem. Cum enim die quadam in Capitulo accusasset peccata & negligentiam & insufficientiam suam, pro his correptionem flagelli flexis genibus à Fratribus recipere suppliciter postulat. Quibus tale quid abhorrentibus, cum in instantia perseveraret, vix obtinuit quod petebat: unde factus hilarior, illa die lætus cum Fratribus cibum sumpsit. Accedente vero suæ resolutionis tempore in Ramis palmarum, intrans Capitulum, dulci & amicabili exhortatione Fratribus viam salutis aperuit & suasit. Ad populum autem deinde, qui eo die de processionali more multus convenerat, cum præsente Comite *e* Bello-

Flagellari à suis petit & impetrat,

e

A Bellomontenſi ſermonem faceret, acceſſit matrona quædam nimis ambitioſo ornatu ſpectabilis, ita ut cauda verrente pulverem in oculos aſſiſtentium excitaret. Offenſus inde vir Dei cum eam ſpiritu prophetico dæmoniacam appellaret, ornatus luxuriam tantam reprehendens, clamavit inverecunda mulier, ſe ſequente in Dominica ad conſpectum illius multum glorioſius adventuram. Ad quam reſpondit: Advenies utique, ſed in ſtatu multum diverſo ab eo quem modo geris.

luxum veſtitus feminei redarguit,

16 Sequenti vero die celebrans Miſſam, ægre complevit eam, gravi febrium vi correptus. Vocato autem quodam, cui in Breviario ſcribendo membranas paraverat, dixit: Deſiſte à propoſito, aliis utilitatibus Fratrum derelinquantur membranæ, mihi ulterius minimæ profuturæ. Acceſſit eo die ad eum nuntius Comitiſſæ Bellomontenſis, in villa quadam non longe à Pontiſara ægrotantis, ſignificans ei mandatum Dominæ illius, deſiderantis plurimum viſitari ab eo. Cui vir Dei, plenus Spiritu Dei, reſpondit: Concedat nobis gratia Dei, ut in patria cæleſti me videat: non enim in hoc ſeculo me amplius videbit. Urgente vero morbo convocatis Fratribus unctus eſt Oleo ſacro, abſolvens Fratres ab omnibus abſolvendis. Quos de receſſu ejus plurimum condolentes conſolari cœpit, docuitque quo ſpiritu eligere deberent Paſtorem. Crebris quoque perſuaſionibus animavit eos ad jugum Domini voluntarie portandum, palam factus expreſſus imitator Chriſti, qui poſtquam venit in Jeruſalem Dominica ante paſſionem ſuam, diebus intermediis verbum Dei prædicare & exhortari diſcipulos non ceſſavit.

febri correptus,

ſuum & Comitiſſa obitum prædicit:

B

17 Deinde vir ſanctus, die paſſionis Dominicæ percepto Corpore Chriſti, obdormivit in Domino, evolandi ad ſuperos data ſpiritui libertate: cujus caro ita reſplenduit, ut quoddam reſurrectionis decus extincta præferret. Cum vero corpus ejus Fratres honorifice traderent ſepulturæ, excitati fama de longe populi, lamento incomparabili æque cum monachis ejus receſſum planxerunt, damnum ſibi illud graviſſimum æſtimantes. Floruit beatiſſimus Galterius à tempore Leonis *f* Papæ uſque ad tempus Urbani ſecundi, imperantibus Henrico *g* patre & Henrico filio, ſub Francorum Regibus Henrico *h* & Philippo, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo quadrageſimo primo ab luce ſubtractus: verum eadem die prædicta Comitiſſa dicitur obiiſſe, quaſi ſecuta virum, cujus deſiderabat alloquium & aſpectum.

& moritur in die Paraſceves,

f
g
h

& paulo poſt Comitiſſa:

C

18 Sequente autem Dominica, matrona, quæ pompoſo apparatu ſanctum virum, ſicut audiſtis, offenderat; ut adimpleretur prophetia ejus, arrepta à dæmonio, ad ſepulcrum beati Confeſſoris allata eſt. Cujus meritis, poſt multam inſtantiam precum, quas fideles pro ea offerebant Domino, liberata à dæmonio reſtituta eſt ſanitati. Hoc poſtmodum inducti miraculo qui variis languoribus tenebantur, gaviſi ſunt ſibi Sancti hujus ſuffragium valuiſſe; operante hæc ad gloriam ſancti ſui Domino Jeſu Chriſto, cui cum Patre & Spiritu ſancto eſt honor & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

patrantur miracula.

ANNOTATA.

a *Quæ hoc numero & ſequenti traduntur, deſunt in altera Vita.*

b *Hæc Deiparæ verba, plane eadem, ex antiquiſſimo Breviario B. V. Mariæ de Bertolcurtio referuntur ab Ignatio Ioſepho de Ieſu Maria in Hiſtoria Abbavillana cap. 66, ubi reliqua hinc deſumpta ſunt Gallice edita.*

c Bertolcurtium *pagus diœceſis Ambianenſis in Pontivienſi ditione, tribus ab Abbavillana urbe leucis diſtat.* AUCT. DISC. PULO EX MS.

d Godelendi *traditur ſucceſſiſſe dicta* Helewidis: *at quæ poſtmodum ſucceſſerunt Abbatiſſæ, memorantur in dicta hiſtoria Abbavillana: ex quibus præfuit nuper* Margareta Bornella, *ſub qua anno* 1642 *Abbatia ob continua bella in urbem Abbavillanam eſt tranſlata, & anno ſequenti nova reformatio inducta.*

e Bellimontium *oppidum ſupra Pontiſaram, tribus leucis ad eumdem Iſaram ſive Æſiam fluviam.*

f *Sedit* S. Leo IX *à* 12 *Februarii anni* 1049 *uſque ad an.* 1054 *& diem* 19 *Aprilis, quo colitur. Succeſſerunt Victor II, Stephanus X, Nicolaus II, Alexander VII, S. Gregorius IX, Victor III, & Vrbanus II, mortuus anno* 1099.

g Henricus *Conrado patri ſubrogatur anno* 1039, *& huic* Henricus *filius anno* 1056, *introducta inveſtitura & ſchiſmate fameſus, mortuus anno* 1106.

h Henricus I *ſucceſſit Roberto patri anno* 1033, *mortuus anno* 1060. *At Philippus ſucceſſor vixit uſque ad annum* 1108.

ALIA VITA

Auctore monacho ejus diſcipulo.

Ex MS. Pontiſarenſi.

PROLOGUS.

1 CUm veterum dicta & facta Gentilium tenaci memoriæ ſcriptis ſuis diligenti ſolicitudine mandaſſe, atque præclara facundia ac facetiſſima verborum ſuavitate extuliſſe merita ſua antiquiſſimos Poëtas, utique Ethnicos, videamus; dignum videtur militum cæleſtis Regis certamina atque victorias, quibus mundi hujus pompam cum principe ſuo ſubegerunt, ad poſterorum utilitatem notitiæ tradere. Etenim ſecretum Regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei recitare atque confiteri honorificum. Sed operæ pretium eſt, quanta bona ex iſtis narrationibus oriantur attendere. Laus Dei eſt, cum Sanctorum, pro quibus cooperator extitit, geſta recitantur. Mirabilis namque, ut ait Pſalmiſta, Dominus eſt in Sanctis ſuis. Sanctus prædicatur in omnibus operibus ſuis. Per hæc animi multorum ad bene agendum excitantur, inimici Chriſtiani nominis peſſumdantur, diabolus cum ſua præſumptione confunditur. Verum ad hæc enarranda me meritis imparem, ſenſu inæqualem, ſermone incultum, conſidero: illius autem pietatem depoſco, ut me ad hæc aliquantiſper idoneum reddat, qui, quando voluit, aquam ſitienti populo de petra produxit, animal brutum humana verba formare fecit, & linguas infantium diſertas reddidit. Quicumque vero ad hoc te inclinaveris, ut tantillulam ingenioli mei editionem legere velis, non ſubito movearis, non ſubito prorumpas in vituperationem, me indoctum neque judicans inertem: non hic attendas dictorum facetitatem aut verborum ruſticitatem, ſed rei quam narraturus ſum veritatem: non quæras quid reprehendas, ſed unde proficias.

Vitæ Sanctorum ſcribuntur, ad laudem Dei,

Pſ. 67, 36

F

& incitamentum legentium.

CAPUT I.

S. Galterii inſtitutio: vita monaſtica Resbaci, Abbatialis Pontiſaræ: varia inde fuga.

2 GRatias referamus, Fratres cariſſimi, Divinæ excellentiæ, quæ poſt Apoſtolos & Apoſtolicos viros Eccleſiam ſuam, pretioſo ſanguine ſuo

AUCT. DISCIPULO EX MS. redemptam, tueri non desistit, indesinenter tribuens ei exempla, unde proficiat; lucernam, qua ea quæ appetenda sunt appetat, & quæ fugienda sunt fugiat. Inter Christianissimos sanctæ Ecclesiæ defensores & propugnatores luminare magnam, vir Dei Gauterius, nostris temporibus emicuit: qui quanti fuerit meriti sequens pagina declarabit. Floruit autem vir iste temporibus *a* Leonis Papæ, Alexandri, Gregorii, qui Hildebrandus vocatus est, usque ad tempora Urbani Papæ, nomine Odonis; in diebus Henrici senioris atque Henrici minoris Augustorum, regnantibus suo tempore Roberto Francorum Rege, Henrico atque Philippo Francorum Regibus. Hic à primævo juventutis flore, paternum solum, parentes propinquosque relinquens, studiis litterarum operam dedit, lustrans proximas regiones & longinquas: quidquid uspiam reperiebat, quod plenitudini scientiæ adjicere potuisset, haud segniter armario sui cordis recondebat. At postquam liberalibus artibus, id est Grammatica, Rhetorica & Dialectica, satis sufficienterque est imbutus; cœpit habere discipulos, multas & famosissimas regens scholas: & thesauros scientiæ, quos multo labore & sudore quæsivit, aliis aperire & eructuare cœpit.

a *Galterius seculo* XI *floret,*

litteris instructus, alios docet:

B 3 Deinde divinus ardor animum ejus tetigit, quatinus omnibus, quæ sunt hujus mundi derelictis, soli Deo liber ab omnibus vacaret, & in portu tranquillæ stationis anchoram bonæ actionis figeret, quo navis suæ jacturam non timeret. Prius namque, ut vir magni consilii, adhuc in seculari habitu positus, semetipsum multis probavit argumentis, carnem suam crebris extenuans jejuniis; asperrimo, à scapulis usque ad renes indutus cilicio. Talibus exercitiis Christi miles seipsum idcirco assuescebat, ne repente onus tantum appeteret, atque insuetus oneris pavore perterritus refugeret. Jesu bone! quam suavis tua vocatio! quam dulcis ac jucunda tuæ spei illustratio! Quos enim subito vocas, illos & justificas; quos vero justificas, illos & glorificas. Igitur vir Dei, cælesti edoctus magisterio, Resbacense cœnobium expetiit: atque renuntians omnibus, quæ possidere videbatur, incepit esse discipulus veritatis; & mutato habitu seculari, exuit veterem hominem cum actionibus suis; induitque novum hominem, qui creatus est in justitia & sanctitate veritatis: ibique quamdiu vixit & commoratus est, aliis meruit esse exemplum veræ religionis: & qui inter alios erat inferior ordine, primus esse studuit operatione.

deliberans de statu vitæ,

afflictiones carnis assumit.

Resbaci fit monachus,

C 4 Contigit interea hominem, culpis suis exigentibus, à Præposito monasterii incarcerari, & vehementer ab eo affligi, & fame & siti arescere. Cujus dolori vir Dei compassus, & ex imo cordis suspirans, non timuit Abbatis sui aut ceterorum Fratrum, quam passurus erat, asperrimam increpationem aut verberum duram recompensationem. Nocturnoque silentio omnibus dormientibus, carceris claustra reseravit, hominemque pane quem sibi subtraxerat refecit; insuper de carcere eum extrahens, humeris suis illum imposuit, atque omnia ejus vincula solvens, demum liberum ire permisit: tantum ab eo fidei pollicitationem exigens, ne amodo ecclesiæ noceret, neve alicui malum pro malo quod passus fuerat redderet. Facto mane requiritur homo & non invenitur, & quod vir Dei hujus rei conscius fuerit deregitur: ab Abbate & ceteris Fratribus vehementer increpatur, acrioribus verberibus affligitur: sed hoc ipse cum omni patientia & animi alacritate amplectitur.

incarceratum pane suo pascit,

humeris suis elatum dimittit,

& ideo verberatur:

5 Eodem tempore cœperunt quidam Fratres, instinctu & providentia Dei, juxta Pontisaræ castrum, quoddam construere monasterium, in quo servire Deo postpositis omnibus decreverunt. Sed nolentes esse ex eorum ordine, quos B. Benedictus *b* Sarabaitas vocat, qui in nulla regula approbati, sub nullius magisterio degentes, bini aut terni, non Dominicis sed suis ovilibus includuntur; quibus pro lege est desideriorum voluptas, cum quidquid putaverint vel elegerint, hoc putant sanctum, quod vero noluerint, hoc arbitrantur non licere: hoc dici & esse cavent; quia eum prius noverant virum Dei, Abbatem sibi præesse petierunt: & licet diu multumque reluctantem, per voluntatem Dei pro voto suo acceperunt, & ordinari sibi atque consecrari fecerunt. Ordinatus Abbas duplici studuit doctrina suis præesse ac prodesse discipulis, omnia scilicet bona & sancta factis amplius quam dictis ostendere, ut intelligibilibus & honestioribus animis verbis suis divina præcepta ostenderet; duris corde & simplicioribus exemplum bene vivendi in factis suis præponeret, castigans corpus suum secundum Apostolum, & in servitutem redigens, ne forte cum aliis prædicaret, ipse reprobus efficeretur. Erat autem vir Dei omnibus prædicandis & decentibus moribus adornatus; mansuetis & humilibus mitis & amabilis; superbis & inobedientibus ipso affectu terribilis: inter pauperes & mediocres & divites se bene regere sciens: itaut divites & mediocres illum quasi superiorem se venerarentur, pauperes vero æqualem sibi pauperem arbitrarentur. Habilitas formæ ejus haud contemptibilis, imo multum laudabilis; statura enim erat procerus, vultu decorus, specie Angelicus. Non incompositus in actu, semper vilis in habitu; non facilis in risu, non tristitia gravis; non lætus in prosperis, non tristis in adversis; clarus eloquio, suavis alloquio; aliis largus, sibi parcus. Quis vero digne possit repetere, quanta exhortationis, quanta prædicationis divinitus gratia ab ejus procedebat ore, dum omnis litteratura ad ejus prædicationem redderetur stupida, dum generaliter omnibus compunctio cordis nasceretur devotissima. Erat namque viro Dei vivax sermo, lingua ad loquendum docta, ut verba ejus simplicioribus essent intelligibilia, doctioribus admiranda. Licet in omnibus esset habilis, licet ad omnia videretur utilis; tamen sciens & frequenter recogitans se grave pondus susceptisse, & quia ars est artium regimen animarum, timensque futuram de creditis sibi ovibus discussionem, culpæque pastoris incumbere quicquid negligentiæ ille summus pastor in ullis potuerit deprehendere; quasi sub fasce laborans, tantum pondus rationabiliter quæsivit deponere. Ad quod cum impediretur multorum probabilium virorum dissuasione, tentavit latenter effugere.

D

b *in novo Pontisaræ erecto monasterio,*

primus fit Abbas,

1 Cor. 9, 27.

E

excellit in omni virtute:

F 6 Audita igitur fama religionis sanctæque conversationis Cluniacensium Fratrum, quod scilicet Fratres isti, præ omnibus, quos in sinu suo tota continet Gallia, mundum & concupiscentiam ejus contemptui haberent; quod honore se invicem prævenirent; & quod infirmitates suas, sive morum sive corporum, patientissime tolerarent; quodque cum omni humilitatis subjectione sibi invicem obedientes essent, nullusque quod sibi utile videretur, sed quod magis alii sentirent sequeretur; quod viscera caritatis haberent; quod Abbatem suum sincero amore diligerent; quod amori Dei nihil præponerent; hunc locum Dei famulus, credens se latere posse, elegit expetendum. Veniens ergo ad locum, ab Abbate & ceteris Fratribus cum omni devotione suscipitur, susceptus humiliter apud eos conversatur, cognoscensque de eis quod auditu didicerat, lætatur; gratias agit, gaudetque se evasisse periculum

Cluniacum clam discedit,

A periculum quod metuebat ; credenſque ſe tutum inveniſſe latibulum, Abbatem ſe fuiſſe non indicabat. Hæc utique divina providentia agebantur, ut in eis mortificationis caperet exemplum, quod nobis diſcipulis ſuis per bonæ actionis oſtenderet documentum. Interea Fratres jam dicti cœnobii Pontiſarenſis, moleſte ferentes ejus abſentiam, Rotomagenſem tunc temporis bonæ memoriæ *c* Joannem Archiepiſcopum adierunt, rogantes ut litteras, ejus auctoritatis ſigillo ſignatas acciperent, quatenus ſervum Dei ad locum ſuum reducerent. Quid plura ? Suſceptis ab Archiepiſcopo litteris & ex ejus nomine Abbati Cluniacenſi præſentatis, auctore Deo ad locum ſuum reducitur, & cum gaudio omnium votoque ſuſcipitur. Latuit autem poſtea vir Dei in quadam crypta, non longe à monaſterio, cui Deo diſponente datus fuerat Abbas : in qua corpus ſuum abſtinentia & vigiliis & acrioribus diſciplinis, quibus exteriorem ſuum hominem mactabat, Deo dedicabat.

c

reverſus latuit in crypta:

7 Poſtea vero habuit quamdam ſuæ occultationis inſignem latebram, in inſula quæ eſt in proſpectu Turonicæ civitatis, in qua habetur eccleſia, SS. Coſmæ & Damiani nomine dedicata & honore ſanctificata. In hac diu converſatus, quanta aſperitate corpus ſuum domaverit, quibus jejuniis quibuſque vigiliis dies nocteſque continuando duraverit, quibus eleemoſynis profuſus extiterit, dicere lingua non ſufficit. Tibi enim Jeſu Chriſte ſoli ſunt ipſius nota opera, quem nullum latet ſecretum, nullius occultatur conſcientia : te ſolum quæſivit ſecreti ſui facere participem, quem ſolum credidit fideliſſimum remuneratorem. Cœpit deinde vir Dei ab incolis civitatis illius frequentari, & à nobilioribus tam Clericis quam Laicis venerari : qui in eo tantam ſapientiam, humilitatem, & morum probitatem cognoſcentes, ab eo monita ſalutis audiebant, & eum toto affectu diligebant. Propterea invito ei & multum reluctanti crebra munera tranſmittebant, quæ ſaltem ab eo in neceſſitatibus pauperum expenderentur. Quæ omnia larga manu diſtribuens, ſua etiam omnia quæcumque habere videbatur, Domino obtulit : adeo ut quadam die venienti ad ſe pauperi & eleemoſynam poſtulanti, non habens omnino quid daret, libros ſuos ei dederit, quatenus mutuam pro eis pecuniam acciperet, quos vir Dei poſtea redempturus eſſet. Alia etiam vice eidem pauperi veſtimenta ſua, id eſt tunicam & cucullam, dedit, quæ perendie Majoris-monaſterii monachi ei miſerant, pretioſa quidem & recentia. Sicque vie Dei revera Chriſtum in paupere veſtivit, & largitore algente inopem calefecit.

B

in inſula SS. Coſmæ & Damiani prope Turones habitat:

largaſque eleemoſynas facit.

C

ANNOTATA.

a *Hæc ſub finem prioris Vitæ ſunt explicata, uti quamplurima alia toto decurſu.*

b *Verba ſunt ex prima regula S. Benedicti deſumpta. De origine vocis* Sarabaitarum *conſule interpretes in Regulam. In Gloſſa anonymi*, Sarabaitæ lingua Ægyptiaca dicuntur Renuitæ, qui refutant Abbatem habere.

c Joannes *è Sede Abrincenſi aſſumptus, ſedit Archiepiſcopus ab anno* 1068 *uſque ad annum* 1079.

AUCT. DI. SC. PULO EX MS.

CAPUT II.

Iter Romanum. Rex & Epiſcopi in Concilio admoniti.

8 INterea quærebatur à diſcipulis, & non inveniebatur : ſed à quodam peregrino, Guarino nomine, qui peregrinando loca Sanctorum circuibat, tandem Deo volente reperitur ; inventus, monaſterio nuntiatur : preces Fratrum ad eum diriguntur ; monaſterii ejuſdem deſtructio, quod fere in ejus abſentia deſtructum fuerat, & deordinatio ſuggeritur ; precibuſque tam multis acquieſcens, ad domum ſuam, cui ſpecialiter datus fuerat Paſtor, reducitur. Poſtea autem urbis Romanæ Papam expetit, *a* Hildebrandum nomine ; cujus ſaltem conſilio & auctoritate tantum onus poſſet declinare. In cujus præſentia, vir Dei cum lacrymis & intimis cordis ſuſpiriis veniam deprecatus eſt, ſe indignum crebro clamitans tanti oneris, & honoris minime eſſe idoneum. Aliquantis itaque diebus Romæ moratus, Domino Apoſtolico notus ac familiaris efficitur, frequenterque ad colloquendum adſciſcitur. Videns namque in viro Dei admirandam ſcientiæ plenitudinem & prædicandam humilitatem, eum Apoſtolica benedictione ad priſtinum gradum [ſtuſtuit] revocare, blandis eum increpans ſermonibus ; non eſſe dignum, inquiens, hominem tam idoneum, ſibi & aliis proficere valentem, ſuis utilitatibus eſſe intentum ; debere ad monaſterium ſuum redire, & oves Dominicas, quas paſcendas ſuſceperat, cum Dei adjutorio regere. Sed videns animum ejus inflexibilem in ſua ſententia perdurare, cum ſumma obedientia & Apoſtolica auctoritate curam ei paſtoralem injunxit, inſuper anathemate eum perculit, ſi amodo ſine ejus licentia monaſterium ſuum, quod regendum ſuſceperat, relinqueret. Deinde Vir Dei Apoſtolica auctoritate & benedictione roboratus, ad locum ſuum rediit, & deinceps evadendi aditum non quæſivit. Quomodo autem reliquo vitæ ſuæ tempore vixerit, vel quemadmodum ex hoc ſeculo migraverit, quibuſve miraculis poſt beatum finem claruerit, inquantum noſſe potuimus ſequens ſermo declarabit.

Reverſus Pontiſarâ,

Romam abit,

à

E

à Summo Pontifice remittitur:

9 Fuit vir Dei juſtitiæ rectique tenax intantum, ut nulli peccanti, nulli ſuam injuſtitiam defendere volenti parceret : imo Regibus vel quibuſlibet poteſtatibus prave agentibus, rationis libera voce contrairet. Sciebat namque ſed & animo frequenter revoluebat, quid per Prophetam Dominus peccata hominum diſſimulantibus improperat, dicens : Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini. Ezech. 13, 5 Ex adverſo quippe non aſcendunt, qui quibuſlibet poteſtatibus prave agentibus rationis libera voce non contradicunt ; & in die Domini pro domo Iſrael non ſtant, ac murum non opponunt, qui fideles innocentes contra perverſorum injuſtitiam ex juſtitiæ auctoritate non defendunt : vix enim pro culpa ſua quemquam aperta voce reprehendunt ; ſed quod eſt gravius, ſi aliquando aliqua in hoc ſeculo perſona deliquerit, ejus multoties delicta laudantur, dum non reprehenduntur, ne ſi reprehendantur forſitan adverſentur. Unde dum quadam die Philippi Francorum Regis colloquium expeteret, ille ſciens magnam viri Dei animi conſtantiam & fortitudinem, qua peccata errantium non demulceret, ſed feriret ; erubeſcebat coram Optimatibus ſuis aſpera ejus invectione notari, ideoque ſecretum petiit.

F

Juſtitiæ amans,

AUCT. DISCIPULO EX MS.

petiit. Quo adepto, taliter vir Dei exorsus est ad eum loqui; Cum certum teneamus, & absque ulla ambiguitate credamus, bonorum seu malorum, quæ hic agimus, quemque manere sive gloriam sive pœnam; miror te, virum ad omnia quæcumque intenderis eruditissimum, non respicere mala quæ indifferenter agis: Te enim posuit Dominus Rectorem & Ducem populo suo: unde dicit Apo-

Regem admonet,

Rom. 13, 1 stolus: Non est potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Si igitur secundum Apostolum à Deo potestatem accepisti, & dici & esse Rex meruisti, debes populum Dei regere, non dissipare; quæ tibi à Deo præcepta sunt, facere; ab his quæ Dominus prohibuit, abstinere. Per te & à te Spiritus sancti dona, quæ sunt gratuita, venduntur; à te munera, quæ Deus reprobat, accipiuntur? & si sancti Spiritus dona, quæ sunt gratuita, tibi non licet dare; quanto magis vendere. Non recolis, non animo retractas, quid est quod Salvator noster templum ingressus, cathedras vendentium columbas evertit, & numulariorum effudit æs,

Ioan. 2, 16 dicens, Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis? Quid est, inquam, cathedras vendentium columbas evertere?

B

ne pergat ecclesiastica beneficia vendere;

nisi potestatem vendentium dona sancti Spiritus destruere? Omnia ecclesiastica officia, omnia ad ecclesiam Dei pertinentia, sancti Spiritus dona sunt. Dic mihi, si nosti, unde clavem regni cælorum accepisti; das enim & vendis potestatem ligandi atque solvendi. Quid autem habes quod suscepisti? A sanctis Patribus in concilio Toletano & in aliis æque sanctis Synodis interdictum est, nulla ecclesiastica officia pecuniis obtineri: altaria etiam vel decimas pro pecunia dare, simoniacam hæresim nullus fidelium ignorat esse. Omnes Laici qui aliquid in Ecclesia tenent, nec non Clerici qui ab illis retinent vel sub illis serviunt, illi quoque qui hoc posse fieri confirmari satagunt, legis divinæ contemptores fiunt: & ideo nisi resipiscant, sine fine peribunt; & jam in hoc seculo, dum vivunt, à recte credentibus ut transgressores vel apostatæ refutandi sunt. Vide ergo quæ mala ex istis emptionibus & venditionibus oriantur. Dum enim, tu ipse honores Ecclesiasticos quibusdam vendis, ipsi rursus sacros Ordines & manus impositionem vendunt aliis. Horum omnium malorum, si bene

C

perspexeris, caput esse videris. Ita ecclesiæ despoliantur, dum ipsi pessimi emptores simoniacique pervasores non timent auri & argenti quantitatem, quantam in Ecclesia Dei reperiunt, conflare, pretiosa ornamenta vendere, ut dumtaxat Ecclesiastica officia possint obtinere. His & aliis hujuscemodi verbis vir Dei Regem increpavit: quæ ideo scribere volui, ut ostenderem invictam in viro Dei animi fortitudinem, per quam melius voluit morti succumbere, quam veritatem celare. Multos proinde habuit inimicos, multos sustinuit convitiatores & persecutores: sed hæc omnia forti animo & inexpugnabili superabat patientia, memoriter recolens

Ioan. 15, 19 quid ipsa Veritas discipulis dicat: Si de hoc mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, propterea odit

Matt. 5, 10 vos mundus: Et illud. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est

2 Tim. 3, 12 regnum cælorum: itemque illud, Omnes, qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.

10 His & hujusmodi armis instructus, cum Parisius congregato Concilio, omnes fere, tam Episcopi quam Abbates & Clerici, censerent Domni Apostolici sanctæ memoriæ Hildebrandi jussioni non esse parendum, dicentes falsoque asseverantes, importabilia ejus esse præcepta, ideoque irrationabilia; coram omni multitudine dixit: Constat vos indecentem & ab omnibus refutandam definire velle sententiam: juste enim, ut ait B. Gregorius, an injuste obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is qui subest & causis injustis forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ pœnam ex alia culpa mereatur. Nec debet quisquam pastoris sui judicium temere reprehendere; ne etsi injuste forsitan ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat. His dictis, vehementer ira succensi qui aderant adversus Dei famulum, mancipia Regis suo sceleri conjungentes, exclamantesque omnes in una conspiratione consurgunt, ipsum de concilio rapiunt, trahunt, impingunt, colaphizant, conspuunt, multisque contumeliis affectum, ad domum Regis perducunt. Sed vir Dei viriliter hæc pro Dei amore sustinens, immobilis perstitit, mortemque minantibus hilari voce respondit: Malo mortem pro veritate sustinere, quam falsitati turpiter cedere. O quantis votis, quibus precibus tuam, Domine Deus, magnificentiam exoravit, quatenus sanctorum Martyrum tuorum sociaretur numero, quibus jam sociatus erat meritis. Bonum erat ei, Domine, hujus lutei vasis deponere sarcinam, ut perpetuam posset adipisci coronam. Verumtamen, Domine, adhuc famulum tuum, Ecclesiæ tuæ profuturum, reservare disponebas; ideoque coronam, tantis votis exoptatam, differebas. Quorumdam igitur Optimatum, qui eum prius noverant & dilexerant, virtute, vir Dei, de loco in quo custodiebatur, eripitur, & Ecclesiæ suæ cum honore redditur. Longum est enarrare per singula, quæ & quanta pro veritate sustinuerit pericula, quæ verborum convitiorumque venenata toleraverit jacula? ceterum quæ vidimus *b* & audivimus, glorioſa ejusdem beati viri retexamus magnalia.

D

& Episcopos ne Pontificio mandato se opponant;

F

ideoque incarceratur.

b

ANNOTATA.

a *Is est* S. Gregorius VII, *quem diximus sedisse ab an.* 1073 *ad* 1086.

b *Hic potissimum auctor oculatum se testem perhibet.*

CAPUT III.

Varia patientiæ, humilitatis & aliarum virtutum exercitatio.

11 ERat viro Dei contigua monasterio, cui Deo volente præerat, cellula, in qua ei erat consuetudo orare, multisque jejuniis & vigiliis & nimiis verberum cruciatibus suum corpus attenuare. In hac solus, solo Deo teste, orationi insistebat, & divinæ contemplationi operam dabat. Quis vero digne queat orationum instantiam ac genuflexionum ejus numerositatem, quibus Divinam majestatem venerabatur, verbis explicare; cum præsertim, ut dictum est, solus, solo Deo teste, in eadem cellula oraret, vigilaret, jejunaret, & ceteris sanctæ virtutis exercitiis instaret. Sed nequaquam, ut ipsa Matt. 5, 15 Veritas testatur, abscondi valet civitas supra montem posita, neque ponitur lucerna sub modio; sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo Dei sunt. Quanto magis sancti viri opera sua latere quærunt, tanto magis ad exemplum sanctæ conversationis sequentibus palam fiunt. Cautus erat vir

Opera sua in abscondito facit;

Dei

A Dei & circumſpectus ad ſanctorum operum exercitia : inaniter enim perdere metuebat, quod cum magno corporis labore & ſui contritione ſpiritus acquirebat : ſciebat quippe quod laus impiorum brevis eſt, & gloria hypocritæ ad inſtar puncti. Sunt enim plerique vaniſſimi ſimulatores, qui vento ſuperbiæ inflati, dum corpus ſuum quadam abſtinentia macerant, videri ab hominibus jejunantes volunt, indeque humanos favores expetunt : magnos ſe apparere in conſpectu hominum concupiſcunt, & turpes ante oculos ſuperni Inſpectoris eſſe non paveſcunt ; prædicationi inſerviunt, non ut populus de eorum prædicatione in melius proficiat ; ſed ut ſapientia eorum ipſis quibus prædicant innoteſcat : multa & magna munera egenis largiuntur, non ob hoc, ut inde regnum Dei promereantur ; ſed ut tranſitoriam laudem, quæ in affectu eorum dulcis eſt, aſſequantur : qui nimirum, ſecundum Veritatis atteſtationem, ſimiles ſunt ſepulcris, aforis quidem dealbatis, intus Matt. 23, 27 autem plenis oſſibus mortuorum : quibus cordi eſt in angulis platearum orare, ſalutationibus vacare, primas in cœnis cathedras amare, ab hominibus Rabbi vocari velle. Sed quæ, rogo, iſta dementia eſt, incaſſum corpus affligere, multa ſemina jacere, & nullum fructum recipere velle ? æterna præmia perdere, & tranſitoria diligere ? Quæ omnia vir Dei, divini amoris igne ſuccenſus, quaſi venenum diaboli refugiebat, & jugiter illum Davidicum verſum, ori ſuo Pſal. 113, 1 familiarem, dicebat ; Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.

procul à vana gloria,

B

12 Habemus ejus magnanimæ humilitatis inſigne documentum, quoniam cum eſſet beato viro pecunia in neceſſitatibus pauperum expendenda, non eam per ſe neque per domeſticos ſuos erogare volebat ; ſed taliter hoc facere diſponebat, quatenus nulla naſceretur ſuſpicio, qua hæc ipſius agnoſceretur eſſe largitio. Quodam itaque tempore habens nummorum quantitatem, quoſdam valde ſibi familiares, Marcellum videlicet Presbyterum & Raimundum Diaconum, ad ſe ex Pontiſarenſi caſtro venire fecit, eiſque dixit : Quidam amicus meus pecuniam mihi nummorum pauperibus erogandam tradidit ; ſed quia ad agenda talia inſuetus ſum, rogo dilectionem veſtram, ut taliter eam diſpertiamini, ne quiſquam, quoad vixero, à me vobis arbitretur commiſſam. Qui feſtinato juſſa compleverunt, hujuſque beneficii beatum virum fuiſſe auctorem, uſque ad obitum ejus celaverunt. Quis illum unquam liberalem, quis circa pauperes crederet miſericordem ? Cum enim in conſpectu hominum pauper aliquid ab eo peteret, vehementer ei quaſi cum indignatione & ira obloquebatur, ut eum non miſericordem, ſed durum arbitrari poſſes atque crudelem : cum vero nemo adeſſet, qui ſecreti ſui arbiter eſſe poſſet, pauper revocabatur, reficiebatur, & in eo revera Chriſtus adorabatur, qui & ſuſcipiebatur. Conſuetudo præterea fuit ei, ut quoties pauperum peregrinorumque pedes abluere voluiſſet, non hoc agebat, niſi aut cum monachi eſſent divina officia recitaturi in oratorio, aut dum reficerent in refectorio, aut requieſcerent in dormitorio. Ita vir Dei circa pauperes erat munificus, ut multoties ipſa etiam pedum calceamenta & cetera ſibi neceſſaria indumenta eis præberet, ut nec cultellum nec [aliud quidpiam vel] aſſem valens retineret, quod non in neceſſitatibus pauperũ totũ expenderet.

eleemoſynas per alios diſtribuit,

C

aut nemine præſente :

utitur lecto duro,

13 Erat ei in ſuprаſcripta cellula lectulus, non magna plumarum mollitie ſuffultus, ſed tantum mattæ ſuperimpoſitum cilicium, ut non facile noſcere poſſes, qua caput, qua etiam parte pedes ad horam requietionis ponerentur ; & noſtris temporibus alter Germanus exhibebatur, cujus, ut in Geſtis ejuſdem legitur, caput ab humeris per cervicis confinium nulla ſublevavit adjectio. Nemo noſtrum vidit eum jacere expoliatum, dum nec funiculus quo cingebatur deponeretur, raro etiam calceamenta de pedibus extraherentur. Aſperrimo jugiter caro ejus atterebatur cilicio ; cui tamen pretioſæ inhærebant manicæ, ex ſtaminio factæ ; ut dum manicæ viderentur, cilicium interius non deprehenderetur. O laudabile per omnia factum, quæ Salvatoris juſſa complentur, & ceteris ad exemplum humilitatis conſervandæ tutela datur ! Fecerat etiam ſibi vir beatus flagellum ex duriſſimis corrigiis, quarum ſummitates nodis exaſperabantur firmiſſimis, quo unoquoque fere die caro ejus crudeliter cædebatur. Cujus cæſionis ſonitus à ſecretariis eccleſiæ, & à ceteris in eccleſia exiſtentibus, audiebatur ; quamvis, ne audiretur, in ſecretiorem thalamum re noveretur. Veſtimentum viliſſimum, quo utebatur, numquam mutavit ; niſi aut vetuſtate nimia ſolveretur, aut forte egenis tribueretur. Vidimus eum hora refectionis Fratrum, more hebdomadarii Fratris lectoris, in refectorio legere, coquinæ officio deſervire, aliis miniſtrare, clibanum coquendis panibus præparare. Unde quadam die, jejunii fatigatus afflictione, dum clibanum calefaceret, ante os clibani pene exanimatus cecidit, & manibus diſcipulorum inde ablatus eſt. Aliis in labore manuum occupatis, oblitus ſuæ auctoritatis ſimiliter occupabatur ; & qui erat prior ordine prælationis, gaudebat ſe aliis parificari in exercitatione operis.

AUCT. DISCIPULO EX MS.

aſpero cilicio,

flagellis nodoſis,

veſtibus triſtis,

viliora munia obit ;

E

14 Si quando in refectorio cum aliis, cogentibus Fratribus, reficiebatur (quod tamen ipſum non leviter faciebat, niſi aut promiſſa ei ab eiſdem Fratribus Miſſarum ſupplicatione aut pauperum refectione, quaſi pro abſtinentiæ ſuæ recompenſatione) quemdam ex condiſcipulis noſtris, aliquantiſper ſecreti ſui conſcium, latenter præmittebat, ut ignorantibus ceteris vinum de *a* juſta ſua auferret, aquamque infunderet. Erat cernere hominem tanta circumſpectione ſemetipſum tueri, ut putantibus nobis eum copioſo vino repleri, aquam biberet ; ſicque ſtudioſe piſces, qui forte afferebantur, manu ſua ablatis *b* ariſtis per paropſidem divideret, ut intuentium oculos falleret, arbitrantium revera piſces comedere, cum quidem nec eorum ſaporem ſaltem guſtaret. Providerat autem ſibi vir Dei Fratrem, Dominum timentem, qui ad horam ſuæ refectionis in ſæpedicta cellula per competentem feneſtram panem & fabas, nulla pinguedine vel ſapore conditas, ei deferebat, iſtiſque alimentis ſuam arctiſſime humanitatem ſuſtentabat. Ceterum, quod eſt dictu audituque mirabile, quot panes ei miniſter deferebat, tot ſæpe ab eo recipiebat ; unde luce clarius conſtat, eum tantum per Dei virtutem fabis eſſe ſuſtentatum : & aqua ad bibendum deferebatur, quam ipſe ſibi ſæpenumero hauriebat, & deferebat, quæ uſque ad aliud Sabbatum non mutabatur. Quis vero audiendo credere poterit ni videndo didicerit, quanta ad ſtandum in choro fuerit beato viro perſeverantia ? Cum vix illum quiſquam pſalmodiæ tempore in eccleſia ſedere conſpexerit. Labore interdum jejuniique afflictione defatigatus, ſeniles artus baculo ſuſtentabat ; & ſic ſtans, quouſque pſalmodiæ cantus in eccleſia finiretur, perſeverabat. Finito Matutinorum curſu, dum ceteri Fratrum, laboris relevandi gratia, pauliſper quieti indulgerent ; vir Dei pervigil manebat, & oratorii ſanctæque meditationi operam dans pernoctabat : unde ob nimiam vigiliarum continuationem ſomni depreſſus gravedine, fronte in terram colliſa, ſuper genua & cubitos à ſecretario eccleſiæ inventus eſt obdormiſſe.

aqua & cibis inſipidis contentus :

a

b

F

inter pſallendũ ſtat,

& permanet in oratione.

15 Cumque omnium virtutum ubertim vir Dei floribus adeo decoraretur, maxime tamen humilitatis in eo enituit inſigne documentũ : omnibus enim imi-

AUCT. DISCIPULO EX MS.

tandus, omnibus admirandus hic Pater noſter, dum per omnia humilitatis itinera currere geſtiret, omnibus nobis in unum poſitis (omnes namque ad hoc adeſſe præceperat) dixit: Placeat cœtui veſtro, Fratres cariſſimi, juſtæque petitioni nullus ex vobis refragetur, ut quod ego, utpote indiſcretus omnibuſque facinoribus irretitus, irrationabiliter, dictante ſcilicet ira nullaque ſervata juſtitia, vobis multoties verborum verberumque correctiones adhibui; liceat peccantis lege, id eſt nudis pedibus, totoque corpore circa renes tantum præcincto, manibuſque meis virgas diſciplinatorias ferenti, in capitulum venire; & coram Deo & Sanctis ejus à vobis Fratribus meis veniam de offenſionibus meis petere; & à vobis omnibus virgarum correctionem, dignam videlicet factis meis recompenſationem, recipere; ut ita ſempiternas, quæ pro eiſdem mihi debentur, inferni pœnas merear evadere. Nullus prælationi meæ hoc in facto à vobis ſervetur honor, ſed magis in me vitia feriantur, quibus non honor eſt exhibendus, ſed rubor confuſionis eſt adhibendus. Priores ordine & conventione in me prius verbera viciſſim exerceant, priores ſcilicet incipiant & juniores finiant: cujus correctionis modus in Prioris, loco meo præſidentis, arbitrio conſiſtat: ſciantque omnes quod qui durius me flagellaverit, hic amodo mihi carior erit: qui vero mollius me tetigerit & quaſi iniquitati meæ clemens eſſe decreverit, hic minime ſecundum Dominum me diligit, quia non defert honorem mihi, ſed vitiis. Quod audientes omnes, his beati viri unanimiter contradicere cœpimus verbis, dicentes, inauditum eſſe, ut Prælatus aliquis talia à diſcipulis ſuis quæſierit, & diſcipuli Magiſtris ſuis in talibus paruerint: non debere eum hæc facere, cum præſertim ſatis fuerit jejuniorum vigiliarumque attenuatione ſenioque excruciatus, & forſitan præ infirmitate ſua inter flagella eſſet moriturus. Sed, quia vir Dei miro ingenio eloquioque callebat, quamquam invitis diu multumque reluctantibus nobis, perſuaſit. Quid plura? In capitulum venitur, famulus Dei modo quo ſupradictum eſt expoliatur, coram majeſtate Dei in noſtra præſentia humiliter ſolotenus proſternitur. Stupor omnium noſtrorum corda ad ejus introitum circumdedit: videntes namque hominem, omni honore dignum, tanta vilitate contemptum, omne à nobis aufugerat conſilium. Undique erat dolor, undique luctus, undique ſuſpiria, undique gemitus. Poſtquam à nobis diu ploratum eſt, ſenis, nos durius increpantis, nos molles effeminatoſque vocantis, acquievimus voluntati. Itaque à prioribus inceptum eſt. Eramus circiter triginta Fratres, qui omnes viciſſim nobis ſuccedentes, virum Dei virgis cædere cœpimus. Videres hominem, jejuniorum vigiliarumque numeroſitate ſimul & ſenectute debilitatum, inter flagella conſtantem, unumquemque proprio nomine vocitantem, & ad cædem ſuam inſtigantem, fortique voce clamantem: Manus veſtras non agnoſco: verbera veſtra, molliter me palpantia, non ſentio. Decurſa autem à majori uſque ad minorem, qui ignarus ſub regulari diſciplina in ſcholis erat, diu optata virgarum cæſione; rurſus famulus Dei induitur, omnibus gratias agit, ipſoque die gratulabundus nobis conviva efficitur. Perpendendum eſt, quanta vir beatus hoc in facto præconiorum gloria ab omnibus ſit attollendus. Cumque omnium virtutum nominatim vir Dei floribus decoraretur, mox videndum quæ virtus, quis ex iſta virtute ſequatur triumphus. Dicat quiſque quod ſenſerit, præfero beati viri humilitatem illuminationi cæcorum, curationi leproſorum, omniumque ſanationi morborum. Unde quibuſdam de miraculorum potentia ſuperbientibus & dicentibus; Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, dæmonia ejecimus, virtuteſque multas fecimus, in fine Dominus dicturus eſt; Amen dico vobis, neſcio vos. Qui enim ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in ventum pulverem portat. Magna eſt profecto virtus humilitatis, quæ quantum inclinatur ad ima, tantum proficit ad ſumma. Sine hac nemo poteſt Deo placere; per hanc quiſque valet ad virtutum culmina conſcendere: hanc vir beatus ſemper in corde ſuo tenuit: per hanc non ſolum magiſtris, verum etiam ſubjectis ſuis ſubjici voluit.

Vi à ſubditis flagellatur petit,

à multum flentibus,

cum humilitatis rara commendatione.

B

C

D

ANNOTATA.

a *Forte* menſa.

b *Oſſa ſeu ſpinæ in piſce vocantur à Francis* areſtes, *à ſimilitudine quam habent cum* ariſtis *ſpicarum.*

CAPUT IV.

Extrema exercitia. Morbus. Obitus.

& tandem impetrat:

16 IN illa autem Quadrageſima, quæ beato viro fuit poſtrema, ſemetipſum acrioribus jejuniorum, vigiliarum, ſanctorumque operum exercuit emolumentis: ita ut in comparatione eorum priores ejus cruciatus leviores eſſe putarentur. Fuit namque ei conſuetudo, ut omni tempore, ex quo cœnobialem ſuſcepit actitare militiam, ſemper priori vitæ aliquid adderet, & ab incepto fervore per tepiditatem non refrigeſceret, & benefaciens non laſſeſceret; ſed divino igne inflammatus, de virtute in virtutem proficeret; & quanto corpus ſenectute longaque inedia areſceret, tanto animus victor annorum ad appetenda majora inardeſceret, ut cum Apoſtolo veraciter dicere potuiſſet; Quando enim infirmor, tunc fortior ſum & potens. Unde toto ſpatio jam dictæ Quadrageſimæ compertum eſt nobis, libram panis, quæ quotidie ex præcepto B. Benedicti monacho apponitur, beatum virum non comediſſe: ſed tantum fabis & aqua, in lacrymis & menſura, uſum fuiſſe. Dominica autem illa, in qua Salvator & Redemptor noſter, appropinquante hora paſſionis ſuæ, in aſino Jeruſalem venire & à pueris Hebræorum cum floribus & palmis ſibi obviari, & ab eiſdem Rex appellari ac laudari voluit; tanta nos verborum ſuorum ſuavitate refecit, ut, tamquam valedicens nobis, eatenus tam dulciter, tamque amicabiliter non ſit locutus. Ipſa quoque die, cogentibus nobis, ultimum nobiſcum convivium celebravit. Sequenti die cantante eo Miſſam vi febrium graviter urgeri cœpit, viribuſque corporis deſtitui. Vocato denique quodam Fratre, qui ejus juſſione membranas ad conficiendum ei Breviarium inciderat, præſago imminentis ſuæ è corpore reſolutionis ſpiritu, dixit: Opus mente conceptum dimitte: non enim liber iſte quem ſcribere diſponebas mihi erit profuturus, immo magis ſequentium voluntati relinquatur, qui aliis poſt obitum meum utilitatibus membranas inciſas deputabunt. Cœpit deinde vir Dei majoribus ſtimulis coarctari, & de die in diem ad exitum propinquare: convocatiſque nobis, quos paterno affectu dilexerat, & quos à mundialibus illecebris abſtractos in timore Dei educaverat, more eccleſiaſtico, Oleo ſancto petivit inungi. Fit ad eum proceſſio ut voluerat: inungitur: reum ſe de peccatis ſuis coram Deo & Sanctis ejus in præſentia noſtra confitetur; abſolvit omnes, & ab omnibus abſolvitur; deinde oſculatis omnibus nobis, & cum multis intimis cordis fletibus ſuſpiriiſque, glorioſa

Ultimam Quadrageſimam ſancte peragit:

2 Cor. 12, 10

Dominica Palmarum ſuos benigne affatur;

poſtridie febri laborat:

obitum prævidet:

accipit extremam unctionem,

& alia Sacramenta:

E

F

A glorioſa paſſionis Dominicæ memoria venerata, Sacramentorum noſtræ redemptionis particeps efficitur.

17 Interea cœpimus omnes de beati viri imminenti tranſitu irremediabiliter contriſtari, timentes, ne ejus abſentia ordo monaſterii noſtri diſſiparetur; neve ſublato paſtore grex Dominicus lupinis morſibus patens diſpergeretur, aut ne, unde major dubietas excreverat, Rege muneribus corrupto, aliquis per ſimoniacam hæreſim ad ſuſcipiendum loci noſtri regimen ingrederetur. Rurſum convocatis omnibus nobis, hoc modo aſſiſtentes alloquitur. Nolite, inquit, filii mei contriſtari, nolite de mea nimium corporali reſolutione mœſtificari. Confidite in Domino, omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. Confirmetur in vobis caritas Dei, ut ſitis concordes, fraternitatiſque ſpiritualis amatores. Etenim ſi ſecundum Deum vos invicem dilexeritis, ſciatis procul dubio, quia in omnibus vobis Dominus cooperator erit. Prope eſt, ſecundum veridicam Pſalmiſtæ vocem, Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Nolite in alterutrum detrahere: omnes enim B detractores & murmuratores Deo ſunt odibiles. Nolite à ſancto propoſito deviare: ſi enim diſcedente me à ſancto propoſito deviaveritis, & ſchiſmata inter vos habueritis, & ordinationibus levium perſonarum conſenſeritis; manifeſtum eſt, non Dei amore, ſed Magiſtri veſtri timore, huc uſque vos in religione manſiſſe: ſi vero, ſicut uſque ad hanc diem, in humilitate, in concordia, in caritate manſeritis; providebit Dominus fideliſſimum domui ſuæ diſpenſatorem, qui vos mitius quam ego, ſpiritualiter & corporaliter, in omnibus ſecundum Dominum confovebit. His & hujuſmodi exhortationibus in conſolationem nos venire geſtiens, ſtolam ſancto collo ſuo imponi fecit, dexteraque ſua baculum paſtoralem tenens, nos omnes abſolvit, & voce qua potuit Domino tutori & auctori omnium commendavit.

triſtes ſubditos confortat:

dat ultima monita, Pſ. 144, 19

18 Adveniente autem quinta feria, in qua Dominus cum diſcipulis cœnavit, & ad humilitatis formam eorum pedes abluens, eis Corporis & Sanguinis ſui ſacramentum tradidit, & à diſcipulo Judæis traditus eſt, aſſiſtentibus ſibi Fratribus ait: Non diutius hic morabor; cras enim Deo volente ex hac ſum luce migraturus. Quod & factum eſt. In die enim C Paraſceve, percepto vivifico Corpore & Sanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, omnibuſque Eccleſiaſticis rite ordinatis, cum jam fero factum eſſet, cœpit in ultimo ſpiritu laborare; brevique intervallo, incumbente ſcilicet nocte, relicta corporali gleba, ſpiritus ejus Angelico ductu ad beatæ requiei ſinum tranſmigravit. Cum vero, ad abluendum, corpus ejus nudatum fuiſſet; vidimus carnem ejus niveo candore micantem, nullaque in univerſa corporis parte ſaltem tenui fuſcatam macula, jam quamdam futuræ reſurrectionis ſpeciem prætendere; ut non jam humanum, ſed angelicum, quod videbatur, eſſe crederetur. Non enim, ſicut in exanimi corpore videri ſolet, pelle protenſa oſſa ejus carne deficiente nudata ſunt, ſed cum quadam ſpecie mediocriter repleta; ut non facile crederes unquam beatum virum carnem ſuam cilicio texiſſe, aliquave abſtinentia maceraſſe, ſed ſemper in deliciis vixiſſe. Sepultus eſt in oratorio beatiſſimi Martini, quod ab eodem ædificari jam ex magna parte inceptum fuerat, in loco quo ſepeliri ſe jufſerat. In quo loco per glorioſa beati viri merita plurima oſtenduntur miracula, veluti ſequentis libri teſtatur paginula.

praedicit diem obitus;

in Paraſceve ſumpta Euchariſtia obit.

HISTORIA MIRACULORUM auctore eodem monacho Pontiſarenſi,

ex MS. CL. V. Andreæ du Cheſne.

PROLOGUS.

1 MUlti diverſis pro cauſis animum ſuum ad ſcribendum res geſtas appulerunt: alii ut eorum ingenia, ipſo uſu ſcribendi quaſi confricata, clariora redderentur; alii ut per hoc apud aures hominum famoſiores efficerentur, indeque honores & lucra maxima conſequerentur; alii ne res geſtæ, per longinquitatem temporum deletæ, de memoria hominum tollerentur. At mihi B. Gauterii Vitam, omnibus bonis appetendam, tranſitumque ejus de hoc ſeculo ſcripſiſſe; Miraculaque illius, quibus poſt beatum finem famulum ſuum Dominus glorificare dignatus eſt, denuo ſcribere velle, ſumma cauſa obedientia eſt. Quæ virtus, ſcilicet obedientia, humilitati conjuncta, omnium virtutum jure major eſt effecta; dum non ſolum ea, B quæ norunt homines actitare ſatagit, verum etiam & quæ non norunt attertare cogit. Hæc mihi balbutienti, necdumque ad plenum verba integra formare valenti, ea quæ non poſſum facere præcepit. Unde rogo omnes qui hoc opuſculum lecturi ſunt, quatenus dent ignorantiæ meæ veniam. Fateor enim me ultra vires meas præſumpſiſſe: ſed tamen malo me beati viri opera qualicumque ſtylo parare, quam omnino exinde reticere.

Vita & miracula ex obedientia ſcripta.

CAPUT I.

Sanati contractus, claudus, mutus, febricantes, & furibundi.

2 POſt glorioſam igitur corporis ſui depoſitionem, cœpit locus ſepulturæ beati viri à multis frequentari: inter quos erant multi promiſcui ſexus, debiles & ægroti, ſalutis remedia poſtulantes: per glorioſa autem viri Dei merita conferebat Deus multa ſanitatum genera: nam cœcis viſus, claudis greſſus, aliiſque cujuſcumque doloris & languoris integra reſtituebatur ſalus.

Miracula mox ab obitu patrata;

3 Eodem tempore, fama virtutum ejus uſquequaque diſcurrente, ex Normaniæ partibus puer F quidam à parentibus ad beati viri patrocinium allatus eſt; qui ita nervorum ariditate & juncturarum inflexibili nodoſitate, à renibus, per coſtarum & poplitum tibiarumque confinia, contractus erat, ut natibus talis inhærentibus vitiataque natura, nullatenus membra præmortua valerent ſua adimplere officia. Cœperunt autem parentes ejus ſuperna implorare ſubſidia, ut per beati viri merita, ægro cœlitus impenderetur ſalutifera medicina. Affuit ſupplicantibus iis Divina clementia, ſuffragantibuſque ſanctiſſimi viri meritis ægro ſalus redditur diu deſiderata. Miratur ſe propriis vadere plantis, qui tandiu manibus ſubvectus fuerat alienis: ſed ne cito hoc miraculum ab hominum tolleretur memoria, indubitata ſcire & videre cupientibus manſerunt argumenta: quouſque enim in hac vita ſuperfuit, veſtigia talorum viſa ſunt in ejus natibus impreſſa.

ſanantur contractus;

4 Per idem tempus quidam infra pubertatis annos ita omnium membrorum ſuorum officio damnatus fuerat, ut numquam greſſum movere, verum etiam nec jacens in aliud ſe latus potuerit

claudus,

AUCT. DISCIPULO EX MS.

vertere : qui ſuorum pia ſolicitudine parentum ante viri Dei ſepulcrum depoſitus, ſalutis remedium implorare ſimul & expectare cœpit. Nec diutius ſua eſt expectatione fruſtratus, imo Dei miſeratione & miſericordia reſpectus, membrorum ſuorum cœpit paulatim vegetationem recuperare, & poſt modicum nullo regente novos cœpit greſſus tentare. Inde in præſentiam noſtram adductus, redditam ei divinitus comprobavimus ſoſpitatem ; unde divinam laudare & magnificare cœpimus virtutem. Vocabatur autem iſte Radulphus.

num. 12

5 Quidam denique Diaconus, nomine Raimundus, (de quo in ſuperiore libro dictum eſt, quoniam eleemoſynæ beati viri diſpenſator fuerit) algore febrium cruciabatur validiſſimo. Hic de Dei miſericordia & famuli ſui virtutifera confiſus potentia, advenit ; & præ multitudine languentium, ibi ſalutem expectantium, propius accedere non valens, à longe ſtetit, voce qua potuit clamavit : Obſecro te, ſerve Dei omnipotentis, ut quia in virtute Domino ſerviviſti, mihi quem in hac vita degens ſincero amore plurimum dilexiſti, refrigerium quantocius à Domino impetrare digneris. Hoc cum lacrymis repetens, nec plura effatus, ſtatim evomito omni felle doloris, ſanus ad domum ſuam rediit, & gratias Deo Sanctoque Galterio pro conceſſa ſanitate retulit.

febri laborans :

B

6 His etiam diebus alius, eodem nomine vocitatus, eodem morbo graviter infirmabatur : erat autem iſte negotiator, in Pontiſarenſi caſtro, ſicut ille de quo ſupra ſcriptum eſt, natus & enutritus. Hic dudum beato viro familiaritatis obſequio junctus fuerat ; nam & Romam cum eodem comes individuus perrexerat, & ei humiliter cum caritate ſervierat. Qui de ſemetipſo deſperans (erat enim dolor violentiſſimus) ante viri Dei ſepulcrum jacuit, & cum lacrymis priores ejus amicitias memorans, ſimul & ſubveniri ſibi humiliter deprecans, pauliſper dormitare cœpit. Expergefactus à ſopore, virtutem ſenſit affuiſſe divinam, ob redditam ſibi ſoſpitatem : unde lætus effectus, quaſi pro munere, pretioſo tapeto tumulum viri Dei cooperuit, & denuo ab ipſa qua tenebatur infirmitate illæſus perſeveravit.

alius item :

7 Præterea non eſt ſilendum, ſed diligenti memoriæ commendandum, quoniam per beati viri merita multis, inſtinctu dæmonum in amentiam verſis, reddita eſt male captæ ſobrietas mentis. Etenim quidam furibundus, nomine Durandus, de villa Tineoſa, quæ Pontiſarenſi caſtro proxima eſt, in vehiculo adducitur : qui ad temones ipſius vehiculi arctiſſimis funibus undique ligatus, ſic uſque ad beati viri ſepulturam miſerabundus trahitur. Sed videres miſerum, ſanguineos oculos horribiliter torquentem, dentibus frendentem, irremediabiliter clamantem, Deum & homines turpiter blaſphemantem, aliena & inaudita loquentem, neminem recognoſcentem, nihil penitus comedentem, numquam vel modicum dormientem, ſemetipſum & accedentes ad ſe dentibus laniare volentem. Hic nimirum dæmonii viribus uſus, omni viro fortior erat ; & ideo cum undique vinculis aſtringeretur, à fortiſſimis tamen viris ex omni parte tenebatur. Sed non diutius paſſa eſt Divina bonitas hominem ita miſerabiliter diaboli fraudibus ſubjacere : ſed implorantibus cunctis qui aderant, parentibus & vicinis, beati viri ſuffragium, homo ſenſum recepit ſobrium. Unde omnibus ad hoc miraculum ſtupentibus, fecit ſe ſolvi, ſolutus comedit, ſervumque ſe beati viri deinceps fore devovit, & ſic manſuetiſſime ad domum ſuam repedavit.

C

vir furibundus,

8 Proferamus in medium ſimile priori miraculum, quod Deus ad laudem & gloriam nominis ſui operari dignatus eſt per beati viri meritum. Quædam mulier, de villa, quæ dicitur Settana, nomine Stephana, culpis ſuis procul dubio exigentibus, diabolica fraude ſenſum perdiderat : cumque omnes, quotquot ſe ei objiciebant, morſibus belluinis diſcerpere cuperet ; turpiterque crine ſoluto, mulierem ſexum non conſiderans, per humum volutaretur ; repente ad eam ab amicis concurritur, comprehenditur, catenatur, modoque, quo ſupradictus vir, ad beati viri ſepulcrum perducitur. Horreſco referens : vidi eam proprii corporis crudelem laniatricem, dentibus propria membra carpere, interdum lacrymis faciem ſuperfundere, ſubitoque lacrymis adhuc ſuperfuſa facie ridere, ita ut flens, circumſtantes flere faceret ; ridenſque, omnes nihilominus ridere cogeret. Cumque his aliiſque hujuſmodi illuſionibus fatigaretur, cœperunt ejus parentes & amici ſuffragia viri Dei depoſcere, quatenus mulieri ſenſus integer redderetur, & tumultuoſæ ipſius voces tranquillarentur. Et ecce, recuperato ſenſu, cœpit nomen Dei, quod prius abhorrebat & blaſphemabat, recognoſcere ; & cognoſcens ab afferentibus quæ egerat & quæ dixerat, admirata eſt ; votoque ſe vovens Sancti ſe fore ancillam, perſeverante incolumitate ad ſuam regreſſa eſt manſionem.

D

mulier furibunda,

E

9 Item de *a* pago Beluacenſi quidam pari modo vexatus, ducendus ad viri Dei ſepulcrum ligatus, ſed repente ruptis nexibus de manibus ſe tenentium excutiens, evaſit. Cumque ab inſequentibus nullo conatu poſſet capi (erat enim ſuper quam credi poſſit, non ſua ſed maligni ſpiritus virtute, agilis & fortis) caſu in burgum *b* Cambly dictum, ingreſſus eſt ibique ab ipſis burgenſibus captus, ſubſequentibus amicis eſt redditus. Et dum ſuper aſinum, pedibus ſub ventre aſini catenatis, componeretur ; manualibus repente ruptis nexibus, compatrem ſuum, qui ei propior aſtabat, pugno graviter in faciem percuſſit : & cum gravi omnium difficultate, uſque ad eccleſiam beati Martini, in qua venerabile viri Dei corpus jacet, perductus eſt. Placuit autem conductoribus ejus, ut haud longe de aſino deponeretur, & pedes ad monaſterium uſque graderetur. Sed dum deponitur, rurſus evadit, & curſum ad Iſaram tendens, ut in eam ſe præcipitaret, Deo volente à famulis eccleſiæ anticipatur ; captuſque in monaſterium, cui tamquam incendio proximare timebat, tandem introducitur : ubi cum introduceretur, cujuſdam monachi, eccleſiæ noſtræ Sacriſtæ, ventrem pede graviter eliſit. Quid plura ? parentes ejus & amici orant beati viri ſuffragium, quatenus ipſum dignaretur habere ſervum, & ab ipſo expelleret dæmonium. Cumque noctem in precibus ducerent inſomnem, & homo minime à clamore ceſſaret ; repente munere divino reſpectus, cœpit pauliſper dormitare ; continuoque expergefactus, aſtantes ſibi tranquilla voce convocavit ; & quæ circa eum divina Pietas operata eſſet, manifeſtavit ; confeſſuſque peccata ſua, vivifico Corpori & Sanguini noſtræ redemptionis communicavit, & incolumis ad propria remeavit.

a

tertius furibundus d.moniacus :

b

F

10 Multa eſſent narranda, quæ circa dæmonioſos facta ſunt, miracula : ſed ob faſtidium legentium devitandum, ad alia tranſeamus. Adoleſcens quidam, natus de villa *c* Aſinaria, beati viri miſericordiam imploraturus advenit : cumque cum aliis infirmis ante viri Dei tumbam pernoctaſſet, die altera, quæ Dominica habebatur, Sacriſta univerſos poſt Miſſas exire cogente, hic ſolus de loco moveri non

c

mutus adoleſcens,

A non potuit. Tunc Sacriſta ei panem & caſeum, quatenus reficeretur obtulit : at ille nutibus quibus potuit ei ſatisfecit, ſe nullum prorſus accipere edulium, donec recipere mereretur eloquium. Itaque Sacriſta, poſt prandium Fratrum, oſtium aperiente ; ecce occurrit ei adoleſcens, bene & diſcrete loquens, Deum & ſanctiſſimum ejus famulum benedicens. Subſequenti deinde ſabbato cum multo ſuorum vicinorum parentumque comitatu rediit, & vota ſua pro dato beneficio cum eiſdem exſolvit.

ANNOTATA.

a Pagus *ſeu regio* Bellouacenſis *extenditur uſque ad leucam prope Pontiſaram.*

b Chamiliacum, *vulgo* Cambly, *oppidum prope fluviolum, qui infra Bellomontium in Iſaram exoneratur.*

c *Videtur* villa Aſinaria, *dici* Aſnery, *magna leuca diſtans à Pontiſara.*

CAPUT II.

Curantur varia hominum afflictorum membra.

B *Curantur puſtulæ,* 11 IN eadem villa puer, cujuſdam militis nomine Goſlenii filius, gravi puſtularum morbo per totum corpus tenebatur : & quia nulla medicorum arte curari potuit, perſuaſum eſt patri ipſius, quatenus puerum ad virtutiferam beati viri ſepulturam deferre faceret : quod & factum eſt. Evolutis denique paucorum dierum curriculis, puer omni qua tenebatur morbi peſte caruit, incolumiſque duobus noſtræ eccleſiæ monachis in eamdem villam occurrit ; cujus parentes eiſdem monachis læti obviam proceſſerunt, & per eoſdem munus caritatis monaſterio noſtro deſtinaverunt.

a 12 In caſtro *a* Gurnayo, quod in Normaniæ confinio ſitum eſt, quidam manebat, qui ita manum perdiderat, ut non dicam quidpiam operis agere, ſed nec ad os ſuum ducere poſſet : erat autem hic ſutor. *Immobilis manus,* Cumque ſicut conſueverat manibus ſuis laborando inopiam ſublevare non valeret, & egeret ; quadam die, dolore ſimul & ira motus, ſumpta dolabra manum debilem ſuper truncum ligneum poſuit, ut eam abſcinderet. Quod cum fieri uxor ejus videret, compeſcuit eum dicens : Non placeat Domino meo illud inconſulte & improvida præcipitatione facere,
C nec injurioſum videatur conſilium meum audire. Jam fama vulgante beati viri opinionem compertum eſt, quod in loco ſepulturæ illius multa divinitus infirmis beneficia præſtantur : ideoque mihi ſalubre eſſe videtur, ad ipſum locum quantocius properare, & Sancti ipſius ſuffragium efflagitare. Non ſunt magnæ viæ & laboris ſubeunda diſcrimina ; non magni ſunt portandi ſumptus in viam ; nil tibi id attentare oberit, ſed plurimum Deo juvante proderit. His dictis acquieſcit homo uxori ſibi bene conſulenti, &, ut impleretur quod dictum eſt, ſal-
1. Cor. 7. 14 vabitur vir infidelis per mulierem fidelem, Pontiſarenſe expetiit cœnobium ; in quo, ſuffragantibus beati viri meritis, fugata infirmitate, priſtinum manus recepit officium, vitæ ſuæ ſolatium. Gratulabundus itaque cœpit manum extendere, & quaſi laudando dicere : Gratias Deo & S. Galterio refero, quoniam adhuc iſta manu multas pelles caprinas & bouinas conſuam, juvanteque Deo laborabo, unde domus meæ inopiam ſublevabo. Et hæc dicens cœpit abire : & cum non longe eſſet, reſpiciens monaſterium, cum gaudio re neavit ; oblationemque ſuam ſuper Sancti tumulum poſuit. Hæc iterum & tertio ex abundantia lætitiæ ſimili ſchemate perfecit.

AUCT. BRISCIPULO EX MS. 13 De villa *b* Aveſnis, quæ eſt in pago Vilcaſſino, faber quidam, nomine Robertus, advectus eſt : qui miſerabiliter ad inſtar utris ventre, ceteriſque membris inflatione maligna protenſis, mortem vicinam ſuſpectus operiebatur. Hic continue reſupinus jacens, in dextrum vel ſiniſtrum latus vel modicum verti non patiebatur. Hujus (mira dicturus ſum) nervi ita inflexibiles erant, ut neque ſedere neque genua curvare poſſet ; & ſiquando neceſſitate compellente de lecto levandus eſſet, more ligneæ vel lapideæ imaginis, toto corpore inflexibili permanente, erigeretur. Sed & illud non celabo, licet quibuſdam dictu turpe eſſe videatur, quoniam crebros per feceſſum ſonitus emittebat, ut in quocumque loco eſſet nullo modo ſe temperare valeret. Talibus incommodis affectus, ante venerabile beati viri ſepulcrum deponitur, obnixius deprecatur, ut aut mors aut ſoſpitas ſibi daretur, ne diutius his doloribus torqueretur. Et ecce, patrocinantibus beati viri meritis, cœpit æger meliorari, & paulatim ab ipſa inflatione relaxari ; & non multo poſt integerrime convaleſcens, liberatori ſuo pro conceſſa ſibi ſanitate gratias retulit. *b* *mira totius corporis inflatio & immobilitas,*

E 14 Illud autem ſilendum non eſt, quoniam quidam civis Beluacenſis tanta membrorum gravabatur anxietate, ut vix cibum ſumere, vix dormiendo requieſcere valens, de ſemetipſo omnimodis deſperaret. Hic cum virtutum beati viri audiret opinio- *membrorum languor,*
nem, de Dei pietate confidens, & ultra vires ſuas præſumens, baculoque languida membra ſuſtentans, Pontiſaram ducens cœpit iter carpere, & quod ſanus mediæ diei ſpatio potuiſſet peragere, vix æger ſeptimo die tranſacto potuit conficere. Veniens autem ante viri Dei ſepulcrum, precum devotionem fideliter obtulit, ſalutemque diu deſideratam recepit, & lætus ad propria diſceſſit ; iterque, quod, ut dictum eſt, infirmus vix ſeptem diebus perficere potuit, nunc ſanus uno & non integro die confecit.

c 15 Item de *c* burgo S. Dionyſii quædam mulier advenit ; quæ ita renibus contracta erat, ut nuſquam *contracti renum,*
greſſum per ſe movere poſſet, ſed baculis hinc inde ſub axillis poſitis ſuffulta, utcumque ſe trahebat. Cumque multo tempore huic neceſſitatis injuriæ ſuccubuiſſet, audita miraculorum fama, quibus famulum ſuum Dominus glorificabat, ad ejus ſalutiferum venire ſepulcrum diſpoſuit, quod & fecit. Ve- F
niens autem, & devotas Domino cum lacrymis coram venerabili viri Dei ſepulcro preces offerens, corporis ſui reparationem fideliter expectare cœpit, nec diu ſua expectatione fruſtrata eſt : optatam namque ſuo corpori vegetationem adeſſe ſentiens, conſtanter ſe erexit, erectaque firmiter abſque baculorum ſuſtentamine incedere cœpit, & gratulabunda baculos ſuos, ut ita dicam, pedes obtulit : qui multo tempore, ob indicium tanti miraculi, ante viri Dei tumbam pependerunt.

16 In Gonſana villa, quæ eſt in Pariſiaco territorio, puer quidam dolore capitis vehementer an- *dolor capitis,*
gebatur. Invaleſcente autem morbo, intantum dolor ipſe deſævire cœpit, ut tribus diebus puer abſque ullo cibi adminiculo, clauſis jam quaſi vicina morte oculis, permaneret, & per ſingula momenta jam deceſſiſſe videretur. Tunc parentes, filii ſui do- *egreſſis per aures & verticibus :*
lore permoti, utile tandem conſilium repererunt, quatenus prædictum puerum beato viro in ſervitium traderent, ſi ab infirmitate qua tenebatur ipſius meritis relaxaretur. Et ecce die tertio, per aurem ipſius pueri tres vermes egreſſi ſunt ; cœpitque

AUCT. DISCIPULO EX MS. paulatim meliorari. Sexto autem die iterum ſex vermes per eamdem aurem emerſerunt, omniſque dolor fugatus eſt.

17 Sed non minori in eadem villa claruit vir beatus miraculo. Quidam etenim cadendo humerum fregerat, cumque præ dolore ipſius fracturæ nullam neque dormiendo neque cibum capiendo requiem habere poſſet, humana nihil prorſus proficiente medela, divina tendem quæſivit auxilia: cœpit namque beati viri nomen lacrymis invocare, quatenus pietate ſua dolorem ſuum mitigaret; quem ſi diutius ſuſtineret, dulcior mors quam vita foret. Et ecce dum quadam nocte leni paulatim ſopore deprimeretur, B. Galterius aſtare ſibi videtur, humerumque ſuum manu ſua leniter tangere, ac deſuper ſignum Crucis facere conſpicitur. Evigilans nullum deinceps ejuſdem fracturæ dolorem ſenſit, & quia B. Galterius ſibi adſtiterit, remediumque contulerit, evidentibus manifeſtavit indiciis.

fractura humeri:

18 Cujuſdam hominis guttur intumuerat ita, ut vix quidem loqui; glutire autem quidquam, niſi liquidum, non poſſet. Erat hic de villa nuncupata Serannia, quæ eſt in territorio *d* Trecaſſino. Cumque hac peſte laboraret, auditis beati viri virtutibus, promiſit ad menſuram ſtaturæ ſuæ unoquoque anno ſe ei candelam delaturum vel miſſurum, ſi ipſius meritis ſalutem adipiſci mereretur. Adepta vero ſalute, ipſo quidem anno votum reddidit; ſed ſuccedentibus proſperis, oblitus homo prioris adverſitatis, immemor etiam factus eſt ſponſionis: unde factum eſt ut priori vexaretur incommodo. Videns id mater ejus dixit: Merito, fili, hæc pateris: quia beneficia Dei, quæ per beatum virum tibi collata ſunt, in oblivionem tradidiſti, & votum quod voviſti non reddidiſti. Ecce enim anni duo tranſacti ſunt, ex quo candelam ad beati viri Dei ſepulcrum non retuliſti, neque miſiſti. Deprecare ergo veniam, ſponde emendationem, ut tuam Deus ſuſcipiat ſatisfactionem, & tuam ſecurus expecta liberationem. Quo facto in proximo, omni illa peſte caruit; quantociuſque ad viri Dei ſepulturam properans, quod injuſte detinuerat ab annis prioribus cum ſatisfactione reddidit; & quæ ſibi evenerant, monaſterii Fratribus eum atteſtatione narravit.

d

tumor gutturis,

ob votum dilatum recrudeſcens:

19 Quidam etiam homo præ nimio dolore capitis ſurdus effectus fuerat, erat autem de oppido quod Marinas vocitatum eſt, quod etiam eſt in pago Vulcaſſino. Cumque in eccleſia, in qua viri Dei corpus requieſcit, orando fideliter ipſius ſuffragium præſtolaretur; nihil eorum quæ in eccleſia à Fratribus, divina myſteria celebrantibus, cantabantur, audire poterat. Quadam vero nocte dum Fratres in vigiliis occuparentur, ſurdus ille cœpit pauliſper dormitare, viditque B. Gauterium ſibi adſiſtere, & leniter blanda manu caput ſuum undique palpare: deinde expergefactus clare ea quæ dicebantur à Fratribus audivit, quæ, ſicut jam dictum eſt, nullatenus audire ei facultas fuit: & quanto vixit tempore, huic ſurditati minime ſubjacuit.

C

ſurditas,

20 Mulier quædam, quæ erat de caſtello Marleio, quod eſt in territorio Pariſienſi, utriuſque manus officia penitus amiſerat; nullatenus enim digitos, quos morbus curvaverat, erigere poterat. Hæc cum conjuge ſuo, viri Dei præſidia adeptura, venit; multaſque, quas ipſe dolor animi dictabat, luctuoſas voces emittens, tandem ſub lapide, quo beati viri ſepulcrum tegitur, obdormivit. Evigilans autem, ut ſuis optatum vigorem manibus adeſſe perſenſit, mox exiliens, cum magna cordis alacritate manus per aëra movit; & curvans digitos, iterumque ſæpius eos erigens, præ gaudio clamare cœpit: Deo gratias, manus habeo, manus, inquam, habeo, quarum licet figuram gerebam, utilitate tamen carebam. Hæc & alia ſæpius repetens, ſe Beati ancillam fore deinceps vovit, gaudenſque ad propria remeavit.

digitorum incurvatio.

D

ANNOTATA.

a Gornæum, *caput Vicecomitatus, ad fluvium Eptam, limitem Vulxini Francici & Normannici.*

b Aveſnis *hic, aliis* Auſnay, *ſeſquileuca diſtat Pontiſara.*

c Burgum *ſeu monaſterium* S. Dionyſii, *ſepultura Regum Francorum nobile.*

d Tricaſſium, *poſteris* Trecæ, *vulgo* Troyes, *urbs primaria Campaniæ ad Sequavam fluvium.*

CAPUT III.

Variarum infirmitatum curationes miraculoſæ ad ſepulcrum S. Galterii.

Sanantur 2 caduco morbo laborantes,

21 QUid etiam cuidam ejuſdem caſtelli incolæ contigerit, manifeſtabo: iſte metendi gratia in agrum pergebat; cumque non longe adhuc ab ipſo caſtello proceſſiſſet, quadam tactus paſſione, quam medici caducum morbum vocant, in terram repente cecidit. Circumſtantibus autem eum multis, ecce ſupervenit mulier, quæ dixit: Si ad menſuram ſtaturæ ſuæ candelam ad viri Dei ſepulturam deferret, numquam amplius iſto morbo laboraret. Quam vocem ipſe audiens, ſed mulierem videre non valens, dixit: O mulier, numquid quod facere mihi ſuaſiſti, aliquo experimento didiciſti? Ad hæc illa: Hac utique, inquit, paſſione ſæpius laborabam, donec perſuaſum eſt mihi ad modum ſtaturæ meæ candelam ad memoratum locum deferre: quod cum feciſſem, perfecte ſanata ſum. Hæc ille audiens, cum quod ſibi à muliere perſuaſum fuerat, facere ſpopondiſſet, ſtatim ſurrexit: & ex illa hora, ab illa qua tenebatur paſſione, immunis perſeveravit. Hæc nobis, ab eodem qui ſanatus eſt, fideli narratione comperta ſunt.

E

22 Sed nec prætervire volo, quomodo mulier quædam, Ermetrudis vocata, gemino ſuorum oculorum lumine privata, beati viri meritis ſit illuminata. Hæc erat de villa, quæ Marleio eſt vicina: cumque viri Dei virtutes ejus auribus inſonuiſſent, plurimum fidens in Domino, manum puero dedit, & uſque ad venerabile ſepulcrum ejuſdem ſe trahere fecit. Completis autem tribus diebus in lacrymis & contritione cordis, mulier viſum recepit: & exultans viæque ducem ulterius non repetens, ad ſuam manſionem repedavit.

cæcus,

F

23 Illud etiam ſcribere placuit, quod quidam vir, Ingo vocatus, quibuſdam monaſterii noſtri Fratribus bene notus, obtentu viri Dei viſum pariter & auditum eſt adeptus: & hic erat de Pago *a* Meldenſi, de villa quæ Domnus-Martinus dicitur. Infirmitate ſiquidem capitis pergravatus, viſum pariter & auditum, ſed non ex toto, perdiderat: lucem namque diei, ſed non adeo ut quidquam plene cognoſcere poſſet, videbat; ſonitumque alte clamantis audiebat. Dictum autem ei, ſeu, ut verius dici poteſt, clamatum eſt, quoniam ſi Pontiſaram pergeret beati viri ſuffragium expetiturus, viſum procul dubio auditumque foret recepturus. His verbis fidem accommodans ſine dilatione locum beati viri virtutibus inſignem petiit; ubi ipſius interventu cœcitate fugata, auditum recipere meruit. Regrediens autem hora qua venerat, cum per nemus, quod adjacet Francorum-villæ; tranſitum faceret; admiratus dixit,

a cæcutiens & ſurdaſter.

A dixit, illud nemus minime vidiſſe, cum jam alia vice per eumdem callem tranſierat.

24 Factum autem eſt, cum innumera multitudo ad beati viri ſepulcrum, alii vota ſua depoſituri, alii pro variis infirmitatibus ſuis deprecaturi, convenirent; cœperunt multi ſancto viro detrahere, & venientes ad eum diſſuadere, dicentes, non eſſe bonum illum vocari Sanctum, quem paulo ante viderant ceteris mortalibus ſimilem, hujus vitæ paſſionibus ſubjacere, eſurire, ſitire, comedere, bibere. Inter quos fuerunt duo, Hilduinus & Erembergis, conjux & conjugata, qui præ ceteris ipſius virtutes obfuſcare nitebantur, & ipſum nec eſſe nec dici Sanctum aſſerere conabantur. Cumque diu in hac mentis obſtinatione perſtitiſſent, placuit Divinæ diſpenſationi illos hoc corrigere modo. Nam cum quadam nocte ambo in lecto quieſcerent, viſum eſt mulieri juxta B. Galterii ſepulcrum ſtare; & ex parviſſimis dolaturis, quales lancearum ſive ſagittarum haſtas polientes faciunt, aquam calefacere; & in eadem aqua ceram mollire. Et ecce aſtitit ei perſona, habitu viſuque venuſtiſſima, cujus ſplendore tota fulgebat baſilica, quæ eam his videbatur compellare ſermonibus: Ut quid, ô mulier, cum tuo viro ſervo B meo detrahis, & eum nec eſſe nec Sanctum vocari debere aſſerere niteris? cujus audiens virtutes, non ſolum non credis, ſed & offuſcare conaris? Scias profecto illum eſſe & vocari Sanctum me velle, qui juſſis meis obtemperans hoc promeruit, quatenus & eſſe Sanctus debeat & vocari. Niſi te & virum tuum, ab hac ſtultitia correxeris, corporum rerumque veſtrarum damna maxima patiemini. Evigilans hæc per ordinem viro ſuo nuntiavit: & non multo poſt Pontiſaram ad venerabilem viri Dei ſepulturam pergens, dolaturas in viſione ſibi demonſtratas ibi reperit. Ut autem nulla in cordibus eorum ex hoc remaneret ambiguitas, filius eorum capitis infirmitate, quæ phreneſis vocatur, in amentiam verſus eſt. Quem tollens mater ejus ad ſæpe memoratum locum detulit: ubi ſopito capitis dolore, ſenſum recepit. Evolutis deinde paucis diebus, pretioſam Albam ad eundum locum cum ſuo viro detulit; & ea quæ circa eos geſta fuerant, veridica relatione retulit.

Detrahentes ſanctitati B. Galterii,

mirabili viſione emendãtur,

eorum filio ab amentia liberato.

25 Eſt & adhuc quod de Dei viri virtutibus dicatur. Quidam namque juvenis de Labivilla (ſic enim vicus ipſius in quo manebat dicitur) ad jam dictum locum adducitur (vocabatur & hic Galterius) qui capitis dolore multo tempore correptus, vires C eundi vel etiam quidpiam agendi perdiderat; multaque delira, veluti mente captus, verba proferebat. Factis autem inibi ſeptem ferme diebus, videt in ſomnis B. Galterium propter adſiſtere, manumque capiti ſuperponere, ac ſigno Crucis undique ſignare. Quo viſo cum evigilaſſet, omnem ſenſit aufugiſſe dolorem; votique compos effectus, alacriter ſuam reviſit cognationem.

Sanantur amentes, aliuo ex dolore capitis,

26 Alia vice quædam mulier, ex eadem villa, cum quadam die, jam incumbente nocte, tranſitum faceret per quemdam locum, in quo anguſta omnia inter duas domos habebantur; obviavit ſpiritui maligno, qui ſpeciem habere videbatur quaſi nigerrimi homuncionis: qui inſufflans in faciem ejus dixit, b Hoc modo *b* porrectã tuam calidam ſufflando refrigerabo. Quæ ſtatim amens effecta eſt, quouſque ſanitati redderetur; & crebras ab imo pectore extrahens ſufflationes, per os emittebat. Quid plura? A parentibus & amicis ligatur, & aſino bajulata juxta viri Dei ſepulcrum deponitur. Quam cum fratres Monaſterii aqua exorcizata & benedicta aſpergerent, ita torquebatur, ut penitus velut exanimis eſſe videretur. Verumtamen meritis viri Dei ſenſum recepit; & quomodo hæc, quæ ſupra ſcripta ſunt, AUCT DI- ſibi evenerint incommoda, omnibus audire volenti- SCIPULO bus enarravit. EX MS.

alia ex inſufflatione dæmonis,

b

27 De Pontiſara quoque quidam juvenis adducitur, qui cum die quadam de villa, quæ Cergiacus *tertius ex* appellatur, cum matre ſua Pontiſaram regrederetur, *maledicto-* eamdem matrem ſuam verbis ſuis vehementer ad ira- *ne matris:* cundiam concitavit; unde nimis exacerbata, horrenter ei maledixit. Qui protinus matrem relinquens, in amentiam verſus, ire per devia cœpit. Denique parentes ejus & affines ipſum veſanire cognoſcentes, loris conſtrictum ligaverunt, & ad virtutiferam beati viri Dei memoriam perduxerunt. Hic barbara quædam & inaudita ore referebat, & quæcumque pro reſtauratione ſenſus ejuſdem à fratribus monaſterii bona fiebant, flocci pendebat & irridebat. Verumtamen Abbas ſanctæ memoriæ *c* Theobaldus, fratreſque ſub eo degentes, orationibus inſiſtebant, viri Dei merita ſupplicantes, quatenus integer ſenſus eidem de delirio reformaretur. Quorum vota Deus exaudiens, meritis beati Galterii ſenſum ſuum integerrime recuperavit: & Deo liberatori ſuo grates ſuas innumeras reddidit, ſeque ſervum illius, quotannis unam candelam ſolventem, ſpopondit. Hic vocabatur Hubertus. Quidam inſanus de Pon- E tiſara, qui licet manus haberet ligatas & cuidam *quartus* truncо per medium corpus datus eſſet, violenter ta- *dentibus ſe* men brachia ſua propriis dentibus corrodebat; per *lacerans;* merita S. Galterii ſenſum integre recepit, & gratias agens ad propria remeavit.

28 Hæc de ſancti viri virtutibus narrare ſufficiat. Pauca quidem, quæ per eum Divina bonitas operari dignata eſt, miracula ſcripſimus, plurima prætermittentes. Multos enim, fractis ligneis & ferreis compedibus, de carcere liberavit. Teſtantur hoc ferrea *varii è car-* vincula, ante ipſius ſepulcrum ab his qui liberabantur *cere libera-* appenſa. Multos quotidie variis detentos infirmita- *ti, & ægri* tibus, ante venerabile beati viri mauſoleum, ſuperna *ſanati.* pietas ſanare dignatur: quæ ideo prætermiſimus, ne legentibus faſtidium generemus: hæc autem ſcripſimus ut quanti ſit apud Deũ meriti monſtraremus. *d* *d*

29 Quidam juvenis de Goſengies, qui apud Vilers morabatur, dum quadam nocte cum uxore ſua dormiret, omnium membrorum ſuorum virtutem amiſit: hic ad S. Gauterium allatus, orationibus ejus ſanus effectus eſt, & Gratias agens præſente Epiſcopo Ambianenſi ad propria repedavit. F

ANNOTATA.

a Meldæ, *urbs Epiſcopalis ad Matronam fluvium, & Briæ Comitatus caput.*

b *Iuſculum ex porris confectum*, vulgo porreye.

c Theobaldus *traditur fuiſſe ſucceſſor S. Galterii, & obiiſſe* 8 *Auguſti anno* 1114.

d *Videntur hæc poſtea adjuncta.*

a CHARTA CANONIZATIONIS. *a*

1 ANno incarnati verbi milleſimo centeſimo quinquageſimo tertio, quinto Nonas Maias, *b* Eugenio univerſali Papa Romano, Francorum *b* Rege *c* Ludovico, Pontiſaram veni ego *d* Hugo, *c d* Rotomagenſis dictus Archiepiſcopus. Convene- *Præſenti-* runt *e* Theobaldus Pariſiacus, *f* Theobaldus Sil- *bus tribus* vanectenſis, venerandi Pontifices; præſidente mo- *Epiſcopis;* naſterio S. Martini Abbate *g* Willelmo, aſſiſtenti- *e f* buſque multis Religioſis authenticis perſonis, Clero *g* & populo multipliciter aggregato, miſſa ſuper hoc *& aliis:* legatione & aſſenſu magnifici Remorum Archiepiſcopi *h* Samſonis & aliquorum Galliæ Pontificum. *h*

Tunc

A Tunc apertum eſt monumentum Abbatis Gualterii præfati monaſterii Pontiſarenſis S. Martini; juvantibus imo cogentibus miraculis, non vanitate ſed veritate coruſcantibus, in præſentiarum & multis retroactis temporibus.

Apertum eſt monumentum S. Galterii:

2 Quia vero ſancta & celebris ac perneceſſaria ſanctorum Patrum devotio pœnitentium miſereri maxime conſuevit, pro ineffabili gratia Redemptoris noſtri, qui peccata dimittit; & pro manifeſtatione fidelis ſervi ſui Patris Gualterii, cujus reliquias præſens eccleſia reverenter aſpexit, & miraculorum ejus gloria lætificari meruit; Chriſti fidelibus, ipſius Patris Gualterii beneficia implorantibus, pœnitentialis oneris indulgentiam ſtatuimus tribuendam. De pœnitentiis ergo criminalium, quæ ſeptennio concluduntur, pie confitentibus & vere pœnitentibus annus integer & reliquorum annorum tertia pars relaxatur. His vero qui annorum quatuordecim pœnitentiam ſuſceperunt, duo anni integri & reſidui temporis pars tertia condonatur. Viginti autem annorum tres annos remittimus, & reſidui temporis tertiam partem indulgemus. De pœnitentia vero quadraginta annorum & eo amplius, totam medietatem remittimus, & reliquorum annorum pariter B tertiam condonamus. De parvulis vero qui baptizati vel ſine baptiſmo infra ſeptem annos per negligentiam parentum mortui ſunt, pœnitentiam parentibus ipſorum remittimus, excepta feria ſexta in hebdomada: in qua etiamſi ad eccleſiam pœnitens perrexit, qualem caritatem ei Presbyter ſuus dederit, talem habeat; ſi vero infirmus fuerit aut mulier prægnans vel debilis, quæ jejunare non poſſit, dicat ſepties Pater-noſter & faciat bonum quod potuerit; partem vero tertiam de pœnitentiis minorum peccatorum remittimus: ſed & oblita peccata omnino condonamus. Hodie autem præcripta Indulgentia à die craſtina Inventionis ſanctæ Crucis in annum integrum, & ſingulis hujus præſentis anni diebus, cunctis ad memoriam Sancti venientibus ſub divinæ gratiæ confidentia à nobis conceſſa eſt.

Conceduntur indulgentiæ:

C 3 Aſtipulatione autem Reverendorum Patrum Epiſcoporum, & ceterorum qui B. Walterii tranſlationi præſentes aſtiterunt, ſtatuimus, ut præfati Sancti feſtiva memoria ſequenti die proxima Inventionis ſanctæ Crucis annuatim celebretur. Pia autem & miſericordi ipſorum Patrum conſideratione decrevimus, ut, quia abundante iniquitate his noviſſimis temporibus pauci dignos pœnitentiæ fructus faciunt, uberioris Indulgentiæ gratia peccantibus ſubveniatur. Ea propter omnibus illis, qui ipſa die Inventionis ſanctæ Crucis, qua die beatum corpus levatum eſt; & die craſtina, in qua recolitur annua celebritas Sancti, ad ipſum Sanctum gratia remiſſionis advenerint, ipſis, quocunque adveniente anno de qualibet provincia vel Epiſcopatu Sancti clementiam adierint, ſupraſcriptam indulgentiam plenarie impendimus. Ad hæc me quidem indignum, & peccatis gravibus & culpis veteribus onuſtum vere confiteor. Unde multa & magna Dei miſericordia totus indigeo: ſuffragantibus itaque meritis & precibus pii Patris Walterii Abbatis, Domini noſtri gratiam, & Matris miſericordiæ clementiam, & omnium Sanctorum miſerationem aſſiduam ſuppliciter exoro, & Eccleſiæ Catholicæ communioni tranſitum meum finemque commendo. D

memoria Tranſlationis colitur 4 Maji.

4 *Cum hæc charta inventa ſit in capſa S. Galterii anno* MDCLVII *die* IV *Maji, uti nos monuit is qui ecgraphum miſit; vix poſſumus dubitare, quin noviſſima tranſlatio corporis in novam capſam, cujus memoria adhuc perſeverat apud quemdam ex noſtris tunc Pariſiis commorantē, eodem anno & menſe ſit facta. Facta eſt autem, ut refert ille, ſtudio & impendio nobiliſſimi viri Galterii Montacutii, illuſtriſſima apud Anglos familia nati: qui occaſione mirabilium circa Laudunenſes Vrſulinas conſpectorum, quorum mentio aliqua facta eſt à nobis* XIX *Martii num. ultimo de S. Ioſepho, ad fidem converſus orthodoxam, Cleroque adſcriptus, primum Henriettæ Reginæ Angliæ Eleemoſynarius major, tum filiæ ejus Aurelianenſis Duciſſæ, Abbatiam Pontiſarenſem S. Martini obtinuit. Hic eam gratiam ad incrementum non tam proventuum quam religionis uſurpandam ratus, primum diſciplinam iſtic reſtauravit, inducendo in monaſterium religioſos de Congregatione S. Mauri; deinde S. Galterii ſacellum innovandum & altari marmoreo inſtruendum curavit; oſſa denique viri ſancti in novam elegantioremque ex ebeno & ære inaurato* E *arcam transferri fecit: nunc autem titulum Abbatis ceſſit Cardinali Bullonio, ut ſibi Deoque privatim vivat, eccleſiaſticorum proventuū ſarcina pro majori parte exoneratus. Neſcio an ſcripto mandata ſint, quæ in ipſo Tranſlationis actu contigerunt. neque diutius licet petitam per litteras inſtructionem exſpectare: ſi quid poſtea adferatur, id locum habere in faciendo operis ſupplemento poterit. Eſt adhuc in veneratione antrum ſive crypta, quo conferre ſeſe Sanctus ſolebat cauſa ſecretius orandi Deum & corpus flagris macerandi: eaque de cauſa quæ in altari antehac expoſita ſtabat pictura, exhibebat Sanctum aculeatis funiculis ſævientem in terga: pro qua ſubſtituta nunc cernitur alia, generoſum illum repræſentans actum, quo pedum Abbatiale ex manu Regis deſuper, non deſubtus, accipiens, palam teſtari voluit eam poteſtatem a ſe acceptari, non ut collatam à terreno Principe, cui in re eccleſiaſtica juris nihil eſſet, ſed ab auctoritatis ſublimioris arbitrio.* F

Tranſlatio in novam capſam:

& ſacelli ornatus.

ANNOTATA.

a *Cum hoc titulo reperta & nobis tranſmiſſa eſt.*

b *Hic eſt* Eugenius III, *anno* 1145 *creatus, & citato anno* 1153, *ſed* 8 *Iulii, mortuus.*

c Ludovicus 7, *junior dictus, & regnavit ab anno* 1137 *ad* 1180.

d Hugo *electus eſt an.* 1130, *mortuus* 1164.

e Theobaldus *Pariſienſem Cathedram obtinuit, ab anno circiter* 1140 *ad* 1158.

f Theobaldus Silvanectenſis *recte collocatur à Claudio Roberto & Sanmarthanis poſt* Petrum, *qui anno* 1142 *ſacellum Silvanectis benedixit, & ante Amalricum, qui traditur præfuiſſe* 1161: *& de hoc Theobaldo præter nudum nomen, quod illi habent, hinc aliqua notitia habetur.*

g Guilielmus 2, *Abbas* 5, *qui traditur mortuus* 6 *Maji anni* 1156.

h Sampſon *fuit Remorum Archiepiſcopus ab anno* 1140 *ad* 1160.

DE

DE BEATO ALBERTO

EX CANONICO REGVLARI EPISCOPO PRIMVM VERCELLENSI, DEIN PATRIARCHA HIEROSOLYMITANO, LEGATO APOSTOLICO, *ET LEGISLATORE ORDINIS CARMELITICI.*

D. P.

CAPUT I.

Vita B. Alberti ante Patriarchatum ex Monumentis eccleſiæ Vercellenſis.

AN. MCCXIV

Qui apud Carmelitas colitur Albertus Patriarcha

Vnc virum tam multis tamque magnis titulis, ſed pluribus majoribuſque virtutibus inſignem, neque Canonici Regulares, quorum profeſſus eſt inſtitutum; neque Vercellenſes, quibus Epiſcopus præfuit; ſed Carmeliticus Ordo Eccleſiaſtici Officii cultu honorandum inſtituit, & ſolus hactenus eum colere perſeverat: idque ad hunc diem VIII *Aprilis ſub ritu Duplicis. Nempe mortuus ac ſepultus peregre, nihil habuit in Europa, cujus præſentia excitaret populorum devotionem; & ad quod in ſuis neceſſitatibus recurrentes fideles, ipſa miraculorum evidentia inducerentur ad publicam ei venerationem decernendam, in Regularium eccleſia aliqua, aut in ea quam dimiſerat Cathedrali. Aſt vero ſacer ille Ordo nec debuit nec potuit oblivi ſci perpetuum Alberti erga ſe beneficium, cujus reſpectu obtinuit, ut inter Ordines rite approbatos ab Eccleſia Roma-*

juxta tabulas Eccl. Vercellen.

na numeraretur. Sed quæ ad diem, modum & originem cultus iſtius pertinent, infra explicabuntur commodius: primum illius fundamentum, eximiam ſcilicet vitæ ſanctimoniam morte ſanctiſſima confirmatam, aggredior explicare, ipſis verbis antiquiſſimarum membranarum, ex Archivio Vercellenſi acceptarum, & teſtimoniis certorum atque authenticorum ejus quo floruit ævi documentorum.

2 Decimo octavo kalendas Octobris, MCCXIV, Indictione II, præſenti die, de carnis ergaſtulo egreſſus eſt felicis memoriæ Venerabilis Pater & Dominus Albertus, Hieroſolymitanus Patriarcha, hujus Eccleſiæ quondam Epiſcopus, Deo & hominibus dilectus: cujus ſuavitatis memoriam eructare, licet minus idonei & ſufficientes ſimus, ne tamen viri tanti claritudo, per taciturnitatis deſidiam, generationis venturæ in oblivionem deveniat; pauca de vita, moribus, actibus & fine glorioſo ipſius ſummatim perſtricta huic paginæ duximus inſerenda. Fuit igitur vir Domini memoratus de Caſtro-Gualterii Parmenſis diœceſis, nobili proſapia ortus: qui ab ineuntis ætatis ſuæ primordiis litterali militiæ mancipatus, in liberalibus diſciplinis & humanarum legum ſcientia coævos ſuos brevi tempore anteceſſit. Ceterum ne inquinaretur à pice ſi tangeret eam, valefacto mundo & pompis ejus, ad eccleſiam Mortarienſem, tamquam ad ſalutis portum, cum parentibus confugit: ubi cum jam regularibus diſciplinis divinæ legis intelligentia non modicum fuiſſet inſtructus, atque in Priorem ipſius Eccleſiæ electus, ne lucerna ejus amplius ſub modio tegeretur, ſed in domo Domini ſuper candelabrum exaltata ceteros illuſtraret, de ipſo Prioratu ad regimen Bobienſis Epiſcopatus fuit violenter abductus. Inde, paucis evolutis annis, antequam conſecrationis munus reciperet, cum ingenti alacritate Cleri & populi, poſtulatus in Epiſcopum Eccleſiæ Vercellenſis: quam per viginti fere annorum curricula viriliter gubernans, tam ſpiritualium quam temporalium profectu, mirabiliter augmentavit.

in agro Parmenſi natus, C

Canonicus Regularis Mortariæ,

Bobii electus,

Vercellis creatus Epiſcopus eſt.

3 *Hactenus fidelis & (quantum ex ipſo contextu colligere licet) coævus ſcriptor Vitæ*, quam verbis, minus quidem elegantibus, fide tamen digniſſimis, in Eccleſiæ tabulis commemoratam reperiſſe ſe *profitetur Ioannes*

Stephanus Ferrerius Vercellenſis Epiſcopus, in tractatu quem de Vita & rebus geſtis S. Euſebii Vercellenſis Epiſcopi ac ſucceſſorum ejus, Clementi VIII *Pontifici Maximo inſcripſit, & anno* MDCII *Romæ publicavit. Addit autem idem Ferrerius, poſtquam de B. Alberto Epiſcopo* LXXII *egit à pag.* 177 *ad pag.* 185, *ipſam hanc Vitam ſe eo libentius reddere, quod undequaque illuſtrem Apoſtolicumque virum oſtendat. Idem nos facimus, eoque etiam confidentius, quod Ludovicus de S. Tereſa Carmelita Diſcalceatus, Provinciæ Franciæ primus Definitor, ſolam hanc vitam dignam exiſtimarit, quam in Italia ſacra Vghelli repertam, Gallice redderet cap.* 215 *operis ſui de Succeſſione Eliana, impreſſi Pariſiis anno* 1662, *quamvis eam videret tam eſſe à receptis in ſuo ordine narrationibus diverſam, quam ipſæ & inter ſe & à teſtatiſſima indubitabilium auctoritatum diſcrepant veritate.* *Probant eas tabulas etiam Carmelita.*

E

4 *Prius autem quam ad reliquam prælibatæ epitomes ſeriem progredimur, illuſtrabo paucis partem priorem, ſimul & confirmabo illius certitudinem. Mortariæ, Paduam inter & Vercellas oppido haud ignobili, adjacet vicinum ſanctæ Crucis monaſterium, ab Adamo Mortarienſi Clerico, uti Pennottus lib.* 2 *cap.* 46 *docet, ædificatum circa annum* MLXXX, *& triennio poſt Regularibus attributum; ſucceſſu tam proſpero, ut ante annum* MCXXXIV *eidem ſubjectas fuiſſe eccleſias quatuordecim, Præpoſituræ aut Prioratus titulo inſignes, conſtet ex Innocentii II diplomate. Fuit autem hoc monaſterium caput totius Ordinis, ab ipſo Mortarienſis dicti; adeoque Albertus, non tantum* Prior *fuit, ſed* Prior *ſeu* Præpoſitus Generalis, *quomodo in ſcripturis publicis appellatos Pennottus ait eos, qui idem quod ipſe munus geſſerunt. Illuſtriores aliquot idem enumerat*, quorum, *inquit*, omnium mentio fit in antiquis ſcripturis prædicti monaſterii: *ſed hallucinatur, cum duos lectori Albertos diſtinguit, alterum Hieroſolymitanum Patriarcham, alterum Epiſcopum Vercellenſem; unus enim idemque eſt, qui quando monaſterium iſtud regere cœperit, optaremus ex allegatis ſcripturis definitius cognoſcere.* *Fuit monaſterium S. Crucis Mortariæ caput Ordinis;*

F

5 *Credibile eſt haud diu poſt annum* MCLXXX *id factum: ſiquidem Bobienſi Epiſcopatui (diſtat autem Mortaria Bobium* P. M. *circiter* 60) *vacanti per mortem Gandulphi, anno* MCLXXXIV *electus Præſul Albertus fuit: qui mox à ſua electione, deprehendens S. Columbani Abbatem & monachos, contra ſententiam in Oglierii Epiſcopi favorem latam ab Eugenio III, ſeſe ſubtrahere juriſdictioni Epiſcopali; præceptum contra eos obtinuit à Lucio III; prout fuſe narrat Honorius III in ejuſdem Præcepti confirmatione, anno* MCCXXVIII *expedita: quam apud Vghellum in Bobienſibus integram vide, ſed quoad numeros Pontificatus & indictionis à tranſcribentibus vitiatam corrige, & annum Pontificatus II, Indictionem* IV *leze. Ibi* quondam Hieroſolymitanus Patriarcha, tunc autem, *cum Lucii ſcilicet daretur reſcriptum*, Electus Bobienſis, *haud alius intelligi poteſt quam Albertus, non diu poſt ipſam electionem, ejuſdem Lucii aſſenſu, ad Vercellenſem Cathedram tranſlatus, annum ætatis agens forſitan* XXXV: *ſiquidem anno poſt id vigeſimo, nulla grandioris ætatis excuſatione prætenſa, in Patriarcham Hieroſolymitanum petitus, & datus petentibus fuit. Sed de hoc infra.* *Prior factus ſub ann.* 1180, *conſecratur Epiſcopus an.* 1184, *ætatis ſuæ circ.* 35;

AUCTORE D. P.

6 *Ad Vitam redeo Ms. ubi laus eccleſiæ tam in ſpiritualibus quam temporalibus mirabiliter augmentatæ, his deinde encomiis cumulatur.* Cum enim eſſet humilis in habitu, parcus in victu, corpore caſtiſſimus, in eleemoſynis largus, in officiis divinis aſſiduus, in prædicatione facundiſſimus; Clericorum & laicorum mores, verbo & exemplo, miro modo compoſuit, & ad frugem melioris vitæ adduxit. Cumque ſenſu profundus eſſet, conſilio providus, ſermone ſplendidiſſimus, conſtans in actu, & in utroque Jure peritus; à grandi ære alieno ipſam eccleſiam quantocius liberavit, poſſeſſiones auxit, ædificia conſtruxit, & jura illibata defendit. Ejus meritorum intuitu, *inquit Vghellus in Vercellenſibus col.* 1086 *tomi* 4. Urbanus III Vercellenſem Eccleſiam in protectionem ſuſcepit anno MCLXXXVI. Clemente autem III Pontifice, poſt Hieroſolymitanũ regnum à Saladino Chriſtianis ademptum, *id eſt, anno* MCLXXXIX, *ait* claruiſſe inſigne miraculum, in emendationem cujuſdam Parmenſium Dominæ celebratum, quæ fuerat à quinque dæmonibus obſeſſa, dieque Octavæ S. Euſebii, meritis ejuſdem Sancti, Alberto Epiſcopo exorcizante, liberata, legitur in Veteri kalendario Vercellenſis Eccleſiæ.

clareſcit virtutibus,

eccleſiæ bene conſulit an. 1186,

B *Ita Vghellus, ipſis fere Ferrerii Epiſcopi verbis, qui documenta ſibi viſa allegat, & de miraculo addit ipſum præterea legi* in tabulis ejuſdem Eccleſiæ longiſſima narratione: *quam narrationem utinam nobis deſcribat mittatque aliquis, die* 1 *Auguſti dandam, poſt ſancti iſtius Epiſcopi & glorioſi Martyris Acta! Interim damus Synopſim rei qualem accepimus ab Illuſtriſſ. Marco Aurelio Cuſano Provicario & Canonico Vercellenſi.* Quædam Principiſſa Parmenſis, dum quinque ſpiritibus infernalibus obſideretur, iique per exorciſmos exire juberentur, & negative reſpondiſſent, etiamſi intereſſet auctoritas Euſebii Martyris Epiſcopi Vercellenſis; ea ſuggeſtione attenta, ipſa Principiſſa voluit præſentari ad ſepulcrum S. Euſebii in Cathedrali eccleſia Vercellenſi; ibique per exorciſmos, opera tamen Epiſcopi Alberti, liberata ad patriam rediit. Ubi non multo poſt, dum noviter conſenſit, quatenus maritus proprius etiam recidivus inceſtuoſam vitam viveret; denuo talibus ſpiritibus immundis vexata & Vercellas reverſa, adhuc precatur Epiſcopum Albertum, quatenus dignaretur manum apponere, ſicque liberam dimittere: & ita felix exitus probavit, dum per ipſum liberata receſſit. Hæc vero tot gratiis cumulata, ne ingrati animi vitio notaretur, erigi curavit pretioſum ſuggeſtum ſive ambonem, ſacris marmoreis figuris contextum ... hæc ipſa

energumenum liberat an. 1189,

C Principiſſa, nolens amplius reverti ad patriam, ſed perpetuo vitam ducere prope ſacras ædes S. Euſebii, mandavit inibi erigendum clauſtriolum, ubi ævo protracto animam Chriſto Domino reddidit.

jus ſuum tuetur an. 1190,

7 *Anno proxime ſequenti videlicet* MCXC ſuo diplomate infirmavit Albertus, quæ Guala prædeceſſor Gualoni Præpoſito & Canonicis de Santhia conceſſerat. *Idem Albertus* inter Sacroſanctam Romanam Eccleſiam & Imperium fideliſſimus extitit mediator: unde tam ſummus Pontifex quam Imperator (*verba rurſum ſunt Vitæ antiquæ, & intelligitur Fredericus Barbaroſſa, vix unquam volens & ſemper ſimulans obedire Eccleſiæ*) privilegio amoris ipſum ſuper alios Epiſcopos diligebant: præſertim illuſtris Imperator Henricus filius invictiſſimi Cæſaris: cujus gratiam devotionis obſequiis in tantum promeruit, ut nobiliſſimum caſtrum Verruchæ hujus Eccleſiæ, quod tenebat ſibi, liberaliter reſtitueret, ac ſinceram ejus devotionem magnis & pretioſis muneribus munificentia Imperiali donaret. *Perierit reſtitutionis illius inſtrumentum, alias non omiſiſſet Ferrerius, totum Vercellenſe Archivium ſtudioſiſſime ſcrutatus, ipſum allegare, ſicut indicavit & pro majori parte verbotenus tranſcripſit illud, quo de ſe loquens Imperator inquit*, ad petitionem dilecti & fidelis Principis noſtri Alberti Vercellenſis Epiſcopi, eccleſiam S. Euſebii in protectionem ſuſcepimus .... anno ab incarnatione Domini MCXCI: *obſervatque Ferrerius, eo Imperialis Principis beneficio ac titulo alios deinceps Epiſcopos poſt Albertum uſos fuiſſe.*

mediator inter Eccleſiam & Imperium,

appellatur Princeps S. I. anno 1191,

D

8 *Tum ex prædictis Tabulis, cetera Alberti in Epiſcopatu geſta proſequens enarrare idem Ferrerius*, Anno, *inquit* MCXCII feria IV, V & VI poſt Pentecoſten Synodum habuit, in qua ſalubria Eccleſiæ decreta edidit, quæ adhuc extant. A Cæleſtino III pluribus decoratur beneficiis, præſertim circa decimas anno Pontificatus IV *Chriſti* MCXCIV. *Anno* MCXCVI *Henricus confirmavit decimas ob ſententiam, in favorem Eccleſiæ Vercellenſis latam ab Angelo Imperiali Vicario,* ſuper cauſis vertentibus inter Henricum de Fraſcarolio, Syndicum Alberti Vercellenſis Epiſcopi, nomine Vercellenſis Eccleſiæ, ex una parte; & Gualam Guarnerium, Syndicum Communis Caſalis S. Evaſii, nomine ipſius Communis, ex altera. Anno MCXCIX ab Innocentio III (*hic ante annum Cæleſtino morienti ſucceſſerat*) adhibitus eſt Albertus ad Placentinos & Parmenſes, ſuper diſſenſione de Burgo S Domnini, quæ totam Lombardiam ad arma ſolicitabat, ad pacem & concordiam redigendos. Idem Pontifex eodem anno & ſui Pontificatus II præcepit, ut electionem quorumdam Fratrum per Clericos Caſalis S. Evaſii excommunicatos factam, irritam declararet; eidemque facultatem impertitur cogendi omnes, qui tenentur ad decimas. *Hæc Ferrerius ex ſuæ Eccleſiæ tabulario: addit Vghellus ex Archivio monaſterii S. Ambroſii acceptam Mediolano ſententiam bene longam, qua* Albertus vocatus Epiſcopus Vercellenſis, & Petrus dictus Abbas Leocedienſis, terminarunt controverſias monachorum & Canonicorum S. Ambroſii Mediolanenſis, jam diu ſub ipſorum examine ventilatas, *exhibitis commiſſionis Papalis litteris & ad verbum eidem ſententiæ inſertis, quæ legi poteſt apud Vghellum* data Mediolani anno MCCI, Indictione V, VIII kal. Decembris.

Synodum cogit an. 1192,

decimas obtinet anno 1194,

lite vincit an. 1196,

an. 1199 *diſſidia componit,*

E

& caſſat electionem vitioſam,

an. 1201 *jus dicit Mediolani.*

CAPUT II.

Prædictis contrariæ narrationes abſque ulla veri ſimilitudine excogitatæ.

9 *AGnoſcunt & deplorant viri ex Ordine Carmelitarum eruditi majorum ſuorum vel infelicitatem vel negligentiam, qua aut non curarunt deſcribere ſuis quique temporibus res domi foriſque memorabiles; aut deſcriptas forſitan, amiſere. Exiſtimo ego haud minorem Ordinis eſſe calamitatem, quod defectum illum voluerint ſupplere poſteri, ex traditiunculis male conſutis leviſſimeque fundatis conjecturis commenti hiſtorias, anachroniſmis & contradictionibus refertas. Has qui neſciunt habere de falſitate ſuſpectas, labyrintho inextricabili ſeſe implicant, dum pro naturali erga ſuos affectu & reverentia, eoſdem defendunt animoſius, aut ſolicitius excuſant, labore magno & ſucceſſu ſæpe erubeſcendo, quando contingit (quod tamen utinam contingat ſemper!) aquæva alicunde produci monumenta, quæ ſummam mereri fidem facile probantur, quando collata ad alios ejuſdem aut ſupparis ævi ſcriptores, & ad veteres publicarum privatarumque actionum tabulas, nullam inveniuntur habere circa perſonas vel circa tempora contradictionem.*

A poſteris conficta licentius,

F

10 *Talis fuit S. Petri Thomaſii vita, tum ea quam ſcripſit Philippus Mazerius Cancellarius Cypri, itinerum ejus comes individuus & morientis aſſeſſor ſedulus; tum alia quam compoſuit Ioannes Carmeſſonius, Ordinis Fratrum Minorum in Terra-Sancta Miniſter, defuncti pro concione laudator, & examinandus ejuſdem pie invocati miraculis conſtitutus Commiſſarius. Talem autem utramque eſſe probant partim Pontificia diplomata, ad calcem edita, partim obſervationes hiſtoricæ pariter additæ, quibus fit ut utrique ſcripto indubitata fides habeatur etiam in aliis, quæ aliunde*

uti alias ex coævorum ſcriptis facile ſunt refutata.

A *aliunde nequeunt confirmari quam quod nulli fide dignæ auctoritati repugnent. Aſt, ſi iſta nobis Martium elucubrantibus defuerunt, circa Sanctos Bertholdum atque Cyrillum, de quibus jejune admodum, atque etiam ſubobſcure controverſiarum declinandarum ſtudio egimus; non deſunt illa in Alberto, quemadmodum ſuperiori capite eſt demonſtratum. Vt autem prior ſterilitas evidentiorem contra quorumcumque quærelas excuſationem habeat, contrarias certiori hiſtoriæ de Alberto opinationes expendendas ſumo, ſaltem pro hac vice; neque enim quavis oblata occaſione lubet aut expedit commentarios implere alienis aſſertis refutandis. Quod igitur Vitam Alberti ante Patriarchatum attinet (nam de aliis partibus infra agemus) ea ſic tractatur à ſcriptoribus Carmelitanis pleriſque, ut Italiæ ſacræ auctor Vghellus, vir ingenii ſedatiſſimi ac modeſtiſſimi, non ſe potuerit continere, quin diceret, quod* portentoſas de Alberto narrationes inſtituerunt.

ſic etiam nunc refutantur ex iiſdem illis,

qui cum Alberto Bethlemita Hieroſolymitanum confundãt,

11 *His diſſolvendis ſerviet imprimis obſervare cum prædicto Vghello, ex Guilielmo Tyrio lib.21 cap.26, ipſum Guilielmum ad Concilium Lateranenſe* III *veniſſe anno* MCLXXXVIII, *in comitatu ſeptem quos nominat Præſulum, eorumque unum fuiſſe Albertum Bethleemitam Epiſcopum, eum utique cujus nomen idem Tyrius omiſerat exprimere lib. 20 cap. 33 ubi ait, Radulpho mortuo circa annum* MCLXXIII *non niſi poſt biennium ſuffectum eſſe alium. Extat Tomo 4 Italiæ Sacræ col.* 485 *inſtrumentum publicum* anno ab Incarnatione MCLXXXVI, x kalend. Januarii, Indictione IV *conditum, Piſis, quo* Ubaldus, Dei gratia Piſanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, ob reverentiam ad eccleſiam S. Mariæ de Bethleem .... dilecto Fratri Nicolao, Subdiacono & Canonico ipſius Eccleſiæ, nomine ejuſdem Eccleſiæ S. Mariæ in Bethleem, recipienti, & pro dilecto Fratre Alberto Epiſcopo, prædictæ Eccleſiæ, *dat atque concedit* eccleſiam S. Martini, ſitam prope Piſanam civitatem in loco qui dicitur Vetula, cum ſuis bonis & rationibus; ut ipſe Epiſcopus & ejus ſucceſſores poſſint in eadem cum ſuis Clericis habitare (*quoties ſcilicet negotiorum cauſa eos contingeret transfretare*) & eccleſiam illam & res ac bona illius regere & cuſtodire, & eâ & bonis atque rebus ejus ad utilitatem ipſius Eccleſiæ de Bethleem uti; ſalvo in omnibus & reſervato jure patronatus. *Iſte porro Albertus utrum Ambianis vel Antiochiæ natus fuerit, & ex Euſtachio Eremita atque Agnete de Podio pronepos magni Petri Eremitæ, non diſputo: hoc ſcio, ea omnia quæ ipſi ſeu vero ſeu falſo attribuuntur, tranſcribi in Albertum noſtrum, cum ipſo in unam eamdemque perſonam confuſum à variis ſcriptoribus Carmeliticis.*

B

C

ſinguntque an. 1142 Sacerdotio initiatum,

12 *Vnus eorum Petrus Thomas Saracenus, auctor Menologii Carmelitani, hunc* Albertum *ait,* in Ambianenſi Canonicorum regularium cœnobio novitiatus primordia & religioſæ vitæ tirocinia poſuiſſe, *cumque* in S. Genovefæ cœnobio Pariſiis ſacrarum litterarum lucubrationibus multum profeciſſet, Sacerdotali tandem dignitate anno circiter MCXLII initiatum, ab Innocentio Papa accepiſſe confeſſiones audiendi facultatem. *Interim certum eſt, quod Collegiata S. Genovefæ eccleſia, uti eſt ad Vitam S. Wilhelmi Abbatis Roſchildenſis* VI *Aprilis demonſtratum, nonniſi anno* MCXLVIII, *expulſis Canonicis ſecularibus, ad Regulares tranſierit ſub Eugenio* III, *inter quem & prædictum Innocentium Cælestinus & Lucius, itidem Secundi, Pontificatum tenuerunt.* Tum *addit Saracenus,* Albertum cum Rege Ludovico (*ſeptimus hic fuit, & ſolvit è Gallia anno* MCXLVII *poſt Pentecoſten*) Terram-ſanctam petiiſſe, & regularem vitam cum aliis Regularibus in clauſtro Dominici ſepulcri eſſe profeſſum: inde ad Adrianum IV, anno MCLIV exeunte Papam factum, gratulationis cauſa veniſſe: à quo Mortarienſi eccleſiæ ſuffectus Epiſcopus (*quis autem Mortarienſem Epiſcopatum vel fando nominari audivit?*) tandem factus ſit Vercellenſis Antiſtes; *quando ſcilicet Cathedram illam adhuc tenebat*

cum Ludovico 7 iviſſe in Terrã-ſanctam,

indeque reducem an. 1154 factum Epiſc. Vercellen.

Vgutio, anno MCL *creatus & uſque ad* MCLXX *ſuperſtes.* Auctore D. P. *Sed nec tamdiu quidem in Italia Albertum Saracenus retinet: verum mox* ubi in Patriarcham Hieroſolymitanum electus fuit Amalricus, *Sancti Sepulcri Prior (fuit id anno* MCLVII, *non ſub Alexandro, qui anno dumtaxat* MCLIX *creatus eſt Pontifex, ſed ſub ejus deceſſore Hadriano) cenſet Albertum Eccleſiæ* item Bethleemiticæ optimo ju- *tum* 1157 re ſuffectum: *cum ex Guilielmo Tyrio lib. 16 cap. 17 conſtet, quod* Radulphus, favente ſibi Domino Hadriano Papa, qui ejus compatriota erat, ad eccleſiam aſſumptus Bethleemiticam, Epiſcopus ejus ordinatus eſt loci, *nec niſi anno* MCLXXIII *obiit, locum Alberto alteri ſupramemorato & poſt biennium ſuffecto relinquens.* *Ep. Bethleemiticum,*

13 *Denique cum apud Baronium ad annum* MCLXXXVII *& VIII aliquid ex Niceta Choniata legiſſet Saracenus de Leontio & Doſitheo monachis, ad Patriarchatum primo Hieroſolymitanum deinde Conſtantinopolitanum ſucceſſive nominatis, ex Imperatoris Græci arbitrio (urbe ſcilicet ſancta jam capta à Saracenis & Latinis erepta) fingit ille, Albertum habuiſſe cognomen Leontii, & fictionis ſuæ teſtem citat Genebrardum anno* 1137, *nihil ſimile aut iſtic aut in tota ſua Chronographia aſſerentem. Tum ruinoſo huic fundamento prolixæ fabulæ molem ſuperſtruit idem Saracenus, ſibique imaginatur, Albertum à Doſitheo, ſchiſmatico monacho & Patriarchale faſtigium ambiente, primo ita exagitatum, ut demiſſa Bethleemitica Cathedra maluerit inter Carmelitas Carmelita vivere, deinde ad Patriarchatus Conſtantinopolitani inſulas evocatum, iiſque ipſo quo electus fuerat anno abſolutum, tandem ſuffectum eſſe Athanaſio Græcorum Hieroſolymis Patriarchæ: eo ipſo ſcilicet tempore quo vivebat adhuc Latinus Hieroſolymarum Patriarcha Heraclius, vel (ſi de annis paulo poſt ſecutis agatur) Heraclii ſucceſſores Sulpitius & Monachus.* *ac deinque è Carmelo abſtractũ,*

E

anno 1187 *Patriarchã Hieroſ. dimiſſa ſede CP.*

14 Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere ſi velit, & varias inducere plumas,
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne,

poterimne fingere monſtrum magis heterogeneum, quam hic fingitur Albertus? Etenim hic ſecundum Saracenum, primo fuerit inter Latinos orthodoxos Canonicus Regularis & Epiſcopus Bethleemiticus; deinde, neſcio quomodo Conſtantinopolitano Imperatori ſchiſmatico inſinuatus, per eumdemque ab Vrbis regiæ cathedra ad Hieroſolymitanam promotus, non utique pro Latinis, qui nulli Hieroſolymis ſupererant urbe à Saracenis capta; ſed pro Græcis Syriſve, qui ſoli ex Chriſtianis ibi remanſerant; dum ſcilicet Latinorum Patriarchæ Acconе habitarent, & legitima Latini Cleri aut Romani Pontificis electione continuarent ſeriem nuſquam interruptam; in quam Albertum inducemus ſeculo ſequenti. Conſtat interim ex ſupra poſitis, ipſum ad illud uſque ſeculum non protuliſſe pedem extra Europam; & Vercellenſem Epiſcopum egiſſe, dum in Paleſtina Epiſcopatum Bethleemiticum adminiſtraret Albertus alius, de quo ſupra, nihil cum ſchiſmaticis Imperatore aut Clero commune habens, & prius mortuus quam noſter hic mare trajecerit; illius namque in Sede Bethleemitica ſucceſſor Petrus legitur anno MCCIV *interfuiſſe electioni Balduini, Flandriæ Comitis, in Conſtantinopolitanum Imperatorem.* *idque ſub Imperatore CP. ſchiſmatico,*

& Saracenis:

F

15 *Verba Saraceni partim ipſa dedi, partim fabuloſæ prolixitatis tædio in pauca contuli: ſatis hoc erat, ut lector cognoſceret quam* bona fide, ex domeſticis & exteris monumentis (*ut præfert titulus*) *ab eo ſit* excerpta Vita S. P. Alberti Carmelitæ, Hieroſolymorum Patriarchæ. *Hoccine eſt, quod promittit Præfatio ad lectorem,* Sanctorum originaria, è genuinis fontibus, robuſta & conſtanti fide, proprio recudere ſtylo, apocryphis omnino exulare juſſis? *Ad ſingulas pene periodos auctorum illuſtrium nomina & loca citat: ſed quos vidimus aut contraria aut diverſa ſcripſiſſe. Dubites utrum crediderit, poſt ſuum illud Menologium typis datum, futurum quemquam qui litteras noſſet, & fidem iam prodigioſa narrantis teſteſque allegantis poſſet oculorum propriorum explorare judicio* *& hæc ut certiſſima obtrudunt.*

AUCTORE D. P.

CAPUT III.

B. Alberti ad Patriarchatum Hieroſolymitanum vocatio: & res in eo geſtæ.

16 *Victor coævus Vitæ, primo capite à nobis delibatæ, poſtquam Alberti laudabilem in Eccleſia Vercellenſi converſationem commendavit, ſic narrationem ſuam proſequitur*: Verum ut Fulgur, quod exit ab Occidente & patet uſque in Orientem, tanti viri gloriam conſtitueret in excelſo, ab Orientali Clero & populo in Hieroſolymitanum Patriarcham fuit unanimiter poſtulatus, & per Dominum Papam Innocentium III, ut illo iret coactus. *Quos in eo gradu honoris deceſſores ſucceſſoreſque habuerit, accurate pleneque deductum leges in meo de hiſce Patriarchis tractatu, ad primum tomum Maji præliminari. Ibi ex hiſtoria brachii S. Philippi Apoſtoli ab Ieruſalem miſſi, & Florentiam allati* anno Dominicæ Incarnationis MCCIV VI *Nonas Martii, ſcripta ab aliquo tunc eccleſiæ Florentinæ Clerico, demonſtravi, Heraclio Sulpitium, Sulpitio ſucceſſiſſe Cæſarienſem Archiepiſcopum, non re, ſed nomine proprio Monachum: qui poſtquam*, Domino vocante, debitum humanitatis exolvit... tumulato corpore tanti Patris, Cardinalis Soffredus, qui tunc in partibus marinis Legationis officio fungebatur, fuit in Patriarcham electus: ſed ille poſtea electioni renuntiavit. Verum univerſi ad quos ſpectavit electio, de conſenſu Regis, elegerunt Epiſcopum Vercellenſem, ad quem reducendum Rainerius, olim eccleſiæ ſanctæ Reſurrectionis in Jeruſalem, tunc Joppenſis Prior, qui de Florentina diœceſi fuerat, legatus fuit principaliter conſtitutus.

Mertuo Monacho Patriarchæ,

& Soffredo Card. ſe excuſante,

B

17 *Hæc ibi, ex quibus occaſionem arripiat quiſpiam ſuſpicandi, quod B. Albertus antehac, anno fortaſſis ſeculi ſecundo aut tertio, propter aliqua Imperii aut Eccleſiæ negotia in Orientem profectus, & Accone cum Patriarcha Monacho ejuſque Clericis converſatus, eum ibi virtutis ſuæ odorem reliquerit, ut etiam abſens fuerit poſtulatus. Sed Suſpicio hæc, uti non poteſt demonſtrari falſa; ſic ſolidiori eget fundamento, ut credatur vera: cum τὸ* ad reducendum *ex uſu vulgari ſic accipi poſſit, ut rediens Raynerus adducere eum jubeatur, qui ibi numquam fuerat. Sic cum à loco ſuo quis ſurgens, ut aliunde accipiat quidpiam, eo unde exiverat redit; illud ſecum referre dicitur, licet ipſum numquam ibi fuerit quo defertur. Iſta porro Soffredi Cardinalis renuntiatio & Alberti electio, non tantum confirmatur ex Geſtis Innocentii, à Franciſco Boſqueto vulgatis; ſed etiam ex ipſius Pontificis pulcherrima epiſtola, ad ſe excuſantem reluctantemque data, anno (ut Stephanus Ferrerius ex regiſtro Vaticano tranſcripſit)* MCCIV, XII kalendas Martii. *Vnde apparet Raynerium Priorem, mox ut conſenſum Pontificis Romæ obtinuit, hanc epiſtolam ſecum detuliſſe, & Vercellas properantem tranſviſſe Florentia* IV Nonas *ejuſdem* Martii. *Epiſtolam, quia pulcherrimum præbet de virtute Alberti teſtimonium, eſtque chronologiæ quam ſequimur munimen ſolidiſſimum, totam exhibeo.*

Albertum, qui forſan ibi paulo ante fuerat,

electâ Patriarcham an. 1204. monet Papa,

C

ne Domino Hieroſolymis paſſo pro ſervo, Phil. 2, 7

18 Ut lapſum humani generis repararet unigenitus Dei filius Jeſus Chriſtus, cum in forma Dei eſſet, exinanivit, ut teſtatur Apoſtolus, ſemetipſum, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo; & elegit ſibi Hieroſolymam paſſioni, factus obediens Deo Patri uſque ad mortem crucis; & peccata noſtra in corpore ſuo pertulit ſuper lignum, reputatus cum iniquis & cum latronibus crucifixus. Niſi ergo de ingratitudinis vitio ſervus voluerit inutilis condemnari, nec jugum nec jugulum recuſabit ſubire pro Domino; cum Dominus tradidit ſe pro ſervo, morte turpiſſima condemnatus. Sane ut omnem occaſionem nobis Dominus tolleret, nec ad excuſandas excuſationes in peccato locum negligentiæ aliquem reſervaret, quidquid ſervus pati potuiſſet pro Domino, pene paſſus eſt Dominus ante pro ſervo. Quis ergo terrena omnia non relinquat pro eo, quem deſcendiſſe noverit à cæleſtibus ad terram? quis animam ſuam non ponat pro illo, qui pro eo ſpiritum emiſit in cruce? Siquidem ut retribuamus ei aliquid, pro omnibus quæ retribuit ipſe nobis, nec tribulatio, nec anguſtia, nec mors, nec gladius, nos debet aliquatenus retardare, quo minus, ſi neceſſitas exigat & depoſcat utilitas, guſtemus pro eo calicem paſſionis. Si enim, quemadmodum ambulavit, ambulare diſponimus, & veſtigia ejus ſequi; nec opprobria exprobrantium, nec hoſtis familiaris inſidias, nec inimici ſævientis potentiam debemus aliquatenus formidare; quo minus in viis ambulemus ipſius, & pedes noſtros in ejus ſemitis dirigamus; paſſo compatientes ad tempus, ut in æternum regnanti feliciter conregnemus.

D

ipſe ſervus recuſet ibidem pro Domino pati,

19 Novimus etenim & certum tenemus, tam ex Prophetica quam Euangelica lectione, quod in perpetuum expectavit cor ejus, cum lingua ei maledicentium exprobraret, quod filius fabri eſſet, potator vini, & publicanorum amicus. Novimus, quod qui edebat panes ejus, erexit calcaneum contra ipſum. Novimus, qualiter ſputo conſperſus, cæſus colaphis, ſpinis coronatus, Pilati tyrannidem pertulit patienter; crucifixus ad ultimum, & lancea perforatus. Numquid ergo tuo te Factori negabis, ut recuſes onus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſubire, quam ſuo ſanguine conſecravit? Si te ſibi dignatus eſt quodammodo eligere ſucceſſorem; numquid non adibis hæreditatem ipſius, nec ſuſcitabis ſemen fratri defuncto, qui per te poſuit forſitan in terra peregrinationis & prædicationis ſuæ ſemen Euangelicum propagare? Abſit ut labores, timores & dolores evites; paupertates, anxietates & neceſſitates effugias, ne ſubeas onus illud, ad quod es divina diſpoſitione vocatus. Abſit ut pro eo labores evites, qui pro te per Prophetam ſe aſſerit laboraſſe, dicens in Pſalmo, Laboravi ſuſtinens, & de quo Euangeliſta teſtatur quod hora quaſi ſexta ſedebat ſuper puteum, ex itinere fatigatus. Abſit ut pro eo dolores evites, quem pro te non dubitas doluiſſe, juxta quod ipſe aſſerit in Propheta, O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus: & qui de ſe ipſo in Euangelio proteſtatur, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. Abſit ut pro illo timores evites, qui de ſe legitur in Pſalmo dixiſſe, Timor & tremor venerunt ſuper me, & de quo in Euangelio legitur, quod cœpit pavere & tædere. Abſit ut pro eo fugias paupertatem, qui pro te pauper eſt factus, juxta quod aſſerit in Propheta, Pauper & dolens ſum ego; & in Euangelio, Vulpes foveas habent & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Abſit ut pro eo anxietates refugias, in cujus perſona loquens Propheta ſic ait: Anxiatus eſt in me ſpiritus meus, & in me turbatum eſt cor meum; & qui aſſerit de ſeipſo, Baptiſmo habeo baptizari, & coarctor donec perficiatur. Abſit ut pro eo neceſſitates effugias, qui pro te, ut alia taceamus, ſe in famis & ſitis neceſſitatem induxit, juxta quod legitur in Propheta, Dederunt in eſcam meam fel & in ſiti mea potaverunt me aceto: & ſicut idem Euangeliſta teſtatur, quod cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus poſtea eſuriit: & cui cum clamaſſet in cruce, Sitio, acetum ſive vinum myrrhatum ſive etiam felle mixtum crucifigentium dextera propinavit.

& ejus Eccleſiæ onus ſuſcipere;

E

ne fugiat labores, Iſ. 1, 14

Ioa. 4, 6 *dolores,* Thr. 1, 12

Mar. 14, 34 *timores,* Pſ. 54, 6 Mar. 14, 33

paupertatem,

F

Pſ. 68, 30 Luc. 9, 58 *anxietates,* Pſ. 142, 4 Luc. 12, 50 *neceſſitates,* Pſ. 68, 22 Mat. 4, 2

20 Si forte te moveat, quod ad illius Eccleſiæ Præſulatum vocaris, cujus ad præſens non poteris poſſeſſionem adire; utpote quæ fere tota nunc ab hoſtibus detinetur ad tempus; reducas ad oculos tuæ

jubet exemplo Iacobi, fratris Domini,

mentis,

A mentis, quomodo Jacobus frater Domini ſuſcepit Hieroſolymam gubernandam, nonquidem faventem ſibi, ſed potius repugnantem; utpote in qua illi tenebant eo tempore potentatum, qui & Dominum crucifixerant extra urbem, & circa templum poſtmodum ipſum Jacobum occiderunt. Et licet Joannes & Thaddæus ſecundum carnem fuerint fratres Domini, Jacobus tamen ſpecialiter dicitur Frater ejus, utpote qui relictam fratris defuncti duxerit uxorem, ut ſemen ei juxta legem Moſaicam ſuſcitaret: qui etiam non incongrue dicitur Supplantator, cum quodammodo Apoſtolos ſupplantaſſet, utpote qui quamvis primus inter alios non fuiſſet, ceteris tamen quaſi primogenituram præripuit, dum primogenitam ſuſcepit Eccleſiam gubernandam: de qua videlicet Propheta teſtatur, quod de Sion exivit lex & verbum Domini de Hieruſalem. Hæc eſt civitas Regis magni, de qua multa dicta ſunt glorioſa, & illud quaſi præcipuum quod ſubjungitur: Mater Sion dicet, Homo & homo factus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus. Præterea licet pars illius Eccleſiæ, quod dolentes referimus, in excidio Terræ ſanctæ capta fuerit & ab hoſtibus trucidata: pars tamen, quæ manet tua; imo etiam ipſa Eccleſia, quæ per novam eſt ſobolem renovata, in Paſtorem te ſibi B expoſcit & expectat. Non ergo de loco cauſeris, cum perſonas habeas quas gubernes: quia nomen Eccleſiæ ad perſonas refertur amplius quam ad locum: licet ad hoc ſpecialiter poſtuleris, ut de loco ſolicitus, ad recuperationem ipſius, ad reintegrationem terræ nativitatis Dominicæ, totis viribus allabores.

illum Epiſcopatum amplecti,

Iſ. 2, 3 qui precipuus in Eccleſia, Pſ. 86, 5

amiſſo loco adhuc ſupererat in perſonis:

21 Accedentes enim ad præſentiam noſtram dilectus filius Prior & Canonici Sepulcri Dominici, tam viva voce quam per litteras quas tuberunt, nobis humiliter intimarunt, quod cum dilectus Frater Soffredus, tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, non potuiſſet induci ut electioni factæ de ipſo ad Hieroſolymitanam Eccleſiam conſentiret, convenientes in unum te in Patriarcham unanimiter poſtularunt. Quorum poſtulationi & cariſſimus in Chriſto filius noſter illuſtris Rex Hieroſolymitanus aſſenſum præbuit, & Archiepiſcopi conſenſerunt; per ſuas nobis litteras, ſupplicantes, ut te non ſolum inducere ſed etiam cogere dignaremur, ut poſtulationi eorum humiliter conſentires. Idem quoque dilecti filii Soffredus S. Praxedis & Petrus tituli S. Marcelli Presbyteri Cardinales, Apoſtolicæ Sedis Legati, per ſuas nobis litteras intimarũt: C quod cum ſuffraganei eccleſiæ Hieroſolymitanæ in electione vocem aſſererent ſe habere, Prior autem & Canonici Sepulcri Dominici hoc negarent, factum eſt tandem ut nominatis duabus perſonis, vices & voces ſuas in eas devote conferrent; ut ex illis, quam magis idoneam crederent, eis eligerent: Patriarcha ſimiliter [Antiochenus] & Prælati provinciæ, in eos, ſi quid juris in electione habeant, concorditer contulerunt. Ipſi ergo deliberatione præhabita in duabus nominatis perſonis, te potius eligentes, nominarunt eidem eccleſiæ in Paſtorem.

indicat Ordinem electionis,

& Prælatorum ac Principum vota,

22 Licet autem valde nobis neceſſarius ſis, in partibus Lombardiæ, utpote cui ſecure in arduis negotiis committimus vices noſtras; propter urgentem tamen neceſſitatem, non ſolum eccleſiæ Hieroſolymitanæ, ſed totius Orientalis provinciæ, quamdam nobis quaſi violentiam inferentes, monemus diſcretionem tuam & exhortamur attentius, & in remiſſionem injungimus peccatorum, obſecrantes per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti, quatenus dictæ nominationi conſentiens, & prædictorum omnium deſideriis condeſcendas, & electionem recipias de te factam: ne ſi aliter egeris, voluntati divinæ reſiſtere videaris (quæ tamen & à nolentibus ſemper impletur) prudenter attendens, ne ſi perſona minus idonea vel forſan indigna eidem præficeretur Eccleſiæ veſtræ, deſiderium aliquorum tibi propter conditionem tuam poſſes non immerito imputare. Nec laborem iſtum refugias, tamquam perficere nequeas quod exoptas: quia Deus non tam profectum remunerat quam laborem: propter quod dicit Apoſtolus, Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem: & alia Scriptura teſtatur, Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum ſuorum: unde caute dixit Apoſtolus, Plus omnibus laboravi: nec dixit, Omnibus plus profeci: quamquam ex laboribus tuis profectus ſperemus non modicos proventuros.

AUCTORE D. P.

& omni excuſatione præciſa,

1 Cor. 3, 8
Sap 10, 17
1 Cor. 15, 10

quibus motus ipſum eis concedendum putarit,

23 Taliter igitur pro Domino & propter Dominum ſuper hoc mandatum Apoſtolicum exequaris, quod manum diſtrictioris ſeveritatis nos non oporteat exhibere. Nam etſi ſecundum ſtatuta Canonica nullus invitus creſcere compellatur, tamen juxta legitimas ſanctiones aliqui ad publica munera trahuntur inviti. Intereſt autem tam Apoſtolicæ Sedis quam Eccleſiæ generalis, imo & generaliter omnium & ſingulariter ſingulorum fidelium Crucifixi, ut eidem Eccleſiæ perſona præficiatur idonea in Paſtorem. Nec tu tam ad honorem aſſumeris, quam E ad onus: cum Eccleſia illa hodie plura habeat onera, quam honores. Ne turberis in aliquo, vel cauſeris quod præfatus Cardinalis S. Praxedis factam de ſe poſtulationem canonicam Sepulcri Dominici non admiſit: quia forſan, ſicut Sara Tobiæ, ſic & ipſa fuit alii divino judicio reſervata: vel fortaſſis hoc eum ad hanc oneris recuſationem induxit, ne in partibus illis præſens exiſtens videretur promotionem propriam procuraſſe; ac ex eo præſertim notam ambitionis incurreret, quod tum ad remotionem cujuſdam perverſæ perſonæ, quæ ad eamdem Eccleſiam fuerat improbe nominata, opportune ac importune, ſicut ad ejus pertinebat officium, inſtitiſſet; ſi amota illa factam de ſe poſtulationẽ poſtmodo acceptaret. *Hiſce litteris & mandatis* Vercellenſis Epiſcopus humiliter acquieſcens, *inquit compilator Actorum Innocentii*, ad Apoſtolicam Sedem accelſit; & in Patriarcham promotus, non ſolum Pallii ornamentum accepit, verum etiam officium Legationis promeruit, per quadriennium in ſua provincia exercendum: jam jamque profectus, inde in Syriam navigavit.

etiam congendum, ad ſuſcipiendam Eccleſiam illam.

24 *Hæc tamen ne tanta celeritate peracta exiſtimes, ut ordinandis Eccleſiæ Vercellenſis, quam dimittere oportebat,* F *négotiis inſumptus non fuerit totus hic annus* MCCIV *& bona pars anni ſequentis, quo ipſum ſuum Succeſſorem Lotharium conſecraſſe cum Epſcopis conprovincialibus potuit. A Pontifice autem, ut dictum eſt, ordinatus, accepit ab eo litteras ſignatas* XVI *kalendas Maji, ad cunctos* Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Priores, omneſque Chriſti fideles, tam indigenas quam peregrinos, in Hieroſolymitana provincia conſtitutos, *quibus aſſerit Innocentius ſe*, ex communi Fratrum conſilio, Venebilem Hieroſolymitanum Patriarcham, olim Epiſcopum Vercellenſem, mittere, illique ad quadriennium in eadem Provincia Legationis munus injungere, *jubeſque* eum demiſſe atque humiliter, ſicut ſeipſum, excipere. *Concedit etiam eidem Pontifex*, ut quibuſcumque abſolutionis munus impertiatur: ut ii qui ex Italia cum ipſo ſunt, fruantur Præbendis: ut in quibuſvis Provinciis (ſine ſcandalo tamen & aliorum præjudicio) utatur Pallio; ut per certa tempora excuſetur à viſitatione Liminum: *& alia complura privilegia addit. Ita inſtructus Albertus opportuno tempore cum Genuenſium claſſe in Terram ſanctam vela fecit, anno veroſimiliter in hiemem vergente: ideoque Theodoricus Pauli annum ſequentem, ſcilicet* MCCVI *primum Patriarchatus annum vocat.*

Eumdem facit Legatum Apoſt.

& multis cumulat privilegiis:

AUCTORE D. P.

25 *Vixit Albertus Accone ſeu Ptolemaide, ubi poſt captam à Saracenis Hieroſolymam refugium ſuum habuere Patriarchæ Latini; quamvis ibi proprius eſſet Epiſcopus, qui tempore B. Alberti fuit* Galterius; *cujus etiam ſigillum, una cum ſigillo Alberti appenſum infra commemorandæ ſententiæ, videri teſtatur Vghellus. Manſit autem res in eo ſtatu, uſque ad Pontificatum Vrbani IV: qui videns Hieroſolymitanæ urbis in integrum reſtituendæ ſpem conatuſque in longum protrahi; neque convenire cenſens, ut Patriarcha conſecratus, ſemper in aliena urbe velut hoſpes diverſaretur; Patriarchatui Epiſcopatum Acconenſem univit, uti alibi plenius deducetur. Errant igitur, qui exiſtimant, Albertum etiam Acconenſem; multo magis, qui nominum vicinitate decepti, dicunt Aſcalonenſem Epiſcopum fuiſſe.*

Anno 1206 *Acconem appulſo,*

ubi proprius loci Epiſcopus erat,

26 *Plures poſtea ad eumdem Albertum litteras dedit jam ſæpe memoratus Pontifex. Videre eas licet editas à Boſqueto: nobis ſatis hic erit earum argumenta indicaſſe, quomodo ea Epiſtolis Boſquetus præfixit. Eſt ergo lib.* 2 *Epiſtola* 104 *data* VIII *kalend. Octobris anno Pontificatus* XIV *Chriſti* MCCXI, *qua mandat* ut Hugonem, Regem Cypri, moneat, ut ſuum Comeſtabulum in gratiam recipiat. *Idem Epiſtola* 134 *data* III *kalendas Ianuarii jubet*, ut cognoſcat de Archiepiſcopi Nicoſienſis in Cypro electione, cujus Pallium ei mittit. *Epiſtola* 147, *ſcripta* Idibus Januarii anno MCCXII, *monet* ut hortetur Principes Orientales ad commutationem Chriſtianorum captivorum cum paganis. *Lib.* 3 *Epiſtola* 179 *hortatur Patriarchas Antiochenum & Hieroſolymitanum*, ut quorumdam de ſe querelæ medeantur: *data ea eſt* VI Idus Octobris *anni prænotati. Epiſtola* 208, *data* V *Idus Ianuarii anno* MCCXIII, *mandatur* Patriarchæ Hieroſolymitano, Apoſtolicæ Sedis Legato, & ſuffraganeis ejus, ut populos in Regis fide confirment. *Libri* 4 *Epiſtola* 7, *in qua deficit data dies & annus, qui hic ipſe fuit, committitur Alberto*, ut Regem Armeniæ abſolvat, & Comitem Tripolitanum ad judicium Eccleſiæ ſubeundum compellat. *Aſt apud Ferd. Vghellum tom.* 4 *Italiæ ſacræ in Epiſcopis Ianuenſibus col.* 1222 *habetur Epiſtola, data* III *Idus Ianuarii Pontificatus anno* XVI, *qua, intellecto quod Epiſcopus & Capitulum Acconenſe, denegarent Chriſma, gratis dandum eccleſiis juxta Concilii Carthaginenſis decretum, abſque pretio exhibere Acconenſi Genuenſium eccleſiæ S. Laurentii; mandat Patriarchæ, ut eoſdem Epiſcopum & Capitulum efficaciter moneat & inducat, ut ſicut ipſe Pontifex dederat in præceptis (qua de re ibidem extat alia ad ipſos ejuſdem fere tenoris epiſtola)* à tam inhoneſto & interdicto commercio deſiſtentes, Chriſma gratis de cetero eccleſiæ memoratæ concedant: quia venalitates hujuſmodi abominatur religio eccleſiaſticæ honeſtatis & ſacris obviant inſtitutis. *Ex quibus duabus ſimilis tenoris epiſtolis, altera Patriarchæ, altera Epiſcopo inſcripta eodem anno ac die, magis etiam demonſtratur quod diximus, quo tempore Acconem incolebat Albertus, ſuum ipſam proprium habuiſſe Epiſcopum.*

ſcribit Innocentius 3 *an.* 1211,

anno 1212,

B

C

27 *Omnium porro ad Albertum prædictum extrema in libro* 4 *Epiſtolarum Innocentii eſt* 36, *data* XII *kalendas Martii, qua ei injungitur*, ut nuntios Apoſtolicos ad Soldanum deduci, & ipſe Concilio adeſſe ſatagat œcumenico: *quod iſto anno indictum, anno ſequenti menſibus Novembri & Decembri celebratum eſt Romæ in eccleſia Lateranenſi quartum: cum ultra tredecim menſes vita functus eſſet Albertus. In prædicta autem Epiſtola præcipuam conſiderationem merentur hæc Pontificis verba*: Quia vero tuam nobis præſentiam, ad hoc ſalutare propoſitum exequendum, valde credimus neceſſariam, imo quam maxime fructuoſam; Fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per Apoſtolicam tibi ſcriptionem mandantes, quatenus, ſi videris poſſe fieri abſque gravi diſpendio Terræ-ſanctæ, præfixum ad univerſale Concilium celebrandum, quam cito poteris, ſatagas terminum prævenire: ducens aliquos viros tecum, in conſilio providos & in commiſſo fideles, qui plene noverint circumſtantias cauſarum & rerum, temporum & locorum; quibus undique circumſpectis, ad liberationem hæreditatis Dominicæ, utilius intendere valeamus. Tu denique, Venerabilis Frater in Chriſto, tuarum nobis, apud juſtiſſimum Judicem & piiſſimum Patrem, orationum impertire ſuffragium, quo plurimum indigemus. *Eodem anno Accone ſententiam tulit Albertus,* II *Idus Aprilis, de burgeſia Agnetis Gaſtaldi, inter Ianuenſes & Piſanos ibidem controverſa, unde acceptum illius ſigillum infra datur; ipſa vero ſententia legi poteſt apud Vghellum. Et hæc quidem omnia definitis ſingula annis conſtant, non item duo alia puncta, quæ de eodem ſancto Patriarcha notat Sixtus Senenſis lib.* 4 *Bibliothecæ ſacræ hiſce verbis*: Albertus, Patriarcha Hieroſolymitanus, vir ſanctitatis & doctrinæ admirandæ, qui Fratribus Carmelitis, adhuc in Terra-ſancta commorantibus, vivendi formam regulamque dedit; juſſu Innocentii Papæ ejus nominis tertii ſcripſit de ſitu & ſtatu Terræ-ſanctæ non contemnendos Commentarios. *De Regula, quando Carmelitis data videatur, infra diſquiremus: quandonam vero de Terra-ſancta ſcribere Albertus juſſus ſit, ſcire non magni refert: potius optandum eſt, ut ipſi illi Commentarii alicubi inveniantur, & ex tenebris prodeant in lucem publicam.*

D

ejus Commentarii de Terra-ſancta.

E

CAPUT IV.

Obitus B. Alberti & Cultus in Ordine Carmelitarum.

28 DUm per octo annos, *ab adventu in Terram-ſanctam numerandos, ibidem* tam ſancte & laudabiliter vixiſſet, *Albertus*, ut non ſolum à Chriſtianis, qui eum tamquam Patrem ſanctiſſimum diligebant, verum etiam à Saracenis & Paganis in reverentia magna & veneratione haberetur; diabolicus quidam vir, de loco Caluxii, Eporedienſis diœceſis, quem idem Pater de ſuis exceſſibus corrigebat, eumdem venerabilem virum, Pontificalibus indutum, & in hac die glorioſa Exaltationis ſanctæ Crucis, in eccleſia ſanctæ Crucis civitatis Acconenſis, proceſſionem cum Clero ſolenniter agentem, cultello petiit & occidit: & ſic glorioſus Pater per Martyrii palmam ex hac vita migravit. Prius tamen hujus [Vercellenſis] eccleſiæ ſponſæ ſuæ memor, pretioſis eam donariis honoravit; videlicet candidis ſericis paramentis ad indumenta Pontificalia facienda, ſcilicet Planetam, Pluviale, Dalmaticam, Tunicellam: item Cathedra deaurata ad uſum Epiſcopi, inſuper duobus urceolis cryſtallinis auro argentoque decoratis, & bacilla cum urceolo magno, & baculis de cryſtallo ornatis ad uſum Cantorum. *In his finitur Ms. Vercellenſe, quod ad Lydium veritatis lapidem, conſenſum ſcilicet aliorum ejuſdem temporis monumentorum, pro parte majori comprobatum, pro ceteris quoque alibi non expreſſis debet haberi fide digniſſimum. Econtra narrationes, ab his diverſa, licet forte contineant aliqua, auctori tam fido non contraria, ſed præterita, qua proinde vera eſſe poſſint; tamen iis ipſis quæ forſitan vera dicunt, non tribuunt, ſed derogant veri ſimilitudinem, qua niti prudens lector poſſit.*

Accone occiſum in ſupplicatione Albertum,

F

& Albertum invitat ad Concilium Lateran. 4.

29 *Si Iacobus de Vitriaco, Acconenſis Epiſcopus, Hiſtoriam proſequi voluiſſet, quam Guilielmus Tyrius Archiepiſcopus in libro* 23 *imperfectam dimiſit, eumdemque ſtylum quem ipſe tenere; haud paulo plura de rebus ab Alberto geſtis in Oriente, deque ejus morte haberemus; fortaſis etiam intelligeremus, quo Cleri populique luctu ſepultus, qua veneratione & cultu honoratus ſit à vulgo Albertus, atque pro Beato & Sancto habitus, velut qui mortem, ſi non pro fide, certe pro virtute Chriſtiana violentam ſuſtinuerat. Sed Iacobus, ſub nomine* Hieroſolymitanæ hiſtoriæ, *maluit totius*

A totius Terræ ſanctæ concinnare deſcriptionem, quoad incolas, loca, religionem, celebriorumque urbium expugnationes & præliorum ſucceſſus: itaque ne nomen quidem tanti viri in tota hac hiſtoria reperitur. Marinus Sanutus, dictus Torſellus, ex Veneta ditione natus, anno MCCCXXI obtulit Ioanni XXII libros tres, quorum quia ſcopus erat recuperationem Terræ-ſanctæ tentandam & facile perficiendam ſuadere, ideo titulus eſt, Secreta fidelium Crucis: agit autem tali modo conſultorem, ut quandoque, præſertim in libro 3, Hiſtoricum profiteri videatur. Pars certe XI libri iſtius in titulo promittit Paſſagia, variumque ſtatum ac dominia Terræ promiſſionis, à morte Saladini uſque ad tranſitum S. Ludovici, atque per dilucidam, ſed brevem chronographiam, anni cujuſque res præcipuas attingit: ubi caput 5 finiens in anno MCCXIV, Eodem, inquit anno Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus in ſupplicatione mortuus eſt. Pauca verba, ſed multa pro eo, qui nullius alterius Patriarchæ mortem memoria ſua dignatus eſt: hoc ipſo indicans Alberti mortem à ſe notari, tamquam caſum ſingulariter commemorandum: neque τὸ mortuus ita ſignificat generaliter vita functum, ut non etiam, ex familiari Venetis idiotiſmo, frequenter ſignificet trucidatum.

Confirmat Marinus Sanutus;

B 30 Quid autem Carmelita? Sua in antiquis rebus commemorandis infelicitas hic quoque impedivit eos ne verum dicere poſſent abſque falſi admixtione, ac deinde ab eodem omnino deviare fecit. Magiſter Baptiſta Cataneus in ſpeculo Ordinis Fratrum B. Virginis de monte Carmeli, apud Stephanum Ferrerium, ſcriptor tam antiquus ut neque Geſnero neque Lucio Belgæ in Bibliotheca Carmelitica innotuerit; Ante Concilium, inquit, Lateranenſe videlicet IV, per annum & dimidium, ipſe Albertus moriebatur, occiſus à Saracenis in Hieruſalem, in una ſolenni proceſſione de ſancta Cruce. Ioannes de Vineta, qui teſte Geſnero claruit anno MCCCXLVIII Carmelitarum per Franciam Provincialis, in Chronico ſui ordinis apud Marcum Antonium Alegre de Caſanate ad annum Chriſti MCCXXXIV, annis viginti ſcilicet ſerius quam par erat; ita loquitur ſuis vel Alegræi verbis (neque enim ad manus eſt ipſe auctor) Hunc, Albertum nempe, ferunt, toto diſcerptum corpore, fuiſſe à Barbaris pugionibus fuſtibuſque diriſſime agitatum in viis Hieruſalem, dum ad ægrotos Dominicum Chriſti corpus deferret, vel, ut alii aſſerunt, dum Pontificalem proceſſionem contra fidei inimicos, ut divinum imploraret auxilium, faceret, pro Paſtorali munere ſuo. Ne autem errorem, in nomine urbis exprimendo, putet aliquis calami fuiſſe, non ſcriptoris, notandum Hieroſolymam tunc fuiſſe ſub dominio

id Hieroſolymis factum ſcribunt quidam,

& veritatem fabulis obnubilant;

C Saracenorum, ubi niſi Albertum occiſum credidiſſet, ſcelus tam immane in eo patratum numquam ſcripſiſſet: quid enim tale in Acconenſi civitate, quæ tota Chriſtianorum Latinorum erat, auderent barbari, mox lapidibus obruendi vel à pueris? Confirmans autem errores Alegræus (ex Vineta an ex alio neſcio) ſubjungit: Claruerat temporibus Friderici II; & ſub ſummo principe Patrum Gregorio nono, annis Chriſti MCCXXXIV, ſepultus eſt Hieroſolymis. Ita ille in loco æque ac tempore aberrans.

Saracenus in Menol. Carmelitico,

31 Ignoſcendum Saraceno fuerat, ſi Cataneum & Vinetam, ſecutus ipſe etiam ſimile quid ſcripſiſſet: poterat enim fidem ſuam, productis auctoribus tam antiquis, utcumque liberare. Rurſum autem ignoſcendum eſt ei, quod ſequi non potuit quos vidit numquam: nam neque nos hactenus eos vidimus. Sed qui poſſumus illi ignoſcere, quod Bononiæ ſcribens & librum ſuum imprimens anno MDCXXVIII, poſtquam ex Pennotto intellexerat, tradi item, Albertum Epiſcopum fuiſſe Vercellenſem ex Canonico ſanctæ Crucis Mortarienſis, non curaverit ad civitatem Italicam non remotiſſimam, ubi ſuus ordo antiquum & celebrem conventum habet, epiſtolium ſcribere, quærereque num quid iſtic noſſent de Alberto Vercellenſi Epiſcopo? Fuiſſet enim illi reſponſum à Fratribus, annos non plures eſſe quam viginti quatuor, quod Stephanus Ferrerius, Epiſcopus Vercellenſis etiam ipſe, accuratiſſimo commentario eruderavit

per aliquã veri inveſtigandi ſocordiam,

memorias authenticas ſuorum omnium anteceſſorum. Aliquid tamen, non legiſſe, ſed audiviſſe fatetur, ab iis qui Ferrerium legerant acceptum, dum in notis ad Vitam ſic pronuntiat: Sunt qui aſſerant D. Albertum noſtrum mucrone vulneratum, die quo ſolennem ſanctiſſimæ Crucis proceſſionem inſtituebat, & ad Dominum Martyrio migraſſe: ſed nullo certo fundamento ſcriptum invenimus. Imo S. Alberti Officium de uno ſancto Epiſcopo & Confeſſore, ſolenni ritu concelebrandum in rituali noſtro & kalendario aperte injungitur. AUCTORE D. P.

32 Quod illud Rituale ac kalendarum ſit, mox videbimus: quæro ego quo certo fundamento ſcripta invenit hæc? S. P. N. Albertus, ſenio jam tandem confectus (nempe centenarium circiter cogebat facere annus MCXLII quo Sacerdotio initiatum pronuntiarat, tunc probabiliter nec natum quidem) ſanctis operibus plenus, pro Eccleſia Catholica multis ſudoribus madidus, cælo & terræ gratus, inter gementes & orantes Eremitas noſtros, una cum Clero Hieroſolymitano, poſt accepta de more Sacramenta, fuſis orationibus Deo, pro Terræ ſanctæ liberatione è manibus infidelium, pro reſtituti Carmeli conſervatione, & Hieroſolymorum catholica fide, Virgine Maria inter ſplendores micante & occurrente, Angelorum cohorte ſtipante, feliciter inter ulnas ſuorum, animam Deo, ſuavi facie exhalavit, anno ſalutis MCCXIII die VIII Aprilis. Non multum in anno aberravit. Diem, quem totus Ordo in memoriam Alberti feſtivum haud ita pridem habere cœperat, credidit deſignatum eum, quo ipſe ex hac Vita diſceſſerat. In loco, quo vulneratus eſt, ſtatim mortuum, nemo credere cogit: proinde vere potuerunt accidiſſe quæ ſubjungit Saracenus: nec impoßibile fuit eremitas pauculos adeſſe morienti, tunc forte in urbe cauſa ſupplicationis præſentes. Congrue etiam ſuſpicabimur, ſi vel ad paucas horas dilata mors eſt, cæleſti aliqua conſolatione dignatum emigraſſe: ſed, ut hæc tamquam reipſa facta aſſeveremus, vel etiam in fide auctoris ſimpliciter referamus, uti referimus plura alia, fieri non poteſt, niſi teſtis proferatur fidei melioris quam Saracenus. *incruenta morte obiiſſe eum ſingit.*

33 Quoad cultum in Ordine, aſſerit illius Annaliſta Lezana, in kalendario Ms. bibliothecæ ſuæ Tranſpontinæ, reperiſſe pro VII Februarii, feſtum S. Alberti Epiſcopi, idque de Ordinis ſui Legislatore putat intelligendum: ſed in Miſſali Carmelitano Venetiis excuſo anno MDIX & MDLI, & Lugduni MDLVI; item in kalendario Ordinis Romæ edito MDLXIV, ſic legi ait: VIII Aprilis Alberti Epiſcopi & Confeſſoris Hieruſalem, Ordinis Carmelit. Eadem verba nos quoque legimus ante Breviarium Ordinis antiquum, quo hactenus uſi ſumus. Annus quidem impreſſionis in eo nunc non invenitur, propter folia in fine revulſa, ſed ex aliis certiſſimis notis demonſtrari poteſt, impreſſum eſſe Venetiis apud Lucam Antonium de Giunta Florentinum haud diu poſt MD. *Colitur apud Carmelitas Albertus,*

E

F

34 In aliquanto antiquiori membrana & vetuſtioribus etiam typis excuſo additamento Martyrologico, cujus ſupra meminimus, nec nomen quidem Alberti apparet: multo minus invenio illud in kalendario Carmelitico Ms. quod ante Martyrologium Ordinis reperit Coloniæ & nobis deſcripſit Iacobus Kritzraedt S. I. accurate diſtinguens ſanctos Ordinis proprios, quorum ſoli tres ſcripti erant prima & originaria manu, videlicet S. Cyrillus VI Martii, S. Angelus V Maji, S. Elizæus XIV Iunii. Breviarium anno MCCCCLXII Ms. (quod penes ſe fuiſſe profitetur ad iſtum annum Lezana) inſuper addit S. Andream IV Iunii, & S. Albertum VII Auguſti: ſed hunc, aut ad iſtum aut ad alium diem ullum, adſcribere kalendario Colonienſi non eſt auſus, qui primus eidem adſcripſit prædictum S. Andream, una cum Sanctis Petro Thoma, Simone Stock & Ludovico Rege. Neque item de B. Alberto recordati fuerunt alii aliique, qui præſumpta ſemel licentia implendi variis locis kalendarium iſtud, manu multo recentiori ſemel iterumque Sanctos aliquos addiderunt. Non etiam recordati illius ſunt, quotquot ſucceßive manum *in Mss. eorum kalendariis nuſquam nominatus,*

AUCTORE D. P.

manum adhibuerunt kalendario cuidam Mechlinienſi variis Sanctis augendo, multo minus quam Albertus ad Ordinem attinentibus: imo quod mireris, ejus loco notatur, VIII Aprilis Edwardi Regis & Confeſſoris Ordinis noſtri in Anglia: *qualem nulla unquam ætas vidit, ſaltem qui ſacris faſtis adſcribi potuerit: cum hujus nominis Rex ſanctus & Confeſſor obierit* V *Ianuarii anni* MLXVI, *ſesqui ſeculo eoque amplius prius, quam Anglia Carmelitas noſſet: poſterorum autem Regum omnino nullus habuit famam Sanctitatis.*

ex ſuo circa an 1500 *inducto,*

35 *Atque ex his colligimus,* antiquiſſimam Religionis conſuetudinem, *cujus meminit Sacra Rituum Congregatio in approbatione propriorum officiorum ſub Pontificatu Pauli V anno* MDCIX; *& ex qua eadem* ſacra Congregatio permittit fieri officium de Sanctis, proprium hic, *id eſt in libello jam dicto,* Officium non habentibus, *proteſtans ſe de iis* nihil ordinaſſe; *colligimus, inquam, ex antedictis, talem conſuetudinem non eſſe antiquiorem ſeculo præcedente, cujus initio Patres Carmelitæ (quibus jam perſuaſum erat, & Carmelitam fuiſſe Albertum, & de habita ejus ſepulcro veneratione aliquâ per obſcuram traditionem quidpiam innotuerat) ſtatuerunt, eum ab Ordine univerſo colendum. Suffecit autem Saraceno permiſtio talis, ut Vitam à ſe conſarcinatam ſic concluderet;* Hujus ſancti

B viri officium, in univerſo Ordine noſtro, ſub Duplici minori expreſſe dedit Paulus V. *Quod more ſuo, ut alia in alios multa, alterans Sauſſayus in Martyrologio Gallicano, poſt longum elogium à Saraceno acceptum, finit, aſſerens, quod Albertum* ſacris honoribus coli in Carmelitano Ordine Paulus V Papa mandavit. *Quid autem opus erat indulto vel etiam mandato Pauli V, ſi jam ante centum annos in antiquo Carmelitarum Breviario,* juſſu Pii III, de Sancto hoc habetur Officium duplex, *ut ſcribit conſidenter Alegræus, aque ac Saracenus infelix auctor in tradenda veritate?*

quomodo etiam habebantur lectiones de S. Petro Thoma;

36 *Porro* Officia propria *ſub Paulo*, de mandato ſacræ Congregationis recognita, & à Cardinale Bellarmino ſubſcripta, fuerunt quidem approbata ſubſcribente Dominico Cardinale Pinello; *ſed in iis non erant (ut hoc quoque obiter attingam) de B. Petro Thoma propriæ lectiones haud levi correctione egentes: quod tamen præſumunt ii, qui nobis, Martyrium ejuſdem nullum niſi metaphoricum agnoſcentibus, opponendam putant auctoritatem Bellarmini. Compoſitæ namque ea demum ſunt ſub Vrbano VIII; & abſque ſpeciali ulla approbatione, per Indulgentiam Cardinalis de Torres, anno* MDCXXVIII *adjunctæ veteribus. In iſta autem nova editione, quia permiſſionem omnium generalem non reſtrinxit Congregatio ad* Officia

C propria, *poteſt quadamtenus cenſeri eadem Congregatio approbaſſe, antiquum B. Alberti cultum, de quo prior Congregatio ſub Paulo V* nihil ordinaverat, *permittens fieri* ex conſuetudine, *donec ſcilicet & quousque diſtinctius de iis cognoſceretur.*

nunc autem per expreſſum indultum,

37 *Factum id demum anno* MDCLXXII, *quando* Clemens X Mattheo Orlando Generali conceſſit, *prout teſtata eſt die* V *Aprilis ſacra Rituum Congregatio,* ut ad formam Brevis alias, *ſub Clemente VIII,* anno MDCII expediti, Breviarium Ordinis per ipſum accurate examinetur, & ſi quæ depravata aut omiſſa, præſertim circa feſta Sanctorum dicti Ordinis eſſe animadverterit, emendare & reſtituere procuret; apponendo præſertim Officia nova, à ſancta Sede Apoſtolica approbata; utque ſic emendatum & reſtitutum in univerſo Ordine divulgari & uſu recipi poſſit. *Igitur ex vi hujus indulti prodiit typis Antverpienſibus novum Ordinis Breviarium; atque inter* officia nova, à Clemente X conceſſa, *invenitur* pro feſto S. Alberti Duplex minus, *cum Oratione & Lectionibus propriis. Oratio hæc eſt* Tuæ benedictionis plenitudo ſuper nos quæſumus, Domine, copioſa deſcendat; & jugiter S. Alberti Confeſſoris tui atque Pontificis placare ſuffragiis: *Lectiones* IV *&* V *acceptæ ſunt quoad ſenſum ex ſolo Ms. Vercellenſi.* VI *an & quatenus emendanda ſit altiori judicio definiendum relinquimus. Interim facile deſcernet Lector, utri judicandi ſint ſolidius ad indaganda veritatem progreſſi; iine qui ſuis occupati præjudiciis, Saraceno credidere quidquid nondum erat manifeſtæ falſitatis convictum, idque huic inſeruere Lectioni; an nos, qui abrogata Saraceno fide, non niſi ex antiquiorum & fideliorum ſcriptorum teſtimonis hujus hiſtoriæ ſeriem petendam exiſtimamus.* D

Canonici Reg. ſuis Sanctis annumerant Albertum,

38 *Ioannes de Nigravalle, Apoſtolicus Bibliothecarius, in libello de laude ſacri Canonici Ordinis excuſo Brixiæ anno* MDXXXVI, *inter dicti Ordinis Sanctos recenſet Albertum Patriarcham Hieroſolymitanum. Idem facit, Ioanne citato, Conſtantinus Ghinius, in Appendice ad Natales Sanctorum Canonicorum, eos recenſens quorum diem natalem & acta ignoravit. Neque hactenus ullus Alberto cultus inter Canonicos Regulares defertur, uti adhuc nuperrime quærentibus nobis reſponderi curavit totius Ordinis Canonici in Romana Curia Procurator generalis. Nihilominus Carmelitæ quidam, bis Antverpiam miſerunt* Orationem & Lectiones II Nocturni, pro Officio S. Alberti Patriarchæ Hieroſolymitani die VIII Aprilis, depromptas ex Officiis Sanctorum Ordinis Canonicorum Regularium S. Joannis Lateranenſis, & ad Ordinem Carmelitarum extenſas à ſacra Congregatione Rituum die XVIII Junii MDCLXXI. *Lectiones, quia ex Saraceno deſumptæ, non indigent alia reprobatione.* E

ſed abſque cultu publico.

Mirandum eſt autem, etiam nunc dubitaſſe auctorem, an Albertus fuerit Epiſcopus Vercellenſis, caute addens, ut dicitur: *ſive (ut in ſecundo Ecgrapho legi)* ut traditur: *majori jure cautionem aliquam adhibuiſſet, cum finivit his verbis,* claruit ſub Honorio VI Imperatore, *ſive (ut rurſum mutavit ecgraphi ſecundi ſcriptor)* ſub Henrico VI Imperatore, *ubi* Fredericum II *ſcripſerat Saracenus.* Honorium VI *nullum norunt Hiſtoriæ;* Fredericus II *annis poſt Alberti obitum ſex pervenit ad Imperium;* Henricus *hujus nominis VI, non* Imperator *ſed* Rex Germaniæ, *ſex annis prius obiit quam Albertus in Patriarcham eligeretur: qui vero in Ordine Imperatorum nominatur ſextus Henricus Lucemburgenſis Comes, anno* MCCCVIII *electus Rex, anno dumtaxat* MCCCXII *coronam Imperii non tam obtinuit quam extorſit. Quiſquis igitur lectionum iſtarum ſacræ Congregationi offerendarum auctor fuit, hunc oportet eas ſomniantem ſcripſiſſe: certe non niſi ſomnians vidiſſe potuit Canonicorum Officia propria, in quibus ipſas legerit. Conceſſit Canonicis illis Pius V anno* MDLXX, *præter communes omnibus Romano Breviario utentibus, proprias quaſdam feſtivitates, quæ in diplomate Apoſtolico nominatim exprimuntur ſingulæ, cum facultate iiſdem accommodandi proprias Orationes & Lectiones: ſed nulla uſpiam Alberti mentio. Iuxta hoc privilegium excuſus mox eſt propriorum officiorum libellus, idemque etiam auctior ſub nova ſacræ Congregationis approbatione prodiit Romæ* MDCXIII, *Venetiis* MDCXLIII, *Montibus* MDCXLV, *quas editiones omnes & ſingulas habemus, ut nihil dicam de Breviario anni* MDVIII *vel Ordinario anni* MDXXI: *ſed abeſt à cunctis Alberti nomen. Nunc autem ſæpius interrogati pergunt negare Canonici Regulares quidquam ſe noſſe de Officio S. Alberti; proinde non modo fidem nullam, ſed pœnam graviſſimam commeruit, qui talia obtulit ſacræ Congregationi, tamquam à Canonicis Lateranenſibus ex indulto Pontificio recitari ſolita: & merito Carmeliticus Ordo ipſe, iſtis Lectionibus repudiatis (de quibus neſcio an credere debeam receptas unquam fuiſſe) novas ſubſtituit in Breviarii ſui editione anni* MDCLXXII. *Meretur interim S. Albertus ut ejus cultum etiam Canonici Regulares ſuſcipiant cum Officio, quod totum melius ex Vercellenſium monumentis ſumetur, quam aliquid addatur ex Saraceno, vel ex ſuppoſititio Officio jam indicato.* F

Vercellenſes ne quidem nomen titulũ Beati addunt.

39 *Simili modo nullus eſt apud Vercellenſes cultus Alberti, ac ne quidem nomen (niſi forſitan admodum recenter) notum ut* Beati, *extra Conventum Carmelitanum: Nam Ferrerius Epiſcopus, pag.* 241 *laudati ſæpius libelli ſui,*

Catalogum

A *Catalogum texit Sanctorum aut Beatorum, qui vel cives fuere vel Epiſcopi Vercellenſes; atque in his numerat Martyres duos, Confeſſores novemdecim, Beatos ac Beatas decem, inter quos nonnulli floruerunt ſeculo præcedenti: ſed Alberti non meminit, aut de eo agens in hiſtoria, titulum Beati ipſi tribuit. Interim Philippus Ferrarius, Catalogum Sanctorum Italiæ imprimendo abſolvens, in textu omiſſum, notavit in Indice cum titulo* Martyris; *& poſtea Catalogum Generalem eorum qui non ſunt in Romano Martyrologio contexens, ad eumdem* XIV *Septembris hæc verba inſeruit,* Ptolemaide in Palæſtina S. Alberti Epiſcopi & Martyris. *In notis citat tabulas Epiſcoporum Vercellenſium: quod ita intelligendum, ut ex iis aliquam mortis ab eo obitæ hauſerit notitiam, ſed admodum confuſam, per quam ſcripſerit occubuiſſe percuſſum,* cum eſſet Ptolemaide ſacris indutus ut celebraret; *titulum vero & cultum Sancti, Vercellis non didicerit, ſed, ut aliis pluribus, adjecerit pro ſuo arbitratu.*

ſed addidit Ferrarius, Martyrem vocans 14 Septembr.

40 *Nos quoque, præſcientes non admodum grata futura, quæ comperta veritas in hoc argumento ſuggerebat; potuiſſemus aut rem totam perſtringere paucis, nulla Carmelitarum mentione injecta; aut uſque in menſem Septembrem differre hanc tractationem, cum ſpe non injuſta, quod in animis, proprio quandoque ſtudio certiora edocendis, placidius eſſet illapſura noſtræ ſcriptionis ſinceritas. Sed neque diutius licuit eſſe tam brevibus, poſtquam cœperunt aliqui brevitatem illam interpretari affectum religioſis viris prorſus indignum; neque fas fuit in aliud tempus differre, quem totus Ordo colit hodie Officio ſolenni, quandoquidem necdum forte ſopitæ ſunt querelæ ſuccenſentium, quod in prætermiſſis ad* XXVIII *Februarii dixerimus:* B. Angela de Bohemia, Ordinis Carmelitarum, quibuſdam kalendariis hoc die inſcripta traditur. In ejus Vita, quam Ms. nacti ſumus non tenui examine egentem, dicitur obiiſſe VI Julii. *Idem quoad diem de omnibus vitæ exemplaribus teſtabatur Lezana ad an.* 1253 *num.* 18, *contra quem conſenſum non debebat nos commovere auctoritas unius Mechlinienſis kalendarii, admodum temere conſarcinati: præſertim cum Angela iſta nullum vel in Ordine vel in Bohemia habeat cultum, & multa ſint in Vita partim evidenter falſa, partim dubia; ac ne hoc quidem probari ſentiant viri in Bohemicis rebus tractandis & ſcribendis verſatiſſimi, quod ipſa aliquando inter homines fuerit numerata. Erant igitur cauſæ incomparabiliter majores, quæ ipſam, quam quæ Albertum differendum ſuaderent; & tamen non ſuffecerunt præoccupatis dolentium animis; ideoque timemus ne irritentur multo gravius, ſi Albertum ab eo die quem ſtatuit* C *Ordo, rejiciamus in alium, nullo ejus cultu, ſed ſola morte memorabilem.*

Erat à nobis ad iſtũ diem differendus,

ſi dilationem in B Angela non improbaſſent aliqui.

CAPUT V.

Regula ab Alberto quibuſdam in Carmelo Eremitis præſcripta.

41 *Apud Orientalium rerum ſcriptores Latinos nulla invenitur mentio Bertholdi & Carmelitici inſtituti, ſub ejus ductu cœpti aut (uti loqui Ordo iſte mavult) reformati: nulla etiam Regulæ, ejuſdem inſtituti Profeſſoribus ab Alberto præſcriptæ; ne quidem in Synopſi Vitæ apud Vercellenſes ſervata. Nempe ea fere ſola curant hiſtorici mandare litteris, quæ tunc cum gerebantur publica populorum excipiens approbatio vituperatione, faciebant in ore hominum verſari eos, per quos ipſa fiebant. Pauculorum igitur eremitarum adunatio, & certa quædam vivendi formula brevi inſtructione iiſdem explicata, ultra privatas ac veluti domeſticas Patriarchæ curas eminere nemini tunc viſa eſt, ideoque nec ſcripto commendanda. Eodem prorſus modo atque actum eſt cum S. Auguſtini Regula, nunc toto orbe per tot Religioſorum virorum ac feminarum cœtus diffuſa. Etenim neque Poſſidius, qui Vitam magiſtri ſui ſcripſit, neque ipſe ſanctus Doctor, ex cujus ſcriptis plurima pars rerum ab eo geſtarum nobis innoteſcit, uſpiam mentionem fecere curæ impenſæ Sanctimonialibus per Regulæ ſcriptionem, & ipſa Regula nuſquam inter Auguſtini ſcripta numeratur: licet Poſſidius poſt Vitam Catalogum texuerit omnium quorum potuit notitiam conſequi, etiam ſingularium epiſtolarum; adeo ut videatur plane ex temporanea, quamvis in ſe digniſſima, fuiſſe ſcriptio; cujus, tamquam alium deinceps uſum non habituræ, exemplar ſervare ſanctus Doctor neglexerit: & tamen ex illis aliquando producta angustiis, quantam approbationem non retulit? Valuit profecto in eremiticis quotquot nunc florent Ordinibus, ſi valuit uſpiam, & nominatim in Carmelitano, quod dixit Salvator,* Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo; & minimum quidem eſt omnibus ſeminibus, cum autem creverit majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor.

Scriptores ſeculi 13 & 14 de hac re tacent,

42 *Cum autem dico ſemen exiguum, in Carmeli ſolitudine ſilvarumque condenſis, cælo propemodum ſolo conſcio jactum; & uſque dum Regula tenero germini congrua adjungeretur, lentis auctum progreſſibus, ſoli autem nativi malignitate victa in ramoſam denique excreviſſe arborem: hæc cum dico, nolo ſic accipi, quaſi intendam negare, ipſum illud exiguum ſemen deciſum fuiſſe ex vaſta aliqua & annoſa arbore, quæ (ſicut habet Ordinis Carmelitici qualiſcumque traditio) ab Elia quondam plantata fuerit; & legi gratiæ per Apoſtolos inſerta feliciuſque revireſcens, Orientem implerit monachis; quorum ſucceſſores ac poſteri Elianum inſtitutum propagarint, donec inutiles rami ab Eccleſia agro una cum ſuo trunco per ſchiſma exciſi, nominis tanti jus amiſere; quod tamen conſervatum ſit in ſemine, in illis, inquam, pauculis ſub Bertholdo eremitis, qui licet lingua, ritu, fide, moribuſque diverſi ab iis in quorum locum ſucceſſiſſe præſumuntur, poſſunt tamen dici etiam ipſi Eliani inſtituti propago. Patitur quidem traditio iſta de Elia deque Elianis, primum uſque ad Chriſtum, ſecundo à Chriſto uſque ad Bertholdum, contradictiones non leves virorum eruditorum, requirentium pro re tanta totque ſeculis, ut prætenditur, credita, probationem ſolidiorem, quam ſit nuda traditio, eorum præſertim quorum aſſertiones in rebus aliis, non tam longe ab ætate noſtra recedentibus quam recedunt Eliæ & Chriſti tempora, in ſeculo inquam* XII *ac* XIII, *multipliciter inter ſe variant, & frequentibus evidentiſſimiſque erroribus deprehenduntur obnoxiæ. Nos tamen iſtis contradictionibus non permovemur, ut in eo argumento, ubi major de nomine quam de re videtur eſſe diſceptatio, permittamus immiſceri nomen noſtrum. Neque volumus improbare, nedum obſtare,* F *quo minus Carmeliticus Ordo eos omnes Sanctos habeat pro ſuis, qui in Palæſtina vel Syria eremiticam aut monaſticam profeſſionem ſuarum virtutum ſplendore illuſtrarunt. Tantum petimus vicißim gratiam unam, ut patienter ferant nos abſtinere ab Ordinis ſui titulo iiſdem Sanctis adſcribendo, donec certius nobis conſtiterit de talis tituli veritate.*

Auctore D. P.

tamquam modica tũc & privata:

quamtamen ductum ſit abſque præjudicio

Eliana ſucceſſione,

quam nolumus impugnare,

43 *Sub hac proteſtatione, quod ſcilicet proceſſionem Ordinis Carmelitici ab Elia ſilentio noſtro non velimus reprobare; & quod dicenda de Eremitis Albertina Regula & inſtructis, ad proceſſionis prætenſæ everſionem trahi nolimus; imo nihil magis exoptemus, quam invenire ſolidas ad illam ſtabiliendam probationes: ſub hac inquam proteſtatione, conabor explicare hiſtoriam Carmeliticæ eremi. pro co ſtatu, quem cœpit habere ſub tribus ſuis primis inter Latinos Prioribus, Bertholdo, Brocardo, atque Cyrillo, quatenus is cognoſci poterit, tum ex auctoribus eorum & viciniorum temporum, tum ex ipſamet Regula, tenero novelloque germini ad ſuæ exiguitatis menſuram congrue applicata à B. Alberto Patriarcha. Hos vero ut ordinate ac dilucide fiat, proponendus Lectori ante omnia eſt prædictæ Regulæ invariatus tenor: ad quem, velut ad Lydium lapidem, explorari poteſt, utrum majorem veri ſimilitudinem, an affectum animi ad negativam propenſioris ſecutus*

velle. mus poſſe probare.

AUCTORE D. P. *in hoc Commentario ſim. Deus, qui ſinceriſſima veritas eſt & abſolutiſſima caritas, ſtylum dirigat, ut nihil à veritate diſſonum, nihil caritati contrarium ſcribam: idem faciat, ut ii quorum cauſa laborem hunc ſumo, diu ac ſæpe declinatum, ſic deinceps in ſuo abundent ſenſu, ut veteribus noviſque fictionibus repudiatis, (quarum juſta accuſatio multo magis ipſorum cauſæ officit quam alia quæcumque adverſantium argumenta) ſolidiori, ſi fieri poteſt, via progrediantur ad conciliandam veroſimilitudinem traditionibus ſuis. Regula ab Alberto data hæc eſt:*

In Regula præſcribantur,

44 Albertus, Dei gratia Hieroſolymitanæ Eccleſiæ vocatus Patriarcha, dilectis in Chriſto filiis, Brocardo & ceteris Eremitis, qui ſub ejus obedientia juxta fontem in monte Carmeli morantur, ſalutem in Domino & ſancti Spiritus benedictionem.

Multifariam multiſque modis ſancti Patres inſtituerunt, qualiter quiſque, in quocumque Ordine fuerit, vel quemcumque modum religioſæ vitæ elegerit, in obſequio Jeſu Chriſti vivere debeat, & eidem fideliter de corde puro & bona conſcientia deſervire. Verum quia requiritis à nobis, ut juxta propoſitum veſtrum, tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere impoſterum debeatis,

B *Prioris electio:*

I. Illud imprimis ſtatuimus, ut unum ex vobis habeatis Priorem, qui ex unanimi omnium aſſenſu vel majoris & ſanioris partis ad hoc officium eligatur: cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promiſſam ſtudeat operis veritate ſervare.

ſitus cellularum, & earū uſus,

II. Præterea juxta ſitum loci, quem inhabitare propoſueritis, ſinguli veſtrum ſingulas habeant cellulas ſeparatas, ſicut per diſpoſitionem Prioris ipſius, & de aſſenſu aliorum Fratrum vel ſanioris partis, eædem cellulæ cuique fuerint aſſignatæ.

III. Nec liceat alicui Fratrum, niſi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum ſibi locum mutare, vel cum alio permutare.

IV. Cellula Prioris ſit juxta introitum loci, ut venientibus ad eumdem locum primus occurrat; & de arbitrio & diſpoſitione ipſius poſtmodum, quæ agenda ſunt, cuncta procedant.

V. Maneant ſinguli in cellulis ſuis vel juxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus ſuis vigilantes, niſi juſtis occaſionibus occupentur.

VI. Hi qui litteras noverunt & legere Pſalmos, per ſingulas Horas eos dicant, qui ex inſtitutione Sanctorum Patrum & Eccleſiæ approbata conſuetudine ad Horas ſingulas ſunt deputati: qui vero litteras non noverunt, viginti quinque vicibus dicant Pater-noſter in nocturnis vigiliis, exceptis Dominicis & ſolennibus diebus; in quorum vigiliis prædictum numerum ſtatuimus duplicari, ut dicatur Pater-noſter vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in Laudibus Matutinis. In aliis quoque Horis ſepties ſimiliter eadem ſingulatim dicatur oratio, præter officia veſpertina, in quibus ipſam quindecies dicere debeatis.

C *orationis quotidianæ penſum,*

VII. Nullus Fratrum ſibi dicat aliquid eſſe proprium, ſed ſint vobis omnia communia; & ex his quæ vobis Dominus dederit, diſtribuatur unicuique per manum Prioris, id eſt per hominem ab eo ad idem officium deputatum, prout unicuique opus fuerit, inſpectis ætatibus & neceſſitatibus ſingulorum. Ita tamen ut, ſicut præmiſſum eſt, in deputatis cellulis ſinguli maneant, & ex his quæ ſibi diſtributa fuerint ſingulariter vivant.

Oratorium conſtruendum:

VIII. Oratorium, prout commodius fieri poterit, conſtruatur in medio cellularum: ubi mane per ſingulos dies, ad audienda Miſſarum ſolennia, convenire debeatis, ubi hoc commode fieri poterit.

IX. Dominicis quoque diebus, vel aliis ubi opus fuerit, de cuſtodia Ordinis tractetis: ubi etiam exceſſus & culpæ Fratrum, ſi quæ de aliquo deprehenſæ fuerint, caritate media corrigantur.

D *conſultatio hebdomadaria,*

jejunium fere quotidianum,

X. Jejunium ſingulis diebus, exceptis Dominicis, obſervetis à feſto exaltationis ſanctæ Crucis, uſque ad diem Dominicæ reſurrectionis, niſi infirmitas vel debilitas corporis aut alia juſta cauſa jejunium ſolvi ſuadeat: quia neceſſitas non habet legem.

abſtinentia à carnibus:

XI. Ab eſu carnium ſemper abſtineatis, niſi pro infirmitatis aut nimiæ debilitatis remedio ſint ſumendæ.

arma ſpiritualia,

XII. Quia vero militia eſt vita hominis, & omnes qui pie volunt vivere in Chriſto perſecutionem patiuntur; adverſarius quoque veſter diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret; omni ſolicitudine ſtudeatis indui armatura Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias inimici. Accingendi ſunt lumbi veſtri cingulo caſtitatis, muniendum eſt pectus cogitationibus ſanctis: ſcriptum eſt enim, Cogitatio ſancta ſervabit te. Induenda eſt lorica juſtitiæ, ut Dominum Deum veſtrum, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute diligatis, & proximum veſtrum tamquam voſmetipſos. Sumendum eſt in omnibus ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo, &, Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides veſtra. Galea quoque ſalutis imponenda eſt capiti, ut de ſolo Salvatore ſperetis ſalutem, qui ſalvum facit populum ſuum à peccatis eorum. Gladius autem ſpiritus, quod eſt verbum Dei, abundanter habitet in ore & in cordibus veſtris; & quæcumque vobis agenda ſunt, in verbo Domini fiant. E

fuga otii, & continua occupatio,

XIII. Faciendum eſt vobis aliquod operis, ut ſemper vos diabolus inveniat occupatos: ne ex otioſitate veſtra aliquem intrandi aditum ad animas veſtras valeat invenire. Habetis ad hoc B. Pauli Apoſtoli magiſterium pariter & exemplum: in cujus ore Chriſtus loquebatur, qui poſitus eſt & datus à Deo prædicator & doctor gentium in fide & veritate: quem ſi ſecuti fueritis, non poteritis aberrare. In labore, inquit, & fatigatione fuimus, inter vos, nocte ac die operantes, ne quem veſtrum gravaremus. Non quaſi nos non habeamus poteſtatem: ſed ut noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum vos. Nam cum eſſemus apud vos, hæc denuntiabamus vobis: Quoniam ſi quis non vult operari non manducet. Audivimus enim inter vos quoſdam ambulantes inquiete, nihil operantes: his autem qui ejuſmodi ſunt, denuntiamus & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, ut cum ſilentio operantes ſuum panem manducent. Hæc via ſancta & bona; ambulate in ea. 2 Theſſ. 3, 8 F

religioſum ſilentium.

XIV. Commendat vobis Apoſtolus ſilentium, cum in eo præcipit operandum: & quemadmodum Propheta teſtatur, Cultus juſtitiæ, ſilentium eſt: & rurſum, In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. Ideoque ſtatuimus, ut ab Hora veſpertina uſque ad Horam tertiam ſequentis diei ſilentium teneatis: niſi forte neceſſitas vel cauſa rationabilis aut licentia Prioris ſilentium interrumpat. Alio vero tempore, licet ſilentii non habeatur obſervatio tanta, diligentius tamen à multiloquio caveatur: quoniam ſcriptum eſt, & non minus experientia docet: In multiloquio non deerit peccatum: & Qui inconſideratus eſt ad loquendum ſentiet mala: item, Qui multis utitur verbis lædit animam ſuam: & Dominus in Euangelio, De omni verbo Iſ. 32, 17 Prov. 10, 19 Ib. 13, 3 Ib. 20, 8

A verbo otioſo, quod locuti ſuerint homines, reddent
Matth.12,36 rationem de eo in die judicii. Faciat ergo unuſquiſque ſtateram verbis ſuis, & frænos rectos ori ſuo,
Pſ.38, 2 ne forte labatur & cadat in lingua ſua, & inſanabilis ſit caſus ejus ad mortem: cuſtodiens cum Propheta vias ſuas, ut non delinquat in lingua ſua; & ſilentium, in quo cultus juſtitiæ eſt, diligenter & caute ſtudeat obſervare.

Commendatur Priori humilitas, xv Tu autem Brocarde, & quicumque poſt te inſtitutus fuerit Prior, illud ſemper habeatis in mente & ſervetis in opere, quod Dominus ait in Euangelio, Quicumque voluerit inter vos major eſſe frater,
Matt.20,26 erit veſter miniſter: & quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus.

Fratribus obſervantia. xvi Vos quoque ceteri Fratres, Priorem veſtrum honorate humiliter, Chriſtum potius cogitantes quam ipſum, qui poſuit illum ſuper capita veſtra, &
Luc.10,16 Eccleſiarum Præpoſitis etiam ait, Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit: ut non veniatis in judicium de contemptu, ſed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem.

Hæc breviter ſcripſi, vobis converſationis veſtræ formulam ſtatuens, ſecundum quam vivere debeatis: ſi quis autem ſupererogaverit; ipſe Dominus, cum
B redierit, reddet ei: utatur tamen diſcretione, quæ virtutum eſt moderatrix. Ex Achon, Idus Januarii.

CAPUT VI.

Conditio & numerus eorum quibus Regula data; hæc vero unde ſumpta, explicatur.

Regulam ſcripſit Albertus brevem, 45 HÆc *eſt* primæva *ſeu* primigenia Regula Carmelitarum, Ordinis anima & forma *à non nemine dicta; à Romanis Pontificibus poſtmodum probata, & varie mitigata. Quam conferens cum ſupra memorata S. Auguſtini Regula, ſcripta ad inſtitutionem unius ſolius parthenonis, in quo ipſa ſancti Doctoris ſoror Præpoſita fuerat, poſtea autem ad plura, etiam virorum, monaſteria uſu approbante deducta; prorſus in hoc ſimillimam invenio, quod ſicut Auguſtiniana, ex ſui auctoris mente, longius ſe non extendebat, quam ad illas paucas ſanctimoniales quibus ſcribebatur (utpote quarum nulla eſſet cum aliis cœnobiis communio regiminis aut dependentiæ mutuæ) ita nec Albertina vel minimum indicium habeat, ex quo prudenter inferre poſſit aliquis, novellum ſub Brocardo germen ultra Carmelum diffuſum fuiſſe cum hæc dictaret Albertus, aut alibi quam juxta fontem habitaviſſe.* Propoſitum *erat, vitam eremiticam ſub obedientia ducere: hoc annorum aliquot uſus, abſque ullo forſitan voti arctioris vinculo continuatus, comprobaverat. Nulla adhuc certa vitæ formula ſcripta erat, ad quam ſe obligarent: petita hæc ab Alberto eſt. Brevem is ſcripſit; nec enim humili tunc arbuſto, & nihil minus promittente quam ſecutam poſtmodum proceritatem, longa opus erat pertica, ut ſtare poſſet. Exteriorem vitæ formulam primum articulus undecimi, aliis deinde quinque interiorem compoſuit: nihil de miniſteriis erga proximum, nihil de ſtudiis litterarum, nihil de Superiorum plurium inter ſe ſubordinatione, nihil de cura aut regimine ſanctimonialium, nihil de cantu aut choro præcipit: quod certum eſt argumentum, nihil adhuc tale inter Eremitas illos aut reipſa fuiſſe uſu inductum aut cogitatione deſignatum.*

ſed longum ſatis pro paucis eremitis, C

quarũ primos ſcimus ex oculato teſte anno 1185, 46 *Quando illi locum cœperint habitare, quo primum vitæ magiſtro uſi, quot numero fuerint, non ego per abrupta gratuitarum conjecturarum nec per lubrica traditionum incertarum requiram: ſed audiam irrefragabilem atque oculatum teſtem* Joannem, Sacerdotem pientiſſimi Phocæ, filium Matthæi monachi, exercentis ſe in inſula Patmo, qui vidit ſancta loca anno MCLXXXV, *uti in rubrica nomen, genus, conditio & ætas auctoris prænotatur ad marginem opuſculi ejus Ms. quod autographum viderat* Leo Allatius, *in patria ſua* Chio *degens, atque à ſe* Latine

redditum Bartoldo Nihuſio amico ſuo miſit in Hollandiam, qui illud Amſtelodami anno MDCLIV, *Kalioviì* Colonienſis *typographi nomine mutuatus, imprimi fecit. Lubet vero tam authentici ſcriptoris contextum integrum Græce ac Latine dare, id eſt totum penultimum opuſculi caput, quod eſt hujuſmodi:* Μετὰ ταῦτά ἐστι τὸ Καρμήλιον ὄρος, ὠΕὶ ὃ πολὺς λόγος παρά τε τῇ παλαιᾷ γραφῇ ἢ τῇ καινῇ ὑπογράφεται. Ἔστι δὲ ὁ ὄρος, ζυγὸς ὑπὲρ αὐτὴ τῆ θαλαττίᾳ κόλπῳ, τῷ ὠΕὶ τὴν Πτολεμαΐδα ἢ τῷ Καϊφᾶ κοιλαινομένῳ, ἄρχομενος, ἢ μέχρι τῶν τῆ Γαλιλαίας διήκει ὁρίων. Περὶ δὲ τὸ ἀκροτελεύτιον τὸ πρὸς τὴν θάλασσαν τῆ ζυγῆ, ἐστὶ τὸ τῆ προφήτου Ἠλιᾶ σπήλαιον, ἐν ᾧ τὴν ἀγγελικὴν πολιτείαν ὁ θαυμαστὸς ἐκεῖνος διατελέσας ἀνὴρ, μετάρσιος γέγονεν. Ἦν μὲν ἐν τῷ τοιούτῳ χωρίῳ πάλαι μεγάλη μονὴ, ὡς τὰ νῦν φαινόμενα τῶν κλισμάτων διδάσκουσι λείψανα· ἀλλ' ὑπὸ τὸ χρόνου, τῆ τὰ πάντα γηράσκοντος, ἢ τ῀ τῶν ἐχθρῶν ἀλλεπαλλήλων ἐπιδρομῆς, ἠφάνισται λέον. Πρὸ δέ τινων χρόνων ἀνὴρ μοναχὸς, ἱερεὺς τὴν ἀξίαν, πόλιος τὴν τρίχα, Καλαυρηδόθεν ὁρμώμενος, ἐξ ἀποκαλύψεως τῆ Προφήτου τῷ τόπῳ ἐπιδημήσας, ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις, ἢ ὡς ἐν τοῖς τ῀ μονῆς καταλύμασι, θειγλίον πύξας μικρὸν, ἢ πύργον οἰκοδομήσας, ἢ ναὸν ἀνεγείρας μικρὸν, ἢ ἀδελφὰς ὡσεὶ δεκὰ συνάξας, νῦν τὸν ἅγιον χῶρον ἐκεῖνον οἰκεῖ. Subſequitur mons Carmelus, de quo in veteri recentiorique ſcriptura pluri- E
ſub monacho ſene ac Sacerdote, mus ſermo eſt. Jugatur mons, ab ipſo maris ſinu, qui circà Ptolemaidem & Caipham incurvatur, initium ducens & ad Galileæ fines perveniens. In extrema parte jugi, qua mare reſpicit, Prophetæ Eliæ ſpelunca ſpectatur, in qua Angelicam vitæ rationem cum exegiſſet mirificus vir ille, in aëra ſublatus eſt. Erat eo loci antiquitus monaſterium magnum, ut ſtructurarum veſtigia ad hæc uſque tempora commonſtrant: ſed illud tempore, quod omnia in ſenium impellit, & gentium variis incurſionibus penitus abolitum. Verum ante aliquot annos quidam monachus, dignitate Sacerdos, capillitio albus, è Calabria oriundus, ex Prophetæ revelatione in montem appellens, ea loca, monaſterii nempe reliquias, vallo perparvo cinxit, & turri ædificata, temploque non ingenti extructo, Fratribuſque ferme decem collectis, etiamnum ſanctum illum ambitum colit.

ad illic habitandum apparitione Prophetæ ipſius inducto; 47 *Hactenus tum ipſe Ioannes Græce tum eruditiſſimus interpres Latine: quibus ſollitur primo dubium illud, quo ſcio viros aliquos eruditos diu ſeſe torſiſſe, ambiguos an ſatis certum eſſet, ante Brocardum alium aliquem extitiſſe, cui ipſe in Fratrum regimine ſucceſſerit: propterea quod quæ habebantur de Bertholdo, tã male omnia cohærerent, ut ipſa ejus perſona videri poſſet gratis conficta. Dum enim jam conſtat fuiſſe aliquem, facile admittent illi ut veroſimile, quod nomen ei fuerit* Bertholdus. *Deinde intelligitur, quod hactenus obſcurius fuerat, quæ primis ſub illo Carmelitis cauſa eſſe potuerit ſuæ inſtitutionis initia ad Eliam Prophetam referendi; quamvis non eo forte quo poſteri id intellexerunt modo. Innoteſcit quoque eorumdem primorum Carmelitarum numerus: qui non debet nimium arctus videri pro tanta Religionis principio, quando nec S. Ignatio, Societatem tam cito tamque late diffuſam inſtituenti, plures initio ſocii fuere quam decem. Quod autem ab iſtis decem profluxerint eæ quæ prætenduntur traditiones, de Elia ac ſucceſſoribus ejus, de Virginis & Elianorum familiaritate, primoque ipſius apud illos ſacello, de frequentia ac ſucceſſione monachorum in Carmelo, de regula ab illis obſervata, de crudelitate Saracenorum adverſus eoſdem & eorum multiplicatis martyriis, deque aliis hujuſmodi rebus pluribus, quarum apud antiquos ſcriptores nullum extat veſtigium: quod, inquam, ab iſtis decem fluxerint hujuſmodi traditiones, ſicut* F
gratis aſſereretur, ita facile negaretur. Demus autem decem illos, quos Latinos omnes fuiſſe non dubitaverim, ab indigenis accoliſque Syroſaracenis ac ſemi-Chriſtianis, infinitas pene nugas circa locorum ſacrorum hiſtoriam ſolitis effunde-

AUCTORE D. P.

re in aures peregrinorum, etiam de Carmelo audiviſſe aliqua, & narrando ſucceſſoribus ſuis tradidiſſe; an ea ſtatim vim habebuut indubitabilis traditionis? Ego quidem præfatus ſum, nolle me proceſſionem Ordinis ab Elia vocare in controverſiam, & idem rurſus profiteor: valeat pro illâ qualiſcumque traditio; ſatis habeo ſi prudenti Lectori innoteſcat, non ſine juſta cauſa petere nos, ut ab eadem noſtro aſſenſu confirmanda habeamur excuſati, donec nobis de ejuſdem origine meliori conſtiterit, quam ſint Syrorum quorumdam narrationes, quæ aliis in argumentis ſæpe de falſitate convictæ ac nominatim in S. Georgio, non poſſent non etiam eſſe ſuſpectæ, ſi quid ab iis dimanaſſet ad poſteros, de ſtatu Carmeli ante Bertholdum, quod aliunde non comprobaretur.

48 Porro cum ab eo tempore, quo Carmeliticam eremum viſitavit Ioannes Phocæ, ibique Bertholdum cum ſociis repetit, uſque ad tempus datæ Regulæ, anni, ut infra docebimus, circiter XXIV effluxerint, credibile eſt, ad primum Carmelitarum denarium factam eſſe intra iſtud ſpatium acceſſionem aliquam, non tamen tantam, quin adhuc omnes facile intra ſeptum à Bertholdo extructum continerentur, & commune oratorium iis ſufficeret. Neque hic mihi quiſpiam objicienda putet tria illa monaſteria, de quibus Guntherus, monachus in Ciſtercienſi diœceſis Baſileenſis cœnobio, Pariſius dicto, dum Bernherum quemdam virum in Hieroſolymitano Regno potentem ac nobilem, Martino Pariſienſi Abbati, iſtuc ſub annum MCCIV appulſo, loquentem inducit. Volebat is dicto Abbati ſuadere, ut depoſito redeundi in Teutoniam conſilio, iſtic maneret, offerens illi à Rege Epiſcopatum aliamve eccleſiaſticam dignitatem; vel, ſi ſecretiorem & monaſticæ profeſſioni magis congruam vellet agere vitam, hoc quoque ipſe pleniſſime provideret. Eſt enim, inquit, in partibus illis territorium, quod tam moderno uſu quam apud veteres ſcripturas mons Carmeli nominatur, locus omnibus bonis uberrimus, fertilis frugum, veſtitus optime vinetis, oleis & aliis arborum generibus eleganter conſitus, paſcuis etiam copioſis exuberans. In hoc monte ſunt tria monachorum cœnobia, diſtincta ab invicem, & latas poſſeſſiones habentia, quibus cœnobiis vel ſingulis uteretur, vel in unum redactis ipſe Abbas & Dominus præſideret. At vero, ſi mallet ſui Ordinis Fratribus quam aliis præeſſe, cœnobitæ illi ad alia loca ſatis commode transferrentur: Abbas vero, aſſumptis ſui Ordinis hominibus, quibus vellet & quanto vellet numero, totum præfati montis territorium, tam ipſe quam ſui ſucceſſores, perpetua ditione tenerent. *Ita Guntherus, Tomo 5 antiquarum Lectionum Caniſii, ex ore illius ſui tum viventis Abbatis: quem qui de eremitis ad fontem Eliæ commorantibus eorumve ſequacibus intelligendum putaret, aut etiam de monachis Syris Græciſve, judicio meo nimium aberraret. Nam primum Latinos fuiſſe, quorum convictus & prælatura Martino, Græca Syriacæque linguæ ignorantiſſimo, offerebatur, extra controverſiam videtur poni debere: tum monachos, non eremitas, & quidem latis poſſeſſionibus ditatos, quod erat à propoſito Carmelitarum alieniſſimum, ac veroſimiliter Benedictinos, omnino verba ipſa indicant.*

Eam autem dedit Alberius,

49 *Ipſis porro, quos dixi, Carmelitis, locum ab Elia habitatum tenentibus, quos ſolos Carmelitarum nomine, licet tunc necdum uſurpato, intelligimus; Regulam ſic dictavit Albertus, ut ſi vel ſua ſponte migrantes, vel aliena violentia expulſi, alium ſibi locum habitandum proponerent, nihilo minus quam in Carmelo uſui eſſe poſſet. Nec plura de ſtatu dicti Ordinis, uſque ad Regulæ deſcriptionem, vel ex hujus verbis elicere, vel ex idoneæ auctoritatis teſtimoniis ſcire poſſumus. Quæcumque ab his diverſa aut illuſtriora narrantur à Lezana & aliis, ſumpta ſunt omnia aut ex auctoribus vaeillantes narratiunculas ſecutis, aut ex duobus pſeudepigraphis ſcriptis: primo titulum Ioannis XLIV Hieroſolymitani Patriarchæ, ſecundo Cyrilli Prioris III nomen falſo præferentibus. Quærunt porro nonnulli ſolicite, unde eam Regulam acceperit Albertus: & alii quidem ex Baſilii Statutis monaſticis, alii ex præmemorato Ioannis libro, aut etiam ex utriſque, ſumptam volunt, tamquam eorumdem partim compendium partim ſupplementum. Continent utraque præceptiones varias, monachis aut etiam eremitis & Dei famulatum profitentibus idoneas: ſed nulla major eſt cauſa cur has præ oculis putetur habuiſſe Albertus, quam alterius cujuſcumque Ordinis religioſi legiſlator. Scripſit autem ea brevitate, tamque conformiter ei modo vivendi, quem ipſe Italus in Italia viderat ab Eremitis Camaldulenſibus ſervari, ut propria experientia ſatis ei eſſe potuerit ad pauca iſta proponenda. Ideo mihi videntur Legiſlatori ſuo eſſe injurii, qui tam pauca tamque obvia putant ab eo præcipi non potuiſſe abſque luce aliunde accepta. Ad hæc articulus XII ac XIII ejuſmodi ſunt, ut ſi aliquem aſceticorum ſcriptorum præ oculis habuiſſet Albertus, eos inde potius integros tranſcripturus fuerit, quam novos conpoſiturus. Dico novos: nam quod ab eo attingantur Scripturæ eadem, quæ alibi quoque leguntur, ipſo argumento eaſdem ſuggerente; non facit ut non poſſit credi vir ſanctus eas accepiſſe immediate ex ipſis ſacris libris, abſque ullo reſpectu ad alium qui fuerit eiſdem uſus.*

ex propria ſcientia, non vero ex S. Baſilio,

50 *Cum tamen Baſilium ſecutus Albertus dicitur, tolerabilius dicitur aliquid, quam cum Ioannem Hieroſolymitanum. Toti enim eccleſiæ, non tantum Orientali ſed & Occidentali, nota erat Regula S. Baſilii, ex quo eam Ruſinus Presbyter Aquileienſis, S. Hieronymi æqualis, rogatu Vrſeji Abbatis fecit Latinam, quomodo eam ex vetuſtiſſimo Sanmaximinianenſi prope Treviros Codice tranſcriptam accepit & cum aliis monaſticis Regulis imprimendam curavit Lucas Holſtenius tom. 1 Codicis Regularum. At iſtum Ioanni Hieroſolymitano imputatum librum fuiſſe in rerum natura, cum Regulam ſuam dictaret Albertus, necdum idoneo ullo auctore cognovimus. Primi Carmelitæ nobis eum offerunt, ex unius Philippi Riboti fide, ipſum inſerentis operi ſuo de inſtitutione & peculiaribus geſtis Ordinis Carmelitarum, annis plus quam centum poſt Ordinem traductum in Europam. Iuvat vero audire quis de eo ſenſus ſit virorum in diſcernendis germanis ſpuriiſque libris verſatiſſimorum: quod dum facio, liceat uſurpare Waſtelii, totis duobus libris, pro manutenenda operis iſtius veritate, contra Paulum Sherlogum pugnantis, hæc verba.* Certamen litterarium eſt: nemo offendatur: quod etſi etiam pugnam vocamus, non lædet ea caritatem. *Et Virginem & Ordinem ejus ſincere amant etiam ii, qui circa hujus originem & illius cultum in Carmelo aliter ſentiunt, quam ex illo dubiæ auctoritatis libro docentur. Inter hos, quia tempore ultimus, & poſt multam utrimque diſputationem de totius quæſtionis ſtatu informatiſſimus, Philippus Labbe, merito primus nominabitur. Hic in opere de Scriptoribus eccleſiaſticis anni 1660 pag. 584, ita loquitur de eo qui ad Capraſium ſcriptus dicitur à Ioanne* XLIV. Hunc librum à poſteriore aliquo ſcriptore, eoque Latino, fuiſſe Joanni Hieroſolymitano ſuppoſitum, eruditiſſimi & acutiſſimi viri cenſuerunt, Baronius, Bellarminus, Theophilus Raynaudus, & alii.

aut Ioanne Hieroſolymis, cujus librum rejiciunt,

Philippus Labbe.

51 *Baronii verba non proferam, quoniam id vel ſemel feciſſe, cum de B. Bertholdo quæreretur cui tempori eſſet attribuendus, capitalem pene huic noſtro operi conflavit invidiam. Bellarminum audiamus:* Tribuitur, *inquit*, Joanni liber ad Capraſium de inſtitutione monachi: ſed hic liber videtur ſcriptus ab aliquo longe poſteriori: ſiquidem in eo libro dicit auctor ſe eſſe Ordinis Carmelitarum, & deſcribit habitum Carmelitarum. At illis temporibus nomen Carmelitarum Religioſorum erat plane inauditum... Adde quod ſtylus eſt hominis Latini & temporum poſteriorum. *Sed quia liber ad Capraſium paſſim inſcribitur* de inſtitutione, *non* monachi, *ſed* monachorum; *hunc calami ſeu memoriæ lapſum ſufficere Waſtelius credidit, ut* certum *eſſet*, quod Bellarminus ipſe ſuis oculis librum Ioannis non viderit ſive legerit, & bona ſolum fide imitatus ſit Joannem Braſichellenſem. *Eodem argumento probari poſſet, nec hunc quidem à Bellarmino eſſe lectum; cum titulum libri non exprimat Braſichellenſis, ſolum Ioannem Hieroſolymitanum nominans, librum vero ei attributum notum eſſe*

Card. Bellarminus & Braſichellenſis Mag. S. P.

A *esse supponens ex Bibliotheca Patrum Parisiensi anni* 1589, *quam totis duodecim annis ad manus Bellarmini non pervenisse, qui jam Cardinalis erat, & suam de Scriptoribus ecclesiasticis librum moliebatur, quis credat? Quid autem Brasichellensis? Erat ipse cum anno* 1607 *Indicem librorum expurgandorum impressit Romæ, Sacri palatii Magister, singulosque à se notatos recognoverat ex officio, eodem mox anno factus Episcopus Polymniamensis in Apulia. Hic cum protulisset* argumenta, quæ genuinum esse opus in ambiguo ponant; *tandem sic concludit:* liber ipse fide vacillare deprehenditur, cum multa de monachis Carmelitis, primis Ecclesiæ temporibus jam vigentibus, prodat. Denique stylus ipse totus Latinus, multaque sine majorum auctoritate & fide ambigua huic operi inserta, satis arguunt alium auctorem quam Joannem, & quidem recentiorem. *Huic gravissimo judicio frustra Wastelius objicit ipsius Indicis suspensionem aliquam, Guidoni Archiepiscopo Rhodiensi & per Belgium Nuntio Apostolico indicatam anno* 1612; *quandoquidem ea nec progressum sciatur habuisse; nec probetur facta esse ad justificationem librorum istic notatorum, cum aliis multis de causis suspendi liber potuerit; nec denique efficiat quo minus ista fuerit sententia Brasichellensis, esto Ecclesia universalis*
B *eam facere suam noluerit.*

52 *Theophilus Rainaudus, in tractatu de justa & injusta*
Theophil. Raynaudus *confixione librorum Parte* 1 *Erotemate* 10, *ista habet:* Eidem Joanni Hierosolymitano Episcopo XLIV suppositus est liber de institutione monachi ad Caprasium. Pugnat latissime pro eo libro adscribendo huic Joanni auctor Paradisi Carmelitarum, & Michael Muños libro 2 Propugnaculi Eliæ, ac Petrus Wastelius lib. 1 Vindiciarum: quo non nemo refert, quod Gennadius scripsit exscripsitque Honorius Augustodunensis, scriptum scilicet ab hoc Joanne esse contra obtrectatores studii sui: id quippe dictum putat de laude religiosi instituti, quod inter Carmelitanos professus erat, in quorum laudes eo Commentario effunditur. Mihi neque hic Joannes æqualis S. Hieronymi, neque ullus Græcorum veterum libri istius auctor esse videtur: stylus enim clamat auctorem esse Latinum, nec adeo antiquum ut S. Hieronymi coævus dici possit. Sed idem circa hunc librum asserendum Joanni apud scriptores Carmelitas obtigisse videtur, quod apud Augustinianos circa Sermones in eremo, quos unanimiter Fratres Eremitæ S. Augustino adscribunt, sicut unanimiter Fratres Carmelitæ tribuunt prædicto Joanni, plaudente
Franc. Bivarius. extra utrorumque cœtum nemine, *qui scilicet examinandos sibi illos assumpserit; alioqui non desunt illustres*
C *scriptores, interque eos Salianus, Sanctius, Salazarius, Eonartius, Ioannes Bonifacius, Cornelius à Lapide, aliique, omnes Societatis nostræ homines, qui nullam hic fraudem suspicati, in bona Carmelitarum fide usi sunt testimoniis petitis ex illo libro, tamquam vere per Ioannem compositio; quod majori cum cautela facturos fuisse credo, si eum habuissent usum dignoscendorum auctorum veterum, quem habuit P. Theophilus Raynaudus: quem vel ideo allego libentius, quod notum sit omnibus, quantum ipse Carmelitico Ordini semper faverit, & quam magnifice de eo vicissim sentiat Ordo; à quo proinde merito poscitur, ut credat, non fuisse eum collectam pridem gratiam expositurum periculo, sic sentiendo scribendoque in hac parte, uti sensit & scripsit, nisi ad hoc eum coëgisset evidentia compertæ certissimo veritatis.*

53 *Franciscus Bivarius de veteri monachatu libros sex composuit, postquam Wastelianæ vindiciæ pridem lucem vidissent, & lib.* 1 *cap. ult. ad dicendam de libro controverso sententiam invitus accedens*, persuasum, *inquit*, habeo, minime Joannis illius opus esse, sed auctoris multo recentioris. *Tum hujus suæ persuasionis rationes adducit efficacissimas, ac denique censet parum pro Dei genitricis dignitate reverenter, & minus vere dici cap* 34, *quod* Professores Religionis hujus *Carmelitanæ* docti fuerunt à summo templi Pontifice, quod beata Maria virginitatem Deo servare proposuerat ad exemplum Eliæ; & quod *ideo* Religiosi Carmelitæ Virginem Mariam, jam tempore Apostolorum, dicebant sororem suam: & propter conformitatem spontaneæ virginitatis inter Dei genitricem & religiosos Carmelitas, seipsos Fratres beatæ Mariæ Virginis appellabant. *Torquet se in omnem partem Wastelius (seu potius* *Auctor libri sat junior.* *Wastelii auxiliator aliquis, linguæ Græcæ scientiam majorem quam haberet promittens, cujus verbis Wastelius usus) ut ostendat vere Græcum hominem libri auctorem fuisse: sed iis argumentis, quæ si retorquere quis velit, fortassis probabilius faceret, ipsum Francum aut Flandrum fuisse, ex idiotismis & solœcismis, quos Vindex pro Hellenismis obtrudit. Infra num.* 136 *dabo specimina auctoris linguæ Græcæ æque imperiti quam fuit S. Thomas Aquinas, ex cujus Commentario super cap.* 11 *Epist. ad Hebræos ille verbotenus desumpsit, ridiculam quidem, sed tamen Sancti Doctoris ætati indulgendam etymologiam* Melotæ. *O quam multa hujusmodi plagia, hominis neminem citantis proditura suppositionem, possent in illo libro inveniri, si cui esset otium animusque ad ingentem laborem pro re nihili suscipiendum!*

54 *Cur autem id facere velit aliquis, cum obstinatis frustra se acturum intelligens? Respondebant enim cum Wastelio, nonnulla ex Hieronymo & Ambrosio verbotenus accepta sibimet objicienti, has esse interpolationes Philippi Riboti, qui librum Ioannis, ut commodum sibi erat, minutim distraxerit in particulas, & quæ idonea judicabat adjecerit. Simili confidentia idem Wastelius negat aliquod Latini auctoris argumentum esse, quod omnia aut pleraque Scripturæ loca, non juxta lectionem* LXX *Interpretum, sed juxta vulgatam versionem proferantur. Non occupati præjudiciis suis sciunt quantum ista valeant, maxime quando alia quoque plura accedunt, quæ si non singula, simul tamen conjuncta omnia, plenam conficiunt novitatis evictionem. Ceterum cum liber prædictus extet Gallice manuscriptus in conventu Carmelitanarum Namurci, cumque ipse Wastelius statim in principio variarum lectionum ingentes agnoscat*, non esse dissimile *forsan Wallo dictus Iean Neuveu du Bois.* veri, quod Græcus quispiam, Gallice melius peritus quam Latine, librum verterit in sermonem Gallicum, & alius inde in Latinum; *haud sane dissimile veri videbitur alteri, auctorem primum vere Francum aut Walonem fuisse: ejusmodi autem conjecturam confirmarent magnifica illa cognomenta* Nepotis Sylvani, *quæ Ioanni Hierosolymitano, nemine antiquorum, quod sciam, præeunte, idem Wastelius appingit. Nam per quæ ipse eum* Atavis Romanis nobilibus *editum comminiscitur; eadem alius, felicior forsitan conjectator, in rem suam trahet, dicetque verum auctoris nomen cognomen & agnomen fuisse* Jean Neuveu du Bois, *sic dicti ab uno ex variis oppidis villisque,* Bois *nominatis: quæ omnia Latine verterit aliquis; alii solo nomine contenti fuerint, ut eum facerent videri Hierosolymitanum Ioannem, quem Sanctum in Actis inventionis S. Stephani videbant nominatum, communi scilicet Episcoporum omnium titulo; & ignorabant in fide suspectum atque Origenianæ hæresis infamatum haberi. Unum est quod auctori isti certo* *& Carmelita.* *credere possimus, Carmelitam fuisse, ut ipse præ se fert: indeque minus mirandum erit, quod scriptor, Albertinæ Regulæ ruminandæ assuetus, de spirituali pugna, de castitate, de silentio, de obedientia loquens, eadem quæ ibi attinguntur Scripturæ verba usurparit: imo etsi totos Regulæ textus suo libro admiscuisset, quod non fecit, haud magnopere moveremur. Nequeo interim animo capere, quomodo sibi persuadere possit quispiam, ejusmodi librum, non tantum scriptum fuisse a Ioanne Hierosolymitano, sed etiam Carmelitis, id est, ut volunt ipsi, plerisque Palestinæ & Syriæ monachis aliisque ab ipsis toto Oriente deductis fuisse pro Regula, per annos septingentos eoque amplius; & simul credere, fieri potuisse, ut talis libri (cujus oportuisset tot fere exemplaria Græca extitisse quot monasteria aut cellæ) nemo scriptorum antiquorum per tot sæcula meminerit, saltem in asceticis; & ejusdem nullum uspiam inveniatur residuum exemplar Græcum.*

AUCTORE D. P.

55 *Maximum Vindiciarum Waſtelianarum & aliarum quarumcumque robur, conſiſtit in Epiſtola quadam producta ſub nomine S. Cyrilli Prioris* III, *adeo ut non dubitent aſſeverare, omnes auctores præcitatos aliter ſenſuros fuiſſe de libro ad Capraſium, ſi iſtam Epiſtolam aliquando vidiſſent. Verum tantum abeſt ut epiſtola iſta dimoveat me ab illorum fundatiſſima cenſura, ut in eadem confirmet quam maxime. Evidenter enim ipſa ſe probat ſcriptam eſſe, non à Cyrillo, qui optime norat quis & cujas fuerit Bertholdus, quo anno data ſit Regula, quæ eſſet habitus Carmelitici forma, quo is nomine appellaretur &c. ſed ab aliquo, qui hæc omnia ignorans, tunc ſcripſit, cum veteris habitus nomen & forma, non tantum ex uſu, ſed etiam ex memoria Carmelitarum exciderant, prout inferius manifeſtiſſime demonſtrabitur. Idem ignorans quod Aymericus Antiochenus fuerit,* homo nullius litteraturæ (*ut teſtatur coævus auctor Tyrius, l.* 14 *cap.* 18) *fingit, quod* intelligens quoſdam, qui ab Occidente ſupervenerant, ſpretis ſeniorum monitis, non recte ambulare ad veritatem religioſæ vitæ eremiticæ, in prædicto Joannis libro deſcriptæ; & perpendens hoc ideo maxime contingere, quia Græcas litteras ignorantes neſciebant codicem illum legere, fecit illum librum de Græco in Latinum transferri. *An etiam Græca omnia exemplaria aboleri? Certe nemo eſt qui uſpiam ullum ſibi viſum dicat: nec puto unquam fuiſſe qui viderit. Hæc autem quomodo conſiſtant cum antiquiori & receptiori apud Carmelitas traditione, qua ſuos majores ante Albertum Baſilianæ Regulæ profeſſores fuiſſe aiebant; fortaſſis non vere, ſed aiebant tamen, quia Ioannem iſtum necdum noverant. Quomodo etiam homo nullius litteraturæ, eo tempore quo etiam litteratiſſimi Græcam linguam ignorabant, ſcivit Occidentales illos non vivere conformiter dicto libro, quem nemo adhuc Latinum fecerat: ſi tamen vel Latinam ſatis commode intelligebat Aymericus iſte.*

Pro eo aſſerendo nihil juvat Epiſtola Cyrilli, æque ſuppoſititia:

B

56 *Ceterum, tam ipſum Ioanni* XLIV *imputatum librum, quam Cyrillo adſcriptam Epiſtolam ignoraſſe debuit, qui primus compilavit Conſtitutiones Ordinis, addens Præfationem ad inſtruendos Fratres,* quomodo debeant competenter ſatisfacere, quærentibus, à quo vel quomodo Ordo ſumpſit exordium, vel quare dicuntur Fratres Ordinis Beatiſſimæ Dei genitricis & Virginis Mariæ de monte Carmeli. *Non enim alium invenit quem citaret teſtem, quam Joſephi cujuſdam Antiocheni librum* de perfecta militia primitivæ eccleſiæ; *adjuncturus haud dubie etiam Ioannem, ſi quidquam tunc ſciviſſet Ordo de eo. Habemus Conſtitutiones, anno* MCCCCXCIX *impreſſas Venetiis, quales in Capitulo Bruxellenſi anno* MCCCCLXIV *publicaſſe dicitur Ioannes Soreth; ſed haud dubie diverſiſſimas à primis Ordinis Conſtitutionibus, quas allegat Alexander IV in Bulla anni* MCCLVI, *quaſque optaremus genuinas nanciſci: nam quæ nunc exſtant, plurimum mutatæ & auctæ ſunt, atque* inprimis *ſtatuunt* quod in Ordine ſint provinciæ viginti duæ, *quarum poſtrema ſit Arragonia, ut diſtincta à Provincia Hiſpaniæ quæ eſt decima; diſtinctionem autem iſtam Lezana refert ad annum* MCCCCXVII. *Interim ejuſdem cum prima collectione antiquitatis videtur eſſe ipſa Præfatio, quoad primam ſui partem (nam altera manifeſte Sorethi eſt) & iſtam Præfationem ſeu rubricam, velut* ab antiquo editam & antiquarum Conſtitutionum primam, *allegant Ioannes Bacconus, qui anno* MCCCXXX *floruit, & Bernardus Olerius ſub Vrbano VI Magiſter Ordinis Generalis; Ioſephum quidem Antiochenum non nominantes, ſed ipſa fere uſurpantes verba quæ ibi allegantur. Hac antiquitate non contenti Carmelitæ hodierni, (quamquam ipſi ibi dicantur* Fratres Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli deinceps per Apoſtolica Privilegia vocati, *& talia privilegia initium habeant cum Innocentio IV, ut infra docebimus) malunt Brocardum ipſum antiquarum Conſtitutionum auctorem dicere; quod gratis aſſertum, non indiget refutatione; probaret tamen, ſi verum eſſet, ſaltem Brocardi ævo ignotum Carmelitis fuiſſe librum, Ioanni Hieroſolymitano ſuppoſitum à poſteris. Quod autem ad Ioſephum Antiochenum attinet, cujus teſtimonio ibi confirmatur,* D *quod* Apoſtolorum coadjutores, Eliæ & Heliſæi ſequaces, de monte Carmeli deſcendentes, fidem Chriſti ſparſerunt; & oratorium ædificantes, elegerunt ut dicerentur Fratres B. Mariæ Virg. de Monte Carmeli. *Hic inquam liber, quamvis Pſeudojoannis libro fortaſſis uno ſeculo antiquior, non meretur ad Brocardi ætatem aſpirare, quando nomen iſtud Fratrum adhuc ignotum erat: & licet id ei concederetur, deberet nihilominus, æque ac liber Ioannis, cenſeri ſpurium vitulamen, ſeculo Chriſti* II *male attributum, & toti ignotum antiquitati, auctoriſque proculdubio Latini & multis ſeculis poſterioris, uti ſuadet* Eccleſiæ primitivæ *appellatio, præmature in titulo uſurpata, ac phraſis reliqua, quatenus in Præfatione habetur; nam ipſe liber hactenus nuſquam comparuit. Non eſt facile erudito huic ſeculo, quo omnia ad fundum excutiuntur, plumbum pro auro ſupponere, ſic ut diu fraus lateat. Plauſum fortaſſis initio referunt aliquem, dum fulgent magni nominis ſpecie obducta: ſed ubi intimius conſiderantur & criticum examen talia ſubeunt, in riſum vertitur admiratio, & cauſæ, cui fulciendæ fuerant fabricata, mirum in modum iſta præjudicant. Ita ſcriptis illis accidit, quæ ſub nominibus Dextri, Maximi, Luitprandi, Iuliani, initio ſeculi hujus prodierunt. Excepta cum gratulatione ab Hiſpanis ſunt, gaudentibus tantam ex inſperato hiſtoriis ſuis lucem affundi, tot Sanctorum decora ſuæ regioni aſſeri, patriaſque traditiones quaſdam tantis teſtibus fulciri: impoſturam primum exteri, deinde & Hiſpani ſagaciores agnovere, & facile agnoſcerent Carmelitæ vel ex ſola librorum noſtrorum lectione, niſi nomen ſuum etiam in iſtis figmentis invenirent, quod vellent antiquius credi* XIII *ſeculo. Placet enim illis mirifice commentum quoddam de prima Beatæ Virginis Mariæ eccleſia, jam inde à temporibus Apoſtolorum in Carmelo ædificata, à qua factum ſit, ut jam tunc qui degebant ibidem eremitæ, vocarentur* Fratres S. Mariæ de monte Carmelo: *ſed nulla ſolida auctoritate probabunt, nomen illud vel ſub Alberto in uſu fuiſſe, nedum tot ſeculis ante.*

& figmenta Dextrina,

E

quibus nunc aliqui ſe tuentur.

& utrumque ſcriptum pleriſque Carmelitis diu ignotū fuit,

57 *Quia autem de Carmelo facta eſt mentio, deque eccleſia quæ ibi in Deiparæ honorem fabricata fuiſſe fingitur, & apud quam Elianorum inſtitutum perpetua ſucceſſione floruerit; ut appareat, quam ſine fundamento talia aſſerantur; dico amplius, & aſſero, nullo idoneo teſte probari poſſe, quod ipſa Eliæ Prophetæ in Carmelo memoria, olim à Chriſtianis annumerata ſit locis in ſacra peregrinatione adeundis. Teſtes appello quotquot in Terram-ſanctam profecti ſuarum peregrinationum rationem poſteris reliquere ſcripto, vel aliis ſcribendam dimiſere. Multa de Paulæ ſuæ diligentia in locis ſacris circumeundis, ſcribit Hieronymus, & ſtatim à primo in Terram-ſanctam ingreſſu narrat, quomodo,* antiqua Sidone derelicta, in Sarepthæ littore Eliæ eſt ingreſſa turriculam: *ubi autem* pervenit ad Coth, quæ nunc Ptolemais dicitur, *putaſſe vicinum Carmelum, tanta prodigiorum multitudine memorabilem in Scripturis, adire contempſiſſet, ſi qua ejus tunc fuiſſet celebritas? S. Willibaldi Hodœporicon ſpectat ad annum circiter* DCCXX, *& eodem fere tempore Arculphus Epiſcopus ſimili modo peregrinatus eſt. Ex hujus ore accepit Adamnanus locorum Terræ-ſanctæ deſcriptionem, quæ Typis vulgata à Caniſio extat, una cum epitome illius per Bedam ſcripta: ex illius relatu ipſum Hodœporicum ſcripſit Sanctimonialis cognata: utrobique Thabor & oppidum Nazareth diſtincte nominantur, ipſe Carmelus prætermittitur; & tamen ita vicinus utrique loco ipſe eſt, ut ex hoc ad illum tranſiens, paucarum leucarum flexu, adire montem poſſit.*

Ipſe Carmelus non habebatur inter loca ſacra,

F

tempore S. Hieronymi,

nec anno 720.

58 *Quod ſi neque tempore S. Hieronymi, neque tribus poſt ſecutis ſeculis celebritas aliqua loci fuit; credibile autem non ſit, quod poſtea, collapſis in Terra-ſancta Chriſtianorum rebus, exurrexerit magnum aliquod ibidem monaſterium, in cujus ante adventum Latinorum deſtructi ruderibus, cum ſociis cœperit habitare Bertholdus; cogor vehementer dubitare, utrum rudera illa τῆς μονῆς, de quibus loquitur Ioannes Phocæ, vere alicujus* monaſterii *fuerint, & non potius reliquiæ*

forte nec antea quidem ullum ibi monaſterium fuit.

C

uti & liber ſub nomine Ioſephi Antiocheni allegatus ante Ioannem,

A *quiæ* habitationis *illius, (utrumque enim ſignificat vox* μονὴ *) quæ occaſione profani oraculi, quod iſtic Veſpaſiani ævo conſulebatur, olim fuerat excitata. Præterea ſi revera maximum monaſterium ibi fuit, ubi Bertholdus invenit magni ædificii veſtigia; ex eoque olim centeni & centeni, non ſigillatim tantum, ſed etiam turmatim, ut volunt Scriptores Carmelitici, palmam martyrii obtinuerunt, occiſi à barbaris: quomodo eorum apud Græcos monachos non remanſit memoria æque ac Martyrum minori longe numero & crudelitate à latrunculis cæſorum in monaſteriis Sabæ, Sinai & Raithu: quorum & feſta & Acta habentur? Conjectura tamen opinantium ibi olim monaſterium fuiſſe, videtur occaſionem dediſſe antiquis Carmelitis, ut interrogati quæ Regula fuerit in Carmelo ſervata, priuſquam ſua illa recentior conderetur, reſponderint, Regula S. Baſilii, utpote quam ſcirent longo tempore communem fuiſſe omnibus Græci ritus monaſteriis. Nam quamvis Carmelitici Ordinis in Carmelo excitator Bertholdus ex Calabria advenerit, ubi multa erant Græci ritus Baſilianorum monaſteria; ipſum tamen (quem vel ex nomine colligas à Francis Normanniſve Calabriæ dominantibus originem trahere) alterius ritus quam Latini monachum & Sacerdotem fuiſſe, nemo dixit hactenus, & nemo ſi dicat perſuaſerit. Multo prius quam hic eo appelleret, imo ante Latinorum ſub Godefrido Bullionio adventum, ſeculo fortaſſis* IX *aut* X Epi-

certe non fuit poſtea;

B phanius monachus Hagiopolita *ſcripſit enarrationem* de Syria, urbe ſancta, & locis ibi ſanctis; *in quibus nec montem Sinai, neque S. Mariæ Ægyptiacæ ſepulcrum, octo diætis Hieroſolymis diſſitum, præterivit ſilentio; præterivit Carmelum. Neque magis eumdem nominandum ſibi credidit* Anonymus *ſimilis ævi auctor* de locis Hieroſolymitanis, *cum dicto Epiphanii libello inter* Συμμικτὰ *Allatiana editus à Nihuſio. Denique appulſis jam in Terram-ſanctam* Latinis *ac feliciter agentibus, anno* MCXXX, *eodem profectus eſt S. Theotonius; in hujus autem Vita, ad* XVIII *Februarii illuſtrata, commemorantur celebriora quæque loca ab illo adita, nec tacetur Iericho, propter Elizæi fontem adiri ſolita: ſed tacetur Carmelus, ob Eliæ anachoreſim multo ſpectabilior, ſi tunc fuiſſet aliqua ejus æſtimatio.*

& ultra an. 1130 *neglectus locus*

viſitari cœpit poſt adventum Bertholdi:

59 *Verum poſtquam ibi cœpit habitare Bertholdus, quamvis cum decem ſolis ſociis, parvuloque oratorio potius quam templo, mox ſecutus Ioannes Phocæ, de quo ſupra, mentionem ejus minime negligendam putavit. Annis poſt Ioannem viginti tribus, cum ſecundum Priorem Brocardum Carmelitæ haberent, eodem appulſus eſt* Willibrandus ab Oldenborgh, Hildeſemienſis Canonicus, *Epiſcopus poſtea Paderbornenſis ac deinde Vltrajectinus. Hic in ſuo Itinerario, quod pariter inter prædicta* Συμμικτὰ *legitur, hæc verba ſcripſit:* Super Caipham urbem directe jacet mons

C Carmelus, in quo hodie monſtratur manſio Eliæ & honoratur: in quo loco quotidie Miſſarum ſolennia

quando adhuc putabatur, prima B. V. eccleſia fuiſſe Antaradi.

celebrantur. *Quam autem paucos ibidem etiam tunc oportet eremitas fuiſſe, de quorum nova vel inſtitutione vel reformatione, nihil dicere habuit curioſus iſte peregrinus! quam altum ibi adhuc ſilentium, de primo ſacello quod ibidem Apoſtoli olim dedicaverint? Econtrà talis prærogativa vulgari opinione tunc tribuebatur loco alteri, nempe* Taradenſi, *ideſt,* Antaradenſi civitati, *Saracenis* Tortoſt *dictæ,* ubi, *inquit Willebrordus prælaudatus,* eccleſia parva maximæ venerationis, quam Beati Petrus & Paulus, cum Antiochiam properarent, ex Angelica admonitione propriis manibus ex incultis lapidibus S. Mariæ tunc primum compoſuerunt. Hæc erat prima eccleſia, quæ in honorem Dominæ noſtræ ſemperque virginis Mariæ fuit ædificata. *Quam vere hæc tunc traderentur non examino, hoc ſolum infero, non eſſe veroſimile quod ſimilis de Carmelitano oratorio tunc viguerit traditio, aut tale quid de eo fuerit Willebrordo narratum. Ceterum intentionis meæ non eſt Carmelitarum ab Elia proceßionem hoc argumento negare. Potuit illa, ſi vera eſt, alibi quam in Carmelo fuiſſe continuata: ubicumque autem fuerunt Carmelitæ, ſuos proculdubio habuerunt Superiores quocumque voles nomine appellatos: numquam tamen credas, illos uni*

Interim inutiliter ſe torquent alii, ut inveniant ili Generales ante Bertholdum:

veluti Archimonaſterio ſubordinatos aut ejus Præfecto fuiſſe obnoxios, uti nunc pleriqne Religioſorum Ordines uni Generali ſubſunt. Prudentior in hac parte Ludovicus à S. Teresia, inutilem arguit eorum ſolicitudinem, qui Bertholdum nolunt abſolute vocari primum Priorem Generalem, *ſed volunt ut addatur* Latinorum: *quaſi ſcilicet etiam Syri aut Græci, per plura diviſi monaſteria, ſub uno capite uniti fuerint. Addo ego, ipſam* Prioris Generalis *appellationem eſſe præproperam, & ſolum Bertholdo dari poſſe per anticipationem tituli, ſucceſſoribus competentis, ut ſæpe fieri aſſolet.* AUCTORE D. P

60 *Vide autem ad quam inſulſas conjecturas ea ſolicitudo impulerit quoſdam noviſſimos ſcriptores. Narraverat Suetonius in Veſpaſiano, quod huic, in nuda Carmeli ara ſacrificanti (nec enim ibi* ſimulacrum Deo aut templum *erat)* Baſilides Sacerdos inſpectis extis *pronuntiarit, feliciter ceſſura quæcumque agitabat animo. Continuo ſatis hoc fuit, ut Baſilidem ex gentili aruſpice (qualem deſcribit Suetonius) Elianum facerent Cœnobiarcham; parum conſiderantes, eadem Suetonii auctoritate illam prætenſam ſuam eccleſiam Apoſtolicam eventi, de qua ſupra. Conciliis Conſtantinopoli celebratis anno* CCCCXLVIII *&* DXXXVI *ſubſcripſerunt* Eulebius, Silas, Babylas, Presbyteri monaſterii Eliæ & Archimandritæ. *Mox velut indubitatum aſſumitur, eos ex Terra-ſancta, & quidem ex Carmelo veniſſe, ac ſucceſſive fuiſſe ibidem Priores; idque tam confidenter, quaſi fidem extorquere deberet affirmandi temeritas, non probandi veri idonea auctoritas. Atqui non ſolum in Paleſtina extra Carmelum, ſed etiam in pluribus Conſtantinopolitani Imperii regionibus, ſuas eccleſias ac monaſteria S. Elias Propheta habuit, & præter ipſum varii Sancti Eliæ fuere, monaſteriaque & eccleſias à ſe nominatas reliquere, quorum octo aut decem poſſem vel ex noſtris catalogis nominare. Deinde in ipſa Conſtantinopolitana urbe aut ſaltem ejus vicinia, quotannis* XIII *Ianuarii celebrabantur* Τὰ ἐγκαίνια τῆς ἁγίας Προφήτης Ἠλίᾳ τῆς μονῆς τῆ Βαθυρρύακος, Dedicatio S. Prophetæ Eliæ, in monaſterio *dicto* Βαθυρρέακος, *id eſt,* Profundi lacus. *Dedicationem iſtam habemus ex antiquo Ms. Synaxario Claromontano, quod cum plurimas eccleſiarum Conſtantinopolitanarum contineat dedicationes, præ aliis quibuſcumque Mss. Synaxariis, intelligimus ipſum ad uſum alicujus earum fuiſſe conſcriptum. Quanto autem veroſimilius eſt ex hoc monaſterio fuiſſe qui ſubſcripſere dictis Conſtantinopolitanis Conciliis, quam ex Terra-ſancta? Inde enim nec unus quidem Epiſcopus interfuit, ſorte nec vocatus eſt ad Concilium anni* CCCCXLVIII, *uti ex ſubſcriptionibus patet: in altero autem Actione* I, *cum Theodoro Tribuno ac Referendario & Mariano Præpoſito Monaſterii S. Dalmatii atque Primate, dicuntur intraſſe* venerabiles Presbyteri & Archimandritæ Urbis regiæ, *ultra quinquaginta, interque eos* Sylas monaſterii Eliæ: *deinde enumerantur qui adfuere* de ſanctis Chriſti veri Dei noſtri locis *ex Syria, abſque mentione cujuſquam è Carmelo aut Eliæ monaſterio. Idem fit Actione* III, IV *&* V.

eoque tranſhunt Baſilidem aruſpicem,

& Abbates monaſterii Eliæ,

E

quos Conſtantinopolitanos cenſendos eſſe,

patet ex Actis Conſiliorum.

F

CAPUT VII.

Definitur ætas Brocardi, ad quem Regula miſſa, & primorum Priorum chronologia ordinatur.

61 *QVia Cardinales Baronius & Bellarminus initia Bertholdi, ex communiori inter ipſoſmet Carmelitas ſenſu (nam præter ipſos habemus neminem ex antiquis qui nominatim Bertholdi meminerit) quia, inquam, Cardinales illi Bertholdi initia referebant ad Pontificatum Alexandri* III, *elegimus eos ſequi ad* XXIX *Martii, quamvis tunc necdum certa nobis fundandæ iſtiuſmodi chronologiæ argumenta ſuppeterent; indicavimuſque dicti Pontificatus annum eum, cui illi iſtorum initiorum memoriam inſeruerant, non tamquam certo, ſed tamquam minus longe exerranti. Ab iſta utriuſque Illuſtriſſimi ſcriptoris ſententia ne nunc quidem nobis putamus recedendum, poſt totam Carmelitanam hiſtoriam operoſa indagine*

Ex numeris annorum quos ſingulis aſſignãt Chronicæ.

AUCTORE D. P.

indagine perlustratam. Etenim chronologiam Ordinis, apud antiquos impeditam, impeditiorem multo effecere recentiores, inter legitimas germanasque historias recipiendo Epistolam, Cyrillo Priori III attributam; omnes autem adeo variant hac in parte (quemadmodum ad annum 1231 ingenue fatetur Lezana) ut vix unus alteri cohæreat. *Proponit vero idem Lezana dictæ inhærere epistolæ, quoad chronologiam, usque ad ipsum Cyrillum: deinde existimat,* in aliis successoribus, usque ad B. Simonem, obscuro tramite incedendum.

62 *Ego ex Paleonydoro accipiam Bertholdi annos* XLV, *& Brocardi* XXXIII, *tamquam ex certiori majorum traditione acceptos: contingit enim sæpe, idque in Romanorum Pontificum Catalogis vidimus; de annorum quo quisque rexit numero firma haberi documenta, sed in iisdem ad Æram communem applicandis fluctuare opiniones. Isto annorum numero posito, videor mihi posse rem, hactenus obscurissimam intricatissimamque, in patentem lucem educere, modo mihi permittatur pro certo assumere, quod ut tale Lesana ad annum 1224 assumit, solis tribus annis rexisse Cyrillum; & modo id, quod auctor Chronicæ de multiplicatione Ordinis per Europam asserit, maneat etiam inconcussum, videlicet, quod* eodem tempore, *quo per mortem Cyrilli vacabat officium Prioratus,* accesserunt ad electionem novi Prioris: & quia Religio in Europæ regionibus transplantanda erat *(hoc enim Cyrillo dicitur revelatum fuisse, & ab eo subditis sibi Eremitis persuasum)* ... Bertholdum, natione Longobardum in quartum Priorem elegerunt; nam quia de Europæ regionibus fuit progenitus, ideo aliis aptior repertus est ad transplantandum Ordinem in cismarinis partibus: & ejus tempore aliqui ex Fratribus, natione Cyprii, in insulam Cypri transfretaverunt; alii vero, Siculi natione, ad Siciliæ insulam navigaverunt.

& ex obitu Cyrilli

B

63 *Hæc si tenere permittur, velut ab antiquiori & ideo fidei melioris auctore asserta, nihil erit quominus credamus vetusto auctori Chronicæ Carmelitanæ apud Balæum in Scriptoribus Angliæ pag. 279 asserenti,* Cyrillum Græcum, tertium Carmelitarum Præsidem, obiisse anno MCCXXXIV. *Sicut enim ab hoc anno, per annos septem Bertholdi II, & Alani annos quinque (tot autem annis utrumque rexisse scribit Paleonydorus) præcise venitur ad annum* MCCXLV, *quo electum esse B. Simonem Stock, ex eadem sua antiqua Chronica scribit idem Balæus, & in hoc assentientes sibi nunc habet Carmelitas omnes post Segerum Pauli atque Lezanam; ita credibile est eadem accuratione numerare Paleonydorum annos Prioratuum præcedentium, licet erraverit in illis ad Æræ Christianæ annos applicandis. Assignatos autem ab eo dictorum Prioratuum annos supputando ab obitu Cyrilli, pervenitur ad annum* MCLVI, *qui fuerit S. Bertholdi Prioris primi primus: & eo moriente sui regiminis anno* XLV, *cœperit Carmelitanam eremum gubernare is, cujus causa hæc tractantur, Brocardus, anno scilicet* MCC, *quinto antequam in Syriam appelleret Albertus, Regulam Carmelitis daturus.*

anno 1234,

sequitur Bertholdū cœpisse circa an. 1155,

C

64 *Atque hæc Chronotaxis (præterquam quod omnes eos evadat scopulos, ad quas miserrimum naufragium fecit Carmeliticorum scriptorum omnium recentiorum chronologia, hisce duobus aut tribus seculis, quibus eam conati sunt ad Æræ vulgaris annos aptare) aliud commodum affert momenti præcipui, viamque sternit salvandæ utcumque Carmelitarum traditioni, de Aymerico Patriarcha Antiocheno, quasi ejus auctoritate & consilio Eremitæ quidam per terram sanctam sparsi, collecti fuerint in unum corpus, persuasique Carmelum habitare sub obedientia B. Bertholdi. Cum enim Carmelus ad Hierosolymitanum pertineat Patriarchatum, ab urbe Sancta* P. M. *vix* LXXX, *ab Antiochia totis* CCXL *& amplius remotus; nec appareret quomodo Patriarcha Antiochenus potuisset in Patriarchatu Hierosolymitano jurisdictionem exercuisse, pro tali institutione necessariam; recurrendum sibi putaverunt Carmelitani Chronologi ad aliquem, qui fuisset Apostolicæ Sedis Legatus in partibus Orientis, atque adeo in utroque Patriarchatu statuere aliquid potuerit. Igitur ad Aymerum seu Hademarum Episcopum Podiensem respexerunt aliqui; eum scilicet, qui cum Godefrido Bullionio ceteriisque Principibus Antiochenæ Urbi capiendæ interfuit Legatus Apostolicus, paulo post mortuus. Alii, in quibus Paleonydorus, ad tempora Calixti II alligantes Bertholdi initia, videntur præ oculis habuisse Aymericum, anno* MCXX, *post captam à Christianis Antiochiam* XXII, *creatum Cardinalem tituli S. Mariæ novæ, ac paulo post S. R. E. Cancellarium, ad quem, ut virum in Romana Curia auctoritatis præcipuæ, plures extant S. Bernardi epistolæ; & quem licet nemo dicat iviſſe in Orientem cum titulo Legati, cum eo tamen illuc aliquando directus (dirigebantur enim identidem alii aliique, non semper à scriptoribus nominati) credi verosimiliter potest. Ad hunc autem respexisse illos suspicari facit cognomen* de Samiliaco, *à Paleonydoro aliisque usurpatum: quod pro* Salviniaco *seu* Saviniaco, *noto in Burgundiæ oppido obrepsisse videri possit, quia* Samiliacum *nullum in tota Gallia reperitur; Burgundus autem Aymericus iste fuit. Sed nec ipse, nec quem supra dixi Aymerus seu Hademarus, fuit Patriarcha Antiochenus.*

D

aut Aymerico de Saviniaco Leg. Apost. post anno 1120,

65 *Hoc autem fuit Aymericus Lemovicensis (quem cum sed* de villa appellata Salamiacum *legi natum dici, apud auctorem epistolæ S. Cyrillo attributæ; & in Lemovicibus duos vicos inveni* Salaniac *nuncupatos; non sum ausus correctioni, Paleonydoro per conjecturam adhibitæ de Salviniaco Burgundico, firmiter assentiri) fuit, inquam,* Aymericus, de Malafaida *à scriptoribus Carmeliticis cognominatus, Antiochenus Patriarcha ab anno* MCXXXVII *ultra annum* MCLXXXIV. *Qui licet cum eligeretur, electione haud satis canonica minusque decora, qualem Guilielmus Tyrius describit lib.* 15 *cap.* 18, *laborarit infamia* conversationis non satis honestæ, *effetque* nullius litteraturæ: *potuit tamen prius vitium correxisse ætas maturior, & ecclesiasticæ qua coërcebatur obligationis necessitas tantæ dignitati conjuncta; posterius suppleviſſe ingens inter omnes auctoritas, innixa summæ illius potentiæ (nam opulentissimus fuit) & rerum politicarum experientiæ, & insigni animi fortitudini, quas ejus laudes licebit discere ex Tyrio variis occasionibus & potissimum lib.* 18 *cap.* 1. *Ipsum tamen etiam à Romano Pontifice habuisse aliquando potestatem Legati Apostolici; non tantum ideo non credam, quia in tota sacri belli historia omnino nullus invenitur Legatus in Oriente factus; sed omnes immediate ex Occidente missi dicuntur: verum etiam quia illo ipso fere tempore, quo cum tali potestate Carmelitas stabiliſſe debuisset Aymericus iste, missum cum ea ab Alexandro III ad partes Orientis esse* Joannem, *dicit Tyrius lib.* 18 *cap.* 19, virum admodum litteratum & Rom. Eccl. Presbyterum Cardinalem tituli SS. Joannis & Pauli: *de cujus receptione si fuit, ut fuit, controversia magna; quia ratione schismatis in Ecclesia suborti haud satis certa erat illius potestas; fuisset illa multo major, & Ioanni prorsus ineluctabilis, si Legationis Apostolicæ auctoritatem antea habuisset Aymericus Antiochenus, ab indubitato Pontifice sibi collatam.*

E

Aymerico Lemovicensi, Patriarchæ Antiocheno,

F

66 *At, inquies, si Legatus non fuit Aymericus, manet suprapositа difficultas ut explicetur, quid conferre Eremitis nostris potuerit in alienæ jurisdictionis loco extra propriam diœcesim. Solvam ex Tyrio nodum, & simul confirmabo Chronologiam supra constitutam. Narrat hic lib.* 18 *cap.* 1 *præcitato, quod Aymericus Patriarcha Antiochenus, anno* MCLIV, *intercessione Regis Hierosolymitani liberatus à custodia, in quam fuerat à Raynaldo Antiocheno Principe indignissime conjectus, receptis quæ pari violentia erepta fuerant bonis, cesserit potentis adversarii insaniæ, quovis prætextu facile resuscitandæ;* & Antiochenam deserens diœcesim, in regnum se contulit Hierosolymorum; ubi à Domino Rege *Balduino III*, & ejus matre discretissima *Domina Melisende*, & Regni universis Episcopis benigne habitus, per aliquot mansit annos; & MCLVII, quoniam *Amalricus*, Hierosolymitanus *Patriarcha post Fulcherium* electus, consecrationis munus nondum

sed tunc Hierosolymis præsente,

non sub Hademaro Podiensi Leg. Apost. an. 1088,

A nondum obtinuerat... aſciſcitur de mandato Regio, ut & Reginæ *Theodoræ*, *Imperatoris Conſtantinopolitani Iſaacii neptis*, regiæ unctionis conferret gratiam, & conjugii uſitata ſolennia celebraret: *nec videtur Antiochiam revertiſſe, niſi metu ſolutus per Raynaldi Principis captivitatem, quæ ſub finem anni* MCLX *contigit. Igitur cum in Hieroſolymitano Patriarchatu Aymericus Antiochenus, quamvis exul, maxima gratia & auctoritate apud Regem & Patriarcham valeret; prudentiſſime Bertholdus egit, quod ab Elia Prophetа admonitus de habitando Carmelo, ad ipſum acceſſerit, conſilii & auxilii cauſa; imo & neceſſariæ facultatis. Erat enim (ut Ioannes Phocæ nos primus docuit)* oriundus ex Calabria, *adeoque Antiocheno Principi in temporalibus, Patriarchæ in ſpiritualibus ſubjectus: ac veroſimiliter unus eorum monachorum Latinorum, qui in Montanis nigris juxta Antiochiam ſua habebant monaſteria, teſte Vitriaco. Benedictinusne aut Ciſtercienſis vel Florenſis monachus (nam hujuſmodi fere ex Neapolitano regno Boamundum, Normannici ſanguinis Principem, ejuſque ſucceſſores in Terram-ſanctam erant comitati) an vero ſimplex & nulli Ordini adſtrictus eremita, non inveni qui doceret hactenus, nec attinet ingratiis quærere, cum inter Aborigines cenſeri Carmelitæ affectent. Satis eſt eos dedocuiſſe errorem, quo Lemovicenſem Bertholdum credidere, & ipſius* B *Aymerici aut fratrem aut conſanguineum; cauſam autem explicuiſſe, quomodo habitationem in Carmelo ambiens, ad id facultatem petierit ab Antiocheno Patriarcha, & quomodo ab eodem auxilium tam efficax habere potuerit, ut ipſi potius quam cuicumque alteri remanſerit gloria reſtaurati Carmeli.*

& Bertholdi Calabri cauſam agente

67 *Suberat Carmelus, uti diximus Acconenſi Epiſcopo, (erat is tunc Fredericus quidam, & fuit uſque ad annum* MCLXVII, *quando ad Archiepiſcopatum Tyrenſem tranſiit, ut ſcribit Tyrius lib.* 20 *cap.* 1) *ab hoc Aymericus, toto Hieroſolymitano regno gratioſus ac potens, perquam facile potuit impetraſſe, ut inter quædam montis iſtius rudera habitare Bertholdus ſineretur, & pauculos ſodales colligere, qui uſque ad annum* MCLXXXV *ultra decem non excrevere. Idem vero Aymericus, cum eſſet opulentiſſimus, cur non credatur ſuppeditaſſe Bertholdo ſumptus neceſſarios, ad opus non magnum, primumque oratorium per ſeipſum conſecraſſe, Acconenſi Epiſcopo id permittente? Denique, ſi credere volumus novellam Eremitarum cœtum, in ipſis ſtatim principiis ſuis, ceterorum Religioſorum Ordinum more, jus obtinuiſſe Profeſſionis; idque ſi concedi per ordinariam ſimplicis Epiſcopi auctoritatem non potuit, nec ab ipſo Aymerico in aliena diœceſi ſanciri; credemus, etiam jus illud per eum impetratum fuiſſe à Patriarcha Hieroſolymitano Amalrico? atque ita uni Antiocheno Patriarchæ merito adſcribetur tota laus fundati vel reſtituti Carmelitici Ordinis, abſque eo quod eidem aſſingatur gratis poteſtas aliqua extraordinaria, qua fuerit in hoc negotio uſus. Hæc porro omnia cum non haberentur apud Carmelitas diſtincte deſcripta, imo ſola fere traditione conſervarentur, facillimum etiam fuit tres perſonas, ejuſdem aut ſimilis nominis, conflare in unam, vitio traditis ſine ſcripto hiſtoriis familiari;* & Aymericum de Samiliaco, Apoſtolicæ Sedis in Terra ſancta Legatum factum anno MCXX, *ut ſcribit Palæonydorus, confundere cum Aymerico Lemovicenſi, Patriarcha Antiocheno; & rurſum eidem dare inſtituendæ in Carmelo Religioſæ Profeſſionis poteſtatem, quæ proprie loquendo non in Aymerico hoc, ſed in Amalrico Hieroſolymitano Patriarcha reſidebat, viro, ut ſcribit Tyrius lib.* 18 *cap.* 20 commode *quidem* litterato, ſed nimium ſimplici ac pene inutili, *parvarum tamen hujuſmodi rerularum, ad pia loca ſpectantium, nequaquam incurioſo, ut oſtendetur in tractatu de Hieroſolymitanis Patriarchis ante proxime ſecuturum Majum. Apud hunc enim Aymerici Antiocheni, hoſpitis grati atque potentis, ſuggeſtio debuit invenire pronum aditum ad impetrandam gratiam, à Bertholdo & ſociis expetitam, per quam veri Religioſi haberentur & eſſent.*

apud Amalricum Patriar. Hieroſol.

C

68 *Ceterum quod eodem Aymerico Antiocheno agente & procurante, omnia aut pleraque Terræ-ſanctæ eremitoria Latina (hoc enim ut maximum prætendunt Carmelitæ) fuerint ſubjecta Bertholdo, tamquam* Priori Generali, *nemo perſuaſerit. Tum quia res illa maximi fuiſſet ſtrepitus atque moliminis, & extra Epiſcoporum omnium Orientalium Synodum nequaquam ſolide conſtituenda, ſic autem conſtituta à ſcriptoribus minime prætereunda; tum quia in Bullis Apoſtolicis, uſque ad annum* MCCXXX, *unicus dumtaxat locus Priori Carmelitico ſubjectus nominatur, uti infra videbimus; tum denique quia Albertus Patriarcha, rogatus Regulam Carmelitis ſcribere, non tantum ipſam ſcripſit ſolis* Eremitis, juxta fontem in monte Carmeli morantibus; *ſed talem ſcripſit, quæ in ſolo Carmelo ſubſiſtentibus, ſufficiens; per plura autem diverſarum diœceſeon eremitoria ſparſo Ordini inſufficiens & improportionata fuiſſet. Hoc tamen non impedit, quo minus, ut teſtatur Sanvicas in Chronica, reverſus Antiochiam Aymericus aliquos novæ inſtitutionis Eremitas ex Carmelo accerſierit, eiſque in* Monte Nigro *locum & Priorem dederit, à Carmelitico Priore independentem; quomodo in prima Ordinis Benedictini ætate, deducti ex monte Caſino Monachi fundaverunt monaſteria, Caſinenſi Abbati nullatenus ſubjecta, quamvis eamdem Regulam profitentia. Atque ita veroſimile etiam fiet, quod ut verum ſuppoſuit, & fortaſſis à fide digniori auctore accepit auctor epiſtolæ, ſub nomine Cyrilli* III *Prioris confictæ, videlicet ipſum Cyrillum exemplar Regulæ, per B. Albertum Brocardo deceſſori ſuo traditæ, miſiſſe ad Euſebium Priorem Eremitarum Montis Nero, ut eadem etiam ipſi informarentur, & ab eodem orti principio eamdem porro vitæ normam tenerent: quæ res occaſionem dederit Epiſtolæ ejus, quam ſupra rejecimus & pluribus infra confutabimus, comminiſcendæ.*

AUCTORE D. P.

ſub illius obedientia erant ſoli Eremitæ montis Carmeli.

E

69 *Iacobus de Vitriaco, Epiſcopus Acconenſis urbis, quatuor dumtaxat milliaribus diſtantis à Carmelo, circa annum* MCCXX *ſcribens lib.* 1 *cap.* 58, *poſtquam de monaſteriis Latinis tum Regularium Canonicorum tum Benedictinorum egiſſet, ita loquitur:* Alii ad exemplum & imitationem ſancti viri & ſolitarii Eliæ Prophetæ, & maxime in parte illa quæ ſupereminet civitati Porphyriæ, quæ hodie Cayphas appellatur, juxta fontem qui fons Eliæ dicitur, non longe à monaſterio beatæ Virginis Margaritæ, vitam ſolitariam agebant, in alvearibus modicarum cellularum, tamquam apes Domini dulcedinem ſpiritualem mellificantes. *Poterant hi profecto, ſi quis eremitici propoſiti auctores primos requiſiviſſet, dicere cum Hieronymo ad Paulinum,* Noſter Princeps Elias, noſter Elizæus, noſtri duces filii Prophetarum, qui habitabant in agris & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula prope fluenta Jordanis: *poterant etiam gloriari de* hereditaria *tantorum* Patrum ſucceſſione, *quamvis interrupta tam longo ſeculorum forſitan viginti hiatu. Sed ut hæc vera ſint, non eſt opus aut Eliam fuiſſe monachum ſub tribus eſſentialibus votis Religionis, aut continuam quamdam ſuccedentium ſibi eremitarum & ab invicem procedentium ſeriem ſtatuere, aut Bertholdi primos ſocios à Græcis Syriſve ſchiſmaticis accepiſſe vitæ eremiticæ normam. Hanc enim prout in Europa exerceri viderant ubique regionum, ita in Paleſtina cœperant exercere Latini quamplurimi, quorum iſti pars aliqua aut propago fuere. Qui tamen prædicta omnia voluerit mordicus ſuſtinere, uti faciunt aliqui, pro indeficienti iſta in ipſo Carmelo ſucceſſione tamquam pro aris ac focis pugnantes, ei non repugnabimus, nec ſi totum quidem antiquum monachiſmum pertrahere velit in Ordinem Carmelitanum. Quid enim ad nos quæſtiones de nomine?*

qui ibi vivebant ad exemplum Eliæ:

an etiam ad ejus inſtitutionē?

70 *Ad Cyrillum quod attinet, vereor ne ſola nominis Græci ratio fecerit cum Græcum videri; tota autem, vitæ hiſtoria à Boſtio & Palæonydoro conſcripta, non tantum talis eſt ut optabile foret antiquorum ſcriptis confirmari poſſe ea quæ ibi dicuntur, tam illuſtria, ut ab hiſtoricis illo-*

Prior §. Cyrillus non probatur fuiſſe Græcus.

AUCTORE D. P. *rum temporum neceſſario fuerint, ſi vere contigerant, attingenda; ſed cum dicta hiſtoria omnino nihil contineat quod in ſola talium ſcriptorum fide credi mereatur, rectius præterniſſa foret die* VI *Martii; ſicut ad* XXV *ejuſdem Martii neceſſario a nobis omiſſa ſunt, quæ iidem de Bertholdo habent, tam inſulſa, ut niſi aliquid dandum traditioni putaviſſemus, potuerimus cum viris quibuſdam eruditis dubitare utrum aliquando fuiſſet Bertholdus iſte in rerum natura. Idem Cyrillus novello cœtui nomen ſuum dedit ſub Bertholdo, ſi vera eſt chronotaxis noſtra, & ſi vere Cyrilli epiſtola eſt, quam ad Cæleſtinum Papam III (obiit hic anno* MCXCVIII) *ſcripſiſſe dicitur, his verbis concludens,* in monaſterio Carmeli terreſtres Angelos reperi, quorum in cælis converſatio eſt.

Chronotaxis uſque huc dilata,

71 *Ceterum quæcumque de SS. Cyrillo, Brocardo, aut Bertholdo, ante hanc tam operoſam Carmeliticæ hiſtoriæ diſcuſſionem, dicta in Martio ſunt, aut etiam menſibus præcedentibus, de alio quocumque Ordinis Sancto, profeſſo vel adſcriptitio; omnia ad hunc Commentarium exigenda & corrigenda ſciat Lector. Non enim ſemper prima quavis occaſione poſſumus diſquiſitiones illas arduas inſtituere, quæ longam conſequentiarum ſeriem poſt ſe trahunt, maxime quando prævidetur alius opportunior aut etiam neceſſarius locus, ubi à fundamentis peſcit & debeat res tota excuti: qui dum expectatur, progredimur probatiori aliorum eadem tractantium*
B *via, niſi melior occurrat ratio. Sic, in Ianuario ac Februario toto, Sanctorum Hiberniæ chronotaxim exegimus ad Patricianam, Vſſerio probatam: aſt ubi in Martio tractanda fuerunt ipſius S. Patricii Acta, ſolidiora poſuimus fundamenta, ſupra quæ reſtaurari omnia quæ prægreſſa ſunt debent. Sic de antiquioribus Galliarum Apoſtolis dubie hactenus & problematice loquimur, moram nobis ipſis indulgentes uſque ad* IX *Octobris, quando agendum erit de S. Dionyſio Pariſienſi & ſociis; ſic alia multa in aliud tempus locumque differimus indeciſa. Non erat igitur quod quererentur nonnulli, crederentque, ob iſtam in Martio brevitatem, ſua nos neque legiſſe neque legere velle, ne cogeremur, præjudiciis (ut illi interpretabantur) depoſitis, ipſorum amplecti placita. Nam etſi necdum plene haberemus conſtitutum, quid deberemus de Ordinis initio progreſſuque dicere; ſatis tamen in eorum ſcriptis eramus verſati, ut jam ſciremus quid circa præcipuum punctum oporteret tacere; donec ſub manus veniret Albertus, cujus hiſtoria vix poſſet a plena Carmeliticarum rerum tractatione ſeparari. Vita S. Teleſphori Papæ, die* V *Ianuarii, Commentariique ad eamdem, non ſunt Ioannis Bollandi opus, ſed Segeri Pauli, ut indicat ipſe titulus: quare nec ſub Bollandi nomine citari poſſunt. Hoc tamen fieri videns ipſe, & uſu diſcernendi certa à dubiis paulatim creſcente jam intelligens, quam debilibus fundamentis & auctoribus majori ex parte ſuppoſititiis nituntur omnia iſtic aſſerta;*
C *pœnitait eum facilitatis nimiæ, per quam in iſto ſuo operis, hujus tirocinio perſuaſus fuerat, eidem inſerere alienum factum: omninoque laudavit, quod datus ſibi ſtudiorum ſocius propoſitum haberet cautius in talibus agere, nihilque ſcribere quo vel probari vel improbari Eliana ſucceſſio videretur, donec otium foret eam funditus examinandi: quo nunc facto, adhuc cenſemus à ferenda ſententia abſtinere nos poſſe, in gratiam Ordinis nobis dilectiſſimi.*

CAPUT VIII.

De anno datæ ſignatæque ab Alberto Regulæ, ejuſque & S. Dionyſii Papæ ſigillis fictitiis: ac Ordinis ſigno recentiori.

Non eſt ea data a anno 1171,

72 ANnum *datæ Regulæ nullum notavimus capite* 6, *quamvis in Cherubini Bullario exprimeretur annus* MCLXXI; *cui diffidere neſcius Lucius Belga, in Bibliotheca Carmelitana pag.* 24, *continuo ſubtexuit, velut certam ſequelam, datam eſſe Regulam* annis plus minus quadraginta ante Dominicanæ & Franciſcanæ Religionis approbationem. *Duos ſcilicet iſtos Mendicantium Ordines, in Concilio ſolennißime approbatos, cum adhuc conſtitutum non haberet Eccleſia quid de Eremitis Carmelitanis ſtatueret, præferri ſibi non patiuntur. Sed hoc ipſis diſceptandum relinquo: annum, in Bullario notatum, dico eſſe fictitium; quia tunc neque Brocardus Prior, neque Albertus Patriarcha erat, imo nec Epiſcopus. Idem quoad Brocardum & Alberti Patriarchatum dico de anno* MCXCIX, *quem, teſte Daniele à Virgine Maria,* habent pleraque exemplaria Epiſtolæ, *nec anno S. Cyrillo ſuppoſitæ, & ubique in veram chronologiam impin-* 1199, *gentis; ut vel hoc ſolum ſatis eſſe poſſit eidem repudiandæ. Quomodo enim toties & tam turpiter fuiſſet hallucinatus Cyrillus, quoties aliquis Chriſtianæ Æræ annus exprimendus fuit, in rebus ſua ætate geſtis? Nam & Bertholdum eadem epiſtola anno* MCXXI *adſcribit; apparetque non poſſe errorem credi ſocordis librarii, ſed auctoris, veriorem chronologiam ignorantis; qui cum, ex ſuorum forte tunc communiori ſententia, Cyrillum mortuum exiſtimaret anno* MCCIII *& ſui regiminis tertio, conſequens erat ut ſaltem ante hujus electionem datam Regulam diceret; atque ab anno* MCC *retrocedens per annos Brocardi* XXXIII *& Bertholdi* XLV (*qui, ut ait, non immediate, ſed* poſt lapſum temporis *ſibi ſucceſſere*) *vix ſerius quam anno* MCXXI *potuit Bertholdi regimen auſpicari.*

D

73 Errorem irrepſiſſe, *inquit prædictus Daniel à Vir-* *nec anno* *gine Maria in notis ad illam Epiſtolam,* clare & luculenter 1205, ex certiſſimis hiſtoriis declaratur in Annalibus Ordinis, ad annum 1199 & 1205, nec non à Zegero Pauli in Chronologia Vitæ S. Simonis Stock: *ſtatuitque legi debere annum* MCCV, prout habet P. Lezana, & ante eum Onuphrius Panvinius. *Nos ſupra oſtendimus, anno dumtaxat ſequenti auſpicatum eſſe Albertum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ regimen: nec, ut anno uno citius veniſſet in Syriam, credimus ſtatim conſcripturum fuiſſe, ignotis ſibi adhuc hominibus, vitæ normam ab ipſis tenendam: opus erat annorum ſaltem pauculorum experientia. His vero interpoſitis, nullus apparet annus minori in cyfris variationi obnoxius, ad quem reduci poſſit* 1199, *quam* 1209, *quem etiam Segerus Pauli probat. Nam Cyfris Arabicis, non Latinis notis, utebantur ut plurimum Latini in Syria, & ab aliquo meliori auctore annum* MCCIX *ſic notatum inveniens auctor epiſtolæ, ſed hunc Chronologiæ quam certam putabat non convenire animadvertens; alium, eidem congruum, proximum ſumpſit, mutatione quam leviſſima; non attendens, quod in iſto calculo nihilominus erraret, ultimis annis Brocardi ſic ta-* *ſed forſitan* 1209. *cite adſcribendo, quod longe convenientius ad primos ejus annos referendum fuerat, ne totis ferme octoginta annis, ſine certo vivendi modo, collecti ad fontem Eremitæ relinquerentur. Nam liber Ioannis, cujus veritatem fruſtra hæc epiſtola ſtabilire conatur, præterquam quod necdum conflictus tunc fuerit, non erat aptus ut ſerviret pro Regula, utpote tractatus majori* F *ex parte hiſtoricus, in aliis generaliter aſceticus, nihil in particulari determinans, quemadmodum ipſimet ejus propugnatores fatentur, & legere volenti evidens eſt: Baſiliana Regula (ſi tamen Regula vocari poteſt inſtructio ſpiritualis, cuivis monacho in genere conveniens) Græca erat, nec poterat à Bertholdi ſociis intelligi.*

Albertus nullum annum notaſſe videtur.

74 *Ceterum, uti plerumque ii, qui epiſtolam ſcribunt intra paucos dies perferendam, ſatis habent diem menſis notare; annum, quia præſens currit, nequaquam adnotantes: ita in hac Regula, quæ modum ac ſtylum epiſtolæ non excedit, ſuſpicor annum nullum adſcriptum fuiſſe, ac forte nec diem quidem aut menſem. Neque per meram ita ſuſpicor conjecturam. Habentur inter Geſta Dei per Francos à pag.* 1172 *ad* 1185 *variæ Regum ac Principum Epiſtolæ, interque eas tres Amalrici Patriarchæ ad Regem Ludovicum, omnes abſque data diei & anni; duæ dumtaxat Amalrici, tunc pariter Hieroſolymorum Regis, locum & diem menſis ſignant, annum nequaquam. Conjecturæ tam fundatæ aſſentientem habeo, eamque argumento non vano probantem Lezanam. Nam cum ad annum* MCLXXI, *oſtendiſſet hunc non eſſe eum quo data eſt Regula,* ſed inſciti ſcriptoris mendum, *& erroris cauſam retuliſſet in oblivionem Carmelitarum antiquorum circa initia Alberti:* hujus oblivionis, *inquit,* magnum

magnum eſt ſignum, quod in diplomate Innocentii IV, ubi Regula pro ipſius moderatione correcta & inſerta reperitur, pro anno MCCXLVII, Pontificatus ejuſdem Innocentii anno V (prout propriis oculis inſpexi in Regiſtris Archivii Vaticani) data Regulæ non ſubjicitur: abs dubie, quia incerti de illa noſtri tunc temporis erant. *Atqui anni nondum quadraginta effluxerant, & exemplum tam brevis Regulæ par erat eſſe in omnium manibus.*

nec etiam in tranſcribenda Regula antiqui Carmelitæ.

75 *Potius dixiſſet, non oblivionem fuiſſe, ſed obſervantiam, qua annum, bene compertum licet, quia tamen non erat additus in originali, addere ex ſua memoria certaque ſcientia non præſumpſerunt: poſtea autem uno alterove ſeculo præterito, ſubintraſſe minus religioſos alios, qui ex ſuo quique ingenio (nam turpe videbatur tam fundamentali totius Ordinis inſtrumento nullum annum adſcribi) eum adjecerint, anteriorem poſterioremve, prout cuiquæ ſuggerebat veræ hiſtoriæ ſcientia minor, & major ſolicitudo, ut diu ante Concilium, quo novi Ordines & novæ Regulæ induci prohibebantur, data ſua Regula crederetur. Vt ut ſit, rei indignitate commotus Lezana,* Qui prædictam, *inquit,* Innocentii Bullam cum Regulæ data ſubſcribunt, nedum corrigendi ſed expungendi ſunt, cum, quod in Regiſtro non extat, in exemplari apponere non verentur:

B *quam cenſuram ut plurium ſimilium impoſturarum auctoribus, partim jam convictis partim deinceps convincendis applicent alii, per me licet. Vtinam exemplo non uno doctus Lezana, cautiorem ſe geſſiſſet, in ceteris novis narrationibus recipiendis! fortaſſis ſuperfluum duxiſſet implere tres tomos ab Elia ad Bertholdum, de rebus ad Ordinem ſuum (ſaltem ut eſt Ordo diſtinctus ab aliis Eremiticis) nihil aut perparum attinentibus.*

Signum Alberti fictitium,

76 *Porro tam in hac quam in aliis epiſtolis ſignandis (ſi tamen legitima ſignatione opus fuit) uſum eſſe Albertum conſueto muneris ſui ſigillo, & hoc illius temporis uſui fuiſſe conforme, certum videtur; neque id nunc deberet explicari, quando ita diligenter exculta habetur Heraldica, quam vocant, ſcientia. Olim non ita erat; unde minus miramur Aubertum Miræum, in faſtis Belgicis ad XXI Novembris agentem de Alberto, & Thomam Saracenum in Menologio, pro genuino admittere toreuma cujuſdam argentei nummi, ex Philippi II Bibliotheca allati, in cujus una parte ſpectantur inſignia, ex Ordinis Hieroſolymitanorum equitum Teſſera, & ex Teſſera gentilitia familiæ Eremitanæ in Belgio induſtrie conflata, & crucibus duabus (altera Patriarchæ, altera Apoſtolici Legati) appodiata, cum nota anni MCCVI, & circumſcripto,* Albertus Hieroſolymitanus: *in averſa facie exprimitur urbs Accon, cum hoc lemmate,* Hieroſolyma capta, Sede Acconem tranſlata, numus peregrinorum. *Eccum ipſum.*

C



novorum figmentorum occaſio.

77 *In hoc toreumate recipiendo commiſſus error ignoſci, ut dixi, debet ſaltem Mireo; qui Archiducum Alberti & Iſabellæ Sacellanus & bibliothecarius, gratioſis apud eoſdem Principes Carmelitis Diſcalceatis nimium facile credidit, tum alia plura, tum hoc inter cetera; utpote perſuaſus ab illis fuiſſe Albertum Petri Eremitæ nepotem; & Sedem tunc tranſlatam dici ratus eſt, quando aliena in urbe cœperunt habitare Patriarchæ, Sede ſua pulſi. quorum tamen neutrum cum veritate ſubſiſtit. Eadem facilitate cenſerem dandam veniam Carmelitis, aliena fraude ſeductis: ſed quid Thomæ Saraceno & Valerio Ximenez fiet? Hiſce figmentis inædificarunt illi cœnobia duo, alterum* erectum Hieroſolymis in peregrinorum ſubſidium, cui Patriarchæ nomine præſidebant Carmelitæ; *alterum* Paleſtinæ initio; ab egreſſu maris, ad cito occurrendum peregrinis, in Judæam accurrentibus: in quorum teſtimonium, *inquit Saracenus,* extant numiſmata, quæ ſpeciali cura peregrinis tradebantur, ne ab infidelibus, ex pactionibus jam habitis, quid mali moliretur in illos.

AUCTORE D. P.

78 *Nos quamdiu Albertus vixit nullos extra Carmelum Carmelitas invenimus, niſi forte prope Antiochiam: invenimus autem genuinum Alberti ſigillum tom. 4 Italiæ ſacræ col. 1099, de quo acturus Vghellus, poſtquam prius illud,* commentitium & adinventum atque veritati minime accommodatum *pronuntiaſſet, reddit ſententiæ rationem, ſic proſequens;* Non enim illis temporibus uſu venerat, ut in numiſmatis Præſulumque ſacrorum ſignis ſtemmata gentilitia apponerentur. Habeo apud me aliqua ejus ævi Orientalium Epiſcoporum plumbea ſigna, rudi & inculto ſtylo expreſſa, ubi vel imago Epiſcopi, vel Patroni eccleſiæ, una cum nomine ejuſdem, tantum videtur. Extat in archivio Januenſis eccleſiæ Alberti hujus Patriarchæ documentum, plumbeo ejus ſigno alteroque Gualteri Acconenſis obſignatum, datum Accone anno MCCXII. Cujus exemplar cum mihi Romam miſiſſet Auguſtinus Calcagninus, eruditus Canonicus Januenſis, rei vetuſtatæ allectus amicum rogavi, ut ex cera Alberti Gualterique ſigna, ad amuſſim expreſſa, mihi tranſmitteret: quod ille ſumma humanitate egit, meamque opplevit curioſitatem. Signum vidi, & in eo Sanctam Reſurrectionem; A. ANACTACIC, Eccleſiæ Hieroſolymitanæ vetuſtum ſymbolum; & Alberti nomen exoſculatus, illud incidi feci, & hic apponi curavi. *Hactenus Vghellus, cujus imitatus ſedulitatem idem rurſus exhibeo.*

Verum ſigillum, ex illius temporis uſu.

E

exhibet Vghellus.



79 *Potuitne hæc videre & legere Elianæ ſucceſſionis auctor Francicus; &, cum ſolam vitam ab Vghello deſcriptam ſua interpretatione dignam cenſeret, nihilominus credere, prius toreuma genuinum eſſe; neque advertere, quod, cum ea ratione Eremitanæ in Belgio familiæ per neceſſariam conſequentiam inſeratur Albertus, nequeat ſubſiſtere veritas narrationis, Italum eum ex agro Parmenſi facientis? Sed quid hunc aut alios miramur? Si crediderunt iſta fuiſſe gentilitia Alberti inſignia, crediderunt id pro eo tempore, quo iſtiuſmodi teſſerarum uſus erat, ſaltem inter Milites, in torneamentis aliiſque ſimilibus actibus? Potius admirationem moveat Saracenus, qui poſt novem quæſtiunculas fuſe explicatas, eo fine* ut lector tuto pede hiſtorias Carmelitanas percurrere valeat, *repræſentat* Divi Dionyſii Papæ vetus Pontificium inſigne, *quale à Lucio Belga accepit, omiſſis dumtaxat ornamentis decuſſatarum clavium ac triplicis tiaræ, fortaſſis quia ſciebat eorum uſum eſſe recentius inductum. Sed qui eum hoc docuit, poterat etiam docuiſſe, teſſeraria ſcuta non habuiſſe Pontifices antiquos, ſigilla vero eorum aut crucem aut Apoſtolorum Petri & Pauli vultus fuiſſe, cum inſcriptione nominis, qualia Ciacconius & Baronius non uno loco repræſentant.*

F

Priori ſimile eſt aliud S. Dionyſii Papæ.

80 *Non fuit tam impudens Lucius Belga, ut aſſereret hoc inſigni uſum Dionyſium: ſed uti ſæpe Ciacconius, etiam ante inductum teſſerarum iſtarum morem, anticipate tribuit Pontificibus teſſeras, diu poſtea uſurpari cœptas ab iis familiis, quæ ipſos ſibi vindicabant; ita etiam ipſe, libri ornandi cauſa dumtaxat, ex teſſerario Ordinis ſcuto communi omnibus,*

quod ornatus cauſa ſolum adinvenit Lucius.

AUCTORE D. P.

bus, unum ipſis proprie aptavit, ſuperaddendo aliquid ſuæ de illis opinationi accommodum: & ut hic pro S. Dionyſio (quem monachum credebat Hieroſolymitanum fuiſſe) inſigne Hieroſolymitanæ militiæ, poſt recuperatam a Latinis urbem ſanctam primum natæ, dicto ſcuto ſuperimpoſuit; ſic alibi Benedictum XII. quem abſque ulla veriſimilitudine Ordini ſuo adſcribit, volens ut Francum exhibere, eidem ſcuto tria lilia addidit, uti infra expreſſum vides. Addidit etiam alia nunc ſolita uſurpari ſcutorum Papalium ornamenta, Regnum ſcilicet, quod vocant, ſeu triplicem coronam, & Pontificias claves, utraque non valde vetuſti principii. Melius quæſiviſſet vera ipſius Papæ Benedicti inſignia, quæ in lapide Pariſiis ſculpta adhuc videre licet, & erant alba parmula in campo rubro, prout cœperat cum primum Cardinalis creatus eſt uſurpare, in memoriam Ordinis Ciſtercienſis, unde aſſumptus paſſim Cardinalis Albus *dicebatur.*

nica ſuperponentes. Mox etiam ad Carmelitas exemplum tranſiit, quibus ſimilis ſcuti pingendi facultatem præbebat ſimilis varietas colorum, ſed inverſo ordine diſpoſitorum. Et initio quidem nudum erat aliis ornamentis ſcutum; quale videre eſt ante Conſtitutiones Ordinis anno MCCCCXCIX *excuſas, & in fronte Chronicæ Carmelitanæ impreſſæ Placentiæ anno* MDXCV *auctore Ioſepho Falcone Italice. Poſtea, ſicut Prædicatores ſcutum ſuum ornaverunt ſymbolis quibuſdam ad S. Dominicum pertinentibus; ita etiam Carmelitæ, primum duabus, deinde tribus ſtellis (quarum ſignificationem explicabunt ipſi) haud in cncinne diſtinxerunt. Carmelitæ autem diſcalceati, aperturam pallii ornaverunt crucula, quæ ſe ab iis, quos Mitigatos vocant, judicabant apte ſecernendos. Rem oculis ſubjectam vide in ſchemate, & ipſum ſcutum, tam purum quam compoſitum, confer cum pectore Cermelitæ mantellati.*

ſumpſerunt occaſionem ſuorum inſignium.

D



B



E

81 *Lucii conceptiones vidiſti, nunc obſtupeſce admirabile Saraceni ingenium, qui nec fictionibus quidem ſobrie uti novit; ſed velut in Parnaſſo ſomnians, ac mera interim oracula,* ex genuinis fontibus robuſta & conſtanti fide *proferens, cum neſcio apud quos fabulatores legiſſet Equitum ſacri Sepulchri Ordinem à S. Iacobo Fratre Domini inſtitutum, à Conſtantino magno illuſtratum, denique à Terræ-ſanctæ recuperatoribus reſtauratum fuiſſe; commentitiæ Equitum iſtorum antiquitati parem fecit inſignium hodiernorum originem; & hæc cum æque imaginaria, pro tempore illo, inſignium Carmeliticorum vetuſtate comparans,* liquido apparere *ait,* D. Dionyſium iſtius Ordinis inſignia publice in Pontificatu extuliſſe. *Nam quoniam Ordo Carmelitanus Breviarium & Miſſale habet juxta uſum Dominici Sepulcri, qui Canonicorum Regularium Congregationis ſic nominatæ fuit proprius;* nullo negotio ſuaderi *putat, Carmelitis & iis qui ad Sepulcrum Domini deſerviebant* communia fuiſſe inſignia; *jam inde ſcilicet à S. Dioniſii Papæ temporibus, ſeculo Chriſti* III.

Saracenus pro fundamento novæ fabulæ arripuit.

C

82 *Scire vis Carmeliticæ teſſeræ principium? Non ego te multis demorabor, nec oſtendam circa annum milleſimum celebrari cœptas convocationes ac provocationes militares, ad oblectationem ſimul & exercitationem nobilitatis; in quibus dum ſe ſuoſque ſinguli Principum cupiunt diſcernere ab aliis, paulatim orta ſit tanta diverſitas heroicarum teſſerarum. Univerſam hujus rei hiſtoriam clariſſime illuſtrabit Franciſcus Claudius Meneſtrier Societatis noſtræ vir eruditiſſimus, ſpecimine non uno pridem notus. Solum dicam, genus quoddam inſignium eſſe & fuiſſe pridem, quæ ſcutum ſuum partiantur trifariam, ita ut ex ſummo & medio ſcuti puncto duæ lineæ incurvæ ad latera defluant, &* cappæ *ſeu* mantelli *ad collum adſtricti atque deorſum reducti formam referant; Hiſpani,* Armas en Mantel, *appellant; Franci,* des Armoiries chappées, *ideſt,* Arma ſub mantello, *ſeu* Cappata inſignia. *Cum autem ejuſmodi teſſerarum uſus etiam Eccleſiaſtico Ordini placere cœpiſſet, primi in Hiſpania Dominicani, poſt annum* MCCCC *aut ſerius, habitus ſui colorem aſſumpſere pro teſſera, pallium nigrum albæ tu-*

Ab inſignibus quorundam mantellatis, poſt an. 1000 inventis,

Dominicani & Carmelitæ,

CAPUT IX.

Breviarium ex uſu ſancti Sepulcri, Eremitis ab Alberto præſcriptum in Regula, quale fuerit; quale Martyrologium.

83 *EOdem tempore, quo Albertus in Syria Eremitis ad fontem morantibus brevem iſtam ſcripſit Regulam, ſcripſit etiam ſuam Seraphici Ordinis fundator Franciſcus, futuræ amplitudini divinitus monſtratæ & munerum obeundorum diverſitati parem, quam etiam obtinuit anno* MCCXI *ab Innocentio III confirmari. In hac cap.* 3 *ſic præcipit:* Clerici faciant Officium ſecundum conſuetudinem Clericorum: laici vero dicant Credo in Deum, & viginti quatuor Pater noſter, cum Gloria Patri, pro Tertia, Sexta, Nona, pro qualibet iſtarum ſeptem Pater noſter cum Gloria Patri: pro Veſperis autem duodecim, pro Completorio ſeptem: & Credo in Deum cum Gloria Patri. *Huic ordinationi conſonat Albertinæ Regulæ artic.* 6 *in hunc modum,* Hi qui litteras noverunt & legere Pſalmos, per ſingulas horas eas dicant, qui, ex inſtitutione ſanctorum Patrum & Eccleſiæ approbata conſuetudine, ad Horas ſingulas ſunt deputati: qui vero litteras non noverunt, viginti quinque vicibus dicant Pater noſter in nocturnis vigiliis ... ſepties autem eadem dicatur oratio in Laudibus Matutinis: in aliis quoque Horis ſepties ſimiliter eadem ſingulatim dicatur oratio; præter Officia Veſpertina, in quibus ipſam quindecies dicere debeatis. *Quam autem ridiculum foret ablegare S. Franciſcum ad Regulam S. Baſilii aut ſimilem aliam, ex qua iſta ſumpſerit; ita abſurdum erit credere aliud ſpectaſſe Albertum, quam ut vivendi normam, Eremitis, quales in Europa cognoverat, congruam, delinearet.*

Eadem quæ de Horis S. Franciſci,

etiam præcipit B. Albertus,

84 *Nihil*

A *Eremitis pure Latinis :*

84 *Nihilo minus incredibile eſt cœtum illum, qui tunc erat totus Ordo, coaluiſſe ex hominibus, non tantum Latini, ſed etiam Græci & Syriaci ritus; quamvis hoc videantur præſumere Carmelitæ, cum ad explicandam ſuam Elianam ſucceſſionem, perſuadere nituntur, majores ſuos ſub Bertholdo, non ad normam Eremitarum Europæorum (qui in Elia nihil aliud quam ſolitariæ vitæ exemplum habent) ſed ex diſciplina eorum vixiſſe, quos ipſi putant ab Elianis immediate fluxiſſe. In hac tamen connexione demonſtranda cardo vertitur prætenſæ antiquitatis; à nobis quidem non negatæ, ſed nec ab illis ſolide probatæ per hoc, quod connexionem iſtam, ipſis Carmelitis eam aſſerentibus, citra examen paſſim crediderint multi, quorum nomina & teſtimonia longo ordine, ſed parum efficaci, paſſim producuntur. Exemplum Eliæ & Elizæi, ad quod vitam aliquos in Carmelo inſtituiſſe dicit Iacobus de Vitriaco, etiam ad Latinos ſpectabat; & ſic merito eos tamquam Patronos Ordinis colunt Carmelitæ. Vt etiam Fundatores dicantur, oporteret quod eorum ſucceſſores fuerint Brocardo & ſociis ejus ſaltem inſtructores atque magiſtri. Hic, hic, inquam, non in Veteri teſtamento uſque ad Eliam, non in novo uſque ad Chriſtum, (de quibus, alſque coævorum ſcriptorum auctoritate & teſtimonio, volentibus andabatarum more pugnare, gratis cedent quicumque nolent diſputare de nomine) ſed hic, in ſeculo Chriſti* XII*, adeo nobis*

eos qualiter cum antiquioribus connectant,

B *propinquo, tot ſcriptorum monumentis illuſtrato, hic Rhodus eſt, hic ſaltus, qui exigitur; non altius promovendus quam uſque ad principium iſtius ſeculi: ſed ô! quam difficilis!*

85 *Annis duodecim & amplius in hac illuſtrandæ hiſtoriæ arena verſatus, idque ſub magiſtro annos ferme quadraginta idem agente, pro ſingulari deſiderio gratificandi Ordini mihi cariſſimo, intentos ſemper habui oculos in omne fundandæ connexionis iſtius argumentum; annis autem his quatuor poſtremis aut quinque, nihil majori contentione egi, quam in illum finem ſcrutari omnia monumenta, hiſtoriam orientalem medii ævi concernentia, uti apparebit in principio Maji ex Catalogo Patriarcharum Hieroſolymitanorum, unico ſtudii iſtius fructus. Verum quanto ea inſpexi profundius, tanto magis deſperare cœpi inventurum me quod tam ardenter cupiebam. Nihil vero ante ipſorum in Europam tranſitum ſcriptum reperiens, quo talis ſucceſſio probaretur; nihil nunc in aliqua parte totius inſtituti inveniens, quod Græcorum aut monachorum aut eremitarum redoleat diſciplinam (nam cellularum diſcretarum ratio, quæ veterum quandoque lauratum fuit, ex Camaldulenſibus eremitis late per Italiam fuſis & integro ſeculo prægreſſis Bertholdi initia, prîdem Europæis noſtris nota fuit) nihil, inquam, tale inveniens, ſolum pronuntio, non liquere. Quam juſte; planum erit, ſi intelligat Lector cujus Eccleſiæ fuerit* approbata conſuetudo, *Brocardi ſociis præſcripta ab Alberto.*

viderint alii.

C 86 *Antiquitus excuſo Carmelitarum Breviario, ante Officium proprium de Adventu, hic præponitur titulus:* Incipit Breviarium ſecundum Ordinem Fratrum glorioſæ Virginis Mariæ de monte Carmeli, extractum & excerptum de approbato uſu Dominici Sepulcri Hieroſolymitanæ ſanctæ Eccleſiæ, in cujus finibus dictorum Fratrum Religio ſumpſit exordium. *Eadem fere verba habentur ante Rubricas Generales,* Incipit Ordinale Horarum Canonicarum Fratrum *&c. Eadem dicuntur haberi in Ordinali Miſſarum excuſo Venetiis* MDIX *&* MDLI. *Quinam autem ſunt illi, quibus Dominici Sepulcri cuſtodia & Officiorum divinorum ibidem peragendorum demandata fuit cura? Audiamus Tyrium, rebus geſtis proximum. Cum libro* 9 *deſcripſiſſet quomodo regnum Hieroſolymitanum fuerit Godefrido Bullionio delatum, cap.* 9 *ſic loquitur:* Poſtquam igitur regnum obtinuit, paucis diebus interpoſitis, ſicut vir religioſus erat, in his quæ ad decorem domus Dei habebant reſpectum, ſolicitudinis ſuæ cœpit offerre primitias. Nam protinus in eccleſia Dominici Sepulcri & Templo Domini Canonicos inſtituit... ordinem & inſtitutionem ſervans quas magnæ & ampliſſimæ, à piis Principibus fundatæ, ultra montes ſervant eccleſiæ.

Ad ſepulcrum Domini inſtituuntur Canonici,

primum ſeculares tum regulares,

87 *Idem Tyrius lib.* 11 *cap.* 15, *de Arnulpho Patriarcha queritur, quod* Ordinem, quem primi Principes ſtudioſe & cum multa deliberatione inſtituerant, Canonicos Regulares introducendo, commutarit. *Creatus eſt autem Patriarcha Arnulphus anno* MCXI. *Ad hanc commutationem conſequenter Iacobus de Vitriaco ſcribit lib.* 1 *cap.* 58. Patriarchalis eccleſia, quæ eſt Dominici Sepulcri ſub monte Calvariæ, Canonicos habet Regulares, ſecundum habitum & regulam B. Auguſtini viventes: habent autem Priorem, ad quem cum prædictis Canonicis pertinet eligere Patriarcham, qui eſt eis loco Abbatis. In eccleſiis autem Templi Domini & montis Sion, & montis Oliveti ſunt Abbates & Canonici, ſecundum Regulam prædictam S. Auguſtini Domino miniſtrantes. *Inter hos, Vrbe à Saracenis capta profugos, vivebat Albertus Accone, ibidemque in divinis Officiis ſervabat uſum ſancti Sepulcri: quem multi tum in Gallia tum in Belgio receperunt, edocti à Canonicis è Terra-ſancta redeuntibus, & ſic inſtituta Congregatio Canonicorum ſacri Sepulcri, reddidit Europæ, quod inde acceperat, cum exigua valde mutatione; adeo ut in ſola Vltrajectinæ diœceſi (cujus Breviarium paulo poſt allegabimus) fuerint domus Regularium iſtiuſmodi viginti quatuor, & Sanctimonalium ejuſdem Congregationis omnino ſeptem.*

AUCTORE D. P.

quibus præſcribitur ordo Eccleſiaſticus Franc. & Belgic.

88 *Specimen autem Officii ab illis uſurpati habemus in Ms. pluſquam à trecentis annis exarato, cui titulus,* Incipit Matutinale temporis hiemalis, ſecundum normam legendi in eccleſia Dominici Sepulcri. *Continentur autem in hoc Ms. æque ac in præcitato Carmelitarum excuſo Breviario, feſta Epiſcoporum ſanctorum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, ſcilicet* Matthiæ Epiſc. & Conf. III *kal. Februarii,* Simeonis Ep. & Mart. XII *kal. Martii,* Alexandri Ep. & Mart. XV *kal. Aprilis,* Quiriaci Ep. & Mart. IV *Nonas Maji; &* IV *kal. Novembris,* Narciſſi Ep. & Conf. *Continet præterea utrumque Breviarium ex ſanctis Gallicanarum & Belgicarum provinciarum præcipuos aliquos, videlicet memoriam* SS. Hilarii & Remigii *Idibus Ianuarii,* Vedaſti & Amandi VIII *Idus Februarii,* Albini Ep. & Conf. *kalendis Martii, Tranſlationis S. Martini* IV *kal. Iulii,* Germani Ep. *pridie kal. Auguſti,* Ægidii Abb. *kal. Septembris,* Lamberti Ep. & Mart. XV *kal. Octobris,* Remigii Ep. & aliorum *kal. Octobris,* Dionyſii Ep. & ſociorum Martyrum VIII *Idus Octobris,* Sanctarum undecim mille Virginum XII *kal. Novembris,* Leonardi Confeſſoris VIII *Idus Novembris, ac demum* SS. Abraham, Iſaac & Jacob III *Nonas Octobris,* & S. Lazari à Chriſto reſuſcitati XVI *kalen. Ianuarii. Qui quidem omnes Sancti etiam coluntur ab Ordine Equitum S. Ioannis Hieroſolymitani, poſtmodum in Rhodum ac demum in Melitam tranſlato, uti nobis conſtat ex Miſſali eorum ante annum* MDV *excuſo.*

E *& hic eſt uſus Dominici Sepulchri,*

F 89 *Ad hæc, Regularibus, Equitibus, & Carmelitis communia feſta,* ſecundum normam legendi in eccleſia Dominici Sepulcri, *addiderunt ſinguli proprios aliquos ſui Ordinis: Regulares videlicet in diœceſi Vltrajectina,* feſtum liberationis civitatis Jeruſalem *pridie Idus Iulii,* S. Pontiani *Patroni Vltrajectini* XIX *kal. Febr.* Gertrudis Virg. XVI *kal. Aprilis,* Odulphi Conf. *pridie Idus Iunii,* Cordulæ Virg. & Mart. XI *kal. Novembris,* Willibrordi Ep. VII *Idus Novembris,* Servatii Ep. III *Idus Maji,* Lebuini Conf. *pridie Idus Novembris, &* S. Auguſtini *cum Octava, prout ab omnibus Canonicis Regularibus ubique terrarum celebrabatur. Rhodienſium peculiares Sancti, eorum kalendario inſcripti, ſunt,* V *Idus Martii* Martyres XL Jeruſalem, *quorum corpora habebantur Rhodi, quando excuſum eſt prædictum Miſſale;* X *kal. Iulii* X millia Martyrum *in monte Ararath paſſorum, utpote Militum;* V *kal. Auguſti* S. Pantaleonis Mart. *ob victoriam eo die de Turcis obtentam;* VII *kal. Octobris* S. Cleophæ diſcipuli & Martyris; *&* XI *kal. Novembris,* S. Marci Epiſcopi Jeruſalem & Martyris. *Carmelitæ denique ex ſuis apposuerunt feſta* S. Petri Thomæ Ep. & Conf. (*quem poſtea nullo*

& ſeorſim auctus pro ſingulis :

AUCTORE D. P.

idoneo argumento ut Martyrem cœperunt colere) VII *Idus Ianuarii*, Cyrilli Conf. non Pontif. *pridie nonas Martii*, Alberti Ep. & Conf. VI *Idus Aprilis* (*de quo jam agimus, & Martyrem obiisse ostendimus*) Angeli Mart. III *Nonas Maji*, Helizæi Prophetæ XVIII *kal. Iulii*, Eliæ Prophetæ XIII *kal. Augusti*, Alberti de Drepano III *Idus Augusti*.

90 *Atque hic juvat observare, quod licet singulis pene diebus Monachi & Clerici Græci, in ipsa etiam sancti Sepulcri ecclesia, varios à Latinis Sanctos prolixo Officio colerent; uti tamen Latini Canonici eorum neminem, præter paucos Hierosolymitanos Episcopos, Latino, cui soli assueverant, Kalendario inseruerunt; ita nec Carmelitæ primi, curaverunt eosdem inserere kalendariis suis; nequidem præcipuos illos monastici status in Syria partim fundatores partim restauratores, Hilarionem, Euthymium, Sabam, Charitonem, Theodosium, Gerasimum. Et non licebit dubitare utrum majores ipsorum aliquando Græcis libris ac ritibus usi sint? Imo raptum Eliæ (qui ut Ordinis, non Patronus tantum, sed Fundator credatur dicaturque, tantopere contendunt posteri) colere ab illis non didicerunt: colunt enim hunc Græci, juxta Hierosolymitanum S. Sabæ Typicon* XX Iulii; *Carmelitæ autem fortassis nec coluerunt quidem primis ab Alberto seculis; deinde excuso Martyrologii supplemento, cujus supra meminimus,* B *infra Octavam discipuli Helizæi magistrum colendum assumpserunt* XV *kal. Iulii, eumque diem servaverunt, usque dum Romani Martyrologii recognitor Baronius, ex Sirleti Menologio proprium Eliæ diem restituere docuit.*

Sed à Carmelitis, illustriores omnes Sanctos Syriæ dimittentibus,

91 *Quos autem, præter supra nominatos, vel ex Ordine suo aggregarunt Sanctis, vel ex antiquorum Sanctorum numero ad se transtulerunt; quo jure id fecerint non disquiro: puto tamen, quoad antiquos, primam eos colendi occasionem non esse à Carmelitis acceptam, quod crederent Ordinis sui fuisse; sed quia eorum notabiles aliquas possidebant Reliquias, ut erant tunc omnes Latini conquirendarum Reliquiarum studiosissimi; vel quia in Cypro, prima translatis Ordinis Provincia ac veluti ceterarum altera matre, præcipuam illi venerationem obtinebant. Nam, ut de singulis dicam aliquid, Cyprius fuit* S. Spiridion, *qui nunc inscribitur kalendario Carmelitico*, Episcopus & Confessor Ordinis nostri XIV *Novembris*; *& tamen ne monachus quidem fuit; sed ante Episcopatum agricola uxoratus, qui conjugem & filiam, quamdiu vixere, apud se habuit, nec postea aliter quam Episcopus vixisse legitur. Cum iisdem titulis oblatus est kalendario prædicto inserendus* S. Serapion, XXX *Novembris*; *de cujus tamen monachatu ante aditam cathedram Antiochenam nullum uspiam verbum apud antiquos, multominus de eodem post suscepto.* S. Anastasium Persam, *monachum & Martyrem, quam multi ad se rapiant Ordines, quam jure nullo nitantur singuli, vidimus in Ianuario ad diem* XXII. *In Februario ascivere Carmelitæ* S. Euphrosynam, *in Martio* Euphrasiam *seu* Eupraxiam, Virgines; *monachas illas quidem, sed in Ægypto; has tamen etiam Ordinis Carmelitici fuisse sustinent recentiores, eo forsitan titulo, quod quidam* Enoch de Arimathaim *fingatur Præses Elianorum, in Carmelo ad Christum conversorum, & socius S. Marci Euangelistæ, ad Ægyptios Religione Christiana imbuendos & institutis monasticis informandos: nam ob hanc causam prætendunt omnia Ægyptiaca monasteria fuisse Eliana. Sed Enoch iste, quem quidam ex Carmelitis, aliis aliud sentientibus, dicunt fuisse unum ex* LXXII *Christi discipulis, non tantum non reperitur in ullis catalogis illorum (& tamen multos atque antiquos habemus) sed nec apud ullum nominatur scriptorem veterem qui egerit de S. Marco, ut videbitur* XXV *Aprilis.*

additi alii nimirum ipsis apti.

92 *Vt autem ad Breviarium, secundum consuetudinem sancti Sepulcri à Canonicis & Carmelitis citra discrepantiam usurpatum, revertatur oratio, confirmeturque Tyrii dictum, asserentis in ejus institutione Hierosolymis servatum ordinem,* quem magnæ & amplissimæ ultra montes servant ecclesiæ; *age, conferamus ipsum cum antiquioribus Gallicanis & Belgicis Breviariis, ubicumque à Romano Breviario discrepant, cum usu Canonicorum & Carmelitarum convenientibus.* D *In his primo quidem loco Psalterium integrum ponitur, per hebdomadæ dies dispositum, sed ita ut suo ordine Psalmi omnes ponantur, etiamsi tali ordine legi non debeant. Hinc in Dominica post Psalmum* III *hæc ponitur Rubrica,* Isti duo sequentes Psalmi non dicuntur in isto nocturno, *& sunt Psalmus* V Cum invocarem, *&* VI Verba mea auribus percipe. *Deinde post Matutinum referuntur Psalmus* XXI *cum quatuor sequentibus, qui in Feriali officio ad Primam diversis diebus recitantur: subsequenter collocatur Psalterium reliquum, usque post vesperas Feriæ* II, *ubi interponuntur quæ ad Primam, Tertiam, Nonam sunt dicenda, propter Psalmum* CXVIII Beati immaculati.

Vsum istum vere ab ecclesiis Franc. & Belg esse desumptū,

probatur ex dispositione Psalterii.

93 *Secundo in Breviario Carmelitarum & Regularium, aliæ quam in Romano præscribuntur Antiphonæ, recitandæ post Trinitatem ad Matutinum; constant autem singulæ duobus versibus, qualis est hæc prima pro primo nocturno:*

Pro fidei meritis vocitatur jure beatus,
Legem qui Domini meditatur nocte dieque.

Antiphonis de Trinitate.

& eædem sunt in Antissiodorensi, Remensi, aliisque pluribus Breviariis. Tertio in eisdem pro Adventu officium quod Regulares & Carmelitæ recitant à Romano diversum est: nam in Sabbatho primum Capitulum proponitur, Qui venturus est veniet & non tardabit, *Invitatorium vero tale,* Ecce Rex venit, occurramus obviam Salvatori nostro; *Lectio prima ad Matutinum est ex Prologo S. Hieronymi in Isaiam,* Nemo cum Prophetas viderit versibus esse descriptos, metro existimet eos apud Hebræos ligari; *in tertio Nocturno legitur Euangelium secundum Mattheum,* Cum appropinquasset Jesus Hierosolymam, & venisset Bethphagé ad montem Oliveti, tunc misit duos ex discipulis suis, dicens; Ite in castellum, quod contra vos est: *quod ex ritu Romano solum legeretur in Dominica Palmarum: & Euangelia quæ secundum eumdem ritum legenda essent Dominica* I, II, III *Adventus, habentur in dictis Breviariis pro Dominica* II, III, *&* IV.

Officio per Adventū. E

94 *Denique in parte æstiva, pro die sanctæ Trinitatis, sex primæ Lectiones præscribuntur ex S. Augustino,* Credimus sanctam & individuam Trinitatem, id est, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem; *Euangelium vero ad* III *Nocturnum est secundum Ioannem, de Nicodemo, qui noctu ad Christum venit; in Laudibus autem singulæ Antiphonæ habent sibi annexum Versum, hoc modo,* Antiph. O beata & benedicta Trinitas, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Vers. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio. *Prima porro Dominica post octavam Pentecostes, præscribitur ex Lucâ parabola de divite epulone; & sequentia Euangelia Dominicarum ultra integram hebdomadem omnia transferuntur, quia* F *Euangelium, quod in Romana Ecclesia legitur ipso sanctissimæ Trinitatis festo,* Estote misericordes sicut & pater vester misericors est, *juxta breviaria prænominata legitur Dominica quarta post Pentecosten. Plura nec lubet nec vacat colligere: satis hæc, ut quilibet agnoscat, totum Breviarii Carmelitani ordinem à Latinis ecclesiis promanasse: si autem adhuc dubitat aliquis, consulat Euchologia, Synaxaria, Liturgica, Triodia, Paracletica, Menæa, Anthologia & Menologia Græcorum: in quibus si quid invenerit, quod à Græcis retinuisse videantur Carmelitæ, manus dabimus & testimonium veritati. Ritus linguæque mutatio (quæ tamen post tot secula necdum obvenit Basilianis monasteriis in Italia, licet solos fere Italos nunc recipiant) non est idonea excusatio, quo minus retineri debuerint multa (si vere fuerint aliqua) propria toti Ordini ab immemorabili tempore antequam Latini advenirent, maxime circa cultum Sanctorum. Vnde longe consultius videtur, Ordinem hunc, quem novimus, Carmelitanum, considerare tamquam diversum à quocumque Ordine Græcorum aut Syrorum.*

Euangeliis Dominicarum post Pentecosten.

sine ullo vestigio aut umbra ritus peregrini.

95 *Hactenus de Breviario dicta, de Martyrologio quoque, ex Latinorum ritu post Primam recitando, debent intelligi. Etenim* Martyrologium S. Mariæ Virginis, *Coloniam ad Carmelitas allatum ex eorumdem Francofordiensi conventu,*

Martyrologium quod Carmeliticum

A ventu, ſcriptumque cum inter Divos jam relatus eſſet S. Thomas Cantuarienſis, omnium ibidem recenſitorum noviſſimus; quam eſt ab Vſuardi textu, quo Romana tum utebatur Eccleſia, diverſiſſimum, tam verbotenus convenit cum eo quod uſurpavit S. Lupi Trecenſis eccleſia (qualia etiam fuiſſe cetera Canonicorum Regularium per Galliam martyrologia poterit haud dubie pluribus, ſi extant alibi, exemplaribus probari) prout illud ibidem adhuc ſervatur, eleganti omnino charactere exaratum, & indiculo librorum iſtius eccleſiæ inſcriptum anno MCCCCLXXXVII à Nicolao Forjot Abbate.

idem eſt quod Canonicorum Regul. in Gallia,

96 In iſto porro Carmelitico Martyrologio ejuſque poſt excuſo ſupplemento prænemorato, abeſt S. Ioſephi Chriſti nutritoris nomen & memoria: ideoque cogimur retractare & reprobare conjecturam; qua, rebus his necdum plene diſcuſſis, conabamur nobis aliiſque reddere veroſimile ad diem XIX Martii, Carmelitas in colendo feſtive S. Ioſepho primum dediſſe ceteris Mendicantibus exemplum, velut qui illi cultui pridem aſſueviſſent in Syria. Neque enim conſentit Breviarium Ms. ex uſu ſancti Sepulcri, eo feſto carens, niſi quod recentiori prorſus manu interpolatum Kalendarium, nomen Ioſephi habeat; nec ab Orientalibus, S. Ioſephum ſolenniſſime colentibus infra Octavam Nativitatis Dominicæ, didicerunt Carmelitæ eum colere in Martio: Breviarium autem Carmeliticum, cui inſeritur S. Ioſephi officium novum & initio ſeculi XVI compoſitum, poſt eos annos primum prodiit, quibus diximus Franciſcanos S. Ioſephi cultum recepiſſe; adeo ut

& in eo inventur S. Ioſephi feſtum recentius addi tum.

B ſententia Patrum, qua Carmelitanis Faſtis addita S. Ioſephi ſolennia cecinit Mantuanus, non aliorum Patrum fuiſſe exiſtimanda ſit, quam qui in aliquo Capitulo Ordinis, ætate ipſius Mantuani coacto, aliorum Ordinum permoti exemplo, ita ſancivere faciendum.

CAPUT X.

Regula B. Alberti à ſummis Pontificibus approbata.

In litteris Innocentii ad Albertum nihil eſt de eremitis in Carmelo,

97 EX iis Innocentii III Papæ litteris, quas ad Albertum, Sedis Apoſtolicæ in Terra ſancta Legatum, idem Apoſtolicus dedit, ſatis apparet, ipſum Legatum nihil magnæ alicujus rei egiſſe, de quo pro Legatorum more, ad ipſam ſanctam Sedem non retulerit, conſilium mandatumque præſtolans: nec enim facile Legatus quiſpiam utitur poteſtatis ſibi commiſſæ plenitudine, ubi nullum in mora periculum eſt, & majoris ad rempublicam momenti negotium tractatur. Plures ejuſdem ad eumdem Epiſtolas ſi reperiſſet in Regiſtro Vaticano Lezana, totum accurate ſcrutatus, & in iis vel minimam quorumcumque in Syria eremitarum mentionem

C reperiſſet, inſeruiſſet haud dubie ſuis Annalibus. Quod cum factum non ſit, neque in iis quas editas diximus tale quidpiam legatur; cogimur omnino credere, principia Ordinis ſub Brocardo adeo fuiſſe tenuia adhuc, ipſamque Regulam privatæ inſtructionis in modum ſic traditam paucis illis eremitis, ut ipſe Albertus, neſciens quantæ rei ſemen jaceret, non magis de ea cogitaverit informare Pontificem, quam de Pontifice appellando tunc cogitaſſet quivis alius Epiſcopus, piam quampiam inter ſubditos confraternitatem inſtituens, ac legibus privatim ordinans, ad propoſitum adunationi novæ ſcopum conſequendum. Quod ipſum multo magis ſentiendum de Haymerico Antiocheno & Amalrico Hieroſolymitanis Patriarchis, ſub quibus Eremitæ iſti primum ſunt collecti & forte etiam jus religioſæ profeſſionis adepti.

98 Aſt ſi unius obedientiæ, tamquam Prioris Generalis, ſubjicienda fuiſſent eremitoria vel omnia vel multa etiam Græcorum atque Syrorum; lingua, moribus, inſtitutis, ritibus diverſorum; aut ſi iiſdem antea permixti Latini debuiſſent priorum Superiorum obedientiæ eximi, ut ſub unum ſuæ gentis caput colligerentur; & iterum, ſi ipſis, per plura monaſteria jam diviſis, neque ſilvas tantum ſed urbes etiam inhabitantibus, tradenda Regula per totam volitaſſet Paleſtinam; quot Patriarchæ litteris, quot Pontificis de hoc reſponſis opus fuiſſet? Exemplo eſſe poterunt quæ circa Eremitarum Auguſtinianorum aliorumque in Hetruria non admodum diſcrepantium unionem, acta invenies in prævio ad S. Guilielmum commentario, ad x Februarii; & tamen vix ſunt pars decima monumentorum quæ allegari potuiſſent. Nihilo minori molimine res acta eſt, quando imitatione Lucenſium quorumdam Canonicorum, qui in eccleſia S. Frigidiani ad vitæ Apoſtolicæ normam ſe reduxerant, alii aliis locis atque etiam Romæ ad Lateranenſem Baſilicam cœperunt regulariter cohabitare, unde natus vel renatus eſt ordo Canonicorum Regularium. Igitur quodcumque & quantumcumque incrementum Carmelitis acceſſit, quod ſua magnitudine poſſet in oculos hominum ſermoneſque incurrere, id totum acceſſit poſt datam Regulam, imo poſt ipſius Alberti mortem.

tum adhuc tenui & obſcuro ordine:

Auctore D. P.

99 Ipſo vivis exempto, celebratum eſt anno MCCXV Concilium œcumenicum Lateranenſe, in eoque decretum conditum hujuſmodi: Ne nimia religioſorum diverſitas gravem in Eccleſia Dei offenſionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam religionem inveniat: ſed quicumque voluerit ad religionem converti, unam de approbatis ſumat; ſimiliter qui voluerit domum de novo fundare, Regulam & inſtitutionem accipiat de approbatis. Hoc, uti & cetera Concilii illius decreta, perlatum quidem confeſtim in Syriam eſt & cito Epiſcopis communicatum; non tamen niſi paulatim contra Carmelitas motæ ſunt moleſtiæ, & ſpectabiliori quotidie eorumdem ad fontem incremento auctæ, Prælatis aliiſque quærentibus contra conſtitutionem Concilii peccari, quod ipſi, abſque Regulæ ullius in Europa notæ & receptæ profeſſione, ſic vivere & augeri ſinerentur. Sic vero auctæ multiplicataque querelæ, Brocardum & Fratres impulerunt, ut ad Apoſtolicam Sedem pro remedio accurrerent, quatenus in ſuſcepta Alberti Regula permitterentur manere, ipſaque à Pontifice approbata cenſeri poſſet. Ad hoc autem obtinendum, non allegarunt ſui Ordinis antiquitatem, non alia infinita quæ allegari potuiſſent, ſi vera eſſent ea omnia quibus pleni ſunt Annales Lezanæ: non dixerunt, majores ſuos habuiſſe pro Regula tot antegreſſis ſeculis librum Ioannis de inſtitutione monachorum, quia cum hæc quærerentur nec dum erat ille confictus; non denique à S. Baſilii Regula, toto oriente & occidente probatiſſima, excuſationem novitatis petierunt, futuram ſi vera erat efficaciſſimam. Quid igitur? Id nempe ſolum, quod ſolum in reſcripto ſuo Pontifex indicat: ſolent enim ſupplicationibus conformari apoſtillæ. Reſcriptum autem tale eſt:

eorum æmuli jores titulo novitatis vexati.

100 Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Priori & Fratribus Eremitis de monte Carmelo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ut normam vivendi regulariter, à bonæ memoriæ Hieroſolymitano Patriarcha editam (*excidit forte tranſcribentibus nomen Alberti, quia pro more illius ævi per ſolum A initiale ſcriptum*) quam ante generale Concilium vos dicitis humiliter ſuſcepiſſe, impoſterum vos & ſucceſſores veſtri, quantum cum Dei adjutorio poteritis, obſervetis, in remiſſionem vobis injungimus peccatorum. Datum Reate III kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno X, *id eſt* Chriſti MCCXXVI. *Hæc eſt prima Apoſtolica Bulla, quæ ſcitur data* Fratribus Eremitis de monte Carmeli: *& hoc nomen videtur auctiori ac magis jam noto cœtui placuiſſe, tamquam dignius famoſiuſque eo quo ſub Alberto adhuc utebantur, quando dumtaxat nominabantur* Fratres ad fontem.

ejuſque confirmationē impetrant an. 1226.

hæc ita prima data Bulla:

101 *Aſſerenti primam hanc Bullam eſſe, opponentur* Indulgentiæ, *ab Leone IV (ut fertur) conceſſæ (ſedere autem Leo cœpit anno* DCCCXLVIII) *& quidem ſub hac formula:* Leo Papa Quartus, omnibus Chriſti fidelibus, qui eccleſias Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli hujuſmodi in feſtis, Nativitatis Dominicæ, Paſchæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, Pentecoſtes, Aſſumptionis, Annuntiationis, Purificationis ejuſdem beatæ Dei genitricis ſemperque Virginis Mariæ, S. Michaelis Archangeli, omnium Sanctorum, in duobus feſtis ſanctæ Crucis, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, Sanctorum Martyrum Fabiani & Sebaſtiani,

aliud non allegant quam Regulam ante concilium datā fuiſſe,

nam Leonis Papæ 4,

AUCTORE D. P.

bastiani, & in die Paraseeves, & per Octavas prædictarum festivitatum, & vocabulis omnium Ecclesiarum dicti Ordinis devote visitaverint & pias eleemosynas largiti fuerint, seu domos confractas ejusdem Ordinis refecerint, septem annos & duodecim Quadragenas. *Deinde nominantur* Adrianus II *anno* DCCCLXVII *creatus*; Stephanus V, *anno* DCCCLXXXV *consecratus*; Sirgilius III, *omnibus Pontificum catalogis ignotus*; Joannes X, *anno* DCCCCXIII *assumptus*; Joannes XI, *suffectus* DCCCCXXXI; Sergius V, *quem oportet adhuc venturum speremus, nam hujus nominis ultimus, anno* MIX *promotus, Quartus numeratur*; & Innocentius IV; *qui dicuntur, ecclesias prædictas visitantibus, adjuvantibus &c.* tertiam partem omnium delictorum in Domino relaxasse.

aliorumque sequentium Indulgentiæ,

102 *Extat apud Lezanam ad annum* 1245 *num.* 7 *ex speculo Ordinis edita & verosimiliori stylo conscripta istius Innocentii Bulla, qua* Priori & Fratribus Eremitis de monte Carmeli rogat subsidia caritatis erogari, *utpote tunc ex Syria in Europam numero majori transgressis, septennio postquam Cyprii aliquot & Siculi fratres initium fecerant emigrandi, utque ad pium istud opus faciat promptiores*, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui eis manum porrexerint caritatis, decem dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxat. *Videat nunc lector utrum hæc parcitas cum ea conveniat largitate, quæ uni eidemque Pontifici in eadem causa supra tribuitur. Sane si vera est Bulla hæc ultima (nec enim in Mari magno privilegiorum talis reperitur, sed alia qua conceditur Fratribus tempore interdicti divina celebrare) si, inquam vera bulla est posterior, prætensam ejusdem Pontificis aliorumque antegressorum ac potissimum Leonis IV bullam efficaciter evertit. Quid enim Carmelitis opus erat solicitare Pontificem, pro parva decem dierum Indulgentia cum onere confessionis præmittendæ, si certi erant de obtentis, ante annos circiter quadringentos, pro eadem causa & absque tali onere indulgentiis* annorum septem & duodecim Quadragenarum.

tum ex forma Indulgentiarum tertiorum,

B

tum ex pretensa bulla stylo reprobantur:

103 *Norunt & jam passim consentiunt eruditi in Curia Romana viri, ejusmodi Indulgentiarum dandarum formulas, non nisi* XI *ac* XII *seculo cœptas in ecclesia usurpari; & citra difficultatem refellunt unum alterumve temporis anterioris fictitium exemplum, quod posset in contrarium objici. Nolo tamen hoc argumento uti; nolo dicere nihil in totâ Bullæ istius, quæ Leoni attribuitur, formâ esse quod Pontificiarum istius ævi litterarum stylum referat. Convincendæ imposturæ sufficiunt tria prima verba,* Leo Papa Quartus. *Quis enim eo tempore sic exorsus est Pontifex? Vide quotquot Vghellus toto suo opere habet Pontificum Bullas,* IX *seculo aut vicinis datas; invenies hac omnes ordiri forma* N. Episcopus servus servorum Dei: *sic quintus post dictum Leonem Marinus, sui nominis primus, anno* DCCCLXXXII *scripsit Danieli Solenniacensi in Galliis Abbati tom.* I *Italiæ sacræ, col.* 132; *sic alii post illum passim seculis aliquot, sic ante illum probabiliter omnes post S. Gregorium Magnum, qui Ioannis Constantinopolitani retusurus fastum, Patriarcham Oecumenicum se scribentis, primus* Servum servorum Dei, *titulo posteris laudatissimo, se appellavit.*

C

itemque ex consideratione locorum quibus data fuissent.

104 *Quænam autem sunt illæ domus vel ecclesiæ in quarum favorem statuta hæc forent? in Asiane an Europa sita? In hac ne unam quidem nominari, de qua probabili ullo argumento verosimile fiat ante migrationis prænotatæ tempus exstitisse, demonstrabo partim cap.* 2 *Tractatus Præliminaris ante tomum* 2. *partim in sequenti Majo acturus de SS. Angelo & Simone. In Asia quæcumque erant monasteria, fuisse ab indigenis habitata, nec ipsi Carmelitæ audebunt negare; imo hoc ultro concedunt, cum dicunt Majores suos, ante Latinorum adventum, S. Basilii aut Ioannis Hierosolymitani scriptis Græcis pro Regula usos. Hos vero sæpe schismaticos & semper Græcos Syrosve, id est, totos pendentes à propriis sui ritus Patriarchis & Episcopis, vix patientes appellari Romanam Sedem in maxime arduis fidei aut ecclesiæ negotiis, an dicemus pro impetrandis Indulgentiis Romam accurrisse?* D *Quo unquam id factum probabitur exemplo, non dico pro seculo* IX, X, *aut* XI; *sed vel pro seculis posterioribus, quando Episcopi Græci bene multi Ecclesiæ Romanæ unionem professi sunt & diu tenuerunt? Nos saltem exemplum nullum hactenus vidimus in tot Sanctorum Græcorum vitis & historiis.*

Nihil simile habet Sixti IV Mare magnum:

105 *Sed quid ego hæc tam multis? Extat in Emanuelis Roderici collectione Privilegiorum Apostolicorum, Regularibus mendicantibus & non mendicantibus concessorum, Sixti IV diploma longissimum,* anno MCCCCLXXVI, IV kal. Decembris *datum, quod, propter privilegiorum multitudinem amplitudinemque, suum* Mare magnum *appellant Carmelitæ*; & authentica habetur in conventu S. Francisci Salmanticensi, per Dominum Joannem de Castella Salmanticensis cathedralis Episcopum; *quo Pontifex intendens innovare, confirmare & approbare omnia, quæ à quampluribus Romanis Pontificibus decessoribus suis fuerant,* pro divini cultus & dicti Ordinis incremento animarumque salute, *indulta ac constituta; curavit desuper emanatas litteras* in Cancellaria diligenter inspici, omniumque tenorem de verbo ad verbum inseri *Constitutioni suæ. Sunt autem privilegia circiter quinquaginta, sed eorum Pontificum omnia, qui post translatum in Europam Ordinem Ecclesiæ Dei præfuerunt; nullum ullius qui Innocentio IV sit antiquior.* E

quæ postea ad eodem data dicitur Bulla.

106 *Respondebis apud eumdem Emanuelem extare etiam diploma alterum ejusdem Pontificis, eodem quo prius exordio, paucissimis immutatis verbis, quo (veluti suppleturus bullæ prioris defectum, nam de Indulgentiis dixerat nihil) colligit omnes hujusmodi gratias à decessoribus suis concessas, incipiens à Bullæ Leonis IV. Sed diploma istud procedit stylo post exordium diversissimo. Nam qui in prioribus cautissimus integrum singularum expressit tenorem, nihil veritus diploma suum in tantam extendere amplitudinem; hic membranæ atque verborum parcissimus, viginti duorum Pontificum decreta uno perstringit soliculo; omnia*, ac si de verbo ad verbum insererentur, volens sufficienter haberi expressa, *idque ex fide, ut prætenditur, Christophori Martignoni Magistri Generalis, asserentis,* ejusmodi privilegia & indulta in domibus Ordinis esse recepta, eorumque continentiam publicis scripturis in dicti Ordinis ecclesiis aptissime reperiri .... *pro eo tamen* quod, propter singularitatem privilegiorum, originales desuper litteræ ad manus Generalis non devenerint, nec de illis aliter, quam ut præfertur, doceri potest, circa vim & efficaciam eorum nonnulla dubia esse exorta & plura exoritura formidari; *quibus opportune provideri Generalis petierit, annuerit Pontifex.*

videtur Pontifici & Generali non satis æquum

F

107 *Equidem existimo Curiæ Romanæ ministros numquam credituros, in Pontifice, ut ex antegressis patuit, prudentissimo, omniaque ad fidem Cancellariæ exigente, tantam factam quadrimestri spatio mutationem. Nec levis injuria, ut mihi quidem videtur, infertur ipsi Generali, dum tantum præfidentiæ habuisse creditur, ut summam Pontificis accurationem expertus, nil nisi compertissima confirmantis; eidem ausus fuerit offerre privilegia, velut toti Ordini concessa, quorum, non dico originales litteras, sed nec exemplatas quidem exhiberet; neque diceret quibus in locis ea asservarentur: si enim extabant uspiam, aliter certe doceri de iis poterat, quam factum appareat. Doceri autem revera nihil de iis potuisse grandi convincor argumento, cum video in Annalibus Lezanæ (ad quos elaborandos constat ex mandato Generalis omnia totius Ordinis scrinia & archivia excussa fuisse) de tot Pontificum Bullis quot in Sixtina illa suspecta citantur, ne unum quidem exemplar repertum esse, quod integre productum in iisdem Annalibus ceteris adhuc latentibus fidem conciliaret: magni etenim ad probandam antiquitatis præsumptæ veritatem momenti futurum erat, si alicubi inveniretur probatio vel documentum authenticum privilegiorum, Ordini datorum ante Albertum. An ergo ad Martignoni usque tempora per annos sexcentos incorruptæ Bullæ, eorumque exempla ubique extantia, subito defecere, & per illa cera Pontifice comœdia disparuerunt?*

108 Curia-

AUCTORE D. P.

A

108 *Curialium miniſtrorum acutiores oculos & teſtimonii debilitatem formidans Lezana, cum Romæ anno* MDCXLVIII *imprimeret* Summæ Quæſtionum Regularium tomum quintum, ſuper Mare magnum Ordinum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum cum ipſorum Regula, Servitarum & Minimorum (*exemplo enim ſemel facto in Prædicatoribus & Minoribus, ceteri quoque certatim curavere ſimile momnium ſuorum Privilegiorum innovationem obtinere*) *non eſt auſus eidem inſerere ſecundam iſtam Sixtinam; videns eam eſſe abſque exemplo, & nolens illam exponere Canoniſtarum judiciis, à quibus ſuum illud opus multimodis eventilandum non dubitabat. Verum decennio poſt, elucubrans Annalium ſuorum Tomũ* 3. *factuſque ſucceſſu confidentior, non quidem ipſam ſuſpectam nobis Sixtinã inſeruit Annalibus ſed tamen ejus mentionem aliquam fecit ad annum* 847, *Leoninam bullam confirmans auctoritate Baptiſtæ Mantuani, de ea tamquam omnibus ſpectabili loquentis in Apologia: in tomo autem quarto, ad Sixti Pontificatum, ubi proprius locus erat agendi de Sixtina prædicta, rurſum de ea altum ſilet, & ſolum de prima nobiſque etiam indubitata loquitur. Quod ad ipſas Indulgentias tam antiquas attinet, legat qui volet ad* XVII *Martii noſtrum de S. Patricio commentarium* § 10, *& judicabit Leoninas iſtas plane ſimiles eſſe iis, quas Glaſtonienſes tabulæ, ſeu fabulæ potius dicendæ, continent; ubi tum alia multa Patriciano ævo minus congrua dicuntur, tum ipſe Patricius ſcribere fingitur, quod ultra* decem annos Indulgentiæ, *per SS. Phaganum & Derwianum loco iſti impetratos à S. Eleutherio Papa, ipſe* Frater Patricius, *à piæ memoriæ* Cæleſtino Papa, annos duodecim acquiſivit.

adeo ut ipſe Lezana vix auſus fuerit,

ejus facere mentionem.

B

109 *Atque hæc pro Honorio III dixiſſe ſufficiat, ne pereat ei apud Carmelitas beneficii gratia, ſi alius ante eum dicatur Pontificiæ beneficentiæ oſtium aperuiſſe, unde tot tantaque poſtea privilegia emanarunt. Inducant quidam, ex nuda, ut apparet, conjectura, approbationes Ordinis anteriores ab Alexandro III & Innocentio item III impetratas; quæ ſi datæ fuiſſent unquam, non omiſiſſent illarum meminiſſe Carmelitæ, quando pro facultate retinendæ Regulæ Albertinæ recurrerunt ad Honorium III. Certe hujus Honorii unius meminit Gregorius IX*, Dilectis filiis Priori & Fratribus Eremi montis Carmeli ſalutem & Apoſtolicam benedictionem *impertiens, per Bullam datam* Peruſii, VIII Idus Aprilis, anno III Pontificatus, *Chriſti* MCCXXX, VIII *Idus Aprilis, in qua Bulla Regulam & explicat & confirmat his verbis.* Ex officii noſtri debita circumſpectione tenemur ſolicitam adhibere cautelam ..... quare auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne in proprietatem de cetero eremi veſtræ, loca vel poſſeſſiones ſeu domos aut redditus alios recipiatis ullo modo aut præſumatis habere, præter aſinos, mulos & aliquid animalium ſeu volatilium ad nutrimentum (*lac ſcilicet & ova*) .... Ad hæc etiam Regulam, approbatam à bonæ memoriæ Honorio Papa prædeceſſore noſtro, & ab eo vobis traditam in remiſſionem peccatorum obſervandam, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & in eodem loco perpetuis temporibus præcipimus obſervari.

Sine fundamento dicuntur alii ante Honorium confirmaſſe Ordinem,

fecit id poſt eum Gregorius IX, an. 1230

C

110 *Hactenus* eremus *unica*, locus *unicus*, *iſque in Carmelo Pontifici innotuerat, nec aliud fere nomen quam* Fratrum Eremi montis Carmeli. *Interim Saracenus & poſt illum auctor Lectionum Lateranenſibus Regularibus falſo attributarum, de Alberto fingunt, quod non ſolum* monaſterium in Carmelo reædificari mandavit (*nullo quidem ſatis certo teſte, non tamen ex toto incredibiliter quatenus aliqua ſua liberalitate potuit Albertus Eremitas juviſſe, ad multiplicandas cellas ſuas, aut eas communi ſepto muniendas*) *ſed etiam quod* Eremiticam vitam cœnobitarum more & dilatare & ampliare ſumma vigilantia ſtudens, aliud apud Ptolemaida cœnobium ædificari curavit, & hoc idem præſtitit in urbibus Tyri, Sareptæ, Sidonis, Tripolis, Libani; *idque ante annum* MCCVII, *quo ſtatuit Brocardum obiiſſe. Aſt vitæ cœnobiticæ forma primum in Europa eſt ſuperinducta eremiticæ: & anno* MCCXXX *adhuc in vivis erat Brocardus juxta Chronotaxin noſtram, agens annum vitæ penultimum. Sub quo licet non fuerit Ordo Carmelum egreſſus, videtur tamen incrementum tale dediſſe Dominus novellæ plantationi, ut, aucto vehementer numero & affluentibus eleemoſynis, deſignari aut etiam reipſa ædificari potuerit ampliſſima illa eccleſia, qua* non vidiſſe ſe majorem retulit *Palæonydoro, ut ait ipſe lib.* 3 *cap.* 10, Magiſter Willelmus civis Herlemenſis, qui anno MCCCCLXXXIX fuerat cum multis in monte Carmeli, *cellis omnibus deſtructis & pridem dilapſis in Europam Eremitis. Etenim hac occaſione videntur apud Pontificem accuſati Fratres, quod domos & bona acquirerent. Fortaſsis etiam alii quidam Latini Eremitæ in Terra Sancta, ejuſdem inſtitutionis & Regulæ ambiebant ſocietatem, ut inter quotidiana pericula à barbaris magis magiſque invaleſcentibus ſe tutarentur melius, haberentque perfugium, ipſo loci ſitu & incolentium multitudine ſe urum ab incurſionibus: qui cum non tantum perſonas ſuas, ſed etiam eremitoria fundoſque adjectos tranſcriberent in proprietatem eremi Carmelitanæ, & econtra Epiſcopi illa ſibi ut ad eccleſiam devoluta vindicarent; viſum eſt ad Pontificem recurrere, qui in precitata Bulla ſic prohibuit poſſeſſiones ullas haberi, ut tamen leniret dolorem repulſæ, innovando approbationem Regulæ. Imo eodem anno, tertio poſt priorem Bullam datam die, ſcilicet* V *Aprilis, idem Pontifex ſic incipiens,* Religionis veſtræ meretur honeſtas, ut vos in Chriſti viſceribus amplexantes, ſupplicationibus veſtris, quantum cum Deo poſſumus, annuamus; ... perſonas, *inquit*, veſtras & locum, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ſub BB. Petri & Pauli & noſtri protectione ſuſcipimus, & ipſius ſcripti patrocinio communimus. *Annis poſt hæc viginti, Chriſti* MCCL, *ſimilis omnino tenoris privilegium ſcribens Ordini Innocentius IV, non ſingulariter* locum, *ſed* loca *pluraliter nominat, propter dicti Ordinis multiplicationem, per plures in variis regionibus conventus interea factam.*

cum adhuc in ſolo Carmelo habitarent Carmelitæ;

sed numero auctiores;

& paulo poſt in plura loca diviſi,

D

111 *Quid autem ſi præfata Gregorii IX prohibitio impulerit Cyrillum, Brocardi ſucceſſorem, ad ea loca, quorum alias non poterat retineri poſſeſſio, emittendi colonias ſuorum Eremitarum, ſeque pariter exonerandi numero abundantiori ſubditorum, ſingulis locis præponendo è ſenioribus aliquem cum titulo Vicarii aut Supprioris? Ita intelligetur cur prædictus Innocentius IV, anno* MCCXLVI *commendaturos ex Syria profugos, excuſet quod* propter incurſus paganorum, nequeant in manſionibus, quas habent in tranſmarinis partibus, commorari; *plus aliquid quam unum in Carmelo locum intendens veroſimiliter ſignificare. Ita etiam poterit ſine ſcrupulo credi, quod ſcripſit auctor Chronicæ de perditione monaſteriorum Terræſanctæ ac de multiplicatione ordinis per Europam: ſi tamen uſquequaque ſincerus eſt hic auctor; nam hoc dubium reddit annus datæ Regulæ, qui intra centum annos non potuit in tantam oblivionem veniſſe, ut auctor anno* MCCXCI *vivens, ſcriberet datam eſſe* MCXCIX. *Enumerat autem ille qualiſcunque auctor loca decem aut duodecim, atque concludit;* Omnia autem prædicta monaſteria ſumpſerunt inſtitutionem & Regulam à monaſterio montis Carmeli, & fuerunt ſubjecta dicto monaſterio & ejus Priori: *quod de eremitoriis intellectum potuit verificari, ſaltem ſub Cyrillo, nulla hactenus in contrarium auctoritate obſtante. Potuit etiam ſub eodem Cyrillo vel paulo ante extremis Brocardi annis eſſe inductus uſus, quo vel ipſi eremitæ ſeipſos nuncupabant* Fratres B. Mariæ de Monte Carmelo, *ut qui eam pro ſingulariſſima ſua Patrona habebant; vel ita incipiebat eos nominare vulgus, propter eccleſiam quam ei noviter erexerant & magna haud dubie celebritate dedicarant, ſicut in Italia Religioſos aliquos videmus nuncupari ab eccleſiæ ſuæ Patrono. Apoſtolica tamen Sedes, quæ ſub Honorio III cœperat uſurpare ſimplex nomen* Eremitarum montis Carmeli, *eodem uti perrexit uſque poſt*

quæ ab auctore antiquo,

12 numerantur,

quando etiam dicti cœperunt Fratres B. Mariæ V.

AUCTORE D. P. *annum* MCCL, *quo B. Simoni apparens Virgo Maria, omnem ei ab Innocentio IV favorem appromiſit; qui in datis poſtea Brevibus incepit eo nomine compellare Fratres, quo ipſi in Capitulo ut putamus Ayleſfordienſi anni* MCCXLV *ſemper & ubique nominandos ſe decreverant, & vulgo paſſim appellabantur in Europa. Nam quod in ſpeculo Ordinis, primum Gregorii IX Breve poſt approbatam ab Honorio, ſuaſu beatiſſimæ Virginis ipſi per viſum apparentis, Regulam, anno immediate ſecuto datum, titulum* Eremitarum S. Mariæ de Carmelo *uſurpavit, conſecutionem non habuit, uti apparet ex datis poſtea Diplomatis pluribus, etiam ipſius Innocentii IV ante annum prædictum.*

quod ipſi Pontifices poſt an. 1250 *ſe-cuti ſunt.*

CAPUT XI.

Regula Albertina à Romanis Pontificibus aucta & mitigata.

Auctori in Europa Ordini,

112 DEcreta *poſt S. Cyrilli obitum migratione in Europam, paulatim ſeſe diffudit Ordo & tamquam generoſi ſeminis ſurculus, ex ſqualenti ſiticuloſoque deſerto in agrum tranſlatus irriguum, brevi tempore mirabiliter profecit. Novos ex Aſia homines primæ exceperunt inſulæ, Cyprus, Sicilia, Anglia, ubi cum plura ſuccreviſſent eremitoria, potius quam domicilia, in tres Provincias diviſa eſt Ordinis adminiſtratio, quæ eatenus ſub uno Priore conſtiterat: titulus autem Terræ-ſanctæ remanſit iis qui habitabant in Cypro, quem Petrus Raymundi Generalis* XV, *anno* MCCCXLII *electus, ſua auctoritate confirmavit. Dum augentur hoc modo Eremitæ, auctus etiam iis honor eſt, & nemine amplius refragante perrexerunt inter* Ordines *religioſos numerari. Augenda quoque nonnullis in locis Regula, in nonnullis viſa eſt mitiganda, ut quæ jam non uni cœtui, ad quod inſtituta erat; ſed Congregationi, per multa loca ſparſæ & per plura ſpargendæ, deberet inſervire. Rem cordi habuit Innocentius IV, anno* MCCXLIII *creatus Pontifex, & ſui Pontificatus anno* V *conſtitutionem edidit hoc principio.*

B

augetur & mitigatur Regula,

ab Innocentio IV an. 1247.

113 Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Priori & Fratribus Eremitis de monte Carmeli, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quæ honorem Conditoris omnium & profectum continent animarum, roboris præſidio ſunt fulcienda perpetui: ſed illa præcipue, ſuper quæ Apoſtolicæ Sedis auctoritas ſalubris providentiæ ſtudium noſcitur habuiſſe. Cum itaque nos ad veſtræ ſupplicationis inſtantiam, per dilectum filium Hugonem tituli S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem, & Venerabilem Fratrem noſtrum Willelmum Anteradenſem Epiſcopum, quædam Regulæ veſtræ dubia declarari

per Commiſſarios,

C

& corrigi, ac etiam quædam ipſius gravia miſericorditer fecerimus mitigari, prout in litteris inde confectis plenius continetur; Nos veſtris piis ſupplicationibus annuentes, declarationem & correctionem ac mitigationem hujuſmodi auctoritate Apoſtolica confirmamus. Tenorem vero litterarum ipſarum de verbo ad verbum fecimus præſentibus annotari, qui talis eſt.

ad ſupplicationem Generalis & Definitorum:

114 Frater Hugo miſeratione divina Tit. S. Sabinæ Presbyter Cardinalis, & Frater Willelmus eadem miſeratione Anteradenſis Epiſcopus, cariſſimis in Chriſto filiis, religioſis viris, Priori Generali & Definitoribus Capituli Generalis, Ordinis Fratrum glorioſiſſimæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ de monte Carmeli, ſalutem in omni ſalutari. *Obſerva titulos, præ eo quam uſurpat Pontifex exaggeratius cumulatos:* Priorem Generalem *ac* Generalis Capituli Definitores *dicunt; ne dubitare poſſis, jam tunc in Provincias, quas diximus, tres diviſum Ordinem, cœpiſſe ad normam aliorum Mendicantium in multis regulari: Definitores enim Franciſcani, & Eremitæ Auguſtiniani nuncupabant eos, ad quos ſuffragiis electos majora quæque negotia dirigenda ac definienda committebantur. Pergunt Commiſſarii.* Accedentes ad Apoſtolicam Sedem Fratres Clerici Raynaldus & Petrus Ordinis veſtri, ex parte veſtra, à Domino Papa humiliter poſtularunt, ut quædam quæ in veſtro privilegio & Regula, olim vobis à felicis memoriæ Alberto Patriarcha Hieroſolymitano tradita, continentur dubia, declarare, corrigere, & quædam gravia miſericorditer mitigare dignaretur. Cum igitur Dominus Papa eorum devotis ſupplicationibus annuendo, nobis commiſerit, ut declarationem, correctionem ac mitigationem hujuſmodi faceremus vice ipſius, ſecundum quod bono ſtatui Ordinis & Fratrum ſaluti expediens videremus; Religioni veſtræ qua fungimur auctoritate mandamus, quatenus Regulam à nobis correctam, declaratam & mitigatam, prout expedire vidimus, devote recipientes, eam firmiter obſervetis, & ad inſtar ejuſdem alias veſtras Regulas corrigatis, quam vobis per eoſdem fratres ſub ſigillis noſtris mittimus in hac forma.

D

in ea præſcribitur profeſſio trium votorum,

115 Albertus Dei gratia Hieroſolymitanæ Eccleſiæ vocatus Patriarcha *&c. ut ſupra: hic ſatis erit notare ea quæ addita vel mutata ſunt, ſimulque cognoſcere, quomodo Ordo Carmeliticus magis magiſque acceſſerit paulatim ad cœnobiticæ vitæ formam, quam nunc ſervat, dimiſſo primo eremiticæ profeſſionis inſtituto. Nam primo, quia in eo aliud nihil expreſſe voverant quam obedientiam Priori ſervandam juxta caput* I, *verebanturque Fratres, ne abſque explicita trium religioſorum votorum profeſſione, negarent aliqui pro vere Religioſis habendos Carmelitas (ex vulgi ſcilicet imperiti ſenſu, nam explicita trium votorum profeſſio uſitata non fuit in monachatu veteri, & ne nunc quidem apud Benedictinos uſurpatur) cautum eſt ut adderetur promittendam, ſervandamque obedientiam* cum caſtitate & abdicatione proprietatis. *Atque hinc iterum judicet Lector, cujus ætatis fuerit qui librum de inſtitutione monachorum ſcripſit, cum de tribus religioſis votis diſtinctiſſime agens concludat,* trium votorum obſervantiam cum caritate perfectum facere Religioſum, *quod ante mendicantium tempora numquam fuit tam clare expreſſum.*

E

data loçorũ deſignatio,

116 *Deinde, quoniam non jam in uno loco, ut ſub Alberto; ſed in pluribus & maxime diſſitis cœperant habitare, qua de re nihil erat in Alberti regula conſtitutum; conditur novum caput his verbis:* Loca autem habere poteritis in eremis vel ubi vobis donata fuerint, ad veſtræ Religionis obſervantiam apta & commoda, ſecundum quod Priori & Fratribus videbitur expedire. *Nota,* Veſtræ religionis: *hæc tunc erat loquendi formula, olim non item: ex quo etiam capite recte Pſeudo Ioannem Bivarius arguit novitatis, qui identidem atque ad nauſeam uſurpat appellationem* Hujus noſtræ Religionis. *Circa conſtitutionem ſeparatarum cellularum (quales etiam nunc in Ordine Camaldulenſi, & quadamtenus in Carthuſiano habentur) innovatum eſt nihil, neque nunc neque poſtea per ordinationem ſcriptam; ſolus uſus commodior & regulatior unius majoris domus, in ceteris Europæis monaſteriis obſervatus, tacite ac paulatim abrogavit aut mitigavit Regulam: tantum nunc additum eſt,* Ita tamen *habendas ſeparatim cellas,* ut *non, ſicut antea, in iis ſeorſim ſinguli cibum caperent, quod prædicti Camaldulenſes & Carthuſianenſi ſervant;* ſed in communi, *inquiũt Commiſſarii,* refectorio, ea quæ vobis erogata fuerint (communiter aliquam lectionẽ ſacræ Scripturæ audiendo) ubi cõmode fieri poteſt, ſumatis.

F

uſus communis refectorij.

& Horarum cum clericis recitatio;

117 *Sexti Capitis initium mutatur hoc modo:* Hi qui Horas Canonicas cum Clericis dicere norunt, eas dicant ſecundum inſtitutiones Sanctorum Patrum & Eccleſiæ approbatam conſuetudinem. *Vnde colligimus Clericos, qui in Ordine erant, conſuetos fuiſſe iam tum, & forte à tempore S. Cyrilli poſt eccleſiæ novæ conſtructionem, ad communem Officii recitationem intra eccleſiam conuenire: quibus vt etiam non Clerici, ſi litteras noverint, ſe poſſint adiungere, aut etiam debeant, hic ſtatuitur. De cantu quando inductus in Ordinem ſit, non invenio: exemplo & æmulatione aliorum Mendicantium aſſumptum fuiſſe non dubitaverim. Septimi Capitis finis, quo jubebantur*

cantus;

Eremitæ

A *Eremitæ* ſingulariter, ex his quæ diſtributa fuerint, in ſuis cellis vivere, *id eſt, veſci, uſu communis refectorii jam præſcripto, aboletur: pro eoque ſubſtituuntur verba, ex Gregorii IX ſupra relata Conſtitutione,* Aſinos ſive mulos, prout veſtra expoſtulaverit neceſſitas, vobis habere liceat, & aliquid animalium ſive volatilium ad nutrimentum. *Caput* XI, *quo prohibetur uſus carnium, viſum eſt egere mitigatione aliqua, ideoque additur:* Et quia vos oportet frequenter mendicare itinerantes, ne ſitis hoſpitibus oneroſi, extra domos veſtras ſumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus: ſed & carnibus ſupra mare veſci licebit. *Tempus denique ſi cui, quod definiebatur Capite* XIV *ſic deſcribitur,* Statuimus ut dicto Completorio ſilentium teneatis, uſque ad Primam dictam ſequentis diei.

relaxatur aliquid in paupertate & abſtinentia.

Exercitia erga proximum,

118 *Hac mitigatione obtenta, & ab eremiticæ vitæ rigore ad moderationem cœnobiticæ traducto Ordine; niſi quod eremiteria ſeu monaſteria conſtruerentur non intra urbes ſed in ſuburbanis ſilvulis hortiſve; cœperunt plurimi, Theologica facultate, antequam ad Ordinem acceßiſſent, exculti, de expreſſo Innocentii IV conſenſu per Breve expeditum anno* MCCLIV, *exemplo Mendicantium aliorum, divini verbi prædicationi, confeſſionum auditioni, & ſimilibus erga proximos exercitiis intendere, eoque prætextu bini & bini diſcurrere per civitates; cum fructu fortaſſis non exiguo, ſed tamen cum offenſione haud parum graviori eorum, qui primævam Ordinis formam zelantes, magnam futuris temporibus diſſolutionem diſciplinæ veteris proſpiciebant. Inter hos Nicolaus Gallicus fuit, poſt mortem B. Simonis Stok ſub annum* MCCLXV *Generalis Priori, & anno poſt ſuam electionem quinto librum compoſuit, quem* Sagittas igneas *nominavit. Servatur is hactenus manuſcriptus, ex eoque Waſtelius ſect.* 5 *art.* 3 *profert emiſſiones aliquas vere ignitas atque idoneas, ad amorem ferventem manutenendæ ſolitudinis in pectore quantumvis gelido excitandum: ſed ad eo nihil his profectum eſt, ut vir Sanctus maluerit diſcedere Generalatu, quam eam, ut credebat, labem, ſub imperio ſuo ingraveſcentem perpeti.*

B

cum prioris ſolitudinis diſpendio inducta,

uſurpare permittit Gregor. X an. 1274

119 *Interim de his aliiſque crebreſcebant querelæ apud Gregorium X, qui in Conſtitutione à ſe edita, anno Pontificatus* IV *Chriſti* MCCLXXIV, *ceteros quidem Mendicantes, poſt Concilium Lateranenſe ſubinductos & necdum Apoſtolicæ Sedis approbationem commeritos, cenſuit ſupprimendos, jubens eos interea ab omni erga proximum exercitio abſtinere: de quatuor autem eatenus approbatis, ita edixit:* Sane quoad Prædicatorum & Minorum Ordines, quos evidens ex eis utilitas Eccleſiæ univerſali proveniens perhibet approbatos, præſentem non patimur conſtitutionem extendi. Ceterum Carmelitarum & Eremitarum S. Auguſtini Ordines, quorum inſtitutio Concilium Generale præceſſit, in ſuo ſtatu manere concedimus. Intendimus ſiquidem, tam de illis quam de reliquis etiam non mendicantibus Ordinibus, prout animarum ſaluti & eorum ſtatui expedire viderimus, providere. *Hæc ibi: neque gravius deinceps quidquam ſtatutum eſt, ſed potius major ad populum agendi indulta libertas, ac ea fere omnia conceſſa in hanc rem privilegia, quibus Prædicatores Minoreſque cumulabantur: quæ plenius in Mari magno licebit legere, & à quo Pontifice ſingula, quantaque cum Ordinis commendatione ſint data, recognoſcere.*

C

donec aliud ſtatuatur.

120 *Regula porro ſic mitigata, ipſa eſt, quam diu omnes ubique Carmelitæ ſervarunt, etiam cum in urbes immigratum à pleriſque eſt; & quam nunc ſervari à* Carmelitis diſcalceatis *obſervat Cherubinus Laertius in Bullario, addens alios* Carmelitas, Mitigatos *dici, qui eamdem Regulam ſolum obſervant cum nova mitigatione, facta ab Eugenio IV, in cujus Bulla, anno* MCCCCXXXV *data die* XV *Martii, hæc habentur* § 1. Pro parte dilectorum filiorum Joannis Faci, Magiſtri Generalis ac Provincialium & Clauſtralium Priorum & univerſorum Fratrum Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo, nuper expoſitum eſt, quod in certis Capitibus Regulæ, Fratribus dicti Ordinis per bonæ memoriæ Albertum Patriarcham Hieroſolymitanum traditæ, inter cetera cavetur expreſſe, quod Fratres prædicti Ordinis ab eſu carnium abſtineant *&c.* Rigorem *hunc Pontifex* mitigat, & concedit tribus diebus ſingularum ſeptimanarum, *exceptis diebus communi omnibus lege prohibitis,* veſci carnibus. *Sixtus deinde* IV *Ordinis Generali permiſit, ut plures dies adderet, atque ex hujus indulti vi diſpenſatum anno* MCCCCLXXXVIII *eſt etiam in feria* II.

Nova mitigatio circa eſum carnium,

AUCTORE D. P.

indulgetur an. 1435 *&* 1488.

CAPUT XII.

De Carpita ſive cappa barrata, Carmelitis ab Alberto conceſſa.

121 *PHilippus Bergomenſis in ſupplemento Chronicarum ita loquitur ad annum* MCC. Ordo Carmelitarum per hoc ipſum tempus in Syria apud Carmelum montem, ab Alberto Hieroſolymitano Patriarcha excitatur, & multis privilegiis ſublimatur: qui eidem Regulam ſuo jure confectam conſervandam primo obtulit, & confirmavit; in qua pro habitu Fratribus ejuſdem Ordinis cappam ex Syrico, cum quibuſdam largis virgis, ſcilicet albis & griſeis, circulatam (more Eliæ Prophetæ, ut tradunt) aſſignavit, & deferendam conſtituit. *Eadem fere deſcriptione cappæ ab Alberto præſcriptæ utitur S. Antoninus. Vbi non miror Ordinis Carmelitici erectionem Alberto tribui, propter obſcuritatem eorum quæ præceſſere initiorum: & quia necdum pleni conſtitutus cenſeri debet Ordo, cui ſua necdum certa Regula aut habitus eſt particularis. Aſt quod in ipſa Regula dicatur præſcriptus habitus, in qua nulla omnino illius ſit mentio, id ſane indiget correctione. Si ille præſcriptus fuit ab Alberto (ut ſane eſt veroſimillimum) præſcriptus eſt poſt Regulam datam; cum ſub ea feliciter proficientes, ſeque Patriarchæ probantes quam maxime, novis favoribus & privilegiis digni ſint habiti: de quibus quia nihil in particulari legimus, nihil etiam præſumimus dicere: audeo tamen inter ea numerare inſignem novi habitus prærogativam, qua non tantum à vulgo eremitarum diſtinguerentur Carmelitæ, ſed ſupra omnes extollerentur.*

Veſtis ea ſuperior erat & virgulata, E

F

122 *Id prius quam aggredior explicare verbis, ſubjicio ipſis oculis ſpectandam formam, qualis etiam hodie ſpectatur Salmanticæ, in tabula altaris primarii, intra veterem Cathedralem; quam circa annum* MC *conſtrui cœptam, & à Sanctio de Caſtella Epiſcopo circa annum* MCCCCXXX *picturis exornatam fuiſſe, docuit nos P. Gabriel de Henao, Societatis noſtræ Theologus præſtantiſſimus; quo agente vir clariſſimus Antonius de Mora y Varona, curavit coloribus excipiendum exemplar imaginis, Dominicæ Transfigurationis myſterium repræſentantis, unde ſumptam vides hanc figuram Eliæ, eo in habitu, quem ipſius more geſtari à ſe antiquiores in Europa Carmelitæ jactabant, ut Bergomenſis & Antoninus narrant. Iungitur Elianæ imagini imago B. Ioſephati, Archiepiſcopi Polocenſis ex Ordine S. Baſilii, & egregii hoc ſeculo in Ruſſia Martyris, juxta exemplar Romanum, quale ſpectatur ante epitomen vitæ & miraculorum excuſam Romæ anno* MDCXLIII; *idque ad confirmationem & explicationem eorum, quæ de ſacrarum bazrarum dignitate præfanda hic ſunt, ut intelligi poſſit quam ea honorificæ Carmelitis fuerint, & quanto in pretio habendæ.*

cum hac in veteri picturæ exprimitur Elias:

AUCTORE D.P.

D



Elias Propheta, in veteri habitu Carmelitico, Salmanticæ super altare maius antiquæ Cathedralis.



B. Iosaphat Archiep. Polocen. Ruthenus Ord. S. Basilii. pro fide et unione Romana Vitepsci trucidatus an. 1623. 12 Nou.

Sales virgæ palliumcir cumeuntes,

123 *Observa igitur, præter vestes, pro cujusque gradu diversas; quarum in divina duntaxat liturgia est usus, unam omnibus, Pontificibus æque ac Monachis Græcorum communem ac quotidianam esse vestem superiorem, quam Latino nomine πάλλιον veteres, medii autem ævi scriptores proprio nomine μάνδυον, μανδύην seu μανδύαν appellant: cum hac differentia, quod, sicut notat Isaacus Habertus ad Pontificalem librum ecclesiæ Græcæ pag. 17 in margine, vestis illa* Hieromonachis quidem simplex, Pontificibus vero undulata sit: *quomodo hic vides in pallio Iosaphati; & videre licet in Pallio Patriarchæ Constantinopoli apud Iacobum Goar in notis ad Euchologium pag. 115. Undæ autem illæ geminatæ (quas Teutones lingua sua* baras *appellarent, Græci πλαμὺς id est fluvios nominant) coloris sunt albi, quando ipsum Pontificale μάνδυον violaceum est ut fere solet, & triplici ducuntur ordine, ita ut simul omnes sex sint supra pallium violacei seu purpurei coloris.* Vocantur autem flumina, *inquit Symeon Thessalonicensis, Græcorum rituum interpres accuratissimus,* propter vocem Salvatoris in Euangelio dicentis, Qui credit in me flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Excellentia porro, hiſce fluminibus denotata, medio ævo tam nota fuit etiam in Europa nostra; ut cum Desiderius Casinnesis Abbas, creatus anno* MLXXXVI *Romanus Pontifex & Victor III nuncupatus, ecclesiam S. Angeli ad formas in civitate Capuana euangelicis historiis exornandam locasset, expressurus pictor Pharisæum, ad cujus mensam accumbens Christus peccatrici mulieri pedes lacrymis rigandos præbuit, pallium ejus, tamquam alicujus Archisynagogi, gemina ad cubitos circumcurrente vitta ornaverit; ut ibi etiamnunc videre est, & expressum habemus in Ioannis Iacobi Chifletii eruditissimo tractatu de Cœna Dominica, quem cum aliis nonnullis lucubrationibus suis adhuc ineditum nobis ante mortem donatum voluit, monumentum suæ erga nos benevolentiæ.*

tamquam gradu sublimioribus;

C

& solis Episcopis eatenus usitata,

124 *Observa secundo, ex Balsamone ad Canonem* VII *Concilii CP. sub Photio, jus fuisse Patriarchis eximendi monasteria quædam à jurisdictione ordinaria Episcopi, sibique immediate subjiciendi, quæ exinde ἐλεύθεραι μοναὶ,* libera monasteria *appellabantur; æque ac ea, quæ sub Romani Pontificis patrocinio constituta apud nos, alium nullum Superiorem agnoscunt: quod quibus ceremoniis fieret, videsis apud Isaacum Habertum pag. 644. de Σταυροπηγίῳ seu Crucis-fixione. His observatis, dico, Albertum jure suo Patriarchali usum, cum Regula sua instructos Carmelitas absolveret à potestate Episcopi Acconensis (quod privilegiorum omnium Patriarchalium primum ac præcipuum erat) non tantum id peregisse more Græcis Latinisve consueto; sed hujus exemptionis ac privilegii indicium in ipso eorum habitu extare voluisse, ideoque ordinasse, ut cum ceteri monachi & eremitæ subjecti Episcopis nigras aut griseas unius coloris cappas gestarent, easdem Carmelitæ, velut Episcopis nihil debentes, æque ac ipsi distinguerent vittis seu circulis albis; non tamen adsutis sed intextis, & æquali spatio totam vestem à summo ad imum percurrentibus, ea qua Salmanticæ exprimitur forma. Quam formam eamdem ipsam fuisse quæ in Episcoporum vestibus per Syriam servabatur, licet nullo positivo testimonio probetur, libenter tamen indulgebo: neque enim necesse est credere, nullam omnino fuisse differentiam inter ritus & vestes Patriarchatus Constantinopolitani & Hierosolymitani; quando ea tam notabilis est inter pallium à Goare expressum & hic in B. Iosaphato propositum, quantam ipsis oculis videre est; cum tamen Constantinopolitano Patriarchæ Russia subjecta maneat.*

Carmelitæ ab Ordinariipotestate exempti a

communicantur ab Alberto legislatore.

F

125 *Certe* Pallium *sive* Mandium *apud Constantinopolitanos & Ruthenos, ipsa etiam forma diversissimum est ab iis, quibus Patriarchæ, Episcopi, monachique tam Græci quam Armeni in Syria & Palæstina utuntur ad huc hodie, &, nisi quod color omnibus totus est niger, omnino talis qualem Salmanticensis pictura Eliæ vestem superiorem describit, scilicet cum brevibus manicis instar penulæ seu capottæ, & larga*

eum pallio ad formam Basilianorum in Syria.

A *larga acuminataque ante ac retro paramandya exiguoque capucio : quemadmodum viſa hac noſtra tabula, proprio chirographo mihi teſtatus eſt adm. R. D. Franciſcus Balduinus Breyell, digniſſimus Presbyter, Iuris utriuſque Licentiatus, Protonotarius Apoſtolicus & Eques Hieroſolymitanus, anno ab Incarnatione Domini* MDCLXVIII *per totam Syriam, Paleſtinam, Armeniam, Ægyptum & adjacentia regna peregrinatus; idque ſæpe in comitatu Epiſcoporum monachorumque iſtiuſmodi Græcorum Armenorumque, ut facile ac certo notare potuerit modum ac formam veſtitus apud illos uſitati. Quare nihil eſt cur hujus tamdiu ignorati & nunc primum in lucem reducti habitus inſolentia offendat Carmelitas. Nam ſi circulorum præfatorum diſtinctio magnam in Paleſtina habebat dignitatem, iſta forma pallii, ad unguem ſimilis pallio Baſilianorum ibidem monachorum, nonnihil fortaſſe faciet ad manutenendam eam quam prætendunt originis antiquitatem : etſi putem Albertum non aliud ea forma voluiſſe ſignificatum, quam quod hic novus Ordo eremitarum, licet totus eſſet Latinorum, ſuam tamen originem & inſtitutionem accepiſſet in Syria. Credunt illi eodem facere aliquid primarum cellarum diſtinctionem, ad modum Paleſtiniarum laurarum; quam Bertholdus ejuſque ſocii æque in Europa didiciſſe potuerunt à Carthuſianis & Camaldulenſibus, quam in Syria inveniſſe; multo igitur magis ſibi debebunt gratulari de hac figura pallii, ſoli propria Orienti, per quam ſit ut tandem unum aliquod orientalis monachiſmi veſtigium oſtendi in Ordine ipſo petentibus, poſſint quadamtenus reſpondere; eſto quod ſcriptores, qui de habitus mutatione poſt explicanda ſcripſere, loquantur ſolum de colore vario in album converſo. Si qui igitur ante Bertholdum fuerunt Carmelitæ, eodem quo Bertholdus & poſteri ejus uſi ſunt habitu; ſed non ſimiliter variegato : alias enim antiquiori nomine Græcis Syriſve uſurpato illum perrexiſſent appellare; nunc autem intelliguntur novum ei ex Italica lingua nomen feciſſe, ſicuti nova erat ipſa variegatio, Europæis eremitis tunc primam indulta, citra aliorum monachorum eremitarumve exemplum.*

at ibidem natus Ordo intelligatur.

Pallii iſtius nomē Carpita,

Italicum eſt,

126 Carpitam *ſcilicet appellaverunt, quod nomen, ut dixi, Italicum eſt, ipſam illam variegationem propriiſſime ſignificans, in eo cui intexitur panno. Hujus aſſertionis teſtes habeo auctores Academici Vocabularii della Cruſca, collecti ex ſolis ſcriptoribus ſeculi* XIV, *quod Tuſcanæ linguæ aureum ſeculum æſtimatur, & Venetiis impreſſi anno* 1623. *Producunt hi Franciſcum Berni, in ſuis Rythmis burleſchis ſive ſatyricis, ita jocantem :* Mi vien veduta, attraverſo à un deſco, una carpita di lana di porco, *id eſt,* Video, tranſverſim in diſco poſitam, carpitam ex lana porcina contextam; *videlicet* ſetaceam. *Indicant autem iidem Academici,* carpitam *eſſe quæ alio nomine dicitur* ce-
C lone, *id eſt, ut explicant ipſi,* pannus virgulatus quo menſa inſternitur : *quo etiam in ſenſu Belgis & Anglis dicitur* Carpet, *in etymologico Teutonico Kiliani & Anglicano Schenneri : & utrobique latine redditur* gauſape, tapetium. *Schennerus idem, Belgas ac Anglos vocem hanc cenſet mutuatam ab Italis, quod ſane probo; ſed non poſſum probare divinationem ejus, qua* carpettam (*ſic enim ſcribit ipſe*) *ab Italis dictam ſuſpicatur, quaſi* Cairinum tapetium, *ab urbe Cairo ſive Memphi Ægyptia. Neſcivit forſitan verbum* Carpire (*unde* carpita *participiale deducitur, ſicut* ferita *à* ferire) *eſſe verbum Italicum, & in Lombardia, ac nominatim Vercellis unde Albertus advenerat, idem eſſe quod Latinis* diſcriminare, diſtinguere, *uti me per humaniſſimam ſuam epiſtolam docuit Perilluſtris ac Reverendiſſ. Marcus Aurelius Cuſanus, Canonicus Vercellenſis ac Provicarius Generalis : Adeo ut veſti, panno, aut ſtragulo, ad menſæ vel lecti integumentum virgulatim colorato, quale fuiſſe Carpitam Carmeliticam in confeſſo eſt, aptius nullum nomen poſsis excogitare : quare etiam eo nomine uſus eſt Ordo, quamdiu uſus eſt ipſis carpitis.*

pannum virgulatim variegatū ſignificans:

virgæ autem hæ in Capitulo gen. ſeptem tantum eſſe juſſæ,

127 *Patet hoc ex decreto Londinienſis Capituli Generalis in Anglia, anno* MCCLXXXI *celebrati, quod tale eſt :* Frater profeſſus habeat unam carpitam (quod eſt noſtræ Religionis ſignum) non de petiis conſutam, ſed contextam : & habeat ſeptem radios tantum, ut ſinus uniformes. *Liberter id de ſolis albis radiis intellexero, quam multos in pictura Salmanticenſi numero, præter intercurrentes griſeos. Nam ut ex utriſque habeatur cappa juſtæ ad genua longitudinis, danda erat ſingulis radiis latitudo quatuor fere digitorum aut palmi unius, quæ ſane eſt inſignis latitudo vigarum. à Bergomenſi & Antonino ſuperius deſignata. Si tamen omnino contendat aliquis radios, albos ac griſeos ſimul, ſeptenos tantum eſſe debuiſſe, & latitudinem eorum proportionate augeat, non repugnabo; tantumque hinc inferam, vel ipſam Salmanticenſem picturam vel ejus prototypon deſignatum fuiſſe ante celebrationem Capituli prænotati, quando radiorum numerus necdum erat in Ordine definitus, ſed erat qualem dabat ipſa materia, magis minuſve latis diſtincta virgis. Quæ materia quia non contexebatur in Ordine, neque ex Syria ſemper ſuppetebat; ideo fortaſsis ſumebant aliqui libertatem, ipſos radios albos griſeo panno aſſuendi ex petiis, quod dicto Capituli decreto prohibetur. Cur autem placuit numerus ſeptenarius? Id ut ſcias, quære quid ipſum* μάνδυον *ſeu* pallium *monachale denotaverit Græcis. Docebit id te jam ante laudatus Symeon Theſſalonicenſis, apud Goarem pag.* 495 *explicans ritus, quorum uſus erat in ſuſcipienda monachi per triennium probati profeſſione, ſic enim loquitur.* Ultimo, tamquam omnia continente, Mandya circumdatur, in quo clarius dicit Sacerdos, E Frater noſter N. accipit pallium magni & Angelici habitus, incorruptionis & honeſtatis indumentum. In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Dicamus pro eo, Domine miſerere. Perfectum namque indumentum eſt, & reliqua conſtringens, & ſervatricem in univerſum ac protectricem Dei virtutem manifeſtat atque ſignificat. *Hoc porro non poteſt ulterius explicari aptius, quam ſeptenario numero, perfectionem ac plenitudinem Spiritus ſeptemplicis, virtutes omnes complexi, repræſentante.*

ſpiritus plenitudinem denotabant.

128 *Quia vero ipſi radii omnibus fere Tranſmontanis* baræ *aut* barræ *nuncupabantur; hinc factum, ut tum carpitæ illæ vocarentur* cappæ baratæ *ſeu* barratæ, *& ipſi* Fratres Barati *ſeu* Barrati *cognominarentur. Primum, agnoſcunt ipſi ſcriptores Carmelitici; ſecundum probat porta una urbis Valencenſis in Belgio, teſte Doutremanno,* Barratorum porta, la porte des Barrez, *nuncupata uſque in hodiernum diem, per quam exibatur ad conventum ſeu potius eremitorium Carmelitarum, cujus haud procul inde quædam reſtant veſtigia, priuſquam in urbem Conventus transferretur. Eas* ex Syrico *factas fuiſſe habent quos initio capitis prænotavi. Verum hic tu cave ne* Sericum *intelligas pannum ſive bombycinum.* Syricus, *à* Syria *deductum gentilitium, deficiente Latinitate dici cœpit, quod Ciceronis ævo* F Syriacus *aut* Syrus : *unde Salvianus libro* 4 *de vero Iudicio & providentia Dei,* Conſideremus, *inquit,* ſolas negotiatorum & Syricorum omnium turbas, *ubi mercatores intelliguntur in Syriam & ex Syria commeare aut merces inde advectas tractare ſoliti.* Syricus *ergo* pannus, *pannus eſt advectus ex Syria; quæ quia nunc Turcis eſt ſubjecta, paſſim nunc* Turcicus *pannus dicitur, non laneus (nam tales inde nihil advehi opus, cum præſtantiores iis habeantur in Europa) ſed ex capellarum pilis contextus, à quibus & nomen habet ipſe pannus ut* Camellottus *dicatur, corrupte, pro* capellottus : *ſicut & ipſum ſtamen ex pilis caprinis ductum à Belgis paſſim vocatur* kemels-hayr *corrupte pro* kebers-*ſive* kepers-hayr; *quæ nominis origo ratioque non omnibus nota, facit ut ſimpliciores & textrinæ rei ignari, putent* Camelorum pilos, *ad omne opus faciendum ineptiſſimos, hic intelligi. Capras autem in hanc rem aptiſſimas, quorum pilus molliſſimus & mira venuſtate reſplendens bombycum elegantiam quadamtenus æmulatur, nutrit Syria, earumque pilos per omnes Orientis & Occidentes regiones diſtrahit.*

& tamquā bara,

intexta erant pannō Syrico ex lana caprina:

129 *Ceterum an monaſtica monachorum Baſilianorum Mandya ſive cappa, pura tamen ac ſimplici, uſi ſint Carmelitæ jam inde ab initio ſuæ coitionis ſub Bertholdo; an vero*

AUCTORE D. P.

AUCTORE D.P.

illius utendi privilegium acceperint primum ab Alberto ſimul cum ſuis circuloſis radiis, non facile dixero. Incompertum enim mihi eſt, utrum ante Albertum voto aliquo ipſi adſtricti fuerint, an vero in libero animi propoſito perſeveraverint ſub obedientia electi à ſe Prioris; donec aliquis, cum plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis adveniens, approbaret Ordinem, juſque concederet Profeſſionis religioſæ, quod ante Albertum nemo feciſſe ſcitur; hic vero feciſſe, non tam oſtenditur quam præſumitur; quia pro Regula quidem, utrum eſſet ſufficienter approbata, novimus certandum fuiſſe Carmelitis; non autem pro ſua profeſſione an faceret vere Religioſos. Quod ſi eam primus probaretur indulſiſſe Albertus, conſequens mihi videretur, eatenus quoque abſtinuiſſe Bertholdi ſocios ab habitu perfectum monachum denotante. Hunc porro quandocumque & à quocumque adepti ſunt, non exiſtimo ſimul cum illo accipere ſolitos nomen novum ac religioſum depoſito ſeculari, quod tamen in uſu Orientalium monachorum fuiſſe obſervat & docet Goar pag. 496, & nunc ſancte à reformatis practicatur: contrarium enim ſuadent Bertholdi & Alani nomina, è ſeculo allata atque retenta à primis poſt Brocardum atque Cyrillum Carmeli Prioribus. Loquor autem de nominibus propriis: certum eſt enim, apud Carmelitas æque ac ceteros Mendicantes, aliquot ſeculorum uſu ſervatum eſſe, ut à patria quiſque ſua cognominaretur, omiſſis familiarum nobilium cognominibus, ſicut illa erant. Non etiam expiſtimo notam fuiſſe Carmelitis, ab Alberto regulatis, illam in orientali monachatu nominatiſſimam differentiam μικροσχήμων ac μεγαλοσχήμων magni & parvi habitus; quorum primus una cum mandya dabatur poſt exactum probationis triennium profitentibus religionem, & formam quandam habebat veli caput operientis, quale fere ſub galero geſtandum vides in capite Patriarchæ apud Goarem pag. 115; ſecundus conſtabat cucullio & analabo, ſiue caputio & ſcapulari, qualia repreſentantur in veſte noſtri Eliæ, eratque eorum qui vulgari maiorem perfectionem in contemplatione, ieiuniis, ac reliqua ſeveriori ſpiritus & corporis exercitatione profitebantur. Forte etiam, ut nunc in Syria, ſic & tunc, cœnobitæ omnes, exceptis novitiis, μεγαλόσχημοι erant: de quibus videndus idem Goar annot. 1 ad officium magni-habitus fol. 517.

an ante Albertum pallio, ſed ſimplici, uſi Carmelitæ incertum:

dabatur autem veſtis illa ſine nominis primi mutatione,

B

aut magni parvique habitus diſtinctione.

CAPUT XIII.

Poſterorum circa Carpitam errores, eiuſque in albam cappam mutatio.

C

Undulatis Epiſcoporum palliis in Syria ſuppreſſis

130 POſtquam victricibus Principum Latinorum armis vindicata à Saracenorum iugo Syria, Latinos quoque cœpit habere Patriarchas Epiſcoposque, ad omnia Græcorum Antiſtitum iura inſigniaque ſuffectos; perrexerunt quidem Græci accipere Conſtantinopoli ritus ſui ſchiſmatiſque Pontifices, eosque in rebus fidei ſolos obſervare; ſed hi in converſatione publica abſtinuiſſe videntur propriis ſui ordinis characteribus, atque extra cœtus ſacros communi profeſſorum monachorum habitu ſimpliciter nigro fuiſſe contenti. Neque purpureas atque undulatas mandyas poſtea reſumpſere, quando pulſis per Saracenos Turcoſque Latinis, ab horum coacta nec unquam ſincere præſtita obedientia ſoluti, in peßimam devenere ſervitutem. Itaque etiam hodie, ut narrant qui viderunt, nulla propalam differentia veſtium eſt per totam Terram ſanctam, inter monachum, Epiſcopum, aut Patriarcham, quo ſecuriores & vivant & agant à barbarorum inſolentia atque avaritia. Quapropter mirum nemini videri debet, quod Carmelitæ (quorum pars maxima poſt migrationem Ordinis fuerat in Europa ad ipſum recepta) neſciverint congruam variegatæ ſuæ veſtis reddere rationem, neque ejus dignitatem æſtimare pro merito, & ideo cito illius pertæſi cœperint aſpirare ad habitus veteris mutationem.

& Carmelitarum in Europa,

131 Potius mirandum videtur, quomodo, ea mutatione anno MCCLXXXVII impetrata & in uſum adducta, ut infra dicetur, tam cito obſcurata fuerit & confuſa primi habitus memoria, ut intra ſeculi fere unius decurſum ignoraretur à pleriſque qua forma, quo radiorum ſitu, Carpita vetus exprimeretur; ac denique omnes in longe diverſam à vero opinionem deflecterent. Habent tamen etiam hæc veroſimilem excuſationem aliquam. Non enim fuit paſſim moris nominare circulos (quæ vox nullam ambiguitatem attuliſſet) ſed baras aut barras, aut magis Latine virgas, radios, lineas. Hæ autem poſtremæ voces, cum eſſent indifferentes ad ſitum erectum iacentemve; facile potuit à pleriſque dubitari, quomodo in variegata ſeu barrata cappa ducendi eſſent colores. Et quamvis baræ ac barræ nomen, proprie acceptum, apud Teutones & Francos huic dubitationi minus eſſet obnoxium, ut linguarum & rei armorialis peritis conſtat: quia tamen apud Italos Hiſpanoſque bara ac vara priorum vocum iam induerant indifferentiam; ipſi quos dixi Franci ac Teutones non ita ſibi conſtitere, ad ſignificandam ea voce figuram, anguſtam ac longam, de latere ad latus ductam; ut non etiam eamdem ſic appellarent aliquando, ubi ad perpendiculum erigebatur. Hoc vero ipſis etiam Græcis uſuveniſſe comperimus, quibus licet tam nota & celebria eſſent flumina, circumcurrentia pallium Epiſcopale: in Σπιχαρίῳ tamen ſeu tunica ſacrificali (quæ noſtræ reſpondet Albæ, & unius paſſim coloris erat; Patriarchæ autem ſoli intexta erat lineis albis rubeisque, ab humeris ad pedes uſque ductis) eædem lineæ, perpendiculariter ductæ, ſimiliter vocabantur flumina, ſignificantes doctrinam à Patriarchis deſcendentem ad inferiores quoſque eccleſiæ Ordines. Nihil autem ad obliterandam veram Carmeliticarum barrarum notitiam æque videtur valuiſſe, quam abominatio ſimilitudinis circulorum, per muliebres ſtolas diſponi ſolitorum, ex omnium fere Europæarum gentium uſu: unde fiebat ut proniores eſſent animi ad concipiendas virgas erectas ſeu ſtrias, qualibus veſtes ſuas diſtinguunt Turcæ, & qui inter eos Turcico utuntur habitu. Itaque cum anno MDXXII hoſpitalis camera Colonienſis conventus ornaretur picturis, ordinis Carmelitici hiſtoriam repræſentantibus, in ea quæ variegationem habitus, Homaro tyranno imputatam, quæque tranſfretaturos ex Syria in Europam Fratres continebat pictura, expreſſum eſt pallium ipſumque caputium ea qua ſuperiori ſeculo geſtabant forma, ſed ſenis ſeptenisve nigris laciniis perpendiculariter defluentibus diſtinctum. Antuerpiæ vero cum in ſimili camera duabus grandibus picturis Homari tyrannidem & adventum in Franciam pingeret alius anno MDCIX, ex eorum qui ipſum conduxerant inſtructione, dimiſſis caputiis ſola pinxit pallia, eaque oppido ſtriata; adeo ut ex conſpicuis in tabula virgis nigris inconſpicuarum quoque iniens rationem, ſexdecim aut plures in unoquoque pallio numerare te oporteat. Ex utriſque tabulis eccum tibi ſequenti pagina deſcriptum ſpecimen, quod ſufficiat ut cognoſcas, quam non modo veteris Carpitæ formam tunc ignoraverint Carmelitæ, verum etiam quam diverſimode, pro ſuæquiſque imaginationis captu, effinxerit variegationem, ſolo nomine tenus ex veteri Ordinis traditione & ſcriptoribus notam.

D

præter dubiam ſignificari rem vocum in hac materia uſitatarum,

cœperunt credi barræ fuiſſe in pallio illis erectæ,

E

132 Verum ut commiſſos hoc in genere errores ignoſcimus facile, nihil certum habentibus quod ſequerentur; ita ferre non poſſumus nec debemus ſtuporem pene incredibilem illius, qui ſub nomine Cyrilli Prioris III conſinxit epiſtolam; ſuiſque Carmelitis non tantum circulos, ſed & virgas abſtulit, ſolam relinquens coloris diverſitatem, cum forma longe alia quam ſupra demonſtravimus: ſic enim loquitur. Barratum pallium, ſicut ſcis, ex ſeptem partibus duplicis coloris ab invicem diſtinctis, ſed conſutis, ipſum totaliter integrantibus, perpendiculariter à collo uſque ad talos deſcendentibus, conſtat: quarum tres ſunt nigræ ſive griſeæ, aliæ vero quatuor ſunt albæ: quæ ſic exiſtunt in pallio ordinatæ. Indutum ſiquidem pallium, ante à pectore deſcendendo uſque ad pedes, eſt totaliter fiſſum ſeu apertum, & partes fiſſionis ſunt albæ; ſecunda autem pars à latere dextro eſt nigra, & etiam ſecunda à latere ſiniſtro; tertia vero pars à latere dextro eſt alba, quem colorem retinet tertia à latere ſiniſtro: ſed ultima pars, retro in medio pallii exiſtens, eſt nigra. Hoc pallium profeſſores

ac tandem nec barræ quidam agnita amplius.

propter epiſtolam Cyrillo aſſictam.

F

AUCTORE D. P.



Ex tabula Conventus Colonienſis picta circa an. 1522. cum verſibus designantibus transmigrationem Ordinis ex Syria in Europam ſeculo 13.



Ex tabula Conventus Antverpienſis facta an. 1609 ad repræſentandam mutationem habitus ab Humar, ut prætenditur, imperatam anno 640.

profeſſores hujus Religionis antiquitus appellabant Carpitam, poſtmodum conſueverunt ipſam vocare chlamydem ſeu mantellum. *Hactenus ille, totus deinde in explicando quatuor albarum partium myſterio effuſus, nihil dicens de tribus nigris ſeu griſeis; ſed ita inſulſe, ut non niſi cum magna Cyrilli iniuria, quem volunt fuiſſe litteratiſſimum, ejuſmodi farrago eidem attribuatur. Interim myſteria illa ſic placuerunt Trithemio, aut potius ei qui Trithemio obtulit ſub ejus nomine vulgandum libellum, ab aliquo Carmelita compoſitum (quomodo ſcio & demonſtrare poſſum, Cartaghenæ, Miræo, Bollando, Henſchenio, Hazaert, aliisque varia huius generis ſcripta, à ſtylo ipſorum diverſiſſima, eſſe oblata, rogatis ut ea in nomen ſuum aſciſcerent, quod à Carthagena & Miræo impetrarunt) ſic, inquam, myſteria iſta placuerunt auctori libri, qui de ortu & progreſſu Carmelitarum prefert Trithemii titulum, ut ea verbotenus non dubitarit tranſcribere.*

quaſi ex 7 partibus perpendiculariter conſutis componi illud debuerit.

133 *Non quæro nunc quam frigida extraque propoſitum ſit tam articulata verboſaque deſcriptio ejus pallii, quod is ſupponitur geſtare ipſemet, ad quem fingitur epiſtola dirigi. Vnum quæro, quæ hic ſit forma, non dico* circulorum *aut* bararum *propriæ dictarum; ſed* virgarum, radiorum, linearum ? *quæ omnes voces (niſi me prorſus fugit ſermonis humani intellectus) exiguam valde latitudinem denotant, reſpectu multo maioris & indefinitæ longitudinis. Sume enim mihi, ſi placet, menſuram pallii, vt potes longiſſimi pedum geometricorum ſex; illud, ut minime ſinuoſum ſit in ſuo inferiori orbe, nec niſi ter eamdem complectatur menſuram (quæ in ſinuoſiori pallio deberet quinies aut ſexies replicari, habebit tamen in circumferentia pedes ſaltem octodecim: hos porro ſeptifariam divide. & invenies ſingulas partes ſeu petias, habituras latitudinis pedes pluſquam duos & ſemis; atque adeo collatas ad longitudinem præſuppoſitam: fere æquaturas hujus medietatem. Partes autem tam infigniter latas, tam parum longas, quis ſando audivit,* radios, lineas, virgas *dici ? Et has vetuiſſet Londinenſe Capitulum confui, ducendo ſuturas à collo ad talos ? quod hujus ipſius ſcriptoris ſenſu ex uſu maiorum ac fere neceſſarium erat; contexi iuſſiſſet ? quod fieri non poterat niſi fabricando pannum enormiter latum, ſic ut latitudo ejus reſponderet toti longitudini futuri pallii. Ipſa igitur natura rei pictores, quos ſupra dixi Coloniæ Antuerpiæque adhibitos, plane coegit, multo plures quam tres nigras partes imaginando concipere, ut poſſent barratum pallium quadamtenus repræſentare.*

ex quo intelligitur auctor multo recentior.

134 *Iſtis ſic poſitis, & eorum quæ ſub nomine Cyrilli oſtentantur incongruentia demonſtrata; aliud non reſtat, quam ut dicamus, eum qui pallium barratum ſic deſcripſit, ut in eo nihil minus quam barras exhibeat, ejuſmodi pallium nec geſtaſſe, nec vidiſſe ſaltem in vera pictura expreſſum. Fruſtra igitur Cyrilli perſonam aſſumit: fruſtra ad coævum eius Euſebiũ ſe ſcribere fingit: fruſtra veritatem libri ad Capraſium, quaſi is diu ante Albertum ſcriptus Ordini aliquando pro Regula fuerit, ſperant Carmelitæ poſſe ſuſtineri ſcriptoris tam inſulſi teſtimonio: qui nec cavere potuit, quin palam indicaret ſe ſcribere eo tempore, quo* Carpitæ *nomen, antiquis uſurpatum, in* mantelli *nomen converſum fuerat, id eſt diu poſt Londinenſe Capitulum, ſub quo Carpita non tantum nominabatur paſſim, ſed erat ipſius* Religionis ſignum. *Aliter profecto Cyrillus, ſiquid tale ſcribere voluiſſet, & plane è converſo. Scripſiſſet enim, quod veteribus* Pallium, *& tunc à Græcis ac Syris* Mandyon *ſeu* Mandya *dicebatur, id à Fratribus Latinis ſuæ linguæ dialecto vocari* Carpitam, *idque non ita pridem uſu eſſe inductum. Omitto reliquas epiſtolæ huius abnormitates, circa Aymericum Lemovicenſem, cui præter ſeculi iſtius morem addit cognomen* Mala fayda de villa appellata Salamiacum, *& quem in Terra-ſancta Apoſtolicæ ſedis Legatum fingit; circa Bertholdum, quem facit Aymerici fratrem, & anno* MCXXI *ait electum eſſe Priorem; circa Albertum, qui anno* MCXC *Regulam dederit; quæ omnia ex ſupra dictis corruunt. Duo addo, de pallii colore ac menſura per epiſtolam deſignatis, & dico, quod ætate Cyrilli & inſtitutione adhuc recenti, minime dubium fuerit griſeuſne an niger color interſecaret album; imo quod non niſi griſeus haberi potuerit, quando ex ſtamine albo, ſubtemine per alternas virgas nunc albo nunc nigro, contexebatur pannus carpitus. Dico etiam quod eiuſdem Cyrilli ætate non ultra genua deſcenderit Carpita Carmelitica, pro qua ſubſtitutum pallium album ad talos uſque laxior diſciplina poſterorum, ſcriptori æqualium, fecit defluere: quod, ut abuſum graviſſimum & contrarium eremiticæ ſimplicitati, ante omnia reformandum iudicavere Tereſiani; repudiantes etiam colorem nigrum, tanquam à prima inſtitutione alieniſſimum.*

itemque ex aliis erroribus pluribus.

135 *Atque hæc de errore circa formam Carpitæ plus ſatis; circa ejus originem nihilo parcius indultum eſt fabulis, ab omni*

AUCTORE D. P.

Pradictas barras ipsius Eliæ pallio attribui,

ni veri ſpecie remotiſſimis. Cum viverent & ſcriberent Bergomenſis & Antoninus, nec paſſim cognitus eſſet liber ſub nomine Ioannis Hieroſolymitani fabricatus, pro inconcuſſa traditione adhuc dicebatur à Carmelitis, iſtum habitum fuiſſe Eliæ Prophetæ, habitantis in monte Carmelo in Syria, quod tamen (*ut idem Antoninus merito addit*) neque in ſacra neque in authentica ſcriptura reperitur. *Cum autem dicerent aliqui ex Pſeudo-Ioanne Eliæ pallium pure candidum fuiſſe; reſpondit Ioannes Hildeſhemienſis in Defenſorio (vir utique tam in hoc verax, quam in aſſerto S. Petri Thomæ martyrio & neſcio qua illius viſione) quod ipſum* de curru igneo dimiſſum, tactum ab igne fuit modicum denigratum ſeu diſcoloratum in partibus extrinſecis, ſed retinuit colorem priſtinũ in partibus involutis: *quod myſterium venerantes Eliæ ſucceſſores, & uſque ad extremum Carmelitica eremi excidium ipſum illud pallium conſervantes, eamdem colorum varietatem ad perpetuam rei memoriam in ſuas chlamydes tranſtulerint, & uſque ad Honorii IV ætatem retinuerint. Si tam certa eſt reliqua Hiſtoria Carmelitarum, prout ab ipſis tractatur, quam certum eſt miraculoſum iſtud Eliæ pallium conſervatum in Carmelo fuiſſe uſque ad annum* MCCXCI, *& quidem ita ſemiuſtum; nihil ſcilicet eſt quod de ea dubitemus amplius. Sed ſcrupulum injicit ipſe Lezana ad annum mundi* 3204, *cum audet dicere, quod iſta de Eliæ pallio variegato aſſertio, ſit* puerilis & nullo nixa fundamento. *Quid enim ſi nihilo meliori fundamento ſubnixa ſint cetera, quæ non aliunde quam ex ſimili antiquiorum Carmelitarum pretenſa traditione habentur? Iudicent alii, ego ἀπέχω.*

B

quia ridiculum poſteris viſum;

exogitata eſt alia fabula de initio barratæ.

136 *Præjudicavit Pſeudo-Cyrillus, quando uni fabulæ ſubſtituens aliam, & ſui æque Pſeudo-Ioannis inſiſtens veſtigiis, qui multa de albo pallio Eliæ garrit; tentavit inducere aliam de Barrati pallii origine opinionem, auctorem illius faciendo Humarum tyrannum, Arabem natione, ſuperſtitione Saracenum; qui occupata anno* DCXXXIX *Hieroſolyma, & in monachis ſibi inviſis non fereus dehoneſtari ut rebatur colorem album, ſolis Saracenorum Satrapis conceſſum, inſſerit barratis palliis uti. Fabulæ occaſionem dediſſe potuit, quod (ſicut ex Villanio ſcribit S. Antoninus)* Soldanus Saracenorum, qui prius Carmelitas habebat in reverentia propter Eliam Prophetam, mutato habitu eis dato à Papa, in contemptum Papæ & fidelium fecit eos expelli de monte Carmelo, *quam expulſionem circa finem ſeculi* XIII *accidiſſe ſcio; tali ex cauſa factam eſſe aliis probandum relinquo. Certum eſt, quod* tempore Honorii IV Fratres Carmelitæ mantellos barratos, ex albo & nigro ſeu griſeo variegatos, quos antea portaverant & tunc portabant, in cappas albas commutaverunt, *ut ait auctor Ms. de vitis Pontificum, uſque ad Martinum quintum pertingens. Huic coævus S. Antoninus tit.* 20 *cap.* 5, Eodem tempore *inquit,* cum Fratres Ordinis Carmelitarum deferrent habitum, qui minus convenire videbatur viris religioſis, ſcilicet cappam circulatam largis virgis & griſeis... Papa Honorius IV, propter maiorem honeſtatem, mandavit, habitum illum demittere, & deſuper cappas ex toto albas, & tunicas ſubtus nigras cum ſcapularibus aſſumere. *Ob quæ verba quid tantopere arguendum putaverit Antoninum Waſtelius in Vindiciis equidem non video: commode enim intelligitur ex hoc loco, id ſolum mutatum quod auctor ſolum ſignificaverat iudicatum eſſe minus conveniens, nec prorſus inepte addidit tunicæ ac ſcapularis mentionem; ut totum Ordinis habitum exprimeret, qui totus videri poterat preſcriptus ab* Honorio, *alteram eius partem eamque precipuam innovando, alteram approbando. Quod ſi obſcuritas hic ſit aliqua, profecto ignoſcenda eſt Antonino, de ea re ſcribenti, quæ ſolum fuerat* Viva voce, *ut loquitur Paleonydorus, Carmelitis conceſſa.*

C

Pro hac ſumere album Honorius 4 conceſſit an. 1287.

137 *Conciſſa, inquam, potius quam mandata. Sic enim loquitur ſucceſſor Honorii, poſt Nicolaum IV & Cæleſtinum V, Bonifacius VIII,* Generali & ceteris Prioribus & Fratribus Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo *anno* MCCXCV, VII *Kal. Decembris.* Lecta coram nobis veſtra petitio continebat, quod olim B. M. Latino Oſtienſi Epiſcopo & Gervaſio tit. S. Martini in montibus Presb. Card. ſignificantibus per ſuas litteras, inter alia continentes, quod fel. record. Honorius Papa IV, prædeceſſor noſter, de Fratrum ſuorum conſilio, eis pia & provida deliberatione conceſſerat, ut eorum habitũ ſive varietatem ipſius, minus decentem & diſplicentem quam pluribus, in alium decentem commutaſſet. Idemque Prior Generalis & Fratres, poſtmodum in Capitulo congregati prædicto, deliberatione ſuper huiuſmodi mutatione præhabita diligente, unanimiter ſtatuerunt, ut ex tunc ceteri Priores & Fratres ipſius Ordinis, mantellis diverſorum colorum, quibus uti conſueverant, dimiſſis, omnino cappis albis in poſterum uterentur. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod circa huiuſmodi habitus mutationem in hac parte provide factum eſt, ratum & firmum habentes, id auctoritate Apoſtolica confirmamus. *Capitulum illud Generale, cuius meminit Pontifex, habitum fuerat, ut Palæonydorus ſcribit,* in Monte Peſſulano anno MCCLXXXVII, in die B. Mariæ Magdalenæ, *tribus & dimidio menſibus poſt mortem Honorii,* convenientibus illuc Provincialibus tam Terræ-ſanctæ & Siciliæ, quam etiam Tuſciæ, Franciæ, Alemanniæ, Lombardiæ, Aquitaniæ, Angliæ, Hiſpaniæ, Hiberniæ, *&c. quæ enumeratio magnam arguit multiplicationem Ordinis per Europam intra annos vix quinquaginta. Reverſis autem qui ex Syria venerant, & habitum ex Pontificio indulto mutantibus, offendi potuere, ut dictum eſt, Saraceni, ac tandem Religioſos ex ſancto monte expuliſſe, ut ait Villanius ex eoque Antoninus. De eadem habitus mutatione agens Bergomenſis, colorem capparum album electum fuiſſe ait,* ob honorem Virginis Mariæ; *quod ſane veroſimillimum eſt, cum ab ea nomen iam haberet Ordo, eiuſque imitationem ac reverentiam ſingulariter in omnibus & ubique ſpectaret.*

D

Bonifacius an. 1295

auctor libri deinſtit. monachorum,

138 *Verum ii, quibus nihil placere poteſt quod non habeat in Elia principium, hac mutatione gratulantur reſtitutam maioribus ſuis fuiſſe formam antiqui habitus Eliani, præeunte ſibi ad hæc Pſeudo-Ioanne, qui primum capite* 45 *laneæ tunicæ colorem, quam ad corpus zona adſtrictam geſtaſſe ait Elianos veteres, refert ad eum colorem, cuius fuerat cilicium, ſeu (ut ipſe appellat)* Melota *Eliæ:* Dicitur autem, *inquit* Melota proprie à mele animali (quod etiam taxus appellatur) de cuius pilis vel pelle, que eſt valde hiſpida, veſtis facta, eſt melota proprie dicta. *Itane vero? haccine in Græco, ut præſumitur auctore, inveniſſe potuit interpres Gallus aut Latinus?* A Mele, Melota? *At ego* Melem, *ne nomine quidem tenus, putabam Græcis eſſe notam, niſi forte ſub appellatione communi* Αιλέρς felis, *eſt enim de felium ſilveſtrium genere, quod* taxum *vocant alii: μῆλον econtra, unde* μηλωτὴν *dici omnes Lexicographi conſentiunt, propriiſſime* ovem *ſignificat. Iſidorus Hiſpalenſis lib.* 19 *Originum cap.* 24, *ut id ipſum diſtinctius explicaret, vocem Græcam ſibi retinendam credidit, ideoque cum dixiſſet* Melotas *eſſe* pelles caprinas, *addidit,* fiebant autem prius, ut quidam exiſtimant de pellibus melorum, *id eſt ovium,* unde & melotæ vocatæ ſunt. *Impreſſa perperam habent* melonum, *quod mendum in homines Græcæ linguæ minus peritos incidens, fecit eos pro Græcorum μῆλον Latinum* melis *cogitare: nec deſuerunt Calepinum Dictionarii ſuffarcinatores aliqui, tam temerarii, ut Latinæ*

dium negatur circa Eliæ meloten

E

mutationem factam confirmavit,

F

voci

A *Latinum ſe prodit, Græca lingua ignarum,*

voci explicandæ Græcis litteris adderent μελίς, *quæ res credulum illis VVaſtelium impulit ita ſcribere*, Quis enim qui Græce aliquid novit, voculam μελίς Græcam eſſe ignoret, eamque deduci ἀπὸ τῦ μέλιτος id eſt melle, quod nimirum animal hoc, mellis avidiſſimum, alvearibus inſidietur? *Vir ſane bonus fuit Waſtelius; ideo non ipſum per ſe hæc aliaque ſcripſiſſe credo, ſed per alium, cuius ſcientiæ putabat ſe poſſe confidere, & ab eo aſſerta tamquam ſua efferre; millies abominaturus deceptorem ſuum, ſi vel antiqua Heſychii, Suidæ, Harpocrationis, Andromachi, Pollucis Etymologica Græce ſcripta legere potuiſſet, vel recognoſcere commentaria Budæi Stephani, Gretzeri, Portii, Meurſii, aliorumque de Græcarum aut ſemigrecarum vocum uſu & ſignificationibus Græco-latine recentius editos. Equidem totis quatuordecim annis verſatus in auctoribus Græcis evolvendis, tranſcribendis, interpretandis aut illuſtrandis; non memini* ἀπὸ τῦ μέλιτος *aliud animal dictum legiſſe quam* μέλισσα *quod eſt* apis: *non fui tamen auſus cauſam abjuuticare VVaſtelio, tam aſſeveranter locuto, niſi etymologica & lexica ſingula conſuluiſſem ſuper voce* μελίς, *an illa uſpiam inveniretur? ea autem nuſquam inventa, nec in eâ quæ prætenditur nec in alia quapiam ſignificatione; videat lector quam fidem poſſim adhibere iis quibus adiutoribus uſus VVaſtelius ſuas illas Vindicias compilavit; tam utique*

F *infelix vindex, quam auctor quem vindicare tentendit infelix fuit etymologus, hic quidem in explicatione* Melotæ *iam refutata, alibi vero circa nomen torrentis* Carith, *in quo ſe abſcondit* Elias, *volens eo nomine moneri monachos, tunc perfectos ſe fore, quando* in Carith, id eſt in caritate illa abſconditi *erunt*, de qua ſapiens ait, univerſa delicta operis caritas, *quæ Græcis* ἀγάπη *eſt, nihilque cum Hebraica voce* Carith *commune habet.*

& pallium illius album fuiſſe

139 *Quod ad Eliæ veſtimenta attinet, ſatius fuiſſet hoc ſolum dicere, quod ſolum de eis Scriptura nos docuit lib. 4 Reg. 1, quod ſcilicet fuerit* vir piloſus, & zona pellicea accinctus renibus? *Pallio quoque uſum ſcimus, ex iis quæ capite 2 narrantur de eius in cælum ſubvectione. Albumne an atrum id fuerit nemo nos docuit; neque album fuiſſe docere nos poterit Pſeudo-Ioannes, dicens, quod* Elias per hoc docuit monachos, hanc Religionem profitentes, debere pallio ſuperveſtiri albo, quemadmodum eos inductos albis Dominus præoſtendit Sabachæ Patri Eliæ &c. *Etenim totum hoc de Sabacha commentum non habet Auctores SS. Epiphanium & Dorotheum, ut prætenditur, ſed fabulatores quoſdam non admodum vetuſtos. Theophilum Raynaudum audi, in talibus verſatiſſimum,* Dorotheo, patria Tyrio, Preſbytero Antiocheno, ac Martyri ſub Juliano, viro doctiſſimo iuxta Euſebium lib. 7 hiſt. cap. ult. ſuppoſitus eſt liber infantilis, cui titulus Synopſis de vita Prophetarum & Diſcipulorum Domini, ſcatens fabuloſis narrationibus, ut Bellarminus obſervavit. *Hunc Doctorem ſecutus Pſeudo-Ioannes eſt. Nam qui linguam Græcam prorſus ignoravit, legiſſe non potuit ſimilem libellum ſub Epiphanii nomine Græce ſcriptum* de vita Prophetarum eorumque obitu & ſepultura: *quem ipſum tamen etiam* eſſe ψευδεπιγραφον interpreti Petavio perſuaſerunt ſexcentæ mendaciorum nugæ, quibus ille liber refertus eſt, *ut teſtatur Sirmondi ſucceſſor & ſcriptorum heres Philippus Labbe, in diſſertatione de Scriptoribus eccleſiaſticis.*

G *accepit ex libro æque ſuppoſititio.*

140 *Sed quamvis Pſeudo-Dorotheum qualem dixi, ſecutus Pſeudo-Ioannes Carmeliticus, ſuæ ſuppoſitionis præferat indicia plurima, Vindicem tamen reperit, & etiam nunc habet propugnatores omnes eos, qui exiſtimant vix quidquam certius optari poſſe ad notitiam Hiſtoriæ Carmelitanæ, quam ſit iſte liber eique ſuccenturiata Cyrilli Epiſtola. O te infelicem! Ioannes Anni Viterbienſis, quod commentitio tuo Beroſo, eique ſimilibus Manethoni atque Megaſtheni, non admiſceueris aliquid de Elia Prophetæ diſ-*

tamen deſe ditur & hic & ipſe,

cipulis, in Aſſyriam tranſlatis ſub Salmanoſſare, vel in Babylonem ſub Nabuchodonoſore, & Elianum inſtitutum inter gentes iſtas retinentibus ac propagantibus. Quam multi pro te ſurrexiſſent Vindices, qui nunc ſub pedibus jaces Goropii Becani lib. 4 Originum Antverpienſium ſupra ruinas tuas exſtruentis ſua nihilo ſaniora commenta. Te quoque infelicem! quiſquis es Humbalde, qui Chlodovei, primi inter Reges Francos Chriſtiani, ætatem tibi arrogans, Trithemio, compendium Annalium ſcripturo, ſuppeditaſti ſeriem & hiſtoriam Francorum Regum quadraginta duorum ante Pharamundum, eorum genus à Troianis repetens, in eoque conſentiens Pſeudo-manethoni Annii, Francum, Hectoris filium, in theatrum adducenti. Pro iſto labore te tuumque abbreviatorem Trithemium ingrata exſibilat Francia: qui ſi eadem fide dediſſes ſeriem Carmeliticorum Patrum, ab Elia uſque ad Regnum Chlodovei, & hanc idem Trithemius, nihil tibi novi crediturus, potuiſſet inſerere libello de laudibus Ordinis Carmelitani, quam foret ſcriptor indubitabilis, quantis in cælum uſque attolleret preconiis!

AUCTORE D. P.

141 *Errorem hunc veſtrum viderunt & caverunt Annio & Pſeudo-Hunibaldo ſimillimi impoſtores illi, qui Dexiri Chronicon, Luitprandi Fragmenta, Iuliani Petri commenta, Gregorii Bæticæ Martyrologium & ſimilia plura procuderunt, crediderunteque non defuturos ſibi patronos, ſi ruinoſis quorumlam populorum atque ordinum traditionibus fulciendis tam magna commodarent nomina. Ergo tum alia multa commenti ſunt pluribus placitura, quia opinationibus eorum vacillantibus conformia, tum Carmelitas nominatim conciliare ſibi ſtuduerunt, fingendo, S. Elpidium Socioſque Epiſcopos (quos Romanum Martyrologium Cherſonæ tribuit* IV *Martii) fuiſſe monachos Carmelitas, atque Apoſtolorum prædicatione converſos, & à S. Iacobo conſecratos Epiſcopos, Chriſtianam fidem intuliſſe Hiſpaniis, & poſt fundatas diœceſes decem, Martyres ibidem obiiſſe. Non fuit irritus placendi conatus, nec ſua mendaces Scriptores ſpes fefellit. Defenduntur enim à multis eorum, quorum intereſt veræ credi quæ ſcripſere: ex Ordine autem Carmelitico primus Luitprandi cauſam ſuſcepit Lezana ad annum Chriſti* 403 *Lezanam vero ſecuti ſunt, quotquot poſt eum manus applicuere Carmelitanæ antiquitati. Et tamen eorum aliqui, quos nequeo excuſare, legerant in primo tomo Martii noſtri, S. Elpidium & alios cum eo nominatos Epiſcopos Diocletiani ævo in Scythiam ſucceſſive directos ab Hermone Hieroſolymitano Epiſcopo, fidem a ſe prædicatam Cherſone, in Taurica, non in Hiſpanica Cherſoneſo, morte ſua obſignaſſe; poſt quos denique miſſus eodem Capito ſub Magno Conſtantino, fructus collegit Martyrum ſanguine irrigatos, & Confeſſor glorioſus colitur a Græcis, una cum ceteris* VII *Martii, inſigni totius diei officio. Si neſcivit fabulator ille, fore ut aliquando falſitas ſua ex originariis Græcorum fontibus pateſceret; jam patefactam non potuerunt ignorare Luitprandi aſſertores ultimi, quando legerunt Martium noſtrum. Quod ſi iſta de Elpidio & ſociis forſitan non legerunt, maiore eos cura urgente, ut niſi in dicto menſe invenirent probatas opinationes ſuas, inveniret ſaltem ſuarum de nobis querelarum argumentum, negare non poterunt lectam à ſe fuiſſe Præfationem ad Acta Februarii, ubi ſatis diximus ut ſciret unuſquiſque, Luitprandi Fragmenta eſſe figmentis adnumeranda.*

quomodo Luitprandi figmenta etiam recipiunt Carmelitæ.

E

F

CONCLUSIO.

142 *Habes Lector hiſtoriam Ordinis, non è concavo* lunæ lapſi, aut fungi inſtar una orti nocte (*quam nobis opinionem videtur nonnemo voluiſſe affingere*) *ſed Chriſtianæ Æræ ſeculo* XII, *ex Eliæ Prophetiæ revelatione, in monte Carmelo, aſpirante Aymerico Antiocheni favore, concepti; ſeculo autem* XIII, *ſub Alberto Hieroſolymitano plene formati: vel (ſi mavis ad ætatem Eliæ primos ipſius ortus attollere) ſub jam dictis Patriarchis regenerati*

AUCTORE D.P.

reformatique ; atque poſt hanc ſeu primam ſeu ſecundam originem, congruis ſed modicis incrementis ſucceſſive auctis; uſque dum cælum ſolumque mutans, eas radices in Europa egit, ut brevi ingens ſteterit & firma arbor, ſeſeque propagans ſilvam ingentem una ipſa conſtituerit. Eam hiſtoriam quod ex coævorum ſcriptorum monumentis maluerim petere, quam ex diu poſt compoſitis auctorum ſuppoſititiorum narrationibus, inter ſe atque cum veritate pugnantibus, nemo reprehendet qui lucem diliget & veritatem. Si ſuppoſititios dixi, coegit eorum falſitas evidenter cognita neque ulterius diſſimulanda, niſi pro alienæ gloriæ invido traduci me vellem, qui poſim & nolim Elianæ ſucceſſionis certitudinem meo ſuffragio ſtabilire. Non ipſam oppugnatum veni, ſed quæſitum firmiora documenta, quam quibus alii innixi toties & tam turpiter, ut oſtenſum eſt, corruerunt. Quod nulla invenerim, infelicitati meæ & eorum quibus operam hanc impenſam volui, imputetur potius quam caritas violetur: in iis ſaltem quæ temporum noſtrorum cognitioni propius adjacent, non fruſtra videor laboraſſe. Si alius felicior uſpiam habet ſervatque idonea pro ſeculis Bertholdum prægreſſu ſucceſſionis quæſitæ teſtimonia, ſuccurrat nobis & ſanctiſſimo Ordini, antiquioris originis probandæ cupientiſſimo. Interim, dum prodit nemo, nec proditurum quemquam perſuadet irritus hactenus ſcrutantium labor & in ſcrutinio deficientium; faciamus hiſtoriæ Carmelitanæ initium in Bertholdo & Brocardo, in quibus indubitabilis de ea cognitionis invenitur principium: neque intendamus, *ſicut monet Apoſtolus*, genealogiis interminatis, quæ quæſtiones præſtant magis quam ædificationem Dei.

B

143 *Ego qui, quod humana diligentia aſſequi in hac materia potuit, maiori ex parte me aſſecutum confido, poſtquam hunc tractatum interpolatis vicibus octies deciesve ad incudem revocavi totum (quem laborem ſi ſingulis Sanctorum Actis impenderem vix medio ſaculo menſis unus prodiret) poſtquam etiam eumdem multo pluribus, quam alias Societatis noſtræ leges exigunt, Cenſoribus domeſticis externiſque dijudicandum ſubieci, ne verbum vllum imprudens relinquerem quod iuſtam mereretur offenſionem; poſtquam denique bonam parata materiæ partem ſequeſtravi, quæ B. Albertum & acceptam ab eo inſtitutionem minus directe ſpectabat, ne Carmelitarum errores plures accumulando abſque neceſſitate, eoſque operoſius refutando, minus amice egiſſe judicarer; videor mihi non de aliorum tantum lectorum iudicio ſecurus poſſe degere, ſed etiam de ipſius Carmelitici Ordinis favore; qui quantum res proprias amat, tantum debebit amare claritatem, iiſdem opera hac allatam; & ſinceritatem animi, unam ſpectantis veritatem. Ita certe ſperare me juſſit, Cenſorum unus, acris imprimis exercitatique vir judicii, non tantum in diſceptationibus ſcholæ ſeverioris, ſed etiam in Hiſtoriis profanis ac ſacris; qui dum Commentarium hunc iterum tertioque relegiſſet, animi ſui ſenſum ſcripto, quod ſubjicio, teſtimonio declaratum voluit in hæc verba:*

C

144 Legi Alberti vitam, neque poſſum non gratulari, primum quidem veritati, quæ eluceſcit è tenebris; tum Carmelitano Ordini, cui nihil poteſt eſte jucundius, quam pulſis apocrypharum ſcriptionum & temere traditarum per manus fabellarum nugis, apparere ſe, non aſcititio adulterinoque fuco ſplendentem, ſed proprio ſuo candore. Nunc poterit ſe offerre oculis eruditorum cum plauſu, qui antea averſabantur caliginem tantam incredibilium ineptiarum. Huc pertinet illud Pindaricum, Ode prima.

Ἦ θαῦματὰ πολλά.
Καί πώ τι καὶ βροτῶν φρένας,
Ὑπὲρ τὸν ἀληθῆ λόγον,
Δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις
Ἐξαπατῶντι μῦθοι.
Sane, miraculum ſunt multa.
Et utique mortalium mentem,
Magis quam verus ſermo,
Diverſis mendaciis variegatæ
Abducunt fabulæ.

D

E

Atque poſt pauca.

Ἀμέρᾳ δ' ἐπίλοιποι
Μάρτυρες φῶτατοι.
Sed poſteri dies
Teſtes ſunt ſapientiſſimi.

Sic omnia tempus & labor elucidat. Quocirca iterum gratulor tam felicem operæ tantæ ſucceſſum. Plaudet omnis hiſtoricorum, qui vere ſunt hiſtorici, natio; uti plauſere veſtro Dagoberto, Guilielmo, Suiberto & ſexcentis hujuſmodi, quæ eruderata ex barbariæ maceriis dirutis, debet orbis veſtris vigiliis. Neque vero habenda oratio eorum, qui Beroſos, Hunibaldos, Dextros, Luitprandos & hujuſmodi monſtra vel amant vel etiam mirantur. Non ſcribitis noctuis aut veſpertilionibus, quibus intolerabilis lux eſt, ad quam ſe ſpeluncis includunt; ſed aquilis, quæ quaſi luce ab infantia paſtæ, exploratæ ad meridiem, ſolo jubare plenæ diei lætantur. Ita judico. I. V. C.

F

DE BEATO PATRE
IOANNE DE ORGANIA,
ABBATE BELLOPODIENSI IN CATALONIA, ORD. PRÆMONSTRAT.

VIII. APR.

Elogium in Natalibus Sanctorum Ord Præmonſtratenſis.

IOannes Chryſoſtomus vander Sterre, *in Natalibus Sanctorum Ordinis Præmonſtratenſis, ad hunc diem iſta habet*: VI Idus Aprilis. In cœnobio B. Mariæ Bellipodii, diœceſis Urgellenſis in Catalonia, B. P. Joannis de Orgaña, ejuſdem Eccleſiæ Abbatis, Ordinis Præmonſtratenſis: cujus uti vita eximiæ ſanctitatis refulſit exemplis, ita ſacræ ipſius Reliquiæ præclaris ſæpe decorantur miraculis. *Ad quem diem idem Chryſoſtomus in Notationibus ſuis, necdum excuſis, ſic ſcribit.*

2 Quod hic vocamus Bellipodium, inferius in Inſtrumento publico Hieronymi Bioſquet, vocatur Pulchripodium, eſtque cœnobium divæ Virgini Matri ſacrum: quod licet in Catalogo cœnobiorum, qui Opticæ Servatii de Lairvelz ſubjunctus eſt, in Circaria Waſconiæ numeretur; in regno tamen Cataloniæ, ſeptimo à Barcinona lapide, in Hiſpania ſitum eſt, ut bene in Chronico Præmonſtratenſi Miræus, quando ad annum Chriſti MCLXX de Præmonſtratenſibus in Hiſpania cœnobiis agit. Vocatur autem Catalanice, non, ut ille putat, Belpontz, ſed Belpuche: extatque in Vicariatu Balagarii in diœceſi Urgellenſi: ut mirum ſit Catalogos antiquos cœnobiorum Ordinis illud referre ad diœceſim Ilerdenſem: ita catalogus Lairvelz & Averbodienſis, qui Chronico Miræi ſubjunctus habetur: niſi tamen dicere velimus, quod olim Ilerdenſis Epiſcopatus terminis comprehenſum fuit, jam Urgellenſi diœceſi contineri.

Bellipodium ubi ſitum

3 Quo tempore B. P. Joannes de Orgaña floruerit, necdum ex Hiſpania intelligere potui. Egit

ſæpe

A *Miracula ejus plurima*

sæpe mecum de eodem per litteras R. P. F. Michaël Maldonatus, cœnobii S. Norberti Madritensis Suprior benemeritus, nec non Congregationis Hispanicæ Ordinis Præmonstratensis Procurator generalis, petiitque ut eumdem inter ceteros ex Ordine nostro viros sanctitate illustres publici juris facerem: qui de eodem ita scribit: Vocatur iste Sanctus Beatus Frater Orgaña, qui est in cœnobio Bellipodii Avellanarum: estque Sanctus, qui ibidem magna veneratione colitur, & grandia patrat miracula. Alibi autem hoc modo: Sanctus iste, religiosus Ordinis nostri, vocatus Oragaña: qui in terra Aragonica admodum cognitus est, propter multa miracula Sic de Beato isto Maldonatus. Perseverat etiamnum inter mortales suavis virtutum & sanctitatis fragantia, quam inter homines positus beatus hic Pater, velut odorem agri pleni cui benedixit Dominus, divini spiritus gratia aspirante, exhalavit.

Reliquiæ in altari asservatæ.

4 Reliquias hujus sancti Patris jam dudum elevatas, & in arca lignea cœnotaphio lapideo inclusas, super altare cœnobii Bellipodii asservari solitas, magna ibidem populus devotione & concursu visitat: qui præsentem Dei opem in suis necessitatibus,

B interventu beati hujus Abbatis, sæpenumero experitur. Solet autem cum felici successu per hujus Sancti suffragium divinam implorare clementiam, quando, in magna terræ siccitate & sterilitate, pluviarum penuria laborat. Curavit nuper anno MDCXXII admodum R. P. F. Bernardus Langor Abbas Bellipodii, præsentibus compluribus viris spectabilibus & reverendis, coram testibus & publico notario auctoritate Regia Hieronymo Biosquet, solennem institui visitationem & inspectionem dictarum sacrarum Reliquiarum: & ad instantiam Oeconomi & Syndici dicti Conventus confectum est publicum instrumentum, quod per R. P. Michaelem Maldonatum, virum Ordinis illustrandi studiosissimum, mecum communicatum, hic lectori ex ipso autographo & originali, quantum licuit, ad verbum fideliter descriptum, subjiciendum duximus.

publicum instrumentum

5 In Dei nomine noverint universi: quod cum ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, beatissimæque Virginis Mariæ Matris suæ, & totius triumphantis Ecclesiæ, hæc quæ sequuntur ad perpetuam rei memoriam posteritati tradita, conscripta & fide authentica communita sint & esse intelligantur. Hinc est quod die octava mensis Aprilis, anno à Nativitate Domini millesimo sexcentesimo vigesimo secundo; præsente & vocato, requisito atque rogato me Hieronymo Biosquet auctoritate Regia Notario publico, cive Balagarii infrascripto, & præsentibus etiam pro testibus admodum Reverendis DD. Michaele Aster, villæ Ovis Archipresbyteratus Ageronensis; Joanne Farros, civitatis Balagarii; & Jacobo Guillalmet, Rectore villæ Camarafiæ, Urgellensis diœcesis; omnibus Presbyteris: constituto personaliter Admodum Reverendo Domino Fratre Bernardo langor, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Abbate Monasterii & conventus B. Mariæ Pulchripodii Avellanarum, diœcesis Urgellensis, & in vicariatu civitatis Balagarii constituti, ad instantiã Oeconomi & Syndici dicti convẽtus, præsentibus pluribus spectatissimis viris, & præcipue venerabilibus Joanne Carrovet Priore, Michaële Claverol, Francisco Gordo, Silvestro Farrero, Fratribus conventualibus dicti monasterii, venerabilique Sacerdote Joanne Calbera Rectore de Blancafort; tum etiam præsentibus illustri Joanne Alzina, dicti monasterii & Abbatiatus vigilantissimo Gubernatore & generali Procuratore; Francisco Joli juris utriusque Doctore consultissimo dictæ civitatis Balagarii, aliisque pluribus honestis personis, in territorio & capella B. Mariæ Pulchripodii veteris, in termino Villæ-novæ Avellanarum, in partita dicta de Camu collocata, ad quam capellam seu sacellum prælibati religiosi Sacerdotes & alii homines catervatim convenientes ea mente confluxerant, ut per Missarum solennia, quæ ibi devotissime peracta fuerant, aliasque pias humilesque preces, quas ibi ad Deum Optimum Maximum supplices effuderant, pluviam congruentem (cujus sterilitatem extreme & miserrime populi præfati patiebantur) elargiri & propitius concedere, sicque flagella iracundiæ, quæ pro peccatis suis merebantur, clementer avertere dignaretur Post peracta itaque hujusmodi sacrificia precesque effusas, facta fuit visura & inspectio ocularis cujusdam arcæ lignea, in cœnotaphio lapideo in altari dicti Sacelli collocato: qua in arca, quatuor aut quinque palmorum oblonga, reperta fuerunt quædam ossa, quæ ex antiquissima traditione & publica illorum populorum & circumvicinorum fama, dicuntur fuisse & esse cadaveris seu corporis Fratris & Patris Orgaña, monachi dicti conventus & Ordinis Præmonstratensis: qui tempore vitæ suæ tanta virtutum, sanctitatis & religionis gloria refulsit & enituit, ut omnium animos in sui admirationem converteret. Neque tam coruscantem hujus præclaræ Sanctitatis fulgorem delitescere Deus permisit; imo suæ religionis & sanctitatis odor & fama ita per omnia illa loca circumvicina ad hæc usque tempora emanavit & pervulgata est, ut nulli sint homines, qui in suis tribulationibus & laboribus & præcipue tempore sterilitatis aquæ, ejus non implorent auxilium, & lo intercedente à Deo Opt. Max. salutarem suarum petitionum effectum non fuerint consecuti. De & super quibus omnibus & singulis, ibi ut præmittitur actis, dictis, gestis, & secutis, illico dictus admodum R. D. Abbas dicto nomine petiit & requisivit confici unum & plura publicum & publica consimilia instrumenta, & sibi ac aliis quorum interesset dari, tradi & liberari, per me dictum & infrascriptum Notarium. Quæ fuerunt acta in termino Villæ novæ Avellanarum in partita dicta de Camu, die, mense, anno & loco prædictis, præsente me dicto & infrascripto Notario & testibus de quibus supra præsentibus, ad præmissa respective vocatis, rogatis, specialiterque assumptis, prout superius continetur.

C D *de pluvia impetrata.* E F

Auctoritas Notarij.

6 Subjungebatur signum dicti Hieronymi Biosquet Notarii: de cujus auctoritate & honestate quid tenendum sit; liquet ex infrascripto testimonio Vicarii Balagarii. Magnificis & circumspectis viris universis & singulis Officialibus Ecclesiasticis & Secularibus, jurisdictionem ubilibet exercentibus, nos Joannes Baptista de Pons Domicellus, pro sua cæsarea & Regia Majestate Vicarius Civitatis & Vicariæ Balagarii, harum serie fidem facimus, quod Hieronymus Biosquet, qui hujusmodi Instrumentum recepit, clausit, & subsignavit, est Notarius publicus civis Balagarii auctoritate regia creatus, & est vir bonæ famæ, viæ & conversationis honestæ, & instrumentis per eum & substitutos suos receptis, manu tamen & signo ipsius clausis & subsignatis, sicuti est præscriptum instrumentum, in judicio & extra fides plena adhibetur. In quorum fidem per alterum de scribis curiæ nostræ instrumentum exhiberi jussimus, sigillo dictæ curiæ nostræ roboratum. Datum in civitate, Balagarii die XIII mensis Januarii, anno à nativitate Domini MDCXXIII. Vidit Joannes Baptista de Pons, Vicarius prædictus. Et infe-

A rius. De mandato dicti Domini Vicarii expeditum, per me Matthæum Armengol, auctoritate regia Notarium publicum, civem Balagarii & illius curiæ ſcribam. Habebatur hic impreſſum dictæ curiæ ſigillū.

Elogium ex Pagio.

7 *Hactenus Chryſoſtomus vander Sterre, cui adiungimus elogium à Ioanne le Page lib. 2 Bibliothecæ Præmonſtratenſis pag. 506 editum his verbis*: Appendix vitæ B. Ioannis de Orgaña cœnobii B. Mariæ Bellipodii in Catalonia Abbatis ... B. Ioannes de Orgaña Hiſpanus, cœnobii B. Mariæ de Bellipodio apud villam novam Præmonſtratenſis Ordinis, Vrgellenſis diœceſis in Catalonia Abbas, vti ſpiritus ſcientiæ & pietatis eum ad magnam vitæ perfectionem provexit, & ejus vita eximiæ ſanctitatis multis refulſit exemplis, ita ſacra eius pignora præclaris etiamnum ſæpe decorantur miraculis. Laborum ſuorum mercedem recepturus die octava Aprilis feliciter ad cælos migravit. *Eumdem etiam cum titulo* Beati *refert Ludolphus Craywinckelius in Legenda Sanctorum & Beatorum Ordinis Præmonſtratenſis.* D

DE BEATO CLEMENTE,

D.P. *EREMITARVM S. AVGVSTINI GENERALI,*

VRBE VETERI IN HETRVRIA.

ANNO MCCXCI

Vguſtinianam Eremitarum familiam, ſeculo XIII *ad finem vergente, inſigniter illuſtravit* B. Clemens, à Marchia Anconitana *Iordano in Vitis Fratrum cognominatus; pluribus Ordini ſcriptoribus* ab

B Auximo, *ob diuturnum forſitan incolatum; nam ex* S. Elpidii, *eiuſdem Marchiæ oppido, haud longe ab Adriatici maris ora ſito inter Letum-vivum & Tingam amnes, natum eum fuiſſe perſuadet Ægidii Viterbienſis auctoritas, Sant-Elpidienſibus eo titulo concedentis, aliquam ex corpore B. Clementis particulam. Adeo ut ab Herrera in Alphabeto immerito arguatur Ambroſius Coriolanus in Chronico, quod ſanctum virum* à S. Elpidio minus bene indigitauit: *ſicuti nec argui merebatur Alphonſus ab Oroſco, quod eum cognominavit* de Vrbe veteri, *vbi vivus ac mortuus miraculis claruit & cultum ſolis Beatis concedendum obtinuit; cum hæc appellationis forma in pluribus iſtius Ordinis Beatis obſervetur. Ex hac tamen ſcriptorum diſſonantia colligimus, nullo certo cognomine vti ſolitum, nec aliter quam Clementem ſeſe ſubſcripſiſſe in publicis Actis, alias eo conſtanter appellatus fuiſſet.*

In Marchia Anconitana natus.

eligitur generalis an. 1270,

2 *Fuerat* anno MCCLXX, die XII Maji, conventu Ordinis apud Vrbem veterem habito, Prior generalis conſtitutus, *vt ſcribit in chronico Ordinis Ioſephus Pamphilus Epiſcopus Signinus: qui cum anno* MCCLXXIV *die* XVI *Maji, Lugduni, vbi Concilium generale celebrabatur, in Conuentu ibidem ad magiſtratus conſtituendos coacto, officium deponere niteretur*; Priorem generalem iterum declararunt: conſpiraverant enim aut eumdem præeſſe aut neminem. *Nihilominus* Molariæ in agro Tuſculano comitia eodem anno die XVIII Novembris habentur, quibus interfuit Ricardus Annibaldenſis Cardinalis ampliſſimus: cumque in hoc conventu nemo ad ſuadendum proficeret, vt Clemens, qui iam ſeſe eripuerat, officium retineret; tandem Franciſcus Regienſis Prior generalis deſignatur. *Denique* anno MCCLXXXIV vita functo Franciſco, iterum Prior generalis renuntiatur Clemens, V kal. Iunii, apud Vrbem-veterem, vbi Curia erat vniverſa: *& anno* MCCLXXXVII, VIII *kal. Iunii Florentiæ ſtabilitus in officio, multiſque* miraculis & ſumma pietate clarus, apud Vrbem-veterem extrema ſenectute animam egit, ad cuius corpus multi valetudinarii delati, multi cæci perducti, muti & claudi priſtinam valetudinem, B. Clementis meritis, à Deo recepêre. *Hæc fere Pamphilus, qui tam exacte deſcribit ſpatium novem menſium, quo Paulus Peruſinus cum titulo Vicarii rexit Ordinem, & quomodo ei mortuo anno* MCCXCII *ipſo die Epiphaniæ ſuffectus ſit Generalis Ægidius Romanus, vt nullum dubitandi locum relinquat, quin mors B. Clementis recte attribuatur anno* MCCXCI: *quæ tamen quia prævenit Paſcha illius anni, in* XXII *diem Aprilis cadens, aliqui, annos auſpicantes à Paſchate, mortem B. Clementis imputaverunt anno* MCCXC.

iterum aſſumitur an. 1284,

abdicat ſe an. 1274, C

moritur 1291 vbi veteri.

3 *Vix totis ſeptuaginta annis poſt obitum B. Clementis, Vitas Fratrum ſcripſit Iordanus de Saxonia, in cuius operis libro 2 cap. 4 illius meminit, cum laude* miræ clementiæ & pietatis ac magnæ ſanctitatis: *additque* quod fuerit tam Deo carus, quam hominibus totus gratioſus, per quem Deus multa miracula oſtendit in vita ſua: & demum in morte ſua, in præſentia Curiæ & omnium Dominorum Cardinalium, tempore D. Nicolai Papæ IV, magnis miraculis claruit: & in Vrbe-veteri, vbi deceſſit, propter miraculorum pluralitatem & magnitudinem, per plures hebdomadas de mandato eiuſdem Papæ inhumatus ſtetit, afferentis non eſſe dignum quod corpus tantæ ſanctitatis terra obrui deberet. Tanta enim multitudo populi ad videndum illud corpus ex ſingulari devotione catervatim irruebat, quod propter nimiam preſſuram populorum, oportuit communitatem Vrbis-veteris plures domos effringere, & vicum communem tendentem ad locum Fratrum ampliare, vt ſic populo liberior acceſſus præberetur. De cuius corpore tempore calidiſſimo nulla horrenda exhalatio, ſed potius odor ſuaviſſimus fragrabat, vt teſtabatur Venerabilis Pater D. Benedictus Cardinalis, qui fuerat filius ſuus confeſſionis, & ex ſpeciali devotione illud corpus benedictum pluries viſitavit: qui etiam poſtea effectus eſt Papa Bonifacius VIII. E *miraculis claret,* *& magno concurſu viſitatur.*

4 *Ex his colligimus, de virtutibus & miraculis B. Clementis nonnulla diffuſius Scripta fuiſſe, vnde iſta Iordanus hauſit, quæque dolendum incuria poſterorum periiſſe.* Dignus certe vir, *Herrera iudicio*, vt eius ſanctitas infallibili Eccleſiæ iudicio decerneretur: interim tamen illud honoris habet, quod vbique titulo & diademate Beatorum illuſtratur. Corpus *eius* ſumma in veneratione *apud Vrbevetenſes per duo & amplius ſecula* habitum, *eodem teſte Herrera*, iacuit in altari extra ſacellum maius a latere epiſtolæ collocatum, pluraque ibi miracula ſancti viri adhuc depicta cernuntur. *Iacuit autem ibi ultra Ægidii Viterbienſis generalatum, ductum ab anno* MDVII *ad* MDXIX, *quemadmodum, vti de florenti etiam tunc cultu, teſtabitur hæc epiſtola ad Elpidienſes ex regiſtro tranſcripta, & à Ludovico Torello Ordinis Hiſtoriographo nobis perquam amice communicata, ſub atteſtatione Mag. Fr. Gregorii Rocca à Marino Notarii publici, & eſt talis:* *corpus olim in altari.* F

5 Tametſi mortales in terris ſortiti ſedem ſunt, vbi ſimul & oriantur & occidant, nec vſquam ad interitum patet via: nonnulli tamen ita immortali Deo iuncti ſunt, vt, quando in terris moriendum erat, immortalitatem in cælo conſecuti ſint; quæ tanto vita mortalium præſtat, quanto terris eſt cælum ſublimius, divinius, diuturnius. Hi, inquam, feliciſſimi inter homines apparuerunt, quoniam non modo contemptis humanis rebus Deo adhæſerant. *laudatur ab Ægidio Viterbienſi.*

A runt, verum etiam divinum & nomen & honores promeruerunt. Fuit in horum numero Divus Clemens Elpidienſis veſter, Religionem meam Auguſtinianam profeſſus; qui tanta ſanctitatis, tanta vitæ, tanta ſanctorum morum luce ſplenduit; vt & à Pontifice Maximo ad magnas res agendas, & à Deo optimo ad miracula exercenda vocaretur. Is cum ſanctiſſimum vitæ inſtitutum diu traduxiſſet, cum vivens miraculis innumerabilibus in vniverſa Italia claruiſſet .... cum reipublicæ ac Religionis ſuæ habenas bis ſuſcipere coactus fuiſſet; poſtremo cum & humanas illecebras & ſtygias inſidias admirabili virtute, fortitudine, conſtantia viciſſet, vt ex humana victoria cæleſtem quandoque triumphum ageret, in Vrbe vetana civitate vitam & mortalem & caſuram reliquit. Iacet ſanctiſſimi hominis corpus, in templo meo apud Vrbevetanam civitatem Pontificiis manibus tumulatum; quo nemo fruſtra confugit, nemo bona ſpe ductus incaſſum acceſſit, nemo quod petiit non idem impetravit.

qui Elpidienſibus cõcedit partem Reliquiarum, B

6 Cumque tot populi, tot gentes beatiſſimi hominis memoriam colant; vos, qui eius colitis patriam, ad idem efficiendum non potuiſtis natura conciliante non compelli. Quamobrem Nicolaus Briottus, Elpidienſis, diœceſis Firmanæ, Iure etiam vtroque conſultiſſimus, qui ſeſe ex ſancti hominis ſchola ortum facit, cum rebus bene geſtis Vrbevetanam Rempublicam ſibi & demeruiſſet & devinxiſſet, facile à Civitatis Principibus aſſecutus eſt, vt partem aliquam beati corporis in patriam reportaret. Is itaque cum ad me in Cyminios veniſſet, literas etiam veſtras ad me & ſuaviſſimas & piiſſimas detuliſſet, parvo me negotio commovit, vt veſtro vel deſiderio vel potius pietati acquieſcerem, iuberemque monumenti cuſtodes patriæ deſiderio ſatisfacere: qua equidem in re beneficium non date ſum viſus, ſed accipere. Quare vos, de veſtra Republica optime merentes, accipite quas optaſtis Reliquias: ſimulque ſic habete, nihil per vos curari potuiſſe, quo potius patriæ veſtræ vel pietas caritaſque oſtenderetur, vel ſalus felicitaſque quæreretur. Valete. AUCTORE D. P.

7 *Hactenus Ægidius, è Sutrino quantum apparet Conventu, vnde ad Generalatum raptus fuit; & ad quem videtur libenter rediiſſe, cum licuit, dilecto litterarum otio vacaturus: homo, vt ait Iovius,* Pontificatui deſtinatus aptatuſque, *ſed modeſtia tam ſingularis, vt quamuis ſumma & rerum agendarum peritia & litterarum ſcientia ipſum ad dignitatem Cardinalatus evexiſſent, ad ſcribendum tamen impellendus fuerit Clementis Papæ* VII *litteris, quas apud Herreram legere eſt: qui merito dolet B. Clementis amorem & honorem adeo refrixiſſe; ipſo illo ſeculo quo præfatam Epiſtolam Ægidius ſcripſit,* vt corpus eius anno MDLXXII inter ſacriſtiæ loculos inventum fuerit, vbi capſa reconditum minus decenter ſervabatur. *Aſt Auguſtinus à Ieſu, Archiepiſcopus Bracarenſis,* theſaurum inventum non iterum abſcondit, ſed decentius cuſtoditum in honoratiorem tranſtulit locum. *Ioannes Baldi in catalogo illuſtrium Auximatium, poſt vitas Sanctorum eiuſdem vrbis Italice vulgatas anno* 1620, *vbi Clementis de Auximo meminit, (ſic enim à multis nominari diximus) addit,* in die feſto ipſius corpus exhiberi populo, intra ſepulcrum bene ornatum ſpectabile. *Obſoletus cultus veſtitatur anno* 1572. E

DE BEATO MARTINO

D. P.

SOLITARIO GENVÆ IN LIGVRIA

MCCCXLII, *Vſtratæ anno* MDCLXII *menſe Martio Genuæ fructus fuere, ſanctorum paucorum vitæ, ſuperſtites excidio pene vniverſali manuſcriptorum codicum, ad quod præteritis annis peſtilentiæ metus trepidos ſanitatis publicæ Conſervatores impulerat, dum nullo diſcrimine comburi iuſſerunt quamcumque ſupellectilem earum ædium, quas contagio afflaverat. Spe igitur talium monumentorum, vt in antiquiſſima nobiliſſimaque totius Liguriæ vrbe, magnâ copia inveniendorum fruſtrati, ſtudioſius ipſa adiuimus templa, in quibus ſanctorum Corpora & Reliquiæ ſervari & honorari dicebantur. In his S. Benigni monaſterium fuit, Benedictini Ordinis Religioſis inhabitatum; cui additum ſatis elegans templum ex vtroque latere tria habebat altaria; quæ autem ex iis medium tenebant vtrimque locum, hoc præcellebant duobus aliis, quod conſpectui venerationique accedentium exhiberent marmoreas duas arcas, depoſito intus Sancti alicuius corpore pretioſas. Sancti Bedæ dicebatur alterum, de quo ſumus* x *Aprilis acturi; alterum B. Martini Eremitæ, de quo nobis nunc ſermo eſt.*

In templo monaſterij S. Benigni

C

ſupra altare vidimus arcam B. Martini,

2 *Hæ arcæ, ſupra ipſa altaria elevatæ, ſeſe invicem ſic reſpiciebant, vt quæ B. Martini continebat oſſa, dexterum eccleſiæ latus occuparet, ſiniſtrum alia: vtraque vero ſic inſerebatur parieti, vt vnicum dumtaxat earum latus daretur intueri. Ergo in B. Martini loculo nihil vidimus earum inſcriptionum, quas eidem inſculptas mox fuiſſe dicemus; ſed frondoſam ſolummodo elegantis operis celaturam; ad cornua vero arcæ in pariete d pictos hinc S. Benignum, in habitu Levitico; inde B. Martinum, in eremitico; ambos radiato capite, ambos genuflexos, velut imaginem Deiparæ Virginis, quæ arcæ ſupereminet, adorantes. Coram hoc altari quotannis, feria quinta Paſchalis hebdomadæ, celebratur Beati jam dicti commemoratio: & olim quidem legebatur ibidem ipſius vita brevis, Italice compoſita circa finem ſeculi* XV, *quam nos deſcripſimus & Latinam damus; nunc vero pro lectione habetur panegyricus ſermo, de laudibus & virtutibus Divi iſtic honorandi: feſtivitatem & omnia eo ſpectantia procurante Sartorum collegio, qui ipſum ſibi Patronum aſcivere, velut opificii eiuſdem profeſſorem: & tunc cum ſuis Conſulibus frequentes convenire conſueverunt. Iidem curaverunt, vt caput à reliquo corpore ſeiunctum argenteæ hermæ includeretur, quam ita ſeruant in ſacriſtia Religioſi cuſtodes, vt ipſum cum capite ſupra aram ſuis temporibus exponant, maxime in proprio, quod diximus, feſto.*

cuius feſtum agitur feria 5. *Paſchatis;*

F

Vitæ compendium ex MS.

3 *Vitæ cultusque ſyncpſim Latinam ex alio eiuſdem monaſterii recentiori Ms. hanc habe* Martinus ex Arimino, nobilis ſtrenuuſque miles, primum aulicus fuit: quadam autem die, ira percitus, ſocium, ſibi Principique ſuo valde carum, occidit. Hac de cauſa in exilium actus, Genuam venit; & inter Pegin Vulturnaſque locum ſibi prope mare elegit, in quo eremiticam vitam, non ſine opinione ſanctitatis, duxit. Sed vt aliquo honeſto exercitio victum ſibi pararet, neve diuturno otio marceret torpeſceretque, ſarcinatoriam artem addidicit, quam in vſum pauperum ſæpiſſime exercuit. Solebat autem quandoque ire Genuam, vt ſibi neceſſaria emeret: ſed ſenio defeſſus, ne longa deficeret via, ad monaſterium S. Benigni divertebat. Erat nempe R. Priori multum familiaris & gratus, à quo libentiſſime hoſpitabatur, nec vmquam à ſe vacuum abire permittebat. Cumque more ſolito huc poſtremum divertiſſet, gravi febre correptus, diem ſuum obiit, & iuxta campanile ſeu turrim ſacram humi traditus fuit. Poſt aliquot menſes illo in loco noctu luminaria viſa fuere: quapropter effodientes corpus, intactum ſuaviterque *ſepultura.*

AUCTORE D. P.

redolentem repererunt : quod inde amoventes ſub altare S. Martino Epiſcopo ſacrum collocarunt. Sed crebreſcentibus miraculis, Conſules ſarcinatoriæ artis, non parvo peculio aggregato, aream marmoream conſtrui fecerunt, in quo corpus B. Martini condiderunt, rudiorique & inelegantiori hexaſticho & titulo, teſtati ſunt ſuam erga Sanctum religionem:

epitaphium anno 1449 poſitum.

MCCCCXXXVIIII

Hoc opus fecit fieri ars Taliatorum veſtium & iuponorum, inceptum Genuæ tempore Conſulatus Martini de Ivera & Petri de Caſtilione, & finitum tempore Baptiſtæ Guidi & Petri de Cara.

Martinus iacet hic, Miles, Eremita, Beatus :
Sartor quippe fuit, nunc Pater dicitur Artis.

Dies 8. Apr. videtur eſſe,

4 *Contigit igitur hæc tranſlatio anno poſt Beati obitum ventеſimo ſexto : ſiquidem in Italica vita dicitur mortuus anno* MCCCXLII. *An die* VIII *Aprilis* ? *Nequaquam. Nam eo tempore à Genuenſibus more Gallico à Paſchate ad Paſcha anni numerabantur : annus autem* MCCCXLIII, *quo Paſcha* XIII *Aprilis agebatur, caruit die* VIII *Aprilis : quia ſequenti anno celebrandum fuit Paſcha* IV *Aprilis. Quod igitur in* Kalendario Sanctorum, qui in particularibus Genuæ eccleſiis celebrantur, *excuſo poſt* Officia propria Eccleſiæ Genuenſis, Stephani Cardinalis Duratii Archiepiſcopi Genuenſis iuſſu recognita & iterum edita anno 1640, *notatur* in S. Benigni 8 Aprilis Martini Erem. Corpus ; *id cum trahi non poſſit ad annum impreſſi kalendarii, quando non feria* V *Paſchatis, ſed ipſum Paſcha in* VIII *Aprilis cadebat ; nec etiam ad tempus mortis vt jam dictum aut ad annum facta in marmoream arcam tranſlationis, quia vtraque vice dicta dies* VIII *precurrebat Paſcha,* XIII *Aprilis celebrandum : cum inquam ex his peti non poſſit ratio octavæ diei in kalendario ſignandæ ; videtur coniecturæ non prorſus inverоſimili eſſe locus, qua diceretur,* VIII *diem Aprilis eumdemque feriam* V *Paſchalis hebdomadæ, eum fuiſſe, quo anno* MCCCXLIV *ſacrum corpus ſub altari collocatum eſt. Sic autem mortuus fuerit paucis ante idem Paſcha vel diebus vel menſibus malim autem credere paucis diebus, quia luminaria ſupra corpus conſpecta eſſe paucis poſt mortem, non menſibus, ſed diebus, aſſerit vitæ ſcriptor : nec videtur opus fuiſſe menſibus, vt corpori refoſſo & ad omnium ſtuporem integro, arca lignea & locus ſub altari aptaretur.*

B

quo primum ſub altari eſt poſitum corpus.

5 *Quod ad inſcriptionem arcæ pertinet, ea, vt diximus, poſt nuperam altarium renovationem, qua ipſi parieti immiſſa eſt arca, non apparet ; notat autem Conſules, non vrbis, ſed artis, quos in Belgio Decanos appellamus : & cum* Taliatores veſtium ac iuponorum, *id eſt thoracum, nominat, ſatis clare innuit, id quod parentum memoria ſcimus apud nos obtinuiſſe, etiam tunc valuiſſe Genuæ ; vt ſcilicet ſub arte Taliatorum, id eſt Sartorum, non cenſerentur Caligarii, qui conficiebant caligas tam inferiores quam ſuperiores* (calzas & calzones *appellant Itali*) *& ſuos ſeorſim Conſules ſive Decanos habebant, atque ab omni alio veſtimentorum genere conſuendo abſtinebant : nunc vero his in claſſem ſartorum receptis, itaque extinctis, nullum eſt amplius iſtius diſtinctionis veſtigium in Belgio, Gallia, Italiave : ſed integrum totius corporis indumentum vnus idemque conficit, quem à ſcindendo panno* (*nam hoc præcipuam artis requirit induſtriam, & ſolis in ea magiſtris competit*) Taliatorem *vides Genuenſibus dici, ſicut & vicinis Francis* Tallieur : *eſt enim* ſcindere *Italis* tagliare, *Francis* tallier : *quo modo & ſignificatione etiam Teutonice, à* Snyden, Snyder *pro ſartore vſurpatur.*

Sartorum Patronatus,

C

anachoreſcos locus.

6 *Locus iuxta quem vitam* B. *Martinus duxit*, Peghi *dictus, abeſt à Genua ſeptem vel octo paſſuum millibus, in parte occidua oræ liguſticæ ; vnde non magno intervallo diſtat* Voltri, Vulturnarum *nomine deſignatus vicus ab auctore Compendii. Habitant autem, vbi olim Sanctus, nunc Patres Franciſcani de Obſervantia, in monaſterio quod S. Antonii dicitur. Intra huius monaſterii ſepta fons clauditur, cuius à Sancto miraculoſe excitati mentio eſt num.* 5, *& perennibus fluit aquis in ipſo pene maris littore : eoque velut, ad præſentem morbis ac malis quibuscumque medicinam, tanta cum fide & devotione paſſim incolæ accolæque ac currunt, vt non raro ſanitatem optatam illius laticis hauſtu ſe adeptos gratulentur. Ex dicti porro fontis ſitu diſcas, haud longe fuiſſe marinum iſtum extremi promontorii ſcopulum, qui ad preces Sancti in partes diſcedens, ſpeluncam piis eius exercitiis idoneam præbuit : quamvis nunc rupis illius nec veſtigium quidem agnitum ſcribat* R P. Ioannes Stephanus Fliſcus. *Putatur autem, in molitione templi & monaſterii, locus ille ſive ſpelunca impleta fuiſſe ruderibus, & egeſtâ ad fundamentorum molitionem terrâ, itáque ſepulta eſſe tanti miraculi memoria.* D

VITA

Ex Veteri MS. Italico S. Benigni.

CAPUT I.

Cædes à Martino patrata, vitæ ſanctioris initium.

1 NAtus eſt B. Martinus in Marchia *a* Anconitana parentibus nobiliſſimis ; qui ab iiſdem in Dei timore educatus adultuſque, militarem balteum ſumpſit, & carus omnibus atque amabilis vixit. Erat ei ſodalis quidam præ ceteris carior, cum quo Præſidentis *b* Anzelini palatium frequentare ſolitus ; in ipſius Anzelini familiaritatem intimam paulatim ſic ſe inſinuavit, vt trium illorum vnus dumtaxat animus, vna voluntas eſſe videretur. Non tulit tantam eorum concordiam diſcordiæ omnis ſator diabolus, ſeque in omnem partem verſans, tantum conſuetis ſibi machinationibus effecit, vt orto inter Martinum atque ſocium iurgio, à verbis ad manus ventum ſit, & Martini gladio ſocius interemptus. Vacuus erat ab arbitris locus, in quo cædes commiſſa : quare non difficile Martino fuit occultare cadaver, extraque ſuſpicionem manere.

a *Caſo amico* E

b

panitens,

2 Ergo confeſtim recedens, jamque detumeſcente iracundia in ſe reverſus, ingentem animo concepit dolorem : quem cum ſuſtinere non poſſet diutius, ſeque duobus fere paſſuum millibus a loco cædis diſtantem videret ; intravit proximam ſibi eccleſiam, & ibi coram beatæ Virginis imagine proſtratus, multis cum lacrymis lamentiſque deprecari eam cœpit, vt tam enormis facinoris indulgentiam ſibi à filio impetraret mater pientiſſima. Denique progreſſus eo eſt veræ contritionis affectus, divina eum intus illuſtrante & dirigente gratia, vt nulla interpoſita mora Parochum loci accerſierit, faciendæ confeſſionis cauſa : qui eumdem benigne audiens, deque divina miſericordia bene ſperare iubens, poſt congruæ pœnitentiæ definitionem dimiſit.

parochoque confeſſus,

F

7 Reverſo in aulam Martino biduum tranſierat, cum Anzelinus diuturniorem ſodalis tertii abſentiam demiratus, de eo Martinum interrogavit. Negavit hic ſcire de eo quidpiam, ſeque ipſum mirari finxit, quomodo veluti evanuiſſet ex oculis, qui ſolebat & ſecum & in aula eſſe aſſiduus. Ergo triſte aliquid ſuſpicatus Anzelinus (nihil tamen de Martino, cujus cognitum habebat amorem erga ſocium, nec vllum cum eo iurgium vnquam notaverat) inquiri jubet in abſentem, & proclamari quot aureorum pretium relaturus eſſet, qui Militem, non ita pridem deſiderari cœptum, vivum vel mortuum indicaret. Pervenit ad Parochum, cui fuerat crimen ſuum confeſſus Martinus, fama præmii pro expetito indicio ab Anzelino propoſiti : cum igitur haberet fratrem fortunæ anguſtiis preſſum, cujus

ab ejuſdem ſigillum violantis fratre

A cujus egestas videbatur propositæ acquisitione pecuniæ sublevanda vehementer, Sacerdotalis officii immemor, & solum fratris egentis spectãs auxilium, eidem injunxit, iret ad Anzelinũ, & occisum à Martino socium significaret, prẽmium promissum relaturus. Ivit miser, nihil præter pecuni cãogitans: sed cum Anzelinus Martinum interrogasset, eoque factum negante furcam minaretur accusatori, nisi indicium testimonio evidenti probasset; non habuit hic quem allegaret testem, nisi Fratrem Parochum, à quo fatebatur se rem didicisse.

& exulare jussus

4 Tum vero rursus in partem avocatur Martinus, vitæque gratia ei promittitur, si fateretur quomodo admisisset culpam. Hic ergo se manifestatum intelligens ab eo, qui præter Deum solus rem noverat; fassus quod erat, protestatus est de injuria sibi Deoque facta per Parochum, secreti sacramentalis violatorem. Neque Parochus diffiteri culpam potuit: damnatus ergo ad galeam *c* ignitam suo capite excipiendam, tali supplicio mortem commeritam pertulit. Martinus autem ab omni Anzelini dominio, sub interminatione supplicii capitalis, statim exesse jussus, habitum sumpsit eremiticum; Genuamque profectus, ad locum haud longe distantem transiit, cui Pegghi nomen.

c

sub marino scopulo sedem elegit;

B

5 Ibi in extrema promontorii cuspide scopulus erat, quem solitariæ vitæ ducendæ idoneum judicavit pius exul; sed post aliquanti temporis experientiam, nimium vicini maris fremitu impediri sentiens se, quominus divinum recitare Officium, & orationi posset attente vacare; Deum rogavit, ut frementibus maris undis silentium indiceret. Orantem clementia exaudivit Divina; discedens enim in partes scopulus, alterum quidem latus obvolvit mari; sic ut pro muro esset retro stanti; alterum vero obtulit habitatori suo, in speluncæ formam congrue excavatum. Deerat adhuc loco aqua, petenda longius: sed & hanc ei concessit Deus, reserata ad ejusdem preces, limpidissimi fontis vena; quæ etiamnum ibidem scaturit ad usum commoditatemque publicam.

quietem & aquam miraculo impetrat.

ANNOTATA.

a *Marchiæ Anconitanæ limites ultro Isaurum, Ducatus nunc Vrbinatis fluvium, extendit nemo: ab hoc autem totis adhuc 20 passuum millibus distat Ariminum, Romandiolæ civitas. Fallitur ergo compendii auctor, qui Ariminensem facit, Martinum; nisi forsan solum velit ibi militasse.*

C

b Anzelini *alibi memoria nulla, fortassis rectius* Angelinus *scriberetur. Fuerit hic totius vel Marchiæ vel Romaudiolæ Præfectus: nam ratio temporum vix permittit, ut Actiolinum aliis Ezelinum tyrannum Patavinum, toti Cispadanæ regioni incubantem intelligamus: hic siquidem anno 1259 extinctus est, Martinus ad annum 1343 supervixit.*

c Celata *Italice scribitur, Hispanis* celada, *an à Latinis accipiendo etymo, eo quod galea caput celetur.*

CAPUT II.

Vita Sancta miraculis clara, obitus. Elevatio corporis.

sartoriam exercet.

4 SArtoriam autem Beatus didicerat: cum ergo ad eum aliqui peregrini divertebant, (hoc enim ut facerent prolixa viri Dei suadebat caritas) dormientium noctu reficiebat vestes; & quibus poterat modis adjutos dimittebat, non sine viatico, ex iis rebus quæ sibi eleemosynæ nomine datæ fuerant: quo factum est, ut eius habitatio brevi facta sit commune pauperum ac peregrinantium diversorium. Ieiunabat autem ipse pene continuo, sic ut præter herbas & pisces paucos nihil in victum admitteret, neque caseo umquam vesceretur diebus tamen Mercurji Veneriscque longe arctiorem servabat abstinentiam. Pueris æstivo tempore & magno numero ad promontorium istud convenientibus natandi gratia, commodam præbebat instructionem; eosdemque panem petentes benigne refocillabat; & tali occasione captata erudiebat, quam reverentiam Deo, quam parentibus suis deberent obedientiam. Sed & videre erat aviculas, in eius gremium convolantes, vesci micis, quas eis exhibebat Martinus. Cum autem iisdem in partibus serpens aliquis valde noxius, procul à se arceret omnes in ea vicinia commorantes; rogatus ab incolis loci Martinus, & sanctissimæ Trinitatis fide armatus, eidem imperavit, ut loco cedens mergeretur mari, & accolas formidine liberaret: quod autem iusserat, subito factum est, & venenosum reptile videri desiit atque nocere.

EX MS. ITALICO

ab inenarrabili vivit,

rudes instruit.

serpentem in mare agit.

5 Veniebat Martinus quandoque Genuam, præsertim Sabbatinis diebus: indeque revertens sub vesperam, divertebat ad monasterium *a* S. Benigni; ubi à reverendo Abbate Oggerio benigne susceptus, noctem illam diemque Dominicam transigebat, usque post prandium: quo sumpto, impleri oleo jubebat Abbas quam ferebat cucurbitam, eique de pane & aliis necessitatibus provideri. Accidit autem ut cucurbitulam Martini implere oleo iussus Procurator monasterii *b* jarram oleo vacuam esse nuntiaret; sibique ignoscí peteret, quod Hospitis desiderium & mandatum Abbatis facere non potuisset. Sed reverti eum jussit plenus fidei Martinus, & quantum sat esset reperturum promisit. Ille autem frustra obtestatus, ipsum se fundum vasis vacui conspexisse, atque in penum redire per Abbatem jussus, ut operculum vasi impositum sustulit, plenam oleo jarram reperit; impletaque cucurbita nuntiavit miraculum: quod divinæ bonitati acceptum Martinus retulit, & exinde Abbati Fratribusque carior ac venerabilior fuit.

E

a

vas olei vacuum facit plenum inventum,

b

6 Post hæc exitus sui diem appropinquare persentiscens, ad S. Benigni revertit; magnaque cum caritate receptus (iam enim ardenti febre eum teneri apparebat) atque in lectum depositus, consuetum suum Confessarium petiit; à quo de peccatis absolutus, & extremis Ecclesiæ Sacramentis munitus, ad Dominum religiosissime migravit, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo tertio. Mox autem ut animam exhalavit, repleta est camera papilionibus candoris inæstimabilis; quos merito suspiceris fuisse Angelos, ad beatæ illius animæ comitatum collectos. Solennibus exequiis parentatum defuncto est, coram magna monachorum ac laicorum multitudine, undique ad sanctum corpus videndum affluente, eo quod ridentis speciem etiam mortuus, & nihil cadaveris præ se ferret. Paucis autem post ejus depositionem diebus, cum obscura in nocte per cœmeterii portam prospiceret Reverendus Abbas, magnam conspexit lucem supra sepulcrum Martini: quod cum sartoriæ artis Consulibus innotuisset, sustulerunt é terra beatum corpus; integrumque ac suaveolens repertum, in capsam ad hoc fabricatam composuerunt, maximaque cum reverentia recondiderunt sub extructo ad eumdem finem altari. Undique huc affluebant infirmitatibus variis detenti ægroti, qui omnes sani revertebantur: aliquos é plurimis non pigebit compendio recensere.

in S. Benigni monasterio moritur

F

prodigiis illustratur

incorrupte refoditur,

miraculis claret.

AN-

AUCTORE D. P.

ANNOTATA.

a *Vel hinc videas illud olim extra urbis muros fuiſſe, rectèq; notari in elogio Iunioris Bedæ S Benigni monaſterium* prope Genuam. *Cur autem Priorem quam Abbatem maluerit nominare auctor compendii, non capimus.*

b *Vocem* Iarra, *ceteris Italis minime uſitatam, nec alibi notam, hic voluimus retinere: videturque proprium eſſe nomen vaſis, oleo condendo deſtinati.*

c *Nobis à Ianuario annũ inchoantibus* quarto; *ſi vera eſt noſtra conjectura, de prima tranſlatione, 8 die Aprilis facta.*

d *Id indicant Italica verba:* conſtrutto l'altare, repoſero dentro quel ſanto corpo. *Auctor compendii videtur altare præexiſtens ſupponere; nec auſus hujus Martini dicere (ex noſtri ſcilicet ſeculi uſu, non niſi ſub nomine canonizatorum ſolenniter Sanctorum nominibus altaria conſecrandi) credidit fuiſſe S. Martini Epiſcopi.*

CAPUT III.

Miracula poſt elevationem.

a Sanatur, puer moribundus, B

7 ARtifex quidã, magiſter *a* Otto de Caſet nuncupatus, fratris ſui dolebat vices, cui jam tres filii morbo caduco extincti, & quartus in horas exſpiraturus credebatur. Venit ergo ad S. Benigni, & ante ſacrum corpus genuflexus poſtulavit vitã & ſanitatẽ nepotis ſui: deinde completa oratione, acceptum cereolum corpori ſancto admõvit, & fruſtillum è ſarcophago *b* ejus decerpſit: utrumque autem in domum attulit, ubi frater toto jam triduo præſtolabatur extremum filioli ſui ſpiritum. Statim autem atque ad moribundum acceſſit Otto, eiq; reliquias, quas ferebat, impoſuit; obdormiſcere puer, & paulo poſt ita ſanus aſſurgere viſus eſt, acſi nullo unquam morbo tentata ejus valetudo fuiſſet. Ergo pater materque infantuli, cum familia univerſa ad S. Benedicti properantes, tumulumq; B. Martini devenerantes, acceptũ beneficium ſolenni oblatione teſtati ſunt.

b

& alius febricitans,

8 Mulier quædam, Benedicti Franconis uxor, filiũ graviſſima febri afflictum domi relinquens, pro impetranda ei vita ac ſanitate ad B. Martinum acceſſit: cui poſt orationem factam domũ redeunti, jam ſanus atq; incolumis puer dixit: Eia, mater, veſtibus me induito, quia ſanatus ſum. Audivit pueri pater miraculum, properavit cum filio ad S. Benigni, & gratias retulit pro accepto beneficio.

C

item diuturna febris: d

9 In platea quæ nomen à S. Magdalena *c* ſervat, habitabat pictor, totis octodecim menſibus cum febri graviſſima conflictatus; qui cum audiviſſet miracula viri ſancti, & quod ejus corpus eſſet transferendũ *d* in locum aliũ; decrevit quo poſſet meliori modo ſacras haſce Reliquias viſitare. Ergo ſummo mane exurgens è lecto, comitatuſque matre, uxore, & fratre, non ſine difficultate maxima pervenit quo volebat: ibiq; continuo magnũ levamen perſentiſcens, uſq; in craſtinũ perſeveravit orando: auditaque Miſſa prorſus ſanum ſe comperit, & Deum laudans ac benedicens receſſit.

e alia plures ſanitates obtinentur.

10 Ad portam *e* hirci habitabat mulier, cui enormiter intumuerat gula; quam ubi devote tangi fecit fruſtillo ſarcophagi ſacrum corpus continentis, ſubito tumor omnis evanuit. Muta alia attactu reliquiarũ ejuſdem loquendi accepit facultatem, & coram omnibus B. Martini virtutẽ prædicavit. Uxor Caſuccii de Giſulfo, tertiana febri & gravi dolore ſtomachi laborans, viſitatis pie B. Martini reliquiis ſtatim cõvaluit. Earumdem contactu manũ loco motam ſtatui ſuo in momento reſtitui juvenis quidam miratus ac gaviſus eſt. Pontremolẽſis quidã profeſſus eſt, ſe renibus adeo male affectum, ut erigere corpus nullo modo poſſet; ſubitam adeptum eſſe ſanitatẽ, mox ut collo ſuo appẽſum fuit aliquid è ligno ſacri ſarcophagi. Spectentis juvenis, cui crus dextrum, paralyſi diſſolutum, inſenſibile atq; inutile erat, Reliquias B. Martini religioſe viſitãs, & os *f* cruris deoſculãs, uſum tibię ſuę recepit *g*.

D

f g

h mortem petenti

11 Anno milleſimo quadrigenteſimo octogeſimo quinto *h* circiter, erat hujus monaſterii Procurator Reverendus Pater Dominus Gabriel de Garbarino, multumque diligebat Converſum quemdam ſuum, Bartholomeum nomine, B. Martino vehementer devotum. Hic Converſus cum infirmus B. Martinum rogaret inſtanter, ut citam ſibi ab huius vitæ miſeriis ſolutionem impetraret a Deo, apparens ei B. Martinus nuntiavit exauditas preces, & ſabbato admittendum ad Paradiſum. Sabbato autem illuceſcente, rurſum B. Martinus Bartholomeo apparuit, dixitque mutatam eſſe de ejus morte ſententiam, quia deprecatus eam fuerat præ- *longior vita* dictus reverendus Pater. Itaque convaleſcens annos adhuc aliquot vixit. Deinde iterum infirmato rurſus videndum ſe Beatus exhibuit, dixitque; Ecce rosam tibi à me delatam certus eſto quod Sabbato ingreſſurus paradiſum ſis. Ergo dicto die omnes ad ſe Patres convocari fecit, & quid ſibi à B. Martino eſſet revelatum ſignificans, extremis Sacramentis muniri petiit, iiſque ſuſceptis ſanctiſſime obdormivit.

deinde mori certo die prædicitur.

Concluſio. E

12 Plura alia ac pene infinita miracula per huius ſancti viri merita operatus eſt Dominus, quæ hic deſcribere ſuperſedebimus, ne auditori creetur faſtidium. Reſtat ut in Dei miſericordia ſpem fiduciamque locemus; eaque ne vana ſit, omni diligentia enitamur ſancta eius mandata obſervare, non blaſphemando, non profanando loca ſacra (quæ Dei utique domus ſunt, & domus orationis) per fabulas & actiones alias indecentes, non vindicando injurias, ſed condonando offenſas, noſque ipſos ſæpe & frequenter commendando Beatiſſimæ eius Matri Mariæ, & huic Beato: quorum meritis nobis in hoc ſeculo detur gratia, & in altero gloria. Amen.

ANNOTATA.

a *Ita interpretamur, quod in MS. abbreviate* M. Ot.

b *Eo ſcilicet in quo primum fuerat tumulatus Martinus, quique pro Reliquiis deinde inter fideles dividi cœperit.*

c *Propter eadem Parochialem S. Mariæ Magdalenæ, quam nunc Patres Congregationis Somaſchæ obtinent, habentes monaſterium templo adjunctum: ſita eſt autem in media fere urbe, prope ſtratam, ut vocatur, novam, ex palatiis longe pulcherrimis conſtantem: ita ad nos* P. *Stephanus Fliſcus.*

d *Videtur ſecunda aliqua tranſlatio intelligi, inter primam & illam ſolennem anni* 1449 *media, cum huius arcaque marmoreæ tunc comparatæ nulla fiat in tota hac Vita mentio. Iſtius mediæ tranſlationis occaſione, ex corpore, non jam amplius integro, ſed diſſoluto, videtur reſervatum aliquid extra arcam, ad uſum commodiorem Reliquias volentium venerari, ut ex fine ſequentis numeri colligitur.*

e *Ab antiquioribus pluraliter* Porta delli arci, *id eſt,* Porta Hircorum; *per hanc nempe ex vicinis, ubi gregatim paſcuntur montibus, inferuntur in urbem, quotquot in Paſchate comeduntur hirci (utique vice agnorum, quorum alibi uſus, ubi paſcua ovibus aptiora) quique fere venduntur in ipſa, quæ ante prædictam portam jacet, platea: Ita prænominatus Pater.*

f *Italice* l'oſſo de ſchinchio: *quæ vox ignota aliis Italis, Lombardica eſt, eademque utuntur Teutones, quibus* ſchenck, ſchenkel *pro perna & coxendice accipitur, ſeu parte cruris ſuperiori.*

g *Hactenus crediderim antiquioris auctoris eſſe contextum; qui eodem quo Beatus obiit ſeculo, & forſan Latinè ſermone ſcripſerit.*

h *Hic modus loquendi indicat, quod hæc pars vix ante annum* 1500 *addita fuerit.*

IX APRI-

IX APRILIS.

SANCTI QVI V IDVS COLVNTVR.

SAncta Maria Cleophæ, in Iudæa.

S. Prochorus, é primis Diaconis, Episcopus Nicomediensis, Martyr Antiochiæ.

Sancti Iudæi, ad fidem Christi conversi, Martyres Leontinis, in Sicilia.

Sanctæ quinque Virgines, Martyres, Sirmii in Pannonia.

S. Demetrius Diac. } Martyres:
S. Hilarius,
S. Concessus,
S. Marus,
S. Sirmion,
S. Fortunatus,
S. Donatus,
SS. VII Virgines,

S. Basilius, } Martyres.
S. Rufinus,
S. Isidorus,
S. Eugenianus,
S. Celsus,
S. Anastasius,

Sancti Massylitani Martyres, in Africa.

S. Desas Episcopus, } Bizabdiésés, Martyres in Persida, sub Sapore Rege.
S. Mariabus Presb.
S. Abdiesus,
Alii CCLXX,

S. Eupsychius, Martyr Cæsareæ in Cappadocia.

S. Badimus, seu Bademus, Archimandrita, Martyr in Persida.

S. Acacius, Episcopus Amidæ, in Mesopotamia.

S. Marcellus, Episcopus Diensis, in Gallia.

S. Waldetrudis, Fundatrix Parthenonis Canonissarum, Montibus Hannoniæ, in Belgio.

S. Hugo, Archiepiscopus Rotomagensis, Haspri in Belgio.

S. Casilda, Virgo, Burgis in Hispania.

S. Gaucherius, Prior Canonicorum Regularium Aurelii, in agro Lemovicensi.

B. Antonius Pavonus, Ordinis Prædicatorum, Martyr Saviniani in Pedemontio.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.

SAncti Policti *seu* Poliucti Oratorii dedicatio Ravennæ, *inscripta est apographis Martyrologii Hieronymiani. Videtur intelligi S. Polyeuctus, sub Decio Melitinæ passus,* XIII Febr.

Sancti septem pueri, Leontinis sub Decio martyrio coronati; *referuntur à Ferrario in Catalogo generali, citato Martyrologio Siculo Cajetani, in quo tamen (quod & nos fecimus) celebrantur* XXVI Martii.

B. Thomas, } Martyres, ex ordine Minorum, in
B. Jacobus, } India passi, *referuntur in Martyrologio Franciscano Arturi du Monstier &*
B. Petrus, } *aliis. Eorum Acta martyrii dedimus*
B. Demetrius, } *supra* I Aprilis.

S. Maria Ægyptiaca *hoc die inscribitur pluribus Martyrologiis & variarum Ecclesiarum Kalendariis: nos Vitam ejus, cum Martyrologio Romano & aliis, retulimus ad diem* II Aprilis.

S. Cælestinus Papa Romæ, *memoratur in Mss. Vaticano ecclesiæ S. Petri, & Vsuardo Reginæ Sueciæ. Acta ejus dedimus* VI Aprilis.

SS. Amphiani & Ædesii fratrum martyrium *memoratur in Ms. Synaxario Parisiensi Collegii Claromontani, & uterque Alexandriæ adscribitur: verum prior Martyr obiit Cæsareæ in Palæstina,* II Aprilis. *Posterior Alexandriæ, & relatus est* VIII Aprilis.

S. Dionysius, Episcopus Corinthi, *celebratur in Ms. Vaticano Martyrologio Ecclesiæ S. Petri. De eo egimus* VIII Aprilis.

S. Dedici, } *Memoria celebratur in Ms. Tamlactensi, &* Quadrati Sanguis dicitur
S. Satyri, } adhuc remanere. *Consule quæ infra de his post Acta SS. Demetrii,*
S. Piloti, } *Hilarii & sociorum adjungimus.*
S. Quadrati, }
Aliorum septem }

Dioscorus Abbas, & pater centum monachorũ, quos is monuit ut eadem diligentia, qua ad mortem se essent paraturi, etiã accederẽt ad sacrã Eucharistiã; *refertur cum titulo* Beati *in Martyrologio Coloniæ excuso anno* MCCCCXC, *quod secuti sunt Grevenus, Molanus, Canisius, Ferrarius, aliique & passim* Sanctum *appellant. Acta ista aliaque referunt Palladius in Historia Lausiacâ cap.* 68, *& Ruffinus lib.* 2 *de Vitis Patrum cap.* 20. *Cæterum videmus Molanum in* 2 *&* 3 *editione prudenter eum omisisse, quem in priore collocarat absque sufficienti cultus antiqui probatione.*

Maria pœnitens, Ægeæ in Cilicia, *inscripta est Gynæceo sacro Arturi du Monstier, occasione Mariæ Ægyptiacæ, quæ hoc die à pluribus refertur. De hac Maria agitur in Prato spirituali, quod alii descripserunt: sed necdum in antiquis Martyrologiis ejus nomen reperimus.*

Gisla & Richtruda, Sanctimoniales Anglæ, Virgines nobiles, virtutibus & doctrina illustres, discipulæ quondam Alcuini, *referuntur ab Edovardo Maiheu, in Trophæis Congregationis Anglicanæ Ordinis S. Benedicti Remis anno* 1625 *excusis, ac* Sanctæ Virgines *compellantur, Secuti Hieronymus Porter in Floribus Sanctorum Angliæ, Wilsonus in posteriore editione Martyrologii Anglicani, Michaël Alfordus in Anglicanæ Ecclesiæ Annali-*

bus ad annum 770 & ſimpliciter Sanctas *appellant, nullo ullius venerationis Eccleſiaſticæ indicato veſtigio, Harpſeldius ſeculo 8 cap.6 ſolum cognominat* Sacras Virgines. *Fucrunt ſolum notæ ob epiſtolam Alcuini ad illas, & harum ad illum reſponſum.*

Notkerus, Epiſcopus Leodienſis, *memoratur hoc die à Miræo in Faſtis Belgicis: à Fiſeno in Floribus Eccleſiæ Leodienſis, ſequenti die, ſed abſq; titulo* Sancti *ac* Beati.

Brocanus, Ædacus filius Hua-Elich, Senanus, Colmanus, } Hiberni *memorantur in Martyrologio Ms. Tamlachtenſi. Nullius ad hunc diem meminit Henricus Fitz-Simon in Catalogo Sanctorum Hiberniæ.*

Frithſtanus ſive Frideſtanus, Epiſcopus Wintonienſis in Anglia, *cum titulo* Sancti *inſcriptus eſt Martyrologio Anglicano ad hunc diē. Weſtmonaſterienſis ad an. 932 appellat* Præſulem ſanctiſſimū, qui reſignato Epiſcopatu pauperem vitam tranſegit; & qui nocte quadam cum cœmeteria cantando circumiret, & expletis omnibus diceret, Requieſcant in pace, ſubito audivit voces de ſepulcris reſpondentium, Amen. *Ceterum nullum additur cultus ſacri indicium.*

Dotto Abbas, apud Orcadenſes celebris, *memoratur à Camerario in Menologio Scotico, qui aſſerit ab eo aliquam Orcadum inſulam* Sancti Dottonis *nomine appellari. Accuratiſſime deſcribuntur ſingulæ Orcadum à Roberto Gordonio in Geographia Blavianæ Scotiæ, abſq; ulla Dottonis mentione. Nulla ejus memoria in Menologio Scotico Dempſteri, aut in Catalogo Ms. Sanctorum Scotiæ, aut Breviario Aberdonenſi, ut certiora argumēta deſideremus, quibus probetur talis etiam extitiſſe, nedum cultum habuiſſe.*

A zo, Decanus Caſinenſis monaſterii, à Saracenis in captivitatē abductus, à morte miraculis clarus, *memoratur à Bucelino cum titulo* Sancti. *Agit de eo Petrus Diaconus, de Ortu & Vita Iuſtorum ſacri cœnobii Caſinenſis, cap.60, ſed abſque titulo* Sancti *aut* Beati, *nec diem obitus indicat.*

S. Fancherius *ſive* Faucherius, diſcipulus S. Gaucherii, *memoratur à Ferrario in Notis ad hunc diem. De eo agimus ad Vitam S. Gaucherii, hoc die referendam.*

Sanctorum plurimorum feſtum Reliquiarū celebratur Burgis in Hiſpania. *Ita Tamajus Salazar in Martyrologio Hiſpanico, & Sacras Reliquias quorum ſunt deſcribit.*

Hugo de Vienna, cognomento Salinorius, Archiepiſcopus Biſontinus in Burgundia, mortuus hoc die anno MCCCLV, *refertur à Miræo in Faſtis Belgicis & Burgundicis cū titulo* Beati, *qui in inſcriptione tumuli ſolū* Venerabilis *dicitur, & inter Pios numeratur à Sauſſaio.*

Guillelmus, ex Domino Montis-Peſſulani, monachus in Grandi-Silva in diœceſi Toloſana Ordinis Ciſtercienſis, ita vitam inſtituit, ut vivens egregiis virtutibus, mortuus crebris miraculis clarus effulſerit: è cujus ore, corpore jam tumulato, liliū pulcherrimum prodiit, litteris aureis AVE MARIA undique decoratum. *Ita ad hunc diem Chryſoſtomus Henriquez in Menologio Ciſtercienſi, qui licet Sanctorum numero adſcriptum aſſerat ex teſtimonio Petri Calzolari apud Angelum Manrique in Laurea Euangelica & Annalibus ad an. 1157 cap.5 num.3, tamen eum ſolum titulo* Beati *honeſtat, tam in Menologio, quā Faſciculo Sanctorum Ordinis Ciſtercienſis lib.1 diſtinct.4 cap.46. Eumdem* Beati *titulo honorat* Chalemotus. *Interim Manrique, loco citato in Annalibus, reprehendit Henriquez, quod velit eum tā barbare educatum, ut nec ante aſſumptam religionem, nec poſtea aliud ſciverit ex Salutatione* Angelica *quā duo priora verba,* AVE MARIA. *Guillelmus Catel lib.4 Hiſtoriæ Occitaniæ pag.665 & ſequētibus de eo agit, aſſeritq; ſe coram omnia exactè examinaſſe, & abſtinet à titulo* Beati: *quod idē faciunt Sanmarthani in Gallia Chriſtiana, ubi tomo 4 de Grandi-ſilva monaſterio agunt: idem nos hic abſq; præjudicio facimus, libenter aliis manus daturi, ubi meliora de ejus Canonizatione producta fuerint teſtimonia.*

Arnoldus, Converſus monaſterii Villarienſis, *cum titulo* Beati *refertur ab Henriquez & Bucelino hoc die, ſed abſque ſimili titulo ad* XXX *Iunji ab* Arnoldo *Raiſio, in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii à Molano editos.*

Bartholomæus Tifernenſis, Ordinis Minorum de Obſervantia, anno 1535 hoc die in Africa mortuus, *refertur cum titulo* Beati *à Iacobillo, in Vitis Sanctorum & Beatorum Vmbriæ.*

Martinus Suetens, in Brabantia, Petrus Dolenſis, in Burgundia, Joannes Gontingerius, in Germania, Andreas à Sardinia, in Raguſio, Antonius Maldonatus, in Mexico, Petrus à Ronda, in Andaluſia, Joannes à S. Lazaro, in Luſitania, Cæcilia à Cotignola, in Inſubria. } Ordinis Minorum, *referūtur in Martyrologio Frāciſcano Arturi du Mōſtier, qui Cæciliam etiam retulit in Gynæceo ſacro, & more ſuo* Beatis *omnes adſcribit, varios auctores, qui illorum meminerunt, indicans.*

Paternus, monachus monaſterii SS. Petri & Pauli in Paderborn, *memoratur in* Ms. *Calendario Ordinis* S. *Benedicti, ab aliis* x Aprilis.

Palladius, Epiſcopus Autiſſiodorenſis, *inſcriptus Martyrologio Benedictino Menardi; & Gallicano Sauſſaji & aliis.* x Aprilis.

Sanctorum Martyrum paſſio Romæ, quos S. Alexander Papa, dum in vinculis teneretur, baptizavit in carcere. *Ita* Ms. *Martyrologium Vſuardi, quod olim pertinuit ad Nicolaum* Scheidium Hagenoium. *Ab aliis eorum memoria recolitur* x Aprilis.

S. Fructuoſus, Epiſcopus Braccarenſis, *inſcriptus eſt Martyrologio Baſileenſi anno* MDLXXXIV *excuſo, aliis vero* XVI Aprilis.

Silveſtri & Cucuphatis Martyrum *Officium* duplex, *in feſtis propriis diœceſis Compoſtellanæ anno* 1598 *excuſis, eo quod eorū* corpora ſint in Eccleſia Compoſtellana. *Acta martyrii eorum ſunt incerta, & nonnulla attingimus* XII *Aprilis ad Acta* S. Victoris Martyris Bracarenſis. *At corpora ſunt Bracara Compoſtellā anno* 1102 *trāſlata, cum corpore* S. Fructuoſi Epiſcopi Bracarēſis: *ad cujus Vitā damus accuratā hiſtoriā tranſlationis* XVI Ap.

S. Marci Euangeliſtæ, } tranſlatio corporum in Au-
S. Syneſii Martyris, } giam anno DCCCXXX *refertur in* Ms. *Martyrologio Richenaugienſi, ſive Augiæ divitis: Colitur* S. *Marcus* XV Aprilis.

S. Antonii Confeſſoris *nomen inſcriptum eſt Kalendario Lucenſi à Florentinio edito: idem veroſimiliter qui Lucæ colitur* XXVII Aprilis.

SS. Indaletii, diſcipuli S. Jacobi; & Jacobi, ſucceſſoris S. Indaletii, Epiſcoporū Urcitanæ Eccleſiæ tranſlatio *refertur in Martyrologio Hiſpanico Tamaji Salazar: at proprium feſtum habetur* XXX Aprilis.

S. Quiriaci trāſlatio capitis *celebratur ſub ritu Duplicis in Eccleſia Aurelianenſi: & iterum cum Octava 4 Maji, adeo ut credatur eſſe is de quo nos agemus* I Maji.

S. Monicæ corporis, ex oſtiis Tiberinis in Urbē Romanā, trāſlatio, *inſcripta eſt Martyrologio Romano & aliis pluribus. De ea agēdū erit ad diē ejus natalē* IV Maji.

Kundacaris Scoti, monachi & Martyris in Germania, qui dū gentes à cæca infidelitatis umbra in apertā Euāgelii lucē trahit, Martyr eſſe meruit, *ita Dempſterus in Menologio Scotico, eoq; citato Ferrarius: allegatur Breviariū Scoticum, quod ſaltē non eſt Aberdonenſe, in quo nulla ejus mentio. Idem Dempſterus, lib.10 Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gentis Scotorum pag.416, appellat diſcipulum* S. *Bonifacii, ejuſque in martyrio ſocium, quem* Gundachar *appellat Notkerus & refert* V Junji.

S. Philaſtrii, Epiſcopi Brixienſis, tranſlatio corporis, ex eccleſia S. Andreæ ad ædem S. Mariæ rotundæ, *celebratur in Martyrologio Brixiano Bernardini Fayni. Dies ejus natalis incidit in* XVIII Julji.

S. Jacobi Majoris Martyriū *ſecundū aliquos hoc die collocari, tradit Grevenus in Auctario Vſuardi. Colitur* XXV Julji.

DE

DE SANCTA MARIA CLEOPHÆ,

MATRE S. JACOBI FRATRIS DOMINI, EPISCOPI HIEROSOLYMITANI.

G. H.

CAPUT I.

S. Mariæ Acta ab Euangeliſtis indicata. Affinitas cum Deipara Virgine. Ejus & Salomes corpora olim Conſtantinopoli, ibidemque cultus.

SECULO I. *Sanctus Apoſtolus & Euangeliſta Ioannes, capite* XIX *Euangelii ſui, myſteria redemptionis noſtræ à Ieſu Chriſto Salvatore noſtro in cruce peracta deſcribens, a verſu* XXV *iſta habet:* Stabant autem juxta crucē Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cū vidiſſet ergo Ieſus matrem & diſcipulum ſtantem, quē diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua. *Græce ultima ſic habentur,* Ἔλαβεν αὐτὴν εἰς τὰ ἴδια, *quaſi diceret:* Suſcepit eam in ſuam tutelam *S. Ioannes diſcipulus quem diligebat Ieſus. Et ex illa hora, cum tenebræ fierent ſuper omnem terram, videtur eam è tumultu Iudæorum abduxiſſe, ſequentibus ipſam Maria Cleophæ & Maria Magdalene. An illuc poſtea reverſa ſit Deipara Virgo Maria, non liquet. Ioannes Heſſelius, in Cenſura de quibuſdam Sanctorum Hiſtoriis, cum prima editione Vſuardi à Molano adornata, Lovanii anno* MDLXVIII *excuſa, cap.* 4 *iſta aſſerit:* Ex devotione non admodū ſolida, pingitur ipſa Deipara Chriſtum de cruce depoſitū gremio ſuſcepiſſe, & ſepulcrum ſtudioſe conſideraſſe. *Verum iſta aliorum ſtrictiori examini relinquimus, eo quod pio ſuo erga Deiparam affectu & Græci & Latini, maxime poſteriores, lugubres ejus in morte Chriſti dolores exponant.*

S. Maria Cleophæ adeſt Deiparæ juxta crucē Chriſti.

an hæc inde abducta & eodem reverſa ſit

B

2 *Reverſæ procul dubio ad crucem Chriſti ſunt Maria Magdalene & Maria Cleophæ, cum Salome matre filiorū Zebedæi & aliis mulieribus. Et ipſe Ioannes vidit latus Chriſti aperiri & teſtimonium perhibuit. Euangeliſta Matthæus, cū capite* XXVII *mortem Chriſti, & Centurionis de eodem confeſſionem narraſſet, verſu* LV *iſta ſubjungit:* Erant autē ibi mulieres multæ à longe, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa, miniſtrātes ei, inter quas erat Maria Magdalena: & Maria, Jacobi & Joſeph mater; & mater filiorū Zebedæi. *Hæc ibi, quæ Euangeliſta Marcus capite* XV *verſu* XL *his verbis indicat.* Erant autē mulieres de longe aſpicientes: inter quas erat Maria Magdalene; & Maria Jacobi Minoris & Joſeph mater; & Salome. *En* Salome, *quæ Matthæo* mater filiorū Zebedæi: *quo etiam modo his duobus Euangeliſtis dicitur,* Maria, Jacobi & Joſeph mater, *quæ ſupra S. Ioanni erat* Maria Cleophæ, *ut infra accuratius probabitur.*

cum aliis mulieribus?

quarū una dicta mater Iacobi & Ioſeph,

C *Sed progrediamur ad dictos Euangeliſtas. Cum ergo Chriſtus in ſepulcro deponeretur, teſte Matthæo verſu* LXI, Erat ibi Maria Magdalene, & altera Maria, ſedentes contra ſepulcrū: *ſive, ut exponit Marcus verſu* XLVII, Maria Magdalene & Maria Joſeph aſpiciebant ubi poneretur. *Cum poſtea Chriſtus à morte reſurrexiſſet,* venit Maria Magdalene & altera Maria videre ſepulcrū, *ut Matthæus tradit capite* XXVIII, *quæ Marcus capite* XVI *ita latius exponit:* Et cū trāſiſſet Sabbatū, Maria Magdalene & Maria Jacobi & Salome emerunt aromata, ut veniētes ungerēt Ieſum. *Hæc ibi de dictis mulieribus; ex quibus coluntur* Maria Magdalene XXII *Iulij*, Salome XXII *Octobris, adſcriptæ Martyrologio Romano, uti hoc die* IX *Aprilis Maria Cleophæ his verbis:* In Judæa S. Mariæ Cleophæ, ſororis ſanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ. *Non reperimus in ullo anteriori Martyrologio ſub iſto cognomine cultum ejus propoſitum: ſed ſub nomine Mariæ Iacobi variis diebus memoratur, ut infra dicemus.*

poſtea emptis aromatis voluit ungere Ieſum;

hujus filius S. Iacobus frater Domini

3 *Eſt autē Iacobus, dictæ Mariæ filius,* frater Domini *appellatus, ab Apoſtolis poſt Aſcenſionē Chriſti ordinatus Epiſcopus Hieroſolymorum, à Iacobo Alphæi Apoſtolo plane diverſus; & quamvis in duodenario Apoſtolorum numero non fuerit electus, tamen ſicut S. Paulus, Apoſtoli titulo honoratur, vel ab ipſo Paulo in epiſtola ad Galatas, deſcribente primum ſuum poſt converſionem ad urbem Hieroſolymitanam acceſſum, ut videret Petrum, ubi addit:* Aliū autē Apoſtolorum vidi neminē, niſi Jacobū fratrē Domini *Theodoretus in ſuis ad dictam epiſtolam Commētariis iſtum locum ita exponit.* Jacobus vocabatur frater Domini, ſed nō erat natura; ſed nec fuit Joſephi filius, ut quidā exiſtimarūt, ex priori matrimonio natus: ſed erat Cleophæ filius, Domini autem conſobrinus, habuit matrē, matris Domini ſororē. *Hæc Theodoretus, ſecutus S. Ioannem Chryſoſtomū, qui etiam in Cōmentariis in dictam Epiſtolam ad Galatas, ita honoris titulum explicat:* Vide quanto cū honore hunc nominavit Nō enim ſimpliciter dixit Jacobū, ſed magnificū illud elogiū addidit, Fratrē Domini. Poterat alia nota declarare ſi dixiſſet, Jacobū Cleophæ, quod cognomē poſuit Euāgeliſta... Atqui nec erat frater Domini ſecūdū carnē, ſed eſſe putabatur. *Hæc ibi. Eſt autē S. Ioannes Euangeliſta, qui* cognomē Cleophæ *indicavit, ſcilicet dum* juxta crucē Ieſu ſtabat cū matre hujus Maria Cleophę, *ſcilicet uxor, quæ ab aliis Euangeliſtis* Maria Jacobi mater *appellatur.* Cleophā *autē fuiſſe* fratrē S. Joſephi, *ſponſi Deiparæ Virginis, teſtatur S. Hegeſippus apud Euſebium lib.* 3 *Hiſt. Eccleſ. cap.* 11 *ſub finē. Quā antiquus & illuſtris ſcriptor ſit S. Hegeſippus diximus ad ejus Vitam* VII *Aprilis. Iam ſicut S.* Joſephus & Cleopas *erant fratres, ita S. Maria mater Ieſu & Maria altera nominabantur ſorores, quia erant uxores Ioſephi & Cleophæ: uti etiam ſentit Suarez in* 3 *par. S. Thomæ tomo* 2 *diſput.* 5 *ſect.* 3. *Porro Lucæ ſecundo* Aſcendit Joſeph in civitatē David, ut profiteretur cū Maria deſponſata ſibi uxore prægnāte. *Ipſa etiam Deipara eodē capite verſu* XLVIII *filiū duodennē in templo inter Doctores repertū ita alloquitur:* Pater tuus & ego dolētes quærebamus te. *Erant ergo ut Euthymius, in cap.* 19 *Ioannis teſtatur Deipara Maria & Maria Cleophæ* affinitate ſorores. *Epiphanius lib.* 3 *cap.* 78 *contra Antidicomarianitas aſſerit,* Jacobū appellatū fratrē Domini, ob ſummā cū Chriſto morū ſimilitudinē, *Græce* διὰ τὸ ὁμότροπον, nō ſecundū naturā ſed per gratiā. *Hac ergo explicādi ratione potuit S. Ioſephus, Deiparæ ſemper Virginis ſponſus, perpetua in virginitate ei adfuiſſe; & S. Anna, uni & ſoli Ioachimo nupta, cum diu ſterilis fuiſſet, ex ſingulari Dei beneficio uniсā prolē Deiparā Mariam peperiſſe, qui jam* Doctorū plurimorū *Eccleſiæ ſenſus cenſetur. Reliqua de S. Iacobo, fratre Domini & Epiſcopo Hieroſolymitano; & altero S. Iacobo Alphæi, Apoſtolo, omnia prælo parata ſunt edenda ad Kalēdas Maji. Hic proſequimur, quæ de S. Maria Cleophæ, matre S. Iacobi; & S. Salomē, matre filiorū Zebedæi referuntur; nam utriuſque à morte tranſlationes & miracula inter ſe ita connexa ſunt, ut non poſſint ullo modo ſeparari.*

fratre S. Ioſephi,

hinc ambæ Maria, ſorores habitæ.

E

F

4 *Memorantur à Græcis ad diem* VIII *Aprilis* Matronæ Euangelicæ, quæ venerunt Dominica mane, ut ungerent Jeſum: *& iſti accinuntur verſus.*

Cultus Matronarū, ad ſepulcrum Chriſti.

Χριςῷ φέρουσιν αἱ μαθήτριαι μύρα·
Ἐγὼ δὲ ταύταις ὕμνον, ὡς δῶρα, φέρω.
Unguenta Chriſto deferunt diſcipulæ,
Hymnos ego illis, munerum loco, fero.

Cauſa hujus ſolennitatis videtur data Conſtantinopoli, ob corpora ad templum S. Iacobi fratris Domini tranſlata, de quibus apud Georgiū Codinū de Originibus Conſtantinopolitanis pagina 56 *iſta legūtur:* Templū ſacri conditorii in Chalcopratiis Juſtinus & Sophia ædificarūt... Prope ſupradictū tēplū idē Imperator eccleſiā S. Jacobi extruxit, ubi ſuis in cōditoriis aſſervatur Reliquiæ ſanctorū Innocētiū, & Simeonis Theodochi, & Prophetæ Zachariæ, & Jacobi τοῦ ἀδελφοθέου Fratris Domini. Ceterū in dextera ſacri cōditorii poſita ſūt corpora ſanctarū mulierū, quæ unguēta ad Chriſti ſepulcrū tulerūt. *Vltima Græce ita efferūtur:* Ἐν δὲ τῷ δεξιῷ μέρει τῆς ἁγίας σοφῖ, εἰσὶ κείμενα τῶν ἁγίων μυροφόρων γυναικῶν τὰ σώματα.

earum corpora Conſtantinopoli.

AUCTORE G. H.

Videtur intelligi, S. Maria Cleophæ, mater S. Iacobi fratris Domini, & Salome, mater filiorum Zebedæi. Fuisse autem dictum templum ad honorem S. Iacobi fratris Domini consecratum, legitur in pervetusto MS. Synaxario Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quod spectat ad collegium Claromontanum Societatis Iesu Parisiis, ad diem XXIII *Octobris, quo à Græcis dictus Iacobus solenni veneratione colitur. Translatio autem Iacobi, Simeonis, & Zachariæ memoratur ad Kalendas Decembris in Martyrologio MS. Arabo-Ægyptiaco. Conditum est illud templum à Iustino Iuniore Imperatore, Iustiniani ex sorore Vigilantia nepote, qui conjugi Sophiæ cum Augustæ dignitate coronam imposuit, postquam ipse coronatus fuit* XIV *Novembris anni* DLXV. *Dicta autem sanctarum matronarum corpora, cum reliquiis S. Iacobi fratris Domini & aliorum Sanctorum tunc temporis fuisse aut Constantinopolim delata, aut saltem in extructo templo deposita, nobis verosimilius apparet. Vix etiam dubitamus, quin quo tempore Hierosolymis Episcopus erat Iacobus, ibidem vixerit ejus mater Maria, imo & Salome; indeq; fuerint corpora Constantinopolim translata, una cum Reliquiis dicti S. Iacobi. Favet opinioni nostræ hodiernum Martyrologium Romanum, diem natalem* S. Salomæ XXII *Octobris affigens* Hierosolymis, *& supra* S. Mariam Cleophæ *seu* Jacobi *adscribens* Judææ.

CAPUT II.

B

Cultus sacer SS. Mariæ & Salomæ in urbe Italiæ Verulana: ibidem Reliquiæ & patrata miracula.

5 *NOn substitit veneratio harum Matronarum apud Syros in Palæstina, neq; apud Græcos Constantinopoli; sed translata est ad plurimas Ecclesiæ Latinæ regiones, ad quas aut ipsæ ambæ aut altera earum dicuntur venisse, domicilium fixisse, & ad finem vitæ superstites sepulturam & sacrum cultum obtinuisse. Hæc est gloriatio tum urbis Verulanæ in Hernicis, populo Latii apud Italos; tum agri Arelatensis, in Provincia Galliæ Narbonensis regione; imo & Civitatis Roderici, in Hispanorum antiqua Lusitania. Ab urbe Verulana hanc controversiam auspicamur. Habemus harum Matronarum longa Acta, descripta ex Ms. codice Serenissimæ Christinæ Reginæ Suecia, numero* 1131 *signato. sub hoc titulo:* Vita seu Legenda trium sororum, Mariæ Virginis, Mariæ Jacobi, Mariæ Salomæ: *& hujus Legendæ Prologus sic incipit:* Sanctam & indubitatam præcelsamq; ac salutiferam beatissimarũ Sororũ, gloriosæ semper Virginis Mariæ, Christiferæ videlicet, Mariæ Jacobi & Mariæ Salomæ, ejusdem Domini nostri Jesu Christi materterarum, genealogiam, vitæ conversationem, & corporum resolutionẽ in Domino, ac earum inventionem, cum translatione

C

& earũ miraculis, Deo adjuvante, licet sermone tenui & inculto, conabimur enarrare. *Tandem post hæc omnia fuse indicata & relata, additur* Sermo brevis de sanctis Sororibus, in Natali beatissimarũ Mariæ Jacobi & Mariæ Salomæ, sacratissimæ Virginis sororum & materterarũ Christi: *& post ultimũ folium alia manu scriptũ erat:* Liber iste scriptus est noviter anno Domini MCCCCXCI, & datus est Magistris ad prædicandũ eodẽ anno. *Auctor vero* à doloribus calculi miraculose curatũ se anno MCCCCXXIII *scribit, fateturq; in Prologo,* se harũ virtutes & præconia, ad memoriam legentiũ anniversario curriculo summa cũ humilitate recolenda, è scriptis Gallicis Latino eloquio deprompsisse. *Gallicorũ scriptorum auctores indicat Colvenerius ad diem* XXV *Maij in suo Kalẽdario Mariano.* Horũ primus auctor, *inquit,* est Joannes de Vinette Ordinis Carmeli, natione Picardus Gallico rythmo: ex quo additis multis, ex libris Latinis, ut ait, in prosam transfudit Joannes Droven I.V. Baccalaureus. *Hæc ibi. Meminit Ioannis de Vinetta post alios Ioannes Baptista de Lezana tomo 4 Annaliũ Carmelitarũ ad annum 1367 num. 3, asseritque inter alia opera edidisse* Vitas triũ Mariarũ. *At Ioannis Droven seu Drovyn I.V. Baccalaurei meminit Antonius Verdier, in Bibliotheca Francica, addẽs eum è Latino transtulisse in Gallicũ* Regimen honoris, *ex quo rythmũ sub initium libri positũ exhibet. sed lingua Gallica antiqua & inculta. Qui autẽ omnia ista Latine transtulit auctor latet. Hoc unũ de omnibus possumus enuntiare, eos absq;* D *ullo examine varias res coacervasse; ex quibus pauca miracula, tamquã verosimiliora, seligimus, quæ referuntur in Galliis cõtigisse, infra ea daturi. Falluntur præterea, qui, ut tres Marias reperiant, Salomen matrem SS. Iacobi & Ioannis Euangelistæ appellãt* Mariã Salomæ, *quasi hæc Maria esset uxor Salomæ. Verum Salome est nomen mulieris & non viri, & ita vocata etiam fuit mater septem Martyrum Machabæorum:* Salome etiam dicta fuit uxor Aristobuli & soror Herodis apud Iosephum lib. 13 Antiquit. Iudaic. cap. 19 & lib. 15 cap. 3.

nec S. Salome fuit Maria.

6 *Quomodo Maria Cleophæ, mater S. Iacobi fratris Domini, fuerit appellata soror beatissimæ Virginis Deiparæ, supra diximus. Quod Salome fuerit ejusdẽ Deiparæ Virginis habita soror, neq; apud Euangelistas, neq; apud antiquos Patres legitur. An fuerit Salome soror Mariæ Cleophæ, & inde data occasio dicẽdi, eã etiam fuisse sororem Deiparæ Mariæ, non habemus unde solide asseramus, aut id asserentes refellamus. Arbitramur tamẽ hanc esse rationem satis commodã ad explicandum ea, quæ de ipsis, ut Sororibus Deiparæ, in variis Missalibus & Breviariis leguntur. Habemus antiqua Breviaria Ecclesiæ Autißiodorẽsis in Gallia, & Tornacensis in Belgica; in quibus ad diẽ* XXV *Maji solenni cultu celebratur festũ* SS. Mariæ Jacobi & Mariæ Salomæ sororũ: *& novem in Breviario Tornacẽsi, at sex recitantur de iis Lectiones propriæ, in Autißiodorensi in primo &* E *secundo Nocturno, item hymni proprii cũ antiphonis, responsoriis & oratione. Celebratur eodem die dictum festum in* Breviariis antiquæ professionis Regulariũ beatissimæ Dei Genitricis semperq; Virginis de monte Carmelo, ex usu & cõsuetudine approbata Hierosolymitanę Ecclesiæ & Dominici sepulcri. *Quomodo dictus usus ex Gallia & Belgio Hierosolymã delatus fuerit, diximus* VIII *Aprilis ad Vitam S. Alberti Patriarchæ Hierosolymitani & Legislatoris dicti Ordinis Carmelitarum, idque ipsum hinc confirmatur. In Ecclesia Remensi, celebratur* XI *Maji dictũ festum* SS. Mariæ Jacobi & Salomæ, *& solũ tres lectiones à prioribus diversæ referuntur in secũdo Nocturno recitandæ, in quibus sola S. Maria Cleophæ appellatur matertera Christi Domini. In Missali Ecclesiæ Vltrajectinæ, anno* MDXIV *excuso. post missas de Cõmuni Sanctorum, ponitur Missa ad honorem SS. Mariæ Iacobi & Salomæ, & eadẽ Oratio præscribitur, quæ in Breviariis Autißiodorensi & Carmelitano, utraq; vero* soror Mariæ Deiparæ & matertera Christi *vocatur, & additur Sequentia ante Euangelium recitanda, ubi eadẽ explicantur. Omnia autẽ simul magnifice excusa sunt typis Iodoci Badii anno* MDXXIX; *& in officio Breviarii omnes psalmi etiam ad Horas diurnas & Completorii interponuntur, uti in Missa totus Canon & Præfatio aliaq; cum suis notis. Adjungitur lucubratio Ioannis Bertaudi Petragorici, de cognatione S. Ioannis Baptistæ cum filiabus & nepotibus Beatæ Annæ. In hac obtruditur ejusdẽ B. Annæ mater* Emerentia, nupta Agari: *aliis* Emerentiana, nupta Stolano seu Gaziro; *cui ipsa pepererit* Esmeriam, *matrẽ Elisabethæ genitricis S. Ioannis Baptistæ; & S. Annam, quæ genuit Mariam Deiparam Virginem, ex Ioachimo; ac præterea genuisset Mariam Iacobi, ex altero marito Cleopha, nuptam Alpheo; & Salomen ex tertio marito Saloma, nuptam Zebedæo. Quæ ut ingeniose ab aliquibus inventa sunt ita absque sacræ Scripturæ & antiquorum Patrum consensu non facile sunt admittenda, & ulterius ad Vitam* S. Annæ XXVI *Iulii examinanda. Hæc circa genealogiam. At mortuis* S. *Annæ ejusque maritis; si habuisset plures: mortuisque etiam maritis Salomæ & Mariæ Iacobi hæ matronæ jam viduæ, uti Legenda prædicta habet, accessissent ad ædes Deiparæ Virginis: ibidemq; sumpto domicilio habitassent. Quod de Maria Iacobi ejusq; filiis, fratribus Domini ideo habitis, probabilius dici posse judicamus. Iuxta eamdem lucubrationem, eadem matronæ in Deiparæ solatium ipsi adfuissent, cum Iosephus ejus sponsus sancte moreretur, & Christus pro redemptione generis humani cruci affixus expiraret: demum post Christi resurrectionem & ascensionem permansissent cum Deipara, donec extrema obsequia eidem morienti exhibuissent. At postmodum fama percrebuisset S. Ioannem, filium Salomæ, in dolium ferventis*

cultus in variis Brevia. riis & Missalibus,

dicuntur cohabitasse Deiparæ,

& hac mortua in Italiam Proficta, Vecum Tulis obiisse.

F

non sunt satis solida.

A *ferventis olei Romæ miſſum, & inde ſanum & incolumem evaſiſſe; relicta Palæſtina in Italiam navigaſſent, ac Romam progreſſæ cum Clemente Pontifice egiſſent; pleniuſque de omnibus inſtructæ, ad Verulanam civitatem veniſſent, ibique ambæ ex hac mortali vita migraſſent, in eodem ſepulcro depoſitæ. Maria Iacobi* VIII *Kalendas Iunii, Salome* XI *Kalendas Novembris. Quæ fere eadem narrantur in antiquo Breviario Carmelitano ad feſtum S. Ioannis ad portam Latinam* VI *Maji: ſed de ſola matre S. Ioannis.*

ſaltem vna illarum.

7 *Baronius in Notis ad* XXV *Iulii agens de S. Iacobo Apoſtolo Fratre S. Ioannis, aſſerit ex monumentis Eccleſiæ Verulanæ*, horum matrem vxorem Zebedæi Mariam, in illa perſecutione, quæ poſt necem S. Stephani ſecuta eſt, fugatam in Italiam adventaſſe, & apud Hernicos itinere fatigatam in pace quieviſſe, ibique ejus venerandum corpus religioſe aſſervari, *nulla vllius ſociæ aut ſororis facta mentione. Eodem modo Vghellus, tomo primo Italiæ ſacræ de Epiſcopis Verulanis acturus, vnam ſolum recolit matronam*, matrem filiorum Zebedæi, *& non* Saloman, *ſed* Mariam Iacobi *appellat*, mortuam VI Kalendas Iulii: *ait autem*, ſacrum corpus ejuſdem S. Mariæ Iacobi VIII Kalendas Iunii anno MCCIX, Pontificatus Innocentii Tertii anno XII, Oddonis Verulani Epiſcopi X, revelante tum ipſius filio B.

cuius corpus inventum anno 1209

B Iacobo Apoſtolo, tum ſanctiſſimo Petro, cuidam Verulano, Thomæ nomine, in eccleſia ipſi Apoſtolorum Principi dicata frequenter oranti, ſumma omnium lætitia inventum fuiſſe, in quodam ſpecu extra civitatem olim à priſcis illis fidelibus abſconditum.

& Eccleſia S. Mariæ Iacobi extructajit.

... Quam plurima autem miracula in inventione ſacri corporis Mariæ Iacobi à Domino patrata, innumeroſque ibidem populos vndique confluxiſſe; tantamque fuiſſe eleëmoſynarum copiam, vt ex iis primo parvam eccleſiam, deinde nobiliſſimam, quæ nunc extat, in ejus gloriam & honorem exædificatam, prodant vetera Eccleſiæ Verulanæ monumenta. *Et paulo poſt aſſerit, etiamnum* Eccleſiam Cathedralem divitem eſſe Sanctorum Reliquiis, *inter quas recenſet* corpus S. Mariæ Iacobi. *De hac Matrona ad* XXV *Maji iſta leguntur in hodierno Martyrologio Romano.* Verulis in Hernicis Tranſlatio S. Mariæ Iacobi, cujus ſacrum corpus plurimis miraculis illuſtratur. *Baronius in Notis addit iſta*: Ejus rei geſtæ hiſtoriam accepimus editâ à Verulana Eccleſia, vbi ejus corpus decentiſſime aſſervatur. Habentur ibidẽ complura de ea re ſcripta miracula. Alia inſuper de his manuſcripta accepimus ab Eccleſia Piſtorienſi, prædictis conſentientia. *Hæc vltima Romæ deſcripſimus ex tomo A collectionis Gallonii apud Patres Congregationis Oratorii Vallicellani, cum relatione Abbatis cujuſdã ad Innocentium Papã de inventione Reliquiarum S. Mariæ Iacobi, quæ ex fragmẽto Actorum Epiſcopaliũ Eccleſiæ Verulanæ tomo E dicti Gallonii ſic habetur.*

vti indicatum Innocentio 3. Papæ

C 8 Reverentiſſimo Patri & Domino Innocentio, S. R. E. ſummo & vniverſali Pontifici, Fr. G. Abbas Caſæmarii, debitæ ſubiectionis obſequium. Quidam iuvenis Verulanius, inter alias quas vidiſſe aſſerit viſiones, iſtam vidiſſe refertur, quam veſtræ Sanctitati reſcribo. B. Petrum Apoſtolum vidit, vt aſſerit, manifeſte; qui ſibi locum liquido demonſtravit, vbi matris filiorum Zebedæi Reliquias reconditas affirmabat. Poſt aliquot dies itum eſt ad locum, qui puero fuerat præmonſtratus ab Apoſtolo; & ego cum duobus Fratribus meis affui, rogatus à Venerabili Epiſcopo Verulano. Locus erat foris juxta mœnia civitatis, arduus & aridus, & valde difficilis ad eundum, præcipitiis plenus & rupibus; quæ rupes

cum hac inſcriptione.

tantæ erant molis & magnitudinis, vt non ſine palis & malleis ferreis multoque labore confractæ potuiſſent amoveri de loco. Quibus amotis, cavatum eſt fere ad ſtaturam hominis, & inventus lapis, ſub quo iterum lapis inventus eſt alius, vbi ſcriptum erat: **Maria mater Ioannis Apoſtoli & Iacobi in iſta. Inventa eſt & chartula, in qua id ipſum quod in lapide ſcriptum erat: quæ chartula ſuta erat in panno, vbi ipſæ erant involutæ Reliquiæ. Charta, pannus, & oſſa, omnia pura, integra & ſincera, ac ſi de novo fuiſſent ibi repoſita. Quæ autem ſic inventa ſunt oſſa, ſicut viderat & prædixerat iuvenis memoratus, levavit Epiſcopus, & tradidit ea mihi, quæ poſt paulum Epiſcopo reddidi. Epiſcopus vero reddidit ea Vicedomino ſuo, Vicedominus cuidam Monacho meo; qui Monachus tangens vnum de oſſibus, manum ſuam vidit & ſenſit recenti ſanguine perfuſam: & ego poſtea cum multis aliis vidimus pannum & tualiam perfuſam ſanguine, in quibus erant involutæ Reliquiæ. In excavatione vero odor ſuaviſſimus replevit me & qui aderant vniverſos. Duravit autem non multum, ſed & terræmotus, vt aiunt, factus eſt magnus; ſed ego non ſenſi. Poſt paucos autem dies vadens illuc cum D. Pennenſi Epiſcopo & Abbate S. Anaſtaſii, in oſſe, ſicut puto tibiæ, vidimus purum ſanguinem & recentem. Quod oculis meis vidi. Sanctitati veſtræ fideliter denotavi.

Auctore G.H.

9 *Hæc ibi: à quibus diverſa narrantur in ſuperius citata Legenda: ſcilicet* apparuiſſe B. Iacobum, S. Ioannis Evangeliſtæ fratrem, Verulanenſi Epiſcopo, & indicaſſe locum vbi corpora matris ſuæ Mariæ Salomæ & ſororis ejus Mariæ Iacobi inveniret recondita: ac poſtmodum, ſplendore magnæ claritatis emicante & miri odoris fragantia ſubſecuta, corpora ita candida & nivea fuiſſe reperta, vt nulla corruptionis veſtigia apparerent: ſed & pallium, quo fuiſſent involuta, inventum totum ex integro quaſi novum. *Impoſita ergo novæ thecæ prope majus altare decenter fuiſſent condita, cum hoc titulo*: Hic duæ ſorores ſunt materteræ Chriſti, quæ vita functæ ſidera mente tenent. Ibidem ſanitates ægrotantibus redditæ; leproſi mundati, cæci viſum, auditum ſurdi, claudi greſſum receperunt *Adiungimus miracula ex MS. Piſtorienſi, ſub hoc titulo tradita. De* S. Maria matre S. Iacobi & Ioannis Evangeliſtæ: *& ſunt huiuſmodi.*

alibi corpora dicuntur inventa.

E

10 Noverit namque veſtra ſublimitas, quod dum quædam mulier coniugata, Aldruda nomine, de parochia noſtra, iudicio divino videretur elephantiam incurriſſe, ita quod per expilationem ſupercilliorum, naſi cruciationem, vocis raucoſitatem, & faciei groſſitiem, in ea comparere indicia iam cœpiſſent; per parentes & virum ejus cum infirmis vicinarum domorum de ipſarum provincia tractabatur, vt mulier prædicta, à proximorum ſuorum & aliorum ſanorum cohabitatione remota, prout iuris & conſuetudinis ordo requirit, loco aliquo congruenti infirmorum deberet collegio ſociari. Interea dum mulier ipſa remanere in civitate ſua per erubeſcẽtiam hæſitaret, & ad locum confugere remotiorem eligeret; nocte quadam, in qua mane ſequenti proponebat iter arripere, aſſignatis jam pannis & domus vtenſilibus viro ſuo, & receptis ad opus ſuum quibuſdam panniculis, quos ad vſum & ſuſtentamentum proprium duxerat opportunos maxime; cum ejuſdem viri ſui licentia profectura, vidit in ſomnis viſionem, quæ talis fuit. Apparuit mulier quædam, quæ dixit ei: Ego ſum Maria, mater Iacobi Apoſtoli. Surge velociter; & ad domum meam in partes Campaniæ, videlicet ad civitatem Verulana m, feſtinanter ſtudeas proficiſci, vbi ſcias & confidas te per Divinam clementiam ab elephantia liberandam, & ſanitati tuæ priſtinæ reſtituendam. Qua reſpondente, Quia viam neſcio & ductore careo; Sancta inquit: Ego tibi, vt iter arripueris, ductorem comitem providebo. Hac igitur viſione perterrita, & præ timore ſtupefacta, aſſumpta poſt cogitationes multas ſpei & fidei fortitudine, valde mane ſurgens, ſola iter arripuit. Statimque, antequam multum

Piſtorienſis mulier Elephantiaca.

F

à S. Maria Iacobi motta.

AUCTORE G. H.

acceptis viæ ducibus abit Verulas:

à ſuo viro & domicilio receſſiſſet, viatores duo, vir ſcilicet & uxor, natione Apuli, ejus in faciem occurrerunt. Quos ſalutatione præmiſſa cum de eorum itinere ac propoſito ſolicite ſcrutaretur, eis reſpondentibus didicit, quod ad domũ B. Mariæ Iacobi annuente Domino pergerent oraturi. Quid plura? Poſt cõfabulationes & verba quæ inſimul habuerunt, eorum ſe comitatui immiſcuit; & illi tres, tamquam impotentes & debiles, ſimul proficiſcentes, lentis paſſibus incedebant. Circa meridiem vero in prima diæta, cum coniux illius pane careret, prædicta mulier infirma de pane ſuo quem portabat caritativam eis obtulit portionem. Tunc primum uxor viatoris illius, dum faciem mulieris infirmam fuiſſet diligenter intuita; quod elephantiaca eſſet ex faciei groſſitie & ſuperciliorum depilatione percepit: ob hoc nec panem ab ea porrectum à viro ſuo permiſit aſſumi; & ſocietatem ipſius refutare cupiens, eidem ne ſibi vlterius appropinquaret inhibuit. Et ſic dum perveniſſet ad civitatem Aquini, illi duo cupientes iſtam omnino dimittere, occaſionem invenerunt à foro & ſtrata divertendi, dantes ei licentiam, & proponentes ſe in vrbe ipſa conſanguineos & notos habere, ad quos eos declinare & manere die illo procul dubio oporteret. Credente illa & ſola cum multa mœſtitia exeunte civitatem, cum ad expectandum quemlibet circa viæ marginem reſideret, prædicti coniuges credentes illam in civitate remanſiſſe per aliam viam exierunt: & dum properantes incederent, quam poſt ſe dimiſiſſe putabant, ante ſe quaſi velociorem & præambulantem invenerunt. Quam reſpicientes & rei conſiderantes eventum, arbitrati ſunt quod mulieris ipſius comitatum effugere, & ſine ea arreptum iter peragere non valebant. Tunc ergo reſumunt ſimul ambulandi propoſitum, & ne videatur ſuper prolixitate his tædioſa, ad locum duce Domino pervenerunt optatum. Dimiſſis itaque ſociis illis, noſtra mulier oratorium B. Mariæ intravit. Quam cum quidam Miles, ad cuſtodiam altaris deputatus, ipſius Domini [providentia] noſceret, miſericordia commotus ſuper ægritudinem eius, ſuſpendit ad collum eius aliquantulum de lapide illius loci, in quo B. Mariæ reliquiæ ſunt inventæ, & dimiſit illam. Sicque factum eſt quod illa credens mandatum implevit, & quod voluit impetravit. Nam ſanitatem accepit, ita quod ſtatim, dum per viam reverteretur, reſpiciens ad tumores & ſciſſuras carnis ſuæ, invenit eas ſubito deſiccatas & integras.

ſed ab eis deſerta,

B

eos iterum recipit.

eccleſiam ingreſſa.

ſanitatem recuperat,

G

11 Noverit quoque Beatitudo veſtra, quod mulier quædam Neapolitana, Aufreda nomine, quinque continuis annis tam graviter chiragram & podagram paſſa eſt, quod vix de loco ad locum movere ſe poterat vel aliquod officium exercere. Et demum per continuum ſequentem annum ſic graviter eſt morbis prædictis gravata, quod ex toto manuum pedumque officium perdidit, & lecto decubans per manus famularum domus ſic cibos potumque ſumebat, & quæque alia quæ natura exigebat per eoſdem præfata mulier exercebat. Verum cum pro ipſius convaleſcentia multa eſſent (variorum) generum medicamenta corpori ſuo adhibita, nullum tamen remedium poterat infirmitatis ſentire: & ſic quaſi de ſua ſanitate deſperata, mori quam vivere potius peroptabat. Ad cuius auditum, cum inter has anguſtias verſaretur, pervenit, quod apud Verulas inventum fuerat corpus B. Mariæ Iacobi, pro cuius dignis meritis jam Dominus noſter Jeſus Chriſtus plurimos, qui ad eius corporis membra acceſſerant, à pluribus & variis languoribus curaverat, & priſtinæ reſtituerat ſoſpitati. Ad hæc mulier animata, cœpit rogare virum ſuum vt ipſam Verulas deferret, ad ipſam S. Mariam Iacobi, pro recipienda, dante Domino, cum infirmis ceteris ſanitate. Cuius precibus vir annuens, eam iumento manibus aliorum ſuſtentatam impoſuit: quam fatigabiliter Verulas aſportarunt. Quæ ibidem ante corpus B. Mariæ devote permanens, poſt triduum per merita ipſius ſanata eſt, & ſoſpes ad propria eſt reverſa.

Neapolitana quinquennio podagrica.

eo delata

ſana efficitur.

D

12 Ceterum noveritis, quod in pluribus virisac mulieribus aliis civitatis Neapolis, qui multis & variis languoribus vexabantur, eadem B. Maria Iacobi, ſicut accepimus, miracula ſanitatum eſt mirabiliter operata. Veſtræ itaque Clementiæ magnitudini notum ſit, quod quidam juvenis de Apulia, nomine Gregorius, qui loquelam amiſerat, & oris tortuoſitate nimia laborabat, qui cum pro recuperanda ſanitate ad Puteolana balnea acceſſiſſet, remediũ ſalutis nullatenus valuit conſequi efficacia balneorum; tandem audita revelatione & inſignibus miraculis B. Mariæ, matris Apoſtolorum Ioannis & Iacobi, acceſſit Verulas: & ibidem per aliquantos dies moram ſubeuntem, redeuntem vidimus cum loquela & recto ore nos de Puteolo, Creatori omnium, qui eſt in Sanctis ſuis mirabilis, gratias exſolventes.

inter alios ſanatos

mutus loquelam recipit.

Advertat lector hic appellari S. Mariam Iacobi, *& haberi matrem filiorum Zebedæi SS. Apoſtolorum Iacobi & Ioannis Evangeliſtæ, quæ aliis eſt* Salome: *cum contra mater S. Iacobi Fratris Domini & Epiſcopi Hieroſolymorum appellari debuerit* Maria Iacobi: *vt dubium videatur cujus corpus ibidem aſſervari dicatur. Ferdinandus Vghellus tomo* 5 *Italiæ Sacræ columna* 1261, *enumerat Sacras Reliquias Venetiis adſervatas, traditque* caput Mariæ Cleophæ eſſe in æde Servorum.

E

CAPUT III.

Cultus ſacer vtriuſque Matronæ in diœceſi Arelatenſi. Reliquiæ. Miracula.

13 CAmaria, *ſive vt viris eruditis placet* Caſtra-Mariana *&* Campus-Marii *(vbi putatur Marius caſtra habuiſſe contra Cimbros, eoſque magna clade affeciſſe) vulgo* Camargo, *inter Rhodani oſtia & Arelatum, ditio eſt Provinciæ fertiliſſima. In hac viſitur oppidum* Trimarianum, *ſeu* Trium Mariarum, *aliter* villa S. Mariæ de Mari dictum. *In hac eccleſia traduntur etiamnum aſſervari* corpora SS. Mariæ Iacobi & Salomæ, *& de his, ac potiſſimum de S. Maria Iacobi, celebratur in Eccleſia & diœceſi Arelatenſi die* XXV *Maji feſtum ſub ritu duplici, in qua ſolennitate iſte hymnus ad vtraſque Veſperas & Laudes recitatur.*

Corpora SS. Mariæ Iacobi & Salomæ dicuntur eſſe in Provincia

F

cultus in eccleſia Arelatenſi.

Exultet cæli curia, lætetur hæc Eccleſia:
Plaudat tellus Provinciæ, Deum collaudans hodie.
Maris ſita confinio villa, te effunde gaudio;
Quæ Sanctarum reliquiis dotaris & ſuffragiis.
Orto jam ſolis ſpiculo, accenſæ amore eximio,
Ad ſepulcrũ Dominicũ, vnguentum ferunt myſticũ.
Sanctæ Matres & Filii faxint ne ſimus reprobi,
Dies magna cum venerit, Iudexque ſummus aderit.

14 *Hæc ibi. At quomodo dictarum Sanctarum corpora eo delata fuerint, diverſimode traditur. Ex his quæ pluribus in ſupra citata Legenda earum referuntur, iſta paucis exhibeo:* Miles quidam, admodum nobilis & egregie Catholicus, atque dictæ Camariæ Dominus, pia religione motus, in Palæſtinam peregrinatus, ſanctum ſepulcrum & alia redemptionis noſtræ loca inviſit. Inde Romam reverſus, ſacra Apoſtolorum limina devote adivit, & ibi edoctus de ſacris Reliquiis in Verulana civitate quieſcentibus, ad illam profectus eſt, benevoleque à Regnerio, Duce Verularum & adiacentiũ ditionum Domino, exceptus eſt: cui præclaram operam præſtitit in bello contra Saracenos, in illas ditiones irruentes; quando Miles hic Regnerium è ſummo periculo liberavit, & Garferium Saracenorum

an è Verulana civitate tranſlatæ

A norum Principem obtruncavit, & victoriæ ſubſecutæ auctor extitit. Rogatus ergo aliquod donarium petere & accipere, poſtulavit ſibi dari ſacra corpora SS. Mariæ Iacobi & Salomæ, & magna cordis lætitia obtinuit. & ad prædictum locum tranſtulit: in quo tunc fuiſſet Canonicorum Regularium cœnobium. *Hæc ibi. Videtur auctor ad tempora reſpexiſſe, quibus* Nuceria Saracenorum *dominatui patebat in vicino regno Neapolitano: quos* Federicus II Rex Siciliæ & Apuliæ, anno MCCXX è montibus Siciliæ depulſos, tranſtulit in Apuliam, fecitque in civitate Nuceria communiter habitare, *vti apud Monachum Paduanum legitur. Facta tunc arx Nuceriæ munitiſſima, prædonum ſpelunca, vſque dum eam Carolus Rex, Frater S. Ludovici, ad deditionem compulit circa annum* MCCLXVI; *aut potius (quia tunc adhuc ibi erant relicti) vſque dum ſub Carolo eius filio penitus fuerunt anno* MCCXCV *expulſi, deſtinato in hanc expeditionem Ioanne Pipino de Baculo, Milite & Magiſtro rationalis curiæ, vti Summontius. lib. 3 Hiſtoriæ Neapolitanæ narrat. Et hæc dicta ſint, ſi forſan Auctor Legendæ ea voluit tempora indicare.*

15 *Honoratus Boucheus Sacræ Theologiæ doctor, Præpoſitus S. Iacobi, magna diligentia chorographiam & Hiſtoriam Provinciæ illuſtrans, non eſt dignatus vel minimam præcedentis tranſlationis facere mentionem; ſed arbitratur has ſanctas Matronas, Mariam Iacobi & Salomam earumque ancillam Saram, ex Palæſtina migraſſe vna cum SS. Martha, Maria Magdalena earumque pediſſequa Marcella, & appuliſſe in Gallias, & quidem in Camariam; ibidemque manſiſſe dictas Mariam Iacobi Salomam & Saram, & eccleſiam S. Mariæ in mari conſtruxiſſe, ibique ad obitum vſque vixiſſe, ac ſepultas fuiſſe: verum ſepulcrum earum abſconditum fuiſſe, propter variorum barbarorum incurſionem, ſcilicet Gothorum, Wandalorum & Saracenorum. Hæc ille lib. 4 Chorographiæ cap. 491 pag. 327. Guilielmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis lib. 1 Rationalis officii cap. 7 num. 28*, In Comitatu Provinciæ, *inquit*, in caſtro S. Mariæ de mari eſt altare terreum, quod ibi fecerunt Maria Magdalena & Martha, & Maria Iacobi & Maria Salome. *Hæc ille ſeculo* XIII. Ioannes Bocaudus, *à Colvenerio ad hunc* IX *Aprilis citatus*, in Encomio trium Mariarum *ſub finem ita ſcribit:* Harum, Mariæ Cleophæ & Salomæ, ſororum Virginis Mariæ, corpora nunc in Gallia Celtica recondita viſuntur, in oppido quodam exiguo, Gallis & pleriſque aliis ob ipſa ſane quam religioſo, è regione Maſſiliæ civitatis Provincialis Comitatus. Vnde cum Robertus, olim Siciliæ Rex & Provinciæ Comes, præfata corpora ex eorum cellula, in qua ad

B *an ipſa ibi mortua?*

C præſens celeberrime conſiſtunt, ea quidem evelli imperaſſet, fruſtra nixus eſt: quæ admodum amplexu gemino divinitus palam adeo conjuncta ſunt, vt quondam ſeparata fuiſſe minus crederentur, Fratre Ioanne Veneto perſpicuo auctore in Vitis ipſarum trium Mariarum. *Hæc ibi Colvenerius. Regnavit Robertus ab anno* MCCCIX *vſque ad annum* MCCCXLIV. *Quæ autem attingit ille de corporum indiſſolubili nexu, latius ſubjicimus ex prædicta Legenda, cum duobus aliis miraculis; quorum vnum in Petro, Leonenſi in Armoricis Epiſcopo, patratum traditur: alterum in ipſo Legendæ auctore, anno* MCCCCXXIII; *& ſunt hujuſmodi.*

16 Percurrente fama eminenteq; ſanctarũ ſororum Mariarum, quę longe lateq; per adiacentes divulgabatur regiones; Rex piiſſimus Siciliæ atque Provinciæ, Robertus nomine, illuſtris & magnificus, à præclaro Francorum ſanguine exortus, virtutum tenax, ſui compos, litteratus & devotus, miro religionis devotioniſque ad ſanctas Sorores motus affectu, ad eas peregre decrevit accedere; & veluti mente concepit, actu perficere iuſſit. Duas videlicet capſas, auro fulgentes & argento, gemmis ornatas pretioſis, ad ſanctarum Sororum glebas honorificentius collocandas; hac tamen intentione, vt ipſas ab invicem diſſolveret, & alteram in vnam capſarum cœnobio permanſuram reconderet; aliam vero in reliquarium Maſſiliæ ſe peres deportaret. Quibus diſpoſitis, maximo Pontificum, Abbatum, reliquorumque nobilium ac aliorum comitatu, dictus Rex devotus acceſſit, vt peregrinus. Igitur peracta devotione ſua, duobus præcipue ſibi aſſiſtentibus Epiſcopis, iuſſit thecas aperiri, & beatiſſima corpora ſeparari. Qui thecam aperientes ſubito tantam ſuaviſſimi odoris hauſere cuncti fragrantiam, quantam mortalis homo non ſe meminit perſenſiſſe; & iuſſione regia manus extendentes temerarias ad corpora, vt ea dividerent, Mirum dictu! continuo Pontifices luminibus oculorum ſunt privati, & tenebras quas merebantur incurrunt: beataque corpora, eodem ſarcuſo iacentia, cunctis videntibus, viventium more ſeſe mutuis conſtrinxerũt amplexibus, quod nullo modo ab invicem ſeorſum evelli potuiſſent: vt quemadmodum in vita, ſic poſt mortem ſe dilexerant, demonſtrarent. Vnde tanto timore tremoreque cuncti qui aderant ſunt invaſi, vt jam luculenter divinitus perciperent, quod non ſeparanda ſeparare deberent. His igitur actis, Rex, Pontifices & ceteri, clauſo feretro, cum intimis gemitibus & lacrymarum imbribus circa feretrum corruentes, flexis popliti-

E

bus, devotis orationibus inſtiterunt: & pro eorum ſtatu plurimum ſolliciti Rex & ceteri omnes, vno ſpiritu, vt redderetur eis viſus Dominum precabantur. Quorum ſupplicationes & deſideria miſerator Dominus clementer exaudiens, ſoſpitati eos & plenæ convaleſcentiæ [reddidit] ſupplicantis populi vota benigno favore proſequens; & ſuarum interventu Materterarum, ad miſericordiam flexus, omni ſemoto tremore, viſum Pontificibus reſtituit. Tum decreto regio edictum eſt, vt nemo deinceps beata corpora ſeparare præſumeret. Feretrum quoque Sanctorum corporum ſuis iocalibus decorari fecit, eccleſiam & cœnobium ingentibus dotavit redditibus, & regulares Canonicos divinum cultum ibidem exequentes ampliores inſtituit: illicque canon fuit, neminem diu in Sacerdotali officio exercuiſſe officium, niſi caſtitatis & munditiæ ſtudioſum. Nam qui ſe libidine in jam dicto cœnobio coinquinarunt, deprehenſos vel delectos, quod erat conſequens, fuiſſe detectos, multis indiciis extitit manifeſtum. Tum Rex, Pontifices & ſinguli ad propria repedarunt, Deum & ſanctas ejus Materteras, in iis quæ audierant, & viderant, magnificantes & laudantes. Amen.

F

17 Aliud eſt, quod neque ſubticendum arbitror. Reverendus Petrus, S. Pauli Leonenſis Epiſcopus, morum elegantia clariſſimus, virque magnæ claritatis & litteraturæ ac vitæ eminentis; quem ad ſuarum probationem virtutum & cumulum meritorum, vt ſæpe numero ſuis permittit fidelibus Omnipotens, graviſſima oppreſſit ægritudo, adeoque colligatum tenuit & afflictum, vt etiam ſe in latus alterum abſque humano auxilio nullatenus vertere, ſuſtentare, ſedereque, vel ſupinus iacere vix ipſe poſſet; & multis annis in lectulo decubans, pene omnium iacebat membrorum officio deſtitutus. Ea de re ſuis domeſticis circumquaque tranſmiſſis, colligere medicos ſtuduit; ſi fortaſſe ejus moleſtiæ ſubvenire potuiſſent. Et congregati è vicinis locis vndique phyſici, ad tactum venæ & pulſus denuntiant, ejus exitum, citius affuturum; ac ſermone brevi, nihil omnino profuerunt. Cum igitur magis ac magis morbus graveſceret, & jam pene ſui de convaleſcentia deſperarent, & ab omnipotente Deo remedium continuis precibus quærerent; rumor advolans de ſanctis Sororibus & earum tranſlatione, divino munere ad

ipſum

Auctore G. H.

intimo amplexu conſtricta ſeparari nequeunt;

2 Epiſcopi viſum recipiunt.

Petrus Epiſcopus Leonenſis,

Iuſſu Roberti Regis novis capſis imponenda corpora earum,

ob longum morbum deſperatus,

AUCTORE G.H. ipſum percrebuit. Mox orationem ſuam in ſinum ſuum convertens, à Deo & Sanctis ſororibus intervenientibus petiit, vt gratiam ſibi dignaretur impartiri ſanctum earum poſſe viſitare locellum; voti ſponſione addens ſe ad eas uſque profecturũ. Tuncque orationem condidit, quam poſtmodum in tabella ad perpetuam rei memoriam indixit exarandam, pro ſui ipſius dicereque volentium devotione & affectu, ſub his verbis.

facto voto

& fuſis præcibus,

O nobile collegium
Sanctarum Sororum trium,
Quibus nomen eſt Maria,
Veſtrum ſanctum ſuffragium
Imploro ad præſidium
Nunc in iſta anguſtia.
Quæ erit Chriſto gratior,
Aut quæ ſibi acceptior,
Quam ſit veſtra oratio?
Nullæ ſibi communior,
Nulla ſibi proximior,
Quam ſit veſtra cognatio.
Tu ſibi, virgo, mater es:
Inde ſibi quod imperes
Et naturæ dat ratio.
Vos vero duæ ceteræ,
Eſtis ejus Materteræ.
O quam ingens affectio!
Vobis me dedicaveram
In ſervum, & decreveram
Memetipſum expendere,
In devotis officiis
Et debitis obſequiis,
Veſtri Deique munere:
Sed en morbo jam imbibor,
Deficiens & delibor.
Si tunc deſit remedium,
Ego, dulce conſortium,
Veſtrarum precum dulcium
Sentiam nunc auxiliũ. Amen.

poſt apparitionem Sanctarum,
B

18 Expleta autem oratione, protinus ſopor vehemens irrepſit. Cumque medium nox iter perageret, paululum vt fieri ſolet evigilans, vidit ſanctas Sorores, pyxidas vnguentorum refertorum in manibus tenentes, ſibi coram vultibus ſplendidiſſimis aſſiſtere, ſeque benigniſſima conſolatione mulcere, dicentes; Ne metuas præſentem doloris anguſtiam; confide, votum imple, ſanaberis; nam noſtra interceſſione integram valetudinem conſequeris. Qui ſtatim evigilans ſanum & incolumem ſe cognovit. Ille itaque de tam jucunda viſione congratulans, ac Omnipotentem ſanctaſque Sorores collaudans, ſuis accitis domeſticis rei ſeriem innoteſcit: & ſurgens è grabato, ſanus & hilaris ad iter, votum impleturus, ſe accingit. Tandem ad locum ſanctarum Sororum, de quo concionati ſumus, perveniens, viſitavit cœnobium cum oblationibus hoſtiarum & muneribus magnis, palam narrans ſermone diſerto ſuæ peregrinationis cauſam, ac gratiam à Deo & ſanctis ejus Materteris ſibi factam. Quod quidem factum nunc vſque in eodem cœnobio manet memorabile; & à priſcis prioribus traditum eſt, proficiſcentibus peregrinis enarrandum. Indeque repedans duo in honorem ſanctarum Sororum conſecravit altaria, vnum in vrbe Nannetenſi, vnde fuerat oriundus; & aliud in conventu & Eccleſia Fratrum B. Mariæ de Carmelo Pariſiis: quæ etſi non ſint grandia ædificii quantitate, grandi tamen ſublimavit benedictione; officiumque compoſuit, quod omni die quoad vixit devotiſſime decantavit, & die vigeſima quinta Maji decantari inſtituit. Vixit autem ſoſpitate bona vſque ad emeritam ſenectutem, miſericordiæ actibus emeritus, & beneficiis ſemper intentus, migravitque à ſeculo anno Domini milleſimo tricenteſimo * quinquageſimo, cujus anima paradiſum meritis ſanctarum Sororum poſſideat. Amen.

ſalito convaleſcit.

2 altaria iis erigit
C

** forte octogeſimo*

Auctor Legendæ anno 1473

19 Neque vereor, aliena dum refero, propria palam depromere, quæ de ſanctis Sororibus & earum gratiis ſum expertus: neque res eſt dubia quam narrabo, quamquam ſi opus eſſet aſtruere, adſunt adhuc mihi ſuperſtites ſedulo teſtes. Eram ipſe anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo tertio, valetudinis lectulo decubans, æger febre vexatus acerrima, atque morbo quem petrinum in veſica medici calculum vocant, quibus merito alligaſſe me divinum exiſtimavi ſemper flagellum. Ibique ſupinum & jacentem peneque immobilem conſtrinxerat vis doloris; vtiliter quidem ſpero nunc, & ovanter recognoſco; vnde & quandoque in languore poſitus mente revertebar ad Dominum, ſuæ immenſæ pietati gratias agens, qui adjudicaverat me contumacem ſervum, non in ira & furore, ſed in virga filiali ita corripere, & dicebam: Domine ſi ſic vivitur & in talibus vita ſpiritus mei; corripies me & vivificabis me, ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Sic vtique dolores meos graves ferebam vt poteram; nec deerant medici, doloribus ſolerter ſuffragantes. Cum repente ad memoriam rediit quod in devotiſſima capella B. Mariæ de miraculis, in antiqua anteriore Autiſſiodorenſi Eccleſia, vbi altare & oratorium in decus & honorem ſanctarum Sororum trium decentiſſime eſt erectum, pro ipſarum ſolennitate groſſis ſignis eccleſiæ pulſabatur; erat quippe dies feſtus & earum natalitius, qui octavo Kal. Iunias annotatur. Mox ad eas, in me reverſus, orare & precari pro ſalute humiliter & devote cœpi, vovens Miſſarum ſolennia in præfato celebraturum oratorio, vt dolores meos evaderem, & optatam conſequerer ſoſpitatem. Quo dicto, miro modo in ſemetipſum cœpit febrium incendium retorqueri, ac ſi reflectionis ſuæ impetu formidaret ſe in me ipſo vlterius æſtuare: ſicque actum eſt, Dei & ſanctarum Sororum gratia, vt febris illa hora refrænata vis in ſemetipſa paulatim frigeſceret, & alius morbus terribilis me contingere deinceps non auderet. Itaque poſt triduum, ſanus & incolumis, votum reddidi devote vt valui; & accitos medicos gratioſe propulſavi, plus eorum non indigens auxiliis, ſanctarum Sororum ſuffragantibus meritis, apud Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

D

Autiſſiodori ad altare Sanctarum vovens celebrare.

ſanatur.
E

20 *Honoratus Boucheus quæ ſub Renato Andegavenſi, vltimo Rege Neapolitano è familia Francica & Comite Provinciæ, geſta fuerunt, ita narrat lib. 9 Hiſtoriæ Provinciæ ſect.* 4, § 2. Cum anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo octavo quidam Prædicator coram Rege Renato diſſeruiſſet de eximia ſanctitate Mariæ Iacobi & Salomæ earumque ancillæ Saræ, quarum glorioſa corpora detinerentur in oppido Trimariano, ſed ſub terra abſcondita; motus devota pietate Rex Renatus, inquirendi & elevandi dictas reliquias facultatem petiit à Nicolao v Pontifice Romano, à quo commiſſio rem totam perficiendi data fuit Petro de Fuxo, Cardinali & Legato Avenionenſi: in cujus locum, quod adverſa valetudine premeretur, ſubſtituti fuere Robertus Damiani Archiepiſcopus Aquenſis, & Nicolaus de Brancas Epiſcopus Maſſilienſis. Qui facta debita præparatione, Arelato diſceſſerunt ad Eccleſiam S. Mariæ de mari, & ibidem repererunt aliquot inſcriptiones lapidibus inciſas, & alias res admirandas, & inter has antiquum altare lapideum; in cujus medio inſerta erat ciſta plumbea, & in hac caput grande, & creditum eſt eſſe S. Iacobi Minoris; item quatuor alia in modum Crucis diſpoſita, ſed quorum Sanctorum fuerint nequibat ſciri. Cumque profundius effoderent terram, ad latus pedanei ſubſellii altaris, reperta fuit tumba lignea, continens duo ſacra corpora cum capitibus integra; quæ credebantur eſſe SS. Mariæ Iacobi & Salomes; & aliud ex oppoſito iacebat, quod Saræ pediſſequæ credebatur. Ex hiſce corporibus exhalabat odor ſuavis & valde gratus & admirabilis; vt qui non ſolum recreabat eos, qui in hac inventione aderant præſentes & ſpectatores, ſed ita veſtimentis eorum inhæſit, vt etiam poſt elapſum menſem hunc odorem exhalarent. Quæ omnia vbi Rex Renatus ex fideli relatione cognovit, rogavit Legatum Avenionenſem, vt curaret omnes Prælatos Provinciæ convocari, ad quorum præſentiam ſolenni ceremonia ſacræ Reliquiæ transferrentur. Aſſignatum Arelatum, quo Rex & Regina cum tota curia

Facta nova inquiſitione anno 1448

F

corpora 3 inventa ſunt,

& coram Legato Apoſtolico.

vexatus calculi doloribus.

curia præſentes adfuerunt ſub finem Novembris, & ſimul comparuerunt Robertus Damiani Archiepiſcopus Aquenſis, & hi Epiſcopi, Antonius Ferrerius Arauſionenſis, Guillelmus Soybertus Carpentoratenſis, Nicolaus de Brancas Maſſilienſis, Palamedes de Caretto Cavallionenſis, Pontius de Sadone Vaſionenſis, Petrus Naſondus Aptenſis, Joannes * de Colliarcis Tricaſtinus, Gaucherius de Forcalquier Vapincenſis, Triſtanus de Aura Conſeranenſis, Petrus Turelurus Dinienſis, Guillelmus Gueſus Graſſenſis, Petrus Marinus Glandevenſis; & hi Abbates, Petrus de Lacu S. Victoris prope Maſſiliam, Arnaldus de S. Felice S. Ægidii in diœceſi Nemauſenſi, & Joannes Euſtachius Nizellenſis in diœceſi Cameracenſi. Aderant tres Protonotarii, Guillelmus de Harancour, Joannes Huety, & Marquetus de Riciis, cū pluribus viris Eccleſiaſticis & ſacræ Theologiæ Doctoribus. Qui omnes una cum Rege Arelato diſceſſerunt in Camariam, & ad Eccleſiam Trimarianam, quo accurrerāt ex devotione ultra quatuor millia hominum. Quo in loco Legatus, accepta ab Archiepiſcopo Aquenſi & Epiſcopo Maſſilienſi juridica informatione rerum omnium ante peractarum, pronūtiavit in favorem ſanctitatis iſtarum Matronarum, utque publice ſecundum uſum Eccleſiæ honorarentur & invocarentur permiſit. Deinde ut tranſlatio corporum perageretur, duo Epiſcopi ciſtas quibus incluſa erant apportarunt, & menſæ pretioſe exornatæ impoſuerunt: oſſa incomparabilem odorem exhalantia, vino albo abluta, & goſſipio mundata, ſeparatim in arca è ligno cupreſſino confecta depoſita fuerunt; uſque dum thecæ argenteæ, quibus includerentur, eſſent confectæ.

A *Archiepiſcopo Aquenſi & 12 Epiſcopis*

* *al.* l'eguiſe, *ſive* Acutus.

actribus Abbatibus

B

depoſita

21 *Hæc citato loco Boucheus, qui in Chorographia iſta addit:* Magnæ cautelæ, quas idem Rex Renatus ad dictarum reliquiarum conſervationem adhibuit, commonſtrant inſignem ejus pietatem æſtimationemque, ob quam mandavit ut ciſta, cui Reliquiæ erant incluſæ, quatuor ſeris & totidem clavibus occluderetur: quarum clavium una ſemper Aquis in archivio Regio detineretur, altera in Capitulo Abbatiæ Montis-majoris, cui ſubjecta eſt dicta Capella, tertia apud Conſules urbis Arelatenſis, quarta vero apud ipſos Trimarianos. Et hinc difficultas oritur, quod raro admodum capſa dictarum Reliquiarum aperiatur, ob expenſas quæ debent fieri in convocationem cuſtodum clavium. Nam ex parte Curiæ, quæ rationem pecuniariam Aquis exercet, tres minimum officiales mittendi, videlicet Præſes aut Conſiliarius, Advocatus aut Procurator Regius, & alius dictæ rationis pecuniariæ Auditor, & hi ſunt cuſtodes Archivii Regii, qui tunc deferebant unam ex quatuor clavibus. Eſt autem hoc noſtro ſeculo dicta Reliquiarum capſa bis ſolum aperta; ſcilicet circa annum MDCXXVII requirente Alphonſo Ludovico Pleſſiaco Richelio, tunc Archiepiſcopo Aquenſi, dein S.R.E. Cardinale & Archiepiſcopo Lugdunenſi: & poſtmodum anno MDCXI, requirente Joanne Juberto de Berraut, Archiepiſcopo Arelatenſi. *Hæc Bouchæus ex Archiviis Regiis ad Aquas-Sextias ſervatis: & hinc videtur memoria relata in Ms. Florario Sanctorum, in Martyrologio Coloniæ & Lubecæ anno 1490 excuſo, in Additionibus Greveni ad Vſuardum, & in Martyrologio Germanico Petri Caniſii, his ubique verbis ad XXV Maji*, Ipſo die tranſlatio Sanctarum Mariæ Jacobi & Mariæ Salomæ, Sororum Mariæ Virginis. *Quæ eadem, omiſſo verbo Tranſlationis, leguntur in Martyrologio Pariſiis anno 1536 impreſſo. In Martyrologio Gallicano Sauſſaji indicatur* feſtum S. Mariæ Jacobi Arelate. *Nulla* Saræ pediſſequæ *ſive* ancillæ *mentio fit in Martyrologiis. In citata Legenda traditur una veniſſe in Verulanam civitatem ibidemque ſepulta.*

C

ſub 4 clavibus,

oſtenſa anno 1627 & 1640.

memoria in Martyrologiis.

Auctore G. H.

CAPUT IV

Cultus ſacer in Hiſpania. Num iſtic S. Maria Cleophæ poſt mortem ſepulta? An hujus caput Venetiis?

22 *Hactenus deduximus venerationem S. Mariæ Cleophæ, matris S. Iacobi fratris Domini, imo & Salomæ, matris SS. Iacobi & Ioannis Euangeliſtæ, paſſim conjunctam, iiſque exhibitam in Eccleſia Græcorum Conſtantinopolitana, Italorum Verulana, & Gallorum Camarienſi, cum aliqua ſacrarum Reliquiarum aſſervatione. Ipſi etiam Hiſpani ad hanc contentionem accedunt. Ac primo Georgius Cardoſo in Hagiologio Luſitano ad hunc* IX *Aprilis, celebrat* S. Mariam Cleophæ, & quamdam Mariam Magdalenam, vita functas in oppido Civitatenſi, *vulgo* Ciudad-Rodrigo. *Cujus rei omnis probatio ſumitur ex Additionibus Braulionis & Helleca ad M. Maximi Chronicon, in quibus ann. 16 & 17 iſta leguntur:* Fama eſt cum S. Jacobus venit in Hiſpaniam, Mariam Cleophæ, & Salome matrem, & Mariam quamdam Magdalenam eum fuiſſe comiter comitatas, & rediiſſe cum illo, veniſſeque cum corpore, & utraſque Cleophæ & Magdalene obiiſſe in Civitatenſi oppido in Luſitania, die Aprilis x. Magdalenam vero Lazari ſororem cum Lazaro, Maximino atque Chelidonio, Marcella, Joſepho ab Arimathia, veniſſe in Galliam Aquitanicam, ibique prædicaſſe Domini Jeſu ſanctum Euangelium; ut docent luculenter Gallorum hiſtoriæ, & eſt traditio ubique ſatis recepta illius regionis. Maria Salome rediens cum ipſo Jacobo filio, peragratis partibus Germaniæ, Angliæ & Italiæ ubi prædicavit, cum Verulas perveniſſet, ætate confecta ibi requievit XXIV Maji. *Hæc ibi ſub nomine Hellecæ Archiepiſcopi Cæſarauguſtani, qui floruit ſeculo nono. Verum an aliquid ex his ſcriptis extiterit ante hoc ſeculum decimum ſeptimum alibi diſcuſſimus: & quæ hic de duplici Magdalena proferuntur, poterunt examinari ad diem* XXII *Iulii, num videlicet à Maria Magdalena, in Euangelio ſub iſto nomine notiſſima, ſit alia, non Magdalena, ſed Maria ſoror Marthæ & Lazari: quod videtur iſtarum rerum conſarcinator non ſatis intellexiſſe. At quis regionem Rhodanum inter & Alpes unquam appellavit Galliam Aquitanicam, niſi excogitetur nova expeditio in Hiſpanias, & inde in Aquitaniam ad Garumnam fluvium. Maſſilia & Provincia, regio Italis proxima, in Gallia Narbonenſi ſita eſt: ad quam dictas Sanctas perſonas appuliſſe, & in ea ad finem vitæ perſtitiſſe, eſt hoc tempore traditio ſatis recepta; ſed an nota fuerit ſeculo Chriſti nono, plurimum à viris eruditis dubitatur. Quis autem antiquorum meminit adventus earum in Hiſpaniam? Quis venerationis earum ad* X *diem Aprilis, aut Salomæ ad* XXIV *Maji? Colitur S. Maria Cleopha hoc* IX *Aprilis, & Tranſlatio S. Mariæ Iacobi celebratur* XXV *Maji. Credo quod iſtorum figmentorum auctor, ne videretur ex hodierno Martyrologio Romano earum notitiam aſſumpſiſſe, de induſtria voluerit ad diem unam aberrare.* S. Salome *inſcripta eſt antiquis Martyrologiis ad diem* XXII *Octobris, ſed Eccleſia Compoſtellana celebrat ſequenti die* XXIII *Octobris ad quem Tamajus illam retulit his verbis:* Compoſtellæ in Gallæcia Hiſpaniæ anniverſaria colitur feſtivitas S. Mariæ Salome, matris S. Jacobi Hiſpaniarum Apoſtoli, quæ filium in Hiſpanias ſecuta, Vercellis glorioſo fine quievit. *Hæc ille, ubi pro* Vercellis *legendum* Verulis *arbitramur, ſed de ejus cum filio S. Iacobo in Hiſpaniam adventu, ad utriuſque natalem, quæri poterit. Interim ejus mortem cum Martyrologio Romano*

an cum aliis in comitatu S. Iacobi eo venerit?

E

cultus S. Salomes in Hiſpania.

F

A Hierosolymis *adscribendam arbitramur, uti* Mariam Cleophæ Judææ, *& quidni etiam Hierosolymis? Ferdinandus Vghellus tomo* 5 *Italiæ sacræ in descriptione Patriarchatus Venetiarum columna* 1261, *inter Reliquias dictæ urbis simpliciter indicat*, caput Mariæ Cleophæ in æde Servorum esse. *Cæterum si forsan & nos in hac molesta disquisitione non videamur aliquibus satisfeciſſe, libenter edocebimur certioris veritatis meliorem methodum, quam poterimus amplecti ad diem* XXV *Iulii aut* XXII *Octobris, imo & ad proximas Calendas Maji ad Vitam S. Iacobi, dictæ Mariæ & Cleophæ filii.* D

DE S. PROCHORO E PRIMIS DIACONIS,

G. H.

EPISCOPO NICOMEDIENSI ET MARTYRE ANTIOCHIÆ.

SECULO I. *Quæ fuerint occasione primi ab Apostolis creati Diaconi, ita narrat Euangelista Lucas capite* VI *Actorum sub initium*: In diebus illis crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus. B Nos vero orationi & ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine: & elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus. Et verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum in Hierusalem valde: & multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei. *Hæc ibi S. Lucas, qui reliquo capite* VI *& integro capite* VII *prosequitur acta, disputationes, & martyrium S. Stephani: ut ei similes alii Diaconi, videantur fuisse* pleni Spiritu sancto & sapientia: *&, excepto* Nicolao advena (*quod is, si non causa & auctor, saltem occasio tradatur hæresis Nicolaitarum*) *reliqui fastis sacris Latinorum & Græcorum inscripti sunt.* Philippus *à Latinis colitur die* VI *Iunji, à Græcis* XI *Octobris. Sunt præterea Martyrologio Romano & aliis inscripti* Nicanor & Parmenas, X & XXIII *Ianuarji, ad quos dies de illis egimus. Alii duo suam habent venerationem hoc mense Aprili, die* IX Prochorus, *die* XIX Timon.

Inter 7 primos Diaconos ab Apostolis constitutos

S. Prochorus

C *colitur cum 3 aliis à Græcis 28 Iulii.*

2 *Hos quatuor Græci una solennitate venerantur in suis Menæis excusis & manuscriptis, in Anthologio, in Synaxario, & in aliis libris ritualibus: ex quibus hoc elogium in Menologio Sirleti extat*: Die XXVIII Julii, Natalis Beatorum Prochori, Nicanoris, Timonis & Parmenæ. Hi cum essent ex numero sanctorum Apostolorum, in diversis locis, propter Christianæ fidei prædicationem, persecutionem passi, eo quod Christum Dominum filium Dei & perfectum hominem esse confiterentur, martyrii coronam assecuti sunt. *Hæc ibi. Dorotheus in Synopsi de Septuaginta Christi discipulis ista de S. Prochoro habet*: Prochorus, unus ex septem, Nicomediæ, civitate Bithyniæ, Episcopus fuit. *Hippolytus Martyr ait,* Πρόχωρος Ἐπίσκοπος Νικομηδείας, *tum addit* qui primus egressus est, *scilicet Hierosolymis ubi simul ministrabat cum aliis sex*: credens cum filiabus suis: *de quibus alibi necdum legimus. Nec vero magnam fidem merentur duo opuscula illa, sed ut pseudepigrapha rejiciuntur à viris eruditis. Creatum illum dictæ urbis Episcopum à S. Petro reperitur in Oratione Græca de laboribus & peregrinationibus Apostolorum Petri & Pauli, Latine à Lipomano & Surio ad diem* XXIX *Iunji edita: in qua cum indicasset auctor, sanctos hos Apostolos, post tres annos à conversione S. Pauli, convenisse Hierosolymis, ista addit*: Beatus quidem Paulus profectus est ad opus, ad quod vocatus fuerat; Magnus autem Petrus reversus ad Antiochiam; ubi cum Euodium constituisset Episcopum, venit Synadem Phrygiæ civitatem, deinde Nicomediam: in qua cum Prochorum ordinasset Episcopum, venit Ilium civitatem Hellesponti. *Similia tradit Sophronius in fragmento de Certaminibus & peregrinationibus SS. Petri & Pauli.*

& dicitur Nicomediæ Episcopus

à S. Petro creatus.

3 *Petrus de Natalibus lib.* 4 *Catalogi cap.* 39 *hoc ejus concinnavit elogium*: Prochorus, Diaconus & Martyr, de septem primis, qui ab Apostolis electi sunt, vir fide & miraculis præclarissimus, apud Antiochiam passus est. Ut dicit Hieronymus in Martyrologio. Hic, ut ipsemet de se scripsit, nepos fuit S. Stephani Protomartyris, & comes Joannis Euangelistæ, cum ad prædicandum missus fuisset in Asiam: cum quo multo tempore manens, factus est Episcopus Nicomediæ Bithyniæ: unde post multorum conversionem ab eodem Apostolo missus est Antiochiam ad prædicandum, ubi martyrio coronatus vitam finivit V Idus Aprilis, ibique in pace quievit. *Hæc Petrus de Natalibus, qui antiquiora Martyrologia Mss. sæpius attribuit S. Hieronymo, qualia habemus ex monasterio Centulensi & alio Reginæ Sueciæ, Fuldæ aut in vicinis locis conscripta, in quibus ista leguntur*: Natalis B. Prochori, fide & miraculis clarissimi viri, apud Antiochiam consummati, ibique quiescentis. *Vsuardus his similia habet*: Eodem die, *inquit*, natale B. Prochori, qui fuit unus de septem primis Diaconibus. Hic fide & miraculis præclarus apud Antiochiam martyrio consummatus est. *Similia habentur in Martyrologiis Adonis, Notkeri, hodierno Romano & aliis. Plura ex Petro de Natalibus adjunguntur apud Maurolycum, Felicium, Galesinium, quod fuerit* nepos S. Stephani, & comes S. Joannis Euangelistæ. *Imo ab aliis dicitur auctor libelli* de Vita, miraculis & assumptione S. Joannis Euangelistæ, *qui extat Græce & Latine inter Orthodoxographa Basileæ anno* MDLXIX *edita, Latine vero in Historia Patrum Laurentii Barrai, & in Bibliothecis veterum Patrum. Verum libellus iste, fabulis mendaciisque refertus est, & jam pridem inter apocrypha rejectus à Baronio, Bellarmino, Molano Lorino & aliis: uti latius dici poterit quando de S. Ioanne Euangelista erit agendum.*

passus apud Antiochiã, E

9 Aprilis,

inscriptus fastis Latinis.

falso ei adscripta historia S. Ioannis Euang. F

4 *Aliquas* S. Prochori Diaconi Reliquias *adservari Bononiæ in Ecclesia S. Ioannis in Monte Canonicorum Regularium Lateranensium, tradit Masinus in Bononia perlustrata.* Proculus Martyr *dicitur in Kalendario Breviarii Mediolanensis anno* MDXXXIX *editi*: *at* Procorus *in Kalendario Missalis ejusdem Ecclesiæ anno* MDXXII & MDIX *excusi. Fuerit hic in Italia passus, ac forsitan apud Insubres, unde Mediolani cultus ejus olim percrebuerit; vel eo ex Romanis cryptis translatus, ipsiusque aut alterius Martyris simili nomine appellati pars aliqua devecta Bononiam. Documentum certe aliquod proferri oportet, antequam rationabiliter credantur Reliquiæ istæ, ejus de quo agimus Prochori esse, quæ alias tempore sacrorum bellorum ex Oriente potuerunt advehi.*

Reliquiæ an Bononiæ?

DE

DE SS. IVDÆIS, AD FIDEM CONVERSIS,

MARTYRIBVS LEONTINIS IN SICILIA.

G. H.

SUBDECIO

SÆPIVS *celebrem memoriam Leontinorum, etiam poſt urbis ruinam facimus, ob varios ibidem pro fide Chriſti laurea Martyrii coronatos. Nunc Tabulæ Eccleſiæ iſtius nobis repræſentant aliquot Iudæos, ad fidem Chriſti converſos, & glorioſos ſub Decio Imperatore Martyres effectos: de quibus Officium Eccleſiaſticum, à Paulo V Pontifice Maximo approbatum, recitatur. Meminit illorum Octavius Cajetanus in Martyrologio Siculo his verbis:* Leontinis ſanctorum Martyrum Hebræorum, perſecutione Decii & Valeriani ſub Tertullo Præſide. *Acta converſionis & martyrii eorum continentur in Vita & hiſtoria martyrii SS. Alphii, Philadelphi & Cyrini, à quibus fuerunt ad fidem converſi, integre proferenda ad horum diem natalem* x *Maji. Hic prælibamus, quæ de his excerpſit idem Cajetanus & ſunt ejuſmodi.*

Cultus ſacer:

Elogium ex Actis SS. Alphii Philadelphi & Cyrini.

B

2 Perſecutione Decii, & Valeriani, Tertullo Siciliæ Præſide, Confeſſores Chriſti Alphius, Philadelphus, & Cyrinus ad quæſtionem Leontinos perducti ſunt. In ipſo fere urbis ingreſſu, obviam illis ſit Hebræi cujuſdam filius, qui à dæmone obſeſſus, triginta jam dies vexabatur, & in via jacebat; habitabat enim in vicinis ſpeluncis dæmon, & prætereuntes perſæpe graviter agitabat. Pater igitur, & lacrymans pro filio mater, unaque fratres, pro energumeno fratres Confeſſores Chriſti rogabant: quibus hi dixere. Creditiſne in Jeſum Chriſtum? & illi, Credimus, Domini mei. Ipſi milites, qui Alphium, Philadelphum & Cyrinum cuſtodiebant, commiſeratione permoti, eos orabant; ut miſerorum lacrymis flecterentur. Beati Confeſſores dixerunt, Manicas laxate, ut componamus ad Deum orandum Manus. Cum milites abnuerent Tertulli metu, vincula ſponte ſua cecidere. Tum ſancti fratres in genua accidentes, oraverunt: Domine Deus, opifex cæli terræque ac maris, orationem exaudi ſervorum tuorum: miſerere operis tui, & hominem à diabolo vexatum libera, ut hoc in loco, in quem nos deduci voluntas tua fuit, palam fiat potentia tua, & nomen ſanctum tuum attollatur. His dictis, ſurrexere. Mox S. Alphius ad energumenum accedens, In nomine, inquit, Domini noſtri Jeſu Chriſti, immunde dæmon, egredere à ſimulacro Dei. Statim profugit dæmon, inclamans, daturum ſe Tertullum eſcam feris, qui ſervos Chriſti Alphium, Philadelphum & Cyrinum Leontinos miſiſſet, quorum imperio à ſedibus ſuis deturbaretur.

Iudæus à dæmone obſeſſus,

precibus Martyrum liberatur:

C

3 Devincti miraculo parentes Hebræi & conſanguinei fidem recepere: ſalutis vero ſignum petentes, adhortabantur ſancti adoleſcentes, irent ad Epiſcopos & Presbyteros, in montibus ac ſpeluncis latentes, à quibus baptizarentur. At illi diſceſſere, gaudentes & Deum laudantes. Poſt menſes ferme quatuor, beneficium fidei, quod accepere, feliciter Chriſto reddiderunt. Nam cum beati Martyres Alphius, Philadelphus & Cyrinus, ligneo onerati jugo, urbem obirent, & Tertulli juſſu per altas ſpeluncas, & Judæorum ſuburbia ducerentur; Hebræi parentes, una cum filiis cunctaque familia, obvii Sanctis occurrere, orantes, ut eorum miſerti, comites ad martyrium adjungi juberent. B. Alphius ſimul cum fratribus reſpondit: Det vobis Dominus, ut participes ſitis ſortis Sanctorum. Tum voce una omnes inclamant: Chriſtiani ſumus. Quæ cum audiſſent reliqui Judæi è ſpeluncis egreſſi, in quibus habitabant, lapidare illos cœperunt, quod Jeſum Chriſtum palam confiterentur, quem eorū patres crucifixiſſent.

parentes & amici converſi baptizantur:

deſiderant martyres mori:

E

4 His cognitis Tertullus per apparitores ſuos pertrahi ad ſe vinctos jubet. Continuo comprehenſi viri & mulieres; & interrogati, cur patrias leges deſeruiſſent, reſponderunt: Decepere nos, Tertulle, Doctores noſtri: ſed ope Dei & miraculis Alphii, Philadelphi & Cyrini, non niſi Chriſtianam fidem veram eſſe cognoſcimus. In Jeſum Chriſtum credimus, quem confitemur verum Deum eſſe, & pro eo morte percupimus. Tum Tertullus primores Hebræorum accerſitos conſulit, quid miſeris illis faciendum foret. Reſpondere, Si perſeverant in ſententia, male perdantur. Rurſum Tertullus evocatum Hebræum energumeni parentem ſic alloquitur: Adhuc in amentia tua perſtas? Animum adverte, infelix, quid viri ſapientes gentiles tui dicent. Is vero ceterique cum eo dixerunt: Plura loqui, neſcimus; unum profitemur, Chriſtiani ſumus, dæmonibus non ſacrificamus. Tum Tertullus, ubi in Jeſu Chriſti fide conſtantes videt, gentilibus ſuis lapidandos tradit: à quibus procul urbe ejecti, lapidibus obruti, Deo ſpiritum reddidere v Idus Aprilis; iis gemmis coronas eorum Domino exornante, qui regnat in ſecula ſeculorum.

coram Præſide confitentur fidem.

lapidibus obruti moriuntur:

F

DE SANCTIS QVINQVE VIRGINIBVS

MARTYRIBVS SIRMII IN PANNONIA.

G. H.

IX APRIL.

VIrginei cruoris feſtum appellari jure merito poſſe diem nonum Aprilis *ſcribit Franciſcus Maria Florentinius in Notis ad Martyrologium Hieronymianum*, quando, *inquit*, pro gemino ſanctarū Virginum ac Martyrum choro antiquitus exultabat Eccleſia. *A primo choro exorditur dictum S. Hieronymi Martyrologium, his verbis:* v Idus Aprilis. In Sirmia Natalis quinq; Virginū, quorū nomina Deus ſcit. *Ita apographa Lucenſe & Blumianum, Corbeienſe & antiquum Epternacenſe, quo hactenus uſi ſumus: in hoc tamen deeſt additamentum de notitia Dei, in altero erant ſolum quatuor notatæ, ſed amanuenſium errore; cum in altero Martyrologio Corbeienſi, ante annos etiam octingentos ſcripto, dicantur* quinque Virgines. *Eadem omnia habentur in pervetuſto Martyrologio S. Maximini; & alio Reginæ Suecīæ à Luca Holſtenio plurimum laudato: item in Kalendario Ms. ante aliqua Iſidori opera in Vallicellana Congregationis Oratorii bibliotheca reperto. Sed pro* Sirmia, *ſcriptum erat* Syria. *Eadem quinque memorantur etiam in Martyrologio Ms. Tamlactenſi; & apud Notkerum. Et ab his quinque ſejunguntur aliæ* ſeptem Virgines, *quæ in pluribus Faſtis referuntur cum aliis Sanctis Martyribus, uti ex ſequenti claſſe* Martyrum *conſtabit. Ceterum quæ hic* Sirmia *dicitur, paſſim* Sirmium *appellatur, urbs olim præclariſſima in Pannonia inferiore, & plurimorum Martyrum palæſtra famoſiſſima, uti jam ſæpius diximus.*

DE SANCTIS MARTYRIBVS DEMETRIO DIACONO, HILARIO, CONCESSO, MARO, SIRMIONE, FORTVNATO, DONATO.

G. H.

ITEM VII VIRGINIBVS CANONICIS.

IX APRIL.

Memoria omnium in antiquis Martyrologiis.

ALtera hæc eſt claſſis Martyrum *in antiquis apographis Martyrologii Hieronymiani: & Epternacenſe eam ita recenſet:* Et alibi Demetri Diaconi, Hilari, Conceſſi, Mari, Sirmionis, Fortunati, & ſeptem Virginum Canonicarum. *In aliis apographis additur nomen* Donati, *ſed cum aliqua varietate in nomine* Sirmionis. *In Lucenſi codice iſta leguntur:* Et alibi Demetri Diaconi, Hylari, Conceſſi, Mari, Syrmionium, Fortunati, Donati, & natalis VII Virginum: *in codice Blumiano additur,* Canonicarum: *reliqua ſunt eadem. In codice Corbeienſi, Pariſiis excuſo, poſt* Mari *iſta habentur:* Sirmium, Fortunati, Donati & aliorum ſex. Et natalis ſeptem Virginum Canonicarum. *Hactenus apographa Hieronymiana, ex quibus aſſerit Florentinius in ſuis ad hunc diem Notis,* MS. Antverpienſe, *ſive Epternacenſe,* in nominibus minus depravatum eſſe, *& cum illo,* Sirmionis nomen, Martyris potius videri, *& dictis Martyribus annumerandas eſſe* ſeptem Virgines, Canonicas *dictas, quod Deo ſacratæ eſſent, & ſimul ſub certa aliqua norma vivendi degerent, In Ms. Martyrologio Reginæ Sueciæ, poſt quinque Sirmienſes Virgines, additur.* Et alibi Demetrii Diaconi & ſeptem Virginum, quæ in unum meruerunt coronari. *In Ms. Tamlactenſi, poſt has* ſeptem Virgines, *referuntur nomina* Dimetri, Hilarii, Conceſſi, Macarii, *aliis* Mari, Sirmimonis *ſupra* Sirmionis, Fortunati, Donati. *In Richenaugienſi Ms. iſta habentur:* In Sirmia Dimetri Diaconi, Helarii, Conceſſi, Fortunati & Virginum ſeptem, Marii, Donati. *Qui ultimi duo deſunt in Ms. Rhinovienſi. Sed omiſſa* Sirmia, *iſta habentur in Ms. Pariſienſi Labbæi noſtri:* Demetrii, Hilari, Conceſſi, Mari, Fortunati, Donati & aliorum ſeptem, *forſan* aliarum Virginum. *Quæ fere eadem leguntur in Ms. Auguſtano S. Vdalrici. Ex dictis Martyribus viris ſolus* Demetrius *refertur in Mss. Atrebatenſi, Tornacenſi & Latienſi: quinque ſuis nominibus exprimuntur in Ms. Barberino & apud Grevenum: quatuor in Caſinenſi & Altempſiano: tres apud Notkerum: duo in Corbeienſi, Maximiniano, & Carmeli Colonienſis, item apud Maurolycum & Felicium, ſed nulla loci facta mentione.*

B

C

2 *In hodierno Martyrologio Romano iſta leguntur:* Romæ natalis Sanctorum Martyrum Demetrii, Conceſſi, Hilarii & ſociorum. *Addit Baronius* hos reſtitutos eſſe ex prædicto veteri manuſcripto S. Cyriaci. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum eoſdem proponit, additque* horum Martyrum nullam extare hiſtoriam, ſolam vigere in Martyrologio Romano memoriam, ex antiquo Martyrologio monaſterii S. Cyriaci, ex quo in Martyrologium Romanum tranſcripti ſunt. *Eſt ſatis celebris memoria horum Martyrum in variis faſtis, ſed qui Romæ adſcripſerat ante Baronium, fuit Galeſinius, ita loquens:* Romæ item beatorum Martyrum Demetrii, Conceſſi & Hilari, qui profligato per varias certaminum vices fidei adverſario, demum pro pietatis victoria coronantur. *Citat Galeſinius in Notationibus* Kalendarium monaſterii Bergomenſis, quod eſt Ordinis Vallis-Umbroſæ: *quod forſan voluit etiam indicare Baronius, cum nulla horum Martyrum mentio fiat in Martyrologio Ms. monaſterii S. Cyriaci:*

An Demetrius cum ſociis ſit paſſus Romæ.

in quo ſolum iſta leguntur: v Idus Aprilis, Natalis ſeptem Virginum, qui in unum meruerunt coronari, *abſque mentione loci. Dictum autem Kalendarium in monaſterio Vallumbroſano non reperiri docuit nos Donatus Calvus, Congregationis Lombardicæ, Patrum Auguſtinianorum olim Generalis, litteris datis Bergomi* XXV *Novemb. anno* MDCLXIX. *Nos ideo in titulo non fuimus auſi hos Martyres adſcribere urbi Romanæ.*

3 *Beda in genuino Martyrologio has Septem Virgines attribuit* Sirmio, *nulla facta quinque ſupra relatarum Virginum mentione. Verba ejus ſunt iſta:* v Idus. In Sirmio natale ſeptem Virginum, quæ in unum meruerunt coronari. *Bedam ſecuti ſunt Ado, Notkerus, Rabanus. Phraſin mutavit Vſuardus:* In Syrmio, *inquit,* ſeptem Virginum Canonicarum, quæ dato ſimul pretio ſanguinis, vitam mercatæ ſunt æternam. *Quæ fere eadem leguntur in hodierno Martyrologio Romano. Majus encomium formavit Galeſinius. De his Virginibus ita luſit olim Wandelbertus.*

an VII *Virgines Sirmiæ*

E

Lampade ſeptena, quinis nitet Idibus, alto
Virgineus radians ſimul æthere floſque decorque.

Earumdem memoria commendatur in Kalendario Breviarii Ambianenſis excuſi anno 1534 *&* 1550. *Aliquibus etiam faſtis inveniuntur adſcriptæ ad* XV *Maji cum S. Timotheo.*

4 Demetrius Diaconus *à Maurolyco, Felice, Galeſinio & Caniſio refertur* XXVI *Martii inter Martyres Sirmienſes poſt Montanum Presbyterum & alios, quem ex hoc die eo tranſlatum cenſuimus. Apud Petrum de Natalibus lib.* 4 *cap.* 94 *memoratur* S. Demetrius Diaconus *cum elogio, quod exhibemus* XXVIII *Aprilis, ubi agitur de SS. Euſebio Epiſcopo, Pollione & Tiballo Martyribus in Pannonia.*

Demetrius relatus 26 Martii, & 28 Aprilis

5 *Colitur hoc die* S. Hilarius, Martyr Romanus, *Compluti in Hiſpania in eccleſia Diſcalceatorum ſanctiſſimæ Trinitatis, quod ejus corpus, Roma delatum in Hiſpaniam ab Iſidoro de S. Ioanne, Miniſtro Generali, acceperint anno Domini* MDCXLI. *Ejus autem memoriam celebrant hoc die, arbitrati eum eſſe, cujus mentio fit in Martyrologio Romano. Authentica teſtimonia videri poſſunt apud Tamaium Salazar in Martyrologio Hiſpanico. Præterea hujus ejuſdem* Hilarii *corpus delatum Roma in Luſitaniam fuiſſe anno* MDCX *à Ioſepho de* Mello *Archiepiſcopo Eborenſi, ac depoſitum eſſe Villavicoſæ in eccleſia conventus Franciſcanorum, & ſeorſim die* XVI *Martii, quo ea fuit Tranſlatio peracta, coli officio Eccleſiaſtico, tradit Georgius Cardoſo in Hagiologio Luſitano ad utrumque diem. Præterea Bononiæ Patres Teatini, in ſua Eccleſia S. Bartholomæo ſacra, celebrant hoc die* S. Hilarium Martyrem, *aſſerentes ſe illius corpus, cum proprio nomine in cœmeterio Romano S. Calliſti anno* MDCVI *repertum, obtinuiſſe à Summo Pontifice Paulo V, uti teſtatur Maſinus in Bononia perluſtrata: qui addit* S. Conceſſi aliquas reliquias *aſſervari in eccleſia S. Gabrielis Ravegnanenſi. Nos minime dubitamus, quin omnes iſti, & inter ſe, & ab eo qui in titulo propoſitus eſt, diverſi ſint; vellemuſque ut ii, qui corpora Roma accipiunt, perſuaderi ſe ſinerent, ea eſſe Martyrum quidem; ſed talium, quos in Romano aut alio ullo Martyrologio nominatim expreſſos, credi non debeat, niſi id ſuadeat aliquod veroſimile argumentum, in quo talis conjectura fundetur: nec ſufficere quod corpori adſcriptum nomen conveniat, cum aliquo quem Romæ paſſum Martyrologia dicunt; cum fieri poſſit, & veroſimiliter factum revera ſit*

corpus alicujus S. Hilarii eſt Compluti,

F

aliud Villavicoſæ,

aliud Bononiæ.

A *sit, vt facile centum istius nominis quod requiritur fuerint Romæ Martyrio coronati. Desinant igitur in tali casu recurrere homines pii ad Romanum Martyrologium, & non multiplicabunt errores contentionesque inutiles & indecoras locorum plurium, de vnius ejusdemque Sancti præsentia & tutela.*

6 *Inter jam nominatos sanctos Martyres collocantur alii in MS. Tamlactensi; & sunt* Dedicus, Satyrus, Pilotus, Quadratus, cujus sanguis adhuc remanet, & alii D septem: *ita* alii sex *in Martyrologio Hieronymiano Parisiis excuso addebantur, &* alii septem *adjungebantur supra in MSS. Augustano & Labbeano: sed quod* septem *sint* Virgines, *& supra* quinque Virgines, *veremur, ne aliqua in numeris sit facta confusio; & tam de his quam aliis, nominatim expressis, nihil ex vnico MS. audemus definire, ideoque eos inter Prætermissos rejicimus.*

DE SANCTIS MARTYRIBVS
BASILIO, RVFINO, ISIDOROO EVGENIANO, CELSO, ANASTASIO. G.H

IX APR. *Vod nobis feliciter contigit in Sanctis, quos in mensibus Ianuario & Februario dedimus ex antiquo apographo Martyrologii Hieronymiani, vt postea fuerimus assecuti tria alia apographa,*
B *ex quibus tam Parisiis quam Lucæ aliqua sunt typis excusa, vnde Acta Martii & Aprilis maiori cum luce vulgamus; idem optamus, dum aliquos Martyres damus ex vetustissimo codice Casinensi, antiqua littera Longobardica olim exarato, vt alibi similia Martyrologia reperiantur; ex quibus sequentibus mensibus lux maior accedat, & suppleantur defectus mensium præteritorum. In dicto autem Casinensi MS. Martyrologio ad hunc diem ista solum referuntur.* VIdus Aprilis Natalis sanctorum Martyrum, Basilii, Rufini, Isidori, Eugeniani, Celsi, Anastasii. *Hæc ibi. Neque vsquam talium Martyrum collectionem reperimus, & ne quidem vllus in aliis Martyrologiis ad hunc diem memoratur. Vnus hactenus innotuit* Eugenianus. *ad diem* VIII *Ianuarii absque sociis relatus, & ab aliquibus Augustoduno tributus. Hos autem Martyres, quod alibi minus noti sunt, suspicamur in Apulia, Calabria, Sicilia aut Africa potius passos, quod hæ regiones olim sub Saracenis antiqua sua monumenta amiserint.* E

DE SANCTIS MASSYLITANIS MARTYRIBVS IN AFRICA. G. H.

IX APR. *Abulæ hodiernæ Martyrologii Romani hos Sanctos Martyres proponunt istis verbis:* In Africa sanctorum Martyrum Massylitanorum, in quorum die natali S. Augustinus tractatum habuit. *Est is sermo de diversis quadragesimus secundus cui iste titulus præfigitur:*
sacer cultus, Tractatus S. Augustini de natali sanctorum Martyrum Massylitanorum: *Cujus hoc est exordium:* Fortitudinem sanctorum Martyrum sic in eorum passione miremur, vt gratiam Domini prædicemus. Neque enim & illi in seipsis laudari voluerunt, sed in illo cui dicitur, In Domino laudabitur anima mea: *&*
C *tunc, nulla facta horum Martyrum mentione, inculcat virtutes; atque post patientiam commendatam, concludit istum tractatum, cujus etiam meminit Possidius in indiculo. Videtur martyrii historia apud Afros notissima fuisse, vt vel ideo eam non enarrarit S. Augustinus. At quo loco hi Martyres pro Christo obierint, & gloriæ coronam meruerint, non*
locus an Fessa? *liquido constat. Prudentius Peri Stephanôn hymno* 4, XVI *Aprilis referendo de decem & octo Martyribus Cæsaraugustanis, istam strophen habet.*

Ingeret Tingis sua Cassianum;
Fessa, Massylûm monumenta Regum:
Qui cinis gentes domitas coëgit
Ad juga Christi.

Scio passim legi solere Festa: *sed cum ea vox nullum commodum sensum faciat; isque illâ in nomen loci mutata, fiat clarissimus; corrigendum eum conjectura credidi. Est autem* Fessa *insignis hoc die Maurorum Regia, & vrbs amplissima in mediterraneis Provinciæ Tingitanæ:* Volubilem *a Romanis Colonis dictam, ex Ludovico Marmolio scribit Ferrarius in Lexico Geographico. Ptolemæo ignotum fuit* Fessæ *nomen: sed quidni illud post illum, abolita appellatione Romana ac peregrina, aut tunc primo* F *assumptum, aut ex vetusto gentis vsu resumptum invaluerit, & Prudentio innotuerit. Hac autem conjectura admissa, fuerint istic vel martyrio affecti vel post martyrium istuc translati Martyres prædicti; iique non ex vulgo, sed ex ipsa Regum Massylitanorum familia. Livius lib.* 4 *decadis* 3 Massylam gentem in Numidia *collocat, vbi* Gala regnabat. *Apud Dionysium Afrum, in dicto Ferrarii Lexico citatum, sunt* Masyli populi, & Masyla regio Africæ,

DE SANCTIS MARTYRIBVS
DESA EPISCOPO, MARIABO PRESBYTERO, ABDIESO ET ALIIS CCLXX BIZABDENSIBVS, IN PERSIDE SVB SAPORE OCCISIS. G.H.

POST AN. CCCLV. *Graci in suis Menæis, tam manu exaratis quam excusis, & apud maximum Cytherorum Episcopum, & in Synaxario MS. Parisiensi Collegii Claromontani, celebrant in titulo propositos Martyres, his ferme vbique verbis:* Eodem die, *scilicet nono Aprilis*, certamen sanctorum martyrum, qui in Persidem captivi abducti, mortem pro Christo obierunt. Sapor Rex Persarum, anno regni sui tertio & quinquagesimo, expeditione in regionem Romanorum susceptâ, vrbem Bizabdem appellatam intercepit; quotquot autem in ea reperit armatos, aut qui arma ferre poterant trucidavit: reliquam vero inermem turbam cum feminis, senibus & pueris, Episcopum etiam *Intercepta vrb. Bizabde.*

A Heliodorum, Deſan & Mariabum Preſbyteros, cum vniverſo clero ſalvos in patria reliquit. Subſecuto vero tempore moriturus Heliodorus Epiſcopus, Deſan Presbyterum loco ſuo Epiſcopum ordinavit. Conſuetis igitur laudibus & orationibus ab eadem Eccleſia Deo oblatis, Adelphar Archimagus aliquis Sapori Regi indicavit, relictos ab illo Chriſtianos, creato in Præſulem Deſa, Regem ejuſque cultum & religionem ridere & convitiis proſcindere. Saporis autem imperio trecenti viri abducti ſunt in Perſidem. Qui cum nulla vi adigi poſſent vt ſolem & ignem adorarent, capite plexi ſunt, exceptis viginti quinq; qui plus vitam quam ſalutem æternam amantes ad Saporem accurrerunt, illique obſecuti ſunt. Ex reliquis vero vnus, nomine Abdieſus, cum ictum non lethalem accepiſſet, nec cum aliis eſſet extinctus, cœpit iterum, vt ante, verbum Dei libera voce generoſe prædicare. Quem impius quiſpiam gladio ſuſtulit, ſane non invitum, vtpote qui doluerat ſe ab ſuis ſodalibus Martyribus ſeparatum fuiſſe & in vita relictum. *Hæc dicta menæa, in quibus ipſi Martyres hoc diſticho honorantur.*

& mortuo Heliodoro Epiſcopo,

trecenti ex clero & populo in Perſidem abducti coronantur Martyrio exceptu 25.

Abdieſus poſtea occiditur.

Εἰς πυρολατρῶν γῆν ἐαθλᾷ Πέρσίδα
Ἡ χριστολατρῶν ἀυχενώμητ@ φάλαγξ.

laudatur in Menæis,

Cervice ſecta Chriſticolarum phalanx
Certavit in Perſide, Ignicolarum ſolo.

B

Additur ſeorſim aliud diſtichon de S. Abdieſu, qui licet ſimul colatur, non tamen eodem tempore eſt Martyrii palmam aſſecutus. Sunt autem hi verſus.

Ὢν ἀχμάλωτ@ Ἀβδιήσῦς τῶ τύχῃ,
Ἠλευθερώθη τῷ ϛραγῷ δοὺς λύτρον.
Captivus Abdieſus, vt fieret liber
Fortuna ab illa, pro lytro iugulum dedit.

Iidem Martyres in Perſide occiſi, celebrantur in Menologio Baſilii Porphyrogeniti Imperatoris, ſed narratione nonnihil acciſa, & nulla Abdieſi *facta mentione. In menologio Sirleti hoc elogio honorantur:* Eodem die commemoratio ſanctorum Martyrum captivorum, apud Perſidem Martyrio coronatorum. *Annus ſupra indicatus regni Saporis* LIII, *conjungitur apud Theophanem in Chronographia cum anno Conſtantii Imperatoris* XIX, *adeoque cum anno æræ Chriſtianæ* CCCLV, *quo à Sapore intercepta eſt Bizabdes ſeu Bizades, vrbs, quantum colligimus, Meſopotamiæ, Tigrim inter & Euphratem fluvios. Videntur autem hi Martyres fuiſſe coronati poſt annos aliquot ab vrbis illius calamitate exactos, vivente tamen adhuc Sapore, cujus regnantis annus vltimus dicitur fuiſſe Chriſtianæ Æræ* CCCLXXX.

& Menologio.

Tempus Martyrii.

C D E

DE SANCTO EVPSYCHIO

MARTYRE CÆSAREÆ IN CAPPADOCIA.

G.H.

ANNO CCCLXII

Hermias Sozomenus, lib. 5 Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 4, ita adventum Iuliani apoſtatæ Imperatoris in vrbem Cæſaream deſcribit: Sub idem tempus Imperator iſte Cæſaream, ad montem Argium ſitam, vrbem ampiam, locupletem, & regionis Cappadociæ primariam, ex numero civitatum expunxit & Cæſaris nomine privavit: quod quidem nomen regnante Claudio, cum Maza jam ante appellata fuiſſet, obtinuerat. Nam contra cives hujus vrbis dudum graviſſimum odium conceperat, tum quod omnes fidem Chriſtianam profiterentur, tum quod olim fana Jovis, vrbis Patroni, & patrii Apollinis diruiſſent. Quin etiam vniverſæ civitati graviter ſuccenſuit iratuſque eſt, quod templum Fortunæ, quod ſolum eo regnante ſupererat, à Chriſtianis everſum eſſet: atque Gentiles, qui in ea vrbe pauci numero erant, valde incuſavit, quod illud facinus vlti non fuiſſent: & ſi forte calamitatis aliquid ideo ſubeundum fuiſſet, quod non libentibus animis pro Fortuna ſubiiſſent. Omnes propterea opes omnemque pecuniam Eccleſiarum, tum in Cæſarea tum in confiniis ejus poſitarum, diligenter inveſtigari inque medium afferri, atque ſtatim trecentas libras auri ærario publico ſolvi, & Clericos omnes in numerum militum, qui Præfecto illius regionis parebant, adſcribi juſſit: quæ res & plurimum ſumptus requirit & in exercitibus Romanis maximo probro ducitur. Itemque multitudinem Chriſtianorum vna cum vxoribus ac liberis cenſeri, & non aliter atque in pagis fieri ſolet, tributa penſitare mandavit. Cum jureiurando etiam minatus eſt, neque ab ira ſe neque ab affligenda civitate temperaturum, neque permiſſurum Galilæis (ſic enim Chriſtianos per contumeliam appellare ſolebat) capita ſua cervicibus ſuis retinere, niſi delubra idolorum quamprimum de integro extruerent. Cujus minæ fortaſſe reipſa expletæ fuiſſent, niſi celerius ipſe è vita migraſſet. *Hæc ibi.*

Iulianus Imperator Cæſaream venit,

ob delubra Deorum diruta iratus:

Eccleſiarum opes diripit,

Clericos militare cogit:

Chriſtianos tributum exigit:

2 *Fuerat* S. *Eupſychius, de quo hic agimus, auctor evertendi delubrum Fortunæ, eaque de cauſa crudeliſſimum Martyrium eſt perpeſſus: de quo idem Sozomenus cap.* 10 *iſta tradit:* Fertur item Baſilium, Presbyterum Eccleſiæ Ancyranæ, & Eupſychium, ex Patriciis Cæſareæ Cappadociæ oriundum, qui nuper duxerat vxorem, & etiamnum velut ſponſus novus erat, eodem tempore de vita migraſſe. Eupſychius quidem, quantum ipſe conjectura aſſequi poſſum, propter fanum Fortunæ, ob quod id temporis dirutum, Cæſareæ cives, vt ſupra demonſtravimus, ad vnum omnes in Imperatoris odium incurrerant. Qui autem ad illud demoliendum manus admoverant, pœnas dederunt, partim multati morte, partim exilio condemnati. *Hæc Sozomenus. De memorato Baſilio Presbytero & Martyre Ancyrano egimus* XXII *Martii, ad quem diem eum colunt & Græci & Latini, ejuſque Acta Græca ab auctore ſynchrono conſcripta reperimus, deſcripſimuſq; Romæ ex codicibus MSS. Vaticano & Vallicellano Patrum Congregationis Oratorii, & Latine à nobis reddita edidimus, textu Græco ſub finem tomi rejecto. Huic Martyri poſt alia varia tormenta juſſu Iuliani fuerunt lora ex tergo ſciſſa, è quibus aliquod in faciem apoſtatæ Iuliani conjecit; tandem cum ignitis ſubulis confoderetur, inter pias preces placide obdormivit. Plane nobis apparet veroſimile, quod fuerint eodē modo Acta Martyrii S. Eupſychii conſcripta, ſed quæ hactenus nō potuimus invenire. Ex variis ergo aliis, quæ colligere licuit, hic damus: ac primo compendium, quod in Menologio Baſilii Imperatoris ad hunc diem extat, & eſt hujuſmodi.*

S. Eupſychius Patricius, fanum Fortunæ dejicit:

morte mulctatur cum S. Baſilio Ancyrano:

F

3 Eadem die certamen ſancti Martyris Eupſychii, qui erat Cæſareæ. Eupſychius Chriſti Martyr fuit ſub imperio Iuliani apoſtatæ ex Cappadocia: qui inculpatā vitam ſimplicemque agendi rationem aſſecutus, maximo Chriſti deſiderio & amore flagravit. Cum autem ſemel vidiſſet idolorum cultores, templum Fortunæ ſacrum adeuntes, & ibidem ſacrificantes, vbi & impius ac infidelis Iulianus apoſtata victimas quotidie offerre conſueverat; zelo divino percitus, alios ſecum Chriſtianos ſocios aſſumens, templum à fundamentis ſubvertit, & idola quæ in ipſo erant, plane contrivit. Cum autem hæc ſciviſſet Iulianus, vehementer iratus eſt, illoſque omnes comprehendi juſſit: & alios quidem ex ipſis fortunæ bonis orbatos, & variis ærumnis afflictos in exilium ejecit;

illius elogium ex Menologio Baſilii Imp.

A cit; Martyrem vero Eupſychium, vtpote perpetrati facinoris auctorem denuntiatum, primum quidem in carcerem conjici iuſſit: qui deinde è carcere eductus, multiplicibus tormentis cruciatus eſt; demum cum Chriſtum negare iuſſus, reſpuiſſet, capite truncatus eſt.

4 *Hactenus Menologium Baſilii Imperatoris, ex quo excerpta videntur elogia, quæ extant in Menæis Græcis excuſis & manu exaratis, in Anthologio etiam per Clementem* VIII *approbato, & quæ Maximus Epiſcopus Cytherorum ἐν βίοις ἁγίων vulgavit: ſed ea aliquanto perfectius reperiuntur in MS. Synaxario Pariſienſi Collegii Claromontani, & ſunt ejuſmodi Latine tranſlata.* Die nona Aprilis certamen ſancti Martyris Eupſychii, paſſi Cæſareæ in Cappadocia. Hic erat è regione Cappadociæ oriundus: vitam ſuã & mentem inculpatam ſervarat, & legitimo ritu vxorem duxerat. Qui divini honoris ardore incenſus, aſſumptis ſecum compluribus Chriſtianis, fanum Fortunæ dictum, in quo apoſtata Iulianus ſolebat quotidie ſacrificare, à fundamentis evertit. Vbi factum hoc innotuit, juſſit Imperator omnes Chriſtianos propriis bonis & poſſeſſionibus ſpoliari, exiliiſque ac pœnis diverſis affligi: ipſum autem Martyrem Eupſychium, velut hujus facinoris auctorem factum, gladio feriri præcepit: qui capite plexus finem vivendi fecit.

& MS. Synaxario Pariſienſi:

B

5 *Multiplicia dicuntur in Menologio Baſilii tormenta, quibus S. Eupſychius fuit cruciatus: horum nonnulla attinguntur in Eccleſiaſticis odis, quæ in Menæis referuntur, ſolitæ in divino officio à Græcis recitari, & creduntur à S. Ioſepho Hymnographo, fratre S. Theodori Studitæ compoſitæ: in his etiam virtutes ac miracula ejuſdem S. Eupſychii, ſed ſtrictim indicantur, & apponitur verſus, cujus ſingulæ litteræ initium præbeat ſingulis ſtrophis: alludit autem verſus ipſe ad nomen Sancti, & ſubjunctum habet nomen Auctoris.*

Τὰς Εὐψυχίᾳ, εὐψύχως ᾄδω πόνας. Ἰωσήφ.

Eupſychii tormenta cordate cano. Ioſeph.

& ex odis à S. Ioſepho Hymnographo ſcriptis.

Nos hic non ipſas odas conſequenter, ſed quædam hinc inde excerpta ad commodiorem lectoris vſum damus, & ſunt ejuſmodi.

6 Sapientiſſimus Eupſychius glorioſa Eccleſiæ columna conſtituitur, & turris pietatis immota: cujus mens, recta in Deum intentione, amovit omnes hujus vitæ illecebras ac delectationes, & plane feſtivus apparuit paſſionum humanarum dominator. Hic gaudio exultans, omnia ſua bona & opes indigentibus diſtribuit, & viciſſim opes martyrii ſacroſanctas, & gaudium numquam deficiens obtinuit. Tyrannus theſaurum ab eo collectum fuiſſe arbitratus, ſumma cum argutia animum ejus expugnare aggreſſus eſt, variis donis oblatis: imo & diverſis tormentorum generibus objectis, conatus eſt bene ordinatum propoſitum diſſolvere: ſed Athleta Chriſti generoſe perſeverans, victoriam promeruit. Homines impii, nimia inflati ſuperbia, & vanitatum amatores, multa eum oppleverunt infamia, & ſapientiam ejus non ferentes accuſarunt apud Principem, ſtulte progredientem & dæmoniis Sacrificantem. Venuſtum & ſublimem animum inimicis ſuis oſtendit glorioſus Martyr, iiſque terribilis apparuit & obſtupeſcendus; dum illorum malitiam æquo animo ſuſtulit, & gratia Dei innixus tribulationes carnis deſpexit: & ſicut lilium mentes hominum implevit bono odore certaminum ſuorum, eoque fœtidos errores ſapienter diſpulit. Non etiam multitudo tormentorum potuerunt tempeſtate ſua deprimere ſublimem animum, quo Chriſtum Deum, gubernantem & confortantem & ad tranquillos regni ſui portus dirigentem, aſpiciebat. Conſtantiſſime corpus ſuum vulneribus lacerari pertulit, dum in altum ſuſpenſus, vidit ſe Chriſto omnis creaturæ Domino aſſimulari. Exultat in laude ejus, dum latera & coſtæ raduntur; & dum pellis auferitur, oſtendit potentiam mentis maxime virilis. In profundo martyrii apparuit ei Angelus Dei, confortans eum in glorioſa victoria certaminis. Et ſic nec tormenta nec mors, vti antea nullæ hujus mundi deliciæ, potuerunt eum ſeparare à caritate Creatoris ſui. Texuerat ſibi veſtimentum ex optimis operibus ſuis, & purpuravit illud cruore. Verum illuſtre viſu eſt miraculum. Nam loco ſanguinis, dum caput ejus abſcinderetur, effluxit lac & aqua, & hac ſtola indutus apparuit decorè compoſitus in conſpectu Dei: & ſic hymnos cantans Domino ſuo, omnique gaudio repletus, generoſe perfecit martyrium ſuum, factus victor tyrannorum & malorum ſpirituum: & qui nuper tenebras errorum ſapientia verborum ſuorum diſſolverat, & viſos in vanitate ſua eloquentes erudierat; nunc tamquam ſol illuminat mentes fidelium, per omnes fines terræ degentium.

contemnit illecebras vitæ,

C

dona oblata & minas tormentorũ:

diu torquetur ſuſpẽſus,

Auctoræ C. H. confortatur ab Angelo:

lac & aquã pro ſanguine effundit:

7 Portæ cæli apertæ ſunt tibi, glorioſe Martyr, aſcendenti in cælos, & Angelorum chori occurrerunt tibi laudantes Deum, & inter beatos Martyres annumeraris, tropheum victoriæ à Chriſto obtinens, ac triumphans inter choreas cæleſtium ſpirituũ. Iam omnis per orbem diſperſa Eccleſia te fortem Chriſti athletam collaudat, cui generoſo perfunctus martyrio, ſuperaſti crudelem hoſtem, & corona victoriæ mirabili ſplendes à Deo exornatus. Iam adverſariorum triumphator, omnibus ægris ad te accurrentibus quaſi ex fonte effundis ſanitatum rivulos: intercede pro omnibus, vt ſalutem & magnam miſericordiam obtineant. Memineris noſtri, qui memoriam tui facimus & ſacram panegyrim perficimus, Gratulamur tibi & hymnos lætitiæ canimus in hac die, qua omnis Eccleſia beatum te vnanimi conſenſu prædicat. Effunde apud Deum pias pro nobis preces, & ſacras interceſſiones. *Hæc ex odis S. Ioſephi Hymnographi excerpta. In* Typico *S. Sabæ celebratur hoc verſu, ſumpto ex Ephemeride metrica.*

triumphat in cælo:

laudatur in omni Eccleſia:

E

ſanat morbos:

invocatur:

Φάσγανον, ἀμφ' ἐνάτην Εὐψυχίᾳ ἔκτανε λαιμόν.

Eupſychii nonâ fecit pia guttura ferrum.

8 *S. Gregorius Nazianzenus meminit eccleſiæ ad honorem S. Eupſychii extructæ epiſtola* 26, *vbi aſſerit ſe interfuiſſe Synodo in ea eccleſia celebratæ. At magnus Baſilius epiſtola* 291 *invitat Epiſcopos Ponticæ diœceſis ad ejus feſtum celebrandum his verbis:* Martyrum certe honos ab iis omnibus, qui in Dominum ſperant, ſummo ſtudio & cura procuratur, & à vobis ante omnes frequẽtari debet, qui virtutem præ vobis ipſis fertis ad eamque conteniditis: qui per animorum veſtrorum propenſam affectionem erga veſtros conſervos, benevolentiam ſummam erga Dominum communem declaratis: & adhuc magis, quod vitæ exactius inſtitutæ profeſſio quandam habeat cognationem cum iis, qui per patientem fortitudinem ſunt conſummati. Quocirca cum Eupſychius & Damas inter Martyres emineant excellenter, & ceteri eorumdem ſocii, quorum anniverſariæ memoriæ in vrbe noſtra & circumjacente quaquaverſum territorio celebrantur; revocat vobis, qui communis quidam eſtis illius ornatus, in memoriam Eccleſia, & meæ vocis miniſterio commonefacit, vt quo ſolebatis more antiquam renovetis viſitationis conſuetudinem. Quocirca non aliter quam magno incumbente vobis negotio apud illam plebem, quæ à vobis expectat ædificationem, & non aliter quam ſpe mercedis repoſitæ propter honorem Martyribus habitum, ita noſtram ſuſcipite invitationem; nec non annuite gratiam hancce mihi præſtandam, ut labore ſuſcepto, non ſane magno, magnum vobis beneficium emolumentumque comparetis. *Hæc* S. *Baſilius. At qui cum* S. *Eupſychio excelluit eminenter* Damas Martyr, *videtur is eſſe, qui cum titulo Hiero-Martyris, ſolis Epiſcopis tribui ſolito, memoratur in*

eccleſia illi erecta.

Epiſcopi Ponticæ diœceſis ad ejus cultum à S. Baſilio excitantur:

F

MS.

A *MS. Synaxario Pariſienſi Collegii Claromontani memoratur ad* XXVIII *Auguſti, his paucis verbis,* Καὶ τῇ αὐτῇ ἱερομάρτυρος καὶ θαυματουργὸς Δάμα. Et ſacroſancti Martyris & Thaumaturgi Damæ. *Forſan & ſociis Martyribus alibi reperietur altero aliquo die cultus aſſignatus. Acta horum Martyrum tempore S. Baſilii extitiſſe & ſatis nota fuiſſe arbitramur qui alias Epiſcopis Pontica regionis, ſaltem paucis, indicaſſet aliquid de Martyrii genere.*

9 *Inter Latinos memoriam S. Eupſychii celebrant Molanus in additionibus ad Vſuardum & Galeſinius, cujus iſta ſunt verba:* Cæſareæ S. Eupſychii Martyris, qui Iuliano Imperatore, præ fidei ſtudio, cum Fortunæ templum evertiſſet, in carcerem detruſus, præclaro dato & virtutis & pietatis teſtimonio, ſecuri percuſſus coronatur. *Eadem ex Galeſinio tranſlata ſunt in Martyrologium Germanicum à Caniſio, & paucis immutatis referuntur ita in hodierno Martyrologio Romano:* Cæſareæ in Cappadocia S. Eupſychii Martyris, qui ob everſum Fortunæ fanum, ſub Iuliano apoſtata martyrium conſummavit. *Baronius in Notis tradit* ab aliquo exiſtimari poſſe, hunc ob everſum Fortunæ fanum, Martyris nomine non fuiſſe decorandum, propterea quod repugnare videatur canoni IX Concilii Eliberitani, quo cautum reperitur, ſi quis occidatur à Gentilibus, quod idolum fregerit, non habeatur inter Martyres. *Verum quod ad legem poſitivam dicti Concilii ſpectat, videtur ſatis conſtare eam in Hiſpania latam, non fuiſſe in Oriente notam, nec potuiſſe obligare. Præterea aſſerit Baronius* ita Canonem intelligendum eſſe, cum quis ſponte citra Chriſtianam manſuetudinem, ex nullo legis præcepto, ſed furore quodam percitus, inſilierit in idolum. At vero Eupſychium conſtat id perpetraſſe auctoritate legum Conſtantini Magni atque Conſtantii Imperatorum Chriſtianorum, quibus Iuliani apoſtatæ tyrannis adverſabatur: illorum enim iteratis ſanctionibus templa clauſa, idola proſtrata, illorumq; ſacra prorſus fuerant antiquata, quæ omnia Iuliani impietas reſtituere conabatur. Eſt & de his etiam S. Auguſtini doctrina in epiſtola quinquageſima ad Bonifacium Comitem, qua ſignificat à Martyris titulo illum non eſſe excludendum, qui ex reſcripto Imperatoris Chriſtiani idola frangens, occiſus ſit. Quod ſi juſte quis id facit cum Princeps jubet, & meretur laudem; multo magis licebit cum Deus jubet, & privato quodam ſancti Spiritus inſtinctu, quis ad id faciendum impellitur; vt multos feciſſe conſtat. D

In faſtis Latinis memoratur:

10 *Hac Baronius. Addi poteſt* S. Eupſychium multis donis oblatis, & variis tormentorum generibus objectis, *tentatum fuiſſe vt à fide Chriſtiana deficeret; ſed athletam Chriſti generoſe perſeverantem, victoriæ coronam obtinuiſſe, ſupra ex Odis à S. Ioſepho Hymnographo compoſitis demonſtravimus: ex quibus colligimus eum quidem ob everſum Fortunæ fanum fuiſſe primo captum & in carcerem conjectum; ſed ob fidem Chriſtianam, quod eam nollet abnegare cum apoſtata Iuliano, fuiſſe exquiſitis cruciatibus tortum, ac tandem gladio interemptum. S. Gregorius Nazianzenus in oratione quam habuit in funere patris ſui, itidem S. Gregorii Epiſcopi Nazianzeni, quamque & nos dedimus ad Kalendas Ianuarii diem hujus natalem, tradit num.* 33 *etiam* Iulianum apoſtatam adverſus Chriſtianos Cæſareenſes fremuiſſe, ob dolorem, quem ob Fortunam ſecundioris fortunæ tempore ſolutam everſamque, capiebat. *Idem in oratione prima adverſus Iulianum eadem inculcat.* Quæ Iulianus, *inquit,* in noſtros Cæſareenſes admiſit, viros animi magnitudine præditos ac pietatis ſtudio ferventes, ita ab eo exagitatos ac per contumeliam vexatos, fortaſſe ne objicere quidem æquum fuerit. Etenim ob Fortunam melioris fortunæ tempore infortunio affectam, juſta indignatione commotus, ad hanc vltionem progreſſus eſſe videbatur, quandoquidem injuſtitiæ dominanti nonnihil concedendum eſt. *An* S. Eupſychius *ſub nomine* Euſebii *etiam referatur die* XIII *Aprilis, ad eum diem inter Prætermiſſos inquirimus. In tabulis Kalendarii Muſcovitici videtur* Euſpicius *nominari: aſt multo corruptius in Kalendario Ruthenico apud Poſſevinum in Apparatu* Sutiphius *eſt.* E

ob id captus S. Eupſychius, ob fidem Chriſtianam occiſus.

qua auctoritate ſit factum fortunæ everſum.

B

DE S. BADIMO, SEV BADEMO,

ARCHIMANDRITA, MARTYRE IN PERSIDE.

C.H.

CIRCA AN. CCCLXXVI

Elogium ex MS. Menologio Baſilii Imperat.

C

Baſilii Porphyrogeniti Imperatoris Menologium IX *diem Aprilis ſic auſpicatur ab hoc ſancto Martyre:* Certamen ſancti Martyris Badimi Archimandritæ. S. Badimus fuit ex Perſide, divitum parentum filius: quibus vita functis, cum jam divitias omnes in pauperes erogaſſet, in monaſterium abiit, & receptus eſt monachus: deinde & Archimandrita electus. Prædicans autem Chriſti fidem, cum multos ad eam evocaſſet ex iis qui eam ſequebantur, eos baptizavit. Quod cum ſciviſſet Sapor Perſarum Rex, eum cum ſeptem diſcipulis ipſius comprehendi juſſit, & in carcerem detrudi, & deinde poſt quatuor dies tortoribus mandavit, vt ipſos è carcere educerent, & caput eis amputarent. Videns autem ſanctus vir quemdam ex tortoribus, Nirſam nomine qui antea Chriſtianus fuerat, & deinde metu tormentorum Chriſtum denegaverat; hunc inquam, videns, qui enſem tunc denudabat, vt caput ejus abſcinderet, collacrymatus eſt, & ipſius calamitatem doluit, eique extremi judicii retributionem memoravit. Nirſas autem præ pavore trepidare incipiens, quatuor vulnera ſancto viro inflixit, & ita vi multa ſpiritum emiſit.

2 *Hactenus Menologium Baſilii Imperatoris. Aliud Vitæ compendium eſt in Græco Synaxario Pariſienſi Collegii Claromontani Societatis, & in Græco* MS. *codice menſis Aprilis, qui reperitur in bibliotheca Monachienſi ducis & Electoris Bavariæ, quod eſt hujuſmodi.* Vixit Bademus regnante in Perſide Sapore, vrbe Bethlapata oriundus. Contemptis autem & illuſtribus ſuis natalibus & opimis opibus, monachum profeſſus, demum etiam Archimandrita ſeu Præfectus monachorum creatus eſt. Propter fidem deinde Chriſtianam cum ſeptem alumnis ſuis comprehenſus, quatuor menſibus in carcere detentus, inde productus & cuidam ex apparitoribus, cui Narſes nomen erat, quique propter ſuppliciorum metum Chriſtum negaverat, traditur, vt illi caput amputaretur. Quam intuitus Sanctus, multum illius cauſa doluit. Ipſe vero Narſes cum ter quaterque tremente manu plagam fatalem infligere Sancto conaretur, nec letale vulnus ipſe perculſus impingere poſſet; Sanctus tamen tot plagis confectus Deo ſpiritum tradidit. *Hæc ibi. Similia elogia, ſed fere contractiora reperimus in MS. duplici codice Græco bibliothecæ Ambroſianæ apud* Mediolanenſes: *item in totidem MSS. apud Taurinenſes in bibliotheca Ducis Sabaudiæ, vt mirum ſit hujus ſancti Vitam prætermiſſam fuiſſe in Menæis excuſis, in quibus hi ſolum verſus leguntur:*

aliud ex MSS.

memoria in Menæis

Βαδίζας ὁ Βάδιμος ὁδὸν εὐθεῖαν
Εἰς ἔρχυδς ἔφθασεν, ὃ Θεὸ θρόνος.

Badimus

F

Bademus hic progreſſus eſt recta via,
A Et venit in cælos ubi Dei thronus.

3 *Aloyſius Lipomanus, parte 2 tomi 7 de Vitis Sanctorum Patrum, edidit cum nonnullis aliis ex codice Ms. Cryptæ Ferratæ aliqua Acta martyrii S. Bademi, & adſcripſit Simeoni Metaphraſtæ; uti etiam fecit Surius ad diem* VIII *Aprilis, quo dicitur obiiſſe. Verum refertur in omnibus hactenus citatis Menologiis & Menæis Græcorum ad hunc diem nonum, & his major fides eſt adhibenda, cum illa Acta non ſint à Metaphraſte, ſed diu ante ejus ætatem ab aliquo monacho coævo conſcripta, uti ſtatim ex initio numeri 2 apparet. Si tamen integra ſunt & nõ mutilata bona parte eorum quæ Sanctus ante martyrium geſſit. Vt ut ſunt, ſatis clare tempus martyrii indicatur, dum poſt illud dicitur Rex Sapor adhuc quatuor annos regnaſſe: cujus obitus cum referatur ad annum* CCCLXXX, *fuiſſet S. Bademus martyrio coronatus anno* CCCLXXVI. *Qui autem ſub initium referuntur occiſi* Quadraginta Martyres, *videntur eſſe* Quadraginta duo Martyres *in Perſide occiſi, & ex antiquis Mss. Latinis relati ad diem* X *Martii.*

Vita à coævo ſcripta.

tempus martyrii.

VITA

Ex MS. Græco Cryptæ Ferratæ.

B

1 QUo tempore Quadraginta illi ſancti Martyres interfecti ſunt, comprehenſus fuit Bademus ſanctus Archimandrita, una cum ſeptem quibuſdam ſuis diſcipulis, & Regis Saporis juſſu in carcere concluſus. Bademus autẽ ille ortum ducebat ab urbe Bethlapat, ex familia admodum divite. Cum vero monachorum inſtitutionem ſequi cœpiſſet, omnia ſua pauperibus diſtribuit. Cumque monaſterium extra urbem ædificaſſet, illic reſidebat, ſtudens in omnibus Deo placere, & quæ divinæ voluntati grata ſunt, ea perficere: erat enim vir ille gratiæ & veritatis plenus, & divinæ electionis vas.

extruit monaſterium:

2 Hic igitur vir ſanctus, divina quadam & perfecta prudentia ductus, aſcendit in montẽ Domini, & habitavit in loco ſancto ejus, benedictionemque accepit à Deo Salvatore ſuo, & aſpexit faciem Dei Jacob. Hic, qui noſtris temporibus fermenti loco relictus fuit, ex perfecto illo ſanctorum Martyrum fermento, qui ab initio perfecti fuerunt: ejus autem ſancti viri cæde ac ſanguine noſtrorum temporum imbecillitas firmata eſt. Hic vere lapis fidelis, ſectus eſt à monte illorum, qui à principio fideles extiterunt: aptus enim fuit myſterii cauſa, ut nobis omnibus eſſet ſalutis via. Ita generoſum & conſtans propoſitum in martyrio ſubeundo præſtitit, ac talem animi ardorem in Deum oſtendit, ſicque ab omni ſorde, labe ac macula purum ſe præbuit, ut prava facinora adverſus illum nihil loci habere poſſent. Rapina ipſa ſtatim procul ab eo fuit: cupiditates omnino extinctæ, nihil contra illum poterant: mammonas ejus virtutem cognoſcens, obſtupuit: aurum ſe ab eo abſcondit: divitiæ ſtatim ab eodem ſpretæ ſunt: arrogantia confeſtim apud illum fracta eſt: ſuperbia in ejus conſpectu ſubito humiliata: tumor & animi elatio, ut pulvis, in ejus oculis conculcata eſt. Paupertas vero ad ejus pedes omnino fixa & corroborata eſt: manſuetudo latera ipſius fuit amplexa: veritas in eo exorta, & juſtitia erecta: caritas illum amplexata, & pax oſculata, eoque gaviſa eſt: concordia in ipſius ovili poſita: omnibuſque juſtitiæ fructibus vir ille plenus fuit. Omnes hæ virtutes in eo viro habitabant, quoniam odor ſuavis ipſius animæ mirum in modum ſingulis virtutibus jucundus erat, & ex illius candore animi tanquam fructum quemdam libenter percipiebant.

ubi perfectioni ſtudens

C

vitia extirpavit,

& virtutes exercuerit:

3 Cum igitur quatuor menſes in carcere confeciſſet, una cum ſeptem illis diſcipulis vinctus, afflictus, & aſſiduis flagellis verberatus, omnia prompto animo perpeſſus eſt, propter ſuam in Deum ſpem, veritatis fiduciam. Erat autem tempore illo quidam, nomine Nerſan, princeps urbis, quæ Aria dicebatur, in territorio Bedgerme. Hic Nerſan, cum eſſet Chriſtianus, à Rege ipſo cogebatur ſolem adorare: ſed cum nollet contra Chriſti fidem facere, in vinculis detinebatur. Poſtea vero animo remiſſiore factus, & corde perculſus, martyriique formidine detentus, propter tormenta, quæ violenter in illum inferenda erant, non ita, ut cœperat, ad extremum uſque perſeveravit: ſed mortalis & brevis hujus mundi amore captus, tormentorum anguſtiis ſuccubuit. Sicque miſer ille, cum utrumque appeteret, ab utroque excidit. Nam divinam vitam perdidit, martyrium fugiens, & hujus mundi voluptatibus frui non potuit, terrenam gloriam appetens. Cum enim caduci & terreni Regis magis, quam æterni & cæleſtis Dei honorem amaret, ſe à Deo ipſo velle deficere profeſſus eſt, & omnibus, quæ Rex vellet, ſe obtemperare.

D

Dire cruciatur in carcere.

Nerſan à fide deficiens

4 Rex igitur, ut audivit Nerſan eo animo eſſe, valde gaviſus eſt, & ſtatim de S. Bademo cogitavit, juſſitque illum vinculis exolutum, in atrium palatii per obliquam januam duci. Bademo autem eo ingreſſo, ubi Nerſan vinctus detentus fuerat, Rex duobus quibuſdam Principibus viris hæc dicit: Si Nerſan Bademum interficit, à vinculis ſolvatur, & accipiat ejus bona. Juſſerat enim Rex ipſe omnia ipſius bona in fiſcum conferri. Confeſtim igitur S. Bademum in medium conſtituerunt. Ille autem miſer Nerſan, ut audivit quod à Rege dictum fuerat, cum caduca mundi bona appeteret, ſtricto enſe ad Chriſti Martyrem interficiendum profectus eſt. Sed tremore quodam correptus, cum plagam in virum ſanctum infligere vellet, tamquam lapis ſtatim immotus permanſit. At Chriſti ſervus ad eum oculos erigens: Uſque eo, inquit, ô Nerſan, malitia tua progreſſa eſt, ut non ſolum tibi ſatis ſit, quod Deum tuum negaveris, ſed & ſervos ipſius interficere contendas? Væ tibi, infelix. Quid facies in die illo, aut quo fugies à terribili judicio, cum ſtereris ante horrendum illud tribunal, magno & æterno Deo rationem redditurus? Ego quidem, ô miſerrime, martyrio Chriſti mei prompto animo conficiar: at nollem tamen manu tua confici, ſed ab alio quopiam mortem ſuſtinere voluiſſem.

E

juſſumque eò mortem inferre

objurgat increpans

F

5 Ille vero neque his ſermonibus erubeſcens, neque quod juſſus fuerat valens perficere, faciem ſuam, ut lapidem, firmavit, & cor ferreum ac durum habens, ſanctum virum ſæpius enſe illo percuſſit. Sed nec ſemel opportunam plagam infligere, neque eum interficere potuit: ejus enim manus valde tremebat. At B. Bademus, cum ejuſmodi anguſtiis affligeretur, ſpiritum ſuum emiſit, enſis ictibus tot tantiſque confectus, ut omnes Gentiles firmam ſancti Martyris patientiam admirarentur, quod velut columna quædam immobilis perſiſtens, violentos plagarum impetus exciperet, & corde ſtabilis maneret: homicidam vero illum propter imbecillitatem & lentitudinem irriderent & execrarentur. Sed & hic Nerſan non multo poſtea mercedem recepit his dignam, quæ in Martyrem Chriſti commiſerat, multis & diverſis malis oppreſſus, & enſe male perditus.

ſæpius terque juſſus reddit ſpiritum:

6 Sanctus autem Bademus martyrio conſummatus eſt menſe Aprili, die octavo, in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Ejus vero reliquias extra urbem

& ſepelitur.

A ejectas ſuſtulerunt clam viri religioſi, & omnem diligentiam adhibentes, illas repoſuerunt. Ejus autem ſeptem diſcipuli, in carcere concluſi quatuor annos manſerunt, & poſt mortem Saborii Regis in pace dimiſſi ſunt: permiſſumque fuit, ut in ſua ipſorum fide permanerent, gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui gloria eſt in ſecula ſeculorum. Amen. D

DE S. ACACIO EPISCOPO,

G. H. *AMIDÆ IN MESOPOTAMIA.*

SECULO V

S. *Acacius Faſtis Latinis adſcriptus,*

AMida, *urbs Epiſcopalis & primaria totius Meſopotamiæ, inter ſuos Epiſcopos habuit* S. Acacium *cujus meminit ad hunc diem* Molanus *in Additionibus ad Vſuardum anno* MDLXVIII *excuſum, his verbis*: Acacii, Amidæ civitatis Epiſcopi & Confeſſoris, *& allegat hiſtoriam tripartitam lib.* 11 *cap.*16. *Verum idem* Molanus *in ſecunda & tertia editione eum omiſit. Interim* Caniſius *in Martyrologio Germanico, anno* MDLXXIII *excuſo, eumdem ita refert*: Item in civitate Amida ſancti Epiſcopi & Confeſſoris Acacii. *Majori elogio honoratur in hodierno* Martyrologio Romano: Amidæ in Meſopotamia S. Acacii Epiſcopi, qui pro redimendis captivis etiam Eccleſiæ vaſa conflavit ac vendidit. *Addit* Baronius Græcos itidem, *ſcilicet de eo agere. Verum hactenus in nullis illorum* Menæis, Menologiis *aut* Synaxariis *nomen ejus inſertum reperimus.* At vero res geſtæ *hujus Acacii Epiſcopi Amidæ, addit* Baronius, ſcriptæ ſunt à Socrate lib.7 cap.21. Ex eo Caſſiodorus tripartitæ lib. 11 cap. 16 & Nicephorus lib. 14 cap.22. *Hic ergo quæ Socrates habet damus, & ſunt ejuſmodi.*

B

laudatus à Socrate:

2 Acacius, Amidæ Epiſcopus, ob facinus quoddam præclarum, per id tempus ab ipſo geſtum, vehementer ab omnibus celebratus fuit. Cum Romani milites illos Perſas, quos in depopulanda Azazena captivos ceperant, nullo modo Regi Perſarum reddere in animum inducerent; captivi qui erant numero circiter ſeptem millia (quæ res animum Regis Perſarum non parum divexavit) fame propemodum abſumpti ſunt. Acacius igitur hanc militum miſeriam minime neglexit: ſed convocatos ſuos Clericos ſic alloquitur: Deus noſter neque lancibus neque poculis eget: nam nec comedit nec bibit, quippe qui his rebus minime opus habeat. Quare cum Eccleſia multa monumenta aurea argenteaque, ex propenſa fidelium in eam benignitate, poſſideat; conſentaneum eſt hiſce rebus milites captivos & è cuſtodia liberare, & fame prope enectos reficere ac ſuſtentare. Ubi hæc aliaque id genus oratione percurrerat, monumenta Eccleſiæ conflanda curavit vendi, pretiaque partim militibus pro captivis redimendis dedit, partim ad eorum famem ſublevandam impendit. Poſtremo viatico illis ſuppeditato, ad ſuum ipſorum Regem remiſit. Hæc res ab eximio illo viro Acacio geſta, Regi Perſarum maximam fecit mirationem, quod Romani his rebus utriſque & bello & beneficiis hoſtes vincere laborabant. Fertur præterea; tum Regem Perſarum magno deſiderio Acacii videndi flagraſſe, quo hominis aſpectu frueretur; tum Theodoſium Imperatorem Acacio præcepiſſe, ut Regis deſiderio ſatisfaceret. *Hæc Socrates. Eſt autem Theodoſius Iunior Imperator, cujus temporibus hæc geſta ſunt, & referuntur à* Baronio *in Annalibus ad annum* CCCCXX.

ut Perſas captivos redimeret:

cum conſenſu Cleri

C

vaſa Eccleſia impendit:

laudatur à Rege Perſarum,

& jubetur à Theodoſio Imperatore ad eum accedere.

E

3 *Maſinus in Bononia perluſtrata ad hunc diem tradit, aliquas S. Acacii Epiſcopi reliquias aſſervari in eccleſia S. Iacobi Majoris, quæ in platea S. Donati eſt conſtructa. Sed num hujus S. Acacii ſint illæ reliquiæ, unde poterit probari? cum hactenus ideneo nullo teſtimonio conſtet ipſum ab antiquis inter Sanctos habitum, nedum Reliquias ex Meſopotamia in Occidentem tranſlatas fuiſſe. Quod autem ipſum hic inter Sanctos collocemus, fit ſolius Romani* Martyrologii *reverentia: cujus approbatio pro hoc aliiſque ejuſmodi nonnullis Sanctis, cenſeri poteſt ac debet nova & ſufficiens canonizatio, etiamſi nullus antiquior cultus præceſſiſſet. Tutius ſuſpicabimur Bononienſes iſtas Reliquias, occaſione Belli ſacri, Melitine ex Armenia minore eſſe advectas, ubi hujus nominis Epiſcopus & Confeſſor inſignis floruit, publico paſſim cultu Græcis notiſſimus, de quo egimus ad diem* XXXI *Martii: qui autem illas cum ſola nominis titulique Epiſcopalis inſcriptione habebant ad Romanum recurriſſe Martyrologium, nec alium talis nominis ſanctum Epiſcopum ibi notatum invenientes, quam Amidenum, hujus natalem iſti aptaviſſe, more in ejuſmodi caſibus uſitatiſſimo, nec tamen facile probando ab iis, qui optant à Sanctorum cultu confuſionem omnem perplexitatemque tolli, ne dicam errorem & falſitatem, quamvis etiam hanc neceſſe ſit ſæpe obrepere ex licentia talium conjecturarum, in ſolo nomine fundatarum.*

alicujus S. Acacii reliquiæ Bononiæ

forſitan Melitinenſis Epiſcopi

F

DE SANCTO MARCELLO

G. H. *EPISCOPO DIENSI IN GALLIA.*

SUB INITIUM VI SECULI.

Dia urbs Epiſcopalis,

DIa, Divia, *ſive* Deia, *urbs eſt in Alpium radicibus, non procul Droma fluvio, à Vocontiis olim exculta, dein Romanorum colonia, ac denique ſedes Comitum, late ab Valentinis ad Trevienſes dominantium. Epiſcopum nunc habet* Dia *eumdem cum Valentia; quondam habebat proprium: ac* Nicaſium, Divienſem de provincia Galliarum Epiſcopum, *interfuiſſe Nicenæ Synodo teſtantur hujus Concilii tabulæ. Inter ſubſecutos Epiſcopos fuere,* Sancti Petronius *&* Marcellus *fratres, è quibus* Marcellus, *ætate junior, in ſenioris defuncti locum ſuffectus eſt. De eo ita loquitur* Gregorius Turonenſis *libro de Gloria Confeſſorum cap.*70. Fuit autem & Marcellus, Dienſis urbis Epiſcopus, vir magnificæ ſanctitatis, ad cujus nihilominus tumulum lychnus accenſus diuturno ſpatio lucere ſolet: præſtat ex eo oleo virtus Domini medicinam infirmis. *Hæc Turonenſis.*

Elogium S. Marcelli ex S. Greg. Turonenſi.

2 *Floruit poſtmodum circa annum Chriſti* DCCC *Vulfinus, & ipſe Dienſis Antiſtes, qui Vitã S.* Marcelli *Epiſcopi ſolutis numeris conſignavit.* Ioannes Columbus *è Societate Ieſu edidit tractatum, libris quatuor diſtinctum, de Rebus geſtis Valentinorum & Dienſium Epiſcoporum; & lib.* 2 *interſerit epiſtolam* Polycarpi de la Riviere, Carthuſianorum Viſitatoris & Prioris Boni-paſſus, *ad ſe anno* MDCXXXVII *miſſam, qui Vitam S. Marcelli habuit carmine editam, ex qua recenſet quatuor Epiſcopos, qui ante citatum Nicaſium ſederunt; habuit etiam Vitam numeris ſolutam ab Vulfino ſcriptam: additque in ea recitari legationem Nicaſii ad Concilium Nicænum*

Vita à Vulfino ep. ſcripta

alia carmine

A *Nicenum, atque Nicenorum Patrum reſponſa Gallis per Nicæſum data. Hæc Acta aliaque typis mandare, & ab ſe recenſitos Epiſcopos ſuis firmare auctoribus ſtatuit Polycarpus, quæ interim forſan per ejus obitum perierunt; & nec nos nec Ioannes Columbus habere potuimus. In horum defectum ſubmiſit nobis anno* MDCLXV *quæcumque in Breviario Eccleſiæ Dienſis de S. Marcello habentur, & nonnulla ex Ms. Miſſali. Ex quibus primo proferimus fragmentum Vitæ ex Lectionibus ad Matutinum recitari ſolitis, & forſan ex longiore Vita à Vulfino ſcripta decerptum: quod S. Marcellum necdum in Cathedram ſuam deducit. Addimus ergo ſecundum fragmentum, ex Antiphonis & Reſponſoriis collectum, cui ex Miſſali Ms. ſubjunguntur ea, quæ potiſſimum ad Tranſlationem corporis ſpectant. Denique addimus hymnum, qui ad Veſperas & Laudes recitari ſolebat, ex quo miracula innoteſcunt.*

Datur fragmentum Vitæ ex Lectionibus

alind ex Antiphonis & hymnis.

loca dicata S. Marcello:

cultus 17 Ianuarii,

3 *Tanta fuit olim Dienſis populi erga S. Marcellum pietas ac veneratio, ut ſub ejus honore fuerint extructa monaſterium & hoſpitale, ac porta aliqua urbis vocitata.* Monaſterium ab hæreticis everſum eſt, in funeſta illa ſacrorum ſtrage per Gallias ſeculo ſuperiori circumlata: ad quod uſque tempus Canonicis Dienſibus uſitatum fuerat, poſt ſacrum ſolenniter peractum, die XVII Januarii proceſſionaliter adire S. Marcelli mo-

B naſterium: utpote qui ejus feſtum dicto die egerunt, uſque ad initium hujus ſeculi, ex conſuetudine antiqua, fundata in Bariolenſium traditione, qui eo die factam ad ſe aiebant celebrem Corporis tranſlationem: *de qua infra agemus pluribus. Ita præfatus Ioannes Columbus in ſua ad nos epiſtola; cui addimus, die* XVII *Ianuarii prænotata, feſtum S. Marcelli quibuſdam Vſuardi Martyrologiis adſcriptum legi, uti tunc diximus. Inſcriptus eſt* S. Marcellus *Martyrologio Gallicano S. Auſſaji ad diem quintum Aprilis his verbis:* In civitate Dienſi ſub Viennenſi metropoli, S. Marcelli Epiſcopi & Confeſſoris, qui primus illic ſedens Antiſtes, magnifica virtute emicuit, decedenſq; glorioſus in tumulo, claruit probatæ à Deo ſanctitatis teſtimoniis: ut ſanctus Gregorius Turonenſis prodidit præclara aſſeveratione. *At quorſum* primum Antiſtitem *dixerit Sauſſaius non capimus, cum* undecimus *ſtatuatur à Ioanne Columbo, Sanmarthanis & aliis. Præterea quem Sauſſaius retulit ad diem quintum Aprilis, ad nonum ejuſdem menſis celebravit Molanus in prima editione Vſuardi à ſe ducti his verbis:* Civitate Dienſi S. Marcelli, ejuſdem civitatis Epiſcopi & Cõfeſſoris, de quo Gregorius Turonenſis. *Quo itidem die in hodierno Martyrologio Romano iſta habentur:* Civitate

C Dienſi S. Marcelli Epiſcopi, miraculis clari. *De eo in antiquo officio ad Veſperas & Laudes iſta recitatur Oratio.*

& die 5

vel potius 9 Aprilis.

orationes. Omnipotens ſempiterne Deus, qui B. Marcello, Confeſſori tuo atque Pontifici, in ſignum electionis columbam miſiſti de cælo, ut tuæ ſanctæ Eccleſiæ dignus demonſtraretur eſſe Paſtor; concede propitius, ut qui te Deum verum cognovit, eum apud tuam clementiam interceſſorem ſentiamus. *In Commemoratione quotidiana ſequēs recitatur Oratio:* Propitiare quæſumus, Domine, nobis famulis tuis, per hujus Sancti Marcelli Confeſſoris atque Pontificis, qui in præſenti requieſcit eccleſia, merita glorioſa: ut ejus pia interceſſione ab omnibus ſemper protegamur adverſis.

4 Interfuiſſe anno DVI Agathenſi Concilio S. Marcellum, *ſcribit Ioannes Columbus, conſtare poſſet, unde quo potiſſimum tempore floruerit, ſi certi eſſemus de illa ſubſcriptione quam hactenus nemo expreſſit. Præterea habitum illud Concilium eſt permiſſu Alarici Regis Wiſegothorum, cui ſuberant Epiſcopi ibidem congregati. At Dienſes ſuberant Regibus Burgundionum, & Concilio Epaonenſi, permiſſu Sigiſmundi Regis anno* DXVII *celebrato, interfuit Seculatius Epiſcopus Dienſis, ſucceſſor Aventini, ante quem ſedit S. Marcellus, ſub initium ſeculi ſexti.*

tempus Sedis.

PRIMUM FRAGMENTUM VITÆ

Ex Lectionibus Breviarii Dienſis.

1 BEatus Marcellus, quondam Avennicæ civitatis, converſatione clarus, & ſanguine generoſus: licet de parentibus ſecundum carnem, nobilem traxerit originem; clariores tamen parentes ſuos reddidit, dum ſe bene ab ineũte ætate in religione Chriſti ſervitio mancipavit: intantum ut humiliando ſeipſum plus creverit, & contemnendo ſeculare conjugium pater ſpiritualium multorum fieret filiorum. Hic ergo S. Petronii germanus fuit, ſenioris Dienſis urbis Epiſcopi, à quo ſtudiis ſpiritualibus eruditus, divinis ſemper vacavit eloquiis: & de illo fonte vitæ tantum bibit, ut ſacro verborum imbre indeficienter ſitientes animas ſatiaret. Ineffabili itaque Dei ordinatione contigit, ut dum memoratus S. Petronius imbuit fratrem, nutriret ſine dubio ſibi ſucceſſorem, & cui germana propinquitate fratris proprio jure veniret privata poſſeſſio, non tranſiret ad alterum ejus Sacerdotium. Per teſtamentum novum Matris Eccleſiæ ſpiritualis hereditas aditur: & adminiſtratio Pontificalis diſpenſationis manet in pauperibus, ut dum E Eccleſiæ publica atteſtatione in cathedra ſeniorum ſubrogatur, Euangelii auctoritate Prælatus doceret pluribus annis ſenes, quod in juventute gravitate morum didicerat ſtudioſus.

Ortu nobilis,

pie educatus,

à S. Petronio fratre ſtudiis excultus,

2 Tamen ne inchoationem miniſterii ſui à primordio ætatis ejus videamur præterire ſilentio, quo ordine Chriſto propitio ſacri Ordinis primum ſubierit gradum, proferendum eſt. Dum ergo memoratus B. Marcellus in primæva ætate pio fulgeret ſtudio, & juveniles annos matura ſenectute calcaret, tempore quo promoveri potuit ad honorē (annis, ut credendum eſt, convenientibus canonicæ ſanctioni) Leviticæ conſecrationis, germano ſuo ordinante, adeptus eſt miniſterium, & ſancto conjunctus eſt altario. In miniſterio, Deo placitum ſedule implens officium, & pium ſanctumque ſervitium; ita converſatione & reverentia ſanctitatis præclarus effulſit, ut Deo diſponente, cum poſt non longi temporis ſpatium S. Petronius ad Dominum migraſſet, illico in B. Marcelli electionem vota fidelium verterentur: ut jam non pro memoria deceſſoris, ſed pro reverẽtia fratris, in ſanctum Levitam deſiderabilis maneret electio, ita videlicet ut illius qui deceſſerat Pontificis reverenda in fratris ſucceſſione maneret præſentia, & in B. Marcello Præſule nutritoris ſui à cunctis veneraretur ſublimitas.

& in Levitã ordinatus,

in ejus ſucceſſorem eligitur:

F

3 Igitur, ut aſſolet in electione Pontificis, dum unus petitur, pars populi vertitur in alterum. Eo tempore ad ampliandam laudem beatiſſimi viri S. Marcelli, quantum nutu Dei fideliter datur intelligi, paucorum varietas animorum ſe in alteram partem dividens, alium poſtulare cœpit Epiſcopum. Quod à Deo geſtum eſſe non dubium eſt, ut quantum in ſecreto fulgebat, dum impugnabatur ab æmulis, etiam in publico non lateret, partis ejus probata victoria: quoniam ad hoc eligebatur alius, quia iſte erat divino munere præferendus; & hoc oſtenderetur jam eſſe melior, ut illo ſe ingerente iſto fugiente, illius ambitio calcaretur, & iſtum eligeret fuga nobilior. Qui tamen in monte ubi fugerat, dum lateret in loco quem incolæ tunc exarabant, contigit ut tugurium ipſum Mellis nomine nuncuparetur, cui hoc vocabulum, quondam vetuſtas inhabitantium impoſuerat, ubi ſanctus vir etiam à quodam Marcello inventus eſt & proditus. Nam merito de loco mellis probatus eſt extuliſſe dulce quod ſaperet, qui ſemper

ab aliquibus alio electo, fugiens,

latet in tugurio Mellis dicto,

ex mss. de corde puro divina eloquia ſuper mel & favum dulcia ore proferens, ea fidelium faucibus tranſmiſſa inferebat. Et nec illud eſſe vacuum à Dei gratia videtur, quod S. Marcellus à fideli viro, *à quodam Marcello producitur* Marcello pariter vocitato, eſt deductus in publicum; ut & ille bonum quærens, haberet ſui nominis dignitatem, cum iſte Deo placitam meruerit ſanctificationem. Qui tamen uni Deo deditus, dum rurali loco fertur duodecim dierum ſpatio latuiſſe, habet quoddam ſignificationis myſticæ ſacramentum, *poſt duodecim dierum latebras;* ut merito jam verus Chriſti diſcipulus ad totidem diſcipulorum numerum, qui eſt ſacro ordini proprius, dicatur acceſſiſſe: & quod illorum habet ſancta & indiviſa conjunctio, per parem dierum numerum hujus obtinuiſſe fidei plenitudo.

4 Sic ergo pars, quæ eum elegerat, de ejus productione congaudens, eum de monte velut ſanctum lapidem, per quem ſacrum conſtitueretur & dedicaretur altarium, cum gaudio deduxit, & Dei altarium mancipandus, tranſmiſſo vicino civitatis amne, ad ſanctorum Apoſtolorum eccleſiam perducitur. Tunc è diverſo pars alia reſidebat in inſula Dromæ fluminis, ſub oppido civitatis; ſed Domino gubernante ad hoc eorum mora extitit, ut miraculo conjungerentur diſcordantes, quos præceps curſus, per impatientiam animorum, diſcedere fecerat ab unitate concordiæ. Ne tamen in eo deeſſet *ictu lapidis vulneratur,* probatio lenitatis, unus ex parte contraria ipſum ictu lapidis vulneravit: quod mitiſſima moderatione portavit B. Marcellus, ut Domini Chriſti Jeſu præcepta cuſtodiens, nequaquam malum pro malo redderet; ſed ſanctæ Eccleſiæ Prælatus, nihil in eo vindicans, honorem illi vice injuriæ contulit. Dum autem pertinaciter altera pars vindicare conaretur eum quem ſibi elegerat, non vicit caterva numeroſior ſed melior.

SECUNDUM FRAGMENTUM VITÆ.

Ex Antiphonis & Reſponſoriis Breviarii Dienſis.

a S Beatus Dei ſervus Marcellus, non ſolum ſanguine *a* generoſus, verum etiam converſatione claruit inclytus. Chriſti enim ſeſe mancipavit famulatui, cum ab ineunte ætate in ſancta religione excrevit. Diligebat namque Dominum, ob quem contemnens ſeculi vias, multarum Pater inſignis extitit animarum. Cum in primæva ætate pio fulgeret ſtudio, juveniles annos ſenectute tranſcenderat mentis: & Præclaræ fidei cultor ſtrenuiſſimus, & divino dogmate eruditus, divinis eloquiis ſemper vacabat ſedulus; utq; ſacro verborum imbre futurus Pontifex irrigaret populos, cęleſtia hauriebat. Deo diſpęſante plebs *electus Epiſcopus* Dienſis concordi favore in ejus conſpirat electione. Ad laudem beatiſſimi viri ampliandam pietas annuit ſuperna, quem noverat in ſecreto fulſiſſe, qui præferendus erat divino munere. Ineffabili itaque Dei *confirmatur volatu columbæ.* moderatione cum in ſacerdotio Dei electus eſſet, & duceretur ad cathedram, ut ejus innocentia panderetur, ſpiramſne myſtico donum ſancti Spiritus per columbam ſuper eum veniſſe Eccleſia intellexit. Columba namque in capite volitare viſa eſt: & gratia Domini Salvatoris cunctis oſtendit, talem virum ſibi eſſe probatiſſimum, qui gratiam beatiſſimæ Trinitatis in promotione promeruit: in cujus Sacerdotio Eccleſiæ Chriſti & vera hereditas & clara refulſit libertas.

6 Fundamentum ſuæ dilatans Eccleſiæ ſacratiſſimum Sacerdotem ſibi eligere dignatus eſt Marcellũ, qui Catholicæ fidei propugnator, verus Dei cultor, nullo deſtitit tempore prædicare Dominum, factus gregi Dominico forma & ſpeculum, lux & ſplendor D bonorum omnium, habiturus augmenta in Dominico grege. Emicuit Paſtor in commiſſo ſibi munere, *ſubditos præclare inſtruit:* ſublimatus ab ipſo Paſtorum Paſtore: dum Deo placito fungeretur ſacerdotio, rectum tenuit tramite, & Chriſti ſponſam Eccleſiam ſancto gubernavit moderamine, & protulit quod ſaperet, unde à cæleſti dulcedine vacuus eſſe non poſſet. Erat in eo meditatio divinæ legis & imitatio Domini Redemptoris, cui nec deerat probatio lenitatis, & mitiſſima moderatio patientiæ & pacis. Aſt *b* Ariana perfidia ſanctum Sacer- *b exul carceri* dotem in carcerẽ truſit: verum quod hæreſis parabat *includitur;* ad pœnam, fides convertit ad gloriam: & beato Pontifici locus exilii potius erat corona triumphi, qui diu propter fidem cruciatus, per multorum tribulationũ labores pervenit ad gloriæ regnum. Benedicens Domino felici voto Marcellus innotuit cunctis: quia quod paratum fuerat lacrymis, ditatum eſt gaudiis. *miraculis claret;* Sancti viri oratio multos à morte liberavit, & Chriſti protectione ipſe inventus eſt illæſus. Fit repente lætitia hominum in Paſtoris miraculo, & civitas laudibus perſtrepebat, dans gloriam & laudem Domino.

7 O Dienſis civitas, pii Paſtoris deſtituta ſolatio, E ſuſcipe lamentum vidua, ſed conſolare, quia Paſtor Ex MS. Miſſali tuus gaudet in cæleſti gloria. Aſſumptis ſibi collegis ſacræ peregrinationis iter arripuit, & juxta voluntatis ſuæ propoſitum adimplevit. Quod pretioſiſſima depoſitio denotavit in præterito; id divina Clementia denotat ad præſens. Igitur de Tranſlatione S. Marcelli, ubi tranſlatum [corpus] fuit, Domino adjuvante breviter dicam. Peracto tempore cuidam Sacerdoti, qui aſſiduus erat in baſilica *c* S. Mauritii, *c* nocte in Pontificali apparuit, & præcepit per dioe- *Corpus trãsfertur Bariolas;* ceſim ſuam ferri corpus ſuum in locum magis religioſum. His auditis Presbyter ad locum Bariolarum pervenit, nuntians viſionem: quo audito & facto jejunio triduano, viri Bariolenſes iverunt feſtinanter ad locum, ubi corpus erat, & honorabiliter ipſum deduxerunt. Rogemus eum ut ipſe pro nobis intercedat apud Jeſum Chriſtum die ac nocte.

8 *Operæ pretium hic annectere partem epiſtolæ P. Ludovici Alegre Bariolenſis ex noſtra Societate Ieſu, miſſæ ad prælaudatum P. Ioannem Columbi.* Anno, *inquit*, milleſimo quingenteſimo quarto, ærarii fabri æres capſam argenteam S. Marcelli furati ſunt, & Bariolis clam egreſſi ad ædiculam S. Sebaſtiano ſacram, non longe ab oppido, repente immoti conſtiterunt. Attoniti mirantur prodigium, & ſtupentibus venit in mentem, aliquid ex Reliquiis ſancti viri adhærere capſæ argenteæ, ex eoque fieri ut loco moveri nequeant. Non fefellit ho- *ipſum cogun-* mines cogitatio ſua: cranium S. Marcelli in capſa re- *tur dimittere,* pertum eſt; eoque retro ædiculam humi condito, fuga, quo erat animus, elapſi ſunt. Poſtera die inhorruit oppidum univerſum ad deterrimum facinus: cum autem alii aliiq; de furto ſoliciti per diverſa vagarentur, fuere qui adverterent canem, haud procul ab ædicula S. Sebaſtiani, latratu perpetuo veluti advocantem prætereuntes: quod ii non contemnendum rati, cum propius acceſſiſſẽt, motæ humana manu terræ agnovere indicia; eamque fodicantes invenere caput, *& deprehenſi plectuntur,* quod ceteris Sancti Reliquiis addendum retulere Bariolas. Interea poſt fures itum ſollicite, via non una: inventi denique meritum tulere ſupplicium, igne duo, ſuſpendio tertius: quo autem loco cremati ſunt iſti, fertur numquam genus ullum herbarum eſſe deinceps natum. Anno poſt ſexageſimum illius ſeculi ſecundo, S. Marcelli & ceterorum qui Bariolis erant Reliquias combuſſe-

unde ejus capſam quidam furati cum capite F

C *Vitam ſancte peragit:*

re

A re Calviniſtæ : vnicumque os pollicis è corpore S. Marcelli ſervatum eſt ſuper.

ANNOTATA.

a *Patria* S. *Marcelli in priori fragmento indicatur nomine* Avennicæ civitatis : *ſuſpicamur* Avenionem *intelligi haud adeo longe Dia diſitam: nam* Aginnum *in Aquitania,* Aventicum *in Helvetia, quadrupo aut quintuplo majori intervallo ab illa diſident. De* Avennis *autem Belgicis in Arteſia aut Hannonia, ſtultum ſit vel cogitare.*

b Rex Burgundionum Arianus (nomen majores tacuere) miſit in exilium jam Epiſcopum, neque revocavit, niſi poſt filium lethali morbo curatum precibus ſancti viri. *Ita Ioannes Columbus.*

c *Monachorum* S. *Mauritii cœnobium fuiſſe Diæ, tradit idem Columbus. Alium* S. *Mauritii pagum ſeu vicum exhibent mappæ Geographicæ, duabus à Bariolarum oppido leucis, vbi poſtea Templariorum domus fuit, &* S. *Marcellum Roma redeuntem ægrotaſſe & obiiſſe traditio eſt : nec non tranſlationem hinc Bariolas factam eſſe poſt extinctos Templarios, per Sacerdotem qui tunc ædem iſtam curabat.*

HYMNVS

B

Ex Breviario Dienſi.

Cælitus, ſacrum, tribuente Chriſto,
Præſulem hujus reſonamus vrbis,
Mente devota pariterque corde,
Laudibus atque:
Quem gregi ſummus proprio dicavit
Paſtor, immenſa pietate, caulas
Tradidit, ſimplex referens ovile
Sanguine fuſo.
Sorte marcellus cathedra potitur, *Epiſcopus eximius,*
Pontifex nulli merito ſecundus,
Arce prælatus rutilat Dienſi
Moribus almis.
Præſul exinde rutilare magis
Cœpit in totum properanter orbem, *clarus miraculis,*
Moribus, ſignis, pariterque voto
Spargere lumen.
Dæmonis tetri rabidum furorem *Dæmones pellit,*
Pertulit, ſtatim puerum parenti
Reddidit ſanum, genitoris ipſe
Tecta reviſat.
Mortis à caſu revocat puellum, *mortuam ſuſcitat,*
Aurium clauſum reſerat meatum, *ſanat mutæ & ſurdum.*
Vinculum linguæ retulit revictæ
Ore ſoluto.
Quo ſacer ſancto recubat ſepulcro, *miracula ad ſepulcrum.*
Rite devotis cineres medelam
Conferunt cunctis, relevando morbos,
Dando ſalutem. *invocatur.*
Præſul immenſa pietate pollens, E
Eſto devotis precibus rogatus
Fautor, & noſtras radiante feſto
Iunge coronas.
Gloria ſplendens decus & refulgens
Sit Patri, Nato pariterque ſancto
Flamini, formans Deitate cuncta
Trinus & vnus. D

DE SANCTA VVALDETRVDE,

FVNDATRICE PARTHENONIS CANONISSARVM, I.B.

MONTIBVS HANNONIÆ IN BELGIO.

SVB FINEM SEC. VII.

SEptimo poſt Chriſti Salvatoris exortum ſeculo, ac paulum vltra, nimirum ab S. Gregorio Magno Pontifice ad S. Gregorii II circiter exceſſum, plurimi Belgium Sancti illuſtravere; tum advenæ, Aquitani, Scoti, Angli, Hiberni, tum indigenæ, viri ac feminæ. Ex harum numero, regnantibus Dagoberti I filiis ac nepotibus; ſorores germanæ, Aldegondis & Waldetrudis, extitere, ſplendore generis ac virtutum gloria clariſſimæ; in eo tractu terrarum, qui modo Hannonia dicitur, ab amne Hayna ducto nomine, ſed latius, quam qua is fluit, vltra Nerviorum ac Brachanti confinia prolato. Soror utraque pro merito ſanctimoniæ, cælitibus adſcripta; utraque publica veneratione, ac ſacrorum quoque honore jam à plurimis ſeculis dignata; utraque, dum vixit, parthenonem religioſiſſimum inſtituit; Malbodii Aldegondis, ad Sabim flumen; Waldetrudis circa jam memoratum Haynam, in loco qui olim Caſtrilocus, nunc Mons Hannoniæ dicitur, qua utraque in vrbe ad ambarum ſepulchra, collegia nunc ſunt Canoniſſarum; quæ omnes è primaria Belgii nobilitate prognatæ, vitæ integritate, Chriſtianaque modeſtia ac pietate, locæ ea, ac genus quæque ſuum, mirifice exornant. Vtrobique inſignis baſilica viſitur, in qua Divæ vtriuſque exuviæ religioſe aſſervantur: vtrobique collegium aliud eſt Canonicorum, qui quæ obire Canoniſſæ ſacra munia non poſſunt, in ipſarum æde ſtatis vicibus adminiſtrent; quod Montibus, eſt S. Germano dicatum; S. Quintino, quod Malbodii; utrumque ab Canoniſſarum domiciliis juſto ſpatio ſemotum. De S. Aldegonde fuſe egimus ad ejus natalem XXX Ianuarii. At S. Waldetrudis colitur IX Aprilis Officio duplici, quod in octavum uſque diem extenditur: ſed habet præterea tria alia feſta in Eccleſia Montenſi, itidem duplicia; Elevationis ſeu Tranſlationis, III Februarii: alterum ſeparationis capitis ſanctæ ejuſdem à reliquo corpore, XII Auguſti: tertium Canonizationis, II Novembris. Memoratur etiam ad diem XXVIII Martii à Molano in prima editione Vſuardi à ſe aucto, item à Caniſio & Ferrario.

SS. Aldegondis & Waldetrudis ſorores, C

parthenonem ſingulæ exercuerunt:

S. Waldetrudis variis diebus colitur:

2 Eſt enimvero Canonizata, ſive in album Sanctorum relata; ſed more antiquo. Neque enim ſemper ita auguſto ac ſplendido ritu, atque nunc fit, ſancta illa ceremonia Canonizationis peragi conſuevit. Adhibitus primum hic ritus, vt viri eruditiſſimi annotarunt, cum S. Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus ab Innocentio II Sanctis adſcriptus eſt; ac deinde cum S. Bernardus Abbas Claravallis, ab Alexandro III. Antea vt Catalogo inſererentur qui ſancte vixerant, facultas ab Apoſtolica Sede petebatur, ſupra Canonizandi corpus aram erigendi, in eaque ſacrum Miſſæ ſacrificium offerendi: quo facto omnis erat peracta Canonizatio. Nam quæ in Sylloge Suriana ad Kalendas Martii narratur S. Swiberti Epiſcopi perquam ſolennis Canonizatio, ſolide à nobis ad eum diem eſt refutata, ſimulque exploſa fictitia Epiſtola ſub nomine S. Ludgeri Epiſcopi in vulgus prottuſa: quod judicium alios ante nos tuliſſe comperimus. Quis vero Pontifex ita Canonizari S. Waldetrudem decreverit, quis de ea ad illum Epiſcopus retulerit, ac deinde corpus elevarit, nobis compertum non eſt. Neque id mirum: nam ſi nunc diu multumque laboratur ſubinde, vt inveniantur Canonizationum ſolenniorum litteræ, aut facti ad eas Proceſſus; quid mirum, intercidiſſe memoriam iſtarum minus ſolennium, & Acta de iis confecta abolita fuiſſe tot bellorum tumultibus aliisque infortuniis? Canonizata clim F

Auctoris I.B. erectione altaris:

si tamen ſcripta ea fuere. Nam cum ſola altaris erectione ac conſecratione rês conſtaret, non amplius quam nunc in dedicatione eccleſiarum videtur debuiſſe ſcriptis commendari, cum ipſum altare ſatis idoneum eſſet rei geſtæ apud plebem monumentum.

baſilica illi dicata Montibus Hannoniæ:

3 *Fidem alioquin ejuſmodi conceſſionis Pontificiæ, & ſecutæ Canonizationis ſeu celebrationis, facit tum magnifica illa baſilica in vrbe Montenſi ad S. Waldetrudis honorem Deo dicata; tum anniverſaria, quam diximus ſacrorum celebritas; quam omnes ita eſſe antiquam fatentur, vt nulla initii ejus memoria extet. Feſti etiam ab omni retro tempore celebrati ſatis luculentum teſtimonium nobis exhibet libellus MS. de geſtis Abbatum Gemblacenſium (is nunc in Tomo 6 Spicilegii Acheriani excuſus extat) nec vltra annum* MCXXX *perductus, à quodam Gemblacenſi monacho, qui ſe diſcipulum Sigeberti fatetur; In hoc multum laudatur Olbertus, Abbas Gemblacenſis circa annum* MXII *conſtitutus, quod adhuc monachus Lobienſis Burchardo Wormatienſi Epiſcopo, petenti vt ſibi vir aliquis litterali ſcientia præditus dirigeretur, cujus ope & doctrina ipſe adhuc iuvenis in eruditione ſacrarum ſcripturarum valeret proficere, miſſus ipſe ſit à Baldrico Leodienſi Epiſcopo. Continuator Chronici Lobienſis ſcribit; Burchardum ſolum Canonicum Leodienſem fuiſſe, quando Olberti miniſterio uti cœpit ex Baldrici Leodienſis electione, quod fuiſſet anno* MVII *ani ſequenti: ſed nihil prohibet, jam tunc Wormatienſi Sedi Epiſcopum nominatum Burchardum, Epiſcopum abſolute dici, eumque Wormatiam cum Olberto abiiſſe, atque ipſum annos fere quatuor ſecum retinuiſſe. Vt ut ſit, quantum Burchardo vtilis fuerit Olberti doctrina vel in hoc ſatis probari poterit, inquit auctor libelli, quod illo* dictante & magiſtrante magnum illud Canonum volumen centonizavit Burchardus, & quaſi collectis floribus omniformis generis de prato Scripturarum, coronam pretioſiorem auro & topazio in edito Eccleſiæ collocavit. *Hic ergo vir tantus, tanto Epiſcopo electus magiſter, ac deinde Abbas Gemblacenſis,* in Eccleſiis Dei adhuc vivit *per ſui memoriam, inquit dictus auctor,* quod vitas aliquas Sanctorum aliquibus in locis liquide & polite compoſuit, & de geſtis eorum in laudem Dei ſecundum regulam muſicæ doctrinæ, in qua multum valebat, dulciſſime cantus modificavit. Inter quæ, quoniam rogante Comite Raginero vitam S. Vitoni Confeſſoris compoſuit, cantum etiam de eo melificavit; Antiphonas quoque ſuper Matutinales Laudes in tranſitu S. Waldetrudis; ipſe Comes Raginerus & Hatwidis conjux ejus, quidquid prædii habebant in dominio .... N. eccleſiæ noſtræ tradidit. *Vtique ante annum* MXXIX, *quo Comes iſte Raginerus, hujus nominis* III *vrbis Montenſis Dominus, obiit.*

Antiphonæ circa annum 1020 ab Olberto Ab. exornatæ pro laudibus. B

C

Sanctæ ac beatæ ab antiquis ſcriptoribus appellatæ:

4 *Non igitur mirum cuiquam videbitur, Waldetrudem, quæ minimum à decimo Æræ Chriſtianæ ſeculo, ſolenni cultu celebris extitit; ab antiquiſſimis ſcriptoribus ſemper* ſanctam Waldetrudem, *aut* Beatam Waldetrudem *appellari. Ita Baldericus Epiſcopus Noviomenſis & Tornacenſis, ſapiens vir & pius (qui anno* MCXII *obiiſſe traditur) in chronico Cameracenſi & Atrebatenſi lib. 2 cap. 35, iſta habet:* Vincentius Comes egregius, videlicet ſanctæ Waldetrudis maritus. *Ac rurſus cap. 39,* In villa caſtriloco duo quoque monaſteria habentur, vnum quidem puellarum, quod Sancta Waldetrudis, conjux prælibati Sancti Vincentii atque ſoror Beatæ Aldegondis, ædificavit. *Anno* MCCIX *legitur Henricus, Dux Brabantiæ, cum Montenſi S. Waldetrudis eccleſiæ transegiſſe ſuper juribus oppidi Herentalienſis. Recitat conventionis tabulas Miræus in Notitia Eccleſiarum Belgii cap.* 189, *in quibus iſta habentur:* Euſtathius Propoſitus, Hawidis Decana, & totum Capitulum Sanctæ Waldetrudis in Montibus. *Ac deinde rurſum nominat* Eccleſiam S. Waldetrudis. *Nec unquam fere in aliis ſcriptoribus illius mentio fit, quin* Sancta Waldetrudis *appelletur, preſertim in antiquis Sanctorum Vitis, vti Sanctæ Aldegondis ſororis ejus. At plerisque antiquior videtur, qui ipſius met Waldetrudis Vitam ſcripſit, quam ex vetuſtiſſimis duobus codicibus, Cameracenſi uno, altero Audomarenſi dabimus; Quam etiam Vitam, atque alias Sanctorum complures, ſed paullum quandoque interpolatas, edidit Philippus Hervingus Abbas Bonæ Spei, Ordinis Præmonſtratenſis in Hannonia, S. Bernardo Familiaris. Sed primus ſcriptor ita habet.* Igitur adjuvante gratia Chriſti, de vita & converſatione atque miraculis Sanctæ ac Beatiſſimæ Waldetrudis, Chriſti famulæ, quæ geſta ſunt haud procul à noſtris temporibus, juxta quod veracium teſtium, qui hæc videre vel audire meruerunt, relatione certa vulgatum eſt; ad laudem Dei & ad ædificationem proximorum, aliqua, licet pauca de multis, conabimur aperire ſcribendo. *Ac ſub finem hic idem ſcriptor ita eam invocat;* Hanc ergo nos quibus poſſumus precibus & laudibus proſequamur, orantes ut noſtri memor eſſe dignetur; vt nobis ille tribuat indulgentiam peccatorum, qui huic omnium laborum ſuorum præmium largiter reddidit: cui eſt honor & gloria *&c.*

D

ejus vita ex antiquis MS. editur:

caput à corpore avulſum, præſente Pontificio Legato,

E

5 *Ad ejuſdem Sanctæ Waldetrudis antiquam venerationem plenius teſtandam augendamque illud facit, quod caput ejus à reliquo corpore, religioſa pompa & ſolennitate olim ſeparatum fuit, Pontificio Legato præſente. Id ab Autberto Miræo in Faſtis Belgicis relatum, nos ex quodam membraneo pittacio, Montibus ad nos delato, fidelius hic reddemus;* nam *apud eum Petri de Collemedio Cardinalis Albanenſis, qui actioni illi præerat, nomen ſola littera P. expreſſum, Pruſſiæ & Livoniæ Archiepiſcopi omiſſum. Ita ergo reſtituimus:* Petrus, miſeratione divina Albanenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis Legatus; Albertus Dei gratia Pruſſiæ & Livoniæ Archiepiſcopus, Nicolaus eadem gratia Epiſcopus Cameracenſis, & Margarita Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa; univerſis præſentes litteras viſuris, in Domino ſalutem. Noverint univerſi, quod cum nos pariter eſſemus in eccleſia Beatæ Waldetrudis Montenſi, Cameracenſis diœceſis, in craſtino Octavarum B. Laurentii, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ducenteſimo quinquageſimo, Capitulo dictæ Eccleſiæ convocato & conſentiente, præſentibus eis qui volebant & debebant intereſſe; capſam, in qua ſacroſanctum corpus dictæ Beatæ Waldetrudis ab antiquo tempore honeſte reconditum habebatur, in eadem eccleſia aperiendam duximus, & caput dictæ Sanctæ extrahendum per ſe diviſim à dicto ſuo corpore, toto alio corpore cum ſuis membris integraliter in eadem capſa remanente; vt dictum caput in ſuo phylacterio poſitum, peregrinantibus & dictam Sanctam requirentibus, ibidem oſtendatur. Actum in die craſtino Octavarum S. Laurentii Incarnationis anno prædicto.

anno 1250

ad majorem peregrinantium venerationem:

F

5 *Aliud inſigne argumentum magnæ erga dictam Sanctã populorũ pietatis, & de ejus auxilio calamitoſis temporibus fiduciæ, hic ex conſimili pittacio, itidem membraneo, indidem acceptum, referemus. Id ſic habet:* Anno verbi incarnati MCCCXLIX, die Mercurii, VII menſis Octobris, ad impetrandam gratiam Dei, precibus & orationibus fidelium, quatenus iram ſuam mitigare dignaretur, quoad peſtilentiam mortalitatis; proceſſiones factæ fuerunt & adunatæ in Biveriis, in via quæ ducit ad villam dictam Caſtiaulx, prope Crucem juxta boſcum, de Eccleſiis B. Vincentii Sonegienſis, & Beatæ Waldetrudis Montenſis, cum eorum corporibus & feretris, & aliis Reliquiis ſanctis: & ibi fuit multitudo Chriſti fidelium copioſa, peroptime cum diſcretione & devotione ordinata; viri ſequentes clerum, & mulieres conſequenter gradientes, cooperta albis veſtimentis, &, prout æſtimari potuit, fuerunt bene centum mille perſonæ. Fuit etiam ibidem in tentoriis Miſſa celebrata per venerabilem virum D. Stephanum Malion Decanum Sonegienſem, in quodam

anno 1349 graſſante peſtilentia corpus in Proceſſione delatum 7 Octobris.

A quodam altari ordinato inter duo feretra prædictorum Sanctorum. *Ea tunc placandi numinis ratio vigebat, ea populorum mentibus insidebat fiducia opis ab sanctis suis Tutelaribus obtinendæ, atque à S. Waldetrude præsertim, quæ velut è meditullio patriæ, è Castriloci cacumine, late radios suæ benignitatis diffundit. Neque tunc successu ea caruit religio. Restincta est enim, quæ per plures provincias grassata, Hannoniam præcipue populabatur, pestilentia. In cujus beneficii memoriam anniversaria instituitur supplicatio, eaque sæpenumero cælestibus prodigiis illustratur. Ita nimirum jam olim consuevit miseris, patrocinium suum implorantibus, continuo succurrere. Quod de sua ætate, jam ante* DCC *aut* DCCC *annos, vitæ illius scriptor testatur*, quotidie ad sacratissimas illius Reliquias virtutum documenta teneri, cæcis lumen reddi, claudis gressum restitui, ægros curari, quoties ex fide petitur &c.

ex inde habita annua supplicatio

7 *Legitur nomen inscriptum vetustissimis quibusdam Martyrologiis MSS. Quale est quod in celebri S. Laurentii monasterio juxta Leodium servatur; in quo luculentum et insigne illius elogium legitur, hac clausula.* Quæ quoties modo mortua petitur, sicut vivens consuevit, ita nunc omnibus viventibus auxiliatur. *Porro quandoquidem tempore quo Monasterium illud surgebat, Olbertus, cujus antea fecimus mentionem ad S. Iacobi in ipsa vrbe Leodiensi Abbatiam Gemblaco sit translatus; vix ambigam, quin vel illud Martyrologium, vel saltem S. Waldetrudis elogium ab eo sit, vicino ejusdem ordinis Benedictini cœnobio communicatum. Vetustissimum quoque in Lætiensi Abbatia extat Martyrologium, in quo & S. Waldetrudis nomen. Ita & in perantiquo imperialis monasterii S. Maximini Treviris hæc habentur, ad* V *Id. Aprilis* Eadem die S. Waldetrudæ. *Legitur idem in alio veteri MS. monasterii S. Martini in eadem vrbe Trevitensi. MS. Martyrologium quo vti solet Bruxellensis Ecclesia S. Gudilæ, hæc habet* : Apud Montes Hannoniæ, Depositio, seu Transitus, B. Waldetrudis electæ, neptis B. Gudilæ. *Refertur & in MS. Florario Sanctorum, & in Additionibus ad Vsuardum, quas à ducentis circiter annis concinnavit Hermannus* Greven *Carthusianus Colonienſis, & quas Ioannes* Molanus *Lovanii edidit anno* MDLXXIII, *qui & in Indiculo Sanctorum Belgii, ac Natalibus eorumdem prolixe de ea agit. Sed fallitur & ipse & alii ipso recentiores multi, quod S. Vincentium Madelgarium, ejus maritum,* Comitem Hannoniæ *appellent. Fuit quidem Comes, & in ea regione vixit, quæ Hannonia dicitur; sed non erant tunc illi comitum ac Ducum tituli & præfecturæ patrimoniales atque hereditariæ. Ita & Andreas Saussayus* Tullensis *Episcopus in Martyrologio Gallicano, insigne alioquin habet Sanctæ Waldetrudis elogium, si expunxeris, quod* Walberti & Bertilæ Comitum Hannoniæ filiam *vocet. Egregie quoque de ea scribit Autbertus Miræus, antea citatus, in Fastis Belgicis. Denique ita ejus meminit Philippus Ferrarius in Catalogo Generali* : Montibus in Hannonia S. Waldetrudis Comitissæ. *Postremo quotquot vidimus ordinis Benedictini Martyrologia, & Calendaria, nimirum Wionis, Hugonis Menardi, Benedicti Dorganii, Gabrielis Bucelini, eam honorifice inter Sanctos sui ordinis recensent, vti & Ioannes Trithemius Abbas, lib. 3 de viris illustr. ord. S. Benedicti cap.* 285. *At Constantinus Ghinius Senensis in Sanctorum Canonicorum natalibus illius mentionem facit.*

memoria antiquis Martyrologiis inscripta,

B

C

8 *Hactenus fere Ioannes Bollandus noster, biennio ante mortem, nomine illustris Collegii Canonicarum Montensium rogatus ea scribere, quibus permoveri posset sacra Rituum Congregatio, ad S. Waldetrudis nomen Romani Martyrologii tabulis inserendum. Etenim diu proprio Breviario atque adeo Martyrologio contenta, cum tandem persuasæ essent Romanæ Ecclesiæ Ordinem, omnibus universim Ecclesiis à Concilio Tridentino commendatum, amplecti; ipsoque Romani Martyrologii vsu admonitæ animadverterent, eidem, ultra antiquum Vsuardi textum (quem tam ipsa Romana ecclesia, quam sua Montensis, & aliæ pleræque, sed singulæ electum ad suos vsus, recitare in sacris solebant) post illius recognitionem, de mandato Apostolicæ Sedis à Cardinali Baronio factam, accessisse multos tum aliarum vrbium tum etiam Belgicarum Patronos, longe minus quam sua Montensis sit spectabilium; sancto pro sua Fundatrice atque vrbe totius Provinciæ primaria zelo succensæ, scriptum hoc obtinuerunt, ipsius Bollandi nostrisque nominibus subsignatum, anno* MDCLXIII *die* XXVII *Octobris. Quid deinde actum impetratumve sit, necdum comperimus; vnum scimus, non solam esse urbem Montensem, quæ se in sua Patrona præteritam queri possit. Ipsa Bruxella, totius Belgici atque Burgundici Principatus sedes primaria; S. Gudulam, in Romanis fastis quærit nec invenit : quod minus mirari cœpimus, postquam in ipsa Italia audivimus vrbes aliquas, valde celebres, multis optare, vt præ aliis quibusdam suis sanctis Episcopis dicto Martyrologio à Recognitore inscriptis, assumptus fuisset is, quem ipsæ in ordine vel Episcoporum vel Patronorum primum ac præcipuum venerantur. Sed hujusmodi defectus altiori iudicio arbitrioque supplendos relinquimus, & S. Waldetrudis vitam, à Bollando laudatam, propriis annotationibus illustrare aggredimur : appendiculam non injucundam addituri ad calcem ex fide dignissimo MS.*

Auctore I. B.

Ex hodierno Romano expetitur.

VITA

Ex vetustis codicibus MSS.

E

PROLOGVS.

1 SAnctorum venerabilia gesta, ad excitationem viventium scripturæ tradi debere, antiquorum consuetudo declarat: qui tot nobis volumina de his reliquerunt, vt numero comprehendi vix possint. Horum igitur exemplis provocatus, & quorumdam religiosorum Fratrum & Sororum caritate compulsus, hoc opus aggredi præsumpsi : prudentem quemque lectorem supplex exorans, vt parcens rusticitati scribentis, benevolus potius corrector, quam improbus cavillator existat; sciens me magis intendisse qualiter rogantibus Fratribus Sororibusque veritatem propositæ rei gestæ lucide panderem, quam vt grammaticorum regulas custodirem.

Incitantibus variis hac vita est scripta.

2 Ad illuminanda m viam vitæ æternæ omnibus fidelibus Christianis, Redemptor mundi post adscensionem suam mittere dignatus est Apostolos Apostolorumque sequaces electos, qui recte vivendo, adversa æquanimiter tolerando, visibilia & temporalia contemnendo, invisibilia autem & æterna appetendo, prædicando, præstolando, amissa æterni regni gaudia errantibus nuntiarent, & vt ita dicam ad hæc redire volentibus, gratia Spiritus magna refulgente, inter errorum tenebras astrorum more viam ostenderent. Sed quia populus priori quidem tempore carnalis tunc erat, sola hæc visibilia esse existimans, invisibilia autem non appetens, quia nec esse suspicabatur; Sanctorum exempla vel prædicatio sola ad fidem invisibilium sufficere minime quiverat. Addita sunt ergo miracula, vt fidem verbis declararet virtus ostensa. Ad hoc enim tunc visibilia illa miracula coruscabant, vt corda audientium ad fidem invisibilium pertraherent, & per hoc quod mirum foris agebatur, hoc quod intus erat longe mirabilius sentiretur. Nunc vero quia operante Deo numerositas fidelium excrevit in mundo, illa corporalia miracula magna ex parte cessaverunt. Non quod desint modo in Ecclesia qui vitam virtutum habeant, dum signa corporaliter non faciunt; sed quod hæc nostris jam temporibus necessaria non sint. Vnde Apostolica vox ait: Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed in fidelibus. Frustra igitur miraculum foris agitur : si deest quod intus operetur. Vita enim, & non signa, modo est quærenda. Vitæ enim veræ æstimatio

F

ad excitandam fidem :

vt quod olim faciebant Sanctorum miracula,

1 Cor. 14. 22

id nunc faciant

ex mss. æſtimatio in virtute eſt operum, non in oſtenſione ſignorum. Verumtamen & hæc cum fiunt, vitæ bonæ teſtimonium ferunt; & ad imitationem corda provocant proximorum. Vnde indubitanter credimus ac ſtabili fide retinemus, deſiderantibus terrena negotia funditus relinquere, ac lata & ſpatioſa hujus mundi itinera quæ ducunt ad perditionem deſerere volentibus, ſtrictam quoque & anguſtam noſtri Redemptoris viam, quæ ducit ad vitam, adire cupientibus, non mediocriter profuturum; ſi de vita ſanctorum virorum ſeu feminarum, qui in hac videlicet via, duce gratia, nobis præceſſerunt, ſuiſque veſtigiis tritam reliquerunt, exempla proferantur: vt omne quod impoſſibile ſibi credere poterant, tanto eis ad ſperandum fiat facilius, quanto per hoc tranſiſſe jam & alios vident. Sæpe etenim corda, torpentia ad amorem Dei & vitæ æternæ deſiderium, plus Sanctorum exempla quam prædicamenta excitant; quia dum eorum opera vel miracula ſublimia

exempla virtutum,

Matt. 5, 16 attendunt, ipſi in infimis turpiter jacere erubeſcunt. Vnde Dominus dicit. Videant opera veſtra bona: & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.

B

CAPUT I.

S. Valdetrudis genus, matrimonium, continentia.

2 IGitur adjuvante gratia Chriſti, de vita & converſatione atque miraculis ſanctæ ac beatiſſimæ Waldetrudis, Chriſti famulæ, quæ geſta ſunt haud procul à noſtris temporibus, juxta quod veracium teſtium, qui hæc videre vel audire meruerunt relatione certa vulgatum eſt, ad laudem Dei & ad ædificationem proximorum, aliqua, licet pauca de multis, conabimur aperire ſcribendo. *a* Hæc itaque, temporibus *b* Dagoberti inclyti: Regis Francorum, clariſſimis & valde nobilibus orta parentibus, ex *c* Regali proſapia ædita fuit: cujus pater *d* Walbertus, mater vero Bertilia dicebatur. Fuerat etiam illi ſoror, Virgo ſcilicet ſacratiſſima, nomine Aldegundis: quæ vitam multis plenam virtutibus ducens, ſeque in continentiæ arce cuſtodiens, multis annis Melbodienſi præfuit monaſterio. Extat autem *e* libellus de vita & converſatione illius æditus: in quo, ſi quis noſſe deſiderat, quam grata Deo & Angelis extiterit, quamque cara hominibus fuerit, quantas & quales per eam Dominus oſtendere dignatus eſt virtutes, facile poterit reperire. Sed nos ad hoc quod propoſuimus calamum revocemus.

a
b
c
d

Nata patre Walberto matre Bertilia,

C

3 Beata autem Waldetrudis, adhuc adoleſcentula, cum in paterna domo mitteretur, & nimium à ſuis diligeretur, viſum eſt ejus parentibus, ut eam, ſecundum antiquam Dei ordinationem & Patriarcharum exemplum, ad nuptias viro tradere debuiſſent. Erat autem pulchra facie decoraque aſpectu, ſed pulchrior fide, pudicitia & caſtitate. Sed, domini Dei occulta diſpoſitione, quæ eam fidei ſuæ annulo ſubarrhaverat, & ſociam ac coheredem ſupradictæ ſorori ſuæ Aldegundi Virgini in æterni Regni gloria fieri prædeſtinaverat, nec ipſa carnis copula potuit immutari. Nam omnipotens Deus hanc ab ingreſſu mundi gratuito pietatis ſuæ munere citius retraxit: & amoris ſui igne cor illius accendens, ab omnibus carnalibus illecebris & immoderato terrenarum rerum appetitu facile temperavit. mutato namque animo, cœperunt ſubito vileſcere quæ placebant: & quæ prius delectabant animum poſtmodum fieri vehementer oneroſa. Studebat autem inter hæc curas ſæculi paulatim poſtponere, & ſolis deſideriis inhiare æternis: ſubſtantiam ſuam

traditur viro in uxorem:

addicta eleemoſynis:

pauperibus, orphanis ac viduis, cum omni alacritate largiri; captivos redimere, hoſpites & peregrinos colligere: vitia quoque non ſolum ab actu corporis, ſed etiam à cogitatione cordis funditus extirpare. D

4 Interea ſua tantum ſalute minime contenta, etiam jugalem ſuum, nobilem ſcilicet virum *f* Maldegarium, ad amorem Dei & cæleſtis patriæ deſiderium ac caſtimoniam conſervandam, blandis quotidie ac ſalutiferis ſermonibus excitare curabat; & igne caritatis, quo ipſa ſuaviter flagrabat, illius mentem accendere ſatagebat. Denique quia carnalis affectus intentionem mentis multum diverberare ejuſque aciem obſcurare ſolet, cœpit ipſam carnis copulam valde perhorreſcere; non quod Dei munus, ad *g* propagandam ſobolem hominibus conceſſum, ſperneret: ſed quia ſcriptum noverat docente Apoſtolo, Mulier innupta & Virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu: quæ autem nupta eſt cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro. Ideoque ſoli Deo vacare deſiderans, veluti quoddam impedimentum, carnale conjugium pertimeſcebat: atque vt nutu Dei ſolveretur, & in ſe Domini voluntas fieret, quotidie cum lacrymis & gemitu exorabat. Sed omnipotens Deus, qui hæc occulta diſpoſitione in corde ancillæ ſuæ miſericorditer ſuggerebat, etiam vt fieret potenter adjuvit. Nam prædictus vir ejus Maldegarius, divina inſpiratione compunctus, & intimi amoris facibus accenſus, ſolutis vinculis conjugalibus, manente autem caritate, ad monaſterium cujus vocabulum eſt *h* Altus-mons concitus perrexit: ibique monaſtico habitu ſuſcepto, in ſanctis actibus temporalem hujus vitæ peregit curſum.

f

maritum ad pietatem & caſtitatem movet,

g

1. Cor. 7, 34

E

factum in Alto-monte monachum:

h

5 Religioſa autem Chriſti famula Waldetrudis, adhuc in ſeculari habitu poſita, vigorem tamen animi in nullo relaxans, propriæ domus curam gerebat. Erat namque miſericordiæ actibus dedita; bonis operibus intenta; hoſpitalitati ſtudens, jeiuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die. Igitur omnipotens Deus, qui novit omnem palmitem afferentem fructum excolere, ut fructum plus afferat; famulam ſuam, de acceptis muneribus fideliter miniſtrantem, ad majora ſanctitatis lucra cæleſti viſione provocare dignatus eſt. Nam quadam nocte, cum poſt laborem feſſa, ad refocillandum corpuſculum lectulo membra dediſſet; mox ſopore depreſſa, vidit in ſomnis quaſi introiſſet in baſilicam, quæ ſita eſt in villa quam vulgus *i* Buxutum nominant: Et ecce apparuit illi vir ſanctiſſimus *k* Gaugericus Epiſcopus, nimio refulgens decore, eamque ſummo honore & reverentia ſuſcepit: deditque illi per viſionem etiam calicem vino plenum. Quæ cum bibiſſet, ſereno & hilari vultu dixit ad eam: Age quod agis: placent enim mihi valde quæ facis. Hac itaque viſione roborata, & ut ita dicam divinæ gratiæ vino debriata, terrena faſtidire & ad amorem cæleſtis patriæ vehementius flagrare cœpit; & quaſi deguſtatam paululum, æternæ vitæ dulcedinem avidius appetere.

ad progrediendum in bonis operibus

i
k

à S. Gangerico viſione apparente animatur;

6 Sed antiquus hoſtis, vnde bonos proficere dolet, inde malos ad deteriora rapere nequitiæ ſuæ artibus conatur. Nam omnipotentis Dei famula, cum hanc viſionem quibuſdam ſuis confabulabus humiliter retuliſſet, atque ab eis vt aſſolet ad aures vulgi ignobilis perlata fuiſſet; ſtatim humani generis inimicus, ſancto propoſito in ipſo ſui initio reſiſtere cupiens, hujus viſionis occaſione quorumdam corda reproborum invidiæ facibus accendit, atque ad inferendas illi detra-

multorum calumniis afflicta.

ctiones

A Pſal.56, 5

ctiones, cavillationes, falſaque opprobria excitavit; & ut ita dicam, contra Chriſti famulam pugnaturus, eorum ſe venenoſis armavit linguis. Unde ſcriptum eſt: filii hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Sed omnipotens Deus famulæ ſuæ, inter diabolicas inſidias titubanti, velociter ſuccurrit. Nam cum animus illius, utpote adhuc rudis, hujuſmodi irriſionibus ac derogationibus fatigatus, nimium turbaretur; ipſaque gravi mœrore depreſſa, in lectulo decidiſſet; ſubito in virili ſpecie

ab Angelo corroboratur:

Angelus cælitus miſſus, decore nimio refulgens, apparuit: qui cominus aſſiſtens, eique familiariter alloquens, cauſas tanti inquirit mœroris; Cur, inquiens, tanti mœroris pondere gravaris? quare hilaritatem tuæ mentis triſtitiæ nubilo inordinate confundis? Cui cum illa reſpondiſſet, quantas à civibus ſuis derogationes, irriſiones, ac calumnias, antiquo inſtigante adverſario, pateretur; ſubjunxit Angelus, dicens, Confortare, & eſto robuſta contra obloquentes & calumniantes te, quoniam ſcriptum eſt: Non coronabitur quis niſi qui legitime certaverit. Non ergo magnopere curandum eſt de vanis verborum favillis, quæ citius accenſæ facile reſtinguuntur. Hæc etenim patiebantur Prophetæ, Apoſtoli, & Martyres, qui fuerunt ante te. Unde & Dominus in Euangelio dicit: Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. Et paulo poſt: Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus? His igitur & hujuſmodi ſermocinationibus & Scripturarum teſtimoniis confortata, inutilem triſtati cordis mœrorem, quem Diabolica fraus ſuggerebat, ſpirituali gaudio ſuperveniente, ſtatim repreſſit. O quam dilectam ſibi hanc Dominus oſtendit, quam nec ad modicum contriſtari permiſit!

2 Tim.2,5

B Matt.10,24

ANNOTATA.

a *Hic interſerit Philippus Hervingius Abbas Bonæ-ſpei, plurima de Sanctis Belgii, qui ſeptimo ſeculo floruerunt, & de nobilitate generis parentum, & de S. Waldetrude in exemplar propoſita eremitis, conjugatis, & virginibus: quæ omnia apud eum videri poſſunt.*

b *Mortuus eſt Dagobertus anno* 638, *die* 19 *Ianuarii, ut S. VValdetrudis ante illud tempus fuerit nata.*

C c Regalis *forſan* proſapia *dicitur, quod Regina aliqua, ſive Chlotharii* II *ſive altera Regis uxor, ex illa familia fuerit prognata.*

d *In Vita antiquiore S. Aldegundis, dicuntur* ſuperbi faſtu ſanguinis ditati, & Chriſtianitatis nomine ac titulo præmuniti. *Conſule Notas ad cap.* 1 *dictæ Vitæ, ubi etiam de Gundelando & Landerico avunculis agitur.*

e *Eſt hæc dicta prima Vita ad diem* 30 *Ianuarii edita.*

f Madelgarius, cognomento Vincentius *dicitur in triplici Vita S. Aldegundis, colitur* 14 *Iulii: à Baldrico lib.*2 *Chronici Cameracenſis cap.*35 *cognominatur* Comes egregius, *ſcilicet ut tunc erant, temporarii Officiales, ad nutum Regum inſtituti & amovendi.*

g *Habebant* 4 *liberos, qui omnes in Litaniis Eccleſiæ Montenſis invocantur: & ſunt* Landricus, *qui patri* Sonegiæ *ſucceſſit &* 17 *Aprilis colitur*; Aldetrudis & Madelberta *Virgines, & poſt S. Aldegundem Abbatiſſæ Malbodienſes*; *ex his* Aldetrudis *colitur* 25 *Februarii*, Madelberta 7 *Septembris: demum* Dentlinus puer, *quem* Molanus *cum S. Vincentio patre refert* 14 *Iulii. Quieſcit hic Reſſæ in Clivia, ideoque Theodorus Rhay S. VValdetrudem recenſuit inter Illuſtres animas Iuliæ, Cliviæ &c.*

h Altus-mons, *monaſterium à S. Vincentio poſtſimum conſtructum, ad Sabim fluvium, milliari uno diſtat Malbodio, de quo actum eſt pluribus ad diem* 15 *Ianuarii lib.* 2 *Vitæ S. Marcelli auctore Vrſione: quod hujus ſacræ reliquiæ ſint ad illud monaſterium tranſlatæ.* EX MSS.

i Buxutum, *vulgo* Boſſu, *locus Comitatus titulo inſignis, inter Bellomontium & VValcurtium.*

k S. Gaugericus, *Epiſcopus Cameracenſis, colitur* XI *Auguſti.*

CAPUT II.

Vita ejus ſolitaria, dein monaſtica. Colloquia cum S. Aldegunde.

7 INterea erat quidam Sacerdos, *a* Giſlenus nomine, habitans in locis deſertis circa fluvium cujus vocabulum eſt Haina: qui habitum monachi quem prætendebat ſpecie, moribus demonſtrabat; quique pro ſanctitatis ſuæ merito, à cunctis qui hunc noſſe poterant, valde colebatur. Hic itaque divina monitus juſſione, ad prædictam Chriſti famulam Waldetrudem exhortationis gratia crebro venire conſueverat, & verbi Dei pabulo illius mentem reficere curabat. Quam cum vir Domini ab hujus mundi cupiditate frigeſcere, & cæleſti deſiderio accenſam ſanctæ converſationis habitum quærere agnoviſſet; montem illi quemdam, qui nunc Caſtrilocus dicitur, deſignavit; & ut ſacro velamine accepto, in eo ſibi cellulam, ad omnipotenti Deo ſerviendum, conſtrui faceret, ſolicita admonitione perſuaſit. Qui videlicet mons, à prædicti viri Dei Giſleni cellula quatuor fere millibus diſtans, in ſuperiori parte deſerti ſitus erat. Beata autem Waldetrudis, admonitionem viri Dei libenter gratanterque ſuſcipiens, non diſtulit opere perficere, quod ſibi per famulum ſuum omnipotens Deus dignatus eſt imperare: ſed ſtatim miſit ad quemdam illuſtrem virum, *b* Hildulfum nomine, qui per idem tempus valde inclytus ac nobilis, & ſecundum temporalem hujus ſeculi dignitatem potentiſſimus erat, & per *c* conjugem ſuam eidem famulæ Chriſti propinquus extiterat. Hunc ergo ſolicite poſtulavit, ut ſupradictum locum, quem ſibi divina clementia per famulum ſuum deſignaverat, à ſuis poſſeſſoribus dato pretio emere debuiſſet; illicque habitaculum ſibi ad Domino ſerviendum præparare non negaret. Cujus precibus mox ille libenter acquieſcens, locum, quem Chriſti famula poſcerat, emere curavit: eique in vertice montis ipſius, arbuſtis & vepribus radicitus abſciſſis, domum ad habitandum magna paravit ſolertia. Nec ſilentio præterire debemus miraculum, quod omnipotens Deus, ad oſtendendum quantam famulæ ſuæ curam gereret, in ipſo ſancto propoſiti tirocinio exhibuit. Nam cum religioſiſſima Chriſti tiruncula ad domum ſibi præparatam acceſſiſſet; hanc latam atque ſpatioſam atque ſublimem intuens, oculis abhorruit; & ex ipſa ſui magnitudine oculis ejus valde diſplicuit. Humili ſcilicet mente humile atque remotum ab aſpectibus humanis quærebat habitaculum in terris, ut celſum atque ſublime inter frequentiam Angelorum mereretur habere in cælis. Mira res & vehementer ſtupenda mox ſecuta eſt. Nam recedente Chriſti famula, eadem nocte totius domus fabrica ſubito turbine à fundamentis everſa eſt, ac longe divinitus projecta. Tum prædictus vir Hildulfus, in ejuſdem montis latere, ei parvum

a S *Giſlenus pro admonita*

E

b *loci in monte per S. Hildulfum emit:*

c

F

& cellam ſibi conſtruit curat:

ſed domus extructa ſplendorem non ferens,

ea ſubito eversa,

EX MSS. *aliam humiliorem exſtruit:*

& ſanctæ religioni congruum habitaculum ſimul & oratorium, in honore S. Petri Apoſtoli dedicatum, ubi ipſa illi deſignaverat, reſtruxit.

à S. Autberto ſacrum velamen accipit:

8 Interea dilectiſſima Chriſti famula Waldetrudis, fervens ſpiritu, & magis magiſque cæleſti deſiderio anhelans, juxta viri Dei Giſleni, cujus ſuperius mentionem fecimus, admonitionem, ad Beatiſſimum *d* Autbertum Epiſcopum acceſſit, & ut velamen ſacrum accipere mereretur petiit, & citius impetravit. Acceptis itaque ab eo ſanctimonialibus indumentis, ſtatim ſe ſuaque omnia Deo omnipotenti tradidit; atque in cellula, quam ſibi conſtrui fecerat, ſe recludit; ibique eximæ converſationis exempla circumquaque dedit. Erat enim morum gravitate, mentis ſobrietate, manſuetudinis lenitate, verborum moderatione incomparabiliter prædita; caritate autem erga Deum & proximum perfecta, curis pauperum ac peregrinorum provida, vigiliis quoque & orationibus ac jejuniis dedita. Studebat inter hæc toto mentis niſu cruciare carnem, voluntates proprias frangere, tumultuſque hominum devitare, & quotidianis ſe lacrymis in ara cordis Domino libare.

d

cellæ incluſa digit:

B

variis tentationibus moleſtatur:

9 Quamobrem antiquus humani generis inimicus, qui ab initio bonis operibus reſiſtere contendit, invidiæ facibus accenſus, contra hanc totis viribus ſe in tentationem erexit. Denique quia publicum bellum ſe doluit perdidiſſe, ad occulta ſeſe certamina iterum reparavit. Cœpit namque de fide & ſpe, quæ eſt in Chriſto Jeſu, tentatione ſubdola mentem illius improbe pulſare: cogitationes quoque varias & illicitas cordi ejus importune ingerere. Et primo quidem immittebat ei memoriam poſſeſſionum, generis nobilitatem, familiæ defenſionem, amorem rerum, ſuperfluam ſeculi gloriam, eſcæ variam delectationem, & reliqua vitæ remiſſioris blandimenta; dehinc virtutis arduum finem, & maximum perveniendi laborem, nec non corporis fragilitatem, ætatis ſpatia prolixa. His igitur & hujuſcemodi tentationibus maximam ei cogitationum caliginem ſuſcitabat: tentans ſi quomodo poſſet hanc à propoſito ſancto avocare. Sed valida omnipotentis Dei manus, hæc peſtifera Diaboli molimina facile deſtruxit. Reſpectus namque divinæ gratiæ ad ipſam citius rediit; & inter catervas ſatanæ ſe

C

in acie ſtare deprehendens, ad ſua mox arma cucurrit. Nam ſeſe protinus in lamentum dedit, cum gemitu & lacrymis Dominum exorans, ut in hujuſmodi certamine ne ſuccumberet, ſibi ſolatium largiri dignaretur. Cumque die nocteque crebris & prolixioribus à Domino precibus remedium flagitaret, contigit aliquando ut hac de cauſa in oratione pernoctaret. Et ecce ſubito idem antiquus hoſtis in effigie hominis, quaſi inſultans, illi apparuit; extendenſque manum, ſuper pectus ejus poſuit. At illa, cum Chriſti nomen celeriter invocaſſet; ſtatim hoſtis fugam petiit: quem illa intrepida, Angelico videlicet roborata ſuffragio, huc illucque fugitantem, cum vituperationibus, & dignis opprobriis audacter perſequebatur; Bene, inquiens, tibi contigit miſer, bene tibi contigit: tu es ille, qui dicebas in corde tuo: ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum, ſimilis ero Altiſſimo. Ecce propter ſuperbiam tuam à ſede cæli expulſus, in tartarea morte, ut dignus es, à femina perſequeris; & locum quem tu ſuperbus perdidiſti, Chriſtus humilis humano generi, ſuo ſanguine redempto, reparavit. His auditis, dejectionem ſuam hoſtis erubeſcens, mox quaſi fumus evanuit, mentem-

dæmonem apparentem

Chriſto invocato fugat,

& fugienti inſultat:

que famulæ Chriſti hac tentatione fatigare ulterius non præſumpſit: & cui volens certamina intulit, virtute omnipotentis Dei compulſus eſt, occaſiones victoriæ invitus miniſtrare.

D

10 Recedente igitur tentatione, Waldetrudis, ſpinis erutis, velut exculta terra, uberius fructum dedit. Nam cum eximiæ converſationis illius fama longe lateque crebreſceret, cœperunt nonnullæ nobilioris generis feminæ ad ejus magiſterium concurrere, & Domino dedicata caſtitate ſervire: libera namque à tentatione, jure facta eſt magiſtra virtutum. Soror quoque ejus, Virgo ſcilicet ſanctiſſima Aldegundis, cujus ſuperius mentionem fecimus, viſitationis gratia ex monaſterio ſuo certiſſimis diebus ad eam venire conſueverat, ut dulcia ſibi invicem vitæ verba transfunderent, & ſuavem cibum cæleſtis patriæ, quia adhuc perfecte gaudendo non poterant, ſaltem ſperando guſtarent. Quæ cum loci parvitatem cerneret, paucaſque adhuc ſanctimoniales in obſequio ſororis ineſſe vidiſſet; humano pulſata affectu, quaſi compatiens paupertati illius, monuit, ut locum illum deſereret, & ad ſuum monaſterium properaret. Sed omnipotentis Dei famula, plus appetens laboribus pro Deo

E

fatigari, quam tranſitoriis hujus vitæ honoribus perfrui, nullatenus conſenſit: ſic namque metuebat paupertatis ſuæ ſecuritatem perdere, ſicut avari divites ſolent divitias perituras cuſtodire. Nec prætereundum eſt, quod omnipotens Deus erga famulas ſuas oſtendere dignatus eſt miraculum. Quadam namque die, cum ex more ad æternæ vitæ colloquia perfruenda in invicem conveniſſent; repente cauſa extitit, ob quam pro utilitate monaſterii paululum extra clauſtra procedere cogebantur. Euntes itaque, & omnibus pro quibus jerant rite diſpoſitis, cum ſubito ad monaſterium rediſſent, abſente oſtiaria; omnia oſtia clauſa & ſeris præmunita reperiunt. Sed mira res mox contigit: nam ut famulæ Chriſti ad aditum baſilicæ pervenerunt, ſtatim oſtia, divinitus concuſſa, ita ſumma celeritate patuerunt, ac ſi orationem earum impedire perhorreſcerent.

accipit varias inſtituta ſociae,

S. Aldegundis ut in ſuo monaſterio habitaret, invitanti non conſentit:

oſtia clauſa mox ultra videt aperiri.

11 Dehinc venerabilis Chriſti famula Waldetrudis, quia relictis mundi illecebris, cæleſtis Regis ſervituti non renuit humiliter ſubdi; denuo ad contemplationem cæleſtium civium meruit ſublimiter attolli. Nam rurſus vidit in ſpiritu virum de cælo deſcendere; & cum Angelicam poteſtatem eſſe per ſpiritum agnoviſſet, ſtatim tremefacta, quid de ſe vel germana ſua in divino examine diſpoſitum eſſet percunctari ſtuduit; & an divini reſpectus gratiam aliquantulum mererentur, ab eo humiliter ſciſcitari curavit. Quam Angelus blande confortans edocuit, quod ſemper ſuper eas Dominus ſereno pietatis ſuæ intuitu reſpiceret, ſicut ipſe per Prophetam ait, Ad quem reſpiciam, niſi ad humilem & quietem & trementem ſermones meos? unde Pſalmiſta ait: Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum. Poſt hæc fuit ei divinitus revelatum: quod ipſa & germana ſua, Beata ſcilicet Aldegundis, unam manſionem & eamdem beatitudinem in regno Dei pro merito laboris ſui eſſent habituræ: ad quam videlicet manſionem perveniunt alii ſic, alii autem ſic. His divinis revelationibus omnipotentis Dei famula inſtructa, non inani jactantia mentem in ſuperbiam elevat; ſed ſeſe in arce humilitatis cuſtodiens, tanto poſt devotior ad referendas Creatori ſuo gratias extitit, quanto erga ſe ejus beneficia majora

F

ab Angelo inviſitur:

Iſa. 66, 2

Pſal. 33, 16

& ſe cum S. Aldegunda ſalvandam intelligit:

majora cognovit; & facta est eo instantior in bono opere; quo certior de promissione. Interea omnipotens Deus famulam suam diutius intra seipsam latere noluit: sed quanti esset apud se meriti signis ac miraculis dignatus est declarare; ut posita super candelabrum lucerna clarescceret, quatenus omnibus qui in domo Dei sunt luceret: de qua pauca virtutum bona, quæ ad memoriam redeunt, narrabimus; ut ex his paucis valeant ejus multa pensari.

ANNOTATA.

a S. Gislenus *colitur 9 Octobris, ad Hainam fluvium Cellam Apostolorum construxit, nunc monasterium & oppidum S. Gisleni dictum.*

b *Colitur* S. Hildulfus *23 Iunii. De eo etiam agemus ad Vitam S. Vrsmari.*

c Aya, *S. Hildulfi conjux, suas hereditates cellæ seu monasterio S. VValdetrudis donavit, ibidem sepulta, colitur 18 Aprilis.*

d S. Autbertus *mortuus est 13 Decembris circa annum 670, ut ante illud tempus velamen sacrum acceperit.*

CAPUT III.

Miracula, obitus.

Pecuniam ad captivos liberandos, divinitus auctam

12 IGitur cum die noctequè in lege Dei meditaretur, & ardenter quæreret qualiter sibi lucra pietatis augere potuisset; occurrit animo, ut aliquos captivos redimere debuisset. Vocato itaque uno puero ex ministris suis, tulit pecuniam, de qua ipsos captivos redimere cogitabat; & in stateram posuit, ut cognoscere posset, an sufficeret ad hoc quod volebat. Sed sicut scriptum est: Omni habenti dabitur, & abundabit; cœpit ipsa pecunia, in statera posita, miro modo crescere & præponderare. Quod cum tremebundus puer aspiceret, valde admiratus est. Cui illa statim terribiliter præcepit, dicens, ut dum ipsa in corpore viveret, hoc miraculum nulli indicaret. Videlicet pertimescens, ne in virtute facti humano pulsata favore, inde intus inanesceret, unde foris hominibus magna appareret. Exemplum etiam magistri sequens, qui ut nos ad viam humilitatis instrueret, de se ipso discipulis præcepit dicens, ut ea quæ vidissent nemini dicerent, quousque à mortuis resurgeret.

Matt. 13, 12

prohibet alii indicari.

C

Matth. 17, 9

vasculum vacuum potu replet:

13 Alio quoque tempore, cum prædicta Christi famula Waldetrudis ad refectionem decubuisset; una ex puellis, cellarium ex more ingressa, vasculum implevit potu, ut Christi famulæ prandenti deportaret. Sed cum incaute ambulans rediret, subito pes ejus lapsus est. Quæ cum ipso vasculo corruens cecidit, & potum omnem quem gerebat in terram fudit. Surgens autem tremefacta, ad cellarium redire cogitabat: ut vasculum iterum repleret. Sed cum repente oculos ad vasculum revocasset, ita in manu sua plenum invenit, ac si ex eo nec gutta quidem cecidisset.

14 Post hæc quidam homo, cum quadam ægritudine nimium fatigaretur, diuque jaceret afflictus, contigit ut quadam die in mentis excessu deveniret: & ecce vidit quasi à dæmonibus traheretur. Cumque nimia vociferatione ad B. Aldegundem ac sororem ejus S. Waldetrudem clamaret, ut earum meritis & orationibus adjuvaretur; repente de manibus eorum ereptus conticuit, & voces nullas insaniens emisit. Tunc his qui aderant magnopere suggessit, ut ante præsentiam Christi famulæ Waldetrudis deportari debuisset. Quod cum impetrasset, atque positus in cathedra ante eam delatus fuisset; mox Christi famula, ut eum nimia macie & defectione afflictum vidit, misericordia mota, manus in orationem extendens, super caput ejus posuit; & signo Crucis edito, omnem languorem quo detinebatur protinus fugavit; ita ut sanitati pristinæ restitutus, de cathedra qua illic evectus est surgeret & ambularet, cibumque solito more sumeret; qui jam per triginta dies, ut asserebant hi qui hunc devexerant, nullum omnino cibum ore tetigerat. Die autem dehinc quarta, mulier quædam cum filio suo parvulo, gravi ægritudine oppresso, venit ad eam, magnis precibus ab ea deposcens, ut ægrotantem filium manu sua tangere dignaretur. Christi autem famula, ut erat misericordissima, doloribus compatiens maternis, assensum præbuit; manusque super semivivum humiliter posuit puerum: qui statim convaluit, cibum potumque de ejus mensa accepit, & materna solito more suxit ubera; cum, jam transactis quatuor diebus nullum cibum ore tetigisset. Dehinc oblatus est ei alter puer parvulus, jam semivivus, & necdum baptismatis unda perfusus: pro quo genitrix obnixis imprecabat precibus, ut ejus meritis saltem ad baptismi gratiam vivus pervenire mereretur. Cui mox Christi famula, divino auxilio freta, manus imposuit: & cum signum Crucis capiti ipsius impressisset, illico omne pueri corpusculum miro modo contremuit, & vocem emisit; oculosque, quos ante clausos habebat, aperuit; & ex illa hora sanus effectus, & post hæc Sacerdos ordinatus, usque ad senectutem in vita perseveravit.

EX MSS.

ægrum sanat precibus & signo Crucis.

alium signo Crucis.

15 Sunt & alia multa virtutum opera, ab ea mirabiliter gesta, quæ partim depereunte per oblivionem memoria narrare nequivimus, partim compendio brevitatis transcribere neglexinus; ne prolixa scilicet lectio fastidium gigneret, cum possint legentibus hæc pauca, quæ diximus, & quæ quotidie ad sacratissimas illius Reliquias fieri cernimus, ad testimonium vitæ ejus abunde sufficere. Quid enim opus est de vita illius multa narrare, cum nunc usque ad corpus ejus tot virtutum documenta teneamus? Cæcis quippe lumen reddere, claudis gressum restituere, ægros curare, quoties ex fide petitur, ut vivens consueverat, hoc indesinenter facere & apud mortua sua ossa perseverat. Non est mirum si in vita sua multa facere mirabilia potuit, cujus ossa mortua in tot miraculis adhuc vivunt.

puerum contactu.

E

F

claret à morte miraculis.

16 Obiit autem S. Waldetrudis v Idus Aprilis: suscepta ab Angelis, deducta in cælestibus habitaculis, vivit cum Christo, gaudet cum Patriarchis & Prophetis, exultat cum Apostolis, triumphat cum Martyribus, æquata Virginibus, sociata Confessoribus. Hanc ergo nos quibus possumus precibus & laudibus prosequamur, orantes, ut nostri memor esse dignetur: ut nobis ille tribuat indulgentiam peccatorum, qui huic omnium laborum suorum præmium largiter reddidit: cui est honor & gloria, laus & potestas, cum Patre & Spiritu sancto, in secula seculorum. Amen.

mortua 9 Aprilis.

APPENDIX

Ex Herimanno Abbate S. Martini Tornacenſis.

17 *Illuſtre S. Martini Cœnobium Tornaci fundatorem agnoſcit S. Eligium, reſtauratorem vero B. Odonem Aurelianenſem, ex auctoritate Radbodi Epiſcopi Noviomenſis ac Tornacenſis, anno Domini* MXCII; *idque ſub habitu ac Regula S. Benedicti; biennio poſt ibidem ex aſſenſu ejuſdem Epiſcopi ſuſcepta. In hujus monaſterii regimine, B. Odoni ad regimen Cameracenſis eccleſiæ aſſumpto, & inter Divos ad* XIX *Iunii commemorando, ſucceſſit Segardus circa annum* MCV; *quo vivis exempto ſub annum* MCXXVII *Herimannus, B. Odonis diſcipulus, Radulphi Propoſiti Tornacenſis filius, ibidem cum tribus ſuis fratribus Deo ſerviens, Abbas electus. Hic poſtquam novæ eccleſiæ dedicationem anno* MCXXXII *celebraſſet, de ejuſdem ſui monaſterii reſtauratione tractatum conſcripſit, qui ibidem adhuc Ms. extat, ex quo hanc Appendicem memoria dignißimam, ad SS. Waldetrudis & Aldegundis honorem Deiparæque in primis gloriam, nobis tranſcripſit R. P. F. Ioſeph Ignatius à S. Antonio, Carmelita Diſcalceatus, antiquitatis ſacræ ſcrutator indefeſſus, in hæc verba.*

Circa annum 1110

B

Ida ſanctimonialis frater,

18 Cœperunt interea ſeculo renuntiantes, quamplures utriuſque ſexus, ad eccleſiam noſtram converſionis gratia venire, nobiſque de facultatibus ſuis tradere. Prima ergo, quantum mihi videtur, ad converſionem venit Ida, illa nobilis matrona, quæ fuerat conjux Faſtradi Advocati, qui magnopere eccleſiæ noſtræ reſtaurationem videre deſideravit, ſed morte præventus videre nequivit. Hæc... cum eſſet nobiliſſima, numquam tamen inter alias ſanctimoniales niſi ultimæ ancillæ officium tenere voluit. Hæc fuit germana illius nobilis Principis Theodorici de Aveſniis, qui eodem tempore in propria

Theodoricus de Aveſnis

terra ſua cœnobium Leſcienſe à fundamentis conſtruxit, omnibuſque officinis peractis monachos ibi poſuit, & unde victum ac veſtitum haberent abundanter providit: cujus cum mentio incidit, & alius referendi locus non erit, quiddam de eo dicam, unde legenti cuilibet & imitari volenti utilitas poſſit conferri.

ob exuſtas SS. Waldetrudis & Aldegundis eccleſias puniendus,

C

19 Hic itaque Theodoricus, vir nobilis & magnæ potentiæ, dum contra Comitem Montenſem Balduinum frequenter bellum gereret, quadam die, congregata non modica militia, terram Comitis violenter intravit; multamque prædam adducens, inter cetera quæ ibi geſſit, etiam duo monaſteria ſanctimonialium, Sanctæ ſcilicet Waldetrudis Montenſis, Sanctæque Aldegundis Malbodienſis concremavit, pro eo quod ibidem milites ſibi reſiſtentes Comes poſuerat. Eremita quidam in proxima ſilva, quæ Brocherota vocatur, commanens ſolitarius; vidit, ſicut ipſe referebat, non dormiendo ſed vigilando, media die Sanctam Dei Genitricem Mariam in cælo, inſtar Reginæ præcelſo throno reſidentem: illaſque duas prænominatas Sanctas pedibus ejus ſe proſternentes, & de Theodorico Aveſnienſi, quod eccleſias earum combuſſerat, ultionem poſtulantes. Cumque vehementer conquerentes acrius juſtitiã expeterent; ſancta Virgo ſic eis reſpondebat: Parcite quæſo, mihiq; nolite eſſe moleſtæ, quia nolo ad præſens eum gravare: uxor enim ejus Domina Ada quoddam ſervitium mihi facit, quo me ſic familiariter adſtringit, ut nec ipſi nec marito ejus pati poſſim aliquid fieri gravaminis. Cumque Sanctæ illæ requirerent, quod

differtur propter uxorem, 60 Ave Maria recitare ſolitam;

eſſet illud ſervitium; reſpondebat, Angelicam illam ſalutationem, quæ in terris principium mihi lætitiæ exſtitit, ſingulis diebus mihi ſexagies replicat; & vicies quidem proſtrata, vicies genibus flexis, vicies autem ſtando aut in eccleſia aut in cubiculo aut in aliquo ſecreto loco; Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, mihi commemorat. Cum adhuc illæ Sanctæ, inſtantius multa deprecantes, ſeſe vindicari importune exigerent; tandem ſancta Virgo ſic eis reſpondit: Rogo ut mihi ad præſens de hac ultione inducias deris; & ego promitto vobis quod veniet tempus, quando de eo juſtitiam faciam, & contra Dominam Adam nihil delinquam.

D

20 Hæc ego in pueritia mea audiens, falſum eſſe credidi: poſtea vero verum eſſe potuiſſe non nimium dubitavi. Siquidem Abbas noſter D. Odo, cum poſt duodecimum fere converſionis ſuæ annum, ad Epiſcopatum Cameracenſis urbis fuiſſet promotus; conſanguinei ejuſdem Theodorici, contriſtati quod de conjuge ſua prolem non haberet, conſanguinitatis linea quarta eos propinquos eſſe, coram eodem Epiſcopo accuſaverunt, & die ſtatuto jurejurando confirmaverunt, ſicque eccleſiaſtico judicio, cum jam pluſquam viginti annis ſimul manſiſſent, conjugium illud diſſolvi fecerunt. Vix autem dimidius annus tranſierat; & ecce præfatus Theodoricus, in ſilvam venatum pergens, ab Iſaac de Berlenmonte inſidiis circumventus, occiditur; & ad cœnobium Leſcienſe quod ædificaverat, relatus, in Capitulo ante ſedem Abbatis ſepelitur. Tuncquè vulgatum eſt, verum eſſe potuiſſe quod ſolitarius ſe audiſſe dixerat, S. Mariam promittentem, quia eas vindicaret, ac contra Dominam Adam, jam ab eo ſeparatam, nihil delinqueret. Eadem vero Domina à marito ſuo diſiuncta, continuo relicta ſeculari pompa, ad cœnobium præfatum, quod cum viro ſuo conſtruxerat, abiit, nec tamen ex toto proprietatem dimiſit; ſed ædificata ſibi juxta eccleſiam domo lapidea, nolens gravare eccleſiam, de redditibus ſuis uſque ad finem vixit; frequenterque monachis quæ neceſſaria erant tribuit. & quod retulimus multis narravit. In tantum vero id diffamatum eſt, ut etiam Goſceguinus, filius Dominæ Idæ, primæ ſanctimonialis noſtræ, qui avunculo ſuo præfato Theodorico ſucceſſit, eaſdem ſalutationes B. Mariæ quotidie replicaret, Militibuſque ſuis eas dicere ſuaderet. Quamobrem & ipſe, licet multa mala fecerit, tamen bono fine vitam terminavit: nam ſentiens ſe valida ægritudine laborare, in eodem cœnobio monachus effectus eſt; ſicque defunctus juxta avunculum ſuum, in Capitulo eſt ſepultus.

ſed ab ea per divortium, ſeparatus occiditur.

idem faciens ejus nepos bono fine moritur.

E

F

21 *Hactenus Hermannus, qui anno* MCXXXVII *vita exceßit in Hieroſolymitano itinere, poſtquam Romana peregrinatione perfunctus, Tornacenſi Eccleſiæ proprium Epiſcopum ab Innocentio* II *impetraſſet. Eadem hinc tranſcripta leguntur inter monumenta Leſcienſis monaſterii à D. le Bar Aquicinctino Priore collecta; qui ratus Letienſis alicujus monachi ſcriptum eſſe, multipliciter ſe torſit, nullum ejus monaſterii Abbatem Odonem (ſive ut ipſe ſcribit, Addonem) nominatum inveniens: in quo non laboraſſet, ſi ſua collectanea de Tornacenſi S. Martini Abbatia conſuluiſſet, & Cameracenſium Epiſcoporum catalogos, ubi ipſe tomo* 8 *ex coævo ſcriptore narrat quomodo Martinianenſis Abbas Odo ad Cameracenſem Epiſcopatum tranſlatus fuit. Leſcienſe autem ſeu Letienſe monaſterium in Hannonia eſt, de quo legi poteſt Vita Venerabilis Ludovici Bloſii* VII *Ianuarii.*

DE

A D

DE SANCTO HVGONE

ARCHIEP. ROTOMAGENSI HASPRI IN BELGIO. G. H.

ANNO DCCXXX

INter labores noſtros, in Actis Sanctorum elucidandis, non minimus cenſeri ille debet, quem in ipſis Sanctis ſecernendis adhibemus, dum ſæpe in vnam eamdemque perſonam plures conflantur, & variorum hominum geſta vni attribuunur, aut certe ob ejuſdem nominis ſimilitudinem Acta vnius Sancti alteri aſignantur. Foret iſtud nobis hoc loco in S. Hugone operoſius curandum niſi id nuper ab aliis fuiſſet factum. Porro habuit Hugo patrem Drogonem, avum Pippinum Herſtallum, patruum Carolum Martellum, à quo eum ad Sedem Rotomagenſem, & aliarum Eccleſiarum & Abbatiarum curam promotum fuiſſe, ex infra dicendis conſtabit. Fuit poſtmodum alius Hugo, integro ſeculo junior, Caroli Magni Imperatoris filius, cui dictus Archiepiſcopatus Rotomagenſis cum fabuloſa narratione tribuitur. Extat illa, incerto auctore ante quingentos facile annos conficta, quam nobis olim ex MS. Vedaſtino deſcripſit Thomas Luytens, non diu poſtea Abbas Latienſis creatus, cui tunc inſcripta fuit Præfatio generalis ante Acta Sanctorum Ianuarii. Eamdem hiſtoriam nobis ſubmiſit Fredericus Flonetus noſter ex MS. Rotomagenſi: quam etiam extare in monaſterio Gemmeticenſi tradunt Sanmarthani in Archiepiſcopis Rotomagenſibus. Poſtmodum Baldericus Epiſcopus Dolenſis in Britannia minori anno XIV ſeculi XII creatus, & anno XXXI vita functus, eamdem narrationem in meliorem, ut ferebat ætatis conditio, ſtylum redegit, & Vrſioni Gemmeticenſium Abbati, ejuſdemque loci Congregationi inſcripſit. Hanc habemus ex libro 13 Iacobi Guiſii, qui eam in vndecim capita diſtinxerat, quam totam edidit Arturus du Monſtier in Neuſtria pia cap. 8 Gemmeticenſis monaſterii, & capite ſequenti diſcutit & explodit; quodque variis mendis & ſalebris, veritati hiſtoricæ & rationi chronologicæ repugnantibus, ſcateant, deducit. Idem fecerunt Sanmarthani in Archiepiſcopis, vti diximus, Rotomagenſibus. Ioannes Beſlius, poſt hiſtoriam Comitum Pictavienſium & Ducum Aquitanorum, edidit tractatum accuratum ex auctoribus coævis de Geſtis Hugonis dicti Abbatis, quem & Drogonem peperit Carolo Magno horum mater Regina, quos Ludovicus Pius Imperator ſecum in palatio nutriri fecit, & poſtmodum Drogoni dedit Epiſcopatum Metenſem, & Hugoni cœnobialia monaſteria; qui ſolum Abbas, non Epiſcopus, ſuperfuit vſque ad annum DCCCXLIV, quando à Carolo Calvo miſſus ad Toloſæ vrbis obſidionem, in prælio VII Idus Iunii occiſus eſt. Hunc eumdem Hugonem, Caroli Magni filium, ab altero Archiepiſcopo Rotomagenſi, S. Remedio ſeu Remigio, filio Caroli Martelli, non ſatis reperimus diſtinctum in Chronico Novalicienſis cœnobii, quod in valle Alpium Seguſiana eſt ſitum, dum Hugo Abbas filius Caroli Magni dicitur in monaſterio Sueſſionenſi S. Medardi obiiſſe Idibus Iunii, jbique ſacrum ejus corpus honorifice quieſcere humatum, vbi multas virtutes & miracula per eum Dominus operatus eſt, & magna veneratione ab incolis loci habetur. Quievit jbidem aliquamdiu corpus S. Remigii Archiepiſcopi, vti ad hujus Vitam die XIX Ianuarii eſt relatum.

2 Hoc ergo Hugone, filio Caroli Magni, amandato, cum fabuloſis narrationibus; ſupereſt vt quæ de vero S. Hugone Archiepiſcopo Rotomagenſi ſcripta reperimus, hic ſubjiciamus. Ac primo S. Hugo, Sacerdos ac Primicerius Eccleſiæ Metenſis, donavit villam Vigiacum Abbatiæ S. Arnulphi, Abavi ſui, anno quinto Dagoberti vltimi Regis, id eſt anno Chriſti DCCXV; vnde colligimus eum circa annum DCLXXX natum fuiſſe, maxime ſi tempore Childeberti Regis Sacerdos fuerit, vti in diplomatis editis à Meurisio in Hiſtoria Epiſcoporum Metenſium ad Acta S. Arnulphi legitur: ex quibus donationem S. Hugonis infra damus: eique ſubjungimus aliquod Vitæ compendium ex Chronico Fontanellenſi, quod & penes nos manuſcriptum habemus, & nuper à Luca Acherio editum eſt tomo 3 Spicilegii veterum ſcriptorum; ac demum nonnulla de tranſlatione corporum SS. Hugonis Archiepiſcopi & Aychardi Abbatis Gemmeticenſis, ex variis collecta, ſubnectimus. Ex dicti autem Chronici Fontanellenſis Actis conſtat, S. Hugonem, factione patrii ſui Caroli Martelli, promotum fuiſſe ad Epiſcopalem dignitatem & alias cœnobiorum præfecturas, potiſſimum poſt annum DCCXX; quando, Chilperico II defuncto, promovit Theodoricum, filium Dagoberti: I ſucceſſit in Auſtraſiorum Regis. Vivebat adhuc eo tempore deceſſor S. Hugonis in Sede Rotomagenſi, Radilandus ſeu Ranilandus aut Reginaldus; qui Ozonem, genere Friſium, monachum Fontanellenſem in Presbyterum ordinavit, quem S. Vulfrannus, precibus à ſuſpendio liberatū, eo adduxerat, è Friſia redux circa annum DCCXX, vti ad hujus Vitam diximus XX Martii. Ferunt Radilandum tribus annis Pontificatum geſſiſſe: cui ſubdit Hugonem Ordericus Vitalis lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pag. 562, vbi iſta de eo habet:

Profuit in populo Domini venerabilis Hugo,
Et tribuit ſanctæ ſubjectis dogmata vitæ.

Hic conſobrinus Pippini Principis Francorum fuit, & octo annis tempore Gregorii II Papæ Archiepiſcopus fuit. Eccleſiis etiam Pariſienſi præfuit & Bajocenſi, Abbatiis etiam Gemmeticenſi & Fontinellenſi. Quæ etiam apud eumdem Ordericum leguntur, lib. I pag. 366 & in MS. codice eburneo Eccleſiæ Metropolitanæ Rotomagenſis, nuper edito à Philippo Labbe tomo I Bibliothecæ novæ librorum manuſcriptorum pag. 365, & referuntur ad annum Chriſti DCCXXII; & poſt annos octo Sedis, ejuſdem obitus ad annum DCCXXX, cum ſucceſſione Ruthberti in Archiepiſcopatu Rotomagenſi. Eodem modo, inter Ranilandum & Ruthbertum, collocatur S. Hugo in codice MS. à nobis inter libros Reginæ Sueciæ reperto; item apud Democharem, Chenu, Claudium Robertum, Franciſcum Pommerajum & Sanmarthanos in Catalogis Archiepiſcoporum Rotomagenſium. Conſentiunt Tallepedius, in Antiquitatibus Rotomagenſibus cap. 25; Dadræus, in Chronologia Archiepiſcoporum Rotomagenſium; ac demum ſeries Archiepiſcoporum Rotomagenſium, cum ſtatutis Synodalibus juſſu Franciſci II Archiepiſcopi collecta & anno MDCXLVIII edita; vbi ejuſmodi Vitæ compendium continetur. S. Hugo I, Drogonis Burgundiæ Ducis ex Adaltrude filius, primum Metenſis Eccleſiæ Primicerius, Pariſienſem & Bajocenſem Eccleſiam vna cum Rotomagenſi rexit, ſimul Abbas Fontinellenſis & Gemmeticenſis. Obiit Gemmetici circa annum Chriſti DCCXXX, V Idus Aprilis. Sepultus jbidem in baſilica S. Mariæ, inde cum S. Aicraco Abbate Haſpras poſtea tranſlatus eſt. Sediſſe traditur annos octo. Non dubitamus, quin Lectiones hodierni Breviarii Rotomagenſis ſint plane emendatæ. Nam in Breviario, quod habemus anno MDLXXXVII excuſo recitantur novem Lectiones, ex fabuloſa narratione Gemmeticenſium à Balderico in alium ſtylum reducta: in Breviario vero anni MDCXXVII novi errores adjunguntur, dum in Lectionibus tribus appellatur S. Hugo II, Caroli Magni filius, & collocatur inter Menardum & Wilbertum; quod vt novitium commentum vltro corruit. Catalogi Epiſcoporum Pariſienſium & Bajocenſium eumdem S. Hugonem collocant ad annum DCCXII, & conſequenter filium Drogonis ſtatuunt: & paſſim omnes Sanctum æſtimant.

3 Tabulæ Martyrologii Romani eum referunt his paucis verbis: Rotomagi S. Hugonis, Epiſcopi & Confeſſoris.

Compendium Vitæ.

& Hiſtoria tranſlationis

anno 722, mortuus anno 730.

ſucceſſorum nactus Ruthberium:

Archiepiſcopatus Rotomagenſi Ranilando,

E

F

B

C

S. Hugo filius Drogonis,

falſo creditus filius Caroli Magni,

in Actis varius,

etiam à Balderico Ep. Dolenſi ſcriptus:

ab aliis rejectus.

alibi non ſatis à S. Remedio filio Caroli Martelli diſtinctus.

S. Hugonis Sacerdotis diploma ſignatum anno 714

Auctore G. H. coævus ſacer.

feſſoris. *Allegatur in Notis Ioannes Molanus in additionibus ad Martyrologium Vſuardi, qui latius de eo agit in Indiculo & Natalibus Sanctorum Belgii; ſed nonnulla deſumpta ſunt ex fabuloſa narratione, quam apud Vedaſtinos repererat. Errores Molani hauſerunt & auxerunt Sauſſajus in Martyrologio Gallicano, Ghinius in Natalibus ſanctorum Canonicorum, Wion & Bucelinus in Martyrologio Monaſtico, ſed prudentius illa menda rejecit Menardus. At Miræus in Faſtis Belgicis & Burgundicis eumdem memorat, ſed novo errore ſcribit Carlomanni Regis filium, ſecutus Baldericum Epiſcopum Noviomenſem, qui id ſcripſit lib. 2 Chronici Cameracenſis cap. 29. In MS. Martyrologio Gemmeticenſi iſta reperimus*: In partibus Rotomagi, loco qui pulchrè nominatur Gemmetica, natalis S. Hugonis, ſacræ Rotomagenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi. *Quæ brevius habentur in antiquo MS. Atrebatenſi Eccleſiæ Cathedralis*: Et depoſitio B. Hugonis, Rotomagenſis Epiſcopi. *Similia habet Grevenus in Auctario Vſuardi.*

DIPLOMA S. HVGONIS

Ex meuriſſio de Epiſcopis Metenſibus.

1 EGo Hugo Metenſis *a* Primicerius, Sacerdos humilis, & germanus meus vir illuſter Arnulphus *b* Dux, nec non *c* Pippinus & Godefridus, iſtud aſſentaverunt in hunc modum & ſecundum tenorem iſtius literæ. In nomine Chriſti, ſub die octavo Kalendas Iulji, anno *d* quinto regni Domini Dagoberti Regis. Quoties, ut ſolet humana fragilitas, aliqua perſona de hac luce migraverit; oportet ſuos heredes de ipſius facultate, pro animæ ſuæ remedio, ad loca Sanctorum delegare, ut eis in æterna beatitudine pro hac re merces accreſcat. Ideo nos in Dei nomine Hugo Sacerdos humilis, & germanus meus illuſter vir Arnulphus Dux, nec nō Pippinus & Godefridus, dum contigit ut genitor noſter illuſter vir Drogo, quondam de hac luce migraret, noſtra fuit petitio ad venerabilem virum Luitbertum Abbatem, de baſilica Sanctorum Apoſtolorum, quæ eſt foris murum Mettis civitate conſtructa, vbi *e* avus no ſter Dominus Arnulphus in corpore conquieſcit, vt ibidem jam dictum genitorem noſtrum Drogonem ſepelire deberemus, & ipſe Luitbertus benigno animo viſus fuit præſtitiſſe. Ideo nos tam pro ipſo loco ſepulturæ, quam & pro remedio animæ prædicti genitoris noſtri, villam, nuncupatam Vigiacum, ſitam in pago Mettenſi quam ipſe genitor ſuus, avus noſter *f* Pippinus, ſuo munere conceſſit, ipſam villam ad baſilicam Sanctorum Apoſtolorum Clericis vel pauperibus alimoniam ibidem accipientibus, aut lectoribus ibidem ſervientibus à die præſenti per hanc chartulam donationis viſi fuimus conceſſiſſe: hoc eſt tam infra murum quam & foris murum Mettis civitate, cum terris, domibus, baſilicis, ædificiis, accolis, mancipiis, libertis, vineis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, farinariis, appendiciis, cultis & incultis, aquis aquarumque decurſibus, mobilibus & immobilibus, cum omni integritate ſeu adiacentibus ad ſe aſpicientibus vel pertinentibus, vel omni genere quadrupedum, quidquid in ipſa villa Pippinus & prædictus genitor noſter viſi fuerunt tenuiſſe vel poſſediſſe; ipſe Abbas vel ſucceſſores ſui ad partem ſupraſcriptæ baſilicæ hoc habeant, teneant atque poſſideant: & quidquid in opportunitatem ipſius baſilicæ ex inde facere decreverint, libero in omnibus potiantur arbitrio. Et, ſi, quod non credimus eſſe venturum, ſi nos ipſi aut vllus de heredibus aut proheredibus noſtris, vel quæcumque oppoſita perſona contra hanc paginam delegationis ſive teſtamenti ambulare præſumpſerit, aut aliquam cauſſam exinde removere tentaverit, inprimis jram Dei omnipotentis incurrat, & à liminibus Sanctorum efficiatur extraneus; & ſic marceſcat in radiče ut numquam floreſcat in ramis, & inſuper componat intra ipſam baſilicam & ſacratiſſimo fiſco auri libras quinque, argenti pondera decem, & quod repetit, evindicare non poſſit: ſed præſens delegatio ſive teſtamentum omni tempore pleniſſimam obtineat firmitatem ſtipulatione ſubnixa. Actum Mettis publice, ſub die & tempore quo ſupra. Hugo, etſi peccator Sacerdos hanc delegationem ſive teſtamentum à me factum firmavi. Arnulphus Dux hoc teſtamentum conſentiens. *&c.*

a *b* *c* B *d* — *Intuitu pietatis.* — *e* — *& pro animæ paternæ ſalute* — *donat Vigiacum villam.* — *f* C

ANNOTATA.

a Primicerii *nomen, ſicut indicat gradum in militiâ, ita etiam in dignitate Eccleſiaſtica: ita* S. *Auguſtinus in ſermonibus de Sanctis inquit*: Hodie celebramus natalem, quo Primicerius Martyrum migravit ex mundo. *Ita* Primicerius Sacerdotum, Diaconorum, Cantorum *& ſimilium dicitur*: *&* Primiceria *dicitur inter ſanctimoniales in regula* S. *Cæſariæ à nobis edita* 12. *Ianuarii.*

b Arnulphus Dux *patri Drogoni in ea dignitate, ut filius primogenitus, ſucceßit: qui prædium Floriacum aliaſque villas donavit eidem Luitberto, cujus hic mentio fit, in diplomate etiam à Meurißio vulgato, ſignato anno Chriſti* 706 *Indictione* 4, *regnante Childeberto Rege anno regni ipſius decimo: qui vltimus character melior eſt, & reliqui, quorum tūc necdum vſus erat, repudiari debent ut intruſi à poſteris Annus autem decimus, ex Chronologia alibi poſita, caderet in annum* 708. *In eo diplomate Hugo frater appellatur Sacerdos, hinc diximus circa annum* 680 *aut non diu poſtea natum fuiſſe.*

c *Hi etiam duo fratres* S. *Hugonis aßignantur ab Andrea du Cheſne in Hiſtoria Burgundionum lib.* 2 *cap.* 1 *&* Meurißius *in Actis* S. *Arnulphi, vbi* Godefridum *aſſerit Ducem Saxoniæ fuiſſe, & donaſſe amore* B. *Arnulphi villam de Flavigniaco, anno* XII *Theodorici Regis, quo anno Drogo horum pater donavit villam* Mariolam.

d Annus quintus Dagoberti *vltimi incidit in annum* 715 *qui menſe Iunio mortuus eſt anno* 716.

e Avus *hic ſumitur pro abavo, vti ſæpius pro proavo & aliis in recta linea majoribus: ita Pippinus infra rectè ejus avus dicitur, cujus erat* S. *Arnulphus proprie dictus avus.*

f *Hic eſt* Pippinus Herſtallius, *mortuus anno* 714, 16 *Decembris.*

VITÆ COMPENDIVM.

Ex Chronico Fontinellenſi, cap. VIII.

1 HUgo, filius Drogonis, vir venerabilis; à matre, nomine *a* Adaltrude, progenitus; *b* nepos Caroli, ſagaciſſimi Principis; Archiepiſcopus Rotomagenſis Eccleſiæ; poſt Benignum, regimen hujus cœnobii ſuſcepit, ab anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo vigeſimo tertio, Indictione ſexta, qui erat annus Principatus Caroli *c* nonus, Gregorii vero ſecundi Papæ annus *d* ſeptimus inſtabat: rexitque iſtud cœnobium per annos *e* novem, menſes duos, & dies tredecim: id eſt, vſque ad annum decimum ſextum Principatus antefati Caroli, Gregorii vero præfati Papæ decimum ſeptimum, Dominicæ quoque Incarnationis ſeptingenteſimum & trigeſimum, indictione decima tertia. Hic etiam Præſulatum Eccletiæ Pariſiacæ, ſimulque Bajocaſſinæ cum Rotomagenſi tenuit, factione ſcilicet patrui ſui, Caroli Principis, extra decreta tamen Canonum:

a *b* *S. Hugo Archiepiſcopus Rotomagenſis.* — *c* — *d* — *e*

A Canonum : cœnobia vero nobiliora, Fontinellam & Gemmeticum : prædia vero regia, quæ ejus inſederunt animo. Non enim cauſa perverſæ cupiditatis, aut aliquo ſeculari faſtu, à patruo ſuo Carolo Principe, ſive à Regibus Francorum qui ejus tempore ſceptra Regni hujus tenuerunt, (id eſt *f* Childeberto, Dagoberto, Chilperico, Clothario, nec non & Theoderico) ea impetrabat : ſed ut ſtatim Eccleſiis Chriſti contraderet, ſciens ſcriptum, quod ea hereditas bene reconditur, quæ Deo cuſtode ſervatur. Mater denique ejus, Adeltrudis, ut prædiximus, nomine, filia fuerat *g* Warattonis, nobiliſſimi *h* Majoris domus regiæ, atque *h* Anſledis conjugis ejus : qui plurima huic monaſterio largiti ſunt prædia.

rexit etiam Epiſcopatus Pariſienſem & Bajocenſe Abbatias Fontinellam & Gemmeticum :

f

g

h

educatus ab Anſlede avia materna,

2 Denique prædicta religioſa & ſtrenua matrona Anſledis, avia ſua, derelicta Warattonis, ad nutriendum ſuſceperat ipſum Hugonem, Patrem demum glorioſiſſimum. Hæc igitur, prudentiæ & providæ induſtriæ ſpiritu plena, animum pueri fertur quotidianis admonitionibus roboraſſe, vt ſeſe, cum omnibus quæ habebat, Dei ſervitio manciparet. Vnde factum eſt, vt ſacrarum litterarum ſtudio imbutus, coævos ſuos ſapientia & religione anteiret ; ſecundumque ſanctam ſuggeſtionem præclaræ nutricis ac aviæ ſuæ Anſledis, cœpit terrena cuncta deſpicere, & ad regna cæleſtia viriliter anhelare, ſimulque patrimonia plurima Eccleſiis Chriſti contradere : quæ cuncta ſi qui plenius ſcire cupiunt, ſcrinia civitatum Rotomagenſis, Pariſiacæ, & Bajocaſſinæ, & hujus cœnobii Fontinellenſis, ſimulque Gemmeticenſis revolvant, illicque invenient, quantam ſolicitudinem ac pervigilem curam de conſtructione, propagatione, & adminiſtratione, ac exaltatione Eccleſiarum habuerit. Hujus pater Drogo, filius prædicti Pippini Ducis Francorum, frater Grimoaldi & Caroli nobiliſſimorum Principum, defunctus eſt anno ab Incarnatione Domini ſeptingenteſimo *i* ſeptimo, Indictione quinta, tempore veris. Succedit & iſdem vir venerabilis Hugo in ſede Rotomagenſi, *k* vigeſimus tertius à Mellone primo Pontifice ejuſdem vrbis. Rector quoque ſive Procurator vrbis Pariſiacæ, *l* trigeſimus quintus à B. Dionyſio conſtituitur. Porro in regimine hujus cœnobii Fontanellenſis à B. Wandregiſilo ſeptimo in loco ; ſimiliter à S. Philiberto in regimine cœnobii *m* Gemmeticenſis.

B

i

k

l

m

donavit Fontinellenſibus villam anno 713,

3 Hic namque vir venerandus Hugo, dum adhuc *n* laicus foret, largitus eſt Benigno Abbati *o* Vierlaicum villam, quæ ſita eſt in pago Tellau ſuper fluvio Eora, quæ ipſi de jure prædictorum parentum ſuorum legitime obvenerat. Facta eſt hæc largitio ab anno Dominicæ Incarnationis ſeptingēteſimo decimo tertio, Indictione vndecima, qui fuerat annus Dagoberti junioris Regis tertius, Pipini autem Ducis XXVI, XI Kalend. Iuliarum die, feria quarta. Inter reliqua autem prædia ab eo contradita, etiam Witflanam villam largitus eſt *p* Wantoni Abbati, anno primo Clotharii Regis : quem Carolus, poſt fugam Chilperici ac Ragenfridi, Regem ſibi ſtatuerat. Et poſſeſſa eſt ab hoc cœnobio vſque ad regimen Witlaici Abbatis, per annos quadraginta tres. Huic glorioſo Præſuli largitus eſt quidam Illuſtris, nomine Bertus, portionem aliquam de villa Digmaniaco, quæ ſita eſt in pago Ocilmenſi, in centena Alanzonienſi, & illam rem quæ vocatur Vanda, in centena Sagienſi ; ſimiliter in territorio Cenomannico rem illam, quæ dicitur Veringo ſeu Metiago, quæ appellatur Avanacourte. Edita eſt hæc largitio anno *q* vndecimo Theoderici Regis, patris Chilperici, demum Regis noviſſimi ex genere Merovingorum. De patrimoniis enim, à prædicto glorioſo Præſule huic loco largitis, ſive à fidelibus Chriſtianis impetratis ac ſuſceptis, qui noſſe cupit, teſtamenta ab ipſo edita revolvat ; & tunc probabit nihil me de eo ſiniſtrum aut dixiſſe aut ſcripſiſſe. Menſatas .... ad vnumquemque menſem ſufficienter præberent alimoniam ; idcirco memoria ejus in benedictione manet.

C

n o

aliam anno 718,

p

aliis accepit Abbatis locorum.

q

D

4 Expletis namque laudabilis curſus ſui annis, migravit ad Dominum, *r* VI Idus Aprilis, qui erat annus Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimus trigeſimus, Indictione decima tertia. Corpus ejus Gemmetico cœnobio, quo etiam vita diſceſſit, in ecclefia ſanctæ Matris ac perpetuæ Virginis Mariæ, venerabiliter ſepulturæ eſt traditum ; conditaque eſt à Fratribus illic habitantibus ſupra tumbam illius *f* repa, diverſis metallis decorata, ob amorem videlicet, ſanctitatem ac reverentiam illius : nullus enim ante eum ejuſdem cœnobii Rector, nec poſt eum tot prædia ac poſſeſſiones in jure ipſius venerabilis loci contulit ac impetravit, ſicut ipſe facere curavit, veluti teſtamenta ipſius cœnobii legentibus liquido patet. Hic dimiſit in hoc cœnobio Fontinellenſi calicem aureum & patenam auream, penſantes libras quatuor, vncias duas : turriculam auream, penſantem libras ſex : capſam auro & gemmis decoratam continentem pignora diverſorum Sanctorum : plurima enim bonitatis geſſit opera, quæ dinumerare laboriosiſſimum eſt. Nobilis enim extitit genere, ſed non inferior religione. Hæc quidem de venerando Patre ac Domno Hugone dicta ſufficiant.

r

moritur ann. 730, ſepelitur Gemmeticō,

f

legavit varia Fontinellenſibus.

E

ANNOTATA.

a Adaltrudis, *in Annalibus Metenſibus ad annum 693 dicitur* Anſtrudis, filia Warattonis Majoris-Domus, derelicta Bertharii occiſi.

b *Nepos ex patre, Caroli Martelli fratre.*

c Annus Caroli nonus *à morte Pippini patris, licet non ſtatim ſucceſſerit.*

d *Imo* decimus, *nam creatus eſt 22 Maji anni 714. Ejus Vitam dedimus 13 Februarii, & infra recte annus eius 17 cum anno Chriſti 730 componitur.*

e *Imo* ſeptem *ſolum, & ita in numeros annorum errorem ſurrepſiſſe etiam obſervarunt Sanmarthani & alii.*

f *Rexerunt* Childebertus *ab anno 698 ad 711, tum* Dagobertus III *vſque ad 716, dein* Chilpericus *vſque ad 720, & ejus tempore apud Auſtraſius* Clotharius IV *vix annos integros : denique* Theoderi c us *ab anno 720 ad 737.*

g Waratto, *ſive* Warado *ſucceſſit Ebroino interfecto, Major-Domus circa annum 681 mortuus anno 684.*

h Anſledis, matrona nobilis & ſtrenua, *laudatur in Annalibus Metenſibus, & in Hiſtoria juſſu Childebrandi ſcripta & Fredegarii Chronico annexa cap. 99. Videtur Aliſlida dici in Annalibus Francicis brevibus, & anno 713 mortua.*

i *Hic annus 707 more Francorum, tunc à Paſchate annum incipientium, qui in Annalibus Francicis variis ſub initium tomi 2 Scriptorum Hiſtoriæ Francorum apud Andream du Cheſne dicitur* mortuus anno 708. *In Stemmate genealogico Dagobertino à nobis edito ante 3 tomum Actorum Martii,* Drogoni duci *nomen ἄπαξ per errorem typothetarum adjunctum monemus : ne aliquis inde offendatur ſed infra correctius illud excuſum datur.*

k *Aliis* vigeſimus quintus *aut* ſextus.

l *Aliis* trigeſimus ſeptimus.

m *Imo* ſexto loco *apud Gemmeticenſes collocatur à Sanmarthanis.*

n *Erat Sacerdos & forſan Primicerius Eccleſiæ Metenſis : hinc nomen laici pro necdum Epiſcopo aut Abbate ſumitur.*

o *In Vita 2 3. Wandregiſili auctore monacho Fontanellenſi, quidam Eremberius, parens Hartbaini ibidem monachi facti,* contradidit S. Wandregiſilo prædium aliquod Virtlaicum, ſitum in pago Tellau ſuper amnem

Eura

AUCTORE G. H. Eura *cui alterum prædium potuit adjunxiſſe* S. *Hugo. Fluvius* Eura, *aliis* Aura, Audura, Haura, *Normanniam ſeparat à Perchenſi Franciæ Comitatu. Ad hujus amnis ſiniſtram ripam eſt oppidum* Tilliers, *cujus territorium hic* pagus Tellan *dicitur. Interim* pagus Tellan *etiam eſt in Auguſtodunenſi diœceſi, ubi amnes Warinna & Tellas, unde* Tellan pagus, *uti dicetur* 14 *Aprilis ad Vitam S. Lantberti, ex Abbate Fontinellenſi Archiepiſcopi Lugdunenſis.*

p Wanto, *ſive* Wando *ſubrogatus eſt Benigno, à Ragenfredo Majore-Domus depoſito.*

q *Ergo anno Chriſti* 730, *ſed forſan aliquis annus ex præcedentibus ſubſtituendus, cum eo anno dicatur mortuus.*

r *Imo* v *Idus ſeu die* 9 *Aprilis.*

ſ Repa *circulus, è voce Celtica* Reep, *qua Belgæ adhuc vtuntur. Hinc ſupple quod deficit in commentario ante Vitam S. Bathildis Reginæ num.* 26, *ubi ipſa narratur, ex Vita S. Eligii, juſſiſſe* crepam ex auro atque argento mirifice fabricari, quam ſuper Confeſſoris membra deponere deberet; *& pro* crepa *lege* repam; *atque intellige coronam amplam, ſupra ſepulcrum penſilem, inſtar vmbellæ.*

DE TRANSLATIONE CORPORIS S. HVGONIS.

B

ad Præpoſituram Haſprenſem.

In devaſtatione Nordmannorum,

1 *Gallicanas ac Belgicas provincias ſeculo Chriſti nono fuiſſe à Nordmannis, Daniæ ac vicinorum regnorum populis, miſere devaſtatas, notiſſimum eſt, & ab omnibus paſſim ſcriptoribus relatum. Quæ autem tunc obvenerint Gemmeticenſi cœnobio, non exacte leguntur ſeorſim excuſa. In geſtis Normannorum ante Rollonem Ducem hæc prima ſunt, quæ ad Sequanam fuerunt peracta:* Anno Domini DCCCXLI, Northmanni, ab Oceano Euripo Rotumam, *ſive Rotomagum*, irruentes, rapinis, ferro ignique bacchantes, monachos populumque cædibus vel captivitate deleverunt, & omnia templa & loca, flumini Sequanæ adhærentia, depopulati ſunt, & multis acceptis pecuniis, receſſerunt. *Sed ſæpiſſime ſequentibus temporibus fuerunt reverſi: quapropter* à monachis Fontanellenſibus, anno DCCCLVIII, ſanctiſſima oſſa piique cineres egregii Confeſſoris Chriſti Wandregiſili ac ſancti Præſulis Anſberti, ob metum & conculcationem nefandorum Gentilium, de Fontanellæ monaſterio, propriis effoſſa ſepulcris, ad ipſorum Sanctorum prædium, quod dicitur Bladulphi villa deportata ſunt, *& inde ad alia loca; uti monachus Fontanellenſis, qui videtur interfuiſſe, deſcribit in Miraculis S. Wandregiſili, & nos inde excerpſimus ad Acta S. Anſberti Archiepiſcopi Rotomagenſis, die* IX *Februarii. Eadem verba, nominibus Sanctorum mutatis, videntur dici poſſe de corporibus SS. Hugonis Archiepiſcopi Rotomagenſis & Aichardi Abbatis Gemmeticenſis, quæ propriis apud Gemmeticenſes effoſſa ſepulcris, ad ipſorum Sanctorum prædium, quod dicitur Haſprum villa, deportata ſunt, ſive dicto anno* DCCCLVIII, *ſive alio iſtius ſeculi, ob metum & conculcationem nefandorum Gentilium Nordmannorum. Dies tranſlationis in Gemmetienſi Martyrologio aſſignatur* XXIX *Martii.*

fuerunt corpora SS. Wandregiſili & Anſberti an. 858 alio delata:

C

uti & SS. Hugonis & Aichardi Haſprum,

villam Gemmeticenſis monaſterii:

2 *Eſt Haſprum villa cum Præpoſitura monaſtica, ſita ad mediam viam inter Cameracum & Valencenas, ad dexteram ripam Sallæ fluvii, Hannoniæ adſcripta.* Quam villam, *inquit Baldricus lib.* 2 *Chronici Cameracenſis cap.* 29, vtrum ab antea poſſeſſam ſubjacuiſſe prælibato monaſterio de Gemegio, an tunc temporis, aut à Rege, aut à quolibet Principe, pro remedio animæ, receptationi Sanctorum traditam fuiſſe dicamus, incertum eſt. *Et nonnullis de Actis horum Sanctorum interpoſitis, addit*: His nimirum apud hanc villam poſthac remanentibus, monaſterio facto, monachis delegatis ad laudem eorum, pius & miſericors Deus multa imo & celeberrima virtutum prodigia dignatus eſt ope-

ubi clarent miracula:

rari, intantum ſane, ut nemo ex vicinis potentibus, aut in expeditionem aliquando tranſeuntibus, ullam præſumptionem ante hac audeat irrogare. *Hæc ibi, quæ aliquanto latius explicantur in MS. Chronico Hannonienſi Iacobi Guiſii, lib.* 14 *cap.* 6 *his verbis*: In quo quidem ſpatio *devaſtationis Nordmannorum*, dicta Sanctorum corpora in tot & tantis, Haſpris & in confinibus, coruſcaverunt miraculis, ut totus populus vicinarum vrbium ad devotionem dictorum Sanctorum allicerentur: vnde Imperatores, Reges, Principes & Comites dictam cellam donariis, privilegiis, largitionibus, & munificentiis ampliaverunt. Nordmannis finaliter atque Danis pacatis & ad fidem converſis, tunc pacis tempore Abbas Gemmeticenſis cum toto conventu legatos miſit, ad cellam Haſpris, quatenus dicta Sanctorum corpora eis remitterentur. Super quibus Prior & Epiſcopus Cameracenſis cum nobilibus territoriorum circumvicinorum congregati, decreverunt ſimiliter hujus cauſa Imperatoris adire præſentiam. Qui Imperator decrevit finaliter, ut certis pactionibus & interventionibus, inter monaſterium Gemmeticenſe & cellam Haſprenſem ex una parte, & Imperatorem & dictas ambas Eccleſias ex altera, pacifice & concorditer peractis, dicta Sanctorum corpora perpetuo Haſpris manerent, quod ſtabile & firmum remanſit vſque in hodiernum diem. *Hæc ibi Guiſius. Tunc forte inter pactiones fuit talis, ut aliquæ Reliquiarum partes donarentur Gemmeticenſibus & Rotomagenſibus: nam* partem brachii S. Hugonis olim argenteæ thecæ incluſam fuiſſe, à veteri elencho ſacrorum pignorum, anno MDLV vltima Iulii confecto, liquere, *teſtantur Farinus in Nordmannia Chriſtiana pag. 676 & Sanmarthani in Archiepiſcopis Rotomagenſibus. Sed ea Reliquiarum donatio potuit contigiſſe, quando Præpoſitura Haſprenſis Abbati Vedaſtino fuit tranſcripta: cujus occaſio ita deſcribitur à Baldrico loco indicato.*

D

& retinentur fruſtra repetita à Gemmeticenſibus.

pars brachii fertur Rotomagum.

3 Quia monachorum Haſprenſium Abbas Gemmeticenſis longe aberat, eoſque rariſſime pro difficultate longinquitatis viſitare ſolebat; in libertatem ſoluti, ſeculum ſectabantur, irregulariterque viventes, uſque ad tempus Gerardi Epiſcopi, utpote abſq; Rectore, periclitabantur. Quod videns Epiſcopus, Abbatem, ut hoc corrigeret, ſæpe commonuit: ſed quia, ut diximus, longe aberat, correctione morabatur. Contigit autem Epiſcopum pro Eccleſiaſtica ſolicitudine forte per hanc villam tranſitum facere, & Leduino Abbati Vedaſtino (comes enim erat itineris) obſcœnam monachorum converſationem indicare. Salubri etiam imo competenti conſilio hortatus eſt illum, ut ſi quas res S. Vedaſti in vicinia prælibati cœnobii haberet, eas ſiquidem pro hoc monaſterio, quod ſibi eſſet contiguum, commutaret, huncque locum pro compendio æternæ remunerationis meliorare ſatageret. Qui inter hujuſmodi colloquia incertus hæſit, & tamen lac ſi difficile recuſavit. Nec multo poſt temporis intervallo Abbas ſalubriter conſultus, bene & diligenter conſiderata opportunitate, notum fecit Epiſcopo, ſe executorem fore monitionis, ſi ab ipſo Abbate Theodorico commutationem impetrare valeret. Vnde lætus Epiſcopus, continuo directa legatione, Abbatem Theodericum adorſus eſt, monſtrans animæ periculum, ni tempore ſibi conſuleret; & quod cum longe eſſet poſitus, locum commutare deberet. Quod ſi nollet, adjuncto ſibi Balduino Marchione, falſos monachos expelleret locumque emendare cum omni auctoritate ſatageret. Super quod Abbas competenti conſilio uſus, mandatis Epiſcopi ſatisfacere æſtimavit: rebuſque S. Vedaſti, quæ in ſua vicinia circumjacent, ſuſceptis, villam Haſprum Leduino Abbati contradidit. Hæc autem commutatio

E

ob diſſolutam vitam monachorum,

F

Aſprum ſubjicitur Vedaſtino Abbati.

coram Rotberto Rege Francorum, coramque Comitibus, Balduino videlicet Flandrenſium & Richardo Rotomagenſium facta eſt, & ab eiſdem corroborata. *Hæc Baldricus. At prædictæ commutationis deploma edidit Miræus lib.2 Diplomatum Belgicorum cap.29, & iterum, ſed ſuperfluis reciſis, in Notitia Eccleſiarum Belgii cap.88, & inde hæc tranſcribimus.*

& diplomate confirmatur,

4 Ego Leduinus, Abbas cœnobii pretioſi Confeſſoris Chriſti Vedaſti, primum duxi ſcriptum fieri de quibuſdam rebus prædicti Patris Vedaſti, noſtris tẽporibus commutatis, rurſumque receptis. Nota res eſt, & penes nos ſcripto retinetur, cum ceteris donationibus, à Francorum Regibus B. Vedaſto collatis, villam quæ vocatur Anglicurt, quæ eſt in Belluacenſi Epiſcopio, antiquitate eſſe hæreditariam cum familia

anno 1044,

S. Vedaſto. Sed noſtro tempore, dico anno Incarnationis Jeſu Chriſti milleſimo quadrageſimo quarto, per Gerardum Cameracenſem & Atrebatenſem Epiſcopum ſic peractum eſt, ut nos conſilio Seniorum & vicinorum, nec non noſtrorum Fratrum, cellam quæ dicitur Haſpra, à Comite Richardo & Theoderico Abbate Gemeticenſis cœnobii dono acciperemus, quia vicinior nobis erat: ipſi quoque Anglicurt cellulam, viciniorem ſibi, noſtra donatione poſſiderent. Teſtes hujus rei fuerunt Richardus Comes; Robertus Archiepiſcopus, frater ejus; Richardus, filius Richardi; Robertus, frater ejus; Warinus, Bellovacorum Præſul, noſtræ congregationis frater. Actum Rodomis menſe Januario, in octava Epiphaniæ, Indictione ſexta, regnante Sereniſſimo Rege Francorum Roberto, anno Imperii ſui XXVIII. *Tunc, teſte Baldrico ante citato,* Abbas Leduinus, ut ædificator videlicet idoneus, locum cum ſummo ſtudio ad laudem & veneration em Sanctorum, qui ibidem quieſcunt, emendavit, noviſque ædificiis & clauſtro regulari inſignire feſtinavit. AUCTORE G. H.

corpus delatum ad dedicationẽ templi Haſnonienſis:

5 *Quando templum Haſnonienſis monaſterii, ad Benedictinos tranſlati, fuit reparatum & dedicatum anno* MLXX, *delata eò fuerunt corpora SS. Hugonis & Aicharди, & aliorum viginti trium, quos nominat Mejerus in Annalibus Flandriæ ad dictum annum. Fuimus nos in Præpoſitura Haſprenſi* VII *Decembris anni* MDCLXII, *& venerati fuimus ſacra hæc lipſana, quæ vidimus collocata in theca affabre concinnata ex argento, Philippi Gaverelli Abbatis munificentia, uti teſtatur Arnoldus Raiſius in Hierogazophylacco Belgico pag.241. Hæcne an alia antiquior Tranſlatio S. Hugonis ſit, quam Vedaſtini Religioſi die* XIX *Ianuarii celebrant, officio ex die Natali accepto, non divinamus: cum ejus quam recolunt Tranſlationis nullam diſtinctam memoriam, nullam hiſtoriam ſcriptam habeant. Metropolitana S. Viti eccleſia Pragæ digitum iſtius Sancti unum habet, anno* MCCCLXXII *allatam per Carolum* IV *Imperatorem, ejuſmodi ſacrorum theſaurorum undecumque colligendorum ſtudioſiſſimum, uti conſtat ex Diario Reliquiarum prædictæ eccleſiæ, nuperrime vulgato per Thomam Peſinam à Czechorod, Decanum & Officialem ibidem.*

in theca aurea gentea depoſitum.

digitus Pragæ.

DE S. CASILDA VIRGINE,

BVRGIS IN HISPANIA.

D. P.

CAPUT I.

Sanctæ Virginis Acta & Ætas.

SEC. XI *Ad lacus S. Vincentii in diœc. Burg.*

SUpra civitatem Burgenſem, ad paſſuũ millia circiter viginti, verſus Orientem pagus eſt, nomine Boëtius, ſub altiſſima rupe poſitus; ex qua fonticulus effluens, apud pagum prænominatum deſcendit, & duos in lacus ingreditur; quibus tantam vim ſalubritatis & virtutis infundit, ut omnes ſanguinis fluxum patientes, cum hac aqua lavantur, ſtatim liberentur. In jugo autem montis, unde fonticulus oritur, ædes eſt ſacra, S. Caſildæ dicata. *Ita Marinæus Siculus, de rebus Hiſpaniæ lib.1, Titulo de fontibus, utique exaggerans beneficium, illudque fonti tribuens, quod ad invocationem Sanctæ referunt alii, qui nec lotionis ibidem faciendæ meminerunt, niſi quod ibi lavans cæleſti monitu Caſilda ſanitatem recuperaverit, perpetua exinde Patrona fluxum ſanguinis patientium. Iidem communi conſenſu tradunt, non pago (quem Burvevam conſtat vocari) ſed fonti nomen fuiſſe Boëtii, cui deinde ſacratior à S. Vincentio appellatio acceſſit: an propter aliquas ejuſdem Reliquias ibidem aliquando cultas, aut alia ex cauſa, non definimus; minus autem credimus, ipſum S. Vincentii corpus eo tranſlatum fuiſſe à Chriſtianis duobus Sacerdotibus, fugientibus Maurorum manus Valentiam occupantium: quod tamen in S. Caſildæ Vita Hiſpanica, infra citanda, dicitur: cum longe diverſa ſint, quæ ex certioribus & antiquioribus monumentis de S. Vincentii tranſlatione dedimus ad* XXII *Ianuarii.*

eccleſia S. Caſildæ.

Hujus Acta ex Breviario Burg.

2 *Acta prædictæ S. Caſildæ, non quidem antiquiſſima, ſed tamen aliis Hiſpanicorum de ea ſcriptorum narrationibus longe præferenda, Burgenſis eccleſia conſervavit: in cujus Breviario* (quod per Reverendiſſimum Dominum Paſchaſium Epiſcopum Burgenſem epitomatũ, examinatum ac lucidiſſime correctum & ex ejuſdẽ juſſu impreſſum anno MD I *habemus*) *eorumdem Actorum pars, per novem lectiones diviſa, ſic proponitur.* Igitur cum parentum noſtrorum peccatis exigentibus, Agarenorum multitudo innumerabilis Heſperiæ non modicas occuparet regiones, citra & ultra portus; tunc Toleti Rex erat longævis in temporibus, Cano nomine, vir utique præpotens & armis ſtrenuus, qui bellicas diu ſuetus fuerat in Chriſtianos producere acies, innumeraque fidei orthodoxæ intulerat damna; plurimos autem Chriſtianos captivos ſuo detinebat in regno. Huic vero fidei Chriſtianæ tam valido hoſti, diſpenſatione divina unica fuit filia, Caſilla nomine; ut ſtirps tam nequam florem proferret miri candoris, & ſuper quem Spiritus Domini conquieſceret.

Regis Toletani Saracæni filia.

3 Virgo quippe regia ita ab infantia ſua in virtutum creverat faſtigium, & cor ejus pietas (quæ ſecundum Apoſtolum ad omnia valet) adeo miro repleverat modo, viſceraque ipſius velut gladius bis acutus penetraverat; ut totam Dei famulam in ſuum dominium vindicaſſe videretur. Stupendo namque & inenarrabili modo ipſam Spiritus ille deificus, per devotionis incendium ſurſum agebat in Deum; per compaſſionis molliciem, transformabat in Chriſtum; per condeſcenſionis pietatem, inclinabat ad proximum. Fervido ſiquidem à teneræ ætatis ſuæ annis tenebatur affectu, ita ut afflictis, & permaxime Chriſtianis, licet Saracenica nata eſſet ex prole, intentiſſimæ compaſſionis teneritudine condeſcenderet; & ſi quid penuriæ aut defectus in aliquo cerneret, pii cordis dulcedine rigabat in lacrymis. Sanè ingenitam habebat clementiam, quam ſuperinfuſa Dei pietas duplicabat: itáque ipſius liqueſcebat pietas ad captivos pauperes, ut

1 Tim. 4.

Chriſtianos captivos redimere ſolita.

AUCTORE D. P.

ut quibus non poterat manum, exhiberet affectum.

4 Consuetudinis quidem ejus erat, omni die infallibiliter, nisi aliquis esset impediens casus, per viscera pietatis Christi, ob reverentiam almiflui Jesu, captivos inopes Christicolas sua tam grata præsentia visitare, ipsisque per largitatis impensionem manus porrigere adjutrices; pectoris gerens in scrutinio aureis litteris conscriptam Davidicam sententiam, qua intonuit, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Hoc vero non à moriturо, sed ab immortali didicerat magistro: unde & illorum, quæ in sui & familiæ sustentationem à patre largiebantur, sola tertia contenta parte, reliquas duas partes Christianis donabat captivis. Mira res & insolita! Naturali excisa oleastro, contra naturam sui generis, in bonam transivit olivam, ut quiret bonum afferre fructum. Unde tam infructuosa arbor ramum valuit tam uberem producere? Certe quia sic bonitas immensa ex æterno suæ voluntatis proposito præviderat fiendum.

ex iis quæ sua sustentationi erant destinata, Psal. 34, 10

scrutanti quid sinu ferret patri, B

5 *Hactenus Breviarium illud: cetera ne omnino desiderentur, facit eorumdem Actorum ecgraphum, in paucis verbis breviatum aut mutatum, quod Burgis ad Cardinalem Baronium missum est ab iis, qui sanctam hanc virginem dolebant non fuisse Romani Martyrologii tabulis insertam, quam in bibliotheca Vallicellana tomo* CD *reperimus. Ita ergo continuatur historia:* Rex de filiæ pietate in Christianos factus certior, cum eam observaret, deprehendit tandem Christianos adeuntem: scisitatur quidnam in sinu collecto ferat. Rosas, dixit. Intulit ille manum, & rosas invenit. Credidit pater filiam falso infimulatam, & dimisit. At illa Christianos nihilo minus adivit, explicataque sinus cibaria protulit: nam quæ in manu parentis rosæ visæ sunt, panem esse & carnem Christiani famelici sunt experti. Tandem cum Casilla virgo morbo immedicabili laboraret, nullamque salutis ejus spem Regi facerent medici, divinitus est admonita, se nisi in lacubus S. Vincentii, in territorio Burgensi, ubi tunc res Christiana vigebat, nullatenus posse sanari. Regem orat ut ipsam eo dimittat. Rex ad Concilium retulit. Visum omnibus est, regiæ virginis saluti consulendum esse. Abiit ergo, Deo monstrante iter, & sanitati pristinæ restituta, juxta lacus eosdem, in jugo montis prærupti, reliquam vitam frequentibus miraculis consummavit. *Hæc in illo Ms. eademque verbotenus fere in ipso originali contextu, nec plura, haberi, persuademur à Tamajo Salazar, iisdem pene verbis utente, nisi quod initio ac fine admisceat aliqua ex infra refutandis figmentis.*

Rosas, dixit, & exhibuit.

ad lacus S. Vincentii sanata, ibi manet.

C

6 *Addit Vita Hispanica, non tantum in ipsius S. Casillæ sinu, sed & in canistris quas puellæ ejus ferebant, rosas repertas: morbum Virginis, fluxum sanguinis fuisse: petitam per legatos à Rege Christiano securitatem transitus; captivos Christianos omnes libertate donatos: in transitu cujusdam pontis obvium horribili specie dæmonem fuisse, ut equo consternato ipsam in flumen deiiceret demergeretque; sed ab Angelo econtra apparente coërcitum fugatumque; baptizatam esse virginem in ecclesia S. Vincentii, lacubus adjuncta: comitatum ejus omnem nomen fidei Christianæ dedisse, mansisseque inter Christianos; ipsam ad obsequia sua retinuisse apud se duas puellas nonnullosque ministros; eamdem voluisse sibi domũ & oratorium juxta prædictos lacus ædificari, sed quidquid de die ibi constructum erat, id totum noctu Angelicis manibus translatum fuisse in summitatem montis, itaq; istic jussum opus fieri: denique Angelico admonitu præsciam futuræ mortis, postulasse à Deo sanitatem, potissimum à fluxu sanguinis, omnibus se invocaturis, & coram S. Vincentii altare animam exhalasse; tum vero ultro sonuisse campanas ecclesiæ illius, Regemque Christianum frequentia miraculorum, ad ejus corpus crebrescentium, motum, custodiam illius demandasse Decano & Capitulo Burgensis Ecclesiæ. Quæ utrum auctor ex ingenio suo, an ex veteribus monumentis hauserit, in medio relinquimus.*

Alia quadã addita in Vita Hispan.

D

7 *Tamayus de Salazar, in suo* Martyrologio Hispanico *ad diem* XV *Aprilis, more suo antiqua novaque permiscens; post Acta à se compilata, varias de eadem Sancta quæstiones movet, & omnes vel ex pseudepigraphis Iuliani Toletani Chronicis, vel ex auctorum recentiorum conjecturis definit; quas nihil hic attinet examinare. Pro die* XV, *quo mortua sit, citat etiam Auli Hali epigramma, subleste, ut cetera hujus generis, fidei. Annum mortis* MXLVII *aut* ML *plerique designant; sed auctorem non prof runt. Tamayus putat eos testimonio irrefragabilis testis, cum Sancta moreretur viventis, refutari evidenter, dum ad hæc chronici verba;* S. Casilda virgo Toletana, Deo sacrata, centenaria major moritur ad Viruescam *(est hoc oppidum pago supra nominato vicinum)* XV Aprilis *dum, inquam, ad dicta jam verba notatur in margine annus* MCXXVI. *Sed nulla, ut diximus, apud nos est istarum quisquiliarum auctoritas: & infra apparebit, referri ante eum annum patrata ad S. Casildæ invocationem miracula.*

Alii perperã referunt ad 15 *Apr.*

mortua circa medium seculi XI

8 *Simile est argumentum ab eo ductum, quod Alcmæon (quem præcitatus Aulus Haulus fingit fuisse Casildæ patrem) anno dumtaxat* MLIII *fœdus cum Ferdinando Magno Rege Castellæ pepigerit, neque credibile videatur, bellis adhuc flagrantibus filiam regiam fuisse dimittendam ad partes Christianorum. Deinde quod idem Alcmeon adhuc in vivis fuerit anno* MLXXV, *proindeque filiæ centenaria majori, tanto supervixisset tempore, ut annum ætatis* CXLIII *debuisset excessisse. Sed hæc omnia corruunt, si ex fideliori Burgensis ecclesiæ testimonio verum S. Casildæ parentem Canonem serves, qui ante Alcmeonem regnarit; & grandem illam Virginis ætatem annumeres figmentis, nulla auctoritate probandis. Malumus autem de tempore, quo vixit aut mortua Sancta sit, nihil asserere Basilius de Arce in Historia D. Virginis de Sopetran, impressa* Madriti *anno* 1615, *cap* 5, *vitam hujus Sanctæ refert, tamquam quæ soror ex patre Alcmeone fuerit Petrani Principis, qui ante Casildam ad Christi fidem miraculose conversus, ab ipsaque B. Virgine baptizatus, loco isti originem & nomen dederit, ubi postea sub annum* MCCCLXXII *fundatum est Benedictinorum cœnobium. Sed quidquid de Petrano illo sit, nos hanc ejus cum S. Casilda germanitatem gratis confictam arbitramur.*

fingitur centenaria obiisse an. 1126

& filia fuisse Alemeonis.

sororque Petrani.

E

CAPUT II.

Miracula & cultus S. Casildæ.

F

9 Reverendus admodum Dominus Alphonsus Diez de Lerma, Protonotarius Apostolicus, Thesaurarius & Canonicus sanctæ Burgensis Ecclesiæ, Archipresbyter Rojensis, & pro Decano atque capitulo Burgensi Rector Ecclesiæ S. Casildæ, anno MDIIII *Vitam & miracula hujus sanctæ Virginis,* Castellano *sermone à se conscriptam, & ab Inquisitoribus probatam, imprimi fecit dedicavitque Don Petro Fernandez de Velasco,* Castellæ Conestabili, *Duci de Frias,* Comiti de Haro *&c. Hic post narratam, quam supra posuimus, vitam (quam etiam Truxillas, Marietta, Ribadineira referunt, hoc solo discrepantes, quod pro* Canone *scribant* Aldemonem) *plurima esse testatur S. Casildæ miracula, ex quibus ad vitandam prolixitatem, paucissima dumtaxat & memoria digniora referre voluerit; quæ nos ex eo damus, Latine reddita.*

Miraculã ex Vita Hispan.

10 Nobilis quidam Birvescensis subditos suos nimiis gravabat exactionibus, quas qui præstare non poterant, jubebantur nudis pedibus supra spinas ambulare. Maritorum ergo vicem dolentes uxores, consilio inito, ad pervigilium in S. Casildæ agendum conveniunt, ipsaque illa nocte nobilis ille crepuit, & vexatio à subditis ejus cessavit anno MCXXI.

Pauperum oppressor punitur anno 1121.

11 Bur-

A *falso accusata liberatur 1146.*

11 Burgensis puella, à suo sponso accusata adulterii, præstito ad sepulcrum S. Casildæ de sua integritate juramento, cum fidem neque sic obtineret, in desperationem acta, coram omnibus sese præcipitem dedit ex altissima rupe: sed inventa est supra petram quamdam illæsa, sertum ex rosis ibi inventis plectere, dicens se à S. Casilda fuisse sustentatam, ne ad petram illam collideretur, anno MCXLVI.

sanatur letale vulnus,

12 Didacus de Rojas, Pozæ Dominus, in bello Granatensi collum letaliter saucius, S. Casildæ se commendavit, novemdiale vovens: quo facto periculum quidem mortis evasit, collum autem à plaga inflicta retinuit distortum, usque dum votum suum completurus advenit; integramque sanitatem meritus, in pignus gratitudinis obtulit argenteum calicem.

& varii à fluxu sanguinis,

13 Matrona quædam Vallisoletana, gravi fluxu sanguinis debilitata, ad ecclesiam S. Casildæ sese deportari in carruca jussit, novemdiale ex voto solutura: cum ecce eversa inter rupes carruca devolvi cœpit in præceps. Hoc in periculo ad exorandam Sanctam conversa mulier, eam sibi apparentem habuit, atque subito sanam se, vehiculum vero integrum esse vidit.

B

14 Sanguine per nares copiosius fluente moriturum se timebat vir quidam ex Roja, cumque S. Casildæ invocasset auxilium, repressus taliter est periculosus ille fluxus, ut integre sanus ad ecclesiam venerit; protestatusque sit magnam suæ substantiæ partem in medicos expensam, per varia quoque sancta loca peregrinatum se frustra, remedium denique inveterato malo à S. Casilda impetrasse.

15 Matrona Bilbaensis, propter fluxum sanguinis à medicis deposita, cui jam, velut expiraturæ brevi, cereus benedictus tenebatur in manu; à circumstantibus consanguineis S. Casildæ est commendata, cum voto quod ipsam pro novemdiali obsequio ad ecclesiam ejus ducerent: quod & fecerunt, impetrata mulieri subita sanitate.

puer in præceps lapsus servatur,

16 Mariæ textricis, Salinarum inquilinæ, filius parvulus, interim dum mater sua, novemdiariæ religionis causa, hic occupatur, de rupe prolapsus est: accurrit ad clamores matris, S. Casildam invocantis, hujus devotæ domus Capellanus

C

Joannes Nonnius de Piernegas; descendensque cum aliis quibusdam hominibus, ad reportandum corpus pueri illudque sepulturæ mandandum, salvum atque incolumem invenit.

hæmorrhoici plures curantur,

17 Domina Abbatissa Medinæ de Pumar, soror Illustrissimi Domini Constabilis Castellæ, graviter fluxu sanguinis debilitata, post recuperatam ex voto sanitatem novemdiale persolvens pensum, suas hic vestes in memoriam beneficii, insuperque ornatum carmosinum donavit.

18 Thomas Ximenes Najarensis, copiosum per os atque nares sanguinem emittens atque depositus à medicis, recepta sanitate, non solum novenam religiose absolvit; sed quotannis venire ad hanc ecclesiam visitandam perseveravit.

19 Primariæ nobilitatis matrona Valentina, hæmorrhœæ morbo extra spem vitæ deducta, cum de S. Casilda inaudiisset, magnam erga eamdem concepit devotionem; votique sui compos facta, post novemdialem devotionem ornamenta quædam obtulit, eleemosynæ nomine.

20 Sanguine etiam per nares profluente graviter infirmatus Don Henricus de Rojas, filius illustrissimi Domini Marchionis Deniæ & Lermæ, ad S. Casildam venit; & propter reddi-

tam hic sanitatem, casulam sericeam fusci coloris reliquit. AUCTORE D. P.

21 Matrona Logronensis, ad mortem sanguineo fluxu deducta, & S. Casildæ intercessione servata, novemdiale hic suum persolvit, & satis bonum ornamentum donavit.

22 Serenissima Domina & gloriosæ memoriæ Imperatrix Isabella, Caroli quinti invictissimi Imperatoris, Regis ac Domini nostri, uxor, non sine periculo vitæ nimio sanguinis excessu laborans, notitiam S. Casildæ habuit, & voto nuncupato subito sana fuit: ideoque regiam suam vestem, ex aureo stamine contextam, una cum quingentis ducatis, ad ornamentorum confectionem, huc mittendam curavit, & horum ornamentorum faciendorum curam Illustrissimus Dominus Constabilis habuit. *inter quos Isabella Imperatrix;*

23 Nonnemo apud Mauros captivus vota sua ad S. Casildam direxit: quæ eidem magno cum splendore per noctem apparens, hominem duxit ad navim aliquam, in qua liber transfretans in Castellam venit, novendiariamque persolvens devotionem, verum esse quod scribimus testatus est. *captivus redditur libertati,*

E

24 Domina Mentia Alfonsi de Cacaberos, uxor Hieronymi de Campo civis Palentiolæ, hæmorrhœa laborans, subitoque sanata ad invocationem S. Casildæ, sacrum ejus corpus visitare advenit, & eleemosynam largam obtulit.

25 Anno MDXLVI die VI Januarii in sabbato, Maria de Movilla, filia Alfonsi civis Buenensis, dum querneis quibusdam ramis scindendis intendit, ex rupe hac decidit: descendit autem in auxilium ejus Joannes de Rota, qui tum in ecclesia aliquid operis pingebat, & omnibus membris sanam invenit. *in præceps lapsa invenitur salva.*

26 Anno MDXLVII, die XIV Julii, D. Alfonsus Diez de Lerma, Archipresbyter Rojensis, Burgensis Canonicus & hujus sanctæ domus Rector, mori metuens ex gravissimis colicæ passionis doloribus, qui sibi illo die supervenerant; Dominæ suæ S. Casildæ commendavit se, & subito sui voti reus fuit, atque eleemosynam solvit. *colici dolores sedantur,*

27 Sebastianus de Salinis, sartor, civis Burgensis, habitans in vico S. Gadeæ, die IV Maii, anno MDL cœpit copiosum sanguinem per os emittere, usque ad diem XVI ejusdem mensis; quando sanguis ab eo tanta prorupit vehementia, ut de vita actum medici dicerent. Eo redactum visitavit pictor præmemoratus Joannes de Rota, ægrumque admonuit fiduciam in S. Casildæ patrocinio collocare, ita evasurum discrimen. Audiit æger opportune monentem, ipsumque monitorem suum ablegavit ad domum Canonici Alfonsi Diez de Lerma, Rectoris ecclesiæ S. Casildæ gloriosæ, ut ab eo mereretur aliquid Reliquiarum ejus accipere. Misit Rector quod ad manum erat, clavem ejus arcæ, in qua S. Casildæ corpus asservatur. Quam ubi Sebastianus devote suscepit, & exosculatam è collo suspendit; repressus est subito sanguineus vomitus, neque guttam vel unicam deinceps dedit. Ergo votum vovit Sebastianus de adeunda S. Casildæ ecclesia cum catena ad pedes, & de armilla ferrea circum brachium gestanda per annum unum, quo se S. Casildæ mancipium profiteretur, votumque prout voverat implevit. Hujus miraculi fama cum esset ad Castellæ Constabilem perlata, reique veritas satis examinata, rogavit dictus Illustrissimus Dominus Decanum & Capitulum Burgense, ut S. Casildæ imaginem Burgos deferendam, *ob sanguinis vomitum miraculose repressum an. 1550* F *Burgis instituitur solemnis processio*

AUCTORE D. P. insignique pompa circumducendam processionaliter curarunt; prout magno cum splendore, musicorumque omnis generis instrumentorum concentu, factum in festo SS. Petri & Pauli, comitantibus ipso Comestabili ejusque uxore D. Juliana Angela de Aragon & Uço: qui etiam eidem imagini obtulerunt multas vestes sericas auratasque, & alia pretiosissima ornamenta, cum calice inaurato valde pretioso, ad gloriam & honorem Dei atque benedictæ Matris ejus & hujus beatæ Virginis Casildæ.

duæ matronæ sanantur à fluxu sanguinis,

28 Matrona Burgensis, ex vico S. Stephani, nomine Maria Diez de la Hesa, cum sese ex fluxu sanguinis admodum infirmam videret, die VII Decembris anni MDLI in Vigilia sanctæ Conceptionis Dominæ nostræ, Canonicum Alfonsum Diez de Lerma, S. Casildæ Rectorem rogavit, daret sibi aut collo suo appenderet clavem præmemoratam: quam cum impetrasset, &, post osculum impressum, collo appendisset; subito se confirmatam sensit, votumque fecit visitandæ ecclesiæ S. Casildæ, ibique eleemosynam offerendi.

29 Domina Maria de Padilla, Comitissa de Buen-dia & Dueñas, eodem morbo conflictata, ut sese S. Casildæ commendavit, sana fuit; & ad eam novendiale factura venit, oblationem ferens pretiosi calicis & ornamenti sacri.

B

curantur infirmitates variæ,

30 Plurimi viri, mulieres, pueri diversis infirmitatibus, præsertim sanguinei fluxus laborantes commendaverunt se Dominæ nostræ S. Casildæ: cum multaque devotione accedentes ad ejus sanctum corpus in sua ecclesia visitandum, per ejusdem Beatæ intercessionem, sanitatem referunt expetitam.

publicis necessitatibus succurritur,

31 Omnes villæ & oppida hujus regionis circumvicinæ, quoties necessitas aliqua publica ingruit, devotas huc instituunt processiones, sacrisque & orationibus ex voto persolutis impetrare solent postulata, pluviam scilicet, sanitatem aut pacem, prout contigit desiderari. Præcipue autem in die festo S. Casildæ nona Aprilis, & Letaniarum aliisque diebus festivis, nec non die tertia Paschalis & Pentecostalis solennitatis, cleri ac populi multitudo maxima huc undique confluit, peractisque sacris & precibus cum gaudio remeat.

C

32 Multi viri, mulieres, pueri & animalia ceciderunt ex rupe, cui inædificata est ecclesia S. Casildæ, admodum scabra & aspera valdeque alta, quam tamen devotionis ergo genicularim adscendunt quam plurimi; multi etiam prolapsi sunt in lacus S. Vincentii, rupi vicinos valdeque profundos; nemo tamen unquam damnum tulit; ne ipsa quidem animalia, pedes vinculatos habentia. Multa etiam alia omnis generis miracula quotidie Deus ac Dominus noster in prædicta ecclesia operatur, quæ, ne prolixitas molesta sit, omittuntur in hac brevi relatione; verissima autem & frequentissima esse comperiet is, qui hunc locum devote visitaverit: hæc autem scripta sunt ad laudem & gloriam Dei & Matris ejus benedictæ, atque hujus sanctissimæ Virginis.

D

sine noxa ex rupe vel in lacus lapsi plures,

33 Abest quidem, *inquit Tamaius de Salazar loco citato*, S. Casildæ memoria à martyrologiis antiquioribus: at in Hispanorum historiis, Sanctoralibus & Breviariis nihil tam notum quam ejus annamnesis. Metropolitana ecclesia à multis retro seculis ejus celebrat commemorationem; *& quidem ritu Duplicis cum quatuor cappis, ut notatur in Kalendario, cum hac propria oratione:* Propitiare quæsumus, Domine, famulis tuis, per sanctæ & gloriosæ Casillæ merita gloriosa, ut ejus pia intercessione ab omnibus semper muniamur adversis, & in præsentibus angustiis adjuvemur. *Aliam ex antiquis Brevariis & præcipuo suo quodam vetustissimo Ms. recitat Tamayus, forte ipsi ecclesiæ S. Casildæ soli propriam, aut in ecclesia Toletana post susceptionem Reliquiarum ejus compositam, his verbis:* Tuorum, quæsumus Domine, servorum suscipe vota; & intercedente B. Casilla Virgine tua, cujus reliquiis præsens splendescit sarcophagum, ruptis criminum nexibus, qui devote eam veneramur, ad gaudia mereamur transire cælestia. *Cauriense, Civitatense, Seguntinum & Palentinum breviaria antiqua idem Tamayus allegat: & ad diem hunc* IX *Aprilis collocans* festum Reliquiarum, in metropoliticæ Burgensis ecclesiæ sacrario requiescentium, *easque in annotationibus enumerans num.* 10 *recenset* brachium & scapulam S. Casillæ Virginis: *in ipsius autem elogio ad diem* XV *dicit*, anno Domini MDXXIX die XXX Julii, corpus sanctum à primo in sublimiorem sacrophagum fuisse translatum: *ubi* DC, *non* D *debere legi, suspicamur ex silentio Alfonsi supra memorati, tam illustrem actionem nequaquam præterituri, si suo tempore contigisset.*

Cultus S. Casildæ in ecclesia Burgensi

E

& aliis.

Reliquiæ.

F

DE SANCTO GAVCHERIO

G. H.

PRIORE CANONICORVM REGVLARIVM AVRELII IN AGRO LEMOVICENSI

ANNO MCXXX.

Lemovicum, Aquitaniæ primæ urbs ad Vigennam fluvium celebris, plurima habet in sua diœcesi monasteria antiqua Ordinum Benedictini, Cistercienſis & Augustiniani: inter hæc fuit Prioratus à S. Gaucherio seculo Christi undecimo constructus, in loco Aurelio dicto, tribus leucis ultra Vigennam fluvium Lemovico distante. Natalis S. Gaucherii incidit in diem IX *Aprilis, quando celebrem cultum habet in Ecclesia Lemovicensi, uti antiqua Acta Mss. habent inde ad nos transmissa, in sex Lectiones, quæ in Officio Ecclesiastico solebant recitari, distributa: quæ eadem edidit postmodum Philippus Labbe, tomo 2 Collectionis rerum Aquitanarum novæ bibliothecæ Manuscriptorum librorum pag.* 160 *& sequentibus. Hujus Vitæ illustre compendium extat in Breviario Lemovicensi, auctoritate Raymundi Lemovicensis Episcopi & consensu Capituli anno* MDCXXVI *excuso, ubi ex præcepto festum S. Gaucherii celebratur sub ritu semiduplici, & Lectiones secundi Nocturni recitantur de Vita S. Gaucherii.*

Cultus sacer in Ecclesia Lemovicæsi:

Vita in Lectiones distributa.

elogium apud Saussaium

2 *Magnum ex Vita elogium edidit ad hunc* IX *Aprilis in Martyrologio Gallicano Saussayus: verum dum asserit eum* comunicasse cum S. Leonardo religiosum consilium, *non debet intelligi, quasi simul vixerint, cum idem Saussaius ad diem* VI *Novembris scribat*, S. Leonardum à Chlodoveo Rege de sacro fonte susceptum, edoctumque à B. Remigio Archiepiscopo Remensi, *id est plusquam annis quingentis ante nativitatem S. Gaucherii. Verum, ut infra in Actis dicitur*, pernoctans apud S. Leonardi sepulcrum, flagitavit obtinere desiderii sui effectum.

3 *Franciscus Blosius, Regis Christianissimi Consiliarius ac Locum-tenens, Præses Generalis in Comitatu & territorio Meuthlensi,*

A *Meuthlenſi, loco natali* S. *Gaucherii, edidit anno* MDCLII *Francico idiomate Vitam ejus tranſlatam ex Actis Latinis, ſibi ex antiquo Legendario communicatis à* CL. V. *Antonio Wion Domino Herovallio, & ex aliis monumentis hinc inde auctam; in qua cap.* 15 *inter diſcipulos* S. *Gaucherii, præter* S. *Stephanum Fundatorem Ordinis Grandimontenſis infrà memoratum, numerat Lambertum, dein Epiſcopum Engoliſmenſem, & primum Abbatem monaſterii B. Mariæ de Corona à ſe fundatum, quem & Sanctum appellat, quod poterit examinari ad diem* XIII *Iunii, quo obiit anno* MDXLVIII. *Tertium addit diſcipulum* S. *Faucherium, cujus caput aſſervatur in altari Eccleſiæ Aurelienſis vna cum capite* S. *Gaucherii: quod etiam obſervavit Ferrarius in Catalogo generali; in quo ad hunc diem ita ſcribit*: In territorio Lemovicenſi S. Gaucherii Auctoris monachorum S. Auguſtini; *& in Notis addit*, ejus reliquias ibi in magna veneratione haberi; vna cum reliquiis S. Faucherii monachi ejuſdem Ordinis.

Vita Gallica edita.

diſcipuli S. *Stephanus, Lambertus Epiſcopus Encoliſmen.* & S. *Faucherius.*

4 *Carolus Fremon, in Vita Gallica* S. *Stephani Grandimontenſis cap* 5 *&* 6; *agit de hujus habitatione apud* S. *Gaucherium: quem aſſerit duobus annis vixiſſe inter Canonicos Regulares monaſterii* S. *Ruſi, prope Avenionem conſtructi. Quod ſi verum eſt, deberet id contigiſſe ſub Abbate Bertrando, poſtmodum Epiſcopo Barcinonenſi, de quo egimus* VI *Martii in Vita B. Oldegarii Epiſcopi Barcinonenſis capite* I. *Eſt illud monaſterium* S. *Ruſi poſtea Valentiam tranſlatum.*

An vixerit in monaſterio S. *Ruſi Avenione.*

B

5 *Mortuus dicitur* S. *Gaucherius in verſibus infra anno* MCXL, *octoginta tunc annos natus, vnde colligimus natum eſſe anno* MLX. *Verum in Actis dicitur mortuus anno* MCXXX, *adeoque natus foret anno* ML, *& ſic rectius cellulam Aureliam cœpit inhabitare anno* MLXXI: *in quo & Acta & verſus conveniunt.*

Tempus vitæ.

VITA

Ex MS. Legendario Lemovicenſi.

CAPUT I.

Ortus, ſtudia, diſceſſus in Aquitaniam. Vita eremitica.

LEC. I.

GAucherius, territorio Rotomagenſi, *a* Meuthlenſis oppidi indigena fuit, parentibus religioſitate clariſſimis procreatus; vico autem S. Petri, cui nomen *b* Egoſus educatus. Cujus vitam, cum adhuc eſſet clauſus vtero matris, Dominus quaſi quodam præſagio volens notificare mundo, genitori ejus manifeſtavit nocturno ſilentio. Nam ut audivimus ab ipſo, nocte quadam, cum mater ejus eſſet gravida de illo, in ſomniis vidit ſe tenere reſtem vnius cymbali, quæ tam prolixa videbatur quod de terra uſque ad cælum protendebatur; quam reſtem ſuſpenſam in cymbalo cum manu traheret, cymbalum in cælo ſonaret. Quæ viſio bene convenit Dei famulo Gaucherio, qui etſi ductus propagatione carnis, quod ſignatur per reſtem, domans eam ſub levi jugo Chriſti, factus eſt cymbalum tinniens: quia quemadmodum ſonantibus cymbalis fit quædam vox commotionis, [ſignificans] quod populus Chriſti debeat properare ad Eccleſiam Dei; ita & famulus Dei Gaucherius quodam modo fuit cymbalum; quia exemplo vitæ, & prædicationis voce commovit plebem, ne tardaret ire ad Creatorem ſuũ. Vidit etiam in ſomniis genitrix ejus, cum nondum editus foret, humanis viſibus ſe tenere ſurſum duo cornua lunæ ambabus manibus: luna autem pro defectu carnis ponitur; quia ad tempus videtur creſcere, & decreſcere, ſed cum incipit per defectionem decreſcere, cornua ſolent attenuari. Quæ omnia bene aſſignantur Dei famulo; quia cum onere carnis, quæ ad tempus deficit, eſſet oppreſſus, bina cornua tunc tenebat manibus: quia ſuperbiam & laſciviam ſuæ carnis ſubjugavit ſuis manibus; id eſt cum geminis alis virtutis, ſcilicet duobus præceptis, caritatis Dei videlicet & amoris proximi, qui amor ignitos ſui dilectione per anguſtum callem facit tendere, & ſurſum, deſpiciendo terrena, facit ire ad cæleſtia. Hoc amore ſuccenſus Dei famulus Gaucherius, in hac peregrinatione ſolo corpore conſtitutus, cogitatione & aviditate ſic in illa æterna patria eſt converſatus: quia veſtimentum quod induit in baptiſmate, ſervare ſtuduit per innocentiam vitæ, quod eſt attenuare cornua lunæ, id eſt incentiva carnis vitia domare uſque in finem vitæ; Euangeliſta atteſtante, Qui autem perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit. Matt. 10, 22

a Natus *in diœceſi Rotomagenſi,*

b quia futurus eſſet indicatur matri

C

gemina viſione;

EX MS.

Adveniente itaque tempore ſubintrantis infantiæ, à parentibus liberalibus ſtudiis diligenter traditur: in quo doctrinæ collatio cum vbertate ingenii conſentiens, eruditiſſimum duplicato bono, ideſt naturæ & induſtriæ, reddiderunt. Atque ut in eum perfectio litterarum plene confluëret; docibilis puer, quæ audierat, quaſi theſaurum ſibi commiſſum, pectoris armario tenaci memoria bene recludens; parvi temporis articulo ad bivium Pythagoricæ litteræ perductus, ſiniſtrum ramum devitavit, id eſt laſciviam hujus mundi, qua illa tolet ætas occupari. Dexterum quippe ramum à primo juventutis flore proſecutus eſt Dei famulus Gaucherius: quia ſicut apis prudentiſſima in ſtudio quæque bona colligens, repoſuit in arca mentis, quæ poſtmodum erat mellificaturus populo Dei dulcedine ſui verbi: quatenus, per arctam viam quæ ducit ad vitam, exemplo ſui ſequerentur. Factus namque adoleſcens adhæſit cuidam viro, nomine Reynerio, vita & fama valde religioſo: cui ſervivit diebus plurimis fiducialiter; ſed potius pro Chriſto familiariter: abillo enim ſumpſit maxime vitæ ſuæ initium, & ſubiit Chriſti tirocinum & caſtitatis domicilium. Sub eodem fere tempore venerandus Magiſter Humbertus, Lemovicæ Sedis Canonicus, cujus iſte erat familiaris ſcholaſticus, forte in illis partibus regebat ſtudium, cui etiam aperuit ſui animi deſiderium: cujus admirans adoleſcentiam, & animi conſtantiam, blandis ſic alloquitur eloquiis: Fili cariſſime Gaucheri, ſi hoc reſidat in animo tuo quod mihi confiteris verbo, ſequere me in mea patria, quæ multum numeroſa eſt; & ſpero in Deum, qui ſemper confortet deſiderium, invenies aliquem locum tuo animo aptum, in quo poteris Domino ſervire, qui tibi porrigat manum pietatis ſuæ.

adhæret Reynerio viro pio,

tum Humberto Canonico Lemoviceuſi.

F

Cum autem jam eſſet natus annos fere decem & octo, & pertimeſceret contaminari de his, quæ ſuccreſcunt humano generi, ſecutus ſui Magiſtri Humberti monita, ſciens & ipſe à Domino eſſe prædictum, Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem propter me centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit: ideo athleta Dei hac promiſſione ſuffultus, loricam fidei indutus, patriam viduaturus, reliquit patrem & matrem, & pios parentes, & dulcem patriam; & ſociato ſibi Germundo, venerabili viro, ejus futuro Canonico, ſed tunc temporis ſui ſecreti ignaro, ſequens doctorem ſupradictum, venit in partes Aquitaniæ. Cum illo ergo providentia Dei venit in hanc provinciam, & hoſpitatus eſt in *c* Leonardi villa, cujus maximam miraculorum audiverat famam. Pernoctavit illa nocte ante ſepulcrum beati viri, cujus converſationem & vitam optabat imitari; flagitans ab eo humillimis precibus, ut apud Deum obtineret ſui deſiderii effectum. Inſurgente vero diluculo, cum ſacra Miſſarum ſolennia celebrarentur, accepta licentia ab eo viro,

LEC. II

proficit præclare in ſtudiis:

E

evitat laſciviam:

amat virtutem:

LEC. III.

cum illo diſcedit in Aquitaniam;

Matt. 19.

aſſumpto Germundo ſocio,

c

pernoctat apud ſepulcrum S. *Leonardi,*

EX MS. viro, compatriota ſuo, cœptum iter tetendit ; & circumeirca gyrans nemora, ad locum, cui vocabulum *d* Chavaniacum, tandem Dei ductu pervenit : cujus aſpiratione per tot & tanta means locorum ſpatia, hic greſſum direxit, implens illud prophetæ de ſe : Elongavi fugiens & manſi in ſolitudine: ibique, quamquam hominibus parum notus, Deo tamen non ignotus, cum ſuo ſocio per triennium commorans, eremiticam vitam duxit. Quo in loco ſacris contemplationibus & cogitationibus ſemper intentus, religionem religioniſq; profeſſionem prius inſtituit. Hic clara & vera oratione temporalia quæque momentanea & caduca monſtravit, neque in his quidquam optabile firmumque conſiſtere: maximæque temeritatis humanum arguebat genus, quod hæc terrena tanta ſolertia, tantoque ſtudio proſequeretur, toties fallaci & vacua ſpe fruſtratum atque deluſum. Mundi hujus ajebat fugiendas illecebras, tamquam magna impedimenta virtutum. Demum infima hæc cæleſtibus comparata vileſcere, & multis amaritudinibus involuta, ajebat. Hic non niſi languores, labores aſſiduos, & mortem inſtare: Deum vero contemplantibus ſpem bonam ſive gaudium quietum, & ſempiternam his ſupereſſe vitam.

d in nemore Chavaniaco degit eremita tribus annis

Pſal. 54. 8

procul à mundi ſtrepitu:

B

ANNOTATA.

a Meuthlenſis, *aliis* Methlenſis, Methlendis, Mellentenſis, Melluntenſis, Mellendenſis, Melletenſis. *Eſt autem oppidum* Meulanum, *Comitatus titulo olim inſigne, vulgo* Meulain, *aut* Mellant, *ſub Archiepiſcopo Rotomagenſi, ſed* Vexino *ſeu* Wlxino Francico *incluſum, ad dexteram ripam Sequanæ ibidem inſulam facientis. Conſule Notas Franciſci Bloſii.*

b Egiſius, Egoſius, Gizejum *vulgo* Iuſiers, vicus S. Petri *dictus, quod ſpectet* ad monaſterium S. Petri Carnotenſis, dono Lutgardis Comitiſſæ, *dicto Bloſio atteſtante.*

c Oppidum S. Leonardi *in Marchia Lemovicenſi, ubi corpus ejus quieſcit : colitur 6 Novembris. Nobilacum locus ille appellatur in Breviario Lemovicenſi, eſtque ad fluvium Vigennam.*

d Cavanacum *dicitur in Breviario Lemovicenſi.*

CAPUT II.

Vita monaſtica: obitus, miracula.

LEC. IV. C Sed non eſt noſtræ facultatis retexere quot & quantas famis, frigoris, & ſitis, vigiliarumque difficultates, quot inſultus dæmonum Dei famulus Gaucherius pro Domino ſuſtinuit. Per idem tempus, dum ibi maneret & illic remaneret, habebat in cogitatu, quod ſæpe quædam columba adveniens, quandoque ſuper ſcapulas, quandoque ſuper caput illius repauſabat, & veluti eum objurgans quod in tali loco manſionem ſibi parare diſponeret, roſtro caput illius acerrimis ictibus percutiebat : quam vir Dei abigens, valde ſecum admirans, rem tacitus conſiderabat. Columba vero, quaſi minis illius perterrita abvolans, culmen tecti illius conſcendebat ; & ſtipulam, qua illud tuguriolum tegebatur, pedibus diſpergens; illuc, ubi divina providentia monaſterium ejus nunc extat conſtructum, feſtucas apportabat, illicque reponebat ; hoc indicio oſtentans, in quo loco cellam ſuam extruere deberet. Per quod Dei famulus cognovit ; divinam non eſſe voluntatem ibi ſe ulterius manere. Locus autem, in quo tunc temporis athleta Chriſti manebat, eo tempore ad jus videbatur pertinere *a* monachorum S. Auguſtini & ſanctimonialium S. Mariæ de Regula ; et tam hos quam illas diu multumque deprecatus eſt, ut ſibi locum ad ſerviendum Deo concederent in perpetuum : ſed paſſus eſt repulſam : nullatenus enim petitioni ejus acquieſcere voluerunt, niſi quamdiu ipſe viveret. Quibus reſpondens ait: Non mei ſolummodo cauſa ſolicitus ſum, ſed etiam pro illis qui poſt me futuri ſunt. Et his dictis receſſit ab eis. Quare illum deſerens locum, in aliud nemus, cui vetuſtas *b* Salvatoris nomen indiderat, nunc autem Aurelium vocatur, ætatis ſuæ viceſimo ſecundo anno feceſſit : quod nemus à priori loco quaſi ſtadium vnum videtur diſtare. Quo in nemore inter denſitates nemorum, deſiderio ſuo apto reperto loco, comperto quod S. Stephani eſſet ſilva illa ; adiit Lemovicæ Sedis Canonicos ; poſtulans ſuum deſiderium habere effectum. Quem illi benigne ſuſcipientes, & de ſanctitate ejus per magiſtrum Humbertum, cujus intuitu ad iſtam devenerat provinciam, moniti; piæ petitioni ejus prompto animo ſe ſpondent adeſſe fautores. Cognoſcentes igitur quam plura monaſteria laudabili religioſorum providentia multorum ſaluti profutura, libenter conceſſerunt Divo Gaucherio, & ſuis tam præſentibus quam futuris, locum ad ædificandum monaſterium Regularium Canonicorum: vbi, ſi quis ſuorum Canonicorum ſeculum relinquere, & in monaſterio Aurelienſi, Deo ſervire vellet, regularem deinceps tramitem per omnia ſubiturus, facta petitione ſua ſuſcipiendi, aditum ei abſque contradictione patere ſibi retinuerunt. Verumtamen Aurelienſis cœnobii Priore jam defuncto, ejuſdem cœnobii Canonicis ſecundum Deum eligendi ſibi Priorem liberum conceſſerunt facultatem, electum vero in Capitulum ſuum adduci voluerunt : quem ſuum Canonicum & fratrem inſtituentes. Aurelienſis monaſterii Patrem & Priorem confirmarent, & ut ipſi generali Capitulo obedientiam ſcripto promitterēt; confirmatus autem & in choro loco ſuo poſitus, vale dicens omnibus, ad ſua cum gaudio remearet, atque deinceps nomen & locum Prioris obtineret : addiderunt etiam quod cum ipſe apud Lemovicos eſſet, diſpenſatores eorum uni Canonico, qui cum illo eſſet, ſicut ipſi refectionem præberet ; & alia multa inſtituêre animabus fratrum vtriuſque partis profutura, quæ in prælibata Eccleſia cartulari præcepto ſcripta ſervantur. His omnibus concordans Sanctus Pater Gaucherius, ſui voti compos effectus, rediit feſtinus ad ædificandam eccleſiam nomini Domini ſolicitus.

D

b in alio nemore monaſterium Aurelium extruit,

impetrata à Canonicis Lemovicenſibus facultate.

Sub eodem jtaque tempore, multi audientes vitæ ejus ſanctitatem, inter hujus mundi procellas timentes animarum ſuarum incurrere periculum, conveniebant ad eum ſecularia deſerentes, & exemplo ejus provocati ſoli Domino militare cupientes. Inter quos venit venerabilis memoriæ *c* Stephanus nomine, vir miræ Sanctitatis & abſtinentiæ : qui cum Gaucherii auſteritatem vitæ miratus, imitaretur mores, & innumerabilem ad illum confluere vtriuſque ſexus cerneret multitudinem (noverat enim beatus vir neutrum ſexum à regno Dei exceptum : quare ex vtroque pariete virorum ac mulierum cœleſtem nitebatur ædificare Ieruſalem, & quantum jactus eſt lapidis à cella ſua habitaculum Sororum conſtruxerat, tam viris quam mulieribus ſuam paupertatem diſtribuens) venit ad eum vir præfatus venerandus Stephanus, ſciens per mulierum affinitatem multoties humanas mentes eſſe deceptas, rogans beatum virum, in ſolitudine illa juxta ſuam cellulam, aliquod ſibi præparari habitaculum. Cujus precibus pius pater annuens, quantum arcus bis poteſt mittere ſagittam, in loco qui Muretum appellabatur, oratorium inſtanti opere conſtrui præcepit, vnde à loco illo cognominatus Stephanus de Mureto appellatus eſt, qui Pater extitit omnium Grandimontenſium, Inſtitutorque Ordinis Grandimontenſis, & à præſcripto loco,

E

LEC. V. F

cum aliqua mutua dependentia.

accipit multos diſcipulos inter illos S. Stephanum fundatorem Ordinis Grandimontenſis.

G

columba quaſi ad nocente

& reperit alia difficultatibus, a

A loco, ſcilicet à Mureto, Grandimontenſium habuit initium.

LEC. VI. Cum autem placuit ſummo proviſori Deo, ad cæleſtes nuptias ſuum vocare Sanctum, contigit illum ire apud Lemovicas propter quoddam negotium eccleſiæ ſuæ; indeque revertens cum eſſet octoginta annorum ætatis, poſt ſuſceptam vero in Aurelia ſilva curam paſtoralem annorum ferme ſexaginta, nocturnis vigiliis feſſus, dormitando equitans & fatigatus ſenio; cum (ut credimus) vellet eum Deus vitam finire per martyrii triumphum, ut duplici corona, Confeſſoris videlicet & Martyris eum remuneraret; ante pedes animalis, cui inſidebat, cecidit; lapidi, in loco ubi hoc contigit uſque hodie oſtenſo capite colliſo: quo in loco, per interceſſionem ejus, innumerabilia præſtantur febricitantibus beneficia ſanitatum. Cum igitur jaceret jam pene exanimus, & viribus corporis amiſſis ſe erigere non poſſet, clamor ingens attollitur, ſervum Dei Gaucherium illo in loco jacere ſemimortuum. Accurrentes qui viciniores erant, vehementi dolore & ira permoti, detulerunt eum ſecum ad quemdam vicum, *d* cui Feſtiacum eſt vocabulum: & humanitatem circa eum exhibentes, à Domino æternam remunerationem accipere ſperantes, pannum, quo quædam femina ingenua caput ſuum velare conſueverat, quo vulnus ſanctiſſimi viri deterſerant, ſibi pro reliquiis retinuerunt. Propter imminentia pericula mortis; ne ſine viatico tranſiret, communionem etiam ibidem accipit. Quo cognito in Aurelia ſilva, Fratres qui aderant, cum maximo ejulatu & fletu illuc utique citato curſu properantes, attulerant illum craſtina die ad monaſterium ſuum; tertia vero, die amiſſo uſu loquend, conſuluerunt qui circumſtabant, ut afferretur Crux Chriſti cum corpore Domini. Quibus allatis vexillum Dominicæ Crucis aſpiciens, corpuſque Domini adeſſe perſentiens, gaudio repletus, loquendi facultatem recuperavit; & circumſtantes filios ſuos cernens, ultra quam credibile eſt flentes, & exitum animæ ejus expectantes, ait ad eos: Filioli mei, nolite flere, ſed potius gaudete, quia anima mea, ergaſtulo carnis egreſſura, libertati reſtituetur, feliciter cum Chriſto [regnatura] in æternum. Interea dū hæc agerētur, Dominus Geraldus, Lemovicæ Sedis Epiſcopus, comperto hominis Dei Gaucherii obitu, vna cum ingenti multitudine Lemovicenſium, intravit eccleſiam, in qua Sanctum corpus in feretro jacebat: & facta oratione ſimul & abſolutione, cum ingens populi vtriuſque ſexus multitudo, de crebris miraculis, quæ ibidem fiebant, Deo gratias exultantibus animis ageret; tanti gaudii cauſam ſolicite perquirit. Oblatus eſt ei iuvenis ſanitatem adeptus, qui prius fuerat claudus. Mulier etiam quædam, quæ per multos annos clauda extiterat, vt ejus feretrum tetigit, ſanitati continuo reſtituta eſt. Hac comperta fama, cæcus quidam adveniens, per ſuffragium Gaucherii lumen occulorum recepit. Sunt etiam ibi ſanati multi febricitantes, quos præ multitudine dinumerare longum eſſet. Floruit autem hic vir S. Gaucherius anno Domini milleſimo centeſimo trigeſimo. Succedentibus vero temporibus, ex divina revelatione canonizatus fuit, Sanctorumque Catalogo annotatus, tempore Domini *e* Cæleſtini Papæ, præſulante in Sede Lemovicenſi Domino *f* Sebrando: qui ex præcepto præfati Domini Papæ, hujus ſancti oſſa memoranda & veneranda in capſa repoſuit. In cujus Sancti revelatione, miracula, ejuſdem ſancti viri ſuffragio, quamplura perpetrata ſunt. Agamus & nos gratias Domino, cui Sanctum ſuum ita glorificare placuit; rogantes Dominum, ut per ſemitam, quam nobis præſens oſtendit, eum nobis ſequi concedat, qui vivit & regnat per infinita ſeculorum ſecula. Amen.

delapſus ex equo,

ſemivivus defertur Feſtiacum,

d

B

& accepto ibidem ſacro viatico,

Aurelium portatur,

loquelam recuperat: conſolatus ſuos obit:

claret miraculis:

C *ſanantur claudi,*

cæcus, multi febricitantes.

D

e

ea talogo Sanctorum adſcribitur.

f

VERSVS ALIQVI

Ex vetuſto libro Prioratus Aurelienſis.

Sumpſit ex anno milleno ſeptuageno primo, principium cellula noſtra ſuum.	1071 E
Anno milleno nonageno ſeptuageno, Quatuor ablatis, facta eſt dedicatio noſtra.	1164
Mille decem decies completis bisque *g* viginti Annis, Gaucherius ſcandit ad aſtra poli.	*g* 1140
Anno milleno centeno cum nonageno Quarto, clara virum meritorum ſumma revelat.	1194

ANNOTATA.

a Monaſterium S Auguſtini *apud Lemovicenſes dicitur ſuam originem habere à S. Martiale, & in eo ſepulti 28 Epiſcopi. Verum poſtea iſtic vixiſſe Clerici feruntur ſub nomine S. Auguſtini, ſed deinde monachi Benedictini, quâ videntur non faviſſe* S. Gaucherio.

b Salvaticum *dicitur in Breviario Lemovicenſi.*

c *Hic eſt* S. Stephanus, Fundator Ordinis Grandimontenſis, *cujus Vitam & Acta late deduximus ad diem* 8 *Februarii, quæ etiam hinc poſſunt elucidari.*

d *Floſius appellat* Fretiac, *in mappis* Feitiac *ſcribitur.*

e Cæleſtinus III *ſedit ab anno* 1192 *ad annum* 1198.

f Sebrandus *conſecratus eſt anno* 1177 *& ſedit uſque ad annum* 1197 *aut* 1198, *& recte vterque vixit anno* 1194, *quando corporis elevatio eſt facta.*

F

g *Hic verſus non conſentit cum annis extructæ cellulæ, quia tunc erat* XXI *annorum, ac videtur legendum* atque triginta. *Et ſic habent Acta in MS. noſtro & apud Philippum Labbe.*

DE BEATO MARTYRE
ANTONIO PAVONO

ORDINIS PRÆDICATORVM, SAVINIANI IN PEDEMONTIO. G.H.

ANNO MCCCLXXIV

Compendiū Vita.

AMbroſius Taegius illuſtrium virorum Ordinis Prædicatorum geſta deſcripſit aliquot voluminibus, quæ reperimus Mediolani in Conventu S. Mariæ Gratiarum ejuſdem Ordinis, & Codice MS. Signato littera L lib. 3 diſtinct. cap. 5 deſcripſimus quæ hic damus de Fratre Antonio Pavono, quem auctor Sanctum, Sanctum Martyrem, Beatum Antonium, & beatum Martyrem appellat: cujus venerabile corpus in capella quieſcit, & accenſis cereis publice honoratur, & invocatur ejus patrocinium. Michael Pius in Vitis illuſtrium virorum Ordinis S. Dominici, Bononiæ anno MDCXX excuſis aſſerit, Capellam, in qua quieſcit, eſſe dicatam S. Magdalenæ, ibique ad ſepulcrum ejus appenſum eſſe hoc epitaphium.

Sancti & Beati Martyris titulus,

Epitaphium.

Perlege quiſquis ades: jacet hic Antonius, almæ
Relligionis honor normaque recta, Pavo.
Hæreſeos vindex, fidei tutela * Deique,
Laurea martyrii, cælica regna petit.
Haymus oſſa Pater juſſit Taparellus haberi,
Qui micuit terris, nunc tenet alta poli.
Vos, pia quem venerata fuit plebs Saviliani,
Concelebrare Patrem pergite, voce, animo.

* *al.* ſalutis.

Addit

AUCTORE G. H.

Addit Michael Pius Haymum Taparellum, natum fuiſſe de nobili familia Lagnaſcenſi, ex qua itidem fuerit Briantius Taparellus, qui obtento beneficio, apponi ad ſepulcrum dicti Martyris ex voto cereum curavit. Scribit præterea Pius, dictum Haymum Taparellum in Ordine Prædicatorum vixiſſe magna cum opinione ſanctitatis, & à morte miraculis claruiſſe, eumque procuraſſe ut beatum corpus Martyris Antonii Saviniaci ſepeliretur: quemadmodum etiam ipſe reconditus eſt ſub altari eodem, ſub quo jacet B. Bartholomæus de Cerveriis XXI *Aprilis commemorandus. Eadem ex Pio refert Ioannes Rechacus tomo 3 Vitarum illuſtrium Virorum Ordinis Prædicatorum pag.* 850. *Occiſus eſt Antonius anno* MCCCLXXIV, *Dominica in Albis, quando cyclo Lunæ* VII, *Solis* XI, *littera Dominicali* A, *Paſcha celebratum eſt die ſecundo Aprilis, & conſequenter Dominica in Albis incidit in diem* IX *ejuſdem menſis. Bzovius in Annalibus refert obitum in annum ſequentem* MCCCLXXVI; *ſed aſſignatum annum præcedentem habent Taegius, Pius & Rechacus cum ipſis Actis martyrii, quæ damus. Bzovius addit, ut & Epiſcopus Taurinenſis & Comes Sabaudiæ inſequerentur homicidas, Pontificem Romanum præſcripſiſſe* XIII *Kalendas Aprilis, ſcilicet anni* MCCCLXXV. *Et ea de cauſſa etiam additum annum videtur martyrium retuliſſe. Præerant tunc, vniverſæ Eccleſiæ, Gregorius* XI *Papa Romanus; Taurinenſi Sedi, Ioannes Epiſcopus, ex Vrſinorum Romana familia oriundus; Sabaudiæ, Amedeus Comes Amedei filius, qui aliis eius nominis quintus, aliis ſextus habetur.*

Tempus Martyrii.

B

COMPENDIVM MARTYRII,

Ex collectione Ambroſii Taëgii.

1 FRater Antonius Pavo de Savigliano, hæreticæ pravitatis Inquiſitor, in loco Breycharaxii prope Saviglianum, cum in dicto loco inquiſitionis exequeretur officium, hora Tertiarum Miſſa celebrata, in qua verbum Dei devote propoſuerat in platea publica dicti loci, populo ſpectante & intuente, à ſeptem hæreticis & diaboli ſattellitibus, velut à lupis cruentiſſimis & crudeliſſimis multiplici armorum genere fulcitis, multis confoſſus vulneribus, laceratus, & trucidatus, martyrium pro fidei catholicæ defenſione patienter & humiliter ſuſtinens, cælos glorioſus aſcendit, Dominica in Albis, anno Domini MCCCLXXIV. Hic fuit vita ſanctiſſimus, Ordine Sacerdos, religione profeſſus, officio Prædicator Euangelicus & Inquiſitor conſtantiſſimus; errores exterminans, hæreticos perſequẽs, omniaq; vitia evellens, diſſipans & deſtruens; fidei catholicæ pugil ac defenſor ſtrenuus, iuſtitiæ cultor aſſiduus, & doctrina clariſſimus, mortem ſuam prævidit ac prædixit. Nam per non multos dies ante paſſionem ſuam cuidam barbitonſori dixit: Ego ad nuptias quaſdam hoc in loco celebrandas invitatus, iturus ſum: rogo ut me arte veſtra ſpecioſum reddatis. At ille, Vicus, inquit, iſte parvulus eſt; & ſi nuptiæ celebrandæ eſſent, me vtiq; non lateret, cum in apotheca mea omnes fere referantur rumores: vnde timeo deludi. At Sanctus dixit: Ne timeatis, quia vera loquor. Et ſic factum eſt: quia ſequenti Dominica cum veſte nuptiali ad Agni nuptias introduci meruit. Poſt mortem autem multis claruit miraculis: ex quibus vnum referam, quod narravit & ſcripſit religioſus vir Fr. Petrus Sereni, Sacræ Theologiæ Magiſter ac hæreticæ pravitatis Inquiſitor, quod ſuo aſſerit contigiſſe tempore. Nobilis quidam vir, qui D. Briantius Taparelli dicebatur, ex Dominis Lagnaſci, in magno quodam exiſtens litigio cum potentiori quodam viro, cum eſſet ſententia contra eum ferenda pro maxima pecuniarum quantitate, ex eo quod inſtrumentum quoddam publicum reperiri non poterat, ad cauſam iſtam optime neceſſarium; cum etiam diligenter in omni domus ſuæ loco perquiri fecerit & præcipue inter alias domus ſcripturas; votum fecit B. Antonio Pavono, quod cereum librarum quinquaginta ad capellam, ubi venerabile corpus ejus requieſcit, apponi faceret, ſi ejus meritis & precibus inſtrumentum illud reperiri poſſet. Mira res! Nocte ſequenti, cum idem nobilis in ſuo quieſceret lecto, vidit beatum Martyrem Antonium dicentem ſibi: Vade, & inſtrumentum, quod quæris, in tali perquire loco, & invenies. Mane quæſivit & ſub lecto quodam, ut Sanctus dixerat, inſtrumentum invenit; gratias agens Deo & Sancto Martyri ſuo Antonio. Quo reperto, ſententiam, quam contra ſe habere formidabat, pro ſe habuiſſe lætatus eſt, votũ emiſſum devote perſolvens.

D

voto cereo ad ejus ſepulcrum.

C

vti ante prædixerat:

elæret miraculis.

res perdita invenitur.

SENTENTIA CONTRA HOMICIDAS.

Ex Chronico Ord. Prædicatorum.

2 VNiverſis Chriſti fidelibus, ad quos præſentes in notitiam pervenient, notificari volumus: quod flagitium nefandiſſimum in loco Breychairaxii per ſacrilegos patricidas, videlicet Ioannẽ de Gabrielli, Iacobum de Marmita, Franciſcum Tarditum, Iacobũ Tarditum, Antonium Tarditum, Ioannem Buriaſcum & Petrum Buriaſcum, clamat in auribus Domini exercituum, ut dicat idem Dominus cuilibet prædictorũ deteſtabilium ſceleratorum, Vox ſanguinis fratris tui Abel, id eſt hujus Fratris, ſcilicet Antonii bonæ memoriæ Ordinis Prædicatorum, Inquiſitoris hæreticæ pravitatis, nuper per te occiſi, clamat ad me de terra, cũ illis de quibus ſcriptum eſt ſub throno Dei, Sancti clamant, Vindica ſanguinem noſtrum Deus noſter. Videtur nihilominns omnipotens Deus præfatum verbum dirigere cuilibet miniſtro iuſtitiæ, habenti iuriſdictionẽ ſpiritualem & temporalẽ, vel vtramq; ſuper hoc nequiſſimo ſcelere vindicando, ut dicat cuilibet: Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Et ſi quæreretur, quamdiu clamabit; credimus divina voce reſponſurum: Quoad vſq; iuſtitia convertatur in iudicium. Tunc enim iuſtitia in iudicium convertitur, quando juxta leges divinas & humanas, juxta qualitatem culpæ, gladius pœnæ infligitur. Hic eſt gladius, quem Dominus venit mittere in terram, ut pacem peccatorum diſſipet & deſtruat, quo audacia & pertinacia reſtringitur, æquitas, virtus & innocentia defenſatur & cuſtoditur: & ſi juxta ſacratiſſimum divinæ & humanæ juſtitiæ oraculum omnia mala ferienda ſunt gladio judicii, quanto magis horrendiſſima & nequiſſima flagitia, quæ fiunt in Deum, contemptum ſanctæ fidei, publicum detrimentum, & ſanctæ vniverſalis Eccleſiæ vituperium. Numquam enim tale nefas videtur contigiſſe in Iſrael, id eſt in populo Chriſtiano. Si enim conſideretur conditio hujus venerandi Patris occiſi, Sacerdos erat, profeſſione religioſus de tã excellenti Ordine, ſcilicet Fratrum Prædicatorum, quo veluti columna immobili, tota fabrica matris Eccleſiæ fulcitur & ſuſtentatur. Si officium quæritur, Prædicator Euangelicus & Inquiſitor idoneus, errores exterminans, hæreticos perſequens, omniaque vitia evellens, diſſipans & deſtruens. Si cauſſa mortis quæritur, veridice reſpondemus, quia fidelis pugil Chriſti, defenſor ſtrenuus fidei, & iuſtitiæ cultor aſſiduus. Ecce execrandum nefas, vbi pariter homicidium, patricidium, ſacrilegium comitantur. Ecce effrænata ſatellitum nefandiſſimorum audacia, qui Dei cultorem in die feſto, Dominica ſcilicet in Albis, hora Tertiarum, venientem de Miſſa, in qua verbum Dei glorioſe prædicaverat in publica platea, populo ſpectante & intuente, velut lupi crudeliſſimi atrociſſime, multiplici genere armorum confodere, lacerare & occidere non timuerunt. Quis fidelis Catholicus ad tam horrendum ſcelus vindicandum [non properaret]

E

contra Homicidas 7

ſanguis effuſus exquirit iudicium.

Apo. 6, 2

Pſ. 93, 15

F

ob ſummum ſcelus patratum.

In odium fidei Catholicæ occiditur;

raret.] Invocabimus cælum & terram, id eſt gladium, ſpiritualem & materialem, viros contemplativos pariter & activos, contra tantæ nequitiæ execrabiles actores. Et licet ad diſſinitivam ſententiam, non obſtante eorum abſentia, ut patet ex Conſtitutionibus venerandi Domini Guidonis Groſſi, qui poſtea fuit Clemens Papa IV, & ex definitione Concilii Toloſani, quæ determinationes per ſanctam Sedem Apoſtolicam ſunt confirmatæ, potuiſſemus procedere; attamẽ decrevimus, religioſorũ diſcretorumq; conſilio, ex cauſſis bonis & utilibus gradatim ſic procedere.

ſententia proferitur qua ſint

3 Invocato enim primitus Chriſti nomine, nos Fr. T. Ordinis Prædicatorum, Inquiſitor hæreticæ pravitatis, auctoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, qua fungimur in hac parte, & cum cõſenſu Reverendi Patris Domini D. Joannis Epiſcopi Taurinenſis, ſedentes pro tribunali & in his ſcriptis præfatos ſacrilegos patricidas, Eccleſiæ hoſtes indicamus & ſententiamus ut infra. Primo, eorum domos omnes & ſingulas infra muros Breycairaxii & extra funditus, cũ omnibus bonis quæ in eis reperiuntur, dirui ſine ſpe reædificandi, mandamus; præcipientes omnibus & ſingulis Dominis Breycairaxii, in quorum juriſdictione præfati fatellites exiſtunt, quod hoc implere debeant, populo univerſali cum vexillo & armis, ſtrepitu campanarum & præconizatione ad hoc convocato, adſtante & manus ad dictum opus univerſaliter porrigente, & hoc ſub pœna excommunicationis & centum marcarum argenti pro quolibet prædictorum Dominorum. Itẽ ſententiamus & judicamus, omnes agros eorum vineas, prata, hortos & quaſcumque alias poſſeſſiones omnium & ſingulorum præfatorum homicidarum, perpetuo eſſe ſteriles ac ſine cultura cujuſque, ita quod ferant ſpinas & tribulos, fiantque ſerpentum habitacula perpetua, qui fuerunt ſpinis æterno incendio deputandis aliquando vitæ ſubſidia. Si qui autem fructus actualiter in aliquibus talium poſſeſſionum exiſtunt, volumus quod in eis remaneat maledictum: ita quod nulli Catholico de tali anathemate liceat contingere, ſub pœna excommunicationis & viginti quinque librarum pro quolibet & qualibet vice de prædictis fructibus contingerer. Nec liceat animalia bruta in eis tamquam in paſcuis nutrire, ſub pœnis prædictis, paſtoribus eorumque dominis infligendis. Item ſententiamus judicantes, & ſententiantes judicamus, prædicatos ſeptem patricidas ſacrilegos, tamquam fautores hæreticorum pravitatis ac defenſores eorumdem, primo per nos citatos oraculo vivæ vocis, demum in eccleſia Breycairaxii in ſcriptis, poſtmodum tranſactis omnibus terminis, tamquam rebelles & contumaces in facto fidei excommunicatos per eccleſias publice ſi contingat quod capi poſſint, quod vincti una catena omnes, manibus à tergo ligatis cum multitudine nominum ſufficienti & ſecura, ducantur per omnia loca notabilia Pedemontis, quæ loca per nos exprimentur in aliis ſcriptis; & ducantur per ſtratas publicas, & hora Miſſarum ab aurora uſq; ad Tertiam, ſtent ante fores Eccleſiarum principalium, ſemper cuſtodibus armatis præſentibus, ut ſic vel aliqualiter patriam, per ipſos tam horrende diffamatam, metu ſuarum confuſibilium pœnarum à ſimilibus committendis coërceant. Ultimo mandamus ipſos in caſtro Peynarolii in arcto carcere recludi, non ſimul, ſed ſigillatim & diviſim, cum tutiſſima & fida cuſtodia, uſque dum Concilium Magnifici ac Illuſtris Principis Domini Comitis Sabaudiæ Domini noſtri, & Reverendus Pater ac Dominus D. Epiſcopus præfatus, una cum Inquiſitore vel Inquiſitoribus, decreverint diffinitive, quid de eis ſit agendum. Expenſas autem omnes & ſingulas in iſtis volumus & mandamus ſolvi per Commune Breycairaxii.

domus homicidarum deſtruenda,

agri eorum deſerendi

ipſimet captendi, ante fores eccleſiarum exponendi;

carceribus includendi,

& juxta judicium ſe renaum paniendi,

X APRILIS.

SANCTI QVI IV IDVS COLVNTVR.

SAnctus Ezechiel, Propheta.
S. Holda, prophetiſſa.
Sancti plurimi Martyres Romani, ab Alexandro Papa baptizati.
S. Terentius,
S. Africanus,
S. Maximus,
S. Pompeius,
S. Zeno,
S. Alexander,
S. Theodorus,
& alii XXXIII aut XXXVI } Martyres Afri.
S. Apollonius Pr.
S. Granus,
S. Hilarius,
S. Donatus,
S. Conceſſus,
S. Saturninus, } Martyres Alexandriæ.
S. Gaianus, Martyr in Thracia aut Dacia.
Sancti XVII Martyres in Africa.
S. Pinnadus ſeu Pinnatus,
S. Succeſſus, } Martyres.
S. Marcellus,
S. Vicarius,
S. Donatus,
S. Cyprianus, } Martyres.
S. Licinius,
S. Publius,
S. Palladius Epiſcopus Autiſſiodorenſis in Gallia.
S. Beda junior, monachus in territorio Rhodigino, Genuæ quieſcens.
S. Macarius Archiepiſcopus Antiochenus, Gandavi in Flandria.
B. Paternus Recluſus, Paderbornæ in Weſtphalia.



Lberrus, unicus S. Guillelmi in Stabulo Rodis, ultimo vitæ ejus anno, discipulus, & multorum postea Pater eremitarum, *dicitur ab Herrera in Alphabeto Augustiniano hoc die obiisse; & pro* S. Alberto Camaldulensi, *cujus Vitam dedimus* VII *Ianuarii, à Silvano Razzio sumptus, vocatur* Beatus *in Vita* S. *Guillelmi scripta à Theobaldo. De eo, tam in Vita S. Guillelmi quam in Commentario de Ordine Guillelmitarum, sæpius egimus* X Februarii.

S. Agabus, discipulus Christi, prædictione famis & captivitatis Apostoli Pauli celebris, *memoratur in Menologio Basilii Imperatoris. De eo egimus* XIII Febr.

S. Gertrudis Virginis translatio *aliqua corporis, hoc die facta, indicatur in Ms. Florario, & à Greveno in Auctario Vsuardi, atque Canisio. Vitam ejus cum variis Translationibus dedimus* XVII Martii.

S. Isidorus, Episcopus Hispalensis, *solenni veneratione colitur hoc die in Ecclesia Eborensi, Ita Breviarium Eborense anno* 1548 *excusum præscribit. Vitam ejus dedimus* IV Aprilis.

S. Waldetrudis, vidua S. Vincentii, *memoratur in Ms. Calendario Benedictino. Ejus Vitam illustravimus* IX Aprilis.

SS. Terentiani & socii militum & Martyrum corpora, Roma anno MDCXIV Duacum delata, *honorantur in ecclesia Societatis Iesu Dominica* IV *post Pascha & referuntur ad hunc diem à Saussaio in Martyrologio Gallicano quod hic indicare voluimus.*

Antonius Martyr *memoratur à Greveno in Additionibus ad Vsuardum. Verum cum plures ejus nominis Martyres fuerint, ex solo nomine, per unicum auctorem relato, nihil diudicare possumus.*

Theognia Virgo, quæ cum Anastasio Presbytero, marito suo, in virginitate vixit seculo quarto, *memoratur à Laherio in Menologio Virginum, cum illustri elogio, &* Beatam *appellat. Ejus memoriam necdum reperimus Fastis antiquis insertam.*

Ammia Prophetissa, Philadelphiæ, } *celebrantur ut* Sanctæ
Prudentiana seu Pudentiana, in Numidia, } *in Gynæceo Sacro Arturi de Monstier, nullo antiquo Martyrologio, aut signo venerationis pro hoc die indicato.*
Demetrias Virgo Romana, in Africa, }

Fulbertus Episcopus Carnotensis, vir doctrina ac pietate conspicuus, mortuus hoc die anno MXXVIII, *memoratur cum longo encomio à Saussaio in Supplemento Martyrologii Gallicani, & à Bucelino in Menologio Benedictino: à priore honoratur titulo* Sancti, *ab altero solum* Beati. *In Breviario Carnotensi anno* 1633 *excuso nulla ejus veneratio præscribitur. Ejus tamen nomen inseritur Litaniis Pictonicis, nuper à Castaneo de la Rochepozan Episcopo concinnatis.*

S. Notgerus, ex Abbate S. Galli Episcopus Leodiensis, *à Wione & Ferrario refertur: sed uti ad Vitam* S. *Notkeri Balbuli* 6 *Aprilis num.* 7 *est demonstratum, tribus personis in unam conflatis.* Episcopus *quidem hoc die obiit anno* 1007: Abbas *anno* 973, 15 *Decembris*; Sanctus *multo etiam citius, videlicet anno* 912.

Bertrandus, primus Pater cœnobii Firmitatis, Ordinis Cisterciensis, in diœcesi Cabilonensi, *memoratur ab Henriquez, Bucelino & Chalemoto cum titulo* Beati, *à Saussaio solum inter* Pios. *Nos istic existentes nihil de aliqua veneratione intelleximus.*

Eskilus, Archiepiscopus Lundensis in Dania, in exilium missus, habitum Cisterciensem in monasterio Clarevallensi indutus, *hoc die, quo S. Æschilus Episcopus & Martyr ab aliquibus, ut infra dicetur, memoratur, etiam inscriptus est Menologiis Bucelini, Chalemoti & Henrique, qui Vitam ejus deduxit in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis distinct.* 30. *Habemus etiam aliquam Vitæ & Visionis relationem ex Ms. Carthusiæ Gamnicensis. Sed nusquam indicatur aliqua veneratio Ecclesiastica, & inter* Pios *censetur à Saussaio.*

Cuanna Virgo in Campo-Lacha in regione Bregarum in Roseo *celebratur in Ms. Tamlachtensi. Colgano* 4 *Februarii ad Vitam S. Cuannæ Abbatis num.* 2 *ex pluribus Fastis Hibernicis dicitur* 8 Cuann de Roseo in Orientali parte regionis de Mag-bregh 10 Aprilis anno 717.

Erednata Virgo, } Hiberni, *memorantur in Ms. Tamlachtensi, de quibus hactenus aliud non reperimus.*
Midgusius, }
Berchanus de Ega, }

S. Wendila Virgo *memoratur in additionibus Mss Carthusianorum Bruxellensium ad Grevenum, nobis hactenus ignota: indicatur tamen aliis, si forsan lucem aliquam hinc hauriant, & majorem addant.*

Lucidus, in Piceno, } Ordinis S. Francisci; *inscripti sunt cū titulo* Beati *Martyrologio Franciscano Arturi de Monstier; ejusque Gynæceo sacro inserta etiam est* Maria Pennalosa.
Franciscus à Piceleone, in Insubria, }
Nicolaus Thomacellus, in Campania, }
Menna-Jacobus, Carnoti, }
Maria Pennalosa, Segobiæ, }

Engelbertus, Abbas monasterii S. Blasii in Styria superiore, mortuus an. 1321, *cum longo elogio celebratur in Menologio Buccelini: sed addito solū titulo* Venerabilis.

Bartholuccius & Stephanus Ordinis Iesuatorū, mortui hoc die, prior anno 1380, alter 1390 Tiferni in Umbria, *cum titulo* Beati *referuntur à Iacobillo de Sanctis Vmbriæ.*

Donum Papam *referri in vetere Kalendario in monte Avētino tradit Holstenius in Animadversis ad Martyrol. Romanum:* & Domnini Episcopi *memoria est in Apographo Blumiano Martyrologii Hieronymiani. Nos de iis agemus, quando Donus* I *Papa Romanus mortuus est* XI Aprilis.

S. Siagrius, Episcopus Lugdunensis, *memoratur in Ms. Florario & à Greveno, ab aliis die sequenti* XI Ap.

S. Drogo *est à Carthusianis Tornacensibus adscriptus Vsuardo & Greveno. Forsan is est, qui colitur à nobis infra* XVI Aprilis.

S. Jacobus Presbyter, } Martyres sub Sapore Rege Persarum. *Ex his duo priores referuntur à Græcis in Menæis & ex his à Galesinio & Ferrario. Duo posteriores in Martyrol. Basileensi. De omnibus his cum Martyrologio Romano agemus* XXII Aprilis.
S. Aza, seu Azadenes Diaconus, }
S. Aithala Presbyter, }
S. Abdieses Diaconus, }

Mutii eremitæ *memoria habetur in Ms. Florario Sanctorum, & apud Grevenum in additionibus ad Vsuardum. Forsan est, qui à Cassiano lib.* 4 *Institutionum cap.* 27, *& in Vitis Patrum lib.* 4 *cap.* 28 *laudatur: qui cum filio ad eremum veniens, ex obedientia paternum affectū superavit, & paratus fuit filium in flumen projicere, & ideo cum Abrahamo Patriarcha comparatur. De ejus veneratione nihil legimus: alius ex latrone monachus refertur* XXV Mart.

S. Æschilus Anglus, Episcopus Apostolicus apud Sueones & Gothos, & Martyr, *celebratur in Martyrologio Anglicano & Ferrario. Ab aliis etiam refertur* VI *Octobris &* IX *Iunii. Verum in antiquo Missali Septemtrionali, & in Officiis propriis regni Suecia, & à Ioanne Vastevio in Vite Aquilonia in ejus Actis, dicitur obiisse & coli* XII Iunii.

Bernardi de Monte Jovis Ordinis Canonicorum regularium revelatio *indicatur in Florario Ms. Natalis ejus est* XV Iunii.

S. Silve-

S. Silverius Papa & Confeſſor *inſcriptus eſt Mss. additionibus ad Grevenum, ſtudio Carthuſianorum Bruxellenſium. Colitur* xx Junii

Danielis Prophetæ *memoria habetur in fragmento Kalendarii Lucenſis, à Florentinio poſt Martyrologium Hieronymianum excuſo. Colitur* ix xxi Julii.

S. Claudii Martyris, ex urbe Trecenſi Tranſlatio; ad Jotrenſe monaſterium diœceſis Meldenſis; *refertur à Sauſſajo in Martyrol. Gallicano, & dies ejus natalis eſt* xxi Julii.

Joannis Presbyteri & Benigni Diaconi, diſcipulorum S. Hidulfi Archiepiſcopi Trevirenſis, Tranſlatio in Mediano monaſterio ad montem Vogeſum *refertur in Ms. Martyrologio Luxovienſi. Eorum dies natalis eſt* xxxi Julii

S. Joannis Baptiſtæ decollatio *refertur à Greveno in Auctario Vſuardi. De ea agendum erit* xxix Auguſti.

S. Theodorus, Presbyter, Martyr Antiochiæ, *memoratur in apographis Martyrologii Hieronymiani, item in Mss. Richenovienſi, Caſinenſi, Altempſiano. Ejus etiam meminit Notkerus & Ado, ſaltem in Supplemento, & pauci recentiores. Iterum ſequenti die* S. Theodorus Presbyter, Martyr Antiochiæ ſub Juliano paſſus, *refertur à Bellino, Maurolyco, & aliis recentioribus. Omiſſus eſt in Martyrologio Romano, & celebratur aliquis* S. Theodorus, Presbyter, Martyr Antiochiæ ſub Juliano, *quando de eo agi poterit* xxiii Octobris.

Malachus, Epiſcopus Leſmorienſis in Hibernia, *memoratur à Molano in additionibus ad Vſuardum primæ editionis, & à Caniſio & Ferrario eum ſecutis. Verum omiſit Molanus in ſequentibus editionibus. Deeſt etiam in Catalogo Sanctorum Hiberniæ ab Henrico Fitz-Simon edito, & in Ms. Martyrologio Tamlactenſi: ſed hoc forſan antiquius eſt. Agitur de eo in Vita S. Malachiæ* iii Novembris.

DE S. EZECHIELE PROPHETA,

IN CHALDÆA.

D. P.

X APRILIS

Beda nomen, uti aliorum Prophetarũ & Apoſtolorum ſimpliciter inſcripſit Martyrologio,

Vſuardus de morte & ſepultura ad * *didit aliqua,*

quod alii ſecuti.

haud ſatis certa.

ſolum ſcimus fuiſſe Sacerdotem

& 5 anno Tranſmigr. incipientem.

per annos 22 prophetaſſe.

C

F

Vi memoriam & nomen Ezechiel Prophetæ *hoc die notarit in Martyrologio, ante Bedam quidem invenitur nemo; id tamen abſque antiquiori veterum faſtorum exemplo ab eo factum non fuiſſe, argumento eſt ipſa qua utitur brevitas. Etenim dum conſidero, illo quod ante ſecundum tomum Martii vulgavimus opere, & Bedæ genuinum eſſe demonſtravimus, pari duorum aut trium verborum compendio, quo commemorationes notantur Prophetarum, etiam indicari omnia Chriſti Domini & Apoſtolorum ejus feſta, plurima etiam præcipuorum quorumq; Martyrum atque Confeſſorum nomina, ſimili brevitate adſcripta reperiri; omnino mihi perſuadeo, exorſurum texturam ſui Martyrologii Bedam, primum quidem Kalendatim in adverſariorum ſuorum marginibus ſingulos totius anni dies notaſſe, adſcriptis feſtis tunc univerſaliter notis atque receptis, in quibus fuerint etiam illa Prophetarum, prout ab eo notata inveniuntur: poſtea autem, ex iis, quæ nanciſci potuit, Sanctorum Actis, accepiſſe alios, quos prioribus non ſine brevi martyrii aut ſanctimoniæ elogio adjungeret; quandoque etiam jam prius inſcriptis addidiſſe elogia, ex ſimilibus Actis accepta: quod tamen in Prophetis Apoſtoliſque facere neglexerit; partim quia notiores erant fidelibus, quam ut deberent verbis prolixioribus commendari; partim quia de pleriſque eorum, præter relata in Scripturis ſacris, nihil propemodum certi habebat*

2 *Bedæ veſtigia ſecutus* Florus, *& quæ ille dimiſerat ſupplere aggreſſus, de Apoſtolis quidem ſatis liberaliter multa attexuit, communi Eccleſiæ traditioni & antiquorum Scriptorum teſtimonio ſubnixa: Prophetas autem, prout invenit, ſic dimiſit, ſola nominis inſcriptione contentus. Idem Ado atque Rabanus fecere. Notkerus* Nativitatis *aut* Natalis *nomen, cum titulo* Sancti *aut* Beati, *præfixit. Vſuardus, ne hac fere ſola parte ſuus eſſet diſſimilis ſibi ipſi ſtylus, non ſolum primi loci prærogativa Prophetas decoravit (quod & alii omnes ante ipſum fecerant, etiam cum Apoſtolos erant relaturi, uti contigit Kalendis Maji) ſed ſingulis etiam aliquid addidit de mortis genere & ſepulturæ loco. Diem ergo præſentem ſic exorditur,* iv Idus Aprilis. Ezechielis Prophetæ, qui a Juſtice populi Iſrael apud Babylonem interfectus, in ſepulcro Sem atque Arphaxad eſt ſepultus: *quæ aliquanto auctiora leguntur in hodierno Romano Martyrologio. Explicatius auctor operis imperfecti ſuper Mattheum Hom.* 46 *inducit Deum, Iſraeli exprobrantem his verbis;* Miſi Ezechielem, & tractum ſuper lapides excerebraſtis eum: *mortis vero cauſam libri de Prophetarum Vita & in-*

teritu, deque Vita & obitu Sanctorum veteris Teſtamenti, Epiphanio & Iſidoro ſuppoſiti, hanc fuiſſe dicunt, quod contribulium ſuorum impias ſuperſtitiones inſectaretur vehementius: ſed libros eos merito repudiant eruditi viri, velut qui vel eorum non ſint quorum nomina præferant, vel plurima habeant adinventa à Rabbinis & abſque congrua probatione accepta.

3 *Ergo ſi obſcura eſt tota Ezechielis* Prophetia, *perpetuis allegoriis & myſteriis inſcrutabilibus intexta; obſcurior nobis multo eſt vitæ ejus hiſtoria, niſi quatenus ſe ipſe teſtatur in principio Prophetiæ, fuiſſe* filium Buzi Sacerdotem, *ad quem,* in terra Chaldæorum *exiſtentem, eodem tempore quo Hieroſolymis prophetabat Heremias,* 1 Maii colendus, *ad confirmationem eorum quæ hic ibi denuntiaverat denuntiabatque futura,* factum eſt verbum Domini ſecus fluvium Chobar, *id eſt Euphratem; idque* in trigeſimo anno *ætatis ſuæ (ut pluriſque conſentiunt)* in quarto *die* menſis: *ipſe eſt annus* quintus tranſmigrationis Regis Joachim, *mundi poſt ter mille* CCCCXL, *ante Æræ vulgaris initium* DCXIII, *juxta Saliani noſtri calculos; quibus examinandis non vacat immorari. Aliter enim alii ſupputant; & quidem* Cornelius *eo abit, ut quintum tranſmigrationis annum cum mundi anno poſt ter mille* CCCXVI, *& anno ante æram communem* DCXXXII *componat. Synaxarium infra citandum dicit* Chriſti incarnationem præceſſiſſe annis CCCCLXXVII. *Nos Chriſtianam chronologiam primo hujus menſis tomo, qua licuit, ordinavimus ex monumentis vetuſtiſſimis & totius pene antiquitatis conſenſu: annos à condito orbe digerere, & eos ad Chriſti natalem, ſive verum ſeu vulgo æſtimatum, deducere curent alii; quando ſtudium illud & multimodis implicatum eſt, & inſtituto noſtro nequaquam neceſſarium; in quo pauca admodum de veteris Teſtamenti Sanctis dicenda occurrunt.*

4 *Expoſitus eſt omnium oculis manibuſque Prophetiarum Ezechielis liber, cujus capite* 29 *cum notetur Tranſmigrationis annus* XXVII, *apparet eum per annos quidem viginti duos, ut minimum, prophetaſſe; quantum vero temporis aut prophetiæ aut vitæ addendum ſit, in obſcuro manet: uti & mortis genus, niſi quod S. Athanaſius libro de incarnatione verbi dicat,* Paſſus eſt pro populo, quia populo ventura prædicabat. *Sepulturæ locum; licet ex apocryphis habeatur ſcriptis, credibile eſt ex vero prodi, ut cujus diu permanſerit inter Iudæos & Chriſtianos memoria venerabilis:* Agrum Maur *vocatum ajunt; apud Græcos in Synaxario* Μιθᾶε *ſcribitur. Quod autem eodem*

AUCTORE D. P.

in loco ſepulti olim fuevint Sem & Arphaxad, progenitores Abrahæ, *etſi non improbarit Romani Martyrologii recognitor* Baronius; *gratis traditum à Rabbinis, aut potius confictum arbitramur: cum de loco vitæ & ſepulturæ eorum nihil ſacræ litteræ habeant, neque credibile ſit apud Chaldeos idololatras tam diuturnam eorum ſuperfuiſſe memoriam. Cæterum & hæc & alia ſimilis farinæ plura, ex qualicumque Epiphanio accepta pleraque, prolixe congeſta reperimus in Ms. Synaxario Græco Collegii Pariſienſis ad diē* XXI *Iulii, quo die ipſum quædam alia Mss. Græca, reliqua vero cum excuſis Menæis die* XXIII *referunt. Quin & vultus Prophetici lineamenta adduntur, aque gratis excogitata. Videri poſſunt Ezechielis miracula quæ ex prætenſo Epiphanii libro, Hebraicis fabulis ſcatente, habet Surius, & quæ ex eodem libro aliiſque collegit Petrus de Natalibus lib.4 cap.41, de quibus inquit Salianus,* ſuſpicio multorum non improbabilis eſt, hæc à Rabbinis, pro ſua in hoc genere licentia ac temeritate, fuiſſe excogitata... Et vero quomodo talia ac tanta nullus Daniel, nullus Baruch, nullus Eſdras, nullus Joſephus aut Philo ſcripto prodidiſſet, aut vexatos à Chaldæis Judæos non verbo aliquo ſignificaſſet? *Quomodo autem vexari potuerunt, quibus in Chaldæa pacate patienterque viventibus multam felicitatem promiſerat Deus, uſque in tempus ſuæ reverſioni deſtinatum & deſignatum per Hieremiam Prophetam?*

an apud Sem & Arphaxad ſepultus?

D

cujus fidei quæ de eo narrantur miracula?

G. H. DE S. HOLDA PROPHETISSA,

HIEROSOLYMIS SUB IOSIA REGE.

X APRILIS

PRopter *abominandam Manaſſis impietatem, prædixerat Dominus, ſe Iudam & Ieruſalem deleturum: interim Manaſſi mortuo ſucceſſit impius filius Amon, & hoc à ſervis occiſo, regnavit ſuper Iudam filius Ioſias, qui fecit quod placitum erat coram Domino, & ambulavit per omnes vias David patris ſui, non declinavit ad dexteram ſive ad ſiniſtram. Hic templum ac Dei cultum inſtauravit, & curavit coram ſe legi librum Deuteronomii tunc in templo repertum. Qui cum audiſſet verba libri Legis Domini, ſcidit veſtimenta ſua, & mandavit ut conſuleretur Dominus ſuper ſe, & ſuper populo, & ſuper omni Iuda, quia prævidebat iram Domini ſuccenſam, quia non audierunt patres verba libri hujus, ut facerent omne quod ſcriptum eſt in eo. Quæ pluribus exponuntur lib.4 Regum cap.22. & à verſu 14 addun-tur iſta.*

B

Iuſſu Ioſiæ Regiis piiſſimi

Helcias Pontifex & alii conſuluerunt S. Holdam,

2 Ierunt itaque Helcias Sacerdos, & Ahicam, & Achabor, & Saphan, & Aſaia, ad Holdam Prophetidem, uxorem Sellum, filii Thecuæ, filii Aaras, cuſtodis veſtium, quæ habitabat in Jeruſalem in Secunda, locutique ſunt ad eam. Et illa reſpondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Dicito viro qui miſit vos ad me: Hæc dicit Dominus: Ecce ego adducam mala ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores ejus, omnia verba Legis, quæ legit Rex Juda, quia dereliquerunt me & ſacrificaverunt diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum ſuarum: & ſuccendetur indignatio mea in loco hoc & non extinguetur. Regi autem Juda, qui miſit vos ut conſuleretis Dominum, ſic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Pro eo quod audiſtis verba voluminis & perterritum eſt cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis ſermonibus contra locum iſtum & habitatores ejus, quod videlicet fierent in ſtuporem & in maledictum, & ſciditi veſtimenta tua, & fleviſti coram me, & ego audivi, ait Dominus; idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum.

Dei judicii ejus indicans:

C

3 *Hactenus verba Holdæ ſive Oldæ Prophetiſſæ: ex quibus duo didicerunt nuntii, prius eſt, Deum atrociſſima ultione idololatriam Iudaici populi vindicaturum; poſterius, ipſum miſericordia uſurum erga pium Regem, ut eo vivo iſta calamitas non contingeret, propter pium ejus in Deum zelum, & caritatem in populum ſuum. Contigit autem hæc prophetia anno* XVIII *Regis Ioſiæ, qui poteſt cenſeri ante Æram Chriſtianam annus* DCXLI. *Vixit autem Holda Hieroſolymis in ea parte, quæ dicebatur Secunda civitas, & juxta portam quæ vocabatur Secunda, & reſpondebat portæ piſcium, quæ primo adeunda erat venientibus in templum ex parte Septemtrionali; & trajiciendo cœnopolim, quam muris cinxerat Ezechias, veniebatur in portam alteram Bezethæ, propterea dictam ſecundam: uti erudite explicat Salianus ad annum mundi* 3412, *num.*12 *&* 15. *Erat autem hæc Prophetiſſa, ob ſpiritum Dei in ea habitantem, omnibus notiſſima; ad quam nutu divino, potius quam ad Ieremiam aut Sophoniam, aut alios Prophetas, nuntii Regis, Helcias Summus Sacerdos, aliique venerunt; eamque regio nomine de re tota conſuluerunt, ac reſponſum Dei nomine indicatum retulerunt.*

Vixit Hieroſolymis in Secunda.

E

4 *Græci in menæis excuſis & aliquibus manuſcriptis & apud Maximum Cytherorum Epiſcopum, venerantur S. Holdam annua memoria ad hunc* X *diem Aprilis, his verbis:* τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τῆς ἁγίας Πῳ φήτιδος Ὀλδᾶ. Eadem die ſanctæ Prophetiſſæ Oldæ. *Et in adjuncto diſtichо dicitur emiſiſſe ſpiritum præſagum futuri, utique Pythia ſanctior & divino repleta ſpiritu.*

colitur à Græcis 10 *Aprilis.*

Ἄφῆκεν Ὀλδᾶ πνεῦμα μέλλοντα βλέπων,
Ἣ πνεύματος γέμουσα θείας Πυθίας.

Cenſetur ergo inter illuſtriores feminas antiqui Teſtamenti, in quo etiam ſacro afflatæ ſpiritu fuerunt Maria *ſoror Moyſis & Aaronis, ob ſacrum Canticum celebris; Debbora Prophetiſſa, ad quam aſcendebant filii Iſraël in omne judicium; Anna mater Samuelis, quæ in ſpiritu myſticum Domino canticum compoſuit. Fuerunt etiam in novo Teſtamento, Eliſabeth mater Ioannis Baptiſtæ, quæ Spiritu ſancto repleta exclamavit ad Deiparam Virginem, Benedicta tu inter mulieres &c; Anna Prophetiſſa filia Phanuel, quæ ipſa hora ſupervenit cum Chriſtus eſſet delatus in templum ut ſiſteretur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Iſraël. Omnium vero feminarum præcipue, & ſuper omnes benedicta fuit Regina Prophetarum, Deipara Virgo Maria. Profecto Ioël Propheta, non viris ſolum, ſed etiam feminis dandum Propheticum Spiritum prædixit, nomine Dei dicens:* Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ Sed & ſuper ſervos meos & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum.

annumerata illuſtrioribus feminis utriuſque teſtamenti.

F

Ioel. 2. 28

5 *Ejuſdem memoria ſacra in Kalendario Ms. Ordinis Carmelitici, Mechliniæ adſervato, inſcripta eſt ad diem ſecundum hujus menſis Aprilis.*

relata 2 *Aprilis.*

DU

A D

DE SS. PLVRIMIS MARTYRIBVS ROMANIS,

A S. ALEXANDRO PAPA BAPTIZATIS. G. H.

ANNO CXVI

Septimus ordine Romanus Pontifex Ecclesiam rexit S. Alexander, vere Maximus: ujus Acta ex pluribus codicibus manuscriptis desumpta, illustrabimus ad diem III *Maji, plane sinceriſsima: ex quibus chronotaxim decessorum & successorum Pontificum alibi stabilimus. In iis Actis dicitur Traianus, post Martyrium S. Alexandri, eodem anno nutu Dei defunctus. Est is annus centesimus & decimus sextus: signatus Consulibus* L. *Æmilio Æliano & L. Antistite Vetere: quos referunt antiquiores omnes Catalogi Pontificum, alibi a nobis deducti. In his Actis refertur inter alia Martyrium* S. *Quirini, ante hos Martyres occisi: cujus gesta illustravimus ad diem ejus natalem* XXX *Martii. Hujus exemplo alii ad Christi fidem conversi, hoc* X *Aprilis sunt coronati eodem anno* CXVI; *quorum conversionem & Martyrium ex eisdem Actis S. Alexandri damus, & sunt ejusmodi:*

Historia conversionis & Martyrii ex Actis S. Alexandri Papæ.

B

2 Dicit Quirino Tribuno S. Alexander: Quot sunt in isto carcere clausæ personæ? At ille ait: Prope viginti ... Dixit ei S. Alexander: Si mihi vis præstare beneficium, suade omnibus, qui sunt in carcere, baptizari, ut fiant Christiani. Respondit Quirinus: Vos Christiani sancti estis: horum autem quidam effractores sunt: alii adulteri & malefici, ac diversorum criminum rei. Dicit ei S. Alexander: Pro peccatoribus Dei filius de cælo descendit ad terras, & de Virgine natus vocat omnes ad indulgentiam. Noli dubitare, fac omnes ad me venire. Tunc Quirinus dixit omnibus clara voce: Quicumque vult fieri Christianus, veniat ad me: & cum baptizatus fuerit, vadat liber quocumque voluerit. Cumque venissent omnes ad S. Alexandrum; aperuit Deus os ejus, & dixit: Filioli; audite & credite. Deus qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, qui fulgura mittit & tonat; qui mortificat & vivificat; cui serviunt sol & luna & stellæ, & serenitates & nubes & pluviæ; hic Filium suum de superno cælorum misit per vterum Virginis, ut ex homine nasceretur. Hic cœpit ad fidem suam invitare omne genus hominum: qui cum duri essent ad credendum, & nollent ei credere, hoc signum fecit, ut prandens cum eis, cum vinum in conviviis defecisset, aquam verterit in vinum. Item cogitationes hominum singulorum cœpit exprimere: item cæcorum oculos aperire, mutorum ora resolvere, claudicantibus gressum reddere, dæmonia fugare languentes & febricitantes salvare: sed & mortuos suscitare, ventis imperare, tempestates arcere, supra mare siccis pedibus ambulare. Cum hæc omnia faceret, & innumerabilis ei multitudo crederet; zelo ducti Pharisæi atque Iudæi, crucifixerunt eum. Quod eos facere non vetuit, dum posset; quia nostræ mortis auctorem studuit captivare. Quo facto, tertia die resurrexit a mortuis, & coram multis testibus ascendit in cælum, dans potestatem discipulis suis faciendi virtutes. Hic in fine seculi venturus est Iudex, ut reddat bonis bona, & malis mala. Videte ergo vos qui credidistis, & date nomina vestra, ut efficiamini Christiani.

Captivi, rei criminum,

& Iudice constituto

3 Cumque vniversi credidissent, & catechumenos eos fecisset, post simul, etiam Quirinus cum filia sua Balbina & omni domo sua, baptizati sunt: omnibusque qui simul erant in custodia baptizatis, apertus est carcer, & cœpit esse quasi ecclesia. Tunc abiit Commentariensis ad Aurelianum; dixitque ei vniversa quæ gesta sunt. Vnde iratus jussit adduci Quirinum, & dixit ei: Ego te quasi filium dilexi: tu autem irrisisti me, deceptus ab Alexandro. Dixit ei Quirinus: Ego Christianus factus sum: vis occidere? vis fustigare? vis incidere? aliud non ero. Nam omnes qui erant in carcere, feci fieri Christianos, & dimisi eos: & noluerunt usquam ire. ibique sunt omnes in carcere, dicentes: Si pro criminibus nostris mori habuimus ac perire, quanto magis pro Christi nomine debemus animas nostras offerre? Ego vero rogavi eos, vt exirent omnes qui baptizati sunt, & vestibus candidis novisque vestivi; quia & hoc exigit religio Christiana: sed ad martyrium omnes vsque nunc parati, stant ad necem suam, sicut esuriens pardus ad epulas. Iam quod tibi placet incipe facere. Tunc fecit ei linguam abscidi ... torqueri in eculeo, manus ac pedes abscidi, & sic eum decollari & projici canibus ... de hinc in carcere baptizatos cum navi vetusta in altum mare omnes deduci jubet, & illic ligatis ad colla lapidibus mergi in profundum maris.

credentes baptizantur:

nolunt à carcere aperto exire:

E

navi impositi submergun tur.

adducti ad S. Alexandrum,

catechizantur de Deo,

Christo incarnato,

& post miracula facta

C

crucifixo,

4 *Hactenus ea Acta: in quibus dicitur*, ab Imperatore Trajano evocatus Aurelianus, Comes vtriusque militiæ, de Seleucia Isauriæ ad interfectionem omnium Christianorum; *qui ab aliis* Iudex, Princeps & Imperator *etiam compellatur. Sacra memoria horum Martyrum inscripta Martyrologiis Vsuardi, Adonis, Notkeri, Bellini & quam plurimis antiquis M. S. cum aliis recentioribus, elogio ex relatis Actis desumpto; quod ita refertur in Martyrologio hodierno Romano:* Romæ natalis plurimorum sanctorum Martyrum, quos S. Alexander Papa, cum detineretur in carcere, baptizavit. Hos autem omnes Aurelianus Præfectus, navi vetustæ impositos, in altum deduci, & illic ligatis ad collum lapidibus mergi præcepit. *Retinuimus in titulo indefinitum numerum* Plurimorum, *propter Ecclesiæ reverentiam, Martyrologio isto vtentis; alias definitius ac forsitan verius, dici potuisset,* Prope viginti: *hunc enim numerum* S. *Quirinus expressit, de captivis interrogatus: quibus alios aliunde accessisse, ut dici potuerint* plurimi, *non satis fundate asseretur. Petrus de Natalibus lib.* 4 *cap.* 42 *addit motivum conversionis, quod* vidissent, qualiter S. Alexander Papa Quirini filiam sanasse: a gibbo *seu struma deformi. Est hæc S. Balbina, cujus Vitam illustravimus* XXXI *Martii. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, post datum ex Actis relatis elogium, annotat* nomina horum Martyrum prorsus ignorari; nec vbi eorum Reliquiæ asserventur, sciri contigisse.

memoria in sacris Fastis

F

A D

DE SANCTIS MARTYRIBVS AFRIS,

TERENTIO, AFRICANO, MAXIMO, POMPEIO, ZENONE, ALEXANDRO, THEODORO, ET SOCIIS XXXIII AVT XXXVI,

G. H.

SVBDECIO

Reliquiæ SS. Terentii & Africani seculo 4½ delatæ Constantinopolim.

B

Acta martyrii Græce conscripta:

Festivitas cultus apud Græcos,

C

miracula ad Reliquias.

Epitome Actorum ex Menæis.

Heodorus Lector unus est inter scriptores Græcos historiæ Ecclesiasticæ, à Ioanne Christophorsono simul editos, qui sub finē libri 2. Collectaneorum suorum indicat varias Sanctorum Reliquias, sub præcedentibus Imperatoribus constantinopolim translatas : vbi ista huc spectantia habet. Theodosius Magnus imperavit annos sedecim, in quibus vna cum eo Arcadius filius ipsius imperavit annos duodecim. Sub ipsius Magni Theodosii imperio Reliquiæ Sanctorum Martyrum Terentii & Africani, in martyrium S. Euphemiæ in Petram, decimo Kalendas Octobris, sunt depositæ : *Fuerunt Constantinopoli plures ecclesiæ S. Euphemiæ dicatæ : ex iis* S. Euphemiam, cognomento Petræam, fuisse ab Anastasio Dicoro & vxore ejus Ariadna ædificatam, *testatur Georgius Codinus, de Originibus Constantinopolitanis cap.* 100. *Videntur autem Constantinopolitani, cum sacris* Terentii *&* Africani *reliquiis, etiam accepisse Acta martyrii horum Sanctorum eorumque sociorum : atque esse illa, aut saltem illorum illustre compendium, arbitramur, quæ* Petrus Franciscus Zinus *ex bibliotheca Dominii Venetorum desumpta Latine reddidit, & Aloysius Lipomanus tomo* VII *Vitarum Sanctorum Patrum vulgavit, & ex eo Surius: quæ itidem hic damus more nostro illustrata; magis illustranda & nova forsitan Latinitate donanda, si ipsum contextum Græcum nanciscamur aliquando, quod nullis hactenus officiis aut precibus potuimus impetrare, nescio qua Bibliothecariorum iniquitate constanter per annos quatuordecim adversante.*

2 *Græci in omnibus suis ritualibus libris, Menæis excusis & manuscriptis, magnificas odas & hymnos recitant hac decima Aprilis, in laudem horum Martyrum : in quibus* Terentius *eminet, &* Magnus *sæpius &* Pius in Deum *compellatur: uti* Africanus divinissimus, Maximus gloria effulgens, Pompeius & Theodorus inclyti : *additur, qui in Actis deest,* divinus Macarius ; *sed in elogio mox proferendo* Macarius *seu* Beatus *appellatur* Zeno *Adduntur etiam in Odis* concertantes Martyres triginta tres, *& sic cum Menologio Basilii Imperatoris essent universim quadraginta. Interim in Actis sunt* sex & triginta. *Pro odis hic acrostichis versus præponitur.*

Πληθύς με σῶζε καλλινίκων Μαρτύρων. Ἰωσήφ.
Victrix caterva Martyrum nos adjuva. Ioseph.

Est hic S. Iosephus Hymnographus, frater S. Theodori Studitæ, qui Martyrum in maximis tormentis generosam constantiam laudat, & simul miraculorum, quæ ad eorum Reliquias fiebant, meminit ; vbi inter alia tradit ista : Loculus reliquiarum effundit ægris medicinam, & malas expurgat affectiones : abluit squallorem, etiam animarum, & abigit demergitque catervas dæmonum, & omnium piorum corda irrigat gratia. *Hæc ibi, ad secundum ἰῶτα vocis καλλινίκων : & similia sæpius repetuntur. Quia vero aliqua circa tormenta inflicta paullo enucleatius explicantur in elogio, inter Odas inserto ipsis Menæis, uti etiam in MS. Synaxario Parisiensi Collegii Claromontani & apud Maximum Episcopum Cytherorum ; illud una hic exhibemus, & est ejusmodi.*

3 Die decima ejusdem mensis Aprilis, Certamen sanctorum Martyrum, Terentii, Africani, Maximi, Pompeii & reliquorum triginta sex : item B. Zenonis, Alexandri & Theodori. Imperante Decio, Præside Fortunatiano, floruerunt hi ex Africa oriundi. Cum edicto vbique promulgato de Christo ejurando & fide neganda, ii qui secus facerent, omni genere suppliciorum essent torquendi ; tunc hi quadraginta Martyres, multos retro sublapsos sponte ad pristinam Paganorum impietatem, errorem, & vomitum reverti videntes, inter se conjurarunt, Christi se fidei & religioni constanter immorituros, corpusque & animam pro Christo generose exposituros, fortiterque facturos ; seseque mutuo Christi verbis confirmabant, quibus credentes, ad martyrium fortiter subeundum, adhortatus est dicens: Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Producti ergo ad Fortunatianum, de Christi virtute & potentia deque sculptis idolis & Deorum quos Pagani colerent imbecillitate egregie disputarunt, quos Præses in custodiam dari præcepit. Beatum vero Zenonem Alexandrum & Theodorum citatos, jam ante quoque quæstionibus exagitatos, monuit, ut deserta Christi fide ad cultum idolorum accederent. Sed illi, cum constantissime in iis quæ dixerant & quæ passi fuerant, perseverarent ; spinosis & asperis virgis nervisque bubulis, succedentibus sibi invicem lictoribus, tam atrociter cæsi sunt, ut intestina apparerent. Deinde acubus igne candentibus per tergum adactis, etiam aceto sale mixto perfusi sunt, panniscque cilicinis perfricti. Desperans ergo Præses posse illos à sua fide averti, cum precibus etiam idola in terram dejecissent, præcepit illos capite mulctari. Ducti ergo Terentius & socii, cum perinde, ut ante, pro libertate sua Christianā religionē tuerentur, reducti sunt in carcerē, & à collo manicis & pedicis implexi, cateniscque constricti, in tribulos & murices ferreos abjecti sunt, & multis diebus inedia macerati ; quod custodibus carceris præceptum esset, ne quidquam cibi à quoquam inferri paterentur. Sed ne quidem in istis summis angustiis deserti sunt à Deō ; sed ab Angelis cibo recreati, & vinculis omnibus fuerunt exsoluti. Ad Præsidem rursus adducti, salvi, integri & plane illæsi : à quo rursus lacerati & feris objecti, evaserunt illæsi, nulla bestia Sanctos ausa contingere. Tunc Præses in desperationem conjectus, jussit omnibus cervices resecari. *Hæc ibi, quæ plurimum contracta leguntur in Anthologio Græcorum, & Menologio Basilii Imperatoris.*

E

F

An aliqui colantur 5 Aprilis.

4 *Idem Græci, in MS. Synaxario Parisiensi Collegii Claromontani, & Taurinensi Ducis Sabaudiæ, ista habent ad diem* V *Aprilis :* Item certamen sanctorum martyrum Terentii, Pompeii, maximi, Zenonis : *& sunt in Menæis Græcis in tres titulos distincti, vbi primo loco refertur* Pompejus, ex cujus cervice dissecta lac effluxit. *Dein collocatur* Zeno, *traditurque* pice illitus, & in ignem conjectus, & hasta in medio rogo vulneratus, martyrium consummasse. *Vltimo habentur* Maximus & Terentius, *& dicuntur* participes ejusdem è vita exitus & gloriæ, per capitis sectionem. *Quæ autem de his duobus vltimi dicuntur, possunt plane Sanctis hisce applicari. Quæ vero de Zenone dicuntur, sunt diversa ab his, quæ hic memorantur, ut is potius possit censeri alius. De lacte etiā ex cervice S. Pompeii effluente nihil in hisce Actis habetur, ut vel ideo dubitaverimus, num ad hosce martyres sit transmittendus.*

5 *Græcos*

A

Memoria in Faſtis Latinis.

5 *Græcos ſecuti Latini, etiam ad hunc* x *diem, hoſce Sanctos Martyres celebrant. Molanus exprimit* Terentium, Pompejum & ſocios, *inter iſtos duos in Martyrologio Romano interponitur* Africanus. *At Galeſinius recenſet* Terentium, Africanum, Maximum, Pompejum & ſocios triginta, *additque, cum Martyrologio Romano & Aſiis Græcis, eos* ſub decio Imperatore & Fortunatiano Præfecto *ſeu* Præſide fuiſſe coronatos. *Palæſtra martyrii nuſquam exprimitur, ſolumque dicuntur* ex Africa oriundi. *Forſan alibi* ſub Imperio Orientali *paſſi viderentur, ut vel ideo facilius potuerint ſacræ Reliquiæ conſtantinopolim transferri; niſi* ſub Præſide Africæ *occiſos fuiſſe indicaret Menologium Baſilii Imperatoris. Eorum anteſignanus Terentius ſolus indicatur hodie in Tabulis Kalendarii Moſcovitici, & in Kalendario Ruthenico apud Poſſevinum in Apparatu.*

brachium alicujus S. Terentii Bononiæ.

6 *Maſinus in Bononia perluſtrata tradit ad* x *diem Aprilis,* brachium S. Terentii Martyris aſſervari in eccleſia S Mariæ Servitarum, obtentum à Marcio Ginetto Cardinale & Alexandri VII Papæ Vicario, idque conſtare ex Actis ab Antonio Franciſco Maria Sinio Notario Romæ IX Ianuarii anno MDCIXII; & Bononiæ, poſt recognitionem D. Antonii Ridolphi Vicarii Generalis Archiepiſcopatus, à Carolo Vanotti XXV Ianuarii ejuſdem anni confectis. *Verum non inde conſtat reliquias eſſe Terentii Martyris Afri, ſub Theodoſio magno olim Conſtantinopolim tranſlatas, & non alterius potius Terentii Romæ coronati: cujus memoriam ſacram etiam ad hunc diem voluerunt Servitæ celebrare; ex conſuetudine plurium, cum Reliquias Romæ accipiunt ad Romanum Martyrologium recurrentium: quæ conſuetudo utinam tam facile poſſet aboleri, quam facile poſſunt indicari incommoda quotidiana & gravia, exinde provenientia.*

B

ACTA MARTYRII

Ex antiquo MS. Græco Veneto edita

Interprete Petro Franciſco Zino.

Ob edictum Decii

1 DEcius Romanorum Imperator, idolorum ſtudio cupiens omnes in exitii barathrum pertrahere (erat enim filius diaboli) in vniverſas Imperio ſubjectas provincias edictum miſit, ut omnes Chriſtiani ad immolandum & comedendum ea, quæ idolis eſſent immolata, pertraherentur; quod ſi qui recuſarent, in judicium vocati plecterentur. Decretum hoc cum in Africam ad Præfectum Fortunatianum eſſet perlatum, ipſe ſedens in tribunali, populum convocavit, & ſic eſt allocutus: Diis immolate, alioqui ſuppliciis afficiemini: &, his dictis, tormenta in medium proferri juſſit. Quibus conſpectis, multi perterriti Præfecto obtemperarunt, & à Chriſti religione defecerunt. Quidam tamen ex ipſis, numero quadraginta, in Chriſti fide fortiter mori decreverant, ſeque mutuo ita cohortabantur: Videte, fratres, ne Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum abnegemus, ne ipſe quoque abneget nos. Mementote Dominum olim dixiſſe: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere. Timete potius eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam.

C

variis à fide deficientibus

quadraginta tamen conſtantes.

Matt. 10, 28

coram Præſide fidem profitentur:

2 Fortunatianus ad hos: Video, inquit, vos viros, & ætate perfectos & ſapientia præditos: quamobrem miror, cur vos ejuſmodi dementiæ tradideritis, ut vnum Deum & Regem d caris, quem Iudæi, ut hominem ſceleratum, crucifixerunt. Reſpondit omnium nomine ſanctus Martyr Terentius: Si noſſes, Præfecte, Crucifixi virtutem, relictis idolorum erroribus, ipſum coleres & adorares. Eſt enim filius Dei, benignus, dives, clemens & miſericors; qui Patris nutu & voluntate in terram deſcendit, divinitatem que ſuam humanæ naturæ conjunxit, & pro ſalute noſtra Crucem ſubire voluit. Fortunatianus, his auditis, dixit ad eos: Immolate: alioqui membra veſtra comburens, celebo vos. Putas, inquit Terentius, nos errore commotos ſententiam mutaturos? Non adeo ſumus ignavi, ut, relicto vitæ largitore, deos alienos adoremus. Fac igitur celeriter, quod tibi lubet adverſum nos, quoniam ſtrenui & conſtantes Chriſti cultores ſumus. Indignatus Præfectus, juſſit eos, veſtimentis detractis, in idolorum templum trahi: idola autem auro argentoque & pretioſis erant veſtibus exornata. Ingreſſus Fortunatianus, dixit eis: Magno deo Herculi ſacrificante: gloriam enim & poteſtatem ejus conſpicitis. Erras, inquit Terentius, & ignoras id quod tibi utile eſt. Dei enim iſti tui, lapides ſunt & ligna, & æs & ferrum: ornati autem ſunt auro, ut homines decipiant & abducant ab æterna vita. Nam ipſi quidem non vident, nec loquuntur, nec audiunt, nec ambulant: quippe qui ab hominibus ſculpti conflatique ſunt, & in hominum ſpeciem conformati, ut ad hanc implam cogitationem eos qui ſibi parent convertant: ſimiles enim eorum ſunt qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Dicite, quæſo, iſti quos deos aſſeritis, poſſunt ne ſibiipſis opitulari, & eos à quibus lædunt ulciſci? Quod ſi ipſi ſibi auxilio eſſe non poſſunt, quomodo nobis opitulabuntur?

ducti in templum ire cuent falſos deos:

D

E

quatuor in carcerem inclusis,

* *al.* triginta tres.

3 Hæc audiens Præfectus, juſſit Terentium, & Africanum, & Maximum, & Pompejum in carcerem interiorem detrudi, & omni diligentia cuſtodiri: Cras inquiens, audiam illos. Beatum autem Zenonem, & Alexandrum, & Theodorum cum reliquis ſociis, qui erant omnes numero triginta ſex, ad tribunal adductos ſic alloquitur: Cum ex priori veſtra contentione nihil vtilitatis perceperitis, parete mihi & magno deo Herculi immolate. At illi: Sæpius jam, inquiunt diximus, nos eſſe Chriſtianos, id quod ex ſuperioribus quæſtionibus intelligere potuiſti: nec tu nobis unquam perſuadebis, ut idola impura colamus & adoremus: facile enim poſſumus, quidquid in hanc ſententiam dixeris, confutare. Non vultis, inquit Præfectus, cohortationes meas audire? Atqui invictorum Imperatorum juſſa facere cogemini. Et juſſit eos aſperis virgis & nervis vapulare. At illi, ſublatis in cælum manibus, vna omnes & clara voce dixerunt: Aſpice, Domine, & adjuva ſervos tuos, & libera nos ab adverſario. Quibus auditis, magis adhuc eos virgis cædi imperavit, donec multi ſatellites vnus poſt alium eos verberando defeſſi ſunt, & lora ac virgæ defecerunt. Rurſum autem juſſit eos fuſtibus cædi: verum licet omnia ipſorum viſcera contererentur, adeo tamen hilares ac læti erant fortium Martyrum vultus, ut omnes Sanctorum patientiam atque conſtantiam admirarentur.

reliquiis fruſtra oppugnatur:

F

acriter flagellati & fuſtibus caſi gaudent:

adurentur

4 Poſtquam igitur cæſi fuerunt, dixit ad eos Præfectus: Immolate & liberabo vos. Sancti autem tacebant. Sed Præfectus iratus pyras incendi juſſit, & terga eorum aduri, cum ea prius aceto & ſale conſperſa eſſent. Tunc ſancti Dei Martyres ſuſpicientes in cælum, dixerunt: Domine Deus noſter, qui tres pueros, Ananiam, Azariam & Miſaëlem de camino ignis liberaſti, nec eos lædi permiſiſti; qui Danielem ex ore leonum eripuiſti, & de manu Pharaonis Moſem ſervaſti; & ſanctam Theclam ab igne & theatro & feris ac beſtiis marinis defendiſti; qui amicis tuis perfectum regnum largitus es; qui filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum à mortuis excitaſti; qui multa variaque dona nobis dediſti; qui lucem procreaſti, & cæ um ſicut pellem extendiſti; qui ſtellas dinumeras, & ſuis eas nominibus vocas; qui in fines terræ miſiſti veritatem; exaudi

nos

A nos ſupplices, & ex calamitatibus libera : quoniam tua eſt gloria in ſæcula ſeculorum, Amen. Cum precandi finem feciſſent, Præfectus ira deſæviens, juſſit eos ſuſpenſos dilacerari. Quod quidem dum fieret, ſanguinis rivi ex eorum corporibus defluebant : neque tamen cruciatuum acerbitate commovebantur : Deus enim confirmabat eos, & robur ac fortitudinem ſubminiſtrabat. Præfectus autem ad eos : Perſuaſeruntne vobis tormenta, ut ab inſania recedatis ? an adhuc in impietate veſtra permanetis ? Illi nihil reſponderunt. Ad vos, inquit rurſum Præfectus, hæc loquor. At ſancti Dei Martyres ſuſpicientes in cælum, ita locuti ſunt : Deus omnipotens, qui Sodomorum vrbem propter ipſorum nequitiam igne ſuccendiſti, & in ſolitudinem redegiſti, hoc etiam impiorum domicilium nunc propter juſtitiam tuam everte. Cumque Chriſti ſignum frontibus ſuis impreſſiſſent, inſufflarunt adverſus idola, & ſtatim confracta in pulverem redegerunt. Tunc ſancti Martyres ad Præfectum, Cernis, inquiunt, deos tuos ? Vbi eſt robur ipſorum ? potueruntne ſibiipſis opitulari ? Haud multo poſt autem & templum corruit. Cujus everſione indignatus Præfectus, juſſit ut ſancti Martyres capite plecterentur.

dire dilacerantur.

ſigno Crucis idola confringunt, templa deficiunt, deollantur.

B Qua illi ſententia læti, collaudabant Deum : & gaudentes ad locum præfinitum pervenerunt, & genibus flexis oblatisque cervicibus, confeſtim interfecti ſunt. Acceſſerunt autem viri religioſi, & ſublata eorum corpora in loco ſacro condiderunt.

Alii à carcere educti manent conſtantes.

5 Tum beatum Terentium, & Africanum, & Maximum, & Pompejum adduci jubet, & dicit ad eos : Diis immolate, alioqui male eſtis perituri : & nemo poterit eripere vos è manibus noſtris. Chriſtiani ſumus, ut ſæpiſſime jam diximus, reſponderunt Martyres, & in Chriſto ſpes poſitas & collocatas habemus. Dæmones non adoramus, neque deos tuos colimus, & tormenta tua negligimus. Proinde quosvis adhibe cruciatus. Deo enim adjuvante, te à nobis victum iri confidimus, quemadmodum & diabolus ſuperatus eſt à Chriſto, qui nos ad cupiditates tuas vincendas corroborat. His auditis, juſſit eos in cuſtodiam abduci, & catenis eorum colla, & manus pedesque compedibus vinciri. Eos igitur miniſtri, ut juſſi fuerant, in carcerem conjecerunt. Imperavit præterea, ut tribulos ferreos in terram projicerent, quibus configerentur ; & nemini Chriſtianorum ad eos accedere permitterent, ne cibum afferrent. Verum circa mediam noctem lux fulſit in carcere, & Angelus Dei ſtetit in conſpectu ipſorum, & dixit ad eos : Terenti, & Africane, & Pompei, & Maxime, ſervi Dei altiſſimi, conſurgite, & corpora veſtra curate. Et accedens Angelus, tetigit catenas eorum, & ceciderunt : & ecce menſa coram ipſis bene inſtructa. Et dixit ad illos Angelus : Quieſcite, & cibum capite, quem vobis Chriſtus miſit. Sancti autem, Chriſto collaudato, comederunt. At cuſtodes, D ſplendore perſpecto, ingreſſi ſunt, ut viderent, quid illud eſſet : invenerunt eos gaudentes & Præfecto rem nuntiarunt. Qui poſtridie eos ad tribunal adduci juſſit : &, Nondum, inquit, ſuppliciis edocti eſtis, ut ab amentia veſtra diſcedatis, & diis immoletis ? Reſpondit Terentius : Stultitia hæc nobis erit & omnibus qui diligunt Deum. Quod enim ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus : nam hominum ſapientia, apud Deum ſtultitia eſt. Stulti & amentes eſſemus, ſi, relicto Deo, dæmones, quemadmodum tu facis, adoraremus. Quibus verbis Præfectus iratus, juſſit eos vngulis lacerari. Dum autem id fieret, illi precabantur Deum, dicentes : Jeſu Chriſte, fili Dei viventis in ſecula, lumen Chriſtianorum, ſpes noſtra certiſſima, præſto ſis nobis, & fer auxilium, & ne confundas nos propter ſanctum nomen tuum. Chriſti igitur ope ſublevati, cruciatus non ſentiebant.

vngulis lacerantur.

arctius vincti & incluſi.

C

6 Itaque juſſit eos Præfectus in carcerem retrudi. *non læduntur à feris & ſerpentibus :* Et convocatis omnibus ferarum incantatoribus, imperavit, ut ſævas omnes feras & crudeles, quas haberent, aſpides & viperas afferrent, & cum ipſis includerent. Quæ quidem feræ ad pedes eorum accedentes, eos nihil omnino lædebant : Sancti vero conſidentes, pſallebant, & Deum collaudabant. E Cumque tribus diebus & tribus noctibus cum ſanctis incluſæ manſiſſent, quarto die ſub noctem miſit Præfectus, qui viderent, vtrum à feris conſumpti eſſent. Sed qui miſſi fuerant, ad carceris fores appropinquantes, audiebant eos pſallentes & collaudantes Deum. Cumque diligentius vellent intueri quid ageretur, carceris tectum conſcendentes, Sanctos viderunt, qui confidebant, & Angelum Dei ſtantem ante faciem ferarum, & ne ad eos appropinquarent, prohibentem : & Præfecto celeriter, quæ viderant, nuntiarunt. Summo igitur mane ſedit in tribunali, & juſſit, ut incantatores feras ſuas ſumerent, & ſancti ad tribunal adducerentur. Incantatores igitur cum ad carceris oſtium incantationibus ſuis feras advocarent, illæ non audiebant : ſed cum oſtium carceris apertum ab illis eſſet, vno omnes impetu egredientes, quoſcumque nactæ ſunt homines, occiderunt, & in ſolitudinem profectæ ſunt. Tunc cuſtodes ad Præfectum Sanctos adduxerunt : qui cum eos nulla in parte læſos adſpiceret, furore concitatus, eos capite damnavit. F Sancti autem egreſſi ſunt læti, canenteſque dicebant : Liberaſti nos, Domine, ab iis qui nos affligebant, & qui oderant nos confudiſti. Miniſtri vero, eductis gladiis, fecerunt imperata. Atque ita Sancti in Chriſti confeſſione, martyrii palmam acceperunt. Eorum autem corpora recte componentes viri religioſi, in loco, qui duobus paſſuum millibus ab vrbe diſtabat, ſepelierunt, ad gloriam Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

plectuntur capite.

DE SANCTIS MARTYRIBVS ALEXANDRINIS

APOLLONIO PRESB. GRANO, HILARIO,

G. H.

DONATO, CONCESSO, SATVRNINO,

x APR. *Vici illuſtri Alexandrinorum Martyrum turmæ Anteſignanus præponitur* S. Apollonius Presbyter *& ſolus memoratur à Notkero, atque in Martyrologiis MSS. Caſinenſi, Altempſiano, S. Cyriaci & aliis. In Kalendario antiqui Miſſalis & Breviarii Mediolanenſis ſit memoria* S. Apollonii Presbyteri & ſociorum Martyrum. *Vſuardus iſta habet :* Alexandriæ S. Apollonii, Presbyteri & Martyris, & aliorum quinque. *Vſuardo conſentiunt plurima eaque antiqua MSS. Grevenus in Auctario Vſuardi addit præterea* Saturninum & Granum : *ſed hic* Grainus *dicitur in MS. Aquiſgranenſi. In Barberino codice & S. Maximini adduntur* Saturninus, & Conceſſus, *quibus in MS. Pragenſi jungitur* Gajanus. Saturninus *ſolus collocatur*

Memoria in antiquis Faſtis.

& nomina ſingulorum

A *collocatur in Atrebatenſi & Tornacenſi Mſs. In pervetuſto Martyrologio S. Hieronymi iſta leguntur*: In Alexandria Apollonii Presbyteri, Grani, Hilarii, Donati, Conceſſi, Saturnini, Gaiani. *Ita apographum Lucenſe. Sed ultimus deeſt in pervetuſto codice Epternacenſi, & loco illius in apographo Corbeienſi Pariſiis excuſo legitur* Saturus, *&* Gajanus *loco* Grani *eſt poſitus. In Ms. Pariſienſi à Labbæo communicato habentur* Martyres Alexandrini, Apolonius, Granius, Saturninus, Hilarius, Donatus: *qui iidem etiam habentur in Ms. Auguſtano* S. *Vdalrici. In Ms. Tamlachtenſi exprimuntur nomina* Apollonii, Hilarii, Saturnini, Donatæ, Conceſſæ, *quomodo etiam ultima duo nomina ſcribuntur in Ms. Epternacenſi: ſed in aliis omnibus* Donati & Conceſſi: *poſt quos in codice Blumiano habetur* cum ceteris Sanctis. *Et hæc ſunt quæ de hiſce Martyribus in antiquioribus Faſtis notantur.* Gaianum *ſejungimus, de eo ſequenti titulo acturi.* Saturnus *omittitur, ut ſupernumerarius, & forte ex nomine* Saturnini *non recte alicubi ſcripto geminatus.*

an Apollonio dandus ſocius Philemonis

B 2 *Maurolycus hoc elogium hiſce Martyribus annectit*: Alexandriæ S. Apollonii Presbyteri, & aliorum quinque. Hic cum monachus ſanctiſſime vixiſſet, in vinculis poſitus, Philemonem cuſtodem ſuum convertit: cum quo igni traditus, manſit illæſus: unde Judex & complures converſi ſunt: quos Alexandriæ Præfectus in mare juſſit mergi, corpora vero ad littus ejecta, digno ſunt honore tumulata. *Similia habent Felicius, Galeſinius, Caniſius, & Martyrologium Coloniæ & Lubecæ anno* MCCCCXC *excuſum. In Martyrologio Romano hodierno hoc elogium recitatur*: Alexandriæ ſanctorum Martyrum Apollonii Presbyteri, & aliorum quinque: qui in perſecutione Maximini in mare demerſi ſunt. *Baronius in Notiis allegat* Uſuardum, *qui priorem ſolum partem habet, &* Petrum de Natalibus in Catalogo lib. 4 cap. 43. AUCTORE G. H.

Additur in iiſdem Notis eorum res geſtas haberi in Vitis Patrum, *ſcilicet apud Palladium cap. 66 & 67, & Ruffinum cap. 19, quod Caput citat Baronius, tam hoc loco quam die* VIII *Martii ubi agit de* SS. Apollonio & Philemone, & Ariano Præſide, Theotico & ſociis, *quorum ultimus in mare ſubmerſos tradit. Accuratæ horum Acta illuſtravimus ad dictum diem* VIII *Martii: ſed ea non ſatis quadrant cum iis quæ in Vitis Patrum recitantur, multoque minus cum antiquis Martyrologiis jam à nobis recitatis. Petrus de Natalibus loco citato certamen Apollonii & ſociorum ex Vitis Patrum contraxit: ſed fortaſſe ut ſe Vſuardo accommodaret,* Apollonium Presbyterum *dixit, cum in Vitis Patrum* Diaconus *dicatur his verbis apud Ruffinum*: Tradebant ſeniores fuiſſe quemdam perſecutionis tempore monachum, nomine Apollonium, qui cum vitam magnificam egiſſet inter fratres, etiam Diaconus ordinatus eſt. Tempore ergo perſecutionis .... comprehenſus, manſuetudine ſua Philemonem convertit. *Hic* Philemon *in Actis ad* VIII *Martii & Vitis Patrum dicitur* Choraula publicus *ſeu* famoſiſſimus *&* Apollonius Diaconus, *ut videatur* traditio ſeniorum, *à Ruffino citata, non fuiſſe tam accurata, quin in multis circumſtantiis aberraret. Diverſiſſimi ſane nobis videntur* Apollonius Diaconus *cum Philemone paſſus* Antinoi VIII *Martii, quem deinde ipſorum Iudex Arianus cum quatuor Protectoribus vertente anno* XVI *ejuſdem menſis, vel intra eumdem annum* XIV *Decembris ſecutus ad Martyrium eſt, &* Apollonius Presbyter *ab Vſuardo cum aliis quinque attributus* Alexandriæ, *& alia forſan perſecutione aut ſaltem anno ad certamen progreſſus.* E

an ambo relati in Vitis Patrum?

DE SANCTO GAIANO,

MARTYRE IN THRACIA AVT DACIA.

G. H.

X APRILIS

S. Gaianus paſſus in Thracia,

C

Martyrologii Hieronymiani antiquius apographum, quo fuimus hactenus uſi, relatis Martyribus Alexandrinis jam à nobis indicatis, iſta habet ſubjuncta: In Thracia Gaiani *Apographum Corbejenſe Pariſiis excuſum*: In Thracia natalis Gaiani. *Eadem habentur in codice* S. *Maximini & Barberino, ex quo aliiſque genuinum Martyrologium Bedæ excudimus ante tomum* II *Martii. Notkerus etiam iſta habet*: In Thracia nativitas S. Gaiani. *Sequitur Grevenus in Auctario Vſuardi. Et hic ille eſt, qui in Lucenſi apographo adjunctus eſt ultimo loco Martyribus Alexandrinis, omiſſo ſcilicet loco* Thraciæ.

aut Dacia,

2 *Aliqua difficultas exoritur, an hic* Gaianus *fuerit* Diaconus, *& forſan* in Dacia *martyrio coronatus. Ms. Rhinovienſe in Helvetia iſta habet hoc die*: Alexandriæ Apollonii Presbyteri, & in Tacia Repenſi, Gaiani Diaconi. *Hæc in Ms. Richenovienſi ſive Augiæ-divitis prope Conſtantiam ita exprimuntur*: Alexandriæ Apollonii Presbyteri. Et in Datia Ripenſi Gaiani Diaconi, Helari. *Eſt hic* Hilarius *è ſociis* S. Apollonii. *In Notitia dignitatum Imperii Romani,* Provinciæ Daciæ *ſtatuuntur quinque, & ex his* Dacia mediterranea, *&* Dacia Ripenſis *primo loco recenſentur. Ms. Tamlactenſe in Hibernia ſic incipit*: Apollonii, Repenſi, Diaconi, Hilarii, *& ſub finem* Gagiani. *Quæ videntur accipienda de* Gaiano Diacono in Dacia Ripenſi. *Hic jam quæritur an duo fuit ſtatuendi* Gaiani Martyres, *quorum alter in Thracia, alter in Dacia ſit occiſus: uti ſit in primo apographo Hieronymiani Martyrologii, in quo ſub finem iſta leguntur*: In Dacia Gaviani Diaconi: *& de alio iſta diximus haberi*: In Thracia Gaiani F

niſi ſint diverſi.

3 *Quia tamen in hoc unico videmus bis unum idemque nomen repeti, quod adhuc ſubinde notavimus contigiſſe, hac præmonitione facta, unicum ſolum ponimus* Gaianum, *ſive is paſſus fuerit* in Thracia, *ſive* in Dacia. *Aliquibus* Gaianus Martyr *proximo die ex Martyrologio Ms. Caſinenſi profertur, ſed nunc ſit ille in Thracia aut Dacia paſſus, neſcitur.*

G. H.

DE SANCTIS XVII MARTYRIBVS AFRIS.

X APRILIS

TErtio loco proponuntur hi Martyres in pervetuſto apographo Epternacenſi Martyrologii Hieronymiani his verbis: In Africa XVII Martyrum: *In apographo Lucenſi & Corbeienſi additur*: quorum nomina Deus, *ſeu* Dominus, ſcit. *Eadem phraſi utitur Notkerus, ſed ſolum* ſedecim Martyres *habet: qui in Ms. Pragenſi cenſentur octodecim: in Mss. Vltrajectino Eccleſiæ collegiatæ S. Mariæ, & Trevirenſi S. Martini, nec non apud Grevenum in Auctario, leguntur etiam* ſeptemdecim. *In Ms. Reginæ Suecie, ab Holſtenio plurimi æſtimato, dicuntur* Martyres XL, quorum nomina Deus ſcit. *Nec poſſunt hæc referri ad Terentium, Pompeium, alioſque, de quibus ſupra egimus: quia multorum ex illis nomina diſtincte exprimuntur.*

DE SANCTIS MARTYRIBVS,

G. H.

PINNADO SEV PINNATO, SVCCESSO ET MARCELLO.

X APRILIS

B

VCenſe & Corbeienſe Martyrologii S. Hieronymi Aprographa, *poſt relatos* Martyres XVII in Africa *paſſos, addunt iſta*: Et alibi Pinnati, Succeſſi, Marcelli. *Mss. Leodienſe*, S. *Laurentii ſub nomine Adonis, & Florarium*, S. Theodoro Prebytero Antiochiæ *paſſo, de quo mox agemus, addunt* Succeſſum & Marcellum: *qui duo* Antiochiæ *tribuuntur in Ms. Colonienſi S. Mariæ ad Gradus. Aſt iidem duo* in Africa *dicuntur paſſi in Martyrologiis Atrebatenſi & Tornacenſi; &, loco non indicato, referuntur in Ms. Latienſi & Pragenſi: ſed ultimus in hoc* Marcellinus *ſcribitur. In codice Epternacenſi Martyrologii Hieronymiani omnes tres habentur, & ita exprimuntur*: Et alibi Pinnadi, Succeſſæ, Marcellæ. *Eodem fere modo indicantur in Ms. Tamlachtenſi nomina* Pinnadi *& iterum* Pinnadii, Succeſſæ, Marcellæ. *Verum ſicuti in pluribus codicibus reperimus ſcribi* Succeſſi *&* Marcelli, *ita eorum nomina propoſuimus.* E

DE SANCTIS MARTYRIBVS,

G. H.

VIARIO, DONATO, CYPRIANO, LICINIO ET PVBLIO.

X APRILIS

C

INter illuſtriora monumenta, *quæ in celeberrimo totius Ordinis Benedictini Archimonaſterio Caſinenſi reperimus, fuit* vetuſtiſſimum *aliquod Martyrologium, antiquo charactere Longobardico exaratum, in quo ad hunc diem iſta ſolum leguntur*: IV Idus Aprilis Natalis ſanctorum Martyrum Viarii, Donati, Cypriani, Licinii & S. Publii. *Nomen* Viarii, *qui horum Martyrum Anteſignanus eſt, hactenus in nullis Martyrologiis invenimus ſignatum.* Licinii Martyris Novocomenſis *memoria eſt* VII *Auguſti, cui quinque alii ſocii junguntur. Dedimus ex hoc eodem Caſinenſi Martyrologio* IV *Martii* Lucinium Epiſcopum Martyrem, *cum* Ariſtione *itidem* Epiſcopo & Martyre, *ſed plane cenſemus ab hoc diverſum. Dedimus ex eodem Ms. Caſinenſi* S. Cyprianum Martyrem in Africa *ad diem* VII *Martii, alium* Martyrem Cyprianum Corinthi, *cum variis, ſed aliis ſociis, celebravimus* X *Martii. Iterum hoc menſe* XII *&* XV *die* Martyres *ſunt* Cypriani, *ſed aliis juncti ſociis: & idem fiet aliis menſibus.* Donati *nomen pluribus Martyribus inditum: ex his fuerunt tres & viginti tribus præcedentibus menſibus. Alius hoc die inter Martyres Alexandrinos eſt, & plures aliis diebus recenſentur. Aliquot etiam variis diebus occurrunt* Martyres, Publii *appellati. De eodem etiam* Sancto *hoc* Publio *poteſt dubium moveri, an ſit aliis annumerandus, quod dicatur ſub finem*, Et S. Publii, *ſed forſan* Sancti *titulus oſcitanter eſt adjunctus. Quidquid ſit, ſuggerimus aliis, qui ſi poſſint lucem majorem adferre, libenter videbimus honorem Sanctorum augeri,* F

DE SANCTO PALLADIO,

G. H.

EPISCOPO AVTISSIODORENSI IN GALLIA.

CIRCA AN. DCLXI.

GAllia antiqua ad Icaunam fluvium urbs Epiſcopalis Autiſſiodorum, Ducatui Burgundiæ inſerta, & Vaſtinio ſeu Gaſtinenſi regioni vicina, hoc die celebrat feſtum S. Palladii, olim ſui Epiſcopi: uti nobis teſtantur antiqua Eccleſiæ Autiſſiodorenſis Breviaria, quæ varia habemus. Sed in his præſcribitur totum Officium, à primis Veſperis uſque ad ſecundas, recitandum eſſe de Communi Confeſſoris Pontificis. Acta aliqua hujus Epiſcopi continentur in Hiſtoria Epiſcoporum Autiſſiodorenſium, opera ac ſtudio Philippi Labbe tomo primo Novæ bibliothecæ Manuſcriptorum librorum in lucem prolata. In ea cap 20 eduntur Acta S Deſiderii deceſſoris, illuſtranda ad diem XXVII Octobris: ubi dicitur S. Deſiderius monaſterio & baſilicæ S. Germani, *Cultus in antiquis Breviariis.*

A

à S. Deſiderio varia bona acquirit Abbas,

& baſilicæ S. Germani, per manus Palladii tunc Presbyteri, & baſilicæ Domini Germani Abbatis, poſtmodum vero ſui in Epiſcopatu ſucceſſoris, dediſſe Orgiacum & Marciacum cum omni integritate ad ſe pertinente, ſimulque Nantillam & Pociacum cum omnibus ædificiis, mancipiis, vineis, plantis novis, & univerſis appendiciis eorum. *Traditur S. Deſiderius vita functus anno* DCXXXIII, *dicto* XXVII *Octobris*; *eique ſucceſſiſſe, ſaltem ſub initium anni ſequentis*, S. *Palladius*; *de quo iſta in memorata Hiſtoria leguntur capite* XXI.

ei ſuccedit,

2 Palladius ſedit annos viginti ſex menſes tres. Fuit enim temporibus Dagoberti Regis, Præſulantibus apud urbem Romam Deus-dedit, Bonifacio, Honorio, Severino, Joanne atque Theodoro. Hic fuit vir ſtrenuus, atque temporibus Domini Deſiderii prædeceſſoris ſui Abbas monaſterii S. Germani. Poſt cujus exceſſum, eo quod eſſet vir ſapiens, largus atque miſericors, ab omni populo in Epiſcopum eligitur. Accepto vero Sacerdotio, totum ſe eccleſiaſticis tradidit diſciplinis. Nam baſilicam S. Stephani plurimis & maximis ditavit donariis; fecit enim duas Cruces ex auro puriſſimo, quas & obtulit: ſed & plurima vaſa anactea argentea, quæ ad noſtram uſque ætatem in theſauris ejuſdem eccleſiæ ſervata permanſerunt: hæc nos ipſius nomine vidimus inſignita. Fecit & monaſterium S. Juliani Martyris, ubi ædificavit baſilicam alteram, quam in honore ſanctæ Dei Genitricis Mariæ dedicavit: quod monaſterium Virginum eſſe conſtituit: quod ante ipſum, infra muros civitatis parvo ambitu conſtructum, virorum fuiſſe certiſſimum eſt. Nam & id monaſterium maximis ædificiis extulit, ac muro undique circumcinxit: & (quia omnes Eccleſiæ Autiſſiodorenſes ſuæ ditioni erant ſubjectæ) tam ex S. Stephani quam ex S. Germani villis copioſe ditavit. Fecit & baſilicam prope muros civitatis, in honore S. Euſebii Vercellenſis Pontificis & Martyris; cujus teſtudinem à parte Orientali ex muſivo ſimul & auro compſit ac dedicavit, variiſque muneribus ampliavit: quod etiam monachorum eſſe conſtituit, ac muro undique circumcinxit. Fecit & baſilicam S. Germani in pago Autiſſiodorenſi, in loco qui dicitur Verciſus; quam & nobili teſtudine ex muſivo & auro decoravit. Hic etiam conſtituit, ut per ſingulos annos, feſtivitate S. Germani, quæ celebratur die Kalendarum Octobrium, expleta Miſſarum celebritate, ob amorem & reverentiam tanti Præſulis, à manu Epiſcopi centum ſolidos recipiant Canonici baſilicæ S. Stephani; quatenus alacrioribus animis delectet eos per ſuccidiva tempora ejuſdem feſtivitatis celebrare gaudia. Obiit autem IV Idus Aprilis, & ſepultus eſt in baſilica S. Euſebii, quam ipſe, ut prædiximus, ſuo tempore conſtruxerat. Et ceſſavit Epiſcopatus dies decem.

ditat eccleſiã S. Stephani

B

extruit monaſterium S. Juliani,

baſilicam S. Euſebii,

& S. Germani,

C

cultum ejus promovet,

obit 10 *Apr.*

3 *Hactenus præcitata Hiſtoria Epiſcoporum Autiſſiodorenſium, in qua capite ſequenti agitur de S. Vigilio, ſucceſſore S. Palladii, qui*, jubente Waratone Principe Palatii, in Cotia ſilva martyrium perpeſſus *traditur*: *ergo anno Chriſti* DCLXXXII, *uti liquet ex renovata chronologia Dagobertina. Et tamen in dicta Hiſtoria dicitur ſolum* annos viginti quinque, menſes quinque *ſediſſe*: *qui ſi conjungantur cum annis* viginti ſex & menſibus tribus, *qui S. Palladii Sedi tribuuntur*, *conficiuntur ſolum anni* unus & quinquaginta & menſes octo: *adeoque*, *ut ab anno* DCXXIII (*ſub cujus ſaltem initium eſt S. Palladius Epiſcopus creatus*) *uſque ad annum* DCLXXXII (*quo S. Vigilius eſt occiſus*) *perveniatur*, *interponendi ſunt ſaltem anni* XIX. *Unde conſequens eſt*, *quod vel aliquis Epiſcopus inter hos duos ſit collocandus*, *cujus nomen exciderit*, *aut plures anni hiſce aut alteri horum ſint tribuendi*. *Carolus le Cointe*, *in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum arbitratur*, *S. Palladium vixiſſe uſque ad annum quintum regni Chlotharii III*, *potius vixiſſet primum*, *qui nobis eſt annus* DCLXI, *& conſequenter ſediſſet annos* XXXIII, *& tunc Vigilio ſuperſunt anni* XXV, *in ejus Vita requiſiti*. *Agunt de eodem S. Palladio Dempochares*, *Chenu*, *Claudius Robertus & Sanmarthani in Catalogis Epiſcoporum Autiſſiodorenſium*, *ſed paucis res ejus geſtas attingunt*, *quas longiore encomio deducit Sauſſayus in Martyrologio Gallicano*, *quod ſubjungimus*, *& eſt hujuſmodi.*

ſepelitur in eccleſia S. Euſebii.

S. Vigilius ſuccedit.

AUCTORE G. H.

an S. Palladius ſederit annos 42.

4 Autiſſiodori S. Palladii Epiſcopi & Confeſſoris, qui ex Abbate S. Germani, ubi ſanctioris diſciplinæ exempla ac documenta prodiderat, S. Deſiderio in Epiſcopatu ob præcellentes dotes ſubrogatus; mox ut Pontificatum ſuum exorſus eſt ab vitiorum extirpatione, quorum fœdiſſimam macu am ab ovibus ſuis aboleret, initium fecit: nec ullam quietis partem ſibi permiſit, quo minus divinæ legis & ſacræ politiæ jura plene vindicaſſet. Quod ſtudium ut in ceteros Galliæ populos propagaret ſtrenuus pietatis cultor & aſſertor, Remenſi, ſub Sonantio Metropolita ſecundæ Belgicæ, nec non Cabilonenſi, ſub Gauderico Lugdunenſi Celticæ Primate, coactis Conciliis interfuit, quibus præſentia ſua & ſapientia multum decus attulit. Hinc ad Eccleſiæ ſuæ cultum, omnem ſolicitudinem convertens, ædes ſacras in priſtinum aut majorem etiam ſplendorem ſua ſolicitudine reſtituit: eccleſiam S. Gervaſii in oppido Varziaco, & S. Juliani Martyris non longe ab urbe, Sanctique Euſebii in ipſo ſinu Epiſcopatus conſtruxit. Atque cum indies domus Dei decorem piis præclariſque operibus amplificaret, demum ex laboribus & præſentis vitæ fluctibus (quos in diuturno Pontificatu ſæpe perpeſſus, at ſemper prætergreſſus eſt) ad æternæ quietis portum optatiſſimum perveniens, in ipſa S. Euſebii, quam extruxerat, baſilica conditus eſt; ubi ſacris anniverſariis merita ejus ab incolis honorantur, ac patrocinia ipſe ſupplicibus impertit exoptata.

D

excolit diœceſim

intereſt Conciliis,

E

F

Quando dicta Concilia ſint habita.

5 *Hæc Sauſſajus. Synodus Remenſis* XLI *Epiſcoporum, cui interfuiſſe Palladium teſtatur Flodoardus lib.* 2 *Hiſtoriæ Remenſis cap.* 5, *fuit habita anno* DCXXIV *aut initio ſequentis*, *uti accurate deduximus in Diatriba noſtra de tribus Dagoberti Regibus Francorum lib.* 4 *cap.* 1, *ubi etiam oſtendimus*, *alteram Synodum Cabilonenſem*, *cui interfuit S. Palladius*, *habitam fuiſſe circa annum* DCL. *Eumdem S. Palladium inſcripſit Ferrarius Catalogo generali*, *& Menardus Martyrologio monaſtico*, *ſed die præcedenti. Num tamen habuerint illo tempore dicti monachi Autiſſiodorenſes regulam & normam vivendi ſibi propriam*, *an vero cum nonnullis aliis communem*, *& qualem*, *non liquet.*

DE S. BEDA IVNIORE,

MONACHO IN TERRITORIO RHODIGINO,

GENVÆ QVIESCENTE.

D. P.

AN. DCCCLXXXIII

PRodierunt Genuæ anno MDCXL *Officia propria ſanctæ Eccleſiæ Genuenſis, juſſu Stephani Duratii S. R. E. Cardinalis & Archiepiſcopi Genuenſis recognita, & edita cum Kalendario Sanctorum, qui in particularibus Genuæ Eccleſiis celebrantur: ubi ad hunc diem* x *Aprilis indicatur*, feſtum S. Bedæ Confeſſoris *celebrari* in monaſterio S. Benigni Presbyteri & Martyris, ubi ſacrum ejus corpus habetur. *Fuimus nos anno* MDCLXII *in dicto S. Benigni monaſterio, excepti benevole & hoc ſacrum corpus venerati: ſed diſplicebat monachorum credulitas, aſſeverantium hoc eſſe corpus Venerabilis Bedæ, illuſtris Eccleſiæ ſcriptoris: qui in monaſterio ſuo Gyrvenſi apud Northumbros converſatus, & anno* DCCXXXV *defunctus ſepultuſque in veneratione fuit: cujus corpus inde abſtulit Elfredus piiſſimus Presbyter circa annum* MXXIV, *& impoſuit thecæ, quæ corpus continebat S. Cuthberti Epiſcopi Lindisfarnenſis, tunc Dunelmum tranſlatum, uti tradit auctor Hiſtoriæ Tranſlationis* S. *Cuthberti, à nobis ad diem* XX *Martii illuſtratæ cap.* 4 *ſub finem, & Turgotus, ſub nomine Simeonis Dunelmenſis editus, lib.* 3 *Hiſtoriæ Dunelmenſis cap.* 7, *qui addit*, oſſa Venerabilis Bedæ fuiſſe in lineo ſaccello locata, *& ita* à corpore S. Cuthberti ſegregata. *Quæ eadem confirmat Malmesburienſis lib.* 3 *de Geſtis Pontificum Anglorum ſub finem, & auctor Hiſtoriæ Tranſlationis ſacri Corporis in novam tumbam, anno* MLIV *factæ, quam etiam ad diem* XX *Martii edidimus: plenius omnia declaraturi* XXVI *Maii, die natali Venerabilis Bedæ.*

Genuæ Corpus S. Bedæ

non Senioris Anglici,

B

ſed Iunioris:

2 *Non erat tam facile errorem monachorum corrigere quam notare: quærentibus enim num quæ allati illuc corporis haberent monumenta, aliud nihil ſciverunt exhibere ii quos rogabamus, quam paucas lineas de Tranſlatione, facta, ut ibi notabatur, anno* MCCXXXIII, *ex Gavello Rhodigini territorii monaſterio, per monachum quemdam Genuenſem; una cum duabus Pontificiis Bullis infra dandis, per quas inſtituuntur Indulgentiæ proponendæ iis, qui in feſto & per Octavam dictum corpus viſitarent. Tandem lucem aliquam viſus eſt attuliſſe* Arnoldus Wion, *ad hunc* x *Aprilis exhibens quamdam Vitæ epitomen, qua hic quidem qui Genuæ colitur* ex Anglia oriundus *dicebatur, ſed qui inde* à Carolo Magno accitus, *eidem* Carolo quinquennio ſupervixerit, *ac proinde* alius omnino cenſendus ſit ab Anglico *& famoſo hujus nominis ſcriptore, qui totis* XXXIII *annis obiit, prius quam Carolus Regnum, nedum Imperium obtineret. Wionem ſecutus Brautius Epiſcopus Sarſinæ, in Martyrologio Poetico, his verſibus eumdem inrenitur ornaſſe.*

C

qui vixerit tempore Caroli Magni:

Invito Carolo Magno, Beda cuncta relinquens,
In clauſtris humilem gaudet habere locum.
Neglecto tumulo Sancti, miracla quieſcunt:
Tranſlato, redeunt in meliore loco.

ujus vita ex Ms. hic danda,

3 *His indiciis provocati, amplius inſtandum cenſuimus, urgendoſque monachos S. Benigni, ut omnes archivii ſui ſcrutarentur angulos, ſi forte in iis adhuc ſupereſſet Vita, quam in epitomen Wion contraxerat: tandemque,* R. P. *Ioanne Stephano Fliſco S. I. operis hujus promovendi ſtudioſiſſimo, negotium diligentiſſime curante, miſſum ad nos eſt exemplum antiqui Ms. quod reliquam hujus Iunioris Bedæ hiſtoriam nobis fecit clariorem. Titulus erat* Incipit Vita S. Bedæ Presbyteri Confeſſoris & Doctoris, cujus ſacrum corpus & caput in præſenti eccleſia S. Benigni honorifice requieſcunt. *Auctor igitur erat ejuſdem monaſterii monachus, qui (ut apparebat ex miraculo ad calcem addito, atque poſt B. Martini Solitarii mortem anno* MCCCXLII *Genuæ in S. Benigni obitam patrato) ſcripſit poſt medium ſeculi* XIV; *& alium nullum quam famoſum Bedam cognoſcens, hujus opera Iuniori tribuebat; ideoque eidē applicabat titulos* Venerabilis *&* Doctoris. *Idem tamen præ oculis habuerat aliqua* de vita & moribus hujus Sancti, quæ ille qui ſcripſit vidiſſe ſe aſſerit & audiſſe, *uti habetur num.* 10, *poſt ſtabilitum Genuæ ſancti Corporis cultum, ex eodem veroſimiliter Gavellenſi monaſterio gratioſe impetrata, unde prius fraudulenter fuerat corpus ſublatum. Et his ille permiſcens quæ de Seniore Beda & Carolo Magno noverat, obſcuravit quidem ipſa, non ita tamen ut confuderit temporum characteres, ad quos Iunioris Bedæ hiſtoria poſſit coordinari, quod haud paulo quam Wion felicius videmur egiſſe.*

quantumvis interpolata

E

Probat eum à Carolo M. ſtudiis aut motum

4 *Nam primo prolixe deſcribens zelum, quo Carolus Magnus devictarum à ſe gentium infidelium elegantio es pueros magiſtris dabat informandos, ad religionem Chriſtianam per eoſdem jam Clericos ac tandem Epiſcopos promovendam; ac deinde ad Bedæ laudes tranſiens, velut qui fuerit* de eorum numero quos taliter ſtudere fecit; *ſatis indicat nequaquam ex Anglia accerſitum; niſi eam intelligas Angliam, cujus caput Sleſwicum fuit, Danici regni urbs, inter Saxoniam priſcam Gothiamque, de qua actum ante Vitam S. Anſcharii* III *Februarii num.* 40, *unde atque ex vicinis ad Albim regionibus trans mare emiſſæ claſſes armigeræ Anglo-ſaxonicum in Britannia imperium fundavere, retenta ibidem patria lingua; ut mirum non ſit Bedæ nomen commune fuiſſe duobus Sanctis, tanto annorum atque locorum ſpatio ab invicem ſejunctis. Scimus autem ex Annalibus Eginharti, qui Caroli Magni hiſtoriographus fuit ab eodem educatus, jam inde ab anno* DCCLXXII *anniverſarium fere bellum Carolo fuiſſe cum Saxonibus (quos inter etiam Anglos iſtos comprehendas licet) eumdemque anno* DCCCV *omnes qui trans Albim habitabant cum mulieribus & infantibus traduxiſſe in Franciam, atque ita bello finem feciſſe. In his igitur fuerit Iunior Beda, circa finem ſeculi* VIII *aut initium* IX *natus.*

fuiſſe è genere Saxonum ab eo domitorum,

F

& poſt annos 45 aulicis obſequiis impenſos

5 *Non tamen hic ſub eodem Carolo monachus factus & mortuus fuerit: ipſe enim num.* 6 *miſſionem ab aula petit,* ut ſicut quadraginta quinque annis Regi ſervierat in palatio, ſic de cetero donec viveret Creatori ſuo ſerviret in monaſterio. *Cumque ſub eodem Abbate, à quo ad habitum religioſum admiſſus fuerat, etiam mortuus ſit, octogenario major; ſatis datur intelligi, admodum grandem natu fuiſſe, cum ſeculum dimiſit, neque valde diu poſtea vixiſſe. Igitur annus* V *poſt mortem Caroli Imperatoris, quo mortuus hic Beda ſcribitur, non eſt componendus cum anno Chriſti* DCCCIX, *ſub reſpectu ad Carolum Magnum, anno* DCCCXIV *vita functum: ſed ſub reſpectu ad ejus nepotem Calvum, cum anno Chriſti* DCCCLXXXIII. *Adeo ut ipſe Beda, circa annum* DCCCLXXIII *monaſterium ingreſſus, poſt annum ætatis ſeptuageſimum, cenſeri poſſit triginta circiter annorum ætatem habuiſſe, cum ſeſe aulæ mancipavit anno fere* DCCCXXVIII; *quando Imperium ac regnum Francorum tenebat Ludovicus Pius Caroli Magni filius; ac poſtea adhæſiſſe Lothario vel Ludovico juniori ejus filiis, & cum horum ultimo veniſſe in Italiam anno* DCCCLXXII; *atque ab eodem honeſtam impetraſſe miſſionem, intuitu magnæ ſuæ ſenectutis.*

factum monachū anno circiter 873

6 *Cur autem non à Carolo Calvo? Quia conſtat, pluſquam ſeptennio Bedam vixiſſe in monaſterio: neque veroſimile eſt*

A *est hominem tam grandævum, nisi eum ad Venetæ ditionis urbes traxisset necessitas aliqua comitandi Principis, adeo procul*
& anno 883 obiisse majorem octogenario, *quæsiturum fuisse locum quietis monasticæ. Calvus autem in Italiam dumtaxat venit anno* DCCCLXXV *exeunte, & post coronam Imperii susceptam Romæ in festo Dominicæ Nativitatis, Comitia celebravit Papiæ mense Februario anni sequentis. Hoc posito non potest cum eo venisse* Beda: *quia sic solum septem anni haberentur quos egisset in monasterio; aliquanto autem plures, paucos tamen, requirit miraculum relatum num.* 14. *Deinde cum ipse verosimilius in Francia orientali educatus institutusque credatur, quam in occidentali; congruentius etiam credetur iis adhæsisse, qui in hac quam qui in illa palatii sui sedem ordinariam habebant. Manet tamen quod anno quinto post mortem Caroli Calvi, ex hac vita egressi anno* DCCC LXXVII *die* VI *Octobris, obierit idem Beda* X *Aprilis, adeoque anno* DCCCLXXXIII, *totis* CXLVIII *annis post Bedam seniorem; cui hoc quoque dissimilis fuit Iunior, quod senior sexagesimum ætatis annum vix attigerit, aut ne vix quidem; ipse autem octogesimum sit transgressus, ut habetur ex gestis num.* 11.

& socium habuisse Venerium, 7 *Porro Venerium, quem in vita seculari forsitan habuerat famulum, retinuit socium in religiosa, ad senectutis suæ solatium & auxilium: quem cur Vitæ Interpolator num.* 8.
B *dicat,* huc vsque in tota Gallicana Ecclesia magnum haberi & clarum, *penitus ignoro: nullum enim* Venerium *norunt qui de Gallicanis aut scriptoribus aut Sanctis aut Præsulibus egêre. Quod autem subinde* Eremita, *semel etiam vocetur* Sanctus: *suspicionem ingerit; quod eum confuderint Benigniani monachi cum sancto hujus nominis Abbate, qui seculo* VII *in Palmaria, portus Lunensis insula, sese exercuit, & Regium seculo* IX *translatus colitur* XIII *Septembris. Eumdem sancto seni pro scriba fuisse minime dubitaverim; sed quamvis huic iste multa dictasse dicatur, enumeratis perperam operibus quæ constat Bedæ senioris esse; quia tamen nihil vspiam extat, quod Iunioris credi possit, merito ambigo an ullis compositis libris vel in seculo vel in religione claruerit. Eumdem post magistri mortem ea scripsisse: quibus à se dilatatis & amplificatis Interpolator addidit cap.* 8, *quod est de Translatione corporis* Gavello Genuam, *haud absurda fuerit conjectura.*

VITA

Ex MS. monasterii S. Benigni.

C

CAPUT I.

Bedæ ortus, educatio, vita Clericalis in palatio.

1 REdemptor humani generis Dominus Jesus Christus, qui per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, quem effudit abunde in eorum cordibus, quos disposuit in vnitate fidei aggregare, ut eos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum; ante passionem suam docuit, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum. Sed post passionem præcepit Apostolis, dicens, Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ut in primo fugerent mel de petra, in secundo pariter Deum de saxo durissimo cum suavitate haurirent. Quam formam baptismatis edocti discipuli observantes, in primo vniversos venientes ad Domini fidem catechizabant, & eos de symboli partibus & fidei rudimentis regulariter instruebant; deinde ter in nomine Trinitatis baptismatis aquis immergebant, quibus contactu suæ mundæ carnis vim regenerativam contulerat Christus: ut ita demum præceptis salutaribus moniti & divina institutione salubriter informati, principes seculi & potentes, atque per illustrationem sancti Spiritus lavacro sacri fontis abluti, & normam veræ religionis edocti, eamdem fidem plus exemplo quam verbo tenere docerent; & facti fortes in bello, prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ, contra rebelles tam sapienter quam viriliter dimicarent, vitia extirpando & in eorum locum inserendo virtutes. D

Post fidem Christi ab Apostolis prædicatam,

eadem imbuti Principes ipsam promoverunt;

2 Hinc eorum plurimi diversis in locis, effectum sibi Domino tribuente, idolorum fana plurima destruxerunt, dæmoniorum delubra subverterunt, & eorum simulacra confregerunt: quibus destructis ibidem ecclesias construxerunt, templa & altaria Domino dedicarunt, in quibus ministros ad serviendum Domino statuerunt. Inter quos primus extitit Constantinus atque præcipuus, hominibus quidem prælatus, sed Domini Jesu Christi servus atque discipulus. Alter vero Carolus Magnus, Pipini Regis Francorum filius, in fide recta Catholicus, & ad bella Domini bellanda rectus atque promptissimus: qui multos à via Domini deviantes, cum jugo Domini colla indomita submittere recusarent, ab eorum sedibus extirpavit, ne rectæ fidei deditos violentia vel exemplo à semita rectitudinis exturbarent *a* ....Quos dum victos gratia protectoris penitus superasset, ut de collata sibi victoria protectori suo gratias exhiberet, multos Teutonicorum pueros, eleganti forma gratiaque decoros, secum ducere deliberavit, quos ad erudiendum magistris tradidit litterarum, ut per eorum scientiam atque doctrinam rationis capaces effecti, Redemptoris summi cognitionem acquirerent & religionem vltro susciperent Christianam. Ex ipsis denique plurimos tempore procedente, quos videbat idoneos, ad Clericatus officium promoveri per Catholicos Episcopos faciebat: ut quorum parentes idolorum devastaverat ritus, eos vir Dei sacris Ordinibus illigatos divino cultui certius manciparet; ne filii portarent iniquitatem parentum, à quorum essent perfidia per divinum obsequium separati. *præsertim Constantinus* *& Carolus Magnus* *a* E *qui lectos è gentibus pueros erudiè curabat,*

3 Fertur etiam, quod vbicumque paganorum delubra destruebat, ibi quoque Christianorum oratoria construebat (ex quibus plurima per diversas scilicet partes, vsque ad hæc tempora permanere noscuntur) quæ regalibus muneribus sufficienter & decenter ornabat, prudentes etiam & religiosos viros in eis instituens, à quibus ad honorem Dei fideliter regerentur. Ita cum Salvatoris familiam in aula regia nutriret, quam assidue Domino augmentare curabat; quoscumque divini dogmatis poterat invenire peritos & in Christiana religione fundatos, in sua curia retinebat, eis secundum regiam magnificentiam de rebus fisci affluenter ministrando. Intelligebat enim Princeps ille fidelis, cujus mens in Christi amore copulata erat, quod si haberet in suo comitatu viros sapientes & religiosos, quorum consilio vteretur, quorum etiam interventu atque suffragio apud supremum Iudicem ejus incolumitas muniretur; profectus sanctæ & vniversalis matris Ecclesiæ, ad quem studiosius anhelabat, melius & plenius per singulos dies incrementum susciperet. Et ideo quoscumque poterat exhortationibus & beneficiis invitabat ad divinarum scientiam scripturarum, per quam ad Dei omnipotentis famulatum quasi quoddam susciperent condimentum. Vnde plurimi affectum & dilectionem, quam erga studiosos & religiosos habebat, considerantes, ad formam religionis & discendi studium magis atque magis animabantur .... *b* De quorum numero fuit vir venerabilis Beda *c* Presbyter: qui quanto in his se exercebat attentius, tanto fuit, opere ac merito, Deo & hominibus, Regi suo atque Principibus magis carus. *& ad studia faciat multorum excitabat;* F *quos inter Beda* *b*

4 Considerans igitur vir Domini Beda, quod per spirituales occupationes & exercitia, sæpe prava mu-

AUCTORE D. P.

tantur in recta & aſpera vertuntur in plana, fugantur vitia & nutriuntur virtutes, negligentia propulſatur & torpor excutitur; cœpit aſſidue nocte dieque in lege Domini meditari, & in artibus, quas cum multa inſtantia & vigilantia didicerat, occupari .... *d* In allocutionis gratia facundus erat pariter & fœcundus; ita ut in curia Domini Caroli Imperatoris ſimilem non haberet ad patrandum hoc opus. In conſilio ſic erat prudens & diſcretus, ut conſilium quod tribuebat, nullus mutare auderet in regali curia conſtitutus. In morum honeſtate, ac religionis obſervatione, in tantum exiſtebat præclarus, ut jam non Presbyter ſecularis, ſed monachus putaretur regularis. Mollitiem in cultu & habitu devitabat, à qua non ſolum viros verum etiam mulieres Paſtor Eccleſiæ Petrus Apoſtolorum eximius curabat arcere. Corpus ſuum in jeiuniis & crebris vigiliis cum Paulo Apoſtolo indeſinenter caſtigabat: nam jeiunium adamabat; & eleemoſynarum largitionibus inſudans, pauperes ex rebus quas habere poterat recreabat. Vigiliis admodum inſiſtebat: orationi frequenter vacabat, in tantum quod genua ejus & brachia calli durities occupabat. Tonſuram cæſariei multoties devitabat; & ſi quandoque ſuſtinebat, non ad corporis decorem, ſed ad memoriam Dominicæ paſſionis & contumeliæ fieri debere dicebat.

totum ſe illi tradidit.

d

Clericalem habitum congruis ornans virtutibus,

1 Cor. 9, 26

B

& ſacerdotale officium ſancte explens.

5 Miſſarum ſolennia quotidie Domino celebrabat, in quibus lacrymis & ſuſpiriis, in ſpiritu humilitatis & animo contrito, ſe macerans, in ſui cordis penetralibus hoſtiam vivam, Deo placentem, id eſt ſemetipſum, abſque commixtione pravi operis offerre non deſiſtebat, compunctionem habens veriſſimam cordis, faciens ſecundum Apoſtolum obſecrationes, pro his qui extra viam ſunt, ut convertantur ad fidem; orationes, pro his qui pugnant in via, ne deficiant, ſed de labore tranſeant ad quietem; poſtulationes, pro his qui poſt mortem purgantur, ut eorum pœna brevior & levior fiat, & de tormentis perveniant ad requiem ſempiternam; gratiarum actiones, pro his qui triumphant in cæleſti patria, ut ſuis precibus & meritis nos ſecum perducant ad Chriſti viſionem mirificam. Dignitates non ſolum laicales verum etiam eccleſiaſticas devitabat; rumores hominum fugiebat, feminarum frequentationes nullatenus habere volebat; corporis vero ingluviem execrabatur. Corda fidelium & maxime Clericorum quaſi cæleſtis imber rigabat, docens ut proferrent immarceſſibilem bonorum operum fructum: iſte enim verus Iſraelita abſque dolo fuit, qui talenta ſibi credita non ſolum reddere ſed ſine fraude amplificare curavit: quia bonum, quod per Spiritum ſanctum intelligendo didicerat, non ſibi met tantum ſed & aliis fidelium mentibus profuturum, ſecundum Apoſtoli præceptum, arguendo, obſecrando, increpando inſerere nitebatur.

1 Tim. 2, 1

docens omnes verbo & exemplo.

C

2 Tim. 4, 2

ANNOTATA.

In nulla hujus vitæ parte magis quam in hoc primo capite evagatus interpolatoris luxurians calamus, de ſuo haud pauca addidit, quæ omnia diſcernere non eſt facile, quædam magis exorbitantia exemimus contextui, ut concinnior foret & hic indicamus.

a *Hic ad nominandas regiones debellatas deſcendens*, Divina *inquit*, opitulatione ſuffultus, Alamaniam. Gualcheriam, Batricaniam vſque Dalmatiam ſuperando devicit; contrivit quoque Hiberniam, Britanniam, Angliam partim atque Hiſpaniam. *Quæ neſcio vnde accepta ſint, videnturque corrupta initio vocabula pro* Valeria, *id eſt*, Pannonia, & Bajoaria, *ſive* Bavaria: *addita autem fortaſſis ſint inſulæ, numquam Carolo magno additæ, quia ſeniorem Bedam, cum quo hic junior confundebatur conſtabat in Britannia natum. Melius Saxonica bella laborſque in ea gente convertenda exantlatus exaggeraſſet interpolator: quantum enim meus primi auctoris, per nubes ab illo effuſas deprehendi poteſt, Saxonico genere, in regionibus à Carolo domitis, natus hic Beda indicari videtur.*

D

b *Ineptum eſt quod ſequitur, ideoque expungendum fuit:* Quidam etiam ex his quos taliter ſtudere faciebat tantum in aſtrologiæ peritia profecerunt, quod quotieſcumque Rex contra inimicos Chriſtiani nominis ad bella procedere diſponebat, quem exitum eſſet habiturus in bello fide certiſſima ſatrapizarent, & per aſtrorum ſcientiam nuntiarent.

c *Presbyteri titulum, quamvis ſeniori Bedæ attributum per excellentiam, & inde forſitan huc tranſlatum, retinuimus, quoniam omnino credimus hunc quoque juniorem Bedam Sacerdotio initiatum fuiſſe, & primi auctoris eſſe commendationem quotidiani ſacrificii ab eodem offerri ſoliti.*

d *Ad ſeniorem ſpectant ſequentia*, In tantum quod Martyrologii librum & computum compoſuit luculentum, præclarum & optimum, vnde ſibi & multis cognoſcenda cognoſceret, & ſuo Regi quæ prædicenda forent veraci præſagio indicaret. Sane in ſcientia divinæ legis ſe adeo exercuit, & ſancta Euangelia in ſuis commentis ſic præclare & decenter expoſuit, ut mirificis Doctoribus Auguſtino & Gregorio non diſſimilis habeatur: quem enim ſpiritualis vnctio intus docuerat, ei & exterius affluentiam eloquentia copioſe miniſtrabat. In medicinali quoque arte tam aſtutus fuit & efficax, tamquam ſi artem, quam à nullo didicerat, cum maximo ſtudio didiciſſet. *Quod vltimum de ſeniore nemo dixit, an autem de juniori verificari poſſit non dijudico.*

E

CAPUT II.

S. Bedæ vita monaſtica etiam prodigiis cæleſtibus illuſtrata.

6 HIs & aliis pluribus cum vir Domini Beda polleret virtutibus, jam non terrena ſed cæleſtia cogitans, omnipotenti Deo ſervire diſponebat à frequentia turbarum remotus. Igitur inſpirante gratia, cujus ſuffragio tantarum virtutum poſſeſſor extiterat, cœpit mente revolvere, qualiter non ſolum mente, ſed etiam corpore fugeret hujus mundi cœnulenta contagia: vnde meliorem eligens viam & arduam, mox ad religionem diſponit tranſire monaſticam. Qui accedens ad Carolum *a* Imperatorem, intentionem quam habebat illi aperuit; ſuppliciter rogans & obſecrans, quatenus cum ipſius gratia & benedictione, liceret ei à curia & palatio recedere, ac ſuum propoſitum ſecundum Domini beneplacitum adimplere; ut ſicut quadraginta quinque *b* annis Regi ſervierat in terreno palatio, ſic de cetero, donec viveret in hac mortali vita, Creatori ſuo ſerviret in monaſterio. Quod licet Imperator graviter & moleſte accepit, quia & ſe & ſuam curiam ab illo derelinqui dolebat & formidabat, præſentia cujus ipſe cum tota curia plurimum indigebat, cujus conſilio inſtruebatur, cujus auxilio ſuſtentabatur, cujus præſagio innitebatur: ne Deo tamen, cujus ſervus Imperator erat, nimium pertinaciter repugnaret, ſi ſanctum virum ſine ſua voluntate in curia retineret; vix tandem aliquando vir Domini ab Imperatore quod petiit impetravit: ad quem fertur Imperator tale dediſſe reſponſum.

F

a *Licentia ſecedendi ad monaſterium petita*

b

7 Cum Romanorum Imperium nobis cælitus ſit traditum, non debemus à divino ſervitio quempiam revocare, ſed ad ejus obſequium debemus nos & eos quos poſſumus attentius invitare, ut valeamus Clericos & laicos ad fidelitatem Imperii devotius retinere, & ne familiaritati noſtræ ſe dubitent ſociare, qui volunt

& obtenta

volunt divinis officiis inhærere. Cum igitur de veſtra præſentia gaudeamus, de abſentia vero nimium
A doleamus, ad quamcumque partem volueritis animum inclinare, ſive ad reſidentiam in palatio faciendam, ſive ad formam religionis monaſticæ aſſumendam; volumus ut quidquid in noſtro Imperio quod vobis placeat poterit inveniri, veſtræ penitus
ac recuſato Epiſcopatu, ſubjaceat voluntati. Tunc Presbyter diſcretus, intelligens quod Imperator volebat eum ad officium Præſulatus promovere, qualiter ſic illum ſecum haberet, ut nec à divinis obſequiis ſepararet; dixit ad Imperatorem: Non curet Dominus meus mihi impendere dignitates Epiſcopales aut curam animarum: quia durum nimis videtur & arduum, ut qui adhuc inſcius ſum tenere moderamina meæ vitæ, judex vitæ conſtituar alienæ: quia qui domui ſuæ neſcit impendere curam, Eccleſiæ Dei curam nullatenus debet ſuſcipere. Itaque aſſumere recuſo, quod mihi non cognoſco convenire: & accepta benedictione cum gratiarum actione, diſceſſit ab Imperatore.

Gavellum ubit 8 In partibus igitur Venetiæ, quibus Adrianus Imperator condidit civitatem quam ſuo nomine Adrianam *c* nuncupavit, à qua etiam mare Adriaticum
c **B** nuncupatur, erat quidam locus venerabilis, in quo religioſorum Fratrum congruus numerus ad ſerviendum Deo fuerat adunatus, quibus Guilielmus Abbas tunc præerat, vir magni meriti, continentia præditus, honeſtate præclarus; qui locus à Gavello fluvio, qui
d juxta præterfluit, appellatur *d* Gavellus. De cujus
cum ſocio Venerio: loci fama, & ejus Patris qui præerat vita & converſatione, quia jam audierat, ad eumdem locum pervenit cum quodam ſuo comite, Venerio nomine: quem vir venerabilis Beda, ob religionem vitæ & meritum diſciplinæ, in ſua ſecum aſſumpſerat ſocietate: qui Venerius, ſicut fertur, hucuſque in tota Gallicana
e f *e* Eccleſia magnus habetur & clarus ..... *f* Vt autem eorum quæ in eodem loco geſſit notitiam habeamus, de multis pauca breviter perſtringamus.

ubi à Guilielmo Ab. ſuſcipitur, 9 Accedens igitur ad Abbatem, quem ob ſuam religionem & honeſtatem diligebat & venerabatur ut patrem, affectuoſiſſime atque humiliter ſupplicavit, quatenus ſibi & ſuo ſocio, venerabili eremitæ Venerio, locum aliquantulo remotiorem divino intuitu provideret; vbi cum eodem in divinis eloquiis, ſicut diu deſiderabat, ab aliis ſegregatus, ſe propenſius exercere valeret. Qui venerabilis vir, ejus petitioni condeſcendens, libentiſſime tribuit, quod vir Domini Beda ab eo humiliter poſtulavit. Adeptus
C denique Pater ſanctus locum quem optaverat, cœpit in divinarum Scripturarum expoſitionibus præcipue in Euangeliorum dictis potiſſimum deſudare: quæcumque autem B. Beda dictabat ejus ſocius eremita Venerius in ſcriptis diligentiſſime redigebat ..... *g*

g cellam ejus frequentat columba 10 Poſtquam de vita & moribus tanti viri, quæ ille qui ſcripſit vidiſſe ſe aſſerit & audiſſe, prout potuimus, non ut debuimus, memoriæ fidelium commendavimus ad vtilitatem credentium; etiam de ipſius miraculis, quæ per illum Deus operari dignatus eſt, aliqua referamus. Tempore ſiquidem illo, quo in cella, ſibi à ſuo Abbate conſignata, cum ſodali ſuo cælitus ſibi collato, qui erat ſcriptor elegantiſſimus, reſideret; columba quædam, mirabilis viſu ſed mirabilior actu, cernebatur ad cellæ feneſtram perſiſtere, & auribus viri ſancti quæcumque dictaret videbatur fideliter inſtillare; & quandocumque Fratres ad opus divinum in oratorium introibant, etiam illa
quam arceri prohibet: protinus ad eos ingrediebatur. Cui columbæ, quia ſpecies alba deſuper cernentibus monſtrabatur, reliquis in partibus varietate circũdata viſebatur; ut in ea pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri nominarentur; non dubium quin ea in varietate pennarum differentiã oſtenderet gratia-

EX MSS. rum, & ſancti Spiritus varietatem donorum, quæ ille qui ubi vult ſpirat, ſicut volebat, alumni ſui viſceribus diffundebat. Cum autem prædictus vir Venerius videret aviculam toties frequentare cellam, ait viro Dei, Capiatur avis illa, ne in libris noſtris faciat maculam, vel nobis ipſis moleſtiam inferat. Cui S. Beda Dimitte, inquit, Frater, dimitte: non eſt enim infeſtatrix, nec à Deo nobis ad infeſtationem, ſed ad magnam conſolationem eſt transmiſſa. Tunc Venerius tacuit, & admirans Domini bonitatem, intellexit altius, quod vir Dei non loquebatur à ſemetipſo, ſed quæcumque à Spiritu Sancto audiebat hæc dictabat & docebat.

rogatus à Fratribus prædicare 11 Quodam etiam tempore cum famulus Dei Beda ad octoginta annorum perveniſſet ætatem, & præ vigiliarum inſtantia & affluentia lacrymarum oculorum ejus viſio caligaret; acceſſerunt ad eum Fratres eccleſiæ Gavellenſis, qui ab ejus ore audire verbum Dei ſitiebãt, & cum inſtantia maxima ſupplicabant, quatenus eccleſiam dignaretur intrare, & ſibi & his qui advenerant verbum divini ſeminis miniſtrare: quod ideo dicebant, non quod aliquem crederent adveniſſe, ſed ut ſaltem taliter poſſent ab eo quod poſtulaverant impetrare. Quorum poſtulatio- E
quaſi ad frequentem concionem nibus acquieſcens eccleſiam intravit, ejuſque gradum aſcendit, vnde ſermo prædicationis audientibus conſueverat miniſtrari. Sed licet, ut diximus, oculi ejus caligarent, ita quod clare videre non poterant; auditus tamen & intellectus erat in eo ſubtilis & facilis, ita quod nullus eo ſubtilius audire vel intelligere videbatur. Conſtitutus igitur in loco hujuſmodi officiis apto, eorum qui ad audiendum conveniſſe dicebantur ſonitum aure captabat. Nullumque adveniſſe niſi præſentes Clericos intelligens, tamen ut ſatisfaceret eorum deſiderio qui præſentes aderant, tamquam ad populum multum, cœpit ordiri ſermonem, clara voce dicens: Audite, audite: quia etſi neq; vox neque motus humanus hic ſit ullus, aures tamen plurimæ ſunt iſtic circumſtantes, auditum & intentionem mentis in Deo habentes. Senſerat enim vir
Angelica auditorio fruitur. beatus ibidem Angelorum adeſſe præſentiam. Cumque multa de divinis Scripturis ſubtiliter diſſereret, & plurimas hiſtorias figuratim perſtringerent, tanta ſuavitas divinorum eloquiorum ab ejus ore manavit, quantam mentes audientium non ſenſerant in hac vita. Nec mirum ſi ſancti Spiritus gratia debriatus corda fidelium favi melliis ſuavitate replebat: qui cum
à quo in fine reſpondetur ad finem ſermonis veniſſet, eumque in benedictione more ſolito terminaſſet; virum Dei divina claritas circumfulſit, & voces multorum, haud dubio quin cæleſtium miniſtrorum, *h* Amen, proteſtantium & clamantium conſecutæ ſunt, tamquam multæ, perſonæ omnes ſimul vna voce clamaſſent. Clerici vero hæc videntes & audientes, de his mirabantur quæ procedebant de ore ipſius, glorificantes & benedicentes Dominum, qui Sanctos ſuos glorificare non deſinit. Amen. F *h*

Eutychianus quidam cæcus ſe ſimulans 12 Illo quoque tempore venit ad eum quidam, ſimulans ſe cæcum eſſe, dicens: Magiſter, præſta mihi medelæ beneficium: quia etſi oculos habere videor, lumen tamen cæli non video. At vero econtra vir Dei intuens in eum dixit: Homo, quamquam oculos corporis habere videaris, vnde lumen cæli videas; malitia tamen tuate obcæcante, lumen interius amiſiſti. Porro cum vexatio quandoque auditui tribuat intellectum, lumen quo te carere fateris non diutius poſſidebis, ut cognoſcas ingratitudinem Conditori tuo admodum diſplicere, qui ſolem ſuum
fruſtraque intrepitus, clareſcere facit ſuper ingratos & gratos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Cum enim antiqui per viſibilia hujus mundi inviſibilia noſtri Conditoris agnoverint; cur vos moderni, cæleſtis Patris beneficiis multipli-

cites

EX MS. citer inſtructi, ejuſque Filii ſanguine pretioſo redempti, & ſancti Spiritus lumine illuſtrati, & Sanctorum communione paſti, & peccatorum remiſſionem per ſancti Spiritus gratiam adepti; quæ omnia Patres noſtri nobis tradiderunt & credere docuerunt; cur inquam tot & tanta beneficia oculo mentis non cernitis & intelligitis, & eorum largitori gratias exhibetis?

vera percutitur cæcitate, 13 Quæ monita cum audiſſet, non compunctus ſed irrideus recedebat; depravatuſq; animo in virum Dei convitia & opprobria jaculabatur: erat enim vir ille Eutychianus, id eſt de ſecta vel hæreſi *i* Eutychianorũ, qui nulla fuerat eccleſiaſticę inſtitutionis diſciplina vel magiſterio eruditus. Factum eſt autem ſecundum prophetiã viri Dei, ut confeſtim lumine veraciter privaretur, quo ſe carere ſimulate profitebatur. Caruit igitur homo ille lumine corporis, quoniã lumẽ mentis per Dei hominẽ ſuſcipere recuſavit: & recedens à lumine veritatis, corruit in barathrum profundiſſimę cęcitatis; & tamdiu in cæcitate permanſit, donec de præterita malitia ſatisfecit: ſeptem enim annis luxit in cęcitate dicta, quia ſancti Spiritus ſeptẽ dona contumaciter contempſerat. Ad Filium Eutychianus ille venire non poterat, quia Pater adhuc illũ non traxerat (nemo enim venire poteſt ad Filiũ, niſi Pater prius traxerit eum) poſtquam vero à Patre ad Filium tractus fuit, ad eum citius venire non diſtulit.

i

poſt 7 vero annos pœnitens

B

k 14 Itaq; poſt ſpatium ſeptem *k* annorum tractus à Patre, reſuſcitatus in mẽte, corde contritus & humiliatus, in voce planctus ad virum Dei veniens, ſuppliciter veniam poſtulavit, & ait: Suſcipe me pœnitentem & ad te revertentem, Pater ſanctiſſime: quia inſipienter & ſtulte contra vniverſorum Dominum & famulũ ſuum confiteor me egiſſe. Proſtravitq; ſe ad pedes, miſericordiam poſtulans, ut per eũ à Deo lumen recipere mereretur. Videns autem B. Beda hominem proſtratum, dicit ad eum: Surge, & da honorem Deo vivo & vero. Dixitq; illi, Vis renuntiare diabolo & omnibus pompis ejus? Reſpondit, Volo. Et Sanctus, Vis renuntiare ſectę Eutychetis & aſſumere normam veræ religionis? & illuminaberis. Reſpondit, Volo. Tunc vir Dei accipiẽs oleum exorcizatum, conſignavit eum in fronte dicens: Deus omnipotens qui aperuit oculos cæci nati & Tobiæ cæcati, ipſe aperiat & illuminet oculos tuos: ſtatimq; illuminatus eſt; & ex tunc fidelis factus, permanſit firmus in fide, dans gloriam Deo, qui ſalvat omnes ſperantes in ſe; & ab his qui ſe ab errore convertunt ad eum, ſinum miſericordiæ ſuæ non avertit.

fidemque Catholicam profeſſus,

illuminatur precibus Bedæ:

C

qui Carolo Imp. annis 5 ſuperſtes, 15 Poſt mortẽ autem Imperatoris Caroli, venerabilis Presbyter Beda, cũ incremento religionis & augmẽto virtutum, per quinquennium vixit in monaſterio de Gavello, augens in clero ſanctæ doctrinæ & ſcientiæ lumen, & exhibens vniverſis & ſingulis exemplũ ſanctę cõverſationis, & per honeſtæ vitæ merita, bona opera fieri perſuaſit. Et ita ſui nominis interpretatio cum effectu operum concordavit: nam vere dictus eſt Beda, id eſt, *l* Bene vel bonũ dans; quia de fonte ſacri eloquii bene atq; copioſe dedit & propinavit doctrinæ fluẽta. Ceterũ in fine quinquennii, geminatis quinq; talentis quæ à Domino ſibi tradita fuerant, de tenebris ad lucem, de labore ad requiem, de via in patriam, Deo vocãte, in manibus viri Dei Guilielmi *m* Abbatis, quarto Idus Aprilis feliciter obdormivit. Quem S. Venerius ſocius ejus in eodem loco ſepulturæ tradidit: in quo loco, poſt ſolutionem ſui corporis ſive prius, multa per eum miracula Chriſtus Dominus, ad laudem ſui nominis, glorioſe exhibuit: qui vivit & regnat per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

l pie obit & miracula claret.

m

ANNOTATA.

a *Ita per anticipationem dictum intellige: puto enim prius monachum factum Bedam, quam hic coronam Imperii acciperet. Mallem etiam credere cum Ludovico Iuniore ipſum in Italiam profectum anno 872, ab eodemque ſecedendi in monaſterium licentiam petiviſſe. Nec tamen mirum eſt, quod cum mors Bedæ ab obitu Caroli Imperatoris notata inveniretur, ab hujus quoque aula exiiſſe eum auctor putaverit, quamvis id antiquior vita non indicaret.*

D

b *Ergo circa annum 827 ad Palatium intraverat, ætatis annum 27 aut 30 agens.*

c Adria *vrbs inter Padum & Atheſim, ad plurium rivorum, in flumen Tartarum ſe infundentium, confluxum, vrbs olim Epiſcopalis: nunc Epiſcopus Rhodigii reſidet, quæ vrbs tantum ab Adria recedit verſus mediterraneam, quantum hæc diſtat à mari, vtrimque ad 15 M. P. remota.*

d Gavellus *locus ab Adria octavo fere milliario diſtans, Ferrariam verſus.*

e *Nullis Gallicanis faſtis invenio adſcriptum Venerium quempiam; inter Italiæ Sanctos nominantur à Ferrario duo, 13 ſept. quorum vnus ſeculo Chriſti ſeptimo, alius vndecimo claruerit. Vereor tamen ne ab horum altero, titulũ Sancti, qui infra datur huic Bedæ ſocio, mutuatus fuerit Interpolator.*

E

f *Additur in MS.* Ad quem locum cum adveniſſet ſervus Chriſti Beda, fertur prompſiſſe præſagia: Gaudent qui velit, cum poſtmodum plorabit cum noluerit: diu gaudebit vere cum poſt plorabit amare: at ſi labor eſt in cauſa gaudia ſequatur amœna. Hæc ſunt reſponſa quæ Deus revelavit ſibi de prædicto loco: qui etiam de Adria civitate, fundata ab Adriano Imperatore, talia prædixit.

Præſagia Bedæ tributa

Adria magna muris olim fuit edita miris:
Fortunæ bello ſed erit contenta popello.

Quæ loca jam ad hoc devenerunt quod vir Dei prædixit: nam alter à Totila, Rege Gothorum barbariſſimo, poſt non multa tempora noſcitur debellatus: alter vero ab iiſdem Gotthis jam pene cognoſcitur annullatus; & ſi quid ab illa devaſtatione reſidui fuit, alluvione aquarum paulatim conſumitur. *Quod ad primam partem attinet, ea quomodo Gavelli devaſtationem explicet, non aſſequimur; potius videtur ſignificari propoſitum pœnitentiæ iſtic agendæ, & ſic poſſet veteris auctoris eſſe: omittere tamen maluimus eam periodum, quod commodum ſenſum non faciat, & abſque diſpendio hiſtoriæ à contextu abeſſe poſſit. Pars altera, aut ſaltem ſubſequens explicatio eſt, ab Interpolatore temporum imperito adjecta, cum Totilæ irruptio in Italiam anno 541 cœperit, tot ſeculis prius quam Beda hic naſceretur.*

& inſulæ explicata

F

g *Huc ſpectat diſtichon ante Vitam in MS. Genuenſi expreſſum:*

En Beda quæ dictat ſibi cuncta columba miniſtrat;
Venerius curat, ſcribens quod vterque figurat.

Ea columba mox deſcribitur; & licet forſitan vera columba fuerit ac naturalis, pie tamen accipi potuit, velut indicium ſupernaturalis gratiæ, ſancto ſeni à Deo adjunctæ, propter modum minus naturalem quo ipſa eum aſſectabatur. Quod autem Venerio amanuenſi vtens, eidem dictare ſolitus ſit tum epiſtolas, tum pias aliquas commentatiuncalas, quarum nunc memoria exciderit nolim affirmare vel infirmare: expungo tamen, librorum indicem, quem de ſuo addit Interpolator, eum à ſeniore Beda mutuatus, in hæc verba. Compoſuit autem vir Domini Beda ad ædificationem vniverſalis Eccleſiæ multos libros videlicet Commenta ſuper tres Euangeliſtas Mattheum, Marcum & Lucam. Super Ioannem fecit Homilias plurimas. Expoſuit quoque librum Actuum Apoſtolorum, Epiſtolas Canonicas, Apocalypſim; & etiam, ſicut aſſeritur, expoſuit Parabolas Salomonis. Fecit quoque Chronicam perutilem, in qua à mundi principio vſque ad Gratianum Imperatorem illuſtrium virorum

ſcripta eidem per errorem tributa.

A rorum tam Philoſophorum antiquorum quam Catholicorum Patrum & etiam Imperatorum geſta copioſa brevitate diſtinxit. Multos quoque tractatus edidit tam proſaico quam metrico ſtylo, valde utiles ad arguendum, ad docendum, ad corripiendum; in ſermone & virtute veraces. *Quæ omnia melius à Vita hac abeſſent, licet ea Wion in ſua Epitome retinuerit.*

h *Hinc nata fabula quæ vulgo de Seniori Beda circumfertur, quaſi per ludibrium ſuorum rogatus verba facere ad cumulum lapidum, eoſdem ſibi habuerit acclamantes*, Amen Venerabilis Beda, *unde uſus invaluerit, ut hoc deinceps titulo fuerit in Eccleſia notus. De eo nos agemus 26 Maii, quo obiit, necdum ſexagenarius, ac proinde oculis ad extremum valentibus.*

i Eutychiani, *ut ait Senior Beda lib. 4 cap. 49 ſuper cap.* XI *Lucæ*, negando Mariam ſemper virginem, ſancti ſpiritus operante virtute, naſcituro cum humanis membris Unigenito Dei carnis ſuæ materiam miniſtraſſe, verum conſubſtantialemque matri filium hominis fateri non debere dixerunt: *eleganterque ſubjungit:* Sed ſi caro Verbi Dei, ſecundum carnem naſcentis, à carne Virginis matris pronuntiatur extranea, ſine cauſa venter qui eam portaſſet, ubera quæ lactaſſent, beatificantur. *Vnde autem tunc in Italia hujuſmodi hæreſis, ante annos quadringentos in Concilio Chalcedonenſi damnata? Fæces hæ fuerint reliquæ à Græco Exarchatu, ſub quo diu manſerat Adria, Archiepiſcopatui Ravennati ſubjecta.*

k *Hinc movemur, ut Bedam hunc plus quam ſeptem annis dicamus vixiſſe Gavelli, plures autem dare non poſſemus, ſi ſolum anno 875 cum Carolo Calvo veniſſet in Italiam Beda, anno poſt ejus obitum 5 Chriſti 883 mortuus, ut mox dicetur.*

l *Ita ex uſu interpretandorum ſuo tempore nominum Interpolator, quem vel hinc colligas ſeculo 14 ſcripſiſſe. Vera autem nominis ratio ex Saxonica lingua petenda videtur, in qua* Bede, *ſicut etiam hodie apud Teutones, ſignificat rem petendo vel orando obtentam, à* Bidden *orare, petere.*

m *Ejuſdem ſcilicet à quo receptus ad monaſterium fuerat: quod rurſum nos movet, ne decennio longiorem faciamus Bedæ hujus monachatum.*

CAPUT III.

C

Tranſlatio Corporis Gavello Genuam.

Gavellum monaſterium olim amplum & opulentum

16 QUoniam Hiſtoriographus, qui B. Bedæ Vitam tractavit ſuo modo, ſatis ſufficienter expoſuit, quis fuerit, qualiter educatus atque inſtructus extiterit, qualiterque etiam pervenit ad monaſterium de Gavello, quod erat tunc in partibus Adriæ mirifice fabricatum &, copioſe dotatum, &, quod valde melius erat, totum in perſonis & rebus univerſæ honeſtati deditum, & ſacræ religionis inſtitutionibus ac divino cultui præcipue mancipatum: docuit etiam quomodo dictus Sanctus ibidem fuit aliquanto tempore converſatus, nec non & de miraculis quæ per eum Dominus dignatus eſt operari: demum vero qualiter ab hac luce migravit fideli narratione patefecit. Dignum quoque videtur, qualiter ab eodem monaſterio, ad orthodoxam atque Catholicam Januenſium civitatem, oſſa dicti Patris fuerint tranſportata, fidelium auribus intimare: quatenus Dei judicia, quamvis occulta, juſtiſſima ſine dubio prædicentur; & circa tanti Patris Reliquias, ad honorem Omnipotentis Domini, honor & reverentia generaliter ab univerſis Catholicis ſuſcipiat incrementum.

B

17 Itaque donec in jam dicto monaſterio de Gavello vir Domini Beda, cum religioſis Fratribus, qui Domino ſerviebant, in hoc vita permanſit, monaſterium ſæpe nominatum ſemper de bono in melius multipliciter excreſcebat. Subtractis vero viris in quibus ordo religionis vigebat, cœpit quoque monaſterium ob religionis defectum in perſonis & rebus, fama & merito minorari, in tantum quod locus ipſe jam fere ad deſolutionem devenit. Cum enim dudum in reverentia maxima multorum frequentaretur acceſſu, moco peccatis exigentibus tota circum adjacens regio in ſtagnum verſa eſt & paludem; & terra prius frugifera converſa eſt in ſalſuginem, ita quod pene non ſit qui inhabitare in ea velit: nec eſt ibi chorus Deo famulantium ut ſolebat, propter quod divina munia more debito non perſolvuntur in eodem loco, ſed ſolus Abbas, cum nimio defectu monaſticæ diſciplinæ, ſingulariter ibidem vivere perhibetur, abſque Dei ſervorum ſocietate. Quibus ſiquidem cauſis, cæleſtis auctoritas majeſtatis, quæ ſine debito cuncta diſponit, juſto judicio voluit, ut corpus S. Bedæ in eodem loco, Clero & populo deſtituto, diutius non remaneret; in quo, propter memoratos defectus, non poterat juxta honorem tanto Patri debitum venerari.

ex MS. dum diſciplina floruit regulari,

eadem collapſa diſſipatur.

E

18 Placuit igitur altiſſimo Proviſori, ut quidam monachus Fructuarienſis *a* Ordinis, natione Genuenſis, Joannes nomine, Bibens-aquam cognomine, tranſitum faceret per Gavellum: qui viſo tanti Patris tumulo non apte [ornato] in admirationem maximam eſt commotus, ex eo quod tam venerabiles Reliquiæ omni fere veneratione carebant. Cumque in tali admiratione ſimul & hæſitatione maneret, ſemetipſum introrſus ſciſcitans percunctabatur, quid magis eſſet divinæ providentiæ ac diſpoſitioni acceptum, utrum ſic abſque veneratione relinquere intactas in eodem loco tanti Patroni exuvias; an eſſet ſibi aliquatenus ſatagendum eaſdem transferre ad aliam eccleſiam, ubi poſſent à Clero & populo frequentari, nec non & divinis officiis ſicut decet & convenit aſſidue venerari.

a ubi ſanctum corpus ſine honore inveniens Joannes Genuen.

19 Denique in tali dubio ad hoſpitium cum ſociis eſt reverſus: ibique cum de jam dicto Sancto ad invicem loquerentur, inquirentes quis fuerit vel unde venerit, & de monaſterio ipſo quemadmodum regeretur; intellexit jam dictus monachus, per habitatores illarum partium (qui ab antiquo & per antiquos, à quibus originem ducebant, ſe noſſe aſſerebant) quod Beda Beatus in eodem monaſterio in vita ſua laudabiliter in omnipotentis Dei ſervitio religioſiſſime vixerat; & poſt hujus vitæ tranſitum depoſito carnis onere cum via, lætanter ad ſuæ puritatis revolaſſet auctorem, & ejuſdem corporis ſacra pignora ibidem fuiſſent honorifice tumulata. Qui nihilominus affirmabant, quod donec monaſterium & habitantes in eo in divinis obſequiis religioſe manſerunt, tam diu non ſolum à finitimis, verum etiam à remotæ regionis hominibus ſancti Patris Bedæ reliquiæ, cum toto monaſterio & his quæ ad monaſterium pertinebant, miro venerabantur affectu: ſed poſtquam vigor Domini declinavit, cœpit quoque ab eorum viſitationibus atque oblationibus frequentantium multitudo ceſſare.

F

& intelligens quanta in veneratione olim fuiſſet.

20 Cumque talia ſimul & alia loquerentur; unus ex præſentibus in vocem ſubmurmurando prorupit, quod non ibi diutius ſacræ Reliquiæ remanerent,

EX MS. *esse etiam qui illud alio auferre vellet:*

nerent, quia ipse eas ad aliam ecclesiam transportaret. Quæ omnia verba prædictus monachus Fructuariensis Joannes *b* Beaqua in corde suo solicite conservabat, præcipue illud quod dixerat de sacris Reliquiis transferendis; & quod intellexit alium facere velle, festinavit anticipare voluntatem illius in operatione, apposuitque falcem operis in messe alienæ deliberationis. Paratis igitur omnibus quæ ad tale negotium agendum sibi sufficere videbantur, [implorato auxilio] summi Gubernatoris, convocavit quemdam sibi familiarem, qui navigandi scientiam in illis partibus competenter habebat, eique suæ voluntatis revelavit arcanum; accepta primitus ab eo sponsione, ne cuiquam hominum secretum quod sibi panderet, ante peractum negotium, aliquatenus aperiret. Et quoniam id ad quod animum intendebat, commodius fieri posse taliter existimabat, cum fido socio navem conscendit, atque ad thesaurum desiderabilem festinanter pergere properavit.

b

eumdem præoccupaturus sedit ad locum,

21 Porro cum jam transissent stagni medietatem, tanta eos nebulæ obscuritas obumbravit, ut etiam rector illius naviculæ, qui locorum illorum plenam notitiam omni tempore se habere putabat, & per partes illas sæpe multos dirigere consueverat; ubi esset & ad quam partem naviculam in qua erant dirigere deberet, penitus ignoraret. Tunc monachus sæpe dictus, in hæsitatione cum æstuatione maxima constitutus, pro eo quod illud quod toto corde concupierat potius ad defectum quam ad profectum sibi cedere videbat, summi Gubernatoris atque Rectoris cœpit implorare auxilium dicens, Deus scientiarum, Deus occultorum omnium indagator, qui scrutaris renes & corda, qui separas pretiosum à vili, dirige desiderium meum in beneplacito tuo, ut per me peccatorem istius Sancti reliquiæ transferantur: ostende mihi viam in multitudine aquarum istarum, per quam possim ad monasterium ambulare, ubi corpus sanctissimum requiescit: quod si non fuerit de tuæ beneplacito voluntatis, numquam voluntas mea suæ postulationis sortiatur effectum. Continuo autem oratione finita, omnis densitas aëris visa est abscessisse.

& effusa per viam nebula

B

post fusas preces expeditus,

22 Nec mora, viam per quam navigare debebant monachus nauclero demonstravit, intulitque ad eum, Istam per partem, nauclere, dirige navem. Et subito, post brevis temporis intervallum, apparuit illis monasterium quod desiderabant. Quo viso, gaudio gavisi sunt vehementi, & properantes velociter pervenerunt ad locum. Egressique de navi ad ecclesiam pedetentim ambulare cœperunt, simulantes se orationis gratia illuc tamquam peregrinos venisse. Cumque ad ecclesiam pervenissent, monachus socium extra ecclesiam dereliquit, quatenus callide exploraret, ne quis superveniret qui eos ab eo quod inceperant disturbaret. Quid multa? monachus accessit ad loculum ubi sacræ Reliquiæ consistebant; & tamdiu se per diversos conatus exercuit, quousque ille sine quo omnis humana fortitudo atque scientia debilitas atque insipientia merito judicatur, suum sibi porrexit auxilium, robur atque consilium: & tandem aliquando capsulam illam, in qua erant sacrati corporis ossa excutiendo & diversis operationibus artificiosius insistendo non sine difficultate aperuit, eademque ossa extraxit de loco in quo erant, & in suo apparatu quem secum ad hoc tulerat studiose locavit. Deinde accepto thesauro, propter quem tamdiu laboraverat, gaudens & exultans, cum suo sodali protinus recurrit ad navim: ingredientesque in eam per eumdem locum, ad locum in quo redire disposuerant, velociter sine impedimento aliquo revertuntur.

C

ecclesiamque ingressus

capsam effringit,

D

corpus aufert,

23 His ita peractis, prætaxatus monachus, videns quod in quantum majorem reverentiam sacris Reliquiis exhiberet, in tantum divino conspectui plus placeret; suppposuit humeros proprios ad portandum, & in scapulis suis sancti corporis onus sine alterius adminiculo per dies plurimos asportavit, donec ad monasterium in honore S. Benigni Presbyteri & Martyris constructum, juxta nobilissimam civitatem quæ Janua nuncupatur, in loco qui dicitur Caput-phari, cum incunditate magna devenit: ibique sancti corporis venerandas Reliquias cum summa veneratione collocavit. O Felix civitas, quæ tam felici meruisti decorari Patrono! ô Dei omnipotentis inæstimabilis dispensatio! Quis unquam crederet hujus Sancti reliquias, ad Januensis urbis sublevationem atque decorem tanto tempore reservatas? Sed merito sublimatur plus ceteris & honoratur: quicumque enim honorat Deum, non dubium quin honoretur ab eo. In hac felicissima urbe nostra Deus honoratur, fides colitur, & perfidia conculcatur; hæretici deprimuntur & Catholici exaltantur, per omnia benedictus Deus in secula seculorum. Amen. *c*

& Genuam defert ad monast. S. Benigni.

E

c

24 Miraculis quoque à B. Beda per divinam potentiam factis ipsa quoque civitas plurimum honoratur: de quibus pauca de plurimis ad Domini gloriam proponantur. Puella quædam parvula, quæ à spiritibus immundis graviter vexabatur, post multorum visitationem Sanctorum, ad ecclesiam S. Benigni ducta est à parentibus, nondum de B. Bedæ præsentia cognoscentibus. Cumque alterius *d* Sancti, qui veneratur in eadem ecclesia, multoties auxilium invocassent, sed in puella nullum sanitatis intelligerent signum, ad aliam ecclesiam cum eadem puella pergere disponebant. Jamque recedentibus dictum est ut ad B. Bedæ præsentiam ducere deberent puellam: qua perducta, cum hi qui præsentes aderant Deum & B. Bedam diutissime perorarent, consilium acceperunt, ut catenam illam, qua capsula illa, in qua erant Reliquiæ B. Bedæ, continebatur, collo puellæ imponerent. Quod cum factum fuisset, effugatis dæmonibus, puella sanitatis medelam recepit, ita quod deinceps nullum in eam maligni spiritus potuerunt habere regressum.

ubi ad ejus tumbam liberatur energumena.

a

F

ANNOTATA.

a Fructuariense monasterium *ad Padum*, *anno* 1003 *conditum à* S. *Guillelmo Abbate Divionensi & Cluniacensis congregationis propagatore insigni, caput ejusdem congregationis in Italia, de quo vide Vitam istius Sancti* 1 *Ianuarii num.* 24, *& diploma fundationis & seriem Abbatum in Historia Chronologica regionis Pedemontana per Franciscum Augustinum ab Ecclesia, Taurini anno* 1646 *edita cap.* 27.

b *In epitome quadam nobis Genuæ exhibita transcriptaque idem nomen magis integre scribitur* Bevilacqua: *quomodo etiam scripsit Wion.*

c *Addebatur in Ms.* Explicit 1230. *An ut notetur annus facta Translationis? At in predicta epitome notatur annus* 1233. *Hoc certum, errasse Wionem notando annum* 1255, *fortasis deceptum similitudine eâ quæ est inter litteras* 3 *&* 5 *præsertim manuscriptas. Mox enim dabimus Bullam indulgentiarum corpus Genuæ venerantibus concessarum, Innocentii* IV *anno* V, *qui est Christi* 1247.

d B. Martinus Solitarius *cujus Vitam dedimus* VIII *hujus*

A *hujus, obiit an.* 1342 *ex quo diſcas hanc appendicẽ poſtea adjectam: & videtur plura colligere voluiſſe ſcriptor, licet unum ſolum miraculum hoc inveniatur in* Ms. *fortaſsis non integro.*

CAPUT IV.

Cultus B. Bedæ apud Genuenſes.

25 PAucis *poſt Tranſlationem annis placuit, ad Genuenſis populi pietatem magis extimulandam, Romanum Pontificem interpellare: unde adhuc ſervatur* Bulla Innocentii IV, pro indulgentia conſequenda in feſto ſancti & Venerabilis Bedæ Presbyteri, & per ejus Octavam, *hoc tenore*: Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conventui monaſterii S. Benigni, Januenſis diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Licet is, de cujus munere venit ut ſibi à fidelibus ſuis digne & laudabiliter ſerviatur, de abundantia pietatis ſuæ, quæ merita ſupplicum excedit & vota, bene ſervientibus multo majora retribuat quam valeant promereri; nihilominus tamen deſiderantes Domino reddere populum acceptabilem, fideles Chriſti ad complacendum, quaſi quibuſdam illectos muneribus, Indulgentiis videlicet & remiſſionibus, invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur ut eccleſia veſtra, in qua corpus B. Bedæ Presbyteri, ut aſſeritis, requieſcit, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui eccleſiam ipſam, in feſto ſancti ejuſdem & uſque ad octo dies poſt feſtum ipſius, venerabiliter viſitarint, de omnipotentis Dei miſericordia & BB. Petri & Pauli Apoſtolorũ ejus auctoritate confiſi, XL dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Lugduni Idib. Decembris, Pontificatus noſtri anno quinto. *Indulgentia ad dierum data ab Innocentio* IV.

B *Alia indulgentia plenaria, data eſt à Gregorio Papa* XIII *viſitantibus in Paſchate altare B. Bedæ, Romæ* VIII *Ianuarii,* MDLXXXIII, *Pontificatus anno* XI. *plenaria à Gregorio* 13. *Extat præterea Sixti V pro nova Corporis Tranſlatione facienda Breve hujuſmodi.*

26 Sixtus Papa V dilectis filiis Abbati & monachis monaſterii S. Benigni de Capite-Fari, prope & extra muros civitatis Ianuenſis, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Caſſinẽſis alias S. Juſtinæ de Padua. Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cũ, ſicut accepimus, Venerabilis Bedæ, Presbyteri olim Ordinis S. Benedicti, oſſa in eccleſia veſtri monaſterii S. Benigni de Capite-fari, prope & extra muros Januenſes, ejuſdem Ordinis Congregationis Caſſinenſis alias S. Juſtinæ de Padua, & in certo illius altari repoſita exiſtant, ac vos pro majori decentia & forſan commoditate, & alias ex certis rationabilis cauſis, cupiatis illa ab eodẽ altari ad majus altare dictæ eccleſiæ transferre, ſed vereamini id vobis licere abſq; ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulto; nos propterea honeſtis veſtris votis hac in parte annuere, ac in præmiſſis opportune providere volentes, voſq; & veſtrũ ſingulares perſonas à quibuſvis..... abſolutos fore cenſentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, ut cũ ea decentia, ornatu & veneratione, & pompa ac ordine, ſervato arbitrio Venerabilis Fratris Archiepiſcopi Januẽſis præſcribendis, dicti Venerabilis Bedæ Presbyteri oſſa ab eo altari, apud quod nunc aſſervata reperiuntur, ad majus altare ejuſdem eccleſiæ ſervatis etiã debitis & ſolitis ceremoniis ac devotione, trãſportare & transferre, ac poſtquã tranſlata & tranſportata fuerint, illa apud dictum altare majus conſervare & conſervari facere & venerari libere & licite valeatis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentiũ concedimus..... non obſtantibus..... Datum Romæ..... XXII Octobr. MDLXXXVI, Pontificatus anno II. *Facultas Sixtis ut Corpus deferatur ad majus altare,* C D *data anno* 1586.

27 *Hæc quidem tunc cum Archiepiſcopus Genuenſis eſſet Antonius Saulius, Cypriani Palavicini eodem anno defuncti antea coadjutor, & paulo poſt Cardinalis tit. S. Vitalis. ed rebus publice privatimve turbatis nihil eorum quæ Pontifici propoſuerant monachi, per annos quadraginta ſeptem executioni mandatum eſt; uti probat* Decretum Patrum Viſitatorum circa tranſlationem Corporis Venerabilis Bedæ, *quod ita ſcriptum invenimus.* Viſitantes nos infraſcripti eccleſiam S. Benigni de Janua, & reperientes capellam, in qua requieſcit corpus Venerabilis Bedæ Presbyteri, debito ita deſtitutã cultu ut non appareat ibi eſſe, aut non ſine ſpectantium querela, quod merita Sanctiſſimi Patris ad contemptum uſq; parvi ducuntur; præcipimus Reverendiſſimo P. Abbati S. Benigni ejuſque Cellerario, ut juxta decretum Sixti V fel. mem. ſuper hoc emanatum, congruenti ſolemnitate transferant Beata oſſa ad altare majus ut ibi honeſtiore ornatu expoſita ſint adeuntibus templum; aut ſaltem inſtanter curent ut reſtauretur, decenterque ornetur, ac de cõgrua ſupellectile provideatur ſolita capella, ab illis qui ſuper illã jus dicunt habere Totum vero quod in hoc actum fuerit, referant futuræ Diætæ & Capitulo generali; & ſi negligẽter ſe geſſerint, ad arbitrium regiminis punientur. Datum in monaſterio S. Salvatoris Papiæ, die IV Novembris MDCXXXIX, D Victorinus ab Immola, Abbas Ravennæ; D Andreas à Parma, Abbas Parmæ; Viſitatores. E *Viſitatores decernunt corpus transferendum.* *anno* 1639.

28 *Decretum hoc impletum fuit intra annos* 1643 *& 1650, quando factum eſt marmoreũ altare, medium ex tribus ad ſiniſtrum templi latus: cujus altaris elegans tabula ipſum Venerabilem Bedam, in habitu Benedictino repræſentat, corã apparente ſibi Chriſto ſcribentẽ, & tabulæ ejuſdem pars infima; per quadrũ exſecta, videndã exhibet arcam interius intra murum clauſam. Feſtum ibdem ab immemorabili tempore celebratur* X *Aprilis, ritu Majoris duplicis: inſcribiturq; Kalẽdario hoc modo,* Sancti & Venerabilis Bedæ Confeſſoris & Doctoris, Duplex majus. *Caput miro odore fragrans in thecis argẽteis reſervatur; reliquum corpus in prædicta marmorea arca. Aliquas S. Bedæ Reliquias aſſervari Bononiæ in eccleſia Hoſpitalis de morte, aſſerit Maſinus in Bononia perluſtrata hoc die: quas hujus potius quam ſenioris eſſe facile perſuadet ipſa ratio loci.* F *executio fiacta poſt an.* 1643

DE SANCTO MACARIO,

ARCHIEPISCOPO ANTIOCHENO, GANDAVI IN FLANDRIA. G. H.

AN. MXII

Gandavi, monaſteria à S. Amando conſtructa:



Andavum urbs Flandrorũ nobiliſſima, & ſua amplitudine maximis urbibus, non ſolum Belgii, ſed totius fere Europæ æquiparanda, à S. Amando olim fide Chriſtiana exculta fuit, & præclaris monaſteriis exornata. Horum primũ cenſetur, olim S. Petro & reliquis Apoſtolis dicatũ, ac ſæpe monaſterium Gandenſe appellatum: alterũ eſt Blandinium dictũ, SS. Petro & Paulo ſacrum, & nunc fere monaſterium S. Petri vocatum. Virũſq; infra in Actis S. Macarii mentio celebratur: ſed prius ejus habitatione, obitu, reliquiis & miraculis nobilitatur. In hoc monaſterio ipſe qui extruxerat Amãdus S. Bavonẽ, *unum poſt S. Bavonis dictum; ejus Abbas Eremboldus varias reliquias accipit,*

ex Hasbania ad ſe venientẽ excepit doctrinaq; & pietate excultum, in Clericũ attondit; & tandẽ ſanctiſſime mortuum ſepulturæ mãdavit. Hinc poſtea monaſteriũ S. Bavonis eſt nominatũ. Conſule plura à nobis dicta VI Februarii ad Vitã S. Amandi, & XIX Martii ad Vitã SS. Landoaldi Archipresbyteri, Amantii Diaconi, Adriani Martyris, Iuliani, Vincianæ & Adeltrudis: quorũ reliquiæ anno DCCCCLXXX Wintershovio ad dictum S. Bavonis monaſterium fuerunt tranſlatæ.

2 Inter Abbates hujus monaſterii ſatis eminuit Eremboldus, qui Odwino XVI Kalendas Iulii anno DCCCCXCVIII mortuo, ſucceſſit, & IX Kalendas Auguſti anni MXVII vita functus

AUCTORE G. H.

& corpus S. Bavonis o ſtendi curat:

S. Macarium ſepelit

& Acta cõ ſcribi jubet:

ab Otthoboldo Abbate,

poſt an. 1019 nomen inter Sanctos recenſetur,

anno 1067 corpus elevatur,

& alia Acta conſcribuntur:

ſanctus eſt. Hic Roma ad ſuum monaſterium curavit transmitti reliquias S. Pancratii & plurimorum aliorum Sanctorum; & Holtemo, agri Aloſtani vico, tranſtulit ſolenni apparatu corpus S. Livini, anno MVII. *Dein anno* MX, *ipſis Kalendis Auguſti, curavit detegi & oſtendi corpus S. Bavonis: ac dein anno ſequente* MXI *excepit peregrinum hoſpitem, S. Macarium Epiſcopum; quem proximo anno* MXII *ſanctiſſime mortuum,* IV *Idus Aprilis, honorifice ſepelivit in crypta B. Mariæ ante altare* S. *Pauli: cumque mox miraculis plurimis coruſcarent dicti Sancti, curavit ea diligenter ab aliquo è ſuis monachis conſcribi, quæ ex vetuſtiſſimo Ms. nacti ſumus. Auctor in Hiſtoria detecti corporis S. Bavonis ita loquitur:* Vera obedientia coactus, inſignia ſancti Patris Bavonis, noſtris temporibus acta, ut aliquo modo lucidius enuclearem, aggreſſus ſum: *& narratis aliquot miraculis, ſequebantur in autographo tria folia pura, ut ſcilicet quæ dein patrarentur miracula poſſent ſubjungi: poſtea habebatur aliqua relatio de adventu S. Macarii, ejuſque morte & miraculis, hoc exordio:* Quo ſacra S. Bavonis detecta ſunt membra tempore, ac ordine ſupra memorato repoſta; adiit hoc Gandenſe cœnobium... Macarius. *Hinc eumdem utriuſque relationis auctorem agnoſcimus, qui ſe ubique præſentem adfuiſſe teſtatur: & ultimum miraculum patratum dicit,* anno præſenti MXIV in Paſchalibus, *in miſere incurvato, qui, inquit,* per dies Paſchæ nobiſcum commoratus, lætos reddidit, jamque ſecurus ſui ſanus abſceſſit, *cum ſolum biennio è vita diſceſiſſet S. Macarius.*

3 Anno MXIX ordinatur Otthoboldus Abbas Gandenſis; à quo Domina Otgiva, Flandriæ Comitiſſa, humiliter petiit, ut Sanctorum nomina, quorum corpora Deo annuente in Gaudenſi cœnobio requieſcunt, ſibi tranſmittere dignaretur. Venerabilis vero Abbas Otthoboldus, devotiſſimæ Comitiſſæ precibus inclinatus, Sanctorum & Sanctarum nomina, in dicto Gandenſi cœnobio quieſcentium, eidem Comitiſſæ, ut memoriam eorum haberet in præſenti, & ut partem cum iis habere mereretur in futuro, tranſmittere curavit. *Ita habetur in fine Chronicæ Ms. hujus cœnobii, ubi memoriæ prænotatæ atque iſtic tranſcriptæ auctor, proponit notare ſigillatim dictorum Sanctorum nomina, quod mox facit, cum brevi uniuſcujuſque elogio: enumerationem autem concludit* Nonus, *& ultimus inter illos,* Beatæ memoriæ Macarius, Antiochenæ Sedis Archiepiſcopus, ſapientia & morum honeſtate præclarus; ſicut, præfatus Otthoboldus Abbas, utpote ab eo viſus & notus, teſtatur. *Igitur vel adhuc vivebat Otthoboldus cum hæc memoria primum ſcriberetur, vel aliquid de Macario ſcriptum reliquerat, quod auctor memoriæ præ oculis habuit & in quo illud elogium legebatur, quod hiſce verbis continuatur:* quem, *ſcilicet Macarium,* poſt plurima peregrinationis incommoda Gandenſi cœnobio tranſmittere dignatus eſt Dominus: ubi præſentis vitæ moleſtia exutus, & æterna gloria ſublimatus, crebris miraculorum ſignis poſtmodum mirifice claruit.

4 *Fuit Otthoboldus præmemorati Erkemboldi ſucceſſor proximus, & ſucceſſorem poſt ſe habuit anno* MXXXIV *Abbatem Lidwinum: hoc autem poſt biennium reſignante, Rumoldum: cui mox depoſito ſuffectus eſt anno ſequenti Folbertus. Folberti mortem, anno* MLXVI *obitam excepit* Sigerus Abbas, *cujus ſecundo anno, elapſis ab obitu S. Macarii annis quinque & quinquaginta,* cum præclaris miraculorum inſignibus B. Macarii clareret ſepulcralis locus, *ut infra in aliis Actis dicitur, elevatum eſt ejus corpus* VII Idus Maii anno MLXVII; *ac tunc, hortatu ejuſdem* Sigeri Abbatis, *conſcripta ſunt Acta longiſſima vitæ, in patria, Epiſcopatu & peregrinatione peractæ, miraculorum etiam & elevationis hiſtoria. Hæc Acta ex Ms. Thoſano damus, eademque extant in vetuſtiſſimo Ms. Paderbornenſi monaſterii Abdinchovenſis, & in Ms. Paſſionali cœnobii Bodecenſis in diœceſi Paderbornenſi: in quibus interſerebantur nonnulla miracula, quæ ex prioribus Actis ſunt dilatata. Auctor prioris Vitæ noluit* peregrinationis ſeriem explicare, *veritus ne* veritas, fama incertæ opinionis præſtantior, *aliquo modo læderetur. Interim videntur omnia ex ore S. Macarii ſociorumque excepta fuiſſe & annotata, eaque auctor poſterioris Vitæ multum amplificavit. Surius eamdem edidit, ſed ſtylo pleriſque in locis mutato, & variis quæ redundare videbantur in compendium redactis. Sed malumus ipſa Acta integra more noſtro exhibere, ut lector commodius judicet, quæ ipſis ſit fides adhibenda. Habemus etiam ipſi illuſtre compendium ex parvo Ms.* Gandenſi *cœnobii S. Bavonis deſcriptum, quod ſubnectere poſſemus, ſed ejus omnis probabilitas ex aliis majoribus Actis eſt ſtabilienda. Aliud Compendium habemus in Mss. quibuſdam Vitis aliquot Patronorum Flandriæ, priori ſuccinctius & tertium adhuc brevius in Ms. Chronico Gandenſi hujus cœnobii* S. *Bavonis: in quo etiam habetur* Epitaphium S. Macarii Antiochenæ Sedis Archiepiſcopi *his verbis:* Hic requieſcit S. Macarius, peregrinus & Archiepiſcopus, de monaſterio S. Simeonis de Antiochia: qui obiit anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti MXII, IV Idus Aprilis, Henrico Romanis, Francis principante Roberto, Balduino Barbato Flandrenſium Comite. *Sed hæc miſſa facimus, uti etiam ea quæ ediderunt Antonius Sanderus lib. 2 de Sanctis Flandriæ, Hæreus, Lippelous, & alii etiam variis linguis, ac Legendariis inſeruerunt. Potius hic addendum videtur, quod prædicta elevatio corporis S.* Macarii *facta ſit anno immediate ſequenti conſecrationem novi templi S. Bavonis, peractam anno* MLXVI *à Balduino Epiſcopo Tornacenſi ac Noviomenſi: qui paulo ante dedicaverat Inſulis eccleſiam S. Petri, illuc invitatus ab ejus fundatore Balduino Inſulenſi Flandriæ Comite. Quia autem elevando corpori S. Macarii iidem Comes & Epiſcopus interfuiſſe leguntur; ideo Canonici eccleſiæ prædictæ S. Petri non temere ſibi perſuadent,* Brachium S. Macarii, *quod apud ſe eſt, quamvis recentioris operis thecæ eleganti nunc contineatur, ſibi jam olim obtigiſſe ex liberalitate ipſius Comitis & Epiſcopi conſenſu. Certe antiquam eſſe poſſeſſionem docuit nos R. P. Ioſephus Ignatius à S. Antonio Carmelita Diſcalceatus, ex litteris Vener. Decani & Capituli Inſulenſis S. Petri, datis menſe Iunio anni* MCCXXX, *ubi de Rogerio Inſulenſi Caſtellano dicitur:* Fecit quoque phylacterium fieri ad brachium S. Donatiani, & decoravit brachium S. Macarii. *Porro cum anno Chriſti* MDXXXVII *auctoritate Pauli III Pontificis Romani, loco monaſterii arce ad urbis cuſtodiam à Carolo V Imperatore conſtructa, monachi S. Bavonis veſte mutata in Canonicos aſſumpti eſſent, & triennio poſt in Parochialem S. Ioannis Baptiſtæ baſilicam Gandenſem, nunc Cathedralem tranſlati; ad eamdem quoque devecta fuerunt corpora Sanctorum, & unum ex ſacellis ejuſdem Baſilicæ* S. *Macarii titulo donatum eſt.*

5 *In illa lamentabili rerum ſacrarum ſtrage, quam furor Calviniſticus per Belgicas urbes fecit anno* MDLXVI, *cariora nonnulla pignora ſervavit Catholicorum cura, ad ſolatium poſteritatis. Inter hæc Gandavi fuit Corpus S. Macarii, cujus invocata ope ſæpe fuerat urbis à peſte liberata. Pace autem orthodoxis Flandris reddita, & avitæ religionis cultu cum legitimi Regis obedientia reparato, reductum quoque illud eſt in ſedem ſuam priorem, eccleſiam ſcilicet Cathedralem, ubi uſque in hodiernum diem hac decima* Aprilis *Depoſitionis feſtum ſolenni ritu peragitur, & in ſecundis Veſperis ſit nuda Commemoratio S. Leonis Papæ: uti indicant Officia propria anno* MDLXXII *excuſa. Sunt autem Lectiones ſecundi Nocturni ac variæ Antiphonæ & Reſponſoria deſumpta ex majoribus Actis. Feſtum etiam Elevationis ejuſdem S. Macarii celebratur die nona Maii, tranſlato in ſequentem diem Officio de S.* Gregorio Nazianzeno: *cujus in ſecundis Veſperis S. Macarii ſit etiam nuda Commemoratio, & Lectio quarta deſumitur de geſtis in ipſa Elevatione corporis. In antiquo Breviario Antverpienſi præſcribitur Officium*

horum compendia:

cum epitaphio.

ſolenni ritu colitur 10 *Aprilis*

& 9 Maii.

A *ficium de Tranſlatione S. Nicolai cum commemoratione S. Macarii: & hæc recitatur Oratio:* Deusqui mira diſpoſitione B. Macariũ Archiepiſcopũ ab exteris nationibus nobis deſtinaſti Patronũ, cõcede propitius, ut ejus pia inter-ceſſione ab exilio mũdi feliciter perveniamus ad regna. *Inſcripta ejuſdem memoria eſt ſacris Faſtis Martyrologii Romani ad hunc* x *Aprilis iſtis verbis:* Eodẽ die S. Macarii Epiſcopi Antiocheni, virtutibus & miraculis clari. *In antiquo MS. Martyrologio Bruxellenſi eccleſiæ S. Gudilæ iſtud encomium habetur:* Item S. Macarii, Archiepiſcopi Antiocheni, qui laborioſa pro Chriſto peregrinatione ſuſcepta Gandavum venit, & ibi in monaſterio B. Bavonis moriens, ſancto fine quievit. *Similia leguntur in Florario MS. item apud Grevenum & Molanum in additionibus ad Vſuardum & plures alios. Longiſſimo eum exornat elogio Sauſſajus in Martyrologio Gallicano. At die* IX *Maji, ob corporis elevationem, celebratur in Martyrologiis MSS. Centulenſi S. Richarii, Trevirenſi S. Maximini, & aliis: item in MS. Florario, & apud Grevenum & Molanum in Additionibus ad Vſuardum. Sed & Molanus late ad iſtum diem Acta ejus refert, & ſecuti ſunt paſſim alii recentiores.*

memoria in ſacris Faſtis.

B 6 *Reſtat inquirendum de patria & de Epiſcopatu* Antiocheno. *Auctor prioris Vitæ, qui* S. *Macarium Gandavum venientem una cum ſuo* Abbate *excepit, & ægrotanti adhuc ad fuit, aſſerit* eum faſſum, ſe fuiſſe Archiepiſcopum Antiochiæ, *quæ* vrbs Armeniæ flos erat, præſtans nobilitate, divitiis *&c. Iam autem varia eſt* Armeniæ *acceptio: ac primo eſt* Armenia *proprie dicta, inter Euphratem fluvium & Ciliciam, Cappadociam & Pontum Polemaicum, diſtincta in duas provincias, è quibus* Armenia *prima habet metropolim Sebaſten, & Armenia ſecunda* Melitenem: *neque vlla ibi eſt vrbs Epiſcopalis,* Antiochia *dicta. Præterea videntur vicinæ provinciæ ſubinde ſub* Armenia *comprehenſæ: nam in antiqua Notitia dignitatum Imperii Romani ſtatuuntur* Duces in Oriente rei militaris per Ægyptum duo, Libiæ, Thebaidos; per Orientem ſex, Phœnices, Euphratenſis, Syriæ Palæſtinæ, Oſrhoënæ, Meſopotamiæ, Arabiæ; per Ponticam vnus, Armeniæ; per Thracias duo, Mœſiæ ſecundæ, Scythiæ; per Illyricum duo, Daciæ Ripenſis, Mœſiæ primæ. *Vbi ſub Duce militari Armeniæ videntur comprehendi provinciæ Aſianæ & Pontica, quæ in Aſia minori ſeu Natolia collocantur, & maxime eæ tales ſunt habitæ, quæ in mediterraneis Armeniæ propriæ ſunt viciniores. Eſt ibi* Antiochia, *Piſidiæ metropolis, à* S. *Paulo, uti in Actis Apoſtolorum cap.* 13 *traditur, Chriſtianæ fidei præceptis imbuta, & ſanguine multorum Martyrum irrigata, ex quorum numero ſunt ſub Severo Imperatore paſſi SS. Charalampius Presbyter, Porphyrius & Baptus milites & tres mulieres, quorum Acta illuſtravimus ad diem* x *Februarii. Ibidem etiam Epiſcopus fuit S. Georgius, infra* XIX *Aprilis proferendus, qui tempore iconoclaſtarum ob ſacras imagines in exilium actus fuit. Ex hac Antiochia Piſidiæ metropolita Pergamius ſubſcripſit Concilio Chalcedonenſi, & Theodorus Collationi* VIII *Synodi* V *generalis. Ab hac vrbe regio ipſa poſtmodum traditur appellata, atque in ea Turcicus Præfectus hoc tempore reſidet. Suberant hi Archiepiſcopi Patriarchis Conſtantinopolitanis, apud quos decimo ſeculo viguiſſe orthodoxam religionem oſtendimus* V *Februarii ad Vitam S. Polyeucti, anno Chriſti* DCCCCLXX *vita functi: eoque tempore dicitur floruiſſe Macarius ſenior, Archiepiſcopus Antiochenus, & conſanguineus hujus S. Macarii, qui eum de ſacro fonte ſuſcepiſſet, bonis moribus & omni genere ſcientiarum inſtruxiſſet, & tandem apud Clerum & populum in ſucceſſorem ſuum eligi curaſſet. Vti hæc in poſteriore Vita leguntur.*

Armenia propriè ſumpta,

& late pro Aſia minori ſive Natolia,

ibi Antiochia Piſidiæ, vrbs Archiepiſcopalis,

C

ſub Patriarcha CP.

7 *Qualis eodem tempore fuerit Antiochia vrbs Syriæ, optime indicat Georgius Elmacinus in Hiſtoria Saracenica, quam ex Arabico Latine edidit Thomas Erpenius. Mortuo namque Ioanne Tzimiſce Imperatore Orientis anno* DCCCC LXXV, *die* IV *Decembris, ſucceſſit Baſilius Iunior Porphyrogenitus, filius Romani Iunioris Imperatoris cum fratre Conſtantino. Sub hoc Imperatore, teſte Elmacino pag.* 244, erat Halebi quidam, nomine Agabius, quem petierunt Antiocheni, ut eſſet Patriarcha eorum, eumque miſerunt ad ipſum Imperatorem: ad quem cum ingreſſus eſſet, indicavit ei ſtatum vrbis, & inclinationem atque affectum civium ejus erga ipſum, miſitque eum Imperator ad Abdallam Muntaſirum, ut tentaret eum movere ad obedientiam; promiſitque ei fore, ut reſtituta ſibi Antiochia conſtitueret ipſum Patriarcham ejus toto tempore vitæ ejus, Abdallæ autem daret quodcumque ei promitteret. Abiit igitur Agabius ignotus habitu monachali, ingreſſusque Antiochiam, convenit Abdallam, ac negotium cum eo tranſegit; ita ut Abdalla in obedientiam Imperatoris ſe daret, & imperium in vrbem ei reſtitueret; repudiato nomine Scleri. Sic Agabius factus eſt Patriarcha Antiochenus, die ſolis vigeſimo tertio Canonis poſterioris anni Alexandri MCCCXXVII, *ſive Hegira* CCCLXVII, *& anno Chriſti* DCCCC LXXVII.

EX MS. *Agabius creatus Patriarcha Antiochenus anno* 977.

8 *Verum poſtmodum ut tradit Elmacinus pag.* 252, Baſilius Imperator, indignatus contra Agabium Patriarcham, eum ejecit Antiochia, & manere coëgit Conſtantinopoli, in quodam monaſterio, cum jam præfuiſſet duodecim annos. Cauſſa ejus rei erat, quod Baſilius in ciſtis Bardæ Phocæ inveniſſet epiſtolam quamdam ejus, qua approbabat conſilium Phocæ de rebellione, & confirmabat eum in iſto propoſito. Manſit autem in iſto exilio fere ſeptem annos: atque eo tempore fiebant ſartoniæ in Sede ejus. *Ejectus ergo eſt* Agabius *anno* DCCCCLXXXIX, *& poſt exilium annorum ſeptem reverſus videtur anno* DCCCCXCVI, *at quamdiu poſtea ſederit aut quis ei ſucceſſerit non reperimus. Iam ut hunc* Agabium *dicamus alio nomine* Macarium *fuiſſe appellatum, & tunc illi ab obitu ſucceſſiſſe* S. Macarium, *non audemus affirmare ex ſola ſecundi ſcriptoris auctoritate; quia prior ſcriptor eum appellat, non Patriarcham, ſed Archiepiſcopum Antiochenum, eamque vrbem non in Syria ſed Armenia collocat. Verum in re dubia malumus hæc erudito lectori proponere, quam ex ſolis conjecturis aliquid definire.*

ejectus in exilium anno 989

E

& forſan anno 996 *reverſus.*

an is ſenior Macarius alio nomine ſit dicendus.

9 *In Epitaphio ſupra indicato dicitur* S. Macarius Archiepiſcopus de monaſterio S. Simeonis de Antiochia. *Porro apud Elmacinum Hegira* CCC LXXV, *id eſt anno Chriſti* DCCC LXXXV *Saracenus* Sarduddaulas contendit ad monaſterium Simeonis, quod in ditione erat Antiochiæ, idque poſt trium dierum obſidionem vi cœpit, die Mercurii, duodecimo Rabii poſterioris ejuſdem anni, & pleroſque qui in eo erant, monachos occidit: erat autem monaſterium à multis habitatum: eos autem, qui in id è regione Antiochiæ confugerant, captivos abduxit & Halebum vexit. *An ergo dicendus Macarius ſenior tunc dictum monaſterium reſtauraſſe, creatus Archimandrita cum Epiſcopali auctoritate, & tempore exilii Agabii ſuppleviſſe vices Archiepiſcopi Antiochiæ Syrorum, imo ſucceſſiſſe, eique mortuo circa annum* MVI *ſubrogatus S. Macarius? Forſan ex his alius lucem majorem accipiet, & quæ hic deſunt ſua eruditione ſupplebit.*

An in monaſterio S. Simeonis inditione Antiochia.

F

fuerint Archimandrita cum auctoritate Epiſcopali?

VITA ANTIQVIOR

Iuſſu Eremboldi Abbatis à monacho Gandenſi ſcripta.

Ex vetuſtiſſimo MS. monaſterii Gandenſis.

CAPUT I.

Adventus S. Macarii Gandavum: obitus, ſepultura.

1 QVo ſacra S. Bavonis detecta ſunt membra [tempore] accordine ſupra memorato repoſita, adiit hoc Gandenſe cœnobium quidam magnæ gravitatis vir, cum coëunibus ſibi aliis atribus: qui ie quidem Macarium nomine, Antiochiæ vero Archiepiſco-

EX MS. *Poſtelevationem S. Bavonis, S. Macarius Epiſcopus Gandavum venit:*

piſcopum fatebatur: quæ vrbs Armeniæ flos eſt, nobilitate, divitiis, rerum geſtarum gloria longe ceteris præſtans, morum probitate, bello & pace memoranda, ejuſque opera magnifica, utpote nos accipimus, obumbrantia omnem illuſtrationem præclaræ gloriæ. Hæc talem hunc virum, incogniti moris peregrinæque inſtitutionis, & ad hoc tempus nulli unquam viſum, nobis tranſmiſit. Cujus quidem peregrinationis ſeriem explicare non eſt facile memoratu: quoniam fama incertæ opinionis præſtantior eſt veritas. Qui benigne ſatiſque hoſpitaliter ſuſceptus, ob devotionem ſanctæ converſationis, fraternæ ſocietati eſt admiſſus. Cujus benedictionibus & nos & circumcirca degentes per dies jocundati, gaudio gratulabamur nō modico. Quem etiam penes nos ævo intermino poſſidere præoptantes, diatim perſuadebamus: ſed quoniam id animo non ſedit, imo magis patriam reviſere libuit, cum maximo mœrore permiſſus eſt abire. Tunc ſocia fides certos ſodalium ambiguoſque ſecrevit vultus: ſiquidem à ſuis relinquitur, vno tantum contentus comite. Cumque portus commigraſſet viciniæ, pedum inflatione corripitur, ac lectulo detinetur. Et cum per dies aliquot languor ingraveſceret de vita deſperatur. Ad monaſterium itur, ut revcheretur. Itur, ac revehitur, peneſque nos aliquamdiu jacuit exanimi ſimilior.

abiturus, morbo impediitur:

B

2 Et ecce intempeſtæ noctis cujuſdam ſilentio, non gravatus quidem ſomno, S. Bavonem videt ſibi aſſiſtere, hiſque verbis compellare. Surge, ait, monaſterium ingredere, & quæ videris innoteſce. Qui ut ſibi videbatur, ſurrexit, monaſterium intravit, & ante ſanctum altare ſedentes vtriuſque ſexus reperit Sanctos. Ex quorum confeſſione, ut ſibi videbatur, S. Bavo ſe ſubrigens, extenſa manu eum tenuit, & extra limen templi eduxit, poneque altare S. Petri, à S. Amando olim dicatum, ſtare præcepit. Vbi dum opperiretur, eoſdem Sanctos ſibi cum cereis ad hoc ipſum altare approximare videt, quos ob nimiæ claritudinis fulgorem vix intueri valebat. Horum admonitu roboratur, & ut de reliquo ſanus perſiſtat, certioratur. Ex quorum collegio S. Landoaldum agnovit infulatum, qui more Miſſarum ſolennia celebrans, ſe cum ceteris benedici promeruit. Qui ſtatim mane ſaniſſimus ſurrexit, quæ viderat innotuit, ac per indicium ſanitatis certos nos reddidit viſionis: ſicque nobiſcum per ſpatia quinque menſium commoratus, patriam iterato deliberavit adire. Verum admirabili ac noſtra ætate inaudita diffinitione eum ſibi Chriſtus aſſcivit. In ſacroſancto Paraſceve, audita ejus diſceſſione, vtriuſq; ſexus totius provinciæ concurrerunt innumerabiles, utpote Dominicæ Reſurrectionis die Miſſas celebraturus ac cunctos benedicturus, omniumque libitu diſceſſurus. Sed quoniam eo anno peſtilentiæ immanitas quam plures, imo innumerabiles, in Gandenſi pago admirabili plurimiſque annorum cutriculis ante inaudita vel viſa invaſerat ſubitatione, ſimul hujus beatificanda attigit membra. Qui ea tactus gravedine, ſignis ac nutibus quibuſque valebat, ac ſi præſagiret, intimare curavit eloquiis, ſe quidem ipſa finiendum moleſtia, plagamque imminentem poſt hæc ceſſandam: quod poſtea rei probavit eventus. Accerſito Patre monaſterii, venerabili videlicet Abbate Erenboldo, ſimulque cunctis Fratribus, comam capitis barbamque ſibi tonderi omnimodis exorat, partemque barbæ matri, in exteris regionibus relictæ, ſolicite rogavit mitti, ad æternum pignoris monimentum; ne ſuſpenſam, utpote pro filio, varia ipſius adventus eam cruciaret cogitatio, ſciretque quibus regionibus quove loci ejus ſacra teneretur requies.

C

iterum parās diſceſſum,

peſte corripitur:

recreatus viſione apparentis S. Bavonis,

& aliorum Sanctorum,

partem barbæ capit matri mitti:

3 His rite exactis, comitantibus nobis, cryptam, ſcilicet oratorium S. Mariæ, ingreditur, baculoque ſuæ ſepulturæ monſtravit locum, ibique ſe terris commendari juſſit. Moxque eadem nocte, nimia præventus corporis moleſtia, defungitur vita. Chriſto ſcilicet diſponente, Sanctique Petri Apoſtolorum Principis, cujus honore ac nomine iſdem viget locus, ſimulque pii protectoris noſtri Bavonis intervenientibus meritis, ut in loco, in quo manere recuſavit oratus, maneret glorificandus. Poſt ejus quoque diſceſſum, juxta tanti viri condictum, plagæ mortalitatisque ceſſavit immanitas. Sed quis digne referre queat lætitiam atque alacritatem totius populi, quomodo quiſque viciſſim certabat humeros ſancto ſupponere feretro? Multi ergo, quibus hæc facultas minime dabatur, magnum ſibi lucrum ducebant vel extremam partem vectium manu contingere poſſe. Alii, quibus & hoc minime ſuppeditabat, ſaltem portantium veſtes tenere gaudebant; in commune Chriſtum glorificantes, qui quem amittere ſuſpirabant, in hoc loco ſibi reſervavit Patronum. Allatus ergo in crypta S. Marię ac in loco à ſe prœlecto, tumulatur honorifice; ac fideliū oblationibus, utp ote vivus, ſic veneratur defunctus. Anno autem Dominicæ incarnationis Milleſimo duodecimo indictione decima, *b* concurrentibus duobus, quarto Idus Aprilis obiit hic Sanctus: cui mors, via ad patriam; ac præſentis vitæ exitus, ſequentis ac numquam terminandæ factus eſt introitus. Verum cujus meriti apud Deum fuerit atteſtantur ejus inſignia.

D

ſepultura deſignata pie moritur.

10 Aprilis anno 1012.

b

E

ANNOTATA.

a *In ſequenti Vita quatuor ſocii dicuntur iter vna incepiſſe, ſed vnus forſan defecerat, aut è vita deceſſerat.*

b *Erat annus biſſextilis, concurrentibus primo & ſecundo, ſeu litteris Dominicalibus F & E, mortuus eſt feria quinta hebdomadis Paſchalis.*

CAPUT II.

Miracula intra biennium poſt obitum patrata.

4 MVlier quædam Frehegard nomine, de villa Munta, membrorū officiis deſtituta, per viſum eſt admonita, ut ad ſepulcrum ejus accederet. Quæ diluculo conſurgens, baculis ſuffulta, utcumque ire perrexit ad tumulum ejus; ut oravit, baculos abjecit & ſana receſſit. Alia mulier de portu Gandenſi, contracta manu, ſic multata erat digitis, ut unguium acumen in alteram tranſiret partem. Quæ ut ad Sancti ſepulcrum oravit, ungues de palma retracti ſunt, & in antiquum uſum nervorum tela retexitur, ac ſine tarditate ſalus manus reparatur.

Ad ſepulcrum ſanantur contracta,

F

alia digitis in adverſum detortis,

5 Ex Gynæceo comitis Henrici de Portu, ſcilicet *a* Einhamma, erat puella, nomine Oda, cæca per annorum tempora. Ea quoniam ſolennitas S. Bavonis in proximo erat ventura, ex omni gente convolantibus turbis, optato advenit, ac mater cum filia ſpe recuperandæ ſalutis accurrit. Cumque Miſſarum ſolennia celebrarentur, Dominus noſter *b* Balduwinus Marchiſus cryptam ingreditur, ad ſepulcrum hujus Sancti conſuete oraturus. Cumque pronus incumberet, & hæc, de qua loquimur, puella pone ſepulcrum jaceret; vno momento contigit & Principem ipſum caput ab oratione levare, & illam viſum recipere. Qui Deum, Sanctum ſuum mirificantem, magnifice collaudans. Frarribus ipſe intimare curavit. Quale gaudium, qualiſve lætitia fuerit omni clero, cum eodem Principe Chriſto laudes acclamante, in ſe quiſque perpendat. Qui etiam devota mente eidem Sancto candelabra mirificæ magnitudinis obtulit. Sic ergo hoc ſignum contigit ſciri

a

puella cæca,

b

præſente Balduino Comite,

ab

A ab eo, cujus utique verbis cujuſque conſcientiæ virtutis majorem adhibuimus fidem, quam ſi quæ dicimus ipſi vidiſſemus.

matrona nævo oculi laborans,

6 Matrona perliberalis, imo fama virtutum percelebris, de ipſo portu Gandenſi, nomine Wihted, nævũ habuit in oculo: qui ſpecioſitati ejus derogabat aliquantulum. Cumque quaſi pugnus extuberaſſet oculus, vergi jam videbatur in ruinam. Hæc Sanctum Dei, in viſu ſibi adſiſtentem agnovit, qui ſe de ſalutis proſperitate certam reddidit. Cumque evigilaſſet, perlucide perſpexit, ac nævum, qui in oculo pependit, in modum fabæ ſupra ſuum pectus reperit. Fama facti vicinas & cognatas adſcivit, & una ad ſepulcrum ejus itur, ac muneribus devotiſſime honoratur. Et ne poſteros latere queat quoniam nec pervetuſta nec incelebris memoria eſt, addatur huic aliud miraculum.

c alius in inguine miſere vexatus,

7 *c* Oſtburg eſt civitas in littore Oceani ſita: inde homo adducitur nomine Mannin, mirabili calamitate percuſſus. Siquidem ab inguine deorſum ſecreta genitalium patiebatur ardentia, ita ut meatus digeſtibiles intercluſi ſeminecem redderent. Hic tam luctuoſus atque anxius, penes nos per dies aliquot commorans, dejecit humi mœſtior vultum, ac de ſuæ

B mentis perturbatione atque calamitatis infortunio conqueſtus eſt. Sed Domino Sanctum ſuum mirificante, infra breve ſpatium ſaluti redditur, & ad propria ſanus revertitur.

peſtis pecorũ averſitur voto facto:

8 Apud Maritimos quidam amplæ perſonæ extitit, Gundwaccar nomine, cujus in ſeptis ſpes multa peculi exuberabat. Verum peſtilens lues ſpes & gregem ſimul invaſit: quæ calamitas fundi multum perturbabat virum. Cumque catervatim peculia proſternerentur, ſaniori conſilio Sanctum in præſidio ſupplicat, luminare ſpondet. Quo facto nec vnum quidem animal deinceps perdidit, quoniam peſtilentia reſedit.

9 Celebritas ſancti Bavonis quotannis feſtiva occurrit. Ab incolis inſtitorum cujuſvis nationis, ceteriſque quaquaverſum gentibus evehuntur mercimonia. Othelardus quidam de portu Tornacenſi navem lanis onuſtam advexit. Hic falſis criminationibus agitatus, in actum publicæ adminiſtrationis pro tuendo jure producitur. Forenſes querimoniæ efficiuntur, quæ ſæpe nequiſſimis contingunt magiſtratibus, qui non fugare quidem ſed illuſtrare potius nequitiam ſolent. Ergo Præfectoria cenſura ire in carcerem compellitur. Brachiis retortis ferro & catenis cingitur, pedibus nervo conſtrictis. Hic ergo in ſe rediens cum S. Macarium invocaſſet auxiliatum, ac luminare ſpopondiſſet deferendum, tamquam dolorum neſcius, tendit in altum lumina, nam vincula palmas preſſerant, & ingemiſcens obſecrat. Ecce autem carceralis cæcitas ſplendore lucis fulgurat, duplexque morſus pœnarum ruptis habenis diſſilit. Cernit deinde Sanctum ſibi aſſiſtere, ac ore auguſtiore his verbis ſe compellare. Exurge, inquit, ſecurus tui, decurſa jam ſatis tibi ſunt pœnæ minacis munia. Cumque ſtuperet, obſeſſor tetri carceris penes quem manſerat pernox cura feralem ſervare domum, per rimas interna carpit lumina. Sic ergo vinculis abſolutus, ac tali viſione attonitus, reliquum noctis ſopori indulſit. Fama facti innumerabile vulgus advocat, admirantibus cunctis, quo pacto, quave ratione ſit ſolutus. Ad comprobandam ergo Chriſti majeſtatem, humana curioſitate duplicantur vincula ac multipliciter muniuntur clauſtra. Intempeſtæ noctis ſilentio adeſt Sanctus, clauſtra reſerat, ac ſe invocantem vinculis abſolvit. Primo mane adſunt & populi, viſuri magnalia Chriſti: concurritur ab omni plebe, lætantur vniverſi, & cum eo ad ſepulcrum itur Sancti. Gaudens vota perſolvit, ac de reliquo ſecurus redit in ſua.

Quidam injuſte vinctus & carceri incluſus, C

a S. Macario cum luce apparente vinculis ſolvitur, etiam altera vice:

EX MSS.

ſanantur paralyticus & amens:

10 Adoleſcens quidam, nomine Athalardus, miſeria diffamante plurimis jam notus in locis, paralyſis diſſolutione ſic extitit debilitatus, ut brachiis innitens, vniverſum poſt ſe corpus trahendo, inſtar vermium per terram reperet. Acceſſit huic infortunio fœda totius corporis agitatio, ut, ſi quoliber reſpectu clementiæ quid daretur, nec manu retineret: ſed & ſtoliditas tanta inerat menti, ut inter ſenſatos furioſus videretur. Hic ſane iſtac iſtorſum repens, ut anguis ſinuat immenſa volumine terga, & tandem miſerabili ſinuamine ad hujus Sancti pervenit ſepulcrum: vbi neſcio quid murmurabat, ſiquidem nec auxiliatum invocare noverat. Sed Chriſto Sanctum ſuum mirificante, ſurrexit quidem per ſe, ac puerili more nutanti greſſu, intuentibus cunctis, ambulare cœpit. Nec multo poſt ab illa mirabili agitatione ſalvatus, redintegrationem promeruit totius ſalvationis.

d 11 Quædam paupercula de pago *d* Mempiſco, per annos complures cæca, cum ceteris id locorum coëuntibus data manu ductrice ire perrexit. Iamque longa itineris ſpatia tranſmeanti divinæ miſerationis *cæca,* virtus occurrit: ſiqu dem derepente cœpit videre. Cumque mirata intueretur intuentes, ac præ gaudio acceleraret greſſus, ductrix laſſa ſubſtitit. At illa, Dum E redeo, inquit, mihi attende; aut ſi mavis, functa officio tuo, da manum ut ducaris. Sic ergo læta oratum advenit, pluresque Menapiorum hujus ſigni teſtes adhibuit ac receſſit. De ipſo pago extitit & altera, manum geſtans aridam: hæc per viſum monita, *aridã manũ habens,* ut velamine qualicumque tumulum Sancti cooperiret, ac manum reciperet; velamen utcumque acceleravit, feſtina accurrit, ſepulcrum Sancti cooperuit, ac manum recepit.

e miſere incurvatus: *f*

12 Bonorum actuum ſemper decet verſari admiratione, & his apprime quos incrementa fidei aſſequuntur. Anno præſenti, qui eſt dominicæ incarnationis Milleſimus quartus decimus, hoc Gandenſe Cœnobium, quo maxime ac ſolitarie Flandria pollet, ab inſula *e* Walachra adiit quidam curvus, nomine Rocelimus: & quoniam feria ſecunda dierum palmarum erat, vſque ſacroſanctum Paraſcevem *f* feriæ quintæ diem, ſcilicet obitus hujus Sancti, ſic perſtitit incurvatus. Cumque frequentia plebis, vt eo moris eſt, oratum ingrederetur; & hic apud ſepulcrum Sancti cum ceteris oravit. Ecce autem derepente quaſi impulſus corruit. Quem cum circumſtantes raptum ire molirentur, ipſe ſe ſubrigens, Nihil, inquit, vereamini; hic Sanctus me ſalvavit. Sicque pone ſepulcrum bis terque valentior terræ incubuit. Deinde baculum rejecit, ac per dies ſanctæ Paſchæ nobiſcum commoratus, fama facti quique fuerant aſſciti lætos reddidit, jamque ſecurus ſui ſanus abſceſſit. R

ANNOTATA.

a Einham *illuſtris prope Aldenardam locus cum Abbatia S. Benedicti, anno* 1064 *conſtructa.*

b *Hic eſt* Balduinus IV, Barbatus *ſeu* Pulchrobarbus *dictus, Comes ſeu Marchio Flandriæ ab anno* 1003 *ad* 1036.

c Oſtburghum *prope novam foſſam Iſendicanam.*

d *De pago* Mempiſco *&* Menapiis, *ad Legiam ſive Liſam fluvium & in Tornacenſi agro, ſæpius egimus.*

e Walachra *inſula Zelandiæ maxima, in qua ſunt Middelburgum & Vliſſinga vrbes celebres.*

f *Feria quinta poſt Paſcha, tum aliqua obitus ejus memoria cœpta celebrari. Et Paraſceve ſumitur pro toto Paſchalis feſti decurſu.*

VITA

EX MS.

VITA ALTERA

Iussu Sigeri Abbatis post elevationem corporis à monacho Gandensi scripta.

Ex variis codicibus MSS.

a PROLOGVS.

A

1 OMnipotens essentia Deitatis, cui quod est esse perfectum est, & hæc ineffabiles, incogitabili quodam, ordine rerum, formas quas nobis per principales quasdam formaturas, pro sui velle ostendit, semper quidem penes se perfectas habuit. (Neq; enim Deo, ut creator esset, accessit ex tempore: ipse enim & tempore antiquior est, cum sit creator & ordinator temporum, & cuncta crearit in tempore) Sed antequam nobis ostenderentur in creatoris erant præsentia: creata autem cuncta opificis gubernantur providentia, nec quidquam ultra citrave progreditur, nisi quantum ab omnipotentia ejus, juste cuncta moderante atque disponente, præordinatur sive ad communem quamdam utilitatem, sive ad occulti justique judicii sui vltionem. Ejus quippe sapientia, cujus etiam voluntas omnipotens habetur, omnia sine tempore simul habet, quæ nobis in tempore non simul ostenduntur: & ideo distribuit omnia pro opportunitate temporum, ita ordinans cuncta, ut ipsa sit non solum ordinatrix, sed & ordinatio cunctorum.

Deus omnia prævidit & creavit:

B

2 Quis enim & sapientius & fortius ordinare valeret & regere, quam qui & facienda providit, & provisa voluit perficere? Fecit & perfecit cælum & terram cum universis ornatibus eorum. Sed superbia in cælis, invidia subripiente in terris, principalium dilectionem creaturarum, ne quidquam, quantum ad se, imperfectum remaneret in creaturis, pro restauratione Angelica & redemptione humana, Deus homo futurus, non per gradus scalarum, sed per ora Prophetarum, ad terras dignatus est descendere de cælis, & Angelo nuntiante & Spiritu sancto cooperante, in vtero Virginis: qui nascendi quidem legem dissimilem, moriendi vero conditionem sponte mortalibus suscepit æqualem. Implevit ex se mundum, nec vacuavit cælum, & mirifice expleto ordine vivendi, post crucem & mortem supernis sedibus reddidit seipsum: vnde electis in vnum congregatis, emisit Spiritum sanctum, per quem in omnem terram exivit sonus eorum. Dilatat ecclesiam, quam decantarat Isaias sub vineæ dilectæ palmitibus spinosis; & commendat eam piscatoribus, quos elegerat ex littoribus marinis. Pervolant Euangelistæ totum mundum: Mattheus [indicat] hominem Deum quem Spiritus sanctus pinxerat [intra viscera] virginalium membrorum: instat leonem producere Marcus Evangelista, non de cavea venatoria, sed de stabulari spelunca: portat Lucas vitulum, humeris Pontificalibus saginatum, ut pascatur de eo genus humanum: aquila ceteris altius evolat & usque ad pectus Dominicum suarum remigia pennarum Joannes declinat, quatenus de pectore Christi accipiat odoratum, & volatus suos pertendat ad cælum, volatu cantuque persultans, In principio erat verbum. Ab oriente & occidente hæ aquilæ pennas justitiæ producunt, quibus sanctos Martyres, Confessores, Virgines & omnes electos, ad Deum vocare instituunt.

& factus homo

C

Isa. 5 per Apostolos & Euangelistas,

excitavit Martyres, Confessores, Virgines,

3 Ossa itaque Martyrum, membra Confessorum, pudicitia Virginum, pennæ sunt aquilarum: quas cantus invitat Angelorum, volatusque Euangelistarum, vnde fiat lætitia credentium, & reditus ad Ierusalem supernorum. Qua invitatione plurimis volantibus de nido ad nidum, spontaneam scilicet expetentibus peregrinationem, qua regredi possent ad patriam cælorum usque ad vltimam mundi ætatem; ex membris Christi ubique terrarum præclare floruit religio ecclesiarum: floruit Europa, & latitudo Africæ: floruit Asia & nobilitas Syriæ; quæ misit nobis habendum juvenem quemdam, nomine Macarium, primæ indolis, florem totius Armeniæ: qui calcatis secularibus pompis, maluit Deum sequi passibus mentis & corporis, quã commissum sibi retinere Præsulatum Antiochiæ. Cujus vitam scribendo aggredi, etsi dehortatur imperitia, plurimum tamen hortatur Domini Abbatis *b* Sigeri, qui impossibilia redigit ad possibilitatem, caritatis virtus imperiosa: cui quidquam honestum negare nefas est & inhonestas plurima. In ecclesiasticis siquidem rebus nequaquam gallinaceo pede vsus, quia instanter satagit reddere ecclesiæ fructus, Euge beatum, in fine est à Domino auditurus; & cum beato Macario, innuente Deo, partem suam positurus, cuius secundum rei veritatem omnimodis expetit enucleari vitam & actus. Absit ergo, absit error falsitatis, ubi cum fiducia caritatis, fructus præsumitur pietatis, & merces expectatur veritatis.

D

& S. Macarium ex Syria misit:

b hujus Vitam scribit auctor jussu Sigeri Abbatis.

E

ANNOTATA.

a *Deest hic Prologus apud Surium, aut ultro ab eo omissus, quia nihil singulare continet, aut ea de caussa in codice, quo is usus est, non continebatur.*

b Sigerus Abbas *curavit elevari Sacrum corpus B. Macarii anno* 1067, *& anno* 1073 *sua sponte cessit à suo munere Abbatiali.*

a CAPUT I.

a

Ortus, educatio, studia, Episcopatus, virtutes, miracula.

4 GEmma regalis, Armeniæ decus, quam non artifex manus, sed in suo locavit diademate omnium artifex Deus; Gloria parentum, sed longa spes amicorum, glorioſus puer Macarius, superbi lineam sanguinis duxit ex provinciæ primoribus. Atavorum ejus atavi, ab hominum usque memoria, omnes nobilissimi: nullus in eorum stirpe ignotus, nullus degener est facile repertus. Hujus post Deum creatorem Armenia extitit procreatrix, quæ liberalium semper virorum vberrima nutrix, nec non fidei & veritatis omniumque virtutum strenua cultrix, inter cetera insignitatis suæ bona, hujus quoque tanti boni modernis temporibus meruit fore prolatrix. Generosissimi genitores ejus Michaël & Maria: quos etsi parentum nobilis commendabat prosapia, non minus generi eorum paullo post respondit præclaris moribus nati gloria.

Illustri prosapia exortus in Armenia,

F

parentibus Michaele & Maria:

5 Natus est autem ea tempestate, qua senior Macarius magnæ sanctitatis Archipræsul in infulis agebat *b* Antiochiæ, stabilis columna regni & firmamentum totius Ecclesiæ. Quæ civitas Syrorum constituta metropolis, ceteris præstans vrbibus, gloria insignium suorum & præstantia antiquæ nobilitatis, plurimum etiam capiebat augmentum ex auctoritate tanti Pontificis. Erat enim inter primos primus, inter religiosos religiosus, inter nobiles nobilis, utpote præfati Macarii consanguineus: qua affinitate oblatũ sibi de fonte baptismatis suscipiens puerulum, tam ex debito propinquitatis quam ex gratia Christianæ filiationis, fecit sibi æquivocum, committens Deo ut quandoque faceret & vnivocum. Et quia grandævus

à Macario Episcopo de sacro fonte susceptus,

A dævus erat fractuſque jam ſenio, loco genitoris retinuit nutriendum & erudiendum ex totó; quatenus ſe ipſum jam deficientem, novus hic Macarius renovaret in Chriſto. Nec ſpes eum vana fefellit. Quantum ſpiritualis pater ejus deſideravit, vas illud ſuum Dominus implevit ſpiritu ſapientiæ, per quem quidquid audiebat boni ſtudebat in gazophylacio cordis ſui colligere. Nullum penitus erat in omni Græca vel Armenica eloquentia ſtudiorum liberalium genus, quod aufugere poſſet vivacitatem ingenii ipſius: nec vero ullum aliunde ſurrepens faſtidium ab hoc nobili otio avertere poterat ejus animum. Atteſtabatur munditiam cordis ejus jugis meditatio, ut illud quod Prov. 20, 11 Scriptura dicit, ex ſtudiis ſuis intelligitur puer, ſi munda & recta ſint opera ejus; ſcriptum crederetur de eo. Matutinum crepuſculum nullo pretio vendidit, nec ſe ſomno ſolicitanti ullo modo credidit.

inſtituitur in omni ſcientia

& ſanctis moribus:

6 Quibus ſtudiis tranſcendens metas adoleſcentiæ, ſolito ſtudioſius cœpit imitari beatum Macarium Antiſtitem, & ſupernis intendere; illecebras mundi declinare, cæleſtia appetere; & omne ſtudium, quod prius expendebat in liberalibus ſtudiis, in actibus religionis expendere: hocque incepto non mediocriter profecit, rumores vulgi pro nihilo duxit, ſeſeq; totum

B ad Deo ſerviendum induxit. Lætabatur jam emeritus Pater Macarius de tam digna pueri filiatione, gloriabatur de tam liberali moralitate; & quia jam ſenio decedebat ex integro inducebat animum in ejus ſucceſ-

ut ſucceſſor eligatur ſione. Proficiebat quotidie apud Deum juvenis moribus & ſapientia, ſenior autem paulatim deficiebat, grandævus & infirmus ætate jam decrepitâ. Cumque de vita deſperaret, & ovibus ſibi commiſſis impoſterum provideret; ille autem de virtute in virtutem giganteis paſſibus iret, & quocumque pedem intendit ſemper in Domini voluntate proficeret; convocari jubet ſenior conventum Clericorum, dignitatem Procerum turbamque populorum.

commendatur Clero & populo:

7 Quibus accitis ſeniliter ingreditur exordium hujuſce allocutionis: Ecce fratres & filii, pulſatur janua pectoris hujus veterani: vocor ad reddendam rationem operis mei. Reſpicite honorandam patris veſtri caniciem, attendite Pontificis veſtri decrepitam ſenecturem, & ſi non poteſtis meis, conſulite rebus veſtris: Ordinate rempublicam & eligite ſucceſſionis meæ perſonam. Ingredior viam univerſæ carnis, nec aliquantulam præ fama fiduciâ habeo de operibus meis: lætius tamen recederem, ſi certus eſſem de ordinatione Antiochenæ Sedis. Quod ſi vobis non diſplicet

C juvenis iſte Macarius, quem de fonte ſuſcepi, nutrivi & erudivi, bene mihi placet: eſt enim liberalis & religioſus, ut mihi videtur, quâtum de homine homini ſentire licet. Non dignitatis veſtræ partem præjudico, ſed ſententiam & voluntatem meam vobis edico; ſi tamen dignus eſt electionis veſtræ judicio.

8 Talibus ſenex inſtabat: & quia res divinitus fiebat, omnis Clerus, auctoritas Procerum, & cetera plebs certatim aſſentiebat. Rapitur verbum ex ore ejus: una omnium voluntas, non diſſimilis ſententia, eadé vox, ut intronizetur Macarius. Ita beatus ſenex, proviſionis ſuæ rebus diſpoſitis, inſtante ſibi termino corporeæ diſſolutionis, feliciter migravit ad patriam ſalvationis. Plebs autē tanto Paſtore deſtituta, in ipſa

Creatur Epiſcopus. confuſione, nil anceps (ut prælatum eſt) nil varium molita, unicum in Macario, magnifice probato, ſibi delegit ſolatium, ſecuta magnatum & totius Cleri ſolatium. Qui tanta electionis unitate in Antiochia promotus, moribus honeſtis in juvenili corpore permaturus, non eſt relatu facile in ipſo ſublimitatis faſtu quam humilis apparuit & manſuetus. Omnibus enim omnia fieri in animum induxit, ſicque cæleſtis Regis tabernacula cum ſpiritualibus nequitiis pugnaturus intravit. Dilexit ante omnia decorem domus Domini & locum habitationis gloriæ Dei. Erat ei comitate condita gravitas, in confluentia turbæ condecens hilaritas, & per omnia prædicabilis in operibus honeſtas. Prima & maxima ejus fuit intentio ſanctæ Matri Eccleſiæ aut munimento fore aut ornamento. Sermo ejus ſale erat conditus, quem tam dulciter hauriebat Antiochiæ populus, ut nil poſſet ſubintrare dulcius. Super cathedram Moyſi quidem ſedebat, ſed illud Euangelicum, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite, de eo minime conſtabat; quia ſeipſum ſubditis ſpeculum vivendi præbebat. Nihil exiſtimabat magnum, quod erat caducum: nihil ſibi fiebat ſubitum, ſed totum ante proſpectum.

EX MS. *excellit genere omni virtutum:*

9 Prædicatio ejus inanis non erat, ſed aut ſuadebat, aut monebat, aut conſolabatur, aut præcipiebat. Jram non retinebat in corde, quia ſciebat magnum & honeſtum vindictæ eſſe genus ignoſcere. Et quia continens fuit, uſque eo pervenit, ut ſeipſo contentus fuerit: nam qui ſibi ipſi ſatis eſt, cum divitiis natus eſt. Victus erat ex facili, quia non ad voluptatem, ſed ad cibum ſatis tenuem accedebat ſibi. Erat ipſe vitiorum fugax & contemptor, aliorum vero neque curioſus

earum exemplar ceteris factus.

E ſcrutator neque acerbus reprehenſor; ſed ſine exprobratione erroris, veniæ facilis dator. Severior erat judicio quam ſermone; ultor clemens, deteſtator ſævitiæ; ad iram tardus, ad miſericordiam pronus, in adverſis firmus, in proſperis humilis & cautus; occultator virtutum, ſicut alii vitiorum; vanæ gloriæ contemptor, bonorum quibus præditus erat non acerbus exactor. Omnibus ſtudebat prodeſſe, nulli nocere, ſed etiam nocentes prohibere: non enim non nocere eſt juſtitia, ſed alieni abſtinentia. Inter lætiſſimos convivas lætior ipſe, frequenter abſtinuit: molles & delicatas veſtes, in quibus nutritus & ad hominem uſque perductus eſt, aſperrimis camelorum pilis uſus, declinavit? interque purpuratos miniſtros & milites auro nitidos, vilem tunicam ſe induit. Lectuli delicias vehementer aſpernatus eſt: balneis, quibus nitor cutis conquiritur, vix aliquando lotus eſt. Sed impoſſibile eſt tanti viri geſta per quotidianos virtutum profectus evolvere, digniſque faſtorum laudibus magna ejus merita congruenter attollere: quæ longe lateque, ut Chriſti bonus odor eſſe poſſet, ſtuduit contrahere: excedit enim geſtorum ejus magnificentia, quidquid vel ipſe Tullius ſibi promitteret in facundia. Teſtatur hoc clariſſima ejus operatio, qua, ſcilicet ne diutius lucerna lateret ſub modio, voluit eum gratia Dei taliter clareſcere ex occulto.

F

10 Erat conſuetudo huic beato viro, & ex conſuetudine neceſſitudo, mappulam ſemper habere ſecum, quando vacaret orationibus clanculo, qua extergeretur vix unquam ceſſans nimia compunctionis effuſio. Hæc ſola teſtis erat lacrymarum, teſtis inter hominem & Deum hæc una furtivarum admitteba- *mappula abſtergit lacrymas.* tur orationum: tergebat quippe lacrymas oculorum, quibus tergebantur peccata populorum. Mappula hæc, ſudariolum viri juſti, ſola intererat, quando vir juſtus conciliabat Deo mappam totius mundi: nec erat aliena virtutum, quæ tot & tantis ſemper ſuffuſa lacrymis, teſtibus meritorum, fieri paulo poſt meruit mundatrix etiam macularum. Intererat ſiquidem ejus curiæ leproſus quidam, nomine Theodorus: tales enim familiares erant beato viro, quia maxima cura erat ei de talibus, qui ægritudini & inopiæ ſubjacebant ceteris amplius. Æſtuanti igitur de egeſtate, diu cogitanti

EX MS. *Illius attactu sanat leprosum* Matt. 14,39

de sanitate, consiliatrix non defuit fides, quæ succurreret in necessitate. Invenit tacita fides consilium; & quia non dubitavit, accepit solatium. Alterdenique ab illa forsitan [edoctus] muliere, quæ fimbriam Domini legitur tetigisse in Euangelio, nil tale audens petere à sancto Episcopo, tacitus ad ecclesiam, ubi vir Dei orare consueverat, accessit; & teste sola fide, ex sudario, tantæ compunctionis ministro, lepræ locum tetigit. Non tulit immunditia mappulæ tactum; sed probatæ fidei perhibens testimonium, cessit, fugata meritis lacrymarum. Audet jam novus homo viro Dei astare; audet Deo & sibi gratias referre; fatetur se ausum accipere, quod non ausus fuerat petere.

11 Talis est medicina, quæ procedit ex Deo. Non enim medicaminibus curat & ferro, sed virtutibus sanat & verbo. Fulgebat quasi quibusdam gemmis curia ejus, scilicet pauperibus Christi, cæcis, surdis, & claudis, vel qui variis languoribus erant oppressi: quos quotidie ad eleemosynam suam properantes, dupliciter relevabat misericordia Justi. Cuicumq; enim manu sua porrigebat cibum vel potum, statim comitabatur salus; & quicumque poterat pertingere ad aquam, quæ fluebat de manibus lavantis, ex integro reddebatur sanus. Quanto autē his amplius abundabat & frequentius, tanto se indigniorem prebebat & humiliorem; in omnibus ita se habens, quasi horum omnino foret inscius. Sed tantorum crebrescente operum fama (quæ enim cælum & terram implet, quomodo posset in eo latere Dei gratia?) cœpit hac opinione jam jamque clarius insigniri Syria, ejusque tellus nativa gaudio illustrari Armenia. Inde auctori Deo gratiarum actio ab omnibus accedere, viro Dei laus & gloria accrescere, populique ad eum frequentia plus solito procedere. Quam omnimodis volens declinare (ne gratiam, quam per humilitatem promeruerat, per arrogantiam videretur amittere) animum induxit, ad meliora paulatim seipsum inclinare. Vilescit ei quidquid in mundo carnis est, omnis honor, omnis dignitas, & quidquid inter mortales augustius floret; aurum quoque & argentum, nisi ut pauperibus eroget. Non fulgent in domo ejus margaritæ splendentes, sed coruscant cæci videntes, claudi ambulantes, & satiati panibus indigentes. Non præcedunt scutati & sericati; sed pauperes ditati, & miseri satiati. Erogat eis omnia sua: heredes suorum eos constituit in præsenti vita, ut non perdat hereditatem in futura.

alios sanat, dato cibo aut aqualotionis manuum, B

omnia sua dat pauperibus C

ANNOTATA.

a *Plurima in hoc & sequenti capite videntur ab auctore nimium amplificata, & solum ex traditionibus seniorum hausta.*

b *De Sede Episcopali Antiochiæ supra egimus: quæ in priori Vita statuitur urbs Armeniæ.*

CAPUT II.

Peregrinatio S. Macarii per Palæstinam. Verbera & vincula tolerata: conversio multorum.

Episcopatum commendat cuidam Eleutherio

12 CUmque sibi nihil superesset præter dignitatem Sedis Antiochiæ, etiam curam ejus commendavit cuidam Eleutherio Venerabilis memoriæ, retenta sibi tantummodo Episcopali benedictione: sicque omnibus terrenis exoneratus, & inter ceteros pauperes & ipse pauper Christi effectus, egreditur fines suæ cognationis, ut ingrediatur terram repromissionis. Reliquit omnia, ut imitetur Simonem Petrum; & cum Petro tollens crucem suam, sequatur & Christum. Non enim retinet genitorum affectus, non gloria nec sublimitas parentum, etsi amici divitum multi. Electus siquidem non insolita dispositione à Domino, electionis suæ fructum primo juventutis flore reddidit electori suo, ita ut ab Oriente in Occidentem floreret ejus electio. Sumptis quippe secum quatuor fidelibus viris, invicem connectuntur unius ejusdemque nodo devotionis. Nomina eorum Joannes & Petrus, David quoque & Constantinus: qui Christo ab infantia & viro Dei militantes sub jugo religionis, cum eo pariter egrediuntur Ægyptum hujus miseræ servitutis, & tendunt ad patriam libertatis. D *assumit 4 socios:*

13 Fuitque prima ejus & ipsa satis liberalis intentio, eum requirere locum, Hierusalem scilicet, unde universalis processit redemptio; omnimodis mentem armatus & ipse pro veritate mori; nisi prius deesset tortor quam assertor veri. Non enim formidabat in certamine, quia volebat de triumpho gaudere: non timebat temporalem pugnam, quia perpetuam volebat sortiri victoriam: spontaneum sibi imponebat exilium, quia de exilio repatriare volebat ad cælum. Vadit itaque via gaudiosa & luctuosa: pedibus quidam graditur, sed animo currit, cum pietate & misericordia: quia velox est cursus, quem tam dulcis incitat affectus: nullo otio voluntas ejus retardatur, quia volenti nil satis festinatur: festinat terram quondam præsentia Domini insignitam intrare, Capharnaum familiarem signorum Domini, & omnem pariter Galilæam cernere: Hermonium, & torrentem Endor, ubi superatus est Sysara, superare: in oppido Naim, cujus in portis filius viduæ suscitatus est, apparere: desertum preterea, ubi de quinque & de septem panibus quinque & septem millia hominum saturata sunt, pertransire: in Cana, ubi aquæ in vinum versæ sunt, veram vitem degustare: videre Nazareth, juxta interpretationem nominis ejus, florem totius Galileæ: pergere Samariam, & Joannis Baptistæ, Helisæique & Abdiæ pariter cineres adorare: Amos Prophetam etiam, buccina pastorali in sua rupe clangentem, conspicere: inde ad pastorum caulas pergere, in speleo David orare, fluenta Joannis ex lavacro Domini puriora attendere; videre Lazarum, fasciis colligatum, de monumento exire; in monte Oliveti voto & animo sublevari, cum Domino ascendente; locum ligni sanctæ crucis deosculari & lambere; speluncam tandem Salvatoris intrare, sicque in sepulchro Domini tam diu desiderato peccata sua & peccata totius mundi deflere. *peregrinatur per Palæstinam,* E *loca sacra invisit:* F *excipitur à Patriarcha Hierosolymitano:*

14 Prævenerat, autem nobilis ejus fama usque ad sanctum Patriarcham Joannem, talis etenim de sanctis fidei ejus thesauris fama processit, ut & Jerosolymitanos in longinquo positos penetraverit; & auditu gratiæ Dei, tamquam oleo lætitiæ, aures eorum imp[illegible] guaverit: à quibus etiam satis officiose susceptus, & à sancto Patriarcha honorifice detentus, aliquādiu inibi est demoratus. Delectabat enim eum dormitorium Salvatoris & locus Calvariæ, ubi Dominus noster crucifixus, salutaris occubuit victima pro omnium redemptione, quatenus omnes, ex semine prævaricatoris Adam propagatos, secum donaret ad vitam feliciter resurgere. Delectabat eum cum Judæis de incredulitate eorum verba miscere, cum Saracenis conflictum habere; si quomodo aliquem eorum lucrari posset ab errore: inter quos assistens per aliquot dies intrepidus veritatis assertor; eorumque resistens erroribus indefessus Euangelii propagator, paulatim vincebat eos, utpote invictus Domini præliator. *disputat cum Saracenis:*

Certabat

A Certabat juſtus cum injuſtis, doctus cum indoctis: & quia nullus eum poterat concutere mortis timor, per ejus inſtantiam facile patebat error.

15 Erat pugna ſibi ſatis contraria, pro lucro quoque valde ſibi contrario commiſſa: iſte enim eorum tantummodo quærit & deſiderat ſalutem, illi autem ſuam & iſtius perditionem. Cui non valentes reſiſtere verbis, inſiſtunt verberibus; & ſuis ei perſuadentes communicare erroribus, ad hoc eum inclinare multis laborant terroribus. Sed non cedit, dum creditur: verbis inſtat, dum pœnis afficitur: ſique interdum non devincit, ſed vincitur; nullis ictibus cedit, nullo terrore juſti patientia recedit. Nil fuit membrorum quod non captivaverit plaga aſpergine vulnerum: ita, pro dolor! plagaverant membra, ut oſſa remanerent carnibus pene deſolata, ſalvâ ſcilicet, quia non poterat vulnerari, animâ pretioſâ. Redditur ſemper aſperior ad pugnam, & donec ponat animam non deſerit prædicationis curam. Rapitur deinde & ſegregatur à ſodalibus ſuis; aggregatur in medio iniquæ multitudinis: quibus nolens cedere, recluditur in ergaſtulo carceris: in modum crucis, cujus gloriam prædicabat, ſupinus ſuper terram extenditur: clavis configitur, ſed rejiciente terra clavos, etiam vinculis conſtringitur: inferunt ei novum ſed

B crudele tormentum, lapidem ſcilicet nimio fervore candentem, ſuper pectus nudatum, ſperantes per hoc, ut credo, uſtulare, quo eos revincebat, ejus liberale ingenium: ſicque eo recluſo cum diligenti cuſtodia, diſcedit illa inutilis conſpiratio, confidens tunc primum de victoria. Ille autem tenebris anguſtatus, à lumine prolongatus, carcerem æſtimabat pro prætoriis, per quem ſe ſperat lucrari paradiſum jucunditatis: & quia ſperando præſumpſit, carcerem mutavit, tenebras effugavit, nec fruſtratus martyrii palma, quam queſivit, de victoribus victis paulo poſt triumphavit.

16 Apparet pulchrum & grande ſpectaculum, ut qui Dominicæ paſſionis locum venerat venerari, & trophæum ejuſdem ſanctæ Crucis experiretur & meritum. Carcerales namque tenebras cæleſtis perluſtrat illuminatio; in modum crucis jacentem divina erigit miſeratio; & eductũ de pœnis taliter alloquitur Angelica conſolatio: Eſto ſecurus, Macari, aſſertor veritatis: nec te moveat ſubita ſolutio tuæ liberationis, quia taliter ſuos liberat reſpectus ſupernæ miſerationis: pugnatores Chriſti talis ſequitur

C victoria, nec deerit poſt pugnam felicitatis corona. Exi ergo, exi mecum: nec retrahas ab incepto pedem tuum, quia craſtina die apud incredulos victoria erit tecum. Qui enim tui prius extiterunt maligni perſecutores, cras fient veritatis pro te benigni exactores; & omnium quæ docueris vel juſſeris, promptiſſimi executores. Talibus armis miles ad pugnam renovatus (ubi cæleſtis archiater cæleſtes repetivit ſinus) hoſtibus ſe infert medium, reddita luce lætabundus, nil ſibi dubius de victoria: omnem enim excluſerat dubietatem ſponſio Angelica, & laxata vincula. Hærent Judæi & mirantur Saraceni, ſeque & ipſum invicem aſpiciunt ſtupefacti. Mirantur liberum, quem paulo ante dimiſerant recluſum; ſolutum, quem reliquerant ligatum; illæſum, quem clavis confixum multis plagis reddiderant affectum. Conturbat animos eorũ error plurimus, donec accitis ſciſcitatiſque cuſtodibus, narratur eis lux cælitus emiſſa, viſitatio Angelica, curatio & ſolutio divina. Quibus compuncti tandem aſſentiunt veritati, venerantur verbi Dei myſterium, licet omnibus modis oppugnatum, nequaquam tamen expugnatum: amplectuntur ejus veſtigia, interpellant eum duplici pro miſericordia eorum quæ in eum commiſerant venia, & fidei commendandæ gratia. Non invenitur difficilis ad dandum, quod ſi illi non petiſſent ſibi fuerat ab eis petendum, ſcilicet ut quærerent indulgentiam errorum. Proponitur inter eos & Deum mediator, conſtituitur pro eis apud Dominum interceſſor: ſicque eorum cordibus commendans fidei verbum, inſinuat eis eorum eſſe regnum cælorum, qui renaſcuntur per aquam & Spiritum ſanctum. Suſcipiunt fidem: currunt ad baptiſmi fontem: regenerantur in Chriſto quotquot prædeſtinati erant ab eo. RX MS.

17 Percurrit fama Juſti regionem, pervolant alii ad doctrinam, perplures ad videndum doctorem; diverſus erat concurſus: non idem quippe concurrentium affectus, ſed idem omnium oculis paulo poſt pervenit effectus. Offerentes ei equidem Eutychianum, nobilem quemdam Saracenum, cui ab anno nativitatis nono, ut ſui referebant, uſque ad ſenectutem nimia invaletudo loquendi & audiendi tulerat officium: ex cujus recuperatione volebant ſibi capere atteſtationis illius experimẽtũ. Dextera quoque manus ejus deformi unguium & digitorum arefacta involutione, adeo ut ſibimet ipſi plus oneri quã uſui videretur adeſſe, inutilem cum ceteris malis efficiebat Paganum anima & corpore. Orant omnes inſtanter pro eo apud Juſtum, Juſtus pro ſe & pro omnibus illis inſtantius apud Deum, quatenus radicata in eorum cordibus fide, reddita ſalus Saraceno prædicationi ſuæ perhiberet teſtimonium. Oravit, & exoravit: Saracenus ſeipſum abſolute loquentem audivit, aridæ manus integritatem recepit, & cum aliis plurimis ſacro fonte baptiſmi perfuſus Dominum laudavit, ſicque etiam apud abſentes curationis ſuæ lingua factus, cum gaudio receſſit. Cujus curationis & converſionis gratia, pluribus ad fidem properantibus, cauſa fuit poſtmodum infirmitatem & incredulitatem evadendi, ejuſdemque præfati magnificandi gloria. Quantus enim fuerat in ſubtilitate diſputationum, in diſputanda ſinceritate Scripturarum, admirari quidem poſſumus, definire non poſſumus. Commendat hoc Judæorum, monitis ejus facta ad Deum reverſio, Gentilum quoque plurima converſio; & in his qui crediderant multimoda virtutum operatio: quos ubi verbo veritatis fideliter informavit, & in ſuſceptæ fidei perſeverantia penitus fundavit, gratificis mandatorum Dei confirmatos ſermonibus, Deo paſtori ſummo commendavit ſingultinis orationibus.

18 Deinde ut valefaceret, loca tam dignæ perluſtrans memoriæ, paſſionis ſcilicet crucis & mortis, F reſurrectionis & aſcenſionis Domini, Joanni Patriarchæ cũ ceteris fidelibus valedicit; ſicque cum illo comitatu ſuo peregrinus & exul, Jeruſalem ſupernam quærere demigravit. Patet ei amplitudo terrarum, ſed non aliquis in eo placet locus ad permanendum. Nullam quærit patriam habere, niſi quam ſibi placeat amplius non mutare. Lætantur itinera mundi, ubi tranſitus habetur tanti peregrini. Vadit ad dexteram & ſiniſtram, nullam curat præterire regionem niſi Syriam & Armeniam: patriam enim & parentes fugiens, Chriſtum imitando, Archipræſulatus etiam honorem ducit pro nihilo. Ille ſibi tantummodo complacet locus, quem poſſit pertranſire obſcurus. Nec latebat clariſſimos genitores ejus devota intentio, graviter dolentes ſe deſolari tam clari pignoris privilegio, & viri tantæ ſublimitatis privari patrocinio. Quapropter mittentes legatos obſervare tranſitus peregrinorum, indicant eis mandata precatoria & hortatoria ad Archiepiſcopum. Subjungunt etiam in mandatis, ſi non poſſent eum ſeducere blandimentis, malle eum reduci cum injuria, quam non redderetur amicis. Sed contra Deum non eſt ratio vel conſilium. Parens itaque illa legatoria expedi-

ab iis acriter verberatur:

carceri includitur:

erudeliter torquetur:

ab Angelo confortatus,

educitur è carcere:

multos convertit ad fidem amplectendam:

Saracenum mutum & surdum & aridæ manus ulcerantem sanat,

& baptizat:

discedit è Palæstina:

patriam non revisit:

EX MS. *Parentum nuntiis occurrit:*

tis obſidet itinera, ſed abſque prætereuntium periculo: erat enim obſidio pietatis, ideo non ſupplebat effectum impietatis. Cumque qui exſpectabatur perveniſſet cuneus, non inſidiando, ſed obſequendo cœpit comitari legatorum apparatus. Salutant ſe invicem, utpote ex notitia familiares: requiritur ab utriſque de ſe ſuorum convenientia: jamque progredientibus pariter in procinctu itineris, aperiunt legati cauſam itinerationis. Exponunt ei deſideria amicorum & ſuſpiria parentum: opponunt ei, non abſque aliqua nota, ſuper fuga ejus admirationem Armeniorum: deponunt ejus ſurdis auribus gloriam Antiochenæ Sedis, & benignos in ſe affectus Syrorum, atque multis modis componunt deceptionem ad reducendum.

reditum in patriam & ad Epiſcopatum ſuadentibus reſpondet:

19 At ille fundatus ſuper firmam petram, ludibundis ſuſpendebat eos reſponſis, regiam attentius gradiendo viam, qua procul dubio pervenitur ad vitam. Omnia, inquit, quæ meis ſuppetebant uſibus, habenda reliqui amicis & parentibus: inſuper totam dimiſi eis Armeniam, nil mecum tuli præter baculum & peram. Syris quoque dimiſi Antiochiam cum multis civibus, nec non Eleutherium Archipræſulem cum ſuis benedictionibus: quod ſi eis hoc parum videtur, ſi quid per Chriſtum in hac peregrinatione acquiſiero, Deo volente participabuntur.

B

vim inferentes

20 Hæc & his ſimilia jocunde conferens, revelando ſalebras itinerandi, componebant quid reſponſi deberent referre legati. Illi autem videntes ſe ex mandatis nil proficere, ſed ſine aliqua dilatione virum Dei iter inceptum perficere; audacter fatentur ſibi fore juſſum, ſi ſponte nollet redire, quatenus reducerent invitum: ſimulque tenentes eum cum injuria, trahebant & detrahebant poteſtate & exprobratione inordinata: erant enim numero plures, & ideo ſuperiores viribus.

& ideo divinitus punitos cæcitate & immobilitate brachiorũ,

21 Sed jam pene plagato, non inſolita cuſtodia ſupervenit Euangelicus ille Samaritanus: interceptum & indigne tractatum à latronibus, liberavit: & ne vacui redirent ad patriam, quid novi referrent legatis ordinavit: alios enim ſubita percuſſit cæcitate; aliorum, ſicut extenderant ſuper Epiſcopum, brachia ſuſpendit in aëre; ſingulorum vero equos per diverſa palantes, ſparſim fecit diffugere. Erat ibi maxima confuſio; & ſi adeſſent deriſores, plurima deriſio. Ita ſuis omnes intenti occupationibus, ab inceptis & illicitis redarguuntur intentionibus; nec libet eis parere ultra mandatis alterius: pœnitet eos prioris audaciæ: mirantur juſtitiam ejus, cui prius fuerant illatæ injuriæ: ſtant ſtupefacti, nec quidquam vident: extenſa brachia quaſi minentur, ictum deponere non valent: audiunt loquentes, & interpellare non audent. Sed quia præter hoc ſolum aberat eis omne refugium, ejus advoluti pedibus, ob recuperationem ſui cum grandi ejulatu clamant ad Epiſcopum. Ille autem injuriæ jam immemor, pro eis apud Chriſtum efficitur interceſſor. Orat & exauditur, quia pia eſt oratio qua pro inimicis oratur. Aptaverat cruciculam in baculi quem geſtabat ſummitate, ut illud Euangelicum, qui non tollit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus, etiam juxta litteram, videretur implere. Hæc ſemper comes erat itinerantis, comes vigilantis & dormientis, comes nihilominus quidlibet agentis: quam cum erexiſſet contra petentes miſericordiam, laxantur brachia quæ extenſa fuerant ad ſui injuriam, exuunt oculi cæcitatis nebulam: quibus redditis officio, Recedite, ait, benignus Pater, filioli, continuo, ne quid detrimenti iterum vobis proveniat in remorando: interdicite meis luctum, quia

C

veniámque rogantes, ſanat:

Matt. 10, 38

acquirere mihi vado æternitatis gaudium: irrevocabiliter curro, nil me terrenum ab hoc revocabit propoſito. At illi feſtinantes regredi, faciunt juſſi, quod libenter facerent & injuſſi: utpote quibus nihil eſt ſecurum, non terra, non cælum, timentibus ſibi omnia minitari ultionem & interitum: Digreſſi vero ab invicem repetunt illi Armeniam, iſti plagam Occidentalem. Continuat magnificus Præſul curſum peregrinationis ſuæ, non præcedentibus viatoriis apparatibus cum humana poteſtate, ſed comitantibus miraculis in divina virtute.

D

& celerem reditum mandat.

ANNOTATA.

a *Patriarchas Hieroſolymitanos, qui iſtis temporibus floruerunt ad principium Maii colligemus particulari Tractatu & reperiemus circa an.* 1006 *martyrio affectum Oreſtem, cui potuerit hic Ioannes ſucceſsiſſe & paulo poſt an.* 1012 *ſucceſſorem habuiſſe Theophilum.*

CAPUT III.

Miracula inter peregrinandum, etiam per Germaniam à S. Macario patrata.

E

22 CUm deambularet aliquando vallatus caterva discipulorum, obviam habuit peregrinorum turmulam Ieruſalem petentium, quibus intererat quidam lumine captivatus oculorum: ſequebatur ceteros ſæpius offendendo pedibus, quia alienis incedebat oculis & paſſibus. Intererat ut pauper & mendicus, ſed eorum ſine dubio aderat peccatorum medicina & medicus. Denique certatim vicaria caritate præbentes ei ducatum, per vices & dies ſuccedebant ſibi ad iſtud officium. Quibus ſalutatis, vir Dei cum ſuis reſalutatur, & paulo reſiſtens pietatis reſpectu cæcum intuetur: quem fraterna alloquens caritate, quo jam tenderet ſciſcitatur. Ieroſolymam, ait, Domine, cum his vellem pervenire, ſi Dominus dignaretur mihi permittere. At ille ſolita pietate ubertim lacrymis ſuffuſus, & maxima cordis compunctione miſericordiam Domini intra ſe deprecando profuſus, cruciculam quam geſtabat nebuloſis orbibus admovit, & nimia exundatio lacrymarum ejus utroſque comites ad miſericordiam commovit: fixit inibi pauliſper pietas gradum, numquam abſque effectu ſui ſolita præterire torrentẽ lacrymarum. Ruunt lacrymæ ex oculis omnium ſub ſilentio, non ſine clamore tamen, quia major eſt cordis quam oris confeſſio. Tandem pius Archipræſul prorumpit in vocem, & divinam miſero imprecatus conſolationem, Adſit tibi cariſſime, inquit, divina miſeratio, quatenus claritatis ſuæ collyrio illuminetur cæcitatis tuæ viſio. Vos quoque, fratres, invocate Dominum meum: non enim eſt neque vobis debet eſſe alienum, quia in nomine ejus congregati ſumus, quin ipſe ſit in medio noſtrum. Ubi vero adeſt verum lumen Chriſtus, nemo poteſt remanere obſcurus. Ejus ergo gratia illuminare dignetur & hunc cæcum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: fiat ſuper eum illius piiſſima condeſcenſio, qui ex caritate deſcendit de cælo, ut videret eum omnis caro. Vix Juſtus in terris perorabat, & Deus de cælis precibus juſtis annuebat. Excluduntur tenebræ cæcitatis, redduntur Deo & S. Macario uberes gratiæ cum ingentibus lacrymis: ſicque cæcus lumine redintegratus, comites præceſſit paſſibus jam ſuis.

F

inter peregrinantes Hieroſolymam, cæcum, ab aliis ductum,

oratione inducta,

illuminat:

23 Vir vero virtutum exinde progreſſus, hilaris deambulabat cum ſuis viatoribus, pervenienſque ad locum quemdam ſibi & ſuis valde inutilem, ariditate ſcilicet damnatum & aquæ (quæ ultima videtur in uſibus hominum, ſed prima eſt)

A *in ſumma aridit ate*

eſt) omnimodis ſterilem, quē in tranſitu ſuo irriguum perpetuo reddidit & fertilem. Suis denique, ut ſe habet defectus humanitatis, laborantibus ſitis anguſtia, maligna terræ natura deteriorem minabatur defectum præ aquæ inopia: tentabant foſſas pluribus in locis, ſed quod non aderat non poterat ſubvenire eis. Tandem non jurgantibus, ut quondam filii Iſrael in Moyſen præclarum ductorem, ſed clamantibus ut dulciſſimis ad cariſſimum patrem. Nihil deeſt, ait, filioli, Deum timentibus: vobis quoque, de ejus miſericordia præſumentibus, nec deerit aqua ad potandum, nec fons vitæ credentibus. Hæc dicens, ſignum ſanctæ Crucis baculo ſuo pingebat in terra: vixque egerendo ſuperficiem terræ ſuper effluens emanabat aqua: quam cum applicuiſſent judicio labiorum, ſatis habilem invenerunt & ſalubrem ad potandum, futuris quoque neceſſarium, & beati viri memoriale in æternum: qua pro voto refecti, hilares incedebant & ſecuri: delectabat enim eos tanti viri paternitas, nec erat eis onerosa captivitas, quam tanta comitabatur vbertas.

aquam ſigno Crucis elicit è terra:

24 Liberis itaque mentibus & lætis procedentes paſſibus, Bavariam deveherunt, aliquibus peragratis regionibus: ubi commodum ſuis vſibus perquirentes hoſpitem, divina diſpoſitione ſortiti ſunt Adalbertum quemdam, magnæ dignitatis virum & prædivitem, eo nimirum digniorem ceteris, quod tantum hoſpitio meruit ſuſcipere Pontificem: à quo cum omnibus ſuis caritativa humanitate ſuſceptus, per annum integrum nunquam minorata caritate eſt procuratus. Præparat ei condecens hoſpitium, ſemper ei præſto eſt ad obſequium, nec tædio afficitur euntium & redeuntium: ubicumque enim eſſet excurſus atque decurſus, illic fiebat familiaris recurſus. Nec defuit ei hoſpitalitatis præmium, ſuſcepti ſcilicet hoſpitis ſuperabundans beneficium: uxor namque Adalberti, nomine *a* Ava perplurimum temporis graviſſimo depreſſa languore, ita proximabat extremis, ut conclamata jaceret, nec linguam valebat in verba reſolvere, nihilque in ea ſpectabatur niſi animæ exitus: qua etiam exſpectatione diutius fatigabatur familia domus, amici quoque & propinqui ejus. Condoluit Macarius, & recurrit ad ſolitam precem, & modernam viſitans Sunamitem, reddidit hoſpitalitatis plurimam viciſſitudinem, pro impenſa caritate integram ſanitatem: aquam benedixit; cruciculam, ſæpedictam & ſæpius dicendam, intinxit; tres autem guttulas ori ejus cum ſignaculo Crucis inſtillavit; jam

& uxorem hoſpitis moribundam aqua benedicta & ſigno Crucis ſanat:

B

C

euntem, jam deficientem ad vitam revocavit. Vixque exacto vnius horæ ſpatio cœpit mulier convaleſcere: reſedit, maritum vocavit, & allocuta eſt eum abſolutiſſime: Vnde, inquit, Domine mi, hic homo venit ad nos, qui tantis tamq; præclaris meritis excedit nos. O nos, inquam, ô felices, qui cum eo communes meruimus habere manſionis parietes, cui mores habemus tam diſſimiles! Ipſe eſt juſtus nos peccatores: ipſe abſque dubio cæleſtis, nos terreſtres: cui quidquid ſum debeo, quia ejus munere ſuperſtes exiſto. Perquiratur igitur in opibus noſtris vnde muneretur largitor tam ſubitæ ſanitatis. Hæc & his ſimilia in laude Iuſti mulier dum proſequitur, ſurgit ſana, & familia lætatur: laudes in Deum & plures gratiæ in Sanctum multiplicantur: offeruntur ei munera pro beneficio: ſed quod gratis acceperat ut gratis redderet bene inſtructus ex Euangelio, nil accepit, abſque hoſpitalitatis obſequio, monens ut ex his quæ ſibi offerebantur pauperum fieret recreatio. Augetur in eum deinceps veneratio totius familiæ: ſed quia in omni domo vix aliquando deeſt qui poſſit decipi & decipere, non defuit deceptio inimici etiam in hac hoſpitalitate.

dona oblata reſpuit:

Matt. 10, 8

25 Duo ſiquidem ex aſſiſtentibus prædicto Adelberto, fieri volentes Macariani, cæca cupidine efficiuntur Simoniani; volunt videri operatores virtutum, ſed deficientibus meritis converruntur ad furtum: agitantur ſtimulis nequitiæ, confundunt ſeipſos peſſima confuſione. Convenit vnus alterum, & concepta cogitatione taliter inſtruit ſocium: Ecce, inquit, inopes & nudi ſumus: ſi vero præberes mihi aſſenſum, continuo divites eſſemus. Redigit nos paupertas ad quotidianam ſervitutem, ſed ampla poſſeſſio condonaret nobis ſecuram libertatem. Hoſpes enim iſte noſter, tam ſanctus & mirificus in magnificentia operum, omnia quæ poſſidet, omnia quæ tangit, plena ſunt virtutum; ſi ergo aliquid ex veſtimentis ejus contiguum nobis foret, illudque raperemus; quis æſtimare valet quantū inde quæſtus poſſemus conquirere? nullus par foret nobis in medendo: omnis medicina noſtra fieret abſque labore & periculo: quiſquis ex iſta veſte tangeretur, ſtatim ſanus & incolumis redderetur: omnis multitudo nobis cederet: cæcis viſus, ſurdis auditus, claudis greſſus accederet. O quam clari & noti, quam apud divites & pauperes eſſemus magnifici & mirifici! Nullus nobis ditior in provincia, nullus foret clarior in tota Bavaria. Miror, ait alter te tam diu fuiſſe obſcurum, in quo tam clarum & ſalubre latebat conſilium: certe ſi notus fuiſſes, diu eſt quod libertatem promeruiſſes. Neſcio enim ſi Minerva loquitur tecum, ſed mihi valde placet quod inveniſti conſilium: tantum ſupereſt ne mereris ad peragendum.

EX MS.

lucri appetentes duo

& veſtibus S. Macarii furto ſublatis ratiocinaturos ſe morbos;

E

26 Taliter ſibi invicem conſentanei verbis, repente fiunt ſummi; & prius volunt eſſe divites, quam fieri: rapiunt ſibi manutergium, vſibus Miſſæ tanti Sacerdotis conſecratum; ut ſanctior præda ſanctius contineret & meritum; loco eius ſimile quidem, ſed non æquale, reponentes linteolum: optima fides, ſi avaritia non adeſſet comes. Patuit divinitus amico Dei res geſta: ſed voluit eam omnino tegere, ut erat totius manſuetudinis ſuperabundans gratia, ne ad debitam confuſionem perduceret eos tam turpis commiſſi nota. Voluit ſuam eis opponere benignitatem, ſed maior Dei voluntas gloriam ſui & illius prætulit dignitatem, eorumque paulo poſt publicavit malignitatem: quos enim fraudulentia facti pares fecit in culpa, condigna reſponſio vindictæ æquales effecit in pœna. Nimio denique febrium ardore deprehenſi, ſi poteſtas eis ineſſe potuiſſet & meritum medendi, nulli prius neceſſe habuiſſent ſuccurrere quam ſibi.

manutergiū alio ſubſtituto auferunt;

quos acri fébri vexatos

F

Sed non tulit patientia Iuſti cruciatus eorum: enimvero condolens eis uſque ad ſuffuſionem lacrymarum, hortabatur eos confiteri quidquid foret commiſſum. Illis autem perſiſtentibus in negando, vindictam utique Domini ſui pluſquam iram Dei metuendo, cruciculam graviter laborantibus admovit, & jam à pene deficientibus ardores febrium dimovit. Tunc vero primum compuncti ad confeſſionem, ceteroſque ſuis monentes exemplis, ne ſimilem concupiſcant virtutum operationem, gaudent ſe tantam accepiſſe veniam quantam promeruiſſent pœnam.

S. Macarius eos ſanat.

27 Dei autem ſervus, tantis clarificatus meritis in regno Bajoariorum, vbi maxime cœpit frequentari & extolli favoribus populorum; cedere maluit quam vendere ſimplicitatis oleum, & benedicens hoſpitibus ſuis cum hoſpita, eorum lacrymis & ſalutamine deducitur cum ingenti benevolentia & obſequio. Quibus ea inſinuans quæ ſunt inſtitutionis, & omnino admonens ne uſpiam exorbitarent à tramite æquitatis, valedicendo abſcedebat cum ſuis. Extendebat animum ad exteras regiones nationum, & diverſa perluſtrans loca, diverſitate locorum memoriam ſui pluribus commendabat titulis ſanctitatum. Ita paſſim paſſibus incedens ſalutiferis, vbi proximare cœpit Maguntiæ mœnibus civitatis, ſcandalum incurrit

ex Bavaria diſcedit;

Moguntiacum adit;

EX MS. currit ex neceſſitate caritatis. Miſer enim quidam, ex ſeditione vix fuga elapſus, animo turbatus, mente vagabundus, ſanguine cruentatus, oculis furibundus, nuſquam bene tutus (utpote homicidii reus) palloris albedine morti quam fugiebat ſimillimus, occurebat venienti exſanguis & anhelus. Illata ſiquidem cuidam nece, ut ſe habet humani furoris præcipitium, metu turbante fugam, fugiendo inſtabat evadere ultionis periculum. Inſequebatur cum furore & impetu inimicorum turba, vnius peccatoris extinguere vitam quærentium ſine aliqua dilationis cauſa.

reum homicidii

27 Nihil intereat inter occiſores & occidendum, niſi metu mortis curſus fugientis velocior ad evadendum. Sed vbi pervenit ad Macarium, velificante Dei gratia, tutiſſimum portum invenit. Ante pedes ejus, vltra non audens nec valens procedere, corruit: & ignorans quis eſſet, tamen eum ſibi fore præſidio miſericorditer imploravit: & inſtante neceſſitatis hora, effugium necis ab eo quæſivit. Subſequitur clamor cum furore ſubſequentium, etiam viro Dei, ſi defenſionem pararet, mortem minitantium. Quibus obviam præcurrens Chriſti miles intrepidus, armis, quibus pugnare conſueverat, fortiter armatus, inter tela & reum conſtitit interritus: oppoſuit furentibus inexpugnabile ſcutum, cruciculam ſcilicet, redemptionis ſuæ ſignaculum, in cunctis operibus ſuis familiare confugium. Subnectitur patria voce, neceſſaria tempori & rei, humilis petitio; ad Deum nihilominus ſine voce familiaris & amica oratio. Si quis vero verſus reum extendere voluiſſet arma vel manum aliquo modo, & equis & equitibus præfertur ſalutaris cruciculæ continua objectio. Erat ibi pium ſpectaculum videre, hoſtes armis, Iuſtum precibus & meritis pugnare; Deum autem cælitus juſto reſiſtentes potenter expugnare.

ad ſe confugientem protegit:

telis perſequentium opponit Crucē:

B

28 Tandem divinitus inſpirati, flectuntur ad miſericordiam, exhibent Iuſto debitam ſubjectionis reverentiam; & ſi non verba, tamen intelligentes ejus intentionem, humiliter ſuſcipiunt pacis petitionem: deponunt ferociam & furorem; reducunt oculos & animos ad manſuetudinem; relaxant brachia & arma, hactenus extenſa ad perniciem; & ex equis proſilientes, ejus amplexatis pedibus, petunt veniam & accipiunt benedictionem. Fatentur ſe angelicam ſpeciem in eo vidiſſe, cæleſtis gratiæ ſplendorem ſuper eum plenius illuxiſſe, & ideo ad reſiſtendum votis ejus nequaquam victores fuiſſe: quidquid modo imperaret ſuper reo animo libenti ſe accipere. At reus jam liber & ſecurus, utpote quem talis ad tuendum ſuſceperat advocatus, ne quid ſane in ejuſmodi negotio imperfectum reſtaret, quod inſtigatoribus mali amplius ſcupulum pacis commoveret; non deſtitit vir Dei donec hoſtem hoſtibus uſque ad oſculum conciliaret, & daret eis cum benedictione abeundi licentiam.

eosque manſuetos efficit

C

& conciliat cum reo.

29 Ipſe cum ſuis commilitonibus, præeunte Dei gratia, ingreditur civitatem Maguntiam: indeque egreſſus, poſt aliquot dies Sanctorum cultura nobilem pervenit *b* Coloniam: vbi benigne à quodam. Tirone inductus hoſpitio, maxime venerationis & caritatis excipitur obſequio: nec defuit hoſpitalitatis beneficium, à beato ſcilicet viro gratificæ remunerationis præmium. Iſdem quippe Tiro, honeſtate morum inter ſuos clariſſimus, licet opulentia rerum intra concives foret præcipuus, nihil tamen ſibi habere videbatur, quia carebat ſanitate quæ potior eſt mortalium vſibus: quid enim habet qui ſeipſo caret? Laborabat diutius auriginis languore: quo vehementer depreſſus, cibi potuſque appetitum interdum cœpit faſtidire. Expenderat plurima in medicaminibus: ſed fruſtra, quia ſolius Dei eſt ſalus. Pauper ergo ſanitate, ſed dives caritate, hoſpitem ſuum quotidie penes ſe fecit diſcumbere, & in eodem vaſe ſecum manducare & bibere: & quidquid alimoniæ accepit, ille prius quam acciperet conſecravit. Nec incaſſum conſecratio ceſſit: poſt aliquot enim dies cœpit paulatim pauſare, de die in diem meliorari, & levius habere; appoſita ſibi non ſolum vorare, ſed etiam devorare. Miratur & lætatur in corde ſuo: quia occulta erat medicatio, & publica curatio, quam nimirum procurabat benedictio: quod vbi liquido perſenſit, Deum in mirabilibus ſuis magnificavit, & peregrino gratias egit. Suis autem meritis ille nihil deputans, benignum hoſpitem hortatus talium largitorem Deum agnoſcere, nec animum nec curſum retardabat vlterius concedere.

b Venit Coloniam,

hoſpitem regio morbo liberat:

D

ANNOTATA.

a *Mattheus Raderus lib. 2 Bavariæ ſanctæ pag. 154 & ſequentibus inſeruit hanc hiſtoriam, cum illuſtri Raphaëlis Sadelerii tabula area, & mallet loco* Avæ, *ſcribi* Evam.

b *Gelenius ob hunc ad vrbem Colonienſem acceſſum & hoſpitem à graviſſimo morbo liberatum, inſcripſit S. Macarium Faſtis Colonienſibus ad hunc* 10 *Aprilis.*

E

CAPUT IV.

Peregrinatio per Belgium. Adventus Gandavum. Miracula.

Mecliniam adit:

30 Circuibat loca meritis inſignita Sanctorum, & vbique præclara relinquens veſtigia meritorum, Maglinam devenit poſt aliquas deambulationes terrarum: vbi quam glorioſo divinæ operationis ſit glorificatus miraculo, eadem nocte evidenter eſt experta quorundam ſatis neceſſaria liberatio. Exceptus ſiquidem affectiva veneratione fidelium, juxta *a* Eccleſiam B. Rumoldi Martyris commodum ſuſcepit cum ſuis hoſpitium & benevolum obſequium. Ecce autem ante medium noctis, quando graviſſimus ſopor avidis imminet mortalium curis, ex eventu rei clamor maximæ tumultuationis exoritur: vnde & ipſe repentaliter, non ſine injuria dormientis, ſomno excutitur. Ignis namque male ſopiti conflagratio quorundam domos jam jamque pervaſerat, & fumo in altum vaporante, hac illacque periculoſum incendium ſæviebat. Obvia quæque vorax flamma depaſcitur: nulli dignatur parcere quamdiu materia ſufficiente paſcitur. Cumque nullus valeret reſiſtere labor humanus, ſed reſiſtentes longius abſtraheret nimius incendii fervor; concurritur, ad B. Macarium, quatenus in tanto periculo hoſpitibus ſuccurreret ejus fidei ardor. Nec diſtulit venire: ſed ad domū, cui jam imminebat incendium, feſtinanter properans, ſolitæ fidei accenſus calore, de tecto ipſius tabernaculi vnum manipulum extrahit; eumque ſanctæ crucis ſigno conſignans, loco ſuo deponit. Videntibus quis aderant cooperationem virtutis divinæ, idem manipulus quaſi terminus eſt poſitus, quem incendium nec tranſire voluit nec comburere; ſed quaſi nimio venti flamine ſeſe retorquens, incredibili feſtinatione laceſſendo cœpit deficere. Qua de re clamor ad cælum tollitur, omnipotentia Chriſti laudatur, & Archipræſulis meritum prædicatur.

incendium de nocte exortum,

F

ſigno Crucis ſiſtit & exſtinguit:

adit Malbodium:

31 Quia vero quamvis non ut decet, ſed ut imperitia ſcriptoris valet, tanti viri deſcribitur peregrinatio; qualiter peregrinatus ſit apud Melbodiū, non eſt prætereundū ſilentio. Cœnobiū eſt & in ea conventus puellaris, vbi etiam corpore humata requieſcit ſancta Virgo *b* Aldegundis: ad quem locum cum peregrinando ſæpe dictus Archipræſul perveniſſet, atque ob venerationem ſanctæ Virginis ibidem quieſcendi diverſorium

b veneratur corpus S. Aldegundis:

A sorium quæsisset; eum quidam bonæ voluntatis, nomine Durandus, sed corde humilis & mansuetus, cum suis hospitio competenter honoravit, & humanitatis obsequia pro posse ministravit: Vbi cum aliob sanguinem ejus ex aperta vena acceptum quamdiu demoraretur, propter longam itineris fatigationem, placuit sibi quatenus sanguinis minutione recrearetur: quem præfatus hospes cum vasculo excipiens apud se reposuit; & meritum viri præponderans, vni ex servientibus sibi, ut summa solicitudine tuto loco ne effunderetur servaret, magnopere commendare curavit. Sed quia aliquando servorum natura nihil est deterius; servus idem, ut omnium nequissimus, tam invidia quam & diaboli instinctu deceptus, illum sacrum cruorem in latrinam projecit, seq; hoc nequiter commissum abscondere posse putavit. Sed scrutans corda & renes Deus vltionum, consumens nequitiam peccatoris, & dirigens justum, hunc ut quondam nequam Giesi, lepræ morbo percussit, & quamdiu supervixit hujus languoris miseria non caruit.

& in latrinam projectum,

lepra incussa famulo.

32 Beatus autem Archipræsul, utpote vir tantæ dignitatis, sæpius corde & ore ruminandus, nequaB quā adhuc desistens à peregrinationis suæ laboribus; hinc recedens Cameracensium vrbem pervenit: vbi etiam paucis diebus commoratus, quis, qualis vel quantus esset divinitus intonuit. Nam die quadam, vbi inferis lucem sol, superis tenebras reduxit, sanctæ Dei Genitricis *c* basilicam (ut sui moris erat) pernoctare, & Domino laudes ac preces offerre intravit; sed hunc edituus templi interius reperiens, non absque iniuria eliminavit; atque post eum, felle commotus, obice & sera ostium munivit: quod ille, patienti ut erat animo, humillime pertulit, seque deforis ante fores ecclesiæ benigna animi devotione prostravit. Deus autem omnipotens, cujus voluntas est potentia, cujus opus misericordia, volens ostendere cujus meriti foret ille excluſus, qui etiam videbatur tam abjectus & obscurus; ut Petro Apostolo per Angelum de carcere educto ferream aliquando aperuit portam, ita & huic amatori suo ante fores prostrato æquali pietate reseravit ejusdem ecclesiæ januam: quam tamen ea hora minime intravit: quia recolens illud Euangelicum, quid mereatur qui vnum de pusillis scandalizaverit, custodis animositatem non offendere, sed pietate fidei perfundere curavit. Custos autem, ut ostium aperiret, horis rediens matutinalibus, ut apertum vidit & peregrinum pro foribus orationi prostratum invenit, non erat in eo spiritus: quidquid in virum Dei commisit, ipse timor procul dubio purgavit. Mane facto res omnibus innotuit, & fidelitas fidelium omnipotenti gratias egit, & hospes excluſus ex claro clarissimus haberi cœpit.

c Cameraci in æde Deiparæ pernoctare cupiens, excluditur:

ante januam divinitus apertam permanet.

Matth. 18, 6

C

33 Sed talibus non apponens animum, inde discessit: quem *d* Tornacus peregrinantem hospitio susd Tornaci cepit. Civitas est abundans opibus, plena civibus, referta venalibus; populus quoque in ea levis & tumultuosus, & ideo nonnumquā perturbatur seditiosis motibus. Deduxit huc eum casus, sed Deus & Dominus universorum ibi etiam magnifice eum honoravit, per insigne miraculum. Paci quippe hominum inimicante diaboli invidia, seditio inter cives die quadam exoritur periculosa; & quia civilis, ideo graviſſima: volant verba, cives concurrunt ad arma, ferientibus nihil interest nisi tela conserta. Intonat sævis plangoribus bellum, mulieribus pro maritis lugentibus, imbrem parturiens lacrymarum: stant vibratis dexteris cognatæ acies, licentiam scelerum flagitantes. O quam execrabilis pugna, vbi sine hostibus geruntur bella! O certamen, quo nihil insolentius, vbi victoriam nullus sequitur triumphus! Armantur cives in civibus, parentes in parentibus: & si perveniret ad effectum concurrentium affectus, vnus esset luctus & victis & victoribus. Plangit natura & pietas, quia ferro dividitur caritas: crescit in sceleribus rabies, & infirmari solent invalescentes cladibus vires: imminet exitium civitati, quia nec pietati parcitur, nec pudori: sævit in cognatis ferrum, & non habet crudelitas modum. Aderat eo die Tornaci Princeps patriæ senior *e* Balduinus, qui & ipse exiliens cum armatis militibus, monet suos celeriter procedere ad pugnam; non ut pugnent, sed ut placent tanti furoris insaniam. Sed in vanum cessit ejus labor expensus, quia non aliter valet refrænare conceptos civium motus, quam si vellet vento turbante compescere Oceani fluctus.

EX MSS.

e quam Balduinus Comes compescere nequibat,

34 Verum ecce post tam funestæ pugnæ naufragia, mirifica subsequitur supernæ pacis clementia. Erumpens siquidem & beatus hospes Macarius, cum suis militibus videlicet & armis, orationibus, cruerecta Cruce sedat, cicula & sodalibus peregrinis, properansque festinanter usque ad locum certaminis, inter acies & tela constitit signifer pacis: vbi Spiritus sancti præcinctus armatura, oratione cum lacrymis ad Deum fusa, confidenter erigit pretiosum præfixæ Crucis itineris baculum, & non sine Dei præsentia furentibus imprecatur pacis subsidium. Cœpit statim Dei nutu langueſcere procellosa seditio: & satis ea die constitit, quia plus valuit hospitis admonitio quam Comitis comminatio: eo usque etenim illos omnes baculo virtutis & merito intercessionis ab illa pugna compescuit, ut nullus eorum contra se deinceps manus levare præsumpserit: sed antequam ab invicem discederent, singulos singulis usque ad pacis osculum reconciliaverit. Ita precibus justi cælitus annuente principali clementia, omnis civitas tanto tumultu sine sanguine sopito, in confecta pace est exhilarata.

E

& pervicaciam jacem infer. eu:

35 Archipræsul vero, novitate gratiarum ubique opportunus, nusquam importunus, ubicumque incedebat, novis semper proficiens meritorum profectibus, provinciam pertransibat; nesciens quo iret, nisi ubi animo ejus intimabat Spiritus sanctus. Nec mirum tantis eum insigniri virtutibus signorum, cujus itineris continuus comes aderat Dominus virterminatis tutum: ipse enim omnes actus componebat, ipse peregrinatiovitæ cursum disponebat, atque eum ad locum quiesnis acquirit Gandavum. cendi feliciter deducebat: imponit tandem peregrinationi ejus modum; felicissimi cursus constituit terminum; tantis Justi laboribus competens præordinat receptaculum. Nec immerito, quia omnis spes ejus erat fita in Deo; quo duce tamdiu vagabundus, numquam errabunbus, tandem divinæ aspirationis aura perflatus, in portum stationemque tutissimam, præeunte Dei gratia, est deductus; sicque post aliquot dies Gandavum ingreditur lætabundus. Cœnoadit Blandinium monasterium, bium S. Petri, quod Blandinium dicitur, primum visitare curavit; sed visitantis virtus illic ignota fuit, quia lucerna lucens sub modo latuit. O cæca, ô misera hominis conditio, vbi tamen nulla erroris est intentio! *f* Pertransit ad portum; pervenit ad S. Petri, f quod Sanctus Confessor Bavo meritis illustrabat, dein ad S. Bavonis. cœnobium: vbi quia tempus miserendi advenerat evidens probat experimentum. O felix portus, felix civitas & populus! felices, quibus, licet ignorarent, tanta à Domino concessa est salus, super quos etiam radiavit tam præclarum sidus! Dies jucunda & memorabilis, dies digna numquam carere memoria jucunditatis.

F

36 Agebat in sceptris Francorum Rex Robertus, in Marchia Flandriæ Comes Balduinus, in cœnobio S. Petri apud S. Bavonem videbatur agere vices Chriab Eremboldo abbate susti Abbas Eremboldus: à quo & Fratribus cœnobii satis benigne susceptus hospitio, inter hospitandum scipitur. quoque caritatis fraternæ admodum delinitus obsequio,

EX MS. quio, inter eos remanere paulatim inducitur animo. Clauſtrali interdum & fraternæ ſocietati admittitur; hoſpes hoſpitibus vnicæ dilectionis vinculo connectitur; atque indies carior & familiarior redditur. Apparet judiciorum Dei abyſſus multa, ut, quem tota cum parentibus non valuit retinere Armenia, non caput vel decus Syriæ Antiochia, in modico retineret Gandenſis Eccleſia. Sed non mirum, quidquid à Deo fit novum, apud cujus diſpoſitionem jam eſt præteritum, quidquid ſeculis futurum. Deduxit Gandenſibus ab Armenia æternam ſalutem, Armenienſibus vero providit à Gandavo perpetuam ſervitutem. Exhibetur itaque hoſpitatio, communis Eccleſia, commune clauſtrum; ſed ſingularis ad quieſcendum cum ſuis cella, cum Fratribus autem refectio indiſcreta.

f *unde converſatus cum monachis s*

38 Placet omnibus, nec vlli videtur oneroſa ejus ſancta converſatio: invitat omnes ad meliora ejus animi pia devotio: non ſolum Fratres, ſed etiam provinciales confirmat quotidie ejus ſacra benedictio. Impatiens ſiquidem quietis infructuoſæ, frequentabat Eccleſias Gandenſis provinciæ: celebrabat Miſſas, in ſingulis vacabat conſuetæ devotionis orationibus: populos ubique Deo commendabat familiaribus votis, quibus etſi loqui non valebat, tamen pro eis loqui attentius, perſiſtebat; parvi pendebat ſibi ſoli ſe natum fuiſſe, ſi non etiam pluribus ſtuderet prodeſſe. Omnis quoque collata ſibi fidelium oblatio, abſque vlla dilatione pauperum fiebat recreatio, utpote cum quo ab infantia talium creverat procuratio. Aderat ab vndique populus ſine defectu tanti viri frequentatorum, quia dulcis labor erat quem caritatis ſuggerebat amor; nec erant immunes à juſtitia, qui non ſolum paſſibus ſed etiam devotione ſequentes Iuſti veſtigia, à pluribus liberabantur incommodis, meritorum ejus experientia. Aqua etiam ex manibus ſe lavantis defluens, nequaquam erat virtutibus carens: ipſe nihilominus manuum attactus infirmitate depreſſis efficax erat & ſaluberrimus; & quibus erat altior fidei devotio, ad promerendam ſuſcipiebat ſalutem ſola Epiſcopalis benedictio. Invitabatur plerumque à divitibus & pleriſque ægrotis; apud quos confecto negotio invitationis, ſine mora recurrebat ad cœnobium ſuſceptæ manſionis. Revocabat enim eum expertæ caritatis affectus, qua ſibi eum vnice devinxerant cœnobii Fratres, nec non illuſtris Pater Eremboldus: à quibus frequenter interpellatus, ut ſecum remaneret perpetuo, nequaquam animo induci potuit; idipſum diſponente Dei judicio, quatenus luce clarius fieret, quia non eum illic fortuna deduxerat, ſed ſuperna diſpenſatio.

B

C *laret miraculis;*

in patriam rediturus,

39 Petentibus itaque omnimodis contradixit, & ſurdus auditor effectus, repatriare attentius conſtituit: ea vero ceteris ſodalibus minime ſedit intentio; & ideo, ne aliqua inter eos oriretur contentio, cum maxima pietate tantæ ſocietatis facta eſt diſgregatio. *impeditur in portu inflatione pedum:* Ipſe, Patris monaſterii & Fratrum accepta licentia, ſuper reditu ejus dolentium, uno tantum comite contentus, tranſmigravit viciniæ portum, ſtatimque iter ejus præpeditur inflatione pedum. Infirmatur, lecto detinetur, in tantum, ut etiam de vita deſperaretur. Pervenit res ad audientiam Blandinienſium, qui ſera pœnitentia ducti, quod primo minime ſuſcepiſſent talem virum, quatenus ſi nollet ſponteneus, vel invitus ſibi reduceretur, conveniunt precibus *g* Lambertum ea tempeſtate Caſtellanum. Quibus pariter euntibus viſitare infirmum, pro temporis qualitate & ratione, ex monaſterio S. Bavonis conveniunt & priores ſui hoſpites, nihil mutati ex priſtina intentione. Quibus vtrimque circumſedentibus, vtroſque intuetur pietatis reſpectu exul ille beatus; & requiſitus, ſi vellet, imo etiam per interpretem ab ipſo Caſtellano exoratus, quatenus rediret ad Blandinienſium cœnobium; dulciter oculos reducens ad ſuos, non jam hoſpites ſed Fratres, inſinuat ſe referri ad ſui Bavonis hoſpitium. Quibus auditis Caſtellanus, nullam vim audens inferre Dei viro, diſceſſit ſuis fruſtratus conatibus. Nec mittitur ad monaſterium (quis enim amens poſt tergum tantum relinqueret theſaurum?) Mandatur referri ad hoſpitium: itur & cum quanto Fratrum nuper mœrore digrediebatur, cum tanta eorum exultatione revocatur. Invenit eos minime mutatos, in caritate fovetur, quanta poſſunt humanitate.

D *refertur ad monaſterium S. Bavonis.*

g *invitatur à Blandinienſibus & Bavonianis:*

ANNOTATA.

a *Eſt hæc eccleſia primaria & Sede Archiepiſcopi jam honorata. Colitur* S. Rumoldus, 1 *Iulii.*

b De S. Aldegunde *& dicto cœnobio nobilium Canoniſſarum, & Malbodio oppido, egimus ad ejus Vitam* 30 *Ianuarii.*

c *Eſt hæc baſilica, etiam Sede olim Epiſcopali, nunc Archiepiſcopali exornata, & miraculis Deiparæ Virginis etiam olim celebris: quorum nonnulla refert Baldricus lib.* 2 *Chronici Cameracenſis cap.* 1, 2, *&* 3.

d *Ioannes Cognatus Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Tornacenſis, tomo* 3 *Hiſtoriæ Tornacenſis, hæc Tornaci à S. Macario geſta refert pag.* 61.

e Balduinus IV *Comes Flandriæ, de quo ſupra egimus.*

f *Hinc incipit prior Vita, ab oculato teſte ſcripta. Singula hic enucleatius explicantur.*

g *Hic eſt celebris* Lambertus, *ex quo per viginti duas aut tres generationes deducitur nobiliſſima familia hodierna Gandenſis, Villania dicta, ex qua deſcendunt Principes de Maſmines, & Comites Ienghemii, aliique. Hanc familiam illuſtri tractatu illuſtravit Andreas du Cheſne, excuſo Pariſiis* 1631.

CAPUT V.

Sanitas eidem cælitus collata. Morbus, obitus, ſepultura.

40 SEd nihil ſibi humanis proficientibus, exanimi quippe jacebat omnino ſimillimus, Sanctorum in eadem eccleſia corpore quieſcentium meruit viſitari conſolationibus. Præ nimia enim corporis invalitudine, continua ſomni privatione aliquamdiu contritus; ecce cujuſdam intempeſtæ noctis ſilentio, ex contritione, medius inter vigilantem & dormientem, quaſi in extaſi factus, videt Patronum ejuſdem loci, Sanctum ſcilicet Bavonem, ſibi aſſiſtere, & ut monaſterium ingrederetur vigilantibus monitis imperare. At ille, ut ſibi videbatur, ſurrexit, monaſterium intravit, & ante ſanctum altare digniſſimas vtriuſque ſexus perſonas cum S. Bavone ſedentes invenit: inter quos etiam videbatur ſibi ſe S. Landoaldum agnoſcere, quem ſolum præ cæteris infulatum Miſſas celebraſſe, ſeque ipſum cum ceteris poſt expletionem benedixiſſe; deinde vero S. Bavonem ex medio ceterorum ſurrexiſſe, & extenſa manu amicabiliter ſe tenuiſſe, atque ut juxta altare S. Petri ſtaret præcepiſſe. Vbi dum juſſus ſtaret, eoſdem Sanctos ſibi cum ceteris approximare videt, intantum fulgentes, ut eorum fulgorem humanitatis viſus vix ferre valeret. Horum itaque preſentia roboratur, & ſe ſalutem recuperaſſe certioratur. Mane facto ſurgit ſanus, ea quæ viderat exponit Fratribus, atque per judicium ſanitatis eos reddidit certos viſionis: ſicque in eodem cœnobio quinque menſium curriculo demoratus, nihilominus patriam adire iterum eſt tentatus.

F *Recreatur à S. Bavone in viſione apparente* *cum S. Landoaldo & aliis,* *& ſanus efficitur;*

41 Sed

41 Sed dum ipſe deliberaret repatriare, Deus bonorum remunerator diſponit eum coronare: evocat eum ſibi electione meritorum: mutatur reditus pia vocatione de terra ad cælum; recipit non Armenia, ſed patria redeuntem peregrinum: nec deeſt in digreſſu, tam mirifice diſpoſito, plurima commendatio fidelium. Audita ſiquidem ejus diſceſſione, captata ſibi devotione & otio ex temporis opportunitate; in ſancta Paraſceve Paſchæ confluebat ad eum multitudo totius provinciæ. Invitabat eos dies indulgentiæ & remiſſionis, dies exultationis & liberationis, dies videlicet dierum, id eſt Dominicæ reſurrectionis, in quam magni pendebant ab eo Paſchalibus ſacramentis communicare, tanti Pontificis benedictionibus intereſſe, non incerti de patrocinio, ſi ſe & ſua diſcedenti potuiſſent commendare. Maxima populorum fides, nec eis inexperta Juſti ſuffragia, apud quos tanti erat etiam abſentis fiducia. Sed dum liberali intentione præſtolantur diſceſſurum, pia Dei diſpoſitio æternaliter eumdem providet eis Patronum, & jam in ea quæ tunc eis incumbebat neceſſitate ſalubriter patrocinaturum.

A

diſponit reditum in patriam:

maximo accurſu hominum inviſitur:

42 Letifera denique lues ea tempeſtate crudeliter ſæviebat: inevitabili ruebat morbo catervatim Gandenſis pagi permixta multitudo, adeo ut pene totius provinciæ videretur fieri miſera deſolatio. Veſicis ſiquidem ſubito excreſcentibus in palatis hominum, niſi continuo inferretur, quo noxius humor efflueret, medicinale ferrum, nullus evadebat mortis periculum. Inaudita erat rabies immaniſſimæ peſtis, inſueta perturbatio humanæ ſortis, inconſulta ſubitatio multifluæ mortis. Vincebat ſuperſtites frequentia morientium, vixque eos tumulare ſufficiebat trepidus labor viventium, ſine aliqua videlicet dilatione eadem in ſemetipſis ſperantium. Miſera eorum conditio, quos, modo incolumes & ſanos, ſubito rapiebat tantæ peſtis devoratio. Excluditur ab eis, præter Dei ſolius, omne refugium: tandemque in extremis pendentibus commune initur conſilium, quia omnibus commune erat & periculum. Placet eis ad ſibi expertam Dei miſericordiam confugere, ſuffragia Sanctorum in Gandenſi portu quieſcentium fideliter expetere, tantoſque Patronos, ad gratiam Dei repropitiandam in hujuſmodi anxietatibus aſſuetiſſimos, in locum unum conferre. Placet eis triduanum generaliter inire jejunium, hominibus & pecudibus eumdem luctum facere, ſicque antiquam Ninivem in miſerum Gandavum renovare.

B

In ſaviſſima peſtilentia

corpora Sanctorum conferuntur:

C

jejunium triduanum indicitur:

43 Sed dum nova populi religio, ad iram Dei placandam, talia ordinando componit; ille ſupernus miſerator, qui antequam invocetur invocaturis adeſt, ſalutem eorum diſponit, atque unum eligit ex omni populo, qui pro omnibus tantæ peſtis ultima fieret immolatio. Sanctus denique Macarius, quoties genibus flexis pulſaverit terram ut precibus penetraret cælum, quoties hoc pro terminatione populi ſingultibus & lacrymis ſummæ pietatis impugnaverit ſacrarium, facile quidem eſt cogitatu, relatu vero difficilſimum. Sed dum pro aliis intercedit, ipſe pia Dei providentia etiam aliorum commune periculum incurrit; & tactus morbo tam crudelis peſtilentiæ, in primis amiſit ille Dei magnificus laudator officium linguæ: pro qua ſtatim à Chriſto recipiens ſpiritum prophetiæ, nutibus & ſignis, quibus poterat; præter ſe &

S. Macarius peſte corripitur,

alios duos, eo morbo prædixit neminem deinceps interire: effectus autem veritatis probavit poſtea aſſertionem prolationis. Deinde uſu loquendi recepto divinitus, accerſito Patre monaſterii, Domino videlicet Eremboldo, cum reliquis Fratribus, comam peregrinationis & barbam nationis ſibi tonderi exorat quantocius. Teſtamentum, pauper, peregrinus & hoſpes, non fecit (neque enim quid cuiquam daret habebat) ſed ſoli matri ſuæ, magnum quidem munus, ſed æterni doloris memoriam, dimiſit, partem ſcilicet barbæ ſuæ, quam ei in Armeniam remiſit. Hæc ei miſeranda reliquit ſigna, perpetuæ pietatis monumenta, ne ſuſpenſam diutius torqueret longa filii nunquam redituri exſpectatio, & in loco ejus vel hæc ſola ſibi ſupereſſet, licet modica, conſolatio. O moderatio naturæ! quanta fuit pietatis dulcedo, dum talia videret in materna dilectione.

EX MS. *prædixiſſe ſolum cum 2. aliis moriturum:*

barba partem matri petit mitti:

44 Inde cum fratribus ingreſſus cryptam, titulo ſanctæ Dei Genitricis Mariæ venerabilem, ante altare S. Pauli deſignabat ſibi baculo locum ſepulturæ, poſt tantos orbis circuitiones deſtinatum ſibi à Deo, non abſque gratia felicis memoriæ. Jamque inſtabat *a* feria ſexta, dies tertius jejuniorum; inter ceteras ætates denegatur etiam parvulis & vitulis lac maternum; omnibus modis, quibus humana poteſt cura, vis infertur regno cælorum. Efferuntur corpora Sanctorum ab utroque cœnobio, ſtatimque locum tanto conventui præſtitum tanta plebis circumvallat multitudo, quantam in unum conglobari non alicujus damni ſed ipſa miſerrima mortis cogebat neceſſitudo. Aderat diverſa ætas & ſexus, gemebundæ mulieres cum pueris & lactentibus, quarum viſcera crudeliter torquebat maternalis affectus. Puſioli ſiquidem maternis cervicibus impendentes, tenellis quoque digitis manus matrum & quidquid arripiebant infantiliter conſtringentes, & miſeris vagitibus conſueta lactis nutrimenta dulciter exigentes, torquentur eſurie, non ſua, ſed genitorum peccata innocenter deplorantes. Nec ſolum ille locus tantæ frequentationis redditur tumultuoſus; ſed omnis regio, omnis vicinia, & ipſe plurimum Gandenſis portus: ubique gemitus & lacrymarum inundatio, quatenus ſuper omnes fieret generalis ſuperna miſeratio. Tollitur ad cælum plurimus clamor, & diverſus virorum & mulierum plangor luctuoſus; ſuſpiria ſenum & puerorum vociferatus; lactentium lacrymæ & miſerabilis vagitus, pecudum quoque & jumentorum ante vacua præſepia ligatorum intolerabiles mugitus.

ſepulturam eligit ante altare S. Pauli.

a

E

F

tertia jejunii die ſupplicatio publica peragitur:

45 Nec incaſſum tantus labor ceſſit: benignus quippe Creator omnium, miſcens ſeveritati lenitatem, iram ſuam transferens in benignitatem; caſtigando amans, amando conſolans; judex in flagellis, pater in blandimentis; ubique fidelis, numquam crudelis; de cælo ſuper tantam multitudinem miſericorditer reſpexit, & tantæ cladis moleſtiam in ſolo B. Macario penitus extinxit. Relocantur ſedibus ſuis Sanctorum corpora: deploratis aliquamdiu peccatis ſuis redit unuſquiſque ad propria. Archipræſul vero cum ſuis hoſpitibus regreſſus ad monaſterium, atque hora refectionis, virtute qua poterat, ingreſſus refectorium, cum nihil Fratres videret ſumere præter modicum panem & aquæ paululum, plena qua plurimum abundabat caritate, eos omnes obſecrando & jubendo impetravit mutare jejunium: quibus & ipſe conſidens

S. Macarius regreſſus,

EX MS. *cupit monachos in refectorio bene haberi,* fidens hilarem ſeſe omnibus exhibuit; ex ſibi appoſitis, caritate pluſquam neceſſitate, aliquantulum ſumpſit, ſicque eis ultimum valefaciens, Epiſcopaliter Benedixit; & pene morbo deficiens, vix ad hoſpitii cellam receſſit. Deputatur ei *& valedicit:* pervigil cuſtodia Fratrum, quatenus ceteris in dormitorio quieſcentibus beatæ illius animæ nuntiarent exitum. Ipſe vero jam inſtante migrandi hora, in lecto reſedit; expanſiſque manibus & erectis in cælum luminibus, ſeſe Domino Deo ſuo, *inſtante morte ſe ipſe Deo & Sanctis commendat:* utpote mox iturum, nimia ſuffuſione lacrymarum attentius commendavit; ſuffragia Sanctorum & tutelam Angelorum multimodis precibus ad deducendum invitavit; ſicque tremendam diſſolutionis ſuæ horam, animo intento ad Creatoris ſui imperium, expectavit.

45 Tantus autem circa ſe vigilantes invaſit horror, ex preſentia, ut creditur, Beatorum Spirituum, ut, ſicut etiam in Dialogo Gregorii Papæ legitur de S. Paulino Nolanæ civitatis Epiſcopo, omnes abſque mora petiſſent fugæ præſidium, niſi eorum animos retreaſſet Fratrum con- *& inter orationes monachorum moritur:* ventus ad exequias ſurgentium: quibus congregatis, caput terræ reclinavit, & inter pſallentes & orantes feliciter ſpiritum exhalavit. Quod in illo mori non potuit redditum eſt Creatori. Nec refellitur veridica ejus prophetia, ipſe quippe ſolus omnium ultima peſtilentis morbi occubuit victima. Corpus autem digna compoſitione feretro ſuperpoſitum, pium erat viſu, quanta ferebatur ad eccleſiam contentione portantium: vix enim tot erant paſſus, quot fiebant incurſus ſanctiſſimo oneri ſuccedentium: nec modico videbatur læſus damno animæ, quemcumque maxi- *ad ſepulturæ locum defertur maximo concurſu hominum:* ma populi conſtipatio minime permittebat locum corporis ſuſtinere. Quapropter unuſquiſque ſeipſum certatim ingerebat, quaſcumque feretri vel extremas partes contingere laborabat; & cui hæc facultas effectu minime cedebat, ſaltem ipſas portantium veſtes attingere contendebat. Talis erat populi devotio: pia enim erat contentio, quia piiſſima erat intentio. Delatus autem juxta cryptam, ubi ipſe vivus deſignaverat ſepulturam diſſolutionis, honoratur muneribus & irrigatur lacrymis: vixque locus ipſe capax erat multifluæ incurſionis. Non enim majorem exhibuiſſet Armenia luctum propinquo, quam Flandria exhibebat peregrino: neque vero plures ab illis elicuiſſet lacrymas defectus propinquitatis, quam ab his eliciebat affectus pietatis. Pia ſiquidem plebis impatientia, non ſuſtinens animi ſui deſiderium, nequidquam votis ſuis acquieſcebat eſſe ſatisfactum, donec denudata etiam veneranda defuncti facie, totius feretri velamen avelleretur & operimentum.

46 Tunc vero primum datur libertas oſculis manuum & pedum, datur libertas rigationibus lacrymarum, datur libertas familiaribus votis irruentium, datur libertas munificis effuſionibus oblationum. Certabant offerendo hinc viri, inde mulieres; iſti argenteos, illæ annulos & inaures, monilia quæque & murenulas pectori ſuo direptas ſuper defuncti corpus ingerentes. Quo viſo quiſque devotionem liberalius affectabat, eo *ſepelitur:* effuſius defunctum exulem munerabat: ſicque Fratribus ſepulturæ commendantibus tantæ pretioſitatis theſaurum, dici non poteſt quibus illa pia multitudo fletibus deduxerit tempus exequiarum, quantaque cum miſeratione effuſos cordis ſui dolores expreſſerit ante Dei amicum, quouſque expleta tumulatione, unuſquiſque redibat ad ſua, cum gaudio & fiducia ferens ſecum tanti viri patrocinium. Obiit autem S. Macarius quarto Idus Aprilis anno Dominicæ Incarnationis milleſimo duodecimo, Henrico Romanis, Francis principante Roberto, nobis autem in perpetuum regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto. Hoſpitalitatis locum ſatis apparet quantum dilexerit, ubi uſque hodie perſpicue monſtratur, qualis fuerit, qualis vixerit, qualis obierit. Frequentat Flandria ſepulturæ locum; requirit requieſcentem in terris, ſed in cælis regnantem Patronum: ubi quam clarus emicet dicent pauca miracula multorum, ob inopiam ſcilicet recte dividentium. D *mortuus IV Aprilis 1012*

ANNOTATA.

a *De iis, quæ hoc numero referuntur, nulla in priori Vita mentio: & quia mortuus eſt feria quinta, quæ hic de feria ſexta habentur, forſan ante Paſcha contigerunt, & tunc potuit ſupplicationi necdum peſte correptus intereſſe.*

a CAPUT VI. d

Miracula poſt obitum S. Macarii ad ejus potiſſimum ſepulcrum patrata. E

47 Benedictus Dominus, qui facit mirabilia ſolus. Teſtis eſt provincia Flandrenſis, teſtis ſepultura B. Macarii Confeſſoris, teſtis quoque mulier quædam nomine Fredegardis, quæ apud Juſti tumulum prima materies mirificæ operationis, prima etiam narrationi præbet exordium ſuæ liberationis. Hæc apud villam quæ dicitur Monta infirmabatur, tanta diſſolutione membrorum deſtituta, ut inutilis vitæ omnimodis comprobaretur. Atterebat miſeram doloris continuatio, nulla undecumque proveniebat meliorationis relevatio. Condoluit tandem Macarius, novus ille Patronus, factus eſt ægrotantis viſitator nocturnus, nec defuit viſitatoris monitoria conſolatio, cujus piæ nimirum viſitationi vicina fuit mulieris liberatio. Monet eam ſepulcrum ſuum adire, ſalutem ibi recuperaturam ſine dubitatione. Et illa de viſione non incerta, ex ſponſione Patroni ſpe ſalutis procul dubio jam concepta, non tantum expectato quantum deſiderato diluculo, ſurrexit, plus voto quam motu feſtina: ſicque teſtudineo gradu tendebat ad tumulum Sancti baculis ſuffulta. Ubi poſtquam aliquamdiu lacrymis ſuffuſa peroravit, ſurgens ſana baculos projecit; quos ſuper tumulum pro mercede ſanitatis relinquens, læta receſſit. *Sanantur mulier paralytica,* F

48 Altera quoque mulier Gandavi erat, in vicinia nota & in infirmitate miſeranda, cui mortem vita præſtantiorem contracta manus ſaciebat: ita enim deformis uſibus ſuis videbatur caruiſſe, ut ungues digitorum, palmæ volam apparerent perforaſſe, & ex altera parte nihilo minus more avium excreviſſe. Quæ ſimiliter pervolans ad medicinalem tumulum, ſupplices effundendo preces, talibus familiarem fidei pietate Patronum pulſabat, quatenus & ipſa ejus mereretur experiri patrocinium. Cumque regno cælorum vim faceret fortiſſima fide, qua vim facientes diripiunt illud; ex inſperato cœperunt ſe nervi digitorum extendere, & extractis unguibus tota manus ad officium ſuum redire: ſicque mulier, *alia digitis contracta,*

pluribus

pluribus nota per manus contractionem, omnibus notissima redditur per sancti Confessoris liberationem.

A

puella cæca

49 Kalendæ erant Octobris, celebris utique dies ex festivitate S. Bavonis: confluebant multi plus solito ex diversis regionibus Gandavum, alii oratum, alii mercatum, plerique curiositate nundinarum, quæ avaritioribus lucris inhiantem ab undique contrahebant populum. Affuit inter multos longe alia intentione puella quædam, Oda nomine, per novem quippe annos tenebris sepulta, oculorum captivato lumine, spe salutis recuperandæ, ad memoriam S. Macarii pervolavit, matris pro filia dolentis adjuta ductamine. Ibi toto corpore prostrato diutius jacuit, non tantum orando, quantum orationem Sancti pro se apud misericordem Christum expectando. Cumque Missa principalis celebraretur, Princeps patriæ Marchio Balduinus, cum optimatibus suis, apud memoriam Sancti oraturus, cryptam ingreditur, prosternitur terris, ante exulis tumulum curvantur genua Marchionis, circumvallantibus se Magnatibus suis: accusat reatus familiaris conscientia, effunditur desuper cælestis gratia; & quantus esset cælis, quem venerabantur in terris, statim declaravit meritorum ejus experientia. Puella siquidem exaudita in petitione, ut Comes surrexit ab oratione, surrexit & ipsa oculorum restituto lumine: intuetur intuentes: de miseria sui & misericordia Sancti, plus ostendendo quam prædicando, instruit Marchisum & ejus Optimates: ad admirationem virtutis convertit quotquot erant præsentes. Cessat, orat, & succedit laudatio, cui præclarum præbebat argumentum Principis & Optimatum ejus attestatio. Plena erat crypta populorum, & personabat vocibus gaudiorum, Deo laudes hinc inde canentium. Princeps quoque eo præsentialiter compunctus miraculo, sepulcrum Justi Principalibus honoravit donis, duobus scilicet candelabris proceræ dignitatis, fusilibus ex argento. Puella autem pleniter restituta luminibus, binis pro uno præclaris reducta ductoribus, salutis suæ signo, laudem Dei & gloriam Sancti fert secum & infert etiam absentibus.

B

matrona tumorem in oculo nodosum patiens,

C

51 Gandensis item quædam extitit matrona, nomine Wistedis, celebris fama & genere nobilis, dives in seculo nec ex toto pauper in divinis: sed quia numquam humanis deest quæcumque tentatio, & prosperioribus sæpe succedit adversorum confusio, accidit etiam huic quædam infirmitatis periculosa incursio. Deformis siquidem tumor ex ejus oculis obsidet alterum, in cujus medio excrescens nodus ad mensuram fabæ, sidereum mulieris obtenebrans speculum, speciositatis minabatur & oculi periculum. Obstringit animum ejus non tantum dolor, quantum pia deformitatis verecundia: anxiatur anima periclitantis in tanta pietatis ruina: sed non deest ei de misericordia Dei multum præsumens fiducia. Cumque eam tristitiæ tenebris sic oppressam nox quædam inveniisset; &, ut mœstitia oppressis solet evenire, inter tantam afflictionem paululum obdormisset; affuit illi statim ille solitus & pius miserorum visitator, beatus scilicet Macarius, omnium mœrentium consolator. Consolatur dolentem, erigit ad spem salutis dormientem, & non absque sanitatis efficacia confirmat recuperationis sponsionem. Evigilans denique mulier cum ipso tam præclaræ visitationis gaudio, nequaquam frustrata eo quo domiens relevabatur tanti Visitatoris promisso; statim ut manum, sicut ex dolore consueverat, oculo applicuit; omninoque curatum sentiens, nodum, qui in eo excreverat, quasi fabam super pectus suum jacentem invenit. Quantum ejus tristitiæ tunc successerit gaudium, satis approbat omnis qui aliquod expertus est unquam infortunium. Mane facto sana & læta surrexit, præcurrens fama vicinas & cognatas mulieres, plurimum sibi condolentes, in gaudium mutavit: quibus ad se convolantibus visitationem Sancti prædicavit, & illud ostendens quod sibi ex oculo ceciderat, comitantibus multis ad sepulcrum pervenit, ubi Deo gratias agens munera & vota exolvit. EX MS.

vir obstructione despe-rata laborans,

52 Vir quoque quidam Ostburgensis extitit, nomine Manninus, cui miserrima corporis calamitate ultra hominis tolerantiam damnatus, ad eamdem beati viri memoriam à quibusdam necessariis est deductus. Torquebant miserum pessima quædam secreta interiorum, invisus urebat ignis interiora secessuum & genitalium; quandoquidem, meatura secessus denegata, extales coquebat meatus quidquid immissum erat nec remissum. Exigebat materiam vivendi usus naturæ, sed necessaria emissio secluſa intentabat periculum vitæ. Cumque inibi per aliquot dies demorando sepulcrum Justi frequentaret, & precibus insistendo miserabili ejulatu aures amici Dei pulsaret; tandem superna miseratione meruit consolationem, beati scilicet Macarii intercessione plenissimam liberationem: sicque saluti redintegratus, & ipse quoque beati Confessoris meritorum præco apud absentes factus, post tantam corporis dissolutionem, per amicum Dei redivivam, ad propria rediit sanus & lætus.

E

Sistitur mortalitas animalium:

53 Nec in eo tantum loco ejus felicis memoriæ, sed etiam in remotioribus persæpe ostensa sunt ipsius meritis quædam digna relatione. Apud maritimos denique quidam Gunduwachar, amplissima dilatatus possessione, etiam armentorum gregibus & pecudum innumera ditabatur ampliatione: inerat vero facultas possessionis amplior fama, si ei paulisper non opposuisset dorsum fortuna felicitatis noverca. Pestilentia siquidem, possessoribus inimica, fortunatam divitis ingressa domum, vacuato bostare, paupertatis inferebat detestabile infortunium. Pestifer morbus solito more desævit, intra domum & extra gregatim greges prosternit: quæ res possessoris animum, ex futura paupertate, nimis solicitum reddit: quod si fortunæ licuisset, in tantum de eo jocata fuisset, ut præter luctum nihil viro reliquisset. Sed cito amplectitur salubre consilium, nec adhuc jejunus fama meritorum S. Macarii ad ejus intercessionem facit confugium: spondet candelam, & subvertit fortunæ propositum. Ex cujus ore & corde statim ut processit votiva promissio, absque damno vel unius pecudis deinceps illa cessavit pessima exterminatio; fitque, non pro candela vix unius nummi, sed per miserationem Sancti tantæ facultatis redemptio. Itaque pater-familias, ab instanti damno misericorditer liberatus, & de miseratione liberatoris sui tam evidenter sibi experta deinceps jam securus, didicit amplius fortunam non timere, quamdiu candelam vel unius oboli voluisset Sancto spondere.

F

innocens è carcere compactus.

54 Nec illud prætereundum silentio, Adalardus Tornacensis quantum ejus misericordiam sit expertus in judicio. Hic, ut possessoribus moris est, commodorum quæstuum causa, celebritate S. Bavonis instante, navim suam lanis oneravit, & cum ceteris mercatoribus ad idem forum undecunque mercimonia congerentibus Gandavum pervolavit. Ubi cum venale

EX MS. suum expoſuiſſet, & inter ceteros mercatores mercatoriam artem exerceret, facta eſt ejus apud Quæſtores, incertum accuſatio, an incuſatio: unde [quia iſtius] licet falſæ, criminationis nulla potuit fieri excuſatio, rapitur in publicum: agitur ſuper eum forenſe judicium; & ut credi poteſt, maluiſſet tunc Tornaci eſſe quam apud Gandavum. Sententiam accipit judiçialiter, cenſura judicis compellitur in carcerem, pedibus nervo, & brachiis poſt tergum retortis judiciariam ſentit indignationem. Quos dum cruciatus vix ferre valeret, etiam inter tormenta affuit fides, ut glorioſi Confeſſoris opem imploraret. Deinde metu prius fugato, mente paululum ad ſe revocatus, & à fuga dudum animo retracto paulatim recreatus, candelam ſpondet ſolutionis præmium, de meritis Sancti non incertus. Ad cujus invocationem ſolutis, non dum vinculis, ſed doloribus; erectis, quorum adhuc libertate, ſed in tenebris, utebatur, in altum luminibus; glorioſum Dei amicum cum fletibus orando invocabat, atque famam miſerationum ejus ad memoriam ſui dulciter revocabat.

à Sancto apparente ſolvitur,

B 55 Ecce autem inter lacrymas, quas merito exprimebat ille pœnalis locus, ſuperno fulgore tenebroſus carcer redditur illuminatus: atque cum ipſo lumine nexibus laxatis, aſſiſtens reo Confeſſor invocatus, multiplicibus curis exonerato imperat, ut de reliquo ſit ſecurus: ſicque vinculis ſolutus & curis, ſopori indulgebat reliquum noctis. Cuſtos autem carceris, nimio obſeſſus ſtupore, vix eum auſus intueri quem ſuſceperat cuſtodire, lumen immiſſum mirabatur rimabunda curioſitate. Mane facto res pluribus innotuit, mirantibus quomodo ſolutus eſſet. Cuſtos non bene credulus, putans eum negligentia ſua ſolutum, vincula duplicavit, clauſtra multipliciter munivit: ſed Dominus virtutum gloriam Confeſſoris ſui iterata liberatione multiplicavit. Etenim ſequenti nocte, pœnarum aſperitate compulſus, ad eumdem liberatorem ſuum vocibus & fletibus ſuppliciter clamare cœpit. Nec abſque lumine Sanctus iterum Macarius adfuit, clauſtra reſeravit, ſe invocantem ab omnibus vinculis & pœnis abſolvit. Reddita luce, excitante fama populos, ab undique concurritur: reus, per interventum Sancti libertate potitus, de carcere educitur: cum eo pariter ad ſepulcrum Confeſſoris itur: Deus in commune laudatur. Proſtratus terræ gratias egit, candelam quam ſpoponderat dedit, & bene inſtructus narrare Tornacenſibus quanti in Gandavo lana venderetur, niſi ei ſuccurriſſet S. Macarius, cum gaudio diſceſſit.

iterumque vinculis liber dimittitur:

C 56 Adoleſcens quidam nomine Adalardus, miſeria diffamante pluribus quam ſibi expediret locis fama jam notus, ita paralyſis diſſolutione omnibus membris erat debilitatus, ut brachiis reptans, reliquum poſt ſe corpus trahendo, magis videretur anguis ſerpens, quam homo bipes, greſſibus humanis non incedens. Fœda quoque quædam omnibus membris inerat trepidatio, in tantum ut ſiquid ei eleemoſynæ daretur, nulla ei ſuccurrere poſſet manuum ſuſceptio; ſed inutiliter vivens, viventium fiebat miſerabilis expectatio: quodque omnibus his erat deterius, tanta ſtoliditate captivabatur mente & animo interius, ut ea infirmitate nihil eſſet deterius. Reliquerat in eo omnipotens Artifex quidquid erat imperfectum, quatenus in eo ſpeculum omnipotentiæ ſuæ perſpiceret genus humanum; & ex ejus tandem miſeria oculis omnium ſatiatis, per ejus recuperationem appareret fidelibus, quantum valeret ille beatus exul precibus apud liberatorem Chriſtum. Miſeris ſiquidem volutaminibus pavimentum templi circumplexus, & luctuoſa membrorum conditione multipliciter ſerpendo circumflexus, tandem miſerabili ſinuamine ſepulcro tanti interceſſoris allabitur reptabundus. Ubi neſcio quid immurmurans ſolita ſtoliditate (neque enim Deum vel Sanctum in auxilium ſui noverat invocare) melius exauditur quam ipſe noſſet obſecrare: exauditur non oratio, ſed neceſſitas; non intentio, ſed deformitas. Erigitur illud informe templum, & puerili conamine greſſibus nutans, abſque firma ſtabilitate membrorum, pedetentim tamen cœpit ambulare in conſpectu adſtantium. Sicque inibi aliquamdiu demoratus, & quotidie ſepulcrum amici Dei inviſendo, corpore & animo confirmatus, tandem diſceſſit ex priori infirmitate omnimodis reformatus. *b*

paralyticus greſſu & mente carēs

D *corporis & animi ſanitate donatur.*

ANNOTATA.

a *Deerant hoc capite contenta in Ms. Thoſano, damus ea ex duplici codice Paderbornenſi, & ſunt ſupra in priore Vita ſummatim relata.*

b *Reliqua deſunt, ex quibus ſupra referuntur caca illuminata, & vexata aridâ manu, nec non miſere incurvatus, ibidem ſanati. Et hæc contigerant intra biennium ab ejus obitu. Deſunt etiam reliqua ſequentibus annis 53 patrata, ob quæ corporis elevatio fuit facta.*

E

CAPUT VII.

Corporis ſolennis elevatio.

57 CUm ergo præclarus miraculorum inſignibus ille beati Macarii clareret ſepulchralis locus, & merita ſanctitatis ejus longe lateque miris, quia divinis, diverſarum florerent curationum operibus; corda & ora populorum totius vicinia præoccupabat religioſa intentio, & ex intentione piiſſima imprecatio, quatenus ſibi à Deo quandoque permitteretur videri ejus ſacri corporis celeberrima elevatio. Et quia vox populi vox Dei, cum ea intentione maxime affectarentur Abbas & monachi, id Deo diſponente quando placitum fuit ſibi, tandem quandoque non ſunt à deſiderio ſuo fraudati. Omnipotens enim, juſtæ petitionis ſemper amator, & licet cum aliqua dilatione piiſſimus exauditor, poſt aliquot mutationes rerum & ſucceſſiones temporum, deſiderium tantæ dignitatis, quando & quomodo voluit, feliciter perduxit ad effectum. Eremboldus ſiquidem memorabilis Pater, poſtquam divina vocatione humanis eſt exemptus miſeriis, à quo ſcilicet ille beatus exul ſuſceptus, apud eumdem aliquamdiu paterna caritate functus, ſicque defunctus, heredium ſucceſſionis & diſceſſionis, ſuo ordine & tempore, poſt ſe *a* tribus in eodem cœnobio reliquerat Abbatibus, antequam inſtaret illud ſacræ elevationis tam diu à multis ſuſpiratum tempus. Majus quoque templum, quod olim in honore ſancti Petri Apoſtolorum Principis à S. Amando Epiſcopo fuerat dedicatum, antiquitatis exigente ruina dejectum, & à fundamentis meliorando principalibus ædificiis decenter reſtructum, ſuæ conſecrationis & dedicationis exſpectabat tempus & diem optatiſſimum.

F *Ex populi deſiderio*

a

poſt extructā novam eccleſiam,

58 Dum ergo ſupplendis talibus negotiis inimica dilatione aliquādiu fluctuaret ille venerabilis locus; tandem

A *sub Sigero Abbate* tandem divina ordinatione & Fratrum ſeu Majorum electione, ordinatur in eodē cœnobio Abbas Sigerus, vir quidē prudentia & ingenii experientia non minimum approbatus; licet in eodem negotio (utpote ejuſdem loci Propoſito) tempore anteceſſorum ſuorum plurimum laboranti, non ad votum pervenerit rei effectus. Quia enim omnia tempus habent, ejus ordinationem hæc omnia exſpectabant, ut ad efficaciam pervenirent; quemadmodum nulli Regum uſque ad Salomonem datum eſt ut Domum Dei ædificaret. Qui ubi multorum & maxime curialium favore ſubnixus, Senioris ſui Comitis *b* Balduini animum ſibi conciliavit; ad principalis eccleſiæ dedicationem & ſancti corporis elevationem aſpiravit.

b & Balduino Comite,

60 Nec deſtitit ab incepto, quo uſque conquiſitis ſumptibus & xeniis, apparatu neceſſario *c* Balduinum Noviomenſem Epiſcopum (quia diœceſis ejus erat) monitoriis, & *d* Lietbertum Cameracenſem Epiſcopum precatoriis litteris, ad explendum die conſtituta invitat negotium; Abbates nihilominus & aliquos invitat clericos ipſius Marchiæ, quatenus cum Reliquiis Sanctorum elevationi ſacri corporis intereſſent, & dedicationi ſenioris eccleſiæ; ne ſcilicet deeſſet veneratio & decentia, quam decebat tantæ ſanctitati intereſſe. Aderat etiam cum optimatibus Comes Balduinus: ſub quo pueritiæ exercens annos, affuit clare indolis Rex Francorum *e* Philippus; *f* Adela quoque vxor Comitis, & filius ejus Hainoenſium Comes æquivocus patris *g* Balduinus: populi vero ex diverſis provinciis tanta confluxit multitudo, quantam in vnum conglobatam vix aliquis unquam adhuc vidit aut nemo. Inſtabat quippe optatiſſimus dies, ab omnibus viciniæ populis tot annorum curriculis deſiderio ſuſpiratus; dies, inquam, quantum illius amici Dei exilium valeret apud Deum, mira novitate experturus.

c vb Epiſcopis Balduino Noviomenſi & Lietberto Cameracenſi

d

B *præſente Philippo Rege Francorum, Balduino Comite cum ſuis,*

e f g

61 Sed non defuit adhuc, etiam inter tot prudentes, inimica tentatio; dum inſtinctu quorumdam, ſiniſtra intentione deceptorum, jam inſtantem, jam communis lætitiæ gaudia præferentem, ſubvertere nititur ſancti corporis elevationem nondum bene ſopita æmulatio. Inter Principes enim & Præſules, peſſimæ ſuggeſtionis quædam irrepſit controverſia; quibuſdam dicentibus non eſſe ſanctum corpus à terra levandum, niſi prius lapis tumulo ſuperpoſitus approbaret ſepulti meritum, in aëre ſuſpenſus ſuſtentatione divina, utique ut eis videbatur, non abſque labore Dei vel onetis jniuria. O conſilium ſine ſale! Quid majus erat, Dominum ſervo præſtare, cæcos, ſurdos, vel claudos & diverſis debilitatibus dejectos relevare; an vnum lapidem omnipotentia ſua à terris paululum ſublevare? quæritur certe nodus in ſcirpo: plana eſt ſententia, ſi non quidquam ſiniſtri molitur in judicio, quemadmodum ſtatim patuit in eodem fidelium conventiculo. Alii denique execrantes, quibus inerat ſanius conſilium, injurioſum eſſe dicebant vel ipſa cogitatione, in iis aliquo modo Deum tentari, & amici ejus præjudicari meritum: indicio ſanctitatis ſufficere tot virtutes & ſigna curationum, ſcabella ſcilicet, baculos & cetera miſeriæ ſpolia, quæ pendebant circa ejus ſepulcrum.

fruſtra aliquibus, obgannientibus

C

62 Et quia rem totam divina tractabat diſpoſitio, volentibus & nolentibus vna eademque ſubito ſedit ſententiæ approbatio, quatenus ſine mora fieret ſancti corporis elevatio. Quod dum populus, ab eccleſia ſecluſus, crebreſcente fama perſenſiſſet; tanta irruit multitudo, ut eos ampliſſimus circa templum ambitus niſi cum anguſtia continere nequaquam potuiſſet: tanta tumultuantium incurſio cum impetu erga fores eccleſiæ, ut fortitudo vectium vix eos retinere valeret. Sed fortiter deintus obſeratis, cum letaniis & debita veneratione, effoditur & ſuper prætioſum pallium membratim exponitur tantæ pretioſitatis theſaurus. Non aurum Arabiæ, ſed Armeniæ flos, & Syriæ luctus; gloria Flandriæ, & Gandenſium decus; modo regnans in cælis, ſed olim peregrinans in terris pro Deo exul. Obdulcabat præſentium corda, pietatis dulcedo: eliquabat ab ipſis Principibus lacrymarum fontem, pia cordis contritio, nullius viſcera prærerībat lacrymoſa devotio: ſuperabat omnium lacrymas clamoſis fletibus in laudem Chriſti monachorum exultatio: quia ſcilicet præ oculis eorū apparebat integra beati corporis inventio, quod ſublatum furto, ad derogandam loci dignitatem, quorumdam æmula devulgarat infamatio.

populi multitudine accurrente,

EX MS. *elevatur corpus S. Maricæ,*

63 Sed dum talia, coram paucis, glorioſe geruntur in terris; Rex Angelorum, coram omni ſecluſa multitudine, exulis ſui meritum glorioſius oſtendere dignatur in cælis, ad reprobandam ſcilicet infidelitatem cujuſque dubietatis. Duo ſiquidem circulati orbes ſubito apparuerunt in aëre, ſimiles coronarum; quarum major vna cum populo totum ambiebat atrium, minor vero ſolius templi, in quo ſanctum corpus levabatur, perluſtrabat ambitum: in cujus medio ſignum ſanctæ crucis coruſcabat aureo fulgore perſpicuum. Quibus viſis immenſus populi clamor ad cælum tollitur cum lacrymarum effuſione: pectora feriuntur: ab his, qui deforis erant, interius concluſis mirabile ſignum inclamatur: quorum unus cum paucis egrediens, *b* Godeſcalcus videlicet Præpoſitus Nivigellenſis, nuſquam procul dubio obliviſcens etymologiam ſui præclari nominis, poſtquam aliquandiu ſuſpirando ſuſpexit tantæ novitatis ſignum, regreſſus cum lacrymis, Regem & Comitem, Comitiſſam quoque & ceteros eduxit ad videndum. Ubi diutius intenti, nec oculis ſatiati nova admiratione, tandem regrediuntur ea quæ cœperant devotius perficere. Imponitur ſcrinio corpus, tanta claritate divinitus glorificatum; nec jam humano, ſed divino indicio acclamatur, inter cetera Sanctorum corpora collocandum. Sicque totius eccleſiæ reſeratis foribus; ut Epiſcopus Noviomenſis hymnum impoſuit, Te Deum laudamus, non abſque periculo vitæ quorumdam irruit omnis populus: & elevato ſcrinio, ceteris interponendum effertur ſanctum corpus. Quod quanta difficultate & laboris ſudore ſit prolatum, nulli, ut credo, certius eſt expertum, quam his quibus ingruentia populorum pene oppreſſis, contigit efferre ſacri corporis geſtatorium. Facta eſt autem vox populorum quaſi ſonitus aquarum multarum, fit impulſio & repulſio ad ſacri corporis thecam pertingere laborantium, ſicque Dei amico munera offerre deſiderantium.

apparentibus in aere 2 circulis orbibus cum ſigno Crucis.

E

b

imponitur ſcrinio cantato Te Deum laudamus,

F

64 Sed altaris & feretri cuſtodes, cum impetum & preſſuram ingentis populi nequaquam ferre valerent, fortiter clamare fecerunt in populo, ut exeuntes eccleſia foris exſpectarent; ad locum qui dicitur Mons S. Pancratii *i* deferendum eſſe corpus ſanctum, ut ibi liberiorem acceſſum obtinerent. Qua ſponſione tandem pauliſper diſrupti, ſeipſos invicem exhortantes, & cum maximo tumultu exeuntes, præoccupabant omnes vias & ſpatium totius atrii: alii vero reſtabant, alii præibant uſque ad montem S. Pancratii. Producitur ſanctum corpus in feretro; cum grandi monachorum & clericorum diligentia: deducitur, non ſine populi luctu permixta lætitia; & infinita multitudine repletum cum nimio labore pertranſeuntes atrium, violenter trahendo potius quam geſtando, pervenerunt ad prædicti montis ſupercilium. Ubi quam alacris fuerit Deo digna populi devotio, quam mirifica, quam jucunda, non poteſt proſequi ſcripto: & quia tantæ numeroſitatis erat multitudo, ut eos in vnum campus quamvis latiſſimus capere non valeret omnino; omnes quoque

i effertur ad montem S. Pancratii,

EX MS. nihilominus ad munerandum ſanctiſſimum corpus populari fremitu impingerent ; iterum pronuntiando cum clamore propoſitum eſt, ut ad montem *k* Livini pertranſirent, cujus amplitudine laxati, liberius accedendo & recedendo, minus laborarent.

k deinde ad montem S. Livini,

65 Sed vbi illuc quovis labore & anguſtia pervenitur, ita locus & ſanctum corpus populi denſitate conſtipatur & opprimitur, ut, niſi ab eis ſagaci ingenio Abbatis tolleretur, ipſa ſanctarum reliquiarum nova compaginatio & clauſura, uſque ad diſſolutionem periclitaretur : qui aſcendens equum cum quibuſdam Fratribus & viris virtutum, non ſine maximo labore etiam militaris manus, ab eorum medio violenter direptum, fugitiva feſtinatione, nec ea qua venerant via, referri fecit ad monaſterium ; & interim clam & quaſi furtim decenter collocari in oratorio ſanctæ Dei Genitricis, quod eſt infra clauſtri ambitum. Videres autem populum, currentem poſt eum ab ipſius montis eminentioribus, non aliter quam aquam in præceps ruentem ab excelſis montibus : irrecuperabile ſibi detrimentum deputat & indignatur ſeceſſum, quiſquis eum ſuis nequiſſet honorare muneribus. Sicque decepti pia neceſſitatis fraude, omnibus ſibi fortiter obſeratis foribus clauſtri & eccleſiæ, ſtabant foris, ſuppliciter extenſis manibus in cælum ; & obſecrantes ut admitterentur, pio ejulatu quærebantur ſibi furto ſublatum. Sed cum, impediente periculo preſſuræ, nequaquam poſſent aſſequi voluntatis ſuæ effectum ; quidam caſtigatius ſe habentes, impetraverunt ab Abbate & Fratribus latentem introitum ; per quem introeuntes, tandem licenter ſatisfaciebant votis ſuis poſt deſiderium.

relatum collocatur in oratorio Deiparæ :

B *honoratur oblationibus:*

66 His itaque divina pietate peractis, felix illa dies, qua nulla Gandenſibus felicior illuxit, ſole ruente clauditur : populus laſſus & lætus ad ſua vnuſquique regreditur. Vix alimentis panliſper corporibus refocillatis, pia Fratrum dulcedo, ante peregrinum olim hoſpitem, ſed jam Patronum regnantem, tota nocte cum fletibus & pſalmis & laudibus vigilare delectatur. Sicque eccleſia primum in honorem Principis Apoſtolorum. & nunc in honore Domini noſtri & omnium Sanctorum conſecrata, tanto hoſpite cum ceteris hoſpitibus ſuis loco ſuo feliciter intronizato, lætatur, per eum & in eo, cujus regnum ſine fine terminatur. Amen.

pernoctant monachi.

C ANNOTATA.

a *Poſt mortem* Eremboldi *Abbatis Gandavenſis ſucceſſerunt* Othelboldus, *anno* 1034 *defunctus* ; Ledwinus, *qui Abbatiam anno* 1036 *reſignavit* ; Rumoldus, *anno* 1038 *depoſitus* ; Folbertus, *cui* Sigerus *ſucceſſit, quintus poſt Eremboldum, ſi numerentur duo in ea dignitate non mortui.*

b *Hic eſt* Balduinus V, Inſulenſis *& Pius dictus, poſtmodum eodem anno* 1067, *Kalendis Septembris vita functus.*

c Balduinus, Epiſcopus *ſimul Noviomenſis & Tornacenſis, elevarat anno* 1049 *Gandavi in monaſterio Blandinienſi corpus S. Florberti Abbatis, cujus dies natalis celebratur Kalendis Novembris. Mortuus eſt Balduinus anno* 1068.

d Lietbertus Epiſcopus *Cameracenſis & Atrebatenſis, creatus anno* 1049, *mortuus anno* 1076, 23 *Iunii, quo die cum titulo* Beati *refertur à Molano in Natalibus Sanctorum Belgii.*

e Philippus, *vivo adhuc patre Henrico, eſt in Regem coronatus puer ſeptennis,* 23 *Maji die Pentecoſtes, anno* 1059 ; *& à patre, anno* 1060 4 *Auguſti mortuo, commendatus tutelæ Balduini Comitis.*

f Adela, *filia Roberti, ſoror Henrici, amita Philippi Regum Francorum, piiſſima matrona : quæ poſt obitum mariti* D *Romam peregrinata, ab Alexandro* II *Papa ſacrum velum ſuſcepit, & reverſa vixit in monaſterio Meſſinenſi à ſe fundato.*

g Balduinus, *ob ductam in uxorem Richildem, filiam & heredem Rägineri* IV *Hannoniæ Comitis, dictus Montanus ; à morte patris Flandriæ & Hannoniæ Comes.*

h Godeſcalcus, *famulum Dei ſignificat. De Nivigelenſi eccleſia & cœnobio nobilium Canoniſſarum actum eſt* 17 *Martii in Vita S. Gertradis fundatricis, & prima Abbatiſſæ.*

i *Colitur S. Pancratius* 12 *Maji, cujus reliquias anno* 985 *Eremboldus, poſtea Abbas, Roma attulit ; has autem in hoc monte depoſitas credo, ut inde ſacra tranſlationis pompa ad monaſterium inchoaretur ; & ex tunc iſtud nomen manſiſſe monti. Eſt autem mons urbi proximus,* 100 *circiter paſibus diſtans à via publica Teneramundam ducente : ubi in hodiernũ uſque diem viſitur altare ſemirutũ, reponẽdis ſacris reliquiis deſtinatum, interim dum coram iis populo quotannis ſupplicabundo prædicaretur : quod poſt monaſterii deſtructionem fieri deſitum. Conſtat autem ex inſtrumentis locationis, quibus locus incolendus traditur, exinde vocatum eſſe* montem S. Macarii.

k S. Livinus, *urbis Patronus, colitur* 12 *Novembris,* E *cujus corpus cum anno* 1007 *ad monaſterium transferretur, eo in monte manſit aliquamdiu immobile. Eſt autem mons priori capacior, ex parte meridionali ejuſdem viæ ; nunc mutato nomine dictus* Hernesberg. *Quem utriuſque loci ſitum nobis indicat Schattemannus.*

ANALECTA

de miraculis & patrocinio S. Macarii.

1 OLiverius *de Langhe, monaſterii S. Bavonis Prior, cujus memorabilem & Deo gratam operam, in Vita S. Coletæ ex Latino in Belgicum transferenda, laudavimus in Commentario ad ejuſdem Sanctæ vitam num.* 4 *die* 6 *Martii, ſexto ante eam ſcriptionẽ anno, videlicet* MCCCCXXXV, *ſimiliter ſtylum Flandricum exercuit transferendis S. Macarii miraculis, prout ea in autographo membranaceo legi teſtatur Ioannes Schattemannus, Paſtor eccleſiæ S. Macarii in Larne, qui de Vita Sancti Flandrica lingua accuratum valde libellum ſcripſit, & editione ſecunda multo auctiorem vulgavit Gandavi anno* MDCXLI ; *unde nos excipientes ea quæ in noſtris MSS. Latinis deſiderantur, rurſum reddimus Latinitati, donec originarius & integer textus miraculorum eruatur è tenebris.* *ex verſione Flandrica habetur*

F

2 Sobrii eſtote & vigilate, inquit Petrus Apoſtolus, quia adverſarius veſter diabolus circuit quærens quem devoret. Minus id cogitavit Diaconus quidam, dives ac nobilis : unde nocte quadam gravi preſſus ſiti, dum famulum alte ſopitum inclamat fruſtra, ut potum ſibi afferat ; ſtomachabundus clamorem iteravit cum mandato, dicens, Surge, diabole, mihique potum affer. Audivit invocantem ſe ſervo vigilantior cacodæmon, prompteque accurrens cyathum obtulit ſitibundo. Qui eum cruce ſignare oblitus, una cum potu tantam hauſit infirmitatem, ut cibum aut potum ſumere deinceps nullum poſſet, niſi manibus alienis adjutus. Septennium integrum in ea calamitate tranſegit infelix, nullum à medicis auxilium expertus ; quando auditis S. Macarii miraculis, die ejus feſto deferri ſe ad Sancti ſepulcrum juſſit : ubi in oratione pernoctans cum lacrymis, priſtinam recuperavit ſanitatem. *Et hoc quidem ante tranſlationem corporis : poſt eam facta ſunt quæ ſequuntur.* *paralyticus ſanatus,*

3 Ipſa elevati corporis læta die, piſcatores quidam operi ſuo intenti circa monaſterium S. Bavonis, cum tota luce illa laborantes nihil cepiſſent, denique laſſi ac mœſti ſub veſperam jecerunt extremum jactum *& felix piſcatio,*

in

A in nomine S. Macarii ; ceperuntque multitudinem piſcium tantam, ut ægre adducere potuerint retia.

curati claudi duo,

4 Altero ſancti feſto recurrente, cum ſacræ ejus reliquiæ proceſſionali pompa deferrentur ad montem, quatuor patrata miracula ſunt. Nam primo quidam ab annis quatuordecim claudus ac debilis, attacto ſacri corporis feretro S. Macarium invocans, expeditam recepit gradiendi facultatem. Alius duobus ſcabellis corpus promovens, & ad montem uſque ſecutus proceſſionem, dum ibi depoſito feretro celebrantur divina, ſubitam recepit ſanitatem, ad ſonum vocis ex ipſa capſa prodeuntis, ſed à nemine intellectæ ; niſi quatenus auctorem ejus miraculoſa, quam

& brachio læſus ;

dixi, ſanatio indicavit. Tertio eamdem proceſſionem comitanti, intra majorem cœmeterii portam conſtipatæ compreſſio multitudinis fregit brachium : qui tamen non deſtitit votivum iter proſequi ; confidens quod is cujus cauſa periculum incurrerat, ipſum quoque depelleret. Nec ſpes irrita fuit, nam inter eundum conſolidari brachium ſenſit. Quartum miraculum in ipſo templo accidit : cum enim à futura populi intra ipſum compreſſione male metuerent Religioſi, conſultius putaverunt in templi atrio patentiori collocare reliquias ſuper altare S. Petri. Hoc facto

miraculoſa claritas & fragrantia.

B ingens de cælo claritas implevit locum, illuſtrans præcipue feretrum atque crucem, & ſuaviſſimus odor inde diffuſus omnium præſentium ſenſum demulſit.

ſolutus vinculo pœnitens,

5 Pœnitens quidam, brachiorum unum annulo cinxerat ferreo, tam arcto ut multum incommodi ab eo pateretur ; cum propoſito tamen eum non prius deponendi, quam divino aliquo ſigno intelligeret ſua ſibi eſſe dimiſſa peccata. Venit ergo ad S. Macarii corpus ; ubi animi & corporis vinculis abſolvi petens, dum medio in populo orationi inſiſtit, deſiliit in tres partes confractus à brachio annulus. Hujus

muta & ſurda ſanata,

rei fama attigit mulierem à nativitate ſurdam ac mutam, quæ ſub ſpe impetrandæ ſanitatis novies Romam fuerat peregrinata, & loca ſacra per quæ iter habebat ſtudioſe viſitarat. In feſto ergo Pentecoſtes, ad S. Macarium quoque ſupplicabunda accedens, voti ſui effecta eſt compos.

puella ſubmerſa reſuſcitatur

6 Anno MCLIII die x Maji, cum in eccleſia S. Bavonis annua dedicationis ageretur celebritas, & S. Macarii feretrum poſt Miſſæ officium exportaretur ad montem, præcedente clero & innumera populi multitudine ſubſequente ; aderat inter alios Larnenſis parochiæ incola quidam una cum uxore. Hi domum redeuntes, filiam quam ſolam iſtic dimiſerant

C in puteo ſuffocatam inveniunt ; unde mortuam extrahens pater, cum certa ſpe gratiæ conſequendæ, detulit ad eccleſiam, ipſo in loco conſtitutam ſub nomine S. Macarii. Tum fuſæ communiter preces ſunt à parentibus eorumque vicinis : inter quas revixit puella, & infra octavam dedicationis ad templum S. Bavonis gratanter deducta, publicum fecit beneficium ſibi factum, & gratias Deo ac Sancto una cum parentibus & vicinis retulit.

in Larnenſi templo S. Macarii.

7 Eſt Larena, ſive Larna, in extremis territorii Teneramundani finibus ſita, duabus à Gandavo leucis, cum antiquo caſtro, cujus loci Domini parochialem eccleſiam multum ornarunt fundatione anniverſarii, pro ſuis ſuorumque majorum animabus celebrandi, frequentique munificentia ad pauperum ſuſtentationem & fabricam eccleſiæ : quæ licet jam inde ab anno MCLIII titulum tulerit S. Macarii, potuit tamen ſeculis aliquot ipſo ſuo Patrono eſſe antiquior, ſub appellatione SS. Blaſii & Huberti, horum namque effigies una cum effigie S. Macarii anno MDCXLI, *cum ſcilicet libellum ſuum Schattemannus vulgaret,* adhuc conſpiciebantur in altari. Iidem Larnenſes Domini ſuperiori ſeculo amplificarunt triplicem eccleſiæ chorum, & inducto fornice contexerunt. Verum eodem infelici ſeculo ſeneſcente, furentibus per Belgium hæreticis anno MDLXXXIII, combuſta eccleſia eſt : in qua ura cum ornamentis ejus, multæ quoque ſcripturæ perierunt, ad S. Macarium ejuſque miracula pertinentes. Quoniam vero monet ſapiens tempus deſtruendi eſſe & tempus ædificandi, reſtaurata non multo poſt ruina eſt, novæque campanæ ex metallo ſunt fuſæ, quæ pleræque impreſſum oſtentant S. Macarii nomen.

EX VARIIS

ubi ejus feſtum agitur die 2 Pentecoſtes.

8 Feſtum dedicatæ eccleſiæ annuum cum proceſſione ſolenni agebatur ab omni retro memoria, ſecunda feria Pentecoſtes in honorem S. Macarii, idque cum magno pietatis popularis incremento, quoties id patiebantur acuæ, tali anni tempore frequenter exundantes circa Manam ac Mertam : itaque formato libello ſupplici humiliter exoratus fuit Reverendiſſimus Gandenſium Epiſcopus Franciſcus vander Burcht, ut liceret prædictam pompam intra limites arctiores reſtringere : quod anno MDCXIV die x Maji indulſit. Vetus quoque & celebris eſt confraternitas S. Macarii in eadem parochia, cujus rei teſtis ſupereſt etiamnum libellus hoc titulo : ſequuntur Confratres & Conſorores S. Macarii, Patroni contra peſtem, in eccleſia Larnenſi deſcripti anno MCCCCLXXXV : ex quibus apparet non tantum plebejos indigenaſque, ſed & viros ac matronas nobiles Gandenſis diſtrictus quam plures, in eamdem confraternitatem adſcribi voluiſſe. *Horum ut numerum ac devotionem magis etiam excitaret Gregorius* XV, *amplas eisdem Indulgentias conceſſit, ſub die* XXVII *Martii anni* MDCXXI *Pontificatus ſui* I, *per bullam quam Latine ac Flandricè exhibet libellus ſæpedictus.* Hæc porro erga S. Macarium devotio Larnenſium, fundatur in antiqua & à majoribus accepta traditione, quod ad ipſos perveneri S. Macarius, cum relicto S. Bavonis monaſterio iter in patriam ſuſcepiſſet. Hujus autem traditionis teſtes ſunt ſeniores municipii, affirmantes quod meminerint ita legiſſe ſe in bullis, ante combuſtionem eccleſiæ ſolitis ipſo feſto publice exponi ; itáque audiviſſe ex ſuggeſtu ab iis qui coram populo tunc verba faciebant.

E

& vetus confraternitas,

9 *Seculo etiam præſenti præſentius acceſſit populari devotioni incitamentum, beneficio Gandavenſis Epiſcopi Maſii, de quo ſubſequens inſtrumentum, manu notarii Epiſcopalis ab originali deſcriptum, tale accepimus.* Carolus Maſius, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Gandavenſis, univerſis præſentes litteras viſuris ſalutem in Domino. Cum in viſitatione Eccleſiæ noſtræ Cathedralis inveniſſemus undecim capſas ſanctarum Reliquiarum, & inter eas unam cum inſcriptione S. Macarii, eam cum aliis omnibus in loco capitulari noſtræ eccleſiæ, in noſtra Dominorumque omnium præſentia, aperiri curavimus vigeſima quinta Februarii : & ad inſtantiam Domini Paſtoris, & Parochianorum loci de Laerne, & cum venia Reverendorum Dominorum, Præpoſiti, Decani, & Capituli noſtræ eccleſiæ, partem brachii de eiſdem ſanctis reliquiis & corpore S. Macarii Archiepiſcopi Antiocheni, cum ea qua decuit reverentia, ex ea ſumpſimus ; quam ad manus præfati Domini Ioannis Schatteman, Paſtoris in Laerne, tradidimus, ut eam, auro vel argento incluſam decenterque ornatam, publice & reverenter in eccleſia ſua, populo ſuo aliiſque devotionis cauſa advenientibus exponeret ac reverenter conſervaret. Datum Gandavi anno Domini milleſimo ſexcenteſimo undecimo, menſis Maji die decima tertia, ſub noſtra ſignatura & ſigillo. *Subſcriptum erat,* Carolus Maſius Epiſcopus Gandavenſis, *& ſignatum parvo ſigillo dicti Reverendiſſimi Domini.*

pars brachii donata ab Ep. Maſio.

F

10 *Ad promovendum denique cultum & venerationem & altare S. Macarii, pro obſoleto altari ejuſdem S. Macarii, novum & marmoreum elegans ex marmore conſtructum eſt, & tota facies ſacelli*

renovata

EX VARIIS *renovata ex munificentia perillustris Domini Gerardi van Vilsteren, ex nobili & semper nota Domo Vilsterianorum in Transisalania, una ex septemdecim Belgii provincia; qui modo est Baro Larmensis & Commissarius Regius ad renovandos pro Rege per Flandriam vrbium Magistratus: cujus liberali hospitio aliquando usi, gaudemus nos habuisse occasionem honerandi in dicto loco S. Macarium, & in ejus ecclesia etiam sacrificium Missæ celebrandi.*

Reliquiæ Montibus,

11 *Arnoldus Raysius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 547 *scribit, in nobili collegiata Ecclesia Dominarum Canonissarum montibus Hannoniæ, S. Waldetrudi sacra, adservari* brachium S. Macarii, Anti ochensis Patriarchæ, contra pestilentiæ luem singularis Protectoris. *Hæc Reliquia à Gandensibus civitati isti est donata, cum sancti Præsulis commedatum sibi corpus insigni argentea theca honoravisset, eo anno eaque occasione, quæ ad calcem MS. Chronicæ S. Bavonis his verbis adnectitur.* Montibus Hannoniæ, anno MDCXV supra modum grassante pestilentia, ad R.D. Abbatē monasterii S. Adriani in civitate Gerardi-montana confugerunt incolę, Reliquiasprędicti Sancti, ibidē conservatas, concedi sibi ad placandū Deū humiliter supplicantes. Annuit Abbas; sed propter populi concitationē & tumultum, non potuerunt miseri gratia sibi addicta frui, neq; ad se transferre exoptatū pignus, in quo spē salutis pie constituerūt. Interim serpebat magis magisq; contagio pestilens, multos quotidie de medio auferēs: quorū vicē miseratus Reverendissimus D. Henricus Franciscus vāder Burght Gādēsis Episcopus cū assēsu Præpositi, Decani, atq; Capituli S. Bavonis, misit illis Reliquias quę Gādavi superārat: ad quarum præsentiā purgato mox aëre cessare mortalitas, & contagio paulatim evanescere cœpit.

aban. 1615.

B

12 *Hujus beneficii publicas extare litteras asserunt Mireus in Fastis Belgicis, Raissius in Gazophylacio, Sanderus in libro 3 Flandriæ illustratæ: ipsas ex Gallico, ut credimus, Flandricas Schattemanus profert, nos ex Flandrico Latinas damus hoc tenore:* Omnibus has visuris vel legi audituris salutem. Nos Scabini Montenses notum facimus, quod cum Deo omnipotenti placuisset, Montensem in Hannonia civitatem visitare & castigare per morbum contagiosum pestilentiæ, initio Iunii anni MDCXV; eademque toto illo mense sic grassaretur, ut dissimulari aut dubitari non posset amplius; convertimus initio mensis Augusti corda nostra ad supremam Dei clementiam, per merita Sanctorum implorandam. Memores igitur quomodo alias à simili malo liberati fuissemus intercessione S. Adriani, Reverendo Prælato Gerardimontensi obtulimus libellum supplicem, ut Sancti istius Reliquiæ nobis mitterentur. Pronus erat in vota nostra Prælatus, sed populo loci rem disturbante obsequi nobis non potuit. Interim spargitur fama negati periclitantibus auxilii, qua motus Reverendiss. Dominus D. Franciscus vander Burght Episcopus Gandavensis, Cameracensis Archiepiscopus denominatus, nobis pie compatiens, significavit per litteras, inter Reliquias sanctorum Gandavi quiescentium esse corpus S. Macarii, per cujus auxilium speraret impetrandum finem pestilentiæ, nec dubitaret facile obtinendum à Dominis Capitularibus, si Montensium Magistratus postularet. Rogavit ergo Magistratus Rev. D. Prælatum S. Dionysii, ut Gandavum pergens favorem hujusmodi ab Reverendissimo Episcopo & Capitulo Cathedralis ecclesiæ S. Bavonis peteret. Qui cum sua functus legatione voti quoque compos esset effectus, advexit secum sacrum feretrum die xxv septembris. Exceptum autem illud est magna cum lætitia populi, multaque cum reverentia habitum: quo factum ut meritis ipsius sancti intercedentibus, manifestum omnes sentirent auxilium, langueſcente, indies contagioso malo, & civitate tandem plene liberata, mense Martio anni MDCXVI. Porro ut manifestius esset cunctis, quod ea morbi contagiosi remissio adscribi deberet Sancti pro nobis intercedentis auxilio, observatum est, ex eo ipso die, quo argentarius faber arcam pro sacris reliquiis reponendis à Magistratu sibi commissā fabricare cœperat, nullam omnino domum de novo esse infectam pestilentia, & quæ infectæ erant antea, imminuto quotidie ægrorum ac morientium numero, paulatim fuerunt perpurgatæ: prout nobis constitit post accuratam singularum perscrutationem. In quorum fidem civitatis sigillum hisce appendi fecimus, die xxv Iulii, anno MDCXVI.

C

D

quando peste laborans civitas

impetravit ut sibi mitteretur corpus Sancti;

& præsens expiria auxilium

13 *Est argentea illa arca, juxta præmemoratam Bavonianæ chronicæ appendicem tres pedes longa, unum & pollices binos ternosve alta ac lata; quam ad angulos quaternos totidem succubantes leones sustinent, ex ære fusi. Infimum thecæ limbum hæc verba circumducta implent:* B. Macarius, Gandavo missus, pestem, Montibus Hannoniæ crudeliter sævientem, anno MDCXV, sedat, vincit: victorem Clerus, Senatus Populusque in hanc thecam repositum, cum gaudio remittit, MDCXVI. *Singula latera ducto egregie argento representant miracula quædam viventis, Tornaci, Cameraci, Gandavi, Mechliniæ patrata; singula item in medio habent effigiem alicujus Sancti; & quidem SS. Macarii atque Bavonis ita, ut utriusque capiti immineant insignia civitatis Montensis, pedibus autem S. Macarii suffixum sit sigillum Episcopi vander Burght, pedibus S. Bavonis sigillum Capituli Gandensis: Sanctorum vero Germani & Waldetrudis imagines unum solum sigillum adjunctum habent, hæc Canonissarum, ille Canonicorum à se appellatorum. In eo quoque latere quod S. Waldetrudem habet, visitur hujusmodi inscriptio, verbis Gallicis, sed Græcis litteris expressa:* ΦΑΙΚΥ ΑΜΟΝΣ ΠΑΡΤΙΩ ΑΑΒΙΓΝΕ, faict à Mons par Vgo la Vigne; *quasi intenderit artifex, nō nisi Græcarum litterarum pariter ac Gallicæ linguæ peritis nomen suum manifestare, ceteris divinandi præbere argumentum.*

remisit illud cum nova argentea theca

B

14 *Porro* XXIII Septembris missæ Montes Reliquiæ, receptæ Gandavi cum nova capsa argentea sunt, XXIV Iulii sequentis; solennique totius civitatis supplicatione, à minori Beginagio ad ædem Cathedralem deductæ à Reverendissimo Gandensi Episcopo Pontificaliter induto; feretrum gestantibus Abbatibus quatuor, Pontificio ornatu insignibus etiam ipsis, videlicet D. Arsenio Ioachimo S. Petri in monte Blandinio, D. N. Laudensi prope Insulas, D. Guilielmo de Castillo Baudeloēnsi, & D. Levino Molinæo Trunchinensi. Et hi quidem usque ad sacellum S. Catharinæ glorioſum onus gestavere: quod deinde usque ad Cathedralem succesſive exceperunt omnes Canonici, & ingressuri ecclesiam restituerunt Abbatibus, ad ipsam denique aram ferendum. Eidem solennitati ad fuerunt Abbates non mitrati tres ex Hannonia, Cambronensis, San-Dionysianus, & San-Gislenienſis: tum Senatus Montensis atque Canonici S. Germani, honoris & obsequii causa liberatorem suum comitati. *Hæc fere in prænotata appendice, sed paulo prolixius confusiusque leguntur.*

F

qua solenni pompa anno 1616 excipiturGandavi;

& translatis in eam reliquiis pars donatur Montensibus;

15 *Sequenti* die, *videlicet* xxv Iulii, *prout Schattemanus narrat*, Reverendissimus Episcopus Gandavensis, coram venerabili Capitulo & aliis multis, transtulit sacri corporis ossa, ex veteri capsa in novam argenteam: & Rev. adm. D. Henrico S. Dionysii Abbati consignavit in manus ossium unum, Montes referendum, in gratiarum actionem pro tam insigni munere: quod ibidem argenteæ ipsanothecæ inclusum in ecclesia S. Waldetrudis asservatur super altari; jam olim à piis hominibus, ex Gandensi Clero Montes translatis, ædificatum sub nomine S. Macarii; in quo etiam hac vice exposita capsa steterat, toto illo trium mensium spatio creberrimis luminaribus Missisque quotidianis illustratum ac frequentatum. Atque ex hoc tempore curante Sodalitate, ibidem sub ejusdem Sancti patrocinio nunc instituta, quot Dominicis

A cis canitur ſolennis Miſſa de ipſo Sancto. Neque Montibus tantum ille ſic colitur, ſed etiam Oburgi, Dominio ad jus Abbatis San-Dionyſiani pertinente, haud procul ab urbe Montenſi. Cum enim præfatus Abbas legationem Gandavenſem, pro corpore S. Macarii, ut dictum eſt, impetrando, ſuſcepiſſet; nec unum quidem ex tota illa parochia afflavit lues, quâvis omnibus multa & frequens eſſet communicatio, tâm intra quam extra urbem, ubi contagio ſæviebat. In cujus beneficii agnitionem ipſe Abbas, in eadem parochia ad pedem montis, capellam ſub nomine S. Macarii erigendam, & Sodalitium conſcribendum curavit; collocans ibidem particulam eam ex ſancto corpore, quæ ipſi quoque prædicta occaſione obvenerat.

Oburgum liberatur à contagio,

Item Tiletum an. 1631,

16 *Eſt etiam in Flandriæ veluti umbilico nobile municipium* Tiletum, *vulgo* Thielt, *ſub Caſtellania Curteriacenſi, leucis fere tribus Cortraco, quinque Brugis, nec multo amplius Gandavo diſſitum; cujus incolæ ſimilem ac Montenſes ſunt experti potentiam Sancti, contra peſtilentiam invocati, atteſtante loci Parocho, hoc quod Schottemannus Flandrice profert inſtrumento.* Nos Joannes de Mol, Presbyter ſacræ Theologiæ Licentiatus, ac oppidi Tiletani Paſtor, & circumjectæ Chriſtianitatis Decanus, nec non I. Santvoorde Conſul, & Scabini ejuſdem oppidi, fidem facimus indubitatam, atteſtando, quod cum in æſtate anni MDCXXXI hujus oppidi incolæ peſtilentiæ morbo eſſent à Domino viſitati; impetraverimus circa menſem Octobris ab Reverendiſſimo Epiſcopo & Reverendo adm. Præpoſito, Decano atque Capitulo eccleſiæ cathedralis S. Bavonis Gandavi, pro eo quod contagioſus morbus duraret tempore, imaginem & Reliquias aliquas S. Macarii. Quibus reverenter ſuſceptis & pie ac proceſſionaliter circumlatis, auxiliũ viri Dei flagitantes, præſentiſſimum illud experti ſumus, tali ſucceſſu ut ante initium Maji ſequentis prorſus liberati fuerimus omni morbo: quod poſt Deum unius S. Macarii interceſſioni acceptum retulimus, imaginemque & reliquias cum gratiarum actione reſtituimus, & has ſubſignatas manu Paſtoris & Conſulis, per noſtrum graphiarium muniri curavimus oppidi noſtri ſigillo, hac XXII Auguſti MDCXXXIV. *Imago porro S. Macarii ſecundum* Molanum, *ut exprimatur*, pingitur Archiepiſcopus, habens in dextra manu cor tribus clavis confixum; communius *autem, inquit Schattemannus*, repræſentatur lapidem manu ſuſtinens, eique impoſitos clavos, *eos ſcilicet quibus ipſum Saraceni terræ configere voluerunt; quo non ſuccedente, candentem lapidem impoſuerunt pectori, ut habet Vita.*

C

Reliquiæ prope Gerardi montem

17 Circa Gerardi-montem in Baronia Boulariẽſi parochia eſt, Boularia inferior nuncupata; ubi ab immemorabili tempore Patronus colitur S. Macarius, tum IX Maji tum Dominica dictam diem ſequente, quando maximus undique eo fit concurſus, propter Indulgentias ibidem tunc oraturis à Sede Apoſtolica conceſſas, & notabiles ipſius Sancti reliquias illi loco donatas ab Epiſcopo Jacobo Boonen, poſtmodũ ad Archiepiſcopatum Mechlinienſem evecto. Denique anno MDCXXXVII die XXIX Martii Reverendiſſimus D. Antonius Trieſt, Gandavenſis Epiſcopus, Pamelienſi intra Aldenardam Paſtori Mag. Nicolao Outſchoorn donavit inſignes duas partes ex corpore S. Macarii, quarum una in ipſa Pamelienſi eccleſia, altera in Einhammẽſi Benedictinorum Abbatia collocaretur; in vicem reliquiarum S. Bavonis, quarum in Pamelienſi templo mirabiliter inventarum partes tres, ab adm. R. D. Hugone Enguiano, Abbate Einhamenſi & eccleſiæ Pamelienſis Patrono, acceperat eccleſia Gandavenſis. Quæ quidem reliquiæ S. Macarii, læto totius civitatis occurſu, omnique civili ac militari apparatu exceptæ ab Aldenardenſibus, qua civibus qua præſidiariis ſunt; & ſupra ſummum altare, juxta reliquias S. Bavonis ſolenniſſime collocatæ.

& Aldenardæ.

D

18 *Tempus eſt ut Gandavum revertatur ad metam feſtinatio, & reliquas ibidem S. Macarii memorias vetuſtatis ſcrutetur.* Cum circa annum MDXL monaſterium S. Bavonis quod triennio ante fuerat in arcem converſum, deſtrueretur; conſervata fuere præter eccleſiæ partem, refectorium, clauſtra, putei, & alia nonnulla ædificia antiqua, partim ad memoriam partim ad uſum; ſteteruntque quamdiu res Catholica inconcuſſa ſtetit. Aſt anno MDLXXVI locum occupaverunt hæretici, regiæ majeſtati rebelles, & triennio poſt diruerunt eccleſiæ reliquias: uti monſtratur in quodam codice, continente figuras varias monaſteriorum atque eccleſiarum deſtructarum, inter quas etiam ruinæ prædictæ notantur, cum inſcriptione, Hæc erat pars Abbatiæ S. Bavonis, quam Hiſpani ad præſidium caſtri poſiti habebant pro eccleſia: in qua etiam ſtabat tumba S. Macarii cum aliis ſepulcris, deſtructa anno MDLXXX. In hoc caſtro nunc quoque cum veneratione habetur puteus, S. Macarii dictus, intra ambitum clauſtri, ad quem ingreſſus eſt per cryptas ſeu caveas templo ſuppoſitas: & aqua ex eo ſumpta longe lateque expetitur contra febres; eſtque mundiſſima, licet ab hominum memoria numquam repurgatus ſit puteus ille. Cauſa appellationis iſtius ignoratur: hoc ſolum ſcitur, haud procul à puteo eſſe cryptam S. Mariæ, quæ in Vita II num. 64 vocatur Oratorium ſanctæ Dei genitricis, quod eſt intra clauſtri ambitum, in qua depoſitum fuit ſanctum corpus tempore elevationis, illuc ex monte allatum.

Gandavi ab hæreticis an. 1580 diruta tumba.

ſupereſt puteus S. Macarii,

E

19 Ceterum anno MDCXX plane obſcurata & obliterata ſunt veſtigia veteris Bavonianæ baſilicæ, extructis habitationibus militaribus, ad ingreſſu caſtri, ultra domum Gubernatoris ad paſſus circiter triginta meridiem verſus, contra angulum novæ eccleſiæ: qua occaſione refoſſa ſunt complura vetera monumenta, una cum pavimento veteris eccleſiæ, haud abſque admiratione à multis viſa. Hac tamen ruina & tranſlatione corporis S. Macarii ad eccleſiam Cathedralem non obſtantibus, voluit divina providentia, ut in ipſo caſtro refloreſceret veneratio ſancti Antiſtitis, ejuſque habitatio ſive cella in devotum ſacellum converteretur. Cum enim anno MDCXXXIV gravis peſtilentia incubuiſſet Gandenſibus, primum inſtituta eſt ſupplicatio generalis cum corpore S. Macarii: deinde ſupplicationes particulares diebus conſequenter ſingulis, ad numerum eccleſiarum parochialium & clauſtralium: quæ ſingulæ proceſſionaliter ad ſe deferebat ſacrum pignus; & poſtquam tota die adorandum expoſuiſſent, ſimili pompa ſub veſperam referebant ad eccleſiã S. Bavonis. Sors ultima, cum XXIII Julii concurrens, obtigit parochiæ Caſtrenſi, ubi feſtivo omnium tormentorum boatu excepta proceſſio eſt: ſed lamentabile viſum omnibus, quod eo in loco, quem ſua vita ac morte innumeriſque miraculis ſanctificarat Macarius, nullum vel ſacellum vel altare ejus ſupereſſet in quo corpus reponeretur.

& anno 1260 graſſante lue

eo inſtituitur ſupplicatio.

F

20 Id cum Magiſtratui eſſet renuntiatum, cui Proto-Scabinus tunc præſidebat D. Judocus Trieſt, Eques & Toparcha Lovendeghemii; ſimulq; ſignificaretur, rotundam quandam turriculam, puteo S. Macarii proximam, & tunc apparatu bellico oppletam, credi ipſam Sancti cellam fuiſſe, & in ea requieviſſe corpus dum eſſet huc à Monte relatum; judicatum communibus ſententiis eſt, inſpiciendum eſſe locum; & ſi idoneus inveniretur, convertendum in ſacellum. Dictum, factum: ivit eo Magiſtratus, invenitque ingreſſum in cryptam in hodierna eccleſia, ex latere altaris majoris, obductum fornice per gradus viginti tres. Ergo conducti continuo fabri, qui

& reliquum inter ruinas ſacellum

quam celeirime opus deſignatum perficerent. Interim vero placuit Deo, ab urbe, jam ejus favore & Sancti interceſſionibus liberata, traducere peſtilentiam in caſtrum. Multiplicabantur ægri, & funera quotidie nova efferebantur: quod ſummo cum animi ſui ſenſu videns Parochus, R. D. Alphonſus Lopez Licentiatus, oravit Reverendiſſimum Gandavenſem, ut cum bona ejus gratia liceret ſibi novum ſacellum dedicare, dicenda id eo Miſſa ſuper altari portatili. Annuit in tam præſenti neceſſitate Epiſcopus, & omnibus rite præparatis oblatum eſt ibi primum Miſſæ ſacrificium, die v Junii anni MDCXXXV. Et accepurgato mox aëre ceſſavit contagio, adeo ut intra octo dies nulla domus inventa ſit luem contraxiſſe. Gratiis igitur Deo actis, illatum etiam illuc eſt aliquid de reliquiis S. Macarii, & annuum tranſlationis feſtum inſtitutum Dominica ultima Auguſti, cum proceſſione ſolenni, in qua ipſæ Reliquiæ proſequente Magiſtratu delatæ ſunt ad eccleſiam caſtri, ibidemque in magnifico pegmate ſunt collocatæ, ad lucem innumerabilium facularum, & tormentorum ac bombardarum militarium fragorem. Iuſtituta eſt etiam confraternitas, quæ numero augetur quotidie, & curat in honorem Sancti Miſſam ibidem hebdomadatim celebrari. Denique picturis Vitam Sancti exprimentibus & ornatu vario cœpit locupletari & decorari locus; ad eorum excitandam devotionem, qui illuc frequenter confluunt orationis cauſa. *Hactenus Schattemannus in ſuo libello Flandrico de Vita S. Macarii.*

A *ſub nomine Sancti inſtauratur,*

D *& parte corporis donatur cum annuo feſto Dom. ult. Auguſti.*

D. P.

DE B. PATERNO RECLVSO,

PADERBORNÆ IN SAXONIA INFERIORI.

ANNO MLVIII

B *Paderbornæ, Epiſcopi Ferdinandi ſtudiis illuſtrata,*

ONtes Paderæ, *quibus nomen ſuum Paderborna debet*, caſtris, comitiis, & frequenti Imperatorum Regumque Germaniæ & Franciæ hoſpitio, ac regia S. Cunigundæ coronatione celebratos, *egregio ad poſteritatis memoriam monumento ornavit* Ferdinandus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Paderbornenſis, Coadjutor Monaſterienſis, S.R.I. Princeps & Comes Pyrmontanus; *cum eos inter* Monumenta Paderbornenſia, ex hiſtoria Romana, Francica, Saxonica eruta & notis illuſtrata, *tali epigrammate cohoneſtavit.*

Hic, ubi fons Paderæ, media ſurgentis in urbe,
Duco vetus magni nomen ab amne Padi;
Marte diu ancipiti Carolus certare coactus,
Delegit caſtris conſiliiſque locum:
Juſſit &, his undis luſtratam, ſubdere gentem
Saxonicam vero colla ſuperba Deo.
Hic Leo, Romana deductus ab urbe, ſacellum
Sacravit, primum Relligionis opus.
Hic Sedes, longo, fuit, ordine deinde ſecutis
Terrarum Dominis, inclyta, Cæſaribus.
Virginis hic conjux, virgo Cunigunda, mariti,
Accepit meritis regia ſerta comis.
Vaſtum alius ſubeat ſeptena per oſtia pontum,
Nobilius nullus me caput amnis habet.

C

2 *Singula elogia, per quam erudito ejuſdem Celſiſſimi Principis Commentario explicata declarataque, vide ſis in ipſo præcitato doctiſſimo libro: quem cum ille proximo ab ejus prima editione anno* MDCLXX, *(nam biennio poſt auctior prodiit) pro ſua ſingulari erga nos humanitate & erga eccleſiaſticas antiquitates à nobis eruderatas ac porro eruderandas propenſiſſimo affectu, Antverpiam mitteret, animos addidit, ipſummet (penes quem tam inſignem ſacrarum profanarumque rerum, diœceſim Paderbornenſem attinentium, notitiam eſſe intelligebamus) præ alio quovis deinceps appellandi, ſi quid ad Sanctos ejuſdem diœceſis attinens, dubium nobis obſcurumque occurreret in quo auxilio egeremus alieno. Ergo cum Trithemius libro* 3 *de viris illuſtribus Ordinis S. Benedicti Caput* 324 *inſcriberet* de S. Paterno monacho: *& Trithemii exemplo eumdem cum titulo* Sancti *Monaſticis Martyrologiis inſererent, Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus; Faſtis autem Anglicanis & Scoticis, Wilſonus, Camerarius, & Dempſterus; atque cum his Ferrarius in Catalogo generali, & Simon Martin in Sacris reliquiis deſerti, ejuſdem* Paterni *ut* Sancti *meminiſſent: nos (quibus cauſa ſunt multa ut hoc in genere non continuo fidamus Trithemio) recurrendum eo putavimus, unde certiorem de perpetua præſentique ejus veneratione notitiam oportebat habere, ad ipſam, inquam Paderbornam ejuſque Antiſtitem Ferdinandum, qui nos doceret quo jure* Sancti *titulus Paterno daretur.*

B *Paternum reclujum,*

monaſticis faſtis paſſim inſcriptum,

3 *Prompte hic votis noſtris annuit; & primum quidem ſecuros reddidit, quod, (licet ſuperiorum ſeculorum incuria & memoriam diſtinctam miraculorum, à S. Paterno patratorum, & ſepulcri notitiam aboleviſſet, neque annui feſt. religione aut olim honoratus fuiſſe ſciatur, aut nunc honoretur) conſtanti tamen populi Paderbornenſis traditione ac pietate inter Sanctos urbis tutelares cenſeretur ac nominaretur. Deinde communicavit nobiſcum idem Celſiſſimus Princeps, quæ Romæ olim ipſemet tranſcripſerat ex autographo Mariani Scoti chronico, quam ſint vulgatæ ejus editiones auctiori, his verbis:* Anno MLVIII Podelbrunna civitas cum duobus monaſteriis, id eſt, Epiſcopatus & monachorum, feria VI ante Palmas, igne conſumitur. In monaſterio autem monachorum erat Paternus nomine, monachus Scotus, multiſque annis incluſus, qui etiam combuſtionem prænuntiabat. Hic ambiens martyrium, pro nullo foris exivit, ſed in ſua clauſola combuſtus, per ignem pertranſivit in refrigerium; de cujus etiam ſepulcro quædam bona narrantur. Ipſis vero ſtatim diebus feria II poſt Octavas Paſchæ, exiens de Colonia, cauſa claudendi cum Abbate Fuldenſi ad Fuldam, ſuper mattam in clauſola ipſius, ubi ſupra eamdem mattam combuſtus & paſſus eſt, ego oravi.

pie venerantur:

ejus obitus ex autographo Mariani Scoti.

F

4 *Hæc eſſe genuina Mariani verba neutiquam dubitamus: ſi quidem membranaceus ille codex (quem ex monaſterio S. Martini Moguntiæ in Bibliothecam Palatinam & cum hac in Vaticanam tranſlatum invenit, atque ipſius Mariani autographum cenſuit Celſiſſimus Princeps) inde primum prodiit, ubi auctor, poſtquam annis* X *recluſus vixiſſet Fuldæ, ætatis ſuæ extremos* XVII *annos itidem recluſus egit, anno* MLXXXVI *vita functus. Interim vulgata editio, multo contractior hoc loco, non modice obſcurat æſtimationem Mariani de Paterno, & veneration. huic ab eo delatam; dum utitur verbis hujuſcemodi.* Podelbrunna civitas cum duobus monaſteriis feria VI ante Palmas igne conſumuntur. In monaſterio autem erat Paternus nomine, monachus Scotus multiſque annis incluſus, qui etiam combuſtionem prænuntiabat; & ambiens martyrium combuſtus eſt. Feria II poſt octavas Paſchæ exiens de Colonia, cauſa orationis eumdem locum viſitavi; ob bona quæ narrantur de ejus ſepulcro: & ſic cum Abbate Fuldenſi Fuldam veni. *Quæ haud leviter ab originali diſcrepantia optare nos faciunt, ut iſtius auctoris Chronicon ex ipſo autographo aliquando integrius ſinceriuſque procudatur. Interim Lectori judicandum relinquimus, an quod ſcribit Trithemius,* ad *S. Paterni* ſepulcrum multa miracula facta legi, *indicet revera aliquem miraculorum ejus libellum fuiſſe conſcriptum, qui*

potius quam ex editope tendus:

honor ſepulti.

A *qui nunc perierit & ſit à Trithemio lectus; an vero ipſe Mariani verba, quibus dicit quod* de *Paterni* ſepulcro quædam bona narrantur, *in hunc modum ampliarit, ſcripter in hujuſmodi accuratus parum.*

5 *Mariano ſynchronus, ſed* XIV *annis ante eum mortuus eſt*, B. *Petrus Damianus Cardinalis, qui poſtero anno quam geſta eſſent ea quæ ex Mariano retulimus, ſcribens epiſtolam ſeu opuſculum apologeticum pro dimiſſione Epiſcopatus (quod eſt inter opuſcula, tomo 3 operum ejus edita, vigeſimum) cum variis oſtendiſſet exemplis, etiam optimis Dei ſervis mortem quandoque funeſtam obvenire, ſub tali titulo*, Quod ſervus Dei civitatem conflagrandam prædicat, ſibi ipſi vero conſulit, *totam hiſtoriam, ut ſibi narrata fuerat, hoc modo expendit.* Illud etiam non diſſimili dignum videtur eſſe formidine, quod, religioſo quodam Piſanæ Diœceſis Abbate referente, cognovi. Sciebat plane, quia proxima hac æſtate tranſacta contigit, ut eſſet in quadam Teutonicorum urbe ſervus Dei, ſanctæ converſationis & bonæ famæ, qui juxta monaſterium in cellula morabatur. Huic ſane revelatum eſt, quia niſi populus per pœnitentiam quantocius ſe à ſua pravitate compeſceret, infra triginta dies tota eorum civitas incendio ſubjaceret. Qui nimirum viſionis ſuæ myſterium non ſolum Epiſcopo civitatis innotuit, ſed & per omnem populum ſine mora divulgare curavit. Illi autem in pravitatis ſuæ malitia perdurantes, virum Dei arbitrati ſunt delirare; & intentatas Dei minas omnino parvipendentes, dedignati ſunt ſua facta corrigere. Porro vir Dei pretioſiora quæque monaſterii jubet in receſſus abditos convehi, ubi poſſent ab ignibus illibata ſervari.

eumdem deſcribit S. Petrus Damiani,

B

6 Quid verbis immoror? Tandem lugubris ille dies advenit, & à ſeptem urbis regionibus ultor ignis exoritur. Ecce monachi ad ſervi Dei cellulam anxie proruunt, eumque imminente periculo non ſegniter exire depoſcunt. Ille autem recuſat omnino, Divinoque judicio cuncta committens, quid Deo de ſe placeat immotus expectat. Ignis ergo, globis in aſtra furentibus, cuncta occupat, cuncta pervadit; & non modo cetera quæque ſuccendit, ſed & monaſterium heu! tædet dicere, ipſumque ſervum Dei cum tota ſua cellula conflagravit. Quod profecto Dei judicium non tam diſcutiendum eſt, quam timendum. Quis enim humanæ mentis intuitus Divinorum judiciorum penetrare valeat abyſſum, cum ſit utique terribilis in conſiliis ſuper filios hominum? Quis enim credere potuiſſet, ut is qui per revelationem meruit agnoſcere perituræ urbis excidium, ſemet ipſum ignoraret flammis ſimul atrocibus exurendum? *Hactenus ille, ſeque ad inferni ignis conſiderationem revolvens, ex flammarum iſtarum memoria, divini timoris ſtimulis compungitur.* Petri Damiani *relationem Vincentius Bellovacenſis lib. 25 Speculi Hiſtorialis cap. 35 in compendium contrahit, poſt verba Sigiberti in chronico ex* Mariano *quadamtenus tranſcripta; ſed in hoc Mariani ſenſum explicantia, quod ubi hic dicit, quod Paternus* Martyrium ambiens *ſit* combuſtus, *iſte ſcribat,* propter propoſitum reclusionis ſe comburi paſſus eſt. *De quo propoſito quin fuerit Deo gratum, nemo poterit dubitare, qui conſideraverit, ardente univerſa cella ipſoque Dei ſervo inter flammas moriente, incombuſtam manſiſſe mattulam, ſuper qua jacebat.*

EX MS.

Propoſiti ejus firmitas miraculo probata,

7 *Simile propoſitum nullo caſu è cella egrediendi,* XVI *Aprilis videbimus in S. Dregone, ſic eos, qui exire propter graſſans incendium hortabantur, allocuto:* Votum vovi Domino & perſolvam: ſi vero divinæ pietati placuerit quod flammis cremer, fiat voluntas ejus. *At huic combuſta cella non nocuerunt flammæ, nocuere Paterno. Non ideo tamen dici poteſt hujus propoſitum, minus placuiſſe quam iſtius; quemadmodum nec in martyribus, quos flamma conſumpſit, minus fides ſua eluxit, quam quibus divino nutu cohibita pepercit; ſicuti nec minus laudanda fuit obedientia filiæ Iephtæ, qua paternum votum in ſe compleri permiſit, quam Iſaaci qua jugulum cultro præbuit, ut Dei adimpleret mandatum; quamvis operis ipſius executionem in hoc ſuſpenderit fidelis in promiſſis Abrahamo factis Dominus, in iſta ſecundum plurium opinionem permiſerit idē vitæ ac mortis arbiter. Noluit* S. Petrus Damiani *divinorum judiciorum ſcrutari abyſſum, neque nos id præſumimus; putamus tamen non inveroſimiliter dici poſſe, quod Dei famulus, humanarum laudum moleſtias formidans, ſi flammis à ſe prædictis per miraculum ſuperfuiſſet, exorarit Dominum, ne ſe incendio urbis ac monaſterii permitteret ſupereſſe.*

E

propter mortē alio modo illatā non prohibitā improbari non debet.

& Dei circa ſervos ſuos judicia mirantur.

APPENDIX

SIVE ADDENDA AVT EMENDANDA

AD X PRIMOS DIES APRILIS.

AD DIEM PRIMVM

DE S. VENANTIO EPISC. MART.

Reliquiæ Bononiæ & Pragæ.

Pagina 6 num. 5 hæc adde. Eſt etiam Pragæ, in Metropolitana S. Viti eccleſia, S. Venantii Epiſcopi Martyris fruſtum, digito majus, allatum ex Italia per Carolum IV anno MCCCLXX, *uti notatur in Diario Reliquiarum dictæ eccleſiæ, quod ipſius Decanus Thomas Peſina à Czechorod vulgavit ſuperioribus annis, & deinde Phoſphoro ſuo inſeruit pag. 507. Gratum eſſet ipſa quoque accipere inſtrumenta, per quæ conſtat tali auctore & anno acceptam eſſe particulam iſtam; non quia dubitamus de rei veritate (ſcimus enim ſumma fide confectum eſſe Diarium iſtud, & Carolum nullo non itinere aliquid augendo Pragenſi theſauro conquiſiviſſe) ſed quia ſimilia inſtrumenta multa poſſunt docere, quæ mirifice conducant ad illuſtrandam Sanctorum hiſtoriam.* Quis porro S. Venantius Epiſcopus Confeſſor *ſit, cujus ex antiquiſſimo S. Cyriaci Martyrologio meminit alicubi Baronius, tamquam relato ad* VIII *Februarii, ut ibi inter prætermiſſos diximus, nulla dum probabili conjectura licuit definire; quare etiam nunc pronuntiamus, nihil liquere; & totum hujus rei judicium dimittimus poſteris, ſi forte plus aliquid lucis interea ſuboriatur.*

DE S. HUGONE GRATIANOP.

PAg. 35 *poſt num. 5 adde. Richardus Witfordus, in Martyrologio Sariſburienſi excuſo Anglice anno* 1526 *Londini,* XXXI *Martii, neſcimus qua ex cauſa, breve hujus Sancti elogium exhibet. Ferrarius vero in Catalogo generali die ejuſdem menſis* XXIX *eumdem ponit, & quidem citatis* tabulis Eccleſiæ Gratianopolitanæ: *quæ utrum revera memoriam ejus tali die agat, aut ſaltem egerit aliquando, optamus certius diſcere, æque ac cauſam anticipationis iſtiuſmodi.*

Pag. 44 *Annotata* c & d, *unius verbi tranſpoſitione conturbata, ſic lege:*

c *Succeſſit Calixto* 2 *Pontifici* Honorius 2. *anno* 1124,

14 *Decembris*, *& obiit menſe Februario anni* 1130.

A d *Succeſſit jam dictis menſe & anno* Innocentius 2.

*Pag.*45 *num.*32 *lin.*13 & memoria perdere. *lege*, de memoria perdere.

AD DIEM II.

DE S. MARIA ÆGYPTIACA.

quibuſdam in Martio colitur,

*Pag.*70 *poſt num.*10 *adde. Invenitur etiam* S. *Maria Ægyptiaca, nonnullis ſacris faſtis adſcripta, menſe Martio; & quidem die* XXVIII, *Kalendario Breviarii Moguntini; die* XXIX, *in Kalendario Hiſtorico Conſtantii Felicii; ac denique* XXXI *cum officio novem Lectionum, in Breviario ſecundum Regulam B. Iſidori dicto Mozarabes.*

Reliquiæ monachii.

*Pag.*72 *poſt num.*26, *adde. Etiam Monachii, in ſacrario Societatis noſtræ, habetur os ejuſdem Sanctæ trium Anciarum; unde aut quando acceptum necdum didicimus; ratione cujus in noſtro ibidem templo memoria & feſtum illius agitur ſub ritu ſemiduplicis. Plura ſi nobis inde ſuggerantur, poterunt futuro operis Supplemento ſervire.*

*Pag.*74 *num* 32 *lin. ult. hoc lemma denotabatur.* lege, *hoc lemmate notabatur.*

*Ibid. poſt num.*33 *addantur ſequentia.*

B *per aliud inſtrumentum conſtat*

His ita compoſitis atque excuſis, Reverendus adm. & Ampliſſimus Dominus Franciſcus Diericx, præfati monaſterii primus Abbas, in omnem intentus occaſionem illuſtrandarum, quas tam ſolenniter exaltaverat, Reliquiarum; feliciter incidit in aliam, hactenus non commemoratam, Epiſcopi Portucalenſis Bullam; explicantem unde & qua occaſione ſingulæ partes in Luſitanorum Regum poteſtatem veniſſent. Quam bullam licet prælaudatus Abbas, prolixo valde & erudito Commentario explicatam confirmatamque, vulgarit anno MDCLXXIV; *optavit tamen etiam hoc loco inſeri; & nos opportunam judicamus ad ea, quæ de hoc ipſo argumento ex noſtro ſenſu diximus, tam gravi teſtimonio affirmanda; atque ad ſupplendum plenæ cognitionis defectum, qui adhuc poſſet deſiderari. Tenor ex autographo talis eſt.*

ad ſacellum Regium alias reliquias,

1 Nos Joannes Alvarez de Luzana, Portucalenſis Epiſcopus, & quondam in Sacello regio Ulyſſipone Præpoſitus Generalis &c. certificamus, in fide noſtra & in cauſa ſanctæ matris Eccleſiæ nobis credita, ad inſtantiam Illuſtriſſimi Domini Emanuelis, Domini mei Antonii filii, Portugalliæ Principis, Nos ex Archivis relictis felicis memoriæ D. Henrici Olyſſiponenſis & Eborenſis Archiepiſcopi, S. R. E. Cardinalis, dein XVII Portugalliæ Regis

C *SS. Adriani, Gertrudis, Iuliana, Ludgardis, Cunera Chriſtina,*

accepiſſe, legiſſe, ac pro vero compertum habuiſſe, ſacras, veras, ac genuinas Reliquias S. Adriani Martyris, S. Gertudis ab Auſtria dictæ de Ooſten, S. Julianæ ac S. Ludgardis Virginum Ordinis Ciſtercienſis, S. Cuneræ Virginis & Martyris, ac S. Chriſtinæ Virginis dictæ Mirabilis, præfato Domino Emanueli Principi traditas III Aprilis anno MDXCIV, & à nobis recognitas eaſdemque inventas, ad regnum Portugalliæ ejuſque ſacellum regium deveniſſe, ex dono Margarethæ Auſtriacæ, Octavii Farneſii Parmæ & Placentiæ Ducis uxoris, Belgii pro Rege Catholico Gubernatricis; quas anno Domini MDLXV, in menſe Auguſto, per Petrum Erneſtum Comitem Mansfeldenſem legatum ſuum, pro filio ſuo Alexandro in ſponſam petentem Mariam, ex Eduardo Luſitaniæ Principe & Iſabella Jacobi Ducis Barganciæ filia, Regis Emanuelis neptem, dicto

anno 1594 *ex Belgio;*

Regi honorificentiſſime donavit. Ex quibus, quinque Sanctarum & S. Adriani Martyris ſacris reliquiis, idem Rex, matrimonio firmato, ab Epiſcopo Conimbricenſi notabiles particulas ſeparari juſſit, quas thecæ aureæ incluſas, Mariæ præfatæ Principiſſæ, Alexandri Parmenſis ſponſæ, Olyſſiponæ in viæ ac vitæ ſolatium dedit, reliquas ſacrorum pignorum majores partes ſibi & regno ſuo reſervans. D

Pro approbatione autem dictarum Reliquiarum certificamus, Nos, ut ſupra, expreſſe vidiſſe ac legiſſe in præfatis Regni Archivis diploma approbatorium Domini Maximiliani à Bergis, Archiepiſcopi & Ducis Cameracenſis; qui prævio rigoroſo examine habito per Martinum Luperium, Epiſcopum Calcedonenſem, Abbatem Criſpinienſem, ſuum Suffraganeum, alioſque viros Theologos, eaſdem pro veris ac genuinis approbavit, in dato III Decembris anni MDLXIV, præſente ac petente Margaretha Belgii Gubernatrice, & Joanne Richardoto Artheſienſis Conſilii Præſide.

SS. Benedicti, Scholaſtica, Rochi, Mauri, Placidi, Yvonis

2 Item ex prætactis Archivis compertum ac exploratum habemus, ſacras Reliquias S. Benedicti Abbatis, ex Baſilica monaſterii Floriacenſis; & S. Scholaſticæ ſororis ejuſdem, ex Baſilica Cenomanenſi: quas utraſque cum ſacris Reliquiis S. Rochi in peſte ſingularis Patroni, S. Mauri Abbatis, ac S. Placidi Ordinis Benedictinorum Protomartyris; ex Glannifolienſi monaſterio acquiſitas; dein S. Yvonis Juriſconſultorum Patroni tres partes notabiles, primitus à Philippo Luxemburgenſi; S. R. E. Cardinali Presbytero per Galliam Legato à latere & IX III Epiſcopo Cenomanenſi; collatas fuiſſe Chriſtianiſſimo Regi Franciſco I. IV Maji MDXVI: quas idem Rex Chriſtianiſſimus eodem anno VI die Novembris, poſt triumphalem in Mediolanenſem civitatem ingreſſum & inde Viglevenum ſeu Viglebanum ſecedens, inter aliorum Principum imo & Pontificis Legatos Regem ſalutantes, Marchioni Monferratenſi perſonaliter prædictas Reliquias conſignavit, ut eæ ad Emanuelem I Portugalliæ Regem ejuſque uxorem Mariam Arragonicam demandarentur, uti & factum, eſt quod eædem ab eo tempore Regno Luſitaniæ remanſerint. Eas viginti octo annis prævie (ut ex altero diplomate vidimus) denuo confirmavit ac declaravit eſſe veras ac genuinas Julius de Medices, tit. S. Laurentii in Damaſo S.R.E. Cardinalis Archiepiſcopus Florentinus, in data X Novembris anno MDXV, dum ſacram Purpuram geſtaret, in civitate Viglebanenſi; utpote poſt Pontifex creatus, dictuſque Clemens ejuſdem nominis VII. E

an. 1516 *ex Francia.*

3 Similiter & compertum habemus, ex prædictis Archivis, ſacras Reliquias S. Hyacinthi, S. Eliſabethæ Hungaricæ, S. Paulini Epiſcopi Nolani, S. Ægidii Abbatis, S. Catharinæ Virginis ac Martyris, Sanctuario Regni Luſitaniæ adveniſſe à Caſimiro Magno Lithuaniæ Duce, fratri ſuo Ladiſlao in Regno Poloniæ ſucceſſore ac Rege, præcipue deſumptas ex eccleſia metropolitana Strigonienſi; quas præfatus Poloniæ Rex, tertia die Decembris anno MCCCCLXXX miſit Alphonſo V, Portugalliæ Regi, Africano dicto. Quas præfatas ſacras Reliquias, ſub Innocentio VIII, genuinas ac veras declararunt Oliverius Epiſcopus Sabinenſis S. R. E. Cardinalis, Marcus Epiſcopus Prænestinus Cardinalis S. Marci, G.* Cardinalis Ulisbonenſis tit. S. Mariæ trans Tiberim, Joannes tit. S. Vitalis Presbyter Cardinalis, R.* S. Georgii Diaconus Cardinalis Domini Papa Camerarius, III Kal. Februarii Romæ MCCCCLXXXVII, ut latius patet in diplomate deſuper confecto, propriis manibus ſubſignato.

SS. Hyacinthi, Eliſabeth, Paulini Ægidii, Catharinæ, F

an. 1480 *ex Hungaria.*

* Georgius

* Raphael

4 Inſuper in dictis Archivis declaramus nos reperiſſe varia diplomata, ex quibus cognovimus Reliquias S. Agathæ Virginis & Martyris, ex urbe Conſtantinopolitana fuiſſe relatas circa annum Domini MXXVI ad ipſam civitatem Catanenſem, quarum ſacrarum Reliquiarum partes aliquas, binis annis poſt à Mauritio II, poſt recuperatam à Saracenis

S. Agathæ V Mart.

A Saracenis Catanam, ejuſdem urbis Epiſcopo, id eſt anno MXXIX, cum approbatione ac ratihabitione Ioannis XIX Papæ recognitas ac pro genuinis habitas, comperimus donatas fuiſſe Sergio de Ruvere Romano ejusque familiæ antiquiſſimæ: quæ Reliquiæ ſucceſſione legitima devolutæ fuerunt ad Iulianũ deRu- S. R. E. Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem, poſtvree modũ Iulium II Pontificem Maximum. Accedit tamen & compertum eſt, ut dictus D. Papa Iulius II, tempore Cardinalitii ſui, anno ſcilicet MDI, eas cum ſacris pignoribus Reliquiarum S. Cæciliæ, S. Barbaræ, S. Dorotheæ, ex æde ejus trans Tiberim, S. Agnetis Virginum ac Martyrum, nec non S. Felicitatis Martyris matris ſeptem filiorum Martyrum, & S. Alexii caſtiſſimi juvenis ac nobiliſſimi Romani, pariter à ſe ac ſuis digne reſervatas; in amoris teſſeram donavit Ioanni de Medices, Laurentii filio, Cardinali Diacono ad S. Mariam de Dominica, qui poſtmodum Leo Papa X creatus ac dictus fuit. Unde longe poſt Coſmus de Medices; Magnus ille Florentiæ Dux; & D. Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux Princeps Pedemontanus; prædicta ſanctarum Martyrum ac S. Alexii pignora; una cum Reliquiis S. Ignatii Antiocheni Epiſcopi & Martyris; ac S. Blaſii Sebaſtenæ Eccleſiæ Epiſcopi & Martyris; ac S. Moyſis ex impio latrone famoſi Eremitæ; quarum aliquæ poſt ſeptimum orbis Chriſtiani ſeculum in eccleſia S. Clementis reſervatæ, quædam à tempore Cælii Hormiſdæ Pontificis in maximo honore & populi devotione habitæ, ab antiqua familia de Ruvere per Iulium II Pontificem ad Duces Florentiæ venerunt. Unde ex dictis Archivis manifeſtum quoque evadit, quod eædem Sanctorum ac Sanctarum Reliquiæ, per manus Pii V Pontificis Maximi, poſt inſtitutam Militiam S. Stephani ſub Pio IV à Principe Coſmo de Medices, poſt ejuſdem nominationem in Magnum Etruriæ Ducem, ipſiusque coronationem VI Octobris anni MDLXIX, conſignatæ fuerint in manus Alexandri Farneſii S. R. E. Cardinalis, ut eædem, per dictum Farneſium Cancellarium ejusque nepotem Eduardum, ad Henricum Emanuelis Regis filium, tum Archiepiſcopum Eborenſem ac S. R. E. Cardinalem, ex munificentia nominatorum Etruriæ & Sabaudiæ Ducum (uti paulo poſt factum comperimus) in Luſitaniam tranſmitterentur.

& SS. Cæcilia Barbara, Dorothea, Felicitatis, & Alexii,

anno 1569, Florentiæ;

C 5 Tandem ſupra omnes memoratas Sanctorum Sanctarumque inſignes Reliquias, multis precibus è Republica Venetorum ſæpe numero à Luſitaniæ Principibus aliæ expetitæ, eidem Aulæ Reliquiæ devenerunt, maxime eæ quas antiquitas & Patrum auctoritas ſingulariter commendavit. Illæ erant S. Bartholomæi Apoſtoli, S. Theclæ Virginis S. Pauli Apoſtoli diſcipulæ, S. Ioſaphat Indiæ Principis à B. Barlaamo eremita ad fidem converſi in eaque enutriti: inſuper & S. Mariæ Ægyptiacæ & S. Pelagiæ, quæ Peccatrices ad Deum converſæ appellantur: quas denique obtinuit Sebaſtianus ejus nominis I Luſitaniæ Rex (qui poſtmodum in expeditione Africana glorioſa morte occubuit) eæque tranſmiſſæ fuerunt per virum toga ſagoque inſignem Don Petrum Ferdinandum de Velaſco, natione Hiſpanum ac Fryaſſiæ Ducem, apud dictam Venetorum Rempublicam pro Rege Catholico Legatum cum ipſo Legato Portugalliæ. In menſe enim Novembri, anno ſalutis noſtræ MDLXXI, dum ſtrenuiſſimo Ludovico Mocenici Venetorum Duci orbis Catholicus gratularetur, ob ſtupendam de immani Turcica claſſe ſub vexillo Pii V Papæ relatam victoriam; præfatus Venetorum Dux eaſdem ſupra relatas Reliquias in manus dictorum Legatorum conſignavit, ut dicto Sebaſtiano Regi ejusque Regno donarentur. Eas tamen de manu Don Petri Ferdinandi de Velaſco Fryaſſiæ Ducis in Vrbe reviderunt, Alexander Farneſius Cardinalis Vice-cancellarius & Epiſcopus Tuſculanus, ac Otho Cardinalis Truchſes Epiſcopus Albanenſis, cum Hieronymo Cardinale de Claravalle: ac reviſione facta approbarunt in favorem Regis Luſitaniæ, ac in firmitatem ac robur dictarum genuinarum Reliquiarum. Quibus ſic tranſactis, Eduardus Farneſius, dicti Alexandri nepos, venerandas Reliquias B. Margaretæ de Cortona adjunxit, ab ipſo Cortonenſi Epiſcopo habitas. Hiſce ad Regnum delatis, Henricus S. R. E. Cardinalis Eborenſis, è ſcrinio ac theſauro relicto à Ioanne III Luſitaniæ Rege, appoſuit totum mentum cum tribus dentibus & parte oſſis notabilis S. Auguſtini Angliæ Apoſtoli; dein S. Anſelmi Cantuarienſis Epiſcopi partem notabilem Spinæ dorſi talemque coſtæ: quas binas ultimas Henricus VIII Britanniæ Rex anno MDXXI, poſtquam à Sede Apoſtolica proclamatus fuerat fidei Protector, promiſerat Emanueli I & XIV Luſitaniæ Regi, juncto Leonoræ Auſtriacæ Caroli V ſorori, eaſdem ſub chirographo promiſſionis per Cardinalem Volſæum Archiepiſcopum Eboracenſem, militi Ioanni III poſt Emanuelem Portugalliæ Regi, idque in ejus nuptiarum ſolenniis cum Catharina Auſtriaca, Caroli V Imperatoris ſorore altera, anno MDXXV.

& B. Margaritæ Cortonen. Romæ;

SS. Auguſtini & Anſelmi an. 1526 ex Anglia;

6 Quæ omnia ita geſta latius extendimus, ut ad quorum notitiam hæ noſtræ litteræ pervenerint, clarius innoteſcat, quomodo, quibus titulis ac temporibus, dictæ ſacræ Reliquiæ ſigillatim de manu ad manus perſonarum, tam in dignitate eccleſiaſtica quam ſeculari conſtitutarum, ad ſacellum regium Vlyſſiponæ Regnumque Luſitaniæ ſucceſſu temporis devenerint. Denuo certificantes omnes eaſdem eſſe genuinas ac veras; quas à numero 1 uſque ad 35 incluſive, ex dono patris ſui D. Antonii memorati, dictus Illuſtriſſimus Dominus Princeps Emanuel habet, Pariſiisque accepit die III Aprilis anni MDXCIV; idque in eo ſitu ac conſtitutione, enumeratione ac deſignatione partium earumdem ſacrarum Reliquiarum, prout eæ in præfato donationis inſtrumento, per dies ac menſes ſuos digeſtæ, diſtinctius & accuratius recenſentur. Et ne cuipiam horum aliquid dubium videatur, in fide & auctoritate noſtra Epiſcopali, in ſupra relatis omnibus declaramus, nos ex certa ſcientia & conſcientia proceſſiſſe. Utque ſupra memoratis firmitatis amplius pondus adjiciamus, aſſeximus (dum in ſacello Regio Præpoſituram gerebamus) ea prætacta omnia fideliter legiſſe, hauſiſſe ac annotaſſe ex ipſis authenticis Regni Luſitaniæ inſtrumentis, membranis ac diplomatibus, uti in cauſa Eccleſiæ exequi tenemur; præſertim cum ad id ab Illuſtriſſimo Emanuele præfato Principe ſpecialiter rogati fuerimus. In quorum omnium fidem ac robur perpetuum, haſce litteras manus propriæ & ſigilli ordinarii ac ſecretarii noſtri ſignatura muniri fecimus, hac XX die Ianuarii anni MDCXXVIII, Bruxellis in aula dicti Illuſtriſſimi Principis. &c.

Et has omnes à patre Antonio accepit Princeps Emanuel anno 1594.

DE S. ABVNDIO EP.

Pag. 90 num. 2 adde. Pragæ in metropolitana S. Viti eccleſia habetur ex prædicto corpore pars inſignis, allata per Carolum: *ſed* unde? non conſtat, *uti habetur in Diario ſupra citato ac ſæpe citando: quare de hac parte nihil amplius ſperamus ſciri poſſe.*

Reliqui Pragæ

Pag. 91 Annotationem k, perperam tranſpoſitis verbis impreſſam ſic corrige & lege; Eaque nos late examinamus die natali S. Donati 30 Aprilis.

DE S. NICETIO EP.

Pag. 95 *poſt num.* 2 *hæc adde. Idem Wandelbertus ad* XIV *Kal. Februarii ipſius & Launomari memoriam hoc verſu conjunxerat:*

Bis Septena Niceto Launmaroque coruſcat.

Quod ſecutus videtur Galeſinius, quando ad eumdem diem ſcripſit, Lugduni S. Nicetii & Confeſſoris. *Galeſinium imitatur Caniſius in Martyrologio Germanico, & in Gallicano Sauſſajus; Ordinationem ejus tali die commemorari interpretatus, ut ſcilicet tres menſes & dies aliquot inter S. Sacerdotis depoſitionem,* 12 *Septembris recolendam, & ſucceſſoris Niceiii conſecrationem interceſſerint.*

DE S. FRANCISCO DE PAVLA

Pag. 104 *num.* 11 *adde. Idem P. Philippus vander Beke prædictum ſuum librum de S. Franciſco Fundatore ſuo, longe auctiorem denuo ſubjecit prælo hoc anno* MDCLXXIV; *qui cum in lucem venerit, ex his quæ nos originaria damus monumentis, multum haud dubie creviſſe invenietur. Hic ſolum monuerim, in Epiſtola præliminari ad univerſos Ordinis Minimorum Fratres, quam ſolam vidimus, nominari alphabetica ſerie pluſquam ſeptuaginta ſcriptorum inſignium nomina, quibus uſus eſt, tamquam de Sancto ipſo deque Ordine ejus honorificam mentionem facientibus.*

Pag. 118 *Annotat.* l *adde hæc.* Antonius Caracciolus *in ſcholiis ad Vitam S. Antonini* Abbatis Surrentini *(uti meminimus* 14 *Februarii in Commentario prævio num.* 15) *ad confirmandum ritum alligandi energumenos ad columnas Sanctuariorum, etiam adducit quod* ad Columnam illam, è Salomonico templo ad Vaticanum advectam, energumeni ſucceſſu falutifero alligantur.

Pag. 168 *num.* 17 *lin.* 6 Soderii. *lege,* Foderi.

Pag. 173 *col.* 2 *ſub fin.* civitatis *ejus* Cathalanenſis, *dele, ejus, & ponatur ad marginem littera* e

Pag. 209 *num.* 55 *adde. Porro ad ipſius Ordinis appellationem & Vitæ Quadrageſimalis profeſſionem facit, quod in Epiſtola præliminari ad ſecundam libri ſui editionem notavit Philippus vander Beke, Hiſpanos ſcriptores aliquos in iſtis argumentis non tam aperuiſſe fontem laudum, quam puteum jurgiorum ac litigiorum: ſicut enim merito arguunt alios, qui S. Franciſcum Paulanum dixerunt fuiſſe Ordinis Minorum novitium; ita viciſſim merito arguuntur, quia gratis & citra congruam probationem ſcripſerunt,* S. Franciſco Aſſiſinati, in Capitulo Generali ſuorum Fratrum, de Minorum nomine deferendo & Minimorum aſſumendo deliberanti Chriſtum Dominum apparuiſſe, brachiis complectentem puerulum, Minimorum habitu indutum; & duobus verbis eam deliberationem ſolviſſe, cum in eum parvulum, intendens dixiſſet, Huic ſervatur. *Item,* quod cum idem S. Franciſcus vitæ quadrageſimalis inſtituendæ magno ſtudio teneretur, atque apud ſuos ageret ut eam vellent accipere ac deinceps ducere; illis adverſantibus durum nimis vitæ genus, ipſe divina revelatione alterum Franciſcum eam inſtituturum edocuit, & Fratribus revelationem patefecit.

AD DIEM III.

Pag. 238 *ſub finem,* Προθ' εἰς, *lege,* Προθεὶς.

Pag. 266 *Annotat.* h *lin.* 6 *& quia in hos quia ferula.* dele alterum, *quia.*

Pag. 256 *Annot.* a Abnicem terram, *lege,* Altricem terram. *num.* 10 *lin.* 3 ſeptimum, *lege,* quintum.

Pag. 258 *Annot.* e *lin.* 4 *Anaſtaſio* lege *Athanaſio.*

Pag. 271 *Annot.* e in fine, *atque requiruntur,* lege, *atque ſequuntur.*

Pag. 275 *num.* 30 *lin. penult.* ſumma in impoſita, *lege,* ſumma ei impoſita.

Pag. 303 *num.* 74 *lin.* 4 incrementum dedit ſureulo ab ipſe ſancto plantato, ipſo ... oſtendit, *inverte, & lege* ..... ab ipſo Sancto plantato, ipſe ... oſtendit.

AD DIEM IV.

Pag. 323 *col.* 1 *lin.* 14 nequeunt obrui, *lege,* nequeunt obniti.

Peg. 324 *Annot.* a τὸ δέσμα, *lege,* τὰ δέσμα.

DE S. ISIDORO EP. HISPALEN.

Pag. 328. § 2 *titulum & initium muta, ut ſequitur.*

§ 11 Coævorum ſcripta de morte & tranſlatione, annus & locus mortis: ordo Sancti monaſticus.

Redempti ad S. Braulium de obitu S. Iſidori epiſtola.

4 *Quam fuerit S. Braulioni Epiſcopo Cæſarauguſtano familiaris Iſidorus, oſtenſum eſt* XVIII *Martii, in hiſtorica de illius Actis Synopſi; idemque probat auctor Vitæ, præſertim cap.* 7, *referens miſſas viciſſim Epiſtolas, in quarum titulis Braulium vocat S. Iſidori diſcipulum. Hac eorum inter ſe dilectione, & ipſius Braulionis rogatu motus* Redemptus, Hiſpalenſis Eccleſiæ Clericus, *ſcripſit aliquid de tranſitu S. Iſidori: qui liber, ſeu potius Epiſtola, extat ante ipſius Sancti Opera,* Pariſiis impreſſa anno MDCI; *eamdemque Epiſtolam vitæ auctor inſeruit ſuo ſcripto cap.* 9 *&* 10, *ſed multum interpolatam: quare neceſſe habuimus tum ipſius epiſtolæ initium, in Vita prætermiſſum, ſeorſim inter Annotata ſubjungere; tum interpolatoris in verba ſejungere à textu, per hujuſmodi ſigna* [ ]; *tum denique lectionis diverſitatem notare. Totam ſeorſim recudere, cum neſciremus ſatiſne integra haberetur excuſa, viſum non eſt: fiet id forſan in ſupplemento operis, quando acceperimus ſinceriorem illius contextum ex vetuſto codice Hiſpalenſi MS. quem penes ſe eſſe indicavit Don Ioannes Lucas Cortes, Operum & ſilvarum regiarum Præfectus, vir eruditionis multæ ac magnæ, idemque ab libraria ſupellectile inſtructiſsimus, & in antiquis ſcriptis verſandis experientiæ minime vulgaris; apud quem ſub hoc titulo reperitur Epiſtola prædicta.* Incipit liber de tranſitu Beatiſſimi Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi, editus ad Braulionem Cæſarauguſtanum Epiſcopum, à Redempto ejusdem Hiſpalenſis Eccleſiæ Clerico. *Concluſio auctior tam in MSS. quam in editis hæc eſt,* finem ſuum conſummavit in pace, *Sanctus ſcilicet Iſidorus,* pridie Kalendarum (*imo* Nonarum) Aprilis, [poſtquam per annos ferme quadraginta Pontificalem curam irreprehenſibiliter adminiſtravit] Æra DCLXXIV, *qui fuit Chriſti annus* DCXXXVI. *Porro cum S. Iſidorus fratri ſuo Leandro ſucceſſerit ad finem ſeculi* VI, *uti ad hujus Vitam die* XIII *Martii oſtenſum eſt, ſequitur annos Sedis præciſe numeratos ſolum fuiſſe* XXXVII: *quos* cum annos fere XL *dixit Redemptus, rotundo numero uſum ſe oſtendit.*

ſcriptores alii de ejus laudibus.

5 *Plures Hiſpanicarum rerum ſcriptores, qui de S. Iſidoro egere, enumerat Tamajus Salazar: quorum aliquos ad Vitam illuſtrandam excuſſimus, inprimis* Alphonſum Morgadum, Paulum Eſpinoſam & Rodericum Carum, *in ſuis libris de Hiſtoria & antiquitatibus Hiſpalenſium; uti &* Athanaſium Loberam, *de Legionenſi hiſtoria; & Ægidium de Avila, in Theatro Hiſpalenſis & Legionenſis Eccleſiæ. Sed hos legiſſe, utpote recentiores, non tanti facimus; quanti accepiſſe à prælaudato Ioannes Luca* Cortes *genuina* Acta Tranſlationis corporis Beati Iſidori Spalenſis Epiſcopi, *in antiquo pluſquam quingentorum aut ſexcentorum annorum codice, litteris jam pene fugientibus inventa nobisque transmiſſa: quæ quoniam ſcripſit auctor, ſicut* ab his qui interfuere reminiſcebatur audire; *&, ſicut* ab illis qui audiere recolebat audiviſſe; *ſuntque ab interpolationis fermento pura; ipſa damus in* Appendice, *ponenda ad pag.* 353, *ante hiſtoriam tranſlationis & miraculorum à Luca Tudenſi aut alio quocumque compoſitam, licet pro majori parte ab hoc eadem ſerventur verba; ſed multis adjunctis diſtracta ab*

Acta Tranſlationis primigenia.

in

A *invicem, & in fine potiſſimum variata. Diſtinctionem autem antiquam Capitum retinentes, ipſa convertimus in numeros. Dabimus die* XXX *Aprilis Tranſlationem ſimilem S. Indaletii, ex regno Granatenſi in Arragoniam, ad monaſterium Pinnatenſe, auctore Hebrelmo monacho Cluniacenſi, utique Gallo, ex iis uno, qui identidem Cluniaco ſubmittebantur, ad monaſteria obſervationis Cluniacenſis, iſto* XI *ſeculo erigi per Hiſpaniam cœpta, inſpicienda & ordinanda. Eumdem aut ſimilem aliquem è Cluniaco monachum hujus quoque Tranſlationis auctorem eſſe, perſuadet ſtylus admodum ſimilis; & hoc imprimis, quod utrobique anni numerentur ab Incarnatione Domini, more Hiſpanis ſcriptoribus eatenus ignoto, & quantum conjicimus ab iſtis monachis Gallis primum in Hiſpanias inducto, nec ad Acta publica abſolute recepto, niſi diu poſt, anno ſcilicet* MCCCLXXXIII, *quando Ioannes* I *Caſtellæ Rex Eræ Hiſpanicæ uſum abrogavit etiam in iſtis. Scripta eſt illa Tranſlatio anno Chriſti* MLXXXIV, *nec multo citius ſcripta eſſe potuit hæc S. Iſidori; neque etiam notabiliter ſerius, quam annis* XX *aut* XXX *poſtquam ea acciderat.*

ſimilia Tranſlationi S. Indaletii.

ACTA TRANSLATIONIS

B

Ex MS. D. Ioannis Lucæ Cortes Hiſpal.

1 ANno igitur *a* ſeptuageſimo quinto poſt tranſitum glorioſiſſimi Præſulis Iſidori, omnis gens Gotorum, occulto Dei judicio, gentili gladio ferienda eſt tradita. Transmarini namque Sarraceni, mare illud, quod Hiſpalenſi urbi alludit, transfretantes, primum eamdem urbem cœperunt; dein Bœticam & Luſitaniam provinciam occuparunt: quibus Rudericus Rex, aggregato exercitu Gotorum, armatus occurrit: ſed quia præfatus Rex, neglecta religione divina, vitiorum ſe dominio mancipaverat, protinus in fugam verſus, & omnis exercitus fere ad internecionem uſque gladio deletus eſt. Sarraceni deinceps longe lateque vagantes, innumeras horridaſque cædes perpetrarunt: qui quantas cedes, quantasque ſtrages noſtrorum dederint, teſtantur everſa caſtra, & antiquarum urbium diruta mœnia. Ea tempeſtate omnis Hiſpania luxit, monaſteria in ſe everſa, epiſcopia deſtructa, libros ſacræ Legis igne combuſtos, theſauros eccleſiarum direptos, omnes incolas ferro, flama, fame conſumptos. Tandem pietas illa, quæ non eſt ſolita eos quos corripit ad internecionem uſque delere, ſed flagellando miſericorditer corrigere; animos Pelagii cujuſdam, qui Regia traduce extitit oriundus, corroboravit, & contra Sarracenos, loco qui dicitur Cova Sanctæ Mariæ, rebellando eis bellum indixit. Qualiter enim in conflictu illo divina manus pro noſtris pugnaverit, ex hoc poterit adverti, quod armorum ſpicula à Sarracenis miſſa, in eos ipſos vis divina retorſit; & rupes quædam Dei nutu præſciſſa corruit, & de Sarracenis non minimam multitudinem opprimendo extinxit: quod ſi quis ad plenum voluerit noſcere, lugubrem hiſtoriam temporum illorum ſtudeat legere.

a Contra Sarracenos, Hiſpanio dominio potitos,

C *victor Pelagius res collapſas reſtituit.*

2 Illo ex tempore rurſum regnum Goticæ gentis ſenſim atque paulatim cœpit, veluti virgultum ex rediviva radice, pullulare; & induſtria Regum, qui regali ſtemmate progeniti apicem regni nobiliter gubernabant, ſingulis momentis ſuccreſcere. Fuere namque armis & viribus famoſi, conſilio clari, miſericordia atque juſtitia præcipui, religione dediti, quique antiqua epiſcopia innovarunt, baſilicas fundarunt, & theſauris ditarunt, auro gemmis, librisque ornarunt, pro viribus Chriſtiani nominis gloriam dilatarunt. Ex quorum illuſtri proſapia extitit vir clariſſimus Fredinandus, Sancii Regis filius, qui ut ſceptrum regni poſſedit non eſt noſtra intentio evolvere,

b ex hujus poſteris Rex Ferdinandus,

quantam & quam crebram perniciem Sarracenis intulerit. Hic inter reliqua pietatis opera, quæ religioſe geſſit, petiit à Benabeth Hiſpalenſis urbis Rege, quatenus ſibi corpus Beatiſſimæ Virginis Iuſtæ, quod in eadem urbe quieſcit, concederet, ut eam ad urbem legionem tranſferret. Petitionibus cujus, ut voluit, aſſenſum præbuit, [Rex barbarus] & ei ſe daturum repromiſit. Qua ſponſione accepta, convocavit Rex Fredinandus venerabilem Alvitum, Legionenſis urbis Epiſcopum, & Reverendum virum Ordonium, Aſtoricenſem Epiſcopum, ſimulque Munionem Comitem, cum manu militum; & eos ad deferendum ſupradictæ virginis corpus Hiſpalim miſit. Qui venientes cauſam ſuæ legationis regi Benabeth patefecerunt. Quibus ille ait: Scio plane me Domino veſtro, quod dicitis, promiſiſſe: ſed nec ego, neque aliquis ex meis, vobis corpus quod queritis, oſtendet. Vos ipſi quærite; & inventum tollite, & abite.

Auctore coævo ex MS. *à Rege Mauorum Hiſpalen. petit, corpus S. Iuſtæ*

3 Quo reſponſo accepto, Venerabilis Epiſcopus Alvitus ſecreto ſocios tali voce affatur: Ut cernitis, ô ſocii noſtri itineris & laborum, niſi divina miſeratio revelaverit, fruſtrati recedemus. Neceſſe ergo eſt, dilectiſſimi, ut à Deo opem quæramus, & hoc triduo jejuniis & orationibus inſiſtamus; quatenus divina majeſtas occultum nobis ſancti corporis theſaurum revelare dignetur. Placuit cunctis oratio Præſulis, & triduum illud jejuniis & orationibus exegerunt. Iamque die tertia emenſo Olympo ſol occubuerat, & quarta nox ſupervenerat; cum venerabilis Præſul Alvitus pervigil orationi inſiſtebat. Interea dum ſellula ſedens ſecum neſcio quid de Pſalmis ruminaret, ſomno opprimitur: apparuitque ei quidam vir, veneranda canitie comptus Pontificali infula amictus, talique eum voce alloquitur. Novi quidem te cum ſociis tuis ad hoc veniſſe, ut corpus Beatiſſimæ virginis Iuſtæ hinc transferentes defe-ratis: & licet non ſit divinæ voluntatis, ut hæc civitas abſceſſu hujus deſoletur virginis, tamen non vacuos divina bonitas vos remittet. Corpus namque meum vobis eſt donatum; quod tollentes auferte, & ſecuri ad propria remeate. Quem cum reverendus vir Alvitus interrogaret, Quis eſſet, qui talia ſibi monita injungeret? ait; Ego ſum Hiſpaniarum Doctor, hujuſce urbis Antiſtes Iſidorus. Quo dicto ex oculis cernentis evanuit.

poſt triduanum jejuniis pro eo inveniendo peractum.

E

Alvito Epo apparens S. Iſidorus ſuum corpus promittit;

F

4 Præſul vero evigilans viſioni cœpit congratulari, & Deum enixe exorare, & flagitans, ut, ſi ex Deo eſſet hæc viſio, iterum & tertio plenius innoteſceret; ſin autem, diſcederet. Taliter orans rurſum obdormivit. Et ecce idem vir apparens, non diſſimilia quam prius verba peroravit. Rurſumque evanuit. Expergefactus iterum Pontifex, alacrius trinam viſionis admonitionem à Domino implorabat. Qui dum obnixius Deum oraret, tertio ſomno corripitur; virque ſupradictus, veluti ſemel atque ſecundo, ei apparuit; & quæ antea dixerat, tertio replicavit; & virga paſtorali, quam manu tenebat, terræ ſolum percutiens, tertio locum, in quo corpus ſanctum deliteſcebat, oſtendit, dicens: Hic, hic, hic, invenies corpus. Et ne putes te phantaſtica viſione deludi, hoc erit tibi ſignum veri: mox ut meum corpus ſuper terram eduxeris, moleſtia corporis corripieris, quam finis vitæ ſtatim ſubſequetur. Quo dicto viſio ablata eſt. Evigilat Præſul, certus de tanta viſione, & lætus de ſua vocatione: factoque, mane ad ſocios dixit: Oportet vos cilectiſſimi, divinam omnipotentiam ſubmiſſis vultibus adorare, qui nos ſua gratia præcedere eſt dignatus, & mercede noſtri itineris fruſtrari non eſt paſſus. Divino enim nutu prohibemur membra Beatæ ac Deo dicatæ Virginis Iuſtæ hinc abſtrahere; ſed non minora deferemus pignora, dum

iterumque apparens

ac tertio,

locum ſepultura indicat.

EX MS. dum corpus Beatiſſimi Iſidori, qui hac in urbe Sacerdotii potitus eſt infula, & Spaniam ſuo opere decoravit & verbo, ſumus delaturi. Hæc ait, & ordinem viſionis eis ſeriatim patefecit.

Repertum corpus omnes cæleſti odore recreat;

5 Quod audientes Deo gratias referunt, & Regem Sarracenorum ſimul adeunt, cunctaque ei ordinatim pandunt. Quibus auditis, licet infidelis, virtutem tamen Dei perpendens, expavit, eisque reſpondit: Et ſi Iſidorum vobis tribuo, cum quo ego remaneo? Sed quia viros tantæ auctoritatis fas ſibi non erat ſpernere, dat licentiam membra Confeſſoris inquirere. Mira loquor, ab his tamen qui interfuere reminiſcor audire, ſepulcrum videlicet corporis beati dum quæreretur, veſtigium virgæ, cum qua Beatus Confeſſor trina percuſſione locum monumenti monſtraverat, in ipſo terræ ſolo inventum eſt. Quo detecto, tanta odoris fragrantia emanavit, ut capillos capitis & barbæ omnium qui aderant, veluti nebula & balſami rore, perfunderet.

& cum corpore Alviti, poſt 7 dies mortui,

6 Corpus autem beatum ligneo vaſculo, ex junipero facto, erat obtectum. Statim vero ut reſeratum eſt, Reverendum virum Alvitum Epiſcopum ægritudo corripuit: & ſeptima die, accepta pœnitentia, juxta edictum viſionis, Angelis, ut credimus, ſpiritum tradidit. Aſturicenſis autem Epiſcopus Ordonius & omnis exercitus, acceptа gleba Beati Iſidori & corpore Præſulis Alviti, ad Regem Fredinandum feſtinabant repedare. Dum vero corpus Beatiſſimi Iſidori in ligneum geſtatorium poneretur, Rex Sarracenorum ſupradictus Benabeth cortinam Holoſericam, miro opere contextam, ſupra corpus ejus jactavit; & magna ex intimo corpore trahens ſuſpiria, dixit: Ecce recedis ab hinc, Iſidore, vir venerande: ipſe tamen noſti, tua qualiter & mea res eſt, unde mei memorem te ſemper deprecor eſſe. Hæc ab illis, qui audiere, me recolo audiviſſe.

ac Regis mœrti denuntio,

defertur Legionem ad Regem Ferdinandum:

7 Quibus ita peractis, ad propria cum ſumma lætitia ſunt regreſſi. In adventu quorum Rex glorioſiſſimus Fredinandus magnum exhibuit apparatum; & licet contriſtaretur de obitu Legionenſis Præſulis Alviti, quem mira ſemper veneratus fuerit dilectione; tamen occurſui glorioſiſſimi Confeſſoris Iſidori ambitioſam præbuit pompam; corpusque ejus beatū in baſilicam B. Ioannis Baptiſtæ, c quam iſdem Rex noviter fabricaverat, depoſuit: aggregatisque univerſis regni ſui nobilibus viris atque Epiſcopis, eam in honore Confeſſoris conſecrari fecit, hodieque Decimo Kalendarum Ianuarii dies dedicationis Eccleſiæ & tranſlationis beati Antiſtitis feſtive annuatim d celebratur. Tanta autem devotione in feſtivitate illa Rex clariſſimus, cum omni domo ſua, ob reverentiam beati Confeſſoris, humilitati deditus fuiſſe perhibetur; ut cum ventum fuiſſet ad convivium, religioſis quibuſque viris delicatos cibos, depoſito Regni ſupercilio, contentus vice famulorum, manibus propriis apponeret. Regina quoque, cum filiis & filiabus ſuis, reliquæ multitudini, more ſervulorum, omne obſequium humiliter dependeret.

c

d

C *& in æde S. Ioannis Bapt. collocatur 21 Decembris.*

ubi miracula claret;

8 In eo autem loco, quo ſancti corporis reliquiæ à fideli plebe venerantur, tanta & talia miracula Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ad honorem & gloriam ſui nominis, eſt dignatus oſtendere; cæcis lumina reſtituendo, ſurdis auditum reformando, immundos ſpiritus ex obſeſſis corporibus eliminando, claudis greſſum redintegrando; ut ſi aliquis peritus litteris ea traderet, non minima librorum volumina conficeret; ſed partim imperitia, partim negligentia ſilentio ſunt obtecta. Quod ſi indubia fides petentium exigat, non diſſimilia Dominus noſter Ieſus Chriſtus per Confeſſorem ſuum uſque hodie dignatur operari. Reliquiæ vero beati Confeſſoris ab Hiſpalenſi urbe tranſlatæ, atque Legionem ſunt delatæ, anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti e milleſſimo ſexageſimo tertio, indictione 1, concurrente 3. Ad laudem quoque Pontificis almi videtur pertinere illud, quod cum Hiſpalenſis civitas, propter æquoris calidum vaporem, numquam ſit ſolita vredinem glaciei perpeti: eo tamen anno, quo exinde beata membra ſunt abſtracta, adeo vrente glacie eſt exuſta, quod neque in vinetis, neque in olivetis ſeu ficetis aliquid fructus remanſerit. Dicat quiſque prout ſentiat, ego autem aſſero, ipſa quoque elementa diſceſſum ſancti corporis ſenſiſſe, ſentiendo doluiſſe; incolaſque urbis, tanto Patrono deſtitutos, privatione fructuum Dei nutu percuſſiſſe. His vero & hujuſcemodi operibus electos ſuos in conſpectu mortalium glorificat, qui in præſentia Dei Patris, & ſanctorum Angelorum ſua illos viſione remunerat, Ieſus Chriſtus; qui cum eodem Patre & Spiritu ſancto unus Deus vivit & regnat, per numquam finienda ſeculorum ſecula. Amen.

D

e

Hiſpalis præter morem frigore afflictur.

F

ANNOTATA.

a *Videtur adfuiſſe Prologus aliquis, qui hic deſideretur.*

b *Interponitur hic in MS.* quia &; *quæ ab aliqua parentheſi, inter deſcribendum prætermiſſâ, videntur reſidua: hic vero jam turbabant ſenſum, ideoque omiſſa ſunt.*

c *Sandoval pag.* 10 *in margine, notat in iſta eccleſia aſſervari maxillam S. Ioannis Baptiſtæ: & quia inventio Capitis à Baronio notatur ab anno* 1025, *divinando aſſerit, Alphonſo V donatam à Comite Aquitaniæ Guilielmo.*

d *Hinc diſcas hanc hiſtoriam ſcriptam eſſe pro lectionibus octo, ad Matutinum recitandis. Sed quomodo* x Kalend. Ianuarii *notatur, quandoquidem feſtum agatur* XII kalendas? *Error eſt, ſed haud dubie antiquus, quem Actorum prolixiorum auctor tranſcripſit. Errorem tamen non tantum probat hodiernus uſus, ſed antiquiſſimæ, & illius plane ſeculi inſcriptiones, litteris Gothicis legendæ, ſupra pilas duas, quibus parvi quidam fornices ſuſtinentur, lumen prebentes intrantibus à clauſtro ad capellam; quas inſcriptiones recitat Sandoval pag.* 16, *& hic referre placet, ut totam præſentem hiſtoriam illuſtrent. Prima eſt.* Hanc, quam cernis, aulam S. Ioannis Baptiſtæ, olim fuit lutea: quam nuper excellentiſſimus Ferdinandus Rex & Sanccia Regina ædificaverunt lapideam. Tunc ab urbe Hiſpali adduxerunt ibi corpus S. Iſidori Epiſcopi, in dedicatione templi hujus, die XII kalendas Ianuarii Era MCI. *Altera*, Deinde in Era MCIII ſexto Idus Maji, adduxerunt ibi de urbe Abila corpus S. Vincentii, frater S. Sabinæ Chriſtetisque. Ipſius anno præfatus Rex, revertens de hoſte ab urbe Valencia, hinc ibi die ſabbato, obiit die tertia feria, ſexto kalendas Ianuarii, Era MCIII. Sanccia Regina Deo dedicata peregit. *Eodem referri poteſt Ferdinandi Regis Epitaphium, hujuſmodi litteris ſimiliter Gothicis tumbæ ejus inſculptum, à Sandovallio conſequenter ad priores inſcriptiones ſic relatum.* Hic eſt tumulatus Fernandus Magnus, Rex totius Hiſpaniæ, filius Sanctii Regis Pirineorum & Toloſæ. Iſte tranſtulit corpora Sanctorum in Legione; B. Iſidori Archiepiſcopi ab Hiſpali, Vincentii Martyris ab Avila; & fecit eccleſiam hanc lapideam, quæ olim fuerat lutea. Hic præliando fecit ſibi tributarios omnes Sarracenos Hiſpaniæ, cœpit Colimbriam, Lameo, Vaſeo, & alias. Iſte vi cœpit regna Garciæ & Veremudi. Obiit VI kalendas Ianuarii Era MCIII.

Dedicatio templi 12 kal. Ianuarii.

memoria reliquiarum eo illatarum

F

R. Ferdinandi Epitaphium.

e *Annos ſuos Hiſpani in publicis privatiſque actis uſitata ſibi Era numerabant, qui mos vix demum anno* 1383 *à Ioanne* I *Caſtellæ Rege ſublatus eſt, teſte Loyaſa: quomodo ergo hic numerantur anni ab Incarnatione Domini? Hinc colligimus auctorem non fuiſſe Hiſpanum, ſed veroſimiliter Gallum ex Cluniacenſibus monachum; his enim, inter alia reformationis per ipſos inductæ puncta, etiam curæ fuiſſe videtur, ut modum*

eume-

numerandorum annorum Chriſti, jam alibi paſſim uſurpatum, etiam apud Hiſpanos commendarent & propagarent.

Pag 345 *col* 2 *lin.*14 tres Baſilicarum parochiarum, *lege*, res.

*Pag.*346 *num.*29 *lin.*16. Alia omni deſiderio deſideravi. *Dividenda hæc & ſic legenda, ut* Alia *ſit titulus, pro qua unica voce melius ponetur*, Alia epiſtola ad eumdem; *tum ipſa epiſtola ſic inchoatur*, Omni deſiderio deſideravi.

Pag 350 *col* 2 *lin.*31 Dirum adverſarium rationis calculo confudit hic malleus, *lege* contudit.

*Pap.*352 *num.*44 *lin.*6 in expoſitione ſcripturarum mutus *lege* cautus.

*Pag.*354 *Annot.* k *in fine*, 22 *Decembris* lege 21.

*Pap.*358 *Annot* h *lin.*3 Duodecimo Kalendas Decembris, *lege* Januarii.

*Pag.*363 *num.*31 *lin.*10 Clamant & hiſpatenter, *lege* Clamant ex his patenter,

AD DIEM V

*Pag.*402 *num.*5 *lin.*16, *ex unius vocis* de, *fœde tranſpoſitæ*, *vitio perturbatum ſenſum*, *ſic reſtitue*, Rex autem admirans quod ei acciderat, interrogavit de his milites.

*Pag.*416 *poſt num.*11 *adde ſequentia. Eadem licentia Stephanus Tornacenſis lectiones in feſto recitandas, quales infra poſt geminam Vitam dantur, ſic compoſuit, quaſi ſervire deberent pro* die ſacri ejus de ſeculo tranſitus natalitia, quo mundani ſqualloris emergens ergaſtuli, cæleſtis conſcendere meruit palatia regni.

*Pag.*419 *ante B in* margine, *ubi meliores nactus diſcipulos*, lege *ubi nihilo meliores.*

DE B. JULIANA CORNELIEN.

*Pag.*442 *col.*1 *lin.*9 *nihilominus everſum volumus*, lege. *nihilo minus permanere volumus.*

*Ib. num.*18 *lin.*6 *uti traditur lib.*3, lege *lib.*2

*Pag.*449 *Annot.* a *B. Ordericus de* Portu-Nanis lege *Naonis.*

*Pag.*456 *num.*39 *lin.*15, vel ſaltem ipſam ferendo, *lege* feriendo.

*Pag.*472 *num.*42 *lin.*32 *expunge* qui, *ſic legendo* & recognoſcebat.

Pag. 493 *num.* 20 *lin.* 5 Raphael Cardoa, *lege* Cardona.

Pag. 505 *col.* 1 *lin.* 6 ut illi maniſtet, *lege*, manifeſtet.

*Pag.*477 *ad Vitam S. Iulianæ Virginis ante Commentarium de S. Vincentio Ferrerio, ponatur*

APPENDIX

De Officio Venerabilis Sacramenti

ex directione S. Iulianæ Compoſito.

1 *QVoniam num.*9 *libri* 2 *de Vita S. Iulianæ deſcribitur, quo ſucceſſu curaverit componendum Officium Corporis Chriſti, non abſque grandis miraculi ſpecie aliqua, dum juvenis & ſimplex Frater, ad id operis adhibitus, opus compoſuit, quod eruditiſſimi quique non tam humano quam divino ſpiritu dictatum judicavere. Rem igitur lectori gratam futuram credens, ſi quod in paucis hactenus haberi dicebatur eccleſiis occultum, hic facerem publicum, ad ſolatium fidelium tam venerabili feſto myſterioque pie affectum; rem primo conceptu facilem, ipſa executione reperi difficillimam. Nam R. P. Iacobo Tirillo nuper Collegii noſtri Anglicani Rectore & Theologo celebri requirente in eccleſia S. Martini, quod iſtic non ſervari tantum ſed etiam obſervari dicebatur, ejus non modo uſum nullum reperit, ſed nec veſtigium, antiquis eccleſiæ illius membranis neglectim divenditis haud ita pridem & ad ſordidos uſus diſtractis; nec erat qui meminiſſet ejus eccleſiæ Canonicos alio unquam officio uſos, quam quod ex Romano Breviario habetur, ad cujus normam ab annis quadraginta reformata ſunt Leodienſium eccleſiarum Breviaria. Tandem tamen apud quempiam amicorum inventum eſt antiquum eccleſiæ S. Martini Antiphonarium: in eoque Hymni proprii de Venerabili ad Completorium, Primam, ac ceteras parvas Horas: tum Antiphonæ ad Magnificat & Benedictus pro Feria* VI, *Sabbatho, Dominica, Feria* II, III & IV *infra Octavam*: Antiphonarum autem illud ipſum erat principium, quod Chappeavillius indicat velut Officii per S. Iulianam curati.* D *Diſtractis eccleſiæ Martinianæ membranis,*

inventum alibi eſt ejus Antiphonarium,

2 *Inventum eſt eadem quærendi ſedulitate antiquum valde Directorium pro omnibus totius anni feſtis, in eadem S. Martini eccleſia celebrari ſolitis, ubi* Officium novæ ſolennitatis ſacroſanctæ Euchariſtiæ totum Duplex. In primis Veſperis ANTIPH. Sacerdos. Ps. Dixit Dominus cum Alleluia; *ſubintellige ceteras Antiphonas & Pſalmos, quales nempe etiam in Romano habentur, pari modo cum* Alleluia *in fine pſalmi cujuſcumque concludi.* HYMN. Pange lingua. CAP. Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. RESP. Homo quidam fecit cœnam magnam, & miſit ſervum ſuum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia parata ſunt omnia. VERS. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis. Quia parata ſunt Omnia. *Et hoc modo idem Capitulum, Reſponſorium ac Verſus inveniuntur in Breviariis, non tantum Leodienſibus, ubi ipſa ex ritu eccleſiæ iſtius ponuntur poſt Hymnum; ſed etiam Dominicanis, ubi more Romano præponuntur Hymno: Romana autem Breviaria antiqua idem habente Capitulum, ſed abſque* Reſponſorio, *eo quod* Reſponſoria *Capitulis ſubnectere alienum ſit à ritu* Romano. *Sequitur in Directorio.* VERS. Panem de cælo. ANT. AD MAGN. O quam ſuavis. COLL. Da nobis quæſumus (*alia utique quam poſtea in Laudibus, ex veteri ſcilicet Eccleſiæ Leodienſis uſu, quo ſolebant majoribus quibuſq; feſtivitatibus aliæ in primis veſperis preſcribi Collectæ itemque in ſecundis, quam quæ erant pro Laudibus & reliquis Horis aſſignatæ*) *quam Collectam optaremus integram invenire.* Adduntur ſuffragia nulla. E *ex quo habetur ordo officii ad Veſperas,*

3 Ad Completorium HYMNUS, Chriſtus vere. *Hunc infra dabimus totum: interim nota non eſſe novum eccleſiæ Leodienſi innovare Hymnum pro Completorio; ſed præter communem alios quinque hymnos habere, pro temporum & feſtorum varietate ſubſtituendos, idque etiam hodie ſervari.* CAP. Per homines. VERS. Poſuit Dominus fines tuos. AD NUNC DIM. ANT. Repſe Domine. Coll. Viſita quæſumus Domine; & ſic per omnes Octavas. *Differt igitur Completorium hujus Officii ab eo quod in aliis Leodienſibus atque ac Romanis Breviariis totum eſt commune, quoad Hymnum, Capitulum, Verſiculum & Antiphonam: ex quibus Capitulum & Antiphonam non eſt facile per conjecturã exhibere.* F *Completorium,*

In Matutino INVITAT. Chriſtum Regem: *non additur Hymnus, quia id non eſt ex uſu Eccleſiæ Leodienſis.* In 1 Nocturno ANT. Fructum Salutiferum *Ps.* Beatus vir cum Alleluia. VERS. Panem cæli. VERS. Cibavit eos. *Ita ſcilicet Leodienſes poſt primi & ſecundi Nocturni Pſalmos & Antiphonas ſubjungunt Verſiculum duplicem, ſcilicet ante & poſt orationem Dominicam; cum* Romanus *ritus unico, bifariam diviſo, ante eamdem ſit contentus.* Sex Lectiones de Legenda Sacramenti, quæ ſic incipit, Immenſa divinæ largitatis beneficia, & invenitur in libro S. Martini antiquo folio 266. RESP. Immolabit, cum alleluia: tres vero Lectiones cum Euangelio, Caro mea vere eſt cibus, in eodem libro fol. 26-. *De Legenda prædicta agemus infra; hic ſolum noto ex primæ Antiphonæ Pſalmique & Reſponſorii principio hic indicato colligi poſſe reliquas Antiphonas, Pſalmos & Reſponſoria per totum Matutinum eadem fuiſſe in eccleſia S. Martini,* *Matutinum,*

quæ hodieque in aliis Leodienſibus & Romanis ſunt.

A

Laudes

4 *Idem dictum puta de Laudibus, quoad Pſalmos & Antiphonas uſque ad* Hymnum : *ſic enim indicantur in Directorio.* In Laudibus ANTIP. Sapientia cum Alleluia : *deinde cetera, eodem quo in Veſperis Ordine à Romanis diverſo.* HYM. Verbum ſupernum. CAP. Habemus altare : *pro quo Romanum vetus idem indicat quod fuerat in Veſperis,* Dominus Jeſus ; *nec enim Romano ritui in uſu eſt, ſicut eſt Leodienſi, variare Capitula in Laudibus recitanda, à Capitulo Veſperarum.* VER. Poſuit Dominus fines tuos pacem. ANT. Ego ſum panis vivus. COLL. Deus qui nobis : *quæ omnia ſic etiam in Romano habentur.*

Primam,

Ad Primam HYM. Summe Jeſu, *ut infra. Eſtque huic officio prorſus ſingulare, neque extra eccleſiam S. Martini obſervatum, ut pro minoribus Horis habeantur* Hymni *ſpeciales : idem dico de propriis Antiphonis, quas utinam cum* Hymnis *deſcriptas haberemus; nunc ſola noſcuntur initia à Directorio indicata.* Et ad

Tertiam.

Primam *quidem eſt* ANT. Cæleſtis artifex. Ad Tertiam HYM. Sacro tecta, *ut infra.* ANT. Chriſtus enim. CAP. *à Romano ac Leodienſi ordinario diverſum,* Calix benedictionis. RESP. Panem cæli. VERS. Cibavit. COLL. Deus qui Eccleſiæ. *Et hoc rurſum ſingulare non fuit ; ſed in veteri quoque Leodienſi Breviario pro majoribus feſtis ad ſingulas Horas diverſæ inveniuntur*

B

Ite Miſſa & poſt ſextam

Collectæ. Ad *Miſſam* INTROITUS, Cibavit, *& cetera omnia ut in* Romano *ac Leodienſi communi. Ad Sextam* HYM. Splendor *ut infra.* ANT. Illa nobis. CAP. Habemus. RESP. Cibavit. VERS. Educas. COLL. Cæleſti luce.

ordo proceſſionis ducendæ.

5 Poſt Sextam remaneant miniſtri altaris omnes induti, ut in Miſſa fuerunt ; ſintque Canonici & Capellani cappis induti : incipiatque Cantor RESP. Homo quidam, cum Alleluia : vadantque ſinguli in ſuo ordine. Primo crux noſtra, cum cruce S. Remacli, exeant per magnum parviſium ; poſtea ſcholares & Capellani, demum Canonici ; poſtremo ſex Capellani vel octo Reliquias deferentes, ante quas portentur octo torticia eccleſiæ : tandem veniat Decanus, qui Miſſam celebravit, deferens corpus Chriſti, una cum duobus Miniſtris eum deducentibus, deferanturque duo baldechina ſupra Sacramentum ; & duo ſcholares ſtent ibidem cum duobus thuribulis thurificantes. Et ſic procedatur ante eccleſiam S. Remacli ſub Spineta, deſcendendo per ruellam ad S. Severinum & S. Hubertum, & aſcendendo ad noſtram eccleſiam : & ſic cantetur Reſponſorium quod ſupra cum Hymno, uſque

C

ad, Verbum caro panem verum, quod in introitu clauſtri incipiatur. Omnibus autem eccleſiam ingreſſis Cantor incipiat ANTIP. O ſacrum convivium : deinde RESP. Miſit me vivens Pater, & ego vivo propter patrem. Et qui manducat me vivet propter me. VERS. Cibavit eum Dominus pane vitæ & intellectus, & qui manducat me vivet propter me : quem Verſum cantabunt & Canonici : poſtremo Antiphonæ & Collectæ de S. Maria & S. Martino, cum qua Chorum intrant omnes. Poſt prandium fiat ſermo ad populum. Ad Nonam HYMNUS Æterna cæli, *ut infra.* CAP. Quotieſcumque. RESP. Educas panem. VERS. Poſuit Dominus. COLL. Deus qui fidelium. A*d Veſperas* ANT. Sacramentum, Pſalmi ſicut in primis Veſperis. *Erant ergo pro ſecundis Veſperis Antiphonæ diverſæ ab Antiphonis Laudum, quas dolendum eſt non inveniri.* HYM. Pange lingua. CAP. Quoties. RESP. Miſit me. VERS. Panem de cælo. AD MAGN. ANT. O ſacrum convivium. COLL. Deus qui glorioſum. Ad Completorium ut ſupra.

tum Officii ad Nonam

2 Veſperas

Completorium & per Octavas.

6 In craſtino Sacramenti & per omnes Octavas fiat de ipſo ſicut in die : tres Lectiones de ipſius Legenda & tria Reſponſoria. In Laudibus ad Benedictus ANTIP. Animarum cibus. *Nec quidquam ultra additur in Directorio, ſed tantum ordinatur officium per Dominicam infra Octavam, ut in ordinario Leodienſi, & præſcribuntur ſex Lectiones de Sacramento, tres de Euangelio Dominicali, quibus omiſſis incipio* Antiphonas *ad* Benedictus *&* Magnificat, *prout ex* Antiphonario Martiniano *accepi, repræſentare hoc ordine.*

D

VI Feria, ad BEN. Animarum cibus Dei ſapientia, nobis carnem aſſumptam propoſuit in edulium ; ut per cibum hujus pietatis invitaret ad guſtum divinitatis. AD MAGN. Diſcipulis competentem conſcribens hereditatem, ſui memoriam commendavit inquiens, Hoc facite in mei commemorationem.

cum ſpecialibus Antiphonis ad Benedictus & Magnificat.

Sabbato. AD BEN. Totum Chriſtus ſe nobis exhibet in cibum, ut ſicut divinitus nos reficit, quem corde guſtamus ; ita nos humanitus reficiat, quem ore manducamus. AD MAGN. Et ſic de viſibilibus ad inviſibilia, de temporalibus ad æterna, de terrenis ad cæleſtia, de humanis ad divina nos transferat.

& hymno proprio ad Completorium

Dominica AD BEN. Panem Angelorum manducavit homo ; ut qui ſecundum animum cibum divinitatis accipimus, ſecundum carnem cibum humanitatis ſumamus : quia ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus. AD MAGN. Panis vitæ, panis Angelorum, Jeſu Chriſte vera mundi vita ; qui ſemper

E

nos reficis, in te numquam deficis, nos ab omni ſana languore ; ut te noſtro viatico in terra recreati, te ore pleniſſimo manducemus in æternum.

II Feria AD BEN. Suo Chriſtus ſanguine nos lavat quotidie, cum ejus beatæ paſſionis quotidie memoria renovatur. AD MAGN. Sanguis ejus non infidelium manibus ad ipſorum perniciem funditur ; ſed quotidie fidelium ſuavi ore ſumitur ad ſalutem.

III Feria AD BEN. Verus Deus, verus homo ſemel in cruce pependit, ſe Patri redemptionis hoſtiam efficacem offerens : ſemper tamen inviſibiliter eſt in myſterio, non paſſus ſed quaſi pati repræſentatus. AD MAGN. Dominus Jeſus Chriſtus ſine vulnere quotidie ſacrificatus mortalibus, in terra præſtitit cæleſti fungi miniſterio.

IV Feria AD BEN. Hæc igitur ſingularis victimæ Chriſti mortis eſt recordatio, ſcelerum noſtrorum expurgatio, cunctorum fidelium devotio, & æternæ vitæ adeptio. *Pro veſperis hujus Feriæ nihil additur, quia ea ex more Octavarum repetenda ut in nocte ipſius feſti, & dies Octava eodem ritu agenda, quo illud.*

7 *Igitur tranſeo ad hymnos Martinianis ſolis tamdiu proprios, quamdiu antiquo ritu feſtivitatem agebant, quod quando deſitum ſit fieri, nemo hactenus ſcivit quærentibus indicare.*

F

HYMNUS AD COMPLETORIUM.

Chriſtus vere noſter cibus, Chriſtus vere noſter potus :
Caro Dei vere cibus, Sanguis Dei vere potus.
Vera caro quã ſumimus, quã aſſũpſit ex Virgine :
Vere ſanguis quẽ bibimus, quẽ effudit pro homine.
Vere tali convivio verbum caro comeditur :
Per quod viget religio, per quod cælum ingreditur.
Panis iſte dulcedinis totus plenus eſt gratiæ,
Alvo geſtatus Virginis Rex eſt æternæ gloriæ.
Hujus panis Angelici ſaginemur pinguedine,
Ut tam pii Viatici delectemur dulcedine.
O cæleſte convivium ! ô redemptorum gloria !
O requies humilium ! æterna confer gaudia.
Præſta Pater per Filium, præſta per almum Spiritum ;
Quibus hoc das edulium, proſperũ ſerves exitũ Amẽ.

& ſic clauduntur etiam ceteri Hymni ad Horas minores.

AD PRIMAM

Summe Deus Clementiæ, qui ob ſalutem mentium
Cæleſtis alimoniæ nobis præſtas remedium ;

Mores,

A

Mores, vitam, & opera rege momentis omnibus,
Et beatis accelera vitam dare cum civibus.

AD TERTIAM

Sacro tecta velamine pietatis myſteria
Mentes paſcunt dulcedine, qua ſatiant cæleſtia.
Sit ergo cũ cæleſtibus nobis commune gaudium;
Illis quod ſeſe præſtitit, nobis quod ſe nõ abſtulit.

AD SEXTAM

Splendor ſuperni luminis, laudiſque Sacrificium,
Cœnam tui da numinis, tuæ carnis poſt prandium.
Saturatus opprobriis ad hoc cruci configeris,
Et irriſus ludibriis crudeli morte plecteris.

AD NONAM

Æterna cæli gloria, lux beata credentium,
Redemptionis hoſtia, tuarum paſtus ovium;
Hujus cultu memoriæ diræ mortis ſupplicio
Nos de lacu miſeriæ educ, qui clamas, Sitio.
Præſta Pater per Filium &c.

Officium à S. Thoma Aquin. juſſu Vrbani ordinatum,

B

8 *Hactenus Mss. Membranæ; cum quibus utinam repertus etiam eſſet antiquus ille liber, ubi folio 266 incipiebat* Legenda Sacramenti: *de cujus auctore antequam opinionem meam propono, obſervo quod in antiqua S. Thomæ Aquinatis Legenda, ferme intra quadrageſimum ab ejus obitu annum deſcripta per Guilielmum de Toco ad* VII *Martii à nobis edita num.* 18, *ſic legitur:* Scripſit Officium de corpore Chriſti, de mandato Papæ Urbani, in quo omnes quæ de hoc ſunt Sacramento veteres figuras expoſuit; & veritates quæ de nova ſunt gratia compilavit. *Ob hoc Fr. Helias Raymundi Ordinis Magiſter Generalis, ducentis triginta annis poſt mortem ſancti Doctoris, de corporis poſſeſſione Ordini vindicanda acturus apud Vrbanum Papam quintum, uti legitur in Hiſtoria Tranſlationis oculari fide ſcripta num.* 12, *elegit ad hoc ipſum feſtum* Corporis Chriſti, *attento*, quomodo labore ac induſtria D. Thomæ Officium de Sanctiſſimo Sacramento eſſet Eccleſiæ propoſitum, *ſive ut paulo poſt inquit ipſi Papæ*, quod S. Thomas, ad mandatum D. Urbani Papæ IV ordinavit Officium hodiernum. Et ſtatim ad hoc Dominus Papa: Hoc nego tibi; doce. Tunc Magiſter allegavit Legendam & communem hominum opinionem. Ibidem etiam D. Comes Nolanus & omnes Domini Cardinales, quaſi clamando, teſtimonium dederunt, quod dictus S. Thomas feſti Corporis Chriſti officium veraciter & excellenter, ſubtiliter & mirabiliter ordinaſſet. *Merito igitur ii qui collectioni operum D. Thomæ Venetiis anno* 1593 *excudendæ præfuerunt, tomo* 17 *velut quinquageſimum ſeptimum opuſculorum ejus, propoſuerunt* Officium de Feſto corporis Chriſti, ad mandatum Urbani Papæ IV dictum feſtum inſtituentis, *præmittentes locum ex Supplemento Chronicarum, ubi id aſſeritur, allegata* ejuſdem B. Thomæ Legenda, & aliis Chronicis, videlicet Ptolomæi Lucenſis & B. Antonini. *Denique Romani Breviarii recognitores, cum Lectionibus ad ſecundum Nocturnum legendis titulum vellent proponere, quod in antiquis editionibus factum non fuerat, fecerunt ut diceretur* Sermo S. Thomæ Aquinatis in opuſculo LVII.

ex veteri eccleſiæ Martinianæ Officio acceptum videtur,

9 *Iſtis ſic poſitis, puto nihilominus dici poſſe antiquum Martinianæ eccleſiæ Officium, quale in Directorio deſcriptum habemus, totum quantum eſt fuiſſe opus Ioannis, à B. Iuliana ad hoc aſſumpti, & à Spiritu ſancto mirabiliter inſtructi. Quid igitur D. Thomas, ut ipſe potius quam Ioannes auctor Officii crederetur? Vtique nihil minus quam Vrbanus IV. Nam ſicut hic feſtum dicitur inſtituiſſe, quia quod Robertus Leodienſis Epiſcopus anno* MCCXLVI *ſanxerat pro ſua diœceſi, id ipſe anno* MCCLXIV *per totam Eccleſiam mandavit fieri; ita D. Thomas quod ex ejuſdem eccleſiæ Leodienſis ritu compoſuerat Ioannes, id ipſe reformavit* ſecundum morem Romanæ curiæ, *ut loquitur auctor Supplementi Chronicarum, mutatis detractiſque iis quæ mutanda detrahendaque occurrebant: & addito inſigni, qui deſiderabatur, ad Laudes Hymno,* Sacris ſolemnis juncta ſint gaudia: *quem ſi cum aliorum Hymnorum Leodii recitari ſolitorum ſtylo componas, utrobique parem quidem Spiritus divini energiam cum mirabili pietatis ſenſu animadvertas; ſed vim poëticam & maſculi vigoris majeſtatem tanto majorem in iſto quam aliis, quanto inſtructior erat D. Thomas quam Ioannes cultiorum artium facultate. Præterea Officium Leodii compoſitum, pro eccleſiæ illius uſu, in die dumtaxat feſto requirebat Homiliam ſupra Euangelium; quam ex tractatu S. Auguſtini* XXVI *in Ioannem ſumptam nil dubito, ſic enim & in Leodienſi & in Romano Breviariis antiquis ac novis conſtanter invenitur: ſed Romanus ritus, totam octavam agens cum novem lectionibus, & olim etiam in ipſa Dominica infra Octavam duplex recitans Euangelium, primum de feſto, ſecundum de Dominica, exigebat, ut pro totidem diebus ordinarentur Lectiones ſupra Euangelium: quæ nunc quidem pro ultimis diebus etiam ex SS. Hilario & Cyrillo Alexandrino petuntur, in veteri autem Romano, de quo mox, à ſolo ſumuntur Auguſtino, neque tantum ex Tractatu* XXVI, *ſed etiam ex* XXVII, *juxta ordinationem D. Thomæ. Denique idem D. Thomas in Legenda quoque ipſa à Ioanne compoſita, tum alia fortaſis, tum certo certius eum locum addidit quo exponitur, quid hac in cauſa Vrbanus fecerit. Qui locus, quoniam mutilus eſt & decurtatus in hodierno Breviario Romano, in quo ordinatum nunc eſt ut tres primi Nocturni Lectiones ſumerentur ſemper de Scriptura, quæ ante etiam ſumebantur de Feſto, uti adhuc fit in Ordine* Prædicatorum; *ideo viſum eſt & ipſum & reliquam Legendæ iſtius partem, quam opuſculorum D. Thomæ Collectores non habuerunt, hic delibare ex antiquo Romano Breviario, Venetiis impreſſo anno* MDXXII *& Leodienſi S. Lamberti anni* MDXX. *Itaque poſt verba Lectionis* VI, *feria* VI *infra Octavam juxta hodiernum Breviarium recitandæ, hæc ſequuntur.*

detractis & additis quæ Romanus ritus exigebat,

D

cũ memoria feſti ab Vrbano decreti & indulgentiis ornati.

10 Omnibus igitur vere pœnitentibus & confeſſis, qui Matutinali officio hujus feſti præſentialiter in eccleſia ubi celebraretur adeſſent, centum dies Indulgentiarum; qui vero Miſſæ, totidem; illis autem qui intereſſent primis Veſperis ipſius feſti, ſimiliter centum; qui vero in ſecundis Veſperis, totidem; eis quoque qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ ac Completorii adeſſent officiis, pro qualibet Horarum iparum quadraginta; illis autem qui per ipſius feſti Octavas in Matutinalibus, Veſpertinis, Miſſæ ac prædictarum Horarum officiis præſentes exiſterent, ſingulis diebus Octavarum ipſarum, centum dierum indulgentiam miſericorditer tribuit, perpetuis temporibus duraturam.

C

Hactenus locus de inſtitutione Feſti, per S. Thomam interjectus Legendæ, priori: cui in hodierno officio pro Feria VI *poſt hæc Lectionis* IV *verba*, Convenit itaque devotioni fidelium, ſolenniter recolere inſtitutionem tam ſalutiferi tamque mirabilis Sacramenti; ut ineffabilem modum divinæ præſentiæ in Sacramento viſibili veneremur; & laudetur Dei potentia, quæ in Sacramento eodem tot mirabilia operatur; nec non & de tam ſalubri tamque ſuavi beneficio exolvantur Deo gratiarum debitæ actiones: *poſt hæc, inquam verba, arbitramur à principio immediate præſcriptas fuiſſe reliquas Lectiones, quæ in dicto antiquo Romano Breviario pro dicta feria* VI *ſic incipiunt.*

Legenda antiquior

E

confert Euchariſtiam cum manna,

11 Hujus ſacramenti figura præceſſit, quando manna pluit Deus Patribus in deſerto, qui quotidiano cæli paſcebantur alimento; unde dictum eſt Panem Angelorum manducavit homo. Sed tamen illum panem qui manducaverunt, omnes in deſerto mortui ſunt: iſta autem eſca quam accipitis, iſte panis vivus qui de cælo deſcendit, vitæ æternæ ſubſtantiam ſubminiſtrat; & quicumque hunc panem manducaverit, non morietur in æternum,

F

A quia corpus Chriſti eſt. Conſidera nunc utrum panis Angelorum præſtantior ſit, an caro Chriſti; quæ utique eſt corpus Chriſti. Manna illud de cælo, hoc ſuper cælum: illud corruptioni obnoxium, ſi in diem alterum ſervaretur; hoc alienum ab omni corruptione; quod quicumque religioſe guſtaverit corruptionem ſentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi ſanguis è Chriſto: illos ad horã ſatiavit aqua, te ſanguis Chriſti diluit in æternum. Judæus bibit, & ſitit: tu vero cum bibis, ſitire non poteris. Et illud in umbra, hoc in veritate. Si illud quod miraris umbra eſt, quantum eſt illud cujus umbram miraris? Audi quia umbra eſt, quæ apud Patres facta eſt: Bibebant, inquit, de ſpiritali, conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus: ſed non in pluribus eorum complacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto: hæc autem facta ſunt in figura noſtri. Cognoviſti potiora: potior eſt enim lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de cælo.

& tranſſubſtãtiationẽ in conſecratione factam confirmat exemplis,

B 12 Forte dicis, Aliud video in præjacenti Sacramẽto: quomodo tu mihi aſſeris, quod corpus Chriſti accipiam? Et hoc nobis ſupereſt ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus hoc non eſſe, quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit; majoremq; vim eſſe benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiã ipſa natura mutatur. Unde virgam tenebat Moyſes; projecit eã, & facta eſt ſerpens: rurſus apprehendit caudã ſerpentis, & in virgæ naturã revertitur. Vides igitur Prophetica gratia bis mutatã eſſe naturam ſerpentis & virgæ. Currebant Ægypti flumina puro meatu aquarum; ſubito de fontiũ venis ſanguis cœpit erumpere, nec erat potus in fluviis: rurſus ad Prophetæ preces cruor fluminum ceſſavit & aquarum natura remeavit. Intercluſus undique erat populus Hebræorum, hinc Ægyptiis vallatus, inde mari concluſus: virgam levavit Moyſes, ſeparavit ſe aqua, & in muri ſpeciem ſe congelavit, atq; inter undas via pedeſtris apparuit: Jordanis converſus retrorſum contra naturã, in ſui fontis revertitur exordium: Nonne claret naturam vel maritimorum fluctuum, vel curſus fluvialis aquæ eſſe mutatam? Sitiebat populus Patrum: tetigit Moyſes petram & aqua de petra fluxit; Numquid non præter naturam operata eſt gratia, ut aquam evomeret petra, quam non habebat natura? Marath fluvius amariſſimus erat, ut ſitiẽs populus bibere non poſſet; Moyſes miſit lignum in aquam, & amaritudinem ſuam aquarum natura depoſuit, quam infuſa ſubito gratia temperavit. Sub Eliſæo

C Propheta uni ex filiis Prophetarum excuſſum eſt ferrum de ſecuri, & ſtatim immerſum eſt in aquam: rogavit Eliſæum qui amiſerat ferrum, miſit Eliſæus lignum in aquam & natavit ferrum: unde etiã hoc præter naturã factum cognovimus; gravior enim eſt ferri ſpecies quã aquarum liquor. Advertamus igitur majorem eſſe gratiam quam naturam.

expendendo Chriſti omnipotentiam.

13 Et adhuc tantum Propheticæ benedictionis miramur gratiã. Quod ſi tantum valuit humana benedictio ut naturam converteret, quid dicimus de ipſa conſecratione divina, ubi ipſa verba Domini Salvatoris operantur? nã Sacramentum iſtud quod accipit, Chriſti ſermone conficitur. Quod ſi tantum valuit ſermo Eliæ ut ignem de cælo deponeret, non valebit ſermo Chriſti ut ſpeciẽ mutet elementorum? De totius mundi operibus legiſti, Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt. Sermo igitur qui potuit ex nihilo facere quod nõ erat, nonne potuit ea quæ ſunt in illa mutare quę nõ erant? nõ enim eſt minus dare, quam mutare novas naturas rebus. Sed cujus argumẽtis utimur, ſuis utamur exemplis, Incarnationiſq; exemplo adſtruamus myſterii veritatem. Numquid naturæ uſus perſenſit, cum Dominus Jeſus ex Maria naſceretur? Si ordinẽ quæris, vir mixta femina generare conſuevit: liquet ergo quod præter naturæ ordinẽ virgo generavit. Et hoc quod conficimus corpus, D ex virgine eſt: quid hic quæris naturæ ordinẽ in Chriſti corpore, cum præter naturã ſit ipſe partus ex virgine? Vera enim caro Chriſti eſt, quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt: vere ergo illius carnis Sacramentum.

14 *Hactenus Lectiones tum pro Feria* VI *tum etiam pro Sabbato præſcriptæ: eodem ſtylo ſequuntur in ipſo veteri Romano Breviario aliæ ſex lectiones pro Dominica; deinceps vero pro aliis feriis ibidem proponitur Bulla* Clementis IV *confirmans & complectens Bullã Vrbani*, data Romæ anno Domini MCCLXXIII, X Kal. Decẽbris, Pontificatus anno II. *Sed hæc utiq; non eſt pars officii à D Thoma ordinati, verum poſterius ſubſtituta in locum earum, quibus prior Legenda continuabatur. Quam quidem continuationem ſi integram haberemus, magis inclinaremur ad eam totam hic proponendam: nunc ſufficere pars illa videtur, ut ſtylum attendens conferenſque cum Opuſculo* LVIII *ſancti Doctoris* de Venerabili Sacramẽto Altaris, *comperiat eum eſſe diverſiſſimũ, adeoque Legendæ hujus auctorem alium omnino fuiſſe à ſancto Doctore. Quem autem potius quam Ioannem, de quo nobis jam conſtat compoſuiſſe officium,* in Hymnis, Antiphonis, Reſponſoriis, Lectionibus, Capitulis, Collectis, & aliis omnibus propriis. *Quid enim movere potuiſſet Vrbanum, ut novum prorſus componendum præſcriberet D. Thomæ,* E *cum ſatis eſſet ipſum quod jam compoſitum habebatur Romano aptare Ritui? Sic vero aptatum Vrbanus quidem miſit Evæ Recluſæ; ſed non recepit Martiniana eccleſia, ritui multum diverſo aſſueta: & quale à Iuliana acceperat ſibi commendatum retinuit, uſque ad Breviariorum mutationes hoc ſeculo inductas. Notandum eſt porro quod Legendæ auctor, materiam fere ac ſæpe etiam verba ſumpſerit ex libro* 4 *S. Ambroſii de Sacramentis; hoc ſolum excepto quod oratio copioſior ſuaviorq; fluere videatur quam ipſius S.* Ambroſii *ſermo.*

qua Legenda à ſtylo D. Tho. diverſiſſima eſt.

AD DIEM VI.

DE S. SIXTO I PAPA MART.

QVæ de S. Xiſti corpore, Aletrium *tranſlato, requirebamus monumenta, ea invenimus nos pridem habere beneficio D. Silveſtri* Ayoſſa *Presbyteri* Capuani, *& Ferdinandi Vghelli: quare ſecundum de eodem Sancto caput, bifariam dividendum, pag.* 534 *totum ſic reformabis.*

CAPUT II.

Tranſlatio S. Sixti Roma Aletrium.

F 15 SEpultus *dicitur* S. Sixtus juxta corpus S. Petri in Vaticano. *Onuphrius de ſeptem-Vrbis Eccleſiis pag.* 41, *poſt indicatam Confeſſionem S. Petri, addit:* Præter altare majus S. Petri in antiqua baſilica viginti alia altaria, partim ſacellis vel oratoriis incluſa, partim ſine ædiculis ipſis fuere. Primum à dextera altaris majoris in tranſverſa baſilicæ parte, quam Crucem eccleſiæ vocant, verſus abſidam fuit oratorium & altare S. Xyſti Papæ & Martyris, ſub quo à Paſchali II Papa ſepulta fuere corpora Sanctorum Pontificum, Xyſti ipſius, Fabiani Martyrum, & Sergii II. *Hæc ibi. Sedit Paſchalis* II *ab anno* MXCIX *ad annum* MCXVIII. *Celebratur etiamnum officio duplici feſtum S. Sixti* I *Papæ hoc* VI *Aprilis in eccleſia Vaticana, eo quod corpus illius ibidem adſervetur, uti in Ordine Officii divini pro an.* MDCLXV *à Ioſepho de Fide, Magiſtro* Ceremoniarum *ejuſdem Eccleſiæ, compoſito præcipitur. Interim apud Ludovicum Iacob, in Bibliotheca Pontificia, occaſione Decretalium aliorumque librorum S. Sixto falſo attributorum, de ejus corpore hæc leguntur:* Fuit illud Roma anno MCXXXII, ad Aletrinam Latii civitatem in Hernicis devectum, & in templo primario conditum, anno vero MD XXXIV ſub Reverendiſſimo Patre Egnatio Dante Peruſino, Ordinis Prædicatorum,

Corpus poſtea in Vaticano circa an. 1100,

A dicatorum, Epiſcopo Aletrino, qui hiſtoriam utriuſque Tranſlationis ſcribendam curavit, corpus eſt repertum.

7 *Primæ Tranſlationis hiſtoriam, qualis apud Alatrinos,* ad laudem & gloriam divini nominis & ad commendationem B. Sixti Papæ & Martyris, *recitari in ejus feſto ſolebat, invenit Romæ Silveſter Ayoſſa Preſbyter Capuanus in bibliotheca Vaticana, nobiſq; tranſcripſit anno* MDCLXVII *qualem hic ſubjungo*: Ingratitudinis degeneres filii non immerito notarentur, fierentque prorſus à perceptione paternæ ſubſtantiæ jure hereditario alieni, ſi progenitorum ſuorum ignaviam, quos in infra dicendis negligentiæ ſomnus obtexit, filiali reverentia, præter naturæ debitum, ſub ſilentio præterirent. Antiquorum igitur ſegnitiem, licet per ſuccedentium narrationem infraſcriptæ rei memoriam necdum interceperit oblivio; quia tamen in ſcriptis redacta non extitit, prout divina infuderit gratia, ſecundum quod à fide dignis & prioribus nobis accepimus, ſupplere pro viribus ſatagentes; quo ordine quibuſque miraculis, corpus glorioſiſſimi Sixti Romani Antiſtitis (quem ſub Adriano Romanorum Imperatore pro Chriſti nomine paſſum, ſacra ſcriptura teſtatur) de urbe, currentibus annis Dominicæ Incarnationis MCXXXII, Pontificatus Domni Innocentii Papæ II anno ſecundo, Indictione * VII, die XI Ianuarii, tranſlatum extitit, ſuccinctus ſermo percurrit.

transfertur Aletrium anno 1132,

B

imo X

occaſione peſtis Aliſii graſſantis,

8 Dudum nutu Dei, abſque cujus imperio nec folium arboris decidit, nec unus paſſerum ad terram cadit, in civitate Aliſii, quæ infra metas regni Apuliæ ſita eſt, aëris intemperie humana corpora variis & deſperatis ægritudinibus ſtimulante; cum ipſius civitatis incolæ, medicorum conſilio ac omni humano ſuffragio fruſtratos ac deſtitutos ſe fore conſpicerent, divinum experiuntur auxilium, quod ipſa Veritatis vox innuit, nemini denegatur. Inito igitur ſaniori conſilio, præfati cives ad prædictum Romanum Pontificem Dominum * Innocentium, tunc in urbe morantem, idoneos ambaſciatores ſine mora tranſmittunt, importune & inſtanter (prout facto opus erat) ſupplicantes eidem, ut alicujus corporis ſancti reliquias ad civitatem prædictam Aliſii mittere dignaretur, cujus virtute fugeret ab obſeſſis corporibus valetudo. Quo audito vehementer pius Pater indoluit; habitoque cum Fratribus ſuper hujuſmodi poſtulatione conſilio, præfatis ambaſciatoribus corpus prædicti Martyris Sixti pie ac benigne conceſſit. Si quis autem ſatageret ambaſciatorum hujuſmodi gaudiorũ immenſitatem linguæ vel calami officio deſignare, vix ſufficeret ad narrandum.

** imo* Antipapam Anacletum.

C

cujus urbis legatis datũ,

9 Accepto itaque dicti ambaſciatores ſacri corporis pretioſo theſauro, cum reverentia & honore decentibus, iſtud in ſcrinio ſuper mulam imponunt, & accepto itinere gratulabundi è veſtigio repedare feſtinant. Cum autem ad quoddam trivium perveniſſent, dictum animal, præfatum theſaurum deferens, amplam ſtradam non abſque Dei voluntate devitans, cœpit arripere ſemitam, per quam ſub compendio per abrupta montium pervenitur ad civitatem Alatrinam: contradicentibus tamen & retinentibus dicto animali ducatum præſtantibus, ne per ſemitam diverteret ſupradictam. Verum cùm nec verberibus aut adulationibus poſſent ipſum animal à cœpta ſemita declinare; ambaſciatores præfati, ſuper novitate hujuſmodi turbationis & admirationis non parvam materiam aſſumentes, divino tandem relinquunt arbitrio, ut jam dictum animal incedat quo voluerit abſque contradictione cujuſcumque. Quo quidem abſque humano ductu ad locum, qui dicitur Volubrum, ubi aquæ pro uſu animalium colliguntur, non eminus ab Aletrinâ civitate, pervento, idem animal figens greſſum, velut columna immobilis permanebat; nec minis, aut flagellationibus, ſeu etiam applauſibus inde receſſit, donec Epiſcopus, clerus, & populus Alatrinus, eidem ſancto corpori venientes obviam proceſſionaliter & honorifice, ad dictam civitatem Alatrinam (cujus incolæ, ut prædicti cives Alifienſes morbo ſimiliter vexabantur) hujuſmodi theſaurum & animal conduxerunt.

D

mula Alerinæ verſus defectente, ibidem excipitur:

10 Introducto itaque in civitatem Aletrinam præfato theſauro, inter cives Aletrinos venerabilis & quodammodo pia contentio, per quam ad arma pervenitur, exoritur; dum alii volunt dicti corporis ſacras reliquias in civitate debere collocari, aliis renitentibus ac flagranti deſiderio æſtuantibus corpus ipſum glorioſum reponi debere in cathedrali eccleſia, in ſupremo videlicet civitatis. Cumque aliquamdiu ſuper hoc tam pie inter eoſdem cives extiterit decertatum; tandem conſilium fuit, ut præfato animali libera conceſſa licentia, quo illud ſpiritus Dei duceret, populus acquieſcere deberet omnino. O mira Dei ſapientia! ô tremenda potentia! ô ineffabilis gratia! dum bruta animalia, ſenſuales relinquentia ritus, & animos rationales aſſumunt, & divinam innuunt voluntatem & teſtantur.

& poſt aliquam de loco contentionem

E

11 Nec mora jam dictum animal, divinitus inſpiratum, nullo prorſus humano conduce præambulo, venerandum corpus ad cathedralem devexit eccleſiam; & tam diu flexis genibus, ubi dictus Martyr ſibi locum elegerat, moram traxit; quoadusque Epiſcopus & clerus, adſtante Alatrinorum populo, dictas Reliquias, tamquam eis oblatas à Domino, honorifice ſuſceperunt; eoſque in altari, quod in ipſius honorem poſt paucorum dierum curricula conſtructum eſt, honorificentia debita collocarunt. Poſt cujus ſacri corporis adventum mirabilem, aërea protinus corruptione fugata, ægra civium Alatrinorum corpora pleniſſimam recipiunt ſanitatem. Novit Deus, quam acutus doloris aculeus ambaſciatorum eorumdem animos pertranſivit, dum tanto talique theſauro, poſt tot labores & innumeras ſolicitudines, fruſtratos & ſpoliatos ſe & dictam civitatem Aliſii fore conſpicerent, quo ſperabant ab ægritudinibus quibus gravabantur eximi ac totaliter liberari. Poſt multas denique precum importunas inſtantias, iidem ambaſciatores ab Aletrinis civibus digitum unicum dicti ſancti corporis obtinent, quem ad ipſorum civitatem deferunt cum omni reverentia & honore. Ob cujus Martyris merita, aëris epidemia omnino ceſſante, obſeſſa Aſifenſium corpora à languoribus quibuſlibet protinus liberantur

ab eadem mula defertur in Cathedralem;

datur Aliffanus ex eo digitus;

F

12 Lætetur igitur & exultet in Domino civitas Aletrina, & condignas gratias exolvat Altiſſimo, qui dignatus eſt ipſos tali tantoque ditare theſauro, talemque ipſis exhibere Patronum: cujus meritis & interceſſione dicta civitas & à noxiis præſervatur anfractibus, & in bonis operibus proſperatur, ipſius annuente gratia, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus, per infinita ſecula ſeculorum. Amen. *Pontificii ſtatus civitas Alatrum eſt, Aliffa ad Beneventanam metropolim pertinet: itáque ab urbe Roma diſtant, ut ab hac Aliffam proficiſcentibus, medio fere itinere relinquenda ſit à ſiniſtris ſemita, quæ Alatrum verſus abducit. Hic Epiſcopum fuiſſe* Petrum *anno ſupra ſignato indicat Vghellus tomo* I *Italiæ ſacræ, ſed de S. Sixto ejuſque Reliquiis verbum nullum facit. Aſt tomo* 8 *agens idem Vghellus de Epiſcopis Alifanis ait quod* in Cathedrali æde, *quæ ſupereſt* pulchræ & antiquæ ſtructuræ *ubi* duodecim Canonici ſacris miniſtrant *&* Divus Sixtus Papa Tutelaris *colitur*, ſacra *ejuſdem* Sixti Papæ & Martyris lipſana tranſlata, *digitus ſcilicet prædictus ab Aletrinis conceſſus*, huc uſque in ſacello ſub confeſſione venerantur; *quamvis aliàs urbs, olim* amœnitate loci lympharumque circumcurrentium abundantia *Rogerio Regi gratiſſima, nunc*, ex corrupto

utrobique ſit, datur peſtilentia,

utrobique S. Sixtus Patronus habetur.

A rupto aere & aquarum curſu intercepto, habitatoribus pene vacua eſt, & non niſi inter rudera ruinæ ſpectantur, priſcæ magnitudinis ac potentiæ teſtes. *Quis ſcit, utrum ea loci deſolatio præcognita Deum moverit, ne ſui Sancti corpus integrum eo deferri vellet, ubi à tam paucis erat honorandum?*

CAPUT III.

Nova corporis ſancti inventio & tranſlatio.

13 *Romæ exiſtentibus nobis & Sanctorum Acta ſtudioſe conquirentibus, inter multa quæ ſæpe laudatus Ferdinandus Vghellus liberaliter donavit, fuit etiam Italico idiomate concepta* Brevis narratio, de corpore S. Sixti Papæ & Martyris, tranſlato ad eccleſiam Cathedralem Aletrinam anno MCXXXII, & denuo poſt annos CCCCLII reperto in eadem eccleſia anno MDLXXXIV, ſcripta de mandato Domini Egnatii Danti Epiſcopi Aletrini; rurſumque recognita tranſcriptaque, de mandato Domini Lucæ Antonii Gigli, Epiſcopi ſimiliter Aletrini, anno MDCV, per Felicem Toriggium Romanum. *Poſteriorem Vghellus in Epiſcopis Aletrinis Marcum Antonium vocat, & ab anno* MDXCVII *ad* MDCXX *ſedisſe ait: tempus vero quo prior ſedit, ex Dominicana familia & Florentina nobilitate aſſumptus, definit ab anno* MDLXXXIII *ad* LXXXVI *; ſic ut inter utroſque ſolum ſederit Bonaventura Fulanus de Horta Ordinis Minorum. Porro narrationem, à ſe deſcribi juſſam, Sixto* V *Pontifici maximo Egnatius inſcripſit, per hanc epiſtolam.*

Hiſtoria anno 1584 ſcripta.

B

14 Ea eſt divinæ miſericordiæ abundantia, Pater Sanctiſſime, ut quæ à liberaliſſima ejus manu mortalibus donantur munera, ſæpe nec parva nec ſolitaria veniant, ſed grandia & multiplicata. Hujus rei ne fidem faciam exemplis ab longa antiquitate petitis, ſufficiens teſtimonium præbet Aletrina hæc civitas, exultans in Domino, quod in ipſis mei Epiſcopatus initiis invenerim corpus S. Sixti Papæ I & Martyris glorioſi, theſaurum vere pretioſiſſimum, à multis retro annis nobis divinitus conceſſum: pro quo ut grātum ſe populus Aletrinus exhiberet, decretum eſt, ut quotannis feria quarta Paſchali, qua ſolenniter celebrari conſueverat Sancti hujus memoria, ipſæ quoque reliquiæ ſacræ, poſt ſupplicationem peractam, publice conſpiciendæ exponerentur. Hoc cum ex more jam cœpto fieret; & plebs devota, ad tam pium ſpectaculum perfuſa lacrymis, certatim conclamaret, Vivat S. Sixtus Papa; ecce tibi novus Divinitatis favor, volentis gratiâ cumulare gratia, noſq; omnes implere jubilo & lætitia. Ipſa enim eadem hora extulit ad Apoſtolicæ Sedis faſtigium ſanctitatem tuam, in tam grandi Eccleſiæ neceſſitate donatam cælitus, & eam ornavit glorioſiſſimi noſtri Protectoris S. Sixti nomine. Merito igitur civitas hæc totaque provincia ab ſanctitate tua ſperat pacem, tranquillitatem, ſecuritatem, & qualemcumque alium favorem ac gratiam. Ego quoque, cum ſcribi curaverim Tranſlationem corporis ſancti Alatrum, poſtremamque illius inventionem, agnoſco quod eam debeam dedicare Sanctitati Tuæ, tamquam rem propriam: id quod facio tali cum affectu & devotione, qualem addictiſſimus ſervus debet ſupremo ſuo Principi ac Patrono, quem divina Majeſtas diu felicem ſervet Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Datum Alatro XII Iunii MDLXXXV. *quo ſcilicet anno Sixtus* V *coronatus eſt,* XXIV *die Aprilis, eademque feria quarta Paſchali.*

ab Epiſcopo Dante offertur S XIO V.

C

anniverſaria Sancti die coronato.

15 *Omitto quæ, poſt brevem laudationem divinæ erga Alatrinos clementiæ, tranſcribit auctor ex hiſtoria Aliſſana Alexandri Abbatis Teleſini ſcripta ad Rabertū Epiſcopū Aliſſanum (cum credo quem Vghellus Iacobum Gibertum de Nagueras appellat, & ſedisſe ait ab anno* MDLXI *ad* LXVI*) circa ipſius S. Sixti Vitam, Martyrium & Tranſlationem primam,*

Alibi dicitur Raynulfus Comes Aliſſanus impetraſſe corpus ab Anacleto 2

certius ex ſupradictis petenda; à quibus in hoc diſſert hiſtoriæ Aliſanæ auctor, quod non dicat legatos Romam miſſos ab Aliſanis; ſed ad Anacletum II *Papam, ſeu verius Antipapam in urbe reſidentem, adiiſſe Raynulfum Comitem Aliſanum, filium Ruberti Comitis, hominem manu & lingua promptum; una cum Ruberto Principe Capuano, ad auxilium præfati Anacleti; adverſus eos ſcilicet, qui veri Pontificis Innocentii* II, *in Gallia agentis, partes ſuſtinebant: qui Raynulfus, pro ſuorum ſolatio, corpus alicujus celebris Sancti petierit. Cunctante autem Anacleto ob metum concitandi populi, & nihil expediente; cecidiſſe de tecto eccleſiæ Vaticanæ trabem, quæ in altare quoddam impingens illudque comminuens, retexerit arcam corporis S. Sixti; hæc vero cum eſſet in ſacriſtiam delata, reſque Anacleto nuntiata, viſam eſſe occaſionem divinitus in favorem Comitis oblatam: cui proinde eadem arca ſecreto tradita ſit, & ita ut dictum ſupra Aliſam miſſa, ſed Alatrum perlata.*

D

cum fracta caſu ara inventum eſſet.

16 *His plenius narratis, hiſtoriam ſuam proſequitur ſcriptor Epiſcopalis.* Ita poſitum anno MCXXXII, tempore Innocentii II, in Aletrina eccleſia S. Sixti corpus, tempore Gregorii XIII anno MDLXXXIV requiſitum eſt, per indicium hujuſmodi ſcripturæ, quæ die VI Martii anni prædicti per manum Joannis Baptiſtæ de Spoletinis Peruſini, Notarii Apoſtolici, extracta de ſuo originali & concordare reperta, ſic ſonabat: Anno Domini MCLVI *, Pontificatus Domni Hadriani quarti anno tertio, Indictione V, menſe Maji die XI, dedicatum eſt hoc altare à D. Rodulfo, Aletrino Epiſcopo; ad honorem D. N. Jeſu Chriſti, & ejus beatiſſimæ Mariæ ſemper Virginis, & B. Xiſti primi Papæ & Martyris, cujus corpus in hoc altari reconditum eſt, & S. Laurentii Martyris, & ſanctorum Quatuor Coronatorum, & ſanctorum Martyrum Chryſanthi & Dariæ, & S. Romani militis, & S. Hieronymi Mart. & S. Cyrilli Mart. & S. Concordiæ, & aliorum plurium Martyrum Chriſti, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

E

de quo anno 1584 compertum

** imo* VII

quod Aletriæ ſub altari poſitum ſit anno 1166.

17 Tali ſcriptura perlecta, decretum fuit, requirendum porro eſſe ipſum ſanctum corpus. Itaque Epiſcopus, ſublata altaris menſa, introire juſſit Fr. Simonem cum palo ferreo, & fornicem ſubtus altare perfringere. Ecce autem ad primum ferri ictum omnes ſpe atque lætitia replevit Deus: ejuſmodi enim ſonus rediit, ex quo conſtaret cavum aliquid ſubtus eſſe. Actis igitur Deo gratiis, cœptum eſt rumpi pavimentum: quod primum calce conſolidatum, tum lateribus vetuſtis quatuor digitos craſſis conſtratum apparuit; quibus operiebatur ſepulcrum, in modum formoſæ capſæ cæmentatum: intra quam inventa eſt arcella plumbea, cum pretioſo corpore S. Sixti. Omnes nos ipſumque Epiſcopum ea implevit lætitia, quantam numquam in vita poſthac me ſenſurum ſpero. Placuit autem divinæ bonitati, ut ex ipſa arcula reſerata ſuaviſſimus exhalaret odor, omnesque admiratione ſingulari perfunderet: qui tamen à duobus Patribus Capucinis, & potiſſimum à Fr. Philippo Aretino, multo magis perceptus eſt, quam à me aliisque, propter multas noſtras imperfectiones. Tum vero proſtrati pariter in terram, & lacrymis præ lætitia copioſe fluentibus madentes, gratias egimus divinæ bonitati, quod pretioſum iſtum theſaurum donare nobis & revelare dignata eſſet. Epiſcopus autem eo quod arculæ fundus corroſus appareret, propria manu colligens oſſa ſacra, quibus numquam memini candidiora vidiſſe, ea involvit in munda ſindone, ac rurſum eum arca reponi eodem loco juſſit, omniaque reſtitui in eum ſtatum ut nihil motum fuiſſe notaretur.

F

effractaque coram Epiſcopo ara,

inde extrahitur.

19 *Quid deinde actum ſit deſcribitur in titulo ad unam pilarum præcipuarum affixo, cum quo ſcriptum finit hic auctor; cujus ſcripti ecgraphū juſſu Epiſcopi Bonavēturæ, uti ſupra diximus, exaratū, Romæ originaliter inveniſſe ſe teſtatur Vghellus.*

Eadem hiſtoria deſcribitur anno 1655.

A lus apud D. Franciſcum Turrigium Romanum Baſilicæ Vaticanæ humanitatis Profeſſorē & tranſcripſiſſe anno MDCXVIII. Anno poſtea MDCLV Andreas Ferrarius, ex Ordine Fratrum Minorum, prolixieri opuſculo complexus totam S. Sixti & duplicis tranſlationis hiſtoriam, ſex fòlia chartæ implevit ſermone Italico: cujus libelli quamvis exemplar mittere non potuerit, epitomen tamen accuratam excerpſit, nobiſque commodavit P. Petrus Clodius, Collegii noſtri Rector in proxima urbe Sora; unde (quoniam poſtremæ inventionis occaſionem & modum exponit enucleatius) hanc etiam habe narrationem, primæ, Tranſlationis expoſitioni hac ratione ſubnexam.

20 Progreſſu deinde temporis &c. uti habetur pag. 534 num. 10, 11, 12, 13. Quibus in numeros 21, 22, 23, & 24 converſis, conſequenter pro numero 25, expuncto eo qui pag. 535 eſt numerus 14, ſubjungatur numerus 25.

25 Quærere nunc poſſet aliquis &c. ſolum expungantur lin. 23 hæc verba, quem illimet antea forte crediderant; & lege, quem ipſe credi ſuſpicabatur. Denique tractatum hunc totum concludat, quem ſubjungo, numerus.

Decretum de abrogando feſto quod agebatur feria 4 Paſchali

26 Porro Aletrinus populus, qui feriam quartam Paſchalem jam olim habuerat S. Sixto, tamquam liberatori ſuæ urbis, ſacram; cum occaſione prænarratæ inventionis ſolennius etiam dictam feriam ageret quam antea, eaque res toto reliquo ſeculo XVI continuata, ſub Paulo V innotuiſſet ſacræ Rituum

B Congregationi; viſus eſt aliquibus reprimendus exceſſus, cum præjudicio Octavæ Paſchalis rituumque ex præſcripto Tridentini recens ordinatorum, & ultra communis feſtivitatis modum progredientis cultus. Sed popularis fervor, magis magiſque accenſus favoribus miraculoſis, quos ab eodem Sancto relatos teſtabantur, qui ejus honorandi cauſa Aletrium ex omni circum regione frequentes concurrebant, non ferens patienter eam contradictionem, cito obtinuit priori inhibitioni contrarium Decretum, cujus exemplar, à Silveſtro Ayoſſa communicatum, exhibeo. Cum in Cathedrali eccleſia civitatis Alatrinæ corpus B. Xiſti Papæ primi & Martyris, non ſine miraculo acceptum maxima populi devotione & concurſu, ſumma pietate & religione conſervetur & colatur; & in memoriam gratiæ à Deo acceptæ precibus & interceſſionibus ipſius Beati, ſoleant ab immemorabili tempore cives ejuſdem loci celebrare ſolennitatem & commemorationem ipſius S. Xiſti, feria quarta immediate poſt Paſcha Reſurrectionis, cum Miſſa, proceſſionibus, choreis, & univerſali totius civitatis ac variorum locorum iubilatione & concurſu: quo die felicis recordationis Gregorius Papa XIII. perpetuis futuris temporibus, omnibus Chriſti fidelibus dictam eccleſiam à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis viſitantibus Indulgentiam plenariam conceſſit; licet alias in ſacra Rituum Congregatione reſolutum fuerit, ut feſtum prædicti S. Xiſti, juxta regulas Breviarii Romani celebraretur ſine choreis & ſaltationibus, die ſexta Aprilis, prout in Martyrologio Romano annotatur. Tamen attentis, miraculo, gratia obtenta, Indulgentiæ plenariæ conceſſione, immemorabili dictæ civitatis conſuetudine, eadem

cum indulgentia à Gregorio 13 conceſſa,

C *à Congregatione Rituum antiquatur.*

ſacra Rituum Congregatio, audita relatione Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Cardinalis Serraphini, cui hoc negotium fuerat commiſſum, & de voto & ſententia omnium & ſingulorum Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. DD. Cardinalium in Congregatione præſentium, cenſuit indulgendum, ut in dicta civitate Aletrina commemoratio ejuſdem S. Xiſti, juxta antiquam conſuetudinem, tamquam de feſto votivo, celebretur feria quarta immediate poſt Paſcha, cum Miſſa, Proceſſionibus & cum ſolitis feſtis & ſaltationibus; dummodo una tantum Miſſa ſolennis de ipſo Sancto celebretur, cum commemoratione de feria quarta Paſchæ, & ceteræ Miſſæ & Officia, tam in Cathedrali quam in omnibus dictæ civitatis eccleſiis, fiant de ipſa feria quarta & Octava Paſchæ, & dummodo choreæ & ſaltationes ſint honeſtæ, & non fiant ante eccleſiam. Et ſanctiſſimus D. N. Paulus Papa V, audita Congregationis ſententia, annuit, & indultum & gratiam prædictorum confirmavit, die XVII Februarii MDCVII. D

Dominicus Epiſcopus Hoſtienſis Cardinalis Pinellus.

locus ✠ ſigilli

Ioannes Paulus Lucantius ſecretarius Congreg.

Pag. 582 *in margine circa B & C turpiter vitiatam Synopſim ſic* lege & corrige: *à cujus proprietate Tranſmontani deflexerant Carolus M. curat reſtitui.*

Pag. 583 *Annotat.* k, *lin.* 5, *non recte inter ſe opponuntur*, lege, *ſed non recte.*

Pag. 584 *Annotat.* n, *lin.* 12, ſine aate, *lege*, ſine arte.

Pag 621 *num.* 2 *lin.* 5, *factus anno* MCLXII *Abbas*, lege, MCLXXI.

AD DIEM VII.

Pag. 656 *inter Prætermiſſos, de* Ermentrude *lin.* 9 *ut temere titulum* Beatæ *tribueremus*, lege, *ne temere titulum* Beatæ *tribueremus.*

Pag. 681 *num.* 29 *lin.* 9 *à fine*, & Jaſſinæ Potier, *lege*, Joſſinæ.

Pag. 709 *num.* 54 *lin.* 25 bibe te, *lege*, bibe tu.

Pag. 720 *col.* 2 *lin.* 41 P. Philippum Sebium, *lege*, Bebium.

Pag. 721 *in tit. Append.* anno MDCLXXXIII, *lege*, MDCLXXIII. E

AD DIEM VIII.

Pag. 764 *col.* 2 in marg. *mul ier ribunda*, lege, *mulier furibunda.*

DE B. ALBERTO PATR. HIEROS.

PAg. 772 *num.* 16 *lin.* 4 Verum ut Fulgur quod exit ab Occidente, *adde parentheſim* (*Chriſtus videlicet, fulguri comparatur Matthei* 24 v. 27) & paret uſque in Occidentem.

Ibidem lin. 20 in partibus marinis *lege* tranſmarinis.

Pag. 779 *ad num.* 45 *in fine ſubjunge.*

Notabile eſt autem, quod magni Auberti Miræi ex ſorore nepos, idemque in hac Antverpienſi Cathedrali Eccleſia Canonicus Archidiaconus & Illuſtriſſ ac Reverendiſſ. D. Epiſcopi Antverpienſis Vicarius Generalis librorumque Cenſor, Aubertus vanden Eede, his viſis, animadvertit: videlicet in tota hac Regula nullum inveniri veſtigium peculiaris cujuſdam erga beatiſſimam Virginem Mariam devotionis; ac ne Fratribus quidem litterarum imperitis, dum præſcribitur Pſalmorum loco Dominica oratio certo numero recitanda, addi pariter mandatum de ſalutatione Angelica; cujus tamen uſus non ignotus Eccleſiæ erat, & eo fere tempore per S. Dominicam ejuſque ſequaces inceperat vehementer celebrari in Europa. Vnde vir iſte eruditiſſimus conſequens eſſe cenſet, peculiare iſtud Mariæ Virginis patrocinium, quo nunc tantopere & tanto jure gloriatur Ordo Carmeliticus, ad S. Alberti tempora nequaquam ſpectare; ſed initium habuiſſe ab eccleſia novâ & ampliori, quam circa extremos Brocardi annos ſub titulo B. Mariæ Virginis ædificatam infra oſtendemus novum nomen peperiſſe Eremitis, qui eatenus nuncupabantur à fonte, juxta quem oratorium ſuum habebant.

F

Ibidem col. 2 *lin.* 18 ἠφάνισαλλεον, lege, ἠφάνισται πέλεον.

Ioanni Hieroſ attributis librum ignoraverunt ætiqui,

Pag. 780 *num.* 50 *lin.* 12 *poſt* cognovimus *hæc adde. Et tamen antiqui in noſtro hoc Occidente monachi (ut de Orientalibus nihil dicam) curioſi fuerunt, ut varias à variis ſcriptas Regulas cognoſcerent conferrentque inter ſe, non tantum Occidentalium, ſed etiam Orientalium Patrum; imo nulla videtur in Oriente celebris fuiſſe Regula, quæ non etiam in Occidente ſuos habuerit ſectatores profeſſoresque, prius quam omnia monaſteria Europæa Latini ritus, paulatim concederent in Benedictinam. Colligitur id ex Concordia Regularum, quam S. Benedictus Anianæ Abbas tempore Ludovici Pii conſcripſit, oſtendens quantam omnes habeant cum Benedictinâ Regula conformitatem. Extat ea Pariſiis edita anno* 1638, *& notis*

A *& notis illuſtrata ab Hugone Maynardo : in qua cum Benedictina nominatim comparantur ex Orientalibus* Regula S. Pachomii, S. Orſiesii. S. Macarii *duplex, triplex ſub nomine* Patrum, *una anonyma ſub titulo* Orientalis, *ac denique* S. Baſilii. *In codice vero Regularum, quem Holſteinium dixi vulgaviſſe, præter jam nominatas, inventæ ſunt etiam Regulæ* S. Antonii Abbatis, S. Iſaiæ Abbatis, liber S. Athanaſii Epiſcopi Alexandriæ de obſervationibus monachorum, Euagrii monachi ſententiæ ad monachos, ejuſdemque ſententiæ ad Virgines. *Sed nulla uſpiam Ioannis Hieroſolymitani mentio. Et adhuc durum videbitur alicui, quod audeat quis contradicere aſſerentibus librum ab eo ſcriptum fuiſſe, qui plurimis in Carmelo & reliqua Syria monaſteriis per plura conſequenter ſecula pro Regula fuerit ? aut ſtramineum dicetur argumentum, ab auctoritate negata petitum, quando tacent ii, qui ex profeſſo collegerunt quotquot nanciſci potuere ſcriptas Regulas ? Scriptas dico, ne quis obiiciat alias, quarum forte mentio uſpiam ſit, & tamen abſunt à Collectionibus prædictis. Iuvat porro audire de eo libro, quo tantopere ſeſe jactant multi, quis ſit ſenſus virorum, in diſcernendis germanis ſpuriiſque libris verſatiſſimorum &c.*

His autem tali loco interjectis, expungi poterunt quæ habentur pag. 781, *in fine num.* 54 *incipiendo ab his verbis,* Nequeo interim animo capere *&c.*

B Pag. 784 *num.* 65 *dele ſex ultimas lineas, poſt verba* SS. Joannis & Pauli.

Pag. 793 *num.* 111 *lin.* 8, *commendaturos ex Syria profugos,* lege, *commendaturus.*

Pag. 795 *num.* 118 *lin.* 5 *Generalis Priori,* lege, *Prior.*

Pag. 802 *num.* 144 *lin.* 8 *à fine.* Neque vero habenda oratio, *lege,* ratio.

